BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
F
105 (1
NAPOLI

33

V4
VI-8

Digitized by Google

Digitized by Google

597777 105 (1)

DICTIONARIUM
HISTORICUM, CRITICUM,
CHRONOLOGICUM, GEOGRAPHICUM, ET LITERALE
SACRÆ SCRIPTURÆ,

Cum figuris Antiquitates Judaicas repræſentantibus

AUTHORE

R. P. D. AUGUSTINO CALMET
ORDINIS S. BENEDICTI ABBATE,

E Gallico in Latinum translatum

A JOANNE DOMINICO MANSI,
CONGREGATIONIS MATRIS DEI, LUCENSI.

Editio Veneta poſt Secundam, cui addita fuerant, & locis ſuis inſerta ipſiuſmet Auctoris ſupplementa, Tertia, longe emendatior, & accuratior.

TOMUS PRIMUS.

Biblioteca Nazionale Napoli



VENETIIS, MDCCXLVII.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

De Superiorum Licentia, & Excellentiſs. Senatus Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

AUCTORIS
PRÆFATIO.

POſt edita in lucem literalia in Textum utrioſque Teſtamenti perpetua Commentaria, viris pluribus Eruditis ſuadentibus urgebamur, ut quandoquidem vulgata hucuſque Biblica Dictionaria publicæ expectationis vota omnia non expleviſſent, eidem nos Operi, in quo plura tum a Commentariis, tum a Diſſertationibus aliena inſeri poſſent, manus admoveremus. Qua in re non inutilem ſane operam Publico nos navaturos addebant; tum ea, quæ ſparſim in Commentariis utiliſſima occurrebant, ſub ipſum veluti conſpectum ſimul exhibentes, pluraque etiam ad ſtudium S. Scripturæ conducentia afferentes in medium, cum quod hiſce Commentariis carentibus præclare ſecum agi videretur, quibus unum iſtud Opus illorum omnium inſtar eſſet futurum. Quibus vero eadem Scripta ſupperent, illos dicebant laturos non invite Dictionarium, ubi de ſingulis rebus ſtrictius, ſolide tamen, ageretur.

Hæc illi quidem tum per ſe gravia, cum adjecto authoritatis pondere validiora, ex quo factum, ut arduam ſane provinciam tandem aggredientes, in tædio atque difficultate longiſſimi Operis nunquam tamen accepti ab amicis conſilii pœnituerit; quippe qui plura, alioqui facile negligenda, diſcere cogeremur; uti & ea data occaſione, noſtra Commentaria pluribus in locis conſulentes, errata quædam nonnulla, quæ imprudentibus nobis obrepſerant, deprehenderimus; ac tandem nova quamplurima ex argumento, de quo ageremus, deducta animadverterimus. Qua in re non exiguo nobis fuit adjumento inſtructiſſima Bibliotheca Abbatiæ Medii Monaſterii, ubi a ſtrepitu & turba remoti, Opus ad id perfectionis deduximus, quod alibi nunquam minori Librorum, & quietis ope fulti, potuiſſemus.

In eo autem conficiendo duo potiſſimum ſpectanda nobis propoſuimus: aliud ad Dictionarium quodcumque, alterum ad Biblicum tantummodo ſpectans. Dictionarium igitur quodcumque molientem claram diſtinctamque vocum & rerum ideam ad opus conferre neceſſe eſt, etymologias, definitiones, deſcriptiones, diviſiones producere omnes; cavere autem, ut dilucide ſingula tractans, prolixitatem ſimul & vitioſam brevitatem evitet; ne quid temere effutiens, omnia ſignificatis ſaltem rationibus probet: fuſiores enim rerum Diſſertationes Dictionarium non decent; Authores tamen iis de rebus fuſius agentes operæ pretium ſit Lectoribus indicaſſe. Tandem varia licet & diſparata in eo Opere afferantur, ubique unum regnare Genealogiæ, Geographiæ, Theologiæ, & Philoſophiæ ſyſtema oportet; & quod caput eſt, id ſemper committendum, ne quid unquam certo aſſeratur, quod conjecturis tantummodo fultum eſt, cum prima Dictionarii idea apud omnes habeatur, ut normam ſermonis, & certiſſimarum atque communiſſimarum notionum præſcribat.

Quod ad Dictionarium Biblicum ſpectat, cum vaſtiſſimo in campo ſpatietur, ideo ſive omnes ſimul ejus partes, ſive aliquam tantummodo complecti potuiſſet. Hebræorum Dictionaria rectiſſime Biblica appellantur, quod Hebræas in Textu originali V. T. occurrentes voces explicent. Paria in Textum Græcum N. T. Lexicon Paſoris præſtat.

Variæ Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ utriuſque Teſtamenti Concordantiæ alphabetico ordine voces ſingulas Textus digerentes, ad eamdem claſſem commode referuntur.

Hugo de S. Caro Ordinis S. Dominici, qui obiit an. 1261. vel 1262. primus Concordantiarum Author perhibetur (a). Opus autem ex vocibus tantum declinabilibus S. Scripturæ digerens, labori ferendo, in 500. Religioſos ſui Ordinis certum vocum recenſendarum penſum diſtribuit.

Conradus Alberſtadienſis Dominicanus, voces indeclinabiles adjecit. Florebat circa an. 1290. atque primus Concordantiarum Author a Trithemio Chron. Hirſaug. t. 2. perhibetur; quemadmodum & ab aliis ejus inventionis decus Arloto cuidam ex Ordine Minorum, qui florebat circa an. 1290. tributum eſt.

Ex hiſce P. Arloti Concordantiis conſilium ſuum Concordantias Hebraicas adornandi ano. 1438. Rabbi Nathan cœpiſſe, Rabbi Gedaliah teſtatur. Sed Hugoni Cardinali Operis primo inventi honorem tribuendum, cui deinde Conradus, & Arlotus ſecundus curas adjecerint, facilius credimus.

Concilii Baſileenſis tempore an. 1430. Joannes Segovienſis (b) alphabetica Tabula particularum indeclinabilium (c) Librum auctiorem fecit; quæ diutius Tabula in Calce Concordantiarum Latinarum recuſa, tandem in Novis Editionibus eadem cum cæteris ſerie in Textu repoſita eſt.

Inde elaboratius in dies Opus prodiit, certantibus invicem clarioribus quibuſque Typographis, utri defæcatiorem, atque commodiori methodo Librum ederent. Olim & numerus capitis, & primores Alphabeti literæ ſingulis vocibus addebantur, quo & caput Scripturæ, & initium, medietas, ſive finis illius per illas Alphabeti literas indicaretur. Ex quo vero Robertus Stephanus an. 1541. Biblia in verſiculos diſtinxit, verſiculi etiam in Concordantiis adnotari, ac literæ ſupprimi cęperunt; ejuſdemque Impreſſoris opera elegantiſſimæ Concordantiæ, capitum, & verſiculorum numero inſtructæ prodierunt, an. 1555.

Georgius Bullocus, Antuerpienſibus Plantinianis typis an. 1572. vulgavit: *Oeconomia methodica Concordantiarum Scripturæ Sacræ*; quo in Libro ſub certis titulis, methodo ſatis ad Conciones accommodata, omnes referuntur voces, idem, quod titulus, reſpicientes. Ita ſub titulo *Evangelium*, non eæ tantum referuntur ſententiæ, in quibus eadem vox aperte recurrit, ſed illæ adnotantur etiam, in quibus idem aliis vel æquivalentibus verbis innuitur; uti ſunt, *Verbum Dei, veritas, teſtimonium, regula, jugum, pactum, juſtitia &c.*

[a] Antonin. 3. p. ſum. hiſt. t. 19. c. 5. §. 11. Sixt. Sen. Biblioth. ſac. l. 3. & 4.
[b] Ita Jo. Buxtorf. Præf. in ſuas Concord. Hebr.
[c] Narrat Trithemius, Concilii Baſileenſis tempore Joannem Ragaſæum primo, deinde Gualterium Scotum, ac tandem Joannem Segovienſem Opus Concordantiarum ad eum ſtatum redegiſſe, quem hodie uſque, uti ille, ſervat. Chron. Hirſaug.

Teſtamentum, *fœdus*, *teſtimonium*, *jusjurandum*, *ritus*; *ſolemnitas*, *regula*, *Scriptura*, *ſcriptum*, *ſcriptor*, *liber &c.* Porro Opus eſt quantum Concionatoribus, atque de rebus moralibus agentibus utile, tantum prolixitate ſua, atque methodo nimis ſervili & moroſa, incommodum.

Suas etiam Concordantias Gaſpar Zamora, Jeſuita Hiſpanus adornavit. Cum autem Author an. 1621. obijſſet, poſtbumum ejus Opus Romæ apud Zannettum an. 1627. prodiit, hoc titulo: *Concordantiæ Bibliorum majores cum narratione de iiſdem Concordantiis per Gaſparem de Zamora*. Porro editio illa in pretio quidem babetur; ſed prolixior eſt, atque diviſionibus, & ſubdiviſionibus implexior.

Nihil moror de Concordantiis, Gallice, Germanice, Belgice, Anglice editis, quarum Catalogum, & Editiones, quemadmodum & Latinarum Concordantiarum, exhibet P. le Long Congregationis Oratorii in Bibliotheca Sacra T. 2. a pag. 331. uſque ad 341.

Latinorum conſilium Græci ſequuti, Græcas etiam Concordantias adornarunt. Omnium primus *Eutherius Rhodius*, Monachus Baſilianus, Opus ſuum abſolvit an. Ch. 1300, quod tamen nunquam typis mandatum eſt.

Conradus Kircherus ex Proteſtantibus Auguſtæ Vindelicorum, Concordantia Græca V. T. Francofurti duobus voluminibus in 4. an. 1607. vulgata celebratur. Voces in ea Hebrææ, ac deinde alphabetico ordine Græcæ ex Septuaginta, & aliis Interpretibus Græcis digeruntur. In calce ſecundi tomi alphabetica Tabula vocum Græcarum, ad voces Hebraicas in Operis capite remittentium diſpoſita eſt.

Idem opus Hollandicis typis an. 1718. geminis voluminibus *in fol.* recuſum eſt. Methodum tamen ita reformavit Tromius, ut pro Hebræo, quo Kircherus uſus eſt, Græcum alphabetum ſubſtituerit; plura a Kirchero omiſſa adjecerit, emendaveritque non pauca. Tandem ſequutum ſe Editionem Septuaginta Francofordienſem per Vecelium *in fol.* 1597. quemadmodum & Kircherus nec abs re ſane, cum duæ Editiones Græcæ Septuaginta inter ſe varient, animadvertit. Quo autem Lectorum commodis conſulatur, in calce ſecundi Tomi adjecta eſt Tabula parallela Capitum, & Verſuum ex duplici Editione Romana & Francofordienſi Vecelii inſtituta.

Concordantiæ Græcæ N. T, author eſt *Xiſtus Betulejus* Lutheranus, qui obiit an. 1554. Impreſſum Opus Baſileę 1546. Henrici Stephani ſecundi curis elaboratius Genevę an. 1600. ac deinde auctius an. 1624. recuſum eſt.

Rabbinus Mardocbæus Nathan, alio nomine Iſaac Nathan, Concordantias Hebræas inſtar Latinarum elaboraturus, integro decennio ab A. 1438. uſque ad 1448. atque plurimorum Scriptorum opera ipſo teſtante, in eo Opere abſolvendo uſus eſt. Typis mandatus eſt Liber Venetiis primum apud Danielem Bomberg 1523 inſcriptuſque, *Meir netib*, id eſt *illuminans viam*. Recuſum Baſileæ apud Frobenium 1581. iterum Cracovię 1584. optima omnium Romana Editio 1621. *in fol*, 4. voluminibus, per Marium de Calaſio, in qua adjecta ad latus Latina Verſio, cum variantibus ex Vulgata, & Septuaginta ad marginem; ac tandem in fronte ſingulorum articulorum ſuus eſt cæterarum Linguarum Orientalium cum Hebræo comparatio.

Eaſdem Iſaaci Nathan Concordantias, adjecta de ſuo Marte Latina interpretatione, ſed mendoſiſſima, Antonius Reuchlinus Baſileæ 1556. apud Henricum Petrum imprimendas curaverat. Ejus labore Marius de Calaſio in interpretatione nominum Hebræorum profecit. Latina Verſio e regione Textus Hebraici reſpondens, ex Verſione Santis Pagnini plurima ſui parte deſcripta eſt.

Joannes Buxtorfius filius, novam etiam Concordantiarum Hebraicarum Editionem Baſileæ apud Keningium 1632. curavit; ſicut & alteram dedit Chriſtianus Crineſius Vittembergæ 1627. in 4. Tandem earumdem epitome ad normam Lexici in 8. Berolini 1677. curante Chriſtiano Ravio; & Londini 1680. opera Guillelmi Robertſon in 4. hoc titulo prodiit: *Theſaurus Linguæ Sanctæ*, ſeu *Concordantiale Lexicon Hebræo-Latino-Biblicum*, *una cum Concordantiis Hebraicis* &c. Fridericus Lanckiſch an. 1680. Lypſiæ & Francofurti in 4. edidit Epitomem Concordantiarum Græcarum, & Hebraicarum, quibus e regione Verſio Germanica Lutheri reſpondet.

Dictionarium inſcriptum: *Mammotreptus*, ſive *Mammotrectus*, adornaſſe fertur quidam Monachus S. Franciſci eo conſilio, de quo ipſe in præfatione: *Impatiens propriæ imperitiæ*, *ac ruditati compatiens pauperum Clericorum*, *qui ad prædicationis officium promoventur*, *decrevi Bibliam perlegendo tranſcurrere*, *nec non & alia*, *quæ in Eccleſia recitantur*, *ſi vita comes fuerit*, *& partium difficilium ſignificantias*, *& accentus*, *& genera inſinuare lectori pauperculo*, *ſecundum quod pro captu intelligentiæ colligere potero ex laboribus aliorum &c.* Ex his ſane evidentiſſimum rudis illius, & barbari ſæculi argumentum habemus; quod etiam totus ille liber apertiſſime demonſtrat. Porro author explicationem ſuam ab Epiſtola S Hieronymi ad Paulinum exorſus, inde Prologo ejuſdem in Pentateuchum explicato, Geneſim, & ſubinde cæteros Sacræ Scripturæ Libros explicandos aggreditur. Tandem ad hymnos, Antiphonas, hiſtorias Sanctorum, & ſermones Sanctorum Patrum, quorum in Officio Eccleſiæ uſus, ſe confert.

Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis Dictionarium Geographicum Scripturæ ordine alphabetico, adductis ſingulis locorum nominibus in Libris Sacris occurrentibus digeſſit; Opus ſane utiliſſimum, nec minori in pretio habitum, quamquam non ſine mendis, Amanuenſium potius audaciæ, quam Authoris incuriæ tribuendis. Verſionem Latinam S. Hieronymus adornans, multa de ſuo adjecit, tum ad loca, de quibus Euſebius, illuſtranda, tum nova quamplurima afferens. Vide quæ infra dicemus, agentes de Authoribus in Geographiam ſcribentibus. Adrichomius, Samſonius, Lubinus, Bonfrerius, Relandus, fuſius de eodem argumento ſcripſerunt.

Philo Judæus, authore Origene (a), Librum de nominibus Hebræorum adornavit, etymologias, & interpretationes e regione vocum Hebræarum diſponens. Nec diſſimili conſilio Origenes Opus dictavit, quod Græce adhuc ſupereſt, & S. Hieronymus in Latinum tranſtulit. Cum tamen & Philoni, & Origeni Linguæ Hebraicæ cognitione idem Hieronymus præſtaret, & inventis addere, uti & perficere, quæ ab aliis excogitata ſunt, non ægre contingat; hinc opus ejuſdem Scriptoris ſedulitate, ad id perfectionis pervenit, ut nunquam melius. Singulis enim ſacris Libris diligenter evolutis, omnia

Hebrai.

[a] Vide Hieron. Præfat. in interpret. nom. Hebraic.

Digitized by Google

Hebraica nomina colligens, adjecta ſubinde explicatione Latina, in librum digeſſit. Conſule, ſi lubet, Præfationem ſecundi Tomi Editioois S. Hierooymi curis P. Martianay, & noſtram in explicatione nominum Hebræorum, Chaldæorum, & Græcorum io Vulgata occurrentium, quam in calce hujus Dictionarii collocavimus; ubi peculiaria ſane de hoc argumento, & de nominibus Hebræorum adnotavimus.

Dictionaria Moralia, ſive collectiones Sententiarum Sacræ Scripturæ ad mores pertinentium, non unius labores exercuerunt. P. Balinghem *Loca Communia*; Hieronymus Lauretus *Sylvam Allegoriarum*; P. Euſardus *Concordantias Morales* adornarunt; D. Hurè ſenſum grammaticalem, Moralem, & Hiſtoricum complexus eſt; potiſſima tamen ejus cura io grammaticali, & Morali; raræ hiſtoriæ, nihil de Geographia, Chronologia, & Critica.

Simonius Sacerdos, & Doctor Theologiæ Lugduni, olim Parochus Uzetiæ in Diœceſi Vieonenſi in Delphinatu, alius ille a Cl. Simonio olim Oratorii Sacerdote, & novis excogitatis Scripturæ ſyſtematibus, ac Hiſtoria Critica Textuum utriuſque Teſtameoti celebri; Simonius, ioquam, Doctor Theologiæ novum ſcripſit Biblicum Dictionarium, quod unico volumine *in fol.* Lugduni an. 1693. prodiit. In eo vero hiſtorias, & res geſtas clariſſimorum utriuſque Teſtamenti, & hiſtoriæ Judaicæ virorum ſe proſecuturum Author pollicetur. Eodem conſilio daturum ſe ſpondet explicationem nominum purorum, & impurorum aoimantium, de quibus io Scriptura, gemmarum Rationalis, cæterarumque, quibus Pontifex ornabatur, Feſtorum, & ſolemnitatum apud Hebreos. Neque io illo deſiderandæ provinciæ, regiones, urbes, vici, montes, amnes erant, de quibus io Libris Sacris, & in Joſepho: nihil etiam de menſuris, & oummis &c. Opus illud eo plauſu exceptum eſt, ut altero volumine auctius iterum ab Authore Lugduni an. 1703. duobus voluminibus *in fol.* recuderetur.

Si frequentes exemplarium Emptores optimi Libri argumentum ſunt, nullus ſane præ iſto approbationem promeruiſſet. Verum viri eruditi illum in examen revocaotes, menda quamplurima deprehenderunt, ex quibus intellexere deſtitutum Authorem neceſſariis adjumentis, qua librorum, qua cognitionis Linguarum, ſine quibus vaſtum illud conſilium prorſus elanguiſſe oportuit. Sed tanto operi manum admoviſſe non modicæ laudis pars eſt, cum rari eo uſque proceſſerint, ut eam Provinciam tentarent. Nos ſane ejus opere in eo ſaltem profecimus, quod omoia ferme nomina ſuo ordine digeſta, & diſcutiendarum rerum titulos ſuffecerit: quio & ipſa Authoris menda id nobis contulerunt, ut cautiores nos, ſimulque in examine diligentiores efficereot. Tandem cum publica vota Dictionarium Biblicum omnibus abſolutum numeris poſcere apertiſſime jam intellexerimus, ideo ooſtrum excitatum eſt ſtudium, ut tanto operi aoimum alacres adjiceremus, in qua cæterorum ante nos errata ſedulo vitantes, alienis lapſibus proficeremus.

Propoſitum igitur in hoc Opere adornando noſtrum in eo verſatur, ut Dictionarium Biblicum eodem conſilio, quo Commentaria in S. Scripturam, ederemus, literæ nempe potiſſimum, hiſtoriæ, & criticæ inhærentes; adjecta difficilium vocum explicatione, collatis inter ſe Hebraico ſimul & Vulgatæ Textibus. Nec minor oobis cura deſignandi certos locorum, regionum, montium, amnium S. Scripturæ ſitus. Celebrioribus rerum geſtarum eventibus exactiſſimæ Chronologiæ notas adſcripſimus, plantarum, gemmarum, animantium, fructuum nomina diſcuſſimus: de moribus, Feſtis, & cæremoniis Hebræorum, quæ feruntur, ſingula in medium adduximus. Nec prætermiſſæ monetarum, atque cujuſcunque generis menſurarum rationes. Quare opus babendum eſt non taoquam Commeotariorum noſtrorum Epitome tantum, ſed velut illis omnibus adjectum Supplemeotum. Id etiam unum Prolegomenon, & Introductionis ad Scripturam loco haberi poteſt: quemadmodum & chronologiæ, hiſtoriæ, geograpbiæ ſacræ, & Librorum de Politia, ac moribus Hebræorum agentium. Paucis: Bibliothecam pauperum exhibet, atque utiliſſimum in lectione S. Scripturæ proficere volentibus Repertorium. Hinc quæcunque apud varios Authores legerint Eruditi, hoc uno io Opere brevius collecta teoebuot; Libris vero deſtituti, ſingularum rerum ſummam addiſcent.

Quod ad hiſtoriam pertioet, geſta clariſſimorum io Scriptura, & apud Joſephum Virorum, nihil penitus omittentes, atque ipſum Authorum ſacrorum contextum ſequuti narravimus: quod ſane conſilium optimum expeditumque experientia comperimus.

Dictionaria ſcribentes plerique in calce ſingulorum articulorum, Authorum loca, notaſque chronologicas deſcriptarum rerum confuſe ſimul adnotant. Nos ſiogula ſuis locis diſtribuentes, cum potiſſimum hiſtoriæ ſeries efflagitare videretur, tunc ſive Authorum loca, ex quibus illam derivavimus, ſive annos Mundi, annos ante Chriſtum, & ante Æram vulgarem in margine adſcripſimus. Cum de Patriarchis agitur, deductis ex Scriptura hiſtoriis, tum ea, quæ apud Authores apocryphos ad argumentum faciunt, cum & Opera, quæ elucubrarunt, ſive elucubraſſe dicuotur, adjecimus.

Cum de Bibliis geoeratim, de Textibus etiam, & Verſionibus egimus; cum vero de ſingulis ejuſdem Scripturæ Libris, brevem etiam eorum ideam exhibuimus, de ſingulorum etiam authorum authoritate agentes; nec omiſſis iis, ſive quæ de iiſdem authoribus, ſive quæ de Libri ætate, cæteriſque ad argumentum pertioentibus, diſputantur. De Textu etiam Hebræo, Polyglottis, Septuaginta, Vulgata, Targum, Thalmod, juſto modulo diſſeruimus, ut certam earum rerum ideam iis exhiberemus, qui rem ab ipſis fontibus petere impares ſunt. Authores ſedulo adnotavimus, ut ipſos cooſuleotes, ſuſius diſcuſſa lectores nanciſcerentur, quæ nos ſtrictius complectebamur. Cum etiam argumenti dignitas expoſcebat, Libros etiam, & Authores de illo data opera agentes indicavimus.

Feſta, Leges, & cæremonias Judæorum recenſentes, omnia, quæ ad illa ſpectaot, ſive in Scriptura, ſive in Authoribus Judæis, & Chriſtianis, ne omiſſa quidem recentiorum Judæorum diſciplina, congeſſimus.

Plurimas etiam Diſſertationes, & peculiares tractatus compendio inſeruimus. Catalogus Judicum Iſraelis, Regum Iſraelis, & Judæ, Principum Aſmonæorum, Præſidum Judææ ſub Romaois, Regum Ægypti, & Syriæ ab Alexandro Magno, Summorum denique Sacerdotum deduximus. Tabulam adjecimus Genealogicam poſterorum Herodis, nummorum, & menſurarum, quarum Hebræis uſus, eaſque ad ooſtras ſupputationes redegimus.

Uſſerii Chronologiam, exactiſſimam omnium, & Recentiorum Scriptorum calculo approbatam, prætulimus, cui addere viſum eſt annos J. C. & Æræ vulgaris, ut unico veluti intuitu Lector utriuſque Epochæ diſcrimen aſpiciat. Ad calcem Operis rejectum Calendarium Hebraicum, in quo ſolemnitates præcipuæ, jejunia, nedum in cæteris Calendariis deducta, ſed etiam apud vetuſtiſſimos Judæos occurrentia, adnotantur. In ipſo etiam Operis decurſu, in articulis *Anni*, *Menſes*, *Dies*, *Jubileum*, plura ad Chronologiam pertinentia diſcuſſimus. Nec minus ad eandem Chronologiam ſpectat ſeries Regum, Sacerdotum, & Principum; de quibus ſupra: ſed plurimum etiam ad illam conducit Tabula Chronologica univerſalis, ab exordio Mundi uſque ad everſionem Jeroſolymæ per Romanos digeſta; ex qua omiſſæ quibuſdam locis Chronologicæ notæ ſupplentur.

Inter potiſſimas tamen hujus Operis curas, Geographiam Sacram illuſtrandam ſuſcepimus, quam maximi eſſe momenti ad ſtudium Sacræ Scripturæ perſuaſum habemus. Cum tamen ea in re ſæpiſſime in obſcuro nos verſari contingat, atque ignoratione potius, quam errore teneri maluerimus, ideo nonniſi certa, & quæ explorata habere potuimus, adnotata ſunt. Plurimum autem labori Cl. Relandi debemus, qui de Geographia Palæſtinæ duobus voluminibus *in quarto* diſſeruit. Clariſſimis quibuſque locis deſcriptis, res ibidem geſtas; atque varios ejuſdem loci eventus narravimus; quemadmodum in articulis *Jeruſalem*, *Samaria*, *Tyrus*, Lectores intelligent. Cum tamen Operis conſilium in eo verſetur potiſſimum, ut Bibliorum explicationi ſerviat, idcirco in deſcriptione locorum, & urbium, eorum ſtatum uſque ad captam a Romanis Jeruſalem, ſive ad exitum uſque primi Eccleſiæ ſæculi; nec ulterius, exhibuimus.

Parum hic ad aſceticam; ſuæ enim ſunt Concionatoribus Concordantiæ Latinæ, & Dictionaria Moralia eorum votis abunde reſpondentia. Potiſſimus nobis ſcopus litera, hiſtoria, critica. Rara virorum, ſive locorum nomina omiſſa, & ſi quædam, ideo potiſſimum, quia de illis nonniſi nuda nomina in Scripturis, & hiſtoriis occurrunt. Etymologias & interpretationes nominum raro quidem in Operis decurſu; omnes autem in Dictionario ſingulari, ad calcem Operis adjecto, collegimus.

Quo autem Opus omnibus numeris abſolveretur, veluti introductio quædam ad ſtudium Scripturæ præpoſita, & Bibliotheca optimorum Authorum, & Librorum, qui ad intentum conducant. Sæpe quibus amor ſtudii ingens eſt, neceſſarium librorum adjumentum deeſt; quibus vero librorum copia affluit, nec ſatis illis animi ſive temporis eſt ad illos legendos, ut ſimul conferentes, optimos a cæteris ſeligant. Quibus tamen Bibliothecæ inſtruendæ, atque comparandorum Librorum conſilium ſedet, illis ſane opportune accidet, ut Authores de ſingulis Scripturæ Libris agentes exhibeantur; ſimulque diſcant, quinam inter cæteros Anthores & Libri communi æſtimatione præſtiterint. Ea cognitione deſtitutis, diutino interdum labori tenuis vel nulla merces reſpondet; quippe qui ſterilem campum ſibi colendum ſuſceperint, atque ſtudii ſui indoctos magiſtros elegerint. Huic malo occurrere volentes, Librorum Catalogum exhibemus, nec infrequentem, ut inter multos aliqui ſeligantur; & quia in eo argumenti genere verſamur, ut omnes elucubrationes legiſſe operæ pretium fuerit, Quamquam non ita de nobis præſumimus, ut omnes libros, & Authores in Scripturam adduxiſſe nobis blandiamur, cum in latiori verſemur campo, quam qui inter anguſtos hujus Dictionarii fines contineri poſſit; præterquam quod P. Le Long Congregationis Oratorii juſtum ea de re Librum propediem editurus eſt.

AUCTORIS PRÆFATIO.

In gemina Supplementorum Biblici Dictionarii volumina.

QUi publicus favor excipiendo Biblico Dictionario, opera mea literis commiſſo, impenſus eſt; quod collatum eſt ſtudium, variis traditum linguis longe lateque illud diſſipandi; quæ fuit Typographis ſollicitudo ejus ornandi, ditandi, perficiendi; virorum item plurimorum in eandem Lucubrationem meam Animadverſiones, tum & preces ac vota undique ad me delata, ut ſemel cœptum Opus augerem atque perficerem; id tandem apud me impetrarunt, ut recenſendum iterum totum aſſumerem, promoveremque ad altiſſimum, quam fieri poteſt, perfectionis gradum, facta rerum acceſſione non modica ad ſecundam Editionem, quam forte non defuturam intelligebam.

Cum tamen Additionum illarum & Animadverſionum locuples eſſet collecta meſſes, e re me facturum arbitratus ſum, ut Supplementi volumen (1) ſeorſum darem; quo ſcilicet priori Dictionarii editione potientes nec novis Animadverſionibus deſtituantur, nec forte unquam contingat, ut vel in neceſſitatem comparandi ſibi editionem ſecundam inducantur, vel ſaltem querelas illas inſtaurent, venum ſcilicet exponi in dies priores Editiones Operum, quæ plane inutilia vel manca effecerunt ſecundæ illorum Editiones auctæ & caſtigatæ.

Offert Supplementum hoc Animadverſiones plane ſingulares in loca perplurima Operis noſtri, Articulos etiam ex integro novos, Obſervationes item criticas & literales, hiſtorica tandem multa e Libris Orientalibus excerpta, quæ hiſtoriæ & Antiquitatibus ſacris Veteris Teſtamenti lucem affundunt. Nec deſunt traditiones quædam veterum Arabum, poſterorum Iſmaelis & Abrahami, qui hiſtoriæ Sacræ memoriam quidem, ſed corruptam & pluribus obvolutam fabellis conſervarunt. Pleniorem etiam in lucem produximus, ac juſtiores latioreſque terminos aſſignavimus Articulis nonnullis in Dictionario arctiſſime circumſcriptis. Uno verbo nihil prætermiſſum eſt eorum, quæ id perfectioni Operi conferrent, ut nihil ultra deſiderandum ex nobis reſtaret; integrum tamen relinquentes iis, qui poſt nos ad ſcribendum acceſſerint, ut & rem perficiant in melius, & meditationes noſtras novis meditationibus augeant & promoveant: id enim genus eſt Operis Dictionarium, ut novas caſtigationes & additamenta nunquam reſpuat. Hujus rei exempla crebra adeo ſuppetunt, ut unum vel alterum ſingillatim indicare ſit ſupervacaneum.

D. Eques Folard, notum inter Doctos nomen, cujus ſumma eſt experientiæ, ingenii & ſcientiæ de Tactice

(1) Nos ſupplementa omnia Lectorum commodo conſulturi Dictionario locis ſuis inſeruimus.

ctice Veterum laus, ex Operibus, quæ de hoc argumento gravi utique, vulgavit; cum Diſſertationem meam de re militari Hebræorum legiſſet, grande ſtatim aliquid concepit de virtute ac ſcientia veterum Iſraelitarum in rebus ad militiam pertinentibus; quare ut rem propius conſideraret ad voluminum hiſtoricorum V. T. lectionem acceſſit. Attento oculo inſpexit textus omnes, in quibus de prælris, obſidionibus, & expeditionibus militaribus ſub Moyſe, Joſue, Judicibus, Regibus, Machabæis. Ea lectione magis magiſque impreſſit menti veterem perſuaſionem ſuam, nimirum Græcos Romanoſque nonniſi imitatione ad ſe adſciviſſe, quæ diu ante obtinuerant apud Orientales, nempe apud Ægyptios, Hebræos, Chaldæos, Aſſyrios, Perſas. Cum autem viri illius ſumma ſit in eo ſcientiarum genere ſagacitas, in lectione Librorum Sacrorum ea detexit, quæ me, & minus quam ille oculatos omnes fugiſſent.

Apud ſe igitur decrevit ſcribere Animadverſiones in prælia majora, & in celebriores Obſidiones, quarum memoria in Sacris Libris V. T. ſervetur. Eas Animadverſiones ut ſibi communicaret, Operi huic inſerendas, rogarunt Typographi, qui editionem hanc Supplementi aggredi meditabantur, rati futurum, ut publico favore exciperetur de argumento novo adeo gravique Lucubratio, quam daret Eques Folard, vir nempe experientia & ingenio de rebus militaribus longe meritiſſimus. Expugnari ſe tandem precibus paſſus eſt; & viciſſim pro ſe Typographi, ne quid Publicis votis deſiderandum relinquerent, ingenti, qua ſumptuum profuſione, qua peritiſſimorum virorum accuratione æri incidendas curarunt plures numero tabulas, exhibentes præliorum imagines, caſtrametationes, & obſidiones, in quas Vir doctus meditationes ſuas dederat. Porro Lucubrationes illas a reliquo Opere noſtro, præfixo in capite aſteriſmo diſtinguendas cenſuimus. In his vero Author meas interdum opiniones in rebus ad veterem militiam ſpectantibus refutat; nec ego invitus correctionem excipio; monſtri enim loco ducendum non eſt, ſi profeſſionis meæ virum plora lateant de militia, agminis profectione, diſpoſitione aciei & caſtrorum, machinis bellicis &c.

Fruſtra temporum ac locorum diſtantia, & conciſus Scripturæ ſtilus ad offundendas menti tenebras ideaſq; confuſas ingerendas concurrunt; vis ingenii D. Equitis Folard omnia diſſipat, omnia corrigit & reſtituit. Lectorem diceres vel in loca ipſa transferri, & velut inambulando deduci per omnes illos tractus regionum, exhibentium ſcenas rerum maxime inſignium & memorabilium, quæ plurimi ſunt ad Religionem momenti: omnia veluti porrecto digito demonſtrat, ut non audiat Lector, ſed & ipſe per ſe videat & res geſtas, hiſtorias, circumſtantias, longa oblivione jam ſepultas, ad lucem ſolemque revocatas, intueatur. Plus etiam aliquid addit, namque velut inter eundum novos Scripturæ ſenſus Interpretibus ignotos detegit, textus conciliat, quos repugnare ſecum invicem cogebat ſeu vocum certa ſignificatio uſu & conſuetudine illis attributa, ſeu interpretatio, quæ illis hucuſqoe vindicata fuerat.

Sed quantis illi obſtringitur Joſephus? Scriptor iſte Judæus, Græcis literis Opus ſuum tradidit, idemque Opus virorum, quorum ſapor delicatus eſt, in deliciis nunquam non fuit. Sed illud accidit Authori illi incommodum; raros eſſe nempe qui latices ejus ex ipſo fonte potare poſſint: quibus vero id non datur, illi ad verſiones coacti accedunt, nempe ad Joſephum ita turbidum, ut limpharum ejus ſaporem vix ſentiant. Hæc ſane intellexit D. Folard, nec ſe ſibi nec aliis diſſimulare potuit. Scriptæ ab illo Diſſertationes crebram lucem affundunt Textus genuino ſenſui diſtinguendo, paſſim ea relevat, quæ Interpretibus imprudentibus obrepſerunt, longe illos a ſuo Authore receſſiſſe demonſtrat, ignorantiam illorum detegit, ac tandem Artis nomina ſuggerit.

In calce hujus Supplementi adjiciendas cenſuimus reductiones cavarum menſurarum Hebræis familiarium ad Pariſienſes. Qui menſuras illas ad vernaculas referre voluerint, facta vernaculàrum ejuſmodi cum Pariſienſibus collatione, rem tenebunt.

Acceſſiones etiam & caſtigationes non modicæ in noſtra Bibliotheca Sacra ad calcem hujus Supplementi exhibentur. R. P. D. Idelfonſus Catbelinot, Abbatiæ S. Michaelis Bibliothecarius, id in ſe ſuſcepit, ut opportunis additionibus laborem hunc meum perficeret; commodavitque noſtræ huic Lucubrationi ceu ſuccum & epitomen ingentis, quod ipſe molitus eſt, Operis in Textus, Commentarios, in omnes demum Authores; qui in Sacram Scripturam totam vel partem laborarunt. Quamobrem anterioribus cum poſterioribus hiſce conjunctis Catalogum abſolutum omnium, quotquot in Biblia conſulendi eſſent, habere ſe non inaniter blandientur Lectores. Ibi pariter hiſtorica plura offendet Lector, quod de Authoribus, quod de ſcriptis illorum ferat judicium, quæ ſimul omnia & pretio erunt Operi, & legentibus jucunda.

PRÆFATIO EDITORUM.

QUod unum præclariſſimo Operi deeſſe videbatur, ut dum Gallicis mandatum literis plurium tantum delicium feciſſet, eo in Latinum translato Orbis univerſus bono frueretur, id & ſuſcipiendæ hujus Verſionis conſilium, & abſolvendæ animum adjecit. Quamquam enim longe lateque per Europam peregrinata Gallica Lingua, gratum ubique locorum hoſpitium obtinuerit; viri tamen docti quamplures, quibus id ſtudii genus adhuc intentatum, quamquam alioqui digniſſimi, ut eorum eruditioni conſulatur, occurrunt. Horum igitur commodis ſervire volentes, manum operi admovimus, in quo id potiſſimum conſilii ſervatum eſt.

Authoris methodo atque ſententiæ ita adhærendum duximus, ut verbis tamen & literæ non ſerviremus. Factum inde ut in verbis liberius vagantes, quandoque ſtrictius, nunquam tamen extra præſcriptas Interpreti Dictionarii regulas, narrationis ſeriem inſtituamus. Primigeniam quidem Scripturæ phraſim Author pro viribus ſervandam ſibi propoſuit; qui nimirum uno eodemque Opere duo ſibi præſtanda, & Dictionarium videlicet, & novam Bibliorum Verſionem, conſtituerat. Sed hæc Gallice quidem ſcribenti, non item Latine prona fuerunt. Ex ipſa enim Vulgata verba deſcribere ineptum prorſus, & a nemine unquam, qui Latine ſcriberet, uſurpatum videbatur. Quare non ipſa a nobis Authoris verba, ſed rerum fidem Lectores expoſcant. Eam vero adeo religioſe ſervavimus, ut obſcura etiam, implexa, & quæ majori lumine indigere videbantur dicta, ne reformare quidem aliquid de noſtro addentes, auderemus. In articulo Judæi, *ea occurrunt apud Authorem, & ex illo in noſtra Verſione, quibus nonniſi Judaicæ Religionis profeſſione ad ſalutem viam patuiſſe exprimatur. Quæ quidem paulo diligentius explicari debuiſſent, non enim Judæis tan-*

tum

Digitized by Google

tum pervia ſalus, ſed cæteris etiam, qui unius Dei cultu addicti, naturæ legis dictamini obſequuti fuiſſent. Quamquam & illi Judaicæ licet Religioni alieni, Judæi tamen rectiſſime dicebantur; Judæi, inquam, Proſelyti; quemadmodum v. Proſelyti *Author inſinuat. Nonnulla etiam hujus generis in operis decurſu Lector offendet. Neque Authori vitio vertendum, ſi quandoque vaſtiſſimum Opus molienti inconſulto aliqua exciderint: nec nobis ſi in alienam meſſem manum injicere detrectaverimus. Cæterum ſi Librum diligentius ſcrutantibus, atque originales Authores conferentibus, nonnulla plane ſalſa, ſeu vitio Typographi, ſeu Authoris lapſu occurrerunt, ea ſive in Textu, ſive adjecta ad marginem breviori nota corrigere viſum eſt. Optimi enim Interpretis munus eſt non verba potius, quam mentem Authoris attendere, cui ſane non ingratum accidiſſe ſolet, ſi menda, quæ forte imprudenti exciderant, ab æquis Lectoribus corrigantur. Hinc factum, ut in Libris laudandis ſphalmata quamplurima correxerimus; quandoque etiam in hiſtoriis, quæ patris eſſent, filio adſcripta, & viciſſim deprehendentes, ſuis authoribus reſtituta ſint; nonnulla tandem præpoſtere ex Authoribus deſcripta, eorum Libris conſultis emendaverimus.*

Reſtat ut de omiſſis a nobis inciſis ære figuris conſilium prudentibus Lectoribus aperiamus. Cum Eruditorum commodis in hac editione curanda unice ſervire conſtituiſſemus, potiſſima fuit ineunda ratio, ut ſumptibus in ea comparanda parceretur. Eo ſpectantes, icones omnes ſubducere viſum eſt (a), ex quibus par ſane diſpendio utilitas Lectoribus non proveniſſet. Quot enim ex illis ad libitum excogitatæ ſunt; ut de Throno, & Cathedra Salomonis Tabulæ? quot abs re prorſus adjectæ, uti Samuelis cum Saule colloquentis, Salomonis cæremoniam Dedicationis Templi agentis icones? quot venales paſſim proſtant, ut Tabulæ geographicæ plures? Sæpe etiam ipſa rei narratio pronior eſt, quam oculis ſubjici in imaginibus exegiſſet; ex quo tabulæ omnes de cæremoniis Judaicis, de Urim, & Thummim, de Theraphim impune ſubducerentur. Non eſt igitur, cur invidia nobis creari debuerit, ſi Lectorum commodis conſulentes, figuras ære inciſas omnes ancipitis prorſus utilitatis neglexīmus. Qua in re ipſiſſimum Authoris conſilium ſequutos nobis blandimur; quod enim Operi ornamentum illud accideret, non Authorem, dum Opus moliretur, ſed Typographum, Eruditis quibuſdam viris ſuadentibus, effeciſſe in Ephemeridibus Gallicis rotundis verbis aſſeritur (b). Hactenus de noſtra Verſione, modo de Opera pauca.

Sunt qui parcius in hæreticis laudandis ſtudium in Authore deſideraſſent; quorum objectionem nos diluendam aſſumeremus, niſi ipſe per ſe in Præfatione ad Bibliothecam mox ſubjiciendam, hanc provinciam occupaſſet. Nec ſane ſtudio partium ita nos addictos eſſe oportet, ut Linguarum, Geographiæ, & Hiſtoriæ prophanæ peritiam Heterodoxis Scriptoribus, Druſio, Buxtorfiis, Ligtfooto, Scaligero, Grotio, Seldeno, laudem præripiamus. Eos quidem in rebus citra fidem & dogmata, cum eruditiſſimis viris Morino, Huetio, Montſaucon magni æſtimare, nemini jure vitio verti potuerit.

Alterum quod in Authore nonnulli nimio fortaſſe religioſius carpunt, eſt Hebraicus Textus, etiam cum a Vulgata recedit, paſſim uſurpatus: quin & in eadem Vulgata, audaciori, ut ajunt, conſilio menda aliqua ab illo emendantur. Sed quid, nonne Hebraicum Textum non minus ac Vulgata genuinum eſſe ac ſyncerum Dei verbum viri doctiſſimi quamplures Driedo, Bellarminus, Simonius, & noviſſime Graveſonius ſuſtinuerunt? Quis igitur ſi alterutro indiſcriminatim utatur, invidiam in Scriptorem crearit? Menda vero in Vulgata leviora, quæ nec fidei nec moribus officiant, ſive Librariorum vitio, ſive ipſius S. Hieronymi obreptione quadam (ut homines ſumus; neque enim in eo Opere adornando eodem quo Authores Sacri privilegio donatum conſtat) Viri doctiſſimi omnis ætatis, quos in Diſſertatione ſua de eodem argumento Joannes Caбaſſutius (c) longo recenſet ordine, deprehenderunt. Omnes autem in ea re ſcrupulos verba in Præfatione ejuſdem Vulgatæ appoſita evellunt. Quam quidem (*Vulgatam*) ſicut omnibus numeris abſolutam pro humana imbecillitate, affirmare difficile eſt; *ita* cæteris omnibus emendatiorem & puriorem eſſe minime dubitandum. . . In hac pervulgata lectione ſicut nonnulla conſulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſulto immutata relicta ſunt; tum quod *ita* faciendum eſſe ad evitandam offenſionem populorum S. Hieronymus non ſemel admonuit &c. *Hæc ſatis de Opere; de Authore vero ex eruditiſſimis in S. Scripturam editis Commentariis notiſſimo, nihil eſt quod dicamus.*

(a) Ita quidem Lucenſibus Editoribus; mihi vero viſum eſt ſatius conſultum, ſi nonnullas figuras hic minima impenſa acquirendas Lectoribus exhiberem, quas, præcipue vero Geographicas e mente Auctoris inciſas, aliunde vel fruſtra quærerent, vel non ſine incommodo, ac diſpendio compararent.

(b) Journal des Sçavans, t. 69. Mars 1721. p. 356. Pluſieurs Sçavans ont conſeillè aux Libraires d'enrichir cet Ouvrage de Cartes Geographiques, & de Planches, qui repreſentaſſent avec le plus d'exactitude, qu' il etoit poſſible les antiquitès, qui ſont le ſujet des obſervations du P. Calmet, en ſuivant toujours l'idee de l'Auteur.

[c] Ad Calcem Notit. Concil.

PRÆFATIO INTERPRETIS.

VErſioni Latinæ ampliſſimi Operis Commentariorum in S. Scripturam P. Auguſtini Calmet intentum me, intercepit honeſtiſſimus Typographus, Leonardus Venturini, rogans, ut quandoquidem mea potiſſimum opera Dictionarium Biblicum R. P. D. Auguſtini Calmet Italis noſtris communicatum fuiſſet, Supplementum ejuſdem Operis (ab eodem Authore parum ante hac A. 1728. Pariſiis evulgatum) Eruditis non inviderem. Æqua poſtulare & ipſe quidem per ſe, & aptam rei occaſionem nanciſci viſus eſt; namque in verſione Commentariorum tandiu proceſſeram, ut alteri Operi abſque alterius diſpendio permittere me totum potuiſſem. Statim igitur Opus aggreſſus ſum tanta alacritate & aſſiduitate laboris, ut intra annum pene tota & Verſio & Editio abſolveretur.

Quas autem in hac Verſione mea leges ſervandas mihi præfixerim, ſupervacaneum eſt docere Lectores, & methodi meæ, ſtili, & conſilii jam plene & ſæpius inſtructos. Unum ſupereſt monendum, me in vocibus!, quas in Dictionario digerebam, non Latinum delectum, ſed potius familiarem Scripturæ ſtilum ſequutum fuiſſe. De morbis, ad vocem *Morbus* res tota tractanda videbatur; ſed cum Scriptura voce *Infirmitas* utatur libentius, ideo poſteriorem hanc priori cenſui præferendam. Hæc autem in nominibus aliquoties, ſed in

Verbis

Digitized by Google

verbis maxime omnium nobis ſervanda fuerant diligentius, quippe quorum ſignificatio in Scriptura longe diverſa eſt ab ea, quam apud Latinos obtinent.

Quod correctione, vel ſaltem diligentiori expoſitione dignum judicaremus in Calmeto quidem occurrit nihil ad præſens Opus quod attinet; quædam ſunt tamen in Dictionario, quæ aut Authori ſcribenti exciderunt, & nos etiam in magna vertendi feſtinatione ac ſollicitudine fugiſſent, reformanda utique in hoc Supplemento videbantur. Id autem, ſin minus ab Authore præſtitum eſt, exigit ſaltem a nobis (quibus per literas ſuas, ad nos datas, corrigendi reformandique Opus ſuum liberam facultatem idem Author conceſſit) publicus Eruditorum piorumque omnium clamor, qui religioni ſuæ aliquid in ea re detractum dolent. Volentes igitur libenterque nomine Authoris ea retractamus, quæ in ſecundo tomo Dictionarii, pag. 86. editionis Lucenſis ſubindicari videntur; nimirum Sacram Ædem Lauretanam non ipſam eſſe eandemque Virginis Sanctiſſimæ Domum, ſed genuinæ ejuſdem Domus in Nazaret olim conſtitutæ, imitamentum & imaginem. Quæ enim tam valida afferri poteſt ad opinionem hanc tuendam conjectura adverſus authoritatem tot Summorum Pontificum, qui ipſiſſimas eſſe SS. Virginis Ædes patentibus literis ſuis declararunt; adverſus conſtantem piorum omnium perſuaſionem, quam crebra plurium ſæculorum prodigia regunt atque confirmant; tandem adverſus Scriptorum omnis ætatis & regionis teſtimonium? Neque enim Italos tantum, quorum forte ſuſpecta eſſet de rebus ſuis aſſerentium fides, ſed & Gallorum etiam authoritas veritatem iſtam adſtruit. Lege ſis Spondanum, Morerium, Boudrandum, Braulionem, Salianum, Natalem Alexandrum, alioſque. Maneat igitur ſanctum & inviolabile Italicæ pietati creditum depoſitum; ſtet Chriſtianæ Religionis monumentum inſigne, quemadmodum adverſus temporis injurias, ita etiam adverſus obtrectatorum conatus inconcuſſum.

Quædam ſunt etiam in Bibliothecæ Supplemento, pauca in Adnotationibus bellicis D. Equitis Folard, quæ lenimen aliquod, vel ſaltem præcedentem aliquam monitionem noſtram ad Lectorum cautionem exigunt. Nec mihi ego quidem id aſſumerem, ut litem aliquam Authori de rebus militaribus intentarem, certus nihil profuturum apud Lectores jam præoccupatos in favorem tanti viri, laudibus experiſſimorum Imperatorum probati. Nihil eſt igitur bellicum quod in Authore reprehendamus: id potius optaremus ab illo, ut a rebus Theologicis calamum temperans, in veritatem hiſtoriæ relatæ in Libris Machabæorum invidiam non crearet. Suſpicioſum eſt enim quod ille non ſemel nec obſcure affirmat, exiſtimare ſcilicet ſe exaggerationi aliquid a S. Scriptore datum fuiſſe in referendo hoſtium numero, quocum Machabæi Heroes manum, plerumque feliciter, conſeruerunt. Alioqui enim, ait, Polybius ejus ætatis Hiſtoricus, qui res Aſiaticas non ſecus ac Romanas ſcribebat, nunquam celebres adeo victorias Machabæorum vel ignoraſſet, vel agnitas ſiluiſſet. Quare exiſtimemus oportet, ait, prælia illa minora fuiſſe, quam pro noſtra opinione, ut optimum factu reputarit Polybius, ſi in hiſtoria ſua, rebus majoris moliminis reſervata, minora iſta negligeret. Hanc Equitis Folard opinionem habes toto quidem Opere ſparſam, ſed expreſſam maxime tom. 1. pag. 91. hujus editionis.

Ut ab hac affectatæ exaggerationis, non ſine veritatis diſpendio, ſuſpicione Author Sacer Machabæorum abſolvatur, ſatis erit animadvertiſſe, nullam ea quidem in re exaggerationem ſubodoratum fuiſſe Joſephum, vicinum ætati illi Scriptorem, qui cum apud Græcos Judaicas hiſtorias recitaret, caviſſet utique, ne de victoriis hiſce majora referret, quam pro rei veritate; metu ne cum Aſiaticis Græci commilitati narrationem ſuam erroris revincerent. Ex Eruditis enim ignorat nemo, quanta cautione providerit Scriptor ille, ut Græcis calumniandi anſam omnem præcideret; cujus rei gratia vel ipſam prodigiorum veritatem offuſcandam interdum, vel etiam penitus diſſimulandam cenſuit. Sed præ Joſepho etiam multo validior eſt ad fidem extorquendam conſenſus inter Authorem Libri prioris & Authorem alterum ſecundi Machabæorum. Scriptor uterque ejuſdem ætatis & ejuſdem populi res geſtas ita memoriæ conſignabat, ut alter tamen alterius Opus ne noſſe quidem videretur, teſte D. Calmet in *Præfat. ad utrumque Machabæorum*. Diverſa utrinque annorum ſupputandorum ratio, in hiſtoriam eandem circumſtantiæ diverſæ. In tanto autem utriuſque diſcrimine, mirus eſt tamen utriuſque Scriptoris conſenſus, ad eam copiarum inæqualitatem quod attinet; ambo Judæorum minimo agmini immanſum plane Syrorum opponunt. Quæ cum ita ſe habeant, per exaggerationem hæc dicta eſſe quis reputet? Vix exaggerationis vitium iſtud in uno ſingulari Scriptore, niſi evidentibus demonſtratum argumentis, admitteretur. Quis autem vel in duobus admittat, viris graviſſimis, quorum alter alterius ſcripta non legerat? id autem non ſemel & iterum excidit ambobus, ſed utrique ſæpius. Quis, inquam, hæc admittat in utroque Scriptore, cum maxime exaggeratio iſta non evidentibus tantum nullis, ſed nec probabilibus argumentis demonſtrata ſit?

Quid enim eſt, quo accuſatio iſta in Scriptorem adſtruitur? Unum Polybii coævi Scriptoris ſilentium: argumentum plane negativum, quo unico nihil evinci, viris doctiſſimis dudum eſt animadverſum. Alioqui etenim S. Scripturæ plura cum ſiluerit Joſephus, qui narratam in Scripturis gentis ſuæ hiſtoriam Græcis literis evulgandam ſuſcepit, de hoc ejus ſilentio adverſus Sacrarum Scripturarum, quales nunc extant, veritatem argumentum capere liceret. Vide indiculum prætermiſſorum a Joſepho in noviſſima editione Operum ipſius Amſtelodami a. 1726. curante doctiſſimo Havercampo to. 2. p. 305. Append. Silent etiam Authores Librorum Machabaicorum grande quoddam virtutis Judaicæ ſpecimen, exhibitum in victoria de 120000 Gallis ab agmine Judæorum ſat minimo, reportata. Quid igitur? an ſilentium illud invidiam in alterutram veritatem crearit? Ratum igitur fixumque maneat, ex eo Polybii ſilentio minus recte inferri in ea hiſtoria exaggerationi aliquid datum fuiſſe, aliquid ademptum veritati.

Sed cur tantorum virorum ne nomen quidem memoret Polybius? Hujus ego ſilentii cauſam nec divinans aſſignarem. Forte tamen e rebus Aſiaticis ea tantum referre meditans, quæ ad bellum Cœle-Syriacum Ptolemæum Philopatorem inter & Antiochum Magnum pertinet, ut ipſe de Hiſtoria hac ſua in Præfatione, reliqua, quæ cum bello illo non neceſſario connecterentur, neglexit. Cæterum Machabæorum fama, ſi non ad aures Polybii, ad Romanos tamen non ſine ſtrepitu pervenit, ut dignam judicarint gentem, quam ſociali fœdere ſecum aſtringerent, cujus fœderis æneis tabulis deſcripti publicum & ſolemne monumentum

exta-

extare voluerunt. Pervenit & ad Spartanos, qui primi & amicitiam rogarunt, & beneficii loco retulerunt.

Alterum, quod cenſuram vel animadverſionem noſtram meretur, exhibet Supplementum ad Bibliothecam Sacram. Opus iſtud primus inſtruens P. Calmet in ſuo Dictionario Biblico impegit aliquoties, quod Scriptores id generis, etiam oculatiſſimi, vix evitent. Manum admovit adjutricem P. Cathelinot; nec fruſtra ille quidem plerumque, ſed interdum & ipſe pariter lapſus eſt. Quæ de Joanne Clerico, clari nominis Scriptore, Viro illi exciderunt, obiiſſe ſcilicet illum jam inde ab anno 1711. hæc ante nos relevarunt Bibliopolæ Genevenſes in celebri illa altercatione literaria cum Pariſienſibus Bibliopolis. Tantum enim longe abeſt quin e mortalibus eo anno migrarit vir doctus, ut hodie pariter degat ſuperſtes, & diu poſt annum illum, nempe an. 1722. ſignaverit Epiſtolam novæ editioni Genevenſi Annalium Uſſerii præfixam.

Ita pariter Antonium Guevaram Scriptorem Commentariorum in Habacuc, Juriſconſultum Hiſpanum, & Priorem *d'Eſcalada* exhibet; cum potius Monachum egerit Franciſcanum, qui dein in Epiſcopum Mondonieti aſſumptus fuit, ut ex Wadingo conſtat.

Ad Catenam in Matthæum PP. Poſſini & Corderii quod attinet, Opus a Poſſino verſum priorem tomum exhibere ejus Catenæ, cujus alterum tomum vulgaverit P. Corderius, plane non credo; 1. Quod utriuſque tomi Catenæ ab ipſo Evangelii exordio incipientes Patrum connexam ſeriem ad exitum uſque deducunt; & ita deducunt ut eædem Patrum ſententiæ, licet non iiſdem verbis, utrinque interdum recurrant. 2. Quod Poſſini Opus e 21. Patribus coaleſcit; Corderii vero e 30., vel forte 29. ſi Marcum Aſcetam & Marcum Monachum unum eundemque Scriptorem reputaremus. Tandem animadvertiſſe juvat, Lucubrationem Poſſini de Genealogia Chriſti non Dialecticon ſed Diallacticon Theogenealogicon inſcribi.

Editio Commentariorum Cajetani Lugdunenſis a. 1639. Commentarium utrumque in Eccleſiaſtem & in Iſaiam continet; at in Iſaiam Lucubratio illa non tria priora capita illuſtrat, ſed duo tantum priora, & tertii non ultra verſiculum octavum.

Joannes Catardus Opus ſuum in Jonam, Sorbonæ judicio probatum, inſcripſit: *Enarratio in Jonæ prophetiam, Concionibus, & Chriſtianæ conſolationi accommodata.* Dedit & ſeorſum ejuſdem Prophetæ Paraphraſim. Ita legas in elencho Scriptorum in Jonam, quem Commentario in eundem Prophetam literali & morali præfixit P. Joannes Uwens Germanus Jeſuita. Poſtremum id Opus paruit Antuerpiæ a. 1640. *fol.* Hoc autem, & alios plures ibidem recenſitos, Author Supplementi omiſit.

Commentarii in Canticum P. Michaelis Giſlerii editio anni 1609. non Romæ data eſt, ſed Venetiis; quin nec Romæ unquam editum fuiſſe facile crederem.

Opus Salmeronis excuſum eſt Coloniæ a. 1612. non 1604.

Levia etiam alia, quæ inter legendum animadvertimus, in ipſo Textu corrigere e re noſtra cenſuimus; ea tamen cautione ſervata, ut correctiones noſtræ jacenti charactere exhiberentur, qua diſtinguant Lectores & judicent.

Unum hoc ſupereſt monendum, ne de Italorum noſtrorum in Sacras Literas amore & ſollicitudine judicium ferant e raris illis Italis Scriptoribus, qui in hoc catalogo recenſentur. Multo enim, quam pro exterorum Scriptorum opinione, major eſt numerus Authorum Italorum, qui vaſtum hunc agrum non ingrato labore excoluerunt. Horum catalogum ſi tempus meum ferret & locus hic libentiſſime retexerem. Sed Interpretem ago, non Bibliothecarium. Satis erit vel nomina illorum quædam curſim & confuſe, prout menti ſuccurrunt, recitare. Nota ſunt igitur Eruditis nomina Cardinalis Dominici Gymnaſii, Tuccii e familia patritia Lucenſi, Anteri, qui omnes piis Lucubrationibus Pſalmos illuſtrarunt, quanquam Tuccius noſter & in Canticum ſcripſit, ſicut & Ferrarius ac Roſetti. Cornelio Muſſo debemus Opus in Epiſtolam ad Romanos, Panigarolæ Paraphraſim in Pſalmos & in Lamentationes Jeremiæ. Corii & Laurentii a S. Franciſca in Scripturam labores in folio volumina implent. Inter Recentiores vero Italos de hoc ſtudiorum genere egregie meriti ſunt Caryophilus, e cujus in Scripturam Diſſertationibus unam tantum Author noſter exhibuit, Ferracius, Paſinus, Caluſcus, Ayrolus, Auliſius. Suum etiam ſibi tuerentur in hoc catalogo locum excuſi in Italia Libri, quamvis non Italorum Authorum, Hyacinti Graveſonii Dominicani de Myſteriis & Annis Chriſti, Romæ a. 1751. in 4. cujus etiam Authoris paulo poſt lucem aſpexit ibidem Tractatus de S. Scriptura in 4. & Hiſtoria Sacra V. T. tom. 3. in 8. quæ deinde recuſa eſt Venetiis tom. 5. in 4. Jacobi Hyacinti Serry Dominicani de Chriſto & Deipara in 4. Venetiis & Mediolani a. 1719.

Denique, ut eo unde cæpit regrediatur, ac tandem prolixa nimis claudatur, oratio, Lectorem iterum monemus, ne Equiti Folard exaggerationem in Libris Machabæorum clamanti faciles auſcultent. Itaque cum exaggeratum eſſe nonnihil ſuſpicatur, dum impoſitas elephantibus turres, ferro tectas, & 32. militibus plenas in iiſdem Libris relatum eſt; verbo ſuſpicionem hanc ſuam tuenti nos non verbo tantum reponimus, ſed & teſtimonium opponimus Authoris ejuſdem Libri Machabæorum, qui ea narrat, quæ oculatus teſtis ſpectavit, tanta fide & religione ut vel numerum fractum exprimendum cenſuerit, contra morem Scriptorum Sacrorum, qui numerum rotundum reddere potius quam fractum malunt. Opponimus & teſtimonium Plinii l. 8. c. 7. qui & turrim elephantis impoſitarum, & propugnatorum ex iis certantium numeri, plane incredibilis, meminit.

A U-

Digitized by Google

AUCTORIS ADMONITIO

in Bibliothecam Sacram.

CUm viri quidam docti utiliſſimam nos operam collaturos inſinuarent, ſi exactius aliquid & fuſius, quam in noſtra Bibliotheca Sacra, Dictionario Biblico præfixa, factum eſt, traderemus de Authoribus, qui in Sacram Scripturam laborarunt; eorum conſilia exequi conati ſumus in hoc Supplemento, correctiones & additiones non leves exhibentes, quibus & judicium Operum perplurium continetur, & vitæ Scriptorum minus notorum, cum ſingulorum characteribus conſpectus datur. Sunt autem hæc paucis explicanda.

Additionum nomine deſignamus inſcriptiones Commentariorum quorundam, Tractatuum, Diſſertationum, vel aliorum Operum a nobis omiſſorum; quanquam alioqui in Supplemento hoc noſtro ſuum ſibi locum promerentur. Ita pariter & Editiones, quarum non indicavimus ſive annum, ſive formam voluminis, ſive locum impreſſionis. Correctionibus vero ſupplevimus ſive lapſus noſtros, ſeu typographorum menda, quæ in noſtram Bibliothecam oſcitatione quadam irrepſerunt.

Cum Opus aliquod novis noviſque curis recenſetur, nunquam non aliquid emendandum occurrit; & tunc maxime, cum id rei a pluribus ſuſcipitur. Parænia eſt vulgaris: *Plus vident oculi, quam oculus*; & deceptio multo facilior eſt in Dictionariis ac Bibliothecis, quam in alterius generis quibuſque Operibus. Authorum nomina variarunt adeo, & adeo plures eaſdem ſubierunt vices, ut vix fieri poſſit, quin alterum pro altero uſurpetur, ſive alterum cum altero confundatur; ex quo ſæpe accidit, ut duo Scriptores coaleſcant in unum ſingularem, & ſingularis unus diſtinguatur in duos: ſed ex quo tandem veritas proſiluit in apertum, tunc ſive ut ab altero corrigamur, ſive ut nos ipſos reducamus in viam, cur rubori & probro ducamus, nihil eſt. Commoda enim publica privatæ delicatulorum ingeniorum mollitiei præferenda ſunt, cum privata res publicæ concedat oporteat.

Quamquam in noſtra Bibliotheca ſacra judicium aliquod retulimus Operum, ſicut & adſcripſimus annos qua ortus, qua obitus, vel regionem & dignitatem Scriptorum quorundam; frequentius id tamen & fuſius ſervamus in ſecundo hoc Opere, id tamen caventes, ne dictorum aliquid repeteremus; addimus etiam illorum characterem, ut æquiorem ſubjiciamus ſingulorum ideam. Juvat enim aliquid dare, quod detineat revocetque ad mentem Lectorem; qua in re peccant ſæpe ſimplices & nudi Catalogi, nihil referentes præter nomina & inſcriptiones Librorum.

Inſtrui hic quærunt viri ipſi docti, qui labori parcere optantes ſuo in percurrenda immani illa Bibliographorum farragine, rogant exhiberi ſibi quidquid legi dignum eſt maxime in Scriptura, cum judicio, quod de ſingulis Libris hiſce ferendum eſt; quid contineant boni, quid mali, quid mediocris, quid eximii; poſtulant etiam doceri ſe tempus, quo Scriptorum quiſque florebat, quæ ſingulorum indoles, quod ingenium, quæ religio, quæ ætas. Hæc illorum vota partim implemus; vix enim ex æquo illis reſpondere par eſſet in Synopſi adeo ſtricta & conciſa.

Quo vero ordo aliquis in Supplemento hoc teneatur, totum Opus quadrifariam diviſimus, addito in calce ſingulorum Articulorum Corollario.

Prima Operis pars continet Scripta in vetus Teſtamentum. Novi complectitur ſecunda. Tertia pars exhibet inſcriptiones Librorum pertinentes ad ſtudium Scripturæ. Quarta Scriptores de Antiquitatibus Judaicis, Legibus, Hiſtoria, Geographia &c. Ipſos retinemus Titulos, quos adſcripſimus in noſtra Bibliotheca Sacra, ſive quoad Diſſertationes; uno hoc tantum diſcrimine, quod addere viſum eſt Corollaria ad diſtinguendos Proteſtantes ac Judæos, a Catholicis.

Cum autem Supplementum hoc arcto adeo vinculo jungatur cum Bibliotheca Sacra, ut duo iſta unum abſolutumque Opus conficiant; e re eſſe cenſuimus, ſi unum duceremus catalogum Authorum in utroque deſcriptorum, ut commodius eſſet tenere ſingulos, & ſcire, quæ dederit quiſque in Scripturam. Eſt autem catalogus iſte alphabetico ordine digeſtus in calce Supplementi, adſcriptum ferens numerum pagellæ, in qua de Authoribus agitur. Id autem abſoluta quadam neceſſitate exigi reputatum eſt, ad commodum illorum, quibus recurrendum eſſet ad alterutrum ex hiſce Operibus, quo ſe inſtruerent ſive de editione Commentarii alicujus, ſive de judicio ejuſdem Operis, ſive de circumſtantiis vitæ alicujus Scriptoris.

Si cui novum accideret, quod in Supplemento hoc noſtro nomina quædam Authorum Latina magis quam Gallica, Gallice tantum retulimus, ut pro *Uſſerio*, ſcriptum legat *Uſſer*, pro *Braunio*, *Braum*; ei revocamus in mentem opus nos ſcribere Gallicum; quare & ad genium ejus linguæ pro viribus reducenda cenſuiſſe nomina Latina (*a*). Metu vero ne videremur nimium recedere ab eorumdem nominum origine, optimum factu cenſuimus, ſi Latina & Gallica nomina in Catalogo alphabetico adſcriberentur. Si quæ deprehendantur Typographica menda, quod frequentiſſime accidet, illi recurrendum ſuademus ad errata in calce hujus Catalogi (*b*), ibi vero non typographica tantum menda correcta ſunt, ſed & omiſſa quædam & tranſpoſita, quod ſcire Lectores operæ pretium judicamus, ut illa conſulat. Menda equidem iſta rara ſunt, quod ſumma diligentia editio curata eſt; ſed curas omnes vincit rei difficultas, ut, aliqua ſaltem ne gliſcerent, vix ac ne vix quidem evitari potuerit.

[*a*] Hæc Author qui Gallice ſcribebat; in Verſione hac noſtra Latina id incommodi penitus tollitur.
[*b*] Menda iſta pro viribus repurgata ſunt in noſtra hac Latina Editione.

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

Concedemo licenza a Sebaſtiano Coleti Stampator di Venezia di poter riſtampare il Libro intitolato *Dictionarium Hiſtoricum Chronologicum Critico-Geographico - Biblicum R. P. D. Auguſtini Calmet*, già da lui ſtampato l'anno 1737. oſſervando gli ordini ſoliti in materie di Stampe.

Dat. li 18. Genaro 1746.

(Z. Alviſe Mocenigo 2. Ref.
(Zuane Querini Proc. Ref.
(

Michiel Angelo Marino Seg.

Regiſtrato in libro a c. 42. al num. 317. Licenziato dal Mag. Ecc. della Beſtemmia.

Franceſco Gadaldini Seg.

Locentur Tabulæ hujus primi Voluminis.

Tabula Terræ Promiſſæ.	pag. 1
Tabula peculiaris regionum &c.	ibid.
Arbor Genealogica Deſcendentium Adæ & Evæ.	26
Ara Thymiamatum.	108
Arca Fœderis.	113
Columnæ Jachin & Booz.	191
Candelabrum Aureum.	205
Tabula Itineris Iſraelitarum in deſerto.	216
Altare Holocauſtorum.	424
Novus Conſpectus Veteris Hieruſalem.	460
Levitarum Veſtitus.	582

BIBLIO-

Digitized by Google

BIBLIOTHECA SACRA.

Sive Catalogus optimorum Librorum Studio Sacræ Scripturæ ſervientium.

CAtalogum Librorum ad Scripturam pertinentium exhibendum hic propoſuimus, qui non Tyronibus tantummodo, ſed in eo etiam ſtudii genere exercitatiſſimis, ſive Bibliothecam Sacram parantibus uſui eſſe valeat. Eo proinde conſilio, non nuda tantum Librorum nomina deſcripſimus, ſed pro viribus optimas etiam Editiones, & de Authore ejuſque Methodo judicium exhibitum eſt. Inter Libros vero utiliſſimos, atque unice huic ſtudio ſervientes, plures etiam adduximus, quorum vel defectus non gravis eſſet, vel uſus ad id ſtudium prope nullus. Verum malos, & ſupervacaneos Libros intellexiſſe, nec ſupervacaneum, neque inutile prorſus cenſendum eſt; accidit quoq; non raro, ut inter varia hominum ingenia, aliis conducant, quę alii minus probaverint. Ad inſtructiſſimam etiam Bibliothecam omnes, qui de certo quodam argumento prodierunt Libri, aptiſſime referuntur; eoſque omnes, quos par ad ſcribendum ſtudium ante ſe impulit, conſuluiſſe illos juvat, qui Lucubrationes ſuas certa quapiam de re moliuntur. Nec deerunt in noſtro Catalogo pernicioſiſſima quoque Librorum quorumdam nomina, quo Lectores de imminenti per illos malo admoneantur. Tandem neq; a ſcriptis Proteſtantium, qui egregiam in explicatione literæ S. Scripturæ operam contulerunt, abſtinuimus, cum legitima Superiorum facultate inſtructos Lectores ad illa acceſſuros cenſeamus.

Antequam S. Scripturæ ſtudium inſtituatur, Hebræorum hiſtoriæ, quemadmodum & legum, morum, politię, regionis, linguę, atq; Librorum ſacrorum ejuſdem gentis cognitione animum imbutum fuiſſe oporteret. Quare lectionem auſpicari commode poterit Tyro ab Hiſtoria Veteris, & Novi Teſtamenti, & Judęorum, quam, ipſamet Sacrorum Authorum phraſi ſervata, digeſſimus, atque publici juris fecimus Pariſiis, duobus *in* 4. voluminibus apud Petrum Emery 1718. Dein evolvenda brevis Introductio P. Lamy Congregationis Oratorii, & Regulæ pro intelligentia S. Scripturarum per D. Abbatem Aſfeldium, Pariſiis apud Stephanum 1716.

Nec fruſtra in eam rem Dictionarium hoc noſtrum in nonnullis articulis conſuleres; uti in titulo *Biblia*, *Judices*, *Sacerdotes*, *Sacrificia*, *Paleſtina*, *Judæi*, & aliis etiam pro data facile opportunitate; uti *Geneſis*, *Moyſes*, *Pſalmi*, *Salomon*, *David*, *&c.* ubi plura ad ſtudium S Scripturæ ſe conferentibus utilia congeſſimus.

Maxime in eam quoque rem conducet mentem Linguarum cognitione, Hebraicæ nempe, Græcæ, & Latinæ, excultam habuiſſe; uti & in Chaldæa, Syriaca, Arabica pene rudem non fuiſſe juvabit, quod Hebraicæ affines illæ habeantur, neque raro continget, ut radices nonnullas ſervarint, quæ in Hebræo fruſtra modo quærentur.

Qui Latinam Linguam calluerint, tantum grammaticæ Hebrææ didiciſſe oportebit, ut Hebræum ſaltem legere, atque Dictionaria conſulere valeant, quo optimis Interpretibus Latinis proficiant, ſententias interdum Hebræas referentibus, atque in earum explicationibus iis phraſibus uſis, ut a Lectoribus nonniſi Hebræo initiatis intelligantur. Cæterum neque ea res ſumptus exigit immoderatos, cum breviori unius menſis ſpatio Hebræum quis legere, ſcribere, conjugare, declinare, itemque voces, & radices in Dictionariis quærere commode diſcat.

Quibus vero vernaculæ tantum Linguæ uſus ſuppetit, iis Verſiones, & rara quædam Commentaria materna Lingua conſcripta ſufficient. Pro Gallis D. de Sacy Verſionem Gallicam adornavit, cum explicatione utriq; ſenſui literali, & ſpirituali ſerviente, cujus ſane operi quicumq; ſpiritualem ſenſum facili, atque prona literali explicatione fultum unice quærunt, acquieſcent. Ejus explicationem Abbas Beaubrun in epitomen redegit, novamq; ipſe Editionem Bibliorum Gallicam, & Latinam cum notis dedit, tribus voluminibus *in fol.* impreſſam Pariſiis, apud Deſprez; eique diu antea præmiſerat Gallicam ejuſdem Scripturæ Verſionem, cum brevioribus notis, ac variantibus ex Græco, & Hebręo, tribus voluminibus *in fol.* an. 1702. Hæc ſane opera utilia ſunt, iiſque, quibus alios libros legendi, parandique facultas deeſt, ſufficere poterunt.

Si quis ſenſu literali inſtrui plenius, implexaſque textus ambages extricare voluerit, noſtrum Commentarium literale adeat, in quod optimis quibuſque ex cæteris Commentatoribus derivatis, Præfationes, & Diſſertationes ad loca quęque obſcura, & longioris diſcuſſionis adjecimus. Si operis moles Lectores terreat, illis Dictionarium iſtud una cum collectione noſtrarum Diſſertationum, & Præfationum dudum impreſſe, Prolegomenon in Scripturam loco habenda, uſui eſſe poterit. Ita quæ fuſius in 25. Commentarii voluminibus diſputavimus, brevius collecta tenebit.

Ut neceſſaria in eo ſtudio methodus ſervetur, primo ad Novi Teſtamenti lectionem, adjecta optimæ Verſionis, ſive Commentarii exacti, & brevioris ope, animum applicare oportet. Nec omittenda inſuper optima Concordia quatuor Evangeliorum, ſimul cum Tabula Geographica Terræ Sanctæ, atque Tabulæ Chronologica, ubi vitæ Chriſti, & Apoſtolorum geſta omnia ſuo quæque ordine diſponentur, ſimulque tempus ſcripti cujuſcumque Libri Novi Teſtamenti ab ortu Chriſti diſcatur.

Dein ad Vetus Teſtamentum ſe conferant, neque Commentario breviori, & exacto, neque tabulis Chronologicis, & Geographicis omiſſis. Poſt primam lectionem, nova iterum incipienda eſt, fuſiori, & graviori Commentario adhibito, inter ea, quæ infra recenſemus, ſelecto.

Prima autem pro intelligenda Scriptura regula eſt, ut nunquam, in rebus Fidei potiſſimum a recepto Eccleſię ſenſu diſcedamus. Fides, traditio Eccleſiæ Catholicę, conſenſus Patrum, & Doctorum Catholicorum probati nominis duces in eo ſtudio nunquam deſerendi habeantur. In cæteris ad Criticam, Chronologiam, Geographiam, Architecturam, Hiſtoriam naturalem, mores populorum &c. ſpectantibus optimos quoſcumque, ne exceptis quidem viris alterius a noſtra Communionis, conſulere integrum eſt; quamquam & in ea re pro regulis prudentiæ & religionis modus ſervari debet. Inde ſi quis nova aliqua adinveniſſe ſibi videatur, ſive novas quaſdam conjecturas in rebus Criticis afferre voluerit, ſolerter tamen caveat, ne quid debitam in Patres obſervantiam lædat; ſimulque caveat, ut Sacræ Eccleſiæ Præſulibus morigerum ſe etiam atque etiam præſtet.

II. Illud etiam committendum eſt, ut jugi implorata S. Spiritus ope, Divinæ nobis intelligentiæ lumina impetremus, quibus deſtituti, fruſtra Divini hujus Libri lectioni vacaremus. Si quis enim criticæ, & curioſitatis tantum ſpiritu ad illam acceſſerit, huic profecto nunquam veræ ſanæque Scripturarum ſcientiæ aditus patebit; nonniſi demiſſe de ſe & ſapientibus & intelligentibus a Deo recluſus. Quare nemo non humilitatis, docilitatis, & ſimplicitatis filiorum Dei ſpiritu inſtructus, huc ingrediatur.

III. Cum Auctores Sacri non vera tantum, ſed etiam vere, & ſapienter, ut homines decet, prodierint; hinc ſi literalis ſenſus nihil abſurdi, & impii præſeferat, nunquam ad allegoriam, & metaphoram recurrendum eſt; vel ſaltem ita ad illas deflectendum eſt, ut prius tamen literalis ratus aſſertuſque habeatur.

IV. Cum unius ejuſdemque veritatis dogma alibi clarius, alibi obſcurius traditur, aperta ſententia implexam alteram explicabit. Ita teſtimoniis S. Scripturæ, quibus Deo corpus tributum videtur, lux affulget ex cæteris, quibus ſpiritum eſſe apertiſſime diſcimus; Chriſti verba Patre ſe minorem prodentis, cum aliis ejuſdem æqualem eidem Patri ſe profitentis concilianda ſunt.

V. Maximi ad ſtudium illud momenti eſt, Authorem, ſcopum, tempus, occaſionem, & Linguam ſcripti Libri intellexiſſe. Quæ potiſſimum regula in Lege Moyſis, Scriptis Prophetarum, Pſalmis, & Epiſtolis Apoſtolorum ſervanda eſt, alioquin fruſtra, niſi prius explorato Authorum ſcopo, & con-

conſilio legendis, neque enim ſatis eſt intellexiſſe Jeſum Chriſtum in toto Veteri Teſtamento ſub figurarum typo regnare, atque omnes Judæorum eventus Eccleſiam Chriſtianam portendere; ſed laborandum inſuper, ut abditum ſingularum figurarum, cæremoniarum, & oraculorum ſenſum pervadamus.

VI. Authorem Sacrum alteri contrarium ne pronunciemus, ſollicite cavendum; ſpecie enim tantum pugnantes, & verbis, re ipſa tamen conveniunt. Interdum ab alio prætermiſſa quædam, apud ultum ſupplantur, vel ſaltem ambiguâ vocem altero ſenſu uſurpant. Jeſus Chriſtus ut infantes nos reformari deſiderat *Matth.* 18.3. Apoſtolus vero, *Fratres*, ait, *nolite pueri effici* 1. *Cor.* 14.20. Quibus verbis ille ad puerorum nos ſimplicem, lenem, & doli rudem animum provocat; hic a levi eorum ingenio, atque in rebus gerendis inconſtantia abhorrendum monet. Accidit non raro, ut in gratia rotundi numeri, annorum, menſium, dierũ, excedens numerus omittatur. Vox *æternum* ſæpe tantundẽ valet, ac diutius; *univerſa terra*, ac Palæſtina, *mors & ſepulchrum*, ac diverſæ fortunæ caſus. His Hebraiſmis nihil frequentius in Lingua Sancta.

VII. Cum Linguæ Hebraicæ indoles alia ſit a Gallicæ; ideo ſtudio longaque experientia opus eſt, ut idiotiſmorum, & phraſium ejuſdem Linguæ ſenſus attingatur. Ita Hebræi non raro Librum ſive orationem ab his exordiuntur: *Et*, *igitur*; a comparativis abſtinent: *Bonum eſt confidere in Domino*, *quam confidere in homine*; circumciſionem pro Judæo; *præputium* pro Ethnico uſurpant. Rebus quibuſcumque præſtantibus indicandis, nomen illis Dei adjungunt; uti cedri Dei, montes Dei &c. Conſule Scripturæ Prolegomena, & peritiſſimum Bonfrerium, & Cornelium a Lapide in Canonibus ante Commentaria eorum in Pentateuchum impreſſis.

Duo Teſtamenta, Vetus ſcilicet & Novum, totam Scripturam partiuntur. Vetus hoſce Canonicos Libros complectitur: Pentateuchum, ſive quinque Libros Moyſis, ſcilicet Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium; Ad hæc Librum Joſue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duos, Eſdræ totidem, Tobiæ, Judith, Eſther, Job, Pſalmos, Proverbia, Eccleſiaſten, Cantica Canticorum, Sapientiam, Eccleſiaſticum, quatuor majores Prophetas, Iſaiã nempe, Jeremiam, Ezechielem, Danielem. Baruch Jeremiæ adjungitur. Præterea duodecim Prophetas minores; Oſeam ſcilicet, Joelem, Amos, Abdiam, Jonam, Michæam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Aggæum, Zachariam, Malachiam. Canonem claudunt gemini Machabæorum Libri. Novum Teſtamentum hos Canonicos Libros exhibet: Quatuor Evangelia, S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ, & S. Joannis; Acta Apoſtolorum; quatuordecim S. Pauli Apoſtoli Epiſtolas, ad Romanos videlicet, duas ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duas ad Theſſalonicenſes, totidem ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; ſeptem epiſtolas Catholicas, nempe S. Jacobi, duas S. Petri, tres S. Joannis, & unam S. Judæ; tandem Apocalypſim S. Joannis. De authore, ſcribendi tempore, & occaſione, argumento, & authoritate ſingulorum librorum in Operis decurſu; certis articulis differimus.

In contextu etiam ejuſdem Operis egimus de Bibliis, variiſq; illorum Verſionibus, indicata etiam earumdem Verſionum hiſtoria; hic tamen recenſendas duximus potiſſimas Bibliorum Editiones, quæ in originalibus Linguis, quæ in Verſionibus. Qui plura de hoc argumento voluerint, conſulant Catalogum omnium Bibliorum, neque iis omiſſis, quæ mſſ. ſervantur, *in Bibliotheca Sacra* P. Le Long Congregationis Oratorii, impreſſa Pariſiis apud Praſard, duobus voluminibus in *octavo*.

C A T A L O G U S B I B L I O R U M.

P O L Y G L O T T A.

[Polyglotta Generalia ea ſunt, quæ complectuntur Libros omnes S. Scripturæ, Veteris ſcilicet Novique Teſtamenti. Particularia partem tantum Scripturarum continent, ſeu Vetus ſcilicet, ſeu Novum Teſtamentum, vel tantum Librorum aliquos. Polyglotta ideo appellantur, quod pluribus linguis deſcripta ſint, nomine compoſito ex duplici hoc Græco *Poly*, multum, & *glotta*, lingua.]

Biblia Polyglotta Complutenſia Ximenii Cardinalis, cum Lexico. Compluti ab an. 1514. *ad* 1518. 6. *vol. in fol.* Hæc Polyglotta, Hebraicum, Chaldaicum, Græcum, ac Latinum Textum continent. Novum Teſtamentum impreſſum fuit anno 1514. Dictionarium 1515. Vetus Teſtamentum abſolutum 1517. Integrum vero corpus non prius, quam 1520. publice redditũ. Leonis X. diploma pro ea editione emanavit 22. Mart. 1520. Hæc Polyglotta Cardinalis Ximenii ſtudio elaborata, Archetypus ſunt & norma cæterorum. Hebræus Textus ibi caſtigatiſſimus; Græcus Novi Teſtamenti abſque ſpirituum, & accentuum notis; Contextus Septuaginta pluribus in locis emendatus, quo Hebræo, ac Vulgatæ conformior fieret; Latinus alicubi diſcrepat, & a veteribus Mſſ. & a Vulgata Clementis VIII. juſſu edita, quæ in Latinis Bibliis ab an. 1592. excuſis hodie legitur. Chaldæus pluribus in locis reformatus eſt; ita ut nullus alius textus, excepto Hebræo, primigeniam integritatem, ac puritatem ſervet. Quare Polyglotta Ximenii raritate ac vetuſtate ſua potius quam utilitate reputanda. Certum huic Operi ab Epiſcopo Abulenſi, cui curam hanc Pontifex demandaverat, pretium ſex aureorum cum dimidio ſtatutum, qui ad quadraginta libras pecuniæ noſtræ reducuntur; ingentem ſane eo tempore ſummam.

Biblia Polyglotta Antuerpiæ impreſſa, typis Chriſtophori Plantini, cura, & ſtudio Benedicti Ariæ Montani. Antuerpiæ ab anno 1569 *ad annum* 1572. *ſumptibus Philippi* II. *Hiſpan. Reg.* Vetus teſtamentum quatuor linguis expreſſum eſt; Hebraica videlicet, Græca, Latina, & Chaldaica. Novum Teſtamentum præter Græcum, ac Latinum, Syriacum etiam complectitur. Vetus, & Novum Teſtamentum in quinque volumina diſtributum; Apparatus verum in tria; ut totum Opus octo volumina expleat. Primus Tomus Apparatus, Grammaticas, & vocabularia Hebraica, Græca, Chaldaica, & Syriaca comprehendit. Secundus Tomus Hebræum Textum Veteris Teſtamenti, & Græcum Novi cum Verſione Latina interlineari. Tertius Tomus Apparatus plura Opuſcula Scripturam ſpectantia continet; veluti Tractatum de Idiotiſmis, alterum de Ponderibus & Menſuris, Chronologiam, Geographiam, ac Sacerdotum ornamenta, ſolertia Benedicti Ariæ Montani elucubrata. Hoc opus Complutenſe quidem elegantia & magnificentia ſuperans, nova propriè ejuſdem editio eſt, iiſdem erroribus Textus Chaldaici, Græci, ac Latini obnoxium; at Græco Novi Teſtamenti ſpirituum, & accentuum notæ, quæ in prima Editione deſiderabantur, adjectæ ſunt.

Biblia Polyglotta vulgo dicta Vatabli. Heidelberg. an. 1586. 2. *vol. in fol.* Polyglotta hæc Hebraice, Græce, ac Latine excuſa; in quibus videlicet antiqua Latina tranſlatio S. Hieronymi, & nova Sanctis Pagnini in quatuor columnis diſpertitæ cum annotationibus Vatabli ad calcem paginæ; unde Operi Vatabli nomen. Varia Typographorum nomina in iis apponuntur; quamvis ea Hieronymus Commelinus Santandreas appellatus, excuderit. In nonnullis enim Codicibus inſcribitur: *Ex Officina Santandreana* 1586. in aliis vero: *Heidelbergæ* 1599. in aliis: *Ex Officina Commeliniana*. Una tamen ſemper eademque eſt. P. le Long Cornelio Bonaventuræ Bertramo opus adſcribit. Vide ejus Differtat. de Polyglottis.

Biblia Polyglotta Helia Hutteri Norimberg. 1599. Biblia hæc ſeptem linguis excuſa; quatuor priores e Bibliis Antuerpienſibus tranſcriptæ; Hebraica nempe, Chaldaica, Græca, ac Latina. Quinta eſt Germanica tranſlatio Lutheri. Sexta varia; nonnulla enim Exemplaria Sclavonicam Verſionem Editionis Vittembergæ exhibent; alia Gallicam Genevæ; hæc Italicam pariter Genevæ; illa Saxonicam Verſionem e Germana Lutheri deſumptam. Impreſſio hæc ultra Pentateuchum, Joſue, Judices, & Ruth non progreditur. Quod autem Editionem hanc præ cæteris Tyronibus commendat, radicales ſunt literæ vocum Hebræorum plenis characteribus diſtinctæ; quæ autem deſunt ex iis radicalibus literis ſupra lineam ſupplentur; ſerviles literas characteres cavi, ad id fuſi, exhibent.

Idem Author Pſalterium, ac Novum Teſtamentum Hebraice, Græce, ac Germanice edidit.

Novum etiam Teſtamentum duodecim linguis elucubravit. Syriaca nempe, Hebraica, Græca, Italica, Hiſpanica, & Gallica. Hæ primam eumplent paginam, ſecundam vero Lingua Latina, Germanica, Bohemica, Anglica, Danica, Polonica, tenent.

Bi-

Digitized by Google

Biblia Polyglotta Michaelis le Jay. an. 1645. 10. Vol. in fol. Polyglotta hæc, omnium, quæ ad id uſque prodierint, inſtructiſſima, ſeptem linguas exhibet; Hebraicam videlicet, Samaritanam, Chaldaicam, Græcam, Syriacam, Arabicam, ac Latinam. Mendis tamen impreſſio ſcatere fertur. Lexico, Apparatu, atque Prolegomenis caret. Græcus textus, ac Latinus ex Editione Antuerpienſi tranſcripti. Immanis Voluminum moles & amplitudo, uſui incommodum Opus reddunt, ex quo ſane Editionis hujus pretium, ac laus imminuta.

Biblia Poliglotta Briani Valtonii Londini impreſſa an. 1658. Vol. 6 in fol. omnium Polyglottorum abſolutiſſima atque commodiſſima ſunt. Novem complectuntur linguas Hebraicam, Samariticam, Chaldaicam, Græcam, Syriacam, Arabicam, Æthiopicam, Perſicam, ac Latinam. Quamquam Perſica, Æthiopica, Samaritica pariter, ac Chaldaica Verſiones nonnisi quoſdam Bibliorum Libros exhibent. In Novo teſtamento quatuor Evangelia ſex linguis tradita; quinque tantum linguis expreſſi ceteri Libri; liber Judith, ac duo Machabæorum trilingues ſunt. Nullus eſt Veteris Teſtamenti liber, qui novem ſimul linguas complectatur, quamvis totum Opus totidem continet. Caſtigatiſſimus Hebræus Textus; Græcus Septuaginta e Romana Nobilii Editione deſumptus eſt; Latinus ex Vulgata Clementis VIII. Paraphraſes Chaldaicæ integriores ſunt, quam in ſuperioribus Editionibus. Hæc demum Editio Præloquiis, Prolegomenis, Tractatibus de ponderibus, & menſuris, Tabulis Geographicis, ac Chronologicis exornata, nihil deſiderandum relinquit. Valtonii Prolegomena ſeorſim habentur, in ſupplementum, Polyglottorum D. Le Jay, & Philippi II.

Pſalterium quadrilingue Hebræum, Græcum, Latinum, & Æthiopicum Joannis Potken Colon. 1518.

Pentateuchus quadrilinguis, Hebræus, Chaldæus, Perſicus, Arabicus, omnes charactere Hebraico, Studio Judæorum Conſtantinopol. an. 1546.

Pentateuchus Hebraico-Hiſpanic. & Barbaro-Græcus Conſtantinopoli 1547. in domo Eliezer Bezab. Gerſon. Soncinatis. Biblia hæc tribus columnis diſpoſita. In medio Textus Hebraicus; ad latus dextrum Verſio Hiſpana vetus; ad ſiniſtrum Verſio Græca vernacula ad uſum Caraitarum Conſtantinopolis, parum Hebraica lingua callentium. Hiſpana verſio in gratiam Judæorum, qui ex Hiſpania eo profugerunt, adornata eſt. In ſuperiori parte paginæ Targum extat Onkeli, & in inferiori Commentarius Rabbini Salomonis.

Biblia Davidis Vvolderi Lutherani Græca, Latina, & Germanice. Hamburgi 1596.

Quatuor Evangelia Gothice ex Verſione Ulfilæ; item Suedice, Islandico, & Latino idiomatibus, Stockolm. 1671. ſtudio Georgii Stiernhielmi.

[Inter Polyglotta generalia recenſeri ſolent Polyglotta Complutenſia, Antuerpiæ, Vatabli, Hutteri, & le Jay. Quid ſingula continerent, fuſius jam proſecuti ſumus. Reſtat ut nomina eorum indicemus, qui operibus illis allaborarunt, honorandi viros doctos gratia.

Polyglotta Complutenſia. Cardinalis Ximenes primus Author habetur Polyglottorum Complutenſium, quod ſuis impenſis Opus illud curavit, tum & collegit quidquid erat per eam ætatem virorum doctorum in ſcientia Orientalium linguarum ad id moliminis perficiendum. Incubuerunt Operi Demetrius Ducas, Antonius Nebriſſenſis, Didacus Lopez Stunica, Fardinandus Nonnius, Alphonſus Complutenſis, Paulus Coronelli, Zamora, & Joannes Vargara.

Qui curioſius de tota hiſtoria horum Polyglottorum inſtrui voluerint, illorum vota explebit vita Ximenes per Marſolier l. 4. p. 222. in 8. Gallic. nova Bibliotheca Hiſpana Nicolai Antonii t. 1. p. 293. Bibliotheca Græca Fabricii l. 3. c. 11. p. 325. & l. 4. c. 5. p. 185. *Hiſpania illuſtrata* t. 1. p. 966. 967. Richardus Simonius in ſuis Diſquiſitionibus criticis in Voſſium adnotat quidquid vitioſum eſt in illis, quidquid utile.

Quamquam viri iſti docti æque ſe omnes impenderint in perficiendis Polyglottis iſtis, juvat tamen ſedulo diſtinguere quæ de ſuo ſinguli contulerunt. Epiſtolam dedicatoriam ad Leonem X dedit Cardinalis Ximenes; an vero Præfationes ſcripſerit, ambigitur, homo adeo variis diſtractus, ut ſat otii non habuerit ad ſtudii genus illud colendum. Ita ſaltem reputat Marſolier in ejus Vita p. 222. Demetrius Ducas dedit Verſionem Latinam interlinearem cum Textu Græco. Nebriſſenſis in ſe ſuſcepit correctionem & directionem Operis. Zamora Latine addidit Targum Onkelos, Jonathan, Joſephi cæci, & aliorum; adornavit etiam Verſionem Hebraicam Epiſtolæ ad Hebræos. Vergara in penſum ſuum accepit Libros Sapientiales, teſte Gomeſio, qui ſæpius id affirmantem Cardinalem Ximenium audivit; meditabatur etiam Scholia in Librum Eccleſiaſtici; quod ne mandaret exequutioni, ait Scriptor iſte Hiſpanus, vetuit affecta ejus ſanitas & obitus.

Polyglotta Antuerpienſia. Non ita reputanda ſunt Polyglotta iſta, quæ noſtra prior erat opinio, tanquam repetita editio Operis præcedentis. Docet id apertiſſime in ſua Præfatione Arias Montanus, & P. le Long de Polyglottis in ſua Bibliotheca Sacra. Opus illud magnifico elogio celebrat Voſſius in ſuis diſquiſitionibus criticis c. 7. p. 215. Sunt qui illud appellent, *Orbis miraculum*. In Antiquitatibus Orientalibus P. Morini p. 131. 137. deducta habes menda, quibus diſplicet.

Operi huic allaborarunt Montanus, Fabricius Bodecianus, Joannes Harlemius, Franciſcus Raphelengius, Lucas Brugenſis, Andreas Maſius, Joannes Levinejus, Guillelmus Canterus, Auguſtinus Hunnæus, & Cornelius Goudan.

Montanus unus elaboravit Polyglottorum Apparatum, quod totius Operis inter potiſſima ornamenta reputandum eſt ex argumentorum, quæ tractat, granditate; tractat, inquam, ſub titulo Antiquitatum Judaicarum. Duorum Fratrum Boderianorum eſt Latina Verſio fideliſſima, uti Montanus in ſua Præfatione. Index Bibliorum cum variantibus e Latinis manuſcriptis debetur Harlemio. Raphelengii eſt Theſaurus Scientiarum & Linguarum; uti correctiones plurimæ exactiſſimæ, quibus etiam ſuas adjecit Lucas Brugenſis. Quid de ſuo contulerit Maſius, ignoratur. Livinejus, & Canterus recenſuerunt Textum Græcum, teſte D. Thuano in ſua hiſtoria; Hunnæus, & Goudan editionem accurarunt, uti conſtat ex Brevi Gregorii XIII, ad illos directo, ut id oneris in ſe ſuſciperent.

Polyglotta Vatabli. Præſtaret Polyglotta illa appellare Opus ſub Vatabli nomen impreſſum; eo enim inſcio, & invito typis datum eſt, cujus & marginales notas nonniſi pluribus corruptas exhibet. Valtonius in ſuis Polyglottis ſcribit Authorem eſſe hujus Operis R. Stephanum, cujus vadem dat Boot in ſuis Animadverſionibus Sacris: ſed Theodorum Bezam Leoni Juda id tribuere affirmat Genebrardus. De Adnotationibus alibi ſermo occurret. Præter duas editiones, jam a nobis laudatas, tertia eſt alia anni 1612. 2. vol. fol. P. Delfavius in ſuo Catalogo manuſcripto Bibliothecarum aſſerit vidiſſe ſe aliam anni 1587. 3. vol. fol.

Polyglotta Hutteri. Jungenda ſunt Operi huic Polyglotta Volderi, quæ nova ſunt priorum illorum editio. Utriuſque autem Operis indoles eſt ſingularis, quippe quæ complectuntur Verſiones vernaculas ad uſum Eccleſiarum Proteſtantium. Implet 4. vol. in fol. Ad primam editionem anni 1587. ſuam expreſſit David Volderus, vulgavitque totidem voluminibus anno 1596. Doctorum virorum de Opera judicium habes in Collectione Epiſtolarum laudata in Dictionario Critico Bælii (*Bayl*) v. *Hutter*. Hujus viſi novum Teſtamentum 12. linguarum impreſſum fuit anno 1600. dein ad quatuor redactum prodiit anno 1603.

Polyglotta le Jay. De his fuſius Voſſius in Diſquiſitionibus Critic. p. 217. & Simon in Hiſtoria Critica V. T. Gallica. Poſterior iſte ita vitia Operis indicat, p. 5. & 8 ut etiam decora ejus & commoda ſuper Antverpienſe non ſileat: ſed & demonſtrat Authorem ipſum totum editionis ſuæ meritum tollere in Præfatione Operis *ibid. p.* 269. 519.

Jam inde ab anno 1615. impreſſionis novorum ejuſmodi Polyglottorum editio agitari cœpta eſt, nec ab alio forte quam ab ipſo D. le Jay; qua de re conſulenda epiſtola D. de Thou hoc eodem anno data, & vulgata in tomo I. p. 180. Commentariorum Bibliotheca Vindobonenſis Lambecii. Sed manus Operi admoveri cœpit anno 1628. ſuadente Cardinale de Berulle. Admoti ſunt Operi Philippus Aquinus, Joannes Morinus, Gabriel Sionita, Abraham Eckellenſis, Hieronymus Parent; viri omnes tanto oneri pares. Hæc fuſius proſequitur P. le Long in ſua nova Bibliotheca Sacra fol. p. 19. 35. par. 1.

Polyglotta Valtonii. Cætera ſuperant, ſin minus editionis & characterum nitore, certe tamen quod optima quæque compleſtuntur Antuerpienſium & Pariſienſium; & ſupra illas multarum optimarum rerum acceſſione diteſcunt. Ita judicant Voſſius, & R. Simon in locis ſupra laudatis. Prior tamen ille animadvertit menda quædam irrepſiſſe in Polyglotta Jay, in poſtremis hiſce non correcta, Hiſtoriam hujus Operis retexuit P. le Long in ſua nova Bibliotheca Sacra p. 53. 40.

Qui allaborarunt editioni huic, recenſeri poſſunt Brianus Valtonus, Ludovicus de Dieu, & Edmundus Caſtellus, Alexander Huiſſus, Samuel Clericus, Thomas Hyde, & Lotfuſius. Valtonus contulit de ſuo *Prælationem*, Prolegomena & Apparatum, nec abſtinuit manum a Verſionibus & Textu ſacro, quin & dedit Angliece Vindicias Polyglottorum impreſſas Londini anno 1659. in 8. Caſtellus vertit Syriaca quædam fragmenta Danielis; e Syriaco etiam libros Tobiæ & Judith, Epiſtolas Jeremiæ & Baruch, cum priori Machabæorum. Hujus etiam viri docti eſt Latina Verſio ex Æthiopico Cantici Canticorum; ſicut & adjecit adnotationes in Pentateuchum Samaritanum: tandem quod maximi eſt momenti Lexicon ina. vol. *fol.* quod Opus a Polyglottis ſejungendum non eſt. Variantia in ſingulis paginis pleraque ſuffecit Huiſſus, ſicut & Verſionem Septuaginta, Textum Græcum Novi Teſtamenti, & Vulgatam, ac tandem contulit Editionem Romanam veteris Teſtamenti & Novi R. Stephani, cum Manuſcripto Alexandrino vetuſtiſſimo. Correxit Hyde verſiones Arabicam, Syriacam, Perſicam &c. ac Latine reddidit Pentateuchum Perſicum. Novi Teſtamenti Verſio ex Æthiopico debetur Lotfuſio.

Hæc ſatis de majoribus Polyglottis; unum hoc tantum addemus, prodiiſſe Trajecti anno 1684. in 8. *Synopſim novorum Polyglottorum*. Eſt autem Opus hoc idea Synopſis Polyglottorum Pariſienſium & Londinenſium, quod executioni mandatum eſſe nondum ſcivi. Joannes Hottingerus edidit Tiguri anno 1649. in 4. & 1652. in 8. Diſſertationem in Polyglotta Pariſienſia.

Polyglotta Alexandrina. Inter cætera Polyglotta recenſenda non eſſe cenſemus, quæ Alexandrina ideo appellata ſunt, quod Typographi Hollandi ſub nomine Alexandri VII. obtrudere illa tentarint. Sunt autem ipſiſſima ac D. le Jay, quibus illi inſcriptionem affinxerunt novam, ut majores allicerent Emptores; ſed dolus ſtatim deprehenſus eſt. Qui de Opere illo aliquid reſcire voluerint, conſulant *Muſeum Italicum* D. Mabillon, t. 1. p. 91. vel Bibliothecam P. Le Long t. 1. p. 44. in 8. & p. 40. col. 2. ſecunda Edit. in fol.

C O R O L L A R I U M.

POLIGLOTTA PARTICULARIA.

CUm obiter tantum de alteto hoc Polyglottorum genere tractaverimus, ideo res poſtulat, ut fuſius in præſenti de his diſſeramus.

Chriſtianus Reineccius Germanus, Lutheranus, qui agebat adhuc in vivis anno 1720. dedit quatuor deſcriptum linguis Vetus Teſtamentum, Hebraice cum verſione Græca, Latina, & Germanica Lipſiæ anno 1713. 10 fol. Adjecit Operi variantia & notas criticas.

Egit P. le Long geminorum Polyglottorum Pentateuchi, quorum prius deſcriptum eſt Chaldaice, Hebraice, Perſice, & Arabice; alterum verò Hebraice, Chaldaice, Hiſpanice, & vernaculo Græco; diſtribuitur utrumque Opus in 3. columnas, media tenet Hebræus; prodiit Conſtantinopoli anno 1547. in fol. Unum exemplar continetur in Bibliotheca Regia, & alterum apud PP. Oratorii. Cujus uſibus ita deſcripta eſſent Opera illa nos indicavimus.

Polyglotta Geneſis Joannis Draconites vel Draco, Germani Lutherani, Hebraica ſunt, Chaldaica, Græca, Latina, Germanica, prodieruntque Wittembergæ anno 1563. in fol. Hujus Operis forte ſola priora quinque capita impreſſa ſunt, uti reputat P. le Long. Georgius Otho Germanus, alter Lutheranus vivens adhuc anno 1720. dedit quatuor priora capita hujus Libri pluribus tradita linguis Francofurti ad Mœnum anno 1702. in 4. Fuſiſſime de hoc Opere agit P. le Long in ſua Bibliotheca p. 42. col. 1.

In quatuor majores Prophetas unus Iſajas pluribus idiomatibus deſcriptus prodiit Baſileæ in 4. ſine adſcriptione anni, & Nurimbergæ anno 1601. in 4. E duodecim minoribus Prophetis in figuram Polyglottorum ediri ſunt tantum Oſee, Jonas, Joel, Abdias, Malachias, quorum Operum varias Editiones habes apud P. le Long.

Nullus alius Scripturæ Liber tantis idiomatibus traditus eſt, quam Pſalterium. Octaplum dedit Genuæ anno 1516. in fol. Auguſtinus Juſtinianus. Eſt autem illud Hebraicum, Græcum, Arabicum, Chaldæum, quibus adduntur tres Latinæ verſiones cum adnotationibus breviſſimis. Biblia univerſa paraverat Author, publico tamen non communicavit niſi Pſalmos & Jobum. Id autem Joannes Pokokius quatuor linguis tradidit in fol. Vide P. le Long. p. 43. col. 1.

Eraſmi & Pellicani labore habemus Pſalmos Hebraice, Græce & Latine e verſione S. Hieronymi, quæ legitur inter Opera ejuſdem Patris editionis Baſileenſis anni 1518. per Amerbachium. Plures alias verſiones adnotat P. le Long, qua Pſalmorum quorundam, qua etiam Cantici Canticorum, & Ruth.

Novum Teſtamentum quamquam a majoribus Polyglottis non abeſt, adhuc tamen pluribus linguis eſt traditum; quemadmodum & ſeorſum quatuor Evangelia, ſicut & Epiſtolæ nonnullæ S. Pauli, uti apud P. le Long p. 45. 46. 47. De his autem ſingulis ne diſſeramus prohibet rei vaſtitas, quæ ſermonem noſtrum nimis protraheret. Id tantum animadvertemus, falli virum hunc doctum ſcribentem hiſtoriam mulieris adulteræ, Epiſtolas Canonicas et Apocalypſim deeſſe in Polyglottis Theodori Bezæ, hæc enim omnia offert Operis Exemplar in Bibliotheca noſtra S. Michaelis, impreſſum apud Henricum Stephanum anno 1596. fol. 2. vol. Niſi id forte innuerit, hiſtoriam hujus fœminæ deeſſe in Syriaco, ſicut et deſideratur ſecunda Epiſtola S. Petri, et ſecunda S. Joannis, quæ nonniſi Græce et Latine, ut etiam Apocalypſis, dantur. Addemus pariter Henricum Kellermanum vulgaſſe anno 1712. Evangelium S. Matthæi Polyglottum. Vir erat Moſcus, in Padoano Collegio educatus, et Medicus poſtremi Czar, vivebat adhuc anno 1720. Ulphilas Arrianus et Epiſcopus Gothorum circa annum 305. Biblia univerſa vernacule reddiderat, cujus Operis ea tantum ſuperſunt, quæ jam adnotavimus.]

BIBLIA HEBRAICA.

UNiverſim ea Biblia Hebraica emendatiora cenſenda ſunt; quæ Judæorum ſolertia, quam quæ Chriſtianorum opera prodiere; a Chriſtianis tamen excuſa elegantia præſtant.

Biblia Hebraica cum punctis in fol. Soncini 1488. cura Joſue Selomo filii Iſrael Nathan, manu Abraham illuſtris Rabbi Chaiim,

Biblia Hebraica a Judæis impreſſa Piſauri in quarto an. 1494. correctiſſima cum punctis.

Biblia Hebraica ſine punctis in folio, & in quarto. Piſauri, correctiſſime, an. 1494. Sunt & aliæ Editiones ſine punctis. Annis 1573. 1610. 1631. 1639. 1694. 1702.

Biblia Hebraica in octavo. Brixiæ 1594. Item alia Piſauri ad uſum Judæorum.

Biblia Hebraica duplici columna in fol. an. 1517. a Judæo Soncinate.

Biblia Hebraica, Rabbinica, cum Paraphraſibus Chaldaïs, & Rabbinorum Commentariis. Venetiis an. 1518. cura Felicis Pratenſis typis Danielis Bomberg. Hæc prima eſt, poſt Complutenſem, Hebraica Bibliorum Editio a Chriſtianis elucubrata. Felix Pratenſis abdicata Judæorum Religione ad Chriſtianam tranſierat, antequam his Bibliis operam navaret. Horum Bibliorum Rabbinicorum ſex extant Editiones, annorum ſcilicet 1518. 1526. 1549. 1568. 1619. 1619.

Biblia Hebraica Dan. Bomberg. an. 1518. 1521. 1525. 1528. 1533. 1544.

Biblia Hebraica cum Latina Verſione Sebaſtiani Munſteri 2. vol. in fol. Baſileæ, ex Officina Bebeliana an. 1534. & ſecunda editio 1546. Hebræa apud Germanos vulgari charactere exarata ſunt, adjectis adnotationibus ex Rabbinis. Altera Editio anni 1546. amplior, et correctior eſt.

Biblia Hebraica ſine notis in quarto 2. Vol. cura Sebaſtiani Munſteri, Baſileæ, typis Froben. et Epiſcopii an. 1536.

Biblia Hebraica in quarto, Vol. 4. Pariſiis ex Officina Roberti

Digitized by Google

*berti Stephani.*1539......1544. Editionis hujus maxime prima pars, elegantiſſima eſt; ſed mendis totum opus ſcatet.

Biblia Hebraica ejuſdem Roberti Stephani 7. Vol. in 16. Pariſ. 1544....1546. Editio accuratior ſuperiore, atque elegantior.

Biblia Hebraica in quarto, Venetiis opera Cornelii Adel. apud Antan. Juſtiniani, an. 1551. *item in quarto an.* 1565.

Biblia Hebraica Francofurti ad Oderam in quarto an. 1551.

Biblia Hebraica cum Comment. Germanico R. Nephtali-ben-Aſer, in folio. Cracoviæ 1552.

Biblia Hebraica in quarto. Venetiis, Joan. de Gara an. 1562. Iſte Author Biblia Rabbinica Bombergii typis recudenda curavit an. 1568.

Biblia Hebraica Antverpiæ typis Chriſtophori Plantini 1. Vol. in quarto, & 2. Vol. in 8. et 4. Vol. in 16. edita pluries ſcilicet an. 1568. 1572. 1573. 1582. 1584. 1590. Editiones hæ nitidiſſimæ, atque correctiſſimæ ſunt.

Biblia Hebraica cum Verſione interlineari Sanctis Pagnini an. 1572. *in Polyglottis Antverpienſ.* Editio hæc omnes ſuperat. Ariæ Montano vitio vertitur, eam, quo conformior Hebræo redderetur, adeo vitiaſſe, ac barbarie inſeciſſe, ut ędipo lectore indigeat. Radices Hebraicæ Veteris Teſtamenti, ac Græcæ Novi in margine diſtinctæ. Opus hoc pluries typis demandatum a Plantino an. 1581. & 1584. Genevæ Opera Petri de Rouviere an. 1609. & 1619. Decipiendis alliciendiſque Emptoribus Editioni 1619. quamvis ipſiſſima ſit ac 1609. hæc in titulo a Typographo adjecta ſunt: *additis correctionibus Romanis Luca Brugenſis an.* 1619. Typis iterum excuſa fuit Lipſiæ an. 1657. in 8. vol. Lugduni Batavor. 1608. 1613. Tyronibus opus utile eſt.

Biblia Hebraica ſine punctis in 8. et in 24. Vol. 2. Antverp. apud Plant. an. 1573.

Biblia Hebraica in 4. Venetiis 1573. *Item in 4. Venetiis apud Joan. de Gara an* 1582. *item Venetiis* 1595.

Biblia Hebraica, et Latina Ariæ Montani, cum ejuſdem Tract. de varia librorum Hebræorum ſcriptione, & lectione, & de Verſionis Pagnini defenſione in folio, in Burgo Aracenſi in Hiſpania an. 1581. Editio rara.

Biblia Hebraica in quarto apud Plantin. 1582.

Biblia Hebraica ſtudio Eliæ Hutteri in fol. Hamburgi an. 1587. *opera Jacobi Lucii.* Editio hæc maxime commendanda, cum radicales literas plenis, ac nigris characteribus, ſerviles, deficientes, ac mutas cavo, & albo exhibeat. Biblia hæc eadem omnino, annorum tantum variata nota, ſub epigraphe annorum 1583. 1595. 1609. ferebantur; qua facile arte Typographi ſub novæ Editionis obtentu Emptores fallere, atque allicere voluerunt.

Biblia Hebraica in 8. Antverpiæ. 1590.

Biblia Hebraica Francofurti ad Oderam 1. Vol. in 4. & 2. Vol. in 8. & 4. Vol. in 16. apud Hartmann. ann. 1595. Judæi Biblia hæc pluris reputant.

Biblia Hebraica 2. Vol. in 18. Leid. Rapheleng. 1596.

Biblia Hebraica ſine punctis 2. Vol. in 24. Hannoviæ 1610.

Biblia Hebraica minimo charactere ex recenſione Joh. Buxtorf. Baſileæ Valdvic. 1611.

Biblia Hebraica 2. vol. in quarto Venetiis typis Joan. Bragadini an. 1614. 1615.

Biblia Rabbinica juxta priores Edit. Dan. Bamberg. 4 vol. in folio, Venetiis an. 1617. *apud Petrum, & Laurent. Bragadin.* Leo Modena alio nomine *R. Judas Arie* huic præfuit Editioni. Accurata eſt, ſed mendorum non expers, Bartholoccio authore.

Biblia Hebraica, Genevæ, opera Petri Eliani an. 1618. *in 4. in 8. & 6. vol. in 18.* Editiones iſtæ nullo in pretio habentur, pluribus enim mendis ſcatent.

Biblia Rabbinica Johan. Buxtorfii Patris 4. vol. in folio Baſileæ typis Ludovici Konig. an 1618. & 1619. Valton ea pluris, quam Biblia Rabbinica Bombergii, ducenda autumat.

Biblia Hebraica cum Commentariis Raſi, & Sabal Sopher in 8. Pragæ 1629.

Biblia Hebraica ſine punctis in 8. Amſtelod. typis Menaſſe-ben-Iſrael ſumptibus Henrici Laurentii 1631.

Biblia Hebraica cum Verſione Hiſpana vocum difficilium in margine charactere Hebraico in 4 Venetiis 1635.

Biblia Hebraica, duabus colum. diſtincta ſtudio Rab Menaſſe-ben-Iſrael 2. vol in 4. Editio correctiſſima. Hic Author duo etiam Biblia edidit in 8 quorum prima abſque punctis extant, Amſtelodami apud Janſſon. an 1639.

Biblia Hebraica cum Comment. Rab. Jacob Lumbroſo in 4. Venetiis 1639. *Joan. Marcianil.*

Biblia Hebraica cum Maſora in Pentateuchum & Comment. Raſi 4. vol. in 4. Venetiis Antonii Calcano an. 1647. 1649.

Biblia Hebraica typis Joſephi Athias Judæi, Amſtelodami cum Præfat. Lat. Joan. Leuſden. an. 1661. *& iterum* 1667. *duo vol. in 8.* accurate impreſſa, & expurgata Major ea iis, quam ex pleriſque aliis Hebraicorum Bibliorum Editionibus, utilitas colligitur; in illis enim capita & verſus, ut in noſtris Bibliis notantur.

Biblia Hebræa charactere minuto cum titulis librorum & capitum Latinis, & diſtinctione verſuum, ſtudio J. Georg. Michaelis. Leidæ 1662.

Biblia Hebræa Lemmatibus Latinis illuſtrata a Johanne Leuſden. 2. vol. in 8. Amſtelod. typis Joſephi Athiæ 1667. Quod accuratiſſima, elegantiſſima, atque utiliſſima ſit, maxime commendatur. Capita, verſus, ac capitum ſumma in margine ſunt adnotata. Celſi, & Præpotentes DD. Fœderati Belgii Ordines, ut par præmium labori, ac ſolertiæ, quem Athias ad hanc impreſſionem contulerat, rependerent, eum catena aurea, ex qua aureum pendebat Numiſma, donarunt. Hæc tamen Editio minus caſtigata, quam prima anni 1661.

Biblia Hebraica verſibus, capitibus Maſoretarum Keri, & Ketib &c. inſtincta, opera & ſtudio Davidis Cladii in 8. Francofurti ad Mœnum 1677. *& iterum recognita a Joan. Henrico Majo, & Joan. Leuſden. reviſa an.* 1692. Daniel Ernestus Jablonski plurimis hanc ſecundam Editionem refertam mendis teſtatur.

Biblia Hebraica ſine punctis in 12. Francofurti Joan. Vaſtii 1694. Mendoſiſſima.

Biblia Hebræa cum notis Hebraicis, & Lemmatib. Latinis ex recenſione Jean. Erneſti Joblonski in 4. Berolini an. 1699. Quamvis editio hæc diligentiſſime curaretur, mendorum tamen expers non eſt.

Biblia Hebræa cum Commentario Raſi 4. vol. in 12. Amſtelodami; ſtudio Rab. David, reviſſ. an. 1700. *in domo Emanuel, F. Joſeph Athias.*

Item ibidem eadem Biblia ſed ſine notis Raſi 4. vol. in 12.

Biblia Hebraica a Joanne Leuſden denuo recognita 2. vol in 8 Amſtelod. & Ultrajecti typis Boom & Sociorum 1705. Editio hęc elegantia omnibus præſtat. Puncta vocalia junctim cum charactere fuſa aſſeruntur; qua ſolertia ingens mendorum, & vitioſa punctorum vocalium tranſpoſitione, atque omiſſione irrepentium, copia evitata fuit.

Biblia Hebraica cum Latina Verſione Sanctis Pagnini, Brand. Ariæ Montani &c. in fol. Francofurti ad Mœn. 1717.

Biblia Hebræo-Germanica vet. Teſt. & Græco-Germanica novi Teſt. ex Verſione Lutheri in 4. Lipſiæ Erben. 1707.

Biblia Hebraica ſtudio Sociorum Collegii Orientalis Theol. Halenſ. in Saxonia Hæc Editio an. 1707 multo proceſſerat.

Habes Catalogum præcipuorum Bibliorum Hebraicorum, quæ ab ineunte Typographia ad noſtra uſq; tempora prodiere. Illud autem animadvertendum eſt. capitum ſummariis, verſibuſque inſtructa Exemplaria uſui eſſe commodiora. Editiones proinde Leuſdeni, & Athię cęteris præferuntur. Poſt exemplaria Roberti Stephani, nulla alia, exceptis Polyglottis Domini le Jai in Gallia excuſa comperio; pertari enim Judæi hanc regionem incolunt; ægre vero ab aliis correctiſſima Biblia Hebraica præſertim vocalibus punctis inſtructa, expectarentur. Nos hic duabus de cauſis ſingulorum Scripturæ Librorum ſeorſim excuſorum Catalogum non afferimus. Prima quidem, ne longius protraheremur; altera vero, quod nihil de ſingulis peculiare adnotandum occurrit. Qui Textum originalem Scripturæ cupiunt, integrum illi Opus curabunt; & Bibliothecam inſtruentes, ſi præſtantiſſima quæque hujus generis comparare voluerint, duo volumina in 8. Bibliothecæ Sacræ Scripturæ P. le Long conſulant, e quibus totum fere hunc Catalogum derivavimus.

[Excuſſiſſe ſatis hoc argumentum credimus in peculiari articulo, ubi & characteres dedimus optimarum editionum. Qui exactius aliquid optaret, adeat Bibliothecam Sacram P. le Long; cujus Operis ſecundam editionem hic palam edicimus, datam Pariſiis anno 1655. in fol. Eſt autem Opus multo auctius.]

NOVUM TESTAMENTUM HEBRAICE.

S Matthæus Evangelium Hebraico idiomate, ſeu potius Syriaco Hebraico admiſto ętate ſua in Palęſtina vernaculo, conſcripſerat; ſed poſt S. Hieronymi ætatem Hebraicum S. Matthæi originale nullibi apparuit. Hebraica enim Novi Teſtamenti Exemplaria, ac præſertim S. Matthęi recen-

Digitized by Google

tiora eſſe, una eſt omnium eruditorum ſententia.

Elias Hutterus Hebraicam totius Novi Teſtamenti Verſionem anni ſpatio confecit, eamque in Novo ſuo Teſtamento pluribus linguis adornato vulgavit an. 1599. & 1602.

Idem Opus accuratum, & ad meliorem formam opera Robertſoni redactum fuit in *octavo* Londini 1661.

Quatuor Evangelia e Latino in Hebraicum ſolertia Joannis Baptiſtæ Jonæ translata, ac Clementi IX. dicata, Romæ an. 1668. Reliquum novi Teſtamenti ejuſdem Jonæ Mſ. ſervatur.

Evangelium S. Matthæi Hebraice, ex Verſione Sebaſt. Munſteri in fol. Baſileæ, typis Henrici Petri 1537.

Idem Hebraice, & Latine, ibidem 1557. 1582.

Idem cura Joan. Quinquarborei. Pariſ. 1551. Evangelium hoc non eſſe S. Matthæi Originale, & facile a Judæis e Latino translatum omnes conſentiunt.

Evangelium Hebraicum Matthæi cum interpretatione Latina Joannis Merceri; cura, ac ſtudio Joannis Tillii editum Pariſ. in octavo 1555. Tillius Evangelium hoc e Judæorum manibus a ſe eruitum Romæ 1553. in Galliam veniens, Joanni Mercero Profeſſori linguæ Hebraicæ, Latine reddendum tradidit. Verſio iſta Hebraica correctior eſt, & accuratior Munſteri; re tamen parum ab ea diſtat, & a Latino texto parum emendato deducta eſt. Vide *Mill. Prolegom. in nov. Teſt.*

S. Lucæ Evangelium Hebraice ex Verſione Friderici Petri in octavo Vittembergæ 1574.

S. Pauli Epiſtola ad Romanos Hebraice in 4. Lidæ 1616.

Epiſtola D. Pauli ad Hebræos Hebraice, cum Latina Verſione Alphonſi de Zamora in 4. Compluti an. 1526.

Eadem Hebraice, & Latine edita, cum Evangelio S. Matthæi in octavo Baſileæ 1557. 1582.

Eadem ex Græco in Hebræum converſa a Friderico Alberti in 4. Lipſiæ 1676. Eruditorum nonnulli Epiſtolam ad Hebræos Hebraice conſcriptam arbitrati ſunt; quorum tamen ſententia tum nulla fulcitur ratione, cum pauciſſimos habet aſſeclas. Eſto tamen Apoſtolus Hebraice ſcripſerit; illud nihilominus conſtat, Exemplaria omnia excuſa originalem Textum non præſeferre, neque id unquam a quoquam ex Editoribus aſſertum fuit.

[Peculiarem hunc Articulum ſecundæ hujus partis Sacrarum Scripturarum ideo inſtituimus, quod deeſt Novum Teſtamentum in pleriſque majoribus Bibliis Hebraicis, in iis maxime, quæ curantibus Judæis prodierunt; neque enim Novi Teſtamenti ſanctitatem agnoſcunt nominis Jeſu Chriſti oſores acerrimi. Scitum eſt inſuper, uti in hoc articulo nos etiam faſſi ſumus, S. Matthæum unum eſſe inter omnes qui Hebraice ſcripſerit, quod ejus Originale cum interciderit, ideo pruritum excitavit Doctis quamplurimis, ut literis Hebraicis traderent ſive integrum novum Teſtamentum, ſive quatuor Evangeliſtas tantum, ſive ex quatuor aliquem, ſive ex Epiſtolis Pauli nonnullas, ut magis magiſque ad vetus Teſtamentum, Hebraica ſcriptum, Novum conformarent.]

PENTATEUCHUS SAMARITANUS.

PEntateuchus Samaritanus apud Recentiores Samaritanos obtinens, Hebraicis antiquis characteribus exaratus eſt, qui nempe characteres apud Judæos ante Babylonis captivitatem, & antequam Chaldaicas literas, quibus nunc utuntur, adoptaſſent, vulgares erant. Pentateuchus igitur Samaritanorum eadem, qua Pentateuchus Judæorum lingua conſcriptus eſt; characterum forma tantum diſcrepant. Variantia etiam nonnulla inter utrumque opus ab Eruditis obſervata quibuſdam ſuaſere, Samaritanos Exemplaria ſua ad Septuaginta Verſionem accommodaſſe. Hac de re Uſſerius, P. Morinus, Valtonius, ac cæteri, qui Pentateuchum Samaritanum ad Critices regulas expenderunt, conſulendi ſunt.

[De hoc tantum Libro agendum eſt nobis in præſenti, quod unus ſit inter omnes canonicos a Samaritanis receptus. Appellatur ab illis Lex Moyſis, ejuſque præceptorum literæ firmius inhærent, quam Judæi, quorum expoſitiones vel gloſſas in Thalmud relatas & a Judæis religioſiſſime obſervatas, ignorant. D. Simonius in ſua Critica Veteris Teſtamenti p. 65. diſcutit, num Exemplar illud præferendum ſit Judaico, num utrumque tamquam duo Exemplaria ejuſdem originalis, quibus ſua ſint decora, & ſua itidem vitia, reputanda ſint. Idcirco ponit ſub oculis utriuſque variantia, & ſimul confert; tandem inclinare videtur in Samaritanum præ Judaico, contra ſententiam P. Morini & aliorum. Quæ opinionis ſuæ exhibeat momenta, legas apud Simonium ibid.]

PENTATEUCHI SAMARITANI EDITIONES.

EXemplaria Samaritana decimoſeptimo ſæculo primum in Europa exhiberi cœpere; eaque inter primores in Occidentem ſe deduxiſſe gloriatur Uſſerius *Epiſt. ad Lud. Capell. ad calcem Syntagm. de 70. Interpretib.* Petrus della Valle Damaſci 1616. exemplar comparavit, quod D. Achilli Harlæo, legatione pro Galliarum Rege Conſtantinopoli fungenti, dono miſit. Ex eo deductus Pentateuchus Samaritanus, in Polyglottis le Jay editus an. 1645.

Illum tamen antea 1632. P. Morinus juſſu Cardinalis de Berulle imprimendum curaverat.

Pentateuchus Samaritanus, cum Verſione Latina in Polyglottis Londinenſ. 1657. correctior eſt, quam Pariſienſis; mendis tamen omnibus non caret.

TARGUMIN, SEU PARAPHRASES CHALDAICÆ.

TArgumin translationes ſunt, ſeu potius Paraphraſes Chaldaico idiomate confectæ. Quatuor harum Paraphraſum Authores feruntur, Onkelos, Jonathan filius Uzielis, Jeroſolymitanus Paraphraſtes, & Joſeph cæcus. De his fuſius in noſtro Dictionario. Vide v. *Targumin*, ſive *Onkelos*. Vetuſtiſſimæ Paraphraſes iſtæ feruntur; ac Judæi, exceptis Libris ſacris, nihil iiſdem firmius, & vetuſtius arbitrantur. Nonnulli Paraphraſes, ſaltem Onkeli ac Jonathan, ante Jeſum Chriſtum repetunt; at recentiores eſſe, quamquam cujus ætatis incertum, nullus dubito. (*Vide Morin. Exercit. biblic. l. 2. Exercit. 8. c. 2.*) Utiliſſimæ ſunt, tum ad verum Textus ſenſum enucleandum, quem ipſæ apertiſſime interdum explanant; cum ad quoſdam Scripturæ textus pro Meſſia aſſerendos, quos Judæi ad alios ſenſus detorſere. Onkeli preſſior eſt, & melior; cęteræ fuſiores ſunt, & commentis, variiſq; Judæorum traditionibus magis refertæ.

Onkelos Paraphraſis cum Pentateucho terminatur.

Jonathan Pentateuchum, prophetas omnes majores, & minores interpretatus eſt. An tamen Paraphraſis in Pentateuchum, ejus nomine inſcriptæ, Author fuerit, merito ambigitur.

Targum Jeroſolymitanum ad Pentateuchum ſolum extenditur.

Paraphraſis Joſephi, cæci nuncupati, Pſalmos, Jobum, Proverbia, Eccleſiaſten, Cantica, Eſther, Ruth, Lamentationes complectitur.

Denique paucis ab hinc annis Paraphraſis hactenus inedita in Paralipomena evulgata eſt, ignoto Authore.

Paraphraſes Chaldaicæ Onkeli cum Hebraico Textu Pentateuchi junctæ prælo pluries commiſsæ fuerunt ante an. 1517. quo Cardinalis Ximenii Polyglotta prodierunt. Poſt Polyglotta Ximenii, ac cætera ſubinde, pluries adhuc & Paraphraſis illa, & reliquę voluminibus diſtinctis excuſę. Longam hic narrationem omnium harum Editionum libens omitto, Polyglotta tantum excuſa in medium adducam, inter ſe quid differant ſimul aperiens.

In Polyglottis Complutenſibus, ſeu Ximenii, non omnes Paraphraſes, quæ hodie extant, utpote nondum ea ætate vulgatæ, excuſæ ſunt. Opus tantum Onkeli, mutilum præterea, & alicubi emendatum exſcribitur.

Biblia Rabbinica Bombergii ann. 1518. impreſſa, & dein pluries recuſa Paraphraſim Onkeli, Jeroſolymitanam in Pentateuchum, Jonathani in Prophetas, Joſephi cęci in Pſalmos, Proverbia, Jobum, Eccleſiaſten, Cantica Canticorum, Lamentationes, Ruth, ac Eſther comprehendunt.

Polyglotta Antuerpienſia Philippi II. eaſdem, quas opus Bombergii, Paraphraſes, excepta Jonathani in Pentateuchum, complectuntur. Animadvertendum tamen, mutilas eſſe has Paraphraſes, & nonnullam mutationem in hac Editione, in Complutenſi, in Rabbinicis Bibliis Venetis ſubiiſſe; quamobrem Judæi nullo eas pretio ducunt.

Polyglotta Huttetii Targum dumtaxat Onkeli in Pentateuchum continent.

Biblia Rabbinica Burtorfii Baſileæ impreſſa an. 1618. ſuperioribus caſtigatiora. In Chaldaicarum Paraphraſum impreſ-

Digitized by Google

preſſione Buxtorfius ſecutus eſt Venetas Editiones, integritate Antuerpienſibus præhabendas; at in iis aliquid etiam deſiderandum ferunt. *Vide Valer. de Flavigny, Epiſt. 1. p. 22.*

Polyglotta Pariſienſia ad Venetas, Antuerpienſes, ac Baſileenſes, Editiones conformantur, in quibus Paraphraſum Chaldaicarum Textus mutilus, & interpolatus exhibetur. Editio præſertim Antuerpienſis tranſcripta eſt, in qua Paraphraſes nulla ſunt ex parte abſolutæ.

Anglicana demum, ſeu Valtonii Polyglotta impreſſa Londini 1657. Chaldaicas Paraphraſes derivarunt ex Editione Buxtorfii Baſileæ 1618. in quibus ait Valtonius, Buxtorfium Manuſcriptorum fide innixum, quidquid fuerat ſuperioribus Editionibus detractum, reſtituiſſe. Valtonius etiam aſſerit in hac Editione Anglicana tres Pentateuchi, quæ in cæteris Editionibus deerant, Paraphraſes a ſe ſuppletas. Prima Paraphraſis Jeroſolymitana eſt cum Verſione Latina Chevalerii; ſecunda Jonathano adſcripta, cum Verſione ejuſdem Chevalerii; tertia Perſica Jacobi Tuſenſis, & Latina interpretatione donata a Thoma Hyde. Duæ priores in Rabbinicis Bibliis jamdudum excuſæ, numquam Latine prodierant. Quocirca præſtantiſſimas Targumin Editiones, Bibliorum Rabbinicorum Buxtorfii, ac Polyglottorum Londinenſium eſſe, minime inficiandum.

Paraphraſis duorum Librorum Paralipomenon, quæ ad annum uſque 1680. latuerat, ſolertia Matthiæ Friderici Bekii in Bibliotheca Erfordienſi feliciter reperta, duobus voluminibus in 4. edita fuit Auſburgi 1680. typis Koppmeier.

[Quamquam Paraphraſes iſtæ ideo ſaltem inutiles reputandæ non ſunt, quod uberem fœcunditatem Scripturæ luculento ſane argumento demonſtrant; nihilo tamen ſecius plura continent ſuperflua, ne dicam Lectores removentia, cujuſmodi ſunt fabellæ Rabbinorum, & ſuperſtitioſa plura, quibus ſcatent. Non eſt igitur, cur monſtri loco ducamus, ſi adeo probentur a Judæis, qui deliria ſua omnia hic habent collecta, quippe hiſce magis magiſque abalienantur a vera Religione. Quamobrem D. Simonius in ſua Critica V. T. p. 295. diſcutit, an operæ pretium fuerit eas vulgaſſe typis.

Authores omnes Paraphraſum indicavimus, modo Latini Interpretes ſubjungendi ſunt. Alphonſus Zamora, Paulus Fagius, Bernardinus Baldi, Andreas de Leon verterunt Onkelos, Zamoræ Opus inſeritur in omnibus Polyglottis; & in omnibus Bibliis Latinis impreſſis ab anno 1609. uſque ad 1616. ac potiſſimum prodiit Antuerpiæ anno 1535. in 8. Fagii Opus lucem aſpexit cum adnotationibus Argentorati 1546. fol. Baldi Lucubratio prodiit anno 1594. teſte Jano Erythræo in Pinacotheca par. 1. p. 6. Tandem Andreas de Leon ſuam adornavit an. 1628. eſt autem Romæ in Bibliotheca Barberina, ut ipſe Auctor teſtatur in ſuis Antiquitatibus Eccleſiæ Orientalis p. 131.

Verſiones hæce omnes fidei non ſinceræ, ut refingi ex integro opus fuerit, quamquam ab Aria Montano in pluribus correctas, accuſat D. Huetius de *clar. Interpp.* § an. p. 117. Judicium Fagii de Opere illo habes in ejus Præfatione in Collectione magnorum Criticorum Londinenſium t. 1. p. 19. primæ edit.

Paraphraſim Pſeudo Jonathan in portionem Pentateuchi Latinam exhibent Polyglotta Londinenſia, labore Antonii Chevalerii. Suam vero ejuſdem Operis Franciſcus Tayler vulgavit Londini an. 1649. in 4. quam tamen adeo mendoſam eſſe affirmat Valtonius Prolegom. 12. § 20. ut novam ex integro dare coactus ſit. Priorem illam Verſionem communicaſſe ſibi Emericum Caſaubonum affirmat Seldenus de Synedriis Hebr. t. 1.

Genuinum Jonathan in omnes Prophetas vertit Alphonſus Zamora, recenſuit Arias Montanus, correxitque Valtonius in ſuis Polyglottis. Opus illud in Minores Prophetas vertit Joannes Mercerus, vulgatumque eſt Pariſiis an. 1556. in 4.

Zamora, & Montanus laborarunt adhuc in Verſionem Paraphraſis Joſephi Cæci in Pſalmos, alioſque Libros. Hanc Verſionem correxerunt Edmundus Caſtellus, Andreas de Leon, & Adrianus Kil. Sialacus Latinam exhibuit ejuſdem Paraphraſim in Job, quam Verſionem vulgarunt Romana prela an. 1618. in 8. Alteram dedit Joannes Terentius cum adnotationibus Franekeræ an. 1663. in 4. Eraſmus Oſvald Verſionem ſuam in Canticum, & Ecclesiaſtem vulgavit Baſileæ 1553. in 8. Julii Bartholoccii cum Scholiis ſervat manuſcriptam Bibliotheca Vaticana, uti Bartholoccius ipſe in ſua Bibliotheca Rabbinica tom. 3. p. 792. in Ruth opera Joannis Merceri verſio prodiit Pariſiis an. 1564. in 4. Montani in Eſther offerunt Polyglotta; ſicut & verſionem alteram Franciſci Tayler dederunt prela Londinenſia an. 1555. in 4. In Paralipomena Latinis literis tradit Samuel Clericus in 2. vol. in 4. & Fridericus Beck cum notis Auguſtæ Vindelic. 1680. 1683. 2. vol. in 4.

Bartholoccius in Biblioth. Rabbinic. t. 1. p. 406 erudita Diſſertatione tractavit de origine Paraphraſis Chaldaicæ in Pentateuchum, demonſtratque Onkelos primum ejus authorem non eſſe, cum diu ante illum Chaldæorum ſermo vernaculum haberent Judæi. An argumenta viri docti convincant viderint Lectores. Conſulenda ſunt etiam ad Novum Teſtamentum quod attinet, ea quæ adnotabimus in art. 2. de Opere Lucæ Brugenſis in Paraphraſim Chaldaicam.

BIBLIA ORIENTALIA.

Sub unius tituli hujus inſcriptione complectimur Biblia omnia Syriaca, Samaritana, Arabica, Æthiopica, Perſica, Turcica, Armenica, Ægyptiaca. Varias illarum editiones jam dedimus cum forma voluminis, adſcriptione anni, ſicut & nomine curantium Editionem. Nihil hiſce addendum ſuccurrit.]

BIBLIA SYRIACA.

Cum de Bibliis Syriacis in Dictionario v. *Biblia* ſermonem habuerimus; hic tantum omiſſa quædam ſupplenda remanent. Biblia Syriaca in Polyglottis le Jay 1645. cum Latina Gabrielis Sionitæ Verſione primo prodierunt. Abraham Echellenſis Maro., & Joannes Heſronita quinque libros Salomoni adſcriptos Latine reddidere. Integra Editio deeſt; deſiderantur enim libri Tobiæ, Judith, Eſther, Epiſtolæ Jeremiæ, & Baruch, cum fragmentis Danielis, ac ſecundo Machabæorum. Totum Novum Teſtamentum Latino idiomate Fabricius Boderianus explicavit.

In Polyglottis Londinenſibus Syriaca Verſio ex Bibliis le Jay recuſa fuit; additi præterea libri Eſther, Judith, Tobiæ, Epiſtolæ Jeremiæ, Baruch, hiſtoria Suſannæ, Cantici trium Hebræorum pars, ſecundus, ac tertius Machabæorum. Valtonius ſe hunc Textum pluribus in locis priſtinæ integritati reſtituiſſe, atque a mendis vindicaſſe teſtatur; at Simonius eaſdem omnino in Anglicana mendas, quas in Pariſienſi, deprehendit.

Pſalmi Davidis cum Canticis Veteris, & Novi Teſtamenti, Syriace, & Arabice.

Liber excuſus in Monte Libano in Monaſterio S. Antonii, & S. Joannis Evangeliſtæ per Joſephum filium Amme, an. 1610.

Pſalmi Syriace ſine punctis, editi a Thoma Erpenio cum verſione Latina in 4. Lugd. Batav. 1625.

Pſalmi Davidis Syriace cum punctis, & verſione Latina Gabrielis Sionitæ in 4. Pariſ. 1625.

Novum Teſtamentum Syriace cum punctis a Vidmanſtadio. Duo Volumina *in 4. Viennæ Auſtriæ* 1555. . . . . . 1562. Editio hæc N. T. prima, & omnium, quæ Syriaco idiomate fuerint concinnatæ, præſtantiſſima. Secunda Epiſtola S. Petri; ſecunda, ac tertia S. Joannis; S. Judæ, & Apocalypſis deſiderantur. Quamvis enim in Canone Syrorum Libri illi contineantur, in Exemplaribus tamen, quibus Editores uſi ſunt, deſuere.

Novum Teſtamentum Syriace characteribus Hebraicis ſine punctis in 24. Antuerpiæ Plantin. 1575.

Novum Teſtamentum charactere Syriaco, cum Verſione Latina Tremellii in 4. Athenis Anhaltinorum 1624. In his omnibus Editionibus quatuor epiſtolæ Canonicæ, a nobis ſupra memoratæ, & Apocalypſis deſunt; at poſt Editionem Polyglottorum Pariſienſium integrum cum Verſione Boderiana Novum Teſtamentum paſſim exhibetur. De editionibus Syriacis ſingulorum Scripturæ Librorum, ſeorſim conſule P. le Long in Bibliotheca Sacra.

Digitized by Google

BIBLIA SAMARITANA.

PAulo ſuperius Pentateuchi Samaritani mentionem fecimus, Operis antiquis exarati characteribus, iiſdem plane, qui apud Judæos ante Babylonis captivitatem obtinebant; cum vero Samaritani longo uſu Hebraicæ linguæ deſueviſſent, ejus translationem in ſuam linguam, ex Syriaco, Chaldaico, & Hebraico reſultantem, elaborarunt. Verſio hæc in Polyglottis Pariſienſibus cum Latina interpretatione P. Morini impreſſa an. 1645. in Anglicanis an. 1657. recuſa fuit.

Præter hanc Verſionem Samaritanam, una etiam Arabica, & altera Græca circumferuntur. Vide Valtonium Proleg. 11. §. 20. P. Morinum, P. le Long in Bibliotheca Sacra.

BIBLIA ARABICA.

DE Bibliis Arabicis plura nos in Dictionario v. *Biblia*. Editio Arabica in Polyglottis le Jay Libros omnes Veteris, & Novi Teſtamenti, excepto primo Machabæorum, complectitur: Pentateuchus opus eſt Rabbini Saadiæ Gaonis, celebris Judæi, qui ex Hebræo Verſionem concinnavit; hanc Joannes Heſronita Latinam reddidit. Cæteri Scripturæ Libri ex Græco in Arabicum tranſlati ſunt; & Latinam Verſionem in Polyglottis Gabriel Sionita adornavit.

Valtonius eamdem Arabicam Verſionem typis iterum demandavit, eamque ſe variis in locis caſtigaſſe teſtatur.

Biblia Arabica Romæ edita juſſu Urbani VIII. Vetus Teſtamentum abſolutum eſt an. 1649. Novum an 1650. At quia Editio hæc Vulgatæ ex æquo non reſpondebat, Congregatio de *Propaganda Fide* corrigendam curavit. Opus prodiit an. 1661. *Vide Diarium Eruditorum Ital. Romæ edit. 29. Januar. 1672. ab Abbate Nazario.*

Novum Teſtamentum Arabice cura Thomæ Herpenii in 4. Leidæ e Typogr. Herpeniana 1616.

Evangelia Arabice abſque punctis, at cum figuris in fol. Romæ, a Typogr. Medicea 1591. item 1619.

BIBLIA ÆTHIOPICA.

INtegra Biblia idiomate, & charactere Æthiopico expreſſa, nulla extant. Theodorus Petræus quatuor priora Geneſis capita in 4. Leidæ typis demandavit an. 1660. Georgius Chriſtianus Burklin ea in 4. cum Verſione Latina Francofurti in lucem emiſit an. 1696. in Germania etiam annis 1702. & 1707 prodiere.

Liber Ruth Leidæ, curante Georgio Hiſſelio in 4. evulgatus eſt an. 1660. Pſalmi pluries editi, ſtudio Joannis Potkan in 4. Romæ 1513. ſolertia Ludolph, Francofurti in 4. an. 1701. & in Polyglottis Pariſienſibus, & Anglicanis. Canticum etiam Canticorum, Prophetæ Joel, Sophonias, & Malachias variis in locis Æthiopice ſeorſim impreſſi exhibentur.

Novum Teſtamentum Æthiopice, Romæ in 4. 1548. Epiſtolæ 13. D. Pauli Æthiopice an. 1549. Romæ. Editionem hanc plurimis ſcatentem mendis, Valtonius in ſua Editione Anglicana ſequutus eſt. Pſalterium Æthiopicum ex Editionibus Romanis, ac Colonienſibus; Canticum Canticorum cum Novo Teſtamento ex Editione Romana; ac tandem Latinam Dudleſi Loftuſii Verſionem ab Edmundo Caſtello deſumpſit. Ludolphus Editionem hanc mendoſiſſimam arguens, ab Anglis fœdius corruptam prodit. Porro, eodem teſte, Æthiopes, qui Romanam curabant Editionem, Exemplar tantum imperfectum, ac mutilum habebant.

Epiſtola Jacobi, tres Joannis, & Judæ Æthiopice, & Arabice cum punctis vocalibus, & Verſione Latina Petræi in 4. Leidæ Elzevir. 1654. Librum hunc D. Ludolphus ingentibus mendis corruptum accuſat.

BIBLIA PERSICA.

P*Entateuchi Verſio ex charactere Hebræo, interprete Jacobo filio Joſeph Tavvus Judæo, Conſtantinopoli 1536.* Biblia hæc cum Hebraico, Chaldaico, atque Arabico textu impreſſa ſunt; Hebraicus medium tenet; Paraphraſis Onkeli ad ſiniſtrum latus, ad dextrum Perſica Verſio; in ſuperiori vero pagina Arabica. Eadem hæc Verſio in Polyglottis Anglicanis cum interpretatione Latina Thomæ Hyde recuſa fuit.

Evangelia Perſice ex interpretatione Simonis filii Joſeph Tavrizienſ. juxta codic. Pocokianum, cum Verſione Latina Samuelis Clerici. In Polyglottis Anglicanis reperitur, & ex Syriaco elucubrata eſt, ab Editione tamen Whelocl diſcrepat.

Evangeliorum Verſio Perſica cum Verſione Latina Abrahami Wheloci 1652. . . . . 1657. Abbas Renaodot Verſionem hanc ex Syriaco, non ex Græco, uti aſſerunt Editores, elucubratam defendit.

BIBLIA TURCICA.

BIblia integra hac lingua edita nulla ſuppetunt. Novum dumtaxat Teſtamentum Londini extat impreſſum in 4. 1666. ex Verſ. Guillelmi Seaman.

Albertus Bobavius Polonus, qui Chriſti fide ejurata, & Ali Beigh nomine ſibi indito, Mahometicam indoerat ſuperſtitionem, Biblia, rogatu Lævini Varneri, Turcice reddidit, atque Lugduni Batavorum imprimenda tranſmiſit; adhuc tamen inedita in publica Urbis hujus Bibliotheca ſervantur.

BIBLIA ARMENA.

B*iblia Armena impreſſa Amſtelodami in 4. an. 1666.* Verſio hæc Armena e Septuaginta deſumpta, perelegans, ac ſolerti ſtudio elaborata eſt, cui adjectæ figuræ Hiſtoriam Sanctam exprimentes. Quamvis tamen juſſu Jacobi Proto-Patriarchæ Armenorum concinnata fuerit, ingratiis tamen illis populis exceptam fuiſſe tradunt.

Biblia Armenica ſtudio Theodori Petræi in fol. Amſtelodami 1670.

Biblia Armenica Conſtantinopoli in 4. erant ſub prælo an. 1707.

Pſalmi Armenice in octavo Romæ 1565. Venetiis 1642. Amſtelodami 1661. in 4. ibidem 1666. in 24. &c.

Novum Teſtamentum Armenice in octavo Amſtel. 1668.

Ibidem nitidioribus Typis in octavo an. 1696.

BIBLIA COPTHICA, SEU ÆGYTIACA.

PLura exemplaria Mſſ. Bibliorum Cophiticorum in Bibliothecis aſſervantur, nulla tamen prælo commiſſa. Vide Bibliothecam Patris le Long.

BIBLIA GRÆCA.

VEtuſtiſſima, quæ circumferatur Scripturæ Verſio, Septuaginta Interpretum nomine innoteſcit, quæ in Ægypto confecta traditur, imperante Ptolomæo Philadelpho. (*Regnum inivit Philadelphus A. M. 3720. ante Chr. 280. ante Ær. 284.*) Nonnulli alteram Scripturæ Hebraicæ translationem, Verſione Septuaginta vetuſtiorem extitiſſe ſentiunt; nulla tamen ratione ſententiam ſuam adhuc Eruditis probarunt. Nos abunde ſatis de Septuaginta Interpretibus ſuo loco in Dictionario diſſeruimus, quæ iterum referre non vacat. Catalogum dumtaxat præcipuarum Græcarum Editionum tum Veteris tum Novi Teſtamenti, hic recenſere ſatis erit.

Biblia Græca cum Verſione Latina ad verbum Compluti an. 1517. Hæc in Polyglottis Cardinalis Ximenii extant. Editionem hanc genuinam, ac ſinceram Septuaginta Verſionem redolere Eruditi fatentur; qui vero Polyglottis Complutenſibus operam navarunt, Græcum textum, ut cum Volgata, ſeu cum Hebraico congrueret, emendarunt, abſque eo quod de Verſione Septuaginta lectanda curarent. Hæc ideo Editio minori æſtimatur.

Biblia Græca cura Andreæ Aſulani in ædibus Aldi, & Andreæ Aſulani Soceri in fol. Venetiis an. 1518. Editio hæc ante Complutenſem prodiit, licet altero poſt illam anno fuerit abſoluta; Græca enim Complutenſis anno tantum 1522. in lucem prodiit, quamquam ab anno 1517. peracta. Plures mendæ in Aldina impreſſione deprehenduntur; ea tamen propius ad Septuaginta textum, quam Editio

Digitized by Google

Editio Complutenſe accedit. Eruditi tamen in illa nonnulla ex Theodotione, ac ex antiquis Græcis Interpretibus deducta deprehenderunt. Recuſa fuit an. 1526. 1545. 1550. 1596. 1597. 1599. & 1687.

Biblia Græca minimo charactere juxta Venetam Aldi Editionem 4. Vol. in octavo Argentorati Volphius Cephaleus N. Teſtamentum an. 1524. Vet. Teſt. 1526. cum Præf. Joan. Lonicerl Lutherani.

Biblia Græca juxta Editionem Venetam in fol. Baſilea Joan. Hervag. 1545. cum Præf. Philipp. Melanchthonis. Hæc editio ſub Editionis Baſileenſis nomine circumfertur, eademque omnino eſt ac Aldi.

Biblia Græca Veteris Teſt. Græce ex Edit. Ald. & Latine ex Edit. Complutenſ 4. vol. in octavo Baſilea Nicolai Brylinger 1550.

Biblia Græca, & Latina 5. vol. in 8. Baſil. Brylinger. 1582. Eadem, ac prior, titulo tantum mutato.

Biblia Græca Veteris Teſtamenti authoritate Sixti V. Pontif. Max. & opera Antonii Card. Caraffæ, cum Præfatione Latina Petri Morini in fol. Romæ Typog. Franc. Zanetti an. 1587. Editio hæc omnium, quæ hactenus extiterint, præſtantiſſima, puriſſima, atque emendatiſſima cenſetur. Nonnulli tamen Eruditi, uti P. Mariana, P. Morinus, aliqua in eam ex Veteribus Græcis Interpretibus irrepſiſſe opinantur.

In Polyglottis Anglicanis recuſa fuit an. 1657. ſicut & Pariſiis P. Morini ſolertia, cum Latina Verſione in 2. Vol. folio 1628. Londini etiam cum Scholiis, & Variantibus 1653. in 4. Editio hæc ſatis accurata eſt. Cantabrigiæ 3. Vol. in 12. opera Joannis Field an. 1665. iterum prodiit, quæ tamen Editio minimi æſtimatur. Amſtelodami etiam in 8. apud Viduam Sameron. Editio hæc mendoſiſſima; Lipſiæ tandem an. 1697. 2. Vol. curantibus Jacobo Claterio, & Thoma Klumpſio.

Biblia Græca Veteris, & Novi Teſtamenti; Veteris quidem juxta Editionem Baſileenſem, ſeu Aldinam; Novi vero juxta Editionem Roberti Steph. an. 1580. in fol. Francofurti ad Mœnum apud Andreæ Vechel heredes 1597.

Biblia Græca Veteris Teſtamenti ex antiquiſſimo Codice Manuſcripto Alexandrino, cura Joan. Grabe cum Præfatione Joannis Pearſon in fol. & in 8. Oxonii e Theatro Sheldoniano 1707. Bibliorum Editio e Manuſcripto Alexandrino diu Eruditorum vota fatigaverat; & Valton antea variantes in Polyglottis Londinenſibus ediderat an. 1657.

Biblia Græca cum variantibus Lectionibus ex recenſione Lamberti Boz. in 4. Amſtelod. Halma 1708. Editio perelegans, ac uſui percommoda.

Novum Teſtamentum Græce ſine ſpiritibus, & accentibus, ut ipſum authographum melius referat in Polyglottis Complutenſibus an. 1514. editum, ſed publicatum duntaxat poſt an. 1522. Hæc prima eſt editio Græca, quæ in lucem prodierit, pluries typis deinde evulgata. Ex Vaticani codice Mſc. deſumpta, editione Septuaginta in Bibliis eaculа Complutenſibus correctior eſt, & melioris notæ.

Novum Teſtamentum Græce, & Latine ab Eraſmo Roterod. recognitum, & Leoni X. nuncupatum in fol. Baſilea apud Froben. 1516. Joannes Oecolampadius, & Sigiſmundus Gelenius impreſſionem accurarunt. Editio magnis obtrectationibus adverſariorum Eraſmi oppugnata; ſuo tamen merito egregie vindicata eſt. Emendatiorem, plurimiſque annotationibus illuſtratam typis iterum Eraſmus demandavit Baſileæ in fol. apud Froben. 1519. Leo X. hanc Editionem probavit, & præſtantiſſimorum Criticorum judicio primora Eraſmo Interpretum ſubſellia debentur. Hoc opus pluribus formis, variis in locis, interdum cum annotationibus, & crebrius ſine illis impreſſum fuit.

Novum Teſtamentum Græcum ex Edit. Aldi, & Aſulani Venetiis 1518. Hæc Editio Veteri Teſtamento jungitur eodem anno, eodemque in loco excuſo.

Novum Teſtamentum Græce cum Præfatione Nicolai Gerbelii in 4. Hagenoæ 1521. Ad Editiones Eraſminas, & Aldinas expreſſa eſt.

Novum Teſtamentum Græce in 8. Argentorati 1524. cura Fabritii Capitonis. Editio ad formam Haganoenſis 1521. elaborata.

Novum Teſtamentum Græcum a Ceporino (id eſt Pelicano) caſtigatum in 8. Baſilea, Bebelii 1524. Editio hæc recuſa 1531. 1538. 1540. ad normam tertiæ Eraſmi 1522. elucubrata eſt.

Novum Teſtamentum Gr. & Lat. abſque diſtinctione capitum in fol. Baſilea typis Joan. Froben. 1527. Editio hæc ingenti cura concinnata, cum Variis Mſſ. collata, & ab omnibus mendis ſedulo vindicata.

Novum Teſtamentum Gr. cum exhortatione Oecolampadii in 8. Baſil. Bebelii 1538. Item in 8. Baſilea Platerii 1558. & 1540.

Novum Teſtamentum Gr. in 8. Pariſiis Simonis Colinæi 1534. Editionis hujus Author ex optimis Editionibus, quas ob oculos habebat, probatam ſuo judicio lectionem ſequutus eſt, teſte Millio.

Novum Teſtamentum Gr. in 8. Baſilea Froben. & Epiſcopii 1545. Editio hæc e tertia Eraſmi deducta, ac nitida eſt, & magnifica.

Novum Teſtamentum Gr. in 16. Pariſ. typis Roberti Steph. 1546. Editio inter optimas merito accenſenda, in qua undecim tantum ſphalmata occurrere ferunt. Præfatione etiam, quæ incipit: *O mirificam*, commendatur. Nova ejus Editio 1549. priori fere ex æquo reſpondet. Millius, qui has duas Editiones contulit, poſtremam undecim mendis primam ſuperare, ac in 67. locis ab ea diſcedere animadvertit. Adnotat etiam in Præfatione p. 1. lin. 2. ante finem pro *plures*, *pulres* exhibere.

Novum Teſt. Græc. ex Biblioт. Reg. in fol. Pariſ. Rob. Steph. 1550. Omnium Editionum Græcarum N. T per Robertum Stephanum, Editio præſtantiſſima eſt. Variantia e ſex Exemplaribus in margine adjecta. Millius opus hoc ad trutinam exacte expendit, ut fuſius legentibus Prolegomena Editionis N. T. ejus Authoris innoteſcet. Editio Roberti Stephani an. 1550. pluries non eodem ſemper eventu recuſa.

Novum Teſtamentum cum duplici Interpretatione, Eraſmi ſcilicet, & Veteris Interpretis 2. vol. in 8. ex officina Rob. Steph. 1541. Editio Genevæ confecta, non an. 1541. ut præſefert impreſſio, ſed an. 1551. dum celebris hic Impreſſor eo confugerat. Eadem omnino eſt ac Editio an. 1550. in eo tamen ab illa diſtinguitur, quod verſibus numeralis nota adſcribitur. Cum Robertus Pariſiis Lugdunum adequitaret, aut Henricus Stephanus ejus filius, novum hoc numerorum inventum excogitans, periculum ejus rei facere in hac Editione voluit. Uſu deinde utilitatem inventi probante, poſterioribus fere omnibus Editionibus numeri acceſſerunt.

Novum Teſt. Gr. cum variis Lect. in 32. Pariſ. Jo. Criſpini 1553. Editio ad fidem ſextus Roberti Stephani elucubrata, ſatis concinna eſt, & perelegantі excuſa charactere.

Nov. Teſt. Gr. a Theodoro Beza Latine verſum cum ejuſdem annotationibus, & Præfatione in fol. Baſil. 1559. Editio variis in locis pluries recuſa. Cantabrigenſis an. 1642. cum Commentario Cameratii omnium optima.

Nov. Teſt. Gr. in 24. Antuerpiæ Chriſtoph. Plantin. 1564. Aliæ etiam plures extant Editiones Plantinianæ 1572. 1573. 1574. 1583. 1584.

Novum Teſt. Gr. cum argumentis capitum & variis Lectionibus in 16. Jo. Criſpini, 1564 & 1565. Editio elegantiſſima, & caſtigatiſſima.

Novum Teſt. Gr. cum interpretatione duplici Latina, una veteri, altera Theodori Bezæ in fol. typis Henrici Stephani, 1565. Inſignis eſt Editio ob ingentem Exemplarium copiam, quæ Stephanus conſuluit, ex quibus variantes adjecit. Vide Prolegomena Millii.

Novum Teſt. Gr. 2. vol. in 16. ex Officina Rob. Stephani, Roberti filii an. 1568. Editio ſatis caſtigata, cui ab Impreſſore plures Variantes ex veteribus Exemplaribus in ore inferiori adjectæ.

Novum Teſt. Gr. 2. vol. in 16. Henrici Steph. 1576. Editio eleganti Præfatione exornata, Latinis Capitum argumentis, & quorumdam ambiguorum verborum elucidatione in margine appoſita.

Novum Teſt. Gr. & Lat. ex recognitione Benedicti Ariæ Montani 1585. in fol. in Burgo. Aragonenſi in Hiſpania. Rara eſt Editio; Hebraicis Ariæ Montani Bibliis adjungitur; ſed optima Novi Teſtamenti Græci, ac Latini Editio ab hoc Authore confecta, Antuerpienſis reputatur, *in fol.* apud Plantin. 1684.

No-

Novum Teſt. Græc. Lat. ex verſione Sebaſtiani Caſtalionis in 8. Franc. 1583. *Item* 1584. & 1591. Caſtalionem, ſeu *Chatillon* ſe Latini ſermonis peritiſſimum reputaſſe, germanamque in ſuis Scripturæ Verſionibus Latinitatem affectaſſe conſtat.

Novum Teſt. Gr. ſub Ariſtarchi lima revocatum, additis notis marginalibus 8. *Baſileæ Bryllinger* 1586. Novum hoc Teſtamentum, quemadmodum & alterum ab Henrico Stephano impreſſum in 16. 1587. & Genevæ eodem anno ab Euſtathio Vignon, unius ejuſdemque Iſaaci Caſauboni ſolertia prodiiſſe feruntur. Adnotationibus, Variantibus, & Concordantiis auctum eſt opus, Genevæ 1615. & Pariſiis apud Paulum Stephanum 1617. recuſum.

Novum Teſtam. Gr. cum obſervationibus, & notis Oligerii ſive Gunnari Roſenkrantii, & aliorum 2. Vol. in 8. Commelin. 1602.

Novum Teſt. Gr. cum notis Joſephi Scaligeri in 4. Genevæ Petri de la Rouviere 1619.

Novum. Teſt. Gr. cum notis Stephani Caſauboni, & Scaligeri in 8. Londini 1622. Editio mendoſiſſima. Editiones 1633. & 1641. publici juris factæ, priori non præſtant; quæ vero 1633. prodiit, cæteris præferenda.

Novum Teſt. Gr. ex Regiis Philippi II. & aliis optimis Editionibus ſumma cura impreſſum in 16. Lugd. Batav. Elzevir. 1624. Elegantiſſima Editio, ſicut etiam pleræque Elzevirianæ; ad normam tertiæ Editionis Roberti Stephani 1550. adornata. Millius duodecim tantum locis ab Editione Roberti diſcedere animadvertit; verſus numerali nota non diſtinguuntur: nova etiam Teſtamenta ab Elzeviriis prodiere an. 1633. 1642. 1656. 1658. 1662. 1675. 1678. Nitidiſſimæ omnes Editiones, at mendoſæ. Quæ 1633. in lucem prodiit, omnibus præſtat, verſuſque in ea numerali nota deſignantur.

Novum Teſt. Gr. in 32. Sedani Joan. Jannoni 1628. Editio mira dumtaxat exiguitate, ac nitore characteris commendabilis.

Novum Teſt. Gr. in 24. Amſtelod. typis Gulielmi Blaeu. Minutiſſimi, ac prænitidi characteris Editio, ſed mendoſa.

Novum Teſt. idiomate Græco vulgari, ſeu literali ex Verſione Maximi Gallipolitani, & altera Cyrilli Lucaris in 4. Genevæ 1638. Verſio hæc in Græcum vernaculum ſumptibus, ac juſſu Generalium Ordinum fœderati Belgii in Recentiorum Græcorum gratiam prodiit. Ingratiſſa tamen populis illis excepta eſt, qui Novum Teſtamentum primæva Originali lingua ita legunt, ut Interprete non egeant. Vide Langium in Diſſert. de hac Editione.

Novum Teſt. Gr. cum variis Lectionibus ad calcem in fol. Pariſ. ex Typographia Regia 1642. Elegantiſſima eſt, & magnificentiſſima, ſed caſtigatior deſideraretur.

Novum Teſt. Gr. ex antiquiſſima Mſſ. opera Joa. Baccleri in 12. Argentorati 1645. iterumque 1660.

In Polyglottis Anglicanis impreſſis 1657. Novum Teſtamentum Græcum editum fuit ad formam elegantis Editionis Roberti Stephani 1550. & in Polyglottis Pariſienſibus Græcus Textus ex Editione Complutenſi adhibitus.

Nov. Teſt. Gr. cum Verſione Latina Vulgata, & Gallica in 8. Montibus 1673. Editio hæc in tribus columnis diſtributa, Rotomagi, non Montibus, uti Editio præſefert, excuſa fuit. Commoditate, & elegantia commendatur.

Novum Teſt. Græce cum locis parallelis, & variantibus 1697. & 1702. Textus accuratus, & caſtigatus; at Lectiones variantes, quæ paginæ ſubjiciuntur, nimis implicatæ ſunt, nec brevi extricantur. Mendoſæ etiam plurime deprehenduntur, quod illas conſultis originalibus Textibus Editorea emendare nequiverint.

Novum Teſt. Gr. & Germanice ſtudio Joan. Leuſden. in 12. Lunæburgi 1693. Idem Leuſden aliud Græcum, ac Latinum curavit Amſtelodami in 12. 1698. apud Veſtein. Græcum etiam abſque Latino, & abſque literarum compendiis Amſtelodami 1698. Græcum pariter, ac Belgicum in 12. Amſtelod. 1698.

Novum Teſt. Græce cum ſcholiis Græcis e Græcis Scriptoribus, & Variantibus Lectionibus, opera Joan. Gregorii Archidiaconi Gloceſtrienſ. in fol. Londini 1703. Cum author nondum abſoluto opere occubuiſſet, Henricus Aldrich, & Grabe extremam manum admoverunt.

Novum Teſt. Græc. cum Variantib. Lect. ſtudio Joan. Georgii Trilli cum ejus Prolegomenis, in 24. Lipſiæ 1703. Eodem anno, eodemque in loco aliud etiam in 12. ejuſdem authoris opera prodiit.

Nov. Teſt. Gr. cum variantib. Lect. locis parallelis, Prolegomenis &c. ſtudio, & labore Joannis Millii in fol. Oxonii e Theatro Sheldoniano 1707. Editio hæc Novi Teſtamenti omnium abſolutiſſima. Millius, poſt triginta annorum ſpatio opus, cum adhuc prælo inbeſſet, diem clauſit. Textus ex Editione Roberti Stephani 1550. derivatus eſt. Ludolfus Kuſter eam Roterodami in fol. apud Gaſparem Fritſch typis iterum demandavit; & Michael Bohen nonnullis Additionibus locupletatam, ad meliorem formam redegit. Ejus Editio elegantiſſima, & caſtigatiſſima eſt: minori pecunia quam Oxonienſis proſtat.

Novum Teſt. Gr. Editio Nova ex Regiis aliiſque optimis Editionibus cum poſtrema diligentiſſime collatis expreſſa. Editio duobus voluminibus in 12. diſtincta Pariſiis apud P. F. Emericum 1714.

[Qui plenius inſtrui optaverint de Verſione Græca Septuaginta, hiſtoriam noſſe, an vera illa vel ficta, quid de tota ea re judicandum ſit, adeat Valtonium in Proleg. 9. num. 1. 19. Hexapla Origenis D. Montfaucon tom. 1. c. 3. Voſſium de LXX. Interpp. le Clerc in ſua Bibliotheca ſelecta (*Bibliotheque choiſie*) t. 8. p. 345. 370. Hiſtoriam Eccleſiaſtic. P. Alexandri ſæcul. 2. t. 3. Diſſert. 11. p. 455. ſuſ. D. Valeſium in calce Hiſt. Eccleſ. Euſeb. Colomeſium in ſua Bibliotheca ſelecta (*Bibliotheque choiſie Colomies*) p. 447. 585. Fabricium in Biblioth. Græca l. 3. p. 317. P. Simon. in Hiſt. Critic. V. T. l. 2. c. 3. cæteroſque qui hiſtoriam hanc ſeu vindicant, ſeu accuſant, quorum Catalogum texuit P. le Long in Indice Rerum Bibliothecæ Sacr. p. 1037. col. 1. fol. tandem Diſſertationem noſtram in Collect. tom. 1. par. 3. p. 74. edit. Gallicæ, & tom. 2. p. 381. edit. Lat.

Quodcumque tandem feratur judicium de ſinceritate, vel ſuppoſitione hujus hiſtoriæ, æque tamen ab omnibus ſtatuendum eſt, Verſionem hanc Græcam, appellatam Septuaginta, obſequio eſſe digniſſimam, quippe quæ commendatur cum vetuſtate ſua, cum etiam approbatione Jeſu Chriſti, & Apoſtolorum, quibus illa uti, amotis aliis, ne Hebraico Textu quidem excepto, viſum eſt. Aſſerendum ſibi duxit Valtonius ſpeciali Numinis providentia factum eſſe, ut Scripturæ Sacræ Græcis traderentur, diu ante adventum Jeſu Chriſti in Mundum; cum enim longe lateque per Orbem Græcorum ſermo diffuſus eſſet, e Græca iſta Verſione diſſipanda erat caligo erroris, quo exoriens ſol juſtitiæ lucem omnibus affunderet. Vindiciis hujus Verſionis digeſtis a Joanne Pearſon, vulgatiſque Helmſtadii anno 1694. in 4. nihil addi poſſe arbitror.

Nonniſi per errorem affirmavit Uſſerius primam Græcorum Bibliorum editionem vulgaſſe Aldum; obiit enim Aldus anno 1516. abſolutaque editio eſt anno 1518. Quare abjudicanda non eſt ab Aſulano, qui & breviore Latina Præfatione inſtruxit; ſicut & Præfatio eſt alia Græca præfixa ſingulis Epiſtolis S. Pauli, & Canonicis, exponens epiſtolæ illius argumentum. Nota eſt tamen ſub Aldi Senioris nomine, quod prodiit ex ejus typographia, ubi typographum exercebat Aſulanus, & facile etiam manum ſuam Operi admovit idem Aldus, ac fuit moliendi primus author. In Græcis enim ille excellebat, & ante illum pauci; vacuum enim intervallum impreſſæ pagellæ tunc offerebant, quo loco Græcum aliquod, cujus ſuſi characteres erant adhuc nulli, reponendum fuerat. Irrepſit autem nobis in hoc Articulo noſtræ Bibliothecæ Sacræ, ut Auſulanum pro Aſulano ſcriberemus. In calce tamen voluminis utrumque nomen Aldi, & Aſulani legitur.

Totum editionis hujus meritum televat multis Valtonius in ſuo Prologomeno 9. n. 29. Maſius Præfat. in Joſue, & Acta Lipſenſia anni 1698. p. 75.

In ſecunda editione Baſileæ per Hervagium, quamquam ad Venetam expreſſa eſt, adhuc tamen alia eſt diſtributio capitum, & verſiculorum, uti animadvertit Valtonius. In alia Veckelii inferiorem pagellarum oram variantium ſylva occupat, ex quibus pretium Operi non exiguum ſient & eodem nomine commendatur alia pariter Zanetti. Vide Fabricium Bibliothec. Græc. lib. 3. p. 326.

Quo

Quo judicium feratur æquum editionis juſſu Sixti V. adornatæ, legendæ ſunt Præfationes. P. Morinus in Exercitationibus Biblicis l. 1. exercit. 9. c. 7. num. 8. 12. P. le Long in Biblioth. S. art. de Bibl. Græc. Simonius in Hiſt. Critic. V. T. l. 2. c. 5. qui & Biblia illa defendit adverſus Voſſium, ſubditque rationem Opus reformandi, quod ſe præſtiturum ſpoponderat Voſſius; ſed fidem non liberavit.

Quo ingens illud Opus omnibus abſolveretur numeris, admovendi erant viri doctiſſimi. Hos referebant Cardinales Sirletus, & Carafa, Latinus Latinius, Marianus Victorius, vel Victorinus, Paulinus Dominicanus, Agellius ſub Pio V. Lelius, Torrianus, Ciaconius, Maldonatus, Petrus Morinus, Comitolus, Urſinus, Liaiſnejus, Valverda, Bellarminus ſub Gregorio XIII. Joannes Morinus, & Flamminius Nobilius ſub Sixto V. cujus nomine pleramque editio innotuit, quod ſub illo extrema manus Operi admota eſt.

Tandem ſeculo hoc noſtro ineunte Lambertus Bos, & Erneſtus Grabe impleruntideam Operis, quam ſubdiderant Voſſius, & Colomeſius, ut ſcilicet daretur editio nova Bibliorum Græcorum Sixti V. correcta in multis, & ſecundis curis recenſita. Excidit nobis, cum de editione Bos ageremus, admonuiſſe Lectores Opus illud iterum prodiiſſe Francofurti anno 1709. 2. vol. fol. adeoque multo quam prius auctius.

Editio Grabe *in fol.* æſtimatur maxime; eſt enim vir iſte verſatiſſimus agnitus in Scriptura, lectione PP. in Critica ſaniſſimus, in opinionibus modeſtus. Præfationis loco dedit Diſſertationem eruditiſſimi Pearſon de utilitate Verſionis Septuaginta. Accedunt in quatuor diſtincta capita Prolegomena, quorum primum de Manuſcripto Alexandrino inſtruit Lectores; ſecundo ſubditur editionis methodus; in tertio expendiuntur variæ additiones, & vetera quædam manuſcripta Septuaginta; in quarto tandem ad normam criticæ expenduntur loca quædam Operis. Textus Græcus tantum datur, nulla addita Latina verſione. An poſt hæc Bos accuratius aliquid, & limatius dederit, ignoramus, & judicium ſuſpendimus, donec editionem oculati teſtes inſpexerimus.

COROLLARIUM.

NOVUM TESTAMENTUM GRÆCUM.

EXacte pro viribus adnotavimus varias omnes editiones Novi Teſtamenti Græci; illud monendum ſupereſt, dum ageramus de editione anni 1703. cum ſcholiis Græcis; poſitum eſt *Georgium* pro *Gregorio vel Gregory* Archidiacono Glocestriæ; & *Londini* pro *Oxonii*, qui locus eſt impreſſionis.

Addendum etiam cenſemus aliquid dictis de opere Millii, ut juſtiorem ideam Lectoribus ingeramus. Nihil equidem omiſſum eſt, quod editio omnibus abſolveretur numeris. Editor omnibus adniſus eſt viribus, ut reliquos ante ſe omnes eruditionis exquiſitæ præſtantia ſuperaret; Typographus vero de ſuo adjecit quæcumque ars dabat omnia, cartam eximiam, nitidos characteres, & æri inciſa ornamenta elegantiſſima.

Omnium prima conſtituit Author Prolegomena, in quibus tria ſibi proponit; ut aſſignet certum Scriptorum ſingulorum Librorum N. T. tempus; ut referat ſacri Textus hiſtoriam a primæva illa adusque poſtremam noſtram ætatem; tandem ſeriem totius Operis ſubdit, cui exequendo plane non defuit. Textui Roberti Stephani, impreſſo an. 1550. fol. inhæret. Ad infimam pagellarum oram adnotat non concordantias tantum verſiculorum Scripturæ, ſed etiam quæcumque referuntur ad expoſitiones Patrum, & ſcripta aliqua Authorum Judæorum, uti Joſephi, Philonis. Infra ſuccedunt variantia a ſe collecta. Ex his plane intelligent Lectores nihil in hac editione deſiderari. Quæ poſtremam hanc præceſſerunt, alias diſcutit Fabricius in ſua Bibliotheca Græca l. 4. c. 5. p. 185. 591. & Simonius in ſua hiſtoria Critic. N. T. c. 9.

BIBLIA LATINA.

QUamvis Bibliorum Latinorum numerus in immenſum pene excreverit, eruditum tamen Bibliothecarium nulla negligere par eſt. Curandæ in primis ſunt maxime Editiones ante Conc. Tridentinum, quæ licet mendis plerumque ſcateant, tanquam Manuſcripta tamen haberi merito debent. Illud tamen ſedulo cavendum, nedum variæ Scripturæ Editiones comparantur, eædem obrepant variis locis, & tempore impreſſæ. A Concilio Tridentino uſque ad correctionem Clementis VIII. adhuc tamen in novis Vulgatæ Latinæ Editionibus procurandis liber ſpatiandi campus permiſſus eſt. Sub eodem demum Pontifice Editione Romana 1592. abſoluta, decreto cautum eſt, ut ſola deinceps tanquam Vulgata, & Concilii Tridentini anticipata ſanctione Canonica haberetur. Ad illud deinde Exemplar cæteræ ſuccedentes conformatæ ſunt.

Laudantur Editiones Latinæ annorum 1450. 1458. 1460. ſed cum nullam temporis notam præſeferant, ſuſpectæ, ac ſuppoſititiæ jure meritoque habentur.

Prima & minime ſuſpecta Editio Moguntina eſt an. 1462. per Joannem Fuſt civem ejuſdem Urbis, & Petrum Shoiffer de Gernsheim Clericum ejuſdem Diœceſis; cui Editioni in vigilia Aſſumptionis ſuprema manus impoſita. Rariſſima; ſed Pariſiis novem ejus exemplaria ſuperſunt. In folio membranaceo excuſa ſunt, ſed D. Achilles de Harlay Præſes Senatus Pariſienſis unum ſervabat chartaceum.

Idem Petrus Schoiffer aliam etiam Moguntiæ impreſſit 1472. duobus voluminibus in fol. Alia etiam reperitur Edit. 2. vol. in fol. neque loci, neque impreſſoris nomen præſeferens 1473.

Biblia Latina Auguſtæ Vindelicorum. Joan. Bemler 1466.

Biblia Latina in fol. Reutlingæ Joan. de Averbach 1469.

Biblia Latina cum opuſculo Ariſtæ vita Joan. Andreæ Alerienſis Epiſcopi, Romæ 2. vol. in fol. per Conradum Suvenheim, Arnoldum, & Panarſtum.

Biblia Latina in 4. Placentiæ Joan. Petri de Ferratis Cremon. 1475.

Biblia Latina in fol. Pariſ. 1476. per Ulricum Gering, Martinum Crantz, & Michaelem Friburger.

Biblia latina in fol. Norimber. Antonii Coburger 1475.

Biblia latina in fol. Venetiis. Franciſci de Hailbrun, & Nicolai de Francfort 1476. Item alia 1478.

Biblia charactere Gothico Venetiis opera Nicolai Jenſon Galli 1476. in fol.

Biblia latina in fol. Neapoli per Matthiam Moravum 1476.

Biblia latina 2. Vol. in fol. per Bernard. Richel, Baſileæ 1477.

Biblia Latina cum Canonibus Evangeliſtarumque Concordantiis Menardi Monachi 2. vol. in fol. Norimberg. Antonii Coburger 1478. Quis ſit Menardus iſte Monachus ignoro, at ejus Concordantiæ in Editione Joannis Zeiner Ulmæ, & in altera Antonii Coburger Norimbergæ eodem anno excuſæ occurrunt.

Biblia Latina cum Poſtillis Nicolai de Lyra 9. Vol. in fol. Colon. 1480. Hæ Lyrani Poſtillæ typis crebrius prodiere an. 1481. 1482. 1487. 1489. 1493. 1498. 1520.

Biblia Latina in fol. 1480. ſine loci, impreſſionis, ſive Typographi nota. Charactere eſt eleganti, ac ſolerti accuratione videtur excuſa. Eadem 1483. recuſa.

Biblia Latina cum Gloſſa Ordinaria &c. 6. Vol. in fol. Norimberg. 1403. pluries recuſa 1495. 1490. 1502. 1508. 1524. 1528 1545. 1588. 1589. 1617. 1634. Fruſtraneam tamen impenderemus operam, ſi exactum Catalogum deducandum aſſumeremus Bibliorum omnium impreſſorum uſque ad 1517. ſeu 1522. cum Polyglotta Complutenſia in lucem prodierunt. Qui hanc Editionem curarunt, majorem operam, quam in ſuperioribus Editionibus, ad opus contulerunt. Dein Roberti Stephani Editiones prodiere an. 1528. 1532. 1534. 1540. 1545. 1546. præ cæteris accuratiſſimæ. Theologi Pariſienſes celebris hujus Typographi Editiones ante an. 1547 & 1548. elaboratas ad trutinam exacte revocarunt; eorum tamen cenſura circa adnotationes demtaxat, & ſummaria verſatur, in quibus Cenſores illi carpenda aliqua deprehendiſſe ſibi viſi ſunt. Objectos errores Robertus acri Apologia Gallice, & Latine elucubrata 1552. retudit.

Biblia Latina cum annotationibus, & interpretatione propriorum nominum Hebraicorum in fol. Pariſ. 1532. *ex officina Rob. Stephani.* Editio pluries prælo ſubjecta.

Biblia Latina ejuſdem Rob. Steph. 1540. *in fol.* Editio hæc

Digitized by Google

hæc inter omnes Roberti Stephani tum ob characteris nitorem, tum ob accurationem, annotationes, ac Schemata præſtat.

Biblia Latina Franc. Gryphii in 8. 1541. & in fol. 1550. Elegantiſſima.

Biblia Latina Joan. Benedicti cum ſcholiis ad marginem &c. ex Officina Simonis Colinæi Pariſ. 1541. pluries recuſa 1549. 1552. 1558. 1564. 1565. 1567. 1573.

Biblia Latina Authore Iſidoro Clario Benedictino cum ſcholiis &c. in fol. Venet. 1542. Editio caſtigata, in qua Novum Teſtamentum ad fidem Hebraici Textus, Vetus vero ad fidem Græci expenſa ſunt. Pleræque annotationes ex Sebaſtiano Munſtero tranſcriptæ; idemque de ſe Author ex alienis lucubrationibus non exigua ſe derivaſſe profitetur; Munſterum tamen virum hæreticum ſilentio premit, cujus nomen ingentibus omnium Catholicorum odiis conflagrabat. Biblia Munſteri edita fuerant an. 1535. & 1546. ut nos ſupra notavimus de Bibliis Hebraicis differentes. Prolegus, ac Prolegomena Clarii in *Indice* adſcripta ſunt; Editio an. 1564. expurgata eſt.

Biblia Latina in 8. Pariſ. ex Officina Roberti Stephani 1545. Elegantiſſima Editio, pernitido expreſſa charactere, ac duplici diſtincta columna, quarum una Editionem vulgatam exhibet, altera vero Tigurinam cum notis, quæ Vatabli vulgo dicantur, ac variantibus lectionibus in margine. Robertus Stephanus annotationes iſtas Calviniana tabe inſperſas ſub nomine Vatabli, Pariſiis Regii Hebraicæ linguæ profeſſoris, vulgavit. Vatablus quidem nullas annotationes unquam adornaverat, at Bertinus le Comte ex ejus Diſcipulis, cura ſibi a Roberto Stephano demandata, quidquid ex hujus eruditi Viri prælectionibus excerptum fuerat, colligens, eo quo diximus modo, in lucem emiſit. Vatablus tunc in vivis agens, & Catholicorum partibus addictus, ea de re offenſus, Robertum Stephanum, falſi criminis publice poſtulavit; at ejuſdem Vatabli mors, quæ an. 1547. accidit, hanc litem diremit. Utiliſſime tamen his annotationibus uti poſſumus, Salmaticenſium Doctorum ſolertia expurgatis, duobus vol. in fol. Salmanticæ 1584. & pluries dein recuſis. Cæterum Editio Roberti Stephani crebrius recuſa eſt, anno ſcilicet 1567. 1588. 1605.

Biblia Latina ad vetuſtiſſima Exemplaria recens caſtigata in fol. Lovan. 1547. Joannes Hentenius huic Editioni non parvam operam navavit. Ex Editione Roberti Stephani an. 1540. præſertim expreſſa eſt. Hentenius plures variantes Lectiones in margine annotavit. Hæc, ſub Doctorum Lovanienſium nomine, Biblia, tam crebro prælo commiſſa, celebrantur. Editio an. 1574. optima, & accuratiſſima cenſetur. Franciſcus Lucas Brugenſis, Joannes Molanus, Auguſtinus Hunneus, Cornelius Rainerius Gandanus, & Joannes Harlem in hanc Editionem non leve ſtudium conferentes, plures variantes lectiones addiderunt. Editio Antuerpiæ Plantiniana 1583. cum annotationibus Lucæ Brugenſis magni etiam reputatur.

Biblia Latina cum Scholiis Joan. Benedicti, adjectis Lemmatibus, & Præfatione Renati Benedicti, Pariſ. in fol. Joan. Macæi 1565. & 1566. Editio 1573. a Theologis Pariſienſibus, præſertim vero a Jacobo Fabro, accurata, omnium optima habetur.

Biblia Sacra Vulgatæ Editionis ad Concil. Trident. præſcriptum emendata, & a Sixto V. Pontif. Max. recognita & approbata in fol. Romæ ex Typogr. Apoſt. Vaticana 1590. Hæc celebris rariſſima nec minimo pretio proſtans Editio Sixti V. quam Pontifex eo conſilio emittendam curaverat, ut Latinis omnibus Bibliorum Editionibus pro Archetypo haberetur; at Clemens VIII. iterum correctam iterum evulgavit 1592. & hæc tantum poſtrema Editio ſola hodie authentica cenſetur, & Vulgata, a Concilio Trident. comprobata, & pluries dein in Europa ubique recuſa.

Biblia Latina cum Gloſſis Hugonis Cardinalis 8. Vol. in fol. Venet. apud Seſſas 1603.

Biblia Latina in fol. Antuerpiæ, Jo. Moreti 1603. Ad calcem plures correctiones Lucæ Brugenſis opera congeſtæ, & a Sixti V. Bibliis tranſcriptæ, conſpiciuntur.

Biblia Latina variarum tranſlationum, ſtudio Bonaventuræ Sebaſtiani Fanenſis in 2. vol. in fol. Venet. 1609. Eadem Biblia nonnullis adaucta Verſionibus Antuerpiæ Vol. in fol. iterum prodiere 1616.

Biblia Latina cum Verſione Gallica DD. Lovanienſium in fol. Pariſ. 1615.

Biblia Lat. cum Gloſſa ordinaria Strabi Fuldenſis, Poſtillis Nicolai de Lyra, Additionibus Pauli Burgenſis &c. opera Theologorum Duacenſium 6. vol. in fol. Duaci, Balthaſſar Bellier 1617. Editio Antuerpienſis 1634. omnium optima eſt.

Biblia Sacra cum Schol. Joan. Marianæ, & Notationibus Emanuelis Sa, addito Petri Lanſelii ſupplemento 2. vol. in fol. Antuerp. 1624.

Biblia Sacra cum expoſitionibus Priſcorum Patrum, collectore, & ſcholiaſte Franc. Harao in fol. Antuerp. 1630.

Biblia Latina cum brevi explicatione Stephani Menoch. 2. vol. in fol. Coloniæ Agrip. 1630.

Biblia magna Commentariorum Joan. Gagnæi, Guillelmi Eſtii, Emanuelis Sa, Jo. Menochii, Jacobi Tirini cura Jo. de la Haye 5. vol. in fol. Pariſ. 1643. Collectio iſta magis probatur quam altera ab eodem Patre de la Haye ſub nomine Bibliorum Maximorum edita in 19. Vol. in fol. Pariſiis 1660. Author in ea concinnanda pauciſſima ex ſuo penu protulit, & in opera, quod *Concordancias* appellat, ubi potiſſimum ejus ſcopus, parum ordinis, perſpicuitatis, & accurationis exhibet, ne quid morer Typographicas mendas, quæ in Opus non infrequentes irrepſerunt. In eo Commentaria dumtaxat Nicolai Lyrani, Variantes Lectiones Verſionum Orientalium, ac quarumdam Latinarum nullo delectu, ac judicio adjecit. Prolegomena commoda ſunt, at juſto fuſiora; ut paucis demum me expediam, tota Editio mendis redundat.

Biblia Latina 8. Vol. in fol. Pariſ. e Typograph. Regia 1642. Editio hæc ſpecioſior eſt, quam utilior.

Biblia Latina juſſu Cleri Gallic. denuo edita 8. vol. in 12. Pariſ. Antonii Vitré 1652. pluribus Typographicis mendis ſcatent.

Biblia Latina Notis chronologicis, & hiſtoricis illuſtrata, & ſuſta Chronologia, addita quoque Geographia in fol. Pariſ. Anton. Vitré 1660. P. Claudius Lancelot Editionem iſtam accuravit, Chronologiam ab Uſſerio excerpſit, Geographiam vero e Sanſonio, Biblia hæc elegantiſſima, atque uſui aptiſſima.

Biblia Latina notis Chronologicis & Hiſtoricis illuſtrata in 4. Pariſ. Anton Vitré 1662 Opus e Bibliis 1660 editis expreſſum, & ab eodem P. Lancelot accuratum. Omiſſa D. Sanſonii Geographia, ejus loco altera P. Lubini ſubſtituta eſt. Chronologicæ Editionis in fol. Tabulæ ad compendium contractæ.

Biblia Latina literalibus, & moralibus Commentariis illuſtrata per Antonium de Eſcobar, & Mendoza 9. Vol. Lugduni 1667.

Biblia Latina cum brevi explicatione Gallica Marci de Beralle juxta ſenſum literalem 3. vol. in fol. Gratianopoli 1681.

Biblia Latina cum verſione Gallica Iſaac le Maiſtre de Sacy, & brevibus notis 3. ſeu 4. vol. in fol. Leod. Broncard. 1701. & 1702. Item 16. vol. in 12. Pariſ. Deſprez 1692. 1702.

Biblia Latina cum breviſſimis, & ſelectis annotationibus Joan. Baptiſta Duhamel in fol. Pariſ. Elegantiſſima, & commodiſſima Editio, ſed Typographicis mendis ſcatens.

Biblia Sacra recognita, & emendata ab Andrea Oſiandro Seniore in 4. Norimberg. 1522. Andreas Oſiander ſenior, quem Lutheranum fuiſſe norunt omnes, novam Bibliorum Verſionem non adornavit quidem, ſed antiquam tantum Vulgatam ad Hebraici, & Græci Textus fidem emendavit.

Biblia Latina ad Fontes Hebraici Textus emendata, cum brevi, & perſpicua expoſitione Lucæ Oſiandri 7. Vol. in 4. Tubingæ 1578. 1580. Lucas Oſiander Vulgatam dumtaxat caſtigavit, ut eam Lutheri ſenſibus ac Verſione congrueret. Ejus Verſio, & annotationes pluries recuſæ ſunt 1589. 1593. 1597. 1599. 1600. 1606. 1609. 1615. 1618. 1635.

Biblia Sacra cum obſervationibus Andreæ Oſiandri Lucæ filii in fol. Francofurti, & Tubingæ 1600. Andreas Oſiander junior methodum Lucæ Oſiandri parentis proſequutus eſt. Nova hæc Vulgatæ Caſtigatio potius, quam Verſio, annotationibus a variis ejuſdem ſectæ Lutheranis Doctoribus petitis illuſtratur.

Biblia Vulgatæ Editionis emendata ſtudio Conradi Pellica-

ni,

ei, cum ejus Commentar. 7. vol. in fol. Tiguri 1532. 1538. Iiſdem, quibus duo præcedentes veſtigiis, inſiſtit.

Biblia latina Rob. Steph. in 8. Capitulis, ac verſibus diſtincta. Robertus Stephanus Vetus Teſtamentum hac ratione tunc primo concinnavit. Quoad novum enim Teſtamentum ab an. 1551. Textum Græcum cum duabus Latinis Verſionibus cum Verſuum diſtributione impreſſerat.

Biblia Lat. a Sancte Pagnino Ord. Præd. edita in 4. Lugd. an. 1527. 1528. Editio opus quinque & viginti annorum ſtudio elaborata, in qua nihil omiſſum, ut omnibus numeris redderetur abſoluta. Summorum Pontificum, & omnium Eruditorum, Lutheranorum etiam, aſſenſu probatur. Pluries prælo commiſſa eſt. Arias Montanus imprimendam curavit cum correctionibus ſuis interlinearibus, ſupra Hebraicum Textum in Polyglottis Antuerpienſibus; & licet multi barbaras voces, quibus Pagnini Verſionem fœdavit, vitio Ariæ vertant; ex ejus nihilominus methodo non parvam colligi utilitatem, ex eo manifeſtum eſt, quod variæ Editiones ejus Bibliorum interlinearium poſthac prodierint.

Biblia Hebraica, & Lat. ex Verſione Sebaſt. Munſteri, cum annotationibus &c. 2. Vol. in fol. Baſileæ 1534. 1535. Editio pluries fuit recuſa, ut ſupra innuimus. Eruditorum omnium aſſenſu conſtat, neminem eo præſtantius Hebraici Textus Verſionem concinnaſſe; quamquam in eo carpitur, quod ſtudioſe nimis Rabbinis adhæſerit.

Biblia Sacra ex Sanctis Pagnini tranſlatione recognita, & Scholiis illuſtrata cura Michaelis Villanovani in fol. Lugdun. 1542. Michaelis Villanovani nomine latuiſſe fertur Servetus, ob ſuos in Trinitatem errores notus.

Biblia Sacra ex Hebraic, Græciſque fontibus in Latinum tranſlata per Theologos Tigurinos in fol. Tiguri 1543. Celebris Verſio hæc Tigurina. Leo Judæ totum Vetus Teſtamentum ex Hebraico in Latinum tranſtulit, exceptis octo poſtremis capitibus Ezechielis, 48 ultimis Pſalmis, Daniele, Jobo, Eccleſiaſte, & Cantico Canticorum: quæ omnia Theodorus Bibliander vertit. Libros Græce tantum extantes Latine reddidit Petrus Cholinus; Verſio Novi Teſtamenti ab Eraſmo elaborata eſt. Proteſtantes Verſionem hanc maximi pendunt; Simonius Leonem Judam criminatur, quod interdum paraphraſtem potius ſe, quam Interpretem oſtendarit. Pluries publici juris facta eſt 1544. 1545. 1550. 1564. 1584. 1616. &c.

Biblia Veteris Teſtamenti ex Hebræo, & Novi ex Græco, interprete Sebaſt. Caſtalione cum ejus annotationibus in fol. Baſil. Oporini 1551. Editio Italico expreſſa charactere. Caſtalio in ea tantam Latini ſermonis puritatem affectavit, ut ea de cauſa Catholicorum æque, & Proteſtantium conſtatrum ſuorum invidiam ſubierit; ipſe enim vim Divini Verbi, ut ita dicam, nimia accuratione eliſit, ac Hebraici ſermonis ingenuitatem molli atque moroſa verborum concinnitate corrupit. Hoc de illo Thuanus *Lib. 35. Caſtalio cum puritatem linguarum cognitionem ad Theologicam ſolutiam adjunxiſſe ſe putaret, impuriſſimas manus multorum judicio ad Sacra tractanda attulit, cum a rebus ad tantum opus neceſſariis homo imparatiſſimus, novam Bibliorum interpretationem inſolenti temeritate molitus eſt.* Et Genebrardus in ſua ad Origenis opera Præfatione: *Caſtalionis Verſio eſt affectata, plus habens pompæ, & phaleratum, quam rei, & firmitatis;* pluries attamen edita fuit, 1554. 1556. 1573. 1697. 1699. Editio anni 1573. cæteras ſuperat; atque Eruditos aliquos nacta eſt laudatores.

Biblia Lat. ex Verſione Emman. Tremellii, & Franc. Junii in fol. Francf. ad Mœnum Andreæ Wechel. Prima pars impreſſa fuit an. 1575. ſecunda 1576. tertia, & quarta 1579. & eodem anno Novum Teſtamentum ex Verſione Junii. Editio hæc pluries typis evulgata; Proteſtantes, præſertim Anglicani, & Genevenſes illam plurimi duxerunt. Ex eo tamen a Criticis quibuſdam reprehenditur, quod aliquando paraphraſim potius quam Verſionem referat. Severa illam cenſura Jo. Druſius exagitavit. Junii annotationes magno in pretio habentur.

Biblia Lat. ex Verſione Joan. Piſcatoris in 8. Herborn. Naſſover. ab an. 1601. ad an. 1618. Piſcator ſatis erudita Commentaria in totum Vetus Teſtamentum elucubravit; ex Hebræo in Latinum tamen ſolum Jobum, Pſalmos, Eccleſiaſtem, & quatuor majores Prophetas convertit. In Veteri etiam Teſtamento Editione Junio-Tremelliana, at in Novo Bezana utitur.

Biblia Lat. ex Hebræo de verbo ad verbum, interprete Thoma Malvenda Ord. Præd. cum ejus Comment. 5. Vol. in fol. Lugd. 1650. Author hic ſua Biblia, & Commentaria ad Ezechielem uſque molitus eſt. Commentaria magni reputata, literali ſenſui inhærent; at rara ſunt, hæc enim Editio tota fere Lugduni igne periit. Ejus methodus vertendi de verbo ad verbum ac prorſus ſuperſtitioſe Hebraicum Textum, plurimis in locis ad voces barbaras, obſoletas, & ad libitum excogitatas Authorem adegit, quas ſane nunquam Lectores aſſequerentur, niſi aliæ in margine clariores, & Latiniores ſubſtitutæ fuiſſent.

Biblia Sacra ex linguis Originalibus in Latinum tranſlata a Sebaſtiano Schmids Lutherano in 4. Argentorati 1696. Editio Latina eſt, ſimplex, perſpicua, & plana, quam Author 80. fere annos natus in lucem emiſit.

Biblia Lat. ex Verſione Thomæ de Via Card. Cajetani 5. Vol. in fol. 1530. Cardinalis Cajetanus, linguarum prorſus ignarus, ad eam Verſionem elaborandam duorum virorum Judæi unius, & Chriſtiani alterius opera uſus eſt; illis Hebraicum Textum interpretantibus, ipſe interim ad plura Hebraica Dictionaria eorum fidem probabat. Ita Verſione ſua concinnata, Commentaria dein elucubravit; uti ipſe de ſe initio ſui commentarii in Pſalmos ſignificat. Vertit dumtaxat Pentateuchum, Joſue, Judices, Reges, Paralipomena, Eſdram, Nehemiam, Jobum, Pſalmos, Salomonis Proverbia, & tria Iſaiæ capita. Ejus Commentaria literalem ſenſum accuratiſſima referunt, & licet originales Linguas minime calleret, feliciſſime tamen aliquando Textum aſſequutus eſt.

Biblia Latina Jo. Clerici cum ejus Paraphraſi, & notis in fol. Amſtelod. 1693. & ſeq. Ab eo Authore in Veteri Teſtamento Pentateuchus, & libri dumtaxat hiſtorici Latine redditi ſunt, Latinum Textum nova capitum partitione exhibet, dein Paraphraſim Latinam, ac tandem Commentarium literale infra ſubjicit; in ſingulorum quoque Voluminum initio, ſeu fine nonnullas Diſſertationes adjicit. Ejuſdem pariter authoris Gallice extat Verſio Novi Teſtamenti, brevibus notis illuſtrata, quod poſtremum opus Generalium fœderati Belgii Ordinum juſſu ſuppreſſum fuit.

Joannes Druſius ex Hebræo in Latinum vertit nonnullos Scripturæ Libros; videlicet Geneſim, Exodum, Leviticum; & octo priora capita Numerorum, Jobum pariter, Ruth, & Eſther, quibus annotationes ſubjecit.

Andreas Maſius ex Hebræo in Latinum Joſue Librum tranſtulit, cui eximium appoſuit Commentarium.

Auguſtinus Juſtinianus Jobi librum Latinitate donavit, Pariſiis impreſſus fuit in 4. 1516.

Jacobus Boldus Jobi pariter librum Latine reddidit, & Commentariis illuſtravit 2. Vol. in fol. Pariſiis 1617. & in 4. 1629.

Idem liber Joannis Coccejii, & Philippi Codurci, & Jo. Henrici Hottengeri opera tranſlatus.

Pſalterium ex Hebræo in Latinum vertere Felix Pratenſis, Auguſtinus Juſtinianus, Aretius Felinus (Martinus nempe Bucerus) Conradus Pellicanus, Hulricus Zuinglius, Joannes Bugenhagius, Joannes Draconites, Conradus Heresbach, Leo Judæ, Rod. Magiſter, Georgius Major, Thomas Malvenda, Henricus Mulerius, Simon de Muis, Sebaſt. Munſterus, Sanctes Pagninus, Jo. Piſcator, Sebaſt. Schmid, Emmanuel Tremellius, Thomas de Vio Cardinalis, Jodochus Villichius &c. Poſt an. 1515 quinque & viginti ſaltem Verſiones numerantur.

[Jam inde a ſua ætate obſervaverat S. Auguſtinus de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 11. eorum, qui ſacras litteras ex Hebræo in Græcum verterant, numerum definiri poſſe; eorum vero qui de Græco in Latinum, non poſſe. Quid reputaret ille modo, cum Interpretum turba aucta eſt in immenſum? Si Catholicos Concil. Trid. ſanctio determinavit ad Vulgatam, id tantum injunctum eſt illis quoad uſum; cæteroqui enim Scriptores commentariorum vel omnes, vel plerique novas adornarunt verſiones Latinas Librorum, quos duxerunt exponendos. Id tamen ſuſceperunt ſibi præ cæteris Proteſtantes, quorum plerique novas ad ingenium, & privatas ideas procuderunt verſiones.

Adnotavimus jam veteres Editiones, i. e. Gothicas, uſque ad Stephanos, & Gryphios, quorum opera excudi cœpere ſunt Scripturæ nitidioribus characteribus. Succeſſerunt poſt hæc editiones Sixti V. & Clementis VIII. qui laborem ope-

Digitized by Google

ris impoſuit Antonio Columnæ, Guilelmo Alano, Bartholomæo de Mirenda, Bellarmino, Franciſco Toleto, Auguſtino Valerio, Friderico Borromæo, quorum ſingulorum in ea re laborea, laudibus, & elogiis non impares habentur. Vide *Bellum Papale* Thomæ James impreſſum Londini an. 1600. in 4. & 1678. in 8.

In noſtra Bibliotheca ſacra circa medium p. 20. Edit. Luc. ignorare nos ſignificavimus, quis iſte fuerit *Monardus Monachus*, cujus habemus excuſas concordantias; didicimus autem Monachum egiſſe ſinachi; cujus eſt pariter generalis quadam, & compendioſa Notitia totius Scripturæ, juxta P. le Long; nec aliud eſt facile Opus hoc poſtremum, quam Liber iſte a nobis laudatus, nempe eodem anno, eodemque in loco impreſſus.

Dum ageremus de Bibliis Lovanienſibus poſitum eſt *Gandenus* pro Gandan, vel Gudaæ. Excidit inſuper, Laurentium Beyerlinck, virum vulgato Theatro vitæ humanæ, ſat notum, curaſſe editionem Antuerpianſem Bibliorum an. 1616. 3. vol. fol.

COROLLARIUM.

BIBLIA LATINA PROTESTANTIUM.

IN hoc articulo confuſa ſimul exhibuimus Biblia Catholicorum ac Proteſtantium; hic autem alia ab aliis ſejungere methodi gratia viſum eſt.

Agentes de Bibliis Michaelis Villanovani ſatis habuimus adnotaſſe: *Sub nomine Villanovani latuiſſe fertur Servetus eos*. Modo vero id non hæſitantes affirmamus, ex quo oculati teſtes inſpeximus Codicem in Bibliotheca S. Michaelis cum adſcripto genuino ejus nomine. Latere autem ille voluit ſub nomine Villanovani.

Addendum hic ſuccurrit, Bibliis Tigurinis præfigi eximiam Præfationem, ſicut & doctam Diſſertationem Pellicani, & Bullingerii in Sacram Scripturam. In calce vero univerſa Scripturæ hiſtoria elegiacis carminibus expreſſa eſt a Rodulpho Gautier. Hujus editionis meminit præfatio Synopſis Criticorum, & hiſtoria D. de Thou l. 36 p. 726.

Præter Editionem a nobis laudatam Bibliorum Sebaſtiani Schmidt, ſecunda eſt altera an. 1708. in 4. quam multo correctiorem dediſſe ſe affirmat Facultas Argentoratenſis in ſua præfatione, quam novæ huic Editioni præfixit. Singulorum capitum argumenta dedit non Schmidt, uti nos reputavimus, ſed Joannes Fridericus Spoor. Meminerunt Bibliorum ejuſmodi Acta Lipſienſia ad an. 1696. p. 311. & Fabricius in hiſtoria bibliothecæ ſuæ r. 3. p. 350. ubi inter cætera notat verſionem hanc minorem eſſe quam pro expectatione, utpote non ſemel obſcuram.

De Verſione Druſii illud animadvertiſſe ſuccurrit, virum hunc lectione librorum Judaicorum, & veterum Interpretum Græcorum excultum, meliorem ſibi formeſſe ideam linguæ ſanctæ quam Criticos alios, quorum fuit unica occupatio lectio Rabbinorum; quare & melius illi rem ſucceſſiſſe cenſet D. Simon in ſua hiſtoria Critica V. T. Diſtinguemus alibi ſingulos Libros Scripturæ ab illo verſos, & varias ejus Operis Editiones, ſicut & quibus potiſſimum voluminibus magnorum Criticorum Lucubrationes ejus impreſſæ ſint. De adnotationibus ejus in eoſdem Libros alibi pariter agemus.

Iis, quæ indicavimus, addendum hic, Victorinum Strigel, qui ex Hebræo vertit totum Pentateuchum impreſſum Lipſiæ an. 1566. 3. vol. in 8. ipſum pariter e Græcu vertiſſe geminos libros Machabæorum, ac dediſſe ibi an. 1571. in 8.

Chriſtianus Raves Latine vertit ſex priora cap. Geneſeos. Vulgata Lipſiæ an. 1665. in 8. Elias Terſer vertit Pentateuchum impreſſum Upſalæ an. 1652. exceptis Numeris, & Deuteronomio, qui manuſcripti adhuc ſervantur. Videſis quæ notat Schefferus in ſua Bibliotheca Danica p. 193. De Raves ſermo recurret in 3. parte.

Joannis Schudi opera, Latina habemus ex Hebræo quatuor priora cap. Geneſis impreſſa cum textu Hebræo Francof. an. 1695. in 8. Verſio Job per Joan le Coq vel Coccejum lucem aſpexit Franekeræ an. 1644. in fol. Hottingeri vero Tiguri an. 1689. in 8. Laboravit uterque ex Hebræo.

Verſio pſalmorum per Bugenhage ex Hebræo paroit Baſileæ an. 1524. cum Commentariis Martini Buceri, non *Bruceri*, uti male in noſtris impreſſis, prodiit Argentorati an. 1526. in fol. Geminæ Verſiones ſubmiſſos habent ejus Commentarios, quare apud P. Long pro *genuina Verſione* legendum eſt *gemina*. Vertit etiam Sophoniam impreſſum ibid. 1528 in 8.

Nec prætereundum eſt hic eximium opus Meibomii, qui tres Latinas Verſiones fragmentorum quorundam V. T. dedit in ſpecimen Operis majoris moliminis: Prodierunt hæc Amſtelodami, tum Pariſ. an. 1698. in fol. Sermo eſt de illis in Ephemeridibus Sapientum (*Journal des Scavans*) an. 1697. Lutheraniſmum profitebatur, callebatque tres linguas; obiit an. 1710.

Claudit hunc articulum Pſalterium Joannis Fabry vel le Fevre, de quo Opere quanquam inter potiſſima, nihil adhuc egimus. Appellatur plerumque *Pſalterium Quincuplex*, videlicet Gallicanum, Romanum, Hebraicum, quæ tres Latinas verſiones reddunt in totidem columnas diſpoſitas, adduntur & aliæ duæ exhibentes *Pſalterium Vetus*, & *Conciliatum*. Opus eſt rariſſimum, & Eruditis jucundum. Præcedit prolixa dedicatoria Epiſtola ad Guillelmum Briconnet Cardinalem, & Archiepiſcopum Narbonenſem, ſucceditque prolixior altera, ſeu potius appendix ad Pſal. 10. inſcripta Petro Carthuſiano, in qua Faber impactam ſibi accuſationem, quaſi ſcilicet effuderit animam Jeſu Chriſti in Inferno toleraſſe pœnas, amolitur. In calce totius Operis abſolviſſe ſe illud dicit in Monaſterio S. Germani Pratenſis an. 1508. & vulgatum fuiſſe typis apud Henricum Stephanum an. 1518. Idem Pſalterium Petrus, & Felix Dupre, vel Deſprez imprimendum curarunt an. 1513.

Interpretes iſti omnes locum ſibi vindicabunt etiam inter Scriptores commentariorum, ubi fuſius de illis ibi agendum nobis occurret.]

NOVUM TESTAMENTUM LATINUM.

N*Ovum Teſtamentum e Græco in Latinum verſum ab Eraſmo Roterodamo 1516.* Pluries hoc opus ab Eraſmo caſtigatum, & cum Græco Texta plerumque recuſum fuit.

Novum Teſt. ex Græco in Latinum opera Sanctis Pagnini: Cum Pagninus quantum affatim Hebraico idiomate peritiſſimus eſſet, tantum Græco minus, non eadem felicitate, qua Vetus Teſtamentum, Novum Latine pariter expreſſit, ait Simonius.

Novum Teſt. Latine redditum a Thoma de Vio Cardinali Cajetano. Author hic Græci idiomatis imperitus, ed Verſionem adornandam ope virorum Græce apprime callentium uſus eſt; Apocalipſin prætermiſit.

Novum Teſt. Latine factum per Galterum de Lormam in 4. Londini 1540.

Novum Teſtamentum ex Verſione Eraſmi a Petro Cholino, a Rodolpho Galtero iterum cum Græco collatum, et pluribus locis emendatum 1543. Verſio hæc, ſeu caſtigatio in Bibliis Tigurinis impreſſa fuit. Hujus caſtigationis Eraſmus impatientiſſimus fuit.

Novum Teſtamentum ex Verſione Sebaſtiani Caſtalionis. Pluries recuſum Opus eadem methodo ab Authore digeſtum, quam nos in ejus Verſione Veteris Teſtamenti ſpectavimus. Verſio hæc Latina cum altera Gallica ſimul (facile ejuſdem Caſtalionis ambæ) prodiit in 4. & 8. Baſileæ 1572.

Novum Teſtamentum a Theodoro Beza Latine verſum. Verſio hæc omnium aſſenſu, præſertim vero Proteſtantium, excepta eſt. Non deſunt tamen, qui Bezæ audaciam in crimen vertant, dum ſuis conjectoris nimium indulgens abſque neceſſitate e communi Textus Græci lectione diſcedit. Ejus Verſio infinities recuſa fuit.

Novum Teſtamentum Latine, Interprete Eraſmo Schmid 1658.

Novum Teſtamentum Latine verſum a Sebaſtiano Schmidt 1692.

Epiſtolæ D. Pauli Latine verſa a Jacobo Fabro Stapulenſi, addito Commentario in fol. Pariſ. 1512. *& ſeq.* Author iſte Græcam linguam parum calluiſſe, & a Textu Vulgatæ abſque neceſſitate declinaſſe fertur.

BIBLIA LINGUIS VULGARIBUS EXPRESSA.

BIBLIA GALLICA A CATHOLICIS EDITA.

CUm de Bibliis Gallicis in Dictionario ad vocem *Biblia* ſatis egerimus, hic præcipuæ tantum Editiones recenſendæ ſunt.

Biblia hiſtorialia 2. *Vol. in fol. Pariſ. an.* 1488. Verſio hæc a Guiarte des Moulins concinnata fuit, additis annotationibus ex Scholaſtica Petri Comeſtoris hiſtoria excerptis. Caroli VIII. Galliarum Regis juſſu typis mandata fuit, cum ipſam prius Joannes du Rely Doctor Theologus, eidemque Principi a Confeſſionibus, caſtigaverit, et recognoverit. Pluries prodiit.

Biblia Gallica ex Verſione Jacobi Fabri Stapulenſis 4. Vol. in 8. Antuerp. 1528. 1530. 1534. et pluries poſtea prælo commiſſa. Antuerpienſis Editio typis Martini Lempereur excuſa 1534 emendarior eſt, et accuratior. Eadem a Nicolao de Leuſe, et Franciſco de Larben Doctore Lovanienſi recognita, et caſtigata fuit. Prima hæc Bibliorum Gallica Editio, quæ accuratior aliquanto prodiret. In Editionibus Antuerpienſibus annorum 1528. et 1530. in 4. Vol. Pſalterium, et Novum Teſtamentum deſiderantur, quæ tamen in ſequentibus Editionibus ſuppleta ſunt.

Biblia a Doctoribus Lovanienſibus Gallice reddita, et impreſſa in fol. Lovanii 1550. Re cum Antuerpienſi anni 1534. conveniunt; quamvis nonnullis in locis recognita, et repurgata. Secundis curis iterum prodiere an. 1578. et exinde pluries variis in locis recuſa ſunt.

Biblia Sancta Gallice, et Latine ad fidem Verſionis DD. Lovanienſium recognita, et emendata a quibuſdam Doctoribus Pariſienſibus in fol. Henrico IV. nuncupata 1608. Editio hæc Pariſiis recuſa an. 1608. et 1615.

Biblia DD. Lovanienſium ſtudio Petri Frizon Pœnitentiarii, & Canonici Rhemenſis edita in fol. Pariſ. 1621. cum ſummariis Capitulorum ex Annalibus Card. Baronii excerptis; adjecta etiam ratione diſtinguendi Biblia Gallica Catholica a Genevenſibus. Biblia hæc Calviniſmum adhuc ſapere fertur; cum Frizon nec ſatis idoneus ad eos detegendos, nec ſatis felix ad emendandos fuiſſet.

Biblia Sancta in Gallicum translata a Renato Benedicto in fol. Pariſ. 1566. cum notis Marginalibus ad difficiliora loca elucidanda. Doctores facultatis Theologiæ Pariſienſis opus hoc cenſura notarunt, an. 1567. ſuamque cenſuram 1568. confirmarunt, & Gregorius XIII. eamdem Diplomate ſcripto die 2. Octobris 1577. comprobavit. Renatus Benedictus pro genuina Lovanienſium Verſione Genevenſem per imprudentiam edidit, quam accurate ſe expurgaſſe ratus, re tamen Calviniana labe infectam vulgavit.

Biblia Gallica ex Verſione Jacobi Corbini 8. Vol. in 16. Pariſiis. Verſio hæc nimium literalis, & ſtylo barbaro conſcripta; DD tamen Pictavienſium approbationi fulcitur.

Biblia Gallica Michaelis de Marolles. Vix ejus operis Editio ad 23. caput Levitici pervenerat, cum Cancellarii Segulerii juſſu ſuppreſſa eſt 1671.

Biblia Gallica ex verſione Magiſtri du Sacy cum explicatione ſenſus ſpiritualis, & literalis pluries edita ab an. 1672. Crebro recognita, & emendata prodiit, & in literali noſtro Commentario Libris Veteris, & novi Teſtamenti appoſito, eamdem nos pro Archetypo habuimus, pluribus tamen correctionibus innovatam.

Liber Geneſeos Gallice redditus opera Jacobi des Coutures cum obſervationibus literalibus ad loca difficiliora 4. Vol. in 12. Pariſ. 1687.

Job, Proverbia, Eccleſiaſtes, & Cantica Canticorum ex Hebræo in Gallicum ſermonem a Philippo Codurco, cum ejus annotationibus, in 8. Pariſ. 1647. & 1657.

Pſalmi Gallice ex Verſione Gujarti des Moulins 2. Vol. in 4. Pariſiis, circa annum 1487.

Pſalmi Gallice ex Verſione, ut vulgo fertur, Jacobi Fabri Stapulenſis, Pariſiis typis Simonis des Colines 1525. & 1530.

Pſalterium Latine, & Gallice ex Verſione Gabrielis du Puits Herbaut, in 8. Pariſ. 1555. 1563. 1575. &c.

Pſalterium Gallice ex Verſione Reginaldi de Beaune in 8. Pariſ. 1587.

Pſalterium ex Hebræo in Gallicum ſermonem converſum a Rodulpho le Maitre in 12. Pariſ. 1629.

Pſalterium cum Canticis ex Verſione Michaelis de Marolles brevibus additis notis, in 8. Pariſ. 1644. & pluries poſtea recuſum.

Idem ex Verſione Antonii, & Iſaaci le Maitre cum annotationibus ex S. Auguſtino excerptis, Pariſ. 1664. Poſt hæc pluries in lucem prodiit.

Gallica etiam pſalmorum Verſio a Maed Coquelin, de Choiſi, Du pin, de Melicque &c. concinnata eſt.

¶ Verſio Gallica Bibliorum Gujarti Des Moulins inter priores reputanda eſt; agebat enim in vivis Author an. 1294. cujus operis, & manuſcripti codices ſervantur in nonnullis Bibliothecis, ut videre eſt apud P. le Long Biblioth. S. p. 315. in fol. Nec mirari ſubiit, ſi barbarie undique horret; rudes admodum offert imagines editio an. 1541. in fol. cujus extat Exemplar in Bibliotheca Abbatiæ S. Michaelis Lotharingiæ.

Docet Cardinalis Perronius in ſuo reſponſo ad Henricum VIII. Angliæ Regem l. 6. c. 8. cauſam cenſuræ Theologorum Pariſienſium in Biblia Renati Benedicti. Diſplicuiſſe affirmat non quidem illum dediſſe Verſionem Bibliorum, ſed illud potius, non alteram ſcilicet dediſſe quam Genevenſem, non correctam; quare D. Simonius inter Biblia Hæretica recenſendam Verſionem illam cenſuit, quod & præſtitit P. Verron in ſua Præmonitione ad N. T.

Verſio Jacobi Corbin prodiit an. 1643. primo; tum iterum an. 1661. nihil variata. P. Verron literæ inhærere illum nimis accuſat; barbaro ſtylo penitus horrere affirmat Voſſius in Diſquiſ. Critic. c. 31. Verſio Bibliorum per Marolles ſuppreſſa eſt, ejus tamen ſpecimina ab Authore data ſunt quædam. Suppreſſionis hujus cauſas refert P. le Long in ſua Biblioth. S. p. 57. in 8. t. 1.

Recuſa tam ſæpius Verſio Sacy, tam multis in locis, tam vario tempore, varia impreſſionis forma, modo addito ſenſu ſpirituali, modo compendioſis Notis, modo Textu nude excuſo; hæc, inquam, omnia ſatis demonſtrant, quanto aſſenſu opus probatum ſit. Sed cum viris Doctis non æque exactum, & connexum deprehenderetur, D. Abbas Beaubrum recenſendi illud ſibi curam aſſumpſit in Editione an. 1715. 3. vol. fol. Pariſiis apud Deſprez.

COROLLARIUM.
LIBRORUM QUORUMDAM BIBLIORUM GALLICA VERSIO.

VErſionis Geneſeos per Deſcoutres altera editio prodiit an. 1688. Genuinum ejus nomen eſt Jacobus Paxain Baro Deſcoutres, Abrincenſis, obiitque an. 1702. Miſcuit ille ſacrum prophano, quippe qui militiam profeſſus adhuc tamen alienum a ſe non duxit ſanctum illud ſtudium, laboravitque pariter in Philoſophiam. Videſis opera Eruditorum an. 1688. ad menſem Decembris p. 413.

Excidit nobis Verſio pſalmorum P. Adam Jeſuitæ defuncto an. 1664. annorum 76. ætatis. Verſionem hanc ſuam cum Textu Latino dedit Pariſiis an. 1651. in 12 cui junxit Cantica ab Eccleſia in ſuo officio recitata.

Altera Franciſci Macé prodiit an. 1686. & 1706. in 12. cum Paraphraſi. Videſis de illa Ephemerides Sapientum an. 1686. p. 79. Pariſienſis erat patria, & Parochus S. Oportuni, obiitque an. 1721. Ibi pariter excuſa eſt an 1688 Verſio Nicolai Coquelin, de qua Ephemer. ibid p. 327. Paraphraſtice illam potius digeſſiſſe fatetur Author in ſua Præfatione. Præmittitur Iectu digna Epiſtola dedicatoria ad Regem Ludovicum XIV. Pariſius erat, & Doctor Sorbonicus, obiitque an. 1698.

Verſio pſalmorum Franciſci Tilemon de Choiſi an. 1687. additam præfert vitam David ſub idea Regis nunquam non victoris, ſicut & Salomonis perſonam referentis Regis ſemper pacifici. Videſis Hiſtoriam operum Eruditorum (*des Ouvrages des Scavans*) an. 1687. § 15. menſe Novembris. E nobili Pariſienſi familia natus an. 1644. Abbatem egit S. Lo Rothomagi; functus eſt etiam Legatione ad Regem Siam an. 1685. obiitque tandem an. 1724. Novit ille artem jungendi ſtudio amœnitatem quandam, & officium in familiaribus conſuetudinibus, addito cultiſſimæ linguæ nitore, aliiſque præclariſſimis dotibus.

Diction. Bibl.

Google

Verſio Pſalmorum D. Du-Pin adornata eſt ad Textum Latinum expreſſum ex Hebræo, proditque Pariſ. an. 1691. in 12. Eodem anno jam dederat Pſalterium cum geminis Latinis Verſionibus, Vulgata, & Verſione altera reformata ad Hebræum in 8. Hoc ſpecimen dederat conſilii ſui laborandi in Biblia univerſa; ſed nihil habemus, niſi Pentateuchum datum Pariſiis anno 1701. 2. vol. in 8. Adjecit adnotationes eximias. Obiit an. 1719. ætatis annorum 62. poſt prima ingenii ſui opera volgata.

Prodiit Verſio Pſalmorum Jacobi de Meſieques Pariſiis an. 1705. paulo poſt ejus obitum, qui eodem anno contigerat. Additæ ſunt adnotationes literales, & grammaticales.

Verſio alteræ Euſtachii le Noble prodiit an. 1706. cum Notis moralibus. Vir erat Trecenſis Campanus, egeratque Procuratorem generalem Merenſem. Diem clauſit an. 1711.

Addimus ad Verſiones haſce Pſalmorum alteram Henrici Vignier impreſſam Pariſiis an. 1703. in 12. cum Scholiis piis. Bleſis natus apud Patres Oratorii profeſſus eſt, obiitque an. 1706.

Verſio Philippi Lallemant Jeſuitæ paruit an. 1708. In 12. & in 16. Literalis eſt penitus: adjecit & animadverſiones morales ad Novum Teſtamentum Patris Bouhours.

Petri Gorſe eſt Verſio Gallica Librorum Sapientalium, excepto Cantico Canticorum, vulgata Pariſiis an. 1655. 3. vol. in 12. cum notis. Albienſis erat, & Jeſuita, denatus an. 1661. ſenex annorum 71. quippe qui natus fuerat an. 1590. Eoſdem Libros habemus cum expoſitionibus moralibus, opera Franciſci Bellegard verſos, vulgatoſque Pariſiis an. 1701. Patriam habuit Nannetum in Britannia minori, Jeſuitarum profeſſionem ſecutus eſt, tum e Societate egreſſus Sacerdotem egit, & vivebat adhuc an. 1721.

Franciſcus Aurat communicavit Publico Canticum Canticorum cum notis literalibus typis Lugdunenſib. an. 1693. Secund. Edit. in 8. Ita pariter vertit Canticum Armandus Gerard cum Paraphraſibus, deditque Pariſiis an. 1690. in 8. patriam habuit Sarlatum, obiitque an. 1657.]

NOVUM TESTAMENTUM GALLICE A CATHOLICIS ELUCUBRATUM.

AUthores, qui tota Biblia, Vetus et Novum Teſtamentum interpretati ſunt, ſcilicet Guiartum des Moulins, Fabrum Stapulenſem, DD. Lovanienſes, De Sacy, iterum hic recenſere ſupervacaneum duxi.

Novum Teſtamentum a Mich. de Maroles Gallice redditum in 8. Pariſiis Cramoiſy 1649 et 1653. Verſio hæc non ex vulgata, ſed ex Latina Eraſmi adornata eſt. Author enim Græcæ linguæ peritia deſtitutus, impar fuit, ut ipſemet ſuam ex originali Verſionem aggrederetur. Epiſtola operi præfixa, Gallicano Clero nuncupata eſt; Præfationem tandem eruditiſſimam Author præmiſit.

Novum Teſtamentum Patris Amelotte e Congregatione Oratorii 3. Vol. in 8. Evangelia, et Acta Apoſtolorum edita fuerant 1666. Epiſtolæ S. Pauli 1667. Epiſtolæ Canonicæ, et Apocalypſis 1670. Editio hæc annotationibus, et nonnullis variantibus lectionibus locupletata eſt. Pluries cum notis, et ſine notis prodiit. Verſio valde literalis eſt, ſed inelegans. De hac in Dictionario ad vocem *Biblia* egimus.

Novum Teſtamentum Montibus excuſum apud Gaſparem Migeot. Vide in Dictionario v. *Biblia*. Quæ in Verſionem hanc objicerentur, et ſcripta ad eam impugnandam, ſive ad propugnandam in lucem prolata, nemo eſt, qui ignoret. A Pontificibus Clemente IX. 1668. Innocentio XI. 1679. et a pluribus dein Galliæ Epiſcopis damnata fuit. Pluries, & variis formis recuſa, & pleriſque, quæ deinde prodiere, Verſionibus elaborandis veluti fundum exhibuit.

Novum Teſt. Godean Epiſcopi Vincienſis 2. Vol. in 8. Pariſiis 1668. Textui aliqua verba ab Authore interdum adjecta ſunt, quo luculentior ſenſus redderetur. Paraphraſes etiam ab eodem Præſule in Epiſtolas S. Pauli elucubratæ, vulgo celebrantur.

Novum Teſtamentum ex Verſione Richardi Simonii cum notis literalibus, & criticis ad loca difficiliora 4. Vol. in 8. Trevoltii 1702. & Rothomagi 1703. Cardinalem de Noailles 1702. & Benignum Boſſuetum Epiſcopum Meldenſem 1702. & 1703. impugnatores habuit. Lato enim edicto, e manibus Diœceſanorum ſuorum perniciosum opus præripientes, errores, non in adnotationibus Simonii tantum, ſed etiam in Textu ipſo, quandoque arguerunt.

Novum Teſtamentum P. Bouhours e Societate Jeſu in 12. Acta Apoſtolorum, Epiſtolæ S. Pauli, & Apocalypſis 1723. prodiere. Vide infra in Dictionario v. *Biblia*. P. Lallemant ex Societate Jeſu in ſuis obſervationibus ad N. T. Pariſiis impreſſis 1713. Verſionem hanc adoptavit.

Novum Teſtamentum Caroli Huré cum notis, & explicationibus brevibus, & literalibus, moralibus, Pariſiis 4. Vol. in 12. 1703. Verſio eadem ac Montenſis, hoc tamen diſcrimine, quod hæc in pluribus locis recognita, ac repurgata eſt, ubi præſertim Montenſis Græco textui adhærens, a Vulgata diſcedit. Alicubi etiam Author Verſionem P. Bouhours ſibi propoſuit.

Novum Teſtamentum impreſſum Leodii apud Bronkart. ſeu potius Aureliæ 2. Vol. in 12. 1676. ex Verſionibus P. Amelotte, & Bouhours, & Montenſi elucubratum.

Novum Teſtamentum P. Martianay Benedictini Pariſiis 3. Vol. 12. 1712. cum Notis & explicationibus literalibus, ſed pleriſque futilibus. Verſio hæc crebro ad ſuperiores recedit, non raro etiam diſcrepat. Pater Lallemant in ſuis literalibus notis obſervationes Patris Martianay ſæpe impugnat.

Novum Teſtamentum ex Verſione Abbatis Fleury Regi a Confeſſionibus. Nondum prodiit; ex Vulgata, & ex Græca Henrici Stephani Editione anni 1550. adornata eſt.

[D. Simonius in ſua Hiſtoria Critic. N. T. c. 34. affirmat Verſionem Gallicam P. Amelot omnium primam accurationis referre aliquid, & ſtyli elegantiam. Hujus potiſſima Editio eſt an. 1688. in 4. 2. Vol. & poſtrema an. 1715. Acceſſit huic alphabetico ordine digeſta Geographia Sacra, & geminæ Tabulæ, Urbis ſcilicet Jeruſalem, ac Templi Salomonis. Videſis in hanc Verſionem animadverſiones Claudii Bruſſon impreſſas Delphis in Hollandia an. 1697. in 12. & Ephemerides Sapientum t. 1. p. 416.

Montenſis Verſio adverſarios ſenſit Mallet, & Maimburgum; ſed & ſtrenuos habuit vindices, qua de re conſulenda ſunt Acta Lipſienſia an. 1682. p. 201. Fabricius Biblioth. Græc. l. 4. c. 5. p. 194. Reſponſa D. Arnaldi ad oppoſita Stayert 5. Vol. in 8. ſicuti & quæ a nobis collata ſunt in Dictionario Biblico t. 1. v. *Biblia Gallica*. D. Godeau Epiſcopus Vincinenſis, defunctus an. 1672. annorum ætatis 67. perficiendæ Verſioni ſuæ plurium annorum labores contulit, cujus eſt ſecunda Editio data an. 1672. in 12. Viri religio erat ſingularis cum nobili ad ſtudium ardore conjuncta; accedebat, & dignus Epiſcopo zelus. Vitium ſtrenue impugnabat ſimul autem, & blande inſinuabat virtutem.

Acta Lipſienſia anni 1704. p. 81. agunt de Verſione D. Simonis; agit, & de illa pariter Author in ſuis Epiſtolis ſelectis l. 3. p. 220. & poſt hæc recurrit de illis ſermo in Ephemeridibus Trevoltianis (*Memoires de Trevoux*) an. 1702. p. 383. De viro hoc agendi alibi ſeſe offeret occaſio.

Verſionem P. Bouhours, impreſſam Pariſiis an. 1697. ideo vexarunt quidam, quod phraſes habet nonnullas nimia cura conquiſitas, vel quæ minus bene ſonant. Accuſationes in illas dictas a D. Simon habes excuſas in 12. an. 1698. Natus eſt Pariſiis an. 1628. ingreſſus eſt ordinem Jeſuitarum an. 1644. obiitque an. 1702. ætatis annorum 72. Ingenio erat felici, & decora omnia Gallicæ linguæ ſedulo rimatus eſt.

Poſtrema Editio Verſionis Caroli Huré data eſt an. 1706. 2. vol. in 12. Patria erat Sennonenſis, obiitque an. 1718. Agemus de illis in Apocalypſi.

COROLLARIUM.

VERSIONES LIBRORUM QUORUMDAM NOVI TESTAMENTI.

FRanciſcus de Harlay vertit ex Græco Epiſtolam ad Romanos, quam & illuſtravit animadverſionibus Hiſtoricis & Theologicis. Verſio eſt *accurata*, ait P. le Longſed D. Du-

Du-pin Paraphraſis eſt potius, quam Verſio, Vulgata eſt Pariſ. an. 1641. in 12. Natus an. 1585. Archiepiſcopus Rothomagenſis renunciatus fuit an. 1616. & poſt exactos 38. annos Paſtoralis ſollicitudinis onus ſponte depoſuit, obiitque tandem 68. annorum ætate ſenex, an. 1683. Clarum eſt viri nomen ex Operibus plane multis typis vulgatis.

Joannes Deſmareſt de Sorlin dedit Verſionem Gallicam Apocalypſis cum Verſione Latina, & expoſitione, quæ prodierunt cum aliis ejus operibus Pariſiis an. 1658. in fol. ſub titulo; *Animi deliciæ*. Pariſienſis erat, & inter Academicos Scientiarum; diem clauſit an. 1676. annorum 80. ætate grandævus, de quo viro dictitabat Chriſtina Regina Sueviæ tempus ſuum perdidiſse totum in ſcribendis piis libellis.

D. Boſsuet Epiſcopus Meldenſis dedit & ipſe pariter Verſionem Apocalypſis cum expoſitione, Pariſiis an. 1689. in 8. Natus eſt Divioni an. 1627. renunciatus Epiſcopus Meldenſis an. 1681. obiitque an 1704. ætatis 76. Vir erat ſcribendi, & loquendi facilitate plane inſignis, cujus & pro Religione ac ſana Doctrina zelus emicat in operibus ejus Polemicis. Agemus etiam de illo in Pſalmis.

Inter Proteſtantes Beauſobre, & Lenfant adornarunt Verſionem N.T. ex Græco cum notis literalibus, vulgaruntque Amſtelodami an 1718. 2. vol. in 4. in charta majori.

Prioris voluminis Præfatio, implens 308. paginas, haberi poteſt ceu Introductio ad Scripturam Sacram, & Synopſis Antiquitatum Judaicarum, Opus eſt Lenfant. Beauſobre dedit alteram præfationem in Epiſt. S. Pauli paginar. 38.]

BIBLIA GALLICA AB AUTHORIBUS PROTESTANTIBUS EDITA.

Biblia Genevenſia, a Roberto Petro Olivetano Gallice reddita in fol. 1535. in urbe, ac comitatu Neocomi typis Petri Wingle. Prima, quam Calviniſtæ in lucem emiſerint, Editio, ex Verſione DD. Lovanienſium, ſeu mavis ex Jacobi Fabri Stapulenſis, Antuerp. a Martino Lempereur excuſa 1530. concinnata. Vide in Dictionario v. *Biblia Gallica*, & ſupra v. *Biblia Jacobi Fabri Stapulenſis*.

Biblia Gallica a Calvino recognita, & caſtigata in 4. Lugd. 1554. Genevenſia Biblia ejus Authoris, crebro excuſa, ex primis Catholicorum Verſionibus adornata ſunt.

Biblia a Sebaſtiano Caſtalione Gallice verſa. Vetus Teſtamentum ex Hebræo. Novum vero ex Græco tranſlata ſunt. Henrico II. Galliæ Regi opus nuncupatur; in fol. Baſileæ typis Joi Hervagii. Vide in Dictionario.

Biblia Gallica cum fuſioribus Notis, & Epiſt. Nicolai des Gallades in fol. Genevæ 1562. & pluries alibi.

Biblia Latina Sanctis Pagnini, & Biblia Gallica Genevenſia, pluries Lugduni impreſsa 1540. 1571. Genevæ etiam 1668. &c.

Biblia Gallica Genevenſia ad Hebræi, & ad Græci textus fidem emendata, cum figuris ac notis marginalibus, &c. in fol. *in* 4 & *in* 8. Genevæ 1588. 1591 &c.

Biblia ex Hebræo, & Græco a Jo: Diodati in Gallicum ſermonem verſa in fol. Genevæ *Petri Chovet* 1644. Opus apud Proteſtantes celebratiſſimum, quo etiam nunc utuntur. Author interdum ut perſpicuitati ſerviat, Paraphraſtem agit. Vide Dictionarium.

Biblia Genevenſia vulgo dicta *de Deſmareſt*. 6. vol. in fol. Amſtelodami, Danielis Elzevir. 1699. Verſioni plures Notæ ex Jo. Diodati, & aliis Doctoribus Proteſtantibus excerptis adjiciuntur. Editio elegans eſt, ſpecioſa, ſed minus emendata. Idem eſt opus, ac Olivetani, ſed recognitum, & deſumptum ea Editione Charretonis 1652. Petri Deshayes in 3. vol. in 12. quam Samuel Deſmareſt omnium caſtigatiſſimam aſserit.

Biblia Genevenſia a Davide Martino recognita, & expurgata, additis ab eo etiam Notis Theologicis, & Criticis 2. Vol. in fol. Amſtelod. 1707.

NOVUM TESTAMENTUM GALLICUM A PROTESTANTIBUS EDITUM.

Novum Teſt. Gallicum ex Verſione Jacobi Fabri Stapulenſis, a Calviniſtis adoptatum, impreſſum 1534 Dein ab Olivetano, et Calvino recognitum, et excuſum 1535.

Novum Teſt. Gallice verſum a Stephano Dolet. Liber *Diction. Bibl.* hic ante an. 1646. prodiit, cum Author die 3. Auguſti ejuſdem anni de hæreſi damnatus, Pariſiis igne crematus fuerit.

Novum Teſt. Gallicum a Jo: Calvino, & Theodoro Beza recognitum, & caſtigatum in 12. 1550 & idem cum Notis Nicolai des Gallars Genevæ 1561. & 1562. & idem cum Notis Auguſtini Marlorat 1564. 1565.

Novum Teſt. Gallicum cum Notis Davidis Martini in 4. Ultrajecti 1696.

Novum Teſt. Gallice ex Græco converſum a Jo: Clerico, cum ejus Notis, 2. Vol. in 4. Amſtelodami apud Ludovicum de Lorma 1703 Editio hæc Generalium Ordinum fœderati Belgii decreto ſuppreſſa fuit, & in Boruſſiæ ditione de mandato Senatus Berolinenſis, tamquam opus ad Sabellii, ac Socini errores invehendos de induſtria elaboratum, proſcripta fuit. Legeſis Petrum Bayle in ſuis colloquiis Gallicis adverſus Jo: Clericum 1707. editis.

Biblia Italica, Biblia Hiſpanica, Biblia Germanica.

Biblia Belgica, Biblia Danica Svevica.

Biblia Anglo Saxonica, & Anglica recens, Biblia Slavica.

Biblia Bohemica, Polonica, Ruthenica. Vide in Dictionario v. *Biblia*, & *P. le Long tom. 1. Biblioth. S.* ex quo hæc ferme omnia tranſcripſi.

[BIBLIA EXTERIS ALIIS LINGUIS TRADITA.

De Bibliis Gallicis Proteſtantium ſatis actum eſt in Dictionario noſtro p. 148. addenda hic tantum aliqua ſuccurrunt de Bibliis exteris linguis traditis.

Optimam inter omnes editionem Italicæ Verſionis Antonii Brucioli eſt Veneta Zanetti an. 1540. 3. Vol. in fol. & an. 1541. 44 46 4. Vol. in fol. cum Commentariis ipſius. Recenſuit illam Todeſchi, vulgavitque an. 1560. nec tamen ideo correctior inter omnes habetur Vide judicium Voſſii in Diſquiſit. Critic. Simonium in Hiſtoria Critic. N. T. c. 50 p. 863. Baillet in ſuis Judiciis Eruditorum (*Jugemens des Sçavans*) p. 1016. Marmochim adjecit tantum tertium Machabæorum, nondum litteris Italicis traditum; & in Editione an. 1547. habet alterius Authoris Libros Jobi, & Pſalmorum carminibus Etroſcis.

Nicolaus Antonius in ſua nova Bibliotheca Hiſpanica t. 1. p. 200. col. 2. tribuit Cypriano Valeræ Biblia in linguam Caſtellanam verſa a Caſſiodoro de Reyna, qua in re falli virum conſtat; Valera enim opus illud vel tantum edidit, vel egit Amanuenſem. Ambo iſti Calviniſmum profitebantur, ambo natione erant Hiſpani.

Inter Biblia Germanica, qua linguæ nitore, qua Catholica ſinceritate præſtare cæteris creduntur Biblia Moguntina impreſſa an. 1662. in fol. cum figur. & in 4. 1668. Inter potiſſimos operi huic allaborarunt Dierembergerus, Emſerus, Eckius, Ulembergerus, Germani omnes, & Eruditi.

Nicolaus de Wingh, qui laboravit Bibliis Belgicis, vir erat Lovanienſis. Canonicus Regularis S. Martini, qui obiit an. 1552. Inter eos, qui operam impenderunt Bibliis Danicis Petrus Palladius Danus erat, & Lutheranus, Epiſcopus Roſchildenſis, qui obiit an 1560 Joannes Machabæus Scotus, & Lutheranus denatus an. 1557. Chryſoſtomus Olaus Wandalinus Lutheranus, qui ceſſit e vita an. 1555. Jo: Paulus Relem, Danus, & ipſe pariter Epiſcopus Zelandiæ, Lutheranus, qui migravit e vivis an. 1638 alter eſt autem a viro ejuſdem nominis defuncto an. 1633. Joannes Michaelis Danus Conſul urbis Malmogienſis obiit an 1532.

In Bibliotheca S. Michaelis offert ſe Codex Biblicus Svevicus impreſſus Leidæ an. 1635. in 8. cum privilegio Chriſtinæ Reginæ Sueciæ. Offert ſe ibi pariter Codex Bibliorum Anglicus an. 1639. in fol. Londini, de quo ne ambigimus quidem alteram eſſe editionem ſive operis vulgati an. 1612. ſub Jacobo I. ſive alterius impreſſi juſſu Henrici VIII. cum ab Orthodoxia defecit.

Quos inceſſerit deſiderium noſcendi aliquid de Bibliis exteris reliquis, adeant Fabricium Biblioth. Græc. l. 4. c. 5. p. 191. & ſeq. & Bibliothecam Criticam P. Cherubini a S. Joſeph Carmelitæ Reformati.]

COMMENTARIA UNIVERSALIA IN TOTUM VETUS TESTAMENTUM.

Nullus adhuc inter Veteres occurrit author, cujus Commentaria totum Vetus, ac Novum Teſtamentum complectantur. Rabanus Maurus, & Ven. Beda pleroſque Bibliorum libros explanarunt quidem, nonnullos tamen præterierunt, Cl. Fabricius varia S. Hyppoliti ſenioris Epiſcopi Portuenſis, & S. Hyppoliti junioris fragmenta in Vetus Teſtamentum collegit. Vide novam S. Hyppoliti Editionem.

S. Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis, ſeu potius recentior alius Eucherios, breviſſimas Quæſtiones in totum Vetus, ac Novum Teſtamentum concinnavit.

Antiquus Author ſub nomine S. Juſtini Martyris in 146 quæſtionibus, quas ſibi proponit, & reſolvit, plures etiam S. Scripturæ ſententias enucleavit.

S. Paterus quoddam veluti Commentarium in totum Vetus Teſtamentum, & in plurimam Novi partem, ex Operibus S. Gregorii Magni excerptum, adornavit. Alulphus Monachus Benedictinus S. Martini Tournacenſis, qui anno 1092. ſcribebat, Commentarium etiam in totum Novum Teſtamentum ex eodem S. Gregorio elucubravit.

Beda Benedictinus ex Cœnobio Girvenſi, Pentateuchum, quatuor Regum libros, Eſdram, Nehemiam, Tobiam, Pſalmos, Proverbia Salomonis, Canticum Canticorum, ac totum Novum Teſtamentum Commentariis illuſtravit.

Quæſtiones præterea in totum Pentateuchum, in Joſue, in Ruth, & in quatuor Regum Libros, & unum etiam librum inſcriptum *Variarum Quæſtionum*, ipſe confecit. Duos inſuper Libros de Creatione ſex dierum, ſive de Hexaemerone, quorum primus ante quartum Tomum Operum ipſius, & ſecundus ad paginam 52. octavi Tomi leguntur. Omnia hæc paulo ante hac prodiere. Vide infra Commentaria in Geneſim.

Duos etiam libros de Tabernaculo, de ejus vaſe, & de ornamentis Sacerdotalibus in quarto Tomo inſertos legas.

Liber de Templo Salomonis, in prima pagina octavi Tomi excuſus eſt.

In Apoſtolorum Acta Commentarium habes p. 625. quinti Tomi; & Tractatum de nominibus locorum, quæ in Actis reperiuntur, p. 662. ejus Voluminis.

Præterea *Retractationes in Actus Apoſtolorum fol. 1. 6.... tom.* Beda obiit an. 735.

Rabanus Maurus, ex Abbate Fuldenſi Archiepiſcopus Moguntinus, e vivis abiit an. 856. Commentaria in Geneſim, in totum Pentateuchum, in Judices, in Ruth, in quatuor Regum, in Paralipomena, Judith, Eſther, in Canticum, in Proverbia Salomonis, in Sapientiam, in Eccleſiaſticum, Jeremiam, Ezechielem, in duos Machabæorum, in S. Matthæum, in 14. S. Pauli Epiſtolas, ac diverſas Homilias concinnavit.

Fateamur tamen oportet nonnullos libros Bedæ, ac Rabano adſcriptos ipſis Authoribus in dubium revocari; optandumque eſſet, ut vir aliquis eruditus novam eorum Operum Editionem aggreſſus, vera a ſpuriis ſeligeret. Illud etiam ſedulo animadvertendum eſt, Bedæ ac Rabani Commentaria ex ſententiis Veterum PP. magna ex parte intexta conſtare.

Valafridus Strabus, ſeu *Strabo*, celebris Religioſus Benedictinus ex Cœnobio Fuldenſi, & tandem Abbas Augiæ Divitis in Diœceſi Conſtantienſi circa ann. 850. *Gloſſam*, uti vocant, *Ordinariam* in totam S. Scripturam compoſuit, quæ veluti Catena eſt Veterum PP. Crebro Opus hoc typis demandatum; optimæ tamen Editiones Duacenſis, & Antuerpienſis ſunt, hæc an. 1617. illa an. 1624. cui Poſtillæ Lyrani, additiones Pauli Burgenſis, Reſponſiones Matthiæ Thoringi adjectæ ſunt.

Anſelmus Laudunenſis Decanus, & Archidiaconus hujus Urbis, qui circa annum 1117. diem clauſit, Gloſſam, ſeu interpretationem interlinearem in univerſa Biblia conſcripſit.

Hugo de S. Caro, ſeu S. Theoderico Religioſus Dominicanus, & Cardinalis tituli S. Sabinæ, qui an. 1261. ſeu 1262. deceſſit, Commentaria in tota Biblia, celeberrima elaboravit. Eidem etiam Latinæ Bibliorum Concordantiæ, opus S. Scripturæ ſtudio utiliſſimum, adſcribuntur. Tanto operi elaborando 500. Confratrum labore, & ſedulitate uſus fuiſſe fertur. *Sixt. Senen. Biblioth. S. l. 3.*

Nicolaus Lyranus, cui nomen ab oppido Lyræ, viri patria, in Diœceſi Ebutovicenſi, Judaicæ ſuperſtitioni ab incunabuliis addictus, poſtquam per Baptiſmum ad Chriſtianorum ſacra tranſivit, S. Franciſci ordinem ingreſſus eſt; deceſſiſſe fertur an. 1340. Poſtillas ſeu parvula Commentaria in tota Biblia reliquit. Ex Rabbi Salomone Jarchi, quem ſedulo perlegerat, plura in ſua Commentaria derivat, quæ perſpicuitate potiſſimum commendantur. Plures etiam in illis Judæorum Traditiones. Stylus ſæculi barbariem redolet. Paulus Burgenſis ex Judæo Chriſtianus, pluribus additionibus Lyrani opus provexit.

Dionyſius Chartuſianus, *Rikelius* etiam appellatus, ex oppidulo hujus nominis, viri patriæ, in Leodienſi Diœceſi ſito, circa annum 1471. e vita migravit. Commentaria in totam S. Scripturam concinnavit. In illis quidem, non multum prophanæ eruditionis, & criticæ, ſed pietatis, & Religionis plurimum præſefert.

Commentaria in omnem fere Scripturam ex D. Auguſtini libris per Joan. Gaſtenium Baſileæ 1540.

Emmanuel Sa e Societate Jeſu, breves in totum Vetus ac Novum Teſtamentum annotationes elaboravit, pluries recuſas, & tyronibus, iiſque, quibus perfunctorium tantum S. Scripturæ ſtudium permittitur, utiliſſimæ. In Bibliis Antuerpienſibus apud Plantinum 1624. 2. vol. in fol. una cum annotationibus Joannis Marianæ inſertæ ſunt; ſicut in magnis Bibliis P. de la Haye Pariſiis excuſis 1. Vol. in fol. an. 1643. ac tandem in Bibliis maximis [a] ejuſdem P. de la Haye Pariſiis 1660. Author hic e vivis ereptus an. 1596.

Joannes Mariana, Societatis Jeſu, breves in tota Biblia notas condidit. Ejus opera in iiſdem fere omnibus Collectionibus, in quibus Emmanuelis Sa, excuſa exhibentur. Supremum diem explevit an. 1624.

Joannes Menochius pariter e Societate Jeſu, Pariſiis ortus, Romæ occubuit; brevem, at ſolidam literalis ſenſus totius Scripturæ Sacræ explicationem edidit, quæ crebro Pariſiis recuſa, & in Magnis, ac in Maximis Bibliis P. de la Haye inſeritur. P. Tournemine eam iterum 1719. cum ſupplemento quorundam Tractatuum ad S. Scripturæ intelligentiam utilium, in lucem emiſit. [b]

Jacobus Tirinus e Societate Jeſu, mortuus 1617. Commentarium in tota Biblia reliquit, quo uno præſtantiora quæque cæterorum Interpretum, & præſertim Cornelii a Lapide in compendium redegit. Ejus opera longe lateque pervagata, & ſeorſim impreſſa, in Bibliis etiam Patris de la Haye traduntur.

Jacobus Gordonius ex Societate Jeſu, Commentarium ferme ſimile Tirino, at paulo fuſius, & amœnius elucubravit, Pariſiis 3. vol. in fol. 1682.

De his tamen Commentariis breviſſimo compendio multa complexis, uti Marianæ, Menochii, Tirini, & Gordonii, ſicut & de Gloſſa interlineari Anſelmi Laudunenſis, illud fateamur oportet, nonniſi confuſam rerum ideam indere, leviori brachio implexas quæſtiones enodare, ac tandem varias diverſarum ſententiarum rationes, ne attingere quidem potuiſſe. Multum tamen Operibus hiſce juvantur ii, quibus ingentis molis volumina evolvendi, ſive otii, ſive ingenii ſatis non eſt, vel ſaltem Libris illis comparandis ſumptus idonei non ſuppetunt.

In numero Commentariorum generalium totius Scripturæ cooptari merito poſſunt collectiones ſupra laudatæ, ſcilicet Biblia a Plantino impreſſa an. 1624. cum Notis Emmanuelis Sa, & Marianæ; Biblia Magna P. de la Haye, in quibus Opera Sa, Menochii, Gagnæi, Tirini, Eſtii continentur, et tandem Biblia Maxima ejuſdem Authoris, quæ pariter Lyrani, Eſtii, Menochii, Tirini opera complectuntur. Gagnæi opera, licet in titulo enuncientur, numquam tamen in Operis decurſu deprehendiſſe mihi ſucceſſit. [c]

Synopſis

[a] In Bibl. Maxima deſunt Annot. P. Sa. [b] Hæc Editio P. Tournemine recuſa fuit Venet. 1722.
[c] Gagnæi Adnotationes in Apocalypſim occurrunt tom. 17. ejuſdem Operis.

Digitized by Google

Synopſis Criticorum, a Matthæo Polo edita, & Londini excuſa 1699. dein Ultrajecti 1684. 5. Vol. in fol. & in Germania in 4. Interpretes bene multos plerumque Proteſtantes ſummatim comprehendit. Horum quidem ſinguli Commentaria in totam Scripturam non dederunt; ſed tota Operum Collectio integrum Interpretationum corpus in omnes Scripturæ Libros conficit; iis tamen exceptis, quos Proteſtantes ad Apocrypha rejiciunt, videlicet Sapientiam, Eccleſiaſticum, Tobiam, Judith, Additiones Eſther, Danielis, & duos Machabæorum libros.

Quare altero Volumine, in quo hæc omnia adderentur, Opus mancum eſt. Major etiam in tota Collectione deſideraretur ordo & accuratio, ut ſuum pretium eſſet Libro, cæteroqui non inutili, atque amplioris Bibliothecæ, & linguarum auxilio deſtitutis, quo veritatem ex ipſis fontibus eruant, aptiſſimo. Si variantes etiam quædam lectiones, eaque interpretationum farrago eadem recinentium reſecarentur, & Operis moles decreſceret, & Lectorum tædio, ac confuſioni parceretur.

In eumdam ordinem redigi poſſunt Magni Critici Angli inſcripti; *Critici Sacri*, quorum Collectio in novem magna Volumina *in fol.* digeſta eſt, ſive etiam in decem, cum opus pariter Ludovici Tena in Epiſtolas ad Hebræos, Amſtelodami impreſſum 1698. complectantur. Acceſſere ad hæc duo Volumina in fol. Diſſertationum ſelectarum in Vetus ac Novum Teſtamentum, inſcripta: *Theſaurus Theologico-Philologicus .... ad ſelectiora & illuſtriora Veteris, & Novi Teſtamenti loca*. Antuerpiæ, & Ultrajecti an. 1701.

Denuum ſupplementi loco addita ſunt duo Volumina *in fol.* Francofurti ad Mœnum edita 1700. in quibus nonnulla opera Sixtini Amama, Cartwigth, Joannis Baptiſtæ Fiſci, Joannis Druſii &c. Animadvertere tamen juvat, annotationes Sixtini Amama Cartwigth, & Joannis Druſii in primo, ac ſecundo magnorum Criticorum Tomo jamdudum reperiri; proindeque hos duos extremos Tomos, iis, qui magnos poſſident Criticos, nullius eſſe utilitatis.

Cæterum Magnorum Criticorum collectio a Synopſi Critica diſcrepat, non modo quod illa Authores bene multos in Synopſi Critica illaudatos complectitur; verum etiam quia Synopſis ad compendium contrahit, hæc integre ac complete adnotationes recenſet. Univerſa Operum hujus laus ex ordine & ſelectione Authorum dependet. In Sacris Criticis autem plerique, qui inſeruntur Authores, in explicatione literalis ſenſus laudatiſſimi ſunt; plura etiam inſeruntur ſcripta alioquin rariſſima.

Quoad *Theſaurum Theologicum*, ac *Philologicum*, Diſſertationes, e quibus conſtat, neque ſelectæ ſunt; & inter optimas nonnullas, pleraſque tamen rudiori Minerva elaboratas continet. Fere enim ſcripta ſunt ſive orationes juvenum quorumdam, Academicas aliquas dignitates, ſive Miniſterii munus in Eccleſiis Proteſtantibus ineuntium. Porro illi inanem quamdam linguarum cognitionem, nullo fultam veræ eruditionis, ſolidæque ratiocinationi præſidio, venditare hiſce ſcriptiunculis ambiebant.

Iſidorus Clarius Benedictinus, Epiſcopus Fulginas in Umbria, annotationes in totum Vetus ac Novum Teſtamentum Venetiis excuſas in fol. 1542. edidit. Ejus annotationes in Vetus Teſtamentum eædem, ac Sebaſtiani Munſteri ſunt; ſed emendatæ, ac in compendium melioremque formam redactæ. Prologus, ac Prolegomena Clarii in Prohibitorum Indicem rejecta ſunt. Editio anni 1564. ad Cenſorum Romanorum mentem caſtigata eſt. Clarius occubuit 1555.

Franciſcus Vatablus, Regius Hebraicæ linguæ in Pariſienſi Univerſitate profeſſor, annotationes in S. Scripturam nunquam conſcripſit; at ex ejus diſcipulis Bertinus, Comes nuncupatus, cum omnes hujus eruditi viri explicationes collegiſſet, ac Calviniſtica tabe prius infeciſſet, Roberto Stephano tradidit. Stephanus in lucem emiſit 1545. Vatablus gravate rem ferens, Typographum malæ fidei reum ad Tribunal expoſtulavit; ſententia tamen adhuc pendente e vivis migravit an. 1547. DD. Salmanticenſes, ut Opus eximium alicujus eſſet apud Catholicos uſus, expurgarunt, Salmanticenſem Editionem, pluries dein recuſam a. 1584. vulgarunt.

Biblia Latina Theologorum Lovanienſium Antuerp. Plantini 1580. 82. 83. 84. 87. 1590. Biblia hæc variantibus lectionibus, ac eruditis illuſtrata ſunt annotationibus, quibus Lucas Brugenſis, Molanus, Hunnæus, Cornelius, Reynerius, & Joannes Harlem operam ſimul navarunt.

Biblia Sacra cum expoſitionibus priſcorum Patrum literalibus, & myſticis, ipſorum verbis fideliter prolatis, Collectore, & Scholiaſte Franc. Harao Ultrajectino, *Antuerp.* 1630. Haræus Canonicus Lovanienſis obiit an. 1632.

Biblia Latina cum ſelectiſſimis notis Joannis Baptiſtæ Duhamel, Pariſ. 1700. Editio Typographicis mendis ſcatens, nihil ſingulare exhibet in notis.

Guillelmus Eſtius explicationes in abſtruſiora Veteris, ac Novi Teſtamenti loca edidit; plurima omiſit intacta; & quæ ipſe digeſſit, egregiam viri famam, aliis editis Operibus debitam, non merentur. Poſthumum eſt Opus, quod in Bibliis Magnis, ac Maximis impreſſum eſſe jam diximus. Seorſim etiam inter opera Eſtii vulgatum eſt.

Joannes Maldonatus opus Eſtio ſimile in lucem emiſit *In præcipuos utriuſque Teſtamenti locos Pariſ.* 1643.

Cornelius a Lapide Belga e Societate Jeſu, e vivis ereptus an. 1637. decem Volumina in fol. Commentariorum in Scripturam S. reliquit; nullum tamen ejus opus in Pſalmos & in Jobum. Senſum non modo literalem, hiſtoricum, & grammaticalem, verum etiam allegoricum, moralem, & anagogicum complectitur, & controverſias interdum, hiſtoriæ, ac criticæ operi immiſcet. Hebraicas & Græcas linguas apprime callebat; Eruditos ante ſe Interpretes perlegerat. Ejus ſtylus ſimplex & incomptus: ut veros, aſſertoſque Libros allegat, qui hodie a præſtantioribus Criticis tanquam ſuppoſititii habentur, videlicet Chronica Lucii Dextri, Antiquitates Annii Viterbienſis, Pſeudo-Methodius, & plures alii. Varia opera Patribus falſo adſcripta eorum nomine laudat; quod tamen ejus ſæculi vitio potius tribuendum eſt; nondum enim Critici nondum PP. ſcripta ad trutinam revocaverant; nec elegantes adhuc eorumdem PP. Editiones in lucem prodierant. Hæc autem a nobis de Cornelio dicta, aliis etiam ejus ætatis Interpretibus excuſandis valent. Opera Cornelii a Lapide late pervagata, ac pluries edita, utilitatem plane demonſtrant.

Thomas de Vio Cardinalis, nomine Cajetani notiſſimus, tota Biblia illuſtravit, exceptis Eccleſiaſte, Cantico Canticorum, Prophetiis omnibus, Libris V. T. quorum Græca tantum Exemplaria manent; ac Apocalypſi; ea omnia in 5. volumina in fol. digeſta Lugduni 1639. prodierunt, & alibi ſeorſim. Cum neque Hebraicæ, neque Græcæ Linguæ cognitione, uti ſupra innuimus, inſtrueretur, eorum tamen defectum adhibitis Judæo quodam & Chriſtiano iis linguis imbutis ſupplevit; illis enim vocabulorum vim explicantibus; ipſe, quæ ab illis didicerat, Latine excipiebat. Ita adornata Verſio, cui literalis Commentarius adjectus; Opera ſane pro viro aliena ope & eruditione indigo, & qui ambagibus implexam eſſe Hebraicam Linguam ſibi perſuaſerat, non prorſus ſpernenda. Obiit Cajetanus an. 1534. ætatis ſuæ 65.

Lucas Brugenſis Decanus Audomaropolitanus annotationes in omnes Scripturæ Libros, in tertio ipſius Operum Tomo Antuerpiæ 1712. excuſas, edidit. Præterea Commentaria in quatuor Evangelia, Correctiones Romanas, & variantes lectiones ex Veteribus Manuſcriptis elaboravit. Author eruditus, prudens, ac judicii acumine præſtans. Ejus opera, paulo ante perrara, poſt novam anni 1712. editionem evulgata ſunt. E vivis exceſſit an. 1619.

Biblia & Commentaria Gallica *D. de Sacy* omnium manibus teruntur. Duos ille ſenſus literalem ſcilicet, & moralem, ſeu ſpiritualem complexus eſt; in elucidatione vero ſpiritualis ſenſus potiſſimum laborat. Literalem etiam ſenſum diſerte quidem exponit; ſed & difficultates leviori brachio attingit, & Originales textus, ac varias Interpretatum opiniones ad calculum non revocat. Horum operum ſummam, & ideam in principio hujus Catalogi exhibuimus.

Commentarium literale, quod nos typis 25. Voluminibus in 4. per Petrum Emericum Patrem ab anno 1707. mandavimus, Textum Latinum, Verſionem Gallicam. Commentarium Gallicum literale in Libros Scripturæ hiſtoricos, ac literale, & morale in Libros morales comprehendit. In capite Librorum hiſtoricorum, ac Propheticorum Præfationes, Diſſertationes, Tabulæ Geographicæ, Locorum ſchemata, & Tabulæ Chronologicæ, ut Lectoris commodo ſervirent, præfixæ ſunt. Ad caput etiam Librorum Moralium Præfationes ac Diſſertationes ad obſcuriora,

giora, ac difficiliora loca illuſtranda præmiſſæ; illud enim in opere elaborando nobis propoſuimus, ut unum illud omnium loco haberi potuiſſet. Nuper collectio noſtrarum Præfationum, & Diſſertationum in formam Prolegomenum digeſtarum typis evulgata eſt 3. Vol. in 4.

[Ut commode, pro argumenti merito res tota tractaretur, opportunum eſſet diſtinguere Commentarios generales veteres ac recentiores Catholicorum, a commentariis generalibus Proteſtantium; tum pariter commentarios, qui nominis hujus ideam implent, a Lucubrationibus aliis, quas melius dicas ſeu Scholia ſeu criticas Animadverſiones: percurrendi eſſent Patres omnes Græci Latinique, qui omnes Scripturæ Libros illuſtrarunt, iique per ſeriem temporis digerendi eſſent; tum ſermo deflectendus ad Authores catholicos; qui veſtigia illorum relegunt, non diſſimilis indolis commentarios dederunt a ſæculo 13. uſque ad nos; tandem luſtrum agendum eſſet Proteſtantium, a Luthero & Calvino adusque noſtram ætatem; agenda in cenſum Opera critica & ſcholia, quæ utrique procudrrunt. Id autem vix totum implevaris in Supplemento; quare ne argumentum oneremus potius quam juvemus, ſatis fuerit hic aliqua adnotaſſe in commentariis qua Orthodoxis, qua & Heterodoxis veterum & recentiorum; quorum jam meminimus.

S. *Hypolitus*, quem omnium primum retulimus, agebatque in vivis tertio Eccleſiæ ſæculo, ſcripſit ad Sacros Libros illuſtrandos non pauca. Prodierunt ejus Opera Hamburgi curante Joanne Fabricio an. 1716. & 1719. 2. Vol. *fol.* Eſt autem editio illa accuratiſſima omnium quotquot colligi potuerunt viri hujus ſancti, cujus ſchema exhibet idem Fabricius in ſua Bibliotheca Græca, t. 5. p. 203. 213. P. le Long in majori ſua Bibliotheca ſacra t. 2. p. 778. catalogum inſtruit omnium Lucubrationum ipſius in vetus Teſtamentum, quod & exequutus eſt Fabricius in ſua Bibliotheca Eccleſiaſtica ad c. 61. catalogi Scriptorum S. Hieronymi. Etenim ad novum Teſtamentum quod attinet, quanquam juxta Rabanum Maurum certo conſtat primum illum inter commentatores Græcos S. Matthæum illuſtraſſe, ejus tamen Opus detegere nunquam datum eſt.

Adhæſit S. Irenæo, ejuſque nomen inter illuſtres Eccleſiæ Doctores jam inde anno 228. celebrabatur. Epiſcopatum geſſit, ubi locorum incertum; illud conſtat, vitam dediſſe pro fide Jeſu Chriſti anno 235. Vir quidam Sanctus, confeſſor ſeptimi ſæculi, ſæpius illum celabrat encomiis magni & ſacratiſſimi Doctoris, fidelis teſtis veritatis, e cujus ore Spiritus Sanctus loquebatur.

S. Eucherium ſeniorem genuinum eſſe Authorem Quæſtionum Veteris Novique Teſtamenti, ambigit nemo. Extat opus illud excuſum in Collectione Operum ipſius Baſileæ *fol.* & ſeorſum ibid. anno 1530. 4. ut in poſtrema Bibliotheca Patrum t. 6. p. 822. Equidem Caſſiodorus Divin. Lect. c. 10. Eucherium quendam inter eos accenſet, qui generales regulas aſſignarunt, aſſuderuntque veluti lumen ad rectam Scripturarum interpretationem; cujus ipſe Caſſiodorus ſcripta in inſtructiſſima Bibliotheca ſua collocaverat. Junioris alterius Eucherii, quem utpote ætati ſuæ poſteriorem non noverat, meminiſſe ille utique non potuit. Quare Seniorem habuit præ oculis, ſuoque illo teſtimonio evicit apud Eruditos, ut uni huic Scriptori Opus iſtud tribuerent. Ardua ſunt quædam, fateor, in hac ſententia; ſed viam æquat D. Tillemontius in vita viri Sancti §. 4. not. 3. & 4. p. 850. t. 15. Commentariorum Eccleſiaſticorum. Addit & ſcitam ejus Operis analyſin ibid. pag. 129.

Salvianus Epiſcopus Maſſilienſis viri ſancti amicus nunquam ſatis admirari ſe poſſe dicebat doctrinam hujus Operis cœleſtem, cujus texendo elogio imparem ſe profitetur. Duo ſunt Libri, ait ille, verbis quidem breves, ingentes vero grandibus, quas continent, veritatibus.

Extant etiam ejus Authoris *Formulæ*, quas appellat principia intelligentiæ Scripturarum; offert autem illas & Collectio Operum ipſius, & Bibliotheca Patrum, *ibidem*. Agit ibi de Feſtis, Idolis, veſtibus Sacerdotalibus, ponderibus & menſuris Hebræorum, de quibus ſicet conciſe nec ſemper ad veritatem exacta, adhuc tamen non inutiliter, tractat. Tandem P. le Long in ſua Biblioth. Sacr. t. 2. p. 716. aſſerandum ſibi docit eidem Authori deberi Epiſtolam ad Fauſtinum Presbyterum de ſitu Jeruſalem & Judææ, quam P. Labbe imprimendam curavit in ſua Bibliotheca Manuſcriptorum to. 1. p. 665. ſub nomine Eucherii Epiſcopi; & D. Tillemontius non obſcure innuit Eucherium hunc ipſiſſimum eſſe forte Seniorem illum Epiſcopum Lugdunenſem; verum, ait ille, cum Lucubratio ſit obſcuriſſima, mendis ſcateat, nihilque contineat alicujus momenti, ejus Authorem inveſtigare parum refert.

Patria erat Lugdunenſis, ubi & Epiſcopus renunciatus eſt circa an. 441. quo Concilio Aurelianenſi interfuit. Tandem poſt vitam dignam Epiſcopo diem clauſit a. 449.

Juſtinus Quæſtiones 146. quarum ſub hoc nomine meminimus, leguntur inter opera S. Juſtini; ſed de genuino illarum Authore varii varia. D. Tillemontius in vita S. Juſtini Martyris ſolidis argumentis demonſtrat alienum eſſe a viro ſancto opus, vindicandum potius Scriptori quinti vel ſexti ſæculi, quem Juſtinum Siculum appellari quidam ſuſpicantur.

Convenit inter omnes ſcriptum illud eſſe utiliſſimum & Theologo dignum, cum in eo plures quæſtiones Theologiæ poſitivæ ſolide exponantur, illuſtrenturque loca Scripturarum plura. Elegantem ejus Analyſin exhibet P. Nourry in ſuo Apparatu t. 1. p. 460. Dodvvellus, qui quæſtiones haſce legerat, illarum Authorem, quicunque tandem reputandus ſit, commendat elogio viri judicio gravis, eruditionis profundæ, & abſolutiſſimi ingenii.

S. Paterus, Viri hujus Sancti Commentarius impreſſus eſt in tomo 4. par. 2. novæ Editionis S. Gregorii cum inſtructiſſima Præfatione a noſtris Patribus adornata. Addiderunt illi pariter ſecundam partem in novum Teſtamentum, quæ nondum ad id uſque prodiarat. Quidquid enim in Editione Romana, & Pariſienſi per Gonſſainville datum eſt, diſcrepat plurimum ab iis, quæ ex manuſcriptis, 500. vel 600. annorum vetuſtis, prodierunt. Inngendus & Alulfus, cujus Commentarius ibidem exhibetur p. 587. Ejus Prologum dederat jam D. Mabilion in ſuis Analectis t. 1. p. 312. cum Animadverſionibus ibid. p. 317. Commentarius vero jam prodierat Pariſiis an. 1516. in 4. Oudin in ſua Bibliotheca Eccleſiaſtica nova t. 1. c. 17. diſſertationem ſcribens in Opera S. Gregorii Papæ, demonſtrare conatur, ſecundas partes illas, quas Patres noſtri exhibuerunt, non Pateri eſſe, ſed Brunonis cujuſdam agentis in vivis an. 1110. vel 1150. Faſcribit ille Prologum ejuſdem Brunonis in formam Epiſtulæ ad Vernerum.

Quanquam geminis hiſce Scriptoribus idem ſit conſilium excerpendi nempe Opera S. Gregorii, alia tamen, & alia fuit ætas utrinſque. Paterus florebat exeunte ſæculo ſexto, & ſeptimo ineunte; cum Diſcipulos & amicus intimus acceſſiſſet Magno huic Pontifici. Alulfus componitur cum exitu ſæculi 11. & non 12. uti ſcripſit D. Du-Pin in ſua Biblioth. Eccleſ. & in Tabulis t. 2.

Quot nobis hic dicenda ſuccurrerent de Ven. Beda, niſi anguſtis nimis limitibus reſtringeremur? Addemus tantum D. Martene in ſuis Anecdotis t. 5. p. 211. & 295. reimprimendos curaſſe quatuor ejus Libros in exordium Geneſeos uſque ad exortum Iſaac, ſicut & Librum ipſius in Canticum Habacuc cum notis & variantibus e Mſſ. quanquam utrumque Opus prodiit jam antea Londini an. 1693. in 4. opera Wartonis.

Natus eſt in Anglia an. 672. & ſeptennem puerum obtulerunt parentes ſancto Abbati Benedicto Biſcop, ſtatimque monaſticis indutus eſt; unde viginti natus annis Diaconato & 30. Sacerdotio initiatus eſt. Docuit, plurima ſcripſit, nec tamen Monaſticarum exercitationum ſeriem pervertit; obiit tandem an. 725. ætatis 63. In ſuis Commentariis proſequitur expoſitiones SS. Patrum, quarum phraſes adoptat; nec tamen ſuis Authoribus laudem invidens nomina illorum adſcripſerat, quanquam in manuſcriptis Amanuenſium incuria nomina illa interciderunt.

Rabanus Maurus e toto Pentateucho Geneſim tantum illu-

illuſtravit Commentariis; reliquos quatuor Libros proſecutus eſt Strabus ejus diſcipulus, qui tamen integra fide, & compendioſe verba Magiſtri ſui refert, ut proinde primus author totius operis merito Rabanus habeatur. Extat manuſcriptum Rabani ſolum continens Opus in Geneſim, in reliquos quatuor Libros nihil; & in alio manuſcripto Collegii Oxonienſis legimus Rabanum adornaſſe tantum Commentarium in Geneſim, reliqua in Pentateuchum deberi Strabo; quod pariter legitur in Præfatione in Exodum: verba habes relata apud P. le Long. p. 917. col. 1.

Epiſtola nuncupatoria in Joſue, ſicut & præfatio in Judith & Eſther deſiderantur in editione Pamelii; ſed defectum ſupplevit P. Mabillon ſeorſum illas imprimendas curans in Actis Benedict. 4. ſæc. 2. par. p. 41. 42. Excidit recenſuiſſe inter reliqua & Allegorias in univerſam Scripturam quas offert Operum ipſius to. 5. p. 749. ſicut Commentarium in Acta cum Gloſſario Latino totius Scripturæ manuſcripto Oxonii; ex Commentario vero hoc fragmentum recitat P. Queſnel in ſua Diſciplina Eccleſiaſtica to. 1. p. 85.

Natus eſt Moguntiæ circa annum 788. juxta P. Mabillon; Monaſticam profeſſionem inſtituit in Abbatia Fuldenſi, ubi Scholæ præfuit. Diaconus initiatus eſt, renunciatuſque Abbas & Sacerdos; tandem anno 847. aſſumptus ad Cathedram Moguntinam; obiit demum an. 856.

Gloſſæ ordinariæ Strabi ad 14. varias editiones recenſet P. le Long Biblioth. p. 1010. col. 2. Editioni an. 1634. acceſſerunt in tomo 6. celebre Opus Lyræ in Judæos, ejus Expoſitio in Decalogum, & Pauli Burgenſis Scrutinium Scripturarum. Ad hæc Analyſes, Parallela, Tabulæ Geographicæ & Proſographicæ, ut editionem hanc perinde charam habeant Theologi & Concionatores ac theſaurum. Fuſius agit de illa, totamque late ſub oculis expandit Fabricius in Hiſtoria Bibliothecæ ſuæ. Illud autem de Gloſſa Strabi ingenue fatendum clavem eſſe ad reſerandum ſenſum literalem, hiſtoricum, & moralem Scripturarum aptiſſimam. Eſt autem Opus veluti e ſententiis Patrum contextum.

Diem jam obierat anno 849. neque enim ultra quadragenarium vixit; quare nonniſi per errorem Abbas renunciatus fertur circa an. 750.

Anſelmus Laudunenſis omnium primus aggreſſus eſt Gloſſam interlinearem addere Gloſſæ marginali Strabi; legas autem illam in prioribus Gloſſarum editionibus. Vindicat illi pariter Trithemius Commentarium in Pſalmos, qui nondum prodiit. Non deſunt pariter qui eidem Authori tribuant Commentarios impreſſos ſub nomine Anſelmi Cantuarienſis in editione Operum ipſius Coloniæ an. 1612. *in fol.* Eidem pariter deputantur accepto Explicationes in Evangelia, & Commentarius in S. Matthæum excuſus Antuerpiæ an. 1651. in 8. Nec tamen hæc omnia ita ſunt explorata, ut fidem extorqueant indubiam: id autem illuſtraſſet D. Gerberon, ſi ſpatium temporis commodum nactus fuiſſet exhibendi genuinos Commentarios Archiepiſcopi Cantuarienſis.

Laudunenſis iſte Epiſcopus deceſſit an. 1117. quem Galliæ & totius regionis Latinæ lucem appellat Guibertus; virum venerabilem optimis conſiliis ſuis & morum ſanctitate nuncupat Joannes Canonicus Victorinus.

Hugo de S. Caro non Commentarios re ipſa quidem ſcripſit, ſed Scholia, vel potius Gloſſas 8. vol. *in fol.* impreſſas Venetiis an. 1600. poſtrema Editio eſt Lugdunenſis an. 1669. Quatuor Scripturarum ſenſus proſequitur: quæ dedit in Pſalmos fuſiora ſunt, & magis quam cætera elaborata, ut Commentarii dignitatem aſſequantur. Olim affictum erat Opus Alexandro Alenſi; ſed genuino Authori reſtituit S. Antoninus.

Secundi Ordinis ſui Magiſtri in Theologia dignitatem aſſecutus eſt, & Cardinalatum primus tenuit, quam dignitatem geſſit tradente Innocentio IV. an. 1246. obiitque tandem an. 1263. vel. 1260. juxta nonnullos. Morientis illius dictum plurimum celebratur, maluiſſe ſcilicet totam vitam ſuam egiſſe in clauſtris, quam in Cardinalatu.

P. de la Haie imprimendas curavit Poſtillas Lyrani in Bibliis Maximis ſuis an. 1660. Leguntur pariter in variis Editionibus Gloſſæ Strabi. Dedit etiam differentias Veteris Novique Teſtamenti, cum expoſitione nominum Hebræorum, Rothomagi in 8. vetus editio, cujus incertus eſt annus.

In ſuis Poſtillis lucem iis affundit, quæ magis obſcura ſunt in litera Scripturæ, judice Serrario; & nobis etiam teſtibus melior eſt Commentariorum Scriptor, quam ne pluribus perſuadeatur, ſuoque in Rabinicis ſtudio multum contulit Eccleſiæ. D. Mabillon in calce Operis de Studiis Monaſticis recitat Epitaphium ipſius, in quo vitæ ejuſdem circumſtantiæ potiſſimæ. Judæum retuliſſe originem nuſquam hic legas; habes autem obiiſſe an. 1340.

Infinitæ propemodum Editiones datæ ſunt Commentariorum *Rikelii* vel *Dionyſii Carthuſiani* pluribus voluminibus *in fol.* Ad duodecim loco & tempore varias exhibet P. le Long. Adornavit etiam Epitomen vel Summarium Oraculorum utriuſque Teſtamenti excuſum Coloniæ an. 1534. in 8. *Monapanton* idest *Omnia unum* ex Epiſtolis S. Pauli; excuſum Pariſiis an. 1631. in 16. quod deinde Opus, Gallice verſum ſub titulo Concordiæ S. Pauli cum cæteris Apoſtolis, prodiit *ibid.* an. 1663. in 12.

Opus iſtud mole licet breviſſimum, cætera ejus omnia longe ſuperat, qua utilitate ſua, qua ſapore. Promptus condus eſt ſelectiſſimorum Textuum Apoſtoli in certas claſſes diſtributorum, quæ Author excerpſit in rem ſuam; quare ſicut Epiſtolæ Doctoris Gentium inter pretioſiſſima Librorum Sacrorum reputantur, ita pariter & Collectionis hujus pretium eſt infinitum.

Author eſt iſte, qui inter cæteros plura ſcripſit, quod maxime admirere in Carthuſiano homine, cujus eſt temporis maxima portio Pſalmodiæ deſtinata: ſtilo utitur ſimplici quidem & facili, docto nihilominus & gravi: de Myſteriis ſumma cautione loquitur.

Eorum quæ de hoc Commentario dicta ſunt a nobis, plura ad limam revocari oportet; 1. Legendum Caſtius & non Gaſtenium; ita enim Virum hunc appellant Draudius, & Dupin. 2. Alius eſt Operis genuinus Author; vindicandum eſt enim viro inclyto Bartholomæo Epiſcopo Urbinati, Scriptori jam noto ex Lucubratione ſua *Milleloquii* in S. Ambroſium & S. Auguſtinum. Caſtius Calviniſta & miniſter Baſilienſis edi tantum Opus curavit an. 1542. 2. vol. *fol.* detruncatis vel deſiguratis pluribus, juxta Sixtum Senenſem, qui in Bibliotheca Sancta affirmat, hominem illum audacem manum extendendo in opus craſiſſe Authoris genuini nomen, ut ſuum ſubſtitueret, poſt intruſos pariter in Textum errores non infrequenter. D. Dupin in ſuis Tabulis Hæreticorum ſatis habet accuſaſſe illum de eaſcripto penitus hoc Commentario. Prodiit etiam Venetiis an. 1543. in 4. 2. vol.

De Adnotationibus Emanuelis Sa & Marianæ nihil quidquam habes in Bibliis Maximis P. de la Haie; ſed Scholia Sa & non Marianæ offerunt Biblia ejus Magna. Excuſa ſunt Marianæ ſeorſum Pariſiis an. 1620. *fol.* & recens etiam cum Sa *in fol.* Juvat etiam animadvertiſſe, Scholia Sa in quatuor Evangelia penitus differre ab iis, quæ P. de la Haie inſeruit in tomo 4. Bibliorum Magnorum, uti ex collatione utriuſque Operis liquet. Impreſſa ſunt Antuerpiæ an. 1590. in 4. Lugduni an. 1602. Coloniæ 1612. ubique pariter cum Menochio & Textu Bibliorum an. 1624.

D. Simon in ſua Hiſtoria Critica V. T. pag. 416 & 420 & Novi pag. 636. & 637. judicium plane diverſum de utroque hoc Jeſuita reddit. Prioris illius Scholia conciſa nimis & critica deſtituta arbitratur. De ſecundi vero Scholiis æquius pronunciat; & Matthæus Polus de illis in ſua præfatione habet: *Exigua quidem mole, ſed uſu non contemnenda, & cum judicio exarata.*

Sa Patria fuit Luſitanus; Mariana Hiſpanus; profeſſione Jeſuitæ ambo: prior ille obiit an. 1596. alter nonagenarius ferme an. 1626. Uterque decori Societatis contulit plurimum: Sa prædicatione; quod enim viro de eloquentia decedebat, ſupplebatur abunde religione ipſius ſingularitas; Mariana vero excellebat ſcientia linguarum & hiſtoriæ.

Menochius natus eſt, non Pariſiis quidem, uti nobis imprudentibus excidit, neque enim eo venit unquam; ſed Papiæ, cum Italus eſſet genere & filius Menochii, cujus clarum eſt inter Juriſconſultos nomen. Inter Jeſuitas dedit nomen anno ætatis 19. obiitque Romæ annorum ætatis 82.

Judicio DD. Simonis & Dupin eximius eſt Scholiaſtes Scripturarum Sacrarum; qui uno verbo plus habet ſucci, quam reliqui longo & prolixo ſermone.

Com-

Commentarii *Tirini* omnium poſtrema dederunt prelo Auguſtæ Vindelic. an. 1704. *fol.* abſque Textu Bibliorum. Cum Textu prodierunt Antuerpiæ an. 1634. 3. vol. *fol.* Chorographia Terræ Sanctæ ejus Authoris legitur in Bibliis Latinis Gordonis; Prolegomena ponderum & menſurarum veterum Hebræorum, Græcorum & Romanorum extant in Polyglottis Anglicis, ſicut & in Bibliis Maximis P. de la Haie.

Juxta DD. Dupin & Simon, totum ſe impendit illuſtrando atque exacta fide reddendo ſacro Textui. Natus eſt Antuerpiæ an. 1580. ingreſſus Societatem an. 1600. denatus tandem an. 1636. cum ætatem ageret annorum 56. & non 44. uti male Fabricius in Hiſtoria Bibliothecæ ſuæ t. 1. p. 265. *Candidi vir ingenii, multæque & accuratæ eruditionis*, ait Valerius Andreas.

Commentarii Gordonis excuſi ſunt an. 1636. & non 1632. quod nobis excidit. Nonniſi unica Operis hujus editio data eſt; nec enim æſtimatur plurimi, & utilitatis habet parum. Agit ſe uti Theologus, Controverſiſta, & Chronologus. In Scotia natus venit Pariſium, ubi nomen dedit inter Jeſuitas an. 1573. ætatis 22. obiitque 88. annorum ætate ſenex an. 1641.

Quidquid commodi provenire poteſt e magnis & maximis Bibliis P. de la Haie pendet ex delectu optimorum Commentatiorum, quos alterum poſt alterum ſubjicit ſingulis verſiculis Scripturæ. Præferri ſolent Biblia Magna Maximis, quod priora illa plures continent Authores quam poſteriora, nihilque afferunt de Authoris ſenſu; cum viciſſim poſterius Opus incommodum ſit ingenti voluminum numero, tum & ex iis, quæ de ſuo Marte adjecit Author. In editione Gallica Bibliothecæ noſtræ nihil contineri in illis Gagnæi diximus; reipſa tamen in tomo 17. totum ejus Opus in Apocalypſim recitatur; quare falli conſtat P. le Long aſſerentem contineri ibi Scholia Gagnæi in totum novum Teſtamentum.

Joannes de la Haye, alius a geminis cognominibus viris, altero Canonico Turonenſi, Jeſuita altero, natus eſt Pariſiis an. 1593. concedenſque in Hiſpaniam adjecit ſe Franciſcanis an. 1612. apud quos Theologiam docuit; reſtitutum in Galliis ſelegit Anna Auſtriaca a confeſſionibus, quippe quem virum noſſet morum probitate eximium; obiitque an. 1661.

Sermonis noſtri hic facimus exordium ex Magnis Criticis, quippe qui præceſſerint Synopſim, & poſtremum hoc Opus nihil ſit aliud quam epitomes Operum in prioribus illis contentorum, qua ex Catholicis, qua ex Proteſtantibus. Prodiit nova Editio Magnorum Criticorum Francofurti, quæ nihil ſupra Londinienſem an. 1660. addit. Secunda hæc Editio pertinet ad an. 1696. 7. vol *fol.* cui datum eſt ibid. Supplementum 2. vol. *fol.* an. 1700. Allaborarunt ingenti huic Operi Joannes & Richardus Pearſon, Antonius Stargond, & Franciſcus Gouman.

De Synopſi agentes optavimus addi hiſce Libros, quos Apocryphos habent Proteſtantes. Noſtrum autem hoc votum implevit Editio 1699. Francofurtenſis ſub titulo Supplementi; ex quo totum Opus olim in editione 1684. 5. tomis definita, modo crevit ad ſex *in fol.* Francofurtenſis in 4. an. 1694. reddebat 5. volumina. Secunda Præfatio addita opus eſt Joannis Henrici Maii, viri aliis datis Lucubrationibus ſat noti, inter quæ Scriptum iſtud ſuum ſibi vindicat locum, cum judicium ferat omnium, qui Commentarios ſcribentes relati ſunt in Synopſi, qua Catholicorum, qua Hæreticorum.

Iſidorus Clarius. Nunquam antehac facile animadverſum eſt, ejus Scholia in Apocalypſim deeſſe in Editione Veneta an. 1557. *in fol.* quæ eſt ſecunda; ſolus eſt ibi libri Textus. An deſint pariter in priori Editione an. 1542. vel in tertia an. 1564. *ibid.* commodum mihi non fuit indagare. Scholia iſta diſtributa ſunt per totam Collectionem Magnorum Criticorum juxta ordinem Librorum Scripturæ, ſed nihil legitur de illo in Apocalypſim; ex quo ſuſpicio, continuiſſe ſe Virum hunc, ne audacius aliquid efflutiret in Librum myſteriis adeo obſcurum; vel ſaltem conſilium ſuum in Scriptura implere non valuiſſe.

Agit P. le Long de Orationibus 106. 2. vol. in 4. impreſſis Venetiis an. 1567. in quibus plures difficiles Textus utriuſque Teſtamenti exponuntur; id autem Opus appellat Croveus: *Orationes extraordinariæ*.

D. Huetius de *Claris Interpretibus*, c. 16. multo æquius judicat de Scholiis ejus, quam Melchior Canus de locis Theologicis, & Simonius in ſua Hiſtoria Critica utriuſque Teſtamenti.

Interfuit Concilio Tridentino, ubi copioſe pro Vulgata diſſeruit, cujus Orationis habes analyſim apud Frapaolo in Hiſtoria hujus Concilii l. 2. Tribus linguis eruditum aſſerit Thuanus, addens virum fuiſſe vita integerrimum, reſpirantem unionem, pacem, & charitatem in Eccleſia.

Juvat utramque Editionem *Bibliorum Vatabli* retinere, quo melius intelligatur quidquid veneni inſtillavit in illa Bertinus, & quid correxerint Doctores Salmanticenſes. Legendæ ſunt etiam Cenſuræ Doctorum Sorbonicorum impreſſæ Gallice & Latine apud R. Stephanum Pariſiis an. 1552. in 8. quibus adhibitis cautionibus utilitatem Operis maximam experiemur.

Omnium ſuſpectiſſima eſt Editio an. 1557. quod ſcilicet tunc R. Stephanus palam Calviniſmum profiteretur; cum viciſſim quo tempore data eſt prima Editio an. 1545. apoſtaſiam a Religione Catholica ille tantum meditaretur, & Calvinus nihil adhuc dederat in Scripturam.

Noſſe etiam juvat verſionem Librorum, quos Apocryphos notant Proteſtantes, deberi Claudio Badvvel; novum Teſtamentum cum adnotationibus purum putum eſſe Opus Theodori Bezæ. Notæ Vatabli nomine inſcriptæ partim recitantur in Magnis Criticis t. 2. in Libros Hiſtoricos; tom. 3. in Libros Sapientiales; tom. 4. in Prophetas. Quidquid ille dedit in Pentateuchum & in Pſalmos excuſum eſt ſeorſum.

Vir iſte Picardus omnium primus profeſſus eſt linguam ſanctam Pariſiis an. 1539. exhibuitque ſe fidelem Interpretem Sacrarum ſcripturarum; & quamquam obſcurior interdum, ait D. Huetius de *Claris Interpretibus* l. 2. pag. 156. callebat probe Hebræum, & callebat adeo, ut ad audiendum virum confluentes Judæi, auſcultarent admirantes. Obiit an. 1547.

Adnotationes Doctorum Lovanienſium ad calcem Operis rejectæ ſunt poſt Apocalypſim in Editione anni 1583. *fol.* Poſt hæc redierunt in ſcenam in Magnis Criticis tom. 9. pag. 3129. 3437. quod inobſervatum præteriit P. le Long; & mirari etiam ſubit honoris portione aliqua non aſperſiſſe Lucam Brugenſem, quem ejus rei curam potiſſimam in ſe ſuſcepiſſe intelligimus ex ſcripta ab illo Epiſtola nuncupatoria.

Adnotationes haſce doctiſſimas & accuratiſſimas judicat D. Millius; earumque magnificum elogium texunt Simonius in Hiſtoria critica V.T. p. 135. Fabricius in Hiſtoria Bibliotheca ſua to. 1. pag. 29. Allaboravit etiam hiſce inter cæteros Heutenius, quippe qui priorem earum editionem in ſe ſuſcepit curandam an. 1547.

Biblia Gallica *Havei* cum ejus ſcholiis volumen implent *in folio*. Scripſit etiam alias in Scripturam Lucubrationes, de quibus ſuo loco. Legit Rhetoricam Duaci, ſociuſque acceſſit in omnibus itineribus Poſſevino.

Joannis Baptiſtæ Duhamel Opus eſt *in fol.* Si aliquo commendatur certe ex nomine Authoris ſui, ſicut ex Prolegomenis, tabulis Chronologicis & Geographicis, a P. Tournemine Jeſuita additis.

Patriam habuit Vire in Diœceſi Bajocenſi; contulit ſe ad Patres Oratorii juxta P. Le Long, obiitque an. 1706. octuagenario ſenior. Dotibus animi excellebat maximis, & virum hunc diceres rarum invento, quem Princeps Oratorum depinxit illis: *Quem ſi videris, bonum virum facile credideris*.

Operis *Eſtii* in univerſam Scripturam quinta editio data eſt Pariſiis an. 1683. *in fol.* & prima Duaci an. 1659. Recurret de illo ſermo, cum de S. Paulo.

Scholia *Joannis Maldonati* non quidem per univerſam Scripturam excurrunt, ſed tantum data ſunt in Pſalmos, Proverbia, Eccleſiaſtem, Canticum Canticorum, prodieruntque *in fol.* cum Commentario in quatuor Majores Prophetas, & in Pſalmum 109. De illo agemus iterum cum de Evangeliis.

Nova prodiit Editio Commentariorum *Cornelii a Lapide* Venetiis an. 1710. 16. vol. in fol. apud Albrizium; eſt autem editio iſta cæteris omnibus uniformior; reliquæ enim nec in loco, nec in anno congruunt. Altera ejus Editio 19. vol. in fol. Antuerpienſis an. 1681. contemnenda non eſt. De Lorino agentes ſcripſimus, in compendium redegiſſe illum Commentarios a Lapide; ſed multo credibi-

Digitized by Google

dibilius eſt, poſtremum hunc latius expoſuiſſe Commentarios Lorini, quippe qui poſt illum vixit.

Simonius in ſua Hiſtoria critica N. T. æſtimat potiſſimum, quæ ab illo data ſunt in S. Paulum; & Fabricius in Hiſtoria Bibliothecæ ſuæ to. 1. pag. 262. exacte diſſerit de omnibus variis Lucubrationibus, quas præfixit ſingulis Commentariis. Quanquam autem nihil dedit in Job & in Pſalmos, optandum fuiſſet tamen ut in poſtrema Editione non invideretur Publico, quodcunque ille molitus fuerat in utrumque Librum, quanquam imperfectum adhuc leviterque adumbratum, ut integer Commentarius redderetur.

In Belgio natus, originem tamen referebat e veteri familia Germanica; Societati nomen dedit, obiitque 71. annorum ætate ſenex. Mentem plane vaſtam intra brevia corporis limites reſtrinxit, dieſque agebat totas cum noctibus lectioni & meditationi ſacrarum Scripturarum addictus.

De *Cajetano* ſcribentes nihil ab illo datum eſſe in Eccleſiaſtem & Prophetas aſſeruimus; nihilo tamen ſecius le Long recenſet Commentarium ipſius in Eccleſiaſtem impreſſum Lugduni an. 1552. *in fol.* & alterum in tria priora capita Iſajæ, Romæ 1542. *fol.*

Hic etiam animadvertendum cenſemus in Editione 1539. deſiderari Epiſtolam ad Clementem VII. cujus omiſſionis rationem curioſum eſſet audire; neque enim fieret ut divinando illam aſſequi valeremus. Dempta ſunt etiam ex inſcriptione verba illa, *Ad MSS. Codices Græcos*; quaſi ſcilicet vetitum illi fuiſſet conſulere MSS. ſi Græcum norat.

In Præfatione ſua in Pſalmos, quam tenuit in Commentariis, methodum luculenter exponit. Æſtimarunt maxime a Proteſtantibus æque & a Catholicis. E Proteſtantibus Chamier pluribus illum effert; e Catholicis Sadoletus Cardinalis Commentarios ipſius perinde habebat, tanquam maximi ingenii Opus abſolutum. Partes ejus in Catharinum & Gretſerum tuetur Simonius.

Neapolitanus erat Patria, natus an. 1469. vitæ profeſſione Dominicanus, ſuique Ordinis ſummus Adminiſtrator renunciatus eſt 39. annorum ætate juvenis. Tandem Cardinalitiam dignitatem accepit deferente Leone X. an. 1517. Conſtantiam ejus in amicitiis tuendis qua in averſa, qua in ſecunda fortuna laudat Cardinalis Sadoletus. Animum egit adeo tranquillum, ut ſtudiis occuparetur inter medios armorum ſtrepitus, cum Carolus V. Romam obſideret, perinde ac pacifica eſſent omnia & quieta.

Lucas Brugenſis. Jam in ſuperioribus innuimus, quæ viri hujus fuerint partes in Bibliis Doctorum Lovanienſium; addere hic juvat tantum calluiſſe illum linguas Orientales, criticem exercuiſſe prudentem & modeſtam, conjecturis ducendum ſe non dediſſe, ponderaſſe omnia, nihilque cartis mandaſſe ait D. Simon, quæ prius judicio non perpendiſſet.

D. de Saci grandem illum Commentarium in omnem Scripturam non utique ſolus molitus eſt. *Thomas Dufoſſé* contulit de ſuo Jeremiam, Ezechielem, Danielem, Machabæos, quatuor Evangelia. Novi Teſtamenti reliqua tertius alius elaboravit, qui Commentarios e ſchedis D. de Saci adornavit. Geminos autem hoſce doctos Commentatores hic ſimul jungendos cenſemus, quod ambo uni eidemque Operi allaborarunt.

Saci ſeu potius Iſaac le Maitre Pariſinus, ad familiam Arnaldi materno genere pertinens, obiit in oppido Pomponæ an. 1684. ætatis 71.

Du Foſſé Rothomagenſis obiit Pariſiis an. 1698. ætatis 64. Uterque amarunt ſolitudinem, ubi totam ferme vitam egerunt. Prior ille Sacerdos humilis Jeſu Chriſti, ambitionem a ſe omnem amovit; alter vero nec dignum ſe Sacris Ordinibus reputans, ſatis habuit tonſura initiatus, Altari humile ſervitium impendere.

De Commentario noſtro judicium ferre noſtrum utique non eſt; ſatiſque habendum ſi quæcunque continet omnia expoſuerimus. Quæ autem viri docti de illo prædicarunt, majora ſunt, quam ut nos hic commemorare ſuſtineamus. Recuſum eſt Opus 9. voluminibus *in fol.* Pariſiis an. 1226. *Latina verſio adornari cœpta eſt Venetiis & Lucæ: illa quidem a Viro docto e Somaſcha Inſtitutum profitente; altera vero a Religioſo illo viro Congr. Matris Dei Lucenſi, qui & Dictionarium & Diſſertationes & Supplementum hoc Latinis litteris tradidit. Prodierunt e priori quidem Verſione 3. vol. in fol. ex altera vero unum.*]

Hi præcipui Authores Catholici, qui Opera in tota Biblia elocubrarunt; nunc ad Interpretes Proteſtantes deſcendamus.

COMMENTARII GENERALES PROTESTANTIUM.

Sebaſtianus Munſterus Latinam Bibliorum Verſionem ex Hebræo, cum ſoliſtum in Vetus, tum in Novum Teſtamentum annotationibus edidit an. 1534. 1534. & 1546. Pleræque annotationes ex Rabbinis deſumptæ ſunt; Munſteros enim ſedulam operam horum Authorum ſtudio, quod tunc obtinere cœperat inter Doctores, navaverat. Conſultius ille tamen Eccleſiæ Patres, genuinos S. Scripturæ Interpretes, adhibuiſſet. Editio Baſileenſis an. 1546. cæteris præſtat. Calvinianam religionem profitebatur; obiit an. 1552.

Tres Oſiandri, Andreas ſenior, Lucas, & Andreas junior Biblia pariter cum notis ediderunt. De iſtis paulo ante, in articulo Bibliorum Lat. Proteſtantium, diſſeruimus.

Conradus Pellicanus methodum, quam Oſiandri, ſectatus eſt; Vulgatam, ut conformiorem Hebræo, ac Græco redderet, caſtigavit, eique Commentaria Tiguri excuſa in 7. Vol. in fol. adjecit. Annotationes hujus Authoris ad literalis, & grammaticalis ſenſus explicationem aliquando proderunt: Pellicanus Theologiæ profeſſor erat Tiguri, & deceſſit 1556.

Priores Bibliorum, & annotationum *Vatabli* editiones, de quibus ſatis ſuperque egimus, ab anno 1545. uſque ad correctionem DD. Salmanticenſium an. 1584. a Catholicis reprobatæ, in numero Commentariorum a Proteſtantibus editorum merito recenſentur.

Biblia *Caſtellionis*, de quibus ſupra, brevibus notis in Vetus, ac Novum Teſtamentum exornata ſunt. Nihil in iis peculiare. Eadem Baſileæ primum excuſa 1551. dein 1554. 56. 73. 1697. 1699. Author iſte Verſionis ſuæ Apologiam typis demandavit Baſileæ 1557. in 8.

Michael Villanovanus, alio nomine *Michael Servetus* Latinæ Sanctis Pagnini Verſioni impreſſæ an. 1542. Lugduni ſuas addidit annotationes; dignum Scriptore Opus. Arianus erat, & igne crematus fuit an. 1553.

Biblia vulgo dicta *Tigurina*, notis literalibus, & ſcholiis marginalibus illuſtrantur. Leo Judæ, Theodorus Bibliander, Petrus Cholinus, Rodulphus Gualterus, & Conradus Pellicanus ſuam in Librum operam contulere. Prodiit Opus Tiguri 1544. 1545. 1550. 1564. 1584. 1616. Utilis eſt Liber, quemadmodum & alter, de quo ſupra, ad literalem, & gramaticalem ſenſum inveſtigandum.

Biblia *Tremellii*, & *Junii* primo edita an. 1575. & dein pluries. Eruditis litteralibus notis Opus inſtruitur. Junius crebrius illud recognovit, & poſtremæ curæ prioribus deteriores non ſunt. Franciſcus Junius, ſeu *de Jon* Bituricenſis Calvini erroribus imbutus, obiit an. 1602. Emmanuel Tremellius Ferrarienſis, ab incunabulis Judæus, Catholicam primo Religionem, dein Calvini ſectam complexus eſt; Judaicæ tandem ſuperſtitioni iterum addictus, occubuit an. 1580.

Joannes Piſcator Vetus, ac Novum Teſtamentum eruditis illuſtravit Commentariis, in plura volumina diſtributis, Herbornæ ab anno 1601. ad annum uſque 1618. Argentorati ortum duxerat; ex Lutherano dein Calviniſmum profeſſus ex hac vita migravit an. 1626.

Joannes Druſius in tota Biblia laboravit, cujus opera in magnos Criticos, & in duo poſtrema ſupplementi volumina leguntur. Linguas apprime callebat, moderatione erat ſingulari, atque ad literalis ſenſus explicationem utilia ſcripſit. Variis in locis, & diverſis formis excuſa ejus Opera prodiere. Annotationes in totum *Pentateuchum* adornavit; fuſiores præterea notas in *Geneſim*, *Exodum*, *Leviticum*, ac in 18. priora capita *Numerorum*. Breves pariter Notas in Joſue, Judices, Ruth, in duo priora capita Regum, Eſther, Jobum, Eccleſiaſtem, Eccleſiaſticum, in duodecim Minores Prophetas, Tobiam, ac in primum Machabæorum. Scholia item in 54. priores Pſalmos, & Commentarium in 19. priores. Notas enim in *Oſeam*, *Joëlem*, *Amos*, *Michæam*, *Abacuc*, & *Sophoniam*;

Le-

Digitized by Google

Lectiones *in Michaam, Abacuc, Sophoniam, & Zachariam*; ut varios, qui ad Scripturam ſpectant, Tractatus omittamus. Calviniſmum profitens interiit an. 1616.

Hugo Grotius vir inter omnes Proteſtantes eruditione, ac modeſtia eximius, notas in Vetus, ac Novum Teſtamentum adornavit celebratiſſimas, quæ in omnium manibus habentur, Seorſim, & in ejus operum collectionibus excuſæ ſunt in 4. Vol. in fol. Amſtelodami 1679. Integræ etiam in Magnis Criticis Anglicanis, & in Synopſi Critica exhibentur. Ejus Commentarium in S. Matthæum fuſius eſt, quam cætera. In notis autem ejus omnibus exquiſita eruditio prophana regnat, quæ mirum in modum eos, qui hoc ſtudio terrentur, ad illud allicit, & invitat.

Quantum autem Scriptor ille penitioris eruditionis, & modeſtiæ laude celebratur, tanto operæ pretium eſſe duximus, ut ab illo Lectores præcaveremus, ne forte authoritate ſua incautus fallat. Eum igitur Authorem in ſuſpicionem revocat nunquam aperta de Chriſti Divinitate prolata ſententia; ſed æquivocationibus in eo dogmate uſus, aperta etiam ea de re Scripturæ teſtimonia ad alios ſenſus detorquet. Nec pariter ſincerior eſt illius fides in dogmate de peccato originali. Præfatio & Notæ in Cantica Canticorum non ſine ſcandalo leguntur. De geminis Epiſtolis ad Theſſalonic. ſecunda Petri, Epiſtola S. Judæ, de tempore ſcriptæ Apocalypſis ſingularia prorſus, & ſentit, & prodit. Vaticinia de Jeſu Chriſto vel infringit, vel ad nihilum fere redigit.

Ne quid autem in iis, quæ ad Jeſu Chriſti Divinitatem pertinent, viro impoſuiſſe videamus, conſulenda ſunt Commentaria in Iſai. 6. 14. 9. 6. in Pſ. 45. 7. & 109. integrum, in S. Joannem 9. 35. & 10. 28., & Luc. 22. 43. & Acta 22. 28. & Rom. 19. 5. & 1. Joan. 3. 16. & Heb. 1. 5. 5. 6. De peccato Originali vide ejus Commentaria in Gen. 8. 21. Job. 14. 4. & 31. 18., & Pſal. 50. 7. & 57. 14. & in Iſai. 48. 8. & in Oſe. 6. 7. & Sap. 12. 10. 11. & Rom. 5. 12. &c. & 1. Cor. 5. 15. Epheſ. 2. 3. Luc. 2. 22. &c. Grotius Calvini erroribus tenebatur; occubuit an. 1645. ætatis ſuæ 62.

Ludovicus de Dieu, Calviniſta eruditiſſimus, edidit animadverſiones in omnes Veteris Teſtamenti libros in 4. Lugd. Batav. 1648. & in quatuor Evangelia ibidem in 4. Vol. 1. 1631. Præterea Commentaria in Epiſtolas S. Pauli, in Epiſtolas Canonicas, in Apocalypſim ſeorſim impreſſa 4. Vol. in 4. Omnia ejus Opera magno in pretio habentur. Linguarum ſcientia & modeſtiæ laude æque inſignis fuit. Ejus opera in magnis Criticis excuſa ſunt. Deceſſit an. 1642.

Joannes Ligtfoot Anglus in totam fere Scripturam laboravit. Ex eo habentur *Harmonia V. T.* Anglice *in fol.* Londini 1655., *Animadverſiones in Geneſim in 4. Manipulus Spicileg. ex Exodo in 4.* Anglice.

Harmonia quatuor Evangeliorum in fol. Londini 1655.

Horæ Hebraicæ in Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, & in Acta.

Item in Acta Commentarium Chronologico-Criticum Anglice in 4. 1645.

In Epiſt. ad Romanos, & in primam ad Corinthios horæ Hebraicæ.

Item Centuria Chorographica, loca quædam terræ Iſraeliticæ perluſtrans, ad Evangel. Matthæi.

Item Decas Chorographica Marco præmiſſa.

Item Chorographica pauca in Lucam.

Item Chorographica in Joannem. Nonnullæ tandem in Geneſim, in Exodum, in Numeros, in Joſue animadverſiones. Pleraque hæc opera ſeorſim excuſa, dein in duobus Volum. in fol. Ultrajecti editis 1699. recollecta ſunt.

Salomonis Deylingii obſervationes Sacræ, Lipſiæ ſumptibus Friderici Lanckiſii tom. I. 1708. t. 2. 1711. t. 3. 1715.

Joannes Clericus ingenti editorum Operum copia clarus, Commentarium Latinum Philologicum, adjectis Diſſertationibus criticis, ac Paraphraſi in Pentateuchum in lucem emiſit an. 1693. Commentarium hoc in libros Scripturæ Hiſtoricos proſecutus, an. 1708. alterum Volumen typis demandavit. Reliquum ejus Commentarii in V. T. expectatur.

In Novum Teſt. animadverſiones ſuas, & correctiones Latinas in Commentarium Hammondii; Gallicum etiam cum Novi Teſtamenti Verſione Commentarium edidit. De Socinianiſmo ſeu Arianiſmo non levis ſuſpicio in virum jacatur. Cæterum neque ingenium illi, neque ſtylus excultus, neque eruditio ſingularis deeſt. Gallicam Scripturæ Verſionem ab eo propediem edendam aſſerunt.

Proteſtantes plura Gallica Biblia cum notis, & explicationibus edidere. Olivetanus, & Calvinus iiſdem tantum breves notas appoſuere, ut quædam Verſionum ſuarum loca illuſtrarentur; at dein hæ ampliores redditæ, mirum in modum excreverunt.

Sebaſtianus Caſtalio Biblia, quæ Latine reddiderat, Gallice cum Notis adornavit, ac prælo commiſit Baſileæ 1555. Minori etiam ſucceſſu, quam ejus Biblia Latina, opus exceptum eſt.

Biblia Gallica Genevæ, ac Lugduni excuſa 1562. cum fuſioribus Notis Nicolai de Gallars.

Auguſtinus Marloratus has notas recenſuit, adauxit, ac typis demandavit *in fol.* Genevæ, ac Lugduni an. 1563. Henricus Stephanus, ſub Henrici Anaſtaſii nomine latens, eas Genevæ recudit, an. 1565.

Biblia Gallica Genevenſia edita *in fol.* in 4. & in 8. Genevæ an. 1588. Notis etiam a Theodoro Beza, Antonio de la Faye, Joanne Jachemoto, Simeone Goulart, & præſertim a Bonaventura Cornelio Bertrando illuſtrantur.

Biblia Gallica ex verſione *Joannis Diodati* cum Notis Genevæ prodiere *in fol.* apud Petrum Chovet, an. 1644. Huic Operi nunc etiam ſuum eſt apud *Proteſtantes* pretium.

Biblia Gallica, vulgo dicta *Biblia Deſmareſt* in duobus vol. *in fol.* prodiere Amſtelodami apud Danielem Elzevirium an. 1669. Huic Operi ſi characterum & chartæ, quemadmodum & Editionis ſplendorem conſideres, ægre quidquam addideris; in Notis tamen rejicienda plurima eſſent. Notæ illæ ex variis Authoribus collectæ, aliæ literales ſunt, aliæ criticæ, aliæ dogmaticæ & Theologicæ, ſed Calvinianæ.

Biblia Gallica Genevenſia Amſtelodami apud Desbordes, Mortier, & Brune 2. Vol. *in fol.* ut Belgicarum Eccleſiarum Proteſtantium uſibus ſervirent, recuſa ſunt. Verſio ad Gallicæ Linguæ puritatem caſtigata eſt, & notis Theologicis ac Criticis, ſolertia Davidis Martini elucidata. Hæ Notæ emendatiores, & caſtigatiores ſunt, quam Deſmareti; Author vero in eis ad ſua præjudicia, ac ſenſus fulciendos totus incumbit.

Hiſtoria Biblica cum figuris ære inciſis, Antuerpiæ apud Petrum Mortier 1700. in fol. Pleræque elegantes ſunt; hiſtoria emendatiſſima eſt. Si Author ab intermiſcendis erroribus ſuæ ſectæ ſe temperaſſet, opus amplioris extitiſſet utilitatis.

[Cum de *Sebaſtiano Munſtero* agentes adnotationibus Novum Teſtamentum illuſtraſſe illum diximus, de uno Evangelio S. Matthæi verba hæc noſtra accipi oportet; neque enim in alios Libros laboravit.

Porro viri hujus Adnotationes habes in Magnis Criticis, quorum prior tomus offert notas in Pentateuchum; ſecundus in Libros Hiſtoricos; tertius in Hagiographos; quartus in Prophetas; quintus in Tobiam; ſextus in S. Matthæum. Excuſus eſt etiam ſeorſum in Proverbia, Baſileæ an. 1524. in Iſaiam *ibid.* in 4. in S. Matthæum in 16. 1582. vel in 8. juxta Croveum p. 317.

Notas ejus in S. Matthæum minus probat Simon in Hiſt. Critic. N. T. c. 42. p. 710. in revincendis Judæis totus impenditur. Textum Sacrum via parum exponit.

Vir iſte patria Ingheldienſis natus eſt an. 1489. ætatis annorum 14. Franciſcanis ſeſe adjunxit, atque Duci Bavariæ a Concionibus fuit; cum autem linguam Sanctam docturus Baſileam veniſſet, ibi ad Reformatam, quam vocant, Religionem defecit: ibi pariter diem clauſit an. 1552.

Mathematicam norat & Geographiam, ingenioque præſtabat ac ſcientia. A controverſiis alienus, totum ſe impendit ſtudio ſcientiarum naturalium, quod plurimum excoluit.

Præter *tres Oſiandros* quartus eſt alius Joannes Adamus, qui ſcripſit in Pentateuchum. Andreas Senior reipſa quidem non elaboravit niſi Notas in Concordiam Evangelii; ſed Adnotationum in univerſam Scripturam, quæ prodierunt Tubingæ an. 1573. 1584. 8. vol. *in* 4. Lucas Author eſt potiſſimus. Andreas ejus filius, diſtinguendi viri gratia a ſeniori altero Junior appellatus, imprimendas curavit adnotationes Patris ſuis aliis adjectis, cum aliis iiſdem Doctorum Lutheranorum *ibid.* an. 1606. 2. vol. *in fol.* Hoc

facile

Digitized by Google

facile Opus deſignat apud P. le Long inſcriptio illa: *Explicatio in tergolata Bibliorum*, *ibid.* 1597. 3. vol. *fol.*

Adnotationes iſtæ literales breves ſunt admodum & commodiſſimæ, quippe quæ exhibentur e regione ſacri Textus in duas columnas diſpoſitæ, vel ſaltem id præfert editio an. 1606. quam nobis offert Bibliotheca S. Michaelis, nec norunt P. le Long & Croveus, apud quos ne verbum quidem de illis.

Oſiander Senior, patria Bavarus, natus an. 1497. inter Auguſtinianos profeſſus eſt; at deficiens ad Lutheranos an. 1522. immortuus eſt in apoſtaſia an. 1552. ætatis 54. Vir ad iraſcendum facilis, & furibundus religionis habebat parum, nec ſemel inter pocula Textus Sacræ Scripturæ ad ſcurrilia traducebat. Aſperſus erat tamen aliqua ſcientia linguæ ſanctæ, eloquio facili & nervoſo.

Lucas patria erat Nurimbergenſis, & Andreas ejus filius natus eſt Vittembergæ an. 1562. Obiit pater an. 1604. filius an. 1617. Fertilem brevitatem coluiſſe pater, & fertili ingenio brevitatem retinuiſſe laudatur. Filio adſtruitur encomium Theologi vigilantis, ſapientis, fœcundi, & nervoſi in ſermone, perſpicui inſuper & ſuaſorii.

Commentarii *Pellicani* univerſam Scripturam non illuſtrant, quippe qui Author nihil dedit in Jonam, Zachariam, & Apocalypſim. Rubeaqui in Alſatia natus an. 1478. inter Franciſcanos dedit nomen an. 1493. dein profeſſione deſerta an. 1525. geminas nuptias conciliavit, obiitque 78. annorum ætate ſenex. Inter Novatores omnes moderatiſſimum appellat Gretſerus, quæ potiſſimum viri indoles ſe prodit in Commentariis; nihilo tamen ſecius in iis, quæ adverſus Religionem moliti ſunt Helvetii, partes ſibi vindicavit non ſegnes.

Poſt ea, quæ de Notis Vatabli ſcriptis mandavimus; poſt diſtincta ſedulo ea, quæ de ſuo obtruſerunt Operi *Bertrannus la Cante & Badvvel*, nihil ſupereſt aliud, quam ut geminos hoſce Calviniſtas noſcendos tradamus Lectoribus. Galli ambo, eodem ſimul tempore florebant, & Badvvel profeſſus eſt Nimaci apud homines Religionis ſuæ circa an. 1567. Ejus Notas habes impreſſas in Magnis Criticis tom. 5. p. 1. 7916.

Ibi pariter habes collectas Notas Caſtalionis; in Pentateuchum quidem offert tom. 1. in Libros Hiſtoricos tom. 2. in Hagiographa tom. 3. in Prophetas tom. 4. in Apocrypha tom. 5. in Evangelia tom. 6. in Acta & reliquos Libros tom. 7.

Adnotationes ejus eo nomine præ cæteris Calviniſtarum omnium laudantur, quod ſcientiam plane Judaicam regnare in operibus hiſce ſuis, quam affectant ſocii ejus omnes, non eſt paſſus; & in critica non leviter verſatum ſe prodidit, judice D. Simon in ſua Hiſtoria Critica N.T. pag. 775. Caſtalion natus eſt in Delphinatu, & non in Italia, uti per errorem cenſuit P. le Long an. 1514. Miniſtrum egit, Genevæ prius, tum Baſileæ, ubi & brevis vitæ 49. annorum curriculum abſolvit an. 1563.

Vitio illi vertitur, quod conquiſito nimis affectatæ latinitatis ſtylo eloquium Scripturarum corruperit. Tempus ille ſuum inter ſtudium & laborem diſtribuebat, propriis manibus colens agellum privatæ poſſeſſionis. Inter doctiſſimos ſui ſæculi recenſetur a Sammarthano.

Michael Servetus Hiſpanus, Tarraconenſis, Medicinam profitebatur & Arrianiſmum. Agente Calvino igne crematus eſt Genevæ, Sophiſtam egit ſummum, eaque ſcripſit arte, qua nihil aptius eſſet ad ſeducendum; ingenio tamen præſtabat, audacia & inventione.

Notæ *Leonis Juda* prodierunt ſeorſum, in Geneſim quidem & Exodum Tiguri an. 1527. in 8. in Novum Teſtamentum *ibid.* an. 1581. *fol.* Vitio illi vertitur, quod obſcuritatem evitaturus juſtam brevitatem tenent, Paraphraſtem potius egit quam fidelem Interpretem.

Patria erat Germanus, & Calviniſtarum Miniſter Tiguri, ubi deceſſit an. 1542. ætatis 50. ſiquidem natus ſtatuatur, uti vulgo ferunt, an. 1492. Attamen fere omnes ſexagenarium obiiſſe affirmant.

Theodorus Bibliander, a priori illo rogatus, ſupremam manum impoſuit adornatis ab illo Adnotationibus. Porro de Operibus hujus viri idem ac de ſuperioribus judicium ferendum eſt. Datæ ſunt ſeorſum in plures Libros Scripturæ, uti videre eſt apud Croveum & P. le Long.

Natus eſt Epiſcopocellæ in Helvetiis (*Biſſoffsel*) an. 1514. obiitque an. 1564. nondum quinquagenarius; quanquam extreme ſenem deceſſiſſe affirmat D. Dupin. Ex ingenti Operum adornatorum numero Bibliandri nomen ſibi conciliaſſe affirmat Melchior Adam.

Petrus Cholinus Helvetius erat e vico Zug, obiitque an. 1542.

Rodolphus Gualterus, Tigutinus, natus an. 1512. vel juxta alios 1519. ſenex annorum 68. obiit. Clarum erat viri nomen inter Concionatores gentis ſuæ; quam illi famam augebat in majus integritas morum & ſanctitas, ait Verheid.

Tremellius tertio apoſtata, ſeptuagenarius ferme obiit; nec ſane inter fideles ſacrarum Scripturarum Interpretes par eſt ut habeatur.

Junius dedit & ipſe pariter Parallela Sacra, quibus confert Textus veteris Teſtamenti cum Novi aliis affinibus. Prodierunt Heidelbergæ ſeorſum an. 1588. in 4. dein in priori tomo Operum ipſius 2. vol. *fol.* Genevæ 1607. 1613. Parallela iſta æſtimantur maximi. Burgis natus A. 1545. legis prudentiæ ſtudio ſe tradidit in patria primum, tum Lugduni, demum Genevæ. Contulit ſe poſt hæc Antuerpiam an. 1565. ubi Miniſtrum egit; tandem Lugdunum Batavorum migrans, ibi diem clauſit an. 1602. ætatis 57. Grammaticum magis quam Theologum appellat D. Dupin; D. Thuano *vir eſt deſultorii ingenii*; quod ab aliis dictum in deteriorem partem, ab aliis vero in meliorem accipitur, Grotius interpretatur de nobili illo ardore, quo vir ad ſuſcipienda & pervadenda omnia agebatur; alii vero exponunt de inconſtantia indolis, qua ex conſilio in conſilium deſultans, nihil exequebatur.

Commentarii omnes *Joannis Piſcatoris* implent 5. vol. *in fol.* Herbornii an. 1643. 1645. 1658. Sedulo Scripta illa conſiderantibus analyſim exhibent Textus ſacri, intermixtas ſubinde referentem quæſtiones Controverſiarum. Nec tamen methodum illam, uti indicium accurationis & eruditionis Authoris ſui, ſua exiſtimatione fraudat D. Simon in Hiſtoria Critica Novi Teſtamenti; ſed minuta illa, quæ ſæpe recurrunt inter legendum, tum & de ſchola ſtylus Opus reddunt moroſum.

Natus eſt an. 1546. Lutheranus; cum tandem tranſiiſſet ad Calviniſtas Herbonium recepit ſeſe, ubi octuagenarius deceſſit; zelo in defendenda doctrina Calvini in iis, quæ pertinent ad gratiam & liberum arbitrium, acerrimus.

Druſius. Varia ejus Opera in Scripturam implent ad 19. volumina in 4. & 14. in 8. Notis ejus adſperguntur ſeptem priora volumina Magnorum Criticorum. Ad hæc in tom. 8. pag. 1211. legas Animadverſiones ſacras; pag. 1327. Quæſtiones Hebraicas; pag. 1489. Proverbiorum geminas claſſes; pag. 1589. Adagia Hebraica, & alia ejus Opera.

Variantur ejus Adnotationes animadverſionibus hiſtoricis in ritus moreſque Judaicos; quare doctas graveſque judicat D. Dupin; quanquam aliter de illis Simonius.

Genuinum ejus nomen fuit Drieſche, oriundus ex Oudenard. Obiit Franekeræ annorum ætatis 66. De illo anceps eſt in utramque partem fama. Criticus erat optimus, ſtudio indefeſſus, in diſputatione moderatus.

Notas *Grotii* habes etiam inter Magnos Criticos relatas. Præſtat tamen Editionem earum Amſtelodamenſem ad manus habere, quod Editio eſt nitidiſſima, & indice accuratiſſimo ac methodico ab ipſo Authore inſtructa eſt.

Labores ejus viri in Novum Teſtamentum præ cæteris pluris æſtimat Colomeſius. Præſtat legere de illo Simonium in Hiſtoria Critica Novi Teſtamenti p. 805. 815. & D. Dupin in ſua Bibliotheca Hæreticorum tom. 2. pag. 499.

Natus eſt Delphis an. 1583. & tam celeri greſſu ſtudiorum ſuorum confecit iter, ut quindennis puer generales Philoſophiæ Theſes propugnaret. Poſt varias fortunæ vices obiit 62. vel 63. annorum ætatem implens, & facile Catholicus ſaltem corde; namque P. Petavius Jeſuita, viri amicus, poſt ejus deceſſum preces pro illo obtulit.

Scientiarum miraculum habebatur; memoria luxuriabat prodigioſa, judicio inſtruebatur ſolido, quibus, ornando viro accedebant ſcientia linguarum, critica exacta & in antiquitate ſacra ac prophana peritia non vulgaris.

Ludovicus de Dieu. Quæ de illo ſcripſimus, nimirum Opera ejus impreſſa fuiſſe inter Magnos Criticos, dicta tantum accipi oportet de collationibus Criticis & ſacris habitis cum Cloppenburgio, quas legas in nono tomo pag. 3968. ſed ejus Opera, quæ olim continebantur 6. voluminibus in 4. dein impreſſa ſunt *in fol.* Amſtelodami an. 1693.

D. Simon ibid. pag. 790. illum accuſat de immodica ſubtilitate, ſicut & de prurîtu criticam in alios exercendi, cujus rei cauſa ad Grammaticales tricas declinare coactus eſt; quare ſubtilior eſt quam ſolidus.

Fleſſingæ in Zelandia natus eſt an. 1590. Lugduni Batavorum ſtudiis operam dedit, ubi & ad obitum uſque profeſſus eſt. Virum hunc Aſtro ideo comparat Conſtantinus l' Empereur, quod linguarum ſcientia & bonis artibus fulgeret.

Ligfootus prodiit e Comitatu Srafordienſi an. 1602. obiitque an. 1675. ætatis 73. Virum eo nomine pluribus effert D. Mabillon, quod antiquitatum Judaicarum penetraſſet intima; ſed ejus critica nimium Rabbinica diſplicet Simonio, *ibidem*, pag. 793. 798.

En integrum titulum Operis Salomonis Deylingii juxta P. le Long: *Obſervationes variæ, in quibus multa Scripturæ Veteris & Novi Teſtamenti dubia vexata ſolvuntur, loca difficiliora illuſtrantur atque vindicantur, duæ partes in 4.* Facila P. le Long tertiam partem an. 1715. non vidit, quam præteriit illaudatam. De hoc Opere ſermo eſt in Actis Lipſienſibus an. 1709. 1712. 1715. & in hiſtoria Bibliothecæ Fabricianæ to. 4 pag. 493.

Natus eſt Ward Variſe in Germania, an. 1677. & ex Archidiacono Lutherano aſſumptus ad miniſterium generale Islebii. Vivebat adhuc an. 1723. Ab ingenio viri alia expectantur Opera, quæ ſane famam gentis ipſius tuebuntur.

Commentarii *Joannis Clerici* implent quatuor volumina *in fol.* Hunc ſibi ſcopum præfixiſſe in Notis affirmat Bayle, uti innovet errores Sabellii & Socini. Laudat ille quidem interdum veteres novoſque Scriptores Commentariorum, eo tamen conſilio frequentius, ut aliis proſtratis ſua magis magiſque ſurgant.

Patria erat Genevenſis, Davidis Clerici filius. Docuit Theologiam & Linguas Amſtelodami, obiitque an. 1711. vel præcedenti. Conſilium ſuum ſatis prodit cum refutandum vel propugnandum ſuſcipit dogma aliquid Theologicum; Theologos æque omnes damnat & exſufflat excepto Epiſcopio, Curcellæo, & Hammondo Anglo; nec in S. Auguſtinum eſt æquior.

Auguſtinus Marloratus præter Adnotationes & Commentarios in plures Libros Scripturæ, aggreſſus fuerat Theſauri genus quoddam colligendum e nominibus, vocibus, & exemplis univerſæ Scripturæ, cujus ille quidem Operis primas lineas vix adumbraverat; ſed Jacobus Feuquier abſolvit, vulgavitque Genevæ an. 1613. & 1624.

Quod attinet ad Expoſitiones ejus in plures libros Veteris Teſtamenti, & Novi omnes, 1. *vol. in fol.* referentes an. 1561. 1562. Bibliothecæ genus quoddam exhibent, collectas in unum offerentes expoſitiones Proteſtantium, Patrum quorundam & Eraſmi, quibus ille tantum Adnotationes ſuas adjecit; id autem viro plurimum ſteriſſe reputandum eſt.

Prodiit in Lotharingia, adjecitque ſe Familiæ Auguſtinianorum; ſed cucullo abjecto, Miniſtrum Calviniſtam egit; & cum tandem reum ſe conſtituiſſet perduelles in Regem ſuum defendens, ſuſpendio vitam finivit. Interfuerat Colloquio Piſſiacenſi ſub Carolo IX. una cum Theodoro Beza.

Bertrandus. Scripturam non Adnotationibus tantum illuſtravit, ſed & dedit ſpecimen de ratione exponendi loca ejus difficillima, cui Operi titulum præſcripſit, ex loco ubi elaboratum eſt, *Lucubrationes Frankentallenſes*. Extat in Magnis Criticis tom. 8. pag. 1120. 1164. & ſeorſum tertia ejus Editio data eſt Altorfii an. 1647. in 8.

Judicii plurimum maximumque ſpecimen exhibuiſſe in hoc Opere Author merito cenſendus eſt, ut cæteros omnes etiam primi ſubſellii Commentatores Religionis ſuæ ſuperet. Expoſitiones ejus literales ſunt penitus & hiſtoricæ.

Patriam habuit Thoarſum Urbem Pictaviæ. Natus eſt an. 1531. ſtuduit Pariſiis; tum recepit ſe Genevam, obiitque Lauſannæ an. 1594. ætatis 63. Stylo utitur candido, & vetuſtates Judaicas probe norat, faviſſe tamen Judæis in ſuis opinionibus accuſatur a Voſſio in Diſquiſitionibus Criticis pag. 209.

Gallars notas tantum adornavit in Exodum & in Novum Teſtamentum, & la Faie in aliquot Libros, ſicut & Jaquemet vel Jaquenet, Goulart, & Beza.

Quare articulum hunc abſolvimus cum Diodati & Deſmareſt. De priori illo ſcribit Vedel notas adornaſſe aureas, qua ille metaphora, quantum hominis laborem æſtimaret, ſatis indicat; ſunt autem literales magis & hiſtoricæ, quam morales; in Libris quos rejiciebat ad Apocrypha, nullas quidem adjecit Notas, ſed tantum criticas Diſſertationes ad evertendam ſingulorum authoritatem.

Lucæ in Italia natus eſt & non Cellæ (Zel) in Germania, ut excidit nonnullis. Linguas profeſſus Genevæ, deceſſit ibi an. 1649.

Samuel Deſmareſt Latine *Mareſius* in Picardia natus an. 1599. ſtuduit Pariſiis. Miniſter Charentonii renunciatus eſt an. 1620. obiitque Croningæ an. 1673. ætatis 74.

Biblia *Davidis Martini*, prodierunt cum notis an. 1707. *fol.* quibus in calce acceſſit chronologia ſacra. Vir erat Gallus, Calviniſta profugus, & Miniſter Eccleſiæ Vallonicæ Amſtelodami.

Suus eſſet etiam hic locus *Marco Eſcher* Authori Collectionis plurium locorum Gloſſæ Lyrani, cujus Opus prodiit in Bibliotheca Philologica tom. 2. pag. 389. Calviniſmum profitebatur, agebatque Exœconomum ædium Abbatis Hermitæ Tiguri an. 1718. cum ætatis 99. annos ſuperaſſet.

Jacobi Haſæi Obſervationes in obſcura loca Bibliorum offert Bibliotheca Philologica, tom. 2. pag. 786. 1073.

Ivo Gaukes Diſſertationem ſcripſit ad exponenda miracula in utroque Teſtamento relata, quod ejus Opus extat in eadem Bibliotheca tom. 3. pag. 581. 624. Doctorem Medicum egerat.

Ruardus Andala explicavit quædam utriuſque Teſtamenti; Franekeræ an. 1720. de quo Opere aliquid relatum eſt in eadem Bibliotheca tom. 4 pag. 589. 597.

Joannes Chriſtophorus Pfaff Diſſertatione illuſtravit ſententias veteris Teſtamenti in Novo laudatas. Prodiit Opus Tubingæ an. 1702. in 4.

Natus ille Pfulling in Ducatu Wittembergenſi an. 1651. promotus eſt in Diaconum Lutheranum Eccleſiæ Stutgardenſis an. 1685. renunciatus Profeſſor in Theologia an. 1699. Miniſter an. 1705. obiitque tandem an. 1720.]

COMMENTARII GENERALES JUDÆORUM.

IN ordinem Interpretum *Philo Judæus* referendus eſt, qui plures in Scripturam Tractatus, allegorica fere ſemper methodo ſcripſit.

Joſephus Hiſtoricus, qui in ſua Judæorum hiſtoria, & in ſuis contra Appionem libris plura Scripturæ loca obſcura illuſtravit. *Targumim*, ſeu Authores Paraphraſum Chaldæorum, *Onkelos, Jonathan, Joſeph cæcus*, de quibus ſupra.

Tandem *Rabbini* in Bibliis Rabbinicis. Venetiis, ac Baſileæ editis collecti. Vide v. *Biblia Hebraica*.

Fragmenta Hexaplorum Origenis in duo volumina in fol. congeſta, labore P. Montfaucon, & duobus Lexicis, Hebraico uno, & altero Græco exornata, cum eruditis Præfationibus ad totum Vetus Teſtamentum maxime conducentibus, ut poſthac nullius fere ſit uſus Joannis Druſii opus inſcriptum: *Veterum Interpp. Græcorum in V. T. fragmenta &c.* Arenaci 1622. in 4.

Sixtus Senenſis Dominicanus, e Judæis parentibus natus Senis an. 1520. opera S. Pii V. cum ſupremum Ordinis S. Dominici regimen teneret, ad Chriſti fidem traductus; obiit 1569. annum agens 49. Ille an. 1556. Bibliothecam edidit, cujus quartus liber Catalogum retexit Authorum, qui in Biblia ſcripſerunt. Hic in Catalogo ordine Alphabetico digeſto nomen, vitam, & Authorum, quos memorat, ſcripta refert; dein ad calcem hujus quarti libri horum Authorum nomina dumtaxat recenſet, ordine Librorum Scripturæ, quos ipſi interpretati ſunt, ſervato. Opus communi ſuffragio probatur, atque in eo ingens Authorum copia, quos nos hic prætermus, exhibetur. Viciſſim tamen plures a Sixto Senenſi omiſſos hic retulimus, utpote qui poſt ipſum claruerunt. Ejus opus evulgatiſſimum, ſi libeat, conſulatur.

Cardinalis Bellarminus Catalogum etiam Scripturæ Interpretum ad calcem ſui Tractatus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in lucem emiſit; at catalogus Sixti Senenſis fuſior eſt.

[Cum in hoc Articulo nullum e genuinis Scriptoribus Commentariorum in univerſam Scripturam [nempe in totum vetus Teſtamentum] apud Judæos dederimus; res utique poſtulat, ut brevem hic illorum catalogum inſtruamus.

Hujus

Hujus autem exordium faciemus ab *Aaronibus*. Piſanrienſis, qui florebat an. 1581. retexuit Indicem generalem ſententiarum Scripturæ, quæ recurrunt in Thalmud Babylonico, cujus Operis tertia editio prodiit Baſileæ an. 1587. *fol.*

Aaron filius Samuelis, ſub exitum ſæculi 17. in vivis agens, Indicem alium Bibliorum diſpoſitum juxta ordinem Librorum & capitum dedit Francofurti ad Oderam an. 1690. *fol.*

Abraham filius Techiel, Sacerdos Portnenſis, alphabetico ordine digeſſit Notas allegoricas, vel expoſitiones Cabaliſticas vocum difficillimarum Scripturæ. Prodiit Opus Venetiis an. 1628. in 4. ſecunda Editio.

Abraham filius Levi Koukl, natus Herbornii, & collector in Belgio piarum largitionum pro Synagogis Palæſtinæ, exeunte ſæculo 17. in veteres Libros omnes ſcripſit Commentarium, cui titulus; *Pulvis Scribarum*. Prodiit Amſtelodami 1704. *fol.*

R. Bezaleel Luſitanus, filius Salomonis & Judæorū Concionator an. 1674. dedit Orationes allegoricas in plures Scripturæ ſententias, Opus in ſeptem diſtributum partes, quas appellat ſeptem columnas; Dyremfortii an. 1693. in 4.

Eliezer, filius R. Manahem-Manes, ſcripſit clavem & indicem Textuum Scripturæ, quos laudat liber Zoar; Sulsbachii an. 1684. *fol.*

R. Gedaliah, filius R. Joſeph Jehhia, inſtruxit Catenam traditionum ab Adam aduſque annum Jeſu Chriſti 761, quod Opus bifariam diviſit; dedit & tertiam partem, in qua de creatione mundi. Obiit an. 1448. Ejus Opus excuſum eſt Venetiis an 1587. in 4.

Bartholoccius in ſecundo tomo Bibliothecæ Rabbinicæ recenſet R. *Ephraim Ephabria*, qui agebat in vivis an. 1650. atque in univerſam Scripturam laboravit.

Jacobus Abendana Judæus Hiſpanus, & Præfectus Synagogæ Londinienſis, defunctus an. 1681. dedit Spicilegium in ſelecta plura loca Scripturæ, Amſtelodami an. 1685. *fol.*

Jacob filius Iſaac, Germanus, qui florebat circa an. 1612. dedit tres Commentarios Germanicos cum Textu Hebræo 3. vol. *fol.* Amſtelod. 1706. & alibi aliis annis.

Joſephi Karo, filii Ephraim, Hiſpani Rectoris Academiæ urbis Japhet excuſæ ſunt Amſtelodami an. 1726. 1708. 2. vol. 4. Expoſitiones myſticæ & literales Hebraice. Obiit an. 1575.

Iſaac Abarbanel vel Abarvanel, Luſitanus, Judæus Ulyſſiponenſis, defunctus an. 1508. varias digeſſit Lucubrationes, quarum catalogum habes apud P. le Long p. 802. col. 1. & in Biblioth. Rabbinic. Buxtorf. ſingulas autem recenſere hic longum eſſet.

R. Iſſachar filius Nephtali, Sacerdos Judæus e Synagoga Ruſſiæ, dedit clavem & indicem locorum difficillimorum Scripturæ inſcriptum Opus: *Viſio Sacerdotis*; ſecunda ejus editio eſt Amſtelodamenſis an 1673. in 4. Dedit & Dona Sacerdotalia, quæ prodierunt quarto Francofurt. ad Oderam an. 1692. *fol.*

R. Moyſes Maimonides, Hiſpanus Cordubenſis, Orientalibus linguis omnibus excultus, plura ſcripſit & nihil non Publico probatiſſimum; quæ omnia habes deducta apud P. le Long, *ibid.* p. 869. De illo nos aliquid in quarta parte.

Moyſes Nephtali filius Aſer, Judæus Germanus, Author eſt Germanici Commentarii ex aliis Commentariis collecti & excuſi Cracoviæ an. 1552. *fol.*

R. Salomon filius Iſaac vulgavit novum Zohar, vel Appendicem hujus Commentarii, Amſtelod. an. 1701. *fol.* cum Additionibus R. Mardochæi, tertia editio. Salomon, filius Malel Hiſpanus, Judæus ſæculi 12. ſcripſit Commentarium in univerſum Vetus Teſtamentum Hebraice, qui prodiit Amſtelod. cum Spicilegio Jacobi Abendana, an. 1685. *fol.* Idem Opus Latine reddiderunt plures, quos vide apud P. le Long p. 941.

R. Simeon, cognomento Concionator, Germanus Francfordienſis vivebat an. 1310. adornavitque Collectionem variarum Expoſitionum, impreſſam ibid. an. 1709. 2. vol. *fol.* una cum altera Collectione R. Samuelis filii Gedaliæ.

Agentes de Bibliotheca *Sixti Senenſis* excidit monuiſſe Lectores, quintum & ſextum librum offerre eximias notas in utrumque Teſtamentum, quas juvat conſulere in lectione ſingulorum Librorum Scripturæ. Poſtrema & optima Editio data eſt Pariſiis an. 1610. *fol.* cum ſcholiis, & caſtigationibus Joannis Haiæ Jeſuitæ.

Diction. Bibl.

Ipſe de ſe perhibet in Epiſtola nuncupatoria ad Pium V. ejuſdem S. Pontificis opera tranſiſſe ad Chriſtiana Sacra, & adlectum fuiſſe inter Dominicanos. Obiit Lugduni an. 1569. ætatis 48. Callebat Hebræum, & Græcum, Theologus & Concionator non infimus; ſtylo tamen utitur Latino non ſatis eleganti, quanquam plano & naturali.]

COMMENTARIA PECULIARIA IN QUOSDAM SCRIPTURÆ LIBROS.

Authores, quorum modo mentionem fecimus, qui nempe Commentaria in totam Scripturam ediderunt, recenſere longum & ſupervacaneum eſſet; quare vel nomina illorum tantum nuda memorabimus, vel penitus omittemus.

COMMENTARIA IN PENTATEUCHUM.

S. Auguſtinus Quæſtiones in totum Pentateuchum ſcripſit; in quo præſertim Opere Sacrorum Authorum locutiones, ab uſu Latinæ linguæ abhorrentes, expendit. Cæterum ille magis ad dogmaticum, & moralem ſenſum, quam ad litteralem incumbit. In his tamen quæſtionibus, totus ferme literali ſenſui hæret. Græcam Verſionem interdum allegat.

S. Cyrillus Alexandrinus in Pentateuchum Commentariom elucubravit, inſcriptum: *Glaphyra*; videlicet ſculpturæ opus exquiſite cælatum. Ejus explicationes minus pronu, allegoricæ & parvi ſunt uſus. Glaphyræ in ſecunda parte ſecundi tomi Operum S. Cyrilli excuſæ ſunt. Diem clauſit an. 444.

Theodoretus Epiſcopus Cyri, quæſtiones pariter in Pentateuchum ſcripſit, in quibus varia ſibi propoſita dubia ſolidiſſime, ac erudite enodat. Verſionem Septuaginta cum aliis Veterum Græcorum Interpretum crebro confert; ut germanum Textus ſenſum aperiat. Author hic doctrinæ S. Chryſoſtomi valde adhæret; & judicii, ſoliditatis, ac pietatis præſtantiam ubique præſefert.

Procopius Sophiſta, Gazæus, qui ſexto ſæculo circa annum 560. vivebat, Commentarium, ſeu catenam quamdam, ſive collectionem textuum, ac ſententiarum Patrum Græcorum, ac Latinorum in Scripturam concinnavit, diſcrepantes in ſpeciem eorum opiniones concilians. Veteribus utitur Interpretibus Græcis, Aquila, Symmacho, & Verſione pariter S. Hieronymi, quam Sophronius Græce verterat. Opus hoc ex Græco in Latinum translatum fuit, & Latine editum opera Conradi Clauſeri in *fol.* Tiguri 1555.

S. Iſidorus Hiſpalenſis, qui ſeptimo vivebat ſæculo, in Pentateuchum, in Joſue, in Judices, in quatuor Regum ſcripſit. Ipſe in Præfatione totum opus ex Origene Victorino, S. Ambroſio, S. Hieronymo, Caſſiano, & Auguſtino, S. Fulgentio, ac S. Gregorio Magno, qui tunc temporis in mortalibus degebat, deduxiſſe profitetur.

Beda Venerabilis, *Rabanus Maurus*, & *Rupertus Abbas*, in Pentateuchum ſcripſere. Duo priores (de quibus ſatis ſupra) veluti quaſdam Catenas, ſeu compendia Veterum PP. contexuerunt. Rupertus Abbas duodecimo vivebat ſæculo. Ab ineunte ætate in Monaſterio S. Laurentii Oosbourgi prope Trajectum inter Religioſos S. Benedicti nomen dedit; Abbas Tuitienſis prope Coloniam Agrippinæ creatus fuit; & obiit 1135. Hanc ſibi methodum præſcribit; primum ſtylo ſimplici, ac minime critico literalem Scripturæ ſenſum explicat; in morali, ſeu allegorico ſenſu ſe latius diffundit. Alia etiam ex eo ſuperſunt, de quibus infra.

Bruno, e Solerio in Aſtenſi Diœceſi oriundus, unde ipſi *Aſtenſis* nomen, undecimo vivebat ſæculo, & deceſſit an. 1120. ſive 1125. *Bruno Signienſis* etiam appellatur, quod ad Epiſcopalem Signenſis Eccleſiæ cathedram in agro Romano evectus fuerit. Dein ad Montem Caſſinum ſe recepit, ubi ejus Cœnobii Abbas inauguratus eſt. Commentaria in Pentateuchum, in Jobum, in Pſalmos, Iſaiam, Cantica Canticorum, Apocalypſim excuſa in Bibliotheca Patrum, ex eo Scriptore ſuperſunt. Creditur etiam Author Commentarii in Epiſtolas S. Pauli, & quorumdam aliorum operum, quæ ſub nomine S. Brunonis Carthuſiæ Inſtitutoris prodiere. Ejus opera ſtudio Mauri Marcheſii Decani Montis Caſſini in unum corpus prodiere an. 1651. morali, & allegorico ſenſui præcipue inhæret.

Hugo de S. Victore breves etiam in Pentateuchum annotationes memoriæ prodidit, ſatis interdum literales, & ſæpe morales.

Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulæ, unde Abulenſis dictus, decimoquinto ſæculo florebat, inter Doctores Salmanticenſes adſcriptus, tanquam prodigium ſui ſæculi habitus fuit; nec ſane vulgaria ſcripſit. Ex ejus operibus 27. volumina adhuc ſuperſunt, quamvis plura deperierint. Supremum diem explevit circa annum 1454. ætatis ſuæ tantum 40. Quatuor magna volumina *in fol.* in Pentateuchum implevit, hac potiſſimum methodo; Latinum Textum breviter exponit; varias dein quæſtiones ex eodem Textu in medium profert; fuſe agitat, rationes ex utraque parte producte, & modo pene ſcholaſtico, ratione, ſeu authoritate reſolvit. Quæſtiones crebro nullius uſus, & parergas omnino agitat. Major in eo diſceptandi, productis in utramque partem rationibus ubertas, & uſus, quam ſolida eruditio & ſapor; quod tamen ſæculi potius, quam ingenii vitio tribuendum eſt.

Sanctes Pagninus Lucenſis, Dominicanus, inter primores, qui poſt literarum inſtaurationem Hebraicæ linguæ ſtudio ſedulam operam navarit. Cum plurimum eo ſtudii genere profeciſſet, præter Scripturæ, de qua locuti ſumus, verſionem, Commentarium in Pentateuchum reliquit, inſcriptum: *Catena argentea in Pentateuchum*, *Antuerpiæ* an. 1525. Obiit 1541.

Thomas de Vio Cajetanus. Vide ejus articulum inter eos, qui totam Scripturam interpretati ſunt.

Auguſtinus Steuchus Eugubinus Canonicus Regularis Congregationis S. Salvatoris, circa annum 1540. florebat Erudita Commentaria in Pentateuchum, Pariſiis apud Sonnium excuſa 1578. in fol. Vol. 1. elaboravit. Linguas apprime callebat, & critico ſapore ejuſdem opera non leviter aſperguntur. Stylus ſatis conciſus, ordinem, methodum, & perſpicuitatem deſideraret.

Nicolaus Abrahamus Societatis Jeſu Lotharingus e Diœceſi Tullenſi, & Hebraicæ linguæ in Univerſitate Muſſipontana Profeſſor, natus eſt an. 1589. in Societatem cooptatus 1609. ſtia vota nuncupavit 1623. & deceſſit 1655. Plura ſcripſit Opera, inter cætera: *Pharum V. T. ſeu ſacrarum quæſtionum libros 15. Pariſ.* 1648. *in fol.* Opus hoc eleganter, erudite, & graviter elucubratum. Author Græcæ & Hebraicæ linguæ peritia, & humaniorum diſciplinarum ſcientia, in quas plura edidit Commentaria, præſtabat. Ejus Pharus pluris reputatur, & quæſtiones intime agitat. De illo pluribus in locis ſermonem habebimus.

Hieronymus Oliverius, ſeu ab *Oleaſtro*, ſeu *Oleaſter*, Dominicanus, eruditum Commentarium in Pentateuchum concinnavit. Linguarum peritus erat; e vita migravit circa annum 1563. Ejus opus pluries recuſum fuit Lugduni, Antuerpiæ, Ulyſſippone.

Cornelius a Lapide, ejus Commentarium in Pentateuchum utile eſt. De illo alibi diſſerui.

Jacobus Bonfrerius e Societate Jeſu, Dinantii in regione Leodienſi ortus, morte ſublatus an. 1643. ætatis ſuæ 70. eximium Commentarium in Pentateuchum, Antuerpiæ cum perelegantibus Prolegomenis editum an. 1625. reliquit. Literalem dumtaxat ſenſum ſectatur.

Sacra Scriptura ubique ſibi conſtans, ſeu difficiliores Scripturæ loci in ſpeciem ſibi pugnantes conciliati, opera Joan. Pontaſii Doctor. Pariſ. Tom. 1. qui eſt in Pentateuchum. Pariſiis apud Boudot 1698. in 4. Author, quantum ſcio, opus illud proſecutus eſt.

Cornelius Janſenius Epiſcopus Yprenſis, notiſſimus ex diſceptationibus poſt ejus obitum excitatis, cauſa Libri ejuſdem Authoris inſcripti *Auguſtinus*, eximium in Pentateuchum Commentarium condidit. Brevis eſt, ſolidus, nec ſane ineptus, ut nullius unquam erroris ſuſpicio in opus hoc crearetur.

Joannis Marck Commentarium in Pentateuchum. Lugduni Batavorum in 4.

Franciſci Sylvii in Geneſim, Exod. Levit. & Numeros.

Si exactus Authorum Judæorum, qui in omnem Scripturam, ſeu in ipſius partem, ſeu in Libros, qui ad eam ſpectant, ſcripſere, Catalogus exquiratur, Rabbinica Bartholocci, & Imbonati Monachi Ciſtercienſis Bibliotheca 5 Vol fol. conſulenda, & præſertim Catalogus omnium Librorum, qui in Rabbinica hac Bibliotheca recenſentur, ad caput quarti Tomi.

§ COMMENTARII CATHOLICORUM IN PENTATEUCHUM.

S. *Auguſtinus*, Quæſtiones S. Auguſtini non Pentateuchum tantum illuſtrant, uti oſcitanter meminimus, ſed Heptateuchum plane totum, videlicet ſeptem priores Scripturæ Libros, Moyſis quinque, Joſue, & Judices. Exhibet illas tertius tomus Novæ Editionis Operum ipſius p. 379. Quæſtiones ideo appellavit, quod dubia potius proponit quam ſolvit: *Plus quæſita quam inventa*, ait ille de ſe; quanquam pluribus etiam ſatisfecit.

S. Cyrillus in Scripto illo ſuo ad indolem Commentarii non intra literæ fines tantum ſe continet, ſed excurrit etiam ad ſenſum ſpiritalem, allegoricum, & moralem. Eo tendit unice, ut in Veteri Teſtamento revelet Jeſum Chriſtum, & Myſteria noſtræ Religionis, id habens dogmate ſanctum, Vetus illud typum eſſe & umbram Novi. Viciſſim autem Theodoretus literali inhæret, laudatque pariter Textum Hebræum; ejus quæſtiones continentur t. 1. editionis P. Sirmondi.

Catena *Procopii Gazenſis* non in Pentateuchum tantum, ſed in Octateuchum excurrit; nimirum in octo priores Scripturæ Libros, Moyſis quinque, Joſue, Judices, Reges cum Paralipomenis. Commentarii ejus Græci in ſeptem priores Libros ſola extat Latina Verſio; Græcum & Latinum in Reges & Paralipomena e Verſione Lavaterii prodierunt Lugduni Batavorum an. 1620. in 4. cum caſtigationibus Meurſii, qui Editionem hanc novam procuravit. Sunt etiam aliæ Catenæ Procopii, de quibus nos infra.

Photius, qui Authoris hujus ſcripta in fontibus ipſis hauſerat, affirmat ſtylo uti nimis florido, quam pro Commentario. Relegit potiſſimum veſtigia Theodoreti in Expoſitionibus; nec raro minuta perſequitur, exponendaſque ſuſcipit voces ſatis per ſe perſpicuas.

Longe alius eſt a Procopio Hiſtorico; agebat in vivis circa annum 520. ſub Juſtino. Quare falli Grotium, ſuppatem illum conſtituentem S. Hieronymo, & ad illum literas dediſſe affirmantem, notat opportune Martianæus in t. 4. Operum ejuſdem Patris, & Clericus in ſua Bibliotheca ſelecta (*Bibliotequé choiſie*) t. 8. p. 841.

S. Iſidorus. Non ſatis conſtat, num omnia, quæ Iſidoro Hiſpalenſi in Scripturam tribuuntur, eidem re ipſa Authori vindicanda ſint. Horum portionem non infimam adſcribit P. le Long Iſidoro Epiſcopo Cordubenſi, cognomento Seniori, in vivis agenti ſæculo quinto, quippe qui deceſſit an. 430.

Illud in re tam dubia certi tantum nobis affirmandum ſuccurrit, ſcripta illa non Commentarios eſſe re ipſa, ſed Collectionem ſententiarum decerptarum ex Authoribus Eccleſiaſticis: *Quod ego loquor illi dicunt, & vox mea ipſorum eſt lingua*, ait in ſua præfatione Author, quicunque tandem fuerit.

Commentarios Abbatis Ruperti vulgarunt præla Colonienſia an. 1528. 3. vol. *fol.* & Pariſienſia an. 1633. 2. vol. *fol.* In exponenda Scriptura methodo utitur ſingulari, non tamen ingenio penitus & eruditione deſtituta. Quanquam accurationem in illis deſiderat Maldonatus, adhuc tamen eorum lectionem commendat.

Brunonis Aſtenſis vulgati ſunt Commentarii, non quidem an. 1551. uti nos male, ſed an. 1651. 2. vol. *fol.* cum cæteris ejus Operibus. Extant etiam in Bibliotheca Patrum t. 20. Editionis Lugdunenſis pag. 1294. Si quæ occurrant ſalebræ adeantur Scholia, quæ Marcheſius addidit in calce editionis ſuæ. Zelo pro rebus Eccleſiæ ardebat maximo vir ille, quæ ejus indoles in Epiſtolis, cum de inveſtituris agit, ſatis ſe prodit, eademque de cauſa Epiſcopatu & Abbatia ſe demiſit.

Hugo & Richardus. Duo iſti inſignes viri ideo jungendi ſunt, quod ambo ſimul & eundem Ordinem profitentes vixerint, ac ſtylo in ſcribendo uſi ſint communi, ut alterius Opera non raro alteri tribuantur. Utriuſque Opera junctim excuſa ſunt Rothomagi an. 1648. & 1650. 4. vol. *fol.*

Hugo, Belga erat & non Saxo, uti nos male; ad Canonicos S. Victoris Pariſienſis tranſiit, obiitque an. 1142. ætate 44. annorum non major. Richardus vir erat Scotus; Prior S. Victoris renunciatus eſt an. 1164. obiitque inclinata admodum ætate an. 1173. Diſcipulus fuerat Hugonis, ejuſque exemplo formavit ſe qua vitæ probitate, qua ſcientia. Juſto utitur ratiocinio & methodico, ait D. Dupin,

Teſta-

Digitized by Google

Toſtatus. Operum Toſtati Editio abſolutiſſima eſt Colonienſis an. 1613. 27. vol. *fol.* Ex iis 13. Scripturam illuſtrant, non excluſo indice univerſali Editionis Venetæ an. 1596.

Diffuſiſſimus licet, felix eſt tamen in digreſſionibus ſuis, & fœcundus in quæſtionibus, quas data Textus occaſione inſtituit.

Commentarii *Steuchi Eugubini* excuſi ſunt ſeorſum Venetiis in 4. an. 1529. & Lugduni an. 1531. in 8. hoc titulo: *Veteris Teſtamenti ad Hebraicam veritatem recognitio, ſive in Pentateuchum adnotationes.* Editio enim anni 1578. continet alia etiam ejus Opera 3. vol. *fol.* quorum prior exhibet Commentarios.

Cum Septuaginta committit ſe non raro, & ſæpe illis imponit falſum, cum Hebraice nonniſi mediocriter aſperſus eſſet, ait D. Simonius. Monuit illum Eraſmus in ſua epiſtola 34. lib 26. ut in ſuo Opere corrigeret non pauca.

Cuſtos Bibliothecæ Vaticanæ factus, aſſecutus eſt tandem dignitatem Epiſcopi Kiſam in Inſula Cretæ, atque a Paulo III. miſſus Concilio Tridentino interfuit. Obiit an. 1550. vel forte 1548. Italiæ ornamentum appellatur a Poſſevino.

Abram e quindecim libris Quæſtionum in Scripturam octo tantum dedit in loca quædam Geneſeos, & nonum in Exodum, vel in commorationem Iſraelitarum in Ægypto. Quæ ſequuntur omnia illuſtrant Judices, Tranſmigrationem Babylonicam, Adventum Meſſiæ, Septuaginta hebdomadas. Humaniores literas melius profitebatur, quam Interpretem Scripturæ. Recurret iterum de illo ſermo in tertia parte hujus Supplementi.

Commentarios *Joannis Oleaſtri* prodiit Ulyſſiponæ 4. vol. *fol.* an. 1556. 1558. & Antuerpiæ an. 1569. 1. vol *fol.* In eo potiſſimum ſtudium ſuum poſuit, ut genuinam ſignificationem ſingularum Hebraicarum vocum ſcrutaretur, ſed non felici ſemper delectu interpretationes ſuas ſelegit.

Vir erat Luſitanus; inter Dominicanos dedit nomen an. 1520. Ad Concilium Tridentinum an. 1545. miſſus a Joanna III. Rege Luſitaniæ, venit; redux aſſumptus eſt in Inquiſitorem, obiitque tandem an. 1563. & non 1568. uti male Tirinus. Græco & Hebræo ſtrenuam operam navavit.

Commentarii Bonfrerii vulgati ſunt an. 1625. & non 1525. uti præpoſtere in noſtris impreſſis; alioqui etenim excuſi fuiſſent antequam Scriptor naſceretur.

Ejus Prolegomena lectu digniſſima ſunt, ait Simonius, quanquam non illum perfectionis gradum attingunt, quem nos optavimus: etenim commode omiſiſſet quæſtiones nonnullas, quæ plane inutiles videntur. Scopum attigiſſet felicius in ſuo Commentario, ſi plus aliquid noſſet in linguis Orientalibus.

Natus eſt Dionanti an. 1573. ad Jeſuitas acceſſit an. 1592. docuit & profeſſus eſt Duaci, ac Tornaci, ubi & diem clauſit. Judicio valuit, memoria, eruditione, ac ſtylo facili & eleganti.

Primum & unicum volumen *Pontaſii* continet ultra 330. quæſtiones cum Reſponſis fultis authoritate SS. Patrum & probatiſſimorum Commentatorum. Nec ſatis habet vir doctus conciliare antitheſes in ſpeciem Sacræ Scripturæ, ſed & Textus plurimos, qui paradoxe aliquid & fidei opportunum referre videntur, illuſtrat. Ad hæc aſpergit Opus exacta critica in varias lectiones Hebræi, Chaldaici, Syriaci, Græci, aliarumque Verſionum. Uno verbo, volumen eſt Bibliothecam referens, collectaque continens quæcunque vix alias diſcerentur, niſi conſultis pluribus Libris. Optandum utique fuiſſet Pontaſium laborem hunc ſuum continuaſſe in univerſam Scripturam, vel ſaltem Doctum alium methodum ipſius & zelum adoptaſſe.

Commentarius *Janſenii* excuſus eſt Pariſiis an. 1661. in 4. cui acceſſerunt ejus Analecta in Libros Sapientiales, in Habacuc, & in Sophoniam. Aliæ etiam plures Editiones datæ ſunt hujus Operis, de quo nihil addemus ultra, quam quæ jam dicta ſunt.

Natus eſt an. 1585. ſtuduit docuitque Lovanii ab an. 1617. Epiſcopus Iprenſis initiatus eſt an. 1632. obiit 1638. ætatis 53. Cum hic ſermo fuerit tantum de ejus Commentariis, quos probant æque omnes, alia viri Opera prætereunda cenſemus.

Sylvius. Prodierunt primo ſeorſum duo Commentarii Sylvii in Geneſim & in Exodum, Duaci an. 1633. & 1649.

Diſſiſer. Bibl.

totidem voluminibus in 4. Sed P. d'Elbecque, qui poſthuma ejus Opera vulgavit Antuerpiæ an. 1678. 2. vol. *in fol.* quæ reddunt Operum ipſius tomum quintum & ſextum, imprimendos pariter curavit geminos hoſce Commentarios, additis duobus aliis nunquam antehac publico communicatis, in Leviticum nempe & in Numeros.

Brevis licet, doctus eſt tamen, perſpicuus, fœcundus, novit enim literalem ſenſum miſcere ſpirituali, addito myſtico & morali ex SS. Patribus deductis. Natus eſt in Bronio (*Braiuus*) Hannoniæ an. 1581. ſatiſque mature totum ſe ſtudio impendit. Egit Vicecancellarium Univerſitatis Duacenæ, & Canonicum S. Amati Cameraci; deceſſit tandem an. 1649. ætatis 69. Vir erat inſigniter pius, uti ea Vita ipſius præfixa quinto volumini Operum ejus intelligent Lectores.

D. Dupin. Notas D. Dupin in Pentateuchum præteriri a nobis eſſet iniquum, cum ille nomen noſtrum non ſiluerit in ſua Bibliotheca.

Omni amota aſſentatione eo nomine vir iſte laudandus eſt, quod novit artem evitandi prolixitatem magnorum Commentariorum, & nimis arctam tenuitatem Scholiorum. Nihil præteriit obſcurum, cui lucem non affuderit; animadverſiones addit chronologicas & geographicas; quas item animadverſiones breves reddit & literales. Excuſum eſt opus 2. vol. in 8. Pariſiis an. 1701.

Pariſium habuit Patriam, quanquam originem duxit e veteri familia Normannica; natus eſt autem an. 1657. ſtudio impendit operam in Collegio d'Harcourt; Doctor eſt renunciatus an. 1684. obiit tandem an. 1719. ætatis 62. ingenti Operum editorum, qua Gallice, qua Latine, numero vir inſignis.

Præter catalogum a nobis indicatum de Scriptoribus, P. le Long in ſua Bibliotheca ſacra in *fol.* pag. 1079. 181. ſuum dedit accuratiſſimum de Authoribus qua Catholicis, qua Proteſtantibus & Judæis, qui laborarunt in Pentateuchum. Nos vero hic tantum aliquos Scriptores Proteſtantes & Judæos in Corollarium digeſtos, addemus.

C O R O L L A R I U M.

COMMENTARII PROTESTANTIUM JUDÆORUM IN PENTATEUCHUM.

NUllum aptius exordium conſtitueremus, quam in *Joane Mark*, Belga, Calviniſta, & Miniſtro Leidenſi, quem nos per errorem inter Catholicos recenſuimus. Scripſit tantum in loca quædam Pentateuchi. Ejus viri Leidenſibus typis an. 1713. in 4. prodiit genus quoddam Analyſis exegeticæ in poſtrema verba Jacob & Moyſis.

Jacobi Alſingi altera eſt etiam Analyſis exegetica, quatuor priorum Librorum, & Commentarius in Deuteronomium, quæ ſimul omnia complectitur prior tomus Operum ipſius Amſtelodami an. 1687. 5. vol. *fol.* Calviniſmum profitebatur, natuſque eſt Heidelbergæ an. 1618. obiitque an. 1679. Quingentæ ejus Epiſtolæ geſta viri & ingenium ſatis docent.

Commentarius *Auguſti Varenii* prodiit Roſtochii an. 1670. in 4. Lectu jucundum eſſet Opus illud, ſicut & cætera ejus viri, ſi tantum perſpicuitatis haberent, quantum habent eruditionis, ait Crenius.

Hitziger in Ducatu Luneburgenſi natus Gravii auditor fuit: docuit linguam Hebraicam Roſtochii, ubi tandem deceſſit an. 1684. ætatis 64. Unus idemque Poeta fuit Orator, & Interpres Sacrarum Scripturarum apud Lutheranos.

Nec prætereundus eſt hic *Joannes le Coq*, vel Coccejus, qui in Scripturam laboravit plurimum. Porro laborum ſuorum exordium fecit ex Commentario in plura capita Geneſeos; proſecutus eſt Animadverſiones in Exodum & Leviticum, cum & in loca quædam Numerorum & Deuteronomii. Hæc autem omnia in unum collecta volumen in 4. prodierunt Franekeræ an. 1651. Demum inſerta ſunt in Collectione Operum ipſius Amſtelodami an. 1701. 8. vol. *in fol.* tertia Edit. quibus acceſſerunt duo alia volumina *ibid.* 1706. *in fol.*

Digeſſit hæc omnia ſtylo vel ipſo eodem Scripturæ, vel populari penitus & intellectu perquam facillimo; a Scholaſtica recedit plurimum, ejuſque ratio exponendi Scripturas probatur maxime D. Simonio; cui diſplicent nihilo ſecius hypotheſes frequentiſſimæ, quas probare argumentis eſſet operoſiſſimum. In expoſitione Prophetarum excellit maxime.

Digitized by Google

Patris erat Germanus; natus Bremæ an. 1603, obiit an. 1669. ætatis 66. poſt formatum Sectæ genus quoddam, Cocceianum de ejus nomine appellatum, quod ad Socinianiſmum propiſſime accedit, Linguas Orientales perfectiſſime callebat.

Hermanus van-der-Hart dedit Ephemerides Philologicas in duodecim Orationes illuſtrantes Pentateuchi quædam, Helmſtadii an. 1693. in 4. tertia Edit. Alias de illo redibit ſermo.

Sebaſtianus Edzard diſcuſſit adverſus Clericum, an Pentateuchi Opus ſcripſerit Sacerdos Samaritanus, extudit que opus Wittembergæ an. 1695. in 4. Alia ejus Opera in decurſu indicabimus.

Paulus Fagius unus eſt e celeberrimis Proteſtantibus, qui Notas ſcripſerint in Pentateuchum. Impreſſæ ſunt in Magnis Criticis Londinienſibus tom. 1. Adornatæ ſunt non quidem ad Textum Hebræum, ſed ad Paraphraſim Chaldaicam Onkelos, quam Latine ab ipſo redditam jam diximus: æque tamen valent illuſtrando Textui & Paraphraſi.

Digeſtæ ſunt ad regulas criticas; neque enim in aliis ferme occupatur quam in aſſignando æquiori ſenſo vocum Hebraicarum, atque illuſtrando ſenſu literali Moyſis.

Allemannus natus Tabernæ (*Saverne*) an. 1504. e Lutheranis defecit ad Calviniſtas, obiitque an. 1550. ætatis 45. Criticus exactos & Rabbinis opportuniſſime utens; ex quo tamen nimium in Rabbiniſmum declinavit.

Hermanni Deuſing eſt Moyſes evangelizans, quo in Opere Textus plures Moyſis recenſitos in Bibliotheca Philologica tom. 5. pag. 752. & 758. explicat. Prodiit Ultrajecti ad Rhenum an. 1719. in 4. De illo recurret adhuc ſermo in decurſu. Natus eſt Groningæ an. 1654. patrem amiſit an. 1666. Studuit Lugduni Batavorum, & alibi; obiitque an. 1722. ætatis 68. Hujus viri geſta habes deſcripta in eadem Collectione tom. 5. pag. 925. 935. in Catalogo Operum ipſius pag. 936. 940.

Inter Judæos *Abdias Sphorno*, Italus Medicus, defunctus an. 1550. vulgavit Expoſitionem inſcriptam, *Lumen Domini*, typis Ferrarienſibus an. 1567. in 4. ſecunda Edit.

Abraham filius David, in vivis agens an. 1605. ſcripſit in Pentateuchum Opus, cujus ſecunda Editio data eſt Francofurti ad Oderam an. 1681. *in fol.* Dedit & Latine tredecim illas rationes varias exponendi Legem juxta Hebræos Cantabrigiæ an. 1597. in 8.

R. Bahhis, vel *Bebhai* filius Aſer Hiſpanus, Cæſarauguſtanus, Philoſophus, florens an. 1291. adornavit Expoſitionem literalem allegoricam & cabaliſticam Pentateuchi Hebraice, impreſſam ſæpius, cujus poſtrema editio eſt Cracovienſis an. 1610. *in fol.* Commentarium hunc fuſiſſimum eſſe dicit Simonius.

Beer filius Iſael Leyſeti, Bohemus, & Superintendens Synagogæ Fulemburgenſis an. 1624. vulgavit Expoſitionem plurium explicationum in Pentateuchum, Pragæ an. 1623. *in fol.*

David filius Salomonis Meſir, Medicus Toletanus, Muſicus, & Poeta an. 1467. ſcripſit Coronam Legis, i. e. 613. præcepta deducta ex Pentateucho; excuſa ſunt autem Hebraice Conſtantinopoli an. 1316. in 4.

Eliſas Miſrahi, vel Orientalis, Rector Synagogæ Conſtantinopolitanæ an. 1490. Author eſt Commentarii, cujus quarta Editio eſt Cracovienſis an. 1593. *in fol.* Idem autem Opus in Synopſim redactum dedit Pragæ Iſaac Cohen an. 1604. *in fol.* & 1609. 2. vol.

Eliezer Judæus Germanus, hiſtoriam Pentateuchi ſcripſit Hebraice. Secunda Operis Editio data eſt Cracoviæ an. 1584. *in fol.*

Ephraim filius Aaronis circa an. 1580 præerat Synagogæ Leopolitanæ, cujus viri nomine quatuor re ipſa quidem ſunt Opera; an genuina tamen ejus omnia incertum. Implent quatuor volumina *in fol.* prodieruntque Baſileæ an. 1581. Pragæ 1610.

Ezechias filius Manoahh Author eſt Commentarii literalis & myſtici, una cum Textu Hebræo, & Targum vulgati Baſileæ an. 1606. *in fol.*

Sabbatai filius Joſue, e familia Horvvitz dedit Obſervationes Opus bipartitum excuſum Dyrenfortii an. 1690. & 1703. 2. vol. in 4.

Jacobus Baal Hatturim, defunctus an. 1328. adornavit notas marginales, quarum tertia Editio eſt Veneta an. 1607. in 4. & in Bibliis Rabbinicis leguntur. Sunt etiam plures ejuſdem nominis, plures Joſephi, Jaſacei, Moyſes, Salomones, Simeones, Samueles, quos hic recenſere eſſet operoſum.]

COMMENTARIA IN GENESIM.

ORigenes ſeptem in Geneſim homilias ſcripſit, in quas potius hujus libri Commentarium cogitur. De Authoris in S. Scripturæ interpretatione præſtantia omnes conveniunt. Una omnium ſententia, neminem eo plenius allegoricum ſenſum pandere, nec moralem luculentius aperire. Cum linguarum peritus eſſet, ad elegantiſſima edenda Commentaria aptiſſimus erat; quare dum literalem alicujus textus explicationem aggreditur, pleromque expectationem implet. Sedulo ejus Opera legiſſe multum refert, non tantum quia vetuſtiſſimus eſt author, verum etiam quia Archetypus, cum plerique poſt illum Scriptores eadem conſuluiſſe, ad illa alluſiſſe, tranſcripſiſſe, ſive refutaſſe conſtet. Dolendum plane cuncta tanti viri opera in ſua Originali lingua, & nulla interpolatione corrupta non exhiberi. Obiit circa annum 254.

S. Joan. Chryſoſtomus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus plura erudita in Scripturam Commentaria, & peculiariter 67. homilias in Geneſim adornavit, in quibus totum librum Interpretatur. Octo præterea ex eo habentur homiliæ ad calcem ejus Commentarii ſubjectæ. Vir iſte plane eximius omnium quotquot unquam fuerint in Eccleſia Græca Interpretum ſummus merito reputatur; aperto eſt enim ſtylo, ſolido, erudito, gravi; atque poſt ſancitum in ſingulis Homiliis literalem ſenſum, quaſi facta ſubſtructione, plerumque morales aliquas & ſpirituales animadverſiones, ex ipſo argumento derivatas, veloci ædificat. Commentatores Græci inferioris ævi fere omnes ex ipſo omnia ferme ſua derivaſſe viſi ſunt, ut eo lecto, quidquid Theodoretus, Euthymius, Theophylactus, Oecumenius optimi habent, ſimul omnia noſcantur. Ejus opera longe lateque vulgata ſunt; quorum nova Editio omnium retro perfectiſſima in præſens paratur.

S. Auguſtinus duodecim ſcripſit libros, eo titulo; *De Geneſi ad literam*, in quibus tria dumtaxat priora Geneſis capita explicat; quod quidem opus Commentarium criticum & literalem exhibet. Plures ibi quæſtiones fuſius agitantur, & varia literam ſeu hiſtoriam quodammodo ſpectantia exponuntur. Ipſe in ſecundo ſuarum Retractationum libro aſſerit, ſe plura in hoc opere quæſita propoſuiſſe, quam enodaſſe: *In quo opere plura quæſita quam inventa ſunt, & eorum, quæ inventa ſunt, pauciora firmata.*

Idem S. Auguſtinus *librum imperfectum in Geneſim* ſcripſit, ubi quid in Commentariis literalibus, & hiſtoricis in S. Scripturam parandis valeret, periculum facere voluit; cum vero in hoc ſtudiorum genere ſe minus verſatum intelligeret, ne unico quidem libro abſoluto, ab incepto deſtitit. Liber hic imperfectus ad Gen. 1. 20. dumtaxat progreditur. Quem autem laborem, tunc temporis viribus imparem, recuſavit, dein impigre ſuſcepit, duodecim compoſitis libris *de Geneſi ad literam*, quos ſupra retulimus.

Tandem in duobus poſtremis Confeſſionum libris, Geneſis initium adverſus Manichæos allegorice interpretatur.

S. Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis, ſeu Aurelianenſis, author Commentarii in Geneſim, in 6. Tomo magnæ Bibliothecæ PP. Lugdunenſis. Author hic nondum ſatis exploratus, nunquam Lugduni cathedram tenuiſſe creditur; quiſquis tamen fuerit, ejus in Geneſim Commentarium cento eſt opinionum, ac ſententiarum S. Auguſtini, S. Hieronymi, & cæterorum PP. quorum verba, ne laudato quidem nomine, tranſcribit. Omnes S. Hieronymi quæſtiones ibidem leguntur. Eidem Authori libet adſcribitur *de elocutionibus S. Scripturæ, & de quæſtionibus in Vetus ac Novum Teſtamentum.*

S. Hieronymus Tractatum *de quæſtionibus, ſeu de traditionibus Hebraicis in Geneſim* ſcripſit, qui veluti Commentarium brevius, criticum, ac literale in hunc librum haberi poſſet. Plurimum in eo Hebraicarum vocum vim aperit: quædam ex Verſione Septuaginta, & cæterorum Interpretum loca ad trutinam expendit: nonnullas Judæorum traditiones recenſet. Exquiſita S. Hieronymi eruditio, & præclara ejus in Eccleſiam merita omnibus

Digitized by Google

bus in confeſſo ſunt. Unus præ cæteris PP. literæ Scripturæ hæret; ſcientiæ, & criticæ plurimum exhiberi atque poſt evolutos infinitos pene Scriptores, quidquid præſtantius ex Origene, Dydimo, Apollinare, Theodoro Heracleenſi, Euſebio Cæſarienſi, aliiſque præcedentibus hauſerat, omnia in ſuum ſuccum convertit. Cum autem ita ſententias illorum referat, ut nomen numquam laudet, hinc factum eſt, ut ex aliorum mente, an ex ſua ſententiam proferat, non facile diſtinguatur. Ex quo etiam illud incommodi accidit, ut ſententiæ ſibi pugnantes in ejuſdem operibus deprehendantur; quæ potius Authoribus, quorum opiniones refert, quam ipſi, ſunt tribuendæ.

S. Baſilius Magnus Epiſcopus Cæſarienſis egregium edidit opus inſcriptum: *Hexaemeron*, in Geneſis initium, ſeu de opere ſex dierum: quod ſane merito operæ caput in eruditione, & eloquentia appellandum eſt.

S. Gregorius Nyſſenus, Epiſcopus, & frater S. Baſilii Magni, librum etiam in Hexaemeronem, ſeu de opere ſex dierum concinnavit, & alium *de hominis creatione*; duos ſermones in ea verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, varias, & graves quæſtiones in ſuo de hominis Creatione Tractatu agitat; & quidquid ſcripſit, utile ſane, ac jucundum eſt.

S. Ambroſius, Archiepiſcopus Mediolanenſis ſex ſcripſit libros in Hexaemeronem, ſeu de opere ſex dierum, in quo verſionem operis S. Baſilii de eodem argumento dedit; librum etiam de *Paradiſo terreſtri*, duos *de Caino, & Abele*, unum *de Noe, & Arca*, duos *de Abrahamo*, alterum *de Iſaaco, & de anima*, duos *de Jacobo, & de vita beata*, librum *de Patriarcha Joſepho*, & unum demum *de benedictionibus Patriarcharum*. Totum hoc ad Geneſim ſpectat. S. Ambroſius ſua in Scripturam opera ita dirigit, ut moralem, & allegoricum potius, quam litteralem ſenſum, & hiſtoriam, ac criticam exhibeant. Non invitus Authorum vetuſtiorum veſtigia ſectatur. Cum Græcam linguam calleret, multa ex Philone, Origene, Didymo, Hyppolito Martyre, ac S. Baſilio tranſcripſit. Allegoricæ, & crebræ ad Scripturam alluſiones, ſtylum illius obſcurum, & tumidum efficiunt.

Euſtathius Epiſcopus Antiochenus, e ſæculi Scriptor, præclarum de Pythoniſſa tractatum concinnavit; de quo nos alibi diſſeremus. Ipſi opus in Hexaemeronem adſcribitur, quod Latine in magna Patrum Bibliotheca reperitur, & Græce ab Allatio una cum Tractatu de Pythoniſſa editum eſt. At operis in Hexaemeronem alius creditur Author. Utcumque res ſeſe habeat, Commentarium hoc eruditione refertum eſt; atque plurimum naturalis hiſtoriæ intextum continens. Hiſtoriæ S. Epitomen a mundi exordio, ad mortem uſque Joſue Author conficit. Opus breve eſt, & cum fructu, ac voluptate legendum.

Duo ea *V. Beda* opera in Geneſim habentur, unum inſcriptum: *Commentarii in Hexaemeron* t. 4. p. 1. 2. 3. alterum: *Expoſitio Venerabilis Bedæ Presbyteri in primum librum Moyſi &c.* Utrum Venerabilis Bedæ poſtremum opus genuinum ſit, valde ambigitur; primum exiguæ tantum pars eſt illius, quod in Geneſim elucubraſſe, ipſemet in ſuorum Operum Catalogo refert. Henricus Wartoo ſupplementum ad Bedæ Commentarium, quod ad Iſaaci Nativitatem, ac reditum Agaris, & Iſmaelis deficit, evulgavit in 4. 1693. Londini.

Alcuinus, ſeu Albinus Flaccus, Abbas S. Martini Turonenſis, ac Caroli Magni Imperatoris magiſter, octavo vivebat ſæculo, & deceſſit an. 804. breve, ac utile in Geneſim opus, in petitiones ac reſponſiones digeſtum concinnavit.

Anaſtaſius Sinaita, Archiepiſcopus Antiochenus, inauguratus fuit circa an. 561. Undecim libros moralium contemplationum in Hexaemeronem ſcripſit in Bibliotheca Patrum Tom. 9. editos, hoc titulo: *Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeronem lib.* 11. Huic etiam Authori 154. quæſtiones in Scripturam tribuuntur. Hæc opera, neque ad ſacrum Textum elucidandum ſatis conducunt; at neque eo Authorem collimaſſe unquam conſtat; animadverſionibus enim moralibus potius, quam litteralibus inhæret.

S. Bonaventura, ex Ordine S. Franciſci Cardinalis, Epiſcopus Albanenſis, ad ſuperos abiit an. 1274. 23. ſermones in *Hexaemeronem* ſcripſit. In animadverſionibus moralibus, & myſticis, ſenſibus tropologicis, ac figuratis omnino eſt.

Joannes Picus Mirandulanus obiit 1494. annum agens 33. ex magna editorum operum copia celebris: *monſtrum ſine Defectibus* vulgo dictus. In primum Geneſis caput ſeptem exercitationum libros dedit inſcriptos: *Heptaplus de opere ſex dierum*. Singuli libri in ſeptem capita ſunt diſtributi. Primus liber eſt de orbe elementari, ſecundus de Cœlo, ac orbe Cœleſti, tertius de Angelis, ac de Cœlo Empyreo, quartus de homine, quintus peculiariter de univerſo Orbe, ſextus de mutua, quæ inter Orbes ſervatur, correlatione, ſeptimus de æterna beatitudine. Opus hoc ad Moyſem explicandum parum utilitatis videtur afferre, & author ultra vulgarium Lectorum captum nimis erigitur. Extat opus in 1. tom Operum Pici, quod ſane, & minus eſt utile ad Scripturæ ſenſum inveſtigandum, & nimis captum vulgarium Lectorum excedit.

Aloyſius Lippomanus, ſeu Ludovicus Lippomanus, patria Venetus, & Epiſcopus Methonenſis primo, dein Veronenſis, ac Bergomenſis, Catenam in Geneſim, in Exodum, ac in Pſalmos ex Græcis ac Latinis Patribus reliquit. Eidem etiam animadverſiones Strabi, S. Thomæ, Cajetani, & ſuas annotationes criticas plerumque ac litterales inſerit. Ejus Commentarium, ſeu Catena in Geneſim magnum Volumen *in fol.* Lugduni editum 1657. implet. Ibi Authorum, tum veterum, tum recentiorum Epitomen recenſet.

Benedictus Pererius, ſeu Pereira Hiſpanus, e Societate Jeſu, Romæ deceſſit 1610. ætatis ſuæ 75. eximium in Geneſim Commentarium adornavit duobus vol. in fol. ſeu quatuor in 4. Tomus primus in 12. priora Geneſis capita Commentarium complectitur ſex libris; ac pluribus quæſtionibus ſeu diſputationibus digeſtum, fuſius in utramque partem agitatis. Secunda pars brevior eſt, & magis ad Commentarii ſpecimen. Eruditus Author eſt, gravis, ac doctus; cujus ſolum Commentarium in Geneſim plurium loco habendum.

Ambroſius Catharinus Dominicanus Commentarium in quinque priora Geneſis capita, in Epiſtolas S. Pauli, in Epiſtolas Canonicas elucubravit. Cajetanum crebro exagitat. Audacior eſt, ac in ſententiis petulans. Obiit circa an. 1553. Ejus opus Romæ editum fuit 1552. & 1556.

Aſcanii Martinengi Canon. Regul. Ordin. S. Auguſt. Gloſſa magna in Geneſim 2. *Vol. in fol. Patavii* 1597. Author eruditus, at prolixior.

Marinus Merſennus, Minimus, fuſius Commentarium in ſex priora Geneſis capita ſcripſit, ſeu potius Quæſtiones in difficiliora, ac celebriora hujus libri loca. Linguis ac Mathematicis inſtructus erat. E vivis ereptus an. 1648. ætatis ſuæ 60. Opus hoc Pariſiis excuſum fuit an. 1623. & 1625.

Joannes Mercerus Calviniſta, Langedocia oriundus, Hebraicæ Linguæ Regius poſt Vatablum Profeſſor. Morte ſublatus eſt an. 1570. Jonas Mercerus ejus filius, patris opera, & præſertim Commentarium in Geneſim typis demandavit in fol. Genevæ 1598. Scriptor omnium, qui in Gallia extiterint, Hebraicæ linguæ peritiſſimus. Ejus opera erudita, & accurata ſunt, at aridiora, & litteræ nimis ſervientia.

Florianus Nannius, Commentarium in Geneſim edidit inſcriptum: *Catena argentea in Geneſim in 4. Bononiæ* 1587.

Guillelmi Hameri Ord. Prædic. Comment. in Geneſim. Dilingæ apud Sebaldum Mayer 1564. in fol.

Firmini Capitis Expoſitio in Geneſim.

Hieronymus Vielmius in prima Geneſis capita, ſeu in opus ſex dierum elaboravit. Ejus liber Venetiis excuſus eſt in 4. 1575.

Martinus Delrio Antuerpienſis, e Societate Jeſu, fato functus 1608. ætatis ſuæ 58. ejuſdem argumenti opus adornavit, inſcriptum: *Pharus Sacræ Sapientiæ*, Lugduni editum an. 1608. Commentaria *in Canticum Canticorum* Ingolſtaldii in lucem emiſſa 1604. in Lamentationes Jeremiæ, Lugduni 1608. *Adagialia Sacra Script.* ſeu *Proverbia Sacra V. T.* Lugduni 1612. in 4. ac tres Tomos de difficilioribus S. Scripturæ locis. Opera eruditione refertiſſima.

Ludovicus de Tyſella, Dominicanus, obiit an. 1614. interpretationem interlinearem in Geneſ. cum ſcholiis exaravit.

Gabriel

obiit an. 1584. Poſterior ætat Valentinus, Hiſpanus, orbiit ſcientia, & pietate ſua in paucis diſtinctus, ait Nicolaus Antonius.

Commentarius *Gabrielis a Coſta* ſcriptus eſt non quidem in 49. capita Geneſeos, uti nobis perſuaſum fuit, ſed tantum in caput nonum & quadrageſimum, cum exponat eorum benedictiones duodecim Patriarcharum. Volumen *in fol.* implet, cum cæteris Authoris Commentariis. Ægidius Viterbienſis nullos ſcripſit commentarios in Geneſim; ſed potius Ægidius Columna Romanus, Eremita Auguſtinianus, Ordinis ſui ſupremus Adminiſter, dein Cardinalis, fatis functus an. 1316. ætatis 69. Ejus opus in ſex dies prodiit Venetiis an. 1521. in 4. dein Patavii. Vir eſt ingenti ſcriptorum Librorum numero celebris. Vide in Canticum.

Varia Sacra Simeonis de Muis vel *Marotte*, non Geneſim tantum illuſtrant, ſed & totum Pentateuchum, quo revocandus fuiſſet a nobis. Continentur in nono tomo magnorum Criticorum, pag. 4605. prodieruntque una cum commentario ejus in Pſalmos Pariſ. 1650. *fol.*

In ſuis Obſervationibus ſacris ſuccincte ac conciſe Textus difficiles Scripturæ exponit.

Patria habuit Aureliam (*Orleans*); egit Archidiaconum Eccleſiæ Sueſſionenſis, profeſſus eſt Linguas an. 1614. obiitque an. 1640. Vulgo de illo ferebatur nullo cargo in loco natum fuiſſe, quippe qui linguas omnes norat; nullum habuiſſe adverſarium, cum illo enim gratiæ omnes, & lepores natæ in ejus vultu ridebant, & demulcebant omnes; nihil ignoraſſe; ſcientias æque omnes callebat; nullo vitio diſplicuiſſe, quod virtutibus omnibus ornaretur.

D. Bernardo Pez, & D. Martene eo nomine tenemur, quod operibus quatuor in Geneſim, nondum publico communicatis, rem litterariam promoverint. Prius opus eſt commentarius Angelomi in priori tomo Anecdotorum Pezii pag. 45. impreſſorum Auguſtæ Vindelicorum an. 1721. 4. vol. fol.

Perhibet de Scriptore illo Pezius, expoſuiſſe ſacrum Textum *perutile*, & *breviter*, excerptis tamen ſententiis S. Hieronymi, S. Auguſtini, & aliorum Patrum pro more ejus ætatis. Monachum agit Luxovienſem, manſitque aliquando in Aula Imperatoris Lotharii, ut ipſe de ſe perhibet.

Alterum opus eſt commentarius Honorii Auguſtodunenſis, in opera ſex dierum ibid. tom. 2. implens 18. columnas. De ſuo hoc opere agit Author in Catalogo Scriptorum c. 17.

Sacerdotem egerat, & Scholaſticum Eccleſiæ Auguſtodunenſis ab an. 1090. uſque ad an. 1120. Laudatur eo nomine quod excerpſit plurimum; diſplicet quod autem non ea accuratione qua opus erat, ait D. Dupin.

Tertium opus eſt Commentarius *Remigii Altiſſiodorenſis*, *ibid.* tom. 4. part. 1. implet autem 126. columnas. Succinctus eſt autem, & elegans. Scriptor iſte non ſatis habens excerpſiſſe Veteres, plurima de ſuo adjecit, ut Author habeatur non Excerptor.

Præfuit Scholæ Rhemenſi, obiitque circa an. 900. Sed Urbis illius Archiepiſcopum numquam egit, Scientia ſua claruit plurimum.

Quartum opus refert Scriptum Petri *Abailardi* in opus ſex dierum, quod exhibet quintus tomus Anecdotorum P. Martene, pag. 1361. 1412. Proſequitur ſenſum litteralem, allegoricum, & moralem, nec obſcura profert argumenta ingenii, & eruditionis Authoris ſui. Vir eſt notiſſimus ex iis, quas ſubivit, vicibus, ut ſermo de illo induceretur fruſtra. Alibi melius de illo.

Joannes de la Haye dedit commentarios litterales in Geneſim, Pariſ. 3 vol. in fol. 1623. tertia editio; dedit & alios, de quibus recurret ſermo in Exodum, & Apocalypſim.

Gemini cognomines viri ſcriptis innotuerunt, Jeſuita, & Franciſcanus, ambo in Scripturam laborarunt plurimum. De Franciſcano actum eſt in articulo Generalium Commentatorum; de alio agemus in Harmoniis Evangelicis, vel etiam de Introductione ad Scripturam.

Joannes Paulus Oliva ſuum in Geneſim commentarium junxit alteri in Eſdram. Vide infra.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM, ET JUDÆORUM.

JOannes Gerhardus. Opus ſuum hoc titulo inſcripſit, quo & juſta ejus idea ingeritur; *Commentarius in Geneſim, in quo Textus Sacer declaratur, quæſtiones dubiæ ſolvuntur, obſervationes eruuntur, & loca in ſpeciem pugnantia conciliantur.* Opus Pauli Fagii ita præſcriptum eſt: *Expoſitio Dictionum Hebraicarum litteralis, & ſimplex, in quatuor capita priora Geneſeos*, Iſnæ 1542. in 4. Fuſior eſt in aliis adnotationibus ſuis in totum Pentateuchum, de quibus nos ſupra.

Alter eſt *Joannes Gerhardus* pater, qui obiit Jenæ an. 1637. ætate 55. annorum non major, quippe qui natus fuerat an. 1582. Vir erat infiniti laboris; cui totum ſuum tempus conſecravit: norat linguas, legerat Patres, ita ratiocinabatur, ut ab optimo Controverſiſta exigeres.

Abraham Calovius, cujus nos indicavimus opus, natus eſt in Pruſſia an. 1612 inter Lutheranos, obiitque an. 1686. ætatis 74. In Scripturam laboravit plurimum, ut ex ſolis Diſſertationibus impleverit 17. volumina in 4. abſque aliis pluribus in fol. de quibus nos in decurſu.

En titulum Operis D. Remberti vel Rampergii: *Explicatio phyſica Capitis I. Geneſeos, juxta Carteſii principia*, in 12. Gallus eſt Scriptor, & Calviniſta, facile adhuc vivens.

Thomas Burnet geminos Opera ſua hoc titulo præſcripſit; *Archæologia Philoſophica, ſeu doctrina de rerum originibus*, in 4. *Londini* 1692. *Telluris Theoria Sacra Orbis noſtri origines, & mutationes generales, quas jam ſubiit, aut olim ſubiturus eſt, complectens: Libri duo priores de diluvio, & Paradiſo*, in 4. ibidem Anglice an. 1681. in fol. 1684. utrumque Opus Amſtelodami an. 1694. in 4. Idemque Germanice traditum Hamburgi an. 1698. in 4. De Editione an. 1702. apud P. le Long. nihil legitur. Cum adverſarium ſenſerit Eraſmum Warrenium, Vindicias ſuas ſcripſit Anglica ibidem an. 1690. in fol. Ad Obſervationes Deylingii quod attinet, actum eſt de illis ſupra.

Burnetium, virum Anglum, & Medicum Collegii Edimburg fuiſſe perhibet Bayle; Scotum, & Clericum Sacelli Regis Angliæ circa an. 1690 P. le Long.

Chriſtophorus Cartwright. En Operis lemma: *Electa Targumica Rabbinica, ſive Annotationes in Geneſim ex triplici Targum ſeu Chaldaica Paraphraſi: item ex Raſi, Aben-Eſra, aliiſque Hebræis excerpta, una cum animadverſionibus ſubinde interſperſis*, *Londini* 1648. in 8. inſertum eſt autem Opus in Supplemento Magnorum Critic. tom. 2.

Eboraci in Anglia natus, obiit an. 1658. ætatis 56. De cujus viri judicio, & ſcientia in pervadendis ſcriptis Hebræorum ex Operibus ab ipſo ſcriptis argumentum capere licet.

Adnotationes *Sixtini Amama* exhibet prior tomus Supplementi Magn. Critic. Vir Friſius, & Calviniſta docuit Franakeræ; tum in Angliam concedens diem ibi clauſit, ætate non ſane provecta, & majori dignus.

Artopæus. Opus ſuum ita inſcripſit: *Chriſtiana totius linguarum elementa de prima rerum origine, vetuſtiſſimaque Theologia, ex tribus primis capitibus Geneſeos*, *Baſileæ* 1546. in 8. Vindicat illi pariter Crowæus Orationes deductas e tribus prioribus capitibus Geneſeos, excuſas Stetini an. 1545.

Vir erat Pomeranus, Lutheranus, & Miniſter Stetini, quem obiiſſe quidam ferunt an. 1583.

Abraham. Gemini cognomines viri in Geneſim laborarunt: horum prior filius Aſer ex Urbe Japhet in Galilæa ſuperiori vivebat an. 1567. ejuſque Commentarius prodiit Venetiis A. 1561. fol. Hebraice inſcriptus: *Lumen mentis*. Abraham alter cognomento *Samaria* Commentario ſuo præfixit titulum; *Lumen veritatis*; prodiit opus Theſſalonicæ an. 1604. in 4.

Judas, filius Abraham Jacob Poſnanienſis, ſub Judæ Machabæi nomine dedit Commentarium in Geneſim Cracoviæ an. 1646. fol. Hebraice. Bartholoccius in ſua Bibliotheca Rabbinica tom. 3. pag. 66. recen-

ſet

ſet Scriptum Judæ filii Moyſis in opera ſex dierum.

Samuel Japhe, filius Iſaac, Germanus, florebat Conſtantinopoli ineunte ſæculo 17. ſcripſitque commentarium litteralem, & allegoricum impreſſum Fareh, an. 1692. fol. quarta editio. Samuel, filius Joſeph, Sacerdos Judæus, ſcripſit Orationes excuſas Venetiis, an. 1605. *in* 4.

TRACTATUS, SEU PECULIARES DISSERTATIONES AD GENESIN SPECTANTES.

DE Authore pentateuchi vide quid ſcripſerint Simonius, Clericus, Hobbas, Spinoſa &c. P. Alexander, P. Fraſſen, Dupin &c. & præſertim Salomon Deyling obſerv. ſecr. t. 1.

Moſes vindicatus ſeu veritas hiſtoriæ creationis Mundi adverſus Burneti Archæologias Philoſophicas. Duo volumina in 4. Amſtelodami.

Joan. Henr. Hottinger. Hiſtoriæ creationis examen, Heidelberg. *in* 4. 1650.

Jacobi Martini, ſeu Eliæ Zaddelii, Diſputatio de primo creationis triduo. *Apud Cren. faſc.*

Joan. Meiſner, de Protoplaſtis ad imaginem Dei creatis. *Apud Cren faſc.* 3.

Moſis Bar-cephæ Commentarius de Paradiſo, ſeorſim editus, & in Bibliotheca PP. & in Magnis Criticis Anglicanis.

Nicolai Abraham S. J. de opere ſex dierum. In Pharo V. T. lib. 1.

Thomæ Malvenda de Paradiſo voluptatis. *Romæ in* 4. 1605. Eruditus erat, nec perfunctorie argumenta tractans; ſæpe tamen fuſior eſt.

Georg. Caſpar Kirchmajer, Diſſert. de Paradiſo, Arca Noe, Diluvio &c. *Apud Cren. faſc.* 4.

Joh. Hopkinſon, Deſcriptio Paradiſi. *Apud Crenium faſc.* 1.

Johan. Marki Hiſtoria Paradiſi *in* 4. Amſtelodami.

Joh. Friſchmuth Protevangelium Paradiſiacum. Theſaurus Theol. Phil.

Nicolai Abram De fluviis, & loco Paradiſi lib. . Phari V. T. Paradiſum terreſtrem in Palæſtina ſitum autumat.

Cl. Huetii Epiſcopi Abrincenſis, Diſſertatio de ſitu Paradiſi terreſtris.

Hiſtoria Regia, ſeu quæſtiones in univerſam Geneſim per Epiſtolas Regi nuncupata ſtudio Nicolai de Hauteville, Doctoris Pariſienſis. Pariſ. 1687. duo Vol. *in* 4 Gallice. Opus nullius fere utilitatis.

Georg. David Ziegra, De arbore ſcientiæ boni, & mali. Theſ. Theol. Phil.

Chriſtoph. Chemnitii, De arbore ſcientiæ boni, & mali. Apud Cren. faſc. 2.

Julii Bartholocci, De peccato Originali ſecundum Rabbinos. Biblior. t. 2. p. 43.

Joan. Friſchmuth, De ſeductione Serpentis antiqui. Theſ. Theol Phil.

Joan. Paſchii, De ſerpente ſeductore.

Andr. Tillemanni Rivinii, ſerpens ſeductor.

Pauli Riſi Monomachia hominis, & ſerpentis.

Salom. Deyling. in hæc verba Geneſis 3. 8 *Cum audiſſent vocem Domini perambulantis in Paradiſo* t. 3. obſerv.

Joh. Helvici Villemari, de tunica Adami pellicea. Theſ. Theol. Phil.

Joh. Michaelis de tunicis pelliceis. Theſ. Theol. Philol.

M. Chriſtiani Friderici Sinnevi de nuditate primorum parentum. Miſcellan. Lipſienſ. t. 5. *in* 8.

Joh. Fromme, de Cherubim, & gladio flammante. Theſ. Theol. Phil.

Deyling. in Geneſim 4. 7. ſub te erit appetitus ejus &c. t. 3. obſerv ſacr. c. 2.

Zachariæ Hanzel, gentium deſiderium ex confeſſione Evæ. Theſ. Theol. Phil.

Chriſt. Helvici. Deſiderium matris Evæ. In Criticis Sacris.

Deylingii, de urbe Henoch a Cain ædificata, t. 3 Obſerv. ſacr. c. 3.

Bernelli Haſæi, de protevangelio Diatribe. In Theſ. Theol. Phil.

In omnia apocrypha, quæ de Adamo circumferuntur, Vide Fabricium: *Codex pſeudo-epigraph. V. T.*

Samuelis Andreæ de ſalute Adæ. Theſ. Theol. Phil.

Vide etiam *Philipp. Bonæ Spei Abbatem peculiari libro*, & *Natal. Alexandr. Hiſt. Eccleſ. V. T.*

Johan. Druſii Diſſert. de Henoch. In Criticis ſacris.

Auguſt. Calmet Diſſertatio de Henoch, & ejus libro Gallice

Fabricius Apocryph. V. T. in Henoch.

De Præadamitis vide Peirerium, Dictionarium Beyli ad vocem *de la Peirere*, & Simonium *t.* 2. ſelectarum Epiſtolarum, Epiſt. t. 2. 3. 4.

Joan. Conrad. Danhaver Præadamita Utis. Argentorati 1656.

Euſeb. Romanus ſeu Philippus Priorius adverſus Præadamitas.

Sunt etiam *Joan. Henr. Urſinus*, *Jo. Micrælius*, *Samuel Mareſius*, *Antonius Hulſius*, *Jo. Hilpertus*, & alii apud Lipenium Biblioth. Theol. Vide pariter Voſſium de 70. Interpretibus, & Georgium Stramelium, & Bartholomæum Crodelbach de iiſdem Præadamitis, & Chriſtophori Engelke *Præadamitiſmi ratione incruſtati examen* 1707. & Abraham Calovium.

Ægidii Strauchii de columnis Sethianis apud Crenium faſc 3.

De columnis Sethianis vide Joſephum Antiq. l. 1. c. 2. Fabric. Apocryph. V. T. p. 149. 148. & authores ibi allegatos.

Gaſpar Dornavius Mathuſala vivax, ſeu de cauſis longævitatis Patriarcharum. Theſ. Theol. Phil t 2. p. 974.

Hieronymi Magii de Gigantibus. Pariſiis Comelin. 1603. *in* 4.

Jacobi Boulduc de Eccleſia ante Legem l. 2. c. 2. 8. 9. & 11. & lib. 4. c. 2.

Anonymi Exercitatio de Nephilinis Gigantibus, vulgo dictis, contra Jacobum Boulduc. Chaſſagnon de Gigantibus.

Antonius Terillus de termino magnitudinis, et virium in animalibus.

Joan. Goroppii Origines.

Athanaſ. Kircher Mundi ſubterranei l. 8. ſ. 2. c. 4.

Voetius vol. 1. Diſp de creatione *par.* 8. *p.* 704.

Aug. Calmet Diſſertatio de Gigantibus edita in collectione ejuſdem Diſſertationum *in* 4. Pariſ.

Vera gigantis Theudobochi hiſtoria; Pariſiis 1613. 8. et opera e Guillelmo, et Habicoto Chirurgis Pariſienſibus edita ad inſtruendam vel refellendam Gigantum veritatem.

Item Gigantomachia *Joannis Riolani*, et Gigantologia ejuſdem. Paril. 1613. 1618. *in* 8.

Joannes Caſſanus de Gigantibus, qui in Gallia reperti ſunt, contra Joannem Goroppium negantem Gigantes. Baſileæ 1589.

Joannis Buteonis de Arca Noe. *In Criticis Sacris*.

Athanaſii Kircher de Arca Noe fol. Amſtelod. 1675.

Matthæi Hoſti Inquiſitio Arcæ Noe. *In Criticis*.

Le Pelletier Rothomagenſis de Arca Noe. Rothomagi.

De Diluvio vide Iſaacum Voſſium *de ætate Mundi*, *p.* 283.

De Iride vide Salomonem Deyling. Obſervat. Sacr. tom. 1.

Nicolai Abraham S. J. de Benedictionibus Noe. *Phar. V. T. l.* 3. *& l.* 5. Ejuſdem de diviſione linguarum. *ibid. l.* 3.

Diſſertatio de Turri Babelis. *Calmet in collect. Diſſert. in* 4.

Salom. Deyling. de Babelis origine, & confuſione linguarum *t.* 3. *Obſerv. ſacr. c.* 4.

Joan Buxtorfii, de confuſione linguarum. Baſil. *in* 4.

Jo. Meisner. de confuſione linguarum Babylonica.

Georg. David Ziegra de conf. linguarum. *In Criticis Sacris*.

Stephani Morini, Exercitationes de lingua primæva, ejuſque appendicibus, Ultrajecti *in* 4.

Chriſt. Crineſii, de confuſione linguarum, *Apud Cren. Analecta*.

Aug. Calmet, Diſſertatio de Lingua primæva.

Jo. Buxtorfii, de Linguæ Hebrææ antiquitate &c.

Henrici Kipping, de Lingua primæva.

Jo.

Digitized by Google

Jo. Vorſtii ; de Linguæ omnium prima.

Jac. Uſſerii : Diſſertatio de Cainan.

Friderici Spanhemii de eodem *Dub. Evang. dub.* 23.

In Geographiam ſacram de *Tharſis*, & *Ophir &c.* inſpiciendus eſt infra articulus de *Geographia*.

Henrici Bauman, *de Statua Salis*, *Theſ. Theol. Phil.*

Joan. Clerici, de ſtatua Salis, *ad calcem Commentar. in Gen.*

Ejuſdem de Sodomæ, & finitimarum Urbium ſubverſione. *ibidem*.

Davidis Conſtan. de ſtatua Salis.

Jo. Sauberi. de eadem ; & noſtrum commentarium in Geneſ. 16. *editio* 2.

De Melchiſedecho vide S. Hieronymi Epiſtolam ad Evangelum *t.* 2. *p.* 570. *nov. edit.*

Vide pariter Apocrypha V. T. *Jo. Alberti Fabricii*.

Salom. Deylingii, de perſona Melchiſedechi *t.* 2. *obſerv. ſacr.*

Calmet Diſſertatio de Melchiſedecho, *ante Epiſt. ad Hebr.*

Joan. d'Outrein Diſſert. de Melchiſedecho non Henocho, *Amſtelod. in* 8.

Jo. Gotlob. & Chriſt. Vegner. de Ur Chaldæorum. *In Theſ. Phil.*

Mich. Liebentantz, de Terra Moria, *Theſ. Theol. t.* 2. *p.* 895.

De Abraham Patriarcha vide S. Ambroſium, & P. Nicolaum Abrahamum *in Pharo V. T. l.* 7.

De jurejurando, quod a famulo ſuo Abraham exigens, injunxit : *Pone manum tuam ſuper femur meum*. Geneſ. 24. 2. vide *Joan. Henr. Otto Lexic. Rabbinico Philolog. Selden. lib.* 2. *de Synedriis cap.* 11. *Samuelem Petitum in Var. Lect. c.* 16. *Jacob Periʒonium in Præfat. in Lib. Maimon. de jurejurando* latina reddito a *Jo. Frider. Miegio*. *Leidæ* 1706. 4. *Dan. Feſſelium lib.* 5. *adverſ. Sacr. c.* 4. Hermannus de Harder in peculiari Diſſertatione vertendum eſſe : *pone manum tuam ſubter cubitum meum*, verba enim Hebraica cubitum ſonant.

De Circumciſione. Spencerus *de Legibus Ritual. Hebr. l.* 1. *c.* 4. *ſect.* 2. 3. *&c.*

Julii Bartholocci, de Circumciſione *tom.* 3. *Bibl. Rabbin. p.* 468.

Jacobi Interbuck, an pueri Judæorum non baptizati aliquo modo ſalventur. Author Chartuſianus erat è cœnobio S. Salvatoris prope Erfordum.

Auguſtini Calmet Diſſertatio de circumciſione, et de ejus origine, *ante Commentar. in Gen.*

Salom. Deylingii de origine circumciſionis *tom.* 2. *Obſerv. ſacr.*

Calmeti Diſſertatio de effectibus circumciſionis, *ante Epiſt. ad Rom.*

Vide *Talmud* Tract. de Sabbatho c. 19. Buxtorfium de Synag. Jud. 1. 4. Spencerum *de Legib. Hebr. Ritual.* Marſham. *Canon. Chronic. Ægypt. &c.*

Jo. Draſius de Mandragoris ; *in Criticis ſacris*.

Michaeli Leibentantʒ de Rachelis Dudaim. *Theſaur. Theol.*

Auguſt. Kuenigs de Fœture Jacob artificioſa. *Theſaur. Philol.*

Sam. Bochart. de Animal. Sacr. par. 1. *l.* 2. *c.* 4. *p.* 544.

Abraham Calovius de Lucta Jacobi cum Angelo.

Item Gaſpar Strauchius, *& Gaſpar Sibelius de eadem*.

De Benedictionibus Jacob in filios vide Helvicum, Didacum Celadam, Adamum Oſiandrum, Gabrielem a Coſta, Pererium, & cæteros Interpretes ; & ex Veteribus S. Ambroſium, et Rufinum.

Teſtamentum duodecim Patriarcharum G. L. in Apocryphis V. T. Fabricii. Sicut etiam quidquid ad Patriarcham Joſeph ſpectat in eadem collectione.

Salom. Deylingii de Sceptro a Juda non receſſuro. *Geneſ.* 49. 10. *Obſerv. ſacr. t.* 2.

Epiſtolæ Criticæ D. de J. Amſtel, 1715. de Sceptro Judæ promiſſo.

[Quamquam operum ejuſmodi pleraque jam recenſuimus ; cum tamen & plura adhuc nos fugerint, vel methodo plura recenſere neglexerimus, referemus iterum quædam, ſingula in ſuas claſſes.

In Moyſem Authorem Geneſeos ;

Moyſes Author Geneſeos. *Moyſem vindicatum* adverſus Burnet excuſum Amſtelod. an. 1694. in 12. ſcripſit Joannes Graverolus Nimacenſis, Calviniſta, Miniſter Gallicanæ Eccleſiæ, defunctus an. 1694. Dedit ille pariter documenta hiſtoriæ creationis ad fidem hiſtoriæ Moſaicæ.

Hottingerus. Examen hiſtoriæ creationis Hottingeri excuſum eſt ſecundo Tiguri an. 1663. in 4. & tertio Heidelbergæ an. 1672. poſt obitum Authoris.

Natus ille Tiguri docuit linguas Orientales Heidelbergæ ; & cum Lugdunum Batav. conceſſiſſet, naufragio abſumptus eſt an. 1672. ætatis 47. Calviniſmum licet profeſſus, nominis tamen ſui famam longe lateque propagavit, ut miſſis litteris undique per Orbem illum conſulerent viri docti. Unum ſupereſſet, quod in illo deſiderares, moderationem, & accurationem in ſuis operibus, præpropere enim illa prodebat, ait D. Simon in hiſtoria Critica.

Jacobus Martini. Opus ejus de *primo creationis triduo* excuſum eſt Vittembergæ an. 1654. in 4. cum ejus *Pentas quæſtionum Biblicarum ex Geneſi*.

Halberſtati natus an. 1570. Profeſſorem Lutheranum egit Wittembergæ, ubi deceſſit an. 1649. ætatis 78.

Melchior Leidekerus, Calviniſta, Zelandus, vivens adhuc an. 1721. notuſque maxime ex Hiſtoria ſua Janſeniſmi ; dedit Archæologiam ſacram, qua totam exponit hiſtoriam creationis, & diluvii juxta Moyſem, & adverſus Burnetum ; eſt autem in fine Reipublicæ ejus Hebræorum ; Amſtelodami an. 1704. in fol.

Jacobus Haſæus egit pariter de Moyſe, & Pentateucho ; in Biblioth. Phil. tom. 4. p. 769. 795.

Eliæ Cuchleri Diſſertatio num Mundus creatus ſit autumno vel æſtate, Gorlich 1614. in 4.

Vir erat Germanus, Lutheranus ineunte ſæculo 17. Hoc eſt autem unicum ejus opus, nec iterum de illo redibit ſermo.

Joannes Leonardus Heubner, Germanus, Lutheranus, in exordio ſæculi 18. dedit Diſſertationem in Chaos Moſaicum, Wittembergæ 1701. in 4.

Joannes Meiſnerus Saxo, & Profeſſor Wittembergæ immortuus in Lutheraniſmo an. 1681. ſcripſit de creatione, Wittembergæ an. 1652. in 4. *De luce primogenia*, *ibid.* 1662. *in* 4. *de Proto-Evangelio*, *ibid.* *in* 4. *de Confuſione linguarum*, & alias Lucubrationes, de quibus nos in decurſu ſicut & opera quædam controverſiarum recenſita a D. Dupin in ſuis Tabulis tom. 4. pag. 762. qui illum appellat Miſnæum.

Andreas Virginius Germanus, Pomeranus, Profeſſor Dorpati, defunctus an. 1664 edidit Diſputationem Theologicam in Creationem, Dorpati an. 1647. De illo iterum in pſalmos.

Joannes Andreas Vander-Meulen Hollandus Calviniſta, vivens adhuc ineunte ſæculo 18. ſcripſit Diſſertationes Philologicas in primum, & ſecundum caput Geneſeos ; ubi de creatione Mundi ; Ultrajecti 1713. in 4. Idem eſt facile ac Guil-van-der Muylen, cui P. le Long tribuit idem opus excuſum Ultrajecti ad Rhenum 1714. in 4.

In Paradiſum terreſtrem.

Joannes Maſius Latine reddidit opus Barcephæ Syri ; qui obiit an. 914. Syriace ſcriptum de Paradiſo terreſtri, impreſſum ſeorſum Antuerpiæ an. 1562. in 8. dein in Bibliotheca Patrum tom. 17. Edit. Lugd. pag. 451. 560. in Magnis Criticis Edit. Amſtelod. an. 1698. & in Supplemento an. 1701. Francofurti tom. 5. pag. 227. Hujus operis analyſim dedit D. Dupin Biblioth. Eccleſ. ſæcul. 10. pag. 12. Sæpe moleſtam crambem recoquit, quod Maſius in ſua verſione correxit.

Opus *Malvenda* de eodem argumento breve licet pluris æſtimatur quam operum ipſius in Scripturam 5. volumina in folio, juxta D. Dupin, qui analyſim ejus amplam dedit ad ſæc. 17. tom. 1. pag. 262.

Valentinus erat, natus an. 1563. Aſcetam egit inter Dominicanos, obiitque an. 1628. ætatis 63. Vaſtæ vir indolis, vaſtæ & eruditionis, qua ſacræ, qua prophanæ, judicio ſolidus, & memoria excellebat fideli ; in

corpo-

corpore autem nervoſo, & bene conſtructo valetudinem tuebatur.

Vanſili ſcripſit Diſſertationem de *ſitu Paradiſi terreſtris*, impreſſam ad calcem Commentarii ipſius in Malachiam.

Kirchmajerus, Germanus, Lutheranus, & Philoſophus, defunctus an. 1700. Diſſertationem ſuam vulgarit Wittembergæ an. 1662. in 4.

Deſcriptio Paradiſi terreſtris per *Hopkinſon* deducta e pluribus Scriptoribus una cum Tabula Chorographica prodiit Lugd. Batav. an. 1594. in 4. & in Magnis Criticis tom. 10. pag. 845. Eſt autem opus grave, polito Latino ſermone ſcriptum, quamquam argumentum urget indolem ejus via patiens. Prodiit ſe Author verſatum in Hebræo, & lectione Rabbinorum, ait D. Dupin. Vir erat Anglus, florebatque ad exitum ſæculi 16. docuit linguas Orientales, ac poſtremos annos impendit in opere hoc ſuo digerendo.

Joannes Mark, de quo nos ſupra ad Pentateuchum, illuſtravit quatuor ſcriptis libris Hiſtoriam Paradiſi terreſtris, excuditque opus Amſtelodami an. 1705. in 4.

Friſchmuti Protoevangelium Paradiſiacum excuſum eſt Jenæ 1675. in 4. legiturque in Theſauro Philologico, tom. 1. cum 16. aliis ab eo ſcriptis Diſſertationibus. De illo alias redibit ſermo.

Diſſertatio *D. Huet* Gallice primum vulgata eſt Pariſiis an. 1691. dein Latine reddita, & aucta Lipſiæ an. 1694. in 12. & in calce Demonſtrationis Evangelicæ ipſius ibid. an. 1694. in 4. Amſtelodami 1701. in 12. Tandem in Supplemento Magnorum Criticorum tom. 3. pag. 737. De illo iterum alias,

In Arborem Vitæ.

Diſſertatio *Ziegra* de Arbore Vitæ prodiit Wittembergæ an. 1679. in 4. & legitur pariter in Theſauro Diſſertationum Theologicarum tom. 1. ſicut & in Faſciculo Crenii cum diſputatione *Chemnicii*, quæ excuſa erat antea Jenæ an. 1683. in 4 tertia editio; & quatuor aliis de eodem argumento ibid. 1679. in 4. ſecund. edit. Germanus uterque, & Lutheranus eodem ferme tempore egerunt in vivis.

Thomas Crenius Germanus, Lutheranus, vivens adhuc ineunte ſæculo 18. Faſciculis ſuis præfixit expoſitionem in mandatum Dei, datum Adamo, & Evæ, ut de fructibus omnium arborum Paradiſi deguſtarent, & cautionem ne tangerent Arborem vitæ; prodiit opus Lugd. Batav. 1698. in 8. 2. vol.

In Anguem Seductorem;

Quidquid ſcripſit *Friſchmuth* de angue ſeductore continetur in ejus Protoevangelio, de quo nos ſupra.

Cornelius, & non *Joannes Paſchius* elegantem Diſſertationem ſcripſit de eodem argumento, impreſſam Wittembergæ an. 1683, in 4. inſertum eſt opus in Diſſert. Philol. tom. 1. Germanus erat, & Lutheranus.

Rivinus Diſſertationem ſuam hoc titulo præſcripſit; *Serpens iſte antiquus, ſeductor, & ſeductus*; illam vero inſtruxit ad mentem Judæorum, & Chriſtianorum. Secunda ejus editio eſt Lipſienſis an. 1686. in 4. Author iſte Germanus Lutheranus agebat Profeſſorem linguæ Hebraicæ, obiitque an. 1692.

Pauli Ryſti, & non *Riſſi*, Opus certaminis hominis cum ſerpente dederunt prela Antuerpienſia an. 1519. in 8.

Addi his poſſet *Joannes Frimel*, & *Chriſtophorus* Germani ambo, & Lutherani, de eodem argumento ſcribentes. Prioris Diſſertatio legitur in Diſſertation. Philologicis tom. 1. ſecundi data eſt Altorfii an. 1697. in 4.

In veſtes Adam,

Joan. Henrici Vuillemer, ſeu *Vuillemer* Diſputatio in tunicam pelliceam datam primo hominum parenti ad corporis nuda tegenda prodiit Wittembergæ 1680. in 4.

Diſſertatio *Mieterlehm*, vel *Nachterleen* uti appellatur a P. le Long, nuſpiam legitur niſi in Diſſert. Philol. 10. 1. Germanus uterque, & Lutheranus ad exitum ſæculi 17.

Fridericus Sinner, Germanus, Lutheranus unus ex omnibus egit de nuditate primorum mortalium Parentum. Quid ille ſcripſerit ignoraſſe videtur P. le Long, neque ſub ea claſſe illum recenſet,

Diction. Bibl.

In Cherubim pro foribus Paradiſi conſtitutum.

Joan. Fromme Germani Lutherani Diſſertatio de Cherubim aditum Paradiſi Terreſtris prohibente, excuſa eſt Wittembergæ an. 1670. in 4. & in Diſſertatione Philolog. tom. 1.

Huic jungendos *Joan. Franciſcus Buddeus*, cujus eſt hypotheſis in Cherubim Paradiſi Terreſtris in obſervationibus Hallenſibus tom. 10. De illo iterum in Judices.

In Evam.

Henzelli Germani, Lutherani Sileſii ſub exitum ſæculi 17. prodiit Wittembergæ an. 1676. Opus: *Deſiderium Gentium Eva*. Extat in Diſſert. Philolog. tom. 1.

Helvicus Lucubrationi inſcriptæ: *Deſiderium matris Evæ* junxit *Proto-Evangelium Paradiſiacum*; utrumque excuſum eſt Gieſſen. an. 1613. in 4. & 1620. in 8. & in M. Criticis tom. 8. pag. 54. 82. Analyſim eorum adornavit D. Dupin. Biblioth. Hæreticorum tom. 2. pag. 52. Patriam habuit Sprendlingem in Germania; natus an. 1583. Lutheranum Profeſſorem egit Gieſſen, obiitque an. 1617.

Cornelius Haſæus Germanus, Calviniſta, & Profeſſor ſub exitum ſæculi 17. ſcripſit de *Proto-Evangelio*, Bremæ 1691. in 4. & in eodem Theſauro Diſſert. In hunc cenſum referendos eſt etiam *Levinus Bruchin*, qui excudi opus curavit Regiomontii an. 1629. in 4. De illo iterum ad Johel.

Adhuc tres alii occurrunt, qui *Proto-Evangelium* dederunt; videlicet *Chriſtianus Lang* Saxo-Lutheranus, defunctus an. 1657. cujus diſputatio prodiit Lipſiæ an. 1641. in 4. *Chriſtianus Korsholt*; Kilonii an. 1678 in 4. De hoc viro iterum in Numeros. Tandem *Martinus Troſte*, Wittembergæ an. 1631. in 4. Dedit & ipſe pariter: *Depulſionem Nebulonum falſæ interpretationis*, *ibid.* Germanus erat Veſtphalus, Lutheranus, denatus an. 1631.

Petrus Carbon dedit Lucubrationem in illa verba: *Ipſa conteret caput tuum*. Pragæ 1580. in 8. Vir erat Germanus, & Monachus Carthuſianus. Obiit an. 1598.

Joannes Bertholdus Lutheranus, ſub exitum ſæculi 17. ſcripſit de eodem argumento Opus, excuſum Helmſtadii 1703. in 4.

Abraham Coſterus Belga, Calviniſta ineunte ſæculo 17. contendit dicta hæc de Virgine SS. accipienda non eſſe Lugd. Batav. an. 1614. in 8.

In Cain, & Abel:

Joannes Fecht, Germano-Lutheranus, Miniſter generalis Roſtochi, ineunte ſæculo 18. dedit Notas criticas Philologicas, Hiſtoricas, & Theologicas in hiſtoriam Cain, & Abel; Roſtochi an. 1704. in 4.

Jo. Adam Oſiander, ſcripſit de Sacrificio Cain, & Abel; Tubingæ an. 1668. in 4. Vir erat Germanus Lutheranus natus Vangione, (*Vayhing*) obiitque an. 1697.

Non unus *Deylingius* egit de Urbe condita a Cain, ſcripſit de illa pariter *Fridericus Gotter*, Germano-Lutheranus, Alemburgenſis in Miſnia; prodiitque opus Jenæ an. 1705. in 4.

Paulus Stockmannus, Germano-Lutheranus elucubravit Diſſertationem in Cain excuſam in Theſauro Diſſert. Philolog. tom. 1.

Joan. Andreæ Danzii altera eſt Diſſertatio de nomine Cain inſcripta, *ibid.* excuſa Jenæ an. 1682. in 4. Germanus erat, Lutheranus, Profeſſor Linguarum Orientalium Jenæ ſub exitum ſæculi 17.

Nicolaus Pange, illuſtravit Colloquium Cain cum Abele, & cum Deo, Wittembergæ 1695. in 4.

Scripſerunt alii tantum in ſignum a Deo impoſitum Cain; videlicet *Jo. Paſchius*, Wittembergæ an. 1685. in 4. *Chriſtianus Neubaur*; Erfordii 1673. in 4. *Paulus Stockmannus*, in Theſ. Diſs. Phil. to. 1. *Jo. Chriſtianus Ortlob*; Lipſiæ 1704. in 4. Adjecit hic; *Cainus non deſperans, ejuſq; vindicia, ibid.* 1706. Germani erant omnes, & Lutherani ſæc. 17.

In Adam,

Jo. Nicolaus Hardſchmidt adornavit Diſſertat. de ſomno

D. Simon ibid. pag. 790 illum accuſat de immodica ſubtilitate, ſicut & de pruritu criticam in alios exercendi, cujus rei cauſa ad Grammaticales ſaepius declinare coactus eſt; quare ſubtilior eſt quam ſolidus.

Fleſſingæ in Zelandia natus eſt an. 1590. Lugduni Batavorum ſtudiis operam dedit, ubi & ad obitum uſque profeſſus eſt. Virum hunc Aſtro ideo comparat Conſtantinus l'Empereur, quod linguarum ſcientia & bonis artibus fulgeret.

Ligfootus prodiit e Comitatu Stafordienſi an. 1602. obiitque an. 1675. ætatis 73. Virum eo nomine pluribus effert D. Mabillon, quod antiquitatum Judaicarum penetraſſet intima; ſed ejus critica nimium Rabbinica diſplicet Simonio, *ibidem*, pag. 793. 798.

En integrum titulum Operis Salomonis Deylingii juxta P. le Long: *Obſervationes variæ, in quibus multa Scripturæ Veteris & Novi Teſtamenti dubia vexata ſolvuntur, loca difficiliora illuſtrantur atque vindicantur, duæ partes in 4.* Facile P. le Long tertiam partem an. 1715. non vidit, quam præteriit illaudatam. De hoc Opere ſermo eſt in Actis Lipſienſibus an. 1709. 1712. 1715. & in hiſtoria Bibliothecæ Fabricianæ to. 4 pag. 493.

Natus eſt Ward Vatiſe in Germania, an. 1677. & ex Archidiacono Lutherano aſſumptus ad miniſterium generale Iſlebii. Vivabat adhuc an. 1725. Ab ingenio viri alia expectantur Opera, quæ ſane famam gentis ipſius tuebuntur.

Commentarii *Joannis Clerici* implent quatuor volumina *in fol.* Hunc ſibi ſcopum præfixiſſe in Notis affirmat Bayle, uti innovet errores Sabellii & Socini. Laudat ille quidem interdum veteres novoſque Scriptores Commentariorum, eo tamen conſilio frequentius, ut aliis proſtratis ſua magis magiſque ſurgant.

Patria erat Genevenſis, Davidis Clerici filius. Docuit Theologiam & Linguas Amſtelodami, obiitque an. 1711. vel præcedenti. Conſilium ſuum ſatis prodit cum refutandum vel propugnandum ſuſcipit dogma aliquid Theologicum; Theologos æque omnes damnat & exſufflat excepto Epiſcopio, Curcellæo, & Hammondo Anglo, nec in S. Auguſtinum eſt æquior.

Auguſtinus Marloratus præter Adnotationes & Commentarios in plures Libros Scripturæ, aggreſſus fuerat Theſauri genus quoddam colligendum e nominibus, vocibus, & exemplis univerſæ Scripturæ, cujus ille quidem Operis primas lineas vix adumbraverat; ſed Jacobus Feuquiat abſolvit, vulgavitque Genevæ an. 1213. & 1604.

Quod attinet ad Expoſitiones ejus in plures libros Veteris Teſtamenti, & Novi omnes, 4. *vol. in fol.* referentes an. 1561. 1562. Bibliothecæ genus quoddam exhibent, collectas in unum offerentes expoſitiones Proteſtantium, Patrum quorundam & Eraſmi, quibus ille tantum Adnotationes ſuas adjecit; id autem virum plurimum ſtetiſſe reputandum eſt.

Prodiit in Lotharingia, adjecitque ſe Familiæ Auguſtinianorum; ſed cucullo abjecto, Miniſtrum Calviniſtam egit; & cum tandem tenui ſe conſtituiſſet perduelles in Regem ſuum defendens, ſuſpendio vitam finivit. Interfuerat Colloquio Piſſiacenſi ſub Carolo IX. una cum Theodoro Beza.

Bertrandus. Scripturam non Adnotationibus tantum illuſtravit, ſed & dedit ſpecimen de ratione exponendi loca ejus difficillima, cui Operi titulum præſcripſit, ex loco ubi elaboratum eſt, *Lucubrationes Frankenthalenſes*, Extat in Magnis Criticis tom. 8. pag. 1120. 1164. & ſeorſum tertia ejus Editio data eſt Altorfii an. 1647. in 8.

Judicii plurimum maximumque ſpecimen exhibuiſſe in hoc Opere Author merito cenſendus eſt, ut cæteros omnes etiam primi ſubſellii Commentatores Religionis ſuæ ſuperet. Expoſitiones ejus literales ſunt penitus & hiſtoricæ.

Patriam habuit Thoarſum Urbem Pictaviæ. Natus eſt an. 1531. ſtuduit Pariſiis; tum recepit ſe Genevam, obiitque Lauſannæ an. 1594. ætatis 63. Stylo utitur candido, & vetuſtates Judaicas probe norat, faviſſe tamen Judæis in ſuis opinionibus accuſatur a Voſſio in Diſquiſitionibus Criticis pag. 209.

Gallars notas tantum adornavit in Exodum & in Novum Teſtamentum, & la Faie in aliquos Libros, ſicut & Jaquemet vel Jaquenos, Goulart, & Beza

Quare articulum hunc abſolvimus cum Diodati & Deſmareſt. De priori illo ſcribit Vedel notas adornaſſe autreas, qua ille metaphora, quantum hominis laborem æſtimaret, ſatis indicat; ſunt autem literales magis & hiſtoricæ, quam morales; in Libris quos rejiciebat ad Apocrypha, nullas quidem adjecit Notas, ſed tantum criticas Diſſertationes ad evertendam ſingulorum authoritatem.

Lucæ in Italia natus eſt & non Cellæ (Zel) in Germania, ut excidit nonnullis. Linguas profeſſus Genevæ, deceſſit ibi an. 1649.

Samuel Deſmareſt Latine *Mareſius* in Picardia natus an. 1599. ſtuduit Pariſiis. Miniſter Charentonii renunciatus eſt an. 1620. obiitque Groningæ an. 1673. ætatis 74.

Biblia *Davidis Martini*, prodierunt cum notis an. 1607. *fol.* quibus in calce acceſſit chronologia ſacra. Vir erat Gallus, Calviniſta profugus, & Miniſter Eccleſiæ Vallonicæ Amſtelodami.

Suus eſſet etiam hic locus *Marco Eſcher* Authori Collectionis plurium locorum Gloſſæ Lyrani, cujus Opus prodiit in Bibliotheca Philologica tom. 2. pag. 389. Calviniſmum profitebatur, agebatque Œconomum ædium Abbatis Hermitæ Tiguri an. 1718. cum ætatis 99. annos ſuperaſſet.

Jacobi Haſæi Obſervationes in obſcura loca Bibliorum uffert Bibliotheca Philologica, tom. 2. pag. 986. 1073.

Ivo Gaukes Diſſertationem ſcripſit ad exponenda miracula in utroque Teſtamento relata, quod ejus Opus extat in eadem Bibliotheca tom. 3. pag. 581. 624. Doctorem Medicum egerat.

Ruardus Andala explicavit quædam utriuſque Teſtamenti; Franekeræ an. 1720. de quo Opere aliquid relatum eſt in eadem Bibliotheca tom. 4 pag. 589. 597.

Joannes Chriſtophorus Pfaff Diſſertatione illuſtravit ſententias veteris Teſtamenti in Novo laudatas. Prodiit Opus Tubingæ an. 1702. in 4.

Natus ille Pfulling in Ducatu Wittembergenſi an. 1651. promotus eſt in Diaconum Lutheranum Eccleſiæ Stutgardenſis an. 1685. renunciatus Profeſſor in Theologia an. 1699. Miniſter an. 1705. obiitque tandem an. 1720.]

COMMENTARII GENERALES JUDÆORUM.

IN ordinem Interpretum *Philo Judæus* referendus eſt, qui plures in Scripturam Tractatus, allegorica fere ſemper methodo ſcripſit.

Joſephus Hiſtoricus, qui in ſua Judæorum hiſtoria, & in ſuis contra Appionem libris plura Scripturæ loca obſcura illuſtravit. *Targumim*, ſeu Authores Paraphraſum Chaldæorum, *Onkelos*, *Jonathan*, *Joſeph cæcus*, de quibus ſupra.

Tandem *Rabbini* in Bibliis Rabbinicis. Venetiis, ac Baſileæ editis collecti. Vide v. *Biblia Hebraica*.

Fragmenta Hexaplorum Origenis in duo volumina in fol. congeſta, labore P. Montfaucon, & duobus Lexicis, Hebraico uno, & altero Græco exornata, cum eruditis Præfationibus ad totum Vetus Teſtamentum maxime conducentibus, ut poſthac nullius fere ſit uſus Joannis Druſii opus inſcriptum: *Veterum Interpp. Græcorum in V. T. fragmenta &c.* Arenaci 1622. in 4.

Sixtus Senenſis Dominicanus, e Judæis parentibus natus Senis an. 1520. opera S. Pii V. cum ſupremum Ordinis S. Dominici regimen teneret, ad Chriſti fidem traductus; obiit 1596. annum agens 49. Ille an. 1556. Bibliothecam edidit, cujus quartus liber Catalogum recenſet Authorum, qui in Biblia ſcripſerunt. Hic in Catalogo ordine Alphabetico digeſto nomen, vitam, & Authorum, quos memorat, ſcripta refert; dein ad calcem hujus quarti libri horum Authorum nomina duntaxat recenſet, ordine Librorum Scripturæ, quos ipſi interpretati ſunt, ſervato. Opus communi ſuffragio probatur, atque in eo ingens Authorum copia, quos nos hic prætermittimus, exhibetur. Viciſſim tamen plures a Sixto Senenſi omiſſos hic retulimus, utpote qui poſt ipſum claruerunt. Ejus opus evulgatiſſimum, ſi libeat, conſulatur.

Cardinalis Bellarminus Catalogum etiam Scripturæ Interpretum ad calcem ſui Tractatus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in lucem emiſit; at catalogus Sixti Senenſis fuſior eſt.

[Cum in hoc Articulo nullum a genuinis Scriptoribus Commentariorum in univerſam Scripturam [nempe in totum vetus Teſtamentum] apud Judæos dederimus; res utique poſtulat, ut brevem hic illorum catalogum inſtruamus.

Hujus

Digitized by Google

Hujus autem exordium faciemus ab *Aaronibus*. Piſaurienſis, qui florebat an. 1581. tetexuit Indicem generalem ſententiarum Scripturæ, quæ occurrunt in Thalmud Babylonico, cujus Operis tertia editio prodiit Baſileæ an. 1587. *fol.*

Aaron filius Samuelis, ſub exitum ſæculi 17. in vivis agens, Indicem alium Bibliorum diſpoſitum juxta ordinem Librorum & capitum dedit Francofurti ad Oderam an. 1690. *fol.*

Abraham filius Techiel, Sacerdos Portuenſis, alphabetico ordine digeſſit Notas allegoricas, vel expoſitiones Cabaliſticas vocum difficillimarum Scripturæ. Prodiit Opus Venetiis an. 1628. in 4. ſecunda Editio.

Abraham filius Levi Kouki, natus Herbornii, & collector in Belgio piarum largitionum pro Synagogis Palæſtinæ, exeunte ſæculo 17. in veteres Libros omnes ſcripſit Commentarium, cui titulus; *Pulvis Scribarum*. Prodiit Amſtelodami 1704. *fol.*

R. Bezaleel Luſitanus, filius Salomonis & Judæorū Concionator an. 1674. dedit Orationes allegoricas in plures Scripturæ ſententias, Opus in ſeptem diſtributum partes, quas appellat ſeptem columnas; Dyremfortii an. 1693. in 4.

Eliezer, filius R. Manahem-Manes, ſcripſit clavem & Indicem Tractuum Scripturæ, quos laudat liber Zoar; Suisbachii an. 1684. fol.

R. Gedaliah, filius R. Joſeph Jehhia, inſtruxit Catenam traditionum ab Adam aduſque annum Jeſu Chriſti 761. quod Opus bifariam diviſit; dedit & tertiam partem, in qua de creatione mundi. Obiit an. 1448. Ejus Opus excuſum eſt Venetiis an 1587. in 4.

Bartholoccius in ſecundo tomo Bibliothecæ Rabbinicæ recenſet *R. Hhaim Hhabria*, qui agebat in vivis an. 1650. atque in univerſam Scripturam laboravit.

Jacobus Abendana Judæus Hiſpanus, & Præfectus Synagogæ Londinienſis, defunctus an. 1685. dedit Spicilegium in ſelecta plura loca Scripturæ, Amſtelodami an. 1685. *fol.*

Jacob filius Iſaac, Germanus, qui florebat circa an. 1612. dedit tres Commentarios Germanicos cum Textu Hebræo 3. vol. *fol.* Amſtelod. 1706. & alibi aliis annis.

Joſephi Karo, filii Ephraim, Hiſpani Rectoris Academiæ urbis Japhet excuſæ ſunt Amſtelodami an. 1706. 1708. 2. vol. 4. Expoſitiones myſticæ & literales Hebraice. Obiit an. 1575.

Iſaac Abarbanel vel Abarvanel, Luſitanus, Judæus Ulyſſiponenſis, defunctus an. 1508. varias digeſſit Lucubrationes, quarum catalogum habes apud P. le Long p. 802. col. 1. & in Biblioth Rabbinic. Buxtorſ. ſingulas autem recenſere hic longum eſſet.

R. Iſſachar filius Nephtali, Sacerdos Judæus e Synagoga Ruſſiæ, dedit clavem & indicem locorum difficillimorum Scripturæ inſcriptum Opus: *Viſio Sacerdotis*; ſecunda ejus editio eſt Amſtelodamenſis an 1673. in 4. Dedit & Dona Sacerdotalia, quæ prodierunt quarto Francoſurt. ad Oderam an. 1692. *fol.*

R. Moyſes Maimonides, Hiſpanus Cordubenſis, Orientalibus linguis omnibus excultus, plura ſcripſit & nihil non Publico probatiſſimum; quæ omnia habes deducta apud P. le Long, *ibid.* p. 869. De illo nos aliquid in quarta parte.

Moyſes Nephtali filius Aſer, Judæus Germanus, Author eſt Germanici Commentarii ex aliis Commentariis collecti & excuſi Cracoviæ an. 1552. *fol.*

R. Salomon filius Iſaac vulgavit novum Zohar, vel Appendicem hujus Commentarii, Amſtelod. an. 1701. *fol.* cum Additionibus R. Mardochæi, tertia editio. Salomon, filius Melel Hiſpanus, Judæus ſæculi 10. ſcripſit Commentarium in univerſum Vetus Teſtamentum Hebraice, qui prodiit Amſtelod. cum Spicilegio Jacobi Abendana, an. 1685. *fol.* Idem Opus Latine reddiderunt plures, quos vide apud P. le Long p. 941.

R. Simeon, cognomento Concionator, Germanus Francfordienſis vivebat an. 1310. adornavitque Collectionem variarum Expoſitionum, impreſſam ibid. an. 1709. 2. vol. *fol.* una cum altera Collectione R. Samuelis filii Gedaliæ.

Agentes de Bibliotheca *Sixti Senenſis* excidit monuiſſe Lectores, quintum & ſextum librum offerre eximias notas in utrumque Teſtamentum, quas juvat conſulere in lectione ſingulorum Librorum Scripturæ. Poſtrema & optima Editio data eſt Pariſiis an. 1610. *fol.* cum ſcholiis, & caſtigationibus Joannis Haiæ Jeſuitæ.

Diction. Bibl.

Ipſe de ſe perhibet in Epiſtola nuncupatoria ad Pium V. ejuſdem S. Pontificia opera tranſiiſſe ad Chriſtiana Sacra, & adlectum fuiſſe inter Dominicanos. Obiit Lugduni an. 1569. ætatis 48. Callebat Hebræum, & Græcum, Theologus & Concionator non infimus; ſtylo tamen utitur Latino non ſatis eleganti, quanquam plano & naturali.]

COMMENTARIA PECULIARIA IN QUOSDAM SCRIPTURÆ LIBROS.

Authores, quorum modo mentionem fecimus, qui nempe Commentaria in totam Scripturam ediderunt, recenſere longum & ſupervacaneum eſſet; quare vel nomina illorum tantum nuda memorabimus, vel penitus omittemus.

COMMENTARIA IN PENTATEUCHUM.

S. Auguſtinus Quæſtiones in totum Pentateuchum ſcripſit; in quo præſertim Opere Sacrorum Authorum locutiones, ab uſu Latinæ linguæ abhorrentes, expendit. Cæterum ille magis ad dogmaticum, & moralem ſenſum, quam ad litteralem incumbit. In his tamen quæſtionibus, totus ferme literali ſenſui hæret. Græcam Verſionem interdum allegat.

S. Cyrillus Alexandrinus in Pentateuchum Commentarium elucubravit, inſcriptum: *Glaphyra*; videlicet ſculpturæ opus exquiſite cælatum. Ejus explicationes minus pronæ, allegoricæ & parvi ſunt uſus. Glaphyræ in ſecunda parte ſecundi tomi Operum S. Cyrilli, excuſæ ſunt. Diem clauſit an. 444.

Theodoretus Epiſcopus Cyri, quæſtiones pariter in Pentateuchum ſcripſit, in quibus varia ſibi propoſita dubia ſolidiſſime, ac erudite enodat. Verſionem Septuaginta cum aliis Veterum Græcorum Interpretum crebro confert; ut germanum Textus ſenſum aperiat. Author hic doctrinæ S. Chryſoſtomi valde adhæret; & judicii, ſoliditatis, ac pietatis præſtantiam ubique præfefert.

Procopius Sophiſta, Gazæus, qui ſexto ſæculo circa annum 560. vivebat, Commentarium, ſeu catenam quamdam, ſive collectionem textuum, ac ſententiarum Patrum Græcorum, ac Latinorum in Scripturam concinnavit, diſcrepantes in ſpeciem eorum opiniones concilians. Veteribus utitur Interpretibus Græcis, Aquila, Symmacho, & Verſione pariter S. Hieronymi, quam Sophronius Græce verterat. Opus hoc ex Græco in Latinum tranſlatum fuit, & Latine editum opera Conradi Clauſeri in fol. Tiguri 1555.

S. Iſidorus Hiſpalenſis, qui ſeptimo vivebat ſæculo, in Pentateuchum, in Joſue, in Judices, in quatuor Regum ſcripſit. Ipſe in Præfatione totum opus ex Origene Victorino, S. Ambroſio, S. Hieronymo, Caſſiano, & Auguſtino, S. Fulgentio, ac S. Gregorio Magno, qui tunc temporis in mortalibus degebat, deduxiſſe profitetur.

Beda Venerabilis, *Rabanus Maurus*, *& Rupertus Abbas*, in Pentateuchum ſcripſere. Duo priores (de quibus ſatis ſupra) veluti quaſdam Catenas, ſeu compendia Veterum PP. contexuerunt. Rupertus Abbas duodecimo vivebat ſæculo. Ab ineunte ætate in Monaſterio S. Laurentii Oosbourgi prope Trajectum inter Religioſos S. Benedicti nomen dedit; Abbas Tuitienſis prope Coloniam Agrippinæ creatus fuit; & obiit 1135. Hanc ſibi methodum præſcribit; primum ſtylo ſimplici, ac minime critico litteralem Scripturæ ſenſum explicat; in morali, ſeu allegorico ſenſu ſe latius diffundit. Alia etiam ex eo ſuperſunt, de quibus infra.

Bruno, e Solerio in Aſtenſi Diœceſi oriundus, unde ipſi *Aſtenſis* nomen, undecimo vivebat ſæculo, & deceſſit an. 1120. ſive 1125. *Bruno Signienſis* etiam appellatur, quod ad Epiſcopalem Signienſis Eccleſiæ cathedram in agro Romano evectus fuerit. Dein ad Montem Caſſinum ſe recepit, ubi ejus Cœnobii Abbas inauguratus eſt. Commentaria in Pentateuchum, in Jobum, in Pſalmos, Iſaiam, Cantica Canticorum, Apocalypſim excuſa in Bibliotheca Patrum, ex eo Scriptore ſuperſunt. Creditur etiam Author Commentarii in Epiſtolas S. Pauli, & quorumdam aliorum operum, quæ ſub nomine S. Brunonis Carthuſiæ Inſtitutoris prodiere. Ejus opera ſtudio Mauri Marcheſii Decani Montis Caſſini in unum corpus prodiere an. 1651. morali, & allegorico ſenſui præcipue inhæret.

Hugo de S. Victore breves etiam in Pentateuchum annotationes memoriæ prodidit, ſatis interdum literales, & ſæpe morales.

Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulæ, unde Abulenſis dictus, decimoquinto ſæculo florebat, inter Doctores Salmanticenſes adſcriptus, tanquam prodigium ſui ſæculi habitus fuit; nec ſane vulgaria ſcripſit. Ex ejus operibus 27. volumina adhuc ſuperſunt, quamvis plura deperierint. Supremum diem explevit circa annum 1454. ætatis ſuæ tantum 40. Quatuor magna volumina *in fol.* in Pentateuchum implevit, hac potiſſimum methodo: Latinum Textum breviter exponit; varias dein quæſtiones ex eodem Textu in medium profert; fuſe agitat, rationes ex utraque parte producit; & modo pene ſcholaſtico, ratione, ſeu authoritate reſolvit. Quæſtiones crebro nullius uſus, & parergas omnino agitat. Major in eo diſceptandi, productis in utramque partem rationibus ubertas, & uſus, quam ſolida eruditio & ſapor; quod tamen ſæculi potius, quam ingenii vitio tribuendum eſt.

Sanctes Paginus Lucenſis, Dominicanus, inter primores, qui poſt literarum inſtaurationem Hebraicæ linguæ ſtudio ſedulam operam navaret. Cum plurimum eo ſtudii genere profeciſſet, præter Scripturæ, de qua locuti ſumus, verſionem, Commentarium in Pentateuchum reliquit, inſcriptum: *Catena argentea in Pentateuchum, Antuerpiæ* an. 1525. Obiit 1541.

Thomas de Vio Cajetanus. Vide ejus articulum inter eos, qui totam Scripturam interpretati ſunt.

Auguſtinus Steuchus Eugubinus Canonicus Regularis Congregationis S. Salvatoris, circa annum 1540. florebat. Erudita Commentaria in Pentateuchum, Pariſiis apud Sonnium excuſa 1578. in fol. Vol. 3. elaboravit. Linguas apprime callebat, & critico ſapore ejuſdem opera non leviter aſperguntur. Stylus ſatis conciſus, ordinem, methodum, & perſpicuitatem deſideraret.

Nicolaus Abrahamus Societatis Jeſu Lotharingus e Diœceſi Tullenſi, & Hebraicæ linguæ in Univerſitate Muſſipontana Profeſſor, natus eſt an. 1589. in Societatem cooptatus 1606. ejus vota nuncupavit 1623. & deceſſit 1655. Plura ſcripſit Opera, inter cætera: *Pharum V. T. ſive ſacrarum quæſtionum libris 15. Pariſ.* 1648. *in fol.* Opus hoc eleganter, erudite, & graviter elucubratum. Author Græcæ & Hebraicæ linguæ peritia, & humaniorum diſciplinarum ſcientia, in quas plura edidit Commentaria, præſtabat. Ejus Pharus pluris reputatur, & quæſtiones intime agitat. De illo pluribus in locis ſermonem habebimus.

Hieronymus Oliverius, ſeu ab *Oleaſtro*, ſeu *Oleaſter*, Dominicanus, eruditum Commentarium in Pentateuchum concinnavit. Linguarum peritus erat; e vita migravit circa annum 1563. Ejus opus pluries recuſum fuit Lugduni, Antuerpiæ, Ulyſſippone.

Cornelius a Lapide, ejus Commentarium in Pentateuchum utile eſt. De illo alibi diſſerui.

Jacobus Bonfrerius e Societate Jeſu, Dinantii in regione Leodienſi ortus, morte ſublatus an. 1643. ætatis ſuæ 70. eximium Commentarium in Pentateuchum, Antuerpiæ cum perelegantibus Prolegomenis editum an. 1625. reliquit. Literalem dumtaxat ſenſum ſectatur.

Sacra Scriptura ubique ſibi conſtans, ſeu difficiliores Scripturæ loci in ſpeciem ſibi pugnantes conciliati, opera Joan. Pontaſii Doctor. Pariſ. Tom. 1. qui eſt in Pentateuchum. Pariſiis apud Boudot 1698. in 4. Author, quantum ſcio, opus illud proſequutus eſt.

Cornelius Janſenius Epiſcopus Yprenſis, notiſſimus ex diſceptationibus poſt ejus obitum excitatis, cauſa Libri ejuſdem Authoris inſcripti *Auguſtinus*, eximium in Pentateuchum Commentarium condidit. Brevis eſt, ſolidus, nec ſane ineptus, ut nullius unquam erroris ſuſpicio in opus hoc crearetur.

Joannis Marck Commentarium in Pentateuchum. Lugduni Batavorum in 4.

Franciſci Sylvii in Geneſim, Exod. Levit. & Numeros.

Si exactus Authorum Judæorum, qui in omnem Scripturam, ſeu in ipſius partem, ſeu in Libros, qui ad eam ſpectant, ſcripſere, Catalogus exquiratur, Rabbinica Bartholocci, & Imbonati Monachi Ciſtercienſis Bibliotheca 5. Vol fol. conſulenda, & præſertim Catalogus omnium Librorum, qui in Rabbinica hac Bibliotheca recenſentur, ad caput quarti Tomi.

§ COMMENTARII CATHOLICORUM IN PENTATEUCHUM.

S. *Auguſtinus*, Quæſtiones S. Auguſtini non Pentateuchum tantum illuſtrant, uti oſcitanter monuimus, ſed Heptateuchum plane totum, videlicet ſeptem priores Scripturæ Libros, Moyſis quinque, Joſue, & Judices. Exhibet illas tertius tomus Novæ Editionis Operum ipſius p. 379. Quæſtiones ideo appellavit, quod dubia potius proponit quam ſolvit: *Plus quæſita quam inventa*, ait ille de ſe; quanquam pluribus etiam ſatisfecit.

S. Cyrillus in Scripto illo ſuo ad indolem Commentarii non intra literæ fines tantum ſe continet, ſed excurrit etiam ad ſenſum ſpiritalem, allegoricum, & moralem. Eo tendit unice, ut in Veteri Teſtamento revelet Jeſum Chriſtum, & Myſteria noſtræ Religionis, id habens dogmate ſanctum, Vetus illud typum eſſe & umbram Novi. Viciſſim autem Theodoretus literali inhæret, laudatque pariter Textum Hebræum; ejus quæſtiones continentur t. 1. editionis P. Sirmondi.

Catena *Procopii Gazæi* non in Pentateuchum tantum, ſed in Octateuchum excurrit: nimirum in octo priores Scripturæ Libros, Moyſis quinque, Joſue, Judices, Reges cum Paralipomenis. Commentarii ejus Græci in ſeptem priores Libros ſola extat Latina Verſio; Græcum & Latinum in Reges & Paralipomena e Verſione Lavaterii prodierunt Lugduni Batavorum an. 1620. in 4. cum caſtigationibus Meurſii, qui Editionem hanc novam procuravit. Sunt etiam aliæ Catenæ Procopii, de quibus nos infra.

Photius, qui Authoris hujus ſcripta in fontibus ipſis hauſerat, affirmat ſtylo uti nimis florido, quam pro Commentatio. Relegit potiſſimum veſtigia Theodoreti in Expoſitionibus; nec raro minuta perſequitur, exponendaſque ſuſcipit voces ſatis per ſe perſpicuas.

Longe alius eſt a Procopio Hiſtorico, agebat in vivis circa annum 520. ſub Juſtino. Quare falli Grotium, ſupparem illum conſtituentem S. Hieronymo, & ad illum literas dediſſe affirmantem, notat opportune Martianæus in t. 4. Operum ejuſdem Patris, & Clericus in ſua Bibliotheca ſelecta (*Bibliotheque choiſie*) t. 8. p. 241.

S. Iſidorus. Non ſatis conſtat, num omnia, quæ Iſidoro Hiſpalenſi in Scripturam tribuuntur, eidem re ipſa Authori vindicanda ſint. Horum portionem non infimam adſcribit P. le Long Iſidoro Epiſcopo Cordubenſi, cognomento Seniori, in vivis agenti ſæculo quinto, quippe qui deceſſit an. 430.

Illud in re tam dubia certi tantum nobis affirmandum ſuccurrit, ſcripta illa non Commentarios eſſe re ipſa, ſed Collectionem ſententiarum decerptarum ex Authoribus Eccleſiaſticis: *Quod ego loquor illi dicunt, & vox mea ipſorum eſt lingua*, ait in ſua præfatione Author, quicunque tandem fuerit.

Commentarios Abbatis Ruperti vulgarunt præla Colonienſia an. 1528. 3. vol. *fol.* & Pariſienſia an. 1633. 2. vol. *fol.* In exponenda Scriptura methodo utitur ſingulari, non tamen ingenio penitus & eruditione deſtituta. Quanquam accurationem in illis deſiderat Maldonatus, adhuc tamen eorum lectionem commendat.

Brunonis Aſtenſis vulgati ſunt Commentarii, non quidem an. 1551. uti nos male, ſed an. 1651. 2. vol. *fol.* cum cæteris ejus Operibus. Extant etiam in Bibliotheca Patrum t. 20. Editionis Lugdunenſis pag. 1294. Si quæ occurrant ſalebræ adeantur Scholia, quæ Marcheſius addidit in calce editionis ſuæ. Zelo pro rebus Eccleſiæ ardebat maximo vir ille, quæ ejus indoles in Epiſtolis, cum de inveſtituris agit, ſatis ſe prodit, eademque de cauſa Epiſcopatu & Abbatia ſe demiſit.

Hugo & Richardus Duo iſti inſignes viri ideo jungendi ſunt, quod ambo ſimul & eundem Ordinem profitentes vixerint, ac ſtylo in ſcribendo uſi ſint communi, ut alterius Opera non raro alteri tribuantur. Utriuſque Opera junctim excuſa ſunt Rothomagi an. 1648. & 1650. 4. vol. *fol.*

Hugo, Belga erat & non Saxo, uti nos male; ad Canonicos S. Victoris Pariſienſis tranſiit, obiitque an. 1142. ætate 44. annorum non major. Richardus vir erat Scotus, Prior S. Victoris renunciatus eſt an. 1164. obiitque inclinata admodum ætate an. 1173. Diſcipulus hæſerat Hugoni, ejuſque exemplo formavit ſe qua vitæ probitate, qua ſcientia. Juſto utitur ratiocinio & methodico, ait D. Dupin,

Teſta-

Toſtatus. Operum Toſtati Editio abſolutiſſima eſt Colonienſis an. 1413. 27. vol. *fol.* Ex iis 13. Scripturam illuſtrant, non excluſo indice univerſali Editionis Venetæ an. 1596.

Diffuſiſſimus licet, felix eſt tamen in digreſſionibus ſuis, & fœcundus in quæſtionibus, quas data Textus occaſione inſtituit.

Commentarii *Steuchi Eugubini* excuſi ſunt ſeorſum Venetiis in 4. an. 1529. & Lugduni an. 1531. in 8. hoc titulo: *Veteris Teſtamenti ad Hebraicam veritatem recognitio, ſive in Pentateuchum annotationes*. Editio enim anni 1578. continet alia etiam ejus Opera 3. vol. *fol.* quorum prior exhibet Commentarios.

Cum Septuaginta committit ſe non raro, & ſæpe illis imponit falſum, cum Hebraice nonniſi mediocriter aſperſus eſſet, ait D. Simonius. Monuit illum Eraſmus in ſua epiſtola 34. lib. 26. ut in ſuo Opere corrigeret non pauca.

Cuſtos Bibliothecæ Vaticanæ factus, aſſecutus eſt tandem dignitatem Epiſcopi Kiſam in Inſula Cretæ, atque a Paulo III. miſſus Concilio Tridentino interfuit. Obiit an. 1550. vel forte 1548. Italiæ ornamentum appellatur a Poſſevino.

Abram e quindecim libris Quæſtionum in Scripturam octo tantum dedit in loca quædam Geneſeos, & nonum in Exodum, vel in commorationem Iſraelitarum in Ægypto. Quæ ſequuntur omnia illuſtrant Judices, Tranſmigrationem Babylonicam, Adventum Meſſiæ, Septuaginta hebdomadas. Humaniores literas melius profitebatur, quam Interpretem Scripturæ. Recurrat iterum de illo ſermo in tertia parte hujus Supplementi.

Commentarius *Joannis Oleaſtri* prodiit Ulyſſiponæ 4. vol. *fol.* an. 1556. 1558. & Antuerpiæ an. 1569. 1. vol. *fol.* In eo potiſſimum ſtudium ſuum poſuit, ut genuinam ſignificationem ſingularum Hebraicarum vocum ſcrutaretur, ſed non felici ſemper delectu interpretationes ſuas ſelegit.

Vir erat Luſitanus; inter Dominicanos dedit nomen an. 1520. Ad Concilium Tridentinum an. 1545. miſſus a Joanne III. Rege Luſitaniæ, venit; redux aſſumptus eſt in Inquiſitorem, obiitque tandem an. 1563. & non 1568. uti male Tirinus. Græco & Hebræo ſtrenuam operam navavit.

Commentarii Bonfrerii vulgati ſunt an. 1625. & non 1525. uti præpoſtere in noſtris impreſſis; alioqui etenim excuſi fuiſſent antequam Scriptor naſceretur.

Ejus Prolegomena lectu digniſſima ſunt, ait Simonius, quanquam non illum perfectionis gradum attingant, quem nos optavimus; etenim commode omiſiſſet quæſtiones nonnullas, quæ plane inutiles videntur. Scopum attigiſſet felicius in ſuo Commentario, ſi plus aliquid noſſet in linguis Orientalibus.

Natus eſt Dionanti an. 1573. ad Jeſuitas acceſſit an. 1592. docuit & profeſſus eſt Duaci, ac Tornaci, ubi & diem clauſit. Judicio valuit, memoria, eruditione, ac ſtylo facili & eleganti.

Primum & unicum volumen *Pentaſi* continet ultra 330. quæſtiones cum Reſponſis fultis authoritate SS. Patrum & probatiſſimorum Commentatorum. Nec ſatis habet vir doctus conciliare antitheſes in ſpeciem Sacræ Scripturæ, ſed & Textus plurimos, qui paradoxi aliquid & fidei opportunum referre videntur, illuſtrat. Ad hæc aſpergit Opus exacta critica in varias lectiones Hebræi, Chaldaici, Syriaci, Græci, aliarumque Verſionum. Uno verbo, volumen eſt Bibliothecam referens, collectaque continens quæcunque vix alias diſcerentur, niſi conſultis pluribus Libris. Optandum utique fuiſſet Pontaſium laborem hunc ſuum continuaſſe in univerſam Scripturam, vel ſaltem Doctum alium methodum ipſius & zelum adoptaſſe.

Commentarius *Janſenii* excuſus eſt Pariſiis an. 1661. in 4. cui acceſſerunt ejus Analecta in Libros Sapientiales, in Habacuc, & in Sophoniam. Aliæ etiam plures Editiones datæ ſunt hujus Operis, de quo nihil addemus ultra, quam quæ jam dicta ſunt.

Natus eſt an. 1585. ſtuduit docuitque Lovanii ab an. 1617. Epiſcopus Iprenſis initiatus eſt an. 1636. obiit 1638. ætatis 53. Cum hic ſermo fuerit tantum de ejus Commentariis, quos probant æque omnes, alia viri Opera prætereunda cenſemus.

Sylvius. Prodiarunt primo ſeorſum duo Commentarii Sylvii in Geneſim & in Exodum, Duaci an. 1639. & 1649. totidem voluminibus in 4. Sed P. d'Elbecque, qui poſthuma ejus Opera vulgavit Antuerpiæ an. 1698. 2. vol. *in fol.* quæ reddunt Operum ipſius tomum quintum & ſextum, imprimendos pariter curavit geminos hoſce Commentarios, additis duobus aliis nunquam antehac publico communicatis, in Leviticum nempe & in Numeros.

Brevis licet, doctus eſt tamen, perſpicuus, fœcundus, novit enim literalem ſenſum miſcere ſpirituali, addito myſtico & morali ex SS. Patribus deductis. Natus eſt in Bromo (*Braine*) Hannoniæ an. 1581. ſatiſque mature totum ſe ſtudio impendit. Egit Vicecancellarium Univerſitatis Duacenæ, & Canonicum S. Amati Cameraci; deceſſit tandem an. 1649. ætatis 69. Vir erat inſigniter pius, uti ex Vita ipſius præfixa quinto volumini Operum ejus intelligent Lectores.

D. Dupin. Notas D. Dupin in Pentateuchum præteriri a nobis eſſet iniquum, cum ille nomen noſtrum non ſiluerit in ſua Bibliotheca.

Omni amota aſſentatione eo nomine vir iſte laudandus eſt, quod novit artem evitandi prolixitatem magnorum Commentariorum, & nimis arctam tenuitatem Scholiorum. Nihil præteriit obſcurum, cui lucem non affuderit; animadverſiones addit chronologicas & geographicas; quas item animadverſiones breves reddit & literales. Excuſum eſt opus 2. vol. in 8. Pariſiis an. 1701.

Pariſium habuit Patriam, quanquam originem duxit e veteri familia Normanica; natus eſt autem an. 1657. ſtudio impendit operam in Collegio d'Harcourt; Doctor eſt renunciatus an. 1684. obiit tandem an. 1719. ætatis 62. ingenti Operum editorum, qua Gallice, qua Latine, numero vir inſignis.

Præter catalogum a nobis indicatum de Scriptoribus, P. le Long in ſua Bibliotheca ſacra in *fol.* pag. 1079. 183. ſuum dedit accuratiſſimum de Authoribus qua Catholicis, qua Proteſtantibus & Judæis, qui laborarunt in Pentateuchum. Nos vero hic tantum aliquos Scriptores Proteſtantes & Judæos in Corollarium digeſtos, addemus.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM JUDÆORUM IN PENTATEUCHUM.

NUllum aptius exordium conſtitueremus, quam in *Joanne Mark*, Belga, Calviniſta, & Miniſtro Leidenſi, quem nos per errorem inter Catholicos recenſuimus. Scripſit tantum in loca quædam Pentateuchi. Ejus viri Leidenſibus typis an. 1713. in 4. prodiit genus quoddam Analyſis exegeticæ in poſtrema verba Jacob & Moyſis.

Jacobi Altingi altera eſt etiam Analyſis exegetica, quatuor priorum Librorum, & Commentarius in Deuteronomium, quæ ſimul omnia complectitur prior tomus Operum ipſius Amſtelodami an. 1287. 5. vol. *fol.* Calviniſmum profitebatur, natuſque eſt Heidelbergæ an. 1618. obiitque an. 1679. Quingentæ ejus Epiſtolæ geſta viri & ingenium ſatis docent.

Commentarius *Auguſti Varenii* prodiit Roſtochii an. 1676. in 4. Lectu jucundum eſſet Opus illud, ſicut & cætera ejus viri, ſi tantum perſpicuitatis haberent, quantum habent eruditionis, ait Crenius.

Hitziger in Ducatu Luneburgenſi natus Gravii auditor fuit; docuit linguam Hebraicam Roſtochii, ubi tandem deceſſit an. 1484. ætatis 24. Unus idemque Poeta fuit Orator, & Interpres Sacrarum Scripturarum apud Lutheranos.

Nec prætereundus eſt hic *Joannes le Coq*, vel Coccejus, qui in Scripturam laboravit plurimum. Porro laborum ſuorum exordium fecit ex Commentario in plura capita Geneſeos; proſecutus eſt Animadverſiones in Exodum & Leviticum, tum & in loca quædam Numerorum & Deuteronomii. Hæc autem omnia in unum collecta volumen in 4. prodierunt Franekeræ an. 1650. Demum inſerta ſunt in Collectione Operum ipſius Amſtelodami an. 1701. 8. vol. *in fol.* tertia Edit. quibus acceſſerunt duo alia volumina *ibid.* 1706. *in fol.*

Digeſſit hæc omnia ſtylo vel ipſo eodem Scripturæ, vel populari penitus & intellectu perquam facillimo; a Scholaſtica recedit plurimum, ejuſque ratio exponendi Scripturas probatur maxime D. Simonio; cui diſplicent nihilo ſecius hypotheſes frequentiſſimæ, quas probare argumentis eſſet operoſiſſimum. In expoſitione Prophetarum excellit maxime.

Digitized by Google

Patria erat Germanus; natus Bremæ an. 1603. obiit an. 1669. ætatis 66. poſt formatum Sectæ genus quoddam, Coccejanum de ejus nomine appellatum, quod ad Socinianiſmum propiſſime accedit. Linguas Orientales perfectiſſime callebat.

Hermannus van-der-Hart dedit Ephemerides Philologicas in duodecim Orationes illuſtrantes Pentateuchi quædam, Helmſtadii an. 1693. in 4. tertia Edit. Alias de illo redibit ſermo.

Sebaſtianus Edzard diſcuſſit adverſus Clericum, an Pentateuchi Opus ſcripſerit Sacerdos Samaritanus, extuditque opus Wittembergæ an. 1695. in 4. Alia ejus Opera in decurſu indicabimus.

Paulus Fagius unus eſt e celeberrimis Proteſtantibus, qui Notas ſcripſerint in Pentateuchum. Impreſſæ ſunt in Magnis Criticis Londinienſibus tom. 1. Adornatæ ſunt non quidem ad Textum Hebræum, ſed ad Paraphraſim Chaldaicam Onkelos, quam Latine ab ipſo redditam jam diximus: æque tamen valent illuſtrando Textui & Paraphraſi.

Digeſtæ ſunt ad regulas criticas; neque enim in aliis ferme occupatur quam in aſſignando æquiori ſenſu vocum Hebraicarum, atque illuſtrando ſenſu literali Moyſis.

Allemannus natus Taberne (*Saverne*) an. 1504. e Lutheranis defecit ad Calviniſtas, obiitque an. 1550. ætatis 45. Criticus exactus & Rabbinis opportuniſſime utens; ex quo tamen nimium in Rabbiniſmum declinavit.

Hermanni Denſing eſt Moyſes evangelizans, quo in Opere Textus plures Moyſis recenſitos in Bibliotheca Philologica tom. 2. pag. 752. & 758. explicat. Prodiit Ultrajecti ad Rhenum an. 1719. in 4. De illo recurret adhuc ſermo in decurſu. Natus eſt Groningæ an. 1654. patrem amiſit an. 1666. Studuit Lugduni Batavorum, & alibi; obiitque an. 1722. ætatis 68. Hujus viri geſta habes deſcripta in eadem Collectione tom. 5. pag. 925. 935. in Catalogo Operum ipſius pag. 936. 940.

Inter Judæos *Abdias Sphorno*, Italus Medicus, defunctus an. 1550. vulgavit Expoſitionem inſcriptam, *Lumen Domini*, typis Ferrarienſibus an. 1567. in 4. ſecunda Edit.

Abraham filius David, in vivis agens an. 1605. ſcripſit in Pentateuchum Opus, cujus ſecunda Editio data eſt Francofurti ad Oderam an. 1681. *in fol.* Dedit & Latine tredecim illas rationes varias exponendi Legem juxta Hebræos Cantabrigiæ an. 1597. in 8.

R. Bahhie, vel *Bebhai* filius Aſer Hiſpanus, Cæſarauguſtanus, Philoſophus, florens an. 1291. adornavit Expoſitionem literalem allegoricam & cabaliſticam Pentateuchi Hebraice, impreſſam ſæpius, cujus poſtrema editio eſt Cracovienſis an. 1610. *in fol.* Commentarium hunc fuſiſſimum eſſe dicit Simonius.

Beer filius Iſael Leyſeri, Bohemus, & Superintendens Synagogæ Fulemburgenſis an. 1624. vulgavit Expoſitionem plurium explicationum in Pentateuchum, Pragæ an. 1683. *in fol.*

David filius Salomonis Meſir; Medicus Toletanus, Muſicus, & Poeta an. 1467. ſcripſit Coronam Legis, i. e. 613. præcepta deducta ex Pentateucho; excuſa ſunt autem Hebraice Conſtantinopoli an. 1516. in 4.

Eliſas Miſrahi, vel Orientalis, Rector Synagogæ Conſtantinopolitanæ an. 1490. Author eſt Commentarii, cujus quarta Editio eſt Cracovienſis an. 1595. *in fol.* Idem autem Opus in Synopſim redactum dedit Pragæ Iſaac Cohen an. 1604. *in fol.* & 1609. 2. vol.

Eliezer Judæus Germanus, hiſtoriam Pentateuchi ſcripſit Hebraice. Secunda Operis Editio data eſt Cracoviæ an. 1584. *in fol.*

Ephraim filius Aaronis circa an. 1580 præerat Synagogæ Leopolitanæ, cujus viri nomine quatuor re ipſa quidem ſunt Opera; an genuina tamen ejus omnia incertum. Implent quatuor volumina *in fol.* prodieruntque Baſileæ an. 1581. Pragæ 1610.

Ezechias filius Manoahh Author eſt Commentarii literalis & myſtici, una cum Textu Hebræo, & Targum vulgati Baſileæ an. 1606. *in fol.*

Hhaiim filius Joſue, e familia Horvvitz dedit Obſervationes Opus bipartitum excuſum Dyrenfortii an. 1690. & 1703. 2. vol. in 4.

Jacobus Baal Hatturim, defunctus an. 1328. adornavit notas marginales, quarum tertia Editio eſt Veneta an. 1607. in 4. & in Bibliis Rabbinicis leguntur. Sunt etiam plures ejuſdem nominis, plures Joſephi, Iſaacci, Moyſes, Salomones, Simeones, Samueles, quos hic recenſere eſſet operoſum.]

COMMENTARIA IN GENESIM.

ORigenes ſeptem in Geneſim homilias ſcripſit, in quas potius hujus libri Commentarium cogitur. De Authoris in S. Scripturæ interpretatione præſtantia omnes conveniunt. Una omnium ſententia, neminem eo plenius allegoricum ſenſum pandere, nec moralem luculentius aperire. Cum linguarum peritus eſſet, ad elegantiſſima edenda Commentaria aptiſſimus erat; quare dum literalem alicujus textus explicationem aggreditur, plerumque expectationem implet. Sedulo ejus Opera legiſſe multum refert, non tantum quia vetuſtiſſimus eſt author, verum etiam quia Archetypus, cum plerique poſt illum Scriptores eadem conſuluiſſe, ad illa alluſiſſe, tranſcripſiſſe, ſive refutaſſe conſtet. Dolendum plane cuncta tanti viri opera in ſua Originali lingua, & nulla interpolatione corrupta non exhiberi. Obiit circa annum 254.

S. Joan. Chryſoſtomus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus plura erudita in Scripturam Commentaria, & peculiariter 67. homilias in Geneſim adornavit, in quibus totum librum interpretatur. Octo præterea ex eo habentur homiliæ ad calcem ejus Commentarii ſubjectæ. Vir iſte plane eximius omnium quotquot unquam fuerint in Eccleſia Græca Interpretum ſummus merito reputatur; aperto eſt enim ſtylo, ſolido, erudito, gravi; atque poſt ſancitum in ſingulis Homiliis literalem ſenſum, quaſi facta ſubſtructione, plerumque morales aliquas & ſpirituales animadverſiones, ex ipſo argomento derivatas, veluti ædificat. Commentatores Græci inferioris ævi fere omnes ex ipſo omnia ferme ſua derivaſſe viſi ſunt, ut eo lecto, quidquid Theodoretus, Euthymius, Theophylactus, Oecumenius optimi habent, ſimul omnia noſcantur. Ejus opera longe lateque vulgata ſunt; quorum nova Editio omnium retro perfectiſſima in præſens paratur.

S. Auguſtinus duodecim ſcripſit libros, eo titulo; *De Geneſi ad literam*, in quibus tria dumtaxat priora Geneſis capita explicat; quod quidem opus Commentarium criticum & literalem exhibet. Plures ibi quæſtiones fuſius agitantur, & varia literam ſeu hiſtoriam quodammodo ſpectantia exponuntur. Ipſe in ſecundo ſuarum Retractationum libro aſſerit, ſe plura in hoc opere quæſita propoſuiſſe, quam enodaſſe: *In quo opere plura quæſita quam inventa ſunt, & eorum, quæ inventa ſunt, pauciora firmata.*

Idem S. Auguſtinus *librum imperfectum in Geneſim* ſcripſit, ubi quid in Commentariis literalibus, & hiſtoricis in S. Scripturam parandis valeret, periculum facere voluit; cum vero in hoc ſtudiorum genere ſe minus verſatum intelligeret, ne unico quidem libro abſoluto, ab incepto deſtitit. Liber hic imperfectus ad Gen. 1. 20. dumtaxat progreditur. Quem autem laborem, tunc temporis viribus imparem, recuſavit, dein impigre ſuſcepit, duodecim compoſitis libris *de Geneſi ad literam*, quos ſupra retulimus.

Tandem in duobus poſtremis Confeſſionum libris, Geneſis initium adverſus Manichæos allegorice interpretatur.

S. Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis, ſeu Aurelianenſis, author Commentarij in Geneſim, in 6. Tomo magnæ Bibliothecæ PP. Lugdunenſis. Author hic nondum ſatis exploratus, nunquam Lugduni cathedram tenuiſſe creditur; quiſquis tamen fuerit, ejus in Geneſim Commentarium cento eſt opinionum, ac ſententiarum S. Auguſtini, S. Hieronymi, & cæterorum PP. quorum verba, ne laudato quidem nomine, tranſcribit. Omnes S. Hieronymi quæſtiones ibidem leguntur. Eidem Authori liber adſcribitur *de elocutionibus S. Scripturæ, & de quæſtionibus in Vetus ac Novum Teſtamentum*.

S. Hieronymus Tractatum *de quæſtionibus, ſeu de traditionibus Hebraicis in Geneſim* ſcripſit, qui veluti Commentarium brevius, criticum, ac literale in hunc librum haberi poſſet. Plurimum in eo Hebraicarum vocum vim aperit: quædam ex Verſione Septuaginta, & cæterorum Interpretum loca ad trutinam expendit: nonnullas Judæorum traditiones recenſet. Exquiſita S. Hieronymi eruditio, & præclara ejus in Eccleſiam merita omnibus

bus in confeſſu ſunt. Unus præ cæteris PP. literæ Scripturæ hæret; ſcientiis, & criticæ plurimum exhibet; atque poſt evolutos infinitos pene Scriptores, quidquid præſtantius ea Origene, Dydimo, Apollinare, Theodoro Heracleenſi, Euſebio Cæſarienſi, aliiſque præcedentibus hauſerat, omnie in ſuum ſuccum convertit. Cum autem ita ſententias illorum referas, ut nomen numquam laudes, hinc factum eſt, ut ex aliorum mente, an ex ſua ſententiam proferat, non facile diſtinguatur. Ex quo etiam illud incommodi accidit, ut ſententiæ ſibi pugnantes in ejuſdem operibus deprehendantur; quæ potius Authoribus, quorum opiniones refert, quam ipſi, ſunt tribuendæ.

S. Baſilius Magnus Epiſcopus Cæſarienſis egregium edidit opus inſcriptum: *Hexaemeron*, in Geneſis initium, ſeu de opere ſex dierum: quod ſane merito operæ caput in eruditione, & eloquentia appellandum eſt.

S. Gregorius Nyſſenus, Epiſcopus, & frater S. Baſilii Magni, librum etiam in Hexaemeronem, ſeu de opere ſex dierum concinnavit, & alium *de hominis creatione*; duos ſermones in ea verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, varias, & graves quæſtiones in ſuo de hominis Creatione Tractatu agitat; & quidquid ſcripſit, utile ſane, ac jucundum eſt.

S. Ambroſius, Archiepiſcopus Mediolanenſis ſex ſcripſit libros in Hexaemeronem, ſeu de opere ſex dierum, in quo verſionem operis S. Baſilii de eodem argumento dedit; librum etiam de *Paradiſo terreſtri*, duos *de Caino, & Abele*, unum *de Noe, & Arca*, duos *de Abrahamo*, alterum *de Iſaaco*, *& de anima*, duos *de Jacobo*, *& de vita beata*, librum *de Patriarcha Joſepho*, & unum demum *de benedictionibus Patriarcharum*. Totum hoc ad Geneſim ſpectat. S. Ambroſius ſua in Scripturam opera ita dirigit, ut moralem, & allegoricum potius, quam litteralem ſenſum, & hiſtoriam, ac criticam exhibeant. Non invitus Authorum vetuſtiorum veſtigia ſectatur. Cum Græcam linguam calleret, multa ex Philone, Origene, Didymo, Hyppolito Martyre, ac S. Baſilio tranſcripſit. Allegoricæ, & crebræ ad Scripturam alluſiones, ſtylum illius obſcurum, & tumidum efficiunt.

Euſtathius Epiſcopus Antiochenus, 4. ſæculi Scriptor, præclarum de Pythoniſſa tractatum concinnavit; de quo nos alibi diſſeremus. Ipſi opus in Hexaemeronem adſcribitur, quod Latine in magna Patrum Bibliotheca reperitur, & Græce ab Allatio una cum Tractatu de Pythoniſſa editum eſt. At operis in Hexaemeronem alius creditur Author. Utcumque res ſeſe habeat, Commentarium hoc eruditione refertum eſt; atque plurimum naturalis hiſtoriæ intextum continens. Hiſtoriæ S. Epitomen a mundi exordio, ad mortem uſque Joſue Author conficit. Opus breve eſt, & cum fructu, ac voluptate legendum.

Duo ea *V. Bedæ* opera in Geneſim habentur, unum inſcriptum: *Commentarii in Hexaemeron* t. 4. p. 1. 2. 3. alterum: *Expoſitio Venerabilis Bedæ Presbyteri in primum librum Moyſis &c.* Utrum Venerabilis Bedæ poſtremum opus genuinum ſit, valde ambigitur; primum exigua tantum pars eſt illius, quod in Geneſim elucubraſſe, ipſemet in ſuorum Operum Catalogo refert. Henricus Warton ſupplementum ad Bedæ Commentarium, quod ad Iſaaci Nativitatem, ac reditum Agaris, & Iſmaelis deſinit, evulgavit in 4. 1693. Londini.

Alcuinus, ſeu Albinus Flaccus, Abbas S. Martini Turonenſis, ac Caroli Magni Imperatoris magiſter, octavo vivebat ſæculo, & deceſſit an. 804. breve, ac utile in Geneſim opus, in petitiones ac reſponſiones digeſtum concinnavit.

Anaſtaſius Sinaita, Archiepiſcopus Antiochenus, inauguratus fuit circa an. 561. Undecim libros moralium contemplationum in Hexaemeronem ſcripſit in Bibliotheca Patrum Tom. 9. editos, hoc titulo; *Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeronem lib.* 11. Huic etiam Authori 154. quæſtiones in Scripturam tribuuntur. Hæc opera, neque ad ſacrum Textum elucidandum ſatis conducunt: et neque eo Authorem collimaſſe unquam conſtat; animadverſionibus enim moralibus potius, quam litteralibus inhæret.

S. Bonaventura, ex Ordine S. Franciſci Cardinalis, Epiſcopus Albanenſis, ad ſuperos abiit an. 1274. 25. ſermones in *Hexaemeronem* ſcripſit. In animadverſionibus moralibus, & myſticis, ſenſibus tropologicis, ac figuratis nimius eſt.

Joannes Picus Mirandulanus obiit 1494. annum agens 33. ex magna editorum operum copia celebris; *monſtrum ſine Defectibus* vulgo dictus. In primum Geneſis caput ſeptem exercitationum libros dedit inſcriptos: *Heptaplus de opere ſex dierum*. Singuli libri in ſeptem capita ſunt diſtributi. Primus liber eſt de orbe elementari, ſecundus de Cœlo, ac orbe Cœleſti, tertius de Angelis, ac de Cœlo Empyreo, quartus de homine, quintus peculiariter de univerſo Orbe, ſextus de mutua, quæ inter Orbes ſervatur, correlatione, ſeptimus de æterna beatitudine. Opus hoc ad Moyſem explicandum parum utilitatis videtur afferre, & author ultra vulgarium Lectorum captum nimis erigitur. Extat opus in 1. tom Operum Pici, quod ſane, & minus eſt utile ad Scripturæ ſenſum inveſtigandum, & nimis captum vulgarium Lectorum excedit.

Aloyſius Lippomanus, ſeu Ludovicus Lippomanus, patria Venetus, & Epiſcopus Methonenſis primo, dein Veronenſis, ac Bergomenſis, Catenam in Geneſim, in Exodum, ac in Pſalmos ex Græcis ac Latinis Patribus reliquit. Eidem etiam animadverſiones Strabi, S. Thomæ, Cajetani, & ſuas annotationes criticas plerumque ac litterales inſerit. Ejus Commentarium, ſeu Catena in Geneſim magnum Volumen *in fol.* Lugduni editum 1657. implet. Ibi Authorum, tum veterum, tum recentiorum Epitomen recenſet.

Benedictus Pererius, ſeu Pereira Hiſpanus, e Societate Jeſu, Romæ deceſſit 1610. ætatis ſuæ 75. eximium in Geneſim Commentarium adornavit duobus vol. in fol. ſeu quatuor in 4. Tomus primus in 12. priora Geneſis capita Commentarium complectitur ſex libris; ac pluribus quæſtionibus ſeu diſputationibus digeſtum, fuſius in utramque partem agitatis. Secunda pars brevior eſt, & magis ad Commentarii ſpecimen. Eruditus Author eſt, gravis ac doctus; cujus ſolum Commentarium in Geneſim plurium loco habendum.

Ambroſius Catharinus Dominicanus Commentarium in quinque priora Geneſis capita, in Epiſtolas S. Pauli, in Epiſtolas Canonicas elucubravit. Cajetanum crebro exagitat. Audacior eſt, ac in ſententiis peculiaris. Obiit circa an. 1553. Ejus opus Romæ editum fuit 1552. & 1556.

Aſcanii Martinengi Canon. Regul. Ordin. S. Auguſt. Gloſſæ magnæ in Geneſim 2. *Vol. in fol. Patavii* 1597. Author eruditus, at prolixior.

Marinus Merſennus, Minimus, fuſius Commentarium in ſex priora Geneſis capita ſcripſit, ſeu potius Quæſtiones in difficiliora, ac celebriora hujus libri loca. Linguis ac Mathematicis inſtructus erat. E vivis ereptus an. 1648. ætatis ſuæ 60. Opus hoc Pariſiis excuſum fuit an. 1623. & 1625.

Joannes Mercerus Calviniſta, Languedocia oriundus, Hebraicæ Linguæ Regius poſt Vatablum Profeſſor. Morte ſublatus eſt an. 1570. Joſias Mercerus ejus filius, patris opera, & præſertim Commentarium in Geneſim typis demandavit in fol. *Genevæ* 1598 Scriptor omnium, qui in Gallia extiterint, Hebraicæ linguæ peritiſſimus. Ejus opera erudita, & accurata ſunt, at aridiora, & litteræ nimis ſervientia.

Blaſianus Nannius, Commentarium in Geneſim edidit inſcriptum: *Catena argentea in Geneſim in 4. Bononiæ* 1587.

Guilielmi Hameri Ord. Prædic. Comment. in Geneſim. Dilingæ apud Sebaldum Mayer 1564. *in fol.*

Firmini Capitis Expoſitio in Geneſim.

Hieronymus Vielmius in prima Geneſis capita, ſeu in opus ſex dierum elaboravit. Ejus liber Venetiis excuſus eſt in 4. 1575.

Martinus Delrio Antuerpienſis, e Societate Jeſu, fato functus 1608. ætatis ſuæ 58. ejuſdem argumenti opus adornavit, inſcriptum: *Pharus Sacræ Sapientiæ*, Lugduni editum an. 1608. Commentaria *in Cantica Canticorum* Ingolſtaldii in lucem emiſſe 1604. in Lamentationes Jeremiæ, Lugduni 1608. *Adagialia Sacra Script.* ſeu *Proverbia Sacra V. T.* Lugduni 1612 in 4. ac tres Tomos de difficilioribus S. Scripturæ locis. Opera eruditione refertiſſima.

Ludovicus de Tſella, Dominicanus, obiit an. 1614. interpretationem interlineatem in Geneſ. cum ſcholiis exaravit.

Gabriel

Digitized by Google

Gabriel a Coſta, Conimbricenſis in Luſitania Profeſſor, commentario in 49. Geneſis capita parato, antequam opus prodiret, occubuit. Idem tamen prælo ſubjectum fuit Lugduni 1641.

Ægidius Viterbienſis, ſupremus Auguſtinianorum Superior Generalis, ſcriptor ſæculi 16. Commentarium in tria priora Geneſis capita edidit. Linguas callebat, & diem explevit an. 1532.

Joannes Gerberdus Lutheranus, Profeſſor Salanis in Saxonia, Commentarium in Geneſim publici juris fecit, in quo Hebraicum Textum interpretatur, difficultates in medium profert, & enodat, & in ſpecimen diſcrepantia loca conciliat. Opus excuſum fuit an. 1675. & dein Lipſiæ 1693. in 4.

Paulus Fagius, Calviniſta, Hebraicæ linguæ Argentorati Profeſſor, in Anglia deceſſit an. 1550. Explicationem vocum Hebræarum in quatuor priora Geneſis capita evulgavit. Hebraica lingua inſtructus erat.

Abrahami Caloyii Luther. Comment. in Geneſim in 4. Vitemberg. 1671. Prolegomenis, & Tabulis Chronologicis Opus inſtructum eſt; omnes Textus voces ad calculum revocantur, & litterali ſenſu firmato, myſticus deducitur. Ipſe author, ſtricto in Grotium calamo, omnes ejus in Scripturam explanationes refellendas ſuſcipit in ſuo opere inſcripto: *Anti-Grotiano conatu in V. & N.T.* In eo Libro, obtrectandi pruritu longius aliquando excurrit.

Novum ſpecimen explicationum Phyſicarum in primum Geneſis caput, per de S. Rambert Gallice. Ultrajecti 1713. Author hic creationem Mundi ad Carteſii Syſtema explanare conatur.

Burnetii, Archæologia Philoſophica. Londini.

Ejuſdem Telluris Theoria Sacra. Londini 1702. in 8. Author iſte novum ſyſtema de creatione Mundi, & Terræ ſtatu ante eluvionem invexit; qui autem diluvium illud acciderit, juxta ſuam hypotheſim aperit. Ejus opiniones petulantiores adverſarios provocarunt plurimos. Vide Salomonem Deyling in Obſervat. Sacr. 1. obſerv. 4.

Chriſtophori Cartwrighti Electa Targumico-Rabbinica in Geneſim. In Criticis magnis; Rabbinicum prorſus eſt commentarium ſemiintegrum, exangue.

Sixtini Amama annotata in Geneſim. In Criticis Magnis; Hebraice peritus erat, Vulgatæ infenſiſſimus, ſuiſque præjudiciis, ac ſuæ Sectæ erroribus nimis inſerviens.

Simeon de Muis, præſtantiſſimus Hebraicæ linguæ Profeſſor, eruditas in Geneſim notas elucubravit, in Magnis Criticis impreſſas, & inſcriptas: *Varia Sacra in Pentateuchum*.

Petri Artopœi, de prima rerum origine, complectens breves in Geneſim annotationes Baſil. 1546.

Inter Authores Judæos, *Onkelos*, *Jonathan filius Uzielis*, & *alter Jeroſolymitanus* circumferuntur, qui in Pentateuchum Targumim concinnarunt. Hi duo poſtremi in 4. Anglorum Polyglottorum Tomo excuſi ſunt, & Rabbini Salomon Jarchi, & Abenezra in Bibliis Rabbinicis.

COMMENTARII CATHOLICORUM IN GENESIM.

ORigenes. Homiliæ illius 17. minima ſunt portio majoris Operis, quo Librum hunc Scripturæ illuſtravit; ſcripſerat enim ad 12. & forte etiam 13. Libros Commentariorum, & geminas alias Homilias myſticas. Librorum in Geneſim fragmenta quædam vulgavit D. Huetius Græce, & Latine in ſua Editione tom. 1. Autumat Sixtus Senenſis homilias, quæ Latine tantum extant in Editione Forbarii, & Genebrardi, portionem eſſe myſticarum Origenis. Alia eſt tamen Huetii, & noſtra pariter ſententia, cum enim ſatis accuratæ elaboratæ non ſint, pronum eſt reputari Authorem ſuum illas extemporanea oratione fudiſſe.

Homilias 67. *S. Chryſoſtomi* Græcas continet prior tomus editionis Savilii; octo alia tomus quintus pag. 1. & 911. Græce, & Latine in ſecundo tomo Editionis Morellii, & tom. 8. pag. 773. D. Montfaucon dedit utraſque in 4. tomo novæ Editionis ſuæ, ornavitque inſtructa, & longa Præfatione, ubi agit de Homiliis hiſce, quo tempore, & loco recitatæ fuerint. Addit animadverſiones nonnullas ad illuſtrandum Textum. Dedit pariter nonam Homiliam, cui præfatus eſt aliquid, *ibid.* pag. 645.

De ſtylo harum Lucubrationum jure reputaremus cum Photio non deſtitui perſpicuitate illa, elegantia, & fecunditate, quæ aureum illud os commendabant; crebris ſententiis ac ſimilitudinibus variantur. Nihilo tamen ſecius primæ ſunt Orationes, quas palam provinciavit, cum Sacerdotio tantum fungeretur: Moralem perſequitur maxime, ſtudetque auditores ſuos magis ad virtutem formare, quam ad ſcientiam; quamquam & litteralem ſenſum, cum judicat opportunum, non negligit.

Quæcumque *S. Auguſtini* in Geneſim recenſuimus, exhibet tertii tomi pars primæ novæ Editionis.

Nihil autem demiſſius eſt quam quod ipſe de ſe fatetur in Retractationibus l. 1. *In Scripturis exponendis tyrocinium meum ſub tanta ſarcina mole ſuccubuit*. Aliter judicat Caſſiodorus in ſuis Inſtitutionibus divinis l. 1. ſuperaſſe enim reliquos omnes in hoc argumento virum illum affirmat. *Opus ſuum longe in aliam ſummitatem Domino largiente perduxit*.

De genuinis Operibus *S. Eucherii* mentem noſtram in Articulo 13. explicavimus. Ad Commentarium quod attinet reputandus eſt Author, eodem exemplo ac alii plures, de tanti viri nomine famam ſibi, & meritum captaſſe.

Quæſtiones *S. Hieronymi* in Geneſim habes in ſecundo tomo novæ Editionis pag. 506. 549. quibus animadverſiones ſuas nodos explicantes adjecit D. Martianæus ibid. pag. 550. Jungi Quæſtionibus hiſce poſſunt tres ſubſequentes Epiſtolæ, continentes alias quæſtiones in loca quædam difficilia Geneſeos cum ſolutionibus.

SS. Baſilius, & *Gregorius Nyſſenus*. Utriuſque viri opus Græce, & Latine exhibet prior tomus Operum illorum, una cum ſcriptis illorum omnibus ad Geneſim referendis.

Patres Græci opus S. Baſilii admirati ſunt, non eloquentia tantum; cujus pompam omnem explicat, quam eruditionis ſapore prorſus ſingulari: agnoſcere enim in illo licet Oratorem potius abſolutum, quam Interpretem ſacri Textus. Conciſior eſt in ſua expoſitione S. Gregorius, & ipſas eaſdem quæſtiones ne tangens quidem, ſatis habet naturalem ordinem creationis perſequi. Diffuſior eſt in ſuo Tractatu de creatione hominis. In vitam Moyſis hiſtoriam potius quam commentarium ſcribit.

Hexaemeron *S. Ambroſii*, & cetera ejus opera, quæ referuntur ad Geneſim, collecta habemus in priori tomo novæ Editionis Pariſienſis.

Majori ſtudio, & doctrina ſcripſit Commentarium de Paradiſo terreſtri, quippe quem elaboravit Epiſcopatus ſui anno primo. Elegantior eſt in duobus Libris de Cain, & Abel, ubi optima plura ad inſtituendos mores. In ſuo Libro de Arca, magis quam alibi quocumque, inhæret litteræ, atque conquiſita eruditione profert in medium aliorum ſententias.

Euſtathius Antiochenus. Per oſcitantiam excidit nobis, dum ſcripſimus Hexaemeronam, quod Latinum extat in tomo 1. Bibliothecæ patrum, ipſiſſimum eſſe opus, quod Græce, & Latine dedit Leo Allatius Lugduni an. 1629. in 4. Eſt enim illud longe diverſum opus; nec aliud quam Verſio Latina Hexaemeronis Græci S. Baſilii, quare inſertus eſt in Latinis Editionibus ejuſdem Patris Antuerpiæ an. 1616. in fol. pag. 666. Vulgatum ab Allatio opus Latinum tantum cum præfatione ſua exhibetur in tomo 27. pag. 22. ejuſdem Bibliothecæ Patrum. Quare duo ſunt longe diverſa opera.

Caſſiodorus, qui prius illud legerat, in Inſtitutionibus divinis l. 1. c. 1. affirmat Interpretem vi eloquentiæ ſuæ æquaſſe ac integra ſervaſſe originalis ſui decora omnia.

Tradit autem virum fuiſſe Africanum, doctrina excultum, florentem an. 440. dirigit enim Metaphraſim ſuam Syncleticæ Diaconiſſæ, cujus fœminæ coævus ejus Sedulius meminit in ſuo Carmine Paſchali. Florebat autem Vateville an. 434

Beda. Jam ſupra animadvertimus, D. Martene dediſſe pariter quæ deerant ex Commentariis ipſius in Geneſim. Expoſitio eſt autem ſuccincta, & lectu jucunda, in qua faciles quædam expoſitiones ſenſuum abditiſſimorum Scripturæ, atque ad formandos mores regulæ aptiſſimæ.

Alcuinus. Interrogationes ejus, & Reſponſiones in Geneſim dederant jam prela (*Hagenow*) Hageoniæ an. 1524. in 8. Poſt hæc iterum P. Lucas Dacheryus inſeruit

illas

illas in Editione ſua Alcuini, part. 2. addita expoſitione ejus in illud: *Faciamus hominem &c.* id autem poſterius appendix eſt prioris illius operis.

Vir erat Anglus Eboracenſis (*York*) ubi Grætum didicit. Accitus in Galliam a Carolo Magno interfuit Concilio Francfordienſi an. 794. obiitque an. 804. *effœto jam corpore*, ut ipſe de ſe ſcribit in Epiſtola 37.

Vir erat modeſtia, animi demiſſione, ſapientia, doctrina inſignis, nunquam non Chriſtianus, ait D. Baillet in Vita Viri ſancti ad diem 19. Maii.

Anaſtaſius. Libri undecim contemplationum anagogicarum Anaſtaſii Latine tantum extant in Bibliotheca Patrum. Græce, & Latine dedit Pariſ. an. 1660. in 4. Joannes Tarinus. Paruit tandem Londini an. 1682. in 4. duodecimus Liber, Græce, & Latine, tradente Claudio Allix. Fragmenta ejus quædam Græca legas in nova Editione S. Joannis Damaſceni per P. le Quien, tom. 1. pag. 174. Quæſtiones, & reſponſa excuſæ ſunt Græce, & Latine Ingolſtadii an. 1617. in 4.

Hujus nominis Scriptores duo innotuerunt, Senior ac Junior; Monaſticam vitam ambo profeſſi in monte Sina; ambo pariter Patriarchatu Antiocheno, alter poſt alterum potiti ſunt; ad utrumque litteras dedit S. Gregorius Magnus: utri vero opera hæc tribuenda ſint, incertum.

S. Bonaventura Sermones 23. legas in tom. 5. Operum ipſius, p. 9 Editionis Moguntinæ an. 1609. in fol. 8. vol. Prodierunt jam una cum ejus Pſalterio Romæ an. 1588. in 8. In Etruria natus an. 1221. Monaſticum S. Franciſci induit an. 1243. ſtuduit Pariſiis, Cardinalis renunciatus an. 1274. qui idem fuit ejus emortualis. *Profundus eſt non verboſus; ait doctus Gerſon; ſubtilis non curioſus; diſertus non vanus; flammantia non laſtuoſa verba proferens.*

D. Dupini judicio Heptapla Pici Mirandulani rudimentum ſunt potius operis quam opus re ipſa; prodiitque ſeorſum Argentorati an. 1574. in fol.

Italus erat, & Comes Mirandulanus; natus an. 1463. Poſt devoratas ſcientias omnes, obiit Florentiæ an. 1494. ætatis 31. & non 35. uti nobis per errorem excidit.

Vir iſte ſi ſcientia valebat, uti ne ambigendum eſt quidem, multo tamen plus excellebat pietate ac virtute; Philoſophus vere Chriſtianus mentem illuſtravit ſcientia, ut vitam recte dirigeret, & pie obiret.

Prior Editio Catenæ *Lipomani* eſt Pariſienſis an. 1546. in fol. Catalogum 60. Scriptorum, quorum dat excerpta, digeſſit Fabricius Bibliothecæ Græcæ lib. 5. c. 17. pag. 733. Catenarum ejuſmodi commodum eſt ſane minimum; præſtat enim potius haurire e fontibus ipſis Patrum doctrinam, quam potare e rivis hujus latices, luti fere ſemper aliquid referentes.

Interfuit Concilio Tridentino an. 1545. obiitque an. 1559. morum innocentia, & indefeſſo ſtudio in paucis eximius; ingentibus enim occupatus curis, adhuc tamen ſat otii nactus eſt, ut legeret Patres Græcos, & Latinos, Vitas Sanctorum ſcriberet, & quod potius eſt, imitaretur.

Pererius. Optima, & poſtrema editio Commentariorum Pererii in Geneſim reputanda eſt Colonienſis an. 1685. in fol. quippe quæ cætera ejus opera in Scripturam complectitur. *Opus illud doctum, & laborioſum* appellat Montacutus, nec imparibus effert Authorem, ceu Jeſuitam magni nominis, & profundæ eruditionis commendans. Hiſpanus erat, Valentinus, Jeſuita, obiitque an. 1610. Appellabatur etiam Pereyra. Alia ejus opera in decurſu recenſebimus.

Commentarius *Ambroſii Catharini in fol.* verſat potiſſimum Quæſtiones pertinentes ad ſacrum Textum, & Theologiam interdum; jungendæ ſunt huic adnotationes ejus in Commentarios Cajetani, impreſſæ Lugduni an. 1542. in 8.

Prodiit Senis in Etruria an. 1482. Dominicanæ familiæ adlegit ſeſe 32 ætatis annos agens; Orationes habuit ad Patres Concilii Tridentini an. 1547. atque in limine ineundi Cardinalatus an. 1553. obiit, 70. annorum ætate ſenex. Vitio illi vertitur, quod Confratrem ſuum Cardinalem Cajetanum non ſatis obſervaverit, ſed nec ille viciſſim ab adverſario calamum temperavit, quamquam uſus majori moderatione.

In prodigioſo opere *Marinii* varias omnes Editiones, phraſes, & formulas loquendi Hebraicas, expoſitiones, qua literales, qua myſticas Patrum ultra duceſtor habes collectas, teſte P. le Long, qui & affirmat eodem labore virum doctum executum ſe in univerſam Scripturam, ejuſque manuſcriptum ſervari in Bibliotheca S. Salvatoris Brixiæ. Quæ ſi vera ſtatuerent, merito appellaretur opus illud Gloſſa extraordinaria, diſtinguendi ejus gratia ab altera Gloſſa ordinaria.

Brixiæ in Italia natus, profeſſus eſt inter Canonicos Regulares, quos & rexit dignitate Abbatis, & Generalis. Obiit an. 1600.

Excidit indicaſſe Commentarium *P. Merſenne* impreſſum volumen in fol. & quæ deſunt ex Geneſi ſervari manuſcripta in Bibliotheca Patrum Minimorum Pariſienſium. Reipſa quidem D. Baillet in vita Carteſii tom. 1. pag. 110. in 4. affirmat, excuſum opus nonniſi priorem tomum commentariorum referre.

Eſt autem opus Philoſophi potius & Theologi, quam Scriptoris commentariorum; tamque habet potiſſimum in Atheos, & Fratres Roſæ-Crucis. Admiſcet etiam author animadverſiones, & caſtigationes in Problemata Georgii Veneti. Legenda Epiſtola Sixtini Amamæ de hoc argumento data ad P. Merſennum, excuſa in Magnis Criticis Londinienſibus tom. 1. pag. 40.

Natus eſt Cenomani (*Mans*) an. 1588. ſtuduit Flexiæ, nomenque dedit inter Minimos an. 1611. Pariſ. ubi & deceſſit an. 1648. ætatis 60. Vir factus ad Philoſophiam, & Mathematicas, omnium ſui ſeculi ſinceriſſimus, moribuſque ſimpliciſſimus habebatur.

Joannes Mercerus. D. Dupin in ſua Bibliotheca Eccleſiaſtica ſecul. 16. & in ſuis Tabulis, ne ambigens quidem, virum hunc accenſet Catholicis. Quare immerito nos cum aliis pluribus Calviniſtis adjunximus. Reipſa quidem vir ille in cathedra Regia Linguæ Hebraicæ ſucceſſor datus eſt Vatablo Præceptori ſuo, quod vix de Calviniſta ea ætate reputaretur. Vices paſſus eſt eaſdem ac Vatablus; ejus opera aliquanto poſt deceſſum illius Genevæ procuſa ſunt; nec plura ut de Calviniſmo accuſaretur.

Uticam (*Uzes*) habuit patriam, Pariſiis didicit Hebræum; iter confecit Venetias, & regreſſus in patriam, ibi deceſſit. Virum admirandi candoris, multiplicis eruditionis, & vitæ ad normam recti exactiſſimæ, illum appellat D. Thuanus.

Floriani Nanni excuſa ſunt quæ digeſſit in primum caput Geneſeos; quæ vero proſecutus eſt uſque ad octavum caput, manuſcripta ſervantur Romæ, ait P. le Long. Quare falſi ſunt Crovens, & D. Dupin ſcribentes catenam ejus in univerſam Scripturam vulgatam eſſe Typis.

Vir erat Italus; natus in Diœceſi Bononienſi, & profeſſionem Canonicorum Regularium Lateranenſium ſecutus eſt; egit Epiſcopum Scalenſem, obiitque an. 1699. Ejus catena e Theologis de Schola digeſta operis ideam ingerit non ſane magnam.

Ghillelmus Hamerus, hoc inſcripſit titulo vulgatum a ſe Commentarium, quem doctum, utilem, jucundum appellat Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca: *Commentationes in Geneſim, plurimis clariſſimorum linguæ Hebraicæ, Græcæ, Latinæ Authorum Sacrorum, & Profanorum ſententiis ornata.*

Natus eſt Noveſii (*Nuis*) in Diœceſi Colonienſi; junxit ſe Dominicanis, obiitque an. 1564. Linguarum omnium ad pervadendum Scripturæ ſenſum auxilio valebat.

Expoſitio *Firmini a Capitis* excuſa Pariſ. an. 1570. in 8. ultra ortum Iſaac non excurrit. Natione Gallus, profeſſioni Franciſcanorum addidit ſeſe an. 1580.

Pharus Delrio volumen eſt in 4. continens Gloſſas potiſſimum litterales in Geneſim. Adagia illius vel proverbia Sacra recuſa ſunt duobus voluminibus an. 1618. P. le Long recuſet pariter Novum Teſtamentum ipſius, quod in noſtra Editione deeſt. Tria ejus volumina in Textus difficiles prodiiſſe typis, vix credo.

Natus an. 1551. ſtuduit Pariſiis ſub Maldonato; contulit ſe in Hiſpaniam, ubi acceſſit Jeſuitis, obiit autem plus nimio quam par eſt citius impendiis grandibus iis operibus, quæ moliebatur.

Vielmus, & *Yſella*. Duos hoſce Dominicanorum Inſtitutum profitentes jungimus. Opus Yſellæ prodiit Romæ an. 1601. in fol. quod nobis excidit animadvertiſſe. Prior ille vir natione Venetus, Epiſcopus in Dalmatia,

obiit

obiit an. 1582. Poſterior alter Valentinus, Hiſpanus, eruditione, ſcientia, & pietate ſua in paucis diſtinctus, ait Nicolaus Antonius.

Commentarius *Gabrielis a Coſta* ſcriptos eſt non quidem in 49. capita Geneſeos, uti nobis perſuaſum fuit, ſed tantum in caput nonum & quadrageſimum, cum exponat tantum benedictiones duodecim Patriarcharum. Volumen *in fol.* implet, cum cæteris Authoris Commentariis. Ægidius Viterbienſis nullos ſcripſit commentarios in Geneſim; ſed potius Ægidius Columna Romanus, Eremita Auguſtinianus, Ordinis ſui ſupremus Adminiſter, dein Cardinalis, fatis functus an. 1316. ætatis 69. Ejus opus in ſex dies prodiit Venetiis an. 1521. in 4. dein Patavii. Vir eſt ingenii ſcriptorum Librorum numero celebris. Vide in Canticum.

Varia Sacra Simeonis de Muis vel *Marotte*, non Geneſim tantum illuſtrant, ſed & totum Pentateuchum, quo revocandos fuiſſet a nobis. Continentur in nono tomo magnorum Criticorum, pag. 2605. prodieruntque una cum commentario ejus in Pſalmos Pariſ. 1650. *fol.*

In ſuis Obſervationibus ſacris ſuccincte ac concise Textus difficiles Scripturæ exponit.

Patria habuit Aureliam (*Orleans*); egit Archidiaconum Eccleſiæ Sueſſionenſis, profeſſus eſt Linguas an. 1614. obiitque an. 1640. Vulgo de illo ferebatur nullo certo in loco natum fuiſſe, quippe qui linguas omnes norat; nullum habuiſſe adverſarium, cum illo enim gratia omnes, & lepores natæ in ejus vultu ridebant, & demulcebant omnes; nihil ignoraſſe; ſcientias æque omnes callebat; nullo vitio diſplicuiſſe, quod virtutibus omnibus ornaretur.

D. Bernardo Pez, & D. Martene eo nomine tenemur, quod operibus quatuor in Geneſim, nondum publice communicatis, rem litterariam promoverint. Prius opus eſt commentarius Angelomi in priori tomo Anecdotorum Pezii pag. 45. impreſſorum Auguſtæ Vindelicorum an. 1721. 4. vol. fol.

Perhibet de Scriptore illo Pezius, expoſuiſſe ſacrum Textum *perverſe*, & *breviter*, excerptis tamen ſententiis S. Hieronymi, S. Auguſtini, & aliorum Patrum pro more ejus ætatis. Monachum egit Luxovienſem, manſitque aliquando in Aula Imperatoris Lotharii, ut ipſe de ſe perhibet.

Alterum opus eſt commentarius Honorii Auguſtodunenſis, in opera ſex dierum ibid. tom. 2. implens 18. columnas. De ſuo hoc opere agit Author in Catalogo Scriptorum c. 17.

Sacerdotem egerat, & Scholaſticum Eccleſiæ Auguſtodunenſis ab an. 1090. uſque ad an. 1180. Laudatur eo nomine quod excerpſit plurimum; diſplicet quod autem non ea accuratione qua opus erat, ait D. Dupin.

Tertium opus eſt Commentarius *Remigii Altiſiodorenſis*, *ibid.* tom. 4. part. 1. implet autem 126. columnas. Succinctus eſt autem, & elegans. Scriptor iſte non ſatis habens excerpſiſſe Veteres, plurima de ſuo adjecit, ut Author habeatur non Excerptor.

Præfuit Scholæ Rhemenſi, obiitque circa an. 900. Sed Urbis illius Archiepiſcopum numquam egit. Scientia ſua claruit plurimum.

Quartum opus refert Scriptum Petri *Abailardi* in opus ſex dierum, quod exhibet quintus tomus Anecdotorum P. Martene, pag. 1361. 1412. Proſequitur ſenſum litteralem, allegoricum, & moralem, nec obſcura profert argumenta ingenii, & eruditionis Authoris ſui. Vir eſt notiſſimus ex iis, quas ſubivit, vicibus, ut ſermo de illo induceretur fruſtra. Alibi melius de illo.

Joannes de la Haye dedit commentarios litterales in Geneſim, Pariſ. 3. vol, in fol. 1663. tertia editio; dedit & alios, de quibus recurret ſermo in Exodum, & Apocalypſim.

Gemini cognomines viri ſcriptis innotuerunt, Jeſuita, & Franciſcanus, ambo in Scripturam laborarunt plurimum. De Franciſcano actum eſt in articulo Generalium Commentatorum; de alio agemus in Harmoniis Evangelicis, vel cum de Introductione ad Scripturam.

Joannes Paulus Oliva ſuum in Geneſim commentarium junxit alteri in Eſdram. Vide infra.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM, ET JUDÆORUM.

Joannes Gerhardus. Opus ſuum hoc titulo inſcripſit, quo & juſta ejus idea ingeritur; *Commentarius in Geneſim, in quo Textus Sacer declaratur, quæſtiones dubia ſolvuntur, obſervationes eruuntur, & loca in ſpecimen pugnantia conciliantur.* Opus Pauli Fagii ita præſcriptum eſt: *Expoſitio Dictionum Hebraicarum litteralis, & ſimplex, in quatuor capita priora Geneſeos*, Iſnæ 1542. in 4. Fortior eſt in aliis adnotationibus ſuis in totum Pentateuchum, de quibus nos ſupra.

Alter eſt *Joannes Gerhardus* pater, qui obiit Jenæ an. 1637. ætate 55. annorum non major, quippe qui natus fuerat an. 1582. Vir erat infiniti laboris; cui totum ſuum tempus conſecraverat: norat linguas, legerat Patres, ita ratiocinabatur, ut ab optimo Controverſiſta exigeres.

Abraham Calovius, cujus nos indicavimus opus, natus eſt in Pruſſia an. 1612 inter Lutheranos, obiitque an. 1686. ætatis 74. In Scripturam laboravit plurimum, ut ex ſolis Diſſertationibus impleverit 17. volumina in 4. abſque aliis pluribus in fol. de quibus nos in decurſu.

En titulum Operis D. Ramberti vel Rampergii: *Explicatio phyſica Capitis I. Geneſeos, juxta Carteſii principia*, in 12. Gallus eſt Scriptor, & Calviniſta, facile adhuc vivens.

Thomas Burnet gemina Opera ſua hoc titulo præſcripſit; *Archæologia Philoſophica, ſeu doctrina de rerum originibus*, in 4. *Londini* 1692. *Telluris Theoria Sacra Orbis noſtri origines, & mutationes generales, quas jam ſubiit, aut olim ſubiturus eſt, complectens: Libri duo priores de diluvio, & Paradiſo*, in 4. ibidem Anglice an. 1681. in fol. 1684. utrumque Opus Amſtelodami an. 1694. in 4. Idemque Germanice traditum Hamburgi an. 1698. in 4. De Editione an. 1702. apud P. le Long. nihil legitur. Cum adverſarium ſenſerit Eraſmum Wartenium, Vindicias ſuas ſcripſit Anglice ibidem an. 1690. in fol. Ad Obſervationes Deylingii quod attinet, actum eſt de illis ſupra.

Burnetum, virum Anglum, & Medicum Collegii Edimburg fuiſſe perhibet Bayle; Scotum, & Clericum Sacelli Regis Angliæ circa an. 1690 P. le Long.

Chriſtophorus Cartwright. En Operis lemma: *Electa Targumico Rabbinica, ſive Annotationes in Geneſim ex triplici Targum ſeu Chaldaica Paraphraſi: Item ex Raſi, Aben-Eſra, aliiſque Hebræis excerpta, una cum animadverſionibus ſubinde interſperſis*, *Londini* 1648. in 8. Inſertum eſt autem Opus in Supplemento Magnorum Critic. tom. 2.

Eboraci in Anglia natus, obiit an. 1658. ætatis 56. De cujus viri judicio, & ſcientia in pervadendis ſcriptis Hebræorum ex Operibus ab ipſo ſcriptis argumentum capere licet.

Adnotationes *Sixtini Amama* exhibet prior tomus Supplementi Magn. Critic. Vir Friſius, & Calviniſta docuit Franekeræ; tum in Angliam concedens diem ibi clauſit, ætate non ſane provecta, & majori dignus.

Artopœus. Opus ſuum ita inſcripſit: *Chriſtiana trium linguarum elementa de prima rerum origine, vetuſtiſſimaque Theologia, ex tribus primis capitibus Geneſeos*, *Baſileæ* 1546. in 8. Vindicat illi pariter Crovæus Orationes deductas e tribus prioribus capitibus Geneſeos, excuſas Stetini an. 1545.

Vir erat Pomeranus, Lutheranus, & Miniſter Stetini, quem obiiſſe quidam ferunt an. 1593.

Abraham. Gemini cognomines viri in Geneſim laborarunt: horum prior filius Aſer ex Urbe Japhet in Galilæa ſuperiori vivebat an. 1567. ejuſque Commentarius prodiit Venetiis A. 1561. fol. Hebraice inſcriptus: *Lumen mentis.* Abraham alter cognomento *Saваria* Commentario ſuo præfixit titulum; *Lumen veritatis*; prodiit opus Theſſalonicæ an. 1604. in 4.

Judas, filius Abraham Jacob Poſnanienſis, ſub Judæ Machabæi nomine dedit Commentarium in Geneſim Cracoviæ an. 1646. fol. Hebraice. Bartholocceius in ſua Bibliotheca Rabbinica tom. 3. pag. 66. recenſet

Digitized by Google

ſet Scriptum Judæ filii Moyſis in opera ſex dierum.

Samuel Japhe, filius Iſaac, Germanus, florebat Conſtantinopoli ineunte ſæculo 17. ſcripſitque commentarium litteralem, & allegoricum impreſſum Fareh, an. 1692. fol. quarta editio. Samuel, filius Joſeph, ſacerdos Judæus, ſcripſit Orationes excuſas Venetiis, an. 1605. *in 4.*

TRACTATUS, SEU PECULIARES DISSERTATIONES AD GENESIN SPECTANTES.

De Authore pentateuchi vide quid ſcripſerint Simonius, Clericus, Hobbus, Spinoſa &c. P. Alexander, P. Fraſſen, Du-pin &c. & præſertim Salomon Deyling obſerv. ſacr. c. 1.

Moſes vindicatus ſeu veritas hiſtoriæ creationis Mundi adverſus Burneti Archæologias Philoſophicas. Duo volumina *in 4.* Amſtelodami.

Joan. Henr. Hottinger. Hiſtoriæ creationis examen, Heidelberg. *in 4.* 1650.

Jacobi Martini, ſeu Eliæ Faddelii, Diſputatio de primo creationis triduo, *Apud Cren. faſc. 2.*

Joan. Meiſner, de Protoplaſtis ad imaginem Dei creatis. *Apud Cren. faſc. 3.*

Moſis Bar-cepha Commentarius de paradiſo, ſeorſim editus, & in Bibliotheca PP. & in Magnis Criticis Anglicanis.

Nicolai Abraham S. J. de opera ſex dierum. In Pharo V. T. lib. 1.

Thomæ Malvenda de Paradiſo voluptatis. *Romæ in 4.* 1605. Eruditus erat, nec perfunctorie argumenta tractans; ſæpe tamen fuſior eſt.

Georg. Caſpar Kirkmayer, Differt. de Paradiſo, Arca Noe, Diluvio &c. *Apud Cren. faſc. 4.*

Joh. Hopkinſon, Deſcriptio Paradiſi, *Apud Crenium faſc. 1.*

Johan. Marki Hiſtoria paradiſi *in 4.* Amſtelodami.

Joh. Friſchmuth Protevangelium Paradiſiacum. Theſaurus Theol. Phil.

Nicolai Abram De fluviis, & loco Paradiſi lib. 2. Phari V. T. Paradiſum terreſtrem in Palæſtina ſitum autumat.

Cl. Huetii Epiſcopi Abrincenſis, Diſſertatio de ſitu Paradiſi terreſtris.

Hiſtoria Regia, ſeu quæſtiones in univerſam Geneſim per Epiſtolas Regi nuncupata ſtudio Nicolai de Hauteville, Doctoris Pariſienſis. Pariſ. 1687. duo Vol. *in 4* Gallice. Opus nullius fere utilitatis.

Georg. David Zisgea, De arbore ſcientiæ boni, & mali. Theſ. Theol. Phil.

Chriſtoph. Chemnitii, De arbore ſcientiæ boni, & mali. Apud Cren. faſc. 2.

Julii Bartholocci, De peccato Originali ſecundum Rabbinos. Bibliot. t. 2. p. 43.

Joan. Friſchmuth, De ſeductione Serpentis antiqui. Theſ. Theol Phil.

Joan. Paſchii, De ſerpente ſeductore.

Andr. Tilemani Rivini, ſerpens ſeductor.

Pauli Riſſ Monomachia hominis, & ſerpentis.

Salom. Deyling. in hæc verba Geneſis 3. 8 *Cum audiſſent vocem Domini perambulantis in Paradiſo* t. 3. obſerv.

Joh. Helvici Villemaci, de tunica Adami pellicea. Theſ. Theol. Phil.

Joh. Michterleim de tunicis pelliceis. Theſ. Theol. Philol.

M. Chriſtiani Friderici Sinneri de nuditate primorum parentum. Miſcellan. Lipſienſ. t. 1. *in 8.*

Joh. Fromme, de Cherubim, & gladio flammante. Theſ. Theol. Phil.

Deyling. in Geneſim 4. 7. ſub te erit appetitus ejus &c. t. 3. obſerv. ſacr. c. 2.

Zachariæ Hentzel, gentium deſiderium ex confeſſione Evæ. Theſ. Theol. Phil.

Chriſt. Helvicii. Deſiderium matris Evæ. In Criticis Sacris.

Deylingii, de urbe Henoch a Caino ædificata, t. 3 Obſerv. ſacr. c. 3.

Bernelli Haſei, de protevangelio Diatribe. In Theſ. Theol. Phil.

In omnia apocrypha, quæ de Adamo circumferuntur, Vide Fabricium: *Codex pſeudo-epigraph. V. T.*

Samuelis Andreæ de ſalute Adæ. Theſ. Theol. Phil.

Vide etiam *Philipp. Bonæ-Spei Abbatem peculiari libro, & Natal. Alexandr. Hiſt. Eccleſ. V. T.*

Johan. Druſii Differt. de Henoch. In Criticis ſacris.

Auguſt. Calmet Diſſertatio de Henoch, & ejus libro Gallice

Fabricius Apocryph. V. T. in Henoch.

De Præadamitis vide Peirerium, Dictionarium Bayli ad vocem *de la Peirere*, & Simonium. T. 2. ſelectarum Epiſtolarum, Epiſt. 1. 2. 3. 4.

Joan. Conrad. Dannhaver Præadamita Utis. Argentorati 1656.

Euſeb. Romanus ſeu Philippus Priorius adverſus Præadamitas.

Sunt etiam *Joan. Henr. Urſinus*, *Jo. Micraelius*, *Samuel Maresius*, *Antonius Hulſius*, *Jo. Hilpertus*, & alii apud Lipenium Biblioth. Theol. Vide pariter Voſſium de 70. Interpretibus, & Georgium Sramelium, & Bartholomæum Crodalbach de iiſdem Præadamitis, & Chriſtophori Engelke *Præadamitiſmi recens incruſtati examen* 1707. & Abraham Calovium.

Ægidii Strauchii de columnis Sethianis apud Crenium faſc. 3.

De columnis Sethianis vide Joſephum Antiq. l. 1. c. 2. Fabric. Apocryph. V. T. p. 149. 218. & authores ibi allegatos.

Gaſpar Dornavius Mathuſala vivax, ſeu de cauſis longævitatis Patriarcharum. Theſ. Theol. Phil. t. 2. p. 974.

Hieronymi Magii de Gigantibus. Pariſiis Comelin. 1603. *in 4.*

Jacobi Boulduc de Eccleſia ante Legem l. 2. c. 2. 8. 9. & 11. & lib. 4. c. 2.

Anonymi Exercitatio de Nephilimis Gigantibus, vulgo dictis, contra Jacobum Boulduc. Chaſſagnon de Gigantibus.

Antonius Terillus de termino magnitudinis, et virium in animalibus.

Joan. Goroppii Origines.

Athanaſ. Kircher Mundi ſubterranei l. 8. ſ. 2. c. 4.

Voſſius vol. 1. Diſp de creatione *par. 8. p. 704.*

Aug. Calmet Diſſertatio de Gigantibus edita in collectione ejuſdem Diſſertationum *in 4.* Pariſ.

Vera gigantis Theudobochi hiſtoria; Pariſiis 1613. 8. et opera a Guillelmo, et Halicoto Chirurgis Pariſienſibus edita ad inſtruendam vel refellendam Gigantium veritatem.

Item Gigantomachia *Joannis Riolani*, et Gigantologia ejuſdem. Pariſ. 1613. 1618. *in 8.*

Joannes Caſſiano de Gigantibus, qui in Gallia reperti ſunt, contra Joannem Goroppium negantem Gigantes. Baſileæ 1589.

Joannis Buteonis de Arca Noe. *In Criticis Sacris.*

Athanaſii Kicher de Arca Noe fol. Amſtelod. 1675.

Matthæi Heſſi Inquiſitio Arcæ Noe. *In Criticis.*

Le Pelletier Rothomagenſis de Arca Noe. Rothomagi.

De Diluvio vide Iſaacum Voſſium *de ætate Mundi*, *p.* 283.

De Iride vide Salomonem Deyling. Obſervat. Sacr. tom. 1.

Nicolai Abraham S. J. de Benedictionibus Noe. *Phar. V. T. l. 3. & l. 5.* Ejuſdem de diviſione linguarum. *ibid. l. 3.*

Diſſertatio de Turri Babelis. *Calmet in collect. Diſſert. in 4.*

Salom. Deyling. de Babelis origine, & confuſione linguarum *t. 3. Obſerv. ſacr. c. 4.*

Joan Buxtorfii, de confuſione linguarum. Baſil. *in 4.*

Jo. Meinſer. de confuſione linguarum Babylonica.

Georg. David Zegra de conf. linguarum. *In Criticis Sacris.*

Stephani Morini, Exercitationes de lingua primæva, ejuſque appendicibus, Ultrajecti *in 4.*

Chriſt. Ceineſii, de confuſione linguarum, *Apud Cren. Analecta.*

Aug. Calmet, Diſſertatio de Lingua primæva,

Jo. Buxtorfii, de Linguæ Hebrææ antiquitate &c.

Henrici Kipping, de Lingua primæva.

Jo.

Jo. Verſtii ; de Lingua omnium prima,
Jac. Uſſerii : Diſſertatio de Cainan.
Friderici Spanhemii de eodem *Dub. Evang. dub.* 21.
In Geographiam ſacram de *Tharſis*, & *Ophir &c.* inſpiciendus eſt infra articulus de *Geographia*.
Henrici Bauman, *de Statua Salis*, *Theſ. Theol Phil.*
Jean. Clerici, de ſtatua Salis, *ad cujus Commentar. in Gen.*
Ejuſdem de Sodoma, & finitimarum Urbium ſubverſione. *Ibidem*.
Davidis Conſtan. de ſtatua Salis.
Jo. Saubert. de eadem ; & noſtrum commentarium in Geneſ. 16. editio 2.
De Melchiſedecho vide S. Hieronymi Epiſtolam ad Evangelum *t. 2. p. 570. nov. edit.*
Vide pariter Apocrypha V. T. *Jo. Alberti Fabricii*.
Salom. Deylingii, de perſona Melchiſedechi *t. 2. Obſerv. ſacr.*
Calmet Diſſertatio de Melchiſedecho, *ante Epiſt. ad Hebr.*
Joan. d'Outrein Diſſert. de Melchiſedecho uon Henocho, Amſtelod. in 8.
Jo. Gotlob. & Chriſt. Vaguen. de Ur Chaldæorum. *In Theſ. Phil.*
Mich. Liebentautz, de Terra Moria. *Theſ. Theol. t. 2. p. 895.*
De Abraham Patriarcha vide S. Ambroſium, & P. Nicolaum Abrahamum *in Phara V. T. l. 7.*
De jurejurando, quod a famulo ſuo Abraham exigens, injunxit : *Pone manum tuam ſuper femur meum*. Geneſ. 24. 2. vide *Joan. Henr. Otto Lexic. Rabbinico Philolog. Selden. lib. 2. de Synedriis cap. 11. Samuelem Petitum in Var. Lect. c. 16. Jacob Perizonium in Præfat. in Lib. Maimon. de jurejurando* latius reddito a *Jo. Frider. Miegio*. *Leida 1706. 4. Dan. Feſſelium lib. 5. adverſ. Sacr. c. 4.* Hermannus de Hardet in peculiari Diſſertatione vertendum eſſe : *pone manum tuam ſubter cubitum meum*, verba enim Hebraica cubitum ſonant.
De Circumciſione. Spencerus *de Legibus Ritual. Hebr. l. 1. c. 4. ſect. 2. 3. &c.*
Julii Bartholocci, de Circumciſione *tom. 3. Bibl. Rabbin. p. 468.*
Jacobi Interbuich, an pueri Judæorum non baptizati aliquo modo ſalventur. Author Chartuſianus erat e cœnobio S. Salvatoris prope Erfordum.
Auguſtini Calmet Diſſertatio de circumciſione, ac de ejus origine, *ante Commenr. in Gen.*
Salom. Deylingii de origine circumciſionis *tom. 2. Obſerv. ſacr.*
Calmeti Diſſertatio de effectibus circumciſionis, *ante Epiſt. ad Rom.*
Vide *Talmud* Tract. de Sabbatho c. 19. Buatorfium de Synag. Jud. *c. 4.* Spencerum *de Legib. Hebr. Ritual.* Marsham. *Canon. Chronic. Ægypt. &c.*
Jo. Druſius de Mandragoris ; in Criticis ſacris.
Michael Leibentautz de Rachelis Dudaim. *Theſaur. Theol.*
Auguſt. Kuriga de Fœtura Jacob artificioſa. *Theſaur. Philol.*
Sam. Bochart. de Animal Sacr. par. 1. l. 2. c. 4. p. 544.
Abraham Calovius de Lucta Jacobi cum Angelo.
Item Gaſpar Strambius, *& Gaſpar Sibelius de eadem.*
De Benedictionibus Jacob in filios vide Helvicum, Didacum Celadam, Adamum Oſiandrum, Gabrielem a Coſta, Pererium, & cæteros Interpretes ; & ea Veteribus S. Ambroſium, ac Rufinum.
Teſtamentum duodecim Patriarcharum G. L. in Apocryphis V. T. Fabricii. Sicut etiam quidquid ad Patriarcham Joſeph ſpectat in eadem collectione.
Salom. Deylingii de Sceptro a Juda non receſſuro. *Obſerv.* 49. 10. *Obſerv. ſacr. t. 2.*
Epiſtolæ Criticæ D. de J. Amſtel, 1715. de Sceptro Judæ promiſſo.
[Quamquam operum ejuſmodi pleraque jam recenſuimus ; cum tamen & plura adhuc nos fugerint, vel methodo plura recenſere neglexerimus, referemus iterum quædam, ſingula in ſuas claſſes.

In Moyſem Authorem Geneſeos ;

Moyſes Author Geneſeos. *Moyſem vindicatum* adverſus Burnet excuſum Amſtelod. an. 1694. in 12. ſcripſit Joannes Graverolus Nimacenſis, Calviniſta, Miniſter Gallicanæ Eccleſiæ, defunctus an. 1694. Dedit ille pariter documenta hiſtoriæ creationis ad fidem hiſtoriæ Moſaicæ.
Hottingerus. Examen hiſtoriæ creationis Hottingeri excuſum eſt ſecundo Tiguri an. 1663. in 4. & tertio Heidelbergæ an. 1672. poſt obitum Authoris.
Natus ille Tiguri docuit linguas Orientales Heidelbergæ ; & cum Lugdunum Batav. conceſſiſſet, naufragio abſumptus eſt an. 1672. ætatis 47. Calviniſmum licet profeſſus, nominis tamen ſui famam longe lateque propagavit, ut miſſis litteris undique per Orbem illum conſulerent viri docti. Unum ſupererat, quod in illo deſiderares, moderationem, & accurationem in ſuis operibus, præpropere enim illa prodebat, ait D. Simon in hiſtoria Critica.
Jacobus Martini. Opus ejus *de primo creationis triduo* excuſum eſt Vittembergæ an. 1654. in 4. cum ejus *Pentas quæſtionum Biblicarum ex Geneſi*.
Halberſtadi natus an. 1570. Profeſſorem Lutheranum egit Wittembergæ, ubi deceſſit an. 1649. ætatis 78.
Melchior Leidekerus, Calviniſta, Zelandus, vivens adhuc an. 1701. notuſque maxime ex Hiſtoria ſua Janſeniſmi ; dedit Archæologiam ſacram, qua totam exponit hiſtoriam creationis, & diluvii juxta Moyſem, & adverſus Burnetum ; eſt autem in fine Reipublicæ ejus Hebræorum ; Amſtelodami an. 1704. in fol.
Jacobus Maſius egit pariter de Moyſe, & Pentateucho ; in Biblioth. Phil. tom. 4. p. 769. 795.
Elia Cuchleri Diſſertatio num Mundus creatus ſit autumno vel æſtate, Gorlich 1614. in 4.
Vir erat Germanus, Lutheranus ineunte ſæculo 17. Hoc eſt autem unicum ejus opus, nec iterum de illo redibit ſermo.
Joannes Leonardus Heubner, Germanus, Lutheranus, in exordio ſæculi 18. dedit Diſſertationem in Chaos Moſaicum, Wittembergæ 1701. in 4.
Joannes Meiſnerus Saxo, & Profeſſor Wittembergæ immortuus in Lutheraniſmo an. 1681. ſcripſit de creatione, Wittembergæ an. 1652. in 4. *De luce primogenia, ibid.* 1662. *in 4. de Proto-Evangelio, ibid. in 4. de Confuſione linguarum*, & alias Lucubrationes, de quibus nos in decurſu ſicut & opera quædam controverſiarum recenſita a D. Dupin in ſuis Tabulis tom. 4. pag. 762. qui illum appellat Miſnæum.
Andreas Virginius Germanus, Pomeranus, Profeſſor Dorparti, defunctus an. 1664 edidit Diſputationem Theologicam in Creationem, Dorparti an. 1647. De illo iterum in pſalmos.
Joannes Andreas Vander-Meulen Hollando Calviniſtas, vivens adhuc ineunte ſæculo 18. ſcripſit Diſſertationes Philologicas in primum, & ſecundum caput Geneſeos ; ubi de creatione Mundi ; Ultrajecti 1713. in 4. Idem eſt facile ac Guil. van-der Muylen, cui P. le Long tribuit idem opus excuſum Ultrajecti ad Rhenum 1714. in 4.

In Paradiſum terreſtrem.

Joannes Maſius Latine reddidit opus Barcephæ Syri, qui obiit an. 914. Syriace ſcriptum de Paradiſo terreſtri, impreſſum ſeorſum Antuerpiæ an. 1569. in 8. dein in Bibliotheca Patrum tom. 17. Edit. Lugd. pag. 451. 500 in Magnis Criticis Edit. Amſtelod. an. 1698. & in Supplemento an. 1701. Francofurti tom. 2. pag. 227. Hujus operis analyſim dedit D. Dupin Biblioth. Eccleſ. ſæcul. 10. pag. 12. Sæpe moleſtam crambim recoquit, quod Maſius in ſua verſione correxit.
Opus *Malvenda* de eodem argumento breve licet pluris æſtimatur quam operum ipſius in Scripturam 5. volumina in folio, juxta D. Dupin, qui analyſim ejus amplam dedit ad ſæc. 17. tom. 1. pag. 262.
Valentinus erat, natus an. 1565. Aſcetam egit inter Dominicanos, obiitque an. 1628. ætatis 63. Vaſtæ vir indolis, vaſtæ & eruditionis, qua ſacræ, qua prophanæ, judicio ſolidus, & memoria excellebat fideli ; in corpo-

corpore autem nervoſo, & bene conſtructo valetudinem cuebatur.

Venſili ſcripſit Diſſertationem de *ſitu Paradiſi terreſtris*, impreſſam ad calcem Commentarii ipſius in Malachiam.

Kiechmajerus, Germanus, Lutheranus, & Philoſophus, defunctus an. 1700. Diſſertationem ſuam vulgavit Wittembergæ an. 1662. in 4.

Deſcriptio Paradiſi terreſtris per *Hopkinſon* deducta e pluribus Scriptoribus une cum Tabula Chorographice prodiit Lugd. Batav. an. 1594. in 4. & in Magnis Criticis tom. 10. pag. 845. Eſt autem opus grave, polito Latino ſermone ſcriptum, quamquam argumentum urget indolem ejus vix patiens. Prodiit ſe Author verſatum in Hebræo, & lectione Rabbinorum, ait D. Dupin. Vir erat Anglus, florebatque ad exitum ſæculi 16. docuit linguas Orientales, ac poſtremos annos impendit in opere hoc ſuo digerendo.

Joannes Mark, de quo nos ſupra ad Pentateuchum, illuſtravit quatuor ſcripsis libris Hiſtoriam Paradiſi terreſtris, excuditque opus Amſtelodami an. 1705. in 4.

Feiſchmuti Protevangelium Paradiſiacum excuſum eſt Jenæ 1675. in 4. legiturque in Theſauro Philologito, tom. 1. cum 16. aliis ab eo ſcriptis Diſſertationibus. De illo alias redibit ſermo.

Diſſertatio *D. Huet* Gallice primum vulgata eſt Pariſiis an. 1691. dein Latine reddita, & aucta Lipſiæ an. 1694. in 12. & in calce Demonſtrationis Evangelicæ ipſius ibid. an. 1294. in 4. Amſtelodami 1701. in 12. Tandem in Supplemento Magnorum Criticorum tom. 3. pag. 737. De illo iterum alias,

In Arborem Vitæ.

Diſſertatio *Ziegra* de Arbore Vitæ prodiit Wittembergæ an. 1679. in 4. & legitur pariter in Theſauro Diſſertationum Theologicarum tom. 1. ſicut & in Faſciculo Crenii cum diſputatione *Chemnicii*, quæ excuſa erat antea Jenæ an. 1683. in 4. tertia editio; & quatuor aliis de eodem argumento ibid. 1679. in 4. ſecund. edit. Germanus uterque, & Lutheranus eodem ferme tempore egerunt in vivis.

Thomas Cosmius Germanus, Lutheranus, vivens adhuc ineunte ſæculo 18. Faſciculis ſuis præfixit expoſitionem in mandatum Dei, datum Adamo, & Evæ, ut de fructibus omnium arborum Paradiſi deguſtarent, & cautionem ne tangerent Arborem vitæ; prodiit opus Lugd. Batav. 1698. in 8. 2. vol.

In Anguem Seductorem;

Quidquid ſcripſit *Feiſchmuth* de angue ſeductore continetur in ejus Protoevangelio, de quo nos ſupra.

Cornelius, & non *Joannes Paſchius* elegantem Diſſertationem ſcripſit de eodem argumento, impreſſam Wittembergæ an. 1683, in 4. inſertum eſt opus in Diſſert. Philol. tom. 1. Germanus erat, & Lutheranus.

Rivinus Diſſertationem ſuam hoc titulo præſcripſit: *Serpens iſte antiquus, ſeductor, & ſeductus*; illam vero inſtruxit ad mentem Judæorum, & Chriſtianorum. Secunda ejus editio eſt Lipſienſis an. 1686. in 4. Author iſte Germanus Lutheranus agebat Profeſſorem linguæ Hebraicæ, obiitque an. 1692.

Pauli Ryſsi, & non *Ryſſi*, Opus certaminis hominie cum ſerpente dederunt prœla Antuerpienſia an. 1519. in 8.

Addi his poſſet *Joannes Frimel*, & *Chriſtophorus* Germani ambo, & Lutherani, de eodem argumento ſcribentes. Prioris Diſſertatio legitur in Diſſertation. Philologicis tom. 1. ſecundi data eſt Altorfii an. 1697. in 4.

In veſtes Adam.

Joan. Henrici Vullimer, ſeu *Vullimar* Diſputatio in tunicam pelliceam datam primo hominum parenti ad corporis nuda tegenda prodiit Wittembergæ 1680. in 4.

Diſſertatio *Micterlein*, vel *Nachterleen* uti appellatur a P. le Long, nuſpiam legitur niſi in Diſſert. Philol. 10. 1. Germanus uterque, & Lutheranus ad exitum ſæculi 17.

Fridericus Sinner, Germanus, Lutheranus unum ex omnibus egit de nuditate primorum mortalium Parentum. Quid ille ſcripſerit ignoraſſe videtur P. le Long, neque ſub ea claſſe illum recenſet.

Diction. Bibl.

In Cherubim pro foribus Paradiſi conſtitutum.

Joan. Fromme Germani Lutherani Diſſertatio de Cherubim aditum Paradiſi Terreſtris prohibente, excuſa eſt Wittembergæ an. 1670. in 4. & in Diſſertatione Philolog. tom. 1.

Huic jungendus *Joan. Franciſcus Buddæus*, cujus eſt hypotheſis in Cherubim Paradiſi Terreſtris in obſervationibus Hallenſibus tom. 10. De illo iterum in Judices.

In Evam.

Henzelli Germani, Lutherani Sileſii ſub exitum ſæculi 17. prodiit Wittembergæ an. 1676. Opus: *Deſiderium Gentium Eva*. Extat in Diſſert. Philolog. tom. 1.

Helvicus Lucubrationi inſcriptæ: *Deſiderium matris Evæ* junxit *Proto-Evangelium Paradiſiacum*; utrumque excuſum eſt Gieſſen. an. 1613. in 4. & 1620. in 8. & in M. Criticis tom. 8. pag. 54. 82. Analyſim eorum adornavit D. Dupin. Biblioth. Hæreticorum tom. 2. pag. 52. Patriam habuit Sprendlingem in Germania; natus an. 1581. Lutheranum Profeſſorem egit Gieſſen, obiitque an. 1617.

Cornelius Haſæus Germanus, Calviniſta, & Profeſſor ſub exitum ſæculi 17. ſcripſit de *Proto-Evangelio*, Bremæ 1691. in 4. & in eodem Theſauro Diſſert. In hunc cenſum referendus eſt etiam *Levinus Bruchin*, qui excudi opus curavit Regiomontii an. 1629. in 4. De illo iterum ad Johel.

Adhuc tres alii occurrunt, qui *Proto-Evangelium* dederunt; videlicet *Chriſtianus Lang* Saxo-Lutheranus, defunctus an. 1657. cujus diſputatio prodiit Lipſiæ an. 1641. in 4. *Chriſtianus Kortholdt*; Kilonii an. 1678. in 4. De hoc viro iterum in Numeros. Tandem *Martinus Troſt*, Wittembergæ an. 1631. in 4. Dedit & ipſe pariter: *Depulſionem Nebularum falſæ interpretationis*, *ibid.* Germanus erat Veſtphalus, Lutheranus, denatus an. 1631.

Petrus Caoben dedit Lucubrationem in illa verba: *Ipſa conteret caput tuum*. Pragæ 1580. in 8. Vir erat Germanus, & Monachus Carthuſianus. Obiit an. 1590.

Joannes Bertholdus Lutheranus, ſub exitum ſæculi 17. ſcripſit de eodem argumento Opus, excuſum Helmſtadtii 1703. in 4.

Abraham Coſterus Belga, Calviniſte ineunte ſæculo 17. contendit dicta hæc de Virgine SS. accipienda non eſſe Lugd. Batav. an. 1614. in 8.

In Cain, & Abel;

Joannes Fecht, Germano-Lutheranus, Miniſter generalis Roſtochi, ineunte ſæculo 18. dedit Notas criticas Philologicas, Hiſtoricas, & Theologicas in hiſtoriam Cain, & Abel; Roſtochi an. 1704. in 4.

Jo. Adam Oſiander, ſcripſit de Sacrificiis Cain, & Abel; Tubingæ an. 1668. in 4. Vir erat Germanus Lutheranus natus Vangione, (*Vayhing*) obiitque an. 1697.

Non unus *Deylingius* egit de Urbe condita a Cain, ſcripſit de illa pariter *Fridericus Gotter*, Germano-Lutheranus, Alemburgenſis in Miſnia; prodiitque opus Jenæ an. 1705. in 4.

Paulus Stockmanns, Germano-Lutheranus elucubravit Diſſertationem in Cain excuſam in Theſauro Diſſert. Philolog. tom. 1.

Joan. Andreæ Danzii altera eſt Diſſertatio de nomine Cain inſcripta, *ibid.* excuſa Jenæ an. 1682. in 4. Germanus erat, Lutheranus, Profeſſor Linguarum Orientalium Jenæ ſub exitum ſæculi 17.

Nicolaus Pange, illuſtravit Colloquium Cain cum Abele, & cum Deo, Wittembergæ 1695. in 4.

Scripſerunt alii tantum in ſignum a Deo impoſitum Cain; videlicet *Jo. Paſchius*, Wittembergæ an. 1685. in 4. *Chriſtianus Newbaur*; Erfordii 1673. in 4. *Paulus Stockmanns*, in Theſ. Diſſ. Phil. to. 1. *Jo. Chriſtianus Ortlob*; Lipſiæ 1701. in 4. Adjecit hic: *Cainus non deſperans, ejuſq; vindiciæ*, *ibid.* 1706. Germani erant omnes, & Lutherani ſæc. 17.

In Adam.

Jo. Nicolaus Hardſchmidt adornavit Diſſertat. de ſomno

Adam, Argentorati an. 1707. in 4. In latus Adami ſuam dedit *Georgius Lau*, Lipſiæ 1827. in 4. Et in creationem Evæ e latere Adami ſuam *Georgius Fridericus Neupei*, Wittembergæ 1690. in 4.

Samuel Andreas, Germano-Calviniſta, & eloquentiæ Profeſſor Marpurgi circa ann. 1680. ſcripſit de ſalute Adam; Marpurgi an. 1678. ſicut & de ſepultura primi hominis, *ibid.* 1679.

Genuinum nomen *Philippi Abbatis* eſt *Harveng*; ejus Oratio de hoc argumento legitur ad pag. 345. editionis Duacenæ an. 1621. *fol.*

Diſſertatio *P. Alexandri* tertia legitur in Hiſtoria ejus Eccleſiaſtica V. T. tom. 1. pag. 73. eſt autem in Tatianum, & Encratitas. De utroque hoc alias.

Fabricius Codex *Pſeudo-Epigraphus* ipſius prodiit Hamburgi, & Lipſiæ an. 1713. in 8. Complectitur autem fabellas omnes, & ſcripta obtruſa ſub nomine non Adami tantum, ſed & veterum omnium Patriarcharum.

Præſtare videbatur potius, ut Opera hæc tenebris digna oblivioni relinquerentur, quippe quibus nihil efficimur doctiores, ſed id ſaltem documento apertiſſimo demonſtrant, quam late ſcilicet errent hominum ingenia, dum ipſa ſibi permittuntur. Idem ab illo præſtitum eſt in Novo Teſtamento, ubi ſermo de Authore redibit.

In Henoch,

Diſſertatio *Joan. Druſii* in raptum Henoch excuſa eſt Franekeræ an. 1615. in 4. & in Magnis Criticis tom. 8. pag. 1049. Diſcutit, num obierit re ipſa, vel ſubſiſtat adhuc in vivis.

Idem argumentum vexavit *Auguſtinus Pfeifferius* in Diſſertatione Philologica ſubjecta Commentario ipſius in Abdiam.

Andreas *Vanvoſchius*, Belga, Calviniſta, egit de vita, & obitu Henoch, Amſtelodami an. 1698. in 8.

In Lamech.

Jo. *Philippus Pfeifferius* ſcripſit Diſſertationem in homicidium Lamech, excuſam Regiomontii an. 1670. & in Diſſertatione Philologica tom. 1.

Jo. *Gulielmus Hilliger* ſcripſit pariter Lucubrationem, cui titulus: *Homicidium, & vindicta Lamech*; Wittembergæ an. 1673. & in Diſſert. Philol. tom. 1.

De Polygamia Lamech legas Diſſertationem quartam *P. Alexandri*.

In Seth, & Nemrod:

Jo. Michael Langius dedit diſputationem *de prima Sethitarum cognominatione*, Altorfii an. 1705. in 4. Dedit & alteram in homicidium Lamech, *ibid.* in 4. ac tertiam in Nemrod Venatorem, *ibid.* 1706. in 4.

In Præadamitas.

La Peirere. Opinionis Præadamitarum primus Author fuit Iſaac la Peirere Burdegalenſis, qui natus quidem Calviniſta, dein ad Catholicos tranſiens obiit apud PP. Oratorii juxta Pariſium an 1677. ætatis 80. Opus ejus, quod 30. annorum molimine confectum eſt, prodiit Latine in Hollandia 1655.

Inter illos, qui ſyſtema hoc refutarunt, excidit recenſuiſſe Joannem B. Morinum Francopolitanum (*Villa-Franca*) doctorem Medicum. Opus ejus in 12. excuſum Pariſiis an. 1656. Inſcribitur: *Compendioſa Refutatio erronei ac deteſtandi Libri de Præadamitis*.

Samuel Deſmareſt inter Calviniſtas dedit & ipſe pariter an. 1656. Groningæ: *Refutationem Fabulæ Præadamiticæ*.

Opus *Joannis Conradi Danhaver*, refutat opinionem de la Peirere ad Præadamitas quod attinet, inſcribitur: *Præadamita utis*, ideſt *nullus nemo*; vel: *Fabula primorum hominum ante Adamum conditorum exploſa*, Argentorati an. 1656. in 8. Opus eſt referens ad 600. paginas, Dialogi methodo inter duos ſub ementitis nominibus latentes ſcriptum, dignum ſane quod inter cætera Authoris a P. le Long non omitteretur.

Quod dedit *Philippus Priorius*, ſub nomine *Eugenii Romani*, ſcriptum eſt epiſtolare continens Animadverſiones in Librum Præadamitarum, ad Authorem ipſius la Peirere directum. Prodiit Pariſiis an. 1658. quod fugit P. le Long, cum Scriptorem iſtum omittat. Vir erat Gallus, & Catholicus, notus potiſſimum doctiſſimis animadverſionibus ſuis in Tertullianum, Optatum, et S. Cyprianum: obiit an. 1680.

Opus *Joannis Henrici Urſini*, Spirenſis, et Miniſtri Lutherani Ratiſponæ, defuncti an. 1667. vel 1662. excuſum eſt Francofurti ann. 1656. quod excidit P. le Long.

Non Præadamita *Antonii Hulſii* Belgæ, Calviniſtæ, defuncti an. 1685. prodiit Lugduni Batavor. 1656.

Joan. Hilpertus, Lutheranus, Franco, denatus ann. 1680. vulgavit Ultrajecti an. 1656. Diſquiſitionem.

In Vitam diuturnam.

Dornavii, Germano-Lutherani, et Medici ineuntis ſæculi 17. Diſſertatio ſeorſum vulgata Francofurti ann. 1619. in 4. diſcutit, cur priores homines vitam diuturnam adeo porrigerent. De Scriptore hoc Morhoſius: *Diligens fuit in nugis, ſed eruditis*.

Nec ſolus id argumenti vexavit; egit enim fuſiſſime de illo integro Opere in quatuor capita diſtributo *Engelbertus* Abbas Benedictinus, an. 1297. vulgavit id D. Bernardus Pez in ſuis Anecdotis tom. 1. part. 1. pag. 439.

Inter Lutheranos *Godefridus Sprotta*, vulgavit Lipſiæ an. 1668. in 4. Diſſertationem de hoc argumento.

Ludovicus Rogerius in examen revocavit conjecturam P. Tournemine in diſcrimen annorum Patriarcharum inter Textum Hebræum, Samaritanum, et Græcum. Dedit ſcriptum ſuum Gallice in Memoriis Trevoltianis an. 1703. §. 140. De viro hoc iterum in Iſaiam.

In Gigantes:

Debetur *Thomæ Bangio* Exercitatio Anonyma Latina de Gigantibus vel Nephilim in P. Bouldue, qui Gigantes extitiſſe negat. Prodiit Authoris Haphnienſis, et Lutherani opus Haphniæ an. 1652. Obiit an. 1661.

Hieronymi Magii Diſſertatio legitur etiam in Faſciculo Operum Hiſtoricorum, et Philologicorum in 12. an. 1697. Roterodami. Vir iſte Italus a Turcis captus laqueo illiſus eſt faucibus an. 1572. Elogium ejus donat D. de Thou ad an. 1568. *Librorum helluo* ab omnibus audit, quotquot de illo egerunt.

Goropius, & Caſſiagnanus. De Gigantibus agit, et extitiſſe umquam negat Goropius in Originibus Antuerpienſibus, impreſſis Antuerpiæ an. 1580. in fol. ſecunda Editio amplior priori. Librum ſcripſit in illum Joannes Caſſiagnanus, vir obſcuri adeo nominis, quantum clara eſt fama Goropii. Brabantinus erat Goropius natus an. 1518. defunctus an. 1572. ætatis 53. Juſtus Lipſius virum commendat hoc elogio: *Ingenium acre, facile, felix*.

P. Kircherius, quo loco a nobis laudatur pag. 36. demonſtrare nititur veritatem Gigantem ex oſſium immanium compagibus, quæ e latebris deteguntur.

Matthæus Hiller vulgavit Tubingæ an. 1702. in 4. Opus: *De Antiqua Gigantum gente, & ſedibus ex Geneſi*.

Joannis Chriſtophori Kieſwetter Diſputationem in Gigantes dederunt præla Jenenſia an. 1694. in 4.

Joan. Fridericus Rechner diſcutit quo tempore extitiſſe cœperint, et quouſque duraverint Gigantes; Lipſiæ 1704. in 4.

Andreæ Sennert Diſſertatio hiſtorica, et Philologica de eodem argumento; Wittembergæ an. 1663. in 4. Quatuor iſti Germano-Lutherani vivebant ſub exitum ſæculi 17.

In Arcam.

Buteo, vel *Bautel* geometrice diſſeruit de figura, et capacitate Arcæ; cujus opus excuſum eſt cum cæteris ejus Lucubrationibus Geometricis Lugduni an. 1554. in 4. acceſſit etiam et M. Criticis to. 8. p. 83. Habetur autem doctiſſimum et accuratiſſimum. Patriam habuit Viennam in Delphinatu; Ordinem S. Antonii, non S. Antonini, ut male apud P. le Long, profeſſus; tædio tandem, et mœrore

quod

Digitized by Google

quod Libris deſtitueretur, confectus eſt an. 1564. ætatis 73.

Matthæi Hoſtii Inquiſitio in fabricam Arcæ, excuſa eſt Francofurti an. 1575. in 8. & Lugdun. Batav. 1695. in 4. vol. 2. una cum ejus Tractatu de Ponderibus, & Menſuris. Inſertum eſt opus in M. Critic. tom. 8. pag. 104. Germanus erat, & Lutheranus, obiitque immatura 25. annorum ætate an. 1567.

D. le Pelletier Rothomagenſis viri Laici, & Mercatoris defuncti an. 1711. Opus prodiit Gallice, an. 1700. in 12. Late totum ejus ſchema exhibet D. Dupin Biblioth. ſæc. 17. tom. 7. pag. 53. 58.

Jacobus Philippus Kolu criticas animadverſiones dedit in craſſitudinem integumenti ſuperioris Arcæ. Extant in Novis Litterariis (*Nouvelles litteraires*) an. 1716. p. 139. Vir Germano Lutheranus, forte adhuc in vivis agens.

In Diluvium.

Argumentum Diluvii quidam peculiariter exenſerunt. *Chriſtophori Rencilini* Diſſertatio Philologica de hoc argumento prodiit Wittembergæ an. 1668. in 4.

Abrahami Myle de univerſalitate Diluvii Genevæ 1667. Hallæ 1705. in 12.

Gullielmus Boujour in Diſſertationibus ſelectis de tempore diluvii egit.

Joannis Moller Diſquiſitio de *Forma*, *& quantitate anni Diluviani*; Francofurti 1652. in 8.

Georgius Kirchmajerus elucubravit Deſcriptionem Diluvii una cum iis, quæ ſcripſit de Paradiſo Terreſtri. Lutheraniſmum omnes, vel Calviniſmum profitebantur ſæcul. 17.

Ivo Gukes Diſſertationem Phyſicam, Geometricam, & Theologicam in Diluvium, tribus articulis comprehenſam, habet impreſſam in Biblioth. Philolog. tom. 4. p. 798.

In Iridem.

Præter Deylingium, *Georgius Albertus Hamberger* diſputationem ſuam de Iride vulgavit Jenæ an. 1696. in 4. De illo alias.

In Noe.

P. Nicolao Abrahamo jungendus eſt *Bernardus Goſman*, cujus diſputationem in Benedictionem Sem dederunt prela Roſtochii in 4. an. 1657.

Viciſſim autem *Joan. Philippus Olearius* ſcripſit de Maledictione Cham; Lipſiæ an. 1707. in 4.

Abraham Calovius illuſtravit Oraculum Noe in tentoriis Sem, & Japhet; Wittembergæ an. 1702. edit. ſecunda in 4.

Joannis Seſebii Diſſertatio de odore ſuavitatis ſacrificii Noemici, Wittembergæ 1683. in 4. & in Theſaur. Diſſert. Philologic. tom. 1. Germani ambo, & Lutherani.

Unicus ferme *P. Alexander* Diſſertationem ſcripſit in ebrietatem Noe; eſt autem tertia ſecundæ ætatis Mundi, Hiſtor. Eccleſiaſt. tom. 1. pag. 146. Jungendus & *Calovius* qui in ſeptima diſputatione agit de *Noe vidi*. Vide in Loth.

In Turrim Babelicam.

P. Kircherius. Opus Kircherii in Arcam Noe ideo hucuſque diſtulimus, quod affinitate jungitur arctiſſima cum Lucubratione de Turri Babelica; impreſſum eſt utrumque Opus una cum ejus Oedipo Ægyptiaco Amſtelodami 1673. 1675. vol. 3. fol. In priori illo expandit Arcæ veram conſtructionem; in altero agit de vita hominum poſt Diluvium, de conſtructione Turris, confuſione Linguarum, & Gentium tranſmigratione.

Fuldæ in Germania natus an. 1602. nomen dedit inter Jeſuitas; conceſſit Romam, ubi deceſſit an. 1678. ætatis 76. De poſtremo illo opere Morhoſius in Polyhiſtore; *Operoſum Opus plenum iconibus*; & Scriptorem appellat: *Centum Doctorem Artium*.

Joachim Colombus Germano-Lutheranos egit pariter de ſubſtructione ejuſdem Turris, Latinum Opus; Regiomontii an. 1675. in 4.

Conradus Dieterus in ſuis Antiquitatibus Biblicis de Diviſion. Bibl. illa agit pag. 116. & de diviſione Gentium pag. 128. De hoc viro iterum.

Joan. Joachim Zentgrave Germanus alter Lutheranus, defunctus an. 1707. Latinam diſputationem in eamdem Turrim dedit Wittembergæ an. 1674. in 4.

Abraham Pungeler pluribus Diſſertationibus idem argumentum excuſſit; Herborn. 1710. in 8. Vir Germano-Calviniſta natus an. 1675. ad Doctoris gradum aſſumptus Frenekeræ an. 1701. ſæculo 18. ineunte vivebat adhuc. Alia ejus Opera in Scripturam recenſet Biblioth. Philolog. tom. 5. pa. 166.

In Confuſionem Linguarum.

Joannes Buxtorfius filius in ſuis Diſſertationibus de Lingua Hebraica, & confuſione Linguarum pariter diſputat, Baſileæ an. 1645. in 4. De hoc viro alibi. Quæ dedit de hoc argumento *Joannes Meiſnerus* excuſa ſunt Wittembergæ an. 1664. in 4.

Davidis Ziegra de eodem Diſſertatio data eſt quidem *ibid.* an. 1679. in 4. ſed non in Magnis Criticis:

Chriſtophori Crineſii Bohemi Lutherani defuncti an. 1629. Diſputatio eo pertinens, data eſt Nurimbergæ an. 1629. in 4. Jungendus huic *Fridericus Vis*, cujus ſunt Diſſertationes Philologicæ de confuſione Linguarum excuſæ Wittembergæ 1654. in 4. Vide ſupra in Joſeph.

Joan. Andreas Quenſtedt de mixtione Linguarum Wittembergæ 1650. in 4. Vide in Exodum.

In Linguam Primigeniam.

Buxtorfii Opus recenſuimus, *Henrici Kippingii* Germano-Calviniſtæ extat in Analectis Crenii impreſſis Amſtelodami 1699. in 8.

Joannis Vorſtii legendum ſeu in ejus *Miſcellaneis Academicis*, ſeu in ejus Philologia Sacra, de qua nos alias.

Gaſpar Calverus egit de origine Linguarum in ſuo Opere inſcripto: *Gloria Moyſis*. Vide infra.

In Caiuan.

Uſſerii Diſſertatio probans unicum fuiſſe *Caiuan* alterius vero nomen irrepſiſſe in Textum ſacrum, data eſt Londini an. 1655. una cum ejus Syntagmate de LXX. Interpretibus: tum Lipſiæ 1695. in 4. tandem legitur & in Magnis Critic. tom. 9. pag. 4004.

Fridericus Spanhemius pater idem argumentum verſat in ſuis Dubiis Evangelicis. Agemus de Opere, & de Scriptore in Novum Teſtamentum.

Joannes Clericus in ſua Diſſertatione de incendio Sodomæ, an prodigium ibi aliquod agnoſcendum ſit, diſcutit, & in affirmantem opinionem, tamquam Scripturæ cohærentem, magis concedit. In altera Diſſertatione cenſet verba Moyſis aliter accipienda eſſe ac ſonet littera: terrore enim ſubito correptam hæſiſſe, & obriguiſſe uxorem Loth, arbitratur. De hoc viro alibi.

Diſſertatio in idem argumentum *Davidis Conſtans* prodiit Lauſannæ an. 1693. in 4. Vide in Exodum.

Joannes Saubertus. Sive pater fuerit, ſive filius, qui de hac Statua diſſeruerunt, verſamur ambigui. Si Patri tribuamus, id plane ab illo actum reputaretur in Prodromo Philologiæ ſacræ, cujus eſt ſecunda editio Halberſtatens. 1665. in 4. Si Filios, hoc Scriptum exhibebunt Opera ejus poſthuma Altorfii 1694. in 4.

Chriſtophorus Heuman in ſua Diſquiſitione de fortuna uxoris Loth prodigium omne abfuiſſe defendit. Prodiit Opus Jenæ an. 1706. & 1708. in 4. ſecunda editio aucta, Germanus erat, & Lutheranus, & ineunte ſæculo 18. vivebat adhuc. Vide in Evangelium S. Joannis, & ad Philippenſes.

Joan. Laurentius Fiſcher, Germano-Lutheranus Pruxienſis, exeunte ſæculo 17. Opus ſuum impreſſum Gedani an. 1680. in 4. inſcripſit: *De Statua Salaria*.

Caſp. Grammer dedit exercitationem in Metamorphoſim uxoris Loth; Kilonii an. 1664. in 4.

Iſaac Philman edidit Diſſert. ſuam Aboæ, quæ Urbs eſt Sueciæ in Finlandia meridionali, ad amnem Aviaroki.

Digitized by Google

Michael Tieroff ea de re pariter agit in ſua Diſquiſitione de locis ſacris Judæorum, Jenæ an. 1657. in 4.

In Melchiſedech.

S. Hieronymus in ſua Epiſtola ad Evangellum refutat Authorem quemdam anonymum, Melchiſedech ipſum eſſe S. Spiritum defendentem; demonſtratque hominem fuiſſe reipſa, eumdem facile cum Sem, vel alium quemcumque: explicat autem quomodo gerere potuiſſet munus Sacerdotis Altiſſimi, ſimul etiam & Regis Salem, ac ſine patre eſſe, & ſine matre.

Diſſertationem ad probandum diſcrimen Melchiſedechum inter & Henoch non dedit quidem *Joannes Outrein*, ſed *Jo. Owenus* Anglo-Londinenſis, Independentium Princeps, defunctus an. 1684. cujus extat Latinum ſcriptum in Epiſtolam ad Hebræos Amſtelodami 1700. 2. vol. in fol. idemque Anglicum Londini 1688. quod pariter opus recenſitum eſt a nobis. Sed legimus in Bibliotheca Philologica tom. 3. pag. 879. geminas Epiſtolas ad Joannem Outrein de hoc argumento.

S. Jo. Chryſoſtomus Lucubrationem quandam ſcripſit in Melchiſedechianos, præferentes Melchiſedechum ipſi Dei Filio. Eſt autem Homilia relata in tom. 6. Novæ Edit. pag. 265. 270.

Author quidam *Anonymus* Danus geminas dignitates Melchiſedechi Sacerdotalem, & Regalem ad Japhetum uſque avum ipſius revocare conatur, in ſpecimine problematico, & hiſtorico vulgato Haphniæ an. 1710. in 4.

Hugo Broughton Anglo-Calviniſta, defunctus an. 1612. confundit hunc virum cum Sem, in Opere impreſſo Londini an. 1591. Anglice in 4. & Latine *ibid.* 1596. dein vero cum cæteris ejus Operibus excuſo *ibid.* 1662. in fol. Vir erat in Antiquitatibus Hebraicis inſigniter eruditus.

Henricus Hulſius defendit Henoch revixiſſe in Melchiſedecho: *Henoch redivivus* Amſtelodami an. 1706. in 8. Frater erat Antonii Hulſii Belgo-Calviniſtæ, de quo ſupra.

Jacobus le Puyre, qui pariter appellatur d'Auzoles, Catholicus defunctus an. 1642. ſcripſit de tempore, quo vixit Melchiſedech; eſt autem Apologia in *Salianum* impreſſa Pariſ. an. 1626. in 8. Reſpondit huic Salianus in Præfatione ad tomum quintum Annalium, demonſtratque contra illum Melchiſedech virum fuiſſe ab Henoch longe diverſum.

Matthæus Van-Rein, ſcripta Diſſertatione illuſtravit quidquid de Melchiſedecho legitur in Epiſtola ad Hebræos cap. 7. eſt autem Opus in ſecundo tomo Diſſertationum Philologicarum.

Chriſtophorus Schlegel dedit quæſtiones relatas in 10. tomo M. Criticorum pag. 824. refert Scriptorum varias omnes ſententias, defenditque hominem fuiſſe reipſa, ſed extraordinarium, & conſiliis Dei implendis ſuſcitatum. Ambo Germani erant, & Lutherani; poſtremus vero obiit an. 1678.

Jacobus Gaillard Gallo-Calviniſta (an. 1704. vivebat adhuc) excudendam tradidit Lugduni Batav. an. 1686. Lucubrationem, qua probat Melchiſedech ipſum eſſe eumdemmet Jeſum Chriſtum. In illum potiſſimum direxit Diſſertationem ſuam D. Petit-Didier de hoc argumento, quæ ordine eſt duodevigeſima in collectione Diſſertationum ejus criticarum.

Tandem *Fabricius* in ſuo Codice Apocrypho V. T. recenſuit Criticos omnes recentiores in hoc argumentum, quibus abunde ſupplentur ea, quæ nos compendii gratia hic prætermiſimus.

In Abrahamum.

Opuſculum *S. Ambroſii* in Abrahamum legendum in tom. 1. novæ Edit. pag. 281. morale potius eſt quam criticum; pro more ejuſdem Patris inſtruentis potius, quam diſputantis.

Iis, quæ de Sacramento Abrahami ſcripſerunt, addendus *Hermannus de Hardt*, qui ſcripto Commentario demonſtrat præſtitum illud fuiſſe per pugillum hujus Patriarchæ, non per femur. Prodiit Opus Helmſtatii an. 1711. Vir Oſnabrucenſis Lutheranus vivebat adhuc an. 1725. Commendatur inſigni titulo Amatoris vetuſtiſſimæ Antiquitatis.

Ægidius Strauchius Germano-Lutheranus Wittembergenſis Dantiſci (*Dantzica*) an. 1682. ætatis 50. defunctus, ſcripſit in annum exorti, & vocati Abrahami; Wittembergæ an. 1653. in 4. 1661. in 4. ſecunda Editio; & in Melchiſedechum Dantiſci 1672. in 4.

Gregorius Fridericus Nisbenck Germanus alter Roſtochienſis, ineuntis ſæculi 18. vulgavit Diſſertationem exegeticam, & polemicam in tres Angelos, quos Abraham per viſum ſpectavit; Roſtochii an. 1707. in 4.

Joannes Winkelman Lutheranus rigidus, Hamburgenſis, defunctus an. 1626. ætatis 75. edidit Diſputationem in fœdus Dei cum Abrahamo in 4.

Geofridus Junge ſcripſit Exercitationem in convivium inſtitutum ab Abrahamo, cum filium Iſaac ablactavit; Bremæ an. 1708. in 4. Vide in Exodum.

Gaſpar Sibel egit de ejus Sacrificio Daventriæ 1637. in 8. Vir erat Hollandus, natus an. 1587. defunctus an. 1658. & Miniſter Calviniſtarum Daventriæ.

In Circumciſionem.

Præter eos, qui alicubi in Operibus ſuis de Circumciſione diſputarunt, & quos indicavimus, occurrunt etiam qui de hoc argumento peculiares dederunt Lucubrationes. *Zacharias Grapius* inſtituit examen, num Circumciſionem Abraham acceperit ex Ægyptiis; Roſtochii 1699. in 4.

Sebaſtianus Schmidt demonſtravit primum hoc eſſe ſacramentum veteris Legis, in ſua expoſitione capitis 17. Geneſeos; Argentorati 1661. in 4.

Hermannus Hardt, ſcripſit Prodromum in Circumciſionem, Helmſtatii an. 1700. in 8.

Andreas Celerus idem argumentum vexavit in Ligfootum; Kilonii 1688. in 4.

Danielis Lunds Diſſertatio; Upſalæ 1709. in 8. & *Joannes Scherzer* dedit pariter Lucubrationem, Lipſiæ an. 1657. in 4. Lutherani erant omnes, vel Calviniſtæ.

In Eſau.

Ne Eſau deſtituamus penitus, illud nobis ſuccurrit in præſenti, *Jo. Georgium Baier* Germano-Lutheranum ſcripſiſſe Diſputationem in fragrantiam veſtium ipſius; Altorfii 1705. in 4.

In Rachelem.

Druſius. Opus Druſii in Mandragoras Rachelis recitatur in M. Criticis tom. 1. pag. 286. Excuſum erat antea Amſtelodami an. 1632. in 4. ſecund. Edit. in calce Commentarii ipſius in Ruth. Lucubratione autem hac ſua differit de illarum natura.

Antonii Deuſingii de hoc argumento Diſſertatio prodiit Croningæ 1659.

Philippus Codurcus demonſtrare conatus eſt, Mandragoras longe aliud eſſe quam Dodaim, de quibus in Geneſ. cap. 31. ſed potius ibi agi de *Tuberis*; Pariſiis an. 1657. in 8. ſecund. Edit. Vide in Job.

Ægidius Strauchius ſcripſit in Statuam ſepulchralem Rachelis, Wittembergæ 1661. in 4.

In Jacob.

Auguſtinus Knerige non unus eſt omnium, qui diſſeruit de innocenti illo artificio, quo Jacob oves ſuas fœcundavit. Contulit in eam rem pariter operam ſuam *Godofridus Feckerod*; Jenæ an. 1689. in 4. Uterque Germanus erat, Lutheranus, & ſuppar.

Calovius. Quæ ab illo data ſunt in Luctam Jacob cum Angelo, prodierunt Witembergæ; quo anno ignoramus, facile cum aliis ejus Diſſertationibus. Vide ſupra.

Gaſpar Fink ſcripſit ea de re Germanice; Gieſſen 1612. in 4.

Strauchius, & Sibeline. Quo loco in Bibliotheca noſtra recenſuimus ambos iſtos Authores, male poſitos eſt Gaſpar Struchius; corrigi enim oportet Ægidius Strauchius, & Gaſpar Sibelius. Recenſuimus, quæ ſcripſit uterque; ſed neuter peculiariter aliquid edidit in Luctam Jacob cum Angelo.

Prætereundus etiam non eſt *Campegius Vitringa*, cujus Diſſert. recitatur in Bibliotheca Philolog. to. 1. p. 773. uſque ad 804. Opus eſt autem in duo capita diviſum, quorum prius

prius Textum exponit; ſecundom vero dubia in totam hanc hiſtoriam promit, & ſolvis. Alteram donavit Diſſertationem de hoc argumento relatam *ibid.* to.2. p.5. 548.

Andreas Muſculus, Miniſter Generalis Francofurti ad Oderam, defunctus an. 1580. de Scala Jacob ſcripto diſſeruit. Francofurti 1578. in 8.

In Joſeph,

Gullielmus Bonjour Toloſanus, Auguſtinianus, qui ineunte ſaculo 18. nondum obierat, Diſſertationem adornavit in nomen, quod Pharao impoſuit Joſepho; Romæ 1698. in 4.

Ludovicus Alvarez, Luſitanus e Diœceſi Conimbricenſi, defunctus an. 1681. edidit *Joſeph illuſtratum*, Lugduni 1675. *in fol.*

Joan. Franciſcus Buddeus, & *Mauritius Vaguer*; ille quidem Diſſertationem in Obſervationibus Hallenſibus *Obſerv.* 2. relatam; hic vero Diſputationem dedit in ſcyphum Joſeph, Wittembergæ an.1706. in 4.

Godefridus Sæliger tuetur immerito ſcribi Joſeph. in Scypho auguratum fuiſſe; Lipſiæ an. 1704. *in 4.* *Reinardus Rus* Diſputationem inſtituit de inſomnio Magni Pincernæ a Joſeph expoſito; Jenæ 1701. *in 4.*

Jacobus Triglandius, Hollando-Calviniſta, defunctus an.1702. ſcripſit Diſſertationem in Patriarcham Joſeph ſub emblemate Vituli ſacri ad cultum propoſiti.

In duodecim Patriarchas.

Sebaſtianus Schmidt diſſeruit de numero familiæ Jacob; Argentorati 1688. in 8.

Bernardus de Marolles, criticis Epiſtolis tentavit conciliationem verborum Moyſis, & S. Stephani; Gallice ſcripſit. Ultrajecti an. 1705. in 8. *Joannes Maſſonius* Gallo-Calviniſta idem opus dedit *ibid.* unde ſuſpicio, num ſub variorum nominum perſona unus idemque ſit Author.

In duodecim Benedictiones.

Didacus Celada, Jeſuita Hiſpanus, defunctus an. 1661. vir ſacra, & prophana eruditione doctus, Commentario litterali, & morali illuſtravit duodecim benedictiones; Lugduni 1657. fol. ſec. edit.

Accuratior eſt Commentarius *Adam Oſiandri*; Tubingiæ 1669. in 4. Vide ſupra.

S. Ambroſii in eam rem Lucubratio exhibetur p.514 tom. 1. Contendit autem benedictiones haſce omnes prophetias referre, quas & juſta interpretatione reſerat.

Quid ſcripſerit *Gabriel a Coſta*, jam ſupra indicatum eſt.

Ruſini Tractatum legas una cum exteris ejus Commentariis impreſſum Pariſ. 1580. in fol. Tuetur autem benedictionum illarum fidem impletam fuiſſe in Eccleſia, ſive Tribubus Judæorum. Vir erat Aquilejenſis, coævus, & antagoniſta, ut omnibus exploratum eſt, S. Hieronymi. *Viri religioſi* elogio donatur a Gelaſio Pontifice.

Plures etiam exercuerunt ſe ſe in celebre illud Oraculum de ſceptro Juda, quos inter, præter *Drylingium* recenſendus eſt *Philippus Caroli*, Lutheranus Neoburgenſis, qui Catholicus deceſſit an. 1638. cujus viri Diſſertatio prodiit Altorfii 1640. in 4.

Chriſtophorus a capite Fontium; Lugduni 1578 *in* 8 Franciſcanorum Ordinis ſupremum Adminiſtrum egit ab an. 1571. dein Cæſareæ Archiepiſcopus renunciatus a Gregorio XIII. Culta latinitate ſcribebat, & in ſermone erat nervoſus, ait D. Dupin. Vix modus noſtris hiſce imponeretur, ſi omnes ad unum recenſendi eſſent, qui de hoc Oraculo ſcripſerunt. Videſis P. le Long.

In calce hujus Articuli illos addemus, qui loca plura Geneſeos illuſtrarunt ſcriptis Diſſertationibus.

Michael Liebentantz Diſſertatione ſe ſe exercuit in nomina animalium ab Adamo indita; Roſtochii 1710 *in 4.* Alteram ſcripſit in Moriam, vel montem Viſionis Dei; Wittembergæ an. 1678. *in 4* ſecund. Edit. Tertiam in Delicias, vel Mandragoras Rachelis; *ibid* 1702. tertia Edit. *in 4.*

Friſchmut adornavit geminas Diſſertationes in ſeptem præcepta Noemica, de quibus in Geneſ. 8. 21. Ad hæc, decem Diſputationes in alligationem Iſaac; Jenæ 1662. 1664. 1665. *in 4.*

Diction. Bibl.

Conſtantinus Ziegra ſcripſit Diſſertationem Philologicam in plura loca Geneſeos.

Joannes Deutſchman dedit *Pentecoſtalem Pneumatologiam Paradiſiacam*, Wittembergæ 1692. Harmoniam Harmoniarum in Jehovah Eloim; *ibid.* 1700. *in 4.* In nomen Cain; *ibid.* 1654. *in 4.* In ordinem filiorum Noe; *ibid.* 1671. *in 4.* In votum Patriarchæ Jacob, & Diſputationem de ſceptro Juda; *ibid.* 1646. *in 4.* Germanus erat, Saxo-Lutheranus, qui deceſſit Wittembergæ an.1705.

Jo. Fridericus Mayerus, Lutheranus, Lipſienſis, defunctus an.1712 quem Chryſoſtomum Pomeraniæ appellat Fabricius; vulgavit Diſſertationem in arborem ſcientiæ boni, & mali, Wittembergæ 1685. *in 4.* In peccata, & pœnas brutorum; quæ ambo inſerta ſunt in Theſaur. Diſſert. Theologg. & Philologg. tom. 1. In nuptias Jacob cum geminis ſororibus, Lipſiæ 1772. *in 4.* In duodecim Patriarchas, Griſuvald 1707. *in 4.*

Revocamus huc virum inclytum Philonem, quem antea præfatimus in capite Commentariorum omnium Judæorum; ſcripſit enim; 1. In Cherubim Paradiſi Terreſtris; 2. In ſacrificia Abel, & Cain; 3. In Vineam a Noe conſitam; 4. In Gigantes; 5. In confuſionem linguarum; 6. In Abraham, Iſaac, & Moyſem; 7. In Circumciſionem; Tandem in opus ſex dierum. Poſtrema Operum Editio eſt Francfordienſis 1691. in fol. Vir erat Alexandrinus, florens circa an.40. J. C.

Plures adhuc magno numero ſuppeterent; ſed præſtat, ad Exodum progrediamur.]

COMMENTARIA IN EXODUM.

ORigenes tria homilias in 25. priora capita libri hujus exaravit.

S. Auguſtinum, Theodoretum, Procopium, Bedam, Rupertum, cæteroſque, qui in totum Pentateuchum ſcripſere, non reperam.

Ludovicus Lippomanus Catenam ſententiis ex Græcis, Latiniſque Patrum in Exodum elucubravit.

Benedictus Pererius 137. Diſputationes, quæ totidem potius Diſſertat. ſunt, in 15. priora Exodi capita ſcripſit.

Hieronymus Oleaſter, *Leonardus Marius*, & *Franciſcus Titelmannus*, Commentaria, nec ſane vulgaria in eumdem Librum adornarunt.

Joan. Lorinus e Societate Jeſu, Neodunii morte ſublatus an.1634. ætatis ſuæ 75. eruditum in Exodum Commentarium concinnavit.

Ludovicus de Stella e familia S. Dominici, deceſſit an. 1614. Scholia, & quoddam veluti Commentarium in eumdem Librum exaravit.

Sebaſtianus Barradas Hiſpanus e Societate Jeſu, *Itinerarium filiorum Iſrael ex Ægypto in terram repromiſſionis*, Antuerpiæ editum in fol 1621. compoſuit. Author eruditione ac pietate ornatus erat. Occubuit an.1615. ætatis ſuæ 73. Ejus opus elegans eſt in totum fere Exodum Commentario.

Ex Proteſtantibus, ne eos reperam, qui Biblia, ſeu in totum Pentateuchum conſcripſere, conſulendi ſunt *Joannes Druſius*, *Simeon de Muis*, *Sixtinus Amama*, *Chriſtophorus Cartwright*.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN EXODUM.

PRæter tredecim *Origenis* homilias, quas Latinas tantum exhibent Editiones Baſileenſis, & Genebrardi, fragmenta quædam Græce, & Latine dedit D. Huetius tom. 1. pag. 17. 22.

Catena *Lippomani* vulgata eſt Pariſiis an. 1550. in fol. & Lugduni 1657. Diſputationum *Pererii* in Exodum 137. adnotavimus; ſed Veneta Editio, quæ ſecunda eſt 1607. in 4. exhibet ad 147. Tres alii, quos recenſuimus, *Oleaſter*, *Marius*, & *Titelmannus* nihil peculiare in hunc Librum ſcripſerunt; quare id tantum innuere mens fuit nobis, viros illos potiſſimum in expoſitione hujus Libri excelluiſſe; quamquam alioquin ſeu in totum Pentateuchum, ſeu in univerſam Scripturam, maxime Titelmannus, ſcripſerint. Recurret de hoc ſermo in S. Paulum, & in Pſalmos.

Honorius Auguſtodunenſis pia Expoſitione illuſtravit decem plagas Ægypti, cujus extat Opus inter Anecdota Pezii, tom.2.pag.91. part.2.

Commentarii *Joannis Lorini* in Exodum vulgati ſunt Lugduni an. 1620. in fol. ſecund. Edit. Plerique, uti P. le Long, illos non recenſent ſingillatim; inter cæteros enim ejus Commentarios comprehendunt. De hoc viro ejuſque Operibus agemus infra.

Ad Iſtellam quod attinet, ejus Commentarius junctus eſt alteri, quem adornavit in Geneſim. Vide ſupra.

Itinerarium filiorum Iſrael Barradæ vel Barradii Opus eſt utique omnium, quotquot ab illo adornata ſunt in Scripturam, eximium; hiſtoriam morali jungit. Præter Editionem a nobis indicatam, altera eſt Veneta 1623. in 4. & Moguntina 1627. in fol. Addi his poſſent Capito, Chaſteneir, Corius, Feri, Nodinus, Pepinus, aliique plures, ſed modo ad Proteſtantes.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM, ET JUDÆORUM.

JAm antea monuimus *Simeonem de Muis* Virum fuiſſe Catholicum; præpoſtere eſt etiam impreſſum in noſtris *Cartright* pro *Cartwright*, quod genuinum eſt nomen viri illius Angli, cujus meminimus in Geneſim. Dedit autem ille in Exodum Adnotationes inſcriptas: *Electa Targumico-Rabbinica*; Londini 1653. in 8. & in Supplem. M. Criticor. Addemus *Joannem Cocceium* dediſſe Animadverſiones ſuas in Exodum, impreſſas una cum ejus Commentario in Geneſim, Franekeræ 1650. in 4. uti jam ſupra ad Pentateuchum adnotatum eſt.

Nicolaus Galleſius, Gallo-Calviniſta, Miniſter Genevenſis, qui deceſſit circa an. 1570. dedit Commentarium vulgatum Franekeræ 1560. in fol. & 1640. in 4.

Joannes Ligfootus Harmoniæ ſuæ Chronologicæ adjecit Adnotationes in Exodum Latinas, & Anglicas, Londini 1643. in 4.

Plures etiam ſuppetunt, qui nonnulla tantum capita Exodi illuſtrarunt, quos ne recenſeamus, vetat timor, ne nimis in longum ſcribentes nos protrahant.

Inter Judæos recenſemus tantum *R. Samuelem Japhe*, cujus Commentarius prodiit Cracoviæ inſcriptus, *Ir Rabbot*, Hebraice 1634. in fol.]

TRACTATUS, SEU DISSERTATIONES IN EXODUM.

N*icol. Abram de Pharaone. Item de mora filiorum Iſrael in Ægypto. Phar. V. T. 8. & 9.*

Salom. Deylingii Obſervat. Sacr. tom. I. Obſerv.21.

De Moyſe conſulendus *Joſephus Antiquitatum l.2. c.5.*

Vita Moyſis ex Hebræo in Latinum translata per D. Geulminum, Pariſ. in 8. an.1629.

Inſpiciendus pariter *Codex Apocryphus V. T.* Alberti Fabricii, *Caroli Imbonati* Diſſertatio de Moſe Propheta ſecundum Hebræos *tom. 2. Bibl. Rabb. p. 115.*

Item Blaſphemiæ Judæorum in Moſen. *ibid. p. 130. 135. 132. 137. 138.*

Item de Virga Moyſis, ibid. pag. 128.

Item de Aſino, ſuper quem Moſes equitare fecit filios ſuos, ibid. p. 130. 131.

Thaddæus Dunus, Quæſtio quamdiu Iſraelitæ fuerint in Ægypto.

Danielis Angelo-cratoris Appellatio contra Thaddæum Dunum &c.

Franciſc. Geiſendi Epiſtol. de Anticipatione liberationis populi Iſrael de Ægypto.

Legendum eſt Syſtema *Boivin ſenioris* de tempore, quo Iſraelitæ ſunt in Ægypto commorati, *in ſupplemento noſtri Commentar. ad calcem Apocal. p. 56. 57.*

Georg. Ludov. Goldneri, de Agno Paſchali inter duas Veſperas mactando, *t. 2. Miſcell. Lipſienſ.*

Joannis Drufii de nomine Elohim.

Pauli Burgenſis de nomine Tetragrammaton.

Diſſertatio de Divinis nominibus *El, Sadai, & Jehovah.* Vide collectionem criticarum Diſſertationum editam Pariſiis apud Witean 1715. in 4.

Item in eadem collectione vide Diſſertationem in Exodum 6. 3. *Nomen meum Adonai non indicavi eis.*

Thomæ Gatakeri Diſſertatio de nomine Tetragrammaton *tom. 2. Oper. Trajecti ad Rhenum 1697.*

Ludovici Capelli de nomine Tetragrammaton.

S. Hieronymi de decem nominibus Dei ad Marcellam.

Joan. Clerici Diſſertatio de Trajectione Maris Idumæi. *Commentar. in Exodum.*

Salom. Deylingii de eodem argumento *t. 3. Obſerv. ſacr. c. 3.*

Auguſt. Calmeti Diſſertatio de trajectione Maris Rubri. *Comment. in Exodum.*

Ejuſdem Diſſertatio de veris, ac falſis miraculis, occaſione prodigiorum Moyſis ac de Magorum præſtigiis &c. *ibid.*

Franciſc. Moncai Hiſtoria Apparitionum Dei Moyſi factarum in Rubo, & in diverſorio. *Apud Cren. faſc. 9.*

Joannis Holpiel Villemari, de baculo Moſis *In Theſaur. Theol.*

Joan. Friſchmuth, de Circumciſione Sephoræ. *In Theſaur. Theol. Phil.*

Franc. Moncai, Diſſertatio de eadem Circumciſione.

Salom. Deyling. de eodem argumento *t. 0. Obſerv. ſacr.*

Ægidii Strauch, de Paſchate primo, & exitu Iſraelitarum ex Ægypto. *In Theſaur. Theol. Philol.*

Theodori Daſſovii de accubitu ad agnum Paſchalem.

Joan. Buxtorfii Diſſert. de Cœnæ Dominicæ primæ ritibus ac forma; ejuſque adverſus Capellum Vindiciæ.

Liber Rituum Paſchalium, ex Verſione Joannis Stephani Rittangeli.

Julii Bartoloccii Relatio rituum, quos antiquitus ſervabant Judæi in Cœna Paſchali celebranda, & an Chriſtus eos ſervaverit &c. *tom.2. Bibl. Rabb. p. 736. & 745.*

Chriſt. Henrici Bromel de Angelo exterminatore. *Theſaur. Theol. Philol.*

In Sabbathum Diſſertatio inſpicienda eſt Oſiandri, Joannis Seldeni *de jure nat. & gent. lib. 3. cap. 10. &c.* Pariter Joannes Spencerus *de Legibus Ritual. Hebr. l. 1. c. 4.* Gomer *de Origine Sabbathi cap. 4.* Rivetus, & Bartoloccius *Bibl. Rabbin. p. 411. & ſeqq.*

In Mannam. Buxtorfii Diſſertatio de Manna edenda. Item Claudius Salmaſius de *Manna*, & noſtrum Commentarium in Exodum 16. & Bochar. *de variis Mannæ ſpeciebus &c. tom. 2. Geograph. Sacr. p. 871. edit. Leid. an.* 1707.

Joan. Frider. Stapelin. de Vaſculo Man. In Theſ. Theol.

Deyling. Hiſtoria Mannæ Exod.16 t.3. Obſerv. ſacr. c. 8.

Caroli Joſephi Imbonati de Manna: cur vocetur cibus leviſſimus; quando cœperit; quando deſierit *&c. t. 4. Bibl. Rabb. p.151.*

Salomonis Deylingii de aqua amara a Moſe mitigata. Exod. 15. *t. 3. Obſerv. ſacr. c. 6.*

Joannes Spencerus de Legibus Hebræorum Ritual. Cantabrigiæ 1685. in fol. Author hic Anglus 1. differit de Sacrorum origine, 2. de Purificationibus, 3. de Neomeniis, 4. de Arca, & Cherubim, 5. de Templo, 6. de *Urim, & Thummim*, 7. de Hirco emiſſario, 8. de Circumciſione, 9. de purorum, & impurorum ciborum diſcrimine, 10. de Idololatria, 11. de Theocratia Judæorum. Eruditus eſt, nec perfunctorius; Judæorum Leges, atque uſus cum Ægyptiorum uſibus continuo comparat; ex Ægyptiis enim Moſem multum arripuiſſe arbitratur.

Hugonis Grotii in Decal. Vide etiam Commentatores in cap.20. Exodi; & Authores, quos laudabimus infra, in articulo *de Judæorum Legibus, ac Religione.*

Joſephi Scaligeri de Decimis in Criticis ſacris. Vide pariter Seldenum, & Sixtinum Amama de *Decimis. ibidem.*

Joſephi Hall, de Vitulo aureo.

Franc. Moncæi de Vitulo aureo, ſeu Aaron purgatus lib. 2. & vide quid Uſſerius contra eundem ſcripſit

Item Selden. de Diis Syris cap. 4. cum additionibus *Andreæ Beyeri.*

Georgii Mabii Moſcholatria populi Iſrael.

Item tom.4. Bibl. Rabbin. cap.26.27 28. p.148. & 154.

Sal. Deylingii de vultu Moſis radiante. Exod.34. 30. 35. *tom. 3. Obſerv. ſacr.*

Michael Lichtenſtein, de facie Moſis cornuta, *in Theſ. Theol. Philol.*

Item Bibliot. Rabbin. tom. 4. c. 31. de cornibus Moyſis,

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiani Vvalter, de duabus Tabulis Legis lapideis. Exod. 31. 18. *In Theſ. Theol. Philol.*

Item Biblioth. Rabbin. tom. 4. c. 31.

Andr.-Dan. Habichhorſt, de mulieribus, quæ vigilabant ad fores Tabernaculi. Exod. 38. ℣. 8.

In Tabernaculum percurrendus articulus peculiaris *de Tabernacule, & Temple*, infra.

Georg. David. Ziegra, de Oleo unctionis ſacro, ad Exod. cap. 30. ℣. 25. *Theſ. Theol. Phil.*

Fortunati Schacchi Myrothecium. Author iſte, ex ordine Heremitarum S. Auguſtini, de omnibus unctionibus in Scriptura relatis erudite diſſeruit, ſcilicet de Regum, Sacerdotum, Prophetarum, ac de rebus ſanctis; pariter de lampadum oleo; & de oleo thymiamatis &c. ac plures argumento parergas quæſtiones adjicit, quas erudite agitat. Ejus opus, quod perrarum erat, poſt editionem Amſtelodami apud Halmam in fol. 1701. evulgatum eſt.

Joan. Buxtorf. Exercitatio de Arca Fœderis.

Andrea Sennert. de rebus in Arca contentis.

Salomonis Deylingii de Arca Fœderis *Obſerv. ſacr. t. 1.*

De Urim & Thummim ſpectandus *Spencerus* de Leg. Heb. Ritualib. & *Philippus Ribbondeauld*, qui adverſus illum ſcripſit, Genevæ editus 1635. in 12. & *Joannes Jacob. Gancefulder*, qui eadem de re ſcripſit.

Vide pariter *Buxtorfium*, *Andream Sennert*, *Vitſium*, *Abdiam vid-Mar*, *Joannem Beaumbach. de Urim, & Thummim.*

De Sacerdotum veſtibus vide *S. Hieronymum* de veſte Sacerdotali ad Fabiolam *t. 2. p. 574. nov. edit.*

Item *S. Hieronymum* de Ephod & Theraphim ad Marcellam, *t. 2. p. 611. nov. edit.*

Didaci de Caſtillo de Ornatu, & veſtibus Aaron.

Joan. Braunii de veſtibus Sacerdotum Hebræorum 2. vol. in 4. Amſtelodami 1701. nova editio priore præſtantior.

Vide pariter *Hieronymum Soppanis*, *Joannem Ligefoot*, *Joannem Deldeum*, *Samuelem Lee*, *Benedictum Davidem Carpzovium* eadem de re, & quidquid ego in articulo de Sacerdotibus Hebræis ſcripſero.

Salom. Deyling. Quo ordine, & ſitu panes faciendum coram Jehova collocati fuerint tom. 2. Obſerv. ſacr.

Bochartus in ſuis animadverſionibus ad carmen de Saint Aman, inſcriptum *Moyſes ſervatus*, plura de libro Moyſis memorat; ſcilicet de ſede Regum Ægyptiorum ætate Moſis, de more Iſraelitarum in Ægypto &c. Vide *t. 2. Geograph. ſacr. p. 1095. edit. Leid. 1707.*

In Moyſem.

Præter illos, qui ſcribendi unicum ſcopum ſibi præfixerunt Moyſem, juvat meminiſſe *Jo. Helwici Vuillemer*, qui Diſputationem dedit in Virgam Moyſis, Wittembergæ 1680. in 4. Vir Germano-Lutheranus, vivebat adhuc ineunte ſæculo 18.

Salomon Vantill egit de Tabernaculo Moyſis; Amſtelodami 1704. Vide in Pſalmos.

In Codice *Fabricii* plura ſunt ſcripta in Jethro ſocerum Moyſis, ſicut & in Mariam ejus ſororem.

In Iſraelitas.

Opus *Thaddæi Dun* in commorationem Iſraelitarum in Ægypto, excuſum eſt Tiguri 1595. in 4. Reſponſum ejus Apologeticum in *Danielem Angelocratorem* de eodem argumento *ibid. 1603. in 4* Appellatio Angelocratoris; Caſalii 1603. *in 4.* De utroque hoc viro alias.

In Jehovah.

Epiſtola 8. *Hieronymi* ad Marcellam de decem Nominibus Dei legitur cum cæteris tom. 2. pag. 704. novæ Editionis. Hoc facile ſcriptum indicare voluit P. le Long, recenſens Lucubrationem S. Doctoris, in decem tentationes Iſraelitarum in deſerto; neque enim eo titulo inſcriptam ex Epiſtolis ejus criticis vel familiaribus ullam animadvertimus. Quod pariter nobis accidit de Lucubratione, quam ille adnotat, S. Chryſoſtomi in Caput 17. Exodi.

Diſſertatio *Ludovici Capelli* in magnum Dei nomen legitur in calce ejus Criticæ Sacræ p. 666. & Apologia ejus in *Gatakerum* ibid. p. 713.

Gatakeri Lucubratio cum ejus Apologia ſeorſum data eſt Londini an. 1645. De utroque hoc viro ſermo redibit alias. Plures etiam addendi ſuccurrerent Scriptores in magnum illud nomen; ſed modo ſatis.

In tranſitum Maris Rubri.

Georgius Nicolaus Ockelein Diſſertatione illuſtravit iter Iſraelitarum ex Ægypto in Chananæidem; Roſtochii 1707 *in 4.* Vir Germano Lutheranus, ſæculi 18.

Michael Mullerus Germano Lutheranus ſcripſit de mulieribus, quibus Iſraelitæ donati ſunt ab Ægyptiis, proditque opus *in 4.* Tubingæ an. 1702. idemque & Authori ſuo emortualis fuit.

Andreas Kempfer, Germano Lutheranus, ſcripſit de admirabili tranſitu Iſraelitarum per medium Mare rubrum, Gieſſen 1696. in 4.

In Rubum Ardentem.

Hiſtoria *Moncæi* de Apparitionibus Dei, qua in Rubo ardenti, qua etiam alibi, excuſa eſt Pariſiis 1587. & Atrabati (*Arras*) 1592 1597. *in 4.* Ejus Vitulus aureus vel Aaron purgatus *ibid 1606. in 8.* Francofurti 1665. in Critic. Sacr. t. 9. pag. 4416. 4552. In Antiquitatibus Biblicis Lipſiæ 1689. in 12. Reſponſum ejus ad *Robertum Viſorium*, Pariſiis 1608. in 8. ſub titulo: *Everſio vituli aurei purgati.* Patriam habuit Atrebatum, egitque Juriſconſultum, & Poetam; Viſorius autem Doctor erat Sorbonicus atque ad annum 1620.

In Paſcha Judaicum.

Diſſertationem *Scrauchii* in Paſcha Judaicum legas in Theſaur. Diſſ. Philologg. t. 1. Sunt etiam alii quamplures, qui criticam ſuam exercuerunt in poſtremum Paſcha Jeſu Chriſti, cujus Judaicum hoc typus erat & figura. De illis aliquid nos in N. T.

In Angelum Exterminatorem.

Chriſtiani Bromel Germani, Lutheranique Miniſtri an. 1705. data eſt ſeorſum Genevæ 1685. *in 4.*

In Mannam.

Jo. Fridericus Stapelin in ſua Diſſertatione excuſa Wittembergæ an. 1664. in 8. diſſerit de voce Manna; inſerta eſt etiam in t. 1. Theſauri. Vir erat Germano-Lutheranus circa dimidium ſæculi 17. florens.

Jo. Michael Vvalter Diſſertatione Philologica idem pariter argumentum vexavit; Jenæ 1664 *in 4.* quarta Editio. Pater æque & filius claruerunt Scriptis; uterque Germano-Lutheranus ſæculi 17.

In columnam nubis.

Iis, qui de Columna nubis & ignis diſſeruerunt, addendus eſt *Fridericus Valentinus*, cujus diſſertatio prodiit Lipſiæ 1680. *in 4.* & *Chriſtianus Sahm*, *ibid.* 1689. *in 4.* Germani ambo & Lutherani ſub exitum ſæculi 17.

In Vitulum aureum.

Quæ in Vitulum aureum ſcripſit *Joſephus Hall* contineri cenſenda ſunt intra opera ejus impreſſa Londini 1690. 3. vol. *fol.* Vir erat Anglus, & in Anglia Epiſcopus, defunctus an. 1656. ætatis 88.

Jo. Henricus Heidiggerus Diſſertationem vulgavit in hoc argumentum, ſicut & aliam in Reconciliationem populi cum Deo, quam utramque legas in Collectione Diſſ. ipſius Amſtelod. 1690. *in 4.* tom. 3. Vir erat Tigurinus, natus anno 1633. ubi & obiit Calviniſta an. 1698. ætatis 65.

Quæ ſcripſit in Idololatriam populi Dei *Georgius Moebius* excuſa ſunt Lipſiæ 1677. *in 4.* tertia Editio; Opus autem diſtribuitur in quatuor diſputationes. Præpoſtere P. le Long hunc virum appellat Meibomium; hujus enim nominis duo ſunt tantum Marcus, & Henricus.

Egit de hoc argumento pariter *Moncæus*, uti nos ſupra in Articulo de Rubo ardenti.

In

In Arcam Fœderis.

Recenſitis de hoc argumento Scriptoribus juvat addere *Joannem Palmroos* Suevum, Miniſtrum Lutheranum exeuntis ſæculi 17. cujus Diſſertatio prodiit Upſalæ 1700. *in* 8.

In Veſtes Sacerdotales.

Joannes Braunius dedit genus quoddam Commentarii in Capita 28. & 29. Vir erat Alſatius, Germano Calviniſta defunctus an. 1708.

Fridericus Vis exercuit ſeſe in Pectorale Aaronis, ſcribens in Caput 27. ℣. 39. Exodi: Wittembergæ 1678. *in* 4. Vide ſupra.

Didacus Caſtillo Hiſpanus, Epiſcopus S. Fidei in Nova Granata, circa an. 1590. dedit Commentarium literalem & moralem in Veſtes & Ornamenta Aaronis; Lugduni 1654. *fol.*

Matthæus Hiller Opus ſcripſit in duodecim gemmas Pectoralis; Tubingæ 1698. *in* 4. Scripſit & *Jacobus Schepper* Germanice; Nurimbergæ 1604. *in* 12.

In Urim, & Thummim.

Nicolaus Polmannus, Germano-Luteranus, Luneburgenſis, ſcripſit in Urim & Thummim; Wittembergæ 1666. *in* 4. & in tenebras Ægypti; Bremæ 1693. *in* 4.

In Magos.

Joſias Shute ſcripſit de fictis miraculis Magorum; Londini 1645. *in* 4. Vir erat Anglus Eboracenſis, Miniſter Londini, qui deceſſit an. 1640. vel 1643.

Jo. Joachim Zentgrave Diſputationem inſtituit hiſtoricam in geminos illos celebres Magos Janes & Mambres; Argentorati 1669. *in* 4. Vide ſupra.

C O R O L L A R I U M.

AUTHORES ADDENDI HUIC ARTICULO.

C*Alvorus* ſcripſit quatuor Diſputationes in Columnam nubis & ignis; in Mannam; in Faciem radiantem Moyſis; in Veſtes Iſraelitarum, quæ uſu non deterebantur; impreſſæ ſunt autem omnes cum ſuperioribus. Michael Liebentans Diſſertationem ſcripſit de Manna; Wittembergæ 1662. in 4. Exercitationes geminas in Cherubim Propitiatorii, *ibid* 1683. *in* 4. In pectorale & laminam Aaronis *ibid*. 1659. & 1662. vol. 2. *in* 4.

Jo. Andreas Quenſtet edidit de primitiis & decimis Hebræorum Librum, Wittembergæ 1625. *in* 8. De Agno Paſchali 1699. *in* 4. De Angelo Exterminatore *ibid*. 1676. *in* 4.

Joannes Friſchmuth ſcripſit de Circumciſione, qua Sephora ſuis ipſa manibus obſignavit filium ſuum; Jenæ 1663. De Agno Paſchali *ibid*. 1660. *in* 4. De Arca Fœderis 1675. ſecund. Edit. *in* 4. De veſte ſacra Summi Sacerdotis 1669 *in* 4.

Jo. Benedictus Carpzovius exercuit ſeſe ſcripta Diſſertatione in Sepulchrum Joſeph, Lipſiæ 1647. *in* 4 Et altera in Nummos exhibentes Moyſem bicornem; *ib*. 1659. *in* 4. Sicut & geminis Diſſertationibus illuſtravit Arcam Fœderis Argentorati 1658. *in* 4. Vide infra.

Lud. Georgius Treviſanus Diſſertationem vulgavit in Exodi XXXIII. 21. 22. 23 ubi de gloria Dei *a poſteriori*. In Biblioth. Philolog. tom. 4. p. 1. 19.

David Conſtans ſcripſit in Rubum ardentem, & in Serpentem æneum, utrumque autem hoc junxit Lucubrationi in uxorem Loth. Vide ſupra. Dedit etiam Orationem in tranſitum Maris Rubri, Lauſannæ 1690. in 4. Lauſannæ natus vir an. 1638. renunciatus fuit Miniſter Calviniſtarum an. 1660. Collegii Lauſannenſis Principalis an. 1674. Vivebat adhuc an. 1720. ætatis 82. Operum ejus catalogus retexitur in Bibliotheca Philologica tom 4. p. 676.]

COMMENTARIA IN LEVITICUM.

O*Rigenes* ſexdecim homiliis, quæ extant, totum hunc librum, ultimo excepto capite, interpretatus eſt.

Heſychius, *vel Yſichius* Patriarcha Jeroſolymitanus ſeptem libros in Leviticum ſcripſit, Pariſiis editos Græce 1581. & Baſileæ 1587. in fol. & in Biblioth. PP. tom. 12. pag. 52.

Radulphus Flaviacenſis in Levitic. lib. 20. tom. 17. Bibl. Patr. p. 47. Monachus erat S. Benedicti ex Cœnobio Flaviacenſi, alio nomine S. Germeri in Bellovacenſi Diœceſi. Obiit circa an. 1157.

Joannes Lorinus, *& Petrus Serranus* in eumdem librum ſcripſerunt.

Omitto S. Auguſtinum, Theodoretum, Cajetanum, Oleaſtrum, cæteroſque, qui in totum Pentateuchum laborarunt.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN LEVITICUM.

O*Rigenes*. Præter homilias 16. ejus Scriptoris in Leviticum, extant adhuc Scholia ipſius in Editionibus Latinis Baſileæ & Genebrardi, recurrunt etiam in Editionibus Latinis Cyrilli Alexandrini, ait P. le Long; & D. Huetio vulgante leguntur fragmenta quædam ſecundæ homiliæ Græce & Latine in tom. 1. p. 26.

Heſychius. Opus Heſychii Græcum eſſe nonniſi per errorem aſſeruimus; in Editione Baſileenſi Latinum extat; in Pariſienſi Græcum legi affirmat Crovæus. P. le Long mentem ſuam non explicat; P. Labbe affirmat Græce quidem illum ſcripſiſſe; alterius vero opera ſemibarbara Latinitate donatum fuiſſe. Nobis mens fuit aſſerendi, Latinum extare in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi.

D. Dupin ad ſæcul. 17. p. 30 laudat Commentarii hujus perſpicuitatem qua ſenſus literalis & moralis paucis exponitur; allegoricus vix obiter attingitur: perſuadetur autem Authorem illum ſcripſiſſe Latine. Tradit Sacerdotem egiſſe Jeroſolymæ, & non Patriarcham, quod incertum eſt maxime; quo etiam ſæculo floruerit inter incerta eſt incertiſſimus.

Radulphus vel *Raoul*, Libri ejus viginti impreſſi ſunt ſeorſum Coloniæ 1532 *fol*. Exponit ſenſum hiſtoricum & ſpiritalem Scripturæ docte adeo, pie, & erudite, ut Commentatores reliqui illi plurimum concedant, ait Sixtus Senenſis. De illo Blondellus in Tract. de Papiſſa Joanna.

Joannis Lorini Commentarii ſæpius exercuerunt prœla; optimas Editiones aſſignat P. le Long Duacenſem & Antverpienſem 1620. *fol*.

Petri Serrani Cordubenſis, Canonici Complutenſis, defuncti an. 1578. prodierunt *ibid*. 1572. *in fol*. & 1609.

C O R O L L A R I U M.

COMMENTARII PROTESTANTIUM ET JUDÆORUM IN LEVITICUM.

ANimadverſiones *Joannis*, *Coqui*, Calviniſtæ, in Exodum & in Leviticum junctim prodierunt. Vide ſupra.

Joannis Bracardi Calviniſtæ Bremenſis ſeculi 16. Commentarios dederunt prœla Leidenſia 1580. *in* 8.

Pauli Conſtantini Phrygionis, Lutherani, Miniſtri Tubingæ, defuncti an. 1543. Expoſitio prodiit Baſileæ 1543. *in* 4. & 1548. *in* 4.

Vuolfangus Frantz dedit Opus in Leviticum, inſcriptum *Schola Sacrificalis*, Wittembergæ 1698. edit. quar. Dedit & Commentarium, quo *ſolide*, ait P. le Long, leges cæremoniales et rituales, uſum illarum typicum, et caſus plures difficiles exponit, Lipſiæ 1692. in 4.

Valens Albertus adjecit huic Præfationem, in qua diſſerit de neceſſitate noſcendi Leges et de earum utilitate, teſte Joanne Fabricio in ſua Bibliotheca Hiſtorica tom. 4. p. 59.

Vir erat Germano-Saxo, natus Variſci, immortuus in Lutheraniſmo an. 1628. ætatis 64. Raram pietatem eximiæ eruditioni junxiſſe illum perhibet Amama, de *Barbaris cap.* 8.

In-

Inter Judæos, *Aaron*, filius Abraham, & Princeps Synagogæ Marochi circa an. 1209. dedit veterem Commentarium, inſcriptum de Sacrificio Aaronis, editum Venetiis 1609. *in fol.* Ad hæc rationes tredecim exponendi Legem, ibid. 1209. *in fol.*

Tobias, filius Eliezer, adornavit Collectionem omnium quæ utiliſſima ſunt in Levitico, in Numeris, & in Deuteronomio, ibid. 1546. in fol.]

TRACTATUS SEU PECULIARES DISSERTATIONES IN LEVITICUM.

De puris, ac impuris Animalibus vide inſigne opus *Bocharti* de Animal. ſacr.

De defectibus, qui animalia ab Altare arcebant, ſeu ne mactarentur impedimento erant, vide Moyſem Ægyptium in *Jad.Cazakah, ſeu Imbonati Bibl.Rabb. p.471. t.4.*

Diſſertatio de Lepra, *Calmeti Comment. ad Levit.*

Jacobi Alting de Lepra *Orat. 5. nona Epcados.*

Jo. le Clerc, Diſſert. de Lepra *Comment. ad lib. Eliſ.*

Joan. Kniſchmuth de Hirco emiſſario. *Theſ. Theol. t.2. Vide & Spenc. de Leg. Heb. rit. c. 3 Diſſ. 8. c.1.*

De Feſtis Judæorum v. infra articulum de Religione, ac Feſtis Judæorum.

Salom. Deylingi de Authore Sacrificiorum *tom 2. Obſerv. ſacr.* De antiquitate ignis ſacri, & perpetui apud Hebræos *Levit.6.13.& 9.24.* ibid.

De ingreſſu Pontificis in Sancta Sanctorum die Expiationis. *Levit. 16.* ibid.

De orbiculari Corona Arabum. *Levit.19.27.* ibid.

Samuelis Bochart de Veſte lino, & Lana intertexta *t.2. Geogr. ſacr. p. 880. edit. Leid. 1707.*

Diſſertatio in Moloch. *Calmet Comment. in Levit.* 28. 21.

Valent. Ceriſſing de Immolatione liberorum Moloch facta. *In Theſ. Th. Phil.*

Joan. Seldeni de Diis Syris c. 6. & Andreæ Beyer additiones. Cum de Seldeno crebrius occurrat ſermo, aliquam viri ideam exhibuiſſe conducit. Penitiſſimæ eruditionis ſacrarium erat; antiquitates, ac Judaica jura maxime callebat; Orientalibus Linguis familiariſſime utebatur; ejuſque opera de Græcis Antiquitatibus edita non minus hoc in genere, quam in Sacris Antiquitatibus eximie inſtructum probant; incultus eſt tamen, obſcurus, ac confuſus: in Digreſſiones crebro longiſſime excurrit, nullumque fere ordinem, ac methodum in ſuis Operibus ſervat.

Salom. Deyling. de hirco emiſſario *t.1. Obſerv. ſacr.*

[*In Hircum Emiſſarium.*

Diſſertatio *Feiſchmuth* in Hircum prodiit ſeorſim Jenæ 1664. in 4. Scripſit etiam de *Sepimenta Legis*, ibid. 1674. in 4.

Sebaſtianus Schmids de *Hirco Apopompæo*, Argentorati 1676. in 4.

Bernardus Petrus Karll de Hirco Emiſſario, in Biblioth. Philolog. t.3. p 56.57. & tom.6. pag. 225.243.

Bernardus von Sanden de utroque Hirco, Regiomontii 1699. in 4.

Daniel Lunde de Vacca Rufa, Upſalæ 1707. *in 8.*

De Re connubiali.

Paulus Hulſius edidit Diſſertationem de connubiis veteris apud Hebræos, ex quo dum occaſione differit de inceſtibus omnibus commiſſis ab Adam uſque ad Moyſem; Croningæ 1702. & 1714. 2. vol. in 4. Vir erat Germano-Calviniſta Croningæ ineunte ſeculo 18.

In Nadab & Abiu.

Sontage ſcripſit de pœna exacta e Nadab & Abiu; eſt autem diſputatio in Levitici cap. 10. Altorfii 1692. in 4. *Olaus Ericus Tormius* ſcripſit de Sacrificio Minkha, in caput 3. Franekeræ 1664 in 4. Patriam habuit Croningam, & profeſſus eſt Lutheraniſmum.

Jo. Benedictus Carpzovius edidit Diſſertationem in Caput 22. 44. inſcriptam: *Aurea Simia* Judæorum, quo deſignat pravam illam interpretationem Judæorum ejus Textus, quippe qui probare ex eo conantur Meſſiam nondum veniſſe; ab eo vero ſeſe reducendos in Terram Chanaan. Docta hæc Diſſertatio, quæ jam prodierat Lipſiæ 1681. in 4. inſerta eſt in Nova Edit. Critic. *Sacr.* p. 345.

Andreas Narvell. diſſeruit de Avibus, de quibus in capite 11. 20. 21. 22. inſertum eſt autem Opus in Biblioth. Philolog. t. 3. p. 36. 57.]

COMMENTARIA PECULIARIA IN NUMEROS.

Origenes 18. Homilias in totum Numerorum librum exaravit. Huic cæteri adjici poſſunt Commentatores, qui in Pentateuchum ſcripſere.

Item Joannes Lorinus, Sixtinus Amama, de Muis &c.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN NUMEROS.

Homiliæ 28. *Origenis* Latine tantum ſeſe offerunt in Editionibus Latinis Baſileæ, & Genebrardi.

De Commentariis *Joannis Lorini* acturus P. le Long exordium facit a Numeris, quod Opus eſt optimum & grave; prodiit Lugduni 1662. *in fol.*

Jo. Rusbrock, vel *Rusbrochius* in ſuo Tabernaculo Moyſis inter cætera ejus Opera impreſſo Coloniæ 1555. in fol. & 1609. in 4. explicat myſteria plura hujus Libri. Vir erat Brabantinus, & Canonicus Regularis, non Benedictinus, ut per errorem ſcripſit P. le Long; obiit anno 1380.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM IN NUMEROS.

Villelmus Atterſol, Anglus in vivis agens an. 1619. paterno ſermone ſcripſit Commentarium editum Londini 1618. *fol.* iteratumque Belgice verſum prodiit Amſtelodami 1667. fol.

Carolus Lishman Suevo-Lutheranus, defunctus anno 1686. Diſputationem ſuam in hunc Librum vulgavit Upſalæ, anno 1655. in 8.

Unus e gente ſua in Numeros peculiariter ſcripſit *Tobias Judæus*, cujus Opus jam recenſuimus.]

DISSERTATIONES IN QUÆDAM NUMERORUM LOCA.

D. *Hieronymi* de XLII. Manſionibus ad Fabiolam *t. 2. p. 588. nov. edit.*

Hermanni de Sebildis de XLII. Manſionibus.

Georgii Ritterſhuſii de jure aſylorum; ad Num. 35.

Sal. Deyling. de diſpoſitione caſtrorum Iſraelis in deſerto *t. 2. Obſerv. ſacr. c. 20.*

Diſſertatio in Beelphegor, & Chamos. *Calmet. Comment. in Num.*

Vide etiam *Seldenum* de Diis Syr. c. 5. & additiones Beyeri.

Joan. Henrici Heuer de ritu Benedictionis Sacerdotalis. *Num. 6. 25. Theſ. Th. Philolog.*

Jac. Schmaltzii, de uxore Moyſis Æthiopiſſa *ibid.*

Caroli Imbonati de Coturnicibus, a quibus Iſraelitæ perierunt. *Num. 11. 32. Bibl. Rabb. t. 4. p. 167.*

Mich. Bek de uva magna Chananæa, ad Num. 13. *In Theſ. Theol.*

Chriſtiani Cerſolds de Virga Aaronis florida. *Num.17.*

Salom. Deylingii de Balaam Vate *tom. 3. Obſerv. ſacr.*

Jo. Vullemer. de Stella ex Jacobo oriunda.

Jo. Chriſtoph. Vagenſeil de uxore adulterii ſuſpecta.

Guillelmi Salder de aquis amaris.

Andreæ Acoluthi de iiſdem.

Joan. Seldeni Uxor Hebraica.

Petri Cunæi de Repub. Hebræorum.

Georgii Mobii de Serpente æneo.

Buxtorf. de eodem.

David. Conſtan. de eodem.

Caroli Imbanati de Serpente æneo *Bibl. Rabb. t.4. p. 167.*

Balsami Hiſtoria a *Georgio Mobio.*

Sal. Deylingii Serpentis ænei Hiſtoria *Obſerv. ſacr. t. 2.*

Jul. Bartoloeci de Balaam & Belphegor *t. 1. Bibl. Rab. p. 655*

[Io-

Digitized by Google

[*In Hasloenis Hebræorum*,

Opus *Hermanni Schildis*, Germano-Weſphali, Auguſtiniani, defuncti anno 1357. vulgatum fuiſſe typis, vix credo; quin nec inter cætera, quæ manuſcripta ſervantur in Bibliotheca Baſileenſi, illud recenſet P. le Long.

In Aſylo.

Georgii Kisterchuſii de jure Aſyli Opus vulgatum eſt Argentorati an. 1624. in 4. iterùmque in Critic. Sacr. t. 8. p. 2ſu. Filios erat Conradi, Lutheranus, defunctus poſt an. 1624.

Thomas Lehner Germano-Lutheranus ſub exitum ſeculi 17. exercuit ſeſe in idem argumentum; prodiitque Opus Lipſiæ 1673. in 4.

In Uxorem Moyſis.

Jacobi Schalmare in uxorem Æthiopiſſam Moyſis Diſſertatio prodiit Lipſiæ, an. 1075. in 4. *Henrici Hanor*, Germani itidem & Lutherani, in Benedictionem Sacerdotalem; Jenæ 1671. in 4. & in Theſ. Diſſ. Philologg. t. 1.

In Racemum uvæ & Virgam Aaronis.

Michaelis Bockii Diſſertatio in celebrem botrum uvæ, ibi pariter legenda eſt. Vir Lutheranus, Wittembergenſis, deceſſit an. 1704.

Chriſtianus Korselds diſſeruit de virga Aaronis florente, Kilonii an. 1676. in 8.

Idem argumentum excuſſit etiam *Joannes Majus*, Wittembergæ 1680. in 4.

Idem Diſſertatione Theologica & Philologica *Chriſtianos Vonſtecken*, Kilonii 1676. in 8.

In Ariolum Baal.

Præter Deylingium, *Joannes Coquens* Animadverſiones ſuas in Oraculum Baal vulgavit ſimul cum Opere ſuo in Exodum.

Hieronymus Vueller in hanc Hiſtoriam Animadverſiones junxit Adnotationibus ſuis in Geneſim. Vide in hunc Librum.

Diſſertatio *Joannis Vollemer* in ſydus Jacob prodiit Wittembergæ 1678. in 4. Vide ſupra. Joannis Benedicti eſt etiam ſcriptum in Oraculum Balaam, Lipſiæ 1692.

Alia ſunt etiam *Jo. Georgii Salmuth*, & *Nanidi Schrader* virorum Lutheranorum ſeculi 17. Heidelbergæ 1659. in 4. & Jenæ 1608. in 4. *Guilielmus Hilliger* laboravit in Aſinam conceptis verbis loquentem, Vittembergæ 1672. in 4.

In Aquas Zelotypiæ.

Chriſtophori Wangenſeilii Lutherani, Nurimbergenſis & Profeſſoris Altorfii defuncti an. 1706. Diſſertatio prodiit Nurimbergæ an. 1674. in 4.

Andreas Acoluthus Uratiſlavienſis, Sileſius, Lutheranus, Profeſſor Linguarum Orientalium, defunctus an. 1704. ſcripſit *Philoisgemmm*, editum an. 1674. 1682. in 4. Male autem in noſtris impreſſis eſt Acoluſius.

Guilielmi Salser, qui & Saldenus, Belgo-Calviniſtæ, Diſſertatio legitur in Otiis Theologicis Amſtelodami 1684. in 4.

In Serpentem Æneum.

Opus *Georgii Moebii* in Serpentem æneum prodiit Lipſiæ an. 1674. 1686. in 4. Scripſit etiam in ultionem Dathan & Abiron, *ibid.* 1677. in 4. Tandem Diſputationes ſex in Oraculum Balaam; *ibid.* 1675, 1676. in 4.

Davidis Conſtans Lucubratio conjuncta eſt alteri de Uxore Loth. Vide in Geneſim.

C O R O L L A R I U M.

AUTHORES ADDENDI HUIC ARTICULO.

In Nazaræos.

JO. *Fridericus Mahbars* tribus Diſſertationibus egit de Chananæis, de quibus in caput 6. 9. 12. Jenæ 1676. in 4. Vir erat Germanus Lutheranus exeunte ſeculo 17.

Joannes Clodr ſcripſit de Jure Nazaræorum deducto ex Antiquitatibus Hebraicis; Wittembergæ 1672.

In Jubilæum.

Joannes Deutſchman illuſtravit argumentum de Jubilæo Hebræorum, de quo in capite 16. 22. 26. Wittembergæ 1700. in 4.

In Aaronem.

Jo. Chriſtophorus Ortlob diſſeruit de obitu Aaronis, ad caput 30. Lipſiæ 1704. in 4. Vide ſupra.

Joannes Hiller ſcripſit de Laciniis Hebræorum, ad caput 15. 37. 41. Tubingæ 1703. in 4.]

COMMENTARIA IN DEUTERONOMIUM.

PRæter Authores, qui in Pentatheucum conſcripſere, videndus *Lorinus* in Deuteronomium.

And. Maſius in Deuteron. c. 18. & ſequent.

Sixtinus Amama, *Simeon de Muis*, *Paulus Fagius*.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN DEUTERONOMIUM.

COmmentarius *Joannis Lorini* in Deuteronomium ſeorſum pariter vulgatus eſt, Lugduni 1625. 1629. 2. vol. *fol.*

Quidquid nobis communicatum eſt *Maſii*, vel *Maes* erutum fuit e manuſcriptis ipſius, additumque in calce Commentarii ejus in Joſue; ſunt autem adnotationes a cap. 16. uſque ad 34. relatæ etiam in Nova Edit. Critic. Sacr. an. 1698. & in Supplemento an. 1701. *fol.* Vide in Joſue.

C O R O L L A R I U M,

COMMENTARII PROTESTANTIUM ET JUDÆORUM.

J*Oannis Coqueti* Animadverſiones in ſex poſtrema Capita Deuteronomii prodierunt Franekeræ 1650. in 4. & ejus Notæ Analyticæ a capite 1. uſque ad 29. junctim prodierunt cum ſcriptis ejus in Numeros: *Wolfangi Franz* in eundem Librum Diſputationes quindecim haberi poſſunt loco optimi Commentarii, ait P. le Long, prodierunt Wittembergæ, an. 1008. in 4.

Iſaac Abarbanel vel *Abarbinel*, de quo nos ſupra, dedit Commentarium vulgatum 1551. *fol.* Addendum hic de viro illo ſuccurrit, inter Doctos Rabbinos tenere primas; exponere plerumque literalem ſenſum Scripturæ; ſed in Chriſtianos eſſe iniquiſſimum.].

DISSERTATIONES IN DEUTERONOMIUM.

A*UG. de Quiros*, SJ. Commentar. in poſtremum Canticum Moyſi.

Diſſert. de Divortio, Deut. 24. *Calmet*, *Comment. in Deut.*

Jacobi Perizonii de Conſtitutione Divina ſuper ducenda defuncti fratris Uxore.

Joban. Vilhelm. Hilliger de veſtimentis Iſraelitarum in Deſerto, ad Deut. 18.

Coſmas Indopleuſtes. p. 205. *Marklus* Exercit. Biblic. 14.

Deyling. Obſerv. Sacr. t. a. c. 17.

Georgii Friderici Meinhart, de Propheta Moyſi pari. *Deut.* 18

Salom. Deyling. de eodem *tom.* 2. *Obſerv. ſacr.*

Diſſertatio de Morte Moyſis. *Calmet.* Comment. in Epiſt. ad Hebræos.

Marci Marini de fabuloſa morte Moyſis.

Joan. *Ernesti Gerard.* de ſepultura Moyſis. *Vide Apocrypha V. T. Joan. Alb. Fabricii*, & *Petirath Moſe* editum opera Gaulmini.

Jacobi Friſchmuth de Morte Moyſis,

Joachim Eſtii de pugna Michaelis pro corpore Moyſis.

Georg. Hornius Hiſt. Eccleſ. n. 74.

Bartolocci de inventione corporis Moyſis *Bibl. Rabb.* *tom.* 2. *pag.* 958.

[In

Digitized by Google

[*In Moyſem.*

COmmentarii *Auguſtini Quiros* in Canticum Moyſis dati ſunt Lugduni an. 1623. in 4. ſecunda editio cum cæteris ejus operibus. Hiſpanus erat, inter Jeſuitas adlectus an. 1583. et ex primis Alumnis S. Ignatii; deceſſit an. 1622. ætatis 56.

Georgius Fridericus Meinhart ſcripſit quædam in Moyſem, vulgata in primo tomo Diſſ. Philolog. Diſſertatio *Joannis Friſchmuth* in obitum et ſepulturam Moyſis, prodiit Jenæ 1656. in 4.

Joannis Gerardi filii, Germano-Lutherani, viventis adhuc ineunte ſæculo 18. Diſſertatio in idem argumentum excuſa eſt Lipſiæ 1703. in 4.

Quo in loco edita ſit Lucubratio *Marci Marini*, de fabula obitus Moyſis, ignoramus; nihil de illo P. le Long. Scitum eſt tantum profeſſum illum fuiſſe ordinem Canonicorum Regularium Lateranenſium, ac obiiſſe an. 1594.

In Viduam e fratre defuncto relictam.

Quæ diſſeruit *Jacobus Perizonius* in caput 25. 56. ubi Lex Dei de ducenda vidua uxore fratris defuncti, acceſſit aliis ejus Diſſertationibus p. 1. Franekeræ 1691. in 8. et Lugduni Batavorum 1702. in 8. Vir erat Hollando-Calviniſta, defunctus an. 1715.

In veſtes Hebræorum.

Joannis Hilligeri, in veſtes Hebræorum uſu non detritas in Deſerto; Wittembergæ 1676. in 4. Vir erat Germano-Lutheranus. *Coſmas Ægyptius*, *Indopleuſtes* ex navigationibus ſuis ad Indias appellatus, idem argumentum tractavit in Libro Operis ſui quinto. Extat Opus in Collectione PP. Græcorum D. Montfaucon to. 2. in cujus Præfatione de hoc Authore plura; ſicut & plura de illo Fabricius Biblioth. Græcæ l. 3. c. 25.

Joannis Marckii, Belga-Calviniſtæ, Exercitationes Biblicæ editæ ſunt Amſtelodami an. 1694. in 4.

Petirath Moſe, Gilberti Gaulmini, Gallo-Catholici, defuncti an. 1667. prodiit Hebraice & Latine, Pariſiis in 8. cum Præfatione Jo. Alberti Fabricii. Agitur ibi de vita & obitu Moyſis.

Joannes, vel *Joachim Hecht*, Germano-Lutheranus, ſcripſit de altercatione S. Michaelis cum Diabolo; Jenæ an. 1653. in 4.

Joannes Baeſche, item Germano Lutheranus edidit Diſputationem in ſepulcrum Moyſis, Lipſiæ 1703. in 4.

COROLLARIUM.

AUTHORES ARTICULO HUIC ADDENDI.

In Moyſem, & alia Argumenta.

JOannis Meyeri Diſſertatio Theologica de veritate & divinitate hiſtoriæ & prophetiæ Moyſis, Harderwich an. 1701. in 4. Vide infra. *Abraham Calovius* explicavit ejus Canticum, et Vale extremum; Wittembergæ an. 1668. in 4.

Zacharias Hentzel ſcripſit pariter Diſſertationem in altercationem S. Michaelis, *ibid.* in 4. et in Diſſ. Philologg. tom. 1.

Nicolaus Nieremberg, Germano Lutheranus, Roſtochienſis Miniſter, defunctus an. 1669. edidit hujus argumenti Exercitationem exegeticam et polemicam; Ratiſponæ 1682. in 4.

Jo. Nicolaus Quiſtorp Germano-Roſtochienſis, Lutheranus, defunctus an. 1669. diſſeruit de monte Nebo, de quo in Deuter. 32. 49. Roſtochi 1657. in 4.

Thomas Revius Anglus egit de Judicibus, de quibus in cap. 1. Londini 1632. in 4.

Gabriel Reuſſelius de morbo peſtilenti, ad cap. 28. 21. Extat in Theſaur. Diſſ. Philologg. tom. 1.

Chriſtianus Saldenus illuſtravit argumentum eorum qui mendicabant in Iſraele, ad cap. 15. 4. in Otiis Theologicis. Vide ſupra.

Fridericus Adolphus Lampe, Germano-Calviniſta Eccleſiæ Bremenſis dedit Harmoniam a quinto capite Deuteronomii adusque vigeſimum Exodi, in quam congerit variantia, & exponit præcepta Decalogi. Extat id totum in ejus Bibliotheca Philolog. impreſſa Bremæ an. 1719. tom. 1. a pag. 75. uſque ad 110.]

COMMENTARIA PECULIARIA IN JOSUE.

ORigenes 26. Homilias in Joſue ſcripſit.

S. Auguſtinus, *Beda*, & *Theodoretus* quæſtiones in hunc librum inſtituerunt.

Procopius brevi, ſed utili Commentario illum interpretatus eſt.

Toſtatus, *Cajetanus*, *Coſmas Magalianus*, *Arias Montanus* ipſum pariter interpretati ſunt. At omnium præſtantiſſimum opus Andreas Maſius, linguarum peritiſſimus, vulgavit. Idem pariter totum hunc librum ex Hebræo vertit. Obiit 1573. Editioni Polyglottorum Antuerpienſium operam navavit.

Jacobus Bonfrerius S. J. in Joſue elaboravit felici ſucceſſu, in Geographiam præſertim, libro edito Locorum Hebraicorum ab Euſebio exarato, & a S. Hieronymo verſo, cui elegantes Notas adjecit.

Cornelius a Lapide in Joſue.

Nicolaus Serrarius e S. J. Ramberville in Lotharingia oriundus, plura erudita opera in Scripturam, ac fuſius præſertim Commentarium in Joſue elucubravit. Hanc ſibi methodum præſcribit; quæſtionibus in hiſtoriam propoſitis, fuſius illas in utramque partem agitat, ac tandem reſolvit. Hæ quæſtiones, ut totidem Diſſertatiunculæ, habendæ. Serrarius occubuit an. 1607. Ejus Commentarium in Joſue an. 1672. Mogontiæ *in fol.* editum fuit. Simonius ejus eruditionem, eximiumque ingenium commendat: at in ſuis quæſtionibus nimium adſcititiæ ſcientiæ, parumque criticæ intermiſcuiſſe reprehendit.

Ex Rabbinis R. Salomon, David Kimchi, Levi Ben-Gerſon, in Joſue ac Judices ſcripſere.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN JOSUE.

ORigenes. Homiliæ ejus 26. Latine tantum recitantur in Editionibus Baſileenſi & Genebrardina. D. Huetius vulgavit fragmentum Græcum & Latinum Homiliæ tertiæ & vigeſimæ deductum ex Philocalia. Commentarius *Procopii* continetur in ejus Catena in Octatenchum. Vide ſupra.

Opus *Ariæ Montani* inſcribitur: *De optimo Imperio*; eſt autem Commentarius in Joſue, impreſſus Antuerpiæ 1583. in 4. Opus eximium Authoris clari adeo nominis, ut de illo nihil neceſſe ſit quidquam dicere in præſenti.

Maſius. Opus ſuum ita inſcripſit: *Joſue Imperatoris hiſtoria illuſtrata atque explicata*; *ibid.* 1564. *in fol.* in Critic. Sacr. tom. 2. in Joſue. Exponit & myſteria & genuinum ſenſum Scripturæ, critico ſapore diſſerit atque refutat fabellas veterum Hebræorum æque ac Thalmudiſtarum; Geographus peritus deſcribit Urbes & loca omnia, de quibus in Sacris Scripturis. Adnotationes ejus viri & Commentarium Opera eſſe digniſſima, quæ nunquam ceſſantibus impreſſionibus perpetuentur affirmat Simeon de Muis. Deceſſit Maſius an. 1573. fruſtratus deſiderio videndi Opus ſuum typis impreſſum.

Bonfrerius. Commentarius ejus editus eſt Pariſiis an. 1659. *in fol.* Dictis de hoc viro addemus, excelluiſſe illum in ſeligendis variis Verſionibus atque inter ſe conferendis; adeo ut, ait D. Dupin, cæteros alios Commentarios plurimo ſuperet intervallo.

Coſmas Magalianus Luſitanus, Jeſuita, denatus an. 1624. ætatis 73. dedit Commentariorum in hiſtoria Joſue tom. 2. *in fol.* quibus adjecit Appendicem. Prodierunt omnia Turnoni 1612. De illo cæteriſque ejus Operibus agemus ad Judices, & ad geminas Epiſtolas ad Timotheum.

Serrarius. Succurrit de hoc viro, obiiſſe illum an. 1609. & non 1607. uti mendo Typographi in noſtris impreſſis. De Prolegomenis ipſius, quod Opus eſt ejus Scriptoris eximium, agemus in tertia parte.

Addemus hiſce *Henrici Mastelli* Jeſuitæ, Belgæ, defuncti Remis an. 1664. ætatis 71. Commentarios impreſſos Wirtzburgi 1661. in 4.

Digitized by Google

Emmanuel de Naxera Hiſpano Toletanus, Jeſuita, defunctus an. 1680. juxta P. le Loog, 1675. juxta Nicolaum Antonium; edidit Commentarium literalem & moralem, Antuerpiæ 2. vol. *in fol.* 1658. tertia Editio.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM, ET JUDÆORUM.

JOannes *Mulmanus*, Lutheranus e Pegave, defunctus an. 1613. ætatis 40. ſcripſit Commentarium, quem recenſuit Samuel Martini, vulgavitque an. 1701. in 4.

Joannes Coppens ſcripſit breviores Notas; & *Druſius* Adnotationes in Joſue. Vide ſupra. Quicunque ſcribendum ſuſceperunt in Libros Hiſtoricos, exordium operis ſui conſtituerunt in Joſue; Brentius, Chythræus, Clericus, cæterique, qua Lutherani, qua Calviniſtæ.

Idem pariter ſervatum & a Judæis Scriptoribus: ſed Aaron, filius Abraham dedit: *Cor Aaronis* Hebraice cum Teatu, Venetiis 1609. *in fol.*

David, filius Joſeph Kemhi, natus in Hiſpania, & defunctus an. 1232. adornavit Commentarium Hebraicum *in fol.* impreſſum an. 1486.

Samuel Laniado ſuum etiam dedit, inſcriptum: *Vas pretioſum*, Venetiis 1603. *in fol.*

Suum *Levi* filius Getſen an. 1494. *in fol.*)

DISSERTATIONES IN JOSUE.

IN Geographiam terræ Sanctæ vide infra Authores, quos ad vocem *Geographia* retuli.

S. Hieronymus *de terra Promiſſionis, Ep. ad Dardanum; & Epitaphium Paulæ* ex eodem; ejuſque liber de locis Hebraicis.

Aug. Calmeti Diſſertatio de mandato, quo Joſue Solem tenuit.

Abarbanelis de Miraculoſa ſtatione Solis tempore Joſue, *ex Verſ. Jo. Buxtorf.*

Aug. Calmeti Diſſertatio de lapidum pluvia in Chananæos; de Regione, in quam Chananæi a facie Joſue confugerunt; ejuſque quæſita in Geographiam terræ Sanctæ, ad caput Joſue appoſita.

Nicolai Serrarii, Joſuani Sacerdotes. Primum inter opuſcula Serrarii.

(In Miraculum Solis.

ISaac *Abarbanel.* In præfatione Commentarii ſui egit ille de hoc prodigio. Prodiit Lipſiæ an. 1686. *in fol.* & Hamburgi an. 1687. Editio aucta Spicilegio obſervationum. Hanc ipſam Præfationem Latine dedit Joannes Buxtorfius in ſuis Diſſertationibus; Baſileæ 1662. in 4.

Jo. Jacobus Holſet, Germano Lutheranus ſcripſit de hoc argumento; Vvittembergæ 1678. in 4.

Emmanuel Porto, Italus ſæculi 17. junxit ea, quæ ſcripſit de hoc miraculo, iis, quæ diſſeruit in retrogradationem Solis ſub Ezechia; Paduæ 1643. in 4.

In Gabaonitas.

Joannes Fechs Diſputationem elucubravit in c. 9. de Religione Gabaonitarum; Durlaci an. 1703. in 4. Vide ſupra.

Daniel Pfeiffinger ſcripſit pariter qua de gentibus illis, qua de aliis, de quibus in eo Capite. Vide in Aggæum.

In Jericho.

Jo. Franciſcus Buddaus egit ſcripta Diſſertatione de rulnis Jericho, Jenæ 1690. in 4. ſicut & de illis in Parergo hiſtorico & theologico, *ibid.* 1703. in 8.

Idem argumentum vexavit *Joannes Andreas Schmidt*; Jenæ 1690. in 4. Vide infra.

In Diſtributionem terræ Chanaanitidis.

Henricus Buntingius elucubravit Tractatum in diſtributionem Terræ Chanaanitidis inter duodecim Tribus, in ſuo *Chronico Eccleſiaſtico* Magdeburgi an. 1597. *in fol.* Opus iſtud Commentarium in Joſue appellat D. Dupin, Patriam habuit Hanuvetiam; egitque Miniſtrum Lutheranum Goslarii circa an. 1590. Inſignitur titulo viri docti, ingenio præſtantis, accurati, & induſtrii.

In varia alia argumenta.

Andreas Kempfer diſſeruit de tranſvadatione Iſraelitarum per medium Jordanem, Gieſſen 1696. in 4. cui & junxit Lucubrationem de transfretatione Erithræi. Vir erat Germano Lutheranus.

Joannis Paſchii Scriptum de Urbe Selah legitur in *Diſſ. Philogg.* tom. 1. Alter eſt vir a Cornelio Paſchio. *Chriſtophorus Henricus Rittmeirus* vulgavit Diſquiſitionem in Urbem Cariath Sepher, ideſt humaniorum literarum ad caput 15. 15. Helmſtadii an. 1711. Vir erat Germano Lutheranus Græcarum literarum Profeſſor ineunte ſæculo 18.

Jo. Georgii Abichs Diſputatio de cultris ſaxeis, ad Joſue 5. Regiomontii an. 1713. in 4. Opus eſt non ſummo digeſtum ſtudio, cui plura facile addas.

Gerardus Outhove vulgavit Diſſertationem in Rahab; 20. articulis digeſtam, legendam in Biblioth. Philolog. tom. 3. p. 438. 469.)

COMMENTARIA IN JUDICES.

ORigenes ſeptem priora Judicum capita, uſque poſt relatam de Madianitis a Gedeone victoriam, novem Homiliis explicavit. Quod alibi de ejus methodo retulimus, conſulto hic præterimus.

S. Auguſtinus, Theodoretus, & Beda quæſtiones in hujus libri hiſtoriam inſtituerunt.

Hugo a S. Victore breviores exaravit notas, inſcriptas: *Annotationes elucidatoria in librum Judicum.* Hiſtoricum, & literalem, morali ſenſui immiſcuit.

Toſtatus, Cajetanus, Coſmas Magalianus, Cornelius a Lapide, Chriſtophorus de la Vega, Serrarius, Arias Montanus, Lucas Brugenſis, in Judices, ſinguli pro ſua methodo, conſcripſere.

Toſtatus, & Serrarius varias in Hiſtoriam quæſtiones expendunt. Cæteri literalem ſenſum exquirunt.

Ex Proteſtantibus, præter eos, qui in tota Biblia conſcripſere, Amamam etiam, Druſium, Petrum Martyrem, ac Clericum habemus.

Ex Rabbinis Jarchum, Davidem Kimchi, Levi Ben-Gerſon, in Bibliis Rabbinicis.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN JUDICES.

COmmentarius *Ariæ Montani* inſcribitur: *De varia Repub.* Prodiit Antuerpiæ an. 1592. in 4. De hoc viro nihil aliud hic, quam Hiſpali natum, doctum fuiſſe in linguis Orientalibus, deceſſiſſe vero an. 1598.

Coſmas Magalianus ſcripſit Expoſitiones in 8. priora capita, Lugduni 1626. *in fol.* Vide ſupra. Adjecit Adnotationes morales.

Commentarios *Serrarii* dederunt præla Moguntina an. 1609. *in fol.*

Chriſtophorus de Vega natus in Regno Navarræ, Jeſuita profeſſione, qui deceſſit an. 1672. vulgavit Commentarium literalem & moralem 3. vol. *in fol.* Lugduni 1663. 1671. Vir habebatur in Societate ſpectata prudentia graviſſimus.

Addi his poſſet *Joannes Freyre*, Ulyſſiponenſis in Luſitania, & Jeſuita, defunctus an. 1640. cujus eſt Commentarius tantum in ſeptem priora capita: Madriti 1642. in 4. altera Editio.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM ET JUDÆORUM.

IIs, quos recenſuimus, commode adderetur *Martinus Bucerus*, cujus Commentarii ducunt exordium a Judicibus an. 1554. *in fol.* per R. Stephanum Olivam. Adderetur & *Petrus Martyr*, cujus Commentarii tertia Editio eſt Heidelbergenſis *in fol.* 1610. Viri hujus faſtum intolerabilem, & inutiles digreſſiones ſub oculis Lectorum exhibiturus

turùs D. Simon duo ex illo fragmenta in ſua hiſtoria Critica recitat.

Joannes Coquens præter Adnotationes dedit & Commentarium peculiarem in Canticum Deboræ, impreſſum una cum altero in Job. Vide infra.

Sebaſtianus Schmidt digeſſit Commentarium in Judices vulgatum Argentorati an. 1684. in 4. Præter expoſitionem Textus adjecit & graves quæſtiones in ſingula capita & appendicem Chronologicam in calce.

Inter Judæos, *Iſaias*, filius Eliæ & Levita ſæculi 13. ſcripſit Commentarium ſeorſum in Judices, excuſum an. 1619. juxta Bartoloccium in ſua Bibliotheca Rabbinica.]

DISSERTATIONES IN LIBRUM JUDICUM.

N*icol. Abram S. J.* Chronologia Judicum *l. 10. Pharl ν. V.* Vide *Marsham* in idem.

And. Daniel. Habichorſt, Altare Gedeonis, & Ephod Gedeonis. *Theſ. Theol. Phil. t. 1.*

Joan. Geor. Bindrimii de Altari Gedeonis. *Judic. 6. 23. Theſ. Theol. Phil. t. 2. p. 949.*

Friderici Spanhemii de Voto Jephtæ.

Joannis Jacobi Schudt de Voto Jephta.

Jul. Bartolocci de ſacrificio filiæ Jephte. *Bibl. Rabb. t. 3 p. 140.*

Ludov. Capellus Diatribe de Voto Jephte.

Aug. Calmet Diſſert. de eadem re, ad caput Judicum.

Diſſertatio de Voto Jephta Authoris Proteſtantis, Amſtelodami edita an. 1707. in 12. Gallice.

Friderici Mayer de Vulpeculis Sanſonis, in Judic. 15.

Item Godofridi Martini de Vulpibus. *Miſcell. Lipſienſ. t. 4.*

Sal. Deylingii de Vulpibus Sanſonis *Obſer. ſacr. t. 2.*

Alberti Veil de Idolo Michæ.

[*In Aram Gedeonis.*

G Eminæ Diſſertationes *Andrea Danielis Habichorſt* in Aram & Ephod Gedeonis editæ ſunt Roſtochii an. 1687. & 1688. 2. vol in 4. Sicut & Diſſertatio Jo. Georgii Bindrim, *ibid.* 1677. in 4. Viri ambo Lutherani, ille quidem Roſtochienſis, alter Meckelburgenſis; vivebat poſterior iſte exeunte ſæculo 17. ille vero obiit an. 1704.

In votum Jephte:

Quæ ſcripſit *Fridericus Spanhemius* in votum Jephtæ acceſſerunt loco Appendicis Commentario ejus in Job. Vide in Job. Eſt autem vir iſte Filius non Pater, qui nonniſi in Novum Teſtamentum & in Iſaiam ſcripſit. Noſter iſte immortuus eſt in Calviniſmo Leidæ an. 1701.

Jo. Jacobus Schudt de voto quidem Jephte nihil peculiare; ſed egit de illo in vita hujus Imperatoris, cui adjecit Prolegomena in Theocratiam Hebræorum; Francofurti 1701. in 12. Vir Germano-Lutheranus, Francofurtanſis ad Mœnum, facile vivit adhuc.

Diſſertatio *Ludovici Capelli* edita eſt una cum ejus Spicilegio vel Adnotationibus in novum Teſtamentum Salmurii an. 1683. in 4. tertia Editio, & in Criſic. ſacr. tom. 2. pag. 2073.

Jungenda hiſce *Henrici Bromani* Diſſertatio in idem votum; Wittembergæ 1665. in 4.

Joannes le Blanc Gallo-profugus, & Miniſter Lutheranus Haphniæ, circa an. 1708. dedit peculiare examen in idem votum, Gallice, Amſtelodami 1708. in 12. Idem eſt facile Scriptor e Proteſtantibus, cujus nomen indicatum non eſt.

Joannes Conradus Danhaver ejuſdem argumenti Diſputationem dedit, cujus octava editio eſt Argentoratenſis an. 1690. in 4. & *Ludovicus des Mares* vulgavit ex his quatuordecim, Ultrajecti 1649. in 4. Vir erat Hollando-Calviniſta, defunctus an. 1651.

Idem argumentum versavit *Auguſtinus Pfeifferus* in ſeptima Exercitationum ſuarum Biblicarum; Dreſdæ 1679. in 4. De hoc viro alibi.

Scheranus Hollando-Calviniſta Freneckeræ, dedit ibi Diſſertationem an. 1663. in 4.

Alteram dedit Andreas Sennertus, Wittembergæ an. 1650 in 4.

Diction. Bibl.

Melchior Zeidlerus, Germano-Lutheranus, ſcripſit in idem votum; prodiit Opus Regiomontii an. 1673. in 4. ſcripſit & *Chriſtophorus Schrader*; Helmſtadii an. 1661. in 4.

In Vulpes Sanſonis.

Friderici Mayeri de Vulpibus Sanſonis Diſſertationem dederunt prœla Wittembergenſia, an. 1686. in 4. Recitatur etiam in Theſ. Diſſ. Philologg. tom. 1. Jungenda eſt huic Diſputatio *Henrici Gebhardi* impreſſa Griphiſuvaldiæ an. 1707. in 4. Vir erat Germano-Lutheranus Brunſvicenſis, florens an. 1657. Orientalium linguarum ſcientia præſtans.

Hilligeri Lucubratio prodiit Wittembergæ 1674. in 4. & *Joannis Holer*, Dano-Lutherani, Haphniæ 1705. in 4.

Theſes Theologicæ *Jo. Henrici Schopack*, Germano-Lutherani editæ ſunt Tubingæ, an. 1704. in 4.

In Idolum Michæ.

Alberti Vail, Germano-Lutherani ſæculi 18. exeuntis, Diſſertatio in Idolum Michæ legitur in Theſ. Diſſ. Philologg. tom. 1.

In Ænigma.

Geofridus Junga in Problema & Convivium Sanſonis excuſum eſt Bremæ an. 1708. in 4. *Theodorus Kirmejer* idem argumentum tractavit; Wittembergæ an. 1623. in 4. Germanus erat & Lutheranus, perinde ac *Joannes Friſchmuth*, cujus Lucubratio edita eſt Jenæ 1654. in 4.

In Leonem diſcerptum a Sanſone.

Jo. Franciſcus Buddeus, Pomeranus Lutheranus, qui anno 1721. vivebat adhuc, ſcripſit de Leone diſcerpto a Sanſone: in Obſervationibus ſelectis Hallanſibus tom. 11. ſexta eſt Diſſertatio.

Jo. Henricus Voild in fortitudinem & dulcedinem Leonis diſcerpti, ſicut & in Ænigma Sanſonis Lucubratio, prodiit Lipſiæ an. 1665. in 4. Vir erat Germano-Lutheranus; Profeſſor in Eſtonibus (*Efling*) circa an. 1660.

Joannes Engleise egit pariter de Leone Sanſonis; Roſtochii 1708. in 4.

In varia alia Argumenta.

Jo. Chriſtianus Ortlob egit de Fonte Sanſonis ad cap. 15. 19. Lipſiæ an. 1703. in 4. *Chriſtianus Rohrenſen* edidit *Sanſonem abſolutum*, ad idem caput ỷ. 15. Wittembergæ 1681. in 4. Vir erat Germano Lutheranus, defunctus an. 1705.

Jo. Petrus Grunemberg, Miniſter Lutheranus Roſtochii, defunctus an. 1706. egit de Samgar ad cap. 3. 31. Roſtochii an. 1705.

Chriſtianus Kortolds Diſſertatione illuſtravit ſacrificium Iphigeniæ; Kilonii an. 1667. in 4.

Joannes Michaelis inveſtigavit genuinum ſenſum vocis *Seleh*, de qua ad cap. 18. Gryphiſvvaldiæ an. 1662. in 4.

Daniel Mollerus, Lutherano-Pomeranus Hiſtoriarum Profeſſor Altorfii, edidit Diſputationem in Judices Hebræorum, Nurimbergæ 1709. in 4.

Joannes Sidelmannus Haphnienſis, Lutheranus, critica Diſſertatione egit de mandibula, qua Sanſon eſt uſus, adverſus Obſervationes Hallenſes, Haphniæ 1706. in 4.

Chriſtophorus Vvciſenborn de obitu Sanſonis peculiariter diſſeruit; Jenæ an. 1700. in 4.]

COMMENTARIA ET DISSERTATIONES IN LIBRUM RUTH.

B*Eda, Toſtatus. Cajetanus, Franciſcus Feu-ardentius* e S. Franciſci familia, *Quinquarboreus, Serrarius, Cornelius a Lapide, Gaſpar Sanctius, Bonfrerius, Didacus Celada* in librum Ruth magni habentur.

Joannis Meceri in Ruth Interpretatio Syriaca cum ſcholiis. Pariſiis 1562.

Carpzovius in Ruth Commentar.

Fridericus Spanhem. de Booz. *Dub. Evang. dub. 3.*

[*Franciſcus Feuardentius* edidit ſeorſum Commentarium ſuum in Ruth, Pariſiis an. 1582. *in* 8. dein & Antuerpiæ 1585. Natus hic Conſtantiæ in Normannia an. 1540. adſcitus eſt Franciſcanis Bajocæ (*Bayeux*) obiitque an. 1610. ingenti operum editorum numero ſat notus.

Gaſparis Sanctii Commentarius in Ruth una cum altero in Eſdram junctim prodierunt Lugduni an. 1622. *fol.* Vir Hiſpanus & Jeſuita, deceſſit an. 1628. ætatis 75. Natus ille ad ſtudium & ad laborem, eo vel maxime demonſtratur, quod Commentariorum 10. tomos in folio, & 3. *in* 4. implevit, & ſtudium ac lectionem non prius terminavit, quam vitam.

Commentarius *Serrarii* prodiit cum altero in Judices conjunctus. Vide ſupra.

Scholia *Joannis Merceri*, (quæ ſane inter egregia Viri recenſenda non eſſe cenſet D. Simon in Hiſt. Critic. V.T.) cum Verſione ejus Syriaca prodierunt Pariſiis an. 1564 *in* 4. & non an. 1562. uti non male.

Carpzovii Opus in Ruth dederunt prela Lipſienſia, an. 1703. Lipſiæ natus vir Lutheraniſmum profeſſus eſt, & duobus aliis ejuſdem nominis Viris ſanguine conjungebatur. Accedere huic geminus poteſt *Joannes Druſius* Commentarii & Adnotationum in Ruth, ſicut & Tractatus in Mandragoras Scriptor; cujus poſtremi Operis ſecunda editio dura eſt Amſtelodami *in* 4. Admonuiſſe hic juvat Carpzovium, de quo modo, continuaſſe tantum Opus Patrui ſui Benedicti Carpzovii, inſcriptum: *Collegium Rabbinico-Biblicum in Ruth*; & impreſſum Lipſiæ an. 1621. *in* 4. De poſtremo infra modicum agemus.

Judæorum etiam calamos Liber iſte exercuit. Gemini *Eliezer*, alius quidem cognomento *Germiza*, Germano Wormatienſis, florens an. 1440. Commentarium adornavit; paruit Dublini, de anno nihil ſcribitur; alter vero e Gallia oriundus natus eſt Trecis in Cathelaunis, ſæculo 16. Ejus Commentarius allegorico myſticus Hebraicus prodiit an. 1560. *in* 4. quo loco non produnt.

Ad Diſſertationes quod attinet, *Joannes Clode* peculiarem adornavit in morem detrahendi calceos dum inirentur connubia, ad cap 4.7. prodiit Wittembergæ an. 1672. *in* 4. Unus inter omnes P. le Long recenſet Diſſertationes *Antonii Lontei*, Itali, quarum eſt unicus titulus: *Beniamin Lupus rapax, ſeu Ruth*; Peruſiæ an. 1650. *in* 12.]

COMMENTARIA IN LIBROS REGUM, AC PARALIPOMENON.

ORigenes ſuſiorem homiliam in exordium primi Regum dictavit.

Theodoretus, S. Gregorius Magnus, Angelomus, Procopius, Beda, S. Iſidorus, S. Eucherius, Hugo, & Richardus a S. Victore, Toſtatus, Cajetanus, Cornelius a Lapide, Serrarius, Mendoza, Bonfrerius, Sanctius, & Clericus in Regum libros elaborarunt. His addendi qui tota Biblia ſunt interpretati, & Author præſertim, qui S. Hieronymi methodum ſequutus, quæſtiones, ſeu Hebraicas Traditiones in Libros Regum, ac Paralipomenon ſcripſit. Aliquid de horum Authorum Operibus diſſerendum, de quibus nullum hactenus ſermonem fecimus.

Præter Commentarium ex operibus S. Gregorii deductum, ſtudio S. Pateri ejus diſcipuli, de quo ſupra inter Authores, qui in univerſa Biblia ſcripſere; in Regum libros perpetuum Commentarium S. Gregorii nomine inſcriptum, in ejuſdem operum Editionibus habemus. Sed dubium eſt inter Eruditos, an totum, ſive pars tantum illius genuinum S. Doctoris opus habendum ſit: vulgo tamen ea obtinere ſententia videtur, quæ Claudium Abbatem Claſſenſem, ac diſcipulum S. Gregorii poſt nonnullas explicationes S. Pontificis ore exceptas, ſervatis, quantum fieri poterat, non ſenſibus tantum, ſed eadem etiam S. Gregorii elocutione, illud memoriæ prodidiſſe.

S. Gregorius quidem nonnullis poſt ſcriptum opus annis cuncta operis hujus exemplaria, quæ in Claſſenſi Cœnobio ſervabantur per otium emendanda, eoque perficienda, ut ſuo digna eſſent authore, ad ſe afferenda curavit. An propoſitum executioni mandaverit, ignoratur. Illud etiam conſtat, diſtractu jam longe lateque Exemplaria, ut omnia emendarentur, nequidquam adlaboratum fuiſſe. Vide Præfationem ad Commentarium hoc in nova S. Gregorii editione. Cæterum opus Morale eſt.

Angelomus Monachus ex S. Benedicti familia, Cœnobii Luxovienſis, qui nono vivebat ſæculo, quatuor Commentariorum libros in Regum libros concinnavit. SS. Patrum ſententiis, myſticis, ac ſignratis interpretationibus, juxta Rabani Mauri ejus Magiſtri methodum, conſtant. Hebraicas in Regum libros traditiones crebro allegat. Author hic pietate, ut pro ſuo ſæculo eruditione etiam florebat.

Quæſtiones, ſeu Hebraicæ traditiones in Libros Regum, ſub S. Hieronymi nomine circumferuntur, una tamen recentiorum Eruditorum ſententia a tanto viro opus abjudicat. Angelomum, qui nono ſcribebat ſæculo, eas interdum allegare jam adnotavimus, Rabanus Maurus ineuntis ſæculi noni ſcriptor, de opere illo tradit; *Hebræi cujuſdam modernis temporibus in ſcientia legis florentis Capitula traditionum Hebræorum habentia*. *Raban. Præf. in libb. Reg. Vide & in libb. Paralip.* Cæterum Opus illud leviores quidem momenti traditiones recenſet, ſed opiniones, & ſententias Judæorum noſſe plurimum ſemper conduxit. A Chriſtiano Scriptore collectum P. Martianay deprehendit; facile tamen ex Judæis ad Chriſtianos tranſierat.

S. Ambroſius duas de David Apologias, & quatuor libros inſcriptos *de interpellatione Job, & David* memoriæ mandavit.

Annotationes Hugonis a S. Victore in Regum libros breves ſunt, & literales; at linguarum, & criticæ ſcientia ejus ætatis non erat.

Richardus a S. Victore Salomonis Templum deſcripſit, Regumque Juda ac Iſraelis annos conciliandi iniit rationem. Sed is erat chronologiæ tunc temporis ſtatus, ut ſatis abſolutum opus ab Authore non expectaretur.

Opus inſcriptum: *Concordia Librorum Regum, & Paralipomenon cum annotationibus, & variis indicibus*. Pariſiis editum fuit an. 1591. quo chronologia Regum in Libris Regg. & Paralipp. in ſpeciem diſcrepant, non inepte conciliaretur. Authorem habet Clericum quemdam.

Serrarius in ſuo Commentario in Reges, ad Paralipomena, non eamdem methodum, quam in ſuo Commentario in Joſue ac Judices, ſervavit. In Reges breve habet Commentarium, in quo pauculas quæſtiones paucis expedit. Literalem ſenſum pandit, critico ſale fere inſipidum. Amplioris Operis, quod facile in eoſdem Libros meditabatur, veluti rudimentum eſt; ſed illud morte præventus non abſolvit.

Franciſci de Mendoza Commentaria in libros Regum 3. Vol. in fol. Lugduni an. 1622. 1625. 1631. Ulyſſippone in Luſitania oriundus, Roma redux, Lugduni, an. 1626. ætatis ſuæ 54. occubuit. Ejus Commentarium in Reges fuſius eſt, in quo plura ex SS. PP. variæ etiam quæſtiones inſtitutæ. In tribus Volum. in fol. quindecim dumtaxat priora capita primi Regum libri interpretatur. Si extremam huic operi admoviſſet manum, nihil hac de re, quod ſenſum moralem ſaltem, ac quæſtiones, quæ in Hiſtoriam excitantur, deſiderandum fuiſſet.

Gaſpar Sanchez, ſeu *Sanctius*, Hiſpanus, pietate, ac doctrina celebris, anno 1628. obiit; in plures Scripturæ libros laboravit, ſcilicet in Ruth, in quatuor Regum libros, in duos Paralip. in duos Eſdræ, in Eſther, Jobum, Eccleſiaſtem, Canticum Canticorum, in omnes Prophetas, Tobiam, Judith, Machabæos, & in Acta. Eruditus eſt, ſapiens, ſolidus, literæ inhærens, & omnium, quos noverim, Interpretum præſtantiſſimus. Ejus Commentarium in Reges omnia ipſius opera ſuperare facile creditur.

Quoad Salomonis Regnum, & quoad omnia ad ipſum ſpectantia *Joannes Pineda* legendus, qui de rebus Salomonis ſcripſit, *in fol.* Opus hoc maximi elegantiſſimi Commentarii loco habetur.

Franciſcus de Paz in Libb. Regum.

Claudius Rangolius Ordinis Minorum in Libros Regum 2. Vol. in fol. Pariſiis 1621.

Ex Proteſtantibus Druſius, Amama, Petrus Martyr, Clericus, ac Strigelius laudantur.

Inter Rabbinos Kimchi, Jarchi, Levi-Ben Gerſon.

[COM-

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN QUATUOR REGUM ET IN PARALIPOMENA.

COmmentarius *Angelomi* ſecundo prodiit Coloniæ an. 1565. *in fol.* ſed P. le Long Opus iſtud indiſcriminatim tribuit huic Authori, & S. Eucherio. Expectamus quid Publico communicaverit ea de re P. D. Bernardus Pez, fidem ſuam liberaturus datam in tomo I. Anecdotorum. Vide hoc Supplementum ad Geneſim p. 312.

Quæ dedit *S. Ambroſius* de David in utraque Apologia, de Elia, Naboth, & Achab legenda in tomo 1. nov. edit. nihil ſunt aliud, quam Moralis inſtitutionis piiſſima documenta.

Concordia quatuor Librorum Regum cum Paralipomenis *in 4.* debetur *Jo. Baptiſtæ le Brun Deſmarettſ*, Rothomagenſi Sacerdoti, viro aliis etiam Operibus, quorum eſt hoc inter elaboratiſſima & utiliſſima, celebri.

Commentarius *Serrarii* prodiit Lugduni an. 1613. & Moguntiæ an. 1617. *fol.*

Sanctius Commentariorum duo genera edidit; alium quidem cum Paraphraſi, Lugduni 1623. *fol.* alterum vero ſine illa, *ibid.* 1625 & Antuerpiæ an. 1624. *fol.* De prolixo Commentario *Mendozæ* nihil addendum dictis ſuccurrit.

Joannes Pineda de Rebus Salomonis. Opus tertia editione prodiit Moguntiæ an. 1613. *fol.* Diffuſus licet adhuc tamen & methodicus reputari poſſet, & ſua utilitate non deſtitutus. Vir erat Hiſpalenſis, inter Jeſuitas dedit nomen an. 1572. obiit an. 1628. ſeu potius 1637. utramque enim temporis adſcriptionem retinet D. Dupin. Nicolaus Molletus ſcriptis refutavit ejus de ſapientia Salomonis opiniones; Kilonii an. 1701. *in 4.*

Rangelius magnum Commentarium ſuum inſperſit pluribus Quæſtionibus Theologiæ & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quibus refutandum ſuſcipit potiſſimum Petrum Martyrem, erroribus ipſius opponens ſincera Eccleſiæ Catholicæ dogmata. Stylo utitur quamvis ſimplici, non tamen moroſo & parum impleao ac perſpicuo. Id accidit plane incommodum, tantum virum deſtitutum fuiſſe neceſſariis adjumentis ad Opus ſuum perficiendum, qua de re ipſe queritur in Præfatione. Patriam habuit Crelpy in Valeſia (*Valois*), obiitque an. 1625.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM ET JUDÆORUM IN EOSDEM LIBROS.

PEtrus Martyr ſcripſit geminos diſtinctos Commentarios, quorum primus editus eſt Tiguri an. 1561. *in fol.* in duos priores Libros; alter vero *ibid.* an. 1566. 1681. & Heidelbergæ 1599. Natus eſt Florentiæ an. 1500. ac Regulam profeſſus Canonicorum Regularium claruit prædicationibus, Abbatem egit Spoleti, & Principalem Collegii Neapolitani; ſed vera Religione abjecta recepit ſe Tigurim, ubi ſublatis in Eccleſiam ſignis diu certavit, & poſt contractum ſemel & iterum connubium deceſſit tandem an. 1562. In rebus arduis concipiendis mira facilitate valebat, cui accedebat & felix memoria, & paſſio animi ardens in ſtudium.

Sebaſtianus Schmidt adornavit ſeorſum Commentarium in duos primores Libros Regum, Argentorati 2. vol. *in 4.* & Adnotationes in duos reliquos 1697. Vir erat Germano-Lutheranus; Profeſſor Argentorati, defunctus an. 1696.

Victorinus Strigelius junxit Commentario ſuo Chronologiam Regnorum Juda & Iſrael uſque ad captivitatem Babylonicam. Prodiit Opus Lipſiæ an. 1569. 1583. *in 8.* & Neoſtadii (*Neuſtat*) an. 1591. Conciſus eſt adeo, ut loca difficillima prætervolet. Patriam habuit Sueviam, et inter Catholicos natus an. 1524. Vittembergam dein concedens defecit ad Lutheranos, ac tandem tranſivit ad Calviniſtas. deceſſit an. 1569. Theologiam & Philoſophiam, quin & Hiſtoriam callebat.

Addemus pariter hic *Eraſmum Patt*, cujus Commentarius prodiit Lipſiæ an. 1559. *in 4.* Annebergii in Saxonia natus, egit Miniſtrum Lutheranum, deceſſitque an. 1559. ætatis 59. vel 63. Moribus vir gravis, in amicitia conſtans, ſuaus inimicus, et ſimplicitatis morum ac laboris tenaciſſimus; eximius tandem orator; qui facile perſuaderet.

Diction. Bibl.

Quæ Scriptores Judæi dederunt in Libros Regum et Paralipomenon continentur in iis, quæ dederunt in Libros Hiſtoricos. *Iſaac*, filius Samſonis, digeſſit Commentarium in duos priores Libros; Pragæ 1613. *in fol.* ſecund. Edit.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN LIBROS REGUM, ET PARALIPOMENA.

AUguſt. Calmet. Diſſert. in Numina Philiſtæorum. *Comment. in 1. Reg.*

Seldenus de Diis Syris c. 2. 3. 4.

Joannis Nicolai Hartſmids de Anis Philiſtinorum. 1. Reg. 6. 5. *Theſ. Philol.*

Salom. Deylingii, Saul inter prophetas. 1. Reg. 10. 5. 10. *tom. 3. Obſerv. ſacr.*

Georgius Alb. Hamberger de Jurejurando Davidis. 1. Reg. 25. 22. *Si reliquero mingentem ad parietem. In Theſ. Philol.* Vide noſtr. *Comment. in 1. Reg. 25. 22.* & *Bochartum de Anim. ſacr. lib. 2. c. 56.*

Matthæi Heſtii Monomachia Davidis, & Goliath. *In Criticis ſacris.*

Seb. Schmid de faſciculo viventium. 1. Reg. 25. 29. *In Theſ. Philol.*

Aug. Calmet. Diſſert. de apparitione Samuelis Sauli. *Comment. in 1. Reg.*

Salom. Deylingii perſonati Samuelis hiſtoria illuſtrata *tom. 2. obſerv. ſacr. 1. 58.*

Leonis Allatii de Engaſtrymitho Syntagma. *In Magnis Criticis.*

Gregorii Nyſſeni Epiſtola de ventriloqua, ſeu Pythoniſſa. *s. 1. p. 867.*

Euſtathii Antiocheni de Engaſtrymitho. *Edit. Allatii.*

Mich. Rothardi Samuel redivivus, & Saul ſui ipſius homicida. *In Magnis Criticis.*

Jo. Henrici Carpzovii & Henrici Opitii differt. de Cerethi, & Pheleti. Vide & Scacchi myrothec. lib. 3. c. 15.

Samu. Bochart. de Abſalom capillis s. 2. *Geogr. ſacr. p. 899 Edit. Leid. 1707. Le Pelletier Rothomagenſis* in idem argumentum. *Journ. de Trevoux 1702. Aout. art. 4. p. 175.* Vide & noſtrum Commentar. in 2. Reg 14. p. 486.

Aug. Calmet. Diſſer. de Theſ. a Davide Salomoni relictis.

Aborbanel de Peccato Davidis numerantis populum *ex Verſ. Jo. Buxtorf. 2. Reg.*

Joannis Erneſti Muller de Davide ante arcam Fœderis ſaltante. *In Theſ. Theol. Phil.*

Theodori Hora de deſiderio Davidis cum petiit aquam e Bethleem 2. *Reg.* 23. 15. 16.

S. *Hieron.* de judicio Salomonis *ad Ruſin. p. 616. s. 2. nov. edit.*

Ejuſdem de Salomone, & Achaz *ad Vitalem p. 617. s. 2. nov. edit. p. 619.*

Sam. Corpli, de Regina Auſtri. *In Theſ. Phil.*

Aug. Calmet. Diſſertatio de origine Templorum.

Joſephus deſcriptio Templi Jeruſalem, *Antiq. lib. 8. c. 2. de Bello l. 6. c. 6. ſeu 12.*

Item per Ligtfootum *operum ipſius s. 1. p. 553.*

Item per Ludovicum Capellum. *In magnis Crit.* & *in Polyglot. Angliæ*, & per Willalpandum. *In iiſdem Polyglot.* per Ariam Montanum. *In Polyglot. Antuerp.* per Bedam, & Richardum de S. Victore.

Franciſci Ribera de Templo l 5. Lugd. & Antoerp.

Salom. Deylingii, de maris ænei figura, ad 3. Reg. 7. *lib. 1. Obſer. ſacr.*

Gaſpar Varrerius, de Ophira regione diſputatio. *In Magnis Criticis.*

Huet de navigationibus Salomonis.

Lipenius, de Ophir.

Philippi Bonæ Spei Abb. de damnatione Salomonis.

Zacchiarii Epiſt. de recipiendis lapſis, tom. 6. Biblioth. PP. Lug. 1677 p. 1174.

Jo. Rendtorfii, de Salomonis æterna ſalute.

Nicolai Serrarii de pœnitentia Salomonis. *Inter opuſ. Serrarii p. 18.*

Aug. Calmet diſſert. de ſalute Salomonis V. Natving Ludovicum Vivaldum. Franc. Feu-ardentium, Joan. Couſinum, Dalecampium, P. Alexandrum de eodem argumento.

Ægidii Strauch. de Roboami Regis Juda vita ; ad 3. Reg. 12.

Salom. Dylingli, Dilimontium, 3. Reg. 20. 23. *tom.* 3. *Obſer.* 1. 12.

Joan. Friſchmuth de Eliæ Prophetæ nomine, & proſapia ad 1. Reg. 17. In *Theſ. Theol.*

David Godefr. Schevssner Elias Cornarii convictor 1. Reg. 17. 16. *ibidem.*

S. *Ambroſius* de Nabuthe Jezraelita liber unus.

Fridirici Stegmann, Achab appetens vineam Naboth ad 3. Reg. 21. *ibid.*

Ambroſius de Elia, & jejunio. *Oper. to.* 1. *nov. edit.*

Joan. Helv. Villemeri, de pallio Eliæ. 4. Reg. 2. 8. *ibid.*

Seb. Kirchmayer, de flammante curru Eliæ. 4. Reg. 2. 3. *ibidem.*

And. Quenſtedii, de petitione Naaman Syri. 4. Reg. 5. *ibid.*

Nicolai Serrarii, Naaman Syrus. Inter Opuſcula Serrarii pag. 22.

Aug. Calmet, Diſſertatio de petitione facta Eliſeo a Naaman in 4. Reg. Vide etiam de eodem argumento Toſtat. Serrar. Dionyſium Carthuſianum, & noſtrum Supplementum, ac Diſſertationem vel epiſtolam Bocharti, *tom.* 2. *Geogr. Sacr. edit. an.* 1707. *item p.* 899.

Fridér. Friſe, de ferro natante. *Theſ. Phil.*

Aug. Calmet, Diſſertatio de fuſo exercito Sennacherib. *In Commens. in Iſaiam.*

--.- Diſſertatio de retrogradatione Solis in horologio Achaz.

Baſnage, Hiſtoria Judæorum. Gallice *t.* 5. *l.* 7. *c.* 11, *edit. Pariſ.* 1710.

Sam. Bocharti ad 4. Reg. 16. 20. utrum quis anno ætatis 10. liberos valeat procreare. *Tom.* 2. *Geogr. ſacr. p.* 920. *edit. Leid.*

Aug. Calmet, Diſſertatio de Præfectis aulæ, & militiæ Regum Juda. *Comment. in Paralip.*

Nicolai Abram, de tranſmigratione Babylonis l. 11. *Phari V. T.*

Aug. Calmet, Diſſert. de regione, quo decem Tribus translatæ ſunt, & quam hodie uſque incoluerint. *Comment. in Paralip.*

Julii Bartoloccii, Diſſert. de decem Tribus diſperſis, & de fluvio Goaan. *Bibl. Rabb. t.* 1. *p.* 45.

Antonii de Angelis, de tranſmigratione filiorum Iſrael, Opus non impreſſum, Authoris Trinitarii, qui an. 1614. diem clauſit.

Manaſſe ben Iſrael, ſpes Iſrael pag. 28. &c.

Vide Authores a Fabricio laudatos in Bibliographia antiquaria c. 1. p. 16. &c.

In Goliath.

Marhal Haſſii Monomachia ſeu certamen ſingulare Davidis cum Goliath, Opus in 16. Capita diſtributum, & modicum licet ditiſſimum eruditione, ac doctis pluribus animadverſionibus, continetur in Critic. Sacr. tom. 8. p. 278. De hoc Scriptore egimus ad Arcam Noe.

Robertſons ſcripſit etiam in idem certamen ; Wittembergæ an. 1581. in 4. Vide in Judices.

Georgius Albertus Antonius, idem profecto qui alibi appellatur *Scubertus*, Germano-Lutheranus idem argumentum vexavit, Altorfii an. 1602. in 4.

In Philiſtæos.

Duo hic plane gravia impreſſionis menda occurrunt ; primum ſcilicet quod *Harſmid* pro *Hardſchmid* poſitum ſit ; alterum vero quod ſit *Arcis Philiſtinorum* pro *Anis*. Diſſertatio hujus Authoris in animalia, quæ ſævierunt in Philiſtæos retinentes apud ſe Arcam Domini, prodiit Wittembergæ an. 1685. in 4. & in Diſſertationibus ejus Philologicis tom. 1.

Jo. Chriſtianus Vvolfius egit de apparatu bellico Philiſtæorum, ad cap. 13. 5. *ibid.* 1. Vir Germano-Lutheranus, natus 1683. Profeſſor linguarum Orientalium Hamburgi, facile adhuc vivit.

In Pythoniſſam.

De Pythoniſſa agentibus utique curandum eſt, ne excidat Tractatus *Origenis* editus ab Allatio Græce & Latine Lugduni 1629. in 4. addita Diſſertatione, in qua de ſententia Scriptoris agitur. Dominus Huetius referendum Opus cenſuit in ſua editione Origenis tom. 1. & Latine excuſum eſt in Bibliotheca PP. Lugdunenſi ; & in Critic. Sacr. tom. 2. Recitatur ibi pariter ejuſdem argumenti Lucubratio *Euſtathii Antiocheni*, quam idem Allatius imprimendam curaverat, una cum Hexaemerone, quem eidem Authori vindicat. Natus erat Syde, Urbe Pamphyliæ, renunciatuſque Antiochiæ Epiſcopus an. 328. vixit aduſque an. 335. vel 338. quo vitam abſolvit in exilio pro defendenda Divinitate Verbi in Arianos.

Duo iſti veteres Scriptores ſententias plane oppoſitas propugnant ; priori enim probatur Pythoniſſa excantationibus ſuis adeo valuiſſe, ut evocaret reipſa Samuelem corpore & animo præſentem ; alteri vero umbra viri tantum objeciſſe ſeſe perſuadetur ; quod ſane & communius inter Doctos tenetur. Poſtremum hoc pariter defendit *S. Gregorius Nyſſenus* in ſua Epiſtola ad Theodoſium Epiſcopum, qua fuſius etiam callidas Dæmonis artes ad incautos ſeducendus proſequitur.

Samuel redivivus & Saul autochir, ſui ipſius homicida excuſum Francofurti an. 1615. in 8. & Hannoveræ an. 1624 recitaturque in Sacr. Critic. tom. 8. p. 309. Opus eſt inſigniter eruditum, & plenum bonæ frugis. Ejus Author *Michael Rebardus* Germanus, Miniſter Molſuſiæ (*Mulhauſen*) in exordio ſæc. 17. gemina diſcutit, 1. Num Samuel reipſa per viſum apparuerit Pythoniſſæ ; quod factum negat. 2. Num e ſalute æterna Saul ipſe exciderit ; quod affirmat.

Nec prætereunda Diſputatio *Jo. Ernſti Gerardi* de ſpectro Samuelis ; Jenæ an. 1666. in 4. & auctior, *ibid.* 1284. Vide in Deuteronomium.

Jo. Henricus Heideggerus Diſſertationem adornavit in Pythoniſſam, legendam in Theſau. Diſſ. Philologg. tom. 1. Vide in Exodum.

Ægidii Strauchii Samuel perſonatus ; Gedani an. 1681. in 4. Vide ſupra.

Daniel Arcularius egit de Samuele in vivos revocato a Pythoniſſa, in ſuis Diſputationibus Theologicis tom. 1. p. 538. excuſis Marpurgi an. 1526. in 4.

Tandem *Goſvvinus Voglerus*, Germano-Lutheranus, Juriſconſultus ſæc. 18. ineuntis, diſcuſſit, num Samuel reipſa apparuerit ; Francofurti an. 1705. in 4. Ita & de Pythoniſſa diſſeruit *Bernardus Vvaldſchmidt* Germano-Lutheranus, *ibid.* an. 1660. in 4. Obiit an. 1665.

In Saulem.

Henricus Pipping Germano-Lutheranus, Lipſienſis, & Concionibus Aulæ Electoralis Saxoniæ, exeunte ſæc. 17. Diſſertatione Hiſtorica & Theologica illuſtravit valetudinem Saulis Muſica procuratam. Extat inter ejus Exercitationes Academicas.

Joannes Buch, Danus, Lutheranus, facile adhuc vivens, adornavit Diſputationem in eundem Regem malo Spiritu agitatum, & lyra Davidica levatum ; Hafniæ 1703 in 4.

Jo. Adam Oſiander egit de electione Saulis in Regem ; Tubingæ an. 1667. in 4. & *Abraham Calovius* de Jure Regio ; Regiomontii an. 1642. in 4.

Georgius Moebius ſcripſit de Judicio terribili Dei in poſteros Saul ; Lipſiæ an. 1679. in 4.

In David.

Georgii Alberti Hambergeri, Germano-Lutherani, & Profeſſoris Jenæ ſæc. 17. ineunte, ſcripſit de ſacramento David ; Jenæ an. 1684. in 4. & in Diſſ. Philolog. tom. 1.

Theodorus Hornius in deſiderium Davidis legitur in eodem Theſauro ; *ibid.*

Godefridus Vvegnerus ſcripſit de eodem argumento in ſuis Diſſertationibus Hiſtoricis & Philoſophicis ; Lipſiæ an. 1696. in 4.

Quæ dedit *Abarbanel*, Judæus, de crimine commiſſo a Davide in cenſu populi ſui, leguntur inter Diſſertationes Joannis Buxtorfii, editas Baſileæ 1662. in 4. Idem argumentum vexavit *Georgius Moebius* ; Lipſiæ 1681. in 4.

Joannes Erneſtus Mullerus Germano-Franco-Lutheranus exeuntis ſæculi 17. adornavit Diſſertationem in Davidem choreas ducentem coram Arca ; Lipſiæ 1687. in 4.

Quæ

Digitized by Google

Quæ ſcripſit *Sebaſt. Schmidt* in Prophetiam Abigail de Davide *de Faſciculo viventium*, excuſa ſeorſum Germanice, prodierunt Luneburgi an. 1682. in 4.

Thomas Reeve egit peculiariter de inofficioſitate Nabalis in Davidem; Londini 1623. in 4. Vide ſupra.

Chriſtophori Samuelis Scharff, Germano-Lutherani, ineunte ſæculo 18. David in Nabal, prodiit Lipſiæ 1705. in 4.

In Cerethim.

Joannes Benedictus, non *Joannes Henricus Carpzovius*, filius ſcilicet, Lutheranus, defunctus an. 1699. vulgavit Diſſertationem in Cerethim & Phelethim, de quibus 2. Reg. 8. 18. Lipſiæ 1661. in 4. Diſſertationis *Henrici Opitii*, Lutherani, Altemburgenſis, defuncti an. 1712. altera editio eſt Jenenſis 1684. in 4.

In Abſalomem.

Quæ ſcripſit *Joannes le Pelletier* de coma Abſolomi, epiſtola eſt ad Religioſum amicum ſuum, qua de pondere ejus comæ differit, eademque data occaſione excurrit in pondera & menſuras veterum Hebræorum, ſicut & Romanorum. Vide in Arcam Noe.

Irenæus Poimander, vel *Poimenand*, Calviniſta, Belga, ineuntis ſæcoli 17. ſcripſit vernaculo ſermone de eodem argumento; Dordrecti 1643. in 4.

In Reginam Sabam.

Samuelis Coryli Diſſertatio de Regina Auſtri legitur in Diſſ. Philologg. tom 1. Vir eſt, facile adhuc vivens, Germano-Lutheranus.

In Regionem Ophir.

Genuinum nomen *Ferrerii* eſt Barreiros; ipſe vero Operi ſuo vindicat elogium Commentarii. Eſt autem Opus grave adeo & plenum bonæ frugis, ut excuſum ſit primo Conimbricæ an. 1561. in 8. dein Antuerpiæ an. 1600. Roterodami an. 1616. Hardervvick an. 1637. tandem in magnis Critic. tom 8. p. 563. Regionem hanc collocat in Indiis Regi Luſitaniæ ſubjectis, quod illi plurimi ſtetit, qua laboris, qua lectionis. Vir Luſitanus, Canonicus Eboracenſis, fatis functus eſt an. 1580. Cardinalem egiſſe, uti ſcribit P. le Long, nunquam legitur; ſed quandiu Romæ ſubſtitit, amicitiam coluit Sirleti Cardinalis.

Operi *Barreiros* jungitur in magnis Criticis quidquid dedit *Abraham Ortelius* in ſuo Theſauro Geographico de Regione Ophir; tom. 8. pag. 479.

Diſputatio *Martini Lipenii* de eodem argumento, prodiit Wittembergæ an. 1664. in 4. Adjecit Illuſtrationes, *ibid.* 1680. & 1682. in 4. Vir erat Germano-Lutheranus, Hallenſis, ingenio ſuo in paucis diſtinctus in Collegio Lubecenſi; obiit an. 1692. ætatis 62. probitate vir eximius, & pacis ſtudioſus.

Matthias Fridericus Beckius, Miniſter Lutheranus Eccleſiæ Auguſtæ Vindelicorum, junxit hæc duo argumenta, nimirum de Ophir & Tharſis, & de Eden; Jenæ 1676. in 4. Obiit an. 1701.

In Salomonem.

S. Hieronymus in ſua Epiſtola ad Rufinum allegorice exponit diſſidium duarum mulierum, quas comparat Judææ & Synagogæ. In ſua Epiſtola ad Vitalem diſcutit, num Salomon & Achaz liberos generare valuerint ætatem agentes duodecim annorum.

Juvat hic recenſere *Balthaſarem Scheid* Profeſſorem Lutheranum Græci & Hebraici Argentorati, cujus data eſt *ibid.* an. 1658. in 4. Diſputatio in magnum illum gregem fœminarum Salomonis. Obiit an. 1670.

Joannes Reudtorf ſcripſit non tantum de ſalute æterna Salomonis, ſed & alia plura in Scripturam Opera, quorum catalogum texexit Imbonati in ſua Biblioth. Rabbinica to. 5. p. 417. 418. an vero typis impreſſa ſint non docet. Affirmat autem virum fuiſſe Hamburgenſem & Lutheranum, qui Græcas & Hebraicas literas didicit; tum vero patria dimiſſa ſeceſſiſſe in partes Catholicorum, ac fidem Romanam profitentem obiiſſe.

Diction. Bibl.

Joannes Haſæus ſcripſit Diſſertationes nonnullas de claſſibus Salomonis ac Hiram, quarum prior, in 18. articulos diſtributa, legitur in Biblioth. Philolog. p. 468.

Jo. Ludovicus Vivaldus, Pedemontanus, Dominicanus, & Epiſcopus an. 1519. egit de hoc argumento in ſuis Opuſculis Lugduni an. 1549. Ejus ſtylum ſatis politum pro ſæculi indole, ſed non ſatis quam ferat uſus Literatorum, eſſe affirmat Pineda.

Agendum huc uſque diſtulimus de *Harvieg* vel *Philippo Bonæſpei*. Egit ille Abbatem Præmonſtratenſem in Diœceſi Cameracenſi, ubi & deceſſit an. 1180. ætatis ultra 80. ſiquidem vero ſtatuatur Præceptorem audiviſſe S. Anſelmum, defunctum an. 1117.

In Salutem Salomonis.

Caleb Dalecampius Opus ſuum ita inſcripſit: *Vindicia Salomonis de lapſu, ſtatuque ejus æterno*. Prodiit Londini an. 1622. ſed qua voluminis forma, nemine docente, ignoramus.

Diſſertatio *P. Alexandri*, qua incertiſſimam eſſe ſalutem hujus Principis demonſtrat, ordine trigeſima eſt in quinta ætate mundi.

In Templum Salomonis.

Scribentibus de hoc argumento addendus eſt *Ludovicus Mollier*, Trecenſis in Cathelauniis, qui vivebat adhuc an. 1704. Exhibuit ille Icones Templi & Regalium ædium cum expoſitione Gallica, Pariſiis an. 1695. *in fol.*

Eliezer, filii Jacobi, de dimenſionibus hujus Templi Opus, ex Hebræo Latine redditum eſt a Conſtantino l'Empereur; Lugd. Batav. an. 1630. *in* 4.

Auguſtinus Vegesius, Germano-Lutheranus, & Profeſſor Gieſſen illuſtravit gemina Diſſertatione colomnas æneas; Wittembergæ an. 1695.

Michael Chriſtianus Ludovicus, Saxo-Lutheranus, defunctus an. 1700. tractavit argumentum Templi gemina Diſſertatione: Jenæ an. 1658. *in* 4.

Laurentius quidam Luſitanus, Franciſcanus, qui vitam protogavit adusque an. 1640. egit de ſumptibus pro conſtructione Templi, Luſitanice; Ulyſſiponæ an 1617. *in* 4.

In Roboamum & Jeroboamum.

Ægidius Strauchius vitam Roboami dedit; Jenæ an. 1692. *in* 4. De hoc viro ſatis. Jungenda hic Diſſertatio quinta quintæ ætatis *P. Alexandri* de Idololatria, quam Jeroboamus invexit in populum Dei.

Chriſtianus Rohrenſeus ſcripſit quatuor Diſputationes in Regnum Jeroboami; Wittembergæ 1675. in 4.

In Prophetam Eliam.

Joannis Friſchmuth in nomen & originem Eliæ Diſſertatio excuſa eſt ſeorſum Jenæ an. 1689. *in* 4. Vide in Geneſim.

Helvicus Voillemer in pallium Eliæ; Wittembergæ an. 1679 *in* 4. Adjecit & curioſam Diſputationem in prodigia ejus Prophetæ ejuſque Epiſtolam ad Joram. Vide *ibid.*

David Godofridus Schwerener, Germano-Lutheranus, egit de Corvo Eliam alente; ſicut & de curru ejus igneo Diſputationem inſtituit *Sebaſt. Kirchmaierus*; *ibid.* 1667 1676. *in* 4.

Jo. Fridericus Mojer idem argumentum vexavit; *ibid.* 1685. *in* 4. Adjecit nonnulla in Idolum, quod Manaſſe collocandum curavit in Templo; legitur utrumque Opus in Diſſ. Philologg. tom. 1. Vide in Judices.

Henricus Gebhardus diſſeruit num corvi iſti homines eſſent, vel bruta; Gryphiſvvald. an. 1697. *in* 4. Vide *ibid.*

Samuel Mareſius de raptu Eliæ in ejus Diſputationibus ſelectis part. 2 Croningæ 1663. Vide ſupra.

Joachim Zehner, Germano-Lutheranus idem argumentum vexavit; Smalchadii an. 1699. *in* 4. Obiit an. 1710.

Idem pariter & *Andreas Kesler*; Wittembergæ an. 1702. *in* 4.

Georgius Vend Sileſio Lutheranus illuſtravit Epiſtolas Eliæ ad Joram; Thornii an. 1703 *in* 4.

Digitized by Google

In Eliſeum.

Opus *Quenſtedii* in poſtulatum Nahamani ad Eliſeum, editum eſt Wittembergæ an. 1678. in 4. *Prieqii*, Germano-Lutherani, legitur in Diſſ. Philolog. tom. 1.

Joannes Dinkel Thuringius, Miniſtar Lutharanus, ſcripſit Orationem in Scholam & Diſcipulos Eliſei; Erſordi an. 1580. in 8. Obiit an. 1601.

In Achab.

Friderici Strotmani Germano-Lutherani Diſſertatio de iniquitate Achabi in Naboth legitue in Diſſ. Philologg. to. 1

Mathæi Rhode, ejuſdem gantis & Religionis, in idem argumentum Lucubratio prodiit Francoſurti an. 1696. in 4.

In Achaz.

Petrus Beccerus Germano-Lutheranus Roſtochienſis & Profeſſor circa an. 1703. diſſeruit de ratrogradatione Solis; Roſtochii 1708. in 8. quod pariter argumentum eacuſſit *Emmanuel Perez*. Vida in Joſue.

In Senuacherib.

Gaſpar Neumannus, Garmano-Lutheranus, Uratiſlavienſis, diſſeruit de cibo incolarum Samariæ dum ſtringerentur obſidiona; Urariſlaviæ an. 1707. in 4.

Martinus Hamers, Germauo Lutaranus, ſcripſit: *Fames Samaritana*. Lipſiæ an. 1715. in 4.

COROLLARIUM,

IN PECULIARIA QUÆDAM ARGUMENTA.

Quidam ſunt pariter tractantes Argumanta a nobis prætermiſſa.

Ludovicus Vvolter, Lutheranus, Suuvus, ſcripſit Diſſertationam de panibus propoſitionis a Davide in ſuum uſum acceptis, Frenekeræ an. 1706. in 4.

Georgius Vvolfangus Vedelius egit de vulnete Abner, in ſuis Exaraitatiunibus Philologie is excuſis ab an. 1686. uſque ad 1704. pluribus volum. in 4. Vir erat Germano-Lutheranus,

Joannes Nicolaus Quiſtorp diſsaruit de poſtremis verbis Davidis; Roſtochii an. 1708. in 4. Vida ſupra.

Pantaleon Candidus exercuit ſeſa in filium infantem Davidis morientem; Baſileæ 1608. Vide in Job.

Gotfridus Colbrelius Diſputatione illuſtravit canticum Davidis appellatum, Arcus Filiorum Juda; Kilonii an, 1700 in 4. Vir arat Garmano-Lutheranus.

Jo. Chriſtianus Orolos diſseruit da inſania, quam prætulit coram Achis; Lipſiæ 1706. in 4. Vide ſupra.

Georgius Langvverd diſseruit de prodigioſa illa reformatione Manaſſis; Londini 1631.

Jo. Michael Langius, Germano Lutharanus Altorſianſis, ſcripſit tres Diſputationas da ſuneſto miniſterin Hali Summi Sacerdotis; Altorſii 1701. in 4. Scripſit & alteram de farro ſupernatante aquis; Jenæ 1689. io 4.

Chriſtianus Schwartz geminis Diſputationibus egit de obitu Achitophelis; Wittembergæ 1704. in 4. Vit Lutheranus, Miſnianſis, florebat ineunte anno 1709.

Joakimus Stegmanus, Socinianus, defunctus an. 1678. ſcripſit epiſtolam in quæſtionem da Abiathar & Abimelecho, inſertam intar Opera Vvolzogan; Amſtalodami 1656. in fol.

Joannes Buxtorfius filius ſcripſit de raptu Eliæ, Baſileæ 1660. in 4. Da hoc viro nos in quarta parte.

In Bibliothaa Philologica to. 1. p. 826. legas Diſsartationem in prodigioſam illam valetudinam Regis Ezachiæ, da qua 2. Rag. 20. 1. 11. & Iſa 38. 1. 8. Nomen ſuum latara voluit Author; id aſseritur, Viro docto & Germano hæc ſcripta deberi; quæ offert de retrogradatione Solis, intar curioſa ſunt curioſiſſima.

Bernardus Petrus Karli de retrogradatione ſulis, in aadem Bibliotheca to. 2. p. 654. 662.

Samuel Vverenfels ſcripta Diſsertatione Naaman Syrum a crimine hypocriſis purgavit. Legitur inter cætera ejus Opera poſtrema editionis Baſileenſis an. 1719. in 4. Offeruntur ibi pariter Animadverſionas in loca quædam Evangaliorum, in Acta, in Epiſtolas ad Romanos, ad Hebræos, ac S. Jacobi. Natus eſt patre Jacobo Waranfels, da quo nos in Hajam, patria Baſilea an. 1657. Miniſter Calviniſta renunciatus an. 1677. Philoſophiam profiteri cepit an. 1684. linguam Græcam an. 1685. Eloquentiam an. 1687. Theologiam an. 1696.]

COMMENTARIA IN DUOS LIBROS ESDRÆ;

Beda, Cajetanus, Sanctius, Clericus.

Inter Rabbinos Salumon Jarchi, & Abenezra.

Et Authores, qui in univerſam Scripturam laborarunt.

[*Gaſparis Sanctii* Commentarius jongitur alteri ejus in Ruth; & *Cajetani* altari in Joſue. Vida ſupra.

Joannes Clericus Commentarium ſuum in Libros Hiſtoricos dafinit in Eſdra & Eſthar.

Intar Judæos *Joſeph* filius David, Luſitanos, Ulyſſiponenſis, ſcripſit in Eſdram Commentarium Hebraicum axcuſum Bononiæ an. 1527. & Venetiis an. 1529. Obiit an. 1539.]

DISSERTATIONES.

Aug. Calmet. Diſsert. in tertium Librum Eſdræ apocryphum.

---- In quartum Librum Eſdræ apocryphum.

---- An Eſdras SS. Libros reſtauravarit.

---- An charactetes Hebræos abrogaverit, ut novos Chaldæos ſubſtitueret.

[Geminis, a nobis racenſitis, Diſsertationibus aacedere poteſt altera *Pauli Hoigelii*, Germano-Lotherani, & Profeſsoris Matheſeos Mariamburgi, ſæc 17. exeunte, de Portis vateris Jeruſalem; Helmſtadii an. 1681. io 4.

Animadvarſiones Criticæ *Jo. Philippi Hein* de urigine nominis Ecbatanis, acceſserunt Scripto ejus Authoris de Arca Noe. Vide ſupra.

Diſsartatio *Pfeiffengeri* in Nathinæos ad cap. 8. 20. acceſſit iis quæ ſcripſit in Joſue. Vida ſupra. Vir Germano-Lotheranus, Auguſtæ Vindelic. profeſsus eſt Linguas Orientales, ſæc. 18. ineunte.]

COMMENTARIA IN TOBIAM.

S. Ambroſius Opus in Tobiam adornavit, ubi potiſſimum in fœneratores invehitur.

Beda, Serrarius, Sanctius, Fabianus Juſtiniani Tobiam explicarunt.

Didacus Celada, qui an. 1657. vivebat, Commentaria Litealia, & moralia ſatipſit in Ruth, Judith, Suſannam, Deboram, & Tobiam. Impreſsa ſunt 6. Vol. in fol. Lugduni 1678.

Fridericus Nauſea Epiſcopus Viennenſis in Auſtria, qui obiit an. 1550. in Tobiam ſcripſit, quemadmodum etiam David Mandanus.

Claudius Baduel, Gallus, Calviniſta, eloquentiæ Profeſsor Nimaſi, mortuus an. 1567. Latinam Verſionem adornavit, ax Græco Editionis Complorenſis, Librorum V. T. qui a Proteſtantibus intar Apocryphos rejiciuntur; iiſque Commentarium criticum, & literale ſubjecit.

[*S. Ambroſius* ſcripſit de Tobia non paeuliari quidem Lucubrationa, ſad in tertio Libro Operis da Elia & Naboth.

Commantarius *Celadæ* ſeorſum prodiit Lugduni an. 1648. & 1654. in fol.

Fabianus Juſtinianus, Genuenſis, Oratorii Sacerdos & ab an. 1618. Epiſcopus Ajacenſis, axpoſuit Tobiam hiſtorice, additis Inſtitutionibus moralibus; Romæ an. 1620. in fol. Antuerpiæ an. 1629 Jonxit & Synopſim chronologicam ætatis utriuſque Tobiæ juxta Taxtum Hebræum, Latinum, Græcum, Syriacum, & Arabicum. Obiit an. 1627.

Serrarius ſuum etiam paauliarem Commantarium dadit, axcuſum Moguntiæ an 1610. & Pariſiis an. 1611. Vide in Joſue. *Gaſpar Sanctius* ſuum junxit cæteris in alios Libros hiſtoricos. Vida in Ruth.

Opus *Friderici Nauſeæ*, Germano Franconis, quod elegantis & utilis continere aliquid judicat Sixtus Sanenſis; enarratio eſt conciſiſſima, excuſa Coloniæ an.

Digitized by Google

ao. 1532. in 8. Obiit an. 1558. & non 1550. uti nos male.

David Mauden ſcripſit opus de vita Tobiæ præfixom titulo: *Speculum vitæ moralis*; Antuerpiæ an.1631. fol. Natua eſt Antuerpiæ ao. 1575. Parochum egit S. Mariæ Broxellis, obiitque an.1641.

Animadverſiones *Claudii Baduvel*, Calvioiſtæ, leguntur in Critic. Sacr. tom. 1. & in Bibliis Roberti Stephani; *Druſii* vero prodierunt Freoeckeræ an.1591. in 4.]

DISSERTATIONES.

AUguſt. Calmet Diſſertatio in Dæmonem Aſmodeum. *Tob. 8. 3.*

Vide etiam Fabricii Editionem Tobiæ, & cæterorum, quos appellat, Apocryphorum Librorom, Apocryphorum, inquam, quod neque in Canone Hebræorum, neque Proteſtantium appareant; item ejus *Biblioth. Græc. tom.2.lib.5.c.29.*

Julius Bartoloccii Tobiam verterat, atque verſioni notas ſubjecit; numquam tamen opus prodiit. Vide *Biblioth. Rabb. tom.3.p 856.*

[Præter eos, quos recenſuimos, *P. Alexander* in Diſſertatione undecima ætatis quintæ canonicam authoritatem Libro Tobiæ vindicat.

Joannes Heringerus vel *Heringius*, Germano-Lutheranus, vulgavit Tractatum de utroque Tobia, Bremæ an. 1640. in 8.]

COMMENTARIA IN JUDITH,

RAbanos Maurus, Didacos Celada, Sanctius in hunc librum ſcripſere. Joſeph la Cerda Epiſcopus Almerienſis Benedictinus, qui obiit 1645. Commentarium ſcripſit in Judith; quemadmodom & Victorinus Strigelius, Jacobus Ziegler, Frider. Nauſea, Baduvel, & Grotius.

Jacobi Pamelii Commentarium vulgatum eſt ad calcem Commentarii Rabani Mauri in Judith.

Veritas hiſtoriæ Judith per P. Montfaucon, Gallice, Pariſ. in 12. 1690.

Joan. Chriſtophi Artopæi Meletema hiſtoric. quod narratio de Judiths, & Holoferne non hiſtoria ſit, ſed Epopejæ. Argentorati 1698. in 4.

Calmet. Præfatio in Judith,

Fabric. Biblioth. Græc. *t. 1.l.3.c.29.p.747.*

[Commentarius *Celada* datus eſt Lugd. an. 1664. fol. *Cerda ibid.* 1653. 2. vol. in fol. ſecund. Edit. poſt obitum Authoris. Madriti natus, Benedictinus, ac tandem Epiſcopus obiit ao.1245.

Inter opera Rabani tom 2. leguntur Commentarios *Jacobi Pamelii* in Judith p. 263. Edit. Colonienſis ao. 1628. fol. Longa Præfatione præmiſſa vindicat Libri hujus authoritatem, & veritatem in eos, qui adverſarios illi ſe oppoſuerunt, ſive revocarunt in dubium. In toto opere non exponit niſi quæ ipſi ardua videantur, Natus Brugis in Belgio an. 1536. Epiſcopatum Audomarenſem (*S. Omer*) obtinuit, obiitque an. 1587. Eruditionem poſſediſſe nullis adſtrictam limitibus jure de illo affirmaretur, quod maxime probant Adnotationes ejus in Tertullianum, ſicut & quæ ſcripſit de Liturgia.

Addi poſſet *Claudii Thomaſſini* Gallica Paraphraſis in Judith; Pariſiis 1642. in 12. Alteram etiam dedit in Tobiam an 1643. in 12.

Lucas Velloſius Ulyſſiponenſis, Jeſuita, e grandi illo, quem moliebatur, Commentario unicum tomum dedit, Lugd. 1649. Obiit an. 1653,

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN JUDITH,

NIcolai Abram S. J. de Juditha l. 12. *Pharl V. T.*

[Qui deſtituuntur opere D Bernardi Montfaucon de veritate Hiſtoriæ Judith in tres partes diſtributo, adeant Synopſim ejus apud D. Dupin in Bibliotheca ſæcul.17. tom.6. pag.292.

Nova adornata eſt editio operom *Joannis Chriſtophori Artopæi*, Germano-Lutherani, & Canonici S Thomæ Argentorati 1700. cui acceſſit, & Diſſertatio de ovigatione Salomonis. Obiit an.1702.

Jacobus Zieglerus ſcripſit Cenſuram chronographicam de hiſtoria Judith; & *Chriſtianus Kortholt* ejuſdem argumenti diſputationem. Prodiit illa quidem Roſtochii an. 1263. in 4. hæc vero Baſileæ ao. 1548. in fol. Vide quartam partem.

Fabricius in loco indicato Bibliothecæ Græcæ, exhibet eximias Animadverſiones in hunc Librum, quoad varias Orientales ejus Verſiones, & Veterum de illo teſtimonia.

Claudemus hunc Articulum addita Diſquiſitione Dialectica in veritatem hujus hiſtoriæ *Philippi Jacobi Hartmann*; Regiomontii alio nomine Koningsberg in Pruſſia an.1671. in 4. Vir Germano-Lutheranus, exeunte ſæculo 17. vivebat adhuc.]

COMMENTARIA IN ESTHER.

RAbanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus, Sanctius, Leander a Murcia, Cajetanus, Serrarius, Celada, Montanus, Feu-ardentius in hunc Librum ſcripſerunt.

Inter Proteſtantes Clericus, Amama, Druſius, Cuperus.

Inter Rabbinos Abenezra, Salomon Jarchi.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN ESTHER.

Olliverius Bonartius, Yprenſis, natus an. 1570. & Jeſuitis adlectus an. 1599. ſcripſit Commentarium litteralem, & moralem, quem ſub ementitio, ait D.Dupin, Enhetti parti nomine vulgavit Coloniæ ao. 1247. in fol. Obiit an. 1655. vel 1657.

Montanus. Nomen patriæ pro genuino Authoris ſubſtituimus; appellabatur enim Leander Montanus, Murcienſis in Hiſpania, & Capuccinus, florebatque ad medium ſæculi 17. Ejus Commentarius litteralis, & moralis prodiit Madriti an.1648. in fol. *Feu-ardentii* dederunt præla Colonenſia an. 1594. in fol. & 1595. in 8.

Addendus *Ludovicus Aquinius*, cujus Notas Gallicas in hunc Librum habemus excuſas Pariſiis an. 1624 in 4. Dupinius in ſuis Tabulis, & Colomeſius in ſua Gallia Orientali affirmat, Verſionem hanc eſſe Hebraici Commentarii R. Salomonis Jarchi. Erat Aquinus vir Gallus, ex Judæo Catholicus, circa an.1620,

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM, ET JUDÆORUM.

NObis plane imprudentibus accidit, ut recenſeretur inter Proteſtantes Laurentius Cuperus Garamontanus in Belgio, & Carmelita, qui deceſſit an. 1594. ætatis 66. vir in patria hiſtoria doctiſſimus, ait Valerius Andreas. Ejus Commentarios prodiit Moguntiæ an. 1600. juxta Crovæum.

Joannis Druſii Adnotationes in Eſther inter primæ ab ipſo vulgata opera prodierunt Auguſtæ Vindelic. an. 1586. dein in Critic. Sacr. tom.5. prioris Editionis.

Inter Doctos Judæos *Aaron Aolob*, florens exeunte ſæculo 16, vulgavit ſub titulo: *Oleum myrrhæ*, Commentarium litteralem, & Hebraicum, decerptum ex Commentariis aliorum Rabbinorum, Theſſalonicæ an.1601. in 4.

Poſtremo omnium Hamburgi vulgatus ao. 1711. in 4. Commentarios inſcriptus: *Angelis Doctrinam*, Eliezer Judæi Germani, filii Eliæ, Medici, & Principis Synagogæ Poſnanienſis in Polonia. Obiit an.1586.

Iſaac Hiſpanus, natus in Regno Legionis, ſæculo 16. adornavit magnum Commentarium excuſum Venetiis an. 1565.

TRACTATUS, SIVE DISSERTATIONES IN ESTHER.

VIlhelmi Schickard de Feſto Purim.

Jul. Bartoloccii de Purim Encæniorum, Feſto Mardochæi, & Eſtheræ, *tom.1. Bibl. Rabb p.400.*

[*Guilhelmi Schickardii* Germano-Lutherani, Tubingenſis, Oratio de *Feſto Purim* prodiit Tubingæ an. 1633. in 8. Obiit præreptus lue an. 1634. ætatis 43.

Guillel-

Guillelmi Saldeni de Divinitate vel Inſpiratione Libri Eſther Opus legas in ejus Exercitationibus vel Otiis Theologicis, Vide ſupra.

Joannes Reiskius Germano-Lutheranus, vir plurimæ lectionis, & Latino eloquio excultus, juxta Acta Lipſienſia ad an.1686. pag.463. adornavit geminas Exercitationes in Maritum Eſther; Jenæ 1677. in 4. ſecund. Edit.

De Additionibus ad Librum Eſther agit *Fabricius*, Biblioth. Græc, tom.3.l.3-cap.29.p.745.]

COMMENTARIA IN JOB.

ORigenes, ſeu vetus aliquis Scriptor, ſub ejus nomine, tribus libris Commentarium uſque ad caput 3. 19. Jobi proſecutus eſt. Opus utile quidem, ſed non ſine defectibus.

Heſychius Patriarcha Jeroſolymitanus in Job. Baſileæ 1527. fol.

Catena Job per *Petrum Comitolum*. Venet. 1587. in 4.

S. Joannes Chryſoſtomus Homilias aliquas in eumdem librum dedit.

Ambroſius de Interpellatione Job, & Davidis l. 1.

Olympiodorus impreſſus in catena Græca in Job, a Patricio Junio edita Lond. 1637. in fol. In eo opere fragmenta complurium. Veterum Patrum inſeruntur, quæ quidem utiliſſimum Librum efficiunt.

S. Gregorius Magnus 35. libros Moralium in Job ſcripſit.

Odo Abbas Cluniacenſis, ejuſdem argumenti, totidemque diviſum libris opus adornavit. *Tom. 17. Biblioth. Patrum pag. 315.*

Beda Venerabilis, ſeu potius Philippus Diſcipulus S. Hieronymi, de quo ſtatim, Commentarium morale in eumdem librum vulgavit.

Philippus Sacerdos, impreſſus in Nov. Edit. S. Hieronymi tom. 5. *pag. 70. append. cum Textu interlineari, & ſuſius t.5.pag.678.*

Bruno Aſtenſis, vel *Signienſis* in Job.

Auguſt. Crenelli Ord. Prædic. Catena in Job. Genevæ 1636. in fol.

S. Thomas Aquinas Commentarium edidit in Job ſtylo, & methodo prorſus ſcholaſtica, ubi nec diviſiones, nec definitiones &c. deſunt.

Petri Bleſenſis Angli Compendium ſuper Job tom. 24. Biblioth. Patrum 1153. & in noviſſima Edit. Petri Bleſenſis, pag.608. &c.

Franc. Titelmanus in Job.

Gaſpar Sanctius S J. Opus probatiſſimum.

Joan. Ferrus Franciſcanus.

Franc. Feu-ardent. Franciſcanus.

Hieronym. Oſorius Senior, in Job. Inter opera Oſorii nepotis Rom. 1592.

Steuchus Eugubinus, in Job.

Didaci de Zuniga, Commentar. In Job.

Cypriani de la Huerga, Ciſtercienſis in Job. Complut. 1582.

Senaus Paraphraſis in Job. Gallice.

Joannes de Pineda Jeſuita, Hiſpanus, diffuſiſſimum quidem, ſed probatiſſimum Commentarium atque inter optima reputatum, elaboravit, in quo nihil præterit indiſcuſſum, 2. vol. in fol. Unum iſtud opus pro omnibus ejuſdem generis haberi poteſt. Obiit Pineda 80. annos grandævus an. 1637. Aliis operibus clarus, de quibus ſuo loco.

Franc. Vavaſſorius S.J. Liber Job cum Poetica Metaphraſi, & Expoſitione Litterali *in fol. Amſtelod. 1709.* Commentarium eſt litterale, criticum, & cultiſſimæ Latinitatis. Obiit Author an.1683.

Inter Proteſtentes *Philippus Codurcus Gallus*, qui an. 1650. florebat, atque Hebraicæ linguæ peritiſſimus habebetur, libros Job, Proverbiorum, Eccleſiaſtici, & Cantici Canticorum Gallice vertit. Litterale in Jobum commentarium ejus valde probatur.

Joannes Mercerus Commentario litterali, critico, & grammaticali in Job plurimum laudatur.

Abrah. Scultetus vir doctus inter Proteſtantes, mortuus an.1625. non ſine ſucceſſu in eadem palæſtra ſe exercuit.

Joannes Caryl Calviniſta doctiſſimus, & profundiſſimæ litteraturæ, quamquam plus nimio prolixior, obiit an. 1699.

Inter Rabbinos ſcripta manent Abenezræ; & Rabb Levi-ben-Gerſon.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN LIBRUM JOB.

Sub nomine *Origenis* obtruſi Commentarii leguntur tantum in Editionibus Latinis; eos vero uno hoc elogio proſequitur Eraſmus, Opus enim eſſe dicit *inepti Authoris*. P. le Long detcait tandem fœtum eſſe Maximi Epiſcopi Aricni.

Heſychius vel nihil ſcripſit in Job, vel nihil de hoc argumento typis vulgatum eſt, quæ fuit noſtra perſuaſio: ſed tantum lucem aſpexit publicam Commentarius ejus in Leviticum.

Petrus Comitolus reipſa quidem primus omnium dedit Catenam Patrum Græcorum in Job impreſſam primo Lugduni an. 1586. Latine tantum: Demum a *Patricio Junio* omnibus numeris abſolutum eſt opus, addito Græco; & *Joanne Tertorius* imprimendum illud curavit Frenekeræ an. 1663. in 4.

Joannes Sichardus jam dederat Commentarios *Philippi* ſub ejus nomine, Baſileæ an. 1529. in fol. & Martienæus, qui illos iterum redonavit, docet eumdem eſſe virum, cujus meminit Gennadius, defunctum circa an. 430. annum 456. haber Baronius ſub Marciano Imperatore.

Nec prætereundus *S. Auguſtinus* cujus adnotationes in hunc Librum habes in tom.3. Operum ipſius Nov. Edic. pag. 626. Porro vir ille, pro conſueto more, egregie argumentum tractavit, ait Caſſiodorus Inſtitut. Divinar. cap. 6. Paraphraſis eſt vel explicatio litteralis Sacri Textus juxta D. Dupin.

Scitum eſt inter omnes quanta æſtimatione probata ſint Moralia S. Gregorii, quæ Patres noſtri collocarunt in tom. 1. novæ Edit. Opus hoc fideliſſime exſcripſit *S. Odo*, cujus opus jam prodierat Pariſiis an.1617. in 8.

Brunonis Aſtenſis Commentarius junctus eſt alteri in Pentateuchum. Vide ſupra.

Commentarius *S. Thomæ Aquinatis* excuſus eſt Venet. an. 1505. in fol. & Romæ 1562. in 4. Continetur etiam in ampla collectione operum ipſius to.13. *ibid. 1570. fol.*

Franciſcus Titelmannus dedit illuſtrationes Paraphraſticas cum Adnotationibus, cujus Operis poſtrema Editio eſt Antuerpienſis an. 1566. in 4. Vide infra.

Commentarium *Gaſparis Sanctii* poſtremo dederunt prælа Lipſienſia an.1712. in 4.

Expoſitio Hiſtorica *Joannis Fery* excuſa eſt Coloniæ an. 1574. in 8. & Germanice *ibid.*1571.

Joannes Oſorius Senior ſcripſit tres Libros Paraphraſum inter cætera alia Opera in fol. Viti Nepos adjecit e ſuo Marte Notas.

Oſorius Senior, Ulyſſiponenſis, Sylvæ Epiſcopus in Luſitania, obiit an.1580. ætatis 74. facili, & eleganti ſtylo ita clarus, ut Cicero Luſitanus appellaretur. In ſuis Commentariis, & Paraphraſibus neglecta expoſitione vocum ſacri Textus, totus eſt in indagando ſenſu, & connexione. De Nepote vide in Eccleſiaſtem.

Eugubinus minus conciſus eſt in Orationibus in Job, ſeorſum Venetiis an 1667. in 4. quam in Adnotationibus ad Pentateuchum.

Didacus Zuniga, vel potius *Stunica*, Hiſpanus, Salmanticenſis, & Eremita Auguſtinianus, qui floruit circa an.1580. junxit Commentario ſuo in Job Textum Hebræum, Verſionem Latinam Vulgatæ, Græcum Septuaginta, & Chaldaicum, hæc omnia ſimul conciliaturus, & expoſiturus. Prodiit Opus Toleti 1584 in 4. & Romæ 1591. Puriſſimo fluebat ſtylo ad veterem Romanorum accedente, ait Nicolaus Antonius.

Paraphraſis *P. Senaulti*, non *Senautii*, ut male in noſtris impreſſis, tanti æſtimata eſt, ut iteratis editionibus par reputaretur; poſtrema eſt editio Rothomagenſis an. 1667. in 8. Senſit injuſtam cenſuram Adverſarii Anonymi latentis ſub nomine Eugenii, cujus Opus ubi, vel quo tempore prodierit, nemine docente, ignoramus.

Geminæ ſunt poſtremæ Editiones Commentarii *Pinedæ*, Lugdunenſis an. 1701. & Veneta an. 1710. Addita Paraphraſis in ſelecta quædam capita totius operis portio eſt eximia. In calce ſingulorum tomorum addita eſt

tabula

tabula exponens voces Hebræas, quarum ibi fuit uſus. Vide in Reges.

Franciſcus Vavaſſorius, Jeſuita, Gallus, e Diœceſi Auguſtodunenſi, natus an. 1605. jam vulgaverat Expoſitionem ſuam litteralem Pariſ. 1679. in 8. quæ deinde inſerta eſt in collectione operum ipſius. Obiit, juxta P. le Long an. 1681. Vir Orator, & Poeta; ut ea variis ejus operibus dijudicare omnibus datum eſt.

In ſuo Commentario in Job inhæret ſenſui litterali, nec ad ſcribendum acceſſit niſi poſt lectas Sacras Litteras ſpatio 35. annorum. Styli elegantia, & nobilis ille genius res perſpicue exprimendi id efficit, ut doleamus in hoc argumentum diutius virum illum non laboraſſe.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM, ET JUDÆORUM.

Philippus *Codurcus* e parentibus Calviniſtis natus, dein ad Catholicos ſeceſſit; tum adlectus eſt inter viros Regi a conſiliis, ac tandem in ſinu Eccleſiæ Catholicæ deceſſit an. 1660. Dedit Scholia vel adnotationes in Job impreſſas Pariſ. an. 1651. in 4. quæ dein tranſierunt in M. Criticos tom. 3. Scripſit & animadverſiones in loca difficiliora, Gallice, *ibid.* 1657. *in* 8.

Commentarium *Joannis Merceri* dedere præla Genevenſia an. 1573. *in fol.* & Leidenſia an. 1652. Vide in Geneſim.

Chriſtophorus Sculcetus adornavit Analyſim typicam editam Stetini an. 1647. *in fol.* & Francofurti an. 1684. Ita nobis ſcribendum fuerat, & non recenſendus Abraham Sculretus, qui in Eccleſiaſtem tantum laboravit, uti nos infra. Chriſtophorus vir erat Stargardus, Miniſter Lutheranus Stetini. Obiit an. 1649.

Commentarius *Joannis Cocceii* prodiit ſeorſum Franekeræ an. 1644. ac dein in collectione operum ipſius. Vide ſupra.

Commentarius *Friderici Spanhemii*, filii, legitur in ſecundo tomo operum ipſius, prodiitque Auguſtæ Vindelicorum an. 1672. *in* 8. altera Editio.

Inter Judæos plures operam impenderunt illuſtrando, ſuo more, librum Job; alii vero qua Catholici, qua Proteſtantes nonniſi in capita ejus quædam ſe ſe exercuerunt.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN LIBRUM JOB.

Salom. Deyling. contendit, Jobab alium eſſe a Job *Diſput. Sacr. tom. 1. Diſp. 9.*

Joan. Erneſt. Muller, de terra Job. *In Theſ. Phil.*

Matt. Muller, de Angelorum concilio. Job. 2. 7. *In Theſ. Theol. Phil.*

Deylingii in Job. 3. 5. *Qui maledicunt diei tom. 3. Obſerv. ſacr. c. 13.*

Vide in idem argumentum Bochartum *T. 2. pag.* 903. *Nov. Edit. Leid. an.* 1707.

---- In illud Job 38. 36. *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam, vel qui dedit gallo intelligentiam?*

Joan. Reiskius de morbo Job difficillimo, *In Theſaur. Philolog.*

Vide & Jo: Pineda in eumdem morbum; ſicut & Auguſt. Calmet *in Comment. in Job.*

Villel. Ernest. Tenzel. de Phœnice ave Fellium.

Aug. Calmet Diſſert. in illud: *Sicut palma multiplicabo dies*. Job. 29. 18. *Comment. in Job.*

[Diſſertatio *Joan. Erneſti Mulleri* de patria Job, & *Matthiæ* de Concilio Angelorum, leguntur in Theſaur. Diſſert. Philolog. tom. 1. *Joannis Reiſkii* de morbo Job prodiit Helmſtadii an. 1685. *in* 4. *Georgius Vvedelius* idem pariter argumentum tractavit in ſuis Exercitationibus Philologicis. Vide in Reges. De concilio pariter Angelorum diſſeruit *Andreas Habichorſt in* 4. Roſtochii, quo anno, ignoramus.

COROLLARIUM.

IN VARIA ARGUMENTA.

Georgius Gaſpar Kirchmajerus vulgavit Diſſertationem in Behemoth, & Leviathan, Wittembergæ an. 1669. *in* 8. altera Editio. Vide ſupra.

Idem argumentum vexavit *Gaſpar Loeſcherius*, Germano Lutheranus, Wittembergenſis exeuntis ſæculi 17. Lipſiæ an. 1664. *in* 4.

Idem & *Clemens Schade*, Dano-Lutheranus, florens ineunte ſæculo 18 Haphoiæ an. 1707. *in* 4.

Franciſcus Vvoergenus ſcripta Diſſertatione indagat, qui fuerit Leviathan, & ii qui maledicunt diei; Lubecæ an. 1699. *in* 4.

Jo. Henricus Michaelis adornavit Diſputationem in Angelum, de quo in capite 33. 23. Hallæ 1707. *in* 4.

Jo. Fridericus Majerus dedit Jobum ſanctificantem filios ſuos; Gryphiſvvaldiæ an. 1705. *in* 4.

Joannis Laſſenii lacrymæ Job, Germanice; Nurimbergæ an. 1667. *in* 4.

Chriſtophorus Chemnitius edidit Diſſert. de Jobo ejuſque Libro; Jenæ 1685. *in* 4.

Georgius Vveiſgebius ſcripſit Prolegomena in ætatem, & familiam Job; Soræ 1636. *in* 4. Vir Germano-Lutheranus, Profeſſor Sacrarum Litterarum Turingiæ, obiit an. 1676.

Georgius Guillelmus Bajerus expoſuit ſyſtema Mundi, de quo Job 26. 27. Hallæ 1707. *in* 4. Egit & de Saphiro, de quo in capite 28. 6. Altorfii 1705. *in* 4. De Behemoth, & Leviathan an. 1708. *in* 4.

Tandem Jo. *Georgius Abicht* vulgavit Diſputationem in Goel, vel Redemptorem Job, ad caput 19. 25. Lipſiæ an. 1708. *in* 4. Vide ſupra.

Jo. Jacobus Scheuchzerus diſſeruit de morbo Job, & de Aquilone, in expoſitione a ſe adornata capitis 2. 7. 8. & capitis 26. 7. ſub titulo: *Specimen Phyſica Sacra*: in Bibliotheca Philologica tom. 2. pag. 397. 409. Tiguri natus an. 1672. ſtuduit Altorfii an. 1692. & Ultrajecti an. 1694. Doctor Medicinæ, & Profeſſor Matheſeos renunciatus eſt an. 1695. conjugem adſcivit an. 1697. & in Pruſſiam appellatus eſt an. 1714. Catalogum cæterorum Operum ipſius habes in eodem volumine pag. 574. 578.

Jo. Georgius Schelhornius Diſputationem edidit in caput 40. 31. in eadem collectione tom. 4. pag. 572. 578.]

COMMENTARIA IN LIBRUM PSALMORUM.

Commentatiorum in Pſalmos numerus in immenſum pene excrevit; quare nos, non omnia quidem, ſed partem tantummodo, atque communi æſtimatione cæteris prælata afferemus. Cæterum perſuaſum habemus, perfectiſſimam hujus libri explicationem, tamdiu arduam, ac pene impoſſibilem futuram, quamdiu neque de Authoribus Pſalmorum conſtabit, neque de occaſione, qua dictati ſunt, neque de ſingulorum principio, ac termino. Quamvis enim Pſalmorum in noſtris Bibliis diſtributio vetuſtiſſima ſit, plurimum tamen ipſis Pſalmis, atque primoribus illorum Compilatoribus recentiorem eſſe conſtat. Origenes *In Pſalm. 2. in Nov. Edit. Hexapl. pag.* 475. S. Hilarius *Prol. in Pſal. & in pſ.* 2. Kimchi *in Pſalm.* ultro conveniunt, non modico temporis ſpatio Pſalmos omnes unico ſimul Textu continuatos fuiſſe, neque in partes, uti noſtra ætate, diſcretos. Judæi etiam aliam, ac nos, diviſionem in Pſalmis obſervant. Quare certum Pſalmorum ſenſum ſcrutari pene inacceſſum eſt opus.

Quoad Pſalmorum Commentatores illud fateamur oportet, PP. Græcos in explicatione litteræ Pſalmorum meliori ſucceſſu, quam Latinos laboraſſe; Latina enim Verſio, qua nos in Eccleſia utimur, ex Græco deſumpta eſt, atque PP. Græcis Hexapla Origenis ſuppetebant, quæ non modico erant ad intelligentiam litteræ adjumento. Ex quo tamen ſtudium Græcæ, Hebraicæ, atque cæterarum Orientalium Linguarum obtinere cœpit, atque optimæ Editiones Patrum Græcorum, & Latinorum vulgatæ ſunt; exinde certe planior nobis ad eam

tem,

rem, quam Veteribus via; atque 260. tantum annorum ſpatio plus in ſtudio litteralis, & grammaticalis ſenſus profecimus, quam ipſi plurium ſeculorum induſtria, & labore.

Origenes quinque Homilias in Pſalm. 36. dictavit: *Noli æmulari in malignantibus &c.* duas in Pſalm. 37. *Domine ne in furore tuo &c.* totidemque in Pſal. 38. *Dixi: cuſtodiam vias meas.*

Euſebius Cæſarienſis totum Pſalterium perpetuo Commentario illuſtravit, ubi non ſpernenda plurima. Illud P. Montfaucon, paucis ante annis, Græcum, & Latinum vulgavit in fol. Pariſ. 1706. *in nova Collect. PP. Græc. tom. 1.*

S. Athanaſius ſimile edidit in Pſalm. Commentarium Græce, & Latine ab eodem Montfaucon ibid. tom. 2. vulgatum. Quamquam non uſque adeo vetus hujus operis Author exploratus eſt; nec ſane magnæ eſt utilitatis liber.

Commentarium Latinum in Pſſ. S. Baſilii Magni nomine circumfertur, quod ſane alterius Authoris, indignum alioqui tanto viro, eſt opus. Cento eſt enim ex variis Chryſoſtomi, & Theodoreti fragmentis conſarcinatum. Genuinus S. Baſilii fœtus eſt Homilia in Pſalm. primum, quæ veluti præfationem in totum Palterium exhibet. Explicavit etiam Pſalm. 7. *Domine Deus meus in te ſperavi*; & 14. *Domine qui habitabit*; & 28. *Afferte Domino filii Dei*; & 29. *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me*; & 32. *Exultate Juſti in Domino*; & 33. *Benedicam Dominum*; & 37. *Domine ne in furore tuo &c.* & 44. *Eructavit cor meum*; & 45. *Deus noſter refugium*; & 48. *Audite hæc omnes gentes*; & 59. *Deus repuliſti nos*; & 61. *Nonne Deo ſubjecta erit Anima mea*; & 114. *Dilexi quoniam exaudiet*; & 115. *Credidi propter quod locutus ſum*. Quare in 15. Pſſ. ſcripſit.

S. Chryſoſtomus in Pſalm. 60. ſcripſit. Feruntur etiam ſub ejus nomine Græca quædam MSſ. in cæteros Pſalmos; ſed alterius ſunt Authoris.

Theodoretus conſueto ſtylo brevi, conciſo, judicio, & eruditione pleno, in totum Pſalterium ſcripſit.

P. Corderius Jeſuita utiliſſimam Patrum Græcorum catenam edidit in Pſſ. 3. Vol. in fol.

S. Hilarius Epiſcopus Pictavienſis ſcripſiſſe in totum Pſalterium fertur. Vide Præfat. in ejus Comment. in Pſſ. Nov. Edit. pag. 167. 168. Nihil tamen ex eo opere vulgatum eſt, quam diffuſa quidem in Pſalmos Præfatio, & Commentaria in Pſſ. 1. 2. 9. 13. 14. 51. uſque ad totum 69. & 91. 118. & reliquos uſque ad finem Pſalterii. In eo opere, poſt explicationem litteræ, ad ſenſum moralem, & ſpiritualem excurrit; plurimum autem ex Origene profecit, juxta ac S. Hieronymus obſervavit in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Vide etiam ejus Epiſtolas 62. 65. in Nova Editione S. Hilarii.

S. Ambroſius Archiepiſcopus Mediolanenſis 12. Pſſ. illuſtravit; ſcilicet 1. 35. uſque ad totum 40. & 43. 45. 47. 61. 118. Senſum potius moralem, quam litteralem obſervat, & Origenis methodum in eo opere, quemadmodum & in aliis pleriſque, ſibi proponit.

S. Auguſtinus amplum opus in Pſalmos exaravit, ubi dogmaticæ, Moralis, & Spiritualis plurimum, ut utiliſſimus ſit liber iis, qui in lectione Pſalmorum nihil aliud, quam ædificationem quærunt.

Commentarium in Pſalmos S. Hieronymi nomine inſcriptum, alterius eſt Veteris Authoris ſæculi quarti. Non raro Origenem, S. Hilarium, S. Hieronymum, atque S. Eucherium exſcribit. Cur autem S. Hieronymo tribueretur in cauſa fuit, quod Græcæ interdum, & Hebrææ voces, necnon criticæ aliquid in iis Textibus occurrant, quæ ſane apud Commentatores Latinos ejus ætatis rariſſima ſunt. Sed P. Martianay imperitum illum Hebraicæ linguæ, atque merum exſcriptorem oſtendit; vixiſſe autem credit in Ægypto, ſive in Palæſtina, eodem plane ſæculo quarto, quo S. Hieronymus florebat.

Idem P. Martianay aliam explicationem Pſalmorum vulgavit, S. Hieronymo, nihilo tamen meliori fide, quam prima, inſcriptam. Vetuſtiſſimum eſt opus, & Authoris Græca lingua non imperiti; continet autem tantummodo Pſſ. 1. 5. 7. 78. 117. 128. 131. 141. Vide Nov. Edit. S. Hieron. tom. 2. Appendic.

S. Hieronymus in Epiſtola ad Principiam Pſal. 44. explicavit *T. 2. Nov. Edit. pag.* 681. Expendit etiam ad criticas regulas plura Pſalmorum loca in Epiſtola ad Sunniam, & Fretellam; *T. 2. Nov. Edit. pag.* 626. quemadmodum, & in Epiſtola ad Marcellam *pag.* 706. *Nov. Edit.* voculas illasediſſerit *Sela*, ſive *Diapſalma*. Tandem in Epiſtola ad Cyprianum Presbyterum *p.* 249. *nov. edit.* Pſ. 91. *Domine refugium factus eſt nobis* exponit.

Rufini nomine Commentarium in 75. priores Pſalmos circumfertur; cum tamen in eo fragmenta S. Auguſtini, & S. Gregorii Magni referantur, alterius eſſe a Rufino Authoris apertiſſime conſtat.

Apollinaris Epiſcopus Laodiceæ ſub Conſtantio Imperatore, quarti ſæculi ſcriptor, Græcis Heroicis carminibus totum Pſalterium tradidit, cujus opus impreſſum legitur in Bibliot. Patrum tom. 4. par. 2.

Caſſiodorus Commentarium in Pſalmos, ſeu potius epitomen S. Auguſtini vulgavit, cui ejuſdem Caſſiodori Prolegomena in Pſalterium accedunt.

Remigius Altiſſiodorenſis Monachus S. Germani Pratenſis ſæculo 9. Commentarium Morale, longa Præfatione inſtructum, elucubravit, in quo ſane SS. Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, ſicut & Caſſiodori, cæterorumque PP. operibus profecit. Extat opus in Bibliotheca Patrum *tom. 16. par. 3. p.* 1048.

Arnobius Junior facile Author eſt Commentarii in Pſal. quod Trithemius alteri Arnobio Seniori tribuit, qui ſane Arnobius anno circiter 297. florebat; cum junior non niſi labente quinto ſæculo vixiſſe potuerit. Porro in Pſalmo 108. de erroribus Photini, & obortis de prædeſtinatione diſputationibus agit; quo ſane argumento poſt S. Auguſtinum vixiſſe intelligimus. Ejus vero opus, plus nimio brevius, difficultates fere præterit; totum eſt autem in ſenſu morali, & allegorico.

Aymo, ſive *Haimo* Epiſcopus Alberſtadenſis, 9. ſæculi Scriptor, Commentarium dedit in Pſalmos, ejuſdem cum cæteris ejus ætatis ſaporis; cum de critica, ac de ſtudio linguarum ne hilum quidem habeat, totumque ex Veteribus PP. derivatum acceperit.

Bruno Aſtenſis, ſive *Signenſis*, de quo ſupra, author proditur a Dupin Commentarii nomine S. Brunonis Carthuſianorum Inſtitutoris inſcripti. Attamen in Bibliotheca Patrum *T.* 20. *pag.* 1443. Commentarium legitur Brunonis Signenſis alterum ab eo, quod inter opera S. Brunonis Coloniæ 1611. vulgatum eſt.

Euthymius Zigabenus, qui ineunte ſæculo 12. florebat, eximium Commentarium in Pſſ. adornavit ex optimis præcedentium Patrum fontibus, ut S. Chryſoſtomi, & Theodoreti, derivatum.

Beda Venerabilis, non Latinos tantum ſequutus eſt, ſed & Græcorum hypotheſes, & explicationes, in ſuo ſuper Pſalterium Commentario, ſæpe adoptavit.

Bruno Herbipolenſis, qui an. 1045. in vivis agebat, Commentarium ſcripſit in Pſſ. ex Caſſiodoro deductum. *Extat in Biblios. Patrum t. 18. pag. 65.*

Odo Aſtenſis Monachus Benedictinus, ſæculi 12. ſcriptor, Commentarium dedit in Pſſ. Brunoni Aſtenſi, ſive Signenſi inſcriptum. *Extat in Bibliotheca Patrum tom. 20. pag.* 1816.

S. Brunonis Carthuſianorum patris nomine Commentarium in Pſalterium vulgatum eſt, in capite operum ipſius Coloniæ 1611. impreſſum. Vide ſupra *Bruno Aſtenſis*.

S. Proſper Aquitanus, Diſcipulus S. Auguſtini ſuo in Pſſ. Commentario operis S. Auguſtini veluti ſummam complexus eſt.

Hugo de S. Victore breves in loca quædam Pſalmorum, ſuo captui difficiliora, notas ſcripſit.

S. Thomas in primos 50. Pſalmos ſcholia, ſtylo ſatis ſcholaſtico, & jejunio adornavit.

S. Bonaventura Pſalterium morali explicatione illuſtravit.

S. Gregorius Magnus, ſive juxta alios Gregorius VII. in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales calamum exercuit.

Paria *Innoc. III.* præſtitit.

Urbanus IV. in Pſalmos 50. ſcripſit.

Paſchaſius Radbertus in 44.

S. Bernardus in 90. *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi.*

Michael Ayguanus, ſive Aignanus, vel *Incogniti* nomine

mine vulgatus, ſcriptor ſæculi 14. & 15. ineuntis, in Pſalmos Commentarium adornavit. Ad ſupremum Ordinis Carmelitarum regimen evectus fuit an. 1381. atque diem clauſit 1406. Ejus opus moralem potius, quam litteralem ſenſum complectum, ſuam meretur laudem; ſtylo tamen eſt duro, Scholaſticorum more, quorum methodum imitatur.

Petrus Lombardus, ſive Magiſter ſententiarum, Commentarium ſcripſit in Pſalmos, editum Nurimbergæ 1478. & Pariſ. 1541. 1561.

Sanctis Pagnini catena argentea in Pſalmos. fol. Pariſiis 1520.

Richardi Pampolitani Anglo-Saxoni Eremitæ, enarratio in Pſalterium fol. Colon. 1536.

Ludolphus Carthuſianus, Franciſcus Titelmannus, Cajetanus, Jacobus de Valentia, Auguſtinus Steuchus Eugubinus, aliique plures, de quibus jam diximus, in idem argumentum laborarunt.

Thomas Le blanc S. J. 6. Volumina in fol. in Pſalmos edidit. Lugd. 1665.

Antonius Agellius ex Canonico Regulari S. Auguſtini Epiſcopus Acernenſis in Regno Neapolitano, ineunte ſæculo 17. eximium adornavit Commentarium in Pſſ. in Canticum Canticorum, Lamentationes Jeremiæ, & Habacuc.

Gilbertus Genebrardus, Benedictinus, Ordinis Duniacenſis inter primores in Pſalmos Scriptores meritu habendus, Nec linguarum ſcientia, nec fidei Catholicæ eximium ſtudium viro deerat. Cum autem ea ætate verſaretur, qua diſputationes in Proteſtantes ardebant, non raro arma contra illos tractavit, atque pro Eccleſia Dei decertans, Vulgatæ authoritatem ſumma contentione aſſeruit; obiit Archiepiſcopus Aqui-Sextienſis in Provincia an. 1597. Primæ editiones ejus Commentarii cæteris, ab authore ſecundis curis recenſitis, concedunt.

Robertus Bellarminus ex Jeſuita Cardinalis, ſcriptis controverſiis clarus, Commentarium edidit in Pſalmum, non criticum quidem admodum, & eruditum, ſed unctione, & pietate eximium. Obiit an. 1621. ætatem agens 79. annorum; ejuſque opus ſæpius quidem excuſum, interdum tamen Typographorum incuria mendoſiſſime.

Simon de Muis Aurelia oriundus, Hebraicæ linguæ in Univerſitate Pariſienſi Profeſſor, Commentarii in Pſalmos omnium, ad id uſque, eximii author eſt. In eo vero Scriptor, primo Latinam ex Hebræo verſionem, e regione Vulgatæ impreſſam, exhibet; ſuccedit his Commentarium criticum grammaticale, & litterale. Hebræo unice adhæret, & Rabbinis, qui Pſalterium explicarunt; raro Patres, cæteroſque Chriſtianos Commentatores laudat; quemadmodum & Prolegomenis opus mancum eſt, Hi eximii operis nævi. Obiit an. 1644.

Joannes Lorinus, doctus Jeſuita, obiit an. 1634. ætatem agens 75. annorum, diffuſum ſatis Commentarium in Pſalmos, 3. Vol. in fol. impreſſum, dedit. Vim explicat Hebræarum vocum, ut critices periciſſimum decet; atque plures in dogma, & diſciplinam quæſtiones agitat.

Cornelius Janſenius, primus Epiſcopus Gandavenſis, qui obiit an. 1576. ætatem agens 70. annorum. Laudatiſſimum in Pſalmos Commentarium adornavit.

Auguſtini Juſtiniani Annotationes ſparſæ in Octaplum Pſalter. Pariſiis excuſæ ſunt, ſicut & in Magnis Criticis. Non Commentarium quidem perpetuum exhibet, ſed eruditas annotationes, ex Rabbinis plerumque in ſelecta Pſalmorum loca derivatas. Linguarum ſcientia callebat plurimum, obiit autem an. 1536. Ex Religioſo S. Dominici ad Epiſcopatum Nebienſem in Corſica aſſumptus fuit.

Maldonati opera in V. T. impreſſa ſunt Pariſ. 1634. unico vol. in fol. ibique breve in Pſalmos Commentarium legitur.

Joannes Baptiſta Folengi, Benedictinus, Mantua oriundus, obiit 1559. ætatem agens 80. annorum, Commentarii in Pſalmos Romæ impreſſi 1585. author eſt; ſtylo exculto, erudito, & modeſto. Auctor pietate erat inſigni; ejuſque Commentarium non aridum quidem, & grammaticale, neque Græcis, & Hebræis vocibus barbarum eſt; ſed unctione plurima, morali & Eccleſiaſtica ſcientia refertum.

Ferrandus Telò oriundus, Commentarium in 4. Pariſiis 1683. ſuis Prolegomenis inſtructum, vulgavit. Opus, alioquin elaboratiſſimum, nihil habet ſingulare. Obiit 1699.

Joannes Gagneus, in Pſalmos. Pariſ. 1564. vir erat doctus, & in Theologia verſatus.

Jacobus Benignus Boſſuet, Epiſcopus Meldenſis, breve opus, ſed exactiſſimum, in Pſalmos vulgavit, eximia Præfatione inſtructum. Præter Vulgatam Verſionem, in altera columna Verſio S. Hieronymi, ex Hebræo adornata, excuſa legitur. Obiit an. 1704. ætatem agens 79. annorum.

Ludovicus Elias Dupin, optima quæque Commentarii Cl. de Muis in ſuum in Pſalmos Commentarium derivavit. Porro duo hæc opera Dupini, & Boſſueti, uſui eſſe poterunt, & Tyronibus, & iis, quibus ampliores Libros ad excutiendas Textus difficultates evolvendi, nec otii ſatis, neque patientiæ eſt.

Geirus Lutheranus, amplum, & laudatiſſimum Commentarium in Pſalmos adornavit. Illud autem brevius, & commodius reddere potuiſſet, niſi certam quamdam methodum affectaſſet ſcholaſticam, arduam, & ſemper informem, juxta præſcriptas ſibi quorumdam locorum communium regulas.

Hammondus, Ainſworthe, Rivetus, Pricæus, Coccejus, Flaminius, aliique plures in Pſalmos Scriptores eximii feruntur. Conſule Synopſim Criticorum, & Magnos Criticos Anglicanos.

Breve Commentarium Flaminii in Pſalmos concinnum eſt, ſtylo culto, ſolido, & optimi ſaporis.

Inter Rabbinos extant opera Abenezræ, & R. Salomonis Jarchi &c.

COMMENTARII CATHOLICORUM IN PSALMOS.

Origenis Homiliæ novem in Pſalmos 36. 37. 38. Latine tantum e verſione Rufini recitantur in Editionibus Latinis; ſed D. Huetius in ſua Editione tom. 1. pag. 57. dedit Græca, & Latina fragmenta quædam ampli ejus Commentarii.

Quamquam *Euſebius Cæſarienſis* totum Pſalterium illuſtravit; nihilo ſecius D. Montfaucon dedit quæcumque nactus eſt in vetuſtis Mſſ. ſcilicet priores 119. Pſalmos. Porrò tria ſibi proponit author ſane utiliſſima; 1. Notas criticas dandi in ordinem Pſalmorum; 2. Adornandi expoſitionem litteralem, & myſtagogicam; 3. Revincendi Atheos, & impios; quod executus eſt pro voto, ut Commentarium hunc Euſebii doctiſſimum judicaris S. Hieronymus. Natus in Palæſtina circa an. 264. Epiſcopus Cæſarienſis renunciatus eſt an. 313. obiitque an. 338. Vir doctus, & pius, quem Arianiſmi alii accuſant, alii purgant, quam litem dirimere hic tempore alieno in loco non vacat.

De S. *Athanaſii* mentem noſtram non ſatis bene explicavimus; ejus enim duo ſunt Opera in Pſalmos; videlicet Expoſitiones in tomo ſecundo operum Nov. Edit. p. 1009. quibus præmittitur Epiſtola ad Marcellinum in Pſalmos, *ibid.* p. 982. In ſecundo tomo Collectionis Patrum Græcorum exhibentur Argumenta, & Supplementa ejuſdem Viri Sancti in eoſdem Pſalmos, e veteri MS. deducta. Caſſiodorus in ſuis Inſtitutionibus Divinis Epiſtolæ hujus ad Marcellinum meminit cum laude; ejuſque analyſim dedit D. Dupinus in ſua Biblioteca Eccleſiaſt. tom. 1. pag. 152. In Expoſitionibus id potiſſimum affectat, ut defendat Divinitatem Verbi; in Argumentis differit de ordine Pſalmorum, de variis eorum Authoribus, ac de ratione illos cum fructu legendi. Supplementa nonniſi laciniæ ſunt Expoſitionum ipſius in compendium redactæ, & detruncatæ ab Amanuenſibus.

D. Garnerius in nova Editione Operum *S. Baſilii* ſubmovit homiliam in Pſalm. 37. ſicut & alteram in Pſalm. 115. quas falſo præfatas nomine viri Sancti arbitratur; de quibus Lucubrationibus quid tenendum ſit multiplici, & curioſa obſervatione differit in Præfatione generali. Recitantur illæ in tom. 1. hujus editionis p. 90.

Quod attinet ad *S. Chryſoſtomum* legenda docta præfatio D. Bernardi Montfaucon, præfixa tomo quinto

novæ

Digitized by Google

novæ Editionis ; quæ genuina a ſpuriis diſtinguit.

Catenam *Balthaſſaris Corderii* dedit Plantinus, Antuerpiæ an. 1643. 3. vol. *in fol.* cujus operis ſingula volumina continent 50 Pſalmos cum Latina verſione, & Notis Editoris. Natus eſt Antuerpiæ an. 1592. Jeſuitam egit ab an. 1612. obiitque an. 1650. Vir linguæ Græcæ vel myſteriis initiatus.

De Opera *S. Hilarii* in nonnullos Pſalmos legendus D. Simon in Hiſtoria Critica V. T. p. 404. vitam ejus legere pronum eſt omnibus. Nos hæc tantum de illo, renunciatum ſcilicet fuiſſe Epiſcopum Pictavienſem an. 350. obiiſſe vero an. 369. præclaro fœdere eximiæ puritatis, & heroici in fidem zeli, cum ſublimi myſteriorum noſtrorum ſanctiſſimorum ſcientia vir inſignis.

S. Ambroſii Expoſitio in Pſal. 118 amplior eſt omnium ; nec moralia præcepta ita perſequitur ejus Author, ut prætereat inſerta dogmata fidei, nempe Myſteria SS. Trinitatis, Incarnationis, ac duarum voluntatum, & operationum in Chriſto, quæ omnia ſolide adeo probat, ut nihil validius urgeri poſſit in Monotheletas.

Ingens Commentarius *S. Auguſtini* totum occupat quartum tomum novæ Editionis.

Dictis jam de *S. Hieronymo* addere juvat rem utique non incurioſam, nimirum non ita reputatum eſſe cum multis, Sunniam ſcilicet, & Fretellam, ad quos Epiſtolam ſuam dirigit, geminas fuiſſe Matronas Romanas perſimiles Marcellæ, & Principiæ ; nomina enim iſta duorum virorum doctiſſimorum eſſe docent duo MSS. Anglicana hæc præferentia : *Dilectiſſimis Fratribus Sunniæ, & Fretellæ.*

Rufinus. Cenſet P. le Long ſcripta in Pſalmos ejus nomine præfixa genuina eſſe quidem, ſed inſerta pluribus e recentiorum Scriptorum laciniis. Prodierunt Lugduni an. 1570. *in fol.* De illo nos in Geneſim. Vide in Jacob.

Apollinarius Græco carmine Pſalterii, non verſionem adornavit, ſed potius, ut appellatur a P. le Long, Paraphraſim vel Metaphraſim. Plures ejus editiones adornatæ ſunt in 8. recuſæque in Bibliotheca Græcorum an. 1624. Hujus nominis duo ſunt, Pater, & Filius, quorum alter Sacerdos, alius Epiſcopus Laodiceæ in 4. ſæculo ; utri attribuendum ſit opus ignoratur.

Commentarius *Caſſiodori* exhibitus a Gareto in nov. edit. tom. 2. non mera eſt ſynopſis, & exſcriptio operis S. Auguſtini, a quo variat in methodo, ſicut & plura de ſuo addit Author ; quare pluribus celebraſſe opus illud Bedam, Strabum, & Honorium Auguſtodunenſem non ignoramus.

Cum obierit an. 570. natum fuiſſe oportet an. 470. ſiquidem verum ſit, ut ipſe de ſe innuere videtur in fine Pſalmi centeſimi, vitam ad 100. annos protogaſſe. Vir eſt laudibus omnibus, quibus celebrari poſſet, ſuperior, inſignis æque in aula, & in cella. De illo in Apocalypſim.

Commentarius *Remigii Altiſſiodorenſis* jam prodierat Coloniæ an. 1538. 1538. fol. & in ſecunda Editione Bibliothecæ Patrum tom. 8. pag. 436 cum Præfatione Editoris, qui favet Arnobio Seniori, ſed non convincit.

Haymonis, vel *Aymonis* Opus poſtremo omnium prodiit Coloniæ an. 1561. in 8. E Diſcipulo Alcuini, & Monacho Fuldenſi aſſumptus fuit in Epiſcopum an 841. obiitque an. 853.

Qui in Pſalmos ſcripſerint tres ſunt *Brunones* ; Aſtenſis, de quo nos ſupra ; ſecundus Archiepiſcopus Wirtzburgenſis in ſuo Commentario recenſito, & impreſſo a Cochlæo, Lipſiæ an. 1533. *in* 4. ac poſtremo omnium in nova Bibliotheca Patrum tom. 18. pag. 65. Tertius S. Bruno Ordinis Carthuſianorum primus Author, cujus eſt ſuus, a præcedentibus diſtinctus, Commentarius, uti D. Maſſuet probat evidentiſſime in noſtris Annalibus tom. 1. pag. 445. Legitur inter alia ejus Opera Coloniæ 1640. *in fol.* 2. vol. Vir erat Colonienſis, & e Rhemenſi Canonico receſſit in ſolitudinem an. 1086. obiit an. 1101. Judicio ſolido, juſto, ingenio acuto, & fideli memoria vir admirabilis ; ſed hæc omnia ſuperant mira ejus converſio, & auſteriſſimæ vitæ, quo illuxit univerſæ Eccleſiæ, exemplum.

Commentarios *Euthymii* Monachi Baſilienſis prodiit Græce Veronæ an. 1530. *in fol.* & Latine in nova Bibliotheca Patrum an. 19. p. 2. florebat juxta P. Labba an. 1118.

Commentarius *Bedæ* legitur in tomo 8. Operum ipſius. De illo nos ſupra.

Odonis Aſtenſis non excurrit ultra Pſalm. 110. quamquam conſilium agitaret proſequendi uſque ad Pſalm. 150. Exhibetur in fine operum Brunonis Aſtenſis Venetiis 1651. *in fol.* Ipſe de hoc ſuo ſcripto fatetur, ſimplicem eſſe meditationem, vel contemplationem.

Commentarium *S. Proſperi* habet ad pag. 371. poſtrema editionis Operum ipſius. Agnoſcitur genuinus Diſcipulus S. Auguſtini, ut merito affirmaretur ipſum Auguſtinum loqui vel ſcribere. Florere cœpit an. 430. & 455. vivebat adhuc. Tantum abfuit ut Epiſcopum ageret, quod nec ſatis conſtat, num Clericatu fuerit initiatus, id autem inſignem animi demiſſionem viri ſanctiſſimi commendat.

Expoſitionem in ſeptem Pſalmos, *S. Gregorii Papæ* nomine præfixam, quam offert nov. editio 3. par. 2 pag. 467. deberi potius Gregorio VII. quam Gregorio Magno contendit D. Gouſſanville. Idem pariter ferimus judicium de ejus Commentario in Libros Regum, quamquam & facile dictari potuit Claudio Abbati Claſſenſi ejus Diſcipulo, qui de ſuo aliquid adjecerit. Porro iſte vitam clauſiſſe cenſendus eſt exeunte anno 601. namque vir Sanctus in Epiſtola hoc anno data ad Joannem Diaconum mandat, afferri ad ſe ſcripta ejus omnia, quæ ſingula examinet. Erant autem hæc ſcripta, uti facile credimus, Apographa Commentariorum quos ille dictaverat.

Expoſitio *Innocentii III.* Papæ legitur inter cætera ejus Opera excuſa Venetiis an. 1578. *in fol.* poſtrema editio ; & ſeorſum Antuerpiæ an. 1550. *in* 8. Vir erat Italus, natus Anagniæ, appellatuſque nomine Lotharius ; Pontifex renunciatus fuit an. 1198. obiit an. 1216. Grandes animi dotes provexit irreprehenſibilis vitæ ſanctitate, tum & eruditione, qua redundant Epiſtolæ ejus omnes, vulgatæ a D. Baluzio Pariſ. an. 1682. 2. vol. *in fol.*

Arduum occurrit aliquod de expoſitione Pſalmi quinquageſimi, excuſa in nova Bibliotheca Patrum tom. 25. p. 335. P. le Long ſemel ſcribit opus eſſe Urbani III. ſemel vero Urbani IV. Poſtremum hoc cum D. Dupin tenemus. Eſt autem Paraphraſis qua ſermone ad Deum directo Author crimina ſua omnia humilis confitetur. Vir Trecenſis aſſumptus fuit in Pontificem an. 1261. obiitque Peruſiæ an. 1264.

Paſchaſius Radbertus tres libros adornavit in Pſalmum 44. excuſos inter cætera ejus Opera, Pariſ. 1618. fol p. 1258. & in poſtrema Bibliotheca Patrum. Vir Sueſſionenſis electus fuit in Abbatem Corbejenſem an 832. tum Abbatiæ onus depoſuit, ut enit vacaret precibus, affectaque admodum ætate obiit an. 851. juxta aliquos, vel 865. juxta alios.

S. Bernardi 17. ſermones in Pſalmum 90. *Qui habitat, &c.* offerunt variæ editiones Operum ipſius. De illo iterum in Canticum.

Commentarius *Ayguani* paruit primo ſub nomine Incogniti ; dein vero ſub genuino Authoris an. 1673. *in fol.* quæ poſterior eſt editio curata a Baſilio Angaſtola, plurimum aucta. Præpoſtere utique appellari ſolet etiam Angrianus.

Quæ dicenda ſuccurrunt de Commentario *Petri Lombardi* hæc utique ſe offerunt ; nimirum in editione an. 1541. *in fol.* legi Prologum in hunc Commentarium, addita collatione variarum Verſionum Pſalterii, & Apologia Verſionis, qua utitur Eccleſia, cum Vulgata recedere videtur a Textu Hebræo ; id autem tribuere videtur P. le Long *Richardo* cuidam Cenomanenſi, Franciſcano, alio plane a Richardo Hampolo, & non Pampolitano, uti nos appellavimus. Vir erat Anglus, Eboracenſis, defunctus an. 1349. juxta P. le Long, qui illum recenſet in Catalogo. Ejus Commentarii manuſcripti adhuc latent, quamquam Crovæus aliique locum impreſſionis notent. Prior ille adjecit Commentario ſuo in Pſalterium peculiarem Tractatum in Pſalmum vigeſimum.

Illud eſt ſingulare in *Ludolpho*, quod in fine cujuſque Pſalmi precem adſcribat. Poſtrema Editio eſt Veneta an. 1542. Patria erat Saxo, qui poſt exactos 30. annos apud Dominicanos, tranſivit ad Carthuſianos circa an. 1330. Appellabatur etiam Landulphus.

Titelmannus dedit Illuſtrationes cum adnotationibus, qui-

Digitized by Google

quibus ſubmittit oculis diſcrimen Hebræum inter, & Vulgatam; Antuerpiæ an. 1531. in fol. & 1689. 3. vol. in 12. Vir natus Hoſſelieti in Diœceſi Leodienſi, a Franciſcanis tranſiit ad Capuccinos, Romæ an. 1537. obiitque an. 1553. ætatis 46.

Commentarius *Cajetani* prodiit ſeorſum Pariſ. an. 1540. in fol. 5. edit. Adornatus eſt in Textum Hebræum, inhæretque ſenſui literali.

Eugubinus pariter ſequitur fidem Hebraicæ veritatis in ſuis Enarrationibus; Lugd. an. 1548. in fol. cum cæteris ejus operibus. Vide ſupra.

Pro *Jacobus de Valentia* legendum *Jacobus Perez* vel *Perez* da Valentia, Auguſtinianus, & Epiſcopus Chriſtopolitanus. Prodiit ejus Commentarius Pariſ. an. 1525. in fol. cum ejus quæſtionibus in Judæos, & expoſitione in Cantica Scripturæ, tertia Editio. Obiit Epiſcopus Carthagenæ an. 1492.

Le Blanc ſingulis Pſalmis præfigit analyſim, dein exponit ſenſum literalem, & myſticum. Poſtrema editio eſt Colonienſis 1680. 1695. Vir natus in Diœceſi Cabilonenſi dedit nomen inter Jeſuitas an. 1617. obiitque an. 1669.

Commentarius *Antonii Agellii* tertia editione datus eſt Pariſ. an. 1611. in fol. Profeſſus eſt inter Theatinos, non inter Auguſtinianos uti nobis excidit; renunciatuſque Epiſcopus a Clemente VIII. an. 1593. ab ea ſe dignitate demiſit an. 1604. obiitque an. 1608. ætate 70. annorum major.

Tertia, & optima Editio commentarii *Genebrardi* eſt Pariſienſis an. 1588. in fol. Defendit Verſionem Græcam Septuaginta in fautores nimis animatos Textus Hebraici.

Poſtrema Editio *Bellarmini* eſt an. 1640. in 4. Methodum ejus bonam tanquam dignam viro agnoſcit Simonius in Hiſtoria critica V. T. ſed critica deſtitutam dicit; nec ſane is erat Authoris ſcopus.

Simon de Muis vulgavit primum ſpecimen ingentis operis ſui; edita Pariſiis an. 1625. in 8. Expoſitione literali, & hiſtorica 50. priorum Pſalmorum. Ejus commentarius prodiit ibidem an. 1650. in fol. cum aliis ejus operibus. De illo aliter ac nos judicat Fabricius; demi enim oportere cenſet ea, quibus langueſcit; diſplicet etiam Simonio quod non ſatis caſtigatum ſit. De hoc viro nos in Geneſ.

Duæ ſunt novæ Editiones Commentarii *Lorini*; Moguntina an. 1678. in fol. 3. vol. & Veneta 1710. Dedit etiam peculiarem Commentarium in Pſalmum 67. Moguntiæ an. 1607.

Janſenius Epiſcopus Gandavenſis duplicis generis opera dedit in Pſalmos; Paraphraſim excuſam Lovanii an. 1569. in 4. & Lugd. an. 1692. quarta Edit. & adnotationes, Bruxellis an. 1692. in fol. ſexta Editio multis aucta. Ejus adnotationes ſunt accuratiſſimæ; ſequitur frequenter Textum Hebræum, utpote majoris authoritatis, & originalem; refert etiam Verſionem Græcam, ſenſum literalem, hiſtoricum, & Propheticum. De hoc viro nos alibi.

In Supplemento Criticorum Sacrorum tom. 2. exhibentur adnotationes *Auguſtini Juſtiniani*. De hoc nos in articulo Polyglottorum, & cum de Maldonato.

Poſtrema Editio Commentarii *Joannis B. Folengio* eſt an. 1594. in fol. Coloniæ. Redundat eruditione ſimul & unctione; quod in id generis operibus rarum eſt; exiſtimatione ſua ſingulari opus dignatur D. Mabillon. D. Dupin in ſua Biblioth. tom. 4. pag. 139. ſæc. 16. refert tabulam ab illo adornatam ad diſponendos in varias claſſes Pſalmos, utiliſſimas enim arbitratur.

In Commentario *Ferrandi* præter Prolegomena eſt paraphraſis Gallice reddita Pariſ. an. 1687. in 8. per Franciſcum Macæum. Quamquam Advocatus, Criticum egit, Interpretem, & controverſiarum peritum, uti a variis ejus operibus licet dijudicare.

Joannis Gagnei vulgati ſunt carminibus Lyricis Latinis, & non carminibus Syriacis uti legitur in Tabulis D. Dupin, Pſalmi 75. Hujus operis tertia Editio eſt Pariſienſis an. 1587. in 8. Genuinum ejus nomen eſt *Gianney*, quam Ephemerides Trevoltianas, quæ mendum illum D. Dupinii correxerunt, nullo mendo notari oportet, quamquam erroris a multis damnatæ ſunt: fallitur tamen D.

* *Dillion. Bibl.*

le Long geminos Authores diſtinguens, quibus unum idemque opus attribuit. De Gagnæo nos alibi; neque enim in Pſalmos Commentarium ſeipſa adornavit, quæ noſtra fuit poſt Criticum perſuaſio; ſed potius paraphraſim poeticam.

Boſſuet, & *Dupin*. Duos hoſce viros inſignes, ideo hic jungimus, quod ambo unum ferme idemque Latinum opus adornarunt. Illud addemus, Præfationem D. Boſſuet Diſſertationem in Pſalmos referre. Dedit & *Supplenda in Pſalmos*, Pariſ. an. 1693. in 8. Adnotationes Dupinii prodierunt an. 1691. in 8. Hujus operis de Socianiſmo accuſati vindicias in Anonymum dedit Coloniæ, 1693. in 8. De utroque hoc Viro nos ſupra.

Smaragdus quidam ſæculi 9. Expoſitionem ſcripſiſſe in Pſalmos colligitur ex ejus Operis Præfatione in collectione D. Martene tom. 1. p. 53. Alius reputatur a Smaragdo Abbate S. Michaelis Lotharingiæ; quamquam enim ſynchroni ſunt ambo, adhuc tamen prior ille egiſſe tantum videtur Monachum S. Maximi Trevirenſis.

Tentamen operis in Pſalmos *Thomæ Dufour* a nobis in tertia parte recenſebitur.

In Theſ. Anecdot. P. Martene tom. 1. par. 1. recitatur pia quædam paraphraſis Pſalmi 50. *Volfangi* Epiſcopi Ratiſponenſis; & expoſitio moralis pſalmi 12. *Eberdi* de Lainz Abbatis p. 24. 37. cui Author ætatem agentem 37. annorum laboraſſe ſe ſcribit. Expoſitio *Honorii Auguſtodunenſis* in ſelectos aliquos Pſalmos p. 95. 154. excerptum eſt grandis Commentarii ipſius, nondum typis vulgati.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM, ET JUDÆORUM.

COmmentarius *Martini Geieri* poſtremo editus eſt Lipſiæ an. 1697. in fol. exhibeturque pariter in collectione operum ipſius Amſtelodami an. 1695. 3. vol. in fol. Vir erat Lipſienſis, Miniſter Lutheranus; defunctus an. 1680. ætatis 66.

Henricus Hammondus dedit paraphraſes, & adnotationes Anglice, Londini 1659. & inter cætera ejus opera 4. vol. fol. *ibid.* 1684. Arminianæ Religionis vir, Anglus natus eſt an. 1605. obiitque an. 1660. ætatis 59. Diveſſit ejus Commentarius eruditione; & miro ingenio acumina abdita reſerat atque in apertam lucem exponit. Sed *latet anguis in herba*.

Adnotationes *Henrici Ainſworthe* prodierunt junctim cum aliis ab eo adornatis in Pentateuchum, & in Canticum, Anglice, Londini 1639. cum cæteris ejus operibus, & ſeorſum *ibid.* 1621. in 4. Vir erat Scotus, Edimburgenſis, Lutheranus, & Profeſſor Lipſiæ. Obiit an. 1665.

Andreas Rivetus Calviniſta a S. Maxentio in Pictonibus natus an. 1579. Commentario illuſtravit tantum Pſalmos Propheticos, videlicet Pſalmos 2. 8. 16. 19. 22. 24. 40. 46. 66. 110. 119. Roterodami an. 1634. in 4. Dedit & Meditationes in Pſalmos Pœnitentiales, Arenaci an. 1638. in 4. hæc autem omnia inſerta ſunt in collectione operum ipſius 3. vol. fol. Roterodami an. 1651. 1660. Obiit an. 1650.

Adnotationes *Joannis Priczi* legas in fine tomi 4. Criticorum Sacrorum; ac ſeorſum vulgatas Pariſ. 1647. in 8. Vir genere Anglus natus Londini in ſinu Anglicanæ Religionis; ſed poſt excurſas itinere exteras regiones cum reſpiſſet ſe Florentiam, ad Catholicos tranſivit, quod utique tenetur ex teſtimonio Colomeſii in ſua Bibliotheca ſelecta p. 461. Obiit Romæ an. 1676. Recenſendus eſt igitur inter Authores Catholicos cum D. Dupin, & non inter Proteſtantes cum D. Simon, cujus authoritas nobis impoſuit. Vaſto vir ingenio, literatura erat non inferiori.

Joannes Coquerus ſcripſit ingentem Commentarium vulgatum Lugduni Batavorum an. 1660. fol. dedit, & analyſim Pſalmorum inter Anecdota ſua *Philologica*, de quibus alibi.

Flaminii duo ſunt, Joannes Antonius pater, & M. Antonius filius, quod adnotare juvat, ne idem nobis accidat, quod D. Dupinio, qui Filii opera Patri attribuit. Ejus Paraphraſis excurrit tantum in Pſalmos 32. prodiitque

Digitized by Google

Venetiis an. 1538. in 8. Hæc primo ab illo vulgata ſunt; dein Publico communicavit breviorem Expoſitionem cum paraphraſi, & adnotationibus in omnes pſalmos quatuor, & decem receuſa. Poſtrema editio eſt an. 1576. in 8. Utrumque opus ſimul Pariſ. 1549. in 8. Obiit Romæ an. 1550. Pietate ac probitate vir eximius ſummoque qua judicio qua ingenio, ſtudio aſſiduus, & catholicus optimus.

Offertur in Bibliotheca Philologica *Theodori Haſæi* tom. 1. p. 1. & 59. p. 2. Expoſitio *Hermanni Bruſingii* in Pſalmum 118. Eſt autem ſpecimen Expoſitionis plurium aliorum, quos editioni paratas praſto habere ſe profeſſus eſt. De illo nos in Nov. Teſt. Dedit & Expoſitionem Pſal. 95. in eadem Bibliotheca, tom. 2. p. 174. 190. & Pſalm. 19. ibid. tom. 2. p. 773. & Pſalmi 90. & 91. tom. 3. p. 769. 849.

Expoſitio prioris Pſalmi *Gerardi Outhove* p. 205. part. 3. & 443. part. 4. Specimen eſt pariter amplioris operis. Dedit etiam expoſitionem Pſalmi 2. in eadem Biblioth. tom. 2. p. 464. in qua operum omnium ipſius catalogus. Recenſetur & Diſſert. de Manna Iſraelitarum vulgata Groningæ an. 1694. in 4. De aliis ejus Viri nov. ad N. T. Hic tantum juvat non præteriiſſe continuationem obſervationum in eundem Pſalmum exhibitam in eodem tom. p. 643. 680. Referuntur potiſſimum ad Divinam æterni Verbi generationem, ac duodecim articulis continentur.

Ingens eſt etiam Rabbinorum turba, qui ſcripſerunt in Pſalm. ſicut & pene infiniti ſunt Catholici ac Proteſtantes: ex his quidam illuſtrarunt Pſalmos generatim omnes; alii Pſalmos nonnullos, ac potiſſimum Pœnitentiales, vel unum aliquem Pſalmum, quos hic accurate recenſere e noſtro conſilio eſt alienum.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES PECULIARES IN LIBRUM PSALMORUM.

De Authore Pſſ. vide Præfationem Boſſueti, Dupin, & P. Calmet.

S. Hieronymi in aliquot loca Pſalm. 126. tom. 2. nov. edit. p. 718.

De Poeſi, Muſica, & Inſtrumentis muſicis Hebræorum vide infra in ſuo articulo.

De Titulis Pſſ. lege S. Gregorium Nyſſenum, tom. 1. pag. 257. & ſeqq.

Item in Pſalm. 6. ad hæc verba, de octava.

De *Sela*, vide S. Hieron. de Diapſalmate *Epiſt. ad Marcel. tom. 2. nov. edit. p. 705.*

Jul. Bartolocci de Sela etc. *Bibl. Rabb. p. 269.*

Joan. Paſchii de Sela philologice enucleato. *Theſaur. Theol. Phil.*

Henrici Gotlieb Reime, de voce Selah; tom. 3. *Miſcel. Lipſ.*

Calmet, Diſſertatio de Sela, & Lamnaleach. S. Gregorius Nyſſenus ſuper Titulos Pſſ. morales Enarrationes dedit.

P. Calmet Diſſertatio de Titulis Pſalmorum.

— De Pſalmis Gradualibus.

Joan. Melchiorr. Villemer de oſculo filii. Pſalm. 2. 12.

Joan. Friſchmuth, de Meſſia Dei Filio. Pſ. 2. 6.

— De Reverentia Filio Dei præſtanda. Pſ. 2. 12.

Joan. Esch, de Seol, ſeu Inferno. Pſ. 15. 10.

Joan. Friſchmuth, de Meſſia in ſepulchro non relinquendo. Pſ. 15. 10.

— De Meſſiæ manuum, & pedum perforatione.

P. Calmet, Diſſertatio in idem argumentum. Pſalm. 21. 18.

— De incantationibus ſerpentium, Pſalm 58. 5.

Epiſtola critica de eodem argumento inter Epiſtolas D. L. in 8. Amſtelod. 1715. Gallice.

Joan. Philippi Pfeiffer de Dæmonio meridiano, in Pſ. 90. 6.

Salom. Deylingi in Pſalm. 50. 9. *Aſperges me hyſſopo &c. tom. 2. Obſerv. ſacr. c. 19.*

— In Pſalm. 110. Chriſti Divinitatis aſſertio. *Obſerv. ſacr. tom. 3. c. 14.*

— In Pſalm. 95. 10. *Dominus regnavit a ligno ib. t. 2. c. 25.*

Jo. Car. Beyer de peſte diurna, & nocturna. *In Theſaur. Theol. Phil.*

Sam. Bochart. in hæc verba Pſ. 109. 3. *Tecum principium &c. tom. 2. nov. edit. op. Lugd. 1707. p. 906. & 907.*

Abeln Broeius, ornamentum Feſti, ſeu in hæc verba Pſalm. 117. 27. *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis &c.*

P. Calmet, Diſſert. in Pſalm. Graduales ante Pſ. 119.

[Quæ ſcripſit *Jo. Melchior. Vollhmer*, in verſiculum 12. Pſalmi 2. excuſa ſunt Wittembergæ an. 1704. in 4. altera editio, & in Theſ. Diſs. Phil. tom. 1.

In eadem collectione recitatur Diſſertatio *Jo. Esch* Germano-Lutherani de deſcenſu ad Inferos, *ibid.*

Altera *Jo. Philippi Pfeifferi* Germano-Lutherani in Dæmonem meridianum prodiit Regiomonti vel Königsberg an. 1670. in 4. Florebat exeunte ſæculo 17.

Altera *Jo. Caroli Beyeri*, Germano-Lutherani, florentis an. 1689. prodiit Amſtelod. an. 1677. in 4.

Theodori Haſæi, Bremenſis, & Sacrarum Literarum Profeſſoris Diſputatio de inſcriptione Pſalm. 22. quam exponit de muſico quodam inſtrumento, ſingulari, ut ipſe quidem fatetur, ſententia, ſed ſatis validis, uti demonſtrat, authoritatibus; recitatur in Biblioth. ejus philologica tom. 1. Bremæ an. 1619. 6. vol. in 8. Cætera ejus opera recenſentur ibi, tom. 2. pag. 561.]

COMMENTARIA IN PROVERBIA.

Commentariorum in Proverbia opus falſo S. Hieronymi nomine inſcribitur; facilius Bedæ tribuendum eſt, cujus etiam nomine evulgatum legitur.

Salonius, filius S. Eucherii ſenioris, qui una cum fratre ſuo Verano in Monaſterio Lerinenſi educatus, ambo deinde ad Epiſcopalem dignitatem evecti ſunt; Veranus quidem ad Vincienſem cathedram; Salonius vero, incertum, an ad Viennenſem vel aliam Gallicanam. Elucubratio moralis ſuper Pſalmos, Dialogo inter Salonium, & Veranum expreſſa, Salonium habet authorem. Sæculo 5. florebat. Extat opus *in Biblioth. Patrum tom. 8. p. 401.*

Beda, Rabanus Maurus, Honorius Theologali Auguſtodunenſis, authos ſæculi 12., moralibus in Proverbia operibus laborarunt.

Inter Scriptores noſtræ ætatis in hoc ſtadio decurrerunt Cajetanus, Arboreus, & Agellius. Theodori Pelmani S. J. qui obiit an. 1584. prodiit opus paraphraſis, & ſcholia in Proverbia Salomonis.

Cornelius Janſenius, Epiſcopus Yprenſis, eximium Commentarium in Libros Sapientiales elucubravit. Obiit 1636.

Cornelius Gandavenſis tantundem præſtitit.

Rodolphus de Bayne, Anglus, Romanæ communionis, Linguæ Hebraicæ in Univerſitate Pariſienſi Profeſſor, mortuus 1568.; Latinam verſionem Proverbiorum dedit, cui eruditum Commentarium ſubjectum eſt.

Joannes Lorinus, *Joannes Maldonatus*, *Cornelius a Lapide*, *Hieronymus Oſorius ſenior*, *Ferdinandus Salazar* lucubrationes ſuas in idem argumentum dederunt.

Conſtantinus de la Fuente poſt edita variis ſcriptis ingenii ſui præclara monumenta, inter quæ in Proverbia opus, tandem in hæreſim prolapſus, ſibi ipſi necem conſcivit 1559.

Inter Proteſtantes recenſentur Opera *Joannis Merceri*, *Gelrri*, *Carsvvigth*, *Amama*, *Geggel*, quarum pleraque in Magnis Criticis, & in Synopſi Criticorum vulgata ſunt.

Commentaria *Gullielmi Pariſienſis* in Pſalm. Proverbia, & Eccleſiaſtem, a Sixto Senenſi, & Cardinali Bellarmino laudata in Pariſienſi operum ipſius editione 2. Vol. in fol. 1674. deſiderantur.

Inter Rabbinos *Levi-ben-Gerſon*, & *Abenezra* in hunc ſenſum referendi ſunt.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN PROVERBIA.

Adſcriptus *S. Hieronymo* Commentarius in Proverbia recitatuſque in nova edit. 20. 5. Pelagio vindicatur a P. le Long, & non Bedæ, cui nos aſſignavimus. Re-

ipſa

ipſa quidem Bedæ cenſendi ſunt tres Libri impreſſi in tom. 4 operum ipſius, & fragmenta quædam in ſeptimo.

Dialogus *Saloois*, & *Vrrani* ſimplici maxime ſtylo, ſed perſpicuo, & aperto ſcriptus eſt. De utroque Salvianus ſcribit ad S. Eucherium, Patrem illorum: *Menti ſoæ as pirrasi pares*.

Commentarius *Honorii Auguſtodunenſis* prodiit Coloniæ 1540. in 8. 1544. in fol. tum in nova Ediſione Bibliot. Patrum tom. 20. p. 1141. Vide in Geneſim.

Joannis Acborei; Pariſ. 1549 in fol. ea æſtimationem ſibi vindicat aliquam, nec ſine fructu legeretur, diffuſus licet, uti cæteri ejus Commentarii. Senſum litteralem perſequitur.

Agellii Commentarium habes cum opuſculis Ludovici Novarini, impreſſum Veronæ an. 1649. Vide in Pſalmos.

Theodori Pricani Leodienſis, defuncti Auguſtæ Vindelic. an. 1584. ea quo Poſſevinus Germanum eſſe hominem ſuſpicatus eſt; Peltani, inquam, habemus non Paraphraſim tantum, & Scholia in Proverbia, ſed & Catenam PP. Græcorum, quos Latinis litteris tradidit. Prodierunt hæc omnia Antuerp. an. 1607. in 4. & 1614. curante Andrea Schotto. In ejus epitaphio ea legimus, quæ olim de quodam ſcripſit S. Ambroſius: *Vixit Eccleſiæ*.

Commentarius *Janſenii* Gandavenſis prodiit Lugd. an. 1678. in 4. tertia Edit. & cum adnotationibus Bruxellis an. 1692. in fol.

Janſenius Yprenſis dedit Analecta, Vide in Pentateuchum. De hoc opere ea uſurparentur, quæ Fabricius de ejus Commentariis: *Nec brevitas claritati, nec extemporalitas limæ gratiam ademit*.

Commentarius *Rodulphi Bayne* editus eſt Pariſ. an. 1555. in fol. & in Critic. Sacr. tom. 3. 4016. Senſum litteralem tanta perſpicuitate exponere aggreſſus eſt, ut nemini eſſet obſcurus, nec aberravit a ſcopo.

Conſtantini Pontii numquam publico communicatus eſt, ſicut nec cætera ejus opera.

Antonius Giggeus, & non Geggeus uti male in noſtris excuſſa, Catholicus, Italus, Mediolanenſis, qui vixit uſque ad an. 1632. circiter. Quare immerito nos inter Proteſtantes illum rejecimus. Nullum ipſe quidem Commentarium per ſe adornavit, ſed Latinis auribus recitavit Commentarios Hebraicos Raſi, Aben-Eſræ, & Levi Gerſon, quibus adjecit & varias lectiones, & expoſitiones ſuas; Mediolani 1620. in 4.

Hermannus ſelectos quoſdam Textus Proverbiorum expoſuit in Bibliot. Philol. tom. 4. p. 108. 134.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM, ET JUDÆORUM.

Thomas *Cartwright* commmentarios in Proverbia quinta Edit. recuſus eſt, Amſtel. an. 1663. in 4.

Martini Geieri quarta editio data eſt Lipſiæ an. 1669. in 4. & *Joan. Merceri* una cum ejus Harmonia; Lugud. Batav. 1651. in fol.

Ad Judæos quod attinet, vide Giggeum.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN PROVERBIA.

Vide Præfat. *P. Calmet*.

Ejuſdem Diſſertatio, an Veteres Legiſlatores, & Philoſophi ex Scripturæ fontibus Leges ſuas, & Morales ſcientias derivaverint.

[Addemus hic *Valverde* Hiſpalenſem, ea omnia exponentem, quæ de fœmina forti; Romæ 1589. in 4. Obiit an. 1590. in Græco, & in Hebræo, quin & in controverſiis vir peritus.

David Vvendeier dedit Diſputationem in quatuor res explicatu difficiles, ad cap. 3. 18. 19. Wittembergæ an. 1676. in 4. & in Theſ. Diſſert. Phil. tom. 2. Vir Germano-Lutheranus florebat exeunte ſæculo 17.]

COMMENTARIA IN ECCLESIASTEM.

S. Gregorius Thaumaturgus paraphraſim in Eccleſiaſtem adornavit, atque ſcriptum a Salomone opus, tamquam, reſipiſcentiæ ipſius argumentum, exornavit.

Diction. Bibl.

S. Hieronymus in idem argumentum, nec inepte quidem, laboravit.

S. Gregorius Nyſſenus octo Homiliis in eumdem librum ſenſum moralem, & ſpiritualem complexus eſt.

Commentarium *Olympiodori* in Eccleſiaſtem, ſicut & alia de eodem argumento *Salonii*, atque alia item *Honorii Auguſtodunenſis* in Bibliotheca Patrum excuſa ſunt.

Alcuinus, & *Hugo de S. Victore* paria præſtiterunt.

S. Bonaventura, *Cajetanus*, *Titelmannus*, *Lorinus*, *Maldonatus*, *Rodulphus de Bayne*, Anglus, Regius Hebraicæ Linguæ Pariſiis Profeſſor, *Cornelius a Lapide*, *Gerardus Moringus*, *Conſtantinus de la Fuente*, *Joannes Arboreus*, *Victorinus Manſus*, Benedictinus, Abbas Cavenſis, *Joan. Oſorius* junior in eodem ſtadio decurrerunt.

Auguſtus de Thou paraphraſim in eumdem librum carmine adornavit.

Joannes Pineda S. J. eximium commentarium in Eccleſiaſtem vulgavit, eximiis Prolegomenis inſtructum, ubi quæſtiones omnes in idem opus reſolvuntur.

Hujus Authoris opus non merum tantummodo commentarium exhibet; poſt Textum enim Vulgatæ, verſio, quam appellat, Veneta ſuccedit, ſicut & altera Roberti Shirvode; dein Variantes ex Hebræo, ex optimis Interpretibus derivatæ; Verſio Paraphraſis Chaldaicæ per Circelum, & Zamoram, ſicut & alterius Paraphraſis Chaldææ per Petrum Coſtam. His omnibus accedit Verſio Syriaca, & Arabica, ac tandem catena Patrum Græcorum; Latine omnia. Excipit totum opus ampliſſimum Authoris Commentarium, quod ſane omnium loco haberi commode poteſt. Pariſ. 1620. in fol. excuſum eſt.

Inter Proteſtantes laudantur Opera *Merceri*, *Geieri*, *Cartwright*.

Stephanus Schmidt Argentoratenſis 1704. ampliſſimum volumen in Eccleſiaſtem vulgavit, Verſione, Analyſi, Paraphraſi, & Notis conſtans.

Ex Rabbinis ſcripſerunt in Eccleſiaſt. *Salomon Jarchi*, *Abenezra*.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN ECCLESIASTEM.

Paraphraſis, ſeu potius Metaphraſis *S. Gregorii Thaumaturgi* Græca, & Latina legitur in editione Operum ipſius per Gerardum Voſſium; Pariſ. 1621. in fol. & Latina tantum in Bibliotheca Patrum tom. 3. *Magnificentiſſime ſcriptam* laudes Rufinus; *luculentam* appellat Haimun Halberſtadenſis. Natus Cæſareæ Ponti e paganis parentibus an. 215. cum quatuordenum agens patrem amiſiſſet, Origeni Diſcipulum ſe tradidit; tandem ad Epiſcopatum aſſumptus an. 240. obiit an. 265. Græcæ eloquentiæ majeſtatem totam cum vitæ ſanctiſſimæ authoritate compoſuit.

Commentarius *Sancti Hieronymi* legitur inter Opera ipſius, novæ editionis tom. 2. pag. 215. cum Notis. Opus ipſum, & Notas Gallice reddidit P. Martianæus; Pariſiis 1715. in 12. Notis hiſce defenditur Vir Sanctus in Simoninm, qui Vulgatæ non unicum Authorem eſſe illum contendit.

Homiliarum *S. Gregorii Nyſſeni* poſtrema deſinit cum cap. 3. 13. Græce, & Latine exhibentur in tom. 1 Operum, quorum nos ad Geneſim.

Olympiodori, Diaconi, & Monachi Græci Expoſitio, *elegans & ſuccincta* ait Sixtus Senenſis, legitur Græce, & Latine in Biblioth. Patrum Græc. tom. 4. pag. 602. prodieratque antea Pariſ. an. 1512. in 4. & Baſileæ 1551. in 8. Floruit ſæc. 5. vel 6.

Honorii Auguſtodunenſis Commentarius junctus alteri in Proverbia jam prodierat. Vide ſupra.

Expoſitionem ſuam vel Synopſim e Patribus inſcripſit *Alcuinus*, *Breviarium parvum*. Prodierat antea Baſileæ an. 1531. in 8. dein inter cætera ejus opera recuſa eſt. Vide in Geneſ.

Prodiit etiam ſeorſum Venetiis an. 1559. in 8. Commentarius *Sancti Bonaventuræ* ex authoritatibus Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum concinnatus: tandem & inter cætera ejus opera locum ſuum vindicat.

Cajetani Commentarios dederunt prela Lugdunenſia an. 1552. fol & *Titelmani* ſeptima editio eſt Pariſienſis an. 1581. in 12. Vide in Pſalmos.

Joannis Lorini, cum utiliſſimis Prolegomenis *Maldonati*, junctim cum commentario ejuſdem Lorini in Pſalmos & in Proverbia; Lugd. 1619. fol.

Rodulphi Bayni in Eccleſiaſtem nihil legimus; ejus in Critic. Sacr. nihil exhibetur, præter id, quod in Proverbia adnotatum eſt. De *Pineda* vide ſupra.

Gerardus Moringus Gueldrenſis, & Lovanienſis Theologus in ſuo commentario edito Antuerpiæ an 1553. in 8. inhæret ſenſui litterali, evitat allegorias, & paraphraſim affectat interdum, interdum fuſius diſſerit. Obiit an. 1556.

Joannis Arborei altera editio junctim cum commentario in Proverbia, Pariſ. 1537. fol. Vide ſupra.

Victor, ſeu *Victorinus Manſe*, Neapolitanus, Abbas Cavenſis, Expoſitionem Paraphraſticam dedit Florantiæ an.1580. in 8. Florebat ſæc.16.

Hieronymus Oſorius Paraphraſim commentario ſuo junxit; Lugd. an.1611. in 8. & in editione operum patrui ſui. Vide Job. Eandem cum illo patriam habuit Ulyſſiponem, egitque Canonicum Eboracenſem circa an. 1592. Minus quidem elegans in ſcribendo vir, dives erat eruditione. Ejus Paraphaſes, & Notas optimas, & criticis animadverſionibus refertas judicat D. Dupin.

Paraphraſis Poetica *D. de Thin*, junctim cum altera ejus in Job, & Jeremiam edita eſt Turoni an. 1588. in 8.

Præter indicatam jam editionem commentarii *Pinedæ*, altera eſt etiam Hiſpalenſ. an. 1619. fol.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM, ET JUDÆORUM,

COmmentatius *Joannis Merceri* jungitur cum altero in Proverbia. Vide ſupra.

Martini Gejeri; Lipſiæ an. 1691. in 4. quarta editio, & in collectione operum ipſius. Vide in pſalmos.

Thomæ Cartwright Metaphraſis, & Homiliæ; Amſtelodami an.1663. in 4. quarta edit.

Sebaſtiani, & non *Stephani Schmidt* Commentarius in 4.]

DISSERTATIONES.

VIde Prolegomena *Pinedæ*, & Præfationem *P.Calmet* in eumdem librum; & *S. Gregor.* lib.3. Dialog. cap. 4. *Salomonis Deyling.* in Eccleſ. 1. 7. de fluminum, fontiumque origine *tom.3. Obſerv. c.15.*

[*Pineda* in Præfatione diſſerit de Authore hujus Libri, de Argumento, Ordine, & ejus exponendi ratione.

S. Gregorius in Dialogis exponit illud: *Unus interitus eſt hominum, & jumentorum.*

D. Calmet in ſua Præfatione refutat ſententiam Grotii, & aliorum Criticorum Librum hunc a Salomone abjudicantium; de tempore etiam ſcripti operis diſſerit.]

COMMENTARIA IN CANTICUM CANTICORUM.

S. Gregorius Nyſſenus de Origene tradit, plurimum illum in Canticum Canticorum laboraſſe, atque teſte S. Hieronymo, qui Verſionem ejuſdem operis Origeniani in Cantica adornavit, *cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipſe ſe vicit.*

Fuſius etiam commentarium Origenis in eundem librum, præter alterum a S. Hieronymo verſum vulgatum eſt, cujus Mſ. quædam a Rufino verſa; alia a S. Hieronymo, cujus nomen etiam in excuſis exemplaribus præfefert, tradunt.

Poſtremum hoc opus longa præfatione præmiſſa, quatuor Homiliis conſtat. Primum nonniſi 2. Homilias complexum, uſque ad cap. 2. 14. progreditur ad illa verba, *Vox enim tua dulcis &c.* Alterum duo tantum priora capita uſque ad illud 2. 15. *Capite nobis Vulpes parvulas &c.* explicat. Illud ab Authore adhuc ineuntibus annis, alterum provectiori ætate adornatum eſt.

Philo Carpathius, quem S. Epiphanio coævum ferunt, Epiſcopum Carpathiæ Inſulæ ad Aſiæ litora, e regione Cretæ, egiſſe, ejus geſtorum Scriptor teſtatur. Porro ejus nomine falſo inſcribitur commentarium, quod recentioris alicujus Græculi opus eſſe Dupinius ideo ſuſpicatur, quod plura e S. Gregorio Magno ad verbum derivata contineat.

S. Gregorius Nyſſenus 15. Homiliis uſque ad cap. 6. 8. Commentarium proſequitur; cætera vero intacta reliquit.

S. Gregorius Magnus in eumdem Librum ſcripſit; quod enim ejus nomine vulgatum eſt commentarium, eidem S. Doctori in ultima operum ipſius Editione aſſeritur; ſicut etiam invicte demonſtratur, opus illud alterum plane eſſe a commentario, quod S. Paterius, & Venerabilis Beda fere ex ſententiis ejuſdem S. Doctoris adornarunt.

Beda Ven. ſeptem libris Canticum Canticorum complexus eſt. Liber ſeptimus totus ex pluribus S.Gregorii fragmentis e variis ejus operibus contextus eſt.

Aponius, vir doctus, qui labente ſeptimo ſæculo, circa an. 670, vel 680. florebat, commentarium ſcripſit in Cantica, ſeorſim impreſſum, & in Bibliotheca Patrum tom.14. ubi etiam jungitur idem commentarium in epitomen redactum a Luca Abbate Montis S. Cornelii juxta Leodium. Beda Aponium laudavit; Angelomus Monachus Luxovienſis plura in ſuum commentarium in Cantica ex ipſo derivavit. In editionibus ejuſdem operis 5. vel 6. loca notantur cenſura inurenda. In Abbatia Medii Monaſterii nitidiſſimum, & vetuſtiſſimum Aponii Mſ. ſervatur, in cujus calce hæc leguntur: *Utilis iſte liber, ſi correctus foret, eſſet.*

Angelomus Monachus Luxovienſis, de quo jam diximus, commentarium in Cantica dedit.

Honorius Auguſtodunenſis, Scriptor ſæculi 12.

Ambroſius Ansbertus, ſive *Auſpertus*, Benedictinus, ſæculo octavo florebat.

S. Bernardus Abbas Claravallenſis, obiit an. 1153. *Rupertus Abbas*, obiit an. 1135. *S. Thomas Aquinas*, *Ægidius Romanus*, ſive *Ægidius Colunna*. *Bruno* Aſtenſis, vel Signenſis. *Juſtus* Epiſcopus Urgelitanus ſexto ſæculo. *Alcuinus*, *Caſſiodorus*, *Richardus de S. Victore*, aliique plures inter Veteres, in idem argumentum ſe ſe exercuerunt.

Gilbertus Hoyllandia, Abbas Ordinis Ciſtercienſis, opus S. Bernardi a cap. 3. ad finem uſque proſecutus eſt.

Philippus Abbas Bonæ-Spei, Ordinis Præmonſtratenſis, S. Bernardo coævus, in cantica ſcripſit.

Guillelmus Abbas S. Theodorici, deín Signenſis Monachus, qui circa an. 1142. florebat, ex ipſis verbis S. Ambroſii commentarium intexuit.

Thomæ Ciſterc. & *Joan. Algrini* Abbatis de Villa card. in cantica, ſimul impreſſi, in fol. Pariſ. 1521.

Inter Recentiores, omiſſis iis, qui in univerſam Scripturam laborarunt, laudantur

Robertus Olkot, ſive *Holkot* Ord. Prædicat. Anglus, obiit 1349.

Franciſcus Titelmannus.

Maldonatus, & *Martinus Delrio*; Jeſuitæ.

Joannes de Jeſu-Maria, Carmelita.

Michael Giſlerius, Canonicus Regularis.

Ludovicus Sotomayor, Jeſuita.

Hieronymus Oſorius, Nepos.

Gaſpar Sanctius.

Aegidius, *Arcius*, *Libertus Fromondus*, *Ludovicus de Leone*, *Boſſuetus*, Epiſcopus Meldenſis.

Gilbert. Genebrardi Canticum Canticorum, verſibus, & Commentariis illuſtratum, adverſus Trochaicam Theodori Bezæ Paraphraſim. Adjuncti ſunt tres RR. Jarchi, Abenezra, & Anonymus cum verſione. Pariſiis 1585.

Inter Proteſtantes *Mercerus*, *Durham*, *Ainſwort*, in eodem argumento, critico potius ſtylo, quam morali claruerunt.

Inter RR. recenſentur *Salomon Jarchi*, *Abenezra*, & *Kimchi*. Paraphraſis chaldæa ejuſdem libri, opus ut creditur, Joſephi cæci, diffuſiſſima eſt.

[COM-

Digitized by Google

COMMENTARII CATHOLICORUM IN CANTICUM CANTICORUM.

P. Martianæus in ſua nova editione S. Hieronymi dedit geminos Commentarios, de quibus nos ſupra cum de *Origene*; eſt unus tomo 2. p. 807. alter in tom. 5 pag. 603. inter opera apocrypha. Idem eſt judicium Eraſmi, repugnantis Authorem hujus Commentarii Græcum aliquem non eſſe; nedum Interpretem habere Rufinum. Ejus cenſuram legas in Editione Forbenii.

Philo. Hujus falſo inſcriptum Commentarium dederunt præla Pariſienſia an. 1537. in 8. paruitque iterum in ſcenam in nova Biblioth. Patrum tom. 5. p. 601. Fragmenta plura Græci originalis ſervat Catena in Canticum Canticorum a Meurſio ſub nomine Euſebii; Lugd. Batav. an. 1617. in 4.

S. Gregorii Nyſſeni Homiliæ 15. eas ſequuntur, quas adornavit in Eccleſiaſten. Vide ſupra. In hoc variat utrumque opus, quod poſtremum hoc allegorice digeſtum eſt.

S. Gregorii Magni Commentarium jam dederat Hommey in Supplem. Patrum, Pariſ. 1684. in 8. In omnibus Manuſcriptis vindicari S. Iſidoro Hiſpalenſi affirmat Pamelius; ſed tribuendum Abbati Claudio cenſet D. Dupin, quod ejus dictum accipi poſſe, ut ſupra de Commentariis in Reges, credimus.

Commentarius *Bedæ* legitur Oper. ipſius tom. 4. Eſt autem adornatus ad vindicandam Fidem Catholicam in Julianum Epiſcopum Eclanenſem, Pelagianiſmi aſſertorem; qua in re munus totum impleſſe Doctoris Gratiæ poſt S. Auguſtinum, nobis ſuffragrantibus, merito quis affirmaret.

Aponii ad Verſionem Græcam adornatum opus in libros diſtribuitur ſex; illud autem nec ſcientia, nec ingenio deſtitui cenſet D. Dupin, cujus judicio aliis longe pluribus Commentariis preferendum eſt. *Udaricus* quidam *Regino* cenſuram ſcripſit in textus quoſdam libri ſexti, quam habes excuſam Bibliot. Patrum Lugdun. tom. 14. p. 128. Quis ille & cujus ætatis, ignoratur.

Lucas Abbas Synopſim Aponii nullam ſcripſit, ſed ejus opus proſequutus eſt a ℣. 8. cap. 4 legiturque in Bibliot. Patrum tom. 14. cum Scholiis Regii. Apud Præmonſtratenſes profitebatur, primus Abbas S. Cornelii. Obiit an. 1157. & non 1457. uti male P. le Long. Qui vero dedit Synopſim operis Aponii Abbatem Benedictinum egit.

Angelomus Enchiridium quoddam in uſum Lotharii Imperatoris donavit, myſticum prorſus, & allegoricum. Legitur in Bibliot. Patrum tom. 15. p. 307. & in Colonienſi tom. 9. part. 1.

Honorius Auguſtodunenſis præfixit Operi ſuo eximiam Præfationem, in qua de variis ſenſibus Scripturæ, & diſtributione Sacrorum Librorum, additis Quæſtionibus ad hunc potiſſimum Librum ſpectantibus. Editum eſt junctim cum aliis ejus operibus. Vide ſupra.

Commentarium *Ambroſii Amperti* non adhue paruiſſe facile reputaremus, niſi contraria docerent Sixtus Senenſis, & P. Labbe. Colonienſem editionem an. 1536. fol. recenſet Crovæus. Notior eſt Commentario ſuo in Apocalypſim, ubi nos de illo.

S. Bernardi Opus, cui ſpatio 18. annorum laborans adhuc tamen abſolvere non valuit, grandibus adeo diſtinebatur curis, legitur tom. 1. nov. edit. p. 1288. Male Sixtus Senenſis adornatum dicit a S. Doctore poſtremo mortalis vitæ ſuæ anno. Continet 86. Sermones in duo priora capita, & primum verſiculum tertii, ubi & deſinit. Cæteris ejus Operibus præfert Eraſmus in una e ſuis Epiſtolis. Fontanis in Burgundia natus an. 1091. ſanctiſſimæ vitæ curſum abſolvit an. 1153. ætatis 62. dum viveret erat oraculum Conciliorum, & Hæreticorum terror.

Commentarium ſuum dum ad obitum decumberet dictaſſe fertur *S. Thomas Aquinas*. Prodiit Pariſ. an. 1634. in 8. & in magna collectione Operum ipſius tom. 18.

Lectiones 20. *Ægidii Columnæ*, Romani, manuſcriptæ tantum ſervantur, Cremonæ in Bibliot. Patrum Auguſtinianorum juxta P. le Long; Crovæus tamen illas recenſet inter alia ejus opera impreſſa Venetiis an. 1617. in fol. Vide ſupra in Geneſ.

Juſtus, Hiſpanus, Epiſcopus Urgelitanus in Catalaunia, *Diſſion. Bibl.* qui adfuit Concilio Toletano II. an. 531. obiitque an. 540. ſcripſit commentarium poſtremo excuſum Hallæ una cum geminis ejus epiſtolis an. 1617. in 8. recitaturque in Bibliotb. Patrum tom. 9. pag. 731. Laudatur a D. Dupin eo nomine, quod perſpicue latis ac paucis ſenſum allegoricum ejus libri totum expandit.

Commentarium *Alcuini* habes inter cætera ejus opera. An Caſſiodorus in hunc Librum ſcripſerit ignoratur, ſed certum ferme tenetur Commentarium ejus nomine præfixum alterius eſſe Scriptoris. Vide quæ differit Garetus in ſua Præfatione, qui tamen illum ſeciinendum in ſua editione tom. 2. ideo cenſuit, metu ne forte periret. Prior operis editio data eſt Friburgi in Briſgoja (*Briſgau*) an. 1538. in fol. quæ rariſſima eſt quod unica.

Gilbertus Hollandus, Abbas in Anglia ſcripſit 48. Sermones proſequens opus S. Bernardi, nec tamen excurrit ultra capitis 5. ℣. 11. ne proſequeretur morte prohibitus. Leguntur in exordio tom. 2. novæ Editionis S. Bernardi. Quare nonniſi per errorem aſſerimus exordiri illum a capite 4. nec minus falſus eſt P. le Long, ſcribens expoſuiſſe illum tria poſtrema capita, neque enim tranſgreſſus eſt quintum, uti nos propius rem totam diſpicientes deprehendimus. Obiit an. 1172. & non 1168. Quæ aſſeruimus omnia, allatis argumentis alibi probabimus. Similem per omnia virum S. Bernardo agnoſcunt ejus vitæ Scriptores.

Commentarium *Philippi*, vel *Harvengii* habes inter cætera ejus opera. Vide in Reges, cum de Salomone.

Guillelmus S. Theoderici, natus Leodii incertum quo anno, qui Rhemos ſe contulit, ubi Monachum induit. Scripſit geminas expoſitiones, quarum alteram legas in tom. 4. Bibliot. Ciſtercienſis. Adornata eſt e S. Ambroſio, nec excurrit ultra ℣. 3. capitis; legiturque pariter in Supplemento Patrum, curante Hommey pag. 160. & caſtigatior in nova editione S. Bernardi tom. 1. pag. 1548. Obiiſſe reputandus eſt poſt S. Bernardum, i. e. poſt an. 1153 Libros de Gratia, & libero Arbitrio ejus cenſuræ ſubmiſit vir ille Sanctus.

Commentarius *Thomæ Monachi* Ciſtercienſis idem ſubivit fatum ac Liber de Imitatione; poſt varias in utramque partem diſputationes, tandem aſſertus eſt genuino Authori, florenti ad exitum ſeculi 12. Stylum S. Bernardi in ſcribendo ſecutus eſt, ait Sixtus Senenſis.

Joannes Algrinus vel *Halgrinus* Notas tantum adornavit. Epiſcopus Biſuntinus renunciatus eſt an. 1225. & Cardinalis S. Sabinæ an. 1227. Plures in hoc articulo errores ebibiſſe alibi demonſtrabimus. Obiiſſe an. 1236. perhibet D. Dupin; in munere prædicandi claruiſſe plurimum affirmat Trithemius.

Robertus Holkot ſcripſit commentarium impreſſum Venetiis an. 1509. in fol. Opus eruditum, ſubtile, & fœcundum judicio Sixti Senenſis. Virum doctiſſimum fuiſſe perhibet Voſſius, nec vigiliis nec laboribus pepercit, ut in ſcientia proficeret.

Titelmannus in ſuum commentarium tranſtulit Notas in Textum Hebræum, Chaldaicum, & Græcum; Lugd. 1553. in 8. quarta editio.

Maldonatus ſcripſit tantum Scholia, impreſſa una cum ejus commentario in quatuor Majores Prophetas, Pariſiis 1643. in fol. Sed *Delrio* quatuor genera Commentariorum dedit, quod Poſſevinus appellat *Varium Opus, eruditum, & ſpiſſum*, Prodiit Ingolſtadii an. 1604. in fol.

Joannes a Jeſu Maria meram Expoſitionem dedit, excuſam Coloniæ an. 1610. in 8. quarta editio. Legitur & inter cætera ejus opera.

Michael Giſlerus, Theatinus, denatus an. 1636. dedit Canticum Canticorum juxta varias verſiones ad Hebræum, & Græcum Septuaginta, Romæ 1609. in fol. Venet. 1615. Editio aucta, & caſtigata; Lugd. 1620. poſtrema editio.

Expoſitionem *Ludovici Soto*, Luſitani, Dominicani, & non Jeſuitæ, uti nobis excidit, viderunt præla Ulyſſiponenſia an. 1599. & 1601 in fol. & Pariſienſ. an. 1605. Vulgavit & Notas breviores, *ib.* 1611. *in* 4. Diſtinguendi viri ab altero Dominico Soto gratia, appellatus eſt *Major*. Obiit an 1619. vir probitate, & facilitate morum inſignis, ait Poſſevinus; de quo nos infra cum de Epiſtolis ad Timotheum.

De *Oſorio* vide in Eccleſiaſtem; de *Sanctio* in Pſalmos; de *Agellio*, ibidem.

Fromondi Commentarius editus eſt ſecundo Lovanii an. 1657. in 4. & una cum aliis ejus Commentariis, *ibidem* 1670. in *fol.* De his operibus nos in decurſu, & de Authore ad S. Paulum.

De *Paulo Areſio* agere nobis mens fuit, ſi non de *Areſio*, Proteſtante, uti male in noſtris impreſſis. Continet ejus opus ſolutiones quaſdam difficultates in genuinum ſenſum, qua hiſtoricum, qua ſpiritualem. Opus ſuum vulgavit Mediolani, patria ſua an. 1640. in 4. Theatinos inter nomen dedit ætatis 14. annorum, & Epiſcopus Dertonenſis in Italia denunciatus fuit a Paulo V. an. 1620. Obiit affecta admodum ætate an. 1644 vel 1645.

Ludovicus de Leon ideo dictus, quod natus licet Matriti, uti facile credimus an. 1527. Legionenſis eſſet origine, Heremitis Auguſtinianis acceſſit an. 1544. Ejus Expoſitionis tertia Editio eſt Salmanticana an. 1589. in 4. Eloquentiam ejus, & unctionem, qua intimos conceptus ſuos Chriſtiane prorſus exponebat, laudat Arias Montanus. Obiit an. 1591. ætatis 64.

Genebrardus præter Commentarium ſuum, Opus in 8. dedit obſervationes fuſiores Pariſ. an. 1570 in 4.

Addi poteſt *Franciſci Aureti*, Sacerdotis Galli Expoſitio litteralis; Lugduni an. 1693. in 8. Vivebat adhuc an. 1704.

Quæ dedit in hunc Librum *Thomas Dufour* recenſebimus in parte tertia.

Irembergi Abbatis in Textus quoſdam hujus Libri Commentarium allegoricum habes inter Anecdota Pezii tom. 2. p. 1, pag. 388. Ibi pariter & Commentarius Thomæ Abbatis Vercellenſis, pag. 503. 689.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM, ET JUDÆORUM IN CANTICUM CANTICORUM.

Commentarii *Joannis Merceri* prodiit junctim cum altero ejus in Proverbia. Vide ſupra.

Jacobus Durham, Angelo Eboracenſis Calviniſta, exeunte ſæculo 17. dedit Expoſitionem Anglicam, Edemburgian. 1668. in 4. Lond. an. 1695. tertia editio; & Belgice Ultrajecti an. 1681. in 4.

Henricus Ainſvvort, Anglus, edidit adnotationes impreſſas cum aliis ejus in Pſalmos, & ſeorſum Germanica, Francofurti an. 1683. in 8.

Thomæ Jamſii Expoſitio ex Patribus deducta; Oxfordii an. 1207. in 4. De illo nos in quarta parte.

De Judæis ſat eſt indicare Commentarium Genebrardi, cujus jam meminimus.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN CANTICUM CANTICORUM.

Vide Præfationem *Sanctii*, & *P. Calmet.* in Cantica; ſicut & Calmeti Diſſertationem de connubiis Hebræorum. Vide etiam infra articulum de connubiis ejuſdem gentis.

Deylingi in Cant. 3. 11. de Rege Salomone nuptiarum die coronato *lib. 5. Obſerv. c. 12.*

Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis opus ſcripſit, cui titulus *Ferculum Salomonis* Cantic. 3. 9. ſed ejus libri argumentum nihil habet cum titulo; totum enim circa gratiam, prædeſtinationem, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti, Viſionem Dei &c. verſatur. *Vide Flodoard. lib. 3. c. 15. & Hincmari Oper. tom. 2.*

Quædam de *Copher*, ſive *Cypre*, *Cantic.* 1. 14. & 4. 1. ſicut & de *Dudaim*, nempe Mandragoris, *Cantic.* 7. 13. *Bochartus* diſſeruit, *Vide nov. Edit. ipſius tom.* 3. *pag.* 866. & 916.

[*D. Calmet* in Præfatione ſua diſſerit de Authore, tempore, & occaſione ſcripti Libri, exponitque pariter ſeptem dies ac noctes nuptiales.

Addere hic juvat *P. Alexandrum*, qui in Diſſertatione quarta V. ætatis art. 4. pag. 179. demonſtrat Epithalamium hoc eſſe Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ, peculiari Spiritus Sancti afflatu ſcriptum; refutatque aſſerentes, Lucubrationem eſſe poeticam, & molliores affectus Salomonis in filiam Regis Ægypti exprimentem.

Theodorus Janſon Almeloveen ſcripſit epiſtolarem Diſſertationem in caput 8. 5. Biblioth. Philolog. tom. 5. pag. 995. 1004.]

COMMENTARIA IN LIBRUM SAPIENTIÆ.

Loca quædam ejuſdem libri *Beda Venerabilis* illuſtravit.

Rabanus Maurus in ſua ad Othagrum Archiepiſcopum Moguntinum epiſtola, cogitaſſe ſe prodit in Librum Sapientiæ lucubrationes dare; quod ſcilicet nemo, sit, ex Veteribus PP. in idem argumentum adhuc laboravit; atque opus Bellatoris Sacerdotis, quem octo Libros in Sapientiam ſcripſiſſe S. Hieronymus teſtatur, noſtra ætate intercidit.

Commentarium in eumdem Librum. S. Bonaventuræ tribuitur.

Inter Recentiores vulgati ſunt *Robertus Holkot*, *Cornelius Janſenius* Epiſcopus Yprenſis, *Joan. Lorinus*, *Maldonatus*, *Cornel. a Lapide*, *Hieronymus Oſorius*, *Lucas Brugenſis*, *Petrus Nannius*, impreſſus Baſileæ 1554. in quarto.

Nicolaus Selnecer, impreſſus Lipſiæ 1568. in 8. cum Textu Græco, & Notis.

Chriſtophorus a Caſtro, Lug. 1613. in 4.

Laurentius a Ponte, impreſſus Pariſiis 1615. & 1640. in fol.

Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis, & de *Bellegard* in idem argumentum laborarunt. Adde his in univerſa Biblia Scriptores.

Inter Proteſtantes *Badvel*, *Grotius* &c. in Magnis Criticis impreſſi ſunt.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN LIBRUM SAPIENTIÆ.

Fragmenta Expoſitionis *Bedæ* legas Operum ipſius tom. 7.

Operis *Bellatoris* meminit, non S. Hieronymus quidem, uti nos male reputavimus, ſed Caſſiodorus Divinar. Lect. cap. 1. 5. 8.

Commentarius *S. Bonaventuræ* prodiit Venetiis an. 1575. in 8. & Operum ipſius tom. 1.

Lectiones *Roberti Holkot* Baſileæ an. 1586. in 4. poſtrema Edit.

Adnotationes *Janſenii* Gandavenſis Antuerpiæ 1689. in 4. & Lugd. 1580. in fol.

Analecta *Janſenii* Yprenſis junctim cum aliis ejus in Proverbia. Vide ſupra.

Torini Commentarius, Moguntiæ 1608. in 4. Coloniæ 1624. fol.

Oſorius, non Junior quidem, at Senior, adornavit Paraphraſim; Bononiæ an. 1577. in 4. & Coloniæ an. 1584. in 8. & inter cætera ejus Opera.

Petri Nanni, Hollando-Halemarenſis Canonici, Scholia, & Commentarius; Baſileæ an. 1551. in 4. Eo melius neminem in Sapientiam ſcripſiſſe perhibet Colomeſius; cujus proinde Notas in collectiones Criticorum inſertas non eſſe miratur Fabricius Bibliothecæ Græc. tom. 2.

Nicolaum Selneccerum nonniſi oſcitatione quadam recenſuimus inter Catholicos, cum vir eſſet Lutheranus, natus Herbakii in Pannonia an. 1532. Obiit Lipſiæ an. 1592. ætatis 60.

Adnotationes ejus in hunc Librum, ſicut & ejus cætera minoris æſtimantur, cum Controverſias potius calleret, quam Criticem, ait D. Dupin Biblioth. Heretic. tom. 1.

Leo Caſtrenſis pro Chriſtophoro poſitus legitur apud P. le Long. Poſterior iſte in Diœceſi Tolerana natus an. 1551, acceſſit Jeſuitis an. 1569. obiitque an. 1615.

Laurentius de Ponte ſive de *Aponte*, Neapolitanus, Canonicus Regularis, in Commentario ſuo inſeruit Homilias, Digreſſiones ſcholaſticas, & Paraphraſim. Obiit an. 1639. ætatis 64.

CO-

Digitized by Google

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM.

C*Laudii Badvvel* Scholia habes in Critic. ſacr. tom. 5.
Jungi his poſſet *Joannes Sutteilus*, Amſtelodamenſis Calviniſta, qui Commentarium dedit Baſileæ an. 1558. *in fol.* ſub nomine Toſat. Obiit an. 1568. *Vir pacis amantiſſimus* ait Crovæus.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN LIBRUM SAPIENTIÆ.

PRæfationes *Cornelii a Lapide*, & *P. Calmet*.
Calmet Diſſertatio in Authorem Libri Sapientiæ; & altera de origine Idololatriæ, *ante Comment. in Sapien.*

Vide etiam *Fabricium* in Bibliotheca Græca t. 2. l. 3. c. 29. §. 3.

[Quo loco *Fabricium* laudavimus adſcribendum eſt pag. 735. & non 35. Demonſtrat autem ibi Opus eſſe hoc Authoris vetuſtiſſimi, & divinitus inſpirati, quanquam non Salomonis, quam in rem objectas difficultates diluit D. Calmet in ſua Præfatione ad hunc Librum; & in Diſſertatione Canonicam ejus authoritatem evincit, quamquam incerti eſſe Authoris Opus conſentit.

Addi poſſet *Joannes Maurus Sibor*, Germano-Lutheranus, qui fructus contagioſos Sodomæ, de quibus in cap. 10. 7. deſcripſit; Lipſiæ 1695. in 4.

COMMENTARIA IN ECCLESIASTICUM.

R*Abani Mauri* opus vetuſtiſſimum eſt omnium, quæ in hunc librum habeamus.

Robertus Holkot in ſeptem prima capita ſcripſit.

Nicolaus de Gorram, *Cornelius Janſenius* Epiſcopus Gandavenſis, *Corn. a Lapide*, *Alexander Alexandrinus* Ord. Minor. *Robertus* Carmelita, *Paulus de Palacio*, *Robertus Joſaeus*, *Robertus Boſæus*, *Lucas Brugenſis*, in eundem librum omnes laborarunt.

Octavianus de Tuſa S. J. Neapolitanus in 18. prima capita Commentarium dedit in fol. Lugduni 1628. & Coloniæ 1629.

Joan. de Pinna, Matritenſis 4. tomos in Eccleſiaſticum adornavit, quorum primus Lugduni prodiit 1630. in fol.

Olivarius Bonart, Yprenſis, Antuerpiæ impreſſus in fol. 1634.

Salvator de Leone Commentarium in 15. priora capita vulgavit Antuerpiæ 1640. in fol.

Petrus de Gorſe. Pariſ. 1654. *in* 8. *Alphonſus de Flore* in 24. capita ejuſdem libri. Antuerpiæ 1661. in fol.

Gaſpar Sanctius in 24. capita ſcripſit.

De Bellegarde in idem argumentum laboravit.

Inter Proteſtantes celebrantur *Joachimus Camerarius*, *Joan. Druſius*, *David Hoſchelius*, *David Chytræus*, *Oſiander*, *Calovius*, *Conradus Pellicanus*, *Paulus Touſſaint &c.*

Hugo Grotius in eumdem Librum laudatiſſime ſcripſit.

Corn. a Lapide omnium fere loco haberi poteſt.

Hoſchelius Textum Græcum cum variantibus, adjectis breviſſimis notulis literalibus dedit.

Boſſuetus breve quidem, ſed eximium Commentarium vulgavit.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN ECCLESIASTICUM.

CUm Fragmenta quædam venerabilis *Bedæ* in hunc Librum ſerventur legenda Operum tom. 7. ideo omnium vetuſtiſſimus, qui in hunc Librum ſcripſerint, *Rabanus* Maurus utique reputandus non eſt, quod nobis imprudentibus excidit.

Quæ ſcripſit *Robertus Holkot* prodierunt junctim cum Opere ejus in Cantica.

Cum *Nicolaus Gorram* nonniſi in Novum Teſtamentum ſcripſerit, male a nobis hic recenſetur.

Janſenius Gandavenſis præter Commentarium editum cum Notis in Sapientiam, dedit & paraphraſim ac notas iis junctas, quas vulgavit in Pſalmos. Apoſtillas *Alexandri Alexandrini*, ſicut & cætera omnia ejus in Scripturam vulgata fuiſſe typis nullibi legimus.

Robertus Carmelita ſcripſit aliquid in Eccleſiaſticum, inter cætera ejus amiſſa recenſendum.

Pauli de Palacio Commentarius prodiit Coloniæ an. 1593. in 8. Natus Granatæ, profeſſus eſt ſacras Literas Corinthi, fama ſcientiæ non minus ac pietatis vir inſignis. Obiit an. 1580.

Præpoſtere excuſum eſt *Joſeus* pro *Jorius*, quem alii appellant *Ivorius*. Hujus nominis nonniſi repetitio eſt illud: *Robertus Boſeus*; nemo enim ejus nominis in Scripturam laboravit. Quin nec Commentarius Jori vel Ivorii, ſicut & cætera ipſi adſcripta Opera, unquam publico paruiſſe videntur. Hæc indicaſſe tantum ſatis habent Balæus & Lelandus. Fertur Carmelitanorum vel Dominicanorum Ordinem profeſſus fuiſſe vir Anglo Londinenſis. Obiit an. 1392. Inter Scriptores ſui Ordinis P. Echard illum non recenſet.

Iis, quæ jam diximus de *Tuſa*, nihil addemus, niſi quod Jeſuitis acceſſit an. 1594. obiitque an. 1629.

Joannis de Pinna, Madritenſis, Jeſuitis adlecti an. 1602. Commentarius implet 5. vol. in fol. excuſa ab an. 1630. uſque ad 1648. Obiit an. 1657.

Commentarius *Oliverii Bonarti* prodiit Antuerpiæ an. 1634. *in fol.* Vide in Eſther.

Salvator de Leon, Murcienſis, dedit Expoſitionem cum Illuſtrationibus. Obiit an. 1649.

Petri de Gorſe Expoſitio jungitur cum aliis ejus in Libros Sapientiales, illuſtraturque Notis explicantibus Textum difficiles, Pariſiis an. 1654. in 12. Gallice. De hoc viro ſicut & *Bellegarde* & *Boſſueto* nos ſupra.

Nonniſi per errorem pariter aſſeruimus *Alphonſum de Flore* adornaſſe Commentarium in 24. capita Eccleſiaſtici; ſcripſit enim tantum in caput 24. juxta Nicolaum Antonium, qui facile Opus ipſum conſuluit, & non in caput 25. uti ſcribit P. le Long. Literale eſt Opus & morale, Textum accommodans ad Jeſu Chriſtum, B. Virginem, & Eccleſiam. Vir erat Hiſpanus, e Diœceſi Toletana, ac Jeſuita, defunctus an. 1660.

An Commentarius *Gaſparis Sanctii* typis prodierit, ignoramus, neque enim ea in re aliter mentem ſuam exponit Crovæus, quam ſcribens: *quære*. P. le Long remittit nos ad Sotvvellum.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM.

J*Oachimi Camerarii*, Bambergenſis, Lutherani, nati an. 1500. Notæ prodierunt Lipſiæ an. 1570. in 8. cum Latina Verſione; prodieruntque iterum an. 1574. Commendat illum Scaliger tanquam virum ſæculi ſui doctiſſimum; Turnebus vero tanquam Europæ ornamentum.

Druſii Notæ recitantur in Magnis Criticis, ſicut Hoeſchelii variæ lectiones, *ibid.* tom. 5. impreſſæ prius in Patriis ejus Argentorati an. 1604. Obiit vir Lutheranus an. 1617. ætatis 61.

Davidis Chytræi Expoſitio, Wittembergæ an. 1573. altera Editio.

E quatuor *Oſiandris*, Lucas tantum ſcripſit in Eccleſiaſticum inter cæteras Notas in V. T. ſicut & *Abrahamus Calovius* in ſuo Commentario utriuſque Teſtamenti, ac tandem *Conradus Pellicanus*. Vide ſupra Commentarios generales. *Paulus Touſſaint* in ſuis Notis in Scripturam hunc Librum non omiſit.

DISSERTATIONES, VEL TRACTATUS IN ECCLESIASTICUM.

VIde Præfationes *Corn. a Lapide*, & *Calmet*.
Jul. Bartholocii de Libro Eccleſiaſtici, *Biblioth. Rabb.* t. 1. p. 679.

Joan. Druſii ſcholia in Proverbia Ben-Syra: *In Criticis Sacris*.

Corn. a Lapide, Alphabeta duo Ben-Syra, p. 80. 81. *Præf. in Eccleſ.*

Chriſt. Cartvvigt de Melliſicio Hebraic. l. 3. p. 3126. & ſeq.

Vide

Vide & *Joan. Alb. Fabricii* Biblioth. Græc. t. 2; l. 3. c. 29. §. 2.

Et *Serrar.* ad S. Bonifacii Epiſtolam 1.

[*Bartholoccius*, in loco a nobis indicato, diſſerit fuſiſſime de *Ben-Sira Seniori*, quem diſtinguit a *Ben-Sira* nepote, demonſtratque reputandum eſſe genuinum Authorem Eccleſiaſtici, pluribus allatis ex eo Libro textibus, qui totidem verbis legebantur in Operibus Ben-Sira. Diſſertationem ſuam claudit exhibitis per ſynopſim iis, quæ in hoc Libro ſunt eximia.

Juvat etiam conſulere Prolegomana & Præfationem *Tuſſi*, ubi graviſſime plura diſcutit, quæ rei illuſtrandæ ſerviunt.

Adnotationes *Serrarii* in Epiſtolas S. Bonifacii Martyris habes excuſas in Auctario P. Combeſis an. 1693. tom. 2. p. 48. 784.

Male etiam indicatur certus locus Operis *Fabricii*, poſitus eſt enim §. 2. pro 3. & p. 735. pro 730.]

COMMENTARIA IN PROPHETAS, ATQUE IN ISAIAM POTISSIMUM.

ORigenes, conſueta methodo, Iſaiam illuſtravit, cujus tamen nonniſi 9. Homoliæ vulgatæ ſunt, ultra ſextum, & ſeptimum caput hujus Prophetæ non excurrentes.

Inter Opera S. Clementis Alexandrini, *Collectiones Scripturarum Propheticarum* occurrunt, in quibus tamen non intra Prophetas tantummodo ſe continet, ſed indiſcriminatim ex omnibus V. & N. T. Libris ſententias colligit. An opus illius genuinum S. Clementis habendum ſit, ambigitur; nec deſunt qui deductum illud ex Tatiano veteri Hæretico Valentiniano ſuſpicentur. Vide novam Edit. Oper. S. Clement. per Potterum.

S. Baſilius Magnus utile, & moraliſſimum opus in 6. prima capita Iſaiæ dedit.

Euſebius Cæſarienſis totum Iſaiam explicavit, cujus opus paucis ab hinc annis P. Montfaucon vulgavit, *in Nov. Collect. PP. & Scriptor. Græc. t. 2. p. 357.* S. Hieronymus plura ex eo in ſuum Commentarium in eumdem Prophetam derivavit; & uti nos in illo animadvertimus, plerumque cum Euſebius in alicujus locis interpretatione Præceptorem ſuum Judæum ſe conſuluiſſe profitetur, S. Hieronymus etiam in eadem re Rabbinum ſuum adiiſſe narrat.

S. Cyrillus Alexandrinus ſuum in univerſam Iſaiæ Prophetiam Commentarium 5. libris compleäus eſt. Opus totum tomum ſecundum ejus operum occupans diffuſum eſt nimium, literale vero parum.

S. Chryſoſtomus in exordium Iſaiæ 7. Homilias ſcripſit.

Apollinaris, *Didymi*, & *Pierii* opera nonniſi S. Hieronymo referente innoteſcunt.

S. Hieronymus 18. libris Iſaiæ Commentarium adornavit. Porro unum illum virum omnium feliciſſime literalem Scripturæ ſenſum aperuiſſe tam certum eſt quam quid aliud. Nec minus conſtat, ejus in Prophetas Commentaria inter cætera ipſius opera facile primas obtinuiſſe. Scribenti præſto aderant Veterum Græcorum Commentaria, Origenis, Apollinaris, Didymi, Pierii, & Euſebii, quibus plurimum profecit. Literali ſenſu firmato, ad moralem, & allegoricum excurrit.

S. Auguſtinus Confeſſ. l. 9. c. 5. narrat ſe, hortante S. Ambroſio, ſub ipſis converſionis ſuæ crepundiis, lectioni Iſaiæ totum impendiſſe; ſed eum Librum nimis arduum nactus, ad tempus aptius reſervavit.

Procopius Gazæus in Iſaiam ſcripſit.

Joachimus Abbas, Ord. Ciſtercienſis, Abbas, & Auctor Congregationis Floriacenſis, qui undecimo labente ſeculo plurimum celebrabatur, ſcripſit Commentaria in Iſaiam, Jeremiam, Apocalypſim, & Concordiam in V. & N. T. Nimis viſionibus, atque ſomniis ſuis indulſiſſe reprehenditur, pluraque ex ipſius ſcriptis deprompta cenſura inuſta ſunt. Ejus Commentaria minimi æſtimantur.

Commentaria in Iſaiam S. Thomæ Aquinati tributa auctorem potius habent Thomam Anglum de Jorzi, ejuſdem ſeculi, & Ordinis ſcriptorem.

Inter Recentiores occurrit *Adam Inſheus*, cujus opus prodiit Coloniæ 1608 in fol.

Leo a Caſtro Canonicus Vallifoletanus in Hiſpania, qui obiit an. 1589. in Iſaiam, & Oſee ſcripſit. Totus autem in ſenſum ſpiritualem, atque univerſam Prophetiam ad Jeſum Chriſtum applicandam intentus, literalem interim, & hiſtoricum ſenſum negligit.

Hugo Cardinalis, *Auctor ſub nomine S. Thomæ*, *& Lyranus* hiſtoriæ magis ſerviunt.

Joan. Feſavii Aquilovicani in omnes Prophetas tam minores, quam majores Paraphraſis. Baſil. 1558. in fol.

Franciſcus Forerius, vel *Forreira* Ord. Prædic. Ulyſſippone in Luſitania oriundus, qui obiit an. 1580. ampliſſimum opus literale, criticum & hiſtoricum, in Iſaiam, & duodecim Prophetas minores adornavit. Linguis non imperitus, in Theologicis ſcientiis eminebat plurimum.

Hieronymus Oſorius Senior, *Maldonatus*, *Hieronymus Oleaſter*.

Gaſpar Sanctius, *Corn. a Lapide*, *Lucas Brugenſis*, *Hector Pintus*, *F. Thaddæus* Ord. S. Auguſtini, ſuis in Iſaiam ſcriptis celebrantur.

Joannes Vitringa in Iſaiam Prophetam t. 1. in fol. Leovardiæ. Inter Proteſtantes, omiſſis Scriptoribus in univerſam Scripturam, eminent, *Calvinus*, *Oecolampadius*, *Muſculus*, *Gatakerus*, *Calovius*, *Maſleratus*, *Rivetus*, qui fere omnes, vel integri in magnis Criticis inſeruntur, vel in compendium in Synopſi Criticorum relati ſunt.

In Bibliis Rabbinicis extant opera *David Kimchi*, *Salomonis Jarchi*, *& Abenezra*.

COMMENTARII CATHOLICORUM IN ISAIAM.

LAtet nos prorſus quæ fuerit mens P. le Long, indicantis 25. Homilias *Origenis* cum Scholiis; novem enim tantum leguntur in editionibus Latinis.

Quæ reſtant *S. Baſilii*, amiſſorum deſiderium excitant vehementiſſimum, ſiquidem verum eſt illum ſcripſiſſe in hunc Prophetam. Namque juxta Eraſmum Epiſtola 90. lib. 30. *Eloquentiſſimi Theologi Opus eſt in elegantiſſimum Prophetam*.

Euſebius Cæſarienſis id ſibi potiſſimum in ſuo Commentario præſtituit, ut refutet eos, qui omnia conferunt in fatum. Agit ibi præterea de Martyribus ætatis ſuæ, de Principum pietate, aliiſque rebus ad morum ædificationem aptiſſimis.

Quæ ſcripſit *S. Chryſoſtomus* octavum caput Iſaiæ non ſuperant; ſunt autem legenda in tom. 6. Editionis D. Bernardi Montfaucon.

S. Hieronymus nihil ſcripſit non in Iſaiam tantum, ſed nec in quatuor Majores ac duodecim Minores Prophetas, quod hic ſemel dicimus, ne cogamur ſæpius repetere. Tantundem animadvertiſſe juvat de Theodoreto, aliiſque Patribus nonnullis.

Commentarius *Procopii* Synopſis eſt priorum Græcorum Patrum; prodiit autem Græce & Latine Pariſiis an. 1580. *in fol.* curante Joanne Curtero. Vide ſupra.

Joachimi, Calabri, Abbatis, prodiit ſecunda Coloniæ 1577. in 4. Obiit an. 1202.

Commentarius *S. Thomæ Aquinatis* vel Thomæ Angli excuſus eſt Lugduni an. 1531.

Sunt qui reputent Commentarium *Sorbonæ* deberi Joanni Heſſels vel Haſſelio ejus Præceptori. Opus eſt autem Theologi peritioris quam Critici; ſi quis tamen demat inutiles quæſtiones juvabitur Expoſitione ſatis perſpicua Textus & Commentario brevi, judicio & accuratione laudabili.

Leo Caſtrenſis, Hiſpanus, Doctor Salmanticenſis, Commentario ſuo in Iſaiam junxit alterum in Oſee; Salmanticæ an. 1586. *fol.* Deductum eſt autem a veteribus Patribus, & vaticinia omnia in Jeſum Chriſtum refert. Obiit an. 1586.

E cenſu Catholicorum expungendus eſt *Joannes Jeſſer*, Calviniſta, quanquam natus Aquiloniæ in Regno Neapolitano. Florebat ad medium ſeculi 16.

Juvat addere de ingenti Commentario *Forerii* prodiiſſe illum Venetiis an. 1563 *fol.* & in Critic. Sacr. tom. 4. præfixa docta Præfatione ad Patres Concilii Tridentini, & altera ad Amicos, in qua præſcriptam ſibi in Commentario methodum exponit; *ibidem* tom. 1. p. 30.

Inter Anecdota Pezii legas Expoſitionem *de decem oneribus*, *Irimberti* Abbatis tom. 2. part. 1. pag. 428 500.

Ad

Digitized by Google

Ad hæc commentarium *Herveï* Monachi Dolenſis 8. Libris digeſtum, tom. 5. part. 3. p. 1756.

Oſorius ſcripſit Paraphraſim in quinque diſtributam Libros, excuſam Bononiæ an. 1577. in 4. & Coloniæ an. 1584. in 8. ſicut & in Collectione Operum ipſius. Inſigne opus appellat Crovæus.

Joannes ab Oleaſtro, Luſitanus, Dominicanus, Commentarium ſcripſit, excuſum Pariſiis an. 1654. *fol.* ſecunda Edit. Obiit an. 1563. juxta Nicolaum Antonium, quanquam Tirinus vitam ejus protogat uſque ad an. 1568.

Hector Pintus, Luſitanus, Hieronymianus, ſcripſit in quatuor Majores Prophetas; Coloniæ 1616. una cum aliis ejus operibus 2. vol. *in* 4. & Pariſiis 3. vol. *fol.* 1617. & alibi ſeorſum. Obiit an. 1584. Vir Græce & Hebraice doctus.

Genuinum nomen *Thadæi* eſt Guidelie, qui Generalis Adminiſter ſui Ordinis deceſſit an. 1606. Commentarius ejus in Iſaiam editus eſt Peruſiæ an. 1598. 2. vol. in 8.

Joannes Vitringa nemo eſt, ſed tantum *Campegius* & *Horatius*, Calviniſtæ uterque, & non Catholicus. Campegii, viri Hollandi, qui ſtudium diu noctuque continuabat, & vetuſtatis ſcientia callebat maxime; Campegii, inquam, commentarius 2. vol. *in* 4. & non *in fol.* excuſus eſt an. 1714. 1715.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM ET JUDÆORUM.

JOannes *Calvinus* ſcripſit in omnes Prophetas majores & minores. Commentarii ejus in Iſaiam ſexta Editio eſt Genevenſis *fol.* 1617. Omnium optima, quippe quæ ſub Authoris oculis adornata eſt an. 1551.

Ita pariter & *Oecolampadius* ſcripſit in omnes Prophetas, maxime in Iſaiam; *ibid.* 1567. *in* 4. ſecunda Edit.

Wolfangus Muſculus ſcripſit in Iſaiam; Baſileæ 1623. *fol.*

Auguſtinus Marloratus excuſus eſt Genevæ, an. 1610. *fol.* nov. Edit. Hi omnes Hæretici fama nominis per ſe celebrantur.

Quæ ſcripſit *Thomas Gataкerus* in Iſaiam legas in Adverſariis ejus mixtis & poſthumis tom. 1. Operum ipſius, Ultrajecti ad Rhen. an. 1698. 2. vol. *fol.* Conſulenda eſt Tabula Textuum Scripturæ, quos expoſuit, in calce primi voluminis.

Adnotationes *Abrahami Calovii* in hunc Prophetam & alios recitantur in ſecundo tomo operum ipſius in Scripturam; Lipſiæ an. 1719. 4. vol. *fol.*

Salomon Vanell ſcripſit Commentarium, excuſum curante Campegio Vitringa Leovardiæ an. 1720. *fol.* continetque paginas 958. abſque Præfatione & Tabulis.

Andreas Rivetus non illuſtravit niſi caput 53. Iſaiæ; Lugduni Batav. 1623. in 4.

Druſii Notæ porriguntur tantum ad tria priora capita, recitanturque in ſecunda editione Criticorum Sacrorum, una cum aliis ab illo adornatis in Minores Prophetas. Excuſæ ſunt autem poſt obitum Authoris ex ejus ſchedis.

Davidis Kimchi commentarius in Iſaiam & Jeremiam; Conſtantinopoli 1503. *in fol.* ſecund. Edit. Hebraice. Scripſit etiam ſeorſim in omnes Minores Prophetas.

Opus *Abeneſræ* in Iſajam prodiit Venetiis an. 1526. *fol.* & Baſilea an. 1619.

Samuelis de Lamado ingens commentarius inſcribitur; *Vas auri puri*; Venetiis an. 1667.]

DISSERTATIONES GENERALES IN PROPHETAS, ET IN ISAIAM SEORSUM.

SAlomonis Deylingi de origine vaticiniorum in gente Hebræa t. 1. *Obſerv. ſacr. Obſerv.* 2. & 3.

Vide Præfationes *Corn. a Lapide*, & *P. Calmet* in Prophetas ſimul omnes, & in Iſaiam peculiariter.

Vide etiam duas priores Homilias *S. Baſilii* in eumdem Prophetam, & Prolegomena *Dupinii* in V. T. & *P. Pezronii* in Prophetas.

Joan. Alberti Fabricii Bibliographia antiquar. *c.* 11. n. 3. 4.

Joan. Spencer. lib. 3. de Legib. Hebr. Ritual. l. 3. c. 2. §. 3.

Henrici Dodwel. Epiſt. 2. de ſtudiis Theologicis.

Abarbanel, Prolegom. in Daniel.

Joan. Gerſon. Libell. de probatione ſpirituum.

Henric. Voſſius, Miſcellan. Theolog.

Petri Molinæi. Vares Libb. 4. Leid. 1640. 8.

David Knibbe, de Hiſtoria Prophetarum, lib. 4. Belgice.

Petri Petiti libb. 3. de Sybilla &c.

Nicolaus Gurtler, ſyſtema Theologiæ Propheticæ. Amſtelod. 1702. *in* 4.

Caroli Bovilli, de viſione Prophetica Domini exercituum ſedentis ſuper ſolium.

Deylingii in Iſ. 11. 10. qui ſtat in ſignum populorum, t. 2. *Obſerv. ſacr.* c. 23.

Joan. Friſchmuth, de Evangelio e Sione egreſſuro, ad Iſ. 2. 3.

Chriſtophori Lechner in Iſai. 7. 14.

Vide Diſſertationem *Boſſueti* Epiſcopi Meldenſis in idem argumentum, Pariſ. 1704. ſicut etiam alteram *P. Calmet, ante Comment. in Iſaie*.

P. Landriani tract. de partu Virginis in 4. Mediolani 1639.

Samuelis Andreæ de Nativitate Emmanuelis, *in Theſ. Theol.*

Friderici Spanhemii in Iſai. 7. 14. *in dubiis Evangel. dub.* 34.

Samuelis Bohl, Commentar. Biblio-Rabbinic. in Iſai. 7.

Diſſertatio *Rogerii* Archidiaconi Burgenſis in idem caput in 8. Gallice. Pariſ. 1713.

Franciſci Vavaſſoris de forma Chriſti Diſſertatio, p. 157. *Oper. Vavaſſor.*

Rigaltii de forma ſeu ſpecie Chriſti.

Calmet Diſſertatio in idem argumentum *ante Comment. in Iſaiam*.

Andreæ Leucer de Prolographia Meſſiæ, *in Theſ. Diſſert.*

Boileau Decanus S. Ædis Pariſienſis, Diſſertationem adornavit, qua humilem Chriſti ſtaturam defendit; an typis prodierit, mihi ignotum.

Pauli Slevogth de morbis, & doloribus Meſſiæ. Iſai. 53.

Jo. Andr. Danzii in eumdem Iſaiæ locum.

Salomonis Deylingii, in Iſai. 8. 1. de Libro Magno, & ſtylo hominis t. 1. Obſer. ſacr.

—— In Iſai. 9. 5. de clavi, quam Chriſtus in humero. *Ibid.*

—— Vide & in Iſai. 9. 6. *tom.* 3. *c.* 17.

Albert. Clingii in Iſai. 53. 9. dabit impios pro ſepultura.

Dr Quirce S. J. in Cantic. Ezechiæ, Iſai. 38.

Diſſert. in Iſai. 53. 8. *de anguſtia, & judicio ſublatus eſt*. Vide Collectionem Diſſert. Critic. impreſſam Pariſ. apud Wit. in 4. 1715. Gallice.

[Sæpius alias indicavimus Obſervationes *Deylingii*; ſicut & de Authore ac editione Operum ipſius alibi egimus.

S. Baſilius in ſua priori Homilia agit de excellentia doni Prophetiæ. In ſecunda diſſerit de viſionibus omnibus Prophetarum, & quomodo monſtratæ ſint Prophetis.

Cornelius a Lapide in ampla Præfatione ſua diſſerit de excellentia atque obſcuritate Librorum Propheticorum, de vario genere prophetandi, ac recenſet Authores omnes, qui illos expoſuerunt. Tandem aſſignat regulas ad pervadendum ſenſum Prophetarum, addita Concordia Chronologica.

D. Dupin in ſuis Prolegomenis agit de ratione diſtinguendi vaticinia vera a falſis, ac de ſucceſſione genuinorum Prophetarum apud Judæos, in eo argumenti genere D. Simonium refutans.

Oratio præliminaris *Pauli Pezron* verſatur in antiquitate, ſucceſſione, & neceſſitate Prophetarum.

Fabricius in ſua Bibliographia Antiquaria aſſignat quibus indiciis genuini ab ementitiis Prophetiæ diſtinguantur. Adeundus eſt etiam codex ejus Pſeudo-Epigraphus, ubi refert ſcripta plura tributa falſo Prophetis Græcis Latiniſque; quæ curioſis notis illoſtravit.

Hiſtoria prophetarum *Davidis Knibbe*, Belgæ Calviniſtæ, & Concionatoris Leidenſis, ineunte ſæculo 18. prodiit *Ibidem* an. 1708. & Bernæ Germanice an. 1709. *in* 4.

Petrus

Petrus Dumoulin prater ſuum, *Vates*, in quo diſſerit de agnoſcendis rebus futuris, de bonis maliſque Prophetis, dedit & complementum Prophetiarum Sedani an. 1612. Patriam habuit Vexinum, natus an. 1568. profeſſus eſt Calviniſmum, Miniſtrum egit Aureliæ, obiitque an. 1658.

Joannes Gerſon in ſuo opere *de probatione Spirituum*, docet qua ratione genuini a fictis Prophetis diſtinguantur. Legitur in ejus Operibus novæ & veteris Editionis, ſicut & in Actis Concilii Conſtantienſis tom. 3. pag. 28.

Nicolaus Gurtlerus; Baſileenſis Calviniſta, & Miniſter in ſuo ſyſtemate Theologiæ Propheticæ diſſerit de prophetia & Prophetis. Obiit an. 1711.

Hermannus & non Hanricus *Vitſius*, Belga, Calviniſta, profeſſor Leidenſis in ſuis Miſcellaneis tom. 2. Exercit. 1. agit de gloria Meſſiæ revelata in capite 2. Iſaiæ.

Caroli Bovillai, Veromandi, Canonici Novionenſis, opus in priorem Viſionem Iſaiæ inſertum eſſe oportet in Quæſtionibus ejus utriuſque Teſtamenti; neque enim alibi nobis occurrit. Obiit circa an 1550.

Joannis Frischmuth opus in Evangelium, quod exiturum eſt de Sion, prodiit Jenæ an. 1629. *in* 4. Dedit & Proſographiam Meſſiæ in Iſaiæ 9. 6. *ibid.* 1664. *in* 4 & alia plura in eundem Prophetam, de quibus nos forte alibi. Egimus de illo ſupra.

Christianus Lochnerus, & non Chriſtophorus, Germano-Lutheranus, legitur in tom. i. Diſſ. Philologg.

Ignatii Landrinni, Itali, florentis circa an. 1640. opus Theologi eſt potius, quam Critici Scripturam exponentis.

Samuelis Andreæ, Calviniſtæ, Profeſſoris Marpurgi circa an. 1680. prodiit *ibid.*

Friderici Spanhemii, Palatinatis, nati an. 1602. Miniſtri Genevenſis & Profeſſoris Leidenſis *Dubia Evangelica*, excuſa ſunt Genevæ an. 1700. *in* 4. 3. vol. quart. Edit. Obiit an. 1649.

Samuelis Bohl, Pometani, Commentarius Rabbinicus prodiit Stetini an. 1636. *in* 4. & in Diſſ. Philologg. tom. 1. obiit an. 1639.

Ludovici Roger Burgenſis Decani, & non Archidiaconi Cathedralis, opus complectitur geminas Diſſertationes Critico-Theologicas, quarum altera verſatur in illud: *Ecce Virgo concipiet &c.* prodiit an. 1713. & non 1713. *in* 12.

P. Vavaſſorii opus in quatuor diſtributum capita defendit formam Jeſu Chriſti, adverſus contrariæ ſententiæ aſſertores.

Quæ ſcripſit in hoc argumento *Rigaltius* leguntur in priori Editione Tertulliani ipſius. Cur dempta ſint ex altera 1641. quæ optima eſt & amplior, ignoramus. Natus Pariſiis obiit an. 1652. ætatis an. Vir eruditus, qui fatigare norat ea quæ ad opus ſuum impenderet, ſed ſtylo utitur nimis turgido & affectato.

Proſographia *Joannis Andreæ Lucceſi*, & non *Lucceſii*, uti male in impreſſis, legitur in 10. *tomo* Criticorum ſacrorum, poſtremæ Editionis p. 754. Verſatur in caput 9. Iſaiæ, ubi de ortu Meſſiæ; P. le Long in ſua Bibliotheca illum prætermiſit.

Joannes Rodolphus Cramerus natus Tiguri an. 1678. & Profeſſor ab an. 1702. uſque ad 1717. & ultra, ſcripta Diſſertatione illuſtravit illud capitis 48. 16. quod de Filio Dei interpretatur, Herbornii an. 1701. *in* 4. Cætera ejus opera recenſentur in Biblioth. Philologg. t. 1. pag. 172.

Diſſertatio *Pauli Slevogti* Saxo-Lutherani de Doloribus Meſsiæ, prodiit Jenæ an. 1644. *in* 4, obiit an. 1655.

Alberti Clingii Diſſertatio inſcribitur: *De Oſſilegia circa ſepulchrum Chriſti*. Legitur in Theſ. Diſs. Philologg. to. 1.

Auguſtini de Quiros in canticum Iſaiæ prodiit cum cæteris ejus operibus Hiſpali an. 1622. *fol.* Vide ſupra in Deuteronomium.

Vulgata eſt critica Diſſertatio R. P. *Souciet*, Jeſuitæ, in Iſaiam vel defenſio integritatis Textus Hebraici Iſaiæ cap. 13. 8. in illud; *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*, adverſus tentatam correctionem D. Indes, Theologi Salmantini.

Petrus Werenfels, Baſileenſis, Calviniſta, filius Joannis Jacobi, ſcripſit Diſſertationem de Virgine paritura, de qua Iſaias 7. 14. 16. & in illud Danielis ca. 1. 2. 3. Baſileæ 1229. in 4. Natus an. 1627. vivebat adhuc an. 1671. juxta Hofmannum in Dictionario univerſali.

Jo. Daniel Schramme dedit obſervationes diſtributas in 30. articulos, ad cap. 29. 1, 8. Leguntur in Biblioth. Philolog. tom. 3. p. 327. Spectari hoc Textu cenſet fuſum fugatumque exercitum Sennacheribi, & non everſionem Jeruſalem, contra receptam Interpretum aliorum ſententiam.

Jacobus Haſaus ſcripta Diſſertatione exponit illud capitis 18. 1. *Cymbalum Alarum*, Recitatur in eadem Collectione to. 5. p. 563. 618. Diſtribuitur in quatuor capita. Adjecit ejuſdem argumenti Diſſertationem alteram continentem quintum & ſextum caput, *ibid.* 298. 360.

Gerardus Osbove adornavit Diſſertationem de Imperio Meſſiæ, de quo cap. 9. 5. *ibid.* to. 6. p. 824. 955. in 19. articulos.]

COMMENTARIA IN JEREMIAM, ET BARUCH.

ORigenis 14. Homiliæ in Jeremiam in Editione Genebrardi impreſsæ ſunt.

Ejuſdem 20. Homilias Græco Latinas Huetius vulgavit; quæ tamen omnes ultra caput 20. 12. non excurrunt. Vigeſima Homilia fragmentum eſt Homiliæ 39. inter eas, quas Origenes de hoc argumento ſcripſerat; in verſum 22. cap. 44. verſatur.

S. Hieronymus in 32. priora capita Jeremiæ laboravit.

Theodoretus, *Rabanus Maurus*, *Rupertus*, & *Joachimus* Abbates, *S. Thomas*, ſive alius ſub ejus nomine, *Haimo Alberſtadenſis* idem ſtadium decurrerunt.

Paſchaſius Radbertus, *Hugo de S. Victore*, & *S. Bonaventura* in Lamentationes Jeremiæ lucubrationes ſuas dederunt.

Inter Recentiores *Joan. Ferrus* Franciſcanus, *Chriſtophorus a Caſtro* Jeſuita, *Andreas Capella* Carthuſianus, *Gaſpar Sanctius*, *Corn. a Lapide*, *Joan. Maldonatus*, *Lucas Brugenſis*, ſicut & *Joannes Bugenhagius* e Pomeriana, in Jeremiam laborarunt; ne quid dicam de Interpretationibus univerſæ Scripturæ.

In Lamentationes innotuerunt *Maldonatus*, & *Martinus Delrio*, ambo S. J. *Hector Pintus* ord. S. Hieron. *Antonius Agellius* Canonicus Regularis, & Epiſcopus Acernenſis, Joannes Quinquarboreus Regius Hebraicæ Linguæ Profeſſor Pariſiis 1583.

P. Joannis Lathberii Ord. Min. Moralia ſuper Threnos Jerem fol. 1492.

Auguſti Thacoi Paraphraſis in Threnos Jerem.

R. R. *Salomon Jarchi*, & *David Kimchi*.

Inter Proteſtantes extant *Calvinus*, *Petrus Martyr*, *Cocceius*, *Drusius*, *Gatakerus*, *Strigelius*.

In Baruch potiſſimum ſcripſerunt *Theodoretus*, *Maldonatus*, *Chriſtophorus de Caſtro*, *Petrus Mantorſus*, *Lelius Biſciola*, *Giſlenius*, *Badvel*, *Caſtalio*, *Grotius*; ut Scriptores in omnes Prophetas omittam.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN JEREMIAM ET BARUCH.

ARticulo de *Origene* addemus Balthaſarem Corderium dediſse jam Homilias ejus 14. Græce & Latine Antuerpiæ 1648. *in* 8. ſub nomine Cyrilli; ſicut & Matthæum Cariophylum ſeptem vulgaverat; & Allatius 8. in ſua Catena PP. Græcorum ad hunc Prophetam cum Latina Verſione ſua Lugduni 1628. *in fol.* omnia addito Commentario & Paraphaſi Michaelis Giſlerii in eundem Prophetam in Lamentationes, & in Baruch *ibid.* 1623 3. vol. *in fol.*

Opus *Paſchaſii Radberti* in Lamentationes Expoſitio eſt edita Coloniæ 1532. *in* 8, ſecunda Edit. ſub mendoſo Roberti nomine, & in cæteris ejus Operibus. Vide ſupra.

Joannes Fery ſermones dedit in Lamentationes; Lugduni 1567. *in* 8.

Commentarius *Chriſtophori de Caſtro* in Jeremiam, Lamentationes; & Baruch; Pariſiis 1603. *in fol.*

Andreas Capella, Valentinus, Hiſpanus Jeſuita prius, dein an. 1529. Carthuſianus, renunciatus Epiſcopus Urgelitanus an. 1588. illuſtrat commentario ſuo Vulgatam Latinam, eamque comparat cum Textu Hebræo, Verſione Septuaginta, & Paraphraſi Chaldaica. Prodiit opus an. 1582. *in* 4. obiit an. 1610. Vir Græce & Hebraice doctus, & Chriſtianis virtutibus excultiſſimus.

Antonius Agellius adornavit Commentarium excerptum

e Græ-

Digitized by Google

e Græcis Authoribus cum Expoſitione, cui junxit Catenam Græcorum PP. cum ſua Latina Verſione, Romæ 1589. in 4.

Commentarius *Martini Delrio* literalis eſt penitus, prodiitque Lugduni an. 1608. in 4.

Expoſitio *Joannis Lorchardi*, & non *Lockhardi* uti male in noſtris impreſſum, Opus eſt laborioſiſſimum & diffuſiſſimum; continet enim capita 125. in unicas Lamentationes. Editionem ejus componit P. le Long cum an. 1680. & non cum 1692. ut in noſtris. Vir erat Anglus, florebatque circa an. 1660.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM ET JUDÆORUM.

BUgenhagen. Proteſtantium cenſum ducimus ab hoc viro, cujus nomen ita deſignatum eſt: *Joannes Bugenhagius*. Scripſit in Jeremiam & in Lamentationes; Wittembergæ an. 1555. in 4. Vir erat Lutheranus, moderatione animi & rariſſima eruditione clarus juxta D. de Tou. Obiit an. 1558. ætatis 63.

Commentarius *Petri Martyris* intra Lamentationes tantum ſe continet; Tiguri 1629. in 4. Quidqoid in illas ſcripſit *Scaigelius* prodiit Bremæ an. 1664. in 4. Exercuit ſe pariter in Majores & Minores Prophetas.

Idem animadvertimus de *Joanne Coqueo*, *Druſio*, & *Calvino*, cujus lectiones in Jeremiam prodierunt Genevæ an. 1589. *fol.* collectæ a Joanne Buddæo & Carolo Joinvillæo, ejus Diſcipulis.

Præter *Jarchi*, & *Kimchi* Judæos, quos recenſuimus, prætereundus non eſt *Moyſes Alſeque*, cujus in Lamentationes Commentarius Hebraicus inſcriptus: *Vox flentium*; prodiit Venetiis 1606. in 4. Alii etiam idem argumentum vexarunt.]

DISSERTATIONES IN JEREMIAM, ET BARUCH.

JO. *Friſchmuth*, de non ſperanda Arcæ fœderis reſtitutione. *Theſ. Diſſ. Th.* Vide Jerem. 3. 14.

Aug. Calmet Diſſertatio, an Arca Fœderis in ſecundo Templo poſt captivitatem Babylonicam reſtituta fuerit *ante Comment. in Mach.*

Abrah. Calovii, de ſelenolatria, ſeu de adoratione Lunæ, ad Jerem. 7. 18. & 44. 17. Vide etiam noſtrum Commentar. ad eumdem locum.

Nicol. Paneſius, de Theophet valle Hinnom, ad Jerem. 7. 31.

Jo. Friſchmuth, de nomine Meſſiæ glorioſo ad Jerem. 17. & 18.

Herman. Petrans, de miſericordia Dei. Jerem. 31. 20.

Jo. Friſchmuth de fœdere novo, ad Jerem. 31. 31.

Salom. Deylingi, in Iſai. 42. & 43. & Ezech. 29. Vaſtatio Ægypti. 3. *Obſerv. c.* 18.

Jo. Friſchmuth, de Regina Cœli, ad Jer. 44. 17.

Julii Bartolocci Diſſertatio de Rechabitis *Bibl. Rab. t.* 1 *pag.* 122. Vide etiam noſtram Diſſertationem de eodem argumento *ante Comment. in Jerem.*

Herman. Viſius, Diſſert. de Rechabitis. Vide etiam ea de re Bolduc, de Eccleſia ante Legem.

Salom. Deyl. in Jerem. 49. 38. explanatio *c.* 1. *obſer. ſacr.*

In Baruch lege Præfationem noſtram, & *Jo. Albertum Fabricium Biblio. Græc. l.* 3. *c.* 29. a quo Catena quædam Græca in Jerem. & Baruch laudatur, Lugduni impreſſa in fol. cura *Michaelis Ghislerii*, cum notis ejuſdem.

Vide etiam *Huetium* Demonſtr. Evang. prop. 4.

[Diſſertatio *Joannis Friſchmuth* in Arcam Fœderis prodiit ſeorſum Jenæ an. 1658. in 4. Altera in nomen glorioſum Meſſiæ, ibid. 1651. in 4. Tertia continet geminas Diſputationes in novum Fœdus, *ibid.* 1671. in 4. Quarta in Reginam Cœli; *ibid.* 1663. in 4.

Diſſertatio *Abrahami Calovii* de adoratione Lunæ, Wittembergæ an. 1682. in 4. Legitur etiam in Diſſ. Philolog. tom. 1. cum altera *Friderici Meinhardi*.

Nicolai Paner, Germano-Lutherani, in Vallem Hinnom ibid. 1690. in 4.

Jonathæ Vvetenbergii Diſputatio de jugo Babyloniæ; Lipſiæ an. 1683. in 4. & in Diſſ. Philologg. tom. 1. Vir erat Germano-Lutheranus.

Hermannus Petrans edidit Diſſertationem in cap. 31. an. Jeremiæ, legiturque in Critic. Sacr. nov. Edit. tom. 10. p. 844. Inſcribitur Græco titulo: *The ſhyrion polyſplaghnon Sinergonnios*.

Joannis Omerlin, de quo non in Epiſtola ad Ephaſios, ſcripſit brevem Diſſertationem in caput 30. 21. quem exponit de Meſſia. Legitur in Biblioth. Philolog. Theodori Haſæi; Bremæ 1719. in 8.

Hermannus Viteſſi, Belga-Calviniſta, Profeſſor Leidenſis, & non Legienſis uti male P. le Long, in Rechabitas, legitur in Exercitationibus ejus ſacris tom. 2. Exercit. 9. Amſtelodami 1700. in 4. Obiit anno 1708.

Iglius Biſtbolo, Jeſuita, quem inter Commentatores recenſuimus, ſcripſit tres ſermones in Epiſtolam Baruch; Coſmæ an. 1622. in 8.

Plures adhuc ſuppetunt Diſſertationes, quas conſtituta brevitas in aliud tempus reſervare nos cogit.]

COMMENTARIA IN EZECHIELEM.

ORigenes Homilias 14. in Ezechielem dictavit, Latine tantum in Editione Genebrardi extantes.

S. Hieronymus libris 14. univerſam Ezechielis prophetiam complexus eſt.

S. Gregorius Papa duos Libros Commentariorum in eumdem Prophetam dedit.

Theodoretus, *Richardus a S. Victore*, atque alii veteres nonnulli, quorum extant fragmenta in Catena Græca MSS. in Vaticano. Ex Catena P. Prado, & Villalpandus, & Cornelius a Lapide in Ezechielem ſcribentes uſi ſunt.

Veteres Scriptores, qui *Apollinaris junior* Epiſcopus Laodicenſis, *Polychronius* Epiſcopus Apamenſis, *Didymus*, aliique nonnulli laudantur.

Inter Recentiores *Hieronymus a Prado*, & *Joannes Baptiſta Villalpandus* ambo e S. J. toto ſpatio 16. annorum, juſſu & impenſis Philippi II. explicandis a ſe prioribus, & 3. poſtremis Ezechielis capitibus ad Templum ſpectantibus allaborarunt. Prodiit opus 3. Vol. in fol. Romæ 1596.

Hector Pintus, & *Petrus Serranus* Cordubenſis, *Pradus*, *Gaſpar Sanctius*, *Maldonatus*, & *Cornelius a Lapide* in eumdem Prophetam ſeſe exercuerunt.

Lucas Brugenſis notis, & variis lectionibus conjectura deductis eumdem Librum illuſtravit.

Inter Proteſtantes eminent *Franc. Junius*, qui obiit an. 1602. *Amandus Polanus*, Baſileæ defunctus 1610. & *Joan. Renſius*. His addi poſſunt *Ligefootus*, & *Ludovicus Capellus*, ſicut & *Campejus Vitringa*, qui Templi deſcriptionem proſequuti ſunt.

In Bibliis Rabbinicis leguntur *Salomon Jarchi*, & *David Kimchi*.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN EZECHIELEM.

PRæter Homilias 14. *Origenis*, fragmenta quædam ingentis ejus Commentarii Græce & Latine dedit D. Huetius in tomo 1. Edit. ſuæ.

Homiliæ *S. Gregorii* Papæ in Tomo 1. novæ Edit. legendæ, quamvis morales ſint penitus, adhuc tamen in illis S. Hieronymum conſuluiſſe vir ſanctus, & interdum ſuppreſſo nomine refutat.

De Commentario *Pradi & Villalpandi* ait D. Dupin, optimum eſſe omnium quotquot prodierunt in Prophetas, & deſcriptionem Templi & Urbis Jeruſalem, ibi adornatam, eximii Operis elogio celebrat. Sed aliis non ea ſedet opinio, reputantibus quidem Templi deſcriptionem elegantem, magnificam, & ad regulas Architecturæ Græcorum ac Romanorum exactam; ſed minus reſpondentem iis quæ præfert Scriptura in Libris Regum & Ezechielis. Prado Vir erat Hiſpanus e Baeza in Diœceſi Gienii, inter Jeſuitas adlectus an. 1572. defunctus an. 1595. ætatis 48. Magnoque ingenio in brevi & imbecilli valetudine affecto corpore. Villalpandus Hiſpano-Cordubenſis Jeſuitis acceſſit an. 1575. obiitque an. 1608. ætatis 56. nimiis ſtudii laboribus confectus.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM ET JUDÆORUM.

F*Ranciſcus Junius* pater, vel *Dujong*, ſcripſit Commentarium; Genevæ 1609. *in fol.* & 1610. *in* 8.

Amandus Polanus Commentario junxit Analyſim Logicam & Theologicam; Gieſſen an. 1592. *in* 8.

Ludovicus Capellus ſcripſit in Villalpandum, modeſte tamen, in Polyglottis Anglicis & Criticis ſacris tom. 9. p. 3716.

Inter Judæos nemo peculiariter in unum Ezechielem, ſed generatim in quatuor Majores Prophetas ſcripſit.]

DISSERTATIONES IN EZECHIELEM.

V*Ide* Præfationes *Cornelii a Lapide*, *P. Calmet*, & aliorum in eundem Librum.

Joan. Clodii, de Magia ſagittarum Nabuchodonoſor, ad Ezech. 21. 26. Ibi etiam noſtr. Comment. conſulas.

Aug. Calmet, an decem Tribus e captivitate redierint, ad locum Ezech. 16. 55. & 37. 16. 17.

---- Diſſert. de Gog & Magog. Ezech. 38 &c.

---- Deſcriptio Templi, in Diction. *v. Templum*.

Salom. Deylingi in Ezech. 9. 14. Signa Tau. *Obſerv. ſacr. t.* 1. & *t.* 2. *c.* 49.

---- De ſtatutis non bonis, in Ezech. 20. 25. *ibid. t.* 2. *c.* 24.

---- In illud Ezech. 13. 25. 26. Qui in ſanguine comeditis. *ibid. c.* 25.

[Diſſertatio *Joannis Clode* in Magiam ſagittarum Nabuchodonoſoris; Wittembergæ 1675. *in* 4. & in Diſſ. philologg. tom. 1. Vir Germano-Lutheranus florebat circa an. 1672.

Recenſentes quæ ſcripſit *Salomon Deylingius* omiſimus Diſputationem ejus in cap. 8. 14. de Fletu ſuper Thammuz; Lipſiæ 1704. *in* 4.

Joannes Braunius, e Palatinatu, Lutheranus exercuit ſe in idem argomentum, in Selectis Sacris Amſtelodami 1700. *in* 4. Obiit an. 1608.

David Flud, Hollendo-Calviniſta, idem argumentum tractavit in Epiſtola ad Braunium; *ibid.* 1686. *in* 12. ſcripſit & Expoſitionem philologico-Theologicam in cap. 47. 18. Leovardiæ an. 1684.

Henricus Gebhardius diſſeruit de Gog & Magog; Gryphiſvvaldiæ an. 1695. *in* 4. ſicut & Andreas Muſculus; Francofurti an. 1577. *in* 8.

Joannes Andreas edidit Diſſertationem de pulvillis & cervicalibus, de quibus in cap. 13. 18. Helmſtadii an. 1702. *in* 4.

Samuel Dauderſtat, Germano-Lutheranus, & Miniſter Generalis Friſingæ, exeunte ſæculo 17. ſcripſit de Antichriſto Orientis, de quo expoſuit illud de Gog & Magog; Lipſiæ 1663. *in* 4.

Michael Bocksu, Germano-Lutheranus, ſcripſit de Oraculo irruptionis Gog & Magog in montes Iſraelis Jenæ 1664.

Andreas Habichorſt diſſeruit de *ſtatutis non bonis*, ad cap. 20. 25. Roſtochii an. 1699. *in* 4.

Adam Rechenbergius, Germano-Miſnienſis-Lutheranus, exeunte ſæculo 17. ſcripſit Bibliographiam Ezechielis ad cap. 2. 8. 9. Lipſiæ 1710. *in* 4.]

COMMENTARIA IN DANIELEM.

S. *Hieronymus*, *Theodoretus*, *Joachimus Abbas*, *Arias Montanus*, *Benedictus Pererius*, *Faber Stapulenſis*, *Gaſpar Sanctius*, *Cornelius a Lapide*, *Joan. Maldonatus*, *Lucas Brugenſis*, *Auctor Titulus* Hieronymianus, in Danielem ſcripſerunt.

Hiſtoriam Suſannæ *Didacus Celada* illuſtravit.

Inter Proteſtantes celebrantur, *Franciſcus Junius*, *Joan. Druſius*, *Amandus Polanus*, *Oleraus*, *Willet*, Anglus, *in Synopſi Critic.*

Inter Rabbinos, *Jachides*, cum notis Conſtantini l'Empereur, *Saadias Gaon*, & *Abenezra*.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN DANIELEM.

I*Nter Patres*, quos recenſuimus, ſcriptis ſuis illuſtrantes Danielem, referendus erat & *S. Chryſoſtomus*, ſub cujus nomine Expoſitionem Græce & Latine vulgaverat D. Cotelerius, quam P. D. Montfaucon inſeruit in nova Editione ſua Operum ejuſdem Patris, tom 6. p. 199. additis eruditis Notis, & Præmonitione, in qua mentem ſuam de Authore prodidit, nec alienum ſe præbet a vindicando Opere S. Chryſoſtomo, quanquam huic ſententiæ plura repugnant.

Commentarius *Benedicti Pererii* paruit primo Romæ an. 1586. *in fol.* dein cum cæteris ejus Operibus; ſicut & alii pariter Commentarii Catholicorum Scriptorum, quos recenſuimus.

Jacobus Veld, Brugenſis, Belga, Auguſtinianus junxit Commentario ſuo Chronologiam illuſtrandis Oraculis Jeremiæ, Ezechielis, & Danielis; Antuerpiæ an. 1602. *in* 8. Obiit Audomari an. 1588. vel 1583. juxta Valerium Andræam.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM ET JUDÆORUM.

S*Tudiorum ſuorum* illum ſibi maxime ſcopum conſtituerunt Proteſtantes, ut Danielem illuſtrarent; potiſſimos tantum, uti jam præſtitum eſt, recenſebimus.

Expoſitionem in hunc Prophetam non *Junius* ipſe per ſe dedit; ſed ex ejus lectionibus excepta, ſub ejus nomine vulgata eſt Genevæ, an. 1594. *in* 4. Alii in quatuor Prophetas generales Commentarios dederunt.

Ad Judæos quod attinet, videſis Verſionem Latinam cum Notis *Conſtantini l'Empereur* Paraphraſim Joſephi Jahiad; Amſtelodami an. 1633. *in* 4. Vir erat Hollandus, Profeſſor Leidenſis juxta D. Dupin; Germano-Calviniſtam illum appellat P. le Long, defunctum an. 1648. Vir erat linguarum intelligentia doctiſſimus.]

DISSERTATIONES VEL TRACTATUS IN DANIELEM.

S*Uper* ſeptuaginta hebdomadas Danielis legeſis PP. uti *S. Clementem Alexandrinum*, *Tertullianum*, *S. Hieronymum*, *S. Auguſtinum in Epiſt.* 197. 198. 199.

Jul. Bartolocci in Bibl. Rab. t. 2. p. 307. & 353.

Martinus Helvicus in Magnis Celebris, *Joſephus Medus*, *Abraham Calovius*, *Strauchius*, *de Rodon*, *Matthias Vaſmuth*, *Eduardus Livelæus*, *Hugo Broughton*, *Joannes Reinoldus*, *Joannes Vichman*, aliique nonnulli in Præfatione tomi 3. Synopſis Criticorum laudati. Quibus jungendi *P. Petavius*, & *Calviſius* in ſuis operibus Chronologicis; nec non *P. Harduinus* in ſua Chronologia V. & N. T.

Joannes Marshamus, Canon Chronologic. & Ægypriacus.

Nicolaus Abrahamus Phari V. T. t. 14. p. 15.

Robertus Bayle in hiſtoria Eccleſiaſtica. Vide etiam noſtram Diſſert. de eodem argumento *ante Comment. in Danielem*.

Vide pariter *Joan. Friſchmuth* in Th. Theol.

Examen 70. hebdomadarum Daniel. in Collect. impreſſa Amſtelod. 1707. 12. Gallice.

Joan Georg. Barheim, Diſſert. de metamorphol. Regis Nabuchodonoſor.

Calmet, Diſſert. de eodem argumento *ante Commentar. in Dan.*

Jac. de Clerica Diſſert. de epulo Balthaſſaris, Dan. 5.

Salom. Dryling. de 4. Regibus Perſiæ, in Dan. 11. 2. *Obſerv. ſacr. t.* 3. *c.* 19.

De authoritate Hiſtoriæ Suſannæ lege Epiſt. Orig. ad Julium Afric.

S. Hippolyt. de Hiſtoria Suſannæ, t. 27. p. 9. Bibl. PP. & in 2. tomo operum Hippolyti, editorum a Joan. Alberto Fabricio, an. 1716. p. 273.

Jo. Rodulphi Vettenii Diſſer. de Suſannæ Hiſtoria. Baſileæ 1691. *in* 4.

S. Hie-

Digitized by Google

S. Hieronymi, Præfatio Commentar. in Danielem.
Nicolai Abram. Darius Medus, l. 12. Phari V. T.

[*In Septuaginta Hebdomadas*.

PRæter eos Patres, qui peculiariter diſſeruerunt de ſeptuaginta hebdomadis Danielis, quicumque Chronologiam ſacram tractarunt, id ſibi ceu penſum potiſſimum conſtituerunt, ut locum hunc Danielis difficiliſſimum & maximi momenti illuſtrarent. Præcipuos recenſere conati ſumus.

In Nabuchodonoſorem.

Diſſertatio *Gregorii Bucheim*, & non Bacheim uti male in noſtris Impreſſis, Germano-Lutherani, legitur in Diſſ. Philologg. tom. 1. Alii etiam exercuerunt ſe ſe peculiaribus Scriptis in ſtatuam & in ſomnium Nabuchodonoſoris, quos alibi recenſebimus.

In Balthaſarem.

Diſſertatio *Joannis Clerici* prodiit Wittembergæ in 4. & in Diſſ. Philologg. tom. 1. Jungendus eſt *Michael Liebenzeuss*, qui ſuam adornavit in Scriptum illud, quod prodigioſa manus convulvis apparens impreſſit; *ibid*. 1661. in 4.

In Suſannam.

Rudolphus Wetſtenius Græce & Latine cum notis dedit Epiſtolam *Origenis* ad Julium Africanum, & Julii ad Origenem in Hiſtoriam Suſannæ; Baſileæ an. 1674. in 4. cum Dialogo in Marcionitas. Utraque Græce tantum recitatur in Criticis Sacris tom. 8. pag. 46. Latinas dedit Genebrardus in ſua Editione Origenis.

S. Hyppolitus in ſuo Tractatu explicat circumſtantias omnes hiſtoriæ Suſannæ, additis nonnullis de annis Captivitatis Babylonicæ.

Addendus eſſet & *S. Chryſoſtomus*, ſi ejus ſtatueretur genuinum Opus Lucubratio vulgata a D. Bernardo Montfaucon in To. 6. Operum ejuſdem Patris. Sed alterius eſſe Scriptoris plane conſtat, nec refert niſi meram expoſitionem Hiſtoriæ, moralibus nonnullis interſperſis.

In quatuor Imperia.

Non defuerunt etiam, qui ſeſe exercuerunt in quatuor hæc Imperia Danielis, nec tamen adhuc compertum eſt quis melius præciderit hunc nodum Gordiaeum. Agemus de hac re fuſius, ſicut & de ſeptuaginta hebdomadis, alibi. Vide in quartam Partem.]

COMMENTARIA IN XII. MINORES PROPHETAS.

S. *Hieronymus*, *S. Cyrillus Alexandrinus*, *Ruffinus*, *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Rupertus Abbas*, *Remigius* Altiſiodorenſis (nihil tamen ille in Oſee.)

Theodorus Mopſueſtenus MS. apud P. Anſelmum Bandurì.

Rabanus Maurus, *Chriſtophorus a Caſtro*, *Franciſcus Forerius* Dominicanus, qui obiit 1580. *Gaſpar Sanctius*, *Franciſcus Ribera*, *Corn. a Lapide*, omnes S. J. *Benedictus Arias Montanus* in minores Prophetas ſcripſerunt; ne quid dicam de Commentatoribus univerſæ Scripturæ.

Joannis Taffurrii Aquilovicani, in omnes Prophetas, tam majores, quam minores, & in Sapientiam Salomonis Paraphraſes. Baſileæ Oporin. 1558. in fol.

Joan. Marckii, in duodecim Prophetas minores, 5. Vol. in 4. Amſtelod.

Joan Chotardi, enarratio in Jonam.

Emmanuel Tremellius, in Oſee.

P. Franciſc. de Reynoles, Ord. Minim. in Zachariam Quæſt. literales, & morales. Pariſ. 1638. in fol.

Auguſtini de Quiros S. J. in Nahum, & Malachiam, Hiſpali in fol. 1622.

Auguſti Thuaei Paraphraſes in Joel, Abdiam, Jonam, Abacuc. Cæſaroduni Turonum, 1592. in 8.

Joan. Bugenhagii, Pomerani, Jonas Propheta expoſitus. Wittemberg. 1550.

Dictian. Bibl.

Julianus Toletanus, in Nahum. *Biblioth. PP. t. 12. p. 630.*

Hugo de S. Victore in Joelem, & Abdiam ſcripſit.

Hieronymus Oſorius, ſenior, in Oſee, & Zachariam.

Franciſcus Fra-Ardentius in Jonam.

Quinquarboreus in Oſee, & Amos.

Joan. Ferrus, Franciſcanus, qui obiit 1554. in Jonam.

Joan. Ekius in Aggæum.

Janſenius Yprenſis in Abacuc, & Sophoniam. Extant ad calcem Comment. in libros Sapientiales.

Antonius Gurvera in Abacuc.

Antonius Agellius, Epiſcopus Acernenſ. in Abacuc. Antuerp. 1597. in 8.

Hector Pintus, Ord. S. Hieron. in Nahum.

Calvinus, & *Tarnovius* in duodecim Minores.

Joan. Druſius in Michæam, Abacuc, Sophoniam, Zachariam. Extat in Magnis Criticis.

Mercerus, & *Livelius* in 5. priores ex Minoribus.

Ligfootus in 4. priora capita Oſee.

Rivetus in Oſee, *Pembelli* in Zachariam.

Joan. Leuſden in Jonam, Abdiam, & Sophoniam.

Andr. Myl. Comment. Grammatico-Critic. in Jonam, *In Theſ. Theol.*

Inter Rabbinos, *Salomon Jarchi*, & *David Kimchi*.

[COMMENTARII IN MINORES PROPHETAS.

EOs tantum hic recenſebimus, qui ſingulis minoribus Prophetis illuſtrandis potiſſimum laborarunt, ſervato eodem ordine, quem tenent in Scriptura.

In Oſee.

Expoſitionem prioris capitis de Vocatione Gentium dedit *Julius Bartoloccius* Bibliothecæ Rabbinicæ to. 2. p. 767.

Commentarius *Andreæ Riveti* prodiit Lugduni Baravorum 1625. in 4. & in Collectione operum ipſius.

Addi poſſet *Philippeaux Andegavenſis*, Jeſuitis adlectus an. 1594. qui Commentario ſuo junxit utilem Præfationem in Verſiones Græcas Bibliorum, & varias eorum correctiones; Pariſiis 1636. in fol. Obiit an. 1643.

In Joel.

Benjamin Bonerus, Germano-Lutheranus ſeculi 16. ſcripſit paraphraſim Joelis, in qua prædictum ab illo Turcarum bellum demonſtrat. Francofurti 1597. in 4.

Zacharias Pouſhein Scholaſtica plane methodo hunc Prophetam expoſuit; Regiomontii vel Konigsberg in Pruſſia an. 1649. Obiit vir Lutheranus an. 1648.

Jo. Jacobus Schurmanus, Hollando-Calviniſta, ineunte ſæc. 18. dedit Analyſim cum Expoſitione Belgica; Veſeli an. 1703. in 4.

In Amos.

Joannes Benefield, natus in tractu Gloceſtrienſi, ſcripſit in tria priora capita Sermones tres Latine; Oppenehim an. 1615. in 8. & Anglice Londini an. 1629. in 4. Obiit, vir Patrum lectione & Scholaſtica Theologia excultiſſimus, an. 1630.

Joannis Gerhardi Notæ an. 1676. in 4. tertia edit.

In Abdiam.

Salomon Gefnerus adornavit Commentarium in Abdiam; Hamburgi an. 1618. in 8.

Franciſcus Gomarus ſuum etiam dedit; impreſſum cum cæteris ejus operibus Amſtelodami 1644. 3. vol. De illo iterum in S. Lucam.

In Jonam.

Non Enarrationem ſed Notas adornavit *Joannes Cotardus*, & non *Chotardus*, *Aquaperſanus* in Arvernis, & non *Aquaſparſanus*, uti legitur in Additioni-

bus

Digitized by Google

bus Bibliothecæ Sacræ P. le Long. Florebat an. 1550.

Commentarius *Fen-Ardentii* prodiit Coloniæ an. 1594. *in fol.*

Andreæ Myle, Germano-Lutherani & Profeſſoris Linguæ ſanctæ, Commentarius editus eſt Francofurti an. 1624. & Regiomontii vel Konigsberg an. 1640.

Bugenhagii Expoſitio prodiit Wittembergæ an. 1551. *in 8.*

In Michæam.

Theodorus Bibliander adornavit Commentarium in Michæam; Tiguri an. 1534. *in 8.* David *Chitræus* Expoſitionem in eumdem; Wittembergæ an. 1565. *in 8.*

Gerlachus, Germano-Lutheranus, dedit Commentarium Auguſtæ Vindelic. an. 1534. *in 8.*

Pauli Phrygionis Comment.; Argentorati an. 1538.

In Nahum.

Theodorus Bibliander adornavit Latinam Verſionem Nahum ex Hebræo; cui addidit Exegeſim vel Expoſitionem qua Verſionis ſuæ rationem reddit, & ſententiam ſuam, quam Prophetæ tribuit, exponit. Vide ſupra.

Salomon Geſnerus dedit Commentarium in eundem Prophetam, Wittembergæ an. 1604. *in 8.*

In Habacuc.

Antonii Agellii in Habacuc Commentarius prodiit Antuerpiæ an. 1597. *in 8.*

Paraphraſis *Antonii Guevarræ* Hiſpani, Juriſconſulti & Prioris d'*Eſcaluda* ſæculo 16. Paraphraſis cum Notis in Pſalmos cuſa eſt Antuerpiæ an. 1609. tertia Editio *in 4.*

Salomon Vantilii dedit Commentarium Lugduni Batavorum an. 1700. *in 4.*

In Sophoniam.

Martini Buceri Commentarius in Sophoniam cum Latina Verſione ex Hebræo; Argentorati an. 1528. *in 8.*

Henricus Gebhardus Commentario ſuo nonniſi partem hujus Prophetæ illuſtravit; Gryphyſvvaldiæ an. 1695. *in 4.* De illo in Judices;

In Aggæum.

Joannes Eckius vel *Eckyn* commentarium brevem & doctum, ait Poſſevinus, edidit an. 1538. *in 8.* Saligna; nec quidquam aliud dedit in Scripturam; ſed ſcriptis controverſiarum Operibus claruit.

In Zachariam.

Joannes, & non Franciſcus, *Reyroles*, commentarium dedit in quæſtiones digeſtum. Joannem de Rairoles appellat D. Dupinius.

Zacharias Schilterus brevi Exegeſi vel Expoſitione ſeſe exercuit; Lipſiæ an. 1604. *in 8.*

Didacus Stunica edidit commentarium, quo exponit editiones tres, Latinam, Hebraicam, & Græcam cum regulis moralibus; Salmanticæ, an. 1567. *in fol.*

In Malachiam.

Samuel Bohl dedit commentarios Rabbinorum in Malachiam cum diſputationibus Hebraicis & expoſitionibus; Roſtochii an. 1637. *in 4.*

Joannes Maccinius, Dantiſco-Lutheranus, adornavit Animadverſiones cum Analyſi; Groningæ an. 1645. & 1658. *in 8.* Florebat circa an. 1665.]

DISSERTATIONES IN PROPHETAS MINORES.

JO. *Stuber*, de conjugio Oſee cum meretrice. *In Theſ. Theol.*

Abr. Abr. F. Calovii de Arbellæ deſtructione Diſſertationes tres. Oſ. 10. 14.

Jo. Helvic. Villemer, in Oſee 11. 9. *Populus meus pendebis ad reditum meum &c.*

Martini Lipenii Jonæ navigatio. Jonæ 2. 17. *In Theſ. Theol.*

Chriſt. Vveidlingii de Kikaion, palma Chriſti, ſeu hedera, Jon. 4. 6. *ibid.* Vide etiam *Bochar.* t. 3. Nov. Edit. Lugd. Batav. p. 919. de Kikaion. Jon. 4. 6.

Et *S. Auguſt.* Epiſt. 71. num. 5. & Epiſt. 75. num. 22. nov. Edit.

Aug. Calmet Diſſertatio de cete, quod Jonam voravit. Vide etiam S. Aug. Epiſt. 102. quæſt. 6. in nova Edit. p. 284. &c.

Aug. Calmet Diſſert. de idololatria Iſraelitarum in deſerto. Amos 5. 26.

Jo. Friſchmuth, de gloria Templi ſecundi. Agg. 2. 7. *Theſ. Theol.*

Salom. Deylingi, de eodem argumento. *Obſ.* t. 3. o. 20.

Mich. Becti Rabbinorum Templum tertium fictum. Agg. 2. 7. ibid.

Jo. Hulſemanni, Vit. Germen. Zach 6. 9. ibid.

Joan. Andr. Quenſted, de eodem; ibid.

Joan. Friſchmuth, de Meſſia Rege Sionis; ibid.

Gotlieb Feſtein de lacu, in quo non eſt aqua, Diſſert. duæ, ad Zach. 9. 2.

Salom. Deyling. in Zach. 14. 4. de Aſcenſione Chriſti e monte Olivarum. *Obſer.* t. 3. t. 22.

Jo. Friſchmuth, de triginta argenteis ad Zac. 11. 12. 13. Idem de Meſſia confixo. Zach. 12. 10.

Gebh. Salemanni, de eodem.

Joan. Friſchmuth, de Angelo fœderis. Malac. 3. 1.

Deylingi in Malach. 3. 16. *Obſerv.* t. 3. t. 23.

Joan. Friſchmuth, de Eliæ adventu. Malac. 4. 5. 6.

Deylingi, in Malac. 4. 2. Qui locus Chriſto aſſeritur t. 3. *Obſerv. ſacr.* t. 24.

[Unica tantum, & non triplici ut nos male, Diſſertatione exercuit ſeſe *Calovius* in Oſee, prodiitque cum aliis ejus in Jeremiam.

Quam ſcripſit *Joannes Steuberus*, Germanus; natus Elſpergii, prodiit ſeorſum Marpurgi an. 1634. *in 4.* Immortuus eſt in Lutheraniſmo an. 1643. vel 1642.

Helvici Vuillemer Lucubratio in cap. 11. 7. prodiit Wittembergæ an. 1680. *in 4.* & in Diſſ. Philologg.

Diſputatio *Martini Lipenii* inſcribitur: *Diaplus Thalaſſius*; *ibid.* & Wittembergæ an. 1658. Adjecit tres alias Diſputationes: *ibid.* 1687. *in 4.* & in eodem Theſauro t. 2.

Diſputatio *Chriſtiani Vveidlingii*, Germano-Lutherani & Juriſconſulti, edita eſt *ibidem*; & prodierat jam Lipſiæ an. 1684. *in 4.*

Danielis Pfeiffengeri geminæ ſunt Diſſertationes in Aggæum. Vide in Epiſtolam ad Titum.

Diſſertationes *Joannis Friſchmuth*, quas recenſuimus, in Aggæum & in Zachariam, prodierunt Jenæ an. 1669. *in 4.* 1668. 1672. 1678. 4. vol. *in 4.* quas vero adornavit in Malachiam, *ibid.* 1660. 1662. 2. vol. *in 4.*

Michaelis Boc datæ ſunt Wittembergæ an. 1677. *in 4.* & in Diſſ. Philologg. tom. 2.

Diſputationem *Gotlieb Feſtein*, Germano-Miſnienſis, Lutherani, Profeſſoris Linguarum Orientalium Stetini, legas excuſam Wittembergæ an. 1681. *in 4.* & in eodem Theſauro tom. 1.

Jacobus Fridericus Reimmanus diſſeruit de valle Joſaphat, de qua in Joele, atque Oraculum illud jam impletum demonſtrat; Bibliot. Philolog. tom. 6. p. 312.

AUTHORES ADDENDI IN PROPHETAS.

DAvid *Holzhbad*, Tigurinus, natus an. 1677. & Miniſter S. Evangelii ab an. 1697. ac Profeſſor ab an. 1702. uſque ad 1716. edidit Diſputationem in Ezechielis 20. 25. *de ſtatutis non bonis*; & alias in alios Textus Scripturæ; excuſas Lugduni Batavorum an. 1714. & recenſitas in Biblioth. Philog. tom. 2. p. 570.

Hieronymus Simeon Van-Alphen, natus in Hanovia an. 1666. renunciatuſque Profeſſor Amſtelodamenſis an. 1715. Commentario illuſtravit Caput nonum Danielis, ubi de ſeptuaginta ſeptimanis, & annis everſionis Babylonicæ; Belgice, Amſtelodami 1706. *in 4.*

Huic Operi additamenta quædam dedit in formam Diſſerta-

tio-

Digitized by Google

tationum, quibus difficultates illuſtrat Chronologiæ ſacræ utriuſque Teſtamenti. De hoc viro iterum in Epiſtolas ad Corinthios.

Bernardus Petrus Karll edita Diſſertatione expoſuit quo ſenſu accipienda eſt viſio Danielis de quatuor beſtiis, refutatque interpretationem de quatuor Monarchiis & maxime Cyri. Legitur in Biblioth. Philolog. tom. 3. p. 844. Diſtribuitur in articulus 33. Edidit & Diſſertationem in Coloſſum, de quo ibi cap. 2. *ibid.* tom. 5. p. 66. 109.

Petrus Zornius illuſtravit Decretum Vigilum, de quo Dan. 4. 14. *ibid.* tom. 3. p. 443. 450.

Carolus Maria de Veil expoſuit Joelem Prophetam adhibita Scriptura; Pariſiis 1676. *in* 12.

Porro vir ille illuſtravit optimis pluribus Animadverſionibus ſenſum literalem; Animadverſionibus, inquam, deductis o Patribus, Interpretibus, & moribus ac phraſibus vernaculis Hebræorum, quæ omnia ipſe norat intime.

Vir eutem fuit deſultorii in Religione ingenii; è Judæo enim Metenſi, perſuadente D. Boſſuet, tranſiit ad Catholicos, ac profeſſus eſt apud Patres S. Genovefæ, quos deſeruit ut Parochum ageret in Diœceſi Senonenſi. Tum ejurata fide, Anglicanam religionem amplexus eſt, egitque Miniſtrum Anabaptiſtarum. Obiit tandem nullius ferme Religionis ineunte ſæculo 18. De aliis ejus commentariis nos in Novum Teſtamentum.]

COMMENTARIA IN DUOS LIBROS MACHABÆORUM.

RAbanus Maurus, ut ipſe de ſe, opus Ludovico Pio Imperatori nuncupans, profitetur, hiſtoricum, & allegoricum horum Librorum ſenſum proſecutus eſt.

Nicolaus Serrarius, *Strigelius*, *Albertus Gentilis*, in eoſdem Libros ſe ſe exercuerunt.

Jacobus (Joſephus) Stephanus, Epiſcopus Orioleñſis.

Fallonius in Machabæos. Leodii 1665. *in fol.*

Johan. Petri Verhorſt, Epiſc. Arbens. Suffraganei Trevirenſis, Commentaria in Machabæorum Librum 1. Treviris 1700. *in fol.* Opus parvi momenti.

Inter præceſſantes *Badvel*, *Grotius*, *Druſius* ſimili ſcriptionum genere vulgati ſunt.

[*Victorinus Strigelius* dedit Scholia, impreſſa Lipſiæ an. 1571. ſecundũ. edit. 4. vol. *in* 8.

Notas *Badvellii*, *Druſii*, & *Alberti Gentilis* legas in Criticis Sacris tom. 5. primæ Edit. in calce. Duorum poſtremorum habes impreſſas ſeorſum Franekeræ an. 1600. *in* 4. & Hannoveriæ an. 1604. *in* 8. Viri erant omnes præſtantes.

Ingens Commentarius *Joannis Erardi Fallonis*, Leodienſis, Jeſuitæ, in primum Librum implet tria volumina in folio, excuſa Leodii an. 1660. 1664. obiit an. 1658.

Joſephus, & non Jacobus *Stephanus*, exponit tantum quatuor priora capita Libri primi unico volumine *in* 4. Valentiæ an. 1616 inſcribiturque opus: *De bello ſacro Religionis cauſa ſuſcepto.* Vir erat Valentinus in Hiſpania, creatus Epiſcopus Oriolanus an. 1594. Obiit an. 1604. & non 1594. uti D. Dupin. *Prior editio hujus Operis data eſt Oriolæ in Palatio Epiſcopali an. 1603. cui acceſſit & Diſputatio de unica Religione. An vero altera Editio adornata ſit, ignoro*

Jo. Petrus de Verhorſt ita Commentarium ſuum literalem & myſticum inſcripſit; *Sacra militiæ typus & hiſtoria.* Præfixit Operi Prolegomena quædam non inutilia. Epiſcopum egit Arbe in Dalmatia, florebatque ineunte ſæculo 18.]

DISSERTATIONES IN MACHABÆOS.

A*Lberici Gentilis* ad 1. Mach. Diſputatio.

Diſſertationes de Monetis Hebræorum ad illud 1. Mach. 15. 6. *Permiſit tibi facere percuſſuram proprii numiſmatis.*

Collectio Diſſertationum Criticarum. Pariſiis apud Petrum Witte 1715. *in* 4. Gallice.

Morini Exercitat. Samariticæ, *in* 4.

Item *Salomonis Deylingii*, de Re nummaria Veterum Hebræorum. Lipſiæ, apud Frider. Lanckeſium 1715. *Obſerv.* t. 3. c. 25.

Joh. Druſii Tractatus de Haſidæis. *In Magnis Crit.* *tom.* 6.

Calmet Diſſertatio de cognatione Judæorum cum Spartiatis.

Huetii Demonſtratio Evangel. propoſ. 4. de eodem argumento.

Stephani Morini Diſſertatio de eodem argumento, p. 87. inter Diſſertationes 8 Dordraci editas an. 1700 *in* 8.

In tertium, & quartum Machabæorum vide noſtram Diſſert. in primo tomo Machabæorum.

[Quod attinet ad Diſſertationes ſatis accurate illas recenſuimus: addemus hic Stephanum Morinum dediſſe jam ſuas Genevæ an. 1683. cum cæteris Diſſertationibus ſuis *in* 8. De illo iterum ad S. Matthæum.

BIBLIOTHECÆ SACRÆ
PARS SECUNDA,

Ea continet, quæ data ſunt in novum Teſtamentum.

[UT melior ordo alteri huic parti tradatur, quam quo digeſta eſt noſtra Bibliotheca Sacra, exordium ab iis ducemus, qui ſcripſerunt Concordantias vel Harmonias & Commentarios in quatuor Evangelia; tum de ſingulis Evangeliis ſeorſum diſſeremus.

CONCORDIÆ, ET HARMONIÆ QUATUOR EVANGELIORUM.

EUſebius *hiſt. Eccleſ. l.* 4. *c.* 29. S. Epiphanius *hæreſ.* 46 *n.* 1. & Theodoretus hæret. fabul. l. 1. c. 20. Concordiæ cujuſdam meminerunt, a Tatiano hæretico primorum ſæculorum adornatæ. In eo opere unus ex quatuor Evangeliſtis textus compoſitus eſt, in quo tamen de induſtria ab hæretico omiſſæ ſunt genealogiæ Salvatoris per Matthæum & S. Lucam; quippe qui Jeſum Chriſtum nunquam vere naturam humanam aſſumpſiſſe ſentiret. Narrat Theodoretus, ſe ultra 200. exemplaria ejuſdem Evangelii in Eccleſiis ſuæ Diœceſis deprehendiſſe; neque Orthodoxos ipſos ab illis abſtinuiſſe, cum breviſſimo opere delectarentur, ille tamen pernicioſo opere ſuppreſſo, librum vulgatem quatuor Evangeliorum ſubſtituit.

Victor Capuanus, ſcriptor ſexti ſæculi, nactus Harmoniam quatuor Evangeliorum, ſive librum Evangelii ex quatuor in unicum textum, concinnatis, ratuſque ipſiſſimum eſſe Tatiani opus, Latine verſum ſub ejus nomine vulgavit: Opus illud noſtra etiam ætate ſupereſt; ac in Bibliothecis PP. & in Orthodoxographis impreſſum eſt. Sed Genealogia J. C. ad cap 5. ejuſdem operis occurrens, alterius eſſe a Tatiano Authoris convincit. Sunt qui Ammonio Alexandrino, de quo ſtatim, attribuant.

Ammonius Alexandrinus ſcripſit Harmoniam Evan-

Diction. Bibl.

Digitized by Google

gelicam, quam Latine ab Ottomaro Laſcinio verſam, impreſſam habemus Auguſtæ 1523. iterumque ac ſæpius recuſam in bibliothecis PP. Quamquam autem ſcriptum illud Tatiano a nonnullis tribuitur, cum tamen Genealogias J. C. exhibeat, ideo alterius eſſe Authoris conſtat; incertum tamen, Ammonii.

Theophilus Antiochenus ſimile opus in Evangelia compoſuit, juxta S. Hieronymi teſtimonium *Ad Algaſiam Ep. 151. Theophilus, Antiochenæ Eccleſiæ ſeptimus poſt Petrum Apoſtolum Epiſcopus, quatuor Evangeliſtarum in unum opus dicta compingens, ingenii ſui nobis monumenta reliquit*. Noſtra tamen ætate opus intercidit. Non deſunt tamen, qui credant, Tatiani Harmoniam, pro Theophili Antiocheni opera S. Hieronymum imprudenter laudaſſe.

Euſebius Cæſarienſis opus dictavit de Evangeliſtarum Diaphonia. Hodie tamen ejus authoris ſoli extant *Canones* ſive *Regulæ Evangelicæ*, in decem Columnas diſtributæ, ut uno oculorum intuitu ſtatim loca illa diſpiciantur, in quibus ſive Evangeliſtæ inter ſe conveniunt, ſive diſſident. Canones iſti in pluribus Mſſ. ſicut & in variis editionibus Græcis, atque Latinis occurrunt. Cum tamen Capitum, quæ Euſebius notavit, varia ſit a Capitibus noſtrorum Bibliorum ratio, factum inde, ut Canones iſti nullius ferme ſint apud nos uſus.

Opus S. Auguſtini *de conſenſu Evangeliſtarum* genus quoddam eſt Harmoniæ quatuor Evangeliorum, ſed fuſioris atque diſcuſſæ; cum alioqui Tatiani opus ex ipſis Evangeliſtarum verbis una eademque narrationis ſerie contextum eſſet.

Juvencus Presbyter In ſua metaphraſi Poetica, Evangelii loca, & verba Evangeliſtarum conciliavit.

Guidus de Perpignano, Ludolphus Saxo, Petrus Lombardus, Joannes Gerſon, Petrus Comeſtor, Simon de Caſſia, Joannes Huo, aliique nonnulli, ſimiles Harmonias concinnarunt; ſed illæ omnes ſæculi ruditatem, atque ingratum in hiſce rebus ſaporem referunt.

Zachariæ Epiſc. Chryſopolitani Concordiæ Evangeliſtarum. fol. Baſileæ 1535.

Sebaſtianus Barradius Comment. in Concordiam Evangelicam vulgavit 4. vol. *in fol.*

Arnaldus author fertur Concordiæ Evangelicæ, Pariſiis impreſſæ 1653. *in* 8. Opus conciſum eſt & laudatiſſimum.

Cornelius Janſenius, Epiſc. Gandavenſis, Comment. in Concordiam Evangelicam dedit *in fol.* Lugduni 1571. & 1591. 1594.

P. Lamy, Oratorii, Harmoniam quatuor Evangeliorum typis mandavit in 12. 1689. Pariſiis; cui deinde Commentarium cum Apparatu Geographico & Chronologico junxit *in* 4. 1699.

D. Paulus Pezron, Ordinis Ciſtercienſis, ſcripſit Hiſtoriam Evangelicam, Judæorum & Romanorum hiſtoriis illuſtratam. Pariſiis 1690. *in* 12.

Joan. Ligtfooti Harmonia celebratur. Extat inter ejus opera.

Joan. Clericus ſimilem Harmoniam Typis mandavit, Amſtelodami 1699. fol. in qua integrum Textum Græcum cum Verſione Latina & Paraphraſi a ſe adornata exhibet. Opus illud Latine tantum recuſum eſt 1700. *in* 4. & Anglice Londini 1700. *in* 4.

Toinardus plurium annorum ſpatio in Harmoniam Evangelicam laboravit; perfectoque jam opere, cum adhuc ſub typis eſſet, author intercidit: cura tamen amicorum poſthumum prodiit. In eo Græcus Textus Evangeliſtarum exhibetur, cui Latina epitome juncta. Hanc Harmoniam nos potiſſimum ſecuti ſumus in altera Harmonia impreſſa ante noſtrum Commentarium in Matth.

Le Roux, Parochus Andevillæus in Diœceſi Carnotenſi, uſui commodiſſimam Harmoniam vulgavit, in duos diſtinctos tomos diſtributam, Latinum alterum, alterum Gallicum. Textus Evangeliſtarum vario literarum colore diſtincti, alii rubro, alii nigro colore notati ſunt.

Joannis Alſtii Concordia Evangelic. Lichæ 1605. *in* 8.

Chriſtophori Altehoferi Jenæ 1653. & 1658. *in* 4.

Maditationes in Hiſtoriam & Concordiam Evangelicam, Bruxel. 2. Vol. 1672. *in* 12. Gallice.

Harmonia in Bibliotheca Uſſerii reperta, & ex Anglico Germanice reddita. Francofurt. 1672 *in* 8.

Joannis Avenarii Concord. Evang. Baſileæ 1588. *in* 12.

P. Benjamini Beauport, Franciſcani, Concordia Evangelica.

Thomæ Beauxamis, Carmelitæ Commentar. in Concord. Evangel. Pariſ. 1590. 2. Vol.

Cæſaris Becilli, Urbinatis, Connexio Evangeliorum, &c. Rom. 1623. & Pariſ. 1631. & 1651. *in* 12.

Joan. Bircherodi Series Chronologica annorum J. C. Hafniæ 1679. *in* 4.

Joan. Burgheſii Hiſtoria, & Harmonia Evangel. Montib. Hannon. 1644. fol.

Antonii Brokovii Concord. Belgice, Dordrac. 1690. *in* 8.

Henrici Buntingii, Magdebourg. 1589. fol.

Georg. Calixti Concordia Evangeliſtarum. Halberſtad. 1624. *in* 4.

Abrah. Calovii Harmonia. Germanice. Wittemberg. 1680.

Joan Calvini Harmonia ex Matthæo, Marco, & Luca, Genev. 1555. fol.

Thom. Cartwright Harmonia Evangelica. Amſtelod. 1630. *in* 4.

Matthæi a Caſtro Epitome Concordiæ Janſenianæ. Antuerp. 1593. *in* 8.

Martini Chemnitii Harmonia Evangel. Francof. 1593. & alibi ſæpius.

Joannis Chriſtiani Speculum harmonicum præcipuarum Harmoniarum. Bernæ 1642. *in* 4.

Joa. Cluverii Harmonia Evangeliſtarum Roſtoch. 1628.

Brunonis Cognati Carthuſiani Harmonia.

Alani Copi Harmon. Lovan. 1572. Duac. 1603.

Simonis Corroyi Cæleſtin. Conſonantia Evangelica: Lugd. 1547. Antuerp. 1591.

Adriani Crommii S. J. Harmon. Lovan. 1633.

Jacobi Dunkrellii ab Eberberg Harmonia. Germanice; Luneburg. 1680. fol.

Thomæ Draxi Harmonia.

Ruperti Erythrophili Catena aurea in Harmoniam Evangelic. Magdeburg. 1604. *in* 4. & Germanice 1608. *in* 4.

Andreæ Fabri Syntagma Hiſt. Evang. harmonicum. Germanice, Ulm. 1652 *in* 4.

Henr. Gartvaithi Harmon. Evangel. Anglice. Lond. 1630 *in* 4.

Roberti Goulet. Harm. Evang. Pariſ. 1535. *in* 8.

Joan. de la Haye Hiſtoriæ Evangelicæ Diſpoſitio ipſis Evangeliſtarum verbis ordinata. Duaci 1607. *in* 4.

Pantalii Henrici. Harm. Gallice. Pariſ. 1667. *in* 4.

Cornelii Janſen. Iprenſis Tetrateuchus. Lovan. 1639. *in* 4.

Petri de Ituroſqui ſeries Evangelii. Stellæ Navarr. 1557. fol.

Eilhardi Lubini Harmonia Græco-Latino-Germanica: Roſtoch. 1616. *in* 4.

Joan. Henrici Maii Harmon. Gieſſæ 1707. *in* 4.

Gerardi Mercatoris Harmonia. Duisburgi 1592. 1603. *in* 4.

Theobaldi Meurchii Harm. Evangelic. Hanov. 1604. *in* 4.

Caroli Molinæi Collatio, & Unio Evangeliſt. Hanov. 1604. *in* 4.

Andreæ Oſiandri Harmonia, Græce & Latine, Libris 4. Baſil. 1573. fol.

Pauli de Palatio Harmon. Conſtantiæ 1605. *in* 4.

Joach. Periſnii, Benedictini Harm. Pariſ. 1553. fol.

Vincentii Regii S. J. Dilucidatio Concordiæ & Hiſtoriæ Evangel. libb. 8. Colon. 1615. fol.

Joan. Richardſon Harmonia exhibita ab Uſſerio, ad calcem Annal. V. T.

Joan. Roberti S. J. Sancta Evangelia hiſtoriarum, & temporum ſerie vinculata. Græce & Latine. Mogunt. 1615 fol.

Franc. de Roxas Commentaria in Concordiam Evangel. Madriti 1621. fol.

Ben-

Dan. Sachſii Concord. Evangel. tribus Volum. Germanice., Francofurti 1611. 1618. 1642. fol.

Caſp. Herman. Saudhagen. Harmon. Evangel. Germanice. Luneb. 1684. *in 8.*

Juſt. Georgii Schotteli Harm. Evangel. Brunſvic. Germanice 1675. *in 8.*

Nicolai Selnecceri Explicationes Harmoniæ Evang. Lipſ. 1604. *in 8.*

Gaſpar Serrano, Luſitani Compendium Concord. Evang. Janſen. Gaudav. Colon. 1593. *in 8.*

Georgii Sigelii Hiſtoria J.C. Norimb. 1585. fol.

Roberti Stephani Harmon. Evang. Pariſ. 1553. fol.

Salomon. Vantill. Harmonia Evangel. Dordrac. Belgice 1687. *in 4.*

Joan. Mariæ Verrati, Carmelitæ, Concord. Evangel. Venetiis 1571.

Abraham Covet de Vivier, Hiſtoria Evangel. Hagæ Comit. 1705. *in 4.* Gallice.

Ger. Joan. Voſſ. Harmoniæ Evangel. Libb. 3. Amſtelod. 1618. in 4.

Philippi Ziegler Concordia Evangelica. Francofurti, Germanice, an. 1650. fol.

Frequentiſſimos Concordiarum, ſive Harmoniarum Evangelii Scriptores recitat Fabricius in Bibliotheca Græca, *T. 3. l. 4. c. 5. pag. 215. &c.* & P. le Long, Oratorii, in Biblioth. *Sacr. to. 2. pag 312. uſque ad 325.*

[CONCORDIÆ VEL HARMONIÆ A CATHOLICIS ET PROTESTANTIBUS DATÆ.

PRimam & celebratiſſimam Concordiam, cujus auctor non ſatis exploratus eſt, dedit Othomarus vel Omarus Luſcinus; proditque Auguſtæ Vindelicorum an. 1523. *in 4.* Moguntiæ an. 1524. *in 8.* Coloniæ an. 1532. recenſente Gaſparo Bruſch; Erfordii an. 1544. Gallice vero Lugduni an. 1586. *in 8.* in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi tom. 3. p. 266.

Paraphraſis eſt potius vel ſynopſis quatuor Evangeliorum, quam Concordia, juxta D. Valeſium in Notis ad Euſebium p. 84. & Latine ſcripta eſt a genuino quodam Catholico. Carolus Dumoulin in Præfatione Concordiæ ſuæ notat illam hac cenſura: *Quiſquis eam elaboraverit, parum utiliter majorique labore quam felicitate.*

Si *Zacharias Chryſopolitanus* dedit concordiam quatuor Evangeliorum, uti ante nos aſſeruit Andreas Oſiander in Præfatione ad Harmoniam ſuam; Commentarius eſt illa potius in præcedentem concordiam quatuor Libris digeſtus, cum tribus Præfationibus in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi tom. 19. p. 738. Colonienſi tom. 12. Manuſcriptum ejus in Bibliotheca S. Dionyſii vidiſſe Petrum Pithœum teſtatur Labbe de Scriptoribus Eccleſiaſ. tom. 2. p. 506.

Albericus Monachus Ciſtercienſis in ſuo Chronico ad an. 1157. ſcribit, Præmonſtratenſem fuiſſe Monachum, ex Cœnobio S. Martini Laudunenſis, nec Epiſcopi unquam titulum illum donat. De hac ejus dignitate & tempore, quo vixerit, incerta ſunt omnia. P. le Long componit illum eum an. 1557. & Goldsborong appellat.

Decem Canones *Euſebii* Græce adſcripti in editionibus Regiis Græcis Novi Teſtamenti Roberti Stephani; Pariſiis anno 1550 *in fol.* una cum ejus Epiſtola ad Carpathium; nec unquam legas in Bibliotheca Patrum, quamquam id notat P. le Long. Sunt ibi tantum Euſebii Opuſcula tom. 4. p. 2.

Conſenſus Evangeliſtarum *S. Auguſtini* legitur in tom. 3. p. 2. p. 1. nov. edit. Hunc autem pluribus laboribus partum opus appellat idem Vir ſanctus tract. 112. in Joannem *laborioſas literas*; & in tr. 117. *Res operoſiſſime diſputatas*. Videſis quæ de illo P. Simon in Hiſt. crit. N. T. c. 18. p. 240.

Metaphraſis *Juvenci* prodiit primo Pariſiis *in 4.* tum Lipſiæ an. 1515. in fol. poſtremo ibidem 1710. *in 8.* cum Notis Variorum, curante Erhardo Reuchio. Legitur & in Bibliotheca Pp. Lugdunenſium tom. 4. p. 55.

Si Monoteſſaron *Joannis Gerſonis* recenſuimus inter concordantias depravati guſtus, par eſt utique, ut hic injuriam ejus reparemus ingenua confeſſione utilitatis ipſius, quippe qua continuata hiſtoria e quatuor Evangeliis texeatur, quod Authori ſtetiſſe plurimum laboris reputandum eſt.

Deſlian. Bibl.

Legitur operum ipſius tom. 4. novæ edit. pag. 83. & ſeorſum excuſa Coloniæ an. 1546. *in 8.*

Concordia *Barradii*, Jeſuitæ, Ulyſſiponenſis, cum ejus Commentario excuſa eſt ſæpius; poſtremo omnium Antuerpiæ an. 1622. *in fol.* De præſtantiori ejus opere jam egimus ſupra; Commentarius enim ejus moralis eſt prorſus, nec niſi concionatoribus utilis. Inter Jeſuitas dedit nomen an. 1558. obiitque an. 1615 ætatis 65. omnia ejus opera excuſa ſunt Coloniæ an. 1624. 4. vol. *in fol.*

Concordia *D. Arnaldi* recuſa eſt poſt ejus obitum in magnis Bibliis Bronceardi Leodienſis tom. 4. Latine & Gallice, cum Notis doctis utilibuſque.

Poſtrema editio commentarii & concordiæ *Janſenii* Epiſcopi Gandavenſis eſt an. 1684. 2. vol. In Præfatione ſua profitetur inhærere ſe ſenſui literali & myſtico a Patribus deducto; nec vane ille quidem. In concordia adſcribit primum ſingulorum Evangeliſtarum peculiaria; tum quidquid eſt commune inter ipſos, ſecto ad marginem quidquid abundat vel ſuperfluit.

Concordiæ *P. Lamy* Oratorii una cum Commentario poſtrema editio eſt an. 1705. 2. vol. *in 4.* non una Appendice vel Diſſertatione augetur probantibus unam eſſe tantum Magdalenam. Accedunt Paralipomena rerum omiſſarum, vel quæ majori expoſitione indigent, cum catalogo eorum, qui ſcripſerunt in Evangelia in calce tomi primi.

Duces ſequitur potiſſimum S. Matthæum & S. Joannem, quippe qui eſſent Apoſtoli, adeoque & viderint & audierint per ſe quæcumque de Chriſto referunt. Commentarius plane literalis eſt & criticus, ita Latinum Græcumque Textum exponens, ut Grammaticas tricas evitet; modo præfert paraphraſim, modo analyſim. Illuſtrant omnia prolixæ & doctæ adnotationes; ſtilus eſt perſpicuus, uniformis, amœnus. Vir erat Cenomanenſis, Sacerdos Oratorii; Philoſophiam & Theologiam in variis Congregationis ſuæ collegiis docuit; amœniores literas ita coluit, ut omnes ferme ſcientias percurreret. Obiit an. 1715. Vir comitate & modeſtia inſignis.

Hiſtoria Evangelica *P. Pezron* duo implens Volumina, deſcriptam fert vitam J. Chriſti ordine Chronologico. Habes hic expoſitam fidam primorum Eccleſiæ Patrum; critico ſale condiuntur omnia, & obſcuriſſima quæque loca affuſa luce illuſtrantur. Natus Hennebon in Aremorica an. 1639. Ordinem Ciſtercienſem profeſſus eſt an. 1660. & abbatia Carnojenſi decoratus an. 1697. eam a ſe dignitatem abdicavit an. 1703. obiitque tandem an. 1706. ætatis 67. Vir eruditione inſignis, qui in excutiendis profanæ Hiſtoriæ monumentis graviter ſeſe exercuerat.

Harmonia *Joannis Ligfooti* paruit primo Anglice Londini an. 1655. *in fol.* tum Latine Roterodami an. 1686. in tom. 1. Operum ipſius. De hoc viro nos alibi.

In tres diſtributa partes ultra ſecundum Paſcha non excurrit. Illud tantum præfert ſingulare, quod N. Teſtamenti cum Veteri connexionem demonſtrat, & ardua quæque plane ſubmovet. Ejus lectionem iis commendat D. Mabillon, qui Sacrarum Scripturarum ſtudium ſeduſum & accuratum aggrediuntur.

Joannes Clericus in ſua Bibliotheca ſelecta to. 8. pag. 455. de ſe affirmat plurium annorum labore adornaſſe Græcam Harmoniam. Cave tibi ab ejus paraphraſi, *latet enim anguis in herba*, ſubinde enim Socinianiſmum interſerit. Promiſerat etiam Notas, de quibus in Ephemeridibus Trevoltianis an. 1702. par. 1. pag. 157. Latine tantum excuſa eſt & Anglice Francofurti an. 1700. in 4. Accedunt Diſſertationes plures in annos J. Chriſti, in Concordiam & authoritatem Evangeliſtarum. Eſt autem hæc portio operum ipſius ſelectiſſima. De illo nos ſupra.

Concordia Græco-Latina *D. Toinardi*, edita eſt Pariſiis apud Cramoiſy an. 1707. *in fol.* & 1709. in carta majori. Carolus Cato de Court Notas elaboravit, & D. Fleuri Canonicus Carnutenſis operam impendit ſuam in Prolegomenis, uti docet D. Liron in ſua Bibliotheca Carnutenſi pag. 320.

Ephemerides Trevoltianæ an. 1709. tom. 1. pag. 59. in judicio de Opere iſto ferendo Authori favent egregie. Eſt reipſa quidem Opus exquiſiti plane ſaporis, qua in diſpoſitione, qua in animadverſionibus ſelectis, brevibus, accuratis. Natus Aureliæ vir doctus an. 1637. obiit an. 1706. amiſſi deſiderio viris Doctis, ne dicam Europa plane univerſa, lugentibus.

Concordia D. *le Beux* decem annorum labore ſtetit Authori, qui ſane præ cæteris melius in eo ſcribendi genere ſucceſſiſſe ſibi perſuadetur. Vide judicium ejus in Actis Lipſienſibus ad an. 1700. p. 83. Notis deſtituitur. De Opere ejuſque Authore conſule P. D. Liron in ſua Biblioth. Carnut. p. 302.

Docet Crovæus alteram vulgatam eſſe a ſe editionem Harmoniæ *Joannis Alef.* D. Dupin in ſuis Tabulis addit, jungi Operi Chronologiam; Authorem vero eſſe perhibet Catholicum *Juvavienſem*, (*Salzburg*) & non *Juvanenſem*, uti legitur apud P. le Long.

Altera data eſt editio Concordiæ *Joannis Avenarii*, Baſileæ 1588. *in* 8. Vir erat Bohemus, Lutheranus, Eloquentiæ Profeſſor in Academia Wittembergenſi, ac Doctor Theologiæ Neoburgi. Obiit an. 1590.

Benjamin Beaupors junxit Harmoniæ ſuæ Expoſitionem; Pariſiis an. 1552, 1560. *in* 8.

Beauxamis Pariſienſis, ex Parocho S. Pauli Carmelita, ſuam dedit quatuor voluminibus vel duobus comprehenſam, editam Pariſiis an. 1583. 3. vol. *ibid.* 1590. & 1593. Lugduni 2. vol. Tandem poſtremo an. 1589. an. 1650. Obiit an. 1589.

Bevillus Urbinas, Sacerdos Oratorii, florebat circa an. 1630. Id potiſſimum ſtuduit, ut brevis eſſet & non confuſus, diſtinguit autem quæcunque Evangeliſtarum ſinguli habent peculiaria, ab eo, quod commune eſt omnibus.

Jaues vel Joannes Brifhroad, alter a viro ejuſdem nominis, & a Jacobo; vir erat Dano-Lutheranus, Doctor Theologus Haphniæ. Obiit an. 1686.

Harmonia *Joannis Burgeſii*, Hannonii, Jeſuitæ, hiſtorica eſt penitus, per Tabulas & quæſtiones expoſita. Prima ejus Editio juxta Crovæum eſt Antuerpienſis an. 1622. *in* 8. cum Figuris, Meditationibus, & Aſpirationibus in Myſteria Jeſu Chriſti, quod fugit P. le Long.

Concordia *Antonii Broickev*, Broeckvvei, Broich, Bruch (ita enim varie appellatur) Belgæ Franciſcani, varie enunciatur; Monoteſſaron breviſſimum refert ſcribit Crovæus; Enarrationes in quatuor Evangelia P. le Long. Prodiit tribus variis editionibus Colonienſibus, priori *in fol.* ſecunda an. 1542. tertia an. 1550. Prodiit & Pariſiis an. 1554. *in* 8. 2. vol. Venetiis *in* 4. an. 1548. Obiit an. 1541. Doctus Theologus & Concionator inſignis juxta Svvertium. Opus eſt illud nonniſi Concionatoribus utile.

Joannes Bugenhagen ſcripſit Harmoniam de Paſſione tantum & gloria Jeſu Chriſti, quam inter cætera ejus Opera præterit Crovæus.

Florentii, ſeu potius *Laurentii de Bruin*, Belgæ-Calviniſtæ, Miniſtri, circa an. 1690. ultra primum Paſcha, de quo S. Joannes, non excurrit.

Harmonia *Henrici Buntingii* Germano-Lutherani, & Miniſtri in Ducatu Brunſuicenſi, prodiit Magdeburgi, Germanice, an. 1589. & 1594. ac Latine an. 1598. *ibid.* Suevice vero Ulmæ an. 1617. *in fol.* Vir erat ingenio valens & ſtudio. Opus iſtud fugit Crovæum.

Harmonia *Georgii Calixti* Opus eſt non illius quidem, ſed ignoti alterius, qui ex ejus lectionibus exceptum ſub ejus nomine vulgavit. Editum eſt poſtremo Helmſtadii an. 1664. e edit.

Joannes Calvinus Commentario ſuo junxit concordiam, in qua omittendum S. Joannem ideo cenſuit, quod rara fert aliis communia. Merito autem id damnat Carolus Dumoulin in Præfatione ad ſuam concordiam, quam legas, ſicut & nos etiam alibi.

Abrahamus Calovius Commentario ſuo pariter Harmoniam præfixit. Wittembergenſis Editio Germanica eſt *in* 8. Legitur etiam in Bibliis Latinis 4. vol. *in fol.* Lipſiæ an. 1719. altera Editio.

Thomas Cartvvigth ditavit Harmoniam Commentario analytico, metaphraſtico & practico, excuſo Anglice Londini 1650. *in* 4. De utroque hoc viro egimus in V. Teſtamentum.

Tertia poſtrema Editio Concordiæ Janſenii Gandavenſis in Epitomen redactæ a *Matthæo Caſtrenſi* eſt Lugdunenſis 1681. *in* 4. Vir natus Lillæ in Belgio inter Canonicos Regulares S. Auguſtini egit Abbatem. Obiit an. 1597.

Concordiæ *Martini Chemnitii* laborarunt plures. Ille Opus exorſus eſt. Polycarpus Lyſerus proſequutus uſque ad cap. 52. Joannes Gerhardus abſolvit. Frequentiſſimæ hujus adornatæ ſunt Editiones trium Authorum nomine præfixo; Græce & Latine datum eſt ab Eraſmo. Poſtremo omnium paruit Hamburgi an. 1704. 3. vol. *in fol.* Excuſa eſt etiam ejus epitome, Wittembergæ an. 1594. *in* 4. Dedit pariter genere quodam Concordiæ hiſtoriam Paſſionis juxta quatuor Evangeliſtas, Germanice Francofurt. 1595. *in* 8. Vir Germano-Brulvicenſis, Lutheranus, obiit an. 1586.

Speculum Harmonicum *Joannis Chriſtiani*, Germano-Calviniſtæ Analyſis eſt ſynoptica quatuor Evangeliorum, Germanice, altera Editio, Bremæ an. 1643. *in* 4.

Harmonia *Joannis Clovesii*, Germano-Lutherani, & Miniſtri Generalis Ditmari ſupputatio eſt Chronologica juxta tria Paſchata & itinera Jeſu Chriſti. Tertia editione data eſt Hamburgi an. 1701. Obiit an. 1633.

Alani Copi Harmonia Opus eſt *in* 4 in editione Lovanienſi & Duacenſi. Refert autem hiſtoriam vitæ Jeſu Chriſti ſecundum annorum ordinem diſtributam, & exſcriptam e quatuor Evangeliſtis. Inhæret tamen Author methodo Janſenii, diſtribuitque Opus ſuum in quatuor columnas. Ejus nominia plures ſunt viri, ſed ille, cujus modo, Anglo erat Londinienſis, Canonicus Vaticani circa an. 1560. Obiit an. 1568. vel 1580.

Harmonia *de Corroy* tertio paruit Antuerpiæ an. 1591. *in* 16. Inſcribitur: *Pandecta novæ Legis*; id eſt Codex omnia continuata ſucceſſione referens, juxta annorum & rerum ſeriem, quæ ab Evangeliſtis narrantur. Cæleſtinus erat, Bellovacenſis, defunctus an. 1569.

Adriani Crommii, Belga-Jeſuitæ, Græce, Hebraice, & Arabice docti, Harmonia penitus hiſtorica Lugdunenſi editione refert volumen unum *in* 4. Obiit an. 1651.

Jacobus Dankvellus, Germano Luneburgenſis, Lutheranus, non Harmoniam e quatuor Evangeliis meram adornavit, ſed Concordiam veteris novique Teſtamenti, quæ & prodiit an. 1688. Obiit an. 1704.

Thomas Drax Anglo-Verovicenſis, Harmoniæ in tres priores Evangeliſtas junxit Commentarium in S. Joannem. Prodiit Genevæ *fol.* quo anno, nemine docente, ignoramus. Nihil de illa Crovæus, quamquam meminit Operis ejus in S. Paulum. Hunc ſibi præfixit ſcopum, ut Harmoniam ſuam opponeret Calvinianæ. Immortuus eſt in Calviniſmo an. 1616.

Catenæ *Roberti Erytropili* prior tantum tomus prodiit, exhibens vitam Jeſu Chriſti ab ortu uſque ad annum 30. ætatis. Defectum ſupplevit Commentatio methodica in hiſtoriam Paſſionis; prodiit Magdeburgi an. 1647. *in* 8. Vir erat Germano-Lutheranus & Miniſter Hannoveriæ.

Andreas Faber, cujus nos recenſuimus Harmoniam, vir erat Germano-Lutheranus, florens an. 1652. Editionem Operis adſcribit P. le Long an. 1642. & non 1652. uti nos.

Altera paruit Editio *Henrici Garthvvaith* Angli an. 1657. *in* 4. Anglica uti prior. Florebat an. 1630.

Robertus Goulet, cujus eſt Harmonia quatuor Evangelia in unum conſtans, Doctor erat Theologus Pariſiis circa an. 1535. Ejus Editio mendoſe apud P. le Long adſcribitur an. 1635. pro an. 1535.

Joannis Haii, vel de la Haie, alterius ab illo, qui dedit *Biblia magna & maxima*, Harmonia ſecundo excuſa eſt Duaci an. 1609. *in fol.* & tertio an. 1615. cum Apparatu Evangelii. Id ſibi propoſuit, ut Textus Evangeliorum inter ſe non confunderet, ſed referret ſeorſum ea, quæ a ſingulis Evangeliſtis, nihil addens vel mutans.

Natus in Hannonia, Jeſuitis dedit nomen an. ætatis 25. obiitque an. 1614. ætatis 73. Sunt tamen qui Harmoniam hanc tribuant Joanni de la Haie Franciſcano, quem proinde dictaſſe Opus neceſſe eſſet ætatis anno 13. natus eſt enim an. 1593. proditque Harmonia an. 1607. Vetuſtiori igitur Scriptori tribuenda eſt.

Porthaſius Henrion Harmoniam ſuam primo Latinam vulgaverat Pariſiis an. 1660. *in* 4. & 1665. *in* 12. Dein Gallicis literis traditam edidit *ibid.* an. 1667. *in* 4. Adjecit notas Literales & morales. Opus autem diviſit in tot partes, quot ſunt in Apocalypſi ſigilla, id eſt ſeptem, totidemque in capita quot ſunt Pſalmi, i. e. 150. quæ idea eſt Operis plane ſingularis. Obiit vir Gallus & Recollectus an. 1688.

Tetrateuchus *Janſenii* Yprenſis non Harmonia eſt potius, quam Commentarius, ea ponit enim continuata ſerie quatuor Evangeliſtas. Adjecit tamen in calce Operis hiſtoriam Chronologicam vitæ Jeſu Chriſti, quæ perinde

habe-

Digitized by Google

haberetur ac concordia brevior quidem, ſed & commodior cæteris. Lovanienſis editio cæteras præceſſit, ſecunda eſt alia Pariſienſ. an.1667. in 4.

Commentarium æſtimatione ſua dignantur viri docti, quod brevis ſit, & naturali expoſitione illuſtret Scripturam, aut & juſto delectu ſeligat Textus SS. Patrum. Sed D. Simon in Hiſtoria critica N. T. c. 49. pag. 664. reprehendendum alicubi cenſet.

Petrus Irurosqui, cujus recenſuimus Harmoniam, natus in Regno Navarræ, Monachum induit Dominicanum, florebatque an. 1597. quo Doctor facultatis Theologicæ Pariſienſis renunciatus eſt. Studio tanta animi vehementia addixit ſeſe, ut oculorum uſum perderet, antequam e vita decederet. Ireſcum appellat Crovæus.

Poſtrema editio Harmoniæ Græcæ, Latinæ, & Germanicæ *Lubini* eſt Roſtochienſis an. 1640. in 4. Prima, quam adnotavimus, data eſt, non an. 1616. ſed an. 1609. ſecunda enim Amſtelodamenſis prodiit an. 1614. tertia Francofurtenſis 1615. Latine etiam, & Græce excuſa eſt Roſtochii an. 1626. in 4.

Oldemburgo in Germania oriundus juxta Baillet, & P. le Long; vel Werſteſtede juxta D. Dupin natus eſt in Ambronibus (*Ammerlande*) an. 1565. profeſſus Roſtochii; obiitque an. 1621. Viri judicium, & ingenium litteralia ejus opera produnt.

Harmonia *Jo. Henrici Majus*, Germano-Suevi, Lutherani, & Profeſſoris Gieſſen, nati an. 1655. denati an. 1719. ætatis 64. ea omnia complectitur, quæ Jeſus Chriſtus & dixit, & fecit adufque poſtremum illud Paſcha, quo in Crucem actus fuit. In partes diſtincta quinque ita diſponitur, ut unum veluti Evangelium ex quatuor referat; addita perpetua paraphraſi, exponente veritatem dogmatum ac regulas pietatis, ait idem de ſe Author. Continet pag. 1252. Plurimo ieſpergitur Lutheraniſmo, ac ſtyli diffuſi tanta eſt moroſitas, ut harmoniam, quam exhibere oculis ſpondet, Evangeliſtarum, via ſentiant Lectores. Ejus vita, & operum catalogus exhibetur in Bibliot. Philol. tom. 5. pag. 498. 508.

Gerardus Mercator, Ruremondanus, natus an. 1512. Mathematicas didicit Lovanii. Illud ſibi in Harmonia ſua propoſuit, ut Dumoulini Harmoniam oppugnaret. Obiit an. 1594. ætatis 82.

Theobaldus Menſch, & non *Menrch*, uti male in noſtra Bibliotheca ſacra, Germano-Lutheranus, & Miniſter erat Altorfii circa an. 1612. Calviniſtis illum accenſet Crovæus, quem & adornaſſe dicit chronologiam V. T. editam Spiræ an. 1612. in 4.

Caroli Dumoulin Concordia recuſa eſt in magna collectione operum ipſius Pariſ. an. 1681. tomo 5. pag. 430 Junxit non inanes notas, inhæretque methodo Calvini, hoc tamen ſervato diſcrimine, ut Evangelium S. Joan. non omittat. Singulis Evangeliſtis ſua eſt diſcreta columna, ut commode unus ſine altero legatur.

Natus eſt Pariſ. an. 1500. Poſt priora ſtudia Aureliam ſe contulit, tum Pictavium ubi Juri operam dedit. Advocatum Parlamenti Pariſienſis egit ab an. 1522. conjugem adſcivit an. 1538. ad Lutheranos defecit an. 1542. quod in ejus caput mala illa omnia provocavit, quibus oppreſſus interiit an. 1576. Vitam tamen clauſit in ſinu Eccleſiæ catholicæ, ac ſepulturæ mandatus eſt in Eccleſia S. Andreæ *des Arcs*. Vir erat Juris conſultiſſimus, quo ſcribendi genere excelluit.

Concordia *Andreæ Oſiandri* Latine primum edita eſt an. 1537. & 1540. Antuerpiæ *in* 8. tum Germanice Francofurti 1545. *in* 8. Tandem Latine, & Græce Baſileæ an. 1561. *in fol.* altera editio Frobeniana. In quatuor diſtribuitur libros, ſed ſtudens confuſionem, cui plerumque obnoxiæ ſunt Harmoniæ cæteræ, evitare, in alteram recidit; vix enim memoria retinentur omnes illæ compendiariæ notæ, quibus uſus eſt ad diſtinguendos Textus ſingulorum Evangeliſtarum. Ejus tamen hoc opus, quod laboris ſtetit plurimum, exiſtimat maximi Dumoulin. De illo nos in Vetus Teſtamentum.

Paulus de Palacio, vel *Salazar* nullam digeſſit Harmoniam, vel ullam ejus recenſet Nicolaus Antonius. Scripſit tantum enarrationes in S. Matthæum, impreſſas Conimbricæ 2. vol. *in fol.* an. 1564. De illo nos in Eccleſiaſticum.

Joachimus Perionius, non Periſtnius uti male in noſtris impreſſis, non Harmoniam quidem dedit, ſed vitam Jeſu Chriſti, SS. Virginis, SS. Jo: Baptiſtæ, & Apoſtolorum; Coloniæ 1572. *in* 12. altera editio. Quam recenſuimus, Pariſienſis volumen eſt *in* 8. & non *in fol.* uti nobis excidit.

Dilucidatorium Vincentii Regii, Panormitani Siculi, & Jeſuitæ, complectitur tria volum. *in fol.* nec tamen excurrit ultra priores quinque libros, & octo, quos ſibi propoſuerat Author, ſed morte impeditus non abſolvit. Augent opus in immenſum Scholia, Theoriæ, & Digreſſiones.

Deſiguratum eſt in noſtris impreſſis nomen *Joan. Richardſon*, cujus loco ſcriptum eſt Aichardſon. Harmonia ab eo adornata complectitur quatuor Paſchata Jeſu Chriſti, juxta quatuor Evangeliſtas, legiturque in Annalibus Uſſerianis p. 539. Vir erat Ceſtrenſis in Anglia, & Epiſcopus Anglicanus Ardachi in provincia Armachana. Obiit an. 1653. Adornavit etiam animadverſiones ſelectas in Vetus Teſtamentum, Anglice, quæ poſthumæ paruerunt Lond. an. 1655. *fol.*

Joan. Roberti, Belga, natus in Burgo S. Huberti in Arduenna an. 1569. Jeſuitis adlectus an. 1592. Scripſit concordiam expreſſam ſub idea quatuor curruum myſticorum Ezechielis. Si vera prodiit P. le Long, qui obiiſſe illum ſcribit an. 1651. vitam produxit ad an. 82. quod fieri utique potuit. Alia plura ejus opera recenſet Valerius Andreas Bibliot. Belgic. p. 523.

Franciſci de Roxas Concordia jungitur Expoſitioni litterali, anagogicæ, morali, & allegoricæ; paruit etiam ſub titulo Catenæ, Lugduni 1651. *fol.* 3. Vol. Tres hujus nominis Scriptores Hiſpani innotuerunt; ille, de quo modo, patria erat Toletanus, Ordinis S. Franciſci.

Daniel Sachs, Germano-Lutheranus, junxit Concordiæ ſuæ ſermones illam exponentes tercentos. Editio Francofurtenſis, quam recenſuimus, ſecunda eſt; prior enim paruerat Cothen in Principatu Anhaltino an. 1645.

Gaſpar Sandhagen ſcripſit non concordiam, ſed Introductionem Synopticam in Hiſtoriam Jeſu Chriſti, & Apoſtolorum, adornatam e quatuor Evangeliſtis, Actis Apoſtolorum, & Apocalypſi. Addit & Diſſertationem in Templum Jeruſalem cum deſcriptione ejuſdem. Vir erat Germano-Lutheranus Miniſter Generalis in Ducatu Holſtati. Obiit an. 1712.

Juſtus Georgius Schotel, Germano-Lutheranus, Hannuveriæ, & Juris conſultus, Harmoniam dedit, quam recenſuimus. Obiit an. 1676.

Nicolaus Selneccerus, & non Selnevetus, uti male in noſtris impreſſis, dedit Hiſtoriam Paſſionis, Mortis, & Reſurrectionis J. C. e quatuor Evangeliſtis, cum Prolegomenis, Lipſiæ an. 1585. *in* 8. Græce, & Latine. De illo in Vetus Teſtamentum cum de Commentariis Proteſtantium.

Gaſpar Serranus edidit tantummodo Synopſim Concordiæ Janſenii Gandavenſis. *Georgius Sigelius*, Germano-Nurimbergenſis, Lutheranus, & Profeſſor Altorfii, ſæculo 16. adornavit tantum ſynopſim vitæ Jeſu Chriſti e tribus prioribus Evangeliſtis. Utriuſque operis editionem jam adnotavimus.

Roberti Stephani ſunt quidem concordantiæ in utrumque Teſtamentum, de quibus nos ſuo loco; ſed non Concordia in quatuor Evangelia, niſi forte ſub eo nomine deſignemus Commentarium in tres priores Evangeliſtas expreſſum e Commentariis Calviniſtarum, quibus ipſe adjecit ſeſe poſt ſeceſſum ſuum Genevam, & obiit an. 1559.

Jo. Mariæ Verrati, Carmelitæ, concordia continetur in ſecundo tomo operum ipſius, quorum nos editionem indicavimus. Obiit an. 1563.

Nullum aptius complementum noſtris hiſce daremus, quam adſcripto opere celeberrimi *Voſſii*; quod tamen Paſſionem tantum, Mortem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem Jeſu Chriſti complectitur. Præter editionem indicatam, recuſum eſt in collectione operum ipſius tom. 6. Textum Evangeliſtarum non recitat, ſed retexit hiſtoriam Jeſu Chriſti per capita, & articulos, quod utilitate ſua non caret. Illud tamen ut minus accuratum, cujus etiam menda nonnulla expendit, accuſat Colomeſius in Bibliotheca ſelecta p. 492.

Appel-

Appellatur Gerhardus Joannes, ut ab alreſn ejuſdem nominis diſtinguatur. Natus eſt Ruremundæ in Ducatu Gneddrienſi an. 1577. ſtuduit Dordrecti, ubi & docuit priuſquem Amſtelodami. Mortuus eſt Calviniſta an. 1650. *Et puer & juvenis chartis impallinis, & vir ſenexque;* hæc de illo. Quare monſtri loco ducendum non eſt, ſi tam multis claruit probatiſſimis operibus. Nonnulla indicabimus in quarta parte.

Hermonia nova *Abrahami Coves du Vivier* adornata eſt ad Varſionem Gallicam Genevenſem, & Germanice vertit Hector Maximilianus Comes de Geversberg; Ratiſponæ an. 1712. *in* 4. Vir erat Gallus, & Miniſter Calviniſta Hagiæ, florebat an. 1721.

Philippus Ziglerus, cujus nos indicavimus Concordiam Germanicam, ipſe pariter Germanus erat Lutheranus, Florebat an. 1620]

COMMENTARIA IN QUATUOR EVANGELIA, AC POTISSIMUM IN S. MATTHÆUM.

S. *Theophilus Antiochenus* allegoricum Commentarium in quatuor Evangelia ſcripſit, quo in opere non eumdem ſe deguſtaſſe ſaporem S. Hieronymus profitetur, quem in cæteris ejuſdem authoris lucubrationibus. Vivebat ſub M. Aurelio, & Commodo, ejus filio.

In editione Latina operum Origenis per Genebrardum 35. tractatus ejuſdem Authoris in S. Matthæum legimus, quibos a cap. 13. 36. uſque ad finem ejuſdem Evangelii, poſtremo tamen capite excepto, Commentarium continetur.

Idem opus G. L. ab eodem a. 13. 36. uſque ad cap. 22. in editione Huetiana vulgatum eſt.

P. Corderius Jeſuita Catenam Patrum Græc. in Matthæum vulgavit.

S. Hilarius, *S. Chryſoſtomus*, *S. Hieronymus*, *Beda*, *Rabanus Maurus*, *Theophylactus*, *Euthymius*, *Rupertus Abbas*, *Paſchaſius Radbertus*, Abbas Corbejenſis 9. ſæculo, *Chriſtianus Drutmarus*, Monachus ejuſdem Abbatiæ eodem ſæculo, in Evangelium S. Matthæi omnes laborarunt.

Author Operis imperfecti in Matthæum, alius plane eſt, quamvis alioquin vetuſtiſſimus, a S. Chryſoſtomo. Porro ille 54. Homiliis uſque ad totum cap. 25. Commentarium proſequitur.

S. Auguſtinus, præter quatuor libros de *Conſenſu Evangeliſtarum*, & duos de Sermone Domini in Monte, quibus cap. 5. 6. 7. S. Matthæi illuſtrat, ſcripſit etiam geminos Libros de Quæſtionibus Evangelicis, ſicut & alterum de 17. QQ. in S. Matthæum.

S. Gregorius Nyſſenus capp. 5. 6. S. Matthæi explicavit.

S. Chromatius, Epiſcopus Aquilejenſis, quarto ſæculo, in totum quidem opus S. Matthæi ſcripſerat; de ejus tamen laboribus nonniſi explicatio beatitudinum, ſive quinti capitis ſupereſt.

Scripta *S. Hyppoliti Martyris*, *Theodori Heracleenſis*, *Apollinaris Laodicenſis*, *Didymi Alexandrini*, *Victorini*, & *Fortunatiani*, nonniſi ex relatione S. Hieronymi noſtra ætate innoteſcunt.

S. Thomas Catenam Patrum in Matthæum adornavit.

S. Zacharias Chryſopolitanus, duodecimo ſæculo, Concordiam quatuor Evangeliſtarum dedit.

Inter Recentiores laudatur a Bellarmino Commentarium *Guilielmi* Pariſienſis; ſed nulla ejuſdem in Scripturam commentaria inter opera ejus occurrunt.

Extant opera *Richardi de Mediavilla*, & *Cajetani*.

Omnium tamen celebrariſſima ſunt commentaria *Toſtati* in Matthæum 4. amplioribus tomis digeſta.

Alphonſus Salmero, Jeſuita clariſſimus, 16. tomis in fol. in Evangelia vulgavit.

Sebaſtianus Barradius in Concordiam, & Hiſtoriam Evangelicam geminis ampliſſimis voluminibus in fol. diſſeruit.

Concordiam quatuor Evangeliorum amplo volumine in fol. *Cornelius Janſenius*, Epiſcopus Gandavenſis, digeſſit.

Hi tamen omnes Scriptores Conciliatorum potius Evangeliſtarum, quam Commentatorum loco habendi ſunt; fuſius enim Quæſtiones agitant, quam pro more Commentatorum. Salmero in applicendis Parabolis, Barradius in morali ſenſu enucleando, Janſenius in Interpretationum ſoliditate eminent. Ita de ſingulis Corn. a Lapide cenſuit.

Sylveira in Evangelia, & Apocalypſim. 7. vol. Lugduni fol.

Joan. Maldonatus S. J. eximii operis in quatuor Evangelia author eſt, Omnium optima editio Muſſipontana, fol. 1596.

Matthia Badembuch, in Matthæum. Coloniæ apud Jo. Quentel 1560. fol.

Didacus de Baza S. J. Hiſtoriam Evangelicam 3. vol. in fol. complexus eſt.

Cornelius a Lapide, *Janſenius Yprenſis*, & *Eraſmus* in quatuor Evangelia lucubrationes ſuas dederunt.

Conſulendi etiam, ſi lubeat, *Adam Contzen* Jeſuita, *Lucas Brugenſis*, *Aloyſius Novarinus*, qui 4. volumina in fol. in N. T. ſcripſit, Lugduni impreſſa.

Faber Stapulenſis, *Gagnæus*, *Henricus Holden*.

Hentenius, *Faterius*, *Joannes Lovanienſis*, *Joan. Ferus*, *Paulus de Palacio*, *Carolus Maria de Veille* ſuis in Matthæum ſcriptis celebrantur.

In Magnis Criticis legendi ſunt, *Eraſmus*, *Laurentius Valla*, *Henricus Stephanus*. Nihil autem hic addendum cenſeo de Interp. in univerſam Scripturam.

Inter Proteſtantes vulgati ſunt, *Lutherus*, *Calvinus*; *Beza*, *Pelicanus*, *Zuinglius*, *Zegerus*, *Druſius*, *Jacobus Revius*, *Caſtalio*, *Joſephus Scaliger*, *Iſaacius Caſaubonus*, *Joannes Camero*, *Otho Gualperius*, *Jacobus*, & *Ludovicus Capelli*, *Joannes Pricæus in Magnis Criticis. tom.* 7. His addendi, quorum extant in Synopſi Criticorum epitomes, *Semlerus*, *Piſcator*, *Calovius*, *Hammondus*, *Schmidt*, *Mede*, *Lightfootus*, *Valæus*, *Gatakerus*, aliique nonnulli. De annotationibus Clerici in Hammondum, atque de Gallica ipſius Commentatione in N. T. alibi diximus.

Aug. Marloratus Catenam ac. Scriptorum Proteſtantium in Evangelia adornavit.

Fridericus Spanhemius plura Evangeliorum loca luculento opere explicavit. Libri titulus: *Dubia Evangelica* 2. vol. in 4. Genev. 1658.

Daniel Heinſius vulgavit Exercitationes in N. T. & Ariſtarchum ſacrum, ubi optima, nec pauca quidem, occurrunt.

Vincentii Regis S. J. Elucidationes Evangelicæ, Colon. fol. 1616.

Vide etiam Scriptores de rebus geſtis J. C. veluti *Ludolphum Saxonem*, Carthuſianum, pium, & eruditum.

His addendi *Ludovicus de Dieu*, *Joan. Dougtæus*, *Daniel Brenius*, *Rodulphus Gualtherus*, *Daniel Tosſanus*, *Joan. Cocceius*, *Lambertus*; ut omittam Authores Socinianos in collectione fratrum Polonicorum occurrentes. Vide Fabric. Bibl. Græc. tom. 2. l. 4. c. 5.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN QUATUOR EVANGELIA.

INſcriptus nomine *Theophyli Antiocheni* Commentarius in quatuor Evangelia legitur in nova Bibliotheca Patrum Lugdunenſi tom. 2. p. 2. pag. 165. Latini eſſe authoris cenſet Cave. Notior eſt aliis operibus genuinis excuſis Hamburgi Græce, & Latine in 4. edente Fabricio cum Notis.

Inter Recentiores *Antonius Bivrlet*, Franciſcanus ſæculi 16. ſcripſit in quatuor Evangelia; Pariſ. 1581.

De *Salmerone* hæc ſupplemus. Illuſtravit Novum Teſtamentum 16. voluminibus in fol. quorum primum continet 43. Prolegomena in univerſam Scripturam; 2. agit de Verbo ante Incarnationem; 3. de Infantia J. C. 4. de Hiſtoria Evangelica; 5. de Sermone in monte; 6. de Miraculis J. C. 7. de Parabolis; 8. de Diſceptationibus Jeſu Chriſti cum Phariſæis; 9. de Euchariſtia; 10. de Paſſione, & Morte Jeſu Chriſti; 11. de Reſurrectione, & Aſcenſione. 12. eſt in Acta; 13. 14. 15. in Epiſtolas S. Pauli; 16. in Epiſtolas Canonicas, & Apocalypſim: quod nobis adnotari hic viſum eſt, ne cogamur alibi repetere. Immane hoc opus excuſum eſt Ma-

driti

Digitized by Google

drid an. 1597. 1602. & Coloniæ 1604. Obiit vir Hiſpano-Toletanus, & Jeſuita an. 1585.

Joannes de Sylveira adornavit 10. vol. in fol. in Novum Teſtamentum, e quibus ſex tantum in Evangelia: primum continet Præludium vel Introductionem in Sacram Scripturam, proditque Lugd. an. 1626. aliatea illuſtrant Evangelia *ibidem* 1676. Ulyſſipone, & Madriti; octavum eſt in Acta; nonum, & decimum in Apocalypſim, Lugd. 1623. 1669 Nicolaus Antonius in ſua nova Bibliotheca Hiſpanica tom. 1. pag. 598. recenſet accurate quidquid ſcripſit in Evangelia, additque Commentarios ſuos peraſſe illum in uſum Concionatorum. Vir erat Ulyſſiponenſis, & Carmelita.

Cur præferatur editio Muſſipontena Commentariorum *Maldonati* faciunt ea, quæ in Pariſienſi, & Lugdunenſi Editione eddita ſunt, vel mutata, vel dempta; hæc autem omnia exhibet ſub oculis in præfatione ad opere doctiſſimi Commentatoris Philippus Du-Buis. Quamquam autem Commentarii illius omnes in Scripturam ſuam mereantur laudem, hoc potiſſimum opus perſpicuitate, & elegantia ſuperet cætera. Vide ejus cenſuram apud D. Simon in Hiſtoria Critica N. T. cap. 42. pag. 616. 633.

Natus eſt in Beturia Hiſpaniæ an. 1533. vel 1534. ſtuduit Salmanticæ ſub eximiis Doctoribus. Primo omnium Juriſprudentiæ operam impendit, ut viam ſibi pararet ad primas Togæ dignitates; at ſuadente viro quodam pio, & amiciſſimo contulit ſe ad Theologica, ac Romam contendens inter Jeſuitas profeſſus eſt. Docuit Pariſiis, & alibi ſummo plauſu, qua Catholicorum, qua Proteſtantium. Obiit an. 1583. ætate 50. annorum non major. Vir omnibus animi dotibus ad veram eruditionem comparandam inſtructus, qua in bonum Eccleſiæ, & animarum opportuniſſime eſt uſus.

Eraſmus, plurimis adornatis operibus celeberrimus, non quatuor tantum Evangeliſtas, ſed & totum Novum Teſtamentum illuſtravit Notis ſuis, & Paraphreſibus. Hujus operum editiones ſat plures datæ ſunt, de quibus nos alibi.

Vir Roterodamenſis natus an. 1464. educatus fuit Ultrajecti in Hollandia, miſſuſque Daventriam ſtudiorum cauſa annos tantum agens 9. ingenti ſucceſſu profecit. Inter Canonicos Regulares dedit nomen, ſed Ordinem profeſſus deſeruit, recepitque ſe ad Epiſcopum Cameracenſem Henricum de Berches. Tum contulit ſe Pariſios, ubi & ſtuduit in Collegio *de Montaign*. Poſt plura decurſa loca ſubſtitit tandem Baſileæ, ubi & deceſſit an. 1536. Scribendi ſumma facilitate, & ſtylo plane ſingulari diſtinguitur.

Si tria tantum volumine Commentariorum Evangelicorum *Didaci Bezæ* indicavimus, dicta hæc noſtre accipienda ſunt de editione Pariſienſi an. 1626. altera enim *ibid.* an. 1628. quatuor complectitur. Poſtrema editio eſt Colonienſis an. 1684. Dedit etiam ſeptem volumina Commentariorum allegoricorum, & moralium in Vetus Teſtamentum.

Vir erat Hiſpanus, Ponferradienſis, Jeſuitis adlectus an. 1600. ætetis 18. Obiit an. 1646. vel 1647. juxta D. Dupin.

Commentarius *Adami Contzen* in quatuor Evangelia complectitur duo vol. in fol. Coloniæ. & Moguntiæ an. 1626. Propugnat genuinum ſenſum litteralem in Atheos, & Infideles. Vir erat Germano-Juliacenſis; Jeſuitis adlectus an. 1605. Obiit an. 1635. ſexagenario major.

Opus *Lucæ Brugenſis*, Belgæ, Theologalis, & Decani Eccleſiæ Andomarenſis, 4. vol. in fol. implet. Duo priora exhibent Commentarium in quatuor Evangelia, quem præcedit Itinerarium Jeſu Chriſti; ſeceditque in calce Diſquiſitio in Paraphraſim Chaldaicam, cujus vindicias retexit, demonſtratque ejus uſum, ac plures Scripturæ textus exponit. Prodierunt ambo illi Antuerpiæ an. 1606. Tertium continet Supplementum ad Commentarium in S. Lucam, & S. Jo. *ibid.* an. 1612. Quartum reliqua proſequitur Commentarii in S. Joannem. Viri cenſuram jam dedimus ad Vetus Teſtamentum. Obiit an. 1619.

Commentarii *Ludovici Novarini*, Veronenſis, Theatini, Græce, Hebraice, & Syriace docti, editio data eſt Lugd. an. 1640. & 1643. quod nobis excidit. Si omnia ſuppeterent quæ adornavit in Scripturam, recenſendus eſſet utique inter Commentariorum generalium Scriptores. Confer Catalogum operum ipſius impreſſum Veronæ an. 1648. in 8. vel P. le Long in ſua Bibliot. Sacr.

In tomo 6. Criticorum Sacrorum habes excuſas Notas ſelectas quidem, non Commentarios *Eraſmi*, *Laurentii Vallæ*, & *Henrici Stephani*. De priori quidem viro jam ſatis ſupra. Alterius vero Notæ excuſæ ſunt ſeorſum Amſtelodami an. 1638. & inter ejus opera Baſileæ an. 1643 fol. Patricius erat Romanus, S. Jo. Laterani Canonicus, & a ſecretis Nicolai V. Obiit an. 1465.

Henricus Stephanus, Pariſienſis, Typographus inſignis, Latine, & Græce doctus, præter Notas, diſſeruit etiam de ſtylo Apoſtolorum in Novo Teſtamento, quæ Lucubratio præfationis more præfixa eſt Novo Teſtamento Græco excuſo an. 1576. deinde Amſtelod. an. 1700. in 6. Immortuus eſt in Calviniſmo an. 1598.

Nec prætereundus doctus Commentarius P. *Alexandri* in quatuor Evangelia; Pariſ. an. 1703. fol. Opus eſt litterale, & morale. Natus ille Rothomagi an. 1639. ſtudio ibi locavit operam; cum ad Dominicanos tranſiit an. 1653. Dein Pariſios veniens docuit ibi annis duodecim; Doctor renunciatus eſt an. 1675 obiitque tandem an. 1724. Doctrina, morum innocentia, & pluribus ſcriptis operibus Eccleſiæ ædificationi atque utilitati ſervit.

Commentario P. Alexandri recentior alius attexeretur, nempe opus *P. Picquigny*, Capuccini, in fol. Latine; Pariſ. an. 1726. Continet pag. 726. abſque Tabula rerum ampliſſime.

Methodum retinet eandem ac in ſua Expoſitione S. Pauli, quæ diu ante paruit. Vide in S. Paulum. Adjecit animadverſiones dogmaticas, pias, morales, aſceticas, ſicut etiam religioſas plures exercitationes per totum Commentarium ſparſas, & in fine ſingulorum capitum in Corollarium pietatis collectas.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM.

EX Anglis Proteſtantibus *Carolus Maria de Veil* edornavit Commentarium in SS. Matthæum, & Marcum, Juliomagi, & Pariſiis an. 1674. in 4. & Lond. an. 1678 in 8.

Senſui literali Evangelii addit Quæſtiones plures Theologiæ, & Hiſtoriæ, quas ſuſiſſime diſcutit, In Panem azymum, in poſtremum Paſcha J. C. in admixtionem aquæ cum vino, in Cœnam Domini, & alia. Vide in Acta.

Michael Vaſſorius, qui æque recenſeretur inter Catholicos, cum Sacerdotem Oratorii egerit; & inter Proteſtantes, quippe qui immortuus eſt in Religione Anglicana: dedit Paraphraſim Gallicam in SS. Matthæum, & Joan. Vide in Epiſtolam ad Romanos.

Ex iis, quorum Notas contineri diximus in Criticis Sacris, in ſexto quidem, & non in ſeptimo uti male in noſtris impreſſis, collectionis illius volumine, abducendi ſunt Lutherus, Beza, Pellicanus, Zuinglius, & Pricæus; ſubſtituendique viciſſim Grotius, & Sebaſtianus Munſterus.

Marloratum jam recenſuimus inter Scriptores Proteſtantes, qui generales Commentarios dederunt, cum fere omnes Scripturæ Libros expoſuerit. Quæ ſeorſum adornavit in Novum Teſtamentum edita ſunt Genevæ an. 1620 in fol. octava editio, & alibi. Thomas Timme Gallice vertit quidquid dedit in quatuor Evangelia; Lond. an 1570. 1575. 2. vol. fol. & 1583. in 4.

Qui laborarint in Scripturam *Friderici Spanhemii* duo innotuerunt, pater, & filius, Calviniſtæ ambo. Pater in Germania natus obiit an. 1649. Filius Genevæ deceſſit an. 1701. Dubia Evangelica opus ſunt Patris. Hujus quarta editio data eſt Genevæ an. 1700.

Exercitationes Sacræ *Danielis Heinſii* prodiere Lugd. Batav. an. 1630. in 4. Cantabrigiæ an. 1640. In Libros diſtribuuntur viginti, ornanturque Prolegomenis. Textum Sacrum illuſtrat, Patrum ſententias, & veteres novaſque Interpretationes revocat in examen. Adornavit etiam Apologiam in calumnias Croii, qua diſſerit de ſtylo, phraſibus, & diviſionibus Novi Teſtamenti; Lei-

dæ

Digitized by Google

dæ an. 1646. in 12. Ariſtarchus Sacer bipartitum ejus viri opus continet Exercitationes in Metaphraſim Nonnii, quæ operis priorem partem occupant; in ſecunda vero comparat Expoſitiones ſuas cum verbis Evangeliſtæ: utrinque multam lucem affundit Evangelio; *ibidem* 1627. in 8. & cum Exercitationibus *ibid.* an. 1639. in fol. Vir erat Belga Gandavenſis, ſed Calviniſta, Profeſſor Linguarum, & Hiſtoriæ Lugd. Batavor. Obiit an. 1655.

Fabricius, in loco a nobis indicato, ſed male reddito in impreſſis, legendum eſt enim tomo tertio l. 4. c. 5 pag. 124. exhibet Tabulam chronologicam in univerſum Novum Teſtamentum referentem quo anno, & ſub cujus Imperio ſinguli Apoſtolorum, & Evangeliſtarum ſcripſerint: tum vitæ illorum ſynopſim addit, & crebras animadverſiones qua criticas, qua ſelectas in opera ſingulorum.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN QUATUOR EVANGELIA, ET POTISSIMUM IN S. MATTHÆUM.

L*aurentii Ramireſii de Prado* Pentecontarchus, ſeu Obſervationes in varia loca N. T.

Alexandri Mori In Novum Fœdus Notæ.

Petri Poſſini S. J. Spicilegium Evangelicum. Tres iſti ſcriptores, ſeorſim jam impreſſi, & a Fabricio ſimul editi ſunt 1. Vol. in 8. 1712. Hamburgi, quod ſcilicet rariſſimi evaſiſſent, quamquam alioqui digniſſimi, ut evulgarentur.

Joan. Vorſtii, de ſtylo Novi Teſtamenti *Apud Crenium Faſc.* 1.

Thomas Gatakerus, de ſtylo Novi Teſtamenti tom. 1. operum. Trajecti ad Rhen. fol. 1698.

Calmet, Diſſertatio in Evangelia apocrypha. *In S. Matthæum*.

----- Diſſert. ſive Præfat. in S. Matthæum. Vide etiam Interpp.

Hedibia, Matrona Romana, ſuper 12. dubia in Matthæum, & in alia Scripturæ loca S. Hieronymum conſuluit, qui per Epiſtolam reſpondit; *Tom.* 4 *pag.* 168. *nov. Edit.* ſicut & in Epiſt. ad Algaſiam tantumdem præſtat.

Auguſt. Calmet Diſſert. de S. Joſeph In *collect. Diſſert. ipſius*.

Item Diſſert. de Magis. *In S. Matthæum*.

Alph. de Mendoza, de Magorum Hiſtoria.

Frideric. Spanhem. in dubiis Evangel *Par.* 2. *dub.* 18. *&c.*

Balt. Stolberg. de Magis. Theſ. Theol.

Stephani Salazar, Hiſpani, Minoritæ de adventu Magorum.

Dan. Rodon de iiſdem; ibidem.

Reichnerus, de tempore Magorum, apud *Crenium faſc.* 10.

Joan. Friſchmuth Harmonia ad Michææ 5. 2. & Matthæum 2. 6.

Frideric. Spanhem. ad idem caput *par.* 2. *Dub. Evang. dub.* 42. 47.

Joan. Erneſti Buiner Diſquiſitiones in Hiſtoriam Jojadæ filii Zachariæ. *Cren. Faſc.* 4.

Auguſtini Varenii, de columba ſuper caput Chriſti viſa. Theſ. Phil.

Frideric. Spanhem. Dub. Evang. parte 3. dub. 46. 47.

Salom. Deylingii, de Jo. Baptiſtæ natalibus, educatione, &c. *t.* 3. *Obſerv. c.* 26.

Balth. Holberg, de amictu, & victu Joannis Baptiſtæ. Theſ. Th.

Conradi Oldii, de domicilio, victu, & amictu Joannis. *Apud Crenium faſc* 5.

Frideric. Spanhem. de eodem *Dub. Evangelici part.* 2. *dub.* 46.

De Regno Cœlorum, *Spanhem ibid. par.* 1. *dub.* 14. 15.

Joan. Adami Koenig. de ritu portandi calceos. *Theſaur. Theol.*

Vide Scriptores de calceo antiquo, uti *Benedictum Balduinum*, & *Bynæum* de calceis Hebræorum.

De ſermone Domini in monte conſule *D. Aug.* Vide, ſi lubet, & *Spanhem.* 3 part. Dub. Evang. dub. 78. &c.

Salom. Deylingii, de Chriſti tentationis Hiſtoria, *Obſervat. ſacr. tom.* 2. *cap.* 27.

Valerii Greiſſing. Sal infatuatum. Matth. 5. 13.

Frider. Spanhem. par. 3. dub. Evang. dub. 91. &c.

Balth. Holberg, de Angariis veterum. Matth. 5. 41.

----- De Battologia precum. In Matt. 6. 7. *Deylingii*, de eodem argumento *Obſerv. tom.* 3. *cap.* 27.

Jo. Phil. Pfeiffer, de voce *epiouſios*; *Panem noſtrum Quotidianum* &c. Matt. 7. *Theſ. Theol.*

Baltbaſ. Holberg, de eodem, *ibid.*

Salom. Deylingii de duplici Publicanorum ordine, ad Matt. 9. 10. *Obſerv. ſacr. tom.* 1.

De ſapientia a Liberis juſtificata. Matt. 11. 19. *ibid.*

Joan. Adami Konig de Regina Auſtri. Matth. 12. 42 *In Theſ.*

De peccato in Spiritum Sanctum conſule *S. Hieron.* ad Marcellam *t.* 4. *p.* 124.

Vide etiam Origenem, & Theognoſtum, laudatos a S. Athanaſio, hoc argumentum ex profeſſo agitante *Epiſt.* 4. *ad Serapion. n.* 8. *&c.* Vide tandem noſtram Diſſertationem in hanc rem, *inter Comment. in Marc.* & Auctores ibidem laudatos.

Joan. Bugenhagius, Pomeranus, hæreticus, in Libro de hoc argumento.

Georg. Frid. Meinhard. Corban. Matth. 15. 5. Marc. 7. 8. *In Theſ.*

Ludovici Capell. Corban. *in Magnis Criticis.*

Jo. Deutſchman de petra Eccleſiæ Matth. 16. 18.

Jo. Phil. Pfeiffer, de Proverbio: *Facilius eſt camelum* &c. Matth. 19. 9.

Joan. Sommelin, de eodem.

Nicolai Fabri, de peccato in Fratrem. Matt. 18.

Daniel. Vinzern. de acclamatione votiva Hoſanna, Matth. 21. 9.

Auguſti Tiercelii, de camelo per foramen acus tranſeunte. *Miſcel. Lipſ. t.* 5.

Nichol. Schloni, de numiſmate cenſus, ad Matth. 22. 19. Marc. 12.

Marquardus Freherus, de eodem. *In Critic. Magn.*

Salom. Deyling. in Matt. 23. 23. de oleorum decimatione. *Obſerv. t.* 3. *c.* 25.

Chriſt. Roſtauſcher, de ſepulchris calce notatis. Matthæi 23. 27.

Jo. Phil. Pfeiffer, & *Chriſt. Klem*, de ſigno filii hominis. Matth. 24. 30.

Gothofr. Preuſſius, in hæc verba: *Servum nequam dividet*. Matth. 24. 51.

De Energumenis, & a Dæmone obſeſſis, vide *Deyling. Obſerv. t.* 2. *c.* 28. & noſtram Diſſertat de eodem argumento, *in Collect. Diſſ. t.* 1.

De poſtremo Paſchate agunt *Jo. Sauberius*, *Jo. Friſchmuth*, *in Theſaur. Theolog. Paulus Burgenſis* de Paſchate, *Ludovicus de Leone*, *Toinardus* in Concordia, *Tillemon.* P. *Calmet*, *Beſſo*, P. *Mendis* in Harmonia, Ja. *Cloppenburg*, aliique bene multi, ut Interpp. omittamus.

Georg. Henrici Goetze, & *Jo. Nicol. Graberg*, de unctura Chriſti Bethanica. Matth. 26. 6. 7.

Georg. Schwartzen, de pretio, quo Salvator noſter æſtimatus eſt. Ad Matth. 27. 9. 10.

Salom. Deyling. de eodem argumento, *Obſerv. t.* 1.

Georg. Jer. Hofmanni, de proceſſu Synedrii, adverſus Chriſtum, ad Judæorum leges exacti, Anomalia. Ad Matth. 27.

Jo. Buxtorf. Diſſert. de lotione manuum Judaica ante, & poſt cibum. *Inter ejuſdem Diſſert. Phil.*

Joan. Adam Koenig, de ritu lavandi manus. Ad Matth. 15. 2.

Joan. Erneſti Mulleri, de ſpinis coronæ Chriſti. *Theſaur. Theol.*

Thomæ Bartholini, de Cruce, ubi de vino myrrhato, de corona ſpinea, de ſudore Chriſti ſanguineo.

Georgii Mobii, de Crucis ſupplicio *Theſ. Theol.*

Sam. Reyheri, de Crucifixi Jeſu titulis, & hora Crucifixionis. *Ibid.*

Joan Friſchmuth, de Eli, Eli &c. Matt. 27. 46. *Ibid.*

Godfrid. Thilo, & *Arlorb*, de ſepulchro Chriſti.

Joan. Andr. Schmidt, de tumulo Salvatoris. Helmſtad. 1703.

Joan. Jac. Chifflerii, de linteis, & faſciis ſepulchralibus. Antuerp. 1624.

De

De rebus, quæ in Paſſione Domini contigerunt, lege Binæum, fuſius de hiſce agentem. Lege etiam *Mirilli*, & *Vuſſembachii* Notas in Paſſion. Chriſti *Apud Crenium Faſc.* 9.

Item *Feiderici Bru. Kettneri*, de horis Paſſionis Chriſti. *Miſcell. Lipſ. tom.* 4.

Guillelm. Eichoelius, de Buccella intincta, quam comedit Judas. *Critic. Magn. Theſ. Theol.*

Jo. Vinkler, de Bis-mortuis. *Theſ. Phil. t.* 2. *p.* 979.

Joan. David Schwerdtnerі, de bis-mortuis. *Miſcell. Lipſ. in* 8. *tom.* 1.

Auguſt. Calmet, de reſurrectione SS. PP. qui una cum Jeſu Chriſto e mortuis ſuvocati ſunt. *In Diſſert. ſeorſim impreſſis in* 4. *tom.* 3.

— Diſſertatio de tenebris in obitu J. C. ibidem.

Diſſertatio de Epiſtola Pilati ad Tiberium de morte Jeſu Chriſti.

[Opus *Ramirez de Prado*, Hiſpani, Juriſconſulti, ideo *Pentecontarchus* inſcribitur, quod conſtet quinquaginta capitibus exponentibus varia Scripturæ loca collatis moribus Hebræorum, Græcorum, & Romanorum. Prodierat jam Antverpiæ an. 1612. in 4. Obiit an. 1658.

Alexander Morus, Gallo-Caſtrenſis, Calviniſta, Profeſſor Genevæ, & Miniſter Charentonii, in loca plura Novi Teſtamenti ſcripſit, excuſa prius Lond. an. 1661. & Pariſ. an. 1668. in 8. Ejus adnotationes continentur etiam in Criticis Sacr. tom. 10. prioris editionis. Obiit an. 1670.

Jo. Gaſpar Mercken dedit Specimen animadverſionum ſacratum in Jeſum Chriſtum, quibus diſcutit; 1. an morbo alicubi ſubmitteretur; 2. ſi defectu aliquo corporis vitiatus eſſet; 3. de variis ejus unctionibus; 4. de tribus muneribus Magorum. In Biblioth. Philolog. tom. 4. pag. 883.

Præter ea, quæ retulimus de *Petro Poſſino*, addemus hic dediſſe tres Epiſtolas chronologicas de Ortu, Baptiſmo, & Morte Jeſu Chriſti, impreſſas in apparatu Henſchenii ad chronologiam Pontificiam in collectione Bollandiſtarum tom. 6. menſis Maii. Opus alterum in Genealogiam Jeſu Chriſti excuſum eſt Toloſæ an. 1646. in fol. Dedit & Catenam Patrum Græcorum in S. Marcum Græce, & Latine cum Commentariis in præcipua loca Evangelii, Romæ 1673. in fol. quod pariter opus recudendum curavit Fabricius ſub titulo Spicilegii Evangelici.

Poſſinus vir erat Narbonenſis, & Jeſuita ab an. 1624. Obiit poſt opera plura vulgata, & plures adornatas Græcorum Patrum Editiones an. 1686.

In tertio quidem non in priori *Faſciculo* leguntur ea quæ *Joannes Voſſius* diſſeruit in ſtylum Novi Teſtamenti in 4. Roſtochii an. 1641. & Roterodami an. 1693. in 12. Vulgavit ille pariter Philologiam Sacram Opus bipartitum, Hebraiſmos omnes in Novo Teſtamento occurrentes exponens: prior pars excuſa eſt Lugd. Batavor. an. 1658. in 4. altera Amſtelodami an. 1661. in 4. & Francofurti an. 1705. 2. Vol. in 4. Tandem eundem Authorem agnoſcit Diſſertatio in Proverbia Novi Teſtamenti, excuſa Leovardiæ an. 1700. in 4. tertia editio. Vir erat Germanus ex Lutherano Calviniſta. Obiit an. 1676.

De ſtylo Novi Teſtamenti diſſeruit *Gatakerus* adverſus Sebaſtianum Pfochen. Prodiit opus ſeorſum Londini 1648. in 4. Dedit & Miſcellanea inſcripta: *Cinnus* in ſecundam hanc partem Scripturæ; *ibid.* 1653. in 4. Item Miſcellanea alia in univerſam Scripturam; *ibid.* an. 1659. fol. Vir erat Anglo-Londinienſis, Præfectus Collegii Sanctiſſimæ Trinitatis Oxfordii, defunctus an. 1654. ætatis 80.

COMMENTARII CATHOLICORUM IN S. MATTHÆUM.

Fallitur utique Pater le Long ſcribens, ea, quæ reſtant *Origenis* in S. Matthæum, reperi a capite 16. reipſa enim exordiuntur a capite 13. uti a nobis indicatum eſt. Addit Verſionem Latinam opus eſſe Epiphanii Scholaſtici, vel Petri Bellatoris.

Quæ vulgavit *Balthaſar Corderius* referunt ſecundum tomum Catenæ Patrum Græcorum in S. Matthæum excerptæ a Niceta ex operibus triginta Patrum; Prodiit opus Toloſæ an. 1646. in fol. cum Verſione Latina Corderii.

Pater Poſſinus dedit primum hujus operis tomum cum ſuo Dialectico in Genealogiam Jeſu Chriſti *ibid.* 1646. in fol. De priori hoc viro ſupra. Hæc autem diſtinguenda fuerant a nobis, cum ageremus de Catena Corderii. De hoc viro nos in pſalmos.

Præter Commentarium peculiarem *S. Chryſoſtomi* in Matthæum, eidem Authori deputatum eſt Opus Imperfectum, ita inſcriptum, quod pluribus mancum ſit in medio, & in fine. D. Bernardus de Montfaucon imprimendum illud curavit in calce tomi 6. Novæ Editionis S. Doctoris, ſponderque datum ſe genuinum ejus Commentarium in tomo 7. Commentario huic Imperfecto præfixit longam, & eruditam Diſſertationem, in qua ea omnia diſcutit, quæ de genuino hujus operis Authore hucuſque viris doctis ſuccurrerunt; de tempore ſcripti ejuſdem operis, de ratione ſcribendi, & de iis, quæ continet, puritati fidei repugnantibus. Satis eſt nobis in præſenti eo remittere Lectores; ſicut & ad hiſtoriam criticam D. Simon in Novum Teſtamentum cap. 10. 11. &c. ut judicium viri de utroque hoc Commentario intelligant.

D. Dupin Biblioth. Eccleſiaſt. tom. 3. pag. 636. 437. relevat menda quædam S. *Hieronymi* in ejus Commentariis ad Novum Teſtamentum. Sed pulcherrimi corporis nævum aliquem pulchritudinem illius non vitiat, ait Paulus Manutius. Conſulendus eſt etiam D. Simon ibidem cap. 14. & 15.

De Conſenſu Evangeliſtarum S. Auguſtini jam ſupra tractatum eſt. Duo Libri de Sermone Domini in Monte offeruntur legendi in tomo 3. novæ Edit. part. 2. pag. 166. ex Evangelio S. Matthæi hæc ſibi illuſtranda ſelegiſſe ſe profitetur in exordio Vir Sanctus, quod continent præcepta omnia moralis chriſtianæ. Quæſtiones ad mores potius quam ad criticam pertinentes exhibentur *ibid.* pag. 138. Vide D. Simon *ibid.* cap. 27.

Reputandum eſt utique Commentarium in S. Matthæum, relatum inter opera impreſſa *V. Bedæ* alterius eſſe ſcriptoris, cum in catalogo a ſe ducto operum ſuorum, Lucubrationis illius non meminerit.

Paſchaſius Radbertus in ſuo Commentario literali, & morali ſenſui inhæret. Scripſit illum an. 864 cum Abbatem Corbejenſem nondum ageret juxta D. Dupin Bibliothec. Eccleſiaſt. ſæc. 9. pag. 267. De hoc viro nos alibi fuſius.

Chriſtianus Druthmarus non in S. Matthæum tantum laboravit, ſed & in S. Lucam, & S. Joannem; quamquam brevi expoſitione duos hoſce poſteriores illuſtret, multo fuſiori S. Matthæum. Legitur in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi tom. 11. pag. 85. cum duabus aliis, quæ jam prodierant Hagenoæ an. 1530. & Coloniæ 1680. in 8. Alter eſt Monachus Corbejenſis, ſed potius e magna Corbeja Germaniæ, quam ex altera Galliæ juxta D. Mabillon in ſuis Annalibus tom. 2. pag. 661. qui animadverſiones plures in hunc Commentarium exhibet pag. 662. & D. Simon in ſua hiſtoria critica N. Teſtamenti pag. 370. Vide infra in S. Lucam.

Inhæſit potiſſimum ſenſui hiſtorico. Editio Hagenoæ curata ab Henrico Motthero magis æſtimatur, quam Argentoratenſis an. 1514. fol. a Joanne Wimphelingo recenſita.

S. Gregorius Nyſſenus adornavit in Orationem Dominicalem Homilias quinque, & in Beatitudines ſermones 8. utrumque opus Latine reddidit Laurentius Sifanus; leguntque Græce, & Latine in editione operum ipſius Pariſ. 1638. 3. vol. in fol. De operibus ejus in Vetus Teſtamentum jam alibi egimus. Frater erat S. Baſilii Magni, natus an. 330. Epiſcopus renunciatus an. 371. interfuit Concilio Conſtantinopolitano an. 381. Obiitque an. 395.

Quæ reſtant *Chromatii* in S. Matthæum offeruntur legenda in nova Bibliotheca Patrum tom. 5. pag. 976. 985. Quamquam inter ſcriptores 4. ſæculi recenſetur, uti nos jam indicavimus, obiit tamen 5. ſæculo an. 610.

Non deſunt quibus perſuadeatur Commentarius nomine S. Thomæ inſcriptus in S. Matthæum genuinum eſſe opus Petri Scaligeri, Dominicani, Veronenſis. Continetur ille tamen in collectione operum S. Thomæ Romana referente Vol. 17. tom. 14. Eſt autem opus plane

aliud

aliud a Catena in quatuor Evangelia, quæ Authorem S. Thomam vindicat, legiturque in tom. 15.

Commentarius *Guillelmi Pariſienſis* non continetur quidem cum cæteris ejus operibus, ſed exhibetur in veteribus Editionibus S. Anſelmi Cantuarienſis; nec enim Commentarius in S. Matthæum Viri Sancti nomine præfixus germanum eſt ejus opus, ſed Guillelmi.

Richardi de Mediavilla quamquam extare creditus ſit ex fide unius Lelandi; reipſa tamen commentarius extat nullus; intercidiſſe oportet. Appellabatur etiam Mideltonus, Vir autem erat Anglus, & Franciſcanus, qui florebat circa an. 1300.

Quamquam *Toſtatus* numquam non excellit in expoſitione Scripturæ, præ cæteris maxime æſtimantur labores illius in Matthæum, quod plurimis quæſtionibus egregie reſolutis Textus illuſtravit. De aliis ejus Commentariis actum eſt in V. Teſtamentum.

Commentarius *Bredembachii*, & non Burdembuchii uti male in noſtris impreſſis jungitur alteri ab ipſo adornato in Pſalmos 60. priores: In poſtremo hoc diffuſiſſimus licet Textui Hebræo inhæret. In priori literæ tenacior eſt, & in iis, quæ ad moralem pertinent, Patres crebro interſerit. Vir erat Henaltii natus in Comitatu Montenſi, defunctus an. 1559. ætatis 70.

Jungi huic poſſet *Joannes Heſſelius*, cujus commentarius editus eſt Lovenii an. 1572. in 8. altera Editio. Vide in Epiſtolam ad Timotheum.

Inter Proteſtantes *Jacobus Elſnerus* illuſtravit animadverſione ſua illud capitis 3. V. 29. Continetur in Bibliot. Theolog. tom. 4. p. 186.

Jo. Georgius Altmanus Animadverſione Philologica de cantu Galli refert in medium ea omnia, quæ ſcriptoribus hac in re ſuccurrerunt; ipſe vero exponendum cenſet de tuba; *ibidem*, tom. 5. p. 451. 456.

Joannes Henricus Schrem, & *Theodorus Haſæus* Animadverſionibus illuſtraverunt parabolam Operariorum in vinea; in eodem tomo p. 688. 706.

Gerhardus Outhove expoſuit vocem Juſtus, de quo cap. 1. 19. tom. 6. p. 23. 109.

Thomas Jameſius dedit Indiculum ſententiarum Patrum in ſingulos verſiculos cap. 10. Lond. an. 1614. in 8. De illo nos ad quartam partem.

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN S. MATTHÆUM.

JOan. Jacobus Ulricus, vel *Huldricus*, natus Tiguri an. 1683. & Miniſter Calviniſta ab an. 1700. Profeſſor ab an. 1710. dedit *Exercitium Biblicum* maxime in S. Matthæum; Tiguri 1713. 1714. 2. vol. in 8. Operum ipſius catalogus ducitur in Bibliotheca Philolog. tom. 2. pag. 902. vivit adhuc.

In Magos.

In quæſtionibus ſuis Quodlibeticis diſſerit Mendoza, an hiſtoria Magorum tota definienda ſit intra 15. ab ortu Jeſu Chriſti dies. Non igitur hiſtoriam Magorum peculiari tractatu expoſuit; ſed ea, quæ de Magis dedit, continentur in ejus opere impreſſo Compluti an. 1588. & Coloniæ 1603. in 4. Vir erat Hiſpanus, Ordinem S. Auguſtini profeſſus, Eleemoſinarius Philippi II. Regis Hiſpaniæ, & Archiepiſcopus Granatenſis deſignatus. Obiit an. 1591.

Stephanus Salazar, non Franciſcanus, uti nos male, ſed ex Eremita Auguſtiniano Carthuſianus ab anno ætatis 38. juxta Nicolaum Antonium in ſua Bibliotheca Hiſpanica nova; ſcripto Commentario laboravit unice in caput II. S. Matthæi; ut totam exponeret hiſtoriam Magorum; cui operi adjecit, & animadverſiones morales, ſicut & Genealogiam Chriſti textit; Lugd. an. 1584. in 8. Obiit vir Granatenſis an. 1596.

Diſſertatio *Danielis Rhodeu*, Germano-Lutherani, in Magos Adoratores offertur legenda in Diſſert. Philolog. tom. 2.

Commentarium etiam ſcripſit *Eckardus Leichnerus*, Germano-Lutheranus, in adoratione Magorum; Wirtzburgi an. 1650. in 4. Leicherum, & Calviniſtam appellat D. Dupin.

In S. Joannem Baptiſtam.

Jo. Ernesti Buttneri, Germani, Miniſtri circa an. 1670. Diſquiſitio Philologica in hiſtoriam Joannis filii Zachariæ prodiit Jenæ an. 1670. in 4. & in Theſaur. Diſſ. Phil. tom. 2. p. 285. Bunherum, & Butnerum appellat P. le Long, & in duos viros diſtinguit.

Diſſertatio *Conradi Olde*, Germano-Lutherani, in ſedem, veſtes, & victum S. Joannis, prodiit Roſtochii an. 1657. in 4. Florebat an. 1657.

Quæ dedit *Auguſtus Varenus* in Columbam inſidentem capiti Jeſu Chriſti paruerunt Roſtochii an. 1671. in 4. De aliis ejus Operibus jam ſupra, & infra etiam agetur.

In Sal infatuatum.

Diſſertatio *Valentini Greiſſingii*, Germano-Lutherani, in ſal infatuatum edita eſt Wittembergæ an. 1674. in 4.

De peccato in Spiritum Sanctum.

De Libro *Joannis Bugenhagen* in peccatum in Spiritum Sanctum nihil apud P. le Long; illud conſtat tantum Commentario ab illo illuſtrata fuiſſe quinque priora capita S. Matthæi; Wittembergæ an. 1543. in 8. De aliis ejus operibus infra, ſicut & de Harmoniis ejus in Evangelia, aliiſque ſupra.

De peccato in fratrem ſuum.

Nicolaus Faber diſſeruit in ſuis opuſculis de peccato in fratrem, & de potu propinato Jeſu Chriſto in Cruce; Pariſiis 1614. & in Critic. Sacr. tom. 7. nov. Edit. Juriſconſultus erat Pariſienſis, Præceptor Ludovici XIII. Græce, Hebraice, & Latine doctus.

In Corban.

Diſſertatio *Friderici Meinhardi* legitur in Diſſert. Philolog. tom. 2. De illo, & aliis ejus Diſſertationibus ad Numeros, & ad Jeremiam actum eſt.

Ludovici Capelli de eodem argumento opus extat in Critic. Sacr. tom. 6. p. 464. prioris Editionis.

In Numiſma Cenſus.

Ad *Marquardum Freherum* quod attinet, dedit ille Tractatum Theologicum Hiſtoricum in *Numiſma cenſus*, Heidelbergæ an. 1599. in 4. *cum figuris*. Patriam habuit Auguſtam Vindelicorum, & profeſſus eſt Lutheraniſmum. Obiit an. 1614.

In Servum nequam.

Godefridus Preuſſius, Germano-Lutheranus, Opere inſcripto *Diatomia* diſſeruit de ſervo nequam; Wittembergæ an. 1684.

In unctionem factam Bethaniæ.

Scribendum erat *Henricus Goetzeus*, & non Goetius; de hoc nos in Corollario.

Jo. Nicolai Grabsig, Germano-Lutherani, Diſſertatio legitur in Diſſert. Philolog. tom. 2.

In Circumſtantias Paſſionis.

Prætereundus non eſt *Fridericus Gotthelf*, Germano-Lutheranus, Altemburgenſis, cujus Diſſertatio in Inſomnium uxoris Pilati prodiit Jenæ an. 1705. in 4.

Carolus Goeſch, ejuſdem regionis, & Religionis, diſſeruit de corona Spinea; Altorfii 1694. in 4. Forte alius non eſt a Goetzio, quem nos indicavimus.

Diſſertatio *Georgii Schwarzzen*, Lutherani, & Miniſtri Pomerani, in venditionem Jeſu Chriſti, prodiit Wittembergæ an. 1684. & in Diſſ. Phil. tom. 2.

In eodem tomo leguntur ea, quæ ſcripſit in Concilium

lium Judæorum adverſus Jeſum Chriſtum coactum *Georgius Hieronymus Hoffmannus*, Germano-Lutheranus.

Diſſertatio *Erneſti Mulleri* in Spineam coronam prodiit Lipſiæ ſeorſum an. 1688. in 4. Mullerus alter, *Joannes Georgius*, ſcripſit de Proſelytis; Wittembergæ an. 1672. in 4. Tertius, *Joan.* dedit Tiguri an. 1660. in 4. Quæſtionem in Hiſtoriam Magorum, & in ſcripta S. Matthæi. Quartus, *Henricus*, Notas Theologicas, Hiſtoricas, Criticas in Paſſionem, Crucifixionem, & Sepulturam J. Chriſti; Roſtochii an. 1661. in 4. & 1667. in 4. cum additionibus & Lipſiæ Germanice an. 1679. in 8. Quintus, ideſt *Andreas*, exercuit ſe ſe in Eclypſim præcedentem Paſſioni; Berolini an. 1665. Poſtremus hic, Pomeranus, & Miniſter Lutheranus Berolini obiit an. 1694. Reliqui quatuor Germani erant, & Lutherani.

Thomas Bartholinus, Danus, Haphniensis, Lutheranus, & Medicus, ſcripſit de Cruce Servatoris; Haphniæ an. 1651. in 12. Amſtelodami an. 1670. Veſalii an. 1672. Adjecit Diſſertationem in ſacrum Latus apertum; Lugduni Batavorum 1646. & Francofurti 1686. Obiit an. 1680.

Georgius Mobius in ſuis Diſputationibus ſelectis, impreſſis Lipſiæ an. 1694. in 4. egit de ſupplicio Crucis; quod pariter opus prodierat jam ibid. an. 1680. in 4.

Diſſertatio *Samuelis Reyeri*, Germano-Lutherani, & Profeſſoris Juris Kiloni, exercuit ſe ſe in Inſcriptiones Crucis; in Diſſert. Philolog. tom. 2. Kiloni an. 1694. in 4.

Godefridi Thilonis, Germano-Lutherani, Opus in Sepulcrum Jeſu Chriſti legitur in eodem tomo; prodieratque Wittembergæ an. 1675. in 4. De illo nos in Acta.

Oreiob, & non Aittob, ut male in noſtris impreſſis, diſſeruit de Sepulcro Jeſu Chriſti an. 1656. in 4. Scripſit etiam de Monte Olivarum ibid. 1656. in 4. de Cruce Servatoris 1655. in 4.

Jo. Andreas Schmidt in Sepulcrum Servatoris edidit Diſſertationem in 4. Ejuſdem Diſſertatio in terræ ſucceſſionem, quo tempore Jeſus paſſus eſt; Jenæ an. 1683. in 4. De aliis ejus Operibus nos in Vetus Teſtamentum.

Alius *Sebaſtianus Schmidt*, de quo nos ibidem, diſſeruit de ſermone Domini in monte peculiari Lucubratione; Argentorati an. 1684. in 4. Diſputationem etiam adornavit in Didragma a Jeſu Chriſto ſoluto; ibid. an. 1663. in 4. Sicut & alteram in ficum quam anathemate inuſſit; ibid. 1662. in 4.

Jo. Jacobi Chifflетii, Catholico-Burgundi, Equitis, & Medici primarii Philippi IV. Regis Hiſpaniarum, Opus in linteos ſepulcrales Jeſu Chriſti, volumen eſt in 4. Diſſerit ibi de vario ſitu ſepeliendi apud Judæos. Obiit an. 1640.

Quæ ſcripſit *Antonius Bynæus* in obitum Jeſu Chriſti juxta fidem quatuor Evangeliſtarum, Opus eſt in tres digeſtum libros, Concordiæ genus quoddam præferens. Prodiit Amſtelodami an. 1692. 1696. 1698. 3. vol. in 4. Diſſeruit etiam de Ortu, & Circumciſione Jeſu Chriſti; ibid. 1689. in 4. de ejus Sepultura; Dordrecti 1688. tertia Editio. Vir erat Germano-Calviniſta, defunctus an. 1695.

Edmundus Merillus, Trecenſis in Campania, e conſiliis Regis, & primarius Anteceſſor in Academia Burgunda, dedit Notas Philologicas in Paſſionem; Pariſ. an. 1632. in 8. & Helmſtadii an. 1657. in 4.

Nihil ſcriptum in Horas Paſſionis a *Friderico Ketenero* legimus apud P. le Long, ſed viciſſim recenſet aliud ejus opus, non minus grave, de quo nos in priorem Epiſtolam S. Jo. Vir erat Germano-Stolbergenſis, Lutheranus, & Miniſter generalis ſæculi 17 exeuntis.

Diſſertatio *Gullielmi Kieble* in Judam prodiit Francofurti an. 1675. & Lipſiæ an. 1676. in 8. tum in Critic. Sacr. tom. 9. Vir erat Germano-Lutheranus.

De ratione occludendi ſepulcra.

Chriſtophorus Reſtenſcher, & non Reſtenocher, egit de hoc argumento; Wittembergæ an. 1679. in 4. & in Diſſ. Philologica tom. 2. Vir erat Germano-Lutheranus Miniſter Gedani.

In varios Textus.

De dubiis Evangelicis *Friderici Spanhemii* jam ſatis ſupra.

Balthaſar Holbergius primo omnium dedit exercitationem Philol. in Genealogiam J. C. Wittember. 1663. in 4. Ibi pariter an. 1673. in 4. prodierunt ea, quæ ſcripſit de Magis, & ibi eodem anno quæ de veſte, & victu S. Jo. Baptiſtæ; tum & de more Veterum angariandi; *ibid.* 1684. in 4. De voce *Epiouſios*; *ibid.* 1685. in 4. De Sapientia vindicata per filios; *ibid.* 1679. in 4. De Herodianis; *ibid.* 1664. in 4. Vir erat Germano-Miſnienſis, Lutheranus, linguæ Græcæ Profeſſor Wittembergæ, obiit an. 1684.

Quam adornavit *Jo. Friſchmus* Harmonia ad conciliandum Prophetam cum Evangeliſta, excuſa eſt Jenæ an. 1662. in 4. Diſſertatio ejus in Agnum Paſchalem, *ibid.* 1674. in 4. in clamorem illum *Eloi* editum a Jeſu Chriſto morienſe; *ibid.* 1663. in 4. In pretium venditi Meſſiæ; *ibid.* 1672. in 4. Alias ejus Diſſertationes in Vetus Teſtamentum jam recenſuimus. Aliæ infra indicandæ ſuperſunt.

Pfeiffeli, Germano-Lutherani, Profeſſoris, & Concionatoris ſæc. 17. Diſſertatio in vocem *Epiouſios* prodiit Regiomontii an. 1680 in 4. In Proverbium Cameli *ibid.* 1679. in Signum Filii hominis, *ibid.* 1682. in 4. Actum eſt de illo in Lamech.

Diſſertatio *Joannis Deutſchman* in caput 16. 18. de Petra Eccleſiæ legitur in tom. 11. Criticorum Sacr. novæ Edition. pag. 250. In geminas diviſas ſectiones priorem diſtribuit in duo capita: in prima ſectione refert varias Textuum Verſiones, quarum & expoſitione vel analyſim ſubjicit: in altera abit in quæſtiones Philologicas, & Theologicas ad argumentum ſervientes.

Diſſeruit pariter de tribus tentationibus Jeſu Chriſti; Wittembergæ 1679. in 4. de Paſſione, *ibid.* 1672. in 4. de Sepultura Chriſti, *ibid.* 1672. in 4. de ejus Ortu, *ibid.* 1674. in 4. De illo, & aliis ejus Operibus ſatis nos in V. Teſtamentum.

Joannes Sommerius una cum *Philippo Pfeiffero* ſcripſit in Proverbium Cameli ad divites relatum, quorum Scriptorum Diſſertatio legitur in eodem tomo Criticorum Sacrorum pag. 157.

COROLLARIUM.

DISSERTATIONES ADDENDÆ IN S. MATTHÆUM.

EXamen Textuum Novi Teſtamenti, de quibus lis eſt inter Doctos, datum eſt a *Friderico Spanhemio* filio e priori capite hujus Evangeliſtæ uſque ad vigeſimum; dedit tertium alium Librum in reliqua capita. Opus iſtud prodiit Heidelbergæ an. 1663. in 4. & Lugduni Batavor. an. 1585. in 4. tum iterum in magna collectione Operum ejuſdem ſcriptoris. Nos iterum de illo in Judices.

Rudolphi Martini, Brandeburgenſis, Lutherani, Diſſertatio, qua vocatur in examen, num S. Matthæus Græce, vel Latine, an Hebraice ſcripſerit, prodiit Altorfii an. 1696. in 4. Obiit an. 1680.

Animadverſiones ſelectæ *Godofridi Olearii* Miſnienſis, Lutherani, Profeſſoris Lipſienſis, verſantur potiſſimum, & generaliter in S. Matthæum. Editæ ſunt Lipſiæ an. 1713. in 4. altera Editio. Diſſeruit pariter de Transfiguratione Jeſu Chriſti exponens Textum Evangeliſtæ: adjecitque animadverſiones alias in capita 16. 5. & 12. excuſas ibid. 1709. in 4. Vulgavit etiam Expoſitionem Dogmaticam, & oppoſitam Judaiſmo in Orationem Dominicalem Helmſtadii an. 1710. in 4. Obiit an. 1715.

Daniel Lagus, Germano-Lutheranus, Profeſſor Gryphiſvvaldiæ, adornavit Diſſertationes tres in S. Matthæum, impreſſas *ibidem* an. 1654. in 4. Obiit an. 1678.

David Schram, Lutheranus, Auguſtæ Vindelicorum, qui floruit an. 1625. ſcripto Opere in 8. cujus ignoramus annum, & locum impreſſionis, demonſtrat S. Matthæum primum eſſe omnium Evangeliſtarum, ideſt primum omnium ſcripſiſſe Evangelium.

Iſaacius Voſſius ſcripta Diſputatione illuſtravit In-

Digitized by Google

ſcriptionem Evangelii S. Matthæi ; Argentorati an. 1677. in 4. De illo nos cum de Diſſertationibus in Epiſtolam ad Romanos,

In Genealogiam Jeſu Chriſti.

Jo. Petrus Grunembergius, Germano-Lutheranus, & Miniſter generalis Roſtochienſis, defunctus an. 1706. vindicavit fidelitatem S. Matthæi in referenda Genealogia Jeſu Chriſti ; Roſtochii 1701. in 4.

Jo. Henricus Zanitz, Germano-Lutheranus, Diſputationem vulgavit in Genealogiam Jeſu Chriſti ſecundum S. Matthæum. Florebat ſæculo hoc ineunte.

Franciſcus Sixtus, Neapolitanus, & Carmelita, defunctus an. 1669. ſcripſit de eodem argumento, ſuumque illud opus vulgandum curavit Veneriis an. 1664. in 4. Addendus eſt *Paulus Slevogt*, Saxo-Lutheranus, Profeſſor linguarum Orientalium Jenæ, cujus de Genealogia Jeſu Chriſti Lucubratio prodiit an 1644. in quarto. Idem Argumentum vexavit *Carolus Zinck*, Friburgi an. 1648. in 12.

In Nativitatem Jeſu Chriſti.

Joan. Balthaſar Schuppe, Gleſſenus, & Miniſter Lutheranus Hamburgi, defunctus an. 1660. vulgavit opus inſcriptum : *Deucalion Chriſtianus* ; il eſt autem Diſſertatio in genuinam diem Nativitatis Jeſu Chriſti ; Marpurgi an. 1638. in 4.

Petrus Allixius, Calviniſta, adornavit Latinam, & eruditiſſimam Diſſertationem diſtinctam in 16. capita, in annum, & menſem Natalem Jeſum Chriſti ; Londini 1710. in 8.

In tres Magos.

Ægidius Strauch, Germano-Lutheranus, ſcripſit generatim in Magos ; Lipſiæ 1686. in 4.

Chriſtianus Notnagelius, ejuſdem & regionis, & religionis, in idem pariter argumentum exercuit ſe ſe, Opere impreſſo Wittembergæ an. 1652. in 4.

Joan. Olearius pater, Saxo-Hallenſis, Miniſter Lutheranus, defunctus an. 1684. adornavit ſeptem Diſſertationes in Magos 1672. in 4.

Haquinus Stridsberg, Dano-Lutheranus, Profeſſor Haphniæ, ſcripſit in idem argumentum, Lundis (*Londres en Scanie*) an. 1684. in 4.

Jacobus Fridericus Iſelius peculiari diſſertatione exercuit ſe ſe in Imperium Magorum in Perſide ; Baſileæ in Helvetiis an. 1707. Ipſe pariter natus eſt Baſileæ an. 1681. & an. ætatis 15. exorſus eſt carmen in Gallos. Operum ipſius catalogum habes in Bibliotheca Philologica tom. 2. pag. 313. 322.

Inter Opuſcula *D. de Marca* impreſſa Pariſiis in 8. an. 1681. legitur Diſſertatio in Genealogiam Jeſu Chriſti, & in Magos, qua ſcilicet diſquiritur, num Reges habendi ſint, uti communi opinione receptum eſt. Vir erat Bearnenſis, & poſt cathedram Toloſanam, & Conſerranenſem, tandem tranſiit ad Pariſienſem. Ingenti Operum qua Eccleſiaſticorum, qua Hiſtoricorum numero claruit. Obiit an. 1662.

Creſonius Grammus, Germano-Lutheranus, Medicus, & Profeſſor literarum Græcarum Kilonii, peculiari Exercitatione vexavit argumentum de ſtella, quæ Magis iter Bethleemiticum ſignavit ; Kilonii an. 1670. in 4. De illo nos ad Geneſim. Vide in Loth.

Georgius Green, Germano-Lutheranus, & Concionator Saxo, dedit peculiarem Exercitationem in Herodem, qui venientes Magos Hieroſolymæ excepit ; Wittembergæ 1675. in 4.

Vir Germanus alter, & Lutheranus *Fridericus Madevviſe*, phiſica Diſſertatione exercuit ſeſe in Sydus illud Magorum ; Kilonii an. 1670. in 4. Idem argumentum vexavit *Joakim Roſenave*, Profeſſor Lutheranus Gryphiſvvaldiæ, cujus opus ibi prodiit an. 1657. in 4. Jungendus *Samuel Vverenrus*, qui Lucubrationem ſuam edidit Regiomontii an. 1681. in 4.

In S. Joannem Baptiſtam, & in Baptiſmum Jeſu Chriſti.

Georgius Gaſpar Kirchmaierus egit de victu, & veſtitu S. Joannis Baptiſtæ ; Wittembergæ an. 1684. in 4. De illo nos in Vetus Teſtamentum. Quæ ſcripſit de hoc S. Præcurſore S. Matthæus illuſtravit *Otho Burchardus Pfannerus* ; *Ibid.* an. 1682. in 4. Vir erat Germano Lutheranus. Addendus & *Paulus Rabe*, ejuſdem nationis, & Religionis, qui pluribus exercitationibus vexavit argumentum de victu, & veſtitu S. Jo. Regiomontii an. 1691. 1693. in 4.

Jo. Henricus Hasseus, Germano-Lutheranus, edita Diſſertatione illuſtravit oraculum illud cœlitus datum, cum Jeſus Chriſtus tingeretur baptiſmate : *Hic eſt filius meus dilectus* ; Diſſert. Philolog. tom. 2.

Hieron. Kromayerus ſcripſit de baptiſmo J.C. juxta S. Matthæum ; Lipſiæ an. 1672. in 4. De hoc viro infra.

In Parabolas Servatoris.

Chriſtianus Hoffmannus, Germano-Lutheranus, ſcripſit de ficu diris devota a Jeſu Chriſto ; Jenæ 1670. in 4.

Joan. Simon, Germano-Lutheranus, idem argumentum illuſtravit ; Francofurti ad Oderam an. 1680. in 4.

Jacobus Vvolfius, Germano-Lutheranus, diſſeruit de Camelo locupletibus comparato ; Gryphiſvvald. an. 1706. in 4.

Jo. Henricus Majus, cujus indicavimus Harmoniam Evangelicam, egit pariter & de Jota, & Apice, de quibus Matthæi 5. 18. Giſſen an. 1692. in 4.

In Transfigurationem Jeſu Chriſti.

Exercitatio *Chriſtophori Sontags*, nam S. Matth. Græce ſcripſerit, edita eſt Altorfii an. 1696. in 4. Ibi pariter an. 1695. in 4. ejus animadverſiones in Hiſtoriam Transfigurationis. De illo nos aliquid ſupra in V. Teſtamentum. Vir erat Germano-Lutheranus, Linguarum Orientalium Profeſſor. Obiit an. 1717.

In Abominationem deſolationis.

Gerardus Outhove ſcripta Diſſertatione probare conatur abominationem deſolationis in loco Sancto, de qua Matt. 24. 15. 16. exponendam eſſe de exercitu Romano, qui deſolavit terram, & cujus meminit Daniel in. 11. in Biblioth. Philol. tom. 3. pag. 625. 661. *Fridericus Trimpe* diſſeruit pariter de eodem argumento, legiturque ibid. pag. 990. 1036.

In Paſſionem Jeſu Chriſti.

Adam Herolsius, Scriptor Lutherano-Germanus, egit de poſtremo Paſchate Paſſionem Jeſu Chriſti præcedente ; Wittembergæ an. 1682. in 4.

Jo. Fridericus Hekelius, Germano-Lutheranus, de tranſitu torrentis Cedron ; Cygneæ an. 1676. in 4. In veſtem purpuream, qua derediculo tractatus eſt Servator ; in coronam Spinarum, & arundinem ; *Ibid.* 1663. & 1675. in 4. 2. vol. in Inſcriptionem Crucis ; Miſnæ an. 1675. in 4.

Jo. Chriſtophorus Zabbarsen, Germano-Lutheranus, idem argumentum vexavit ; Altorfii 1616. in 4.

Stephanus Morinus, Cadomenſis, Calviniſta, ſcripſit Diſſertationem in horas Paſſionis ; Lugd. Batavor. an. 1686. in 8. Egimus jam de illo in Machabæos. Profeſſus eſt linguas Orientales Amſtelodami. Obiit an. 1700.

Pippingus in ſuis memoriis Michaelinis egit de opere Joan. Michaelis in duos Latrones, & Judam Iſcariotem.

Chriſtophorus Benſtelius, Germano-Lutheranus, exercuit ſeſe in Bethphage ; Lipſiæ an. 1686. in 4.

Jo. Jacobus Feriſobus, Lutheranus, Archidiaconus Altemburgenſis, egregiam Diſſertationem adornavit de titulo Crucis ; Jenæ 1664. in 4. Cum autem obierit an 1657. vel poſthumum ejus opus cenſendum eſt, vel ſecunda ejus editio paruit, quod nemini adnotare viſum eſt.

Andreas Hojerus, Germano Lutheranus, illuſtravit poſtrema verba Jeſu Chriſti morientis ; Dantiſci an. 1626. in 4.

Joannes Hoornbeck, Hollando-Calviniſta, & Profeſſor Leidenſis defunctus an. 1666. exercuit ſe ſe in poſtremum Paſcha, & Crucifixionem. Lege Miſcellanea ejus ſacra lib. 1. an. 1677. in 4. De illo nos in Vetus Teſtamentum.

Jo. Georgius Neumannus, Profeſſor Lutheranus Wittembergæ, defunctus an. 1709. edidit Diſputationem in Spongiam, qua potus oblatus eſt Jeſu Chriſto. Lege Diſſertationes ejus Academicas; Wittembergæ an. 1700., in 8. Diſſeruit & de triduo ſepulturæ Jeſu Chriſti, & deſcenſu ejus ad Inferos in ſuis Programmatibus excuſis ibidem an. 1703. in 4.

Auguſtinus Pfeifferius, de quo nos in Vetus Teſtamentum, egit de idiomate Galilæo, cujus indicio agnitus eſt S. Petrus; Dreſdæ an. 1699. in 4. *Andreas Quenſtedius*, de quo pariter ibidem, eruditionis ſuæ nervos omnes intendit in precem Jeſu Chriſti in horto Olivarum; Wittembergæ an. 1675. in 4.

Chriſtianus Rohrenſens, de quo nos in Reges ad *Goliath*, illuſtravit morem ſcindendi veſtem, occaſione ſciſſæ a Sacerdote veſtis tempore Paſſionis, qua de in Matthæi 26. 65. Wittembergæ an. 1668. in 4.

Chriſtophorus Schlegelius, ſive *Slegelius*, de quo ad Melchiſedech, exercuit ſe ſe in agrum ſanguinis emptum pretio 30. denariorum. Prodiit opus Hamburgi an. 1673. 3. Editio. P. le Long Slegelium appellat, & in duos Auctores diſtinguit.

Joannes Schmide ſcripſit in morem liberandi captivos per Feſtum Paſchæ, occaſione Barabbæ liberati in Paſſione Jeſu Chriſti; Lipſiæ an. 1687. in 4. Alter eſt a Schmidt, de quo nos ſupra in V. Teſtamentum. Vir erat Germano-Lutheranus, & Profeſſor Lipſiæ.

Henoch Svanten, Germano-Lutheranus, differendum ſibi propoſuit de lancea fodiente latus Jeſu Chriſti; Roſtochii an. 1686. in 4. *Chriſtophorus Tobias Vvideburg*, Germano-Lutheranus, & Profeſſor Helmſtadii, diſſeruit de tenebris; Helmſtadii an. 1684. in 4.

Gaſpar Sagittarius, Germano-Cizicenſis, ſcripſit hiſtoriam Paſſionis juxta S. Matthæum, cum animadverſionibus Theologicis, Philoſophicis, Philologicis, & Hiſtoricis; Jenæ 1684. in 4. Egit pariter de veſte purpurea, qua per ignominiam indutus eſt Jeſus Chriſtus, & de lancea; *ibidem* an. 1672. 1673. 2. vol. in 4. obiit an. 1694.

Jo. Fridericus Scharff diſſeruit peculiariter de Crucifixione, & generalem etiam dedit hiſtoriam de Paſſione Hominis Dei; Wittembergæ an. 1666. in 4. & Jenæ an. 1676. in 4. Vir erat Germano-Lutheranus.

In ſcelus Judæ.

Martini Kempii, Germano-Lutherani, & Hiſtoriographi Electoris Brandeburgici, Lucubratio in oſculum, quo Judas Magiſtrum ſuum tradidit manibus Judæorum, edita eſt Francofurti an. 1680. in 4. tertia editio aucta. Obiit an. 1682.

Georgius Gorſius de ſupplicio Judæ; Jenæ 1661. in 4. Vide in S. Lucam.

Jacobus Gronovius, Germano-Daventrenſis, Calviniſta, & Profeſſor Hiſtoriarum Lugduni Batavorum defunctus an. 1706. Exercitationes Academicas ſcripſit in lapſum Judæ; Lugd. Batavorum an. 1683. in 4. & 1702. cum vindiciis adverſus Perizonium. Juvat animadvertere Exercitationes dediſſe Joannem Fridericum Gronovium patrem Jacobi; vindicias vero filium ipſum adornaſſe. Probat ille Evangeliſtas perſpicue mentem ſuam expoſuiſſe dum obitum Judæ narrant, adeoque merito Gronovium patrem ſuum laboraſſe in conciliandis iis, quæ leguntur in Evangelio S. Matthæi cum Textu S. Lucæ in Actis.

Ad duo hæc Opera quod attinet, addemus hic, nullum umquam Tragicum argumentum majori ſtyli cultu luxuriaſſe. Declamatio eſt tanta eloquentiæ gloria coruſcans, ut Lectores perſtringat, & fœcunda adeo, ut ingens Volumen viginti capitum impleat.

Diſſertatio *Joannis Perizonii*, Batavi, Calviniſtæ, Profeſſoris Leidenſis idem argumentum diſcutit adverſus Gronovium. Leidæ an. 1702. in 4. Obiit an. 1715.

In ſententiam Pilati.

Guilielmus Gorzius Scriptum ſuum in ſententiam datam a Pilato in Prætorio adverſus Jeſum Chriſtum, vulgavit Hagiæ 1677. in 4. & 1681. altera Editio.

Daniel Havenac, Germano-Lutheranus, edita Diſſertatione Lipſiæ an. 1676. in 4. refutat alteram Joannis Stellerii, qui Pilatum defendere aduiſus eſt. Fictum præfert nomen Maphanatia.

In eos qui una cum Jeſu Chriſto redierunt in vivos.

Joannes Georgius Michaelis ſcripta Exercitatione diſſeruit de Sanctis una cum Jeſu Chriſto revocatis ad vitam, defenditque illos ſecundum interitum non ſubiiſſe, ſed una cum Jeſu receptos fuiſſe inter Beatos. Legitur in Biblioth. Philolog. tom. 3. pag. 707. 733.

Tres quæſtiones adjecit *Fridericus Lampe*; hiſce autem diſquirit; 1. Quinam viri Sancti ad vitam revocati ſint; 2. Cur S. Matthæus prodigium hoc alteri de terræ ſuccuſſione junxit; 3. Quid miracula illa typo ſuo expreſſerint. In eodem tomo p. 734.

In varia argumenta.

Fridericus Chriſtophorus Neubour diſſeruit de Battologia Paganorum in ſuis precibus, ad illuſtrandum illud Matthæi 6. 7. Legitur in Biblioth. Philolog. tom. 2. p. 613. 640.

Iſebrandus Arckenvoth Diſſertationem ſcripſit in Rachelem, de qua in cap. 2. 18. *ibid.* tom. 5. p. 1095.

Jo. Georgius Schalhornius dedit animadverſionem in ſervum infidelem, ad illud cap. 24. 51. *ibid.* p. 1111.

Iſebrandus Eilhardus Harkenroth Diſſertatione topographica, & theologica vexavit argumentum de monte, quo Chriſtus a Diabolo tranſlatus eſt, & ubi pariter transfiguratus apparuit; *ibid.* tom. 6. p. 969. 989. *Theodorus Haſæus* Animadverſione ſua idem pariter argumentum illuſtravit; *ibid.* p. 990. 1004.

Joan. Outrein diſſeruit de voce *Multi*, ad cap. 8. 2. expoſuitque pariter quinam ii ſint qui venturi prædicuntur ex Oriente in Occidentem. *ibid.* p. 1071.

Joan. Michaelis, alius ab eo de quo ſupra, uſum Phylacteriorum apud Judæos expoſuit; Jenæ 1604. in 4. Ambo viri erant Lutherani; prior ille in exordio ſæculi 17. alter vero defunctus an. 1686. natuſque Roſtochii Miniſtrum Generalem in Comitatu Oldemburgenſi egit.

Jo. Andreas Danzius exercuit ſe ſe pariter in Phylacteria, de quibus in cap. 23. 5. Wittembergæ an. 1682. in 4. In pœnam talionis ad cap. 5. 38. 39. Jenæ an. 1700. In valetudinem die Sabbati reſtitutam; *ibid.* p. 1699. De hoc viro nos ſupra ad Cain.

Geminæ diſſertationes *Simonis Friderici Frentzelii*, Germano-Lutherani, prodierunt Wittembergæ an. 1677. & 1679. 2. vol. in 4. Harum prior agit de Sidere Magorum, altera de Corona ſpinea.

Diſſertatio in unctionem, de qua in cap. 26. S. Matth. *Georgii Henrici Gerzii*, Germano-Lutherani, Miniſtri Generalis Lubecæ; Lipſiæ an. 1687. in 4. Dedit & alteram de Centurione Paſſionis ad c. 27. impreſſam an. 1698. in 4.

Jo. Henricus Vuillemer, de quo nos in Reges, diſſeruit de Saducæis, & Eſſeniis. Wittembergæ an. 1680. & 1681. 2. vol. in 4.

Henricus Opitius, de quo nos ad Vetus Teſtamentum, de Phariſæis ad cap. 23. 33. Kilonii an. 1680. qua voluminis forma ignoramus.

Jo. Guillelmus Kirmeierus, de quo ad Jonam, ſcripſit de pane quotidiano, & de ſepolcro J. C. Wittemberg. an. 1711. 2. vol. in 4. *Jo. King*, Germano-Lutheranus, egit de Jejunio Jeſu Chriſti; *ibid.* an. 1676. in 4.

Albertus Joakim Kruckewitz, Germano Lutheranus, Miniſter Generalis in Pomerania, ſcripſit de unctione Mariæ, & in Paſſionem J. C. Roſtochii, & Kilonii an. 1703. in 4.

Sebaſtianus Niemannus, Lubecenſis, Lutheranus, & Miniſter Generalis, defunctus an. 1684. exercuit ſe ſe in jejunium J. C. & in poſtremum Paſcha; Kilonii an. 1663. & 1670. 2. vol. in 4. *Georgius Neumannus*, de quo nos ſupra, illuſtravit Orationem Dominicalem; Wittembergæ an. 1708. in 4.

Iſaacius Lauterbach, Germano-Lutheranus, laboravit in annos miniſterii Jeſu Chriſti. Prodiit opus Altorfii an. 1700. in 4.

Andreas Kunade, de quo nos in Epiſtolam ad Galatas, excuſſit argumentum de Tentatione in Deſerto; Wittembergæ an. 1653. in 4. De Confeſſione S. Petri *ibid.* 1652. in 4. De iis qui redierunt in vivos tempore Paſſionis an. 1654. in 4.

Jo. Nicolaus Roſte, Germano-Lutheranus, diſſeruit de zonis Veterum, de quibus in cap. 10. 9. Jenæ an. 1682. in quarto.

Eberardus Rodolphus Roth, de Thephilim vel Ligamentis in capite, & brachiis Judæorum; *ibid.* an. 1674. in 4. Vir erat ejuſdem & gentis, & Religionis.

Fridericus Stapelih de Caligis Veterum, de quibus in cap. 6. 10. Wittembergæ an. 1657. in 4. *Jo. Andreas Schmidius de Num-ſmate cenſus*, ad cap. 2. 19. *ibid.* an. 1683. in 4. Germani ambo, & Lutherani.

Jo. Fridericus Mayerus, de quo nos in Vetus Teſtamentum, diſſeruit de iis, qui docuerunt Jeſum Chriſtum; Gryphiſwaldiæ an. 1704. in 4. De oratione Dominica, *ibidem* 1706. in 4. De ſeptem verbis Jeſu Chriſti in Cruce, ibidem eodem anno. Reliqua ejus opera indicavimus in S. Lucam, & in Acta.

Daniel Guilielmus Mollerus, Hungaro-Lutheranus, & Profeſſor Hiſtoriarum Altorfii Diſputationem adornavit in quatuor Evangeliſtas, in adorationem Magorum, in Publicanos, in Columnam flagellationis; Altorfii an. 1669. 1703. 4. vol. in 4.

Adam Rechembergius, Diſſertatione illuſtravit vocem *Kosmos*, qua utitur S. Matthæus; Lipſiæ an. 1686. in 4. Alteram etiam ſcripſit in illud Jeſu Chriſti, Prophetam ſcilicet in patria ſua temni; *ibid.* 1672. in 4. Scripſit & de Phariſæis; *ibid.* 1679. In Proverbium illud Jeſu Chriſti, de quo in capita 24. 27. 28. *ibid.* 1696. De hoc viro nos ſupra in Ezechielem, & infra in Acta.

Georgius Wolfgangus Vedelius diſſeruit de obitu Judæ in ſuis Exercitationibus Philolog. editis Jenæ an. 1686. Omnium primam hanc dedit. In latus apertum Jeſu Chriſti; *ibid.* 1687. prima eſt Exercitatio tertiæ Decadis in 4. Secunda Exercitatio eſt in ſudorem ſanguineum; *ibid.* Prima quartæ Decadis in Unguentum Mariæ; *ibid.* 1689. in 4. Tertia Exercitatio in Orationem Dominicam; *ibid.* Succedit altera in Paralyſim famuli Centurionis; *ibid.* Tertia in ſemen ſinapis. Septima in Unctionem Chriſti; *ibid.* Secunda Exercitatio quartæ Decadis eſt in hyſſopum labiis Jeſu Chriſti oblatum; *ibid.* 1694. in morbum ſocrus S. Petri; *ibid.* Exercitatio quarta. Quinta Exercitatio in Mentham, anethum, & cuminum Phariſæorum; *ibid.* Octava in Coronam ſpineam. Prior Exercitatio primæ Decadis ſecundæ Centuriæ eſt in cenſum Auguſti. De hoc viro nos ſupra ad Reges, & Job, & infra.

Joannes Wandalinus, de quo nos in Vetus Teſtamentum, expoſuit ea, quæ effatus eſt Jeſus de Scriba docto in Regno Cœlorum; Hagenoiæ an. 1663. in 4. Scripſit & Diſſertationem in Feriam Paſſionis, & triduum ſepulturæ adverſus Claudium Langium; Lipſiæ 1652. in 4. & in Diſſertationibus Grævii; Ultrajecti an. 1702. in 4.

Gottofridus Vorgnietius, de quo nos in Vetus Teſtamentum, dedit adnotationes in Infantiam, Baptiſmum, & Tentationem Jeſu Chriſti; Lipſiæ an. 1705. in 4. Scripſit & in ſtylum S. Matthæi; *ibid.* 1696. in 4. In locum natalem Jeſu Chriſti; Francofurti 1663. in 4. In triduum mortis Jeſu Chriſti; in ſuis Diſſertationibus Hiſtoricis, & Philologicis.]

COMMENTARIA IN S. MARCUM.

S. *Theophilus Antiochenus*, de quo ſupra, in S. Marcum, & Matthæum Commentaria adornavit.

Catena Græcorum Patrum in Marcum interp. P. Poſſino. Rom. 1673. fol.

Victor Presbyter Antiochenus, ineunte ſæculo quinto, vel labente quarto, ſimili ſcriptionum genere in Marcum claruit. Ejus opus e Græco Latinum a Peltano redditum, impreſſum eſt Ingolſtadii 1580. & Latine in Bibliot. Patrum tom. 4.

Vide etiam in quatuor Evangelia *Bedam*, *Theophylactum*, *Zachariam Chryſopolitanum*, *Euthymium*, aliosque plures:

Extat inter opera S. Chryſoſtomi *Edit. Par.* t. 2. Commentarium in Marcum, quod tamen recentioris eſſe Authoris opus, vulgo conveniunt.

Simili fide ſub S. Hieronymi nomine Commentarium in Marcum vulgatum eſt in nov. Edit. 5. pag. 886. indignum plane tanto Doctore opus; alterum tamen illud a Commentario in quatuor Evangelia in eodem tomo impreſſo, atque nomine ejuſdem Patris inſcripto.

Fragmenta quædam in Marcum ſub Joannis Jeroſolymitani nomine circumferuntur.

Inter Recentiores vulgata ſunt opera utriuſque *Janſenii* Gandavenſis, & Iprenſis, *Maldonati*, *Contzen*, *Cornelii a Lapide*, *Barradii*, *Didaci Beza*, *Jo. Suarez* Epiſcopi Conimbricenſis, *Joan. Gerſonis*, *Angeli de Paz*, *Lucæ Brugenſis*, *Eraſmi*, *Laurentii Vallæ*, *Stanislai Socolovii*, *Caroli Mariæ de Veil*, *Lamberti Danæi*.

Jo. Hofmeiſter in Lucam, & Marcum 1562. fol.

Inter Proteſtantes extant *Grotius*, *Beza*, *Piſcator*, *Cameron*, *Zegerus*, *Revius*, *Schmids*, *Hammondus*, *Clericus*, *Lightfootus*, *Chemnitius*, *Druſius*, &c.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN S. MARCUM.

MEntem noſtram in Lucubrationem inſcriptam nomine *Theophyli Antiocheni*, jam ſupra explicavimos. Addemus hic tantum, nihil ejus peculiare datum eſſe in S. Marcum; quod autem ipſi tribuitur, Commentarius eſt minus, quam ſimplex expoſitio locorum quorundam quatuor Evangeliſtarum.

Latina editio Commentarii, ſeu potius Scholiorum *Victoris Antiocheni*, volumen eſt non majus, quam in 8. ſed P. Poſſinus dedit id totum Græce, & Latine Romæ an. 1673. in fol. Idem eſt autem opus ac catena a nobis indicata. Richardus Simonius cenſet apocryphum eſſe opus, excerptum e variis Authoribus. D. Dupin alia inſidet ſententia; docetque Victorem poſt expoſitam literam, addere morales animadverſiones.

Commentarius, ſeu potius fragmenta Commentarii, vulgatus nomine *Joannis Jeroſolymitani*, excuſus eſt cum cæteris tributis ipſi operibus, Bruxellis an. 1643. in fol. 2. vol. In Catena S. Thomæ Commentarius iſte tribuitur S. Chryſoſtomo.

Joannes Suarez, Luſitanus, ex Eremita Auguſtiniano Epiſcopus Conimbricenſis, qui in Concilio Tridentino non infimus claruit, dedit Homilias in S. Marcum ſeorſum excuſas Pariſiis an. 1604. tertia Editio. Obiit an. 1580.

Joannes Gerſon duas tantum adornavit Lectiones in S. Marcum, quas legas Oper. tom. 4. novæ edit. impreſſæ Amſtelodami an. 1706. in fol.

Præpoſtere in noſtris impreſſis recenſiti ſunt duo viri *Stanislaus*, *Socolovius*; unus eſt enim idemque *Staniſlaus Socolovius*, cujus Adnotationes in S. Marcum prodierunt junctim cum aliis ejus in S. Matthæum Operum ipſius tom. 2. Cracoviæ an. 1594. in fol. Vir erat Luſitanus, Canonicus Cracovienſis, & a Concionibus Regis Stephani.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM IN S. MARCUM.

CArolus *Maria de Veil*, & non *Veſel* uti male in noſtris impreſſis, dedit Adnotationes in S. Marcum junctim cum aliis in S. Matthæum, impreſſas tertia edit. Lond. an. 1678. in 8. De illo nos in S. Matthæum.

Jacobus Gretſerus in ſuo opere de Cruce excuſo Ingolſtadii an. 1616. in fol. in calce libri 3. tom. 1. inſtituit diſputationem de vino, & vaſis mirrhæ, qua nititur conciliare S. Marcum cum S. Luca. Vide ejus ſynopſim in Biblioth. Eccleſiaſt. D. Dupini tom. 1. ſæcul. 17. p. 208. 212. Natus Marckdorfii Jeſuitam egit. Obiit an. 1625.

Lambertus Danæus, Aurelianenſis, Calviniſta, Quæſtionibus, & Scholiis illuſtravit S. Marcum. Prodiit opus Genevæ an. 1594. in 8. Obiit an. 1596.

Joannes Hofmeiſter, Germano-Colmarienſis, inter Auguſtinianos profeſſos, & immortuus an. 1547. dedit Commentarium

cium impreſſum junctim cum altero in s. Matthæum, & s. Lucam; Coloniæ 1572. in 8.

Henricus Hammondus, Anglo-Arminianus, nihil peculiare ſcripſit in s. Marcum, ſed æque in totum Novum Teſtamentum; quod pariter adnotamus de cæteris recenſitis Proteſtantibus, excepto *Joanne Voinskriman*, cujus Commentarius in s. Marcum junctim cum altero in s. Lucam prodiit Wittembergæ an. 1706. in fol. Vide ſupra.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN S. MARCUM.

VIde Præfationem *Cornelii a Lapide* in s. Marcum, ubi de originali hujus Evangeliſtæ, quod Venetiis aſſervatum ferunt; in quam rem laudat Diſſertationem Paganini Gaudentii Profeſſoris Piſani.

Vide etiam *Spanhemium* de Hiſtoriæ Evangelicæ Scriptoribus, & in ſpecie de Marco Evangeliſta in nov. edit. Leid. 1703. tom. 2. pag. 225. Conſule etiam noſtram Præfationem in Marcum, & Tillemontium.

Balt. Otto de Nardo piſtica. Marc. 14. 3. *Theſ. Th.*

Godofridus Eckard de eadem. *ibid.*

Nicolai Fabri de myrrhata potione. *Critic. Magn.*

Franc. Voerger Conciliatio Marci, & Joannis ſuper horam, qua crucifixus Chriſtus. Marc. 14. 25. Vide & Inſeqq. de eodem argumento, ſicut Novum Teſtamentum Millii.

Item *Salomon Deyling.* de eodem argumento *Obſerv. ſacr. tom.* 1. Ejuſdem de tempore ficuum, in Marc. 11. 13. *ibid. tom.* 3. *cap.* 39.

[*In Unguenta.*

Diſſertatio *Balthaſaris Ocli*, Lutherano-Miſnienſis, in unguentum Mariæ; Lipſiæ an. 1673. in 4. Diſſertat. Philolog. tom. 2.

Ibi pariter legitur Diſſertatio *Chriſtiani Foſolsi*, Lutherano-Wittembergenſis, quæ jam prodierat Wittembergæ an. 1669. in 4.

Diſſertationem *Nicolai Fabri* jam indicavimus ad S. Matth.

In Divinitatem Jeſu Chriſti.

Gerardus Outhove, Miniſter Lutheranus Emdani in Friſia edidit Diſſertationem in illud capitis 4. 39. qua Divinitatem Jeſu Chriſti demonſtrat ex imperio ejus facto ventis, & mari. Legitur in Bibliotheca Philolog. Haſæi tom. 1. pag. 62. partis ſecundæ. Conciliat ibi pariter hunc textum s. Marci cum alio s. Matthæi 8. 26 & s. Lucæ 8. 24. Alia etiam adornavit opera in Sacram Scripturam, de quibus *ibid.* pag. 194. 205.

In Levi.

Theodorus Haſæus ſcripta Diſſertatione probat Levin appellatum ad Apoſtolatum alium eſſe virum a s. Matthæo, contra receptam vulgo opinionem; eundem vero cum Juda Thaddæo, ad cap. 2. 14. Legitur in eadem collectione tom. 5. pag. 475. 506. Conciliare nititur s. Lucam cum s. Marco in idem argumentum.

Jo. Chriſtophorus Biel dedit Animadverſionem in idem argumentum, *ibid. tom.* 6. p. 1038.

In varia Argumenta.

Joannes Petrus Grunembergius, de quo nos ſupra in s. Matthæum, ſcripſit in cap. 9. 48. s. Marci, ad illud *Salietur igne*. Prodiit opus Roſtochii an. 1702. in 4.

Jo. Georgius Hussenius, Germano-Lutheranus, & Miniſter generalis, diſſeruit de potu amaro propinato Jeſu Chriſto morienti, Gubæ an. 1673. in 4.

Gabriel Rechaenus, Germanus & ipſe Lutheranuſque, Miniſter Graſendorffii, adornavit Harmoniam quatuor Evangeliſtarum in hiſtoriam mulierum, de quibus in cap. 16. s. Marci. Opus inſcripſit: *Dioſcopſis* Theologica; Wittembergæ an. 1619. in 4.

Daniel Spigelius, Germano-Lutheranus, de Sabbato *Dierum* ad idem caput; ibid. 1688. in 4.

Diſſion. Bibl.

Joan. Andreas Stelch, Germanus pariter, & Lutheranus, de lacrymis Apoſtolorum ad cap. 16. 10. *ibid* an. 1688. in 4.

Georgius Fodelius diſſeruit de Extaſi Jeſu Chriſti, ad cap. 3. 21. in ſua Exercitatione quarta. In quinta agit de ejus Agonia. Vide in S. Matthæum.]

COMMENTARIA IN S. LUCAM.

B*Althaſaris Corderii* Catena Græcorum Patrum in Lucam, & Joannem.

Origenes ejus Evangelii interpretationem 39. homiliis uſque ad 20. caput proſequutus eſt.

Tertullianus l. 4. in Marcionem plurimum in hoc Evangelium excurrit.

Theophilus Antiochenus Commentarium allegoricum in s. Lucam adornavit.

S. Ambroſius, Titus Boſtrenſis, Theophylactus, Euthymius, Beda, S. Bonaventura, Author quidam Commentariorum in quatuor Evangelia inter opera S. Hieronymi, *Joan. Jeroſolymitanus, Zacharias Chryſopolitanus* eodem ſcriptionum genere claruerunt.

S. Bernardus cap. 1. a ℣. 26. *Miſſus eſt Gabriel*, uſque ad: *Ecce Ancilla Domini*, expoſuit. Chriſtiani Drutmari Monachi Corbejenſis epitome in Luc.

S. Hieronymus Epiſt. ad Damaſum T. 4. pag. 149. nov. edit. parabolam filii prodigi illuſtrat.

Inter Recentiores cenſentur: *Cajetanus, Didacus Stella*, ambo *Cornelii* Yprenſis, & Gandavenſis, *Angelus de Paz, Joan. Maldonatus, Franciſcus Toletus* in 12. priora capita, *Joan. Servius, Sebaſtianus Barradius, Gotolovius, Conzeo, Cornelius a Lapide, Lucas Brugenſis, Eraſmus*; ut ſcriptores in quatuor Evangelia prætercam.

Inter Proteſtantes, omnes ferme, qui in S. Matthæum, in Lucam pariter ſcripſerunt; videndi autem ſunt, ſive in Magnis Criticis, ſive in Synopſi. *Joan. Pelsæus* loca quædam duorum priorum capitum illuſtravit. *Franciſcus Gomarus, Chriſtophorus Pelargus, Joan. Bunsius, Joan. Vinkelman, Franciſcus Lambertus* in S. Lucam ſe ſe exercuerunt.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN S. LUCAM.

CAtena *Balthaſaris Corderii* prodiit Antuerpiæ Græce, & Latine an. 1628. fol. digeritur ex 65. Patribus Græcis, habeturque ceu Introductio quædam ad expoſitionem quatuor Evangeliſtarum. Adjecit & adnotationes, ſupplevitque excerpta Patrum, qua Græcorum, qua Latinorum. Cave credas junctum eſſe opus Catenæ ipſius in S. Joannem, uti nobis excidit; contrarium enim demonſtrabitur ad S. Joannem.

Origenis Homiliæ 39. nonniſi Latine ſuperſunt e verſione S. Hieronymi in Editionibus Latinis.

Commentarius *S. Ambroſii* in decem libros diſtributus legitur in tomo primo novæ Edit. pag. 1252. Id maxime ſtudet Vir ſanctus, ut conciliet quatuor Evangeliſtas in iis, in quibus repugnare ſibi invicem videntur. Exponit ſenſum naturalem, & hiſtoricum, ſæpe etiam & myſticum, refutatque hæreſes omnes ſui temporis injuriæ aliquid inferentes in Divinitatem Jeſu Chriſti. Videſis judicium D. Simonis in ſua Hiſtoria Critica Novi Teſtamenti cap. 14. pag. 207. Præfationem, qua exhibentur quæcumque ſinguli Evangeliſtæ ferunt peculiaria, probatque omnis ætatis Eccleſia nonniſi quatuor Evangelia agnoviſſe, maximi æſtimat D. Dupin.

Commentarius *Titi Boſtrenſis* in S. Lucam Latinus ex Verſione Peltani editus eſt Ingolſtadii an. 1580. in 8. & Græce ac Latine in Bibliotheca Patrum Græcorum tom. 4. pag. 772. & in Bibliotheca Latina Lugdunenſi tom. 4. p. 415. Opus eſt autem non unius ejuſdemque Authoris, ſed ex pluribus Patribus collectum, uti apertiſſime demonſtrat inſcriptio manuſcripti Bibliothecæ Regiæ num. 2320. quæ facile debentur Authori ſeculi 6. Epiſcopum in Arabia Petræa agebat Titus, obiitque an. 371.

Expoſitio *Sancti Bonaventuræ* in S. Lucam legitur in

Iſaacius Laverbech, Germano-Lutheranus, laboravit in annos miniſterii Jeſu Chriſti. Prodiit opus Altorfii an. 1700. in 4.

Andreas Kunade, de quo nos in Epiſtolam ad Galatas, excuſſit argumentum de Tentatione in Deſertu; Wittembergæ an. 1653. in 4. De Confeſſione S. Petri *ibid.* 1652. in 4. De iis qui redierunt in vivos tempore Paſſionis an. 1654. in 4.

Jo. Nicolaus Rosſe, Germano-Lutheranus, diſſeruit de zonis Veterum, de quibus in cap. 10. 9. Jenæ an. 1681. in quatro.

Ebrardus Rodolphus Roth, de Thephilim vel Ligamentis in capire, & brachiis Judæorum; *ibid.* an. 1674. in 4. Vir erat ejuſdem & gentis, & Religionis.

Fridericus Stapelik de Caligis Veterum, de quibus in cap. 10. 10. Wittembergæ an. 1657. in 4. *Jo. Andreas Schulten de Num-ſmate cenſus*, ad cap. 2. 19. *ibid.* an. 1685. in 4. Germani ambo, & Lutherani.

Jo. Fridericus Maternus, de quo nos in Vetus Teſtamentum, diſſeruit de iis, qui docuerunt Jeſum Chriſtum; Gryphiſwaldiæ an. 1704. in 4. De oratione Dominica, *ibidem* 1706. in 4. De ſeptem verbis Jeſu Chriſti in Cruce, ibidem eodem anno. Reliqua ejus opera indicavimus in S. Lucam, & in Acta.

Daniel Guilielmus Mollerus, Hungaro-Lutheranus, & Profeſſor Hiſtoriarum Altorfii Diſputationem adornavit in quatuor Evangeliſtas, in adorationem Magorum, in Publicanos, in Columnam flagellationis; Altorfii an. 1669. 1703. 4. vol. in 4.

Adam Rechembergius, Diſſertatione illuſtravit vocem *Primas*, qua utitur S. Matthæus; Lipſiæ an. 1686. in 4. Alteram etiam ſcripſit in illud Jeſu Chriſti, Prophetam ſcilicet in patria ſua temni; *ibid.* 1672. in 4. Scripſit & de Phariſæis; *ibid.* 1679. In Proverbium illud Jeſu Chriſti, de quo in capite 04. 07. 08. *ibid.* 1696. De hoc viro nos ſupra in Ezechielam, & infra in Acta.

Georgius Wolfangus Vedelius diſſeruit de obitu Judæ in ſuis Exercitationibus Philolog. editis Jenæ an. 1686. Omnium primam hanc dedit. In latus apertum Jeſu Chriſti; *ibid.* 1687. prima eſt Exercitatio tertiæ Decadis in 4. Secunda Exercitatio eſt in ſudorem ſanguineum; *ibid.* Prima quartæ Decadis in Unguentum Mariæ; *ibid.* 1689. in 4. Tertia Exercitatio in Orationem Dominicam; *ibid.* Succedit altera in Paralyſim famuli Centurionis; *ibid.* Tertia in ſemen ſinapis. Septima in Unctionem Chriſti; *ibid.* Secunda Exercitatio quartæ Decadis eſt in hyſſopum labiis Jeſu Chriſti oblatum; *ibid.* 1694. in morbum ſocrus S. Petri; *ibid.* Exercitatio quarta. Quinta Exercitatio in Mentham, anethum, & cuminum Phariſæorum; *ibid.* Octava in Coronam ſpineam. Prior Exercitatio primæ Decadis ſecundæ Centuriæ eſt in cenſum Auguſti. De hoc viro nos ſupra ad Reges, & Job, & infra.

Joannes Wandalinus, de quo nos in Vetus Teſtamentum, expoſuit ea, quæ effatus eſt Jeſus de Scriba docto in Regno Cœlorum; Hagenoiæ an. 1683. in 4. Scripſit & Diſſertationem in Feriam Paſſionis, & triduum ſepulturæ adverſus Claudium Langium; Lipſiæ 1652. in 4. & in Diſſertationibus Grævii; Ultrajecti an. 1702. in 4.

Gottefridus Wegnierius, de quo nos in Vetus Teſtamentum, dedit adnotationes in Infantiam, Baptiſmum, & Tentationem Jeſu Chriſti; Lipſiæ an. 1705. in 4. Scripſit & in ſtylum S. Matthæi; *ibid.* 1696. in 4. In locum natalem Jeſu Chriſti; Francofurti 1663. in 4. In triduum mortis Jeſu Chriſti; in ſuis Diſſertationibus Hiſtoricis, & Philologicis.]

COMMENTARIA IN S. MARCUM.

S. *Theophilus Antiochenus*, de quo ſupra, in S. Marcum, & Matthæum Commentario adornavit.

Catena Græcorum Patrum in Marcum interp. P. Poſſino. Rom. 1673. fol.

Victor Presbyter Antiochenus, ineunte ſæculo quinto, vel labente quarto, ſimili ſcriptionum genere in Marcum claruit. Ejus opus a Græco Latinum a Peltano redditum, impreſſum eſt Ingolſtadii 1580. & Latine in Bibliot. Patrum tom. 4.

Vide etiam in quatuor Evangelia *Bedam*, *Theophylactum*, *Zachariam Chryſopolitanum*, *Euthymium*, alioſque plures.

Extat inter opera S. Chryſoſtomi *Edit. tab.* 1. 2. Commentarium in Marcum, quod tamen recentioris eſſe Authoris opus, vulgo conveniunt.

Simili fide ſub S. Hieronymi nomine Commentarium in Marcum vulgatum eſt in nov. Edit. 5. pag. 886. indignum plane tanto Doctore opus; alterum tamen illud a Commentario in quatuor Evangelia in eodem tomo impreſſo, atque nomine ejuſdem Patris inſcripto.

Fragmenta quædam in Marcum ſub Joannis Jeroſolymitani nomine circumferuntur.

Inter Recentiores vulgata ſunt opera utriuſque *Janſenii* Gandavenſis, & Iprenſis, *Maldonati*, *Conigen*, *Cornelii a Lapide*, *Barradii*, *Didaci Beza*, *Jo. Suarez* Epiſcopi Conimbricenſis, *Joan. Gerſonis*, *Angeli de Paz*, *Luca Brugenſis*, *Eraſmi*, *Laurentii Valla*, *Stanislai Socolovii*, *Caroli Maria de Viel*, *Lamberti Danai*.

Jo. Hofmeiſter in Lucam, & Marcum 1562. fol.

Inter Proteſtantes extant *Grotius*, *Beza*, *Piſcator*, *Cameran*, *Zegerus*, *Revius*; *Schmidt*, *Hammondus*, *Clericus*, *Ligefootus*, *Chemnitius*, *Druſius*, &c.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN S. MARCUM.

MEntem noſtram in Lucubrationem inſcriptam nomine *Theophyli Antiocheni*, jam ſupra explicavimus. Addemus hic tantum, nihil ejus peculiare dotum eſſe in S. Marcum; quod autem ipſi tribuitur, Commentarius eſt minus, quam ſimplex expoſitio locorum quorundam quatuor Evangeliſtarum.

Latina editio Commentarii, ſeu potius Scholiorum *Victoris Antiocheni*, volumen eſt non majus, quam in 8. ſed P. Poſſinus dedit id totum Græce, & Latine Romæ an. 1673. in fol. Idem eſt autem opus ac catena a nobis indicata. Richardus Simonius cenſet apocryphum eſſe opus, excerptum e variis Authoribus. D. Dupin alia inſidet ſententia; docetque Victorem poſt expoſitam literam, addere morales animadverſiones.

Commentarius, ſeu potius fragmenta Commentarii, vulgatus nomine *Joannis Jeroſolymitani*, excuſus eſt cum cæteris tributis ipſi operibus, Bruxellis an. 1643. in fol. 2. vol. In Catena S. Thomæ Commentarius iſte tribuitur S. Chryſoſtomo.

Joannes Suarez, Luſitanus, ex Eremita Auguſtiniano Epiſcopus Conimbricenſis, qui in Concilio Tridentino non infimus claruit, dedit Homiliar in S. Marcum ſeorſum excuſas Pariſiis an. 1604. tertia Editio. Obiit an. 1580.

Joannes Gerſon duas tantum adornavit Lectiones in S. Marcum, quas legas Oper. tom. 4. novæ edit. impreſſæ Amſtelodami an. 1706. in fol.

Præpoſtare in noſtris impreſſis recenſiti ſunt duo viri *Stanislaus*, *Socolovius*; unus eſt enim idemque *Stanislaus Socolovius*, cujus Adnotationes in S. Marcum prodierunt junctim cum aliis ejus in S. Matthæum Operum ipſius tom. 2. Cracoviæ an. 1594. in fol. Vir erat Luſitanus, Canonicus Cracovienſis, & a Concionibus Regis Stephani.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM IN S. MARCUM.

C*Arolus Maria de Veil*, & non *Vejel* uti male in noſtris impreſſis, dedit Adnotationes in S. Marcum junctim cum aliis in S. Matthæum, impreſſos tertia edit. Lond. an. 1678. in 8. De illo nos in S. Matthæum.

Jacobus Gretſerus in ſuo opere de Cruce excuſo Ingolſtadii an. 1616. in fol. in calce libri 5. tom. 1. inſtituit diſputationem de vino, & vaſis mirrhæ, qua nititur conciliare S. Marcum cum S. Luca. Vide ejus ſynopſim in Biblioth. Eccleſiaſt. D. Dupini tom. 1. ſæcul. 17. p. 208. & 2. Natus Marckdorfii Jeſuitam egit. Obiit an. 1625.

Lambertus Danæus, Aurelianenſis, Calviniſta, Quæſtionibus, & Scholiis illuſtravit S. Marcum. Prodiit opus Genevæ an. 1594. in 8. Obiit an. 1596.

Joannes Hofmeiſter, Germano-Comarienſis, inter Auguſtinianos profeſſus, & immortuus an. 1547. dedit Commenta-

tium

Digitized by Google

rium impreſſum junctim cum altero in s. Matthæum, & s. Lucam; Coloniæ 1572. in 8.

Henricus Hammondus, Anglo-Arminienus, nihil peculiare ſcripſit in s. Marcum, ſed æque in totum Novum Teſtamentum; quod pariter adnotamus de cæteris recenſitis Proteſtantibus, excapto *Joanne Vvinckelman*, cujus Commentarius in s. Marcum junctim cum altero in s. Lucam prodiit Wittembergæ an. 1706. in fol. Vide ſupra.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN S. MARCUM.

Vide Præfationem *Cornelii a Lapide* in s. Marcum, ubi de originali hujus Evangeliſtæ, quod Venetiis aſſervatum farunt; in quam rem laudat Diſſertationem Paganini Gaudentii Profeſſoris Piſani.

Vide etiam *Spanhemium* de Hiſtoriæ Evangelicæ Scriptoribus, & in ſpecie de Marco Evangeliſta in nov. edit. Leid. 1703. tom. 2. pag. 265. Conſule etiam noſtram Præfationem in Marcum, & Tillemontium.

Balt. Otto de Nardo piſtica. Marc. 14. 3. *Theſ. Th.*

Godefridus Eckard de eadem. *ibid.*

Nicolai Fabri de myrrhata potione. *Critic. Magn.*

Franc. Voetger Conciliatio Marci, & Joannis ſuper horam, qua crucifixus Chriſtus. Marc. 14. 25. Vide & Interpp. de eodem argumento, ficut Novum Teſtamentum Millii.

Item *Salomon Deyling.* de eodem argumento *Obſerv. ſacr. tom.* 1. Ejuſdem de tempore ficuum, in Marc. 11. 13. *ibid. tom.* 3. *cap.* 29.

[In Unguenta.

Diſſertatio *Balthaſſaris Osli*, Lutherano-Miſnienſis, in unguentum Mariæ; Lipſiæ an. 1673. in 4. Diſſertat. Philolog. tom. 2.

Ibi pariter legitur Diſſertatio *Chriſtiani Foſelii*, Lutherano-Wittembargenſis, quæ jam prodierat Wittembergæ an. 1669. in 4.

Diſſertationes *Nicolai Fabri* jam indicavimus ad S. Matth.

In Divinitatem Jeſu Chriſti.

Gerardus Outhovo, Miniſter Lutheranus Emdani in Friſia edidit Diſſertationem in illud capitis 4. 39. qua Divinitatem Jeſu Chriſti demonſtrat ex imperio ejus facto ventis, & mari. Legitur in Bibliotheca Philolog. Haſæi tom. 2. pag. 60. partis ſecundæ. Conciliat ibi pariter hunc textum s. Marci cum alio a. Matthæi 8. 26 & s. Lucæ 8. 24. Alia etiam adornavit opera in Sacram Scripturam, de quibus *ibid.* pag. 194. 225.

In Levi.

Theodorus Haſæus ſcripta Diſſertatione probat Levin appellatum ad Apoſtolatum alium eſſe virum a s. Matthæo, contra receptam vulgo opinionem; eundem vero cum Juda Thaddæo, ad cap. 2. 14. Legitur in eadem collectione tom. 5. pag. 475. 506. Conciliare nititur s. Lucam cum s. Marco in idem argumentum.

Jo. Chriſtophorus Biel dedit Animadverſionem in idem argumentum, *ibid. tom.* 6. p. 1038.

In varia Argumenta.

Joannes Petrus Grunembergius, de quo nos ſupra in s. Matthæum, ſcripſit in cap. 9. 48. s. Marci, ad illud *Salietur igne*. Prodiit opus Roſtochii an. 1702. in 4.

*Jo. Georgius Hutteniu*s, Germano-Lutheranus, & Miniſter generalis, diſſeruit de potu amaro propinato Jeſu Chriſto morienti, Gubæ an. 1673. in 4.

Gabriel Rechaeus, Germanus & ipſe Lutheranuſque, Miniſter Graſendorffii, adornavit Harmoniam quatuor Evangeliſtarum in hiſtoriam mulierum, de quibus in cap. 16. s. Marci. Opus inſcripſit: *Diaſcepſis* Theologica; Wittembergæ an. 1619. in 4.

Daniel Spigelius, Germano-Lutheranus, de Sabbato *Dierum* ad idem caput; ibid. 1688. in 4.

Diction. Bibl.

Joan. Andreas Siglch, Germanus pariter, & Lutheranus, de lacrymis Apoſtolorum ad cap. 16. 10. *ibid* an. 1688. *in* 4.

Georgius Vudelius diſſeruit de Extaſi Jeſu Chriſti, ad cap. 3. 21. in ſua Exercitatione quarta. In quinta agit de ejus Agonia. Vide in S. Matthæum.]

COMMENTARIA IN S. LUCAM.

Balthaſſaris Corderii Catena Græcorum Patrum in Lucam, & Joannem.

Origenes ejus Evangelii interpretationem 39. homiliis uſque ad 20. caput proſequutus eſt.

Tertullianus l. 4. in Marcionem plurimum in hoc Evangelium excurrit.

Theophilus Antiochenus Commentarium allegoricum in s. Lucam adornavit.

S. Ambroſius, Titus Boſtrenſis, Theophylactus, Euthymius, Beda, S. Bonaventura, Author quidam Commentariorum in quatuor Evangelia inter opera S. Hieronymi, *Joan. Jeroſolymitanus, Zacharias Chryſopolitanus* eodem ſcriptionum genere claruerunt.

S. Bernardus cap. 1. a ℣. 26. *Miſſus eſt Gabriel*, uſque ad: *Ecce Ancilla Domini*, expoſuit. Chriſtiani Drutmari Monachi Corbejenſis epitoma in Luc.

S. Hieronymus Epiſt. ad Damaſum T. 4. pag. 149. nov. edit. parabolam filii prodigi illuſtrat.

Inter Recentiores cenſentur: *Cajetanus, Didacus Stella*, ambo *Cornelii* Yprenſis, & Gandevenſis, *Angelus de Paz, Joan. Maldonatus, Franciſcus Toletus* in 12. priora capita, *Joan. Servius, Sebaſtianus Barradius, Cocceivius, Congen, Cornelius a Lapide, Lucas Brugenſis, Eraſmus*; ut ſcriptores in quatuor Evangelia prætercam.

Inter Proteſtantes, omnes ferme, qui in S. Matthæum, in Lucam pariter ſcripſerunt; videndi autem ſunt, five in Magnis Criticis, ſive in Synopſi. *Joan. Piſcator* loca quædam duorum priorum capitum illuſtravit. *Franciſcus Gomarius, Chriſtophorus Pelargus, Joan. Bucerus, Joan. Vinkelman, Franciſcus Lambertus* in S. Lucam ſe ſe exercuerunt.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN S. LUCAM.

Catena *Balthaſſaris Corderii* prodiit Antuerpiæ Græce, & Latine an. 1628. fol. digeritur ex 65. Patribus Græcis, habeturque ceu Introductio quædam ad expoſitionem quatuor Evangeliſtarum. Adjecit & adnotationes, ſupplevitque excerpta Patrum, qua Græcorum, qua Latinorum. Cave credas junctum eſſe opus Catenæ ipſius in S. Joannem, uti nobis excidit; contrarium enim demonſtrabitur ad S. Joannem.

Origenis Homiliæ 39. nonniſi Latine ſuperſunt e verſione S. Hieronymi in Editionibus Latinis.

Commentarius *S. Ambroſii* in decem libros diſtributus legitur in tomo primo novæ Edit. pag. 1262. Id maxime ſtudet Vir ſanctus, ut conciliet quatuor Evangeliſtas in iis, in quibus repugnare ſibi invicem videntur. Exponit ſenſum naturalem, & hiſtoricum, ſæpe etiam & myſticum, refutatque hæreſes omnes ſui temporis injuriæ aliquid inferentes in Divinitatem Jeſu Chriſti. Videſis judicium D. Simonis in ſua Hiſtoria Critica Novi Teſtamenti cap. 14. pag. 207. Præfationem, qua adhibentur quæcumque ſinguli Evangeliſtæ ferunt peculiaria, probaturque omnis ætatis Eccleſia nonniſi quatuor Evangelia agnoviſſe, maximi æſtimat D. Dupin.

Commentarius *Titi Boſtrenſis* in S. Lucam Latinus ex Verſione Pelteni editus eſt Ingolſtadii an. 1580. in 8. & Græce ac Latine in Bibliotheca Patrum Græcorum tom. 4. pag. 772. & in Bibliotheca Latina Lugdunenſi tom. 4. p. 415. Opus eſt autem non unius ejuſdemque Authoris, ſed ex pluribus Patribus collectum, uti apertiſſime demonſtrat inſcriptio manuſcripti Bibliothecæ Regiæ num. 2320. quæ facile debentur Authori ſæculi 6. Epiſcopum in Arabia Petræa agebat Titus, obiitque an. 371.

Expoſitio *Sancti Bonaventuræ* in S. Lucam legitur in

tomo 8. operum ipſius, & excuſa ſeorſum Venetiis an. 1585. in 8.

Zacharias, cæterique, de quibus nos in articulo Harmoniarum, nihil peculiare dederunt in S. Lucam, cum ſcripſerint tantum in quatuor Evangelia.

Didacus Stella ea Stella in Navarra Franciſcanus, unus eſt ex iis, qui peculiari Commentario illuſtravit s. Lucam; Opus eſt literalem, & moralem ſeorſum proſequens, excuſum ſæpius; ac poſtremo Moguntiæ an. 1680. in fol. Complutenſis Editio an. 1582. relata eſt in Indicem Romanum, qua de cauſa incompertum eſt mihi.

Commentarius *Angeli Paz* prodiit cum altero ejus in S. Marcum an. 1623. 1628. 3. vol. fol.

Quæ ſcripſit *Drusmarus* in s. Lucam indicavimus ad s. Matthæum.

Addemus hic priorem Editionem curaſſe Argentorati Jo. Wimphelingium an. 1514. in fol. Secundam an. 1530. correxiſſe Henricum Moltherum, ex quo magnum inter duas haſce editiones diſcrimen. Editio correcta inſerta eſt in Bibliotheca Patrum Lugdunenſium.

Franciſci Toleti, Hiſpano-Cordubenſis, Jeſuitæ, & Cardinalis, quem Magiſter ipſius Dominicus Soto prodigium appellabat; Commentarius cum adnotationibus excuſus eſt Coloniæ an. 1612. in fol. quarta editio. Obiit an. 1596. De illo in Hiſtoria Thuani.

Quamquam diffuſus vir iſte in Commentariis, accuratus eſt tamen, exponitque primo Textum, tum addit Notas, in quibus de variis argomentis diſſerit. Vide judicium ejus apud D. Simon Hiſt. Critic. N. T. cap. 41. pag. 606.

Joan. Servius, facile *Sergius*, laudatur tantum in Catena Corderii ad cap. 7. 18. s. Lucæ.

De hoc viro certi reſcitur nihil; nihil etiam de ejus ſcriptis; notus eſt enim unico ſingulari fragmento apud Corderium.

Forte idem eſt, quod per conjecturam tantum dicimus, ac Sergius de quo Photius, vel Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cujus vulgata eſt Epiſtola ad Papam Honorium de ſecta Monotelitarum.

Staniſlai Socolovii Notæ junctim excuſæ ſunt cum aliis ejus in Ss. Marcum, & Matthæum. Vide ſupra.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM, IN S. LUCAM.

Joannes Priceus non in s. Lucam tantum, ſed & in Ss. Matthæum, & Marcum ſcripſit. Vide quæ de illo nos in Pſalmos, ubi inter Catholicos recenſitus eſt.

Franciſcus Gomarius, Brugenſis in Belgio, Calviniſta, & Profeſſor Leidenſis, illuſtravit expoſitione primum, & ſecundum caput s. Lucæ. Prodiit opus Amſtelodami an. 1644. 3. vol. fol. Obiit an. 1641.

De Chriſtophoro Pelargo duo nobis corrigenda ſunt; 1. Præpoſtere impreſſum eſſe Pelaſgum; 2. P. le Long ejus tantum indicaſſe quæſtiones, & reſponſa cum expoſitionibus nonnullis in Ss. Matthæum, & Joannem; nihil in s. Lucam. Nec Crovæus ipſi vindicat, niſi Meditationes quaſdam in textus hujus Evangeliſtæ, ad Paſſionem ſpectantes; Francofurti an. 1615. in 4. 2. vol. Obiit vir e Lutherano Calviniſta, & Miniſter Francofurti an. 1633.

Qui ſcripſerit in s. Lucam nullus legitur *Joannes Bonsinus*, ſed tantum *Joannes Brentius Pater*, e Proteſtantium grege, qui in univerſam Scripturam laboravit.

Joan. Vuinckelmani junctim cum alio ejus in s. Marcum Commentarius editus eſt. Vide ſupra, Nos de illo ad Geneſim cum de Abraham.

Franciſci Lamberti Commentarius excuſus eſt Francofurti an. 1693. in 8. tertia Editio.]

DISSERTATIONES IN S. LUCAM.

De Authore, & Evangelio s. Lucæ lege Præfationes Interpretum, & Tillemontium Hiſtor. Eccleſ. in s. Luc.

Jo. Gotlob Stolzen, Vindiciæ Theophili Evangelici. Luc. 1. *Theſ. Theol.*

Jo. Putner inquiſitio in hiſtoriam Jo. filii Zachariæ.

Vide Apocrypha N. T. per Fabricium in Zachariam, & Jo. Baptiſtam.

Franciſci Bering de Pugillari Zachariæ Luc. 1. 63. *Theſ. Theol.*

Salom. Devlingi de cenſu ab Auguſto indicto, *tom.* 1. *Obſer. ſacr.*

—— De Jeſu ſedente inter Doctores. Luc. 2. 46. *ibid. tom.* 3. *cap.* 30.

—— De triplici, an unica Maria *ibid. tom.* 3. *cap.* 31.

Vide infra Authores de hoc argumento.

—— De Magiſtratibus Templi &c. ad Luc. 3. 4. & Act. 4. 1. & 5. 24. *ibid. c.* 32.

Gaſpar. Henr. Braun de Tetrarchis. Luc. 3. *In Theſ.*

Ægidi Strauchii, ſeu Henrici Aliſcheri de B.M.V. Natalibus. *Cren. Faſc.* 4.

Rationem conciliandi Genealogias J.C. Ss. Matthæi, & Lucæ, legas in Epiſtola Africani ad Ariſtidem apud Euſebium *Hiſt. l.* 1. *c.* 2. *S. Auguſt, l.* 3. *c.* 3. *de Conſenſu, & lib.* 3. *Retract. c.* 7.

Maldonatum in c. 3. Lucæ,

De Marca Diſſert. de Stemmate Chriſti,

P. Mauduit Diſſert. De Genealogia J. C. Gallice.

Bollandiſta in Propylæo Maii.

Tillemontius Not. 1. in s. Joſeph. & 1. & 2. in Sanctam Virginem,

Vide & noſtram Diſſert. de eodem argumento *ante Comment. in Lucam*,

Spanhemius par. 1. Dub. Evang. dub. 19. &c.

Diſſert. in Cainanum. Vide ſupra in Geneſim.

Jul. Bartolocci Diſſertat. cur Chriſtus adhuc puer ad diem feſtum Paſchæ voluerit aſcendere, *tom.* 3. *Bibl. Rabbin. p.* 132.

Jo. Muller, & *Jo. Friſchmuth*, de Sabbatho Deuteroproto. Luc. 6. 11. *Theſ. Theol.*

Joſeph. Scaliger, de Emendat. tempor. l. 6.

Caſaub. Exercit. 14. in Baronium,

Ligtfoot. in Lucam,

Toinard. Harmon. Evang. G. L. fol. Pariſ.

Cloppenburg. Epiſt. ad Lud. Capell.

Lud. Capell. de Paſchate, & Sabbatho Deutero-proto, in 12. Amſtelodami.

Auguſt. Varenius, de ſinu Abrahæ. Luc. 6. 22. *Theſaur. Theol.*

Jo. Chriſt. Arſt. de Lacrymis Chriſti. *ibid.*

De ſudore Chriſti ſanguineo, vide *Ludov. Vives* t. 2. p. 258. & ſeq. Integrum eſt officium cum Miſſa ab Authore compoſitum in honorem ejuſdem myſterii; cui prolixam orationem Latinam adjecit.

Thomas Bartolinus de eodem argumento egit in Libro de Cruce.

Eximiam etiam in eam rem Theſim vulgavit D. Fagon Medicus, ubi diſſerit, an ſanguineus ſudor ex imbecilliori, ſive potius valida corporis habitudine proveniat.

Tandem ſua de eodem argumento Diſſertatione nos in Collectione noſtrarum Diſſertationum egimus, *tom.* 3. *pag.* 212.

Diſſertatio de tribus Mariis. Vide Origen. in Matth. hom. 35. *Jacobum Fabrum Stapulenſ.* in tractatu de eodem argumento, Item *Jodoci Clichtovei* epiſt. Dedic. ad Franciſc. Molin. Pariſ. 1519. *Caſaub.* Exercit. 14. *Mauduit* Analyſis Evangeliorum tom. 2. *Pezron* Hiſt. Evang. tom. 2. *Mauconduit*. Pariſ. 1685.

Tillemont, Hiſtor. Eccleſiaſt. tom. 2. *Baillet* Vitæ Ss. 22. Julii.

Anquetin. Diſſert. de 3. Mariis Pariſ. 1699. in 4. Gallice. Vide noſtram Diſſert. in eodem argumento ante Commentar. in Luc. & *Baltaſ. Sorio* de unica Magd.

[In Theophilum S. Lucæ.

Joannes Gotlob Stolzen, Germano-Lutheranus Miſnienſis, ſcripſit vindicias in Theophilum s. Lucæ. Prodiit autem opus primo Wittembergæ an. 1692. in 4. deinde in Diſſert. ejus Philologicis tom. 1.

In Zachariam, & S. Joannem.

Diſſertationem *Bosneri* de filio Zachariæ indicavimus ad S. Matthæum.

Diſ-

Digitized by Google

Diſſertatio *Franciſci-Baring*, Germanico-Lutherani, in pugillaria Zachariæ legitur in Diſſ. Philologg. tom. 2.

Guilielmus Zeibius, de quo nos in ſecundam ad Corinthios, ſcripſit de S. Joanne in ſinu matris ſuæ; Jenæ 1680. in 4.

In Sabbatum & Paſcha.

Joannis Friſchmuth in Sabbatum ſecundo-primum Diſſertatio prodiit Jenæ 1662. in 4. Expoſuit & illud Capitis 24. 44. ubi de Lege & Prophetia; *ibidem* 1665. in 4. & in Collectione operum ipſius. Vide ſupra.

Epiſtolæ *Cloppenburgii ad Ludovicum Capellum* leguntur in Criticis Sacris to. 8. opuſculum Capellii in Paſcha excuſum eſt an. 1644. legiturque pariter inter opera Cloppemburgii, impreſſa Amſtelodami an. 1684. in 4.

In tres Marias & Magdalene.

Adhuc ſub lite Scriptorum pendet ingenti agitata niſu controverſia de tribus Mariis & Magdalene; hic tantum animadvertendum eſt nobis, Apologeticum *Balthaſſaris Sorin*, quo propugnatur unica Magdalena, ſcriptum eſſe in Fabrum Stapulenſem, ac prodiiſſe an. 1521. Valentinus erat in Hiſpania, & Dominicanus, obiitque an. 1557.

In varia Argumenta.

Ægidius Strauchius diſſeruit de ortu Emmanuelis; de patria Meſſiæ; de ejus fuga in Ægyptum; de Paſchate; de tempore Paſſionis & mortis ipſius; Wittembergæ an. 1654. & 1659. 2. vol. in 4. 1661. *ibid.* in 4. Lipſiæ & an. 1661. 1666. 2. vol. in 4. Nos de illo in V. Teſtamentum.

Diſſertatio *Auguſti Varenii* de Sinu Abraham prodiit Roſtochii an. 1685. in 4. Dedit & Animadverſionem Theologicam in Paſſionem juxta S. Lucam, *ibid.* 1666. in 4. Exercitationem in ſudorem ſanguineum, & Angelum conſolatorem; *ibid.* 1680. in 4. Prior illa legitur etiam in Diſſ. Philologg. tom. 2.

Editionem operis *Bartholiniani* jam indicavimus in Matthæum. Agit ille de Cruce J. Chriſti in medio duorum latronum conſtituta, de potu Jeſu oblato, de corona ſpinea, & de ſudore ſanguineo.

COROLLARIUM.

DISSERTATIONES ADDENDÆ IN S. LUCAM ET IN THEOPHILUM.

H*Eumanus* peculiari Diſſertatione excuſſit argumentum de Theophilo, ad quem S. Lucas Librum Actuum dirigit. Legitur in Biblioth. Philolog. pag. 483. atque in undecim diſtributa articulos inquirit, quis Theophilus iſte fuerit, quod ejus nomen, dignitas, & religio.

Huic operi additionem dedit *Theodorus Haſæus* complectentem 21. articulos pag. 596. 521. Epiſtolam ſcripſit ad illam Heumanus de eodem argumento, qua ſententiam ejus de Theophylo refutat. *Ibid.* to. 5. *pag.* 530.

Jacobus Haſæus in eadem Collectione to. 4. pag. 732. exhibet Animadverſionem ſuam Geographicam & criticam in Urbem, ubi S. Lucas Evangelium ſcripſit, atque demonſtrare adniſus eſt Macedoniam & Magnam Alexandriam Ægypti unam & eandem fuiſſe.

Dedit inſuper Diſſertationem in Theophilum 15. articulis comprehenſam; in eodem to. pag. 1048. 1081. Nos de illo ſupra. Addemus hic tantum obiiſſe an. 1721. ætatis 32.

Abrahamus Kochlerus, Germano-Lutheranus, ſcripta Diſſertatione tractavit de ipſo eodemque S. Luca; Lipſiæ an. 1698. in 4.

In Zachariam & Simeonem Juſtum.

In Ephemeridibus Trevolsianis excuſæ ſunt geminæ Epiſtolæ D. *le Pelletier*, quibus refutat vana commenta Pictorum in pictis tabulis ſuis, qui in veritatem Hiſtoriæ peccantes plura addunt ad arbitrium; exhibent enim ſacris Pontificiis veſtibus indutos Zachariam patrem S. Joannis, & Simeonem Juſtum; quanquam Zacharias vulgarem tantum Sacerdotem, Simeon vero ne Sacerdotem quidem agebat. Id autem evidentiſſime probat vir doctiſſimus in geminis illis epiſtolis curioſis æque & utilibus.

In cenſum ſub Auguſto, & in Nativitatem J. Chriſti.

Bartholomæus Richardus diſſeruit de cenſu inſtituto juſſu Imperatoris Auguſti; Wittembergæ an. 1674. in 4. Ac de eodem Argumento *Gottliebus Wernſdorf*; *ibidem* 1695. *in* 4.

Daniel Spizelius, de quo nos in S. Marcum, geminis Diſputationibus diſſeruit de die & anno natali J. Chriſti; Wittembergæ 1666. in 4.

David Vogelius, Germano-Lutheranus, de Præſepe ubi natus eſt J. Chriſtus juxta S. Lucam cap. 2. 7. Rojomontii an. 1706. in 4.

Jo. Chriſtophorus Ittigius, Germano-Lutheranus, de Præſepio Servatoris; Wittembergæ an. 1675. in 4. altera editio.

Jo. Jacobus Libenwaldus, ejuſdem & regionis & religionis, ſcripſit de urbe Bethleem; Lipſiæ an. 1707. *in* 4.

Guilielmus Lyſerus, de quo nos in V. Teſtamentum, illuſtravit ſcriptis Genealogiam J. Chriſti, de qua S. Lucas, ejuſque Circumciſionem. Prodiit utrumque opus Wittembergæ an. 1629. 1672. 2. vol. *in* 4.

Joannes Pedanus, Germano-Lutheranus, deſcripſit circumſtantias Ortus J. Chriſti juxta S. Lucam; Rojomontii an. 1658. in 4.

Georgius Michael Pfefferkorn, Germano-Lutheranus, Commentarium quendam adornavit in nomen inditum J. Chriſto, dum circumciſione initiaretur; Altemburgii an. 1669. *in* 4.

In Magdalenam, vel fœminam peccatricem.

Maſſonius opere Gallico probare conatus eſt, Mariam Magdalene, & Mariam Bethaniæ unam eſſe eandemque mulierem ac fœminam peccatricem; & *Mauconduit* Apologiam ſcripſit de Maria Magdalene & Maria ſorore Lazari. Excuſum eſt prius illud opus Pariſiis an. 1713. in 12. Hoc vero *ibidem* an. 1683.

Bilibaldus Pirckeimerus, Germano-Lutheranus, ſcripta Diſſertatione diſtinxit Magdalene a fœmina peccatrice. Legitur inter ejus Opera impreſſa Francofurti an. 1610. in fol. Obiit an. 1530.

D. Treves calamum acuit in Anquetinum vindicaturus unitatem Magdalene, demonſtratque opinionem, quæ in unam eandemque confundit fœminam peccatricem, Mariam Bethaniæ, & Magdalene Scripturæ magis cohærere. Edita eſt Diſſertatio ejus Pariſiis an. 1713. in 4.

In Divitem impium.

Andreas Ludovicus Koniſgman, Germano-Lutheranus, vulgavit Paradoxum in Divitem impium, Kilonii an. 1708. in 4.

Georgius Wedelius ſcripſit de Lazaro mendico continente ſe præ foribus Divitis; & de veſte purpurea ejuſdem Divitis. Legitur id totum in ejus Diſſertationibus impreſſis Jenæ an. 1669. in 4.

In Sabbatum.

Joannes & Henricus Mullerus diſſeruerunt de Sabbato ſecundo primo, de quo S. Lucas 6. 1. Vide Diſſ. Philolog. t. 2.

Gerardi Outshove Animadverſiones in idem Argumentum offeruntur legendæ in Biblioth. Philolog. t. 5. p. 421. 442.

In Filium Prodigum.

Levinus Ammonius, alio nomine Vander-Manden, Belga Carthuſianus, dedit Tractatum de Filio Prodigo, Lovanii an. 1543. in 8. Obiit an. 1556. Nicolaus Clemang jus ſcripſit pariter de eodem Argumento; legiturque ea Lucubratio inter ejus opera impreſſa Lugd. Batav. an. 1612. in 4. natus in Diœceſi Catalaunenſi, Doctorem egit Pariſienſem. Obiit an. 1440.

Jacobus Elſnerus, Pruxienſis peculiari Animadverſione exercuit ſe ſe in primam veſtem filii Prodigi, de qua cap. 15. 22. Extat in Biblioth. Philolog. tom. 5. pag. 938.

De Sinu Abraham.

Georgius Vechnerus, Sileſio-Lutheranus, Diſquiſitionem adornavit de Sinu Abraham, de quo in Hiſtoria Divitis impii, excuſam in Luſitania an. 1678. in 8. Idem Argumen-

Digitized by Google

gumentum vexavit *Godefridus Wegnerus*, de quo nos in S. Matthæum; Francofurti an. 1678. *in* 4.

In ſudorem ſanguineum, & terræ concuſſionem.

Cum unus S. Lucas has paſſionis circumſtantias expoſuerit, Authores plures illas peculiaribus ſcriptis illuſtrarunt.

Gaſpar Poſnerus Diſputationem inſtituit, qua revocat in examen, num ſudor iſte naturalis fuerit, ſicut & cætera omnia, quæ in J. Chriſto ad obitum uſque expreſſa ſunt. Prodiit opus Jenæ an. 1665. *in* 4. Adornavit & alteram in terræ ſuccuſſionem, & cætera quæ in Reſurrectione ſpectata ſunt; *ibid.* 1670. *in* 4. Vir erat Germano-Lutheranus, Jenenſis.

Hermannus Conringius diſſeruit de eodem ſudore Hildeſiæ an. 1674. *in* 4. Vide quartam partem de Politia Hebræorum.

Valentinus Velthemus, Saxo-Lutheranus, Diſputationem edidit in ſudorem ſanguineum, Jenæ an. 1677. *in* 4. Obiit an. 1700.

In Eclipſim tempore Paſſionis.

Cornelius Paſchius, Germano-Lutheranus, Diſſertatione Aſtronomica egit de eclipſi tempore Paſſionis; Witembergæ an. 1683. *in* 4. *Paulus Pater*, Germano-Lutheranus, idem argumentum vexavit; Thornii an. 1700. *in* 4.

In deſcenſum J. Chriſti ad Inferos.

In calce commentarii ad Librum Ruth Benedicti Carpzovii leguntur Vindiciæ Diſſertationis *Joannis Lucii* in deſcenſum J. Chriſti ad Inferos. *Cornelius Haſæus* illam impugnaverat, ratus Authorem habere Carpzovium; ſed Lucius opus ſuum vindicat, probare conatus, J. Chriſtum ſeipſo ad Inferna, locum damnatorum, deſcendiſſe.

In varia Loca S. Lucæ.

Michael Foerſch, Germano-Lutheranus, expoſuit illud S. Lucæ 20. 37. 38. Jenæ 1707. *in* 4.

Iſaacus Froereiſen illuſtravit poſtrema verba J. Chriſti in Cruce; Argentorati 1725. *in* 4. Vir erat Germano-Lutheranus Argentoratenſis, defunctus an. 1632.

Henricus Gebhardus, de quo nos in V. Teſtamentum, expoſuit nomen Beelſebub, de quo in capite 15. 11. Gryphiſvvaldiæ an. 1707. *in* 4.

Jo. Erneſtus Gebhardus diſſeruit de obumbratione Altiſſimi ſuper Virginem; Jenæ an. 1665. *in* 4. altere Editio. De hoc viro in V. Teſtamentum.

Georgius Gerlius, Germano-Lutheranus, Miniſter generalis Erfortii, geminas Diſſertationes dedit in Præſepium J. Chriſti, de quo S. Lucas, *ibid.* 1662. altera editio *in* 4. obiit an. 1669.

Gaſpar Henricus Grauer, Germano-Lutheranus, de Tetrarchis; Wittembergæ an. 1684. *in* 4. Præpoſtere appellatus eſt *Braunius* in Bibliotheca ſacra.

Zacharias Huberus, Tigurinus, & Calviniſta, in quarta e ſuis Diſſertationibus impreſſis Franekeræ an. 1702. *in* 4. illuſtravit illud capitis 19. 8. ubi de Zachæo.

Jo. Henricus Majus, de quo nos in S. Matthæum, egit de Aquila, de qua Lucæ 17. V. ult. Gieſſen. an. 1686. *in* 4.

Joannes Mallement, Canonicus S. Opportuni, ſcripſit quinque epiſtolas criticas in varia loca S. Lucæ, legendas in Ephemeridibus Trevoltianis; prior quidem menſe Julii an. 1708. art. 99. altera ibid. menſe Decembris, art. 168 tertia menſe Auguſti art. 119. quarta Septembri art. 132. quinta Novembri an. 1709. art. 153. Harum ſynopſim habes in eodem opere.

Jo. Fridericus Mayerus ſcripſit de Anna Propheteſſa; Gryphiſvvaldiæ 1706. *in* 4. In duodecimum annum J. Chriſti; *ibidem*. In cœtum ad Thabor; Hamburgi an. 1688. *in* 4. In ſudorem ſanguineum; Gryſphiſvvaldiæ an. 1707. *in* 4. In Angelum Conſolatorem; Wittembergæ an. 1683. *in* 4. Vide ſupra.

Hermannus Conringius Diſſertationem vulgavit de eodem Argumento, Hildeſiæ an. 1674. *in* 12. Vide in quartam partem.

Daniel Papebrochius in ſuo Apparatu ad Chronologiam Pontificiam pag. 25. Menſis Maii in Vitis Sanctorum inſeruit Epiſtolam de Anno trigeſimo J. Chriſti, & Exercitationem de Neceſſariis Jeſu Chriſti; *ibid.* pag. 31. Vir erat Belga Antuerpienſis, qui Jeſuitam profeſſus obiit an. 1714.

Sebaſtianus Schmids, de quo nos ſæpe, illuſtravit Canticum Zachariæ patris S. Joannis, ſicut & in Sabbatum ſecundo primum Diſputationem vulgavit Argentorati an. 1684. & Lipſiæ an. 1686. 2. vol. *in* 4.

Joannes Schmidt Exegeſim adornavit in caput 9. 28. *ibid.* 1726. *in* 4. Vide in Epiſtolam ad Hebræos.

Paulus Slevogt, de quo nos in S. Matthæum, Diſſertatione, expoſuit 24. Ephemerides Sacerdotum, de quibus apud S. Lucam; Jenæ 1629. *in* 4.

Daniel Vulnerus, de quo nos in S. Matthæum, ſcripſit in Hoſanna; Lipſiæ an. 1677. *in* 4.

Theodorus Haſæus, cujus jam meminimus, Diſſertatione illuſtravit illud capitis 15. 7. de 99. Juſtis pœnitentia non indigentibus; exponitque pariter illud Apoſtoli ad Hebr. 12. 23. de Animabus Juſtis. In Biblioth. Philolog. tom. 1. par. 2. p. 99. 137. Ibi pariter eos impugnat, qui textum Lucæ urgent ad propugnandos errores ſuos de Peccato Originali, negantes ad omnes late homines extendi; Baptiſmum pariter neceſſarium eſſe omnibus negantes, quod Juſti ſint quidam nihil peccantes.

Alia plura in Scripturam Opera adornavit, de quibus Ibidem par. 4. p. 560. 561.

Fridericus Lampe curioſa congeſſit in Cornu Salutis, de quo cap. 1. 69. *Ibid.* tom. 2. p. 680. 706. Diſtribuitur Opus in 12. Articulos.]

COMMENTARIA IN S. JOANNEM.

T*Heophilus Antiochenus*, de quo jam *in Bibl. PP. Origenes*, in idem Evangelium, uſque ad c. 12 20. Porro opus illud Græce, & Latine ex Verſione Ambroſii Ferrarii, Huetius donavit. *tom.* 2. *Origen.*

S. Joannes Chryſoſtomus in S. Joannem laboravit, quemadmodum & *S. Auguſtinus*, *S. Cyrillus Alexandrinus* (a), *Theophylactus*, *Beda Ven.* & *Alcuinus*, qui ſeptem libros in Joannem elucubravit, *Rupertus Abbas*, *Hugo de S. Victore*, *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, *Richardus de Mediavilla*, *Zacharias Chryſopolitanus*.

Nonnus Panopolitanus, Græca Heroica carmina in S. Joannem, opere paraphraſtico, ſcripſit. Inter varias ejuſdem Patris Editiones eminet Pariſienſis 1623. *in* 8. cum eximiis notis Patris Abrami Jeſuitæ, qui editionem curavit. Porro Abramus 71 Græcis carminibus ſupplevit hiſtoriam fœminæ adulteræ, quam Nonnus in Evangelio non legebat. D. Heinſius opus ejuſdem Patris iterum recudit, cum ampliſſimo Commentario, inſcripto: *Ariſtarchus Sacer.*

Chriſtianus Druthmarus, Monachus Corbejenſis breve Commentarium in idem Evangelium ſcripſit.

Inter Recentiores vulgata ſunt opera *Thomæ Cajetani*, *Joannis Feri*, *Cornelii Janſenii* Yprenſis, *Joannis Maldonati*, *Benedicti Pererii*, *Franciſci Toleti* Cardinalis, *Joannis Servii*, *Titelmani*, *Sebaſtiani Barradii*, *Cornelii a Lapide*, *Lucæ Brugenſis*, *Franciſci Riberæ*, cujus opus poſthumum & breviſſimum eſt. *Eraſmi*, *Laurentii Vallæ* &c.

Claudii Guilliaudi Belliiocenſis in Joan. Enarrat. Pariſ. 1548. fol.

Joannis Gregorii Baptiſtæ Panchalenſ. Monachi Benedict. in cap. 13. Joan. Conimbr. 1621 in fol.

Inter Proteſtantes noti ſunt, *Martinus Bucerus*, *Wolfangus Muſculus*, *Bullinger*, *Oecolampadius*, *Pelargus*, *Gomarus*, *Melanchton*, *Chytræus*, *Camerarius*, *Zegerus*, *Remius*, *Brentius*, *Calvinus*, *Theodorus Beza*, *Grotius*, *Piſcator*, *Ligfoot*, *Capell. Hammond.* aliique.

Clericus in Commentario Gallico ante Exodum, Paraphraſim, & explicationem 18. priorum verſuum primi capitis S. Joannis vulgavit.

Revius, *Druſius*, *Henri. Stephanus*, *Scaliger*, *Caſaubon*, *Gualtperus*, omnes in magnis Criticis.

[COM-

(a) Nota in Editione Latina lib. 5. 6. 7. 8. non a S. Cyrillo, ſed e Jodoco Clichtoveo adornatos fuiſſe. In Editione Græco-Latina Pariſienſi 1638. 10. Commentariorum in S. Joannem Libri vulgati ſunt, cum fragmentis libri 7. & 8.

Digitized by Google

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN S. JOANNEM.

De *Origene* addenda hic ſuccurrunt, totum quidem Evangelium S. Joannis commentario illuſtraſſe; ſed hujus operis Latinam Verſionem Genebrardi caput 16. 10. non ſuperare; nec plura dedit D. Huetius Græce & Latine.

S. Chryſoſtomus dedit tantum Homilias 87. quas Græce & Latine exhibet editio Morellii tomo 8. Vide ejus operis judicium apud D. Simon Hiſt. critic. N. T. cap. 10. & 11.

Ingens Tractatus *S. Auguſtini* legitur tomo 3. nov. edit. part. 2. p. 690. De opere vero iſto illud nobis ſuccurrit; nimirum ſicut Evangeliſtas cæteros ſuperat S. Joannes ſublimi myſteriorum penetratione; ita & S. Auguſtinus ſupra cæteros, qui Evangelium iſtud expoſuerunt, excellit.

S. Cyrilli Alexandrini Commentarius legitur in tom. 4. editionis Græco Latinæ Pariſienſis. Vide ejus operis judicium apud D. Simon, *ibid.* cap. 21.

Theophylactus & Beda inter eos recenſendi ſunt, qui ſcripſerunt generaliter in quatuor Evangelia; neque enim ſeorſum quidquam in S. Joannem dederunt.

Quæ ſunt *Alcuini* in S. Joannem ſeorſum prodierunt Argentorati an. 1527. *in* 8.

Cum de *Nonnio* ſcripſimus S. Joannem Græcis carminibus tradidiſſe, dicta hæc noſtra ita accipienda ſunt, ut ſcilicet Evangelium hoc paraphraſtice vertiſſe intelligatur; eodemque Paraphraſis titulo opus illud ſuum præſcripſit. Inſertum eſt etiam in Biblioth. Pp. Græcor. to. 6. p. 302. & in Latina Lugdunenſi to. 9. p. 437.

Commentarius *Druthmari* jungitur cum altero ejus in S. Lucam.

De Joanne Servia egimus ad S. Lucam.

Ad *Benedictum Pererium* quod attinet, Diſputationibus tantum illuſtravit S. Joannem; Lugduni an. 1606. & 1610. *in* 8. 2. vol. De illos nos in Geneſim. Addemus hic tantum Quæſtiones haſce maximi æſtimare DD. Simonem & Duplnum, tum ex eorum delectu, cum quod egregie reſolutæ ſunt.

Franciſcus Toletus ſuo in S. Joannem commentario adjecit Adnotationes, excuſas quarta & poſtrema editione Brixiæ an. 1603. *in* 4. De hoc viro nos in S. Lucam.

Franciſcus Ribera, Caſtellanus, Jeſuitis adlectus annum agens 10. ætatis, commentarium ſuum dedit, excuſum Lugduni an. 1623. *in* 4. Obiit junior adhuc an. 1591. vel 1601. De illo nos in Epiſtolam ad Hebræos & in Apocalypſim.

Ad *Claudium Guillaudum* quod attinet, menda plura in noſtris impreſſis irrepſerunt: 1. appellatur Guilliandus; 2. in indicanda patria *Belliocenſe* pro *Bellojocenſe* poſitum eſt.

Scripſit tantum ſermones in S. Joannem, impreſſos Pariſiis an. 1550. *in fol.* Addendum de illo ſcripſiſſe pariter in S. Matthæum; *ibid.* an. 1565. altera editio *in fol.* Vir erat Gallus, Canonicus Auguſtodunenſis circa an. 1540. Nos de illo infra. Editio an. 1548. a nobis indicata, apud P. le Long non legitur.

Gregorius Baptiſta de Funchel, Luſitanus, ex Benedictino, Ordinem S. Franciſci profeſſus, ait Nicolaus Antonius, non ſcripſit niſi in caput 13. cujus Expoſitionis non ſuppetit nobis niſi prior tantum pars in Adnotationes digeſta, & impreſſa Conimbricæ, uti jam a nobis indicatum eſt. Florebat circa an. 1621.

Carolus Bovillenc, de quo nos in Actis, primum tantum caput S. Joannis expoluit, excuſumque eſt opus Latine Pariſiis an. 1514. *in* 4.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM IN S. JOANNEM.

Paraphraſes & Adnotationes in 18. verſus primi capitis S. Joannis a *Joanne Clerico* adornatæ, editæ ſunt ſeorſum Amſtelodami an. 1696. in 8. & in capite Commentarii ipſius ad Exodum, Anglice Londini an. 1698. *in* 8. & Latine ante Commentarium ejus Latinum *in fol.*

Quot recenſuimus alii omnes non niſi in quatuor Evangeliſtas ſcripſerunt.

Excipiendus eſt tamen *Alexander Ales*, Scoto-Edimburgenſis, Lutheranus, & Profeſſor Lugduni Batav. cujus in S. Joannem Commentarius prodiit Baſileæ an. 1553. *in* 4. Obiit an. 1565. Excipiendi ſunt etiam & alii plures, qui in hoc Evangelium ſcripſerunt.

Addemus tantum *Eliam Benedictum*, Calviniſtam & Miniſtrum Delphis calamum acuiſſe in Clericum; Roterodami an. 1695. *in* 8.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN EVANGELIUM S. JOANNIS.

Sal. Deyling. t. 1. Obſ. ſac. & *S. Schurtz Fleiſch & Joan. Saubert.* de voce Logos.

Vide expoſitionem 18. priorum verſuum primi capitis S. Joannis authore *Joan. Cleric.* & *P. Baltum* in defenſ. SS. Pp. qui Platoniſmi accuſantur, Gallice.

Salom. Deylingi in Joan. 1. 16. *Gratiam pro gratia*, t. 3. Obſerv. c. 31.

Joan. Friſchmuth de Agno Dei, Theſ. Theolog.

Deylingi de eodem t. 3. Obſerv. c. 35.

Matthæus Haſſus de ſex hydriarum capacitate.

Vide & *Claud. Lancelot.* ad calcem Bibl. Vitrè in fol. p. 88.

Joan. Kindler, de Nathanaële ad Joan. 1. 46.

An Nathanael cum S. Bartholomæo confundendus ſit, vide noſtr. Comment. in Matth. 10. 2. & Authores ibi laudatos; *Rupertum*, *Toſtatum*, *Janſenium*, *Cornelium a Lapide*, *Hammondum*.

Salom. Deyling. in Joan. 7. 38. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, t. 2. Obſerv. Sacr.

Dav. Vindeler. & Mich. Arnold. Diſſert. de Piſcina probatica. Joan. 5. 2. Theſ. Theol.

Salom. Deylingi de aceto Chriſto ſitienti porrecto, t. 1. Obſerv. Sacr.

Item de jure gladii Judæis adempto, t. 2. c. 33. & 35. Obſerv. Sacr.

Cl. Sagittarii de lancea, qua perfoſſum eſt Chriſti Latus. Joan. 19. 34.

Joan. Chriſt. Ritter. de aquis ex Chriſti latere profluente.

Joan. Andr. Quenſted, de vulneribus Chriſti.

De iis, quæ in paſſione Chriſti contigerunt, eximium tractatum *Bynæum* adornaſſe, ſupra notavimus.

De S. Joanne Evangeliſta legi poſſunt Interpretes ejus Evangelii, & Tillemont. Hiſt. Eccl.

De Obitu ipſius in utramque partem diſſeruit *Gregorius Trapezuntius*, opuſc. impreſs. Baſil. 1543.

Jacobus Faber Stapul. Diſſert. de una ex tribus Mariis, fol. 82.

Florentinius Not. in Martyrol. vetus p. 123.

Tillemont. t. 1. art. 10. 11. in S. Joan. Evangeliſt. & Not. 15. 19. 17. 18.

Malvenda de Antichriſto l. 9. c. 11. 12.

Fabric. Not. in vitam S. Joannis per Abdiam, inter Apocryph. N. T. pag. 581. &c.

Ambroſ. Catharinus.

Tandem noſtram Diſſert. de eodem argumento, ante Comment. in Joan.

[Si *Joannes Saubertus* ſcripſit *in Leges*, id ab illo præſtitum reputandum eſt in Operibus poſthumis, in quibus plura S. Scripturæ illuſtrat; Altorfii an. 1694. *in* 4. curante Jo. Alberto Fabricio.

Samuel Schurtzfleiſch, quid in Opere de hoc diſſeruerit, ignoramus.

Joannes Saubertus, filius, Germano-Lutheranus; Norimbergenſis, defunctus eſt an. 1688. Si de hoc argumento ſcripſiſſe Pater ſtatuatur, id ab illo præſtitum reputandum eſt in ſuo Prodromo Philologiæ ſacræ; Helmſtadii an. 1665. in 4.

Joannes Friſchmuth diſſeruit de Agno Dei; Jenæ an. 1674. *in* 4. Dedit etiam aliqua in Piſcinam Probaticam; *ibid.* an. 1661. *in* 4. Nos de illo ſæpius.

Diſſertatio *Matthæi Haſſi* in ſex hydrias Nuptiarum Canæ, legitur in Criticis Sacr. tom. 9. primæ Edit. Nos de illo ſupra ad Arcam Noe, & ad David.

D. Claudius Lancelotus in loco a nobis indicato agit de hydria,

Digitized by Google

hydria, quæ ſervatur in Monaſterio Portus Regalis Pariſienſis. Vir Pariſienſis & Benedictinus S. Cyroni obiit an. 1695. Ordine tantum Subdiaconatus inſignitus, licet jam provectus.

Si *Joannes Kindlerus* ſcripſit de Nathanaele, id ab illo factum oportet in Diſſertationibus Philologicis, impreſſis Amſtelodami an. 1699. *in* 8. Vir erat Germano-Lutheranus.

Diſputatio *Danielis Vendeleri* in Piſcinam Probaticam prodiit Wittembergæ an. 1678. *in* 4. legiturque pariter in Diſſ. Philologg. tom. 2. Nos de illo in Proverb. Idem argumentum excuſſit *Michael Arnoldus*, Germano-Lutheranus; *ibid.*

Joannes Christianus Kisterus ſcripſit de aqua lateris Chriſti, legiturque ejus lucubratio in Criticis Sacr. tom. 11. p. 388.

Jo. Andreas Quenſtedius, de quo nos in S. Matthæum, exercuit ſeſe in vulnera Jeſu Chriſti; Wittembergæ an. 1704. *in* 4. altera Editio.

Georgius Trapezuntinus Opuſculo *in* 8. exponit illa verba; *Sic eum volo manere &c.* obiit an. 1486.

COROLLARIUM.

TRACTATUS VEL DISSERTATIONES ADDENDÆ.

In Diem Domini.

C*hriſtophorus Auguſtus Heumannus*, de quo nos in Geneſim ad Loth, Diſſertationem adornavit in illud capitis 8.56. ubi de Abrahamo optante videre diem Jeſu Chriſti. Legitur in Bibliot. Philolog. tom. 1. p. 473. part. 4.

Fridericus Adolphus Lampe eundem Textum illuſtravit; *ibid.* pag. 481. 518. De illo nos ad Deuteronomium.

Jo. Laurentius Moſchemius, Doctor Lutheranus Lubecæ, eandem ſententiam expoſuit variis variorum opinionibus relatis; *ibid.* tom. 2.

In Piſcinam Probaticam.

Joannes D' Outrein Diſſertatione Hiſtorica & Philologica agit de Piſcina Probatica, de qua cap. 5. diſquirens de tempore, loco, & circumſtantiis ejus prodigii. Extat in Biblioth. Philolog. to. 1. p. 597. 661.

In varia Argumenta.

Hermannus Deuſingius Scripto ſuo illuſtrans illud cap. 5. 25.28. adſtruere nititur, Jeſum Chriſtum agere ibi tantum de ſpirituali reſurrectione. Legitur *ibid.* pag. 805. uſque ad 825. Vide in Apocalypſim. Nos de illo alibi.

Georgius Scharr Diſſertationem adornavit in Samaritanam; *ibid.* to. 5. p. 1005. 1032.

Abrahamus Calovius, de quo nos ſæpe, Diſputatione illuſtravit exordium Evangelii S. Joannis; Wittembergæ an. 1652. *in* 4. Alteram edidit in jejunium Jeſu Chriſti in deſerto; *ibid.* an. 1676. *in* 4. in Paſſionem ejus & obitum; *ibid.* an. 1653. *in* 4.

Didacus del Caſtillo, Epiſcopus Granatenſis circa an. 1590 edidit Diſputationem in cap. 6. Romæ an. 1593. *in* 4.

Cornelius Haſæus, de quo nos ad Geneſim, ſcripſit de Jeſu patiente in Ædibus Caiphæ; Bremæ an. 1703. in 4.

Andreas Helvig, Luthereno-Pomeranus, diſcuſſit num Feſtum, de quo in cap. 5. Paſche eſſet; Roſtochii an. 1634. in 4.

Joannes Conradus Hottingerus, Tigurinus & Calviniſta, Diſſertatione Philologica egit de Piſcina Probatica; Tiguri an. 1705. in 4.

Jo. Nicolaus Jacobus, Germano-Lutheranus, Diſſertatione Philologica illuſtravit vulnera Jeſu Chriſti; Lipſiæ an. 1686.

Albertus Joachimus Krackevvitz, de quo ad S. Matthæum, adornavit Diſſertationem in lotionem pedum; Kilonii an. 1707. in 4.

Antonius Loiſelius, Catholicus Gallus, Expoſitionem adornavit in illud cap. 4. 15. Legitur inter ejus opera impreſſa a Claudio Joly Pariſiis an. 1652. in 4. pag. 62. obiit an. 1652.

Andreas Malmen, Suevo-Lutheranus, Diſputatione ſua vexavit caput 16. Prodiit an. 1645. in 4.

Jo. Fridericus Majerus illuſtravit miracula Jeſu Chriſti; Gryphiſvvaldiæ an. 1703. in 4.

Jacobus Reihmannus, Germano-Lutheranus, exercuit ſeſe in inſcriptionem Crucis; Vvittembergæ an. 1655. in 4.

Samuel Schelguigius, Sileſio Lutheranus, de miraculo Probaticæ Piſcinæ differendum ſibi propoſuit; Gedani an. 1681. in 4. obiit 20. 1705.

Severinus Slusarus, Germano-Lutheranus, illuſtravit Colloquium Jeſu Chriſti cum Nicodemo; Roſtochii an. 1672. in 4.

Juſtus Seſſingius ſcripſit de Agno Dei indicato a S. Joanne Baptiſta; Rudolſtadii an. 1669. in 8. Vir erat Germano-Lutheranus.

In idem argumentum de Agno Dei diſputationem edidit *Joannes Vociamannus*, Altorfii an. 1660. in 4. obiit vir Lutheranus & Profeſſor Altorfii an. 1672.

Jo. Conradus Danhauerus, de quo in Acta, illuſtravit ſeptem poſtrema verba Jeſu Chriſti; Argentorati an. 1684. & 1697. 2. vol. in 4.]

COMMENTARIA IN ACTA APOSTOLORUM.

S. *Joannes Chryſoſtomus*, *Beda*, *Oecumenius* in eundem librum ſcripſerunt; quamquam Oecumenius nonniſi opus S. Chryſoſtomi in compendium redegerit.

Arator Diaconus ſub Juſtiniano Imperatore, circa annum 530. Poeticam Verſionem in Acta Apoſtolorum adornavit.

Inter Recentiores extant, *Joan. Gagnæus*, vel *Gagnei*, Doctor & Cancellarius Univerſitatis Pariſienſis circa an. 1541. qui in N. T. & potiſſimum in Acta, & Epiſtolas S. Pauli ſcholia dedit. Hæc quidem ſcholia exhibiturum ſe P. de la Haye in titulo ſuæ *Bibliæ maximæ* pollicetur; ſed in toto illo moroſo Opere nihil occurrit, quod fidem Authoris liberet.

Joan. Lorinus, *Alphonſus Salmero*, de quibus ſupra egimus.

Fromondus, vel *Fromondus*, aut *Fremondus*, *Libertus Fromondus*, Profeſſor in Univerſitate Lovanienſi, eximium Commentarium in Acta, pluries recuſum, elucubravit. Obiit an. 1658.

Bartholomæus Petri, Profeſſor Lovanienſis, dein Canonicus Duacenus, feliciſſimo exitu in Acta laboravit. Obiit an. 1630 ætatis 85. annorum.

Hofmeiſtro in 12. priora capita Actuum Apoſtolorum:

Gaſpar Sanctius, *Benedictus Pererius*, *Cornelius a Lapide* in eodem ſcriptionum genere plurimum laudantur. *Eraſmo*, *Laurentio Valla*, *Luca Brugenſi* ſua quoque laus eſt, quemadmodum & *Joan. Feroo*, *Aloyſio Novarino*, *Piſao*; *Nicolao Dubois*, *Joanni de Sylveira*.

Inter Proteſtantes prodierunt in Magnis Criticis, *Bullingerus*, *Druſius*, *Caſaubonus*, *Gualtperus*, *Balduinus*, *Valæus*, *Ioan. Dubois*, *Priceus*, *Henricus Stephanus*.

Hammondus cum Notis Clerici, *Zegerus*, *Camerarius*, *Piſcator &c.* Vide Synopſim Crit.

Ligtfootus, comment. Hiſtor. in Acta.

Et horæ Hebraicæ in Acta ejuſdem Authoris.

Cartvvight. Mellificium Hebraicum.

Joan. Pearſon. Annales Paulini, & Lectiones in Acta Apoſtolorum. Lond. 1618. in 4.

Ludov. de Dieu in Acta, & *Frider. Mentzer* Germanus, defunctus an. 1627.

Georgius Calixtus, & de *Veil*.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN ACTA APOSTOLORUM.

S. *Chryſoſtomi* Homiliæ 55. in Acta Græce & Latine continentur in tomo 9. Editionis Morelli.

Ven. Beda Lucubrationes duas, quas duos Libros ipſe appellat, ſcripſit in Acta; nihil utique ſunt aliud niſi ejus Commentarius & Retractationes. Præter hæc etiam dedit Quæſtiones. Leguntur hæc omnia in tomo 5. Operum.

Hiſtoria Actuum Apoſtolicorum epicis carminibus tradidit *Arator*, prodiitque Opus ſine Commentario Coloniæ an. 1573. in 16. cum caſtigationibus Palmeni. Legitur & in Bi-

Digitized by Google

in Bibliotheca Pr. Lugdunenſi tom. 10. p. 745. cum Commentariis Ariæ Mendozæ, excuſa Salmanticæ an. 1506. *in fol* Vir erat Ligur, & Subdiaconus Romæ circa an. 1544. hoc enim anno Carinelli ſuum ad Vigilium papam inſcripſit.

Joannis Gagnæi, Pariſienſis, Cancellarii Facultatis & Eleemoſinatii Franciſci I. Scholia in Evangelia & Acta excuſa ſunt Pariſiis an. 1660. in 8. poſtrema Editio, & in prioribus Bibliis Hagiæ in Novum Teſtamentum. Videſis ejus cenſuram apud Simonem in critica cap. 40. p. 579. obiit an. 1549. Adnotationes ejus utiles & plane neceſſarias iis cenſet D. Dupin, qui ſenſum literalem N. Teſtamenti cito pervadere optarint, ne ampliſſima commentariorum volumina percurrere cogantur. Genuinum ejus nomen eſt Ganay, ea quo corrigendum eſt mendum occurrens ad paginam 20.

Commentarius *Lorini*, cujus viri opera alia indicavimus in Novum Teſtamentum, prodiit Lugduni an. 1605. caſtigatior & amplior *Ibid.* 1609. *in fol.*

Quæ dedit *Salmeron* leguntur in ampla collectione commentariorum ipſius in Scripturam, tomo 12. collectionem iſtam ſupra deſcripſimus.

Commentarius *Fromondi* legitur cum aliis ejus in Editione Pariſienſi an. 1670. in fol. & ſeorſum Lovanii an. 1654. in 4.

Bartholomæi Petri commentarius editus eſt Duaci an. 1652. in 4.

Joannis Hoffmeiſter commentarius ſecunda editione prodiit an. 1578. *in fol.* Si fides habeatur Gandolfo expoſuerat ille pariter ſexdecim alia capita. Addendum eſt hic a nobis, illuſtraſſe illum pariter tres priores Evangeliſtas. Vir erat Germanus, Colmarienſis, ordinis S. Auguſtini, obiitque an. 1547.

Ludovici Novarini, de quo nos ſupra, commentarium dederunt prela Lugdunenſia an. 1645. *in fol.*

Excidit P. le Long indicare *Benedictum Pererium*, cujus opus prodiit Moguntiæ an. 1580. in 8.

Commentarius *Sanctii* prodiit Lugduni an. 1618. fol.

Nicolaus Dubois dedit Lectiones Academicas in Acta; Lovanii an. 1666. in 4. Vir erat Belga, Profeſſor Theologiæ Lovanii circa an. 1666.

Joannes Sylveira. De hoc viro nos ſupra.

Arthurus Piſeus in ſuis commentariis in acta impugnat temporis hæreſes; Antuerpiæ an. 1656. in 4. Continet autem opus animadverſiones iis perſimiles eiſdemque junctas, quas dedit in Evangelia. Vir erat Anglus, Cancellarius Cardinalis Lotharingii, Canonicus & facile Decanus Cathedralis Viroduni, non Livarduni uti legitur in fronte Bibliothecæ Scriptorum Anglicanorum ab eo adornatæ.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM IN ACTA.

HEnricus *Bullengerus*, Helvetius, & Miniſter Calviniſta Tiguri, quem melius recenſuiſſemus inter Scriptores commentariorum Generalium, commentarium ſuum dedit impreſſum Tiguri an. 1590. in fol. ſeptima Editio. Obiit an. 1575.

Præpoſtere in noſtris impreſſis diſtincti ſunt in duo *Balduinus* & *Valæus*; ſunt enim unus idemque *Balduinus Valæus*, cujus commentarius in Acta Græce & Latine prodiit Lugduni Batavorum an. 1613. in 4. junctim cum altero ejus in Evangelia. P. le Long notat edit. Amſtelod. 1662. Vir erat Belga, Calviniſta, filius Antonii, defunctus an. 1639. juxta Crovæum.

Joannes Dubois, Anglo-Sudvolgenſis, & Canonicus Ely ſcripſit in Acta; id autem opus cum altero ejus in Evangelia editum eſt Londini an. 1655. in 8. idem vir a nobis appellatur Nicolaus Dubois. Obiit an. 1640.

Druſius, *Gualtperus*, *Caſaubonus*, *Priceus*, *H. Stephanus*. Quinque Proteſtantium iſtorum Scriptorum Adnotationes impreſſa ſunt in Criticis ſacris prioris Editionis tomo 7. junctim cum aliis *Zegeri* & *Camerarii*.

Adnotationes *Hammondi* Latine redditæ a Clerico prodierunt cum aliis ejus in univerſum Novum Teſtamentum, Amſtelodami an. 1714. 2. vol. fol. Nos de illo ſupra, & alibi etiam fuſius.

Commentarium Chronologicum Criticum dedit *Joannes Lightfoot* in Acta; prodiitque junctim cum aliis ejus Operibus, de quibus nos in Commentariis Generalibus.

Miſſeſicium Chriſtophori Cartwrigt non Acta tantum, ſed & totum Vetus Novumque Teſtamentum illuſtrat, legiturque in Criticis Sacris tom. 9. a pag. 2976. uſque ad 3188 primæ Editionis. Nos de illo in Geneſim.

Joannes Pearſon vir erat Anglus, Epiſcopus Ceſtrenſis, defunctus an. 1689. Creditur præcipuus Author Collectionis criticorum ſacrorum.

Quæ ſunt *Ludovici de Dieu* in Acta continentur inter cetera ejus in totum Novum Teſtamentum. Vide Articulum generalem Proteſtantium, in quo nos de illo, cæteriſque ejus operibus.

Balthaſaris Menzeri, Altendorfienſis, Lutherani, & Profeſſoris Gieſſæ, commentarius prodiit Gieſſæ an. 1622 *in 4.* altera Editio. Laboravit & in reliquos Libros Scripturæ, uti nos alibi. Annum ejus emortualem alias indicavimus.

Expoſitio literalis *Georgii Callixti*, Lutherani, excuſa eſt Brunſvici an. 1654. *in 4.* Inter ſcriptores Commentariorum generalium locum ſuum ſibi promeretur. Obiit an. 1656.

Carolus Maria de Veil, de quo nos in S. Marcum, expoſitione literali illuſtravit Librum Actuum; Londini an. 1684. *in 8.*

Authores addendi.

Omiſit P. le Long Commentarium *Van-Limoven* in Acta Amſtelodami 1704. in 8. 2. vol. & Germanice Bremæ an. 1708. in 4. Fertur parari a Van-der-Linder nova Editio cum additamentis Authoris. De hoc viro nos in Epiſtolam ad Romanos.

Omiſit etiam Adnotationes in Acta & in quatuor Evangelia *Othonis Brunsfeldii*; Argentorati an. 1579. *in fol.* De altero hujus viri opere nos in tertia parte. Vir erat Germanus, natus Brunsfeldiæ juxta Moguntiam, qui ſtudio operam dedit in Collegio Carthuſianorum, quibus & adlectus eſt. Cum tamen Lutheri dogmata deguſtaſſet, ſeceſſit Argentoratum, ubi amœniores literas docuit; tum contendens Baſileam Doctoris Medici laurea inſignitus eſt, egitque Medicum Bremæ, ubi & obiit an. 1534. Ejus vitam habes deſcriptam inter Medicos Germanos a Melchiore Adamo p. 10.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN ACTA.

VIde Præfationes Interpretum, & annales Paulinos Pearſonii, ſicut & vitam S. Pauli per Tillemontium, cum Notis ejuſdem.

Ludovici Cappelli Hiſtoria Apoſtolica *in Magnis Criticis*. 8.

Melch. Flavii de Regno Dei, de quo Chriſtus locutus per dies 40. Act. 2. 13.

Joan. Anton. Vanderlinden Exercitatio, de vino pleni. Act. 2. 13. *ibid.*

Nicolai Serrarii de S. Paulo, & Juda Proditore, *inter ejus opuſcula.*

Andr. Auſtra. de genere mortis Judæ. Theſ. Th.

Julii Bartoloccii de Juda proditore, patria, opificio, matre. *Biblioth. Rab. t. 3. p. 24.*

Diſſertatio *Gronovii* de morte Judæ proditoris.

Aug. Calmet Diſſert. de Electione per ſortes, ante Comment. in Acta.

Matth. Valseri, & *Georg. Edm. Voigt.* de itinere Sabbati. Vide etiam Relandum Palaſt. illuſtr. t. 1. pag. 497.

Deylingi Obſerv. t. 2. c. 35. de Synagoga Libertinorum. Act. 6. 9.

Godfrid. Thilo, de linguis igneis. *Theſ. Th.*

Caroli Bovilli, de viſione Chriſti ſedentis a dexteris Dei per B. Stephanum.

Volf. Dav. Schoepfius, de flagellatione Apoſtolorum. *Theſ. Th.*

Frider. Spanhem. de converſionis Paulinæ Epocha, & de nomine Pauli, *tom. 2. oper. p.* 311.

Joan. Georg. Schwabius, de Moloch, & Remphan.

Deyling. de tabernaculo Moloch, *tom. 2. Obſerv. c.* 36.

Vide

Vide ie idem argumentum *Sponcerum* de Legibus Hebr. L. 3. Diſſert. 3. c. 3. ſect. 1. Vide & noſtram Diſſertationem de religione Iſraelitarum in deſerto ante Comm. in Minor. Prophetas,& conſule Authores ibi laudatos. Aliam quoque dedimus Diſſertationem ie Moloch ante Comment. ie Leviticum.

Seldenus de Diis Syris, Syntagm. 2. c. 14. cum additionibos Beyeri.

Aug. Colmet Diſſert. de Baptiſmo nomine Jeſu Chriſti, ante Comment. in Acta.

Joan. Georg. Dorſcheus, de ſanguine & ſuffocato. Vide etiam *P. Alexandrum* Diſſert. 10. N. T. ſicut etiam geminas Epiſtolas in Decretum in Actis Apoſtol. 15. 23. 29. ac potiſſimum de inhibitione adhibeodr in cibum ſanguinis, & ſuffocati, ſeorſim 1. vol. *in* 12. impreſſar Amſtelod. 1707. Gallice.

Salom. Deyling. de fornicatione vetita 1. 2. *Obſerv.* c. 39. Act. 15. 20.

---- In Acta 13. 16. & 16. 14. &c. *Qui timentes Deum? ibid.* c. 40.

Aug. Colmet Diſſert. de Simone Mago. *In Collect. Diſſert.* 3.

---- De inſcriptione Aræ Athenienſis: *Ignoto Deo*, ante Comment. in Acta.

Tob. Eckard.; Athenæ ſuperſtitioſæ. Act. 17. 22. *Theſ. Theol.*

Georg. Frideric. Meinhard. Pauli Nazaræatus. Act. 18. 18. ibid.

Salom. Deyling. de curioſitate Ephesiorum; quid ſit? 1. 3. *Obſerv. ſacr. cap.* 3.

Chriſt. Siberi, de curioſitate Epheſiorum Act. 19. 19. ibid. Idem de Aſiarchis. Ibi.

Chriſtiani Schoetgenii, de Aſiarchis. Act. 19. 31. Quod Magiſtratus fuerint civiles. *Miſcel. Lipſ.* t. 5.

Joan. Nicol. Schulin, de Diana Epheſia. Ibid.

Chriſt. Andr. Siberii de voce Diipetea, Jovis proles. Act. 19. 35.

Deylingius, de tumultu excitato e Demetrio. *Obſerv. tom. 3. cap. 39.*

Ejuſdem de Civitate Romana D. Pauli, *ibid.* c. 40. ad Act. 22. 25.

{ Hiſtoria Apoſtolica *Ludovici Capelli* legitur in criticis Sacris, non in octavo uti male in noſtris impreſſis, ſed in nono tomo eorum p. 3873. Nos de hoc viro alias. Nec ſane inficiendum eſt utiliſſimum eſſe Opus ad aſſequendum probe ſenſum Libri Actuum Apoſtolorum.

Tractatus Regni Dei per *Melchiorem Flavium*, Franciſcanum, ordinis Fratrum Minorum & Pœnitentiarium ſub Pio V. excuſus eſt Pariſiis an. 1526. Florebat circa an. 1570.

Exercitatio *Van-der-Linden* legitur in tomo 9. criticorum Sacrorum p. 4532. eſt autem decima inter Exercitationes ejus erudiriſſimis animadverſionibus, ex antiquitate deductis, refertiſſimas. Vir erat Batavus, natus an. 1609. Profeſſor Medicinæ Lugduni Batavorum, atque immortuus eſt io Calviniſmo an. 1664.

In ſecundo tomo Diſſertationum Philologicarum exhibetur Diſſertatio *Andreæ Auſten*, Germano-Calviniſtæ, io Judam. Prodierat jam antea Rintheli, ſed quo anno ignoramus. Florebat circa an. 1688.

Joannes & non *Michael Vvolterius*, filius alterius Michaelis, ejuſdem cum Patre ſuo religionis Lutheranæ & Patriæ Germanicæ, edidit Diſputationem de itinere Sabbati; *ibid.* in Theſaur. Diſſ. Philologg. prodiitque pariter Wittembergæ an. 1673. *in* 4. obiit an. 1692.

Diſſertatio altera *Georgii Hermanni Voigt*, Germano-Lutherani, legitur ibi pariter t. 2.

Quæ ſcripſerat *Godefridus Tilen*, de quo nos in S. Matthæum, in linguas igneas, prodierant jam an. 1675. *in* 4.

Carolus Bovilleus, de quo in Epiſtolas ad Corinthios, illuſtravit viſionem s Stephani; prodiitque opus junctim cum altero ejus in s. Paulum.

In Apoſtolos.

Diſſertatio *Davidis Schoeff*, Germano-Lutherani, de flagellatione Apoſtolorum, excuſa eſt Wittembergæ an. 1683. & in Diſſ. Philolog. tom. 2.

Ibi pariter legitur Lucubratio *Joannis Schwab*, Germano-Lutherani, in Moloch & Rempham.

Jo. Georgius Dorſcheus adornavit Diſcuſſionem eorum quæ congeſſit Grotius in legem inhibentem ſanguinem & ſuffocatum, de qua Actuum 15. 20. Prodiit opus Roſtochii an. 1665. *in* 4. & in Theſaur. Diſſ. Philologg. Scripſit pariter Chronotaxim in Acta Apoſtolorum, excuſam curante Joanne Fecht Hamburgi an. 1706, *in* 4. opera adornavit alia, de quibus nos infra.

In Athenas.

Athenæ ſuperſtitioſæ *Tobiæ Eckardi*, Germano-Lutherani, Rectoris Collegii Quedlinburgici, opus eſt excuſum Wittembergæ an. 1688. *in* 4. Scripſit & de obitu funeſto Judæ; *ibid.* 1680. *in* 4.

In S. Paulum.

Quæ dedit *Georgius Fridericus Meinhardus* In Nazaræatum s. Pauli, referunt Diſſertationem Philologicam, excuſam Wittembergæ an. 1680. *in* 4. & in Theſauro Philolog. *ibid.* De hoc viro nos ſupra.

In varia Argumenta.

Quis ille fuerit *Chriſtianus Schoetgen*, qui de Aſiarchis diſſeruerit, ignoratur.

Chriſtophorus Andreas Siberus, Germano-Lutheranus in idem argumentum & duos alios verſiculos ejuſdem capitis dedit tres Diſſertationes criticas, legendas in Theſaur. Diſſ. tom. 2.

Nicolaus Schulin in Deam Epheſiam ibi pariter legendus eſt; prodiit etiam ſeorſum Wittembergæ an. 1687. *in* 4. Nos de illo in S. Matthæum.

COROLLARIUM,

TRACTATUS ET DISSERTATIONES ADDENDÆ.

In S. Paulum.

E*Ricus Benzelius*, Suevo-Lutheranus & Archiepiſcopus Upſalæ, illuſtravit orationem s. Pauli in Areopago Athenarum; Upſalæ an. 1669. *in* 4. obiit an. 1709.

Jo. Andreas Dubois, Lutheranus Lipſienſis, Profeſſor Jenæ, defunctus ao. 1674. ætatis 48. Diſputationem adornavit in aram Dei Ignoti, excuſam Jenæ an. 1659. *in* 4. tum in Theſauro Antiquitatum Romanarum to. 5. p. 271.

Jo. Jacobus Hellerus, Germano-Lutheranus, de Deo Ignoto Athenarum, in Theſ. Antiq. Græc. Gronovii tom. 4. par. 2.

Simon Fridericus Jagerus, Germano-Lutheranus, idem argumentum venavit; Wittembergæ an. 1691. *in* 4.

Jacobus Hoſanus, Bremenſis & Juris Profeſſor, ſupputationem adornavit menſium itineris S. Pauli Jeroſolyma Romam, ad illuſtranda capp. 27. & 28. Actuum. Eſt autem Diſſertatio excuſa in Biblioth. Philolog. t. 1. pag. 17. 34. primæ partis.

Jacobus Stolterfoth diſſeruit de navigatione S. Pauli ad cap. 27. Prodiit opus Lubecæ an. 1637. *in* 8. Vir erat Germano-Lutheranus.

Jo. Fridericus Vvandalinus, Germano-Lutheranus, ſcripſit de Inſula Melita, quo appulit S. Paulus, uti narratur in capite 28. Haphniæ an. 1707. in 4.

Godefridus Olearius, de quo nos in S. Matthæum, Animadverſionibus Philologicis illoſtravit ea, quæ de S. Paulo leguntur in capite 17. 16. 34. Helmſtadii an. 1706. *in* 4.

Chriſtianus Sealbach, Profeſſor Lutheranus Germanus Gryphiſvvaldiæ, eloquentiam hujus Apoſtoli ſcripta Diſſertatione extulit; Gryphiſvvaldiæ an. 1709. *in* 4.

Joachim Schmidt, Germano-Lutheranus, Diſſertatione Hiſtorica & Philologica exercuit ſeſe in illud capitis 22. 10. Stutgardiæ an. 1706. *in* 4. *Joannes Schmidt*, Lutheranus & ipſe, Profeſſor Argentorati, defunctus an. 1658. expoſuit illud capitis 20. 28.

Conradus Samuel Schurzfleich, de quo nos in s. Matthæum, diſſeruit de arte ſcenofactoria s. Pauli; Wittembergæ an. 1674. *in* 4. ſicut & in ſcientias curioſas Epheſiorum, ad illud capitis 19. 9. *ibidem* 1691. *in* 4.

In

In Linguas.

Jo. Gaſpar Santeros, Profeſſor ordinarius in Academia Marpurgenſi, ſcripſit de dono linguarum, Diſſertatione impreſſa Marpurgi an. 1718. *in* 8.

Diſtributum in tres ſectiones opus, earum primam impendit in probando donum illud linguarum ſolis Apoſtolis collatum fuiſſe. In ſecunda impugnantur defendentes totum miraculum exhibitum fuiſſe in auribus eorum, qui loquentes auſcultabant. In tertia refotatur Salmaſii ea perſuaſio, quæ brevi temporis inſtanti duraſſe prodigium illud contendit.

Jo. Jeremias Lederlinus, Germano-Lutheranus, & Profeſſor Linguarum Orientalium, Philologiam Latinam adornavit in donum linguarum Apoſtolis conceſſum die Pentecoſtes; Argentorati an. 1714. *in* 4.

Joannes D'Outrein, & *Lampe* ſcripſerunt in illud capitis 13. 32. ad probandum dicta accipi oportere de Reſurrectione, non de miſſione, vel de ortu Domini; Bibliotheca Philolog. t. 2. pag. 884. 906.

In S. Stephanum Diaconum.

Daniel Guillelmus Mollerus egit de ſeptem Diaconis, & de Moyſe, de quo ſermo eſt in capite 7. 22. Altorfii an. 1696. & 1707. 2. vol. *in* 4. Vide in S. Matthæum.

Jo. Reinardus Rus, Germano-Lutheranus, Profeſſor Jenæ, illuſtravit Martyrium S. Stephani lapidibus confecti a Judæis, Opere impreſſo Jenæ an. 1709. *in* 4. ſicut & *Jo. Fridericus Mayerus* Opere excuſo Francofurti an. 1693. *in* 4 altera Editio. Vide in S. Joannem.

Hagninus Stribergius, Lutheranus Haphnienſis, in annis commorationis Judæorum in Ægypto Moyſem cum S. Sthephano conciliavit; id autem opus excuſum eſt an. 1694. *in* 4.

Theodorus le Blanc, Paſtor Rupellenſis perfuga, exercuit ſeſe & in idem argumentum, & in ſeptuaginta hebdomadas; quod ejus opus legas in Biblioth. Philolog. t. 1. p. 0. pag. 23.

Idem Gallice præſtitit *Bernardinus Marolles*, Gallo-Galviniſta ſæculi 18. Ultrajecti an. 1705. *in* 8.

Severinus Linſtrupus, Dano-Lutheranus Haphnienſis, de Polymatia S. Lucæ in Hiſtoria Actuum; & de iis qui cum S. Stephano diſputarunt; Haphniæ an. 1698.

In Concilium Jeroſolymitanum.

Joannes le Blanc, de quo nos ad Judices, adornavit examen edicti Apoſtolorum, de quo Actuum 15. Gallice, Amſtelodami an. 1708. *in* 12.

Jo. Conradus Danhauer diſſeruit de eodem Concilio Jeroſolymitano, in quo ſanctio illa conſtituta fuit; Argentorati an. 1648. *in* 4. Illuſtravit etiam ea, quæ de Gallione leguntur in capite 18. 12. 16. *ibid.* 1664. *in* 4. Actuum eſt de illo in V. T. & infra etiam agetur.

Samuel Schelguige, de quo nos in S. Matthæum, dedit Exercitationem Theologicam in idem Concilium, Lipſiæ an. 1679. *in* 4. Scriptæ ſunt geminæ epiſtolæ Gallicæ in idem Concilium, excuſæ Amſtelodami an. 1707. *in* 12.

In varia Argumenta.

P. Harduinus, Jeſuita, vivens adhuc, diſſeruit de Secta Libertinorum, quæ ejus Lucubratio legitur in Ephemeridibus Trevoltianis an. 1701. menſibus Maii & Junii. Explicavit etiam verſiculos 14. 16. capitis 7. in iiſdem Ephemeridibus an. 1703. menſe Septembris. Diſſertatio ejus de Libertinis Latine reddita legitur in Collectione Operum ipſius pag. 903.

Iſaac Philmanus, Suevo-Lutheranus, Profeſſor Linguarum Orientalium, diſſeruit de præfecto cuſtodum Templi ad cap. 1. 4. Roſtochii an. 1702. *in* 4.

Fridericus Chriſtianus Bucherus, Lutheranus Dantiſci, an. 1680. dedit Diſſertationem in ÿ. 39. capitis 5. & 9. capitis 23. Wittembergæ an. 1681. *in* 4. & in Diſſ. Philolog. Deſcripſit etiam iter S. Pauli; *ibid.* 1675. *in* 4.

Diſtign. Bibl.

Gotſchalus Eelmannus, Germano-Lutheranus, ſcripſit de Judicio facto a Melitenſibus, ad caput 28. 4. Legitur & in Theſaur. Diſſ. Philolog. t. 2.

Jo. Chriſtianus Biel dedit Animadverſiones in Judæos mentientes Deum, de quibus capite 6. 5. Revocat autem in examen poſthumam expoſitionem Ligfooti. Extat opus in Biblioth. Philolog. t. 3. pag. 664.

Jo. Georgius Altmanus additamentum dedit ad Diſſertationem Biel in fœminam purpurariam; *ibid.* t. 5. pag. 670. 673. t. 6. pag. 114.

Georgius Michaelis illuſtravit orationem Cornelii, relatam in capite 10. 4. *ibid* pag. 679. 687. Exponens ibi pariter vocem, qua uſus eſt S. Lucas, reddit de impleta fide promiſſionum, quas ad Gentiles fecit Jeſus Chriſtus.

Yvo Gaucher ſcripſit de vermibus depaſcentibus Herodem, ad caput 12. 13. ibidem pag. 959. 987.

Jo. Chriſtianus Biel, Lutheranus Brunſvicenſis, adornavit Diſſertationem in fœminam purpurariam, de qua cap. 16. 04. *ibid.* t. 2. pag. 409. 432. In decem articulos diſtribuitur.

Albertus Joachim Kraekevaltz, de quo nos ad S. Joannem, ſcripta Diſſertatione egit de umbra S. Petri ægros ſanante; Roſtochii an. 1704. *in* 4.

Jo. Chriſtophorus Oetelb ſcripſit de Libris Epheſiorum, qui Apoſtolorum juſſu cremati ſunt; Lipſiæ an. 1709. *in* 4. Vide in V. T.

Jo. Alb. Silingli Haphnienſis de Cuſtodibus Temp. Diſſertatio Philolog. Roſtochii an. 1700. *in* 4.

Jo. Elias Reichart, Germano-Lutheranus, de Pentecoſto; Jenæ an. 1693. *in* 4.

Jo. Fridericus Scharff, de quo ſupra, de Vocatione S. Matthiæ; Vvittembergæ an. 1650. *in* 4.

Joannes Schmidt, Profeſſor Lipſiæ, de coronis in Sacrificiis, ad illud capitis 14. 12.

Michael Siriet, Germano-Lutheranus, Profeſſor Roſtochii, Diſquiſitionem de Simone Mago dedit Gieſſæ an. 1666. *in* 4.

Samuel Smith, Anglus, de Converſione Eunuchi; Anglice, Londini an. 1610. in 8.

Jacobus Staalcopff, Miniſter Lutheranus Viſmari, defendit contra Spinoſam Oraculum S. Pauli relatum in capite 17. 28. Biblioth. Philolog. t. 3. pag. 470. in articulos 22. Opus diſtribuitur.

Chriſtophorus Mauſlaus, Lutheranus, peculiari ſcripto illuſtravit illud cap. 4. 27. 28. Dreſdæ an. 1703. *in* 4. Eſt autem Expoſitio Grammaticalis & Theologica, qua eruditionis ſuæ Lutheranæ in Prædeſtinationem & Reprobationem ſpecimen Author exhibuit. Nec ſe temperat ab impugnandis valide Calviniſtis, docentibus peccatum neceſſario committi, & appendicem eſſe Reprobationis, atque a Deo cauſari. Illos etiam exagitat in argumento Prædeſtinationis, Lutheranice tamen ſemper.]

COMMENTARIA IN EPISTOLAS OMNES S. PAULI.

Hilarius, Diaconus Eccleſiæ Romanæ, quarti ſæculi ſcriptor, Commentarium in omnes Epiſtolas Paulinas, plerumque ſub nomine S. Ambroſii laudatum, adornavit. Vide inter Opera S. Ambroſii; In eo libro quædam ſunt, quæ caſtigatiorem deſideraſſent Authorem, quædam vero prorſus erronea.

S. Joan. Chryſoſtomus, *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Oecumenius*. Poſtremi duo S. Chryſoſtomum, veluti Præceptorem diſcipuli, plerumque ſequuntur.

Primaſius Epiſcopus Adrumetinus in Africa, ſub Theodoſio Imperatore, qui S. Auguſtini doctrinæ firmus inhæſit, in omnes Epiſtolas S. Pauli ſcripſit.

Beda Ven. ex verbis & ſenſibus S. Auguſtini Commentaria ſua elucubravit.

Sedulius Scotus, vel *Hibernus*, ex Origene, S. Hieronymo, ſeu potius Pelagio (cujus tamen errores expunxit), S. Ambroſio, ſive Hilario Diacono, & S. Auguſtino opus ſuum compoſuit.

Haymo Alberſtadenſis exſcriptor Primaſii, *Rodulphus Flaviacenſis*, ſive S. Germer.

S. *Anſelmus* ſeu potius Hervæus Cœnomanenſis.

Lanfrancus Abbas Becenſis, & deinde Archiepiſcopus Cantuarienſis, in omnes S. Pauli Epiſtolas ſcripſit.

Vide

Vide Bibliot. PP. t. 38. pag. 621. & ejus opera edita a D. Luca d'Achery.

Remigius Epiſcopus, vel facile Monachus Altiſiodorenſis, cujus legas commentarium in Bibliot. PP. tom. 8. pag. 883.

Theodulus Presbyter Cœle Syriæ, ſiva alius ſub ejus nomine, *in Bibl.* PP. t. 8. p. 587.

Rabanus Maurus, Archiepiſcopus Moguntinus in omnes S. Pauli Epiſtolas 30 libris diſſeruit. In eo Opere Author omnes ante ſe PP. laudat, Origenem, S. Ambroſium, ſive Hilarium Diaconum, S. Hieronymum, & S. Auguſtinum.

S. *Bruno* Carthuſianorum pater, vel alius facile ſub ejus nomine, eodem ſcriptionum genere claruit. Forte illud opus Brunoni Aſtenſi, ſive Signenſi tribuendum eſt.

Petrus Lombardus, *Hugo de S. Victore*, *S. Thomas Aquinas*, *Gregorius Ariminenſis*, Scriptorum ſuorum merito ſatis celebrantur; quamvis pauca nova in eorum Operibus deprehendantur.

Opus *Pelagii*, ſub S. Hieronymi nomine latens, non paucis offendiculo fuit. Sedulius Scotus totum fermé exſcripſit, quamvis ſententiis expunctis, quæ Pelagianiſmum prodebant. Rupertus Abbas, Primaſius, & Rabanus Maurus non raro & ipſi Authorem illum ſequuntur. His enim omnibus nomen S. Hieronymi impoſuit; quicquid enim ſub ejus nomine vulgatum erat, illico (ea erat illius ætatis regularum criticæ imperitia) ſine diſcrimine tanto Patri tribuerunt.

Inter Recentiores *Thomas Cajetanus*, *Ambroſius Catharinus*, *Joan. Gagnæus*, *Benedictus Juſtiniani*, *Dionyſius Carthuſianus*, *Nicolaus Lyranus*, *Ugo Cardinalis*, Claudius *Guillandus*.

Gaſpar Contarenus, Cardinalis, qui obiit anno 1542. ſcholia in omnes Epiſtolas S. Pauli digeſſit.

Heſſels, Doctor Lovanienſis, *Jacobus Faber*, *Franciſcus Titelmannus*, *Petrus Stevartius*, *Alphonſus Salmero*, *Cornelius a Lapide*, *Laurentius Valla*, *Eraſmus*, *Lucas Brugenſis*.

Guillelmus Eſtius, Præpoſitus S. Petri Duacenſis, & Cancellarius in Univerſitate ejuſdem Urbis, oriundus e Gorcum in Hollandia, obiit an. 1613. ætatem agens 72. annorum. Ejus in Epiſtolas Paulinas commentarium abſolutiſſimum omnium, quæ hucuſque prodierint, cenſetur. Eruditione ſolida, & vaſta redundat; ſed facile plus nimio diffunditur. Cum Author ad cap. 3. 7. primæ Epiſtolæ S. Joannis perveniſſet, diem clauſit. Bartholomæus Petri edendi præclariſſimi Operis cura in ſe ſuſcepta, nonnulla identidem ea ſuo Marte adjungens, tandem univerſum complevit.

Fromondus, veluti egregiam Summam Operis Eſtiani vulgavit.

Laudantur etiam Analyſes P. *Maudit*, Explicationes P. *de Carrieres*, Paraphraſes *Godeau*, *Eraſmi*, & *D. Ludovici Ricii*.

Joan. Benet, Doct. Sorbon. Manuale in omnes Pauli Epiſtolas. Lugd. 1682. Vol. 2. *In* 8.

Joan. a Gorcum, Presbyteri, Epitome Commentariorum Eſtii, & Cornelii a Lapide in omnes Divi Pauli Epiſtolas. Antuerpiæ 1619.

Conſulendi etiam Annales Paulini *Pearſonii*, & *Joachimi Langii* Commentatio Hermeneutica de Vita, & Epiſtolis D. Pauli. Halæ Magdeb. 1718. *In* 4.

Inter Proteſtantes extant in M. Criticis *Caſtalio*, *Grotius*, *Zeger*. *Caſaubonus*, *Camero*, *Henricus Stephanus*, *Druſius*, *Scaliger*, *Gualtperius*, *Jacobus*, & *Ludovicus Capelli*, *ſi*. *ant* & *Beza*, *Hammondus*, *Piſcator*, *Camerarius*, *Schmith*, *Strigelius*, *Voſſius*, *Cnatchuli*, aliique, quorum epitomes in Synopſi Criticorum.

Auguſtinus Marloratus Catenam adornavit plurium Authorum Proteſtantium; veluti *Lutheri*, *Melanchtonis*, *Brentii*, *Bulingeri*, *Pomerani*, *Sarceri*, *Petri Martyr*. &c.

Vide etiam *Ludovicum de Dieu* in Paulum *in* 4.

COMMENTARII CATHOLICORUM IN EPISTOLAS S. PAULI.

IN ſecundo tomo novæ Editionis S. Ambroſii legitur commentarius *Hilarii* Diaconi, de quo præter ea, quæ a nobis animadverſa ſunt, addendum pariter; alium eſſe ab illo Authorem Commentarii in Epiſtolam ad Hebræos Operis e S. Joanne Chryſoſtomo decerpti. Vivebat ſub Liberio Papa, atque intima familiaritate ſtringebatur cum Lucifero Calaritano, uti docet S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 95. Non eſt igitur cur miremur, ſi parum Orthodoxum aliquod occurrit in ejus Opere, uti a nobis indicatum eſt.

Invidendum non eſt S. Chryſoſtomo decus illud, quod ſcilicet in Commentariis ad S. Paulum maxime excelluerit. Cum enim ſublimi illo Apoſtoli ſpiritu afflaretur totus, ſi quis Scripta ejus leget, audire ſibi perſuadere poteſt Paulum raptum in tertium Cœlum. Idem utrique zelus, idem vernaculus ſermo, eadem diſſerendi vis & eloquentia.

Adornavit in Epiſtolam ad Romanos Homilias 32. Græce exhibitas in editione Anglica to. 3. p. 1. ſicut & Græce & Latine in Pariſienſi to. 4. In Epiſtolam ad Corinthios priorem Homilias 44. quibus & eximiam Præfationem adjecit: in ſecundam Homilias 30. excuſas in tomo 3. editionis Græcæ p. 243. & in tom. 5 Pariſienſis. In Epiſtolam ad Galatas legitur commentarius to. 3. prior. edit. p. 763. & to. 5. alterius p. 776. In Epiſtolam ad Epheſios habes Homilias 24 to. 3. prior. edit. p. 723. & to. 5. ſecundæ p. 864. Homilias 15. in Epiſt. ad Philippenſes offert to. 4. prior. pag. 1. & to. 6. poſterioris p. 1. Duodecim in Epiſtolam ad Coloſſenſes tom. 4. prioris p. 89 & to. 5. ſecundæ p. 147. Duodeviginti in priorem ad Theſſalonicenſes, & quinque in ſecundam tom. 4 prior. p. 161. & to. 6. poſterior. p. 262. Duodeviginti in priorem ad Timotheum addita præfatione, & decem in ſecundam; *ibid.* p. 149. & 402. In Epiſtolam ad Titum ſex; *ibid.* p. 381. & 619. Tres in Epiſt. ad Philemonem; *ibid.* p. 411. & 770 Quatuor & triginta in Epiſt. ad Hebræos; *ibid.* p. 437. & 1694. quæ collectæ referuntur poſt Viri ſancti obitum ab uno ex Amicis ejus Sacerdote. Homiliæ decem in priorem ad Corinthios, relatæ in editione Baſileenſi to. 3. non genuinus ejus fœtus, ſed Authoris plane incerti, quamquam vetuſtiſſimi, habendæ ſunt. Quæ ſcripſit in Apoſtolum omnia excuſa ſunt Græce ſeorſum Veronæ 3. vol. *fol.*

Excellunt pariter in Commentario in Apoſtolum adornato *Theodoretus*. Id autem Opus legitur in to. 4. editionis P. Sirmondi Græco-Latina.

Commentarius *Theophylacti* Græce & Latine ex Verſione Philippi Montani excuſus eſt Londini an. 1636. *fol.* & Latine Coloniæ an. 1575. *in* 4. Romæ an. 1472. *fol.* ſub nomine Athanaſii Alexandrini.

Oecumenii Græce; Veronæ an. 1532. *fol.* Græce & Latine Pariſiis an. 1631 2. vol. *fol.*

Commentarius *Primaſii* excerptus eſt ex Patribus, prodiitque jam ſub nomine *Remigii Remenſis*, *Haymonis*, & *Remigii Lugdunenſis*, quanquam reipſa eſt Remigii Altiſiodorenſis, appellati *Remigius Remenſis* in loco tantum a nobis indicato. Qui *Primaſii* nomine inſcribitur exhibetur *ibid.* to. 10. p. 142. eſt autem Operi Remigii præponendus, cum poſterior iſte ſęculo nono, & Primaſius ſexto vixerit; Commentarii hujus editionem curans *Gagnæus* longam pręfationem ad Franciſcum I. præfixit. Cenſet D. Dupin Haymonem longe alium Commentarium dediſſe, quem excuſum affirmat Romæ an. 1598. agitque de illo D. Simon Hiſt. Critic. N. T. cap. 26. p. 363.

Baronius ad an. 58 n. §. 15. 16 Commentarium in S. Paulum a Beda abjudicare & Petro Abbati Tripolitano, de quo Caſſiodorus Divinar. Lect. c. 8. vindicare conatur. Sed D. Mabillon Act. Benedict. ſæc. 3. par. 1. pag. 560. demonſtrat litem hanc minus juſte intentari, ac Bedæ reſtituit quę Annalium parens immerito illi detrahenda cenſuerat. Fateamur tamen oportet, Commentarium, qui nomine ipſius inſcribitur, in 5. tomo Operum fœtum eſſe illi non genuinum. Floro Diacono tribuit P. le Long. Genuini Bedæ Commentarii Codicem manuſcriptum habuit D. Mabillon, ex quo excerpta quædam dedit Analectorum t. 1. pag. 13. &c.

Commentarius *Sedulii* Scoti ſæpius impreſſus legitur pariter in nova Bibliotheca PP. t. 6. pag. 494 Uſſerius, & Trithemius confundunt illum cum Sedulio Poeta, diu remotioris ætatis Scriptore. Noſter enim vixit non citius quam ſæculo nono, nec alius eſt facile, quam cujus Autographa extant in noſtra Bibliotheca S. Michaelis

Pſalmis Græce deſcripti. Meminit hujus D. Montfaucon in Palæograph. pag. 435.

Commentarius *Rodolphi*, cognomento Nigri, nonniſi manuſcriptus ſervatur in Bibliotheca Regia & in altera S. Germani Pratenſi. Monachum egit, non Fuldæ in Germania, ſed Flaviacenſem in Diœceſi Bellovacenſi circa an. 1157. Vide quæ animadvertimus ſupra ad Leviticum.

Hervæo, non Cenomanenſi quidem, ſed Lemovicenſi, Monacho Benedictino Dolenſi, in Diœceſi Burgenſi, tribuitur Commentarius in s. Paulum, legendus inter opera s. Anſelmi Cantuarienſis Editionis Picardii; Coloniæ an. 1612. *fol.* Sunt qui ſcriptum vindicent Anſelmo Laudunenſi. Hervæus iſte, & non Harvæus uti male in noſtris impreſſis, vivebat circa Annum 1130. Sæculo undecimo adſcribit D. Mabillon Annal. t. 5. pag. 367.

Conſtat equidem *Lanfrancum* illuſtraſſe ſcriptis S. Paulum; ſed & conſtare pariter arbitror, inter ejus opera legendum, ejuſque nomine præfixum Commentarium, quem pariter recitat Bibliotheca PP. Opus eſſe ab illo alienum. Ejus enim genuinus Manuſcriptus adhuc ſervatur, teſtibus DD. Mabillon, & Maſſuet, *ibid.* c. 5. pag. 260. Vide ejus judicium apud D. Simon, Hiſt. Critic. N. T. cap. 47.

Theodulus, qui exercuit ſeſe in Apoſtolum, nec Sacerdos eſt Cœle-Syriæ, nec alius ejus nominis Author, quem nos indicavimus; ſed Theodulus Italus, Græce & Latine doctus, incertæ ætatis. Scripſit tantum in Epiſtolam ad Romanos, nec niſi Expoſitionem, vel catenam excuſam jam Baſileæ an. 1537. *in* 4. & in Orthodoxographiis. Idem eſſe opus ac illud, quod publico paruit ſub nomine Œcumenii, Jo. Albertus Fabricius affirmat.

S. Brunonem Carthuſianum genuinum eſſe Authorem Commentarii in s. Paulum, inter opera ipſius relati, evidentiſſimis argumentis demonſtrat D. Maſſuet. Vide quæ de illo ſcripſimus in Pſalmos.

Commentarius *Petri Lombardi* excuſus eſt Pariſiis an. 1535. fol. & 1555. *in* 8. Vide *ibidem*.

Expoſitio *Gregorii Ariminenſis*, de qua Sixtus Senenſis, vel interiit, vel latet in manuſcriptis.

Pelagii Commentarius illuſtrat tantum tredecim Epiſtolas s. Pauli, & legendus offertur in to. 5. operum s. Hieronymi Novæ editionis pag. 925. & in Appendice operum s. Auguſtini Authore Jo. Cleric, Amſtelodami an. 1723. *in fol.* opus eſt illud, ſi non Pelagii, certe viri Pelagiani.

Commentarius *Cajetani* continetur in collectione operum ipſius, de qua nos alibi.

Catharini vero legitur excuſus cum alio ejus in Epiſtolas Canonicas, Pariſiis an. 1566. *in fol.* 3. edit. Id potiſſimum ſtudet, ut totum explicet Myſterium gratiæ, & prædeſtinationis.

Gagnæi opus excuſum eſt *ibid.* 1633. in *in* 8. 8. edit. junctim cum altero ejus in eaſdem Epiſtolas, & in Apocalypſim.

Benedictus Juſtinianus Expoſitionibus ſuis præfixit Prolegomena, in quibus diſſeruit de Apoſtolatu, de Epiſtolis Apoſtolorum, ac potiſſimum s. Pauli; Lugduni an. 1612. 1613. 2. vol. *fol.* Vir erat Genuenſis & Jeſuita, obiitque an. 1622. In Præfatione ad Synopſim donatur elogio docti, & fœcundi Commentatoris. Laudat hunc virum ſæpe Sebaſtianus Schmidt in ſuo Commentario in Epiſtolam ad Hebræos, corrigitque interdum juxta ideas, quas ſibi format in mente. Idem de viro judicium formant DD. Dupin & Simon in ſua Hiſt. Critic. N. T.

Amplior & caſtigatior editio operis *Claudii Guillieaudii* in s. Paulum eſt Pariſienſis an. 1543. 1558. *in* 8. & *in* 4. Nos de illo ſupra in s. Joannem.

Gaſparis Contareni Scholia legas excuſa in collectione operum ipſius Venetiis an. 1589. altera editio *fol.* Venetus a Patritia familia natus ſtuduit Paduæ ſub Pomponacio; Cardinalis renunciatus eſt an. 1536. a Paulo III. obiitque Bononiæ an. 1542 annorum ætate ſexaginta minor. Ejus elogium cum Paulo Jovio viri plures Docti proſequuti ſunt.

Joannes Heſſelius, & non Haſſelt, uti male in impreſſis, cum in Epiſtolam tantum ad Timotheum laboraverit, ad ſuum articulum revocandus eſt.

Commentarius *Jacobi Fabri* 3. Edit. excuſſus eſt Pariſiis an. 1531. fol. Baſileæ an. 1527. *in* 4. Coloniæ an. 1531. *in* 8. & Antuerpiæ an. 1540. cum Apologia, qua demonſtrat veterem Epiſtolarum s. Pauli Verſionem aliam eſſe plane a Verſione s. Hieronymi. Nos de illo ſupra.

Præter Commentarium *Franciſci Titelmani* in omnes Epiſtolas s. Pauli, alius eſt etiam ipſius ſeorſum in Epiſtolam ad Romanos; excuſa ſunt omnia Pariſiis an. 1553. 4. Edit. & Antuerpiæ an. 1549. 2. vol. *in* 8. Nos alias de illo.

Petrus Stevartius, Belga Leodienſis, Profeſſor Ingolſtadii, ſcripſit quidem, ſed non in omnes S. Pauli Epiſtolas; eas enim oportet Epiſtolas ad Titum, & ad Philemonem, ſicut & Epiſtolarum ad Hebræos, ad Romanos, ad Galatas partem maximam. Quæ ſcripſit in ſingulas Epiſtolas ſeorſum excuſa ſunt 10. vol. *in* 4. Ingolſtadii ab an. 1588. uſque ad 1611. obiit an. 1621. ætatis 71.

Prolegomena, & Commentarii Salmeronis in S. Paulum continentur in tomis 13. 14. & 15. Operum ipſius in Scripturam. Horum Editionem alibi indicavimus.

Opus *Cornelii a Lapide* in S. Paulum præ cæteris ejus Commentariis maxime æſtimatur, quanquam pro ſuo more eſt diffuſiſſimus. Excuſus eſt ſeorſum Lugduni an. 1683. *in fol.* Editio 14.

Poſtrema Editio Commentariorum *Eſtii* eſt an. 1679. 2. vol. fol. & *Fromondi*, Lovanienſis an. 1663. *in fol.* Vide ſupra.

Authores Addendi.

P. Alexander, de quo in 4. Evangelia, edidit Pariſiis an. 1710. *in fol.* Commentarium Latinum literalem & moralem:

P. Bernardinus Piquigny, Capuccinus, vulgavit Expoſitionem Gallicam cum proliza Præfatione & Prologo 4. vol. *in* 8 *ibid.* 1714.

Opus iſtud in tres diſtribuitur partes; 1. exhibet Analyſim ſingulis capitibus præfixam, præferentem argumentum illius & contextum; 2. Perpetua Paraphraſis Textum comitatur, exponit, & illuſtrat; 3. Succedit Commentarius ad difficiliores nodos extricandos. Æſtimatione ſua opus a Viris Doctis commendatur.

P. Nicolai, Dominicanus, novam Editionem adornavit Commentarii S. Thomæ Aquinatis in omnia S. Pauli; Lugduni an. 1689. *in fol.* Menda plurima, quæ irrepſerant in præcedentes Editiones, corrigit, additque ſuo Marte notas.

D. Himbertus vulgavit Pariſiis an. 1690. in 12. illuſtrationem ad diſtinguendum ſenſum literalem Epiſtolarum S. Pauli. Totum autem opus ad tria potiſſimum capita redigitur: primum exponit occaſiones & cauſas, quæ induxerunt Fideles ex Judaiſmo, ut revocarent ejuratum errorem de juſtificatione per opera Legis Moſaicæ. Secundum promit argumenta, quibus utebantur ad errorem illum firmandum; tertium quæ viciſſim Apoſtolus ad evertendum adhibuit, & quibus etiam fideles ſeu præmuniendos cenſuit, ſeu revocandos, ſi in morbum incidiſſent.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM

IN tomo ſeptimo Criticorum Sacrorum offeruntur legendi Scriptores ii, quos indicavimus, S. Paulum illuſtrantes. His autem accedit *Smiterus*, qui laboravit tantum in utramque ad Timotheum, in Epiſtolam ad Titum, & ad Philemonem; ſicut & *Scipio Gentilis* in Epiſtolam ad Philemonem. Porro Abraham Scultetus, Sileſio Calviniſta, in eas Epiſtolas exhibuit Animadverſiones Grammaticales, Hiſtoricas, & Logicas; in Epiſtolas vero alias dedit tantum ſchemmata ſermonum 2. vol. *in* 4. quæ variis & locis, & annis impreſſa ſunt. Obiit an. 1625. Dedit & alios Commentarios, de quibus nos alibi. Gentilis Lutheranus, & Juriſconſultus, obiit an. 1614.

Theodorus Beza, de quo nos alibi fuſius, dedit Expoſitionem conciſam, & methodicam Epiſtolarum Apoſtolicarum, excuſam Genevæ an. 1570. in 8. altera Editio.

Quæ ſcripſit in S. Paulum *Henricus Hammondus*, de quo nos alibi, continentur inter cætera ejus viri in totum Novum Teſtamentum, Anglice, Londini an. 1671. *in fol.* 5. Editio; & Latine cum Adnotationibus Joannis Clerici, Francofurti 1714. 2. vol. De *Joanne Piſcatore* eadem monenda ſunt; prodieruntque ejus viri omnia in N. T. ſeorſum excuſa Herbornii an. 1658. 2. vol. *in* 4.

Commentarius *Camerarii* totum pariter N. T. illuſtrat, prodiitque junctim cum Opere Bezæ, Cantabrigæ an. 1642. *in fol.*

Seba-

Digitized by Google

Sebaſtiani Schmidt in Epiſtolas S. Pauli, exceptis ad Philippenſes & ad Titum, commentarii implent 5. vol. in 4.

Strigelii opus totum complectitur N. T. Editum eſt Lipſiæ an. 1565. in 8.

Conradus Vorſtius e ſuo commentario exemit ſecundam ad Timotheum, Epiſtolas ad Titum, ad Philemonem, & ad Hebræos; excuſus eſt Amſtelodami an. 1632. in 4.

Henricus Bulengerus, non in Epiſtolas tantum S. Pauli, ſed & in ſeptem Canonicas laboravit, ac omnia ſimul data ſunt Tiguri an. 1603 fol. 6. Edit. Peculiarem etiam commentarium adornavit in geminas ad Corinthios, *ibid.* 1534. 1535. 2. vol. in 8. Vir erat Helvetius Calviniſta, & Miniſter Tiguri, defunctus an. 1575. Commentarios etiam alios quamplures adornavit, de quibus nos alibi.

Pomeranus idem eſt Author ac *Bugenhagius*, de quo nos in V.T. ideo Pomeranus dictus, quod natione eſſet Pomeranus. Scripſit in decem poſteriores S. Pauli, quatuor prioribus omiſſis; Baſileæ an. 1527. in 8. 3. Edit.

Eraſmus Sarcer, de quo nos in Reges, non dedit niſi Meditationes in utramque ad Corinthios, Argentorati an. 1544. in 8. Adnotationes in Epiſtolam ad Galatas, & ad Epheſios, Francofurti an. 1542. in 8.

Ludovicus de Dieu in S. Paulum laborem habes inter cætera ejus in Novum Teſtamentum; Lugduni Batavorum an. 1646. in 4. & Amſtelodami 1693. in fol.

AUTHORES ADDENDI.

HErmannus Reiners in ſuis obſervationibus Sacris immoratur plurimum in Epiſtola ad Epheſios, & in utraque ad Timotheum. Recitantur in Biblioth. Philolog. tom. 3. pag. 957. 990.

Ibi pariter t. 5. pag. 859. 876. leguntur Animadverſiones *Jo. Georgii Schelhornii* in Epiſtolas ad Titum, ad Hebræos, ad Epheſios.]

COMMENTARIA IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

ORigenes totam Epiſtolam explicavit, cujus opus Latine ex verſione S. Hieronymi in Editione Genebrardi extat. Aliqua tamen in eo Commentario caſtiganda cenſentur.

S. Auguſtinus duplici opere in Epiſtolam ad Romanos laboravit. Primum adornatum eſt circa annum 394. antequam Epiſcopus renunciaretur, cui titulus: *Expoſitio quarumdam Propoſitionum ex Epiſtola ad Romanos*. Plura ſunt in eo opere, quæ in Retract. l. 1. c. 23. cenſura inurit.

Alterum opus inſcriptum eſt: *Epiſtolæ ad Rom. inchoata expoſitio*: in eo nonniſi ejuſdem Epiſtolæ ſalutatio diſcutitur.

Petrus Abailardus, & *Guillelmus Remenſis*, ambo in eamdem Epiſtolam laborarunt. Guillelmi opus extat in Bibliotheca Ciſtercienſi t. 4. p. 174.

Inter Recentiores *Ægidius Romanus* ſive *Columna*, *Dominicus Soto*, *Adam Sasbout*, impreſſus Coloniæ anno 1608. in fol. *Franciſcus Titelmanus*, *Jacobus Sadoletus*, *Franciſcus Toletus*, Cardinalis, Jeſuita, cujus opus plurimum laudatur.

Benedictus Pererius, cujus commentarium, in paucis reputandum, plurimas propoſitas quæſtiones diſcutit.

Jacobus Naclantius Dominicanus non infelici exitu eamdem Spartam adornavit.

Philiberti Harefch Ord. Eremit. S. Auguſt. in Epiſt. ad Rom. Pariſ. 1536.

Nihil hic de Scriptoribus in omnes S. Pauli Epiſtolas addendum.

Inter Proteſtantes, præter jam laudatos, extant *Pareus*, *Willet*, *Stephanus de Cruy*, *Ludovicus de Dieu*, qui juſto commentario eamdem Epiſtolam expoſuit. Hujus viri eruditio neminem latet. Vide Magn. Critic. & Synop. ac Fabric. Bibliot. Græc. t. 3. & 4. c. 5.

Lightfooti Horæ Hebraicæ in Epiſt. ad Rom.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

COmmentarii *Origenis*, quæ ſuppetit, Latina Verſio opus eſt non quidem S. Hieronymi, uti nos male, ſed Rufini, qui ſub ejus nomine obtruſit. Nihil eſt igitur cur miremur, ſi plurima caſtigatione indigeant; plurima enim ad arbitrium ipſe dempſit, & adjecit. D. Huetius in ſua Editione Origenis dedit Græca quædam fragmenta hujus Commentarii cum Verſione Latina Tarini.

Utrumque opus S. *Auguſtini* in hanc Epiſtolam legitur in to. 3. Nov. Edit. p. 21. Liber ſecundus, cujus meminimus, continet labores ejus in Epiſtolam ad Galatas. Petrarcha, in una e ſuis Epiſtolis, nihil hæſitans, comparat opus iſtud, minimum licet, ingenti ejus Patris Commentario in Pſalmos.

Petrus Abelardus, de quo nos in Geneſim, adornavit quinque libros in eamdem Epiſtolam, legendos inter ejus opera Pariſiis an. 1616. in 4. Illud reputandum eſt, inter cætera ipſius eximium hoc opus haberi; exponit autem ſenſum literalem & naturalem Apoſtoli, Paraphraſtico more. Meminit ejus cum laude D. Dupin in ſua Bibliot. Eccleſiaſt. ſæc. 12. t. 1. pag. 402.

Guillelmus Remenſis, id eſt Abbas S. Theodorici Remenſis, Leodienſis enim erat Patria, uti jam indicavimus, ſcripſit in Canticum Canticorum.

Ægidius Romanus, vel *Columna*, Auguſtinianus, & Archiepiſcopus Burgenſis, Cardinalis deſignatus obiit an. 1316. Nec plura nos de illo, niſi hoc tantum, Commentarium ejus excuſum eſſe inter alia ejus opera Venetiis an. 1617. fol. 2. Edit.

Caſtigatior Editio Commentarii *Dominici Soto* in hanc Epiſtolam eſt Salmanticenſis an. 1551 fol. Vir erat Hiſpanus, Dominicanus, & a Confeſſionibus Caroli V. Imperatoris. Obiit an. 1560. ætatis 66. Commentarium ejus in Apoſtolum pluribus laudat Sixtus Senenſis, ſicut etiam D. Simon Hiſt. Critic. cap. 37.

Adam Sasbout non Epiſtolam tantum ad Romanos illuſtravit, ſed & ad Galatas, ad Philippenſes, ad Epheſios, utramque ad Timotheum, ad Titum, & Epiſtolæ ad Hebræos partem maximam. Legitur id totum inter ejus opera excuſa Coloniæ an. 1608. fol. Idem de hoc opere, ac de Commentario ejus in Iſaiam judicium ferendum eſt. Vide ſupra.

Commentarius Cardinalis *Sadoleti* legitur inter cætera ejus Operæ Editionis Moguntinæ an. 1603. in 8. Oratorem agit potius, quam Theologum, & Interpretem, ac colloquium inſtituit familiare cum Julio fratre ſuo; ſtudet magis puritati Latini eloquii, ex quo corrigendum ſuſcipit Textum Latinum, ad Græcum. In tertio Dialogo, in quo exponit moralem Apoſtoli, diſſerit de ritibus Eccleſiæ, de Monaſticis Ordinibus, ac de precibus: *In quibus*, ait ille, *ſummum bonum veritas, ſummum ſcelus ſimulatio*. Vide ejus operis judicium apud D. Simon, *ibid.* capite 38. p. 551. 556.

Vir Mutinæ natus an. 1478. a Secretis fuit Leoni X. a quo Epiſcopatum Carpentoratenſem retulit. Paulus III. inter Cardinales cooptavit an. 1534. obiit Romæ an. 1547. Sæculi ſui ornamentum, & ſtili elegantia alterum Ciceronem appellat Eraſmus.

Quidquid peculiare dedit *Franciſcus Titelmanus* in Epiſtolam ad Romanos ſunt quinque Collationes, quibus Textus difficiliores exponit, defenditque Latinam Vulgatam adverſus Eraſmum. Excuſum eſt opus Antuerpiæ an. 1529. & 1530. in 8. In Lucubrationibus ejus in Apoſtolum Theologiæ contineri plurimum judicat D. Simon, *ibid.* cap. 39. pag. 564. 569.

Commentarius *Franciſci Toleti* excuſus eſt Moguntiæ an. 1603 in 4. 3. Edit.

Benedictus Pererius ſcripſit in hanc Epiſtolam Diſputationes impreſſas Lugduni an. 1607. 2. Edit. in 4. & cum cæteris ejus operibus Coloniæ 1620. in fol. De illis idem ferendum eſt judicium, ac de aliis ejus in S. Joannem. Vide ſupra.

Jacobus Naclantius, Florentinus, Dominicanus, Epiſcopus Clodienſis in Etruria, Expoſitioni ſuæ in Epiſtolam ad Epheſios junxit alteram in Epiſtolam ad Romanos, pro-

Digitized by Google

prodieruntque Lugduni an. 1570. in 8. & inter cætera ejus opera ibid. 1567. *fol.* Exorditur opus Expoſitione Textus, tum excurrit in digreſſiones Theologicas, hæreſes ſui temporis, ſpectantes maxime ad prædeſtinationem, refutantes.. Obiit an. 1569.

Commentarii *Philippi Mareſchli* breviſſimum ſunt opus in 8. ſed in brevitate miram tuentur perſpicuitatem. Obiit vir Pariſienſis an. 1545.

AUTHORES ADDENDI.

Exeidit nobis Expoſitio literalis, & moralis Nicolai le Tourneux Prioris Villarienſis, excuſa Pariſiis an. 1708. 2. Edit. in 12. Vir erat Rothomagenſis, & Prior, obiitque an. 1686. ætatis 46. Fuſius de illo in Necrologio Portus Regalis pag. 445. in quo & legas ejus Epitaphium Latine & Gallice explicatum.

Id ſibi propoſuit, non ut ardua, quæ occurrunt in hac Epiſtola maxima, ſummoveat; ſed tantum ut e Textu pias quaſdam aptaſque fovendo in Deum amori animadverſiones eliciat. Senſum literalem paucis expedit, interſeritque ſemper pium aliquid, juvans ad erigendam animam in Deum, & ad incutiendum erga judicia ejus inſcrutabilia timorem.

Michael Vaſſorius ſcripſit in hanc Epiſtolam Paraphraſim, excuſam Pariſiis an. 1689. cum aliis ejus in S. Matthæum, S. Joannem, & Epiſtolam S. Jacobi. Vir erat Aurelianenſis, & Sacerdos Oratorii, recepitque ſe tandem in Bataviam an. 1697. Quare diu poſt ſcriptas Paraphraſes illas, tum venit in Angliam, ubi in apoſtaſia ſua immortuus eſt an. 1718.

Dempta eſt Præfatio, in S. Matthæum, quæ D. Simonem oppugnat; ſed ejus fragmenta quædam ſervantur in Ephemeridibus Eruditorum to. 17. pag. 187.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

Philippus Paræus, Germanus, natus Hembachii e Patre David Paræo, Calviniſta, Analyſim typicam dedit non in Epiſtolam tantum ad Romanos, ſed & in eiiam ad Epheſios, junctaque prodierunt Francofurti an. 1626. in 4. Scripſit & commentarium in Epiſtolam ad Philemonem, & S. Judæ. Leguntur hæc omnia in 2. tomo operum ipſius editionis Genevenſis an. 1650. *fol.* obiit an. 1643.

Adriani Willet, Angli, nati Elys in Anglia, prodiit Londini an. 1450. *fol.* altera Editio. Obiit an. 1221.

Stephanus Braye ſcripſit Analyſim Paraphraſticam in hanc Epiſtolam, cum addita Diſſertatione in Sabbatum Secundo primum, Salmurii an. 1270. in 4. Florebat Vir Gallus & Calviniſta circa eundem annum.

Quod attinet ad *Ludovicum de Dieu*, vide quæ ſupra monuimus; de *Ligfoot* legas articulum generalem Proteſtantium.

COMMENTARII ADDENDI.

Hermannus illuſtravit ſeptem loca obſcura in Epiſtola ad Romanos. Biblioth. Philolog. tom. 4 pag. 281. 294. Dedit Additamenta in Nomen Domini, in Corvos paventes Eliam, & in uxorem Oſee pag. 295.

Joannes D' Outrein expoſuit quæ genuina ſit interpretatio illius cap. 12. 14. ubi Apoſtolus monet, ut Jeſum Chriſtum induamus; ibid. pag. 360.

Recenſens P. le Long Commentarium *Gebeardi* vel *Gebrandi Van-Leuwen* non indicavit niſi duas ejus partes, impreſſas Amſtelodami an. 1658. Tertia & quarta prodierunt ibid. an. 1699. 2. vol. in 4.

Vir natus Geſcopæ non longe a Goudano an. 1643. contulit ſe Velbam an. 1665. tum Harlemum an. 1678 tandem Amſtelodamum an. 1681. egit ibi Miniſtrum, & Profeſſorem Theologiæ an. 1686.

Jo. Georgius Schelhornius Animadverſione ſua, in tredecim diſtributa articulos, illuſtravit illud capitis 12. 1. de cultu rationabili; Biblioth. Philolog. t. 6. p. 488.]

DISSERTATIONES IN EAMDEM EPISTOLAM.

Vide Præfationes *Pererii*, *Cornelii a Lapide*, & aliorum Interpr. in eamdem Epiſtolam.

V. Calmet. Diſſertationes tres; prima de Prædeſtinatione & Reprobatione; altera de effectibus Circumciſionis; tertia, an Gentiles ſine Fide & Baptiſmo ſalutem conſequi potuerint.

Porro de neceſſitate Fidei ad ſalutem, lege expreſſum Tractatum, editum Pariſ. apud Oſmont. 1701. in 8. Gallice.

Henrici Knobloch, de diſtinctione Pauli in Judæos, & Græcos. *Theſ. Theol.*

J. Corn. Danhaver de gemitu creaturarum. Rom. 8. 29. ibid.

Salom. Deyling. in Rom. 8. 19. 23. *Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat &c.* et in Rom. 12. 13. *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes. Obſerv. ſacr.* t. 1.

---- De votivo Pauli anathemate, in Ro. 9. 3. *ibid.* t. 42.

[Diſſertatio *Jo. Henrici Konobloch*, Germano-Lutherani, Wittembergenſis, defuncti an. 1290. eſt in illud capitis 1. 15. prodiit *ibid.* an. 1695. in 4. & in Theſ. Diſſ. Philologg. t. 2.

Jo. Conradi Danhaver, de quo ſupra, Diſputatio in Gemitum creaturarum edita eſt Argentorati an. 1647. in 4.

AUTHORES ADDENDI.

Addendi ſuccurrerent *Alexander Alex*, de quo nos in S. Joannem, cujus Diſputatio in hanc Epiſtolam prodiit Lipſiæ an. 1553. in 8.

Petrus Allixius, Alenconienſis, Calviniſta, Miniſter Rothomagi, & Charentonii, tandem canonicus Sariſbenienſis in Anglia, ſibi perſuaſit dediſſe genuinam clavem hujus Epiſtolæ in ſua Expoſitione Gallica ad caput 5. 17. excuſa Amſtelodami ſine nomine Authoris an. 1285. in 12. obiit an. 1717.

Jacobus Arminius, vel *Hermanni* Batavus, & Sectæ Arminianæ Princeps ſcripta Diſſertatione expoſuit genuinum ſenſum capitis 7. Lugdun. Batav. an. 1612. in 8. Adornavit & Analyſim in caput 9. impreſſam inter ejus opera, *ibid.* an. 1229. in 4. obiit an. 1609.

Michael Cobab, Germano-Lutheranus Mekelburgenſis, Diſſertatione exegetica illuſtravit cap. 5. Roſtochii an. 1658. in 4. ſcripſit & analyſim capitis 6. & 7. *ibid.* an. 1657. in 4. obiit an. 1658.

Iſaac Fauſtus, Germano-Lutheranus, illuſtravit ſanctum oſculum, de quo in cap. 15. 16. Jenæ an. 1275. in 4.

Jo. Jacobus, ejuſdem cognominis & Religionis, Diſſertationes Philologicas edidit plures in cap. 9. & 15. *ibid.* an. 1229. in 4.]

COMMENTARIA IN GEMINAS EPISTOLAS AD CORINTHIOS.

Antonius Perez, *Fromondus*, *Laurentius Valla*, *Eraſmus*, *Lucas Brugenſis*, *Corn. a Lapide*, aliique, qui omnes S. Pauli Epiſtolas complexi ſunt.

Inter Proteſtantes, *Joan. Ligefoot* horæ Hebraicæ in Epiſt. 1. ad Cor.

Guilielmus Schlaterus, & *Calliætus* brevioribus notis eamdem Epiſtolam illuſtrarunt. Vide Synopſim criticorum.

Joan. Priceus in 11. capita primæ Epiſtolæ ad Cor. ſcripſit.

Conſule etiam *Robertum Rolloc*, *Davidem Rugium*, *Thomam Morrenium*, & Paraphraſes *Sebaſtiani Schmidt*, & *Spenceri*.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN UTRAMQUE EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

E Scriptoribus alii quidem Commentarios adornarunt in utramque Epiſtolam; alii in alterutram tantum; alii in capita nonnulla; quod hic fuſius, quam in Bibliotheca Sacra factum eſt, proſequimur.

Adam Contzer, de quo nos ſupra, illuſtravit utramque ad Corinthios, & Epiſtolam ad Galatas, Moguntiæ

an. 1631. *fol.* Nec prætereundum illuſtraſſe pariter Epiſtolam ad Romanos; *Ibid.* an. 1629. *fol.*

Commentarii *Antonii Perez*, excuſi ſunt Barcinonæ an. 1630. *fol.*

Beringhetii Ventimilia, Siculi, defuncti an. 1639 Paraphraſes in utramque Epiſtolam, ſicut & in alias ad Romanos, & Timotheum, excuſæ ſunt Panormi an. 1643. *in* 4.

Joannes Covilion, Jeſuita, Inſulanum in Belgio, deductas e prima ad Corinthios concluſiones vulgavit Romæ an. 1554. obiit an. 1581.

Richardus Sampſon, Anglo-Catholicus, Epiſtolam eandem, ſicut & ad Romanos aliam illuſtravit; Pariſiis an. 1546. *in* 8. obiit an. 1554.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM.

Joannes Bierman, Batavo-Calviniſta, & Miniſter circa an. 1707. Expoſitionem in utramque Epiſtolam vulgavit Germanice Francofurti 1705. *in* 4.

Georgius Callixtus, non in utramque tantum Epiſtolam ſcripſit, uti nos male, ſed & in octo alias priores; Helmſtadii an. 1650. 1654. 2. voll. *in* 4. De illo nos in Acta.

Rupertus Erythropilus, de quo nos ſupra, ſcripſit Germanice Indicem Apoſtolicum utriuſque hujus Epiſtolæ, Stetini an. 1666. *in* 8.

Quæ ſcripſit *Jo. Henricus Heideggerus*, de quo nos in Vetus Teſtamentum, in eaſdem Epiſtolas, continentur inter vigilias ejus exegeticas in Joſue, S. Matthæum, in Epiſtolam ad Romanos, & ad Hebræos; Tiguri an. 1700. *in* 4.

Joannes Locke, Anglo-Socinianus, Philoſophus & Medicus, Anglica Paraphraſi illuſtravit utramque ad Corinthios, ad Romanos, & ad Epheſios, ad Galatas; prodieruntque Lucubrationes iſtæ Londini an. 1705. 1706. 1707. 4. voll. *in* 4. ac junctæ ſimul omnes cum ratione optime interpretandi Apoſtolum ex ipſo Apoſtolo, *ibid.* 1709. *in* 4. Obiit an. 1704.

Sebaſtianus Meyerus, Calviniſta & Miniſter Bernæ, Adnotationes ſuas ibidem vulgavit an. 1546. *in* 4.

Ambroſius Reuden, Miſnienſis, Lutheranus, ſcripſit Analyſim in utramque Epiſtolam, qua ſimul comprehendit & Epiſtolas ad Romanos, ad Galatas, & ad Epheſios; Jenæ 1603. *in* 8. 2. vol. Obiit an. 1615.

David Rungius, Pomerano-Lutheranus, par ſibi argumentum propoſuit; Wittembergæ an. 1600. 1606. 2. vol. *in* 4. Obiit an. 1604.

Gulielmus Sclater, Anglo-Calviniſta, dedit Expoſitionem & Scholia, excuſa Oxonii an. 1634. *in* 4. Obiit an. 1627. ætatis 59.

Commentarius *Roberti Rollos* cum Notis Piſcatoris excuſus eſt Jenæ an. 1608. in 8. altera Editio.

Antonius Burgeſſus, Anglus celebris circa an. 1659. ſcripſit materna lingua in priorem Epiſtolam; vulgatumque eſt opus Londini an. 1659. *fol.* Ita pariter *Jo. Jacobus Grynæus* ſcripſit in eandem Germanice; Baſileæ an. 1592. *in* 4. De hoc viro nos in Vetus Teſtamentum.

Joannes Hus, Bohemus, damnatus incendio in Concilio Conſtantienſi an. 1416. illuſtravit & ipſe pariter ſeptem ejus priora capita. Legitur id in nova Editione Operum ipſius in duos tomos Francofurti an. 1714.

Thomas Morenus expoſuit pariter priorem Epiſtolam; Londini an. 1596. in 8. Vir erat Anglus, alius, juxta Crovæum, ab Epiſcopo Duelmi. Obiit an. 1659 Porro Commentariorum Scriptorem citius obiiſſe neceſſe eſt, quanquam utrumque in unum confundit P. le Long.

Georgius Myle, vel *Mullerus*, Auguſtæ Vindelicorum & Profeſſor Wittembergenſis, par ſibi argumentum propoſuit. Ejus opus prodiit Jenæ an. 1600. in 8. Obiit an. 1607.

Renerus Predeu, Croningenſis, Calviniſta, Commentario ſuo illuſtravit eandem Epiſtolam; id autem opus junctim cum Expoſitione ejus in quatuor Evangelia, & Notis in duo priora capita Epiſtolæ ad Romanos prodiit Baſileæ an. 1563. fol. Obiit an. 1559.

Quod attinet ad *Joannem Drieanum*, quem Catholicum licet receſuimus inter Proteſtantes Anglos, nihil ſcripſiſſe illum deprehendimus in c. 12. hujus Epiſtolæ, quanquam id alias affirmavimus; ſed ſcripſit in Epiſtolas cæteras, uti ſuo loco indicabimus.

Commentarius *Sebaſtiani Schmidt* prodiit junctim cum aliis opus in Epiſtolas ad Romanos, ad Theſſalonicenſes, ad Timotheum, & ad Philemonem, Hamburgi an. 1704. *in* 4. altera Editio.

Paraphraſim in duas priores Epiſtolas elaboravit non *Joannes Spencerus* quidem uti nos male, ſed *Philippus Jacobus Spencerus*, Germanus, natus in Alſatia & Lutheranus, cujus opus illud Germanicum prodiit Francofurti an. 1691. *in* 8. obiit an. 1705.

Commentarius *Petri Martyris*, in priorem ad Corinthios tantum, excuſus eſt Tiguri an. 1589. 4. Edit. *fol.* Nos de illo ſupra.

Addemus Commentarium in ſecundam Epiſtolam tantum cum Prolegomenis *Hieronymi Symeonis Van-Alphen*, Germano Calviniſtæ, excuſum Amſtelodami an. 1708. *in* 4. Opus eſt methodo ſua maximi æſtimatum. De hoc viro nos in Danielem.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN UTRAMQUE AD CORINTHIOS.

Chriſt. Georg. Mayer de hominibus piacularibus. 1. Cor. 4. 13. *Theſ. Theol.*

Georg. David Ziegra ad eumdem locum. Ibid.

Jo. Conradi Dankaveri in 1. Cor. 9. 27. *Caſtigo corpus meum &c.*

Salom. Deyling, in eumdem locum, t. 2. obſerv.

Eber. Rud. Roth de velamine capitis virilis, ad 1. Cor. 11. *in Theſ. Theol.*

Dan. Grade de Baptiſmo pro mortuis. 1. Cor. 15. 29. Ibid.

Henrici Muller de eodem. Ibid.

Salom. Deyling de eodem. *Obſerv.* 1. 2. c. 44.

Calmet, Diſſert. de eodem, quo in loco 24. variæ Anthorum ſententiæ de Baptiſmo pro mortuis diſcutiuntur.

S. Hieron. ad Minervinum & Alexandrum t. 4. *pag.* 210. *nov. Edit.* Explic. 1. Cor. 4. 51. *Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur.*

Joan. Kindler in 1. Cor. 15. 32. *Ad Beſtias pugnavi Epheſi.*

Salom. Deyling de eodem argumento, t. 1. *Obſerv.* 43.

Vide etiam Notam 40. Tillemontii in S. Paulum, & Baron. ad an. 55. & Niceph. Hiſt. Eccl. l. 2. c. 25. ac tandem noſtram Diſſert. de eodem argumento. In collectione Diſſ.

Eliæ Veihenmajeri de Paulino anathematiſmo. 1. Cor. 10. 22. *Theſ. Theol.*

Joan. Renner. Maran-atha. 1. Cor. 15. 22. Ibid.

Joan. Ligefootus de eodem *Oper.* 1, 1. *pag.* 778.

Alberti Chriſt. Ludvig. de raptu Pauli in Paradiſum. 2. Cor. 12. 2. &c.

Sebaſtiani Kirchmajeri de eodem Theſ. Theol.

Caroli Bovilli de eodem argumento.

[Diſſertatio *Chriſtiani Georgii Meyeri*, Germano-Lutherani, in illud capitis 4. 1. prioris epiſtolæ; ſicut & altera *David Ziegræ*, Germano-Lutherani, leguntur Diſſ. Philologg. tom. 2.

Jo. Conradi Donhaver in illud capitis 9. 27. lucem vidit Argentorati an. 1650. in 4. inſcripta, *Hypopiaſmus Paulinus*. De hoc viro nos ſupra egimus.

Diſſertatio *Eberardi Rodulphi Roth*, de quo nos ſupra, illuſtrat illud cap. 11. 7 Vulgata eſt Jenæ an. 1674. in 4.

Quam dedit *Daniel Grade*, Germano-Lutheranus, in illud capitis 15. 29. excuſa eſt Gryphiſvvaldiæ, quo anno non proditur; & in Theſauro Diſſ. Philolog. tom. 2.

Ibi pariter leguntur quæ ſcripſit in idem argumentum *Henricus Mullerus*, de quo nos ſupra, parueruntque Roſtochii an. 1665. *in* 4.

Ibi etiam legas *Joannem Kindlerum*, Germano-Lutheranum, in certamen S. Pauli. Sicut & *Joannem Rennerum* in anathema S. Pauli ad cap. 16. 22. Vir erat Germano-Lutheranus, qui male in noſtris impreſſis appellatus eſt *Rennerus*. Ibi tandem affertur Diſſertatio *Adami Veihenmaier*, Lutherani, excuſa Wittembergæ an. 1689. *in* 4.

Nec alio quæras Diſſertationem *Alberti Chriſtiani Ludovig*, Germano-Lutherani, in raptum S. Pauli uſque ad tertium Cœlum.

Continet etiam eadem collectio Diſſertationem *Sebaſtiani Kirchmajeri*, excuſam prius Ratiſponæ, an. 1674. & Wit-

Digitized by Google

Wittembergæ an. 1684. in 4. cum ſcripto ejus de ſtimulo carnis.

Georgius Gaſpar Kirchmajerus idem argumentum vexavit; *ibid.* 1692. in 4. ſcripſit & de eloquentia S. Pauli; *ibid.* 1695. in 4. De utroque nos ſupra.

DISSERTATIONES ADDENDÆ IN EPISTOLAS AD CORINTHIOS.

ADderetur commode *Jo. Nicolaus Hardſchmidt*, Lutherano Argentoratenſis, in fœminam innuptam, ad 1. Cor. 7. 33. 34. legitur in Diſs. Philol. tom. 2.

Diſputatio *Gabrielis Groddeck*, Germano-Lutherani, Bibliothecarii Reipublicæ Gedanenſis de Judæis, qui circumciſionis indicia a ſe amovere conabantur, ad 1. Cor. 7. 18. lucem aſpexit Gedani an. 1698. in 4. Obiit an. 1710.

Severinus Linſtrupius, de quo nos in Acta, ſcripſit de certamine Apoſtoli cum beſtiis, ad 1. Cor. 15. 32. Haphniæ an. 1695. in 4.

In idem certamen exercuit ſe ſe *Joan. Rindlerus*, Germano-Lutheranus; ibid. 1683.

De velaminibus Veterum, ad illud 1. Cor. 11. 10. ſcripſit Jo. *Elias Reichardt*, prodiitque lucubratio Jenæ an. 1694. in 4. Vide ibid.

De Baptiſmo mortuorum, ad 1. Cor. 15. 29. ſcripſit *Joan. Reichmannus*; Wittembergæ an. 1652. in 4. Vide in S. Joannem.

Idem argumentum illuſtrat lucubratio *Sebaſtiani Schmidt*, excuſa Argentorati an. 1656. in 4.

Jo. d'Outrein, & *Gerardus Croes* expoſuerunt, ſcripta Diſſertatione, & geminis aliis Tractatibus, ſanctionem Apoſtoli de fœminis velandis propter Angelos, ad illud 1. Cor. 11. 10. Leguntur hæc in Bibliotheca Philologica tom. 2. pag. 40. 101. 101. De priori illo egimus ſupra; alter vero natus Amſtelodami an. 1642. poſt confectum ſtudiorum curriculum Miniſter Calviniſta renunciatus eſt; excurrit per Angliam aliaſque regiones. Obiit tandem Dordrecti an. 1710. ætatis 68. Operum ipſius catalogum habes in eadem Biblioth. p. 385.

Ibi pariter tom. 1. p. 572. ſermo eſt de Jo. *Arnoldo Nebigen* qui ſcripſit de judicio Sanctorum, ad 1. Cor. 6. 23. prodiitque opus Bremæ, & non Uratislaviæ juxta nonnullos an. 1718. in 4.

Eadem Collectio tom. 6. p. 611. 634. offert Exercitationem Jo. *Chriſtophori Harrenberg* in raptum S. Pauli ad tertium Cœlum.

Jo. Godefridus Lakemacher illuſtravit Diſſertatione ſtimulum carnis; ibid. p. 635. 646. cui ſupplementum Theodorus Haſæus ibid. p. 647. 660.

Michael Sirier ſcripſit de lingua Angelorum, ad 1. Cor. 13. 1. Wittembergæ an. 1683. in 4. Vide in Acta.

Spanhemius filius illuſtravit Diſſertationem legendam Operum ipſius tom. 3. de Baptiſmate pro mortuis; prodiit & Leidæ an. 1671. in 4.

Guilielmus Zeſch, Germano-Lutheranus, Profeſſor Jenæ de ſtimulo carnis, & Angelo Satan, ad 1. Cor. 12. 7. prodiit Jenæ an. 1681. in 4. Obiit 1682.

Guilielmus Saldenus in ſuis Otiis Theologicis exercitatione 17. lib. 1. idem argumentum excuſſit.

Chriſtophorus Hieſius, Germano-Lutheranus, ſcripſit & in idem argumentum Diſquiſitionem; Wittembergæ an. 1697. in 4. *Georgii Fechneri* in idem argumentum Diſſertatio jungitur alteri ejus de ſinu Abraham. Vide in S. Lucam.

Joannes Hilpertus, Germano-Lutheranus, adornavit Diſputationem de flagellandi pœna apud Judæos, ad illud 2. Cor. 11. 24. Helmſtadii an. 1652. in 4. Obiit an. 1680.

Joan. Reinhardus Hedingerus, Germano-Lutheranus, Gieſſæ, ſcripſit de litteris commendatitiis, ad 2. Cor. 3. 2. Gieſſæ an. 1699. in 4.

Auguſtinus Strozza, Italo-Mantovanus, & Canonicus Regularis Lateranenſis, de raptu S. Pauli; Mantuæ an. 1498.

Carolus Bovillus de eodem raptu, & de Viſione Prophetica legitur in Opere quodam impreſſo Pariſiis an. 1589. in 8. vel forte in ejus quæſtionibus Latinis in Sacram Scripturam, excuſis ibid. an. 1513. fol. Vir erat Quintiſcopolitanus, obiitque an. 1527. De altero ejus Opere S. Joan. egimus ſupra; & de illo etiam alibi.

COMMENTARIA IN EPISTOLAM AD GALATAS.

SAnctus *Hieronymus* hanc Epiſtolam tribus libris explicavit; quo in opere omnia, quæ apud veteres Commentatores legerat, ita refert, ut ne nomen quidem laudet; quin & ſæpe ne erroribus quidem emendatis.

S. Auguſtinus, perpetuum in totam eamdem Epiſtolam Commentarium adornavit; quod ſane numquam alias ab illu factum eſſe novimus.

Claudius Taurinenſis tom. 14. p. 139. Bibl. Patrum qui circa an. 820. florebat, ſimile Commentarium adornavit. Opus eſt prolixum quidem, ſed utiliſſimum, in quod plura ex Veteribus derivata.

Adam Sasbout, *Adam Contzen*, *Marinus Grimanus*, *Hieronymus Seripandus*.

Inter Proteſtantes et *Franciſcus Gomarius*, *Jo. Brentius*, *Hieronymus Cromayer*, *Fridericus Krſius*, *Sebaſtianus Schmidt*, *Cunadus*, *Battus*.

His adjungendi quicumque omnes S. Pauli Epiſtolas illuſtrarunt.

COMMENTARII CATHOLICORUM IN EPISTOLAM AD GALATAS.

COmmentarius in eamdem Epiſtolam *Adami Contzen* prodiit junctim cum altero ejus in utramque ad Corinthios. Vide ſupra.

Marini Grimani, Veneti, Patriarchæ Aquilejenſis, Epiſcopi Portuenſis, & Cardinalis, commentarius jungitur alteri ejus in Epiſtolam ad Romanos; Venetiis an. 1541. in 4. Obiit an. 1546.

Hieronymus Seripandus, Italus ex Auguſtiniano Ordine adſumptus in Archiepiſcopum Salernitanum, & Cardinalem, ſcripſit in hanc Epiſtolam geminos Commentarios, quorum primus junctim cum altero ejus in Epiſt. ad Rom. prodiit Neapoli an. 1601. in 4. Alter ſeorſum excuſus eſt Venetiis an. 1586. in 4. quarta Editio. Reſpondet ibi quæſtionibus in Textu ejuſdem Epiſtolæ formatis. Obiit an. 1563.

Addi poſſet *Joan. Campenſis*, alter a viro ejuſdem nominis, cujus Commentarius junctim cum altero ejus in Epiſtolam ad Galatas excuſus eſt. Coævus vivebat Campen, cujus ſunt Paraphraſes in Pſalmos, & Eccleſiaſtem, uti nos alias animadvertemus. Quo anno obierit nemo prodit.

Ludovicus de Leon, cujus viri nos in Canticum, junxit Expoſitionem ſuam in hanc Epiſtolam alteri in Abdiam; Salmanticæ an. 1584. in 4.

Georgius Polydorus, Etruſcus, Auguſtinianus, plura loca hujus Epiſtolæ illuſtravit; Lucæ an. 1625. in 4.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM.

FRanciſcus *Gomarus* non Epiſtolam tantum ad Galatas, ſed & totum ferme Novum Teſtamentum illuſtravit, uti plane demonſtrant ejus Opera, excuſa Amſtelodami 3. vol. fol.

Joan. Brentius patet, recenſendus eſt inter Scriptores Generales in totam Scripturam.

Bartholomæi Battę, Homburgenſis, Lutherani, Commentarius excuſus eſt Gryphiſvaldiæ an. 1653. in 4. Obiit an. 1639.

Male in noſtris impreſſis ſcripta leguntur nomina *Hieronymi Kremeyeri*, & *Andreæ Kunade*; poſitum eſt enim C pro K. Commentarius prioris prodiit Lipſiæ an. 1670. in 4. cujus & alia plura opera alibi recenſebimus. Vir erat Germano-Lutheranus. Profeſſor Lipſiæ, defunctus an. 1670. *Kunade*, Miſnienſis, Lutheranus, & Miniſter generalis Grimmæ, dedit in hanc Epiſtolam Diſputationes Wittembergæ an. 1658. in 4. De illo nos in S. Matthæum. Obiit an. 1666.

Friderici Fabii, Germano-Lutherani, & Miniſtri generalis

neralis Helmſtadii, Commentarius lucem aſpexit Helmſtadii an. 1705. in 4.

Sebaſtiani Schmids editus eſt Kilonii an. 1690. & Hamburgi 6n. 1704. editio in 4.

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN EPISTOLAM AD GALATAS.

Vide Præfationes Interp. in eamdem Epiſtolam.

An Cephas idem ſit ac Petrus, diſcutit in expreſſa Diſſertatione *P. Harduinus*.

Belican S. Ædis, Diſquiſitio Theologica in Galat. a. 10. Vide & noſtram Differt. de eodem ante Comment. ad Galat. a. 10.

Deylingii de eodem argumento. *Obſerv.* 1 a. c. 45.

In diſſimulationem S. Petri legendi *St. Hieronymus*, & *Auguſtinus* in mutuis epiſtolis de hoc argumento. *Extans in nova edit. S. Aug. Ep.* 20. 40. 71. 78 75. 80. 82.

Deylingii in Galat. 6. 17. *Stigmata Domini*], *C. in corpore meo porto*. *Obſerv.* 1, 3.

[In nomen, & perſonam Cephæ.

Diſſertatio *P. Harduini* legitur pag. 920. Collectionis Operum ipſius ſelectorum; Amſtelodami 1709. fol. Probandum aſſumit Cepham alium eſſe virum a S. Petro; quare & S. Paulum alium plane a S. Petro hominem reprehendiſſe. De hoc viro nos in Acta.

In Diſſidium S. Pauli cum S. Petro.

Præter eos, quos jam indicavimus, *Cæſar d'Arcons*, Vivarienſis, Juriſconſultus, Catholicus, inter tres Diſſertationes ſuas in Scripturam prima ſcripſit de hoc argumento. Prodiere Gallice Bruxellis an. 1680. in 4. Obiit an. 1681.

Joannes Vuagner, Germano-Lutheranus, & Miniſter generalis Brunſuicenſis, idem argumentum vexavit; Tubingæ an. 1668. in 4.

Idem & *Jo. Audreas Quenſtede*; Wittembergæ an. 1687. in 4. Vide in S. Joannem.

Idem & *Jo. Georgius Rietherus*, Lutheranus, Miniſter generalis Reichembach; Lipſiæ an. 1708. in 4. Juvat etiam de hoc argumento ſcriptas legere epiſtolas S. Hieronymi, & S. Auguſtini; ad cujus poſterioris ſententiam acceſſiſſe priorem illum, rationum ab eo adductarum pondere pertractum in illis licet ſpectare.

In Anathema S. Pauli.

Chriſtianus Beza, Germano-Lutheranus, ſcripſit de anathemate S. Pauli in eos, qui aliud prædicaſſent Evangelium, quam Jeſu Chriſti; Lipſiæ an. 1672. in 4. & in Differt. Philolog. tom. 2. Obiit an. 1871.

In variis Argumentis.

Michael Cobabe, de quo nos in Epiſtola ad Romanos, Diſputationem adornavit in tertium caput, excuſam Roſtochii an. 1671. in 4.

Fridericus Majerus pluribus Diſſertationibus hanc Epiſtolam illuſtravit, vulgavitque illas Gryphiſvvaldiæ an. an. 1709. in 4 Vide in Acta.

Jo. Elia Terſeri Diſſertationes quinque in hanc Epiſtolam prodierunt Upſalæ an. 1649. in 4. Dedit & alia plura opera in Scripturam, de quibus nos alibi. Nos de illo pariter inter Proteſtantes.

Theodori Haſæi Exercitatio, in 35. articulos diſtributa, de baptizatis, qui induerunt Jeſum Chriſtum, ad illud capitis 3. 27. legitur in Bibliotheca Philologica tom. 4. pag. 1007. 1047.

In eadem collectione tom 5 pag 56 legas *Friderici Chriſtophori Neubaur* Exercitationem juridico criticam in illud capitis 4 1. 2. qua nititur conciliare antilogiam apparentem de filio hærede, qui non differt a ſervo, quamvis ſit dominus omnium.

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

Sanctus Hieronymus expreſſo Commentario hanc epiſtolam illuſtravit, ut prætercam alia duo ejuſdem generis ſcripta ſub ipſius nomine evulgata; quæ in univerſas Pauli Epiſtolas excurrunt; alterum fuſius, quod authorem habet Pelagium: alterum brevius ignotis ſcriptoribus.

Adam Sasbout, Joan. Maclanius, Gabriel Vaſquez, Auguſtinus de Quiros, & Anonymus quidam, Cantabrigiæ 1653. in 8. deinde Amſtelod. 1703. in 8. vulgatum, eamdem Spartam adornarunt.

His addendi *Ludovicus Crocius, Bodius Scotus, Ludovicus Vellerus, Mena Hanneken, Bartholom. Batus, Daniel Lagus, Joannes Tarnovius, & Spencerus* Proteſtantes.

[Nemo fere niſi ex Proteſtantibus ſcripſit ſeorſum in hanc Epiſtolam. Inter illos recenſeretur *Chriſtophorus Altdorfer*, Miniſter generalis, cujus adnotationes excuſæ ſunt Norimbergæ an. 1241 in 4. Obiit an. 1280.

Banes, Anglus, materna lingua Commentarium adornavit, impreſſum Lond. an. 1658. fol. quemadmodum eadem lingua alterum ſcripſit *Paulus Bayne*, Anglus; ibidem 1645. fol.

Henricus Bienuemau, Anglus, dedit Expoſitionem, ibid. 1581. in 4.

Potiſſimum inter cætera ejus generis eſt opus *Roberti Bode*, & non *Rode*; ut male in impreſſis, complectens 200. Lectiones, ubi & pariter exhibet Analyſim Textus, cum expoſitionibus, variaſque de controverſiis quæſtiones agitat. Excuſum eſt opus Genevæ an. 1660. fol. altera Editio.

Clarii Carmoba eſt Paraphraſis excuſa Argentorati an. 1684. in 8.

Non *Ludovicus*, ſed *Joannes Crocius*, Calviniſta, Profeſſor Marpurgi illuſtravit, non hanc tantum, ſed & octo alias Epiſtolas. Vulgatum eſt Opus Marpurgi an. 1662. fol. Obiit an. 1659.

Jo. Andreas Gleich, Lutheranus, ſcripſit Commentarium Germanicum, excuſum Dreſdæ an. 1705. in 4.

Guillelmus Gouge ſuum dedit Anglice Londini an. 1634. in fol.

David Knibbe, Belga-Calviniſta, vulgavit expoſitionem Germanicam Francufurti an. 1698. in 4.

Commentarius, *Danielis Lage*, Germano-Lutherani, lucem aſpexit Gryphiſvvaldiæ an. 1685. in 4. Obiit an. 1678.

Menoulis Hanneken, Lutherani Oldemburgenſis, Profeſſoris linguarum Orientalium Marpurgi, ſcripſit analyſim, & expoſitionem, excuſas Marpurgi an. 1031. in 4 altera editio. Obiit an. 1671.

Commentarius *Joannis Meiſuther*, Germano-Lutherani, Abbatis Monaſterii Heſbronenſis, prodiit Norimbergæ an. 1628. in 4. junctim cum altero ejus in Epiſtolam ad Philippenſem. Obiit an. 1640.

Andreæ Nemeyeri, Germano-Lutherani, Analyſis junctim cum altera ejus in Epiſtola ad Romanos, edita eſt Jenæ an. 1808. in 8.

Joannis d'Outrein Expoſitio Belgica excuſa Amſtelodami an. 1715. in 4. Vir erat Belgo-Calviniſta, & Miniſter Amſtelodami, cujus vitam, & operum catalogum exhibet Biblioth. Philol. tom. 1. par. 2 p. 181. 195.

De *Philippo Pareo* egimus in Epiſtolam ad Romanos, ubi & indicavimus quidquid in hanc ſcripſit. Ibi pariter & de Analyſi *Ambroſii Reuden* in Epiſtolas ad Corinthios.

Petrus Dinanti Commentarius in hanc Epiſtolam prodiit Rotterodami an. 1721. in 4.

Jungit huic Prolegomena in quibus demonſtrat; 1. S. Paulum unicum eſſe, & genuinum ejus Authorem; 2. agit de Urbe Epheſi, & de ejus ſtatu tempore Apoſtoli; 3. de cultu Dianæ ibi impenſo; 4. de incolarum indole; 5. de arte Magica Judæorum tunc ibi verſantium; 6. de amœnioribus literis, quæ ibi colebantur; 7. de Apollonio Thyanæo præſtigiis ſuis ibi populum ſeducente; 8. refutat ſententiam Grotii, autumantis hanc Epiſtolam non ad Epheſios, ſed ad Laodicenſes datam fuiſſe; 9. refutat & Uſſerium tenentem dirigi ad univerſas Eccleſias; 10. conſilium Apoſtoli in ea ſcribenda ediſſerit; 11. tempus ſcriptæ Lucubrationis exponit. Methodum interpretandi tenet quæ homilias refert. Ex adnotationibus ejus nonnullæ recitantur in Biblioth. Philol. tom. 5. p. 535. 539.

Hermannus Alexander Roell, Weſphalo-Calviniſta, & Profeſſor Ultrajecti ſcripſit analyſim paraphraſticam, editam Ultrajecti an. 1715. in 4. altera Editio. Natus in Weſphalia an. 1652. matre orbatus an. 1655. & patre an. 1256. ad linguas addiſcendas ſe contulit ſub doctiſſimis Præceptoribus an. 1669. & 1670. Renunciatus eſt Profeſſor Philoſophiæ Franek. an. 1679. obiitque an. 1718. Vitam ejus, & operum catalogum habes in Biblioth. Phil. to. 2. p. 707. 723.

Philippi Jacobi Speneri Expoſitio Germanice tantum prodiit Hagiæ an. 1706. junctim cum altera ejus in Epiſtolam ad Coloſſenſes; nos de illo ad Epiſtolam ad Romanos.

Joannis Tarnovii, de quo nos ſupra, commentarius lucem aſpexit Roſtochii an. 1636. in 4. junctim cum altero ejus in quatuor ſequentes Epiſtolas.

Jacobus, non *Ludovicus Vvellerus*, Germano-Lutheranus, Miniſter generalis Bruſuicenſis, ſcripſit adnotationes, non in hanc quidem, ſed in Epiſtolam ad Romanos, excuſas Bruſuici an. 1664.

Joannes Vvigand dedit Notas in hanc Epiſtolam, excuſas Erfordi an. 1581. in 8. & in alias Epiſtolas nonnullas.]

DISSERTATIONES IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

VIde Præfationes in eamdem Epiſtolam.

Tobiæ Eckard Diſſertatio in illud Epheſ. 2. 2. *Secundum Principem poteſtatis aeris hujus*.

Salom. Deylingi in Epheſ. 5. 18. de Hymnis a Chriſtianis decantandis. *Obſerv. 1. 3. c. 44.*

[*Tobiæ Eckard* Diſſertationem de poteſtate Principis aeris legas excuſam Wittembergæ an. 1688. & Diſſert. Philolog. tom. 2. Vide in Acta.

Addendus *Joan. Deuſſchman*, qui ſcripſit de Aſcenſione Jeſu Chriſti in Cœlum ad cap. 4. 8. 10. Wittembergæ an. 1674. in 4. Vide ſupra.

Stephani Clerici de Armis ſpiritualibus ad cap. 6. 10. Lucubratio legitur inter Quæſtiones ſacras Davidis Clerici, excuſas Amſtalodami an. 1685. in 8. Vir erat Genevenſis, frater Joannis Clerici, Calviniſta, defunctus an. 1676.

Cornelius Haſeus de Deſcenſu J. C. ad Inferos ad cap. 4. 9. Bremæ an. 1702. Vide in S. Joan.

Gaſpar a Lilien, Berolinienſis Miniſter Lutheranus, in ſuis Diſſertationibus Philologicis unam impendit illuſtrando illi capiti 5. 4. Prodierunt Baruthi an. 1684. in 4. Obiit an. 1687.

Joannes Lucius, Germano-Lutheranus, ſcripſit in præcedentem Diſſertationem Halæi, ad defendendam ſententiam Carpzovii; Lipſiæ an. 1705. De hoc opere nos ſupra.

Jo. B. Oteius, & *Theodorus Haſæus* quiſque ſuam Diſſertationem ſcripſit in victimam odoris ſuavitatis, de qua in cap. 5. 2. Biblioth. Philolog. tom. 2. pag. 525. 548. *Otteii* Lucubratio in 30. articulos diſtributa impugnat potiſſimum uſum thuris in ſacrificiis novæ Legis, idque inductum, contendit primo poſt ſæculum 14. Halæi vero ſcriptum, in novem diviſum articulos, nonniſi de variis ſacrificiis tractat. De hoc poſtremo nos alias.

Otteius Vir erat Tigurinus, Calviniſta, Profeſſor linguæ ſanctæ, & Diaconus in majori Eccleſia Tigurina.

Joan. Georgius Schelhornius dedit Animadverſionem in verba ſcurrilia, vetita ab Apoſtolo cap. 5. 4. *ibid.* tom. 5. p. 57. 66.]

COMMENTARIA IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

ADam Sasbout, *Joan. Antonius Velaſquez* impreſſus Pariſ. 2. Vol. in fol. 1632. Lugdun. 1636. & Antuerpiæ 1637, ut cæteros in omnes Paulinas Epiſtolas ſcriptores præteream.

Inter Proteſtantes noti ſunt *Franciſcus Gomarus*, *Jo. Dallæus*, *Jo. Tarnovius*, *Bartholomæus Battus*.

[Poſtrema editio commentarii *Jo. Antonii Velaſquez* eſt an. 1646. 2. vol. fol. Hujus viri Hiſpani, Abulenſis, & Jeſuitæ, unici inter omnes Catholicos, qui expoſitionis hujus Epiſtolæ integrum dedicarit Tractatum, meminit Nicolaus Antonius in ſua Bibliotheca Hiſpanica Nova.

Inter Proteſtantes *Bartholomæus Battus* Commentarium ſuum junxit alteri in Epiſtolam ad Epheſios, & Coloſſenſes; Roſtochii an. 1620. 1627. 1628. in 4. Vide in Galatas.

Joannes Dallæus, Pictavienſis Calviniſta, & Miniſter Charentonii, Gallice hanc Epiſtolam expoſuit, quemadmodum & Scriptores reliqui. Prodiit id opus Pariſiis an. 1644. in 8. Obiit an. 1670.

Expoſitio hujus Epiſtolæ *Franciſci Gomari*, & alterutra ſicut etiam *Joannis Tarnovii* legitur in collectione operum ejuſdem Gomarii.

COROLLARIUM.

DISSERTATIONES IN EPISTOLAS AD PHILIPPENSES.

QUamquam nullas in Bibliotheca ſacra Diſſertationes in hanc Epiſtolam recenſuimus, hic tamen aliquæ indicandæ ſunt.

Jacobus Perizonius, de quo nos in Actis, ſuam dedit in Prætorium, de quo in cap. 1. 13. Franekeræ an. 1690. in 8.

Joan. Stepnerus, Germano-Lutheranus, & Miniſter Generalis, Diſſertatione exegetica, ad cap. 2. 1. 12. exercuit ſe ſe; Lipſiæ an. 1650. in 4. Obiit an. 1659.

Chriſtophorus Auguſtus Heumannus, de quo nos in Evangelio S. Joan. brevi Diſſertatione illuſtravit cap. 2. 6. Legitur in Biblioth. Phil. tom. 2. p. 580. 584.]

COMMENTARIA IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

AUguſt. de Quiros S. J. de iis, qui in Epiſtolas Pauli commentaria ſcripſerunt.

Inter Proteſtantes extant, *Franciſcus Gomarus*, *Jacobus Alsingius Oper. t. 4. Sebaſtianus Schmids*, *Frider. Rappolt*, *Joan. Tarnovius*, *Davenantius*, *Dallæus*.

[*Auguſtini de Quiros*, Jeſuitæ Hiſpani, commentarius prodiit una cum aliis ejus Authoris, Hiſpali an. 1622. fol. Obiit an. 1622.

Jacobi Alsingii, de quo egimus, analyſis exegetica continetur, cum aliis ejus in alias Epiſtolas, operum ipſius tom. 5. Amſtelodami an. 1687. fol.

Commentarius *Sebaſtiani Schmids* excuſus eſt Hamburgi an. 1704. in 4. ſecunda edit.

Fridericus Rappolt dedit animadverſiones, excuſas inter cætera ejus opera tom. 1. Lipſiæ an. 1693. in 4. Vir erat Germano-Lutheranus e Reichembech, Profeſſor Lipſiæ. Obiit an. 1686.

Joannis Davenant, Angli, & Epiſcopi Sariſberienſis, Expoſitio prodiit Groningæ an. 1655. in 4. altera edit.

Theodorus Haſæus illuſtravit tantum illud cap. 1. 24. ad paſſionem Jeſu Chriſti pertinens; in Biblioth. Philol. tom. 3. p. 218.

Clemens Streso Commentarium integrum vulgavit Amſtelodami an. 1708. ſed methodo non ſatis accuratum, nec niſi Authoris meditationes continentem.]

DISSERTATIONES IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

VIde Præfationes in eamdem Epiſtolam.

Henrici Teltemberg in illud Coloſſ. 3. 2. *Non eſt barbarus, neque Scytha*.

[Quamvis ſcripſit *Henricus Teltembergius*, Germano-Lutheranus, legas Diſs. Philolog. tom. 2.

Jo. Andreas Quenſtedius vulgavit in hanc Epiſt. Diſputationes, Wittemb. 1664. in 4. Vide ſupra. Harum prior ad illud cap. 3. 11. prodierat antea *ibid.* an. 1654. in 4.

Adrianus Relandus in eundem verſiculum ſe ſe exercuit, exponens quinam Barbari, & Scythæ nomine deſignentur. Biblioth. Philol. tom. 5. p. 253.

Theodorus Haſæus idem argumentum vexavit; *ibid.* p. 270. ubi & legitur Epiſtola *Conradi Piken* de eodem argumento, p. 76. 77. & 99.]

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIA IN UTRAMQUE AD THESSALONICENSES.

GAbriel Vaſquez, cæterique in omnes Pauli epiſtolas Scriptores.

Inter Proteſtantes, *Franciſcus Gomarus*, *Sebaſtianus Schmidt*, *Hieronymus Velleius*, *Joannes Tarnovius*, *Solanerus*.

{ Inter eos, qui peculiari ſcripto utramque ad Theſſalonicenſes illuſtrarunt, recenſendus eſt *Jodocus Villichius*, Germano-Pruſſienſis, Lutheranus, & Medicus Francofurti, defunctus 1552. cujus commentarius excuſus eſt Lipſiæ an. 1540. in 8.

Joannes Crocius, Germanus, commentarium ſuum dedit in utramque, ſicut & in alias nonnullas, 2. vol. fol. Marpurgi an 1663. Obiit ao. 1659.

Guillelmus Bradſhaw, Anglus, materna lingua ſcripta Expoſitione utramque illuſtravit; Londini an. 1620. in 4.

Reliqui, ſive Catholici, ſive Proteſtantes æque omnes alias Epiſtolas, vel ex iis nonnullas illuſtrarunt. Quare juvat ad Diſſertationes, e re magis futuras, progredi. }

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN UTRAMQUE.

IN ſecundum caput alterius epiſtolæ ad Theſſalon. vide *Grotii* Diſſertationem in loca, ubi de Antichriſto ſermo eſſe credebatur.

Simplicius Verinus, ſeu potius *Salmaſius* in hoc argumentum contra Grotium diſſeruit.

Hippolytus Fronto, ſeu potius *Petrus Dumoulin*, & *Henricus Morus* in idem argumentum laudantur in Synopſi Criticorum.

De Antichriſto legendus *S. Hippolytus Martyr*, Epiſcopus Portuenſis, cujus nomine orationes duæ de Antichriſto vulgatæ ſunt, quamquam facile alius ſit alterius ex illis Author. Vide Nov. Edit. S. Hippolyt. per Fabric.

Adſonis Abbatis Dervenſis de Antichriſto, cujus opus ſub nomine Alcuini, & Rabani vulgatum eſt in Append. tom. 6. Oper. S. Auguſt. Nov. Edit. pag. 243. ſed in calce tom. 11. oper. ubi Tabulæ operum S. Doctoris, & Additiones, & Correctiones continentur, ſuo Authori reſtituitur. Vide ibi *Addenda* ad 6. tomum.

Thom. Malvenda de Antichriſto. Romæ 1604. fol.

Auguſt. Calmet Diſſert. de Antichriſto, ante 6. tom. *Comment. in Epp. S. Pauli*.

Chriſtian. Graffi Diſputatio de Antichriſto.

Aug. Calmet Diſſertatio de fine mundi. Ibid.

Ad calcem vitæ Tillemontii impreſſa eſt diſſertatio ejuſdem Authoris, de ſtatu Mundi poſt Reſurrectionem pag. 597.

Auguſt. Calmet Diſſertat. de Reſurrectione mortuorum. Ibid.

Vide de eodem argumento, quæ infra notavimus in articulo de *funeribus Hebræorum*.

Tobia Eckard de ſigno Apoſtoli Pauli, ad 2. Theſſal, 3. 17.

{ Catalogum Scriptorum de Antichriſto, de quo 2. Theſſ. 2. 28. auget *Petrus Karll*, cujus Diſſertatio legitur Biblioth. Philol. tom. 5. p. 806 857. Exponit ibi quid nomine filii perditionis deſignatum ſit.

Nec prætereundæ ſcriptæ adverſus Grotium in eundem Textum adnotationes *Jonæ Schlichtingii*, excuſæ Amſtelodami an. 1243. in 8. & in Criticis Sacris poſtremæ Editionis ſub ficto nomine *Joannis Simplicii*. Hinc nata perſuaſio, adnotationes haſce deberi *Salmaſio*; ſed genuinus Author innotuit.

Quæ ſcripſit *Tobias Eckard* de ſubſcriptione epiſtolarum S. Pauli, de qua 2. Theſſal 3. 18. prodierunt Wittembergæ an. 1687. in 4. & Diſs. Philol. tom. 2. Nos de illo alias.

Jo. Michael Langius illuſtravit argumentum de Genealogiis, & Fabulis Judæorum, ad 1. Theſſal. 1. 3. Legitur Diſſertat. Philolog. tom. 2. De hoc viro nos alibi. }

COMMENTARIA IN GEMINAS EPISTOLAS AD TIMOTHEUM.

ADam Sasbout, *Claudius Eſpencæus*, Doctor Pariſienſis, Collegii Navarræ, qui ſæculo decimoſexto florebat, in utraſque Epiſtolas opus vulgavit Pariſ. 1561. in fol.

Joan. Lovanienſis in priorem epiſtolam ſcripſit; *Cyprianus de la Huerga*, in ſecundam; *Megalianus*, & *Ludovicus Soto-Major* in utraſque.

Inter Proteſtantes extant *Jo. Priceus*, *Abraham Scultetus*, *Jo. Gerhardus* in utramque epiſtolam ſcriptores, & *Sebaſt. Schmid* prioris Paraphraſtes.

Scriptores in univerſas Pauli epiſtolas omitto.

{ COMMENTARII CATHOLICORUM IN UTRAMQUE AD TIMOTHEUM.

EDitio Commentarii *Claudii Eſpencæi*, data an. 1561. & a nobis indicata, nonniſi laborem ejus in priorem epiſtolam continet. Quæ ſcripſit in ſecundam prodierunt Amſtelodami an. 1564. fol. Junctim autem omnia cum aliis ejus Tractatibus exhibet editio an. 1619.

Methodū ſequitur ab aliis commentariis plane diverſam; prius enim ſenſum litteralem Textus exponit, tum excurrit ad quæſtiones, & digreſſiones in Diſciplinam Eccleſiaſticam, ex utraque Epiſtola deductas. Probat id maxime D. Dupin; aliter vero judicat D. Simon Hiſt. Critic. N. T. c. 40. p. 592.

Natus ille an. 1511. Cabiloni in Campania, ſtuduit Pariſiis; tum Romam ſe contulit cum Cardinali Lotharingio; dein reſtitutus Lutetiæ obiit an. 1671. ætatis 60. juxta D. Thuanum Hiſtor. ſui temporis. Claruit æque, qua morum innocentia, qua doctrinæ præſtantia. Nec minora de viro prædicat Genebrardus.

Pro *Joanne Lovanienſi*, ſcribendum fuerat *Joan. Heſſelius*, vir reipſa Lovanienſis ubi Theologiam profeſſus eſt, obiitque an. 1566. Commentarios ejus in priorem ad Timotheum vulgatus eſt Lovanii an. 1568. in 8. Ipſiſſimus, creditus Author commentariorum, quos publico communicavit Adam Sesbout, qui excepta ex ore viri illius Magiſtri ſui dictantis vulgavit. Confunditur a nonnullis cum Joanne Heſſelio viro plane coævo, & ejuſdem Patriæ. Prior ille obiit an. 1552. & geminus fuit Magiſter Sasbout. Porro Heſſelius immaturo nimis fato præreptus eſt, anno ſcilicet ætatis 44. quod unum obſtitit, ne ingenii ſui fœtus daret quamplurimos. Mentem ſuam habebat ex æquo diviſam inter felicem memoriam, & concipiendi uberem fœcunditatem. Adfuit Concilio Tridentino cum Janſenio Epiſcopo Gandavenſi, nec niſi eo abſoluto rediit.

Si *Cyprianus de la Huerga* illuſtravit ſecundam Epiſtolam, ejus commentarium lucem aſpexiſſe non credimus. Quin Nicolaus Antonius affirmat complecti opus illud omnes S. Pauli Epiſtolas, ſed annum impreſſionis non indicat.

Commentarius *Coſmæ Magaliani*, ejuſdem eſt ſaporis ac D. Eſpencæi; diſſeritur enim in eo de Hierarchia tribus libris. Prodiit Lugduni an. 1609. in 4. Nos de illo in Joſue, & in Judices. Theologia poſitiva, & ſcholaſtica opus eſt refertiſſimum.

Ludovicus Soto-Major, Dominicanus, & non, uti nos male, Jeſuita, Commentarium ſuum excuſum habuit Pariſiis an. 1610. fol. Nos de illo in Canticum Canticorum.

Addi poſſet *Iſaac Habertus* Pariſienſis, & Vabrenſis Epiſcopus, defunctus ao. 1667. qui perpetua expoſitione, excuſa Pariſiis an. 1656. in 8. geminas haſce Epiſtolas, & poſtremas duas illuſtravit.

Idem præſtitit *Carolus Rapine*, Recollectus, defunctus an. 1698. cujus expoſitio Gallica lucem aſpexit Pariſiis an. 1632. in 4.

C O R O L L A R I U M.

COMMENTARII PROTESTANTIUM IN UTRAMQUE.

INter Proteſtantes alii quidem in priorem, alii in ſecundam, alii in utramque laborarunt.

Re-

Recenſendus eſt hic *Lambertus Danæus*, de quo jam egimus. Ejus Commentarius in priorem Epiſtolam prodiit Genevæ an. 1581. in 8.

In eandem Scholia, & Enarrationem exhibuit *David Chytræus*, Francofurti, an. 1569. in 8. De hoc viro nos alibi.

Gaſpar Cruciger, Lipſienſis Lutheranus, Commentario eandem illuſtravit. Id vero opus cum aliis ejus Commentariis, de quibus nos alibi, lucem aſpexit Argentorati an. 1540. Obiit an. 1548.

Antonius Fayus, Dunenſis, Calviniſta, Miniſter Genevenſis, ſuum pariter Commentarium ibidem vulgavit an. 1609. in 8. Obiit vir aliis etiam Commentariis notus an. 1616.

Conſtantini Phrigionis Commentarius jungitur alteri ejus in Leviticum, ubi nos de illo.

Chriſtophori Theophraſti Saver, Germano-Lutherani, ſunt animadverſiones in loca quædam hujus Epiſtolæ, legendæ Diſs. Philolog. tom. 2.

Kilianus Venator, ejuſdem & Regionis, & Religionis, Expoſitionem Germanicam dedit Islebii an. 1572. in 8. ſi fides habeatur Hunnio in Theſauro Theologico.

Jo. Henricus Feuſtkingius, Lutheranus Kimbergil, expoſuit ſecundam Epiſtolam.

Alexander Alex, de quo nos ſupra; Diſputationem adornavit in Epiſtolam utramque, Lipſiæ an. 1550. 1551. 2. vol. in 8.

Commentarius *Georgii Chriſtophori Dybrad*, Dano-Lutherani, inſcriptus, ſpeculum Sacerdotii, lucem aſpexit Haphniæ an. 1599. in 8. Obiit an. 1607.

Matthias Nethen, Calviniſta, & Miniſter Herbornii, Diſputationem ſcripſit in utramque epiſtolam; Ultrajecti an. 1655. in 4.

Joan. Gerhardi, de quo jam egimus, commentarius excuſus eſt Jenæ an. 1668. ſecunda editio in 4.

Petri Artopæi, Pomerani Luther. & Miniſtri Stetini an. 1554. Scholia Baſileæ 1546. 2. edit. in 8.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN UTRAMQUE AD TIMOTHEUM.

DAnæus primam ad Timotheum illuſtravit; & *Gothofredus* eximias Diſſertationes dedit in verſus 15. 16. c. 3. ejuſdem epiſtolæ. Vide etiam *Chriſt. Theoph. Saver* obſervata in loca quædam 1. Timoth.

Michael. Langii, de Genealogiis numquam finiendis. 1. Timoth. 1. 4.

Joan. Vebber. ad Timoth. 3. 15. *Ut ſcias, quomodo oporteat te in Domo Dei converſari, quæ eſt in Eccleſia Dei*.

Salomon Deylingi de eodem argumento. *Obſervat. ſacr.* tom. 1.

Benedicti Picteti, & *Georg. Henrici Goetzii*, de magno pietatis myſterio, ad 1. Timoth. 3. 20.

Andreæ Boſii, de juvenilibus cupiditatibus, 2. Timoth. 2. 22.

Deylingi in 2 Timoth. 4. 6. 7. *Ego enim jam delibor*, Obſervat. tom. 2. cap. 46.

Hector. Gothofr. Maſii de pallio Pauli 2. Tim. 4. 13.

[Non Diſſertationes, ſed exercitationes de Eccleſia ſcripſit *Jacobus Gothofredus*, ad illuſtrandum illud 1. Timoth. 3. 15. 16. Excuſæ ſunt Genevæ an. 1649. in 4. altera editio; recitaturque Criticorum ſacrorum tom. 7.

Scripſit ille pariter Diſſertationem in præceptum datum mulieribus, ut in Eccleſia procedant velatæ; *ibid.* 1654. *in* 4. Vir erat Genevenſis, & Calviniſta, obiitque an. 1652.

Egimus ſupra de animadverſionibus *Chriſtophori Saver*, & in priorem ad Theſſalonicenſes, quæ dedit *Michael Langius* de Genealogiis.

Immanuel ut ſcribit P. le Long, & non *Joannes Vueberus*, adornavit Parergon Philologicum in 1. Timoth. 3. 15. Diſſeruit & de ſubſcriptione hujus epiſtolæ. Utrumque opus lucem aſpexit Lipſiæ an. 1686. in 4. & Diſſert. Philolog. tom. 2. Vir erat Germano-Lutheranus.

Benedictus Pictetus quatuor Diſſertationibus illuſtravit Myſterium pietatis. Prodiit opus Genevæ an. 1692. in 4. & Criticorum Sacrorum Londinenſium poſtremæ editionis tom. II. pag. 665. Genevæ natus an. 1655. Miniſter Calviniſta creatus eſt an. 1678. Profeſſor an. 1686. Operum illius catalogum recitat Bibliotheca Philol. tom. 4. pag. 300. 304.

Ibi pariter pag. 660. habes Diſſertationes *Henrici Goetzii*.

Excidit P. le Long *Jo. Andreas Boſius*, vel *Dubois*, *de juvenilibus cupiditatibus*. De illo nos in Acta.

Diſſertatio *Hectoris Godefridi Maſii* in Penulam S. Pauli legitur Diſſert. Philolog. tom. 2. Alias ejus Lucubrationes alibi recenſebimus, ubi & de viro.

DISSERTATIONES ADDENDÆ.

ADdi poſſet *Paulus Bauldry*, Ibervillæus, & Rothomago oriundus, ſed Calviniſta, & Profeſſor Hiſtoriæ Sacræ Ultrajecti an. 1706. Scripſit epiſtolam in illud 1. Timoth. 3. 16. de magno Myſterio Eccleſiæ, relatam vel indicatam in Bibliotheca novorum Librorum, Ultrajecti an. 1702. in 8. menſibus Majo, & Junio. Legitur ibi pariter iiſdem menſibus an. 1699. Epiſtola in idem argumentum, data a Batavo quodam Calviniſta, & Miniſtro, qui ſub ementito Philaletis, ſeu amici veritatis, nomine delitescit.

Fridericus Chriſtophorus Neubour adornavit Diſſertationem de Fabulis prophanis, & corporis exercitationibus, de quibus 1. Timoth. 4. 7. 8. Legitur Biblioth. Philolog. tom. 2. pag. 113. Refutat in ea Scriptores, qui Textum exponunt de ſanctione conjugium interdicente; & de exercitatione mere ſpirituali. Dedit & adnotationes Philologicas in plures Textus N. T. *ibid.* tom. 1. pag. 113. tertiæ partis. Vir erat Lutheranus, & e conſiliis militaribus Regis Angliæ in Electoratu Brunſuicenſi, & Luneburgenſi.]

COMMENTARIA IN EPISTOLAM AD TITUM.

SAnctus *Hieronymus* eximio Commentario hanc epiſtolam illuſtravit.

Adamus Sasbout, *Mogallanus*, *Soto Major Claudius Eſpencæus*, *Jo. Gopylus* idem ſtadium decurrerunt.

Sicut & inter Proteſtantes. *Jo. Priceus*, *Jo. Vallis Oper.* tom. 3. *Fridericus Rappolt*, *Jodocus Villichius*, *Joan. Henricus Vildhagen*, *Abraham Scultetus*. Vide Magnos Criticos, & Synopſim.

[Commentarius *Claudii Eſpencæi* in hanc epiſtolam jungitur alteri ejus in utramque ad Timotheum. Vide ſupra. Idem & de aliis, qui ſequuntur, animadvertimus. Sed *Joannes Gopylus*, Gallo-Catholicus, non ſcripſit niſi in epiſtolam ad Titum, Paril. an. 1644. in 8.

Adrianus Relandus expoſuit illud capitis 2. 5. ubi juventus fœminæ muliebribus vacare: legitur ea Lucubratio Biblioth. Philolog. tom. 1. pag. 317. tertiæ partis. De hoc viro actum jam a nobis, & iterum etiam redibit. Natus Amſtelodami an. 1676. docuit Ultrajecti linguas Orientales ſpatio 17. annorum. Obiit an. 1718.

In hanc expoſitionem epiſtola Jacobi Haſæi legitur *ibid.* tom. 2. p. 109.]

DISSERTATIONES IN EPISTOLAM AD TITUM.

VIde Præfationes in eamdem epiſtolam, & *Chriſtianum Sebid* de Cretenſium Vituperio. Tit. 1. 12.

[Diſſertatio *Chriſtiani Schmidt*, & non *Sebid* uti male in noſtris impreſſio; viri Germani, & Miniſtri Uratiſlaviæ, legitur Diſſert. Philolog. tom. 2. prodiitque ſeorſum Lipſiæ an. 1673. in 4.

Addendus *Daniel Pfeiffingerus*, Germano-Argentoratenſis, Lutheranus, & Profeſſor Linguarum Orientalium ſæc. 18. ineunte. Scripſit ille pariter de Cretenſibus, prodiitque opus Argentorati, una cum aliis ejus Diſſertationibus, de quibus nos in Joſue, & Aggæum an. 1703.]

COMMENTARIA IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

SAnctus *Hieronymus* Commentarium in illam ſcripſit. Præterea S. Chryſoſtomum, cæteroſque illum magiſtrum ſecutos, ſicut & Authores, qui omnes Pauli epiſtolas illuſtrarunt.

Jacobus Pamelius Lucubrationes ſuas in eamdem epiſtolam, in quinto tomo Operum Rabani Mauri, vulgavit pag. 1611.

Franciſcus Fen-ardentius, Franciſcanus in eamdem epiſtolam laboravit. His addendi *Joannes Rolcquus*, *Lambertus Danaus*. *Franciſcus Gomarus*, *Abrahamus Scultetus*, *Scipio Gentilis*, *Chriſtianus Fridericus Franckenſtein*, Lipſiæ impreſſus 1665. in 12. & Paraphraſis *Sebaſtiani Schmid*.

[Quæ edidit in hanc epiſtolam *Pamelius* brevem referunt Commentarium. Nos de hoc viro in Judith.

Cæteris a nobis indicatis, addendus *Jo. Vincentius*, cujus expoſitio familiaris in hanc epiſtolam lucem aſpexit Pariſ. an.1645. Vir erat Lemovicenſis, Ordinis Floriacenſis, & cognomento S. Martialis auctus eſt. Obiit, an.1648.

Commentarius *Philippi Parei* jungitur alteri ejus in epiſtolam S. Judæ. Vide ſupra ad Romanos.

Animadverſiones tantum in hanc epiſtolam ſcripſit *Chriſtianus Fridericus Franckenſtein*; Hallæ in Saxonia an.1657. & Lipſiæ an. 1665. in 12. Obiit Vir Germano-Lutheranus Lipſienſis an.1679.

Commentarius *Scipionis Gentilis* excuſus eſt Norimbergæ an. 1618. in 8. Frater erat Alberti vel Albarii, de quo nos in Machabæos; uterque autem Germanus erat Altorfienſis. Obiit an.1616.

AUTHORES ADDENDI.

David *Dike*, Anglus, expoſitionem materna lingua adornavit, Lond. an.1618. in 4.

Lambertus Danæus ſcripſit Commentarium; vulgavit Genevæ an.1579. in 8. & inter ejus opuſcula: *ibid.* an.1654. fol. Vide ſupra.

Paraphraſis *Sebaſtiani Schmidt* jungitur alteri ejus in priorem ad Timotheum. Vide ſupra.

DISSERTATIONES IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

Zacharias *Huberus*, de quo nos ad S. Lucam, expoſuit verſiculos 18. & 19. in ſuis Diſſertationibus Philologicis, impreſſis Franekeræ an.1702. in 4.

P. de Vitry, Jeſuita, diſſeruit de ſignificatione vocis inutilis, occurrentis ad Philem. verſ. 11. Vide Ephemerides Trevoltianas an.1723. art. 73. menſe Septembr.]

COMMENTARIA IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

Franciſcus *Ribera*, Jeſuita ex Commentariis ſuis in Scripturam poſtremum in epiſtolam ad Hebræos dedit. *Adam Sasbout*, *Blaſius Viegas*, *Michael de Palacio*; *Didacus de Aſtudillo*, & *Ludovicus Tena*, ſcriptis in idem argumentum celebrantur.

Sane Ludovici Tena opus communi ſuffragio probatum eſt; quamquam authorem habuerit virum Græce, & Hebraice, ut ipſe de ſe fatetur, imperitum. Illius adornandi conſilium fuit, ut tyrones Theologi in promptu haberent argumenta, & reſponſiones, quibus argumenta, & difficultates, ſibi in Scriptura, & maxime in epiſtola ad Hebræos propoſitas, ſolverent. Quare plurimas in medium quæſtiones adducit, non raro etiam ab Apoſtoli textu alienas, quas ſcholaſtico quidem ſtylo, ſed erudite tamen reſolvit. Quamquam, uterat ejus temporis conditio, optimis PP. editionibus nondum vulgatis, ratiocinatione potius, quam authoritate rem conficere conſueverit.

Addendi *Laurentius Valla*, *Eraſmus*, *Lucas Brugenſis*, quorum opera in Magnis Criticis.

Inter Proteſtantes extant *Jo. Braunius*, *Chriſtophorus Vitsichius*, *Petrus Vanhoeke*, *Gaſpar Streſo*.

Joan. Owenus amplo Commentario hanc epiſtolam illuſtravit.

Jacobus Alsingius in 19. priora capita diſſeruit.

Sebaſtianus Schmidt, *Jo. Henricus Majus*, *Juſtus Chriſtophorus Schomer*, *Gaſpar Eraſmus Brochman* impreſſus Hafniæ 1706. in 4. & Jo. Schotze, impreſſus Hamburgi 1707. *Pareus*, *Gerhardus*, *Gulielmus Gouge*.

Philippus Codurcus in caput 9. ſcripſit.

[COMMENTARII IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

Commentarius *Riberæ* prodiit Salmanticæ an. 1598. & Coloniæ an. 1600. in 8. Cum morte præventus Author opus illud non abſolviſſet, e Fratribus quidam ſupremam illi manum impoſuit, Commentarium proſequens a cap. 5. 6. De hoc viro nos ad S. Joannem.

Opus *Vega*; cujus Sotuellus tantum meminit, nullibi paruit, ejus enim nonniſi labor in Apocalypſim vulgatus eſt. Vide ſupra.

Sermones *Michaelis de Palacio*, Granatenſis, & in Theologia Profeſſoris, excuſi ſunt Salmanticæ an. 1590.

Didaci Aſtudillo ſcriptum in hanc epiſtolam nullum eſt; unus Poſſevinus in ſuo Apparatu hujus meminit.

Ingans Commentarius *Ludovici Tena* vulgatus eſt primo Salmanticæ an. 1611. fol. tum recenſus in Criticis ſacris Londinienſibus prior. edit. & Francofurtanſibus an. 1698. 1700. tom. 10. Excellit potiſſimum in præludiis, in quibus, quam in reliquo opere, conciſior eſt. In opere enim plures interſerit Quæſtiones, nec raras extra chorum, ſequitur ſæculi noni Scriptores pleroſque, ait D. Simon Hiſtor. Critic. N. T. Vir erat Gaditanus, Doctor, & Canonicus Complutenſis, Epiſcopus Dertuſanus renunciatus an.1622. quo & obiit. A doctrina, & ingenio illum laudat Nicolaus Antonius.

D. Barnardus Montfaucon in ſua nova editione operum *S. Athanaſii* publico communicavit fragmenta quædam Græco-Latina operis ejuſdem in hanc epiſtolam, quibus amiſſi deſiderium excitatur. Operum to. 2. p. 1272.

Conſtantinus Boccafor, Italus, Franciſcanus, Epiſcopus Vercellenſis, & Cardinalis circa an.1587. Commentarium ſcripſit impreſſum Romæ in 4. eodem anno.

Matthæus Galenus, Zelandus, & Cancellarius Academiæ Duacenæ, defunctus an. 1573. dedit Commentarium, excuſum Lovanii an. 1599. in 8.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

Commentarium *Jo. Braunii*, de quo nos in Ezechielem, dederunt præla Amſtelodamenſia an. 1705. in 4.

Chriſtophori Vitsichii Inveſtigatio; *ibid.* an. 1692. in 4. Addendum eſt nobis de illo ſimili opere illuſtraſſe epiſtolam ad Romanos, cui & Commentarium adjecit, impreſſum Lugd. Batavorum an. 1685. in 4. Vir erat Germanus Clivenſis, Calviniſta, & Profeſſor Lugduni Batavorum defunctus an.1687.

Commentarius Analyticus *Petri Van-Hoeke*, Miniſtri Calviniſtæ Lugd. Batavorum, prodiit ibid. an 1693. in 4.

Gaſparis Streſo, Germani, Miniſtri Calviniſtæ Hagiæ, Commentarius editus eſt Hagiæ an. 1661. in 4. Opus eſt Analyticum, & præterea practicum, uti inſcriptio ipſa præfert. Eadem animadvertiſſe juvat de opere ejus in Acta, excuſo Amſtelodami an. 1658. 1669. 2. vol. in 4. Obiit an. 1664.

Non Commentarium potius, quam exercitationem dedit *Joannes Owenus* Anglice 2. vol. fol. Lond. an. 1668. & Latine Amſtelodami an. 1700. Vir erat Anglo-Londinienſis, Independentium Princeps, defunctus an. 1684. Pluribus aliis probatis operibus claruit.

Capita tantum novem priora, & non undeviginti uti nos male; neque enim epiſtola ſuperat capita tredecim, illuſtravit *Jacobus Alsingius*. Vide in epiſtolam ad Coloſſenſes.

Commentarius *Sebaſtiani Schmidt* editus eſt Lipſiæ an. 1698. in 4. altera editio. Vide ſupra.

Paraphraſim tantum vulgavit Gieſſæ an. 1700. in 4. *Joan. Henricus Majus*. Optimi Commentarii vices ſupplet, ait Theodorus Haſæus Biblioth. Philolog. tom. 5. pag. 306. Vide ſupra in Harmoniis.

Exegeſis *Jo. Chriſtophori Schomeri*, Lubecenſis, Lutherani, Profeſſoris Roſtochii, & Miniſtri Generalis Mecklemburgi, continetur inter eas, quibus omnes S. Pauli epiſtolas illuſtravit; Roſtochii an.1698. 1701. 3. vol. in 4. Obiit an. 1693.

Gaſpar

Digitized by Google

Gaſpar Eraſmus Broehmaant, Dano-Lutheranus, Epiſcopus Selandiæ, cujus Commentarius lucem vidit Haphniæ. Obiit an. 1652.

Joan. Sculiz, Germano-Lutherani, & Rectoris Hamburgenſis, Opus paruit ibidem in 4. Ibi pariter an. 1661. in 4. quarta editione, excuſum eſt opus *Joan. Gerhardi*. Vide ſupra.

Guillelmus Gouge, Anglus, & religionem Anglicanam profeſſus, Opus ſuum habuit excuſum Lond. an. 1655. fol. 2. editio. Obiit an. 1653.

Adnotationes *Codurci*, e Proteſtante Catholici, uti nos alias monuimus, illuſtrant tantum verſiculos 16. 17. & 18. cap. 9. Leguntur autem impreſſæ in criticis ſacris tom. 7. cum aliis a nobis indicatis.]

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

FRider. *Spanhem.* ampliſſimo opere de Authore hujus epiſtolæ, atque aliis quæſtionibus præliminaribus ad illam diſſeruit. Vide etiam noſtram Præfationem.

Fridericus Korberg, & *Martinus Vaarein*, de Melchiſedecho. Cæteros de eodem argumento vide inter Diſſertationes in Gen.

Jo. Vitkens, functio Pontificis Maximi, ad Hebr. 9. 7.

Immanuel Vetter, ad Hebr. 13. 16. *Beneficentia, & communionis nolite obliviſci &c.*

Salom. Deylingi in Hebr. III 3 2. *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Jeſum*,

Et in Hebr. 7. 22. *Melioris teſtamenti ſponſor factus, &c. Obſerv. Sacr. tom. I.*

Idem in Hebr. 9. 3. 4. 5. De his, quæ in Tabernaculo fuerant. *Ibid. t. 2. c. 47.*

Idem in Hebr. 4. 16. de ingreſſu Pontificis in Templum. Et in Hebr. 13. 4. de nuptiarum dignitate. *Ibidem tom. 3. c. 47.*

[In iiſdem Criticis legaexercitationes *Friderici Spanhemii* filii, de Authore hujus Epiſtolæ pag. 737. tom. 12. Demonſtrat autem alteri nemini ab Apoſtolo adſcribi illam poſſe.

Ambroſii Catharini Diſſertatio idem probans, legitur *Ibid.* pag. 797.

Refutatio Diſſertationis In cap. 9. authore *Erico Guiſardo* legitur ibidem pag. 801. Vir erat Calviniſta, Genevenſis. Impugnat potiſſimum quæ Codurcus ſcripſit, & in hoc caput & de ſua converſione.

In Melchiſedech, & in Summum Sacerdotem.

Diſſertatio *Chriſtophori Schlegelii* in Melchiſedech, de quo in hac Epiſtola, legitur pariter in Criticis Sacris pag. 829. Id nos indicavimus jam ad Geneſim, ubi pariter & de Opere *Van Roin*.

Sermo Theologicus, & Philologicus *Friderici Korbergii* in idem argumentum legitur Diſſert. Philolog. tom. 1. prodieratque an. 1673. Cigny. Vir erat Germano-Luther.

Ibi pariter tom. 2. leguntur quæ ſcripſit *Joannes Vulikens* de munere annuo Summi Sacerdotis. Germanus & ipſe ac Lutheranus.

Si *Immanuel Vutbrrus* aliquid ſcripſit in cap. 11 16. uti nos indicavimus, quamquam ſilet P. le Long; id utique contineri reputandum eſt in Diſſert. Philolog. tom. 2. cum aliis ejus Operibus. De hoc viro nos in priorem ad Timotheum.

DISSERTATIONES ADDENDÆ.

ADdendus *Jo. Andreas Dantz* de munere annuo Summi Sacerdotis in Sanctuario, ad illud cap. 9. 7. Jenæ an. 1683. in 4.

Jacobus Gouſſet, Bleſenſis, Calviniſta, & Profeſſor Croningæ, pluribus Diſputationibus hanc Epiſtolam illuſtravit; Amſtelodami an. 1712. fol. Obiit an. 1717.

Jo. Godefridus Lave, Germano-Lutheranus, Diſputatione exegetica vexavit cap. 13. a ℣. 8: uſque ad 15. Prodiit Opus Lipſiæ an. 1705. in 4.

Jo. Georg. Neumanus aliam dedit Diſputationem in Pontificem N. Teſtamenti, ad cap. 7. 26. 27. Wittembergæ an. 1699. in 4. Vide in S. Matthæum.

Diſſion. Bibl.

Joan. Schmids, Germano-Lutheranus, & Profeſſor Germanus Argentorati, ſcripſit Exegeſim ad illud cap. 13 4. excuſam Lipſiæ an. 1624. in 4. Obiit an. 1658.

Michael Siries, de quo in priorem ad Corinthios, exercuit ſe in lacrymas Jeſu Chriſto; Gieſſæ an. 1666. in 4. & cum Appendice an. 1674. in 4.

Jo. Jacobus Lavater ſcripta Diſputatione diſſeruit de promiſſionibus a J. Chriſto exhibitis Patriarchis Veteris Legis, & Fidelibus Novæ ad illuſtranda capp. 10. & 11. & 12. Tiguri an. 1714. 1723. 2. vol. in 4.

Natus Tiguri an. 1657. Theologiam docuit ab an. 1684. uſque ad 1710. Operum ipſius catalogum exhibet Bibliot. Philolog. tom. 2. p. 568.

Ibi pariter t. 4. p. 29 13. excuſæ ſunt animadverſiones ſacræ *Jac. Staalkopff*, ad oraculum S. Pauli, expreſſum Hebr. 11. 3.

Lucem aſpexit Romæ an. 1719. Latina Diſſertatio de Divinitate Meſſiæ, ad illuſtrandum 2. & 3. verſiculum capitis primi. Ut generalem Meſſiæ ideam exhibeat author, ponit ſub oculis Lectorum quatuor præcipuos characteres, quos in hac Epiſtola expreſſos feliciter demonſtrat.]

COMMENTARIA IN EPISTOLAS CANONICAS.

ADumbrationem, ſive brevem explicationem in quatuor Epiſtolas Canonicas, nempe in priorem S. Petri, S. Judæ, & in duas priores S. Joan. opus *S. Clementis Alexandrini* ab antiquitatis, lethique injuriis ſartum tectum, Caſſiodorus ſervavit; quod ſane antiquitatis auro pretioſius monumentum eſt. Extat apud Caſſiodorum, in collectione operum S. Clementis, & in Biblioth. PP. Lugdunenſi, t. 3. p. 227.

Didymus Alexandrinus in Epiſtolas Canonicas pariter ſcripſit, *In Biblioth. Patrum t. 3. pag. 320.*

Extat etiam in Epiſtolam S. Jacobi Patrum Græcorum Catena.

Beda, *Oecumenius*, *S. Thomas*, ſeu potius *Thomas Anglus*, qui circa an. 1400. florebat, cum Lyranum laudet, qui 1340. obiit, *Cajetanus*, *Gagnæus*, *Nicolaus Serrarius*, *Cornelius a Lapide*, *Benedictus Juſtinianus*, *Joan. Lorinus*, *Alphonſus Salmero*, *Lucas Brugenſis*, *Eraſmus*, omnes in eaſdem Epiſtolas Canonicas ſcripſerunt.

Peculiariter in Epiſtolam S. Jacobi habemus *Gregorium Ariminenſem*, *Balthaſar Paez*, *Franc. Fevardentium*, *Petrum Servart*, *Auguſtinum de Quiros*.

In primam Petri, *Joan. Lovanienſem*, & *Franciſc. Fevardentium*.

In ſecundam, *Adam Saſbout*, *Franc. Fevardentium*, & *Joan. Lorinum*. In utramque ſcripſit *Jo. Baptiſta Folengi*, ſicut & alii plures, laudati in Bibliotheca Jacobi de S. Carolo pag. 180. &c.

In primam S. Joan. vulgati ſunt, *S. Auguſtinus*, *Joan. Lovanienſis*, *Joan. Lorinus*, *Bartholomæus Petri* opus Eſtii proſecutus.

In ſecunda lege *Joan. Baptiſtam Folengi*, Benedictinum, Venet. 1546.

In Epiſtolam S. Judæ, *Adam Saſbout*, *Bartholomæus Petri*, *Franciſcus Fevardentius*, *Auguſt. de Quiros*, *Nicolaus Dubois*, *Jacobus Bonldus*.

Inter Proteſtantes præter *Zegeram*, *Priceum*, *Cameronem*, *Caſaubonum*, *Druſium*, *Ludovicum*, & *Jacobum Cappellum*, *Henricum Stephanum*, *Grotium*, quorum extant In Magnis Criticis opera; vulgati ſunt etiam *Lonocenius*, & *Gatakerus* in Epiſtolam S. Jacobi, & *Gerhardus* in Epiſtolam S. Petri, quorum extant epitomes in Synopſi Critic.

Ludovicus de Dieu in Epiſtolas Canonicas ſeparatim in quarto.

Vide *Fabricium* Bibliot Græc. t. 3. l. 5. c. 4. p. 211.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN EPISTOLAS CANONICAS.

HUnc pariter Articulum methodi gratia diſtribuemus in plures, exordio ab iis ducto, qui omnes ſeptem, vel in pleraſque ſcripſerunt. Poſt hæc ſermo de aliis fiet, qui ſeorſum de ſingulis diſſeruerunt, ſive Catholici ii fuerint, ſive Proteſtantes.

Quæ extant Didymi Alexandrini breves ſunt. Adnota-

Digitized by Google

notationes juxta P. le Long, eaſque Latinis literis ipſe per ſe S. Hieronymus tradidit. Non deſunt etiam qui ſpurium vel certe ſuſpectum opus arguant. Vetuſtiſſimum judicat D. Dupin, ſicut & perſpicuitate inſigne, & intellectu facile. Morum documenta Didymo authore digniſſima continet. Rem habet cum Millenariis, defendens Paradiſi voluptates mere ſpirituales; damnat metum undequaque ſervilem; prædeſtinationem definit. Decretum Dei quo elegit eos qui credituri ſunt in Filium Dei, ac bonum præſtituri. Recidit interdum in Origenis deliria. Vide quæ de hoc opere habet Fabricius Biblioth. Græc. tom. 8. p. 352.

Natus Alexandriæ an. 300. Præceptorem egit S. Hieronymi, & Catechiſtam Scholæ hujus Urbis, ut ipſe de ſe perhibet in Epiſtola 32. & 41. Obiit an. 395. Quod in eo viro admirere magis, & quod prodigium viſum eſt multis, illud eſt nimirum, luce oculorum, jam inde ab immatura ætate privatum, adhuc tamen ſcientiam comparaſſe ſingularem.

Non quidem ad pag. 237. uti male in noſtris impreſſis, ſed ad pag. 231. legitur Expoſitio *S. Clementis Alexandrini*. Hæc autem, ſi inter ejus opera, ſicut & inter opera Caſſiodori continetur, id dictum forte accipiendum eſt de vetuſtis editionibus; abſunt enim a recentioribus.

Ipſe de ſe Caſſiodorus Divin. Inſtitut. cap. 8. pag. 543. affirmat, in Latinum vertiſſe opus iſtud, ea prudenti cautione ſervata, ut ſubduceret quidquid Orthodoxiæ per omnia non congrueret. Ambigendi tamen ratio eſt maxima; num quod extat, opus ipſiſſimum illud ſit; hoc enim exponit inter cæteras, & S. Judæ Epiſtolam; cum Caſſiodori illud explicaret Epiſtolam S. Jacobi. Laudat illud tamen D. Millius in ſuis adnotationibus ad N. Teſtamentum Græcum.

Commentarius *Bedæ* legitur operum ipſius tom. 5. Prologum, qui Commentario illi deerat, vulgavit Cave in ſua hiſtoria litteraria.

Oecumenii Opus Græce, & Latine e verſione Joan. Hentenii, & adnotationibus Bartholomæi Coppen, prodiit Francofurti an. 1610. in 4.

Cajetani Commentarius, junctim cum altero ejus in S. Paulum, excuſus eſt Antuerpiæ an. 1611. fol. 8. Editio.

Commentarius *Serrarii* editus eſt Lugd. an. 1704. *in fol.* poſtrema Editio cum Prolegomenis ſingulis Epiſtolis præfixis. Opus Benedicti Juſtiniani paruit Lugd. an. 1621. Vide ſupra in S. Paulum. *Jo. Lorini*; Coloniæ 1621. 1623. fol. ſecunda editio 2. vol.

Alphonſus Salmeron nonniſi quinque Canonicas illuſtravit, quibus adjecit Præludia in Apocalypſim; hiſce autem coaleſcit tomus 16. Operum ipſius.

Adnotationes *Lucæ Burgenſis*, *& Eraſmi* leguntur in Criticis Sacris.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM

IN Tomo ſeptimo Criticorum ſacrorum hæc leguntur, quæ indicavimus: *Ludovicus de Dieu* Notæ totum Novum Teſtamentum illuſtrant; prodierunt Leidæ an. 1627. in 4.

Fabricius Biblioth. Græc. tom. 3. lib. 4. cap. 5. & non lib. 5. cap. 4. uti male in noſtris impreſſis, recenſet quicumque in Epiſtolas Canonicas ſingulas ſeorſum ſcripſerunt, ſicut & illos, qui in omnes libros N. T. laborarunt, a pag. 207. uſque ad 212.

Jungendus hiſce *P. Alexander*, qui idem argumentum Hiſt. Eccleſ. ſæc. 1. vexavit.

Jongendus pariter *Joachim Lange*, cujus expoſitio duarum Epiſtolarum S. Petri, & trium S. Joan. Latina prodiit Hallæ in Saxonia an. 1713. 1714. 2. vol. in 4. Si ab hoc Authore dematur pruritus ille, ſectæ ſuæ peculiaris, inſectandi Eccleſiam Romanam, ejus opus bonum erit, & utile omnibus.]

DISSERTATIONES IN EPISTOLAS CANONICAS.

VIde Præfationes Interpretum in has Epiſtolas ſimul omnes, & in ſingulas.

Aug. Calmet Diſſertatio de itinere S. Petri Romam.

Spanhem. de ficta profectione Pauli Romam, &c. *Oper. tom. 2. p. 331.*

Uſſerius Diſſert. de Urbe Roma Babylone.

P. Jac. Tirinus, de malorum Angelorum tartaroſi. Petr. 2. 4.

In locum S. Jo. 1. Ep. 5. 7. de tribus teſtimoniis vide noſtram Diſſertationem, ſicut & alteram *Rogerii*, impreſſam Pariſ. 1713. ac tandem Millii in ſuo N. T. nec non *P. Alex.* in N. T. tom. 1. art. Epiſt. Can.

Kettner, Diſſert. in hunc locum, ca. 4.

Selden. lib. 2. de Synedrio.

Bakentop. Lux de Luce, lib. 2. p. 306. &c.

In 1. Jo: 4. 1. 2. 3. de probatione Spirituum. *Sal. Deyling. Obſerv. tom. 3. cap. 45.*

Joan. Godefridi Bachman, de certamine circa corpus Moſis, ad Judæ Verſ. 9.

Jacobi Henzel, de eodem.

Vide noſtram Diſſertationem de obitu, & ſepultura Moyſis, ante Comment. in Epp. Canon. & vitam Moyſis per *Gaulminum*, ſicut & apocrypha V. T. per *Fabricium*.

Deyling. ad Jacobi 5. 16. 17. de efficacia precum *Obſerv. tom. 2. cap. 48.*

Balthaſ. Stolberg. de agapis, ad Judæ 1. 2.

Salom. Deyling. ad Jud. ver. 13. ſydera errantia *Obſerv. tom. 1. cap. 50.*

Ejuſdem de miraculoſa ægrorum ſanatione per oleum. *Obſerv. tom. 1. cap. 50.* Jacobus 5. 14.

[COMMENTARII IN EPISTOLAM S. JACOBI.

SI *Gregorius Ariminenſis* aliquid in hanc Epiſtolam ſcripſit, lucem id utique non aſpexit. P. le Long remittit nos ad Sixtum Senenſem, qui laborem ejus in Epiſtolam S. Pauli tantum commemorat.

Balthaſaris Paez Ulyſſiponenſis, Trinitarii, Commentarius excuſus eſt Lugd. an. 1620. in 4. tertia Editio, & junctim cum aliis ejus Pariſiis an. 1630. fol. Obiit an. 1636.

Franciſci Feuardentii, prodiit Pariſiis an. 1599. in 8. Vide ſupra. *Petri Stevartii*, *ibidem* 1610. in 4. Vide in S. Paulum. *De Quiros*, una cum aliis ejus Commentariis. Vide *ibid.*

Inter Proteſtantes *Joannes Creid*, Lutherano-Wittembergenſis, dedit Germanicam Expoſitionem; Francofurti an. 1656. in 4. Obiit an. 1659.

Jacobus Laurentius, Calviniſta, & Miniſter Amſtelodami, perpetuum Commentarium dedit, excuſum Amſtelodami an. 1662. in 4. altera editio. Obiit an. 1644.

Thomæ Manton, Anglo-Calviniſtæ, Expoſitio Anglica cum Notis; Cantabrigæ an. 1617. in 4.

David Runge, de quo nos in utramque ad Corinthios, Commentarius lucem aſpexit; Wittemb. an. 1600. in 8.

Sebaſtiani Schmidt Paraphraſis in duo priora capita; Argentorati an. 1665. in 4. ad hæc Diſputationes analyticæ, & paraphraſticæ; *ibid.* 1679. in 4.

Juſti Chriſtophori Schomer, de quo nos in S. Paulum, Exegeſis; Roſtochii an. 1701. in 4.

Franciſci Stancari, Italo-Mantuani, & Medici Principis Tranſilvaniæ, Expoſitio cum conciliatione plurium Textuum Scripturæ, Italice; Venetiis 1547. & Latine authore Thaddeo Dun Baſileæ an. 1547. in 8.

COMMENTARII IN UTRAMQUE S. PETRI.

COmmentarios *Jo. B. Folengi*, de quo nos in Pſalmos, prodiit Lugd. an. 1555. in 8.

Inter Proteſtantes addendus *Guillelmus Ameſius*, Anglo-Calviniſta, & Profeſſor Franekeræ, cujus expoſitio analytica excuſa eſt Amſtelodami an. 1663. in 12. ſecunda editio. Obiit an. 1635.

Theodorus Antonides, Belga-Calviniſta, & Miniſter an. 1702. ſcripſit expoſitionem Germanicam, Brem. an. 1702. fol.

Theodori Bibliandri, de quo nos alias, Commentarius editus eſt Baſileæ an. 1536. in 8.

Joannes Schlichtingius, Polonus, Socinianus, inter cætera opera exhibet & Commentarium; Amſtelodami 1666. in fol. Obiit an. 1661.

Nico-

Digitized by Google

Nicolaus Selneccerus, de quo pariter nos alibi, ſcripſit Commentarium, excuſum Jenæ an. 1567. in 8.

Suum pariter adornavit *Franciſcus Feuardentius*, excuſum Pariſ. an. 1600. in 8.

COMMENTARII IN PRIOREM S. PETRI.

JAm ſupra monuimus *Joan. Lovanienſem* ipſum eſſe Joan. Heſſelium, cujus in hanc epiſtolam Commentarius paruit Lovanii an. 1568. in 8.

Inter Proteſtantes addendus *Robertus Alley*, Religionem Anglicanam profeſſus, cujus in hanc epiſtolam Rapſodia, Anglice excuſa eſt Lond. an. 1571. 2. vol. fol. Obiit an. 1578.

Jo. Behmius, Germano-Lutheranus, paravit Commentarium in 8. excuſum, quo potiſſimum loco, ignoramus. Dedit & alia plura Chronologiæ opera, uti nos dicemus alibi. Obiit an. 1648.

Jo. Coquus, de quo alias, exhibet diſpoſitionem Harmonicam in ſuis Anecdotis an. 1706. 2. vol. fol.

Joan. Rogerius, Anglus, Commentarium adornavit vulgatum Lond. fol.

Menardus Henricus Schotanus, de quo in epiſtola ad Philippenſes dedit analyſim, & Commentarium; Franekeræ an. 1644. in 4.

Jo. *d'Outrein* expoſuit tantum ℣. 24. cap. 2. epiſtolæ 1. Biblioth. Philol. tom. 4. p. 154. 166. ubi de juſto pretio a Jeſu Chriſto in Paſſione ſoluto ad emendam a peccatis noſtris libertatem.

De Panſophia Chriſtiana differuit *Heumanus*, ad illud cap. 2. 20. *Vos ſcitis omnia*, *Ibid.* pag. 991. 1006.

COMMENTARII IN SECUNDAM S. PETRI.

SI *Adam Sasbout* illuſtravit re ipſa ſecundam S. Petri, ut ones Svvertus affirmat, ejus opus numquam publico communicatum fuiſſe oportet.

Soli Proteſtantes hanc Epiſtolam peculiari Opere illuſtrarunt.

Thomas Adamus, Anglus, & Anglicanam Religionem profeſſus, Commentarium Anglicum ſcripſit, impreſſum Lond. an. 1629. 1633. 2. vol. fol. & Germanice Haphniæ an. 1700. in 4. Florebat an. 1634.

Joſephus Mede, Anglo-Icenus, tertium caput Anglice expoſuit; Cantabrigiæ an. 1643. in 4.

Archibaldus Simſon, Scoto-Calviniſta, Anglico Commentario innotuit; Lond. an. 1638. in 4.

TRACTATUS, ET DISSERTATIONES IN UTRAMQUE S. PETRI.

JAcobi Tieriseri de pravis Angelis, ad illud 2. Petri 2. 4. legitur Crit. ſacr. tom. 11. pag. 789. nov. edit.

Coleſtinus Myslenta, Germano-Lutheranus, ſcripſit de J. Chriſti ad Inferos deſcenſu, ad illud 1. Petr. 3. 18. 19.

Gaſpar Neumanus de eodem argumento; Wittembergæ an. 1703. in 8. altera edit.

Jo. Juſtinus Reelingus, Germano-Lutheranus, idem pariter argumentum excuſſit; Lipſiæ an. 1668. in 4.

Addenda *Jo. Jacobi Hottingeri* Diſſertat. de Spiritu S. per quem Jeſus Chriſtus prædicavit Spiritibus in Limbo detentis, ad 1. Petr. 3. 19. 20. prodiit an. 1672.

Vir Tiguri natus an. 1652. Miniſter Calviniſta renunciatus eſt an. 1680. Diaconus Cathedralis Tigurinæ an. 1686. Profeſſor Theologiæ an. 1698. Pluribus ſcriptis Operibus claruit. Horum catalogum exhibet Biblioth. Philologica tom. 2. p. 562.

COMMENTARII CATHOLICORUM IN TRES EPISTOLAS S. JOANNIS.

SAnctus *Auguſtinus* primam quidem tantum illuſtravit, quo tamen in opere, non minus ac in Tractatu de Evangelio ejuſdem Apoſtoli, excellit. Conciſior eſt quidem, ſed argumentum non minus ac in illo exercet. Continet id opus novæ edit. tom. 3. par. 2.

Joan. Heſſelii Commentarius lucem aſpexit Duaci an. 1599. in 8. Vide ſupra.

Joan. Lorini continuatur cum opere ipſius in ſeptem Epiſtolas Canonicas.

*Foleng*ii jungitur cum opere ejus in S. Jacobum, & utramque S. Petri. Vide ſupra.

Bartholomæus Petri, Brabantinus, in Diœceſi Melchinienſi natus, & Profeſſor Duaci, cœpit a capite 5. prioris, ubi Eſtius abſolvit, ac proſecutus eſt in duas reliquas, quod nos non ſatis monuimus. De hoc viro nos in Acta. Obiit an. 1630.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM IN TRES S. JOANNIS.

INter Proteſtantes *Andreas Althamerus*, Lutheranus, Nurimbergenſis an. 1554. geminas priores expoſuit; Argentorati an. 1528. in 8. altera editio.

Jacobus Beurlinus, Tarodunenſis (*Dornſtat*) Lutheranus, unam, ſed qualem ignoramus, expoſuit; Tubingæ an. 1557. in 8. obiit an. 1561.

Jo. Benedictus Carpzovius, filius, de quo nos jam, nonniſi ſecundam, & tertiam illuſtravit; Lipſiæ an. 1695. in 4. inter opera Friderici Rappolt.

Michael Cordes, Germano-Lutheranus, geminas priores expoſuit; Hamburgi an. 1673. in 8.

Jo. Cotton, Anglus, priorem tantum an. 1658. fol.

Gotofredus Cundiſi, Germano-Lutheranus, Miſnienſis, & Profeſſor Lutheranus Jenæ, ſex Diſputationes adornavit in priorem epiſtolam, impreſſas an. 1648. in 8. altera editio. Obiit an. 1651.

Lambertus Danæus, de quo ſupra, tres haſce expoſuit; Genevæ an. 1585. in 8.

Jo. Georgius Dorſchæus, de quo nos alias, ſcripſit in utramque priorem; Vilmarii an. 1708. in 8. tertia editio.

Jo. Gualterus, Gallo-Calviniſta, adornavit Gallicam expoſitionem ſecundæ Epiſtolæ; Genevæ in 8. ſed quo anno ignoramus.

Jo. Gerardus Adnotationibus illuſtravit priorem & ſecundam, 2. vol. in 4. Hamburgi an. 1709. Vide ſupra.

Nathanael Hardy, Anglus, Anglicam Religionem profeſſus, Expoſitionem prioris dedit Lond. an. 1656. & 1659. 2 vol. Obiit an. 1670.

Vvillielmus Jones, Anglus, brevem expoſitionem Anglicam ſecundæ, & tertiæ dedit, ibid. 1635. fol.

Guillelmus Lyſerus, de quo in S. Lucam, ſcripſit Aphoriſmos deductos e tribus hiſce Epiſtolis; Wittembergæ an. 1641. in 4.

Gaſparis Megandri Adnotationes junguntur aliis ejus in Epiſtolam ad Hebræos; Tiguri an. 1539. in 8. Vide ſupra. Illuſtrant tantum priorem S. Joannis; quemadmodum & in illam ſcripſit expoſitionem ſuam *Jo. Meſtrezatus*, Genevæ an. 1651. in 8. 2. vol. Gallice. Vir erat Genevenſis, Calviniſta, & Miniſter Carentonii, defunctus an. 1657.

Notæ *Thomæ Naogeorgii*, Bavaro Calviniſtæ, excuſæ ſunt Francofurti ad Mœnum an. 1544. in 8. Obiit an. 1578.

Commentarius *Friderici Rappolt* in eamdem Epiſtolam inter cæteras ejus opera continetur. Vide ſupra.

Jonæ Schlichtingii, junctim cum aliis ejus in utramque S. Petri, prodierunt Amſtelodami an. 1666. fol. Vide ſupra.

Sebaſtianus Schmidt prodiit Argentorati an. 1687. & Lipſiæ an. 1707. in 4.

Animadverſiones *Nicolai Selneccerii*, de quo nos alibi, prodierunt Francofurti an. 1597. in 8.

Expoſitio *Samuelis Smith*, Angli, in ſecundam Epiſtolam; Lond. an. 1663. in 8.

Commentarius *Fauſti Socini* in priorem tantum: Racoviæ an. 1614. in 8.

Chriſtophorus Sonntage ſcripſit in geminas poſteriores, Altorfii an. 1698. in 8.

Guillelmus Tyndallus, Anglus, natus in provincia Valliæ, ſcripſit Anglice in priorem epiſtolam, quod ejus opus junctim cum altero in S. Matthæum excuſum eſt Londini an. 1573. fol. Ad ignem damnatus abſumptus eſt an. 1535.

Commentarius *Guillelmi Vvhiſton* in priorem editus eſt Lond. an. 1719. in 4.

Joan Voelkel, Socinianus, Germanus, ſcripſit in priorem epiſtolam; Racoviæ an. 1614. in 8.

Jacobus Staalkopf dedit animadverſiones in 1. Joan. 4.

23. Impugnat potiſſimum errorem Spinoſæ de noſtra cum Jeſu Chriſto unione. Opus in decem articulos diſtributum continetur Biblioth. Phil. tom. 4. pag. 68.

DISSERTATIONES IN EPISTOLAM S. JOANNIS.

Diſſertatio *Ludovici Rogerii* de tribus Teſtibus edita eſt Pariſ. an. 1713. in 12. Vir erat Burgenſis, & Decanus Eccleſiæ Cathedralis. Ejus opus eruditione amœnum Lectores jucunde detinet. Refutat potiſſimum Socinianos, & Calviniſtas, quorum intereſt maxime impugnare Textus hujus veritatem; nec peteit etiam Catholicis, qui ſuppoſititium ſuſpicantur.

Jo. Georgius Dorſcheus idem argumentum extulit; Argentorati an. 1637. & Francofurti an. 1663. in 4. Vide ſupra.

Fridericus Erneſtus Kettnerus, Lutheranus, Stolbergenſis, & Miniſter Quedlimburgi, ſcripta Diſſertatione authoritatem, & genuinum ſenſum hujus Textus adſtruere conatus eſt; Lipſiæ an. 1702. in 4. altera Editio aucta.

Chriſtophorus Sandius, Pruſſianus, Arrianus, in eundem Textum laboravit; Amſtelodami an. 1669. in 8. Obiit an. 1680.

Ita pariter & *Thomas Smith*, Anglus, in ſuis Miſcellaneis, impreſſis Lond. an. 1690. in 8. Obiit an. 1710.

Ita & *Goteſredus Vogtherus*; Francofurti an. 1690. in 4. Vide ſupra.

COMMENTARII IN EPISTOLAM S. JUDÆ.

Antonius *Nicolaus Dubois*, Pariſienſis, Dominicanus, Expoſitione Gallica literali hanc Epiſtolam illuſtravit; Pariſ. an. 1644. in 8. Obiit an. 1647.

Jacobus Boulduc, de quo nos in Job, ſcripſit commentarium excuſum ibid. an. 1620. in 4.

Adornatus a Fevardentio prodiit Coloniæ an. 1595. in 8.

Franciſci Lauvelot Exegeſis vel expoſitio Theologico-Catholica, & Moralis exercuit præla Antuerpienſia an. 1612. in 8.

Quam dedit *Auguſtinus de Quiros* jungitur alteri ejus in epiſtolam S. Jacobi. Vide ſupra.

Commentarius *Adami Sasbout*, cujus meminit unus Swertius; numquam prodiit.

COMMENTARII PROTESTANTIUM.

Inter Proteſtantes *Lambertus Danæus* Commentarium ſuum in hanc epiſtolam junxit alteri, quem ſcripſit in S. Joan. Vide ſupra.

Hermannus Vvitſius prolixo Commentario hanc Epiſtolam illuſtravit; legiturque junctus Vitæ S. Pauli, quam Latine imprimendam tradidit Lugd. Batavorum an. 1603. in 4. In hoc Commentario diſcutit ad quem, quo tempore, & occaſione hæc epiſtola data ſit. Animadverſiones in ſingulos verſiculos judicii exhibent, & eruditionis plurimum. Stilo ornantur omnia puro, phraſibus perſpicuis, & non affectatis.

Georgius Henricus Goetzius brevem introductionem in hanc epiſtolam adornavit Lipſiæ an. 1700. in 4. Vide in S. Matthæum.

Antonius Grelot, de quo nos in Apocalypſim, Gallo-Calviniſta, adornavit Commentarium excuſum Lugd. Batavor. an. 1676. in 4.

Andreas Gewerdus Yprens, Belga-Calviniſta, ſcripſit expoſitionem, excuſam Tiguri an. 1584. fol. Obiit an. 1564. ætatis 63.

Guillelmus Jenkins, Anglus, materna lingua expoſitionem paravit, editam Lond. an. 1652. in 4.

Petrus Kirſten, Uratislavienſis in Sileſia, Lutheranus, Notas ſcripſit vulgatas *ibid.* an. 1612. fol. Obiit an. 1640.

Thomas Manton, de quo in epiſtolam S. Jacobi, dedit & ipſe Notas Anglicas, Cantabrigiæ an. 1657. in 4.

Chriſtophorus Samuel Martini, Lutheranus Dreſdæ, adornavit Commentarium, excuſum Lipſiæ an. 1694. in 4. Obiit an. 1638.

Philippi Pareri Commentarius jungitur alteri ejus in epiſtolam ad Philemonem. Vide ſupra.

Guillelmus Perkins, Vitoniacenſis, (*Vvevic*), Calviniſta, inter cætera opera ſua exhibet expoſitionem hujus Epiſtolæ. Excuſa ſunt Genevæ an. 1624. 2. vol. fol. Obiit an. 1602.

Samuel Pomers, Germano-Lutheranus, adornavit Commentarium; Wittembergæ an. 1684. in 4.

Ægidius Redrus, Belga-Calviniſta, ſuum imprimendum tradidit Genevæ an. 1599. in 8. altera editio.

Animadverſiones *Friderici Roppe* junguntur aliis ejus in priorem S. Joan. Vide ſupra.

Commentarius *Joan. Stumpfe*, Germano-Lutherani, defuncti an. 1632. prodiit Coerburgi an. 1627. in 8.

Jo. Vertyns, Calviniſtæ, Lugd. Batav. an. 1677. in 4.

Andreæ Willet, cujus jam meminimus, vulgatus eſt Cantabrigiæ an. 1614. fol. altera editio.

Adnotationes *Andreæ Wiſſowat*, Sociniani, defuncti an. 1716. prodierunt Amſtelod. an. 1668. fol.

Samuelis Syrurmeri, Lutherani, expoſitio Latina lucem aſpexit Franekeræ an. 1700. in 4. Merito de hoc Opere affirmandum eſt, indolem referre Critici peritiſſimi; illud autem unice deſideraretur, ut minus præjudiciis adverſus Eccleſiam Catholicam, & ſupremam Papæ dignitatem ſerviret.

COROLLARIUM.

DISSERTATIONES IN EPISTOLAM S. JUDÆ.

Godefridi Bachmani Diſputatio de altercatione Diaboli occaſione corporis Moyſis, legitur Diſſ. Philol. tom. 2. Vir erat Clivenſis Calviniſta, defunctus an. 1705.

Henrici Hengelii in eandem altercationem prodierat jam Wittembergæ an. 1676. in 4. De hoc viro nos in Evan. Vide in Geneſ.

Vita, & obitus Moyſis prodiit Pariſ. 1629. in 8. curante *Gilberto Gaulmino*, cujus addita eſt Latina Verſio Textui Hebraico; prodiit & Hamburgi cum Præfatione Fabricii an. 1714. in 8. Vir erat Gallo-Catholicus, defunctus an. 1667.

Jo. Hrebs, Germano-Lutheranus, in eandem altercationem Dæmonis exercuit ſe ſe; Jenæ an. 1653. in 4.

Nicolaus Nieremberginus, Germano-Lutheranus, Miniſter Ratiſponenſis, in idem argumentum exercitationem adornavit, excuſam ibid. an. 1682. in 4. Obiit an. 1675.

Henricus Vuillot, Leodienſis, Franciſcanus, dedit adnotationes in Henoch, de quo S. Judas. Excuſum eſt opus Leodii an. 1598. in 8. Obiit an. 1599.

Diſſertatio *Balthaſaris Stolbergii*, de quo nos in Sanctum Matthæum, de Agapibus, paruit Wittembergæ an. 1673. in 4.]

COMMENTARIA IN APOCALYPSIM.

In ipſo rei veſtibulo aliqua de Commentatoribus in Apocalypſim adnotaſſe operæ pretium duximus. Omnes igitur in quatuor claſſes commode reducendi ſunt: ad primam omnes revocandi, qui moribus, & ædificationi ſtudentes, omnes Apoſtoli viſiones ad ſcopum illum vertunt. Alii veluti imminentis poſtremi judicii ſigna prænuncia oracula illa cenſent; nempe adventus Antichriſti, & belli in Sanctos. Ad tertium genus Proteſtantes illos rejicimus, qui Romæ Idololatræ, & proſtitutæ oracula in Pontifice, & Eccleſia Romana impleta iri per ſummam audaciam contendunt. Tandem quartam claſſem conſtituunt, qui literali, & hiſtorica ratione ſenſum Prophetiæ pandunt.

Veteribus PP. quatuor, vel etiam quinque primorum ſæculorum ejuſdem Prophetiæ explicatio non ita prona ſuccurrere poterat, ſi ea, quæ in illa prænunciantur, ad perſecutiones in Eccleſia toleratas, ad prælia Barbarorum in Imperium Romanum, urbemque Romam, ac tandem lapſus myſticæ Babylonis ad everſionem Romæ Idololatræ, & relatam ab Eccleſia de hoſtibus ſuis victoriam, referenda ſint. Non enim eorum ætate futurorum prænuncia oracula eventus aperuerat; atque glomerantibus futuri tenebris ad veritatem aſſequendam nulla quidem lux affulgebat.

Sequio-

Sequiori ævo ea fuit plurium ſæculorum ſpatio in vete- res Authores reverentia, & obſequium, ut alios, quam quos veteres PP. ſcrutari ſenſus, nemo eſſet, qui cogita- ret. Cum vero criticus ſapor jam inde a duobus ſæculis de- guſtari cœperit, ex tunc hiſtoricus ſenſus in Apocalypſi obtinuit, atque diverſa ejus rei ſpecimina, hucuſque fauſtiſſimo eventu vulgata, ſpem faciunt nullam poſthac aliam viam tota eſſe poſteritate decurrendam.

S. Juſtinus, *S. Irenæus*, *S. Hippolytus Epiſcopus Portuen- ſis*, *S. Methodius*, *S. Dionyſius Alexandrinus*, *S. Baſilius*, *S. Gregorius Nazianzenus*, *Thiconius* Donatiſta. *S. Cyril- lus Alexandrinus*, *Gennadius*, *Caſſiodorus*, *Alcuinus*, *Ra- banus Maurus*, ſinguli pro virili in Apocalypſim ſive in partem, ſive in totam laborarunt; ſed ſcripta ab illis ope- ra, ſive typis adhuc mandata non ſunt, ſive ſub alio quam Commentariorum in Apocalypſim titulo latent. S. Irenæus in ſuo contra hæreſes Tractatu loca quædam Apo- calypſis, ſicut & S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, explicat.

Tractatus gemini de Antichriſto S. Hippolyti nomine inſcripti, vulgati ſunt. De Antichriſti vita diſſerit *Al- cuinus* in ſcripto ad Carolum Magnum Imperatorem. Hinc facile ambo hi Patres in Apocalypſim opere feruntur. Commentarium Mſ. in Apocalypſim opus *F. Mathia Suevi*, S. Birgittæ a Confeſſionibus, a Corn. a Lapide cum altero Petri Galatini itidem Mſ. laudatur.

Nonnulla etiam recenſet Nicolaus Antonius in Biblio- theca Hiſpana, nec alii plures in aliis Bibliothecis facile deerunt.

Victorinus Pictavienſis, quæ urbs eſt veteris Pannoniæ ad Dravum in Styria, ſcriptor tertii Eccleſiæ ſæculi la- bentis, Apocalypſim explicavit, eamque ad poſtremum Judicium univerſum detorquet. Extat ejus opus in Bibl. Patrum tom. 3. pag. 414.

S. Hippolytus, Epiſcopus Portuenſis in Italia, tertio ineunte ſæculo, in Apocalypſim opus adornaverat, S. Hieronymo authore de vir. illuſtr. c. 61. Sed noſtra ætate de lucubrationibus ejus viri in hoc argumentum ſoli extant gemini de Antichriſto Tractatus; quin & ſecundi alius plane eſt ab illo author.

Andreas, *&* *Aretas* ambo Cæſarienſes in Cappadocia Epiſcopi, ille circa an. 500. ille 540. ſcriptis Commenta- riis ambo ad ultimum Judicium Apocalypſim referunt.

Primaſius Epiſcopus Adrumetinus in Byzacena Africæ, Diſcipulus S. Auguſtini, cujus in explicatione Apocaly- pſis ſyſtema cum ſuperioribus congruit. Vide ejus opus tom. 10. Bibl. Patrum.

Ambroſius Ancpertus, ſive *Auſpertus* Abbas S. Vincen- tii ad fontes Vulturni in Italia, octavi ſæculi, circa an- num nempe 770. ſcriptor, in explicatione Apocalypſis omnia ad morum ædificationem detorquet.

Beda Ven. ſcripto in Apocalypſim Commentario, non ſeptem tantummodo Aſiæ Eccleſias in eo libro deſignatas agnoſcit, ſed totius etiam Eccleſiæ eventus, & vices, uſque ad Mundi exitum.

Paria & *Bruno Aſtenſis* in ſuo Commentario ſenſit; Vi- de in Bibl. Patrum tom. 20. pag. 1678. nimirum omnes Ec- cleſiæ vices uſque ad exitum Mundi in Apocalypſi deſi- gnatas, ſibi perſuadet.

Berengarius, cujus inter opera S. Ambroſii lucubratio- nes extant, circa decimum ſæculum florebat. Quamvis autem in ſuo opere, non ſecus ac alii quamplures, deſi- gnari in eo libro Eccleſiæ vices, & poſtremum judicium ſentiat, ipſe tamen ad moralitates totus vertitur. Vide Nov. Edit. S. Amb. app. ad 2. tom. pag. 498.

Non deſunt, qui Commentarium illud in Apocalypſim inter opera S. Auguſtini vulgatum, in app. t. 3. S. Aug. 559. Tichonio Donatiſtæ, cujus S. Auguſtinus meminit, ſicut & Primaſius ac Beda ſententias laudant, opus tri- buant. Sed in nova editione S. Auguſtini invicte demon- ſtratum eſt, Tichonii opus noſtra ætate intercidiſſe. Por- ro Commentarium iſtud, de quo loquimur, in 19. homi- lias moralitatibus refertiſſimas diſtribuitur.

Aluiſus Commentarium in Apocalpyſim ex verbis S. Gregorii Magni intexuit. Extat autem ad calcem Nov. Edit. S. Gregorii Magni.

Joannes Hus Commentarium ſine Authoris nomine pro- diit Wittembergæ 1528.

Haymo Alberſtadienſis, *Hugo*, *&* *Richardus de S. Victo-* Dictiou. Bibl.

va, *Oecumenius*, *Albertus Magnus*, *S. Anſelmus*, ſeu po- tius *Hervæus*, & *Thomas Anglus* nihil ſingulare in eum librum ſcripſerunt.

Rupertus Abbas, & *Bernardinus Senenſis* prorſus myſti- ci ſunt.

Joachimus Abbas viſiones ſuas viſionibus Apoſtoli junxit, ſeque unicum jactitavit, qui Prophetiæ illius claves tene- ret; ſed ipſe ſibi, non cæteris omnibus perſuaſit. Hunc Præceptorem nonniſi *Ubertinus*, & *Seraphinus Firmenſis* ſecuti ſunt, qui eadem ac Joachimus methodo viciſſitudi- nes Eccleſiæ poſt Chriſtum uſque ad Mundi exitum in ſex ætates diſtinguunt. Ubertinus de Caſale vivebat an. 1300. Seraphinus vero Firmenſis ſæculo 15.

S. Antoninus, *Lyranus*, *Aureolus*, quamvis totum dura- turæ Eccleſiæ ſpatium uſque ad Mundi exitum in ſex æta- tes diſtinguant, aliam tamen ineunt a Joachimo viam.

Alphonſus Salmeron nihil in Apocalypſi aſſequitur, niſi primorum Eccleſiæ ſæculorum viciſſitudines, prælia illius in Synagogam, & Gentilitatem, atque de utriſque vi- ctoriam.

Ludovicus Alcazar, Jeſuita, ſub hujus Prophetiæ per- petuo, ut ipſe ſibi perſuadet, ænigmate viciſſitudines, & victorias Romanæ Eccleſiæ, potiſſimum primorum ſæ- culorum, intelligit.

Cornelius a Lapide eximium in Apocalypſim opus ador- navit, in quo relatis Veterum, & Recentiorum ſenten- tiis, eam ſequitur, quam optimam reputat. Ita unum illud Commentarium plurimorum loco habendum eſt. In Prolegomenis in Apocalypſim cæteros Commentatores ad criticæ regulas expendens, de ſingulis judicium ſuum profert.

Joan. *Annus* ſæculo 14. *Claudius a Monte Martyrum*, & *Cælius Pannonius*, alio nomine *Gregorius Hungarus*, S. Stephani in Monte Cælio Prior, ſinguli in Apocalypſim ſæculo 15. laborarunt; quemadmodum & *Jo. Gagn.* ſæculo 16. ac *Lucas Brugenſis* ſæculo 17.

Franciſcus Ribera, Jeſuita, Apocalypſim ad litteram explicavit.

Blaſius Viegas morale opus ſcripſit.

Benedictus Pererius ſolide, & docte octo priora capita exponit.

Joan. Marckl in Apoc. in 4. Ultrajecti.

Henric. Kiher S. J. in Apoc. in 4. Coloniæ Agrippinæ 1676.

Libert. Fromond. & *Dan. Hervæus* noti ſcriptores.

Sylveira in Apoc. Utile etiam opus in Evangelia digeſ- ſit Lugd. 1676. fol. 7. Vol.

Benignus Boſſuet, Epiſcopus Meldenſis, ſuo in Apoca- lypſim Commentario potiſſimas viſiones hiſtorice ex- plicat.

De la Chetardie, Parochus S. Simplicii, Pariſienſis, ejuſdem ſaporis deinde Commentarium dedit, inciſis ære figuris quamplurimis ornatum.

Tombson eadem idea vulgavit explicationem Apocaly- pſis per Hiſtoriam Eccleſiaſticam præmuniendis Catholi- cis, & Neophitis contra falſas interpretationes Miniſtro- rum in 8. Burg. 1692. Gallice.

Abbas Dupin an. 1714. Analyſim ejuſdem libri dedit, in quo nova, ſimplex, & litteralis Prophetiæ explicatio, Accedunt 11. diſſertationes de eodem argumento. Tria priora capita de ſingularibus Aſiæ Eccleſiis explicat; tria vero poſteriora de exitu Mundi, & Judicio univerſali; quod reliquum eſt ad perſecutiones a fidelibus toleratas ad ultionem de perſecutoribus expetitam, & Idololatriæ everſionem deputat.

In noſtro Commentario, Hiſtoriæ ſerie contexta, oſten- dimus, librum Apocalypſis nonniſi perſecutiones, bella, victoriam, & triumphum Eccleſiæ, quemadmodum & Idololatriæ atque Romæ idololatræ everſionem porten- dere.

Clavis Apocalypſis per *Natalem Aubertum de Versè* Pa- riſ. 1703. 2. Vol. in 8. Cum Auctor e Calviniſmo, & So- ciciniamiſmo ad Eccleſiam tranſiiſſet, conſilii ſui rationes expoſiturus, quemadmodum & ſiniſtras Jurieu in Apo- calypſim explicationes refutaturus, opus ſuſcepit. Statuit autem veluti totius Prophetiæ clavim necem, & apotheo- ſim Cæſaris. Scriptam vero autumat Apocalypſim ſub Nerone, qui, ait, S. Joannem in Pathmum exulem amandavit.

Inter Proteſtantes extant in Catena Auguſtini Marloſati, ex Protaſtantibus contexta in Apocalypſim, *Beza*, *Bullingerus*, *Mejer*, *Lambertus*, *Virstus*, *Pignas*, aliique.

Præter hos, in magnis Critials occurrunt, *Pricæus*, *Legerus*, *Druſius*, *Grotius*, *Cumero*, *Gualsperius*, *Lorinus*, *Capellus*, & in Synopſi Criticorum *Hammondus*, *Poſterus*, *Matthæus Cottevius*, *Joan. Cluverus*, *Patrisius Forbeſius*, *Brighemau*, *Parans*, *Gerhardus*, *Gravius*, *Joannes Napier*, *Coccejus*, *Joan. Bouhau*, *Henricus Morus*, *Petrus Dumoulin*, aliiqua; ut Scriptores in totum N. T. prætercam.

Vide potiſſimum *Ludovicum de Dieu* in ſuo libro, & *Campegium Vitringu*, qui Syſtema Boſſueti in Apocalypſim refutavit.

[COMMENTARII CATHOLICORUM IN APOCALYPSIM.

SAtis, quantum arbitror, calamum noſtrum axercuimus in priores Commeotariorum ſcriptores, qui poſtremum huoc ſcripturæ Librum illuſtrarunt; quare ſatis ducimus in præſenti raros aliquos addere, & animadverſionibos tantum nonnullis dicta illuſtrare.

Antiochus Brondo, Calaritanus, Ordinem Mercedis profeſſur, expoſuit tantum tria priora capita u. vol. fol. eſt autem opus referens Commentarium, & paraphraſim; prodiitque Romæ an. 1618. & 1625. continet etiam Diſputationes juxta P. la Long, qui titolum racitar. Flornit uſque ad an. 1630.

Alexander de Hales, Anglo-Franciſcanus, ſpiſſum dedit Commentarium, excuſum Pariſ. an. 1647. fol. Obiit an. 1245. Raliqui hujus viri Commentarii in Scripturam lucem publicam non adhuc aſpexerunt, excepto opere in Pſalmos, quod Hugoni Cardinali adſcribi ſolet; recitaturqua inter opera illins tom. 2.

Martinus Becanus, Brabantinus, Jeſuita, defenctus an. 1624. ætatis 63. dedit accuratum axamen Commentarii Conradi Graſeri in plagam Regiam, da qua in Apocalypſi. Paruie opus Moguntia an. 1612. in 12. De hoc Commentario ſtatim infra agamus.

Jacobus de Bordes, Normanno-Conſtanticnſis, Capuacinus, dafunctus an. 1669. ætatis 75. ſcripſit paraphraſim a. vol. fol. Pariſ. an. 1658. & axpoſitionam omnium figurarum, *ibid.* an. 1659. fol.

Petrus Buleugerus, Trecenſis, & linguæ Græcæ profeſſor, defunctus an. 1500. prolixum Commentarium paravit, excuſum Pariſ. an. 1597. in 8. altera editio.

Nicolaus Charpi, de ſancta Cruce, Gallicum Commentarium vulgavit Pariſ. an. 1657. in 12. quo tampore florebar. Scribit D. Dupin Sacardotem egiſſe illum ac Doctorem Thaologum; obiiſſe vero an. 1670.

Expoſitionis, & Verſionis *Joannis Mareſii* meminimus ad Vetus Taſtamantum.

Varini Deſperieras, Galli, Synopſis Gallica arcanorum Apocalypſis lucem aſpexit Pariſ. an. 1610. in 8.

Fridericus, Venetus, Dominicanus, dedit Italicam expoſitionem, impraſſam Venetiis an. 1515. fol. Florebat an. 1348.

Georgii Ferrurii, Italo Jeſuitæ, eſt Commentarius 3. vol. editus Madiolani an. 1654. Obiit an. 1659.

Stephanus Firmanus, Italus pariter, Canonicus Lataranenſis circa an. 1570. ſcripſit Venetiis materna lingue enarrationem; & Latine traditam Antuerp. an. 1581. in 8.

Garzias vel S. Thomas Villanovanus, Hiſpanus, Epiſcopus Valantinus, ſcripſit expoſitionem legendam operum ipſius tom. 2. editarum Antuerpiæ an. 1690. in 4. Obiit an. 1555.

Carolus Hure, de quo nos ſupra, junxit adnotationes ſuas in Apocalypſim aliis ſuis in Acta, in Epiſtolas S. Pauli, & Canonicas; Pariſ. an. 1703. 1709. 7. vol. in 8.

Henricus Kircher, Germanus Diœceſis Colonianſis, Jeſuita, adornavit brevem axpoſitionem aditam Coloniæ an. 1676. in 4.

Petrus Laſeruu, Hiſpanus, Ordinis Mercedis circa an. 1633. Commentatium paravit, vulgatum an. 1671.

Gaſpar Melo, Hiſpanus, Baturicus, Ordinis S. Auguſtini, dadit & ipſe pariter Commentarium typis Valliſoleti editum an 1589. fol.

. *Colius Pannonius*, ſau potius *Franciſcus Gregorius*, Ordinis S. Pauli Eremitæ, Pannonius, circa an. 1500. adornavit collectionem omnium Commentariorum, qua veterum, qua racentiorum, excuſam Pariſ. an. 1572. in 8. tertia editio.

Andreas Pinsus Ramires, Ulyſſipoocoſis, Jeſuita, Commentario illuſtrevit ſeptam Epiſtolas ad ſeptem Eccleſias Aſiæ Lugd. an. 1652. fol. Obiit an. 1654.

Petrus Serranus, de quo nos alibi, integrum Commentarium abſolvit Compluti an. 1563. fol.

Ad animadverſiones quod attinet, exordium ducamus ab *Ambroſio Autperto*, cujus Commentarius vulgatus aſt Coloniæ an. 1536. fol. & in nova Biblioth. Patrum Lugd. tom. 13. pag. 403. & Colonienſ. tom. 9. part. 2. p. 301. Opus in decam Libros diſtriburum eſt; quare aliud eſt prorſus ab ao quod legitur in nova editiona S. Ambroſii, uti nos animadvertimus; eſt autem illud opus *Berengoſi*. Ex Præfatione etiam intelligimus Authorem octavo pariter ſæculo floruiſſe.

D. Mabillon Annal. Benedict. tom. 2. pag. 247. Commentarium Autperti pietatis, & doctrinæ plurimum continere judicar; nec aliter cenſer de illo Baillet in vita viri Sancti ad diem 19. Julii. Huic autem ejus vitæ addemus obiiſſe an. 779. Idem D. Mabillon intexit elogium ejus hiſtoricum ſæcul. 3. par. 2. Cunthebertus Jonſtalle imprimeodum jam opus illud Pariſ. an. 1548 curaverat; ex quo factum eſt, ut genuinus fœtus hujus Epiſcopi Dunelmenſis haberetur. Obiit an. 1519.

Commantarius *Bedæ*, tribus conſtans libris, legitur tom. 5. operum ipſius adit. 1612. fol.

Commentarii *Joannis Hus* Editionem curavit ipſe per ſe Lutherus, qui & opari præfatur eſt. Refert autem volumen in 8. Porro inter Commentarios Proteſtantium merito recenleretur, ſiva Authorem ſpectes, ſiva aditorem.

Huberſini de Caſalibus, cujus operis unua meminit Petreus, nondum paruit. Vir erat Italus, e Franciſcano Carthuſianus.

Seraphini de Firmo prodiit Italice Vanetiis, & Latine Antuerpia an. 1581. in 8. Obiit vir Italus, Canonicus Regularis Lateranenſis an. 1570.

Petrus Aureolus nihil peculiara quidem in hunc Librum ſatipſit; ſed quæcumqua dedit continentur in ſua Epitome Bibliorum, axcuſa Venetiis an. 1571. edit. in 4. Lovanii 1647. Rotbomagi 1649. in 8. poſtrema editio, aucta a Stephano Novallario. Erat e Verberia Franciſcanus aſſumptus in Epiſcopum Aquiſextienſam. Obiiſſe illum an. 1322. male ſcripſit P. la Long, cum an. 1341. pararet Epitomem ſuam, juxta Dionyſiom Sammarthanum in ſua nova Gallia Chriſtiana tomi 1. pag. 321.

Ludovicus Alcaſar duo Commentariorum genera ſcripſit In hunc Librum; in priori impreſſo Antuerpiæ an. 1614. & Lugd. an. 1616. fol. ſcopum ſibi præfigit reſerandi occultum ſenſum, cum addita paraphraſi. In altero vero vexat Teatus omnes Vetaris Teſtamenti, qui ad obſcura Apocalypſis illuſtranda conferunt, juſta coaptatione priora ſacundis accommodans. Diſtribuitur totum opus in quinque libros; prior continet alluſiones ad cap. 38. 39. & 40. Job; ſecundus quæ occurrunt in Pſalmis; tertius refert paraphraſim, & Commentarium in Canticum Canticorom; quartus ſummam capitum Iſaiæ expoſitionem capitis 36. Jeremiæ, Eacchielis capitum 1. & 10. & 38. & 39. & 40. Danielis capitum 7. & 8. & 9. 10. & 11. & 12. quintus axhibet expoſitioaem capitis 3. Joelis, Habacuc, & Zachariæ a cap. 1. uſque ad 7. Hæc omnia patuerunt Lugd. an. 1632. fol.

Immenſo huic operi laborem impendit 20. annorum; Eruditionis, & ingenii contineri in eo plurimum canſet Cornelius a Lapide. Juxta D. Simon in ſua Critica N. Taſtamenti p. 636. blandiebatur ſibi Author, quaſi recondirum ſenſum penitiſſimorom omnium, quæ inſunt in Sctiprura, reſeraſſet; ſed non vana illum de ſe jactaſſe, quis idoneus teſtis affirmaverit, ait Nicolaos Antonius Bibliot. nov. Hiſpanicæ tom. 2. Plurima æſtimationa ſua opus celebrat Bayle Dictionar. Critic. tom. 1. p. 171. prior. edit.

Vir arat Hiſpalenſis, qui an. 1584. adlectus eſt inter Jeſuitas, docuitque Cordovæ, & Hiſpali, ubi & obiit an 1613.

Jo. Annius ſeu potius Nannius, Viterbienſis, in Italia, Domi-

Digitized by Google

Dominicanus, Author non ſæculi 14. ſed potius 15. natus enim 1432. obiit an. 1502. Duo & *ipſa* pariter Operum genera ſcripſit in hunc Librum; Quæſtiones, uti aſſerit Hentenius in ſua Præfatione ad Commentarium Areti, & Gloſſam, excuſam Coloniæ an. 1497. *in 4.*

Enarrationes *Ciqndii* e monte Martyrum, Pariſienſis, Carmelitæ, prodierunt *ibidem* an. 1550. *in 16.*

Scholia *Joannis Gagnai* leguntur in Bibliis Maximis de la Haie, ſed non in Magnis.

Commentarios *Franciſci Riberæ* editus eſt Salmanticæ an. 1591. *fol.* & Duaci an. 1623. *in 8.* poſtrema Edit. Vide in Epiſtolam ad Hebræos.

Blaſii Viegas, Luſitani, Eboracenſis, Jeſuitæ, prodiit Eboræ an. 1601. *fol.* Pariſiis an. 1630. *in 4.* Editio 12.

Commentarius *Sylveira*, implet duo volumina *fol.* non ſeptem, uti male in noſtris impreſſis.

Annum & formam voluminis Operis in Apocalypſim *D. Bouſſes* indicavimus ad vetus Teſtamentum, ubi nos pariter de illo. Ejus expoſitio inter eximias habetur, quamquam gravem ſentit adverſarium Vitringam, uti nos infra.

Tres ſunt Editiones Operis *Joakim de la Chetardie*; prior quidem an. 1692. *in 8.* altera an. 1701. *in 4.* amplior tertia an. 1708. cum figuris. Vir erat Pariſienſis; obiitque ſæculo hoc ineunte. Librum exponit ex Hiſtoria rerum, quæ acciderunt in Eccleſia.

Quod ſcripſerit *Tonbeau* in hunc Librum nihil indicat P. le Long.

Analyſis *D. Dupin in 8.* breve eſt, ſimplex, & expeditum ab his omnibus, quæ mentem Lectoris alio averterent, Opus Diſſertationibus undecim inſtructum. Nos de illo in Pentateucho & in Pſalmos.

Anbertus de Verſe, cujus recenſuimus Opus, obiit an. 1714.

Daniel Hervæus Latinam expoſitionem Hiſtoriæ Apocalypſis ſcripſit, vulgatam Pariſiis an. 1684. *in 4.* Vir erat Nannetenſis, Sacerdos Oratorii, defunctus an. 1694 Opere hoc ſuo meditabatur non quidem prodere in apertum myſteria, quæ in hoc Libro continentur, quod temerarium eſſe maxime arbitrabatur; ſed revelationibus hiſce accommodare quæcumque Eccleſiæ in perſecutione contigiſſe in Hiſtoriis qua ſacris, qua profanis narrantur. Scopum autem pleniſſime attigit.

COROLLARIUM.

COMMENTARII PROTESTANTIUM IN APOCALYPSIM.

Joannis Marckii nomen non inter Catholicos recenſendum eſt, ſed inter Belgas Calviniſtas, quorum Miniſtrum egit Lugduni Batavorum. Ejus Commentarius, Analyſim exegeticam referens, excuſus eſt, non Ultrajecti, ſed Amſtelodami an. 1689. & 1699. *in 4.* altera editio aucta.

Adnotationes *Theodori Bezæ* in Apocalypſim inter exteras continentur, quas adornavit in N. Teſtamentum, impreſſas *in fol.* ſæpius Genevæ, & Cantabrigiæ an. 1642.

Sermones centum in hunc Librum ſcripſit *Henricus Bullingerus*; Baſileæ an. 1557. *fol.* 8. editio.

Franciſci Lamberti, de quo jam egimus, Exegeſis excuſa eſt ibidem an. 1539. *in 8.* ſecunda Editio.

Qui ſint Scriptores *Viretus*, & *Pigueme*, niſi mendum ſit in impreſſione, nullibi reperire nobis datum eſt. Novimus quidem Petrum Viretum Calviniſtam, ſed ejus non extat niſi Commentarius in Acta Gallicus *in 8.* Genevæ an. 1559.

Quæ ſcripſit *Campegius Vitringa* in D. Boſſuet excuſa ſunt Amſtelodami an. 1719. ſecunda Editio *in 4.* & in Germania an. 1721. Vitam ejus & Operum catalogum exhibet Bibliotheca Philologica tom. 6. pag. 737. 747. Si Proteſtantes ſua efferentes audiamus, nemo alius Commentarium elaboratiorem in Apocalypſim ſcripſit; eſt autem ſimul & myſtica Expoſitio.

Sebaſtiani Meyeri, Calviniſtæ & Miniſtri Bremæ Commentarius in Apocalypſim; Tiguri an. 1603. *fol.* 2. edit.]

TRACTATUS ET DISSERTATIONES IN APOCALYPSIM.

Vide Præfationes *Cornelii a Lapide*, *Boſſueti*, Epiſcopi Meldenſis, *Dupin*, *Calmet* in Apocalypſim; quemadmodum & 8. Diſſertationes Dupinii in eumdem Librum, quæ velut Prolegomena haberi merito poſſunt.

Joan. Baſel de alpha & omega. Apoc. 1. 8. 11. *Theſ. Theol.*

Eber. Rud. Roth. de Nicolaitis. Apoc. 2. 15. Vide Tillem. tom. 2.

Dupin, Diſſert. de Millenariis *Analyſ. Apoc. pag.* 319.

---- De ſtatu animarum uſque ad diem Judicii pag. 409.

---- De Judicio poſtremo, pag. 682. &c.

Chriſt. David Funcius, de calculo albo, Apoc. 2. 17.

Georg. Schwartz de pugna Michaelis & Diaboli. Apoc. 12. 7. &c.

Henric. Horchius de Agno in monte Sion, Apoc. 14. 2. 3.

Deyling. in Apoc. 9. 15. *Beatus, qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, Obſer. ſac.* 1. 2 c. 30.

Joan. Neiſmer flumen chryſtallinum, Apoc. 22. 1.

Deyling. de veſtium candidarum uſu apud Hebræos, ad Apoc. 3. 4. & 7. 13. *Obſerv.* t. 3. c. 49.

---- Ad Apoc. 18. 4. de deceſſione facienda e Babylone; *Obſerv.* t. 3. c. 50.

[*Joannis Baſel*, Germano-Lutherani Lucubratio de Alpha, & Omega legitur in Diſſ. Philolog. tom. 2.

Quæ ſcripſerit de Nicolaitis *Eberardus Rudolphus Roth* ſiſet P. le Long. Alterum ejus opus in Matthæum indicavimus.

Chriſtianus David Funcius in calculum album, Lipſiæ an. 1691. *in 4.* Legitur & in Diſſ. Philologg. tom. 2. Vir erat Germano-Lutheranus.

Benedicti Pilleti, de quo nos in priorem ad Timotheum, ſcriptum de eodem argumento prodiit Lugduni Batavorum an. 1677. *in 4.*

Georgius Schwartz, Germano-Lutheranus, de altercatione S. Michaelis cum dracone; Diſſ. Philolog tom. 2.

Idem Argumentum verſans *Ulricus Mayerus*, Lutheranus, Lipſienſis, ſcriptum ſuum vulgavit Lipſiæ an. 1715. *in 4.* ſecunda Editio.

Jo. Fridericus, de quo nos in S. Lucam & alibi; illuſtravit illud capitis 13. 8. de agno occiſo ab exordio mundi, Gryphiſvvaldiæ an. 1705. *in 4.*

Henricus Horch, Calviniſta & Miniſter Francofurti; diſſeruit de Agno in monte Sion; Diſſ. Philologg. tom. 2.

Diſſertatio *Joannis Meiſneri*, & non Neiſmeri, uti male in noſtris Impreſſis, quæ Commentarii genus eſt potius, quo deſcribitur fluvios chryſtallinus apud S. Joannem, legitur Criticorum Sacrorum to. 11. pag. 848.

COROLLARIUM.

DISSERTATIONES ADDENDÆ.

Auguſtinus Balthaſar, Lutheranus & Miniſter generalis in Pomerania, Diſputationem edidit in veterem hæreſim Nicolaitarum ad caput 2. 15. Gryphiſvvaldiæ an. 1682. *in 4.*

Henricus Burton, Anglus e Secta Independentium, an. 1628. diſſeruit de ſeptem phialis, ad capita 15. & 16 Londini an. 1618.

Jacobus Durfeld, Weſphalo Lutheranus, egit de duobus teſtibus veritatis, ad caput 11. 11. Roſtochii an. 1638. *in 4.* dedit & tres Diſputationes de Sacrificiis, ad caput. 13. 8. ibidem, an. 1642. in 4.

Joannis Lomejeri, de quo jam egimus, Exercitationes tres de ſeptem ſigillis leguntur Diſſ. Philologg. tom. 2.

Henricus Maib, Germano-Lutheranus, egit de fato duorum Teſtium; Kilonii an. 1702. *in 4.*

Guſtavi Schrodter, Germano-Lutherani, Diſſertatio in Authorem Apocalypſis, prodiit Roſtochii an. 1697. *in 4.*

Georgius Schwartzen, de quo nos in S. Matthæum, diſſeruit de lucta S. Michaelis cum Dracone; Wittembergæ an. 1679. *in 4.*

Franciſcus Songebach, Germano-Lutheranus, diſſeruit de ſeptem Spiritibus Apocalypſis, adverſos Riberam & Alcaſar; Geslarii an. 1616. *in 4.*

Thomas Smith, Anglus & Religionem Anglicanam profeſſus,

feſſus, de ſeptem Eccleſiis egit in ſuis Epiſtolis de Moribus Turcarum; Oxonii an. 1672. in 8. obiit an. 1710.

Hieronymus Vechietus in Libris 8. de anno primitivo agit pariter de ſeptem illis Eccleſiis, ad quas S. Joannes Apocalypſim dirigit; Auguſtæ Vindelic. an. 1621. *fol.*

Guillelmus Saldenus, de quo nos in S. Matthæum & alibi, ſcripſit de calculo albo, in ſuis Otiis Theologicis excuſis Amſtelodami an. 1684. *in* 4.

Georgius Vvedelius, inter Scriptores gentis ſuæ laborioſiſſimus, de quo nos jam egimus, in duabus e ſuis Diſſertationibus Sacris & Prophanis, impreſſis Latine Jenæ an. 1708. *in* 4. explicat quid ſit pretioſum illud lignum, appellatum *lignum Thynum* in cap. 18. 12. ita vero illud deſcribit, ut plane congruat cum arbore, quam Sabinam appellamus.

Jam indicavimus Diſputationem *Antonii Drieſſen & Hermanni Deuſingii* in Textus aliquos hujus Libri, quæ ſane illuſtrandis illis valet multum. Legitur Biblioth. Philolog. tom. 1. p. 139. 155. Prior ille Ultrajecti ad Rhenum natus eſt; alter Groningæ, Calviniſta, & Juris Profeſſor.

Diſputatio utriuſque verſatur circa Regnum mille annorum, Fœminam, & Beſtiam Apocalypſis, quæ ambo pro ſua ſententia plane diſſita exponunt.

Porro quæ de Drieſſen hic innuimus, nihil ſunt aliud, quam ſpecimen amplioris operis in hoc argumentum adornati, impreſſi *in* 4. an. 1717. ſub titulo; *Meditationes in Apocalypſim*. Diſquiritur autem; 1 Num aſſignandæ ſint ſeptem periodi Eccleſiæ Novi Teſtamenti, e quibus ſingulæ contineant 360. annorum ſpatium; 2. Num præter ſeptem illas periodos, aliud pariter temporis additamentum Eccleſiæ concedatur in capite 20. Tertio diſſeritur de ſeptem ſigillis, totidem tubis, totidemqua fragoribus tonitruum.

Dedit ille pariter *ibid.* eodemque anno *in* 4. opus aliud in univerſam Scripturam, de quo agitur Bibliot. Philolog. tom. 1. par. 1. pag. 168.

Bernardus Petrus Karl, Miniſter Eſenæ in Friſia, ſcripſit Demonſtrationem de tempore prioris viſionis Apocalypſis, de Regno mille annorum; ſcriptum autem diviſit in ſeptem propoſitiones. Biblioth. Philolog. tom. 2. p. 598. 611.

Scripſit etiam animadverſiones in opus de hoc argumento ſcriptum ab Antonio Drieſſen, quas Epiſtolari methodo digeſtas dirigit ad Hermannum Deuſingium. Legitur *ibid.* pag. 961. 981. Adjecit genus quoddam appendicis de Fœmina in deſerto, de qua in cap. 12. 6. 14. & de Beſtia, de qua cap. 13. 5. & de Dracone; *ibid.* to. 6. p. 1105. 1136.

Michael Roſell, Græcarum literarum Profeſſor Groningæ, dedit Animadverſionem de Throno Satanæ, qua exponit illud cap. 2. 13. 17. Legitur Biblioth. Philolog. tom. 3. p. 93. 103.

Theodorus Haſæus idem argumentum Diſſertatione ſua excuſſit, legenda ibidem p. 104. 132. In articulos 18. diſtributa agit de omnibus Diis Pergami & de ritu quo colebantur, ac potiſſimum de Eſculapio ſub anguis figura conſecrato. Erudititiſſima Antiquitatis inveſtigatione opus eſt locupletiſſimum.

Jacobus Haſæus ſcripſit Animadverſiones in veſtes Sardiorum, de quibus cap. 3. 4. 5. Legitur *ibid.* tom. 3. p. 253. 316. in articulos 20. diſtribuitur.

Legitur ibi pariter tom. 4. p. 605. 634. *Joannis d'Outrein* Diſſertatio de voce *Victor*, occurrente in cap. 2. 7.

Joannes Prideaux diſſeruit de Libro Vitæ, de quo in cap. 13. 8. Quartus is eſt inter ſermones ejus excuſos Tiguri an. 1672. *in* 4. Vir erat Anglus, Harfordienſis, Religionem Anglicanam profeſſus, & Epiſcopus Vorceſtrenſis. defunctus an. 1650.

Nullum aptius noſtris hiſce terminum imponeremus, quam indicata nova Editione, parum ante hac data, Commentarii Caſſiodori in Acta, Epiſtolas Canonicas, & Apocalypſim. Adornata eſt Florentiæ an. 1702. *in* 8. curante D. Maffejo, qui & Notas adjecit. Continet autem opus illud expoſitiones morales, perſpicuas & naturales.]

BIBLIOTHECÆ SACRÆ
PARS TERTIA,
Eos Libros continens, qui pertinent ad Studium Sacræ Scripturæ.

POſt recenſitos Commentarios, vel Opera critica in Scripturam, indicandi ſunt modo ii, qui ſcriptis Libris direxerunt ſtudium Scripturæ. In hanc claſſem rediguntur Grammaticæ, Dictionaria, quæ ad diſcendas linguas Orientales adornata ſunt, Concordantiæ, & alia id generis.]

GRAMMATICÆ.

POlyglottorum Antuerpienſium poſtremus tomus Grammaticas exhibet, & Dictionaria ad intelligentiam Linguarum, quæ in Opere continentur.

Edmundus Caſtellus, cujus Lexicon Heptaglottum veluti appendix Polyglottis Londinenſibus acceſſit, Harmoniam etiam adornavit inter Grammaticas Hebræam, Chaldæam, Syriacam, Samaritanam, Æthiopicam, Arabicam, & Perſicam.

Eliæ Levita Sepher Dikduk, ſeu grammatica Hebraica, ex verſione Sebaſt. Munſteri. Baſil. *in* 8. 1537.

Nicolai Abram Soc. Jeſu Epitome Rudimentorum Linguæ Hebraicæ, verſibus Latinis comprehenſa. Pariſ. 1645. *in* 4.

Grammaticæ Hebraicæ *Cardinalis Bellarmini*, *Georgii Mayre*, *Thomæ Dafone*, *Clenardi* omnium manibus teruntur. Utile eſt etiam Horologium *Skikardi*.

Theſaurus grammaticæ *Buxtorfii* ſufficere poteſt, ejuſque Epitome Tyronibus utilis.

P. D. Petrus Garnerius, Benedictinus novam Grammaticam Hebraicam parat, præcedentibus luculentiorem; plerumque enim Grammaticæ Hebraicæ plurimum a perfectione deficiunt.

Grammatica Hebræa a punctis, aliiſque inventis Maſoreticis libera. Pariſ. 1616. *in* 8. D. Maſclef Canonicus Ambiani operis Author, non tantum Hebraicam Linguam addiſci, ſed & libros Hebraice ſcriptos legi poſſe ſine punctorum vocalium auxilio, ope regularum, quas tradit, contendit.

Chriſtiani Noldii Concordantiæ particularum Hebræo-Chaldaicarum. Hafniæ *in* 4. 1679. Opus eſt utiliſſimum ad vim particularum indeclinabilium & ad plurima Scripturæ loca intelligenda.

Grammatica Linguarum Orientalium, Hebræorum, Chaldæorum, & Syrorum, Authore *Lud. de Dieu*. Leidæ 1628. *in* 4.

Joan. Buxtorf, Grammatica Hebraica, et Syriaca. Baſil. 1615. *in* 8.

Ejuſdem Grammatica Chaldaica, et Syriaca. Baſil. 1615. *in* 8.

Thomæ Erpenii, Rudimenta Linguæ Arabicæ, *in* 8. Pariſ. 1638.

Joan. Buxtorf, de abbreviaturis Hebraicis. Item Bibliotheca Hebraica *in* 12.

Simonis Glaſſii, Philologia Sacra, l. 5. Item Grammatica Sacra. Item Rhetorica Sacra. Opus utiliſſimum, plurimiſque optimis animadverſionibus in Scripturam, in paucis habendum.

Paucis ab hinc annis prodiit Pariſ. apud Colombatum Grammatica Hebraica, Gallice digeſta in gratiam

eorum

Digitized by Google

eorum, qui Linguæ Latinæ minus aſſueverunt.

Vide prolixiorem Catalogum Grammaticarum, atque Scriptorum de hoc argumento in Biblioth. Rabb. t. 5. pag. 538. &c.

Nec abs re hic adduci poſſent Authores, qui de confuſione linguarum in Babel, & de lingua primæva diſſerverunt. Vide tamen, quos adduximus in Diſſertationibus in Geneſim.

[GRAMMATICÆ HEBRAICÆ, CHALDAICÆ, SYRIACÆ, ET ARABICÆ.

Sebaſtianus Munſterus Latine tradidit duplicis generis Opera Eliæ Levitæ. Ejus Syntaxis Hebraica excuſa eſt primo omnium Baſileæ an. 1528. in 4. & poſtremo an. 1549 in 8.

Inſtitutionem elementatem in eandem linguam, Pariſiis an. 1537. in 8. & Baſileæ an. 1543. 5. Edit.

Scripſit etiam de ſuo in eam Grammaticæ Hebraicæ partem, quæ ad conjugationes verborum ſpectat; Baſileæ an. 1536. in 8. De vocibus Hebraicis irregularibus ibid. eodem anno in 8. Regulas nonnullas generales in Scriptores Commentariorum Hebræos, ubi Hebraice Latine exponit plures Hebraici ſermonis phraſes, & Hebraicas notas compendiarias; ibid. 1537. in 8. De hoc viro nos in prima parte in Corollario Commentariorum generalium.

Epitomes rudimentorum Linguæ Hebraicæ Nicolai Abrami Jeſuitæ, de quo nos in Pentateucho, poſtremo excuſa eſt Divioni an. 1651. in 4.

Bellarmini Opus Inſtitutionum Linguæ Hebraicæ excuſum eſt ſæpius; poſtremo omnium Pariſiis an. 1622. cum Adnotationibus Simeonis de Muis, in 8. De Cardinali hoc doctiſſimo nos in Pſalmos. In calce Inſtitutionum ipſius legitur exercitatio Grammaticalis in Pſalmum 33. Editionis Plantini 1596. in 8.

Inſtitutiones etiam refert Opus Georgii Mayeri, ſæpius & variis in locis recuſum; nono ac poſtremo Tubingæ an. 1693. in 8. In ſex partes diſtributum; exhibet in prima rationem legendi & pronunciandi Hebræum; in ſecunda agit de nomine; in tertia de verbo; in quarta de dictione; in quinta de ſyntaxi; in ſexta de poeſi Hebræorum. In calce legitur Exercitatio Grammaticalis in Prophetam Jonam, vel ſaltem id præfert Editio Lugdunenſis an. 1622. in 8. Vir erat Jeſuita, & florebat an. 1622. hoc enim data eſt Epiſtola ejus dedicatoria ad Bellarminum Cardinalem. De hoc viro hic tantum meminimus.

Grammatica Thomæ Duſour excuſa eſt Pariſiis an. 1642. in 8. Reliquit in ſchedis ſpecimen Commentarii in Pſalmos, quod tamen octavum non ſuperat, cum Author deceſſerit. Adornavit & Paraphraſim in Canticum Canticorum, ac de illo meminit in ſuis Miſcellaneis Hiſtoricis Vignolius Marvillæus tom. 2. p. 271. Ejus Grammatica faciliſſima methodo digeſta eſt. Vir erat Normandus, natus Fecampi an. 1613. ſtrenuam operam impendit uddiſcendo Hebræo. Inter Benedictinos S. Mauri dedit nomen Gemeticæ an. 1636. obiitque in flore ætatis an. 1647.

Grammaticæ Clenardi tertia Editio eſt Leidenſis an. 1589. in 8. Scripſit etiam Tabulas Hebraicas Grammaticas, quarum quinta Editio eſt Pariſienſis an. 1581. in 4.

Horologium Hebraicum Gulielmi Schickardi idem eſt Opus ac Inſtitutiones hujus linguæ datæ a Joanne Gerhardo, Lipſiæ an. 1647. in 4. & ſæpius deinceps variis in locis excuſæ, quarum poſtrema editio eſt Lipſienſis an. 1677. in 8. Schickardus de ſuo dedit Arborem declinationum Hebraicarum, cum inveſtigatione thematum, excuſam Ulmæ an. 1647. in 8. Rotam Hebraicam ad facilem conjugationem, Tubingæ an. 1670. in 8. Circulum conjugationum Orientalium, exhibitum & explicatum Harmonice Argentorati an. 1635. in 8.

Joannes Buxtorfius, Pater, dedit Theſaurum linguæ Sanctæ, cujus ſexta editio eſt Baſileenſis an. 1663. in 8. Dedit & Epitomen Grammaticæ Hebraicæ, Ultrajecti an. 1701. in 8. decimaſexta Editio. Scripſit & præcepta Grammaticæ, excuſa Baſileæ an. 1705. in 8. Novum ex integro Librum notarum compendiariarum Hebraicarum, Herbornæ an. 1708. in 8. quarta editio multo auctior.

Excudendum erat D. Petrus Guarinus, & non Guarnerius, Grammatica ejus Hebraica prodire cœpit in publicum an. 1724. 3. vol. in 4. In tres diſtribuitur libros, quorum prior continet etymologiam vel analogiam vocum; ſecundus ſyntaxim qua ſimplicem qua figuratam; tertius varios exhibet Tractatus Grammaticæ, & Hebraicæ litteraturæ. Accedit & ampliſſimum Lexicon, quod Opus illud minus reputandum eſt Grammatica Hebraica, quam collectio accurata methodo digeſta omnium, quotquot curioſiſſima ſunt, ad eam linguam pertinentium, cum adnotationibus & animadverſionibus.

Natus in Diœceſi Rothomagenſi vir an. 1678. adſcriptus eſt inter Monachos S. Benedicti Congregationis S. Mauri an. 1696. ætatis 18. tunc vero ſumma contentione applicuit ſe ad ſtudium linguæ ſanctæ. Juvat itaque ſperare futurum ut Publicum novis aliis operibus locupletet.

Conſpectus novæ Grammaticæ ad Hebraicam, & alias linguas Orientales abſque punctis addiſcendas, aptiſſimæ, titulus eſt operis Maſcleſii, qualem legimus in Ephemeridibus Trevaltianis an. 1711. menſibus Octobris & Decembris.

Altera data eſt editio Grammaticæ Ludovici de Dieu Francofurti an. 1686. in 4. De hoc viro nos in Commentariis generalibus Proteſtantium.

Philologia Sacra Salomonis Glaſſii, & non Simonis, ut male in noſtris impreſſis, excuſa eſt poſtremo Amſtelodami an. 1694. in 4. Ex quinque, in quos diſtinguitur, libris, Grammatica continetur in quarto, Rethorica in quinto.

AUTHORES ADDENDI.

Recenſitis a nobis addendus Genebrardus, Author Alphabeti Hebraici, excuſi Pariſiis an. 1564. in 8. cum Decalogo Hebraice & Latine; prodiit inſuper & an. 1581. in 4. Scripſit & introductionem Rabbinicam ad legendum & percipiendum Hebræum ſine punctis: Excuſum eſt autem Opus ſecundo Pariſiis an. 1587. in 4. De hoc viro in Pſalmos.

Syntaxis Linguæ Sanctæ Authore Hottingero, in duos libros diſtributa, excuſa eſt Tiguri an. 1667. in 8. Latine, altera editio, cum alphabeto radicum Græcarum, & Synopſi hujus Grammaticæ.

Clavis linguæ ſanctæ authore Nicolao Tros prodiit Oxonii an. 1719. fol.

Clavis Textus Hebraici Bibliorum Joachimi Langii prodiit Latine Hallæ an. 1707. in 4. Habes ibi pariteram Synopſim Grammaticæ Hebraicæ, cum Interpretatione Latina omnium vocum Hebraicarum Codicis Manuſcripti Bibliorum Berolinienſis; cum tribus Lexicis breviſſimis.

Inſtitutiones Hebraicæ Caligni prodierunt Latine Pariſiis an. 1645.

Benedictus Blancuccius ſcripſit linguæ ſanctæ Inſtitutiones, cum Tractatu Notarum compendiariarum, quibus utuntur RR. in ſuis Commentariis; Romæ apud Zanetti an. 1608. in 4.

Stephanus Guichardus, cujus Opus utile adhuc, excuſum eſt Gallice Pariſiis an. 1606. in 8. Harmoniam ſuam etymologicam linguarum exorditur ab Hebraica, Chaldaica, Syriaca & Græca.

Inſtitutiones Joannis Quinquarborei cum notis Vigerii & Syntaxi Genebrardi excuſæ ſunt Pariſiis an. 1609. in 4. & alibi per varia loca ſæpiſſime, ut patet ex catalogo in calce Bibliothecæ Sacræ P. le Long pag. 1105. & ſequ.

Animadvertiſſe juvat Tractatum punctuationis & accentuum Hebraicorum, ſcriptum a Joanne Franck, & Jo. Georgio Abich excuſum eſſe Latine Lipſiæ an. 1709. in 8. Spectare ibi licet originem punctorum, & accentuum Hebræorum uſum & neceſſitatem.

Joannes Leuſdenius dedit etiam clavim Hebraicam, quæ genus & ſyntaxis exponenti voces omnes difficiliores Textus Hebræi V. Teſtamenti; Ultrajecti an. 1673. in 4. Sequitur ibi ordinem Librorum Scripturæ, ſed ultra Libros Hiſtoricos non excurrit. In calce hujus editionis exhibetur ſpecimen novi Lexici Hebraici Bibliorum inſtar Græci Schrevaliani.

P. Thomaſſinus, Sacerdos Oratorii, dedit Gallicam methodum ſtudendi & docendi grammaticam in uſum Scripturæ, Pariſiis an. 1696. 2. vol. in 8. Hunc ſibi ſcopum præfigit, ut in priori tomo demonſtret linguas omnes originem retuliſſe ex Hebraica; ſecundus vero liber continet duo Gloſſaria; Græcum nempe & Latinum, ad Hebræum reducta.]

DI-

DICTIONARIA BIBLIORUM.

Alphonſi Zamora, e Judæo Chriſtiani, Lexicum Hebraicum, in Polyglottis Antuerpianis an. 1517.

Joan. Reuchlini, ſan *Capnionis* Lexicon Hebr. an. 1521. Secunda operis Editio per Sebaſtianum Munſterum 1537. cæteris præſtat.

Sanctis Pagnini Theſaurus, in f. ejuſque Epit. in 4.

Joan. Forſteri Lexicon Hebraic. novum 1556. fol. Operis Præfatio animadverſione digna eſt, quod ingenue Author fateatur ſtudium Rabbinorum inutile eſſe.

Joan. Buxtorf., Lexicon Hebraicum, & Chaldaicum, in 8. 1676.

Ejuſdem Lexicon Thalmudicum, Chaldaicum, & Rabbinicum, fol. Baſil. 1639.

Joan. Coccei, Lexicon, & Commentarius ſermonis Hebraici, Lugd. Altera Editio Francofurti ad Mænum adornata eſt 1689.

David de Pomis, Medicus Judæus, Dictionarii Hebraici, ſed prorſus inutilis, author eſt.

Tzemach David, ſive germen David Venetiis 1587. Utiliſſimum eſt pro Rabbinorum lectione.

Philippus Aquinas, Hebraicæ Linguæ Pariſiis Præceptor ſub Ludovico XIII. Sæculo 17. Dictionarium Hebræo-Chaldæo-Thalmudico-Rabbinicum vulgavit.

Marci Marini, Brixiani, Arca Noe, ſeu Theſaurus Linguæ Sanctæ, Venet. 1593. Non tam Dictionarium eſt, quam Hebraicarum concordantiarum ſumma; ſub certis enim nominum Hebræorum claſſibus potiſſima Scripturæ loca adducit.

Eduardus Leigh, *Guillelmus Robertſon*, luculentiſſima Dictionaria Hebraica dederunt.

Jo. Henricus Otto, Lexicon Rabbinico-Philolog.

Commentarii Linguæ Hebraicæ a *Jacobo Guſſetio*. Amſtelod. 1702.

De hiſce tamen Dictionariis univerſis illud fateamur oportet, utiliſſima eſſe quidem tyronibus opera, ſi quis tamen de rebus plane inſtrui voluerit, optimum factu eſt, ſi ad Concordantias Hebraicas Buxtorfii, ſive de Calaſio ſe conferens, ſingula loca, ubi vox recurrit, inter ſe conferat; tunc enim vim ejuſdem vocis, ac genuinam ſignificationem tutius aſſequetur.

Neque abs re Hebrææ voces cum Veteribus Græcis Verſionibus conferrentur; in quam rem mire conducunt Concordantiæ Græcæ Kircheri, & fragmenta Hexaplorum Origenis per P. Montfaucon collecta, una cum geminis Lexicis ad calcem ejus Operis excuſis.

Lexicon Heptaglotton *Eduardi Caſtelli* plurimum conferet comparandis Hebraicis vocibus cum cæteris Orientalibus Linguis, ab Hebræo non abludentibus.

Lexicon Harmonicum Heptaglotton *Joan. Henrici Hottingeri* contractum eſt quidem, ſed in eam rem non inutile.

Dictionarium Linguæ Sanctæ Anglice ſcriptum ab *Equite Leigh*, & Gallice verſum per Ludovicum *Wolzogue* fol. Amſtelod. apud Petrum Mortier 1703.

Lexicon Biblicum Sacræ Philoſophiæ candidatis elaboratum, *per Andream Placum*. Colon. 1536. fol.

Lexicon Arabicum *Golii*, probatiſſimum eſt opus, quamquam Hiſtoricis, & Prophanis Scriptoribus explicandis potius, quam Sacris conducit.

Lexicon Æthiopico-Latinum *Joan. Ludolf.* Lond. 1661. in 4.

Joan. Leuſden, Lexicon Hebræo-Latinum, ad modum Lexici Schreval. Græci. Ultrajecti, in 8. 1687.

Lexicon Græco-Latinum in Nov. Teſtam. *Georgii Paſoris*, Lond. 1644. Ejuſdem Authoris excuſum eſt Manuale, & Syllabus in N. T. quæ Lexici epitomes ſunt.

Elias Hutterus 1598 *Zacharias Rozembach* 1639. & *Chriſtianus Schotan* 1662. Singuli Lexicon Græcum in Scripturam vulgarunt.

Matthias Flacius Illyricus 1567. & *Auguſtinus Marloratus* 1604 Dictionaria Latina in idem argumentum dederunt.

Ravanellus, Miniſter Uticæ, an. 1650. Bibliothecam Sacram 3. Vol. Latine typis mandavit.

Simonius, Presbyter Lugdunenſis, alius illo a Richardo Simonio, Sacerdote Oratorii, Gallicum Biblicum Dictionarium vulgavit; ſed accuratius, & correctius opus deſideraretur. Editum eſt primum Lugd. 1693. in fol. 1. Vol. deinde iterum Lugd. 1703. 2. Vol. in fol.

Dictionarium Biblicum curante *Huré* in fol. Pariſ. Vide Præfat. in noſtr. Diction.

Vocabularium *Alphonſi Zamora*, de quo nos in prima parte ad Polyglotta, prodierat ſeorſum Compluti an. 1526. in 4.

Gemini ſunt *Reuchlini* Dictionariorum linguæ ſanctæ Scriptores, Joannes & Antonius. Joannis Opus, recenſitum a Sebaſtiano Munſtero, volumen eſt *in fol.* quod a nobis indicatum non eſt. Antonii Opus excuſum eſt Baſileæ an. 1556. *fol.* & 1569. in 8. Ipſe pariter Munſterus ſui ingenii fœtum edidit ibidem an. 1564. *in* 8. ſatis editio multo auctior. Scripſit & Dictionarium Rabbinicum; *ibid.* 1527. *in* 4. ſicut & trium Linguarum aliud, Græcum, Latinum, Hebraicum; *ibid.* 1582. *in fol.* altera Editio.

Pagnini, viri, de quo nos alias, Opus prodiit primo omnium Lugduni an. 1529. *fol.* tum auctum a Joanne Mercero & Bertramo Genevæ 1614. tertia editio. Synopſis excuſa eſt Pariſiis an. 1548. *in* 4. & *in* 8. & Antuerpiæ an. 1578. 1616. *in* 8.

Hujus Epitomes poſtremam editionem correctam & auctam dedit *Raphelengius*.

Secunda eſt alia editio Dictionarii *Joannis Forſteri* an. 1964. data Baſileæ.

Poſtrema editio Operis *Buxtorfii* Patris eſt an. 1710. *ibid.* & decima *in* 8.

Præter hæc ſcripſit ille Manuale Hebraico-Chaldaicum, poſtremo excuſum Roſtochii an. 1534. *in* 16.

Joannis Coccei, de quo nos ſæpe, Opus primu datum eſt Amſtelodami an. 1669. *fol.* poſtremo Francofurti an. 1702. cum cæteris ejus Operibus.

Davidis de Pomis Opus editum eſt Venetiis an. 1587. *fol.* Explicat vim ſingularum vocum tribus linguis, Latina, Italica, & Hebraica, vulgari. Hunc virum male confundit P. le Long cum Tzemach David.

Pariſiis an. 1629. *fol.* lucem aſpexit Dictionarium *Philippi Aquini*, cui non immerito jungeremus alterum *Joannis Avenarii*, excuſum Wittembergæ an. 1568. & 1589. multo auctius. De priori viro jam egimus; alter vero Bohemus erat, Profeſſor Lutheranus Wittembergæ, defunctus an. 1590.

Arca Noe vel Theſaurus *Marci Marini*, volumen eſt *in fol.* Hebraico-Latinum. Vir erat Italo-Brixienſis, Canonicus Regularis, & linguas Orientales callebat. Obiit an. 1594.

Eduardus Leigh dederat primo omnium Criticam ſacram in duas diſtributam partes; prima continet animadverſiones Philologicas & Theologicas in radices omnes Hebraicas veteris Teſtamenti. Altera vero exhibet voces Græcas Novi. Opus illud Anglice excuſum eſt Londini 2. vol. *in* 4. 1641. 1646. & *fol.* 1650. cum Supplemento an. 1662. *fol.* Tum Latinis traditum literis ab Henrico Middoch paruit Amſtelodami an. 1678. *fol.* & 1698. Lipſiæ *in* 4. eodem anno, & alibi 1701. Editio alia aucta cum appendice data eſt an. 1707. Tandem Ludovicus de Volzogue Gallicum reddit Opus illud, inſcripſitque: *Dictionaire de la Langue Sainte, concernant ſes origines, avec des obſervations*; Amſtelodami 1703. *in* 4.

Ludovicus Volzogue, Calviniſta, Profeſſor erat Groningæ; obiit an. 1690. cujus ſunt etiam in Sacram Scripturam labores.

Leigh, Anglus erat, Eques, trium linguarum peritus obiitque an. 1671. Eſt autem ejus Opus epitome eorum, quæ in pluribus voluminibus continentur, juſto delectu ab Authore ſelectorum. Valere poteſt ſimul loco Concordantiarum & Dictionarii, ſaltem ea nova forma digeſtum, in quam Henricus Middoch illud reformavit. Volzogue nihil illi contulit aliud, quam ut communius, Gallice tradendo, efficeret. Optandum eſſet tantum ut repurgaretur Opus illud ab interpretationibus Calvini & Lutheri, quorum in Hebræo peritia ſumma utique non erat.

Theſaurus *Guillelmi Robertſon* paruit Londini an. 1686. *in* 4. Dedit & Manipulum Linguæ ſanctæ, quadrifariam diviſum, excuſum Cantabrigiæ an. 1683. *in* 8. et Londini 1680. *in* 4. Concordantiarum genus eſt quoddam, ut præfert titulus, et P. le Long animadvertit.

Dictionarium Thalmudicum *Jo. Henrici Otthonis* excuſum eſt Genevæ an. 1675. *in* 8. Alius eſt plane a *Joanne Conrado*

Henr.

Henrico non diſſimilium Operum Scriptore, ut alibi animadvertimus.

Commentarios linguæ Hebraicæ, methodo adnotationum ad Manuale Buxtorfii dedit *Jacobus Gouſſet* Amſtelodami an. 1702. *fol.* Nos de illo in Epiſtola ad Hebræos.

Dictionarium ſeptilingue *Edmundi Caſtelli*, & non Eduardi, ut male in noſtris impreſſis, refert duo volumina *in fol.* impreſſa Londini an. 1669. accedit Polyglottis Anglicis. De hoc viro nos alias.

Opus Jo. *Henrici Hottingeri* ſpectans potiſſimum ad uſum linguarum Orientalium, pro Sacrarum Scripturarum intelligentia, excuſum eſt Heidelbergæ an. 1657. *in 4.* Dedit & ejuſdem ſaporis opera alia, atque inter cætera Grammaticam, quæ ſupra recenſenda erat.

Præter Editionem indicatam Dictionarii *Andreæ Plati* geminæ ſunt aliæ an. 1543. & 1553. Explicat opus illud voces Græcas, Hebraicas, aliarumque linguarum, quæ in Scripturis Sacris occurrunt.

Opus Arabico-Latinum *Golii* dederunt prælo Leidenſia an. 1653. *fol.*

Mare Rabbinicum Capellani, Profeſſoris Linguæ ſanctæ Pariſiis, editum eſt *ibid.* an. 1667. *in 8.* Diſcutitur ibi num Thalmudiſtæ Textum Hebræum aliter referant ac legitur in noſtris exemplaribus. Obiit an. 1702.

AUTHORES ADDENDI.

ADdendum eſſet Dictionarium Hebraicum *Joſiæ Henrici Opitii*, excuſum Hamburgi an. 1702. iterumque 1711. *in 8.* inſcribitur *Hodegetinum Hebræo-Caldæo-Biblicum.* Diſponuntur voces Hebraicæ & Chaldaicæ juxta ordinem Librorum, capitum, & verſiculorum. Idem eſt opus, quod Pater ejus dederat Lipſiæ an. 1696. & 1705. in 4.

Recitatur in Bibliotheca Philologica tom. 5. p. 745. 752. Præfatio Dictionarii Ægyptio-Latini *Mathurini Veiſſier la Croze*, quod volumen *in 4.* refert, ac paginas implexit 686. Expectatur etiam ejus Dictionarium Armenico-Latinum 2. vol. pag. 649. & 622. abſque præfatione, quæ implebit paginas 99.

Matthæus Hiller dedit Latine Dictionarium ſacrum, Tubingæ an 1706. *in 4.* Bifariam diſtribuitur; ejuſque pars prior exhibet originem & analogiam ſignificationis propriorum omnium nominum Scripturæ. Pars altera continet tantum vocum illarum tabulam alphabeticam.

Porro Liber iſte multa accuratione digeſtus videtur, nec modice collaturus ad plures Textus Sacræ Scripturæ illuſtrandos.

D. Bernardus Pez, Monachus Benedictinus, Germanus, in ſuis Anecdotis tom. 1. p. 320. par. 1. recitat vetus Anonymi Dictionarium inſcriptum: *Gloſſarium Latino-Theodiſcum.*

Chriſtophorus Vvolphius retexuit Latinam hiſtoriam Dictionariorum Hebraicorum; Wittembergæ an. 1705. *in 12.* opus eſt autem non ſimplicem nudumque referens catalogum Scriptorum Lexicographorum Hebraicorum, ſed eſt ſimul hiſtoria critica, gravis oppido & docta, omnium, ſive quæ jam adornata ſunt, ſive quæ expectantur, hujus generis.

Huic articulo exitum imponemus admonentes, Latinis literis traditum fuiſſe Dictionarium Biblicum R. P. D. Auguſtini Calmet. Prodiit id opus Venetiis an. 1726. 2. vol. *fol.* Porro opus illud ut Latine redderetur in ſe ſuſcepit R. P. Jo. Dominicus Manſi Religioſus Congregationis Matris Dei Lucenſis. *Sed & ante Venetam Editionem prior eſt alia curata Lucæ ab Interprete an. 1725. 2. vol. fol.*

COROLLARIUM.

BIBLIOTHECÆ SACRÆ.

PEculiare hic Corollarium ex integro excudimus pro Libris hujus generis, quos jungendos Dictionariis cenſuimus; totum id autem factum eſt in gratiam exactionis methodi, & perſpicuitatis.

Nec ſane opus aliud cæteris melius præponeretur, quam Bibliotheca *Sixti Senenſis*; ita enim Author opus ſuum inſcripſit, juſto ille quidem titulo, neque enim ejus ætate aliud quidquam ejus generis opus elaboratius paruerat.

In libros octo diſtributa, agit in primo de numero & authoritate Librorum; in ſecundo de ſacris Scripturis ſacriſque Scriptoribus; in tertio de ratione illas interpretandi; in quarto de Commentariorum Scriptoribus Catholicis; in quinto & ſexto leguntur adnotationes in utrumque Teſtamentum; in ſeptimo & octavo ii refutantur, qui divina hæc volumina impugnarunt.

Plures ſunt hujus operis Editiones; ſeptima paruit Coloniæ an. 1686. *fol.* dein correcta & aucta a Joanne Hajo Jeſuita, Lugduni 1693. *in fol.* & Coloniæ 1726. *in 4.*

Senenſis ideo dictus eſt, quod Senis natus eſt; ex Judæis tranſivit ad Chriſtianos, & Dominicanum Monachum induit. Obiit vir linguis orientalibus doctus an. 1569.

Diu ante illum *Notkerus Balbulus* Monachus S. Galli, Librum compegerat de Scriptoribus, qui Biblia expoſuerunt. Id autem opus exhibent Anecdota D. Bernardi Pez tom. 1. par. 1. in capita 12. diſtributum.

Theodorus Haſæus, *& Adolphus Lampe* adorna unt an. 1719. Bibliothecam Philologicam 6. vol. *in 8.* collectas exhibentem ingenti numero Diſſertationes in plura loca Sacræ Scripturæ, quas nos indicandas in ſua ſingula loca hujus Supplementi ideo ſtuduimus, quod opus illud rariſſimum ſit, quanquam recentiſſimum.

Vvendlerus dedit Jenæ an. 1721. Prodromum *Bibliothecæ Sacræ*, *in 8.* in quo de ſingulis Authoribus aliorum & ſuum etiam judicium refert. Probatiſſimum eſt opus, nec Pariſiis, quamquam ſedulo quæſitum, adhuc nanciſci datum eſt.

Bibliotheca Sacra *Petri Ravanelli*, a nobis indicati; quique in Calviniſmo immortuus eſt circa an. 1680. paruit primo Genevæ an. 1650. 2. vol. in fol. tum an. 1663. 3. vol. fol. cum additionibus. Diſſerit de iis omnibus, quæ ad Theologiam, Phyſicam, Moralem, & Politicam in Sacris Scripturis continentur.

Quamquam opus P. le Long duo volumina in folio, impreſſa Pariſiis an. 1723. non ſuperat, ampliorem tamen operis ideam exhibet, & adimplet. In priori enim volumine agitur de variis omnibus editionibus Bibliorum, Verſionum, & Librorum ad illam pertinentium. In ſecundo digeruntur Commentariorum Scriptores omnes, qua Veteres qua Recentiores, Catholici & Proteſtantes. Id autem non ſine improbo labore & ſtudio executioni mandatum eſt. Illud deſideraretur, ut meliori methodo & latius rem digeſſiſſet.

Nec omittenda eſt Officina publica *Michaelis Vvalteri*, Latine excuſa Wittembergæ an. 1702. *fol.* tertia Editio correcta & aucta. Introductio eſt quædam ad lectionem Sacrarum Scripturarum, quarum exactam notitiam exhibere Author ſeſe offert, tum & quæcumque maxime in ea ſunt ardua ſubmovere.

Porro opus iſtud tunc ſua authoritate non careret, cum ſimultas & ſtudium partium in Authore vel abeſſet, vel ſaltem non ſe proderet in apertum. Anguſtiores nimium fines illa ſibi præſcribit, qui uni ſoli parti ſervire contentus eſt, dum Librum Chriſtianis Eccleſiis æque omnibus utilem molitur.]

CONCORDANTIÆ.

COncordantiæ Hebraicæ *Mardochai Nathan.* Venetiis, Dan. Bomberg. 1523. Item Baſileæ. Froben. 1581.

Joan. Buxtorf. Concordantia Hebraica. Baſil 1632.

Concordantiarum Hebraicarum capita a *Rab. Mardochæo* conſcripta, & Latine tranſlata per Antonium Reuchlinum, fol. Baſileæ, Henric. Petri 1556. Verſio Reuchlini mendoſiſſima eſt.

Concordantiæ veteris Teſtamenti, ubi Linguæ Latinæ ſignificationes vocibus Hebræis reſpondentes e regione proponuntur, Romæ 1621. 4. Vol. fol. Authore *Mario a Calaſio*, Ord. Minorum. Utiliſſimum eſt, ſi aliud umquam, Scripturæ ſtudio incumbentibus, opus. Ibi enim, relatis ex Hebræo ſententiis, Latina Verſio in duas columnas reſpondet. Ad marginem variantes ex Vulgata & ex Septuaginta Latine pariter afferuntur. In capite ſingulorum articulorum omnes ſignificationes ejuſdem vocis ordine deductæ recenſentur; in calce collationes Hebræi cum cæteris Linguis Orientalibus.

Friderici Lankiſ., Saxonis, Lutherani, Concordantiæ Bibl. Hebraicæ & Græco-Germanicæ. Lipſ. & Francofurti 1680. *in 4.*

Jul.

Digitized by Google

Jul. Bartoloci, Concordantiarum Hebr. apud Hebræos origo. *Bibl. Rabb. tom. 3. p. 915.*

Concordantiæ Græcæ Veteris Teſtamenti, in quibus voces Græcæ Hebræis vocibus reſpondent, authore *Conrado Kirchero*, Auguſtano, Francofurti 1607. 2. Vol. *in* 4. Opus eſt utiliſſimum, non Scripturæ tantum lectioni inſerviens, ſed addiſcendo etiam, quam potiſſimum ſignificationem ſingulis Hebræis vocibus Veteres Græci Interpretes aſſignaverint; ſicut etiam legendis Græcis PP. plurimum conferens. Cum autem Author nonniſi Græca Complutenſi Editione in opere adornando uſus fuerit, optandum tamen fuiſſet, ut potius Romanam, Complutenſi ſine controverſia præſtantiorem, prætuliſſet.

Prodiit iterum opus illud 2. Vol. in fol. Antuerpiæ & Ultrajecti 1718. cui Editioni Abrahamus Tromius præſidens, ordinem, quem Kircherus ſecutus eſt, immutavit; ille enim Hebræum alphabetum ſibi præſtituit, Tromius Græcum maluit. Ordine ſane, & correctione pluribus in locis Tromii Editio præſtat; quin & Verſiones Veterum Interpretum Græcorum adjecit; Editionem Septuaginta per Vechelium ſecutus eſt; ac tandem in calce Tabulam adornavit, in qua variæ capitum diviſiones, juxta varias Septuaginta Editiones, ad Lectorum commodum, exhibentur.

Concordantiæ Græcæ N. T. Baſileæ Oporin. 1549. fol. Idem opus correxit, & auxit, atque multo præſtantiorem Editionem adornavit Henricus Stephanus Genevæ 1600. & 1624. Idem etiam curante Eraſmo Schmid 1638. Wittembergæ prodiit, quæ optima eſt Editio. Porro hujus operis prima Editio prorſus manca eſt; ſubſequentes multo præſtantiores. Nec ſane modicam confert utilitatem, ut Lectores ſignificationem quarumdam Græcarum vocum apud Authores N. T. aſſequantur, quæ plane alio ſenſu ab optimis Græcis Scriptoribus uſurpari ſolent.

Concordantiæ Latinæ in immenſum pene excreverunt, Gothicis characteribus excuſæ ſubſequentibus multo concedunt; non tantum quod verſiculorum numeris careant, ſed ultra capitis numerum, deſignando initio, medio, & fine ejuſdem capitis, literas a. b. c. d. e. f. g. tantum adhibent; ſicut etiam quod mendis ſcateant, atque particulas indeclinabiles ſeorſim, & ad calcem exhibeant. Optimarum Catalogum hic breviter ducemus.

Concordantiæ Majores, Lugduni, 4. Juntæ, Gryphii 1540. in fol. Baſil. 1543.

Magnæ Concordantiæ a *Franciſco Arola* recognitæ; in 4. Lugduni; Gryphii 1551.

Concordantiæ utriuſque Teſtamenti, ſtudio *Roberti Stephani*; in fol. Pariſ. 1555.

Concordantiæ utriuſque Teſtamenti per *Joan. Benedicti*, Pariſ. 1562. fol.

Concordantiarum Sanctæ Scripturæ œconomia methodica, a *Georgio Bulloco*, Antuerp. Plantini. 1572.

Concordantiæ Bibliorum. Plantini, in 8. an. 1581.

Concordantiæ Bibl. Plantini, in 4. 1585. & 1599

Concordantiæ Bibliorum, in 4. Lugd. apud Juntas 1586.

Concordantiæ Bibliorum Maximæ, fol. Francofurti apud Vechelios 1660.

Concordantiæ Bibliorum cum Annotationibus *Franciſci Lucæ Brugenſis*, fol. Antuerpiæ 1606. in 4. Antuerp. Lugduni. Venetiis 1612. Lugduni 1625. Pariſiis Dionyſii de la Nove 1635. 1638.

Eædem recognitæ ab *Huberto Phaleſio*, Benedictino, Affligenienſi, in 4. Antuerp. Moreti 1642. Lugduni in 4. Julieron. 1649. 1652. Pariſ. apud Societ. 1656.

Eædem recognitæ ab *Huberto Phaleſio*, in 8. majori; Colon. Agrippinæ Balthaſar. ab Egmond. 1684 Lugd. 1687.

Concordantiæ Bibliorum Petri de Beſo. Pariſ. 1611.

Concordantiæ Bibl. Majores per *Gaſpar. de Zamora*, fol. Romæ, Zannetti 1627.

Cæterum Concordantiæ in 4. & in 8. reliquis uſu, & facilitate præferuntur.

Bulloci & Zamoræ luculentiſſimæ ſunt, atque ſummo ſtudio conquiſitæ, quidquid enim ad argumentum ſpectat, totum uno ordine ſubjicitur; Voluminum tamen amplitudo uſui ſatis incommodas reddit.

Quoad Concordantias Morales Scripturæ extat Sylva allegoriarum *D. Hieronymi Laureti*, Loci communes *P. de Balinghem*, S. J. in fol.

Concordantiæ morales, & hiſtoricæ Bibliorum *P. Evelard*, in 4. Antuerp. 1625.

Concordantiæ Morales, *Lucæ Vadingi*. Coloniæ 1647. in 4.

CONCORDANTIÆ HEBRAICÆ, ET CHALDAICÆ BIBLIORUM.

R. *Nathan* decem annorum molimine paravit Concordantias Hebraicas, quarum & varias Editiones & voluminis formam indicavimus. Nec laborem ſolus ipſe ſubivit, ſed plures adhibuiſſe ſocios ipſe de ſe Author profitetur, in Præfatione data ſub nomine Iſaac Nathan, qui ipſiſſimus eſt Mardochæus. Cavendum tamen ne confundatur cum altero Nathan, cognomento Juſto, quod obrepſit Gaſparo Waſero in ſuo Tractatu de *Nummis* p. 16. Poſterior enim iſte florebat circa an. 1050, obiitque Romæ; cum viciſſim alter ageret in vivis circa an. 1438. Nomen ſibi modo Mardochæum tribuit, modo Iſaac; moris eſt enim Judæis nomen ſibi in extremis morbis immutare, & ſi forte convaluerint poſtremum retinent ceu ſignum pœnitudinis, & reſipiſcentiæ.

Præter indicatas a nobis hujus Operis Editiones animadvertiſſe juvat R. Anſchel imprimendum curaſſe Hebraice & Germanice, *in* 4. an. 1584. ſed Hebraicis characteribus; Marium Calaſium Hebraice & Latine, cujus Editionis locum, annum, & formam indicavimus. Dedit Ille pariter Canones & regulas ad ediſcendam linguam ſanctam Romæ an. 1616. *in* 4.

Calaſius ita e patrio loco, Urbe mediæ Italiæ, appellatus eſt, obiitque Romæ an. 1620.

Joannes Buxtorfius, pater, edidit Concordantias Hebraico Chaldaicas, excuſas Baſileæ an. 1620. 1638. *fol.*

Joannes Buxtorfius, filius, Concordantias Hebraicas, aliter ac ſuperiores illæ digeſtas, cum præfatione earum uſum docente. Hujus Operis Epitomem methodo Dictionarii, inſcriptam: *Fons Sion*, exhibuit *Chriſtianus Ravi*. Vir erat, perinde ac pater, Germanus, natus Baſileæ an. 1599. ubi & literas Hebraicas docuit. Obiit an. 1664. Ravi alter erat Germanus, Berolinenſis, Lutheranus, profeſſor linguarum Orientalium, defunctus an. 1677.

Nonniſi Epitomem Concordantiarum bipartitam refert Opus *Friderici Tanckiſch*, cujus prior pars Hebraica eſt, Græca, & Germanica; altera vero Germanica, Hebraica, & Græca. Prioris tantum editionem indicavimus; altera prodiit Lipſiæ an. 1677. 1688. 1696. 1705. obiit an. 1686.

CONCORDANTIÆ GRÆCÆ.

Iis, quæ indicavimus, de Concordantiis *Kircherii* & *Trommii* addemus *Joannem Gagnerum* ſcripſiſſe vindicias prioris in poſteriorem, excuſas Oxonii an. 1618. *fol.* pag. 20.

Exhibent autem vindiciæ animadverſiones in Concordantias Abrahami Trommii. In hoc Opere primum defenditur Kircherus adverſus injuſtas oppoſitorum criminationes. 2. Demonſtratur Opus Trommii ſuis nævis non carere. 3. Proponitur methodus ad novas meliori ordine digerendas. Trommius pro ſe repoſuit vulgatam Amſtelodami Epiſtolam apologeticam an. 1718. *in* 4. cujus meminit Biblioth. ſelecta ejuſdem anni pag. 11. Natus eſt an. 1633. defunctus an. 1719. ætatis 86. Vitam ejus exhibet Bibliotheca Philologica to. 3. pag. 1117.

Concordantias Græcas N. Teſtamenti primus omnium aggreſſus eſt *Sixtus Betulejus*. Id Opus adeo neceſſarium cenſet D. Colomeſius in ſua Bibliotheca ſelecta pag. 497. ut e Concordantiis utriuſque Teſtamenti, magis quam e Commentario quocumque, Lectores proficere poſſe judicet. Uſum Concordantiarum integro Opere expoſuit Kircherus, Wittembergæ an. 1622. *in* 4.

Betulejus natus eſt Auguſtæ Vindelicorum an. 1500. ſtuduit Baſileæ, tranſivitque ad Lutheranos; obiit vero an. 1554. appellabatur etiam Birck. Vitam ejus inter ceteras Philoſophorum Germanicorum habes deſcriptam apud Melchiorem Adam pag. 74. Virum fuiſſe infiniti laboris, & ſtudii legendo ſive ſcribendo nunquam intermiſſi, ferunt.

CON-

CONCORDANTIÆ LATINÆ ET GALLICÆ.

CОncordantiarum Latinarum Editiones fere omnes recenſuimus, excepta Lugdunenſi ae.1700.quæ & paruit Viennæ in Auſtria, curante Siberbauro viro nunquam alias noto *in* 4.

Matthæus Gravelinus, Gallo-Calviniſta, Gallicas Concordantias adornavit, legendas in calce Bibliorum Genevenſium, & ſeorſum excuſas Lugduni an. 1545. *in* 4. & Genevæ an.1164. fol. Florebat circa an.1531.

Nec defuerunt, qui Germanicas & Belgicas, ſicut & aliarum linguarum, ſcriberent; qua de re conſulendi P. le Long, & Lipenius in ſua Bibliotheca Theologica to. 2. pag. 384, 386, de iis, quæ pertinent ad Concordantias Latinas qua veteres, qua recentiores.]

INTRODUCTIONES AD STUDIUM SCRIPTURÆ.

LIbri *S. Auguſtini* de doctrina Chriſtiana, & *Caſſiodori* de Divinis Lectionibus huc referendi ſunt.

Ludovici Tena Iſagoge in Sacram Scripturam fol. Barcinone. 1620.

Gilberti Genebrardi Iſagoge in 8.

Sanctis Pagnini Iſagoge, fol Lugd. 1536. Colon. 1545. &c.

Ambroſii Catharini, claves duæ S. Scripturæ Lugd. 1543. in 8.

Nicolai Abrami Pharus Ver. Teſt. in fol. Pariſ. 1648.

Adriani, Iſagoge Sacrarum Literarum. In Criticis Magn.

Georg. Ederi Oeconomia Bibliorum, l. 1. Venetiis 1572. & Colon. 1582. fol.

Sixti Senenſis, Bibliotheca, Lugd. 1575. fol. Pariſ. 1610. &c. Opus eſt probatiſſimum, nec modice tyronibus conferens.

Petri Rivaueli Bibliotheca Sacra, Genev. 1660. 3. Vol. fol.

Delrio, Pharus S. Scripturæ, Lugd. 1608.

Apparatus ad Biblia Sacra per tabulas diſpoſitus, Auth. *P. Lamy* Oratorii, fol. Gratianopoli, 1687.

Introductio ad Scripturam. Gallice ex Latino *P. Lamy in* 4. Lugdun. 1629. Idem in compendium redactum, Lugdun. *in* 8.

Dominici Magri, Melitenſis, Coegr. Oratorii, Contradictiones apparentes Sanctæ Scripturæ, Pariſ. 1683. *in* 8.

Tract. de Lectionu Sacrarum Scripturarum, in quo Proteſtantium eas legendi praxis refellitur, Catholicorum vero ſtabilitur. Accedit Diſſert. de Interprete Sacrarum Scripturarum, Embricæ 1677. *in* 8.

Bibliotheca Scripturæ Sacræ, ſeu apparatus ad ſtudium Scripturæ ſacræ ab uno Carmelita diſcalceato, Lovanii 1704. in fol. vol. 4.

Martini Becani, Analogia Veteris, ac Nuvi Teſtamenti *in* 12. an. 1621.

Sacrorum Bibliorum notio generalis, Authore *M. Humbelot*, Doctore Sorbon. Pariſ. 1700. *in* 12.

De lectione Scripturæ ſanctæ contra Malletum, Antuerp. 1682. Gallic.

Tractatus de lectione Scripturæ Sanctæ per *Caſterienſem*, Gallice verſum ab *Abbate le Roy*, Coloniæ 1682. *in* 12.

Franciſci Georg. Venet. Minoritani Problemata in Scripturam Sacram 1571. fol.

Ejuſdem Harmonia. Venet. ac Paris.

Ad eumdem ſenſum referri poteſt Bibliotheca Sacra *P. le Long*, in qua exactus ducitur Catalogus Bibliorum, eorumque in omnes linguas verſionum, ſicut & Interpretum, ac Commentatorum.

Elenchus *Crovei* Bibliorum, Interpretum, et Commentatorum levem ideam exhibet.

Fabianus Juſtiniani potiſſimos et ipſe Interpretes, ſed brevis indicat, Rom. 1614. *in* 8.

Huc etiam referendæ ſunt Exercitationes Biblicæ *P. Morini*, et *Simonis de Muis* in ipſum ſcripta.

Huc pariter hiſtoriæ Criticæ *Simonii* in utrumque Teſtamentum, et opiniones quorumdam Theologorum Hollandorum, cum datis ad ipſos reſponſionibus, Hæc tamen opera caute prorſus legenda ſunt, quippe quæ audaciores plane ſententias paſſim exhibeant.

Examen hiſtoriæ Criticæ Textus N. T. adverſus Richardum Simonium, auth. Joan. Henrico Majo Gieſſæ Haſſorum 1694. *in* 2.

Diſquiſitiones Biblicæ *P. Foaſſri*. Pariſ. 1682. Prolegomena Biblica *Duplaii*.

Diſquiſitiones criticæ de variis per diverſa loca, & tempora Bibliorum Editionibus Lond. *in* 4.

Sanderi, Apologia Biblica *in* 4.

Chriſt. Cartwright, Mellificium Hebraicum.

Henrici de Bukentop, Minoritæ, Lux de luce Bruxel. 1710. Opus in quo optima plura.

Chriſtophori Crinesſi Exercitationes Hebraicæ.

Nicolai Abrami Pharus V. T. ſive ſacrarum qq. l. 15. in fol. Pariſ. 1648.

Figuræ Biblicæ cum ſiguris æri inciſis per *Royaumont*. Vide infra articulum de Prolegomenis.

Synagoga Judaica *Joan. Buxtorf. in* 8. Hannov. 1604.

Mores Chriſtianorum & Iſraelitarum per Abbatem *Fleury* 2. vol. *in* 12. Pariſ. 1712. Gallice. Mores Iſraelitarum potiſſimum ad Scripturam intelligendam mire conducunt.

Regulæ pro intelligenda Scriptura per Abbatem Aſfeldom *in* 8. Pariſ. 1712 Gallice. Opus utile & excultum.

Leo Modena Cæremoniæ Judæorum, cum Additionibus Simonii *in* 8. Gallice.

Opus S. Auguſtini de *Doctrina Chriſtiana*, quatuor libris digeſtum, Euſebii *Præparatio*, & *Demonſtratio Evangelica*, Huetii *Demonſtratio Evangelica*, in eumdem cenſum referenda ſunt; nec alio amandandu Epiſtolæ quædam S. Hieronymi, ejuſque potiſſimum Præfationes in Libros Scripturæ a ſe verſos, & in Commentaria.

Ad eamdem claſſem revoces Introductiones in Scripturam, & Collectores, ſive Interpretes Adagiorum, vel Proverbiorum S. Scripturæ; veluti

Martini Delrio S.J. Adagalia ſacra 2. vol. *in* 4.

Andreæ Schotti Adagalia N. T. *apud Cren. faſc.* 3.

Joan. Drusii Adagia Hebraica & Proverbiorum claſſes duæ. *In Magnis Criticis*.

Joan. Verſtii de Adagiis N. T. *Apud Cren. faſc.* 3.

In hunc catalogum etiam ducenda *Fullerii* Miſcellanea ſacra. *In Magnis Critic. & alibi*; ſicut etiam *Heinſii* Caſtigationes, & Ariſtarchus Sacer.

[Quod nobis addendum ſuccurrit illud eſt, Introductionem P. Lamy primo Latinam prodiiſſe inſcriptam: *Apparatus Bibliorum*; Gratianopoli an. 1687. fol. & 1720. *in* 4. Gallice tradita eſt ab Abbate de Bellegarde Pariſiis an.1697. *in* 8. Per D.Bojer Canonicum Montbrizon, Lugduni an.1709. *in* 4. altera editio recenſita & aucta. Legenda eſt Epiſtola P. Lamy de hoc Argumento & de Verſione Bellegarde. De hoc viro nos ſupra in ſecunda parte ad Harmonias Evangelicas.

Lectio Scripturæ adverſus Mallet *in* 8. *D. Arnaldo*, Doctori Sorbonico, debetur. Jungenda eſt huic altera ſimilis Lucubratio *D. Caſterienſis*, qua impugnatur mos Proteſtantium in ea lectione, ac defenditur Catholicorum diſciplina. Accedit Diſſertatio de Interprete Scripturarum Sacrarum Gallice tradita, & impreſſa Coloniæ an. 1680. *in* 8.

Elenchus *Jo. Crovei* prodiit Londini an. 1672. *in* 12. Alterum perſimilem dederat ille an. 1668 *in* 8. Vir erat Anglus, & religionem Anglicanam profitens. Nihil eſt aliud quam Catalogus Commentatorum Latinus cum Vitæ illorum ſynopſi.

Exercitationes Biblicæ *P. Morini* excuſæ ſunt Pariſiis an.1633. *in* 4. deinde multo auctiores an 1660. fol.

Hiſtoriæ Criticæ P. Simon. cum opinionibus Theologorum quorumdam Batavorum, aliiſque ſcriptis 6. vol. *in* 4. conficiunt, prodieruntque Amſtelodami & alibi. Nec ignorandum eſt, *Henricum Majon Majus*, Proteſtantem, Criticam ſeveram adornaſſe in Criticam N. Teſtamenti Simonii; id autem Opus Latine excuſum eſt Francofurti an. 1708. *in* 4. altera editio.

Operis de Bibliotheca vel Critica Sacra Scripturæ *P. Cherubini de S. Joſeph*, Carmelitæ Diſcalceati, & Toloſa oriundi, nonniſi tria volumina indicavimus; cum tamen quatuor *in fol.* referat. Duo priora paruerunt Lovanii

Google

an. 1704. tertium & quartum Bruxellis an. 1705. 1708.

In priori tomo prolixa admonitione ſuadetur lectio S. Scripturæ; 2. generalis ejus idea ſubditur; 3. de principiis & myſteriis cabalæ agitur; 4. de cultu Judæorum ante priora Templi conſtitutionem; 5. de Templo Salomonis. In ſecundo libro ſermo eſt; 1. de Sacrificiis & Feſtis; 2. de Jejuniis; 3. de Urim & Thummim; 4. de Scholis Judæorum eorumque Sectis; 5. de Miſchna & Thalmud. In tertio diſſerit; 1. de cabala Judæorum; 2. de politia ſpirituali & politica; 3. de novis Scripturæ Verſionibus. In quarto hiſtoriam texit Verſionum in linguam vernaculam, & de variis Bibliorum & Polyglottorum Editionibus.

E propoſito hoc ſchemate intelligimus, quod ferendum ſit judicium de prodigioſo Opere, quod immenſum ſteriſſe ſuo Authori utique reputandum eſt. De variis enim hiſce argumentis agit, non leviter nec obiter, ſed ſingulis argumentis juſtam extenſionem aſſignat; res juſto delectu optimaſque ſeligit; ſed in his digerendis confuſionis aliquid non evitat. Dedit & ſynopſim hujus Criticæ ſacræ, quæ Prolegomena totius Operis merito haberentur. Prodiit Synopſis iſta Burdegalæ an. 1709. 1710.

AUTHORES ADDENDI.

IIs quos recenſuimus addenda *Manuductio ad Sacram Scripturam*, Authore *P. Bruart*, Carmelita; Pariſiis an. 1701. 2. vol. *in* 12. Dialogi genus eſt quoddam continens Prolegomena in Sacram Scripturam, cum additamentis de verbo Dei per traditionem recepto. Leguntur in priori tomo quæſtiones in ipſam per ſe Scripturam, & in Libros Veteris Teſtamenti; in ſecundo quæſtiones in Novum, & quæ in ſpeciem ſunt repugnantia in Libris Canonicis: ibi pariter de Libris Apocryphis, & amiſſis, & de traditionibus. Appellatur Honorius Joſephus, ſi tamen adhuc in vivis ſupereſt.

Pandectæ ſacræ V. Noviqoe Teſtamenti *Othonis Brunſfeldii*, de quo nos in Acta, excuſæ ſunt Baſileæ an. 1564. *in* 8. ſeptima editio.

Regulæ pro intelligentia Scripturæ *D. Abbatis Asfeldii* duodecim ſunt numero, continentque ad optimam interpretationem methodum eximiam.

Simile aliquid dederat jam D. Hure libello Gallico *in* 12. excuſo Pariſiis an. 1707. cui titulus: *Grammaire Sacrèe, ou Regles pour entendre le ſens litteral de l'Ecriture Sainte*. Verſio eſt paulo contractior regularum, quæ pluribus ab hinc annis Latine paruerunt ſub titulo: *Novum Teſtamentum regulis illuſtratum, vel Canones Scripturæ certa methodo digeſti*.

Grammatica iſta accommodatiſſima eſt captui eorum, qui ad ſtudium Scripturæ ſe conferunt, & aptiſſima ad leniendas difficultates.]

PROLEGOMENA ET DISSERTATIONES GENERALES IN S. SCRIPTURAM.

PRolegomena *Ariæ Montani* Polyglottis Antuerpienſibus præfixa ſunt.

Briani Valtoni Prolegomena ad Polyglotta Anglicana luculentiſſima ſunt, & ſeorſim in Germania excuſa, in gratiam eorum, qui polyglottis carent. Circa Linguas, & Verſiones Scripturæ potiſſimum verſantur. Accedit Chronologia, Tabulæ Geographicæ, Iconographia Templi, Tractatus de ponderibus, & menſuris, & idiotiſmorum Hebraicorum.

Jul. Bartolocci de antiq. Linguæ Hebraicæ. *Bibl. Rabb. t. 3. p. 13.*

Prolegomena *Serrarii*, *Salmeronis*, & *Bonfrerii* laudatiſſima.

Præfationes *Cornelii a Lapide*, & *P. Calmet* in Libros Scripturæ.

Tractatus *Joan. Deſpierre*.

Prolegomena *Dupin*.

Diſquiſitiones Biblicæ *P. Praſſen*.

Prolegomena in *Biblia Maxima* P. de la Haye.

Demonſtratio Evangelica *Huetii*.

Diſſertationes *P. Alexandri* in V. T. & *P. Petitdidier* in V. T. impreſſæ 1699. *in* 4.

Tractatus pro aſtruenda, vel refutanda antiquitate punctorum vocalium, ſicut & authoritate, atque integritate Textus Hebraici. Vide Prolegomena Valtonii, & Authores ab ipſo laudatos; uti ſunt

Ludovici Capelli Critica ſacra, & Arcanum punctuationis revelatum. Tractatus *Joan. Buxtorf.* de origine & antiquitate punctuationis.

Joan. Morini Exercitationes Biblicæ.

Simonis de Muis caſtigatio animadverſionum Morini, in 8. Pariſ. 1709. Sicut & aliud ejuſdem opus: Aſſertio veritatis Hebraicæ adverſus Exercitationes Joan. Morin. Pariſ. 1631. *in* 8. Et deinde: aſſertio altera &c. Pariſ. 1634.

Arnoldi Bootii, animadverſiones ſuper Textum Hebraicum Vet. Teſt.

Item Epiſtola de Textus Hebraici certitudine contra Capellum.

Ejuſdem Apologeticæ pro Hebraica veritate contra Morinum & Capellum.

Joan. Deſpierres Authoritas S. Scripturæ, Textus Hebræi, Verſio 70 & Verſ. Vulgatæ.

Defenſio veritatis Hebraicæ contra Lindanum, per *Joſuam Levitam*, Colon. 1559.

Anticritica, ſeu vindiciæ Hebraicæ. Baſil. 1653. *in* 4.

Petrus Galatinus de Arcanis Catholicæ veritatis, impreſſus Baſileæ 1561. cum *Reuchlino* de verbo mirifico l. 3. in fol. Porro Galatinus plagii reus accuſatur, quippe qui *Pugionem fidei* Raymundi Martini tranſcripſerit.

Ircalis Caſtri Apologeticus pro lectione Vulgatæ, Septuaginta &c. Salmant. 1585. in fol.

Epiſtolæ de *Flavigny* de auctoritate, & veritate Textus Hebraici.

Davidis Clerici, Quæſtiones ſacræ, et diatribæ *Stephani Clerici*, cum Notis *Joan. Clerici*. Amſtelod. 1685.

Capellani Mare Rabbinicum infidum.

Uſſerii, et *Valois* in Hexaplas.

Iſaaci Voſſii diſſertationes de Septuaginta Interpp.

Antonii Vandale Diſſert. in Ariſteam et Septuaginta Interpp. Amſtelod. 1705. Vide Præfationem Hexaplorum P. Montfaucon.

Jul. Bartolocci de Septuaginta Interpp. et Ariſtea *Bibl. Rabb. tom. 3. p. 437.*

De inſpiratione Librorum Sacrorum vide Cenſuram Theſium Leſſii et Amenii an. 1586. ab univerſitatibus Lovanienſi, et Duacenſi 1587. 1588. ac reſponſionem Leſſii 1588. ſicut et vindicias Cenſuratum Lovanienſium, & Duacenſium.

Difficultates propoſitæ ab *Hugaert* ad Arnaldum 1691. *in* 8. Gallice.

Animadverſiones Theologorum Hollandiæ in hiſtoriam Simonii. Gallice.

Simonii Hiſt. Critic. N. T. c. 23. 24.

Dupin Diſſertationes præliminares in Biblia.

Jaquelot de inſpiratione Librorum Sacrorum.

Calmet Diſſert. de eodem argumento, *ante Epiſt. Canon.*

Tractatus de inſpiratione Librorum Sacrorum N. T. per de la *Mothe* M. D. S. Amſtelod. 1695. *in* 12. Gallice.

Jo. Henrici Mai. Diſſert. de inſpirat. Lib. SS. oppoſita Rich. Simon etc. Gieſſæ Haſſorum 1694. *in* 4.

In varios Scripturæ ſenſus legenda ſunt Prolegomena e. g. *Bonfrerii*, *Salmeronis*, *Serrarii*, *la Haye*.

In Hebræum, Septuaginta, Vulgatam, Biblia Samaritana, Targumim, varias Scripturæ Verſiones, adeundus Valton, Bibliotheca Sacra P. le Long, et noſtrum Dictionarium v. *Biblia Septuaginta*, *Vulgata*, *Targumim*.

[*Henricus Heideggerus* imprimendum curavit ſeorſim Tiguri Apparatum et Prolegomena Valtonii an. 1673. *fol.* Cujus Operis brevis Synopſis Gallica data eſt Lugduni an. 1699. *in* 8. Si Ephemeridibus Trevoltianis an 1701. menſibus Martio, et Aprili, fides habeatur, Prolegomenis hiſce allaborarunt pariter Joannes Pearſon, Edmundus Caſtellus, aliique docti in Anglia viri. De Valtonio egimus in Articulo Polyglottorum in exordio primæ partis. Gallica Verſio parum congruit cum Originali; quin et menda in illam irrepſerunt, maxime in nominibus Urbium, quæ geographiæ ignoratione plurimum deſigurata ſunt.

Prolegomena *Serrarii* excuſa ſunt Moguntiæ an. 1612. fol. dein

Digitized by Google

dein Lugduni an.1704. cum Opere ejus in Epiſtolas Canonicas. Continent capita 24. ſingula Capita dividuntur in quæſtiones, quæ reſolvuntur.

In Articulo de Evangeliis jam innuimus Prolegomena Serrarii numero 43. conficere priorem tomum Commentariorum ipſius in Scripturam 16. vol. *in fol.* Addemus hic primum Prolegomenon inſtitui de neceſſitate, authoritate, dignitate, et utilitate S. Scripturæ; ſecundum de profunditate ſacrarum literarum; tertium de editione Hebraica, Græca et Latina vulgata; quartum de corruptione Textus Hebraici; quintum et ſextum de ſeptuaginta Interpretibus; ſeptimum et octavum de duplici ſenſu Scripturæ; nonum, decimum, undecimum, duodecimum de regulis ad inveſtigandum et tradendum ſenſum genuinum; decimum tertium de utilitate callendi tres linguas in uſum Scripturæ; quartum decimum, decimum quintum, et decimum ſextum de phraſibus et idiotiſmis Hebraicis, Græciſque; decimum nonum et vigeſimum de ſenſe ſpiritali et myſtico; qui ſequuntur, excepti tribus ſupremis, in quatuor Evangeliſtas ſeorſum verſantur. In trigeſimo octavo agitur de ætate J. Chriſti; in quadrageſimo primo de deſcriptione Syriæ et Paleſtinæ; in altero Jeruſalem et Templum deſcribuntur; in poſtremo tandem exponuntur ſeptuaginta hebdomades Danielis. Prolegomena hæc prodierunt ſeorſum Briaiæ an. 1601. et Coloniæ an. 1602. fol. quod ſcire percommoda iis accidet, quibus res familiares minores ſunt, quam ut 16. voluminibus in fol. emendis ſufficiant.

Prolegomena *Bonfrerii* Commentarium ejus in Pentateuchum præcedunt. De Opere hoc et Authore egimus in prima parte. Addemus hic continere illa 21. capita in ſectiones diviſa; in hæc vero argumenta verſari. Diſſeritur 1. generatim de Scriptura; 2. De Libris Canonicis et apocryphis; 3. de Agiographis; 4. de inſpiratione Scripturæ, obſcuritate, ſtilo et idiotiſmis; 5. De Textu Hebræo; 9. De Vulgata Latina; 10. De Verſionibus Græcis et Hexaplis Origenis; 11. De interpretatione et Cabala.

D. Dupin primo omnium vulgaverat Diſſertationem præliminarem in Biblia in exordio Bibliothecæ ſeæ Eccleſiaſticæ. Adornavit poſt hæc Prolegomena, excuſa ſeorſum Pariſiis 1. vol. *in 8.* an. 1701. et Amſtelodami an. 1703. *in 4.* 1. vol. Gallice. Diſſerit in iis de Canone Sacrarum Scripturarum, earumque authoritate et inſpiratione; de Scriptoribus utriuſque Teſtamenti, de Textu Hebræo, de Pentateucho Samaritano, priſcis Verſionibus Græcis, Latinis, Orientalibus, & vernaculis; de ſtilo, ſenſe, interpretatione & diviſione Librorum Biblicorum. Dedit pariter Diſſertationes Hiſtoricas, Chronologicas, Geographicas, & Criticas in Scripturam, Pariſiis an. 1712. *in 8.* Quo in Opere non minus illi labor, quam in cæteris aliis ſucceſſit. De hoc viro nos in Pentateuchum & alibi.

Tractatus *Joannis d'Eſpieres*, & non *Deſpeiſſes* uti male in noſtris impreſſis, patuit Duaci an. 1631. *in 4.*

P. Fraſſen duo ſunt Diſquiſitionum genera; alia in Biblia univerſa, excuſa Pariſiis an. 1682. *in 4.* & 1711. multo auctius & caſtigatius. Alia in Pentateuchum, Rothomagi an. 1705. *in 4.* Utrumque Opus Latine ſcriptum eſt; prius illud in quatuor libros digeritur, quorum primus diſſerit de venerabili antiquitate Scripturarum; alter de præcipuis editionibus Bibliorum; tertius de Canone Scripturæ, Libriſque Canonicis; in quarto conciliantur Antilogiæ in ſpeciem S. Textus. Opus curioſum eſt utile & methodicum, ſtilus perſpicuus & purus.

Natus erat Peronæ in Picardia, Ordinem S. Franciſci profeſſus eſt, obiitque an. 1711. Vir eſt autem Theologia ſua Scholaſtica 4. vol. *in fol.* magis notus.

Prolegomena *P. de la Haie* præcedunt reliqua in priori tomo Bibliorum maximorum. In ſectiones triginta diſtribuuntur, quarum ſingulæ in capita plura diviſæ ſunt. De hoc viro ejuſque Opere nos in articulo Commentariorum generalium Catholicorum.

Scopus *D. Huetii* in ſua Demonſtratione Evangelica ille eſt, ut demonſtret V. Novique Teſtamenti inter ſe conſenſum, quod conſilium ſuum ille ſex libris doctiſſime executioni mandavit. In priori libro probat Librorum ſacrorum antiquitatem; in ſecundo agit de Canone Sacrarum Scripturarum; in tertio de Prophetis; in quarto inſtruit Vetus inter et N. Teſtamentum, in iis, quæ ad Meſſiam ſpectant, parallelum; exhibet quintus diſputationem de ſceptro Juda; ſicut & de ſeptuaginta ſeptimanis Danielis ſextus. Eximium id Opus excuſum eſt Pariſiis an. 1679. & 1681. fol. Amſtelodami 1680. 2. vol. *in 8.* Tertia & poſtrema editio recenſita & aucta ab Authore eſt an. 1690. in fol. Pariſiis; an. 1694. *in 4.* Lipſiæ. Tolandus in ſuis Antiquitatibus Judaicis impudentiſſime Opus illud aggreſſus eſt, id contendens in indicandis certis locis Operum aliorum Scriptorum ne ſemel quidem non aberrare; ſed D. de la Faie in ſuis vindiciis Moyſis & Nationis Judaicæ Huetium in Tolandum defendit, ejuſque Operis utilitatem ſoliditatemque demonſtrat. D. Morinus & Academia Inſcriptionum & ipſe pariter pro Huetio contra hoc Proteſtantem pugnat, in Epiſtola data ad eundem D. Huetium, & recitata in Ephemeridibus Trevoltianis an. 1709. menſe Septembris pag. 1588.

D. Huetius Cadomum habuit patriam, Epiſcopus Abrincenſis renunciatus eſt an. 1686. & ab ea ſe dignitate dimiſit, ut reliquos vitæ dies ageret in ſeceſſu.

Diſſertationes *P. Alexandri* per totam late Hiſtoriam ejus Eccleſiaſticam 8. vol. *in fol.* diſperſæ ſunt. Quanquam nonnullas juxta varia, quæ verſant, argumenta ſuis locis recenſuimus, hic tamen omnium exactum catalogum retexìmus. Sunt autem in Vetus plures; ſunt in novum Teſtamentum aliæ. Priores illas diſtribuit per varias mundi ætates, alias per ſæcula Eccleſiæ.

Prior ætas decem Diſſertationes continet. Prima eſt de Opere ſex dierum; 2. de Paradiſo terreſtri; 3. de Adam & Eva; 4. de Polygamia Lamech; 5. de raptu Henoch & Prophetia Lamech; 6. de cibo hominum ante diluvium; 7. de commercio filiorum Dei cum filiabus hominum, & de gigantibus; 8. de annis Patriarcharum ante diluvium; 9. de Patriarcharum vita diuturna; 10. de Arca Noe & diluvio.

Secunda ætas ſex tantum expeditur. 1. de Ordine filiorum Noe; 2. de præceptis datis Noe ejuſque poſteris; 3. de ebrietate ipſius ac benedictione, quam filiis ſuis impartiit; 4. de Cainan filio Arphaxad; 5. de confuſione linguarum; 6. de anno exitus Abraham, & quo e regione ſua egreſſus eſt.

Tertiæ ætatis quindecim; 1. de annis 430. commorationis Hebræorum in Ægypto; 2. de raptu Saræ; 3. de Melchiſedech; 4. de limitibus Terræ promiſſionis; 5. de Circumciſione; 6. de Loth; 7. de Sacrificio Abraham; 8. de dolo Jacob, quo benedictionem patris ſui ſuffuratus eſt; 9. de crimine filiorum ipſius occaſione Dinæ ſororis eorum; 10. de hiſtoria Judæ & Thamar; 11. de poſtremo oraculo Jacob, quod de ſceptro Juda pronunciavit; 12. de hiſtoria & Libro Job; 13. de nece illata a Moyſe in Ægyptium; 14. de Deo per viſum apparente in rubo ardenti; 15. de Paſchate Judæorum.

Quartæ ætatis Diſſertationes ſex & viginti; 1. de exitu Iſraelitarum ab Ægypto; 2. de præceptis moralibus Legis; 3. de legibus cæremonialibus; 4. de legibus judicialibus; 5. de vitulo aureo; 6. de ſerpente æneo; 7. de aſina & Prophetia Balaam; 8. & 9. de obitu et Libris Moyſis; 10. de antiquitate Moyſis et aliorum Prophetarum; 11. de Divinitate Librorum V. Teſtamenti; 12. de tutela præſtita Urbi Gabaon; 13. de ſole, quem Joſue remoratus eſt; 14. de annis Sabbaticis et Jubilæi; 15. de tempore, quo rebus præfuit Joſue; 16. de ejus Libro; 17. de annis Interregni et ſervitutis; 18. de Debora; 19. de voto Jephte; 20. de pœnitentia et obitu Samſonis; 21. de Libro Judicum; 22. de Hiſtoria Ruth; 23. de apparitione Samuel; 24. de Pſalmis David; 25. de Libris Samuelis; 26. de exordio Regni Salomonis.

Quintæ ætatis undecim; 1. de Templo Salomonis; 2. de Regina Saba; 3. de ſalute æterna Salomonis; 4. de ejus Operibus; 5. de idololatria Jeroboam, et decem Tribuum; 6. de Elia Propheta; 7. de Naaman; 8. de ſolis retrogradatione; 9. de conciliatione librorum Regum cum SS. Matthæo et Luca, ad genealogias Regum Juda quod attinet; 10. de Prophetis, qui ſub Regibus Juda et Iſrael. paruerunt; 11. de hiſtoria et Libris Tobiæ.

Sextæ ætatis octo: 1. de Prophetis captivitatis Babylonicæ; 2. de ſeptuaginta hebdomadis Danielis; 3. de epocha ejuſdem captivitatis; 4. de Eſdra; 5. de Regibus Perſarum, qui ſecundi Templi ædificationem permiſerunt; 6. de Prophetis poſt captivitatem; 7. de aliis Libris

ſextæ mundi ætatis ; 8. de Verſione Septuaginta. Leguntur hæc omnia in ſex prioribus tomis in 8. Hiſtoriæ ipſius Eccleſiaſticæ Pariſiis an. 1689. et in duobus prioribus editionibus in fol. an. 1703.

Prioris ſæculi ſex leguntur Diſſertationes ad Scripturam ſpectantes ; 1. de Libris N. Teſtamenti ; 2. de annis Nativitatis, Baptiſmi, et Obitus J. Chriſti ; 3. de ſorte in electionibus ; 4. de ſeptem Diaconorum delectu ; 5. de abſtinentia a ſanguine et ſuffocatis ; 6. de S. Pauli in S. Petrum objurgatione. Accedit et animadverſio Hiſtorica, qua diſcutitur num una ſit ſingularis fœmina, quæ pedes J. Chriſto fovit unctione.

Secundi ſæculi undecima Diſſertatio agit de variis Verſionibus Scripturæ, quibus Eccleſia quatuor priorum ſæculorum eſt uſa, et de ſeptuaginta Interpretibus.

De viro hoc docto egimus in quatuor Evangelia et in S. Paulum.

Diſſertationes *D. Petri Didier* nunc Abbatis Senonis et Epiſcopi Macrenſis, Latine ſcriptæ ſunt ; ſuntque pariter Criticæ hiſtoricæ et chronologicæ ; circa V. Teſtamentum verſantur. Simile aliquid exorſus erat in Novum ; ſed avocatus eſt ad alia ſtudia, et ad primores Congregationis ſuæ dignitates, quas ad id uſque geſſit ; hiſce autem interruptus eſt labor non minus ac prior ille utilis futurus.

Indicavimus ſupra Exercitationes *P. Morini* ; hic tamen de illo addendum ſuccurrit, virum fuiſſe Bleſenſem, et Sacerdotem Oratorii. Obiit Vir linguarum Orientalium ſcientia excultus an. 1659.

Tres Epiſtolæ *D. de Flavigny*, Prolegomenωn loco habendæ, excuſæ ſunt Pariſiis in 8. an. 1646. Vir erat Picardus, Doctor Sorbonicus, Profeſſor Regius Linguarum Pariſiis, obiitque an. 1674.

Syntagma *Uſſerii* de Septuaginta, quo demonſtrare nititur Verſionem Græcam ferme penitus intercidiſſe, vel parum admodum de illa ſupereſſe, prodiit Londini an. 1655. & 1695. in 4. Reſponſionem oppoſuit *D. Valeſius*, legendam in calce editi ab illo Euſebii. Diſſertatio *Iſaaci Voſſii*, & non Vorſtii uti male in noſtris impreſſis, excuſa eſt Hagæ an. 1661. in 4. Adornavit poſt hæc Appendicem adverſus objectiones Theologorum quorundam, excuſam ibidem an. 1663. in 4. & alis plura de quibus alias.

Animadverſiones *Arnoldi Boot*, & non Beot uti male in noſtris impreſſis, prodierunt Londini an. 1644. in 4. Dedit etiam examen præfationis *Joannis Morini* in Biblia Græca ; Lugduni Batav. an. 1636. in 4. Epiſtolam de certa & canonica authoritate Textus Hebræi in Capellium ; Pariſiis an. 1650. in 4. Ejus eſt etiam Apologia ejuſdem Textus adverſus Morinum & Capellium ; ibid. 1653. in 4. Vir erat Belga-Calviniſta, & Doctor Medicus obiitque an. 1650.

Hiſtoriæ Verſionis Septuaginta Authore *Hody*, Anglo, & Linguæ ſanctæ Profeſſore, excuſa eſt Oxonii an. 1705. *fol.* Simile aliquid in Voſſium jam ediderat, *ibid.* 1682. in 8. obiit an. 1704.

C O R O L L A R I U M.

AUTHORES ADDENDI.

HIſce omnibus commode adderentur Diſſertationes & Prolegomena in poſteriori volumine Bibliorum de Saci, Authore *D. de Beaubrun*, Pariſiis 4. *vol. fol.* apud Deſprez poſtrema editio. Breves ſunt equidem, ſed graves æque & perſpicuæ.

In hunc cenſum referretur etiam Philologia ſacra *Salomonis Glaſſii*, cujus fragmenta quædam jam laudavimus. Poſtrema hujus editio Latine data eſt Amſtelodami an. 1711. in 4. In libros diſtribuitur quinque ; libri vero dividuntur in plures Tractatus. Commendari Opus mereretur, ſi Author minus ſerviendum illo Lutheraniſmo ſuo cenſuiſſet, atque a ſupervacaneis abſtinuiſſet.

Poſtrema editio Commentarii *Menochii* data eſt Pariſiis an. 1719. 2. vol. *fol.* & *Venetiis* an. 1721. 5. *vol. fol.* Acceſſerunt huic frequentes numero Diſſertationes collectæ ex Bonfrerio, Mariana, Riberis, Baſilio Pontio, & Simonio.

Cornelius Adami, Calviniſta & Miniſter Dami, vulgavit pariter Latinas plures Diſſertationes excuſas Groningæ an. 1710. in 4. Opus iſtud merito ſuo virorum Doctorum æſtimationem ſibi vindicat ; cujus Author plurima lectione excultum ſe prodit. Opus eſt in quinque capita diviſum ; capita vero ſingula in paragraphos.

P. Simeon, Senior, Jeſuita, vulgavit pariter Gallice duodecim Diſſertationes Criticas in Textus quoſdam difficiles Scripturæ ; Pariſiis an. 1715. in 4.

Prior eſt de Nummis Hebraicis & de literis primævis Hebræorum. Succedit altera de poſtica Nummorum Herodis I. & de illis Scripturæ. Tertia verſatur in Textum Theophili Antiocheni in Geneſin 1. 3. Quarta, quinta, & ſexta eſt de tribus variis nominibus Dei in Scriptura ; ſeptima, octava, nona, & decima illuſtrat illud Exodi 6. 3. undecima illud Iſaiæ 53. 8. duodecima eſt in Miſchnam occaſione Editionis illius, datæ apud Batavos, curante Surenhuſio 6. vol. fol. an. 1698. 1699. 1700. 1702. 1703.

Poſtrema hæc Diſſertatio, omnium amplior, continet tres Epiſtolas ad amicum datas, quæ de omnibus in prodigioſo Opere illo contentis, ac de ejus utilitate ad ſtudium Scripturæ, inſtruit. Scripſit etiam Epiſtolas ad D. Indes Doctorem Salmanticinum de ratione reſtituendi Textum Græcum Scripturæ, recitaturque in Ephemeridibus Trevoltianis an. 1709. menſe Junio §. 24. cum reſponſione ad eundem, *ibid.* an. 1710. menſe Januario §. 10.

Salomon Deylingius edidit ſu. Obſervationes ſacras in univerſam Scripturam, quæ laudem ſuam tuentur ; prodieruntque Latine Lipſiæ 1708. in 4.

Joannis de Marck labore habemus 25. Diſſertationes Latinas in Vetus Teſtamentum, excuſas Amſtelodami an. 1709. in 4. Totidem ſpondet & in novum Teſtamentum ; impugnandum ſuſcipit potiſſimum D. Clericum, quanquam Proteſtantes ambo.

Joannes Clericus, Davidis Clerici nepos, patrui ſui 28. Animadverſiones vel quæſtiones ſacras Latinas excudendas curavit Amſtelodami an. 1685. in 8. Adjecit & Diſſertationes octo *Stephani Clerici* fratris ſui, non minus ac priores illas curioſas. Hunc utique e tribus potiſſimum Joannes de Marck impugnat.

Jo. Henricus Majus vulgavit Diſputationes ſelectas Philologicas & Exegeticas, Francofurti ad Mœnum an. 1711. 2. *vol. in* 4. Prius volumen 23. alterum 17. continet. Authores laudat ſane multos, ſed raros Catholicos ; excultus videtur plurima lectione, & ſcientia linguarum Orientalium. De hoc viro nos par. 2. ad Concordantias Evangelicas.

Jo. Henricus Heideggerus, de quo nos alias, 14. ſcriptis Diſſertationibus exagitavit Capellium, Simonem, & Spinoſam in argumento de origine Librorum ſacrorum, eorumque authoritate, integritate, & perfectione ; Tiguri an. 1700. in 4.

In univerſo Opere ſuo eo ſpectat ut probet Scripturam per ſe ſufficere ad evincendum Opus eſſe ſe Dei Authoris, & unicam ſufficere ut in regulam fidei. Ex his ſatis intelligimus rem habere illum adverſus traditionem & authoritatem Eccleſiæ.

Merito hic etiam recenſeretur collectio generalis Diſſertationum *D. Calmet*, quæ digeſtæ ſunt in eam methodum & ordinem ut Prolegomenon in Sacram Scripturam loco eſſe poſſint. Excuſa eſt Pariſiis an. 1720. 3. compactis vol. *in* 4. *eademque Latine reddita eſt Lucæ an.* 1729. 2. *vol. fol.*

Serviet collectio iſta tum commodis illorum, qui Commentario potiuntur, ex nova illa methodo, ad quam omnia ordinata ſunt, & ex additis caſtigationibus atque incrementis. Plus etiam proderit iis, qui cum Commentario deſtituantur, ſibi optime ceſſiſſe judicabunt, ſi extractis ab illo Diſſertationibus juvari poſſint. Earum auxilio pervadent abdiſſimos Scripturæ Textus ; ſupplebuntur hiſce ea quæ deſunt in vulgaribus Bibliis ; ſicut & in pluribus Commentariorum Scriptoribus, Criticæ ſcilicet Præfationes, animadverſiones curioſæ & graves in Authores Librorumque ſacros, eorum ætatem, in authoritatem canonicam Operum. Nanciſcentur tandem in iis Lectores Quæſtiones graves & curioſas, excuſſas probe ; & varias opiniones doctiſſimorum plurium Interpretum ſumma fide relatas, & in plenam diem ſolemque productas.].

DE RATIONE INTERPRETANDÆ SACRÆ SCRIPTURÆ.

D. *Hieronymus* ad Pammachium Ep. 150. de optimo genere interpretandi.

Hu-

Lindanus, de optimo genere interpretandi.

Huetius, de optimo genere interpretandi, & de claris Interpretibus l. 2.

Joan. Clerici de optimo genere Interpretum S. Scripturæ *Comment. in Gen. tom.* 1.

Simonius in Hiſt. Critic. V. T. l. 2. & 3.

Carolus le Cene, idea novæ Verſionis Gallicæ Bibliorum, Roterod. 1696. *in* 8. Gallice. Opus optima quamplura continens, ſed mendis typographicis ſcatens.

Joan. Henrici Hottingeri, de accurata, eaque genuina commentandi ratione. *Apud. Cren. faſc.* 1.

Joan. Mariana S. J. Diſſert. pro Editione vulgata. Hanc Diſſertationem P. Tournemine in nova Editione Menochii inſeruit.

Joſeph. Acoſta S. J. de vera Scripturas interpretandi ratione libri tres.

Franc. Ribera S. J. Proœmia quatuor, in quibus diſquiritur, quinam Script. Sacr. Interpretes cæteris præferendi ſint. Iterum prodiit in Nova Editione Menochii.

Baſil. Pontii Leonis Quæſtiones quatuor de Scriptura Sacra exponenda.

In eadem Editione Menochii legitur etiam Tractatus de Scripturæ Sacræ ſtylo, & obſcuritate, & Apologia Vulgatæ per *Fileſacium*.

De Concordia Sacr. Scripturarum, cum introductoriis quæſtionibus Auth. *Petro Lopez* da Montoya, Madriti 1600

[Opus *Guillelmi Lindani*, in tres diſtributum libros, excuſum eſt Coloniæ an. 1558. *in* 8. Dedit & alia plura in Scripturam opera. Vir Dordrecti natus egit Epiſcopum Gandavenſem; obiit an. 1558. *Jo. Iſaac Diaconus*, Germano-Lutheranus, calamum acuit in idem opus; *Ibid.* 1559. *in* 12.

Opus *D. Huetii*, de quo nos ſupra, excuſum eſt Pariſiis an. 1661. *in* 4. & Hagiæ an. 1683. *in* 8 tertia editio. Æſtimatur maximi, & opus eſt reipſa utiliſſimum ex variis, quæ exhibet, judiciis de variis interpretandi rationibus.

Speciminis *Caroli le Cene* nonniſi prior pars excuſa eſt; alteram manoſcriptam ſervat Jacobus Bernardus juxta Nova literaria an. 1703. menſe Septembris pag. 336. Ejus ſcopus is eſt, ut revelet vitia omnia, quibus laborant Gallicæ Bibliorum Verſiones, ac potiſſimum Geneveoſis. Cadominatus vir, & Arminianus, obiit an. 1703.

Quæ de hoc argumento ſcripſit *Jo. Henricus Hottingerus*, continentur in priori e Diſſertationibus ipſius ſelectis inſcriptis: *Primitiæ Heidelbergenſes*; Heidelbergæ an. 1659 & 1677. *in* 4. præter ea, quæ hujus viri habentur in Faſciculo Crenii. Nos de hoc viro in Geneſim.

Tres libri *Joſephi Acoſtæ*, Jeſuitæ, Hiſpani, exhibentur in nova editione Menochii to. 2. cum Operibus Marianæ & Riberæ. Obiit an. 1700.

Quæſtiones quatuor *Baſilii Pontii* in Scripturam prodierant jam Salmanticæ an. 1600. 1611. fol. Prior quæſtio verſatur in immolationem Agni Paſchalis. Vir erat Hiſpanus, Granatenſis, & Auguſtinianus, defunctus an. 1629. ætatis 59. Jam ſupra innuimus quæſtiones haſce excuſas legi in nova aditione Commentariorum Menochii.

Tandem Concordia Sacrarum Scripturarum *Petri Lopez de Montoja* prodierat in duos impreſſa libros *in* 4 an. 1598. Vir erat Hiſpanus, & Profeſſor Salmanticus ſæculo 16. ineunte.]

BIBLIOTHECÆ SACRÆ

PARS QUARTA,

Continens Authores agentes de Antiquitatibus Judaicis, Legibus, Moribus Hebræorum eorumque Religione, Politia, Militia, Geographia, & Hiſtoria.

AUTHORES, QUI DE OMNIBUS SIMUL ANTIQUITATIBUS HEBRAICIS DISSERUERUNT.

B*enedictus Arias Montanus*, Antiq. Judaic. l. 9. t. 8. Critic. Sacr.

Guillelmi Goeree, de Moſaicis Antiquitatib. 4. vol fol. & de Judaicis Antiquitatibus 2. vol fol. Amſtel. 1690 &c. 1696. 1702. cum figuris ære inciſis.

Joan. Conrad. Dieterici Antiquitates Biblicæ, 2. vol. fol. Methodus, delectus, & ordo in eo Libro deſiderantur.

Joan. Andrea Quenſted, Antiquitates Biblicæ.

Fabricius in ſuo Libro *Bibliographia Antiquaria* c. 1. pag. 21. refert ideam Theſauri Antiquitatum Hebraicarum in 12. libros digeſti per Godefridum Volgt. Ex quo opere pauca nos hoc derivabimus.

Thomas Goduvin, Antiquitates Judaicæ; item Moſes, & Aaron, ſeu de Ritibus Hebræorum, cum notis Joan. Henrici Reizii, & Joan. Henrici Hottingeri, nepotis.

Abbas Fleury de moribus Judæorum, in 12. Pariſ. 1712. Gallice.

Adriani Relandi, Compendium Antiquitatum Hebraicarum, cum Obſervationibus Jo. Jacobi Schudt.

Menaſſe-Ben-Iſrael, Theſauro dos Dinoim.

Hermanni Vander-Hardt, Antiquarium Judaicum.

Joan. Valſeri, Theriaca Judaica.

Theodori Daſſovii, Antiquitates Hebraicæ hactenus ineditæ.

Chriſtiani Vermii, de corruptis Antiquitatum Hebræarum apud Tacitum, & Martialem veſtigiis.

Sam. Fridrsic. Bucher, Antiquitates Hebraicæ, & Græcæ ſelectæ; ſeu de concluſis, & velatis fœminis, Budiſſæ 1717. in 12.

Balthaſar. Babelli, Antiquitates Judaicæ, & Evangelicæ.

Jacob. Reimer, Antiquitates Hebraicæ.

Pauli Scheriogii, Antiquitatum Hebraicarum Dioptra.

[Antiquitates Moſaicæ, & Judaicæ *Guillelmi Goeree*, de quo nos iterum cum de Republica Hebræorum, Opus ſunt Belgicum, Authoris Belga-Calviniſtæ & Medici.

Quæ de Antiquitatibus utriuſque Teſtamenti ſcripſit *Jo. Conradus Dietericus* prodierunt Francoforti an. 1671. & 1680. Diſſerit de Phyſica ſacra in to. 1. pag. 37. de Paradiſo terreſtri pag. 75. de Arca Noe pag. 100. de Turri Babelica pag. 112 de Tranſmigratione & diviſione gentium pag. 108. de ſceptro Juda p. 139. de plagis Ægypti p. 187. de Feſtis Judæorum p. 190. de illorum politia pag. 186. de veſte Summi Sacerdotis p. 192. de conſtructione Tabernaculi p. 200. de Onomatologia ſacra p. 225. de aris, ſtatuis & idolis p. 256. de geographia ſacra p. 287. de muſica ſacra p. 348. de Templ. Jeruſalem p. 361. de Hiſtoria ſacra animalium p. 416. de botanica ſacra p. 487. de Urbe Jeruſalem p. 643. de divinationibus & ſortilegiis p. 653. de militia Orientalium p. 663. de lithologia ſacra p. 675 de ſtatu quatuor Imperiorum; de nummis & ponderibus p. 726. de metallogia ſacra p. 756. de anatomia ſacra p. 773.

In Antiquitatibus Novi Teſtamenti diſcutiuntur & exponuntur Textus plures difficiles. Huic autem Operi præfixus eſt titulus Dictionarii Philologici, Theologici, Græce & Latine. De hoc viro nos alibi.

Antiquitates Biblicæ *Jo. Andrea Quenſted* excuſæ ſunt Wittembergæ an. 1688. 1699. *in* 4. Diſſerit Author de Ordine Eccleſiaſtico, de Cæremoniis ſacris V. Teſtamenti, de Circumciſione & Agno Paſchali, de cultu exteriori & idololatro Judæorum, de locis ſacris, de feſtis veterum Hebræorum, de Judæis originis & adſcititiis, de ſer-

ſervis illorum, de variis excommunicationum generibus, eorumque formulis, jure, uſu, & abſolutione apud Veteres Hebræos &c. De aliis ejus operibus actum eſt in part. 1. & 2.

Totum primum caput Bibliothecæ Antiquariæ *Fabricii* impenditur in recenſendis omnibus qua Judæis, qua Chriſtianis, qua vetuſtis, qua recentioribus, qui de antiquitatibus Judaicis ſcripſerunt.

Clavis Antiquitatum Judaicarum *Joſuæ Arnd*, excuſa eſt ao. 1707. *in* 4. curante Carolo Arnd ejus filio; genus eſt autem quoddam Dictionarii, quo plures Scripturæ Textus illuſtrantur. Vir erat Germano-Lutheranus, defunctus an. 1645. Conſulenda eſt vita ab ejus filio ſcripta in memoriis Theologiæ Pippingii p. 178. Oratio pronunciata Roſtochii & impreſſa an. 1714. Daturum ſe ſpopondit Bibliothecam ſelectam antiquitatum Judaicarum, quod tamen num executioni ab illo mandatum ſit, ignoramus.

Quamquam typis adhuc vulgatum non eſt, uti credimus, ingens opus *Theodori Daſſovii*, continere tamen nos non poſſumus, quin titulos illius hic adſcribamus, quales exhibent Nova literaria maris Baltici an. 1703. p. 86.

Hiſtoria Hebræorum *in fol.* cujus ſingula capita in ſectiones ſex diſtribuentur; e. g. in capite de victimis recenſenda eſt 1. ejus hiſtoria; 2. quid in particularibus rerum eventibus præſtandum eſſet; 3. referenda quæcumque habet de illis Scriptura; 4. corrigendum quidquid de hoc argumento ſcripſerunt Anthores; 5. adducendæ Verſiones Veterum & Recentiorum; 6. Conciliandi Textus ſacræ Scripturæ de hoc argumento in ſpeciem ſibi repugnantes.

2. Verſio Latina Thalmud *Menachot*, ideſt differentis de fructibus Deo oblatis cum Gemarra Babylonica *fol.*

3. Dictionarium Hebræum emphaticum *in fol.* quo alphabetico ordine exponentur voces omnes Hebreæ emphaticæ, & quæ in Bibliis leguntur. Specimen hujus dardum erat aliquod Kilonii an. 1703. *in* 4.

4. Verſio Commentarii Salomonis Jarchi in Exodum & Leviticum *in fol.* Exhibenda eſt hic genuina conſtructio Tabernaculi Moyſis, ſicut & ceremoniæ omnes Templi Jeruſalem, quæ non ſatis adhuc expoſitæ ſunt; quemadmodum & leges ac politia Hebræorum, quod potiſſimum erit operis argumentum.

5. Verſio Latina *in* 4. librorum quorumdam Miſchnæ, in quibus ſermo eſt de depoſito, fœnore, locationibus, conventionibus, de ſocietate in commerciis, de hæreditatibus & ſucceſſionibus, de emendi & vendendi contractibus &c omnia juxta leges & mores Veterum Hebræorū.

6. Verſio Latina duorum titulorum Moyſis Maimonidis, quorum alter eſt de oblationibus, alter de ſiclis, cum verſione Scholiorum Joſephi Karao, & Abraham Ben-David. Ceteras Verſiones, quæ nimis in longum nos adducerent, preterimus. Hæc ſatis eſſe arbitror ad demonſtrandum, quanti momenti opus iſtud futurum ſit. Nos de hoc viro alibi.

Multo conciſius & multo aptius ad captum tyronum eſt opus *Chriſtophori Semleri*, Germano-Lutherani, de Antiquitatibus Scripturæ, Prodiit Hallæ, Germanice an. 1708. *in* 12.

Goodvvin Moſes & Aaron, Reiz, Hottingerus. Quæ de his Autoribus indicavimus, unum idemque ſunt opus; namque Thomas Goodvvin, Anglo-Sommerſetanus, Profeſſor Oxonii inſcripſit Anglicum opus ſuum *Moſes & Aaron*, ideſt ritus Hebræorum; quare ineptum eſt duo hæc in duos librorum titulos diſtinguere; ſunt enim unius ejuſdemque operis impreſſi Londini an. 1685. *in* 4. ſeptima Editio, & Latine Amſtelodami an. 1679. *in* 8. & Trajecti an. 1698. quinta editio; cum notis Reiz, Bremæ an. 1707. *in* 8. tertia editio; cum Hottingero Tiguri ao. 1712. *in* 12. & Germanice *ibid.* an. 1687. *in* 8. Belgice an. 1676. Amſtelodami *in* 8. In editione an. 1690. legitur in exordio Præfatio & Diſſertationes in Theocratiam Iſraelitarum & in Rechabitas. Obiit an. 1648.

Opus eſt in libros diviſum ſex; in quorum primo de perſonis; in ſecundo de locis, in tertio de diebus & temporibus; in quarto de Idololatria; in quinto de conſiſtorio; in ſexto de rebus mixtis: omnia vero ad normam rituum civilium & eccleſiaſticorum veterum Hebræorum.

Antiquitates Hebraicæ ſelectæ *Auguſti Pfeifferi* paruerunt Lipſiæ an. 1687. *in* 12. Addi poſſet ejus Sciagraphia, legenda in Critica ejus ſacra pag. 141. quam *Jo. Jacobus Schuldt* inſeruit cum additionibus in ſuis deliciis Philologicis in calce Hiſtoriæ Judaicæ pag. 147. ubi catalogum recitat eorum, qui de hoc argumento ſcripſerunt p. 166. 177.

Sciographia libros octo complectitur, 1. De Idololatria veterum Hebræorum; 2. de locis ſacris; 3. de perſonis ſacris eorumque miniſteriis; 4. de cæremoniis; 5. de feriis & feſtis; 6. de literatura, Doctoribus, & Sectis Hebræorum; 7. de Magiſtratibus rebuſque politicis; 8. de Domeſticis ac conſuetudinibus. De Pfeiffero nos in prima parte. Schuldt vir erat Germano Lutheranus, & Rector Francofurti ad Mœnum.

Synopſis Antiquitatum Hebraicarum *Adriani Relandi* prodiit Trajecti an. 1708. *in* 8. & 1712. amplior & caſtigatior Lipſiæ an. 1714. Differit de locis, perſonis, rebus & diebus ſacris. De hoc viro nos in novum Teſtamentum.

Joannes Van Bashuyſen, Lutheranus Hannoveriæ, dedit pariter Sciographiam Antiquitatum Hebraicarum; Hannoveriæ an. 1702.

Theſaurus *Dos Dinim Menaſſe-Ben-Iſraël* excuſus eſt Amſtelodami an. 1645. *in* 8. Luſitanice.

Antiquarium Judaicum, vel potius Philologicum *Vonder-Hardt* lucem aſpexiſſe publicam vix credimus. De hoc viro nos in Vetus Teſtamentum.

Antiquitates qua Judaicæ qua Evangelicæ *Balthaſaris Bebel*, lucem aſpexerunt Leovardiæ an. 1673. *in* 4. Vir erat Germano-Lutheranus Argentoratenſis, defunctus an. 1686.

Joachim Ludovicus Reimerus ſcripſit tantum ſpecimen antiquitatum deliteſcentium in N. Teſtamento apud quatuor Evangeliſtas; Haphniæ an. 1657. *in* 4. De hoc viro nos infra.

LEGES, ET RELIGIO JUDÆORUM.

In præcepta Noachidarum, ſive filiorum, Noe poſt diluvium differit.

Joan. Seldenus de jure Nat. & Gent. ſecundum diſciplinam Hebræorum. Lond. fol. 1640.

Melchior Leideker, de Rep. Hebr. t. 1. p. 28.

Joan. Friſchmuth, de præceptis Noachidarum, Diſſert. 2. in *Theſ. Theol. Phil.*

Nat. Alexandri, Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. ætate 2. Diſſert. 2.

Joan. Franc. Buddæus, Hiſt. Philoſophiæ Hebr.

Joan. Alberti Fabricii, Apocryph. Vet. Teſt. p. [illegible] & Bibliographia antiquaria, c. 15. n. 1.

In Leges cerimoniales Judæorum conſulendus *Jo. Spencerus* de Legibus Judæorum ritualib. Cantabr. 1685. fol.

Joan. Marsham, Can. Chron. Ægypt. ſeculo 9. [illegible] Lex Moſaica.

Herman. Witſius, Ægyptiaca &c. Amſtelod. 1683. *in* 4.

Claud. Fraſſen, Minoritæ, Diſquiſitiones Biblicæ *l.* 2. *c.* 4.

Natal. Alexander, Hiſt. Vet. Teſt. ætate 4.

Aug. Calmet Præfatio in Exodum.

Jo. Alb. Fabricii, Bibliog. antiquaria, c. 15. n. 1. 2. 3. 4. 5.

Joſue Arnaldus, Manuale Legum Moſaicarum.

Conſtantinus Imperator. de Legibus Hebr. Forenſibus, Leid. 1637. *in* 4.

Joan. Henrici Hottinger, Jus Hebræorum, Tiguri 1656.

Maimonides, de ſtudio Legis, ex Verſione Rab. Flavereng.

Aug. Calmet Præfatio in Deuteronomium, ubi Legum Hebraicarum ſummam complectitur.

Auguſti Pfeiffer, Specimen Antiquitatum Sacrarum, ſeu de Antiquis Hebræorum Ritibus.

Fr. Tiſſard, de Hebræorum Ritibus.

Gaſparis Agricolæ de Ritibus Hebræorum.

Georg. Gaſpar. Kirchmajer. De rebus, Ritibuſque Judæorum.

Guillelmi Zeppeiri, Legum Moſaicarum forenſium explicatio.

Leo Modena, Ceremoniæ et Mores Judæorum cum Supplemento Richardi Simonii, *Verſio Gallica ex Italica*.

Joan. Buxtorfii P. Synagoga Judaica, *in* 8.

Herman. Greemberg, Synagoga Judaica.

Gerardi Weltwiebii, Itinera deſerti, ſeu de Judaicis diſciplinis etc.

Guillelmi Surenhuſii, Theologia Hebræorum. In 4. Amſtelod.

Miſna, cum Verſione ejuſdem Surenhuſii, et Notis Maimonid., et Bartenoræ, etc. Amſtelodami 1698. in in fol. Vol. 6.

Diſſertatio in Miſnam in Collectione Gallica Diſſertationum criticarum, Pariſ. 1715. *in* 4.

[Non-

[Nonam introductionem ad Hiſtoriam Philoſophicam Hebraicam exhibuit nobis *Franciſcus Buddeus*, & non Budæus, uti male in noſtris impreſſis, Hallis in Saxia an. *1702*. in 8. Dedit & magno numero opera alia, quarum nonnulla indicavimus.

Fabricius in ſua Bibliographia antiquaria c. 15. n. 2. tria legum Moſaicarum genera diſtinguit; morales nempe, civiles, & cæremoniales. Omnes vero quicumque in has leges ſcripſerunt, recenſet pag. 102. 104.

Hermannus Witſius in ſua *Ægyptiaca*, triom librorum opere, parallelum inſtituit cæremoniarum ſacrarum Ægyptiacarum cum Hebraicis. Hujus operis præter indicatam editionem poſterior eſt altera an. 1696. De hoc viro nos alias.

Manuale Legum Moyſis *Joſua Arndt* prodiit Guſtrovii an. 1666. De grandi ejus Opere in articulo præcedenti actum eſt.

Jus Hebræorum *Hottingeri* continet 161. Leges Moyſis. Secunda editio, a nobis indicata, eſt an. 1658. & non 1636. uti male in noſtris impreſſis; ſotum voluminis eſt in 4. Prodigioſum eſt quod vir ille dedit in Scripturam.

Opus *Moyſis Maimonidis*, referens cæremonias legeſque Hebræorum deductas e Thalmud, poſtremo omnium excuſum eſt Amſtelodami an. 1702. 2. vol. in quatuor libros vel capita cum Commentar. Joſephi Athiæ Judæi, qui editionem illam curavit. De hoc viro nos in prima parte.

Addemus hic, quantum ad opus illud, *Ludovicum de Veil* Libros quoſdam ejus vertiſſe, quorum unus eſt de cæremoniis, excuſus Pariſiis an. 1667. in 12. alter de cultu divino, *Idem* 1678. in 4. Adjecit & animadverſiones doctiſſimas.

Quæ de ritibus Hebraicis ſcripſit *Franciſcus Tiſſard*, Profeſſor Pariſienſis, leguntur in Grammatica ejus Hebræa, excuſa Pariſ. an. 1508. in 4.

Expoſitio legum civilium *Guillelmi Zepperi*, Germano-Calviniſtæ, & Miniſtri Herbornii, prodiit ibidem an. 1614. ſecunda editio. Differit num vigeant adhuc, num abolitæ interierint.

Vir alter ejuſdem nominis, gentis, & religionis, cognomento *Philippus* leges civiles Moyſis contulit cum Romanis; in Saxia an. 1632.

Cæremoniæ Judæorum auctore *Leone Modena* cum ſupplemento Richardi Simonis excuſæ ſunt Pariſ. an. 1681. in 8. Poſterior iſte Gallice opus vertit. Relatæ ſunt poſthæc in collectionem amplam cæremonialium, & morum religioſorum omnium late per Orbem gentium, Amſtelod. an. 1723. 3. vol. fol. Illud, de quo modo, opus præcedit cætera in priori tomo cum eximia Præfatione Editoris par. 1. pag. 1. & D. Simonis pag. 39.

Opus Leonis Modena excuſum erat Hebraice Mantuæ an. 1612. fol. Auxit poſthæc opus ſuum Author, & ſecundam hanc editionem D. Simon Gallice vertit. Sermo eſt ejus alios Hiſtoriens de Paſcha Judaica, Italicis, impreſſus literis Hebraicis Venetiis an. 1609. fol. Vir erat Mutinenſis, Medicus Judæus, florebatque ſæculo 17. ineunte.

Buxtorfii patris opus eſt Synagoga Judaica, quam maternà Germanica lingua vulgavit Baſileæ an. 1603. in 8. Latine impreſſa eſt Hanoviæ an. 1604. in 8. 1680. 4. editio aucta, & caſtigata a Filio ejus, & Nepote Baſileæ an. 1712. & editio Belgica Amſtelodami an. 1650. in 8. Diſſeruit ibi de religione, ortu, vita, moribus, & ſepultura Judæorum. Vir erat Weſphalo-Calviniſta, defunctus an. 1629.

Theologia Hebræorum, edita a *Guillelmo Surenhuſio*, inſcribitur Græco titulo: *Biblos Catallages*. Excuſum eſt iterum opus an. 1712. ſed majoris momenti eſt editio Miſnæ ab eo data cum verſione ſua. Conſulenda ſunt ea, quæ de hac editione ſcripſit P. Souciet tribus datis epiſtolis, vel ſecunda diſſert. cujus meminimus in tertia parte. Surenhuſius vir erat Germano-Lutheranus, Profeſſor linguarum Orientalium Amſtelodami, & facile adhuc vivit.

Addemus *Spencerum*, cujus peculiaris eſt Tractatus de Legibus Hebræorum, excuſus Latine Cantabrigiæ an. 1685. Hagiæ an. 1686. in 4. & in fol. 2. vol. an. 1684. alia editio multo amplior. Totum opus in tres diviſum libros longa diſcuſſione agitat argumentum; plurima autem eruditione eſt refertiſſimum. Fuſius de illo actum eſt in Bibliot. ſacra, ad quam Lectores remittimus.]

IN MESSIAM, ET ANTICHRISTUM.

SCriptores in ſeptuaginta hebdomades vide in articulo *Daniel*.

Abdiæ Fidentii, de uno Meſſia.

Antonii Hulſii, Theologia Judaica de Meſſia.

Aug. Calmet Diſs. de characteribus Meſſiæ juxta Judæos.

Benedicti Poſſantini, Dialog. de Meſſia.

Bernardini Ochini, Dialogi 18. de Meſſia.

Blaſii Viegas, Tract. de victoria Meſſiæ.

Chriſtiani Matthiæ, Diſputationes de Divinitate, & Officio Meſſiæ.

Daniel. Cramerii de Meſſia.

Didaci Dattica de Meſſia.

Franc. Ravel Demonſtr. Jeſum Naz. eſſe Meſſiam.

*Jacob. Alting*er. Silo, ſeu de vaticinio Patriarchæ Jacobi. Geneſ. 49. 10.

Jacobi Martini Diſputatio de Meſſia.

Joan. de Becane de adventu Meſſiæ l. 1.

Joan. Rhomberg Diſſert. de adventu Meſſiæ.

Jul. Bartolocci de Meſſiæ Divinitate.

Jul. Caſaris Valentini de adventu Meſſiæ.

Laurentii Branzoli de Judæorum Meſ.

Ludovici Vives, quod Jeſus eſt Meſſias.

Petri Antiſignani, Liber de Meſſia.

Petri Canonici, l. 3. de adventu Meſſiæ.

Philippi Mornai, Monita ad Judæos de Meſſia.

Richardi Kidderi, Demonſtratio adventus Meſſiæ.

Petri Danielis Huetii, Demonſtratio Evangel.

Euſebii, *Caſarienſis* Epiſcopi, Præparatio Evangelica, & Demonſtratio Evangelica.

Tanaquilli Fabri, Diſſert. de loco Joſephi, ubi teſtimonium reddit J. C. Vide.

Huet. Demonſtr. Evang. propoſit. 3. n. 10.

Caroli St. Anbuſi, lib. pro teſtimonio Joſeph, de J. C. l.

Caroli Joſephi Imbonati, adventus Meſſiæ, a Judæorum blaſphemiis, & Hæreticorum calumniis vindicatus *Bibl. Rabb. tom. 5. parti ult.*

Idem de Pſeudo-Meſſiis Judæorum. *Ibid.*

Idem de blaſphemiis Judæorum in J. C. *Ibid. pag.* 423.

Baſnage Continuatio Hiſtoriæ Judaicæ. Gallice t. 4. c. 6. c. 20. &c. uſque ad 28.

Joan. Valſeri Theriaca Judaica p. 369.

Chriſtoph. Cellarii, Specimen anti-Judaicum de duplici Meſſia, Leucopetræ 1668.

Joan. Alting. de Pſeudo-Meſſiis Judæorum, Herborn, 1684. in 4.

Raymundi Martini, Pugio fidei, cum notis Joſephi de Voiſin. Pariſ. 1651.

Petri Galatini, de Arcanis Catholicæ veritatis lib. 12.

Longum Authorum de hoc argumento catalogum quære apud Imbonati, *Bibl. Rab. t. 5. pag.* 422 423.

S. Hippolyti Martyr. Epiſcopi Portuenſ. de Antichriſto. Ejuſd. ſeu alius de conſummatione mundi, & Antichriſto.

Malvenda, de Antichriſto, Romæ 1604. fol.

Benedicti Pererii 23. Diſputationes, quibus probatur Mahometum eſſe Antichriſtum.

Adſonis Dervenſ. Abbatis, de Antichriſto, inter opera D. Auguſtini.

Aug. Calmet. Diſſert. de Antichriſto.

Chriſtiani Groſſi Diſput. de Antichriſto.

[Juxta P. le Long *Abdias Widmarus*, Weſphalo-Calviniſta, linguæ Hebraicæ profeſſor, exercuit ſe ſe in Urim, & Thummim; Hardebovii an. 1644. in 4. obiit an. 1648. Silet idem P. le Long ea, quæ Author iſte in Meſſiam ſcripſerit.

Antonius Hulſius de Meſſia egiſſe putatur in ſuis oraculis V. Teſtamenti, excuſis Lugd. Batavor. an. 1689. in 4. Ad Theologiam ejus Judaicam quod attinet, vidiſſe ſe tantum affirmat Fabricius priorem ejus operis partem, in qua referuntur ludibria Rabbinorum, Meſſiæ adventum impugnantium. Excuſa eſt Bredæ an. 1653. in 4. Obiit vir Belga-Calviniſta an. 1685.

Jacob. Altingius, & non *Altingerus*, uti male in noſtris impreſſis, ſcripſit de Schilo, vel de oraculo Jacob ad Meſſiæ adventum pertinente, Franeki an. 1660. in 4. De hoc viro nos in V. Teſtam. & infra etiam redibit ſermo.

Pugio

Pugioſidei Raimundi Martini volumen eſt in folio; ſicut & opus *Galatini* excuſum Francof. an. 1602. ſecunda edit.

Nemo noſtra ætate ambigit Tractatum de Antichriſto, & alterum de conſummatione mundi tributum celebri S. *Hippolito* opus eſſe ſuppoſititium, uterque tamen impreſſus eſt in nova Biblioth. Latina Patrum tom. 27. p. 29. & in Biblioth. Græca tom. 3. pag. 242. De hoc S. Martyre nos in articulo Commentariorum Generalium.

Tractatus *Malvenda* de Antichriſto volumen eſt non *in fol.* ſed *in* 4. maximi vero æſtimatur, perinde ac alter ejus de Paradiſo terreſtri a nobis indicatus. Analyſim ejus exhibet D. Dupin Biblior. Eccleſ. ſæc. 17. tom. 1. pag. 282. Libros undecim complectitur.

Tractatus *Adſonis* legitur in appendice tom. 6. nov. edit. S. Auguſtini. Prologus, & epilogus, qui ſuppreſſi erant, leguntur modo in additionibus tom. 11. poſt tabulas generales.

Ejuſdem nominis Abbates ſunt duo, Luxovienſis alter, alius vero Dervenſis in Campania. Poſtremo huic reſtitutus eſt Tractatus, de quo modo, falſo olim S. Auguſtino, & Alcuino tributus.

Diſputationes peculiares de Antichriſto dediſſe quidem *Pererius* non videtur, ſed in Apocalypſim cum ſcripſerit, facile totum argumentum excuſſiſſe reputandus eſt. Editionem hujus operis indicavimus in parte prima in Apocalypſim. Reipſa quidem occurrunt 23. Diſputationes in Antichriſtum ſeorſum in calce Diſputationum ipſius in Apocalypſim. Neque demonſtrandum aſſumit Mahometum ipſum eſſe Antichriſtum, ut in noſtris impreſſis breviato titulo expreſſum eſt; quin potius refutat Annium Viterbienſem, alioſque plures hanc opinionem tuentes. Nos de illo in Geneſ.

Quæ de hoc argumento dedit *Chriſtianus Groſſius*, idem ſunt facile ac opus ejus de Anti-primatu Papæ, excuſum Hamburgi an. 1640. nec enim in eo a ſtylo familiari Proteſtantium abſceſſiſſe reputandum eſt, qui Papam Antichriſtum appellant. Nullum aliud opus ipſi vindicat D. Dupin. Vir erat Wittembergenſis, natus an. 1602. ſedem ſuam fixit Lipſiæ an. 1623. Profeſſorem egit Stetini an. 1624. & Miniſtrum generalem Lutheranum Pomeraniæ. Obiit an. 1673. Suus hic eſſet locus afferendi eos, qui ſcripſere de Pſeudo-Meſſiis; ſed eorum catalogum habes deductum in Bibliographia Antiquaria Fabricii p. 246.

Addemus hic tantum *Alexandrum Suſmannum*, qui expoſitioni ſuæ de Oraculo 70. hebdomadarum Danielis dedit additamentum, quo J. Chriſtum Meſſiam eſſe demonſtrat, & cauſas incredulitatis Judaicæ inquirit. Paruit Latine Lugd. Batavor. an. 1710. *in* 4.

Additio iſta bifariam dividitur; in priori parte probat Author Judæis Meſſiam in J. C. veniſſe; in ſecunda demonſtrat Judæos recentiores perinde eſſe incredulos ac Patres eorum, quippe qui eadem tenent præjudicia.

Jo. Rodulphus, & *Jo. Jacobus Crameru* in ſua Theologia Iſrael, Latina, impreſſa Lipſiæ an. 1704. eo unice ſpectant, ut J. Chriſtum Meſſiam eſſe demonſtrent.]

TABERNACULUM, TEMPLUM, SYNAGOGA JUDÆORUM.

A*Dami Scoti* de triplici Tabernaculo Moyſis.

Vener. Beda de Tabernaculo, & vaſis ejus.

Ben. Ariæ Montani, Beſeleel, ſive de Tabernaculo.

Jacob. Juda Leo de Tabernaculo. Hiſpanice.

Vide Interpp. Exodi 25. &c.

Alexandri Roſſi, Templum Judaicum Ethnicum.

Aug. Calmet, Diſſertatio de Templis Veterum, & Templo Jeruſolymitano. *Ante Comment. in* 3. *Reg.*

Vide etiam Dictionarium hoc v. *Templum.*

De divitiis a Davide Salomoni relictis.

Maimonides, de Templo, ex verſione Lud. Compiegne de Veiel. Pariſ. 1668. *in* 4.

Franciſc. Ribera de Templo, & de iis, quæ ad Templum pertinent; de Sacrificiis, Feſtis &c. l. 5. Salamant. 1591.

Jacob. Juda Leo, de Templo. Edit. Sauberti.

Joan. Henrici Cocceii, & *Campegii Vitringa* de Templo Ezechielis.

Leonardi Chriſtoph. Sturmii, Sciographia Templi Jeroſolymitani.

Samuel Lee de Templo, & Sacerdotio, Anglice.

Jo. Villalpandi, & *Hieronymi Pradi*, Deſcriptio Templi Jeroſol.

Jo. Ligtfoot, Deſcriptio Templi Jeroſol. ex mente Hebræorum *Opac. tom.* 1.

Ludov. Capelli Templi Jeroſol. Deſcriptio triplex. *Apud* 1. *e. Bibl. Polygl. Londin.*

Jo. Jacobi Cramori de Templi 2. area exteriore.

Thom. Daſſovii Altare exterius ad mentem Hebræorum delineatum.

Ejuſdem de Imaginibus rerum Hebræarum, quæ noſtra ætate circumferuntur.

Vide *Fabric.* Bibliographia Antiquaria cap. 9. num. 4. 5. 6. .... 9.

Maimonides deſcriptio Templi, de apparatu Templi, de ratione adeundi Templum, de rebus Altari interdictis, de ratione Sacrificiorum faciendorum. *Apud Cren. faſc.* 6.

Campegii Vitringa de Synagoga vetere.

Joan. Held, de Synagogis Judæorum, Nurembergæ 1694. *in* 8.

David Clodius, de Synagogis Judæorum.

Chriſtiani Bornitii Diſſertationes de Synagogis Judæorum, Wittemberg. 1650. *in* 4.

Baſnage Hiſt. Judæor. *Lib.* 7. *c.* 6.

Campegii Vitringa Archiſynagogus, ſeu de decem otioſis Synagogæ.

Jac. Rhenferd, de decem otioſis Synagogæ.

Baſnage Hiſt. Jud. Edit. Pariſ. 1710. l. 9. c. 31.

Formula Græca renunciandi Judaiſmu. *Coteler.* Not. ad PP. Apoſtolicos t. 1. p. 499.

Ludov. Compiegne de Veiel, de Cultu Divino apud Hebræos.

Richardus Simon, Collatio cæremoniarum Judaicarum cum diſciplina Eccleſiæ.

Jo. de Leovardia, de Judæorum Synagoga.

Benedict. Pictet, Diſſert. de Templis, eorumque inauguratione, Genevæ 1716. *in* 8. Gallice.

[DE TABERNACULO, ET TEMPLO.

TRactatus *Adam Scoti* de Tabernaculo Moyſis in tres partes diſtinguitur. In priori parte literalem penitus deſcriptionem, qualis exhibetur in Scripturis, adornat, ea pariter referens quæ de Opere illo Beda. In ſecunda exponit deſcriptionem illam allegorice; in tertia moraliter. Legitur id totum pag. 128. 449. Operum ipſius excuſorum Antuerpiæ an 1659. *fol.* cum geminis Epiſtolis ab ipſo de hoc argumento ſcriptis ad Abbatem, & Religioſos Præmonſtratenſes. Vir erat Anglus, & Præmonſtratenſis, defunctus an. 1180.

Quæ de hoc argumento ſcripſit *Beda* leguntur tom. 4. Operum ipſius. De hoc viro nos in Articulo Commentariorum Generalium.

Arias Montanus in ſuo apparatu ad Polyglotta Antuerpienſia exhibet deſcriptionem Tabernaculi Moſaici cum Tabula æri inciſa. De hoc viro nos in articulo Polyglottorum.

Deſcriptio Tabernaculi Authore *Jacob. Juda Arith*, & non Leone, uti male in noſtris impreſſis, excuſa eſt Hiſpanice Amſtelodami an. 1654. *in* 4. Belgice jam prodierat *ibid.* an. 1647. *in* 4. Ejus menſura Templi Salomonici, ex Hiſpano verſa Gallice, excuſa eſt Amſtelodami an. 1643. *in* 4. & Hebraice ab ipſo tradita *ibid* an. 1650. *in* 4. Latine a Jo. Sauberto cum figuris Helmſtadii an. 1665. *in* 4.

Liber eſt unicus, ſed in quatuor diviſus partes. In priori diſſerit de Templo Salomonis in genere; in ſecunda de ejus forma, & conſtructione; in tertia de vaſis ad ejus uſum; in quarta de ædificiis Templo adjacentibus. Vir erat Judæo-Hiſpanus, & Rabbinus Synagogæ Amſtelodamenſis.

Salomon Van-Till, quem jam indicavimus, diſſeruit de Templo, ad illud Exodi 25. 30. Prodiit opus Amſtelodami an. 1714

Coſmæ Ægyptii eſt deſcriptio Tabernaculi legenda in Syſtemate ejus geographico de Mondo lib. 5. in nova Collectione Patrum Græcorum, & a D. Bernardo Montfaucon adornata. Ægyptius ideo dicitur, ut ab altero Coſma Jeroſolymitano florente ſæculo 7. diſtinguatur. Vivebat hic ineun-

ineunte ſæculo 7. agebatque Alexandriæ inter Monachos. Conferendus eſt D. Montfaucon collectionis tom. 2. De labore ejus in Iſaiam alibi agemus.

Scriptorum de Templo Salomonis portionem maximam dedimus ad Libros Regum; de opere *Villalpandi* actum eſt ad Ezechielem.

Opus *Alexandri Roſſæi*, Angli, & a Sacello Caroli I. Anglice excuſum eſt Lond. an. 1626. in 8. & Germanice a Davide Nerreter cum figuris, Nurimbergæ an. 1701. in 8.

Diſſeruit de vero cultu Dei, & potiſſimum de Idololatria, de variis ſacrificiis Judæorum, de Templo in monte Garizim, de Sabbato, de Paſchate, Feſtis ac ſolemniis Judaicis, de Urim, & Thummim &c.

Quæ ſcripſit *Moyſes Maimonides* de Templo Jeruſalem lucem aſpexerunt Pariſ. an. 1678. in 4. cum Latina Verſione *Ludovici de Veil*. P. le Long ignoravit necum hanc eſſe Verſionem; totius enim operis honorem poſtremo huic tribuit; & ne verbo quidem ejus meminit in articulo Maimonidis. De utroque hoc viro nos alibi.

Tertia data eſt editio operis *Ribera* Antuerpiæ an. 1602. in 4. Quam indicavimus volumen eſt in fol. Diſſerit ibi de conſtructione Templi, de Arca, de Ara, ſacrificiis, veſtibus Sacerdotum, feſtis &c. Nos de illo in Epiſtolam ad Hebræos.

Liber de Templo Ezechielis *Jo. Henrici Coquei*, filii celebris Coquei, Calviniſtæ, prodiit Amſtelodami an. 1692. in 4. & curante Vitringa Franekeræ an. 1687. in 8. 2. vol. & 1695. De poſtremo hoc jam egimus. Refutant ſententiam Villalpandi. Opus eſt autem Belgicum, cui accedit Diſſertatio de Urbe Jeruſalem, & diſtributione Terræ Chanaaniticæ.

Sciographia *Sturmii*, Germano-Lutherani, Matheſeos Profeſſoris, lucem aſpexit Sturmii an. 1694. Lipſiæ in 4.

Opus *Samuelis Lee*, Angli, Anglice excuſum eſt Lond. an. 1685. fol. inſcribitur: *Orbis miraculum*.

Jo. Jacobi Crameri, Tiguro-Calviniſtæ, continet exercitationes Philologicas; Leidæ an. 1702. in 4. Obiit an. 1702.

Potiſſimus author in hoc argumentum, qui e memoria exciderat, eſt *P. Lami*, Oratorii, qui peculiarem Tractatum dedit in Tabernaculum, Templum Salomonis, & urbem Jeruſalem, Latine excuſum Pariſ. an. 1720. fol.

Eſt autem Opus in ſeptem libros diſtributum, quorum duo priores præliminaria continent; tertius deſcriptionem Tabernaculi; tres poſtremi agunt de Templo cæteriſque ad illud pertinentibus.

COROLLARIUM.

SYNAGOGÆ JUDÆORUM.

PRæter Templum, quod unicus erat locus adorandi, & ſacrificandi permiſſus Hebræis, alia erant illis deſtinata, quæ convenirent, inſtruerenturque; hæc autem loca appellabant Synagogas: nec alia illis reſtant poſt extremam deſolationem Templi Jeroſolymitani.

Quæ ſcripſit de veteri Synagoga *Campegius Vitringa* in tres libros diviſa ſunt. Diſſerit autem de nominibus, conſtructione, origine, Præfectis, Miniſtris, ac ſi quid eſt ſacrum in Synagogis, nititurque demonſtrare potiſſimum Eccleſias noſtras primo formatas fuiſſe e Synagogis. Prodiit opus Franekeræ an. 1696. in 4. Secunda eſt Editio alterius operis jam impreſſi ibidem an. 1685. in 4. ſub titulo *Archiſynagogus notis illuſtratus*. Scripſit enim Librum de decem illis viris, quorum curæ vetus Synagoga commiſſa erat, ad propugnandum Ligtfootum adverſus Rhenferd; *ibid.* 1687. in 4.

De Synagoga, & Scholis Judæorum opus *Jona. Held*, Germano-Lutherani, nonniſi unice eo opere noti, excuſum eſt an. 1664. non 1694. uti male in noſtris impreſſis.

Quæ de hoc argumento habemus *Davidis Clodo*, debentur potius Joanni G. *Grambs*, qui ſub ejus auſpiciis opus vulgavit, impreſſum Gieſſæ an. 1682. ait Fabricius Bibliograph. p. 612. Excuſum Wittembergæ notat P. le Long, ſed nihil apud illum de anno, & forma impreſſionis. De Clodo egimus in Prophetas; Grambs vir eſt aliis non notus.

Præter ea, quæ indicavimus, *Jacobus Rhenferd*, ejus eſt etiam labor Tractatus *Inveſtigationis*, in quo de Præfectis, & Miniſtris Synagogæ: impreſſus Franekeræ an. 1700. & P. le Long ignotus. Vir erat Belga Calviniſta, linguas Orientales callens, & Profeſſor Franek. Obiit an. 1712.]

SACERDOTES, ET SACRIFICIA JUDÆORUM.

J*Oan. Selden*, de ſucceſſione in Sacerdotium Hebræorum, *in quarto*.

Joan. Deckerus, Catalogus Summorum Pontificum Vet. Legis.

Aug. Calmet, Diſſert. in ſucceſſionem Summorum Pontificum Hebræorum. *Ante Comment. in Judith.*

Pauli Sievogti, de 24. Ephemeridibus Sacerdotum apud Hebræos.

Julii Bartoloccii de Sacramento Ordinis, Hebraice dicto *Semicha*.

Gec. David Zieglera, de ordinatione, & conſecratione Sacerdot. Hebr. Wittemberg 1682.

Henrici Dodwelli, de uno Sacerdotio, & uno Altari.

Jo. Ligtfoot. de veſtitu Sacerdotum Hebræorum.

Jo. Braunius, de veſtitu Sacerdotum Hebræorum, 2. vol. in 4. Amſtelod. optima editio 1701.

Hieronym. Sopranis, S. J. de veſtibus Sacris, ſeu de re veſtiaria Hebræorum, & de funeribus, Lugduni 1643. fol.

Joan. Prideaux de veſtitu Aaronis.

Didaci de Caſtillo de ornatu, & veſtibus Aaronis.

Samuel Lee, de veſtibus Aaronis Diatribe ſingularis.

Jo. David Carpzovius de Pontificum Hebræorum veſtitu ſacro.

D. Hieronymi de veſtitu Sacerdotum ad Fabiolam.

Ejuſdem de Ephod, & Teraphim ad Marcellam.

Joan. Alting. Diſſert. de Mitra, Stola, Ephod &c. *Oper. tom. 5. pag. 269.*

Berlingham ad Tractat. Talmudic. Joma, Lond. 1648. *in quarto*.

Vide & Miſnam Edit. Surenhuſ. tom. 2.

De Urim, & Thummim. Vide *Spencer*. de Legibus Hebræor. Ritual. Viller, *Philipp. Riboudeau*, *Baltaſar. Bawmbach*, *Abdiam*, *Vidmarium*, *Andream Sennert. Buxtorf. Viſſium*.

Maimonides, de Sacrificiis ex Verſione Lud. Compiegne de Veiel. Lond. 1683. in 4.

Vide eundem apud Crenium faſcic. 7.

Guilhelm. Outtan, de Sacrificiis Hebræorum l. 2. Lond. 1677. in 4.

Joan. Friſchmuth de Sacrificiis Patriarch. ſeu Primorum Hominum, Jenæ 1653. in 4.

Jonas Clopenburg, Schola Sacrificiorum Patriarchalis.

Henrici Ponsani de Sale Sacrificiorum, Trajecti 1703. *in quarto*.

Joan. Sanbors de Sacrificiis Hebræorum.

Joan. Friſchmuth, de hirco emiſſario. *Vide in Magno Critic.*

Joan. Spencer. de eodem. *De leg. Hebræor. Ritual. lib. 3. diſſ. 8.*

Maimonides, de Vacca Rufa, cum commen. Andr. Chriſtoph. Zelleri pag. 244.

Joan. Bened. Carpzovii, de Vacca Rufa.

Gaſpar Calvoer, Ritualis Eccleſiaſtici tom. 2.

Theod. Daſſovii, de luſtratione Judæorum. Wittemberg. 1692.

De Sacrificiis Hebræorum legi etiam poſſunt Authores laudati in Bibliographia Antiquaria *Joan. Alberti Fabricii* c. 12. n. 1. 2. 5.

[Tractatus *Joannis Seldeni* de ſucceſſione Summorum Pontificum apud Hebræos, in geminos diviſus libros, excuſus eſt Lond. an. 1636. *fol.* Prodierat jam Lugd. Batavor. an. 1630. in 8. Junctim etiam cum altero opere ejuſdem paruit Francofurti ad Oderam an. 1673. in 8. Vir erat Anglus a Suſſex, Hiſtoriæ, Juriſprudentiæ, Philologiæ Sacræ, & linguarum Orientalium ſcientia excellens. Obiit an. 1654.

Catalogus Summorum Pontificum, & Sacerdotum veteris legis *Joan. Deckerii*, Belga-Jeſuitæ, publice nondum paruit, juxta Sotvelum, qui ejus meminit in ſua Bibliotheca, ſervaturque manuſcriptus Lovanii. Obiit an. 1619.

Quatuor, & viginti Ephemerides Sacerdotum, Authore *Paulo Sievogt*, indicatæ ſunt jam ad S. Lucam; viri hujus meminimus ad S. Matthæum.

Diſſer-

Diſſertatio *Zigra* da inauguratione, & conſecratione Sacerdotum paruit Wittembergæ an. 1660. in 4. De hoe Viro nos in Geneſim. Scripſit & geminas Diſſertationes da unctione ſacra, de qua Exodi 30. 22. 25. Leguntur ambæ in Diſſ. Philolog. tom. 3.

Joan. Braunii de veſtibus Sacerdotum Opus ad Exodum indicavimus; hic tantum monemus an. 1684. unicum continari librum, ad cujus calcem Author daturum ſe alterum de hoc argumento ſpondet.

Quæ in idem argumentum vulgavit *Jacobus Hieronymus Sopranes* leguntur in Digreſſionibus Commentarii ipſius in David, cujus nos impreſſionem indicavimus. Vir erat Genuenſis, defunctus an. 1629.

In ſecunda Orationum ſuarum *Joan. Prideaux* diſſeruit de veſtibus Aaronicis. Excuſæ ſunt Oxonii an. 1626. & Tiguri an. 1672. in 4. Nos de hoc viro in Apocalypſim.

Operis *Didaci Caſtilli* de hoc argumento in Exodum meminimus.

Diſſertatio *Benedicti Davidis Carpzovii* de veſtibus Summorum Pontificum lucem aſpexit Jenæ an. 1655. in 4. legiturque inter Diſſertationes Academicas Joan. Benedicti fratris ipſius, impreſſas Lipſiæ an. 1699. in 4. Vir erat Lipſienſis, Lutheranus, defunctus an 1655.

Schola ſacra ſacrificiorum Patriarcharum cum ſpicilegio Cloppanburgii edita eſt an. 1637. in 16. Leidæ. Da hoc viro nos alibi.

Joan. Saubertus non de ſacrificiis Veterum tantum, ſed & de Sacerdotibus ſacriſque Miniſtris Hebræorum diſſeruit, Commentario impreſſo Jenæ an 1659 in 8. Thomas Crenius opus illud recenſuit, & Notis ſuis illuſtravit, recudendumque euravit Lugd. Batavor. an. 1699. in 8. Filius erat Joan. Sauberti, Germano Nurimbergenſis, & Lutheranus ac Profeſſor Linguæ Sanctæ Altorfii, defunctus an. 1688.

Tractatus *Dodwelli de una altaris ſacrificio* Anglica ſcriptus eſt, excuſuſque Lond. an. 1673. in 8. Damus hic Latinum ejus titulum, qualem legimus in Bibliotheca Regia: *Ex antiquis Authoribus in eorum adverſus Schiſmata controverſiis, cum neceſſariis Relationibus ad quoſdam poſtremos Tractatus Richardi Baxter.*

Ritoale Eccleſiaſticum *Gaſparis Calvori*, & non Calvorei, uti male in noſtris impreſſis, paruit Jenæ an. 1705. in 4. In partes diſtribuitur geminas, quarum prior exhibet originem, & cauſas rituum Eccleſiæ Evangelicæ, ac illorum malum probumque uſum. In ſecunda reſpiciuntur loca, tempora, & perſonæ ſacræ, & totum quidquid eſt antiquitatis Eccleſiaſticæ.

AUTHORES ADDENDI.

FAbricius Bibliograph. Antiquar. c. 11. remittit nos, ut de ſacrificiis magis magiſque inſtruamur, ad ea quæ *Edoardus Bernhardus* ſcripſit in ſuis notis ad Joſephum Antiquit. l. 3. c. 9. &c. ubi deplorat grandem illam jacturam Operum hujus Hiſtorici, ad leges Hebræorum quod attinet pag. 211.

Monet etiam ut conſulamus *Robertum Sheringham* in ſuo Tractatu *Joma*, excuſo Lond. an. 1648. in 4. & ſecundum tomum Miſchnæ per Surenhuſium, da quo nos in tertia parte.

Indicat etiam *Guillelmum Outram*, cujus duo ſunt de ſacrificiis Libri; agitur in primo de ſacrificiis, qua Judæorum, qua cæterarum gentium; in altero vero de ſacrificio Jeſu Chriſti. Latinum eſt Opus, excuſum Lond. an. 1677. in 4. & Amſtelodami an. 1678. in 8. Vir erat Anglus, religionis Anglicanæ, & Canonicus Weſmunſterienſis. In omnibus operibus ſuis Socinum maxime & Socinianos impugnat.

Tandem varia ſacrificiorum genera diſtinguit, quæ Judæi offerre tenebantur juxta varias ſeu rerum neceſſitates, ſeu leges ipſas præſcriptas, & omnes, qui de ipſis diſſeruerunt, recenſet.

Robertus Sheringham, Anglo Cantabrigenſis, imprimendum curavit Londini an. 1646. in 4. Codicem Thalmudicum Latine verſum ex Hebræo cum Commentario. Diſſeritur autem ibi de ſacrificiis; & Miniſtris ad id munus deſtinatis die Expiationis ſolemnis, juxta ea, quæ conſtituta ſunt Levit. 16. & num. 29.]

FESTA, DECIMÆ; OBLATIONES JUDÆORUM.

J*Oan. Jonſon* de Feſtis Hebræorum, & Græcorum, Jenæ 1670. in 12.

Auguſti Pfeiffer Diſſert. da Feſtis Judæorum. Wittemberg. 1666.

Theod. Thummii, de Feſtis Judæorum, Chriſtianorum, & Ethnicorum. Tubing. 1624. in 4.

Matthiæ Dreſſerii de Feſtis Chriſtianorum, Judæorum, & Ethnicorum. Lipſ. 1593. in 8.

Rodulphi Hoſpiniani de iiſdem. Genevæ 1669. fol.

Adriani Coquii, Obſervationes de rebus naturalibus in Vet. Taſt. Diiſque Syris, & Hebræorum Feſtis, Ulyſſing. 1671. in 4.

Joan. Meyeri de Origine, & cauſis Feſtorum Judaicorum. Amſtelod. 1698. in 8.

Henrici Colene, Jubilæi veteris Hebræorum, & novi Chriſtianorum collatio.

Joan. Operini da Jubilæo Judæorum, & Chriſtianorum.

Joan. Erneſt. Gerard, da eodem.

Joſephi de Voiſin de Jubilæo ſecundum Hebræorum, & Chriſtianorum doctrinam.

Chriſtoph. Vagenſeil Diſſert. de Jubilæo Judæorum.

Andr. Adami Hocſtetter de Feſto Expiationis.

Joan. Rhenferd, collatio expiationis Pontificis Max. & J. C. Freneker. 1696. in 8.

De Feſto Paſchatis legenda quæ diximus ſupra Diſſert. in s. Matthæum, & Maimonides da Solemnitate Paſchali. *Apud Cren. faſcl. 7.*

Quoad Decimas conſulendi Commentatores in Exodi 22. 29. & Levit. 17. 30.

Joſeph. Scaliger de decimis. Vide Critic. Lond.

Joan. Selden, de decimis. Ibidem.

Siſtinus Amama, de decimis.

Miſna, Editionis Surenhuſ. tom. 1. pag. 76. 245. 306 tom. 2. pag. 108.

Joan. Conradi Hottingeri da Decimis Judæorum exercitationes decem, cum Epiſtola Adriani Relandi 1712. in quarto.

Joan. Spencer. de Legibus Hebræorum Ritualibus lib. 3. cap 10.

Auguſtus Varenius, Trifolium Sacrum da primogenitis, primitiis, & decimis. Roſtoch. 1646. in 4.

Julii Bartolocci de oblationibus, decimis, donis &c. *Bibl. Rab. tom. 3. pag. 115.*

[*Joan. Jonſonii*, Germano-Lutherani, Syntagma lucem aſpexerat primo Breslaviæ an. 1660. in 12. Operis hujus ſecundam editionem tamquam optimam, & ampliorem indicavimus.

Monuimus jam *Auguſtum Pfeifferium* in Sciographia ſua agere de Feſtis, & feriis Judæorum. Fabricius tamen recenſet peculiarem ejus diſſertationem de hoc argumento, excuſam Wittembergæ an. 1666. quam nos etiam laudavimus. P. le Long nihil de illa, quamquam accuratum catalogum Operum Proteſtantis hujus inſtruit. Vide in exordio hujus quartæ partis.

Quæ de Feſtis Judæorum, Chriſtianorum, & Paganorum ſcripſit *Theodorus Thummius*, tractatus eſt Hiſtorico-Theologicus, cujus nos editionem adnotavimus. Vir erat Germano-Lutheranus, Profeſſor Tubingæ, defunctus an. 1630.

Non *Matthias Deſſer*, uti male in noſtris impreſſit, ſed *Matthæus Dreſſerus* ſimile Opus ſcripſit, cujus editionem indicavimus. Natus eſt Francofurti an. 1536. Profeſſorem Theologum egit Lipſiæ, obiitque an. 1607. ætatis 72.

Rodulphi Hoſpiniani, Miniſtri Calviniſtæ, defuncti an. 1626. Opus in tres libros diviſum eſt, editumque ſæpius; namque præter indicatas editiones duæ poſtremæ ſunt an. 1675. & 1681. Genevæ fol. multo auctiores.

Adrianus Coquius ſcripſit animadverſiones, & exercitationes qua Philologicas, qua Phiſologicas in Vetus Teſtamentum; illis autem illuſtrat ſacrum Textum, in iis maxime, in quibus de rebus naturalibus, & Feſtis Hebræorum. Ibi pariter ambiguas plures quæſtiones ſolvit. Operis editionem jam indicavimus. Vir erat Zelando-Calviniſta, florebatque an. 1670.

Non

Digitized by Google

Non *Joan. Meyrius*, uti male in noſtris impreſſit, ſed *Joan. Meyerus* edidit Diſſertationem de origine Feſtorum ac dierum ſolemnium, quæ Judæi ſervabant in Chananitide, nec hodie pariter ab illis deſuêverunt; Amſtelodami an. 1693. in 8. & non 1698. uti male in noſtris impreſſis. Vir erat Belga-Calviniſta, & Profeſſor in Academia Hardebonenſi.

AUTHORES ADDENDI.

F*Abricius* in ſua Bibliographia feſta omnia Judæorum expedit, adnotatque omnes quicumque de illis ſcripſerunt pag. 311. 317. Nos hic tantum de agentibus de Jubilæo.

Collatio Jubilæi Judaici, & Chriſtianorum *Henrici Cuyens* prodiit Antuerpiæ an. 1601. & 1618. in 8. Vir erat Cortembergenſis in Brabantia, adſcitusque inter Doctores Lovanienſes an. 1597. Parochum egit Geramontanum.

Liber *Joſephi Voiſin*, Burdegalenſis, & a Sacello Principis de Conti, de eodem argumento lucem aſpexit Pariſ. an. 1655. in 8. Obiit an. 1685.

Diſputatio *Jo. Chriſtophori Wagenſeilii* de anno Jubilæi juxta Hebræos prodiit Altorfii an. 1700. in 4. Vir erat Nurimbergenſis, Lutheranus, & Profeſſor Linguarum Orientalium Altorfii. Obiit an. 1708.

Andreas Adam Hochſtetter, Germanus Lutheranus, & Profeſſor Tubingæ, vulgavit ibi an. 1707. in 4. Tractatum de Feſto Expiationis.

Opus *Joan. Erneſti* editum eſt Jenæ an. 1658. & Tubingæ an. 1677. in 4. Edidit & Diſputationem de Feſtis Orientalium &c. niſi forte idem ſit opus ac ſuperius. Excuſſa eſt autem Erfordii an. 1658. in 4. Nos de hoc viro alibi, ſicut & de Patre ejus Joan. Gerhardo.

Joan. Hottingeri Latinus Tractatus de Decimis Judaicis, una cum decem ejus Diſſertationibus lucem vidit Lugd. Batavor. an. 1713. in 4.

Hujus argumenti omnia illuſtrantur ibi ex Libris Sacris, & ſcriptis veterum Judæorum; data etiam occaſione exponuntur quædam ſacræ Antiquitates.

Mauritius Majus, filius, Latinitati tradidit Lucubrationem Maimonidis de jure ſeptimi anni, & Jubilæi cum Diſſertatione præliminali Francof. ad Mœnum an. 1708. in 4.

Non ſatis habet reddere fideliter Textum Authoris ſui, illuſtravit & loca obſcura adnotationibus. Ejus diſſertatio ſynopſis eſt doctrinæ Maimonidis in hoc Tractatu expreſſæ.]

JEJUNIA, BAPTISMI, CIRCUMCISIONES, PRECES JUDÆORUM.

T*Ractatus* Talmudicus Taanith, ſeu de jejunio, cum Notis Daniel. Lundii. Trajecti ad Rhen. 1694. in 8.

Maimonides, Tract. de jejuniis, cum interpretatione Joan. Bened. Carpzovii, filii, Lipſiæ 1662. in 4.

Vide & apud *Crenium*, faſcic. 7. de Solemnitate Expiationum.

Joſephi Caro, Conſtitutiones de jejuniis.

Jul. Bartolocci, de jejunio Jud. *Bibl. Rab.* t. 3. pag. 148.

Joan. Henrici Opicii, de Jejuniis Hebræorum, Kilon. 1680.

Jo. Greg. Angli, de jejunio Noe per 40. dies. Obſervat. Sacr. etc. t. 9. Critic. Sacror. Londin.

De Baptiſmis, & luſtrationibus Judæorum vide *Leidekker* de Rep. Hebr. *L.* 12. *C.* 9.

Potock, Miſcellan. c. 9.

Buxtorf. Diſſert. 7. Theolog. Philolog. de Baptiſmo Preſbyterorum.

Joan. Selden. de jure nat. & gent. l. 2. c. 4. & de Synedriis, l. 1. c. 3.

Alting. Heptade 7. t. 5. Diſſert. 7.

Grotius, Epiſtola 308.

Hammond, & *Ligtfoot* ad Matth. 3.

Vide, & alios apud *Fabric.* Bibliograph. antiquaria, c. 2. n. 25.

Joan. Marsham, Canon. Ægypti. Chronic. &c. ſeculo 9. &c.

Julii Bartolocci de Circumciſione *Bibl. Rabb.* tom. 3. pag. 408.

Aug. Calmet, Diſſertatio de origine Circumciſionis *Ante Comment. in Gen.*

——— De effectibus Circumciſionis, *Ante Comment. in Epiſt. ad Rom.*

Vide *Fabric.* Bibliograph. antiquar. c. 11. n. 14.

De precibus Judæorum vide *Selden.* de Synedr. lib. 3. cap. 12.

Balthaſar Stolberg, Diſſert. de Battologia Judæorum.

Miſna, Tract. Berachoth.

Joan. Sauberi, de rito precandi Veterum Hebræor. Helmſtadii 1603.

Joan. Buxtorf. Synag. Jud. c. 10.

Joan. Ligtfoot, tom. 1. Operum, p. 70.

Franc. Burman, Exercit. Biblic. par. 2. p. 45.

Julii Bartolocci de litaniis ſupplicationibus Judæorum, & de invocatione Sanctorum. *Bibl. Rabb.* tom. 1. pag. 192. 196.

[*Daniel Lundii*, qui vertit Thalmud, ubi de jejuniis Hebræorum, vir erat Svevo-Lutheranus, Profeſſor Linguarum Orientalium Upſalæ.

Eduardus Pocockius in ſuis Miſcellaneis agit de lotione manuum Judaicarum. Idem argumentum vexavit *Jacobus Oonam*, Hamburgi an. 1706. in 8. Item vitam appellat Fabricius, quamquam P. la Long ſcribit Martinus Jacobus Ovvmenne. Vir erat Germano-Lutheranus. Juvat titulum Operis non incurioſum recitare: *Foro manuum Judaico abrata ex Codice Miſnico, ad mentem Hebræorum expreſſa, & reſtituta*.

Authores qui de circumciſione ſcripſerunt plures retiravimus in Geneſim. Agit de illa Fabricius in ſua Bibliographia, non quidem cap. 11. n. 14. uti male in noſtris impreſſis, ſed num. 24. ubi nos remittit ad Thalmud in Tractatu de Sabbato tom. 2. Editionis Surenhuſii pag. 62. & ei ad *Hermannum Van Hardt* in Prodromo Juris Canonici Judæorum de Circumciſione Helmſtadii an. 1700. in 8.

Philo Judæus in ſuo libro de Circumciſione rationes exhibet, quibus Deus illam inſtituit; Pſeudo-Juſtinus quæſt. 102. ad Orthodoxos; *Photius* Epiſt. 248. *Sebaſtianus Schmidt* in ſuis Diſſertationibus pag. 213. *Soiterus* obſervat. Sacrar. pag. 57. &c. *Petr. Rhedanus* ad 1. Machabæorum pag. 207. &c. *Simon Epiſcopius* in ſuis Inſtitutionibus Theologicis tom. 1. Oper. p. 45.

Anaſtaſius Sinaita in quæſtione 28. contendit Ægyptios circumciſionem expreſſiſſe ex Iſraelitis, & S. Hieronymus Commentat. in Jeremiam ad cap. 9. 25. juxta traditionem Hebræorum ex Joſeph filio Jacob derivatam illam in eas gentes dicit. Alii vicissim defendunt Hebræos id accepiſſe ex Ægyptiis, qua de re vide Fabricium ib. p. 383.

Henricus Kranſchener diſſeruit de cultris Circumciſionis Regiomontii 1753. in 4. Vide pariter eos qui ſcripſerunt in Exodi 4. 25. *Ramirez* Pentecontarchi cap. 4. *Matthiam Zimmerman* Analect. pag. 412. Nova literaria maris Baltici an. 1698. p. 29. *Chriſtianum Voaſrovitz* in *Torture Joannis* p. 136. &c. Acta Sanctor. *Bollandi* tom. 1. p. 3. & 1083. *Salianum* ad A. M. 4053 n. 5. *Toletum* ad Luc. 2. *Thigium* Hiſt. Eccleſ. prim. ſec. p. 343.

Richardus Montacutus Orig. Eccleſiaſt. tom. 1. probat a laicis Sacramentum illud miniſtratum fuiſſe p. 81 Grotius Juris Natural. p. 81. ex ratione qua conferebatur probat circumciſione initiare omnibus permiſſum fuiſſe; quod etiam confirmat ad Luc. 1. p. 59. Vide Commentatores ad Exodum & Machabæos.

Diſſertatio *Balthaſaris Stolbergii* in Battologiam vel prolixas precationes legitur cum aliis ejus in Theſaur. Diſſ. Philolog. tom. 2. De hoc viro, & de aliis ejus Diſſertationibus nos ad S. Matthæum.

AUTHORES ADDENDI.

P*Ræter* indicatos a nobis conſulas etiam *Salmaſium de Fœnore Trapezitico* p. 796. Baſnag. Annal. Eccleſiaſtico-Politicorum ad annum 31. num. 35. *Salomonem Deylingium* Obſerv. ſacrar. part. 3. p. 208. &c. *Hottingerum* Diſſert. pag 816; & *Georgium Leopoldum Ponas* de vetuſta orantium Judæorum Battologia. Helmſtad. an. 1709. in 8.

Tractatus *Berachoth* Miſchnæ legitur in Editione Surenhuſii in exordio tomi 1. Authores alios de variis precibus veterum Hebræorum habes apud Fabricium *ibid.* cap. 21. pag. 302. 363.

D. le

D. le Pelletier eleganti Epiſtolari Diſſertatione agit de origine, & cæremoniis circumciſionis. Ad originem quod attinet, demonſtrare nititur ex Hebræis in gentes alias illam redundaſſe; ad cæremonias vero, elevat Pictorum errores, qui in expreſſis imaginibus contraria plura exhibent iis, quæ de circumciſione Jeſu Chriſti traduntur in Evangelio. Legitur in Ephemeridibus Trevoltianis.]

IDOLOLATRIA, SUPERSTITIONES JUDÆORUM.

ABarbanel, de Idololatriæ ſpeciebus, de quibus in Scriptura fit mentio, ex verſione Joan. Buxtorf.

Antonii Vandale, de origine, & progreſſu idololatriæ, & ſuperſtitionum, de vera, & falſa Prophetia, & de divinationibus Idololatricis Judæorum. Amſtelodami 1646. in quarto.

Voſſii de origine, & progreſſu idololatriæ 2. vol. fol.

Auguſt. Calmet, Diſſertatio de origine Idololatriæ. *Ante Comment. in Gen.*

Joan. Selden, De Diis Syris cum Annotat. Andreæ Beyer.

Athan. Kircheri, de Ægyptiorum, Syrorum, Hebræorum Diis, tom. 1. Oedypi Ægyptiaci.

Agobardi Lugdunenſ. Epiſcopi, de ſuperſtitionibus Judæorum.

Chevræana, tom. 1 p 395.

Conſule etiam omnes quotquot in Judæos ſcripſerunt, quorum Catalogum habes apud *Imbonati Bibl. Rabb. tom. 5, pag. 526*,

Aug. Calmet Diſſert. de Idololatria Judæorum in deſerto. *Ante Comment. in 12. Proph. Min. ubi & ſequentes*.

---- De Religione Juda, & Iſraelis poſt ſeparationem.

---- De Numinibus Phœnicum.

---- De Moloch, aliiſque Numinibus Ammonitarum. *Ante Comment. in Levit.*

---- De Chamos, Beelphegur, aliiſque Numinibus Moabitarum. *Ante Comment. in Num.*

---- De Numinibus Philiſtæorum. *Ante Comm. in Reg.*

---- De Aſmodæo Dæmone. *Ante Tobiam.*

---- De incantationibus ſerpentum. *Ante 1. tom. in Pſ.*

De vitulo aureo conſule, quæ ſupra notavi, in Diſſertationibus in Exodum.

De cultu Lunæ, *Meni*, ſive Reginæ Cœli, vide Commentar. in Iſai. 65. 11. Jerem. 7. 18. & 44. 17. 18.

De Numine *Gad* vide Gen. 30. 11. & Iſai. 65. 11.

Theodori Daſſovii, de coma Hebræorum licita, & interdicta.

Proſperi Stevartii, de tonſuris Paganorum, Judæorum, & Chriſtianorum, l. 3.

Martini Manolsii, de ſortitione veterum Hebræorum. Baſileæ 1592. in 8.

Petri Stevartii, Catalogus Scriptorum Græcorum, & Latinorum anti-Judaicorum.

Librorum de Controverſiis in Judæos catalogum vide apud *Imbonati Bibl. Rab. t. 5. pag. 526. & 531.*

[Quæ de Idololatria ſcripſit *Iſaac Abarbanel*, vel *Abarvanel* leguntur in variis Diſſertationibus, quas Joan. Buxtorfius Latio tradidit, imprimendaſque curavit, una cum ſuis Diſſertationibus Philologicis, Baſileæ an. 1662. in 4. Nos de illo in prima parte.

Addi poſſet liber Idololatriæ *Moyſis Maimonidis* cum Latina verſione, & notis Dionyſii Voſſii, impreſſus Amſtelodami an. 1642. in 4. quod fugit P. le Long.

Tractatus *Antonii Vandale* excuſus eſt, non an. 1646. uti male in noſtris impreſſis; neque enim Author tunc aptus fuiſſet ad ſcribendum; ſed an. 1696. Obiit an. 1708.

Gerardus Joan. Voſſius ſcripſit duo grandia Volumina de Idololatria in fol. impreſſa Amſtelod. an. 1608.

Syntagma *Joan Seldeni* de Diis Syris cum animadverſionibus Andreæ Bejeri excuſum eſt Lipſiæ an. 1668. & Francofurti an. 1672. in 8. Agit ibi de Numinibus, de quibus in veteri Teſtam. Operi huic præfixit Prolegomena tanti meriti, quanti reliquum totum opus. De hoc viro nos ſupra.

Agobardus, Archiepiſcopus Lugdunenſis, prolixa Epiſtola egit de ſuperſtitionibus Judæorum. Legitur Operum ipſius editionis Baluſii tom. 1. pag. 60. Eſt autem veluti continuatio alterius ſcriptæ de violentiis Judæorum; utraque autem dirigitur ad Ludovicum Imperatorem ſimul & Galliarum Regem.

Diſſertatio *Theodori Daſſovii* de coma Hebræorum ad caput 19. 22. prodiit Wittembergæ an. 1695. in 4.

Proſper Stevartius, Belga, Ordinem S. Auguſtini profeſſus, in ſuo tertio Libro de Tonſuris, & Corona diſſerit pariter & de Judaicis. Paruit opus Duaci an. 1625. in 8. Obiit Romam petens pro rebus Ordinis ſui an. 1626. ætat. 39.

Martini Manolsii, Belga Lutherani, Tractatus Philoſophicus de ſortibus veterum Hebræorum excuſus eſt Baſileæ an. 1692. in 8.

Catalogus Authorum Græcorum, & Latinorum *Petri Stevartii* nihil eſt aliud, quam ſeptimus tomus Antiquitatum Caniſii, impreſſus Ingolſtadii in 4. an. 1616. Nos de illo in ſecunda parte. Idem Catalogus multo auctior ſperandus promittitur. Vide Fabricium Bibliograph. p. 26.]

RESPUBLICA, ET POLITIA HEBRÆORUM.

HErman. *Witſius*, Oratio de Theocratia Iſraelitarum. Vide Joſeph. l. 2. contra Appion. p. 1071.

Guſtav. Georg. Zeltner lib. de adoleſcentia Reipub. Iſrael. ſub temporibus Judicum, Norimberg. 1696. in 8.

Dan. Guillel. Moller, de 16. Judicibus Exercitatio, Altorf. 1709.

Henrici Hahnii Diatagmata de rebus Judaicis ex jure Cæſareo, & Pontificio concinnata.

Moſaicarum, & Romanarum Legum collatio edente Pithæo in Criticis Londin.

Samuelis Bochart. Notæ in Eccleſiæ Gallicana decreta quædam in Judæos ſancita. t. 1. Oper. p. 499. &c.

Guill. Welwod, collatio juris Divini, cum jure civili Romano.

Licinii Rufini, Moſaicarum, & Romanarum Legum collatio.

Pagnini Gaudentii, de diſſerentia Legum Moſaicarum, & Romanarum.

Juliani Anteceſſoris, Moſaicarum, & Romanarum Legum collatio.

Sebaſt. Caſtalionis, Reſp. Hebræorum ex Joſepho. excerpta, Helmſtad. 1616.

Caroli Sigonii, de Rep. Hebræorum, cum Notis Joan. Nicolai, Helmſtad. 1681. in 4.

Corn. Bonav. Bertramni, de Repub. Hebræorum, cum Notis Conſtantini Imperator. Leid. 1641.

D. Thomæ Aquinatis, de regimine Hebræorum.

Petri Cunæi, de Rep. Hebræorum, cum Notis Joan. Nicolai, Leid. 1703. in 4.

Joan. Conradi Danhaver, Politia Hebræa 1700. in 4. Helmſtad.

Melchior Leidecker, de Republ. Hebræorum Amſtelod. 1704. 1710. fol. 2. vol.

Joan. Georgii Wendii, de Republ. Hebræor. Diſſertat. 8. Thorn. 1697. in 4.

Jo. Lud. Reimer, de Repub. Hebr. libel. Hafniæ 1657.

Joan. Stephanus Menochius, de Republ. Hebræor. Pariſ. 1648. in fol.

Herman. Conringius, de Rep. Hebr. Helmſtad.

Joan. Seldeni de jure naturali, & gentium in fol.

Idem, de Synedriis veterum Hebræorum in 4.

Auguſt. Calmet Diſſert. de Politia Hebræorum. *Ante Comment. in Num.*

Joan. Voſtii, de Synedriis Hebræorum. *Apud Crenium faſc. 4.*

Joan. Clerici, de magno Synedrio Hebræorum. *Ad calc. Comment. in Eſther.*

Baſnage, Continuatio Hiſtoriæ Judæorum l. 7. c. 1..... 5.

Franc. Moncæi, de portis civitatis Judæ, & Fori, Judiciorumque exercendorum priſco ritu.

Gilberti Genebrardi, paratitla Talmudicæ doctrinæ, ſeu de jure veterum Hebræorum.

Guell. Zepperi, Legum Moſaicarum forenſium explicatio.

Hieronymi Ramini, de Repub. Hebræorum.

Jacobi Alting. Reſpubl. Hebr.

Joachimi Reimeo, Reſpublica Hebr.

Joan. Hemberg, Politia Judaica.

Thomæ Jameſii, de perſona, & officio Judicis apud Hebræos, alioſque &c.

Maimonides de juramentis Hebræorum, ex Verſione Miegii, & Præfatione Jacobi Perizonii, Leid. 1706. in 4.

Jacobi Lydii Syntagma de re militari, & de jurejurando He-

Hebræorum, cum Notis Salom. Vantil. Vide de eodem argumento Authores recenſitos in Bibliograph. Fabricii, cap. 12. num. 7.

Selden. de ſucceſſione in bona defunctorum, ex inſtitut. Hebræorum.

Maimonides, de jura pauperis, & peregrini apud Judæos, cum Notis Humfredi Prideaux.

Jacobi Alting. de ſervis Hebræorum, Diſſert. 6. Ephead. 7. tom. 5. Operum.

Joan. *Georgii Abiche*, de ſervorum Hebræorum acquiſitione, & ſervitiis, Lipſiæ 1704.

Vide *Miſnam*, Edit. Surenhuſii tom. 3. pag. 300. ſeu.

Pauli Slevogt, de Proſelytis Hebræorum.

Jo. Andreæ Danzii, de Proſelytorum Baptiſmo.

Aug. Calmet Diſſert. de ſuppliciis vet. Hebr. Vide & Fabric. Bibliogr. antiq. c. 15. num. 14.

Theodori Daſſovii, Diſſertatio de ſuſpendio hominis lapidibus obruti, Wittemberg. 1694.

Claudii Salmaſii, & *Juſti Lipſii* de Cruce.

Joan Georgii Mubii Diſſert. de Cruce.

Henrici Kipping. Diſſert. de Cruce.

Hieronym. Magii de Equuleo.

Gallonius, de Cruciatibus Martyrum in 4.

Campegii Vitringa Archiſynagogus; agit etiam de flagellis, quæ Legis violatores in Synagogis ſubire cogebantur.

[Oratio *Hermanni Witſii* de Theocratia Iſraelitarum prodiit Amſtelodami an. 1700. in 4. Nos de hoc viro ſæpius.

Guſtavus Georgius Zeltnerus de adoleſcentia Reipublicæ Iſraeliticæ, ad 1. Reg. 6. 20. & Actuum 13. Hujus operis editionem indicavimus. Vir erat Germano-Lutheranus, & Profeſſor linguarum Orientalium Altorfii.

Guillelmus Mulleus, de quo nos in N. Teſtamentum, ſcripſit Diſputationem in duodecim Judices Judæos in 4. cujus editionem jam indicavimus.

Jus divinum Judæorum comparatum cum Jure Romano *Yelverd*, Scoto Britonis, & Lutherani, lucem aſpexit Leidæ an. 1594.

Quæ vulgavit *Petrus Pithæus* de legibus Moſaicis nihil ſunt aliud, quam quæ collegerat *Licinius Rufinus*, & excuſa ſuas cum ejus Notis in Criticis ſacris tom. 8. pag. 150. prioris editionis. Rufinus iſte Monachus, & Juriſconſultus coævus erat Caſſiodoro, florebatque circa an. 540. juxta Marquardum Freherum. Videtur tamen potius opus hoc eſſe Judæi alicujus, ideo ſcriptum, ut demonſtret gentis ſuæ Leges a Romanis non penitus diſcrepare. Videndus ea de re Fabricius Biblioth. Lat. l. 4. c. 9.

Viciſſim autem *Paganinus Gaudentius* diſſeruit de Moſaicarum, & Romanarum legum diſcrimine. Id autem opus nondum paruit, ſed ſpes facta eſt proditurum in Theſauro Antiquitatum Judaicarum, juxta Fabricium Bibliograph. p. 26. Gaudentius eloquentiam Piſis profitebatur, obiitque an. 1649.

Reſpublica Judæorum ex Joſepho deducta a *Sebaſtiano Caſtaliano*, Opus eſt in 8. Recitari autem docet P. le Long in Bibliis ejuſdem Authoris, excuſis Lipſiæ an. 1697. fol. Nos de hoc viro in Bibliis Latinis.

Reipublicæ Hebræorum *Caroli Sigonii* primum vulgatæ Bononiæ an. 1582. in 4. ſecundam editionem indicavimus; tertia et poſtrema eſt Leidenſis an. 1701. in 4. inſerta eſt etiam in novam editionem Menochii. Libros non tres tantum, ſed ut monet Fabricius in ſua Bibliograph. ſeptem continet. Agitur in primo de Republica; in ſecundo de locis ſacris; in tertio de diebus ſacris; in quarto de ritibus; in quinto de ſacris Miniſtris; in ſexto de re judiciaria; in ſeptimo de Magiſtratibus.

Vir erat Italo-Mutinenſis, Catholicus, & Profeſſor Linguæ Latinæ Bononiæ; obiit an. 1585.

Reſpublica Hebræorum *Bonaventuræ Bertrami* edita eſt curante Conſtantino l'Empereur, recuſaque in Critic. Sacr. Londin. prior. edit. tom. 8. agitur ibi de politia Judaica civili, & Eccleſiaſtica. De hoc viro nos in quarta parte.

Tractatus Reipublicæ Hebræorum *Petri Cunæi* legitur pariter *ibidem* tom. 8. tum excuſus eſt Amſtelodami an. 1617. in 12. & Gallice per Goereum an. 1716. 3. vol. in octavo cum figuris, ſupplemento, & continuatione Operis. D. Nicolai vulgavit illum Lugduni Batavorum an. 1703. in quarto cum prolixis Notis in ſingula capita, eo excepto, quod tamen majores exegiſſet, in quo de Melchiſedecho; ſubduxit & Epiſtolam Dedicatoriam Cunæi, quæ utique lucubratio erat non incurioſa.

Primum caput verſatur in Antiquitate, & utilitate Legis Moſaicæ; cujus eſſet ſupremum jus, & ad quem pertineret; ibi pariter ea quæ ad Meſſiam pertinent. In ſecundo habes res Eccleſiaſticas, Sacerdotes, Levitas, veſtes, & privilegia. In tertio eo ſpectat Author, ut demonſtret unam eſſe eandemque Eccleſiam, quæ ab exordio Mundi perpetuo ſæculorum tractu ducavit.

Quamcumque tandem nominis famam ſibi conciliaverit Cunæus, ut vera tamen fateamur, unicè eſt Operis non unus Scriptor; labitur non infrequenter; præter hæc uſurpat tamquam ſua interdum, quæ vel re ipſa ſunt aliorum, vel ſatis communia, vel nota ante illum. Florebat ineunte ſæculo 17. agebatque Profeſſorem Lugduni Batavorum, exiſtimatione virorum Sapientum fruebatur.

In ſupplemento Goerei agitur de Tabernaculo, de tribus Judaicis Templis, & ſacrificiis.

Jacobus Baſnage adjecit operi duo volumina, quæ continent criticas Animadverſiones in Rempublicam Hebræorum; Amſtelodami an. 1713. in 8.

Opus *Leidekkeri* de eodem argumento, cujus & editionem indicavimus, complectitur 12. libros, in quibus diſſerit de origine ſacra gentis Judaicæ, ſtatu ejus in Ægypto, de prodigiis, quibus Deus Rempublicam illorum formavit, de Theocratia, de regione quam poſſedit, de politia, & Religione. In eo Rabbinica eruditio multiplex, plura legenda offeruntur, pauca animadvertenda.

Duodecim hi libri nonniſi unicum volumen implent; novem autem ſecundi tomi agunt de variis vicibus Hebraicæ Reipublicæ.

Politiam Hebræorum *Jo. Conradi Danhaueri* excudendam curavit Jo. Andreas Schmidt. De Danhauer nos ſupe in utrumque Teſtamentum.

Georgii Vendii, Uratislavo-Lutherani, Diſquiſitiones Theologicæ Politicæ de Republica Hebræorum octo ſunt numero, excuſæ Gedani an. 1696. 1697. in 4. Agitur in illis de varia forma regiminis pro vario ſtatu Reipublicæ Judaicæ.

Jacobus Ludovicus Reimerus idem plane ac Jo. Ludovicus Reimerus, exſcripſit tantum & compendio tradidit Sigonium, Bertrandem, Ducerum, & alios. Præter indicatam hujus Operis editionem Haphniæ an. 1657. alia eſt etiam recentior, data Altenburgi in 12. Vir erat Germano-Lutheranus Hamburgenſis, defunctus an. 1680.

Stephanus Menochius in ſuo opere de Republica, in octo libros digeſto, Antiquitates omnes Hebraicas exponit. P. le Long indicat editionem an. 1648. in fol. alii vero, & nos etiam, an. 1618. quod diſcrimen eſt ſat grande. D. Dupin indicat pariter an. 1648. Re ipſa quidem ſi retineatur adſcriptio an. 1618. opus erit utique, Menochium ſat cito ad ſcribendum ſe contuliſſe, obiit enim an. 1655. De hoc viro nos ad Commentarios generales Catholicorum.

Diſſertatio *Hermanni Conringii* de Politia Hebræorum excuſa eſt Helmſtadii an. 1648. in quarto, & Roterodami an. 1693. in 12. inſerta eſt autem & in ſecundo faſciculo Crenii. Vir erat Friſio-Lutheranus, Profeſſor Medicus Helmſtadii, defunctus an. 1681. Nos de illo ad S. Lucam in Diſſertationibus.

Opus *Joannis Seldeni* de Synedriis, & Præfecturis veterum Hebræorum eſt an. 1650. 1655. in quarto 3. vol. Londini, & unico Amſtelodami an. 1659. Francofurti an. 1696. in quarto. In tres Libros diſtribuitur, prior, & ſecundus in 16. capita, tertius in 15. ſinguli Libri volumen implent editionis Londinenſis. In priori autem agitur de conſtitutione Sanhedrin, aliarumque Præfecturarum juridicarum apud Hebræos; de iis qui juri dicundo præerant, eorumque Collegiis, & Tribunalibus &c. Ibi pariter diſquiſitiones ſubduntur in Epochas aſtronomicas, & chronologicas. Secundus, & tertius liber continuatio ſunt præcedentis argumenti.

Dictìon. Bibl. m Opus

Digitized by Google

Opus ejus de jure naturæ, & gentium juxta diſciplinam Hebræorum, lucem aſpexit Lond. an. 1640. fol. Argentorati an. 1665. in 4. Wittembergæ an. 1698. in 4. Illud ultro fatendum eſt, eruditionis ſupellectilem magnam Opera ejus continere, & de vetuſtis moribus Hebræorum nova multa.

Franciſcus Moncæus, Dominus Vallis frigidæ, diſſeruit de locis juridicundo deſtinatis; Pariſ. an. 1587. in 4. Nos de illo ad Exodum in Diſs.

In quarta hac parte indicavimus jam leges Moſaicas. *Guillelmi Zepperi*. *Jacobus Altingius* illuſtravit tantum Rempublicam Scholaſticam Hebræorum, ideſt Scholas, vel Academias, quatuor ſcriptis Sermonibus, vulgatiſque Croningæ an. 1622. in 12. De hoc viro nos in Pentateuchum, & alibi.

Tractatus *Thomæ Jamesii* de perſona, & officio Judicum apud Hebræos, Græcos, & Romanos, lucem aſpexit Oxonii an. 1009. in 4. Vir erat Anglus Novi porti, Anglicanam Religionem profeſſus, et Academiæ Oxonienſis Bibliothecarius, defunctus an. 1629. De aliis ejus operibus nos ad S. Matthæum, et ad Canticum.

Fabricius Bibliograph. cap. 12. num. 7. ut de Sacramentis Hebræorum inſtruamur, remittit nos ad Thalmud edit. Surenhuſ. ad Librum Maimonidis de hoc argumento Latio traditum a Jo. Friderico Miege, et Chriſtophoro Dithmaro, qui Adnotationes ſuas adjecit, tum et Præfatio acceſſit Jacobi Perizonii, in qua potiſſimum de more obſtringendi ſe ſacramento tactu femoris. Operis hujus editionem nos indicavimus, ſed plures adhuc Fabricius recenſet.

In animadverſionibus *Ludovici Ferrandi* de Religione Chriſtiana quatuor leguntur Diſquiſitiones, de Senatu Judæorum, de Proſelytis, de Paraphraſtibus Chaldaicis, de annis Judæorum, cum animadverſionibus plane eruditis. Excuſum eſt Opus Pariſ. 1679. in 12. 2. vol.

COROLLARIUM.

POENÆ, ET SUPPLICIA HEBRÆORUM.

Quamquam pertio ſunt hæc politiæ Hebræorum, ſeorſum tamen ideo damus, quod curioſiſſimum ſit argumentum, et a pluribus verſatum.

Idem Fabricius ibidem cap. 15. num. 14. quatuor ſuppliciorum genera Hebræis familiaria diſtinguit; vivi combuſtionem, lapidationem, faucium eliſionem, et detruncationem, quod omnium probroſiſſimum ſupplicium habeatur. Addendus eſt etiam mos ſuſpendendi hominem antea lapidatum, ſupplicium crucis, flagellorum etc.

Campegius Vitringa in ſuo *Archiſynagogo*, ideſt Principe Synagogæ, agit de ſupplicio flagellorum, quod infligebatur devincto reo ad columnam, antequam ageretur in crucem. Quot ictus darentur reo jam omnibus compertum eſt. Lege de his omnibus caput ejus 14.

Inter pœnas ſuum etiam habebat locum exilium, et excommunicatio, qua de re vide Authores omnes a Fabricio recenſitos. Quos indicavimus, illi utique per ſe adeo ſunt noti, ut noſtris illuſtrationibus non indigeant.]

MONARCHIA, REGES, MILITIA HEBRÆORUM.

Adriani Houvini, de Monarchia Hebræorum ante Saulem, Leid. 1685.

Adami Rechemberg, de ficta Hebræorum ante Saulem Monarchia civili, Lipſiæ 1687.

Vide etiam *Seldenum* de Synedriis lib. 1. cap. 2.

Samuel Puffendorf, appendix de habitu Religion. Chriſtianæ.

Antonii Probi, Oratio de Monarchia Regni Iſraelis.

Mich. Wendeleri, de Regiis Judæorum Juribus.

Maimonides de Regibus Hebræorum, eorumque juribus, cum Verſione Latina, et Notis Melchior. Leidecker. Extat lib. 7. ejuſdem Leidecker de Rep. Hebr. cap. 4. pag. 432. et apud Crenium, faſcic. 9.

Guillel. Schikardi de jure Regio cum Notis Benedict. Carpzovii.

Joan. Buxtorfii de ſtatu, et jure Regio, et de Judicum et Regum convenientiis, et differentiis.

Joan. Friſchmuth, de Rege apud Hebræos eligendo, et deponendo, Jenæ 1653. in 4.

Joan. Vandalini de jure Regis, lib. 3. Hafniæ 1663. in 4.

Fortunati Schacchi Myrothecii l. 3. et alibi.

Claudii Salmaſii defenſio Regia.

Joan. Miltonii defenſio populi Anglicani contra Salmaſium.

Joan. Rechenferd, Diſsert. de Arabarcha, ſeu Alabarcha, vel Ethnarcha Judæorum, Francker. 1702.

Aug. Calmet, Diſsert. de Præfectis in Aula Regum Juda. *Ante Comment. in Philip.*

---- De militia Hebræorum. *Ante Eſth.*

Joan. Andreæ Danzii, Diſsert. de Hebræorum re militari, ad Deut. 20. 21.

Jacobi Lydii, agoniſtica Sacra, Dordrec. 1608. in 4.

Jac. Turneri, Pallas armata; Anglice Londini 1683. in fol.

Fabricii Bibliographia, cap. 14. n. 1. 2. 3. et cap. 17. num. 1. 2.

[Tractatus *Thomæ Aquinatis* de Regimine Hebræorum legitur opuſculorum ipſius num. 24. pag. 191. tom. 17. Operum editionis Romanæ an. 1577. quod nos minime indicavimus.

Opus *Adriani Houyting*, et non *Houvin*, uti male in noſtris impreſſis, volumen eſt in 12. Probare autem nititur, jam inde ante Regnum Saulis verum obtinuiſſe regimen Monarchicum in Republica Hebræorum; quam ille regiminis formam prorogat ab Abraham uſque ad Judæorum diſperſionem. Vir erat Amſtelodamenſis; Calviniſta, et Juriſconſultus. *Volumen eſt autem non in 12. ſed in 16. impreſſum Leidæ an. 1680.*

Puſendorfius opinionem hanc refutavit in appendice ad Librum ſuum de Religione Chriſtiana excuſa Bremæ an. 1687. Floruit vir Regiæ Sueviæ Hiſtoriographus uſque ad an. 1690.

Adam Rechembergius demonſtravit aſſertam hanc Judæorum ante Regnum Saulis Monarchiam merum eſse figmentum. Rem habet potiſſimum adverſus ea, quæ ſcribit Seldenus in ſuo opere de Sanhedrim lib. 2. Diſsertatio eſt autem in 4. excuſa Lipſiæ an. 1687. & in tom. 1. Diſsertationum ipſius Hiſtorico-politicarum pag. 336. Nos de hoc viro in Novum Teſtamentum.

Diſquiſitio *Antonii Probi*, Germano Lutherani, & Profeſsoris Iſlebii, de Monarchia Iſrael, prodiit Iſlebii an. 1580. in 4.

Quæ ſcripſit *Michael Wendelerus*, Miſnienſis; Lutheranus, & Profeſsor, de jure Regum Judæorum; edita ſunt Wittembergæ an. 1656. in 4. Quæ vero de quatuor magnis Imperiis *ibid.* 1657. in 4. Obiit an. 1671.

Jus Regale Hebræorum e tenebris Rabbinicis extractum a *Guillelmo Schikardo*, Germano-Lutherano, & Profeſsore Linguarum Orientalium Tubingæ, excuſum eſt primo Tubingæ an. 1621. in 4. & Argentorati 1625. in 4. Nonniſi ſerius paruit cum Notis Benedicti Carpzovii Lipſiæ an. 1674. in 4. Obiit lue enectus an. 1635. ætatis 45. Ejus opus ſex tantum capita complectitur, quorum epitomes, quæ in calce legitur, juſtam totius operis ideam exhibet.

Tractatus *Joannis Friſchmut* de jure eligendi, & deponendi Reges, a cap. 17 Deuteronomii, & a Commentariis Hebræorum deductus, vulgatus eſt editione a nobis indicata. De hoc viro nos in Novum Teſtamentum.

Fabricius in ſua Bibliographia cæteros recenſet, qui argumentum illud vexarunt cap. 14.

COROLLARIUM.

DE MILITIA HEBRÆORUM.

IDem Fabricius cap. 17. num. 2. revocat nos ad Authores plures in hoc articulo jam recenſitos. Docet ibi pariter Tractatum *Jacobi Lyde* excuſum fuiſse curante Salomone Van-Till cum ejus Notis Dordrecti an. 1698. in 4. Belgice verſum ab Adriano Van-Halen, et notis ejus illuſtratum prodiiſse Roterodami an. 1703. in 8. Præpoſtere in noſtris impreſſis legitur *Agoniſtica Sacra*, legendum eſt enim tantum *Agoniſtica* ex Græco nomine, quod congruit, et exprimit artem militarem, et bellum. Syn-

Syntagma ejus de re militari paruerit, ſilet Fabricius. Porro Lyde vir erat Batavo-Calviniſta, & Miniſter Eccleſiæ Dordrectanæ.

Opus *Jo. Andreæ Danz* locem vidit Jenæ an. 1690. in 4. Nos de illo in utrumque Teſtamentum.

Addi poſſet Tactice ſacre in tres libros *Joan. Arrewoſmith*, Angli, Religionis Anglicanæ, & Profeſſoris Cantabrigiæ an. 1660. Paruit Opus ſpiritale penitus aſceticum, & morale Cantabrigiæ an. 1657. Amſtelodami 1700. in 4.

D. le Pelletier epiſtolari Diſſertatione refutat commenta Pictorum, exhibentium tabulas caſtrorum Iſraeliticorum in deſerto. Legitur in Ephemeridibus Trevoltianis.]

HISTORIÆ, ANNALES, ET CHRONOLOGIÆ JUDÆORUM.

F*Lavii Joſephi* Opera G. L. Genevæ 1634.

Joſeph Ben-Gorion, Hebraice, & Latina cum Notis Frideric. Breithappr. Gothæ, & Lipſiæ 1710.

Seder-Olam Rabba; & *Seder-Olam Zuta*, majus nempe, & minus Chronicon Judæorum. Extat in Chronologia Genebrardi, & in 5. tom. Biblioth. Rabbin.

Zemach David, ſeu Chronologia R. David Ganz, cum Notis Guill. Henrici Vorſtii.

Gilberti Genebrardi, Chronologia in fol. Opus, olim, cum exactiora Chronica deeſſent, celebratiſſimum.

Euſebii Cæſarienſis Chronicon cum Notis Joſephi Scaligeri. fol. Leidæ 1606. 1616. Opus luculentum, cui non impares notas Scaliger adjecit. Porro Chronicon iſtud Scaliger, Syncello, & Cedreno uſus, (qui ambo Euſebium contraxerant) reſtituit.

S. Hieronymi Chronicon, Euſebii opus vertens S. Hieronymus non pauca de ſuo adjecit.

Chronicon Paſchale, ſeu *Alexandrinum* G. L. ex Editione Caroli Ducange. fol. Typis Regiis 1688.

Eutychii Alexandrini Chronicon Arabico Latinum, ex Verſione Eduardi Pocokii, & cum notis Joan. Selden. 2. Vol. in 4. Deſunt ibi Seldeni notæ, quæ tamen in libello ſeorſim Londin. 1724. in 4. excuſæ ſunt. Plurimæ in hoc Opere Orientalium Traditiones leguntur.

Joan. Marsham, Chronicus Canon Ægyptiacus, Hebraicus, Grecus. fol. Lond. 1672. Opus exquiſitæ eruditiones, in quo tamen ordinem, methodumque deſideres, atque ſingularia, & audaciora, nec pauca quidem, demas.

Joſephi Scaligeri, de emendatione temporum, fol. Pariſ. 1583. Omnium optima Editio Leidenſis 1598. vel Genevenſis 1629.

Jacobi Saliani Annales Eccleſiaſtici Veteris Teſtamenti, 6. Vol in fol. Operis ſui Epitomem Author ipſe 2. Vol. in fol. adornavit; quæ ſane & Operi ipſi præſtat, & ſola ſufficere poteſt.

Auguſtini Tornielli, Annales Sacri, & profani ob orbe condito, ad eumdem Chriſti paſſione redemptum. Francof. 1666. fol. vol. 1.

Dionyſii Petavii, Doctrina temporum, cum Chronologie. fol. 3. vol.

Ejuſdem Rationarium temporum. Opus celeberrimum.

Alp. a Caranza, Diatriba ſuper primam temporum doctrinam, adverſ. Dionyſ. Petavium.

Sethi Calviſii, opus Chronologicum cum Iſagoge Chronologica. Francof. 1620. fol. Vol. 1.

Henrici Spondani, Annales Sacri, & Eccleſiaſtici. fol. Vol. 1.

Jacobi Uſſerii, Annales utriuſque Teſtamenti, 2. vol. fol. Lond. 1650. vel Pariſ. 1673. cum Diſſert. de Cainan (a). Exactiſſimus eſt Scriptor, iiſque, quibus per ſe intima Chronologiæ abdita pervadere arduum eſt, omnium loco habendus.

Chronologia ad calcem magnorum Bibliorum Vitré in fol. ſumma eſt Chronolog. Uſſerianæ.

Joan. Harduini, Chronolog. Vet. Teſt. opus primo ſuppreſſum Pariſiis, quod audaciora & nova plurime contineret; dein vero in Collectione Operum P. Harduini Am-

Diction. Bibl.

(a) Editio Genevenſis anno 1722. 1. vol. in fol. abſolutiſſima eſt, cui etiam ultra alia plurima viri docti opuſcula, acceſſit exactior Chronologia Sacra, in qua ipſa Chronologiæ adyta penitiora referantur.

ſtelod. apud Lorme 1709. inſertum: Operæ pretium tamen eſt junxiſſe cenſuram Alphonſi e Vignollea. Roterod. 1708.

Jacobi Capelli, Chronologia Sacra. in fol.

Iſaaci Voſſii, de 70. Interpretibus, cum Chronologia in quarto, & Diſſert. de vera ætate Mundi.

Item Cogitationes adverſus Hornium de ætate Mundi.

P. Paulus Pezron, Antiquitas temporum reſtituta. Pariſ. 1687. in 4. Gallice.

P. D. Joan. Martianæus, Vindiciæ Textus Hebraici in Antiquitatem temporum reſtitutam, in 8. Pariſ. 1689. Gallice.

P. le Quien Ord. Prædic. Antiquitas temporum deſtructa 1693. Gallice.

Vindiciæ Antiquitatis temporis per P. Pezron in 4. Pariſ. 1691.

Jo. Selden. de anno civili Judæorum.

Jul. Bartolocci, de anno Solari Judæorum. Idem de anne Lunari, de cyclo, de menſibus &c. *Bibl. Rabbin. tom. 2. pag. 392. &c.*

Aug. Calmet Diſſert. de Chronologia. *Auct Comm in Gen:*

Philippi Labbei, Annales. fol. Pariſ. 1670.

Joan. Bapt. Riccioli; Chronicon ab orbe condito ad an. 1668.

Chriſtophor. Helvici, Theatrum hiſtorico-chronologicum.

Cornelii a Beughem, Bibliographia hiſtorica, chronologica &c.

Georg. Hornii, Diſſert. de vera ætate Mundi.

Ejuſdem defenſio Diſſertationis &c.

Gerardi Jo. Voſſii, Diſſert. gemina de J: C. genealogia, & de annis, quibus natus, baptizatus &c.

Jo. Ligtfoot, Chronica temporum, & ordo Textuum V. & N. T. t. 1. & 2. Operum in fol.

Jo. Georg. Hervvart, Novæ, & veræ, & exacte ad calculum aſtronomicum revocatæ Chronologiæ &c.

Joan. Kepler, de vero anno, quo Chriſtus humanam naturam aſſumpſit.

Jo Paludani, Chronologia Regum Juda, & Iſraelis.

Concordia Regum, & Paralipomenon, cum annotationibus. Pariſ. 1691. in 4.

Samuelis Petit Eclogæ Chronologicæ.

Thomæ Lydiati Emendatio temporum ab initio Mundi, ad an. 1608.

Item Canones Chronologici ab initio Mundi ad initium Evangelii.

Chriſtophori Noldii, Hiſtoria Idumææ. *Apud Crenium faſc. 4.*

Friderio. Spanhem. Chronologia.

Joan. Buxtorf. fil. Exercitationes ad Hiſtoriam Arcæ fœderis.

Jo. Gulielm. Schickii, Hiſtoria Palæſtinorum, Syrorum, & Sidoniorum ad intelligendum Libros Samuelis.

Chronologia Samaritanorum, Authore *Eduardo Bernard.*

Aug. Calmet, Hiſtoria populorum Judæis finitimorum, pro intelligentia Prophetiarum.

---- Summa hiſtoriæ prophanæ Orientalis a Salomone, uſque ad ætatem Babylonicam, ad idem conducens.

P. Natalis Alexandri, ſelecta Hiſt. Eccleſ. V. T. capite. fol. Pariſ.

Auguſti Varenii, de annis Sabbathicis, & Jubilæis Judæorum.

Nicolai Mulleri, Judæorum annus lunæ ſolaris, & Turcarum mere lunaris. Groning. 1650. fol.

Maimonides, Deſcriptio initiationis novi-lunii, cum verſione Henning. Bean-Vitter.

Chriſtiani Heſſel, Calendaria quatuor, Ægyptium, Hebraicum, Macedonicum, & Romanum.

Vide etiam vetus Calendarium Judæorum, quod in hoc Opere dabimus.

Vide & Authores, quos recenſet Imbonati *Bibl. Rab. tom. 5. pag. 534. 537.* & Fabricius *Bibliograph. c. 10. n. 14. & c. 11. num. 1. 2.*

[Iis, quos indicavimus, de hiſtoria Judæorum addendus *Paulus Medger*, cujus Opus ea omnia majoris momenti complectitur, quæ variis regiminis Judaici ſtatibus acciderunt.

Opus eſt autem in quinque libros diſtributum. Primus

Liber hiſtoriam continet rerum ſub Abrahamo, Iſaaco, Jacob, & filiis. Alter ab ortu Moyſis ad primum uſque Judicem excurrit; tertius aſt a Joſue ad Saulem. Quartus a Saule uſque ad captum Sedeciam. Quintus Synoptice exhibet vitam Tobiæ, & Judith.

Plures ibi quæſtiones in ſenſum litteralem, ſpiritalem, & myſticum Scripturæ. Methodus ubique regnat exquiſita, & quicumque ad ejus lectionem ſe conferent, operis ſuſcepti eos certe non pœnitebit, ac ſacram hiſtoriam diſcent perquam facillime. Paruit id Argentorati an. 1700. fol. Mezger vir erat Germano-Benedictinus, & Profeſſor.

Hieronymus Vecchietius dedit octo libris Latine hiſtoriam a priori anno exorti mundi uſque ad annum Julianum, ubi & de ratione ſupputandi temporis facit; Argentorati an. 1621. in fol.

In priori Libro diſcutitur, quodnam fuerit exordium temporis, & quæ forma primi anni ab Adamo conſtituti, cujus Sacra Scriptura meminit. In ſecundo demonſtratur veritas ſucceſſionis temporis in V. Teſtamento, poſtquam prius expoſuiſſet Author illud Geneſis 6. *Videntes filios Dei filias hominum*; quæque ad Nemrod, & Hiſtoriam Job pertinent. In tertio aſſerit genuinam epocham prioris adventus Jeſu Chriſti, prædicationis, & mortis ipſius: exponit Septuaginta hebdomadas Danielis, necnon & circumſtantias omnes Cœnæ poſtremæ, cum ratione Paſchatis celebrandi. Quartus Liber inſcribitur de gratia Evangelica. In quinto perſequitur Author ea, quæ poſt Evangelium conſecuta ſunt. In ſexto poſtremæ ſucceſſiones expenduntur. In ſeptimo indicia omnia poſtremi temporis in Apocalypſi expreſſa afferuntur. Exhibet octavus tabulas Chronologicas, & Aſtronomicas.

Opus iſtud cenſura inuſtum fuit, ex ſententia, quam de ultima cœna Author defendit, ſcriptoque ſuo illud refutavit Antonius Capellus, Franciſcanus. Author ad Inquiſitionem delatus poſt plures carceris annos ibi immortuus eſt, & ætate ſenex annorum 80. Italus eſſet licet Florentinus, miſſuſque pro rebus Religionis ſuſtinendis a Clemente VIII. in Ægyptum ſe contuliſſet.

Quæ de Joſepho indicavimus, hæc de Antiquitatibus ejus Judaicis, dicta accipienda ſunt; de reliquis enim ejus Operibus nihil ad nos. Hic autem earum Antiquitatum editiones recenſebimus. Græca Baſileenſis an. 1544. in fol. Prodierant antea Latine *ibidem* an. 1540. Eraſmo Interprete. Græce, & Latine Lipſiæ an. 1691. in fol. Eduardus Bernardus quatuor priores libros excuderat Oxonii an. 1700. fol. Græce cum ſuis notis, quam editionem facile e Mſ. imperfecto adornavit. Integras cum ſuis notis dedit poſtea Joannes Hudſonius ibid. 1720. in fol. *Sed & editionem Hudſonii variantibus aliis e novis Mſſ. expreſſis illuſtratam recudit Amſtelodami an. 1728. 2. vol. Sigebertus Havercampus. Porro in hoc Havercampi Opere nihil eorum, quæ ad Joſephum pertinent, deſiderantur. Latinam Verſionem Hudſonii retinet. Junguntur autem ſimul ibi Notæ Bernardi, Gronovii, Combefiſii, Sibrandæ, Aldrichii, cum additamentis aliis virorum clariſſimorum ſive in totum Joſephum, ſive in partem ejus, ſive ad illuſtrandum Textum ejus aliquem.*

D. Arnaldus Andilly Gallice illas vertit, vulgatumque eſt Opus 2. vol. fol. Pariſ. an. 1667. altera editio Amſtelodami an. 1697. 5. vol. in 12. In omnes verſæ linguas, quemadmodum & cætera ejus Opera leguntur. Editionem an. 1691. (*quæ Lipſienſis eſt, licet Colonienſis inſcribatur*) ab Ittigio curatam ſupra cæteras præcedentes commendant addita Prolegomena, & Diſſertatio Lambecii de celebri illo teſtimonio Jeſu Chriſti. *Hæc autem omnia inſerta ſunt etiam in editione Havercampi.*

Joſephus Gente fuit Judæus, natus an. 37. J. C. Jeroſolymæ ex patre Matthia; floruit autem ſub Imperatoribus Veſpaſiano, Tito, & Domitiano uſque ad annum 93. & multo etiam ultra vitam prorogavit. Eloquio utitur puro, phraſibus perſpicuis, ſtylo magnifico, grata, & amœna narratione, ait Photius.

Juvat hic addere Jacobum Baſnage continuationem Hiſtoriæ Joſephi dediſſe Amſtelod. an. 1707. 15. vol. in 12. Hoc autem Opus P. le Long Samueli Baſnagio tribuit.

In priori libro diſſeritur de ſtatu, & regimine Judææ ſub Herodis Familia. In ſecundo de Sectis pertinentibus ad ætatem Jeſu Chriſti, & uſque ad everſionem Jeruſalem. In tertio de Patriarchis, & Doctoribus, qui vixerunt poſt everſum Jeruſalem, cum Supplemento ad Hiſtoriam Samaritanorum. In quarto de Dogmatibus Judæorum, confeſſione Fidei, & vicibus in rebus Religionis, tum & Religionis ejuſdem Judaicæ Hiſtoria retexitur. Quintus Liber ritus illorum, & cæremonias complectitur. Sextus eorum antiquitatem, & diſperſionem uſque ad ſæculum octavum; ſeptimus varias illorum diſperſiones in Oriente, & Occidente ab octavo uſque ad duodevigeſimum ſæculum.

Secunda eſt alia hujus Operis editio Pariſ. an. 1710. 7. vol. in 12. Idem eſt reipſa Opus, ac Batavum; quamquam in pluribus diverſum; alter eſt enim ordo, & Librorum numerus, quæ ab Hiſtoria Judaica eſſent aliena, adempta ſunt plura; viciſſim autem addita quædam ut pro ſeptem libris decem exhibeantur, quod methodum Operis exhibet commodiſſimam.

Mathurinus Veiſſiere la Croſe in ſuis Collocutionibus de varii generis argumentis, Hiſtoriæ, Litteraturæ, Religionis, & Critices impreſſis Coloniæ an. 1712. in 12. Operis hujus Baſnagiani errata plurima relevat, pag. 126. &c. Vide & Richardum Simon Bibliothecæ ſelectæ tom. 2. c. 16. pag. 259.

Baſnage natus eſt Rothomagi an. 1653. ibique Miniſtrum Eccleſiæ Calviniſticæ egit ab an. 1676. ex quo contulit ſe Roterodamum, ubi vivit adhuc, uti prodit nova editio Caniſii ab illo data an. 1724. 6. vol. fol.

Adornavit pariter Hiſtoriam Vet. Novique Teſtamenti, vulgatam cum elegantiſſimis figuris æri inciſis a Romano Hooghe, cui Operi adjecit Expoſitionem locorum difficillimorum Scripturæ. Paruerunt hæc omnia Amſtelodami an. 1704. fol. & 1705. 2. vol. in 4. 1706. fol. Gallice. In Operis exordio offert ſe longa admodum Præfatio multo ſtudio exacta de exiſtentia Dei, Divinitate Librorum Moyſis, aliorumque Prophetarum, utilitate ſcripta illa legendi, & neceſſitate unius Religionis. In ipſo aditu ad Hiſtoriam N. Teſtamenti offert ſe ſe non minus late explicata Præfatio. Stylo utitur Author preſſo, & ſæpe nimis conciſo, ubi diffuſior exigeretur.

Præter editionem, quam indicavimus Pſeudo-Joſephi cognomento *Ben-Gorion ſeu Gorionidis*, anterior eſt alia Oxonienſis an. 1706. in 4. cum verſione Latina ex Hebræo per Joan. Gagnerum, addita ejus Præfatione, & notis.

Una eſt modo Eruditorum ſententia, Authorem hunc ſuppoſititium eſſe, quem alii componunt cum ſæculo ſeptimo, alii cum undecimo; ſunt qui Gallum credant; ſunt qui Britonem. De illo vide Baſnagium in continuatione Joſephi l. 7. c. 6. & Placcium in Pſeudonymis.

Chronologia ſacra, & prophana *Davidis Ganz*, continens Hiſtoriam Judæorum ab exordio mundi uſque ad an. 1592. in duas partes diviſa eſt; prior excuſa Hebraice Francofurti an. 1692. ſecunda Amſtelodami an. 1694. 2. vol. in 4. Illam tamen prius Henricus Vorſtius Latine verterat, excudendamque curaverat cum ſuis notis Lugd. Batavor. an. 1646. in 4. Poſt hæc patuit Rabbinicæ linguæ tradita Francofurti ad Mœnum an. 1892. in 4. cum continuatione. Opus hoc ſuum Germen David Author inſcripſit, quod ſcilicet prima ſit ejus Lucubratio. Alioqui autem cum hiſtoriam ejus tota exhibeat ſub oculis mala, quibus premitur populus ſanctus, & poteſtas Chriſtianorum, Lectores monere voluit ea Operis ſui Inſcriptione, ut revocarent in memoriam Germen David, & precibus ſuis id impetrarent, ut tandem manifeſtaretur.

In hac Chronologia tria ſunt plane ſingularia. I. Ducitur a creatione Mundi, porrigiturque ad primum Templum, & ad Patriarchas; cum ſolemne ſit Hiſtoricis Judæis Chronologias ſuas exordiri ab Epocha Græcorum. 2. Quamquam exſcripſit ſæpe Joſephum, & gentis ſuæ antiquiores ſe Doctores, accuratior eſt tamen, & illorum menda corrigere non negligit. 3. In ſecundo Libro varios Authores Chriſtianos compilavit, ſed infelici delectu. Natus eſt Judæus Pragæ in Bohemia, egitque Mathematicum. Florebat autem circa an. 1592.

Genebrardi duo ſunt opera, Chronologia ſacra impreſſa Lovanii an. 1570. in 12. & Coloniæ an. 1571. unico libro conſtans. Secunda eſt alia Chronologia in quatuor diſtincta libros, quorum duo priores, ad veterem populum pertinentes, hiſtoriam exhibent 4000. annorum; Pariſ. an. 1580. 1585. in fol. De hoc viro nos in Pſalmos, & alibi.

Chro-

Chronicon *Eutychii* Alexandrini excuſum eſt Oxonii an. 1659. Melius appellaretur Annales, qui a creato Mundo aduſque an. Jeſu Chriſti 940. ducuntur. Patriarcham egit Alexandrinum ab an. 933. uſque ad 950. quo & obiit, infectus hæreſi Jacobitarum, & Neſtorianorum.

Præter editionem Canonis *Marshami*, a nobis indicatam, alia eſt etiam Lipſienſis an. 1676. in 4. caſtigatior, & amplior; & tertia Franekeræ an. 1696. in 4. Scripſit etiam peculiarem Diſſertationem Chronologicam de ſeptuaginta ſeptimanis Danielis; Lond. 1649. in 4. Eques erat, & Baro-Londinienſis, in Hiſtoria verſatus, defunctus an. 1672. Canon ejus Chronologicus opus eſt profundum, eruditum, & doctum.

Ludovicus Capellus, & non Jacobus, uti male in noſtris Impreſſis, digeſſit Chronologiam ſacram e Sacris Scripturis expreſſam ab exordio Mundi uſque poſtremam captivitatem Judaicam per Romanos. Excuſa eſt Pariſ. an. 1655. in 4. legiturque in capite tomi primi Polyglottorum Anglicanorum. Verum Jacobus Capella adornavit Hiſtoriam ſacram ab Adam aduſque Auguſtum Imperatorem excuſam Sedani an. 1612. in 4. tum ab Auguſto uſque ad Valentinianum; *Ibid.* an. 1622. in 4. Præter hæc memorabiliores epochas cum expoſitione textuum difficillimorum Scripturæ; *Ibidem* 1602. in 4. Majus etiam opus Hiſtoricum meditabatur, cujus epitomen exhibet in ejus articulo P. le Long. De utroque hoc fratre ſæpius agendum eſt nobis.

Diſſertatio *Joan. Seldeni* de anno civili, & Calendario Reipublicæ Judaicæ, lucem aſpexit Lond. an. 1644. in 4. Lipſiæ an. 1673. in 8. Lugd. Batav. an. 1683.

Jo. Baptiſta Riccioli dedit ingens opus de Chronologia ſacra 3. vol. fol. excuſum Bononiæ an. 1669.

Sextus Liber tomi prioris exponit annos, & epochas Hebræorum. Septimus annos mundi atque ætates uſque ad Chriſtum; octavus annum, & diem natalem Jeſu Chriſti una cum ejus genealogia. In ſecundo tomo recenſitur Chronicon annorum Mundi juxta Septuaginta, tum & juxta Hebræum; ac tandem majus aliud annorum ante, & poſt Chriſtum uſque ad annum 1666. In tertio tomo offert ſe tabula Patriarcharum, Judicum, Regum Juda, & Iſrael, Prophetarum V. Teſtamenti, Pontificum Hebræorum, aliorumque ad genealogiam Jeſu Chriſti pertinentium. Jeſuita erat, Italo Ferrarienſis, denatus an. 1671.

Theatrum Hiſtoricum, & Chronologicum *Chriſtophori Helvici* excuſum eſt ſexta, & poſtrema editione Oxonii an. 1651. fol. De hoc viro nos in Geneſim.

Bibliographia Hiſtorico-Chronologica *Cornelii Beughem*, Batavi Typographi, lucem aſpicere cœpit Amſtelodami an. 1688. in 12. Poſt hæc autem perpetua ſerie continuata eſt. Exhibet autem metum catalogum Librorum, jam inde a cœpta arte Typographice excuſorum.

Georgii Hornii, Germano-Calviniſtæ e Palatinatu, & Profeſſoris Leidæ, Diſſertatio de vera mundi ætate paruit Leidæ an. 1659. in 4. cum vindiciis in Voſſium, & ad Vindicias illas Additionibus. Fœtus eſt etiam illius Arca Moyſis, ideſt Hiſtoria mundi adverſus eumdem; *Ibidem* 1669. in 12. Obiit an. 1669.

Geminæ Diſſertationes *Gerardi Joannis Voſſii* in genealogiam J. Chriſti, annum ejus natalem, annum item baptiſmatis, & mortis, lucem aſpexerunt Amſtelodami an. 1643. in 4. Concinnavit etiam Introductionem ad Chronologiam ſacram vel octo Diſſertationes de temporibus Hiſtoriæ Hebraicæ, excuſas Hagiæ an. 1659. in 4. Hæc omnia continentur in Collectione Operum ipſius tom. 6. *Ibidem* 1701. De hoc viro nos ad Concordias Evangelicas.

Joan. Georgius Herwart, cujus nos indicavimus Chronologiam, Cancellarium egerat Ducis Bavariæ, aliaque Hiſtorica Opera adornavit, recenſita apud Draude; ſed ille præterit hanc Chronologiam, impreſſam Monachi an. 1614. in 4. Opus exactiſſimum, licet male digeſtum.

Quæ ſcripſit *Joan. Kepplerus* de anno natali Jeſu Chriſti in Laurentium Sullygam Polonum, vulgata ſunt Pragæ an. 1606. in 4 & Francofurti an 1614. Adornavit etiam Eclogas Chronologicas in tempora Herodis, & Herodiadum, Baptiſmatis, Miniſterii, Paſſionis, Obitus, & Reſurrectionis Jeſu Chriſti, quæ lucem aſpexerunt Francofurti an. 1615. in 4. Vir erat Wirtembergenſis, Lutheranus, & Mathematicus, defunctus an. 1630.

Non *Joannes Paludanus*, uti male in noſtris impreſſis, *Diction. Bibl.* ſed *Michael* exhibuit Chronologiam Regum Juda, & Iſrael, vel Concordiam temporum a Saule aduſque Cyrum, excuſam Lovanii an. 1628. in 4. Auguſtinianus erat Gandavenſis, Doctor, & Profeſſor in Univerſitate Lovanienſi, defunctus an. 1652. Sedulo diſtinguendus eſt a Joanne Paludano Mechlinienſi, defuncto an. 1630.

De Concordantiis *Jo. B. Verrun* fruſtra hic ageremus, cum ſatis actum ſit de illis ad Libros Regum.

Concordiam Chronologicam, verius quam annales, dederunt *PP. Labe, & Briecius*, excuſam Regiis Typis 5. vol. in fol. Editio eſt elegantiſſima operis, cujus minimus eſt uſus. Synopſis ejus data eſt 5. vol. in 12. Pariſiis an. 1666.

Eclogæ Chronologicæ *Samuelis Petit* lucem aſpexerunt Pariſiis an. 1631. in 4. & in octavo tomo Antiquitatum Romanarum pag. 361. ac tandem in Criticis Sacris Londinienſibus juxta P. le Long; facile tamen in poſtrema editione Francofurtenſi, neque enim in priori an. 1661. parent. Obiit vir Nimacenſis, & Calviniſta an. 1643.

Thomas Lydiat vulgavit plura Opera Chronologica. Correctio temporum ab exordio mundi uſque ad ſæculum ejus paruit Londini an. 1609. in 8. & Hagiæ an. 1654. in 12. Canones Chronologici ab exordio mundi aduſque Evangelii exordium; Oxonii an. 1675. in 8. Scripſit etiam Chronicon Regum Juda Hebraice, ſi quæ fides Antonio Van Wood. Expoſitionem pariter annorum Natalis, & Miniſterii Jeſu Chriſti; Lond. 1613 in 12.

In Anglia natus *Lydiat*, patriam habuit Oxonium, & Chronographum egit. Obiit an. 1646. Correctionem temporum in Scaligerum alioſque ſcripſit.

Hiſtoria Idumæa *Chriſtiani Noldi*, Dano-Lutherani, & Profeſſoris Haphniæ, Diſſertatio eſt in vitam, & res geſtas Herodum, excuſa Franekeræ an. 1660. in 16. *iteramque inter Opera Joſephi per Havercampum tom. 2. in calce.* Concinnavit etiam Epitomen Hiſtoriarum, & Antiquitatum ſacrarum, excuſam Haphniæ an. 1662. fol. Obiit an. 1683.

Fridericus Spanhemius, filius, & non pater, laboravit in Chronologiam, et Hiſtoriam ſacram utriuſque Teſtamenti; id autem Opus excuſum eſt Leidæ an. 1701. in fol. Promiſerat introductionem in idem argumentum *Ibid.* 1683. et 1694. in 4. De hoc viro nos in V. Teſtamentum.

Exercitationes Hiſtoricæ *Jo. Buxtorfii*, filii, Baſileenſis, et Profeſſoris linguæ ſanctæ, verſantur in Arcam fœderis, Ignem ſacrum, et cœleſtem, Urim, et Thummim, Mannam, et Petram Deſerti ac Serpentem æneum. Vulgatæ ſunt autem Baſileæ an. 1659. in 4. Immortuus eſt in Calviniſmo an. 1664.

Hiſtoria populorum Palæſtinæ, Syriæ, et Sidonis authore *Stuckio*, lucem aſpexit Tiguri an. 1695. in fol. Vir erat Helvetius, Calviniſta, Profeſſor Tiguri, denatus an. 1595.

AUTHORES ADDENDI.

F*ranciſci Macei* eſt Gallica Synopſis Hiſtorica, et Chronologica Vet. Novique Teſtamenti, excuſa Pariſ. an. 1704. in 4. Natus Pariſiis vir ille, Doctorem egit, et Miniſtrum (Cheſcier) Eccleſiæ S. Opportuni. Obiit an. 1721. Opus iſtud a ſuo Authore modeſto titulo Synopſis Hiſtorica inſcriptum, reipſa tamen eſt gravis, et perpetuus Commentarius in Biblia univerſa. Qui ſublimes conceptus amant, fruentur hic grandibus illis, quæ in Hiſtoricis Græcis, et Latinis ſcrutantur.

Edmundus Macloa, Præmonſtratenſis, Abbas d' Erange Diœceſis Verodunenſis, ubi et obiit an. 1711. ætatis 76. exhibuit Hiſtoriam Vet. Novique Teſtamenti cum notis Theologicis, excuſam Nancii an. 1705. 1712. 2. vol. in 8. In eo vero Author non id tantum curat, ut Scripturæ textus referat, ſed et interſerit animadverſiones ſive e Theologia, ſive e Morali, ſive ex Hiſtoria.

Sunt qui ad hiſtoriam tantum V. Teſtamenti labores ſuos terminarunt; Latine illam dedit *Joachim Langius* Hallæ an. 1718. in 4. cum exegeſibus vel expoſitionibus locorum difficillimorum Scripturæ. Opus eſt autem in ſeptem periodos diſtributum.

P. Jacobus Grandamicus, Jeſuita, dedit Latine ſub titulo Theologiæ Chriſtianæ quæcumque geſta ſunt omnia a creatione Mundi uſque ad ortum Jeſu Chriſti. Paruit id Opus Pariſ. 1666. in 4. tertia editio.

Digitized by Google

Tandem *D. Calmet* vulgavit Hiſtoriam utriuſque Teſtamenti, & Judæorum Pariſ. 2. vol. in 4. an. 1718. & 7. vol. in 12. 1725. cum figuris æris inciſis. Poſt tot alia ejuſdem ſaporis Opera, ille manum huic ſuo admovit, inſtante D. Abbate Fleury, qui meditabatur ſimile aliquid adornare, ut introductionis loco eſſet ad Hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam, quam nonniſi ab Actibus Apoſtolorum circa an. J. Chr. 36. exorditur. Sed nolebat manum ab ingenti Opere ſuo remittere; inter hæc morte ſublatus eſt, magno reſicto omnibus ſui deſiderio.

Suam hanc hiſtoriam P. Calmet a creatione Mundi deducit uſque poſt everſionem Jeruſalem, ubi potiſſimum D. Abbas Fleury plenis velis pelago ſe committit. Conatus eſt imitari præciſam brevitatem Hiſtorici hujus docti, & eruditi, evitans infercire Opus animadverſionibus doctis, & curioſis, nihilque curans ſollicitius, quam ut Fideles inſtrueret, moreſque illorum ædificaret lectione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ V. Teſtamenti.]

GEOGRAPHIA SACRA.

Vide Commentatores in 10. cap. Geneſis, & in Librum Levitici.

Euſebii Cæſarienſis, Liber de locis Hebraicis, ſeu Onomaſticon, cum Verſione Latina D. Hieronymi, & Notis Jacobi Bonfrerii. Joan. Martianæi, & Joan. Clerici, fol. Amſtelodami 1708.

S. Hieronymi, de terra promiſſionis, Epiſt. ad Dardanum t. 2. *pag. 606. Nov. Edit.*

Vide etiam ejuſdem Epiſt. ad Fabiolam de 42. manſionibus *ibid. pag. 586.* ſicut etiam Epiſt. 17. 27. in veteri Editione, ubi plura de locis Terræ ſanctæ.

Brocardi Monachi, Ordin. Prædicatorum, Deſcriptio Terræ ſanctæ, Baſil. 1555. fol.

Eucherii, de ſitu Jeroſolymæ, & locorum SS. *Biblioth. nov. Mſſ. Labbei tom. 1.*

Beda Vener. De locis ſanctis.

Phocas, Epiphanius Hagiopolita, & Perdiccas, de locis Paleſtinæ, ex Editione Leonis Allatii in Symmictis.

Adamnanus Scotus, de locis Terræ ſanctæ l. 3. ex Editione Mabillonii tom. 3. Acta Sanctor. Ord. S. Benedicti, part. 2. pag. 502. &c. *Bernardi Monachi* Franci aliud Itinerarium ibidem pag. 523.

Itinerarium Burdegala Jeroſolymam.

Gulielmus Tyrii, Hiſtoria belli ſacri l. 23. cum ejuſdem continuatione per Joan. Herold.

Marini Sanuti Torſelli, deſcriptio Jeroſolymæ; extat t. 2. Geſtorum Dei per Francos.

Beniamini Tudelenſis, itinerarium anno 1173. ſcriptum, ex Verſione Ariæ Montani, cum Notis Conſtantini Imperat.

Itinerarium *Rabbi Petachia*, ſæcolo 12. cum Verſione Vagenſeilii.

Abrahami Periſſol, itinera Mundi, cum Thomæ Lyde Verſione, & Notis, Oxon. 1691. in 4.

Joan. Ligtfoot Horæ Hebraicæ, & Thalmudicæ in Evangelia, Acta, & quaſdam Pauli Epiſtolas, & Centuria Chorographica in Matth. & in alios Evangeliſtas *Oper. tom. 2. Ultrajecti 1699.*

Hermanni Witſii, Hiſtoria Jeroſolymæ. *Miſcellan. Sacr. tom. 2.*

Adriani Relandi, Palæſtina illuſtrata, in 4. Vol. 2. Lugd. Batav. 1714.

Chriſtoph. Cellarii Geographia antiqua. Vol. 2. in 4. Lipſiæ 1706.

Friderici Spanhem. Introductio ad Geographiam antiquam *tom. 1. Oper. Leid. 1701. in fol.*

Samuelis Bocharti. Phaleg, & Chanaam. In fol. Cadomi, & alibi.

Salom. Deylingi, fertilitas terræ Chanaan. *Obſervat. ſacr. tom. 2.*

Ben. Ariæ Montani, Phaleg, Chanaan, Caleb, & Nehemias.

Aug. Calmet, Diſſert. ſive animadverſiones in Tabulam Geographicam Terræ Sanctæ, *ante Comment. in Joſue.*

---- De caſtrametationibus Veter. Hebræorum, *ante Judices.*

Chriſtiani Adrichomii, Theatrum Terræ Sanctæ fol. cum figuris.

Nicolai Sanſon, Geographia Sacra ex Vet. & Novo Teſtam. cum notis, & Præfat. Joan. Clerici, Amſtelodami 1704. fol.

Vide etiam ad calcem magnorum Bibliorum *Vitré*. Geographiam ſacram *P. Lubini*, Tabolas *Adrichomii*, *Sanſonis*, *Duval*, *de la Rue*, *Ligtfoot*, & quam nos Commentariis in Judices præfiximus.

Joan. Quiſtorpii, Nebo, ſeu de Terra Sancta, *appd. Crit. ſacr. 9.*

Petri Danielis Huetii, de navigationibus Salomonis.

---- Diſſertatio de ſitu Paradiſi terreſtris in 12. Pariſ. Gallice.

---- Hiſtoria negotiationum, & navigationum Veterum. Pariſ. 1716. in 12. Gallice.

Gaſpar Barreiri, de Ophira regione.

Aug. Calmet Diſſertatio de regione Ophir. *ad Geneſ.*

Luca Holſtenii, Ep. ad Berthold. Nihuſium de fluvio Sabbatione, de quo Joſeph. in bello Jud. l. 7. c. 24.

Nicol. Fullerus, de fabuloſo flumine Sabbatione.

Joan. Buxtorf. Lexicon Thalmudic. de Sabbatione, ex Rabbinis.

Hadriani Relandi, Palæſtina illuſtrata *c. 1. pag. 291.*

Alphonſi Toſtati Liber de ſitu Terræ Sanctæ.

Anſelmi, Deſcriptio Terræ Sanctæ.

Chriſt. Heidman Palæſtina, ſive Terra ſancta.

Chriſtoph. Vitelli Theatrum Terræ ſanctæ.

Cornel. a Beughem Bibliographia Hiſtorica, & Geographica.

Didaci Mavelurr, deſcriptio Idumææ.

Jacobi Ziegleri, Terræ ſanctæ deſcriptio.

Jo. Boiſſelli Terræ ſanctæ Topotheſia brevis &c.

Joan. Pomſini, deſcriptio Terræ ſanctæ.

Michael Altſinger, Terræ Promiſſionis Topographice, & Hiſtorice.

Nec abs re fuerit vera, & nova Terræ ſanctæ Itineraria comparare, uti *Jacobum de Vitriaco*, Epiſcopum Achonenſem.

Jo. Zuvallart Major, Athenſis, Iter Jeroſolymitanum. Antuerpiæ 1697. in 4. cum figur.

Fretellus Archidiaconus Antiochenus.

Jacobus Pantaleo Patriarcha Jeroſolymitanus.

Rogerus Bacon, Minorit. Anglus.

Joan. Mandeville, impreſs. Antuerpiæ 1564.

Rodolphus Langius. Colon. 1517.

Gerardus Kninstorf, Iter Jeroſolymitanum: Campen. 1520.

Bartholomæus Salignac. Lugdun. 1526.

Bernardus Breidembach. Norimber. 1534.

Martinus Baumgart de Breitembach. Norimber. 1534.

Chriſtoph. Heimand; *Franciſcus Quareſmi*, *Othon. Apper Eugen. Rogerius*, *Joan. Voſchu*, Carmelita, Melchinenſis 1527.

Petrus Appianus, Gerardus Mercator, Volfangus Veiſſembourg, Joan. Cevetio de Vera, Itinera Terræ Sanctæ.

Joan. Cotovic, *Joan. Doubdan*, *Joan. Dubliabe*, *Ludolphus Suchenſ. Leonard. Rauvolphe*.

Maundrellus, iter Aleppo Jeroſolymam in 8. Luculentiſſimum.

Adami Reiſneri, deſcriptio Jeroſolymæ, e Germanico in Latinum verſa per Joan. Heydenum. Francoforti 1563.

Joan. Zovallart iter Jeroſolymitanum. Antuerp. 1608. Gallice.

Beauvau, Iter Orientale Tullum 1608. Gallice.

Hermanni Borculoe, Civitatis Jeruſalem, & Locorum Sacrorum deſcriptio. Ultrajecti 1538.

Gerardi Joan. Abbatis Monaſterii a Beon, deſcriptio Jeruſalem, & locorum ejus.

Tilemanni Stella, Sſtigenſis, Jeroſolymitæ Urbis, & totius Terræ Promiſſionis Tabula. Antuerp. 1557.

Petri Lackſteyn, Deſcriptio antiquæ, & novæ Urbis Jeroſolymorum. Calcariæ Clivorum 1570.

Lege etiam catalogum Authorum, quos Adrichomius laudat, in calce Operis illius, Coloniæ 1581. in 8.

[Si P. le Long aſſerenti credimus, *Brocardus*, & *Burchardus* duo ſunt nomina plane diverſa unius ejuſdemque viri, qui dedit deſcriptionem Terræ ſanctæ, excuſam poſtremo in Onomaſtico Euſebii a Joanne Clerico Amſte-

lodami

Digitized by Google

lodami an. 1707. *fol.* & in nova Editione Menochii per P. Tournemine 1719. Pariſiis an. 1719. *fol.* Primo omnium lucem aſpexerat Baſileæ an. 1546. curante Gaynæo.

Brocardus, cognomento Bonaventura ex nomine in Baptiſmo, ſive in Religione accepto, Dominicanus erat profeſſione, oriundus Argentorati, qui loca ſancta peragravit an. 1280. Appellabatur etiam Burchardus; ex quo a multis confundi illum contigit cum Burchardo montis Sion Dominicano, alio tamen ab hoc noſtro, quamvis unius ætatis eſſent ambo; hic enim poſterior Opus ſuum dicavit priori, uti conſtat ex Antiquitatibus Caniſii t. 6. pag. 697.

Adrichomius in ſuo Theatro terræ ſanctæ Deſcriptionem hanc plurimi æſtimat, quod loca oculatus teſtis ipſe per ſe Brocardus luſtravit; nec fateri erubeſcit plurimum ſibi adjumento Opus illud fuiſſe. Diſtributum eſt in tredecim capita.

In articulo generali Commentariorum Catholicorum meminimus *Rabserii* illius, cui P. Labbe Opus de Locis ſanctis vindicavit. Scriptum *Bedæ* de hoc Argumento legitur Operum Ipſius tomo 3.

Deſcriptio ſynoptica Urbium ab Antiochia uſque Jeruſalem, ſicut & Syriacarum, Phœnicum, & Palæſtinarum &c. Authore *Phoca* Latine tractatur, in exordio tomi 2. menſis Maii Bollandiſtarum. Monachus erat Græcus, Cretenſis, qui ſæculo 12. circa an. 1185. per loca illa diſcurrebat.

Friderico Morellio tradente vulgatum jam fuerat opus *Epiphanii*, Monachi & Sacerdotis Jeruſalem, cujus ætas latet in obſcuro. *Perdiccas*, Protonotarius erat Epheſinus; ipſiſſimum cenſet Ducangius cum viro de quo Pachimeres Hiſtoriarum l. 6. c. 24. ſcripſit verſibus jambicis.

Itinerarium Burdegala Jeruſalem ſcriptum ultra annos 1300 dedit Petrus Pithæus, atque cum Itinerario Antonini Imperatoris datum eſt Coloniæ an. 1600. *in 8.* quæ omnium optima eſt editio.

Horæ Hebraicæ & Thalmudicæ *Ligtfooti* in Geographiam terræ Iſrael prodierunt ſeorſum Cantabrigiæ an. 1648. *in 4.* Opus eſt autem plura continens curioſa, & a Geographis aliis plane diverſa.

Hermannus Witſius, Batavo-Calviniſta, Profeſſor Leidenſis, & non Legienſis, uti male in impreſſis P. le Long, ſcripſit Hiſtoriam Jeruſalem, quæ decima eſt, & undecima Exercitatio tom. 2. Miſcellaneorum ſacrorum ipſius. Prodiit autem ſeorſum Amſtelodami an. 1700. *in 4.* & cum aliis ejus Operibus Herbornii an. 1717. *in 4.* 6. vol. Hiſtoriam dederit a condita Urbe uſque ad everſam per Babylonios, & poſt reſtitutam iterum ad deletam per Romanos an. 1708.

Itinerarium *Benjamini* Judæi, cum notis Conſtantini l'Empereur, excuſum eſt Leidæ *in* 12. Notis illud ſuis, ſed nondum impreſſis, Matthias Fridericus Beckerus illuſtravit. Vir erat Judæus, e Regno Navarræ oriundus, defunctus an. 1173. poſt decurſa omnia ea loca, ubi naſcturum in Synagogas rebatur, quo de ſtatu gentis ſuæ ſeſe penitus inſtrueret. Cum autem præjudicio gentis ſuæ alte eſſet imbutus, nihil reliquit, quod ad gloriam gentis illius relevandam conferre poterat. Diſcrepat interdum a Geographis & clari nominis Hiſtoricis, quin & novas regiones excogitat; ſed inter hæc tamen exhibet pariter ideam generalem ſtatus Judæorum, qua in Oriente, qua in Occidente, qualem ætate ſua ſpectavit.

Abraham Mardochæus Periſſol, Judæus Avenionenſis, ſcripſit Itinerarium ſuum mundi an. 1525. Ferrariæ; cujus Operis editionem indicavimus. Indicat ad paginam 39. Mappam ſuam, quæ lucem non aſpexit.

Itinerarium *Rabbi Petahiæ*, qui ſæculo 12. florebat, dedit Jo. Chriſtophorus Wagenſeilius in Exercitationibus ſuis p. 161.

Præter editionem indicatam Palæſtinæ illuſtratæ ab *Adriano Relando*, Operis in tres Libros diviſi; alia eſt etiam poſterior & amplior Norimbergæ an. 1716. in 4.

In priori Libro diſſerit de variis nominibus Palæſtinæ, ſitu, aquis, montibus &c. In ſecundo de intervallis locorum Palæſtinæ, ubi menda plura Veterum Geographorum relevat. In tertio de Urbibus & aliis locis Palæſtinæ. Illud merito affirmandum, Opus eſſe commendabile, quæ profunda Authoris ſui eruditione, quæ editionis elegantia. De hoc viro actum eſt a nobis.

Addemus tantum e Diſſertationibus ejus Miſcellaneis impreſſis Latine Trajecti an. 1706. in 8. illas, quæ Geographiam ſacram reſpiciunt. Lucubrationes eſſe non minores, quam deſcriptiones ejus Palæſtinæ ſimonent. In prima agitur de ſitu Paradiſi terreſtris, in ſecunda de mari rubro, in tertia de monte Garizim, in quarta de regione Ophir.

Anſelmi Poloni, Franciſcani labore habemus deſcriptionem terræ ſanctæ impreſſam Cracoviæ an. 1514. in 4. legiturque pariter in Lectionibus antiquis Caniſii tom. 6. Florebat an. 1508.

Chriſtophori Heidman, Helmſtadienſis Lutherani, & Eloquentiæ Profeſſoris, Deſcriptio Palæſtinæ lucem primo vidit Helmſtadii an. 1625. in 8. tum Wolfenbut. an. 1655. in 4. aucta, & Hannoveriæ an. 1689. Obiit an. 1627.

Opus *Toſtati* de ſitu Terræ Sanctæ, cujus meminit tantum Nicolaus Antonius in ſua Bibliotheca Hiſpanica, lucem aſpexiſſe nunquam ſcimus. De hoc viro nos in Commentariis Generalibus.

Operis *Cornelii Benghem* ſupra meminimus.

Deſcriptionem Idumææ *Didaci Martinez*, cujus unus Sotvellus inter cætera ejus Opera meminit, lucem aſpexiſſe vix credimus.

Deſcriptio Terræ Sanctæ *Jacobi Ziegleri* Bavari & Geometræ, excuſa eſt Argentorati an. 1536. altera editio in fol. & Francofurti an. 1575. Obiit an. 1549.

Quam dedit *Joannes Perusinus*, Italus, latere in MSS. affirmat Poſſevinus in ſuo Apparatu ſacro.

Fretelli Scriptum de locis ſanctis Mſ. ſervari in Bibliotheca Claravallenſi affirmat P. le Long.

Joannes Briſſelius, eſt potius Jo. Diſſelius Jeſuita Suevus, Theologus, qui floruit an. 1639. Deſcriptio ejus Palæſtinæ excuſa eſt Ambergæ (*Amberg*) an. 1659. in 8. & Dilingæ an. 1679. Ita nomen hujus viri ſcribunt P. le Long in ſuo Bibliotheca ſacra, & Lipenius in ſua Bibliotheca Theologica.

Deſcriptionem Terræ ſanctæ *Jacobi Pantaleonis* non novimus, niſi unico teſtimonio Adrichomii, qui uſum ſe illo dicit in ſuo Theatro Terræ Sanctæ. Nunquam ille quidem egit Patriarcham Antiochenum, uti nobis excidit, ſed Pontificem ſub nomine Urbani IV. Natus eſt Trecis in Campania, obiitque an. 1264.

Addemus hic Geographiam ſacram *Sanſonis*, Latine cum Notis Joannis Clerici & Præfatione Amſtelodami an. 1703. in fol. a editio, cum brevi Tractatu inſcripto: *Judæa*, in quo paucis exponitur Hiſtoria diverſarum gentium, quæ varias ejus partes occupant, quæque aliæ poſt alias deſcribuntur.

D. Clericus dedit ea, quæ de hoc Argumento ſcripſerunt *Euſebius, & S. Hieronymus*, ſub titulo Dictionarii Urbium & locorum s. ſcripturæ; excuſum eſt opus Amſtelodami an. 1707. fol. Latine. Junxit & opus Brocardi Dominicani.

Tandem omittendus non eſt *P. Pezron*, cujus eſt Diſſertatio Epiſtolaris de veteribus limitibus terræ Promiſſionis, vulgata in Ephemeridibus Trevoltianis. Prolixa eſt admodum & digna Scriptore illo longe doctiſſimo.]

STUDIA, SCHOLÆ, ET LIBRI HEBRÆORUM.

J*oan. Henrici Maii* Synopſis Theologiæ Judaicæ Veteris, & Novæ, Gieſſæ 1698. *in 4.*

Joan. Bourd. Carpzovii, Introductio in Theologiam Judaicam.

Joſephi de Voiſin Theologia Judæorum, Pariſ. 1574. *in 4.*

Antonii Hulſii, Theologia Judaica, Bredæ 1653. *in 4.*

Joan. Alens, Theologia Judaica recentior, Herborn. 1644. in oct.

Th. Hackſpan, de uſu Rabbinorum in Theologia.

Claud. Capellani, Mare Rabbinicum infidum, Pariſ. 1667. *in 12.*

Julii Bartolocci Biblioth. Rabbinica, cum ſupplemento Caroli Joſephi Imbonati 5. Vol. in fol.

Scipionis Sgambati, Archiv. Vet. Teſtam. Neapoli 1703. f.

Gilberti Gaulmin de Apocryphis Hebræorum Scriptis.

Jo. Alberti Fabricii Codex Pſeudo-epigraphus Vet. Teſtam. Hamburgi, & Lipſiæ 1713. in oct.

Ejuſdem Codex Apocryphus Nov. Teſtam. Hamburgi 1703. in oct.

Joan. Van-Bashuiſen, Diſſert. de Academiis, Academicorumque titulorum origine Hebraica, Hannov. 1705.

Joan. Leonard. Hembner, Diſſert de Academiis, & Societatibus Literariis Hebræorum, Vittemberg. 1703.

Jacobi Alting Hiſtoria Academiarum, & promotionum Academicarum, Amſtelod. 1652. in 12.

Ejuſdem Studioſus, & Doctor Hebræus.

Jul.

Diſſertatio *Ziegra* de inauguratione, & conſecratione Sacerdotum paruit Wittembergæ an. 1680. in 4. De hoc Viro nos in Ganaſim. Scripſit & geminas Diſſertationes de unctione ſacra, de qua Exodi 30. 22. 25. Leguntur ambæ in Diſſ. Philolog. tom. 2.

Joan. Braunii de veſtibus Sacerdotum Opus ad Exodum indicavimus; hic tantum monemus an. 1684. unicum contineri librum, ad cujus calcem Author daturum ſe alterum de hoc argumento ſpondet.

Quæ in idem argumentum vulgavit *Jacobus Hieronymus Sopranes* leguntur in Digreſſionibus Commentarii ipſius in David, cujus nos impraſſionem indicavimus. Vir erat Genuenſis, defunctus an. 1229.

In ſacunda Orationum ſuarum *Joan. Peldsana* diſſeruit de vaſtibus Aaronicis. Excuſæ ſunt Oxonii an. 1626. & Tiguri an. 1672. in 4. Nos de hoc viro in Apocalypſim.

Operis *Didaci Caſtillo* de hoc argumento in Exodum meminimus.

Diſſertatio *Benedicti Davidis Carpzovii* de veſtibus Summorum Pontificum lucam aſpaxit Jenæ an. 1655. in 4. legiturque inter Diſſertationes Academicas Joan. Banedicti fratris ipſius, impreſſas Lipſiæ an. 1699. in 4. Vir erat Lipſienſis, Lutheranus, dafunctus an 1655.

Schola ſacra ſacrificiorum Patriarcharum cum ſpicilegio Cloppenburgii edita eſt an. 1637. in 16. Leidæ. De hoc viro nos alibi.

Joan. Saubertus non de ſacrificiis Veterum tantum, ſed & da Sacerdotibus ſacriſque Miniſtris Habræorum diſſeruit, Commentario impreſſo Jenæ an. 1650 in 8. Thomas Cranius opus illud recenſuit, & Notis ſuis illuſtravit, recudandumque curavit Lugd. Batavor. an. 1699. in 8. Filius erat Joan. Saubaiti, Germano Nurimbargenſis, & Lutharanus ac Profeſſor Linguæ Sanctæ Altorfii, defunctus an. 1688.

Tractatus *Doduvvell de uno altaris ſacrificio* Anglice ſcriptus eſt, excuſuſque Lond. an. 1673. in 8. Damus hic Latinum ejus titulum, qualem legimus in Bibliotheca Regia: *Ex antiquis Authoribus in eorum adverſus Schiſmata controverſiis, cum neceſſariis Relationibus ad quoſdam poſtremos Tractatus Richardi Baxter.*

Rituale Ecclaſiaſticum *Gaſparis Calvori*, & non Calvorei, uti mala in noſtris impreſſis, paruit Jenæ an. 1705. in 4. In partes diſtribuitur geminas, quarum prior exhibet originem, & cauſas rituum Eccleſiæ Evangelicæ, ac illorum malum probumque uſum. In ſecunda reſpiciuntur loca, tempora, & parſona ſacra, & totum quidquid eſt antiquitatis Eccleſiaſticæ.

AUTHORES ADDENDI.

F*Abricius* Bibliograph. Antiquar. c. 81. remittit nos, ut da ſacrificiis magis magiſque inſtruamur, ad ea quæ *Edvardus Bernhardus* ſcripſit in ſuis notis ad Joſaphum Antiquit. l. 3. c. 9. &c. ubi deplorat grandem illam jacturam Oparum hujus Hiſtorici, ad leges Hebræorum quod attinet pag. 811.

Monet etiam ut conſulamus *Robertum Sheringham* in ſuo Tractatu *Joma*, excuſo Lond. an. 1648. in 6. & ſecundum tomum Miſchnæ per Suranhuſium, de quo nos in tertia parte.

Indicat etiam *Guillelmum Outram*, cujus duo ſunt da ſacrificiis Libri; agitur in primo de ſacrificiis, qua Judæorum, qua cæterarum gentium; in altero vero de ſacrificio Jeſu Chriſti. Latinum eſt Opus, excuſum Lond. an. 1677. in 4. & Amſtelodami an. 1678. in 8. Vir erat Anglus, religionis Anglicanæ, & Canonicus Waſmunſterienſis. In omnibus operibus ſuis Socinum maxime & Socinianos impugnat.

Tandem varia ſacrificiorum genera diſtinguit, quæ Judæi offerre tenebantur juxta variat ſeu rerum naceſſitates, ſeu leges ipſas præſcriptas, & omnes, qui de ipſis diſſeruerunt, recenſet.

Robertus Sheringham, Anglo Contabrigenſis, imprimendum curavit Londini an. 1648. in 4 Codicem Thalmudicum Latine verſum ax Hebræo cum Commantario. Differitur autem ibi da ſacrificiis, & Miniſtris ad id munus deſtinatis die Expiationis ſolemnis, juxta ea, quæ conſtituta ſunt Levit. 16. & num. 19.]

FESTA, DECIMÆ; OBLATIONES JUDÆORUM.

J*Oan. Jonſton* de Faſtia Hebræorum, & Græcorum, Jenæ 1670. in 12.

Auguſti Pfeiffer Diſſert. de Faſtis Judæorum. Wittemberg. 1666.

Theod. Thummii, da Faſtis Judæorum, Chriſtianorum, & Ethnicorum. Tubing. 1624. in 4.

Matthiæ Dreſſerii de Feſtis Chriſtianorum, Judæorum, & Ethnicorum. Lipſ. 1593. in 8.

Rodulphi Hoſpiniani da iiſdem. Genevæ 1669. fol.

Adriani Coquii, Obſervationes da rebus naturalibus in Vet. Taſt. Diiſque Syris, & Habræorum Faſtis, Ulyſſing. 1670. in 4.

Joan. Meyeri de Origine, & cauſis Feſtorum Judaicorum. Amſtelod. 1692. in 8.

Henrici Calens, Jubilæi veteris Habræorum, & novi Chriſtianorum collatio.

Joan. Oporini de Jubilæo Judæorum, & Chriſtianorum.

Joan. Erneſt. Gerard, da eodem.

Joſephi de Voiſin da Jubilæo ſecundum Hebræorum, & Chriſtianorum doctrinam.

Chriſtoph. Vagenſeil Diſſart. da Jubilæo Judæorum.

Andr. Adami Hocſteter da Faſto Expiationis.

Joan. Rhenford, collatio expiationis Pontificis Max. & J. C. Frenecker. 1696. in 8.

De Faſto Paſchatis legenda quæ diximus ſupra Diſſert. in s. Matthæum, & Maimonidas de Solemnitate Paſchali. *Apud Crit. ſaſci. 7.*

Quoad Decimas conſulendi Commentatores in Exodi 22. 29. & Levit. 17. 30.

Joſeph. Scaliger da dacimis. Vide Critic. Lond.

Joan. Selden, de decimis. Ibidem.

Siſtinus Amema, da dacimis.

Miſna, Editionis Suranhuſ. tom. 1. pag. 76. 245. 306 tom. 2. pag. 108.

Joan. Conradi Hottingeri de Decimis Judæorum exercitationes dacem, cum Epiſtola Adriani Relandi 1712. in quarto.

Joan. Spencer. de Legibus Hebræorum Ritualibus lib. 3. cap 10.

Auguſtus Varenius, Trifolium Sacrum de primogenitis, primitiis, & decimis. Roſtoch. 1646. in 4.

Julii Bartolocci de oblationibus, decimis, donis &c. *Bibl. Rab. tom. 3. pag. 115.*

[*Joan. Jonſtonii*, Garmano-Lutharani, Syntagma lucam aſpexarat primo Breslaviæ an. 1660. in 12. Operis hujus ſecundam editionem tamquam optimam, & ampliorem indicavimus.

Monuimus jam *Auguſtum Pfeifferum* in Sciographia ſua agere de Faſtis, & faſtis Judæorum. Fabricius tamen recenſet peculiarem ejus diſſertationem de hoc argumento, excuſam Wittembergæ an. 1666. quam nos etiam laudavimus. P. la Long nihil de illa, quamquam accuratum catalogum Operum Proteſtantis hujus inſtruit. Vide in aautdio hujus quartæ partis.

Quæ da Faſtis Judæorum, Chriſtianorum, & Paganorum ſcripſit *Theodorus Thumme*, tractatus eſt Hiſtorico-Theologicus, cujus nos editionem adnotavimus. Vir erat Garmano-Lutharanus, Profaſſor Tubingæ, defunctus an. 1630.

Non *Matthias Deſſer*, uti mala in noſtris impreſſis, ſed *Matthæus Dreſſerus* ſimile Opus ſcripſit, cujus editionem indicavimus. Natus aſt Francofurti an. 1536. Profeſſorem Theologum egit Lipſiæ, obiitque an. 1607. ætatis 72.

Rodulphi Hoſpiniani, Miniſtri Calviniſtæ, defuncti an. 1626. Opus in tres libros diviſum aſt, editumque ſæpius; namque præter indicatas editionas duæ poſtremæ ſunt an. 1675. & 1681. Genevæ fol. multo auctioras.

Adrianus Coquius ſcripſit animadverſiones, & exercitationes qua Philologicas, qua Phiſologicas in Vetus Taſtamantum; illis autem illuſtrat ſacrum Textum, in iis maxime, in quibus de rebus naturalibus, & Feſtis Hebræorum. Ibi paritar ambiguas plures quæſtiones ſolvit. Operis editionem jam indicavimus. Vir erat Zelando-Calviniſta, florebatque an. 1670.

Non

Non Joan. *Meyrius*, uti male in noſtris impreſſis, ſed Joan. *Meyerus* adidit Diſſertationem de origine Feſtorum ac dierum ſolemnium, quas Judæi ſervabant in Chananitide, nec hodie pariter ab illis deſuéverunt; Amſtelodami an. 1693. in 8. & non 1698. uti male in noſtris impreſſis. Vir erat Belga-Calviniſta, & Profeſſor in Academia Hardebonenſi.

AUTHORES ADDENDI.

F*Abricius* in ſua Bibliographia feſta omnia Judæorum expedit, adnotatque omnes quicumque de illis ſcripſerunt pag. 311. 317. Nos hic tantum de agentibus de Jubilæo.

Collatio Jubilæi Judaici, & Chriſtianorum *Henrici Cuſens* prodiit Antuerpiæ an. 1601. & 1618. in 8. Vir erat Cortembergenſis in Brabantia, adſcituſque inter Doctores Lovanienſes an. 1597. Parochum egit Gesamontanum.

Liber *Joſephi Voiſin*, Burdegalenſis, & a Sacello Principis de Conti, de eodem argumento lucem aſpexit Pariſ. an. 1655. in 8. Obiit an. 1685.

Diſputatio *Jo. Chriſtophori Wagenſeilii* de anno Jubilæi juxta Hebræos prodiit Altorfii an. 1700. in 4. Vir erat Norimbergenſis, Lutheranus, & Profeſſor Linguarum Orientalium Altorfii. Obiit an. 1706.

Andreas Adam Hochſtetter, Germanus Lutheranus, & Profeſſor Tubingæ, vulgavit ibi an. 1707. in 4. Tractatum de Feſto Expiationis.

Opus *Joan. Ernesti* editum eſt Jenæ an. 1658. & Tubingæ an. 1677. in 4. Edidit & Diſputationem de Feſtis Orientalium &c. niſi forte idem ſit opus ac ſuperius. Excuſa eſt autem Erfordii an. 1658. in 4. Nos de hoc viro alibi, ſicut & de Patre ejus Joan. Gerhardo.

Joan. Hottingeri Latinus Tractatus de Decimis Judaicis, una cum decem ejus Diſſertationibus lucem vidit Lugd. Batavor. an. 1715. in 4.

Hujus argumenti omnia illuſtrantur ibi ex Libris Sacris, & ſcriptis veterum Judæorum; data etiam occaſione exponuntur quædam ſacræ Antiquitates.

Ludovicus Majus, filius, Latinitati tradidit Lucubrationem Maimonidis de jure ſeptimi anni, & Jubilæi cum Diſſertatione proœmiali Francof. ad Mœnum an. 1708. in 4.

Non ſatis habet reddere fideliter Textum Authoris ſui, illuſtrare & loca obſcura adnotationibus. Ejus diſſertatio ſynopſis eſt doctrinæ Maimonidis in hoc Tractatu expreſſæ.]

JEJUNIA, BAPTISMI, CIRCUMCISIONES, PRECES JUDÆORUM.

T*Ractatus* Talmudicus Taanith, ſeu de jejunio, cum Notis Daniel. Lundii. Trajecti ad Rhen. 1694. in 8.

Maimonides, Tract. de jejuniis, cum interpretatione Joan. Benad. Carpzovii, filii, Lipſiæ 1662. in 4.

Vide & apud *Crenium*, faſcic. 7. de Solemnitate Expiationum.

Joſephi Caro, Conſtitutiones de jejuniis.

Jul. Bartoloeci, de jejunio Jud. *Bibl. Rab. t.* 3. *pag.* 142.

Joan. *Henrici Opicii*, de Jejuniis Hebræorum, Kilon. 1680.

Jo. Greg. Angli, de jejunio Noe per 40. dies. Obſervat. Sacr. cuſ. t. 9. Critic. Sacror. Londin.

De Baptiſmis, & luſtrationibus Judæorum vide *Leidekker* de Rep. Hebr. *l.* 10. *c.* 9.

Pocock, Miſcellan. c. 9.

Buxtorf. Diſſert. 7. Theolog. Philolog. de Baptiſmo Preſbyterorum.

Joan. Selden, de jure nat. & gent. l. 2. c. 4. & de Synedriis, l. 1. c. 3.

Alting. Heptade 7. t. 5. Diſſert. 7.

Grotius, Epiſtola 306.

Hammond, & *Ligtfoot* ad Matth. 3.

Vide, & alios apud *Fabric.* Bibliograph. antiquaria, c. 2. n. 25.

Joan. *Marsham*, Canon. Ægypti. Chronic. &c. ſeculo 5. &c.

Julii Bartoloeci de Circumciſione *Bibl. Rabb. tom.* 3. *pag.* 408.

Aug. Calmet, Diſſertatio de origine Circumciſionis *Ante Comment. in Gen.*

—— De effectibus Circumciſionis, *Ante Comment. in Epiſt. ad Rom.*

Vide *Fabric.* Bibliograph. antiquar. c. 11. n. 14.

De precibus Judæorum vide *Selden.* de Synedr. lib. 3. cap. 12.

Balthaſar Stolberg, Diſſert. de Battologia Judæorum.

Miſna, Tract. Berachoth.

Joan. Saubert, de ritu precandi Veterum Hebræor. Helmſtadii 1663.

Joan. Buxtorf. Synag. Jud. c. 10.

Joan. Ligtfoot, tom. 1. Operum, p. 70.

Franc. Burman, Exercit. Biblic. par. 2. p. 45.

Julii Bartoloeci de litaniis ſupplicationibus Judæorum, & de invocatione Sanctorum. *Bibl. Rabb. tom.* 1. *pag.* 192. 196.

[*Daniel Lundt*, qui vertit Thalmud, ubi de jejuniis Hebræorum, vir erat Svavo-Lutheranus, Profeſſor Linguarum Orientalium Upſalæ.

Eduardus Pocockius in ſuis Miſcellaneis agit de lotione manuum Judaicarum. Idem argumentum verſavit *Jacobus Ouzum*, Hamburgi an. 1706. in 8. Item virum appellat Fabritius, quamquam P. le Long ſcribit Martinus Jacobus Ovvmaone. Vir erat Germano-Lutheranus. Juvat titulum Operis non incurioſum recitare: *Foro manuum Judaico uſitata ex Codice Miſnico, ad mentem Hebræorum expreſſa, & reſtituta*;

Authores qui de circumciſione ſcripſerunt plures recitavimus in Geneſim. Agit de illa Fabricius in ſua Bibliographia, non quidem cap. 11. n. 14. uti male in noſtris impreſſis, ſed num. 24. ubi nos remittit ad Thalmud in Tractatu de Sabbato tom. 2. Editionis Surenhuſii pag. 62. &c. ad *Hermannum Van Hardt* in Prodromo Juris Canonici Judæorum de Circumciſione Helmſtadii an. 1700. in 8.

Philo Judæus in ſuo libro de Circumciſione rationes exhibet, quibus Deus illam inſtituit; Pſeudo-Juſtinus quæſt. 102. ad Orthodoxos; *Photius* Epiſt. 248. *Sebaſtianus Schmide* in ſuis Diſſertationibus pag. 215. *Stiernius* obſervat. Sacrar. pag. 57. &c. *Petr. Ricdanus* ad 1. Machabæorum pag. 207. &c. *Simon Epiſcopius* in ſuis Inſtitutionibus Theologicis tom. 1. Oper. p. 45.

Anaſtaſius Sinaita in quæſtione 28. contendit Ægyptios circumciſionem expreſſiſſe ex Iſraelitis, & S. Hieronymus Commentat. in Jeremiam ad cap. 9. 25. juxta traditionem Hebræorum ea Joſeph filio Jacob derivatam illam in eas gentes dicit. Alii viciſſim defendunt Hebræos id accepiſſe ex Ægyptiis, qua de re vide Fabricium ib. p. 383.

Henricus Kretſchmer diſſeruit de cultris Circumciſionis Regiomontii 1723. in 4. Vide pariter eos qui ſcripſerunt in Exodi 4. 25. *Ramirez* Pentecontarchi cap. 4. *Matthiam Zimmerman* Analect. pag. 481. Nova literaria maris Baltici an. 1698. p. 29. *Chriſtianum Woaſtrovitz* in *Turture Joanneo* p. 196. &c. Acta Sanctor. *Bollandi* tom. 1. p. 3. & 1081. *Salianum* ad A. M. 4053 n. 9. *Toletum* ad Luc. 2. *Thorginum* Hiſt. Eccleſ. prim. ſec. p. 345.

Richardus Montacutius Orig. Eccleſiaſt. tom. 1. probat a Laicis Sacramentum illud miniſtratum fuiſſe p. 81 Grotius Juris Natural. p. 81. ex ratione qua conferebatur probat circumciſione initiare omnibus permiſſum fuiſſe; quod etiam confirmat ad Luc. 1. p. 59. Vide Commentatores ad Exodum & Machabæos.

Diſſertatio *Balthaſaris Stolbergii* in Battologiam vel prolixas precationes legitur cum aliis ejus in Theſaur. Diſſ. Philolog. tom. 2. De hoc viro, & de aliis ejus Diſſertationibus nos ad S. Matthæum.

AUTHORES ADDENDI.

P*Ræter* indicatos e nobis conſulas etiam *Salmaſium de Fœnore Trapezitico* p. 796. Baſnag. Annal. Eccleſiaſtico-Politicorum ad annum 31. num. 35. *Salomonem Deylingium* Obſerv. ſacrar. part. 3. p. 228. &c. *Hottingerum* Diſſert. pag 816. & *Georgium Leopoldum Pottas* de veroſta orantium Judæorum Battologia. Helmſtad. an. 1709. in 8.

Tractatus *Berachoth* Miſchnæ legitur in Editione Surenhuſii in exordio tomi 1. Authores alios de variis precibus veterum Hebræorum habes apud Fabricium *ibid.* cap. 21. pag. 362. 363.

D. Jo

Digitized by Google

D. le Pelletier eleganti Epiſtolari Diſſertatione agit de origine, & cæremoniis circumciſionis. Ad originem quod attinet, demonſtrare nititur ex Hebræis in gentes alias illam redundaſſe; ad cæremonias vero, elevat Pictorum errores, qui in expreſſis imaginibus contraria plura exhibent iis, quæ de circumciſione Jeſu Chriſti traduntur in Evangelio. Legitur in Ephemeridibus Trevolxianis.]

IDOLOLATRIA, SUPERSTITIONES JUDÆORUM.

A*Barbanel*, de Idololatriæ ſpeciebus, de quibus in Scriptura fit mentio, ex verſione Joan. Buxtorf.

Antonii Vandale, de origine, & progreſſu idololatriæ, & ſuperſtitionum, de vera, & falſa Prophetia, & de divinationibus Idololatricis Judæorum. Amſtelodami 1646. in quarto.

Voſſii de origine, & progreſſu Idololatriæ 2. vol. fol.

Auguſt. Calmet, Diſſertatio de origine Idololatriæ. *Ante Comment. in Gen.*

Joan. Selden, De Diis Syris cum Annotat. Andreæ Beyer.

Athan. Kircheri, de Ægyptiorum, Syrorum, Hebræorum Diis, tom. 1. Oedypi Ægyptiaci.

Agobardi Lugdunenſ. Epiſcopi, de ſuperſtitionibus Judæorum.

Chevræana, tom. 1 p 395.

Conſule etiam omnes quotquot in Judæos ſcripſerunt, quorum Catalogum habes apud *Imbonati Bibl. Rabb. tom. 5, pag. 526.*

Aug. Calmet Diſſert. de Idololatria Judæorum in deſerto. *Ante Comment. in 12 Proph. Min. ubi & ſequentes.*

---- De Religione Juda, & Iſraelis poſt ſeparationem.

---- De Numinibus Phœnicum.

---- De Moloch, aliiſque Numinibus Ammonitarum. *Ante Comment. in Levit.*

---- De Chamos, Beelphegor, aliiſque Numinibus Moabitarum. *Ante Comment. in Num.*

---- De Numinibus Philiſtæorum. *Ante Comm. in Reg.*

---- De Aſmodæo Dæmone. *Ante Tobiam.*

---- De incantationibus ſerpentum. *Ante 1. tom. in Pſ.*

De vitulo aureo conſule, quæ ſupra notavi, in Diſſertationibus in Exodum.

De cultu Lunæ, *Meni*, ſive Reginæ Cœli, vide Commentar. in Iſai. 65. 11. Jerem. 7. 18. & 44. 17. 18.

De Numine *Gad* vide Gen. 30. 11. & Iſai. 65. 11.

Theodori Daſſovii, de coma Hebræorum licita, & interdicta.

Proſperi Stevartii, de tonſuris Paganorum, Judæorum, & Chriſtianorum, l. 3.

Martini Maurisii, de ſortitione veterum Hebræorum. Baſileæ 1692. in 8.

Petri Stevartii, Catalogus Scriptorum Græcorum, & Latinorum anti-Judaicorum.

Librorum de Controverſiis in Judæos catalogum vide apud *Imbonati Bibl. Rab. t. 5. pag. 526. & 531.*

[Quæ de Idololatria ſcripſit *Iſaac Abarbanel*, vel *Abarvanel* leguntur in variis Diſſertationibus, quas Joan. Buxtorfius Latio tradidit, imprimendaſque curavit, una cum ſuis Diſſertationibus Philologicis, Baſileæ an. 1662. in 4. Nos de illo in prima parte.

Addi poſſet liber Idololatriæ *Moyſis Maimonidis* cum Latina verſione, & notis Dionyſii Voſſii, impreſſus Amſtelodami an. 1642. in 4. quod fugit P. le Long.

Tractatus *Antonii Vvandale* excuſus eſt, non an. 1646. uti male in noſtris impreſſis; neque enim Author tunc aptus fuiſſet ad ſcribendum; ſed an. 1696. Obiit an. 1708.

Gerardus Joan. Voſſius ſcripſit duo grandia Volumina de Idololatria in fol. impreſſa Amſtelod. an. 1668.

Syntagma *Joan Seldeni* de Diis Syris cum animadverſionibus Andreæ Bejeri excuſum eſt Lipſiæ an 1668. & Francofurti an. 1672. in 8. Agit ibi de Numinibus, de quibus in veteri Teſtam. Operi huic præfixit Prolegomena tanti meriti, quanti reliquum totum opus. De hoc viro nos ſupra.

Agobardus, Archiepiſcopus Lugdunenſis, prolixa Epiſtola egit de ſuperſtitionibus Judæorum. Legitur Operum ipſius editionis Baluſii tom. 1. pag. 66. Eſt autem veluti continuatio alterius ſcriptæ de violentiis Judæorum; utraque autem dirigitur ad Ludovicum Imperatorem ſimul & Galliarum Regem.

Diſſertatio *Theodori Daſſovii* de coma Hebræorum ad caput 19. 22. prodiit Wittembergæ an. 1695. in 4.

Proſper Stevartius, Belga, Ordinem S. Auguſtini profeſſus, in ſuo tertio Libro de Tonſuris, & Coronis diſſerit pariter & de Judaicis. Paruit opus Duaci an. 1625. in 8. Obiit Romam petens pro rebus Ordinis ſui an. 1626. ætat. 39.

Martini Maurisii, Belga Lutherani, Tractatus Philoſophicus de ſortibus veterum Hebræorum excuſus eſt Baſileæ an. 1692. in 8.

Catalogus Authorum Græcorum, & Latinorum *Petri Stevartii* nihil eſt aliud, quam ſeptimus tomus Antiquitatum Caniſii, impreſſus Ingolſtadii in 4. an. 1616. Nos de illo in ſeconda parte. Idem Catalogus multo auctior ſpectandus promittitur. Vide Fabricium Bibliograph. p. 26.]

RESPUBLICA, ET POLITIA HEBRÆORUM.

H*Erman. Witſius*, Oratio de Theocratia Iſraelitarum. Vide Joſeph. l. 2. contra Appion. p. 1071.

Guſtav. Georg. Zeitner lib. de adoleſcentia Reipub. Iſrael ſub temporibus Judicum, Norimberg. 1676. in 8.

Dan. Guillel. Moller, de 12. Judicibus Exercitatio, Altorf. 1709.

Henrici Ethoil Diatagmata de rebus Judaicis ex jure Cæſareo, & Pontificio concinnata.

Moſaicarum, & Romanarum Legum collatio edente Pithæo in Criticis Londin.

Samuelis Bochart. Notæ in Eccleſiæ Gallicanæ decreta quædam in Judæos ſancita. t. 1. Oper. p. 499. &c.

Guill. Velvod, collatio juris Divini, cum jure civili Romano.

Licinii Rufini, Moſaicarum, & Romanarum Legum collatio.

Paganini Gaudentii, de differentia Legum Moſaicarum, & Romanarum.

Juliani Antecessoris, Moſaicarum, & Romanarum Legum collatio.

Sebaſt. Caſtallionis, Reſp. Hebræorum ex Joſepho excerpta, Helmſtad. 1616.

Caroli Sigonii, de Rep. Hebræorum, cum Notis Joan. Nicolai, Helmſtad. 1685. in 4.

Corn. Bonav. Bertramni, de Repub. Hebræorum, cum Notis Conſtantini Imperator. Leid. 1641.

D. Thomæ Aquinatis, de regimine Hebræorum.

Petri Cunæi, de Rep. Hebræorum, cum Notis Joan. Nicolai, Leid. 1703. in 4.

Joan. Conradi Dankaver, Politia Hebræa 1700. in 4. Helmſtad.

Melchior Leidekker, de Republ. Hebræorum Amſtelod. 1704. 1710. fol. 2. vol.

Joan. Georgii Vendii, de Republ. Hebræor. Diſſertat. 8. Thorn. 1697. in 4.

Jo. Lud. Reimer, de Repub. Hebr. libel. Hafniæ 1657.

Joan. Stephanus Menochius, de Republ. Hebræor. Pariſ. 1618. in fol.

Herman. Conringius, de Rep. Hebr. Helmſtad.

Joan. Seldeni de jure naturali, & gentium in fol.

Idem, de Synedriis veterum Hebræorum in 4.

Auguſt. Calmet Diſſert. de Politia Hebræorum. *Ante Comment. in Num.*

Joan. Vorſtii, de Synedriis Hebræorum. *Apud Crenium faſc. 4.*

Joan. Clerici, de magno Synedrio Hebræorum. *Ad calc. Comment. in Eſther.*

Baſnage, Continuatio Hiſtoriæ Judæorum l. 7. c. 1.... 5.

Franc. Moncai, de portis civitatis Judæ, & Fori, Judiciorumque exercendorum priſco ritu.

Gilberti Genebrardi, paratitla Talmudicæ doctrinæ, ſeu de jure veterum Hebræorum.

Guill. Zepperi, Legum Moſaicarum forenſium explicatio.

Hieronymi Ramini, de Repub. Hebræorum.

Jacobi Alting. Reſpubl. Hebr.

Joachimi Reimer, Reſpublica Hebr.

Joan. Hemberg, Politia Judaica.

Thomæ Jomeſii, de perſona, & officio Judicis apud Hebræos, alioſque &c.

Maimonides de juramentis Hebræorum, ex Verſione Miegii, & Præfatione Jacobi Perizonii, Leid. 1706. in 4.

Jacobi Lydii Syntagma de re militari, & de jurejurando He-

Digitized by Google

Hebræorum, cum Notis Salom. Vantil. Vide de eodem argumento Authores recenſitos in Bibliograph. Fabricii, cap. 12. num. 7.

Selden. de ſucceſſione in bona defunctorum, ex inſtitut. Hebræorum.

Maimonides, de jure pauperis, & peregrini apud Judæos, cum Notis Humfredi Prideaux.

Jacobi Alting. de ſervis Hebræorum, Diſsert. 6. Ephtad. 7. tom. 5. Operum.

Joan. Georgii Abicht, de ſervorum Hebræorum acquiſitione, & ſervitiir, Lipſiæ 1704.

Vide *Miſnam*, Edit. Surenhuſii tom. 3. pag. 360. 362.

Pauli Slevogt, de Proſelytis Hebræorum.

Jo. Andreæ Danzii, de Proſelytorum Baptiſmo.

Aug. Calmet Diſsert. de ſuppliciis vet. Hebr. Vide & Fabric. Bibliogr. antiq. c. 15. num. 14.

Theodori Daſſovii, Diſsertatio de ſuſpendio hominis lapidibus obruti, Wittemberg. 1694.

Claudii Salmaſii, & *Juſti Lipſii* de Cruce.

Joan Georgii Muhli Diſsert. de Cruce.

Henrici Kipping. Diſsert. de Cruce.

Hieronym. Magii de Equuleo.

Gallonius, de Cruciatibus Martyrum in 4.

Campegii Vitringa Archiſynagogus; agit etiam de flagellis, quæ Legis violatores in Synagogis ſubire cogebantur.

[Oratio *Hermanni Vvitſii* de Theocratia Iſraelitarum prodiit Amſtelodami an. 1700. in 4. Nos de hoc viro ſæpius.

Guſtavus Georgius Zeltnerus de adoleſcentia Reipublicæ Iſraeliticæ, ad 1. Reg. 6. 20. & Actuum 13. Hujus operis editionem indicavimus. Vir erat Germano-Lutheranus, & Profeſsor linguarum Orientalium Altorfii.

Gulielmus Mullerus, de quo nos in N. Teſtamentum, ſcripſit Diſputationem in duodecim Judices Judæos in 4. cujus editionem jam indicavimus.

Jus divinum Judæorum comparatum cum Jure Romano *Velwood*, Scoto Britonis, & Lutherani, lucem aſpexit Leidæ an. 1594.

Quæ vulgavit *Petrus Pithæus* de legibus Moſaicis nihil ſunt aliud, quam quæ collegerat *Licinius Rufinus*, & excuſa ſunt cum ejus Notis in Criticis ſacris tom. 8. pag. 150. prioris editionis. Rufinus iſte Monachus, & Juriſconſultus coævus erat Caſſiodoro, florebatque circa an. 540. juxta Marquardum Freherum. Videtur tamen potius opus hoc eſſe Judæi alicujus, ideo ſcriptum, ut demonſtret gentis ſuæ Leges a Romanis non penitus diſcrepare. Videndus ea de re Fabricius Biblioth. Lat. l. 4. c. 9.

Viciſſim autem *Paganinus Gaudentius* diſseruit de Moſaicarum, & Romanarum legum diſcrimine. Id autem opus nondum paruit, ſed ſpes facta eſt prodīturum in Theſauro Antiquitatum Judaicarum, juxta Fabricium Bibliograph. p. 26. Gaudentius eloquentiam Piſis profitebatur, obiitque an. 1649.

Reſpublica Judæorum ex Joſepho deducta a *Sebaſtiano Caſtaliano*, Opus eſt in 8. Recitari autem docet P. le Long in Bibliis ejuſdem Authoris, excuſis Lipſiæ an. 1697. fol. Nos de hoc viro in Bibliis Latinis.

Reipublicæ Hebræorum *Caroli Sigonii* primum vulgatæ Bononiæ an. 1582. in 4. ſecundam editionem indicavimus; tertia et poſtrema eſt Leidenſis an. 1701. in 4. inſerta eſt etiam in novam editionem Menochii. Libros non tres tantum, ſed ut monet Fabricius in ſua Bibliograph. ſeptem continet. Agitur in primo de Republica; in ſecundo de locis ſacris; in tertio de diebus ſacris; in quarto de ritibus; in quinto de ſacris Miniſtris; in ſexto de re judiciaria; in ſeptimo de Magiſtratibus.

Vir et Italo-Mutinenſis, Catholicus, & Profeſſor Linguæ Latinæ Bononiæ; obiit an. 1585.

Reſpublica Hebræorum *Bonaventuræ Bertrami* edita eſt curante Conſtantino l'Empereur, recuſaque in Critic. Sacr. Londin. prior. edit. tom. 8. agitur ibi de politia Judaica civili, & Eccleſiaſtica. De hoc viro nos in quarta parte.

Tractatus Reipublicæ Hebræorum *Petri Cunæi* legitur pariter *ibidem* tom. 8. tum excuſus eſt Amſtelodami an. 1617. in 12. & Gallice per Goereum an. 1718. 3. vol. in octavo cum figuris, ſupplemento, & continuatione Operis. D. Nicolai vulgavit illum Lugduni Batavorum an. 1703. in quarto cum prolixis Notis in ſingula capita, eo excepto, quod tamen majores exegiſſet, in quo de Melchiſedecho; ſubduxit & Epiſtolam Dedicatoriam Cunæi, quæ utique lucubratio erat non incurioſa.

Primum caput verſatur in Antiquitate, & utilitate Legis Moſaicæ; cujus eſſet ſupremum jus, & ad quem pertineret; ibi pariter ea quæ ad Meſſiam pertinent. In ſecundo habes res Eccleſiaſticas, Sacerdotes, Levitas, veſtes, & privilegia. In tertio eo ſpectat Author, ut demonſtret unam eſſe eandemque Eccleſiam, quæ ab exordio Mundi perpetuo ſæculorum tractu duravit.

Quamcumque tandem nominis famam ſibi conciliaverit Cunæus, ut vera tamen fateamur, unicus eſt Operis non unus Scriptor; labitur non infrequenter; præter hæc uſurpat tamquam ſua interdum, quæ vel ipſa ſunt aliorum, vel ſatis communia, vel nota ante illum. Florebat ineunte ſæculo 17. agebatque Profeſſorem Lugduni Batavorum, exiſtimatione virorum Sapientum fruebatur.

In ſupplemento Goerei agitur de Tabernaculo, de tribus Judaicis Templis, & ſacrificiis.

Jacobus Baſnage adjecit operi duo volumina, quæ continent criticas Animadverſiones in Rempublicam Hebræorum; Amſtelodami an. 1713. in 8.

Opus *Leidekkeri* de eodem argumento, cujus & editionem indicavimus, complectitur 12. libros, in quibus diſſerit de origine ſacra gentis Judaicæ, ſtatu ejus in Ægypto, de prodigiis, quibus Deus Rempublicam illorum formavit, de Theocratia, de regione quam poſſedit, de politia, & Religione. In eo Rabbinica eruditio multiplex, plura legenda offeruntur, pauca animadvertenda.

Duodecim hi libri nonniſi unicum volumen implent; novem autem ſecundi tomi agunt de variis vicibus Hebraicæ Reipublicæ.

Politiam Hebræorum *Jo. Conradi Danhaveri* excudendam curavit Jo. Andreas Schmidt. De Danhaver nos ſæpe in utrumque Teſtamentum.

Georgii Vendii, Uratiſlavo-Lutherani, Diſquiſitiones Theologicæ Politicæ de Republica Hebræorum octo ſunt numero, excuſæ Gedani an. 1696. 1697. in 4. Agitur in illis de varia forma regiminis pro vario ſtatu Reipublicæ Judaicæ.

Jacobus Ludovicus Reimerus idem plane ac Jo. Ludovicus Reimerus, excipit tantum & compendio tradidit Sigonium, Bertrandum, Durerum, & alios. Præter indicatam hujus Operis editionem Haphniæ an. 1657. alia eſt etiam recentior, data Altemburgi in 12. Vir erat Germano-Lutheranus, Hamburgenſis, defunctus an. 1680.

Stephanus Menochius in ſuo opere de Republica, in octo libros digeſto, Antiquitates omnes Hebraicas exponit. P. le Long indicat editionem an. 1648. in fol. alii vero, & nos etiam, an. 1618. quod diſcrimen eſt ſat grande. D. Dupin indicat pariter an. 1648. Re ipſa quidem ſi retineatur adſcriptio an. 1618. opus erit utrique, Menochium ſat cito ad ſcribendum ſe contuliſſe, obiit enim an. 1655. De hoc viro nos ad Commentarios generales Catholicorum.

Diſſertatio *Hermanni Conringii* de politia Hebræorum excuſa eſt Helmſtadii an. 1648. in quarto, & Roterodami an. 1695. in 12. inſerta eſt autem & in ſecundo faſciculo Crenii. Vir erat Friſio-Lutheranus, Profeſſor Medicus Helmſtadii, defunctus an. 1681. Nos de illo ad S. Lucam in Diſſertationibus.

Opus *Joannis Seldeni* de Synedriis, & Præfecturis veterum Hebræorum eſt an. 1650. 1653. in quarto 3. vol. Londini, & unico Amſtelodami an. 1659. Francofurti an. 1696. in quarto. In tres Libros diſtribuitur; prior, & ſecundus in 16. capita, tertius in 15. ſinguli Libri volumen implent editionis Londinenſis. In priori autem agitur de conſtitutione Sanhedrin, aliarumque Præfecturarum juridicarum apud Hebræos; de iis qui juri dicundo præerant, eorumque Collegiis, & Tribunalibus &c. Ibi pariter diſquiſitiones ſubduntur in Epochas aſtronomicas, & chronologicas. Secundus, & tertius liber continuatio ſunt præcedentis argumenti.

Opus ejus de jure naturæ, & gentium, juxta diſciplinam Hebræorum, lucem aſpexit Lond. an. 1640. fol. Argentorati an. 1665. in 4. Witembergæ an. 1698. in 4. Illud ultro fatendum eſt, eruditionis ſupellectilem magnam Opera ejus continere, & de vetuſtis moribus Hebræorum nova multa.

Franciſcus Moncæus, Dominus Vallis frigidæ, diſſertatio de locis jurdicundo deſtinatis; Pariſ. an. 1587. in 4. Nos de illo ad Exodum in Diſs.

In quarta hac parte indicavimus jam leges Moſaicas. *Guillelmi Zepperi*. *Jacobus Altingius* illuſtravit tantum Rempublicam Scholaſticam Hebræorum, idest Scholas, vel Academias, quatuor ſcriptis Sermonibus, vulgatiſque Groningæ an. 1662. in 12. De hoc viro nos in Pentateuchom, & alibi.

Tractatus *Thomæ Iameſii* de perſona, & officio Judicum apud Hebræos, Græcos, & Romanos, lucem aſpexit Oxonii an. 1699. in 4. Vir erat Anglus Novi porti, Anglicanam Religionem profeſſus, et Academiæ Oxonienſis Bibliothecarius, defunctus an. 1629. De aliis ejus operibus nos ad S. Matthæum, et ad Canticum.

Fabricius Bibliograph. cap. 12. num. 2. ut de Sacramentis Hebræorum inſtruamur, remittit nos ad Thalmud edit. Surenhuſ. ad Librum Maimonidis de hoc argumento Latio traditum a Jo. Friderico Miege, et Chriſtophoro Dithmaro, qui Adnotationes ſuas adjecit, cum et Præfatio acceſſit Jacobi Perizonii, in qua potiſſimum de more obſtringendi ſe ſacramento tactu femoris. Operis hujus editionem nos indicavimus, ſed plures adhuc Fabricius recenſet.

In animadverſionibus *Ludovici Ferrandi* de Religione Chriſtiana quatuor leguntur Diſquiſitiones, de Senatu Judæorum, de Proſelytis, de Paraphraſtibus Chaldaicis, de annis Judæorum, cum animadverſionibus plane eruditis. Excuſum eſt Opus Pariſ. 1679. in 12. 2. vol.

COROLLARIUM.

POENÆ, ET SUPPLICIA HEBRÆORUM.

Quamquam portio ſunt hæc politiæ Hebræorum, ſeorſum tamen ideo damus, quòd eruditiſſimum ſit argumentum, et a pluribus verſatum.

Idem Fabricius ibidem cap. 15. num. 14. quatuor ſuppliciorum genera Hebræis familiaria diſtinguit; vivi combuſtionem, lapidationem, faucium eliſionem, et detruncationem, quod omnium probroſiſſimum ſupplicium habeatur. Addendus eſt etiam mos ſuſpendendi hominem antea lapidatum, ſupplicium crucis, flagellorum etc.

Campegius Vitringa in ſuo *Archiſynagogo*, idest Principe Synagogæ, agit de ſupplicio flagellorum, quod infligebatur devincto reo ad columnam, antequam ageretur in crucem. Quot ictus darentur reo jam omnibus compertum eſt. Lege de his omnibus caput ejus 14.

Inter pœnas ſuum etiam habebat locum exilium, et excommunicatio, qua de re vide Authores omnes a Fabricio recenſitos. Quos indicavimus, illi utique per ſe adeo ſunt noti, ut noſtris illuſtrationibus non indigeant.]

MONARCHIA, REGES, MILITIA HEBRÆORUM.

Adriani Houvini, de Monarchia Hebræorum ante Saulem, Leid. 1685.

Adami Rechemberg, de ficta Hebræorum ante Saulem Monarchia civili, Lipſiæ 1687.

Vide etiam *Seldenum* de Synedriis lib. 1. cap. 2.

Samuel Puffendorf, appendix de habitu Religion. Chriſtianæ.

Antonii Probi, Oratio de Monarchia Regni Iſraelis.

Mich. Wendelerr, de Regiis Judæorum Juribus.

Maimonides de Regibus Hebræorum, eorumque juribus, cum Verſione Latina, et Notis Melchior. Leidecker. Extat lib. 7. ejuſdem Leidecker de Rep. Hebr. cap. 4. pag. 432. et apud Crenium, faſcic. 9.

Guillel. Schikardi de jure Regio cum Notis Benedict. Carpzovii.

Joan. Buxtorfii de ſtatu, et jure Regio, et de Judicum, et Regum convenientiis, et differentiis.

Joan. Friſchmuth, de Rege apud Hebræos eligendo, et deponendo, Jenæ 1653. in 4.

Joan. Vandalini de jure Regis, lib. 3. Hafniæ 1663. in 4.

Fortunati Schacchi Myrothecii l. 3. et alibi.

Claudii Salmaſii defenſio Regia.

Joan. Miltonii defenſio populi Anglicani contra Salmaſium.

Joan. Rechenferd, Diſsert. de Arabarcha, ſeu Alabarcha, vel Ethnarcha Judæorum, Francker. 1701.

Aug. Calmet, Diſsert. de Præfectis in Aula Regum Juda. *Ante Comment. in Philip.*

---- De militia Hebræorum. *Ante Eſth.*

Joan. Andreæ Danzii, Diſsert. de Hebræorum re militari, ad Deut. 20. 21.

Jacobi Lydii, agoniſtica Sacra, Dordrec. 1698. in 4.

Jac. Turneri, Pallas armata; Anglice Londini 1683 in fol.

Fabricii Bibliographia, cap. 14. n. 1. 2. 3. et cap. 17. num. 1. 2.

[Tractatus *Thomæ Aquinatis* de Regimine Hebræorum legitur opuſculorum ipſius num. 24. pag. 191. tom. 17. Operum editionis Romanæ an. 1577. quod nos minime indicavimus.

Opus *Adriani Houyling*, et non *Houvin*, uti male in noſtris impreſſis, volumen eſt in 12. Probare autem nititur, jam inde ante Regnum Saulis verum obtinuiſſe regimen Monarchicum in Republica Hebræorum; quam ille regiminis formam prorogat ab Abraham uſque ad Judæorum diſperſionem. Vir erat Amſtelodamenſis, Calviniſta, et Juriſconſultus. *Volumen eſt autem non in 12. ſed in 16. impreſſum Leidæ an. 1680.*

Puſendorfius opinionem hanc refutavit in appendice ad Librum ſuum de Religione Chriſtiana excuſa Bremæ an. 1687. Floruit vir Regis Sueviæ Hiſtoriographus uſque ad an. 1690.

Adam Rechembergius demonſtravit aſsertam hanc Judæorum ante Regnum Saulis Monarchiam merum eſse figmentum. Rem habet potiſſimum adverſus ea, quæ ſcribit Seldenus in ſuo opere de Sanhedrin lib. 2. Diſsertatio eſt autem in 4. excuſa Lipſiæ an. 1687. & in tom. 1. Diſsertationum ipſius Hiſtorico-politicarum pag. 336. Nos de hoc viro in Novum Teſtamentum.

Diſquiſitio *Antonii Probi*, Germano-Lutherani, & Profeſsoris Islebii, de Monarchia Iſrael, prodiit Islebii an. 1586. in 4.

Quæ ſcripſit *Michael Vuendelerus*, Miſnienſis, Lutheranus, & Profeſsor, de jure Regum Judæorum, edita ſunt Wittembergæ an 1656. in 4. Quæ vero de quatuor magnis Imperiis *ibid.* 1657. in 4. Obiit an. 1671.

Jus Regale Hebræorum e tenebris Rabbinicis extractum a *Guillelmo Schikardo*, Germano-Lutherano, & Profeſsore Linguarum Orientalium Tubingæ, excuſum eſt primo Tubingæ an. 1621. *in* 4. & Argentorati 1625. *in* 4. Nonniſi ſerius paruit cum Notis Benedicti Carpzovii Lipſiæ an. 1674. in 4. Obiit lue enectus an. 1635, ætatis 43. Ejus opus ſex tantum capita complectitur, quorum epitomes, quæ in calce legitur, juſtam totius operis ideam exhibet.

Tractatus *Joannis Friſchmut* de jure eligendi, & deponendi Reges, a cap. 17. Deuteronomii, & a Commentariis Hebræorum deductus, vulgatus eſt editione a nobis indicata. De hoc viro nos in Novum Teſtamentum.

Fabricius in ſua Bibliographia cæteros recenſet, qui argumentum illud vexarunt cap. 14.

COROLLARIUM.

DE MILITIA HEBRÆORUM.

Idem Fabricius cap. 17. num. 2. revocat nos ad Authores plures in hoc articulo jam recenſitos. Docet ibi pariter Tractatum *Jacobi Lyde* excuſum fuiſse curante Salomone Van-Till cum ejus Notis Dordrecti an. 1698. in 4. Belgice verſum ab Adriano Van-Halen, et notis ejus illuſtratum prodiiſse Roterodami an. 1701. in 8. Præpoſtere in noſtris impreſſis legitur *Agoniſtica Sacra*, legendum eſt enim tantum *Agoniſtica* ex Græco nomine, quod congruit, et exprimit artem militarem, et bellum. An

Syn-

Syntagma ejus de re militari paruerit, ſilet Fabricius. Porro Lyde vir erat Batavo-Calviniſta, & Miniſter Eccleſiæ Dordreċtanæ.

Opus *Jo. Andreæ Danz* lucem vidit Jenæ an. 1690. in 4. Nos de illo in utrumque Teſtamentum.

Addi poſſet Tactice ſacra in tres libros *Joan. Arrowſmith*, Angli, Religionis Anglicanæ, & Profeſſoris Cantabrigiæ an. 1660. Paruit Opus ſpiritale penitus aſceticum, & moralis Cantabrigiæ an. 1657. Amſtelodami 1700. in 4.

D. le Pelletier epiſtolari Diſſertatione refutat commenta Pictorum, exhibentium tabulas caſtrorum Iſraeliticorum in deſerto. Legitur in Ephemeridibus Trevoltianis.]

HISTORIÆ, ANNALES, ET CHRONOLOGIÆ JUDÆORUM.

F*Lavii Joſephi* Opera G. L. Genevæ 1634.

Joſeph Ben-Gorion, Hebraice, & Latine cum Notis Frideric. Breithaupt. Gothæ, & Lipſiæ 1710.

Seder-Olam Rabba; & *Seder-Olam Zuta*, majus nempe, & minus Chronicon Judæorum. Extat in Chronologia Genebrardi, & in 4. tom. Biblioth. Rabbin.

Zemach David, ſeu Chronologia R. David Ganz, cum Notis Guill. Henrici Vorſtii.

Gilberti Genebrardi, Chronologia in fol. Opus, olim, cum caſtiora Chronica deeſſent, celebratiſſimum.

Euſebii Cæſarienſis Chronicon cum Notis Joſephi Scaligeri. fol. Leidæ 1606. 1656. Opus luculentum, cui non impares notas Scaliger adjecit. Porro Chronicon iſtud Scaliger, Syncello, & Cedreno uſus, (qui ambo Euſebium contraxerant) reſtituit.

S. Hieronymi Chronicon, Euſebii opus vertens S. Hieronymus non pauca de ſuo adjecit.

Chronicon Paſchale, ſeu *Alexandrinum* G. L. ex Editione Caroli Ducange. fol. Typis Regiis 1688.

Eutychii Alexandrini Chronicon Arabico Latinum, ex Verſione Eduardi Pocokii, & cum notis Joan. Selden. 2. Vol. in 4. Deſunt ibi Seldeni notæ, quæ tamen in libello ſeorſim Londin. 1724. in 4. excuſæ ſunt. Plurimæ in hoc Opere Orientalium Traditiones leguntur.

Joan. Marsham, Chronicus Canon Ægyptiacus, Hebraicus, Græcus. fol. Lond. 1672. Opus exquiſitæ eruditiones, in quo tamen ordinem, methodumque deſideres, atque ſingularia, & audaciora, nec pauca quidem, demas.

Joſephi Scaligeri, de emendatione temporum, fol. Pariſ. 1583. Omnium optima Editio Leidenſis 1598. vel Genevenſis 1629.

Jacobi Saliani Annales Eccleſiaſtici Veteris Teſtamenti, 6. Vol in fol. Operis ſui Epitomem Author ipſe 2. Vol. in fol. adornavit; quæ ſane & Operi ipſi præſtat, & ſola ſufficere poteſt.

Auguſtini Tornielli, Annales Sacri, & profani ob orbe condito, ad eumdem Chriſti paſſione redemptum. Francof. 1666. fol. vol 1.

Dionyſii Petavii, Doctrina temporum, cum Chronologia. fol. 3. vol.

Ejuſdem Rationarium temporum. Opus celeberrimum.

Alp. a Caranza, Diatriba ſuper primam temporum doctrinam, adverſ. Dionyſ. Petavium.

Sethi Calviſii, opus Chronologicum cum Iſagoge Chronologica. Francof. 1620. fol. Vol. 1.

Henrici Spondani, Annales Sacri, & Eccleſiaſtici. fol. Vol. 1.

Jacobi Uſſerii, Annales utriuſque Teſtamenti, 2. vol. fol. Lond. 1650. vel Pariſ. 1673. cum Diſſert. de Cainan (*a*). Exactiſſimus eſt Scriptor, iiſque, quibus per ſe intima Chronologiæ abdita pervadere arduum eſt, omnium loco habendus.

Chronologia ad calcem magnorum Bibliorum Vitré in fol. ſumma eſt Chronolog. Uſſerianæ.

Joan. Harduini, Chronolog. Vet. Teſt. opus primu ſuppreſſum Pariſiis, quod audaciora & nova plurima contineret; dein vero in Collectione Operum P. Harduini Amſtelod. apud Lorme 1709. inſertum: Operæ pretium tamen eſt junxiſſe cenſuram Alphonſi e Vignolles. Roterod. 1708.

Diſſlan. Bibl.

(*a*) Editio Genevenſis anno 1722. 1. vol. in fol. abſolutiſſima eſt, cui etiam ultra alia plurima viri docti opuſcula, acceſſit exactior Chronologia Sacra, in qua ipſa Chronologiæ adyta penitiora reſerantur.

Jacobi Capelli, Chronologia Sacra. in fol.

Iſaaci Voſſii, de 70. Interpretibus, cum Chronologia in quarto, & Diſſert. de vera ætate Mundi.

Item Cogitationes adverſus Hornium de ætate Mundi.

P. Paulus Pezron, Antiquitas temporum reſtituta. Pariſ. 1687. in 4. Gallice.

P. D. Joan. Martianæus, Vindiciæ Textus Hebraici in Antiquitatem temporum reſtitutam, in 8. Pariſ. 1689. Gallice.

P. le Quien Ord. Prædic. Antiquitas temporum deſtructa 1693. Gallice.

Vindiciæ Antiquitatis temporis per P. Pezron in 4. Pariſ. 1691.

Jo. Selden. de anno civili Judæorum.

Jul. Bartoloccii, de anno Solari Judæorum. Idem de anno Lunari, de cyclo, de menſibus &c. *Bibl. Rabbin. tom. 2. pag. 192. &c.*

Aug. Calmet Diſſert. de Chronologia. *Ante Comm. in Gen.*

Philippi Labbei, Annales. fol. Pariſ. 1670.

Joan. Bapt. Riccioli; Chronicon ab orbe condito ad an. 1668.

Chriſtophor. Helvici, Theatrum hiſtorico-chronologicum.

Cornelii a Beughem, Bibliographia hiſtorica, chronologica &c.

Georg. Hornii, Diſſert. de vera ætate Mundi.

Ejuſdem defenſio Diſſertationis &c.

Gerardi Jo. Voſſii, Diſſert. gemina de J. C. genealogia, & de annis, quibus natus, baptizatus &c.

Jo. Ligfoot, Chronica temporum, & ordo Textuum V. & N. T. t. 1. & 2. Operum in fol.

Jo. Georg. Herwart, Novæ, & veræ, & exacte ad calculum aſtronomicum revocatæ Chronologiæ &c.

Joan. Kepler, de vero anno, quo Chriſtus humanam naturam aſſumpſit.

Jo Paindoni, Chronologia Regum Juda, & Iſraelis.

Concordia Regum, & Paralipomenon, cum annotationibus. Pariſ. 1691. in 4.

Samuelis Petit Eclogæ Chronologicæ.

Thomæ Lydiati Emendatio temporum ab initio Mundi, ad an. 1608.

Item Canones Chronologici ab initio Mundi ad initium Evangelii.

Chriſtophori Noldii, Hiſtoria Idumæa. *Apud Crenium faſc. 4.*

Frideric. Spanhem. Chronologia.

Joan. Buxtorf. fil. Exercitationes ad Hiſtoriam Arcæ fœderis.

Jo. Guillel. Stuckii, Hiſtoria Palæſtinorum, Syrorum, & Sidoniorum ad intelligendum Libros Samuelis.

Chronologia Samaritanorum, Authore *Eduardo Bernard.*

Aug. Calmet, Hiſtoria populorum Judæis finitimorum, pro intelligentia Prophetiarum.

---- Summa hiſtoriæ prophanæ Orientalis a Salomone, uſque ad ætatem Babylonicam, ad idem conducens.

P. Natalis Alexandri, ſelecta Hiſt. Eccleſ. V. T. capita. fol. Pariſ.

Auguſti Varenii, de annis Sabbathicis, & Jubilæis Judæorum.

Nicolai Mulleri, Judæorum annus lunæ ſolaris, & Turcarabum mere lunaris. Groning. 1650. fol.

Maimonides, Deſcriptio initiationis novi-lunii, cum verſione Henning. Bean-Vitter.

Chriſtiani Haſſei, Calendaria quatuor, Ægyptium, Hebraicum, Macedonicum, & Romanum.

Vide etiam vetus Calendarium Judæorum, quod in hoc Opere dabimus.

Vide & Authores, quos recenſet Imbonati *Bibl. Rab. tom. 5. pag. 534. 537.* & Fabricius *Bibliograph. c. 10. n. 14. & c. 11. num. 1. 2.*

[Iis, quos indicavimus, de hiſtoria Judæorum addendus *Paulus Metzger*, cujus Opus ea omnia majoris momenti complectitur, quæ variis regiminis Judaici ſtatibus acciderunt.

Opus eſt autem in quinque libros diſtributum. Primus

Digitized by Google

Liber hiſtoriam continet rerum ſub Abrahamo, Iſaaco, Jacob, & filiis. Alter ab ortu Moyſis ad primum uſque Judicem excurrit; tertius eſt a Joſue ad Saulem. Quartus a Saule uſque ad captum Sedeciam. Quintus Synoptice exhibet vitam Tobiæ, & Judith.

Plures ibi quæſtiones in ſenſum litteralem, ſpiritalem, & myſticum Scripturæ. Methodus ubique regnat exquiſita, & quicumque ad ejus lectionem ſe conferent, operis ſuſcepti eos certe non pœnitebit, ac ſacram hiſtoriam diſcent perquam faciliime. Paroit id Argentorati an. 1700. fol. Mezger vir erat Germano-Benedictinus, & Profeſſor.

Hieronymus Vecchietius dedit octo libris Latine hiſtoriam a priori anno exorti mundi uſque ad annum Julianum, ubi & de ratione ſupputandi temporis ſacri; Argentorati an. 1621. in fol.

In priori Libro diſcutitur, quodnam fuerit exordium temporis, & quæ forma primi anni ab Adamo conſtituti, cujus Sacra Scriptura meminit. In ſecundo demonſtratur veritas ſucceſſionis temporis in V. Teſtamento, poſtquam prius expoſuiſſet Author illud Geneſis 6. *Videntes filios Dei filias hominum*; quæque ad Nemrod, & Hiſtoriam Job pertinent. In tertio aſſerit genuinam epocham prioris adventus Jeſu Chriſti, prædicationis, & mortis ipſius: exponit Septuaginta hebdomadas Danielis, necnon & circumſtantias omnes Cœnæ poſtremæ, cum ratione Paſchatis celebrandi. Quartus Liber inſcribitur de gratia Evangelica. In quinto perſequitur Author ea, quæ poſt Evangelium conſecuta ſunt. In ſexto poſtremæ ſucceſſiones expenduntur. In ſeptimo indicia omnia poſtremi temporis in Apocalypſi expreſſa afferuntur. Exhibet octavus tabulas Chronologicas, & Aſtronomicas.

Opus iſtud cenſura inuſtum fuit, ex ſententia, quam de ultima cœna Author defendit, ſcriptoque ſuo illud refutavit Antonius Capellus, Franciſcanus. Author ad Inquiſitionem delatus poſt plures carceris annos ibi immortuus eſt, & ætate ſenex annorum 80. Italus eſſet licet Florentinus, miſſuſque pro rebus Religionis ſuſtinendis a Clemente VIII. in Ægyptum ſe contuliſſet.

Quæ de Joſepho indicavimus, hæc de Antiquitatibus ejus Judaicis, dicta accipienda ſunt; de reliquis enim ejus Operibus nihil ad nos. Hic autem earum Antiquitatum editiones recenſebimus. Græca Baſileenſis an. 1544. in fol. Prodierant antea Latine *ibidem* an. 1540. Eraſmo Interprete. Græce, & Latine Lipſiæ an. 1691. in fol. Edoardus Bernardus quatuor priores libros excuderat Oxonii an. 1700. fol. Græce cum ſuis notis, quam editionem facile e Mſ. imperfecto adornavit. Integras cum ſuis notis dedit poſtea Joannes Hudſonius ibid. 1720. in fol. *Sed & editionem Hudſonii variantibus aliis e novis Mſs. expreſſis illuſtratam recudit Amſtelodami an. 1726. 2. vol. Sigebertus Havercampus. Porro in hac Havercampi Opere nihil eorum, quæ ad Joſephum pertinent, deſiderantur. Latinam Verſionem Hudſonii retinet. Junguntur autem ſimul ibi Notæ Bernardi, Gronovii, Combefiſii, Sibrandæ, Aldrichii, cum additamentis aliis virorum clariſſimorum ſive in totum Joſephum, ſive in partem ejus, ſive ad illuſtrandum Textum ejus aliquem.*

D. Arnaldus Andiliy Gallice illas vertit, vulgatumque eſt Opus 2. vol. fol. Pariſ. an. 1667. altera editio Amſtelodami an. 1697. 5. vol. in 12. In omnes verſæ linguas, quemadmodum & cætera ejus Opera leguntur. Editionem an. 1691. (*quæ Lipſienſis eſt, licet Colonienſis inſcribatur*) ab Ittigio curatam ſupra cæteras præcedentes commendant addita Prolegomena, & Diſſertatio Lambecii de celebri illo teſtimonio Jeſu Chriſti. *Hæc autem omnia inſerta ſunt etiam in editione Havercampi.*

Joſephus Gente fuit Judæus, natus an. 37. J. C. Jeroſolymis ex patre Matthia; floruit autem ſub Imperatoribus Veſpaſiano, Tito, & Domitiano uſque ad annum 93. & multo etiam ultra vitam prorogavit. Eloquio utitur puro, phraſibus perſpicuis, ſtylo magnifico, grata, & amœna narratione, ait Photius.

Juvat hic addere Jacobum Baſnage continuationem Hiſtoriæ Joſephi dediſſe Amſtelod. an. 1707. 15. vol. in 12. Hoc autem Opus P. le Long Samueli Baſnagio tribuit.

In priori libro diſſeritur de ſtatu, & regimine Judææ ſub Herodis Familia. In ſecundo de Sectis pertinentibus ad ætatem Jeſu Chriſti, & uſque ad everſionem Jeruſalem. In tertio de Patriarchis, & Doctoribus, qui extiterunt poſt everſam Jeruſalem, cum Supplemento ad Hiſtoriam Samaritanorum. In quarto de Dogmatibus Judæorum & confeſſione Fidei; & vicibus in rebus Religionis, cum & Religionis ejuſdem Judaicæ Hiſtoria retexitur. Quintus Liber ritus illorum, & cæremonias complectitur. Sextus eorum antiquitatem, & diſperſionem uſque ad ſeculum octavum; ſeptimus varias illorum diſperſiones in Oriente, & Occidente ab octavo uſque ad duodevigeſimum ſeculum.

Secunda eſt alia hujus Operis editio Pariſ. an. 1710. 7. vol. in 12. Idem eſt reipſa Opus, ac Batavum; quamquam in pluribus diverſum; alter eſt enim ordo, & Librorum numerus, quæ ab Hiſtoria Judaica eſſent aliena, adempta ſunt plura; viciſſim autem addita quædam ut pro ſeptem libris decem exhibeantur, quod methodum Operis exhibet commodiſſimam.

Mathurinus Veiſſiere la Croſe in ſuis Collocutionibus de variis generis argumentis, Hiſtoriæ, Litteraturæ, Religionis, & Critices impreſſis Coloniæ an. 1712. in 12. Operis hujus Baſnagiani errata plurima relevat, pag. 126. &c. Vide & Richardum Simon Bibliothecæ ſelectæ tom. 2. c. 16. pag. 259.

Baſnage natus eſt Rothomagi an. 1653. ibique Miniſtrum Eccleſiæ Calviniſticæ egit ab an. 1676. ex quo contulit ſe Roterodamum, ubi vivit adhuc, uti prodit nova editio Caniſii ab illo data an. 1724. 6. vol. fol.

Adornavit pariter Hiſtoriam Vet. Novique Teſtamenti, vulgatam cum elegantiſſimis figuris æri inciſis a Romano Hooghe, cui Operi adjecit Expoſitionem locorum difficillimorum Scripturæ. Paruerunt hæc omnia Amſtelodami an. 1704. fol. & 1705. 2. vol. in 4. 1706. *fol.* Gallice. In Operis exordio offert ſe longa admodum Præfatio multo ſtudio exacta de exiſtentia Dei, Divinitate Librorum Moyſis, aliorumque Prophetarum, utilitate ſcripta illa legendi, & neceſſitate unius Religionis. In ipſo aditu ad Hiſtoriam N. Teſtamenti offert ſe ſe non minus late explicata Præfatio. Stylo utitur Author preſſo, & ſæpe nimis conciſo, ubi diffuſior exigeretur.

Præter editionem, quam indicavimus Pſeudo-Joſephi cognomento *Ben-Gorion ſeu Gorionidis*, anterior eſt alia, Oxonienſis an. 1706. in 4. cum verſione Latina ex Hebræo per Joan. Gagnerum, addita ejus Præfatione, & notis.

Una eſt modo Eruditorum ſententia, Authorem hunc ſuppoſititium eſſe, quem alii componunt cum ſæculo ſeptimo, alii cum undecimo; ſunt qui Gallum credant; ſunt qui Britonem. De illo vide Baſnagium in continuatione Joſephi l. 7. c. 6. & Placcium in Pſeudonymis.

Chronologia ſacra, & prophana *Davidis Ganz*, continens Hiſtoriam Judæorum ab exordio mundi uſque ad an. 1592. in duas partes diviſa eſt; prior excuſa Hebraice Francofurti an. 1692. ſecunda Amſtelodami an. 1694. 2. vol. in 4. Illam tamen prius Henricus Vorſtius Latine verterat, excudendamque curaverat cum ſuis notis Lugd. Batavor. an. 1646. in 4. Poſt hæc paruit Rabbinicæ linguæ tradita Francofurti ad Mœnum an. 1698. in 4. cum continuatione. Opus hoc ſuum Germen David Author inſcripſit, quod ſcilicet prima ſit ejus Lucubratio. Alioqui autem cum hiſtoriam ejus tota exhibeat ſub oculis mala, quibus premitur populus ſanctus, & poteſtas Chriſtianorum, Lectores monere voluit ea Operis ſui Inſcriptione, ut revocarent in memoriam Germen David, & precibus ſuis id impetrarent, ut tandem manifeſtaretur.

In hac Chronologia tria ſunt plane ſingularia. I. Ducitur a creatione Mundi, porrigiturque ad primum Templum, & ad Patriarchas; cum ſolemne ſit Hiſtoricis Judæis Chronologias ſuas exordiri ab Epocha Græcorum. 2. Quamquam exſcripſit ſæpe Joſephum, & gentis ſuæ antiquiores ſe Doctores, accuratior eſt tamen, & illorum menda corrigere non negligit. 3. In ſecundo Libro varios Authores Chriſtianos compilavit, ſed infelici delectu. Natus eſt Judæus Pragæ in Bohemia, egitque Mathematicum. Florebat autem circa an. 1592.

Genebrardi duo ſunt opera, Chronologia ſacra impreſſa Lovanii an. 1570. in 12. & Coloniæ an. 1571. unico libro conſtans. Secunda eſt alia Chronologia in quatuor diſtincta libros, quorum duo priores, ad veterem populum pertinentes, hiſtoriam exhibent 4000. annorum; Pariſ. an. 1580. 1585. in fol. De hoc viro nos in Pſalmos, & alibi.

Chro-

Digitized by Google

Chronicon *Eutychii* Alexandrini excuſum eſt Oxonii an. 1659. Melius appellaretur Annales, qui a creato Mundo aduſque an. Jeſu Chriſti 940. ducuntur. Patriarcham egit Alexandrinum ab an. 933. uſque ad 950. quo & obiit, infectus hæreſi Jacobitarum, & Neſtorianorum.

Præter editionem Canonis *Marshami*, a nobis indicatam, alia eſt etiam Lipſienſis an. 1676. in 4. caſtigatior, & amplior; & tertia Franekeræ an. 1696. in 4. Scripſit etiam peculiarem Diſſertationem Chronologicam de ſeptuaginta ſeptimanis Danielis; Lond. 1649. in 4. Eques erat, & Baro-Londinienſis, in Hiſtoria verſatus, defunctus an. 1672. Canon ejus Chronologicus opus eſt profundum, eruditum, & doctum.

Ludovicus Capellus, & non Jacobus, uti male in noſtris impreſſis, digeſſit Chronologiam ſacram e Sacris Scripturis expreſſam ab exordio Mundi uſque poſtremam captivitatem Judaicam per Romanos. Excuſa eſt Pariſ. an. 1655. in 4. legiturque in capite tomi primi Polyglottorum Anglicanorum. Verum Jacobus Capella adornavit Hiſtoriam ſacram ab Adam aduſque Auguſtum Imperatorem excuſam Sedani an. 1612. in 4. tum ab Auguſto uſque ad Valentinianum; *ibid.* an. 1622. in 4. Præter hæc memorabiliores epochas cum expoſitione textuum difficillimorum Scripturæ; *ibidem* 1602. in 4. Majus etiam opus Hiſtoricum meditabatur, cujus epitomen exhibet in ejus articulo P. le Long. De utroque hoc fratre ſæpius agendum eſt nobis.

Diſſertatio *Joan. Seldeni* de anno civili, & Calendario Reipublicæ Judaicæ, lucem aſpexit Lond. an. 1644. in 4. Lipſiæ an. 1673. in 8. Lugd. Batav. an. 1683.

Jo. Baptiſta Riccioli dedit ingens opus de Chronologia ſacra 3. vol. fol. excuſum Bononiæ an. 1669.

Sextus Liber tomi prioris exponit annos, & epochas Hebræorum. Septimus annos mundi atque ætates uſque ad Chriſtum; octavus annum, & diem natalem Jeſu Chriſti una cum ejus genealogia. In ſecundo tomo retexitur Chronicon annorum Mundi juxta Septuaginta, tum & juxta Hebræum; ac tandem majus aliud annorum ante, & poſt Chriſtum uſque ad annum 1666. In tertio tomo offert ſe tabula Patriarcharum, Judicum, Regum Juda, & Iſrael, Prophetarum V. Teſtamenti, Pontificum Hebræorum, aliorumque ad genealogiam Jeſu Chriſti pertinentium. Jeſuita erat, Italo Ferrarienſis, denatus an. 1670.

Theatrum Hiſtoricum, & Chronologicum *Chriſtophori Helvici* excuſum eſt ſexta, & poſtrema editione Oxonii an. 1651. fol. De hoc viro nos in Geneſim.

Bibliographia Hiſtorico-Chronologica *Cornelii Beughem*, Batavi Typographi, lucem aſpicere cœpit Amſtelodami an. 1688. in 12. Poſt hæc autem perpetua ſerie continuata eſt. Exhibet autem merum catalogum Librorum, jam inde a cœpta arte Typographica excuſorum.

Georgii Hornii, Germano-Calviniſtæ e Palatinatu, & Profeſſoris Leidæ, Diſſertatio de vera mundi ætate paruit Leidæ an. 1659. in 4. cum vindiciis in Voſſium, & ad Vindicias illas Additionibus. Fœtus eſt etiam illius Arca Moyſis, ideſt Hiſtoria mundi adverſus eumdem; *ibidem* 1669. in 12. Obiit an. 1689.

Geminæ Diſſertationes *Gerardi Joannis Voſſii* in genealogiam J. Chriſti, annum ejus natalem, annum item baptiſmatis, & mortis, lucem aſpexerunt Amſtelodami an. 1643. in 4. Concinnavit etiam Introductionem ad Chronologiam ſacram vel octo Diſſertationes de temporibus Hiſtoriæ Hebraicæ, excuſas Hagiæ an. 1659. in 4. Hæc omnia continentur in Collectione Operum ipſius tom. 6. *ibidem* 1701. De hoc viro nos ad Concordias Evangelicas.

Joan. Georgius Hervvart, cujus nos indicavimus Chronologiam, Cancellarium egerat Ducis Bavariæ, aliaque Hiſtorica Opera adornavit, recenſita apud Draude; ſed ille præterit hanc Chronologiam, impreſſam Monachi an. 1614. in 4. Opus exactiſſimum, licet male digeſtum.

Quæ ſcripſit *Joan. Kepplerus* de anno natali Jeſu Chriſti in Laurentium Suliygam Polonum, vulgata ſunt Pragæ an. 1606. in 4 & Francofurti an. 1614. Adornavit etiam Eclogas Chronologicas in tempora Herodis, & Herodiadum, Baptiſmatis, Miniſterii, Paſſionis, Obitus, & Reſurrectionis Jeſu Chriſti, quæ lucem aſpexerunt Francofurti an. 1615. in 4. Vir erat Wittembergenſis, Lutheranus, & Mathematicus, defunctus an. 1630.

Non *Joannes Paludanus*, uti male in noſtris impreſſis, ſed *Michael* exhibuit Chronologiam Regum Juda, & Iſrael, vel Concordiam temporum a Saule aduſque Cyrum, excuſam Lovanii an. 1668. in 4. Auguſtinianus erat Gandavenſis, Doctor, & Profeſſor in Univerſitate Lovanienſi, defunctus an. 1652. Sedulo diſtinguendus eſt a Joanne Paludano Mechlinienſi, defuncto an. 1630.

De Concordantiis *Jo. B. Jenſenii* fruſtra hic ageremus, cum ſatis actum ſit de illis ad Libros Regum.

Concordiam Chronologicam, verius quam annales, dederunt *PP. Labe, & Briezius*, excuſam Regiis Typis 5. vol. in fol. Editio eſt elegantiſſima operis, cujus minimus eſt uſus. Synopſis ejus data eſt 5. vol. in 12. Pariſiis an. 1686.

Eclogæ Chronologicæ *Samuelis Petiti* lucem aſpexerunt Pariſiis an. 1631. in 4. & in octavo tomo Antiquitatum Romanarum pag. 361. ac tandem in Criticis Sacris Londinienſibus juxta P. le Long; facile tamen in poſtrema editione Francofurtenſi, neque enim in priori an. 1661. patent. Obiit vir Nimauſenſis, & Calviniſta an. 1643.

Thomas Lydiat vulgavit plura Opera Chronologica. Correctio temporum ab exordio mundi uſque ad ſæculum ejus paruit Londini an. 1609. in 8. & Hagiæ an. 1654. in 12. Canones Chronologici ab exordio mundi aduſque Evangelii exordium; Oxonii an. 1675. in 8. Scripſit etiam Chronicon Regum Juda Hebraice, ſi quæ fides Antonio Van-Wood. Expoſitionem pariter annorum Natalis, & Miniſterii Jeſu Chriſti; Lond. 1613 in 12.

In Anglia natus *Lydiat*, patriam habuit Oxonium, & Chronographum egit. Obiit an. 1646. Correctionem temporum in Scaligerum alioſque ſcripſit.

Hiſtoria Idumææ *Chriſtiani Noldi*, Dano-Lutherani, & Profeſſoris Haphniæ, Diſſertatio eſt in vitam, & res geſtas Herodum, excuſa Franekeræ an. 1660. in 16. *iteramque inter Opera Joſephi per Havercampum tom. 2. in calce.* Concinnavit etiam Epitomen Hiſtoriarum, & Antiquitatum ſacrarum, excuſam Haphniæ an. 1632. fol. Obiit an. 1683.

Fridericus Spanhemius, filius, & non pater, laboravit in Chronologiam, et Hiſtoriam ſacram utriuſque Teſtamenti; id autem Opus excuſum eſt Leidæ an. 1701. in fol. Promiſerat introductionem in idem argumentum *ibid.* 1683. et 1694. in 4. De hoc viro nos in V. Teſtamentum.

Exercitationes Hiſtoricæ *Jo. Buxtorfii*, filii, Baſileenſis, et Profeſſoris linguæ ſanctæ, verſantur in Arcam fœderis, Ignem ſacrum, et cœleſtem, Urim, et Thummim, Mannam, et Petram Deſerti ac Serpentem æneum. Vulgatæ ſunt autem Baſileæ an. 1659. in 4. Immortuus eſt in Calviniſmo an. 1664.

Hiſtoria populorum Palæſtinæ, Syriæ, et Sidonia auctore *Stuckio*, lucem aſpexit Tiguri an. 1595. in fol. Vir erat Helvetius, Calviniſta, Profeſſor Tiguri, denatus an. 1595.

AUTHORES ADDENDI.

Francisci Macei eſt Gallice Synopſis Hiſtorica, et Chronologica Vet. Novique Teſtamenti, excuſa Pariſ. an. 1704. in 4. Natus Pariſiis vir ille, Doctorem egit, et Miniſtrum (Cheſeier) Eccleſiæ S. Opportuni. Obiit an. 1721. Opus iſtud a ſuo Authore modeſto titulo Synopſis Hiſtorica inſcriptum, reipſa tamen eſt gravis, et perpetuus Commentarius in Biblia univerſa. Qui ſublimes conceptus amant, fruentur hic grandibus illis, quæ in Hiſtoricis Græcis, et Latinis ſcrutantur.

Edmundus Martot, Præmonſtratenſis, Abbas d'Etange Diœceſis Verodunenſis, ubi et obiit an. 1711. ætatis 74. exhibuit Hiſtoriam Vet. Novique Teſtamenti cum notis Theologicis, excuſam Nancii an. 1705. 1712. 2. vol. in 8. In eo vero Author non id tantum curat, ut Scripturæ textus referat, ſed et interſerit animadverſiones ſive e Theologia, ſive e Morali, ſive ex Hiſtoria.

Sunt qui ad hiſtoriam tantum V. Teſtamenti labores ſuos terminarunt; Latine illam dedit *Joachim Langius* Hallæ an. 1718. in 4. cum exegeſibus vel expoſitionibus locorum difficillimorum Scripturæ. Opus eſt autem in ſeptem periodos diſtributum.

P. Jacobus Grandamicus, Jeſuita, dedit Latine ſub titulo Theologiæ Chriſtianæ quæcumque geſta ſunt omnia a creatione Mundi uſque ad ortum Jeſu Chriſti. Patuit id Opus Pariſ. 1666. in 4. tertia editio.

Tandem *D. Calmet* vulgavit Hiſtoriam utriuſque Teſtamenti, & Judæorum Pariſ. 4. vol. in 4. an. 1718, & 7. vol. in 12. 1725. cum figuris æri inciſis. Poſt tot alia ejuſdem ſaporis Opera, ille manum huic ſuo admovit, inſtante D. Abbate Fleury, qui meditabatur ſimile aliquid adornare, ut introductionis loco eſſet ad Hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam, quam nonniſi ab Actibus Apoſtolorum circa an. J. Chr. 36. exorditur. Sed nolebat manum ab ingenti Opere ſuo remittere, inter hæc morte ſublatus eſt, magno reſtito omnibus ſui deſiderio.

Suam hanc hiſtoriam P. Calmet a creatione Mundi deducit uſque poſt everſionem Jeruſalem, ubi potiſſimum D. Abbas Fleury plenis velis pelago ſe committit. Conatus eſt imitari præciſam brevitatem Hiſtorici hujus docti, & eruditi, evitans inſerere Opus animadverſionibus doctis, & curioſis, nihilque curans ſollicitius, quam ut Fideles inſtrueret, moreſque illorum ædificaret lectione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ V. Teſtamenti.]

GEOGRAPHIA SACRA.

Vide Commentatores in 10. cap. Geneſis, & in Librum Levitici.

Euſebii Cæſarienſis, Liber de locis Hebraicis, ſeu Onomaſticon, cum Verſione Latina D. Hieronymi, & Notis Jacobi Bonfrerii. Joan. Martianæi, & Joan. Clerici, fol. Amſtelodami 1708.

S. Hieronymi, de terra promiſſionis, Epiſt. ad Dardanum t. 2. pag. 606. Nov. Edit.

Vide etiam ejuſdem Epiſt. ad Fabiolam de 42. manſionibus ibid. pag. 586. ſicut etiam Epiſt. 17. 27. in veteri Editione, ubi plura de locis Terræ ſanctæ.

Brocardi Monachi, Ordin. Prædicatorum, Deſcriptio Terræ ſanctæ, Baſil. 1555. fol.

Eucherii, de ſitu Jeroſolymæ, & locorum SS. *Biblioth. nov. Mſſ. Labbei tom. 1.*

Beda Vener. De locis ſanctis.

Phocas, Epiphanius Hagiopolita, & Perdiccas, de locis Paleſtinæ, ex Editione Leonis Allatii in Symmictis.

Adamnanus Scotus, de locis Terræ ſanctæ l. 3. ex Editione Mabillonii tom. 3. Acta Sanctor. Ord. S. Benedicti, part. 2. pag. 502. &c. *Bernardi Monachi* Franci aliud Itinerarium ibidem pag. 523.

Itinerarium Burdegala Jeroſolymam.

Guillelmi Tyrii, Hiſtoriæ belli ſacri l. 23. cum ejuſdem continuatione per Joan. Herold.

Marini Sanuti Torſelli, deſcriptio Jeroſolymæ; extat t. 2. Geſtorum Dei per Francos.

Beniamini Tudelenſis, itinerarium anno 1173. ſcriptum, ex Verſione Ariæ Montani, cum Notis Conſtantini Imperat.

Itinerarium *Rabbi Petachiæ*, ſæculo 12. cum Verſione Vagenſeilii.

Abrahami Peritſol, itinera Mundi, cum Thomæ Lyde Verſione, & Notis, Oxon. 1691. in 4.

Joan. Ligtfoot Horæ Hebraicæ, & Thalmudicæ in Evangelia, Acta, & quaſdam Pauli Epiſtolas, & Centuria Chorographica in Matth. & in alios Evangeliſtas *Oper. tom. 2. Ultrajecti* 1699.

Hermanni Virſii, Hiſtoria Jeroſolymæ. *Miſcellan. Sacr. tom. 2.*

Adriani Relandi, Palæſtina illuſtrata, in 4. Vol. 2, Lugd. Batav. 1714.

Chriſtoph. Cellarii Geographia antiqua, Vol. 2. in 4. Lipſiæ 1706

Friderici Spanhem. Introductio ad Geographiam antiquam *tom. 1. Oper. Leid. 1701, in fol.*

Samuelis Bochart. Phaleg, & Chanaan. In fol. Cadomi, & alibi.

Salom. Deylingi, fertilitas terræ Chanaan, *Obſervat. ſacr. tom. 2.*

Ben. Ariæ Montani, Phaleg, Chanaan, Caleb, & Nehemias.

Aug. Calmet, Diſſert. ſive animadverſiones in Tabulam Geographicam Terræ Sanctæ, *ante Commens. in Joſue.*

---- De caſtrametationibus Veter. Hebræorum, *ante Judices.*

Chriſtiani Adrichomii, Theatrum Terræ Sanctæ fol. cum figuris.

Nicolai Samſon, Geographia Sacra ex Vet. & Novo Teſtam. cum notis, & Præfat. Joan. Clerici, Amſtelodami 1704. fol.

Vide etiam ad calcem magnorum Bibliorum *Vitrè*. Geographiam ſacram *P. Lubini*, Tabulas *Adrichomii*, *Samſonis*, *Duval*, *de la Rüe*, *Ligtfoot*, & quam nos Commentariis in Judices præfiximus.

Joan. Quiſtorpii, Nebo, ſeu de Terra Sancta, *apud Crit. ſacr. ſaſc. 9.*

Petri Danielis Huetii, de navigationibus Salomonis.

---- Diſſertatio de ſitu Paradiſi terreſtris in 12. Pariſ. Gallice.

---- Hiſtoria negotiationum, & navigationum Veterum. Pariſ. 1716. in 12. Gallice.

Gaſpar Barrevii, de Ophira regione.

Aug. Calmet Diſſertatio de regione Ophir. *ad Geneſ.*

Luca Holſtenii, Ep. ad Bertholdi Nihuſium de fluvio Sabbatione, de quo Joſeph. in bello Jud. l. 7. c. 24.

Nicol. Fullerus, de fabuloſo flumine Sabbatione.

Joan. Buxtorf. Lexicon Thalmudic. de Sabbatione, ex Rabbinis.

Hadriani Relandi, Palæſtina illuſtrata c. 1. pag. 291.

Alphonſi Toſtati Liber de ſito Terræ Sanctæ.

Anſelmi, Deſcriptio Terræ Sanctæ.

Chriſt. Heidman Palæſtina, ſive Terra ſancta.

Chriſtoph. Vigelii Theatrum Terræ ſanctæ.

Cornel. a Beugem Bibliographia Hiſtorica, & Geographica.

Didaci Maximi, deſcriptio Idumææ.

Jacobi Ziegleri, Terræ ſanctæ deſcriptio.

Jo. Briſſelii Terræ ſanctæ Topotheſia brevis &c.

Joan. Perufini, deſcriptio Terræ ſanctæ.

Michael Aitſinger, Terra Promiſſionis Topographice, & Hiſtorice.

Nec abs re fuerit vera, & nova Terræ ſanctæ Itineraria comparare, uti *Jacobum de Vitriaco*, Epiſcopum Achonenſem.

Jo. Zuvallart Major, Athenſis, Iter Jeroſolymitanum. Antuerpiæ 1697. in 4. cum figur.

Fetellus Archidiaconus Antiochenus.

Jacobus Pantaleo Patriarcha Jeroſolymitanus.

Rogerus Bacon, Minorit. Anglus.

Joan. Mandeville, impreſſ. Antuerpiæ 1564.

Rodulphus Langius. Colon. 1517.

Gerardus Kninrestorf, Iter Jeroſolymitanum: Campen. 1520.

Bartholomæus Salignac. Lugdun. 1526.

Bernardus Breidenbach. Norimber. 1534.

Martinus Baumgart de Breitembach. Norimber. 1534.

Chriſtoph. Heimand; *Franciſcus Quareſmi*, *Othon. Apper Eugen. Roggeina*, *Joan. Paſcha*, Carmelita, Melchinenſis 1527.

Petrus Applanus, Gerardus Mercator, Volfangus Veiſſembourg, Joan. Cevetio de Vera, Itinera Terræ Sanctæ.

Joan. Cotovic. Joan. Doubdan, *Joan. Dubliabe*, *Ludolphus Sacheaſ. Leonard. Rauvolphe.*

Maundrellus, iter Aleppo Jeroſolymam in 8. Lucuſentiſſimum.

Adami Reiſneri, deſcriptio Jeroſolymæ, e Germanico in Latinum verſa per Joan. Heydenum. Francofurti 1563.

Joan. Zuvallart iter Jeroſolymitanum. Antuerp. 1608. Gallice.

Beauveau, Iter Orientale Tullum 1608. Gallice.

Hermanni Borculoe, Civitatis Jeruſalem, & Locorum Sacrorum deſcriptio. Ultrajecti 1538.

Gerardi Joan. Abbatis Monaſterii a Beon, deſcriptio Jeruſalem, & locorum ejus.

Tilmanni Stella, Sſtigenſis, Jeroſolymit. Urbis, & totius Terræ Promiſſionis Tabula. Antuerp. 1557.

Petri Lackſteyn, Deſcriptio antiquæ, & novæ Urbis Jeroſolymorum. Calcariæ Clivorum 1570.

Lege etiam catalogum Authorum, quos Adrichomius laudat, in calce Operis illius, Coloniæ 1585. in 8.

[Si P. le Long aſſerenti credimus, *Brocardus*, & *Burchardus* duo ſunt nomina plane diverſa unius ejuſdemque viri, qui dedit deſcriptionem Terræ ſanctæ, excuſam poſtremo in Onomaſtico Euſebii a Joanne Clerico Amſtelodami

lodami an. 1707. fol. & in nova Editione Menochii per P. Tournemine to. 1. Pariſiis an. 1719. fol. Primo omnium lucem aſpexerat Baſileæ an. 1556. curante Gaynæo.

Brocardus, cognomento Bonaventura ex nomine in Baptiſmo, ſive in Religione accepto, Dominicanus erat profeſſione, oriundus Argentorati, qui loca ſancta cucurrit an. 1280. Appellabatur etiam Burchardus; eu quo at multis confundi illum contigit cum Burchardo montis Sion Dominicano, alio tamen ab hoc noſtro, quamvis unius ætatis eſſent ambo; hic enim poſterior Opus ſuum dicavit priori, uti conſtat ex Antiquitatibus Caniſii t. 6 pag. 297.

Adrichomius in ſuo Theatro terræ ſanctæ Deſcriptionem hanc plurimi æſtimat, quod loca oculatus teſtis ipſe perſe Brocardus luſtravit; nec fateri erubeſcat plurimo ſibi adjumento Opus illud fuiſſe. Diſtributum eſt in tredecim capita.

In articulo generali Commentariorum Catholicorum meminimus *Eucherii* illius, cui P. Labbe Opus de Locis ſanctis vindicavit. Scriptum *Bedæ* de hoc Argumento legitur Operum ipſius tomo 3.

Deſcriptio ſynoptica Urbium ab Antiochia uſque Jeruſalem, ſicut & Syriarum, Phœnicum, & Palæſtinarum &c. Authore *Phoca* Latine recitatur in exordio tomi 2. menſis Maii Bollandiſtarum. Monachus erat Græcus, Cretenſis, qui ſæculo 12. circa an. 1185. per loca illa diſcurrebat.

Friderico Morellio tradente vulgatum jam fuerat opus *Epiphanii*, Monachi & Sacerdotis Jeruſalem, cujus ætas latet in obſcuro. *Perdiccas* Protonotarius erat Epheſinus; ipſiſſimum cenſet Ducangius cum viro de quo Pachimeres Hiſtoriarum l. 6. c. 24. ſcripſit verſibus jambicis.

Itinerarium Burdegala Jeruſalem ſcriptum ultra annos 1300 dedit Petrus Pithæus, atque cum Itinerario Antonini Imperatoris datum eſt Coloniæ an. 1600. in 8. quæ omnium optima eſt editio.

Horæ Hebraicæ & Thalmudicæ *Ligfooti* in Geographiam terræ Iſrael prodierunt ſeorſum Cantabrigiæ an. 1648. in 4. Opus eſt autem plura continens curioſa, & a Geographis aliis plane diverſa.

Hermannus Witſius, Batavo-Calviniſta, Profeſſor Leidenſis, & non Legienſis, uti male in impreſſis P. le Long, ſcripſit Hiſtoriam Jeruſalem, quæ decima eſt, & undecima Exercitatio to. 2. Miſcellaneorum ſacrorum ipſius. Prodiit autem ſeorſum Amſtelodami an. 1700. in 4. & cum aliis ejus Operibus Herbornii an. 1717. in 4. 6. vol. Hiſtoriam hanc deducit a condita Urbe uſque ad everſam per Babylonios, & poſt reſtitutam iterum ad deletam per Romanos. Obiit an. 1708.

Itinerarium *Benjamini* Judæi, cum notis Conſtantini l'Empereur, excuſum eſt Leidæ in 12. Notis illud ſuis, ſed nondum impreſſis, Matthias Fridericus Beckcius illuſtravit.

Vir erat Judæus, e Regno Navarræ oriundus, defunctus an. 1173. poſt decurſa omnia ea loca, ubi nacturum ſe Synagogas rebatur, quo de ſtatu gentis ſuæ ſeſe penitus inſtrueret. Cum autem præjudiciis gentis ſuæ alte eſſet imbibutus, nihil reliquit, quod ad gloriam gentis illius ſelevandam conferre poterat. Diſcrepat interdum a Geographis & clari nominis Hiſtoricis, quin & novas regiones excogitat; ſed inter hæc tamen exhibet pariter ideam generalem ſtatus Judæorum, qui in Oriente, qua in Occidente, qualem ætate ſua ſpectavit.

Abraham Mardochæus Periſſol, Judæus Avenionenſis, ſcripſit Itinerarium ſuum mundi an. 1525. Ferrariæ; cujus Operis editionem indicavimus. Indicat ad paginam 39. Mappam ſuam, quæ lucem non aſpexit.

Itinerarium *Rabbi Petahhia*, qui ſæculo 12. florebat, dedit Jo. Chriſtophorus Wagenſeilius in Exercitationibus ſuis p. 561.

Præter editionem indicatam Palæſtinæ illuſtratæ ab *Adriano Relando*, Operis in tres Libros diviſi; alia eſt etiam poſterior & amplior Norimbergæ an. 1716. in 4.

In priori Libro diſſerit de variis nominibus Palæſtinæ, ſitu, aquis, montibus &c. In ſecundo de intervallis locorum Palæſtinæ, ubi menda plura Veterum Geographorum relevat. In tertio de Urbibus & aliis locis Palæſtinæ. Illud merito affirmandum, Opus eſſe commendabile, qua profunda Authoris ſui eruditione, qua editionis elegantia. De hoc viro actum eſt a nobis.

Addemus tantum e Diſſertationibus ejus Miſcellaneis impreſſis Latine Trajecti an. 1706. in 8. illas, quæ Geographiam ſacram reſpiciunt. Lucubrationes eſſe non minus, quam deſcriptiones ejus Palæſtinæ ſimul nota. In prima agitur de ſitu Paradiſi terreſtris, in ſecunda de mari rubro, in tertia de monte Garizim, in quarta de regione Ophir.

Anſelmi Poloni, Franciſcani labore habemus deſcriptionem terræ ſanctæ impreſſam Cracoviæ an. 1514. in 4. legiturque pariter in Lectionibus antiquis Caniſii tom. 6. Florebat an. 1506.

Chriſtophori Heidman, Helmſtadienſis Lutherani, & Eloquentiæ Profeſſoris, Deſcriptio Palæſtinæ lucem primo vidit Helmſtadii an. 1625. in 8. tum Wolfenbii an. 1655. in 4. aucta; & Hannuvatii an. 1689. Obiit an. 1627.

Opus *Teſtati* de ſitu Terræ Sanctæ, cujus meminit tantum Nicolaus Antonius in ſua Bibliotheca Hiſpanica, lucem aſpexiſſe nunquam ſcimus. De hoc viro nos in Commentariis Generalibus.

Operis *Cornelii Benghem* ſupra meminimus.

Deſcriptionem Idumææ *Didaci Martinez*, cujus unus Sotvvellus inter cætera ejus Opera meminit, lucem aſpexiſſe vix credimus.

Deſcriptio Terræ Sanctæ *Jacobi Ziegleri* Bavari & Geometræ, excuſa eſt Argentorati an. 1536. altera editio in fol. & Francofurti an. 1575. Obiit an. 1549.

Quam dedit *Joannes Peruſinus*, Italus, latere in MSS. affirmat Poſſevinus in ſuo Apparatu ſacro.

Frotelli Scriptum de locis ſanctis MS. ſervari in Bibliotheca Clarevallenſi affirmat P. le Long.

Joannes Briſſelius, eſt potius Jo. Diſſelius Jeſuita Suevus, Theologus, qui floruit an. 1659. Deſcriptio ejus Palæſtinæ excuſa eſt Ambergæ (*Arnbergæ*) an. 1659. in 8. & Dilingæ an. 1679. Ita nomen hujus viri ſcribunt P. le Long in ſua Bibliotheca ſacra, & Lipenius in ſua Bibliotheca Theologica.

Deſcriptionem Terræ ſanctæ *Jacobi Pantaleonis* non novimus, niſi unico teſtimonio Adrichomii, qui uſum ſe iſto dicit in ſuo Theatro Terræ Sanctæ. Nunquam ille quidem egit Patriarcham Antiochenum, uti nobis excidit, ſed Pontificem ſub nomine Urbani IV. Natus eſt Trecis in Campania, obiitque an. 1264.

Addemus hic Geographiam ſacram *Samſonis*, Latine cum Notis Joannis Clerici & Præfatione Amſtelodami an. 1703. in fol. u. editio, cum brevi Tractatu inſcripto: *Judæa*, in quo paucis exponitur Hiſtoria diverſarum gentium, quæ varias ejus partes occupant, quæque aliæ poſt alias deſcribuntur.

D. Clericus dedit ea, quæ de hoc Argumento ſcripſerunt *Euſebius*, & *S. Hieronymus*, ſub titulo Dictionarii Urbium & locorum s. ſcripturæ; excuſum eſt opus Amſtelodami an. 1707. fol. Latine. Junxit & opus Brocardi Dominicani.

Tandem omittendus non eſt *P. Pezron*, cujus eſt Diſſertatio Epiſtolaris de veteribus limitibus terræ Promiſſionis, vulgata in Ephemeridibus Trevoltianis. Prolixa eſt admodum & digna Scriptore illo longe doctiſſimo.]

STUDIA, SCHOLÆ, ET LIBRI HEBRÆORUM.

Joan. Henrici Maii Synopſis Theologiæ Judaicæ Veteris, & Novæ, Gieſſæ 1698. in 4.

Joan. Bened. Carpzovii, Introductio in Theologiam Judaicam.

Joſephi de Voiſin Theologia Judæorum, Pariſ. 1574. in 4.

Antonii Huiſii, Theologia Judaica, Bredæ 1653. in 4.

Joan. Alenii, Theologia Judaica recentior, Herbornæ 1644. in oct.

Th. Hackſpan, de uſu Rabbinorum in Theologia.

Claud. Capellani, Mare Rabbinicum infidum, Pariſ. 1667. in 12.

Julii Bartoloccii Biblioth. Rabbinica, cum ſupplemento Caroli Joſephi Imbonati 5. Vol. in fol.

Scipionis Sgambati, Archiv. Vet. Teſtam. Neapoli 1703. f.

Gilberti Gaulmin de Apocryphis Hebræorum Scriptis.

Jo. Alberti Fabricii Codex Pſeudo-epigraphus Vet. Teſtam. Hamburgi, & Lipſiæ 1713. in oct.

Ejuſdem Codex Apocryphus Nov. Teſtam. Hamburgi 1703. in oct.

Joan. Van-Bashuyſen, Diſſert. de Academiis, Academicorumque titulorum origine Hebraica, Hannov. 1705.

Joan. Leonard. Hunbner, Diſſert. de Academiis, & Societatibus Literariis Hebræorum, Vittemberg. 1703.

Jacobi Alting, Hiſtoria Academiarum, & promotionum Academicarum, Amſtelod. 1652. in 12.

Ejuſdem Studioſus, & Doctor Hebræus.

Digitized by Google

Jul. Bartolocci, Ritus ſtudendi in Academiis Judæorum. *Bibliot. Rab. t. 1. pag. 486. & t. 3. pag. 663. &c.*

Aug. Calmet Epiſtola in Fourmont. Gallice, Pariſ. 1710. in 12.

Georg. Uſſini, Antiquitates Hebraicæ, Scholaſtico-Academicæ. Hafn. 1698. in quarto.

Aug. Calmet, Diſſert. de Schulis Hebræorum, *ante Comment. in Jor.*

Christiani Frideric. Williſchi, de filiis Levitarum, Lipſ. 1708

Rodolphi Martini Meelfuhrer, Diatriba de meritis Hebræorum in rem literariam, Vittemberg. 1600.

Maimonides, de ſtudio Legis, cum Notis Roberti Clavering. Oxon. 1705 *in 4.*

Henrici Otthonis, Hiſtoria 130. Doctorum Miſchnicorum.

Baſnage, Hiſtoria Judæorum t. 5. l. 7. c. 7. pag. 135 Edit. Pariſ. 1710.

Jacobi Alting, de concionibus Judæorum poſt reditum e Babylonia.

Joan. Chriſtophori Vagenſeil, de concionibus Judæorum noſtræ ætatis, in Lib. cui titulus: *Tela ignita Satbanæ*, p. 445 & ſeq

Guillelmi Surenhuſii, Theologia Hebræorum, Amſtel. *in 4*

[*Jo. Henricus Majus*, filius & nun pater, Lutheranus Profeſſor Theologus Gieſſæ, exhibuit per ſynopſim Theologiam veterem & novam Hebreorum, cujus veritatem & falſitatem demonſtravit. Hujus Operis editionem indicavimus.

Carpzovii, filii, eſt introductio ad Theologiam Judæorum excuſa *in 4* & in nova editione, quam ipſe dedit, *Pugionis Fidei* an. 1687. in fol. Lipſiæ. Nos de hoc viro ſæpius. Vide in Ruth.

Joſephus Voiſin, Burdegalenſis, Eleemoſynarius Principis Conti, Hebraice doctus, ſcripſit Theologiam Judæorum, quam certe non paruiſſe conſtat an. 1574. cum quo componit Fabricius in ſua Bibliographia Antiquaria; obiit enim an. 1685. ſed potius excuſa eſt an. 1648. ut indicat D. Dupin, vel ille qui Tabulas ejus direxit. Id autem legitur in Animadverſionibus ejus ad *Pugionem Fidei* excuſum ibidem an. 1651. fol.

Joannes Carpzovius, nepos præcedentis, differuit de veteribus Urbibus Hebræorum Academiis ibi collectis claſſis; Lipſiæ an. 1705. *in 4.* Nos de hoc viro in Ruth.

Antonii Hulſii Theologiam Judaicam priori ſui parte tantum lucem aſpexiſſe affirmat Fabricius ibidem. De hoc viro nos in hac parte, ubi de Meſſia

Male in noſtris Impreſſis legitur Joannes Alent pro *Joanne a Lent*, quod diſcrimen eſt nominum plane magnum. Opus ejus de Theologia recentiori Judæorum in luca communia diſtributum eſt. Hujus editionem jam indicavimus

Theodorus Hackſpan plura in Scripturam opera adornavit, plane ut liſſima & exquiſiti ſaporis, quæ accurate recenſere locus eſt hic plane alienus. Illud tantum jodicebimus, virum fuiſſe Saxo-Lutheranum, Profeſſorem Altorfii, defunctum an. 1659.

Archiva veteris Teſtamenti *Scipionis Sgambati*, Neapolitani, Jeſuitæ, tres libros continent. In primo agitur de rebus ad Deum pertinentibus; in ſecundo de primis parentibus; in tertio de viris illuſtribus V. Teſtamenti. Hujus operis editionem indicavimus. Obiit an. 1650.

Præter duos tomos *Fabricii* de libris Apocryphis, a nobis indicatos, tertius eſt alius vulgatus Hamburgi an. 1719. *in 8.* qui tertiam partem N. Teſtamenti exhibet.

Male etiam impreſſum eſt *Joannes Van Bashuſen*, legendum eſt enim *Bashuyſen*, cujus Deſſertatio eſt *in 4.* De hoc viro nos in exordio hujus partis.

Diſſertationes *Leonardi Hubner*, Germano Lutherani, volumen *in 4* exhibent.

Diſſertationum *Jacobi Altingii* præter editionem a nobis indicatam alia eſt etiam in quinto tomo operum ipſius excuſorum Amſtelodami an. 1687. fol. ubi & legitur ejus Tractatus de homine Hebræo ſtudioſo & doctore. De hoc viro nos ſæpius.

Georgius Uſſinus, Dano Lutheranus, in ſuis Antiquitatibus Hebraicis agit de Statutis & Privilegiis, qua Scholarum, qua Academiarum Judaicarum. Verſatur adeo materia crebra affuſione rerum, quæ delectant, & detinent, ut lectio placeat.

Gerardus Volswyk, e Raveſtein, opus dedit de Diſciplinis Hebraicis earumque vanitate; ſcriptum eſt autem opus carminibus Hebraicis ſub titulo: *Scinea Deſeria* proditque Venetiis an. 1539 *in 4.*

Sabbatai Ben-Joſeph, Judæus & frater clariſſimi Rabbini, dedit catalogum Librorum Rabbinicorum, inſcriptum: *Labia dormientium*; Amſtelodami an. 1681. *in 4.* Diſſerit in Præfatione de vario uſu operis ſui & de ratione docendi in Synagoga Amſtelodamenſi.

De *Meelfuhrer* egimus ad Diſſertationes. Matthæi. Addemus hic *Henricum Hottingerum* Latine vertiſſe Tractatum Gemaræ, in quo de Inceſtu, Creatione, & Carne; Leidæ an. 1704. *in 4.* adduntur Notæ e Rabbinis deductæ.

Hiſtoria 130. Doctorum Miſchnæ per *Henricum Otthonem* paruit Amſtelodami an. 1699. & 1709. *in 12.* Latine cum Notis alterius Authoris.

Alios plures de hoc Argumento diſcrenter recenſet Fabricius Bibliographiæ p. 116.]

SECTÆ JUDÆORUM.

Nicolai Serrarii, Triheræſis, ſeu de Tribus Judæorum ſectis *Inter Opuſcula ejuſdem*.

Joſephi Scaligeri, Elenchus Triheræſeos.

Joan. Druſii, de Sectis Judæorum.

Julii Bartolocci, de Saducæis, Baithuſæis, aliiſque Judæorum Sectis *Bibl. Rab. tom. 1. pag 370.*

Aug. Calmet, Diſſert. in Sectas Judæorum *in Jerem.*

Baſnage, de Sectis Judæorum *l. 5 tom. t. 1. &c. l. 9.*

Jacobi Rhenford, Diſſert. de ſectis Judæorum hæreſibus.

Jacobi Triglandii, de Caraitis.

Rich. Simon. Diſſert de Careitis, & Samaritania.

Baſnage Hiſtoria Judæorum l. 9. c. 1.

Julii Bartolocci, de Rechabitis. *Bibliot. Rab. t. 1. pag. 182.*

Herman Witſius, de Rechabitis.

Aug. Calmet Diſſert de Rechabitis.

Vide etiam *Bolano* de Eccleſia ante Legem.

Adriani Relandi, de Samaritanis.

Caroli Imbonati, de Samaritanis *tom. 4. Biblioth. Rab. p. 371.*

Samaritanorum Epiſtolæ ad Scaligerum, Ludolfum, & fratres in Anglia diverſis temporibus ſcriptæ. Chronicon Samaritanorum, Auth. *Eduard. Bernard.*

Baſnage in Hiſtoria Judæorum, ubi de *Samaritanis* toto octavo libro, ſicut & de *Thalmudiſtis*, *Caraitis*, *Cabbaliſtis* toto nono libro. Vide etiam Bartolocci Biblioth. Rab.

Julii Bartolocci, de Angelis, & Dæmonibus ſecundum Hebræos *tom. 1. Bibl. Rab.*

Aug. Calmet, Diſſert. de bonis, & malis Angelis *ante Comm. in Luc.*

Jul. Bartolocci, de Inferno, & Purgatorio ſecundum Hebræos *Bibl. Rabb. tom. 2. p. 128.*

Ejuſdem, de Peccato Originali, ſeu figmento malo Rabbinorum *tom. 2. p. 45.*

[Diſſertatio *Jacobi Triglandii*, Baravo-Calviniſtæ, Profeſſoris Lidæ, de Karaitis junctim cum opere *Chriſtophori Wolfii* de eodem Argumento, Hamburgi an. 1714. *in 4.* Imprimendas etiam curavit Diſſertationes Serrarii, Druſii, & Scaligeri de eodem . . . & ſuam adjecit; Delphis an. 1703. *in 4.* Obiit an. 1706.

Opus *Druſii* & *Joſephi Scaligeri* excuſum eſt Latine Arenaci (*Arnhemi*) apud Jaſon an. 616. *in 4.* Legitur ibi pariter ejus Reſponſio facta Serrario, in qua injuriarum plauſtris vir ille oneratur. Præcedunt omnia geminæ Epiſtolæ, altera quidem Druſii ad Joannem Prideaux, Rectorem Univerſitatis Oxonienſis; alia vero falſo illi affingitur. In calce leges Adnotationes Sixtini Amama, qui Editionem illam curavit.

Quæ ſcripſit *Hermannus Witſius* de Rechabitis, exhibentur in nona Exercitatione ſecundi Tomi Miſcellaneorum ipſius ſacrorum, de quibus nos ſupra.

In Theſauro Antiquitatum Hebraicarum tom. 22. recitanda ſunt, quæ *Relandus* diſſeruit de Samaritanis, & Diſſertationes *Joannis Rhenferdii* de . . . ſectis Judæorum. De utroque hoc viro nos alias. Relandi ſunt etiam Diſſertationes geminæ de Nummis quibuſdam Samaritanis, excuſæ Amſtelodami & Trajecti an. 1702. 1704. 2. vol. in 4.]

MO-

Digitized by Google

MONETÆ, PONDERA, ET MENSURÆ JUDÆORUM.

E*Duardi Bernardi* de menſuris, & ponderibus antiquis, & de mari Salomonis.

Jo. Gaſpar. Eiſenſchmid, de ponderibus, & menſuris Veterum Roman. Græc. & Hebræorum; nec non de valore pecuniæ veteris. Argentorati 1708.

Henrici Guntheri Thulemari, de variis ſiclis, & talentis Hebræorum. Erford. 1676. in 12.

Andreæ Beyer, ſiclus ſacer, & regius appenſus.

Car. Joſeph. Imbonati, de nummis Hebræorum. *Bibl. Rab. t. 4. pag. 158.*

Ben. Ariæ Montani, Thubal-cain. *Critic. Londini tom. 8.*

Gaſpar Vaſerus, de nummis Hebræorum Tiguri 1605. &c.

Raphael Avellinus, declaratio numiſmatis Hebraici David, & Abraham. Italice.

Edward. Brerewod, de ponderibus, & pretiis veterum nummorum. Lond. 1614. in 4.

Marquardi Freheri, de numiſmate cenſus, Heidelberg. 1699. in 4.

Henrici Bunting, de monetis, & menſuris Sacræ Scripturæ. Helmſtad. 1683.

Herman. Conringius, de nummis Hebræorum paradoxa. Helmſtad. 1675.

Ottho Sperling, de nummis non ceſis.

Fortunatus Scbaccus, Myrothecii l. 2. c. 3.

Adrianus Relandus, Diſſert. de nummis Samaritanorum.

Harduinus, & *Joan. Gagnieres*, de eodem.

Cumberland ſpecimen de monetis, ponderibus, & menſur. Hebr. Lond. 1686. in 8. Anglice.

Staniſl. Greſpſius, de ſiclo, & talento Hebræorum. Item, de ponderibus, & menſuris.

Jacobi Tirini, de antiquis Hebræorum, &c. ponderibus, menſuris, & monetis,

Joan. Henrici Hottingeri, de nummis orientalium, Hebræorum, maxime, & Arabum

Joan. Paſtritii, de ſiclis, & nummis Hebraicis.

Joan. Selden, Liber de nummis.

Joan. Wulferi, de ſiclo menſe Adar offerendo.

Joſiæ Simleri, vocabula rei nummariæ, ponderum, & menſurarum Græca, Hebraica, Arabica.

Ludov. ab Alcazar, opuſculum de ponderibus & menſuris.

Marini Merſennæ Tract. de menſuris, ponderibus, & nummis Hebræorum, Græcorum &c.

Matthæi Hoſtii, Hiſtoria rei nummariæ veteris &c.

Ejuſdem, lib. 3. de veteribus ponderibus, menſuris intervallorum, Romanis, Græcis, Hebraicis &c.

Philippi Labbe Bibliotheca nummaria.

De Pelletier Rothomagenſis, reductio monetarum, ponderum, & menſurarum veterum Hebræorum ad Gallicanas *ante Comm. P. Calmet in Gen.*

Reductio monetarum veterum Hebræorum, & populorum quorumdam ad noſtrum pondus marchi, authore *Turpin*, a Conſiliis in aula Monetarum. *Extat in hujus Diction. tom. 1. ad calc.*

P. Lamy Oratorii, quaſdam etiam Tabulas menſurarum ponderum & monetarum Hebraicarum in ſuo Apparatu dedit. Sed hæc ſpecimen ſunt alterius ingentis operis, quod ipſe propediem exhibiturus eſt, de eodem argumento.

Joan. Mariana de ponderibus, & menſuris. Hujus opus, ad calculum Hiſpanicorum ponderum, & monetarum ſupputatum, P. Tournemine *in Edit. Menochii*, ad Gallicanum calculum reduxit.

[Opus *Eduardi Bernardi*, Angli, de Veterum ponderibus & menſuris, & de mari Salomonis, in tres libros digeſtum, excuſum eſt Oxonii an. 1688. *in* 4. quæ altera eſt editio multo amplior priori. Obiit an. 1697. ætatis 59.

Opus *Gaſparis Eiſenſchmid*, Germano-Lutherani, volumen eſt *in* 8.

Guntherus Thulemarus, & non Thulem, uti male in noſtris Impreſſis, adornavit Latinam Diſſertationem de Siclis & Talentis Hebræorum; hujus editionem jam indicavimus. Vir erat Germano-Calviniſta, Juriſconſultus, & Principi Electorali a conſiliis.

Opus *Andreæ Beyeri* de Siclo ſacro & Regio paruit Lipſiæ an. 1667. *in* 12. Florebat vir Germano-Lutheranus an. 1668.

Opus *Gaſparis Vaſeri* excuſum fuerat Tiguri an. 1605. & Heidelbergæ an. 16… in 4. Tranſiit deinde in Criticos Sacros tom. 8. ſicut & ſcriptum *Brerewodi* juxta editionem a nobis indicatam; ac tandem in nono tomo legitur Diſſertatio *Freheri in Numiſma cenſus*. De hoc viro nos in S. Matthæum.

Tractatus *Buntingii*, Germano Hannoverienſis, Lutherani, & Superintendentis generalis Goſlariæ, editiones ſunt numero pene infinitæ & in omnes ferme linguas. Helmſtadienſis, quam indicavimus, eſt an. 1583. *in* 4. & non an. 1683. ut in noſtris Impreſſis, ſed viciſſim ad poſtremum hunc annum pertinet Londinienſis Anglica in 4. Obiit an. 1598.

Hermannus Conringius, & non Corringius, uti male in ejus Paradoxis, quæ opus ſunt *in* 4. probare conatur, veteres omnes ſiclos argenteos fuiſſe, nullamque genuinam Hebraicam monetam excuſam eſſe hominis ſignata &c. Idem opus tranſiit in ſecundum Faſciculum Opuſculorum Lipſiæ an. 1695. *in* 8. Synopſim ejus fuſe proſequitur Fabricius in ſua Bibliographia p. 533. De hoc viro nos ad S. Lucam.

Eandem opinionem tuetur *Sperlingius* nullam ſcilicet monetam cuſam fuiſſe in uſum Judæorum ante captivitatem Babylonicam. Hujus Operis impreſſio non indicatur.

Idem Argumentum vexat *P. Harduinus* in ſua Chronologia V. Teſtamenti pag. 605. &c.

Quæ dedit *Joannes Gagnieres* de Nummis leguntur in Ephemeridibus Trevoltianis an. 1705. menſe Septembri p. 1643. & menſe Novembri p. 1997.

Richardus Cumberland, Anglus & Theologus Cantabrigienſis, comparat pondera, menſuras, & monetas Judæorum cum Anglicis. Hujus Operis editionem indicavimus.

In idem Argumentum Prolegomena ſcripſit *Tirinus*, quæ tranſierunt deinde in Biblia magna & maxima Joannis de la Haye, tum in Polyglotta Londinenſia.

Staniſlaus Grepſius, quod genuinum eſt ejus nomen, Polonus, ſcripſit de variis ſiclis & de talento Hebræo; cujus opus excuſum eſt Antuerpiæ an. 1568. *in* 8.

Joannes Wulferus Latinum reddidit Tractatum Thalmudicum de ratione offerendi quotannis ſiclum, quandiu Templum Judæorum duravit. Junxit huic Commentarium. Prodiit autem id totum Francofurti an. 1680. *in* 4.

Opus *Jo. Henrici Hottingeri* cum ejus Genealogia Hebræorum multo auctius ſecunda editione paruit Heidelbergæ an. 1662. De hoc viro nos in V. Teſtamentum. In calce operis exhibetur Tabula nummos plures Judæos offerens.

Præpoſtere etiam excuſum eſt *Joannes Paſtritii* pro *Paſtritio*. Unus Imbonatus in ſua Bibliotheca Latino-Hebraica pag. 123. agit de opere ejus de ſiclis, aliiſque Lucubrationibus graviſſimis, ſiquidem lucem publicam vidiſſent. Videſis titulos apud P. le Long tom. 2. Bibliothecæ ſacræ p. 895. Vir erat Dalmata, Græce & Hebraice doctus, qui & docuit Romæ. Obiit an. 1708.

Opus *Joannis Seldeni* formis Londinienſibus excuſum eſt an. 1675. *in* 4. De hoc viro nos ſæpius.

Simleri, Tigurini Calviniſtæ, lucem aſpexit Tiguri an. 1686. *in* 8. obiit an. 1576. Antuerpiæ an. 1614. & Lugduni an. 1618. in fol. excuſa eſt Inquiſitio veritatis, Authore *Ludovico Alcaſar*. De hoc viro nos in Apocalypſim.

Tractatum P. Merſenne dederunt prela Pariſienſia an. 1644. *in* 4. Natus inter Cenomanos vir Minimorum profeſſionem ſecutus eſt, gnaviterque ſeſe inſtruxit in Mathematicis. Obiit an. 1648. Amicitiam coluit cum celebri Deſcartes.

Duo grandia Opera *Matthæi Hoſtii* lucem aſpexerunt Francofurti an. 1580. 1595. 2. vol. *in* 8. & cum vetuſtis Authoribus qui de Nummis egerunt Leidæ an. 1695. in 4. De hoc viro nos alibi.

P. *Labbe*, Burgenſis Jeſuitæ, Bibliotheca *Rei nummariæ* excuſa eſt Pariſiis an. 1664. in 8. Obiit an. 1667.

Fabricius in ſua Bibliographia omnes, quotquot de hoc Argumento ſcripſerunt, recenſet p. 530. 540. 544.

AUTHORES ADDENDI.

P*Jobertus* in ſua ſcientia Nummorum exhibet imaginem ſicli Judæorum p. 231. Excuſum eſt opus Pariſiis Gallice abſque nomine Authoris an. 1693. in 12. Jeſuitam egit.

Juvat etiam conſuluiſſe quæ *Joannes de Pelletier* diſſeruit de pondere comæ Abſalomi, ubi interſerit doctam fuſamque diſcuſſionem de ſiclis & menſuris Hebræorum. Legitur

in

Digitized by Google

in Ephemeridibus Trevoltianis an. 1702. menſa Auguſti. Vulgavit etiam peculiarem Tractatum de ponderibus & menſuris legendum in litterariis ſpeciminibus Menſis Maii 1703. p. 318. De hoc viro nos ad Diſſertationes in Geneſim, ubi de Arca Noe.

Zuvingerus adornavit Diſſertationem de ſiclis Hebræorum, Latine excuſam Baſileæ an. 1704. *in* 2. Diſtinguit ibi ſiclum profanum a ſacro, & fuſius cucurrit in triginta illos denarios Judæ in pretium venditi Magiſtri.]

DISSERTATIONES, VEL ALIA OPERA DE ANIMALIBUS, PLANTIS, GEMMIS, MORBIS, DE QUIBUS IN S. SCRIPTURA.

B*ened. Ariæ Montani*, Naturæ Hiſtoria, Antuerp. 1601. & in Bibl. Polyglott. Antuerp.

Samuelis Bocharti Hierozoicon, ſeu de animalib. Sacræ Scripturæ, 1. vol. in fol. Lond. 1664.

Stephani Veſel, Epitome Samuelis Bochart. Franequer. 1690. *in* 4.

Joan. Henrici Maii, Epitoma ejuſdem Hierozoici Sam. Bochart. Francfurt. 1686. Non raro Author Bochartum carpit, nec ſemper immerito.

Volfang. Franzius, de animalibus S. Script. Vittemb. 1617. Opus, pluribus adjectis multo perfectius prodiit, cura Joan. Cypriani 1712. 2. vol. *in* 4.

Joan. Buſtamantii, de animal. S. Script. reptilibus. Complut. 2. vol. *in* 4. Opus, præ Bocharti, multo futilius.

Godr. Muller, Theologia Biblica, ſeu de animalib. Biblicis. Vittemb. 1676. *in* 8.

Joan. Henrici Urſini animalium Biblicorum Nomenclator, l. 4. Miſcellan. Sacror. Norimberg. 1666. *in* 8.

[Præter aditionem a nobis indicatam Hiſtoriæ animalium Bocharti duæ ſunt aliæ, Francofurtenſis an. 1675. & Trajectenſis an. 1692. & inter cætera ejus opera 3. vol. fol. an. 1712. Vir erat Rothomagenſis, Calviniſta, ſcientia linguarum Orientalium doctus; natus vero *an.* 1599. denatus an. 1667. ætatis 68. opus hoc eruditione profunda præ cæteris commendatur: *Singulari plane eruditione refertum eſt*, ait Fabricius in ſua Bibliographia.

Veſelus, Pannonius, erat gente. Synopſis *Jo. Henrici Maii* volumen eſt *in* 8. excuſum jam Durlaci *an.* 1685. De hoc viro nos ſæpius.

Volfangus Franz alteram methodum ac Bochartus in ſua hiſtoria animalium, tenuerat; eſt tamen opus volumine *in* 8 non majus. Editio aucta & continuata a Joanne Cypriano paruerat jam Dreſdæ an. 1697. 2. vol. in 8 Quam indicavimus editio eſt amplior. Paruerat Londini opus hoc Anglice an. 1674. in 8. De aliis operibus Franz egimus ad Leviticum. Obiit autem vir Germano-Lutheranus an. 1628. Cyprianus alter erat Germano-Lutheranus, Profeſſor Lipſiæ ſæculo 17. exeunte.

Hiſtoriæ animalium *Joannis Buſtamantii*, præter indicatam a nobis editionem, duæ ſunt aliæ Lugdunenſes an. 1620. & 1658. 2. vol. in 8. Vir erat Hiſpanus, Medicus Complutenſis an. 1595. Differit ibi tantum de reptilibus.

AUTHORES ADDENDI.

JUvat etiam conſulere quæ de hoc Argumento ſcripſit *Joannes Conradus Dietericus* in ſuis Antiquitatibus Biblicis p. 416.

Hieroglyphica animalium per *Simſonem* paruerunt Edimburgi an. 1622. in 4. Id autem opus debetur non Eduardo, uti male Fabricius, ſed Archibaldo Simſoni, de quo nos in poſtrema Epiſtola S. Petri.

Commentarii Phyſici *Joannis De Moy* in Pentatenchum & N. Teſtamentum paruerunt Mojemburgi an. 1661. 2. vol. *in* 4. Et cum cæteris ejus operibus Leidæ an. 1706. *in fol.* Vir erat Zelando-Calviniſta, defunctus an. 1678.

Tractatus Animalium, quem *Salomon Van Til* junxit Commentario ſuo in Exodi 25. uſque ad 30 paruit Latine Amſtelodami an. 1714. In 4. De hoc viro nos alibi.

Quanquam *Olaus Rudbeckius* id ſibi propoſuit, ut de Animalibus omnibus Scripturæ diſſereret, grandis tamen ſyſtematis ſola prior pars Latine vulgata eſt Upſalæ an. 1705. in 4.

Exponit ibi ſolum quid eſſet Selao, de quo In Num. 9. 33. referri autem hoc cenſet piſcem, contra ac Bochartus & Ludolphus judicarunt. Plurimas ſane obſervationes adhibet ut veri opinionem ſententiæ ſuæ conciliet, vocat etiam in auxilium, Scriptorum rerum naturalium teſtimonia.

In Ephemeridibus Trevoltianis 25. Martii an. 1719. exhibetur Epiſtola *D. Peſſaloſci*, Medici, ſeu potius Diſſertatio de piſce Jonam vorante. Omnia ejus erudita ſunt & jucunda.]

DE MORBIS.

F*rancisci Valeſii* S. J. de Sacra Philoſophia. Lugd. 1592. in 8. Sermo ibi de morbis, quorum in S. Scriptura mentio.

Guillelmi Ader, de morbis Evangelicis.

Thomæ Bartholini, de morbis Biblicis. *Apud Cren. faſcl.* 5. Ejuſdem, de Latere Chriſti aperto, de Cruce, et de Paralyticis Novi Teſt.

Chriſtiani Varlique, de morbis Biblicis. Vittemb. 1714. in 8.

Conradi Johreni, Diſſert. de morbis Biblicis, & de Chriſto medico. Francfurti ad Oderam 1704.

Valentini Henrici Vogler, de rebus naturalibus & medicis, quatenus in Sacra Scriptura fit mentio. Helmſtad. 1682.

Aug. Calmet, Diſſert. de medicina Hebræorum *Ante Comment. in Eccl.*

[Philoſophiæ ſacræ *Francisci Valeſii* plures ſunt editiones; poſtrema eſt Francofurtenſis an. 1627. in 8. Vir erat Hiſpanus, natus in veteri Caſtella; nunquam tamen egit Jeſuitam, quod in noſtris Impreſſis legitur; ſed Medicum potius Philippi II. Regis Hiſpaniarum. Non ſcripſit niſi de medicina, uti conſtat ex catalogo Operum ipſius apud Nicolaum Antonium.

Tractatus *Guillelmi Ader* paruit Toloſæ an. 1628. in 8. legiturque in Criticis ſacris Londinienſibus *to.* 9. *pag.* 1660. prioris editionis. Excerpta ejus dedit Fabricius in Hiſtoria Bibliothecæ ſuæ pag. 291. to. 1. et cenſuram ibidem pag. 335. Opus hoc ſuſcepit ut miracula J. Chriſti relevaret. Florebat Medicus iſte Catholicus ſæculo 17. ineunte.

Opus *Thomæ Bartholini* de Morbis Biblicis excuſum eſt ſeorſum Francofurti ad Mœnum an. 1672. in 8. Ea tantum quæ ſcripſit de Paralyticis Evangelii leguntur apud Crenium, et lucem aſpexerant jam Hafniæ an. 1653. in 4. et Baſileæ an. 1662. in 8. De hoc viro et de aliis ejus operibus nos ad S. Matthæum in Diſſertationibus.

Iis, quæ vulgavit *Chriſtianus Vvarlig*, de morbis, cujus operis editionem indicavimus, addendus hic pariter Tractatus ejus de variis cibis et potibus gemmiſque, de quibus in Scriptura. Legenda ſunt Nova Literaria Germaniæ an. 1702. pag. 163. Vir erat Germano-Lutheranus, Doctor et Profeſſor Medicus.

Valentini Vogler opus eſt in 4. Vir erat Helmſtadienſis, Lutheranus, et Medicinæ Profeſſor, defunctus an. 1677.]

DE ARBORIBUS, ET PLANTIS.

L*Udovici Rumetti*, Viridarium Sacræ Scripturæ, de arboribus frugiferis, et infrugiferis, et aromaticis. Pariſ. 1628. in 8.

Villelm. Sucteri, Herbarium Spirituale. Germanice. Francford. 1573.

Andr. Coquens, Hiſtoria Sacra plantarum, arborum, et herbarum Sacr. Script.

Levinus Lemnius, de plantis Sacris.

Joan Henric. Urſinus, Arboretum Biblic. Norimberg. 1663.

Thomæ Broun, Obſervationes de plant. S. Script. memoratis.

Iſidor. Barreira, de plantis, floribus, et fructibus S. Script.

[Pomarium *Ludovici Rumet*, Abbavillæi et Canonici Metropolitanæ Pariſienſis, opus eſt tribus conſtans libris, myſticum et literale.

Herbarium ſpirituale *Guillelmi Sueter* opus eſt *in folio*. Vir erat Germano-Lutheranus.

Hiſtoria ſacra plantarum *Adriani Coquei* paruit Uliſſingæ *an.* 1664. in 4. De hoc viro nos in hac parte.

Libellus *Levini Lemnii* paruit Francofurti an. 1596. in 12. *ſeu potius in* 16. et prodierat jam Pariſiis an. 1577. Gallice; Anglice vertit Thomas Nevuton Oxonii an. 1587. in 4. Dedit et expoſitionem Parabolarum Scripturæ, deductarum ex arboribus et plantis, Antuerpiæ an. 1565. in 8. Medicus erat Zelandus, defunctus an. 1568 *Suſpicor poſtremum hoc Opuſculum idem eſſe omnino ac prius illud de Plantis S. Scriptura; namque poſtremo hoc titulo inſcribitur Libellus* editus

Digitized by Google

ditione Francofurti an. 1596. *in quo de herbis & plantis S. Scripturæ diſſeritur.*

Matthæus Hillerus, Abbas Regiæ Fontis; vulgavit *Hierophyticon*, id eſt Commentarium in Textus quoſdam Scripturæ, ubi de plantis, Opus bipartitum. In priori parte agitur de plantis; in ſecunda de herbis. Prodiit Trajecti apud Batavos typis Broedelet cum Præfatione Piſtoris Profeſſoris Bebenhuſani, & Vita Authoris. Annuncistur autem in Supplemento Epiſtolarum de rebus novis (*Gazette*) Trajecti an 1725.

Joannes Henricus Urſinus, præter *Arboretum*; ſcripſit etiam Hortum aromaticum, ubi de aromatibus omnibus S. Scripturæ. Utrumque Opus ſecuſum uſt Norimbergæ an. 1699. 2. vol. in 8. De hoc viro nos alibi.

Thomæ Brovvn Animadverſiones de plantis, quo loco prodierint, ignoratur. De aliis ejus Operibus agitur in Hiſtoris Academiæ Oxonienſis pag. 336. Vir erat Londinienſis, Magiſter in artibus renuncistus an. 1629. Itinera plura confecit, & redux in Angliam a Carolo II. Equitis dignitate ornatus eſt an. 1671. obiitque deveas plurimum ætate.

Iſidori Barreira eſt Tractatus quidam Hiſpanicus, exhibens ſignificationem plantarum, florum & fructuum; Uliſſiponæ an. 1622. in 4. Vir erat Luſitanus & Sacerdos; florebatque ſæculo 16. ineunte.]

DE GEMMIS.

S. *Epiphanii*, de duodecim gemmis Pectoralis Summi Pontif. *Oper. tom.* 2.

Franc. Ruei, de gemmis Apocalypſis, Franc. 1596.

Matthæi Hilleri, Lib. de 12. gemmis in pectorali Summi Pontif. Tubing. 1598. *in* 4.

Ludov. de Dieu, Comment. in Exod. 28. 17.

Eduard. Bernard. Not. ad Joſeph. lib. 3. antiq. p. 18c.

Paſchalis Balduini de Hebraicis gemmarum nominibus.

Joan. Braunii de veſtitu Sacerdotum Hebr. l. 2. c. 8.

Joan. Baptiſtæ, Diſſert. de Sapphiro Sacræ Script.

Samuelis Kiliani, Matheſis Moſaica, Kil. 1689. *in* 4.

Joan. de May, Phyſiologia Sacra, Middelburgi 1681. *in* 4.

[Brevis Tractatus S. Epiphanii excuſus eſt Tiguri an. 1566. in 8. & cum Notis Salmaſii in Opere Matthiæ Hilleri; Tubingæ an. 1698. in 4. & 1712. in 4. De poſtremo hoc viro nos alibi.

Quæ ſcripſit *Franciſcus Rueus* volumine in 12. *ſeu potius in* 16 juncta fuit cum Tractatu Levini de plantis. Vide ſupra. Opus eſt autem in duos Libros diviſum, cujus plures fuit editiones; ſed ea, quam indicavimus, omnium eſt poſtrema. Dedit etiam nomina Hebraica gemmarum Lugduni an. 1582. in 8. Vir erat Inſulanus in Belgio, Doctor Medicus, qui obiit an. 1585.

De nominibus Hebraicis margaritarum epiſtolam ſcripſit *Paſchaſius Balduinus*, nec typis excuſa videtur, cum Svverus tantum ejus meminerit. Vir erat Belga & Canonicus Regularis juxta Valerium Andream in ſua Bibliotheca Belgica. Omnia ejus Opera manuſcripta ſervantur.

Diſſertatio *Jacobi Baieri*, & non Joannis, ut ſmale in noſtris impreſſis, lucem aſpexit Altorfii an. 1709. Vir erat Germano-Lutheranus, & Profeſſor Mathematicus Altorfii an. 1707. De aliis ejus Diſſertationibus egimus in Job.

Fabricius in ſua Bibliographia alios plures de hoc Argumento ſcribentes recenſet.]

DE CIBIS, VESTIBUS, ET CONNUBIIS HEBRÆORUM.

De Conviviis Hebræorum.

Joan. Guilhelm. Stuckius, Antiquitates convivales Hebræorum, Græcorum, Romanorum.

Aug. Calmet, Diſſert. de re cibaria, conviviis &c. veterum Hebræorum. *Ante Commens. in Eccli.*

Theod. Daſſovi de accubitu ad Agnum Paſchalem, Vitemberg. 1698.

Joan. Buxtorf, de cœnæ primæ Paſchalis ritibus, & forma.

M. Phil. Rohr, Pictor errans in Hiſtoria Sacra. *In Theſ. Th. Phil. tom* 2.

Le Pelletier Rothomagenſis, de erroribus Pictorum. *In Ephemer. Trevol. pluribus in locis.*

[Ingens & magnificum Opus, uti Fabricius appellat, *Guillelmi Stuckii* paruit primum Tiguri an. 1582. fol. tum inter alia ejus Opera Lugduni Batav. an. 1695. Ejus elogium perſequitur Juſtus Lipſius in ſuis Epiſtolis Miſcellaneis Centur. 1. epiſt. 65. & Centur. 2. epiſt. 26. De hoc viro nos in quarta hac parte.]

DE HEBRÆORUM VESTIBUS.

De his ego ſatis in articulo de *Sacerdotibus*, ubi de veſtibus illorum.

Melchior Leideker, de veſtibus, & ornamentis Hebræorum privatorum. *De Repub. Hebr. l.* 12. *c.* 8.

Jul. Bartoloccus de iiſdem. *Bibl. Rabb. tom.* 1. *pag.* 556. & 579.

Mich. Becht, de uſu phylacteriorum Judaic. Vide Interpp. ad Matth. 23. 5.

Matth. Hiller, de veſtibus Hebræorum fimbriatis, Tubing. 1701.

Friderici Adolphi Lampe, de ſacco, cilicio, cinctura, & calceis Hebr.

Antonii Bynæi, de calceis Hebræorum.

Fortunati Scacchi, de veſtibus, & ornamentis Regum apud Hebræos *Myroth. l.* 3. *c.* 38. & 43.

[Opus *Antonii Bynæi* de caligis Hebræorum, Latinum, duos continet libros cum figuris; excuſum eſt autem Dordrecti an. 1682. in 12. & una cum ſomnio ejus de laudibus criticæs an. 1695. in 4. editio aucta & recenſita. Nemo illo accuratius hoc argumentum excuſſit. De hoc viro nos ad S. Matthæum.

Michaelis Bechtii duo ſunt Opera de Philacteriis Hebræorum; aliud quidem excuſum Jenæ an. 1670. in 4. aliud ibidem 1684. in 4. De hoc viro nos alias; male autem in noſtris Impreſſis Becht.]

DE HEBRÆORUM CONNUBIIS.

Joan. Buxtorf. de nuptiis, & divortiis Hebræorum.

Joan. Selden. uxor Hebraica. Item de Jur. Nat. & gen. l. 5.

Aug. Calmet, Diſſert. de connubiis Hebræorum. *Ante Comment. in Cantic. Cantic.*

---- Diſſert. de divortio. *Ante Deuteron.*

S. Joan. Chryſoſt. ſermo de libello repudii.

Thomæ Pii, de divortiis Hebræorum, Londini 1603. *in* 4.

Roberti Sanalle, de divortio Matrimonii Moſaici per Evangelicam Legem rejecto.

Talmud, Tract. Kiduſchim, Cethuboth, & Gittin.

Joan. Bened. Carpzovii, de chupha Hebræorum. *Diſput. Academ. pag.* 411. &c.

Joan. Bartholo Niemeri, Diſſer. de conſanguinitatis, & affinitatis gradibus, Helmſtad. 1699. *in* 4.

Jac. Perizonii, de ducenda defuncti fratris uxore: Deut. 25. 5. 6.

Samuelis Friderici Bucher, de Velatis, & concluſis fœminis; *Budiſſæ* 1717. *in* 12.

Alberti Fabricii, Bibliograph. antiquaria, c. 20.

Heidegger, Hiſtoria Patriarcharum.

Melchior Zeidler, Tract. de polygamia.

Montacutius, in Apparatu p. 193. & ſeq.

Julii Bartolocci, de eſſentia Matrimonii apud Hebræos *Bibl. Rab. t.* 3. *pag.* 519.

Vide Interpretes ad Matth. 5. 32. & 19. 9.

Jo: Chriſtoph. Vogenſell, de uxore adulterii ſuſpecta.

Guillielmi Selder, de aquis amaris.

Andreæ Acoluti, de aquis amaris.

[*Fabricius* Bibliographiæ Capite 20. grave hoc Argumentum accuratiſſime executus; agit enim 1. de nuptiis 2. de dote; 3. de ſponſalibus; de benedictione &c. Omnesque de his Authores recenſet.

Hic nos indicandum cenſemus *Samuelem Duchevium* agentem de Antiquitatibus Hebraicis Græciſque quoad morem Hebræorum claudendi fœminas nuptas, eaſque velandi. Excuſum eſt Opus an. 1717. 2. vol. in 12.]

POESIS, ET LUDI HEBRÆORUM.

Auguſti Pfeiffer, Diſſert. de Poeſi Hebræorum.

Franc. Gomar, nova Davidis Lyra.

Lud. Capelli, animadverſiones in lib. cui titulus: *Nova Davidis Lyra.*

Marc. Meibomii, Pſalmi David 12. priſco Hebræorum metro reſtituti, Amſtelod. 1698. in fol.

Julii Bartolocci, de Poeſi moderna Hebræorum. *Bibl. Rab. tom.* 2. *pag.* 244.

D. Clericus Bibl. univerſal. anni 1688. pag. 219. Specimen criti-

eriticum, quo vera ratio Poeſis Hebræorum pro viribus explicatur. Gallice.

Aug. Calmet, Diſſert. in idem argumentum. *Ante Comment. in Exod.*

Regulas in Poeſim recentiorum Hebræorum lege in calce Theſauri Grammaticæ Hebr. *Joan. Buxtorfii*.

Vagenfeil, Diſſert. de luſibus Hebræorum, in Lib. ejus, de Nurimberga c. 12.

Joan. Henrici Otto, Lexic. Rabbinicum, v. Ludus.

Thoma Lyde, de Ludis orientalium, Oxon. 1694. in oct.

[*Auguſtus Pfeiffer* hoc Argumentum excuſſit in *Dubiis vexatis*, ubi in Textus difficiles Scripturæ, pag. 616. Dreſdæ an. 1679. *in* 4.

Nova: Davidis Lyra Franciſci Gomarii legitur in Collectione Operum ipſius Theologicarum parte II. pag. 313. Amſtelodami an. 1664. & ſeorſum Leidæ an. 1637. *in* 4.

Notæ *Ludovici Capelli ad novam Davidis Lyram* excuſæ ſunt Genevæ an. 1640. *in* 8. cum geminis Diſſertationibus, altera in vocem Hebræam Elohim, altera in Jehovah. De hoc viro nos ſæpius.

Addendus hic Caryophilus, qui hoc Argumentum de Poeſi Hebræorum peculiari Italico Opere vexavit; Romæ an. 1707. *in* 4. In ipſo limine diſſerit de exacta præciſione, quæ in Hebræis ſpectatur. Tunc gradu ſibi facto generale examen inſtituit de Poeſi Hebræorum, tranſitque in illorum opinionem, qui credunt imparem eſſe Hebraicam linguam, ut aſtringatur menſuris & pedibus, quæ apud Græcos & Latinos Poeſim exhibent.]

DE HEBRÆORUM MUSICIS, ET INSTRUMENTIS.

JUlii Bartolocci, de Pſalmis, & muſicis inſtrumentis Hebr. *Bibl. Rab. tom.* 2. *pag.* 184.

Caroli Joſephi Imbonati, de Hebræorum muſica Diſſert. *Ibid.* 4. *pag.* 427.

Salomonis Vanttl, de muſica Veterum Hebræorum. Belgice. Dordrecht. 1692. In quarto.

Aug. Calmet, Diſſert. muſica vet. Hebræorum. *Ante* 2. *Tom. in Pſ.*

Chriſtiani Zoega, de buccina Hebræorum. 1692.

Joan. Gabriel. Dreſchleri Diſſert. de Cythara Davidica. Lipſ. 1670.

Fortunati Scacchi Myrothecii, l. 3. c. 39.

Auguſti Pfeiffer, dubia vexata Sanctæ Scripturæ, ad Pſal. 4 t.

Vagenfeil ad Sota, p. 962.

Cyprianus de la Nurega, Ord. Ciſtercienſ. defunctus 1520. Opus mſ. reliquit, cui titulus: *De ratione muſica, & inſtrumentorum uſu apud veteres Hebræos*. Vide Imbonati t. 5. p. 318. Biblioc. Rab.

[Præter Authores recenſitos in Bibliotheca ſacra vide quæ de hoc argumento exhibet Fabricius Bibliographiæ capite II. pag. 373. 374.]

DE HEBRÆORUM FUNERIBUS.

M*Artini Gejeri* de luctu Hebræorum, Lipſiæ 1666. *in* 12. *Friderici Mulleri*, lib. 3. de Sepulchris Hebræorum, Gieſſæ 1884. *in* 4.

Joan. Nicolai, de Sepulchris Hebræorum, *in* 4. Amſtel. 1705.

Joan. Henrici Hottingeri, Cippi Hebraici Heidelberg. 1659. in fol.

Monumenta antiqua Judaica Auguſtæ Vindelicorum reperta, cum Notis *Matthia Friderici Beckii* 1686. in oct.

Aug. Calmet, Diſſert. de funeribus Hebræorum: *Ante Eccli.*

Joan. Selden. de ſucceſſione in bona defuncti ſecundum Leges Hebræorum, Londini *in* 4. 1641.

Aug. Calmet, Diſſert. de reſurrectione mortuorum.

Menaſſe Ben-Iſrael de reſurrectione mortuorum, Amſtelod. 1630. *in* 12.

Jul. Bartolocci, de reſurrectione ſecundum Talmudiſtas *Bibl. Rab. tom.* 3. *pag.* 475.

Theodori Daſſovii, de mortuorum reſurrectione, ex mente veterum Hebræorum.

Vide etiam Diſſert. de oſſe, cui Rabbini nomen indunt, luz. *In Bibl. Rab. tom.* 1 *pag.* 80.

Et *Buxtorf.* Synag. Judaic. c. 35.

Melchior. Leidekro, de Rep. Hebræorum, l. 12. c. 11.

Joan. Bened. Carpzovii, *Nepotis*, de ſepultura Jacobi Patriarchæ, in parentis Diſſert. p. 1870.

Joan. Hieronymus Sopranis, digreſſio de ritibus Hebræorum in funere, & de publico eorum, privatoque luctu, quæ Davidi ipſius ſubjecta eſt, Lugd. 1643.

Menochius, l. 8. de Repub. Hebr. c. 5. & ſeq.

Godwin, in Moſe, & Aaron, l. 2. c. 5.

Octavii Ferrarii, Electa, l. 2. c. 20.

Joan. Jacobi Chifflettii, de linteis, & faſciis ſepulchralibus, Antoerp. 1624. in quarto.

Joan. Andr. Schmidt, de Tuba Salvatoris, Diſſer. Helmſtad. 1703.

Vide & *Steph. le Moine*, Varia Sacra, tom. 2 p. 516. & ſeq.

Et *Jo. Albert. Fabric.* Bibliographia antiquaria, c. 23.

Qui plura voluerint, conſulant Authores Judæos de iiſdem argumentis, a nobis jam deductis, vel aliis ad S. Scripturæ ſtudium accommodatis agentes, quorum Catalogum exhibent Bartolocci, & Imbonati in limine tomi quarti Bibliot. Rabb. pag. 21. &c.

Authores tam Catholicos, quam Proteſtantes habes apud *Fabian. Juſtiniani* Indicem univerſalem, Rom. *in* 8. 1614. & *Guillelmi Covvei* Elenchum Scriptorum in S. Scripturam; ſicut & apud *P. le Long*, in Continuatione Bibliothecæ Sacræ, adhuc ſub typis (*a*), ac *P. Joſephum Imbonati* in quinto tomo Biblioth. Rabbin.

[Iis, quos indicavimus, hoc argumentum peculiari Opere vexantibus, addi & cæteri poſſent, qui de funeribus & Sepulturis omnium æque gentium tractarunt; illos autem habes in promptu apud Fabricium ibidem cap. 23. pa. 655.

Henricus Spondanus adornavit Tractatum de ſacris Cœmeteriis, in quo & de ſepulturis Judæorum; Pariſiis an. 1638. *in* 4. Opus eſt autem probatiſſimum, in Libros diviſum quatuor. Natus eſt Calviniſta an. 1568. Mauleo in Bearnis, Juri Canonico & Civili ſtuduit, ejuravit hæreſim, contulit ſe Romam, & Epiſcopus Apamienſis renunciatus eſt an. 1626. obiitque Pariſiis an. 1643.

Joannes Nicolai peculiarem Tractatum Latinum ſcripſit de Sepulcris Hebræorum, excuſum Lugduni Batav. an. 1706. *in* 4. Ingenue fatendum Opus eſſe Authoris infinitæ lectionis, quod ſi exactiori methodo & Latinitati cultiori traderetur, pluris utique æſtimandum eſſet.


Martinus Gejerus dedit Latinum Tractatum inſcriptum: *De Luctu Hebræorum, ingentiumque ritibus*; Francoforti ad Mœnum an. 1683 *in* 12. tertia editio. Omnia ſua hauſit e Scripturis, e Maimonide, & iis, qui hoc argumentum vexarunt. Opus eſt continens 22. Capita, in quo de Funeribus & Sepulturis.

(*a*) Prodiit Pariſ. 2. Vol. in fol. 1723. totum Opus.

F I N I S.

DICTIO-

Digitized by Google



Digitized by Google

NAPOLI

TABULA PECULIARIS REGIONUM, QUAS IŨ PRÆDICARUNT.



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

DICTIONARIUM BIBLICUM, HISTORICUM, CRITICUM, CHRONOLOGICUM, GEOGRAPHICUM, ET LITERALE.

(A, a. Recurrit id quinquies in Sacra Scriptura, videlicet Jerem. 1.6. & 14.13. Ezech. 4. 14. & 20.46. Joel. 1. 15. In his omnibus textibus a, a, a, vox eſt exclamantis, perinde valens ac *heu*, *heu*, *heu*. In Jeremia 1.6. *Et dixi: A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum*, balbutientis infantis prima vocium tentamina videntur; ſed Hebræus legit tantùm *ahah* vel *heu* ſemel, quem ad modum & ſemel habet ad cap. 14. 13. nec niſi unica eſt etiam vox in textibus Ezechielis, & Joelis, ut vertendum tantùm fuiſſet *heu*.

A. In Evangelio Infantiæ Jeſu Chriſti in Apocryph. N. T. Fabric. legimus Ludimagiſtrum rogaſſe parentes Jeſu, ut ad ſe mitterent puerum literis elementaribus inſtruendum; tabellas omnes excurrit Jeſus, ne ſemel quidem doctus, quin & in explicandis Prophetis Præceptori ſuo magiſtrum ſe præbuit. Aliud ejuſdem Evangelii exemplar præfert, cùm à Ludimagiſtro indicaretur litera *a* vel *aleph*, tum litera *beth*, Jeſum viciſſim illum interrogaſſe, quid ſignificaret, id eſt myſterii quid ineſſet in litera *aleph*; minitantique ſe Magiſtro Jeſum repoſuiſſe exponendo cœleſti planè doctrina litteras omnes, earum poteſtatem, figuram, & ſignificationem; ex quo admiratum alterum, puerum remiſiſſe ad parentes.

A. Alpha & Omega; inter elementares Græcorum literas prior illa, iſta poſterior. In Apocalypſi 1. 8. & 21. 6. & 22. 13. docemur, Jeſum Chriſtum Alpham eſſe & Omega, principium & finem; qui ſcilicet rebus omnibus donat, ut ſint; cùm autem fuerint, ad illum viciſſim referuntur omnia.)

AARON, filius Amram, & Jocabed e Tribu Levi, Exod. 6. 20. natus anno Mundi 2430. (a) tribus annis fratre ſuo Moyſe natu grandior; Exod. 7. 7. quippe qui genitus fuerat anno ante Pharaonis edictum, quo ſibi naſcituros infantes in amnem demergere Hebræi jubebantur; Exod. 1. 22 Deo apparente Moyſi in rubo ardente, ipſique communicato conſilio Iſraelis per ipſum ab Ægyptiorum tyrannide liberandi; Moyſes oppoſita & facinoris magnitudine & naturali loquendi impedimento, ab hoc onere ſe excuſabat, Exod. 4. 10. 14. 15. Cui Deus Aaron fratrem ipſi Prophetam, & interpretem futurum, & Pharaoni pro ipſo loquuturum promiſit. Inter hæc Aaronem Dominus Divino impulſu excitavit, ut obviam iret Fratri ex Arabia, ſeu ex Madianitide in Ægyptum reduci. Aaroni igitur uſque ad montem ſanctum progreſſo obvius Moyſes, quæ a Domino audierat (b), narravit, Exod. 4. 27.; & ambo in Ægyptum rediere.

Congregatis ibi ſenioribus Hebræorum, ipſos à ſervitute exſolvendos nunciarunt. Statimque ſiſtentes ſe Pharaoni, Dominica juſſa illi expoſuere, & ſibi à Domino ſtatuta prodigia patrarunt, Exod. 4. 29. &c. & 5. 1. &c. At ille, cui jam *cor induratum erat*, à ſe dimiſit, juſſitque, Exod. 5. 6. 7. Miniſtros impoſterum Hebræis lateres excoquentibus paleas non ſuppeditare. Quo Hebræi veluti in deſperationem adacti, coram Moyſe, & Aarone conqueſti ſunt. Hos Dominus nutantes ut confirmaret, pollicitus eſt ſe reſiſtentes Ægyptios ſuperaturum, & Pharaonis duritiam tot, tantiſque plagis, prodigiiſque flexurum, ut Hebræos tandem dimittere cogeretur. De his agemus v. Moyſes.

Iter agentibus per deſertum Hebræis, Aaron, & ejus filii a Domino deſignantur, ut in Tabernaculo Sacerdotio in perpetuum fungantur Exod. 29. 9. *Vide & E*xod. 19. 22. 24. Primus poſt Moyſem in exercitu ſemper habitus eſt Aaron. Cum Amalecitæ Hebræos invaſerunt, Moyſes cum Aarone, & Hur montem quemdam aſcendit: dumque Joſue in ſubjectu campo pugnabat, ipſe manus ad cœlum tollebat in monte; cujus brachia, ne laſſarentur, Aaron & Hur ſuſtinebant. Exod. 17. 10.

Moyſes, cum aſcendiſſet montem, ut legem à Domino acciperet, poſt percuſſum cum Iſraele fœdus, Exod. 24. 1. Aaron pariter, ejuſque filii, & ſeptuaginta ſeniores Iſrael aſcenderunt, non tamen ad montis cacumen; locumque, in quo Dominus erat, impunè viderunt. Cum verò Moyſes quadraginta diebus in monte moraretur, populuſque diuturnam adeò Ducis abſentiam faſtidiret, tumultuosè Aaronem adeuntes (c): *Surge*, inquiunt Exod. 32. 1. *fac nobis deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de Terra Ægypti, ignoramus quid acciderit*. Qui fortaſſe populi commotione perterritus uxorum, natorumque inaures deferendas imperavit; allataſque in fornacem projecit, & ex iis liquatis vitulum aureum efformavit, ad normam bovis Apidis Numinis Ægyptiorum, quod etiam plerique Hebræorum in Ægypto adoraverant. Poſito ſuper baſim vitulo ſacrificia offerunt, ductiſque circum choreis clamant: *Iſti ſunt Dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de Terra Ægypti*.

Patrati autem criminis Moyſes a Domino certior factus Exod. 32. 7. è monte deſcendit, ab ipſo Deo ſcriptas Legis tabulas manibus deferens; cumque caſtris accederet, propiuſque ea, quæ fiebant, videret, tabulas telluri alliſas comminuit, prævaricationis populum, Aaronem inconſtantiæ redarguens. Qui pro viribus factum excuſans, ſceleriſque veniam à Domino petens, Sacerdotii dignitatem ſibi obtinuit conſervari. Sacerdotalibus verò ornamentis poſt Tabernaculi erectionem à Moyſe indutus eſt, ipſiuſque manibus ſacra unctione conſecratus Levit. 8. 1. &c. & ſeq. Moyſes igitur ipſum primò femoralium genere quodam lineo ſatis compacto induit, dein ſubucula ex ſubtiliori lino, ſimo tamen, ac duplici: ſubuculæ alteram hyacinthinam tunicam ſuperinduxit, in cujus extremitatibus fimbria erat, tintinnabulis aureis, maliſque punicis opere polymito contextis, in gyrum diſtincta, tintinnabulum malo punico alternatim conſequente.

(a) 1570. annos ante J. Chr. & ante Æram Vulgarem 1574. quatuor ſcilicet annos poſt verum Chriſti Nativitatis annum. Hæc notula hic ponitur, ne in ſequentibus repetatur.
(b) A M. 2513. antè Chr. 1487. ante Ær. 1491. (c) An. M. 2513. ante Chr. 1487. ante Ær. 1491.

Digitized by Google

Huic cingulum polymitum, in Scriptura *Ephod* dictum, ſuperimpoſuit phrygio opere elaboratum. Exod. 25. 7.

Hoc verò Ephod, duabus ſericis tæniis eximii operis conſtabat, quæ ab humeris deſcendentes ſupra pectus decuſſabantur, totumque corpus ambientes, tunicæ hyacinthinæ Summi Pontificis pro cingulo erant. Ubi autem tæniæ ſuprà pectus uniebantur, erat *Rationale*, ut vocat Scriptura, ſeu *Pectorale* ex panno quadrato decem digitorum latitudinis opere phrygio elaboratum. Huic affixi erant duodecim pretioſi lapides, quorum ſingulis nomen unius ex Iſraelis Tribubus inſculptum erat; & ſuper utrumque Pontificis humerum lapis erat, ſex Tribuum Iſraelis nomina inſculpta gerens. Exod. 28. 9.

Tiara Pontificis quoddam infulæ genus erat, ipſius fronti diademate quodam conſtrictum, cujus anterior pars ex aurea lamina conſtabat, his verbis inſcripta: *Sanctum Domino:* quæ ad occiput ſerica tænia in nodum conſtricta vinciebatur. Ad hæc ſupra pectus geſtabat Urim, & Thummim, quæ vel rationalis lapides erant, ſivè Hieroglyphicæ figuræ quædam, ſeù alius ornatus Rationali affixus, per quæ Dominus ſua conſilia Pontifici ſe indicaturum promiſit.

Aaron, illiuſque ſoror Maria, cum contra Moyſem obloquerentur (a) ob Sephoram Moyſis uxorem Chuſitidem, ſeù potiùs Madianitidem, è regione Chus, in Arabia Petrea ad Erythræum, Maria continuò lepra percutitur. Sororis animadverſione commotus Aaron, peccatum fatetur, ſibique, & ſorori veniam petit à Moyſe. Poſt aliquod tempus Core, Dathan, & Abiron contrà Moyſem, & Aaronem excitantur (b). Horum primus Sacerdotium non minùs ſibi ac Aaroni deberi volebat, cum ambo ad Tribum Levi pertinerent; Dathan verò, & Abiron, cum ex Tribu Ruben eſſent, cum Moyſe imperium commune poſſidere avebant. Tunc Domino contra ipſos irato, dehiſcens terra ipſos, fautoreſque deglutiit. Eodem tempore ignis è Tabernaculo egrediens ducentos quinquaginta Levitas, qui Core adhæſerant, & Domino incenſum offerre injuſſi præſumpſerant, conſumpſit. Moyſes ducenta quinquaginta perduellium thuribula congregari juſſit, eaque in laminas redacta Altari Holocauſtomatum in facti monumentum appendit.

Sequenti autem die populo contra Moyſem, & Aaronem obloquente, egreſſus è terra ignis caſtra depopulans, populi partem abſumpſit. Num. 10. 41. Tunc Aaron cum thuribulo adproperans medius inter mortuos vivoſque, incendium cohibuit. Aliud rurſus prodigium Deus oſtendit, quò illi Sacerdotium confirmaret. Acceptis etenim duodecim virgis à duodenis Principibus Tribuum, inſcriptoque unicuique unius ex Tribubus Iſrael nomine, ſumpta etiam Aaronis virga, cui illius nomen juſſit inſeribi, omnes in Fœderis Tabernaculo repoſuit. Num. 17. Sequenti verò die inventa eſt Aaronis virga, quæ amygdalina erat, flores, ac folia emiſiſſe, cæteris nihilò immutatis. Hæc virga repoſita eſt, ſivè intus, ſivè prope Arcam, ut prodigii memoria extaret. Exindè Aaron Sacerdotii munus quietus obivit.

Aaron uxorem duxerat Eliſabeth filiam Aminadab è Tribu Juda Exod. 6. 23. ex qua quatuor filios habuit: *Nadab*, *Abiu*, *Eleazar*, & *Ithamar*; quorum duo primi miſſo à Domino igne periere Levit. 10. 1. 2. quòd extraneo igni thus impoſitum Domino offerre præſumpſiſſent. Duo ſuperſtites Pontificum ſtirpem in Iſraele propagarunt. Cum autem Moyſes & Aaron juſſi rupem percutere in Cades Num. 20. 8. 9. verbis Domini minùs promptè obſequerentur, iratus Dominus, nunquàm promiſſionis Terram viſuros fore pronuntiavit: inde poſt aliquid temporis Aaronem juſſit montem Hor conſcendere, ad cujus radices Hebræi caſtrametabantur, ut ibi occumberet Num. 20. 25. 26. Cumque aſcendiſſet, Pontificalibus ornamentis ſe exuens, Eleazarum filium ſuum primogenitum, & ſucceſſorem induit; illoque induto appoſitus eſt ad patres ſuos, annos natus centum viginti tres, ſepultuſque a Moyſe, & filiis in montis ſpelunca, a populo triginta diebus defletus eſt. Id evenit anno M. 2552. ante J. Ch. 1448. ante ær. 1452.

Author Eccleſiaſtici 45. 7. hoc illum elogio proſequitur: *Dominus excelſum fecit Aaron fratrem Moyſis, & ſimilem ſibi de Tribu Levi: ſtatuit ei teſtamentum æternum, & dedit illi Sacerdotium gentis; & beatificavit illum in gloria; & circumcinxit eum zona gloriæ, & induit eum Stolam gloriæ, & coronavit eum in vaſis virtutis. Circumpedes, & femoralia, & humerale poſuit ei, & cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyros dare ſonitum in inceſſu ſuo, auditum facere ſonitum in templo, in memoriam filiis gentis ſuæ: Stolam Sanctam auro, & hyacintho, & purpura, opus textile, viri Sapientis, judicio, & veritate præditi, torto cocco opus Artificis, gemmis pretioſis figuratis in ligatura auri, & opere lapidarii ſculptis, in memoriam ſecundum numerum Tribuum Iſrael; corona aurea ſuper mitram ejus expreſſa ſigno ſanctitatis, & gloria honoris: opus virtutis, & deſideria oculorum ornata. Sic pulchra ante ipſum non fuerunt talia uſque ad originem. Non eſt indutus illa alienigena aliquis, ſed tantùm filii ipſius ſoli, & nepotes ejus per omne tempus. Sacrificia ipſius conſummata ſunt igne quotidie.*

Complevit Moyſes manus ejus, & unxit illum Oleo Sancto. Factum eſt illi in teſtamentum æternum, & ſemini ejus ſicut dies cœli, fungi Sacerdotio, & habere laudem, & glorificare populum ſuum, in nomine ejus. Ipſum elegit ab omni vivente, offerre Sacrificium Deo, incenſum, & bonum odorem, in memoriam placare pro populo ſuo. Et dedit illi in præceptis ſuis poteſtatem, in teſtamentis judiciorum, docere Jacob teſtimonia, & in Lege ſua lucem dare Iſrael. Quia contra illum ſteterunt alieni, & propter invidia circundederunt illum homines in deſerto, qui erant cum Dathan, & Abiron, & congregatio Core in iracundia. Vidit Dominus Deus, & non placuit illi, & conſumpti ſunt in impetu iracundiæ; fecit illis monſtra, & conſumpſit illos in flamma ignis: & addidit Aaron gloriam, & dedit illi hæreditatem, & primitias frugum terræ diviſit illi, panem ipſis in primis paravit in ſatietatem; nam & Sacrificia Domini edent, quæ dedit illi, & ſemini ejus. Cæterum in terra gentes non hæreditabit, & pars non eſt illi in gente: Dominus enim eſt pars ejus, & hæreditas.

Paulus in Epiſt ad Heb. cap. 5. & ſeq. Aaronis, & Chriſti, veteris, novæque Legis Sacerdotia comparat, novique ſuprà vetus præſtantiam oſtendit. Catalogum Pontificum Aaronis ſucceſſorum ſub verbo *Pontifex* dabimus, ubi etiam de privilegiis, de jure, deque ipſorum obligationibus agemus. Aaronis vita in Exodo, in Levitico, & in Numeris uſque ad caput 20. 24. legitur.

(Emortualem ejus viri diem, & jejunium ea de re indictum conſignant Hebræi ad primam diem quinti menſis, (*Ab* appellant); congruit autem fermè cum Julio anni à Paſchate ducti. Eorum imitatione factum eſt, ut Feſtum Viri Sanctiſſimi componeret Eccleſia Chriſtiana cum die prima Julii, habens firmiter perſuaſum, pœnitudine illum ſua expiaſſe tum crimen propoſiti in cultum aurei vituli, tum vitium illud minùs fidentis animi ad aquas Contradictionis. Cultum iſte recens utique invectus non eſt, cùm ejus deceſſum in monte Hor notent vetuſtiſſima Martyrologia S. Hieronymi nomen præferentia, Adonis pariter, Uſuardi, ac recentiora.

Hujus viri ſepulchrum hodie uſque homines latuit. Aſſerit Scriptura, diem clauſiſſe in *Moſera*; Deut. 10. 6. *Filii Iſrael moverunt caſtra ex Beroth filiorum Jacan in Moſera, ubi Aaron mortuus, & ſepultus eſt*. Num. verò 33. 38. Et Deut. 32. 50. defunctum perhibet in monte *Hor*; cujus diſcriminis id fuiſſe potuit in cauſa, quòd proximus eſſet fortè mons Hor

ad

(a) Num. 12. 1. & ſeq. circa A. M. 2514. ante Ch. 1486. ante Ær. 1490.
(b) Num. 16. circa an. M. 2515. ante Chr. 1485. ante Ær. 1489.

ad caſtra in Moſera, quæ tunc populus habebat, cùm accitus à Deo Aaron obiit in ſinu fratris ſui Moyſis, & Eleazari filii ſimul ac ſucceſſoris in ſacra Pontificis dignitate. Utroque curante ſepulturæ mandatus eſt in ſpelunca hujus montis, quem locum celatum voluerunt Iſraelitis, metu ne quid ſuperſtitioſi cultus in futurum irreperet in populum; vel fortè ne ſepulturæ ſanctitas ab Arabibus incolis deinceps violaretur.

Quicumque id ſtuduerunt, ut ſedula cura rimarentur in fabulis veſtigia ſimilitudinis cum Hiſtoria Sacra, plura noverunt affinia inter Mercurii fabellas & Aaronis hiſtoriam. Numen illud in Ægypto natum ferunt, teſte Clemente Alex. Strom. lib. 1. filium Nili, paſtorem, & paſtorum, ſicut & iter habentium, negotiatorumque Deum, Deorum pariter interpretem & ablegatum; virgam tenet prodigioſam, ornatamque complexu anguium; eximia quadam ſcientia eminere creditur, cum facultate futura pandendi, ac interpretandi omnia: Deus eſt viarum, ædium, latronum, e muſicis inſtrumentis ludentium; cui inventæ lyræ honor.

Aaron in Ægypto natus paſtoritiam, quæ & Patrum ſuorum profeſſio, exercuit; apud illum, unà cum Moyſe fratre ſuo, ſumma erat poteſtas in populo Iſraelitico, in gente ſcilicet per deſertum iter habente. Conſtitutus fuit à Deo, ut eſſet dux ſermonis, & Moyſis interpres, ablegatus à Deo ad Pharaonem, & Ægyptios Exod. 7. 1. 2. 2. Quid Mercurii caduceus anguiferus, niſi prodigioſa Aaronis virga, quæ coram Pharaone projecta induit ſerpentem? Sed caduceus ille, quo inſtrumento prodigia multa ſupra fidem, minor eſt utique, quam ut exhibeat gloriam virgæ Moſaicæ, ab eo Legiſlatore in manibus fratris commiſſæ (ibid. ver. 9. 10. *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, quæ verſa eſt in colubrum*;) numero, & pondere miraculorum in Ægypto atque in deſerto planè inſignis. Scientiæ & prophetiæ donum, quo auctus Mercurius, emblema ſunt earum largitionum, quas Deus contulit in Aaronem, & ab eo viciſſim derivatæ fuerunt in ſucceſſores Pontifices, quibus conceſſum privilegium ferendi Urim & Thummim, oraculum ſcilicet, ſemper Iſraelitarum commodis paratum. Lyra, tibia, muſica inſtrumenta, & ſacræ buccinæ ceſſerant apud Iſraelitas Sacerdotibus, & Levitis; illis enim unicè datum erat, ut in Templo cœtibuſque religioſis canerent inſtrumentis. Furti ſpecies illa, quam exhibuerunt Hebræi in ipſo itineris ſuſcipiendi articulo, furti, inquam, quo Ægyptiorum pretioſiſſima ſubſtulerunt, in eam facilè induxit perſuaſionem, ut Aaron ipſiſſimus crederetur Mercurius, Deus quà furtum, quà viarum. Defunctos ad Inferna deducit Mercurius, educitque ad nutum Deorum; Aaron & Moyſes per alveum Maris rubri duxerunt Hebræos, & veluti e tumulo, non ſine prodigio, reduxerunt tanquam ad vitam. Facilè etiam, quæ de Mercurio narrantur, repetenda ſunt è Core, Dathan, & Abiron, hiſcente terra, unà cum conſciis defectionis in Aaronem omnibus abſortis. Tandem Mercurius eloquentiæ Deus ipſiſſimus eſt Aaron, de quo Exod. 4. 14. 15. *Scio, quòd Aaron frater tuus eloquens ſit; ecce ipſe egreditur in occurſum tuum . . . . Loquere ad eum, & pone verba mea in ore ejus; & ego ero in ore tuo, & in ore illius. Ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum*, interpres ſcilicet.

AB Menſis undecimus anni Civilis Judæorum, quintus juxtà ordinem Eccleſiaſticum, ducto initio a Niſan. Menſis *Ab* Lunari revolutioni menſis Julii reſpondet, dies triginta continens. Prima hujus menſis die Judæi jejunant ob Aaronis mortem: nona ob combuſtum eo die à Chaldæis Salomonis Templum, reædificatumque poſt captivitatem, rurſus à Romanis exuſtum. Putant Judæi, hac eadem die nuntios, qui terram Chanaan exploraverant, ad caſtra regreſſos ſeditionem in populo excitaſſe. Alia ejuſdem jejunii cauſa eſt interdictum, quo Judæi ab Hadriano Imperatore nedum Judæam incolere, ſed vel Hieroſolymam eminus proſpicere, ut ipſius ruinas flerent, prohibebantur. Decima octava jejunium celebrant, quòd lampas ardens in Sanctuario tempore Achaz eadem nocte fuerit extincta.

ABAGARUS Edeſſæ Rex, moleſto, & inſanabili morbo laborans, ſcienſque *Jeſum* prodigioſè in Judæa ægrotos curare, nuntium illi cum hac epiſtola legavit: *Agbarus Princeps Edeſſa Jeſu ſervatori bono, qui in finibus Hieroſolymorum apparuit, ſalutem. Nuntiatum eſt mihi de te, & de curationibus, quas abſque herbis, & medicamentis operaris. Fama eſt enim cæcis viſum, claudis greſſum abs te reſtitui, leproſos mundari, Dæmonas, & immundos ſpiritus expelli, diuturnis morbis oppreſſos ſanari, mortuos denique ſuſcitari. Quæ cum omnia de te audirem, ſic in animum meum induxi, aut te verè Deum eſſe, qui è Cœlo delapſus hæc efficias, aut certe Dei Filium. Proinde ad te ſcripſi, orans, ut nos inviſere, morbumque noſtrum ſanare non graveris. Audio enim Judæos tibi obtrectare, & inſidias in caput tuum ſtruere. Eſt mihi Civitas, parva quidem illa, ſed ornata, quæ noſtrum utrique ſufficiat.*

Cui Jeſus hæc reſpondit: *Beatus es, Agbare, qui in me credideris, quem non vidiſti. De me enim ſcriptum eſt eos, qui viderint, non credituros in me, ut ii, qui non viderint, credentes vitam accipiant. Quod verò ad me ſcribis, ut ad te proficiſcar, hic neceſſe habeo omnia implere, propter quæ ſum miſſus, iiſque demum abſolutis, ad illum, qui me miſit, reverti. Cæterùm quum primum ad eum me recepero, ex Diſcipulis meis aliquem ad te mittam, qui & morbum tuum curet, & vitam tibi, tuiſque omnibus præſtet.* Haſce Epiſtolas ex Edeſſæ monumentis, & annalibus exſcripſiſſe profitetur Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 13. additque Sanctum Thomam poſt Reſurrectionem Thaddæum miſiſſe, ex ſeptuaginta Diſcipulis, (alium ab Apoſtolo S. Thaddæo) ut ibi Chriſtum annunciaret, regemque infirmitate liberaret. Thaddæus illuc profectus Regemque ſimul, & populum convertit, plurima inter ipſos prodigia patravit, & Regem ſanitati reſtituit. Sunt, qui cenſeant Chriſtum Dominum præter epiſtolam Abagaro ſui imaginem in ſudario impreſſam miſiſſe: plerique tamen Critici (a) univerſam hanc narrationem reprobant, duaſque epiſtolas ſuperius relatas, veluti nulla fultas authoritate rejiciunt. Vide Tillemontium in artic. S. Thomæ tom. 1. p. 400. &c. & notas 5. &c.

(ABGARUS vel *Abgar*. Nomen id obtinuit Rex ille Edeſſæ, quòd claudo eſſet pede, teſte Herbelot Bibl. Orient. Abgar. quare perperam denominaretur *Agbar*, ceu derivata voce ex Arabico *Akbar*, i. e. *magnus*. Urbs Edeſsa, Regis illius ſedes, vulgò appellatur *Orpha*: communi autem Orientalium omnium, quà Chriſtianorum, quà Turcarum traditione receptum eſt, virum illum Principem literas ad Jeſum Chriſtum dediſſe, à quo viciſſim alias recepit, unà cum ſudario, divini ejus vultus imagine picto. Hæc D. Herbelot in ſua Bibliotheca Orientali. Imbecilliora tamen hæc ſunt, quàm ut dicta à nobis de Abgaro convellant; minora, quàm ut ſufficiant ad aſtruendam veritatem Epiſtolæ vulgatæ Abgari ad Jeſum, & Jeſu viciſſim ad Abgarum. In rebus hiſtoricis minor eſt plerumque Orientalium fides; & receptæ apud illos traditiones nutant non ſemel. Edeſſa, quam aliqui ad Euphratem conſtituerunt, diſtabat re ipſa ab amne quantum diei iter. Imminebat tamen amni Scyrtus, cujus aquæ frequentiſſimè & non ſine pernicie exundant. Urbs illa eruptione aquarum dejecta ſub Juſtino, eodem curante reſtituta nomen Juſtinopolis obtinuit; poſt hæc Orpha appellata. Regibus parere cœpit ante Regnum Auguſti; quibus Principibus plerumque nomen Abgarus; ſeriem illorum Regnum jam inde à primo ſæculo Chriſtianam fidem conſtantiſſimè profitentium, exhibuit D. Vaillant.

(a) Vide Alexandrum, Dupin, & Tillemont.

Mirari ſubit, cur præclarum ſibi duxerint omnes, ut ſervarent nomen *Abgarus*, quod claudum ſignificat, juxta ac affirmat D. Herbelot. Multò faciliùs perſuaderemur adſcivisſe illos ſibi nomen *Agbar*, quod eſt Magnus; Principem verò illum, ad quem literas dedit Jeſus Chriſtus, de ridiculo appellatum *Abgar* pro *Agbar*, quo vitium ejus ſuggillaretur. Niſi fortè credamus Orientales traditionibus illis ſuis nobis impoſuisſe.

Quæ congeruntur argumenta (a) ad labefactandam hiſtoriæ Euſebii atque Epiſtolæ Jeſu ad Abgarum, ac viciſſim Abgari ad Jeſum, veritatem magni quidem eſse ponderis fatemur, ſed nunquid tam valida, ut cogant prorſus abjicere, quæ alias admiſimus? Nonne ſatis opportunè ſuſpicaremur, rei, ſicut & epiſtolarum veritatem, fabellarum admixtione quadam corruptam fuiſse? Reputari utique poſset, Edeſsæ quemdam Regem ab ipſis rei Chriſtianæ exordiis opera alicujus è 70. Diſcipulis, ad Chriſtiana ſacra unà cum Urbe tota tranſiiſse; hæc enim nonniſi probabiliſſimè crederentur. Cætera vero ultro damus adjici potuiſse ex traditione quadam malè aſserta gentis illius; ſicut & literas, quales habemus, apocryphas eſse, & ſine authoritate; nec tamen inde deduceretur vel ſinceras nunquam datas, vel omnia hæc prorſus ad fabellas amandanda.

Tradit Procopius de Bello Perſic. l. 2. c. 12. Abgarum quemdam Edeſsæ Regem, quòd prælio vincendo Craſso plurimùm contuliſset, coactum ſubmittere ſe Auguſto, à quo Regis titulo multatum Toparchæ, ſeu Principis ejus loci nomen obtinuiſse, deductumque Romam, ut certum de fide ſua daret argumentum. Moræ ampliſſimæ Urbis pertæſus Abgarus arte quadam excogitata impetrandam cenſuit ab Auguſto facultatem remeandi ad propria. Captis igitur venatione viventibus quibuſdam belluis, & è ſingularum caveis deſumptum terræ aliquid per Amphitheatrum aptis locis diſseminavit. Tum dimiſsæ belluæ actutum quælibet ad avitam terram ſe contulit. Quo conſilio id feciſset Abgarus intelligens Imperator, remiſit illum ad Regnum; abiturus facultatem precario obtinuit Circum fabricandi Edeſsæ. Nonnullis poſt reditum annis interiit, relicto filio dignitate tantùm, non moribus ſucceſsore; cùm enim malè rexiſſet ille ſubjectas ſibi gentes, metueretque ſibi, propterea à Romanis ad Perſarum partes tranſivit.

Hæc Procopius, autumans primum Abgarum ipſiſſimum eſſe, ad quem datæ à Jeſu Chriſto literæ; ſecundum vero ejus filium eandem cum patre Chriſtianam Religionem profeſſum, quod veritati repugnat. Exordium prædicationis Jeſu Chriſti componitur cum anno 14. Tiberii, 30. Æræ, ultra 80. annos poſt victum prælio Craſſum; Abgarus autem in Jeſum non prius credidiſſe potuit, quam poſt prædicationem, imo & poſt obitum Jeſu, qui necem ſubiit A. 17. Tiberii. Superſunt etiam nummi quidam Edeſſæ cuſi ſub Tiberio (b), in quibus Imperator Deus Eſseniorum elogio notatur, quod ſanè Chriſtianis moribus repugnat.

Admiſsa hac Procopii narratione reputandum fuiſſet, Principem illum, qui ſuis malè habitis, refugit ad Perſas, ipſiſſimum fuiſse, qui ſe ſubditaſque ſibi gentes ad fidem Jeſu Chriſti tranſtulit. Hunc virum ad fidem tranſiiſse refert Euſebius Valeſ. pag. 35. anno 340. qui congruit cum 29. Æræ, ducta ſupputatione juxta Æram Eſseniorum, eandem ac Seleucidarum, cujus eſt exordium ad obitum Alexandri Magni. Verum anno Jeſu C. 29. nihil utique noſſe de Chriſto potuit Abgarus, cum nonniſi vertente anno prædicationem ſuam idem Chriſtus inſtituerit. Legendum igitur præſtat cum Rufino ann. 343. qui ipſiſſimus eſt Jeſu Chriſti emortualis (c) juxta Æram vulgatam.)

ABANA fluvius Damaſci, de quo Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ hæc loquebatur; 4. *Reg.* 5. 12. *Numquid non meliores ſunt Abana, & Pharphar, fluvii Damaſci, omnibus aquis Iſrael?* Hunc fluvium eumdem arbitror, ac *Barrady*, ſeù *Chryſorroam*, qui ad radices, & ad orientem Libani labens, poſtquam circa, & intra Damaſcum fluxerit, in deſerto duodecim, vel quindecim milliaribus Damaſco ad meridiem diſtante diſperditur (d).

ABARIM Montes trans Jordanem, qui in Tribum Ruben, in Moabitarum regionem, ad utraſque partes Arnon protendebantur, & ex pluribus diverſorum nominum jugis conſtabant. Horum extenſio adamuſſim deſcribi non poteſt. Euſebius, & S. Hieronymus pluribus in locis de his loquuntur. Euſebius in Nabo ad ſextum lapidem ab Heſebon occidentem verſus, & ad ſeptimum à Liviade ad orientem collocat in voce Bethphogor. *Nebo*, *Phaſga*, & *Phogor* montes erant ex montibus Abarim. Super montes Nebo Moyſes obiit: Deut. 32. 49. & 34. 1. & in iiſdem montibus Hieremias Arcam fœderis abſcondit, cum Chaldæi Hieroſolymam cepiſſent 2. Macch. 2. 4. Abarim apud Hebræos, tranſeuntes ſignificat, ſivè tranſitum.

ABBA, apud Syros idem ſonat ac *Pater*. *Ab* apud Hæbræos idem importat. S. Paulus Rom. 8. 15. dicit nos *acceptſſe* a Deo *ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba*, ſivè *Pater mi*. Jeſus in ſua oratione in horto dixit Patri Marc. 14. 36: *Abba (Pater mi,) omnia tibi ſunt poſſibilia.*

ABARON cognomen Eleazari, quarti Judæ Machabæi fratris. Apud Hebræos ſonat idem ac ira, iratus, ſivè tranſiens. Joſephus hunc *Auran*, ſivè *Avran* appellat, primus verò Machabæorum liber cap. 6. 43. nomen illi *Filii Sauræ* imponit. Morte ſua celeberrimus factus eſt ab Elephante, quem gladio tranſfoderat, ſuper ipſum eadente oppreſsus. Vide *Eleazar*, & 1. Mach. 6 43. Joſephum Antiq. *l.* 12. *cap.* 14.

ABDEMELECH, Sedeciæ Regis eunuchus, vel ſervus, cum audiſset Hieremiam in carcerem luto plenum detrutum, juſsu Hieroſolymorum Procerum, Regem de ea re admonuit, addens id ab iis factum eſse, ut Propheta fame periret; fruges enim in urbe deeſſe cœperant. Cui Sedecias, aſſumptis triginta hominibus, Prophetam ab eo loco juſſit educi. Iſte ubſoletos pannos ad Hieremiam demiſit, quod ſubter brachia poneret, ne à funibus læderetur; ſicque ipſum è lacu eduxit. Jerem. 38. 6. &c. Perfectæ tamen libertati Propheta reſtitutus non fuit, cum in carceris veſtibulo fuerit detentus. Deus tamen illum charitatis actum indonatum non prætermiſit: cum enim Hieremias in carceris veſtibulo adhuc detineretur, accitum ad ſe Abdemelech ſic eſt alloquutus. Jerem. 39. 15. 16. *Hæc dicit Dominus. Ecce ego omnia exequar, quæ prædixi, ſuper civitatem iſtam in malum, & non in bonum ipſius; & tu teſtis illorum eris in die illa, & liberabo te in die illa, ait Dominus, & non traderis in manus virorum, quos tu formidas, quia in me habuiſti fiduciam.* Et revera capta à Nabuzardan Hieroſolyma, Abdemelech fuit liberatus An. M. 3416. ante Chr. 584. ante Ær. 588.

ABDENAGO, nomen Chaldæum, quod Miniſter Regis Babylonis Azariæ ſocio Danielis impoſuit. Dan. 1 7. Nomen iſtud ſignificat *ſervum Nago* ſeu *Nego*, hoc eſt Solis, ſivè Luciferi, ſic dicti ob ſplendorem. Abdenago, ob denegatam Nabuchodonoſor ſtatuæ adorationem, cum ſociis *Sidrach*, & *Miſach* in ſuccenſam fornacem Babylone projectus eſt. Dan. 3. Videtur tunc Daniel Babylone abfuiſse, cum non eadem, quæ ſocii, pertulerit. Suam Deus gloriam ex iſtorum damnatione derivavit, cum, miſſo inter ipſos Angelo, qui eos ex incendio liberaret, nullam ipſos ab igne læſionem contrahere paſsus ſit.

I. ABDIAS, Præfectus Domus Achab Regis Iſrael, tempore Heliæ Prophetæ. Depopulantibus Judæam, & Samariam ſiccitate, & fame, ab Eliſæo prænunciatis, Achab juſſit Abdiam agros, percurrere, ut inaquoſa loca perquireret, ex quibus aliquod ſubſidium per-

(a) Vide Baſnage Continuat. Hiſt. Joſephi; to. 1. lib. 1. c. 6. p. 158: (b) Baſnag loc. cit. pag. 163. (c) Baſnag. pag. 173. (d) Vide Itinerarium Maundrelli ab urbe *Alep.* Hieroſolymam.

pereuntibus fame, & ſiti hominibus, & beſtiis compararetur (a). Abdiæ juſſa obeunti Helias Propheta obvius fuit. Quo viſo, Abdias procidens in faciem ſuam, *Tu es*, inquit, *Dominus meus Helias?* Cui iſte, *Vade*, ait, *& dic Domino tuo: inventus eſt Helias*. Rurſus Abdias: Domine mi, quid peccavi, ut me ad Achab mittas, & occidar; Vivit Dominus Deus tuus: non eſt gens, aut regnum, quò non miſerit Achab te requirens, omnes verò te ibi non adeſſe reſponderunt. Et nunc tu dicis mihi: Vade, & dic Domino tuo: Adeſt Helias: cumque ego perrexero, Spiritus Dei te aliò aſportabit, quò ego ignoro; teque non reperto, Achab me interficiet. Certè ego ſervus tuus ab infantia Deum timeo. Numquid tibi Domino meo non eſt narratum, quid fecerim, cum Jezabel omnes Prophetas Domini interficeret, quod centenos in ſpeluncis abſconderim, eoſque ibi toto eo tempore paverim? Ne igitur me ad Achab mitte, ut tui ipſum adventus commoneam, tantoque vitæ periculo ne me objicias. Helias vero: vivit Dominus exercituum, dixit, cui ſervio: ego hodie ad Achab me ſiſtam. Abdias ergo abiit, & Heliæ adventum nunciavit.

Aliqui (b) crediderunt Abdiam iſtum eum eſſe, cujus ſcripta inter Prophetas minores habemus: cumque inter Diſcipulos Heliæ connumerari voluiſſet, Deum illi ſpiritum Prophetiæ indidiſſe. Addunt alii (c) ipſum fuiſſe virum mulieris illius Sunamitidis, apud quam Heliſæus Propheta morabatur; eumdemque fuiſſe tertium Centurionem ab Ochoſia miſſum, ut Heliam comprehenderet, cui cæli flammæ pepercerunt. Scriptura tamen nullum horum indicium præbet; neceſt, ex quo appareat, hunc fuiſſe Prophetam. Vide, quæ in ſeq. articulo dicemus. Sanctus Hieronymus Ep. 27. in Epitaphio S. Paulæ ait ſanctam illam fœminam Samaria relicta inviſiſſe montem, & ſpeluncas, in quibus Abdias centum Prophetas abdiderat, & inde Nazareth veniſſe. Hinc fortaſſe colligi poteſt montem hunc ad ſeptentrionem Samariæ fuiſse.

(ABDIAS de ſolvenda captivitate tulit oraculum, his in Vulgata verbis expreſsum ver. 20. *Tranſmigratio exercitus filiorum Iſrael, omnia loca Chananæorum uſque ad Sareptam; & tranſmigratio Jeruſalem, quæ in Boſphoro eſt, poſſidebit Civitates Auſtri*. Hebræus legit: *Captivitas hujus exercitus filiorum Iſrael* poſſidebit *Chananæos uſque Zarphat, & captivitas Jeruſalem, quæ eſt in Sapharad, poſſidebit Civitates Auſtri*. Hebræi quidam deſignatam credunt Germaniam ſub nomine *Chananæorum*, Galliam ſub *Zarphat*, & Hiſpanias ſub *Sapharad*. Judæo S. Hieronymi in lingua Sancta Præceptori *Sapharad* erat Boſphorus; jungebat autem hanc vocem præpoſitioni *Be*, quæ *intra* ſignificat, ut in unam vocem ambæ coaleſcerent. Sed præſtat Septuaginta fidem ſequi: Iſraelitæ è captivitate reducti *poſſidebunt terram Chananæorum* vel Phœnicum *uſque ad* Urbem *Sareptam*, proximam Tyro & Sidoni metropoli Phœnicum; & captivi Jeroſolymam regreſſi *poſſidebunt regionem* protenſam ab *Ephrata uſque verſus meridiem Terræ promiſſionis*.)

II. ABDIAS, quartus inter Prophetas minores, unicum ſcripſit capitulum contra Idumæos. Vidimus ab aliquibus hunc cum Præfecto Regis Achab confundi. Quod ſi verum eſset, primus omnium Prophetarum, quorum ſcripta ſuperſunt, haberi deberet. Jam oſtendimus in Præfatione ſuper Abdiam, ipſum tempore Babylonicæ captivitatis, & Hieremiæ vixiſse. Idumæos, ob crudelitatem in proprios fratres, funditus perituros minitatur. Ipſos redarguit, quod Judæ inimicis additi, dum ſuper Hieroſolymam ſortes mittebant, ad exitus viarum ſtarent, ut eos, qui fugiſsent, interficerent. Prædicit reædificandam Jeruſalem: domum Iſrael iis dominaturam, qui ipſi dominabantur; ipſam velut ignem, domum verò Eſau velut paleam futuras: apertiſſimè reditum Judæ à captivitate prænunciat. Hieremiæ ſtylum imitatur, ac penè verba tranſcribit. Arbitror minas ab Abdia contra Edom enunciatas, aliqua ex parte fuiſse à Nabuchodonoſor executioni mandatas, qui anno poſt Hieroſolymæ deſolationem quinto, arma in finitimas Judæis gentes tulit (d); reliquas vero minas tempore Machabæorum impletas. S. Hieronymus agit de ſepulchro Abdiæ, à Sancta Paula Samariæ viſo, Ep. 27. ſeù Epitaph. Paul.

III. ABDIAS, pater Jeſmajæ, temporibus David, 1. Paral. 27. 19.

IV. ABDIAS, Levita ex familia Merari, ſub Joſia Hieroſolymitani Templi reparationi deputatus. 2. Paral. 34. 12.

V. ABDIAS Babylonicus, impoſtor, qui vitam Apoſtolorum deſcripſit, Chriſtumque vidiſse, & ab Apoſtolis Babylonicus Epiſcopus ordinatus fuiſse videri voluit. Hæc ille de ſe ipſo in Præfatione. Inſuper ſe Hebraicè ſcripſiſse, ſuaque ſcripta ab Eutropio ſuo Diſcipulo in Græcum, demum ab Julio Africano in Latinum ſermonem verſa fuiſse imponere conatus eſt. Abdiam tamen iſtum Authorem eſse ſuppoſititium, ejuſque ſcripta nullam fidem mereri omnes fatentur (e).

ABDIEL ex Tribu Gad, caput familiæ ſuæ. 1. Par. 5. 14.

I. ABDON, filius Illel, ex Tribu Ephraim, decimus inter Iſraelis Judices (f), qui ſucceſſit Ahialon An. M. 2840. antè Ch. 1160. antè Ær. 1164. Judicavit Iſraelem octo annis, ac ſepultus eſt in Pharathon, terra Ephraim. Quadragenos reliquit filios, nepotes triginta, aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum, conſuetas tunc honeſtis hominibus deſerendis beſtias in Judæa. Obiit An. M. 2848. antè Chr. 1152. antè Ær. 1156.

II. ABDON, ex Tribu Beniamin, & filius Jehiel. 1. Par. 9. 36.

III. ABDON, filius Abigabaon, & Maacha. 1. Par. 8. 20.

IV. ABDON, filius Michæ, miſsus à Rege Joſia ad Prophetidem Holdam, ut ipſius ſententiam ſciret ſuper libro Legis invento in Templo. 2. Par. 34. 20.

ABDON, civitas Tribu Aſer, Joſue 21. 30. conceſſa Levitis ex familia Gerſon. 1. Par. 6. 74.

ABED filius Jonathan, ex familia Adan 1. Eſdr. 8. 6. rediit ex captivitate cum quinquagenis hominibus.

ABEL alter filius Adam, & Evæ natus An. M. 2. ante Chr. 3998. Aliqui Abel Caini gemellum putant (g). Alii Caino minorem cenſent, quippe qui natus ſit anno Mundi ſecundo. Sunt etiam, qui poſt quindecim ab ortu Caini annos editum arbitrantur; alii poſt triginta. Orientales tribuunt Abel gemellam Sororem nomine *Awinan*: alii nominant *Delboram*; alii (h) *Deelam*, vel *Edoclam*. Cain, & Abel ab Adam patre edocti ea, quæ Creatori debebantur, unuſquiſque laborum ſuorum primitias illi offerebant: Cain, ut colonus, fructuum primitias; Abel paſtor, gregum adipem, ſeù lac ovium. Dominus vero Abel gratiores ſibi, viliores Caini oblationes oſtendit. Quibus indiciis Deus Caino Abel prætulerit, an igne è Cælo miſſo (i), qui Abel oblata conſumeret, an alio ſigno, ignoratur. Hoc ſcimus, Cain, re animadverſa, in profundam deveniſse mæſtitiam Gen. 4. 5. 6. ex quo invidia commotum, Abel interficiendi conſilium cœpiſse.

Conſtat inter Expoſitores veram odii illius cauſam

(a) 3. Reg. 18. 3. &c. Anno M. 3096. ante Chr. 904. ante Ær. 908.
(b) Vide Hieron. in Abdiam. Ita Hebræi plerique. (c) Doroth. Pſeudo-Epiph. & alii.
(d) An. M. 3421. ante Chr. 579. ante Ær. 583. Joſeph. Antiq. lib. 10. c. 11.
(e) Vide Sixt. ſeù Bibl. Sacr. lib. 2. Claud. Eſpencæ. lib. 5. c. 5. de continentia, Bellarmin. lib. 2. de bonis operibus c. 14. Baron. ad an. 44. Melch. Can. Poſſevin. Natal. Alex. du Pin, & alios.
(f) Judic. 12. 13. 14. &c. (g) Ita Joſeph. Antiq. l. 1. c. 3. & Hebræi, & Calvin.
(h) Author Operis imperfecti in Matth. homil. 1.
(i) Theodotion. in Geneſ. Hieron. q. hebr. in Geneſ.

fuiſſe approbationem, quam Deus in Abel, non item Caini ſacrificiis oſtendebat. Incertum tamen eſt, quam cauſam Cain prætenderit ob fratrem occidendum: an ſcilicet fuerit fœmina quædam, quam Abel ducendam Adam imperaverat (a), an ipſi Abel calumniam impoſuerit, ante ipſum blaſphemans (b). De hoc videndi Interpretes. Dubitari non poteſt, Cainum advocatum in agrum Abel, ipſum occidiſſe Gen. 4. 8. 9. Sacræ Literæ nec modum, nec inſtrumentum occiſionis ſignificant; & de hoc diſſenſio eſt inter Interpretes. Alii aſini mandibula, alii falce (c), alii ſarculo (d), alii cultro, ſeù enſe (e), ſaxo, vel furca ipſum inſtruunt. Quicquid de hoc ſit, ſanguine innocentis hujus ad Cælum clamante, Dominus Cain rogavit, quid de Abel? Qui reſpondit: Numquid ego cuſtos ſum fratris mei? Qua pœna multatus fuerit Cain, alibi videbimus.

Putat Joſephus Antiq. l. 1. c. 3. Abel à Caino ſepultum, ne fratricidium cognoſceretur, & itinerantibus tumulus quidam ad decimumſextum à Damaſco lapidem monſtratur, longitudine centum ſexaginta palmorum, ſcilicet octoginta cubitorum, (f) qui dicitur Abel ſepulchrum. Teſtis eſt S. Hieronymus in Ezech. 27. certam eſſe apud Hebræos traditionem, Abel occiſum fuiſſe in agro Damaſci. At hoc nihil incertius. Aliqui PP. Abel perpetuò virginem manſiſſe aſſerunt (g). Chronicon Alexandrinum ſatis apertè innuit Abel ante conjugium obiiſſe. Alii verò (h) ipſum uxorem habuiſſe defendunt, licèt fortaſſe filios non genuerit, cum ipſius poſterorum mentio à Moyſe non fiat. S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 1. apertè ſtat pro ipſius conjugio, cum ipſius neceſſitatem in conjugem ducendæ ſororis excuſet. Qui vocem ſanguinis ad Deum clamantis de terra pro poſteritate Abel exponunt, utique in iſtorum ſententia ſunt.

Imperantibus Arcadio, & Honorio quoddam Hæreticorum genus exortum eſt, qui vocabantur *Abelitæ*, ſeù *Abelonites*, à nomine Abel. Hi nuptias damnabant, non quia malas, cum ipſi nuptias celebrarent: ſed uſum conjugii improbabant, permiſſoque cum uxoribus commercio abſtinebant, dicentes ſe nolle creaturas miſerrimas, culpaque originali infectas in lucem edere. Duorum ſexuum conjunctionem impiam ducebant; ne tamen ipſorum ſecta periret, vicinorum filios, filiaſque adoptabant, & bonorum hæredes inſtituebant, hac lege, ut qui ex iis filii naſcerentur, ipſorum filii haberi deberent. Hæc hæreſis, ſectatoribus facilè ad veritatem reductis, brevi interiit. Vide S. Auguſt hæreſ. 37.

(Præter eas Veterum traditiones nobis memoratas, aliæ pariter obtinent apud Muſulmanos, ſicut & Rabbinos, ac Chriſtianos Orientales (i), quas hic retuliſſe ſi non alia ratione, ideo certè juvat, ut de illorum hiſtoriis cognitione aliqua aſpergamur. Eva, ſi Muſulmanos audias, edidit gemellos binos, Cain, & Aclimam vel Aclimiam puellam; dein effudit Abelem cum gemella Lebuda. Duas haſce gemellas appellant Chriſtiani Orientales Azrun & Orain, nec niſi in nomine diſcrepant ea in re à Muſulmanis.

Cùm puberem ætatem attigiſſent gemini fratres, Caino, Adamo conciliante, in conjugem deſtinata gemella Abelis; ſicut Abeli, Caini. Iniquiùs eas nuptias excepit Cain, quòd ſoror ipſius Aclima venuſti oris aſpectu Lebudam vinceret; æquiſſimum autem dictitabat, ut quam habuiſſet in partu ſociam, eandem pariter haberet in thoro. Oppoſuit Adamus Dei mandatum, ita diſponens, quemadmodum ipſe tradiderat exequutioni. Tum Cain ideo elegantiorem fœminam donatam fratri conqueſtus eſt, quòd in amore patris eſſet & in deliciis; cui alter: Si de voluntate Dei certiores fieri poſtulatis, ſuum uterque offerat ſacrificium; cujus Deus probaverit victimam, is potiatur Aclima,

Dicta probavit Abel, ſtatuens apud ſe, ſiquidem Deus nullo certo voluntatis indicio ſacrificium ſuum probaret, Lebudam gemellam ſuam adſciſcere in thorum. Conſilium probare pariter ſimulavit Cain, perſuaſus alioqui, nequaquam ſe conceſſurum fratri ſororem, quamvis ceſſiſſet in Sacrificio.

Paſtoritiam agens Abel opimum maximè gregis ſui arietem victimam Deo ſtatuit in vertice montis. Cain, utpote agricola, manipulum ſelegit è meſſe, ſed tritico præ omnibus excuſſum, obtulitque in crepidine proximi montis. Paratis itaque in hunc modum utriuſque Fratris ſacrificiis, coruſcans quidam nulloque fumo obfuſcatus ignis è Cælo dilapſus Abelis ſacrificium abſumpſit, Caini reliquit intactum.

Altè ea re ſauciatus Cain, necem fratris ſui ſtatuit apud ſe, diriſque proſcindens verbis, necem illi minitatur. Objurganti repoſuit Abel: Ea tantùm ſacrificia probat Deus, quæ ſibi offeruntur à viris ſe metuentibus, puri & ſimplicis animi affectu; ſi manus in me injeceris violentas, nunquam committam, ut me defendens vitam tibi adimam; ſed Dominus creaturarum omnium, quem timeo pariter & colo, in ſe recipiet ultionem.

Cain nonniſi furorem ſuum auſcultans, initum de occidendo fratre conſilium urget; ſed incertus, qua ratione illud executioni mandaret, obvium habuit Dæmonem ſub aſpectu hominis manu tenentis avem, & cum aviculam illam ſuper petram conſtituiſſet, arrepto lapide caput ejus attrivit. Conſilium intelligens Cain, paria conſtituit in fratrem; quare tempus opperiens, quo Abel teneretur ſopore, grandem quemdam lapidem manu elatum excuſſit in caput fratris, eliſumque interemit. Statim ad hæc Deus data quadam è Cælo voce denunciavit futurum, ut reliquo vitæ tempore, non interrupto terrore corriperetur.

Sua fides actutum verbis, namque ſubitus terror virum inceſſit; metuebat enim, ne in criminis cognitionem veniret pater; incertuſque, quid de cadavere fratris ageret, obvolutum pelle ſecum perpetuò detulit ſpatio 40. dierum. Sed cùm putreſcentis cadaveris fœtorem nequaquam ferre valeret, ab incommodo onere identidem ſe relevare cogebatur, accitæque odore aves carnivoræ, & belluæ confluentes non antea recedebant, quam aliquid de cadavere tuliſſent.

Accidit, ut ſemel duos corvos in aere ſuſpenſos decertanteſque inter ſe ſpectans, unum ex illis interemptum in certamine corruiſſe notaret, cui victor alter emortualem foveam roſtro & ungulis excavavit. Tantundem fratri ſuo præſtandum ſibi ducens Cain, cadaver ſub terram defodit. Tum commiſſi criminis angor atque terror virum aggreſſi impulerunt, ut errabundus hac illac per orbem diſcurreret, metuens ne quis tandem paria in ſe committeret, quæ ipſe in fratrem; nec audens revelare ſe parentibus tanti perpetrati criminis reum. Ita tamen de crimine doluit, ut nihil de prava cordis diſpoſitione mutans, nihil minùs ſtuderet, quàm ut crimen expiaret coram Deo. Miſero interitu extinctus eſt ab uno è nepotibus ſuis, qui cùm oculorum vitio laboraret, belluam putavit, qui re ipſa fuerat homo. Vide infra V. *Cain*. Liber Hebraicus inſcriptus *Cozri* docet utroſque fratres jurgatos inter ſe, quòd Cain ſibi uni arrogare voluiſſet Palæſtinam, abſtento fratre.

Laudes Abelis proſecutus Apoſtolus, Hebr. 11. 4. docet fide oblatam ab ipſo hoſtiam, quæ Caini alteram excellentia ſuperaret; fide etiam præſtitum, ut juſtus palam demonſtraretur, illuſtri documento teſtante Deo accepiſſe ſe ejus dona; fide pariter ejus impetratum, ut fuſi ſanguinis voces poſt obitum audirentur. Idem etiam Apoſtolus, Hebr. 12. 24. comparat vocem cruoris

Abelici

(a) Eutych. Alexand. Annal. Arab. Lat. p. 16. (b) Targ. Hieroſol. in Geneſ. 4. 5.
(c) Irenæ. l. 5. c. 67. (d) Prudent. Hamartigen. (e) Chryſoſt. in Geneſ. hom. 19.
(f) Goujon. Iter Terræ Sanctæ. (g) Baſil. Ambroſ. & alii apud Cornel. à Lapide, Auth. de Mirabilib. Sac. Script. lib. 1. c. 3. (h) Vide Salian. Annal. t. 1.
(i) D'Herbelot. Bibl. Orient. Cabil.

Digitized by Google

Abelici voci ſanguinis J. C. Idemque Chriſtus in Evangelio Matth. 23. 25. Luc. 11. 51. & juſti elogio virum donat, & in capite omnium conſtituit, qui perſecutiones amore juſtitiæ tolerarunt. Eloquentiæ ſuæ nervos intendit omnes S. Ambroſius celebrandæ virtuti S. Abelis, geminis de eodem argumento ſcriptis Libris. Meritò equidem conſtitueretur in capite omnium Martyrum veritatis & juſtitiæ. Ejus Sacrificium memoratur in Canone Miſſæ, una cum Sacrificiis Abrahami, Melchiſedechi; ſicut & in precibus pro laborantibus in extremis ab Eccleſia conſtitutis, longa jam ætate obtinuit, ut S. Abel invocaretur. Verùm ejus cultus nonniſi recens invectus ideò creditur, quòd in nullis Latinis Martyrologiis ante ſæculum decimum adnotetur (a). In nonnullis Martyrologiis ejus feſtum conſignatur ad diem 25. Martii, quam eandem plures emortualem J.C. conſtituerunt; in aliis ad 2. Januarii; in aliis ad 30. Julii. Cultus Æthiopibus fertur die 28. Decembris.)

ABEL, *Abila*, *Hobal* vel *Hoba*, ſeù *Abelbeth-maaca*, ſivè *Abel-maim* Urbs ad ſiniſtram, hoc eſt ad ſeptemtrionem Damaſci poſita, inter Libanum, & Antilibanum. Eadem eſt, ac *Abyla Lyſania*, de qua S. Lucas 3. 1., quam Joab quondam obſedit in conjuratione Seba filii Bochri 2. Reg. 20. 14. 15. Euſebius in Locis hanc inter Peneadem, & Damaſcum collocat. Nil mirum eſt, unicam Urbem tot nominibus deſignari: plures aliæ in Operis hujus decurſu occurrent. Itinerarium Antonini inter Damaſcum & Hierapolim locat. Joſephus, & alii *Abellam in Libano* appellant.

ABELA, Urbs Pereæ, ſeù Bataneæ, aut regionis Baſan, trans Jordanem, in dimidia Tribu Manaſſe Judic 11. 33. ad duodecimum à Gadara lapidem Orientem verſùs. Euſebius, & S. Hieronymus tradunt ob eximia vina celebratam fuiſſe.

(ABELA, in quam Urbem copias ducens Joab arcta ſtrinxit obſidione. Hujus belli cauſas retulimus V. *Seba*. Quædam hic tantùm obſervanda in hanc obſidionem.

* Munitarum Urbium coronales aggreſſiones, & lineæ, quas vocant, circumvallationis adverſus externorum hoſtium conatus, ſicut & oppoſitum Urbi vallum adverſùs obſeſſorum hoſtium tentamina, vetuſtiſſima ſunt adeò, ut fruſtra earum originem ſcrutaremur in vetuſtiſſimis quibuſque ſacræ & prophanæ Antiquitatis Scriptoribus; quemadmodum & fruſtra etiam indagarentur alia plurima rei bellicæ, Græcis Romaniſque recentioribus etiam ac recentiſſimis tributa, quorum reipſa ætas æquè vetuſta ac valla, de quibus jam Herodotus in priori Operis ſui libro. Contendit, Harpagum copiarum Cyri Imperatorem, ea mortalium omnium primum duxiſſe, ut ſpem omnem obtinendi exteriùs auxilii præcideret obſeſſis; ſimulque retunderet eorum conatus, ſiquid tentaſſent in obſeſſores. Affirmat non obſcurè Phocæam apud Jones, omnium primam Urbem hoc artificio captam hoſtibus ceſſiſſe. Sed multum ille abeſt à veritate; obtinebant enim valla à pluribus antea ſæculis, quam de Perſis quidquam audiretur. Cùm Scriptura Urbium aggreſſiones memorat, nihil indicat, quo id factum primo indicet, vel obſidendi hanc rationem recens inventam fuiſſe, & parùm notam; nihil ergo in hanc rem certi, nihilque de rerum ejuſmodi origine habetur explorati.

Animadvertiſſe etiam juvat, occaſione hujus obſidionis, foveam in terra ductam fuiſſe juxta foveam Urbem cingentem, unde jaculatores in tuto ab inſultibus obſeſſorum poſiti infeſtabant illos impunè, prohibentes ne quis pareret ſuper mœnia, foſſoreſque defendentes. Ita coronalis aggreſſio obtinebat apud Hebræos diu antea quam Græci & Romani quidquam noſſent. Aggeres contra mœnia elevatos credit D. Calmet; aliud mihi perſuadet ardui illius operis & non ſanè temporarii molimen. Agger ille ipſiſſima erat fovea ducta, uti jam innui, proximè ad foſſæ munimen, aggeribus noſtratibus non abſimilis.)

ABEL VINEARUM ſita, juxtà Euſebium, ad ſextum à Philadelphia lapidem, aliter *Rabbath*, Ammonitarum Metropolis. Eadem fortaſſe eſt, ac *Abela*, inter Jabes, & Gadaram, apud Pellam. Euſebius cujuſdam *Arbelæ* Pellæ ſubjectæ meminit, quæ cum *Abela* confundenda videtur.

ABEL MAGNUS. Magnus lapis in agro Bethſamitarum, ſupra quem Arca fœderis à Philiſtæis remiſſa depoſita fuit (b). Hoc nomen habuit, quod *magnum luctum* ſignificat, ob multitudinem Bethſamitarum, qui tunc percuſſi fuerunt à Domino; tum Scriptura narret quinquaginta hominum millia, & ſeptuagenos obiiſſe.

ABEL-MEHULA, ſeù *Abel-mea*, Patria Heliſæi 3. Reg. 19. 6. ſorte non procul à Scythopoli 3. Reg. 4. 12. Ab Euſebio in Campo Magno ſexdecim milliaribus à Scythopoli ponitur meridiem verſùs. Non longè ab hoc loco Gedeon Madianitas domuit. Judic. 7. 23.

ABEL-MIZRAIM, ſeù *luctus Ægyptiorum*: alio nomine *Area Athad*. S. Hieronymus, & apud ipſum alii exiſtimant, ibi fuiſſe, ubi poſteà *Bethagla*, aliquantulùm diſtans à Jordane, & Hierico, ad Jordanis occidentem.

ABEL-SETHIM, ſita in planitie Moab, trans Jordanem, è regione Hiericho. Joſephus Antiq. l. 4. c. 7. & l. 5. c. 1. & de Bello l. 5. c. 3. ait Abel-ſethim, ſeù *Abelam*, ut ipſe nominat, ſexaginta ſtadiis, hoc eſt, ſeptem milliaribus, & paſſibus quingentis, à Jordane diſtare. Euſebius in *Sdaghin* illam in vicinia eſſe dicit Montis Phogor. Moyſes caſtrametatus eſt ad Abel-Sethim aliquo tempore, antequàm Iſraelis exercitus, duce Joſue, Jordanem tranſiret Num. 33. 49. & 25. 1. Joſue 2. 1. Hic Hebræos in Idololatriam Phegor delapſos, Deus, manu Levitarum, durè multavit Num. 25. 1. 2. &c. Hæc civitas ſæpè abſoluto nomine *Sethim* appellatur.

ABEN-BOHEN, hoc eſt, *lapis pollicis*. Tribus Juda, & Beniamin ad Orientem dividit in valle, quæ ad Urbem *Adommim* ducit, Joſue 18. 18. A' Bohen, filio, ſeù poſtero Ruben, nomen trahebat.

ABEN-EZER, lapis ſubſidii, in Tribu Dan, in agro Bethcar. Hic Hebræis à Philiſtinis fractis, Arca Domini in hoſtium poteſtatem incidit 1. Reg. 4. 5. 7. An. M. 2888. antè Ch. 1112. antè Ær. 1116.

ABES urbs Tribus Iſſachar. Joſue 19. 20.

ABESAN, ſeù *Ibſan*, è Tribu Juda, octavus Iſraelis Judex. Patriam habuit *Bethſan*, ſive Scythopolim, & Jephte ſucceſſit Ann. M. 2823. Mortuus in Bethleem, & ibi ſepultus poſt ſeptem adminiſtrationis annos Judic. 12. 10. Filios habuit triginta, filias totidem, ex variis uxoribus. Filios omnes, & filias conjugio copulavit, ſocer triginta nuruum, totidemque generorum factus. Succeſſorem habuit Ahialon, an. M. 2830. ante J.C. 1170. ante æram 1174.

I. ABESSALON, pater Maachæ, matris Abiæ, Regis Juda. 3. Reg. 15. 2.

II. ABESSALON, Legatus Judæ Machabæi ad Lyſiam Ducem exercitus Antiochi Eupatoris. 2. Mach. 11. 17.

ABGARUS. Vide *Abagarus*.

ABI filia Zachariæ, & mater Ezechiæ Regis Juda. 4. Reg. 18. 2.

I. ABIA, alter filius Samuelis, & frater Joel. Traditum duobus fratribus à Samuele patre juſtitiæ adminiſtrandæ munus, diviſumque cum ipſis populi regimen adeo perverſè exercuerunt, ut Regem petere à Samuele populum coegerint. 1. Reg. 8. An. M. 2809. antè Chr. 1191. antè Ær. 1195.

II. ABIA, filius Jeroboam primi Regis Iſrael. Cum periculoſo morbo correptus fuiſſet, ipſius mater, mutatis veſtibus Ahiam prophetam conſultura ſuper ipſius morbo profecta eſt. Cui Ahias, & moriturum filium reſpondit, ipſumque ſolum ex Jeroboami poſteris ſepulchri honore decorandum, & lachrymis Iſraelis deflendum 3. Reg. 14. 10. cæteros ob illius impietatem,

animum-

(a) Baillet Vit. SS. V. T. die 30. Julii Gallic. (*) *In obſidionem Abelæ animadverſiones*, 2. Reg. 20. 25.
(b) 1. Reg. 6. 18. 19. An. M. 2888. antè Ch. 1112 antè Ær. 1116.

Digitized by Google

animumque beneficiis ingratum, vel canibus, vel avibus devnrandos. Abia, matre redeunte, obiit ann. Mundi 3046. antè Chriſtum 954. antè Ær. vulg. 958.

III. ABIA, Rex Juda, Roboami ſucceſſor. Ipſius mater *Macha*, vel *Michaje* dicebatur filia Uriel, vel Abeſsalon. Confer. 2. Par. x. v. 20. & 2. Par. 1. 3. 2. Roboam decem & octo uxores habuit, concubinas ſexaginta. Macha omnium fuit cariſſima, cujus filium Abiam ſuprà ior fœminarum filios extulit. Abia patri ſucceſſit ann. M. 3046. antè Chr. 954. antè Ær. 958. Tribus annis regnavit, patris impietatem imitatus. Obiit ann. M. 3049. antè Chriſt. 951. antè Ær. 955.

Bellum fuit inter Abiam Regem Juda, & Jeroboam Iſraelis Regem. Abia collecto (x) quadringentorum hominum millium exercitu ex Juda & Beniamin, in monte Someron, ubi poſteà Samaria condita eſt, fixit tentoria. Jeroboam verò contra ipſum proceſſit, octingenta hominum millia ſecum ducens, in ſuis provinciis collectx. Dum Abia hoſtes alloquebatur, ut rursùs Davidis familiæ ſubjicerentur, verique Dei ad cultum redirent; Jeroboam exercitus partem poſt montem miſit, ut Abiam viribus inferiorem circumdaret. Abia, ejuſque exercitus, ſe perſpectà, ad Dominum clamarunt, ipſius auxilium imploraturi. Sacerdotibus tubas ſanctas inflantibus, Deus hoſtes perterruit; eoſque tanto impetu Abiæ exercitus invaſit, ut quingenta illorum millia ſolo proſtraverit. Abia victoriam ſequens, Jeroboamo plures abſtulit civitates, inter quas Bethel, Jeſana, & Ephron; tantaque fuit Iſraelis clades, ut nihil ultrà contrà Judam moliri auſus ſit. Rabbini Abiam incuſant, quòd prophanum Altare, à Jeroboamo in Bethel erectum, non deſtruxerit, impiumque aureorum vitulorum cultum non aboleverit. Quatuordecim uxores habebat, ex quibus duos, & viginti filios, filias ſexdecim. Succeſsorem habuit Aſam A. M. 3049. antè Chr. 951. antè Ær. 955.

IV. ABIA, uxor Achaz, & mater Ezechiæ Regis Juda. Creditur fuiſse filia Zachariæ illius, qui juſſu Joas inter Templum, & Altare occiſus fuit. 2. Par. 24. et.

V. ABIA, unus è Poſteris Eleazari filii Aaronis, qui in diſtributione Sacerdotum in viginti quatuor claſses à David facta, octavæ inter illos claſſis caput fuit 1. Par. 24. 10. Zacharias Joannis Baptiſtæ pater erat in claſse Abiæ. Luc. 1. 5.

VI. ABIA, Parthorum Rex, qui Izati Adiabenorum Regi bellum indixit, authoribus ipſis Proceribus Regni Izatis, contrà ipſum conjurantibus, eo quòd Judaicam Religionem ſuſceperit. Abia victus, & in arce quadam arctiſſima obſidione conſtrictus, deſperatione adactus ſibi ipſi mortem intulit, ne in manus inimicorum incideret (b).

ABI-ALBON ex Arbat, unus ex fortibus exercitus David. 2. Reg. 23. 31.

ABI-ASAPH, e Tribu Levi, filius Elcanæ, & pater Aſir. 1. Par. 6. 23.

ABIATHAR filius Achimelech, decimus Judæorum Pontifex. Aliquando Achimelech, vel Abimelech appellatur. 2. Reg. 8. 17. 1. Par. 18. 16. Cum Saul omnes Sacerdotes, qui erant in Nobe occidendos juſſiſset, Abiathar adhuc juvenis ab occiſione aufugit, & manſit cum David in Deſerto 1. Reg. 22. 21.; ubi Pontificis dignitatem habuit, dum interea Saul, odio Achimelech, à quo credebat ſe fuiſse proditum, Pontificis dignitatem ab Ithamar in Eleazari familix tranſtulit, Sadoc Pontificatu collato. 1. Par. 6. 53. Hinc duo eodem tempore Pontifices, Abiathar apud Davidem, Sadoc apud Saul; quod etiam poſt Achimelech, uſque ad Regnum Salomonis permanſit. Tunc vero favens Achimelech Adoniæ, à Salomone Pontificatu exutus eſt an. 2986., munus illud impoſterum exercentibus Sadoc nepotibus Salomone imperante, pulſa familia Ithamar, juxta ea, quæ Heli Pontifici fuerant pronunciata 1. Reg. 2. 30. 31. & ſeq. & 3. 11. 12. &c.

ABIATHAR, nomen Achimelech Abiathar patri aliquando tributum. Vide Marc. 2. 26.

ABIB, Nomen primi menſis anni ſancti. Exod. 13. 4. Progreſſu temporis Menſis iſte Niſan dictus eſt, menſi noſtro Martio correſpondens. *Abib* ſpicas virides ſignificat: S. Hieronymus novas fruges vertit: *Menſe novarum frugum*. Exod. 13. 4.

ABIDAN, cujuſdam Gedeonis filius ex Tribu Benjamin, caput ſuæ Tribus tempore exitus ab Ægypto, & erectionis Tabernaculi. Obtulit, ſicut & cæteri Principes Iſrael, Num. 7. 60. acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem centum ſeptuaginta ſiclos, vas aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo; bovem, arietem, agnumque anniculum in holocauſtum; duos boves, quinque arietes, capros quinque, quinque agnos anniculos, & hircum pro peccato.

ABIEL, ſeù *Jehiel*, pater Cis, & Ner, avus Saul Regis Judæorum Reg. 9. 1.

ABIEZER ex Tribu Benjamin, cui patria Anathot, unus è triginta fortibus exercitus David. 1. Par. 11. 28.

ABIGABAON, aliter *Ner*, pater Abdon, & Cis &c. unus ex proavis Saul, & ex proceribus Gabaon. 1. Par. 8. 29.

ABIGAIL, uxor Nabal Carmeli, & poſt hujus mortem, David conjux. Hoc ita accidit. Fugiens David perſequentem Saul, diù cum ſuis in montibus moratus eſt, ubi Nabal greges habebat, ad Palæſtinæ meridiem, Carmelum verſus, in Tribu Judæ, diverſum omnino ab alio Carmelo in Tribu Iſſachar, ſitu ad Mediterraneum. Davidis ſocii nedum nil gentibus, aut pecoribus Nabal nocuere; verùm tanto ipſis ſubſidio, præſidioque contra latrones fuere, ut toto eo tempore nullum ex pecoribus Nabal defuerit 1. Reg. 25. 15. Quadam die Nabal ob tondenda oves ad Carmelum veniente, David aliquos ex ſuis illi delegavit, qui aliquod ex tot bonis munus expoſcerent ob collata à ſe ſuiſque in ejus paſtores beneficia, eo præcipuè tondendarum ovium tempore, quod lætitiæ tempus erat, & gaudii.

Iratus Nabal vacuos milites remiſit, ipſum David ſervum, transfugam, Regique ſuo perduellem nominans. Quibus Davidi relatis, tanto furore exarſit, ut Nabal, totiuſque domus illius ſtragem juraverit. Abigail de viri inhumanitate monita, commiſsum crimen reparare feſtinavit, onuſtiſque penu aſinis, ipſa cum familiaribus aliquot Davidem adiit, munera obtulit, ſapientibuſque ſermonibus adeo Davidis animum devinxit, ut is illam pluris faciens, ipſiuſque donis acceptis, ad ſua loca receſserit. Nabal audito, quod vix evitaverat, periculo, in morbum incidens, poſt decem dies emoritur. Quo cognito, David Abigail in uxorem expoſcit. Illa honoris loco hoc habens, completis luctus ſui diebus Davidem adit, illumque ducit. Ex ea Cheleab, & Daniel nati (c). Hæc evenere anno ante mortem Samue-

(a) 3. Reg. 15. & 2. Par. 13. 1. &c. Plura ſunt Mſſ., pluraque impreſſa Biblia, quæ quadraginta hominum millia legant pro quadringentis millibus, & octoginta millia pro octingentis millibus. Heb. tamen, Septuaginta, Joſephus, & optima Biblia latina tam Mſſ. quàm impreſſa vulgatæ concordant.

(b) Joſeph. Antiq. 20. c. 2.

(c) 2. Reg. 3., & 1. Par. 3. 1. Idem fortaſſe ſunt *Cheleab*, & *Daniel*, nec duo, ſed unus; nam 2. Regum, ubi de *Cheleab* agitur, *Daniel* ſiletur; & 1. Par., ubi de *Daniele*, nihil de *Cheleab*.

Samuelis, M. 2947. ante Chr. 1053. ante Æt. 1057.

I. ABIHAIL, filius Huti, & pater Michel, Moſollam, & aliorum 1. Par. 5. 12. 14.

II. ABIHAIL, pater Turiel, è familia Merati, Num. 3. 35.

III. ABIHAIL, pater Eſther Reginæ, & Mardochæi frater. Eſth. 2. 15.

IV. ABIHAIL filia Eliab fratris David, uxor Roboam Regis Juda, mater Jehus, Somoriam, & Zoom 2. Par. 11. 18. 19.

ABILA, eadem ab *Abela*, Abylenæ Metropolis. Vide *Abela*.

ABILENE parva Regio in Cœleſyria, inter Libanum, & Antilibanum, quam Lyſias diù tenuit. Abela, ſeù Abila, Metropolis Abylenæ, ad Damaſci, & Paneadis Septemtrionem ſita erat, & ad Heliopolis meridiem. Vide ſuperiùs *Abel*.

ABIMAEL, filius Jectam, juxta aliquos in Arabia, juxta alios in Armenia, aut vicinia regionibus moratus, Vide commentat. in Geneſ. 10. 25.

I. ABIMELECH, Rex Geraræ, captus pulchritudine Saræ uxoris Abraham, illam rapuit ſibi retenturus; Deus tamen, ne illam tangeret, prohibuit. Apparens enim illi per noctem, mortem illi minitatus eſt, ni ſtatim viro ſuo Abrahamo illam redderet, qui factum ignorantia excuſans, utpote qui ſororem Abrahami, ut ipſe Abraham dixerat, non uxorem crederet; ſtatim ac dies illuxit illam Abrahamo reddidit, conqueſtus ſe ab illo deceptum. Abraham verò confeſſus illam ſibi eſſe uxorem, ſororem pariter eſſe dixit, cum uno ex patre ambo, matre verò diverſa nati forent. Abimelech magnis illum cumulavit muneribus, Saræ autem mille argenteos dedit, quibus velum ad faciem operiendam ſibi emeret; monuitque, ne ſimili aliàs periculo ſe exponeret. Abrahamum, ut in ſuis regionibus moraretur, invitavit, illum obteſtans, ut plagas ſibi ſuæque familiæ ob Saram illatas à Domino auferri precaretur. Quod cùm Abraham feciſſet, fæcunditatem Principis hujus uxoribus Dominus reddidit, ſeù concipiendi facultatem reſtituit. Videtur ex cap. 20. Geneſ. verſ. 17. Abimelech ipſe aliqua infirmitate fuiſſe percuſſus, qui ipſum reddiderit impotentem (a). Vide etiam verſ. 6 ejuſdem capitis: *Non dimiſi, ut tangeres eam*. De bonitate, ſeù malitia morali actionis hujus Abrahami, legendi ſunt Interpretes. Hæc omnia evenere an. M. 2107. ante Ch. 1893. ante æt. 1897.

II. ABIMELECH Rex Geraræ, & filius illius, de quo loquuti ſumus (b). Quadam die, cum vidiſſet Iſaac cum Rebecca ludentem, quam ſororem ſuam eſſe dixerat, ipſo ad ſe accito, ſic ait: Notum eſt, hanc tuam eſſe uxorem; cur ergo ſororem dixiſti? Timui, inquit Iſaac, ne propter illam occideret (c). Tunc Abimelech, ne quiſquam Saram tangeret, ſub mortis pœna interdixit. Diteſcente autem Iſaac, vireſque augente, ipſius proſperitati Palæſtini invidere: & ipſe Abimelech; Recede, inquit, a nobis, quoniam potentior nobis factus es. Receſſit ergo Iſaac primò in vallem Geraræ, deinde in Berſabee, ibique commorantem poſt aliquid temporis Abimelech cum Ochozat amico ſuo, & Phicol militum duce inviſit, ut cum ipſo fœdus iniret. Cui Iſaac, quid, ait, vobis exoſum hominem, & è veſtris regionibus expulſum inviſitis? Reſpondit Abimelech, ſe ideò veniſſe, ut cum illo, cui Deus faveret, fœdus percuteret. Igitur Iſaac illos convivio exceptos, poſtera die dimiſit, ipſique domos in pace rediere. Id evenit circa An. M. 2200. antè Ch. 1800. antè Ær. 1804.

III. ABIMELECH, filius Gedeonis, ex concubina, quam in Sichem habebat, Judæorum regimen poſt Patris obitum invaſit, Iſraeſis Rex (d), ſive Judea à Sichimitis primò, inter quos ipſius matris familia ſatis pollebat, tum à pleriſque Iſraelitarum ſalutatus Judic. 9. 22. Septuaginta ſiclis a Sichimitis dono acceptis, vagorum manum collegit, qui quaſi Principem ſequebantur. Gedeonis patris ſui domum in Ephra deveniens ſuper eundem lapidem ſeptuagenos ſuperſtites è patre filios interfecit, præter unum Joatham, cæteris juniorem, qui fuga elapſus illius ſe crudelitati ſubtraxit. Cum verò omnes Sichem, & Mello incolæ ad quercum Sichem conveniſſent, ut Abimelech Gedeonis filium Regem confirmarent, Joatham de hoc admonitus, montis Garizim excelſa conſcendit, & elata voce populo illic collecto hæc dixit: Congregatæ arbores, ut ſibi Regem ſtatuerent, dixerunt olivæ; ſuper nos imperium cape. At illa reſpondit: Numquid poſſum deſerere oleum meum, meamque pinguedinem, quibus Dii & homines utuntur, ut arboribus imperem?

Tunc illæ ficum allocutæ, veni, inquiunt, ſuper nos impera. Quæ reſpondit: An relinquere poteſto dulcedinem meam, fructuſque ſuaviſſimos, ut inter vos promovear? Vineam pariter interrogarunt: At illa, poſſumne, inquit, vinum meum, quod Deum, & homines lætificat, deſerere, ut arborum imperium aſſumam? Regnum denique Rhamno detulere, quæ dixit: ſi verè me in Regem vobis eligitis, ſub umbra mea requieſcite: ſi verò abnuitis, exeat ignis de rhamno, & devoret cedros Libani.

Nunc igitur, Joatham addidit, ſeriò perpendite, an jure Abimelech fratrum ſuorum minimum in Regem veſtrum elegeritis, & vobis à patre meo, qui vos Madianitarum jugo, etiam cum vitæ diſcrimine ſubtraxit, libertatique reſtituit, collata beneficia rependeritis, dum hominem ſeptuagenorum fratrum ſuorum interfectorem Regem ſtatuitis, nefarii fratricidii hac electione comprobatores facti, & complices. Abimelech filium ancillæ patris mei in Regem veſtrum elegiſtis. Si benè egiſtis, Abimelech vobis, vos Abimelech mutua felicitas eſtote: ſin verò contrà jus feciſtis, egrediatur ignis ex Abimelech, & devoret habitatores Sichem, & Mello, & mutuus ex Sichem & Mello ignis prodeat, & Abimelech abſumat. His dictis, effugit, & abiit in Bera, ubi ob metum fratris ſui Abimelech manſit.

Permittente autem Domino, ut inter Sichimitas diſſenſio oriretur, ſe injuria, ea, quæ fecerant, commiſiſſe ii cognovere, Abimelech crudelitatem deteſtati, qui ſeptuagenos Gedeonis patris ſui filios juſſit trucidari. In illum igitur abſentem conjurantes, inſidias in montibus poſuere, ut redeuntem interficerent. Tum quemdam, Gaal nomine, in ſui ſubſidium advocarunt, cum quo lauto quodam in convivio Abimelech mala imprecabantur. Abimelech inſidiarum à Zebul, ipſius miniſtro in Sichem relicto, commonitus gentes collegit, tota nocte contrà Sichem proficiſcens. Ut dies illuxit, populi è montibus deſcendentes viſi ſunt, ſtatimque cognitus eſt cum ſuis Abimelech. Gaal è Sichem cum ſuis militibus egreſſus cum Abimelech prælium iniit: at bello fractus, in Sichem redibat, & inde à Zebul expulſus, abire coactus eſt.

Poſtera verò die populus è Sichem contra Abimelech armatus prodiit; at ille, cui mens ipſorum nota erat, in tres turmas exercitum diviſit, illaſque varia per loca in inſidiis poſuit. Ut Sichimitæ apparuerunt, ipſe ex inſidiis egreſſus adeò ſtrenuè illos invaſit, ut continuò proſtratos in fugam redegerit. Tunc reliquæ exercitus Abimelech turmæ, inſidiis relictis, fugientes per campos perſecuti ſunt. Abimelech ad civitatem iter dixerit, totaque die obſeſſam cepit, illamque depopulatus adeò diruit, ut ſalem, ubi illa fuerat, diſperſerit. Qui è Sichem elabi potuere, ad turrim ſatis munitam confugere. Hos in turrim collectos Abimelech omnes occidere ſtatuit. Cum ſuis igitur militibus ad montem Selmon profectus, magnam lignorum copiam collegit, regreſſuſque turrim illam ſuccendit; omneſque, qui intùs erant, aut igne conſumpti, aut fumo ſuffocati periere.

Hinc

(a) Geneſ. 20. 17. *Orante autem Abraham ſanavit Deus Abimelech, & uxorem, ancillaſque ejus & pepererunt.*

(b) Sunt qui credant eumdem eſſe Abimelech, ac primum, quod certè fieri non poteſt; ſed probabilius eſt hunc eſſe illius filium. (c) Geneſ 26. 1. &c. Anno M. 2200. ante Ch. 1800. antè Ær. 1804.

(d) Judic. 9. 6. An. M. 2768. antè Ch. 1232. antè Ær. 1236.

Hinc Abimelech ad oppidum Thebes, novem circiter milliaribus à Sichem diſſitum Orientem verſus, quodque ab ipſo defecerat, profectus eſt. Oppidani omnes in turrim fortiſſimam in medio civitatis ſitam, confugerant, ibique ſe munierant. Abimelech ad turrim accedens, portam ſuccendere tentabat: cum mulier quædam jacto deſuper molæ fragmine, illi caput comminuit, cerebrumque diſperſit. Tum Abimelech accito ad ſe armigero: Evagina, inquit, gladium, & me interfice, ne à fœmina occiſus dicar. Armiger paruit, illumque confecit. Abimelech mortuo, qui eum ſecuti fuerant, in ſuas ſe domos recepere. Huic Thola ſucceſſit. Id contigit An. M. 2769. antè Ch. 1231. ante Ær. 1235.

(* Non eſt utique conjecturis locus, ut juſtam ſinceramque prælii hujus ideam concipiamus. Nihil deſiderandum Scriptura relinquit, in ordine, & diſpoſitione utriuſque exercitus; nihil luculentius magis, exactum nihil.

Certus factus Abimelech à Zebul, qui præfecturam gerebat in Sichem, veniſſe Urbem illam in poteſtatem Gaal, qui magno copiarum numero auctus in tantum valebat, ut extra Urbis munitiones in agrum deſcendens prælii tentare poſſet exitum; procedendum adverſus illum cenſuit obſcuræ noctis favore, petendumque hoſtem in aperto agro, cavens ſe à ſuſcipienda Urbis obſidione, ratuſque committendum, ut nihil illi daret ſpatii colligendi ſe, rebuſque ſuis providendi, quibus in re ſubita non ſatis conſuluiſſet. Si Authoris Verſio Gallica retineatur, quæ Zebul renuncianda cenſuit Abimelecho, in eam nos ducerent perſuaſionem, Abimelechum ipſum copiarum numero hoſtem ſuperaſſe. Probat id Textus: *Egrediente Gaal contra te cum populo ſuo, fac ei, quod poteris*; (Verſio: *Utere viribus tuis*). Hæc utique *Viribus tuis utere* ſatis indicant, penes Abimelechum robur fuiſſe exercitus: ſed quantum ſapio, contrarium planè inſinuare videtur Textus Latinus ferens, *Fac ei, quod poteris*; adverſus ſcilicet tantum hoſtem, ſi quid poteris, prævale. Ex quo in eam ſententiam propendeo, vel Abimelechi partes fuiſſe minores, vel utrinque æquas. Profectò ſi Abimelech valido inſtructus fuiſſet exercitu, ſive aliquid ipſe tentaſſet in Urbem, ſive Gaal ipſe continuiſſet ſe intrà; tunc autem ipſe retrò poſt montes juxta Sichem celavit ſeſe, ne ab incolis Urbis detegeretur; detectus enim metuebat, ne facta eruptione ſat commodi nacti fuiſſent, ut inſtructa acie opportuniſſimum captarent ad certamen locum.

Utitur autem hic Author *inſidiarum* nomine, cum tamen res aliò tetenderit, quam ad militares inſidias. Inſidiæ ſunt enim, cùm in loco aliquo occulto continent ſe milites, ut hoſti inopinato ſupervenientes medium excipiant. Conſilium autem Abimelechi illud erat, nimirum ut è loco illo movens agmen duceret in hoſtem, collatis ſignis in patenti agro extra Urbem decertaturus. Utcunque res habeat ſeſe, Abimelech poſt relectos quiete milites in loco ſtruendis inſidiis planè non apto, primo diluculo deſcendit è montibus, vel ſaltem ex edito detegendum ſeſe hoſtibus permiſit, quò ex Urbe eorum copias evocaret, prorueretque in illas, nullo dato ſe colligendi tempore ab inopino ex hoſtium aſpectu terrore. Porro certior factus videtur Gaal moviſſe in ſe hoſtes. E re autem ſua ducebat Abimelech, ſi Urbis munitiones hoſtes relinquerent; quare non immeritò ſuſpicaremur, Zebul, de cujus fide nihil ſiniſtri ſuſpicabatur, monuiſſe Gaal de hoſtium conatibus. Ejus generis proditiones ægrè deteguntur, ac proditorum ejuſmodi fides nunquam ſuſpecta eſt Duci minus cauto & experto. Indicavit Gaali Zebul proſpici hoſtes ſuper montes Urbi proximos; ægrè id ſibi perſuaderi alter ſignificavit; *umbras montium vides*, ait Zebul, *quaſi capita hominum, & hoc errore deciperis*. Fidem dictis ſuis aſſeruit Gaal detectis indicatiſque tandem hoſtibus; incertuſque quid caperet conſilii, Zebul veritus, ne imminens periculum ſaniora perſuaderet, quàm quæ ante adventum hoſtium ſtatuta fuerant, acri illo dicterio hominem extimulavit. *Ubi eſt nunc os tuum, quo loquebaris? Quis eſt Abimelech, ut ſerviamus ei? Nonne hic eſt populus, quem deſpiciebas? Egredere, & pugna contra eum.* Ambagibus ergo poſitis erupit ex Urbe, magno rerum Abimelechi compendio. In quatuor agmina diſtributum exercitum Abimelech ex Scriptura ipſa conſtat. Eandem inſtruendi exercitus rationem ſecutum Gaal credimus, quanquam inopinato eventu territæ copiæ non arduo molimine fuſæ ſunt.

* Fuderat Abimelech copias Gaal juxta Sichem; ſed ille viciſſim paria in hoſtem rependere conatus eſt; ex quo intelligimus ſive ambiguam Abimelecho partam victoriam, ſive fuſos, non deletos fuiſſe adverſarios; nec ſanè victoria in prælio commiſſo juxta Urbem hoſtes delet. Zebul utique monuiſſe Abimelechum de conſilio illo adverſarii cenſendus eſſet; eodemque pariter conſultore uſum deinceps credimus Gaal, quemadmodum & ante eam diem præſtitiſſe illum conſtat. Reputandum eſt, vocem *inſidiæ*, quam conſtanter hic retinet Scriptura, variè uſurpari; nihil eſt tamen, cur ambigamus, ſi paulo exactius Textus ſinguli expendantur, eandem illam vocem non niſi raro militares inſidias, vel ſtratagema quoddam aut aſtum belli ſignificare. Hæc non ſegniter animadvertenda; nec enim legimus unquam incidiſſe Sichimitas in inſidias ab Abimelecho poſitas; quamquam fortè ille retrò poſt colles Urbi imminentes aciem inſtruxerit, ex æquo decertaturus cum Gaal in agrum ex Urbe deſcendente: *Abimelech tulit exercitum ſuum, & diviſit in tres turmas, tendens inſidias in agris. Videnſque quod egrederetur populus de Civitate, ſurrexit, & irruit in eos.* Diviſit igitur Abimelech copias ſuas in tres turmas. Optarim ego diſcere à Doctis, an Latinum *turmæ* reſpondeat Hebræo. Porrò turmæ Latinis ſunt agmina; conſtat autem utrumque exercitum nonniſi è peditibus inſtructum. Scio equidem cohortem ſeu turmam non ſemper uſurpari pro agmine 500. vel 600. peditum; pro alia enim accipitur à Vegetio. Turmæ apud Aſiaticos ingens erant agmen ex 1000. interdum equitibus, totidemque explicantes in fronte, quot in profunditate, reddebant ſingulæ denos millenos equites, quod ex Polybio pluries & Xenophonte conſtant. Fieri igitur poterat, ut turmas appellarent Judæi ingens quoddam agmen vel equitum, vel peditum. Utcunque res habeat ſeſe, conſtat utique Abimelechum exercitum ſuum in tria agmina diſtinxiſſe, inſtruxiſſe pariter, tum in hoſtes duxiſſe non alio facilè ordine compoſitos. Regredior iterum ad *inſidias*, quæ vox negotium mihi faceſſit in Scriptura, ubi non ſemel recurrit; facilè autem ſuſpicor, uſurpatam vocem illam pariter pro deſignando exercitu ſe movente, ut procedat in hoſtem. Huic facile conjecturæ ſua adſtrueretur fides, ſi Hebraicæ linguæ ſcientiam callerem. Nihil hic ego de fuſo exercitu Gaal; remittendum enim cenſeo Lectorem ad Authoris Commentarium doctiſſimum utique, exquiſitaque eruditione ad miraculum refertiſſimum.

ABIMELECH Domini Sacerdos, qui fugientem Saulem Davidem gladio Goliath armavit. Exemplaria ſanè multa Latina legunt, *Abimelech* 1. Reg. 21. 1.; id pariter retinetur à Septuaginta; ſed Hebraica genuina lectio habet *Achimelech*. Vide infra *Achimelech*. In Evangelio Marc 2. 26. eſt *Abiathar*.)

I. ABINADAB, frater David, & Iſai filius 1. Par. 2. 13.

II. ABINADAB, filius Saul. Vide *Aminadab*.

III. ABINADAB, Levita è Cariat-jarim. Vide *Aminadab*.

ABINOA, ſeù *Abinoem*, pater Barac. Judic. 4. 6.

ABI-

* *Animadverſiones Interpretis in prælium ad Sichem inter Gaal & Abimelech.* Jud. 9. 30. &c.
* Notæ Interpretis in prælium Abimelech cum Sichimitis. *Jud. 9.*

ABIRAM, primogenitus Hiel de Bethel. Joſue diruta Hiericho, hæc maledicta pronunciavit (a): Maledictus vir, qui Hiericho reſtituet. Fundamenta jaciens primogenitum ſuum amittat, & noviſſimum filiorum, cum portas appendet. Ut prædixit, factum eſt. Hiel de Bethel poſt quingentos trigintaſeptem annos Hiericho reædificationem aſſumens, Abiram primogenito ſuo orbatus eſt, & Segub natorum noviſſimo, cum portas appendit (b).

ABIRON, unus è conjuratis cum Core, & Datam contra Moyſem, & Aaron in Deſerto Num. 16. Abiron filius erat Eliab, Phallu nepos, ex Tribu Ruben. Notiſſima eſt pœna, qua Deus in perduelles animadvertit, terram aperiens, ut eos vivos deglutiret.

ABISAG, Sunamitis juvencula, e Tribu Iſſachar. David ſeptuagenario, & ſenectute frigeſcenti, Medici juvenem virginem quæri juſſerunt, quæ illum foveret. Allata eſt Abiſag, filiarum Iſrael pulcherrima, quam David in uxorem duxit, nec tamen integro anno, quo apud ipſum morata eſt, illam cognovit. Poſt Davidis mortem, petita Abiſag ab Adonia in uxorem Salomon meritò putans ipſum Regnum affectare, ducta defuncti Regis uxore, Adoniam interfici juſſit an. M. 2991. ante Ch. 1009. ante Ær. 1013. Reg. 2. 17.

ABISAI, filius Zuri, & Serviæ Sororis David, unus è fortiſſimis ſui temporis, & inter primos in exercitu David. Abiſai vicit Jesbibenub gigantem è ſtirpe Rephaim cujus ferrum lanceæ libras octo, & uncias aliquot pendebat. Cum gigas iſte David occidere pararet, Abiſai illum prævenit, eoque interfecto Davidem defendit 2. Reg. 21. 16. Abiſai Saulis tentorium ingreſſus cum Davide, Saulem jugulare parabat; ſed David dormienti parcens, ipſius lanceam auferre contentus fuit, ut oſtenderet illius vitam à ſua voluntate dependiſſe 1. Reg. 26. 7. Cum David Abſalom fugiens Hieroſolyma digrederetur, Semei probra in illum jaciebat, quem propterea cum occidere voluiſſet Abiſai, David repreſſit, Deum hæc permittere dicens, ut ipſe confunderetur, ſeque Deum aliquando patientiam ſuam, humilitatemque reſpecturum confidere 2. Reg. 16. 9. Abiſai tertiam Davidici exercitus partem ducebat 2. Reg. 18. 2.; copiarum pariter imperium habuit, dum Joab ipſius frater cum Ammonitis præliatus eſt 2. Reg. 10. 10. Scriptura de ipſo ait 2. Reg. 23. 18. *levavit haſtam ſuam contra trecentos, quos interfecit:* qua verò occaſione, ignoratur. Tempus, genuſque mortis ipſius incerta.

ABISUE, filius Phinees, quartus Hæbreorum Pontifex 1. Par. 6. 50. Succeſſorem habuit Bocci. Quamdiu Pontificatum habuerit, aut quæ geſſerit, omnino obſcurum. Chronicon Alexandrinum Abiſue vixiſſe narrat Aod judicante Iſraelem. Ab Joſepho *Abiezer* appellatur Antiq. l. 5. c. ult.

ABITAL, ſexta Davidis uxor, Saphatiæ mater. 1. Par. 3. 3.

ABIU, Aaronis, & Eliſabeth filius, egreſſo à Domino igne conſumptus (c) cum fratre Nadab, eo quod incenſum alio igne, ac Altaris holocauſti, obtulerit Levit. 10. 2. Hoc accidit infrà octavam Conſecrationis Aaron, filiorumque, & Dedicationis Tabernaculi an. M. 2514. antè Ch. 1486. ante Ær. 1490. Nonnulli interpretes arbitrantur (d) Abiu, & Nadab vino deceptos ſacro igne thuribula implere oblitos fuiſſe. Huic conjecturæ cauſam dedit inhibitio ſtatim à Domino lata, ne Sacerdotes toto eo tempore, quo Templo inſerviebant, vinum biberent Levit. 10. 9. Expoſitores aliquot docent, duos fratres, adeò dure punitos, in lethale peccatum non incidiſſe (e); ſed Deum voluiſſe illis omnem in hac vita negligentiæ ſuæ pœnam infligere, ut in alia ſalutem æternam haberent, debitæque ſacris Myſteriis diligentiæ exemplum exhibuiſſe.

ABIUD, Zorobabel filius, è Chriſti proavis ſecundùm carnem. Vide Matth. 1. 13.

ABNER, filius Ner, Dux exercituum Saul, regnum Isboſeth Saulis filio conſervavit, ipſumque in Mahanaim trans Jordanem ſeptem annis defendit à David, tunc in Hebron in Tribu Juda imperante (f). Crebra inter Davidem, & Isboſeth prælia interceſſere, ex quibus David ſemper victor redibat 2. Reg. 3. 1. Quadam die cum Joab Dux exercituum David, & Abner ad piſcinam Gabaon cum exercitibus conveniſſet 2. Reg. 2.; Joab, & Abner certamen inter juniores milites utriuſque partis ineundum ſtatuerunt. Tunc duodeni ex Tribu Benjamin juvenes ex parte Isboſeth, totidemque ex parte David ſteterunt in acie; apprehenſoque unuſquiſque adverſarii ſui capite, mutuis vulneribus confoſſi ſimul omnes mortui ceciderunt. Quod duri ſatis certaminis origo fuit, fugato demum Abner ab exercitibus David.

In eodem prælio tres filii Sarviæ ad fuerunt, Joab, Abiſai, & Aſael: quorum poſtremus curſu citiſſimus, veluti montana capra, fugientem Abner pertinaciter perſequebatur. Abner conatus aliò ipſum avertere, ut vidit nihil ſe monitis proficere, averſa haſta Aſaelem confodit, atque confecit. Pergentibus verò Joab, & Abiſai perſequi uſque ad ſolis occaſum Abner, hic congregatis circà ſe ſuis, ad Joab verſus, dixit ceſſaret à ſanguine, & cæde; periculoſum quippe eſſe hoſtes in ultimam deſperationem adigere. Dicenti Joab acquievit, reductiſque copiis Abner fugientem dimiſit.

Non multò poſt, Abner ab Isboſeth reprehenſus, quod Concubina quadam Saulis abuſus fuiſset (g), vehementer iratus reſpondit, beneficia in illum ſua tanta fuiſse, ut propter uſurpatam fœminam argui non meruiſset. Sciret propterea, ſe exinde operam daturum, ut univerſum Iſraelis Regnum ad Davidem devolveretur. His auditis Isboſeth nihil repoſuit, eo quòd ipſum Abner timeret.

Abner igitur nuncios ad Davidem miſit, qui illi nomine ſuo renunciarent, optare ſe, ut inter amicos ipſius recenſeretur, totius Iſraelis imperium ad ipſum reducturus. David aſſentiens, unum hoc ſe flagitare reſpondit, uxorem ſcilicet ſuam Michol, à Saule Phaltiel datam, ad ſe reduci. Abner illa remiſſa, ſeniores Iſrael pro Davide alloquitur; ipſeque conciliatis Judæorum animis, ad Davidem in Hebron venit, omnia, quæ geſſerat, nunciaturus. Convivio, illecebriſque à Davide exceptus ſe redire velle ait, ut, quod pollicitus fuerat, omnem illi Iſraelem ſubiiceret. Vix eo ex Hebron egreſſo, venientibus Joab, & ſuis ex agro nunciatum eſt, Abner Davidem inviſiſſe, & cum eo amicitiam iniviſſe.

Continuò Joab Regem adiit, petiitque, cur Abner dimiſiſſet? an ignoraret Abner illo veniſſe, ut ipſum falleret, quæque ipſe pararet, ſpecularetur? Statimque egreſſus, inſcio Rege, Abner revocavit; quem, ut in Ebron rediit, Joab in medio portæ, veluti ad ſecretò colloquendum ſevocatum, enſe in inguine transfodit, ut Aſael fratris ſui mortem ulciſceretur. Abner morte audita David publicè doluit, ſtatutiſque Abner publicis exequiarum ſolemnibus, ipſe funeri adfuit, recitatis lugubri carmine ipſius laudibus; ſeque ad veſperum uſque nil guſtaturum juravit. Obiit An. M. 2956. ante Ch. 1044. antè Ær. 1048.

ABOBI, pater Ptolomæi, qui Simonem Machabæum ſocerum ſuum in arce Doch interfecit. Mach. 16. 11. 12. &c. An. M. 3869. ante Chr. 131. antè Ær. 135.

(ABOMINATIO. Ovium paſtores abominationi erant

(a) Joſue 6. 26 An.M.2553.ante Ch.1447. ante Ær. 1451. (b) 3.Reg.16.34.circa An.M.3090.an.Chr 910.ant.Ær.914.
(c) Aliqui putant ignem hunc ab Altari holocauſtorum prodiiſſe, alii verò ab Altari Thymiamatis. (d) Rabbini, Tyran.& Cajet.alii. (e) Toſtat & Cornel.à Lapide in Levit.10. (f) Ab An.M.2949. ad 2956.ante Ch.1044.ante Ær. 1048. (g) 2. Reg. 3. 7 8. &c. circa An. M. 2956. ante Ch. 1044. ante Ær. 1048.
(h) Vide Eutych. Alex. Arab. Lat. p. 304.

erant Ægyptiis. Procedendum erat Hebræis in deſertum, ut immolarent Domino abominationes Ægyptiorum Exod. 8. 26., i. e. animalia Ægyptiorum ſacra, boves, hircos, agnos, oves, è quibus oblata ſacrificia abominatione quadam deteſtabantur Ægyptii. Abominationis etiam nomine ſuggillat plerunque Scriptura Idololatriam & Idola, tum quòd ipſa per ſe Idola abominatio rectiſſimè cenſerentur; cùm etiam quòd Idololatrarum cæremoniæ nunquam à ſalaciſſimis & abominandis quibuſque diſſociarentur, Abominanda ſunt etiam Moyſi animalia.

ABOMINATIONEM DESOLATIONIS Danielis 9. 27. oraculo prædictam deſignare credunt Interpretum doctiſſimi Idolum Jovis Olympici, in Templo Jeroſolymitano ab Epiphane conſecratum 2. Mac. 6. 2. & 1. Mach. 6. 7. *Abominatio* pariter *deſolationis* Matth. 24. 25. ſpectata eſt Jeroſolymis, cùm in poſtrema Urbis obſidione per Titum Romanorum inſignia, imagines Deorum ac Imperatorum præferentia, poſt Urbem & Templum capta, in ipſo Templo defixa ſunt.)

ABRA, nomen eſt genericum, nobilis fœminæ pediſſequam ſignificans. Scriptura Abras vocat pediſſequas Rebeccæ. Gen. 24. 6., Filiæ Pharaonis Ægypti Regis Exod. 2. 5.; Reginæ Eſther, Eſth. 1. 9., & Judith, Judith 8. 32. *Abræ* propriè appellari dicuntur eæ, quæ capiti ornando, componendiſque capillis deſtinantur (a).

ABRAM, poſtea dictus *Abraham*, Tare filius, natus in Ur Civitate Chaldæorum, an. M. 2008. antè Chr. 1992. ante Ær. 1996 Primis vitæ ſuæ annis cum Patre moratus eſt, apud quem idola colebantur. Sunt qui credant (b) ipſum ab initio ſuperſtitioſos cultus frequentaſſe: ſucceſſu verò temporis à Deo illuſtratum illos abdicaſſe, & ob eam rem duram paſſum fuiſſe perſecutionem, conjectumque à Chaldæis in fornacem ardentem, ex qua divinitus fuerit liberatus (c). Vulgata 2. Eſdr. 9 7. expreſsè notat liberatum fuiſſe *ab igne Chaldæorum*, idemque paſſim docent Judæi. Hæc verò ſententia veroſimiliùs nata ex amphibologia nominis *Ur*, quod ſignificat & *ignem*, & Civitatem *Ur*, qua Deus Abrahamum in terram promiſſionis eduxit. Credibilius igitur eſt ipſum Patri idololatriæ vanitatem oſtendiſſe, cum ex Ur diſcedere ipſum coegit, ut ambo eo peterent, quò Deus ipſum Abrahamum evocaveſat. Principio ad urbem Charres, ſeù *Haran* in Meſopotamia venere, ubi Thare Abrahami pater obiit Gen. 11. 31. Hinc Abraham in Palæſtinam, tunc temporis à Chananæis occupatam, deſcendit, ibique Dominus omnem illam regionem Abrahamo poſſidendam, ipſumque benedictionibus cumulandum promiſit Gen. 22. 1. Nihil tamen interea Patriarcha obtinuit, ſemperque velut hoſpes vixit.

Poſt aliquantulum tempus ab ejus adventu fames valida Palæſtinam invaſit, qua Ægyptum petere coactus eſt, ut cibum ſibi compararet (d). Cum autem prævideret, Ægyptios pulchritudine uxoris ſuæ Saræ captos, forte illam rapturos, ipſumque interfecturos, ſi ipſius conjugem eſſe cognoſcerent, Saram precatus eſt, ut ipſius ſororem ſe appellaret. Ut in Ægyptum pervenit, ſtatim de Saræ pulchritudine Pharaoni renunciatum eſt, qui illam rapiens, uxorem ſibi conjungere decreverat. Percuſſus tamen à Deo grandibus plagis, viro ſuo reſtituit. Poſt famem Abraham ex Ægypto diſcedens rediit in Terram Chanaan, interque Bethel, & Hai fixit tentoria, ubi antea Altare Dominò erexerat Gen. 13. 1. Nec multò poſt à nepote ſuo Loth ſeparatus, quòd ob immenſos utriuſque greges ſimul cohabitare non poſſent, Loth Sodomam adeunte, Abraham in Vallem Mambre recepto apud Hebron. An. M. 2084. ante Chr. 1916. ante Ær. 1920.

Poſt non multos annos (e) expugnatis Regibus Sodomorum, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, & Segor, Codorlahomor Rex cum Sociis victor redibat. Hos Abraham perſequutus uſque Dan prope fontes Jordanis, bello fudit, receptaque præda, Loth nepotem ſuum cum reliquis captivis Sodomam reduxit. Redeunti Abrahamo, cum prope Salem, ſivè Hieruſalem pertranſiret, Melchiſedech urbis illius Rex Sacerdos Altiſſimi, obviam factus, precatus illi benedictiones, panem, & vinum ipſi & militibus Gen. 14. 1. ſeù potiùs Domino in gratiarum actione panis, & vini ſacrificium obtulit. Poſt hæc Dominus illi promiſſa rurſus confirmavit Gen. 15. 1., totiuſque Terræ Chanaan poſſeſſionem, plurimoſque, veluti ſtellas Cœli, poſteros repromiſit. Cum autem filios non haberet, nec ſe habiturum ſperaret, ob ſui ſenectutem, uxoriſque ſterilitatem, Sara conſulente, Agar ipſius ancillam in uxorem ducere ſtatuit, ut natis ex ea liberis, Dominus numeroſæ poſteritatis promiſſa exequeretur.

Duxit igitur Agar (f), quæ videns ſe concepiſſe, Saram dominam ſuam contempſit; ſed illa cum viro conqueſta, plenam in Agar poteſtatem obtinuit. Agar igitur à Sara duriè accepta aufugit. Fugienti verò Angelus Domini apparuit in Deſerto, ipſam ad dominam redire, illique ſubjici cohortatus. Agar regreſſa, non multo poſt Iſmaelem peperit, An. M. 2094. antè Chr. 1906. ant. Ær. 1910.

Tredecim poſt annis (g), Dominus pactom cum Abrahamo fœdus, promiſſaque renovavit. *Abrami* nomen, quod eſt *Pater excelſus*, tunc primo in *Abrahamum*, hoc eſt *Patrem magnæ multitudinis*, & *Saræ*, hoc eſt *Dominæ*, in *Sarai*, ſcilicet *Dominam meam* commutavit. Juſſit Abrahamum omneſque mares ex ipſo natos circumcidi, in pignus, & ſignum fœderis; oriturumque intra annum ex Sara ipſius uxore liberum apertè promiſit.

Paulo poſt completis Sodomorum, Gomorrhæ, vicinarumque Urbium criminibus, tres Angeli ad illas evertendas miſſi, ſtatim in Convallem Mambre, ubi Abraham fixerat tentoria, devenere Gen. 18. Quos ut vidit, Abraham continuo currens, ut apud ſe cœnarent, invitavit, lotiſque illorum pedibus, dapes coquere feſtinabat, quas unà cum panibus ſubcinericiis à Sara paratis menſæ appoſuit. Poſt cœnam introducto de Sara ab Angelis ſermone, ex illis unus promiſit Abrahamo, ſe infra annum regreſſurum ad ipſum, atque Saram matrem infantis onius futuram. Cum Sara poſt oſtium Tabernaculi audito eo ſermone riſiſſet; Quid, ait Angelus, Sara riſit? An quicquam Deo difficile eſt? infra annum redibo, & promiſſa complebuntur.

Parantes autem diſceſſum Sodomam versùs, Abraham honoris cauſa comitabatur. Inter eundum, præeuntibus duobus Angelis, Sodomæque appropinquantibus, tertius, qui cum Abrahamo erat, inquit: Clamor Sodomorum in dies augetur, ipſorumque crimina in immenſum crevere. Deſcendam igitur, & videbo, an verus ſit clamor, qui ad me elevatus eſt. Abraham urbis iſtius infortunium nepoti ſuo Loth metuens, dixit Domino; Numquid perdes juſtum cum impio? Si quinquaginta juſti in civitate iſta inveniantur, cum cæteris eos diſperdes, nec civitati parces ob quinquaginta juſtos? Parcam, inquit Dominus. Addidit Abraham: Quid ſi quadraginta quinque fuerint? Cui Dominus: Propter illos non delebo. Abrahamo juſtorum numerum uſque ad decem minuenti, promiſit Deus ob illos civitatem non perditurum. At unicus juſtus, ſcilicet Loth, Abrahæ nepos, in tota civitate reperiebatur Gen. 19.; quem etiam Deus à Sodomorum perditione liberavit, ut alibi dicemus.

Interea Sara concepit, juxta verbum Domini; & Abra-

(a) Vide Interpp. ad Joſ. 24. 1. & 2. Eſdr. 99. & Iſa. 43. 27. & Geneſ. 11. 31.
(b) Vide Hieronym. tradit. Hebr. in Geneſ.
(c) Geneſ. 12. 10. 11. & ſequ. An. M. 2084. antè Ch. 1916. antè Ær. 1920.
(d) An. M. 2092. antè Ch. 1908. antè Ær. 1912.
(e) Geneſ. 16. 1. An. M. 2093. antè Ch. 1907. antè Ær. 1911.
(f) Geneſ. 17. An. M. 2107. antè Ch. 1893. antè Ær. 1897.
(g) An. M. 2107. antè Ch. 1893. antè Ær. 1897.

Abraham relicta Convalle Mambre, ad meridiem progreſſus, manſit in Geraris Gen. 20., ubi regnabat Abimelech, de quo paulo ſuperiùs. Abraham metuens, ne rapta Sara ipſe occideretur, ſororem ſuam, ut in Ægypto fecerat, prædicavit. Statimque Abimelech illam adamans, in ſuam domum rapuit, ut in uxorem duceret. At à Deo per ſomnium commonitus illam Abrahami uxorem eſſe, viro ſuo magnis cum muneribus reddidit. Eodem anno (a), Sara Iſaac peperit, illumque Abraham, juxta Domini præceptum, circumcidit. Crevit infans, cumque ablactatus eſt, Abraham amicis convivium paravit. Videns autem Sara Iſaac quadam die cum Iſmaele ludentem, dixit Abrahamo, ut ancillam, & filium ejus ejiceret; non enim Iſmael cohæres futurus erat cum Iſaac. Repugnabat Abraham, cum verò à Deo certior factus eſt hanc eſſe ipſius voluntatem, expulit.

Circà eadem tempora Abimelech Rex Geraræ cum Phicol Duce exercituum ad Abraham venit; ut cum eo fœdus iniret. Gen. 21. 22. Cui Abraham ſeptem agnas dono dedit in monumentum, ut ſcilicet recordaretur, puteos, quos ſervi Abraham foderant, ad eumdem pertinere. Fœdere jurato, Abraham puteum illum appellavit *Beer-ſabe*, ſeù *Puteus juramenti*, ob juratum fœdus. Tum ibi conſito luco, erectoque Altari, aliquandiù commoratus eſt.

His tranſactis, Deus imperavit Abrahæ (b), ut Iſaac filium immolaret in monte, quem illi oſtendiſſet. Sumptis igitur Abraham Iſaac, & paucis familiaribus, ad montem *More*, ſeù Viſionis, iter direxit. Dum ibant, Iſaac Patrem rogavit, ubi eſſet victima holocauſti, cum ligna & ignis adeſſent? Cui Abraham, Deum proviſurum reſpondit. Ut ad montis conſpectum pervenere, Abraham, ſervis relictis, cum Iſaac montem aſcendit, alligatumque altari filium in ſacrificium immolare ſtricto gladio parabat; cum ſubitò Angelus de Cælo clamans, ne quid in Filium attentaret, imperavit; ſatis enim novi; ait, te Deum timere, ut enim illi pareres, filio tuo non peperciſti. Videns verò Abraham arietem inter vepres hærentem cornibus, pro filio immolavit; locumque nuncupavit: *Dominus videt*. An. M. 2133. Iſaac 25.

Anno poſt hæc duodecimo, An. M. 2145. antè Ch. 1855. ante Ær. 1859. Sara Abrahami uxor moritur in Hebron, alio nomine Arbee Gen. 23. Quo tempore Abraham fuiſſe in Berſabee videtur. Audita verò illius morte, ſtatim venit in Hebron, ut illam fleret, & funeris officium illi redderet. Stans igitur in porta Hebron coram civibus oravit, ut inter ipſos uxorem ſepelire concederent: cum enim extraneus eſſet, nec poſſeſſionem haberet, honeſte uxorem tumulare non poterat in ſepulchris abſque conſenſu poſſeſſorum. Unum igitur ex civibus Ephron oravit, ut agrum ſibi venderet, *Macphela* dictum, cum ſpelunca & ſepulchro. Quæ coram populo emit quadringentos ſiclos argenteos appendens, qui Gallicis libris ſexcentum octo, & quadraginta, ſolidis ſex, & octo denariis æquiparantur: ibique Saram ſepelivit, poſt expleta fletûs munera ex regionis conſuetudine.

Abraham, cum ſe ſeneſcere animadverteret, Iſaac uxorem quærere ſtatuit Gen. 24. Miſit igitur Procuratorem domus ſuæ Eliezer in Meſopotamiam, ut inde ex ſua gente fœminam Iſaac deſponſandam duceret. Eliezer ſapientiſſimè, quæ commiſſa illi fuerant, executus, Rebeccam adduxit Bathuelis filiam, Nachor, & Abrahæ neptem; quam Iſaac ducens, in Saræ matris ſuæ Tabernaculo locavit (c). Abraham, poſt Saræ obitum, Cethuram duxit, ex qua ſex filios ſuſcepit, Zamram, Jecſan, Madan, Madian, Jesboc, & Sue diverſorum populorum, in Arabia, & circa Palæſtinam degentium authores. Denique poſt centum ſeptuagintaquinque annorum vitam mortuus eſt (d) ſenectute oppreſſus, & cum Sara uxore ſua in agro, & ſpelunca Macphela, ab Ephron emptis ſepultus eſt.

Plures de Abrahamo fabulæ circumferuntur, innumeriſque fictionibus ipſius hiſtoria referta eſt. Damaſci imperaſſe (e), in Ægypto diù moratum (f), Ægyptioſque Aſtronomiam, & Arithmeticam docuiſſe (g). Linguæ denique Hebraicæ, ejuſque Literarum (h) ſeù Syriorum, Chaldæorumque characterum inventorem fuiſſe autumant (i). Plura ipſi ſcripta tribuuntur; inter quæ celeberrimus liber inſcriptus, *Jezira*, ſivè de creatione; qui in Talmud laudatur, & à celebrioribus Rabbinis magni habitus eſt. Qui vero mente præjudiciis libera illum ad examen revocarunt, nihili pendunt. Primis Chriſtianorum temporibus, Sethiani hæretici Abrahami Apocalypſim quamdam jactitarunt. (k) S. Athanaſius in Synopſi de Abrahami Aſſumptione loquitur. Origines hom 35. in Luc libri cujuſdam Apocryphi, Abrahamo tributi, meminit, in quo duo Angeli, alter juſtitiæ, iniquitatis alter, de Abrahami damnatione, aut ſalute altercantur. Judæi (l) matutinarum precum, & 89. Pſalmi *Miſericordias Domini in æternum cantabo*, ſicuti etiam Tractatus cujuſdam de Idololatria (m), aliorumque operum authorem illum faciunt. Magi, ſivè adoratores ignis, duorum principiorum Religionem profitentes, Zoroaſtrum, magnum ipſorum Prophetam, eumdem eſſe ac Abrahamum arbitrantur; à quo etiam conſcriptos dicunt libros ab ipſis appellatos Zend, Pazend, & Voſtha, in quibus eorum Religionis dogmata continentur (n). Sed de his ſuppoſititiis Operibus ſatis dictum eſt.

Virum non ſine ingenti laudum encomio noſcunt celebrantque Orientales omnes, quà Chriſtiani, quà Muſulmani, Indi quoque & Infideles. Hæc autem de illo Arabes (o), quorum eſt origo à Patriarchis deducta. Pater fuit Abraham Azar, & avus Thare; ita enim viri genealogiam digerunt Arabes. Statuendum itaque Thare Abrahami in Scriptura patrem alterum nomen, pro more apud Orientales non peregrino, ut ex Scriptura conſtat, alterum nomen obtinuiſſe Azar. Hanc utique Abrahami genealogiam, ſi noluiſſent Chronologi noſtrates, juxta ac obſervat D. Herbelot, nunquam coacti invexiſſent duplicem ejus viri tranſmigrationem, de qua nihil Scriptura, ut epocham diſceſſus ex Ur cum viri ætate componerent; nullo enim negotio rem expediſſent, duplicem admittentes Tharem, alterum ſcilicet cognomento Azar patrem Abrahami, alium verò ejuſdem Viri Avum, quod fidei S. Scripturæ non repugnat.

Ex Orientalium traditione ſeries hiſtorica geſtorum Abrahami commodè inſtitueretur. Specimen hoc damus (p). Nembrod filius Channan, venatoris elogio ſat notus, qui Regum primus poſt diluvium creditur, ſedem Imperii habebat Babylone, conditâ à ſe Urbe. Spectavit ille per quietem aſtrum ex orizonte ſurgens, cujus luna ſolem offuſcabat. Conſulti eâ de re Conjectores, futurum prænunciarunt, ut naſceretur Babylone infans, qui ſua tandem ætate in magnum Principem adoleſceret, ex quo ſanè, licet nondum in auras effuſo, ſiniſtra omnia timenda. Territus oraculo Nembrod divortium intimavit viros inter & fœminas, ſuper ſingulas decem Familias conſtitutis Inſpectoribus, ut mutuum inter utrumque ſexum aſpectum prohiberent. Azar filiæ Regis vir deceptis

(a) Geneſ. 21. An. M. 2108. ante Ch. 1892. ante Ær. 1896. (b) Geneſ. 22. An. M. 2133. ante Ch. 1867. ante Ær. 1871.
(c) An. M. 2148. ante Ch. 1852. ante Ær. 1856. (d) An. M. 2183. ante Ch. 1817. ante Ær. 1821.
(e) Nicol. Damaſc. apud Joſeph. l. 1. c. 7. Juſtin. l. 36.
(f) Artapan. & Eupolem. apud Euſeb. Præpar. l. 9. c. 17. 18. (g) Joſeph. Antiq. l. 1. c. 8. (h) Svidas in Abraham.
(i) Iſidor. Hiſpal. l. 1. c. 3. origin. (K) Epiph. hæreſ. 39. c. 5.
(l) Rab. Salomon. in Bava Bathra c. 1. (m) Vide Gemar. Codic. Thalmud. Aboda Zaral. cap. 1.
(o) Herbelot. Bibliot. Oriental., pag. 16. (o) Tarik Montekheb. D. Herbelot Bibl. Orient. p. 12.
(p) Idem p. 13. ex lib. *Maallem*.

cuſtodibus ad uxorem Adnam in ſilentio noctis acceſſit. Summò mane, qui momenta omnia obſervabant, Magi Regem convenientes, nuntiarunt, fœtum ea nocte jam conceptum; quod alter intelligens, obſervari juſſit ſedulo mulieres omnes prægnantes, natoſque ex illis pueros omnes interfici. Cùm tamen Adna nullum proderet concepti fœtus indicium, ſine cuſtodia relicta eſt; quare illa clam ſecedens in agrum opportunum nacta ſpecum, ibi puerum enixa eſt, occluſoque non ſegniter ſpecus ore, rediit ad virum nuncians edidiſse ſe quidem puerum, ſed ſtatim in auram effuſum, diem clauſiſse.

Ventitabat interim ſæpius Adna ad inviſendum filium lactandumque; ſed non ſine ſtupore, ſugentem extrema digitorum ſuorum nanciſcebatur, è quorum uno exprimebat lac, ex altero mel. Admirata mulier prodigium eſt, omnem alendi pueri ſolicitudinem poſuit, intelligens ſuſcepiſse in ſe Numen, pueri illius curam; quare per temporum intervalla tantùm remeabat ad locum. Nec diu fuit, quin ſentiret tantùm creviſse triduo puerum, quantum vix alii menſe; ita ut vix 15. lunis impletis quindennem juvenem ſtatura referret. Tunc mater virum monuit filium, quem obiiſse ſimularat, ſuperſtitem eſse adhuc, & Numinis providentia, nec ſine prodigio id uſque curatum.

Accurrit illico ad puerum Azar, coegitque matrem reducere in Urbem; ſtatuerat enim coram Nembrod ſiſtere, & inter Principes Aulæ collocare. Sub veſperam Adna è ſpecu per prata, ubi pecus omne domeſticorum animalium paſcebat, puerum deducebat.

Novum id ſpectaculum nihil tali aſſueto; interrogabatque de ſingulorum appellatione matrem; nec illa ſegniter nomina, dotes, & uſum omnium docuit. Pergens Abrahamus quæſivit, cujuſnam virtute factum eſſet, ut hæc omnia producerentur. Monuit Adna res mundi quaſcunque ſuum habere Creatorem & Dominum. Ecquis ergo, repoſuit alter, id effecit, ut eſſem in mundo? Ego, ait Adna. Tum puer: Quis eſt Dominus tuus? Illa ſtatim: Azar. Inſtans alter: Quis Dominus Azar? Nemrod repoſuit Mater. Ultra ſciſcitari volebat infans; ſed obſtitit mater, non enim ulteriùs quærendum monuit, ne quid fortè incurreret diſcriminis.

In Urbem perveniens deditam ſuperſtitionibus omnibus, & idololatriis nactus eſt; tum familiare antrum repetiit, totus occupatus ſtudio agnoſcendi Creatorem. Accidit, ut regrediens ſemel Babylonem micantes in Cælo ſtellas, & Veneris maximè, quam plures colebant, ſpectaret; reputavit ſecum, num illa Deus & Creator Mundi cenſenda eſſet. Sed poſt modicum, animadvertens aſtrum illud occubuiſse: Nequaquam, ait, univerſi Dominus ſydus iſtud reputandum eſt; neque enim credendum, ut mutationibus ſit obnoxius. Pleno orbe Lunam admiratus, num illi rerum omnium origo deberetur, venit in ſuſpicionem; ſed oriri ſimul & occidere intelligens, perinde ac de Venere, de illa pariter judicavit. Tandem ad Urbem propiùs factus occurrit multis exorientem Solem venerantibus. Subiit animum cogitatio, num eorum exemplum imitaretur; ſed cùm ad occidentem declinare intelligeret, nihil æquiùs de illo, ac de cæteris eſt arbitratus.

Stitit ſe Azar coram Nemrod in eminenti throno aſſidente, ambiente circùm coronà ex utriuſque ſexus mancipiis, elegantiſſima corporis habitudine eximiis. Ecquis eſſet vir interroganti Abrahamo? Nemrodum Regem repoſuit pater, quem gentes illæ omnes in Numen ſuum venerarentur. Falluntur hi quidem, ait puer; corporis enim præſtantia concedit iis, quibus circùm ambitur. Qua ſimul data occaſione diſſeruit Abraham de ſingularitate Numinis, quod deinde magnam viro creavit invidiam apud Aulicos, veritati ab illo annunciatæ acquieſcere recuſantes. Certior de his factus Nemrod projiciendum mandavit in ſuccenſam fornacem, unde ab igne intactus evaſit.

Sæva quadam graſſante lue, cùm inter egentes diſtribuiſſet quidquid annonæ haberet domi repoſitum, ablegatum miſit ad amicum ſuum in Ægypto quemdam, ut ſibi concederet triticum poſtulans. Quod cùm Amicus audiſſet, repoſuit ſe pariter metu ingruentis famis teneri; noſse pariter, ſuppetere annonæ plurimum Abrahamo pro neceſſitate Familiæ; poſtulare illum triticum non ſibi, ſed indigentibus; æquum proinde judicare, ut indigentiis ſuis conſulturus retineret frumentum

Inofficioſum amici reſponſum, quanquam blandia delinitum verbis, altè ſauciavit ablegatos Abrahami; & cum ex itinere reduces prope veniſsent ad ædes heri, metuentes, ne amaris ſarchaſmatis deriderentur ab incolis, quibus ſeſe offerrent vacui, unde etiam facilè temnendi Abraham daretur occaſio; ſtatuerunt invidiæ evitandæ gratia ſaccos opplere è minutiſſima quadam & albentiſſima arena, quam fortè nacti ſunt in itinere. Ad ædes igitur heri cùm veniſsent, honoratiſſimus inter illos, quæcunque accidiſsent, omnia expoſuit. Nihil emotus animo Abraham in privatum Sacellum ſe contulit, quò cum Deo tædium rei omne, ſi quod haberet, referaret.

Interim Sara ejus oxor omnium, quotquot acciderant, ignara, ſaccum ex illis accipiens, quem optima farina oppletum nacta eſt, panem ad uſum indigentium confecit. Abſoluta prece Abraham è Sacello egreſsus, recens excocti panis odorem cùm ſenſiſset, poſtulavit ab uxore, ecquid farinæ in eum uſum impendiſset? Reponenti mulieri; quam ex Ægypto ab Amico acceptam Cameli advexiſsent. Quin potiùs, ait Abraham, acceptam dicas hanc farinam ab Amico maximè omnium ſincero, Deo ſcilicet ſemper indigentibus occurrenti. Poſt hæc nomen viro manſit: *Amicus Dei*, quo & ab Iſaia 41. 8. Daniele 3. 35. donatur, & à Muſulmanis familiariter. Hinc etiam factum, ut Hebron ubi conditus Abraham, Urbs Amici Dei ab illis appelletur. Licèt vir tantus, multò tamen eorum opinione Mahometo concedit. Abraham, aiunt illis quidam, nonniſi unus eſt ex Præfectis copiarum ipſius, & Meſſias nonniſi in ejus aula Deſignator eſt.

Quot numero Angelos hoſpitio receperit Abraham, non ſat convenit inter illos. Tres maluit Demiathi, videlicet Gabrielem, Arraphelem, & Michaelem, quorum primo impoſitum Sodomæ exterminium; alteri, ut natale pueri Iſaac annunciaret patri; tertio, ut è ruina Sodomæ deduceret Loth. Sub tentorio exceptis appoſuit Abraham aſsatum vitulum, ait Mahometus in Alcorano; ſed à cibis abſtinere prorſus animadvertens exhorruit, ne fortè hoſtes excepiſset convivio metuens; pro more enim Orientalium injurioſiſſimum maxime eſt, ſi quis ad convivium invitatus cibum & panem recuſet. Confirmarunt animo deſpondentem Angeli, miſsos eſse ſe à Deo renunciantes ad populum Loth. Riſit præſens fortè Sara, ait Mahometus, qui genuinam Abrahami hiſtoriam ignorans, de ſuo fabellas ſupplevit. Riſus cauſam aſſignant ejus Interpretes, ſivè gaudium de relevato ex ingenti metu viro, ſive deſiderium videndi pœnam de Sodoma exigendam, ſive tandem admirationem ſpectandi ſub hominum exuviis Angelos.

Ridenti igitur mulieri gaudium cumularunt Angeli, lætum nuncium ferentes de partu Filii Iſaac, à quo ſuo tempore gignendus Jacob. Tum Sara: Quid mecum fieret, ait, ſi ætatis hujus mulier è viro adeò grandævo filium generarem? Nonne utique prodigio id deputaretur? Cui Angeli: Ut quid admiratione teneris de opere Dei? Larga ejus benedictio ſuper te, & ſuper Abrahamum, utpote ſelectos ampliſſimæ Familiæ parentes. Poſt hæc Angeli Sodomam verſus proceſserunt, & Abraham lunga conteſtatione Deum fatigavit, ut eum amoveret à conſilio deſtruendi populum Lot, Angelis demonſtrans inſtare illos in everſionem Urbium, quarum ſingulæ facilè ad centum fideles continerent. Ita legitur Hiſtoria illa in Alcorano.

Agar & Iſmaelis hiſtoriæ aliquid etiam habent alienum à veritate. In has preces verſus Abraham legitur: *Domine, ego conſtitui è meis infantibus unum in valle ſterili juxta ſacram Domum tuam.* Qua occaſio-

Digitized by Google

caſione referunt Interpretes, Saram non ferentem in Palæſtina Agar & Iſmaelem ejus filium, rogaſſe virum, ut amandarentur in deſertam arentemque regionem. Turbatus ea de re animo Abraham; ſed acquieſcendum illi uxoris voluntati, monenti Angelo Gabrieli illico paruit; aſſumptoſque filium cum matre tranſtulit in regionem Mechæ ſterilem tunc & aquarum defectu ſiccam. Sed Angelus actutum aperuit ſub pedibus Iſmaelis fontem, quem hodie appellant puteum Zemzem, apud Turcas celebratiſſimum, & in tota regione unicum. Simul Deus benedictionum ſuarum largitate adeo ſolum fœcundavit, ut fructus per quatuor anni tempora ferat uberrimos.

Nullum adhuc viſebatur Mechæ Templum; ſed tantùm ingens quoddam ſtabat ædificium nomine Sorah, opus, inquiunt illi, Patriarchæ Seth, fabricatum in formam Templi vivo adhuc Adamo. Vetuſtas cultum loco conciliabat, confluebantque eò è vicinis regionibus plures. Ibi tandem Abraham & Iſaac Templum diluvii injuriis everſum reſtituerunt. Appellant illud Muſulmani *Caboh*, vel domum quadratam; & vel ſemel dum vivunt religionis cauſa eò veniunt; vultum habent ad illam obverſum, cùm adorant, quacunque tandem Orbis in regione verſentur.

A vero utique non abludit, veteres Arabes, & Iſmaelitas cultum in eo Templo impendiſſe ſuperſtitioſum Baccho, & *Urania*, ſeù *Veneri Cœleſti*. Hæc duo tantùm Numina ab illis culta affirmat Herodotus l. 3. c. 8. appellatumque dicit Bacchum *Urotalt*, & Uraniam *Alilat*. Omnibus carere Numinibus ait Strabo l. 16. excepto Jove & Baccho; Cælum & Bacchum in Numina illis aſſignat Ammianus. Soli, Lunæ & Dæmonibus ſacrificare, ait Philoſtorgius apud Photium. Litatum Sacrificiis Sole & Stellæ matutinæ affirmat Nilus in hiſtoria cædis Monachorum Sinaitarum. Apud Maximum Tyrium ingenti quadratoque lapidi divinos honores impendunt; & cùm Saraceni ad Chriſtiana ſacra tranſeunt, ejurare coguntur hunc lapidem, cultus antea ſui argumentum.

Tradit Herbelot Bibl. orient. p. 219. Cabah, Tribum quandam Arabum, Goiram appellatam, coactam cedere Iſmaelitis, quorum erant potiores in regione partes, Mecham & Templum injeciſſe primùm manu Ducis ſui nigrum lapidem, & duas aureas glebas in puteum illum Zemzem, & ſedulo orificium ejus occluſiſſe, adeo ut diu latuerint.

Abdalmotheb avus Mahomethi lapidem hunc nigrum extraxit è puteo, conſtituitque in eum Templi locum, unde fuerat avulſus (a). Pendet hodieque ab una ex columnis in porticu Templi Mechæ, & confluentes eò Turcæ religioſam illam peregrinationem tum primùm exſolviſſe ſe credunt, ſi pia oſcula plura lapidi impreſſerint, de quo mira prædicant. Nec lapidi nigro tantùm Arabes ſuperſtitioſum cultum exhibuerunt. Veteres Iſmaelitæ (b) frequentantes Templum Mechæ, Abrahami opera conſtructum, avulſos inde lapides ſecumque delatos ſub tentorio conſtituebant, obverſoque ad illos ore exſolvebant preces. Cùm impenſus in Templo Mechæ cultus circa locum ſanctum gyrando expleretur, ideo lapides illos appellabant Daſuar, quod idem ſonat, iiſdem enim circum illos ritibus ac circa Templum ſeſe exercebant. Eò cæcos homines deduxit obſequium erga Abrahami memoriam plùs nimiò majus. Nonniſi maxima veri ſpecie reputaremus, quæcunque de Templo Mechæ Abrahami opera condito, per vulgus ſparſa feruntur, fabellas eſſe meras putaſque additas relationi Moſaicæ de Altari ab Abrahamo erecto in Berſabee, implantatoque circùm luco Gen. 21. 33.

Referunt pariter in hæc verba Abrahamum ſemel rogaſſe Deum (c): *Domine, oſtendas, quæſo, mihi, quomodo mortuos ad vitam revoces.* Cui Dominus: *Nunquid non fide inſtrueris? Utique Domine; ſed hæc rogo, ut mei cordis vota expleas.* Simul hæc illo loquente, Dæmon (d), hominis cadaver in maris littus projectum obſervans, inſpicienſque ferarum, avium & piſcium injuria fere dimidio voratum, hanc nactus eſt occaſionem, ut fidem hominis de reſurrectione labefactaret. Tunc Abraham juſſu Dei contulit ſe ad littus, & Dæmon ſub aſpectu hominis ad rem aliquam novam obſtupeſcentis, qui fieri potuiſſet, interrogavit, ut cadaver illud in ventrem tot variorum animalium diſperſum, ſua omnia in reſurrectione generali repeteret? Cui Abraham: Qui partes illas corporis è nihilo velut è ventre abyſſi extraxit, faciliori ſanè opera è variis animalium alvis, in quibus reconduntur, revocabit. Nonne figulus plaſma ſuum deſtruit, reficitque ad arbitrium?

Tum Deus ad Abrahamum (e): Accipies quatuor aves, concidaſque in fruſta, diviſaſque partes conſtituas in quatuor diſtinctos montes; poſthæc ſingulas appelles, ſpectabiſque aves illas quatuor, vocibus tuis invitatas, accurrere ſtatim. Expreſſum id credimus ex Geneſi 15. 9. 10. 11. ubi de ſacrificio vaccæ, capræ & arietis trimulorum, turturis item & columbæ, quas victimas Abraham in duas partes diſciſſas totidem in Altaribus diſpoſuit; hanc veritatem variis fabellis infeſerunt Turcæ. Quatuor illas aves, de quibus Mahometus, gallum dicunt, columbam, corvum & pavonem; poſt conciſas illas Abraham ſingulas anatomicè inſpexit, miſcuitque ſimul varias variorum partes. Addunt nonnulli contudiſſe in mortario, ac redegiſſe in maſſam, quà in portiones quatuor diviſa, conſtituiſſe ſingulas in vertice totidem montium. Poſt hæc roſtra ſingularum de induſtria reſervata tenens, nomine quælibet ſuo appellavit, ſtatimque ſuo ſingula capiti conjuncta, & refectæ aves evolabant. Hoc argumento Deus in fide reſurrectionis virum confirmavit.

Inter potiſſimas Abrahami prærogativas maximam hanc agnoſcunt Muſulmani (f), ex eo nimirum trunco pullulaſſe Virginem Mariam, ejuſque Filium, cujus & conceptum fœtum & partum è virgine matre, originali omni corruptione purum, prodigio omnia deputant.

Quà tenentur Abrahami veneratione Muſulmani, eadem pariter virum obſervant Magi ignis cultores, hodie quoque ſubſiſtentes in Perſide (g). Zoroaſtrum authorem ſuum ipſiſſimum credunt Abrahamum cognomento Zerdouſt, vel Zoroaſtrum, i. e. amicum ignis; quòd ſcilicet in ſuccenſum caminum injectus à Nemrod, inter medios ignes ita verſatus eſt, tamquam inter ulnas amici. De Libris eidem Authori tributis egimus ſupra.

In Bibliotheca Regis n. 792. ſervatur Liber S. Ephrem Syri (h), è Syriaco in Arabicum tranſlatus de itinere Abrahami in Ægyptum; idemque Codex exhibet Orationem S. Athanaſii Patriarchæ Alexandrini de obitu Abrahami, pronunciatam die 28. Martii memoriæ viri ſacra apud Chriſtianos Cophtos vel Ægyptios. Ferunt (i), anno J. C. 1119. detectum juxta Hebron ſepulchrum Abrahami, condita ſimul referens cadavera Jacob & Iſaac. Porro integra apparebant cadavera illa, plurimiſque aureis argenteiſque lampadibus locus erat ornatus, quod magno numero homines ſpectarunt. Sepulchrum illud tanta veneratione colunt Muſulmani, ut ad tres inſignes peregrinationes, Mechæ, Medinæ, & Jeruſalem, quartam hanc adjiciant. Templum exædificarunt Chriſtiani ad ſpeluncam Macphela (k), ubi vir Sanctus ſepulturæ mandatus fuit, quod deinde Turcæ transformarunt in Moſcheam.

Locus, ubi tres Angeli hoſpitio Abrahami excepti ſunt, i. e. Quercus Mambre religione Chriſtianorum æquè & Paganorum ſacer eſt habitus. Vide Infra. V.

(a) Herbel. V. Hagiar Alaſſorad. (b) Ibid. pag. 25. Chardin., Iter Perſic. to. 2. pag. 451. (c) Alcoran. c. 2. (d) Herbelot. Bibl. Orient. pag. 15. (e) Alcor. loc. cit. (f) Herbelot. Bibl. Orient. p. 583. (g) Ibid. pag. 16. (h) Ibid. pag. 16. colum. 2. (i) Ben Scholmah, ibid. (k) Quareſmi. Elucid. tom. 2. pag. 773.

Terebinthus, & *Mambre*. Sacellum tandem excitatum eſt in Monte Moriah, qui Sion vel Calvariæ eſt portio, in ea ſcilicet perſuaſione, ipſiſſimum eſſe locum, ubi tentatum eſt filii a Patre Abrahamo ſacrificium (a).

Affirmat Jeſus Chriſtus Jo. 8. 56. exoptaſſe Abrahamum videre diem adventus ſui, votique compotem non ſine ingenti animi voluptate factum. In eo pariter conſtitutam dicit, Matth. 8. 11. Juſtorum in altera vita felicitatem, ſi in Regno Cælorum communes habeant cum Abrahamo & Iſaaco ſedes, recipianturque in *ſinum Abrahæ* (b), qui locus eſt quietis, Inferno planè oppoſitus. Alexander Severus Imperator (c) ex ſola Judæorum & Chriſtianorum relatione notam ſibi Abrahami gloriam admiratus, inter Deos Lararii ſui illum æquè & Jeſum Chriſtum collocavit.

Ingenti laudum encomio Virum celebrarunt Eccleſiæ Patres, paremque illum exiſtimarunt Viri Sanctiſſimi & Prophetæ, ut in exemplar conſtitueretur fidei & obedientiæ per omnia abſolutiſſimæ. Hinc eſt, quòd ejus nomen ſcriptum legitur in Canone Miſſæ; & in precibus, quibus decedentes ex hac vita juvantur, Abrahamus invocatur. Nec ſilent de illo noni ſæculi Martyrologia. Nona Octobris dies ejus religione ſacra notatur apud Adonem, Uſuardum & vetus Romanum Martyrologium. Apud Religioſos Fontiſebraldi & Gallicani Oratorii Presbyteros peculiari religione, quin & ſingulari Officio colitur.)

I. ABSALOM, filius David, natus in Hebron ex Maacha filia Tholmai Regis Geſsur, pulcherrimus, juxta 2. Reg. 16. 25., totius Iſraelis. Quoties cæſariem, quæ pulcherrima erat, tondebat (quotannis autem tondebat, quòd illum gravaret) ducentis ſiclis appendebat pondere regio; nempè ad menſuram ſicli Babylonii, octo obolorum pondere conſtantis. Hinc ducenti ſicli uni, & triginta unciis reſpondent: quod licèt extraordinarium, non tamen eſt incredibile; cùm eorum teſtimonio, qui capillamenta conficiunt, fœminæ ſint, quæ duarum, & triginta unciarum cæſariem ferant (d). Habebat Abſalom ſororem ſpecioſiſſimam, Thamar nomine, quam Amnon ipſius frater, ex altera matre natus, adeò deperibat, ut præ nimio amore langueſceret. Huic ut ſatisfaceret, à Rege dolo malo obtinuit, ut Thamar in cubiculum, ob ſibi præparanda edulia, veniret: quam, ut venit, violatam, injurioſè rejecit (e).

Violata in Abſalonis domum confugit, qui domi receptam ulciſci deliberans, nihil Amnoni de hoc loquutus eſt, à Rege fortaſse ultionem expectans. Poſt duos autem annos Abſalom ad tondendos greges in Baal-hazor, propè Benjamin, proficiſcens, Regem, omneſque Regis familiares invitavit. Abnuens David, Abſalonis precibus Amnonem cum fratribus ſuis illò ire conſenſit. Ut venere, convivio excepit, ebriumque Amnonem trucidavit (f); ſtatimque filii Regis Hieruſalem fugere. Poſt fratricidium Abſalom ad Tholmai Regem Geſsor avunculum ſuum confugit, ibique tribus annis moratum, David perſequi non curavit. At Joab Abſalonis avunculus, videns cor Regis ad Abſalom incliuare, modum excogitavit, quo per fœminam Thecuæ, quæ regem alloqueretur, filio reditum procuraret. (g)

Abſalom igitur Hieroſolymam petiit; duobus vero annis conſpectu Patris privatus eſt (h). His elapſis, Abſalom Joab ad ſe vocare contendens, illoque renuente, ſervos juſſit hordei meſſem, quæ in agro Joab jam matura erat, ſuccendere. Tunc Joab ad Abſalom venit, ut cum illo conquereretur. Ut autem Abſalom hoc ſuo imperio factum dixit, ut ipſum ad ſe venire compelleret, & ad obtinendam Patris amicitiam, & conſpectum mitteret, Joab acquievit, Regique factum renunciavit, qui Abſalom revocans, amplexatus eſt, & priſtinam illi amicitiam reſtituit.

Inquietus tamen Abſalom, regnum ſibi deberi cognoſcens, magnifico ſibi comitatu adſcito, 2. Reg. 15. quotidie ad regiæ domus fores manè veniebat, omneſque, qui negotiis, litibuſque implicatos ad Regem venirent, undè eſſent interrogabat, auditiſque eorum negotiis, cauſiſque itineris, bonam, juſtamque cauſam illos habere dicebat, neminem tamen à Rege conſtitutum eſse, qui illos audiret. Quis me judicem hic conſtituat, ut omnes, qui negotiis implicantur, ad me veniant, & juſto illis judicio reſpondeam? Quicumque ſalutaturus accedebat, extenſa manu apprehenſum oſculabatur, quod quatuor continuis annis præſtitit (i), ut populos paulatim diſponeret. Cum tempus exequendi moliminis advenisſe cenſuit, Regem eundi in Hebron facultatem popoſcit, cauſatus voti ſolvendi neceſſitatem, quo in Geſsur ſe obſtrinxiſse dicebat.

Hebron igitur adiit cum ducentis viris, qui conſiliorum inſcii ſequebantur. Hinc miſſis per cunctas Tribus Iſrael exploratoribus, qui Abſalom in Hebron regnare tuba inclamarent, magnus continuò populorum concurſus factus eſt, & Abſalom a pleriſque Tribubus Iſrael Rex ſalutatus. His ſtatim David renunciatis, ipſe, & ejus miniſtri Hieroſolymis diffugere, relictis tantum, quæ Regias ædes cuſtodirent, Regiis uxoribus 2. Reg. 16.. Abſalom abſque mora Hieroſolymam veniens, nemine contradicente receptus eſt. Tum, authore Achitophel, patris ſui concubinis abuſus eſt, ut populus omnis nullam reconciliationis ſpem ſupereſſe cognoſcens, ipſi conſtantius adhæreret.

Inde Achitophel Abſalone hortato, ut exercitus parte Davidem perſequeretur, & ità inopinatò, & carentem exercitu opprimeret; Chuſai, amicus David, Abſalonis partes ſequi ſimulans, conſilium diſſipavit, monuitque Davidem, ut quantociùs Jordanem tranſiret, fortemque arcem occuparet. David igitur in Mahanaim venit, antea Isboſeth filii Saul ſedem, ibique ſubſidiis nonnullis ab iis, qui in fide perſtiterant, ſublevatus eſt.

Poſtera die Abſalom adverſus Davidem exercitum movit; trajectoque Jordane, Regem aggredi paravit. Ille pariter, duce Joab, copias ſuas eduxit; initoque prælio, Abſalonis exercitus profligatus eſt, cæſis viginti hominum millibus; cæteris fugam arripientibus 2. Reg. 18.. Abſalom mulum conſcendit, cumque per ſaltum Ephraim fugeret, ſub denſam quercum pertranſiens, ramis quercus capite adhæſit; muloque, cui inſederat, prætereunte, ipſe inter Cælum, terramque ſuſpenſus remanſit.

Eam rem miles quidam Joab nunciavit, qui militem, cur non occidiſſet, interrogavit. At ille: Si, inquit, mille argenteos mihi dares, nunquam in Regis filium manum extenderem; omnes enim Regem tibi & Abiſai dicentem audivimus: Servate mihi filium meum Abſalom. Tunc Joab, ego, ait, coram te illum confodiam. Sumptis igitur tribus lanceis, cor Abſalonis tranſjecit; ſpirantemque adhuc ex arbore decem juvenes Joab armigeri confecere. Elatum ipſius cadaver in foveam grandem, in eodem ſaltu projectum eſt, deſuperque magnus lapidum acervus congeſtus.

(Poſt

(a) Idem. tom. 2. p. 767. 768. (b) Luc. 16. 22. (c) Lamprid. in Sever.
(d) Vide Diſſert. Le Pelletier Rothom. de pondere capillorum Abſalonis. Ephemerid. Trevul. 1702. pag. 176.
(e) 2. Reg. 13. An. M. 2972. antè Ch. 1028. antè Ær. 1032. (f) An. M. 2974. antè Ch. 1026. antè Ær. 1030.
(g) 2. Reg. 14. An. M. 2977. antè Ch. 1023. antè Ær. 1027. (h) An. M. 2979. antè Ch. 1021. antè Ær. 1025.
(i) Vulgata legit 40. annis; plura Mſſ. Latina, Joſeph, & Theodoretus 4. annis. Evenere An. M. 2980. antè Ch. 1020. antè Ær. 1024.

(Poſt obitum Abſalom legimus 2. Reg. 18. 17. *Tulerunt Abſalom, & projecerunt eum in ſaltu in foveam grandem* (in ſaltu ſcilicet Ephraim, ubi prælium commiſſum) *& comportaverunt ſuper eum acervum lapidum magnum nimis &c.* Ex hoc ſuſpicandi daretur locus, num ſub acervo lapidum conditus jacuiſſet; ſed multò propiùs vero reputaremus, Davidem, qui effuſis lacrymis filio parentavit, hanc ſibi antiquiſſimam curam ſuſcepiſſe, ut defuncti cadaver in Regum ſepulchra inferretur; vel fortè juxta illum locum, excidendum in petra mandaſſe ſepulchrum, quod hodie uſque viſitur.

* Prælium hoc in ſaltu commiſſum eſt, ubi acies inſtructa non juxta ætatis illius diſciplinam, ſed juxta ac loci natura patiebatur. Hic autem in loco æquabili prælium commiſſum videtur: *Egreſſus eſt Populus in campum contra Iſrael, & factum eſt prælium in ſaltu Ephraim.* Ex quo intelligimus, rariores fuiſſe arbores eo loci implantatas, ubi alterum etiam prælium commiſſum fuit à Gedeone cum Zeb & Zebee. En alterum Textum non prætereundum incuriosè: *Conſiderato David populo ſuo conſtituit ſuper eos Tribus & Centuriones.* David luſtrato populo conſtituit Tribunos & Centuriones. Nec id planè novum. Judæorum exercitus, ſicut & populorum omnium Aſiæ, diſtribuebantur per acies, illæ verò per cohortes, hæ per manipulos. Nec omnium primus nihi artem illam diſciplinam invexit David, ut Centuriones, Tribunoſque conſtitueret.

Quanquam loci hujus Textus in eam me perſuaſionem inducit, David ingenti ſanè copiarum & Præfectorum ſuorum parte deſtitutum fuiſſe, ſecutis plurimis Abſalomi partes; coactus proinde novos ſcripſit milites, diviſitque per millenos, quos pariter diſtribuit per centenos; unde intelligimus multo inſtructiorem habuiſſe exercitum, quàm quod cenſeat Joſephus Antiq. l. 7. c. 9. non ultra 4000. illi aſſignans. Sequitur hic D. Calmet opinionem Grotii Joſepho planè oppoſitam. Nunquam, ait ille, eventum prælii tentaſſet, ſi copiarum numero inferiorem ſe hoſti ſenſiſſet. His tamen, non planè ad ſenſum demonſtratur David, ſi ſe inferiorem ſenſiſſet, prælio ſe committere non potuiſſe. Quot enim prælia geruntur à ſtrenuiſſimis Imperatoribus, minorum licèt copiarum numero validis? Joab militari ſcientia Dux inſignis, aliquid ſibi duxiſſet præſumendum adverſus minùs expertos Duces, minuſque regendo prælio idoneos. Mihi utique perſuaderur, David inferiori copiarum numero præ hoſte valuiſſe. Qua ratione utraque acies inſtructa eſſet in ſaltu, nihil habet Scriptura, contenta tantùm notaſſe: *Populum proceſſiſſe in prælium contra Iſrael.* Paralello ordine diſponi, natura loci non patiebatur. Viritim decertatum credo & manipulatim; & cùm exercitus David numero hominum dimidiò eſſet inferior, magna inter manipulos relicta ſunt intervalla; alii enim decertabant à cæteris planè diverſi, quod ordines eſſent plus nimio multò profundi; & maximè id certandi genus obſervatum eſt, cum ſupra alas ſuas longiùs excurriſſent. Nihil ſibi ducebant deferendum metui, ne aciei ordo diſſolveretur, ſi quid majus relinquerent inter ſe intervalli. Fuſus eſt Abſalom, cæſique ex ejus exercitu ad 20000. Non id utique admirarer, fieri ſcilicet potuiſſe, ut 4000. Virorum exercitus, validiſſimos hoſtes vinceret, funderetque; ſed utique ægerrimè conciperem, quomodo tantula præliantium manus latam adeo ſtragem ediderit.)

Porro Abſalom, adhuc vivens, in Valle Regis ſibi columnam erexerat 2. Reg. 18. 18., quæ in monimentum ſui nominis eſſet, loco Filiorum, quibus carebat. Hæc uſque hodie, Manus Abſalom, appellatur. Ita ſcriptor Librorum Regum. Uſque in præſens monumentum videtur in Valle Joſaphat, ad Hieroſolymæ ortum, quod Abſalom eſſe dicitur. Hoc in cubiculi formam in lapide excavatum, à monte, & à quolibet alio ſeparatum, quadratum, exterius octo paliuum ex omni parte, aliquibus columnis ex eodem lapide confectis ornatum, interiùs ſimplex. Superior pars in modum pyramidis conicè erectæ latis & latæ ad modum vaſis. Totius molis altitudo ad quatuor, ſeu quinque perticas protenditur Pyramis iſta pluribus lapidibus conſtat; monumentum tamen quadratum eſt, & ex uno lapide.

Monumentum hoc commodè dici poteſt columna, ſeù Manus Abſalom: Hebræis enim dicuntur *columnæ* ea omnia, quæ in monumentum erecta ſunt; *manus* verò, quæ alicujus indicium ſunt, illiuſque memoriam ſervant. *Manum* e. g. Scriptura nominat id, quod Saul in Carmelo erexit in perpetuum victoriæ Amalecitarum monimentum 1. Reg. 16. 2. Et Moyſes in Exo cap. 17. 16. aliquid tale innuiſſe videtur, cum poſt prælium contra Amalecitas, dicit *manum eſſe in ſolio Domini*, veluti monimentum malitiæ eorum, ultioniſque a Domino repetendæ. Joſephus Antiq. l. 7. c. 9. loquens de monumento Abſalom, marmoream columnam fuiſſe ait, duobus ſtadiis, vel trecentis paſſibus Hieroſolyma diſtantem. Itinerantes aſſerunt, eos, qui propè eam columnam tranſeunt, lapidem in illam jacere, velum filii illius in Patrem perduellionem deteſtari. Hinc magnum adeo acervum lapidum illam circumdare, ut monumenti illius inferiora lateant.

Scriptura 2. Reg. 18. 18. innuere videtur, Abſalom, cum illud erexit, filios non habuiſſe; cæterum cap. 14. 27. tres illi natos fuiſſe liberos aſſerit, & elegantiſſimæ formæ filiam, Thamar nomine. At fortaſſe illius liberi ſaltem maſculini perierant, nam aliqui exiſtimant, Thamar illius filiam (a) Roboam Regi Juda conſobrino ſuo nupſiſſe. Abſalom obiit an. M. 2980. ante Ch. 1020. ante Ær. 1024.

II. ABSALOM, Hieroſolymitanus, Manahem filium Judæ Galilæi hortatus eſt, ut Regnum Judæorum inſtauraret (b) duodecimo Neronis annos Æræ 66.

III. ABSALOM, Ariſtobali Judæorum Regis Patruus, & Socer, à Magno Pompejo (c) Hieroſolyma expugnata captus an M. 3941. ante Ch. 59. ante Ær. 63.

(ABSTINENTIA. Primos homines ante diluvium vino dapibuſque carnium abſtinuiſſe ideo tenent nonnulli, quod Geneſis 9. 20. legatur, Noe poſt diluvium vineam implantare cœpiſſe, datamque à Deo facultatem viro, utendi carnibus; cùm antè Adamo nonniſi fructus & herbas terræ deguſtandas permiſiſſet, Gen. 2. 16. & 3. 17. Contrariam tamen ſententiam præferunt doctiſſimorum interpretum plures, rati homines ante diluvium, nihil ſibi reliquum feciſſe ad voluptatem, deditoſque conviviis & compotationibus fuiſſe. Quouſque enim corruptionis devenerint, ſatis indicant verba illa Gen. 6. 11. 12. omnem ſcilicet carnem corrupiſſe viam ſuam. Adduntque Interpretes illi, vetantis etiam Dei uſum carnis & vini præcepta, homines illos facilè tranſgreſſuros fuiſſe.

Cautum eſt in Lege Sacerdotibus, ut à vino abſtineant tempore miniſterii ſui in Templo, Levit. 10. 9. Vetitum id pariter Nazaræis quandiu manerent in Nazaræatu (d). Interdicunt ſibi Judæi genera quædam animalium, de quibus nos V. *Animalia*. Athletæ, ait Apoſtolus 1. Cor. 9. 25. abſtinent ſe ab omnibus, ut corruptibilem ſibi promereantur coronam; ab omnibus ſcilicet, quibus corporis vires labefactantur; & 1. Timoth. 4. 3. Hæreticos quoſdam condemnat, damnantes nuptias & dapes, quas Deus creavit. E primævis Chriſtianis quidam ſervabant abſtinentiam a carnibus in Lege vetitis, ſicut & Idolis immolatis. Vana hæc alii rebantur, utendum ſibi arbitrati libertate à J. C. procurata Fidelibus. Sapientiſſimas in id regulas conſtituit Apoſtolus, 1. Cor. 8. 7. 10. & Rom. 14. 1. &c.

Concilium Hieroſolymitanum Apoſtolorum præſcribit Fidelibus è Paganis, ut abſtineant ſe à ſanguine, à ſuffocato, fornicatione & Idololatria Act. 15. 20.

Monet Apoſtolus 1. Theſſal. 5. 21. *Ab omni ſpecie mala*

* *Animadverſiones in prælium copiarum Davidis cum Abſalomo in ſaltu Ephraim.* 2. *Reg.* 18.
(a) Vide 2. Par. 11. 20. & comment. ad 1. Reg. 16. 27.
(b) Joſeph. de Bello l. 2. c. 33.
(c) Joſeph Antiq. l. 14. c. 8.
(d) Num. 6. 3.

abſtinete vos ; potiori igitur jure abſtinendum ab iis, quæ re ipſa pietati ac religioni opponuntur.)

ABUMA, urbs Juda, matris Joakim Regis patria(a), in quarto Regum 23. 36. *Ruma* nuncupata.

ABYSSUS: hoc nomen infernus habet in Scripturis (b), eodemque nomine appellantur profundum maris (c), & Chaos tenebris opertum, mundi exordio, ſuprà quod Spiritus Dei ferebatur Geneſ. 1. 2.

(Veteres Hebræi, & Orientalium noſtra etiam ætate plerique tenent, abyſſum, mare, aquas terræ circumfundi; fluctuare autem terram ſuper abyſſum, ceu, inquiunt illi, cucumer innatat aquæ, mediaque ſui portione in illa demergitur. Autumant etiam, terram fundamenta habere in aquis(d), vel ſaltem in abyſſo conſtituta. Sub his aquis, & ſub imo hujus abyſſi fundo exhibet Scriptura Gigantes, ejulatibus ac gemitibus luentes de criminibus pœnas (e); eò amandantur Rephaim, veteres illi Gigantes terror gentium, dum viverent (f). Tandem obſcuris hiſce carceribus detineri dicunt Prophetæ (g) Reges Tyri, Babylonis & Ægypti, qui viventes adhuc pœnas luunt de ſuperbia & impotentia ſua acerbiſſimas.

Ibi verſantur Dæmones & impii: *Vidi*, ait S. Joannes Apoc. 9. 1. 2. *ſtellam de Cælo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clavis putei abyſſi. Et aperuit puteum abyſſi, & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol & aer de fumo putei. Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram: Et habebant ſuper ſe Regem, Angelum abyſſi, cui nomen Exterminans.* Et Apoc. 2. 7. exhibetur beſtia ſurgens ex abyſſo bellum indicens duobus teſtibus Dei; tandem Angelus Domini deſcendit è Cœlo (h) tenens & clavem abyſſi & grandiorem catenam, apprehenſumque draconem, veterem illum ſerpentem, qui Diabolus eſt & Satan, alligavit projecitque in abyſſum, ſpatio mille annorum ibi retinendum, occluſit puteum, obſirmavitque ſigillo, ne ante mille annos egrederetur &c.

Unde fontes & flumina juxta Hebræorum opinionem, niſi ex abyſſo, vel è mari? Exod. 17. Cæcis ſub terram canalibus ductæ aquæ erumpunt ſuper terram, unde per patentem alveum excurrentes redeunt ad mare. Cùm diluvium inundavit, abyſſi inferioris vel maris aquæ diſruptis aggeribus ſuis, laticeſque per orificia ſua majori impetu erumpentes effuderunt ſe ſuper terram, mundi exterminio unà cum diſruptis Cæli cataractis conjurantes Gen. 8. 11.

Abyſſus illa terræ faciem in exordio Mundi tegens, ſpiritu Dei ſeu validioris venti impetu agitata Gen. 1. 2., abyſſus anticipatione quadam appellata eſt, quod ſcilicet deinde coaluerit in mare, & quod etiam aquæ ex abyſſo defluentes, in ipſo defluxu ſeſe formarunt; vel ſi mavis, terra è medio hujus abyſſi emerſit, veluti cum Inſula diù ſub aquis occultata, ſubito caput attollit in medio maris.)

ACABARES, ſeù *Chabares* oppidum, vel civitas in monte, quam Joſeph tempore Judaici belli munivit(i).

ACCAIN, urbs Juda, de qua Joſue 15. 57. ubi ſita fuerit, ignoratur.

ACCARON, orbs, & Satrapia Philiſtinorum. Hæc in prima Joſue diviſione Tribui Juda ceſſit (k): tum Tribui Dan conceſſa (l) Ad Mediterraneum ſita erat, inter Azoth, & Jamniam. Potens erat civitas, quam Hebræos pacificè poſſediſſe, nuſquam ex hiſtoriis patet. Accaronitæ primi Arcam Domini remittendam cenſuere, ut à morbis, quos illius præſentia tulerat, liberarentur (m). Idolum Muſcæ, ſeù *Beelſebub*, primum Accaronitarum numen erat (n). Nonnulli hanc civitatem cum Stratonis turri, ubi Herodes Magnus poſtea Cæſaream Palæſtinæ ædificavit, malè confudere. Cæſarea enim ſeptentrionalior erat præ Accaron.

(ACCEPTIO PERSONARUM. Cavet Deus, Levit. 19. 15. Deut. 16. 1. 17. 19. ne Judices in ferendis ſententiis obſervent perſonas, ſive pauperem ſive divitem, ſive imbellicem ſive valentem, neminem. Recta mentis intentio in juſtitiam & veritatem dirigenda. *Deus perſonam non accipit, nec munera* Deut. 10. 17. & 2. Par. 29. 7.. Ferebant Judæi teſtimonium Jeſu Chriſto Matth. 22. 16. *Non reſpicis perſonam hominum*. S. Judas verſ. 16. pro hac phraſi *acceptio perſonarum*, aliam ſubſtituit: *Mirantes perſonas quæſtus cauſa*. Inter characteres Meſſiæ hunc aſſignat Iſaias 23. 2. futurum ſcilicet, ut *perſonarum acceptator* non ſit.)

ACCES, è fortiſſimis exercitus David. 2. Reg. 23.

ACCO, ſivè *Acho*, vel *Ache*, indè *Ptolemais* dicta, ad Carmeli Septemtrionem ſita, portum habens maritimum. Tribui Aſer (o) ceſſit. Ab exercitu Cruciatorum appellata eſt Acre. Bêlus, ſeù Beleus fluvius in mare excurrit prope, & ad Septentrionem Acco. Nolentibus Iſraelitis delere habitatores *Acco* (p), ſub Chananæorum, ſeù Phænicum ditione permanſit. Libri Machabæorum ſub nomine Ptolemaidis ſæpiùs illius meminere.

ACELDAMA. Vide *Achel-dama*.

(ACERVUS. Olim Veteres ante invectam ſcripturam, & poſt illam etiam, erectis lapidum acervis perennabant memoriam rerum, quas maximè ſcire poſterorum intererat. Jacob ſecedens in Meſopotamiam, cùm cæleſtem quandam viſionem ſpectaſſet in Bethel Geneſ. 28. 11..... 18., monumentum erexit è lapide, dormienti ſibi capiti ſuppoſito, inunxitque illum oleo, votoque nuncupato, fidem ſuam obligavit Deo, offerendi illi decimam eorum omnium, quæ ſibi obveniſſent; itemque habiturum ſe eum locum religioſum, & veluti Deo ſedem conſtitutam. Profectò redux ille è regione Tranſeuphratæa contulit ſe cum familia univerſa Bethel, ubi & ſacrificio Domino litavit, & obligatam fidem exſolvit.

Idem vir ſanctus inito fœdere cum Labano, uxorum ſuarum patre, in montibus Galaad Geneſ. 31. 44. &c., virum invitavit ipſo pariter invitante: *Venite; acervum lapidum erigamus*; quo ſimul ab utroque præſtito, ſuper erectam ſtruem celebrarunt convivium. Hanc Laban appellavit, *Tumulum teſtis*; & Jacob: *Acervum teſtimonii*, ſui quiſque ſermonis vocabulo. Tum Laban ad Jacob: *Tumulus iſte erit teſtis inter me & te hodie; & idcirco*, ait S. Scriptura, *appellatum eſt nomen ejus loci Galaad, ideſt tumulus teſtis*.

Vero propius judicaremus, Aram illam è glebis vel lapidibus impolitis excitatam ad radices Sinai Exod. 20. 25. & 24. 4. 5., & *duodecim tumulos per duodecim Tribus Iſrael* ibidem erectos ad offerenda ſacrificia, dum ſolemni ritu confirmaretur initum Deum inter & Iſraelitas fœdus, acervos eſſe memoriæ poſterorum erectos; quod item judicamus de Altari è grandibus impolitiſque lapidibus in monte Hebal erigendo Deut. 27. 4 &c. ad offerenda holocauſta, inſculpendumque in lapidibus illis inſtrumentum fœderis Dei cum populo.

Gemina lapidea monumenta ad memoriam tranſvadati ſicco pede Jordanis conſtituit Joſue: altero ſcilicet erecto in medio alveo, altero in ripa in loco Galgal appellato (q): *Quando interrogaverint vos filii veſtri cras, dicentes: Quid ſibi volunt iſti lapides? Reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ Jordanis ante Arcam fœderis Domini, cùm tranſiret eum: idcirco poſiti ſunt lapides iſti in monumentum filiorum Iſrael uſque in æternum*; Joſue 22. 10. 11.

Poſt

(a) Joſep. Antiq. l. 10. c. 6. (b) Luc. 8. 34. Rom. 10. 7. Apoc. 9. 1. & 11. 7. &c.
(c) Geneſ. 7. 11. Exod. 15. 5. & alibi paſſim. (d) Pſ. 33. 2. & 35. 6. (e) Job. 25. 5.
(f) Prov. 2. 18. & 9. 18. & 21. 16. Pſ. 87. 11. & 70. 20. Iſaiæ 26. 14.
(g) Iſaiæ 14. 9. Ezech. 28. 10. & 31. 18. & 32. 19. (h) Apoc. 20. 1. 3.
(i) Lib. 2. de Bello cap. 25. Vide & in ejus vita. (k) Joſue 15. 45.
(l) Joſue 19. 43. (m) 1. Reg. 5. 10. (n) 4. Reg. 1. 2. 3. 6. &c.
(o) Judic. 1. 31. Vide & Joſue 19. 25. in Græco. (p) Judic. 1. 31. (q) Joſue 4. 3. 5. &c.

Poſt adeptam diſtributamque terram promiſſionis; Tribus Ruben & Gad cum dimidia Tribu Manaſſe, quæ fratribus ſuis opem latum venerant, tranſvadato iterum Jordane ingentem lapidum acervum aggerandum ſuſceperunt in ripa amnis, ut eo monumento intelligerent poſteri unam eſſe utriuſque gentis trans & & citra amnem fidem ac religionem.

ACERVUS MERCURII Prov. 26. 8. Vide infra *Mercurius*.

ACERVUS LAPIDUM aggeſtus erat ſuper tumulos hominum, quorum inviſa memoria. Suppetit hujus rei exemplum in Acham Joſue 7. 26., quem populus lapidibus confecit, lapideuſque acervus ſuper ejus tumulum aggeſtus diu manſit. Ita præſtitum cum Rege Hai Joſue 9. 8. 2., cujus cadaver è patibulo uſque ad veſperam ſuſpenſum, depoſitum tandem projectum eſt præ foribus Urbis, lapidumque ingens ſtrues ſuper illud congeſta. Ita & cum Abſalomo obſervatum docet 2. Reg. 18. 17. *Tulerunt Abſalom & projecerunt eum in ſaltu in foveam grandem, & comportaverunt ſuper eum acervum lapidum magnum nimis.*

Sermo etiam apud Prophetas de acervis lapidum inter rudera everſarum Urbium. Iſaias 17. 1. *Erit Damaſcus ſicut acervus lapidum in ruina.* Sermo etiam de ſtrue ſaxorum collectorum in vineis & agris. Michæas 1. 6. *Ponam Samariam quaſi acervum lapidum in agro, cùm plantatur vinea.*

ACETUM conficitur ex vino, cerviſia, cedro, & ex aqua pariter; expreſſum è palmis vinum, ſi triduo vel quatriduo ſerveretur, aceſcit. Plura acetorum genera parata ſervabant Veteres ad potum. Edixit militibus ſuis Peſcennius Niger Imperator (a): *Neminem in expeditione vinum bibere, ſed aceto univerſos eſſe contentos.* Booz invitavit Ruth (b): *Intinge bucellum tuum in aceto.* Aceto, cui *ſumma vis ad refrigerandum* teſte Plinio l. 23 c. 1. utebantur in eam rem meſſores. Nec à vero abludit, acetum illud, quo J. C. in Cruce potatus legitur Matth. 27. 48. habuiſſe milites in potum ſibi reſervatum. Permiſit Conſtantinus Magnus militibus, ut biduo vino, biduo & aceto alternatim uterentur.

Cave tamen ipſiſſimum hoc reputes acetum, quo condiuntur apud nos olera; vinum erat humile nomine peſcha, vel ſera, cujus parandi artem deſcribunt Authores rei ruſticæ (c). Manet hodieuſque apud Italos, & Hiſpanos in uſum meſſorum: manet apud Hollandos corrigendo inſipido aquarum ſapori in navigationibus. Cautum eſt Num. 6. 3. Nazaræis, ne in potum adhibeant acetum, & quidquid ex uvis exprimitur, ſicut & meraceos omnes liquores. Hebræus habet: *Acetum ex vino, & acetum ex Scchar*, vel è palmarum vino. Varia acetorum genera ad potum deſcribit Plinius l. 14. c. 16.

Fateri tamen oportet, genus fuiſſe quoddam aceti, cujus major erat vis, quàm ut in potum ſuſtineretur, niſi priùs egregiè dilutum. Queritur Pſalmiſta Pſ. 68. 26. adverſariorum ſuorum iniquitate factum eſſe: *In ſiti mea potaverunt me aceto;* & Jeſus Chriſtus Prophetarum oraculis implendis noluit acetum ſibi oblatum potare. Salomon Prov. 10. 26. *Sicut acetum dentibus, ſic piger his, qui miſerunt eum.* Acetum itaque gratiſſimi erat ſaporis potus; ſedulò tamen diſtinguendum acetum, vel dilutum illud vinum maximè potabile, quo Meſſores panes intingebant, ab aceto, quo nos in oleribus.

Idem Salomon Prov. 25. 20 *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo.* Diſſolutum in nitro acetum, inſitam nitro detergendi vim acuit, ut promptiùs pellis maculas & ſordes veſtium abſtergat. Porrò cantica coram homine corrupti cordis cantitare perinde eſt, ac corruptionem ejus augere, igniculos paſſionum excitare magis; quæ enim leniendis affectibus valent cantilenæ, non ulcus illius ſanant, ſed aſperant.)

I. ACHAB, Rex Iſraelis, Amri filius, & ſucceſſor 3. Reg. 16. 22. Duobus, & viginti annis imperavit (d) ab an. M. 3086. ad 3107. Malum egit coram Domino, præ ſuis prædeceſſoribus. Jezabel filiam Ethbaal Sidoniorum Regis duxit, quæ Baal, & Aſtartes idola in Iſraelem introduxit, ipſumque Achab illorum cultui addixit. Commotus ipſius criminibus Deus, Eliam prophetam ad illum miſit, qui triennalem illi ſterilitatem prænunciaret; quo peracto, Elias aufugit veritus, ne ab Achab, vel Jezabel occideretur. Elapſa trium annorum fame, Achab Abdiam Præfectum domus ſuæ miſit, qui pabula in tota regione perquireret, alendis pecoribus 3. Reg. 18.. Qui cùm pergeret, Eliam obvium habuit, à quo Achab renunciare juſſus eſt, Eliam adeſſe. Achab ut Eliam vidit, tu es, inquit, qui Iſraelem perturbas? Cui Elias: Non ego, ſed tu, tuique, cum, relictis præceptis Domini, Baal ſequuti eſtis, Iſraelem perturbaſtis.

Deinde Achabo, ut populum omnem cum Prophetis Baal in monte Carmelo congregaret, imperavit: quibus in unum coactis, Elias, ut è Cælo ignis deſcenderet, obtinuit, uti v. *Elias* videbimus; poſt quæ pluviam, quæ priſtinam telluri fertilitatem redderet, impetravit. An. M. 3096. ante Ch. 904. ante Ær. 908.

Poſt ſex annos id eſt an. 3103. Benadab Rex Syriæ Samariam obſidendam venit 3. Reg. 20.; miſitque ad Achab Legatos, qui illi nunciarent ſua omnia eſſe, quæ ipſe poſſideret. Achab omnia ultrò faſſus eſt. Rursùs Benadab Legatos miſit, petens, ut ſibi hæc omnis darentur, ſignificans in craſtinum ſe miſſurum, qui domum Regiam, ac ſubditorum perquirerent, aſportaturi quæcumque placuiſſent. Tunc Achab congregatis ſenioribus populi dixit, Benadab Iſraelitis inſidiari. Quæ me popoſcit, inquit, ultrò conceſſi; nunc autem iis, quæ mea ſunt, non contentus, ſubditorum etiam res efflagitat. Cui ſeniores, & populus non acquieſcendum cenſuere. Regreſſi igitur Legati omnia ad Regem retulere. At ille remiſit, & ait: Dii Abinadab iraſcantur, ſi omnis Samariæ pulvis pugillis militum meorum implendis ſufficiet. Achab reſpondit: Nemo glorietur, inermis æquè ac armatus.

Cum hæc relata ſunt, Benadab, & Reges, qui eum ſequebantur, in umbraculis bibebant, juſſitque urbem circumdari. Eodem tempore Propheta quidam ad Achabum venit, futurumque annunciavit, ut Deus omnem hoſtium exercitum in manus Iſraelitarum traderet. Iniret ergo ipſe prælium, atque pediſſequos Principum provinciarum ſecum adhiberet. Recenſuit ergo pediſſequos Principum provinciarum, & duos & triginta ſupra ducentos invenit. Populum etiam Samariæ enumeravit, & ſeptem millia inventa ſunt. Egreſſi autem ſunt meridie, dum Benadab temulentus bibebat, & triginta duo Reges comites habebat, pediſſequis Principum provinciarum prima fronte gradientibus. Benadab monitus Achabi milites Samaria egreſſos, ſivè, inquit, ad pacem petendam; ſivè ad bellum veniunt, vivos comprehendite. Præeuntibus igitur pediſſequis, reliquo Iſraelis exercitu ſequente, obvioſque interficientibus, tantus Syrorum exercitum timor invaſit, ut omnes fugam arripuerint, ipſeque Benadab, conſcendens equum, cum ſuis equitibus aufugerit. Achab fugientes inſequutus, plurimiſque illorum interfectis ingentem prædam aſportavit.

Tunc Propheta Domini ad Achab venit, illum confirmaturus (e), & ut caveret, moniturus; ſequenti enim anno Benadab rediturum prædicebat. Altero igitur anno (f) Benadab rediens, in Aphec caſtrametatus eſt, ut adversùs Iſrael pugnaret. Achabo contrà Benadab & numero, & viribus inferiorem exercitum

(a) Spartian. in Peſcen. (b) Ruth. 2. 14.
(c) Columel. l. 1. & l. 12. c. 40. Cato, Plin. &c. (d) 3. Reg. 17.
(e) Reg. 20. 22. &c. (f) An. M. 3104. antè Ch. 896. antè Ær. 900.

Digitized by Google

citum moventi, obvius Propheta victoriam verbis Domini pollicitus eſt. Poſt diſpoſitos ſeptem dierum ſpatio exercitus, ſeptimo tandem die prælium initum eſt, in quo cæſis centum Syrorum millibus reliqui fuga ſalutem in Aphec quæſivere. Ingredi verò civitatem feſtinantes ruens murus ad 2700. oppreſſit. Benadab ad Achabi clementiam confugientem ipſe in currum ſuum recepit, pepigitque cum eo fœdus, & ea lege dimiſit, ut ſibi Damaſci loca publica, & vias extruere liceret, ut ipſius Benadab pater Samariæ fecerat.

Indebita Regis clementia Dominum irritavit. Ex Prophetis unus ſocium vocans, feri me, inquit. Cui ferire abnuenti prædixit à Leone mox eſſe devorandum, quod & impletum eſt. Deinde ab alio eadem requiſivit, à quo vulnere accepto, faciem poſtea ſuam pulvere conſperſit, ne agnoſceretur. Eo habitu Regi occurrens, clamans dixit: Servo tuo, cum in prælio eſſem, captivum cuſtodiendum dedere, dixeruntque; vel vita ipſamet tua rationem hujus reddes, vel argenti talentum ſolves. Turbatus igitur, cùm hùc, illùcque me verterem, ſubitò elapſus eſt, nec ultrà comparuit. Cui Achab, tu, inquit, te damnaſti. Tunc Propheta faciem abſtergens: Quòd, ait, virum morte dignum dimiſiſti, tua ipſe vita, tuuſque pro illius populo pœnas dabitis. Achab iratus Samariam ingreſſus eſt, Prophetæ prædictionem nihili faciens. Hæc geſta ſunt anno M. 3104. antè Chr. 896. antè Ær. 900.

Anno proximè inſequente Mun. 3105. hortum propè domum ſuam extruere cupiens (a), à Naboth cive Jezraelita petiit, ut ſibi vineam ſuam ſuis aptam commodis venderet; aliam ipſi meliorem daturum, vel tantum, quanti penderetur, pro ea ſoluturum. Cum Naboth patrum ſuorum hæreditatem vendere recuſaret, Achab furore percitus, domum regrediens, ſe in lectum projecit, & ad parietem verſus nihil comedit. Jezabel ipſius uxor illum inviſens, triſtitiæ cauſam popoſcit; qua audita, ſe operam daturam promiſit, ut voti compos fieret. Scripſit igitur epiſtolas Achabi nomine, & Regio ſigillo munitas ad Seniores Iſrael miſit. Hæc autem literis continebantur: Indicite jejunium, & inter vos Naboth Jezrahelitæ ſedem collocate, duoſque filios Belial ſeducite, qui Naboth contra Deum, & Regem blaſphemias pronunciaſſe teſtentur; qui è civitate eductus lapidibus obruatur. His adamuſſim peractis, Achab illius morte audita, vineam poſſedit.

Redeunti autem Achab ex Jezrahel Samariam, Elias Propheta à Deo edoctus ſcelus illius exprobravit, addens: Hæc dicit Dominus: In eodem loco, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, tuum etiam lambent. Si Achab in civitate morietur, à canibus diſcerpetur; ſi in agro, à Cœli volucribus dilacerabitur. Et de Jezabel hæc dicit Dominus: canes comedent Jezabel in agro Jezrahel. His auditis, Achab ſciſſis veſtibus, & cilicio indutus jejunavit, in ſacco dormiens, & veluti luctum agens, operuit caput. Hujus demiſſionis merito Deus ſignificavit Eliæ, ſe, eo ſuperſtite, ab omnibus illis malis inferendis abſtenturum; Filio autem ejus imperante, ait, illa ſuper ipſius domum effundam. Nihilominùs, cùm Achabi pœnitentia ſincera non fuerit, Deus ipſum punire non deſtitit; ejuſque progeniem ſub Ochoſia tantùm ipſius filio delevit.

Poſt duos annos (b) Joſaphat Rex Juda Samariam veniens viſiturus Achabum, in Ramoth Galaad expeditionem parantem, quam Benadab Rex Syriæ injuſtè retinebat, ab Iſraelis Rege, ad idem bellum ut pergeret, invitatur. Aſſentiens Joſaphat, Prophetam aliquem Domini priùs conſuli voluit. Congregatis igitur prophetis Baal, ferè quadringentis, ab omnibus unanimiter proſpera omnia prænunciata ſunt. Joſaphat, an nullus eſſet ibi Propheta Domini, requiſivit? Reſpondit Achab, eſſe quidem unum Michæam filium Jemla, ſed malis, quàm bonis prænunciandis paratiorem. Accitus ergo eſt Michæas, ſedentibus interim duobus Regibus in platea propè portam Samariæ, regio ornatu, cunctiſque Baal Prophetis circumſtantibus, & Reges, ut audacter pergerent, hortantibus. Ex quibus Sedecias, Chanaanæ filius, ferrea cornua ſibi aptavit, in ſymbolum diſperſionis exercitus Syrorum.

Nuntius item Achabi, qui Michæam quæſitum ierat, illum hortatus eſt, ut à cæteris Prophetis in prædicendis proſperis non diſcreparet: cui Michæas nihil ſe dicturum reſpondit, niſi quæ Deus ſibi ſignificaſſet. Stans igitur ante Regem, & ab illo rogatus, an contrà Ramoth proficiſci deberet, nec ne; primò ut pergeret reſpondit, victoriam ſpondens; ſed à Rege iterum adjuratus in nomine Domini, ut vera diceret, tunc graviori vultu: vidi, inquit, Iſraelem diſperſum in montibus, veluti ſine paſtoribus greges: & ait Dominus: Ducem non habent; ſuas quiſque domos regrediantur. Tunc Achab ad Joſaphat verſus: Nonne, inquit, dixi, nihil ab illo niſi infauſta prænunciari? Addidit Michæas: Audi verbum Domini. Vidi Dominum ſedentem in ſolio ſuo, omnemque Cœli exercitum ei adſiſtentem; & ait Dominus: Quis decipiet Regem Iſrael, ut adversùs Ramoth progrediens ibi occidatur? Unoquoque autem ſuam dicente ſententiam, improbus quidam ſpiritus coram Domino ſe ſiſtens: Ego, ait, illum ſeducam. Interrogatus à Domino, qua ratione; ero, ait ille, ſpiritus mendacii in ore omnium ipſius Prophetarum. Cui Dominus permiſit. Hic autem ſpiritus eſt, qui Prophetas illos, qui te alloquuntur, ſuiſque te infortuniis obvolvere conantur, inſpirat.

Tunc Sedecias Chanaanæ filius, colapho Michææ inflicto, ait: Me ne igitur Spiritus Domini reliquit, ut ad te veniret? Michæas reſpondit: Tu videbis, cùm de cubiculo in cubiculum fugies, ut abſcondaris. Achab ergo miniſtris ſuis imperavit, ut comprehenderetur Michæas, & penes Amonem civitatis Præfectum, & Joas filium Amelech cuſtodiretur: illiſque præcepit, ut hominem pane doloris, & aqua anguſtiæ nutrirent, donec in pace reverteretur. Cui Michæas: ſi reverſus fueris in pace, Dominus in me locutus non eſt; Teſtes vos, Populi, eſtote. Proficiſcentibus ergo Achab & Joſaphat contra Ramoth Galaad, Rex Iſraelis dixit Joſaphat, ut conſuetis armis & veſtibus indutus contrà Syros præliaretur, ipſe verò ſub ementitis veſtibus latere volebat. Optimè enim noverat juſſos à Rege Syriæ Duces exercitus ſui, ſolum Iſraelis Regem petere, illumque invadere. Hi viſo Joſaphat cultu Regio ornato, arbitrantes Iſraelis Regem eſſe, facto impetu ad illum concurrere. Qui ſe opprimi conſpicatus, exclamavit, & ex clamore cognitum Duces perſequi deſtitere.

At Deus, ne irrita eſſent, quæ prædixerat, permiſit, ut miles, jacto in incertum telo, Achabum pectus inter, & ſtomachum vulneraret. Qui ſtatim aurigæ innuit, ut verteret currum. Totius diei prælium fuit; & Achab in curru ſuo perſeverans ad Syros verſus, poſt effuſum è vulnere in currum ſanguinem, ſub veſperum denique interiit. Tunc præconis voce totus exercitus dimiſſus eſt, unoquoque ſuam domum regrediente. Mortuo igitur Iſraelis Rege, & Samariam delato, ubi & ſepultus eſt, currus illius, & habenæ in piſcina Samariæ lavantur; & canes,

(a) 4. Reg. 21.
(b) 3. Reg. 22. An. M. 3107. antè Ch. 893. antè Ær. 897.

Digitized by Google

& canes, juxtà verbum Domini, ſanguinem ejus linxerunt. Hic fuit Achabi exitus an. M. 3107. ante Ch. 893. ante Ær. 897. Huic Ochoſias filius ſucceſſit.

II. ACHAB, Cholię filius, ex Pſeudoprophetis, qui Iſraelitas Babylone fallebant (a). Per Jeremiam Dominus minatur, ſe Nabuchodonoſori Babylonis Regi illos daturum, qui ante eorum oculos, quos deceperunt, ipſos interficiat; & Judæos omnes illorum nominibus abuſuros, cum alicui mala imprecari volent, his verbis: Tecum Dominus agat, ut cum Achabo, & Sedecia egit, quos Nabuchodonoſor Rex Babylonis in ardente ſartagine frixit.

Rabbini, quos complures ex Interpretibus ſequuntur, credunt, hos eoſdem eſſe ſeniores Juda, qui Suſannam violare tentarunt, & injuſtè accuſatam morte damnandam curarunt. Daniel tamen (b) à Domino excitatus eorum impietatem aperuit, & lapidibus damnavit. Hæc pœna, expreſsè à Daniele notata (c), Rabbinorum ſententiam deſtruit, cum hi in ſartagine fricti fuerint, illi lapidibus obruti.

ACHAB, urbs à Nemrod ædificata Gen. 10. 10. Ubi ſita fuerit, ignoratur. Septuaginta Interpretes legunt Archad, ex quo conjicere licet, ad fluvium Argadum in Sitacena ſitam fuiſſe.

ACHAJA, Græciæ provincia, cujus metropolis Corinthus. Paulus Corinthi, & in Achaja prædicavit Act. 18. Acta Sancti Andreæ ipſum in hac provincia paſſum fuiſſe narrant.

ACHAICUS, S. Pauli Diſcipulus, quem Corinthiis Apoſtolus enixè commendat (d). Nihil de illo reſcimus. Primam Pauli Epiſtolam, cum Stephano, & Fortunato ad Corinthios detulit, an. Chr. 56.

ACHAM, ſivè *Achar*, Charmi filius ex Tribu Juda, ſubreptum ex ſpoliis Hiericho pallium coccineum, auream regulam, ducentoſque ſiclos argenti ſuo in tentorio condidit, invito Deo, qui Jericho, atque omnia, quæ in ea fuerant, anathemate devovenda juſſerat (e). Elapſis diebus aliquot, miſſa à Joſue tria hominum millia contrà oppidum Hai (f) duodecim circiter paſſuum millibus ab Urbe Jericho diſſitum, ab habitatoribus Hai magna clade affecta ſunt, ſalutemque fuga quæſierunt. Infelix expeditionis exitus, licèt ſex & triginta tantùm viri ceciderint, Iſraelitas terruit. Joſue, & ſeniores Populi ſciſſis veſtibus, pulverem capitibus conſperſere Dominum precati, ne populum ſuum in medio hoſtium relinqueret. Tunc Dominus dixit ad Joſue, peccaſſe Iſrael, & fœdus violaſſe, nonnulla auferens, quæ anathemate devota fuere, furtumque inter exercitus impedimenta reconditum eſſe. Sanctificaret ergò populum in craſtinum, ſorte reum exploraret, inventumque cum omni ſubſtantia ſua combureret.

Poſtridie ejus diei, coactis in unum Iſraelis Tribubus, datiſque ſortibus, cecidit ſors ſuper Tribum Juda: tum ſuper familiam Zare; inde ſuper domum Zabdi; denique ſuper Achan. Quem Joſue, ut crimen ſuum proderet, hortatus eſt. Ille nihil cunctatus omnia narravit, locumque, ubi laterent, indicavit. Joſue miſſis, qui illius tentorium ſcrutarentur, quæ reus dixerat, inventa ſunt; allataque coram populo, ante Dominum projecere. Joſue, & omnis populus, apprehenſum Achan, cum auro, argento, ſupellectili, filiis, filiabus, bobus, aſiniſque, ipſoque tentorio, cunctiſque, quæ ad eum pertinebant, ad vallem Achor duxere: dixitque Joſue: Quod nos turbaſti, te Deus hodie exturbabit. Tunc populus omnis illum, totamque ejus familiam, quam criminis ſociam credidere, lapidibus obruit, quæque ipſius fuerat, igne conſumpſit. Tum ingentem lapidum acervum ſuper ipſum congeſſere, qui huculque ſupereſt. Hæc Scriptor Libri Joſue. Id evenit an. M. 2553. antè Ch. 1447. antè Ær. 1451. Locus, in quo interfectus eſt Achan, impoſterum *Vallis Achor* dictus eſt ad ſeptemtrionem Hiericho.

ACHARIS, græcum nomen, indefinitè minimè gratioſum hominem ſignificans. Eccli. 20. 21. *Homo acharis, quaſi fabula vana in ore indiſciplinatorum aſſidua erit.* Scilicet: Minimè gratioſus homo moleſtus eſt, velut ſcurræ illi, quos ignorans vulgus jactat.

ACHATES, ſeù *Gagathes*, Hebraicè *Schebo*, cujus ſæpè meminit Scriptura (g), à Siciliæ fluvio, in quo reperitur, nomen ducens. Hæc in India etiam, & in Phrygia gignitur. Plura gemmæ hujus ſunt genera: alia enim *achates Sardonix*, ſivè *Sardonix* tantummodò appellatur; alia *achateſ-onix*, ſeù *onix* tantùm; alia *achates chalcedonia*, vel *Chalcedonius* ſolùm; alia *achates Romana*; alia denique *achates Germanica*; coloribus, & pretio differentes. Nonnullæ ſunt, quæ aureis venis, vel albis, vel nigris diſtinctæ ſunt, amethyſto ſimiles. Ex achate vaſa, & crateres fiunt. Orientalis achates lævis eſt, & pellucida, figuras aliquando pulcherrimas affabrè à natura effictas referens.

ACHAZ, Rex Juda, filius Joathan, impietate celeberrimus. Quo ætatis anno regnare cœperit, difficile eſt explicatu (h). Textus viginti annos habentem regnum cepiſſe innuit (i). At quomodo hoc cum iis, quæ ibidem dicuntur, concordandum, regnaſſe ſcil. Achaz ſexdecim tantùm annos; ex quo neceſſariò infertur, ſolos ſex & triginta annos vixiſſe; cum certum ſit Ezechiam ipſius filium vigeſimo quinto ætatis ſuæ anno ad Regnum evectum fuiſſe? Neceſſe igitur erit, Achaz ipſius Patrem, illum undecimo ætatis ſuæ anno genuiſſe, quod plures doctiſſimi Interpretes affirmant (k). Qui hanc ſententiam non ſequuntur, diverſimodè hanc difficultatem ſolvunt. Videndi ſunt Commentarii in 4. Regum.

Achaz viis Iſraelis, ſcil. Samariæ Regum, inſtitit; Idololatriam nempe, & ſcelera ſectatus. Ex filiis ſuis unum conſecravit, per ignem traducens, urendumque relinquens in falſi numinis Moloch cultum, juxtà Gentilium ſuperſtitiones, quos Dominus deſtruxerat, cum Iſraelitæ Terram Chanaan ingreſſi ſunt 4. Reg. 16. 1. &c. Victimas, & incenſum in excelſis, & in collibus, ſubterque frondoſas arbores adolebat. Sub finem Regni Joathan Regis Juda Dominus adversùs Judam Razin Regem Syriæ, & Phacee Regem Iſraelis cœperat commovere 4. Reg. 15. ult. Achaz verò imperante, duo hi Reges illius fines ingreſſi, vaſtata regione, exercituque Achaz fuſo (l), Hieroſolymam obſedere. Quam cum expugnare non potuiſſent (m), Razin, & Phacee, diviſo exercitu, omnem circà regionem excurrerunt. Razin copiæ prædam Damaſcum intulere; Phacee verò, cum uno prælio centum viginti hoſtium millia occidiſſet, ducenta hominum millia, viros ſimul, & mulieres, infanteſque captivos duxit. Cum hi ducerentur Samariam, Obed Propheta unà cum Civitatis proceribus, victoribus obvii, captivorum liberationem precariò obtinuerunt. Igitur dimiſſi, ciboque refecti ſunt, omniſque præda illis reddita eſt, quique præ imbellicitate pedes ire non poterant, jumentis Hiericho delati ſunt (n).

Circa eadem tempora Philiſtini, & Idumæi (o) Achaz ditionem ingreſſi, ſceleribus omnia complentes, ingentia ſpolia extulerunt. Inter hæc, & antè Hieroſolymæ obſidio-

(a) Jerem. 29. 21. 22. (b) Dan. 13. 1. &c.

(c) Dan. 13. 61. 62. Textus apertè non exprimit, illos lapidibus obrutos fuiſſe, ſed cum illis actum, ut cum proximo ſuo agere ii conſtituerant, & juxtà legem Moyſi punitos. Lex autem adulteros lapidibus obrui jubebat, quod erat ſupplicium Suſannæ conſtitutum: talionis ergo pœnam ſubiere.

(d) 1. ad Cor. 16. 15. 17. (e) Joſue 6. 17. (f) Joſue 7. 1. 2. 3. An. M. 2553. ante Ch. 1447. ante Ær. 1451.

(g) Exod. 28. 19. 39. 12. (h) Vide Commentar. in 4. Reg. 16. 2. (i) An. M. 3262. ante Ch. 738. ante Ær. 742.

(k) Vide Hieronym. Epiſt. ad Vitalem; & Samuel. Bochart. Diſſert. in 4. Reg. 26.

(l) 4. Reg. 16. 5. 2. Par. 28. 5. (m) Iſai. 7. 1. (n) An. M. 3263. ante Ch. 737. ante Ær. 741.

(o) 2. Par. 28. 17. 18.

Digitized by Google

obſidionem, Iſaias Propheta (a) ad Achaz veniens, Regnum illius liberandum, hoſteſque conterendos prædixit; atque in vaticinii confirmationem, cujuſcumque prodigii optionem dedit. Renuente Achaa, & dicente nunquam ſe Dominum tentaturum, Iſaias dixit: Audi igitur, domus David: an vobis ſatis non eſt moleſtos eſſe hominibus, ſi Deo etiam graves non ſitis? Ecce ſignum, quod dabit Dominus: Virgo concipiet, & pariet filium *Emmanuel* nomine. Hic butyrum, & mel comedet, quouſque rationis uſum acquirat. Aliud etiam ſignum proximæ Raain, & Phacee perditionis exhibuit, filium ſcilicet ſuum *Chash-Bas*(b); antequàm enim, ait, filius hic patris, matriſque nomina proferre noverit, duo contra Judam juncti Reges morientur.

Non reſipiſcente verò Achaz, permiſit Dominus, ut anno ſequenti, M. 3263. hoſtes redirent, totumque Judæ Regnum depopularentur. Tunc Achaz res ſuas deſperatas animadvertens, Legatos ad Teglatphalaſſar (c) Aſſyriorum Regem miſit, qui ſe ſervum illius eſſe profiterentur, poſcerentque auxilium contra Reges Syriæ, & Iſraelis, coactumque quicquid auri argentique in Templo Dei erat, Regi Aſſyriorum dono miſit. Statim Teglatphalaſſar Razin bello petiit, eoque interfecto, Damaſcum ipſius metropolim cepit, illaque vaſtata, incolas omnes in Cyrenem, ſeù potiùs in Iberiam, ubi Cyrus fluit, tranſduxit. Achaz ad Regem Aſſyriorum, Damaſcum uſque, progreſſus eſt; viſoque ibi prophano Altari, hujus exemplar ad Uriam Pontificem miſit, ut conſimile in Templo Hieroſolymitano extrueretur. Regreſſus Hieroſolymam, illud in Templo Dei collocavit, æreoque, quod ibi erat, amoto, ſuper novum Altare ſacrificia obtulit, Uriæ Pontifici imperans, ut nullibi, niſi ſuper hoc immolaretur. Cælatas quoque baſes, æneoſque luteres ſuperpoſitos abduxit; mare pariter æneum, æneis bobus impoſitum, ſuper pavimentum depoſuit.

Calamitatibus oppreſſus, nedum non movebatur (d), ſed cum maximè affligeretur, tunc præcipuè Dominum contemnebat. Syrorum. Diis immolavit, quos infortuniorum ſuorum authores habebat, illorum favorem cultu ſibi conciliare contendens. Vaſis domus Dei comminutis, Temploque clauſo, Altaria in Hieroſolymæ plateis, cunctiſque civitatibus Juda erigi juſſit, ut incenſum adoleretur. Obiit tandem, ac Hieroſolymæ ſepultus, non tamen in ſepulchris Regum Juda; quo honore indignus habitus eſt. Ezechias ipſius filius illi ſucceſſit An.M.3278. ante Ch.722. ante Ær.726.

ACHAZIB. Vide *Acſib*.

ACHIAB, nepos Herodis magni, & unius ex Hieroſolymæ arcibus Præfectus. Herode Samariæ graviter ægrotante, Achiab Alexandræ Mariamnes matri obſtitit, ne Hieroſolymæ caſtellis potiretur (e). Herodem pariter tenuit, ne ſe cultro in dolorum ſummo confoderet (f). Vanos etiam reddidit duorum millium hominum conatus, qui agrum diſcurrentes, eum aggredi tentabant (g).

I. ACHIAS, Achitob Pontificis filius (h), & ſucceſſor. Moriens fratri ſuo Achimelech, Saulis juſſu interfecto, dignitatem reliquit 1. Reg. 22. 21.

II. ACHIAS, cuſtos theſaurorum Templi ſub David. 1. Par. 2. 16.

III. ACHIAS, filius Eſrom, ex Tribu Juda 1. Par. 2. 26.

IV. ACHIAS, filius Naaman, ex Tribu Benjamin. 1. Par. 8. 7.

ACHIM, filius Sadoch, pater Eliud, è Tribu Juda, & familia David. Hujus mentio fit in Genealogia J. C. Matth. 1. 14

ACHIMAAS, Sadoc Pontificis filius, Patri ſucceſſit circa An. M. 3000., imperante Salomone. In bello Abſalom contrà Patrem, Achimaas Davidem maximè juvit (i): Sadoc enim ipſius Patre, & Chuſai Davidis amico Hieroſolymæ morantibus, ipſe & Jonathas prope fontem Rogel latuere. Cumque ab ancilla audiiſſent, quæ ab Abſalom decreta fuerant, continuò Davidi nunciarunt. Videns autem eos puer quidam, indicavit Abſalom, qui homines poſt illos miſit. At Achimaas, & Jonathas, concito gradu, viri cujuſdam domum ingreſſi in Bahurim, in puteum, in veſtibulo domus illius, deſcenderunt; virique illius uxor velamen ſuper puteum tetendit, quaſi ptiſanas exſiccaret. Venientibus Abſalom exploratoribus, illiſque inquirentibus, mulier reſpondit, paululo aquæ guſtato, citiſſimè diffugiſſe. Ea ratione deluſis, iis diſcedentibus, Achimaas, & Jonathas exeuntes puteo, iter confecere, & David, quæ audierant, nunciarunt.

Poſt prælium, in quo Abſalom victus, & occiſus eſt, Achimaas Joab victoriam nunciandi Davidi facultatem petiit (k): cui Joab: Alias nuncium feres, non hodie; filius enim Regis interiit. Joab igitur juſſit Chuſi, quæ viderat, Regi nunciare. Quo currente, paulò poſt Achimaas rurſum à Joab petiit, ut poſt Chuſi curreret. Ille permiſſionem denegans, ipſi inſtanti demum conceſſit. Per breviorem igitur viam currens Achimaas, Chuſi prætergreſſus eſt. Speculator autem, qui in portæ faſtigio erat, videns hominem ſolum venientem, Regi indicavit. Cui Rex: ſi ſolus eſt, bonum affert nuncium. Si enim clades contigiſſet, populus turmatim rediiſſet.

Hoc celerrimè appropinquante, ſpeculator altero currente proſpecto, vociferatus eſt, addiditque primum, qui curreret, videri ſibi Achimaas filium Sadoch; cui Rex: Bonus eſt; bonum nuncium deferet. Accedens igitur Achimaas, Regem ſalutavit, & uſque in terram pronus: Benedictus, inquit, Dominus Deus tuus, qui te de hoſtibus tuis ultus eſt. Cùm vero Rex continuò de Abſalom quæreret, Achimaas prudenter mortem illius celans, dixit ſe, cum à Joab miſſus eſſet, tumultum vidiſſe, nec aliud ſcire. Tranſi, ait Rex, & illic ſta. Hæc de Achimaas narrantur, Succeſſorem in Pontificatu habuit Azariam, 1. Par. 6. 8.

ACHIMAM, gigas è ſtirpe Enach, in Hebron morabatur, cum Legati exercitus Iſraelis terram Chanaam ſpecularentur. Num. 13. 23.

ACHIMELECH, filius Achitob, & Achiæ frater, cui in Pontificatu ſucceſſit, Marc. 2. 26. Abiathar appellatur. Tabernaculum tunc erat in Civitate Nobe, ibique cum reliquis Sacerdotibus Achimelech morabatur. Cum David à Jonatha amico ſuo admonitus (l) de malo Saulis in ipſum animo, nunquàm rediturus abire ſtatuiſſet, ad Pontificem Achimelech venit (m). Qui David veniſſe ſtupens, cur ſolus veniſſet quæſivit. Reſpondit David, ſe à Rege magni momenti, & ſecretum negotium habere; ſuoſque ad condictum locum ſe expectare juſſiſſe. Interim ſi aliquid haberet ad cibum, ſibi apponeret, etiamſi quinque eſſent panes. Reſpondit Pontifex, prophanos panes ſe non habere, ſed tantùm panes ſanctificatos; quos tribuam, ait, ſi tui mundi ſunt, præcipuè à mulieribus. Subdidit David: Quod ad mulieres attinet, tribus abhinc diebus nos continuimus; quòd ſi quicquam immundum ſit, expiari curabo, priùſquam panibus his utamur.

Rursùm David lanceam, aut gladium petiit. Neque enim, urgente Regis præcepto arma aſſumere potuerat. Achimelech gladium Goliath Philiſtæi, quem in Valle Terebinthi occiderat, qui panno involutus poſt Ephod pendebat, accipere illum permiſit. Poſt quæ, David ad Achis Regem Geth confugit. Doeg autem Idumæus, qui fuerat in Civitate Nobe, dum illo David venerat, cum Saul coram mini-

(a) Iſai. 7. 1. &c. (b) Iſai. 8. 1. (c) 4. Reg. 16. 7. (d) 2. Par. 28. 22. &c. (e) Joſeph. Antiq. l. 15. c. 9.
(f) Antiq. l. 17. c. 9. (g) Antiq. l. 17. c. 12. (h) 1. Reg. 14. 3.
(i) 2. Reg. 15. 27. &c. 17. 17. An. M. 2981. ante Ch. 1019. ante Ær. 1023.
(k) 2. Reg. 18. 18. &c. Ao. M. 2981. antè Ch. 1019. antè Ær. 1023. (l) 1. Reg. 20. 35. 36. &c.
(m) 1. Reg. 21. 1. 2. &c. An. M. 2944. antè Ch. 1056. antè Ær. 1060.

Digitized by Google

miniſtris ſuis quereretur, nullum eſse, qui calamitatibus ſuis tangeretur, nec eorum, quæ adverſus ſe gerebantur, moneret (a); Sauli ea, quæ acciderant, Davide ad Achimelech Pontificem veniente, nunciavit. His auditis Saul Pontificem, cunctoſque Sacerdotes quæri juſſit, inventoque Achimelech quæſivit, cur adverſùs ſe conjuraſset, panes, & enſem David præbendo, Dominumque pro illo conſulendo? Reſpondit Achimelech: Quis inter ſervos tuos tibi fidelis eſt æquè ac David, Regis gener, præceptorum tuorum executor, domi tuæ potens? An hodie pro illo Dominum conſulere incœpi?

Saul Achimelech verba contemnens, mortem illi, & domus exterminium denunciavit. Inde miniſtris innuit, ut in Sacerdotes Domini irruerent. Quibus juſsa facere renuentibus, Saul Doeg Idumæo imperavit, ut omnes Sacerdotes interficeret. Hic præcepto parens, quinque & octogenos homines, lineo ephod indutos, interfecit. Abiathar, filius Achimelech, fuga internecionem fugiens, ad Davidem confugit. Id contigit an. M. 2944. ante Ch. 1056. antè Ær. 1060.

ACHIMOTH, Helcanæ filius. 1. Par. 6. 25.

I. ACHINOAM, Achimaas filia, Saulis uxor, 1. Reg. 14. 50.

II. ACHINOAM, altera Davidis uxor, Amnonis mater. Patria illi Jezrahel. Ab Amalecitis, Siceleg vaſtata, captam, David cum reliqua præda recuperavit. 1. Reg. 30. 5. &c.

I. ACHIOR, Tobiæ amicus, & conſanguineus; ex eadem civitate, & Tribu Nephtali, à Salmanaſar Ninivem deductus, priſtinam Tobiæ amicitiam ſervavit. Tob. 11. 20.

II. ACHIOR, Ammonitarum Dux, qui auxiliares copias ad Holofernis exercitum duxit, cum in Ægyptum proficiſceretur. Bethuliæ civibus ab Holoferne obſidione circumdatis, nec illius præcepta exequi volentibus, Holofernes Principes Moab, & Ammonitarum Duces advocavit, ipſoſque, quænam gens ea eſſet, quæ ſibi obſiſtere auderet, furore percitus poſtulavit: quippe qui Ammonitas, & Moabitas, Hebræis finitimos, rei veritatem noſſe arbitrabatur. Tunc Achior, Ammonitarum Princeps reſpondit: Populus iſte, Domine mi, ex progenie Chaldæorum eſt: Illorum patres initio Meſopotamiam incoluere; tum relicta Chaldæorum Religione, illinc excedere, atque huc venire coacti ſunt. Proſequutus deinde de Jacobi in Ægyptum deſcenſu, de prodigiis è Moyſe patratis, ut ex Ægypto Iſraelitas liberaret, de capta Chananæorum regione; tandem dixit, populum iſtum, cum Domino ſuo paruit, inſuperabilem fuiſſe, Deo ſuo palam defendente: in infidelitatem verò lapſo, Deum de illo ultionem cœpiſſe. Nunc igitur, addidit Achior, inſpice, an quicquam contrà Deum ſuum peccaverint, ſi enim rei criminis alicujus fuerint, tradet illos Dominus in manus noſtras; ſi verò mundi ſint à ſcelere, illis reſiſtere non valebimus; tuebitur enim illos eorum Deus, & nos confundet; Judith. 5. 1. &c.

His auditis, Principes exercitus furore perciti in illum ruere ſtatuerant; ipſeque Holofernes indignabundus ait: Quoniam vaticinatus ex Iſraelis Deum populi ſui partes defenſurum, ut cognoſcas nullum eſſe Deum, præter Nabuchodonoſor Dominum meum, cum populus ille noſtrorum enſium acie cæderur, tu cum illis interficieris. Quare ut vaticinii tui vanitatem experiaris, Bethuliam te duci jubebo, eamdem cum populo iſto, quem inſuperabilem prædicas, ſortem habiturum: ſtatimque Achiorem Bethuliam adduci imperavit. Ductus igitur eſt ad montis radices, propè urbem, & arbori manibus, pedibuſque alligatus, ut Bethuliæ milites, adverſùs ipſos egreſſi, captum in urbem ducerent. Ut in medio populi, & ſeniorum ſtetit Achior, quæ ipſe dixit, quæque acciderant, enarravit. Tunc omnis Bethuliæ populus, ore in terram prono, ad Dominum clamarunt, ut illis præſtò eſſet, utque nominis honorem ulciſcens, hoſtium ſuperbiam contereret. Inde Achiorem conſolati ſunt, illumque Ozias Princeps Populi domi ſuæ convivio excepit.

Achior Bethuliæ toto obſidionis tempore moratus eſt, cumque, occiſo Holoferne, redux Judith caput illius abſciſſum geſtaret, Achior advocatus eſt (b), illique Judith caput Holofernis exerens, ecce, inquit, caput illius, qui Deo Iſraelis inſultabat, quique te una nobiſcum ſuorum enſium acie diſcerpendum minabatur. Achior, viſo Holofernis capite, timore correptus, in faciem ſuam cecidit, deliquium paſſus. Reſumpto autem ſpiritu, Judithæ dixit: Benedicta tu a Deo tuo in omni domo Jacob, quoniam Iſraelis Deus per omnes populos, qui tuum nomen audient, in te glorioſus efferetur. Hinc relicta Paganorum ſuperſtitione, in Deum credidit, accepta circumciſione, interque Iſraelis populum connumeratus eſt. Judith. 14. 6.

Holofernis bellum alii temporibus Manaſſis Regis Juda ponunt, An. M. 3348. antè Ch. 652. antè Ær. 656.; alii poſt reditum è Babylonica captivitate. Videndi Interpretes, & noſtra in Librum Judith. Præfatio.

ACHIRAM, ſive *Abiram*, ex Tribu Beniamin, caput unius ex magnis Tribus iſtius familiis, dum Hebræi Ægypto egrederentur. Num. 26. 38

ACHIS, Rex Geth. Fugiens à Sauſe David, in regionem Philiſtæorum, & in civitatem Geth, ad Regem Achis confugit 1. R. 20. 10. Miniſtri Achis, viſo Davide, dixerunt Regi hunc virum eſſe, de quo filiæ Iſraelis dixerant: Percuſſit Saul mille, & David decem millia. His auditis, David vitæ ſuæ metuens, inſaniam coram Philiſtæis ſimulavit; interque ipſorum manus labens, & in portas impingens, ſalivas per barbam dimittebat. Achis igitur miniſtros objurgavit, quòd hominem inſanum ad ſe adduxiſſent. Dimiſſus ergo David, fugit è civitate Geth, vitæque diſcrimen evaſit. Id contigit an. M. 2944. antè Ch. 1056. antè ær. 1060.

Elapſis autem tribus (c), quatuorve annis, David, præmonito forſitan Achis Rege, Legatos ad illum miſit, qui ſuum illi miniſterium exhiberent, oraſentque, ut ſe in ſuam civitatem, aut regionem reciperet. Achis optimè virtutem Davidis agnoſcens, ſcienſque cauſas amari animi, quem cum Saule habebat, ipſum in civitatem Geth (d), ſexcentoſque, qui illum ſequebantur, cum eorum uxoribus, & filiis, accepit. Poſtquam aliquandiù inibi commorati ſunt, David petivit à Rege, ut aliquam ſibi Urbem decerneret, neque enim par eſſe, ut ipſe Regis ſervus in Regia Civitate moraretur. Acceptaque pro domicilio Siceleg, ibi permanſit. Cæterum, quatuor iis menſibus, quibus in civitate Geth moratus eſt, cum ſuis omnem circà regionem excurrens depopulabatur, quoſcumque vidiſset interficiens, ne, ubi bellum gereret, noſceretur. Interim Achis Regi, ſe regiones Juda excurriſse, quaſque illi deferebat prædas, inde abſtuliſse prædicabat. Qui dictis illius credens dicebat apud ſe, tot illum in populum ſuum mala intuliſse, ut nunquàm ad illos redire auſurus eſset.

Poſt duos circiter annos (e), Philiſtæis in Iſraelitas bellum parantibus, Achis Davidi imperavit, ut ſe ad bellum ineundum inſtrueret; illius enim fidei vitæ ſuæ cuſtodiam commiſsurum 1. Reg 28. 1. Philiſtæis igitur ad civitatem Aphec, in campo magno, ſeù in valle Jezrahel ſitam, progreſſis, David cum Achis Rege, & ſuis agmen claudebat 1. Reg. 29. Tunc Principes Philiſtæorum Regi dixerunt, ut Hebræos ac Davidem expelleret, timere enim ſe, ne in prælio contrà Philiſtæos arma vertens, ſanguine ipſorum Saulis amicitiam ſibi conciliaret.

Achis

(a) 1. Reg. 22. 6. &c. (b) Judith. 13. 27. &c.
(c) An. M. 2947. ante Ch. 1053. ante Ær. 1057. (d) 1. Reg. 27. 2. &c.
(e) An. M. 2949. antè Ch. 1051. antè Ær. 1055.

Digitized by Google

Achis igitur Davidi dixit, nihil ſe habere, quod illum objurgaret, ſed, cum Satrapis non placeret, regrederetur. David quid feciſſet, interrogavit, quod à bello arceretur. Cui reſpondit Achis: quod ad me attinet, ego te veluti Angelum Dei habeo; ſed Principes Philiſtæorum nolunt te cum ipſis bellum gerere. David igitur ſequenti die in civitatem Siceleg regreſsus eſt, quam ab Amalecitis direptam invenit. Poſt prælium verò Gelboe, in quo Saul cum filiis interfectus eſt, David non diù inibi fuit; inde enim in civitatem Hebron in Tribu Juda rediit 2. Reg. 2. 1.; & poſt hæc tempora Achis Regis Scriptura nuſquam meminit.

ACHISAMECH, pater Ooliab, celebris illius Artificis, à Moyſe pro Tabernaculi erectione in deſerto conſtituti (a).

I. ACHITOB primogenitus Phinees II., & Heli Pontificis nepos. Occiſo Phinees in infelici prælio, in quo Arca Domini à Philiſtæis capta eſt 1. Reg. 4. 11., avo ſuo Heli ſucceſſit An. M. 2888. Succeſſorem habuit Achiam filium ſuum circa An. M. 2911. antè Ch. 1089. antè Ær. 1093.

II. ACHITOB ſecundus Amariæ filius, & Sadoc Pontificis pater 1. Par. 6. 8.. An Achitob Pontificatum exercuerit, ignoratur; certum tamen eſt, ipſum patrem fuiſſe Sadoc, qui Salomone imperante Pontificem egit.

ACHITOPHEL, de Gilo. Judæi (b) ipſum Betſabee uxoris Uriæ, & deinde Davidis, per filium ſuum Ammiel (c) Betſabee patrem, avum fuiſſe arbitrantur. Si hæc vera ſunt, Achitophel tempore belli Abſalom valdè ſenem fuiſſe neceſse eſt, cum Betſabee ejus neptis, priùſquam Davidi jungeretur, Uriæ uxor fuiſſet. Sunt (d), qui credant, Achitophel Abſalom partes cepiſse, ut injuriam à Davide ipſi Betſabee illatam ulciſceretur. Quicquid ſit, ſtatim ac Abſalom à pleriſque Iſraelitarum Rex ſalutatus eſt, è civitate Gilo Achitophel Davidis conſiliarium advocavit, ut ſibi à conſiliis eſſet 2. Reg 15. 12.; ejus enim conſulta veluti Dei ipſius reſponſa exiſtimabantur 2. Reg. 16. 23. Gravius nihil Davidi contigit, quàm Achitophel Abſalom adhæſiſse; cùmque Chuſai ad illum venit, ipſum fugientem ſecuturus, obteſtatus eſt, ut Hieroſolymam rediret, inibique ſe Abſalom amicum ſimulans, Achitophel conſilia deſtrueret.

Ut Hieroſolymam pervenit Abſalom, Achitophell imperavit, ut cum reliquis conſiliariis, quid agendum deliberaret 2. R. 15. 31. Achitophel ſtatim Abſalomum hortatus eſt, ut patris ſui concubinis abuteretur; ut hoc audito, omnis Iſrael conſtantius ipſum ſequeretur. Erecto igitur in ſolario Regis tentorio, Abſalom coram omni Iſraele ad concubinas Davidis ingreſsus eſt. Inde Abſalomo dixit Achitophel 2. Reg. 17. 1.; Si vis, eligam duodena hominum millia, & hac eadem nocte Davidem perſequar, irruenſque ſuper eum inermem adhuc, & feſsum, facilè illum, eoſque, qui ipſum ſequuntur, diſſipabo, & à ſuis derelictum interficiam. Poſt hæc, pacatum exercitum reducam. Hoc conſilio Abſalom, cæteriſque Iſraelis ſenioribus comprobato, Abſalom tamen Chuſai accito, ipſius ſententiam audire voluit.

Hic cum veniſset, audito Achitophelis conſilio, dixit; Achitophelis conſilium ere tua non eſse cenſeo. Hoc mea ſententia in præſens præſtare poteris: Iſraelem congrega, à Dan uſque Berſabee, innumerum velut arenas maris, & in medio ipſorum te conſtitue, & ubicumque David latitaverit, ſuper ipſum irruentes præ numero opprimemus, velut ros in terram cadens. Hoc conſilium Abſalom, & Iſraelis ſenioribus placuit; permittente Domino, ut iſtud Achitophelis conſilio tunc temporis opportuniori, in Abſalom ruinam præponeretur. Achitophel ſuum poſthaberi conſilium videns, ſterni aſinum ſuum juſſit, domumque pergens, in civitate Gilo, diſpoſitis domus ſuæ negotiis ſeſuſpendit, & in ſepulchro patrum ſuorum ſepultus eſt. Prævidens enim procul dubio, quæ Abſalom eventura erant, emeritam mortem, qua David ad Regnum regreſsus illum damnaſset, antevertit. Hæc evenere an. M. 2981. ante Ch. 1019. antè Ær. 1023.

I. ACHOBOR Balanani Idumææ Regi filius. Geneſ. 36. 38.

II. ACHOBOR, Joſiæ Regis Miniſter, ad Holdam prophetidem miſsus, ut illam ſuper Libro Legis ab Helcia Pontifice invento conſuleret (c).

III. ACHOBOR, Elnathani Pater, de quo Jerem. 26. 22. de Elnathano ſuo loco dicetur.

ACHOR, vallis in agro Jericho, in Tribu Beniamin, ubi Achan cum filiis, & filiabus ſuis, lapidibus obrutus, & combuſtus eſt (f).

ACRA, nomen Græcum, genericè arcem ſignificans, quo ſenſu Syri, & Chaldæi utuntur. Antiochus Epiphanes arcem ad Templi ſeptemtrionem, in tumulo illi imminente erexit (g): ex quo mons ille *Acra* dictus eſt. Joſephus (h) teſtatur tumulum illum emicyclicam habuiſse figuram, & Simonem Machabæum, pulſis inde Syris arcem ſimul, & tumulum triennali labore ſolo æquaſse. Horum ruinas in vallem ſubjectam projici juſſit, ne aliquid impoſterum Templo immineret. Super montem Acram ſucceſsu temporis Helenæ Adiabenorum Reginæ (i), Agrippæque palatia (k), publica archivia, Concilium, ſeù locus, quo Hieroſolymorum Magiſtratus conveniebant, ædificata fuere (l).

I. ACRABATENE, Regio in Judææ finibus ſita, inter *Naplusam*, ſeù *Sichem*, & *Hiericho* extenſa (m); orientem versùs, longitudine paſsuum duodecim millium. Nomen ducit ab *AKrabim*, loco novem paſsuum millibus ab urbe Sichem diſſito, ortum versùs (n). De hac pluries Joſephus.

II. ACRABATENE, altera regio in Judææ extremo ſita, in finibus Idumææ, ad meridionalem Aſphaltitis extremitatem. Hæc etiam nomen habet ab *Akrabim*, in Vulgata, *Aſcenſus Scorpionis*, dicto Num. 34. 4. De hac poſtrema *Acrabatene* in 1. Mach. 5. 3. ſermo habetur.

ACRON, ſeù *AKron*, vel *Ekron*, eandem quæ *Accaron*, de qua ſuperiùs.

ACROSTICHA. Opera Acroſticha. Vide verbo *Literæ*.

ACSAPH, civitas Tribus Aſer. Hujus Rex à *Joſue* profligatus; Joſue 12. 20.

Nonnulli opinantur, *Acſaph* eamdem eſse ac *Ecdippum*, urbem ad Mediterraneum ſitam, Tyrum inter, & Ptolemaidem. Aliis *Ecdippum* in Joſue ſub *Acſib* nomine deſignari placet. Joſue 19. 29. Arabes *Sib* appellant locum quendam trium horarum itinere Ptolemaide diſſitum, ad ſeptemtrionem, ubi vetus Ecdippus fuit. Probabile valdè eſt, *Acſaph*, & *Acſib* eamdem *Ecdippum* ſignificare in ora Phœniciæ.

ACSIB. Eadem, ac *Ecdippus* Urbs ad Mediterraneum, inter Tyrum, & Ptolemaidem. Vide *Acſaph*.

ACTA APOSTOLORUM: Novi Teſtamenti Canonicus liber: magnam SS. Petri, & Pauli vitæ partem, ab Aſcenſione Chriſti, ad Pauli adventum Romam, cum ad Cæſarem provocaverat, hiſtoriam ſcilicet octo ſupra viginti, vel triginta annorum continens. Horum Scriptor S. Lucas uſquequaque habitus eſt; qui enarratis in Evangelio Chriſti operibus, Principum etiam Apoſtolorum facinora, miramque rationem, qua Spiritus S. Eccleſiam Chriſti ſanguine redemptam, efformavit, docere conſtituit.

Hæc

(a) Exod. 31. 6. An. M. 2514. ante Ch. 1486. ante Ær. 1490.
(b) Author Libri Tradit. Hebr. in Lib. Reg. & Paralip., & ita Interp plerique. (c) 1. Par. 3. 5 Collatum cum 2. Reg. 11. 4.
(d) Cornel. à Lapide, Tirin. &c. (c) 4. Reg. 22. 14. An. M. 3380. antè Ch. 620. antè Ær. 624.
(f) Joſue 7. 24. An. M. 2553. antè Ch. 1447. antè Ær. 1451. (g) Joſeph. Antiq. lib. 12. c. 7. & 14.
(h) Joſeph. Antiq. lib. 13. c. 11. p. 446. 447. (i) Joſeph. de Bello l. 7. c. 13.
(k) Joſeph. Antiq. l. 20. c. 7. p. 964. (l) Joſeph. de Bello l. 7. c. 13.
(m) Euſeb. in voce *Akrabim*. Item in *Idumia*. Vide & Joſeph. de Bello l. 2. c. 12.
(n) Vide Euſeb. in Akrabim.

Hæc ab OEcumenio in Acta p. 20., *Evangelium Spiritus Sancti*, à Chryſoſtomo in Acta homil. 1. *Evangelium reſurrectionis Chriſti*, appellantur. Hic in vita, & prædicatione Apoſtolorum maximum virtutis Spiritus Sancti prodigium, primitque in Chriſtianis, egregium Chriſtianæ vitæ ſpecimen exhibetur. Hinc fit, S. Lucam, licèt ſimplicem tantùm hiſtoriam narrare videatur, morbis animorum noſtrorum tot medicamenta, ut Hieronymus Ep. 103. p. 9. ait, præbere, quot verba.

Creditur S. Lucas hoc ſibi propoſuiſſe, ſinceram ſcilicet Apoſtolorum vitam, atque acta, falſis, quæ vulgò ſcribebantur, opponere. Hæc tanti ab Eccleſia ſemper facta ſunt, ut aliis neglectis, hæc tantùm adoptarit. Apocryphorum, quorum nomina permanſere (pauca etenim integra ſuperſunt) Actorum Catalogum mox exhibebimus.

Quo tamen tempore Acta ſcripſerit S. Lucas, incertum eſt. In hoc omnes conveniunt, poſt ſuum nempe Evangelium ſcripſiſſe; quinimmò nec ſcribere potuiſſe, niſi duobus annis, poſtquàm Paulus moratus eſt Romæ in primo ſuo itinere, anno ſcilicet circiter 62. ſeù 63. Æræ, cum de hoc itinere, ejuſque mora ibidem diſſerat Lucas. Fortaſſe Romæ ſcripſit apud Paulum in carcere detentum, cum quo duobus annis, quibus ibi fuit, uſque ad illius liberationem, moratus eſt.

Græcè ſcripſit, puriori etiam, ac elegantiori ſermone, quàm cæteri novi Teſtamenti Scriptores. S. Epiphanius hæreſ. 30. c. 3. & 6. librum hunc ab Ebionitis è Græco in Hebræum, Syriacum ſcilicet, Palæſtinæ Judæis commune, idioma tranſlatum tradit. Corruptum tamen ab ipſis, pluribuſque fabulis, ac injurioſis Apoſtolorum memoriæ criminibus interpolatum. Sanctus Hieronymus de Scriptor. Eccl. aſſerit, veris Actibus itinera SS. Pauli, & Theclæ, & hiſtoriam baptiſmi cujuſdam Leoni miniſtrati, à quodam Aſiæ Presbytero addita fuiſſe. D. Grabbe, in ſuo Patrum Spicilegio, Sanctæ Theclæ hiſtoriam edidit, quam ipſe veterem ab Hieronymo indicatam hiſtoriam eſſe opinatur, in qua Leonis baptizati narratio non habetur. Narrat Tertullianus S. Joannem Evangeliſtam corruptæ in hac narratione veritatis Presbyterum hunc redarguiſſe, qui cauſatus eſt ſe id feciſſe (a) ſtudio S. Pauli celebrandi.

Liber Actuum Apoſtolorum Canonicus ſemper habitus eſt in Eccleſia. Marcionitæ (b), Manichæi (c), & nonnulli alii hæretici hunc reſpuebant, eo quod apertiſſimè errores ſuos damnare viderent. Teſtatur S. Auguſtinus Ep. 315. novæ edit. n. 1. Librum hunc ab Eccleſia religioſè receptum, & quotannis in Fidelium cætu legi ſolitum. S. Chryſoſtomus queritur, ſuis temporibus libri hujus notitiam, lectionemque negligi. Ipſe verò illius dotes enixè laudat, meritòque aſſerit, non minoris eſſe, quàm Evangelium, utilitatis.

ACTA APOSTOLORUM APOCRYPHA, Abdiæ ficto Babylonis Epiſcopo tributa. Impoſtor ille, ſe Epiſcopum ab ipſis Apoſtolis, in Perſidem euntibus, Babylone conſecratum dicit. Hæc tamen ſcripta nec vetuſta ſunt, nec authentica; quippe quæ nec Euſebio nota, nec S. Hieronymo, nec aliis antè illos Patribus. Author dicit, ſe Græco ſermone ſcripſiſſe, & opus ſuum ab Julio Africano, Græco etiam Scriptore in Latinum tranſlatum. Hegeſippum nominat, qui ſecundo ſæculo Eccleſiæ vixerat. Vitæ denique Apoſtolorum adeò refertæ ſunt fabulis, ut malè digeſtus Romanus dici queant.

ACTA S. PETRI, ſeù *Periodi Petri*, quæ adhuc ſuperſunt ſub nomine *Præcognitionum S. Clementis*, prolixiora, quàm olim fuerint. Opus fabulis plenum, ex Ebionitarum Schola originem ducens. Videantur quæ de his habet Cotelerius in Patribus primi ſæculi. Videatur etiam Fabricius Apocryph. N. T. p. 759. & ſeq.

ACTA S. PAULI, poſt Apoſtoli hujus mortem ſcripta, ut ſupplementum ad ea, quæ S. Lucas ſcripſerat, de iis, quæ à Paulo geſta ſunt altero itineris ſui Romam anno, uſque ad ipſius mortem. Librum hunc omnino deperditum bis longiorem fuiſſe Actis Apoſtolorum canonicis neceſſe eſt: Codex enim Ms., à Cotelerio not. in Ep. Barnab. laudatus, librum hunc quingentos, & ſexagenos verſus ſuprà quatuor millia continuiſſe teſtatur: Canonica verò Apoſtolorum Acta, quingentos ſuprà duo millia. Euſebius, qui hunc librum viderat, de illo veluti de ſuppoſititio opere, nullaque fulto authoritate loquitur in hiſt. Eccl. l. 3. c. 25.

ACTA S. JOANNIS EVANGELISTÆ, SS. Epiphanio hæreſ. 47., & Auguſtino (d) cognita, incredibilia Apoſtoli hujus geſta continebant. His utebantur Encratitæ, Manichæi, & Priſcillianiſtæ. Fortaſſè Author Synopſis S. Athanaſio adſcriptæ, hæc acta laudat ſub nomine *Itinerarii S. Joannis*. Eadem acta creduntur ac quæ in falſo Abdia ſuperſunt.

ACTA S. ANDREÆ, ex S. Auguſtino nota, & à Manichæis recepta, diverſa ab iis, quæ ſuperſunt ſub nomine Presbyterorum Achaiæ. His Apocryphis actis Manichæi (e), Encratitæ (f), & Apotactici utebantur. Vide S. Epiphanium hæreſi 61. & 63.

ACTA S. THOMÆ; quorum aliqua verba citat S. Auguſtinus (g), & Manichæis in uſu fuiſſe teſtatur. Horum partem in vita S. Thomæ falſus Abdias excerpſit. Simonius vetera hæc Acta S. Thomæ reperiſſe credit ſub nomine *Periodorum S. Thomæ Apoſtoli*, in Græco Mſ. ſervato in Bibliotheca Galliarum Regis, numero 1832. Horum fragmenta quædam edidit in ſuis Obſervationibus in Textum, & Verſiones novi Teſtamenti.

ACTA S. PHILIPPI, opus Gnoſticis familiare, & à Gelaſio Papa inter apocrypha amandatum. Anaſtaſius Sinaita fragmentum quoddam iſtorum ſervavit in ſuo Opere Trium Quadrageſimarum, edito à Cotelerio in ſuis monumentis Eccleſiæ Græcæ tom. 3. p. 428.

ACTA S. MATTHIÆ (h). Volunt aliqui, Judæos aliquandiù primum vitæ, & mortis S. Matthiæ exemplar celaviſſe, & à quodam Trevirenſis Abbatiæ S. Matthiæ Monacho ex eorum manibus erutum, quod Latinitate donatum in lucem edidit. Critici verò (i) hæc acta nec vera, nec authentica exiſtimant. Fortè Judæi bonæ fidei hominem deceperunt.

I. ADA, bigami Lamech uxor, Jabel, & Jubal mater Gen. 4. 19. Aliorum, quos plures habuiſſe creditur, filiorum nomina ignorantur. Quadam die, qua occaſione incertum eſt, Lamech duabus uxoribus ſuis Adæ, & Sellæ dixit Gen. 4. 23., Virum, & juvenem abs ſe occiſos; Deum verò, qui ſepties Caini interfectorem puniturus fuiſſet, Lamechi occiſorem ſeptuagies ſepties multaturum. De hoc legendæ Interpretum conjecturæ.

II. ADA, filia Hethæi Helon, Eſau uxor, & mater Eliphaz Geneſ. 36. 2.

I. ADAD, filius Badad, Huſan in Idumææ Regno ſucceſſor Gen. 34. 35.. Madianitas in regionibus Moab bello fudit. Civitas, in qua regnavit, *Avith*, appellatur, cujus ſitus ignotus eſt. Semla de Mareſſa, ſeu Mareſa, illi ſucceſſit.

II. ADAD, Syriæ Rex, Damaſci regnabat, cum David Adadezer, alium Syriæ Regem invaſit 2. Reg. 7. 3. 4.. Nicolaus Damaſcenus apud Joſeph. Antiq. l. 6. c. 6. narrat, Adad, cum noſſet amicum ſuum Adadezer à Davide invaſum, auxilia ipſi ad Euphratem miſiſſe, ubi David morabatur; ibique ambos à Davide profligatos. Dicit etiam Scriptura 2. Reg. 8. 5., quemdam Damaſci Regem ad Adadezer Regem Sobæ auxiliares copias miſiſſe, quibus David ad 22000. trucidavit. Hujus nomen Nicolaus Damaſcenus ſervavit; addens Reges omnes hujus urbis impoſterum illius nomine nuncupatos; quorum unum, ut illatum primo Adad dedecus ulciſceretur, Samariæ Rege invaſo, totam provinciam devaſtaſſe. Hic fuit Benadab, qui in Achabum bellum geſſit, ut vidimus verbo *Achab*.

III. ADAD, Orientalis Idumææ Regis filius, à ſervis Patris ſui adhuc parvulus primò in Terram Madian,

(a) Tertull. de Baptiſmo, c. 17. (b) Tertull. l. 5. cont. Marcion. c. 1. 2.
(c) Aug. de utilit. credendi c. 3. & Ep. olim. 253. nunc 237. n. 2.
(d) Auguſt. de Fide, c. 4. & 40. & contra Adverſar. Legis, & Prophet. lib. 1. c. 20.
(e) Aug. de fide contra Manich. 38. & alibi. (f) Epiph. hæreſ. 42.
(g) Aug. lib. contra Adimant. c. 17. & lib. 22. contra Fauſt. c 79., & l. 1. de Serm. Domini in monte, c. 20.
(h) Bolland. 24. Februarii. (i) Vide Tillemont. tom. 1. hiſtor. Eccl. 1186., & Fabricium Apocryph N. T. p. 781.

inde in regiones Pharam, ultimo in Ægyptum delatus, cùm Joab Dux exercitus David, omnes Idumææ mares interficeret (a). Introductus ad Regem Ægypti, & ab illo poſſeſſionibus, domo, omnibuſque ſumptui neceſſariis donatus, adeò Regis hujus amorem ſibi conciliavit, ut ab ipſo Reginæ Taphnes uxoris ſuæ ſororem nubendam acceperit; ex qua filium habuit, Genubath nomine, a Taphne Regina in domo Pharaonis cum Regiis liberis educatum. Inde audita Davidis, & Joab morte, à Pharaone commeatum petiit, qui fruſtra illum retinere conatus, tandem precibus victus, dimiſit. Ut in Idumæam pervenit, Salomonem vexare cœpit: quid tamen egerit, ſcriptura non memorat.

Author eſt Joſephus Antiq. l. 8. c. 2. primò hunc Adad, diù poſt Davidis mortem, Salomonis rebus ob ipſius impietates jam dilabentibus in Idumæam rediiſſe. Secundò regreſſum in Idumæam, & fruſtra Idumæos adversùs Salomonem concitare tentantem, quippe qui ingentibus præſidiis, quæ in eorum regionibus Salomon habebat, in officio continerentur, undecumque copias conſcripſiſſe; hiſque ad Razonem, Adarezer Syriæ Regis perduellem, ductis, hujus ope magnam Syriæ partem acquiſiviſſe, ibique ſtatuto Regno, Salomonis fines excurſionibus vexaſſe. Hæc Joſephus.

Toſtatus, Salianus, & alii aſſerunt, Pharaonem Ægypti Regem pacem inter Adad & Salomonem feciſſe, ea lege, ut Adad in Idumæam Regnum obtineret, tributum Salomonis perſolvens: Adad verò aliquot annis Salomoni obtemperantem, tandem jugo excuſſo ſub finem Regni illius à Salomone defeciſſe.

IV. ADAD, Balanani Idumææ Regis filius, in civitate Phau regnavit 1. Par. 1. 50. Poſt hujus mortem Idumæam Duces, ſeù Principes gubernarunt, enumerati 1. Par. 1. 51.

V. ADAD. Hoc nomine appellat Joſephus Syriæ Reges, à Scriptura *Benadab* nuncupatos, de quibus *v. Benadab*.

VI. ADAD, Syriorum Deus, a Macrobio Saturnal. l. 1. c. 23. Sol eſſe creditus. *Adad unum* ſignificat, vel *ſolum*. Hoc nomen plures Syriæ Reges habuere. Author eſt Nicolaus Damaſcenus apud Joſeph. Antiqu. l. 7. c. 6. diù Reges Syriæ *Adad* appellatos, ut Ægypti Reges *Ptolomæos*.

ADADA, urbs in parte meridionali Juda. *Joſue* 15. 22.

ADAD-REMMON, urbs in valle Jezrahel. Hic lamale bellum fuit, in quo Joſias Rex Juda ab exercitu Nechao Regis Ægypti interemptus eſt (b). Succeſſu temporis *Adad-remmon* dicta fuit *Maximianopolis* (c) in honorem Maximiani Imperatoris. Decem & ſeptem paſſuum millibus à Cæſarea Palæſtinæ, & decem à Jezrahel diſtat (d).

I. ADAIA, è Tribu Levi, filius Ethan, & pater Zaræ 1. *Par*. 8. 41.

II. ADAIA, e Tribu Beniamin, filius Semei. 1. *Par*. 8. 21.

III. ADAIA, è Sacerdotum ſtirpe, filius Jeroham, & Maaſiæ pater. 1. *Par*. 9. 12.

ADALI, Amaſæ pater, ex Ephraim. 2. *Par*. 28 12.

ADALIA, quintus Amani filius, Aſſueri juſſu cum fratribus ſuis ſuſpenſus. *Eſther* 9. 8.

ADAM, hominum primus à Deo creatus. Dicitur hoc nomine, *rufum* apud Hebræos ſignificante (e), appellatus à ſubrubræ terræ colore, ex qua conditus eſt. Adam ſignificat etiam hominem genericè. Formato ex limo terræ Adamo ad ſui ſimilitudinem Deus inſpiravit ſpiritum vitæ; cui & in omnia terræ animantia imperium contulit, illique benedixit Gen. 1. 26. & 2. 7. Tum poſito Adamo in amœniſſimo horto, ut illum coleret, & illius fructibus veſceretur, Deus imperavit, ut ea omnibus Paradiſi fructibus comedens, à fructu arboris ſcientiæ boni & mali abſtineret, mortem etiam minitans, ſi juſſa violaret. Gen. 2. 8. 15.


Paulò poſt ductis a Deo omnibus terræ animantibus, & Cæli volucribus ad Adam, ut nomina convenientia ſingulis imponeret, Adam proprium, & præcipuas ſingulorum dotes explicans nomen impoſuit Geneſ. 2. 19. Cum autem omnia animalia bina eſſent creata, mas & fœmina, ſolus homo ſibi ſimile non habebat. Quare illi ſimile adjutorium creare decernens Deus immiſſo in hominem ſopore, unam ex illius coſtis aſſumſit, & pro ea carnem ſupplevit; ex eaque fœminam efformavit, & illi excitato oſtendit. Tunc Adam dixit: En os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; cujus nomen ex viri nomine derivabitur; ex viro enim extracta eſt. Idcircò homo patre & matre relictis, uxori adhærebit, eruntque duo in carne una. Adam igitur uxorem ſuam *Evam* appellavit, *vivificam* ſcilicet, ſeù *viventem*, aut *viventium matrem*. Uterque autem cum nudi eſſent, non erubeſcebant.

Verſutiſſimus autem animalium Serpens, ad Evam quadam die veniens, quæſivit, cur Deus omnium, qui in Paradiſo erant, fructuum liberam comeſtionem non permiſiſſet? Cui reſpondente Eva, ex omnibus comedere fructibus licere, uno tantùm excepto, à quo mortis comminatione prohibebantur; tum ſerpens, nequaquam moriemini, reſpondit: Deus autem idcircò illum ne comederetis, vetuit, quia ex ipſius eſu omnimodam mali bonique cognitionem vobis proventuram novit. Fœmina itaque fructum guſtui optimum, viſuque gratiſſimum intuita, divulſum deinde ex arbore comedit, viroque præbuit, qui & ipſe guſtavit. Statimque, apertis eorum oculis, ſe nudos eſſe percepere, conſutiſque ficus foliis nuditatem operuerunt. Cumque Dominum occidente jam Sole, in Paradiſo deambulantem audiſſent, in denſiſſima arborum ab ipſius conſpectu diffugerant. Compellanti verò Adamum Domino, ille ſe ob ſuam nuditatem fugiſſe reſpondit. Tunc Dominus: ex quo te nudum eſſe didiciſti? Deguſtatus à te, quem vetueram, fructus edocuit. Cauſanti verò uxorem Adamo, Dominus mulieri dixit, cur hoc feciſſet? Quæ Serpentis fraudem accuſavit. Tum Dominus Serpenti maledicens, ut humi jugiter reptaret, terramque comederet, damnavit; æternas inter ipſum, & mulierem inimicitias fore prænuncians, cujus ipſe calcaneo inſidiaretur, & ab illa viciſſim caput ipſius contereretur. Inde ad fœminam verſus, tuos, inquit, impoſterum partus doloribus cumulabo, tibique vir dominabitur. Ad Adam verò, quòd, ait, uxori obtemperaris, vetitumque fructum comederis, propter te maledicta erit terra, cibumque tibi elaboratum miniſtrabit; tribulos, & ſpinas producet tibi, herbaſque terræ comedes. Panem ſudore conficies, donec in tellurem regrediaris, ex qua ſumptus es, pulvis enim es, & in pulverem reverteris.

Tunc Dominus Adamo & Evæ tunicas ad nuda corporis contegenda (f) compoſuit, ipſoſque induit, dixitque: En Adam factus quaſi unus ex nobis, ſciens bonum, & malum. Ne verò è fructu arboris vitæ comedat, æternùmque vivat, hinc ejici oportet. Idcircò ejecit eum Dominus è Paradiſo voluptatis, ut terram operaretur; poſuitque ante Paradiſum Cherubim flammeo gladio inſtructum, ut arborem vitæ cuſtodiret. Quamdiù Adam & Eva in Paradiſo morati ſint, incertum; diviſis in varias ſententias Interpretibus (g). Alii aliquot annos, alii plures dies, alii aliquot horas aſſerunt. Nos decem, aut duodecim diebus ibi fuiſſe, & inde virgines exiſſe arbitramur.

Poſt aliquid temporis concepit Eva, & peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem Deo favente. Gen. 4. 1. 2. Filiam pariter eodem tempore, & geminos ſemper peperiſſe creditur. Tres tantùm Adami filios ſcriptura memorat: Cain, Abel, & Seth, nec ullam ei filiam tribuit: Moyſes verò dubium ſolvit, cum filios, & filias genuiſſe aſſerat. Obiit Adam nongentos, & triginta annos natus (h). Hæc de Adamo Moyſes. Interpretes tamen innumeras ſuper eo quæſtiones excitarunt. Nulla profectò hiſtoria curioſis adeò, & quas operæ pretium ſit recenſere,

(a) 3. Reg. 11. 14. 17. &c. circa An. M. 2963. ante Ch. 1037. ante Ær. 1041. (b) Compara 12. 11. cum 4. Reg. 23. 29.
(c) Hieron. ad Zach. 12. Vide & ad Oſee 1. (d) Itinerar. Jeroſolym. antiq. (e) Joſeph. Antiq. l. 1. c. 1.
(f) Juxtà Literam Hebraicam *tunicas pellis*, ſeù *tunicas ad tegendam pellem eorum*, eorum ſcilicet nuditatem. *Chald. Veſtimenta honoris*, 70. χιτῶνας δερματίνους.
(g) Vide Moſ. Barcepham de Paradiſo, & Perer. in Geneſ. 3. & alios. (h) Geneſ. 5. 5. antè Ch. 3070. ante Ær. 3074



ARBOR GENEALOGICA DESCENDENTIUM ADAM ET EVÆ.
usque ad diluvium Gen. IV. V.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EM. III NAPOLI

Digitized by Google

cenſere, quæſtionibus ſcatet, quarum nonnullas hic examinabimus.

Serpentem, qui Evam tentavit, Dæmonem eſſe (a), certum eſt, tartareum illum anguem, qui innocentis hominis dotibus invidens, acceptis à Deo donis diſſipandis præbuit occaſionem. Anguis formam, ut tentaret, induit; cujus autem anguis? Alii (b) putant, Serpentem tunc temporis ſermonis uſu præditum, & cum muliere familiariter locutum fuiſſe, ea nihil diffidente; ipſoque ſermonis uſu à Deo privatum, quòd Evæ ſimplicitate abuſus ſit. Aliis (c) placet Dæmonem in Serpentis figuram transformatum, ſub hac forma cum Eva ſermonem habuiſſe. Alii (d) arbitrantur verum Serpentem ex eo fructu comediſſe, ex quo Eva tutò fructum illum comedi poſſe arguerit. Hanc ſimplicem actionem, inquiunt hi Authores, Moyſes ſub allegoria Serpentis Evam alloquentis enarravit.

Cajetanus in tota Moyſis narratione fictum quemdam Dialogum Serpentem inter, & mulierem agnoſcit; quo internæ Diaboli ſuggeſtiones, infirmuſque adversùs illas mulieris animus depingerentur. Volunt alii Serpentis verba fuiſſe illius ſibilum, ex quo Eva, omnium animalium voces noſcens, quid ſibi vellet, intellexit. Lyſanus quorumdam opinionem refert, qui Serpentem puellæ formoſæ figuram induiſse arbitrabantur, ut Evam deciperet. Certum eſt (e) *Ophitas*, ſeù *Serpentarios* credidiſſe, tentatorem illum anguem fuiſſe Chriſtum Dominum; nutrientes idcircò anguem, qui ad Sacerdotum verba ſuper ipſorum altaria irrepens, oblata lambebat, inde in caveam ſuam regrediebatur. Poſt quæ Sacerdotes ad Altare accedentes, Sacramentum participabant, arbitrati Chriſtum Dominum ſub Serpentis illius forma illud ſanctificaſſe. Iiſdem Hæreticis certum erat, authoribus Tertulliano de Præſcript. c. 47., & S. Epiphanio hæreſ. 37. tentatorem anguem Virtutem quandam fuiſſe, à Saldabaoth ſub Serpentis figura productam, ut Deo Jehovah injuriam inferret, qui homini, priùs vermi, greſſum conceſſit. Rabbini quidam opinantur, Dæmoniorum Principem Sammael Evam tentaſſe, Serpenti cuidam, Cameli magnitudine deformi, inſidentem.

Quæritur, quæ veriti fructus natura, quæve illum producens arbor foret. Nonnulli Rabbini (f) putant vitem fuiſſe; alii frumentum. Theodorus à Theodoreto relatus, S. Iſidorus Peluſiota, & Procopius ficum fuiſſe docent, eo indicio, quòd Adam ſcilicet, & Eva ſtatim poſt peccatum ficulneis foliis ſe operuerunt. Aliis ceraſum fuiſſe volunt. Latinorum plerique malum aſſerunt. Cæterum nihil de hoc certum reperiri fatemur, cum Moyſes de quæſitæ arboris natura nihil narret.

Plurium Judæorum Scriptorum (g) commentum eſt, virum & mulierem ſimul creatos, & humeris adinvicem junctos, quatuor manibus, pedibuſque, duobus capitibus præditos, omnia ſimiles, præter ſexum; altoque ſomno ſopitos, à Deo ſeparatos, duoſque ex uno effectos. Eugubinus in Coſmopæja non humeris, ſed latere junctos vult; ità ut Deus, juxta Scripturam, fœminam ex Adæ latere eduxerit: Moyſes tamen non eductam, ſed formatam ex Adæ coſta mulierem narrat.

Plures de menſura, & pulchritudine Adami evulgatæ ſunt fabulæ. Pulcherrimum enim hominum alii aſſerunt (h), Deumque, ut illum efformaret, formoſiſſimi humani corporis ſpeciem induiſſe, ad cujus exemplar Adamum condiderit, ex quo juxta ſonum literæ impleretur, Adamum ad imaginem & ſimilitudinem Dei procreatum.

Alii (i) gigantum omnium, qui unquam fuerint, maximum fuiſſe autumant; iis freti Vulgatæ verbis, *Joſue* 24. *ultim. Adam maximus inter Enachim, ibi (Hebrone) ſitus eſt*. Docent Rabbini (k), primum hominem mirabili adeò magnitudine præditum, ut ambo mundi confinia contingeret, Deo tamen, poſt peccatum, manum ſuper ipſum comprimente, ad centum ulnarum menſuram redactum. Apud aliquos nongentorum cubitorum altitudinem obtinebat, dicuntque petentibus Angelis, de priſtina illius altitudine perterritis, inter hos fines reſtrictum.

De Adami ſalute plurimum in Eccleſia diſceptatum eſt, Tatiano, & Encratitis ejus damnationem propugnantibus; quæ tamen opinio ab Eccleſia damnata eſt. Author Libri Sapientiæ 10. 2. dicit Adamum è ſuo crimine à Deo eductum: *Cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo*. Patres, & Rabbini illum ſeriò delicti ſui pœnituiſſe aſſerunt. Sunt, qui doceant Adamum, & Evam centum annis poſt peccatum continentiam ſervaſſe: alii verò triginta, alii quindecim annorum continentiam ſcribunt. Primorum Parentum ſepulchrum ignoratur. Veteres aliqui (l) in Hebron ſepultos crediderunt, iis freti verbis Libri Joſue jam relatis 14. ult. *Nomen Hebron antè vocabatur Cariath-Arbe. Adam maximus ibi inter Enachim ſitus eſt*. Textus tamen Hebraicus alio modo explicatur: *Vetus nomen Hebronis erat Cariath-Arbe. Homo hic* (Arbe) *erat maximus*, ſeù Pater *Enachim*. Plures alii (m) Adamum in Calvario ſepultum putant, quæ opinio hucuſque invaluit. In Calvario ſacellum viſitur Adamo ſacrum (n). Sanctus verò Hieronymus in Matth. 27. de hac ſententia ait: *Favorabilis opinio, & mulcens aurem populi, nec tamen vera*.

Plura Adamo ſcripta tribuuntur. Latiſſima, profundiſſimaque ſcientiâ plenus fuiſſe creditur: quod & comprobant nomina ab ipſo animalibus impoſita, quæ ſcientiam in ipſo omnium eorum proprietatum fuiſſe oſtendunt. Cùm à Deo perfectus creatus ſit, mentis amplitudinem, & claritatem habuiſſe ambigendum non eſt: hæc tamen ſpeculativa ſcientia, menſque omnibus ſuperior cum experimentali rerum ignorantia, quæ uſu, & cogitatione reperitur, non pugnat. Creditus eſt Hebraicos characteres inveniſſe. Judæi Pſalmum 91. *Bonum eſt confiteri Domino*, illi adſcribunt; quem ſtatim poſt creationem compoſuiſſe arbitrantur. Apud Gnoſticos erat Liber, cui titulus: *Adami Apocalypſis*, inter apocrypha à Gelaſio Papa rejectus; qui etiam alterius Libri de *Pœnitentia Adami* meminit. Maſinus apud Salian. 8. 1. Annal. p. 230. Librum *de Creatione* Adamo adſcriptum nominat. Dicunt Arabes (o) Adamum vicenos Libros è Cælo lapſos accepiſſe, quibus plures Leges, plura promiſſa, & vaticinia continebantur.

Creati Adami primorumque hominum hiſtoriam ità referunt Perſæ, ut ad Moſaicam accedat plurimùm (p). Agnoſcunt enim Adamum & Evam primos hominum authores; fatentur, poſt auctum hominum numerum corruptoſque mores ſuper terram, Deum immiſſis diluvii aquis demerſiſſe omnes, uno incolumi Noe, quem ſecundum Adamum appellant, rariſque aliis, è quibus deinde incolæ orbi dati ſunt.

Referunt etiam Mahometani pro ſuo more creati Adami & Evæ hiſtoriam, eorum pariter & Angelorum lapſum (q); adduntque plura, fruſtra apud Moyſem quærenda. Diuturno imbre parato in terra limo plaſmavit Deus corpus Adami; poſthæc miſſum Angelum Gabrielem mandatis oneravit, ut pugillum terræ è ſingulis ſeptem terræ ſtratis acciperet. Paruit illicò Angelus, Deique mandata expoſuit terræ, è viſceribus ejus educendum ſtatuiſſe Deum monens hominem, futurum terræ Principem, Deique vicibus functurum. Admirans ad hæc terra, rogavit Gabrielem, Deo referret, metuere ſe, ne fortè homo è ſuo ſinu educendus defectionem tandem in Deum moliretur; atque ita ſuper terram provocaret maledictionem. Singul

expoſuit

(a) Dæmon appellatur Serpens, ſeù antiquus Serpens, Joan. 8. 44. 2. Cor. 11. 3. Apoc. 12. 9.
(b) Joſeph. Antiq. l. 1. c. 2. Baſil. homil. de Paradiſo. Ephrem apud Barcepha de Paradiſo. (c) Cyrill. l. 3. contra Julian.
(d) Abarban. in Geneſ. 3. (e) Aug. de hæreſ. c. 17. (f) Sanhedrin. fol. 70. Bemidbar Rabba fol. 170. & 238.
(g) Rabb. Samuel, Abarbanel, Manaſſe, Ben Iſrael. Vide Leidegger. hiſt. Patriarc. &c. (h) Idem ibid. Salian. Annal. t. 1. p. 206.
(i) Philo de Mundi Opificio, Joan. Lucius. (k) Vide lib. Sanhedrin. & Bartolocci t. 1. p. 65. 66.
(l) Hieronym. in quæſt. Hebr. & in Epitaph. Paulæ.
(m) Origen. tract 34. in Matth. Epiphan. hæreſ. 46. Ambroſ. l. 10. in Luc. Hieron. in Matth 27.
(n) Quareſmius t. 2. l. 5. p. 381. 482. &c. (o) Hottinger. Hiſt. Orient. p. 22.
(p) Vide Hiſtor. Relig. Vet. Perſ. Pariſ. apud Niuville in 8. 1657. Gallicè.
(q) Alcoran. Vide D. Herbelot. Bibl. Orient. pag. 54. &c.

expoſuit Gabriel; ſed Deus conſilium ſuum executioni mandari volens, iiſdem oneravit mandatis primùm Michaelem, tum Alraphelem. Ambo illi retulerunt, quæ opponeret terra, recuſans ea ſuo conferre aliquid in opus. Tum Dominus impoſuit Azraeli, ut, ne rogata quidem terra, vi extorqueret ſeptem pugillos terræ è ſeptem ejus ſtratis, aſportaretque in Arabiam, in locum inter Mecham & Taje medium. Executioni mandatæ juſſionis præmium retulit Azrael, commiſſo ſibi à Deo munere ſeparandi animas è corporibus, unde nomen Angelus mortis.

Vix putamus Muſulmanos, hiſtoriam hanc creationis ad literam credere; ſed ab eorum Scriptoribus ceu traditio relata eſt. Mahometus habet tantum creatum à Deo & formatum hominem partim è ſabulo, partim è limo; Genios verò antea formatos ex igne quodam ardentiſſimo. Quod attinet ad hæc argillarum diſcrimina, quarum admixtione formatus Adam, valet id explicandis variis coloribus atque indole hominum ex eo parente natorum; alii enim album præferunt, alii nigrum, fuſcum, flavum, ſubviridem, rubrum; aliis alia eſt indoles; in aliis alii prævalent humores.

Argilla hac Angelorum manibus ſubacta, Deus ad opus plaſticum ſeſe accingens, hominis ſimulacrum formavit. Quod cùm ad exſiccandum humorem diu negligeretur, ſat commodi nacti ſunt Angeli, ut ſedula cura illud diſpicerent; & *Eblis*, vel Lucifer inter Angelos princeps, cùm undique opus totum inſpexiſſet, percuſſit in ventre, & ſupra pectus; cùm autem ex ictu reboans noſſet, intus vacuum ſimulacrum intellexit; ex quo intulit, facilè oppleri poſſe pluribus indigentiis & tentationibus. Tum ad ſuos converſus rogavit: Si Deus impoſuerit vobis, ut agnoſcatis hunc, quem conſtituere ſtatuit Regem ſuper terram, quid capietis conſilii? Parendum utique Deo reſponderunt alii; occinuit & Eblis, intus tamen firmiſſimè perſuaſus, nunquam ſe commiſſurum, ut id præſtaret.

Aliquandiu poſt Deus plaſmati communicavit ſpiritum ſuum, vel ſpiraculum vitæ ac mentem; tum veſtibus induit ſplendidiſſimis dignitati ejus paribus. Simul autem mandavit Angelis, ut proſternerent ſe coram homine honoris & obſequii ſui argumentum exhibituri. Parentibus omnibus, unus recuſavit Eblis; ſtatim ea de cauſa pulſus è Paradiſo. Subſtitutus in ejus loco Adam: mox Deus è lævo ejus dormientis latere eduxit fœminam, quam illi aſſignavit in ſociam. Oneravit poſt hæc Adam mandatis, ut abſtineret à cibo certi cujuſdam fructus, maledicta in refractarium intentans.

Hanc nactus eſt occaſionem Eblis moliendi ultionem de Adam. Fœdus igitur inivit cum pavone, propiùſque factus ad Evam atque Adamum, longam cum illis habuit conſuetudinem, perſuadens, ut vetitum ſibi cibum tandem deguſtarent. Quo via ab illis præſtito, veſtes eorum ſplendidiſſimæ ſponte actutum deciderunt; & cùm ſe nudos ſpectarent, probroque id ducerent, accurrerunt ſtatim ad ficum, quò latiſſimis ejus foliis tegerentur. Inſonuit tunc vox, inſtar fulminis clamans: *Deſcendite, & ex hoc loco ſecedite: mutuum inter vos exercebitis odium; ſedes habebitis ſuper terram, ubi ad tempus ſubſiſtetis.*

Præceps actus eſt Adam è Cælo, deciditque, juxta magis receptam opinionem, in Inſulam Ceilan, ſuper montem Serandib. Corruit Eva ad Giddam portum Erythræi, Mechæ ſat proximum; Eblis ad Miſſan, juxta Baſſoram; Pavo ad Iodoſtan; Anguis ad Niſibim vel Iſpaham, *i.e.* in loca, ubi deinde Urbes illæ conditæ ſunt.

Monſtratur hodie uſque in Inſula *Ceilan* vel *Seilam*, eadem ac *Serandib* vel *Zeran Dir*, ferme in Inſulæ meditullio, celſiſſimi verticis mons, quem Arabes appellant Rahoun, Luſitani, *el pico d'Adam*, vel montem Adam, in quo pedis humani veſtigium impreſſum, ipſiſſimum Adami creditur. Veſtigium illud porrectum fertur in longum 70. cubitis; affirmantque, Adamum altero pede incubuiſſe mari. Verùm Robertus Knox Anglus, qui 20. annorum moram in ea Inſula traxit, in relatione ſua anni 1681. veſtigium hoc longum dicit tantum duplici pede circiter (a). Alii verò affirmant (*), traditione non per Indias tantùm, ſed per univerſum Orientem, vulgatum teneri, Adamum ibi ſepulturæ mandatum fuiſſe. Sed alias traditiones de loco obitus & ſepultura illius dabimus infra.

Cùm igitur Adam ſolitarius in Inſula verſaretur, omni deſtitutus ſolamine, intra ſe recollectus, atque audaciæ ſuæ tactus pœnitudine, oculos ac manus levavit ad Cælum clementiam Creatoris ſui imploraturus. Deus miſeratione tactus demiſit è Cælo per Angelos ſuos tentorium quoddam, quod eo in loco conſtitutum ferunt, ubi poſtea Abraham Mechæ Templum excitavit. Docuit Gabriel virum cæremonias omnes ejus Sanctuarii, ubi criminis venia non fruſtra imploraretur. Huc igitur ſe conferens Adam, eorum omnium nil prætermiſit. Statim poſt hæc deducente Angelo venit in Montem Arafat, ubi tandem Adam & Eva convenerunt, poſt longum ultra 200. annorum divortium.

Venerunt inde in Inſulam Serandib vel Ceilan, terræ exercendæ, augendæque familiæ unicè intenti. Vigeſies peperit Eva, nunquam non gemellos, marem & fœminam enixa. Vixit Adam 960. annis, è quibus nonniſi dimidium diei juxta Muſulmanos ſubſtitit in Paradiſo; ſed diem illam accipiunt pro die alterius Mundi, vel Paradiſi, perinde valente ac apud nos 1000. anni; ut proinde dimidium illud diei æquet annos 500 Dum viveret, unica ſemper inter homines obtinuit Religio; homines ſæpè inviſebant Angeli, inſtruebant, juvabantque. Quo tempore Enoch tranſlatus eſt, creverant homines ad 40000.

Sepulturæ mandatum credunt Adamum ſuper montem Aboucai. Volunt alii ipſana Adam tranſlata à Noe in Arcam inundante diluvio; poſthæc verò deferenda curaſſe Hieroſolymam per Melchiſedechum filium Sem, & nepotem ſuum ex filio. Hanc traditionem retinuerunt Chriſtiani Orientales, & Patrum non rari, conditum tenentes Adamum ſuper montem Calvariæ, ubi J. C. crucifixus eſt. Monſtratur hodie uſque Neapoli vel Samariæ in Palæſtina Sacellum Adamo ſacrum, quem virum ibi colunt Turcæ (b). Sed veteres Perſæ tenebant, conditum jacuiſſe in Serandib, præ hujus ſepulchro excubias egiſſe leones, quo tempore Gigantes inter ſe bello furebant.

Tenent Muſulmani, divinæ inſpirationis privilegio donatum Adam, ex quo divinitatis quidam radius in cæteros deinde Prophetas ſucceſſione tranſiverit. Scripta dicunt ab illo decem Volumina; id enim ſignificaſſe credendi ſunt, cùm dicunt decem illa à Deo cælitus viro demiſſa fuiſſe.

Rabbinorum Orientaliumque Scriptorum nonnulli (c) docent, Adamum, quo tempore thorum habuit ab uxore diverſum, ſive poſt admiſſum crimen juxta aliquos, ſive poſt obitum Abelis juxta alios, effudiſſe Genios, vel quos appellant, Spiritus erraticos, quos & corpore inſtructos autumarunt Veteres; & illa Geneſ. 6.12. ipſi tribuerunt. *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi in uxores ex omnibus, quas elegerant.* Defendunt alii (d), Genios, vel ut Arabes appellant, *Ginn* vel *Dir*, creaturas eſſe ætate ſeniores Adamo, quæ cùm ſæpiùs deſciviſſent à Deo, commodum ſibi Deus cenſuit, ut mundum aliis creaturis traderet gubernandum. Eo conſilio plaſmatos Adam, injunctumque *Ginn* vel *Dir*, ut illi per omnia ſubderentur. Parere recuſantes, quorum erat ductor Eblis vel Lucifer, ipſiſſimi ſunt ac apud nos Angeli pravi; qui verò in obſequium manſerunt, probi ſunt Spiritus ſeu Dei filii; utrique verò corpore ſunt inſtructi & obnoxii morti

De Adamo recurret etiam ſermo V. *Paradiſus terreſtris, & Lingua Adam*, ſeu primæva.

Præter tres illos Adami filios, quorum ſunt nomina apud Moyſem, Cainum, Abelem, Seth, duos alios memorant Orientales (e), videlicet *Abdal Harth* & *Roeail*. Poſtremum hunc ferunt natu minimum fuiſſe fratrem Patriarchæ Seth, abditiſſimis verò ſcientiis & ſublimioribus inſtructum Cùm mente valeret ignea & perſpica-

(a) Vide notas D. Abb. Renaudot ad Iter Sinenſe duorum Arabum, pag. 134. Gallicè.
(*) D'Herbelot. Bibl. Orient pag. 806. (b) Herbelot. Bibliot. Orient. pag. 56. col. 2. (c) Ibid. pag. 243.
(d) Herbelot. Bibl. Orient. pag. 831. (e) Idem ex Thabmurath. Namch.

Digitized by Google

ſpicaci, Angeli habere quid magis, quàm hominis videbatur. Surkrage, inter Divos vel Gigantes ejus ætatis facilè princeps, mitti ſibi à Setho rogavit fratrem ipſius Rocail, ut ſecum Regni curas communicaret. Miſſus igitur Rocail, ſecundas ab illo obtinuit, curanteque Rege habuit ſuperbæ ſtructuræ palatium & ſepulchrum, in quo præter cætera, plures è metallo ſtatuæ Taliſmanicæ, ita ſe removentes, veluti ſi anima inſtruerentur.

Regnat in his omnibus Orientalium indoles, rebus mirificis, fabuloſis, myſticis maximè addicta; neque enim reputandum eſt, omnia, quæ de Adam cæteriſque Patriarchis ab illis narrata ſunt, ad literam eſſe accipienda; non rarò etenim ſub parabolarum ambagibus, formandis moribus dogmata tradebant.

Cabaliſtæ, Judæorum Doctores, qui ſub myſtico verborum integumento moralia plurima, phyſica & Theologica occultant, agunt de primo Adamo *Adam Kadmon* (a), qui prima eſt & perfectiſſima emanatio è Numine ipſo profluens, omnium, quotquot creata ſunt ab exordio, primus. Exhibent illum quidem tanquam hominem, cui nihil deſit, non calvaria, non cerebrum, oculi, pedes, manus; ſingula tamen illa altiſſima continent myſteria. Calvaria habent ſapientiam, auris dextera intelligentiam, prudentiam exhibet læva, & ſic de cæteris. Chriſtianis nonnullis perſuaſum fuit, deſignari hiſce Jeſum Chriſtum ſecundam in Trinitate Perſonam. Tenent equidem Cabaliſtæ, per Adamum primorem Adamum cæleſtem, creatum à Deo mundum, continente ſe Deo, ne per ſe id efficeret, quò ſcilicet virtutis ſuæ ſpecimen daret perfectius. Sed in primo illo Adamo & principium ſtatuunt, & minùs perfectum aliquod, quæ ſanè omnia multùm abhorrent à Filio Dei, qualem nos adoramus.

Venditant Thalmudiſtæ fabellas planè infinitas de Adamo ejuſque creatione (b). Jactant, prima illa hora diei coegiſſe Deum pulverem, ex qua opus plaſmandum erat, ac diſpoſuiſſe, ut formam, quam meditabatur, reciperet. Secunda Adam ſtetit in pedes; quarta indidit animantibus nomina; ſeptima conjugium Evam inter & Adam initum. Paranymphum agens Dominus, novam nuptam magnificè comptam deduxit ad Sponſum. Hora decima peccatum commiſſum eſt; tum judicium; hora duodecima luebat Adam criminis ſui pœnam, vim ſentiens contra ſe latæ ſententiæ. Juxta Rabbinos (c), Adam enormi adeo ſtatura creatus eſt, ut Cœlum tangeret vertice; poſt crimen, Deus gravi manu ſua ſuper caput hominis impoſita, compreſſit, redegitque ad minora. Fabellis hiſce ſuis fidem adſtruunt ex illo Deut 4 32. *Deus creavit hominem ſuper terram, à ſummo Cœlo uſque ad ſummum ejus*. Quòd autem de ejus proceritate aliquid demeretur, indicat Pſalmus 138. 5. *Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam*. E' variis terræ regionibus materia formando corpori deducta eſt; caput ſuffecit Palæſtina, truncum Babylonia, cætera aliæ per orbem regiones.

Cùm immane monſtrum ſpectaſſent Angeli, obmurmurarunt in Dominum, quaſi ſcilicet alterum à ſe Deum molitus fuiſſet; ſed obmurmurandi materiam omnem præcidit, cùm impoſita capiti Adam manu ſua, hominem redegit ad breviſſimam 1000. cubitorum ſtaturam. Quicunque id ſibi ſumpſerunt negotii, ut ambages iſtas evolverent, autumarunt Deum creaſſe hominem vaſta ſcientiarum omnium cognitione grandem; ſed de prærogativis hiſce viri plurimum à Deo poſt crimen detractum.

Addunt, temperie fuiſſe adeò ſublimi & tenui, adeò ſubtili atque delicata corporis materia, ut ad Angelos quàm propius accederet; nihil latuiſſe illum ſive de Numine, ſive de ejus dotibus, quæ ſcire hominem decet; noſſe pariter incommunicabile Dei nomen Jehovah. Cùm enim Adam animantibus ſingulis impoſuiſſet nomina, interrogatus à Deo, ecquod Dei nomen eſſet; *Jehovah* repoſuit. Id innuit, inquiunt illi, Iſaias 13. 8. *Ego ſum Jehovah, & hoc eſt nomen meum*; ſcilicet ab Adamo datum.

Cùm Judæorum opinione, circumciſio ſigillum habeatur fœderis hominis fidelis cum Deo, autumarunt, Adamum ab ipſa ſui creatione retuliſſe circumciſionem; ſed poſt violatum crimine fœdus illud ſigno ipſo circumciſionis multatum fuiſſe. Probant id ex Oſee 6. 7. *Ipſi, ſicut Adam, tranſgreſſi ſunt pactum; ibi prævaricati ſunt in me*.

Venit in mentem nonnullis, Evam ipſiſſimum eſſe fructum vetitum, quem nemo tangeret ſine crimine; de quo fructu anguis omnium primus deguſtans produxit Cain, alterius proinde à poſteris Adam generis. Addunt, primum hunc hominem tanto dolore affectum fuiſſe pro cæde Abelis, ut 130. annis continuerit ſe ab uxore, quibus evolutis tunc primo cœpit gignere liberos, imagine & ſimilitudine à ſe non abludentes. Vidimus autem ſuprà, per illud temporis intervallum productos Genios vel Spiritus, quos tamen alii genitos credunt ex Adam & *Lilith*, prima ejus uxore. Vide v. *Lilith*.

Licèt non obſcurè Adami reſipiſcentiam doceat Scriptura, Geneſ. 3. 17. 18. Sapien. 10 1. & de ejus ſalute ita egerit S. Auguſtinus (d), quaſi eſſet communi ferme Eccleſiæ ſententia receptum dogma, eductumque dicit à filio Dei è mortuis ſurgente de ſepulchro cum cæteris Juſtis; nihilo tamen ſeciùs abſtinendum eadem Eccleſia cenſuit ab ejus memoria celebranda, collocandoque Viro in album Sanctorum. Nec tamen prohibendam cenſuit privatam quorumdam religionem, quin illi cultum impenderet. Ejus nomini dedicatum eſt Sacellum in monte Calvariæ (e), quod ibi ſepultus crederetur.

Deſerviunt loco Græci; ſed in publicis ſupplicationibus abſtinent à thure & peculiari cultu, ut cæteris Sacellis vel Aris, ita pariter & huic impendendo. Apud Græcos Adam & Eva cum cæteris Juſtis V. T. adſcribuntur ad diem 19 Decembris (f); vel, ut meliùs dixerim, ad Dominicam proximè præcedentem Feſtum Natalis J. C. Religioſo etiam luctu lugubribuſque precibus ingemunt exilium eorum è Paradiſo terreſtri, die 4. Februarii, vel prima initæ à ſe Quadrageſimæ. Adami memoria legitur in Martyrologiis Latinis nonnullis ad diem 24. Aprilis; in Kalendario quodam Juliano ad 24. Decembris. Creati & defuncti Adami mentio eſt in nonnullis Martyrologiis ad 25. Martii; quaſi ſcilicet conciliare voluiſſent primum & veterem Adamum cum novo, quem natum & extinctum ipſa eadem die volunt inter Veteres plurimi.

De hominibus falsò creditis antè Adamum vixiſſe, verbo *Præadamitæ* diſſeremus.

I. ADAMA, una è quinque impiis civitatibus cæleſti igne conſumptis, & in Mari mortuo ſepultis Gen. 19. 24., reliquis orientalior. Fortè aquis merſa omninò non fuit, aut regionis illius accolæ novam ejuſdem nominis urbem in orientali mortui Maris litore ædificarunt; cùm Iſaias, juxta ſeptuaginta Interpretes, prædicat (g) Deum deſtructurum Moabitas, urbem Ar, & *reliquias Adamæ*.

II. ADAMA, civitas Nephtali, *Joſue* 19. 36. Septuaginta Armath vocant; Vulgata, Edema.

ADAMI, urbs Nephtali; *Joſue* 19. 33.

ADAMITÆ (h) hæretici ſecundi ſæculi. Authorem habebant Prodicum, Carpocratis diſcipulum. Adamitarum nomen ſumpſere, Adami innocentiam habere ſe dicentes, cujus nuditatem in ſua Eccleſia, quam Paradiſum vocabant, imitabantur. Præcipuum apud illos dogma communitas erat fœminarum. Continentes vivebant, aut vivere ſimulabant, & in ſolitudine, matrimonium da-

(a) Abrah., Cohen-Irira Philoſoph. Cabal. Diſſ. 6. cap. 7.　(b) Midras Tehillim. Pſal. 95. Vide Baſnag. Ibid. to. 4. pag. 186.

(c) Gemar. Sanhedrin. fol. 38. 2.　(d) Epiſt. 163. nov. edit p. 575. *Et de illo quidem primo homine, quod eum inde* (ex inferno) *ſolverit, Eccleſia ferè tota conſentit; quod eam non inaniter credidiſſe cenſendam eſt, undecumque hoc traditum ſit*. Vide & de peccator. merit. & de Natur. & Grat. & contra Julian. l. 6. &c.

(e) Quareſm. tom. 2. lib. 5. pag. 481. & 483.

(f) Bolland. die 4. Februarii, pag. 449. tom. 3. April. pag. 260. tom. 3. Martii, pag. 541.

(g) Iſai. 15. ult. Aro to ſperma Moab, cai Ariel., cai to cataloipon Adama.

(h) Vide Epiphan. hæreſ. 52 Theodoret. hæret. Fab. l. 1. c. 6. Auguſtin. de hæreſib. Vide Dictionarium Bayle, verbo *Adamites*.

mnantes; cumque ipſorum aliquis in quædam crimina laberetur, Adamum dicebant vetitum fructum comediſſe; cumque è Paradiſo, ſuo ſcilicet cœtu, ejiciebant. Hæreſia iſta à Flandro quodam, Picardo nomine, ſæculo quinto & decimo renovata eſt in Bohemia. Sectatores in Polonia, & Anglia invenit; novique Adamitæ noctu cœtus ſuos celebrare dicuntur, & religioſè verba illa ſervant: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli*. Anabaptiſtæ nonnulli in Adamitarum ſcelera lapſi dicuntur.

ADAR, filius, & ſucceſſor Achobor Idumææ Regis in civitate Phau regnavit; *Geneſ*. 36. 30.

ADAR, duodecimus anni ſancti, & ſextus civilis anni apud Hebræos menſis, Februario reſpondens, novem & viginti dies habet; aliquando tamen Martium ingreditur, juxtà lunæ curſum. Vide verbo *Menſis*.

Tertia Menſis Adar die Templi ædificatio completa eſt, urgentibus Aggæo, & Zacharia, ejuſque dedicatio celebrata eſt (a).

Septima die, Judæi ob Moyſis mortem jejunium celebrant.

Decimatertia jejunio ſolemnis eſt, jejunio Eſther dicto, ob jejunium Mardochæi, Eſther, & Judæorum, qui erant Suſis, ut infortunia, quæ ex Amano imminebant, diverterent.

Decima quarta feſtum *Purim*, vel ſortium celebrant, ob liberationem ab Amani crudelitate. Eſth. 9. 17.

Vigeſimaquinta Jechoniæ Regis Juda, ab Evilmeródach ſuprà cæteros Reges, qui apud ipſum erant, elevati, memoriam recolunt. Jeremiæ 52. 31. 32.

Cùm verò annus Lunaris, quem Judæi ſequuntur, brevior ſit undecim diebus anno Solari, qui poſt tres annos menſem conſtituunt, decimumtertium idcircò tunc menſem intercalarem ponunt, *Veadar* dictum, vel alterum Adar novem & viginti diebus conſtantem.

ADAR, ſeù Hazer-Adar, oppidum, cujus mentio fit Num. 34. 4.

ADARCONIM nummi genus, de quo 1. Par. 29. 7. & 1. Eſdr. 8. 27., quod vulgata *ſolidum aureum* vertit, & Septuaginta *nummum aureum*. Certò credimus *Adarconim* eſſe *Daricos* aureos nummos, quibus nonnulli (b) viginti argentearum drachmarum, alii (c) undecim librarum noſtratium, ſolidorum undecim, denariorum novem, & quartæ Denarii partis valorem aſſignant. Vide inferiùs *Darcmonim*, quod idem eſt ac *Adarconim*. Herodotus l. 4. c. 166 Daricorum cuſorum initia ponit ſub Dario Hyſtaſpis filio, qui longè antè Authorem Paralipomenon, & Eſdram regnavit. Scholiaſtes tamen Ariſtophanis Daricos alii Dario, longè ante Darium Hyſtaſpis filium viventi adſcribit. (d)

ADAREZER, Rex Sobæ in Syria, cujus imperium à Libano ad Orontem, à meridie ad ſeptemtrionem protendebatur 2. Reg. 8 3. David regnum ſuum ad Euphratem producens, Adarezer fudit, captis ſeptingentis ſuprà millenos equis, & viginti peditum millibus, omnibuſque curruum Adarezer equis eorum nervos abſcidit, ſervatis tantùm nonnullis, qui centenis militaribus carris inſervirent. Adad Damaſci Rex, opem laturus Adarezer adveniens, à Davide profligatus eſt, cæſis duobus, & viginti hominum millibus. David militum Adarezer arma Hieroſolymam detulit. Magnam æris copiam ex urbibus Bete, & Beroth, Adarezer ſubditis tulit. Hæ Davidis adversùs Adarezer victoriæ legationem illi nomine Thou Regis Emath, adversùs Adarezer præliantis compararunt; qui & ingentibus illum muneribus donavit, quod ab infenſiſſimo hoſte illum liberaſſet. Id evenit an. M. 2960. antè Ch. 1040. antè Ær. 1044.

Poſt ſeptem verò annos (e), Ammonitarum Rege defuncto, David (f) Legatos ad Hanonem illius filium miſit, qui ſuo nomine de Patris morte condolerent. Hic Legatis injuria affectis, Davidis iram & contra ſe bellum concitavit. Hanon imparem ſe hoſti ſentiens, finitimos Principes advocavit, præcipuè Adarezer. Qui apertè adversùs Davidem, à quo victus fuerat, & tributa ſibi ſeptem annis anteà impoſita fuerant, conjurare non audens, clam in Meſopotamiam Legatos miſit, ductaſque à Meſopotamiæ Rege copias ad Ammonitarum Regem tranſmiſit (g). Hæ vero poſt relatam ab Joabo, & Abiſai Imperatoribus exercitus David victoriam pervenere.

Cum igitur auxiliares copiæ ingentes eſſent, David ipſe cum magno exercitu adversùs illas proceſſit. Inito trans Jordanem prælio, Sobac Dux exercitus Adarezer, Meſopotamiæ militibus imperans, funditùs profligatus eſt; quique Adarezer partes ſecuti fuerant Reges, in fugam verſi, Ammonitis opem ferre non tentarunt; & Davidi ſervientes, impoſita ſibi ab illo tributa ſolverunt. David in Domini Tabernaculo metalla, & ditiſſima ex Adarezer ſpolia conſecravit. Hebraicus Textus ſecundi libri Regum 8. 3. hunc nominat *Adadezer*; quod fortaſſe verum illius nomen fuit. Cæterum cum frequentius *Adarezer* appelletur, ſub hoc nomine illum relinquimus.

ADARSA, ſeù ut eſt in Textu Græco 1. *Mach*. 7. 40. *Adaſa*, urbs in Ephraim, quatuor paſſuum millibus ab urbe Bethoron (h) diſſita, propè Gophnam (i), quam nos inter altam Bethoron, & Dioſpolim ponimus, cum 1. *Machab*. 7. 45. victor Judas Syros Adaſa Gadaram, ſeu Gazaram uſque, itinere unius diei diſſitam, perſecutus fuiſſe dicatur. Urbs eadem etiam *Adazer* nomen ſortita eſt, 1. Machab. 7. 45. & *Adaco*, ſeù *Acedaſa* apud Joſephum (k). Ibi Nicanor à Juda Machabæo victus, omniſque illius exercitus in fugam verſus, ſolis tribus millibus quinque, & triginta hominum millia profligantibus. Joſeph de Bello l. 1. c. 1. ait ibidem Judam in alio prælio interfectum.

ADBEEL, tertius Iſmaelis filius, unjuſque Iſmaelitarum Tribuum Princeps; *Geneſ*. 25. 13.

ADDAR, filius Bale, Benjamin filii 1. *Par*. 8. 3.

ADDAR, urbs in Tribu Juda, *Joſue* 25. 3. Euſebius aliam urbem *Addar* circa Liddan, & Dioſpolim in pago Thamna collocat.

ADDI, filius Coſan, Melchi pater, inter Chriſti ſecundum carnem progenitores à S. Luca enumeratus. Luc. 3. 28.

I. ADDO, filius Levi; 1. Par. 6. 21.

II. ADDO, pater Aminadab, à Salomone pago Mahanaim trans Jordanem præfecti 3. Reg. 4. 14.

III. ADDO, Propheta Regni Juda, qui acta regnorum Roboami (l), & Abiæ (m) deſcripſit. Ex 2. *Par*. 13. 22. conjicimus illum ſcripta ſua *Midraſch*, ſeù Inquiſitiones appellaſſe. De hoc Propheta nihil occurrit. Fortaſſe prophetias aliquot adversùs Jeroboamum filium Nabat exaravit, quibus plurima Salomonis geſta continebantur 2. Par. 9. 2.. Joſephus (n), aliique poſt ipſum, hunc eſſe Addo arbitrantur, qui ad Jeroboamum in Bethel morantem, & altare aureis vitulis dedicantem miſſus, rediens à leone interfectus eſt. *Vide* 3. Reg. 13. *Joſeph Antiq. l*. 8. *c*. 3.

IV. ADDO, Barachiæ pater, & Zachariæ Prophetæ avus; Zach. 1. 1. In Eſdra, Zacharias abſolutè filius Addo appellatur. 1. Eſdr. 5. 1. 6. 14.

ADDON, *Cherub*, & *Emer*, cum genus ſuum probare non poſſent, Babylone redeuntes, è numero verorum Iſraelitarum expuncti ſunt. 1. Eſdræ 2. 59.

ADDUS, civitas Juda, quò Simon Machabæus copias duxit, ut regionis ingreſſu Tryphonem prohiberet, qui dolo malo Ptolemaide Jonatham Machabæum fratrem ipſius retinuerat 1. Mach. 13. 13. Urbem hanc eamdem, ac *Adiadam*, eſſe credimus; 1. Mach. 12. 38.

ADEODATUS, *Filius ſaltus*, *polymitarius*, ſeù *textor de Bethleem*; vel correctius juxta Hebraicum Textum, *Elchanan filius Jarim*, *textor de Bethleem*; aut juxta 1. Paralipomenon 20. 5. Textum, qui purior videtur, *Elchanan filius Jair*, *Bethleemites*, *occidit fratrem Goliath*. Fortaſſe hic Elchanan ille eſt, de quo 2. Reg. 23. 24. Filius avunculi Joab; ſcilicet filius unius ex fratribus David; Patria Bethleemites, virtute notiſſimus: Ita emendato Textu Regum, difficultas de *Adeodato filio ſaltus*, quem

plures

(a) 1. Eſdr. 6. 15. An. M. 3489. ante Ch. 511. ante Ær. 515. (b) Gronov. de pecunia veter. l. 3. c. 7.
(c) Le Pelletier. Rotomagenſis. (d) Scholiaſt. in Ariſtoph. v. 598. (e) An. M. 2967. antè Ch. 1033. antè Ær. 1037.
(f) 2. Reg. 10. 16. Vide & 1. Par. 29. 1. &c. (g) Vide Commentar. in 1. Par. 19. 6. 16. & 2. Reg. 10. 16.
(h) Joſeph. Antiq. l. 12. c. 17. (i) Euſeb. in Adaſa. (k) Joſeph. Antiq. l. 12. c. 17. & de Bello l. 1. c. 1.
(l) 2. Par 12. 15. (m) 2. Par. 13. 22. (n) Joſeph. Antiq. l. 8 c. 3. An. M 3030. antè Ch. 970. antè Ær. 974.

Digitized by Google

plures (a) cum Davide confundebant, excitata reſolvitur. Non enim Elhanan occiderat Goliath, ſed fratrem ipſius Goliath; ſumpto hoc nomine *fratris* pro carnali fratre, aut pro illi conſimili.

ADEPS. Vetitum à Domino Hebræis erat animalium adipem comedere: *Omnis adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus; & cunctis habitaculis veſtris: nec ſanguinem, nec adipem omninò comedetis.* Levit. 3. 17. Nonnulli Interpretes (b) mero verborum ſono adhærentes adipis uſu, & ſanguinis Hebræos omninò interdictos volunt. Joſephus boum, caprarum, ovium, & ejus ſpeciei adipem à Moyſe prohibitum vult; quod Levitici cap. 7. 23. conſonat: *Adipem ovis, & bovis, & capræ non comedetis;* qui mos à recentioribus Judæis ſervatur. Reliquorum verò purorum animalium adipem permiſſum credunt, morticinorum etiam; quod alteri Legi concordat: *Adipem cadaveris morticini, & ejus animalis, quod à beſtia captum ſit, habebitis in varios uſus.* Lev. 7. 24.

Alii verò interpretes (c) Legem, quæ adipis uſum omninò prohibere videtur, ad adipem à carne ſeparatum, ut illum, qui renes, & viſcera operit, contrahendam eſſe contendunt: immò legem hanc tantummodò de actuali hoſtiæ oblatione valere; quod & Levitici 7. 23. verbis confirmant, ubi vetita adipis boum caprarum oviumque comeſtione, ſubditur: *Si quis adipem, qui offerri debet in incenſum Domini, comederit, peribit de populo ſuo.*

(ADEPS. Eo nomine non deſignatur tantum animalium adeps, de quo nos in Dictionario, ſed quæcumque tandem ad animalium adipem ſimilitudine quadam referuntur; ita Pſ. 147. 14. *Adipe frumenti ſatiat te.* Pſ. 17. *Cibavit eos ex adipe frumenti.* Adeps etiam perinde habetur ac origo, vel fons indolis ad alterius mala compatientis. Cùm enim viſcera emoveantur ad relationem malorum, quæ tolerat quiſpiam, vel cùm triſte aliquod ſpectaculum præ oculis verſatur, vulgò creditum, miſerationis ſedem eſſe viſcera, adipe ferè ſemper contecta. Objicit Pſalmiſta Pſ. 16. 10. adverſariis ſuis, concluſiſſe illos viſcera ſua erga ſe, quòd ſcilicet nulla ad mala ſua tangerentur miſeratione: *Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem ſuum concluſerunt.* Exprobrat Pſ. 72. 7. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Id autem affectatione quadam illos præſtitiſſe addit, fermè ac alter apud Moyſem Deut. 36. 15 *Impinguatus eſt dilectus & recalcitravit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum.*

Craſſitudo terræ eſt fimus, vel pingue ſolum, quo humus pingueſcit. Pſ. 147. *Sicut craſſitudo terræ erupta eſt ſuper terram; diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum.* Adeps terræ eſt pariter opima ejus fœcunditas. Gen. 27. 28. *Det tibi Deus de rore Cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.*

Adeps pariter bonorum omnium ubertas. *Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine;* Jerem. 31. 14. Et Job. 36. 15. *Requies menſæ tuæ erit plena pinguedine.* Pſalmus 62. 16. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.*)

ADER; *Turris Ader.* S. Hieronymus Ep. 27. advertit, locum, in quo Angelus paſtoribus (d) Chriſti Nativitatem annuntiavit, *Turrim Ader* nuncupatum. Ibidem Helena Imperatrix templum erexiſſe dicitur, cujus reliquiæ ſuperſunt. Vide *Mich.* 4. 8. *Turris gregis.*

ADIABENE, Aſſyriæ Regio, quam Lycus in Tigrim influens, alluit. Adiabenes nomen in vulgata non legitur; de Regina tamen Adiabenorum Helena, & Izate ipſius filio, ad Judaiſmum converſis, Claudio imperante, circa An. Ch. 41. fusè Joſephus *Antiq. l.* 20. *c.* 2. Sunt, qui credant (e) duos hoſce ad Chriſtum converſos, & Joſephi fraude, ut genti ſuæ gratificaretur, Chriſto ſurreptos: ego tamen nil niſi Judaicum in Helena, & Izate video. *Adiabenen* eamdem, autumo, ac *Avam* Provinciam, per quam *Ahava*, ſivè *Adiava* fluit. Vide inferiùs *Ababa.*

ADIADA. Vide *Addus*, & Commentaria in 1. Machab. 12. 38.

ADIAS, ſeù *Adajas*, Judæus Babylone redux ex iis onus, qui ductas contra Legis præſcriptum uxores repudiarunt. 1. *Eſdr.* 10. 39.

ADIEL, Adielis filius, ex Tribu Juda 1. Par. 4. 36.

ADITHA, vel *Adatha*, *Adiu*, ſeù *Adithaim*, urbs Tribus Juda; *Joſue* 19. 36. Duas *Adathas* Euſebius novit: alteram Gazam verſùs, alteram circa & ad orientem Liddelæ.

ADLI, pater Saphat Præfecti boum Regis David. 1. Par. 27. 29.

ADMATHA, è ſeptem primis Aſſueri miniſtris. Eſth. 1. 14.

(ADMIRARI, *admiratio*, *admirabilis.* Præter vulgarem, nemini ignotam vocium ejuſmodi ſignificationem, uſurpant illas etiam Hebræi non rarò ad deſignandam agendi rationem Dei in ſuos, & peccatores, cùm ſcilicet vel experimentum capit, vel præmio donat illos; de his verò exigit in hac & in altera vita ultionem Pſ. 4. 4; *Mirificavit Dominus Sanctum ſuum.* Pſal. *Mirifica* (fac ut ſentiam) *miſericordias tuas.* Exodi 8. 22. & 9. 4. *Faciam mirabilem terram Geſſen;* ideſt prodigiis meis efficiam, ut è reliqua Ægypto diſtinguatur; vel tantùm, ſeparabo, diſtinguam illam è reliqua Ægypto. Inter doctiſſimos quoſque Interpretes convenit, Hebræum *Pale* vel *Pilè*, quod vulgo redditur admirabile, eſprimere ad literam *diſtinguere, ſeparare.* Vide etiam Exod. 9. 4. *Faciet Dominus mirabile inter poſſeſſiones Iſrael, & poſſeſſiones Ægyptiorum.* Quo ſenſu omnia à conſueto vitæ ſeu naturæ curſu exorbitantia, omnia quacumque tandem ratione diſtincta, admirabilia cenſerentur.

ADMIRABILE. Uſurpatur interdum pro difficili vel impoſſibili. Ad Angeli promiſſiones ridenti Saræ reſpondit idem Angelus, Gen. 18. 14. *Id erit admirabile Deo?*

Quidquid etiam noſtrum ſuperat captum, vel conditionem, admirabile cenſetur. Pſal. 138. 6 *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, vel *pro me*, ideſt ſupra meum eſt captum. Pſal. 130. 1. *Non ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Nihil eſt admirabile oculis Dei*, ait Eccl. 39. 25. Et cæcus ille luci reſtitutus à Jeſu Chriſto Joan. 9. 30. *In hoc mirabile eſt, quia vos neſcitis, unde ſit, & aperuit meos oculos.* Miratus aliquando legitur Jeſus Chriſtus, veluti cùm fidem Centurionis Matth. 8. 10. Luc. 7. 9., cùm fidem Chananææ Matth. 15. 28. ſuſpexit. Tunc igitur ita ſe expreſſit, quaſi aliquid admirans; cùm enim rerum ignorationi debeatur admiratio, admirari ille poterat nihil. *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile?* Judic. 13. 8. quod ſcilicet captum tuum ſuperans, fruſtra à te inquiretur. Quo in te ardeo amore, ò Jonathas (f), *admirabilior eſt*, major, ardentior, quàm quo dilectus quiſque deperit amatam. *Lapis, quem reprobaverunt, factus eſt in caput anguli, & hoc eſt mirabile in oculis noſtris;* Pſal. 117. 23. potentiæ enim Dei refertur accepto.

ADNA mater Abraham, juxta Orientales (g).)

ADOLLAM, ſivè *Adullam.* Vide *Odollam.*

ADOM, ſivè *Adam*, urbs in ripa Jordanis. Nonnulli (h) hanc ad Mare Mortuum ponunt, intra eum locum, per quem Iſraelitæ Jordanem trajecere. Alii ſuprà eumdem locum collocant, Scythopolim verſùs, & Sarthan (i): qui verus eſt illius ſitus.

ADOMMIN, urbs, & mons in Tribu Benjamin (k), à nonnullis ad meridiem, ab aliis ad ſeptentrionem Jericho collocata. Si verum ſit, Adommin deſcendentibus Hieroſolymis Jericho ea orbs occurrat, ut communior fert opinio, neceſſe eſt eam ad Jericho occaſum jacere. Ferunt viatorem à Chriſto (l) relatum, cum Hieroſolymis Jericho deſcenderet, apud Adommin in latrones incidiſſe. Vide Hieronymum in Matth. 20. & ep. 27.

ADON, unus ex Judæis Babylone regreſſis 1. Eſdr 2. 59.

ADONAI. Unum è Dei nominibus, *Dominos meos* plurali numero ſignificant; ut *Adoni*, *Dominum meum* ſingulari numero. Judæi nomen *Jehovah*, cum in Hebræo Textu occurrit, ſuperſtitione, ſivè religione quadam nunquam pronunciant, ſed pro illo *Adonai* legunt. Qui tamen mos veteribus Judæis in uſu non erat; cum nulla

(a) Chald. Rabb. Rupert. Raban. & alii recentiores. (b) Judæi recent. Lyr. Villet. Vide Joſeph. Antiq. l. 3. c. 10.
(c) Cornel. Tirin. Menoch. Bonfr. (d) Luc. 2. 8. 9. (e) Oroſius l. 7. c. 6.
(f) 2. Reg. 1. 26. (g) Herbelot. Bibl. Orient. p. 13. (h) Cellarius Geogr. Antiq. l. 3. c. 13.
(i) Joſue 3. 16. (k) Joſue 15. 7. 18. 18. (l) Luc. 10. 30. &c.

Digitized by Google

nulla lege Dei nomen proferre vetitum ſit;

ADONIAS, quartus Davidis, & Haggith filius, in Hebron natus 2. Reg. 3. 4. dum Iſraelitarum pars Davidi, pars vero Isboſeth filio Saul ſerviret. Mortuis Amnone, & Abſalom fratribus ſuis, Adonias natalium ſuorum privilegio regnum ſibi deberi intelligebat. Cumque David ſub vitæ finem in languorem lapſus, Regni negotiis vacare non poſset, imperium ſibi quantocius comparare neceſsarium duxit. Lecto igitur ſplendido comitatu, currus, equites (a), curſoreſque habebat, qui ubique eum ſequebantur. Nec tamen David ea moleſtè ferebat, nec illum arguit; cum, utpotè Regiæ domus Primogenitus, & formoſiſſimus à Rege patre ſuo amaretur, & apud Aulicos maximè polleret.

Amicos præcipuè habebat Joabum Ducem exercituum Davidis, & Abiathar Pontificem, omnium potentiſſimos. Pontifex tamen Sadoc (duo enim tunc temporis Pontifices erant), Banajas Jojadæ filius Prætorianorum militum Præfectus, Nathan Propheta, & plerique exercitus milites ipſi non adhærebant. Quadam igitur die Adonias Judæorum proceres, & Regios liberos, exceptis tamen Salomone, Sadoc, Nathan, & Banaja, convivio excepit apud fontem Rogel, ad ortum, & ſub Hieroſolymorum mœnibus, id cogitans, ut ſe Regem ſalutari, & vivente adhuc Patre, regnum capeſsere tentaret. Alius tamen rei eventus fuit.

Cum enim Nathan ea, quæ fiebant, intellexiſset, omnia ad Bethſabee Salomonis matrem renunciavit, & ad Regem pergeret, eademque narraret, perſuaſit. Ipſius verò promiſsa de Regno Salomoni relinquendo in memoriam revocaret. Pollicitus eſt autem Nathan ſe Bethſabee adhuc ad Regem loquente ſuperventurum, ejuſque verba confirmaturum. Illa igitur Regem adiit, cumque adhuc loqueretur, nunciatum eſt Nathan adeſse; qui ad Regem introductus, quæ gerebantur, narravit, & an Regis juſsu fierent, interrogavit.

Tunc Rex uxorem Bethſabee revocans, promiſsa de Salomone facta ſe exequuturum juravit; ſtatimque convocatis Sadoc, Nathan, & Banaja, juſſit Salomonem Regiæ mulæ ſuperimponi, militibuſque ſtipatum ad fontem Gihon, ad urbis occaſum, duci, ibique à Sadoc, & Nathan inunctum, Iſraelis Regem tubarum ſonitu renunciari; impoſterùm pro ſe regnaturum. Quibus peractis, concurrente populo, muſicorum inſtrumentorum ſonitu, & vocibus clamantium, vivat Rex Salomon, aër undique perſonabat. Tunc Jonathas, Pontificis Abiathar filius, Adoniam, Joabum, cæteroſque aſſeclas, adhuc in tabernaculo, in quo convivio excepti ſunt, verſantes, facti certiores reddidit.

Qui continuò perterriti è menſa ſurgentes, domum ſuam quiſque petiere. Adonias ſibi a Salomone metuens, in Tabernaculum confugit, & cornu Altaris Holocauſtorum tenuit. Quo ad Salomonem relato, ſignificavit ille, ſe nihil gravius contra illum facturum, ſi honeſte vixiſſet. Igitur Adoniam à cornu Altaris auferri juſſit; qui ad Regem veniens, antè ipſum proſtratus adoravit; cui Salomon, Abi, inquit, domum tuam. Id evenit An. M. 2989. ante Ch. 1011. ante Ær. 1015.

Sequenti autem anno Adonias ad Bethſabee Salomonis matrem veniens 2. Reg. 13., diceniſque Regnum, quod ſuum erat, à Domino ad Salomonem translatum fuiſſe, petiit, ut Abiſag Sunamitidem, quæ Davidi, (ut illum foveret jam ſeneſcentem) nupſerat, ducere ſibi à Rege impetraret. Cui Bethſabee à Rege ſe petituram pollicita, promiſſis ſtetit. Salomon verò his auditis acri ironia reſpondit, cur non & Regnum ſibi Adonias poſtulaſſet, juravitque eam audaciam ſe non impunè toleraturum; quare miſſo Banaja Jojadæ filio, illum peremit, An. M. 2990. antè Ch. 1010. antè Ær. 1014.

ADONIBESECH, Rex urbis Beſech, in Terra Chanaan, Neapoli ſeptem, & decem paſſuum millibus diſſitæ, Orientem verſùs (b). Hic cùm potentiſſimus eſſet, ac crudelis, captos ſeptuaginta Reges mutilatis pedum, & manuum extremitatibus (c), ſub menſa detinebat, ut reliquiis ciborum ſuorum paſcerentur. Poſt Joſue obitum, Hebræi à Chananæis, regionem illam defendentibus, circumventi, Dominum conſuluere, quis belli contra hoſtes moderator futurus eſſet. Reſpondente autem Domino, Tribum Juda bellum moderaturam; hæc Simeonis Tribum ſibi junxit, ea lege, ut viciſſim opem ſibi ferrent ad ea obtinenda, quæ ea Simeonis parte Chananæi poſſidebant. Duæ igitur hæ Tribus Adonibeſech Chananæorum, & Pherezæorum copias ducentem, occiſis decem hominum millibus, profligavere; captoque, manuum, & pedum extrema abſciderunt. Tunc Adonibeſech punitionis hujus juſtitiam noſcens, ait ſecum actum eſſe à Domino, ut ipſe cum captis Regibus egerat. Inde Hebræi ad Hieroſolymorum obſidionem profecti, Adonibeſech ſecum duxerunt, ubi mortuus eſt. An. M. 2585. antè Ch. 1415. antè Ær. 1419.

ADONICAM, Babylone rediit cum ſexcentis familiæ ſuæ viris. 1. Eſdr. 11. 13.

ADONIRAM, Procurator tributorum Salomonis, & præfectus triginta hominum millium, quos Salomon ad Libanum mittebat, cædendis lignis, quæ ædificiis extruendis deſervirent 3. Reg. 5. 14. An idem ſit ac *Aduram*, initio Regni Roboami eodem munere occupatus, hæreo (d). Vide *Aduram*.

ADONIS, Vulgata in Ezechiele 8. 14. refert, Prophetam iſtum vidiſſe mulieres ſedentes, flenteſque *Adonidem*; Textus verò Hebraicus legit, Thammuz, ſivè *abſconditum*. Apud Ægyptios Adonis ſub nomini Oſiridis, Iſidis viri, colebatur: Aliquando tamen *Ammuz* (e), ſeù *Thammuz*, id eſt *Abſconditi* nomen obtinebat, ad ejus mortem, ſepulchrumque deſignandum. Hebræis interdum in contemptum *Mortuus* (f) appellabatur; deflebatur enim ut mortuus in feretro; nonnunquàm etiam *Zelotypiæ Idolum* (g) dicebatur, quòd Martis in ſe zelotypiam provocaſſet. Syri, Phœnices, & Cypri accolæ *Adonidem* nominabant, & Ammonitas, Moabitaſque Beel-Phegor (h) illi nomen indidiſſe arbitramur.

Hoc autem ritu Adonidis feſta celebrabantur. Mortuus in feretro exhibebatur, deflebaturque, & anxiè perquirebatur. Inde tamquam vivo invento, eximia lætitiæ ſigna prodebantur plurimis patratis ſceleribus, quibus Veneri de invento viro gaudium ſignificaretur, ſicut antè de amiſſo dolor exhibitus fuerat. Mulieres Hebrææ, de quibus Ezechiel, Adonidis, ſeù Thammuz feſta colebant, eæque ritum deperditi Adonidis in Templo celebrantes eidem Prophetæ divinitus oſtenſæ ſunt.

Docent Rabbini (i) *Thammuz* fuiſse Prophetam Idololatram, quod à Babylonis Rege interfecto, omnia regionis illius Idola ad Solis ſtatuam, quam Magus ille inter Cælum, terramque ſuſpenderat, convenientes, Prophetæ mortem deflere cœperunt. Hinc feſta ſtata ſunt quotannis, ob memoriam facti, initio menſis Thammuz, noſtro menſi Junio ferè reſpondentis. In Idoli hujus Templo ſtatua erigebatur, Thammuz formam exprimens, quæ intus vacua, & oculos habens plumbeos, lento igne paulatim incenſa, liquefactis plumbeis oculis lacrymari videbatur. Interim Babylonicæ mulieres in Templo magnos ululatus, ingenteſque lamentationes edebant. Hæc feruntur, quamquam nullo argumento.

Quæ verò de Adonide referunt fabulæ, hæc ſunt. Adonis è Cinyra Rege Cypri, & Myrrha ipſius filia natus, unde & filius, & Myrrhæ frater, ea venuſtate præditus erat, ut à Venere raptus, inter ſylvas, in quibus venationem exercebat, ſimul vixerit. Occiſum autem ab apro amaſium Venus præter modum deflevit. Hinc ad hujus luctus imitationem plerique Orientales feſta lugubria ſtatuerunt. Addunt Poetæ, Venerem à Proſerpina obtinuiſse, ut Adonis reſurgens ſex menſibus Terram incoleret, & totidem viciſſim Inferna. Hinc ortum habent lætitiæ ſigna, poſt luctum in Feſtis Adonidis.

(a) 3. Reg. 1. 5. 6. & ſeq. An. M. 2988. antè Ch. 1012. antè Ær. 1016. (b) Euſ. in locis in *Bezech*.
(c) Vide Judic. 1. 4. 5. 6. (d) 3. Reg. 12. 18. & 2. Par. 10. 18. 11. 9. (e) Vide Plutarch. de defectu oracul.
(f) Pſal. 105. 28. Levit. 19. 27. 28. (g) Ezech. 8. 3. 5.
(h) Vide, quæ diximus de Beel. phegor in Diſſertatione initio Libri Numerorum poſita.
(i) Kimchi, Maimon. alii Hebr. Vide & Santem Pagnin. in Theſauro.

nidis. De loco, in quo interfectus eſt, non conveniunt. Alii in Syria, alii in Cypro inſula, alii denique in Ægypto interemptum volunt. Legantur Authores de hac fabula differentes; præcipuè Clericus Biblioth. univer. t. 3. Septemb. 1686. *Explication hiſtorique de la fable d'Adonis*.

(Quæ de ortu Adonidis in fabulis relata ſunt, ſat congruunt cum iis, quæ de inceſtu Loth cum filiabus ſuis legimus in Scriptura. Myrrha filia Cyniræ Regis Cypri non caſto amore patrem ſuum deperibat; eo autem imprudente, filia concepit *Adonidem*. Chamos Deus erat Mohabitarum; Mohab ex inceſto coitu natus eſt, ſicut Adonis; Chamos ſat congruit cum *Ammuz* vel *Thammus*, quem ipſiſſimum credimus Adonidem. Adonidem cum Sole confundit Macrobius; Solem pariter referebat Chamos, Solemque in ſimulacro Chamos adorabant Mohabitæ.

Adonidis hiſtoria vulgo accidiſſe creditur Bibli in Phœnicia (a), ubi pariter Adonis ab apro interfectus dicitur in montibus Libani, unde fluvius Adonis. Porro ejus amnis aquæ quotannis ſemel nativo colore mutato rubeſcunt, eodemque veluti dato ſigno celebrabantur *Adonia* ſeu Adonidis Feſta. Nec eximere ſe ab ea ſuperſtitione facilè cuiquam dabatur; tota ſimul Urbs & arva ſubjecta reſonabant ejulatibus clamoribuſque; cædebant ſe homines flagellis; nihilque prætermiſſum, quo ſeriò res agi videretur. Poſt luctum, defuncto veluti parentabatur. Alterâ die increbeſcebat, vivere Adonidem & aera aſcendiſſe.

Credulis populis perſuadebatur, Ægyptios in Adoniis mari tradere arculam ex juncis ſeu papyro Ægyptia in formam capitis contextam (b), cui epiſtola commiſſa eſt, renuncians incolis Biblis (Urbs erat à lateribus Ægypti ultra ſeptem dierum itinere diſtans) Deum Adonidem, quem lugebant amiſſum, tandem apparuiſſe. Cymba illa epiſtolam habens commiſſam, ne ad portum Biblis poſt ſeptem dies appelleret, nunquam fallebat; qua de re Lucianus teſtis oculatus. Procopius & S. Cyrillus Alexandrinus (c) cum viris doctis nonnullis ſuperſtitionem hanc præ oculis habuiſſe credunt Iſaiam verbis illis cap. 18. 2. *Veh terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ, quæ mittit in mare legatos & in vaſis papyri ſuper aquas* (d). Vertunt nonnulli: *Quæ mittit in mare figuras, vel Idola* (e). Sed Hebræus ſonat ad literam legatos per mare dimiſſos ad referendum nuncium de reſtituto in vitam Adonide. In Commentario noſtro ad Iſaiam, diverſo planè ſenſu, ab Adonide alieno, Textum expoſuimus.

Pagani, quibus invidia creata erat ex Adonidis Feſtis ſanè puerilibus & probroſis, rem totam à ſe amovebant, exponentes obitum, & reſtitutionem ad vitam Adonidis de Sole, qui cùm ſingulis annis per hyemem recedat à nobis, ſubeunte vere regreditur; vel de ſeminibus, quæ in terram projecta moriuntur priùs, tum germinant ſuper terram. Sed hæc poſt factum primum excogitata. Vix etiam admitteretur, mulieres illas Iſraeliticas Adonidem venerantes, Soli cultum illum impendiſſe. Non ſine veri ſpecie credimus nullum ſibi aliud propoſuiſſe Numen præter Adonidem conjugem Veneris, vel ſi mavis Oſiridem, virum Iſidis; meritò enim crederemus Ezechielis ætate nondum obtinuiſſe apud Judæos Numina, ac Theologiam Græcorum.)

ADONISEDECH, Rex *Sedech*, ſivè *Hieruſalem*; hæc enim urbs quatuor nomina, Salem, Hieruſalem, Jebus, & Sedech, obtinuiſſe creditur. Præcipuè verò de ultimo hoc nomine comprobatur in *Melchiſedech*, *Rege Sedech*, ſeù Salem. Adoniſedech igitur Hieruſalem Rex, audiens Gabaonitas ſe Hebræis dedidiſſe, ipſoſque Hebræos urbes Jericho, & Hai cepiſſe, ſibi timens, reſiſtendum illis totis viribus ſtatuit (*). Legatis idcirco miſſis ad Oham Hebronis, ad Pharan Jerimoth, ad Japhiam Lachis, & ad Dabir Eglonis Reges, ſibi adhærere perſuaſit, ut Gabaon capto, oppidanos, qui ad Iſraelitas defecerant, punirent. Quinque igitur Reges Gabaon junctis viribus oppugnabant.

Tunc Gabaonitis a Joſue Galgalis morante opem quærentibus, ipſe fortiſſimis exercitus lectis, totaque nocte iter faciens, ad Solis ortum ad hoſtes pervenit. Quos à Domino territos, Joſue magna internecione profligavit; cæteroſque Bethoron verſùs, Azecham uſque & Macedam inſequutus trucidavit. Hac eadem die lapidibus à Domino miſſis ſuper hoſtes pluit, & Sol, Joſue deprecante, ſtetit.

Quinque verò Reges, fuga elapſi, in ſpelunca propè Macedam latuere. Joſue, re auditâ, magnis lapidibus antri oſtium claudi juſſit, ac cuſtodes appoſuit. Interim Iſraelitæ inimicos ad veſperum uſque perſequuti ſunt: regreſſis verò in campum prope Macedam, Joſue eductis ante Iſraelis exercitum quinque Regibus, exercitus proceres Regum colla pedibus calcare juſſit, eadem cunctis ipſorum hoſtibus Dominum facturum pollicitus. Inde Joſue Reges illos interfecit, eorumque cadavera totidem ſtipitibus affigi tota die imperavit. Occidente autem Sole depoſitos, in ſpeluncam, in qua latuerant, projici, illiuſque oſtium ingentibus lapidibus obruendum mandavit.

(ADOPTIO. Cùm alienus à genere aliquis in familiam adſcitus, filii charactere, & jure in ſucceſſionem hæreditatis donatur, adoptio eſt. Hæc adoptionis idea nunquam apud Hebræos paret. Nihil de illa in ſuis Legibus Moyſes. Qua Jacob duos ex filio nepotes ſuos Ephraim & Manaſſem ſibi adſcivit, adoptio, ſubſtitutionis potiùs quoddam genus reputandum eſt, quo conſtituit geminis filiis Joſeph ſuam in Iſraele ſortem aſſignandam, tanquam ſi è numero filiorum ſuorum reputarentur Geneſ. 48. 5. *Duo filii tui mei erunt; Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi*. Cùm verò nullam hæreditatis portionem aſſignet Joſeph eorum patri, totus avi in nepotes favor ad id reſtringitur, ut pro unica portione inter Ephraim & Manaſſe dividenda, duplicem, utrique ſuam, aſſignet: quare tota adoptionis hujuſce vis erat, ut hæreditatis portione majori aſpergerentur nati è Joſeph filii.

Adoptionis inter Iſraelitas aliud erat genus (f), cùm ſcilicet decedentis ſine liberis fratris conjugem ſuperſtes frater ducere cogebatur, natique ex eo conjugio filii ad defunctum fratrem, cujus obtinebant nomen, pertinere cenſebantur; quod etiam ante Legem invaluiſſe ex hiſtoria Thamar intelligimus Geneſ. 28. 8. Sed alia erat planè ratio adoptandi Græcorum Romanorumque moribus cognita.

Filia Pharaonis puerum Moyſem adoptavit, Exodi 2. 10. & Mardochæus Eſther in filiam (g). Quo ritu id præſtaretur, quam latè paterent adoptionis hujus jura, ignoramus. Sed non malè ſuſpicaremur, ipſiſſima fuiſſe ac quæ Romanorum legibus præſcripta conſtat; i. e. filiis ex adoptione idem eſſe in hæreditatem jus, ac genuinis cæteris filiis: adoptantis ſibi nomen adſciebant, cui tanquam patri per omnia ſubdebantur.

Jeſu Chriſti paſſione, & facta nobis meritorum ipſius per Baptiſmum communione, in filios Dei adoptione quadam ita adſciſcimur, ut ad hæreditatis cæleſtis jura evocemur. Docet id Apoſtolus non ſemel; Rom. 8. 15. *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore; ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater)*. Et verſ. 23. *Adoptionem filiorum Dei expectamus*. Galat. 4. 4. 5. *Miſit Deus Filium ſuum, ut eos, qui ſub Lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*.

Apud Muſulmanos (h), qui in adoptionem adſciſcitur, intra ſubuculam adoptantis tranſmittendus eſt. Hinc tranſmittere aliquem per ſubuculam perinde valet apud Turcas, ac adoptione aliquem recipere; & filius ex adoptione appellatur apud illos *Akiet-ogli*, filius alterius vitæ; non enim in hac vita genitus eſt. Simile aliquid apud Hebræos animadvertiſſe licet. Elias Eliſæum adoptaturus,

com-

(a) Lucian. de Dea Syra. (b) Idem ibidem. (c) Procop. & Cyril. Alex. in Iſai. 18. Vide & Bochart. Phaleg., lib. 4. cap. 2.
(d) Septuag. *Mittens in mare obſides*. (e) Bochart. loco cit.
(*) Joſue 10. 1. 2. & ſeq. An. M. 2553. ante Ch. 1447. antè Ær. vulg. 1451. (f) Deut. 25. 5. Ruth. 4. Matt. 22. 24.
(g) Eſther. 2. 7. 15. (h) Herbelot. Bibl. Orient. pag. 47.

communicato illi prophetandi dono *miſit pallium ſuum ſuper illum* 3. Reg. 19. 19. ; & cùm Elias curru igneo elevatus eſt, demiſit pallium 4. Reg. 2. 15., quod ſibi aſſumpſit Eliſæus ejus diſcipulus, ejuſque in ſpiritu & prophetandi munere filius atque hæres.

Deceſſuri jam Aaronis veſtibus ſacris Eleazarum induit Moyſes Num 20. 26. . Eo argumento demonſtrans Eleazarum in munere Sacerdotii illi ſuccedere, adoptarique adoptionis quodam genere ad ejus dignitatis exercitium. Dominus Sobnæ Templi Duci intimavit futurum : * *Induam illum* (Eliacim filium Helciæ) *tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu ejus*. Docet non ſemel Apoſtolus (a), Chriſtianos *induiſſe Jeſum Chriſtum*, *induiſſe hominem novum*, inſinuans hiſce adoptionem filiorum Dei in Baptiſmo receptam.)

ADOR, eadem fortaſſe ac *Adora*. Vide 1. Mach. 13. 20.

ADORA (b), ſivè *Adoram* 2. Par. 11. 9., nonnunquam *Ador*, ſeù *Dora* 1. Mach. 13. 20. dicta, urbs Tribus Juda, non longe à *Mareſa*, ſeù *Mariſſa*, apud Eleutheropolim, in parte meridionali Judæ, & ad fines Idumææ.

I. ADORAM, ſivè *Adaram*, filius Jectam, filii Heber. Geneſ. 10 27.

II. ADORAM, filius Thou Regis Emath, qui Davidi gratulaturus venit, patris ſui nomine, de victo Adarezer Syriæ Rege. 1. Par. 18. 10. In 2. Reg. 8. 10. *Joram* appellatur.

(ADORARE. Juxta vim literalem, etymologiamque Latinæ vocis, adorare eſt ad os ferre manum, vel rem aliquam oſculari, nunquam tamen abſque venerationis cujuſdam & cultûs ſignificatione. Job. 31. 26. 27. *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & oſculatus ſum manum meam ore meo*; i. e. ſi fulgentia illa aſtra colui, religioſa quædam oſcula imprimens manui. Et 3. Reg. 19. 18. *Derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit, oſculans manibus.* Cæcilius, teſte Minutio in Octavio, ante poſitum Serapidis ſimulacrum tranſiens, pro more ſuperſtitioſiſſimorum manum oſculatus eſt. Qui adorant, ait S. Hieronymus, manui infigere oſculum, & curvare caput habent familiare, contra Rufinum l. 1. & vulgari Hebræorum ſermone obtinet, ut oſculari perinde ſit ac adorare; unde illud Pſ. 2. 12. ex Hebræo : *Oſculamini filium, ne quando iraſcatur, & ne pereatis de via juſta*; i. e. adorate & ſubmittite vos ejus imperio. Pharao ad Joſeph Gen. 41. 40. ex Hebræo : *Cunctus populus oſculabitur manum ad tui oris imperium*; i. e. juſſa tua perinde excipiet, tanquam Regis, vel Dei. Adorare in Scriptura non uſurpatur tantùm pro cultu Deo peculiari, ſed pro externa obſequii ſignificatione debita Regibus, cæteriſque ſuperiora tenentibus. Abraham in terram pronus tres Angelos adoravit, ſub hominum aſpectu ſibi apparentes ad Mambre Gen. 18 2. ; illos pariter adoravit Loth, cùm Sodomam veniſſent Gen. 19. 1. ; nec immeritò ſuſpicaremur, Loth pariter & Abraham aſpectu Angelos illos homines reputaſſe. Abraham Gen. 23. 7. *adoravit populum terræ* Hebron, rogans concedi ſibi, ſoluto pretio, ſepulchrum pro Sara uxore ſua. Certiores facti Iſraelitæ miſſum à Deo Moyſem ad relevandum ex jugo ſervitutis populum, proſtrati adoraverunt Dominum Exod. 4. 32. Sed fruſtra in re Scripturæ perquam familiari congererentur exempla.)

ADRA, ſivè Hadrach, urbs ex Zacharia Propheta 9. 1. cognita, qui minas, & graviſſima vaticinia in eam pronunciavit. Ptolemæus in Cœleſyria *Adram* quandam ad 68. $\frac{1}{4}$ latitudinis, & 32. $\frac{2}{3}$ longitudinis gradum collocat. Hadrach regionem Damaſco parum diſtare credimus, cum Zacharias aſſerat, Damaſcum illius eſſe munimen, & propugnaculum.

ADRAA in Batanea, quinque & viginti paſſuum millibus Boſtris diſſita (c), eadem ac *Edrai*. Vide inferius *Edrai*.

I. ADRAMELECH unum è numinibus accolarum Sepharvaim, qui in Samariam domicilium tranſtulerant, ductis trans Euphratem Iſraelitis. In hujus falſi numinis, ſicut & alterius, Anamelech dicti, cultum filios per ignem traducebant 4. Reg. 17. 31. Sub muli forma adorari ſolitum tradunt Rabbini; quod nullatenus probabile eſt. Credibilius autem videtur, *Adramelech* Solem fuiſſe, & *Anamelech* Lunam. Horum nominum primum *magnificum Regem* ſignificat; alterum, *pium Regem*. Plures Orientales Lunam non ſub Deæ, ſed Dei cujuſdam nomine venerabantur.

II. ADRAMELECH, filius Sennacherib Aſſyriæ Regis (d). Rex iſte Ninive redux, poſt infelicem adverſus Ezechiam Judææ Regem expeditionem, in Templo Neſroch orans, à duobus filiis Adramelech & Saraſar interfectus eſt. Quam occaſionem ineundi parricidii prætulerint, incertum eſt; ſuſpicantur verò nonnulli, nulla tamen fulti authoritate, crimen iſtud patraſſe, quòd Sennacherib illos Diis immolaturum voverit. Illud tamen conſtat, filios hoſce poſt parricidium in Armeniæ montes confugiſſe, & Aſſaradonem paterno imperio ſucceſſiſſe. Obiit Sannacherib an. M. 3295. antè Chr 705. antè Ær. 709. (Adramelech, & Saraſar filii Sennacherib appellantur in Said filio Batrik *Anzar Melach, & Seraſſera*, quod poſtremum nomen accedit maximè ad *Siaſernera*, quo Arabes Regem Sennacheribum nuncupant.)

ADRIA, Venetæ ditionis urbs ad Tartarum, ex qua Mare Adriaticum, aliquandò *Adria* tantum dictum, appellatur. Licet verò nomen iſtud illi ſolùm mari competat, quod ſinu Adriatico continetur; tamen in Actibus Apoſtolorum (e), dum de Pauli navigatione diſſeritur, pro Siculo etiam, & Jonio mari uſurpatur.

(ADRIANUS. Nunquam ſanè Imperatoris hujuſce nomen legitur in noſtris Bibliis; deſignatum tamen credo Apoc. 8. 10. 11. En Textum : *Tertius Angelus tuba cecinit; & cecidit de Cælo ſtella magna, ardens tanquam facula; & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum; & nomen ſtellæ dicitur Abſinthium; & facta eſt tertia pars aquarum in abſinthium : & multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt*. Sidus [illegible] hoc indicat *Barcochebam* Judæum impoſtorem, Judaicæ defectionis authorem & momentum. Ad redigendos illos in ordinem miſſus ab Adriano Tinnius Rufus, & Julius Severus, qui cruentis præliis miſeros afflixerunt, oppreſſeruntque. Vide infra V. *Barcochebas*.

Adrianus, cui inviſi erant Judæi, quippe qui oculatus teſtis ſpectaverat, quibus turbis res agitaſſent ſub Trajano, ſtatuit premendis illis continendiſque in ordinem mittere coloniam Hieroſolymam, & Templum ibi Jovi ſacrum excitare. Attritæ tunc erant Urbis illius res; & poſt everſionem ſuam per Titum, nonniſi languidiſſimè caput erexerat. Hanc alienigenarum coloniam iniquiſſimè ferentes in Urbe ſua Judæi, & indigniùs adhuc rati illam externi cultus prophanationem in defectionem declinarunt (f) circa annum 134 (g). Ita animatis ſtimulos adjecit Barcochebas, qui circa illam ætatem Meſſiam ſe credulis adprobabat. Sed nè quid molirentur novi, prohibebat metus Adriani in Ægypto & Syria verſantis. Quo autem erant infenſo in Romanos animo, fabricarunt illis hebetata acie arma (h), quorum nullus eſſet in prælio uſus; tum munimenta quædam parva erecta cum mœnibus in locis tutiſſimis, ac per canales quoſdam ſub terram effoſſos communicabant invicem conſilia, hoſtium cautiones omnes evitantes. Vana hæc primùm contempſerunt Romani.

Cùm verò creſceret in dies defectio, cùm deſperatione rebellium animus acueretur, cùm accederent ad ſeditioſos è vicinis Provinciis prædones compendii ſpe invitati, cùm rebellionis contagio ſerperet in finitimas Provincias, & à ſtrepitu roboaret Univerſum, ut phraſi utar Hiſtorici cujuſdam, verſo conſilio res agi cœpta eſt. Tinnius Rufus vicibus antea Imperatoris functus in Syria, verſabatur tum in Judæa, qui ductis adverſus ſeditioſos

* Iſai. 22. 21.
(a) Rom. 13. 14. Galat. 3. 27. Epheſ. 4. 24. Coloſſ. 3. 10. (b) Joſeph Antiq. l. 13. c. 17. (c) Euſeb. in Aſtaroth.
(d) Iſai. 38. 8. 4. Reg. 19. ult. (e) Act. 27. 27. *Navigantibus nobis in Adria*. (f) Xiphil. pag. 262. Dio. Caſſ.
(g) Baſnag. Hiſt. Jud. tom. 2. l. 4. c. 8. pag. 131. (h) Xiphil. loc. cit.

ditioſos copiis, ingenti quidem clade illos affecit, ſed non ſine magna ſuorum ſtrage. Auxiliares copias ad illum miſit Adrianus, nec tamen exinde melior plurimis commiſſis prœliis Romanorum cauſa. Tandem, jubente Adriano, venit in eam expeditionem è Britannia Julius Severus, ætatis ſuæ Dux eximius. Sentiens ille Judæos copiarum numero præſtare, avulſas ab exercitu manus illorum cæcidit, commeatibus viam interclusit, ac tandem corona cinxit Bitther, vel Bethoron, tutum ſeditioſis effugium.

Reſtitit Urbs pervicaciùs, vana auxiliorum ſpe detinente Judæos Barcocheba, qui obſidionem illam ſuſtinebat. Perruperunt eò tandem Romani, ingentique ſtrage de Judæis ulti ſunt (a). Multò plures è ſuis cæſos dicunt Judæi, quàm qui ex Ægypto pedem retulerunt. Et in ſua Liturgia inſeruerunt hymnum (b) ad diem 18. menſis *Ab*, (Julio, & Auguſto reſpondet) in quo Adrianus notatur infami elogio ſecundi Nabuchodonoſoris; rogantque Deum, ne unquam è mente deponant Principem illum ſævum, 480. Synagogarum everſorem, qui variis prœliis, non minus quàm 580000. Judæorum trucidavit. Narrant Judæi ſuper unum lapidem in Bitther ſpectatas 300 infantium calvarias; intumuiſſe verò adeò ſanguinis rivos, ut devolverent inter fluendum lapides 4. librarum, raperentque illos ad mare 4. milliaribus diſtans. Tandem ejus regionis incolas à ſtercorandis agris toto ſeptennio abſtinuiſſe, ſupplente abundè ſanie è corruptis cæſorum cadaveribus.

Militum Romanorum, ſicut & Auxiliariorum in eo bello cæſorum numerus major fuit, quàm pro opinione. Porro bellum illud perſeveraſſe dicunt RR. & S. Hieronymus in Dan. 9. tribus annis & ſemis; biennium alii malunt (c). Obſervat Dio. l. 69. Adrianum, cùm de eventu ejus prœlii certiorem faceret Senatum, familiare in literis exordium adhibendum non cenſuiſſe: *Si vos, & filii veſtri benè valetis, gaudeo; ego pariter, & exercitus benè valemus*; peſſimè enim acceptus erat in eo bello exercitus (d).

Secundùm hæc Adrianus ſupremam manum impoſuit Urbi Jeruſalem reſtituendæ; abſolutamque de familiæ ſuæ nomine appellavit Æliam; tum vertere ſolo Judæos omnes coegit, latis edictis vetans, ne deinceps nunquam regrederentur (e); & ex captivis eo bello captis ingentem ſanè turbam venum expoſuit in loco juxta Terebinthum, ubi tres Angelos hoſpitio excepiſſe Abraham creditur. Eodem pretio ac equi diſtracti ſunt, & quidquid reſiduum fuit è venditione, in alterum emporium ad Gazam translatum; quidquid reliquum ſuperfuit, deductum eſt in Ægyptum (f). Huic Judæorum infortunio accommodat S. Hieronymus in Zachariam 11. 7. ejuſdem Zachariæ illud: *Paſcam pecus occiſionis*; ſicut & Hebræorum Doctores ad hoc bellum accommodant Jeremiæ illud 31. 15. *Vox in Ramah audita eſt, Rachel plorans filios ſuos*. Grandi pecunia redemerunt Judæi libertatem, non quidem Jeroſolymam repetendi, ſed proſpiciendi tantùm plorandique ejus caſum & exterminium.

Ea occaſione factum dicunt, ut Tinnius Rufus, vel ut appellant Rabbini, Turannus vel Turnus Rufus aratrum duxerit ſuper locum, qui olim Jeroſolymitano Templo ſuperbierat. Monſtrantur hodie uſque nummi Adriani ea occaſione cuſi, in poſtica referentes Fœminam, emblema Judææ, habentem juxta ſe geminos nudos infantes, & ſacrificantem in Altari (g); quibus facilè deſignabatur ſubmiſſam a Principe Judæam, coactamque Sacrificiis litare Numinibus. Offert alius nummus Judæam, quæ flexo genu manum præbet Imperatori, cum tribus infantibus Principis gratiam poſtulantibus (h). Exinde cùm pulſi ex Urbe Judæi excluderentur, cœpti ſunt Epiſcopi è præputio, vel è Gentibus inter Fideles conſecrari.

ADRIS, vel *Edris* idem cum Enoch. Vide *Enoch*.

ADRUMETUM, Africæ in Lybia civitas, Provinciæ Bizacenæ metropolis. In Actibus Apoſtolorum c. 27. 2. legitur Paulus tunc primum in Italiam veniens (i), navim *Adrumetum* pergentem conſcendiſſe; at in Textu *Adramitum* legendum videtur; cum certum ſit Paulo iter faciendum fuiſſe in Aſiam, ut teſtatur S. Lucas, & Adramitum fuiſſe civitatem maritimam Myſiæ, è regione Inſulæ Lesbi.

ADULLAM, ſivè *Adollam*, aut *Odollam*, urbs in Tribu Juda (k). Euſebius teſtatur (l) ſuis temporibus ingentem pagum fuiſſe, decem paſſuum millibus Eleutheropoli diſtantem, ad Orientem. Vide *Odollam*. Roboam hanc urbem reædificavit, illamque egregiè munivit 2. Par. 11. 7. 8. In Odollam planitie Judas Machabæus caſtrametatus eſt, & Sabbathum celebravit. 2. Mach. 12. 38.

ADULTERIUM. Lex Moyſis Adulteros morte damnat Levit. 20. 10.. Cum vir ſiniſtram aliquid de fide uxoris ſuſpicabatur (m), illam ad Judices deferebat; teſtabatur ſubinde ſe non rarò eam admonuiſſe, nè cum certo quodam viro ſecretò colloqueretur, ſed fruſtra. Muliere autem innocentiam ſuam tuente, poſcebat vir, ut ad amaritudinis aquas propinandas damnaretur, ut Deo res manifeſtanda committeretur. Teſtibus igitur à viro productis ambo ducebantur Hieroſolymam ad Sanhedrin unicum talium cauſarum Judicem. Hæc à Rabbinis traduntur; Moyſes enim ſingula non enarrat.

Judices Sanhedrin minis terrere fœminam, & ab illa criminis confeſſionem extorquere tentabant; quam crimen negantem, curſu fatigare conabantur, ut præ laſſitudine confiteretur. Negans iterum, ad portam orientalem Porticus Iſraelis ducta, ibique conſuetis veſtibus exuta, coram ingenti ejuſdem ſexus multitudine pulla veſte induebatur: inde Sacerdos, nihil omninò illi timendum dicebat, ſi ſe innocentem ſentiret ejus criminis, cujus inſimulabatur; ſi verò ſe ream ſciret, omnia, quæ Lea minabatur, quæque inferiùs recenſebimus, ferre pararetur. Cui mulier reſpondebat: *Amen, amen*.

Indè Sacerdos atramento, abſque vitriolo compoſito, ut facilius deleretur, in membrana hæc legis verba ſcribebat: *ſi non dormivit vir alienus tecum, & ſi non polluta es, deſerto mariti thoro, non te nocebunt aquæ iſtæ amariſſimæ, in quas maledicta congeſſi. Sin autem declinaſti à viro tuo, atque polluta es, & concubuiſti cum altero viro, his maledictionibus ſubjacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo ſuo. Putreſcere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus diſrumpatur; ingrediantur aquæ iſtæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumeſcente putreſcat femur.*

Deinde novum vas fictile aquis vaſis ænei, propè holocauſtorum altare poſiti, replebat, infuſoque pulvere è Templi pavimento aliquod amarum, veluti abſinthium aut quid ſimile miſcebat; lectiſque ſupradictis maledictionibus coram muliere, quæ reſpondebat, *Amen*, in iis aquis ſcriptum eradebat. Interim alius Sacerdos mulieris veſtibus prius uſque ad pectus laceratis nudato capite, ſparſis capillis, laceratiſque veſtibus ſubtus papillas cingulo quodam religatis, decimam partem Ephi, ſeù tres hordeaceæ farinæ pintas in ſartagine abſque oleo, & incenſo ei exhibebat.

Tum Sacerdos alius, qui Zelotypiæ ſeu amaritudinis aquas præparaverat, bibendas mulieri præbebat; quas ut biberat, ſartaginem cum farina in illius manu ponebat; quæ coram Domino agitabatur, & farinæ pars in ignem Altaris projiciebatur. Si autem fœmina innocens erat, cum viro ſuo regrediebatur, nullum ab aquis incommodum paſſa, imò valetudine, & fœcunditate aucta. Si verò criminis conſcia, continuo pallebat, exuberantibus oculis; & extrà Templum, ne illud pollueret, ducta ſtatim obibat omnibus maledictionibus in eam recidentibus: quod & complici criminis, licèt abſenti contingere ſolitum dicitur. Si tamen illius vir in adulterium pariter lapſus fuiſſet, nullum uxor detrimentum ab aquis patiebatur.

Docent

(a) Die 10. Auguſti, anno Adriani 18. J. C. 135. (b) Baſnag. Hiſt. Jud. tom. 2. pag. 538.
(c) Baſnag. Hiſt. Jud. to. 2. pag. 533. (d) Dio. l. 69. p. 794. (e) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 4. c. 6.
(f) S. Hieron. Chronic. A. 137. (g) Triſtan Commentar. Hiſt. Adrian. p. 363.
(h) Eicher. de Nummis Cenſ. p. 3648. (i) An. Chriſti 57. Ær. 61. (k) Joſue 15. 35.
(l) Euſeb. in locis in Adullam. S. Hieronymus hanc undecim paſſuum millibus Eleutheropoli diſſitam ponit.
(m) Vide Levit. 5. 11. 12. & ſeq. & comment. in hunc locum & Philon. de ſpecialib. legib.

Docent Rabbini, poſt reditum è captivitate hujus experimenti uſum duplici ex cauſa abrogatum. I. quia crebra erant adulteria: II. ne ſæpius nomen Dei aquis amaritudinis deleri oporteret. Cum igitur vir de uxoris adulterio juſtè ſuſpicabatur, teſteſque habebat, qui dicerent ſe cum aliquo non integræ famæ illam ſecretò commorantem vidiſſe, ſtatim dote ſua privata ejiciebatur. Leo Modena teſtatur (a), virum adulterii uxoris cauſa ad repudium perpetuamque ſeparationem etiam invitum cogi, facultate alteri nubendi mulieri conceſſa, ſed tantum poſt quatuor menſes, ut, antequam alteri nubat, an è priori Viro conceperit, appareat.

Judæi inventam in adulterio fœminam ad Chriſtum ducentes Joan. 8. 3., quid de illa agendum petiere, cum Moyſes reos hòſce lapidibus obruendos juſſiſſet. Hoc autem fecerant, ut illum accuſandi occaſionem aliquam arriperent. Jeſus verò inclinatus digito in terra ſcribebat: inde ſurgens, dixit: Qui ex vobis ſinè peccato eſt, primum in eam lapidem jaciat. Rurſumque inclinatus, ſcribere perrexit. Hoc audito, illius accuſatores poſt alios alii, & omnium primi ſeniores diſceſſere. Tunc Jeſus ſurgens, & ſe cum fœmina ſolum videns quæſivit, an nemo eſſet, qui illam condemnaret; cui à nemine ſe damnatam dicenti ſubdidit: Nec ego te damnabo. Abi, nec impoſterum pecces.

Meritò volunt Interpretes, primò, mulieris accuſatores ejuſdem criminis reos fuiſſe; ut ferè contigit Suſannæ. Injuſtum autem eſt accuſatores eos accipere, qui ejuſdem, quod in alio reprehendunt, ſceleris conſcii ſunt (b): *Non modò accuſator, ſed ne objurgator quidem ferendus eſt is, qui quod in alio reprehendit, in eo ipſe reprehenditur*. Secundo, credendi locus eſt, fœminam, de qua agitur, aliquam violentiam paſſam fuiſſe, illiuſque delictum circumſtantiis imminutum. Seldenus Uxor. Hebr. l. 3. & Fagius ad Deut. 22. 23. opinantur huic mulieri illud contigiſſe, quod Moyſes bis verbis expreſſit Deut. 22. 21.: *Si puellam virginem deſponderit vir, & invenerit eam aliquis in Civitate, & concubuerit cum ea; educes utrumque ad portam Civitatis illius, & lapidibus obruetur: puella, quia non clamavit, cum eſſet in Civitate: vir, quia humiliavit uxorem proximi ſui*.

{ Adulteros utroſque capitali ſupplicio damnat Moyſes Levit. 20. in Crimen illud ante Legem ignis ſupplicio expiatum videtur ex Hiſtoria Judæ, qui cùm audiſſet Thamar nurum ſuam thori ſanctitatem violaſſe, mandavit Gen. 38. 24. *Producite eam, ut comburatur*. Adulterum morti damnant leges Conſtantii, & Conſtantis. Immunem à pœna maritum pronunciant leges duodecim Tabularum, qui thori ſui violatorem adulterum in crimine deprehenſum perimit; hunc ipſum ad arbitrium puniendum marito permittebat Solon; quod etiam lege confirmaverat Juſtinianus; confirmatumque diu obtinuit apud Chriſtianos. Veteres Ægyptii in virum adulterum mille flagrorum ictibus animadvertebant; fœminis præcidebant nares (c). In Codice Theodoſiano recitatur lex quædam injungens, ſacco coriaceo inſui adulterum, quod peculiare erat in patricidas ſupplicium. Vivos igni tradebat Macrinus Imperator; idemque ſupplicium decernit Conſtantinus in mancipium, quod furtivis deliciis heræ ſuæ ſerviret. Gladio animadverſum in adulteros, nullo facto ſexus privilegio, ſub Valentiniano & Valente, refert Ammianus.

Quanto horrore crimen illud proſequeretur Job verbis illis cap. 31. 9. &c. depingit: *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum, ſcortum alterius ſit uxor mea, & ſuper illam incurventur alii. Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima, ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*. Nec æquiora de adulterio cenſuit Eccleſia Chriſtiana; quæ adulteros inter primi ordinis criminoſos arduis pœnitentiæ afflictationibus ſubmiſit; nec veniam priùs conſenſit, quàm ut ad vitæ extrema pervenirent; certat apud illam ex æquo homicidii, idololatriæ, & adulterii nequitia. Idololatriam & Apoſtaſiam nota adulterii & proſtitutionis ſpiritalis inurit Scriptura. Familiare eſt maximè apud Prophetas, proſtituere ſe ad Idola Chananæorum; in adulterium infidelitatis prorruere. Reos adulterii, inceſti, aliorumque ejus generis criminum, pœna exterminii dignos pronunciat Moyſes Levit. 18. 20. 25. 28. 29. iiſdemque implicitos Chananæos, merito ſceleris exterminatos dicit a Deo, & tanquam vomitu quodam horroris egeſtos è terra.

Lapidum ſupplicio damnatos plerumque adulteros conſtat ex Joanne 8. 4. 5. (d): *Hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio; in Lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare*. Nihil quidem à Moyſe decretum de hac pœna legimus; ſeu uſus certum hoc ſupplicium determinavit. Nec inde tamen reputandum eſt, integrum fuiſſe ſingulis, capitali hac pœna interimere ſontes, nulla judiciali forma ſervata. Quanquam enim affirmat Philo de Joſeph. p. 533. Hebræos vel ſimplicis fornicationis vitium extremo ſupplicio punire; in adulteros verò conſpirare omnium hominum ſuffragia, ut ſexcentis ſuppliciis dignos judicent; quare Legem permittere ſingulis, qui in crimine reos deprehenderint, ut nulla etiam judiciali forma ſervata, actutum monſtra illa perimant; nihilo tamen ſecius contrarium obtinuiſſe apud Hæbreos ſat conſtat. Judiciali ritu cognita eſt Suſannæ cauſa; auditi teſtes, collatique inter ſe; iterumque expenſa omnia, ſuadente Daniele (e): & qui fœminam in adulterio deprehenſam ſtatuerunt coram J. C. Jo. 8. abſtinuerunt ſe tamen, ne lapides in illam immitterent; ſonti illi damnandæ ſententiam à Jeſu ferri voluerunt, ut ejus authoritate ſecuri inferrent ſupplicium. Docent Hebræi, requiſitos ſaltem duos teſtes contra fœminam de adulterio deponentes, ut ritè damnaretur. Si deſunt marito teſtes, & certis argumentis de violata ab uxore ſua maritali fide conſtet, diſſociare ab illa thorum jubetur (f), monente Salomone Prov. 28. 23. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt & impius*. Vir, cujus uxor vel unius tantùm teſtimonio de fide conjugii violata ſuſpecta eſt, repudiet illam abjiciatque mandant Judæi.

ADULTERA. Mulieris adulteræ Jeſu Chriſto oblatæ hiſtoria recitata Jo. 8. 3. in plurimis Græcis Exemplaribus deſideratur. In multis quà Græcis quà Latinis defuiſſe ætatis ſuæ teſtis affirmat S. Hieronymus, l. 2. cont. Pelag. c. 6. nec legiſſe conſtat veterum Græcorum Patrum pleroſque. Exhibet Catena Græca in S. Joannem Commentatores 23. & nemo unus hanc adulteræ hiſtoriam; unde facilis perſuaſio in eorum Codicibus defuiſſe. Ex omnibus Græcis Exemplaribus à ſe conſultis, unum tantùm Leontii Commentarium in S. Joannem legiſſe, qui talia referret, affirmat Maldonatus; addens Leontii Commentario illi Græcum adjunctum textum notatam obelis hanc hiſtoriam exhibere, unde aliena manu inſerta demonſtraretur. Alia plura Græca M. SS. exhibet D. Mille ſuperioribus illis nihilo ea in re auctiora. Nihil pariter de illa norant Origenes, S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Nonnius in Panoplia ad S. Joannem. Omiſſam in Exemplaribus Euſebii ex eo intelligimus, quod legiſſe ſe illam notet (g) in Exemplari Hebraico S. Matthæi ad uſum Nazaræorum. Fatemur equidem, vulgò perſuaſum fuiſſe, agnitam ab Euſebio ejus hiſtoriæ veritatem in Canonibus vel Harmonia Evangelica ab illo ſcripta; ſed aliis æquè perſuadetur, ſpectatam à viro docto non hiſtoriam adulteræ, ſed proximè præcedentes verſiculos (h).

Accedit Armenicorum Bibliorum ſuffragium, in quibus fruſtra hiſtoriam adulteræ quæras; fruſtra etiam in Syriaco utriuſque Polyglottæ Pariſienſis & Londinenſis, ſicut & in antiqua Verſione Gothica per Ulphilam. Quæ verò M. SS. hiſtoriam exhibent, variantibus maximè diſcrepant; in nonnullis enim legitur ad calcem Evangelii S. Joannis; aliis eſt ad exitum cap. 21. S. Lucæ; in aliquibus ad marginalem oram cap. 8. S. Joannis; obelis tandem diſtinctam, ceu dubiam, præferunt quædam. Hæc majoris ponderis labefactandæ authoritati

hu-

(a) Leo Modena, de moribus Judæorum, parte 4. c. 6. (b) Cicero in Verrem. orat. 5. (c) Diod. l. 1.
(d) Vide Philo. de Legib. ſpecial. (e) Daniel. 13. 29. &c. (f) Leo Modena Cærem. Judæ. 4. p. 1. 6.
(g) Hiſt. Eccl. l. 3. c. 39. (h) Simon hiſt. critic. N. T. p. 150. Gallicè.

hujus hiſtoriæ.

Modò, quæ pro illa, adducamus. Exemplaria omnia per Robertum Stephanum, *16.* numero; omnia uno excepto per Theodorum Bezam conſulta, 17. numero, nihil ferebant omiſſum. Codices D. Mille plerique in eam referendam conſpirabant, Canonicam agnoverunt, & in Harmonias ſuas Evangelicas tranſtulerunt Tatianus anno 160. J. C. & Ammonius anno 220. florentes. Canonicam pariter Author Conſtitutionum Apoſtolicarum l. 2. c. 24. & Pſeudo Athanaſius in Synopſi; nihil adverſùs excipiunt SS. Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, & Latinorum alii, quanquam Græcorum Exemplarium diſcrepantiam probè noſſent. Suſpicatur S. Auguſtinus de Adulterin. Conjug. l. 2. c. 7. ex Fidelibus quempiam minùs probè inſtructum, ſeu veræ fidei olorem aliquem rem totam expunxiſſe Codicibus S. Joannis, vano timore perſuaſum, nè ſcilicet videretur Jeſus veniæ facilitate crimen probare. Vetera plura Syriaca M. SS. ſicut & omnia impreſſa Græca ac Latina totam retinent. Cur igitur reprobetur, nihil eſt. Videſis Commentatores in Jo. 8. Adnotationes D. Mille in N. T. D. Fabricium Aprocryphor. N. T. tom. 1. p. 355. &c. & quos ille laudat authores.)

I. ADURAM, Roboami vectigalium Procurator. Irritatis à Roboami reſponſis duris, & imprudentibus decem Tribubus Iſrael, & à Davidis familia deſciſcentibus (a), Roboam, ut populum ſedaret, miſit Aduram tributorum, & operum Præfectum, ut illius ſuavitate, aut vi populum reduceret; ſivè ut aliquid primo populi furori indulgeret, Aduram, miniſtrum vexationum ſub præcedenti Regno exactarum ejus poteſtati permittendo; plures enim eumdem eſſe arbitrantur, ac Adoniram, Præfectum tributorum Salomonis (b). Quicquid ſit populus magno impetu in Aduram irruens lapidibus obrutum interfecit. Quibus auditis, Roboam confeſtim currum conſcendens, Hieruſalem rediit. Id evenit An. M. 3029. ante Chr. 971. ante Ær. 975.

II. ADURAM, filius Jectan. (c) Vide *Adoram*.

III. ADURAM, Davidis Tributorum Procurator 2. Reg. 20. 24.. Fortaſſe pater eſt illius *Aduram*, qui ſub Salomone, & Roboamo eodem munere fungebatur. Vide *Aduram*, & *Adoniram*.

IV. ADURAM, ſivè *Adoraim*, ſeù *Adura*, Civitas à Roboamo munita 2. Par. 11. 19.; eadem fortaſſe ac Adar, ſeù *Hazer Adar*, ſivè *Addar*, urbs Juda. Vide, quæ de hac urbe ſub *Adora* diximus; & Reland. Palæſt. t. 2. p. 547.

(ÆDICULA. De Iſraelitis iter habentibus in deſerto perhibet Amos 5. 25. 26. *Portaſtis tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem Idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis.* Gemina exprobrat S. Stephanus Actuum 7. 43. Non immeritò perſuademur Moloch, cæteraquè Pagana Numina humeris hominum geſtata fuiſſe ab Iſraelitis per deſertum, aut ſaltem vecta curribus; ut olim poſitum fuiſſe in moribus apud Paganos, ſive in publicis ſupplicationibus, vel cùm iter populus haberet, ſat conſtat. Credunt etiam nonnulli *ædiculas* illas *argenteas Dianæ*, venum expoſitas Epheſi (d), ædiculas fuiſſe geſtatorias, quas ſibi religionis cauſa emerent, quicunque ad ſacrum locum ventitarent. Porrò vetuſtæ hoc eruditionis argumentum, nonnullis congeſtis, modò illuſtrandum eſt.

Obtinuit ex Ægypto mos deferendi Numinum ſimulacra ſub tentoriis tectiſque pulvinaribus. Iſidis ſimulacrum die ejus feſto celebri, curru vehebatur quatuor inſtructo rotis, quem Sacerdotes trahebant, teſte Herodoto l. 4. Apud quem pariter ſermo de Ægyptio quodam Numine, ex uno Templo in alterum translato, in parva quadam lignea aurataque ædicula clauſo. In ſupplicatione quadam Ægyptia apud S. Clementem Alexandrinum Strom. l. 5. vecti duo aurei Canes cum Accipitre & Ibi. Sannis excipit Menander, cujus verba recitat idem Author Protreptic. p. 49. Numina illa, nunquam ſtabili ſede erratica. Affirmat Macrobius Saturnal. l. 1. Ægyptios Sacerdotes levatum humeris vexiſſe ſimulacrum Jovis Heliopolitani; quemadmodum & à Romanis vecta Numina in pompa Circenſium. Philo Biblius apud Euſebium Præpar. l. 1. narrat, delatum Agrotem Numen Phœnicium in ædicula tecta, impoſitum curru, quem trahebant animalia.

Sacerdotes Ægyptii (e) imponebant Jovem Ammonem ciſtæ, unde argentei lances appenſi, quorum motu Dei oracula explorantes, ſciſcitantibus dabant reſponſa. Sua erant, ait Servius in Æneid. 6. Ægyptiis & Carthaginienſibus parva Deorum ſimulacra, curribus vecta, quæ juxta motum iiſdem curribus impreſſum, dabant oracula. Ductabant Galli per agros Numina albo velo tecta, ſi fides Sulpicio de vita S. Martini l. 1. Agit Tacitus de morib. German. de ignota quadam Dea reſidente in Inſula Oceani, cui paratus currus, nemini adeundus propiùs, niſi uni ejus Sacrificulo. Cùm veniſſe Deam vulgaretur, junctæ ſtatim duæ juvencæ trahentes currum, quòcumque maximè impetus ferret; tum reducentes in lucum expiati ſtatim aqua currus, & velamina illum tegentia, ſicut & demerſa aquis mancipia in eum uſum adhibita. Hæc Numinum delatorum in ædiculis, & ſuper currus exempla.

Modò quædam de conflatis è metallo ædiculis. Gemina ex auro parva Templa habes apud Diodorum Siculum. Templum è fuſo ære, *Calcoteschos*, i. e. ærea domus dictum, habebant olim Lacedæmones; ſimilis alterius Romæ meminit Victor. Maluerim ego tamen ædiculas illas Dianæ Epheſinæ, quas Demetrius venum exponebat, vel imagines fuiſſe parvas Templi Epheſini, vel ædiculas cum expreſſo intus Numinis ſimulacro.

ÆDIFICARE. Præter literalem vocis hujus ſignificationem, alia occurrit in Scriptura; uſurpatur enim pro dare liberos & ſobolem florentiſſimam. Sara virum rogat, ut adſciret in thorum Agar, quò fortè *ædificetur ex ea* Gen. 16. 2. in Hebr.; i. e. ut liberos ex ea ſuſcipiat, domus ſuæ ſulcimentum. Obſtetrices illas, quæ Pharaonis juſſionibus, de necandis infantibus Hebræorum maribus, parere recuſarunt, præmio donavit Altiſſimus, longa ſobole earum domibus ædificatis Exod. 1.

Deus ore Nathan Prophetæ Davidi ſpondet futurum, ut domum ejus ædificet 2. Reg. 7. 27., filios & ſucceſſores ſufficiendo. E' latere Adami avulſam coſtam Deus *ædificavit in mulierem* Gen. 2. 22. Ædificare morali ſenſu eſt optimis monitis ſanctiſſimiſque exemplis proximos ad virtutis amorem accendere, quò ſcilicet nec priſtina faſtidiant, nec ſint ſegniores ad ulteriora.)

ÆGYPTUS, Africæ Regio, Hebraicè *Mezer*, ſeù *Mezraim*, ſivè *Mizraim*, & Græcè *Aigyptos*, undè Latinum *Aegyptus*, & Gallicum *Egypte*, & *Cophte*. *Mizraim* filius erat Chami, & *Ægyptus* vetus regionis illius Rex fuiſſe dicitur, filius *Beli*, & *Armaidis* frater. *Mizraim* filios habuit (f) *Ludim*, *Anamim*, *Laabim*, *Nephtuim*, *Thetcuſim*, & *Caſluim*, qui varios Ægypti, aut finitimarum regionum angulos habitatoribus frequentarunt. Veteres Geographi aliam Ægypti partem in Aſia, aliam in Africa collocant. Pars in Aſia erat ad Nili Orientem; quæ verò in Africa, ad Occidentem. Sæpè etiam Arabiæ tribuitur ab Antiquis pars inferioris Ægypti, quæ eſt ad Nili Orientem; eademque regio a Scriptura regioni Chus, frequenter pro *Æthiopia* redditæ, adſcribitur.

Ægyptus dividebatur in *Nomos*, ſeù regiones, quorum duos & quadraginta, veluti totidem parvas Provincias, enumerabat. Superior etiam Ægyptus ab inferiori diſtinguebatur. Prima vocari conſuevit etiam Thebais, a Thebis illius Metropoli, meridiem versùs, uſque ad Æthiopiæ fines porrecta. Altera præcipuè Delta, & quod ad Mediterraneum jacet, continebat. Notiſſimum eſt totam Ægyptum unum pro-

(a) 3. Reg. 12. 14. 15. 18. (b) 3. Reg. 4. 5. & 5. 14. (c) Gen. 10. 2.
(d) Actuum 19. 24. (e) Q. Curt. l. 4. (f) Geneſ. 10. 13.

priè fluvium, Nilum ſcilicet, alluere, qui ſuis incrementis regioois hujus fertilitatem parit.

Nil io Scriptura frequentius, ac Ægypti nomen, quæ revera Hebræorum incunabulum fuit. Joſeph illuc ductus, & in ſervum venditus, præſentiſſima Divinæ Sapientiæ, & Providentiæ ope Procurator, & veluti Prorex totius Ægypti conſtitutus, Patrem ſuum, omnemque familiam, numero ſeptuagenos, advocavit. Poſt 215. annos (a) ex Ægypto egreſſi ſunt ſexcentorum & trium millium quingentorum, & quinquagenorum Virorum numero ad arma aptorum, exceptis fœminis, & infantibus. Prodigiis, & punitionibus coactus Ægypti Rex Hebræis abeundi poteſtatem fecit: Moyſes enim decem plagis Ægyptum afflixit, antequam obſtinatus Regis animus ingentem populum, quem mancipiorum loco habebat, dimittere deliberaret; dimiſſumque & egredi coactum, facti pœnitens, cum exercito ſuo perſecutus, in Ærythræi Maris alveo, quem cum ſuis imprudens ingreſſus eſt, periit.

Ægyptiis Regibus commune nomen erat *Pharao*, quod apud ipſos ſuprema poteſtas ſonabat. Præter hoc tamen proprium quiſque habebat. Ex hiſtoriis (b) plurium Ægyptiorum nomina, & Dynaſtiarum ſucceſſus apparent. Portentoſa tamen hujus populi vetuſtas ab Hiſtoricis rerum Ægyptiarum jactata, omnem etiam cæteris narrationibus fidem apud veritatis amatores detraxit. Ægyptum Deos primò, inde Semideos, ſeu Heroas, homines ſivè Reges denique rexiſſe ajunt, Deorum, & Semideorum imperio 34201. annos tribuunt; Regum verò regimini, poſt Menem, uſque ad Nectanebum ab Artaxerſe Ocho Perſarum Rege, quindecim aonis antè Alexandri Magni Monarchiam, depoſitum, 2324. annos ſtatuunt: a Nectanebo uſque ad Chriſti Nativitatem 340. anni circiter enumerantur. Ita fit, ut ab initio Ægyptiæ Monarchiæ ad Servatoris ortum 36865. anni ſupputarentur: quod ab omnibus noſtratibus Chronologis reſpuitur.

Dicunt aliqui, methodum, quam veteres Ægyptii in annis ſupputandis ſervabant, Chronologiæ ipſorum augendæ, & primorum Regum annis multiplicandis conduxiſſe. Aſſerit Palæphatus (c) Principum ſuorum imperia dierum, non annorum ſupputatione Ægyptios metiri ſolitos fuiſſe. An fortè poſteri pro diebus annos poſuere; cumque Helion Vulcani filium quatuor millibus quadringentis ſeptuaginta, & ſeptem diebus, duodecim ſcilicet annis, tribus menſibus, & diebus quatuor, regnaſſe legerint, veris quatuor millibus quadringentis ſeptuaginta & ſeptem annis imperaſſe dixere?

Diodorus Siculus (d) ait Ægyptius fabulas venditare, cùm vetuſtiſſimos ex eorum Diis ſingulos ducentis ſuprà millenos ſaltem annis imperaſse, & recentiores, ut minimum, tercentis jactant. Hinc à Regno Helii, ſeù Solis, ad tranſitum Alexandri Magni in Aſiam, 23000. annorum Regni enumerant. Cùm verò, ſubdit ille, ingens adeò annorum numerus omnem fidem ſuperet, aliqui ad eos excuſandos advertunt, antiquitùs eorum annum uno tantùm menſe, juxtà Lunæ periodum, conſtitiſse, itaut 1200. anni, quibus quiſque Deus regnavit, ad 1200. menſes, ſeù centum annos reducantur. Poſteà verò, ſequitur ille, Ægyptiorum anno ad quatuor menſes producto, Reges ſuos tercentis, ut minimum, annis imperaſse ajunt, menſibus ſcilicet mille & ducentis, ſeù centum annis. Qua ratione incredibilis Ægyptiarum Dynaſtiarum vetuſtas ad æquam menſuram reducebatur. Author eſt Cenſorinus de die Natali c. 19. antiquitùs Ægyptium annum duobus tantummodo menſibus conſtitiſse, & productum Rege Piſone ad quatuor poſtremò duodecim menſes æquaſse.

Certum inſuper eſt, Ægyptias Dynaſtias, quas jactant, non omnes eſse ſucceſſivas, ſed plures eſse collaterales; & pleroſque Reges, ſucceſſivè enumeratos, coævos fuiſse; in diverſos unoquoque Ægypti regionibus imperante. Septem etiam nomina hi laterculi præferunt, juxta ſeptem regiones, in quibus erant Dynaſtiæ: ſcilicet *This*, *Memphis*, *Dioſpolis*, *Thanis*, *Sethron*, *Elephantina*, & *Sais*. Si igitur hæ Dynaſtiæ una poſt aliam collocentur, facilè intelligitur, incredibilem illis vetuſtatem poſse tribui, quam numquam habuerint. Idcircò ne falſa pro veris venditare periclitemur, excuſati habebimur, ſi priorum Ægypti Regum laterculum non exhibebimus.

Poſt *Mezraim*, Scriptura regionis hujus Reges *Pharaones* nuncupat. Quatuor tantùm horum Regum peculiaria oomina ſervavit; *Seſac*. 3. Reg. 11. 40., *Nechao* 4. Reg. 20. 24., *Sua* 4. Reg. 17. 4., & *Ephree* Jerem. 46. 30. Seſac fortaſsè *Seſonchis*, Nechao *Nechos* eſt Herodoti l. 2. 1. 158.; Sua *Sabacon* eſt, aut *Sethon* (e); & Ephree *Apries* eſt, apud eumdem (f). *Seſac* Roboamo Salomonis filio imperante vixit; *Nechao*, tempore Joſiæ Regis Juda; *Sua*, tempore Oſee Regis Iſrael; & Ephree, tempore Jeremiæ, & Sedeciæ. Hunc Herodotus filium *Pſammis*, & *Nechi* nepotem ponit; cujus hiſtoria apud eumdem videnda. Poſt Apriem inveniuntur *Amaſis*, *Pſammetichus*, quo regnante Cambyſes Ægyptum ſubegit, an. M. 3479. antè Ch. 521. antè Ær. 525. Cæterùm cum Conſtantinus Manaſses in ſuo Chronico, Ægyptiorum Monarchiæ ſolos 1663. annos adſcribat, ſi ad hujus Scriptoris mentem, enumerando aſcendamus, ab Ægypto per Cambyſem ſuperata, hoc quidem ſolummodò anno M. 1816. à diluvio 160. annis circiter evenit. Poſt illos in Ægypto ſequentes Reges fuiſse leguntur, *Inarus*, *Achoris*, *Tuchos*, *Nectanebus*. Poſtremus hic Regno ſpoliatus eſt ab Artaxerſe Ocho, an. M. 3654 antè Ch. 346. antè Ær. 350. Decem, & novem circiter annis elapſis, Alexander Magnus Ægypto potitus eſt An. M. 3673 antè Ch. 327. antè Ær. 331.

Ptolomæi Alexandro ſucceſsere, quorum Catalogum ſatis certum habemus.

Ptolomæus filius Lagi, *Soter* cognomine, triginta & novem annis regnavit; a morte Alexandri an. M 3681. ad an. 3720.

Ptolomæus Philadelphus triginta, & novem aonis imperavit; ab an. 3720. ad 3758.

Ptolomæus Evergetes viginti & quinque annis regnum poſsedit; ab 3758. ad 3783.

Ptolomæus Philopator, decem & ſeptem annis; ab 3783. ad 3800.

Ptolomæus Epiphanes, viginti & quatuor annis; ab 3800. ad 3824.

Ptolomæus Philometor, triginta & ſeptem annis; ab 3824. ad 3861.

Ptolomæus Evergetes, ſivè *Phyſcon*, viginti & ſeptem annis; ab 3861. ad 3888.

Ptolomæus Lathurus, triginta & ſex annis, ſex menſibus, ab 3888. ad 3924.

Cleopatra, Lathuri filia, & Alexandri I. uxor, menſibus ſex.

Alexander I. Lathuri nepos, electus anno 3924. obiit ao. 3943. *Vide Uſſerium ad an. M. 3924.*

Alexander II, Alexandri I. filius ab Alexandrinis pulſus an 3939.

Ptolomæus Notus, ſivè *Auletes*, tredecim annis regnavit; ab 3940. ad 3953.

Ptolomæus Dionyſius, ſivè *Bacchus*, tribus annis, & menſibus octo imperavit. Obiit an. 3957.

Cleopatra, ſoror Ptolomæi ab 3957. ad 3974.

De Regibus à Scriptura oominatis peculiaris ſermo ſuis locis habebitur.

(Ægypti tractum illum, qui à Cairo uſque ad Mediterraneum protenditur, *Rib vel Rif* appellant Arabes (g). Superioris Ægypti nomen eſt *Saides* vel Thebais; & inter utramque media eſt *Souf*. Nomen *Rib* vel *Rif* habes in Scriptura Pſ. 86. 4. *Memor ero Rahab*, *& Babylonis ſcientium me*. Rahab idem eſt ac *Rib* Geminum habes Pſ. 88. 11 Iſa 30. 7 & 51. 9. *Souf* legas expreſſum in Libris Sacris Hebraice ſcriptis; quod enim nos mare Rubrum, appellat Moyſes *mare Souf*. Mirari ſubit, cur etiam de *Said*

(nomen

(a) Ægyptum ingreſſi An. M. 2298. inde reverſi ſunt an M. 2513. antè Chr. 1487. antè Ær. 1491.
(b) Vide Manethon. apud Joſeph. l. 1. cootra Appion. Chronic Ægypt. apud Syncell. Marsham. can. Chronolog. Ægypt.
(c) Palæphati Fragment. ex Chronico Alex. (d) Diodor. Sicul. l. 1. p. 15 d. & Plin. l. 7. c. 48.
(e) Herodot. l. 2. c. 141. (f) Herodot. l. 2. c. 161. &c. (g) Bibl. Orient. p. 716. Rif.

(nomen eſt Thebaidis ſat celebris regionis) nunquam mentionem habeat Scriptura. Vulgò creduntur Thebæ appellari ibi *No-ammon*, ædes Jovis. D'Herbelot affirmat, Said Arabicè eſſe ſolum prominens, appellarique ab illis *Said-Meſr* ſuperiorem Ægypti partem, quæ & Thebais. Eſt autem Thebais regio in tres partes diviſa, in ſuperiorem, inferiorem, & mediam. Superior habet urbes *Arment*, *Arſouan* (vel Syennem), *Aſnam* (facitè Latopolim), ac *Saiouth*; addunt nonnulli urbes *Kiſt*, *Coſs*, & *Acſour*.

Inferioris Urbes ſunt *Abouſig*, *Aſchmounim*, *Manraloux*, & *Fioum*. Media continet urbem *Akonin*.

Nomen *Meſr* vel *Miſor*, aut *Miſraim* filii Cham manet in Urbe ejus nominis tractu temporis variè appellata, *Miſor*, *Memphis* vel *Moph*, *Babylon*, & *Cairus* (a). Nomen Moph ſeu Memphis retinuit uſque ad Alexandrum Magnum; dein Babylonis adoptavit ex ſitu loci & neceſſitudine cum Babylone Chaldææ. Urbem hanc ſubegerunt Arabes anno 18. ſeu 19. Hegiræ. Amrou-Ben-As, qui illam redegit in poteſtatem, excitandam juxta eam curavit alteram Urbem, cui nomen *Fuſthath* ex tentorio Ducis ejus nominis ibi diu erecto. Califæ Fatimites, redacta in poteſtatem Ægypto, alteram pariter adjecerunt Urbem, quam appellarunt *Caherah*, i. e. Victricem, hodie pariter notam ſub nomine Magni Cairi.

Sultani Mammelus, è Circaſſorum Dynaſtia, conſtructa arce præalta ac bene munita in ripa Orientali Nili, eò redegerunt pleroſque Cairi incolas, ex quo factum, ut ſenſim Urbs illa mutaret ſitum, nec Cairus Fatimitarum alio tandem nomine agnoſceretur, quàm *veteris Cairi*. Eſt Cairus in ripa Orientali Nili, cùm vetus Miſor vel Meſr ſtaret ad ripam Occidentalem amnis.

Ad nomen Ægypti quod attinet, derivatur ex *Kibt* vel *Kibthi*, quæ Urbs eſt vetus *Coptos* ſuperioris Ægypti (b), à Nilo diſtans 7. paraſangis, i. e. 14. leucis circiter. Ex urbe Coptos inditum nomen Coptis vel Ægyptiis noſtræ ætatis Chriſtianam Religionem profitentibus, ſermone autem utentibus Græco veteri Ægyptio intermixto. Veteres Ægyptios, Regionis incolas, non Muſulmanos, *Kibt* appellant Turcæ. Ita porro de Ægypto agunt Scriptores, quaſi de amœniſſima, atque eximia orbis regione; ex eorum Scriptoribus quidam affirmat, ſolum ejus tribus anni menſibus albeſcere ac nitere perinde ac margaritis inſterneretur; tribus verò nigreſcere ad muſcum accedens; tribus vireſcere, uti ſmaragdum; tribus flavum electri colorem imitari. Recenſet autem omnia, quibus diteſcit Ægyptus; inter potiſſima habet fodinas ſmaragdorum Orientalium, hordeum rubrum, opium, balſamum Matarez, frumentum Joſephi, artem fovendi pullos gallinaceos calore furnorum, mella apum Baenlæ, colocaſiam, carbaſa, caſſiam, limum acre, quod Nili aquis dulceſcit, piſces Scinchur, lignorum ſingularum & marmorum varia genera, papyrum &c. Monſtri igitur loco habendum non eſt, ſi Iſraelitæ in deſerto amœniſſimæ regionis delicias ſuſpirarent.

Nilum Ægypti nomine appellavit Homerus Odyſſ. 14. verſ. 258. Veteribus ſanè multis perſuaſum fuit, Ægypti ſolum concreviſſe è ſubſidente Nili limo (c); quæ ſanè opinio altè adeò mentes Æthiopum pervaſit, ut hoc potiſſimùm argumento vetuſtatem ſuam ſupra Ægyptios aſſeverent. Id autem refutavit Bochartus in ſuo Phaleg. lib. 4. cap. 24.

Ægyptum ſecant longa ducti ſerie montes regnantes inter Nilum & mare Rubrum, ab Occidente ad meridiem. Inter montes illos & mare Rubrum ſpatium ferme in totum deſertum occupant Arabes; quod inter Nilum & montes interjacet, amœnitate facilè nulli concedit; ut enim pinguis ſoli luxuries coerceatur, arena inſpergi neceſſe eſt. Hujus autem pinguedinis cauſa ſunt exundantes Nili aquæ, ſtata temporis periodo terras illas tenentes, initio ducto à ſolſtitio æſtivo (d); toto autem eo tempore perſeverantes, quo ſol Leonis ſignum percurrit; decreſcunt, cùm Veneris ſignum attingit; receſſunt tandem prorſus Libra regnante. Solebant olim Ægyptii quotannis ex eodem agro bis colligere meſſes; hodie tamen unica contenti ſunt. Poſt collectum hordeum eidem agro committitur oryza, pepones, cucumeres. Ferunt ab Ægypto olim Romam ſubmiſſa 20000000. ſextaria frumenti.

Seri in ea regione agri cœpti, teſte Plinio (e), menſe Novembri; meſſes colligi cœptæ Aprili; Majo verò abſolutæ. Notat Moyſes Exod. 9. 31. 32. medio circiter Martio, cùm Iſraelitæ Ægypti ſolum verterunt; hordeum & linum, quod jam adoleviſſent, ſævam grandinem depaviſſe; frumentum verò, quia ſerotinum eſſet magis, evaſiſſe procellam. Serunt Ægyptii hordeum & linum ante initam hyemem, i. e. ſubeunte Novembri, poſt reductas Nili aquas. Mitiſſimam habent hyemem, & horrentibus herbis paſcuntur equi menſibus Jannario ac Februario. Meſſis frumentacea in Ægypto & Palæſtina terminabat in Pentecoſte, & colligi quidem opus erat antequam Nili aquæ exundarent.

Univerſas Mundi gentes vetuſtate ſuperare ſe jactitabant Ægyptii; attributus illis honor inventarum artium, & ſcientiarum; data ab illis Deorum nomina & Theologiam exceperunt Græci; atque in ſuperſtitione ac Idololatria longiùs quàm cæteræ omnes gentes exceſſerunt, conſecratis aſtris, hominibus, brutis, plantis etiam, ipſis aſſerentibus Paganis, qui de ſuperſtitionis hujus exceſſu illos ſuggillarunt. Ægyptiorum imitatione Hebræi in deſerto aureum vitulum conſecrarunt Exod. 32. 6., nec diſſimile Numen publico cultui deſtinavit ſubjectis ſibi gentibus Jeroboamus. Docet Moyſes, immolata ab Hebræis animalia, quorum necem perinde ac abominationem & rem maximè deteſtabilem habebant Ægyptii Exod. 8. 26.. Tradit inſuper, Ægyptios cùm Hebræis cibum admittere recuſaſſe, quòd ovium paſtores haberent reſpectus Geneſ. 46. 34.

Sed unde creata apud Ægyptios in Paſtores invidia? Inde aliqui deducunt, quod Reges, cognomento Paſtores, venientes ex Arabia, facta in Ægyptum irruptione, Provinciam diutiſſimè habuerint, juxta Manethonem apud Joſeph contra Appion. lib. 1. Euſeb. Præpar. lib. 10. cap. 13.. Malunt alii, Ægyptios, poſt Regem Seſoſtridem otio deſidis vitæ aſſuetos, laborioſam maximè & actuoſam Paſtorum vitam execratos. Tandem aliis probatur, Ægyptios inviſos habuiſſe Hebræorum aliarumque gentium paſtores, quòd mactarent, adhiberentque in cibum oves, arietes, capellas, hircos, quibus ipſi divinos honores impendebant.

Excuſſimus, v. *Cæremonia*, an Hebræi cæremonias & leges utrique genti communes receperint ab Ægyptiis, ſeu potiùs ad priores illos authores referendæ ſint.

Fuga J. C. in Ægyptum. Vide *Fuga*.)

ÆGYPTUS; *Torrens Ægypti*, ſeu *Fluvius Ægypti*. Frequenter a Scriptura fluvius, ſivè torrens Ægypti nominatur, ut finis Terræ promiſſionis, ad Ægypti partes, & ad Meridiem. Sic Deus Abrahamo dixit, Gen. 15. 18. *Dabo tibi terram hanc, à Torrente Ægypti, uſque ad fluvium Euphratem*. Et 2 Par. 7. 8., Salomon populum ſuum congregavit ad Templi dedicationem, *ab ingreſſu Emath, uſque ad torrentem Ægypti*. Moyſes denique meridionales fines Terræ promiſſionis deſignans, illos ſtatuit Num. 34. 5. *ab Aſemona, uſque ad torrentem Ægypti, & uſque ad Mare magnum*, ſcilicet Mediterraneum. Vide etiam hoc ipſum in *Joſue* 15. 4.

Sunt, qui credant hunc eſſe *torrentem Bezor* 1. Reg. 30. 10. alio nomine, torrentem deſerti, inter Gazam, & Rhinocorutam. Nos tamen Nilum eſſe, qui ſolus Ægyptum alluit, non dubitamus; cum Joſue 13. 3. nomine Sichor, verum Nili nomen, turbulentum fluvium ſignificans, ob ipſius aquas turbidas ſæpè, & cœnoſas, apertè illum deſignet. Amos 6. 5. nomine *torrentis Deſerti* illum nuncupat, quod Orientalior Nili ramus, & Terræ Chanaan propè Arabiam, ſivè propè deſertum, Hebraicè *Araba* dictum, flueret, & Nomum ab Ægyptiis Arabicum appellatum, allueret. Vox Hebræa

 Nahal,

(a) Bibl. Orient. pag. 579. Meſr. (b) Idem p. 1003. *Kibt*. (c) Diodor. lib. 1. pag. 25. & lib. 3. pag. 101. Herodot. lib. 2. c. 5. Ariſt. Meteor. l. 1. c. 14. (d) Plin. l. 18. c. 18. (e) Ibid. Caſſian. collat. 15. c. 3. Joſeph. Antiquit. l. 3. c. 10.

Nahal, pro *torrente* tè ſita, fluvium etiam ſignificat.

AELAM, filius Sem Gen. 10. 22., partem ad Tigrit, & Aſſyriæ Orientem, & ad ſeptemtrionem, & Orientem, Medorum habuit: cujus Metropolis erat *Elymais*. Scriptura *Ælam*, *Aſſur*, & Medos, & finitimos jungit. Ex Iſaia 22. 6. & Jeremia 49. 35. apparet, arcum & ſagittas præcipua Ælamitarum arma fuiſſe. Videmus ab Abrahami temporibus Codorlahomor Ælamitarum Regem fœderatum cum aliis Regibus adverſùs Sodomam, & proximas civitates Gen. 19. 1. 9. Iſaias 21. 2. prophetice loquens de Babylonis obſidione, inter aggreſſores Medos, & Ælamitas enumerat. Cyrus erat Perſa, ſivè Ælamita; Darius erat Medus: quorum exercitus ex Medis, & Perſis conſtabat. Jeremias 49. 34. & ſeq. graviſſimas adverſus Aelam minas pronunciat, quas executioni mandatas arbitramur, cum Nabuchodonoſor Regnum illud ſubjecit. Joſephus Antiq. lib. 1. c. 7. p. 14 l.g. merito credit, Perſas eoſdem eſſe ac Ælamitas, vel ſaltem illorum propaginem.

ÆLIA, alio nomine Hieruſalem. Vide Hieruſalem.

(ÆLIA CAPITOLINA. Hoc nomine Jeruſalem appellata eſt, cùm Adrianus Imperator circa ann. J. C. 134. conſtituta ibi Romanorum colonia Judæos omnes eliminavit, ne regrederentur ſub capitali pœna interdicens (a). Volunt etiam nonnulli, cautum tunc Judæis, ne liberos circumciderent. Affirmat S. Hieronymus in Sophoniam 1. ætatis ſuæ Judæos pretio redemiſſe à militibus Romanis libertatem videndi Hieroſolymam, & lacrymis ejus caſum lugendi. Ita factum eſt, ut qui pretio emerant Jeſum Chriſtum, pretio tandem lacrymas ſuas emere cogerentur. Videre erat fœminas & ſenes, quorum grandior ætas frontem ſulcabat, liquare ſe in lacrymas, conſtitutoſque ſuper montem Olivatum miſerabilibus fletibus deplorare Templi ruinam. Nec ſanè niſi grandi pretio empta, illis permittebatur facultas ex eo loco proſpiciendi, ſicut & unguenta fundendi ſuper poſitum ibi lapidem. Adeò autem obtinuit nomen Ælia, ut vetus Jeruſalem ferme exciderit; ſervantibus illud tantùm Judæis, & inter Chriſtianos rerum ſcientia magis peritis. Sub Conſtantino tandem priſtinum nomen Jeruſalem ſibi vindicavit.

Quanquam non ita excidit nomen Ælia, ut diu etiam poſt eodem non appellaretur, quemadmodum ſat docent Authores Græci, Latini, Mahometani. Porrò Ælia dicta eſt, de nomine familiæ Adriani; *Capitolina* verò, quod Jovi Capitolino conſecraretur. Numini erectum Templum in loco Reſurrectionis J. C. & conſtitutum Veneris marmoreum ſimulacrum in Calvario, ſuper petram Crucis (b); ſus etiam marmorea era: in porta ad Bethlehem; ſicut & in Bethlehem implantatus lucus ſacer Thamua vel Adonidi (c); cui pariter conſecrata ſpelunca, ubi natus Jeſus Chriſtus. Nec inde tamen deferbuit religio Chriſtianorum erga ſacra loca, Nativitatis, Obitus, & Reſurrectionis J. C. quarum celebris etiam veneratio apud Paganos. Quæ Adriani edicta Judæis erant averſa, nihil afferebant Chriſtianis incommodi; qui & perſeverarunt in loco, & ſuos ibi habuerunt Epiſcopos conſtitutos. Habuerant ad id uſque Eccleſiam illam Fideles ex Judæis, legales cæremonias unà cum Evangelii libertate conciliantes (d); ex tunc vero Fideles è gentibus, ut ſacris præeſſent vocati, Judaicas reliquias penitus aboleverunt. Reſtituendæ Urbi Jeruſalem demandatam ſibi ab Adriano curam habuiſſe fertur Aquila, oriundus Sinope Ponti, qui primùm nomen ſuum dederat inter Fideles; tum ab Eccleſia pulſus, admiſſa circumciſione profeſſus eſt Judaiſmum (e); nomen ille ſuum commendavit adornata in Græcum Librorum V. T. interpretatione. Vide v. *Adrianus*, & v. *Aquila*.)

AEN, vel *Ain*, fontem ſignificat, & in pluribus urbium nominibus invenitur. Vide *Ain*. Ea, de qua loquimur, primò Tribui Juda contigit Joſue 15. 31. inde Simeonis Tribui data 1. Par. 6. 32. Euſebius ait, hanc eſſe Beth-anin, quatuor paſſuum millibus ab Hebron, & duobus à Therebintho diſſitam.

ÆNEAS, Lyddæ civis, paralyticus, à S. Petro ſanitati reſtitutus. Act. 9. 34.

AEN-GANNIM, urbs Tribus Juda. Joſue 15. 34.

AENNON, locus, in quo S. Joannes in Jordane baptizabat, propè Salim Joan. 3. 23.; & juxtà Euſebium octo paſſuum millibus Scythopoli diſtans.

(ÆQUIVOCATIO. Æquivocam vocem appellamus, quæ duo planè diſcrepantia ſimul exprimit; e. g. in Scriptura nomen *Pater* exprimit patrem, ſicut etiam avum, abavum, generis & familiæ authorem, quo ſenſu Adam omnium hominum pater eſt. Uſurpatur etiam Pater pro Domino, & inventore. Geneſ. 4. 21. *Jubal fuit pater canentium cythara, & organo*. Pater etiam dicitur, cui impendimus obſequium, quemadmodum Hiram Rex Tyri patrem appellat Opificem peritiſſimum, quem mittit ad Salomonem 2. Par. 2. 13. Nec minùs ambiguæ ſunt in lingua ſacra voces frater & ſoror; ſæpè enim valent pro iis, quos fratres, & ſorores vulgò appellamus; ſæpè pro conſobrinis, & neceſſariis utcumque; pro viris gentilibus, amicis etiam, & pro ſponſo, & ſponſa. Vide Cantic. 8. 10. &c. Ambiguis etiam vocibus, ſed non utique fallendi animo, uſus eſt Chriſtus, uti cùm ad Apoſtolos Joan. 11. 11. *Lazarus amicus noſter dormit*; quod ipſe de ſomno mortis uſurpabat, cùm interim Diſcipuli de vulgari ſomno dictum acciperent. Joan. 2. 19. *ſolvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; loquebatur hic de corpore ſuo intra triduum ad vitam revocando; excipiebant Judæi de Templo Domini, quod intra triduum ſe reparaturum Jeſus Chriſtus jactitaret.

Ambiguis etiam vocibus uſos conſtat Patriarchas; animo etiam, quantum apparet, alios fallendi; ut cùm Abraham Saram ſororem eſſe ſuam aſſerebat, & Iſaac Rebeccam; qui ſanè dicentes auſcultabant, propriò & naturali ſenſu ſororem interpretabantur; quaſi ſcilicet Sara, & Rabecca ad viros illos non conjugali lege, ſed tantùm neceſſitate cognationis pertinerent; quamquam autem Scriptura exempla illa refert, non probat. Damnat religio mendacia æquè omnia; ſed non omnes æquè voces ambiguas reprehendit; ſunt enim ea illis quædam nemini ſtruentes dolum, & alta planè mente uſurpatæ, quàm ut auditoribus imponatur; quædam arguta ſunt verba, ingenii tantùm oſtentandi cauſa uſurpata, quæ rigidus nemo inter familiaria colloquia reprehenderet, tanquam averſa veritati, charitati, ſynceritati, ac juſtitiæ.

AER. Cæli nomine aliquando aer deſignatur: *Volucres Cali* ſunt volucres aeris. Deus pluere fecit è Cælo in Sodomam ignem, Gen. 19. 24. i. e. ex aere demiſit. Deſcendat ignis è *Cælo*, i. e. ex aere, 4. Reg. 1. 10. Iſraelitas minis terrens Moyſes: *Percutiat te Deus*, ait, *aere corrupto*; (Deut. 28. 22. Vide 3. Reg. 8. 37.) ſeu forrè vento urenti, unde morbi; vel ariditate, unde ſterilitas in meſſes.

Aerem verberare (1. Cor. 9. 26.) *in aera loqui*, (1. Cor. 14. 9.) nobis etiam vernaculæ ſunt loquendi formulæ, deſignantes effutire aliquid non adhibita mente, laborare incaſſum.

Aeris poteſtates (Epheſ. 2. 2.) ſunt Dæmones, quorum maximum in aera imperium, procellas, & ventorum turbines commoventes.)

AERA (Vox eſt in Chronologiis perquam familiaris; annorum quandam ſucceſſionem, e certo ductam exordio, ſignificans.) Idem ferè eſt ac Epocha, de qua vide ſuo loco. Chronologi Aeras vocant cardines illos immobiles Chronologiæ. Prophani diutiùs diſſeruerunt de prima Olympiade, de bello Trojano, de navigatione Argonautarum, de Aera ab Urbe condita, de Nabonaſſari Aera, de Alexandri Magni Aera, de Seleucidarum Aera, ſivè, ut Libri Machabæorum loquuntur, de annis Græcorum; & denique de Annis Chriſti.

Primæ Olympiadis Aeram, anno M. 3228. antè Ch. 772. ſtatuimus.

Trojæ

(a) Spartian. in Adriano. (b) Paulin. ad Sever. Epiſt. 11. (c) Hieronym. ad Paulin. Epiſt. 13.
(d) Sever. Sulpic. Hiſt. lib. 2. (e) Epiphan. de Ponder. & Menſur. cap. 14. 15.

Trojæ incendium, anno M. 2820. antè Ch. 1180.

Navigationem Argonautarum, 2760.

Romam conditam, anno 2856.

Nabonaſſari Aeram, anno 3257. antè Ch. 743.

Aeram Alexandri Magni, ſivè poſtremam de Dario victoriam, anno 3674. antè Chr. 326.

Aeram Seleucidarum, anno Periodi Julianæ 4403. An. M. 3692. antè Chr. 308. antè Ær. vulg. 312. Hanc Judæi appellant *Aeram contractuum*: cujus initium primus Machabæorum Liber vere ſtatuit, ſecundus autumno.

Aeram Nativitatis Jeſu Chriſti, anno 4000. die 25. Decembris, annis tribus, & ſex diebus ante noſtram Aeram vulgarem, in qua annum hunc 1719. dicimus, qui, juxtà exactam à Chriſto nato Aeram, 1722. appellari deberet. Aliæ Aeræ ſub verbo *Epocha* videndæ. Hæc autem ſufficiunt ad ſtatuendam ſacrorum Librorum Chronologiam. Vide etiam Tabulam Chronologicam.

ÆTATES MUNDI. Totum antè Chriſti Nativitatem tempus, in ſex ætates dividitur. Prima, 1656. annos comprehendens, à Mundi exordio ad diluvium protenditur.

Secunda, à Diluvio ad ingreſſum Abrahami in Terram promiſſionis An. M. 2082. annos 426. continens.

Tertia, ab ingreſſu Abrahami in Terram promiſſionis ad exitum ex Ægypto An. M. 2513. 430. annos habens.

Quarta, ab exitu ex Ægypto ad Templi per Salomonem erectionem A. M. 2992., 479. annis conſtans.

Quinta, à Templi-erectione per Salomonem ad Babylonicam captivitatem An. M. 3416. 424. annos enumerans.

Sexta, à Babylonica captivitate ad Chriſti Domini ortum A. M. 4000. antè Ær. 4. 584. annis conſtituta.

Non immorabor hic in conciliandis, aut exponendis variis theſibus veterum, & recentiorum Chronologorum de annis Mundi. De his enim Scriptores ipſi conſulendi ſunt. Nos Uſſerium in veteris Teſtamenti Chronologia ſequimur, paucis exceptis. Onomaſtici hujus initio Tabulam Chronologicam juxtà hoc ſyſtema exhibuimus; cui conformes eſſe in annorum enumeratione per totum opus curavimus.

Neminem latet magnum eſſe diſcrimen inter ætates Patriarcharum à Septuaginta Interpretibus, & eas, quæ in Hebraico Textu referuntur. Diverſitas, inquam, eſt quingentorum, & octoginta, & ſex annorum temporis antè Diluvium. Juxta Septuaginta Interpretes diluvium contigit An. M. 2242.; & juxtà Hebræos, & Vulgatam an. 1656. Poſt diluvium vero. à 601. anno Noe, quo diluvium accidit, ad ſeptuageſimum ſecundum Thare Septuaginta Interpretes mille, & ſeptuaginta annos ſupputant: Vulgata autem ſolos ducentos nonaginta & duos; ex quo octingentorum, & octoginta annorum diſcrimen oritur. Quare ſi his adjungantur, qui antè Diluvium ſuperſunt; 1466. in Septuaginta Interpretibus inveniuntur, quos Vulgata non refert.

Cur autem Septuaginta Patriarcharum vitam adeò produxerint, incertum. Putarunt aliqui ipſis intentum fuiſſe, Libros ſacros à Gentilium cenſuris liberandi, qui diuturnam Patriarcharum vitam credere non valentes, decem vel quinque illorum annos ſuorum uni reſpondere aſſerebant; ità, qui octingentos annos vixerat, non plures quàm octoginta, aut centum ſexaginta vixiſſet; quod & de aliis dicendum. Quicquid ſit, nihil ambigitur, quin Septuaginta Interpretes Patriarcharum annos auxerint; nulla enim ratio eſt, cur Hebræi Scriptores annos illos minuiſſe dicantur.

Quod ad annum veterum Hebræorum attinet, ambigendum non eſt, illum tempore Noe duodecim menſibus, quorum quiſque triginta dies habebat, conſtitiſſe; cum clariſſimum hujus rei argumentum ſit enumeratio dierum anni, quam Moyſes in Diluvii narratione ſcrupuloſè ſervavit. De Cainan, qui à Septuaginta Interpretibus Textui additus dicitur, ſub verbo, *Cainam* diſſeremus. Differentia Hebraici Textus, & Septuaginta Interpretum in annis Patriarcharum, videatur apud Iſaacum Voſſium *De Ætate Mundi, & de 70. Interpretibus*; & P. Pezronium in ſuo libro: *L'Antiquité des tems retablie*.

En ſpecimen ſeptem ætatum Mundi juxta Textum Græcum, cum ſpecimine etiam argumentorum eam chronologiam aſſerentium, juxta ſyſtema D. Boivin ſenioris, qui ultra 50. annos ſedulò incubuit extricandæ veteri huic Chronologiæ.

I. Ætas poſt creationem adusque diluvium, duravit annis	2262.
II. Ætas. A' Diluvio uſque ad linguas,	738.
III. Ætas. A' linguis uſque ad vocatum Abrahamum,	460.
IV. Ætas { Exinde uſque ad ingreſſum Jacob in Ægyptum,	215.
{ Ex quo uſque ad exitum ab Ægypto,	430.
V. Ætas. Exinde uſque ad Saulem,	774.
VI. Ætas. A' Saule uſque ad Cyrum,	583.
VII. Ætas. A' Cyro uſque ad Æram vulgarem Chriſtianorum,	538.
Summa	6000.

Prima Ætas 2262. annorum.

Poſt creatum Adam uſque ad natum Seth, annis	230.
Biblia Græca. Gen. 5. 3. Cedrenus pag. 6.	
Exinde uſque ad natum Enos, (*Gen. Gr.* 5. 6.)	205.
Ex quo ad natum uſque Cainan I. (*Gen. Gr.* 5. 9.)	190.
Tum ad natum uſque Malaleelem, (*Gen. Gr.* 5. 12.)	170.
Tum ad natum Jared, (*Gen. Gr.* 5. 15.)	165.
Tum ad natum Enoch, (*Gen. Gr.* 5. 18.)	162.
Ex quo ad natum Mathuſala, *Gen. Gr.* 5. 21.)	165.
Ex quo ad natum Lamech (*Gen. Vul.* 5. 25.)	187.
Ex quo ad ortum Noe (*Gen. Gr.* 5. 28.)	188.
Ex quo ad exitum diluvii, (*Gen.* 7. 6. 11.)	600.
Summa juxta probatam lectionem Septuaginta	2262.

Annos illos 2262. probat Julius Africanus apud Syncellum, pag. 20. 53. 83. S. *Epiphanius* in Hæref. pag. 5. S. Auguſtinus de Civitate l. 15. c. 13. & 20. in Gen. q. 2. Congruit cum quinque Exemplaribus, tribus Græcis, Latino unico, & unico Syriaco. Admittit Paſchalion vel Chronicum Alexandrinum, Gotfridus Viterbienſis, Honorius Auguſtodunenſis, & Collectanea omnia variarum in Septuaginta.

Nota. Anni 167. Mathuſala uſque ad exortum Lamech pro 187. mendum reputandi ſunt Amanuenſis in Bibliis Græcis vulgaris. Nihil tale præferunt Editiones Græcæ Baſileenſis, & Strasbourgenſis. Corrigunt etiam errorem Hebræus, Vulgata, & Joſephus. Juxta pravam hanc verſionem diluvium componeretur cùm A. M. 2242. Ita Mathuſala, qui vitam prorogavit, juxta Bibliorum omnium, & Joſephi teſtimonium, ad annos 969. diem clauſiſſet 14. poſt diluvium annis; cùm juxta optimam lectionem, 6. annis diluvio citiùs interierit. *S. Auguſtinus de Civitate l. 15. c. 13. ad finem.*

II. Ætas 738. annorum.

Statim à diluvio uſque ad exortum Arphaxad	anni 12.
Joſeph. 1. 7. non duo anni. Arphaxad inter filios Sem tertius eſt natu.	
Tum ad exortum Cainan II. (*Geneſ. Gr.* 11. 12.)	135.
Tum ad exortum Sale (*Geneſ. Gr.* 11. 15.	130.
Ex quo ad natum Heber, (*Geneſ. Gr.* 11. 14.)	130.
Ex quo ad natum Phaleg, (*Geneſ. Gr.* 11. 16.)	134.
Ex quo ad natum Reu, (*Geneſ. Gr.* 11. 18.)	230.
Tum ad confuſas linguas, quæ ſane epocha, Veterum omnium aſſenſu, componitur cum ann. M. 3000.	67.
Summa	738.

III. Ætas 460. ann.

Exinde ad natum Sarug, (*Geneſ. Gr.* 11. 20.) anno 132. Reu, ann.	65.
Tum ad ortum Nachor, (*Geneſ. Gr.* 11. 22.)	130.
Ex quo ad exortum Thare, (Joſeph. 1. 7.	120.
In Bibliis ſunt 28. 29. 79. 179. ſed numerus iſte annorum non componit Abrahamum cum Amraphele, *Geneſ.* 14. 1.	
Ex quo ad exortum Abraham, (*Geneſ.* 11. 26. *Joſeph.* 1. 7.)	70.
Inde ad vocatum Abraham, (*Geneſ.* 12. 4.)	75.
Summa	460.

Nota. Abraham vocatus fuit anno emortuali Thare. Non ergo vixit Thare niſi tantùm 145. annis, ut habet Textus Samaritanus, qui ipſiſſimus eſt Hebræus Moſaicus. Ita ann. 205. cæterorum Textuum, Amanuenſium mendo deputandi ſunt, ex quo in Bibliis irrepſerunt planè repugnantia. Abraham etenim natus anno 70. Thare in obitu ejus egiſſet 135. ætatis annos, non 75. uti in omnibus Textibus.

IV. Ætas 215. annorum.

Poſt vocatum Abrahamum uſque ad exortum Iſaac, (*Geneſ.* 21. 5. 17.) ann.	25.
Ex quo ad exortum Jacob, (*Geneſ.* 25. 24. 26.)	60.
Tum ad profectionem Jacob in Meſopotamiam, (*Geneſ.* 31. 38. 41.)	71.
Tum ad reditum in Chananæam, *Geneſ.* 30. 25. & 31. 38. 41.)	20.
Tum ad ejus in Ægyptum ingreſſum, cùm ageret ætatis annum 130. (*Geneſ.* 45. 6. 11. & 47. 7. 9.)	39.
Summa	215.

Mora in Ægypto 340. annorum. Exod. 12. 40. Judith. 5. 9.

Paſtores in Geſſen.

Jacob Iſrael ſubſtitit in Geſſen in Ægypto (*Geneſ.* 27. 28.) ann.	17.
Joſeph Pſontomphanech annorum 56. ætatis regnat in Geſſen.	54.
Summa	71.

Poſteri Joſeph.

Hicſos vel Reges Paſtorum, juxta Manethonem, apud Joſephum Apolog. 1. 5.

Ephraim vel Salatis,	19.
Beria vel Beon,	44.
Rapha vel Apachnas,	36. A. 1. M.
Reſeph vel Apophis,	61.
Thale vel Janias,	50. A. 1. M.
Thaan vel Aſſis,	49. A. 2. M.
Summa	259. A. 10. M.

Hicſos vel Captivi Paſtores.

Laadan,	40.
Ammiud,	40.
Eliſama uſque ad annum 80. Moyſis, cùm ille Ægypti ſolum vertit,	19. A. M. 2.
Summa	99. A. M. 2.

Vide Geneſ. 15. 13. (215. Ann. (71. (259. M. 10. (99. M. 2.

Summa 645. A. pro quatuor partibus quartæ ætatis.

V. Ætas 774. Ann.

Ab anno 80. Moyſis ad uſque ejus obitum, vel ad Joſue, A.	40.
Joſue,	27.
Ariſtocratia Seniorum; tum Anarchia; I. Idololatria,	18.
I. Servitus, (*Judic.* 3. 8. 10.)	8.
Othoniel, (*Judic.* 3. 11.)	40.
II. Idololatria & Anarchia,	30.
II. Servitus, (*Judic.* 3. 14.) ſub Eglone Moabita,	18.
Aod, (*Judic.* 3. 30.)	80.
III. Servitus (*Judic.* 4. 3.) ſub Jabin Chananæo,	20.
Debora, & Barach, (*Judic.* 5. 32.)	40.
A. M. ante Chr. (*Æra Attica ex* 4418. 1582. (*Marmore Pario.*	
IV. Servitus (*Judic.* 6. 1.) ſub Madianitis, Amalecitis, Iſmaelitis,	7.
Gedeon, Jerobaal (*Judic.* 6. 8. 11. 21. 25. 32. & 8. 28.)	40.
Abimelech Tyrannus, (*Judic.* 9. 22.)	3.
Thola (*Judic.* 10. 2.)	23.
Badan, (1. *Reg.* 12. 2. & *Clem. Alex. p.* 238.)	14.
Boſeas, (*Cl. Alex. p.* 138.)	23.
Jair, (*Judic.* 10. 3.)	22.
V. Servitus (*Judic.* 10. 8.) ſub Ammonitis,	18.
Jephte, (*Judic.* 12. 7.)	6.
Abeſan, (*Judic.* 12. 9.)	7.
Ebrom, (*Cl. Alex. p.* 324.)	40.
Abialon, (*Jud.* 12. 11.)	10.
Abdon, (*Judic.* 12. 14.)	8.
VI. Servitus (*Judic.* 13. 1.) ſub Philiſtæis,	40.
Samſon, (*Judic.* 15. 20. & 16. 31.)	20.
Anarchia ſub Pontificibus, (*S. Theophyl. Antioch. lib.* 3. *pag.* 134.)	40.
Africanus apud Syncellum *p.* 174. 176. Traditio Hebraica apud Cedrenum *p.* 69. vel 84. A. M. 4725. ante Chriſtum 1275. Argonautæ.	
Samera, Semei, Semergar, Simichar, Samane. (*S. Theophyl. Antioch. lib.* 3. *pag.* 13.)	1.
Anarchia ſub Joſepho Pontifice Eleazarides, (*Joſeph.* 8. 1. *Jul. Afric. apud Syncell.* 174. *Jul. Hilarion, Cedren.*)	30.

Heli

Heli I. Summus Pontifex Ithamarides judicat, (1. *Reg.* 4. 18. *Cedr. p.* 49.) 40.
A. M. 4791. ante Ch. 1209. Trojæ direptio.
VII. Servitus ſub Philiſtæis, ſacris potiente Achitob, 21.
Samuel Judex & Propheta, 40.

Summa 774.

VI. Ætas ſub Regibus 583. A.

Sub Saule, (*Act.* 13. 21.) A. 40.
David, (2. *Reg.* 3. 4.) 40.
Ab exordio Regni Salomonici ad conſtructionem Templi, 3.
Inde uſque ad everſum Templum, juxta tempus, quo Reges Juda Regnum tenuerunt, 430.
Captivitas Babylonica, (*Jerem.* 25. 12. *&* 29. 10. *Dan.* 9. 2.) 70.

Summa 583.

VII. Ætas 538. *Annos juxta Canonem Mathematicum.*

A' Cyro Babylone regnante uſque ad Alexandrum Magnum Babylone, A. 206.
Ex quo aduſque Ptolomæum filium Lagi, 27.
Ex quo ad Auguſtum, 275.
Tum aduſque Æram noſtram Vulgarem A. ab U. C. 754. 30.

Summa 538.

ÆTERNUS, ÆTERNITAS. Voces illæ tantundem valent interdum ac diu, neque enim toto ſemper literæ rigore accipiendæ; e. g. *montes æterni* Geneſ. 49. 26. Deut. 33. 15. ſunt montes antiquitate præſtantes. Pollicetur Altiſſimus Davidi thronum ac Regnum æternum, nunquam deſituram poſteritatem, i. e. Regnum, quod in poſteros ipſius longa ætate perennabitur; quin & æternitati ipſi par erit, ſi de Meſſiæ Regno ſit ſermo. Ita Juſtus non commovebitur *in æternum*. *Deduces nos admodum uſque in ſæculum &c.* i. e. quoadusque vixerimus.

Sed æternitas, cùm de Deo eſt ſermo, nunquam niſi re ipſa æternitatem exprimit. Exod. 15. 18. *Dominus regnabit in æternum, & ultra.* Deut. 2. 40. *Levabo ad Cælum manum meam, & dicam: Vivo ego in æternum.* Juſtorum animæ æterna vita & felicitate fruentur; æterno igni damnabuntur impii Matth. 25. 46. Dei Filius eſt in Pſal. 109. 4. *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Ejus Evangelium dicitur Apoc. 14. 6. *Evangelium æternum*; redemptio, quam nobis procuravit, *æterna redemptio* Hebr. 9. 12. Fuſus pro nobis ſanguis, *ſanguis æterni Teſtamenti* Hebr. 13. 20.; quam nobis promeruit, gloria, *æternum gloriæ pondus* 2. Cor. 4. 17. Ejus incarnationis ac noſtræ ſalutis myſterium: *Myſterium temporibus æternis tacitum* Rom. 16. 25.; ab ipſa ſcilicet æternitate ignotum; revelatum quidem Patriarchis & Prophetis, ſed nube quadam & ambagibus tectum. *Tabernacula æterna* ſunt Luc. 16. 9. ſedes hominibus in Cælo prædeſtinatæ. Sapientia *ab æterno ordinata eſt*, Prov. 8. 23. & candor eſt lucis *æternæ* Sap. 18. 26.)

ÆTHIOPIA, alio nomine *Abyſſina*, maximum in Africa Regnum. *Æthiopiæ* ſæpè meminit Scriptura: quo tamen nomine Æthiopia propriè dicta minimè intelligenda eſt. Sæpiſſime nomine *Chus*, quod Æthiopia vertitur, ſumenda eſt ea Terræ pars, quæ ad Orientale littus Erythræi jacet, & in vertice hujus maris ad Ægyptum. Sephora Moyſis uxor, quæ ex Madian erat ad Mare Rubrum, *Chuſitis* dicitur, vel Æthiopiſſa, Num. 12. 1. Vide, quæ diximus verbo *Chus*, *&*, *Candaces* Æthiopum Regina.

(In Dictionario Biblico evicimus, nomen *Chus*, quod vulgò redditur *Æthiopia*, uſurpari pro tribus ſat diſſitis inter ſe regionibus: 1. pro *Chus* ad amnem Gehon. 2. Pro Chus ad littus occidentale Erythræi, 3. Pro Chus ſupra Thebaidem & Ægyptum ſuperiorem; quod nominis diſcrimen cum non ſatis attenderetur, ideò errari contigit in multis, nec ſanè levioris momenti.

Nec magis ſibi conſtiterunt Prophani Scriptores in aſſignando certo regionis tractui nomen Æthiopiæ. Illo enim appellarunt, 1. quam nos peculiari nomine dicimus Æthiopiam; 2. certas Arabiæ gentes ad Erythræum, unde Homerus Odyſſ. lib. 1. ver. 22. diſtinguit Æthiopes in Orientales & Occidentales, alios nempe ad latera Nili & Erythræi, alios ad averſum littus ejuſdem maris ac fluminis. Dionyſius Geographus v. 177. & Euſtathius ſermonem habent pariter de Æthiopibus Orientalibus Arabiam verſùs. 3. Tandem alios quoſdam Aethiopes conſtituunt in Chaldæa & Suſiana; Memnon etenim filius Auroræ è Suſis ad bellum Trojanum profectus appellatur ab Heſiodo Theogen. ver. 984. *Rex Æthiopiæ*; & à Pindaro, *Olymp.* 2. *Æthiops filius Auroræ.*

Aethiopum duplicem gentem agnoſcit Herodotus lib. 7. in exercitu Xerxis; Orientales in Aſia commorantes, & cum Indis in aciem inſtructos, quippè qui nec ſermone differebant ab illis, nec coma; eadem utriuſque arma; & in galeæ modum capiti impoſitas præferebant equinas cervices, quarum aures & jubæ, criſtæ loco erant; pro clypeis erant pelles gruum, ſeu potiùs pelle hac tegebant clypeos. Aethiopes Africæ (a) qui nigerrimâ erant & maximè criſpante coma; Aſiæ verò paſſis erant ac promiſſis crinibus. Alibi verò tradit, uſos illos prælongis ac validiſſimis arcubus; inter pretioſiſſima metalla, pretioſiſſimum habuiſſe æs; vitam duxiſſe frugi ac maximè diuturnam. Porrò in rem noſtram valet hic duos ab illo diſtingui Aethiopes, Aſiæ ſcilicet, & Africæ.

Addit idem Herodotus lib. 2. Africanos Aethiopes, perinde ac Aegyptios, circumciſionem admittere; non ſatis tamen diſtinguere ſe profitetur, uter ex illis populis in eo ritu alterum ſuperaverit vetuſtate; vetus enim, ait, apud utroſque mos eſt. Videbimus infra Æthiopes adoptaſſe ſe illam ex Judæis ultro profeſſos.

Cùm igitur in Textu Sacro de Æthiopia ſermo inducitur, mente advertendum eſt ad diſcrimen illud regionum ac populorum, nequid erroris imprudentibus nobis irrepat. Unus tantùm vir nomine *Chus* deſignatur in Scriptura, filius Cham, & frater Chanaan Geneſ. 20. 6. An ex eo nomen acceperint variæ illæ regiones diſtinctæ in Textu Hebræo ſub nomine Chus, & ab Interpretibus ſub Æthiopiæ appellatione, incertum. Tenent plures, primas certaſque ejus ſedes conſtitutas in Arabia felici, ad littus occidentale Erythræi; unde ejus poſteros penetraſſe in Africam, & frequentaſſe Æthiopiam. Contrà aliis probatur, Arabiam tum primùm Æthiopiæ nomen adoptaſſe, cùm ab Æthiopibus ſubactæ dominis illis diu ſervit (b). Sed ipſa Moyſis ætate Regio ad Orientalem plagam Erythræi nomine Chus jam diſtinguebatur; an verò ex tunc in eam Arabiæ portionem irrupiſſe Æthiopes cenſendi ſint, ambigo.

Quæ Æthiopiæ nomine deſignari ſolet potiſſimùm regio, *Abyſſina* vulgò appellatur; quod Arabes deducunt ex *Habaſch* (c) filio Chus. Sed Habaſch ſicut & Chus ejus, juxta Mahometanos, pater, ne nomine quidem noti ſunt in Scriptura; Chus enim Scripturæ patrem habuit Chanaan, filios Nemrod, Sabam, Hevilam, Sabatam, Rhegmam, Sabathacam; cùm Arabum Chus ille pater Habaſch patrem habuerit, non fratrem Chanaan. Nec immeritò planè ſuſpicaremur, Chus patrem Nemrod cæterorumque, quos deduximus, ſedem habentium in Aſia, & ad Gehon, alterum planè fuiſſe virum à *Chus* filio Chanaan, qui Arabiæ felicis portionem quandam frequentavit, Æthiopiam peculiari nomine appellatam, ſicut & Abyſſinam à nomine filii ipſius Habaſch.

Urbs

(a) Idem lib. 3. (b) Bibl. Orient. pag. 409. Habaſch.
(c) Habaſch. Abyſſinus, Abyſſina regio.

Digitized by Google

Urbs Coſſ adiacens Nilo in ſuperiori Ægypto, quam alii confundunt cum Thebis, Urbe inclyta (a), nomen ſuum debet Chus patri Æthiopum. Hos populos non tantum appellant Arabes Habaſch, vel Abyſſinos, ſed etiam Chus, vel Chouſch, quemadmodum & Hebræi. Perſis ſunt *Indi nigri*, feruntque Indus (Æthiopes profectò) poſtulaſſe à Simone Syro Patriarcha Jacobitarum Alexandriæ, dari ſibi Epiſcopos. *Salamaa* appellant Æthiopes, quem Græci & Latini Frumentium, virum eò miſſum à S. Athanaſio, ut Evangelium Gentibus annunciaret. Exinde datos ſibi habuerunt Epiſcopos ſuos à Patriarchis Alexandrinis. Adusque Salamæ ætatem nonniſi circumciſione initiati fuerant, tradito ſibi ritu à Sadok Summo Sacerdote Judæorum, quem ſibi miſſum ferebant ab ipſa Salomonis ætate, ut Judaiſmi ſacris imbuerentur. Hæc de ſe Æthiopes.

Credunt alii, inſtitutos illos ad Fidem opera S. Matthæi, vel S. Bartholomæi, vel S. Philippi, vel Eunuchi Reginæ Candacis, quem Philippus Diaconus è ſeptem (b), alius planè ab Apoſtolo ejus nominis, tinxit Baptiſmatis aquis; ſed varia hæc nonniſi ex ambiguitate nominis Æthiopiæ inducta ſunt. S. Matthæus annunciaſſe fertur Evangelium Æthiopibus ſupra Araxem, vel Perſidi vicinis; S. Bartholomæus Indis, ſub Æthiopum nomine cognitis apud Veteres, vel in Arabia Felici, ubi regionem diſtinximus Chus vel Æthiopiam appellatam; tandem S. Philippus Diaconus, vel Eunuchus ille facilè ſe authores Fidei exhibuerunt ſubjectis Reginæ Candaci populis; regnabat autem illa ſive in Arabia, ſive in Peninſula Meroe, quæ ſub Æthiopiæ nomine interdum cenſetur.

Nomen *Habaſch* vel Abyſſinus, quod Æthiopibus tributum eſt, deſignat ad ſtictam varios in unam gentem coaleſcentes populos. Continentur ſub eo nomine Abyſſini, Nubientes, & Ponges. Eſt autem data ab Arabibus appellatio, quam diu rejecerunt Æthiopes; nec hodie pariter in ſuis Libris adoptant. Æthiopes ſe nominant, & regionem ſuam *Regnum Æthiopiæ*, vel *Becra Agazi*, regionem libertatis, vel gentem, quæ movit caſtra, deſignantes moviſſe ſe ex Arabia Felici, ubi vetus Æthiopia, ſeu vetus regio Chus, ut in eam, quam occupant, regionem venirent. Eam tranſmigrationem componit Euſebius cum tempore ſervitutis Iſraeliticæ in Ægypto; Syncellus vero conſignat circa ætatem Joſue, & Judicum. Quæ ſi veritati cohæreant, reputandum eſt utique, magno adhuc numero manſiſſe in Arabia; diu enim poſt eam ætatem, nomen ibi Æthiopum manſit.

Nigro ſunt colore Æthiopes, vel ſubnigro juxta varias, quas incolunt, regiones; album ab ortu referre dicuntur cum nigra quadam macula ab umbilicum, quæ paulò poſt editos illos in lucem ſenſim aucta, toto tandem regnat in corpore; cùm in Europam transferuntur, ſecunda tandem vel tertia generatione albeſcunt.

De Æthiopia, ac Æthiopibus ſermo frequens in Scriptura. Affirmat Moyſes Gen. 2. 13. Gehon, inter quatuor Paradiſi amnes notum, circumvolvi per terram Chus vel Æthiopiam, i. e. per regionem, quam perluit Araxes, ubi Veteres Scytharum, vel Chutorum ſeu Chutæorum ſedes. Legimus Num. 12. 1. Moyſem conciliaſſe nuptias cum fœmina Æthiopiſſa, i. e. cum Sephora filia Jethro Sacerdotis Madian, in regione Chus, ad littus Orientale Erythræi. In 4. Reg. 19. 9. habemus, Tharacam, Æthiopiæ Regem, moviſſe contrà Sennacheribi Regis exercitum. Porrò Tharaca ille Regnum tenebat Æthiopiæ vel Arabiæ, quo ſenſu Æthiopiam ſumimus in præſenti. Topazius Æthiopiæ, de quo Job 28. 19. acceptio referebatur Mari rubro, & regioni Chus in Arabia Felici. Ibi pariter regnabat Zara Rex Æthiopiæ 2. Par. 14. 9. exercitum 100000. viris, & 300. curribus validum ducens in Aſam Regem Juda. Sermo apud Habacuc 3. 7. de tentoriis Æthiopum, & Madianitarum, quæ turbavit Dominus verticem Sinai deſcendens; Sephora Madianitis, uti jam notavimus, Æthiopiſſa appellata eſt. Erat igitur Madian in regione Chus, de qua modò, intra Arabiam Felicem ad littus Erythræi.

Rex Aſuerus, Eſther 1. 1. & 8. 9. & 13. 1. ditionem ſuam prorogabat ab Indis uſque Æthiopiam, i. e. uſque ad Abyſſiniam noſtræ ætatis; affirmat enim Herodotus, regionem illam tributa pendiſſe Dario filio Hyſtaſpis. Nabuchodonoſor, de quo Judith. 1. 9. Legatos ſuos miſit in Palæſtinam, in terram Geſſem uſque ad fines Æthiopiæ, facilè illius, quæ peculiari eo nomine deſignatur ad meridiem Ægypti. Futurum prænunciat Sophonias 3. 10. ut ad colendum Dominum confluant homines è regione ultra flumina AEthiopiæ. *Ultra flumina Æthiopiæ inde ſupplices mei*; & Iſaias 18. 1. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ*. De fluminibus iſtis AEthiopiæ vel Chus non ſat convenit inter plures. Non hic planè ſermo de amnibus Arabiæ, ſunt enim ignobiles. Vix tamen ambigimus; deſignatam ab Iſaia AEgyptum nomine *terræ, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ*. Sunt igitur hæc flumina Nilus, ejuſque rami, inferiorem AEgyptum perluentes, quæ ſanè AEgypti regio quantùm ad Judæam ſita erat ultra Nilum; non enim adiri poterat locus aliquis in Delta, non tranſmiſſo ramo quodam fluminis; & inferiorem AEgyptum univerſam perluebant ducti ea eò amne canales. Amnes iſti fluebant ex AEthiopia, ubi & Nili fontes.

Ezechias Legatos ſuos miſit ad Regem AEgypti, auxiliares copias poſtulaturus contra Sennacherib, teſte Iſaia. Prædicit autem Sophonias futurum, ut AEgyptii tandem adoratori veniant ad Dominum; uterque ſanè Propheta nonniſi AEgyptum deſignavit ſub appellatione terræ ultra flumina Æthiopiæ. Prædicit etiam Pſalmiſta, Pſ. 67. 32. futurum, ut veniant *Legati ex Ægypto, ac Æthiopia præveniat manus ejus Deo*. AEgypti, ac regionis *Chus* vel AEthiopiæ captivitatem prænunciat Iſaias 20. 3. quod ejus oraculum accipitur commodè ſive de Æthiopia Orientali in Arabia, ſive de Occidentali ad mare Rubrum & ad meridiem Ægypti. Vaticinatur idem Propheta 11. 11. revocandum à Deo populum diſperſum per Aſſyriam, Ægyptum, Æthiopiam, & regionem Phetros. Hic autem facilè deſignatur quæ peculiari nomine Æthiopia appellata eſt, ſeu Regio Chus ad Araxem. Alibi verò 43. 3. aſſerit, Deum liberaſſe Ægyptum, Æthiopiam, & Sabam, ut redimeret Iſraelitas; quod de Æthiopibus Arabiæ facilè uſurparetur, junguntur enim populis Sabæ Arabiam Felicem tenentibus. Idem reputandum eſt de oraculo illo Iſaiæ 45. 14. *Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt*.

Quæ peculiari nomine Æthiopia appellatur, Teſtibus hiſce præterius (c): *Dabo terram Ægypti in ſolitudines* à Migdol uſque *Syenem*, ſitam *in terminis Æthiopiæ*. Jeremias 13. 23. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam?* Et Pſalmus 73. 14. *Tu confregiſti capita draconis, dediſti eum eſcam populis Æthiopum*. Dicta hæc accipienda de populis Tentyræ in ſuperiori Ægypto bello perſequentibus Crocodilos, quibus & veſcebantur; cùm apud cæteros Ægyptios Divinis eſſent honoribus pares. Chuſim Lybiæ jungit Jeremias 46. 9. *Procedant fortes, Æthiopia & Lybies tenentes ſcutum*; jungit & Daniel 11. 43. *Per Lybiam, & Æthiopiam tranſibit*; quæ omnia de Æthiopibus & Abyſſinis exponere pronum eſt. Vide etiam Ezech 30. 4. 5. ubi duæ illæ Gentes, veluti finitimæ junguntur. Ad eam regionem pertinebat Eunuchus Reginæ Candacis. Sed ex his omnibus non obſcurè colligitur, communi nomine Chus deſignatam non tantùm regionem ejus nominis ultrà Syenem, & Cataractas, ſed etiam Thebaidis portionem.)

AFFINITAS. Plures apud Hebræos affinitatis gradus erant, matrimonium impedientes. Vide Levit. 18. 7. & ſeq. Sic primò, filius matri ſuæ nubere non poterat, nec alteri Patris ſui uxori. Secundò, frater

ſororem

(a) Idem pag. 274. (b) Actuum 8. 27. (c) Ezech. 29. 10. Vide Hebr.

ſororem ſivè ex Patre tantùm, vel ex ambobus: Tertiò, avus neptem ſuam, ſivè ex parte filii ſui, vel filiæ ſuæ: Quarto, nemini ducere licebat filiam uxoris patris ſui: Quintò, aut ſororem patris ſui, vel matris ſuæ: Sextò, aut patruo neptem ſuam, vel matertera nepotem ſuum: Septimò, aut uxorem patrui ſui: Octavò, nec ſocero nurum ſuam ducere concedebatur: Nono, nec fratri uxorem fratris ſui adhuc viventis, aut etiam illo mortuo, ſi filios poſt ſe relinquebat. Si verò quis filios non reliquiſſet, tunc illius frater filios fratri ſuo mortuo procreare, ducta vidua illius uxore, tenebatur: Decimò, illicitum erat ducere matrem ſimul, & filiam, aut filiam filii matris, aut filiam filiæ, aut duas ſimul ſorores.

Nec objicienda ſunt exempla Patriarcharum, qui ante Legem vixere; ut Abrahami, qui Saræ filiæ patris ſui, ſed ex alia matre nupſit Gen. 20. 12.; Jacobi, qui duas ſimul ſorores Rachelem & Liam duxit; vel Abelis, & Caini, qui proprias ſorores ſibi copularunt; hos enim vel neceſſitas, vel uſus excuſabat, cum non adhuc Lex ſubſiſteret. Nonnulla alia exempla, quæ vel ante vel poſt Legem inveniuntur, Scriptura apertè reprehendit; ut Ruben cum Bala Concubina patris ſui inceſtum, & Amnonis cum Thamar ſorore ſua, & Herodis Antipæ, qui fratris ſui Philippi, adhuc viventis, uxori Herodiadi nupſerat.

AFRICA; una ex quatuor Mundi partibus, à Cham, & ipſius Poſteris frequentata Gen. 10. 6. 13. 14. Mizraim in Ægypto progeniem ſuam extendit. *Phetruſim*, *Nephtuim*, *Caſluim*, & *Ludim* alia illius regionis loca, quorum fines ignorantur, tenuere. *Laabim* tamen in Lybia, & *Phut* Numidiam inter, & Lybiam, ad Mediterraneum ponimus. Plures Chananæi ab Joſue è ſuis regionibus pulſi in Africam confugiſſe creduntur (a). Putant Mahometani, Amalecitas, qui circà Mecam olim habitabant, à Regibus è progenie Zioram indè pulſos fuiſſe (b). De hoc fuſè diſſeruimus in Diſſertatione de loco, in quem Chananæi ſe recepere, edita initio Libri Joſue.

AGABA, arx prope Hieruſalem, quam Galeſtus illius Gubernator, Ariſtobolo Alexandri Jannæi filio reſtituit, Joſephus Antiq. l. 13. c. 24. *Agaba*, ſivè *Habaggab* apud Hebræos prominentiam ſignificat.

AGABUS, Propheta, & unus è ſeptuaginta Servatoris noſtri Diſcipulis, juxtà Græcos. Validam in tota Terra famem futuram prædixit (c); quam S. Lucas Claudio imperante, quarto regni ipſius, & quadrageſimo quarto Chriſti anno eveniſſe teſtatur. Famis hujus mentio fit ab Hiſtoricis prophanis; inter quos Svetonius (d) author eſt, Imperatorem ipſum medio in foro tunc à populo invaſum ægrè in Palatium diffugiſſe. Sævient autem in Judæa præcipuè hac fame, Antiochiæ Chriſtiani certiores facti de inopia, quam Hieroſolymæ fideles patiebantur, ſubſidia ad illos mittere decreverunt. Quæ Paulus & Barnabas collecta Hieroſolymam detulere (e).

Poſt decem annos An. Chr. 58., cùm Paulus Hieroſalem pergeret, & jam Cæſaream Palæſtinæ perveniſſet Act. 21. 10., Agabus etiam illùc venit, & Paulum, ſociosque inviſens, ſumpta Pauli zona, eaque ſibi manibus pedibuſque vinctis, ait: Vir, cujus eſt zona hæc, à Judæis Hieroſolymorum ità vincietur, & in Gentilium manus tradetur. His auditis, omnes, qui aderant, Paulum exorabant, ne ultrò procederet. Quibus ille reſpondit, ſe non carcerem tantùm, ſed & mortem ob Servatoris Jeſu nomen pati paratum eſſe. De Agabo nihil ultrà. Martyrio coronatum Antiochiæ Græci perhibent, ejuſque Feſtum die octava Martii celebrant. Latini nono ſæculo idem Feſtum die nona Februarii celebrabant.

AGAG, Amalecitarum Rex. Cum Iſraelitarum populus duris laboribus oppreſſus eſſet in deſerto, Amalecitæ illos bello laceſſere, atque agminis extrema miſere trucidare auſi ſunt; quare Dominus inhumanitatem deteſtatus Exod. 17. 14. & Deut. 25. 17., ea victoria, quam Joſue in eodem deſerto de illis retulerat, non adhuc contentus, ſolemni ſacramento pollicitus eſt, ſe Amalecitarum nomen ſub Cælo deleturum, æternumque, & duriſſimum illis bellum indicturum (f). Igitur quadringentis circiter annis elapſis (g), Dominus Amalecitarum malitiæ in populum ſuum exhibitæ recordatus 1. Reg. 15. 1., Samuelem juſſit Sauli adverſus Amalec expeditionem imperare, quem ad internecionem uſque, & omnia, quæ illius fuiſſent, deſtrueret. Saul populo, quæ neceſſe erant, mandatis illum congregavit, totumque exercitum recenſens, ducenta peditum millia, præter decem virorum millia è Tribu Juda, qui peculiares copias componebant, invenit.

Ingreſſus igitur Amalecitarum fines, quicquid illorum repertum eſt, trucidavit, ab Hevila atque ad Sur è regione Ægypti. Vivum Agag Amalecitarum Regem cepit, & gregum, ſpoliorumque optima & pretioſiora ſervavit. Tunc Dominus Samuelem allocutus, ait: Pœnitet me elegiſſe Saulem in Regem, cùm me dereliquerit, juſſa mea non compleverit. Quo Samuel dolens, tota nocte ad Dominum clamavit. Poſtridiè vero illius diei Saulem adiit, cum exercitu reducem in Galgalis, ubi Domino holocauſta ex Amalecitarum ſpoliis offerebat. Ut Sauli vicinior factus eſt Samuel, Saul illi ſalutem dixit, & Dominica juſſa à ſe completa nunciavit. Cui Samuel: Undè ſonus hic gregum quem audio? Reſpondenti verò Saule, armentorum, & ſpoliorum optima à populo ſervata, ut in holocauſtum Domino libarentur, cætera verò interfecta; dicendi facultate priùs à Rege obtenta, Regnum illi à Domino auferendum aperuit. Cùm verò Saul factum excuſare niteretur, Samuel nec hoſtias, nec holocauſta, ſed perfectam obedientiam à Domino expoſci ſignificavit; ejuſque voluntati obſiſtere, Magiæ & Idololatriæ ſimile facinus eſſe dicens. Tum Agag Regem duci juſſit; qui in vinculis, & tremens delatus (h), ait: Siccine ſeparat amara mors? Cui Samuel: ſicuti gladius tuus tot filios matribus ſuis eripuit; ità mater tua inter fœminas abſque liberis erit; quo dicto, illum in fruſtà concidit coram Domino in Galgalis. Hic exitus fuit Agag Regis Amalec, circà An. M. 2930. ante Chr. 1070. ante Ær. 1074.

AGALLA (i) ſivè *Aegallu*, ſeù *Gallim*, vel *Aegallim* (k), urbs trans Jordanem, ad Mortui Maris orientem, in Terra Moab, quam (l) Euſebius octo paſſuum millibus ab *Ar*, ſivè *Areopoli* meridiem verſus diſſitum ponit.

AGAPE, Græca vox, amicitiam ſignificans; quo nomine appellabantur charitatis convivia, quæ in uſu fuerunt apud Fideles naſcentis Eccleſiæ, ob recolendam ſupremæ illius cœnæ memoriam, in qua Chriſtus cum Apoſtolis diſcumbens, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit. Hæc in Eccleſia ſub veſperum, ſacris concionibus auditis, precibuſque communibus recitatis, celebrabantur. Hic Fideles ſinceræ unionis vinculo obſtricti, quæ quiſque attulerat, comedebant; nullo pauperes inter & divites diſcrimine. Poſt frugalem cœnam, Corpus & Sanguinem Domini participabant; & oſculo pacis invicem dato diſcedebant. Sanctus adeò in ſua origine mos, brevi in deterius abiit. S. Paulus in epiſt 1. ad Corinthios c. 11. 20. pauperes à divitibus in his cœnis contemni, nec cum illis divites comedere conqueritur. *Convenientibus*, inquit, *ergo vobis in unum, jam non eſt Dominicam cœnam manducare: Unuſquiſque enim, aliis neglectis, ſuam cœnam manducat; ita fit alium quidem eſurire, alium autem ebrium eſſe. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut* *Eccle-*

(a) Procop. de Bello Vandalic. l. 2. c. 10. Gemar. alii. (b) Procock. in ſpecimiac hiſt. Arab. p. 173.
(c) Act. 11. 28. An. Ch. 43. (d) Sveton. in Claudio c. 18. Joſeph. Antiq. l. 20. c. 2.
(e) Act. 11. 29. An. Ch. 44. (f) Exod. 17. 14. 16. An. M. 2930. antè Ch. 1487. antè Ær. 1491.
(g) Circa An. M. 2930. ante Ch. 1072. ante Ær. 1174.
(h) 1. Reg. 15. 8. 2. 3. Textus illum tremuiſſe non dicit; Septuaginta vero Interpretes, & Vulgata ajunt, Hebraicus Textus, quem nos pro, *in vinculis* reddidimus, *in deliciis* verti poteſt. (i) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 2.
(k) Iſai 15. 8. & 1. Reg. 25. 44. (l) Euſeb. in Agallim.

Eccleſiam Dei contemnitis? & confunditis eos, qui pauperes ſunt? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.

Similia hiſce convivia Judæi habebant; Solemnioribus enim in feſtis (a) familiam ſuam, conſanguineos, amicos convivio excipiebant, victimarumque partes Levitis, pauperibus, & orphanis mittebant (b). Hæc convivia in Templo, & coram Domino celebrabantur, & certæ quædam victimæ, & primitiæ à Lege præſcriptæ pro iis conſervabantur.

AGAR, Ægyptia, & Saræ uxoris Abrahami ancilla. Sara ſe ſterilem, & ætate provectam ſentiens, ſcienſque Abrahæ à Domino promiſſam innumeram Poſterorum multitudinem, ancillam ſuam Abrahæ jungendam credidit, ut ſuſceptis ex ea filiis, Dominicis promiſſis implendis conduceret. Abraham igitur, Sara authore (c), Agar ancillæ nupſit, quæ, cum ſe concepiſſe videret, Saram Dominam ſuam contempſit. Tunc Sara cum Abrahamo ea de re conqueſta, omnem ſuper ancillam poteſtatem à Viro obtinuit.

Sara igitur ancillam affligente, hæc fugam inijt. Cumque illam inveniſſet Angelus Domini ad fontem, ſeù puteum, ſitum in itinere Sur in ſolitudine, ad heram ſuam redire, & illius poteſtati ſubdi juſſit; propaginem filii ſui, cui nomen Iſmahel imponi debebat, augendam, ut præ multitudine numerari nequiret; ipſumque ferum hominem futurum, qui adverſus cunctos, cunctique adverſus illum forent dimicaturi; & è regione fratrum ſuorum tentoria poſiturum. Noſcens autem Agar ſe Angelum alloqui, ait; Viſo Domino adhuc vivo? Puteumque illum appellavit: Puteum viventis, & videntis me. Domum igitur Abrahami reverſa, & Saræ ſubjacens, poſt aliquod tempus, filium peperit, quem Iſmahel appellavit, Abrahamo octoginta & ſex annos nato, An. M. 2094. antè Chr. 1900. ante Ær. 1910.

Poſt quatuordecim verò (d) annos, Saram Domino viſitante, hæc Iſaacum peperit Gen. 21. 1., centenario jam Abrahamo. Ablactato autem infante cœpit Iſmahel, decem & ſeptem annorum adoleſcens, cum Iſaaco familiariter nimiùm ludere, ac ipſi prope inſultare, & perſequi (e). Quod Sara perſpiciens, Agar, & filium ejus, neutiquam ſuturum hæredem, ejici volebat. Cùm vero Abraham durè hoc acciperet, & hujuſmodi ejectionem ægrè deliberaret; Dominus illi apparens, Saræ voluntatem impleri juſſit; ex Iſaaco enim propago fuerat oritura, quæ illius nomen gereret. Filium autem ancillæ ſubdidit Dominus, ingentis populi patrem conſtituam, eo quod abs te ſit genitus. Abraham igitur manè ſurgens, panibus, & utre aqua pleno ancillæ Agar impoſitis, illam cum filio ſuo dimiſit. Quæ in Ægyptum patriam ſuam redire contendens, in Berſabæ deſerto errabat. Cumque aqua defeciſſet, filio ſuo ſiti pereunte, ſub arbore quadam relicto, ipſa recedens quantùm eſt teli jactus, conſedit, & ait: Filium meum morientem non videbo; vocemque extollens, flevit.

Precibus tamen Iſmahelis à Domino auditis, Angelus Domini Agar vocans, animos illi addidit, Deumque Iſmahelis vocem audiiſſe teſtatus eſt, oſtenſoque puteo, Iſmaheli aquas juſſit propinare. Illa juſſum exequens, utre aqua repleto, in Deſertum Pharan conceſſit, ubi puer adolevit, & habitavit. Ibi arcu peritus effectus eſt, cui & Ægyptiam uxorem mater ſua nuptui dedit. Iſmahel duodecim filiorum pater fuit Gen. 25. 12., qui totidem Tribus ſtatuerunt in Arabia, ubi ſedem poſuere, omnemque ab Hevila, propè Euphratis, & Tigris confluentem, uſque *Sur*, propinquam Ægypto civitatem, regionem obtinuere.

Quo tempore Agar obierit, incertum. Hanc Rabbini (f) Pharaonis filiam fuiſſe arbitrantur: Chryſoſtomus hom. 38. in Gen. ex ancillis à Pharaone Abrahamo dono datis fuiſſe ait. *Geneſ.* 12. 16. Chaldæi Paraphraſtæ, & Judæi nonnulli (g) eandem eſſe ac Cethuram ſentiunt, cujus cum Abrahamo nuptiæ Geneſ. 25. narrantur. Hæc tamen ſententia veri ſimilitudinem non habet; cum diverſos nimiùs Cethuræ, & Agar characteres Scriptura adſcribat. Philo ad Abrahami Religionem Agar converſam opinatur (h); quod à veritate non abhorret.

(Hanc fœminam ſummis laudibus efferunt Muſulmani, genus referentes ex Iſmaele filio Agar, & Hiſtoriam ejus recitant plurimùm à Moſaica diſcrepantem. Honoris excellentia quadam appellant *Mater Agar* (i), defenduntque non concubinæ ſolùm titulo, ſed & legitimæ uxoris ad Abrahamum pertinuiſſe; genuiſſe inſuper Iſmaelem filium natu majorem hujus Patriarchæ, & tanquam omnium primum ab ipſo genitum obtinuiſſe Arabiam, ampliorem multò & tractu & divitiis regionem præ Chanaam, quæ Iſaac natu minori portio aſſignata eſt.

Addunt, Agar natam in Ægypto in Urbe Pharma, vel circum, metropoli, quam ferunt, Ægypti, & Regni Pharaonis ſede. Porrò Urbs illa temporis injuria adeò everſa eſt, ut ne veſtigia ſupereſſent; de ejus tantùm ſitu reſtabat memoria in edito quodam loco ad viam è Cairo in Syriam per medias arenas Coſtir. Everſam tandem reſtituerunt Fatimites, i. e. poſteri Ali & Fatimitæ filiæ Mahometis; ſed iterum evertit Balduinus Rex Jeruſalem.

Mechæ diem clauſiſſe Agar contendunt, ubi & ſepulturæ mandatam intra clauſtrum Templi, domum *quadratam* appellant, exteriùs. Vide v. *Iſaac*.

AGAR juxta Apoſtolum, Galat. 4. 24. typus eſt Synagogæ, quæ nonniſi ſervos gignit. Domo pellitur à viro, eodemque hero ſuo; filiis gravis pererrat in deſerto, feſſaque errando, tædio inſuper pro ſua & filii ſiti affecta apto ſatis emblemate exprimit Judæos, infideles & incredulos, perſecutione Jeſum Chriſtum affligentes, à patria, templo, habitatione atque domo extorres, errabundos & vagantes inter Gentes, atque in medio Chriſtianorum diſperſos, odio omnibus & contemptui, ſibi & cæteris oneri, occupatos habentes craſſo quodam velamine oculos, prohibente ne lucem circà coruſcantem aſpiciant, nec detegant vivarum aquarum puteos, quibus ſitim levent. Sed tandem eorum mala commiſeratus Deus, cæcorum oculos aperiet; Iſmaelem ſuum Agar deponet; oculos Deo propitio aperiet tandem, ut videat diem; fontem item vitæ, Baptiſmum ſcilicet, per quem ſalvabitur (k).)

AGARENI, Iſmahelis poſteri; *Iſmahelitæ* etiam, & *Saraceni*, & *Arabes* denique à poſſeſſa regione denominati. Saracenorum nomen, à *Sara* Abrahami uxore, ut nonnulli putarunt; ſed ab Hebraico *Sarak*, ſcilicet *prædari*, obtinent; cùm *Saracenorum* plerique prædonum vitam exerceant. *Agareni*, ſive *Agræi* Arabiam felicem coluere, juxtà Plinium lib. 6. cap. 28. A Strabone verò lib. 7. p. 518. Nabathæis, & Chauloteis, Deſertam potiùs Arabiam incolentibus, junguntur. Putant aliqui, illorum Metropolim fuiſſe *Petram*, ſive *Agram*; ex quo neceſſe foret illos Arabiam Petream tenuiſſe. Author Pſalmi 82. 6. Moabitis addit, & in 2. Paralip. 5. 10. dicuntur filii Ruben, regnante Saule, adverſùs Agarenos pugnaſſe, & eorum regiones poſſediſſe, ad orientem Montium Galaad. En verus, & vetus Agarenorum locus. Trajanus Arabiam ingreſſus, fruſtrà Agarenorum Metropolim obſedit (l). Filii Agar prudentes antiquitùs ſe ducebant, ut conſtat ex Baruch. 3. 2.

AGE, pater Semma unius ex fortiſſimis Davidici Exercitus. 2. Reg. 23. 11.

AGGÆ-

(a) Deut. 14. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. & 26. 10. 11. 12. (b) 2. Eſdr. 8. 13. Eſth. 9. 19.
(c) Geneſ. 16. 1. 2. 3. & ſeq. An. M. 2093. ante Chr. 1907. ante Ær. 1911.
(d) An. M. 2108. Ante Chr. 1892. ante Ær. 1896. (e) Galat. 4. 29. Quomodo *tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm Spiritum.* (f) Ità Chald. Rabb. Joſue & Salom. Jarchi.
(g) Jarchi, Eliezer. (h) Philo de Abraham.
(i) *D'Herbelot. Biblioth. Orient. pag. 420. Hagejar.*
(k) 2. Cor. 3. 16. *Cùm converſus fuerit, auferetur velamen.* Rom. 11. 25. 26. *Donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſalvus fieret.* (l) Dio l. 68.

AGGÆUS, decimus ea Prophetis minoribus Babylone natus creditur; quà rediit cum Zorobabele (a). Poſt reditum, captivis Templi reſtaurationem, ut in eo ſacrificia offerri valerent, ſolicitè incipientibus (b), Judæorum hoſtium invidia, & malis Aulicorum artibus ductus Cyrus, ſecundo Regni ſui anno, Templi reſtituendi facultatem revocavit. Idemque interdictum Cambyſes Cyri filius, imperio ſuſcepto, confirmavit. Quare annis quatuordecim nihil aliud Templo additum eſt, quàm quod ſtatim a reditu Judæi ædificaverant; tectis ſolùm Templo, quod propriè vocabatur, ſivè Sancto, & Sanctuario, & nonnullis fortaſsè circà Sacerdotum atrium porticibus.

Poſt mortem verò Cambyſis, Dario Hyſtaſpis filio regnante (c), Aggæus à Deo excitatus eſt, (d) ut Zorobabelem Principem Juda, & Jeſum Filium Joſedech Pontificem ad Templi reſtitutionem diù intermiſſam exhortatetur. Propheta igitur eorum negligentiam redarguit; qui enim lautas ſibi domos anxiè quærebant, Domini Templum deſertum, & ruinis ſuis ſepultum relinquebant. Mala proinde, quibus à Deo poſt reditum vexabantur, famemque, & ſterilitatem (ex eo ortum ducere ajebat, quòd Templi inſtaurationem minimè curarent. Aggæi monitis excitati, anno ſecundo Darii, Mun. 3484. decimoſexto à reditu Babylonico, Templum reſtaurare Judæi pertexere (e). Vix operi manus admota eſt, cùm Dominus Aggæum juſſit nunciare, ſi quis inter ipſos primum Salomonis Templum vidiſſet, nec ſplendidum adeò hoc cerneret, ne animis caderet, aut hoc minoris quàm illud faceret; cùm illuſtrius, & venerabilius illo Templum iſtud, non divitiarum copia, ſed Meſſiæ cunctis gentibus deſiderati præſentia, & beneficiis, quæ illis conferre ſtatuerat, Dominus foret redditurus.

De Aggæi morte nihil notum. S. Epiphanius hunc Hieroſolymæ inter Sacerdotes ſepultum ait; ea quo illum ea Aaronis ſtirpe fuiſſe colligi poſſet: nihil tamen Aggæus ipſe commemorat, quod hanc ſententiam confirmet. Hujus feſtum Græci die 16. Decembris, Latini die 4. Julii celebrant.

AGGI, è Tribu Gad, Aggitarum familiæ Princeps, Num. 26. 15.

AGGITH, quinta Davidis uxor, Adoniæ mater. 2. Reg. 3. 4.

(**AGGRAVARE** cor ſuum, aures &c. Vide *Gravitas.*

AGNUS. Nomen illud uſurpatur interdum in Scriptura pro hædo; e. g. in ſeligenda victima Paſchali indiſcriminatim adhiberi poterat utrumque Exodi 12. 3. *Seh, pecus parva*, ſeu *agnus*, ſeu *hædus*. Generatim Hebræum *Seh* explicatur ſive de capella, ſive de agno. Agnus *anniculus*, quod redditur agnus anno natus, reddi etiam poſſet agnus anni, natus in anno, ſed jam ablactatus; cautum eſt enim Exodi 12. 5. ne lactans adhuc agnus in Paſchatis victimam aſſumatur. Vetitum etiam Exodi 23. 19. ne coquatur in lacte matris ſuæ. Numquam ſanè non inculcat Lex, ut catulus ſeptem ſaltem diebus ad ubera matris permittatur, antequàm mactetur in victimam Sacrificii Exodi 22. 30. Levit. 22. 27. Exhibent nobis Prophetæ Meſſiam ceu mitiſſimum Agnum, qui dum tondetur elevaturque in aram, non queritur Iſaiæ 57. 7. Jerem. 11. 19. Jeſum Chriſtum deſignat S. Joannes Baptiſta ſub nomine *Agni Dei*; Joan. 1. 29. 36. ſicut & ſub idea immolati Agni paret ſæpiùs in Apocalypſi nempe 5. 6. 8. 12. 13. & 6. 1. & 7. 9. & 12. 2 &c. In Iſaia 11. 6 legimus ſub Meſſia agnum & lupum ſimul accumbituros; & in Evangelio impii poſtrema Judicii die hircis comparantur, Juſti verò agnis. Ire jubet diſcipulos ſuos Chriſtus ad annunciandum Evangelium inter gentes, velut agnos in medio luporum.)

AGNUS PASCHALIS, Paſchatis victima, Vide *Paſcha*.

AGNUS DEI: nomen à S. Joanne Baptiſta Chriſto tributum (f), quo Divini hujus Servatoris innocentiam, illumque ut victimam pro Mundi ſceleribus offerendum oſtenderet. Fortaſſis etiam verbis Prophetæ alluſit: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur; & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet* Pſal. 53. 7.

I. AGRIPPA. Marcus Agrippa, Auguſti Imperatoris familiaris. Hujus nomen nec in veteri, nec in novo Teſtamento legitur. At quia de illo Joſephus, & Philo diſſerunt, & ab Judæorum hiſtoria non eſt alienus, de ipſo hic aliquid inſeremus. Huic Auguſtus Juliam filiam ſuam nuptui, & Aſiam omnem adminiſtrandam dedit. Hunc Herodes Magnus, cui plurimum debebat, Mytilenis inviſit. Inde Hieroſolymam duxit (g), ubi honorificè adeò exceptus eſt, ut de iis honoribus Agrippa ſummo cum voluptate loqueretur. Ordinem in Templo ſervatum religiosè admiratus eſt, ubi & hecatombem obtulit. Hieroſolymæ populo ſpectacula publica exhibuit, & Herodi, & populo, quæ poſtularunt, ultrò conceſſit. In itinere, *Sebaſtem, & Cæſaream* ab Herode in Auguſti honorem extructas, inviſit, Judæorum Regum, & harum urbium magnificentiam ſtupens. Agrippæ Hieroſolymam iter contigit An. M. 3990. antè Chr. 10. Nomen iſtud *Agrippa* à Latino *æger partus* derivari dicitur (h), quòd puer, qui inter naſcendum omnium primos pedes efferat, ægrè ſuperſtes erit, & infortuniis, pedumque infirmitati ſubjacebit.

II. AGRIPPA, cui cognomen *Herodes*, Ariſtobuli, & Mariamnes filius, & Magni Herodis nepos, natus An. M. 3997. antè Ch. 3. antè Ær 7. Poſt Ariſtobuli patris ſui obitum, Herodes Magnus, cura illius aſſumpta, illum Romam ad Tiberium Imperatorem miſit (i). Agrippam Tiberius adamans, Druſo filio ſuo comitem dedit, cujus Druſi, & Antoniæ Imperatricis animos ſibi comparavit. Druſo tamen immatura morte prærepto (k), & imperante Tiberio, ut omnes, qui apud Druſum fuerant, Urbe excederent, ne eorum aſpectu dolor amiſſi filii renovaretur; Agrippa, qui animo ſuo in liberalitatem propenſo indulſerat, ære alieno oppreſſus, in ſumma egeſtate, in Judæam recedere coactus eſt: Jeruſalem verò non adiit, cùm debitam natalibus ſuis majeſtatem ſervare non poſſet. Maſſadam igitur oppidum conceſſit, ubi privatam potiùs, quam Regiam vitam agebat. Herodes Tetracha, illius patruus, qui Herodiadi ipſius ſorori nupſerat, illum aliquamdiù ſatis ſplendidè juvit; præcipuo Tiberiadis Magiſtratu, & ingenti divitiarum vi illi collata. At cum largis Agrippæ ſumptibus hæc ſatis non eſſent, Herodes manum retraxit, ipſumque nullius œconomiæ redarguit. His irritatus Agrippa, Judæam relinquere, & Romam redire decrevit. (l).

Cum verò pecuniarum indigeret, Marſyas illius Libertus, ad Protum Berenicis Libertum confugit. Qui viginti drachmarum millia (m) illi mutuò ſe daturum ait, ſponſore Marſya, modò ipſe Agrippa, jam illi alio ære obſtrictus, viginti drachmarum millium chyrographum daret, quamvis tunc 17500. drachmarum tantùm acciperet. Inſuper ultra 200000. drachmarum ab Alexandro Alabarchà, ſivè Principe Judæorum Alexandriæ mutuò accepit, ea lege, ut Cypros Agrippæ uxor pro illis obſtringeretur: quinimò Alexander pecuniæ hujus partem Alexandriæ moranti dedit; reliquum, ut in Italiam pervenit Agrippa, illi ſolvendum curavit.

Tiberius tunc temporis Capreis morabatur; quem priuſquàm adiret Agrippa, adventus ſui certiorem fieri curavit, gratumne illi foret, ſi ſalutatum veniret, poſtulans (n). Tiberius temporum mutatione Druſi mortis oblitus, gratum fore, libentiùſque ſe illum Capreis viſurum reſpondit. Illuc igitur profectum Imperator honoris gratia in ſuas ædes recepit, & beneficiis cumulavit.

Poſtridie ejus diei, Tiberius lectis Herennii, Procuratoris ſui in Judæa, literis, quibus Agrippam 300000. argen-

(a) An. M. 3457. antè Chr. 543. antè Ær. 547. (b) 1. Eſdr. 3. & ſeq.
(c) An. M. 3483. antè Chr. 517. antè Ær. Vulg. 521. (d) 2. Eſdr. 5. 2 &c. vide & Agg. 1. (e) Agg. 1. 14. & 2. 1. &c.
(f) Joan. 1. 29. 36. (g) Vide Joſeph. Antiq. l. 16. c. 2. (h) Aul. Gell. noct. Attic. l. 15. c. 16., & Plin. l. 7. c. 8.
(i) Vide Joſeph. Antiq. lib. 18. c. 7. 8. & ſeq. & de bello l. 2. c. 15. (k) An. Chr. 23. (l) An. Chr. 35.
(m) Drachma Attica continet ſolidos octo & unum denarium; quare 20000. drachmarum 8800. librarum æquivalent.
(n) An. Chr. 36.

argenteorum, ex ærario Tiberii mutuò acceptis, obſtrictum diſugiſſe monebatur; adeò in illum exarſit, ut palatio egredi, & debitum ſolvere juſſerit. Nil deterritus Agrippa, Aotoniam Auguſtam adiens, ut eam pecuniam mutuam ſibi daret, exoravit. Quæ cùm illum ob matrem ipſius Berenicem adamaret, abnuere non potuit. Ità Agrippa hoc negotio exſolutus, Tiberii favorem rurſùm iniit, qui Tiberio Neroni Druſi filio adhærere illùm juſſit. Ipſe tamen Cajum Caligulam Germanici filiom, & Antoniæ nepotem Tiberio Neroni prætulit, ac ſi futurum Caji, tunc temporis omnibus acceptiſſimi, Principatum præſenſiſſet; ſuiſque & aſſiduitate, & blanditiis adeo Caji animum ſibi devinxit, ut hic ab amico ſeparari non pateretur.

Quadam die cùm ambo in eadem lectica eſſent (a), Agrippa Cajo ait: o ſi jam tandem dies illa veniat, qua ſenex iſte (nempè Tiberius) diſcedens, te Orbi relinquat Principem! nihil enim huic voto obeſſe poſſet nepos ejus Tiberius Nero, quem tu facilè opprimeres. Tum verò ad publicam Orbis felicitatem mea quoque privatim accederet. His fortè auditis, Eutychus Agrippæ Libertus, aliquandiù tacuit. Quamdam verò offenſionis ab Agrippa occaſionem nactus, Imperatorem alloqui poſtulavit, quod magni momenti res de Agrippa illi deferendas haberet. Tiberius, ut erat in rebus ſuis tardiſſimus, Eutychum retineri tantùm imperavit. Intereà Agrippa, quid Libertus haberet, ignorans, ſeque innocentem prorſus exiſtimans, Tiberium, ut Eutychum audiret, & huic negotio finem imponeret, hortabatur. Tiberio ob Agrippæ amorem adhuc cunctante, ipſe Antoniæ Auguſtæ authoritate interpoſita, Imperatorem Eutychum accerſere, & audire perſuaſit.

Tiberius, Eutycho audito, ſtatim Agrippæ vincula injici, ipſumque Præfecto cuidam tradi juſſit, qui arctiſſimè illum cuſtodiens, ipſius tamen aliquam, Amoniæ cauſa, quæ Agrippam illi enixè commendaverat, rationem habuit. Mortuo paulò poſt Tiberio Cajus Caligula imperium capeſſens, Agrippam beneficiis auxit, ferreamque illi injectam catenam in auream mutavit, Regioque diademate impoſito, Tetrarchiam illi a Philippo Herodis Magni filio poſſeſſam dono dedit, Bataneam ſcilicet, & Trachonitidem; addita etiam Lyſaniæ Tetrarchia; matureque Agrippa in Judæam regreſſus eſt, ut Regni ſui moderationem aſſumeret An. Chr. 39.

Hujus felicitati Herodias ipſius ſoror, Herodis Tetrarchæ uxor invidens, virum ſuum Romam adire perſuaſit, ſpe Regii nominis à Cajo obtinendi. Qui cùm vix in Italiam perveniſſet, Fortunatus Agrippæ Libertus Domini ſui Epiſtolas, adhuc Herode loquente, ad Cajum detulit, quibus Herodem patruum ſuum veteris cum Sejano amicitiæ, & recentis cum Artabane Parthorum Rege inſimulabat, quod & arma, 70000 hominum inſtruendis parata, in armamentariis ipſius condita, comprobare aſſerebat. Literis perlectis, Herodem Cajus, an verum eſſet tantam armorum copiam ſe habere, interrogavit. Qui cùm negare non poſſet, continuò in Gallias relegatus eſt, ipſiuſque Tetrarchia Agrippæ conceſſa An. Ch. 40.

Poſt aliquod temporis Cajus, ſibi honores Divinos attribuens, ſtatuam ſuam in Hieroſolymitano Templo juſſit collocari (b). Cui Judæi conſtanter adeò reſtiterunt, ut Petronius nihil ultrà tentaret confidens, Judæorum repugnantiam Cajo per literas ſignificavit. His perlectis, Cajus Agrippæ Romæ tum commoranti & ad ſe alloquendum venienti ait, Judæos hominum ſolos eſſe, qui ſe Deum agnoſcere renuebant; & ut placitis ſuis obſiſterent, conjuraſſe. Ad hæc, Agrippa ſemianimis cecidit, & domum relatus, uſque ad ſequentis diei veſperum ſenſuum uſu caruit. Deliquio tandem excitatus longam Cajo Epiſtolam ſcripſit, ut illum flectere conaretur, Illius argumentis fractus Imperator, aliquandiù à conſilio ſuo viſus eſt receſſiſſe.

Initio ſequentis anni Cajo interfecto (c) Agrippa Romæ commorans, plurimùm conſiliis ſuis Claudium juvit ad aſſerendum ipſi imperium à militibus delatum; plus tamen in ea ſe ſolertiæ, & induſtriæ, quàm ſinceritatis oſtendit. Cùm enim Senatus partibus adhærere ſimularet, Claudiom ſecretò, ne fortunam ſuam derelinqueret, hortabatur. A quo tandem Imperium obtinente, in officiorum ſuorum præmium Judæam omnem, Regnumque Chalcidis, ab Herode fratre ſuo obtentum, dono accepit. Quamobrem brevi temporis ſpatiò Orientalium Principum potentiſſimus effectus eſt, ditionemque ſuam ultra fines Herodis Magni Avi ſui prorogavit. Judæam igitur repetiit, quam Judæorum placito gubernavit (d). Mala tamen Judæis obſecundandi libido ad immanem injuſtitiam illum pertraxit (e) cujus meminit Scriptura Act. 12. 1. 2.

Circà Paſchatis feſtum, An. Ch. 44. Jacobum Majorem, Zebedæi filium, & fratrem Joannis Evangeliſtæ gladio interfici juſſit; eoque mortuo, inde Petro vincula injecit, ut poſt Paſchales dies populi voluntati traderetur. Petro tamen divinitùs è carcere erepto, impium illius conſilium evanuit. Poſt Feſtum Agrippa Hieroſolyma Cæſaræam pergens, publicos ibi ludos in Claudii honorem exhibuit (f). Cùm ibi moraretur, Tyrii, & Sidonii pacem deprecaturi venerunt. Ille primo mane ad theatrum veniens, ut illos alloqueretur, ſolio inſedit, regia veſte operis eximii, argentoque contexta indutus, cujus ſplendorem exorientis ſolis radii adeo augebant, ut intuentium oculos præſtringeret. Ut igitur Rex Tyrios, & Sidonios alloqui cœpit, populus, & adulatores vociferari cœpere: *Dei voces, non hominis.*

Agrippa aſſentationibus his delectatus, ſuprà ſe bubonem funi inſidentem vidit. Eadem avi ab ipſo cum in vinculis eſset, ſub Tiberio viſa, prædictum fuerat, tunc libertate donandum; cùm verò rurſum vidiſset, ſciret quinque tantùm vitæ ſuæ dies ſupereſse. Ingenti ergo terrore correptum Angelus Domini eodem tempore percuſſit, quòd Deo gloriam non dediſset. In palatium ſuum delatus, poſt quinque dies obiit viſcerum doloribus diſtractus, & à vermibus corroſus. Hic Agrippæ exitus fuit poſt tres Regni annos, An Chr. 44. Filium 17. annis natum nomine *Agrippam*, & filias tres: *Berenicem*, quæ Herodi Patruo ſuo nupſit; *Mariamnem* Julio Archelao, Chelciæ filio; & *Druſillam* Epiphanio, Archelai Regis Comagenorum filio, deſponſas reliquit.

III. AGRIPPA Junior, filius præcedentis, Romæ erat apud Claudium Imperatorem, cùm Pater ipſius obiit (g). Huic Imperator primò omnem Patris ſui ditionem tradere conſtituerat; deindè familiarium hortatu ipſum 17. annos ætatis agentem Romæ detinere decrevit, donec ad ætatem imperio aptam perveniret; interim Judææ adminiſtrationem Cuſpio Fado committens. Altero anno, Ch. 45. Syriæ Gubernator Jeruſalem veniens, Judæos cogere ad Pontificalia ornamenta Fado tradenda nitebatur, ut in turri Antonia aſſervarentur, quod & fieri conſueverat, priuſquàm Vitellius Judæis cuſtodienda concederet. Ii verò, datis obſidibus, Legatos Romam mittendi facultatem obtinuere, quibus Agrippæ junioris cauſa, ea ornamenta apud ſe retinere conceſsum eſt.

Ao. Ch. 48. Herode Chalcidis Rege, Agrippæ junioris Patruo, defuncto, Imperator illius Regnum nepoti conceſſit. Cæterùm Agrippa quatuor demum poſt annos in Judæam reverſus eſt; cui Claudius ablato illi Chalcidis Regno, An. Ch. 53. Gaulanitidem, Trachonitidem, Batanæam, Paneadem, & Abylenam, aliàs à Lyſania obtentam, dedit.

Poſt Claudii mortem, hujus ſucceſsor Nero, cui carus erat Agrippa, Juliadem etiam in Peræa, & illam Galilææ partem, in qua Tarichæa, & Tiberias erant,

elargitus

(a) An. Ch. 36. Joſeph. Antiq. l. 18. c. 8, & de Bello l. 2. c. 15. (b) An. Chr. 40. (c) Die 24. Jan. An. Chr. 41.
(d) Joſeph. Antiq. l. 19. c. 9. (e) An. Ch. 44. (f) Joſeph. Antiq. l. 19. c. 7. & Act. 12. 19. &c.
(g) Joſeph. Antiq. l. 19. c. 7. & l. 20. c. 1. & de Bello c. 21. &c. An. Chr. 44.

elargitus eſt. Cùm Feſtus Judææ Gubernator in provinciam ſuam veniſſet An. Chr. 60. Rex Agrippa cum ſorore ſua Berenice, Cæſaream illum ſalutatum venit; ibique diutiùs commoranti, Feſtus negotium Pauli duos circiter ante annos in Templo capti, qui paucos ante dies Cæſarem appellaverat, communicavit.

Cum Agrippa (a) ſe diù Paulum audire exoptaſſe ſignificaſſet, poſtridie ejus diei Agrippa, & Berenice auditorium ingreſſi, acceſſitoque Paulo Feſtus Agrippæ & cæteris adſtantibus ait, hominem illum à Judæis ad ſe delatum ad mortem quæri. Cæterùm ſe nullum in eo crimen morte puniendum deprehendiſſe. Cùm autem ipſe Cæſarem appellaſſet, ſe illùc ideircò eum acceſſiſſe, ut Agrippæ perquiſitione, quid de illo ad Cæſarem ſcriberet, inveniretur: non enim ſibi æquum videri vinctum ad Cæſarem mittere, criminibus, quorum inſimularetur, minimè ſignificatis.

Tunc Agrippa Paulo annuente, ut loqueretur, ipſe manu extenta, cauſam ſuam dicere cœpit, beatum ſe prædicans, quòd coram Agrippa, mores, & quæſtiones Judæorum optimè callente, pro ſe peroraret. Tum ſe vinctum eſſe ob ſpem Iſraelis, mortuorum ſcilicet reſurrectionem, dixit. Inde moleſtias à ſe Chriſtianis illatas, mirabilemque ſui converſionem enarravit. Hæc eo loquente Feſtus exclamavit: Inſanis Paule: multæ te literæ ad inſaniam pertrahunt. Paulus eorum, quæ dixerat, aſſertorem Agrippam appellavit, cui ea omnia perſpecta fuerant. Deindè, credis, ait, Rex Agrippa, Prophetis? ſcio te credere. Cui Agrippa: Parum abeſt, quin me Chriſtianum fieri perſuadeas. Reſpondit Paulus: Utinam nihil omnino abeſſet, quin & tu, & qui præſentes audiunt, mihi ſimiles fierent, exceptis his vinculis. Tunc Rege & cæteris ſurgentibus, Agrippa Feſto dixit: Dimitti potuiſſet, ſi Cæſarem non appellaſſet.

Agrippa Pontificatum Joſepho Cabei abſtulit, illumque Anano (b) contulit An. Chr. 62. Anano, inquam, illi, qui Jacobum Minorem circà Paſchatis Feſtum (c) morte damnavit Hieroſolymis. Quod adeò cunctis diſplicuit, ut Agrippa vix tribus menſibus elapſis illi Pontificatum eripuerit, atque Jeſu Damnee filio conceſſerit. Paulò poſt uſum lineæ veſtis, ſolis Sacerdotibus reſervatum, Levitis muſicæ Templi deſtinatis contulit. Cumque alii Levitarum canendi munus haberent, alii aliis muneribus eſſent addicti, permiſit, ut hi qui muſicam addiſcerent, lineæ veſtis privilegio aliis collato fruerentur.

Tota verò ſeditionem parante Judæa; Agrippa enixè ſtuduit populos ſedare, & ad pacem adducere: irritis tamen conatibus, vix enim aliquandiù ipſos retinuit. Nec tamen efficere potuit, quin Judæi Præſidum ſævitia, & arrogantia irritati, à Romanis deficerent, an. Chr. 66. Hoc viſo, Agrippa vires ſuas Romanis addere coactus eſt, ut Judæi, ipſaque Hieroſolyma debellarentur. Poſt Urbis hujus excidium, Romam cum ſorore ſua Berenice receſſit, cum qua paulò liberiùs vixit; quod probroſis in utrumque dicteriis cauſam dedit. Romæ obiit ſeptuaginta circiter annos natus. (d)

AGRIPPIAS. Herodes Magnus in honorem Agrippæ amici ſui, Auguſti familiaris, Anthedonem (e) urbem ad Mediterraneum inter Raphiam, & Gazam ſitam hoc nomine nuncupavit. Vide *Anthedon*.

AGUR. In Proverbiis c. 30. 1. caput quoddam legitur, his verbis inſcriptum: *Verba Agur filii Jake*, quæ ita verti poſſunt, *Verba congregantis, filii Vomentis*: ſeù juxtà Ludovicum de Dieu: *Verba collecti, filii obedientiæ*. Pleſique Patrum & Interpretum nomine *Agur filii Jake* Salomonem deſignari aſſerunt (f). Aliis placet *Agur*, ſicut & *Samuelem* ſapientes viros fuiſſe, Salomonis tempore viventes, ipſius interlocutores in ſuis Proverbiis. Quod nullam probabilitatis ſpeciem præfert; cum proverbiorum Liber Dialogi formam non præſeferat. Fortaſſe Agur ſcriptor fuit ſacer, alius à Salomone, cujus ſententias Regis illius Libro addere viſum eſt, ob rerum, de quibus agit, conformitatem. Quid enim cauſæ fuit, ut Salomon nomen ſuum, ſtylum, ſcribendique methodum in hoc uno capite immutaret? Certum enim eſt, caput 30. Proverbiorum ſtylo reliquis prorsùs abſimili exaratum. Inſuper, an Salomonem Regem decebat dicere verſu 2. *Stultiſſimus ſum virorum*, & ita Deum alloqui: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi?* Quis igitur erat iſte *Agur*; ex qua Patria, aut quo tempore vixit? Incertum.

AHALAB, ſivè *Achalab*, urbs Tribus Aſer, cujus ſitus ignoratur. Judic. 1. 3.

AHARA, tertius Benjamin filius. 1. Par. 8. 1.

AHAREHEL, filius Arum. 1. Par. 4. 8.

AHASTHARI, filius Aſſur, & Naaræ. 1. Par. 4. 5.

AHAVA, Babylonis fluvius 1. Eſdr. 8. 15., ſivè Aſſyriæ, quò Eſdras captivos, in Judæam reducendos, coegit. Fluvium *Ahavam* illum eſſe arbitramur, qui *Adiabenem* alluit, in qua notus eſt fluvius *Diava*, ſivè *Adiava*, ad quem Ptolemæus urbem *Abanam*, ſivè *Aavanam* ſtatuit. Hæc eadem videtur, ac quæ in 4. Regum 17. 24. *Hava* dicitur, unde Aſſyriorum Reges in Palæſtinam (g) *Heveos* tranſtulerunt, & Iſraelitas viciſſim in Havam. Eſdras inito conſilio quoſcumque poſſet Iſraelitas cogendi, ut illos in Judæam reduceret, in regione *Hava*, ſivè *Ahava* conſtitit, unde ad Caſpios montes Legatos miſit, qui Judæos ibi morantes ad ſui ſequelam invitarent (h). Ex hiſtoria Izatis Adiabenorum Regis, & Helenæ illius matris (i), ad Judaicam religionem converſorum aliquibus à Chriſti morte annis, conjicere poſſumus, plures in ea regione Judæos adhuc manſiſſe.

AHAZ, Jojadæ Pater. 1. Par. 8. 36.

AHER, è Tribu Benjamin, pater Haſim. 1. Par. 7. 34.

AHIA unus è fortibus exercitus David. 1. Reg. 23. 33.

AHIALON, è Tribu Zabulon, Iſraelis Judex Judic. 12. 11., *Abeſan* ſucceſſit. Ipſe ſucceſſorem habuit *Abdon*. Iſraelem decem annis judicavit ab A. M. 2830. ad 2840. ante Ch. 1160. ante Ær. 1164.

I. AHIAS, filius Siſæ, Salomoni à ſecretis. 3. Reg. 4. 3.

II. AHIAS, Propheta Domini, in Silo habitans. Is creditur, qui bis Salomonem juſſu Domini allocutus eſt. Primò, cùm ſuum illi auxilium pollicitus eſt; dum Templum conderet 3. Reg. 6. 11. Secundò, cum illum redarguit, & minis in ſcelera inclinantem terruit 3. Reg. 11. 6. Ahias unus fuit ex Scriptoribus hiſtoriæ, ſeù Diarii vitæ Salomonis 2. Par. 9. 29. Legitur apud S. Epiphanium in lib. de vita & morte Prophet. in Ahia, Salomoni prædixiſſe ipſum à mulieribus ſeducendum, excitandoſque in ipſum à Deo adverſarios; & Jeroboamo nunciaſſe, Regnum ab ipſo aſtu occupandum, duaſque ipſum juvencas à Domino abducturas. Quod de duobus aureis vitulis à Jeroboamo in Dan altero, & altero in Bethel erectis intelligebat.

Quadam verò die Hieroſolyma egreſſus Jeroboam, Ahiam Prophetam Silonitem obviam habuit, qui pallium ſuum novum humeris ſuis detractum, in duodecim partes diviſit 3. Reg. 11. 29. Tum decem ex illis partibus Jeroboamo dedit, Regnum à Domino Salomoni auferendum, decemque Jeroboamo Tribus adhæſuras; unam tantùm Salomoni Tribum, & Hieroſolymam à Domino electam, juſti Davidis cauſa, ſuperfuturas prænuncians: hæc verò infortunia Salomoni eventura, quod relicto Domino Aſtarthen Sidoniorum, Chamos Moabitarum, & Moloch Ammonitarum numina co-

(a) Act. 26. 1. &c. (b) Antiq. l. 20. c. 8.
(c) an. Chr. 62. Vide Euſeb. l. 2. c. 23. hiſt. Eccl. Joſeph. Antiq. l. 2. c. 8.
(d) Tillemontius *Ruine de Juifs* art. 88. p. 589. & Not. 41. circa An. Chr. 90.
(e) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 21.
(f) Ita Patres Beda, Lyran. Hugo, Dionyſ. Carthuſian. Arboreus, Rab. Salom, Cornel. Tirin. & alii.
(g) 4. Reg. 17. 31. (h) 1. Eſdr. 8. 27. (i) Joſeph. Antiq. l. 20. c. 2.

Digitized by Google

fuerit. Eo tamen vivente Regnum minimè dividendum; tantùm poſt ipſius mortem illius filio decem Tribus ablatas, Jeroboamo donandas. Denique, ſi Dominica præcepta ſervaſſet Jeroboam, perennem illi familiam, ut Davidi dederat, Dominum firmaturum, ſuaque ope illi adfuturum pollicitus eſt. Id evenit circà An. M. 3020. ante Ch. 980. ante Ær. 984.

Hanc rem Salomon ſubodoravit, fortè Jeroboamo eam minùs cautè evulgante, & in Regem ſuum obloquente. Quare Jeroboam in Ægyptum ad Regem Seſac confugere coactus eſt, apud quem uſque ad Salomonis mortem quæ contigit A. M. 3029. moratus eſt. Eo defuncto, Jaroboam Iſraelis, ſivè decem Tribuum principatum obtinuit, ut ſuo loco dicemus. Brevi Ahiæ monitorum oblitus, ſubditos ſuos, ne Jaroſalem ad Templum pergerent, prohibuit, duoſque vitulos aureos, alterum in Dan, in Bethel alterum, colendos propoſuit. Prophanum etiam Altare in Bethel erexit 3. Reg. 12. 18., in quo ipſe victimas immolavit: cujus everſionem miſſus ex Juda Propheta, & ortum Joſiæ Regis, ipſos Sacerdotes excelſorum in eodem altari immolaturi prædixit 3. Reg. 13. 1. Prophetam hunc nonnulli Ahiam fuiſſe opinantur: quod veritati non conſonat; cum Ahias in Silo in Tribu Ephraim habitaret, ille ex Juda eſſet; Ahias Altaris erectioni ſuperſtes fuerit, hic eadem die, qua Jeroboamum adiit, à leone interfectus ſit.

Sub finem Regni Jeroboam, circa Ao. M. 3046. Abia Jeroboami filio ægrotante 3. Reg. 14. 1., Jeroboam imperavit uxori, ut mutatis veſtibus, allatiſque decem panibus, placentula, & vaſe mellis, Ahiam Prophetam in Silo conſulendum de filii morbo adiret. Illa igitur, in Silo Ahiæ domum ingreſſa eſt, cujus pedum ſonitu vix audito Ahias (qui oculis præ ſenectute caligantibus, omnia divinitus prænoverat) continuò exclamavit: ingredere uxor Jeroboam: quid aliam te ſimulas? Triſte tibi, Domini juſſu, nuncium fero. Tum plurima Jeroboamo à Domino collata beneficia commemorans, ipſum impietatis ſuæ redarguit; quòd Davidem, cujus regni potiorem partem obtinuerat, minimè imitatus, plura, quam priores, mala perpetraſſet, Deoſque alienos, fuſis idolis, poſthabito Domino, coluiſſet. Quamobrem omnes in Jeroboami domum calamitates à Domino effundendas, mares cunctos interficiendos, omnemque penitùs illius familiam exterminandam, eoſque, qui ex Jeroboami familia in urbe obiiſſent, à canibus diſcerpendos; qui ruri, à Cœli volucribus devorandos.

Tum ſubdidit: Redi igitur domum, cumque in urbem pedem retuleris, filius tuus morietur, ſoluſque ille e tota Jeroboami progenie ab Iſraele plorabitur, & ſepelietur. Alium verò Regem, jam deſtinatum, eliget Dominus, qui hac eadem die, hoc tempore domum Jeroboam deſtruet. Iſraelem quoque Dominus percutiet, illumque è terra hac bona evulſum, trans Euphratem projiciet, quod impietati lucos, ut Dominum provocaret, conſecraverit. Quod & Iſraeli eveniet ob Jeroboami crimina, quibus ſe, & Iſraelem implicuit.

Regreſſa igitur Jeroboami uxor, & Tharſam veniens, cum domus ſuæ limen vix attigiſſet, Abia ipſius filius obiit. Quem honorificè ſepultum, omnis Iſrael flevit, uti Ahias prædixerat. Quo tempore, aut modo Ahias obierit, ignoratur: tantùm poſt hæc vaticinia diutiùs non vixiſſe opinamur.

III. AHIAS, pater Baaſæ Regis Iſrael. Baaſa, occiſo Nadab filio Jeroboami 3. Reg. 15. 27., de quo ſupra, Regnum uſurpavit, ut Ahiæ Silonitis Prophetæ vaticinia implerentur.

IV. AHIAS Phelonites, unus è fortibus exercitus David. 1. Par. 11. 36.

AHICAM, filius Saphan, & Godoliæ Pater à Joſia Rege Juda ad conſulendam Holdam Prophetidem de Libro Legis, invento in Templo, miſſus. (a)

AHIEZER, filius Ammiſadai, Princeps tribus Dan (b) qui ex Ægypto 62700. hominum ſuæ Tribus reduxit. Domini Tabernaculo (c) acetabulum argenteum pondere 130. ſiclorum, phialam argenteam 70. ſiclorum pondo; utrumque ſimila oleo conſperſa plenum in ſacrificium; auream paropſidem 10. ſiclorum plenam incenſo; bovem, arietem, & agnum in holocauſtum; hircum pro peccato; boves duos, arietes 5. hircos 5. & agnos anniculos 5. in hoſtiam pacificam obtulit.

AHILUD, Pater Joſaphat, qui Davidi à ſecretis fuerat. 2. Reg. 8. 16.

AHIMAM, gigas è ſtirpe Enach, ex Hebron cum fratribus ſuis Seſai, & Tholmai pulſus, cùm Caleb urbem illam cepit. (d)

AHIMELECH, Abiathar filius, 1. *Par.* 15. 11. 16. & 24. 3. 6. 31. idem ac Achimelech de quo ſuperiùs.

AHIN, Semidæ filius, 1. Par. 7. 19.

AHINADAD, Addo filius, Procurator regioni Manahim trans Jordanem, Salomona imperante 3. Reg. 4. 14.

AHIO, cum fratre Oza, munus habuit Arcam Domini è domo Abinadab, ad Tabernaculum Hieroſolymæ conſtructum reducendi. Tunc Oza percuſſus eſt à Domino, quod Arcam in plauſtro labantem attigiſſet 2. Reg. 6. 3. Vide *Oza*.

AHION, filius Abi-gabaonis, & Maachæ. 1. Par. 8. 31.

AHION, urbs Tribus Ephraim, quam Benadad filius Tabremonis Syriæ Regis Baaſæ Iſraelis Regi abſtulit, authore Aſa Rege Juda (e), qui Baaſam à munitionibus, quas circà Urbem Rama conſtruebat, ita divertere conabatur.

AHIRA, filius Enan Princeps Tribus Nephtali Num. 1. 42. Ex Ægypto reduxit Tribum ſuam 43400. hominibus omnibus annos viginti ſuperantibus, & ad arma aptis conſtantem; exceptis fœminis, parvulis, & ſenibus.

Duodecimus oblationem attulit, erecto in Deſerto Tabernaculo (f), argenteumque acetabulum pondere 130. ſiclorum, Phialam argenteam 70. ſiclorum pondo; utrumque ſimila oleo conſperſa plenum in ſacrificium; auream paropſidem 10 ſiclorum plenam incenſo; bovem, arietem, & agnum in holocauſtum; hircum pro peccato; boves duos, arietes 5., hircos 5. & agnos anniculos 5. in hoſtiam pacificam obtulit.

AHISAHAR, filius Balan, è Tribu Benjamin 1. Par. 7. 10.

AHISAR, Procurator domus Salomonis. 3. Reg. 4. 6.

I. AHIUD, Salomi filius, è Tribu Aſer à Moyſa dividendæ Terræ Chanaan deſtinatus Num. 34. 27.

II. AHIUD, filius Naamar, & Ozæ frater, ex Benjamin. 1. Par. 8. 7.

AHOBAN, filius Abiſur, & Abihail 1. Par. 2. 29.

AHOD, tertius Simeonis filius, ex iis unus, qui cum Jacob avo, & Patre Simeone in Ægyptum deſcenderunt (g).

AHOHE, tertius Bale filius, & Benjamin nepos 1. Par. 8. 4. Hujus Poſteri *Abohita* dicti (h).

AHOHIMAN, filius Lothan. 1. Par. 1. 39.

AHUMAI, filius Jaad, è Tribu Juda. 1. Par. 4. 2.

AI, ſeù *Hai*, urbs Benjamin. Vide *Hai*.

I. AIA, Sebeonis filia, ex progenie Eſau, Geneſ. 36. 24.

II. AIA, Reſphæ mater, concubinæ Saulis: cujus filios David Gabaonitis dedit, ut coram Domino crucifigerentur 2. Reg. 21. 8.

III. AIA, urbs Benjamin. 2. Eſdr. 11. 31. Eadem ac *Hai*.

IV. AIA, Hebræa vox (h), quam Sanctus Hieronymus *vulturem* vertit. Bochartus reddit *miluum*; Syriacus *corvum*; Arabs *bubonem*.

AJALON, quæ & *Abialon* aliquando *Elon*, & *Ailom*, urbs Tribus Dan (k); Levitis ex familia Caath tradita Joſ. 21. 24. Author eſt Euſebius ſuis temporibus vicum quemdam fuiſſe, *Ajalon* nomine, tribus paſſuum millibus à *Bethel* abſentem; qui tamen celebris

(a) 4. Reg. 22. 12. An. M. 3380. ante Chr. 620. ante Ær. 624. (c) Num. 1. 38. & 2. 25. (c) Num. 7. 66. 67. An. M. 2514. ante Ch. 1486. ante Ær. 1490. (d) Joſue 15. 14. An. M. 2559. ante Chr. 1441. ante Ær. 1445. (e) 3. Reg. 15. 20. & 2. Par. 16. 4. (f) Num. 7. 78. An. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490. (g) Geneſ. 46. 10. An. M. 2298. ante Ch. 1702. ante Ær. 1706. (h) 2 Reg. 23. 9. 18. 1. Par. 11. 12. 29. & 27. 4. (i) Levit. 11. 14. (k) Joſue 19. 42.

bris *Ajalon*, de qua Joſue 10. 12. cum Joſue lunam juſſiſ *ſupra vallem Ajalon* ſiſtere, eſſe non poterat; Bethel enim nimium à Tribu Dan aberat. Aliam etiam *Ajalon* commemorat S. Hieronymus in locis, duobus à Sichem millibus diſſitam, Hieruſalem versùs. Alibi etiam dicit (a), S. Paulam à Sichem ad Bethoron proficiſcentem, ad lævam Ajalon, & Hagaon proſpexiſſe. In Paralipomenis 28. 18. *Ajalon* inter Bethſames, & Thamnam ponitur. Alia denique urbs Ajalon erat in Tribu Zabulon. Judic. 12. 12.

Quamobrem quatuor hujus nominis urbes diſtinguere neceſſe eſt. Primam, in Tribu Dan, inter *Bethſames*, & *Thamnam* (b), quæ videtur ea eſſe, de qua Joſue loquebatur Lunæ dicens: *Luna, ſiſte ſupra vallem Ajalon*.

Alteram, in Tribu Benjamin, tribus à Bethel milliaribus, ad Orientem, diſſitam. Vide 2. Par. 11. 10.

Tertiam, in Tribu Ephraim, duobus à Sichem milliaribus, Hieruſalem versùs, ad Bethoron ortum.

Quartam, in Tribu Zabulon, cujus præcisè locus ignoratur.

AILA, ſeù *Aelath*, urbs Idumææ ad Sinum Elaniticum Maris rubri, ab Euſebio *in locis Hebr. verbo Elath*, decem paſſuum millibus à Petra collocata, Orientem versùs. David victis Idumæis, Elath ſibi ſubegit (c) Idumæi libertatem recuperarunt, regnante Joram filio Joſaphat (d) uſque ad Oziam, ſive Azariam, qui urbem Elath rursùm illis abſtulit, ſervavitque 4. Reg. 14. 22. Quam tamen diutiùs non obtinuit; cum Raſin Syriæ Rex illam Oziæ eripuerit, pulſis Judæis. 4. Reg. 14. 6.

Aila apud veteres plura nomina obtinet; *Elana*, *Elath*, *Elas*, *Aelan*, ſivè *Elon*. A Strabone 1200. ſtadiis à Gaza ponitur, centum ſcilicet, & quinquaginta & ſeptem paſſuum millibus: à Plinio verò ſolis 150. millibus; quod diſcrimen in tanto ſpatio modicum eſt. S. Hieronymus in Ailat urbem hanc ad Palæſtinæ fines, Procopius lib. 1. de Bello Per. c. 19. ad Orientales illius fines ſtatuunt. In Conciliis nonnulli inter Palæſtinæ Epiſcopos, Elath Epiſcopi leguntur.

Hæc autem de Aila refert Abulfeda (e); *Ailat*, ſivè *Aelat*, ſeù *Elath*, vel *Elan* quoddam oppidulum, agro fertili circumdatum. Nunc turris tantùm ſupereſt, ad litus conſtructa, domicilium Gubernatoris, à Magni Cairi præſide dependentis: nec jam circumjecti agri feruntur. Ara etiam in mari erecta olim fuerat, nunc diruta (f). *Aila* è Regione Colzum ſita eſt, Aila ad Ortum, Colzum ad Occaſum, & inter ipſas mons Sina. *Ailam* Abulfeda ad 25. longitudinis, & 29. latitudinis gradum collocat: citatque Almoſtarec, qui ad 56. & minuta 40. longitudinis, & 28. gradum & minuta 50. latitudinis eam ponit.

AION (g), ſivè *Ahion* (h), fortaſſe *Ein*, ſivè *Enam* ad Damaſci confinia (i), Invenitur *Inna* in Cœleſyria, ad 68. $\frac{1}{2}$ latitudinis, & 33. longitudinis gradum, juxtà Ptolomæum.

AITHAN, ſivè *Aitham*, ſeù *Ethan*, in Tribu Juda (k) quæ ex ſecundo Paralipomenon Libro 11. 6. inter Bethleem, & Thecuam ſita fuiſſe videtur. Joſephus Antiqu. l. 8. c. 2. cujuſdam Aethan meminit, duobus ſchoenis à Hieruſalem diſtantis, quindecim ſcilicet milliaribus (l), quò frequenter Salomon ventitabat, quòd hortis & aquis amœniſſimus eſſet locus. Ab hoc fortaſſè loco Pilatus paucis ante Hieroſolymorum excidium annis, aquæductibus magnis ſumptibus, ingentique circuitu propter obvios montes extructis, in urbem aquas tranſduxit (m). Meminerunt itinerantes (n) præcopioſarum aquarum, piſcinarumque operis eximii, quæ adhuc circa Bethleem viſuntur, quas popularis fama, nec prorsùs temerè, à Salomone conſtructas tradit. Tres ſunt piſcinæ: prima 200. in longum, & 100. in latum paſſibus porrecta: altera 190. longitudinis, 115. paſſus latitudinis, & 60. profunditatis habet: tertiæ longitudo 299. latitudo 197. profunditas 104. paſſibus conſtat. Aquæductus Hieroſolymam ducentis reliquiæ ſuperſunt.

AKIBA clari nominis Rabbinus, qui florebat circa annum J.C. 130. ceu præcurſor habitus & Propheta celeberrimi illius impoſtoris Barcochebæ. Viri meritum pluribus efferunt Judæi (o), docentque recta deſcendere è Siſara copiarum Jabin Regis Chanaan (p) Imperatora, atque Judæa matre natum. Quadraginta annos egit in agro curandis gregibus locupletis cujuſdam civis Jeruſalem, nomine Calba Cuva. Heri filia nuptias illi ſuas propoſuit, ſiquidem deſereret paſtoritiam, & addiceret ſe ſcientiarum ſtudio conſentiret. Non difficilem ſe præbuit Akiba, & adſcita ſibi in conjugem occultam puella ad Academiam ſe contulit, ubi duodecim annos egit, tanto ſibi ea virtute nomine comparato, ut 14000. haberet auditores. Reditum ſuadebat uxor, ſed ille, 12. aliis annis differens Diſcipulos adauxit ad 24000. Sentimus utique in immodica hac Diſcipulorum turba Rabbinicum aliquid. Commenta etiam exaggerant, ſpargentes, Diſcipulos illos ſimul omnes medio inter Paſcha & Pentecoſtem intervallo occubuiſſe, quòd alter alterum non ſatis obſervaſſet. Sepulturæ mandati omnes ad radices collis juxta Tiberiadem.

Docendi munus proſequens Akiba, duas adornavit Lucubrationes, alteram inſcribens *Malchitim*, alteram *Jetziram*, aliud plane Opus ab altero ejuſdem tituli inſcripto nomine Abrahami, & vulgato à Rittangelio. Porrò, ſi Judæis fides, tanta doctrina præſtabat Akiba, ut vel minimæ literulæ Legis ratio illum non lugeret; Deoque ſibi revelante didicerat, quæ occulta erant Moyſi. Plura ejus dogmata ſervantur in Miſna, habenturque tanquam ſancta & fide tenenda.

Fama fruebatur ſua, & principem agebat Sanhedrim, cùm de Barcocheba, ſeu de filio Cocheba audiri cœptum eſt. Impoſtoris hujuſce peculiare nomen fuiſſe dicunt Rabbini apud Scaligerum, *Coſeb*, vel *Bar-Coſebas*, mendax ſeu mendacis filius, quem vix agnitum clamaſſe dicunt Akibam: *En ſtellam ex Jacob orituram*; quibus ſpectatum illud Num. 24. 17. *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab &c.* Conſtat utique Akibam adhæſiſſe Barcochebæ, illique operam præbuiſſe, tanquam ejus armigerum vel præcurſorem, ut olim ferme S. Joannes erga Chriſtum; ſed utique alius erat utrique ſpiritus & indoles, ac Jeſu Chriſto, & S. Joanni. Eorum opera bello vexiſſi Judæa, authoreſque ſe præbuerunt defectionis; ac tandem illis incentoribus mala plurima inundarunt in Judæam, & Syriam; Chriſtianorum & Romanorum myriades cæſæ; donec exterminio patria eorum deleta eſt. Vide VV. *Adrianus* & *Barcochebas*.

Poſt captam Bitther, ubi ſe continebat Barcochebas tanquam in arce tutiſſima, cum ſelectiſſimis; Akiba venit in poteſtatem victorum, & aliquanto temporis ſpatio manſit in vinculis. Eo ſtudio nihilo ſecius avitis cæremoniis ſemper inhæſit, ut aquam potiùs aridis faucibus denegaret, quàm lotionem omitteret, adhibita in eum uſum data ſibi ad potum aqua. Sed viri impoſturam non mitti pœna affecit Adrianus; ferunt enim pectine quodam ferreo deglubatum; & cum illo, inquit Miſna in Sota 515. *Legis honor omnis evanuit*. Addunt Rabbini, Judam Sanctum, alium inclytum Doctorem, ipſa die natum, qua deceſſit Akiba, i. e. ann. 135. Venit enim Bitther in poteſtatem hoſtium 10. Auguſti ejuſdem anni.

ALA. Alarum nomen uſurpatur apud Hebræos non de alis tantùm avium, ſed & de limbo veſtium, extrema regionis ora, ac de alis exercitus; myſtico autem ſenſu alæ ſunt protectio & defenſio. Populum ſuum Deus vexit *ſuper alas aquilarum* (q), i. e. eduxit illos ab Ægypto, ut Aquila pullos portat ſuper alas. Rogat Deum Propheta Pſ. 16. 9. ut ſub alis ipſius protegatur; *Filii autem hominum*, addit Pſ. 35. 8. *in tegmine alarum tuarum ſperabunt*. Ruth Booz rogat cap. 3. 9. ut *expandat*

(a) In Epitaph. in Paulæ. (b) Vide 2. Par. 28. 18. &c. (c) Confer. 2. Reg. 8. 14. cum 2. Par. 8. 17. (d) 2. Par. 21. 8. 9. (e) Abulfeda, Arabiæ Deſcriptio, p. 31. 32. (f) Idem: Deſcriptio Maris Rubri. q. 74. 75. (g) 4. Reg. 15. 29. (h) 3. Reg. 15. 20. (i) Ezech. 48. 1. (k) Vide Græc. Alex. Joſue 60. 1. Par. 4. 32. 2. Par. 11. 6. Joſeph. Antiq. 8. 3. (l) Author eſt Herodotus, Schœnum 60. ſtadiis, ſivè 7400. paſſibus conſtitiſſe. (m) Joſeph. l. 2. de Bello, c. 13. (n) Cotuvic. Le Brun, R. P. Eugenius Roger &c. Vide Reland. Palæſtin. l. 1. c. 46. p. 300. 301. (o) Baſnag. hiſt. Jud. 10. 2. lib. 4. cap. 8. pag. 126. 127. Gallicè. (p) Judic. 4. 7. (q) Exod. 19. 4. Vide etiam Deut. 32. 11.

alam veſtium ſuarum. Expande pallium tuum (Hebr. *alam tuam*) *ſuper famulam tuam*. Jerem. 2. 34. *In alis tuis* (in veſtibus tuis) *inventus eſt ſanguis animarum*. Iſaias 8. 8. de exercitu Regum Iſrael & Syriæ, ditionem Iſrael inundaturo: *Erit extenſio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel*. Syſtra Ægyptiorum appellat idem cap. 18. 1. *cymbalum alarum*, ideò facilè, quòd virgulas haberent intra foramina ſyſtri reſonantes.

Alibi *terræ alam* appellat extremam regionis oram, Iſaiæ 24. 16. *à finibus terræ* (Hebr. *ab alis terræ*) *laudes audivimus gloriam juſti*. Vide etiam Jobi 38. 13. *Tenuiſti extrema terræ*. Malach. 4. 2. *Orietur vobis ſol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus*, i. e. in radiis ejus, ſeu potiùs velut alatus exhibetur hic ſol, quòd præpeti curſu ceu pennis fertur. Trahentia Apollinis currum animalia, alata interdum pinguntur à Prophanis; alatus eſt etiam illis Mithras, i. e. Sol. Alatos ventos depingit Oſeas 4. 19. *Ligavit eum ſpiritus in alis ſuis*.)

AKRABATENE, *Akrabim*. Vide *Acrabatene*, & *Acrabim*.

ALABARCHA: vox in Bibliis non occurrens; à Joſepho tamen ſæpè (a) ad denotandum Alexandrinorum Judæorum Principem adhibita. Philo (b) Magiſtratum hunc *Genarcham*; & ipſe Joſephus Antiqu. l. 19. c. 4. *Ethnarcham* vocat: quæ duo nomina Principem alicujus gentis ſignificant. De *Alabarcha* ſignificato diſceptatur. Sunt qui credant (c) nomen hoc ab Urbis illius Paganis primo Judæorum Alexandrinorum, quos oderant, Magiſtratui impoſitum fuiſſe in contemptum. Alii (d) *Alabarchem* ab *Alaba*, ſcilicet atramento, derivant: ità *Alabarches* Notariorum vectigalium, pro pecorum e inductorum tranſitu impoſitorum, Præfectum deſignat.

Alabarchen Fullerus (e) ab Hebræo, ſeù Syriaco *Halep*, & *Arcin* derivat, ac ſi diceretur Procurator, ſeù Legatus Principis: in quibus enim locis frequentes erant Judæi, Principem gentis ſuæ habebant, ſeù quempiam alium, quem in ſuis præcipuè negotiis adibant, nihil aliorum ſubditorum Præſidi deferentes. Hæc tamen Etymologia, non ſecùs ac prima, mihi non prorſus arridet. Cum igitur certum ſit ex Juvenali (f), *Alabarchiam* in Ægypto communem fuiſſe dignitatem, cumque Valens, Gratianus, & Theodoſius Auguſti (g) de vectigali quodam *Alabarchia* in Ægypto loquantur; veroſimile videtur *Alabarchas* eos fuiſſe nuncupatos, qui ſalis vectigali præerant; eoque deinceps nomine, veluti per contemptum, Alexandrinorum Judæorum Principes appellatos. Quare *Alabarcha* etymologia à Græco *Als*, ſal, & *Archon* Præſes derivabitur. Alexander Philonis frater hac dignitate in eadem urbe potitus eſt.

ALABASTRUM. Narrat Matthæus 26. 6. 7. Mariam Marthæ, & Lazari ſororem alabaſtrum nardo ſpicato plenum ſupra Servatoris noſtri in domo Simonis Leproſi Bethaniæ diſcumbentis pedes effudiſſe. Vas hoc conſtabat ex quodam candido marmore, circa Thebas Ægyptias, & Damaſcum Syriæ nato, teſte Plinio l. 36. c. 8. Alabaſtrum facilè tornatur, cum neque durus, neque fragilis admodùm ſit lapis. *Alabaſtri* nomen unguentariis vaſis quibuſcumque ex qualibet materia commune erat. Atque hoc ipſum, de quo loquimur, nonnullis (h) vitreum fuiſſe creditum eſt; quod & verbis S. Marci 14. 3. comprobant, qui effuſo ſuper Servatoris caput unguento, vas à muliere fractum enarrat. Vitreum quoddam vas Conſtantino Magno dono datum circumfertur (i), quod liquorem illum ſuper Servatoris caput effuſum continuiſſe dicebatur: quod Theodoſius è Conſtantinupolis furo ablatum, tutiori, & honeſtiori loco repoſuit. Volunt aliqui *Alabaſtrum* vaſis figuram potiùs, quàm materiam deſignare; cum vas anſis carens ſignificare videatur. Quicquid ſit, certum eſt nomen hoc unguentariis vaſis tribui.

ALAM, ex iis unus, cujus poſteri è Babylonica captivitate cum Zorobabele redierunt. 1. Eſdr. 8. 7.

ALAMATH, filius Jaade è Tribu Benjamin. 1. Par. 8. 36.

ALCIMUS, ſivè *Jacimus*, vel *Joachim*, Judæorum Pontifex, electus An. M. 3842. mortuus An. 3844. ante Chr. 156. ante Ær. 160. è Sacerdotali, humillima tamen familia, quæque majores Pontifices nullos enumeraret, natus (k); Idololatriæ crimine initio perſecutionis Antiochi Epiphanis contaminatus, 2. Mach. 14. 3. Pontificatum malis artibus ingreſſus, & ab Antiocho Epiphane ea dignitate inſignitus, poſt Judæ Machabæi obitum ſolummodò Pontificis munus obiit: quippè qui quoties Hieroſolymam ingredi, & munus ſuum exercere conatus eſt, toties à Juda Machabæo repulſus eſt, & Bacchides, & Nicanor à Demetrio Rege ad Alcimum tuendum miſſi, nonnullis præliis fuſi ſunt. Poſt Judæ mortem, Alcimus parietem interioris atrii (l) à Prophetis extructum diruere auſus, a Deo paralyſi mulctatus, poſt tres, ſivè quatuor Pontificatus annos, obiit (m) Vide noſtram Diſſertationem de Pontificibus Hebræorum, pag. 357. &c.

(Alcimus intelligens nunquam ſibi expeditum futurum munus dignitatis ſuæ, vix certior factus eſt Demetrium filium Epiphanis Roma profugiſſe & attigiſſe jam Syriam, paravit ad illum iter (n), accitis ſecum copiis ex apoſtaticis Judæis, Antiochiæ verſantibus; ac vix illum conveniens, ante ejus pedes provolutus, rogavit, ut ſe ab injuriis Judæ Machabæi defenderet, quem virum accuſabat ceu oppreſſorem diſperſoremque ac expulſorem è regione omnium, quotquot Regis partes ſequebantur. Rogavit ſimul, ut aliquem ablegaret virum in Judæam inſpecturum, quæ Juda Machabæo authore mala probis irrogabantur, quo viri audaciam coerceret.

Miſſus actutum Bacchides cum exercitu (o), confirmatus in dignitate Alcimus, impoſitumque illi, ut Bacchidem non deſerens bellum unà cum illo urgeret. Vix in Judæam venientes, nihil habuerunt antiquius, quàm ut fraude opprimerent Judam cum fratribus, ſimulato rebus agendis colloquio; rati facilè incautum illaqueaturos ſe verbis fucatis, ut colloquium illud admitteret, ſimulque ea occaſione redigerent in poteſtatem ſuam. Sed Judas & fratres rem ſubodorati, evitarunt colloquium. Alios minùs cautos redactos in poteſtatem oppreſſerunt; inter cæteros 60. Aſſidæos, Scribas, vel Legis Doctores plures, qui cùm inducere in animum non poſſent doli aliquod meditari Sacerdotem è genere Aaron præſtito ſibi pacis ſacramento decepti, hoſtes convenerunt, nec mora omnes trucidati ſunt. Poſt facinus illud perfidiæ nemo fidem ſuam illis addicere auſus eſt.

Cùm itaque Bacchides vi & armis Alcimum conſtituiſſet in Judæa, Jeruſalem cum exercitu deſerens (p) caſtra locavit ad Bethzecha reditum in Syriam meditans. Ex eo loco apprehendens ſuos milit quamplures, quos partes ſuas deſeruiſſe norat, & ex populo etiam aliquos, ſimulque omnes interemptos projici in vaſtum quemdam puteum imperavit. Secundum hæc, Provincia univerſa manibus Alcimi remiſſa, illique congruis aſſignatis exercitus copiis, ad Regem Demetrium ſe contulit. Proſperè res aliquanto temporis ſpatio ceſſit Alcimo, cui deſertores quamplurimi acceſſerunt, auctoque illis exercitu regionem diſcurrendo vaſtavit. Sed non diu poſt, Judas obtinens ſuperiora, Alcimum, ne per regionem diſcurreret, prohibuit. Quare Alcimus imparem ſe adverſario intelligens, ad Regem iterum ſe contulit munus deferens aureum Diadema (q), palmam & ramos aureos, è Templo facilè raptos, ac opportunam nactus occaſionem querelas ſuas inſtauravit in Judam (r). Regi perſuadere conatus eſt nunquam illi futuram ſatis aſſertam in Judæa authoritatem, quoadúſque vir ille ageret in vivis. Gemina inſinuabant Regis lateri adhærentes amici, quorum ſuggeſtionibus ita in virum animatus eſt, ut veterem ejuſdem inimicum Nicanorem cum exercitu mitteret, mandatis oneratum, è vivis ſubducere Judam, aſſeclas ejus omnes diſperdere, & Alcimum redintegrare in dignitate.

Nicanor

(a) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 8. & 20. c. 3. *Alabarches*. (b) Philo in Flacc. d. *Genarches*. (c) Vales. not. in Euſeb. l. 2. c. 5. Ita & Turneb. l. 27. c. 25. (d) Cujac. l. 8. obſervat. c. 37. (e) Fuller. l. 4. Miſcell. Theologic. c. 16. Vide Martinii Lexicon. (f) Juvenal. Satyr. l. v. 129. *Inter quos auſus habere Neſcio quos titulos Ægyptius, aut alabarches*. (g) L. 9. e. de vectig & commiſſ. *uſurpationem potius licentiæ ſummovemus, circa vectigal alabarchiæ per Ægyptum*. (h) Epiphan. l. de Menſur. (i) Suidas in *ἄγιος*. (k) Joſeph. Antiq. l. 20. c. 8. (l) Eum fortaſſe, qui Sacerdotes ab offerentibus munera altari holocauſtumatum dividebat (m) Vide 2. Mach. 7. 9. 54. Joſeph. Antiq. l. 12. c. 17. (n) 1. Mac. 7. 2. ... 20. A. 3842. (o) A. M. 3843. (p) 1. Mac. 7. 19. 20. (q) 2. Mac. 14. 3. 4. (r) 2. Mac. 5. 25. &c.

Digitized by Google

Nicanor probè intelligens quocum viro res ſibi eſſent agendæ, armorum aleam cum illo tentare è re eſſe non cenſuit (a); tractandum proinde ſuſcepit de pace, & conventum de conditionibus (b); ſed Alcimus rebus ſuis non ſatis in eo proviſum intelligens, Regem convenit, tantiſque illum præoccupavit adverſus pacis conventiones, ut ratas illas habere recuſaret, aſſertiſque mandatis oneraret Nicanorem, ut bello tandiù inſtaret quoad uſque Judam ſive non peremiſſet, ſive captivum ad ſe non tranſmiſiſſet Antiochiam. Coactus igitur invituſque Nicanor hoſtilia in Judam & fratres inſtauravit.

Tentavit ille primùm hoſtem ſibi redigere in poteſtatem, indicto cum illo colloquio Hieroſolymæ 2. Mach. 7. 27... 32.; ſed Judas fraudem intelligens, opportune ſeſe recipiens bellum aggreſſus eſt. Prælio victus eſt ſemel Nicanor ad Caphatſalama, iterumque cum Juda congrediens & ipſe extinctus eſt, & exercitus actus in fugam. Certior de his factus Demetrius, remiſit Bacchidem & Alcimum in Judæam valido inſtructos exercitu è ſelectiſſimis copiarum. 1. Mach. 9. 1... 22. Judæ partes ſequebantur non ultra 3000. qui cùm ad tanti exercitus famam ſubito terrore conſternarentur, ſenſim delapſi ſunt, relictis tantum è ſuis cum Juda 800. Strenuus ille Vir parva hac militum manu irrupit in hoſtem, latamque edidit ſtragem, & poſt data virtutis ſuæ mille ſpecimina, tandem, creſcente in immenſum conſerta hoſtium turba, oppreſſus eſt (c).

Ejus obitu ingenti relevatus eſt terrore Alcimus & cæteri partes ejus ſecuti. Caput erigere viſi ſunt Apoſtatæ, & quicunque rebus erant præſentibus minùs contenti; totam illi ſibi ſubdiderunt regionem, & Alcimus res ſacras invaſit, quarum præfecturam pretio ſibi comparaverat. At cùm ſubruere aggrederetur murum atrii interioris, excitatum opera Prophetarum (d) (facilè mutum inter Altare holocauſtorum, & atrium Sacerdotum medium) Deus ſubitam paralyſim in virum immiſit, qua & extinctus eſt, poſt 3. vel 4. Sacerdotii annos, A. M. 3844.)

ALEPH. Prima Hebraici Alphabeti litera, caput, Principem, ſeù mille ſignificans, ex qua Syriacum, & Græcum *Alpha* efformatum eſt. Nonnulli ſunt in Scriptura Pſalmi, & Libri, quorum prima litera eſt Aleph, & alii deinceps verſus reliquis per ordinem Alphabeti literis incipiuntur: in quo nullum eſt myſterium; cum ſcripta ea methodo exarata idcircò *acroſticha* appellentur, quòd eorum verſus ab Alphabeti literis juxtà grammaticalem ordinem incipiantur. Ità Pſalmi *Beati immaculati in via* verſus priores octo ab *Aleph* exordiuntur, poſteriores octo à *Beth*, ſic de reliquis. In Pſalmo 105. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, verſus hic ab *Aleph* initium habet; alter, *in concilio juſtorum, & congregatione*, à *Beth &c.* In Jeremiæ Lamentationibus, duo ſunt capita, quorum ſtrophem primam *Aleph* incipit, alteram *Beth &c.* Tertii capitis verſus tres priores ab *Aleph*, tres poſteriores à *Beth* exordiuntur &c. nec alios Hebræi acroſtichos verſus, quàm hoſce, norunt.

Literis ſuis ad numeros ſignificandos Judæi recentiores utuntur: *Aleph* unum, *Beth* duo, *Gimel* tria &c. Qui tamen mos apud veteres non apparet. De reliquis Hebraicæ Grammaticæ conſulendæ ſunt; quarum una ad eorum commodum, qui Linguam Latinam ignorant, Pariſiis apud Columbatum Gallico idiomate edita eſt. Quæ verò Latino ſermone conſcriptæ ſunt, omnium manibus teruntur. Vide etiam quæ dicemus vv. *Lingua Hebraica*, *Grammatica*, *Puncta vocalia*, *Literæ &c.*

I. ALEXANDER MAGNUS, Philippi Macedonum Regis filius, & ſucceſſor, in Danielis Prophetia c. 7. 6. ſub Pardi quatuor alis præditi figura, ob vim celeritatemque victoriarum ſuarum, deſignatus. Hirci etiam ſub forma deſcribitur c. 8. 4., ea velocitate terram omnem excurrentis, ut pedibus humum minimè contingat; qui cornutum arietem invadens, dejectum pedibus conculcat, & nemo arietem ab hirco valet liberare. Hircus eſt Alexander, aries verò Darius Condomanus, ultimus Perſarum Imperator, Cyri ſucceſſor. In ſtatua per quietem à Nabuchodonoſor viſa Dan. 2. 39., Alexander æneo ventre, & illius ſucceſſores ferreis tibiis deſignantur. Hic à Deo electus fuit, qui Perſarum in Oriente Monarchiam deſtrueret, & Græcorum Imperium ſtabiliret.

Juſtis Philippo Patri ſolutis (e), à Græcis exercitus in Perſas mittendi Imperator creatus, in Aſiam profectus eſt cum 34000. hominum An. M. 3670. ante Chr. 330. ante Ær. 334.; ubi cum Darii Ducibus bellum iniens, in Adraſtiæ agro ipſos domuit; unico tantùm prælio totius ferè Aſiæ minoris Principatu acquiſito. Tum Orobatem, alium Darii ducem, fudit; ipſum denique Darium quadringentis peditum, & centum equitum millibus ſtipatum in (f) anguſtiis inter Syriam, & Ciliciam vicit; vixque Darius ipſe, relictis exercitu, impedimentis, uxore, filiis, & matre, fuga elapſus eſt.

Syria domita, Alexander Tyrum venit, quam, civibus ingreſſum negantibus, obſedit. Interim Jaddo Judæorum Pontifici imperavit, ut eadem ſibi, ac Perſarum Regi, officia præſtaret (g): cum verò Jaddus renueret, juratam Dario fidem cauſatus, Alexander poſt expugnatam Tyrum, Hieroſolymam obſidere decrevit. Tyri obſidio diuturna, & Alexandro maximè operoſa fuit: attamen ea urbe victa demùm ac populata, Palæſtinam ingreſſus, ſuo Imperio adjunxit. Alexandro itaque iter Hieroſolymam dirigente, ut negatum à Pontifice obſequium ulciſceretur, Jaddus pavens, ad Deum orationibus, ſacrificiiſque ſupplex confugit; quem Dominus, portis victori patefactis, populo albis veſtibus, & corollis redimito, & Sacerdotibus cæremoniali veſtimento indutis, ſubſequentibus, ipſum pontificalibus ornamentis conſpicuum, ac ſi triumphantem Alexandrum ſuſciperet, obviam illi fieri per quietem admonuit.

Paruit Jaddus; cumque Alexander populum hunc procedentem proſpiceret, reverentia motus, Pontifici accedens, prior illum ſalutavit; Deumque, cujus nomen in lamina ſuper frontem pendente Pontifex inſculptum gerebat, adoravit. Interim populus Alexandrum circumdans, magnis illum clamoribus ſalutavit. Syriæ verò Regibus, & Ducibus, qui aderant, ſtupentibus, illumque propè inſaniſſe arbitrantibus, ſolus Parmenio familiariter illum poſcere auſus eſt, cur ipſe, cui populi omnes ſubdebantur, ante Judæorum Pontificem procumberet. Cui Alexander, non Pontificem, ſed Deum venerari ſe ait. Cum enim inquit, adhuc in Macedonia eſſem, Deus Judæorum hac eadem forma & habitu, quibus Pontificem hunc indutum video, mihi apparens, alacri, fortique animo me eſſe juſſit, citiuſque in Aſiam exercitum ducerem, imperavit, proſpera omnia, Perſarumque Imperium mihi à ſe concedendum pollicitus. Quamobrem ut veſtem hanc vidi habitæ viſionis memor, Dei ope quæ geſſi, eveniſſe, nihilque mihi ipſo auſpice non ſperandum intellexi. Itaque Perſicum Imperium meo dominatui quantociùs me additurum, quæque revolvo, feliciter executurum ſpero.

His dictis, Jaddum amplexus, à Sacerdotibus in urbem ductus eſt. Tum ad Templum veniens, Domino ſacrificia obtulit, omnia, quæ à Sacerdotibus edocebatur, religioſe exequens, Pontificiis honoribus, muneribuſque Pontifici relictis. Inde ſibi oſtenſa Danielis Prophetia, in qua Princeps Græcus Perſicum Imperium deſtructurus dicebatur, vaticinium illud ſibi adſcripſit, ſeque à Deo huic operi perficiendo deſtinatum certiùs arbitratus eſt.

Dimiſſam poſtmodum multitudinem, poſtera die rurſùm convocans, quid à ſe peterent, interrogavit.

    Cui

(a) A. M. 3843. (b) 1. Mach. 7. 26. &c. 2. Mach. 14. 26. 29. (c) A. M. 3843.
(d) 2. Mach. 7. 9. & 9. 54. Joſeph. Antiq. lib. 12. cap. 17.
(e) An. M. 3668. ante Chr. 332. ante Ær. 336.
(f) An. M. 3672. ante Chr. 328. ante Ær. 332.
(g) An. M. 3672. Joſeph. Antiq. L 11. cap. ultimo.

Cui Pontifex ſe nil poſcere ait, præterquàm patriis Legibus ſub ejus imperio vivendi libertatem, & ſeptimis quibuſque annis, quod iis Judæi minimè ſererent, aut meterent, tributorum immunitatem; quòd & ultrò conceſſit. Rogantibus autem ut Judæos, qui trans Euphratem in Babylonia, & Media morabantur, eorumdem privilegiorum participes faceret, ſe facturum reſpondit, cùm eas Provincias ſuperaſſet. Demùm facta cuilibet ſub ſe militandi poteſtate, plures Judæi illius exercitui dato nomine, illum ſunt proſecuti.

Ità Hieroſolymis egreſſus, alias Provinciæ civitates inviſit; cumque magnis ubique amicitiæ, & obſequii ſignificationibus exciperetur, Samaritani, Sichimis morantes, ad montis Garizim radices, à Judæa Religione apoſtatæ, tanta Judæos humanitate ab Alexandro acceptos videntes, ſe Judæos Religione prædicare decreverunt. Hic enim mos illis erat, ut cum Judæorum res ſecundas eſſe animadvertiſſent, ſe ea illorum gente & Manaſſis, & Ephraim poſteros eſſe profiterentur; cum verò è re minimè eſſe crederent, idipſum etiam ſacramento negarent.

Frequentes itaque, lætitiamque ore præferentes, Alexandro obviam uſque ad Hieroſolymorum agrum penè venerunt; quos Alexander laudatos accepit. Petentibus autem Sichimitis, ut ipſorum Templum inviſeret, facturum ſe cum rediret, reſpondit. Rurſumque tributorum ſeptimis quibuſque annis immunitatem, quod iis neque ſererent, neque meterent, poſtulantes, Alexander, utrùm Judæi eſſent, interrogavit. Qui cum Hebræus ſe eſſe, & à Phœniciis Sichimitas appellari dicerent, Alexander immunitatem ſolis Judæis conceſſam ait: cæterùm, cum rediret, diligentius negotium hoc conſideraturum, & quæ facto opus eſſe videret, facturum.

(Rex ille Ægypto ſubacta, rebuſque compoſitis, ac datis mandatis pro abſolvenda nova Urbe Alexandria (a), regionem circa ſubeuntis veris tempus deſeruit (b), quo ſe magnis itineribus in Orientem ad inſequendum Darium conferret. Iter per Palæſtinam faciens, didicit, Samaritanos motu quodam domeſtico necem intuliſse Andromacho, Præſidi Syriæ & Palæſtinæ. Venerat iſte Samariam rebus quibuſdam dirigendis, injectoque à Samaritanis in ædes igne, unà cum illis arſit. Iniquis auribus hæc excepit Alexander, qui Andromachum habebat in amicos, trucidavitque omnes impii facinoris conſcios, cæteros vero Urbe depulit, conſtitutaque in eorum loco Macedonum colonia, reliquas terras tributo exemptas aſſignavit Judæis (c).

Qui procellam evaſerunt, receperunt ſe Sichon ad radices montis Garizim (d), quæ ſibi deinde Metropolis Samaritanorum adſcivit juta, & nunc uſque retinet. Alexander verò metuens ne 8000. virorum, qui copiis ſuis acceſserant, eaſdem defectionis igniculos foverent, ſi fortè in regionem ſuam remitterentur, ire juſſit in Thebaidem, inter Ægypti provincias remotiſſimam, aſſignata ibi ſingulis terræ portione.)

Omnes Alexandri victorias recenſere noſtrum non eſt: hoc tantùm addemus, ipſum ſubactis Aſia tota, & India incredibili velocitate, ac fortuna, Babylonem rediiſse; ubi comeſsationibus indulgens, ſivè, ut Hiſtorici tradunt, præ nimia ebrietate ægrotans, obiit, *terra omnis in conſpectu ſuo ad ſilentium redacta* 1. Machab. 1. 3. Morti proximus, Aulicis convocatis, *digniſſimo* ait tradendum Imperium (e). Alii verò (f) de Regni ſucceſſione teſtamento decreviſse aſſerunt. Scriptor primi Machabæorum Libri c. 1. 7. ipſum adhuc viventem Regnum ſuum ducibus ſuis partitum fuiſse teſtatur. Alexandri Imperium Principibus exercitus diviſum fuiſse, quodque in Aſia Imperium ſtatuerat, diù poſt ipſius mortem ſtetiſse conſtat. Obiit An. M. 3681. antè Chr. 319. antè Ær. 323. annos natus tres, & triginta, ex quibus duodecim imperavit, ſex nempe Macedoniæ Rex, ſex Aſiæ imperator.

Author eſt ſalſus Joſephus, ſivè *Joſeph Ben Gorion* l. 2. c. 7. Alexandrum Hieroſolymitanum Templum ingreſsum, oſtenſis illi à Pontifice Templi Theſauris, & deliciis, ipſoque Sancto Sanctorum, Sacratiori illius interiorique parte, obſtupentem, Deoque commendato, Pontifici dixiſse: Meæ in Deum, quem colis, obſervantiæ monumentum, auream mei ſtatuam, naturalis magnitudinis, inter Altare holocauſtorum, & Sanctum locandam efformari ſtatuo. Cui Pontifex meliore uſui eam auri copiam impenſurum ait, ſi Sacerdotibus Templi in eorum victum, populiſque Domini, ipſum in Sancto adoratum venientibus, erogaret; monumentum verò nobilius ipſius nomini ſe erecturum pollicitus. Sciſcitanti Alexandro quodnam illud eſset, omnes, ait Jaddus, qui in urbe hac, totaque Judæa hoc anno naſcentur infantes, tuo nomine nuncupabuntur. Hi tot erunt viva monumenta, nominis tui memoriam in Templo Domini quotidiè innovatura.

Narrant Judæi (g) Hebræos coram Alexandro ab Ægyptiis ob aurea, & argentea vaſa ab illorum majoribus ex Ægypto exeuntibus erepta (h), in jus vocatos fuiſse: cumque Ægyptii ea ſibi reddi viribus omnibus adniterentur, Hebræi ſua in Ægyptios argumenta explicavere. Qui cum Hebræos libertatis diutiùs oppreſſæ pretium; laborum tamdiù exantlatorum mercedem; injuriarum ſatisfactionem; natorum denique aut in flumen merſorum, aut expoſitorum ultionem repetentes audiſsent, relictis accuſationibus, pudore oppleti diſceſsere (i). Hæc tamen Rabbinorum ſunt commenta.

Quod Alexander Magnus à quodam didicerat, Deos ſcilicet Paganorum homines fuiſse divinitate donatos, hoc à Pontifice Jaddo ipſi dictum nonnulli credidere (k): quod tamen nulli nititur fundamento. Veteres (l), qui hoc de Alexandro, ex quadam ipſius ad Matrem epiſtola excerptum, narrant, non à Jaddo, ſed à Leone Ægyptiorum myſta prolatum aſserunt.

(Triumphatoris hujus nomen non minùs in Orientalium ſcriptis, quàm in Græcorum, & Romanorum celebratur. Sed in referendis rebus ab illo geſtis alia planè à noſtris Authoribus tradunt. Regem illum vulgò appellant *Eſcander Dulkarnim* (m), Alexander Bicornis, quod ſcilicet duo mundi cornua, Orientem nempè & Occidentem ita appellant Orientales, victricibus armis ſubjecit. Exhibet illum Daniel 8. 3. &c. ſub emblemate hirci grandiori cornu inſtructi, quo ſcilicet impetit, dejicit agnum duplici cornu, quorum alterum alterum plurimùm excedebat. Refert agnus iſte Darium Regem Perſarum, ab Alexandro victum. Porrò iſte pedibus contrito adverſario, potentiſſimus effectus eſt, ejuſque cornu crevit in immenſum, ut in quatuor divideretur cornua, circa quatuor Mundi partes porrecta. Innuunt hæc quatuor Imperia ex uno ejus formata, videlicet Syriæ, Ægypti, Babyloniæ, & Græciæ.

De utroque parente hujus Regis non ſat convenit inter Orientales. Originis ipſius hanc vulgo hiſtoriam retexunt Muſulmani (n). Darab Rex Perſidis bello afflixit Philippum Regem Macedoniæ, & poſt fuſum ejus exercitum, coegit in Urbem quandam munitam ſe recipere, ubi tam arctè illum preſſit, ut pacem quærere cogeret, conceſſis victori nuptiis filiæ ſuæ, promiſsoque annuo tributo 1000. Beiſat ſeu aureorum ovorum, pondere in ſingula 40. dracmarum. Darab conciliatis cum fœmina Principe nuptiis, ſub ipſa priori nocte ſenſit halitu eſse graveolenti, ſtatuitque ad patrem remittere, fœtu licèt jam concepto. Filiam excepit Pater, editumque ex illa infantem, tanquam ſibi natum reputans, Alexandrum appellavit.

Darab fatis functo, Regnum habuit filius de patris nomine Dara ſeu Darab dictus, qui ipſiſſimus eſt Darius Condomanus Græcorum; & Dara Perſico vernaculo ſermone eſt princeps ſupremus. Porrò Rex ille ditionis ſuæ

(a) A.M. 3673. (b) Q. Curt. l. 4. c. 8. Euſeb. Chronic. Cedren. (c) Joſeph. contr. Appion. l. 2. pag. 1063. (d) Ibid l. 2.
(e) Juſtin. l. 12. (f) Diodor. l. 20. p. 774. Quint. Curt. l. 10. (g) Abraham Zaccuth in Sepher Juchaſim, & Gemar. Babylon. ad tit. Sanhed. c. 11. (h) Exod. 3. 22. (i) Vide, ſi placet, Tertull. l. 2. contra Marcion. c. 20. (k) Vide Dictionarium D. Simon verbo Alexander. (l) Tertul. de Pallio, c. 3. Minutius Felix in Octavio. Cyprian. de vanitate Idolorum c. 1. Auguſt. de civit. Dei l. 8. c. 5. & de conſenſu Evangel. l. 1. c. 23. (m) Bib. Orient. Eſcander, pag. 317. (n) Bibl. Orien. pag. 285. 286. & 317.

ſuæ plurimùm dilatavit pomeria, reſtituitque veredarios, ut promptiùs quæcumque acciderant per Regnum omnia ſciret, florenſque habuit annorum quorundam ſpatio Imperium. Cum autem Princeps eſſet ad exceſſum tumidus & ſeverus, invidiam Ampliſſimorum omnium, tum & populi in ſe concitavit, qui & ſeceſſione ab illo facta rebellarunt. Datæ tum literæ à viria Principibus ad Alexandrum, quibus ad ſubigendam Perſidem, hæreditatia jure ſibi tanquam filio prioris illius Darab debitam, invitaretur. Optimam hanc Perſarum in ſe animi habitudinem ſovendam ratus Alexander, tributum primò ſolvere recuſavit; cùm autem ſua repoſceret per legatos Rex Perſidis, repoſuit alter: Avis, quæ ova illa pariebat, in alterum mundum evolavit.

Sarcaſmo non minùs quam tributi negatione offenſus Darius, valido coacto exercitu, vi in obſequium redigere Alexandrum ſuſcepit; nec ſegnior alter ſeu in deſcribendis copiis, ſeu in ducendis contra Darium. Acriter utrinque primo impetu pugnatum eſt; ſed poſt pugnam æquo Marte diuturnam victoria tandem ceſſit Alexandro. Darius è prælio ſeſe ſubducens, via tentorium ſuum attigerat, cùm a duobus inter ſupremos Præfectos ſuos gladio tranſverſo corpore actus eſt; ſtatimque illi in caſtra Alexandri ſeceſſerunt. Alexander ſtatim ad Darium, & ſemianimis caput apprehendens, ſuper genua ſua impoſuit, ſanctè proteſtatus imprudente ſe, & minimè conſcio extremum hunc caſum illi contigiſſe. Tum Darius apertis oculis commendavit Regi cædis ſuæ ultionem, conjugem illi obtulit filiam ſuam Roxanem, rogavitque, ut inquilinis Provinciarum Perſidibus præfecturam relinqueret. Is exitus juxta Orientales Darii Condomani.

Abulfarages, & Said filius Batrik, & Joſeph Ben-Gorion tenent, patrem Alexandri fuiſſe Nectanetem Ægypti Regem, qui è regione ſua pulſus ab Artaxerſe Ocho, Aſtrologum ementitus venit in Macedoniam, congreſſuſque cum Olympia uxore Philippi Alexandrum Magnum genuit. Narrat idem Abulfarages, prælio victos ab Alexandro 30. Reges, conditaſque 12. Urbes, quarum de ſuo nomine appellatas. Fertur evertiſſe pontem miræ ſtructuræ, opus veteris cujuſquam Regis Perſidis, Tygridi impoſitum, ſubſtituiſſe verò è lintris pontem, qui diu perſeveravit.

In primo Machabæorum legimus Alexandrum morti jam proximum *vocaſſe pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti à juventute, & diviſiſſe illis Regnum ſuum dum adhuc viveret*, *cap.* 1. 6. 7. Magno planè negocio conciliandum aſſumitur teſtimonium hoc Sacri ſcriptoris cum Hiſtoricis Græcis & Latinis, qui de obitu Alexandri & ſuprema ejus diſpoſitione ſcripſerunt. Sed Orientales Hiſtorici maximè in ea re congruunt cum Sacro; obiiſſe dicunt in Urbe Aſſyriæ Schehereſour (a), vel juxta alios in Curdiſtan (b), poſt diviſum imperium inter 90. è ſummis Ducibus ſuis, quorum primas habebat Ptolemæus filius Lagi. Ab eâ ſucceſſione excluſus eſt Eskenderon, alio nomine Aridæus ejus filius, ſeu potiùs juxta Græcos Scriptores frater, qui totum ſe Philoſophiæ ſtudiis addixerat ſub diſciplina Ariſtotelis Alexandri Præceptoris.

Alter Hiſtoricus Tarikh Montekheb narrat, virum illum paulò ante obitum Perſidem diſtribuiſſe inter filios Principum, quos ſubjugatos rebus ſuis expoliaverat; juſſos tamen manere tributarios & in fide, certumque copiarum numerum habere ſub ſignis. Sed Principes illi, ait, poſt obitum Alexandri jugo tributi excuſſo, deſpoticum ſibi imperium adſciverunt; noti ſunt autem in Hiſtoriis Arabum, & Perſarum ſub nomine *Regum nationum*, conſtituentes peculiarem Dynaſtiam in ſerie Regum Perſarum.

Joſeph filius Gorion, cujus hiſtoriam ſæculo decimo ſexto vulgavit in Germania Sebaſtianus Munſterus, iterumque recuſa eſt Hebraicè multò correctiùs Conſtantinopoli, recitavit hiſtoriam Alexandri Magni, quam didicerat à Magis Ægypti, ſed illam fœdè adeò deformavit inſertam craſſis putridiſque fabellis, ut bonis horis, & patientia Lectoris abuſurum me arbitrarer, ſi referendam ſuſciperem. Latine vertit D. Gagnier, junxitque Authorem alterum Latinum, quem antehac parùm manuſcriptum detexit in Bibliotheca Bodlejana in Anglia. Eandem ille habuit ideam in ſcribendo, ac filius Gorion; ſed uter vetuſtate præſtet lis eſt inter Eruditos (c). Uterque vero puerilibus interſeritur & fabellis, uterque comperta à Magis Ægypti ſcribere ſe jactitat.

Sat convenit inter Orientales, Alexandri Magni opera conditum inſtructumque validum murum, regnantem ex uno ad alterum inter duos montes Caſpios, quo ſcilicet prohiberentur Septemtrionales populi (Gog & Magog appellant) ab aditu Perſidis, cæterarumque Provinciarum ad Orientem, & Meridiem hujus munimenti, Veteribus cogniti ſub nomine Portarum Caſpiarum. Vide *Caſpiæ*.

Dum moram traheret Babylone voluptatibus & deliciis reſolutus, reſtituendum augendumque ſtatuit Templum Beli (d), quod Xerxes è Græcia redux dejecerat. Primò igitur repurgandam ſuſcepit aream; & cùm animadverteret Magos, quos operi præfecerat, lentiùs agere, quàm pro voluntate, rem dedit implendam 10000. viris copiarum ſuarum. Acriter illi inſtiterunt operi toto bimeſtri, quod morti ejus præceſſit; ſed magnum vaſtumque opus nondum abſolutum in ejus obitu dimiſſum eſt. Judæos ſicut & cæteros exercitus ſui populos volebat Alexander applicare ad opus (e); ſed cùm ad illos ventum eſſet, repræſentarunt Principi vetitam ſibi Religionis ſuæ dogmate Idololatriam, vetitumque manum admovere ſubſtructioni, quæ Idololatrico cultui deſtinaretur. Fruſtra tentati ſunt minis, fruſtra vi ac pœnis: quam eorum conſtantiam admiratus Alexander, liberos releveſtoſque ab onere remiſit.)

II. ALEXANDER BALES, ſivè *Balas*, à *Bala* matre, Antiochi Epiphanis nothus, in nummis *Theopator Evergetes* nuncupatus. Sunt qui Antiochi Epiphanis filium, vel nothum eſſe negent. Florus (f) *ignotum, & incertæ originis hominem* vocat. Juſtinus lib. 35. ſubornatum è vulgi fæce juvenem à Demetrii hoſtibus, filium ſe, & hæredem Antiochi dixiſſe; initoque cum Syriæ Rege feliciter prælio, eoque ſubacto, illius imperio potitum narrat. Appianus in Syria apertè fatetur, illum è Seleucidarum familia ſe eſſe mentitum: Athenæus l. 15. c. 10. denique ſuppoſititium fuiſſe Antiochi filium ſcribit. Romano tamen à Senatu, à Judæis, Ægyptiis etiam, & Syris filius, & hæres Antiochi habitus eſt.

Alexandri Balæ Syrorum Regno præficiendi, ejiciendique Demetrii negotium, Heraclides Byzantius, præcipuus Demetrii hoſtis ſuſcepit. Ductis igitur Romam Alexandro, & Laodice Antiochi Epiphanis filia, muneribus plurium Senatorum animos adeò ſibi vindicavit, ut Alexandrum Antiochi nothum non eſſe illis perſuaſerit. Ut omnia ſatis diſpoſita cenſuit, Alexandrum, & Laodicem ipſius, ut ferebatur, ſororem in Senatum duxit. Hi Senatus opem ad paternam hæreditatem, & Syriæ Regnum à Demetrio invaſum, repetendum flagitarunt: quos & Heraclides longa oratione juvit. Licèt verò Senatorum prudentiſſimi technam ſtrui animadverterent, alii tamen, ab Heraclide corrupti, utpotè numero fortiores, cauſam Alexandro adjudicarunt; ſtatutumque continuò eſt, Alexandrum & Laodicem Patris ſui imperium capeſſere poſſe, & Senatum, populumque Romanum illis opem laturos. (g) Tum Heraclides copias conſcribens, Alexandro & Laodice Epheſum ductis, bellum Demetrio inferre seriò paravit.

Alexandro igitur Bala in Syriam regreſſo, Ptolomais, cujus præſidiarii milites Demetrio iniquiores erant, portas aperuit. Ille Ptolomaidem ingreſſus, Jonathæ Machabæo literas miſit, quibus illum in ſuas partes adduceret (h): *Rex Alexander fratri Jonathæ, ſalutem. Audivimus de te, quod vir potens ſis viribus, & aptus es, ut ſis amicus noſter: & nunc conſtituimus te*

hodie

(a) Bibl. Orient. pag. 318. (b) Jacet ſub 82. grad. & 20. minutis longitudinis, ac 34. & 30. latitudinis ſeptemtrionalis, in tertio climate. (c) Vide Baſnag. Hiſt. Judæor. tom. 7. p. 63. &c. & l. 10. c. 7. (d) Diodor. l. 17. Arian. l. 7. (e) Joſeph. contra App. l. 2. p. 1049. (f) Flor. Epitome Livii l. 52. (g) An. M. 3851. ante Chr. 149. ante Ær. 153. (g) 1. Mach. 10. 18. An. M. 3851. ante Chr. 149. ante Ær. 153.

hodie Summum Sacerdotem gentis tuæ, ut amicus voceris Regis, & quæ noſtra ſunt, ſentias nobiſcum, & conſerves amicitias ad nos. Miſitque Jonathæ purpuream veſtem, & auream coronam. Jonathas igitur Alexandri partes, fruſtrà Demetrio Syriæ Rege ipſum ſollicitante, ſequutus eſt 1. Mach. 10. 22. Tunc Alexander Demetrio bellum inferre decrevit 1. Mach. 10. 48. Commiſſo igitur inter duos Reges prælio A. M. 3853. dextrum Alexandri cornu à ſiniſtro Demetrii fugatum eſt: dextrum verò, quod ab ipſo Demetrio ducebatur, loco ceſſit. Demetrius à ſuis relictus, ſolos reſtitit; & fortiſſimè dimicans, in cœnum lapſus, & equo dejectus, telis confoſſus eſt.

Ita Alexander Bales integro Syriaci Regni dominio aſſumpto (a), ſedulò Ptolomæi Philometoris Ægypti Regis amicitiam inire ſtuduit, cujus & filiæ nuptias impetravit. Duobus autem Regibus Ptolomaide ad nuptias celebrandas convenientibus (b); Jonathas ab Alexandro invitatus, ſplendidè ornatus venit, à duobus Regibus honorificè acceptus, magnaque Alexandro munera detulit. Qui illum honoribus maximis proſequens, inter amicorum præcipuos connumeratum, & armigerorum Præfectum conſtitutum, purpura induit.

Duos vix Alexander Bales annos Syriæ imperium obtinuerat (c), cum Demetrius Nicator, Demetrii Soteris Primogenitus nonnullis copiis coactis, à Cretenſi Laſthene acceptis, in Ciliciam venit. Alexander tunc temporis in Phœnicia commorans, vix horum certior factus, Antiochiam remeare feſtinavit, ut ante Demetrii adventum rebus ſuis conſuleret.

Præfectus interea exercitui à Demetrio Apollonius (d), Jonatham Machabæum arrogantibus verbis ad prælium incitavit. Fratribus igitur Jonatha & Simone adversùs ipſum propè Joppen profectis, hoſtium equites totius diei labore fatigati à Simonis peditibus fugati ſunt: longiuſque duo fratres progreſſi, Azotum, & Aſcalonem cepere, prædaque onuſti Hieroſolymam rediere. His auditis, Alexander Jonatham novis honoribus cumulavit, auream que illi fibulam, ſolis Regis cognatis conceſſam, miſit, addita etiam Accaronis Toparchia.

Ptolemæus intereà Philometor, Alexandri ſocer, Syriæ Regnum Ægypto addere cogitans, clam per fraudem agebat, ut & Demetrium Nicatorem, & Alexandrum, regno, de quo utrique contendebant, ipſis eriperet, perderet (e). Coactis igitur copiis, & genero opem ferre ſimulans, Syriam ingreſſus, à cunctis civitatibus, ut amicus, acceptus eſt; tum ipſis potitus (f), in vulgus ſparſit, Alexandrum poſitis Ptolomaide inſidiis ſuæ vitæ inſidiatum. Ad hunc Jonathas Machabæus Joppen venit, ubi à Ptolomæo honorificè exceptus eſt, fruſtrà opponentibus incolis, exuſtum Regi illum jactantibus, & cadaverum ab ipſo interfectorum acervos, Templum Dagonis incenſum, deſtructumque Azotum. Jonathas verò uſque ad Eleutherum fluvium, trans Phœniciam, illum proſequutus, Hieroſolymam rediit 1. Mach. 11. 4. Ptolomæus ita Antiochiam uſque, nemine obſiſtente, progreſſus, Syriæ ſolium occupavit, ſibique Ægypti & Syriæ diademata impoſuit.

Bales, qui in Ciliciam confugerat, ingenti exercitu comparato, adversùs Ptolomæum, & Demetrium Nicatorem, in ipſum conjurantes, profectus, ad Oenæparam fluvium certamen iniit; quo prælio victus, in Arabiam cum 500. equitibus confugit. Arabum verò Princeps Zabdiel caput illi amputatum, ad Ptolomæum miſit an. M. 3859. ante Chr. 141. ante Ær. 145. Hæc Author primi Machabæorum Libri c. 11. 17. Alii vero Hiſtorici (g), exercitus Duces ſibi conſulentes, cum Demetrio clam egiſſe, proditumque Alexandrum occidiſſe, abſciſſumque illius caput Ptolemæo Antiochiam miſiſſe teſtantur. Alexandro filius ſuperſtes fuit, *Antiochus Deus,* quem Triphon Syriæ Regno reſtituit (h), ut verbo *Antiochus* fuſiùs narrabimus.

III. ALEXANDER IANNÆUS, tertius Joannis Hircani filius. Hircanus è tribus, ut quartus Machabæorum Liber c. 7. ſeù è quinque, ut Joſephus de Bel. l. 1. c. 3. teſtatur, quos reliquit, filiis, ut maximo amore Antigonum, & Ariſtobulum, ità inexpiabili odio Alexandrum proſequebatur; eo quòd ipſum poſt ſe regnaturum per quietem intellexiſſet; quo magnoperè doluit, cum præcipuè naturali ordine poſt duos fratres, utpotè filiorum tertius, vix regnare poſſet. Eventus ſomnii veritatem comprobavit. Antigonus enim nunquam, Ariſtobulus breviſſimo tempore (i) regnum obtinuit; cùm mortuo Hircano, *Salome*, ſeù Alexandra illius vidua, Alexandrum ab Ariſtobulo in carcere detentum à morte Patris, libertati reſtitutum (k) in Regem elegerit an. 3899. ante Chr. 101. ante Ær. 105. Alexander Regnum adeptus unum ex fratribus ſuis vitæ ſuæ intentantem interfecit; aliumque, Abſalomum nomine, qui procul negotiis, privatam, pacificamque vitam agebat, honoribus cumulavit.

Bellico ardore repletus, ut Regno ſuo conſuluit, adversùs Ptolomaidem exercitum inſtruxit. Cum oppidanis congreſſus, ipſos intrà urbem repulit, in eaque clauſos obſedit. Illi in anguſtias redacti, Ptolomæi Lathuri opem, à Cleopatra matre Ægypti Regno pulſi, in inſula Cypro commorantis efflagitarunt. Lathurus ad eam rem ingentem claſſem inſtruxit. Demænetus intereà, magnæ inter Ptolomaidis cives authoritatis, ipſos monuit, bellum in Judæos gerere, & extrema quæque perferre utilius illis fore, quàm Lathurum, certamque deinceps ſervitutem ſuſcipere. Hujus oratione commoti cives, Ptolomæo Legatos miſerunt, qui mutatam urbis voluntatem nunciarent.

Ptolomæus his auditis, cœpto itinere non deſtitit, & *Sycaminum*, urbem è regione Ptolomaidis, appellens, exercitum è peditatu, equitatuque 30000. ferè hominum, in littore expoſuit. Interim Ptolomaidenſibus illum recipere negantibus, Gazenſium, & Zoili Tyranni, qui Turrim Stratonis, & Doram occupaverat, Legati ad Ptolomæum veniunt, poſtulantes, ut ſe ab Alexandro Judæorum Rege, ipſorum agros populante, liberaret.

Nil Ptolomæo commodius ea Legatione, ut honeſto ſaltem titulo Ptolomaide cederet. Interim Alexander pugnam cum Lathuro inire metuens, exercitu domum dimiſſo, Cleopatram Ptolomæi matrem, ut partes ſuas tueretur, ſollicitabat; amicitiam verò cum Ptolomæo ſimulabat, cui etiam talenta obtulit 400, ut Zoilo interfecto, agrum ab ipſo occupatum, ſibi redderet. Brevi tamen Ptolomæus Alexandri fraude cognita durius in eum, ac antea, bellum inſtituit (l); nonnullaſque in Galilæa urbes cepit.

Alexander adversus Ptolomæum profectus, propè Aſophum, non longe à Jordane, prælium iniit (m). Quem Ptolomæus, triginta, ſeù quinquaginta, ut Timagenes apud Joſephum refert, hominum millibus ipſi interfectis profligavit. Hac victoria parta, Ptolomæus nemine impoſterum obſiſtente, omnia circumquaque vaſtabat, ſuique nominis terrore Provinciam opplevit. Metuens vero Cleopatra ipſius mater, ne ob eventuum proſperitatem nimiis viribus augeretur, ingenti claſſe inſtituta (n), Alexandrum filium ſuum in Phœniciam miſit; qui à Ptolomæi deſertoribus libentiſſimè acceptus eſt. Ptolomaidem verò adiens, illam obſidere coactus eſt; cujus ut excidium urgeret, Cleopatra auxiliares copias adduxit (o).

Alexander Janneus in eo rerum ſuarum ſtatu, apud Cleopatram auxilium ſibi futurum credens, magnis ipſam muneribus in caſtra ante Ptolomaidem adiit, quæ ut

(a) A. M. 3854. ante Ch. 146. ante Ær. 150. (b) 1. Mach. 10. 51. &c.
(c) An. M. 3856. ante Ch. 144. ante Ær. 148.
(d) 1. Mach. 10. 69. &c. (e) An. M. 3858. ante Ch. 142. ante Ær. 146.
(f) 1. Mach. 11. 1. &c. Vide & Joſeph. Antiq. l. 13. c. 5. Diodor. l. 32. Juſtin. l. 35. &c.
(g) Polyb. excerptis Valeſ. p. 194. Diodor. l. 32. in Bibliot. Photii.
(h) 1. Mach. 11. 39. (i) Regnum cepit an. 3898. quo Hircani mors contigit: obiit an. 3899. ante Ch. 101. ante Ær. 105.
(k) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 20. (l) An. M. 3900. ante Chr. 100. ante Ær. 104. (m) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 20. 21.
(n) An. M. 3901. ante Chr. 99. ante Ær. 103. (o) An. M. 3902. ante Chr. 98. ante Ær. 102.

ut infelicem Principem, & Ptolomæi hoſtem, ſolaque Reginæ ope fretum excepit. Nonnullis autem Cleopatræ familiaribus, ut Judæam ſibi ſubderet, hortantibus, ex iis quidam Ananias Judæus, ut ab ea ſententia ipſam revocaret, facinoris inhoneſtatem, injuſtitiamque demonſtravit, ut Principem, qui ſe illius fidei crederet, Regno ſpoliaret; inviſumque deinceps Judæis omnibus fore, ſi id faceret, oſtendit.

His commota Cleopatra cum Alexandro Jannæo in urbe Scythopoli fœdus iniit; qui copias aliquot in Cœleſyriam ducens, Gadaram 10. menſibus obſeſſam, inde Amathuntem firmiſſimam arcem cepit, in qua Theodorus Zenonis filius pretioſiora quæque condiderat. Hic inopinatò Alexandri Jannæi exercitum invadens, 10000. hominum interſectis, omnia illius impedimenta diripuit (a).

Hac clade Jannæus minimè territus, Raphiam, & Anthedonem ad Mediterraneum obtinuit, Inde Gazam profectus, omnem circumjacentem agrum vaſtavit (b). Apollodotus autem, urbis Præfectus, eductis noctu è civitate militibus, omnem Alexandri exercitum tota perterritum nocte cecidit; Judæi enim Ptolomæum Lathurum ad opem Gazæ ferendam rediiſſe credebant: ut verò illuxit, Judæi errore animadverſo, animis aucti Gazenſes adeò fuderunt, ut mille ex iis, interficerent. Neque verò adhuc urbem dedere Gazenſes voluere; certi extrema quæque potiùs, quàm Hebræorum jugum tolerare. Diuturno verò poſt conatu, Apollodoto Duce amiſſo, urbs capta, direptaque eſt, magno tamen diſpendio; oppidani enim nullam ſalutis viam cernentes, plurimi Hebræis ſanguinem ſuum vendiderunt.

Alexander Jannæus exacto anno Gazenſis obſidionis (c), Jeruſalem rediens, pace, quam ſperabat, fruſtratus eſt. Judæi enim in ipſum conjurantes (d), dum ipſe, ut Pontifex, in Tabernaculorum Feſto de more ſacrificia offerret, Templum ingreſſi citrea in eum conjecere; mos enim per eos illius Feſti dies Hebræis eſt palmarum, & citreorum thyrſos fructibus onuſtos, in lætitiæ monimentum, manibus geſtare. Dicteria injuriis addidere, ipſum, qui captivus fuerit, pontificatus miniſterio indignum exprobrantes. Injuriis hiſce tactus Alexander, armis in contumaces verſis, ſex penè illorum millia interfecit, longumque circà Altare, & interius Templum ligneum ſeptum conſtrui juſſit, ut populum ab Altari, in quo Sacerdotes ſuis muneribus fungebantur, prohiberet. Quinimò, ne impoſterum pares à Judæis inſultus ſibi metueret, Syris neglectis, quos inviſos habebat, Piſidum, & Cilicum copias conſcripſit.

Bellum deinde (e) in Moabitas, & Ammonitas tulit; victiſque tributum impoſuit. Tum *Amathuntem* trans Jordanem ſitam, de qua ſuperiùs diſſeruimus, invaſit, & ſolo æquavit, Theodoro Zenonis filio cum eo congredi minimè audente. Bellum autem Obedæ Arabum Regi inferens, in inſidias, propè Gadaram, trans Jordanem, imprudens incidit; & à camelorum manu in præruptis locis circumdatus, vix ab iis elapſus eſt.

Hieroſolymam deinde rediens, atque furentes in ſe Judæos ſentiens per ſex annos bellum cum iis gerere coactus eſt, quorum ſuprà 50000. trucidavit. Quidquid ob ineundam eorum amicitiam conabatur, majoris odii fomitem miniſtrabat; adeòut poſcenti quid ſibi agendum foret, ut cum iis pacem firmaret, ſi te interfeceris, reſponderunt; ſtatimque Demetrium Eucherum Syriæ Regem (f), opem contra Alexandrum per legatos popoſcerunt.

Eucherus in Judæam profectus (g), ſua perduellium armis conjungens, in Sichem caſtrametatus eſt. In hunc Alexander exercitum 6200. advenarum, & 20000. Judæorum, qui fidem Regi ſuo ſervaverant, admovit: Eucherus contrà 3000. equitum, & 40000. peditum adduxerat. Ambo interea Reges à ſe invicem milites abducere conabantur: Eucherus quidem ab Alexandro advenas, Judæos verò ab Euchero Alexander. Cum tamen ambo fruſtrà conarentur, prælium tandem initum eſt, in quo victoria pro Euchero ſtetit, advenis omnibus, qui in Alexandri exercitu erant, adeò cæſis, ut ne unus quidem ſupereſſet; ipſoque Alexandro in montibus fuga ſalutem quærente.

Quæ Alexandrum Jannæum funditùs vertiſſe clades videbatur, melioris fortunæ initium fuit. Sex enim Judæorum millia Regis ſui infortuniis commota, illi arma opemque ſuam præſtitere. Demetrio igitur poſt eam victoriam in Syriam recedente, Alexander perduelles externis viribus deſtitutos proſperis ſemper eventibus profligavit; clauſos demùm obſtinatiſſimos in loco quodam, Bethom nomine, obſedit, captoſque Hieroſolymam duxit; quorum 800. coram ſe, cum amicis convivante, crucifigi juſſit; eorumque uxores & filios ante expirantium oculos jugulari, inauditum profectò crudelitatis exemplum, quo à ſuis *Thracides* appellari meruit, ac ſi crudelis veluti Thrax diceretur. Hoc audito, 8000. ſeditioſorum, quæ adhuc in armis erant, perterrita in tutum ſe recepere, pacata Regi adminiſtratione Regni relicta.

Potitus Damaſci Regno Antiochus Dionyſius (h) expeditionem in Judæam decrevit. De hac monitus Alexander, belli aleam evitaturus, foſſam ſatis profundam ab Antipatride ad Joppen, quà in Judæam solummodo aditus patebat, excavari, murumque excitari juſſit, caſtellis ligneis munitum, 150. ſtadiorum ſpatio; quibus operibus Antiochum, ipſiuſque expeditionem impedit. Antiochus igitur, caſtellis ligneis incenſis, arma in Arabes vertit, à quibus prælio interfectus eſt.

Poſt hujus mortem, Aretas à Damaſcenis Regno præfatus in Judæam venit, invaſumque Alexandrum propè Adidam, in agro *Sephala*, ad orientem Gazæ, & Anthedonis, profligavit. Firmata poſtmodùm inter ipſos certis legibus pace, regreſſoque Damaſcum Areta (i) Alexander Diam, ſive *Dium* (k) in Arabia, propè Pellam, in Decapoli obſedit (l), eaque capta exercitum Eſſam duxit, ubi Zeno pretioſiora quæque condiderat. Hanc triplici muro circumdatam cepit; tum ad Gaulanis, & Seleuciæ obſidionem profectus eſt (m), quas & ſubegit unà cum Antiochi valle, & arce Gadara. Demetrium ea loca obtinentem multorum criminum inſimulavit; iiſque ditioni ſuæ additis, victor in Judæam, à qua tribus annis his expeditionibus diſtractus abfuerat, regreſſus eſt (n).

Reducem Judæi ob eventuum felicitatem læti excepere; eoque dominante, Hebræorum Regnum plurimis urbibus, quas ipſe ſubegit, auctum eſt. Tandem Alexander nimio vini potu ægrotans, tribuſque annis quartana laborans, ad militaria tamen munera exercenda liber, viribus deſtitutus obiit (o) in regione Gerſæ, dum oppidum Ragaba trans Jordanem obſideret. Ragaba eadem fuiſſe ac Argob in Baſan, cujus meminit Moyſes, Deut. 3. 4

Hunc cum Regina uxor ipſius morti proximum cerneret, & quæ poſt illius obitum ſibi à contumaci, ſeditioſoque populo metuenda forent, prævideret, præſertim filiis ad negotia capeſſenda minime per ætatem idoneis, quid ſibi agendum conſuluit. Cui Alexander pacatum Regnum habituram ſit, ſi mortem ſuam militibus tantùm poſt Ragabæ victoriam aperiret; tum ſi Hieroſolymam rediens, Phariſæis partem aliquam, & poteſtatem in Regni adminiſtratione concederet; ſuo deinde cadavere proceribus illorum ſevocatis exhibito, ipſis, ut liberet, eo abuti permitteret, ut exercitam in ipſos tyrannidem ulciſcerentur; nil denique ipſis inconſultis, in regimine decreturam ſe polliceretur.

Tum

(a) An. M. 3903. ante Chr. 97. ante Ær. 101. (b) An. M. 3906. ante Ch. 94. ante Ær. 98. (c) An. M. 3907. ante Ch. 93. ante Ær. 97.
(d) Joſeph. Antiq. l. 13 c. 21.. (e) Certum belli hujus tempus ignoratur. Geſtum tamen eſt ab an. 3908. ad 3912. circiter.
(f) Demetrius Eucherus Damaſci regnum an. 3912. cepit. Quare ſaltem poſt hunc annum in Judæam venit.
(g) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 22. (h) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 23. circà An. M. 3917. ſeu 3918.
(i) An. M. 3919. ante Chr. 81. ante Ær. 85. (k) An. M. 3920. ante Chr. 80. ante Ær. 84. (l) Plin. l. 5. c. 17. (m) An. M. 3921. ante Chr. 79. ante Ær. 83. (n) An. M. 3923. ante Chr. 77. ante Ær. 81. (o) An. M. 3926. ante Ch. 74. ante Ær. 78.

Tum ſubdidit? ea ſi præſtiteris, ſplendido me funere efferendum, teque eorum fama & authoritate fretam, regnum pacificè moderaturam ſcito. His dictis expiravit, 48. annos natus (a), quorum 27. regnavit. Duos ſibi ſuperſtites filios habuit, Hircanum, & Ariſtobulum, qui ob mutua de Regno, & Pontificatu diſſidia, uſque ad Herodis Magni tempora, familiæ ſuæ everſioni, & Herodis fortunæ cauſam fecere.

IV. ALEXANDER, Ariſtobuli, & Alexandræ filius, Jannæi Alexandri nepos. Capta à Pompejo Jeruſalem, ipſe una cum Ariſtobulo Rege, Antigono fratre, & duabus ſororibus Romam captivi miſſi ſunt; ſed Alexander, oblata ſibi fugiendi occaſione, elapſus, in Judæam rediit; coactoque 10000. peditum, & equitum 1500. exercitu (b), fortiſſimis nonnullis patratis facinoribus; Alexandrii, & Macheruntis arces occupavit, ubi & ſe munire ſtudebat. Gabinius tamen Romanarum, quæ in Judæa erant, copiarum Imperator, ipſum impedit; nam è montibus ejectum, propè Hieroſolymam, 3000. hominum cæſis, plurimiſque in captivitatem ductis, bello fudit. Tum Alexandrium oppidum, in quo Alexandra Alexandri mater erat, obſedit. Egreſſa verò Alexandra, Gabinium inter & Alexandrum fœdus ſtatuit, ea lege, ut Alexander Alexandrium, Hircanium, & Macheruntem reſtitueret, quæ oppida Gabinius ſolo æquavit, an. M. 3947.

Alio etiam prælio Alexander prope montem Thabor fractus 10000. hominum amiſit (c). Plurima denique poſt facinora, infelici ſemper exitu patrata, a Scipione captus eſt, qui cum ante ſuum Tribunal Antiochiam advocans, capite damnavit (d).

(Alexander filius Ariſtobuli intelligens Gabinium in Ægypto occupari, cùm interim Siſenna relictus ab illo, ut Judææ res, dum abiens eſſet, curaret, prædones per regionem diſcurrentes redigere in ordinem non valeret; Alexander, inquam, eam nactus occaſionem (e), novas excivit in provincia turbas, receptiſque armis ſat juſtum compſiavit exercitum, ut agrum liberiùs diſcurreret. Omnes quotquot obvios habebat Romanos furori litabat ſuo, & quicunque evaſiſſent munientes ſe in vertice montis Garizim, illos arcta obſidione preſſit. In eum ſtatum res Judææ nactus eſt Gabinius ex Ægypto redux.

Porrò vir ille congreſſum cum ingenti hoſtium numero metuens, Antipatrum ablegavit ad Alexandrum, inducias offerens ea conditione, ut poneret arma. Res ceſſit pro voto; Alexandri enim partes deſerentes quamplurimi in ſuas ſeſe ædes receperunt. Sed cum Alexandro adhuc 30000. reſtabant, quibuſcum manum conferendam ſenſuit Gabinius. Pugnatum eſt ad radices montis Thabor, & poſt acie utrinque certamen, victus ceſſit Alexander, cæſis è ſuis 10000. viris, fuga cæteri dilapſi.

Res iterum turbare cœpit Alexander, præfecturam gerente Caſſio (f); ſed Caſſius poſt infelicem illam in Parthos expeditionem virum coegit, ſub certis quibuſdam conditionibus, in quiete ſeſe continere (g); tum ad Euphratem ſe contulit tranſitum inhibiturus Parthis.

Quo tempore Cæſar & Pompejus mutuas exercebant ſimultates (h), Alexander & Ariſtobulus ejus pater Cæſaris partibus adhæſerunt. Hic Ariſtobulum miſit in Judæam cum duabus legionibus, rebus ſuis proviſurum (i); ſed Pompejanarum partium fautores artibus ſuis id effecerunt, ut veneno in itinere virum interimerent. Nec tamen inde ſegnior Alexander ejus filius milites cogebat, ut Ariſtobuli copias augeret; quod cùm intellexiſſet Pompejus, Scipioni in Syria verſanti, ut hominem interimeret, injunxit. Apprehenſus igitur Alexander ductus eſt Antiochiam, & cauſa judiciali ritu cognita capite damnatur A. M. 3955. ante Chriſtum 45. ante Æram 49.)

V. ALEXANDER, Jaſonis filius, Romam ad amicitiam, & fœdus Romanos inter & Judæos renovandum legatus. Hujus meminit Senatuſconſultum Judæis miſſum, ſub anno nono Pontificatus Hircani (h).

VI. ALEXANDER, Theodori filius, Romam ad reſtaurandum cum Senatu fœdus (l) ab Hircano miſſus, Hujus nomen legitur in Senatuſconſulto ad Magiſtratus Epheſi, cos. Dolabella, quo cautum eſt, ne Judæi ad militiam cogerentur, eo quod Sabbathis arma ferre prohiberentur, & in exercitu conceſſis à ſuis Legibus cibis veſci non poſſent.

VII. ALEXANDER, Herodis Magni ex Mariamne filius. Hujus hiſtoria ab Ariſtobuli fratris, & infortuniorum comitis naratione ſeparari nequit. Venuſtiſſimi ætatis ſuæ Principes erant. Poſt tragicum Mariamnes eorum matris obitum, ab Herode Romam miſſi ſunt, ut apud Auguſtum pro regia eorum conditione inſtituerentur. Quos Auguſtus in ædes ſuas excepit, ut Herodem ſuæ in eum benevolentiæ certiorem faceret (m). Poſt aliquid temporis, Herodes Romam petiit, ad Cæſarem ſalutandum (n), liberoſque reducendos, ſatis jam quæ ipſos decebat, edoctos. Reduces à populis in Judæam magnis lætitiæ ſignis excipiuntur, tum ob corporis elegantiam, tum ob Aſmonæorum ſtirpem, quam à matre ducebant. Salome tamen, præcipua occidendæ Mariamnes cauſa, metuens, ne ipſi cum Regnum cepiſſent, matris ſuæ mortis ultionem à ſe repeterent, calumniis apud Herodem eos perdere decrevit.

Cautè tamen, ne noſceretur, id negotium ſuſcepit; nullumque initio perverſæ voluntatis indicium dedit. Herodes igitur filiis jam adultis, uxores, Alexandro Glaphyram Archelai Cappadociæ Regis, Ariſtobulo Berenicem Salomes filiam dedit (o). Pheroras autem Regis frater, & Salome eorum morte apud ſe conſtituta, omnes amborum ſermones captabant, juvenum ferociam frequentiùs provocantes, ut ſuos de matris Mariamnes morte ſenſus aperirent (p). Cumquo omnia, quæ ipſi loquebantur, ad Regem odioſis fictiſque verbis deferrentur; Herodes fratri ac ſorori minimè diffidens, juvenumque indolem optimè noſcens, Alexandrum & Ariſtobulum ſe quondam matris mortem ulturos dictitare, facilè credidit. Ipſorum igitur audaciam repreſſurus, Antipatrum primogenitum ſuum ex Doride quadam, quem ob matris conditionem, Mariamnes ſtirpe longe inferiorem, in exteris regionibus juſſerat educari, Hieroſolymam acceſſit: Ariſtobulum & Alexandrum in ordinem redigendos ratus, ſi hunc ſibi præferri poſſe perſpicerent. Eventus conſilium fefellit; Antipatri enim præſentia juvenum animos in dies provocavit.

Herodes nimium Antipatro fidens, de his, quæ ipſe de duobus fratribus retulerat, minimè dubitabat; quod ille ſimulatione adeò calleret, ut cum atrociſſimas in ipſos calumnias inveheret, excuſare, & miſerari videretur. Itaque Herodes à filiis ſuis adeo averſus eſt, ut ipſos Romam duxerit (q), coram Cæſare initæ in Patris vitam conjurationis accuſaturus (r). Ii vero & lachrymis, & rationibus cauſam ſuam adeò confirmarunt, ut Auguſtus cum patre, & Antipatro, ſpecie ſaltem, compoſitos in Judæam remiſerit. Antipater cum ipſis redux, ingentem de reſtituto ipſius Herodis favore lætitiam præferebat. Regreſſus autem Hieroſolymam Herodes, populis in Templo congregatis, filios ſuos poſt ſe regnaturus palam declaravit: Antipatrum primò, tum Alexandrum, & Ariſtobulum.

His

(a) An. M. 3926. ante Chr. 74. ante Ær. 78. (b) An. M. 3947. ante Chr. 53. ante Ær. 57. Joſeph. Antiq. l. 14. c. 10.
(c) An. M. 3949. Vide Joſeph. l. 14. Antiq. c. 11. (f) A. M. 3952. (d) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 13. A. M. 3955. ante Ch. 45. ante Ær. 49. (e) Antiq. lib. 14. cap. 11. (f) A. M. 3952. (g) Joſeph. de Bello lib. 1. cap. 6. pag. 723.
(h) A. M. 3955. (i) Joſeph. Antiq. lib. 10. cap. 13. & de Bello lib. 1. cap. 7.
(k) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 16. An. M. 3935. ante Ch. 65. ante Ær. 69.
(l) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 17. (m) Joſeph. Ant. l. 15. c. 13. A. M. 3988. ante Chr. 12. ante Ær. 16.
(n) Antiq. lib. 16. c. 1. (o) Antiq. l. 16. c. 2. (p) Antiq. l. 16. c. 6. An. M. 3976. ante Chr. 24. Ær. 28.
(q) An. M. 3993. ante Chr. 7. ante Ær. 11. (r) Joſeph. Antiq. l. 16. c. 7. 8.

His verbis duo fratres duriùs irritati, in queſtus & murmura erupere. Quibus ad Herodem quantociùs delatis, Pherotas, Salome, & Antipater Regem in filios provocare non deſtiterunt. Cum quadam die Pheroras Alexandro dixiſſet, ſe à Salome ſorore ſua intellexiſſe, Herodem inſana in Glaphyram ipſius uxorem libidine ardere; Alexander ſe minimè continens (a), hæc eadem, quæ à Pherora audierat, Herodi ſignificavit. Herode autem Pheroræ ſuprà modum irato, ipſumque tetræ adeò inſimulationis redarguente; ille in Salomen, tunc temporis adſtantem, crimen rejecit; quæ ingenti ardore calumniam, magnis etiam clamoribus repulit. Quibus tandem tædio affectus Herodes, ipſos abſcedere juſſit; filii ſuî modeſtia, qui tanti momenti rem ſibi aperuerit, commendata.

Tres erant Herodi Eunuchi, quibus maximè fidebat, quoſque feriis, magniſque negotiis immiſcebat. Hi, cum ab Alexandro corrupti fuiſſe magna pecuniarum vi accuſarentur, juſſu Regis quæſtioni applicati fuere; ex quibus tormentorum violentia hæc expreſſit: ſe ab Alexandro, & Ariſtobulo, ut ab Herode, effœto jam-jam ſene, & ætatem, artificiosè pictis barba & capillis, diſſimulante, deficerent, ſollicitatos: meliùs quidem ſibi conſulturos, ſi ipſis brevi Regnum moderaturis adhærerent; cum præcipuè primas totius Regni dignitates ab ipſis ſperare poſſent: omnia jam pro ipſis diſpoſita eſſe, ipſorumque amicos ad arma capeſſenda paratos eſſe, ut debitum ipſis Regni jus armis tuerentur. Nec plura addere oportuit, ut Herodis animus triſtiſſimis curis agitaretur, atque domeſticis ſuis omnibus prorſus diffideret. Quos verò Alexandri familiares eſſe noverat, comprehendi juſſit, & torqueri; quorum plerique in tormentis nil fatentes, cum nihil quod dicerent, haberent, expirarunt.

Fuit tamen qui doloribus victus, dixit ſe frequenter ab Alexandro audiviſſe, dum corporis illius proceritas, & ſagittas jaculandi peritia laudabatur, ſibi melius futurum fuiſſe, ſi breviori ſtatura, minorique peritia præditus eſſet; cum à patre ſuo eæ dotes non ſine invidia conſiderarentur: ſe cum Rege inambulantem, contrahi per induſtriam, & ſubmitti, ne Rege procerior videretur; in venatione denique ad conſtituta ferire non audere, ne Rex, laudata filii ſui arte jaculandi, offenderetur. Tormentis intermiſſis, addidit fratres ambos conſpiraſſe, ut Patri per venationem inſidias struerent, eoque obeunte, Romam quantocius navigare decreviſſe, paternum Regnum ab Auguſto petituros. Tum Alexandri ad Ariſtobulum literæ productæ fuerunt, quibus datos Antipatro agros ab Herode, 200. talentorum fructum, ſeu 180000. librarum, quotannis afferentes, conquerebatur.

Herodes hæc ſatis eſſe exiſtimavit, ut Alexander comprehenderetur, ejuſque amici torquerentur: quorum nonnulli in tormentis nil fatentes expirarunt, totumque Regis palatium perturbatione, ac terrore agitabatur. Quidam ex iis, qui torquebantur, literas ab Alexandro amicis ſuis miſſas ait, ut Auguſtum ad ipſos Romam accerſendos, cum nonnulla haberent, quæ in patrem dicerent, qui Mithridatis Parthorum Regis amicitiam Romanorum fœderi prætuliſſet. Addidit ſervatum Aſcalone ab Alexandro venenum, quo in patrem uteretur. Hoc diù perquiſitum, nuſquam repertum eſt.

Alexander hoc turbine minimè motus, non modò ea, quæ ab amicis tormentorum vi extorta fuere, non negavit, ſed palam confeſſus eſt, patriſne ut credulitatem, & diffidentiam argueret, an familiam omnem inextricabili ambage confunderet, ignoratur. Quatuor interim libellos Regi offerri curavit, quibus ob ſui cauſam tot homines fruſtra torqueri ajebat; veriſſimum eſſe, poſitas à ſe inſidias patri, & Aulicorum præcipuos ſecum conſpiraſſe; inter quos Pheroram, & ejus familiares nominavit: addiditque, Salomen noctu ad ſe clam veniſſe, & in ſuo cubili, ſe invito, cubaſſe: Familiares omnes tempus illud votis omnibus expectare, ut à timoribus, quibus ob ipſius crudelitatem, & diffidentiam agitabantur, liberi reſpirarent.

Interim Archelaus Cappadociæ Rex, Alexandri ſocer (b), omnium, quæ apud Herodem gerebantur, non ignarus, Hieroſolymam venit, ut filio Patrem conciliaret (c). Iratum igitur ſe Alexandro ſimulans, quæ is gerebat, vituperavit, Herodis operibus commendatis; ſeque Alexandri, & Glaphyræ filiæ ſuæ connubium diſſolvere paratum eſſe ait, ſi eam impiorum viri conſiliorum participem eſſe cognoſceret. Herodes Archelaum permotum adeò cernens, placare cœpit, & paternos in filium ſenſus induens eò proceſſit, ut filium excuſaret, & Archelaum, ne eo uſque procederet, & conjugium ſolveret, deprecaretur.

Tunc Archelaus juvenem Principem calumniis purgare cœpit, & in alios, præcipuè in Pheroram Regis fratrem, crimen rejecit, qui & malorum omnium cauſam ſe fuiſſe profeſſus eſt. Ità Alexander in Regis gratiam rediit, ob Archelai prudentiam; qui & Pheroram Regi reconciliavit, omnemque Regis familiam paci reſtituit.

Brevi tamen malaciam procella conſecuta eſt. Euricles quidam Lacedæmonius, Herodis gratiam iniens (d), Alexandri etiam familiaritatem adeptus eſt; adeout hic omnia mentis ſuæ ſenſa, & querelas in patrem aperiret (e). His ab Euricle ad Regem delatis, Herodes rurſùs de filiis ſuſpicari, obſervare, & quæ in ipſos dicebantur, audire. Cum Alexander duos ſatellites, quos Herodes à ſua ſervitute dimiſerat, in ſuum ſatellitium recepiſſet, ille inſidias ſuſpicatus, ipſos comprehenſos tormentis adplicuit. Qui ſe ab Alexandro ſollicitatos indicaverunt, ut Regem in venatione, feram vulnerare ſimulantes, interficerent; ſe verò facinus illud nullo negotio celaturum, ſi Regem ex equo prædicaret præcipitem, ſuiſmet telis confixum fuiſſe: magnam denique auri vim in ſtabulo equorum Alexandri aſſervari.

Præfectus deinde arcis Alexandrii comprehenſus, Alexandrum & Ariſtobulum ſe in arcem recepturum, regiique theſauri opes ipſi crediturum promiſiſſe inſimulabatur. Eo tormenta fortiter ferente, & rei falſitatem profitente, ipſius filius, quæcumque petebantur, ultrò faſſus eſt, productis etiam Alexandri epiſtolis, in hæc: Ut, quæ decrevimus, perfecerimus, ad te recipiemur. Tu cura, ut nos, ut promiſiſti, in arcem excipias. His viſis Herodes poſitas ſibi à filiis inſidias minimè dubitavit. Eas tamen literas à ſe ſcriptas Alexander conſtantiſſimè negabat, ſed à Diophanto characterem ſuum imitato. Herodes autem, Jericho tum commoratus, eos, à quibus filiorum accuſationem tormenta extorſerant, ad populum produxit; qui & ipſos lapidibus obruit, eadem pariter Alexandro, & Ariſtobulo facturus, niſi à Pherora, & Ptolomæo juſſu Regis fuiſſet prohibitus.

Filios igitur Herodes diverſo carcere incluſos, omnem conſpirationis ſeriem exarare juſſit. Qui reverà ad Regem Cappadociæ recipi decreviſſe, nil tamen in patris vitam tentaſſe reſponderunt. Hoc tamen in votis eſſe, ut Tyrannus ſuorum accuſatorum alter, quem populus Jericho, ab Antipatri emiſſariis inſtigatus, lapidibus obruerat, accuratiori examine poſſet interrogari (f). Tunc Rex Alexandrum vinculis obſtrictum ad Glaphyram illius uxorem duci juſſit, ut an viri conſiliorum particeps foret, dignoſceretur. Viri aſpectus ab illa ululatus, & lachrymas expreſſit; nulliuſque ſe ream eſſe profeſſa eſt; reverà tamen, ut à præſenti tyrannide liberaretur, ad Regem patrem ſuum in Cappadociam cum Alexandro ſeceſſum & inde Romam navigationem decreviſſe indicavit. His auditis, Herodes cum Archelao per literas conqueſtus eſt, quòd, ſe inſcio, filiorum conſilia adjuviſſet: eodemque tempore filios apud Cæſarem per epiſtolas conſpirationis in vitam patris, & decretæ à Regno fugæ accuſavit.

Cui

(a) Joſeph. Antiq. l. 16. c. 11. (b) Antiq. l. 16. c. 12.
(c) An. M. 3996. ante Ch. 4. ante Ær. 8. (d) An. M. 3998. antè Chr. 2. antè Ær. 6.
(e) Joſeph. Antiq. l. 16. c. 16. (f) An. M. 3998. ante Chr. 2. ante Ær. 6.

Cui Auguſtus reſpondit, ſi filios in vitam patris quidquam tentaſſe conſtaret, poſſe ut Parricidas puniri; ſecus, ſi decretæ tantummodò fugæ rei invenirentur, mitiùs cum iis agendum: concilium in urbe Phœnicum Berytho ex amicis, & Archelao Cappadocum Rege cogendum, ut de filiis quid agendum decerneretur. Amicos igitur, quos libuit, Berythum Herodes convocavit (a): Archelaum verò, & Aleſandrum & Ariſtobulum minimè: hos enim in Sidoniorum urbe Platane reliquit, propè Berythum, ut faciliùs, ſi opus foret, accerſerentur.

Herodes itaque concilium 150. virorum ingreſſus, filios ſuos ardenti ſatis oratione accuſavit; nec ea contentus, patre licèt indigna, filiorum ſuorum, ait, fatum non ab Auguſto ſolùm ſibi permitti, verùm & ab ipſis Hebræorum legibus, quæ filium à parentibus accuſatum, manu ipſi ab iiſdem impoſita, à populo lapidibus obruendum ſtatuebant (b). Sibi quidem iis pœnis filios mulctandi poteſtatem eſſe, verùm & aliorum ſententias audire maluiſſe: cæterùm ſe pro certo habere, ipſos in ſuam ſententiam ituros, ut juſtæ ſeveritatis, qua filii efferati puniendi ſunt, exemplum poſteritati mandaretur.

Saturninus conſularis, Concilii præſes, & tres ipſius filii, Alexandrum & Ariſtobulum pœna quidem, ſed non capitali mulctandos judicavere. Volumnius tamen mortis reos eſſe pronunciavit; cujus ſententiam pleriſque ſequentibus, illorum mors ſuffragiorum numero decreta eſt. Hos igitur Herodes Tyrum duxit; quò veniens Nicolaus Damaſcenus, a Rege quid de filiis amici ſentirent, rogatus, in cuſtodiam dandos à pleriſque cenſeri reſpondit, ut commodiùs de rei ſumma decerneretur. Herodes verò poſt diuturnam animi agitationem, filios Cæſaream adduxit.

Omnes Cæſareæ cives, quid Rex decerneret, anxiè præſtolabantur. Principum infortunia cum quiſque defleret, nemo miſericordiam illorum præferre ob Regis metum audebat. Veteranus autem Herodis miles, cui filius erat, nomine Tyro, ejuſdem, ac Alexander, ætatis, Regem liberè arguere auſus, militeſque, & Tribunos, & plebem miſericordia eorum Principum motos, ipſorum fatum deplorare demonſtrans, irati demùm Regis juſſu in carcerem cum filio, iiſque omnibus, quos ille nominaverat, conjectus eſt; cumque ipſe, & filius torqueretur, Tyro denique ſe Regem interficere, ac dura quæque ob Alexandrum perpeti deinceps decreviſſe indicavit. Tunc Rex filios interficere deliberans, Sebaſten, olim Samariam, miſſos, juſſit ſtrangulari. Eorum cadavera Alexandrium delata ſunt, ubi & Majores eorum condebantur. Hic fuit Aleſandri, & Ariſtobuli, Herodis Magni ex Mariamne filiorum exitus an. M. 3999. antè Chr. 1. antè Ær. 5.

Addit Joſephus Glaphyram Aleſandri uxorem, ab Herode ad Archelaum ipſius patrem miſſam, *Jubæ* Mauritaniæ Regi ſecundis nuptiis junctam, tum Archelao Aleſandri viri ſui prioris fratri nupſiſſe. Aleſandrum vero illi per quietem viſum, ipſam quod ſui amorem ex animo deleverit, nec ſecundis nuptiis contenta, ad tertias tranſierit, redarguiſſe. Ut autem ſe priſtini amoris non oblitum oſtenderet, illam ab eo opprobrio poſt quinque dies liberaturum, ſibique ſuam vindicaturum, & planè poſt dies quinque Glaphyram obiiſſe (c).

VIII. ALEXANDER, Impoſtor Judæus, ex urbe Sidonis, Alexandro Mariamnes, & Herodis filio, de quo ſuperiùs, adeo ſimilis, ut qui illum agnoverant, hunc eumdem eſſe crediderint (d). Hic ſe & Ariſtobulum fratrem ſuum, amici beneficio, morti ereptos, aliis ipſorum loco ſuppoſitis, jactabat. In Cretam inſulam delatus, à Judæis ut Herodis filius habitus eſt, ingentibuſque divitiis, ut iter Romam conficeret, adjutus. Puteolos etiam veniens, à Judæis perquam honorificè acceptus eſt. Ipſos etiam Herodis amicos, & Alexandro maximè familiares, ſimillima Alexandro ſpecies fefellit; adeout qui Romæ morabantur Judæi, obviam illi turmatim procederent. Ità Regio comitatu Romam ingreſſus eſt.

Auguſtus tantum minimè captus eſt; quippe qui hominem, & ore, & manibus labore occallentibus, impoſtorem cognoverit. Ipſum igitur continuò quid de Ariſtobulo fratre, & cur Romam fortunæ ipſius particeps minimè veniſſet, interrogavit. Qui in inſula Cypro remanſiſſe reſpondit, ne maris periculo ambo exponerentur; utque, ſi alter periret, alter ſupereſſet. Tunc Auguſtus vultu ad gravitatem compoſito, juvenem ſevocans, ait: Si veritatem revelabis, te vivum remittam. Dic ergo quis ſis, quive ad hoc te impulit; non enim talis es, ut hanc technam tute ſtruere noveris. Ille dolum coram Imperatore celare non ſuſtinens, fallaciam expoſuit: quem Auguſtus, ut promiſſis ſtaret, ad triremes miſit, ut corpore, & viribus validum: doli verò auctorem, quem ipſe manifeſtaverat, morte damnavit. Hæc geſta paulò antè Herodis mortem, an. M 4001. Chr. 1. ante Ær. 3.

IX. ALEXANDER filius Phalaelis è Salampſo Herodis ſorore. *Joſeph. Antiq. l. 17. c. 7.*

X ALEXANDER filius Alexandri Herodis filii, è Glaphyra Cappadocum Regis filia. *Joſeph. Antiq. lib. 17. cap. 17.*

XI. ALEXANDER, Tigranis filius, & Alexandri ab Herode occiſi nepos. Jotapen Antiochi Comagenorum Regis filiam duxit. *Joſeph. Antiq. lib. 17. cap. 7.*

XII. ALEXANDER, Judæus Cyrenæus à Sicariis, ſivè Latronibus coram Catulo ejus Provinciæ Præſide accuſatus, interfectus eſt (e).

XIII. ALEXANDER, Simonis Cyrenæi filius, & Rufi frater, cujus pater Servatorem noſtrum ad Calvariæ locum progredientem, in cruce ferenda adjuvit. Marc. 15. 30.

XIV. ALEXANDER LYSIMACHUS, Alexandriæ Alabarcha, & Philonis frater, qui cum Sacerdotibus fuiſſe creditur, dum Apoſtoli ad concilium ducti ſunt, ut de doctrina, & moribus ſuis dicerent (f). Hic ſui ævi ditiſſimus fuit, ingentia Templo munera obtulit, & filium habuit Tiberium Alexandrum, qui à Judaica ad Paganorum Religionem tranſiit (g). Antoniæ etiam Auguſtæ res geſſit. Hunc Caligula carceri addixit, è quo tantum Claudio imperante liberatus eſt (h).

XV. ALEXANDER, Judæus Epheſius, qui populum adversùs Paulum conjurantem ſedare tentavit (i). Ut vero in theatrum apparens, Judæus cognitus eſt, Epheſii validiori voce conclamarunt: Magna Diana Epheſiorum. Utrum autem hic Alexander amicus an hoſtis eſſet Pauli; Judæuſne Religione, an Chriſtianus, ignoratur.

XVI. ALEXANDER, faber ærarius, de quo S. Paulus I. ad Timotheum 1. 19. 20. Hunc Apoſtolus cum Hymenæo Satanæ tradidit, quod in veritatem blaſphemaſſent.

I. ALEXANDRA, alio nomine *Salome*; (*Salome* enim apud Hebræos (k) idem ferè audit ac apud Græcos *Alexandra*; & idem Græcè *Alexandra*, ac *Salome* Hebraicè. Poſtremis Hebraicæ Reipublicæ temporibus duo cuique nomina indebantur: Græcum unum, alterum Hebraicum, ſeù Syriacum). *Alexandra* priùs Ariſtobulo *Philelleni*, ſeù Græcorum amico, ex quo filios minimè ſuſcepit: tum Alexandro Jannæo nupſit, Ariſtobuli prioris viri fratri, cujus hiſtoriam narravimus, verbo *Alexander Jannæus*. Cum hoc 27. annos vixit, cumque illum morti proximum, ante arcem *Ragaba*, ab ipſo obſeſſam, videret, calamitates, quibus & ſe, & filios expoſitos, ob inexpiabile Judæorum odium, relinquebat, expoſuit (l).

Cui Alexander pacatum Regnum habituram ait, ſi mortem ſuam militibus poſt Ragabæ victoriam tantum

tum

(a) Antiq. l. 16. c. 17. (b) Vide Deut. 21. 18. 19. 20. (c) Joſeph. Antiq. lib. 17. cap. 15.
(d) Antiq. lib. 17. cap. 14. (e) Joſeph. de bello lib. 7. cap. 38. circa an. Chr. 73.
(f) Act. 4. 6. an. Chr. 34. (g) Joſeph. Antiq. lib. 20. cap. 3.
(h) Antiq. lib. 19. cap. 4. (i) Act. 19. 33. an. Chr. 57. (k) *Pacifica, felix. Alexandros* Græcè, hominum adjutor, ſivè hominum adversùs aliorum hominum vim defenſor. (l) Antiq. l. 13. c. 23.

Digitized by Google

tum aperiret; tum Hieroſolymam rediens, convocaret Phariſæorum proceres, quorum maxima erat inter Judæos authoritas, adeout faciliime eaoſum populis, quem ipſi odiſſent, & iiſdem amicum facerent, quem ipſi diligerent. His igitur, ſubdidit, cadaver meum exhibe, & omnem iis poteſtatem in ipſum permitte, ue eo in meæ ſuperbiæ ultionem pro ſibito abutantur, ſeù illud in cloacam inſepultum projicere, ſeù quavis alis injuria afficere libuerit. Inde te nihil ipſis inconſultis in Regni moderamine facturam promere. Hæc ſi præſtiteris, & me ſplendido funere efferendum, & te pacatum Imperium habituram ſcito (a).

Alexandra igitur viri conſilium ſequuta (b), Phariſæi his honoribus evicti, Regem maximis palam laudibus extulerunt, eum ſcilicet Regnum juſtè adminiſtraſſe, ipſumque dignum, cujus funus ſummo honore à populo celebraretur. Horum verbis populo perſuaſo, tanto honore elatus eſt Alexander, ut nemo antea Rex tam ſplendidum funus habuerit. Hic decedens duos filios reliquit, Hircanum, & Ariſtobulum; Regni verò adminiſtrationem Alexandræ commiſit. Quæ pacificè, & feliciter Regnum adminiſtravit, cum omnia, quæ ab Alexandro viro ſuo adverſus populum geſta fuerant, improbare videretur. Cæterùm reverà ipſa Reginæ nomine, Phariſæi poteſtate fruebantur. Quaſdam tamen magni momenti res ſuo arbitrio geſſit, & ingentem militum copiam ſuo ſtipendio alebat; adeò ut finitimis ſe formidabilem reddiderit, & ab ipſis obſides acceperit.

Alexandra rerum potiente, Regnum tranquilla pace fruebatur: nec ullus exterus hoſtis populi tranquillitatem perturbabat. Phariſæi tamen turbas aliquas concivere, cum à Regina 800. hominum ab Alexandro crucifixorum ultionem repeterent, & hujus immanitatis authores ſibi permitti poſtularent. Quemdam igitur, Diogenem nomine, primò jugularunt, tum alterum; itaut nulla Alexandri amicis ſecuritas ſupereſſet. Aulicorum itaque proceres, & qui in defuncti Regis exercitu militaverant, Ariſtobulo præcedente, & eorum, quæ gerebantur, indignationem ore præſeferentes, ad Regias ædes concurrerunt (c). Tum Reginam poſtularunt, ut, quando nulla veteris ſervitutis ratio haberetur, cedere ſaltem, & vitam à Phariſæorum inſolentia ſervare liceret. Cæteris verò concitatiorem ſe præbuit Ariſtobulus Alexandræ filius, qui matrem vehementiori oratione redarguit. Illa quid ageret, incerta, veteres hoſce Miniſtros in diverſas Regni arces diſtribuit, exceptis Hircanio, Alexandrio, & Macherunte, in quibus quæque pretioſiora congregaverat.

Paulò poſt (d) Alexandra Ariſtobulum filium cum exercitu Damaſcum miſit, ut Ptolomæum Mennæum, qui urbem hanc infeſtabat, expelleret. In qua expeditione nihil memoria dignum ab Ariſtobulo geſtum eſt. Poſt hæc (e) cum Tigranes ad Ptolomaidem obſidendam veniſſet, Alexandra Legatos ad illum cum muneribus miſit, qui à finibus ejus Regni illum precariò averterent. Tigranes Legatis honorificè acceptis, Reginæ rationem ſe habiturum pollicitus eſt. Interim in Armeniam redire coactus eſt, ut Lucullo illam vaſtanti reſiſteret.

Alexandra denique graviter ægrotante, Ariſtobulus ipſius filius, eorum, quæ jamdiù decreverat, executionem differendam non eſſe arbitratus eſt. Quamobrem noctu, unico tantùm famulo comitante, ad omnia caſtella, quibus paterni amici præerant, profectus eſt, ut illorum potitus, Phariſæos anteverteret, quos Regnum occupaturos timebat. Craſtina verò die, ut illuxit, cognito Ariſtobuli diſceſſu, metuit Regina, ne aliquid moliretur: eamque ſuſpicionem frequentes nuncii confirmarunt, qui arces pleraſque ſe Ariſtobulo dediſſe nunciarunt.

His auditis Regina perterrita, Ariſtobuli uxor & filii, quos ille Hieroſolymis reliquerat, comprehenſi ſunt, & in arce Templo proxima ſervati. Interim Ariſtobulus breviſſimo tempore 22. caſtellis occupatis, ingentem exercitum militum ſe ſponte ſequentium coegit. Hujus frater Hircanus, & Judæorum proceres Reginam adiere, ut aliquo modo rebus provideret: id verò, quo opprimebatur, deliquium, omnem belli cogitationem avertebat. Paulo igitur poſt, annos 73. nata, poſt novem adminiſtrationis annos, obiit an. M. 3935. ante Chr. 65. ante Ær. 69.

II. ALEXANDRA, Ariſtobuli filia, & Philippionis, Ptolomæi Mennæi Principis Chalcidis, provinciæ inter Libanum, & Antilibanum ſitæ, uxor (f); quam Ptolomæus ipſe adamans, occiſo Philippione, in uxorem duxit.

III. ALEXANDRA, Hircani Pontificis filia, & uxor Alexandri filii Ariſtobuli, Ariſtobuli, inquam, Hircani Pontificis fratris, & Alexandri Jannæi Judæorum Regis filii. Hæc Alexandra filios habuit Mariamnem Herodis Magni uxorem, & Ariſtobulum, quem Herodes eodem anno, & ad Summum Pontificatum evehi, & in aquis demergi cum Jericho verſaretur, curavit (g).

Herodes, Hircano interfecto, acceſſitum Babylone Sacerdotem, *Ananelum* nomine, Pontificatu induit. Quo Alexandra adeò mota eſt, ut ad Cleopatram, Antonii uxorem, ſeù potiùs dominam ſcripſerit, ipſam deprecans, ut ab Antonio Pontificatum Ariſtobulo filio ſuo, Mariamnes fratri, & Hircani nepoti peteret (h). Antonius, cum jam de ſumma Mariamnes, & Ariſtobuli venuſtate audiſſet, ad Herodem ſcripſit, ut ſibi Ariſtobulum mitteret. Herodes hoc ſe minimè præſtare poſſe reſpondit; & uxoris ſuaſionibus evictus, Pontificatum Ariſtobulo illius fratri contulit, quem tamen facilè oppreſſit, ut ſuperius innuimus. Interim de Alexandra valdè conquerens, quod Antonium his rebus immiſcuerit, illam intra Regiam ſe continere, nec ullis negotiis implicari juſſit (i). Inſuper adeò obſervatam habuit, ut nihil eorum, quæ gerebat, aut loquebatur, Regem lateret.

Alexandra ſe quodam captivitatis genere obſtrictam ægrè ferens, per literas cum Cleopatra conqueſta eſt (k). Cui Cleopatra, ut quantociùs in Ægyptum cum filio Ariſtobulo ſecederet, ſeque eos libentiſſime accepturam, reſpondit. Duas igitur ſandapilas pro ſe, & filio parari curavit; quas ad mare in navim illuc paratam deferri juſſit. Herodi verò fraude hac per ſervum Alexandræ indicata, ipſe ſandapilas, in quibus ipſa cum filio vehebantur, juſſit retineri. Nihil tamen mali ab Herode perpeſſa eſt Alexandra, quod ille Cleopatræ odium metueret.

Occiſo ab Herode Ariſtobulo, Alexandræ filio (l), hæc ejus mortem fortunæ caſum, meliorem ultionis occaſionem præſtolans, credere ſe ſimulabat (m). Interim & filii mortem, & vitæ ſuæ diſcrimen Cleopatræ ſignificavit; quæ uſque adeò Antonium ad Principis illius mortem ulciſcendam ſollicitare non deſtitit, ut tandem Antonius Herodem coram ſe cauſam dicere, & de crimine, quod illi imputabatur, ſe purgare coegerit. Herodes illuc profectus, muneribus Antonii animum adeò ſibi devinxit, ut ille impoſterùm Cleopatram minime auſcultaverit, & Herodem, utpote Judæorum Regem, nullam cuipiam factorum ſuorum rationem reddere debere dixerit.

Interum, cum vulgò Herodes ab Antonio interfectus diceretur, Alexandra Joſephum Herodis patruum, eo abſente Regnum adminiſtrantem, ſollicitavit, ut ſe & Mariamnem ad Romanos traduceret, ut, turbis in civitate forte concitatis, ipſæ in tutum reciperentur. Quod tamen executioni mandatum minime fuit, cum eodem tempore Herodis epiſtolæ rumori prorſus contrariæ pervenerint. Cumque Herodes Hieroſolymam rediiſſet, omnium, quæ geſta ſunt, à Salome ſorore certior

 factus,

(a) An. M. 3926. ante Chr. 74. ante Ær. 78. (b) Antiq. lib. 13. cap. 24.
(c) An. M. 3933. ante Chr. 67. ante Ær. 71. (d) An. M. 3934. ante Chr. 66. ante Ær. 70.
(e) Eodem anno. (f) Antiq. l. 14. c. 13. (g) Antiq. l. 15. c. 3. (h) Antiq. l. 15. c. 2.
(i) An. M. 3968. ante Chr. 32. ante Ær. 36. (k) Antiq. l. 15. c. 3. an. M. 3969. ante Chr. 31. ante Ær. 35.
(l) An. M. 3970. ante Chr. 30. ante Ær. 34. (m) Antiq. l. 15. c. 4.

factus, Alexandram in carcerem obtrudi vinculis obſtrictam juſſit.

Mariamne occiſa (a) ob eas, quas alibi commemorabimus, cauſas, Alexandra æquale ſibi fatum metuens (b), Mariamnes mores vituperare, & mortem comprobare ſe ſimulavit. Cum igitur illa ad ſupplicium duceretur, Alexandra ipſam injuriis aggreſſa vix ſe continuit, quin in miſeræ capillos involaret: omnibus feminei animi imbecillitatem, & humilitatem indignantibus. Cum autem Herodes ob conceptam ob Mariamnes mortem triſtitiam, adeo ægrotaſſet, ut vita etiam periclitaretur; Alexandra morti proximum rata, duarum arcium, quæ Hieroſolymis erant, Præſides ſollicitavit, ut eas filiis, quos Herodes ex Mariamne ſuſceperat, traderent; ne, Rege obeunte, alii poſſiderent. Hi minimè Alexandræ fautores, Herodem de his certiorem fecere; qui ſtatim Alexandram juſſit interfici: quod & actum eſt an. M. 3976. ante Ch. 24. ante Ær. 28.

IV. ALEXANDRA, Phaſeli, Herodis Magni fratris, filia. Timiæ, incolarum Cypri Inſulæ potentiſſimo, nupſit, & ſine liberis obiit (c).

ALEXANDRIA, celeberrima Ægypti urbs, ab Alexandro Magno extructa (d), inter Mediterraneum, & Lacum Mærida ſita (e): quo in loco, qua portui vicinior eſt, antea pagus erat *Rachotis* nomine. Hanc deſignavit, & metatus eſt Dinocrates celebris Architectus. Alexandriæ nomen frequenter in Latino Textu Librorum veteris Teſtamenti, ante Regnum Alexandri ſcriptorum, legitur (f): in Originali tamen Hebraico minimè reperitur; ſed ejus loco *No-Ammon*, quod Dioſpolim in Delta inter Buſirim ad meridiem, & Mendeſim ad Boream, ſignificare videtur.

(Tradunt Arabes Urbi illi nomen fuiſſe Caiſſoum, antequam vel reſtitueretur, vel augeretur ab Alexandro Magno (g). Dinocrates ille, qui condendæ Urbis ideam ſubminiſtravit, ipſiſſimus erat Architectus, quo dirigente, reſtitutum eſt Templum Dianæ Epheſinæ, incendio abſumptum ab Eroſtrato. Cura illi impoſita dirigendi novæ Urbis operis; ſed quò citiùs urgeretur, atque ut præeſſet rei, cura demandata eſt ab Alexandro e Ducibus ſuis Cleomeni (h). Patriam habebat Cleomenes Naucratidem in Ægypto, & Alexandriæ conditorem ipſum appellat Juſtinus lib. 13. cap. 4. quòd ſcilicet augendæ plurimum contulerit. Aridæus frater Alexandri commiſſum ſibi munus habuit deferendi cadaver ejus Principis Babylone Alexandriam, cui rei parandæ biennium impendit. Pompam ejus tranſlationis deſcribit Diodorus Siculus. Percrebuerat vaticinium, loco illo ſepulturæ Alexandri deſtinato, felicitatis plurimum ſperandum eſſe; quare iſti omini comparando acriter decertabant Urbium & Provinciarum Præſides. Propoſitum fuit deferre cadaver Aigum in Macedonia, locum Regum ſepulturæ deſtinatum; ſed Ægypti cauſa potior. Depoſitum fuit primò Memphi, tum Alexandriam tranſlatum. Fertur ejus cadaver in loculo aureo repoſitum fuiſſe melle conditum.

Paruit Alexandria Græcis primùm, tum Romanis, deinde Græcis iterum; quoadusque eam ſibi adjecerunt Arabes, Califa Omaro III. Mahometi ſucceſſore. Situs Urbis commodus inter Mediterraneum & mare Rubrum, atque ad Nilum, eò redegit Orientis & Occidentis commercium omne, effecitque, ut e florentiſſimis totius Orbis nemini concederet. Quo tempore in poteſtatem Arabum venit (i), ambitu ſuo continebat 4000. palatia, totidem balnea, 4000. Judæos tributarios, 400. fora, 12000. olera fructuſque vendentes. Ditiſſima olim ad miraculum & florentiſſima Urbs in vicum hodie dejecta eſt, nulla alia veteri magnificentia ſpectabilis, niſi ruinis, priſtinæ gloriæ veſtigiis (k). Ægyptii ſeu Cophtæ appellant *Raſhit*, ex nomine vici cujuſdam antiqui, cujus ſitum tenuit. Vide infra *No-Ammon*, & *Thebes*.

Venerantur hodie uſque Chriſtiani Alexandriæ Templa S. Marci, & S. Catharinæ, quorum illud celebre ex ſepulchro S. Evangeliſtæ, cujus corpus ſubſtulerunt Veneti. Spectare hic licet tabulam, quam pictam à S. Luca refert traditio Cophtorum, Sanctum locum tenentium; exhibet Archangelum S. Michaelem medio corpore majorem, manu gladium verſantem. Alterum Templum inclytum eſt martyrio S. Catharinæ, quæ ſub Maximino mortem pro Jeſu Chriſto oppetiit.

Nec prætereundæ ruinæ magnificarum ædium Cleopatræ, ſicut neque extra Urbem columna Pompeii, cujus truncus æquat 6. perticas, ex unico marmore, quod vocant *granito* (l); columna eſt omnium, quotquot uſpiam ſpectentur, pulcherrima.)

Poſt Alexandri Magni obitum, Ptolomæus Soter illius cuſtodiæ Præfectus, ejus oſſa Alexandriam deferri curavit; eamque Regni ſui Metropolim ſtatuit. Ptolomæi deinde ſucceſſores 293. annis in ea civitate regnarunt. Horum Catalogum, quòd Judæorum Reſpublica cum Ægypti Regibus, Alexandriæ imperantibus, magnam connexionem habeat, hic exhibemus.

Alexander Magnus obiit an. M. 3681. ante Chr. 319. ante Ær. 323.

Ptolomæus Lagi filius, Soter cognomine, 39. annis regnavit. Obiit an. 3720.

Ptolomæus Philadelphus 39. annis regnavit. Obiit ao. 3758.

Ptolomæus Evergetes 25. annis regnavit. Obiit an. 3783.

Ptolomæus Philopator 17. annis regnavit. Obiit an. 3800.

Ptolomæus Epiphanes 24. annis regnavit. Obiit an. 3824.

Ptolomæus Philometor 37. annis regnavit. Obiit an. 3861.

Ptolomæus Evergetes, ſeu Phyſcon 53. annis regnavit, aliquamdiu cum Philometore fratre ſuo, deinceps ſolus. Obiit an. 3888.

Ptolomæus Lathurus 36. annis, menſibus 6. regnavit. Obiit an. 3923.

Cleopatra Lathuri filia, & Alexandri I. uxor menſibus 6. regnavit.

Alexander I. Lathuri nepos electus, an. 3924. Obiit anno 3943. Vide Uſſer. ad annum M. 3924.

Alexander II. Alexandri I. filius ab Alexandrinis pulſus ao. 3939.

Ptolomæus Nothus, ſivè Auletes, Lathuri filius 13. annis regnavit. Obiit an. 3953.

Ptolomæus *Dionyſius*, ſeu *Bacchus* 3. annis, menſibus 8. regnavit. Obiit an. 3957.

Cleopatra regnavit ab an. 3957. Manus ſibi intulit an. 3974.

Poſt Chriſtum, Alexandria Evangelii lucem à S. Marco S. Petri Diſcipulo accepit, circa an. Ch. 59. vel 60. Qui martyrio coronatus circa an. 68. ſucceſſorem habuit *Anianum*, quem in primo ad hanc urbem itinere ad fidem adduxerat.

ALEXANDRIUM, caſtellum ab Alexandro Jannæo Judæorum Rege, in montis cacumine, prope *Coreas* ædificatum (m). Verus *Corearum* ſitus ignoratur; certum tamen eſt, has primam eſſe Judææ civitatem ad Samariæ partes, in via Jericho, Ephraim, & Benjamin confinia verſus (n). Dirutum à Gabinio Alexandrium (o), ab Herode reſtitutum eſt (p). In hac arce plerique ex familia Alexandri Jannæi ſepulti fuere; eoque cadavera Alexandri, & Ariſtobuli filiorum ſuorum, quos in urbe *Sebaſtes*, ſeu *Samariæ*, interfecerat (q), Herodes juſſit aſportari.

ALEXAS, tertius vir Salomes, Herodis magni ſororis: cui Herodes imperavit, ut ſe expirante, omnes

(a) An. M. 3976. ante Ch. 24. ante Ær. 28. (b) Antiq. l. 15. c. 11. (c) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 7.
(d) An. M. 3673. ante Chr. 327. ante Ær. 331. (e) Arrian. l. 3. Strabo l. 17. Pauſan. in Eliacis.
(f) Nahum. 3. 8. Jerem. 46. 25. Ezech. 30. 14. 16. (g) Herbelot Bibliot. Orient. pag. 320. (h) Arianus. Q. Curt. &c.
(i) Bibl. Orient. pag. 320. (k) Tevenot 1. part. lib. 2. cap. 1. 2. (l) Granitum marmor eſt, quod liquaſſe Veteres arte quadam mira creduntur. (m) Antiq. l. 13. c. 24. & 26. 2. & 14. 6. 10. (n) Vide Joſeph. l. 5. de bello c. 4. & Antiq. l. 14. c. 6. Antiq. (o) l. 14. c. 10. (p) Antiq. l. 14. c. 27. (q) Antiq. l. 16. c. ult.

Digitized by Google

omnes Judæorum proceres, quos in Hippodromo Jericho incluſerat, trucidaret, ut Judæa tot virorum illuſtrium mortem lugens, Regis ſui funus celebrare videretur. Alexas verò crudelia Regis mandata contemnens Rege defuncto, omnes libertati reſtituit; quod illi Judæorum amorem & exiſtimationem conciliavit (a).

ALIAN, Primogen. Sobal, filii Seir. 1. Par. 1. 40.

* ALIMES, urbs in Galaaditide, trans Jordanem (b). Iſaias 15. 8 *Elim* memorat in Terra Moab. *Helmon-Deblataim* ſeù *Almon-Deblataim* in eadem regione reperitur. Idem fortaſſè ac *Alimes* in Machabæis.

ALLEGORIA, orationis figura, qua propriis alicujus rei nominibus, & ſermonibus ad aliam exprimendam utimur: eſt metaphora producta, & continuata. Ut quando Prophetæ populum Judaicum repræſentant ſub allegoria vitis, aut vineæ Domini manu ſatæ, excultæ, & irrigatæ, pro maturis fructibus, labruſcas aut amaros botros reddentia.

Frequentiſſimæ ſunt in Scripturis allegoriæ, metaphoræ, parabolæ, ſimilitudines, comparationes. Hoc enim loquendi genere Syriæ & Palæſtinæ populi maximè delectabantur, ait S. Hieronymus in Matth. 18., eoque in omnibus ferè, quæ dicebant, utebantur. Præcipuum Interpretis munus eſt, allegoricum ſenſum à literali diſtinguere, & ipſum allegoricum ſenſum ad literalem revocare. Veteres Judæi, ut Therapeutæ (c), Author Libri Sapientiæ (d), Joſephus (e), Philo (f), & poſt ipſos Patrum veterum plerique, hiſtorica Scripturæ loca, in quibus literalis ſenſus manifeſtiſſimè elucet, allegoricè intelligebant. Hæ tamen allegoricæ explicationes nonniſi ad devotionem ferè valent: nec pro argumentis ſumi poſſunt, exceptis tamen iis, quas Chriſtus ipſe, & Apoſtoli adhibuerunt. Vide inferiùs *Senſus Scripturæ*.

ALLELUJA, ſeù *Hallelu-jah*, ſcilicet *laudate Dominum*. In quorumdam Pſalmorum initio, vel fine invenitur (g). *Alleluja* ſolemnibus, feſtiſque diebus cantabatur. *Per vicos ejus* (*Hieruſalem*) *alleluja cantabitur*, ait Tobias 13. 12, loquens de Hieroſolymis reædificandis. S. Joannes in Apocalypſi 19. 1. 3. plures tubas in Cœlo *alleluja* occinentes ſe audiiſſe teſtatur. Idem etiam 24. ſeniores, & quatuor animalia antè Omnipotentis ſedem proſtrati repetebant.

Canticum hoc lætitiæ & laudis à Synagoga ad Eccleſiam tranſiit. Dum Sanctæ Fabiolæ parentabatur, *Sonabant Pſalmi, & aurata tecta Templorum reboans in ſublime quatiebat alleluja*, ait S. Hieronymus (h). Paleſtinæ Monachi cantato *alleluja*, ad vigilias nocturnas excitabantur (i). Ea in hoc verbo vis elucet, ut in nullum idioma transferendum putaverint Interpretes, ne illius dulcedo minueretur. Poſt plura ſæcula, Eccleſia hujus cantici uſum temporibus pœnitentiæ conſtitutis, & in cæremoniis funebribus interdixit; hinc nec tempore Quadrageſimæ, nec in Defunctorum ſolemnibus canitur. Nihilominùs in Miſſa Defunctorum, juxta Ritum Mozarabum, ad Introitum dicitur: *Tu es portio mea, Domine, alleluja: in terra viventium, alleluja, alleluja*. Dum S. Radegundis funus celebrabatur, pro *alleluja* gemitus reſonaſſe in ejus vita leguntur; quod aliquando *alleluja* in uſu fuiſſe demonſtrat, ut in funeribus S. Fabiolæ vidimus. In his tamen, quæ uſus ſunt, & diſciplinæ, cæremoniæ nunquam communes fuere.

ALLON, ex Tribu Simeon, filius Idajæ, & pater Sephai. 1. Par. 4. 37.

ALLOPHYLI, Græca vox, extraneos propriè ſignificans. In veteri tamen Teſtamento pro *Philiſtinis* communiter ſumitur. Vide titulum Pſalmi 55. & alibi.

(ALMA. S. Hieronymus, in locum illum Iſaiæ, ubi vox *Alma*, ſcribens, obſervat, abſtinuiſſe Prophetam à voce *Bethula*, quæ puellam ſive juvenem hominem ſignificat; ſed maluiſſe Alma præferre, quod ſonat Virgo nunquam virorum patens aſpectibus; id eſt enim ad literam *Alma* (k), deducta voce è radice ſonante *abſcondere*. Scitum eſt autem in Oriente puellas continere ſe ne prodeant in publicum, occluſaſque manere in Conclavi Matrum ſuarum, tanquam Religioſam vitam profitentes (l) apud nos. Paraphraſtes Chaldæus, & Septuaginta reddunt, Virginem. Akiba in Gemar. clari nominis Rabbinus, & Chriſtiani nonniſi oſor acerrimus, qui ſecundo ſæculo florebat, virginem interpretatur. In eandem ſententiam conſpirant Apoſtoli, Evangeliſtæ, & Judæi Jeſu Chriſto coævi, Meſſiam opperientes è Virgine naſciturum. Privilegium virginitatis aſſerunt Matri Dei Muſulmani omnes cum Mahometo.)

ALMAH, vox Hebræa *virginem* propriè ſignificans, juvenculam viris incognitam, innuptam. In hoc ſenſu invenitur in celebri loco Iſaiæ 7. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*. Hebræi vocem nullam habent, quæ meliùs apud ipſos virginem exprimat, ac *Almah*: attamen fatendum eſt, nil certitudini Prophetiæ Iſaiæ derogando, vocem hanc aliquando juvenculæ per abuſum tributam, nulla habita Virginitatis ratione (m); ut apud Latinos aliquando *virgo* dicitur, quæ caret virginitate. Vide noſtram Diſſertationem in locum Iſaiæ 7. 14. initio Iſaiæ.

ALMATH, nonus filius Bechor, filii Benjamin, 1. Par. 7. 8.

ALMATH, urbs Tribus Benjamin, urbi Anathoth juncta 1. Par. 6. 60. & 7. 8.; quæ refugii civitates erant in Benjamin.

ALMON, urbs Benjamin Joſue 21. 18. eadem fortaſſe ac *Almath*, cujus ſuperiùs meminimus. Sacerdotibus è familia Aaron conceſſa 1. Par. 6. 60.

ALMUGIM, ligni genus, de quo in 3. Regum cap. 10. 12. in Vulgata (n) redditum pro *lignis thyinis*, & in Septuaginta Interpretibus, pro *lignis dolatis*. A Rabbinis pro *Corallis* vulgò transfertur, ab aliis pro *ebeno*, vel *ligno Braſilico*, ſeù *pineo* vertitur. Corallium non eſſe conſtat, cum hoc nec ad muſica inſtrumenta, neque ad fulcra adhibeatur, ad quæ deſtinata fuiſſe ea ligna à Scriptura edocemur. Pinus vulgaris adeò eſt in Judæa, & in finitimis regionibus, ut fruſtrà è regione Ophir deduceretur. *Thyinum* lignum, citrinum eſt, veteribus ſatis notum, & ob odorem, & pulchritudinem magno in pretio habitum (o). E Mauritania advehebatur.

Nos lignum *Almugim*, ſeù *algumim*, vel tantùm *gumim*, tò *al* pro quodam articulo ſumpto, lignum oleoſum, & gummi abundans arbitramur, illud præcipuè, quod Armeniæ, aut Arabiæ gummi producit. Profectò gummi Armenum ex arbore ſimili arbori myrrham gignenti, provenire dicitur, & Arabicum ex acacia Ægyptia, quam idem eſſe ac lignum *Sethim*, de quo ſæpiùs Moyſes, arbitramur. Vide noſtrum Commentarium in 3. Reg. 10. 11. Ex quo Salomonis *almugim*, & Moyſis *Sethim* idem forent. Vide inferiùs *Sethim*.

I. ALOHE, pater Sellum (p). Alius etiam nominis ejuſdem Iſraelita legitur in 2. Eſdr. 10. 20.

II. ALOHE, arboris genus in India proveniens, octo aut decem pedum altitudine; cujus caulis coxæ magnitudinem habet, plura in vertice folia diffundit, craſſa & dentata, quæ inferiùs lata, inde ſenſim in acumen deſinunt. Hæc quatuor pedum longitudinem habent. Flos alohes ruber eſt, croceo intermiſtus, & duplex, veluti cariophyllus. Ex hoc flore fructus quidam gignitur, teres, & ingentis ciceris magnitudine, albus rubro mixtus. Ex ejus foliis cultro vulneratis ſuccus diſtillat, qui in vaſa recipitur.

(Orientales Geographi ſummo aſſenſu conveniunt, arborem Aloe, cujus eximius odor, non alibi increſcere niſi in Provinciis Indiarum intra primum clima; exquiſitiſſimum autem ſufficere Inſulam Senf in mari Indico

(a) An. M. 4000. ante Chr. 1. ante Ær. 5. Antiq. l. 17. c. 10. (b) 1. Mach. 5. 26. (c) Philo de vita contemplativa. (d) Sap. 18. 24. & alibi ſæpiùs (e) Joſeph. Proœmio in lib. Antiq. (f) Photius cod. 105. (g) Vide S. Hieronymum, ſeù Scriptorem ſub illius nomine, in Pſalmum 105. (h) Hieronymus in obitu Fabiolæ. (i) Idem in Epitaphio Paulæ (k) S. Hieronym. in Iſa. Er., *Alma non ſolùm puella, ſed cum* Ἐπιτάσει, *virgo abſcondita dicitur, & ſecreta, quæ nunquam virorum patuerit aſpectibus*. (l) Vide Philon. contra Flacc. & de Special. legib. (m) Vide Prov. 30. 19. *Viam viri in adoleſcentula*. (n) Almugim 2. Par. 11. 8. *Algumim* 70. Ξύλα πελεκητά, *ligna dolata* 3. Reg. 10. 15. Ξύλα πεύκινα 70. & Vulg. *ligna pinea*. (o) Plin. l. 13. c. 15. 16. (p) 2. Eſdr. 3. 12.

Digitized by Google

ſitum verſus Sinas (a). Malunt alii ex lignis Aloe probatiſſimum dari ab Inſula Comar, vel à Capite Comurim, ex quo quintalia duo muneris loco data Nouſchirran ab uno è Regibus Indiarum, ad ignem applicatum liqueſcebat, ardebatque veluti cera. Plurimum etiam ex eo ligno ſuppeditant Inſulæ Sumatræ & Ceilam. Satis hæc de Aloe.)

Nonnulli Interpretes Hebræo *ahalim* (b) alohem ſignificari exiſtimant. Legit Vulgata: *Ut tabernacula, quæ fixit Dominus*; at Hebraicus Textus verti poteſt; *ut ahalim à Domino plantata*. Septuaginta, & S. Hieronymus reddunt aliquando *ahalim* pro *ſtacte*, vel *aloe*. Cum verò aloe ſub arboris ſignificatione, in Arabia, aut finitimis regionibus communis non ſit; ſunt qui *ahalim* pro *Santalo* vertant; hæc tamen arbor veteribus fuit incognita; ipſique Recentiores, qui de hac diſſerunt, ex India deducunt. Eſt alia etiam aloe Syriæ, Rhodi, & Cretæ, aſpalathus dicta, arbuſtum foliis ſpinoſis, cujus ligno anteà decorticato, unguentarii utuntur, ut conſiſtentiam aliquam unguentis nimium fluentibus tribuant. (c)

III. ALOHE, ſeù *Aloe*, eſt planta, ſeù herba, cujus folia duarum unciarum craſſitiem habeat, hirſuta, & ſtriata; è quorum medio vagina prodit, granum album includens, leviſſimum, & ferè rotundum. In Gallia paſſim aloe invenitur. Ex hac ſuccus amariſſimus exprimitur, cadavera à corruptione defendens. Fabula eſt, quod dicitur, aloe centenis quibuſque annis tantùm efflorere, & ipſa flos dehiſcens, ſtrepitu ingenti reſonare. Sæpiſſimè in Regio Pariſiorum horto præter ſenſibilem ſtrepitum herba hæc efflorelcit. Veriſimilliumum videtur, hanc ſolam veram aloem eſſe; quodque de ligno aloes circumfertur, apud plurimos viros doctiſſimos fabuloſum habetur.

Ex hac herba aroma illud elicitur, *aloe* dictum; liquor amariſſimus, qui medicaminibus miſcetur, quibus cadavera à corruptione ſervantur. Nicodemus 100. libras myrrhæ, & aloes emit, ut Chriſti Cadaver mungeret (Joan. 19. 39.). In Proverbiis 7. 17. mulier meretrix lectum ſuum myrrha, aloe, & cynnamo conſperſiſſe dicit; & Sponſa in Canticis 4. 14. myrrham, aloen, & omne genus aromatum in Sponſi horto eſſe ait. Quibus in locis Hebræi legunt *ahalim*, quod Rabbini pro ſantalo intelligunt: plerique tamen pro aloe, de qua loquimur, vel de alia aloe Syriæ, de qua ſuperius, vertunt.

(ALOE, cùm plantæ nomen eſt, appellant Arabes *Sabr* (d); habentque perſuaſum exquiſitiſſimum omnium ſuſſici ab Inſula *Socotorah*. Addunt Alexandrum Magnum, ejus Inſulæ veteribus Incolis in Arabiam ac Æthiopiam translatis, ſubſtituiſſe in loco Macedones, ut colerent Aloe; Incolas autem Socotorah colligere folia ejus plantæ menſe Julio, excoquere verò in grandioribus ahenis, ut ſuccum exprimant; expreſſo replere utres, tum canicularibus diebus exponere ſoli.)

ALPHA, prima Græcorum litera, ut *Aleph* prima eſt Hebræorum. In Græco Alphabeto *alpha* unum vel primum valet. Unde Deus in Apocalypſi 1. 8. ſe *alpha & omega*, principium, & finem nominat.

ALPHABETUM HEBRAICUM. Vide *Literæ Hebraicæ*.

I. ALPHÆUS, pater S. Jacobi Minoris (e), primi Hieroſolymorum Epiſcopi. Alphæi uxor erat Maria, quæ SS. Virginis ſoror creditur (f): ex qua S. Jacobus *frater Domini*. Plures credunt eumdem eſſe ac *Cleopham*, de quo S. Lucas 24. 18. Ità Alphæum Græcè, Cleopham Syriacè, vel Hebraicè nuncupatum fuiſſe dicemus, juxtà ejus Provinciæ morem, in qua pleriſque viris duo nomina dabantur.

II. ALPHÆUS, pater Levi (g), ſeù S. Matthæi, à Dei Filio è telonio evocati, ut Apoſtolum, & Evangeliſtam faceret. De Alphæo nihil proditum eſt.

ALVA, ſeù *Alvan*, primus Sobal filius è ſtirpe Eſau, ſecundus Idumææ Princeps, Thamnæ ſucceſſit. Gen. 36. 23.

(ALVAH nomen eſt ligni, quo ingratum aquarum Mara ſaporem, indicante Deo Moyſes correxit (Exodi 15. 25.). Nomen quidem ejus ſilet Scriptura; ſed Alvah appellant Mahometani; tenentque ex eo fruſtulum cuſtodiſſe Moyſem, traditum continuata ſucceſſione à Patriarchis, initio ducto à Noe, qui in Arca apud ſe illud habebat (h). Repoſuit illud Moyſes, inquiunt, in Arca fœderis unà cum Manna & Tabulis Legis. Vox *Alvah* affinitatis habet plurimum cum Aloe, amarum ſanè ad exceſſum; tenentque Interpretum plures, Moyſem de induſtria adhibuiſſe amariſſimum lignum, quò magis magiſque Dei virtus, aquas potabiles reddens, ſentiretur. Tradit Joſephus ſumptum à Moyſe lignum, quod caſu habuit obvium.)

ALUS, ſivè Allus. Iſraelitæ cum in deſerto Sur morarentur, *Daphca* egreſſi ad urbem *Allus* venere (i). Hinc *Raphidim* petiere. In Libro Judith c. 1. 9. *Chelus*, ſeù *Chalus*, & *Cades* veluti duo valdè proxima loca ponuntur. *Allus* ab Euſebio, & S. Hieronymo in Idumæa, Gabalenen verſùs, ſcilicet circà Petram, Arabiæ deſertæ Metropolim, collocatur: hi enim Gabalenen propè Petram ponunt (k). *Allus* etiam *Eluza*, ſeù *Chaluza* nomen obtinet. A Notitiis in tertia Palæſtina, & à Ptolemæo inter Idumææ civitates numeratur. Targum Hieroſolymitanum in Geneſim 25. 18. & in Eandem 26. 22. deſertum Sur pro *Allus* vertit.

AMAAD, urbs Aſer. Joſue 19. 26.

AMADATHI, Amani Pater, ex Amalecitarum genere. Eſth. 3. 1.

AMAL, quartus filius Helem. 1. Par. 7. 35.

AMALECH, filius Eliphaz ex Thamna concubina, & Eſau nepos; *Gatham* ſucceſſor (l) in principatu Idumææ, quæ ad meridiem Tribus Juda jacet. Amalech pater fuit Amalecitarum, potentis populi, Arabiam deſertam quondam incolentis, inter Mare Mortuum, & Erythræum, ſeù inter Hevilam, & Sur. 1. Reg. 15. 7., nunc hic, nunc illic; certa enim illorum ſedes aſſignari non poteſt. Magnum civitatum numerum poſſediſſe minimè videntur; & unam fortaſſe tantummodo habuerunt, cujus mentio fit in 1. Regum 15. 5. Cæterùm in vicis, in ſpeluncis, & tentoriis vivebant.

Iſraelitas vix ex Erythræo egreſſos, Amalecitæ in deſerto Raphidim invadentes, eos, qui ob laborem defatigationemque poſt alios remanſerant, crudeliter necarunt (Exod. 17. 8.). Deus itaque Moyſi imperavit, ut Joſue Amalecitas aggredi juberet, & atrociſſimum illud facinus ante ſuos oculos ſemper futurum, illiuſque graviſſimam ultionem ſe repetiturum, in Libro ſcriberet. Aggreſſus igitur Joſue Amalecitas fudit, dum Moyſes cum Aarone & Hur manus in monte ad Cœlum orans levaret. Id contigit an. M. 2513. ante Ch. 1487. ante Ær. 1491.

Sub Judicibus, Amalecitæ cum Madianitis (m), & Moabitis (n) in Iſraelem conjurarunt, ſed illum Aod ab Eglon, & Amalecitis, Gedeon à Madian & Amalech liberavit.

Pluribus annis elapſis (o), Dominus Samueli imperavit (p), ut Saulem ad Amalech delendum ſuo nomine excitaret; recordatum enim Dominum crudelitatis, qua Iſraelis populum Amalech vexaverat, ipſum trucidandum, anathemate omnia, quæ ipſius fuiſſent, devovenda decreviſſe. Caveret, ne cuiquam parceret, aut quicquam illius concupiſceret; omnia, viros, fœminas, lactentes, infantes, animalia etiam cuncta ſuterficeret.

Saul igitur adversùs Amalecitas profectus, ad eorum Metropolim pergens, ipſos trucidavit, ab *Hevila* ad oſtia Euphratis, ad *Sur* ad Erythræum. Agag Amalecitarum Regem vivum comprehendit, omnem verò populum interfecit. Optima tamen animalium, & pretioſiora ſervavit, Dominicum præceptum tranſgreſſus.

Quod

(a) Bibl. Orient. pag. 913. (b) Num. 24. 6. (c) De ſignificatione ahalim vide Prov. 7. 17. & Cant. 4. 14.
(d) Bibl. Orient. pag. 727. Sabr. (e) Matth. 10. 3. Luc. 6. 15. (f) Vide Bolland. 9. April. (g) Marc. 2. 14.
(h) Bibl. Orient. p. 105. col. 1. & 1022. (i) Num. 33. 13.
(k) Euſeb. & Hieronym. in Onomaſtico voce Idumæa, & in Maſaris, & in Allud, vel Allus (l) Geneſ. 36. 12. 16. 1. Par. 1. 36. (m) Judic. 6. 3. (n) Judic. 3. 13. (o) An. M. 2930. ante Chr. 1070. ante Ær. 1074. (p) Reg. 15. 2. 3. &c.

Digitized by Google

Quod Sauli reprobationis, & infortuniorum cauſa fuit, ut vidimus verbo *Agag*, & verbo *Saul* inferius dicemus.

Poſt hoc bellum Amalecitæ in Hiſtoria raro leguntur. Aliquibus annis ab hoc prælio (a) Amalecitarum manus urbem Siceleg, quam David poſſidebat, & in qua uxores ſuas, & ſua condiderat, populati ſunt: David vero ex itinere, quod cum Rege Achis fecerat in vallem Iezrael, redux, eos perſecutus diſſipavit, & ſpolia ex urbe Siceleg ablata recepit 1. Reg. 30. 1.

(Hunc virum Cham patre ſatum tenent Arabes, nepotem ex filio Noemi; genuiſſe verò *Ad*, & avum fuiſſe *Schedad*; quæ planè traditio non ſpernenda. Vix utique perſuaderemur, Amalech filiam Eliphaz & nepotem Eſau authorem fuiſſe populi potentis adeò florentiſque, quales erant Amalecitæ tempore ſeceſſionis ab Ægypto. Refert Moyſes Gen. 14. 2. Abrahami ætate, diu ſcilicet ante natum Amalech Filium Eliphaz, quinque fœderatos Reges arma intuliſſe in regionem Amalech circa Cades, ſicut & in ditionem Amorrhæorum verſantium in Aſalonthamar.

Refert ipſe pariter Num 24. 20. Balaam ariolum, Amalecitidem regionem proſpicientem, emphaſi illa prophetica ita effatum: *Principium* (origo) *gentium Amalech, cujus extrema perdentur*. Hæc utique de origine Gentium ab Amalecitis non congruerent Amalecitis genti planè originis recentioris; non enim niſi tertia ab Amalech generatio tunc referebatur (*). Nunquam Amalecitis exprobrat Moyſes, arma intuliſſe illos in Iſraelitas *fratres ſuos*, quòd utique non omiſiſſet, ſi ab Eſau prognati, fraterna quadam neceſſitudine jungerentur Iſraelitis. In Scriptura tandem ſeſe ſemper junguntur Amalecitæ Chananæis, & Philiſtæis, Idumæis vero nunquam. Cum etiam Saul motis in Amalecitas armis prælio victos delevit, nihil ea de re commoti Idumæi, iniquius nihil in Iſraelitas moliti ſunt. A vero igitur non abludit, Amalecitas, de quibus in S. Scriptura frequentiſſimè, poſteros fuiſſe Chanaan, anathemati proinde devotos, uti & Amorrhæi; aliam verò planè diverſam gentem retuliſſe à poſteris Amalech, Eſau ex filio nepotis.

Deleti autem Amalech hiſtoriam ita retexunt Arabes. Pater fuit Amalech veteris cujuſdam Tribus Arabiæ, deletæ ſub Saula. Coaleſcebat ea Tribus ex iis tantùm Arabibus, quos *puros* appellant. Ex hiſce reliqui, cum poſteris Joctan & Adnan admixti, gentem conſtituerant *Moſarabum*, ſeu *Moſtarabum*, i. e. Arabum alienigenis populis admixtorum. Reputant inſuper, Goliath, qui certamine ſuperatus fuit à Davide, Regnum obtinuiſſe Amalecitarum; ex quo etiam genere acceſſiſſent Gigantes Palæſtinæ Joſue ſuppares; portionem tandem Amalecitarum ſeſe recepiſſe in Africam ætate Joſue, ſedeſque conſtituiſſe ſecundum latera Barbariæ ad Mediterraneum.

Ex Amalech natus (b) *Ad* Princeps inter Arabes celebratiſſimus. Ædificia aggreſſus eſt ſuperba, Urbem planè admirabilem, & Gigantibus ætatis ſuæ ſedem. Filium nonnulli tribuunt *Hus*, ac nepotem Aram filio Sem. Utcumque res habeat ſeſe, tradunt Muſulmani, Adad patrem fuiſſe Tribus Aditarum inter Arabes, quos exterminatos ferunt in pœnam neglecti Patriarchæ Heber, unum ſingulare Numen docentis. Ex *Ad* duo liberi nati, *Schedad* & *Schedid*. Hæc Arabes de Amalecitis.

* Prælium hoc maximè celebratur in Scriptura. Pervicaciter utrinque incerto Marte diu pugnatum eſt, in loco juxta montem Horeb ad collem prominentem ad radices montis, in cujus declivi locata credimus caſtra à Judæis. In eo deſcribendo parcus eſt adeò ſacer Hiſtoricus, ut veniam facilè impetraverim, ſi commentarium & conjecturas adjiciendas cenſuerim, in quibus ſanè operam impendiſſe præſtat potiùs, quàm ideis paſci confuſis & minùs appoſitis, quas ſubjiciunt imagines præliorum Scripturæ à pictoribus delineatæ; delineatæ, inquam, eo potiùs conſilio ut incautos obtruſis phantaſiis ſuis fallant, quàm ut nos inſtruant idea aliqua ingeſta de genuina Judæorum militari diſciplina. Solemne erat Aſiæ populis, adeoque & Hebræis, coacta phalange præliari, cùm utrinque æquis viribus certaretur; ſed phalange non adeo arcta confertaque maximè in fronte, ac apud Græcos mos erat. In plura velut agmina diſſecabatur, relictis in medio parvis intervallis recipiendis opportunè curribus & levioris armaturæ militibus, i. e. fundibulariis & ſagittariis. Inſtruebantur interdum ampliori quadrato agmine, æquis inter ſe intervallis diſtincti, cùm ſcilicet æquandæ fronti hoſtium impares eſſent. Porro hæc præliandi ratio per agmina quadrata, obtinens apud Aſiaticos & Hebræos, facile ex Ægypto repetebatur. Aſſertores hujus opinionis ſi quis flagitet, promptiſſimè exhibeam; ſi etenim gens illa in præliandi diſciplina à Moyſe uſque ad prælium Crœſi cum Cyro nihil immutaverat, uti facilè credimus, conſtabit utique, 40000. haſtarios Ægyptios auxiliarios Crœſi inſtructos fuiſſe in quatuor ampliora agmina quadrata; quibus non ſemel retuſus Cyrus; nec niſi tandem pacta deditione hoſti ſeſe permiſerunt; non enim niſi ex iis agminibus unicum Cyrus perrupit. Docet hæc Zenophon in Cyropædia, & in ſuo Opere de receſſu decem millium in prælio ad Cunaxam. Sed quando contra hos teſtes exciperemus, exempla hujus plurima ſuppeditat Scriptura; plura etiam Polybius, ad quem Lectorem remittimus, ſicut & Linguæ Græcæ myſteriis non initiatos revocamus ad Commentarium Polybii, ubi hanc præliandi diſciplinam habebunt ſub oculis in certamine Antiochi cum Ptolemæo Philopatore. Nec certatum eſt tantùm redactis in agmina ampliora peditibus, ſed & equitibus pariter, exiguo ſpatii relicto inter agmina. Ita pariter in prælio ſeſe geſſiſſe Hebræos conſtat; neque enim reputamus aliam Moyſem iniviſſe rationem, quàm quæ obtineret apud Ægyptios.

Ita perſuaſus, ſecarem ego Iſraelitarum exercitum in agmina plura, intervallis conſtitutis, receptui admodum neceſſariis. Porrò Amalech partes egit expertiſſimi Ducis, hoſtem in regione ſua non opperientis, ſed in ejus occurſum procedentis, ut oblato prælio ab aditu in regionem impediret. Laudat Benedictinus Commentator teſtimonium Philonis aſſerentis, Regem Amalecitarum, metu, ne ab Iſraelitis ditionis ſuæ agri vaſtarentur, præveniendos cenſuiſſe; quare copias duxiſſe ſuas in eorum occurſum, conſilio viam euntibus intercipiendi, ac vi reſiſtentes vi prohibendi. Commodè accidiſſet utique, ſi Author Sacer innuiſſet aliquid de copiarum Amalecitidarum numero ac viribus. Ejus defectum paucis utcumque ſupplet Liber Judith 4. 13. 14. depingens Amalecitas confidentes; *in virtute ſua, & in potentia ſua, & in exercitu ſuo, & in clypeis ſuis & in equitibus ſuis*. Quæ cùm ita ſint, inſtruendos cenſemus Amalecitas eodem militari ordine ac Hebræos, habentes in alis ad frontem lineæ atque inter ſpatia agminum, currus & equites.

Quibus utitur Scriptura loquendi phraſes, indicant opus fuiſſe Moyſi tota prodigioſæ virgæ potentia, tota precum ſuarum efficacia, ut validiſſimum hoſtem ſuperaret. Actum fuiſſet de populo, niſi Deus accurriſſet promptè, manuſque pro illis conſeruiſſet, precibus ſervi ſui motus. Copiarum Amalecitarum virtus, numerus & armorum præſtantia ſat utique valuiſſet Iſraelitis fundendis fugandiſque.

Victoria, de qua pro arbitrio diſponit Deus, tota Iſraelitis ſtetit; ſtetiſſet autem Amalecitis, niſi Aaron & Hur, qui è montis ſpecula à diſcrimine remoti rem totam unà cum Moyſe ſpectabant, protenſa brachia ejus Legiſlatoris in altum ſuſtinuiſſent. Sentimus utique in hac re myſterium, quod explicandum relinquimus Commentatoribus; brachia enim & manus in crucem pro-

(a) An. M. 2949. ante Chr. 1055.
* Eſau, Eliphaz, Amalech, Jacob, Levi, Caath, Amram, Aaron.
(b) Bibl. Orient. pag. 51. Ad.
* Obſervatio in prælium Raphidim Iſraelitas inter & Amalecitas Exodi 17.

Digitized by Google

protenſas victoriæ populi Dei unico fuerunt momento. Ita victus eſt Amalech, ut deleretur prorſus trucidaretorque; attamen nullum prælium fuit pervicacius; certatum eſt enim tota die uſque ad noctem, cùm habet Exod. 17. 12. *Manus Moyſis non laxabantur uſque ad occaſum ſolis.* Prælium hoc & prælii eventus unius Dei ſunt opus. *Scribe hoc*, ait Deus ad Moyſem, *ob monimentum in libro.*)

AMALECH, mons in Ephraim, ſuper quem ſita erat urbs Pharaton, ubi Abdon filius Hillel, Judex Iſraelis ſepultus eſt an. M. 2848. ante Chr. 1152. ante Ær. 1156. Judic. 12. 14.

I. AMAN, urbs Juda. Joſ. 15. 26.

II. AMAN, filius Amadathi Amalecitæ, è ſtirpe Agag; ſeù juxtà alia exemplaria, filius *Amadath Bugas* (a), vel *Gogas*, nempè è ſtirpe Gog. Poteſt etiam legi: *Aman filius Amadath, qui* Aman *erat Bagau*, vel *Bagaar*, ſcilicet Eunuchus, ſeù ſervus Regis Perſarum, in Textu Eſther dicti Aſſueri, fortaſſe tamen Darii filii Hyſtaſpis.

Amanum Amalecitam fuiſſe nullo conſtat argumento, præter ea, quæ in cap. 3. 1. Eſther leguntur: *qui erat de ſtirpe Agag*; cum in Græco 9. 24. ejuſdem Libri, & in Latino cap. 16. 6. dicatur *Aman, & mente Macedo*: quod in cauſa eſt, ut de ejus ſtirpe dubitemus. Quicquid ſit, Rex Aſſuerus ipſum pluris faciens, maxima ſuper omnes Aulicos dignitate extulit (b); omneſque Regis ſervi, qui Regiæ domus foribus aderant, genu ante ipſum flexo adorabant, cùm Rex ità præcepiſſet.

Mardochæus Reginæ Eſther patruus, qui tamen ſe nunquam talem prodiderat, ſolus illum adorare renuebat. Aman hoc cognito, cumque Judæum eſſe ſciens, utrum in ſententia perſeveraret, periclitari decrevit. Videns autem Mardochæum in ſua voluntate conſtantem, honores, quos alii ſibi impendebant, denegare; facti hujus ultionem non ab ipſo tantùm, verùm ab omnibus etiam Judæis, qui in Aſſueri Imperio vivebant, repetere deliberavit.

Itaque primo anni menſe (c), juxtà Feſtorum ordinem, qui ſeptimus erat anni civilis, Martii lunæ reſpondens, Aman miſſis ſortibus (quæ Perſarum ſuperſtitio eſt) qua die, quo menſe Judæos perderet, exquiſivit. Deus verò, qui ſortes regit, permiſit, ut 13. dies menſis Adar, qui ultimus eſt anni ſancti, ſortibus deſignaretur, integrum ſcilicet annum impium facinus differret.

Interim Regem adiens, Judæos, ab aliis populis ſeparatam vitam agentes, legibuſque & cæremoniis extraneis utentes, & Regis mandatia minimè audientes in ejus Imperio commorari narravit. Cum autem ad Regni tranquillitatem conferret eorum hominum licentiam cohibere, optimum fore, ſi illorum interitum juberet. Neve quid detrimenti è tot ſubditorum amiſſione Regis ærarium pateretur, ſe 10000. talentorum impenſurum promiſit (d). Incredibilem profectò privato ſummam; ſed Aman fortaſſe vel ſibi à Rege bona Hebræorum concedenda, vel oblatas divitias ab illo non recipiendas ſperabat.

Tunc Rex annulum, quo utebatur, digito ſuo detrahens, Amano dedit, dixitque; Argentum tuum tibi ſerva, populo, ut lubet, utere. Igitur Aman acceſſitis Regiis Notariis, edictum ſcribi jubet, quo Judæorum interitus in toto Aſſueri imperio, ad 13. Menſis Adar diem, ad annum ſcilicet à data literis ſtatuebatur. Edicto itaque per Regios curſores in Provincias miſſo, populis quælibet in Judæos ſæviendi, occidendique, & eorum bona diripiendi licentia permiſſa eſt. Idem etiam Suſis, ubi Aſſuerus reſidebat, edictum promulgatum eſt. Interea Judæis ſummo mærore oppreſſis, Aman lætabatur.

Mardochæus procellæ hujus cauſa, veſtibus diſciſſis (e), ſacco indutus, & cinere caput conſperſus pro palatii foribus flens verſabatur. Ingredi tamen indutum ſacco minimè licebat. Hujus rei certior facta à duobus Eunuchis Eſther, veſtem Mardochæo miſit, quam ipſe renuit. Tum illa Eunuchum ſibi inſervientem ad Mardochæum legavit, ut tanti doloris cauſam cognoſceret. Cui Mardochæus ab Amano in Judæos perpetrata narravit, & Regii edicti exemplar ad Reginam miſit, ipſam obteſtans, ut Regem pro gentis ſuæ ſalute deprecaretur.

Cui Eſther, ſibi Regem adire, niſi vocaretur, minimè licere reſpondit. Inſiſtenti autem Mardochæo, ipſam fortaſſe à Domino ad talem honorem adductam fuiſſe, ut ad conſimilem occaſionem pararetur, Eſther imperavit, ut cum populo in Synagoga tres dies, & noctes jejuniis, ac oratione conſumeret: eadem ſe cum ancillis facturam; poſt quæ Regem ſe adituram etiam cum vitæ diſcrimine pollicita. Igitur tertia jejunii die evoluta (f), Eſther ſplendidis ornamentis induta, Regem adiit. Qui ſceptrum extendens, quo gratam ſibi Reginæ præſentiam oſtendit, quid ſibi poſceret, poſtulavit; omnia enim, quæ peteret, obtenturam pollicebatur. Cui Eſther hoc tantùm ſe flagitare reſpondit, ut ipſe cum Amano ad convivium, quod ipſa parari juſſerat, veniret.

Annuit Aſſuerus; cumque exacto convivio Rex optimè vino, cibiſque diſtentus, Eſther rurſus, quid ſibi vellet, interrogaſſet, illa ſubdidit, poſcere ſe, ut Rex cum Amano ad convivium ſuum poſtero die rediret; ibi ſe demum Regi animum ſuum expoſituram. Aman igitur hilaris palatio egreſſus, ut Mardochæum ſibi minimè aſſurgentem vidit, ingenti furore exarſit. Interim domum rediens, uxori & amicis collatum ſibi ab Eſther honorem enarravit. Nihili tamen, ſubdidit, hæc faciam, dum Judæum Mardochæum mihi non aſſurgentem videro. Tunc Zares illius uxor, omneſque amici reſponderunt: Jube parari trabem 50. cubitorum altitudine, & cras à Rege in ea ſuſpendi Mardochæum pete. Placuit Amano conſilium, trabemque continuò præparari mandavit.

Craſtina igitur die ſummo mane (g) cum Aman in interius Regiæ domus atrium, Mardochæi mortem petiturus, veniſſet; Rex illum accerſens, ait: Quid fiet homini, quem Rex honoribus efferre deſiderat? Cui Aman, de ſeipſo ſermonem haberi exiſtimans, reſpondit: Hominem hunc, veſtibus Regiis indutum, Regio equo vectum, & Regio diademate inſignitum, per urbis plateas ab Aulicorum Principe duci oportet, ante ipſum clamantem: ſic honorabitur, quem Rex honorare voluerit.

Tunc Aſſuerus, vade, inquit, & quæ dixiſti, in Mardochæo Judæo exequere, qui inſtructam in me conjurationem nunciavit, nec ullum operis ſui præmium tulit. Aman præceptum illud, incredibili quamvis moleſtia, executus domum rediit, & Zare uxori ſuæ, & amicis, quæ ſibi acciderant, enarravit. Qui fauſtum Judæis præſagium ferentes dixerunt: ſi Mardochæus, ante quem cecidiſti, Judæus eſt, ipſi reſiſtere minimè poteris, ſed ei ſubjicieris.

Adhuc iis loquentibus, Aman ad Reginæ convivium accerſitus eſt. Cumque Aſſuerus hilaris, & ſatur (h), rurſus Reginam quid poſceret, interrogaſſet; illa, o Rex, ait, ſi coram te gratiam habui, meam, & populi mei vitam te rogo. Aſſuero autem roganti, quis tam audax in Reginæ vitam quicquam moliretur? reſpondit Eſther: Hic Aman, quem vides, capitalis noſter eſt hoſtis. Aman his auditis obmutuit, vultum Regis, & Reginæ ferre non ſuſtinens. Tunc Aſſuero furore percito, viridarium aulæ, in qua cœnaverat, proximum ingreſſo, Aman ad Reginæ in lecto de more diſcumbentis pedes procidit: tunc Rex in aulam regreſſus, & Amanum in eodem lecto cum Regina reſpiciens, vim ab illo Reginæ inferri ratus, exclamavit. Tunc Regii ſatellites Amano comprehenſo veluti ad ſupplicium deſtinato os, & vultum operuerunt. Indi-

(a) Vide Commentar. in Eſther. 3. 1. 2. (b) Eſth. 3. 2. 3. (c) An. M. 3495. ante Chr. 505. ante Ær. 509.
(d) Decem Talentorum millia, 4867. libris in ſingula, libras 48671875. ſolidos decem efficiunt. Quod ſi de Babylonico talento intelligatur, Euboicis minis 70. conſtante, juxtà Herodotum, ſcilicet aureis 700. juxtà Budæum, decem talentorum millia libras 21000000. conficiunt. (e) Eſth. 4. 1. &c.
(f) Eſth. 5. 1. 2. &c. (g) Eſth. 6. 1. &c. (h) Eſth. 7. 1. 2. 3. &c.

Indicante autem Hebrona, uno ex Regis Eunuchis, trabem, quam Amanus Mardochæo paraverat, Rex eumdem Amanum in illa ſuſpendi præcepit.

Suſpenſus igitur eſt Aman eadem die; ipſiuſque domum Rex Reginæ, & munus dignitatemque Mardochæo conceſſit. Decem etiam Amani liberi ſuſpenſi ſunt (a): novumque à Rege decretum pro Judæis, primum revocans, & de hoſtibus ſuis ultionem ipſis concedens, prolatum eſt. Id evenit an. M. 3496., ante Chr. 504. ante Ær. 508. Videantur verba *Aman*, *Eſther*, & *Mardochæus*.

AMANA, mons, de quo in Canticis Canticorum 4. 8. Sunt qui credant hunc eſſe Ciliciæ *Amanum*. Ad hunc uſque S. Hieronymus (b), & Rabbini (c) Iſraëlis regionem ad Boream protendunt; & certe huculque Hebræorum Imperium Salomonis tempore patebat. Amanus Syriam à Cilicia ſeparat, & à Mediterraneo uſque ad Euphratem porrigitur.

AMANA, mons trans Jordanem, in Tribu Manaſſis (d). Tribus à lacu Merom leucis diſtat, & totidem leucas radices illius occupant, ubi amæna vinea cernuntur; vertice ſemper nebula opertus, ea quo apud Arabes *Gebel Caucus*, ſeù *Mons ſenex* ob verticis canitiem appellatur. De hoc *Amana* Canticorum Sponſam loquutam fuiſſe arbitramur. Montem hunc, ſaltem hoc nomine, nuſquam à Joſepho, à S. Hieronymo, aut Euſebio cognitum video.

I. AMARIAS, Primogenitus Merajoth, Achitob Pontificis pater. Pontificatum ſub Judicibus tenuit; quibus verò annis, incertum. Hujus nomen in 1. Paralip. 6. 7. legitur. Si tamen Pontificatum exercuit, ipſum ante Heli, cui ſucceſſit *Achitob*, in 1. Paralip. 6. 7. ſtatim poſt *Amariam* enumeratum, ponere neceſſe eſt.

II. AMARIAS, filius Efron Levitæ. 1. Par. 7. 19.

III. AMARIAS, in 1. Eſdr. 10. 40. inter eos, qui uxores contrà Legem ductas reliquerunt, connumeratus.

IV. AMARIAS, Sophoniæ Prophetæ avus, & Godoliæ pater. Sophon. 1. 1.

(AMARUM, *Amarities*. Habacuc 1. 6. *Suſcitabo (in vos) Chaldæos, gentem amaram*; & Judic. 18. 25. *Cave ne veniant ad te viri animo concitati*; in Hebræo eſt, *amari animo*; & David in ſua fuga habebat in comitatu Viros *amaro animo*, tanquam urſos, quibus catuli rapti ſunt 2. Reg. 17. 8. Vim ſanè earum phraſium ſentimus; exprimunt enim animi rabiem, furorem. Interdum amarus animus eſt mœſtitia & dolore plenus. De Anna matre Samuelis 1. Reg. 1. 10. *Cùm eſſet amaro animo*. Quæ fœmina hoſpitio Eliſeum exceperat, pro interitu filii *animam* habebat *in amaritudine* 4. Reg. 4. 27. De Deo queſtus Job. 13. *Scribis*, ait, *contra me amaritudines*, argumenta ſcilicet doloris & luctus ſuppeditas.

Zelotypiæ aquæ, quibus fœminæ de adulterio ſuſpectæ potabantur, appellatæ ſunt Num. 15. *aquæ amaræ* ex effectu, fœminas etenim reas torminibus angebant vehementiſſimis. Zelus amarus ſeu zelus amaritiei apud S. Jacobum 3. exprimit zelum, ægritudinem, odium intimè in animo penetratum, ex quo amara plurima in eum, quem odio perſequimur. Rex Ezechias in ſuo Cantico, Iſaiæ 38. perhibet: *In pace amaritudo mea amariſſima*; i. e. dum alta pace frueretur, inopino ſe turbari ſenſit morbo. Et Jeremias 2. docet, quàm durum ſit & amarum Dominum dereliquiſſe; i. e. quot inde malis homines exponantur.)

I. AMASA, filius Jether, ex Abigail ſorore David (e). Abſalom in Patrem conjurans, Amaſa patruum ſuum exercitui ſuo præfecit. Qui prælium cum Joabo Davidis exercitus Præfecto committens, profligatus eſt, an. M. 2981. Poſt Abſalomi cladem, David Amaſæ veniam obtulit, & (f) in Joabi, qui Abſalom occiderat, atque animis plus nimio attollebatur, odium, totius exercitus pro Joabo, præfecturam pollicitus. Poſt Sebæ filii Bochri conjurationem (g) David Amaſæ imperavit, ut tota Judæ Tribu coacta, adverſùs Sebam proficiſceretur.

Egreſſus igitur Amaſa, cum ſtatuto tempore exercitum cogere nequiviſſet, David more impatiens, juſſit Abiſai cum iis, quos apud ſe habebat, militibus, Sebam perſequi: quem & Joab cum ſuis ſequutus eſt. Cumque iſti adhuc propè Gabaonis ſtagnum eſſent, Amaſa cum ſuis obviam illis fuit. Hunc Joab mento, veluti oſculaturus, apprehendens, ipſum ex eo icto, in latere percuſſit, qui viſceribus prodeuntibus, ad illius pedes concidit. Hic exitus fuit Amaſæ nepotis David. Obiit an. M. 2981. antè Ch. 1019. antè Ær. 1023.

II. AMASA, filius Adali, ex iis unus, qui captivos è terra Juda ſub Achaz Rege captos, Samariam duci vetuerunt. 2. Par. 28. 12.

I. AMASAI, Helcanæ filius 1. Par. 6. 25.

II. AMASAI, is fortaſſe, qui in 1. Par. 6. 35. nominatur, Levites erat, qui ſe à Deo motum ſenſit, ut cum 30. aliis fortibus viris Davidem (h) in deſerto à Saule fugientem adiret. David ipſos conſpicatus, ſi mihi, ait, opem ſincerè laturi veniſtis, felix fauſtuſque ſit adventus veſter, meumque veſtro cordi jungatur; ſi verò mihi pro adverſariis meis inſidias tenditis, judex ſit inter me & vos Deus, cum puras innocenteſque manus habeam. Tunc Amaſai: Tui ſumus, ait, & tecum, o David. Pax tibi, & fautoribus tuis; te enim adjuvat Deus tuus. David hos exceptos copiis aliquot præfecit.

I. AMASIAS, octavus Judæ Rex, filius Joas (i), cui ſucceſſit. Viginti quinque annos natus Regnum cepit, & vigintinovem annis Hieroſolymis obtinuit. Quod bonum erat coram Domino egit, non tamen perfecto corde. Ut ſe in Regno confirmatum vidit, Patris ſui interfectores occidit, non tamen illorum filios, cum in Lege ſcriptum ſit: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur*. Deut. 24. 16.

Populum ſuum recenſens, 30000. hominum ad arma aptorum invenit. Inſuper 100000. ab Iſraëlis Rege, 100. talentis numeratis, ſcilicet 486718. librarum, & ſolidis 15., conduxit. Hunc exercitum in Idumæos parabat, qui regnante Joram, ſervitutem Regum Juda 50. circiter annos antea (k) excuſſerant.

Tum Domini Propheta ad illum veniens verbis Domini imperavit, ut copias Iſraëliticas remitteret, non enim exercitus robori ſed Dei adjutorio illi fidendum eſſe; de talentis verò, quæ Iſraëlitis, ad eam rem contulerat, nihil curaret, cum Deus majores divitias rependere potuiſſet 2. Par. 25. 7. Ità ſeparato exercitu, qui ad eum ex Ephraim venerat, illos domum remiſit. Qui in Amaſiam irati, regredientes in omnes Judæ urbes ſe effudere, à Bethron uſque Samariam, 3000. hominum interfectis, ingentique præda direpta, ut ſpolia, quæ in bello contrà Idumæos ſperabant, compenſarent.

Amaſias igitur cum ſuis tantùm adverſus Edom greſſus, commiſſo cum iis prælio in valle ſalinarum (l), 10000. illorum interfecit, totidemque, qui fortaſsè in rupe quadam ſalutem quæſierant, captos, ex eadem rupe in præceps dedit (m). Victis itaque Idumæis, Amaſias eorum Deos, quos ceperat, adoravit, illiſque incenſum adolens pro Diis habuit. Eo ſcelere Dominus irritatus, Prophetam miſit, qui illum idololatriæ argueret. Cui Amaſias, ſi loqueretur, mortem

(a) Eſth. 9. 6. (b) Hieronym. Epiſt. ad Dardanum, & ad Ezech. 20. (c) Gemar. Hieroſolym. ſchevuſh.
(d) Eugenius Roger, *Terre ſainte*. 1. 1. 20. (e) 2. Reg. 17. 25. (f) 2. Reg. 19. 13. &c. (g) 2. Reg. 20. 1. &c.
(h) 1. Par. 12. 18. (i) 2. Par. 24. 27. & 25. 1. &c. & 4. Reg. 14. A. M. 3165. ante Chr. 835, ante Ær. 839.
(k) 4. Reg. 8. 10. An. M. 3173. antè Chr. 827. antè Ær. 831. (l) Vallis hæc vulgò ponitur ad meridiem Maris Mortui, nos tamen potiùs in Idumæa Orientali, inter civitatem Palmyræ, & Bozræ fuiſſe arbitramur. Vide Itinerarium D. Le Brun. (m) 4. Reg. 16. 7. Dicitur Amaſias cepiſſe *Petram*, cui nomen indidit *Jectael*. Credunt aliqui captam ab eo fuiſſe urbem *Petra*, Arabiæ Petreæ Metropolim; aliis tamen *Rupem* tantùm ab eo captam fuiſſe, quò 10000. Idumæorum confugerant, magis placet.

tem minitatus, hoc à Propheta reſponſum habuit: Scio decretam à Domino in te mortem, quòd idololatriæ ſcelus commiſeris, nec illius imperio, quod tibi capo- ſui, obtemperaveris 2. Par. 25. 14.

Deus itaque Amaſiam adeo decipi permiſit; ut ſe invictum putans, Iſraelis Regem ad pugnam acciverit 2. Par. 25. 17. 4. Reg. 14. 8. Belli hujus occaſionem inde fortaſſe ſumpſerat, ut Iſraelis Regem damna à ſuis Samariam redeuntibus Judæ illata, reparare cogeret. Joas allata cardui comparatione, qui cedri filiam filio ſuo nuptum poſcens, paulò poſt à prætereuntibus beſtiis conculcatus fuerat, Amaſiam ſuperbiæ redarguit; monens, ne ſibi, & populo mala vindicaret.

Amaſias hiſce rationibus minimè acquieſcens, quòd ſuo illum ſenſui Deus dereliquiſſet, copias ad urbem Bethſames traduxit: cum quo Joas bellum iniens, ipſum cum exercitu fugavit, ipſamque urbem invadens, captum Amaſiam, Hieroſolymam duxit. Ipſius autem Hieroſolymæ muro à porta Ephraim ad portam anguli per 400. cubitos diruto, aurum, argentumque, & vaſa pretioſa, quæ in Templo, & in Regio ærario invenerat, obſidum etiam ſuorum filios, qui Hieroſolymis morabantur, Samariam duxit.

Poſt hæc 15. adhuc annis Amaſias, Hieroſolymis imperavit. Cum tamen ſincerè ad Dominum minimè converteretur, permiſit Deus, ut in ipſum Hieroſolymis conjuratio oriretur. Fugientem igitur ad urbem Lachis miſſi à conjuratis ſatellites interfecere. Equis delatus in majorum ſuorum ſepulchris in civitate David ſepultus eſt. Obiit an. M. 3194. ante Ch. 806. ante Ær. 810. Ozias, ſeù Azarias ipſius filius illi ſucceſſit, ſexdecim nondum annos natus.

II. AMASIAS, aureorum vitulorum, qui in urbe Bethel colebantur, Sacerdos. Cum Amos Propheta 7. 10. ſacrata idolis excelſa loca, & ab Iſraele culta deſtruenda, & Jeroboami domum gladio perituram prædixiſſet, Amaſias Sacerdos Bethel, Jeroboamo Prophetam Amos in ipſum conjuraſſe, & minimè ferenda in populo obloqui, Jeroboamum ſcilicet gladio caſurum, captivumque è ſuis regionibus educendum Iſraelem, nunciavit. Ipſi etiam Prophetæ dixit: Abi homo viſionum, in Terram Judæ, ubi victum invenies, ibique, ut lubet, vaticinare. In hac tamen urbe in poſterum nunquam ſic vaticineris; hæc enim Regiæ Religionis & Regni ſedes eſt (a).

Cui Amos: Nec propheta ſum, nec filius Prophetæ: ſed armentarius vellicans ſycomoros (b). Cum enim gregem ſequerer, Dominus me ſeligens, ait: Vaticinare populo meo Iſrael. Audi nunc verbum: Tu dicis: In Iſraele minimè vaticinaberis, nec infortunia domui Jeroboami prædices. Hæc tamen dicit Dominus: Uxor tua proſtituetur in civitate: filii tui, & filiæ gladio peribunt: tu in terra immunda morieris, & Iſrael è ſuis regionibus captivus educetur.

Author eſt S. Cyrillus Alexandrinus Præfat. Expoſit. in Amos, Amaſiam Prophetæ ſermonibus irritatum, dentes ipſi comminui juſſiſſe, ut illi ſilentium imponeret. Narrant alii (c) ab eodem Amaſia Prophetam plurimis ſupplicis affectum, ab ejus filio Ozia fuſte tempora percuſſum concidiſſe, exanimemque in ſuam Thecuam delatum obiiſſe, & cum majoribus ſuis ſepultum. Hæc tamen ſatis certa non videntur. Ex ipſius Prophetæ ſcriptis, ipſe in Terram Juda profectus, ibi vaticinia ſua, poſt Amaſiæ perſecutionem, diurnis prodiiſſe videtur. Amos ſub Jeroboamo II. vixit circa an. M. 3215. ante Chr. 785. ante Ær. 789.

AMASIS, Ægypti Rex, cujus nomen in Scriptura non legitur, ſacra tamen in Hiſtoria celebre eſt. Scriptura (d) de Nechao, ſeù Nechao loquitur, qui in prælio apud Mageddo Joſiam Judæ Regem interfecit. Nechao *Pſammis*; Pſammi *Apries*, apud Jeremiam *Ephree*; Ephreæ *Amaſis* ſucceſſit, qui eodem tempore ac Cyrus Babylone, in Ægypto regnabat. Quadraginta & quatuor annis Regnum adminiſtravit; ſubditis carus, proſpera ſemper fortuna, ab an. M. 3435. ad 3472. Obiit Cambyſis temporè ante Chr. 521. ante Ær. 525.

AMATH, ſeù *Emath*, urbs Syriæ, eadem ac *Emeſa* ad Orontem. Vide *Emath*.

AMATHA, vicus Gadaræ proximus, ubi calida balnea erant (e). Hic Gabinius unum è quinque Tribunalibus ſtatuit (f). *Hamat* (g) Hebraicè aquas calidas ſignificat. Hinc tot in Palæſtina urbes *Amath*, *Amathus*, ſeu *Emmaus* nomine.

AMATHI, Jonæ Prophetæ pater (h).

AMATHUS, urbs trans Jordanem. Hanc Euſebius (i) ad 21. milliaria à Pella ad meridiem ponit. Ab Alexandro Jannæo capta, diruta eſt (k). Sunt qui credant, in hac urbe à Gabinio unum è quinque Tribunalibus poſitum (l). Quod tamen alii in urbe Amatha, cis Jordanem, fuiſſe volunt. Amathuntem Reland̄us eamdem ac Ramoth Galaad fuiſſe conjicit.

AMATHENI, poſteri Amath, filii Chanaan. Hos civitatem *Emath*, ſeù *Amath*, vel *Emeſam* in Syria, ad Orontem fluvium, incoluiſſe opinamur.

AMAT-DOR, ſeù *Emath*, vel *Hammot-dor* Levitarum urbs, in Tribu Nephtali, familiæ Gerſon conceſſa. Scribitur etiam *Hammoth-dor* (m).

AMBIVIUS (*Marcus*) *Coponio* in Judææ adminiſtratione ſucceſſit (n). Succeſſorem habuit *Annium Rufum* an. Chr. 13.

AMELECH, pater Joas. Huic Joas Rex Achab Michæam Prophetam cuſtodiendum tradidit, donec è bello adverſus Syros reverteretur (o) an. M. 3107. ante Chr. 893. ante Ær. 897.

AMEN, hebraicè verum, fidele, certum ſignificat. Vox etiam affirmationis eſt; & ea Servator noſter, ut aliquid aſſereret utebatur (p): *Amen Amen dico vobis.* Optandi etiam ſenſum regit (q); *Amen*, ita fit. Sed affirmationis. *Amen:* utique, etiam (r). *Quomodo qui te audit, reſpondebit: amen, ſi te non intelliget?* Quinque Pſalmorum Libros Hebræi, juxta ipſorum diviſionem, verbis *Amen*, *amen* terminant: quæ à Septuaginta vertuntur: *Genoito*, *Genoito*: & à Latinis: *Fiat*, *fiat*. Eccleſiæ Græca, & Latina vocem hanc ut & *alleluja*, & *hoſanna* in ſuis precibus conſervarunt, quod majorem, quam quæ Græco, vel Latino ſermone exprimi poſſit, energiam habeant. In fine publicarum orationum reſpondebatur elata voce à populo: Amen; & authore S. Hieronymo (ſ), dum Romæ populus Amen reſpondebat, *in ſimilitudinem cæleſtis tonitrus amen reboare* ſolitum erat. Reſpondenti *amen* omni conatu, cœli januas reſerari, Judæi autumant.

AMERUTHA, vicus ſuperioris Galilææ, quam Joſeph adverſus Romanos munivit, ut ipſe in ſua vita p. 1013. teſtatur. Veriſimiliter eadem ac *Meroth*, quæ ſuperiorem Galilæam ad occidentem terminat (t). Fortaſsè *Mara Sidoniorum*, de qua *Joſue* 13. 4.

AMETHYSTUS, nona in Pontificis Rationali gemma. Hujus color vino proximus in puniceum deſinens. Ebrietatem, & veneni vim reprimere, & conceptioni opitulari dicitur. Hebræum nomen, quod à Septuaginta, & a Vulgata pro *amethyſto* redditur (a), eſt

(a) Amos ſub Jeroboamo II. vaticinabatur quo tempore Iſraelis Reges Samariæ ſedem poſuerant. Sed in urbe Bethel etiam habitaſſe videntur. (b) Amos 7. 14. Vellicans ſycomoros. Theodot. χαράσσων συκόμορα Plin. l. 13. c. 7. Sycomorus ſcalpendo tantùm ferreis unguibus, aliter non maturеſcit; id cum factum eſt, quarto die demetitur. (c) Epiphan. de vita, & morte Prophet. cap. 12. Iſidor. de vita, & morte SS. c. 43. Doroth. in Synopſ., &c. (d) 4. Reg. 23. 29. Jer. 46. 2.
(e) Euſeb. Onomaſt. in Atham. (f) Joſeph. de bello l. 1. c. 8. p. 722. d. (g) Chamath. Calor, ſeù calidum.
(h) Jon. 1. & 4. Reg. 14. 25. (i) Euſ. Onom. in Atham. (k) Antiq. l. 13. c. 21.
(l) Anti. l. 14. c. 10. & de bello l. 1. c. 6. (m) Vide Joſue 19. 35. & 21. 32. (n) Antiq. l. 18. c. 3.
(o) 3. Reg. 22. 27. (p) Joan. 1. 51. & paſſim. (q) Num. 5. 22. *Reſpondebit amen, amen.* Deut. 27. 15. &c. *Dicit omnis populus: amen, amen.* (r) 1. Cor. 14. 16.
(ſ) Hieronym. Præfat. in l. 2. Epiſt. ad Galat. (t) Antiq. l. 3. c. 2.

(a), eſt *achalma*, ſomnium ſignificans. Chaldæus, Onkelos, & Syriacus *Ecuegla* vertunt, ſeu *oculus vituli*. Huic gemmæ nomen Iſſachar inſcriptum erat.

AMI, ingenuis ſamilia Princeps, qui Babylone temporibus Eſdræ rediit. 1. 2. 57. 58.

(AMICUS. Generatim nomen illud uſurpatur de proximo, quocum nihil habemus diſſidii: Levit. 19. 18. *Diliges amicum tuum, ſicut te ipſum*, i. e. proximum, fratrem tuum. Deut. 19. 4. 7. *Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, & qui heri & nudiuſtertius nullum contra eum odium habuiſſe comprobatur; ſed abiiſſe cum eo ſimpliciter ad ligna cædenda, & fugerit ſecuris manu, ferrumque lapſum de manubrio amicum ejus percuſſerit &c.* Et Deut. 23. 24. 25. *Si intraverit in ſegetem amici tui, & manu conteres. Ingreſſus vineam proximi tui comede uvas &c.* Proximus hic & amicus perinde uſurpantur.

Amicus etiam dicitur, qui Principi eſt in amore 2. Reg. 15. 37. & 16. 16. *Chuſai amicus* (charus) *David*, Zabub filius Nathan *amicus* erat Salomonis 3. Reg. 4. 5., Ochoſath *amicus* intimus Abimelechi Regis Geraræ Gen. 26. 20. Juſti ſunt *amici* Dei Sap. 7. 27.; ſed elogio illo potiſſimùm diſtinguebatur Abraham, Jacob. 2. 23. & 2. Par. 20. 7. Judith. 8. 22. Non alio nomine hunc Virum appellant Muſulmani, Urbemque Hebron, ubi ſepulturæ mandatum credunt, nuncupant *Urbem amici Dei*. Amicus ſponſi Joan. 3. 29. eſt Paranymphus, qui Sponſem amici ſui ad nuptialem thorum deducit. S. Joannes Baptiſta, quantùm ad Jeſum Chriſtum & ejus Eccleſiam, *amicum* egit *Sponſi*. *Amicus*, & *amicitia* ſæpè in utrumque ſenſum valent; ſonat etenim interdum virum & mulierem mutuò ſe deperientes amore caſto; ſæpè etiam non caſta habentes inter ſe ſtudia. *Mulier dilecta amico* eſt Oſee 3. 1. proſtituta.

Amici ſynceri characteres habes expreſſos Prov. 17. 17. *Omni tempore diligit qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur*; & 18. 24. *Vir amabilis ad ſocietatem magis amicus erit, quàm frater*. Eccli. 6. 8. &c. Vide, ait, quem ſeligas amicum; eſt enim *amicus qui non permanebit in die tribulationis; eſt amicus ſocius menſæ. Qui invenit* (amicum fidelem) *invenit theſaurum; illi* (amico) *nulla eſt comparatio: & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius; qui metuunt Dominum, invenient illum*. Et cap. 9. 14. *Ne derelinquas amicum antiquum; novus enim non erit ſimilis illi. Vinum novum amicus novus; veteraſcet, & cum ſuavitate bibes illud*.)

I. AMINADAB, ex Tribu Judæ, filius *Aram*, & pater Naaſſon, & Eliſabeth, Aaronis Pontificis uxoris.

II. AMINADAB. In Cantico Canticorum 6. 11. curruum Aminadab, veluti incredibilis velocitatis, fit mentio: *Neſcivi: anima mea velox facta eſt, ut currus Aminadab*. Hic fortaſſe celeberrimus erat eſſedarius, cujus equi velociſſimi.

III. AMINADAB, filius Caath, & frater Core 1. Par. 6. 22.

IV. AMINADAB, ſivè *Abinadab*, Saulis Regis filius, cum ipſo in clade Gelboenſi occiſus, (b) an. M. 2949. ante Chr. 1051.

V. AMINADAB, ſeu *Abinadab*, Levites, in civitate Cariath-jarim commorans, apud quem Arca, è Philiſtinorum regione reducta, collocata eſt (c). *Gabaam* incolebat, ſummitatem ſcilicet urbis Cariath-jarim. Hujus filius Eleazar conſecratus eſt, & Arcæ cuſtodiendæ deputatus. An Aminadab adhuc viveret, incertum. Arca in urbe Cariath-jarim fuit ab An. M. 2888. ad 2959, ſcilicet, 71. annis. Quibus elapſis David Arcam Hieroſolymam duxit, 2. Reg. 6. 1. 2. 3. Morte tamen Ozæ territus domum ſuam ducere non audens, in Obededom domo ipſam menſibus aliquot reliquit.

AMISADAB, Banajæ filius. Banajam unum fuiſſe è ducibus Davidici exercitus, conſtat. Amiſadab ipſius filius uni ex patris turmis præerat 1. *Par.* 27. 6.

AMITAL, Jeremiæ cujuſdam filia ex urbe Lobna. Joſiæ Regis uxor, & Joachas, & Sedeciæ Regum Judæ mater: 4. Reg. 22. 31.

AMMAN; *Ammanita*. Vide *Ammon*, *Ammonita*, Ammonitarum Metropolis, quæ à Scriptura *Rabbath-Ammon*, à prophanis *Philadelphia* nuncupatur, nonnunquam etiam *Amman*, & *Ammanitarum* Regio *Ammonitis* dicitur.

I. AMMAUS, ſeù *Ammaum* (d) vel *Emmaus*. Apud Ammaum Judas Machabæus Nicanorem fudit (e). Hanc Bacchides munivit, præſidiumque in ea ſtatuit, Judæis ſatis incommodam (f). *Emmaus* de qua S. Lucas 24. & Joſephus de Bello l. 7. c. 27. loquuntur, hæc vulgò creditur, 60. ſtadiis, vel ſeptem millialibus Hieroſolymis diſſita. Relandus tamen (g) hanc Ammaum, de qua in Machabæorum Libris, aliam eſſe a vico Emmaus, de quo S. Lucas, & majori Hieroſolymis intervallo abfuiſſe demonſtrat. Urbs enim Emmaus 22. milliaribus Hieroſolymis diſtabat (h), vicus ejuſdem nominis, ſolis 60. ſtadiis. Illa in agro (i), hic initio montium Judææ ſitus erat (k). Hæc Emmaus *Nicopolis* poſteà dicta eſt, imperante Alexandro Mammææ filio, vel Marco Aurelio Antonino, juxtà S. Hieronym. (l).

II. AMMAUS, ſivè *Emmaus*, 60. ſtadiis (m), ſeu duobus circiter leucis, Hieroſolymis abſens, ad Boream; ubi Servator noſter duobus Diſcipulis ſuis ex Hieroſolymorum urbe, in qua Paſcha celebraverant, redeuntibus ſe videndum exhibuit. Hic etiam Veſpaſianus milites 800. reliquit (n). Pluribus morbis in ea urbe aquæ ſalutares erant (o); ex iiſdæ fortaſſis, ut nomen ipſum Emmaus, ſeu *Chamath*, inſinuat. Harum fontem Julianus Apoſtata, plurima deſuper humo congeſta, obrui juſſit (p), quòd à populis, poſtquàm Domini præſentia ſanctificatæ fuere, ut prodigioſæ haberentur.

III. AMMAUS, locus apud Tiberiadem, ad mare Genezareth, ſeu lacum Cinereth, vel Tiberiadis. Calida balnea hic fuiſſe author eſt Joſephus *Antiq.* l. 23. 3.

I. AMMIEL, filius Gemal, è Tribu Dan, unus è duodecim à Moyſe electis, ut Terram Chanaam ſpecularentur. Num. 13. 13.

II. AMMIEL, cui patria Lodabar, orbs in Tribu Simeon, pater Machir, & Bethſebee, quæ ex uxore Uriæ facta eſt Davidis conjux, & Salomonis mater 1. Par. 3. 5. & 2. Reg. 9. 4. &c.

III. AMMIEL, filius Obededom Levitæ, Templi oſtiarius, regnante Davide 1. Par. 26. 5.

AMMISADAI, pater Abiezer, ex Tribu Dan. Num. 1. 12. & 10. 25.

I. AMMIUD, filius Ephraim, & Eliſamæ pater. Num. 1. 10. & 1. Par. 7. 26.

II. AMMIUD, ex Tribu Simeon, pater Samuelis, alterius tamen à Propheta hujus nominis. Num. 34. 20.

III. AMMIUD, ex Tribu Nephtali, Phadaelis pater. Num. 34. 29.

IV. AMMIUD, pater Tholmai Regis Geſſur 2. Reg. 13. 37.

I. AMMON, ſeu *No-Ammon*, Ægypti urbs. Hanc Chaldæus, & Author vulgatæ communiter pro Alexandria vertunt. Alexandriam tamen Jeremia 46. 25. Ezechiele 30. 14. & 16. & Nahum 3. 8. Prophetis, qui de urbe *No-Ammon*, pro Alexandria verſa, loquuntur, recentiorem eſſe Interpretes hi procul dubio minimè ignorabant: fortaſsè tamen hanc in eo loco, ubi antiquitùs *No-Ammon* fuerat, ædificatam credidere: quod tamen ex Hiſtoria minimè conſtat (q): ſolus enim *Racbotis* pagus erat ad mare in eodem propè loco, in quo Alexandria conſtructa eſt.

Chara-

(a) Exod. 28. 19. & 39. 12. (b) 1. Reg. 31. 2. 1. Par. 8. 33. & 10. 2. 2.
(c) 1. Reg. 7. 1. Joſeph. Antiq. l. 6. c. 2. (d) 1. Mach. 9. 50. (e) 1. Mach. 4. 3. (f) 1. Mach. 9. 50.
(g) Reland. Palæſt. l. 2. c. 6. p. 426. 427. (h) Iter vetus Jeroſolym.
(i) Hieronym. in Abdiæ. 1. Joſeph. Antiq. l. 12. c. 11. (k) Hieronym. in Dan. 12.
(l) Vide Reland. Palæſt. t. 2. l. 3. p. 759. (m) Luc. 24. 13. (n) Joſeph. de bello l. 7. c. 26. p. 738. d.
(o) Sozomen. l. 5. c. 20. Iter Jeroſolym. Sancti Villebaldi. (p) Theophanes in Chronographia p. 41. (q) Strab. l. 17. p. 792.

Characteres, quibus à Scriptura urbs *No-Ammon* deſignatur, ſunt, *mediis in fluminibus conſtructam eſſe, aquis circumdatam; mare ipſius eſſe theſaurum, & aquas munimen, & vires.* Quibus ſuſpicari liceret, hanc *No-Ammon* Dioſpolim eſſe, vel urbem Jovis, in Delta ſitam, ad Nili alveum quemdam, Buſirim inter ad meridiem, & Mendeſam ad Boream, Mari Mediterraneo ſatis proximam, ſirubus cinctam, qui Hebræorum more maria dici poterant. Hujus urbis excidium, à Prophetis ità apertè prædictum, ſub Aſſaradone, & Nabuchodonoſore contigit, & fortaſſe ſub Sennacherib. Vide noſtrum Commentarium in Ezech. & Nahum.

(His, quæ in Dictionario contulimus faventibus *Dioſpoli*, cui etiam ſuffragati ſumus pluribus in Commentario ad Jerem. 46. 25. Ezech. 30. 14. 15. & Nahum 3. 8. his, inquam, omnibus non ita ſanè perſuademur, ut certi aliquid pro illa ſtatuamus. Fatendum eſt enim non incongruè etiam No-Ammon exponi poſſe de Thebis Urbe in ſuperiori Ægypto Metropoli. Vide quæ pro hac ſententia diſputavimus, v. *Thebes*.)

II. AMMON, ſeù *Hammon*, vel *Jupiter Ammon*, celebris Ægyptiorum Deus, quem credimus eumdem eſſe ac *Cham*, qui Africam frequentavit, Patrem *Mizraim*, Ægyptiorum Authoris. Celeberrimum in Africa Templum Ammonis erat, in quo ſub ovis forma colebatur: quorumdam enim animalium figuram Diis ſuis Ægyptii tribuebant. Templum hoc in amœno ſitu poſitum erat, ingenti luco circumdatum: ibique celeberrimum Oraculum erat, quod Magnus Alexander conſuluit. Paulatim tamen aliorum Oraculorum fatum ſubiit; Strabonis enim temporibus aliquid famæ amiſerat; & Plutarcho vivente vix ulla ipſius ratio habebatur; Theodoſio denique imperante, teſte Prudentio, integræ oblivioni mandatum eſt. Nulla in Scripturis Numinis hujus mentio fit; ſed *Cham* tantum, & urbs *Ammonis*, ſeu *No-Ammon*, ipſi dirata memoratur. Ægyptiorum Deus *Hammon* idem eſt, ac Græcorum *Jupiter*; quamobrem quæ Græcis Dioſpolis, ſivè urbs Jovis Græcis, *No-Ammon*, ſeù Ammonis habitatio Ægyptiis dicitur.

III. AMMON, Lothi filius, ex juniore Patriarchæ hujus filia Geneſ. 19. 35. 38. Nulla hujus memoria ſupereſt. Montes Galaad incoluit ad Maris mortui, & Jordanis orientem, Ammonitarum, Iſraelitis uſquequaque adverſorum, pater, An. M. 2107. ante Chr. 1893. ante Ær. 1897.

AMMONITÆ, gens ex Ammone, de quo ſuperiùs, prognata, nonnumquam *Ammanitæ*. Hi gigantibus *Zomzomim* deſtructis, ipſorum regionem obtinuere. Deut. 1. 19. 20. at, Imperavit Deus Moyſi, & Iſraelitis, ne Ammonitas laceſſerent, quòd ipſorum terram Hebræis minimè concederet: Ante Iſraelitarum in Terram Chanaam ingreſſum, Amorrhæi Ammonitis, & Moabitis magnam regionis partem abſtulerant; quam Moyſes ex Amorrhæis recuperans Tribubus Ruben, & Gad diſtribuit. Temporibus Jephte, Ammonitæ Iſraelitis prælium indixere ob eam cauſam, quod Judæi magnum Terræ ſpatium, quod, priuſquam ab Amorrhæis occuparetur, ad ipſos pertinebat, poſſiderent Judic. 11. 13. Jephte, regiones illas ab Iſraelitis belli jure acquiſitas, & Amorrhæis ablatas, minimè reſtituendas eſſe reſpondens, Ammonitis adhuc reluctantibus, commiſſo cum iis prælio, ipſos fudit.

Ammonitæ, & Moabitæ ut plurimùm juncti leguntur, cum præcipuè de Iſraelitis bello laceſſendis agitur. Poſt Othonielis obitum Judic. 3. 13. Ammonitæ, & Amalecitæ, ob populum Domini opprimendum, cum Eglone Moabitarum Rege conjuravere (a). Al quot poſt annos, anno ſcilicet M. 2799. Iſraelitas Ammonitæ trans Jordanem oppreſſere: excitatus tamen An. M. 2812. Jephte à Deo ipſorum libertati conſuluit. Initio Regni Saulis, ideſt, An. M. 2909. ante Ch. 1091. ante Ær. 1095. Naas Ammonitarum Rex urbem Jabes Galaad obſidione obſtrictam (b) eò coegit, ut illius cives conditiones ab ipſo arripere poſtularent. Quibus Naas, deditionem eà conditione facerent, ut cuique dexter oculus erueretur, & in Iſraele opprobrium eſſent, imperavit. Saul tamen ipſis opem ferre feſtinans, urbem, & populum à Regis crudelitate liberavit.

David, cum Ammonitarum Regis amicus eſſet, hoc defuncto, legatos miſit, qui cum Hanone ipſius filio, ſucceſſore Patris mortem conquererentur. Qui Legatos ad Regni ſui ſtatum & vires explorandum miſſos exiſtimans, pudenda ipſos injuria affecit (c): quorum tamen honorem David ulciſcens, Ammonitas, Moabitas, Syros, cæteroſque fœderatos ſibi ſubjecit. Ammon, & Moab Davidi, & Salomoni ſervierunt; & in decem Tribuum diviſione, Iſraelis Regibus, uſque ad Achabi mortem (d) ſubditi fuerunt.

Joram Achabi filius, & Ochoſiæ ſucceſſor Moabitas fudit (e); eà tamen victoria non adeò profeciſſe videtur, ut ipſos ſuæ ſervituti reſtitueret. Circà eadem tempora Ammonitæ, Moabitæ, aliique populi in Terram Judæ irruperunt 2. Par. 20. 1. ſed à Joſaphat ſuperati abſceſſere. Iſaias 15. & 16. Moabitis infortunium quoddam minatur, poſt tres annos eventurum, bellum fortaſſe, quòd Salmanaſar eorum regionibus intulit, circa an. M. 3277. antè Chr. 723. antè Ær. 727.

Poſt tranſlationem Tribuum Ruben, Gad & mediæ Tribus Manaſſis à Teglaphalaſar factam An. M. 3269. ante Chr. 736. ante Ær. 740 Ammonitæ, & Moabitæ iſtarum Tribuum civitates occuparunt; cujus rei Jeremias 49. 1. ipſos redarguit. Ammonitarum Legati eo numero erant, quo illi, quibus idem Propheta 25. 24. poculum iræ Domini propinaverat, & jugum, & catenam dono dederat, hortatus, ut Nabuchodonoſor Regi ſubjicerentur, ne reluctantes captivitate, & ſervitute obſtringerentur. Jerem. 27. 2.

Ezechiel. 25. 4. 10. extremum illis interitum, ipſoſque populis Orientalibus tradendos prædicit, qui fixis in eorum regione tentoriis, omnem ex hominibus Ammonitarum memoriam ſint deleturi, quòd Ammonitæ Iſraelitarum infortuniis, & deſtructo à Chaldæis Templo inſultaverint. Hæc verò infortunia illis eveniſſe opinamur quinto poſt Hieroſolymæ captivitatem anno (f), cum Nabuchodonoſor populis omnibus Judææ finitimis bellum intulit An. M. 3420. ſeù 21. antè Ch. 579. antè Ær. 583.

Opinari licet, Ammonitas, & Moabitas Cyri permiſſione in regiones ſuas, ex quibus à Nabuchodonoſore tranſlati fuerant, rediiſſe; cum rurſus in ſua Provincia iidem, quibus Syria, & Palæſtina, tumultibus agitati, & viciſſim vel Ægypti, vel Syriæ Regibus ſubditi legantur.

Antiochus Magnus capta Rabbath, ſeù Philadelphia, eorum Metropoli, muros diruit, & præſidium ibi ſtatuit (g), an. 3806. Furente in Judæos Antiocho Epiphane, Ammonitæ Judæos, qui in ipſorum finibus erant, perſequi non deſtiterunt (h). Author eſt S. Juſtinus Martyr plures adhuc ſuæ ætate Ammonitas extitiſſe (i). Origenes tamen in Job. l. 1. Ammonitas generali Arabum nomine tantùm vocari ſolitos fuiſſe teſtatur. Quo adamuſſim Ezechielis vaticinium adimpletum eſt, eum Ammonem ità deſtruendum prædicit c. 25. 10. *Ut non ſit ultrà memoria filiorum Ammon in gentibus.*

AMMONIUS dua copiarum Alexandri Balæ, contra quem Ptolemæus Philometor querelam inſtituit, quaſi venenum in ſuam perniciem paraſſet, reverà tamen creditur hunc prætextum obtendiſſe, ut Alexandrum Balam generum ſuum è Regno dejiceret; exercitu enim immiſſo illum prælio vicit; ac filiam Cleopatram ipſi ereptam, Demetrio Nicanori deſpondit. *Vide Joſeph. Antiq. l. 13. c. 7.* qui narrat Alexandrum Balam in poteſtatem Philometoris Ammonium tradere renuiſſe; quare ejuſdem cum eo conſpirationis author creditus eſt. Eam injuriam ulturus Philometor in Antio-

(a) Ab An. M. 2661. ad an. 2679. (b) 1. Reg. 11. 1. (c) 2. Reg. 10. 1. 2. 3. &c.
(d) 4. Reg. 1. 1. An. M. 3107. ante Chr. 893. ante Ær. 897.
(e) 4. Reg. 3. 4. An. M. 3109. (f) Joſeph. Ant. l. 10. c. 11. (g) Polyb. l. 5.
(h) 1. Mach. 5. 6. . 45. Joſeph. Ant. l. 12. c. 12. (i) Juſtin. Dialog. cum Tryphone p. 272.

tiochiam tendit, cujus incolæ tyrannide Ammonii offenſi erant; quare Ammonius præſentiſſimum periculum evitaturus, muliebri amictu fugit; verum mox deprehenſus, neci traditus eſt An. M. 3859. ante Chr. 141. ante Æ. 145.

I. AMNON primogenitus David ex Achinoam ſecunda ejus Conjuge. Cum ſororem Thamar ex Maacha una cum Abſalom genitam perditè deperiret, ægritudinem, tabemque contraxit (a). Hujus rei cauſam ſciſcitatus Jonadab filius Semaa fratris David, cum omnia ſibi narrantem auſcultaſſet, conſilium dedit, ut lecto tanquam æger decumberet. Cum verò à Rege inviſeretur, quæreret ab eo, liceret ſibi è manu Thamar cibum accipere. Amnon conſilium probavit, ejuſque petitioni Rege annuente, Thamar ad illum introducta, pulmentum ex farina ægro paravit. Ille cibi faſtidium ſimulans, omnes ſeceſſere juſſit, ac ſolam nactus ſororem, manus in illam violentas injecit. Reclamavit illa, ſimulque æternum hujus criminis opprobrium ante oculos expoſuit; quod ſi ſaniori conſilio uti vellet, nuptias ſuas à Rege peteret (b), facilè obtenturus. Nihil tamen de incepto conſilio alter remittens libidinem ſuam omnem explevit: deindè amore in odium converſo, ut à ſuo conſpectu ſecederet, imperavit; reluctantemque, per domeſticos expelli, ac fores illi claudi voluit. Cum Thamar de accepta injuria altè quereretur, accurrit Abſalom, ac cinere caput conſperſam nactus, ut cauſam audivit, verbo conſolatus eſt; eaque de re apud alios ſileret, imperavit. Quamquam nec Davidem latuit, qui licet rem graviter tulerit, cum tamen Amnonem plus nimio diligeret, ab eo contriſtando abſtinuit.

Abſalom odium in fratrem fovens, ultionis opportunitatem opperiebatur. Igitur ſtata die Patrem, cæteroſque fratres ad prandium invitavit, quod juxtà Ephraim, occaſione detonſionis ovium pro more inſtituerat. Cum David renueret, obtinuit ut ſaltem fratres, ac potiſſimùm Amnon mitterentur. Interim Abſalom ſicariis indixit, ut cum Amnonem temulentum viderent, certo à ſe edito ſigno, in illum irrumpentes trucidarent. Res pro condicto ſucceſſit, cæſuſque eſt Amnon An. M. 2974. antè Chr. 1026. antè Ær. 1030.

II. AMNON filius Simeonis 1. Par. 4. 20.

AMOC, ex genere Sacerdotum, qui è captivitate Babylonica regreſſi ſunt. 2. Eſdr. 12. 20.

I. AMON, Præfectus Urbis Samariæ, qui juſſu Regis Achab Michæam Prophetam in carcere detinuit. 3. Reg. 22. 26.

II. AMON decimus-quartus Rex Juda, filius Manaſſis ex Meſſalemeth filia Harus ex urbe Jetaba. Duobus tantùm annis (c) regnavit Jeroſolymæ. Patris ſui Manaſſis impietates imitatus, cultum veri Dei cum Idolis commutavit (d). Domeſticorum conjuratione oppreſſus eſt; in conjuratos verò ipſos populus animadvertit, atque occiſi filium Joſiam Regno ſubſtituit. Sepultus eſt in tumulo ſibi parato in horto Oza; neque de ejus geſtis aliud ultrà reſcimus.

AMMONA urbs, in qua futurum ſepulchrum Gog Ezechiel 36. 16. prædixit. Nulla occurrit in Palæſtina Urbs hujus nominis. Ammona ſignificat multitudinem; quare Propheta eo nomine denotavit, copiarum Gog cladem adeò ingentem futuram, ut locus, ubi mortua corpora terræ mandarentur, appellandus eſſet multitudo.

AMORRHÆI, populi ex Amorrhæo quarto filio Chanaan.

(Nominis hujus etymon repetunt Arabes ex urbe *Gomorrha* una è quinque cæleſti igne deletis. Sed *Gomorrha* vel *Hamorra* aliter planè ſcribitur ac *Emor* pater Amorrhæorum. A' vero proindè abludit, *Amorræos*, ſeu patrem illorum *Emor*, & condidiſſe Gomorrham, & nomine appellaſſe.)

Primò ſedes habebant in montibus ad occidentem Maris mortui; nec non in Orientali plaga ejuſdem Maris inter torrentes Jabok & Amon, pulſis inde Ammonitis & Moabitis. Regnantibus ſuper illos Sehon, & Og omnem eam Regionem Moyſes ſubegit (e).

Horum populorum proceritatem corporis, & robur Amos 2. 9. deſcribens, hanc cedris, illud verò quercubus comparat. Non rarò in Scriptura nomen Amorrhæorum pro omnibus Chananæis ſignificandis uſurpatur. Eorum regio citrà Jordanem, in partem Tribus Juda; quæ verò ultrà, in partem Tribuum Ruben, & Gad ceſſit.

I. AMOS, quartus inter Prophetas minores, ex urbe Thecue in Tribu Juda, quatuor leucis ab Jeruſalem versùs meridiem. Quamquam nullo ſatis firmo argumento in ea urbe ortum duxiſſe arguatur. Ex Urbe Bethel, ditionis decem Tribuum expulſus ad eam Urbem confugit; quare è Regno Iſrael originem duxiſſe, & ad Iſraelitas potiſſimum miſſio illius ſpectaſſe veroſimilius creditur.

Cum in Urbe Bethel prophetaret ſub Jeroboam II. circa annum M. 3215. antè Ch. 785. antè Ær. 789. quo tempore aurei vituli ibidem colebantur, Amaſia (f) Sacerdos ejus Urbis illum coram Rege accuſavit, quòd cædem Regis, & captivitatem Iſraelis palam prædiceret. Hinc ad Amos converſus: Faceſſe, ait, homo viſionum, atque in regionem Juda recipias te, ſac enim ne ultrà Prophetam agas in Bethel, quæ ſedes eſt, & Religionis, & Regni.

Ad hæc Amos reſpondit, ſe neque Prophetam eſſe, neque filium Prophetæ, ſed ovium Paſtorem, & vellicantem, ſivè compungentem ſycomoros (g); ſed à Deo miſſum ſe verbum ipſius Iſraelitis prænunciare; audiret ergo verbum Domini: Uxor in civitate fornicabitur; & filii tui, & filiæ in gladio cadent: & humus tua in funiculo metietur (nempè hoſtes diſpertientur inter ſe terras tuas), & tu in terra polluta morieris, & Iſrael captivus migrabit de terra ſua. His dictis, ſtatim Thecuam in Regno Juda ſeceſſit, ubi Prophetam egit. Conqueritur ſæpè (h) ſibi vim illatam fuiſſe, ut ad ſilentium adigeretur, & contra Iſraelitarum ſcelera ſæpiſſime invehitur.

Prophetarè cœpit duobus annis, antequam terræ motus ille contingeret ſub Ozia Rege (i), quem Joſephus Antiq. l. 9. c. 11., ac veteres recentioreſque Commentatores vulgò referunt ad tempus, quo Rex ille (k) munus Sacerdotale offerendi incenſi uſurpare auſus eſt (l). Quæ in cap. 7. referuntur Prophetiæ, juxta ordinem temporum primæ ſunt. Cæteras edidit in urbe Thecue. Duo prima capitula impenduntur contra Damaſcum, Philiſtæos, Syrios, Idumæos, Ammonitas, Moabitas, & Regnos Juda & Iſrael. Mala, quæ minitatur, ſpectant tempora Salmanaſar, Teglatphalaſar, Sennacherib, & Nabuchodonoſor, qui Reges horum Populorum provincias vaſtarunt, atque Iſraelitas captivos abduxerunt.

Prædixit calamitates Regno Iſrael imminentes, poſt mortem Jeroboam II. tunc temporis regnantis; mortem quoque Regis Zachariæ, expeditiones Phul, &

Teglath-

(a) 2. Reg. 13. 1. 2. &c. An. M. 2972. antè Ch. 1028. antè Ær. 1032. (b) Nuptiæ inter fratres, & ſorores in lege prohibentur, Levit. 18. 11. quare Thamar ſivè Legis præcepta ignorabat, ſivè ſubita agitatione non advertit.

(c) Ab an. M. 3363. ante Chr. 637. ante Ær. 641. ad an. M. 3365. ante Chr. 635. ante Ær. 639. (d) 4. Reg. 21. 19. &c.

(e) Joſue 5. 1. Num. 13. 30. & 21. 29. Judic. 11. 19. &c. An. M. 2553. antè Ch. 1447. antè Ær. 1451. (f) Amos 7. 10

(g) Sycomorus genus eſt ficus in Ægypto, & Palæſtina frequentiſſimæ, quæ nunquam matureſcit, niſi prius ferreis unguiis compungatur, compuncta verò, infra tres dies ad maturitatem adducitur. Vide Plin. l. 13. c. 7. Theophr. & Dioſcor. Vide etiam Theodoret. in Amos 7. (h) Amos 2. 12. & 3. 7. 8. (i) Amos 1. 1. (k) 4. Reg. 15. 5.

(l) Rabbini, & Procopius Gazenſis credunt Oziam hoc facinus tentaſſe anno 25. ſcilicet anno M. 3219. Verùm hæc non ſibi conſtant, cum Jonathas filius Oziæ, qui an. 3221. natus eſt, quo tempore Ozias incenſum obtulit, ætatem haberet Regno aptam, ſcilicet 15. vel 20. annorum. Vide Uſſer. ad an. M. 3221.

Teglathphalaſar contra Iſraelitas, captivitatem, reliquum decem Tribuum. Tandem Iſraelitarum vitia, luxum, avaritiam, maximè in pauperes, convivia verbis caſtigat. Nec remiſſius agit contra peregrinationes Iſraelitarum ad Numina in Bethel, Dan, Galgalis, & Beerſabee; nec non contra jurantes per Numina illarum urbium.

Quo mortis genere obierit, ignoratur. Veteres (a) nonnulli tradunt Amaſiam illum Sacerdotem Bethel, dentes illius confringi juſſiſse, ut ad ſilendum compelleret. Alii (b) narrant, Oſeam, ſivè Oziam filium Amaſiæ in tempora illius clavam inflixiſſe, quo ictu penè exanimatus Thecuam tranſlatus, brevi diem clauſit; & in ſepulchro Patrum ſuorum contumulatus eſt. Hæc de illo Scriptores; nos vero credimus, Prophetam, poſtquam ſolum vertere ab Amaſia coactus eſt, diutiùs in Urbe Thecua ſubſtitiſſe: neque gravius ab eodem quidquam accepiſſe ex eo colligimus, quod nunquam de ea re conqueratur.

Stylum hujus Prophetæ humiliorem eſſe ſenſit S. Hieronymus Prolog. expol. in Amos, qui proinde de ipſo illud Apoſtoli uſurpat: *Et ſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia* 2 Cor. 11. 6. Et alibi (c) obſervat, Amos omnes comparationes ſuas e re campeſtri trahere, pro more ſatis recepto, ut ſinguli de rebus artis ſuæ libentius agant. Illum in medium adducit S. Auguſtinus l. 4. de Doctr. Chriſt. c. 7., ut oſtendat Scriptores Sacros genere quodam eloquentiæ uti, pleno ſpiritus, & prudentiæ, ac rebus, de quibus agunt, adeo conformato, ut idem qui ruditatem, & ruſticitatem ſtyli in illis carpunt, neque ipſi magis aptum perſonis, ac circumſtantiis ſtylum eligere potuiſſent.

II. Amos, pater Iſaiæ Prophetæ, filius, uti ferunt, Regis Joas, & frater Amaſiæ. Hunc, non ſecus ac filium, prophetiæ dono claruiſſe ex ea regula colligunt Rabbini (d), quod ſi Pater alicujus Prophetæ proprio nomine in S. Scriptura exprimatur, & ipſe Propheta reputandus ſit. S. Auguſtinus l. 18. de Civit. c. 27. hunc Virum confundendum autùmat cum Amos, inter Prophetas minores. Verùm utriuſque nomina diverſis literis ſcribuntur, & Amos Iſaiæ Pater genus ducit ex familia Jeroſolymæ longè clariori, ac Amos Propheta, qui paſcendis armentis vitam tolerabat. Sunt, qui credant, hunc Amos Patrem Iſaiæ, eſse illum hominem Dei, qui author fuit Regi Amaſiæ (e), ut remitteret 100.000. virorum, quos pro bello contra Idumæos ex Iſraele conduxerat. Verum hæc gratis dicuntur.

III. AMOS filius Nahum (f), & Pater Mathatiæ, cujus nomen occurrit in genealogia Salvatoris per S. Lucam ducta.

AMOSA Urbs Tribus Benjamin. Joſ. 18. 26.

AMOT-DOR, ſive *Hamoth-dór* (g), alio nomine *Hammon*. 1. Par. 6 76. Urbs Levitis ex familia Gerſon aſſignata 1. Par. 6. 76. Vide *Amath-dor*.

AMPHIPOLIS Urbs inter Macedoniam, & Thraciam, ad Regnum Macedoniæ pertinens. Agitur de illa in Actis Apoſtolorum 17. 1. ſiquidem S. Paulus, & Silas è carcere liberi, Philippis egreſſi, Amphipolim tranſeuntes, venerunt Theſſalonicam. Appellatur etiam *Chryſopolis ſivè Chriſtopolis*.

AMPHORA; ſæpè eo nomine ſignificatur vas quodlibet, vino, ſivè aquæ continendæ. Hinc illud: *Amphoram aquæ portans* Luc. 22. 10.; ſcilicet vas aquæ. Sæpè vero pro quodam menſuræ genere uſurpatur. Hinc illud: Impendebantur ei (ſcil. Numini Bel) per ſingulos dies *Vini amphoræ ſex* Dan. 14. 2 Hoc menſuræ genus ab Hebræis ignoratur, quare locus ille in Daniele, ubi ſermo eſt de Amphora, in Originali Hebræo non occurrit. Romanorum Amphora urnas duas æquabat, ſcil. 48. ſextarios Romanos, ſivè 80. libras 12. unciarum; Atticorum verò ſivè Athenienſium tres urnas complectebatur, ſcil. 120. libras 12. unciarum, ſivè 90. libras 16. unciarum.

AMPLIAS, ſivè *Ampliatus*, quem S. Paulus ad Romanos à ſe plurimum diligi teſtatur Rom. 16. 8. Nihil de illo ſcimus, niſi quod à S. Andrea Apoſtolo Odyſſipolis Epiſcopum inſtitutum fuiſſe Græci commententur; à quibus Apoſtoli titulo, ſivè ſaltem Diſcipuli ex numero ſeptuaginta duorum, ac tandem Martyris inſignitur. Celebrant ejus Feſtum die 13. Octobris.

I. AMRAM filius Caath ex Tribu Levi, qui ex Jocabed filios habuit Aaron, Mariam, & Moyſen. Cum annum ageret 137. in Ægypto obiit Exod. 6. 20. quo potiſſimum anno Mundi, incertum.

II. AMRAM filius Bani, qui feminam contrà Legis præſcriptum ductam poſt regreſſum è Babylonia dimiſit. 1. Eſdr. 10. 34.

AMRAPHEL Rex Sennaar, ſivè Babyloniæ, qui fœdere icto cum Codorlahomor Rege Elamitarum, aliiſque duobus Regibus, bellum intulit Regibus Pentapolis, ſcil. Sodomæ, Gomorrhæ, ac proximarum trium Urbium. Hoſtibus victis, eorumque Urbibus direptis, plurimos ex incolis captivos abduxit. Cum inter cæteros Loth Abrahæ nepotem vinctum tuliſſet (h), Abraham recedentem inſequutus eſt, ac nepotem, prædamque omnem recepit.

I. AMRI Dux copiarum Ela Regis Iſrael, qui dum obſidioni Gebbethon præeſſet, audita occiſione Ela Domini ſui, opera Zambri, contrà proditorem copias direxit, obſeſſumque in urbe Therſa adeò in arctum conjecit, ut ille Regia domo incenſa, ſe totamque familiam abſumpſerit (i). Regnavit Zambri ſeptem diebus.

Zambri ſublato, Iſraelitæ de Regni ſucceſſore diſceptantes, in duas partes abierunt: alii enim Amri, alii verò Thebni filium Gineth acclamabant. Quatuor ſolidis annis inter partes diſputatum eſt, nec niſi per mortem Thebni in Amri omnes convenerunt. Regni ſedem ſex annis Therſæ, ſex annis Samariæ habuit.

Quamvis etenim Therſa Regni metropolis eo uſque fuiſſet, Amri empto monte Someron (k) pretio duorum talentorum argenti, ſcilicet 9734. librarum, ſeptemque ſolidorum monetæ noſtratis, Urbem in eo novam conſtruxit, quam de nomine primi hujus loci poſſeſſoris Somer, appellavit Samariam. Hanc verò Urbem ipſe, cæterique poſt illum Reges, Regni Iſraelitici ſedem habuerunt.

Omnium præcedentium Regum Amri ſceleſtiſſimus fuit, Jeroboam filii Nabath veſtigia ſelegens. Obiit Samariæ An. M. 3086. ante Chr. 914. ante Ær. 918., filio & ſucceſſore Achab relicto, qui patrem impietate ſuperavit.

II. AMRI, filius Bechor, ex Tribu Iſſachar, de quo 1. Par. 7. 8.

III. AMRI, filius Omrai, pater Ammiud. 1. Par. 4. 9.

IV. AMRI, filius Michel, ex Tribu Iſſachar. 1. Par. 27. 18. & dux Tribus ejuſdem, tempore David.

V. AMRI pater Zachur, tempore Eſdræ. 2. Eſdr. 3. 2.

AMSI, filius Zachariæ, Pater Phelcliæ. 2. Eſdr. 11. 12.

AMTAR, Urbs Tribus Zabulon, Joſue 19. 13. Quo potiſſimùm in loco ſita fuerit, incertum.

(AMULETA. Eo nomine deſignantur certi quidam characteres, ligamenta, vel lapides, ſeu metalla cœlata, ſeù conſtellationibus quibuſdam aſſignata, quibus tributa vis eſt averruncandi mala, faſcinationes, & morbos. Id generis amuleta credunt nonnulli Theraphim Laban, Gen. 31. 19.; ſicut inaures, quas Jacob infodit ſub quercu Gen. 35. 4. Vide *Taliſmani*.)

AMYGDALUS, genus arboris in Scriptura frequentiſſimæ, Hebræis *ſchaKed*, voce derivata ex radice cujuſdam verbi, quod ſignificat vigilare, quaſi ſcilicet amygdalus omnium præcociſſimus floreat. Deus ſymbolum vindictæ ſuæ jam populo imminentis oſtenſurus,

(a) Cyrill. Præfat. in Amos. (b) Epiphan. de Vita Prophet. cap. 12. Iſidor. de vita & morte SS. cap. 43. Doroth. Synopſ. cap. 2. Chronic. Paſchal. pag. 147. (c) In Amos 1. 2. (d) Hierony. ex Hebr. vide Iſai. 37. 2. & 38. 1. Clem. Alex. l. 1. Stromat. (e) 2. Par. 25. 7. 8. (f) Luc. 3. 25. (g) Joſue 21. 32.

(h) Geneſ 16. 1. 2. &c. An. M. 2092. ante Chr. 1908. ante Ær. 1912. (i) 3. Reg. 16. 10. &c. *Obiit* An. M. 3075. ante Chr. 925. ante Ær. 929. (k) 3. Reg. 16. 24. circa An. M. 3080. ante Chr. 920. ante Ær. 924.

furus, Jeremiæ 1. 11. virgam amygdali exhibuit: *Quid tu vides Jeremia? virgam vigilantem ego video*: Hebræus legit: *Virgam amygdalinam*.

Virga illa Aaron, quæ flores, & fructus ſubitò edidie in deſerto Num. 18. 8., ex eodem plantæ genere conſtabat, Author Eccleſiaſtis 12. 5. indicans futurum, ut ſenum crines candidum induant, ait per ænigma: *florebit amygdalus*; flos enim plantæ hujus valde præcox eſt, & albeſcit, Jacob ejuſdem generis virgas reponebat in gurgitibus Gen. 30. 37., ex quibus oves nigræ potabant; quamvis in Hebræo pro *virgas amygdali* legatur *luz virgas coryli*.

ANA, filius Sebeon Hevæi, pater Oholibama Uxoris Eſau, qui paſcens in deſerto aſinos, aquarum calidarum ſcaturiginem invenit Gen. 36. 24. Ità interpretatus eſt S. Hieronymus Textum Hebræum *jemim*. Septuaginta, & alii Traductores Hebræi eamdem vocem *jamim*, ſive *jemim* in ſuam verſionem tranſtulerunt: *Invenit jamim*. Alii (a) verò reddunt: qui invenit rationem, qua muli producerentur, introducendo nempè equas ſivè equos, ad aſinos, ſivè aſinas. Verùm nunquam in S. Scriptura vox *jamim* de mulis uſurpata eſt, neque muli omninò in eadem Scriptura ante Davidem occurrunt.

Alii verò (b) dictam eam vocem credunt de populis *Jamim* ſivè *Jemim*, quos Ana, dum paſceret aſinos in deſerto, invenit, ſcilicet aggreſsus eſt. Samaritani legunt Ana inveniſse populos Emmoo, de quibus Moyſes *Gen.* 14 5. *Emim in Save Cariathaim*; & *Deut.* 2. 10. 11. *Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus & validus & tam excelſus, ut de Enacim ſtirpe gigantes crederentur*. Emim viciniam tenebant regionis Seyr, ubi Ana aſinos paſcebat. Vox Hebræa *maza*, quæ redditur *invenire*, non rarò uſurpatur pro *aggredi* hoſtem. Hæc explicatio à veritate non abhorret.

Sunt qui crediderint, quamquam nullo argumento fulti, Ana divinos honores obtinuiſse, ac de illo ſermonem eſse 4. *Reg.* 18. 34. *Deus Sepharvaim Ana*, & *Ava*. Vide quoque 4. *Reg.* 19. 13. *Iſai.* 37. 13.

ANA, & *Ava*. Vide *Ava*

(ANA. Ejus nominis Urbs nota eſt in extrema ora Arabiæ Deſertæ ad Euphratem. Utramque ripam hujus amnis occupare perhibet Tavernier, uti & Lutetia eſt ad utrumque latus Sequanæ. Sed Itinerator alter datis ad me literis nunciavit, unam tantùm amnis ripam tenere unica ſed ſpatioſiſſima via inſtrui. In proxima illi Inſula inſtructiſſima Moſchea ſpectatur. Solum eſt ſemileuca circum Urbem egregiè cultum; ultra id ſpatium deſerta omnia.)

ANAB, Urbs in montibus Juda Joſue 11. 21. quam S. Hieronymus eamdem credit cum Bethannaba, octo milliaribus à Dioſpoli versùs orientem. *Bethoannab* apud Euſebium Urbs eſt quatuor milliaribus à Dioſpoli. S. Epiphanius (c) ſermonem habet de Urbe quadam, vel Vico, nomine Anablata, in Diœceſi Jeruſalem, versùs Bethel: Nullas tamen ex his Urbibus credo eſse Anab, quam Joſue ſitam commemorat inter Hebron, & Dabir multò meridionaliorem Juda.

ANAGLYPHA, vox Græca occurrens in 3. Reg 6. 32. *Scalpſit in eis picturam Cherubim, & palmarum ſpecies, & anaglypha*. Significat autem quodcumque ſculptæ imaginis genus, ſivè inciſæ ſivè cælatæ itaut figuræ prumineant. Vaſa anaglyphis ornata, *aſpera ſigna* apud Virgilium Æneid. 5. v. 267. dicuntur, & *in aſperitatem exciſa* apud Plinium lib. 33. c. 11.

Anaglypha vero, de quibus in laudato textu Regum, ſunt imagines prominentes palmarum, Cherubim, & repandorum linorum, quas Salomon cælandas curavit in foribus, & parietibus interioribus Sanctuarii: Hebræus hunc locum ita reddit: *Cherubim, palmarum, florumque repandorum figuras ſcalptura incidi juſſit*.

ANAGOGIA. S. Scripturæ verba quatuor ſenſibus ſubjiciuntur: Literali, allegorico, anagogico, & tropologico. Anagogicus eſt, cum ejus verba ea ratione explicantur, ut ad finem vitæ æternæ referantur. Sic requies Sabbathi in ſenſu anagogico, beatitudinis requiem ſignificat.

ANAHARATH, Urbs Tribus Iſſachar. Joſ. 19. 19.

ANAMELECH, Populi Sepharvaim (d), ex regionibus ultrà Euphratem ad incolendam Samariam miſſi, filios ſuos in honorem *Anamelech*, & *Adramelech* concremabant. *Adramelech* redditur Rex magnificus, quo nomine Solem denotari credimus; *Anamelech* vero, Rex benignus, quod de Luna dictum interpretamur; mos enim erat apud Orientales Lunam ſub maſculi nomine adorare; utrique verò, Soli ſcilicet, & Lunæ victimas humanas litabant (e). Sunt inter Rabbinos, qui muli figuram Anamelec attribuant; alii malunt figuram coturnicis, ſivè phaſiani. Omnia tamen hæc incerta ſunt.

ANAMIM, ſecundus inter filios Miſraim Gen. 10. 13. populorum Mereotidis pater, juxtà Paraphraſtem Jonatham filium Uziel; ſivè populorum Pentapolis Cyrenaicæ, juxtà Paraphraſtem Hieroſolymitanum, Bochartus autumat populos Anamim regionem tenuiſse in Naſamonitide, juxtà Templum Jovis Ammonis. Nos verò credimus Amanios, & Garamantas ex Patre Anamim ortos; ſiquidem Hebræum *Ger*, ſivè *Gar*, redditur, iter agens ſivè viator; quarè *Garamantes*, forte ex *Ger-amanim* dicuntur; Hinc Urbem eorum metropolim *Garamaniam* Solinus appellat.

ANANEL, ſivè *Hananel* Summus Sacerdos Judæorum, qui licet genus traheret è familia Sacerdotali (f); non tamen ex eo familiarum genere, quæ Summi Sacerdotii dignitate frui ſolerent. Herodes Magnus hunc Virum è Babylonia accitum Sacerdotio donavit An. M. 3968. quod quidem eo conſilio fecit, quia de authoritate Summi Sacerdotis anxius, de illa ad arbitrium diſponere, ſuoſque fautores, excluſis Aſamonæis, qui uſque eo poſſederant, promovere volebat. Poſt duos annos circiter, Herodes, rogantibus Alexandra ſocru, & Mariamne conjuge, eam dignitatem in Ariſtobulum fratrem Mariamnes, ad quem de jure ſpectabat, tranſtulit. Illo verò fraude ejuſdem Regis in lacu Jerichuntis poſt annum demerſo An. M. 3970. Sacerdotium, jure poſtliminii ad Ananel regreſsum eſt: quamquam & ipſe non diù poſt, incertum tamen quo tempore, iterum remotus, Jeſum filium Phabi ſucceſſorem habuerit.

ANANEEL, ſivè *Hananeel* nomen turris in Urbe Hieruſalem. A turri ejuſdem nominis uſque ad portam anguli, Jeruſalem reædificandam fuiſſe prædixit Jeremias 31. 38. Ab eadem turri uſque ad torcularia Regis futurum, ut mœnia ejuſdem Urbis reſtituerentur, Zacharias 14. 10. vaticinatus eſt. Tandem Nehemias 2. Eſdr. 3. 1. tradit Summum Sacerdotem Eliaſib, aliosque Sacerdotes ædificaſse portam gregis, omneſque muros, uſque ad turrim Hananeel.

ANANI ſeptimus natu inter filios Elioenai 1. Par. 3. 24.

I. ANANIAS. Angelus Raphael comitem itineris exibens ſeſe Tobiæ, iter paranti in Urbem Rages filium ſe eſse dixit Magni Ananiæ; cui Tobias reſpondit c. 5. 18. *ex magno genere es tu*. De hoc Anania nihil ultra reſcimus.

II. ANANIAS, unus ex tribus adoleſcentulis ex Tribu Juda, & regali genere, qui Babylonem in captivitatem adducti, inter cæteros ſelecti ſunt, ut ſcientiis Chaldæorum inſtruerentur, & in Aula Nabuchodonoſor miniſtrarent. Ananias exindè mutato nomine Sidrach appellatus eſt Dan. 1. 7., & in Aula Regia unà cum Daniele detinebatur. Poſt viginti circiter, & ſeptem ipſorum captivitatis annos, cum Rex in campo Dura (g), juxtà Babylonem, ſtatuam erigendam curaſset, omnes, qui in ſua eſsent ditione, coram illa proſternerentur, pœna mortis in tranſgreſsores indicta, imperavit. Cum tres illi Adoleſcentes conſtantiſſimè renuiſsent, in fornacem ardentem conjecti ſunt Verum flammarum vim coercente Angelo è Cœlo ad eam rem dimiſſo, illæſi

(a) Ità Hebræi vid. Hieronym. quæſt. Hebr. in Geneſ. (b) Vide Boch. de animal. ſacr. parte 1. l. 11. c. 7.
(c) Epiphan. Ep. ad Joan. Jeroſolym. (d) 4. Reg. 17. 31.
(e) Strabo l. 11. & Lucian de Dea Syra. Vid. noſtram Diſſertationem de Deo Moloch, initio Levitici.
(f) Joſeph Antiq. l. 15. c. 2. (g) Dan. 3. 1. 2. &c.

Google

exierunt (a). Eo tempore Nabuchodonoſor, in bovem antea translatus, in priſtinum jam reſtitutus fuerat; quare in Edicto, occaſione prodigii trium Adoleſcentium, ab illo edito, & metamorphoſim ſuam, & ſomnium, quod illam præceſſit, deſcribit (b).

III. ANANIAS, ex Tribu Benjamin, qui è captivitate Babylonica regreſſus, partem murorum Jeruſalem inſtaurandam curavit. 2. Eſdr. 11. 33.

IV. ANANIAS, negotiator Judæus, qui Izatem filium Monobazis Regis Adiabenorum, Judaica religione initiavit (c). Oroſius (d) narrat, hunc Ananiam Chriſtianum fuiſſe, ejuſque opera Izatem Chriſto nomen dediſſe. Vide *Adiabene*.

V. ANANIAS filius Nebedæi, Summus Sacerdos Judæorum, poſt Joſephum filium Camith (e), & antè Iſmaelem filium *Fabæi*. Quadratus Præfectus Syriæ cum in Judæam veniſſet, occaſione diſſidii inter Samaritanos, & Judæos, hunc Pontificem Romam miſit ad Claudium, ut geſtorum ſuorum rationem redderet (f); ſed mox abſolutus regreſſus eſt.

(Detentus Apoſtolus Jeroſolymæ à Tribuno militum Romanorum cuſtodum Templi (g), Romanum ſe civem prodidit: quarè à Tribuno illo liberaliùs eſt habitus. Cùm autem ſtructas ab adverſariis in illum accuſationes ignoraret, cogi manè alterius diei Sacerdotes juſſit, conſtitutoque in medium Apoſtolo, res tractari cœpta eſt. Ita tunc Apoſtolus: *Viri fratres, ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum uſque in hodiernam diem.* Plura dicere volentem intercepit Ananias Summus Sacerdos, juſſitque in faciem cædi ab adſtantibus. Tunc Apoſtolus: *Percutiet te Deus*, inquit, *paries dealbate. Et tu ſedens judicas me ſecundùm Legem, & contra Legem jubes me percuti. Et qui adſtabant dixerunt: Summum Sacerdotem maledicis?* Apoſtolus ad hæc: *Neſciebam fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum. Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices.*

Poſt hæc probè intelligens Apoſtolus cœtum illum è Phariſæis Sadducæiſque coaleſcere, elata voce proteſtatus eſt: *Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum, de ſpe & reſurrectione mortuorum ego judicor.* His verbis in contraria ſtudia diviſus cœtus; metuenſque Tribunus, ne ſiniſtri aliquid contingeret Paulo, medio illum ſeduxit. Manè alterius diei ultra 40. homines anathemate ſeſe devoverunt, nuncupatoque voto abſtinendi à cibo potuque adegerunt, niſi priùs hominem interemiſſent. Conſilii ſui certiores factos Sacerdotes rogarunt, ut arte quadam inita id efficerent, quò Tribunus iterum in medium ſtatueret reum, actutum ſe illum interempturos ſpondentes. Sed conjurationem totam detexit Apoſtolus Tribuno, qui vinctum deducendum curavit Cæſaream, ad cauſam ſuam defendendam coram Felice Provinciæ Præſide.

Petiiſſe Cæſaream intelligentes Sacerdotes, cum ſuo Principe Anania aliiſque Judæis eò ſe omnes contulerunt, ad urgendas accuſationes (h); ſed re dilata; biennio detentus eſt Apoſtolus in carcere Cæſarienſi. Quod autem in Ananiam pronunciaverat oraculum, futurum ſcilicet ut à Deo percuteretur, ita impletum eſt. Albino Judææ Præſide in Provinciam veniente, artem inivit Ananias, ut in ſuas partes virum muneribus pertraheret (i). Habebatur ille in gente ſua Princeps, quòd latifundiis, amicis, divitiiſque præſtaret plurimùm. Sed erant tunc in regione ex ejus amicis homines violentiſſimi, vi rapientes omnia, nec parcentes quidem decimis, quæ ex agro pendebantur Sacerdotibus. Graſſabantur autem illi impunè, favorem ipſis conciliante viri ſummi tum potentia, tum divitiis.

Diſcurrebant tunc pariter per Judæam prædonum manus plures, à quibus mala plurima in regionem illata, qui ſi è ſuis quempiam in manum Præſidis Provinciæ veniſſe, ac de vita periclitari intelligerent, ſtatim manus injicientes in aliquem ex domeſticis vel neceſſariis Summi Sacerdotis Ananiæ, virum cogebant, ut pro reo, qua erat potentia intercederet, quo ſimul familiaris ſui libertatem ab illis impetraret. Accidit itaque ut è filiis Ananiæ Eleazarus in eorum manus veniret, negarentque ſe liberum permiſſuros, niſi remiſſis decem è ſuis, quos in carcere detineri norant. Ita factum eſt, ut licentiùs vagantes graſſatores ſenſim augerentur, totaque regio injuriis exponeretur atque rapinis.

Cùm tandem Eleazarus ejus filius perduellium ſe ducem conſtituiſſet, & ab illis occupatum eſſet Templum (k), vetitaque ſacrificia pro Imperatoribus offerri; cùm inſuper vires ſuas conjunxiſſet cum Sicariis, patris ſui ædes ſubvertit. Tum Princeps ille Sacrorum recepit ſe una cum fratre intra canalia Regiarum Ædium; at à ſeditioſis detecti ambo, ambo pariter necati ſunt, neminè perduellibus illis quidquam deferente Ananiæ, veluti Principis ſui patri. Ita Deus percuſſit parietem hunc dealbatum, ſub initio belli Judaici. Sedulò autem diſtinguenda ſunt ea, quæ narrat Joſephus de Anania Pontificatum gerente, & quæ de Anania exauthorato, quò errorem evitemus, duos viros diſtinguentium.

ANANIAS, *Miſael &c.* Illis Authoribus tribuunt Judæi Lucubrationem *de Jejunio* (l).)

VI ANANIAS, cognomento Sadducæus (m). Defectionem Judæorum à Romanis inter primos promovit. Miſſus ab Eleazaro duce ſeditioſorum ad Metilium Præfectum militum Romanorum, in Jeruſalem Regia incluſum, vitam ipſi, ſuiſque pollicitus eſt, ea conditione, ut ex Urbe diſcederent. Illo acceptante, Judæi pactis non ſteterunt; quippè omnes Romanos trucidarunt, uno excepto Metilio, qui, ut vitam redimeret, Judaicam religionem profeſſus eſt anno Chr. 67. Eumdem Ananiam Eleazarus ad Idumæos legavit (n), petiturus auxilium contra Ananum, quem proditionem Urbis moliri in favorem Romanorum accuſabat.

VII. ANANIAS, filius Masbal, ex genere Sacerdotali, oriundus Emmaus. Hunc una cum aliis quindecim ex optimatibus Judæorum, Simeon Dux factionis ſeditioſorum occidit (o), quo tempore Jeruſalem poſtremam obſidionem a Romanis tolerabat.

VIII. ANANIAS, unus ex primis Chriſtianis Jeruſalem, qui unà cum conjuge Saphira ad fidem converſus, bonis ſuis venditis, partem pretii clam retinuit, partem verò Sancto Petro obtulit, totum ſe detuliſſe ſimulans. Apoſtolus Divinitùs fraude viri intellecta, illum mendacii in S. Spiritum arguit. Eo loquente Ananias repentina morte à Deo percuſſus eſt Act. 5. 1. Paulò poſt Saphira ſuperveniens, ab Apoſtolo interrogata an totum pretium obtuliſſet, ſimili mendacio veritatem occuluit, crimenque ſimilis pœna conſequuta eſt An. 33. ſive 34. Æræ paulo poſt Aſcenſionem. Duo circa hanc hiſtoriam diſceptantur; nimirum, in quo potiſſimùm ambo conjuges erraverint; & an pœnam mortis pæna damnationis æternæ conſequuta ſit. Quod ad primum attinet, veterum complures (p) autumarunt, illud diſtrahendorum bonorum conſilium voti tacitam obligationem involuiſſe, nihil apud ſe retinendi, ac omnia in commune conferendi, ob cujus voti tranſgreſſionem duo conjuges pæna mortis mulctati ſunt. Hujus opinionis aſſertores mortalis peccati reos Ananiam, & Saphiram damnant, quorum crimen mendacio in S. Spiritum, ac neſcio qua de Omnipotentia Dei diffidentia plurimùm augebatur.

Nec tamen continuò æterno ſupplicio damnatos illos credere oportet: fieri enim potuit ut Deus intimum animi dolorem conceſſerit, & in pænam mortis, æternæ damnationis pænam commutaverit: quod quidem de illis malunt veteres alii (q), & nonnulli ex Recentioribus. Verùm contraria de illis opinio SS. Chryſoſtomo, & Baſilio (r), aliiſque nonnullis potior viſa eſt. Neque ullum quidem pæniten-

(a) An.M.3343.ante Chr.557.ante Ær.561. (b) Dan.3.ad fin.& 4.1.3.32.33. (c) Joſeph.Antiq.l.20.c.4.circa an.Chr.41.
(d) Oroſ.l.7.c.6. (e) Joſeph. Antiq.l.20.c.3.ab An.M.4050.ad 4066. Chr.66.Ær.63. (f) Antiq.l.20.c.5.An.M.4062.
(g) Act.22.23.24.& 25.1.&c. (h) Act.24. (i) Antiquit.lib.20.cap.8. (k) Joſeph de Bello lib.2 c.38. pag.812.
(l) Thalmud.tract.de Sabb.c.1. (m) De Bello l.2.c.18.ſeu 32. (n) Joſeph.l.4.de Bello c.6.ſeu 15.in Gr. (o) De Bello l.6.c.15.
(p) Hieron.Ep.9.Baſil.ſerm.1.de inſtit.Monach.Chryſoſt.& Oecumen.in Act.5.Cypr.l.3.ad Quirin.Aug.ſerm.olim 10.de diverſis, nunc 148.num.2.Greg.Magn.l.1.Regiſtri Ep.olim 31.nu.34.Sanct.Tirin. Cornel. Grot.&c. (q) Origen. in Matth. edit. Huet.p.383.Hieronym. Ep.ad Demetriad. Aug. ſerm.148.& l.3.c.1. cont. Parmen.Petr. Damian. lib. de contemptu ſæculi c. 3. Sanct. Salmeron. Cartuſ. à Lapide (r) Chryſoſt. in Act. 5. Baſil. ſerm. c. de Inſtit. Monach.

Digitized by Google

pænitentiæ indicium in illis deprehenditur, neque à commiſſo crimine ad mortem ſpatium aliquod temporis fluxit, ut reſipiſcere commode poſſent. Ab hiſce tamen quæſtionibus, in quibus otii plurimùm, utilitatis ineſt nihil, conſueto eſt abſtinendum.

IX. ANANIAS, Diſcipulus Jeſu Chriſti, Damaſci incola, quem Deus ad Paulum ire juſſit Act. 9. 10. Cum ille viri in Chriſtiānos odium, ſimulque acceptam à Principibus Sacerdotum poteſtatem contra Fideles Deo commemoraret, vade, ait Dominus, hunc enim ego virum ſelegi, ut portet nomen meum coram Gentibus, Regibus, & Filiis Iſrael; ego oſtendam illi, quanta oporteat pro nomine meo pati. Ananias igitur continuò Paulum, qui mox in eam urbem venerat, adivit, expoſuitque ſe à Jeſu Chriſto miſſum, ut viſum oculorum ipſi reſtitueret, ſimulque S. Spiritum conferret. Hinc manu capiti illius impoſita, quibuſdam veluti ſquammis ex oculis ipſius dilapſis, illicò ad lucem revocavit; indè ſanatum baptiſmo initiavit.

De geſtis S. Ananiæ hæc tantùm ſcimus. Liber Conſtitutionum Apoſtolorum l. 8. c. ult. hunc virum inter Laicos recenſet; Oecumenius in Acta Apoſtol. inter Diaconos; S. Auguſtinus (a) Sacerdotem autumat, ea ductus conjectura, quod ad Sacramentum Baptiſmi S. Paulo miniſtrandum miſſus eſt; porrò munus illud Divina diſpenſatione Sacerdotibus commiſſum eſt. Inter ſeptuaginta duos Diſcipulos cooptant Græci Recentiores, Epiſcopatum Damaſci eidem attribuunt; addunt tandem martyrem occubuiſſe. Ejus ſepulchrum Damaſci in Eccleſia magnificentiſſimè erecta colitur, quem locum Turcæ in moſcheam converſum ſumma religione obſervant. Feſtum ipſius ad primam diem Octobris Græci conſignant. Latini vero ad diem 25. Januarii.

X. ANANIAS, quo nomine nonnulli (b) ex Antiquis appellant *S. Anianum*, primum poſt S. Marcum Alexandrinorum Epiſcopum.

I. ANANUS, filius Seth, Summus Sacerdos Judæorum, in Evangelio dictus *Annas* (c). Ad eam dignitatem poſt Joazar filium Simonis aſſumptus, poſt undecim annos (d) Iſmaeli filio Phabii illam remiſit; quamvis titulum, & negotiorum adminiſtrationem etiam poſt abdicationem retinuerit. Hinc, quo tempore S. Joannes miniſterium ſuum incepit (e), Annas, & Caiphas Sacerdotio præfuiſſe perhibentur. Ad hunc Annam, veluti Caiphæ Pontificis ſocerum, Jeſus Chriſtus, ſimul ac comprehenſus fuit, adductus eſt. Omnium ſuæ nationis feliciſſimus habitus fuit, teſte Joſepho (f), ſiquidem ipſe compluribus annis Summus Sacerdos, quinque filios ad eam dignitatem evectos habuit, quod nemini adhuc contigerat.

II. ANANUS, filius illius Anani, de quo egimus (g) Summo Sacerdotio anno 62. J. C. tribus menſibus functus eſt. Homo erat audaciſſimus, & ſuſcipiendis rebus facilis, ſecta Saducæus, qui mortuo Feſto Præfecto Judææ, & antè adventum Albini ſucceſſoris, opportunitatem nactus, convocato Sanhedrio, mortem decrevit S. Jacobi, fratris, ſivè cognati J. C. ſecundùm carnem, Epiſcopi Hieruſalem, & aliorum quorumdam, quos omnes impietatis damnatos lapidibus dedit obruendos. Eam rem cùm viri graves altè improbaſſent, ſecreto ad Agrippam, qui Alexandria in Judæam veniebat, detulerunt, inſtantes, ut Anano interdiceret, ne quid ſimile impoſterum auderet. Rex in pœnam criminis illum poſt tres menſes ab acquiſita dignitate Sacerdotio removit, dato ſuceſſore Jeſu Damnæi filio. Interim etiam Præfectus Albinus certior de omnibus factus, literis ad eundem Ananum datis, audaciam illius gravioribus verbis caſtigavit, minitatus inſuper ſe, eum primùm in Urbem veniſſet, ipſum in ordinem redacturum.

Veroſimile eſt (h), hunc eſſe Ananum illum, qui anno Chr. 66. Judæorum concilium præfecturam Urbis Jeruſalem commiſit. Hujus Præſidis prudentiam pluribus effert Joſephus (i), eumque virum fuiſſe aſſerit æquiſſimum, pacis, & publici boni amantiſſimum, publicæ utilitatis ſtudioſiſſimum; quæ quidem dotes omninò diſtant ab iis, quas ipſe Joſephus eidem attribuit, dum mortem S. Jacobi deſcriberet (k): fortaſsè audaciam illam juventutis gravior ætas repreſſerat.

Cum Zelatores, qui Templum occupaverant, Idumæos accerſiſſent (l), ſub obtentu defendendæ Urbis contrà Ananum, quaſi ſecretò cum Romanis conſpiraſſet, Ananus clauſis foribus illos prohibuit. Verùm Idumæi noctu, magnæ procellæ ingruentia occaſione in Urbem pervadentes, Ananum deprehenſum trucidarunt, ac mortui corpus honore ſepulchri deſtitutum beſtiis devorandum expoſuerunt An. Chr. 67. Excidium Hieruſalem ab ea cæde initium cœpiſſe tradit Joſephus (m); ex quo enim vir iſte ſublatus eſt, cujus prudentiæ unica ſalutis ſpes committebatur, veluti firmiſſimis munitionibus everſis, hoſtium furori omnia expoſita ſunt.

III. ANANUS, Lyddæ oriundus, Dux Judæorum, qui motum excitaſſe inter Judæos, & Samaritanos coram Quadrato accuſatus, unà cum Summo Sacerdote Anania Romam miſſus fuit, ut coram Claudio cauſam diceret (n).

IV. ANANUS, filius Jonathæ, qui rebellioni Judæorum contrà Romanos pro viribus obſtitit; quin & Ceſtium in Urbem introducere, conjuratione cum aliis facta tentavit; verùm Romani à ſeditioſis agniti, jactu lapidum è muris expulſi, domus ſuas repetere coacti ſunt (o).

V. ANANUS, oriundus Ammaus, Simonis Ducis ſeditioſorum ſatelles, qui unà cum Archelao filio Magdati (p) ad Titum confugit, à quo primò clementer excepti ſunt; cum verò audivit, non ſponte, ſed neceſſitate coactos ad ipſum defeciſſe, neci tradere decrevit, rem indignam ratus, eum, qui Patriam incenderit, ejus defenſionem deſerere. Verùm poſtea vita ac libertate reſtituta, ſatis habuit, ſi ejus humanitatis, quam in alios Judæos exercuerat, partem hanc experirentur.

ANARCHIA, vox Græca, exprimens Interregnum, ſivè ſtatum Urbis, ubi nullus imperat; cujus imaginem exhibent illa verba (q): *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed unuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat*. Anarchia poſt mortem Joſue prima eſt omnium, quæ in Republica Hebræorum occurrat; tanto enim viro mortuo, nullo in ejus locum ſuffecto, Seniores Tribuum pro ſua quique prudentia res moderabantur. (r)

Poſt Seniorum deceſſum Anarchia valdè aucta eſt, quo potiſſimum tempore contigiſſe creduntur hiſtoriæ illæ, de quibus in fine libri Judicum, ſcilicet hiſtoria Michæ, qui domi ſuæ Idolum conſecravit. *Judic.* 17. Danitarum, qui regione ſua relicta, Lais occuparunt. *Judic.* 18. ac tandem Levitæ illius, qui accepta in conjuge injuria in urbe Gabaa, belli in Tribum Benjamin gerendi occaſionem dedit. *Judic.* 19. 20. 21. Huic Anarchiæ 22. annos cum Uſſerio tribuimus, quot excurrunt ab obitu Joſue An. M. 2561. uſque ad primam captivitatem Judæorum ſub Chuſan Raſathaim An. M. 2591. Poſt Joſue enim Seniores 15. annis rebus præfuerunt, reliquis nullus omninò regnavit; poſtea ſucceſſit captivitas ab anno 2591. uſque ad liberationem per Othoniel anno 2599.

Illud tamen prætereundum non eſt, Chronologias Anarchiarum, quæ ſub Judicibus intercеſſerunt, non facilè expediri. Singuli enim pro libito illas computant; nos Uſſerio adhæſimus, quem, ſi libet, conſule,

G a vel

(a) Aug. qu. l. 2. c. 40. (b) Eutychii Annal. Alex. Suphronius. Niceph. in Cod. Mſ. Chronograph. apud Selden. not. in Eutych. Annal. p. 3. 4.
(c) Luc. 3. 2. Joan. 18. 13. 24. ab Ao. M. 4016. ad 4027. (d) Luc. 3. 2. (e) Joan. 18. 13.
(f) Antiq. l. 20. c. 8. (g) Antiq. l. 10. c. 8. (h) Vide Tillemontium Nota 25. in Judæorum excidium.
(i) De Bello l. 2. c. 42. (k) De Bello l. 4. c. 17. c. 21. & c. 18. (l) De Bello l. 4. c. 17. & 18.
(m) De Bello l. 4. c. 18. (n) Antiq. l. 20. c. 5. (o) De Bello l. 2. c. 24. (p) De Bello l. 7. c. 5.
(q) Judic. 17. 6. & 18. 1. 31. & 21. 24. (r) Obiit Joſue anno 2561. Seniores gubernarunt 15. annis uſque ad 2576. circiter, perfecta Anarchia 8. circiter annis duravit circa an. 2591. ante Ch. 1409. ante Ær. 1413.

Digitized by Google

vel ſaltem adi Tabulam Chronologicam in calce hujus Dictionarii. Sunt, qui reponant Anarchiam undecim, ſivè duodecim annorum inter Jeroboamum II. & Zachariam. Verùm contrarium demonſtraſſe credimus in Supplemento. Aliam Anarchiam poſt regnum Phaceæ alii enumerant, ſed nullo argumento. Captivitas Babylonica, diſperſio potiùs eſt, quàm Anarchia.

ANATH, pater Samgar Judicis Iſrael. *Judic.* 3. 31.

ANATHEMA vox Græca, quæ redditur, ſegregatus, ſeparatus, devotus: utimur autem illa ad exprimendam ſeparationem, & veluti exitium hominis, à Fidelium communione avulſi, è numero viventium veluti ſegregati, & omnibus ſocietatis privilegiis mulctati; nec raro eamdem vocem uſurpamus pro deſtinatione hominis, bruti, Urbis &c. in exitium, deſtructionem, conflagrationem, & quodammodò in nihilum reductionem.

Vox Hebræa *Cherem* ſtylo linguæ Sanctæ exprimit deſtruere, exterminare, devovere, anathematizare. Moyſes præcipit, ut qui fictis Numinibus ſacrificia offerunt, anathemati, & exterminio devoveantur Exod. 22. 19. Simili pœna animadverti juſſit Deus in Urbes Chananæorum, quæ Iſraelitis ſeſe non dedidiſſent. Deut 7. 2. Achan, tranſlato in ſuum uſum neſcio quo ex præda Jericho, quam totam Deus anathemati devoverat, in pœnam commiſſi criminis cum tota familia, rebus, ipſoque tentorio lapidibus, & igne abſumptus eſt. Joſue 6. 17.

Hæc vox *Cherem*, ſivè *Anathema* aliquando uſurpatur pro re ſacra, Deo devota, & conſecrata, nunquàm in uſus prophanos, & communes convertenda. *Omne, quod Domino conſecratur, ſivè homo fuerit, ſivè animal, ſivè ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino. Et omnis conſecratio*, (nempe omne brutum) *quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur* Levit. 27. 28. Sunt qui credant, homines in hunc modum Deo devotos neci traditos fuiſſe, quod exemplo filiæ Jephte Deò immolatæ Judic. 11. 29 demonſtrant. Videſis noſtram Diſſert. in fronte libri Judicum. Sæpè gens univerſa homines aliquos, vel Urbes Deo devovebant, ut Iſraelitæ regionem Regis Arad Num. 21. 2. 3.; & populus in Urbe Maſpha congregatus anathema pronunciavit contrà illos, qui arma cum cæteris non caperent ad ulciſcendam injuriam uxori Levitæ à viris Tribus Benjamin illatam Judic. 19. Saul itidem anathemati devovit eos, qui, dum exercitus Philiſtæos perſequeretur, aliquid cibi deguſtaſſent antè Solis occaſum 1. Reg. 14. 24. Cum igitur in his hiſtoriis de cæde illorum, qui ita devovebantur, ageretur, quonam ſpectaret anathematis religio, indè colligere videmur.

Non rarò homines ſeipſos devovebant, ſin minus ea eſſent facturi, quæ pollicebantur. In Actibus Apoſtolorum 23. 12. 40. viri ſeipſos devoviſſe traduntur, ni omni cibo potuque abſtinerent, antequam necem S. Paulo intuliſſent. Eſſeni (a) diris ſacramentis ſeipſos adigebant obſervandis regulis ſuæ religionis; ex quibus ſi aliqui in crimen laberentur, continuò ex aliorum cœtu expulſi fame ut plurimum enecabantur; cum enim voti religione ſe obſtrinxiſſent abſtinendi ab omnibus cibis per eam occaſionem oblatis, herbas beſtiarum more carpere cogebantur.

Moyſes Exod. 32. 31., & S. Paulus ad Rom. 9. 3. ſeſe quodammodo devoverunt pro fratribus, vel anathemati devoveri optarunt. Moyſes enim Dominum exoravit, ut niſi populo parceret, ſe è libro vitæ deleret. S. Paulus de ſeipſo ait, maluiſſe anathema ſe eſſe pro filiis Iſrael, quàm ut ipſi è Jeſu Chriſti fœdere propter cordis duritiem excluderentur. Excommunicatio, anathema, ſegregatio, pœna eſt omnium hujus Mundi maxima, ſivè de ultimo ſupplicio ea vox intelligatur, ſivè de excommunicatione, ſeù ſeparatione è ſocietate Sanctorum, ac excluſione à rebus ſacris, & precibus; ſivè tandem de damnatione ad æternum ſupplicium; non enim convenit inter Interpretes, quemnam potiſſimùm ex his ſenſibus Moyſes, & S. Paulus ſpectaverint. Conſtat tamen inter omnes, duos illos ſanctiſſimos Viros perfectiſſimæ charitatis monumenta per eam occaſionem reliquiſſe, ac vim deſiderii ſui pro æterna fratrum ſalute graviſſimis atque vehementiſſimis verbis exaggeraſſe.

Excommunicatio apud Hebræos genus erat anathematis, non ſecùs ac apud Chriſtianos; quamquam apud iſtos hujus excommunicationis plures eſſent gradus. Maximus omnium erat anathema, quo ſi quis inureretur, non à precum tantummodo, rerumque ſacrarum communione, ſed etiam ab ingreſſu Eccleſiæ, atque à ſocietate cæterorum arcebatur. Excommunicatis apud Hebræos omne publici muneris exercitium interdicebatur, ut Judicis, Teſtis, &c. cæremoniis funebribus adeſſe, ac filios circumcidere non permittebantur; quin, & aliis hominibus propius accedere, quàm per quatuor cubitos, vetabantur. Demum funebri honore carebant, eorumque tumulis lapis magnæ molis ſuperponebatur, ſivè lapides ſuper illos conjiciebantur, uti ſuper corpora Achan Joſue 7. 26., & Abſalom 2. Reg. 17. 27. factum ſcimus. Vide Seldenum *de Jur. nat. & gent. l. 4. c. 1.*

(Vetuſtiſſimum anathematum exemplum ſuccurrit in Balac Rege Moabitarum, qui anathemati devovendum curavit à Balaam exercitum Iſraelitarum juxta ditionem ſuam habentem caſtra (b). Ad ſe ille Vatem accivit invitans: *Veni, & maledic populo huic, quia fortior me eſt* (nec illum vi cogere audeo). *Si quomodo poſſim percutere, & ejicere eum de terra mea; novi enim quòd benedictus ſit, cui benedixeris, & maledictus, in quem maledicta congeſſeris.* Venit igitur cum Legatis Balaam Ariolus quamvis obluctans animo, uti ſatis expreſſum eſt V. *Balaam.* Vix Moabitidem attigit, ductus eſt à Rege in ſpeculam Baal, unde extrema hoſtilium caſtrorum proſpiceret. Vix ad hæc Balaam erigi mandavit ſeptem altaria, ubi ſacrificia oblata; tum receſſit ſeorſum ab omnibus, illapſum Divini Spiritus operiens. Nec mora, verba hæc in ore vatis poſuit Dominus: *De Aram abduxit me Balac Rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, inquit, & maledic Jacob, propera, & deteſtare Iſrael. Qua ratione deteſter, quem Dominus non deteſtatur? De ſummis ſilicibus videbo eum, & de collibus conſiderabo illum. Populus ſolus habitabit, & inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare poſſit pulverem Jacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſrael. Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia.*

Cum pro diris proſpera Iſraelitis apprecari Vatem ſuum intelligeret Balac, ſileret, rogavit, deduxitque ad alteram ſpeculam, unde proſpectus alterius partis hoſtilium caſtrorum. Altaria ibi, & ſacrificia. Sed Balaam eadem, quæ priùs, in Iſraelem precatus eſt in hæc verba: *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet, locutus eſt, & non implebit? Non eſt Idolum in Jacob, nec videtur ſimulacrum in Iſrael. Dominus Deus ejus cum eo eſt, & clangor victoriæ Regis in illo* (i. e. in ejus caſtris reſonat clangor victoriæ ſummi illius Regis). *Non eſt augurium in Jacob, nec divinatio in Iſrael &c.*, ſeu aliter: Non eſt divinatio, nec augurium in Iſraelem; fruſtra proinde devovendum curas anathemati; fruſtra in illum dira & maledicta; Deum habet magicis omnibus excantationibus ac Dæmonica omni virtute ſuperiorem.

Unicum hoc exemplum id generis anathematum exhibet Scriptura.

Aliud ſufficit Joſephus Antiq. lib. 14 cap. 2. & de Bello lib. 1. cap. 5. Agitantibus Judæam diſſidiis Hircanum inter & Ariſtobulum fratres, diſputantes inter ſe utrumque Principatum, ſacrum nempe & civilem; Ariſtobulus cum ſuis clauſus & veluti obſeſſus in Templo premebatur ab Hircano, qui copias ſuas habebat Hieroſolymæ. Inter hæc Hircanus accivit Oniam, virum ſanctitate celebrem, qui precibus ſuis in ſumma ariditate imbrem impetraſſe ferebatur; ratus pronunciata ab illo in adverſarium dira, mala omnia in ejus caput divinitus vocatura.

Diù reſtitit rogantibus Onias; ſed tandem cùm importunitis inſtarent, levatis ad Cælum manibus in medio exercitus hæc pronunciavit; *O Deus Rex univerſitatis, quandoquidem qui mecum nunc ſtant, tuus populus eſt, itemque qui obſidentur, Sacerdotes tui ſunt, precor, ut neque contra hos illos audias, neq; quæ hi contra illos orant ad exitum perducas.* Quibus verbis tanta in virum indignatione commoti ſunt incitandi

(a) Joſeph. de Bello. l. 2. c. 12. (b) Num. 22. 5.

tandi illius authores, quippe qui voto ſe ſuo fruſtratos intelligebant, ut lapidibus actutum confectum interimerent.

Alterius generis plura anathemata ſuppeditat Hiſtoria ſacra, cùm ſcilicet anathemati devoveretur Gens, Urbs, Regio, familia. Ita Dei juſſu animadverſum in gentem (a) Chanaanæorum, & Amalecitarum (b). Ab Iſraelitis diris devotam Urbem Hormam legas Num. 21. 3. Familiam Achan, Joſue 7. 13. 24. 25. & Urbem Jericho Joſue 6. 17. Tum autem plerunque gens univerſa provinciarum ejuſmodi & Urbium trucidabatur. Cùm autem Bellum ſuſcipiendum eſſet nullum inconſulto Domino, qui Imperatorem agebat, & Ducem copiarum Iſraeliticarum, ejuſque nomine Sacerdotes ineundi prælii ſignum dabant buccinis; de rei eventu nihil fuerat ambigendum, dummodo milites manerent in obſequio; & auxilium ferente Deo exſufflabantur utique alienarum gentium Numina, quin nec digna ea appellatione cenſebantur; ab iis invocandis ſe quàm maxime continebant, nec obſervanda illa vel in minimis ducebant.

Sed Pagani, qui plures Deos ultro admittebant, rebaturque alterum alteri ſubmitti, excantationibus & anathematibus ſanè multis utebantur in perniciem, uti ſibi perſuadebant, quà hoſtilis exercitus, quà eorum Urbium & caſtrorum. Evocabant interdum Deos Urbium tutelares, quò hoſtes protectione & ope Numinum expoliarent. Ita de Syria narrat Curtius lib. 4. *Aurea catena devinxere ſimulacrum* (Apollinis) *aræque Herculis, cujus Numini Urbem dicaverant, inſeruere vinculum, quaſi illo Deo Apollinem retenturi.*

Romani, ait Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 9. rati ſingulis Urbibus ſuum eſſe tutelare Numen, carmina quædam habebant parata propitiandis Numinibus illis; nunquam ditioni ſuæ redigendam Urbem perſuaſi, niſi his ritè peractis; quando etiam accidiſſet, ut armis illam ſibi caperent, crimini tamen ſemper dabant, cum Urbe Deos etiam ſibi captivos ſubmittere. Eo conſilio ſemper religioſo ſilentio texerunt genuinum nomen Urbium ſuarum, diverſum ſemper ab eo, quo vulgò Urbes illæ appellabantur (c); eodemque arcano tegebant nomen Dei ſuarum Urbium tutelaris (d). Arcanum hoc nomen Romæ, proditum à Valerio Solano, qua de cauſa diris animadverſionibus ſubmiſſus eſt, *Valentiam* fuiſſe dicit Plinius. Hac igitur formula utebantur Romani evocando Numini Urbis alicujus tutelar. *Si Deus, ſi Dea es, cui populus Civitaſque Carthaginenſis eſt in tutela; teque maximè ille, qui Urbis hujus populique tutelam recepiſti, precor veneror que, veniamque a vobis peto, ut vos populum, Civitatemque Carthaginenſium deſeratis; loca, Templa, Sacra, Urbemque eorum relinquatis, abſque his abeatis; eique populo Civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis; proditique Romam ad me meoſque veniatis: noſtra vobis loca, Templa, ſacra, Urbs acceptior probatiorque ſit; mihi quoque populoque Romano militibuſque meis præpoſiti ſitis, ut ſciamus intelligamuſque. Si ita feceritis, voveo vobis Templa ludoſque factarum.* Deorum Vejentium evocationes habes apud Livium Decad. 1. lib. 5. Etruſci, cùm id ſibi opus eſſe rebantur, fulmen evocabant (e); quod non ſine ſucceſſu ſæpè præſtitum eſt à Numa Pompilio. Cùm idem ſibi uſurparet Tullus Hoſtilius, ſed ſtatis ritibus neglectis, ipſe à fulmine tactus eſt.

Quod attinet ad formulas devovendarum hoſtilium copiarum, vel obſeſſarum Urbium expreſſum habes apud Macrobium lib. 3. cap. 9. *Dis pater* (Pluto), *ſive Jovis, Manes, ſive quo alio nomine fas eſt nominare, ut omnes illam Urbem Carthaginem exercitumque, quem ego me ſentio dicere, fuga, formidine, terrore compleatis; quique adverſus legiones, exercitumque noſtrum, arma, telaque ferrent, uti vos eos exercitus, eos hoſtes, eoſque homines, Urbes, agroſque eorum, & qui in his locis, regionibuſque, agris, Urbibuſque habitant, abducatis, lumine ſupero privetis, exercitumque hoſtium, Urbes, agroſque eorum, capita, ætateſque eorum devotas conſecrataſque habeatis illis legibus, quibus quandoque ſunt maximè hoſtes devoti; eoſque ego vicarios pro me fide magiſtratuque meo, & pro populo Romano, exercitibus, legionibuſque noſtris do, devoveo; ut me meamque fidem, imperiumque, legiones, exercitumque noſtrum, qui in his rebus gerendis ſunt, benè ſalvos ſinatis eſſe. Si hæc ita faxitis, ut ego ſciam, ſentiam, intelligamque, tunc quiſquis votum hoc faxit, ubi faxit, rectè factum eſto ovibus atris tribus, Tellus mater, teque Jupiter obteſtor.*)

ANATHOTH, urbs Tribus Benjamin Joſue 21. 18. tribus milliaribus ab Jeruſalem juxtà Euſebium in Anath., & S. Hieronymum in Jerem. 1. & 31., ſivè 20. ſtadiis, juxtà Joſephum Antiq. l. 10. c. 10. Urbs erat refugii, Levitis ex familia Caath attributa ac tandem Patria Jeremiæ Prophetæ. Hodie in totum everſa eſt.

ANATHOTH, octavus natu inter filios Bechor. 1. Par. 7. 8.

(ANCHIALUM. Celebris ea vox apud Criticos, qui ad res Judaicas indagandas ſe contulerunt, legitur apud Martialem Epigr. l. 11. c. 95.

Ecce negat jurasque mihi per Templa tonantis;
Non credo, jura, Verpe (*circumciſe*) *per Anchialum.*

Quis Anchialus iſte; Deus ne; & quis Deus; falſus, an verus? Ecur jurare per Anchialum cogantur Hebræi? Porrò Gens iſta odio habita, & contemptui apud Paganos, inter quos verſabatur, res habebat cum illis ſuas communitas, & veniebat in commercium. Sed fides hominum erat ſuſpecta; & cùm alterius eſſent à Paganis Religionis, cogebantur adigere ſe ſacramento, non conſuetis ſacramentorum formulis, ſe peculiaris Numinis ſui nomine, uti noſtris moribus ſolemus homines cogere præſtandis ſacramentis ſub tactu ſacrorum librorum, quo de fide illorum facti ſimus certiores. Quæſtio igitur eò redigitur: Quis Anchialus iſte reputandus ſit, an Dei nomen ipſum, vel potiùs elogium Deo additum?

Vulgares ſacramentorum apud Judæos formulas illas obtinuiſſe, *vivat Deus*, ſat conſtat. Legimus id expreſſum non ſemel in libris Sacris (f). Nec Deus cùm ſacramento obſtringendum ſe voluit, aliter rem præſtat, niſi per ſeipſum, utpote quo major nemo, ſuamque vitam jurans: *Vivo ego Dicit Dominus*. Porro illud: *Vivit Dominus*, ita pronunciari poteſt Hebraicè: *Hachai-Elion*, per Altiſſimi vitam; vel *Ana-Chi-Elon*: Ah vivat Dominus; vel tantum: *Ha-Chi-El*, per vitam Dei. Latina verò terminatio *um*, quæ reddit Anchialum, utique negligenda eſt; ſicuti nec intermedia litera *n*, quam ſubſtituit Poeta; in pronunciatione enim ita effertur vox *Ha-ChiEl*, vel *Al*, tanquam ſi exprimeretur; *Han-Chi-Al*.

Autumarunt nonnulli adactos Judæos præſtare ſacramenta per ſimulacrum Sardanapali erectum Anchialo Urbe Ciliciæ, ſed hæc nimis à longe deducta.

Accerſerunt alii (g) *Anchialon* è Græco *Anchialos*, ſonante, qui eſt juxta ripam; veluti ſi Judæis ſedes jurarent per Deum, qui colitur ad ripam; ad ripas enim aquarum ſe conferebant Hebræi extra patrias Judææ ad preces, & vota. Crediti tandem ſacramenta præſtare per Templum Domini *Heical Jah*. Scitum eſt autem Sacramenta olim præſtita à Judæis per Templum: Matth. 23. 21. *Quicumque juraverit in Templo* (ſeu *per Templum*) *jurat in illo & in eo, qui habitat in ipſo*. Sed hæc ſubtilitate diſplicent plurimùm, & minùs ſunt obvia. Vetus Codex manuſcriptus D. de Thou habet: *Jura Verpe per Ancharium*, jura per aſinum; crediti ſunt enim, vel ſaltem ſibi perſuaderi ſimulabant Pagani; crediti, inquam, Judæi aſinum conſecraſſe (h).)

I. ANDREAS, Præfectus ſatellitii Ptolomæi Regis Ægypti, qui unà cum Ariſtæa, Zobio, & Tarentino Præfectis Regi author fuit, ut 120000. Judæis in ſua ditione diſperſis libertatem reſtitueret. Iſta tamen ex hiſtoria Ariſtææ tantummodò innoteſcunt, quæ apud Eruditos complures fabulam ſubolet.

(a) Deut. 20. 16. 18. (b) 1. Reg. 15. 3. (c) Plin. lib. 3. cap. 5. lib. 28. cap. 2. Solin. cap. 2. Plutar. Probl. 2. (d) Macrob. Saturn. lib. 3. cap. 9. (e) Plin. lib. 2. cap. 53. (f) Judic. 8. 19. Ruth 3. 13. & 1. Reg. 14. 45. & paſſim (g) Le Moine Varia Sacra tom. 2. pag. 58. (h) Petron. fragment. *Judæus licet & porcinum numen adoret. Et Cilli ſummas ad voces auriculas,*

II. ANDREAS, Apoſtolus Jeſu Chriſti, oriundus Bethſaidæ, & frater S. Petri. Primò S. Joanni Baptiſtæ, deindè audito de Jeſu Chriſto teſtimonio, quod Joannes tulerat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; eidem Jeſu adhæſit (a). Quare Jeſum in domum ſuæ habitationis reducem, una cum alio ex Diſcipulis S. Joannis pone ſequutus, uſque ad noctem quatuor ſolidis horis ejus conſuetudine uſus eſt. Primus fuit omnium Diſcipulorum, qui Chriſtum ſequerentur; deindè Simon, ſivè Petrus ab eodem Andrea fratre adductus, ambo fratres integra die (b) cum Chriſto colloquuti ſunt, cumque ad nuptias Canæ Galilææ comitati, poſtea ad propria diverterunt. Aliquibus elapſis menſibus cum Jeſus utroſque piſcantes offendiſſet, accerſivit, ſe effecturum pollicitus, ut hominum piſcatores eſſent impoſterum; quare illi continuò relictis retibus eidem ſe perpetuos comites addiderunt (c).

Inſequenti anno Jeſus Chriſtus in deſerto ultrà Mare Galilææ verſans, quæſivit à Diſcipulis, qua ratione quinque hominum millia, qui ad illum convenerant, alerentur. Reſpondit Andreas ſe duos piſces ac quinque panes hordeaceos in promptu habere Joan. 6. 9. Paulò ante Paſſionem duo Gentiles Jeſum videre optantes, de ea re S. Philippum requiſierunt, qui adjuncto ſibi Andrea illorum vota Domino expoſuit (d). Poſt duos vel tres dies Andreas, aliique ex Apoſtolis de tempore, quo Templum everteretur, Dominum ſciſcitati ſunt. De hoc Sanctiſſimo Apoſtolo nihil ultra ex Evangelio novimus.

Illum Veteres aliqui Scythiam prædicationibus excurriſſe perhibent (e); alii (f) Græciam, ſivè Epiros inſtituiſſe, ut ex illis aliqui tradunt; ſivè incolas Achajæ, & Argos, ut alii. Eccleſiam Byzentinam ſivè Conſtentinopolitanam fundaſſe Græci recentiores affirmant; altum tamen de ea re ſilentium eſt apud Veteres. Acta Martyrii hujus Apoſtoli, quæ licèt vetuſtiſſime ſint, originalia tamen à Criticis non credantur, ejus martyrium Patris in Achajâ conſignant, quod in Cruce conſummaſſe ſub Ægea Provinciæ Proconſule tradunt. Tempus mortis ignoratur: Martyrologia tamen omnis ævi, tam Græcorum quàm Latinorum, ejus memoriam die 30. Novembris recolunt. Corpus Patris ramdiù quievit, donec Conſtantinopolim transferretur, ubi pluribus miraculis coruſcavit (g). In Templo S. Victoris Maſſiliæ Crux aſſervatur, in qua S. Andreas martyrium conſummaſſe fertur. Hæc in theca argentea incluſa formam exhibet Crucis nihilò à reliquis diverſæ; ex quo igitur Pictores morem deſumpſerint pingendæ Crucis S. Andreæ ad formam X. ignoratur. Non crucis, ſed arbori affixum tradit S. Petrus Chryſologus ſerm. 133. arboremque olivæ huic uſui deſerviiſſe Pſeudo-Hippolytus (h) teſtetur. Verùm traditio, quæ martyrio hujus Apoſtoli Crucem deputat, vetuſtiſſime eſt.

ANDRONICUS ex Magnatibus in Aula Antiochi Epiphanis (i), quem Rex Antiochiæ præfecit, cum ipſe expeditionem ſuſcepit pro reducendis quibuſdam Ciliciæ Urbibus. Menelaus Pſeudo-Pontifex Judæorum occaſionem adeſſe ratus perdendi Summum Sacerdotem Oniam, qui illum ad Principem delaturus Antiochiam venerat, Andronicum muneribus tentavit. Onias re cognita, in arce Daphnes ſe continens, liberioribus verbis factum reprehendit.

Tandem Andronicus, inſtigante Menelao, ad arcem ſe contulit, atque Oniæ fictis pollicitationibus, additoque perjurio perſuaſit, ut nihil ſibi timens ad ipſum exiret; quod cum ille feciſſet, continuò trucidatus eſt. Antiochus ab expeditione regreſſus, ut fœdam hanc Oniæ cædem novit, primò acerbo dolore correptus lacrymas fudit, deindè Andronicum in ſceleris ultionem purpura exutum per Urbem univerſam circumduci, atque in ipſo, quo Pontificem occiderat, loco obtruncari præcepit. Id contigit An. M. 3834. antè Ch. 166. antè Ær. 170

ANEM, urbs Tribus Iſſachar 1. Par. 6. 73. Joſue 21. 29. alio nomine *En-gannin*.

ANER, Urbs Tribus Manaſſis, quæ Levitis ex familia Caath ceſſit. 1. Par. 6. 70.

ANER, & *Eſcol* duo Chananæi, qui junctis viribus cum Abraham, inſequuti ſunt Reges Codorlahomor, Amraphel, & ſocios, qui direpta Sodoma, abductoque inter captivos Loth nepote Abrahami, ad ſua remeabant Gen. 14. 24. Prædam ex iſtis Regibus receptam Abraham quidem remiſit, Aner verò & ſocius pro ſua portione retinuerunt.

ANGARIARE, vox frequentiſſima in Evangelio pro cogere, vi abripere. *Angari*, ex quo *angariare*, vox eſt Perſica; ſiquidem apud Perſas publici Tabellarii *Angares* appellantur. Cum autem Angares illi populos, quos repetiſſent in via, poteſtatem haberent cogendi, ut ſibi duces itineris, & equos ſuppeditarent, ideò ſimile coactionum genus verbo *angariare* exprimebant. Cum Judæi ſub Romanis eſſent, adhuc angaribus ſubjecti fuiſſe videntur; ſiquidem milites Chriſtum ad ſupplicium deducentes, Simonem Cyrenæum in via nactum *angariaverunt, ut tolleret crucem ejus* Matt. 27. 32.; & idem Chriſtus Diſcipulos inſtruens: *Si quis*, ait Matth. 5. 41., *te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo*. Spatium unius angariæ, ſivè ab uno ſtathmo ad alium ad 4000. paſſus porrectum fuiſſe creditur. Dies quatuor Temporum ab Alemannis *angaria* appellantur, quòd hiſce diebus ſubditi tributa, & penſiones perſolvant.

ANGE, Mons, de quo tantùm in textu Latino Judith 2. 12. nihil verò in textu Græco. Situs ipſius ibidem deſignatur ad lævam Ciliciæ; quod de Monte Argæo ad ſiniſtram, ſivè Septentrionem Ciliciæ, dictum arbitramur. Mons iſte omnium illius regionis celſiſſimus eſt, vertice ſemper à nivibus circumſeſſo, authore Strabone l. 12. qui etiam addit, ad ejus cacumen pertingentes, quò tamen rari pervenerunt, cum aer ſerenus eſt, duo Maria, nempè Pontum Euxinum, & Mare Ciliciæ proſpicere.

ANGELUS, nomen ex Græce *Angelos*, quod Latinè redditur Nuncius, Hebraice *Maleac*. De bonorum, ac malorum Angelorum miſſionibus, atque apparitionibus, frequentiſſimè in S. Scripturæ ſermo occurrit. Mittebantur autem à Deo, ſivè ad annunciandum quid ipſe vellet, ſive ad correptionem, punitionem, ad docendum, coarguendum, & conſolandum. Angelorum miniſterio uſus eſt Deus in Lege Moyſi tradenda (k), & ſi quando cum Patriarchis colloqui voluiſſet. Hebr. 13. 2.

Nulla Angelorum nomina ante captivitatem Hebræis innotuerant; vel ſaltem in Libris ante illud tempus ſcriptis nullum de ea re veſtigium deprehenditur. Quamquam enim plura ex his nominibus in libro Henoch occurrent, ejuſmodi tamen Opus ſuppoſititium eſt, & poſt captivitatem conſarcinatum. Hinc illa ex Babylone Hebræos detuliſſe (l) aſſerunt Thalmudiſtæ. Tobias omnium primus Angelos proprio nomine deſignavit; ſiquidem Angelus ille, qui adoleſcentulo Tobiæ itineri ſeſe comitem adjunxit, Raphael Tob. 3. 25. appellatur. Tobias autem vixiſſe creditur Ninive aliquandiù ante captivitatem. Daniel, qui aliquanto poſt Tobiam tempore, Babylone florebat, nomine Michaelis, & Gabrielis uſurpat (m); Author quarti libri Eſdræ 4. 35. & 6. 20. qui Jeſu Chriſti adventu recentior videtur, Angelum Uriel, & Ieremiel commemorat.

Judæi Cabaliſtæ Angelos quoſdam præceptores Patriarchis attribuunt, eoſque certis nominibus deſignant; hinc Præceptorem Adam *Raziel* appellent; Sem, *Jephiel*; Abrahami *ZedeKiel*; Iſaac, *Raphaelem*;

Iacob

(a) Joan. 1. 39. An. Chr. 33. Ær. 30. (b) Joan. 1. 41. (c) Matth. 4. 19. An. Chr. 34. Ær. 31.
(d) Joan. 12. 22. An. Chr. 36. Ær. 33. (e) Euſeb l. 3. c. 1. hiſt. Eccl. ex Origene, Eucher. q. in Acta. Oecumen. tom. 1. Prolog. p. 13. Sophron. de viris illuſtr. (f) Theodoret. in pſal. 116. Nazianzen. Orat. 25. Hieron. Ep. 148.
(g) Combefis Auctuar. Bibl. PP. 2. p. 835. Flor. p. 116. c.
(h) Auctar. Biblioth. PP. 2. p. 832 (i) 2. Mach. 4. 34. (k) Act. 7. 30. 53. Galat. 3. 19.
(l) Thalmud Jeroſolym. lib. de principio anni. (m) Dan. 10. 21. & 8. 16. & 9. 22.

Digitized by Google

Jacob, *Selìel*; Joſeph, *Gabrielem*; Moyſis; *Metatron*, ſive *Metatorem*, veluti caſtrametatorem; Eliæ *Malu-ſbeel*; David, *Gerviel*. Addunt inſuper, ſeptuaginta Angelos Dei nomine in ſeipſis geſſiſſe, juxta illud Exod. 20. 11. 12. *Eſt nomen meum in illo*. In Novo Teſtamento Angeli Gabriel Luc. 1. 19., & Michael occurſunt (a).

Quo potiſſimum tempore Angeli creati fuerint, ambigitur. Sunt (b), qui credant, illos emerſiſse, cum Cœlum conderetur, ac de Angelis dictum intelligunt illud: *In principio creavit Deus Cœlum*; id eſt Angelos. Alii (c) volunt nomine lucis, quæ prima die producta eſt, Angelos deſignatos fuiſſe. Alii tandem autumant, illorum creationem Mundi geneſim præceſſiſſe, quibus illud Job 38. 7. favere videtur (d): *Ubi eras cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* Hebræi malunt ſecundam diem creationis huic rei deſtinare: adduntque Deum Angelos allocutum eſſe, cum diceret: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Gen. 1. 26.

Complures ex veteribus Patribus, quibus impoſuerat Liber Henoch, & textus Geneſis non integra fide redditus: *Videntes filii Dei* (legunt illi *Angeli*) *filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi Uxores ex omnibus, quas elegerant* (Gen. 6. 2.); autumarunt Angelos corporis miniſterio uti, ac ſenſibilibus voluptatibus oblectari. Hinc ſi quando ab iiſdem Patribus Angeli ſpiritus dicuntur, non alio ſenſu eorum dicta intelligenda ſunt, quàm quo nos ventum, odores, & vaporea ſpiritus appellamus. Verùm oppoſita ſententia olim pluribus Patribus probata, modò in ſcholis obtinet. Vide noſtram Diſſert. de bonis, & malis Angelis præfixam Comment. S. Lucæ.

Angeli ſinguli ſingulis nedum Regnis, Provinciis, Urbibus, ſed etiam hominibus deſtinati feruntur. S. Michaelem Iſraelitis præfuiſſe teſtatus eſt Angelus Gabriel, dum ad Danielem loquutus ait (Dan. 10. 21.): *Michael Princeps veſter*. Meminit etiam idem Angelus Principis Perſarum (e), quo nomine Angelum ejuſdem Nationis deſignari vulgò Interpretes autumarunt. Vir ille Macedo, qui S. Paulum noctu per viſum alloquutus (f) perſuaſit, ut ad Macedonas diverteret, non alius creditur, quàm Angelus eorumdem populorum, de ſalute illorum ſollicitus. Tandem Septuaginta textum Deuteronomii 32. 8. ita legunt: *Conſtituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei*; quæ verba de Angelis populorum, & Nationum Cuſtodibus dicta Rabbini, & Patres interpretantur. S. Joannes in Apocalypſi 2. 18. 12. ſcribit ad Angelos ſeptem Eccleſiarum in Aſia Minori; quod juxta plures Patres (g) non tantùm de Epiſcopis illarum Eccleſiarum, ſed etiam de Angelis eiſdem deſtinatis intelligendum eſt. Angeli hominum cuſtodes apertis verbis in veteri Teſtamento exprimuntur. Jacob (Gen. 46. 16.) Angelum nominat omnium itinerum ſuorum ducem, & in periculis adjutorem. Pſalmiſta etiam Angelos Juſtorum protectores memorat (Pſal. 33. 8. & 90. 2). Judæi Chriſti ætate paſſim vulgò ſentiebant. Hinc Jeſus in Evangelio Matth. 18. 10. monet, ne puſilli contemnantur, eorum quippè Angeli ſemper vident faciem Patris. Cum S. Petrus è carcere liberatus ad domum cæterorum Diſcipulorum veniſſet, illi Angelum ejuſdem adeſſe crediderunt (Act. 12. 15.). Patres in ea re aſſerenda non diſſident. Judæi & Pagani conveniunt. Heſiodus omnium vetuſtiſſimus, vel ſaltem inter vetuſtiſſimos Scriptores Græcos (h), tradit, Jovem Angelos quoſdam bonos in Terram demiſiſſe, ut hominibus adeſſent, eorumque geſta inſpicerent. Plato l. 10. de legibus ſcribit duos ſingulis hominibus attributos eſſe Dæmones, ſivè Genios, bonorum alterum, alium malorum inſtigatorem; quanquam Platonis ſententiam aliter referat Apulejus: *Ex hac ſublimiore Dæmonum copia Plato autumat, ſingulis hominibus in vita agenda teſtes, & cuſtodes ſingulos additos, qui nemini conſpicui ſemper adſint*. (i)

Ex Apoſtoli teſtimonio compertum eſt, plures diſtingui in Cœlo Angelorum Choros ſivè diverſitate munerum, ſivè gloriæ gradibus diſcretos: ſed quot ſint numero, & quem ordinem ſervent, non una eſt inter varios Patres ſententia. Origenes in Joan. autumat, plures eſſe Angelorum Choros, quàm quos Apoſtolus enumeravit. Origenem plures ex veteribus Patribus ſequuntur. Alii nonniſi novem aſſignant, quot in Apoſtoli textu enumerantur; & hæc ſententia in Scholis Theologorum vulgò obtinet. Author, qui ſub nomine S. Dionyſii Areopagitæ laudari ſolet (k), tres diſtinguit Hierarchias, ſingulis verò tres ordines Angelorum aſſignat: in prima Seraphin, Cherubim, & Thronos; in ſecunda Dominationes, Virtutes, & Poteſtates; in tertia Principatus, Archangelos, & Angelos collocat. Occurrunt etiam in S. Scriptura ſeptem Angeli Principes throno Dei jugiter adſiſtentes; ex quibus unum Angelus Raphael (l) juveni Tobiæ ſe eſſe prodidit. Angelus Danielem alloquutus Dan. 10. 13. eadem de S. Michaele perhibet. *Michael unus de Principibus*. Eoſdem Angelos ante thronum Dei S. Joannes Apoc. 8. 2. 3. per viſum aſpexit. In Teſtamento duodecim Patriarcharum, libro vetuſtiſſimo, iidem Angeli appellantur, *Angeli faciei*; & in vita Moyſis: *oculi Domini*. Fortaſſe hæc omnia deducta ſunt ex more apud Reges Aſſyrios, Chaldæos, & Perſas recepto, quibus ſeptem Eunuchi, ſivè ſeptem Magnates omnium potentiſſimi jugiter adſiſtebant.

Numerus Angelorum nullibi in S. Scriptura ſupputatur, quanquam plurimi, & ferè innumerabiles dicuntur. Daniel 7. 10. cum ad Thronum Antiqui dierum accederet, fluvium ignitum exindè devolvi, & mille millia Angelorum obſequium exhibentia, decieſque centena millia throno adſiſtentia ſe vidiſſe teſtatur. Circa Thronum Agni mille Angelorum millia vidiſſe ſe perhibet S. Joannes Apoc. 15. 11. Jeſus in Evangelio (Matth. 26. 53.) dixit ſibi à patre exhiberi potuiſſe pluſquam duodecim legiones Angelorum, ſcilicet 72000. Angelorum. Currum Dei 10000. Angelorum comitari tradit Pſalmiſta (pſal. 67. 18.). Ad multitudinem illorum præ numero hominum exaggerandam complures capacibus (m) utuntur parabola Patris-familias, qui relicta 99. ovibus in deſerto, centeſimam vagantem perſequitur; adduntque deperditam ovem genus eſſe humanum, quod à juſtitia decidit; oves verò relictas eſſe Angelos, qui in obſequiis permanſerunt. Alii inter Patres (n) exceſſum Angelorum ſupra homines ex eo deducunt, quod Cœlum magnitudine plurimùm terram ſuperans, incolis etiam præ illa abundare par eſt. Author ſub nomine Sancti Dionyſii latens, nihil eſſe in rerum natura perhibet, quod Angelorum multitudinem adæquet. Si quis uberiorem de Angelis diſquiſitionem velit, adeat noſtram Diſſertationem de hoc argumento præfixam Commentariis in S. Lucam.

Exiſtentiam Angelorum, ſicut & cæterorum Spirituum negant Saducæi (o), reliqui Judæi illos colunt, uſque ad ſuperſtitionem (p). Author libri de Prædicatione S. Petri, ſcripti antiquiſſimi, cujus teſtimonium laudat S. Clemens Alexandrinus l. 6. Strom., teſtatur, Judæos cultum religioſum præſtare Angelis, Archangelis, ſimulque menſibus, & Lunæ. Celſus (q) eadem illis exprobrat. Tertullianus de Præſcrip. c. 12. ſcribit Simonem, & Cerinthum mediationem Angelorum, Jeſu Chriſti mediationi prælerre. Joſephus (l. 2. c. 12. de Bello), & poſt illum Porphyrius (de Abſtin. l. 4.) tradunt, Eſſenos ſe ſacramento ad conſervanda

(a) Judæ 9 & Apoc. 12. 7. (b) Orig. hom. 2. in Gen. Bed. (c) Aug. l. 1. de Gen. ad Lit. c. 9. & l. 11. de Civit. c. 9. & Rup. l. 1. de Trin. c. 10. (d) Orig. hom. 1. in Gen. & hom. 10. in Matth. & Baſ. hom. 1. in Hexam. Nazianz. Orat. 38. Ambroſ. in Hexam. & alii plures. (e) Dan. 10. 13. (f) Act. 16. 9. (g) S. Ambroſ. In Luc. l. 2. Orig. in Luc. hom. 13. Hilar. in Pſal. 129. Baſil. in Iſ. & Epiſ. 191. Nazian. Or. 31. 32. Hieron. in Mich. 6. & in Matth. 18. (h) Heſiod. Oper. & dies, l. 1. v. 121.

(i) Apulei. Libello de Deo Socratis. (k) Dionyſ. de Cœleſti Hierarchia, c. 6. Gregor. Magn. homil. 34. in Evang.

(l) Tob. 12. 15. (m) Hilar. in Matth. Can. 18. Ambr. in Luc. l. 7. c. 15. Nyſſen. l. 12 contra Eunom. Cyrill. Catecheſ. 15.

(n) Cyrill. Jeroſolym. loco cit. Dydimus cæcus apud Maxi. ad cap. 14. Dionyſ. de Cœleſti Hierarchia.

(o) Act. 23. 8. (p) Coloſſ. 2. 18. (q) Celſus apud Origen. contrà Celſ. l. 5.

vanda ſanctè nomina Angelorum, & Libros ſuæ Religionis adigere. De cultu Angelorum penès Judæos, & Chriſtianos egimus in Comment. ad Coloſ. 2. 18. & in Diſſertatione de Angelis.

(Nomine Angeli Domini deſignantur ſæpè in Scriptura viri Dei, & Prophetæ; e. g. Judic. 2. 1. *Aſcendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait; Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua juravi patribus veſtris, & pollicitus ſum, ut non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum; ita duntaxat, ut non feriatis fœdus cum habitatoribus terræ hujus; & noluiſtis audire vocem meam. Cùmque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſrael, elevaverunt ipſi vocem ſuam, & fleverunt, immolaveruntque ibi hoſtias Domino. Dimiſit Joſue populum.* Non ſine magna veri ſpecie credimus, Angelum hunc ipſiſſimum fuiſſe Joſue, vel Summum Sacerdotem, vel Prophetarum quempiam (a). Nomine Angeli Domini deſignari Joſue, qui introduxit Iſraelitas in terram promiſſionis, verbis illis Exodi 20. 23. credunt Interpretes plurimi (b). Conſtat utique in Scriptura nomine Angeli Dei interdum exprimi Prophetas; Aggæi 1. 13. *Dixit Aggæus nuncius Domini de nunciis Domini* (Hebræus & Græcus *Angelus Domini de Angelis Domini*). Malachias, inter duodecim minores Prophetas poſtremus, appellatur à multis è Patribus (c) *Angelus Domini*, quæ ſignificatio eſt Hebraici nominis Malachias. Tenent nonnulli ſub Malachiæ, vel Angeli Domini appellatione Eſdram cenſeri (d). Nathan Prophetam, qui commiſſum crimen exprobravit Davidi, Angelum, vel Dei nuncium appellavit Eupolemus. Quem per viſum ſpectavit ejus uxor, ſeu Angelum ſeu hominem Dei indiſcriminatim appellavit Manne pater Samſonis, quoadusque cum fumo holocauſtorum evaneſcentem Angelum reipſa intellexit Judic. 13. 2.

Interdum Dei nomine inſigniti ſunt Angeli in Scriptura. Qui ſe Moyſi ſpectandum præbuit in rubo (e); qui Legis præcepta illi tradidit; qui cum eo agebat familiariùs, deducebatque Hebræos per Deſertum, nunquam non Deus appellatur, de quo etiam Dominus ipſe Exodi 23. 21. *Eſt nomen meum in illo*. Dei pariter cenſebantur nomine, Angeli Sanctis Patriarchis per viſum apparentes (f); ideo ſcilicet, quòd ejus nomine agerent, ab illo legatione fungerentur, & juſſionum ipſius atque virtutis depoſitum conſervarent. Nec illis tantùm datum nomen *Elohim* vel *Adonai*, cui ſæpè pares habiti ſunt Judices, & Principes; ſed & *Jehovah*, unius Dei peculiare nomen, quo tota majeſtatis ejus gloria exhibetur.

Quæ tenet ſententia Regnis, Provinciis, Gentibus ſuos eſſe tutelares Angelos, è Scriptura ipſa repetitur, adoptataque qua à Chriſtianis, qua pariter à Judæis. Teſtimonium illud Danielis 10. 21. *Michael princeps veſter* (populi Dei); alterum etiam Actuum 15. 9. ubi ſub hominis Macedonis ſpecie Angelus ſeſe videndum præbens Apoſtolum illum invitavit in Macedoniam; teſtimonia, inquam, illa fidem non dubiam adſtruere dogmati videntur.

Ambiguum eſt magis teſtimonium alterum Danielis 10. 13. *Princeps Perſarum reſtitit* (Archangelo Gabrieli) *viginti & uno diebus*. Viris enim doctiſſimis Princeps iſte Perſarum eſt Cyrus Rex Perſidis, qui totus & in corde monenti Gabrieli tandiu reſtitit.

Alter eſt Deuteronomii 32. 8. locus, ubi de diviſis à Deo hominibus juxta numerum Angelorum Dei. Ita legunt Septuaginta: *Quando ſeparabat Altiſſimus filios Adami, conſtituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei;* quo loco Vulgata & Hebræus habent: *Juxta numerum filiorum Iſrael:* Quæcunque lectio retineatur, arduum erit ſemper aliquid circa numerum populorum ad turrim Babelicam diſperſorum. Primò enim, quis certò afferat agi hic de Babelica diſperſione? Adhæc, conſtatne ſatis ſingulos homines in id operis inſudantes certam quamdam conſtituiſſe gentem; & non potiùs inſinuatas his verbis ab Authore ſacro omnes eas gentes, ſive quæ jam coaluerint, ſive quæ ſæculorum tractu formabuntur? Equidem ſi ſtatuamus ſingulis illis Angelos ſuos tutelares, hæc Textus expoſitio adoptanda eſt admiſſa lectione Septuaginta.

Si quis verò lectionem Hebræi & Vulgatæ præferat; illi tunc indicanda epocha, quam Moyſes aſſignare voluit Hiſtoriæ Gentis Iſraeliticæ; neque enim Babelicæ turris ætate de Iſraelitis audiri quidquam cœptum erat. Si Moyſes ætatem ſuam ſpectavit, tunc utique aucto in immenſum Iſraelitarum numero, reputari etiam oporteret, gentes è Babelica diſperſione formandas in exceſſum multiplicatas fuiſſe; quando enim non recenſerentur ex Iſraelitis niſi tractandis armis idonei milites, quomodo per univerſum mundum diſtinguerentur 600000. Gentes inter ſe ſtudiis diverſæ?

Sedit pluribus perſuaſio (g), Gentes illas fuiſſe tantùm 70. vel 72. quanquam opinionem ſuam minoris ponderis momentis fulciunt; nimirum in cap. 10. Geneſis, ubi Moyſes genealogiam retexit filiorum Sem, Cham, Japhet, ſermonem eſſe tantùm de 72. viris, ex quibus totidem Gentes derivatæ creduntur. Sed numerus iſte hominum minuetur plurimùm, ſiquidem adimantur, quos adimi neceſſe erit, cùm omnes eorum filii accenſiti ſint, tres illi Patriarchæ Sem, Cham, Japhet; ſi pariter eradantur 13. filii Jectan, facilè nonniſi poſt diſperſionem nati. Prætereo hic *Cainan*, qui legitur in Septuaginta verſ. 24. ſicut & *Eliſa* & Cozar Japheto filii aſſignati. Profectò ſi quis illos adjicere voluerit, numero hominum in Hebræo & Vulgata recenſitorum unà cum Philiſtiim, & Caphtorim verſu 14. illi planè non ad 72. ſed ad 76. Gentes ſupputabuntur. Hæc igitur ſatè nutant.

Accerſerunt alii numerum hunc 70. Gentium è totidem filiis Jacob unà cum illo in Ægyptum aſcendentibus: *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta*. Gen. 46. 26. 27. Reipſa quidem nonniſi 66. homines venerunt in Ægyptum, uti Moyſes non obſcurè verſ. 26. *Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum ..... ſexaginta ſex*. Implendo numero rotundo recenſendi ſunt cum cæteris Jacob, & Joſeph cum geminis ejus liberis. Si quis autem omnes filios Jacob conſtituat, perperam etiam eundem Jacob referat in cenſum; habet enim Moyſes non obſcurè: *Conſtituit terminos populorum*, ſeu *filiorum Adam, juxta numerum filiorum Iſrael*. Septuaginta verò non ſemel (h), & S. Stephanus in Actis legunt 75. pro 72. Nectuntur his ardua arduis adversùs certum numerum 70. vel 72. populorum è filiis Noe referendorum; ex quibus etiam ardua reſultant adversùs numerum hunc Angelorum totidem Gentium tutelarium.

Ex his omnibus rectè ſtatueretur, traditione Eccleſiæ Judaicæ & Chriſtianæ certum teneri ſingulis gentibus ſingulos eſſe tutelares Angelos aſſignatos; ſed & certi nihil determinari poſſe, ſicut & de gentium ejuſmodi numero, ita & de Angelorum ad earum tutelam deputatorum. Quin & variaſſe numerum illum ſæpè neceſſe eſt, juxta auctum vel imminutum populorum, & gentium numerum; quot enim vices à diſperſione Babylonica ad noſtram uſque ætatem mundi totam torquentes, id effecerunt, ut cadentibus plurimis gentibus, plures etiam aſſurgerent? Et ne ultra divagemur, nonne Scriptura ſuppeditat exempla Amalecitarum, Philiſthæorum, plurium gentium in Chananitide, Emim, & Zonzomim? ubi illi modo?

ANGELUS EXTERMINATOR, *Angelus mortis, Angelus Satan, Angelus abyſſi*. Deſignant hæc omnia Dæmonem cum ſuis, pravos Angelos, ultionis & furoris Dei adminiſtros. Exterminatoris Angeli gladio percuſſit Deus exercitum Sennacherib 4. Reg. 19. 35.; gladio Angeli mortis ſubjectas Davidi gentes perimens, de capitata à Principe inani quadam gloriola ultionem hanc exegit acerbiſſimam 2. Reg.. Cædebat Angelus Satanæ Apoſtolum (i), occultoſque tendebat laquos illibatæ

(a) Jonathan, Maſ. Vatabl. Grotius, Jun. Druſ. &c. (b) Aug. in Exod. 9. 91. Juſtin. in Dialog.
(c) Clem. Alex. Strom. l. 1. Tertul. contra Judæos, c. 5. (d) Hieron. Præfat. & Comment. in Malach. Antiqui Hebræi Jonath. Chaldæus. (e) Exodi 21. &c. Vide Actuum 7. 30. 35. Galat. 3. 19. (f) Hebr. 18. 2. Gen. 18. 3. & 19. 2. (g) Hebræi, Chaldæi Interpp. Hieronymus in Matth. 26. 53. Clem. Alex. Epiphan. Aug. Alii. (h) Gen. 46. 27. Exodi 1. 5. Deut. 10. (i) 2. Cor. 12. 7.

libatæ viri ſancti caſtitati; idemque Angelus accuſabat in judicio coram Domino Summum Sacerdotem Jeſum, altercabaturque cum Archangelo S Michaele, ut ſibi vindicaret corpus Moyſis Zach. 2. 1. 2. Angelus Abyſſi (a), vel *Angelus Regis Abyſſi*, ut eſt in Apocalypſi 9. 11. ipſiſſimus eſt Dæmonum Princeps & Angelus exterminator.

De Angelo exterminatore delente exercitum Sennacherib vide V. *Sennacherib*.

Angelus mortis commiſſum habet à Deo ſibi munus animam à corpore disjungendi. Angelum hunc mortis æquè agnoſcunt Judæi, Arabes, Turcæ, & Perſæ, quibus poſtremis appellatur *Mordad* vel *Aſuman*; RR. & Arabibus eſt *Azrael*; Paraphraſti Chaldæo *Malk-ad-Mouſa*; aliis tandem, uti Authori Aſſumptionis, ſeu exitus Moyſis, *Samael*, Princeps Dæmonum. Poſtremus iſte Author narrat, impleto jam tempore, quo Moyſes letho abſumendus erat, mandaſſe Deum Gabrieli, ut animam Moyſis educeret; amovente a ſe illo munere obnixis precibus, amovente etiam precariò S. Michaele, & Angelo Zinghiele, utpote qui cùm præceptorem habuiſſet Moyſem, talia Magiſtro rependere indignum ſibi rebatur; propiùs factus eſt Samael, ut animam hanc è corpore ſevocaret. Sed aſpectus ejus fulgore perculſus, repulſuſque item virtute nominis Dei, quod Moyſes ſcriptum ſerebat in virga, patrandiſque prodigiis valebat plurimum, recedere coactus eſt, quare Deus ipſe per ſe venit, evocaturus animam Prophetæ per oſculum.

Docent RR. (b), Angelum mortis, cùm hominem percuſſerit, gladium ſuum eluere aqua, quæ ſorte occurrerit in ædibus, hanc autem maligno contactu virus contrahere; ex qua doctrina cautio Judæorum, effundendi ſcilicet in via aquam omnem domus. Angelus iſte mortis, inquiunt illi, morientis hominis capiti aſſiſtit, ſtringens nudum quendam gladium, cujus extrema cuſpis pendentes habet tres guttas veluti fellis. Ad ejus aſpectum territus miſer diducit os, promptuſque Angelus infundit in fauces lethales illas tres guttas, quarum prior necem infert, altera tetro colore inficit cadaver, tertia tandem diſponit, quò in tumulum illatum promptè diſſolvatur in cinerem (c).

Addunt inſuper homini jam extincto alterùm in ſepulchro interitum manere (d); cùm enim, inquiunt, conditus ſepulchro homo Judæus, Angelus lethali foſſæ aſſidet, promptèque accurrit & anima, ut conjuncta ſe iterum corpori in pedes illud conſtituat. Tunc Angelus arrepta ferrea catena, cujus pars alget, pars autem igne candeſcit, rudi adeo ictu corpus ferit, ut membrorum omnium compago diſrumpatur. Cædit nihilo ſeciùs ſecundò, & oſſa ſtatim diſſociantur; cædit tertiò, & cinis omnia. Succedunt tum probi Angeli, ac colligentes diſponenteſque ſingulas partes, corpus iterum collocant in ſepulchro. Ab eo tamen ſupplicio eximere viſum eſt homines pios, qui amplioribus in pauperes largitionibus id ſibi privilegium, ceu pretio comparant.

Eſt etiam Muſulmanis & Perſis ſuus Angelus morti inferendæ, ſegregandæque animæ à corpore deſtinatus. Tenent inſuper (e), condito jam cadavere parere ſtatim duos malos Spiritus, minantibus oculis, atroque colore horribiles, quibus jubentibus aſſidet in ſuo loculo defunctus; tum in ejus mores inquiritur. Si nihil admiſerit indignum, requieſcere jubent iterum, & in pace omnia; ſin minùs, validis mallei ictibus inter utramque aurem tunditur, ex quibus dolores acerbiſſimi, & ejulatus miſerabiles.

De Angelo mortis ſermo eſt in Græco libri Job non ſemel. Job. 33. 3. *Si fuerint mille Angeli mortiferi, unus eorum non vulnerabit eum, ſi cogitaverit in corde reverti ad Dominum, & annuntiaverit homini ſuum ipſius crimen, & ſuam ſtultitiam oſtenderit*. Et cap. 20. 15. *Divitiæ iniquè congregatæ evomentur de domo ejus, extrahet eum Angelus*. Tandem capite 36. 14. *Morietur in tempeſtate* (immature) *anima eorum, & vita eorum vulnerata ab Angelis*. Salomon Prov. 17. 11. *Semper jurgia quærit malus; Angelus autem crudelis mittetur contra eum*. Angelus iſte crudelis, Angelus mortis contra priores viros Saræ miſſus Tobiæ 3. 8. omnes peremit, cùm accedere tentabant ad fœminam. Idem eſt Angelus Almodæus vel deſtructor ab Angelo Raphaele relegatus, catenîſque revinctus in Deſerto Tob. 8. 3. Idem pariter Angelus, de quo Pſ. 34 5. 6. *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans eos* (friians eos.) *Fiat via illorum tenebræ & lubricum; & Angelus Domini perſequens eos*.

Angelus Satan, cædens in faciem Apoſtolum 2. Cor. 12. 7. miniſter eſt Dæmonis, munus ab illo gerens. Ita porrò exhibetur in Scriptura Dæmon, tanquam Princeps in ſubjectos alios Dæmones exercens authoritatem; eo ſenſu agit Evangelium Matth. 12. 16. de Regno Satan: *Si Satanas Satanam ejicit, adversùs ſe diviſus eſt; quomodo ſtabit Regnum ejus?* Si ſcilicet Dæmon Dæmones è corpore pellit, ejus Regnum peſſundabitur. Venit J. C. in mundum labefactandæ potentiæ Satanæ; iterumque poſtrema judicii die veniet amandandis impiis ad æternum ignem *Dæmoni, & Angelis ejus* paratum Matth. 25. 41., i. e. ſubjectis illi malis Spiritibus, quibuſcum communem habet naturam, & ſupplicium.

Angelus iſte Satan colaphis cædebat Apoſtolum, vel probroſa ſuggerens, (f) vel morbos detinens in corpore (g), vel ſuſcitatis in illum adverſariis, conſiliis ejus ſeſe opponentibus, uti Fabro illo ærario, Demetrio argentario Epheſio, Hymenæo & Phileto, de quibus ipſe in priori ad Timotheum. Credunt tandem alii (h) Angelum Satanæ aperta vi reſtitiſſe Apoſtolo, colaphis cecidiſſe, intendiſſe laqueos, quemadmodum & gravem ſeſe exhibuiſſe S. Antonio refert S. Athanaſius, cædendo, affligendo &c. Ita pariter & duriſſimè habitos alios viros Sanctos ab illo ſcimus, ægro ſcilicet animo ferente illorum in bono profectum, furente inſuper, quod Regnum ſuum dejici ab illis intelligeret.

Lingua angelorum. Vide *Lingua*.

ANGELI *lucis*, *Angeli tenebrarum*. Lucis Angelos appellamus probos illos Spiritus, ſedem habentes in Cælo, in regione ſcilicet lucis, gloria luminis paludatos, Altiſſimi throno aſſiſtentes, ſuggerenteſque hominibus dignas luce cogitationes. His oppoſiti *Angeli tenebrarum*, Dæmonis adminiſtri, ſedes habent in Infernis conſtitutas, regione nempe tenebrarum in atris illis carceribus, ubi impiorum animæ miſerè torquentur. Satanas interdum, ait Apoſtolus 2. Cor. 11. 14. *transfigurat ſe in Angelum lucis*; quemadmodum & lupos ovina pelle tegi aliquando fallendis incautis monet J. C. Matth. 7. 15. ſed ex operibus tandem, quid lateat, agnoſcitur; citò, vel ſeriùs tenentur tandem; opera tenebrarum, quibus ſectatores ſuos addicunt, Angelos tenebrarum demonſtrant.

ANGULUS uſurpatur interdum pro extrema quacunque ora terræ, regionis, vellis, barbæ, comæ, populi, ædificii, menſæ, aræ. *Non exterminabit angulum barbæ tuæ*, ait Moyſes Levit. 19. 27. in Hebræo; non præcides prorſus barbam verſus aures & ad extremum menti. *Omnes anguli populorum & cunctæ Tribus Iſrael convenerunt in Maſpha* Judic. 20. 2. Porrò hoc *anguli populorum* juxta nonnullos denotat populum univerſum ab uno regionis fine ad extremum alterum, & oppoſitum, nemine excepto; juxta alios vero ſunt primores in populo. Vide etiam 1. Reg. 14. 38. *Applicate huc univerſos angulos populi*. Et Iſaiæ 19. 13. *Diſperdidit Gentes, & diſſipati ſunt anguli eorum*. In his omnibus angulus Populi inſinuare videtur omnium gentium quidquid eſt, ab uno ad alterum regionis angulum.

Angulus eſt etiam interdum maximè prominens in ædificio locus. Zacharias agens de Tribu Juda poſt ſolutam captivitatem, cap. 10. 4. *Ex ipſo angulus, ex ipſo paxillus &c*. Ex ea Tribu ſcilicet anguli, i. e. Duces;

(a) Judæ verſ. 9. (b) Buxtorf Synag. Jud. c. 35. (c) Buxtorf. Synag. Jud. c. 5. (d) Idem ibid. ex alio in Tisbi.
(e) Pokok. not. Miſcellan. pag. 241. (f) Aug. Con. 2. in Pſ. 58. & l. 3. c. 7. contra 2. Epiſt. Pelag. Hieron. Alii paſſim.
(g) Baſil. Reg. fuſior. cap. ult. Aug in Pſ. 130. Hieron. in Galat. 4. 13. Beda. Sedul. Quid. apud Chryſoſt. D. Thomas &c.
(h) Chryſoſt. Theodoret. in 2. Cor. 12. Ambroſiaſt. Primarius &c.

ces; ex ea lapis angularis, Meſſias, reprobatus rejectuſque à Judæis (a), ſed in gloriam elevatus à Patre cœleſti. Angulus eſt etiam obſcuriſſimus in æde locus Prov. 21. 9. & 25. 24. *Melius eſt ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa in domo communi*; & Actuum 26. 26. ſermonem habens Apoſtolus coram Rege Agrippa de rebus J. C. ejuſque reſurrectione: *Neque enim*, ait, *in angulo quicquam horum geſtum eſt*.)

ANI, Levites, inter cantores, & cytharædos, qui Arcam comitabantur, dum Jeruſalem transferretur. 1. Par. 15. 18.

ANIA, filius Semida ex Tribu Manaſſe. 1. Par. 7. 19.

ANIANUS, ſivè Ananias Epiſcopus Alexandriæ poſt S. Marcum. Cum S. Marcus Urbem illam ingrederetur (b), diſciſſa caſu calceamenta, ſarcienda dedit cuidam ſutori, nomine Aniano. Hic, læſa ſibi manu ſubula, ſubito dolore abreptus exclamavit: Oh Deus! Ea data occaſione S. Marcus Evangelium viro annunciavit, ſimulque terra ſalivæ admixta, ſanitatem vulneri intulit; quo miraculo conſpecto, Anianus unà cum tota Familia ad fidem adduci paſſus eſt. Cum vero Fidelium numerus plurimùm excreviſſet, invidiam Paganorum S. Marcus declinaturus, ex Urbe digreſſus eſt, commiſſo antea Epiſcopatu S. Aniano, qui tandem poſt adminiſtratam 18. annis Eccleſiam, vita functus eſt anno 86. Æræ vulgaris.

ANILÆUS, frater Aſinæi, ambo Judæi ex Urbe Neerda ad Euphratem in Provincia Babyloniæ (c). Cum poſt mortem patris ſumma egeſtate premerentur, textrinam addiſcendo, vitam tolerare coacti ſunt. Accidit interea, ut quadam die ſerò ad opus venientes, ab officinæ Magiſtro verberibus jamjam caſtigandi eſſent; quare ſeſe in tutum receperunt; deindè armis arreptis, aliiſque ſeditioſis congregatis, prata quædam occuparunt, ſita in paludibus, ad locum, ubi Euphrates in plures rivos diſpergitur. Ibi validis munitionibus ducti, Præfectis etiam Babyloniæ graves eſſe cœperunt, quorum exercitum non ſuſtinuerunt modo, ſed etiam ut re infecta cederet, coegerunt. Tantam duorum fratrum virtutem admiratus Artabanus Parthorum Rex, nedum illos videre, ſed occupatam etiam regionem tutò detinere ſuſtinuit.

Cum ea loca 15. annis quietè tenuiſſent, tandem Anilæus amore cujuſdam fœminæ Parthæ captus, conjugi illius Provinciæ Præfecto bellum intulit, victumque, atque in ſuam poteſtatem redactum occidit, ejuſdemque uxore potitus eſt. Verùm mulier illa in novo conjugio nihilò quoad Religionem immutata, Deorum ſimulachra in regionem Judæorum invexit. Ea res graves excitavit querelas apud Judæos; nec minus Aſinæo diſplicuit, qui diutiùs crimine tolerato, tandem Fœminæ repudium fratri perſuadere tentavit. Sed vi amoris Anilæum retrahente, omnes fratris conatus inanes fuerunt; quin & mulier illa, ne Judæi contrà ſe arma caperent, pertimeſcens Aſinæum veneno ſuſtulit.

Poſt hæc Anilæus excurſionibus ditionem Mithridatis generi Regis Artabani infeſtavit; illiuſque exercitum ſubitò adortus fudit, ac Regem ipſum captivum abduxit; illum tamen, poſtquam fœdè plurimum habuiſſet, tandem remiſit. Mithridates, uxore inſtigante, denuò copias coegit, ac cum Anilæo ſibi occurrente congreſſus, victum, fugatumque intrà paludes reduxit. Ibi tamdiù Anilæus ſubſtitit, quamdiù Babylonii, qui antea regionem exploraverant, miſſis ad illum legatis ſpecie fœderis ineundi, incautum improviſò noctu adorti oppreſſerunt. Id accidit An. Chr. 40.

ANIM, Urbs Tribus Juda. Joſue 15. 50. quæ non alia videtur, ac vicus *Anam*, ſivè *Anem*, aut *Anem*, locus ad orientem Hebron, decem ab illa milliaribus, authoribus Euſebio ac S. Hieronymo (d).

(ANIMA. Animæ nomen ambiguum eſt maximè Hebræorum ſtylo. Uſurpatur enim interdum pro anima quacunque, ſive qua vivunt homines, ſive qua bruta, pro re quacunque viva. *Da mihi animas*, ait Rex Sodomæ ad Abrahamum, Gen. 14. 21. *cætera tolle tibi*; & Gen. 12. 5. *Abraham & Loth tulerunt univerſas animas, quas fecerant in Haran, & egreſſi ſunt, ut irent in terram Chanaan*, i. e. ſervos, quos ibi emerant, vel ſervis ibi natos liberos.

Anima eſt etiam vita Gen. 32. 30. *Salva facta eſt anima mea*. Gen. 37. 22. *Ne interficiatis animam ejus*. *Vives anima mea &c. Qui quærunt animam meam*, i. e. vitam meam: *Non aſſumere in vanum animam ſuam*, eſt non perjerare per vitam ſuam.

Pro obitu uſurpatur Num. 9. 6. *Qaidam immundi ſuper animam hominis*; & Numer. 19. 13. *Qui tetigerit humanæ animæ morticinum*.

Sæpè valet pro deſiderio, amore, animi propenſione. Gen. 23. 8. *Si placet animæ veſtræ*. Num. 11. 6. *Anima noſtra arida eſt*, pertæſi ſumus animo, nihil niſi manna videntes. 1. Reg. 2. 33. *Tabeſcat anima tua videas locum tuum in Templo*, locum tuum tenentem. *Dormitavit anima mea*, tædio ſcilicet & dolore. *Inebriabo animas Sacerdotum*, bonis omnibus largiſſimè ſuppeditatis.

Tandem brutorum vita nomine animæ deſignatur. Deuteronomii 12. 23. *Cave, ne ſanguinem comedas; ſanguis enim eorum pro anima eſt*. Gen. 9. 10. *Inibo fœdus cum omni anima vivente, quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus, quàm in jumentis & pecudibus terræ, cunctis quæ egreſſa ſunt de arca*. Et Prov. 12. 10. *Novit juſtus jumentorum ſuorum animas*, laboribus illorum compatitur, feſſa ſublevat; *viſcera autem impiorum crudelia*.

De brutis integro articulo diſſeremus, afferentes in medium, quæ de animabus illorum Hebræis, cæteriſque Orientalibus perſuadebantur.

In hominis animam plura ſciſcitaremur; quæ ejus natura; quid ſit potiſſimùm; quæ creatio; an omnes ab exordio Mundi ſimul productæ, vel pro data opportunitate ſingulæ creentur à Deo; an ex uno corpore migrent in aliud; an ſingulæ in æquali perfectionis & intelligentiæ gradu ſint conſtitutæ? De ſingulis pauca. Fuſiùs hoc argumenti genus tractavimus in ſingulari Diſſertatione, ad quam Lectorem remittimus.

Cùm Deus corpus hominis plaſmavit è pulvere, vel limo terræ, *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viventem*; Gen. 2. 7. i. e. in hominem vivum. Spiraculum illud vitæ reputant nonnulli (e) veluti animalis vitæ in homine fontem, qua in re nihil diſcrepet à brutis. Æquè enim Deus brutis, & hominibus inſinuat vitæ ſpiraculum: *Omnem carnem, in qua eſt ſpiritus vitæ*; i. e. animalia omnia diluvii aquis abſumenda ſunt. Spiraculum hoc reducente Deo, vita ſimul reducitur: *Si ſpiritum illius & flatum ad ſe trahat, deficiet omnis caro ſimul*, ait Job. 34. 14. Et Pſalmiſta Pſ. 103. 29. agens de Deo, qui brutis dedit, ut eſſent, ait: *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur*. Eccleſiaſtes 12. 7. *Subveni, Domine, diebus juventutis noſtræ, antequàm tempus veniat, & revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus ad Deum, qui dedit illum*. Apoſtolus verba faciens ad Philoſophos Athenienſes, negat ita exigere Deum corporeum cultum, quaſi rei alicujus indigeret, *cum ipſe det omnibus vitam & inſpirationem & omnia*. Actuum 17. 25.

Præter ſpiraculum iſtud vitæ brutis æquè ac hominibus commune, unde functiones animales omnes, quod etiam in obitu evaneſcit, eſt pariter in homine res quædam ſpiritalis, intelligendi & volendi facultate inſtructa, unde cogitandi, diſcurrendi, pro arbitrio volendi, diſtinguendi inter bonum & malum via omnis; in qua potiſſimùm hominis ad Deum imago illa Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Porrò hoc quidquid eſt, ſpiritale ideò, quòd ſpiritus ſit, *Divinæ particulam eſſe auræ*, (naturæ) ex Philoſophis quidam tenuerunt (f); at Deus imbecillitati huic noſtræ ſubjacere, vitio, invidiæ, dolori qui poterit?

Fateor equidem Scripturam homini æquè ac brutis concedere

(a) Iſaiæ 28. 16. Pſ. 117. 22. Matth. 21. 42. &c. (b) Vide Vit. S. Marci apud Bolland. 25. April.
(c) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 12. (d) Euſeb. in Onomaſt. V. Anea, Anem, & Auſem.
(e) Grot. in Geneſ. (f) Horat. l. 2. Sat. 2.

concedere animam, ſpiritum, halitum, vitam; nonniſi tamen homini aſſignat intellectum, Dei cognitionem, ſapientiam, immortalitatem, futurorum ſpem, vitam æternam; nec niſi homini pariter minitatur, quà alterius vitæ mala, quà Inferni ſupplicia.

At ſpiritu ne adeò ſunt puro animæ, ut ab omni prorſus materia vel tenuiſſima ſint diſcretæ? Affirmant utique Philoſophi & Theologi Chriſtiani; ſed alia planè Veterum perſuaſio. Vetus Author Libri Enoch corpore inſtructos Angelos, adeoque & animas (una eſt enim utriſque natura), autumavit. Ex Latinis Græciſque Patribus quicunque ita legebant textum Gen. 6. 2. (a): *Videntes Angeli Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant*; genitoſque ab illis Gigantes ibidem adjicitur; hæc inquam legentes Patres cenſuerunt, nec deeſſe Angelis corpus, nec deſtitui paſſionibus, quibus per corpus & materiam tangimur.

Cum autem de corporea animæ natura ſententia cum cæteris animæ dotibus conciliari vix poſſet, in eam venerunt perſuaſionem, animam è duobus coaleſcere; è ſpiritali ſcilicet re quadam, divinæ cognata, unde vis cogitandi: & è ſubtili facile omnia pervadente, tanquam auræ tenuis natura. Author libri Enoch, de quo nos ſæpe, habet: *Spiritus animarum hominum morte jam functorum, ad portas uſque Cœli ſuſpiria eorum pervenerant*. Spiritus vel mens in corpore tanquam in vagina reconditur; anima è corpore ſoluta, corporis, cui inſedit, imaginem refert perquàm ſimillimam; ſed ſpiritus, ſelecta illa animæ portio, nihil ſenſibile refert, corporeum nihil. Patrocli anima ſpectandam ſe præbens Achilli (b): *Omnibus ipſi (Patroclo) magnitudineque & oculis pulchris ſimilis, & voce, & tales circa corpus induta eſt veſtes*. Ulyſſes ad Inferna deſcendens vidit Divinum Hectora, i. e. ejus *idolum* (c) (animam), *ipſe verò apud immortales Deos oblectatur in conviviis*.

Tribuunt etiam Rabbini animæ, cùm è corpore ſoluta eſt, corpus aliud ſubtile, quod vas ſeu vaginam animæ appellant. Habent etiam perſuaſum, impiorum animas ſtatim ab obitu veſtis cujuſdam genere circumfundi, quò tangi tormentis valeant; Juſtorum viciſſim animas ſplendido quodam paludamento, & fulgenti corpore veſtiri, quò pariter felicitatem & fulgorem beatitudinis omnem capere aſſueſcant. Credebant Apoſtoli firma perſuaſione ſpiritus per viſum apparere; credebant pariter illos formam referre, imaginem, vocem, & cætera omnia ejus corporis, quod olim tenuerant. Veteres Gigantes, qui ſub aquis gemunt (d) & Reges gentium qui terra premuntur (e), ita exhibentur, tanquam lineamenta omnia priſtinæ imaginis referentes. Cum Jeſus Chriſtus è mortuis vitæ reſtitutus ſpectandum ſe præbuit Apoſtolis; an phantaſma, ſeu ſpiritum ejus vidiſſent Apoſtoli, ambigebat S. Thomas; (ſæpe enim accidit, juxta vulgi opinionem exhiberi hominibus ſpectra aliqua mortuorum, ex quibus tamen de illorum ad vitam reſurrectione nihil rectè inferas) quaſe Jeſus ambagibus omnibus ſubmovendis, ut tangeret inſerretque digitum in vulnus clavorum illum invitavit (f); ne quid ultra, ait, de mea reſurrectione dubites. Et cum de repente ſtitit ſe in medio Diſcipulorum, ita affatus eſt Luc. 24. 38. &c.: *Quid turbati eſtis & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*.

Credat, ſi quis velit, præjudicia hæc fuiſſe Judaiſmi, quæ cum lacte ebibiſſent Apoſtoli, nec excutere ſe ab illis antea valuiſſe, quàm poſt roboratam S. Spiritus illapſu mentem; credat Rabbinicas hasce opiniones ſurculum fuiſſe Philoſophiæ Paganorum, qui cùm mentem haberent nullo fidei, & revelationis lumine illuſtratam, cæcas ſibi formabant de rebus animæ ideas. Quid hac in re tenuerint veteres Judæi, exponere nitimur in præſenti, non errores refutare.

Vulgò nos tenemus Deum identidem creare animas, ſecundùm ac nova corpora generantur; Judæorum planè contraria perſuaſio (g), opinantium omnes ſimul creatas ab exordio animas, pellectu quodam à natura inſito, cui difficile reſiliunt, in corpora trahi. Angeli, Dæmones, & animæ iidem ſunt natura, ſolo nomine diſtinguuntur, ait Philo de Gigant. pag. 286. & alibi ſæpius. Ut boni ſunt pravique Angeli; ita pariter & animæ. Angeli æque & animæ verſantur in puriſſima & ſuprema aeris regione, unde in corpora dilabuntur, ſuas illuc afferentes ſive bonas ſive malas inclinationes. Eſſenii, ait Joſephus de Bello lib. 2. cap. 12., animas rebantur immortales, quæ inſito quodam à natura pondere ferebantur in humanum corpus, ibi tanquam in carcere recluſæ; poſt obitum, probæ vitæ merito quædam in loca deliciarum ultra Oceanum transferebantur; improbis verò loca erant tenebris horrida conſtituta, ad criminum pœnam luendam. De Phariſæis Joſephus Antiquit. lib. 18. cap. 2. & de Bello lib. 2. cap. 12. affirmat, hujus ſectæ hominibus dogmate certum teneri, proborum animas locis unde venerant, poſt obitum jure poſtliminii reſtitui, permiſſa illis remeandi in alia corpora facultate; impiorum nihil manere, niſi æterna ſupplicia.

Cæcum à nativitate habentes obvium Apoſtoli, interrogarunt Jeſum Joan. 9. 2. Ecrujus merito hæc viro contigiſſent, an ex crimine parentum, an potiùs de ſuo pœnas miſer lueret? Tenebant igitur illum, antequam naſceretur, pravo liberæ voluntatis ſuæ uſu ita peccaſſe, ut ultionem in caput ſuum provocaret. Reſpondit Jeſus, data hæc non in criminum pœnam, ſed ideo à Deo permiſſa, ut virtutis ipſe ſuæ ſpecimen in illo exhiberet; quibus & vana illorum ſtudia repreſſa ſunt, inſinuatumque, reſtituendam miſero illi videndi facultatem, ut gloria Patris cæleſtis magis magiſque relevaretur. Docent RR. (h), mortuorum nondum illatorum tumulo animas prohiberi, ne in loca defunctis conſtituta ingrediantur, ſed tandiu errare, donec ſepeliri corpora contingat. Gemina ſpectare licet in vetuſtis Græcorum, & Latinorum Scriptoribus. Patroclus per viſum apparens Achilli, jubet actutum defunctum ſuum corpus ſepeliri, quò in Regnum Plutonis aditus ſibi permittatur; prohiberi enim ab illo, opponentibus ſeſe animabus, & ſpectris mortuorum, ne flumen trajiciat; ſed ego, ait, circa fores vaſtiſſimi palatii Dii Infernorum pererro. Virgilius Æneid. 6.

Nec ripas datur horrendas, & rauca fluenta
Tranſportare priùs, quàm ſedibus oſſa quiêrunt.

Tenent inſuper ex Judæis plerique, animas integro anno Purgatorii genus quoddam, & erraticum quemdam ſtatum ſuſtinere, quo temporis ſpatio inviſere ſæpe cognata corpora, videnda ſe mortalibus præbere, ſolatio quodam juvari ex precibus & largitionibus pro ſe oblatis; infra cujus anni à deceſſu ſpatium Samuelem obtuliſſe ſe vocanti Sauli: ea verò periodo elapſa nullam vim eſſe Dæmonibus in animas mortuorum (i). S. Juſtinus in Dialog. & Origenes (k) autumarunt animas Juſtorum, etiam poſt obitum, ſubmitti Dæmonibus, coactas proinde ad Magorum evocationes ſeſe ſpectandas præbere. Anaſtaſius Antiochenus in Adego quæſ. 12. ſententiam hanc Origenis acriter tuetur, defendens juſtorum animas poteſtati Dæmonum in Infernis ſubmiſſas, antequàm J. C. eò deſcendens è tyranni manibus liberaret.

Credunt Thalmudiſtæ (l) ſecretas è corpore animas, quæ in terra aguntur, omnia noſſe, quippe quæ integro

(a) Ita Mſ. Alexandrin. Joſeph. Antiq. l. 1. c. 4. Philo de Gigant. p. 284. (b) Homer. Iliad. 23.
(c) Idem Odyſ. L. verſ. 600. (d) Job. 26. 5. Proverb. 9. 18.
(e) Iſaiæ 14. 9. Ezech. 32. 32. (f) Jo. 20. 25. 26. 27.
(g) Joſeph. de Bel. l. 2. c. 12. p. 787. Menaſſe Ben Iſrael Conciliat. in Gen.
(h) Bar Nachman in Bereſchit Rabba cap. 22. Thalmud tract. Sanhedrin c. 4. (i) Vide Menaſſe Ben-Iſrael de Reſurr. lib. 2. cap. 6. (k) Apud Euſtath. Antioch. Engaſtrimit. & in 1. Reg. (l) Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 35.

gro anno extra Cælum divagantur per Mundum, nihilque eas fugit eorum, quæ ubique terrarum eotempore geſta ſunt. Cæli fores non prius habent recluſas, quam poſt reſolutum in cinerem corpus, juxta illud Eccleſiaſtici 12.7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui fecit illum.* In Collatione coram Pontifice, anno 1412. (a) accuſantur Judæi, quaſi ad pedes vel ad caput defuncti incenderent cereos, ne animæ ad corpora ventitantes errare in tenebris cogantur. Conſtat utique obtinere nunc pariter apud illos, ut poſt delatum ad cœmeterium cadaver, ad feralem ejus lectum incendant lampadem, nunquam extinguendam ſpatio ſeptem dierum (b); id tamen à ſe factum demonſtrandæ animabus viæ nequaquam conveniunt.

Animarum immortalitas ſanctum eſt apud Judæos, æquè & apud Chriſtianos dogma. Veteres Patriarchæ in ea perſuaſione immortui ſunt, quod inſinuat Moyſes illis Geneſ. 2.7. de Adamo, Deum ſcilicet inſpiraſſe *in faciem ejus ſpiraculum vitæ; creaſſe hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*. Gen. 1. 26. Cùm pariter Deus ſtatuiſſet immittere diluvii aquas perdendis hominibus: *Non permanebit*, ait, *ſpiritus meus in homine, quia caro eſt*. Hac immortalitatis & alterius vitæ ſpe inducti Patriarchæ, factis ſibi à Deo promiſſionibus fidem addiderunt ſuam. Quid enim pro merito tot egregiè factorum recepit Abraham in hac vita, cùm advena & peregrinus vixerit in terra, ne palmam quidem de promiſſa ſibi regione poſſidens? Cùm vir ille Sanctus obiit: *Congregatus eſt*, ait Geneſ. 25. 8. *ad populum ſuum*; non equidem in eodem cum illis tumulo jacuit, ſcitum eſt enim originem duxiſſe illum è Chaldæa, ubi proinde patres ejus ſepulturæ mandatos conſtat; cùm ille in ſepulchrum à ſe emptum in Chanaanitide fuerit illatus. Convenit igitur Patres ſuos in alteram vitam. Paria philoſophari licet de Aarone & Moyſe, *qui juncti ſunt populis ſuis* dum morerentur; i.e. patres ſuos convenerunt in locum, ubi ſimul omnes opperirentur redemptionem & adventum Meſſiæ.

Cùm Balaam Ariolus idem ſibi poſtremum fatum adprecatur, quod Juſtos vel Iſraelitas manebat (c), quid aliud rogat, niſi ut ex hac vita migret ſicut illi plenus ſpe beatitudinis & reſurrectionis? De reliquo enim communis erat eademque mors Hebræorum & Paganorum. Sumus enim æquè omnes morti tributarii.

Aliud peremptorium argumentum demonſtrandæ perſuaſioni Iſraelitarum de animæ immortalitate, ea ſuppeditat apud illos vulgaris perſuaſio, defunctorum ſcilicet animas identidem poſt deceſſum per viſum apparere. Samuel ſpectandum ſe præbuit Pythoniſſæ 1.Reg. 28. 13. &c.; Jeremias Judæ Macchabæo. 2. Macch. 15. 14. Gradientem Jeſum ſuper mare ſpectantes Apoſtoli phantaſma reputarunt; Matth. 14. 26. & cùm poſt reſurrectionem videndum illis ſe præbuit: *Videte*, inquit, *& palpate, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet*. Luc. 24. 37. Ad hæc, dogmate ſanctam tenebant futuram reſurrectionem, impiorum ſupplicia, alteram vitam, ſinum Abrahami locum juſtis continendis deſtinatum; hiſtorias habebant referentes evocatorum ad vitam hominum exempla, uti de Elia & Eliſeo, paria exhibentibus prodigia, ſat conſtat. Vetuerat Moyſes, Deut. 28.18. conſuli mortuos. Quid apertius pro demonſtranda immortalitatis animarum perſuaſione?

Si immortalitatem hanc negarunt Saducæi; ſi redigi ad nihilum animas docuerunt RR. Maimonides, & Kimchi, perinde ac hæretici & novatores à gentilibus etiam ſuis reputati ſunt. Opinionem ea in re ſuam expreſſerunt apud Eccleſiaſtem. 3. 18. quidam: *Unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio; ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur; & nihil habet homo jumento amplius*. Sed impios illos nihil moramur, utpote à bonis omnibus Iſraelitis damnatos, reprobatos pariter à Salomone illis Eccleſ. 12. 7. *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

De *metempſychoſi* ſuo loco agemus; ſicut & ſuo de *Purgatorio*; ac tandem v. *Vita futura* ſermo erit de pœnis & præmiis alterius vitæ. De animarum poſt obitum ſtatu legas Diſſertationem Ludovici Capellii, & noſtram de natura & ſtatu animæ poſt mortem juxta opinionem veterum Hebræorum in Collectione Diſſertationum Lucæ fol. tom. 2. pag. 308.)

ANIMALIA. Duplex erat apud Hebræos animalium ordo; alia nimirum impura, à quibus abſtinere jubebantur; alia pura, quorum uſus permittebatur, & in cibo, & in ſacrificio. Porrò ſacrificio adhiberi conſueverunt primò vaccæ, tauri, & vituli; boves arcebantur (d), utpotè mutili, & imperfecti; quare dum in Sacra Scriptura de oblatione boum fit mentio, hac voce non boves, ſed Tauri intelligendi ſunt. Quin & animalium mutilationem nec permiſſam, nec uſu receptam fuiſſe apud Iſraelitas mihi perſuaſum eſt (e). Secundò offerebantur capra, hircus, & hædus. Tertiò ovis, aries, & agnus. Verves non ſecùs ac bos arcebatur; quare ſi de illo ſermo occurrat in S. Scriptura, de ariete, vel de agno verba illa intelligenda ſunt. Hæc tamen de ſacrificiis holocauſti, & pro peccato dicta ſint; namque in ſacrificiis pacificorum, & iis, quæ pia privatorum ſtudia offerebant, fœminæ etiam illorum animalium, dummodò puræ, & ſinè defectu, permittebantur. Levit. 3. 1.

In uſum cibi non ea tantum, quæ Sacrificiis deſtinata erant, ſed alia plura ex animantibus, & domeſticis, & feris permittebantur, uti cervus, caper, omniaque bifida, atque ruminantia. Quibus verò ungula eſt conſtans, ac pes bifidus, nec ruminant, inter impura, & cibo interdicta, accenſebantur (f). Adeps omnium victimarum Iſraelitis vetebatur Levit. 3. 17.; ſicut & ſanguis cujuſcumque generis animalium, quacumque occaſione Levit. 7. 26., indicta etiam pœna mortis in tranſgreſſores Levit. 7. 27. A nervo coxendicis poſterioris omnium Animalium abſtinebant, Jacob Patriarchæ cauſa, cujus cum Angelo luctantis nervus luxatus eſt Gen. 32. 25. Tandem nefas habebatur carnes deguſtare illius animalis puri, quod contactu alterius impuri, & carnivori, veluti canis, lupi, apri &c. violatum eſſet (g). Eadem erat & de morticinis diſciplina, quæ ſi quis contigiſſet (h), continuò impurus uſque ad veſperam habebatur, nec niſi in veſperis poſt lotionem veſtium in aliorum conſortium admittebatur.

Piſces ſinè ſquammis, & alis tamquam impuri rejiciebantur. Levit. 11 10.

Aves quatuor pedibus gradientes, veluti veſpertilio, & omnes muſcæ, quæ pluribus pedibus utuntur, impuræ habitæ ſunt Levit. 11. 20; excipiuntur tamen locuſtis, quæ breviores habentes pedes in anterioribus, longiores in poſterioribus, per ſaltus procedere potiùs, quam gradiendo videntur. Hiſce animantibus in cibum uti non prohibebantur Hebræi Levit. 11. 21.; neque hodie uſque abſtinent Palæſtini Matth. 3. 4.

(Animalia pura & impura. Pura vocant Hebræi, quorum eſt eſus communis; impura verò, quorum in lege cibus eſt vetitus. Diſſidium eſt maximum inter Scriptores, ad legalem hanc puritatem, impuritatemque quod attinet. Obtinuiſſe id pariter ante diluvium ideo volunt nonnulli, quòd Deus injunxerit Noe, Geneſ. 7. 2. ut introduceret in Arcam ſeptem paria animalium purorum, ex impuris autem bina. Diſcrimen hoc ſymbolicum prorſus reputant quidam (i), expreſſum enim illo credunt tantummodò quidquid Hebræis reprobandum in moribus, quidquid tenendum juxta naturam & dotes animalium, quorum interdictus, & quorum permiſſus uſus. Sus e.g. typus eſt gulæ, lepus impudicitiæ, mitis eſt ovis, ſimplex columba, & ſic de cæteris; dum ergo à ſue abſtinendum edicit Moyſes, id vetat, ne cibo potuque ad exceſſum ingurgitemur. Fuſiùs hæc ſymbolica deducit S. Barnabas in ſua Epiſtola.

Ma-

(a) Salomon. Ben. Virge Scebet-Juda pag. 292. (b) Leo Modena Cærem. Judæor. part. 5. cap. 9. (c) Num. 23. 10. (d) Levit. 22. 18. 16. (e) Levit. 22. 24. (f) Vid. Levit. cap. 11. 2. &c. (g) Exod. 22. 31. Levit. 5. 2. & 11. 39. & 17. 15 & 22. 8. (h) Levit. 11. 39. 40. (i) Auguſt. lib. 6. contra Fauſt. cap. 7. Iren. lib. 5. Origen. in Levit. Hom. 7. Cyrill. Lib. 7. in Levit.

Malunt alii Deum amovendos cenſuiſſe Hebræos à cultu animalium (a), in cibum illis deſtinando quæ plerumque conſecrabantur in Ægypto; horrorem autem inſinuando in alia quædam divinis pariter honoribus Ægyptiis culta. Abſtinuiſſent utique à colendis animalibus, quæ adhibebant in cibum; abhorruiſſent vehementiùs ab iis, quorum ne cibus quidem permiſſus. Aſſuefaciendos temperantiæ, à voracitate amovendos reputat Tertullianus contra Marcion. l. 2. c. 18. cenſuiſse Deum, ut à pluribus ſeſe interdicerent præſcribentem.

Alii tandem quamplures in vetitis Lege animalibus noxias reipſa qualitates agnoſcunt, vel ſaltem vulgari opinione noxia ipſa reputata credunt. Vetuit Moyſes ne adhiberentur in cibum ex animalibus, avibus, piſcibus, quæ valetudini adverſari cenſebantur, belluæ, pernicioſa quæque, venenoſa, ſive re ipſa, ſive talia vulgò reputata. Videtur etiam Deus ſegregare intendiſse Hebræos à cæteris per orbem gentibus, veluti ſanctam gentem, obſequiis ſuis peculiariùs addictam; eoque conſilio interdixiſse illis uſum animalium quorundam, quæ cenſerentur impura, quò exteriori hoc puritatis cultu interior alius & perfectior deſignaretur. Docet id non obſcurè Levit. 20. 24. &c. *Ego Dominus Deus veſter, qui ſeparavi vos à cæteris populis; ſeparate ergo & vos jumentum mundum ab immundo; ne polluatis animas veſtras in pecore & avibus, & cunctis quæ moventur in terra, quæ vobis oſtendi eſſe polluta. Eritis mihi ſancti, quia Sanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos à cæteris populis, ut eſſetis mei.*

Subjicimus hic cenſum immundorum, quorum expreſsa ſunt apud Moyſem nomina.

Quadrupeda.
- Camelus.
- Hericius.
- Lepus.
- Sus.

Aves
- Aquila.
- Gryphus, ſeu potiùs *avis oſſifraga.*
- Haliætus.
- Milvus.
- Vulturis quodcumque genus.
- Corvi itidem.
- Struthio.
- Hibus.
- Fulica.
- Accipiter.
- Bubo.
- Mergus.
- Ibis.
- Cycnus.
- Erodius. *Butor.*
- Porphyrio, ſeu facilè Vultur.
- Erodius.
- Charadrion.
- Upupa.
- Veſpertilio.

Quadrupeda
- Muſtella.
- Mus.
- Crocodilus.
- Chamæleo.
- Stellio.
- Vulpes.
- Talpa.

Sed animadvertiſse juvat, minùs exploratam eſse nobis Hebraicorum nominum, quibus pleraque ex animantibus hiſce deſignantur, ſignificationem. In hoc catalogo ducendo Vulgatam ſequuti ſumus. Conſulendum in eam rem ingens Opus Samuelis Bocharti de animalibus Sacræ Scripturæ, & Commentatores in cap. 11. Levit. nec non Epiſtola S. Barnabæ: Conſulendum inſuper Dictionarium ad ſingula animalium ejuſmodi nomina.)

ANISUM, herba notiſſima, ſuaveolentibus granulis. Jeſus Chriſtus in Evangelio Math. 23. 23. exprobrat Phariſæis, quòd aniſi, cymini, & mentæ decimas religioſè perſolverent; juſtitiæ verò, miſericordiæ, fidei opera, quibus religionis ſpecimen exhiberent, negligerent (b).

I. ANNA, uxor Elcanæ viri ex Tribu Levi, incolæ Ramath, ſive Ramathaim in Tribu Ephraim, 1. Reg. 1. 2. Cum Elcana unà cum geminis Uxoribus Anna, & Phenenna Silum petiiſſet, Deum adoraturus, altera ex Fœminis Phenenna filios ſuos comites itineris adjunxit; Anna verò natis carebat. Ut ad Urbem pervenerunt, Elcana, poſt oblatum Domino Sacrificium, convivium coram Domino cum tota familia celebravit; in quo hoſtiæ partem ſingulis convivis diſtributurus, Phenennæ tantum dedit, quantum ipſi filiiſque ſatis eſſet; Annæ verò utpote quæ ſine filiis eſſet, unicam tantummodò portionem miniſtravit. Ea re quantùm dolor alterius, tantum alteriùs arrogantia recrudnit, quæ ſterilitatem alteri, quaſi Dei vindicis pœnam objiciebat. Annam cibum propterea faſtidientem intuitus Elcana, conſolari conatus eſt, ſeſe decem filiorum loco exhibens. His verbis tandem impetravit, ut cibum deguſtaret: mox tamen à menſa in Tabernaculum ſola convolans, Deum intimo cordis affectu, ut ſibi Filium largiretur, exoravit; voto inſuper ſeſe obſtringens eumdem Filium Deo in perpetuum oblaturam, capite ipſius nunquam detonſo.

Cum orationem diutiùs produceret, Heli Summus Sacerdos temulentam ratus, verbis corripuit; ſed illa teſtata nihil ſe deguſtaſse, quo mentis impos efficeretur, mœrorem ſuum in cauſa fuiſſe dixit, cur animam ſuam coram Domino effunderet. Quibus auditis, Heli pacem, & votorum complementum precatus, illam dimiſit. Anna ad Virum lætior reverſa, exindè cibo ſe refecit, omnemque nubem doloris de cætero diſcuſſit; quippè non diù poſt filium peperit, quem poſtea Samuelem, quod à Deo illum petiiſſet, appellavit. Ortus eſt Samuel an. M. 2849. ante Ch. 1151. ante Ær. 1155.

Anna primò poſt ablactatum Filium, unà cum illo Tabernaculum adivit; ubi poſt factam Domino oblationem trium vitulorum, totidem menſurarum ſimilæ, & utris vini, Samuelem in manus Heli remiſſum, ſervitiis Templi in perpetuum addixit: voti ſui cauſa & hiſtoria Sacerdoti expoſita. Sub hæc, actis utrinque Domino gratiis, Anna Canticum ad eam rem adornavit 1. Reg. 2. in quo miſericordiam, & omnipotentiam Dei pluribus effert. De Anna nihil ultra memoriæ proditum eſt: Samuelem pluribus benedictionibus à Deo auctum fuiſſe alibi obſervabimus.

II. ANNA, Uxor Tobiæ ſenioris, viri ex Tribu Nephtali, qui à Salmanaſar Rege Aſſyriorum in Urbem Ninive captivus adductus eſt. Tob. 1. 1. Tobia luminibus orbato, nec non facultatibus expoliato, Anna textrinam exercens, Tob. 2. 19. familiam tolerabat. Cum ea occaſione hædum in pretium operis receptum, domum retuliſſet, Tobias balatum illius audiens, admonuit ut caveretur, ne furtivus eſſet. Quibus verbis Anna commotior facta: Manifeſtè, ait, vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modò apparent. Ità Tobiæ patientia malorum additamento tentata eſt.

Poſt aliquod tempus Tobias extremum vitæ ſuæ adeſſe ratus, filium Tobiam juniorem accerſivit, eumque admonuit, ut Matri juge obſequium præſtaret, maternæ in ſe curæ, & ſollicitudinis memor: illius verò cadaver, poſtquam vita ceſſiſſet, eadem cum conjuge ſepultura tumulandum curaret. Diutiùs tamen expectatione vitam produxit Tobias, & diutiorem Tobia Anna (c), quam tandem vita functam Tobias filius, iterum à Patre morti proximo de ea re admonitus, in eodem tumulo cum Patre terræ mandavit. Obiit Tobias circa An. M. 3363. antè Chr. 637. antè Ær. 641. Anna verò poſt illud tempus quidem, ſed ante an. 3378. quo Ninive capta eſt, cum Tobias junior à Patre præmonitus, inde antea receſſiſſet.

H　　　III. AN-

(a) Theodoret. quæſt. 1. in Levit.　(b) Vide Levit. 27. 30. & Deut. 12. 17. & 14. 23.　(c) Tob. 14. 12.

III. ANNA, filia Raguel, Senioris Tobiæ contribulis & conſobrina, ad Urbem Medorum Rages, unà cum illo in captivitatem adducta. Filiam habuit Saram Uxorem Tobiæ Junioris (a), de qua in ſuo articulo.

IV. ANNA, filia Phanuel, Propheriſſa vidua, ex Tribu Aſer, de qua S. Lucas 2. 36. 37. Viro quem adhuc Puella duxerat, poſt ſeptem annos orbata, totam ſe deindè Deo devovit. In Templo enim jugiter verſans jejuniis macerata, in oratione noctes dieſque continuabat. Cum B. Virgo, Filium oblatura, Templum ingreſſa eſſet, Anna octuagenaria eodem temporis articulo ſuperveniens, quo Simeon divino æſtro abreptus Canticum gratiarum Domino concinebat, in Dei laudes effuſa, expectantibus redemptionem Iſrael de Meſſia loquuta eſt. De hac Fœmina haſtenùs Evangelium. Hujus Feſtum conſignatur in Martyrologio Romano ad diem 1. Septembris; in Martyrologio à Caniſio vulgato, ad 28. Auguſti; in Ughelliano & Mæneis Græcis, illius memoria unà cum S. Simonis Senis, die 3. Februarii celebratur.

V. ANNA, mater SS. Virginis, & Uxor S. Joachim: ambo hæc nomina in Scripturis canonicis Novi Teſtamenti nunquam occurrunt. Leguntur vero in vetuſtiſſimis Scriptis, quæ, licet authoritatem non obtineant, maximè in Eccleſia Occidentali, venerationem tamen merentur. Eadem apud Patres recenſentur, nec non tota pro hiſce nominibus eſt Eccleſiæ traditio, quæ Joachim & Annæ publicos honores conceſſit; quamquam non ea omnia adoptaverit, quæ Scriptores quidam meliori zelo quàm fide, de illorum geſtis commenti fuerant. Plura de hiſce SS. Conjugibus ab Orientalibus ad nos venere; apud quos traditiones quædam hiſtoricæ, Occidentalibus incognitæ, ſedulo aſſervantur.

Protevangelio adſcripto S. Jacobo c. 1. legimus, Joachim die ſolemni oblationem in Templo offerre paranti, Judæum nomine Ruben, obſtitiſſe, quod homini poſteritate in Iſrael carenti jus oblationis non eſſet. Joachim rubore ſuffuſus, in deſertum aufugit, ibique jejuniis, & orationibus intentus, ſolidos 40. dies noctesque tranſegit. Interim Anna ejus Uxor abſentiam viri, ſimulque ſterilitatem ſuam coram Domino domi deflebat. Cum Solemnitas quædam adeſſet, nec interim à fletu quieſceret, Judith illius famula lacrymas illius diei religione reprehendit; ſimulque adhortata eſt, ut convenientem feſto, atque regio ſuo generi mitram aſſumeret. Et vero renuenti Judith ſubiraſcens, ſterilitatem exprobravit. His auditis, Anna, luctu depoſito, nuptialibus veſtibus induta eſt.

Circà horam nonam hortum ſuum ingreſſa, Dominum precibus exorabat, ut ſterilitatis opprobrium à ſe removeret, & cum inter orandum oculos attollens, in lauro capite imminenti avium nidum cum pullis vidiſſet, eo aſpectu lacrymas iterendens, & preces, orabat, ne ſibi Deus denegaret, quod brutis, & terræ conceſſiſſet.

Adhuc oranti Angelus cœleſtis occurrit, de futuræ prolis partu lætum nuncium afferens, eamque inclytam in Mundo futuram prædixit; quo ab Anna audito, in laudes Dei præ gaudio effuſa eſt, atque quidquid pareret in obſequium Templi per totam vitam ſe dedicaturam promiſit. Sub hæc duo Angeli ſupervenientes nunciarunt, Deum precibus Joachim annuiſſe, cumque cum ſuis ovibus quantocyùs rediturum. Regreſſus eſt igitur è montibus Joachim, quem Anna venientem excepit. Poſt modicum Fœmina concepit, & certo tempore Mariam edidit, quam lacte ſuo Mater aluit. Poſt ſex menſes puella ſola ſinè duce gradiebatur, & poſt annum cum ablactationis cæremonias celebraret, Sacerdotes lauto convivio excepit, itique Mater Infantulam obtulit. Cum tres ætatis annos in Patria domo exegiſſet, à Parentibus in Templo præſentata eſt, ut ibi educaretur, ac Domino obſequeretur. Haſtenus Protevangelium.

Mahometus in Alcorano (b) eandem hiſtoriam texit, quanquam Annam Joachim cum Anna Amran, & Mariam filiam Joachim cum Maria filia Amran, & Jocabed, ſorore Moyſis confundat. Hujuſcemodi errores paſſim occurrunt apud Scriptores Arabes. Igitur Mahometus tradit, Annam divinitùs prævidiſſe fœtum, quem in utero habebat, eumque ſtatim Domino devoviſſe; quod & ſuo tempore implevit. Siquidem puellam Zachariæ Sacerdoti educandam tradidit. Accidit autem ut quoties Anna ad Sanctuarium veniret, filiam videret mediam inter dapes appoſitas; ſciſcitanti undè hæ provenirent, reſpondebat Maria à Deo eſſe, qui pro libito ſua diſpenſat. Scriptores Mahometani Prophetam ſuum ab anachroniſmo vindicare conantur; verùm ſi quis vacuo præjudiciis animo ipſius ſcripta legerit, nullam illis ſubeſſe excuſandi rationem intelliget.

Sunt qui crediderint, Annam matrem Virginis Mariæ primò Joachim duxiſſe, ex quo filiam habuit Mariam Matrem Salvatoris; poſtea cum Cleopha matrimonio conjunctam, Mariam Cleophæ, Jacobi Minoris, Joſephi Juſti, Simonis Zelotæ, & Taddæi matrem genuiſſe; à tertiis denique cum Salome nuptiis, Mariam Uxorem Zebedæi, & S. Jacobi Minoris, & S. Jo. Evangeliſtæ matrem procreaſſe. Huic genealogiæ probandæ carmina quædam laudantur (c), quæ tamen, ſicut & Scriptores ejuſdem opinionis aſſertores, tantæ authoritatis non ſunt, ut Eruditorum fidem extorqueant. En carmina.

Anna tribus nupſit, Joachim, Cleophæ, Salomeque.
Ex quibus ipſa viris peperit tres Anna Marias:
Quas duxere Joſeph, Alphæus, Zebedæuſque.
Prima Jeſum: Jacobum, Joſeph, cum Simone Judam
Altera dat: Jacobum dat tertia, datque Joannem.

Porrò Mariæ illæ, quæ in Evangelio (d) ſorores B. Virginis dicuntur, ſive ipſius cognatæ, ſive filiæ Annæ, & Joachim, poſt Mariam Virginem natæ videntur. Quo tempore uterque conjux obierit, quove loco ſepulchrum habuerint, certò definiri non poteſt, quanquam tumuli quidam Joachim & Annæ Itinerantibus oſtendi conſueverint. Feſtum S. Annæ apud Latinos ad diem 26. Julii conſignatur: ejus Conceptionem recolunt Græci, die 9. Decembris: Deſponſationem cum S. Joachim die 9. Septembris.

(Mahometus in Alcorano (e) & Arabes cæteri traditiones plurimas de Joakim, Anna & Maria utriuſque filia ſervarunt. Annam natam ferunt ex Nachor, & uxorem *Amram*. Quibus ſanè verbis inſinuatum videtur, eam fuiſſe Mahometi perſuaſionem, nimirum *Amram* filium Caath, & Levi ex filio nepotem, patrem Moyſis, Aaronis & Mariæ unum eundemque fuiſſe virum cum Amram conjuge S. Annæ & patre B. Mariæ; confudiſſe proinde in unam, Mariam Virginem cum Maria ſorore Moyſis; ex quo ansa data eſt virum hunc reprehendendi, tanquam præpoſterè duas mulieres confundentem inter ſe diſſitas ultra 600. annorum intervallum. Nec ſanè tanta erat Mahometi ſcientia, ut abſurdo huic anachroniſmo impar haberi potuiſſet.

Conantur nihilo ſeciùs Interpretes Alcorani Mahometum excuſare, dicentes Amram virum Annæ & patrem B. Mariæ re ipſa quidem è familia Aaronis & Moyſis natum fuiſſe; quod quidem veri ſpeciem habere quandam videri poteſt ex illis Lucæ 1. 5. ubi aſſeritur Eliſabeth eſſe *ex filiabus Aaron*. Addunt *Amram* patrem B. Mariæ natum fuiſſe ex *Mathan*; ita ut quem virum ipſi Amram dicunt, hunc ipſum nos Joachim virum S. Annæ appellemus.

Addunt, Annam Maria fœtam, fructum ſuum nuncupato voto Domino addixiſſe, ignorantem num puerum gereret in utero, num puellam; Deum verò gratiſſimè excepiſſe fœminæ votum; Annam tandem enixam fœtum, cui à Deo inditum nomen Maria. Statim Anna fidem exſolvens ſuam puellam obtulit Sacerdoti Zachariæ qui eam clauſit in cella quadam Templi non niſi per appoſitas ſcalas adeunda, & cujus portarum claves quotidie ad Sacerdotem referebantur. Ventitabat ſubinde ſæpius ad Virginem, & nunquam illam adveniebat, quin

ſimul

(a) Tob. 7. 2.3. &c. (b) Alcoran. Sura 3. Vide notas Marracii in hunc locum. (c) Vide apud Joan. Gerſon. Cancellar. t. 3. (d) Joan. 19. 25. Matth. 13. 56. Marc. 6. 3. (e) Surath III. Vide in hunc locum notas Marracii.

ſimul appoſitos ſpectaret intempeſtivos, exquiſitiſſimoſque Terræ ſanctæ fructus; interrogavit igitur ſtudioſè puellam, unde hæc tam exquiſita? Tum illa: Quæcunque vides omnia, habeo ex Dei munere ſufficientis quibus maximè volueris omnium rerum largitatem.)

VI. ANNA, ſivè *Anno*, aut *Thecemina* Uxor Jeroboam I. Regis Iſrael, quæ in Latino, & Hebræo deſideratur, atque in Græco tantum occurrit. Quæ ad illam ſpectant, in articulo Abiæ filii Jeroboam I. deſcribuntur. Græcus tertii Regum (a) habet, Pharaonem Regem Ægypti, matrimonio copulaſſe cum Jeroboam, qui ad ipſum in Ægyptum confugerat, Theceminem Uxoris ſuæ ſororem.

ANNAS, ſivè Ananus, ſummus Judæorum Sacerdos. Vide Ananus.

ANNIUS RUFUS, Judææ præfectus eſt poſt Ambivium; atque Valerium Gratum ſucceſſorem habuit (b). Miſſus fuit ab Auguſto in provinciam An. M. 4016. revocatus verò à Tiberio an. 4018.

(ANNULI. Annulorum vetuſtas apud prophanos æquè ac ſacros Scriptores aſſerta eſt. Annulum ſuum contulit Judas Thamar; Geneſ. 38. 18. annulum è ſuo digito Joſephi dexteræ inſeruit Pharao, ſimul illum Ægypto univerſæ præficiens; Geneſ. 41. 42. Iſraelitæ de relata in Madianitas victoria manubiis obtulerunt Domino, annulos, armillas & aureos torques; Num. 31. 50. Nec digitis tantùm, ſed & naribus atque auribus inſertos ferebant annulos fœminæ apud Iſraelitas. Divitem æquè & ampliſſimum dignitate virum diſtinguit S. Jacobus ex annulo aureo, quem geſtat in digito (c). Reduci filio prodigo jubet paterfamilias proferri novam veſtem, & annulum aureum; Lucæ 15. 22. Extrema omnia minitans Deus in Jechoniam, id ſe commiſſurum dicit, ut quanquam annulus eſſet in dextera manu ſua, inde tamen illum evelleret. Jerem. 22. 24.

Obſignandis rebus uſui erat potiſſimum annulus; ſolet autem Scriptura in manibus Regum plerumque & virorum ampliſſimorum conſtituere, ut Joſephi, Achaz, Jezabelis, 3. Reg. 21. 8. Regis Aſſueri, Eſther 3. 10. &c. Amani ejus familiaris, Mardochæi in locum amoti Aman ſubſtituti, Regis Darii. Dan. 6. 17. Edicta & Principum illorum diplomata eorum annulis obſignabantur, ex quibus fides illis omnis aſſerta & obſequium.

Supremæ authoritatis inſigne annuli habebantur. Pharao, uti jam obſervatum eſt, authoritatem in populum ſuum contulit Joſepho, inſerto ejus digitis annulo. Cùm Alexander Magnus annulo ſuo donaſſet Perdiccam, argumentum inde deſumptum eſt, in ſucceſſorem illum Regni deſtinari (d). Antiochus Epiphanes, ſupremum fatum jam ſubiturus, manibus Philippi familiaris ſui commendavit diadema regale, pallium & annulum, quò illa omnia remitteret Antiocho filio ſuo ac Regni ſucceſſori. Auguſtus morbo, uti ferebatur, extremo laborans, annulo ſuo donavit Agrippam, ut inter amicos æquiſſimum (e).

Sunt etiam magici quidam annuli, de quibus mira venditant; ſunt enim à morbis præcavendis præſentiſſimi; ſunt inſuper rebus quibuſdam proſperis parandis aptiſſimi. Orientales e. g. mira jactant de annulis, quos ferunt, Salomonis (f), ex quibus admirabili quodam lumine mens Salomonis illuſtrata eſt, ut inter ſapientiſſimos & feliciſſimos felix & ſapiens haberetur. Narrant Regem illum, cùm ſemel annulum poſuiſſet, dum balnea ſubiret, furto ſublatum ab inferna quadam furia, projectumque in mare doluiſſe. Abſtinuit ſe tunc Salomon ab aſcendendo throno ſpatio 40. dierum, ratus imparem ſe futurum rebus dirigendis, ope ſibi tam neceſſaria deſtitutum. Tandem apprehenſus piſcis, voratum à ſe annulum Regi exhibuit.

Annuli, vel *inaures* in Palæſtina, & Africa familiariſſimi, non immeritò reputarentur ſuperſtitioſum prætuliſſe aliquod & Taliſmanicum, quibus mira & ſupra naturam vis aſſeritur. Jacob è Meſopotamia in Chananæam regreſſus familiaribus ſuis indixit; Gen. 35. 4. *Abjicite Deos alienos, & inaures, quæ ſunt in manibus veſtris, &c.* Ex quo non obſcurè inſinuatum, Deos illos alienos magicas eſſe quaſdam figuras cælatas in annulis, & inauribus; ſive juxtà Scriptores nonnullos, inaures & annulos inſertos fuiſſe manibus, & auribus externorum ejuſmodi Numinum. Acriter invehit S. Auguſtinus in Gen. p. 101. *in phylacteria hæc falſorum Numinum*, quæ Africani ſuſpenſa ferebant è ſummis auribus, celebrabantque tanquam miris dotibus præſtantia: *Execranda ſuperſtitio ligaturarum* (g), *in quibus etiam inaures virorum in ſummis ex una parte auriculis ſuſpenſa deputantur non ad placendum hominibus, ſed ad ſerviendum Dæmonibus adhibentur.*)

ANNUNCIATIO, Feſtum, quo Eccleſia Chriſtiana Dei Filium humana carne in utero Virginis indutum quotannis recolit. Ejus rei primum nuncium Angelus Gabriel ad Zachariam detulit Lucæ 1. 13. futurum monens ut filium Meſſiæ Prophetam, ac Præcurſorem procrearet. Poſt ſex menſes idem Angelus in Urbem Nazareth miſſus, Virginem Mariam ex familia David, Tribus Juda, convenit, quam ſalvere juſſam, præ cæteris mulieribus benedictam, ac gratia, Deoque plenam appellavit. Luc. 1. 26. Cum illa inopinata ſalutatione commoveretur, ab Angelo primùm confirmata, deinde certior facta eſt, Filium edituram, qui Filius Altiſſimi nuncuparetur, cui nomen *Jeſu* imponeret. Hunc verò ſolio David Patris ſui conſeſſurum, in æternum regnaturum prædixit.

Tunc Maria, qua ratione hæc eſſent eventura, ſciſcitata eſt, ſiquidem cum Viris nihil habuerat commercii. Angelus verò, ſola, ait, divina Virtute fœta concipies; *idemque, & quod naſcetur ex te, Sanctum vocabitur Filius Dei.* Additque in ejuſdem virtutis Divinæ exemplum, Eliſabeth ejus cognatam, quæ grandæva ætate fœtum jam inde à ſex menſibus geſtaret. Ad hæc Maria nihil cunctata, totam ſe Dei voluntati commiſit, eoque temporis articulo Filium Dei concepit, quadraginta ſæculorum expectationem impletura, atque toti generi humano lumen, & ſalutem allatura.

Solemnitatem hujus myſterii celebrat Eccleſia die 25. Martii, qua die conceptionem Filii Dei contigiſſe ex veteri traditione, S. Auguſtini ætate ſervabat Eccleſia (h). Nec tantùm Latini, & Græci circa hanc diem conveniunt, ſed etiam Syri, Chaldæi, & Cophitæ (i) non diſcrepant. Hæc opinio ex altera derivata videtur, quòd Jeſus Chriſtus die 25. Decembris in lucem prodiiſſe credatur; ſolent enim infantes poſt novem menſes à conceptione lucem aſpicere. Quo loco B. Virgo ab Angelo ſalutata fuit, Templum excitatum eſt, de quo agemus in articulo *Nazareth*.

ANNUS. Anni Hebræorum ſemper duodecim menſibus conſtiterunt; ab initio, & Moyſis ævo ſolares erant, atque 30. dierum pro ſingulis menſibus; duodecimus verò 35. dies complectebatur. Ex ſupputatione dierum diluvii (k), quos Moyſes enumerat, intelligimus, annum hunc Hebræorum diebus 365. compleri. Cum initium anni 30. diebus exorbitaret, tunc menſem intercalarem adjici conſueviſſe nonnulli autumarunt (l). Eorum tamen confeſſione nullum occurrit in S. Scriptura ſive decimi tertii menſis, ſivè intercalationis veſtigium. Veroſimilius creditur, Moyſes anni digerendi rationem ab Ægyptiis accepiſſe, apud quos ortum, educationem, inſtitutionemque ſuſcepit, & populus, cujus ipſe ductor erat, huic ſupputationi diù aſſueverat. Ægyptios vero jam inde à pluribus annis duodecim tantum menſes anno, ſingulisque menſibus triginta dies aſſignaſſe oſtendimus in Diſſertatione de Chronologia, Commentariis in Geneſim præfixa.

Poſt Alexandrum Magnum, & Regnum Græcorum in Aſia, Judæi in uſus ſacros, & ob Feſtorum ordinem lunares menſes obſervare cœperunt. *Luna*, ait Author Eccleſiaſtici 43. 6. *oſtenſio temporis, & ſignum ævi.*

(a) 3. Reg. 14. 1. 2. 3. &c. in Græc. Edit. Roman. (b) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 3.
(c) Jacob. 2. 2. *Vir aureum annulum habens.* (d) Curt. lib. 10. c. 5. (e) Xiphilinu. in Aug.
(f) Bibl. Orient. tit. Solimanus pag. 819. (g) Aug. Epiſt. ad Poſſid. 73. (h) Aug. l. 4. de Trinit. c. 5.
(i) Vide Bolland. 25. Martii. (k) Geneſ. 7. (l) Vide Scalig. de Emendatione Temporum l. 3.

II. ANDREAS, Apoſtolus Jeſu Chriſti, oriundus Bethſaidæ, & frater S. Petri. Primò S. Joanni Baptiſtæ, deindè audito de Jeſu Chriſto teſtimonio, quod Joannes tulerat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* eidem Jeſu adhæſit (a). Quare Jeſum in domum ſuæ habitationis reducem, una cum alio ex Diſcipulis S. Joannis ponè ſequutus, uſque ad noctem quatuor ſolidis horis ejus conſuetudine uſus eſt. Primus fuit omnium Diſcipulorum, qui Chriſtum ſequerentur; deindè Simon, ſivè Petrus ab eodem Andrea fratre adductus, ambo fratres integra die (b) cum Chriſto colloquuti ſunt, cumque ad nuptias Canæ Galilææ comitati, poſtea ad propria diverterunt. Aliquibus elapſis menſibus cum Jeſus utroſque piſcantes offendiſſet, acceſſivit, ſe effecturum pollicitus, ut hominum piſcatores eſſent impoſterum; quare illi continuò relictis retibus eidem ſe perpetuos comites addiderunt (c).

Inſequenti anno Jeſus Chriſtus in deſerto ultrà Mare Galilææ verſans, quæſivit à Diſcipulis, qua ratione quinque hominum millia, qui ad illum convenerant, alerentur. Reſpondit Andreas ſe duos piſces ac quinque panes hordeaceos in promptu habere Joan. 6. 9. Paulò ante Paſſionem duo Gentiles Jeſum videre optantes, de ea re S. Philippum requiſierunt, qui adjuncto ſibi Andrea illorum vota Domino expoſuit (d). Poſt duos vel tres dies Andreas, aliique ex Apoſtolis de tempore, quo Templum everteretur, Dominum ſciſcitati ſunt. De hoc Sanctiſſimo Apoſtolo nihil ultra ex Evangelio novimus.

Illum Veteres aliqui Scythiam prædicationibus excurriſſe perhibent (e); alii (f) Græciam, ſivè Epiros inſtituiſſe, ut ex illis aliqui tradunt; ſivè incolas Achajæ, & Argos, ut alii. Eccleſiam Byzantinam ſivè Conſtantinopolitanam fundaſſe Græci recentiores affirmant; altum tamen de ea re ſilentium eſt apud Veteres. Acta Martyrii hujus Apoſtoli, quæ licèt vetuſtiſſima ſint, originalia tamen à Criticis non creduntur, ejus martyrium Patræ in Achajâ conſignant, quod in Cruce conſummaſſe ſub Ægea Provinciæ Proconſule tradunt. Tempus mortis ignoratur: Martyrologia tamen omnis ævi, tam Græcorum quàm Latinorum, ejus memoriam die 30. Novembris recolunt. Corpus Patris tamdiu quievit, donec Conſtantinopolim transferretur, ubi pluribus miraculis coruſcavit (g). In Templo S. Victoris Maſſiliæ Crux aſſervatur, in qua S. Andreas martyrium conſummaſſe fertur. Hæc in theca argentea incluſa formam exhibet Crucis nihilò à reliquis diverſæ; ex quo igitur Pictores morem deſumpſerint pingendæ Crucis S. Andreæ ad formam X. ignoratur. Non crucis, ſed arbori affixum tradit S. Petrus Chryſologus ſerm. 133. arboremque olivæ huic uſui deſerviiſſe Pſeudo-Hippolytus (h) teſtatur. Verùm traditio, quæ martyrio hujus Apoſtoli Crucem deputat, vetuſtiſſima eſt.

ANDRONICUS ex Magnatibus in Aula Antiochi Epiphanis (i), quem Rex Antiochiæ præfecit, cum ipſe expeditionem ſuſcepit pro reducendis quibuſdam Ciliciæ Urbibus. Menelaus Pſeudo-Pontifex Judæorum occaſionem adeſſe ratus perdendi Summum Sacerdotem Oniam, qui illum ad Principem delaturus Antiochiam venerat, Andronicum muneribus tentavit. Onias re cognita, in arce Daphnes ſe continens, liberioribus verbis factum reprehendit.

Tandem Andronicus, inſtigante Menelao, ad arcem ſe contulit, atque Oniæ fictis pollicitationibus, additoque perjurio perſuaſit, ut nihil ſibi timens ad ipſum exiret; quod cum ille feciſſet, continuò trucidatus eſt. Antiochus ab expeditione regreſſus, ut fœdam hanc Oniæ cædem novit, primò acerbo dolore correptus lacrymas fudit, deindè Andronicum in ſceletis ultionem purpura exutum per Urbem univerſam circumduci, atque in ipſo, quo Pontificem occiderat, loco obtruncari præcepit. Id contigit An. M. 3834. antè Ch. 166. antè Ær. 170

ANEM, urbs Tribus Iſſachar 1. Par. 6. 73. Joſue 21. 29. alio nomine *En-gamin.*

ANER, Urbs Tribus Manaſſis, quæ Levitis ex familiis Caath ceſſit. 1. Par. 6. 70.

ANER, & *Eſcol* duo Chananæi, qui junctis viribus cum Abraham, inſequuti ſunt Reges Codorlahomor, Amraphel, & ſocios, qui direpta Sodoma, abductoque inter captivos Loth nepote Abrahami, ad ſua remeabant Gen. 14. 24. Prædam ex iſtis Regibus receptam Abraham quidem remiſit, Aner verò & ſocius pro ſua portione retinuerunt.

ANGARIARE, vox frequentiſſima in Evangelio pro cogere, vi abripere. *Angari*, ex quo *angariare*, vox eſt Perſica; ſiquidem apud Perſas publici Tabellarii *Angares* appellantur. Cum autem Angares illi populos, quos reperiſſent in via, poteſtatem haberent cogendi, ut ſibi duces itineris, & equos ſuppeditarent, ideò ſimile coactionum genus verbo *angariare* exprimabant. Cum Judæi ſub Romanis eſſent, adhuc angaribus ſubjecti fuiſſe videntur; ſiquidem milites Chriſtum ad ſupplicium deducentes, Simonem Cyrenæum in via nactum *angariaverunt*, *ut tolleret crucem ejus* Matt. 27. 32.; & idem Chriſtus Diſcipulos inſtruens: *Si quis*, ait Matth. 5. 41., *te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.* Spatium unius angariæ, ſivè ab uno ſtathmo ad alium ad 4000. paſſus porrectum fuiſſe creditur. Dies quatuor Temporum ab Alemannis *angaria* appellantur, quòd hiſce diebus ſubditi tributa, & penſiones perſolvant.

ANGE, Mons, de quo tantùm in textu Latino Judith 2. 21. nihil verò in textu Græco. Situs ipſius ibidem deſignatur ad lævam Ciliciæ; quod de Monte Argæo ad ſiniſtram, ſivè Septentrionem Ciliciæ, dictum arbitramur. Mons iſte omnium illius regionis celſiſſimus eſt, vertice ſemper à nivibus circumſeſſo, authore Strabone l. 12. qui etiam addit, ad ejus cacumen pertingentes, quò tamen rari pervenerunt, cum aer ſerenus eſt, duo Maria, nempè Pontum Euxinum, & Mare Ciliciæ proſpicere.

ANGELUS, nomen ex Græce *Angelos*, quod Latinè redditur Nuncius, Hebraice *Maleac*. De bonorum, ac malorum Angelorum miſſionibus, atque apparitionibus, frequentiſſimè in S. Scriptura ſermo occurrit. Mittebantur autem à Deo, ſivè ad annunciandum quid ipſe vellet, ſive ad correptionem, punitionem, ad docendum, coarguendum, & conſolandum. Angelorum miniſterio uſus eſt Deus in Lege Moyſi tradenda (k), & it quando cum Patriarchis colloqui voluiſſet. Hebr. 13. 2.

Nulla Angelorum nomina ante captivitatem Hebræis innotuerant; vel ſaltem in Libris ante illud tempus ſcriptis nullum de ea re veſtigium deprehenditur. Quamquam enim plura ex his nominibus in libro Henoch occurrant, ejuſmodi tamen Opus ſuppoſititium eſt, & poſt captivitatem conſarcinatum. Hinc illa ex Babylonia Hebræos detuliſſe (l) aſſerant Thalmudiſtæ. Tobias omnium primus Angelos proprio nomine deſignavit; ſiquidem Angelus ille, qui adoleſcentulo Tobiæ itineri ſeſe comitem adjunxit, Raphael Tob. 3. 25. appellatur. Tobias autem vixiſſe creditur Ninive aliquandiù ante captivitatem. Daniel, qui aliquanto poſt Tobiam tempore, Babylone florebat, nomina Michaelis, & Gabrielis uſurpat (m); Author quarti libri Eſdræ 4. 35. & 6. 20. qui Jeſu Chriſti adventu recentior videtur, Angelum Uriel, & Jeremiel commemorat.

Judæi Cabaliſtæ Angelos quoſdam præceptores Patriarchis attribuunt, eoſque certis nominibus deſignant; hinc Præceptorem Adam *Raziel* appellant; Sem, *Jephiel*; Abrahami *ZedeKiel*; Iſaac, *Raphaelem*; Jacob

(a) Joan. 1. 39. An. Chr. 33. Ær. 30. (b) Joan. 1. 41. (c) Matth. 4. 19. An. Chr. 34. Ær. 31.
(d) Joan. 12. 22. An. Chr. 36. Ær. 33. (e) Euſeb l. 3. c. 1. hiſt. Eccl. ex Origene, Eucher. q. in Acta. Oecumen. tom. 2. Prolog. p. 13. Sophron. de viris illuſtr. (f) Theodoret. in pſal. 116. Nazianzen. Orat. 25. Hieron. Ep. 148.
(g) Combefis Auctuar. Bibl. PP. 2. p. 835. Flor. p. 516. c.
(h) Auctar. Biblioth. PP. 2. p. 832 (i) 2. Mach. 4. 34. (k) Act. 7. 30. 53. Galat. 3. 19.
(l) Thalmud Jeroſolym. lib. de principio anni. (m) Dan. 10. 21. & 8. 16. & 9. 22.

Digitized by Google

Jacob, *Soliel*; Joſeph, *Gabrielem*; Moyſis; *Metatron*, ſive *Metatorem*, veluti caſtrametatorem; Eliæ *Malutſhiel*; David, *Gerviel*. Addunt inſuper, ſeptuaginta Angelos Dei nomine in ſeipſis geſſiſse, juxta illud Exod. 20. 11. 12. *Eſt nomen meum in illo*. In Novo Teſtamento Angeli Gabriel Luc. 1. 19., & Michael occurrunt (a).

Quo potiſſimum tempore Angeli creati fuerint, ambigitur. Sunt (b), qui credant, illos emerſiſse, cum Cœlum conderetur, ac de Angelis dictum intelligunt illud: *In principio creavit Deus Cœlum*; id eſt Angelos. Alii (c) volunt nomine lucis, quæ prima die producta eſt, Angelos deſignatos fuiſse. Alii tandem autumant, illorum creationem Mundi geneſim præceſſiſse, quibus illud Job 58. 7. favere videtur (d): *Ubi erat cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* Hebræi malunt ſecundam diem creationis huic rei deſtinare: adduntque Deum Angelos allocutum eſse, cum diceret: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Gen. 1.26.

Complures ex veteribus Patribus, quibus impoſuerat Liber Henoch, & textus Geneſis non integra fide redditus: *Videntes filii Dei* (legunt illi *Angeli*) *filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi Uxores ex omnibus, quas elegerant* (Gen. 6.2.); autumarunt Angelos corporis miniſterio uti, ac ſenſibilibus voluptatibus oblectari. Hinc ſi quando ab iiſdem Patribus Angeli ſpiritus dicuntur, non alio ſenſu eorum dicta intelligenda ſunt, quàm quo nos ventum, odores, & vapores ſpiritus appellamus. Verùm oppoſita ſententia olim pluribus Patribus probata, modò in ſcholis obtinet. Vide noſtram Diſsert. de bonis, & malis Angelis præfixam Comment. S. Lucæ.

Angeli ſinguli ſingulis nedum Regnis, Provinciis, Urbibus, ſed etiam hominibus deſtinati feruntur. S. Michaelem Iſraelitis præfuiſse teſtatus eſt Angelus Gabriel, dum ad Danielem loquutus ait (Dan. 10. 21.): *Michael Princeps veſter*. Meminit etiam idem Angelus Principis Perſarum (e), quo nomine Angelum ejuſdem Nationis deſignari vulgò Interpretes autumarunt. Vir ille Macedo, qui S. Paulum noctu per viſum alloquutus (f) perſuaſit, ut ad Macedonas diverteret, non alius creditur, quàm Angelus eorumdem populorum, de ſalute illorum ſollicitus. Tandem Septuaginta textum Deuteronomii 32. 8. ita legunt: *Conſtituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei*; quæ verba de Angelis populorum, & Nationum Cuſtodibus dicta Rabbini, & Patres interpretantur. S. Joannes in Apocalypſi 2. 18. 12. ſcribit ad Angelos ſeptem Eccleſiarum in Aſia Minori; quod juxta plures Patres (g) non tantùm de Epiſcopis illarum Eccleſiarum, ſed etiam de Angelis eiſdem deſtinatis intelligendum eſt. Angeli hominum cuſtodes apertis verbis in veteri Teſtamento exprimuntur. Jacob (Gen. 46. 16.) Angelum nominat omnium itinerum ſuorum ducem, & in periculis adjutorem. Pſalmiſta etiam Angelos Juſtorum protectores memorat (Pſal 33. 8. & 90. 2). Judæi Chriſti ætate paria vulgò ſentiebant. Hinc Jeſus in Evangelio Matth. 18. 10. monet, ne puſilli contemnantur, eorum quippè Angeli ſemper vident faciem Patris. Cum S. Petrus è carcere liberatus ad domum cæterorum Diſcipulorum veniſset, illi Angelum ejuſdem adeſse crediderunt (Act. 12. 15.). Patres in ea re aſserenda non diſſident. Judæi & Pagani conveniunt. Heſiodus omnium vetuſtiſſimus, vel ſaltem inter vetuſtiſſimos Scriptores Græcos (h), tradit, Jovem Angelos quoſdam bonos in Terram demiſiſse, ut hominibus adeſsent, eorumque geſta inſpicerent. Plato l. 10. de legibus ſcribit duos ſingulis hominibus attributos eſse Dæmones, ſivè Genios, bonorum alterum, alium malorum inſtigatorem; quanquam Platonis ſententiam aliter referat Apulejus: *Ex hac ſublimiore Dæmonum copia Plato autumat, ſingulis hominibus in vita agenda teſtes, & cuſtodes ſingulos additos, qui nemini conſpicui ſemper adſint*. (i)

Ex Apoſtoli teſtimonio compertum eſt, plures diſtingui in Cœlo Angelorum Choros ſivè diverſitate munerum, ſivè gloriæ gradibus diſcretos: ſed quot ſint numero, & quem ordinem ſervent, non una eſt inter varios Patres ſententia. Origenes in Joan. autumat, plures eſse Angelorum Choros, quàm quos Apoſtolus enumeravit. Origenem plures ex veteribus Patribus ſequuntur. Alii nonniſi novem aſſignant, quot in Apoſtoli textu enumerantur; & hæc ſententia in Scholis Theologorum vulgò obtinet. Author, qui ſub nomine S. Dionyſii Areopagitæ laudari ſolet (k), tres diſtinguit Hierarchias, ſingulis verò tres ordines Angelorum aſſignat: in prima Seraphin, Cherubim, & Thronos; in ſecunda Dominationes, Virtutes, & Poteſtates; in tertia Principatus, Archangelos, & Angelos collocat. Occurrunt etiam in S. Scriptura ſeptem Angeli Principes throno Dei jugiter adſiſtentes; ex quibus unum Angelus Raphael (l) juveni Tobiæ ſe eſse prodidit. Angelus Danielem alloquutus Dan. 10. 13. eadem de S. Michaele perhibet. *Michael unus de Principibus*. Eoſdem Angelos ante thronum Dei S. Joannes Apoc. 8. 2. 3. per viſum aſpexit. In Teſtamento duodecim Patriarcharum, libro vetuſtiſſimo, iidem Angeli appellantur, *Angeli faciei*; & in vita Moyſis: *oculi Domini*. Fortaſse hæc omnia deducta ſunt ex more apud Reges Aſsyrios, Chaldæos, & Perſas recepto, quibus ſeptem Eunuchi, ſivè ſeptem Magnates omnium potentiſſimi jugiter adſiſtebant.

Numerus Angelorum nullibi in S. Scriptura ſupputatur, quanquam plurimi, & ferè innumerabiles dicuntur. Daniel 7. 10. cum ad Thronum Antiqui dierum accederet, fluvium ignitum exindè devolvi, & mille millia Angelorum obſequium exhibentia, deciesque centena millia throno adſiſtentia ſe vidiſse teſtatur. Circa Thronum Agni mille Angelorum millia vidiſse ſe perhibet S. Joannes Apoc. 15. 11. Jeſus in Evangelio (Matth. 26. 53.) dixit ſibi à patre exhiberi potuiſse pluſquam duodecim legiones Angelorum, ſcilicet 72000. Angelorum. Currum Dei 10000. Angelorum comitari tradit Pſalmiſta (pſal. 67. 18.). Ad multitudinem illorum præ numero hominum exaggerandam complures ex Patribus (m) utuntur parabola Patris-familias, qui relictis 99. ovibus in deſerto, centeſimam vagantem perſequitur; adduntque deperditam ovem genus eſse humanum, quod à juſtitia decidit; oves verò relictas eſſe Angelos, qui in obſequiis permanſerunt. Alii inter Patres (n) exceſsum Angelorum ſupra homines ex eo deducunt, quod Cœlum magnitudine plurimùm terram ſuperans, incolis etiam præ illa abundare par eſt. Author ſub nomine Sancti Dionyſii latens, nihil eſse in rerum natura perhibet, quod Angelorum multitudinem adæquet. Si quis uberiorem de Angelis diſquiſitionem velit, adeat noſtram Diſsertationem de hoc argumento præfixam Commentariis in S. Lucam.

Exiſtentiam Angelorum, ſicut & cæterorum Spirituum negant Saducæi (o), reliqui Judæi illos colunt, uſque ad ſuperſtitionem (p). Author libri de Prædicatione S. Petri, ſcripti antiquiſſimi, cujus teſtimonium laudat S. Clemens Alexandrinus l. 6. Strom., reſtatur, Judæos cultum religioſum præſtare Angelis, Archangelis, ſimulque menſibus, & Lunæ. Celſus (q) eadem illis exprobrat. Tertullianus de Præſcrip. c. 12. ſcribit Simonem, & Cerinthum mediationem Angelorum, Jeſu Chriſti mediationi præferre. Joſephus (l. 2. c. 12. de Bello), & poſt illum Porphyrius (de Abſtin. l. 4.) tradunt, Eſsenos ſe ſacramento ad conſervanda

vanda

(a) Judæ 9 & Apoc. 12. 7. (b) Orig. hom. 2. in Gen Bed. (c) Aug. l. 1. de Gen. ad Lit. c. 9. & l. 11. de Civit. c. 9. & Rup. l. 1. de Trin. c. 10. (d) Orig. hom. 1. in Gen. & hom. 10. in Matth. & Baſ. hom. 1. in Hexam. Nazianz. Orat. 38. Ambroſ. in Hexam. & alii plures. (e) Dan. 10. 13. (f) Act. 16. 9. (g) S. Ambroſ. in Luc. l. 2. Orig. in Luc. hom. 13. Hilar. in Pſal. 129. Baſil. in Iſ. & Epiſ. 191. Nazian. Or. 31. 32. Hieron. in Mich. 6. & in Matth. 18. (h) Heſiod. Oper. ſex dies, l. 1. v. 121.
(i) Apulei. Libello de Deo Socratis. (k) Dionyſ. de Cœleſti Hierarchia, c. 6. Gregor. Magn. homil. 34. in Evang.
(l) Tob. 12. 15. (m) Hilar. in Matth. Can. 18. Ambr. in Luc. l. 7. c. 15. Nyſſen. l. 11 contra Eunom. Cyrill. Catecheſ. 15.
(n) Cyrill. Jeroſolym. loco cit. Dydimus cæcus apud Maxi. ad cap. 14. Dionyſ. de Cœleſti Hierarchia.
(o) Act. 23. 8. (p) Coloſſ. 2. 18. (q) Celſus apud Origen. contrà Celſ. l. 5.

vanda ſanctè omnia Angelorum, & Libros ſuæ Religionis adigere. De cultu Angelorum penès Judæos, & Chriſtianos egimus in Comment. ad Coloſ. 2. 18. & in Diſſertatione de Angelis.

(Nomine Angeli Domini deſignantur ſæpè in Scriptura viri Dei, & Prophetæ; e. g. Judic. 2. 1. *Aſcendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait; Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua juravi patribus veſtris, & pollicitus ſum, ut non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum; ita dumtaxat, ut non feriatis fœdus cum habitatoribus terræ hujus; & noluiſtis audire vocem meam. Cùmque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſrael, elevaverunt ipſi vocem ſuam, & fleverunt, immolaveruntque ibi hoſtias Domino. Dimiſit Joſue populum.* Non ſine magna veri ſpecie credimus, Angelum hunc ipſiſſimum fuiſſe Joſue, vel Summum Sacerdotem, vel Prophetarum quempiam (a). Nomine Angeli Domini deſignari Joſue, qui introduxit Iſraelitas in terram promiſſionis, verbis illis Exodi 20. 23. credunt Interpretes plurimi (b). Conſtat utique in Scriptura nomine Angeli Dei interdum exprimi Prophetas; Aggæi 1. 13. *Dixit Aggæus nuncius Domini de nunciis Domini* (Hebræus & Græcus *Angelus Domini de Angelis Domini*). Malachias, inter duodecim minores Prophetas poſtremus, appellatur à multis è Patribus (c) *Angelus Domini*, quæ ſignificatio eſt Hebraici nominis Malachias. Tenent nonnulli ſub Malachiæ, vel Angeli Domini appellatione Eſdram cenſeri (d). Nathan Prophetam, qui commiſſum crimen exprobravit Davidi, Angelum, vel Dei nuncium appellavit Eupolemus. Quem per viſum ſpectavit ejus uxor, ſeu Angelum ſeu hominem Dei indiſcriminatim appellavit Manue pater Samſonis, quoadusque cum fumo holocauſtorum evaneſcentem Angelum reipſa intellexit Judic. 13. 2.

Interdum Dei nomine inſigniti ſunt Angeli in Scriptura. Qui ſe Moyſi ſpectandum præbuit in rubo (e); qui Legis præcepta illi tradidit; qui cum eo agebat familiariùs, deducebatque Hebræos per Deſertum, nunquam non Deus appellatur, de quo etiam Dominus ipſe Exodi 23. 21. *Eſt nomen meum in illo.* Dei pariter cenſebantur nomine, Angeli Sanctis Patriarchis per viſum apparentes (f); ideo ſcilicet, quòd ejus nomine agerent, ab illo legatione fungerentur, & juſſionum ipſius atque virtutis depoſitum conſervarent. Nec illis tantùm datum nomen *Elohim* vel *Adonai*, cui ſæpè pares habiti ſunt Judices, & Principes; ſed & *Jehovah*, unius Dei peculiare nomen, quo tota majeſtas ejus gloria exhibetur.

Quæ tenet ſententia Regnis, Provinciis, Gentibus ſuos eſſe tutelares Angelos, è Scriptura ipſa repetitur, adoptaturque qua à Chriſtianis, quà pariter à Judæis. Teſtimonium illud Danielis 10. 21. *Michael princeps veſter* (populi Dei); alterum etiam Actuum 15. 9. ubi ſub hominis Macedonis ſpecie Angelus ſeſe videndum præbens Apoſtolum illum invitavit in Macedoniam; teſtimonia, inquam, illa fidem non dubiam adſtruere dogmati videntur.

Ambiguum eſt magis teſtimonium alterum Danielis 10. 13. *Princeps Perſarum reſtitit* (Archangelo Gabrieli) *viginti & uno diebus.* Viris enim doctiſſimis Princeps ille Perſarum eſt Cyrus Rex Perſidis, qui intus & in corde moventi Gabrieli tandiu reſtitit.

Alter eſt Deuteronomii 32. 8. locus, ubi de diviſis à Deo hominibus juxta numerum Angelorum Dei. Ita legunt Septuaginta: *Quando ſeparabat Altiſſimus filios Adami, conſtituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei;* quo loco Vulgata & Hebræus habent: *Juxta numerum filiorum Iſrael.* Quæcunque lectio retineatur, arduum erit ſemper aliquid circa numerum populorum ad turrim Babelicam diſperſorum. Primò enim, quis certò afferat agi hic de Babelica diſperſione? Adhæc, conſtatne ſatis ſingulos homines in id operis inſudantes certam quamdam conſtituiſſe gentem; & non potiùs inſinuatas his verbis ab Authore ſacro omnes eas gentes, ſive quæ jam coaluerint, ſive quæ ſæculorum tractu formabuntur? Equidem ſi ſtatuamus ſingulis illis Angelos ſuos tutelares, hæc Textus expoſitio adoptanda eſt admiſſa lectione Septuaginta.

Si quis verò lectionem Hebræi & Vulgatæ præferat, illi tunc indicanda epocha, quam Moyſes aſſignare voluit Hiſtoriæ Gentis Iſraeliticæ; neque enim Babelicæ turris ætate de Iſraelitis audiri quidquam cœptum erat. Si Moyſes ætatem ſuam ſpectavit, tunc utique aucto in immenſum Iſraelitarum numero, reputari etiam oporteret, gentes è Babelica diſperſione formandas in exceſſum multiplicatas fuiſſe; quando enim non recenſerentur ex Iſraelitis niſi tractandis armis idonei milites, quomodo per univerſum mundum diſtinguerentur 600000. Gentes inter ſe ſtudiis diverſæ?

Sedit pluribus perſuaſio (g), Gentes illas fuiſſe tantùm 70. vel 72. quanquam opinionem ſuam minoris ponderis momentis fulciunt; nimirum in cap. 10. Geneſis, ubi Moyſes genealogiam retexit filiorum Sem, Cham, Japhet, ſermonem eſſe tantùm de 72. viris, ex quibus totidem Gentes derivatæ creduntur. Sed numerus iſte hominum minuetur plurimùm, ſiquidem adimantur, uti adimi neceſſe erit, cùm omnes eorum filii accenſiti ſint, tres illi Patriarchæ Sem, Cham, Japhet; ſi pariter eradantur 13. filii Jectan, facilè nonniſi poſt diſperſionem nati. Prætereo hic *Cainam*, qui legitur in Septuaginta verſ. 24. ſicut & *Eliza* & Cozar Japheto filii aſſignati. Profectò ſi quis illos adjicere voluerit, numero hominum in Hebræo & Vulgata recenſitorum unà cum Philiſtiim, & Caphtorim verſùs 14. illi planè non ad 72. ſed ad 76. Gentes ſupputabuntur. Hæc igitur ſanè nutant.

Acceſſerunt alii numerum hunc 70. Gentium è totidem filiis Jacob unà cum illo in Ægyptum aſcendentibus: *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta.* Gen. 46. 26. 27. Reipſa quidem nonniſi 66. homines venerunt in Ægyptum, uti Moyſes non obſcurè verſ. 26. *Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum ..... ſexaginta ſex.* Implendo numero rotundo recenſendi ſunt cum cæteris Jacob, & Joſeph cum geminis ejus liberis. Si quis autem omnes filios Jacob conſtituat, perperam etiam eundem Jacob referat in cenſum; habet enim Moyſes non obſcurè: *Conſtituit terminos populorum*, ſeu *filiorum Adam, juxta numerum filiorum Iſrael.* Septuaginta verò non ſemel (h), & S. Stephanus in Actis legunt 75. pro 72. Nectuntur his ardua arduis adversùs certum numerum 70. vel 72. populorum è filiis Noe referendorum; ex quibus etiam ardua reſultant adversùs numerum hunc Angelorum totidem Gentium tutelarium.

Ex his omnibus rectè ſtatueretur, traditione Eccleſiæ Judaicæ & Chriſtianæ certum teneri ſingulis gentibus ſingulos eſſe tutelares Angelos aſſignatos; ſed & certi nihil determinari poſſe, ſicut & de gentium ejuſmodi numero, ita & de Angelorum ad earum tutelam deputatorum. Quin & variaſſe numerum illum ſæpè neceſſe eſt, juxta auctum vel imminutum populorum, & gentium numerum; quot enim vices à diſperſione Babylonica ad noſtram uſque ætatem mundi rotam torquentes, id effecerunt, ut cadentibus plurimis gentibus, plures etiam aſſurgerent? Et ne ultra divagemur, nonne Scriptura ſuppeditat exempla Amalecitarum, Philiſthæorum, plurium gentium in Chananitide, Emim, & Zonzomim? ubi illi modo?

ANGELUS EXTERMINATOR, *Angelus mortis, Angelus Satan, Angelus abyſſi.* Deſignant hæc omnia Dæmonem cum ſuis, pravos Angelos, ultionis & furoris Dei adminiſtros. Exterminatoris Angeli gladio percuſſit Deus exercitum Sennacherib 4. Reg. 19. 35.; gladio Angeli mortis ſubjectas Davidi gentes perimens, de captata à Principe inani quadam gloriola ultionem hanc exegit acerbiſſimam 2. Reg. . Cædebat Angelus Satanæ Apoſtolum (i), occultoſque tendebat laquos illibaræ

(a) Jonathan, Maſ. Vatabl. Grotius, Jun. Druſ. &c. (b) Aug. in Exod. 9. 91. Juſtin. in Dialog.
(c) Clem. Alex. Strom. l. 1. Tertul. contra Judæos, c. 5. (d) Hieron. Præfat. & Comment. in Malach. Antiqui Hebræi Jonath. Chaldæus. (e) Exodi 22. &c. Vide Actuum 7. 30. 35. Galat. 5. 19. (f) Hebr. 18. 2. Gen. 18. 3. & 19. 2. (g) Hebræi, Chaldæi Interpp. Hieronymus in Matth. 26. 53. Clem. Alex. Epiphan. Aug. Alii. (h) Gen. 26. 27. Exodi 1. 5. Deut. 10. (i) 2. Cor. 12. 7.

Digitized by Google

libatæ viri ſancti caſtitati; idemque Angelus accuſabat in judicio coram Domino Summum Sacerdotem Jeſum, altercabaturque cum Archangelo S. Michaele, ut ſibi vindicaret corpus Moyſis Zach. 3. 1. 2. Angelus Abyſſi (a), vel *Angelus Regis Abyſſi*, ut eſt in Apocalypſi 9. 11. ipſiſſimus eſt Dæmonum Princeps & Angelus exterminator.

De Angelo exterminatore delente exercitum Sennacherib vide V. *Sennacherib*.

Angelus mortis commiſſum habet à Deo ſibi munus animam à corpore disjungendi. Angelum hunc mortis æquè agnoſcunt Judæi, Arabes, Turcæ, & Perſæ, quibus poſtremis appellatur *Mordad* vel *Aſuman*; RR. & Arabibus eſt *Azrael*; Paraphraſti Chaldæo *Malk-ad-Mouſa*; aliis tandem, uti Authori Aſſumptionis, ſeu exitus Moyſis, *Samael*, Princeps Dæmonum. Poſtremus iſte Author narrat, impleto jam tempore, quo Moyſes letho abſumendus erat, mandaſſe Deum Gabrieli, ut animam Moyſis educeret; amovente a ſe illo munere obnixis precibus, amovente etiam precariò S. Michaele, & Angelo Zinghiele, utpote qui cùm præceptorem habuiſſet Moyſem, talia Magiſtro rependere indignum ſibi rebatur; propiùs factus eſt Samael, ut animam hanc è corpore ſevocaret. Sed aſpectus ejus fulgore perculſus, repulſuſque item virtute nominis Dei, quod Moyſes ſcriptum ferebat in virga, patrandiſque prodigiis valebat plurimum, recedere coactus eſt, quare Deus ipſe per ſe venit, evocaturus animam Prophetæ per oſculum.

Docent RR. (b), Angelum mortis, cùm hominem percuſſerit, gladium ſuum eluere aqua, quæ ſorte occurrerit in ædibus, hanc autem maligno contactu virus contrahere; ex qua doctrina cautio Judæorum, effundendi ſcilicet in via aquam omnem domus. Angelus iſte mortis, inquiunt illi, morientis hominis capiti aſſiſtit, ſtringens nudum quendam gladium, cujus extrema cuſpis pendentes habet tres guttas veluti ſelliſ. Ad ejus aſpectum territus miſer diducit os, promptuſque Angelus infundit in fauces lethales illas tres guttas, quarum prior necem infert, altera tetro colore inficit cadaver, tertia tandem diſponit, quò in tumulum illatum promptè diſſolvatur in cinerem (c).

Addunt inſuper homini jam extincto alterum in ſepulchro interitum manere (d); cùm enim, inquiunt, conditur ſepulchro homo Judæus, Angelus lethali ſoſſæ aſſidet, promptèque accurrit & anima, ut conjuncta ſe iterum corpori in pedes illud conſtituat. Tunc Angelus arrepta ferrea catena, cujus pars alget, pars autem igne candeſcit, rudi adeo ictu corpus ſriat, ut membrorum omnium compago diſrumpatur. Cædit nihilo ſeciùs ſecundò, & oſſa ſtatim diſſociantur; cædit tertiò, & cinis omnia. Succedunt tum probi Angeli, ac colligentes diſponenteſque ſingulas partes, corpus iterum collocant in ſepulchro. Ab eo tamen ſupplicio eximere viſum eſt homines pios, qui amplioribus in pauperes largitionibus id ſibi privilegium, ceu pretio comparant.

Eſt etiam Muſulmanis & Perſis ſuus Angelus morti inferendæ, ſegregandæque animæ à corpore deſtinatus. Tenent inſuper (e), condito jam cadavere parere ſtatim duos malos Spiritus, minantibus oculis, atroque colore horribiles, quibus jubentibus aſſidet in ſuo loculo defunctus; tum in ejus mores inquiritur. Si nihil admiſerit indignum, requieſcere jubent iterum, & in pace omnia; ſin minùs, validis mallei ictibus inter utramque aurem tunditur, ex quibus dolores acerbiſſimi, & ejulatus miſerabiles.

De Angelo mortis ſermo eſt in Græco libri Job non ſemel. Job. 33. 3. *Si fuerint mille Angeli mortiferi, unus eorum non vulnerabit eum, ſi cogitaverit in corde reverti ad Dominum, & anuntiaverit homini ſuum ipſius crimen, & ſuam ſtultitiam oſtenderit*. Et cap. 20. 15. *Divitiæ iniquè congregatæ evomentur de domo ejus, extrahet eum Angelus*. Tandem capite 36. 14. *Morietur in tempeſtate* (immature) *anima eorum, & vita eorum vulnerata ab Angelis*. Salomon Prov. 17. 11. *Semper jurgia quærit malus; Angelus autem crudelis mittetur contra eum*. Angelus iſte crudelis, Angelus mortis contra priores viros Saræ miſſus Tobiæ 3. 8. omnes peremit, cùm accedere tentabant ad fœminam. Idem eſt Angelus Aſmodæus vel deſtructor ab Angelo Raphaele relegatus, cateniſque revinctus in Deſerto Tob. 8. 3. Idem pariter Angelus, de quo Pſ. 34. 5. 6. *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti*, & *Angelus Domini coarctans eos* (frians eos.) *Fiat via illorum tenebræ & lubricum; & Angelus Domini perſequens eos*.

Angelus Satan, cædens in faciem Apoſtolum 2. Cor. 12. 7. miniſter eſt Dæmonis, munus ab illo gerens. Ita porrò exhibetur in Scriptura Dæmon, tanquam Princeps in ſubjectos alios Dæmones exercens authoritatem; eo ſenſu agit Evangelium Matth. 12. 16. de Regno Satan: *Si Satanas Satanam ejicit, adversùs ſe diviſus eſt; quomodo ſtabit Regnum ejus?* Si ſcilicet Dæmon Dæmones è corpore pellit, ejus Regnum peſſundabitur. Venit J.C. in mundum labefactandæ potentiæ Satanæ; iterumque poſtrema judicii die veniet amandandis impiis ad æternum ignem *Dæmoni, & Angelis ejus* paratum Matth. 25. 41., i. e. ſubjectis illi malis Spiritibus, quibuſcum communem habet naturam, & ſupplicium.

Angelus iſte Satan colaphis cædebat Apoſtolum, vel probroſa ſuggerens, (f) vel morbos detinens in corpore (g), vel ſuſcitatis in illum adverſariis, conſiliis ejus ſeſe opponentibus, uti Fabro illo ærario, Demetrio argentario Epheſio, Hymenæo & Phileto, de quibus ipſe in priori ad Timotheum. Credunt tandem alii (h) Angelum Satanæ aperta vi reſtitiſſe Apoſtolo, colaphis cecidiſſe, intendiſſe laqueos, quemadmodum & gravem ſeſe exhibuiſſe S. Antonio refert S. Athanaſius, cædendo, affligendo &c. Ita pariter & duriſſimè habitos alios viros Sanctos ab illo ſcimus, ægro ſcilicet animo ferente illorum in bono profectum, furente inſuper, quod Regnum ſuum dejici ab illis intelligeret.

Lingua angelorum. Vide *Lingua*.

ANGELI *lucis*, *Angeli tenebrarum*. Lucis Angelos appellamus probos illos Spiritus, ſedem habentes in Cælo, in regione ſcilicet lucis, gloria luminis paludatos, Altiſſimi throno aſſiſtentes, ſuggerenteſque hominibus dignas luce cogitationes. His oppoſiti *Angeli tenebrarum*, Dæmonis adminiſtri, ſedes habent in Infernis conſtitutas, regione nempe tenebrarum in atris illis carceribus, ubi impiorum animæ miſerè torquentur. Satanas interdum, ait Apoſtolus 2. Cor. 11. 14. *transfigurat ſe in Angelum lucis*; quemadmodum & lupos ovina pelle tegi aliquando fallendis incautis monet J. C. Matth. 7. 15. ſed ex operibus tandem, quid lateat, agnoſcitur; citò, vel ſeriùs tenentur tandem; opera tenebrarum, quibus ſectatores ſuos addicunt, Angelos tenebrarum demonſtrant.

ANGULUS uſurpatur interdum pro extrema quacunque ora terræ, regionis, veſtis, barbæ, comæ, populi, ædificii, menſæ, aræ. *Non exterminabis angulum barbæ tuæ*, ait Moyſes Levit. 19. 27. in Hebræo; non præcides prorſus barbam verſus aures & ad extremum menti. *Omnes anguli populorum & cunctæ Tribus Iſrael convenerunt in Maſpha* Judic. 20. 2. Porrò hoc *anguli populorum* juxta nonnullos denotat populum univerſum ab uno regionis fine ad extremum alterum, & oppoſitum, nemine excepto; juxta alios vero ſunt primores in populo. Vide etiam 1. Reg. 14. 38. *Applicate huc univerſos angulos populi*. Et Iſaiæ 19. 13. *Diſperdidit Gentes, & diſſipati ſunt anguli eorum*. In his omnibus angulus Populi inſinuare videtur omnium gentium quidquid eſt, ab uno ad alterum regionis angulum.

Angulus eſt etiam interdum maximè prominens in ædificio locus. Zacharias agens de Tribu Juda poſt ſolutam captivitatem, cap. 10. 4. *Ex ipſo angulus, ex ipſo paxillus &c.* Ex ea Tribu ſcilicet anguli, i.e. Duces;

(a) Judæ verſ. 9. (b) Buxtorf Synag. Jud. c. 35. (c) Buxtorf. Synag. Jud. c. 5. (d) Idem ibid. ex alio in Tisbi. (e) Pokok. not. Miſcellan. pag. 241. (f) Aug. Con. 2. in Pſ. 58. & l. 3. c. 7. contra 2. Epiſt. Pelag. Hieron. Alii paſſim. (g) Baſil. Reg. fuſior. cap. ult. Aug. in Pſ. 130. Hieron. in Galat. 4. 13. Beda. Sedul. Quid. apud Chryſoſt. D. Thomas &c. (h) Chryſoſt. Theodoret. in 2. Cor. 12. Ambroſiaſt. Primatius &c.

Digitized by Google

ces; ex ea lapis angularis, Meſſias, reprobatus rejectuſque à Judæis (a), ſed in gloriam elevatus à Patre cœleſti. Angulus eſt etiam obſcuriſſimus in æde locus Prov. 21. 9. & 25. 24. *Melius eſt ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa in domo communi*; & Actuum 26. 26. ſermonem habens Apoſtolus coram Rege Agrippa de rebus J. C. ejuſque reſurrectione: *Neque enim*, ait, *in angulo quicquam horum geſtum eſt*.)

ANI, Levites, inter cantores, & cytharædos, qui Arcam comitabantur, dum Jeruſalem transferretur. 1. Par. 15. 18.

ANIA, filius Semida ex Tribu Manaſſe. 1. Par. 7. 19.

ANIANUS, ſivè Ananias Epiſcopus Alexandriæ poſt S. Marcum. Cum S. Marcus Urbem illam ingrederetur (b), diſciſſa caſu calceamenta, ſarcienda dedit cuidam ſutori, nomine Aniano. Hic, læſa ſibi manu ſubula, ſubito dolore abreptus exclamavit: Oh Deus! Ea data occaſione S. Marcus Evangelium viro annunciavit, ſimulque terra ſalivæ admixta, ſanitatem vulneri intulit; quo miraculo conſpecto, Anianus unà cum tota Familia ad fidem adduci paſſus eſt. Cum verò Fidelium numerus plurimùm excreviſſet, invidiam Paganorum S. Marcus declinaturus, ex Urbe digreſſus eſt, commiſſo antea Epiſcopatu S. Aniano, qui tandem poſt adminiſtratam 18. annis Eccleſiam, vita functus eſt anno 86. Æræ vulgaris.

ANILÆUS, frater Aſinæi, ambo Judæi ex Urbe Neerda ad Euphratem in Provincia Babyloniæ (c). Cum poſt mortem patris ſumma egeſtate premerentur, textrinam addiſcendo, vitam tolerare coacti ſunt. Accidit interea, ut quadam die ſerò ad opus venientes, ab officinæ Magiſtro verberibus jamjam caſtigandi eſſent; quare ſeſe in tutum receperunt; deindè armis arreptis, aliiſque ſeditioſis congregatis, prata quædam occuparunt, ſita in paludibus, ad locum, ubi Euphrates in plures rivos diſpergitur. Ibi validis munitionibus ductis, Præfectis etiam Babyloniæ graves eſſe cœperunt, quorum exercitum non ſuſtinuerunt modo, ſed etiam ut re infecta rediret, coegerunt. Tantam duorum fratrum virtutem admiratus Artabanus Parthorum Rex, nedum illos videre, ſed occupatam etiam regionem tutò detinere ſuſtinuit.

Cum ea loca 15. annis quietè tenuiſſent, tandem Anilæus amore cujuſdam fœminæ Parthæ captus, conjugi illius Provinciæ Præfecto bellum intulit, victumque, atque in ſuam poteſtatem redactum occidit, ejuſdemque uxore potitus eſt. Verùm mulier illa in novo conjugio nihilò quoad Religionem immutata, Deorum ſimulachra in regionem Judæorum invexit. Ea res graves excitavit querelas apud Judæos; nec minus Aſinæo diſplicuit, qui diutiùs crimine tolerato, tandem Fœminæ repudium fratri perſuadere tentavit. Sed vi amoris Anilæum retrahente, omnes fratris conatus inanes fuerunt; quin & mulier illa, ne Judæi contrà ſe arma caperent, pertimeſcens Aſinæum veneno ſuſtulit.

Poſt hæc Anilæus excurſionibus ditionem Mithridatis generi Regis Artabani infeſtavit; illiuſque exercitum ſubitò adortus fudit, ac Regem ipſum captivum abduxit; illum tamen, poſtquam fœdè plurimum habuiſſet, tandem remiſit. Mithridates, uxore inſtigante, denuò copias coegit, ac cum Anilæo ſibi occurrente congreſſus, victum, fugatumque intrà paludes reduxit. Ibi tamdiù Anilæus ſubſtitit, quamdiù Babylonii, qui antea regionem exploraverant, miſſis ad illum legatis ſpecie fœderis ineundi, incautum improviſò noctu adorti oppreſſerunt. Id accidit An. Chr. 40.

ANIM, Urbs Tribus Juda. Joſue 15. 50. quæ non alia videtur, ac vicus *Anam*, ſivè *Anem*, aut *Ancem*, locus ad orientem Hebron, decem ab illa milliaribus, authoribus Euſebio ac S. Hieronymo (d).

{ ANIMA. Animæ nomen ambiguum eſt maximè Hebræorum ſtylo. Uſurpatur enim interdum pro anima quacunque, ſive qua vivunt homines, ſive qua bruta, pro re quacunque viva. *Da mihi animas*, ait Rex Sodomæ ad Abrahamum, Gen. 14. 21. *cætera tolle tibi*; & Gen. 12. 15. *Abraham & Loth tulerunt univerſas animas, quas fecerant in Haran, & egreſſi ſunt, ut irent in terram Chanaan*, i. e. ſervos, quos ibi emerant, vel ſervis ibi natos liberos.

Anima eſt etiam vita Gen. 32. 30. *Salva facta eſt anima mea*. Gen. 37. 22. *Ne interficiatis animam ejus*. *Vivet anima mea &c. Qui quærunt animum meum*, i. e. vitam meam: *Non aſſumere in vanum animam ſuam*, eſt non perjerare per vitam ſuam.

Pro obitu uſurpatur Num. 9. 6. *Quidam immundi ſuper animam hominis*; & Numer. 19. 13. *Qui tetigerit humanæ animæ morticinum*.

Sæpè valet pro deſiderio, amore, animi propenſione. Gen. 23. 8. *Si placet animæ veſtræ*. Num. 11. 6. *Anima noſtra arida eſt*, pertæſi ſumus animo, nihil niſi manna videntes. 1. Reg. 2. 33. *Tabeſcat anima tua videns locum tuum in Templo*, locum tuum tenentem. *Dormitavit anima mea*, tædio ſcilicet & dolore. *Inebriabo animas Sacerdotum*, bonis omnibus largiſſimè ſuppeditatis.

Tandem brutorum vita nomine animæ deſignatur. Deuteronomii 12. 23. *Cave, ne ſanguinem comedas; ſanguis enim eorum pro anima eſt*. Gen. 9. 10. *Inibo fœdus cum omni anima vivente, quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus, quàm in jumentis & pecudibus terræ, cunctis quæ egreſſa ſunt de arca*. Et Prov. 12. 10. *Novit juſtus jumentorum ſuorum animas*, laboribus illorum compatitur, feſſa ſublevat; *viſcera autem impiorum crudelia*.

De brutis integro articulo diſſeremus, afferentes in medium, quæ de animabus illorum Hebræis, cæteriſque Orientalibus perſuadebantur.

In hominis animam plura ſciſcitaremur; quæ ejus natura; quid ſit potiſſimùm; quæ creatio; an omnes ab exordio Mundi ſimul productæ, vel pro data opportunitate ſingulæ creentur à Deo; an ex uno corpore migrent in aliud; an ſingulæ in æquali perfectionis & intelligentiæ gradu ſint conſtitutæ? De ſingulis pauca. Fuſiùs hoc argumenti genus tractavimus in ſingulari Diſſertatione, ad quam Lectorem remittimus.

Cùm Deus corpus hominis plaſmavit è pulvere, vel limo terræ, *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viventem*; Gen. 2. 7. i. e. in hominem vivum. Spiraculum illud vitæ reputant nonnulli (e) veluti animalis vitæ in homine fontem, qua in re nihil diſcrepet à brutis. Æquè enim Deus brutis, & hominibus inſinuat vitæ ſpiraculum: *Omnem carnem, in qua eſt ſpiritus vitæ*; i. e. animalia omnia diluvii aquis abſumenda ſunt. Spiraculum hoc reducente Deo, vita ſimul reducitur: *Si ſpiritum illius & flatum ad ſe trahat, deficiet omnis caro ſimul*, ait Job. 34. 14. Et Pſalmiſta Pſ. 103. 29. agens de Deo, qui brutis dedit, ut eſſent, ait: *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur*. Eccleſiaſtes 12. 7. *Subveni, Domine, diebus juventutis noſtræ, antequàm tempus veniat, & revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus ad Deum, qui dedit illum*. Apoſtolus verba faciens ad Philoſophos Athenienſes, negat ita exigere Deum corporeum cultum, quaſi rei alicujus indigeret, *cum ipſe det omnibus vitam & inſpirationem & omnia*. Actuum 17. 25.

Præter ſpiraculum iſtud vitæ brutis æquè ac hominibus commune, unde functiones animales omnes, quod etiam in obitu evaneſcit, eſt pariter in homine res quædam ſpiritalis, intelligendi & volendi facultate inſtructa, unde cogitandi, diſcurrendi, pro arbitrio volendi, diſtinguendi inter bonum & malum vis omnis; in qua potiſſimùm hominis ad Deum imago illa Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Porrò hoc quidquid eſt, ſpiritale ideò, quòd ſpiritus ſit, *Divinæ particulam eſſe auræ*, (naturæ) ex Philoſophis quidam tenuerunt (f); at Deus imbecillitati huic noſtræ ſubjacere, vitio, invidiæ, dolori qui poterit?

Fateor equidem Scripturam homini æquè ac brutis concedere

(a) Iſaiæ 28. 16. Pſ. 117. 22. Matth. 21. 42. &c. (b) Vide Vit. S. Marci apud Bolland. 25. April.
(c) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 12 (d) Euſeb. in Onomaſt. V. Anea, Anem, & Auſem.
(e) Grot. in Geneſ. (f) Horat. l. 2. Sat. 2.

Digitized by Google

concedere animam, ſpiritum, halitum, vitam; nonniſi tamen homini aſſignat intellectum, Dei cognitionem, ſapientiam, immortalitatem, futurorum ſpem, vitam æternam; nec niſi homini pariter minitatur, quà alterius vitæ mala, quà Inferni ſupplicia.

At ſpiritu ne adeò ſunt puro animæ, ut ab omni prorſus materia vel tenuiſſima ſint diſcretæ? Affirmant utique Philoſophi & Theologi Chriſtiani; ſed alia planè Veterum perſuaſio. Vetus Author Libri Enoch corpore inſtructos Angelos, adeoque & animas (una eſt enim utriſque natura), autumavit. Ex Latinis Græciſque Patribus quicunque ita legebant textum Gen. 6. 2. (a): *Videntes Angeli Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant*; genitoſque ab illis Gigantes ibidem adjicitur; hæc inquam legentes Patres cenſuerunt, nec deeſſe Angelis corpus, nec deſtitui paſſionibus, quibus per corpus & materiam tangimur.

Cum autem de corporea animæ natura ſententia cum cæteris animæ dotibus conciliari vix poſſet, in eam venerunt perſuaſionem, animam è duobus coaleſcere; è ſpiritali ſcilicet re quadam, divinæ cognata, unde vis cogitandi: & è ſubtili tacite omnia pervadente, tanquam auræ tenuis natura. Author libri Enoch, de quo nos ſæpe, habet: *Spiritus animarum hominum morte jam functorum, ad portas uſque Cæli ſuſpiria eorum pertigerunt*. Spiritus vel mens in corpore tanquam in vagina reconditur; anima è corpore ſoluta, corporis, cui inſedit, imaginem refert perquàm ſimillimam; ſed ſpiritus, ſelecta illa animæ portio, nihil ſenſibile refert, corporeum nihil. Patrocli anima ſpectandam ſe præbens Achilli (b): *Omnibus ipſi (Patroclo) magnitudineque & oculis pulchris ſimilis, & voce, & tales circa corpus induta eſt veſtes*. Ulyſſes ad Inferna deſcendens vidit Divinum Hectora, i. e. ejus *idolum* (c) (animam), *ipſe verò apud immortales Deos oblectatur in conviviis*.

Tribuunt etiam Rabbini animæ, cùm è corpore ſoluta eſt, corpus aliud ſubtile, quod vas ſeu vaginam animæ appellant. Habent etiam perſuaſum, impiorum animas ſtatim ab obitu veſtis cujuſdam genere circumfundi, quò tangi tormentis valeant; Juſtorum viciſſim animas ſplendido quodam paludamento, & fulgenti corpore veſtiri, quò pariter felicitatem & fulgorem beatitudinis omnem capere aſſueſcant. Credebant Apoſtoli firma perſuaſione ſpiritus per viſum apparere; credebant pariter illos formam referre, imaginem, vocem, & cætera omnia ejus corporis, quod olim tenuerant. Veteres Gigantes, qui ſub aquis gemunt (d) & Reges gentium qui terra premuntur (e), ita exhibentur, tanquam lineamenta omnia priſtinæ imaginis referentes. Cùm Jeſus Chriſtus è mortuis vitæ reſtitutus ſpectandum ſe præbuit Apoſtolis; an phantaſma, ſeu ſpiritum ejus vidiſſent Apoſtoli, ambigebat S. Thomas; (ſæpe enim accidit, juxta vulgi opinionem exhiberi hominibus ſpectra aliqua mortuorum, ex quibus tamen de illorum ad vitam reſurrectione nihil rectè inferas) quare Jeſus ambagibus omnibus ſubmovendis, ut tangeret inferretque digitum in vulnus clavorum illum invitavit (f); ne quid ultra, ait, de mea reſurrectione dubites. Et cum de repente ſtitit ſe in medio Diſcipulorum, ita affatus eſt Luc. 24. 38. &c.: *Quid turbati eſtis & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*.

Credat, ſi quis velit, præjudicia hæc fuiſſe Judaiſmi, quæ cum lacte ebibiſſent Apoſtoli, nec excutere ſe ab illis antea valuiſſe, quàm poſt roboratam S. Spiritus illapſu mentem; credat Rabbinicas hasce opiniones ſurculum fuiſſe Philoſophiæ Paganorum, qui cùm mentem haberent nullo fidei, & revelationis lumine illuſtratam, cæcas ſibi formabant de rebus animæ ideas. Quid hac in re tenuerint veteres Judæi, exponere nitimur in præſenti, non errores refutare.

Vulgo nos tenemus Deum identidem creare animas, ſecundùm ac nova corpora generantur; Judæorum planè contraria perſuaſio (g), opinantium omnes ſimul creatas ab exordio animas, pellectu quodam à natura inſito, cui difficile reſiſtunt, in corpora trahi. Angeli, Dæmones, & animæ ejuſdem ſunt natura, ſolo nomine diſtinguuntur, ait Philo de Gigant. pag. 286. & alibi ſæpius. Ut boni ſunt pravique Angeli; ita pariter & animæ. Angeli æque & animæ verſantur in puriſſima & ſuprema aeris regione, unde in corpora dilabuntur, ſuas illuc afferentes ſive bonas ſive malas inclinationes. Eſſenii, ait Joſephus de Bello lib. 2. cap. 12., animas rebantur immortales, quæ inſito quodam à natura pondere ferebantur in humanum corpus, ibi tanquam in carcere recluſæ; poſt obitum, probæ vitæ merito quædam in loca deliciarum ultra Oceanum transferebantur; improbis verò loca erant tenebris horrida conſtituta, ad criminum pœnam luendam. De Phariſæis Joſephus Antiquit. lib. 18. cap. 2. & de Bello lib. 2. cap. 12. affirmat, hujus ſectæ hominibus dogmate certum teneri, proborum animas lucis unde venerint, poſt obitum jure poſtliminii reſtitui, permiſſa illis remeandi in alia corpora facultate; impiorum nihil manere, niſi æterna ſupplicia.

Cæcum à nativitate habentes obvium Apoſtoli, interrogarunt Jeſum Joan. 9. 2. Eccujus merito hæc viro contigiſſent, an ex crimine parentum, an potiùs de ſuo pœnas miſer lueret? Tenebant igitur illum, antequam naſceretur, pravo liberæ voluntatis ſuæ uſu ita peccaſſe, ut ultionem in caput ſuum provocaret. Reſpondit Jeſus, data hæc non in criminum pœnam, ſed ideo à Deo permiſſa, ut virtutis ipſe ſuæ ſpecimen in illo exhiberet; quibus & vana illorum ſtudia repreſſa ſunt, inſinuatumque, reſtituendam miſero illi videndi facultatem, ut gloria Patris cæleſtis magis magiſque relevaretur. Docent RR. (h), mortuorum nondum illatorum tumulo animas prohiberi, ne in loca defunctis conſtituta ingrediantur, ſed tandiu errare, donec ſepeliri corpora contingat. Gemina ſpectare licet in vetuſtis Græcorum, & Latinorum Scriptoribus. Patroclus per viſum apparens Achilli, jubet actutum defunctum ſuum corpus ſepeliri, quò in Regnum Plutonis aditus ſibi permittatur; prohiberi enim ab illo, opponentibus ſeſe animabus, & ſpectris mortuorum, ne flumen trajiciat; ſed ego, ait, circa fores vaſtiſſimi palatii Dii Infernorum pererro. Virgilius Æneid. 6.

Nec ripas datur horrendas, & rauca fluenta
Tranſportare priùs, quàm ſedibus oſſa quierunt.

Tenent inſuper ex Judæis plerique, animas integro anno Purgatorii genus quoddam, & erraticum quemdam ſtatum ſuſtinere, quo temporis ſpatio inviſere ſæpe cognata corpora, videnda ſe mortalibus præbere, ſolatio quodam juvari ex precibus & largitionibus pro ſe oblatis; infra cujus anni à deceſſu ſpatium Samuelem obtuliſſe ſe vocanti Sauli: ea verò periodo elapſa nullam vim eſſe Dæmonibus in animas mortuorum (i). S. Juſtinus in Dialog. & Origenes (k) autumarunt animas Juſtorum, etiam poſt obitum, ſubmitti Dæmonibus, coactas proinde ad Magorum evocationes ſeſe ſpectandas præbere. Anaſtaſius Antiochenus in Adego quæſ. 12. ſententiam hanc Origenis acriter tuetur, defendens juſtorum animas poteſtati Dæmonum in Infernis ſubmiſſas, antequàm J. C. eò deſcendens è tyranni manibus liberaret.

Credunt Thalmudiſtæ (l) ſecretas è corpore animas, quæ in terra aguntur, omnia noſſe, quippe quæ integra

(a) Ita Mſ. Alexandrio. Joſeph. Antiq. l. 1. c. 4. Philo de Gigant. p. 284. (b) Homer. Iliad. 23.
(c) Idem Odyſ. L. verſ. 600. (d) Job. 26. 5. Proverb. 9. 18.
(e) Iſaiæ 14. 9. Ezech. 31. 32. (f) Jo. 20. 25. 26. 27.
(g) Joſeph. de Bel. l. 2. c. 12. p. 787. Menaſſe Ben Iſrael Conciliat. in Gen.
(h) Bar Nachman in Bereſchit Rabba cap. 22. Thalmud tract. Sanhedrin c. 4. (i) Vide Menaſſe Ben-Iſrael de Reſurr. lib. 2. cap. 6. (k) Apud Euſtath. Antioch. Engaſtrimit. & in 1. Reg. (l) Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 35.

Digitized by Google

gro anno extra Cælum divagantur per Mundum, nihilque eas fugit eorum, quæ ubique terrarum eo tempore geſta ſunt; Cæli fores non prius habent recluſas, quam poſt reſolutum in cinerem corpus, juxta illud Eccleſiaſtici 12.7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui fecit illum*. In Collatione coram Pontifice, anno 1412. (a) accuſantur Judæi, quaſi ad pedes vel ad caput defuncti incenderent cereos, ne animæ ad corpora ventitantes errare in tenebris cogantur. Conſtat utique obtinere nunc pariter apud illos, ut poſt delatum ad cœmeterium cadaver, ad feralem ejus lectum incendant lampadem, nunquam extinguendam ſpatio ſeptem dierum (b); id tamen à ſe factum demonſtrandæ animabus viæ nequaquam conveniunt.

Animarum immortalitas ſanctum eſt apud Judæos, æquè & apud Chriſtianos dogma. Veteres Patriarchæ in ea perſuaſione immortui ſunt, quod inſinuat Moyſes illis Geneſ. 2.7. de Adamo, Deum ſcilicet inſpiraſſe *in faciem ejus ſpiraculum vitæ; creaſſe hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*. Gen. 1. 26. Cùm pariter Deus ſtatuiſſet immittere diluvii aquas perdendis hominibus: *Non permanebit*, ait, *ſpiritus meus in homine, quia caro eſt*. Hac immortalitatis & alteriùs vitæ ſpe inducti Patriarchæ, factis ſibi à Deo promiſſionibus fidem addiderunt ſuam. Quid enim pro merito tot egregiè factorum recepit Abraham in hac vita, cùm advena & peregrinus vixerit in terra, ne palmam quidem de promiſſa ſibi regione poſſidens? Cùm vir ille Sanctus obiit: *Congregatus eſt*, ait Geneſ. 25. 8. *ad populum ſuum*; non equidem in eodem cum illis tumulo jacuit, ſcitum eſt enim originem duxiſſe illum è Chaldæa, ubi proinde patres ejus ſepulturæ mandatos conſtat; cùm ille in ſepulchrum à ſe emptum in Chanaanitide fuerit illatus. Convenit igitur Patres ſuos in alteram vitam. Paria philoſophari licet de Aarone & Moyſe, *qui juncti ſunt populis ſuis* dum morerentur; i. e. patres ſuos convenerunt in locum, ubi ſimul omnes opperirentur redemptionem & adventum Meſſiæ.

Cùm Balaam Ariolus idem ſibi poſtremum fatum adprecatur, quod Juſtos vel Iſraelitas manebat (c), quid aliud rogat, niſi ut ex hac vita migret ſicut illi plenus ſpe beatitudinis & reſurrectionis? De reliquo enim communis erat eademque mors Hebræorum & Paganorum. Sumus enim æquè omnes morti tributarii.

Aliud peremptorium argumentum demonſtrandæ perſuaſioni Iſraelitarum de animæ immortalitate, ea ſuppeditat apud illos vulgaris perſuaſio, defunctorum ſcilicet animas identidem poſt deceſſum per viſum apparere. Samuel ſpectandum ſe præbuit Pythoniſſæ 1.Reg. 28. 13. &c.; Jeremias Judæ Macchabæo. 2. Macch. 15. 14. Gradientem Jeſum ſuper mare ſpectantes Apoſtoli phantaſma reputarunt; Matth. 14. 26. & cùm poſt reſurrectionem videndum illis ſe præbuit: *Videte*, inquit, *& palpate, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet*. Luc. 24. 37. Ad hæc, dogmate ſanctam tenebant futuram reſurrectionem, impiorum ſupplicia, alteram vitam, ſinum Abrahami locum juſtis continendis deſtinatum; hiſtorias habebant ſcientes evocatorum ad vitam hominum exempla, uti de Elia & Eliſeo, paria exhibentibus prodigia, ſat conſtat. Vetuerat Moyſes, Deut. 28.18. conſuli mortuos. Quid apertius pro demonſtranda immortalitatis animarum perſuaſione?

Si immortalitatem hanc negarunt Saducæi; ſi redigi ad nihilum animas docuerunt RR. Maimonides, & Kimchi, perinde ac hæretici & novatores à gentilibus etiam ſuis reputati ſunt. Opinionem ea in re ſuam expreſſerunt apud Eccleſiaſtem. 3. 18. quidam: *Unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio; ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur; & nihil habet homo jumento amplius*. Sed impios illos nihil moramur, utpote à bonis omnibus Iſraelitis damnatos, reprobatos pariter à Salomone illis Eccleſ. 12. 7. *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

De *metempſychoſi* ſuo loco agemus; ſicut & ſuo de *Purgatorio*; ac tandem v. *Vita futura* ſermo erit de pœnis & præmiis alterius vitæ. De animarum poſt obitum ſtatu legas Diſſertationem Ludovici Capelli, & noſtram de natura & ſtatu animæ poſt mortem juxta opinionem veterum Hebræorum in Collectione Diſſertationum Lucæ fol. tom. 2. pag. 308.)

ANIMALIA. Duplex erat apud Hebræos animalium ordo; alia nimirum impura, à quibus abſtinere jubebantur; alia pura, quorum uſus permittebatur, & in cibo, & in ſacrificio. Porrò ſacrificio adhiberi conſueverunt primò vaccæ, tauri, & vituli; boves arcebantur (d), utpotè mutili, & imperfecti; quare dum in Sacra Scriptura de oblatione boum fit mentio, hac voce non boves, ſed Tauri intelligendi ſunt. Quin & animalium mutilationem nec permiſſam, nec uſu receptam fuiſſe apud Iſraelitas mihi perſuaſum eſt (e). Secundò offerebantur capra, hircus, & hædus. Tertiò ovis, aries, & agnus. Vervex non ſecùs ac bos arcebatur; quare ſi de illo ſermo occurrat in S. Scriptura, de ariete, vel de agno verba illa intelligenda ſunt. Hæc tamen de ſacrificiis holocauſti, & pro peccato dicta ſint; namque in ſacrificiis pacificorum, & iis, quæ pia privatorum ſtudia offerebant, fœminæ etiam illorum animalium, dummodò puræ, & ſinè defectu, permittebantur. Levit. 3. 1.

In uſum cibi non ea tantum, quæ Sacrificiis deſtinata erant, ſed alia plura ex animantibus, & domeſticis, & feris permittebantur, uti cervus, caprea, omniaque bifida, atque ruminantia. Quibus verò ungula eſt conſtans, ac pes bifidus, nec ruminant, inter impura, & cibo interdicta, accenſebantur (f). Adeps omnium victimarum Iſraelitis vetebatur Levit. 3. 17.; ſicut & ſanguis cujuſcumque generis animalium, quacumque occaſione Levit. 7. 26., indicta etiam pœna mortis in tranſgreſſores Levit. 7. 27. A nervo coxendicis poſterioris omnium Animalium abſtinebant, Jacob Patriarchæ cauſa, cujus cum Angelo luctantis nervus laxatus eſt Gen. 32. 25. Tandem nefas habebatur carnes deguſtare illius animalis puri, quod contacta alterius impuri, & carnivori, veluti canis, lupi, apri &c. violatum eſſet (g). Eadem erat & de morticinis diſciplina, quæ ſi quis contigiſſet (h), continuò impurus uſque ad veſperam habebatur, nec niſi in veſperis poſt lotionem veſtium in aliorum conſortium admittebatur.

Piſces ſinè ſquammis, & alis tamquam impuri rejiciebantur. Levit. 11. 10.

Aves quatuor pedibus gradientes, veluti veſpertilio, & omnes muſcæ, quæ pluribus pedibus utuntur, impuræ habitæ ſunt Levit. 11. 20; exceptis tamen locuſtis, quæ breviores habentes pedes in anterioribus, longiores in poſterioribus, per ſaltus procedere potiùs, quam gradiendo videntur. Hiſce animantibus in cibum uti non prohibebantur Hebræi Levit. 11. 21.; neque hodie uſque abſtinent Palæſtini Matth. 3. 4.

(Animalia pura & impura. Pura vocant Hebræi, quorum eſt eſus communis; impura verò, quorum in lege cibus eſt vetitus. Diſſidium eſt maximum inter Scriptores, ad legalem hanc puritatem, impuritatemque quod attinet. Obtinuiſſe id pariter ante diluvium ideo volunt nonnulli, quòd Deus injunxerit Noe, Geneſ. 7. 2. ut introduceret in Arcam ſeptem paria animalium purorum, ex impuris autem bina. Diſcrimen hoc ſymbolicum prorſus reputant quidam (i), expreſſum enim illo credunt tantummodò quidquid Hebræis reprobandum in moribus, quidquid tenendum juxta naturam & dotes animalium, quorum interdictus, & quorum permiſſus uſus. Sus e. g. typus eſt gulæ, lepus impudicitiæ, mitis eſt ovis, ſimplex columba, & ſic de cæteris; dum ergo à ſue abſtinendum edicit Moyſes, id vetat, ne cibo potuque ad exceſſum ingurgitemur. Fuſiùs hæc ſymbolica deducit S. Barnabas in ſua Epiſtola.

Ma-

(a) Salomon. Ben. Virge Scebet Juda pag. 292. (b) Leo Modena Cærem. Judæor. part. 5. cap. 9. (c) Num. 23. 10.
(d) Levit. 22. 18. 16. (e) Levit. 22. 24. (f) Vid. Levit. cap. 11. 2. &c. (g) Exod. 22. 31. Levit. 5. 2. & 11. 39. & 17. 15 & 22. 8.
(h) Levit. 11. 39. 40. (i) Auguſt. lib. 6. contra Fauſt. cap. 7. Iren. lib. 5. Origen. in Levit. Hom. 7. Cyrill. Lib. 7. in Levit.

Malunt alii Deum amovendos cenſuiſſe Hebræos à cultu animalium (a), in cibum illis deſtinando quæ plerumque conſecrabantur in Ægypto; horrorem autem inſinuando in alia quædam divinis pariter honoribus Ægyptiis culta. Abſtinuiſſent utique à colendis animalibus, quæ adhibebant in cibum; abhorruiſſent vehementiùs ab iis, quorum ne cibus quidem permiſſus. Aſſuefaciendos temperantiæ, à voracitate amovendos reputat Tertullianus contra Marcion. l. 2. c. 18. cenſuiſſe Deum, ut à pluribus ſeſe interdicerent præſcribentem.

Alii tandem quamplures in vetitis Lege animalibus noxias ſeipſis qualitates agnoſcunt, vel ſaltem vulgari opinione noxia ipſa reputata credunt. Vetuit Moyſes ne adhiberentur in cibum ex animalibus, avibus, piſcibus, quæ valetudini adverſari cenſebantur, belluæ, pernicioſa quæque, venenoſa, ſive re ipſa, ſive talia vulgò reputata. Videtur etiam Deus ſegregare intendiſſe Hebræos à cæteris per orbem gentibus, veluti ſanctam gentem, obſequiis ſuis peculiariùs addictam; eoque conſilio interdixiſſe illis uſum animalium quorundam, quæ cenſerentur impura, quò exteriori hoc puritatis cultu interior alius & perfectior deſignaretur. Docet id non obſcurè Levit. 20. 24. &c. *Ego Dominus Deus veſter, qui ſeparavi vos à cæteris populis; ſeparate ergo & vos jumentum mundum ab immundo; ne polluatis animas veſtras in pecore & avibus, & cunctis quæ moventur in terra, quæ vobis oſtendi eſſe polluta. Eritis mihi ſancti, quia Sanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos à cæteris populis, ut eſſetis mei.*

Subjicimus hic cenſum immundorum, quorum expreſſa ſunt apud Moyſem nomina.

Quadrupeda.
(Camelus.
(Hericius.
(Lepus.
(Sus.

Aves
(Aquila.
(Gryphus, ſeu potiùs *avis oſſifraga.*
(Haliætus.
(Milvus.
(Vulturis quodcumque genus.
(Corvi itidem.
(Struthio.
(Hibus.
(Fulica.
(Accipiter.
(Bubo.
(Mergus.
(Ibis.
(Cycnus.
(Erodius. *Butor.*
(Porphyrio, ſeu facilè Vultur.
(Erodius.
(Charadrion.
(Upupa.
(Veſpertilio.

Quadrupeda
(Muſtella.
(Mus.
(Crocodilus.
(Chamæleo.
(Stellio.
(Vulpes.
(Talpa.

Sed animadvertiſſe juvat, minùs exploratam eſſe nobis Hebraicorum nominum, quibus pleraque ex animantibus hiſce deſignantur, ſignificationem. In hoc catalogo ducendo Vulgatam ſequuti ſumus. Conſulendum in eam rem ingens Opus Samuelis Bocharti de animalibus Sacræ Scripturæ, & Commentatores in cap. 11. Levit. nec non Epiſtola S. Barnabæ: Conſulendum inſuper Dictionarium ad ſingula animalium ejuſmodi nomina.)

ANISUM, herba notiſſima, ſuaveolentibus granulis. Jeſus Chriſtus in Evangelio Math. 23. 23. exprobrat Phariſæis, quòd aniſi, cymini, & menthæ decimas religioſè perſolverent; juſtitiæ verò, miſericordiæ, fidei opera, quibus religionis ſpecimen exhibetur, negligerent (b).

I. ANNA, uxor Elcanæ viri ex Tribu Levi, incolæ Ramath, ſivè Ramathaim in Tribu Ephraim, 1. Reg. 1. 2. Cum Elcana unà cum geminis Uxoribus Anna, & Phenenna Silum petiiſſet, Deum adoraturus, altera ex Fœminis Phenenna filios ſuos comites itineris adjunxit; Anna verò natis carebat. Ut ad Urbem pervenerunt, Elcana, poſt oblatum Domino Sacrificium, convivium coram Domino cum tota familia celebravit; in quo hoſtiæ partem ſingulis convivis diſtributurus, Phenennæ tantum dedit, quantum ipſi filiiſque ſatis eſſet; Annæ verò utpote quæ ſine filiis eſſet, unicam tantummodò portionem miniſtravit. Ea re quantùm dolor alterius, tantum alterius arrogantia recrudùit, quæ ſterilitatem alteri, quaſi Dei vindicis pœnam objiciebat. Annam cibum propterea faſtidientem intuitus Elcana, conſolari conatus eſt, ſeſe decem filiorum loco exhibens. His verbis tandem impetravit, ut cibum deguſtaret: mox tamen à menſa in Tabernaculum ſola convolans, Deum intimo cordis affectu, ut ſibi Filium largiretur, exoravit; voto inſuper ſeſe obſtringens eumdem Filium Deo in perpetuum oblaturam, capite ipſius nunquam detonſo.

Cum orationem diutiùs produceret, Heli Summus Sacerdos temulentam ratus, verbis corripuit; ſed illa teſtata nihil ſe deguſtaſſe, quo mentis impos efficeretur, mœrorem ſuum in cauſa fuiſſe dixit, cur animam ſuam coram Domino effunderet. Quibus auditis, Heli pacem, & votorum complementum precatus, illam dimiſit: Anna ad Virum lætior reverſa, exindè cibo ſe refecit, omnemque nubem doloris de cætero diſcuſſit; quippè non diù poſt filium peperit, quem poſtea Samuelem, quod à Deo illum petiiſſet, appellavit. Ortus eſt Samuel an. M. 2849. ante Ch. 1151. ante Ær. 1155.

Anna primò poſt ablactatum Filium, unà cum illo Tabernaculum adivit; ubi poſt factam Domino oblationem trium vitulorum, totidem menſurarum ſimilæ, & utris vini, Samuelem in manus Heli remiſſum, ſervitiis Templi in perpetuum addixit: voti ſui cauſa & hiſtoria Sacerdoti expoſita. Sub hæc, actis utrinque Domino gratiis, Anna Canticum ad eam rem adornavit 1. Reg. 2. in quo miſericordiam, & omnipotentiam Dei pluribus effert. De Anna nihil ultra memoriæ proditum eſt: Samuelem pluribus benedictionibus à Deo auctum fuiſſe alibi obſervabimus.

II. ANNA, Uxor Tobiæ ſenioris, viri ex Tribu Nephtali, qui à Salmanaſar Rege Aſſyriorum in Urbem Ninive captivus adductus eſt. Tob. 1. 1. Tobia luminibus orbato, nec non facultatibus expoliato, Anna textrinam exercens, Tob. 2. 19. familiam tolerabat. Cum ea occaſione hædum in pretium operis receptum, domum retuliſſet, Tobias balatum illius audiens, admonuit ne caveretur, ne furtivus eſſet. Quibus verbis Anna commotior facta: Manifeſtè, ait, vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modò apparent. Ità Tobiæ patientia malorum additamento tentata eſt.

Poſt aliquod tempus Tobias extremum vitæ ſuæ adeſſe ratus, filium Tobiam juniorem accerſivit, eumque admonuit, ut Matri juge obſequium præſtaret, maternæ in ſe curæ, & ſollicitudinis memor: illius verò cadaver, poſtquam vita ceſſiſſet, eadem cum conjuge ſepultura tumulandum curaret. Diutiùs tamen expectatione vitam produxit Tobias, & diutiorem Tobia Anna (c), quam tandem vita functam Tobias filius, iterum à Patre morti proximo de ea re admonitus, in eodem tumulo cum Patre terræ mandavit. Obiit Tobias circa An. M. 3363. antè Chr. 637. antè Ær. 641. Anna verò poſt illud tempus quidem, ſed ante an. 3378. quo Ninive capta eſt, cum Tobias junior à Patre præmonitus, inde antea receſſiſſet.

H　　　　III. AN-

(a) Theodoret. quæſt. 1. in Levit.　(b) Vide Levit. 27. 30. & Deut. 12. 17. & 14. 23.　(c) Tob. 14. 12.

Digitized by Google

III. ANNA, filia Raguel, Senioris Tobiæ contribulis & conſobrina, ad Urbem Medorum Rages, unà cum illo in captivitatem adducta. Filiam habuit Saram Uxorem Tobiæ Junioris (a), de qua in ſuo articulo.

IV. ANNA, filia Phanuel, Propheciſſa vidua, ex Tribu Aſer, de qua S. Lucas 2. 36. 37. Viro quem adhuc Puella duxerat, poſt ſeptem annos orbata, totam ſe deindè Deo devovit. In Templo enim jugiter verſans jejuniis macerata, in oratione noctes dieſque continuabat. Cum B. Virgo, Filium oblatura, Templum ingreſſa eſſet, Anna octuagenaria eodem temporis articulo ſuperveniens, quo Simeon divino æſtro abreptus Canticum gratiarum Domino concinebat, in Dei laudes effuſa, expectantibus redemptionem Iſrael de Meſſia loquuta eſt. De hac Fœmina hactenùs Evangelium. Hujus Feſtum conſignatur in Martyrologio Romano ad diem 1. Septembris; in Martyrologio à Caniſio vulgato, ad 28. Auguſti; in Ughelliano & Mæneis Græcis, illius memoria unà cum S. Simeonis Senis, die 3. Februarii celebratur.

V. ANNA, mater SS. Virginis, & Uxor S. Joachim: ambo hæc nomina in Scripturis canonicis Novi Teſtamenti nunquam occurrunt. Leguntur vero in vetuſtiſſimis Scriptis, quæ, licet authoritatem non obtineant, maximè in Eccleſia Occidentali, venerationem tamen merentur. Eadem apud Patres recenſentur, nec non tota pro hiſce nominibus eſt Eccleſiæ traditio, quæ Joachim & Annæ publicos honores conceſſit; quamquam non ea omnia adoptaverit, quæ Scriptores quidam meliori zelo quàm fide, de illorum geſtis commenti fuerant. Plura de hiſce SS. Conjugibus ex Orientalibus ad nos venere; apud quos traditiones quædam hiſtoricæ, Occidentalibus incognitæ, ſedulo aſſervantur.

Protevangelio adſcripto S. Jacobo c. 1. legimus, Joachim die ſolemni oblationem in Templo offerre paranti, Judæum nomine Ruben, obſtitiſſe, quod homini poſteritate in Iſrael carenti jus oblationis non eſſet. Joachim rubore ſuffuſus, in deſertum aufugit, ibique jejuniis, & orationibus intentus, ſolidos 40. dies noctesque tranſegit. Interim Anna ejus Uxor abſentiam viri, ſimulque ſterilitatem ſuam coram Domino domi deflebat. Cum Solemnitas quædam adeſſet, nec interim à fletu quieſceret, Judith illius famula lacrymas illius diei religione reprehendit; ſimulque adhortata eſt, ut convenientem feſto, atque regio ſuo generi mitram aſſumeret. Ei verò renuenti Judith ſubiraſcens, ſterilitatem exprobravit. His auditis, Anna, luctu depoſito, nuptialibus veſtibus induta eſt.

Circà horam nonam hortum ſuum ingreſſa, Dominum precibus exorabat, ut ſterilitatis opprobrium à ſe removeret, & cum inter orandum oculos attollens, in lauro capite imminenti avium nidum cum pullis vidiſſet, eo aſpectu lacrymas intendens, & preces, orabat, ne ſibi Deus denegaret, quod brutis, & terræ conceſſiſſet.

Adhuc oranti Angelus cœleſtis occurrit, de futuræ prolis partu lætum nuncium afferens, eamque inclytam in Mundo futuram prædixit; quo ab Anna audito, in laudes Dei præ gaudio effuſa eſt, atque quidquid pareret in obſequium Templi per totam vitam ſe dedicaturam promiſit. Sub hæc duo Angeli ſupervenientes nunciarunt, Deum precibus Joachim annuiſſe, eumque cum ſuis ovibus quantocyùs rediturum. Regreſſus eſt igitur è montibus Joachim, quem Anna venientem excepit. Poſt modicum Fœmina concepit, & certo tempore Mariam edidit, quam lacte ſuo Mater aluit. Poſt ſex menſes puella ſola ſinè duce gradiebatur, & poſt annum cum ablactationis cæremonias celebraret, Sacerdotes lauto convivio excepit, eiſque Mater Infantulam obtulit. Cum tres ætatis annos in Patris domo exegiſſet, à Parentibus in Templo præſentata eſt, ut ibi educaretur, ac Domino obſequeretur. Hactenus Protevangelium.

Mahometus in Alcorano (b) eandem hiſtoriam recitat, quanquam Annam Joachim cum Anna Amran, & Mariam filiam Joachim cum Maria filia Amran, & Jocabed, ſorore Moyſis confundat. Hujuſcemodi errores paſſim occurrunt apud Scriptores Arabes. Igitur Mahometus tradit, Annam divinitùs previdiſſe fœtum, quem in utero habebat, eumque ſtatim Domino devoviſſe; quod & ſuo tempore implevit. Siquidem puellam Zachariæ Sacerdoti educandam tradidit. Accidit autem ut quoties Anna ad Sanctuarium veniret, filiam videret mediam inter dapes appoſitas; ſciſcitanti undè hæ proveniſſent, reſpondebat Maria à Deo eſſe, qui pro libito iſta diſpenſat. Scriptores Mahometani Prophetam ſuum ab anachroniſmo vindicare conantur; verùm ſi quis vacuo præjudiciis animo ipſius ſcripta legerit, nullam illis ſubeſſe excuſandi rationem intelliget.

Sunt qui crediderint, Annam matrem Virginis Mariæ primò Joachim duxiſſe, ex quo filiam habuit Mariam Matrem Salvatoris; poſtea cum Cleopha matrimonio conjunctam, Mariam Cleophæ, Jacobi Minoris, Joſephi Juſti, Simonis Zelotis, & Taddæi matrem genuiſſe; è tertiis denique cum Salome nuptiis, Mariam Uxorem Zebedæi, & S. Jacobi Minoris, & S. Jo. Evangeliſtæ matrem procreaſſe. Huic genealogiæ probandæ carmina quædam laudantur (c), quæ tamen, ſicut & Scriptores ejuſdem opinionis aſſertores, tantæ authoritatis non ſunt, ut Eruditorum fidem extorqueant. En carmina.

Anna tribus nupſit, Joachim, Cleophæ, Salomeque.
Ex quibus ipſa viris peperit tres Anna Marias:
Quas duxere Joſeph, Alphæus, Zebedæuſque.
Prima Jeſum: Jacobum, Joſeph, cum Simone Judam
Altera dat: Jacobum dat tertia, datque Joannem.

Porro Mariæ illæ, quæ in Evangelio (d) ſorores B. Virginis dicuntur, ſive ipſius cognatæ, ſive filiæ Annæ, & Joachim, poſt Mariam Virginem natæ videntur. Quo tempore uterque conjux obierit, quove loco ſepulchrum habuerint, certo definiri non poteſt, quanquam tumuli quidam Joachim & Annæ Itinerantibus oſtendi conſueverint. Feſtum S. Annæ apud Latinos ad diem 26. Julii conſignatur: ejus Conceptionem recolunt Græci, die 9. Decembris: Deſponſationem cum S. Joachim die 9. Septembris.

(Mahometus in Alcorano (e) & Arabes cæteri traditiones plurimas de Joakim, Anna & Maria utriuſque filia ſervarunt. Annam natam ferunt ex Nachor, & uxorem *Amram*. Quibus ſanè verbis inſinuatum videtur, eam fuiſſe Mahometi perſuaſionem, nimirum *Amram* filium Caath, & Levi ex filio nepotem, patrem Moyſis, Aaronis & Mariæ unum eundemque fuiſſe virum cum Amram conjuge S. Annæ & patre B. Mariæ; confudiſſe proinde in unam, Mariam Virginem cum Maria ſorore Moyſis; ex quo ansa data eſt virum hunc reprehendendi, tanquam præpoſterè duas mulieres confundentem inter ſe diſſitas ultra 600. annorum intervallum. Nec ſanè tanta erat Mahometi ſcientia, ut abſurdo huic anachroniſmo impar haberi potuiſſet.

Conantur nihilo ſeciùs Interpretes Alcorani Mahometum excuſare, dicentes Amram virum Annæ & patrem B. Mariæ ſe ipſa quidem è familia Aaronis & Moyſis ortum fuiſſe; quod quidem veri ſpeciem habere quandam videri poteſt ex illis Lucæ 1. 5. ubi aſſeritur Eliſabeth eſſe *ex filiabus Aaron*. Addunt *Amram* patrem B. Mariæ natum fuiſſe ex *Mathan*; ita ut quem virum ipſi Amram dicunt, hunc ipſum nos Joachim virum S. Annæ appellemus.

Addunt, Annam Maria fœtam, fructum ſuum nuncupato voto Domino addixiſſe, ignorantem num puerum gereret in utero, num puellam, Deum verò gratiſſimè excepiſſe fœminæ votum; Annam tandem enixam fœtum, cui à Deo inditum nomen Maria. Statim Anna fidem exſolvens ſuam puellam obtulit Sacerdoti Zachariæ qui eam clauſit in cella quadam Templi niſi per appoſitas ſcalas adeunda, & cujus portarum claves quotidie ad Sacerdotem referebantur. Ventitabat ſubinde vir pius ad Virginem, & nunquam illam conveniebat, quin ſimul

(a) Tob. 7. 2.3. &c. (b) Alcoran. Sura 3. Vide notas Marracii in hunc locum. (c) Vide apud Joan. Gerſon. Cancellar. t. 3. (d) Joan. 19. 25. Matth. 13. 56. Marc. 6. 3. (e) Surath III. Vide in hunc locum notas Marracii.

ſimul appoſitos ſpectaret intempeſtivos, exquiſitiſſimoſque Terræ ſanctæ fructus; interrogavit igitur ſtudioſè puellam, unde hæc tam exquiſita? Tum illa: Quæcunque vides omnia, habeo ex Dei munere ſufficientis quibus maximè voluerit omnium rerum largitatem.)

VI. ANNA, ſivè *Anno*, aut *Thecemina* Uxor Jeroboam I. Regis Iſrael, quæ in Latino, & Hebræo deſideratur, atque in Græco tantum occurrit. Quæ ad illam ſpectant, in articulo Abiæ filii Jeroboam I. deſcribuntur. Græcus tertii Regum (a) habet, Pharaonem Regem Ægypti, matrimonio copulaſſe cum Jeroboam, qui ad ipſum in Ægyptum confugerat, Theceminem Uxoris ſuæ ſororem.

ANNAS, ſivè Ananus, ſummus Judæorum Sacerdos. Vide Ananus.

ANNIUS RUFUS, Judææ præfectus eſt poſt Ambivium; atque Valerium Gratum ſucceſſorem habuit (b). Miſſus fuit ab Auguſto in provinciam An. M. 4016. revocatus verò à Tiberio an. 4018.

(ANNULI. Annulorum vetuſtas apud prophanos æquè ac ſacros Scriptores aſſerta eſt. Annulum ſuum contulit Judas Thamar; Geneſ. 38. 18. annulum è ſuo digito Joſephi dexteræ inſeruit Pharao, ſimul illum Ægypto univerſæ præficiens; Geneſ. 41. 42. Iſraelitæ de relata in Madianitas victoria manubia obtulerunt Domino, annulos, armillas & aureos torques; Num. 31. 50. Nec digitis tantùm, ſed & naribus atque auribus inſertos ferebant annulos fœminæ apud Iſraelitas. Divitem æquè & ampliſſimum dignitate virum diſtinguit S. Jacobus ex annulo aureo, quem geſtat in digito (c). Reduci filio prodigo jubet paterfamilias proferri novam veſtem, & annulum aureum; Lucæ 15. 22. Extrema omnia minitans Deus in Jechoniam, id ſe commiſſurum dicit, ut quanquam annulus eſſet in dextera manu ſua, inde tamen illum evelleret. Jerem. 22. 24.

Obſignandis rebus uſui erat potiſſimùm annulus; ſolet autem Scriptura in manibus Regum plerumque & virorum ampliſſimorum conſtituere, ut Joſephi, Achab, Jezabelis, 3. Reg. 21. 8. Regis Aſſueri, Eſther 3. 10. &c. Amani ejus familiaris, Mardochæi in locum amoti Aman ſubſtituti, Regis Darii. Dan. 6. 17. Edicta & Principum illorum diplomata eorum annulis obſignabantur, ex quibus fides illis omnis aſſerta & obſequium.

Supremæ authoritatis inſigne annuli habebantur. Pharao, uti jam obſervatum eſt, authoritatem in populum ſuum contulit Joſepho, inſerto ejus digitis annulo. Cùm Alexander Magnus annulo ſuo donaſſet Perdiccam, argumentum inde deſumptum eſt, in ſucceſſorem illum Regni deſtinari (d). Antiochus Epiphanes, ſupremum fatum jam ſubiturus, manibus Philippi familiaris ſui commendavit diadema regale, pallium & annulum, quò illa omnia remitteret Antiocho filio ſuo ac Regni ſucceſſori. Auguſtus morbo, uti rebatur, extremo laborans, annulo ſuo donavit Agrippam, ut inter amicos æquiſſimum (e).

Sunt etiam magici quidam annuli, de quibus mira venditant; ſunt enim à morbis præcavendis præſentiſſimi; ſunt inſuper rebus quibuſdam proſperis parandis aptiſſimi. Orientales e. g. mira jactant de annulis, quos ferunt, Salomonia (f), ex quibus admirabili quodam lumine mens Salomonis illuſtrata eſt, ut inter ſapientiſſimos & feliciſſimos felix & ſapiens haberetur. Narrant Regem illum, cùm ſemel annulum poſuiſſet, dum balnea ſubiret, furto ſublatum ab inferna quadam furia, projectumque in mare doluiſſe. Abſtinuit ſe tunc Salomon ab aſcendendo throno ſpatio 40. dierum, ratus imparem ſe futurum rebus dirigendis, ope ſibi tam neceſſaria deſtitutum. Tandem apprehenſus piſcis, voratum à ſe annulum Regi exhibuit.

Annuli, vel *inaures* in Palæſtina, & Africa familiariſſimi, non immeritò reputarentur ſuperſtitioſum prætuliſſe aliquod & Taliſmanicum, quibus mira & ſupra naturam vis aſſeritur. Jacob è Meſopotamia in Chananæam regreſſus familiaribus ſuis indixit; Gen. 35. 4. *Abjicite Deos alienos, & inaures, quæ ſunt in manibus veſtris &c.* Ex quo non obſcurè inſinuatum, Deos illos alienos magicas eſſe quaſdam figuras cælatas in annulis, & inauribus; ſive juxtà Scriptores nonnullos, inaures & annulos inſertos fuiſſe manibus, & auribus externorum ejuſmodi Numinum. Acriter invehit S. Auguſtinus in Gen. 9. 101. *in phylacteria hæc falſorum Numinum*, quæ Africani ſuſpenſa ferebant è ſummis auribus, celebrabantque tanquam miris dotibus præſtantia: *Execranda ſuperſtitio ligaturarum* (g), *in quibus etiam inaures virorum in ſummis ex una parte auriculis ſuſpenſæ deputantur non ad placendum hominibus, ſed ad ſerviendum Dæmonibus adhibentur.*)

ANNUNCIATIO, Feſtum, quo Eccleſia Chriſtiana Dei Filium humana carne in utero Virginis indutum quotannis recolit. Hujus rei primum nuncium Angelus Gabriel ad Zachariam detulit Luc. 1. 325. futurum monens ut filium Meſſiæ Prophetam, ac Præcurſorem procrearet. Poſt ſex menſes idem Angelus in Urbem Nazareth miſſus, Virginem Mariam ex familia David, Tribus Juda, convenit, quam ſalvere juſſam, præ cæteris mulieribus benedictam, ac gratia, Deoque plenam appellavit. Luc. 1. 26. Cum illa inopinata ſalutatione commoveretur, ab Angelo primùm confirmata, deindè certior facta eſt, Filium edituram, qui Filius Altiſſimi nuncuparetur, cui nomen *Jeſu* imponeret. Hunc verò ſolio David Patris ſui conſeſſurum, in æternum regnaturum prædixit.

Tunc Maria, qua ratione hæc eſſent eventura, ſciſcitata eſt, ſiquidem cum Viris nihil habuerat commercii. Angelus verò, ſola, ait, divina Virtute fœta concipies; *ideoque, & quod naſcetur ex te, Sanctum vocabitur Filius Dei.* Additque in ejuſdem virtutis Divinæ exemplum, Eliſabeth ejus cognatam, quæ grandæva ætate fœtum jam indè à ſex menſibus geſtaret. Ad hæc Maria nihil cunctata, totam ſe Dei voluntati commiſit, eoque temporis articulo Filium Dei concepit, quadraginta ſæculorum expectationem impletura, atque toti generi humano lumen, & ſalutem allatura.

Solemnitatem hujus myſterii celebrat Eccleſia die 25. Martii, qua die conceptionem Filii Dei contigiſſe ex veteri traditione, S. Auguſtini ætate ſervabat Eccleſia (h). Nec tantùm Latini, & Græci circa hanc diem conveniunt, ſed etiam Syri, Chaldæi, & Cophtæ (i) non diſcrepant. Hæc opinio ex altera derivata videtur, quòd Jeſus Chriſtus die 25. Decembris in lucem prodiiſſe credatur; ſolent enim infantes poſt novem menſes à conceptione lucem aſpicere. Quo loco B. Virgo ab Angelo ſalutata fuit, Templum excitatum eſt, de quo agemus in articulo *Nazareth*.

ANNUS. Anni Hebræorum ſemper duodecim menſibus conſtiterunt; ab initio, & Moyſis ævo ſolares erant, atque 30. dierum pro ſingulis menſibus; duodecimus verò 35. dies complectebatur. Ex ſupputatione dierum diluvii (k), quos Moyſes enumerat, intelligimus, annum hunc Hebræorum diebus 365. compleri. Cum initium anni 30. diebus exorbitaret, tunc menſem intercalarem adjici conſueviſſe nonnulli autumarunt (l). Eorum tamen confeſſione nullum occurrit in S. Scriptura ſive decimi tertii menſis, ſivè intercalationis veſtigium. Veroſimilius creditur, Moyſes anni digerendi rationem ab Ægyptiis accepiſſe, apud quos ortum, educationem, inſtitutionemque ſuſcepit, & populus, cujus ipſe ductor erat, huic ſupputationi diù aſſueverat. Ægyptios vero jam indè à pluribus annis duodecim tantùm menſes anno, ſingulisque menſibus triginta dies aſſignaſſe oſtendimus in Diſſertatione de Chronologia, Commentariis in Geneſim præfixa.

Poſt Alexandrum Magnum, & Regnum Græcorum in Aſia, Judæi in uſus ſacros, & ob Feſtorum ordinem lunares menſes obſervare cœperunt. *Luna*, ait Author Eccleſiaſtici 43. 6. *oſtenſio temporis, & ſignum*

(a) 3. Reg. 14. 1. 2. 3. &c. in Græc. Edit. Roman. (b) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 13.
(c) Jacob. 2. 2. *Vir aureum annulum habens*. (d) Curt. lib. 10. c. 5. (e) Xiphilinu. in Aug.
(f) Bibl. Orient. tit. Solimanus pag. 819. (g) Aug. Epiſt. ad Poſſid. 73. (h) Aug. l. 4. de Trinit. c. 5.
(i) Vide Bolland. 25. Martii. (k) Geneſ. 7. (l) Vide Scalig. de Emendatione Temporum l. 3.

ævi. A luna ſignum diei feſti. Menſis ſecundum nomen ejus (lunæ ſcilicet). S. Joannes in Apocalypſi (a) dies omnes trium annorum cum dimidio ſupputat 1260. ex qua ſumma, 360. dies ſinguli annis reſpondent. Maimonides tradit Judæorum annos ſolares eſſe, menſes vero lunares; quod etiam de annis Græcorum obſervavit Geminus (b): *Univerſi Græci annos juxta ſolem, Menſes verò, & dies juxta lunam agebant*. Verùm poſt confectum Thalmud, Hebræi lunares tantùm annos in uſu habere cœperunt, ſingulis menſibus alternatim 29., & 30. dies aſſignantes: ſingulis autem triennii unum menſem intercalarem adjiciunt, ut annorum periodus cum ſolis curſu conſtet; hunc menſem, quod poſt Adar reponant, *Ve-Adar*, ſivè ſecundum Adar appellant.

Annus civilis Hebræorum ab autumno exordiebatur, Menſe *Tisri*, qui noſtro Septembri reſpondet, & aliquando etiam Octobrem attingit, juxta legem lunationum. Annus ſacer feſtis, cœtibus, aliiſque actibus Religioſis deſtinatus, cum Vere incipiebat, Menſe *Niſan*, Martio reſpondente, ac interdum aliquam Aprilis partem pro varietate Lunationis occupante. Menſes hodierni Judæorum hunc habent ordinem.

I. *Tisri*, menſis plenus, triginta dierum, cum Septembri coincidens.

II. *Marſchevan*, menſis cavus, 29. dierum, Octobri reſpondens.

III. *Caslen*, plenus, 30. dierum, in Novembrem incidens.

IV. *Thebet*, cavus, 29. dierum, Decembri reſpondens.

V. *Sebat*, plenus, 30. dierum, cum Januario conveniens.

VI. *Adar*, cavus, 29. dierum, Februario reſpondens.

VII. *Niſan*, plenus, 30. dierum, primus anni ſacri, Martio reſpondens.

VIII. *Jiar*, cavus, 29. dierum, Aprili reſpondens.

IX. *Sivan*, plenus, 30. dierum, Majo reſpondens.

X. *Thammuz*, cavus, 29. dierum, Junio reſpondens.

XI. *Ab*, plenus, 30. dierum, Julio reſpondens.

XII. *Elul*, cavus, 29. dierum, Auguſto reſpondens.

Vide v. Menſis, & in fronte hujus Dictionarii Calendarium Hebræorum.

Ultra hoſce duos annos, civilem nempè, & ſacrum, totidem etiam annorum genera apud Hebræos occurrunt. Primus eſt annus Sabbaticus, ſingulis revolutis ſeptenniis recurrens (c), toto verò eo anno terra inculta negligebatur, Quicquid interim ſponte protuliſſet, primi erat occupantis; fructus arborum, & vinearum in uſus pauperum, viduarum, orphanorum, & advenarum cedebant; quidquid tandem terra eo tempore protuliſſet omnibus permiſſum erat. Menſem Septembris initium, & finem hujus anni ſtatuebant; quare extrà ejuſdem temporis fines, & fructus ſexti anni colligi, & arva pro anno octavo commodè ſeri poterant, ne duobus ſuccedentibus annis, meſſibus carere cogerentur. Hebræorum mancipia de legis præſcripto Exod. 21. 2. 3. eo anno in libertatem aſſerebantur, niſi illa juri ſuo anteà ſponte renunciaſſent, atque perforatis cum Judice auribus, publico ſolemnique documento ſeſe in perpetuam ſervitutem, vel ſaltem uſque ad annum Jubilæi devoviſſent (d).

Secundus erat annus Jubilæi (e), poſt evolutas ſeptem hebdomades annorum, ſivè ſingulis 49. annis recurrens. Nihil à Sabbatico differebat, quod ad terræ culturam, fructuum communitatem, atque Hebræorum mancipiorum libertatem attinet. Quamquam eo tempore etiam illi manumitterentur, qui annis Sabbaticis juri libertatis renunciaverant. Bona inſuper, & hæreditates, vel venditione, vel pignore diſtractæ, ad antiquum Dominum exinde regrediebantur.

Legis hujus indicendæ non una ratio ſuppetebat. Primò ex multiplici Sabbatorum commemoratione, Sabbati nempè poſt hebdomadam evolutam, Sabbati poſt hebdomadam annorum, ac tandem Sabbati poſt ſeptem hebdomadas annorum, Creationis Mundi beneficium altiùs menti inſidebat, II. fortunarum, & conditionis æqualitas inter Hebræos, quantùm fieri poterat, conſervabatur, cum mancipia ad libertatem, bona ad veteres Dominos regrederentur. III. jus Dei ſuper Iſraelitas, eorumque res, magis magiſque ex eo commendabatur, quòd ſeptimo quocumque anno de ejus mandato terra, animalia, & mancipia in quiete relinquerentur.

(Nihil voce *Annus* magis ambiguum apud Veteres. Annus olim, & nunc quoque, origo eſt fœcunda diſputationum, ſive diuturnitatem ejus, ſive exordium, & finem conſideres. Tenent nonnulli ab exordio Mundi adusque annum Henoch 360. ſeptimanas ſingulas in annum computatas; ab Angelo Uriele primò edoctum Henoch, quæ ratio eſſet menſium, quæ anni, quæ aſtrorum, & quæ tandem anni temporum circumvolutio. Apud gentes quaſdam obtinuit olim, ut annus menſe definiretur; apud alias crevit ad quatuor menſes, apud alias ad ſex, ad decem, ad duodecim. Singulos noſtros annos in duos redegerunt alii, ut fieret ea hyeme annus unus, ea æſtate alter. Anni exordium ſæpè conſtitutum in autumno, ſæpè vere, ſæpè in medio hyemis. Fuerunt quibus placerent menſes ſublunares, & quibus etiam ſolares. De exordio dierum pariter diſſidium. Fuerunt, quibus inirentur cum veſpere; quibus etiam mane primo; aliis ducta dies à meridie, aliis à medio noctis. Inæquales horæ tam hyemales, quàm æſtivæ apud aliquos, ut dies duodecim horis, & nox totidem conſtaret; æquas horas alii prætulerunt. Qui inæquales volebant, æſtivas horas habebant longiores per diem, breviores per noctem; hyemales viciſſim, breviores diurnas, nocturnas prolixiores. Vide infra v. *Hora*.

Olim apud Ægyptios annus menſem æquabat (f); tum auctus ad bimeſtrem; tandem ad duodecim menſes (g). A Rege Piſone primùm certam periodum duodecim menſium & quinque dierum anno aſſignatam ferunt. Sed hæc nonniſi vetuſtiſſima ætate obtinuiſſe ideo reputanda ſunt, quòd Moyſes in Ægypto inſtitutus, educatuſque, non alium niſi duodecim menſium annum tenuit. Inibat apud Ægyptios à cane ſydere exorto (h), vel ab exordio autumni (i); variatum enim ab illis meritò reputaretur, ſicut & variatum conſtat in menſibus, quorum initium modò in veſperis, modò primo mane conſtitutum.

Veteris anni Chaldaici ratio ideò latet, quòd vetus eorum hiſtoria ignoratur (k). Mira olim de antiquitate ſua venditabant, jactitantes habere ſe deductas obſervationes aſtronomicas 473000. annorum juxta Diodorum Siculum l. 2. pag. 83. vel 470000. juxta Ciceronem lib. 2. de Divinat. vel tantum 720000. juxta Epigenem apud Plinium l. 7. c. 56. (l). Calliſthenes, Babylone verſans, & indagandæ ſtudioſus veritatis, ſcripſit ad Ariſtotelem apud Simplic. de Cœlo l. 3., ſupputaſſe ſe non ultra 1903. annos, è quibus aſcendendo deveniretur uſque ad tempus conſtructæ Babyloniæ; ferunt autem dies ſuos duxiſſe ab exortu ſolis, quem inter Numina habebant potiſſimum.

Græcis olim ab exordio annorum ratio erat incerta; gentibus enim pluribus annus deputabatur in ſingulos quatuor menſes (m). Arcadibus primùm unico menſe abſolvebatur, tum adcrevit ad trimeſtre. In Caria & Acarnania interdum unico menſe minimus; interdum etiam ſex menſibus longior. Sed Homeri ætate ad 12. menſes definitus videtur. Vetus annus Athenienſium dimetiebatur 360. dies (n); tum addidit quinque; inibat ad æquinoctium vernum; ducti dies à veſpere in veſperam; diviſus annus in quatuor tempora, ver, æſtatem, autumnum, hyemem. Quas nos appel-

(a) Apoc. 11. 2. 3. & 12. 6. 14. & 13. 5. (b) Gemin. Iſagog. c. 6. (c) Levit. 25. 2. &c. Exod. 10. 23.
(d) Ita Rabb. Grot. Fag. Druſ. Tirin. Vat. (e) Levit. 25. 8. 9. &c. (f) Cenſor. l. 7. c. 48. (g) Cenſor. de die natal.
(h) Porphyr. de Nymphæ antro. (i) Plutarch. de Iſide.
(k) Vide noſtram Diſſert. de Chronolog. Geneſi præfixam.
(l) Impreſſa non habent niſi 720. ſed contextus corrigendum demonſtrat 720000.
(m) Cenſorin. de die Natal. (n) Plin. lib. 34. cap. 6.

Digitized by Google

appellamus horas, Veteres Homero ſuppares non agnoſcebant; ſunt enim apud Vatem illum horæ, quæ apud nos anni tempora (a). Diem in horas dimetiendi rationem è Babylonis didicerunt Anaximenes, & Anaximander (b).

Apud Latinos, vel Italiæ populos annus olim ab exordio tam incertus, quam apud alias gentes ſupra deductas. Romuli (c) & Albanorum annus æquabat decem menſes, complectebaturque 300. dies; initio enim ducto à Martio claudebatur Decembri; Januarium & Februarium adjeciſſe primùm Rex Tarquinios fertur (d). Initium ejus, quod ſpectat ad civilia, repetebatur ex Januario, quod tùm primùm ſol ad nos regreditur (e); anni ſacri exordium componebatur cum Martio.

Apud Lavinios periodus anni intra 13. menſes vel 374. dies abſolvebatur; apud Umbros 14. menſibus par. Apud Albanos Martio aſſignati 36. dies, Majo 12. Auguſto 28. Septembri 16. apud Tuſculanos Julius dimetiebatur 36. dies, & 32. Octobre, qui apud Aricos æquabat dies 39. Hebdomadarum ratio apud Orientales nota, nulla erat apud Romanos atque Italos cæteros; ſed intra tria ſpatia dies ſingulorum menſium definitæ. Kalendæ inibant eum menſe. Menſibus Martio, Majo, Julio, Octobri ſex priores dies attinebant ad nonas, cùm in aliis nonæ illæ, quatuor tantum complecterentur. Poſt nonas 8. dies tantùm Idibus aſſignatæ; quidquid poſt idus ſupereſſet ſupputabatur habita ratione ad ſubſequentium Calendarum diſtantiam. Videſis noſtram Diſſertationem in Chronologiam Commentario Geneſeos præfixam.

Apud Hebræos ratio per hebdomadas ſupputandi, in memoriam creati intra ſeptem dies mundi, nunquam non obtinuit. Habebant ſeptem annorum ſeptimanas, quas claudebat annus Sabbaticus; ſeptimanas item è ſeptem ſeptimanis annorum, referentes annum Jubilæi; ſeptimanas tandem è ſeptem diebus coaleſcentes.

Dies apud illos à veſpere ad veſperam tam in ſacro quàm in civili; Levit. 23. 32. nullum enim inter dies feſtos & communes diſcrimen Moyſes conſtituit. Inibant autem Feſta intra duas veſperas, Exodi 29. 14. i.e. eo ſpatio quod inter declinantem ſolem & occidentem mediat. Ex quo Judæi Græcorum tum & Romanorum ſubierunt jugum, eorum mores, ad civilia quod attinet, adoptare coacti ſunt, inito die ſive à media nocte, ſive à ſummo mane, diviſoque in duodecim horas inæquales, totidemque nocti aſſignatis. Ejus uſum non obſcurè ſpectes expreſſum Matth. 20. 3. 4. & Joan. 11. 9.

ANNUS SABBATICUS. Ejus obſervantiam indixerat Deus, Levit. 25. 2. 3. 4. tum ad perennandam producti univerſi memoriam, cùm ad agnoſcandum ſupremum Dei imperium, quà in res creatas omnes, quà potiſſimùm in regionem Chanaan; munus ab ipſo datum Hebræis, impoſito tamen mandato, ut ſingulis Sabbaticis annis agrorum ſuorum fructus permitterent egenis & alienigenis, quid vectigalis genus erat quoddam Deo pendendum. Volebat inſuper ingerere addicto ſibi populo humanitatis ſenſus, injungens, ut mancipiis, egenis, alienigenis & brutis etiam permitterent agrorum ſuorum, vinearum & hortorum proventus.

Quo anni tempore Sabbaticus iſte annus iniret, diù multumque diſputatum eſt. Repetunt nonnulli à primo menſe anni ſancti, ſeu Niſan, vere primo; alii à prima civilis anni, i. e. à Tizri cum noſtro Septembri fermè componendo. Nihil ea in re ſatis exactè apud Moyſem, injungentem tantùm ceſſari eo anno à colenda terra, & à colligendis meſſibus. Semina in Palæſtina committebantur terræ autumno, ſive frumentum ſive hordeum ſereretur; meſſis hordeacea inibat à Paſchate, frumenti à Pentecoſte. Quare ut Legis ſpiritus, & requies anni Sabbatici teneretur, nec ager integro biennio maneret incultus, opus utique fuerat, annum illum ab autumno inire, poſt meſſes omnes collectas; nullus agri cultus in autumno, nullæ meſſes hyeme; ſed autumno ſuccedenti iterum ad cultum, vere autem ac æſtate iterum reditum ad meſſem.

Æs alienum Sabbatico anno remittebatur, Exod. 21. 2. manumiſſi pariter ſervi Exod. 21. 2. At enim æs illud remiſſum ne prorſùs, vel ſuſpenſa ſolutio? Extinctum prorſus credunt nonnulli (f). Locupletum cautio illa, de qua Deut. 15. 9. difficiles ſe præbentium mutui quidquam dando fratribus ſuis, cùm propior eſſet annus Sabbaticus, argumento eſt, poſt initum annum illum æs alienum penitùs remitti; minùs enim cunctarentur, ſi anno Sabbatico ſuſpenſa tantùm, non remiſſa haberetur ſolutio. Cùm enim hic non agatur de feneratitia pecunia, quam conferre fratribus ſuis Lege habebant vetitum Hebræi; ſed de re tantùm mutuò tradita, integrum utique fuiſſet conferenti pecuniam illam, rem ſuam exigere ſive ante, ſive poſt evolutum annum Sabbaticum; ſiquidem æs alienum anni illius privilegio ſuſpenderetur tantùm, non remitteretur (g).

Diſtinguunt alii inter debita, quæ hypothecaria haberent ſatiſdandia, ſeu quorum inſtrumentis clauſula adjecta debiti perpetui, & inter communia nulla hypotheca munita ſeu mero tantùm contrahendi inſtrumento rata. Poſtrema hæc anno Sabbatico extincta; ſuperiora non item. Autumat pariter Menochius remiſſum prorſùs ſolutumque jus creditorum, non autem res ſuas commodato ſeu depoſiti loco aliis tradentium. Valebat hæc autem pro Hebræis genuinis ſeu ad Judaica ſacra tranſgreſſis, de alienigenis nihil ſancitum.

Quæſtio inſuper, an debita illa remitterentur, an manumitterentur ſervi, ineunte vel deſinente anno Sabbatico. Hebræus ad literam Deut. 15. 1. *Deſinente ſeptimo anno facies remiſſionem*; unde perſuaſio nonnullis, privilegium illud nonniſi anno Sabbatico deſinente cœpiſſe. Sed pleriſque cum exordio anni componere viſum eſt; prono enim & naturali ſenſu exponitur Textus originalis de exitu ſeptem annorum, quos excipiebat, evolutoſque claudebat annus Sabbaticus.

ANNUS GRÆCORUM, ſivè *Æra Seleucidarum*, quam epocham ſequuntur Scriptores Librorum Machabæorum. Conſignatur ad an. M. 3692. ante Chr. 308. ante Ær. 312. Primus Liber Machabæorum eos annos à Vere, ſecundus verò ab autumno, an. M 3692. juxta morem Syrorum, Arabum, & Edeſſenorum, ſupputant.

ANOB, filius Cos, è Tribu Juda. 1. Par. 4. 8.

ANTARADUS, Urbs Syriæ, ſeu Phœniciæ, in continenti poſita contra inſulam Aradi, & civitatem ejuſdem nominis in eadem Inſula. Antaradi non meminit S. Scriptura, ſed pluries *Aradi*, ſeu Aradiorum, qui inter Chananæos numerantur, quorum regionem Deus Hebræis deſtinaverat (h): modò Antaradus *Tortoſa* nuncupatur, amplo Portu celebris. Vetus ſepulchrum viginti cubitorum, ibidem ſupereſt.

ANTICHRISTUS. Nomen nequiſſimi illius viri, ſecundum Chriſti adventum præceſſuri, in quem, juxtà phraſim Scripturæ, & Patrum, omnes, quæ unquam fuerint, abominationis, crudelitatis, impietatis ſordes colliminabunt. Quidquid in Prophetis occurrit de Antiocho Epiphane, de Gog, & Magog, de Paſtore inſenſato, de quo Zacharias, & de homine perditionis, & filio peccati, de quo S. Paulus; (quod hiſtorico ſenſu multi de Nerone dictum credunt) Antichriſto tribuitur. Porrò Nabuchodonoſor, Antiochus Epiphanes, Cajus, Nero, totidem Antichriſti Præcurſores haberi meritò debent (i). Ex iis Antichriſtis complures ſua ætate jam extitiſſe teſtatur S. Joannes: *filioli*, ait, *noviſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit: & nunc Antichriſti multi facti ſunt, undè ſcimus, quia noviſſima hora eſt.*

(a) Cenſorin. cap. 19. (b) Laert. ex Favorin.
(c) Ovid. Faſt. (d) Junius apud Cenſorin.
(e) Ovid. *Principium capiunt Phœbus & annus idem*.
(f) Hebr. Druſ. Eſt. Alii.
(g) Cajetanus. Burgen. Piſcat. in Deut. 15. Baſnag. Antiqu. Jud. t. 1. pag. 20.
(h) Geneſ. 10. 18., 1. Par. 1. 16. (i) Hieron. in Dan. 11. 24.

eſt. 1. Joan. 2. 18. Hi Antichriſti, de quibus loquitur, Perſecutores erant, & Hæretici.

Verus autem Antichriſtus, ante Univerſale Judicium venturus, quæ in aliis ipſius veluti præcurſoribus, & figuris diviſa erat iniquitas, hanc in ſe colliget. Hujus quidem characteres ita exhibet S. Scriptura: *De cornu illo*, ait Daniel 7. 20. 21. *quod habebat oculos, & os loquens grandia, & majus erat cæteris. Aſpiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum adverſus Sanctos, & prævalebat eis, donec venit Antiquus dierum, & judicium dedit Sanctis Excelſi, & tempus advenit, & regnum obtinuerunt Sancti.* Vir autem ille, qui per cornu repræſentabatur, Deum blaſphemiis impetere, ſanctos proculcare, ſuoque arbitrio tempora, & leges immutandas eſſe jactitare debuerat, ut Propheta per viſionem intellexit; ſed tandem à Supremo Judice ipſius potentia deſtruenda, & in æternum fuerat exterminanda. Idem Propheta aliud modicum cornu maximis incrementis auctum in ipſum Cœlum inſurgere, ſtellas dejicere, & conculcare vidit: *Uſque ad Principem fortitudinis magnificatum eſt: & ab eo tulit juge Sacrificium, & dejecit locum Sanctificationis ejus. Robur autem datum eſt ei contra juge Sacrificium propter peccata, & proſternetur veritas, & faciet, & proſperabitur . . . dies duo millia trecenti.* Dan. 8. 9. Poſt tot infortunia: *multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper.*

Zacharias Meſſiæ adverſarium deſcribens 11. 16. 17. *Ecce*, ait, *ego ſuſcitabo Paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id quod ſtat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum diſſolvet. O Paſtor, & Idolum, derelinquens gregem! gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dextrum ejus, brachium ejus ariditate ſiccabitur, & oculus dexter ejus tenebreſcens obſcurabitur.* Is erit Antichriſtus; id regnum ipſius. Jeſus Chriſtus tempora ſecundum ſuum adventum præceſſura deſcribens, famem, bella, ac ſeditiones nonniſi initium imminentium dolorum futura prænunciavit. Matth. 24. 4. Tunc impii Juſtis dominabuntur, eoſque crudeli morte afficient; boni ſcandalizabuntur; in Loco Sancto abominatio deſolationis erit; tantaque ingruent mala, ut niſi dies illi ob electos minuerentur, nemo ſalutem conſequeretur. Falſi occurrent Chriſti, falſique Prophetæ, qui ſi fieri poterit, electos etiam falſis ſignis in errorem adducent. Poſt hæc filius hominis ſua Majeſtate circumfuſus apparebit.

S. Paulus II. ad Theſſalonicenſes 2. 3. &c. ait, *Niſi primum revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus: Nunc*, addit, *quid detineat, ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore. Nam Myſterium jam operatur iniquitatis. Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum; cujus eſt adventus ſecundùm operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt, eo quòd charitatem veritatis non receperunt.* In hac Antichriſti imagine ab Apoſtolo expreſſa, plures ex Antiquis Neronem deprehendiſſe ſibi viſi ſunt (a), ut crediderint Neronem eſſe, vel Antichriſtum, vel ipſius Præcurſorem, quem brevi Antichriſtus conſequeretur. Autumarunt alii Neronem in fine temporum è mortuis reſurrecturum, complendis iis, quæ de Antichriſto Scriptura narravit (b). Aſſerebant alii apud Auguſtinum l. 20. de Civ. c. 19. Neronem adhuc viventem ignoto in loco, immanitatemque ſuam in Dei famulos certa die exercendam reſervare.

S. Joannes de Antichriſto hæc habet, Apocal. 11. 7. *Beſtia, quæ aſcendit de Abyſſo, faciet adverſus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos* (Henoch nempe, & Eliam), *& corpora eorum jacebunt in plateis civitatis Magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt:* deſcribit ſubinde cap. 13. hanc Beſtiam, *habentem cornua decem, & ſuper cornua ejus decem diademata; & ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ. Draco* (hoc eſt Diabolus) *dedit illi virtutem ſuam, & poteſtatem magnam, quòd omnes adoraverunt Draconem, & Beſtiam, cui datum eſt os loquens magna, & blaſphemias, & poteſtas facere* (id eſt pugnare) *menſes 42. cum Sanctis, & vincere eos, & quòd adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram.* Subdit denique de hac Beſtia, Apoc. 13. 16. *faciet omnes puſillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & ſervos habere characterem in dextra manu ſua, in frontibus ſuis, & ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen Beſtiæ, aut numerum nominis ejus. Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.* Vulgò creditur hic numerus 666. juxta valorem numeri, literas nominis Antichriſti deſignare; etenim tam apud Hebræos, quàm Græcos, & Latinos Alphabeti literæ in numeris etiam adhibentur; e. g. I. latinè valet 1. V, 5. X, 10. L, 50. C, 100. D, 500. M, 1000. Græcè verò A, 1. I, 10. K, 20. V, 30. M, 40 &c. Arduum verò eſt inveſtigare, an nomen Beſtiæ Hebraicè, Syriacè, Græcè, an Latinè ſcribendum ſit; an Nomen illud Perſonæ ſit, an Dignitatis, an quod illi ab Aſſeclis delatum erit, ſivè quod pro merito criminum ſibi adſciſcet. Commentatores de ea re in varias abeunt conjecturas, nihil tamen certi afferunt; Numerus 666. occurrit in hiſce nominibus: *Ulpius* (*Trajanus*), *Diocles Auguſtus*, C. F. *Julianus Cæſar Athens*, ſeu C. F. *Julianus Cæſ. Aug.*, *Luther*, *Evanthas*, *Lateinus*, *Titan*, *Lampetis*, *Niketes*, *Kakos odegos*, nempè malus Dux, *Romanus*, *Abinu Kadeſcha Papa*, id eſt noſter S. Pater Papa. Demum *Elion Adonai*, *Jehovah*, *Kadoſch*, ſcilicet Altiſſimus Dominus Deus ſanctus. Porro ſi ſanctiſſima etiam nomina, & Antichriſto è regione oppoſita, hunc numerum reddunt, irrito prorſus conatu de inveſtigando Antichriſti nomine quis laboraret. Conſultum eſt ergò ſilentio rem totam præterire.

De tempore, quo Antichriſti adventus futurus eſt, nihilò ſumus certiores. Profectò ante finem temporum, atque ſecundum Chriſti adventum prodibit; at non ſinè temeritatis nota certum tempus præſcriberetur. Nebulones quidam tempore D. Pauli diem Domini imminere jactitantes, Fidelibus terrorem incutiebant; undè Apoſtolus ſcribit: 2 ad Theſſal. 2. 1. *Rogamus vos Fratres per adventum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & noſtræ Congregationis in ipſum, ut non citò moveamini in veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Ne quis vos ſeducat ullo modo: quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus &c.* S. Joannes in ſua prima Epiſtola cap. 4. 3. dicit, *omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum*; hoc eſt, qui Deum eſſe negat, *hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis quoniam venit, & nunc jam in Mundo eſt.* Quamvis autem illius ætatis Hæretici veram Antichriſti imaginem præ ſe tuliſſent; nihilominùs tunc temporis Chriſtiani de ſecundo Meſſiæ adventu ſoliciti fuiſſe videntur.

Veteres Patres in ſuis ſcriptis eamdem expectationem de ſecundo Chriſti adventu exhibent. Eccleſiæ Vienenſis, & Lugdunenſis in Galliis, eam, quam M. Aurelius in Fideles excitaverat perſecutionem, Antichriſti præludium fuiſſe crediderunt. (c) Antiquus Author, cognomento Judas Syrus, ſub Severo, Antichriſtum cito venturum pronunciavit (d), nam in dies perſecutio ingruebat. Tertullianus, qui ea vivebat ætate, in lib. de fuga in Perſec. c. 11. & S. Cyprianus ipſi ferè contemporaneus, in Epiſtola 56. ad Tibar. & Ep. 53. ad Fortun. de proximo Antichriſti adventu minimè ambigebant. Arianiſmo latè graſſante, S. Hilarius contra Auxent. l. 5. videre ſibi viſus eſt ſigna Antichriſti prænuncia. S. Baſilius M. Epiſt. 71. S. Ambroſius, l. 10. in Luc. c. 5. S. Hieronymus ad Ageruch. S. Martinus, apud Sulpit. dial. 2. S. Chryſoſtomus, hom. 33. in Joan. S. Gregorius M. l. 4. Ep. 34. non longè eſſe mundi

(a) Victorin. in Apoc., Ambroſiaſt. in 2. ad Theſſ. 2. Chryſ. ibid., & alii. (b) Hieron. in Dan. 11.
(c) Euſeb. lib. 5. hiſt. Eccl. c. 1. (d) Apud Euſeb. l. 6. c. 6.

mundi interitum, & Antichriſti adventum ſcripſere.

Poſt decimum ſæculum, quod juxta opinionem eorum, qui Chriſtum natum anno Mundi 5000. autumabant, finis fuit ſexti millenarii, decreſcere à timore de proximo fine mundi, juxtà veterum traditionem poſt ſextum millenarium futuro, animi paulatim reduci cœperunt. Quapropter Templa, & Ædificia grandiora erigere aggreſſi ſunt. Ne Mundi finis, & Antichriſti adventus, tam proximè inſtare crederentur, multum contulit tranſlatio Scripturæ per S. Hieronymum, in qua non niſi 4000. mundi Anni ante Chriſti adventum enumerantur. Quorumdam tamen ingenia minimè ea hinc deterrita ſunt, quin certum adventus Antichriſti tempus definirent. Concilium Florentinum anno 1105. Fluentium ejuſdem Urbis Epiſcopum condemnavit, quòd jam natum Antichriſtum diceret. Abbas Joachim ſæculo duodecimo, Antichriſtum poſt annum 60. venturum credidit. Arnaldus de Villanova ſtatuit venturum anno 1326., Petrus Duillæus 1789., Cardinalis Cuſanus 1730. Joannes Picus Mirandulanus 1994. Franciſcus Meletius 1540. Joannes Pariſienſis 1560. Hieronymus Cardanus 1800. S. Vincentius Ferrerius ſæculo decimoquinto ſcripſit ad Benedictum XIII. Antichriſtum in limine eſſe, cujus ortum jam inde à novem annis ipſe à pio quodam Heremita didicerat. Has ferè omnes prædictiones fallax ex eventu deprehendimus; cæteras verò non ſolidiori innixas fundamento non temere judicamus.

Unanimiter ſentiunt veteres, Antichriſtum ex ſtirpe Judæorum orturum (a), ejuſque parentes futuros ex Tribu Dan (b). In hoc ſenſu interpretantur illa Jeremiæ verba *cap* 8. 16. *A Dan auditus eſt fremitus equorum ejus, a voce hinnituum pugnatorum ejus commota eſt omnis terra, & venerunt, & devoraverunt terram, & plenitudinem ejus, Urbem & habitatores ejus.* Aretas, Beda, Primaſius, Rupertus, Haimon, aliique non pauci autumarunt S. Joannem Tribus Iſrael recenſendo Apoc. 7. 5., Tribum Dan omiſiſſe, quia ex illa Antichriſtus ortum ducere debuiſſet. Quamvis autem Judæi antiquam regni ſedem amiſerint, aſſerunt Patres illi à regione trans Euphratem Antichriſtum venturum, ubi decem Tribus, ac præcipuè Tribum Dan, adhuc ſubſiſtere autumabant. Huic opinioni adhæſere ferè omnes, qui poſt Sanctum Hieronymum ſcripſere, ejuſque ætate id in Eccleſia vulgatiſſimum habebatur.

De Antichriſti patre inter Scriptores non convenit. Dæmonem, ac perditiſſimam fœminam illius futuros parentes quidam opinati ſunt (c). S. Hieronymus (d) hæc de Antichriſto cenſuit: *Unus de hominibus, in quo Satanas habitaturus ſit corporaliter.* Porro, ait Hilarius Diaconus, ſicut Jeſus Chriſtus in aſſumpta humanitate Divinitatis ſuæ majeſtatem editis prodigiis oſtendit; ita Dæmon in Antichriſto, falſis ſignis Deum ſe eſſe demonſtrare conabitur (e). Quin, & Matrem habebit Virginem, non ſecùs ac Chriſtus, juxtà opinionem S. Hippolyti, quamquam Chriſtus veram, iſte verò phantaſticam carnem ſit ſuſcepturus. Præferenda tamen ſententia S. Jo: Chryſoſtomi (f), Theodoreti, Theophylacti, ac vulgò omnium, Antichriſtum nempe verum futurum hominem, qui Dæmoni, ut in Fideles omnis crudelitatis, ac malitiæ genus exerceat, omninò obſecundabit.

Docentes Antichriſti matrem omnium fœminarum libidinoſiſſimam futuram, ſeù ortum illum ex inceſtu Patris cum filia, vel filii cum matre, vel demùm ex matre voto, ac juramento virginitati obſtricta, ipſi ſibi conſtare non poſſunt. Si ex matre perditiſſima, & famæ jam proſtitutæ ortum ducturus eſt Antichriſtus, quomodo ſeſe Virgine ſatum jactabit? Quomodo ex Judæis parentibus generandus, ſi matrem religioſa profeſſione Deo mancipatam eſt habiturus, more apud Hebræos inuſitato? Sunt qui affirment, illam ſub ementita ſolitudine pietatis, ac puritatis ſpecie corruptiſſimos illos mores occultantem, filium illum divino miraculo de ſe genitum promulgaturam. At quis tam facilè dictis ejus fidem in re tam ardua præbeat? Ut Mariæ Virginitas poſt Salvatoris ortum perſuaderetur, utriuſque Teſtamenti authoritate, tot inſuper miraculis Jeſu Chriſti in Evangelio relatis, ſuſcienda fuit.

De illius Imperio modò diſſerendum eſt. Sicuti Babylone creditur oriturus, ita regnum in ea Urbe auſpicaturus (g), undequaque ad illum confluentibus Judæis (h), quibus proinde prima regni, & aulæ munera committet. Horum animos blanditiis, falſis ſignis, ac externa bonitatis, pietatis, & clementiæ ſpecie adeo capiet, ut tamquam vero Meſſiæ, ſeſe illi ſubmittant; Regnumque Iſrael in terra promiſſionis ab eo reſtituendum ipſis ſperantibus, ſtatim in Romanum Imperium, tunc temporis in decem regna diviſum, expeditionem ſuſcipiet, juxta Danielis verba 7. 7., quæ Antichriſti regno aptantur: *Beſtia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans: diſſimilis autem erat cæteris beſtiis, quas videram ante eam, & habebat cornua decem. Conſiderabam cornua; & ecce cornu aliud parvulum ortum eſt de medio eorum, & tria de cornibus primis evulſa ſunt à facie ejus.* Hæc Beſtia habens cornua decem juxtà Interpretes eſt Imperium Romanum. Cornu parvulum eſt Antichriſtus, & tria ſcorona à facie ejus evulſa, tres Reges ab eo profligandi. De illis alio in loco Daniel 11. 42. *Mittet manum ſuam in terras, & terra Ægypti non effugiet, & dominabitur theſaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti, per Lybiam quoque, & Æthiopiam tranſibit.* Horum trium regnorum caſus totius Romani Imperii ruinæ præludet, ut veteres opinati ſunt, quorum ſententiam retulimus.

Ægypto, Æthiopia, ac Libya ſubactis, arma contra Jeruſalem feret, quæ faciliimè reducta, ſedes erit Imperii. Gog deinde, & Magog arma contra illum inferentibus in medio Palæſtinæ ſuperatis (i), omnis regio ex ipſorum ſpoliis diteſcet. Poſt Orientis, ac occidentis Imperium ſubactum, in Chriſti regnum furorem convertet. *Extolletur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ità ut in Templo Dei ſedeat* (k). In Templo nempè Jeruſalem, quod iterum excitabit. Sunt qui ſcribant (l), in Chriſtianorum Templis ſeſſurum, ut à Fidei perduellibus adorationes excipiat.

Tunc Deus dabit ſpiritum ſuum *duobus teſtibus*, Henoc nempe, & Eliæ, *& prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis .... Cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo, faciet adverſum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum jacebunt in plateis Civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt. Et poſt dies tres, & dimidium, ſpiritus vitæ à Deo intravit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos, & audierunt vocem magnam de Cælo dicentem eis: Aſcendite huc; & aſcenderunt in Cælum in nube* Apoc. 11. 2. Quo temporis ſpatio Imperium penes Antichriſtum futurum ſit, Scriptura palam nunquam edicit; crebrò tamen ipſius perſecutioni trium annorum cum dimidio ſpatium aſſignat (m), vel ſaltem tantum temporis ſtatuit perſecutioni eorum, qui veluti figuræ Antichriſti reputantur.

In

(a) Pſeud Hippol. de conſum. mund. Ambroſiaſt. in 2. ad Theſſal. 2. Hiero. in Dan. 11.
(b) Pſeudo Hippol. loc. cit. item l. 5. adv. hære. c. 38 Ambroſ. l. de Bened. patr. c. 7. & in Pſal. 40. Aug. q. 12. in Joſ. Theodor. q. 109. in Geneſ. Gregor. M. l. 31. in Job. c. 18. Proſper. de Prom. p. 4. &c.
(c) Lact. l. 16. c. 17. Beda in Apoc. 13. Sulpit. Dialog. 2. Hier. in Iſ. 17
(d) In Dan. 7. Vide Bed. in Apoc 13. (e) Ambroſiaſt. in 2. ad Theſſal. 2.
(f) Chryſoſt. Theodor. Theophyl. in 2. ad Theſſal. 2. (g) Aret. Apoc. c. 9. Lact. lib 7. c. 17. Hieron. in Dan. 11.
(h) Cyrill. Hieroſ. catech. 15. Hieron. Theodor. Strab. & alii in Dan. 11. (i) Ezech. 38. & 39. (k) 2. ad Theſſal. 2. 4.
(l) Hieron. Ep. ad Algaſ. q. 11. Oecumen. in 2. ad Theſs. 2. (m) Dan. 7. 25. & cap. 12. 11. Apoc. 15. 2. &c.

In montem Oliveti Juſti ſeſe recipient; ſed ab eo arcta obſidione incluſi (a), ad Dominum clamabunt, quibus J. Chriſtus è Cœlo præſto occurret, comitantibus Angelis, ac inextinguibili flamma illum præeunte: Angelis verò juſtos adjuvantibus, tanta impii clade, à tertia hora diei, uſque ad veſperum afficientur, ut ipſorum ſanguis ad inſtar Torrentis in vallem provolvatur. Uſque ad montis verticem Antichriſtus aſcendet (b), ubi in proprio conopœo, proprioque Throno inſidens, nullo opem ferente occidetur; quod innuere videtur Daniel his verbis: *Figet tabernaculum ſuum Apadno inter duo maria ſuper montem inclytum, & ſanctum, & veniet uſque ad ſummitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei* Dan. 11. 45. Vide Malvendam *de Antichriſto*; & noſtram diſſertationem antè Epiſtolam ad Galatas.

(Alium Chriſtum, quemadmodum Judæi & Chriſtiani, ita etiam Muſulmani opperiuntur. Appellant illum *Daggial* vel *Deggial*, quod ad literam ſonat deceptorem, ſive impoſtorem; docentque à Mahometo edoctum è ſuis diſcipulis quemdam, Tamini-Al-Dari appellant, ea omnia noſſe, quæ ad Antichriſtum pertinent; eodemque referente intellexiſſe homines, venturum in exitu mundi Antichriſtum, & ad Chriſti imitationem aſino adequitantem ingreſſurum Hieroſolymam; ſed J. C. quem morte nondum extinctum credunt, ſecundo adventu pariturum ad ineundum cum illo prælium, quem poſt victum adverſarium reipſa interiturum (c); eodem Antichriſto in vivis agente proditurам belluam, à S. Joanne in Apocalypſi deſcriptam, ad bellum ſanctis indicendum. Sed tunc, inquiunt, Imam Mahadi, qui inter Muſulmannos occultus latet, publicè ſeſe revelans, & adjungens ſe Jeſu Chriſto arma cum illo feret in Daggial. Poſt hæc in unum populum, & religionem coaleſcent Chriſtiani ſimul & Muſulmani. Ita Impoſtores illi ſancta Religionis Chriſtianæ dogmata pervertunt, ſibique arrogant factas ab Apoſtolis Judæorum genti promiſſiones (d), futurum ſcilicet, ut in exitu mundi jungentes ſeſe Eccleſiæ, eum ſtatuant in aris, quem olim elevarunt in Crucem.)

ANTHEDON, urbs Palæſtinæ ad mediterraneum, viginti ſtadiis meridiem verſus à Gaza. In Agrippæ honorem (e) Agrippiadem Herodes Magnus appellavit. Vid. *Agrippias*.

ANTIGONUS SOCCHÆUS, Præceptor Sadok, à quo Saducæi. Docebat Antigonus Domino cultum abſque propriæ utilitatis ſpe exhibendum: *Domino, ſervorum more, mercedis gratia minimè ſerviendum: Liberale ſervitium, & cupiditate vacuum ſit oportet. Domini timor cordi ſemper tibi eſto.* Quæ Præceptor docuerat, Sadok, religionem adeò prodigam non ferens, in contrarium ſenſum detorſit. Nec pœnam etenim, nec præmium in altera vita expectandum, dixit, adeoque nec timoris, nec ſpei gratia, vel malum vitandum, ſivè virtuti ſtudendum. Hinc ortum duxiſſe Saducæos aſſerunt Judæi. Antigonus eam tradidit doctrinam, quam habuit à Summo Pontifice Simeone Juſto. Vixit Simeon ab an. M. 3702. uſque ad 3711. ante Chr. 209. ante Ær. 213.

ANTIGONUS, filius Joannis Hircani, Simonis Machabæi nepos. Illum imperii ſocium adſcivit Ariſtobulus (f) frater; quod ægrè ferentes invidi, & detractores, Antigonum fratri ſuſpectum reddere conati ſunt; quod fruſtra diù tentatum eſt, eorum calumnias ſurdis auribus Ariſtobulo excipiente, donec Antigonus è bello redux nobili comitatu, armiſque indutus, Templum intravit die Tabernaculorum, celeberrimo Judæorum Feſto. Tunc invidi Ariſtobulo ægrotanti Fratrem palam regnum expetere; ſtatimque ad illum occidendum venturum nunciarunt. Ariſtobulus fidem adhuc dubiam dictis præbens, ſibi tamen cavendum ratus, milites in loco ſubterraneo & obſcuro, per quem tranſeundum erat Antigono, poſuit; armatumque, cum veniret, vel tenerent, vel interficerent; inermem dimitterent, imperavit. Ariſtobulus igitur in Turri Antonia æger decumbens, Fratrem, ut ad ſe inermis veniret, oratum miſit. Quod Regis mandatum fraude Reginæ, & adverſariorum Antigoni, ità ad ipſum Antigonum delatum eſt, ac ſi Rex illum armis indutum, quæ ſplendidiſſima eſſe audiverat, ad ſe venire juſſiſſet. Itaque doli ignarus Antigonus, quibus inſtructus erat armis ad Regem venit; ſed antequam perveniret, ſub ipſa Turri Stratonis, inſurgentibus in illum militibus, occiſus eſt. Id evenit An. M. 3899. ante Chr. 101. ante Ær. 105.

Erat tunc Hieroſolymis Judas quidam prophetia celebris. Ille qua die occidendus erat Antigonus, dixit Diſcipulis, ſuiſmet vaticiniis ſeſe jam jam diffidere; quippe qui ſæpè prædixiſſet futurum, ut hac eadem die Antigonus in Turri Stratonis occideretur. Diem vero jam inclinare, & Antigonum 600. ſtadiis, ſeu 20. leucis à Turri Stratonis diſtare. Verùm non diù poſt de nece Antigoni in loco, qui Stratonis Turris appellabatur, nuncium allatum eſt, quod majorem fidem ipſius vaticiniis conciliavit.

ANTIGONUS, filius Ariſtobuli, Hircani, & Alexandræ fratris. Capta Jeruſalem Pompejus captivos habuit Ariſtobulum, ejuſque filios (g) Alexandrum, & Antigonum, quos Romam duxit, excepto Alexandro, qui in itinere fuga dilapſus eſt. Ariſtobulus etiam, & Antigonus poſt quinque, vel ſex annos ſe fugæ dedere; dum verò in Judæa ſe ſe iterum Regno reſtituere moliebantur, à Gabinio victi (h) iterum Romam mittuntur. Ariſtobulus Romæ commoratus, in Judæam Alexandrum, & Antigonum filios remiſit, aſſerens Gabinio, id matri ſe promiſiſſe.

Ut Judæam à Pompejo abduceret Cæſar, Ariſtobulum illuc cum filio Antigono miſit, infauſto tamen exitu, cum à Pompejanis Ariſtobulus veneno ſublatus ſit (i). Alexander ejus filius natu major, à Scipione Antiochiæ capite mulctatus eſt, & Antigonus ab Antipatro filiiſque expulſus, Cæſarem adiit, ac ſua ſ ipſum merita ob Patris, Fratriſque mortem pro ipſius amicitia toleratam expoſuit (k); at Cæſar Antipatrum prætulit Antigono. Sex elapſis annis, Antigonus copiis Ptolemæi filii Mennæi Avi ſui in Judæam irrupit; quem tamen Herodes Antipatri filius, vir adhuc privatæ authoritatis, non ſinè damno recedere coegit (l).

Sequenti anno Antigonus inito cum Parthis fœdere, ut 1000. argenti talenta ſolveret, & 500 feminas traderet, cum Pacoro Regis Parthorum filio Jeruſalem progreſſurus, Patruum Hircanum è Regno deturbare, & Herodem, ſuoſque interficere moliebatur. Poſt validam defenſionem Herodes, & Phaſaelus Frater ſeſe in Templum receperunt, ubi à Parthis, ac Judæis, qui ad Antigonum defecerant, obſeſſi ſe ſe tandem dedidere (m). Parthi promiſſis non ſtantes utroſque captivos detinuerunt: quare Phaſaelus violentas in ſe intulit manus: Hircano vero aures amputatæ ſunt, præcluſa illi ea ratione ad Summi Pontificatus dignitatem via, ut in Lege ſancitum eſt Levit. 21. 17. Ita Antigonus Judææ regnum, & Pontificis Dignitatem occupavit, recedentibus Parthis, Hircanum Pontificem captivum ducentibus.

Herodes, qui in Judæam ſeceſſerat, exindè Romam profectus eſt, Matre, Uxore, ac Joſepho Fratre in arce Maſſada relictis, ubi ab Antigono obſeſſi ſunt. Cum vero Herodes Antonii, & Cæſaris favore, Judææ Regis titulum obtinuiſſet, Antigono Reipublicæ hoſte per Senatum declarato (n), quantocyus in Judæam rediit; ac ope Ventidii, & Silonis hoſte à Maſſada

(a) Lactan. lib. 7. Div. Inſt., c. 17. & 19. (b) Hieron. in Dan. a. Theodor. Havm. Strab. ibid. (c) Biblioth. Orient. pag. 282. & 531. Mahabi. (d) Rom. 6. 24. & 21. 26. & 2. Cor. 3. 16. (e) Joſeph. Ant. lib. 13. cap. 21.
(f) Joſeph. Antiq. l. 13. cap. 18. 19. (g) Joſeph. Ant. l. 14. c. 11. de Bell. l. 1. c. 6. An. M. 3943. ante Chr. 57. ante Ær. 61.
(h) Joſeph. Ant. l. 14. c. 11. de Bello lib. 1. c. 6. An. M. 3948. ante Chr. 52. ante Ær. 56.
(i) Joſeph. Ant. l. 14. c. 13. de Bello l. 1. c. 7. Dio. l. 41. An. M. 3955. ante Ch. 45. ante Ær. 49.
(k) Joſeph. Antiq. lib. 14. cap. 15. de Bello lib. 1. cap. 8. An. M. 3957. (l) Joſeph. Antiq. l. 14. ca. 21. de Bello l. 1. c. 10.
(m) Antiq. l. 14. c. 24. 25. (n) Antiq. l. 14. c. 26. An. M. 3965.

Digitized by Google

ſada fugato, obſidione Jeruſalem vallavit. Eventus tamen ſpem fefellit. Silo enim ab Antigono corruptus, ſpecie deducendi milites in hiberna, obſidionem ſolvit, atque in quibuſdam ab Antigono conceſſis urbibus hibernavit Romanus exercitus. Poſt aliquod tempus Herodes ad M. Antonium Samoſatam obſidentem perrexit; qui poſt illud bellum abſolutum Soſio Syriæ, & Ciliciæ Præfecto imperavit, ut Herodi in Judæam redeunti, adverſus Antigonum ſuppetias ferret. Aucto igitur ità exercitu Antigonum adeò fregit, ut, niſi temporis inclementia obſtitiſſet, Jeruſalem capta, bello finem impoſuiſſet (a). Anno ſequenti una cum Soſii copiis Jeruſalem aggreſſus, poſt quinque menſes inferiori Urbe, ac exteriori Templi parte potitus eſt. Ea deinde vi in ſuperiorem Civitatis partem, ac Templum Herodes irrupit, ut tandem prima die anni period. Jul. 4677. (b) ſubegerit. Rebus deſperatis Antigonus è turri deſcendens, ad genua Soſii provolutus eſt, qui ipſius imbecillitati inſultans, *Antigonam* per contemptum nuncupavit, ac vinctum catenis arctiſſimæ cuſtodiæ tradidit. Omnibus deinde Hieroſolymæ compoſitis, Antiochiam ad M. Antonium proceſſit. Optabat hic ad majorem triumphi ornatum, Antigonum Romam ducere; at veritus Herodes, ne Senatus favore regno reſtitueretur, magna erogata pecuniæ ſumma, obtinuit ab Antonio, ut miſero Principi caput Antiochiæ obtruncaretur (c).

ANTILI-BANUS. Ita appellant Græci montium catenam ad Orientem Libani, & quæ unà cum Libano jugi montium contextu excurrit octoginta leucarum longitudine (d) à Septentrione, ad Meridiem, & à Meridie ad Septentrionem ad inſtar ferri, quod ungulis equorum ſupponitur. Horum Montium orientalis pars dicitur Antilibanus, & Occidentalis Libanus. Hæc ad Mediterraneum protenditur à Sidone uſque Aradum, ſive Simyram. In Hebræo Textu nulla eſt Antilibani mentio, ſed Libanus jugiter appellatur; & Libani Urbes Laodicea, & Hierapolis in nummis ibidem cuſis appellantur; quamquam ad Antilibanum potiùs pertinerent. Septuaginta verò crebrò pro Libano Antilibanum habent (e). Fertiliſſima eſt vallis Libanum, & Antilibanum interjacens, quæ ea parte, qua reſpicit Syriam, muro olim occludebatur, cujus nec ſupereſt veſtigium (f). Author eſt Strabo l. 16., nomine *Cœle-Syria* ſeù Syriæ cavæ hanc præcipuè vallem nuncupatam fuiſſe.

ANTILOGIA, ſeu contradictio. Quamplura in ſpeciem oppoſita habet Scriptura, quibus conciliandis Interpretes, & Commentatores occupantur. Sed Spiritus Sanctus, hujus libri auctor, certè ſibi ipſi cohæret. Sublimitas divinarum rerum, ac ſupernaturalium; peregrinum idioma; Hiſtoriæ morum Judæorum, & quamplurium veterum monumentorum jactura; Dei benignitas, qua ad humanum captum in ſuis attributis atque operibus manifeſtandis ſe ſe accomodavit, SS. Bibliorum intelligentiæ tenebras offundant, ut minùs perſpicua nobis veritas ſibi minùs conſtare videatur; *Cum in Voluminibus*, ait S. Auguſtinus de Præd. & Grat. c. 1., *Sacrarum literarum.... aliqua velut à veritate diverſum ſonante ſententia, vel movetur lector, vel ſollicitatur auditor, certa & inconcuſſa fide teneri debet, unius atque ejuſdem ſpiritus, & ejus, præter quem nihil eſt veritatis, apertiùs alibi, paulò obſcuriùs alibi ſonare myſteria.*

ANTIOCHIA; hujus nominis plures ſunt Urbes; in Scriptura non niſi de Antiochia Syriæ Metropoli, quæ, teſte S. Hieronymo in Ezech. 47., olim *Reblat* appellabatur, & de Antiochia Piſidiæ mentio occurrit. Libri Machabæorum, & Novum Teſtamentum Antiochiæ meminere. Reblat verò, ſeu Reblata in libro Numerorum 34. 2., in 4. Regum 23. 33., & in Jeremia 39. 5. legitur. Theodoretus loquitur de Urbe Reblar prope Emeſam Syriæ, quod S. Hieronymo non cohæret.

Quidquid ſit, hæc Urbs nomen Antiochiæ obtinuit poſt regnum Seleuci Nicanoris, qui eam ædificavit, atque nomen Patris Antiochi indidit. Syriæ reges poſt Alexandrum Magnum ſedem regni in ea poſuere. Jeſu Chriſti Diſcipuli Antiochiæ primò Chriſtiani nuncupati ſunt Act. 11. 26. Hujus olim celeberrimæ Urbis ſola ſuperſunt mœnia, & intra ea ignobiles domus, & ſuperbæ ruinæ. Oronte fluvio alluitur. Prima fuit ſedes D. Petri, ejuſque Antiſtites, Patriarchæ titulo inſigniti, plurimæ auctoritatis in Eccleſia Orientali olim fuerunt.

(ANTIOCHIA Syriæ Metropolis, quadrata fermè Urbs, oſtiis adeunda pluribus, qua parte ſeptemtrionem reſpicit alto inſidens monti; porticibus ſaxeis & amœniſſimis fontibus ornata. Ammianus Marcellinus l. 4. & 22. aſſerit, ubique terrarum inclytum fuiſſe Antiochiæ nomen, & nulli per orbem concedere, vel ſoli fertilitate, vel emporii divitiis. Privilegiis aucta fuit magnificis ab Imperatoribus Veſpaſiano, & Tito; ſed & caſibus ſubjecta etiam majoribus. Superbam etenim Urbem fermè dejecerunt terræ ſucceſſiones quarto, & quinto Eccleſiæ ſæculo (g). Juſtinianus Imperator reparandam curavit A. 529. appellavitque, teſte Evagrio, Theopolim, i. e. Urbem Dei. Choſroas Rex Perſidis ſubegit armis A. 548. trucidatiſque civibus Urbem vaſtavit incendio. Reparavit Juſtinianus A. 552. in melius, quà magnificentia, quà ſtructuræ œconomia. Recepit iterum Choſroas A. 574. Juſtino imperante, mœnibuſque expoliavit; ſed & adverſam fortunam graviorem experta eſt A. 588. cùm valida terræ agitatione concuſſa, ultra 60000. incolarum excidio deſolata eſt. Poſt hæc aliæ ſubindè & aliæ vices, modò enim reparata, tum everſa iterum. Sub jugum Saracenorum tranſiit A. 637. vel 638. Heraclio rerum potiente. Tum redacta in poteſtatem à Nicephoro Phoca A. 966. Refert Cedrenus validò 100000. Saracenorum exercitui ſtrenuè reſtitiſſe Urbem A. 970. acceſſu verò temporis cedere coactam & munitionibus ab illis vallatam fuiſſe planè arduis. Chriſtiani Cruce ſignati ſub Gotefrido Boullionio in expeditionem Terræ Sanctæ procedentes obſidione illam ſtrinxerunt A. 1097. Diù multùmque oppugnata, ac plurimi ſtetit aggreſſoribus quà ſanguinis quà laborum; nec unquam armis ceſſiſſet, niſi cives quidam ſecretò cùm oppugnatoribus conſpirantes tradidiſſent illis in manus die 3. Junii 1098. Nec tamen quieverunt Saraceni, ſæpè enim reducere tentarunt, donec reipſa ſub Ægypti Sultano die 29. Maji 1268. redegerunt in poteſtatem, captamque demoliti ſunt. Exinde de priſtina magnificentia & gloria penitus excidit, ſquallidam ſervitutem ſub Turcarum imperio deplorans.

Magnis Viris fœcunda Antiochia, ejuſque Eccleſia illuſtribus diu adminiſtrata Pontificibus claruit. Sed adverſæ fortunæ vices experta eſt plures; modò enim Hæreticorum violentias paſſa eſt, modò diris ſchiſmatibus proſciſſa.)

ANTIOCHIA *Piſidiæ*, de qua Act. 13. 14. Ibi Fidem promulgarunt S. Paulus, & S. Barnabas, nec ſine fructu Gentilium; ex quo ambo Apoſtoli ſeditionem Judæorum in ſe concitarunt, & ea Urbe diſcedere coacti ſunt. Modo *Verſangeli*, ſeù *Taboya*, ſeù *Sibi*, ſeù *Antochio* appellatur.

ANTIOCHIDES, ſeù ANTIOCHIS Concubina Antiochi Epiphanis, cui amaſius Urbium Tharſi, & Mallaris proventus conceſſit; quam indignitatem Cives ægrè ferentes, adversùs Antiochum rebellarunt; nec niſi vi reducti ſunt 2. Mach. 5. 30. Is erat mos Regum Perſarum (h), qui *Uxoribus attribuunt civitates hoc modo: Hæc civitas mulieri in redimi culum præbeat: hæc in collum: hæc in crines. Ità Populos habent univerſos non ſolum conſcios libidinis ſuæ, ſed etiam adminiſtros.*

I. ANTIOCHUS. Poſt Seleucum Nicanorem, primum

(a) An. M. 3966. ante Chr. 34 ante Ær. 38. Antiq. l. 14. cap. 27. (b) An. M. 3967. ante Chr. 33. ante Ær. 37.
(c) Antiq. lib. 14. cap. ult., & lib. 20. cap. 8. de Bel lib. 1. cap. 13. An M. 3967. ante J. C. 33. ante Ær. 37.
(d) Plin. l. 5. c. 20. Ptolem. Euſeb. Hieron. in Lib. & Antilib, Maundrel. in Itiner. Relan. Palæſt. l. 1. c. 48. &c.
(e) Deuter. 1. 17. &c 3. 25. c. 11. 24. Joſ. 1. 4. & c. p. 1. (f) Plin. l. 5. c. 20.
(g) A. 340. & 394. & 390. & 458. & 526. & 528. (h) Cic. in Verr. 5.

mum Syriæ regem poſt Alexandrum Magnum, & Antiochi Soteris Patrem, plures hujus nominis Reges in Syria fuere. Antiochus iſte Soter, hoc eſt Salvator, cognomento dictus eſt, quia Gallis viam in Aſiam præcluſit (a). Qua occaſione fortaſſe illud accidit, de quo in ſecundo Machabæorum libro 8. 20., nempe exercitum 8000. Judæorum, ac 4000. Macedonum impetum ingentis exercitus Galatarum in Babyloniam irrumpentium non ſuſtinuiſſe tantùm, ſed & ſtegiſſe, ut 20000. ex illis cæderentur. Cujus facinoris gratia, uti conjicimus, ab Antiocho Sotere Civium prærogativa in Gentilium urbibus Judæi donati, & ſuis Legibus vivere permiſſi (b) ſunt.

II. ANTIOCHUS II. cognomento *Deus*, Antiochi Soteris filius, & ſucceſſor, Syriæ rex tertius, qui nupſit Berenici filiæ Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti. Hujus rei impatiens Laodice prima ejus uxor, utrumque unà cum filio Regno deſtinato veneno ſuſtulit, regemque inaugurandum curavit Seleucum Callinicum, quem habuerat ex Antiocho. Huc ſpectat prophetia Danielis 11. 6.: *Poſt finem annorum fœderabuntur: Filiaque Regis Auſtri*, (hoc eſt Ægypti), *veniet ad regem Aquilonis*, (hoc eſt Syriæ) *facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinem brachii, nec ſtabit ſemen ejus: & tradetur ipſa, & qui adduxerunt eam, adoleſcentem ejus, & qui confortabant eam, in temporibus.*

III. ANTIOCHUS MAGNUS, in Græca, & Romana Hiſtoria pluribus bellis adversùs Ægyptum, & Romanos clarus. De his pauca, quæ pertinent ad Judæorum hiſtoriam recenſebimus. Filius fuit Seleuci Callinici, & frater Seleuci Fulminis, ſeù *Ceranni*, cui in regno ſucceſſit an. M. 3781. ante J. C. 219. Spe Ægypto potiundi Ptolemæo Philopatori bellum intulit, à quo juxta Raphiam victus (c), tamdiù deinceps quievit, quandiù Ptolemæus in vivis egit. Eo vero defunctu, iterum ſumptis armis, primo impetu Cœle-Syriam, Phœniciam, & Judæam (d) occupavit. Verùm, dum bello Attalum laceſſeret, interim Scopas Dux copiarum regis Ægypti in Judæam ingreſſus, abductas ab Antiocho urbes reduxit; ſed paulò poſt Antiochus iterum illas ſubegit (e).

Accidit tunc, quod de itinere hujus Principis à Joſepho narratur. Scopa victo prope Fontes Jordanis, Cœleſyria ac Samaria ſubactis (f), Judæos habuit ſponte ſibi obſequentes, qui in ſuis urbibus illum receperunt, annonam exercitui, & elephantis ſuppeditarunt. Antiochus Judæorum in ſe ſtudio captus 20000. argenteorum ad animalia pro ſacrificiis comparanda conceſſit, ad hæc 1460. farinæ, atque 375. ſalis menſuras; adjectis inſuper lignis, porticibus Domus Domini faciendis (g). Quin & Senatores, Sacerdotes, Scribas & Templi Cantores à tributis exemit, atque Judæis in tota ditione ſua propriis legibus vivendi liberam poteſtatem fecit. Damnis vero à bello illatis relevandis tertiam tributorum partem remiſit, cavitque, ne Gentiles ſinè purificatione Templum ingrederentur, & ſub pœna 3000. drachmarum carnes muli, aſini, & equi vendendas in civitatem inferri vetuit.

An. M. 3812. filiam Cleopatram Ptolemæo Epiphani Ægypti Regi conjugem dedit, eique in dotem Syriam, Phœniciam, & Judæam (h), ſibi tamen tributorum medietate reſervata deſtinavit. Tribus annis elapſis, à Romanis bello victus, quicquid obtinebat trans montem Taurum, victoribus ceſſit, obſidibus viginti datis, inter quos filius Antiochus, deinde Epiphanes dictus. Tributum inſuper illi impoſitum eſt à Romanis 12000. talentorum Eubœorum, pondo octoginta Romanarum librarum in ſingula, quæ cum ſolvendo impar eſſet, theſauros Templi Beli Elymaide ſubripere molitus eſt (i). Res tamen è ſententia non ſucceſſit; nam à populo, qui ejus animum ſubodoratus fuerat, unà cum exercitu interfectus eſt. Succeſſores reliquit filios Seleucum Philopatorem, & Antiochum Epiphanem, qui poſt fratrem regnavit.

IV. ANTIOCHUS EPIPHANES, Antiochi Magni filius, & Seleuci Philopatoris Syriæ Regis frater, cui jam à quartodecimo anno obſidi Romæ detento, ut regreſſum in Syriam procuraret, Seleucus filium Demetrium ſuffecit. Eo duce fortè Ægypto potiri meditabatur Seleucus, in quam Syriæ Regum vota jamdiù collimabant. Verum Seleucus, antequam Antiochus in Syriam perveniret, diem clauſit (k). Reducem igitur Antiochum populus, veluti Numen, excepit, liberandis illis à metu, quem de Ptolemæo Ægypti Rege bellum Syriæ minitante conceperant. Hinc cognomen Epiphanes, ac ſi diceretur *Deus manifeſto hominibus apparuit*. Ut regnum aſſequutus eſt Antiochus, nihil antiquius habuit (l), quam ut de Ægypto occupanda conſilium agitaret, quamvis illius Regem Ptolemæum Philometorem Cleopatræ ſororis ſuæ filium haberet. Miſſo igitur in Ægyptum Apollonio, ſpecie honorem deferendi Ptolemæo Philometori, tum primum Regnum capeſſenti, re tamen Optimatum animos tentavit, num Regis illius, ætate adhuc imbecillioris, tutelam ad ſe deferri paterentur (m). Sed cum à ſe alienos illos intellexiſſet, rem armis conficere decrevit. Hanc igitur expeditionem ſuſcepturus, Jeruſalem venit An. 3831. ubi ab Jaſone, cui ſupremi Pontificis dignitatem vendiderat, exceptus eſt. Aggredi deindè Ægyptum deliberans, poſtea mutato conſilio re infecta rediit.

Ea Judæorum ambitio, qua ſupremam dignitatem ab Antiocho ſibi pecuniis procurabant, ingentium malorum cauſa fuit, quibus ſub Epiphane oppreſſi ingemuere. Excluſo fratre Onia III. Jaſon eam dignitatem occupavit; mox ipſe viciſſim Menelao locum cedere coactus eſt. Hi Sacerdotio potiti, Syrorum gratiam inituri, Græcorum cæremonias, ludos, exercitationes, ſpreto Dei, & Templi cultu invexerunt. Interim bello inter Antiochum, & Philometorem inito, Philometor toto ferme Regno cedere coactus eſt (n). Altero anno dum Antiochus in Alexandriæ obſidione occuparetur, allatum de ejus obitu nuncium Judæi lætis auribus auſcultaſſe viſi ſunt; quare idem Antiochus ex Ægypto redux, Jeruſalem vi ingreſſus, obvios quoſcumque neci tradidit. Ea triduana clade 80000. cæſa, 40000. in ſervitutem adducta, totidemque ſub haſta vendita ſunt (o). Inſuper, duce Pſeudo-Pontifice Menelao, penetralia Templi ſcrutatus, pretioſiora vaſa 800. talentorum pretio abduxit.

An. 3835. Antiochus tertiò Ægyptum ingreſſus, totam ſubegit (p). Altero verò anno Apollonium cum exercitu in Judæam miſit (q), juſſitque, eos, quos adoleviſſe jam compériſſet, morti tradere, fœminas, & juvenes ſub haſta vendere; cujus mandatis Apollonius plus nimio paruit. Ea occaſione Judas Machabæus cum patre fratribuſque ſeſe in deſertum recepit (r). His malis brevi alia longè majora acceſſerunt. Antiochus enim Judæos nunquam ſe fideles habiturum ratus, quamdiu in avita Religione perſtitiſſet, edicto imperavit, ut cæterarum Gentium legibus ſeſe conformarent, atque à conſuetis in Templo Sacrificiis, à feſtis, & Sabbati obſervatione abſtinerent (ſ). Hiſce Regis juſſionibus ex Judæis non pauci paruerunt; nec pauci etiam reſtitere. Mattathias, ejuſque filii in montes ſe receperunt. Senex Eleazarus, ſeptemque fratres Machabæi Antiochiæ glorioſum martyrium conſum.

(a) Appian. Syriac. p. 130. (b) Joſ. Antiq. l. 12. c. 3. an. M. 3743. ante Ch. 257. antè Ær. 261.
(c) 3. Mach. 1. an. M. 3800. ante Ch. 200. (d) Antiq. l. 12. c. 3. Polyb. l. 3. (e) Antiq. l. 12. c. 3. Polyb. l. 16. an. M. 3806. antè Ch. 194. ante Ær. 198. (f) Tit. Liv. l. 33. (g) Ant. l. 12. c. 3. (h) Antiq. l. 12. c. 3. A. M. 3815. antè Ch. 185.
(i) Vide Diodorum in excerptis Valeſ. Strab. lib. 16. Juſt. lib. 32. A. M. 3817. antè Chr. 183. antè Ær. 187.
(k) An. Mun. 3829. antè Chr. 171. antè Ær. 175. (l) A. M. 3831. antè Chr. 169. antè Ær. 173.
(m) 2. Mach. 4. 21. &c. (n) Vid. 2. Mac. 5. 13. &c. & Joſeph. Lib. de Mach. c. 4.
(o) Græci textus ſyntaxis innuere videtur, numerum eorum, qui perierunt, 8000. conficere: Οὐ[illegible], [illegible] (p) Polyb. Legat. Diod. in Excerp. Vales.
(q) 2. Mach. 5. 24. 25. (r) 2. Mach. 5. 27. (ſ) 1. Mach. 1. 43. &c.

conſummarunt (a). Jovis tandem Olympii ſimulachrum Templi aræ impoſitum, abominationem in Domum Dei invexit.

Defuncto Mattathia, Judæi, qui Regis præcepto non paruerant, Juda Machabæo duce, cum Ducibus Antiochi non infelici eventu, ut alibi narrabimus, conflixere. Proſtratis rebus ſuis novis copiis ſuccurrit Antiochus; & cum interim exhauſtum haberet ærarium (b), in Perſidem iter decrevit, ut ex populorum tributis, aliiſque pecuniis collectis, impoſitis ſibi à Romanis ingentibus tributis pendendis ſufficeret. Verùm theſaurum Templi Elymaidis, quem ditiſſimum eſſe audierat, expilare molitus (c), ab incolis repulſus, iter Babylonem flectere coactus fuit. Cum propè Ecbatanem perveniſſet, cladem Nicanoris, & Timothei, reſtitutumque à Juda Machabæo Templi cultum & ſacrificia intellexit. Quibus auditis æſtuans furore, aurigæ iter quantocyus conficeret, imperavit: cladem-que Judæorum, urbiſque everſionem animo verſabat. Dum hæc agitaret, ſubito divinæ ultionis telo percuſſus è curru præceps actus eſt, totoque corpore obriguit, dolore viſcerum adjecto, quo miſerè diſcruciabatur. Tot afflictus malis, à præteritarum calamitatum memoria non leviter auctus, & in mortis limine conſtituns, tandem ad ſaniora conſilia revocatus, Judæos literis ſatis ſubmiſſis compellavit, ut interpoſitis ad Deum precibus ſanitatem ſibi impetrarent; magna pollicitus, & inter cætera ipſius Judaicæ religionis obſervantiam, ſi voti compos factus fuiſſet. Inſuper filium Antiochum Regni ſucceſſorem ipſis commendavit, cui ut debitam fidelitatem, & favorem præſtarent, etiam atque etiam rogavit. Tandem dolore, tabeque confectus, in montibus Paretacenæ in urbe ignobili Tabes occubuit an. M. 3840. ante Chr. 160. ante Ær. 164.

V. ANTIOCHUS EUPATOR, qui patri Antiocho Epiphani Syriæ Regi defuncto novennis ſuffectus eſt. Lyſias, qui nomine ipſius Regnum adminiſtrabat, exercitu 100000. peditum, equitum 20000, ac triginta Elephantum comparato (d), Bethsura ſubacta, fruſtra reſiſtentibus Machabæis, Jeruſalem obſidendam ſuſcepit. Urbem propè expugnaverat, cum ſubitò audito Philippi adventu Antiochiam, Regni adminiſtrationem ſuſcepturi, ſibi ab Eupatore commiſſam, donec Antiochus ætate minor eſſet, rebus cum Judæis compoſitis, puerum Regem una cum exercitu in Syriam reduxit, ut Philippo obverſaretur. Sub idem tempus Demetrius Soter, Seleuci Philopatoris filius, & Antiochi Epiphanis nepos, Roma profugus, ubi obſes detinebatur (d), in Syriam venit, atque diſpoſitos in ſe populorum animos nactus, quippe cui uſurpatum ab Antiocho Regnum debebatur, exercitu coacto Antiochiam petiit. Hujus Urbis incolæ recluſis januis venientem ultrò excepere, traditoſque in ſuam poteſtatem Antiochum, & Lyſiam, illicò occidi, ne ſemel quidem ſe videndi facta facultate, præcepit; atque ita Syriæ Regnum adeptus eſt. Antiochus Regnum cœpit an. M. 3840. obiit 3841. ante Chr. 158. ante Ær. 162.

VI. ANTIOCHUS DEUS, filius Alexandri Balæ Regis Syriæ, qui apud Elmalchuelem Arabum Principem educatus fuit (f). Diodotus, cognomento Tryphon, Demetrium Nicanorem Syriæ Regem militibus inviſum eſſe ſciens, Antiochum ſibi tradi ab Elmalchuele petiit, ut illum Syriæ Throno, pulſo Nicanore, imponeret (g), quem Elmalchuel, ægrè tamen, quia inſidias ab illo in puerum timebat, tandem conceſſit. Receptum igitur puerum Tryphon in Syriam adducens, illicò in Regem inaugurari curavit, dimiſſoque à Demetrio exercitu, in ejus partes adducto, prælium cum eodem Demetrio commiſit. Hujus belli exitus Tryphoni ceſſit, qui, Demetrio Seleuciam fugere coacto, & Elephantis omnibus, & Antiochia potitus eſt.

Antiochus, ut Regnum ſibi aſſereret, Jonatham Machabæum in Supremi Pontificis, & Judæorum Principis dignitate confirmavit; quatuor inſuper Toparchias, nempe quatuor præcipuas Judææ Civitates conceſſit, in amicorum numero illum recenſuit, vaſa aurea 4000 dedit, ac tandem aureo cratere, purpura atque aurea fibula uti permiſit. Supremum inſuper Ducem oræ Mediterraneæ à Tyro uſque ad Ægyptum Simonem ejus fratrem conſtituit. Jonathas tot beneficiis ab Antiocho acceptis, ipſius partes contra Demetrium ſequutus eſt; quare non ſemel Demetrii Duces trans Jordanem, & in Galilæa plurima loca tenentes, prœliis ſecundis vexavit (h).

Interim Tryphon, cui Regis tantummodò titulus deerat, quod ſibi ſolùm Antiochus retinuerat, Regem occidere, regnumque ſibi uſurpare conſtituens, de occidendo Jonatha, Antiochi defenſore potiſſimo cogitavit (i). Cum igitur in Judæam veniſſet, Jonatham ad ſe accitum Ptolemaidem, captivum detinuit, & cum deinde Hieroſolymam occupare feſtinaſſet, à Simone Jonathæ fratre repulſus eſt. Ea ſpe fruſtratus in Urbe Baſca, ſive Baſcama Jonatham occidit (k); ſtatimque in Syriam regreſſus Antiochi necem differendam non cenſuit. Sparſo proinde in vulgus opera Medicorum, quos ipſe corruperat, Regem Lithiaſis morbo laborare, veſicam illius abſcindi juſſit, quo vulnere occubuit. Ea arte Tryphon Syriæ Regnum occupavit an. M. 3861. ante Chr. 139. ante Ær. 143.

VII. ANTIOCHUS SIDETES, ſivè *Soter*, & *Euſebes*, pius ſcilicet; quæ diverſa de uno ipſo cognomina apud veteres occurrunt; Patrem habuit Demetrium Soterem, & fratrem Demetrium Nicanorem. Tryphonem Syriæ tyrannum milites inviſum habentes (l), operam ſuam promiſerunt Cleopatræ Nicanoris uxori, Seleuciæ cum filiis agenti, cujus vir in ea, quam ſuſtinebat apud Perſas, captivitate, cum Rodeguna Arſacis Regis Perſarum filia nuptias celebraverat (m). Igitur Cleopatra cum Antiocho Sidete, viri ſui germano, de nuptiis cum illo ſuis, ac de Regno in dotem recipiendo per nuncios egit. Antiochus regnandi occaſionem lætus excipiens, è Cnido, ubi apud amicum Patris ſui privatam vitam egerat, ſtatim in Syriam conceſſit. Inter primas autem curas Simoni Machabæo beneficiis promerendo animum intendit. Scriptis igitur ad illum literis (n), omnia ante hac conceſſa per Reges Syriæ privilegia ultrò confirmavit; inſuper ut proprio ſtemmate pecuniam cuderet conceſſit; Jeruſalem ac Templum à Regia juriſdictione immune declaravit, majora etiam poſt liberam Regni poſſeſſionem pollicitus.

Interim Antiochus, an. M. 3865. celebratis cum Cleopatra nuptiis, exercitu 120000. peditum, ac 8000. equitum, claſſe inſuper comparatâ Tryphonem inſequutus eſt; qui à militibus ſe deſtitutum intelligens (paſſim enim omnes ad Antiochum confluebant) Doræ Phœniciæ ſe continebat. Simon 2000. ſelectiſſimos ad Antiochum miſit, quos ille nedum recuſavit (o), ſed & priores promiſſiones revocavit; quin & Gazaram, Joppem, arcemque Jeruſalem, miſſo ad illas recipiendas Athenobio, à Simone petiit: quingentorum tandem talentorum tributum pro locis, quæ extra Judæam poſſidebat, & totidem pro urbibus Judææ, ac damnis Regi illatis ſarciendis exigebat; bello in contumaces ſe animadverſurum minitatus. Simon totum divitiarum ac potentiæ ſuæ apparatum coram Athenobio expandit; Regi verò renunciare juſſit, nihil ſe, quod ad ipſum ſpectaret, poſſidere; pro Gazara, & Joppe, quas urbes infeſtiſſimas Judæi caperti fuerant, ſe 100. talenta in Regium Ærarium invecturum, ut ſuæ poteſtati ambæ relinquerentur.

Atheno-

(a) 2. Mach. 7. (b) 1. Mach. 3. 27. (c) 1. Mach. 5. 1. 2. &c. & 2. Mach. 9. 1. 2. &c.
(d) 2. Mach. 13. & 1. Mac. 6. (e) 1. Mach. 7. & 2. Mach. 14. (f) 1. Mach. 11. 36. &c.
(g) An. M. 3859. ante Chr. 141. ante Ær. 145. (h) 1. Mach. 11. 63. &c. & 12. 24. 34.
(i) An. M. 3861. ante Ch. 139. ante Ær. 143. (k) 1. Mach. 13. & 2. Mach. 14.
(l) An. M. 3864. ante Chr. 136 ante Ær. 140 (m) Joſeph. Ant. l. 13. c. 12.
(o) 1. Mach. 15. 1. &c. (n) 1. Mach. 15. 25. &c.

Digitized by Google

Athenobius his auditis, iratus ad Antiochum rediit, qui & ipſe in Simonem offenſior, occupatus tamen perſequendo Tryphone, qui Dora dilapſus, mari effugerat; Cendebæo in oram Palæſtinæ maritimam miſſo, Gedoor reſtitueret, Judæiſque prælia affligeret, imperavit. De hujus adventu Simon certior factus à Joanne Hircano filio, Gazaræ verſanti, eundem Joannem cum Juda contra hoſtem immiſit, qui Cendebæum prælio victum, Azotum uſque perſecuti ſunt.

Inter hæc Antiochus Tryphoni Apameæ ſeſe continenti adeò gravis inſtabat, ut tandem ad necem ſibi inferendam, poſt ſex annos in Regno exactos, coegerit (a). Poſt hæc Antiochus ad eas Urbes reducendas, quæ ſub initium Regni fratris ſui ſeſe in libertatem aſſeruerant, animum adjecit (b). Aliquo annorum ſpatio interjecto, Simone Principe ac Pontifice Judæorum a Ptolemæo genero ſuo in arce Doc interfecto (c), vir impius exercitum ab Antiocho petiit, regionem & urbes Judæorum ad illum ſe reducturum pollicitus. Rea expeditione per ſe ſuſcepta, ad obſidendam Jeruſalem venit (d); diviſoque ad eam rem in ſeptem partes exercitu, omnes ad illam aditus, & vias interclusit. Obſidionem ſtrenue ſuſtinuit Joannes Hircanus, atque aggreſſorum conatus diutiùs fruſtratus eſt. Inter hæc recurrentibus ſolemnitatis Tabernaculorum diebus, Judæi ſeptem dierum inducias ab Antiocho poſtularunt; quas ille nedum libens conceſſit, ſed etiam tauros cornibus auratis, vaſa aurea, & argentea aromatibus referta in oblationem Domino miſit, annonam etiam, cujus ſumma erat caritas, Judæis militibus ſuppeditavit. Hac Regis liberalitate capti Judæi ſtatim de pace ineunda per Legatos egerunt; eam tantummodo conditionem poſtulantes, ut juxta ſuas Leges vivere permitterentur. Antiochus arma reddere, muros urbis evertere, pro Joppe aliiſque urbibus extra Judæam tributum perſolvere, ac tandem Syrorum militum præſidium in urbem recipere juſſit. Poſtremam hanc conditionem res tandem deprecantibus Judæis, atque 500. argenti talenta, adjectis obſidibus, offerentibus, remiſit. Rebus ità conſtitutis, Antiochus urbem victor ingreſſus eſt, ac poſt dejectam loricam mœnibus impoſitam, in Syriam demum receſſit an. M. 3870. ante Ch. 130. ante Ær. 134.

Triennio poſt Antiochus adverſus Perſas, ſeu Parthos expeditionem ſuſcepit (e), reddi ſibi poſtulans Demetrium Nicanorem fratrem ſuum, quem Arſaces Rex Perſarum belli jure captum detinebat, ſeditionum fomitem contra ipſum Antiochum ſuo tempore miniſtraturum. Huic malo Antiochus occurrendum ratus, exercitu 80000., ſivè juxta Oroſium l. 5. c. 10. 100000. virorum comparavit, adeo ſumptuoſo apparatu, ut calonum lixarumque numerus ad 200000. ſivè juxtà alios, 300000. aſcenderet; quorum pars maxima culinariis, piſtoriis, & ſcenicis officiis deſtinabatur. Regis verò munificentia in Duces tanta, ut vel in ipſa aula nihil deſiderari ampliùs poſſet. Principis magnificentiam milites æmulati, caligas auro figebant, argenteis vaſis, ac tentoriis auro elaboratis utebantur. Ut Regni Perſarum fines attigerunt, Orientalium Regum complures, ſuperbiæ Perſarum, atque avaritiæ pertæſi, deditionem ultrò fecerunt. Mox inito bello Antiochus tribus victoriis fracto hoſte, Babylonem in ſuam poteſtatem redegit. Hujus expeditionis comitem habuit Joannem Pontificem Judæorum (f), cui cognomen Hircani, ſivè Hircanionis eadem occaſione, ut vulgò creditur, inditum (g), alicujus fortè in Hircanos facinoris æternum eſt monumentum.

Cum exercitus in hyberna ducendi tempus adeſſet, Antiochus in plures ſtationes milites diſtrahere coactus fuit. Harum verò copiarum latè regiones occupantium effrænem licentiam incolæ graviter ferentes, ſecretò omnes urbes Perſis dediderunt, inito ad certam diem hoſtium præſidium ſingilatim trucidandi conſilio. Antiochus rem Babylone ſubodoratus, cum paucis, quos apud ſe habebat, ſuorum ruinæ occurrere tentavit; ſed Phraates Perſarum Rex iter maturantem aggreſſus, ſtrenuè licet pugnantem, præſidio tandem ſuorum exutum, occidit (h). Sunt tamen, qui illum in ultima rerum ſuarum deſperatione ſibi necem intuliſſe (i), vel ſe præcipitem dediſſe ſcribant (k). Regnum hinc ad Demetrium Nicanorem, ſivè Nicatorem fratrem defuncti cedit, quem Phraates ſollicitandis contra Antiochum animis in Syriam miſerat.

VIII. ANTIOCHUS GRYPHUS, ſivè *Philometor*, Demetrii Nicatoris ex Cleopatra filius. Alexandro Zebinæ Patris interfectori, & Regni Tyranno bellum intulit; ſuſumque Antiochiam ſe recipere coegit, undè etiam excitata populi ſeditione, dum auream Jovis ſtatuam diripere conaretur, expulſus eſt. Mari verò ſe committens, ſubita procella à ſuis divulſus, in Pyratas incidit; à quibus Grypho, a Grypho verò neci traditus eſt (l). Joſephus tamen in prælio contra Gryphum, vulneribus confoſſum illum occubuiſſe tradit lib. 13. c. 17.; Porphyrius mortem ſibi intuliſſe (m), quòd nollet ſuorum jacturæ ſuperſtes eſſe, narrat. Secundis Gryphi rebus Cleopatra mater ipſius invidens, veneno clam inſidias ſtruxit, quo ab exercitatione venienti oblato, ille maternæ fraudis gnarus, poculum ſibimet haurire coegit (n). Inde per octennium pacata omnia.

Ea annorum periodo evoluta, dum in Judæos expeditionem meditaretur (o), arma in Antiochum Cyzicenum ex matre fratrem, & filium Cleopatræ, & Antiochi Sidetis, bellum contra ſe parantem, vertere coactus eſt. Gryphus igitur inopinato illum adortus fregit, atque ſalutem fuga quærere coegit; inde motis caſtris, ad Cleopatram hoſtis conjugem Antiochiæ obſidendam perrexit. Ea Urbe expugnata, Cleopatra ad aſylum Templi confugit; loci tamen religio, ipſiuſque Gryphi interpoſitæ pro illa preces, miſeram fœminam a furore Tryphenis ſororis ſuæ, & ejuſdem Gryphi ſponſæ, defendere non valuerunt; quare immiſſi ab illa milites nequicquam orantem, atque Numinis ſimulachrum amplexantem inter ipſas aras trucidarunt (p).

Altero anno, M. 3892. ante Chr. 108. ante Ær. 112. dubbus Antiochis iterum ad arma concurrentibus, victoria pro Cyziceno ſtetit, qui captæ Tryphenis cæde, Cleopatræ ſponſæ ſuæ Manibus litavit. Ea victoria Syriæ Regnum ad Cyzicenum tranſtulit, qui tamen non diù poſt partem ejuſdem Grypho in Syriam reduci conceſſit. Partito in hunc modum Regno, Gryphus Syriam, Cyzicenus Cœleſyriam adminiſtrabant (q). Sæviente inter duos fratres bello, Joannes Hircanus quietam regens Provinciam, munitionibus, noviſque argumentis ejus felicitati, ac gloriæ providebat (r). Gryphus poſt exactos 26. Regni annos, quorum quindecim poſtremos partito cum fratre Imperio regnavit, ætatis ſuæ anno 45. Heraclionis inſidiis occiſus eſt An. M. 3907. (ſ). Superſtites reliquit quinque filios: *Seleucum* Regni ſucceſſorem, *Antiochum*, & *Philippum* gemellos, *Demetrium Eucherum*, & *Antiochum Dionyſium*.

IX. ANTIOCHUS CYZICENUS frater Antiochi Gryphi è matre tantùm, & filius Cleopatræ, & Antiochi Sidetis *patrui* ſui, quem mater, inſidias Demetrii Nicano-

(a) Strab. l. 14. Joſeph. Antiq. l. 13. c. 12. Appian. Syriac. An. M. 3866.
(b) Juſtin. l. 36. c. 1. an. M. 3869. ante Chr. 131. ante Ær. 135. (c) 1. Mach. 16. 11. 17.
(d) Joſeph. Antiq. l. 16. c. 13. (e) Juſt. l. 38. c. 10. &c. Epit. Livii l. 59. Appian Syriac. (f) Nicol. Da. apud Joſeph. l. 13. Ant. c. 16. (g) Euſeb. in Chron. Sever. Sulpit. l. 2. Hiſt. (h) Jul. Obſeq. lib. de Prodig. Juſt. l. 38. & 39. Joſeph. l. 13. c. 16. & alii. (i) Appian. Syr. (k) Ælian. l. 10. c. 34. de animal. an. M. 3874. ante Ch. 126. ante Ær. 130.
(l) Juſt. l. 39. c. 2. (m) In Græc. Euſ. Scalig. (n) Juſt. l. 39. Appian. Syr. ab an. M. 3881. uſque ad 3890.
(o) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 17. (p) Juſtin. l. 39. c. 3. (q) Juſt. l. 39. App. Syriac. Porphyr. in Græc. Euſeb.
(r) Joſep. Antiq. l. 13. c. 7. (ſ) Joſeph. ibid. Euſeb. Græc.

Nicanoris viri ſui prioris metuens, Cyzicum in Aſia Minori ad Propontidem enutriendum tranſmiſit; unde & Cyziceni cognomen. Antiocho Grypho fratri, vitæ ſuæ inſidianti, bellum intulit (a), in quo victus primùm, ut ſuperiùs retulimus, deindè victor imperium cum fratre partitus eſt: Inde ut in pacato Regno, totum ſe dedit voluptatibus, cupediis, venationibus, ſpectaculis, mimis, compingendiſque machinis (b), in quibus ſcita nervorum, laminarumque ſe viciſſim contrahentium, & remittentium ſtructura, animalium motus mira arte referret.

Sub idem tempus (c) Joannes Hircanus Princeps, itemque Summus Sacerdos Judæorum, Samariam adeò arcta obſidione cinxerat, ut in ultimas anguſtias cives redacti, opem à Cyziceno implorarent. Regi proinde ſuppetias Samaritis ferenti, Antigonus, & Ariſtobulus Hircani filii, qui obſidioni præerant, occurrerunt, ſe prælio commiſſo fractum, Scythupolim uſque inſequuti ſunt. Inde ad urbem regreſſi, arctiùs obſidionem ſtrinxerunt; quod civibus in cauſa fuit, cur Antiochi opem ſecundò implorarent (d). Ille accepta à Ptolemæo Lathuro filio Cleopatræ Reginæ Ægypti 6000. virorum manu, Judæorum ditionem, diverſionem facturus, excurrit; brevi tamen ejus copiis diſſipatis, Samaria tandem expugnata, a victoribus funditùs everſa eſt (e). Cyzicenus deinde prælio victus à Seleuco filio Antiochi, ſivè in ipſo certamine, ut Juſtinus ſcribit, ſivè victoris juſſu, ut Joſephus, ſivè tandem à ſeipſo in hoſtium manus venturus, ut Porphyrius apud Euſebium, occiſus eſt (f). Regno 18. annis præfuit, filiumque ſuperſtitem reliquit Antiochum Pium, de quo tamen nihil ad nos, cum neque ad S. Scripturam, neque ad Judæorum hiſtoriam pertineat.

X. ANTHIOCHUS, filius viri Principis Judæorum Antiochiæ, qui Patrem, Judæoſque cæteros, de tentato per noctem urbis incendio, in Theatro accuſavit. Criminis objecti atrocitate commotus populus, ex Judæis, qui fortè aderant, plures trucidavit; nec cæteris pepercisſent, niſi Antiochus, qui in ea calumnia ſtruenda hoc unum ſpectaverat, ut ab avita Religione Judæos abduceret, ſeditionem compeſcens, æquum eſſe dixiſſet, ut priùs ſontes ab inſontibus ſecernerentur: illos verò hoc uno indicio deprehenderet: ſi qui ſacrificia Gentilium ritu offerre non recuſaſſent, iſtos ſcirent criminis conſcios non fuiſſe, cæteros verò confeſſos haberent. Complures ea occaſione vita cedere, quàm Religione maluerunt; complures tamen vitæ amorem Religioni prætulerunt. (g)

ANTIPAS-HERODES, ſivè *Herodes-Antipas* (h), filius Magni Herodis ex Cleopatra fœmina Jeroſolymitana. Hunc Herodes Regni ſucceſſorem priori teſtamento reliquerat, quo tamen reformato, Archelaum Regni arbitrum, Antipam verò Tetrarcham Galilææ, & Peræa deſignavit. Patris teſtamento confirmando Archelaus Romam ad Auguſtum pergeit, quò & Antipas petiit; Auguſtus verò dimidium tantùm Regnum, & titulum Ethnarchæ Archelao conceſſit, reliqua ſimul & Regis titulum impoſterùm ſe conceſſurum ſpondens, ſi tantæ dignitati parem ſe virtutibus exhibuiſſet. Redditus ipſius 600. talentia æſtimabantur. Antipæ verò Galilææ, & Peræa tetrarchiæ 200. talentorum redditus inferentes, permiſſæ ſunt; Philippo tandem alio Herodis filio, Batanæa, Trachonitis, & Auranitis, Urbes præterea nonnullæ 100. talenta quotannis ferentes, aſſignatæ. (i)

Antipas deinde Galilææ reſtitutus, ornandis, muniendiſque urbibus ditionis ſuæ curas intendens, Bethlaidæ & Cinereth novum ex Auguſti familia nomen indidit, illam Juliadem à Julia Auguſti conjuge, hanc Tiberiadem à Tiberio appellans. Prioribus connubiis cum filia Aretæ Regis Arabiæ reſciſſis, nova cum Herodiade Philippi fratris adhuc viventis conjuge, iniit circà A. Chr. 33. Quas nuptias liberiùs reprehendens S. Joannes Baptiſta (k), ab Herode id graviter ferente, in arce Machæruntis incluſus eſt. Manuum in Joannem injiciendarum in cauſa fuiſſe tradit Joſephus, quòd Herodes ſibi metueret de viro, in quem totius populi ſtudia ferebantur. Hoc quidem recte Antipam obtendiſſe, ut veram rei cauſam occultaret; quam cauſam Evangeliſtæ, quibus de Joanne ſibi familiariſſimo occultum nihil eſſe poterat, in ſuis ſcriptis prodiderunt.

Ea quidem erat Joannis morum innocentia, vitæque probitas, ut reverentiam ab ipſo Herode exigeret; veſano tamen in fœminam amore impius Rex adeò abripiebatur, ut ſententiam mortis tandem in virum ſanctiſſimum dixiſſet, niſi totius populi invidiam in ſe concitare metuiſſet (l). Intereà cum fortè anniverſaria convivia diebus ſuis Natalitiis Rex celebraret, filia Herodiadis coram convivis choreis ludens, ità Regis animum cepit, ut quidquid peteret, ſe illi conceſſurum ſacramento polliceretur. Puella de matris conſilio caput Joannis Baptiſtæ poſtulavit. Huic petitioni Rex ægrè quidem, ſed tamen ſacramenti præpoſtera religione, & diſcumbentium precibus inductus annuit. Juſſus proindè ſpeculator, caput Joannis illicò in carcere abſciſſum ad fœminam attulit.

Aretas Arabiæ Rex, injuriam filiæ ſuæ ab Herode repudiatæ ulturus, indicto in illum bello, ac prælio commiſſo fractum fugavit. Eam cladem in ultionem necis Joannis Baptiſtæ Regi contigiſſe, vulgò à Judæis creditum eſſe Joſephus teſtatur Antiq. l. 18. c. 7. Poſt evolutos aliquot annos (m), Herodias fratri ſuo Agrippæ invidens, qui à privata ad regiam fortunam aſcenderat, viro ſuo inſtitit, ut Romam petens, cujus itineris ipſa per ſe comes eſſe volebat, eamdem dignitatem à Cajo ſibi impetraret. Agrippa, cui ea res graviſſimè acciderat, illicò ſcriptis ad Cajum literis, Antipam multorum reum criminum accuſavit. Eæ literæ ad Imperatorem Bajis morantem eo temporis articulo redditæ fuerunt, quo Herodes primò illum adiverat. Acceptas igitur ab Agrippa literas Cajus avidiùs percurrit, quarum hæc ſumma: Nunciabat Antipam conſpirationis Sejani in Tiberium conſcium fuiſſe; itemque cum Artabano Rege Parthorum in Romanos conveniſſe; cujus rei indicium non obſcurum eſſe, quòd Antipas 70000. virorum inſtruendis arma in promptu haberet. His perlectis commotus Cajus, quæſivit ab Herode, an tantumdem armorum apud ſe haberet. Affirmantem, Imperator protinùs Lugdunum in Gallias exulare juſſit. Herodiadi verò propriam pecuniam conceſſit, cui etiam, utpotè Agrippæ ſorori, parcere conſtituerat, niſi illa communem cum viro fortunam ſubire maluiſſet. (n)

Quo tempore Chriſtus Paſſionem ſuam conſummabat, Antipas fortè Jeruſalem verſabatur, qui ex Pilati conſenſu cauſam hanc cogniturus, reum coram ſe adductum variis interrogationibus requiſitum, ac ſilentem, byſſina veſte indutum ad Pilatum remiſit, eo indicio ſignificans, eam, quam reus ille jactabat, regiam dignitatem, non rem ſeriam eſſe, ſed mentis inſanæ delirium. Quo potiſſimùm anno diem clauſerit, incertum; ambo tamen conjuges in exilio obierunt. Joſephus de Bello l. 2. c. 16. narrat, illum in Hiſpania exulem occubuiſſe. Cajus fortaſsè, qui altero anno ab exilio Antipæ Lugdunum venerat, locum exilio deſtinatum commutaverat (o).

II. ANTIPAS, teſtis fidelis, Martyr ſcilicet, de quo in Apocalypſi 2. 13. Inter primos Chriſti Diſcipulos reputatur, ac Pergami Epiſcopum egiſſe, ibique martyrium conſummaſſe; & quidem æneo io tauro, flammatoque incluſus, ſi ejus Actibus fides ſit. Feſtum ipſius ad diem 11. Aprilis conſignatur.

I I. AN-

(a) Juſt. l. 39. c. 1. (b) Diod. Sicul. in Excerpt. Val. (c) An. M. 3895. ante Chr. 105. ante Ær. 109. (d) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 18. (e) Joſeph. ibid. An. M. 3895. ante Chr. 105. ante Ær. 109. (f) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 21. Porphyr. apud Euſeb. Græc. Juſtin. l. 40. Prolog. An. M. 3910. antè Ch. 90. antè Ær. 94. (g) Vide Joſeph. de Bello, l. 7. c. 21. ſeu cap. 7. in Græc. Circà an. 25. a morte Chriſti. (h) Nomen *Antipas* idem eſt ac Antipater, quod redditur æqualis, ſeu comparandus Patri Nomen Hebræum huic correſpondens videtur eſſe *Abihu*, id eſt, iſte meus eſt Pater, ſivè patris loco habebitur. (i) Vide Joſeph. Ant. l. 17. c. 13. (k) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 7. Matth. 14. 3. 4. Mar. 1. 14. & 6. 17. 18. Luc. 3. 19. 20. (l) Matth. 14. 5. 6. &c. (m) An. M. 4042. Ch. 42. Ær. 39. (n) Antiq. l. 18. c. 9. (o) Tillemont, Ruine des Juifs, art. 17.

Digitized by Google

I. ANTIPATER, filius Jaſonis, ad innovandum cum Lacædemoniis fœdus à Simone Machabæo miſſus 1. Mach. 14. 18... 22.

II. ANTIPATER, Idumæus, pater Herodis magni, & filius alterius Antipæ, ſivè Antipatri, ab Alexandro Jannæo Judæorum Rege, Idumææ præpoſiti (a). Porrò Antipas iſte & divitiis, & generis nobilitate potentiſſimus erat totius Idumææ (b); quamvis illum non Idumæum, ſed Aſcalonitem, & paganum, non Antipam, ſed Herodem appellatum fuiſſe tradant Euſebius hiſt. Eccl. l. 1. c. 6. & Julius Africanus. Qui & addunt, Antipatrum patrem Herodis, cum adoleſcens in Templo juxtà Aſcalonem miniſtraret, direpto à prædonibus Templo, cum cæteris ſpoliis ab illis abductum, in Idumæa ſubſtitiſſe; ibique partes Hircani contrà Ariſtobulum tuendo, conditionem ſuam valdè provexiſſe narrant. Teſtimonium tamen Joſephi viri domeſtici, cæteris præferendum cenſemus. Judaicam religionem, ac circumciſionem obſervaſſe ea eo conſtat, quòd Idumæi cogente Hircano, qui totam eam regionem ſubegerat, utramque ſuſceperant (c).

Igitur Antipater, de quo nobis ſermo, Hircano Regi, & Pontifici Judæorum contrà Ariſtobulum æmulum, & fratrem ipſius ſavebat. Cum ambo fratres poſt commiſſum inter ſe prælium, in quo victoria penes Ariſtobulum ſtetit (d), convenisſent ea conditione, ut Ariſtobulo utrumque imperium eſſet, Hircano verò privatæ fortunæ tranquillitas (e); Antipater ingenium & potentiam Ariſtobuli, in quem etiam ſecretò odium fovebat, metuens, potentiſſimorum Judæorum, ipſiuſque Hircani animos contrà æmulum ſollicitabat. Hircano inſuper inſinuavit, ut apud Aretam Arabiæ Regem aufugiens, ſuſpectum, minimeque tutum ſibi Jeruſalem domicilium commutaret. Tardum interque Hircani ingenium his ſtimulis excitatum, tandem ad Aretam in Arabiam confugit (f).

Sub hæc, Antipater apud amicum ſuum Aretam egit, ut Hircani in Regno reſtituendi negotium aſſumeret; ſpondente viciſſim Hircano, ſe duodecim Urbes ab Alexandro Jannæo patre ſuo Arabibus ereptas, reſtiturum. Conditionibus utrinque firmatis, Aretas, illato in Ariſtobulum bello, prælio fractum, atque majori copiarum parte deſtitutum, Jeruſalem primò, deinde in Templo clauſum obſedit. Inter hæc Scaurus à Pompejo miſſus in Syriam venit; illum ponè ſequutus eſt Pompejus, qui utrumque fratrem coram ſe de Regno diſceptantes audivit. Hircani cauſam ea occaſione palam defendit Antipater; Pompejus vero prorogata ſententia uſque ad ſuum in eam regionem adventum, ambo exitus rei incertos remiſit. Nec promiſſis deſuit, namque & Jeruſalem venit, & urbe capta Ariſtobulum, ejuſque filios captivos Romam tranſmiſit. Verùm Alexander filius Ariſtobuli, eluſis cuſtodibus, in Judæam evaſit, novas ſeditiones moliturus, niſi Antipater opportunè provinciales Romanorum legiones oppoſuiſſet.

In ea, quam Julius Cæſar contra Ægyptum ſuſceperat, expeditione, Antipater (g) nec ſegnem, nec ignavem operam Romanis præſtitit; quippè qui & Mitridatem Pergamæum auxiliares copias è Syria adducentem ad exercitum deduxit; Judæos Ægyptios, ut ſe totos Romanis impenderent, perſuaſit; ac tandem in prælio ad Delta (h) ſiniſtram exercitus alam duxit, qua opportunè adeò dextram alam, cui Mitridates præerat, inclinantem ſuſtinuit, ut erepta hoſtibus victoria hac una ſe cenſeretur. Operis egregiè navati merito, Antipater Summi Sacerdotis dignitatem Hircano impetravit, addito etiam reſcripto, Judæis omnibus, & ipſi Hircano honorifico, quo ſarciendorum mœnium Jeruſalem poteſtas illis dabatur. Antipatro verò quamcumque mallet, dynaſtia oblata eſt, & univerſæ Judææ procurator conſtitutus.

Redux deinde Jeruſalem Antipater nihil antiquius habuit, quam ut mœnia à Pompejo everſa reſtitueret (i). Phaſaelum filium natu maximum, Præfectum urbis, ac circumjacentis regionis conſtituit; Herodem verò alterum filium quindennem Galilææ præfecit (k). Poſt Cæſaris necem Caſſius, qui ejuſdem conſpirationis conſcius fuerat, in Judæam veniens ingentem pecuniæ ſummam Provinciæ indixit (l), cui procurandæ Antipater duos filios ſuos Herodem, & Phaſaelum curam omnem impendere voluit, quin & de ſuis opibus quidquid deeſſe videbatur, ſupplevit; quæ res animos Romanorum ipſi devinxit (m). Malichus interim colligendarum pecuniarum præfectus, invidiæ ſtimulis in illum agitatus, ejus necem decrevit. Malum hujus in ſe animum ſentiens Antipater, collecta militum manu ſe ab illo obſervabat. Hanc ſuſpicionem Malichus ſolemni ſacramento purgavit, nihil ſe contra Antipatri vitam meditatum unquam fuiſſe teſtatus; quin & agente Marco Syriæ præfecto, priſtinam cum illo amicitiam innovavit.

Verùm hæc à viro callido ad decipiendum Antipatrum ſimulabantur; interim namque pincerna Hircani pecunia corrupto, hujus menſæ accumbenti Antipatro venenum miniſtrari curavit. Antipatro extincto (n), Malichus præfecturam urbis ſtatim invaſit; omnemque à ſe ſuſpicionem commiſſæ cædis removere conanti, Herodes, & Phaſaelus credere ſimularunt; verùm non diù poſt apud Tyrum, in ultionem paternæ cædis, occidendum curarunt (o).

III. ANTIPATER, Herodis Magni filius ex Doride, prima ejus conjuge, & nepos Antipatri, de quo jam egimus. Huic pater uxorem dedit filiam Antigoni illius, quem Antonius Antiochiæ capitali ſententia damnavit; ab aula tamen ipſum ac matrem diù removit; alteram, quia humilioris eſſet generis; illum verò, quòd ex humili matre, & patre adhuc privato procreatus. Cum verò Alexander, & Ariſtobulus è matre Mariamne clariſſimi Aſſamonæorum generis nati, Herodi patri ſuſpecti eſſe cœpiſſent, tum quòd incauta quædam in Patrem fuiſſent obloquuti, tum quòd multa contrà illos falſa delatores retuliſſent; Herodes (p) & appellare Antipatrum, & ſingularis amoris in illum argumenta exhibere, adeout Regni ſucceſſor deſtinatus crederetur. Agrippam etiam Romam redeuntem inviſurus Herodes, comitem itineris Antipatrum voluit, quem Agrippæ commendavit, atque ut Auguſto commendaret enixè rogavit. Antipater cæteris fratribus prælatus, curas omnes in fratrum exitium convertit, quo Regni ſucceſſionem ſibi etiam atque etiam aſſereret. Abſentes igitur reos illos apud patrem per literas accuſavit; diſpoſitumque jam Herodis animum ità in illos concitavit, ut ille ambos Romam acturùm adduceret, Auguſto coram accuſaturus. Sed Imperatoris opera conciliatis animis, omnes unà cum Antipatro in Judæam redeiunt (q). Igitur Herodes redux, convocatis in Templum populis filios Regni ſucceſſores declaravit, hoc ordine, ut omnium primus regnaret Antipater, deinde Alexander, & Ariſtobulus. (r)

Nec diù quievit Antipatri ambitio, quin novis in fratres calumniis totam Herodis aulam turbaret. Conficta ſubinde de illis crimina ad patrem, ea tamen arte, ut quo majora de fratribus referret, eò magis eorum cauſam egiſſe videretur, modò factum excuſans, modò alios contrà obtrectatores defendens (ſ): qua decipiendi arte adeò apud Herodem valuit, ut ambos pater tandem morte damnaverit (t) an. M. 3999. antè Chr. 1. Poſt fratres ſublatos, Antipater de inſidiis in patrem ſtruendis, quo citiùs regnaret, cogitavit. Conjurationem igitur cum Pherora Herodis fratre molitus eſt; qua ea parte detecta, quidam ex conſciis pœnas luerunt (u); Antipatro vero à Rege injunctum eſt,

(a) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 2. (b) Joſeph. Antiq. l. 1. c. 3. (c) Joſ. Antiq. l. 3. c. 17. (d) An. M. 3938.
(e) Joſ. Antiq. l. 14. c. 2. (f) Antiq. l. 14. c. 2. (g) Antiq. l. 14. c. 14. (h) Antiq. l. 14. c. 15.
(i) Antiq. l. 14. c. 16. & 17. (k) An. M. 3957. antè Chr. 43. antè Ær. 47. (l) An. M. 3961. antè Chr. 39. antè Ær. 43.
(m) Antiq. l. 14. c. 18. 19. (n) An. M. 3961. antè Ch. 39. antè Ær. 43. (o) Antiq. l. 14. c. 20.
(p) Ant. l. 16. c. 6. & de bello l. 1. c. 17. (q) An. M. 3993. antè Chr. 7. antè Ær. 11. (r) Antiq. l. 16. c. 7. 8.
(ſ) Antiq. l. 16. c. 11. (t) De Bel. l. 1. c. 17. (u) Antiq. l. 17. c. 3.

eſt, ut à Pherorę conſuetudine abſtineret. Ille ut omnem à ſe ſuſpicionem amoveret, literas ab amicis Romæ commorantibus ad Herodem directas impetravit, quibus de mittendo Antipatro ad Imperatorem ſignificaretur.

Igitur Antipater iter Romanum inivit, ingentia ſecum munera deferens, ac Herodis teſtamentum, quo ipſe Regni hæres, & poſt ipſum Herodes natus ex Mariamne Simonis Summi Sacerdotis filia inſtituebatur. Sub hæc Herodes totum conſpirationis negotium certis indiciis aſſequutus eſt; nam Batyllum Antipatri libertum venenum ad eam rem Roma detuliſſe ad Pheroram, & Doridem deprehendit. Ex quo malum in ſe filii animum intelligens, literis ad illum ſcriptis, actutùm in Judæam, de ejus abſentia ſollicitum ſe ſimulans, revocavit. Ille proditæ conjurationis ignarus, cujus rei ab amicis ſeptem menſium ſpatio, quamdiù vocatus reditum diſtulit, nullum indicium acceperat, tandem in Judæam venit (a). Ut Cæſaræam appulit, quòd nemo ſibi obvius proceſſiſſet, miratus eſt; indè Jeruſalem tendens, in primo in Palatium ingreſſu, omnium amicorum conſortio prohibitus eſt; Regem verò complexurus accurrens, objectis illi Alexandri, & Ariſtobuli cæde, ſimulque tentati parricidii crimine rejectus eſt. Mane ſequentis diei coram Varo Syriæ Præſide deductus, Herodem ipſum accuſatorem habuit; productoque veneno, quod ipſe in patrem paraverat, ac facto de illo experimento in reo morte damnato, qui illicò extinctus corruit, cum tot indiciis proditus ſe purgare non poſſet, catenis oneratus in carcerem detruſus eſt. Interim Herodes de omnibus Cæſarem monuit, à quo dum reſponſa expectantur, Herodes ipſe in morbum incidit, cujus curandi gratia Jericho ſeceſſit. Poſt aliquid temporis (b) miſſi Romam Legati reverſi retulerunt, Auguſtum liberam in filium poteſtatem, utrùm mallet morte, an exilio illum damnare, Patri permittere.

Herodes ex nuncio animis quamvis recreatus videretur, aucta tamen morbi vi ad ultimam deſperationem adductus, cultrum, pomumque afferri ſibi juſſit, ſpecie quaſi corticem pomi illius detracturus, revera tamen mortem ſibi inferre cogitans; intuliſſetque, niſi delato cultro in ſuam necem irruentem Achiab nepos ipſius forte præſens prohibuiſſet. Ea occaſione editum ab Achiab clamorem Antipater in carcere audiens, cuſtodes ſuos, facta ingentium munerum ſpe, ut liber abire permitteretur, ſollicitavit. Quibus ad Herodem relatis, illicò juſſit occidi (c). Obiit an. M. 4000. Ch. 1. ante Ær. 3. paulò ante Herodem. Ejus cadaver nulla funebri pompa elatum, in arce Hircanio ſepulturæ mandatum eſt.

ANTIPATRIS, olim *Caphar-Saba* (d), quam Adrichomius cum *Dora*, Jacobus de Vitriaco (e) cum Aſſur, ſivè Aſſuf urbe Palæſtinæ maritima confundunt. Sed Antipatrida à mari diſtaſſe ex eo liquet, quod ex Jeruſalem Cæſaream euntibus ea urbs occurreret (f). A' Joppe 150. ſtadiis, ſivè 7. leucis unius horæ diſtaſſe Joſephus Antiq. l. 13. c. 13. eſt author. Vetus Itinerarium Hieroſolymitanum decem milliaribus à Lydda, & 26. à Cæſarea illam collocat. Hanc urbem Patri ſuo Antipatro Herodes magnus cognominem voluit. Campo adjacet amœno (g), fertili, & irriguo, montibus ſubjecta eſt, atque à Jeruſalem Cæſaream euntibus pervia.

(ANTONINUS PIUS; Romanorum imperator ab Adriano adoptatus, è Nimacenſi Urbe referens originem. Apocrypha de illo plura comminiſcuntur Judæi (h). Ferunt igitur illum circumciſione initiatum genti faviſſe, odio perſecutum Chriſtianos. Judæ Sancto diſcipulum ſeſe addicens, Moſaicæ Legis ſtudio plurimum inclaruit. Ipſe ſe circumciſione initiavit, quò paſchalem agnum ritè deguſtaret: hanc tamen religionem ſuam diſſimulandam cenſuit, occulta Judaiſmi profeſſione, cum Idolorum cultu conjuncta. Calluiſſe adeo Patrum traditiones ferunt, ut juncto cum Præceptore ſuo ſtudio Miſnah digereret. Nullam intermittebat diem, quin per occultas ſubterraneas vias è regiis ædibus conferret ſe ad Judam, ſtudio cum illo daturus operam; conſtitutiſque ante palatii ſui, ſicut & ante Rabbini fores cuſtodibus, curabat, ne quis unquam euntem redeuntemque Imperatorem exploraret; metu vero, ne à cuſtodibus arcanum illud revelaretur, redux ſemper cuſtodes illos occidebat.

Accidit, ut ſemel Præceptorem conveniens cum illo nanciſceretur R. Chaninam; volente autem illum occidere, ſtatim Chanina, non ego, ait, homo ſum, ſed Angelus. Tunc Imperator: Eas igitur, & revoces ad vitam virum, quem ego in aditu ſubterraneæ hujus viæ interemi. Paruit illicò Chanina, revocavitque hominem ad vitam. Contendebat Antoninus cum Rabbino, defendens corpus & animam poſt deceſſum mutuò ſe purgare poſſe de admiſſis criminibus, altero in alterum culpam regerente; anima enim corpus imputabat de crimine, quippe quæ poſt factum ab illo divortium libertati fuiſſet reddita; corpore viciſſim ſeſe excuſante, quòd ſcilicet nihil poſt obitum egiſſet. Sed errantem ad ſaniora revocavit Rabbinus, propoſità patriſfamilias parabola, cui ſcilicet fructuum ſuorum cuſtodiam cæco, tum & alteri cruribus deſtituto commiſerat. Claudus in humeros à cæco levatus fructus voravit; aſtum intelligens herus utrumque merita pœna affecit.

Defendebat Judas animam non priùs jungi, quàm cùm formaretur, corpori. Contraria probabat Antoninus, demonſtrans, multò citiùs oportere, quòd carnis portio nulla triduo, niſi ſaliatur, perſeverat. Victas manus dedit Judas, conventumque inter eos, vis concepto fœtui animam jungi. Interrogabat ſemel Imperator Judam, cur ſol occiduus veſpere ſingulorum dierum declinaret. Ideo, inquit Judas, quòd flexu ſuo Dominum veneretur; ne citius autem debitum obſequium perſolvat, vetant itinerantium, & opificum, quibus ſervit, commoda.

Antonino filium tribuunt Judæi Aſſuerum, juvenem Imperio deſtinatum, niſi præmatura mors virentes ſpes omnes præcidiſſet. Hæc omnia fabellas credas, hiſtorias non credas. Narrante Capitolino ſcimus, Judæos ſub Antonino rebellantes armis ab illo in ordinem redactos fuiſſe. Reſtituit tamen retinendæ circumciſionis libertatem, quam vetuit Samaritanis, cavit inſuper ne Proſelytos compararent abſcinderentque virilibus.)

ANTONIUS. M. Antonius, ex Antonia clariſſima Romanorum familia. Ejus nomen in hiſtoria Romana & Græca celebre; quin & Judæis non incognitum. Poſt relatam de Bruto, & Caſſio victoriam in prælio prope Philippos, Antonius in Aſiam venit, quo unà cum cæteris Aſiæ populis Judæi ſuos etiam legatos miſerant, totius populi querelas contrà Herodem, & Phaſaelum deferentes, qui omnem in Regno authoritatem uſurpantes, inanem tantùm Regis titulum Hircano reliquerant (i). Verùm Antonius muneribus ab Herode præoccupatus, nedum illos inauditos remiſit, ſed & utrique Fratri totius Judææ adminiſtrationem ſua authoritate aſſeruit (k).

Paulò poſt (l) Hircani Legatos audivit, petentes, ut Judæi, quos Caſſius captivos in Aſiæ provincias injuſtè adduxerat, libertati reſtituerentur. Juſtæ petitioni annuens Antonius, ſcriptis ad Hircanum, Tyrios, Sidonios, Antiochenos, & Aradæos literis, ablatam Judæis per Caſſium libertatem reſtitui præcepit. Inclinante eodem anno Daphnis agentem centum ex Judæorum optimatibus adiverunt, veteres

(a) Ant. l. 17. c. 6 & de Bello l. 1. c. 2. (b) An. M. 4001. Ch. 1. ante Ær. 3.
(c) Antiq l. 17. c. 9. (d) Juſ. Antiq. l. 13. c. 13. & lib. 16. c. 9.
(e) Hiſt. Jeruſol. c. 23. Vide Reland. l. 3. p. 569.
(f) Act. 23. 32. (g) De Bel. l. 1. c. 16.
(h) Vide Baſnag. Hiſtor. Jud. tom.2. l.4.c.9. pag.149. Edit. Pariſi. ex Gaua. Zenach. David, & Gedalia Schiel. Schelet kabbala.
(i) Antiq. l. 14. c. 22. (k) An. M. 3963. ante Ch. 37. ante Ær. 41.
(l) Eodem anno, cum Antonius Epheſum veniſſet. Joſ. Ant. l. 14. 2. 13.

accuſationes in Herodem, & Phaſaelum afferentes (a). Antonius quæſivit ab Hircano, uter melius Provinciam adminiſtraret, Phaſaeluſne, & Herodes, an eorum accuſatores. Hircano verò Herodem, & Phaſaelum reſpondente, Antonius utrique fratri, quam obtinebant, adminiſtrationem conceſſit, ſimulque totius Judææ Tetrarchas conſtituit; adjectis in eorum favorem literis, & quindecim ex præcipuis eorum accuſatoribus in carcerem detruſis.

Cum Tyrum veniſſet, iterum Judæi legationem ad illum mille optimatum miſerunt. Antonius verò, quem Herodes ſibi novis muneribus devinxerat, Magiſtratui Tyri juſſit Tetrarchis à ſe conſtitutis authoritate, & viribus juvare, ut ſeditioſos illos homines compeſcerent. Imminentis in illos procellæ Legatos admonuit Herodes, ut cautè ſe ſubducerent rogans. Illi contemnentes, cum ad maris litus eſſent, irruentibus ſubitò Judæis, cæteriſque civibus, partim occiſi, partim vulnerati, omnes tandem diſperſi ſunt. Querentibus verò de injuria in ſuos Legatos illata Judæis Antonius eos omnes, quos in vinculis habebat, Judæos necari præcepit. Inde Phaſaelus, & Herodes quietam Provinciam adminiſtrarunt.

Altero anno (b) Antigonus filius Ariſtobuli, Parthorum arma, qui Syriam invaſerant, pacta mercede 1000. talentorum & 500. fœminarum, ſi Regno per illos reſtitueretur, in Judæam divertit (c); qua occaſione, captis Hircano, & Phaſaelo, Herodes Romam ſe recipere coactus eſt; ubi benè in ſe diſpoſitos M. Antonii, & Auguſti animos invenit; tum quod Antigonum turbulenti ac hoſtilis in Romanos animi virum noverint; tum quòd egregiè ſibi nava[illegible] operæ ab Antipatro patre Herodis recordarentur. Curantibus ergo illis tandem Herodes Judæorum Rex, Antigonus verò populi Romani hoſtis in Senatu renunciatus eſt. Hinc Herodem medium aſſumentes Antonius, & Auguſtus in Capitolium adduxerunt, ubi poſt oblatas ſolemnes victimas, & S. C. electionis depoſitum, ſplendido ſatis convivio illum exceperunt.

Sub hæc, Herodes acceptis ab Antonio literis commendatitiis ad Romanorum Duces, & Præfectos, ut Regnum ſuum recuperanti favorem, & vires præſtarent, in Judæam regreſſus eſt; receptoque quà ſuis, quà Romanorum viribus Regno (d), Antigonum habuit captivum, quem Antonius inſtante Herode, atque ut ab hoſte infeſtiſſimo liberaretur rogante, capitali ſententia damnavit (e). His geſtis, Antonius bellum in Parthos intulit; ex quo tamen inglorius fugientique ſimilis regreſſus eſt. Inde Cleopatræ amoribus implicitus, Octaviam conjugem repudiavit, atque reſoluto libidinum exceſſibus animo, victus tandem ab Auguſto in prælio Actiaco (f), in Ægyptum regreſſus eſt, ubi pace fruſtra cum hoſte tentata, manus ſibi violentas intulit An. M. 3974. antè Ch. 26. ante Ær. 30. Vide Plutarchum, Dionem & Uſſer. ad an. 3974.

ANTONIA, turris, ſivè arx ad angulum occidentalem, & ſeptemtrionalem Templi Hieroſolymitani, ab Aſſamonæis conſtructa, & ab Herode magno munita, ac de nomine M. Antonii appellata. Muro conſtabat 300. cubitorum, aggeri undique prærupto impoſito. Interior illius forma ad modum palatii diſpoſita, aulas, conclavia, cæteraſque ædium partes exhibebat; exterior verò ſpecimen quadratæ turris præſeferebat. Quatuor illius angulos ſingulæ turres muniebant. Porrò hoc ædificium adeò eminebat, ut ex eo in interiora Templi proſpectus eſſet; cum Templo verò per porticum communicabat (g). Hinc ut Templum Urbi, ſic Templo Antonia arx erat, & munimen. De hac turri ſæpiùs Joſephus & ſæpiſſimè in hiſtoria de Bello Judaico. Romanorum præſidio tenebatur, unde Tribunus cum ſuis accurrit in auxilium S. Pauli, qui a Judæis comprehenſus vitæ diſcrimen ſubierat *Act.* 21. 31.

ANUA, vicus 15. milliaribus à Neapoli, ſeù Sichem, Jeruſalem verſùs. Euſeb. in locis.

(ANUS Philiſtæorum. Cùm in Philiſtæorum poteſtatem veniſſet Arca Domini (h), ſacrumque depoſitum Urbs Azoti ſervaret, graviorem manum Domini Urbs illa ſenſit; ſenſerunt & aliæ Philiſtæorum Satrapiæ, inopino quodam morbo correptis in ano vel ſecretiori illa parte natium, unde egeruntur excrementa, hominibus. Non ſat convenit inter Scriptores ſive de originalis vocis, *Anus* redditæ, ſignificatione, ſive de morbi ejuſmodi indole. Hæmorroides intimas vel occultas credunt nonnulli; eſt enim Hebræa vox ad literam deſignans quidquid obſcurum & occultum. Dyſenteriam alii malunt; fiſtulam vel condyloma, proprio pondere intra conſtitutum ſibi locum dilapſis inteſtinis, probant nonnulli. Nec obſcurè quidem fiſtulæ morbum deſignant illa Pſalmi 77. 66. *Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit eis.* Ad verſum 9. Septuaginta & vulgata addunt ſupra Hebræum: *Fecerunt ſibi* (Philiſtæi) *ſedes pelliceas*, quò ſcilicet molliùs aſſidentes, incommodum morbi levarent. Hanc hiſtoriam ſubodoratus Herodotus videtur, ſed rem minimè aſſequutus eſt, cauſamque aliam planè aſſignavit (i). Narrat igitur Scythas direpto Templo Aſcalonis, Urbis Philiſtæorum celeberrimæ, Deam, (Venerem ſeu Derceto) cujus ibi Numen colebatur, probroſo quodam morbo (hæmorroidas credit) percuſſos, cujus virus in poſteros etiam tranſmiſſum eſt. Ita facilè veritatem occultabant Philiſtæi. Conſtanti tamen traditione ferebatur morbi hujus origo vetuſtiſſima eſſe, inflictumque olim gentibus illis Deo morbum in poſteros malam hæreditatem tranſiiſſe.

Porrò Philiſtæi, quò ſe à graviſſimo incommodo liberarent, regionemque ſuam à murium deſolatione eximerent, faciles præbuerunt aures Sacerdotibus, & Divinis ſuis (k) authoribus, ut Arca Domini in regiones Iſraelitarum, muneribus tamen donata remitteretur; viſum proinde ex auro conflari quinque anos, totidemque ex eodem metallo mures, eaque ſimul omnia in Arca ſive juxta Arcam reponi, illuſtri hoc monumento teſtantes, ſe Dei vindicis manum in ea plaga agnoviſſe. Ita omnibus comparatis, Arca ad Iſraelitas tranſmiſſa eſt. Autumavit Joſephus Antiquit. lib. 6. cap. 1. cujus fidem Interpretes nonnulli ſequuntur, quinque Urbes Philiſtæorum ſuum ſingula ſimulacrum conſecraſſe Deo, veluti monumentum recepti ab illo beneficii. Morem hunc Philiſtæorum expreſſerunt non ſemel Pagani, Diis offerentes membrorum corporis, quæ potiſſimùm morbus afflixiſſet, imaginem. Nec alienum à ſe reputant hodie uſque plurium locorum Chriſtiani, ut expreſſas ſive in cera ſive in metallo imagines morbo affectarum partium corporis offerant Sanctis, quorum beneficio valetudini ſeſe reſtitutos profitentur. (l)

AOD, Judex Iſraelitarum poſt Othonielem, & ante Samgar. Iſraelitis jugo Eglonis Regis Moabitarum oppreſſis (m) Deus liberatorem ſuſcitavit Aod (ſivè ut Judæi pronunciant, *Chud*, vel *Ajoth* juxta aliqua Exemplaria Septuaginta, vel Judam, ut Joſephus legit) filium Geræ, e tribu Benjamin qui utraque manu ſive dextra, ſive ſiniſtra æquè utebatur (n). Porrò Aod miſſus ab Iſraelitis ad Regem, deferendis ſivè muneribus, ſivè tributis (ſæpè enim in Scriptura tributa munerum nomine appellantur) ſicam ancipitem capulo ad longitudinem manus ſub ſago celavit. Eo habitu ad Eglonem introductus primò nihil tentavit, ſed muneribus oblatis & legatione abſoluta ſocios dimiſit. Abeuntibus illis, dixit ad Regem habere ſe aliquid, quod cum ipſo ſecretò communicaret. Rex oraculum ab illo afferri ratus, quippè qui de Galgalis veniebat, ubi Idola fortaſsè à Moabitis colebantur, domeſticos omnes diſcedere juſſit. Tunc Aod propius

ad

(a) Antiq. l. 14. c. 23. (b) An. M. 3964. antè Chr. 36. antè Ær. 40. (c) Antiq. l. 14. c. 25. (d) An. M. 3967. ante Chr. 33. ante Ær. 37. (e) Joſeph. Antiq. l. 14. c. ult. & l. 20. c. 8. & de Bel. l. 1. c. 13. (f) An. M. 3973.
(g) Vide Joſeph. Antiq. l. 15. c. 14. & de Bel. l. 6. c. 12. (h) Reg. 5. 6. *In ſecretiori parte natium.* (i) Herodot. l. 1. cap. 105. (k) 1. Reg. 6. 1. &c. (l) Vide Theodoret. de Græcor. affect. curandis. (m) Ab An. M. 2652. ad 2679.
(n) Judic. 3. 15.

ad illum factus afferre ſe oraculum diait; quo à Rege audito continuò venerationis gratia ſurrexit: Aod vero abreptam ſtatim ſicam in ejus ventrem pinguiſſimum totam adegit. Actutùm verò, ne extracto quidem è vulnere gladio, e conclavi egreſſus, januás clauſit, atque tranſgreſſo periſtylio dilapſus eſt. Domeſtici interim, qui Regem ventrem purgaſſe rati tantiſper ſe continuerant, cum diutiùs fruſtra expectaſſent, tandem reclusis foribus ingreſſi, occiſum illum invenerunt.

Inter eas turbas Aod Seirath Ephraim versùs dilapſus validum exercitum coegit, quo Jordania vadis occupatis, Moabitas tranſitum tentantes cædebat. Edita in hunc modum ſtrages 10000. Moabitarum hoſtibus terrorem, Iſraeli vero pacem 80. annis intulit, ab An. M. 2679. uſque ad 2759. antè Chr. 1241. ante Ær. 1245.

APADNO. Daniel verba de Antichriſto faciens juxta pleroſque Interpretes, ſivè de Antiocho Epiphane, juxtà eos, qui literali ſenſui adhærent, ait c. 11. 45.: *Et figet tabernaculum ſuam Apadno inter maria ſuprà montem inclytam, & ſanctum: & veniet uſque ad ſummitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei.* Apadno alii dictum interpretantur montem Oliveum, quò Fideles coeuntes obſidione ab Antichriſto ſtringentur; qui proindè Antichriſtus inter duo maria tabernaculum ſuum figet, nempè inter Mare Mortuum, & Mediterraneum. Alii *Apadno* in ſenſu appellativo dictum volunt de palatio ſive tabernaculo Antichriſti: *Locus tabernaculi, ſive domus ipſius, in monte inclyto, & ſancto inter duo maria.* Tradit Porphyrius apud S. Hieron. in Dan. 11. Apadno locum eſſe inter Tigrim, & Euphratem in montibus Elymaidis, ſive Perſidis, ubi Antiochus Epiphanes Templum Beli, ſive Dianæ Elymaidis direpturus caſtra habuit, ſed ab incolis poſtea repulſus re infecta recedere coactus eſt. Symmachus legit: *Et extendet papiliones equitatus ſui inter maria in monte Sabin ſancto, & veniet uſque ad partem ejus.* Fullerus verò in Miſcell. l. 5.: *Extendet tabernaculum tunica ſua intra duo maria.* Non rarò apud Romanos lorica, ſeu tunica purpurea ante papilionem Ducis expanſa ineundi prælii ſignum dabat (a)

Nos ita legendum Hebræum textum cenſemus: *Extendet papiliones in Apadno* (ſive *in Padan* (b)) *duorum marium*, ſeù, quod idem eſt, *duorum fluminum*. Meſopotamia ſita eſt inter duo flumina Euphratem, & Tigrim, quorum amplitudo, maximè cum exundant, maris ſimilitudinem exhibet. Antiochus Epiphanes Artaxiam Regem Armeniæ in fidem redacturus, exercitum contra illum adduxit (c), & in Meſopotamia inter duos fluvios Tigrim, & Euphratem caſtrametatus eſt. Illud autem: *ſuprà montem inclytum*, (Hebr.: *ſuprà montem Zobi*) *& veniet uſque ad ſummitatem ejus*; ibique verò diem claudet, *& nemo auxiliabitur ei*, de ipſo Antiocho intelligendum eſt, qui è Perſide Babylonem tendens è curru præceps luxatis membris ſuper montem Tabes animam in ſummis cruciatibus egit. (d)

Apdno locum eſſe in viciniis Jeruſalem Theodoretus in Dan. 11. autumavit; eumque non longè à Nicopoli ſivè Emmaus, unde Judææ montes incipiunt, S. Hieronymus in Dan. 11. collocat. Porrò Emmaum urbem, quæ & Nicopolis, aliam fuiſſe ab Emmaus, de qua S. Lucas 24. 13. 60. ſtadiis à Jeruſalem diſtante Relandus oſtendit (e). Tradit Procopius l. 4. c. 4. de ædif. Juſtin. Juſtinianum Apadnam, & Byrthum loca in viciniis Amidæ in Meſopotamia reſtituiſſe; quod quidem noſtram ſententiam egregiè confirmat, nempe *Apadno inter duo maria* nihil aliud deſignare, quàm Meſopotamiam, Hebræis *Padan-Aram*, ſivè *Aram-Naharim*, planitiem Aram, ſivè Aram duorum fluviorum.

APAMÆA, Syriæ urbs ad Orontem, quam condidiſſe creditur Seleucus I. Rex Syriæ, vel ejus filius Antiochus Soter, & de nomine Apamææ Reginæ, uxoris Seleuci, & matris Antiochi appellaſſe. Eadem fortaſſe eſt ac *Sephama* urbs Syriæ, cujus eſt aliquando in Scripturis mentio. Num. 34. 10. 11.

(APAMÆA Urbs Phrygiæ ad amnem Marſyam. Credita eſt olim juxta Apamæam ſubſidiſſe Arca Noe; porrò Urbis illius genuino nomini acceſſit alterum Arcæ; & in nummis, Arcæ figuram exhibet. In nummo Adriani ſpectare licet imaginem hominis, & typum amnis Marſyæ, additis circùm verbis: *Apamæorum Arca & amnis Marſyas*. Et in carmine quodam Sybillino vetuſti ſanè Authoris, legimus, montem Ararat, cujus vertici inſedit Arca, in finibus Phrygiæ erigi ad fontes Marſyæ. Sed vix hæc cum veritate cohæreant; mons eſt enim Armeniæ, non Phrygiæ.)

APELLES, vir Apoſtoli teſtimonio (f) *probus in Chriſto*. Hunc Græci inter 72. Diſcipulos, & inter Heraclææ Epiſcopos recenſent. Ejus feſtum in Martyrologio Romano ad diem 22. Aprilis, & 10. Septembris unà cum S. Luca, & Lucio conſignatur; à Græcis verò die 31. Octobris celebratur.

APER, vel *ſingularis ferus*. Immundum animal, non ſecùs ac ſus. Propheta in Pſalmo 79. 14. conqueritur, vineam Domini ab apro everſam: *ſingularis ferus depaſtus eſt eam*. Quod de Sennacherib, vel de Nabuchodonoſore, ſeù de Antiocho Epiphane, qui Judæam depopulati ſunt, intelligendum. Vox Hebræa *ſis* pro quacumque ſylveſtri fera uſurpatur. Vide Pſalmum 49. 11. Syriacus locum ſuprà laudatum vertit, *onagrum*, & Chaldæus *Gallum Sylveſtrem*.

APHACA, ſive *Aphec*, urbs Syriæ in Libano inter Heliopolim, & Byblum. Vide Aphec.

APHAEREMA, una ex tribus Toparchiis à Regibus Syriæ Judææ adjectis (g), quam confundendam cenſemus cum *Ephrem*, ſivè *Ephraim* in Evangelio S. Joannis 11. 54.

APHEC, cujus nominis plures in S. Scriptura urbes occurrunt. I. *Aphec* in Tribu Juda, juxtà quam Philiſtæi caſtrametati fuerant, cum Iſraelitæ Arcam Dei è Silo in caſtra reduxerunt, quæ ſubindè in præmium victoriæ Philiſtæis ceſſit 1. Reg. 4. 1. Fortaſſe non alia eſt urbs ab *Apheca*, de qua Joſue 15. 53.

II. APHEC, in valle Jezrael, quo in loco caſtra habebant Philiſtæi, cum Saul ejuſque exercitus viciniam Jezrael, & montes Gelboe occupabant. 1. Reg. 29. 1. &c.

III. APHEC, urbs Tribus Aſer. Joſ. 19. 30. prope Sidoniorum regionem (h); quam cum urbe Syriæ, ſtatim deſcribenda, eandem cenſemus.

IV. APHEC, urbs Syriæ, una ex potiſſimis in ditione Benadad, juxtà quam prælio inter Achabum & Benadad commiſſo, victoria apud Iſraelitas ſtetit (i); confugientes verò in urbem Syros, urbis mœnia ſubitò corruentia ad 27000. oppreſſerunt. Eadem fortaſsè eſt ac *Aphec* ſive *Aphaca* urbs Libani ad amnem Adonidem (k), celeberrimo Veneris Aphacitis Templo inſignis. Inter Heliopolim, & Bylum jacet. Neque aliàm fuiſſe credimus urbem, quam Paulus Lucas (l), demer. ſam vidit in lacu montis Libani 9. ſive 10. milliaribus amplo, cujus urbis integræ domus ſub ipſis aquis adhuc cernuntur. (m)

APHES-DOMIM, ſivè *Dommin*, vel *Phes-Dommim*, lucus in Tribu Juda, inter Socho, & Azecham, ubi caſtra erant Philiſtæorum, cum Goliath Iſraelitarum exercitui inſultaret. 1. Reg. 17. 1.

APHRA, ſivè *Aphara*, vel *Aphera*, & *Ephron*, urbs Benjamin (n), quinque milliaribus à Bethel orientem versùs, juxtà S. Hieronymum.

APHRAIM. Vicus eſt, juxtà Euſebium, ſeptem

I 3 mil-

(a) Plur. In Fabio, in Bruto. Iſidor. Orig. l. 19. c. 22. Vide Lipſ. de mil. Rom. l. 14. c. 12.
(b) Vide Gen. 24. 10. & 25. 20. & 28. 2. Deut. 23. 4. Jud. 3. 8.
(c) Appian. Syriac. Porph. apud Hier. in Dan. 11.
(d) Polyb. in Excerpt. Valeſ. (e) Reland. Palæſt. l. 2. c. 6. & l. 3. p. 788.
(f) Ad Rom. 16. 10. (g) 1. Mach. 11. 34. (h) Joſue 13. 4. (i) 3. Reg. 20. 26. &c.
(k) Sozom. l. 11. c. 55. & Theophan. in Chro. (l) Voyag. du Lev. t. 1. ch. 20.
(m) Vide noſt. Comment. in Joſue 19. 30. & in 3. Reg. 20. 26. (n) Joſue 18. 23.

Digitized by Google

milliaribus à Legione, ſeptentrionem versùs.

APHSES, Princeps decimæ-octavæ familiæ Sacerdotalis, inter 24., Templi ſervitiis à Davide deſtinatas 1. Par. 24. 14.

APHUTÆI, Iſraelitarum genus, qui regreſſi è captivitate (a), priſtinam regionem ſuam repetierunt. Nomen illud ex Jephta urbe, de qua Joſue 15. 44. derivatum videtur.

(APIS. Bovem vel taurum coluiſſe Ægyptios veterum omnium teſtimonio compertum eſt. Bovem Soli conſecratum alebant illi Heliopoli, eundemque Mnevis nomine deſignabant. Alter erat bos, *Apis* dictus, & Lunæ conſecratus, quem alebant Memphi. Sub ejus animalis imagine Oſiridem colebant (b); hiſce autem characteribus bovem agnoſcebant, quem ſibi Numen ſelegiſſent. Ater erat totus, albenti tantùm & quadrata macula diſtinctus in fronte; exhibebat in dorſo pictam aquilam juxta aliquos, vel cornutam Lunam juxta alios; in cauda ſetæ erant duplicatæ; bubo expreſſus ſub lingua.

Quando igitur bos hiſce characteribus inſignis occurriſſet, non ſine ingenti pompa deducebatur ad templum Oſiridis, ubi curabatur alebaturque, tanquam animal totam Numinis majeſtatem ſubſtinens; decedens ingenti pompa funebri, ac luctu mandabatur ſepulturæ; tum iterum ſumma cura alius ejuſdem characteris indagabatur. Perſeveratum in quærendo uno interdum, quin & pluribus etiam annis; inventionem ejus ingenti feſto per totam latè regionem incolæ celebrabant. Vitulum aureum ab Aarone conflatum Iſraelitis in deſertum, & vitulos item à Jeroboamo conſecratos in Numina Regni ſui hominibus, ad imitationem Apidis Ægyptii expreſſos, tam certo creditur, quàm quod aliud.

Sub Apidis ſeu vituli typo impenſum ab Ægyptiis cultum Joſepho Patriarchæ ex Eruditis quidam autumarunt (c). Ferunt Apidem Regnum Memphis obtinuiſſe, ſubditaſque ſibi gentes ingenti fame ſæviente aluiſſe providè; nomen *Apidis* deſignare bovem, qui agriculturæ emblema eſt. Reputant autem Principem hunc Mempheos ipſiſſimum fuiſſe Joſephum, quo providente ſeptem annorum ſterilitatem mitiùs tulerunt Ægyptii. Jacob Patriarcha ſermonem habens de Simeonis & Levi illatis in Joſephum injuriis (d), affirmat in *furore illos ſuo occidiſſe hominem, & in indignatione ſua nervos ſuccidiſſe tauro*, quæ de Joſepho dicta Interpretes plures ſuſpicati ſunt. Ad hæc Pharao Joſephum appellavit *Abim* (e), patrem meum, quod cum *Api* ferè congruit. Sed hæc utique infirmiora ſunt, quàm ut aſſenſum extorqueant. A' vero prorſus abludit Ægyptios conſecraſſe Joſephum, virum alienam profitentem religionem, quique ab Ægyptiacis ſuperſtitionibus vehementer abhorruerat. Ad hæc Ægyptiorum Theologi aliunde planè adſciſcunt cultum Apidi impenſum, quàm ut repetant ex Joſepho.)

I. APOCALYPSIS: revelatio; quo nomine inſcriptus eſt liber revelationum S. Jo: Evangeliſtæ in Inſulam Pathmos Domitiani juſſu relegati (f). Hujus libri authorem Cerinthum hæreſiarcham extitiſſe, Cajus Romanæ Eccleſiæ Sacerdos labente ſecundo ſæculo certò autumaſſe videtur (g); quam etiam nonnullorum ſui temporis ſententiam eſſe tradit S. Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus; ſe verò, addit, Opus illud cuidam viro Sancto Joanni nomine tribuere, ab Apoſtolo verò Joanne ſcriptum eſſe, neque ſcire ſe, neque affirmare audere. Illorum tamen de hujus libri authore dubitationes neque toti antiquitati, neque Eccleſiæ univerſæ tanti ponderis viſæ ſunt, quin in contrariam ſententiam convenientes Joannis Evangeliſtæ opus eſſe genuinum aſſererent.

An verò canonicus eſſet liber, diù in Eccleſia dubitatum eſt; è canone enim illum expunxiſſe plores ex Eccleſiis orientalibus ſuorum temporum, S. Hieronymus, Amphilochius, Sulpicius Severus teſtantur; quin nec in Catalogo Concilii Laodiceni, & in altero S. Cyrilli Hieroſolymitani occurrit. Verùm S. Juſtinus, S. Irenæus, Origenes, S. Cyprianus, S. Clemens Alexandrinus, Tertullianus, omneſque deinde Patres à quarto ſæculo, Apocalypſim veluti canonicum librum laudant. Hæretici illi, quos S. Epiphanius *Alogos* nominat, Marcionis, & Cerdonis ſectatores, Lutherus tandem, aliique recentiores hæretici eundem librum rejiciunt; ex quo de authoritate ipſius in Eccleſia Catholica præjudicium fieri poteſt. Ipſi tandem Proteſtantes catholicam ſententiam contra Lutherum defenderunt, ac præ cæteris Beza omnia ab eodem Luthero contra Apocalypſim producta argumenta diluit.

Totus Liber in 22. capita diſtribuitur, quorum priora tria inſtruendis Epiſcopis ſeptem Eccleſiarum, Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardorum, Philadelphiæ, Laodicææ adhibentur; quindecim, quæ proximè ſequuntur, perſecutiones Eccleſiæ exhibent, ſivè per Judæos, ſive per hæreticos, ſivè tandem per Imperatores Romanos, ac potiſſimum per Diocletianum, & Maximianum, Galerium Maximianum, Severum, Maxentium, Maximinum, Licinium & Julianum Apoſtatam. Ibi deſcribitur ultio Domini in perſecutores, in Imperium urbemque Romanam, quæ Babylonis inſignis proſtitutæ, ſeptem collibus inſidentis nomine deſignatur. Quatuor tandem reliqua capita triumphum continent, quem Eccleſia de hoſtibus retulit, ipſius cum Agno nuptias, ac tandem Eccleſiæ triumphantis felicitatem. De iis, quæ ad Apocalypſim ſpectant, uberiùs agit Du Pin in Diſſertatione ad analyſim ejuſdem libri, & nos etiam in Præfatione ad Commentaria in Apocalypſim.

II. APOCALYPSIS S. PETRI, liber apocryphus, de quo agunt Euſebius (h), & Hieronymus (i), ac laudavit S. Clemens Alexandrinus (k) in Hypotipoſibus. Noſtris temporibus omnino intercidit. Refert Sozomenus (l), ſua ætate legi conſueviſſe in Eccleſia Apocalypſim S. Petri die Feriæ ſextæ in Paraſceve, cum univerſus populus in memoriam Paſſionis J. C. jejunium ſervaret.

III. APOCALYPSIS S. PAULI, liber apocryphus Gnoſticis, & Cajanitis probatus (m), quem dicebant ea omnia exhibere, quæ Paulus in raptu viderat, ac ineffabilia eſſe in Epiſtola 2. ad Corinthios 12. 4. ſcripſerat. Nec hæretici tantum, ſed & plures Monachi, authore Sozomeno (n), mira de eo Opere prædicabant, jactitantes illud divina revelatione tempore Theodoſii innotuiſſe, cum antè Tharſi in domo S. Pauli in arca marmorea ſub terra reconditum latitaret: quòd tamen meram fabulam eſſe ab hæreticis fortè confictam idem Sozomenus ex relatione Sacerdotis Tharſenſis prodidit.

IV. APOCALYPSIS S. Joannis, alia ab ea, de qua paulò ante egimus. Hanc in Bibliotheca Cæſarea M. S. aſſervari teſtatur Lambecius *Cod.* 119. *Bibliot. fol.* 108.... 15.

V. APOCALYPSIS CERINTHI, in qua hæreticus ille neſcio quid de regno mille annorum, ac de voluptatibus ſenſualibus, quibus toto eo tempore Viri Sancti Hieroſolymis fruituri eſſent, comminiſcebatur, eaque ſe à Deo didiciſſe jactitabat (o). Apocalypſim S. Joannis Cerintho nonnulli ex Veteribus attribuerunt, forte ex eo decepti, quod hæreticus eo libro plurimum abuteretur.

VI. APOCALYPSIS S. THOMÆ, ſolum innoteſcit ex Decreto Gelaſii Papæ illam inter apocrypha recenſente.

(APOCALYPSIS *Adam*. Inſcriptam hoc nomine Apocalypſim quandam probaſſe Gnoſticos refert S. Epiphanius., hæreſ. 31. cap. 8. Huic lucubrationi pro-

(a) 1. Par. 2. 53. (b) Herodot. lib. 3. cap. 28. Plin. lib. 8. cap. 46.
(c) Gerard. Voſſ. de Idololat. lib. 9. Vide apud illom Julium Firmic. & Rufin.
(d) Geneſ. 49. 6. ex Hebræo. (e) Geneſ. 45. 8. Fecit me quaſi Patrem Pharaonis.
(f) Eo temporis ſpatio quod intercedit inter an. 95. & 97. Chr. (g) Apud Euſ. l. 3. c. 28. hiſt. Eccl.
(h) Euſ. hiſt. Eccl. l. 3. c. 3. (i) S. Hier. in Catal (k) Apud Euſ. Hiſt. Eccl. l. 6. c. 14.
(l) Sozom. l. 7. c. 19. (m) Epiph. hær. 38. c. 38. G. Fycar. d. 2. animal. Auguſt. in Joan. tract. 98.
(n) Sozom. l. 7. Hiſt. Eccl. (o) Theodoret. l. 2. hæretic. Fab. c. 3.

producendæ cauſam dediſſe credimus illud Geneſis 2. 21. ex Hebr. Deum ſcilicet immiſiſſe *altum ſoporem*, vel ut legunt Septuaginta, *extaſim in Adamum*.

Apocalypſis Abrahami. Salaciſſimum planè Opus ait S. Epiphanius hæreſ. 39. cap. 5. Sethianis authoribus ſat dignum.

Apocalypſis Moyſis. De illa ſermonem habens Georgius Syncellus pag. 27. affirmat Apoſtolo ſuppeditaſſe ſententiam in Epiſtola ad Galatas 5. 6. & 6. 15. recitatam: *Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura*. Ipſiſſimum credebatur à nonnullis Opus, teſte Cedreno, ac *Geneſis parva*, liber ſanè apocryphus, qui Veteres latuit.

Apocalypſis Eliæ. Ex qua deſumptum contendebant Hæretici, teſte S. Hieronymo Epiſt. 101. ad Pammach. illud 1. Cor. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*. Verba hæc recitans Origenes Hom. ult. in Matth. 27. 9. affirmat, nullibi legi niſi in occultis libris Eliæ.)

APOCRYPHA. Vox Græca, ex verbo *apocrypto*, abſcondo. I. Libri illi, quorum veri Authores ignorantur, apocryphorum nomen obtinent (a). II. Eodem nuncupantur libri, qui nec in Canone SS. Scripturarum recenſebantur, nec publicè in Eccleſia legebantur, quamvis ſingulis Fidelibus privatim legendi in propriam ædificationem permitterentur. III. Apocryphus liber ſæpè eſt Opus, non Divinæ quidem autoritatis, ſed ab Authore probato, velut ab Apoſtolo aliquo conſcriptum, uti Epiſtola S. Barnabæ. IV. Libri hæreticorum, hæreſibus ſcatentes eo titulo notabantur.

Igitur Libri apocryphi non unius ſunt generis. Alii enim ſunt omninò impii, & pernicioſi, ab hæreticis conſarcinati; cujus generis habentur Evangelia S. Thomæ, Valentinianorum, Simonianorum, Gnoſticorum, & Marcionis &c. Alii nec fidei, nec moribus officiunt, qui non fruſtra à Fidelibus legerentur; uti ſunt quartus Liber Eſdræ, tertius, & quartus Machabæorum, Epiſtola S. Barnabæ, Liber Hermæ. Alii tandem dubiæ authoritatis diutius habiti ſunt, donec conſenſus Eccleſiarum illos in catalogo Librorum Sacrorum accenſuit (b), quod factum eſt cum Libris Judith, Tobiæ, duobus primis Machabæorum, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruc, additionibus in Græco extantibus Librorum Eſther, & Danielis, ac hiſtoriis Suſannæ, & Beli, de quibus S. Hieronymus Præf. in lib. Salom.: *Eccleſia quidem legit, ſed intra Canonicas Scripturas non recipit*. Sunt etiam aliquæ ex his additionibus, quæ noſtris quoque temporibus à pluribus Catholicis in dubium revocantur, uti tituli Pſalmorum, Præfatiuncula Jeremiæ, & Eccleſiaſtici, & juxta aliquos Scriptores Additiones Eſther, & Danielis.

Proteſtantes hunc apocryphorum numerum augentes, nedum eo titulo notant Libros, quos Eccleſia Romana non recipit, veluti Orationem Manaſſis, & tertium, & quartum Machabæorum, tertium, & quartum Eſdræ, Epiſtolam S. Barnabæ, Librum Hermæ, Additiones ad calcem Libri Job, Pſalmum 151; verùm & eamdem ſententiam ferunt in Libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, duos primos Machabæorum, Tobiæ, Judith, Baruc, in Additiones Danielis, & Eſther, quæ in Hebræo non extant; in Epiſtolam ad Hebræos, & Jacobi, ſecundam Petri, ſecundam & tertiam S. Joannis, S. Judæ, & Apocalypſim.

Si quis velit exactiorem catalogum librorum apocryphorum, ſivè qui Authoribus Sacris tam Veteris, quam Novi Teſtamenti tribuuntur, conſulat duo volumina Cl. Fabricii, quorum aliud inſcribitur: *Codex pſeudepigraphus veteris Teſtamenti*; alterum verò: *Codex apocryphus novi Teſtamenti*.

I. APOLLO, Numen Gentilium, cui oracula, & ars divinandi tribuebantur. Vide *Python*. Lege quoque Deut. 18. 11., & 1. Reg. 28. 7. & 4. Reg. 21.

II. APOLLO, Judæus Alexandrinus, qui Epheſum venit (c), quo tempore S. Paulus Hieroſolymam iverat. Vir erat Scripturarum ſcientia, & eloquentia excultiſſimus (d), nec non viarum Domini peritus; quare adhuc Catechumenus, nec niſi Joannis baptiſmate initiatus, ſimulque nondum myſteriorum noſtræ Religionis ſatis inſtructus, Chriſtum tamen pari ardore, & cura prædicabat. Igitur cum Epheſum veniſſet, de Jeſu Chriſto verba in Synagoga facere non dubitavit; qua occaſione ab Aquila, & Priſcilla, quos auditores habuerat, de Religionis rebus plenius edoctus, ac fortè baptiſmo initiatus eſt.

Poſt modicum profectionem in Achajam cogitans, accedente deindè Fratrum conſilio, eorumque literis ad Diſcipulos datis comitatus iter ſuſcepit; Corinthum perveniens, pro fidei negotio, qua verbis, qua Scripturarum explicatione adeò feliciter laboravit, ut ea, quæ Paulus plantaverat, opportunè irrigaret (e). His officiis Fideles capti ejus ſequelæ addicti ſunt; cum interim alii Pauli, alii verò Cephæ eſſent ſtudioſiores; ex quo parum abfuit, quin ſchiſma excitaretur. Nec tamen ea Diſcipulorum contentio, de qua S. Paulus in prima ad Corinthios Epiſtola agit, Duces ipſos inter ſe divulſit; quin Apollo, cum audiſſet Paulum Epheſi eſſe, illum adiit, nec deſeruerat adhuc, quo tempore eadem ad Corinthios Epiſtola ſcripta eſt, in qua Paulus teſtatur hunc à ſe obſecratum, ut Corinthum rediret, ſed fruſtra egiſſe, ſperare tamen ſe, cum primum commodè poſſet, regreſſum maturaturum.

S. Hieronymus ad Tit. 3. tradit, eam diviſionem, quam ſui occaſione Corinthii ſuſcitaverant, adeò Apollo diſplicuiſſe, ut relicta Urbe, in Cretam cum Zena Legiſperito confugerit; nec priùs rediiſſe, quàm per Apoſtolum Paulum diſſidentes animi conciliarentur; regreſſum verò ibi Epiſcopale munus obiviſſe. Græci in Menologiis Cathedram Epiſcopalem Duræ eidem attribuunt; Colophonis in Aſia Menæa. Ferrario eſt Epiſcopus Coni, ſivè Iconii in Phrygia; aliis verò Epiſcopus Cæſareæ.

APOLLONIA, Urbs Macedoniæ, quà S. Paulus Theſſalonicam tendens, pertranſivit. Act. 17. 1.

APOLLONIA, Urbs Palæſtinæ ad Mare, media æquali fermè itinere inter Joppem, & Cæſaream; Joſepho, Plinio, & Ptolomæo nota; & in Tabulis Peutingeri æquali intervallo inter Joppem, & Cæſaream collocata. Quamvis aliqui eam cum Antipatride confundant, Joſephus Antiq. lib. 13. cap. 23. tamen de illis, quaſi de duabus, loquitur. Nihil de illa in S. Scriptura.

I. APOLLONIUS, unus ex Ducibus Antiochi Epiphanis, quem Grotius credit Præfecturam Myſiæ geſſiſſe, quippè in Græco (f) Myſarches nuncupatur; quamquam eo nomine, non ſolum Princeps Myſiæ, ſed etiam Dux ſceleſtorum ſignificari commodè poſſit. Hunc Antiochus Epiphanes Hieroſolymam miſit pecuniis comparandis; quod ille hac fraude exequutioni mandavit, (g). Urbem cum exercitu 20000. militum adivit, eamque pace ſimulatà ingreſſus, tandiù quievit, quandiù dies Sabbathi adeſſet; tunc verò dato militibus ſigno populum trucidari, urbemque diripi, & incendi mandavit; inſuper 10000. captivos abduxit vendendos, pretio in Regia æraria inferendo. Duobus ab hinc annis (h) Judas Machabæus 6000. Judæorum exercitu coacto, dilapſis eorum rebus reſtituendis, cum eodem Apollonio è Syria adversùs ſe profecto prælio certavit, eumque exercitu, & vità ſpoliavit, quo præda ingens victori relicta eſt, nec non enſis Apollonii, quem in certaminibus deinceps adhibuit.

II. APOLLONIUS DAUS, Præfectus Cœle-ſyriæ, & Dux exercitus Demetrii Nicanoris, filii Demetrii Soteris. Cum ab Alexandro Bala ad Demetrium defeciſſet, ejus exercitum in Judæos duxit, illos in Demetrii

---

(a) Hieron. ad Lætam. Aug. l. 15. de Civ. c. 25. (b) Concil. Lateran. & Trident.
(c) An. Chr. 54. (d) Act. 18. 24. (e) 1. Cor. 3. 7. (f) 1. Mach. 5.
(g) 1. Mach. 1. 30. 31. & 2. Mach. 5. 24. 25. &c. A. M. 3836. ante Chr. 164. ante Ær. 167.
(h) 1. Mach. 3. 10. &c. An. M. 3838. ante Chr. 162. ante Ær. 165.

metrii partes vi adducturus (a). Cum Jamniam perveniſſet, Jonatham Machabæum in campeſtria ad prælium invitavit (b), exprobrans, quòd animis deficiens ad montium cacumina confugiſſet, apertam planitiem declinans. Jonathas exprobrationum impatiens, aſſumpto Simone fratre, ac 10000. ſelectiſſimis, ſubitò antè Joppem ſtetit, quam primò defenſionem parantem, mox oppugnationem pertimeſcentem recluſis januis in fidem recepit.

Apollonius his auditis Azotum uſque exercitum ex 8000. peditibus, & 3000. equitibus perduxit, 1000. inſuper equitibus in inſidiis juxta torrentem relictis, ut Judæos à tergo infeſtarent. De quibus tamen Jonathas certior factus, copias ità diſpoſuit, ut hoſtibus quocumque ex latere obverterentur, datoque inſuper ſingulis mandato, ne ex ordinibus egreſſi pugnarent, ſed collato pede vim inimicorum ſuſtinerent. Equitatus Apollonii diem inſumpſit ejaculandis telis, quibus ab hoſtibus in clypeos exceptis, irrito labore laſſatus eſt. Inclinante die, Jonathas in hoſtes irruit, quem impetum declinantibus equitibus, pedites ſuſtinere non valentes in fugam diſperſi ſunt; multoſque, qui in Templum Dagon propè Azotum confugerant, Jonathas aſſequutus, una cum Templo concremavit. Hanc victoriam Alexander Bala ſuis laudibus & muneribus cumulavit; quippè Jonatham ea occaſione aurea fibula, veluti Regis cognatum, & Urbe Accaron donavit.

(*Factum hoc Jonathæ meditationis habet plurimum, bellicæ audaciæ multum quà prudentia in agendo, quà egregiè diſpoſitis ab inſigni Duce militiis: documentum illuſtre exercitùs Ductoribus, ingens quoddam profundumque peditum agmen, confertis validum ordinibus, ſua ſemper referre commoda, quocumque tandem regionis ſitu prælium ineatur: ſive illud opponendum ſit equitibus terrori præliorum, quæ in patenti agro committuntur, ſive peditibus; ſiquidem hoſtium agmini alio inſtructo ordine opponatur. Ejus rei veritate optimè perſuaſus Jonathas, commodèque uſus inſcitia Apollonii hoſtiles copias ducentis, cujus ſanè viri nec copias refertiſſimas metuebat, nec robur, probè utique demonſtravit parem ſe futurum ſuſtinendo impetui equorum, quem ſanè hoſtibus metuendum rebatur Apollonius. Ita enim renunciari mandavit Jonathæ Viri confidentiam admiratus, qui prælium non detrectabat (c): *Quomodo poteris ſuſtinere equitatum, & exercitum tantum in campo, ubi non eſt lapis, neque ſaxum, neque locus fugiendi?* Legas apud Sacrum Authorem, quæ de ſe prædicabat Ductor iſte armorum, jactabundo homine ſat digna. At ſtrenuus hic Iſraelita errantem ſuo periculo docuit, demonſtrans modicum exercitum majori præferendum, ſi manibus ſcientiſſimi Imperatoris committatur.

Ad prælium igitur accinxit ſeſe Jonathas, agmen ducens 10000. militibus validum, cui Simon ejus frater conjunxit, uti facilè credimus, quicquid copiarum habebat commiſſum (d): *Occurrit et Simon frater ejus in adjutorium*. Neque enim verbis hiſce inſinuatur unum virum adjeciſſe ſe comitem fratri; ſed utriuſque agmen conjunctum. In Urbem igitur Joppe inferentes arma, impetu rapuerunt. Quod ut reſcivit Apollonius, *abiit Azotum, tanquam iter faciens, & ſtatim exiit in campum, eo quod haberet multitudinem equitum, & confideret in eis. Et inſecutus eſt eum Jonathas* (equitatu deſtitutus) *in Azotum, & commiſerunt* (ibi) *prælium*.

Apollonius probè noſcens, quanto eſſet animo Judæus Imperator, inſidias in illum ſtruxit, relictis mille equitibus, qui procedentis agminis Jonathæ poſtrema obſiderent. Monitus ea de re Jonathas, & petinde ac nullius momenti id reputans, illicò ſe undique hoſtibus circumfuſum ſenſit: *Circuierunt caſtra ejus*. Quæ planè verba negotium faceſſerent iis, quæ inſià reputabimus, niſi opportunè monuiſſet Benedictinus Interpres *caſtra* hic uſurpari pro exercitu; ſat enim conſtat caſtra Judæos non locaſſe; prælium enim ſtatim eſt initum, ex quo uterque exercitus venit in conſpectum. Laudat D. Calmet in ſuo Commentario Joſephum, textum hujus loci aliter, nec injuria, mea quidem ſententia, explicantem. Ita ergo Antiq. *l.* 13. c. 8. *Jonathas re intellecta nequaquam animo conſternatus eſt, ſed exercitu in quadrum diſpoſito* (ad literam *in tegulæ modum Macedonicam phalangem referentis*) *hortatus eſt ſuos, ut utrinque hoſtem propulſarent*. Probant hæc agmen quadrato fuiſſe oblongo, & profundum maximè, ut duplicatam phalangem crederes. Timens igitur Apollonius, ne denſum hoc peditum agmen, peditum ſuorum phalangem retunderet, equitatum immiſit, à quo undique urgente ordines diſrupti, facilè deinde à ſuccedentibus peditibus trucidarentur. Sed falſa ille reputavit; egregiè enim Judæorum agmen contra hoſtilem omnem vim & ſagittarum excuſſam procellam reſtitit. Ex quo non ambiguè demonſtratur, diſpoſitos ab Apollonio undique ſagittarios. Verba illa *in modum tegulæ* indicant Judæos clypeis uſos, ut olim pedites Antonii, dum è prælio adverſus Parthos ſeſe reciperent, ſub quibus ſcilicet ſe tanquam in ſylva protegerent; vim enim hæc habent, tanquam ſi teſtudinem ferrent; vox autem *tegulæ* quadratum oblongum veluti ſub oculis ſubjicit.

At ſalebræ hìc occurrunt non facilè ſuperandæ. Hujus libri Author ne verbo quidem meminit Simonis, quo ille loco copias ſuas diſpoſuiſſet; an igitur à fratre diverterat; & unde nam? Nonne Judæorum exercitus omnis, medius ab hoſtibus exceptus erat? *& Simon* nihiloſecius *ejecit exercitum ſuum, & commiſit contra legionem* (hoſtium phalangem); *equites enim fatigati erant; & contriti ſunt ab eo, & fugerunt*. Extricemus hæc; neque enim fieri poterat, ut diſſociaretur à fratre. Ita ergo conſtitit res tota; laſſati pedites, æquè ac medios illos excipientes equites commoti animo, neque ultra ſuſtinentes, ut impetum hoſtilem immoti retunderent, impetu repentino invexerunt ſeſe in phalangem; nec illa impetum ſuſtinens diſrupta & lacerata fuga ſe diſſipavit. Cùm autem Simon terga agminis pedeſtris tegeret, phalangem habuit averſam, in quam impetu ruit, fratre interim equitatui & ſagittariis reſiſtente. Hæc mea quidem non æqua minùs, quàm probabiliſſima conjectura; nec melius philoſophari licet de prælio, cujus hiſtoriam ſatis apertè proſequendam Author ſacer non cenſuit.)

APOLLOPHANES: quem viginti ex militibus Judæ Machabæi, una cum fratribus Chærea, & Timotheo in arce Gazara trucidarunt. 2. Machab. 10. 37.

APOLLYON, vox Græca, Latinis Exterminans, Hebræis *Abadon*. S. Jo: in Apocalypſi 9. 11. ſcribit, Angelum abyſſi puteum recluſiſſe, è quo fumus erupit denſiſſimus, ſecum trahens locuſtas ſimiles equis ad bellum armatis, eaſque ducebat Angelus abyſſi nomine Hebræis *Abadon*, Græcis *Appollyon*, Latinis *Exterminans*.

APORIOR, verbum in Vulgata frequens. Eccl. 18. 6. *Cum quieveris, aporiabitur*. Iſ. 59. 6. *Aporiatus eſt, quia non eſt*. S. Paulus 2. Cor. 4. 8. *Aporiamur, ſed non deſtituimur*. Ex eadem radice eſt etiam *aporia*. Eccl. 27. 5. *Aporia hominis in cogitatu illius*. *Aporiari* igitur eſt dubium, incertum, ancipitem verſari.

APOSTATA, quo nomine notantur ii, qui à vera Religione veluti à Catholica, ſivè à Judaica ante adventum Chriſti ad Idololatriam, ſivè hæreſim, ſeù ſchiſma deſciſcunt. Eodem quoque nuncupantur, qui Religioſæ vitæ profeſſione relicta, cui votis ſolemnioribus ſe antea obſtrinxerant, ſæculum repetunt. In Scriptura verò nomen Apoſtatæ aliquando aliò ſpectat. Hinc Job. 34. 18. in Vulgata legitur: *Qui dicit Regi: Apoſtata*; in Hebræo verò eſt: *Qui dicit Regi: Belial*; ſcilicet homo es nihili, ſivè ſceleſtus. Prov. 6. 12. Vulgata legit; *Homo Belial, homo iniquitatis*. Apud

(a) An. M. 3856. ante Chr. 144. ante Ær. 147. (b) Joſeph. Antiq. l. 13. cap. 8. & 1. Math. 10. 69. &c.
(c) 1. Mach. 10. 73. (d) Ibid. V. 7.

Digitized by Google

Apud Ezech. 2. 3. *Gentes apoſtatrices*, ſunt populi contra Dominum pugnantes. Illud effatum Eccl. 19. 2. *vinum & mulieres Apoſtatare faciunt etiam Sapientes*; ità eſt intelligendum, ut vino & mulieribus homines plurimum à recto abducti, in vitia prolabantur.

APOSTOLUS, a Græco *Apoſtolos*, ſcilicet miſſus. Apoſtoli apud Hebræos erant Viri, ab eorum Patriarcha miſſi ſingulis annis exigendis quibuſdam tributis, quæ *aurum coronatum* nuncupabantur (a). Credunt aliqui ante adventum Chriſti aliud extitiſſe genus Apoſtolorum (b) pro exigenda viritim ea ſicli medietate, quam ſinguli Iſraelitæ Tabernaculo ſivè Templo Dei ſolvere tenebantur (c). Fortè ante Templi deſtructionem nomen Apoſtolorum viris ad eam rem deſtinatis attributum eſt. Ego verò, quamvis legerim illud Apoſtoli nomen additum fuiſſe iis, qui deferendis mandatis de rebus ad Religionem attinentibus Summorum Sacerdotum, & Principum populi ad Urbes, & Provincias deſtinabantur, nihil tamen ſimile legi unquam dictum de viris, quibus cura exigendi ſicli medietatem demandabatur.

Hinc S. Paulus Apoſtoli munus geſſit, cum ad Synagogas Damaſci deputatus fuit, ut Chriſtiani in carcerem adducerentur. Quem morem ſpectaſſe credit S. Hieronymus in ep. ad Galat. c. 1. 3. eundem Paulum, dum in Epiſtola ad Galatas de ſeipſo ait: *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum &c.* Ac ſi diceret, ſe non Apoſtolum eſſe ad inſtar eorum, qui à Judæis mittebantur, ſed à Chriſto Jeſu miſſum eſſe.

Apoſtolis ad hoc deſtinatis, veluti emiſſariis, uſi ſunt Judæi propagandis longe lateque calumniis contra Jeſum Chriſtum, ejuſque Diſcipulos, quod præter teſtimonium Euſebii, & S. Hieronymi in Iſai. 88., ex authoritate S. Juſtini Martyris in Dial. contra Tryphonem apertè conſtat; teſtatur enim à Judæis Apoſtolos quoſdam ablegatos, deferendis quocumque literis contra Chriſtianos. Hoc idem Apoſtoli munus honorificum apud Judæos habitum, ſimulque magni fuiſſe proventus, tradit S. Epiphanius Hæreſ. 30.

Quod ad Apoſtolos Jeſu Chriſti attinet, ex primis, potioribuſque Diſcipulis ipſius ſelecti ſunt, eoſque S. Spiritu repletos cæteris præeſſe, ſimulque myſteriorum eſſe depoſitarios voluit, ut illis veluti baſibus, totius Eccleſiæ ædificium inniteretur. Poſt reſurrectionem, juſſu Domini in Mundum univerſum ablegati ſunt, ut fidem annunciarent, ac baptiſmum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti conferrent; cujus rei gratia miracula patrandi virtute donati ſunt. Nomina duodecim Apoſtolorum, quos ipſe Jeſus ſelegit, hæc ſunt. 1. Petrus; 2. Andreas; 3. Joannes Evangeliſta; 4. Philippus; 5. Jacobus Major; 6. Bartholomæus; 7. Thomas; 8. Matthæus; 9. Simon; 10. Thaddæus, ſive Judas; 11. Jacobus Minor; 12. Judas Iſcariot; cui laqueo ſibi vita præciſa ſubſtitutus eſt Matthias. Tandem Paulus divino miraculo ad fidem evocatus, cæteris Apoſtolis additus fuit. Uniuſcujuſque Apoſtoli vitam ſingillatim in ſuis articulis exhibebimus.

(APPELLARE. Uſurpatur id ſæpè pro *eſſe* (d). *Vocabitur admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi.* Dotibus hiſce omnibus diſtinguetur; erit enim re ipſa Deus fortis, admirabilis &c. Et Lucæ 1. 32. *Filius Altiſſimi vocabitur*, non tam nomine, quàm re ipſa talis. De S. Joanne Baptiſta Zacharias Lucæ 1. 76. *Propheta altiſſimi vocabitur.*

In publicis conventibus (e) nomine acciri, viri eſt honoratiſſimi. Generali quadam invitatione præconis convocabatur populus; ſed proprio nomine apellati Principes Tribuum, & viri in populo ampliſſimi. Hebræus habet *homines nominis*; homines ſcilicet celebres & fama noti. Deus nomine ſuò appellans Bezeliel, opificem tabernaculi ſui conſtituit; vocans autem nomine ſuo Abraham, ſervitiis ſuis peculiariter deſtinat. Cyrum etiam appellat nomine &c.

Appellare eſt etiam ad munus aliquod vocare, ad Chriſtianam religionem. Appellatum ſe ad munus Apoſtoli affirmat S. Paulus Rom. 1. 1. Vocari multos, raros autem eligi docet Jeſus Chriſtus Matth. 20. 16. Monentur Fideles, ut vocatione ſua dignam vitam inſtituant; monentur, ut in ſua ſinguli, ad quam deſtinati ſunt, vocatione permaneant (f), ut vocationem proborum operum exercitio aſſeverent, 2. *Petri* 1. 10.

Appellare nomen alicujus ſuper ſe, vel ſuper alium, Iſaiæ 4. *Invocetur nomen tuum ſuper nos*; ideſt conjugum tuarum nomine donemur. *Nomen tuum Domine invocatum eſt ſuper nos*; nomine populi Dei diſtinguimur. Geneſ. 48 16. *Invocetur ſuper eos* (ſuper gemellos) *nomen meum* (Jacob), filii Jacob habeantur. Pſal. 49. *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis*; denominaverunt terram de ſuo nomine. Geneſ. 21. *In Iſaac vocabitur ſibi ſemen*; ex Iſaac poſterorum tuorum ſeries perennabitur.

Appellare, authoritatem exprimit; ut cùm herus qui ſervos ſuos vocat ad officium. Deus famem appellat ſuper terram, 4 Reg. 8. 1. Pſ. 104 6. Deus *terram vocas* ad judicium Pſ. 49. 1. Et Aggæi 1. 11. *vocat ſiccitatem ſuper terram*. Amos 3. 8. *vocat aquas maris, & ſuper terram effundit*. Jerem. 25. 29. vocat gladium, vel bellum in regionem &c. Baruc. 3. 35. *Vocat ſtellas, & dicunt; Adſumus.*

Appellare ad cœnam phraſis eſt in S. Scriptura familiaris, in qua & *vocati* interdum deſignantur convivæ.)

APPHAIM, filius Nadab. 1. Par. 2. 30.

APPHUS, quo cognomento Judas Machabæus appellatus eſt 1. Mac 2. 5. Hoc nomen pro literarum diverſitate, quibus ſcribi poteſt, diverſæ eſt ſignificationis; vel enim reddi poteſt, *Deficiens*, vel *Abundans*, vel *diſpergens*.

APPIA, Uxor Philemonis, S. Pauli familiariſſimi. Fertur Martyrium conſummaſſe unà cum Viro Philemone; ejuſque feſtum colitur die 22. Novembris.

APRIES, Rex Ægypti, Authoribus Sacris Pharao, Ephree, ſivè Hophra (g). Patrem habuit Pſammim, avum vero Nechao, ſivè Nechos, qui in Joſiam Regem Juda arma movit. Regnavit annis 25. (h) quorum partem egit adeò tranquillam, ut omnium Principum feliciſſimus haberetur; mox verò claſſe contra Cyrenenſes infeliciter ducta, Ægyptiorum invidiam ſubivit; quippè illi bellum non alia de cauſa ab ipſo ſuſceptum fuiſſe querentes, niſi ut ſubjectis ſibi populis ſubductis, cæteros gravioris dominationis jugo opprimeret, in apertam defectionem eruperunt. Illis reducendis Apries unum ex Ducibus Amaſim ad ipſos deſtinavit; cui, dum pro Rege concionem haberet, quidam ex populo diadema caſſidi obvolvit; mox Regem ſalutavit, cæteris plauſu, & approbatione factum excipientibus; nec ipſo Amaſi admodum reſiſtente. Hinc novus Rex ſubitò copias contra Apriem duxit, cumque prælio non tonfecit tantùm, ſed etiam captivum abduxit. Neque hic ærumnarum finis; nam populus è manibus Amaſis, à quo clementer habebatur, ſubductum laqueo præfocavit. Hunc finem habuit juxtà Herodotum Rex ille, quem Deus per Jeremiam 44. 30. in manibus hoſtium ſe daturum proteſtatus fuerat, quemadmodum Sedeciam arbitrio Nabuchodonoſor Regis Babyloniæ permiſerat. Nabuchodonoſor bellum in illum moviſſe veroſimillimè creditur, quo eventu verò non conſtat.

(Rex ille, inito cum Sedecia fœdere, auxiliares illi copias miſſurum ſpoponderat (i). Hiſce ergo fretus pollicitationibus Sedecias, jugum Nabuchodonoſoris Regis Babyloniæ excuſſit (k); eundemque anni proximè ſubſequentis exordio contra ſe moventem gravem eſpertus fuiſſet (l), niſi parata in illum arma, redigendis in fidem gentibus quibuſdam Syriæ priùs non duxiſſet. Quibus confectis expeditionibus exeunte anno

(a) L. 14. Cod. Theod. de Judæis. (b) Vide Gothofr. Not. in Cod. Theod. l. 14.
(c) Exod. 30. 13. Matth. 17. 23. Cicero pro Flacco. Joſeph. Ant lib. 16. cap. 10.
(d) Iſai. 9. 6. (e) Num. 16 2. (f) Epheſ. 6. 1. (g) Jer. 44. 30. (h) Herodot. l. 2. c 161. &c.
(i) Ezech. 17. 5. (k) A. M. 3414. ante Chr. 586. (l) 4. Reg. 25. 5. & 2. Par. 36. 17. Jerem. 39. 1. & 52. 4.

Digitized by Google

no Jeruſalem ſtrinxit obſidione. Sat diu vim hoſtium ſuſtinuit Sedecias, quandiu ſcilicet ſat commodi nanciſci potuiſſet Pharao Hophra vel Apries, comparandi afferendique ſuppetias. Nec ſanè fruſtra; movit enim Apries ex Ægypto, valido inſtructus exercitu in Regem Babyloniæ, qui eductis ab obſidione copiis agmen duxit in hoſtes. Sed Apries conſerere cum illo manus, è re ſua non eſſe ratus, in Ægyptum ſeſe recepit toto belli pondere Sedeciæ humeris relicto. Vitio id vertit Ægyptiis Ezechiel. 29. 6. *Eo quod fuiſti baculus arundineus* (cadendi occaſio) *domui Iſrael, quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & laceraſti omnem humerum eorum*. Denunciat autem futurum, ut redigatur Ægyptus in ſolitudinem, ſævienteque gladio exterminandos homines & bruta. Nec vana ille; Apries etenim à Regno amotus eſt ab Amaſi, uti jam narravimus; tum etiam Perſarum armis cedere Ægyptus coacta eſt. De hoc Rege dictum cenſemus illud Habacuc 2. 15. *Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians, ut aſpiciat nuditatem ejus.*)

AQUÆ ZELOTYPIÆ, quæ uxoribus de adulterio ſuſpectis propinabantur. Num. 5. 17. 18. Vide *Adulterium*.

(Experimentum hoc adeò exactè deſcriptum à Moyſe, & Judæorum moribus toleratum, res eſt omnium, quotquot unquam legantur, ſupra fidem, nec niſi jugi quodam & perpetuo ſerviente Iſraelitis prodigio implendum. Non equidem dubitamus Viros in ea gente ſapientiſſimos ejus uſum altè improbaſſe; ſicut & Moyſem indulgendum in ea re tantùm cenſuiſſe duro ſat corde Hebræis, longo uſu aſſuetis id generis experimentis, ſive apud Ægyptios, ſive apud alias gentes familiaribus, paratis alioqui extrema omnia admittere, ſiquidem anguſtioribus ea in re cancellis continerentur à Legibus.

Deſiit hodie apud Judæos mos iſte, deſiitque jam inde ab everſione Templi per Romanos (a). Verùm ſi maritus ſiniſtri aliquid de uxore ſuſpicatur, vetat, ne procum aſpiciat; refractariam ſi fortè deprehenderit, vel ſi nactus fuerit ſimul ambos convenientes, nec levibus indiciis ſuſpicio roboretur, tunc de fide ſuſpectam mulierem repudiare jubetur à Rabbinis, & invitus etiam invitam è toro abjicere cogitur.

Conſtat utique jam inde à longiſſima ætate obtinuiſſe apud Orientales morem, variis experimentis ſubjiciendi illos, quos occulti nec detegendi criminis reos ſuſpicantur. Familiariſſima omnium habentur experimenta candentis ferri, & ebullientium aquarum. Obtinent hæc pariter noſtra ætate apud Sinas. Cùm de crimine lethali reus aliquis accuſatur (b), interrogatur, an ſubire velit è duobus hiſce experimentis aliquod; ſi acquieſcat, ſuper ejus manum extenduntur certæ cujuſdam arboris ſeptem folia, & ſuper folia ferrum candens impoſitum. Poſtquam illud aliquandiu ſuſtinuerit, projicit tandem, ſtatimque obvolvitur manus coriaceo quodam ſacculo, qui Regio ſigillo munitur. Poſt triduum exploratur manus, & ſi fortè nihil habeat vitii, ſalva illi omnia; delator autem aureo marcho Principi ſolvendo multatur. Aquæ experimenti is ritus: plenum aqua ahenum igni exponitur, & intra ebullientem aquam projectus annulus, quem ſi ex aqua illæſus eduxerit reus, à crimine abſolvitur.

Id generis experimentum, quod Sophoclem non latuit (c), invaluit etiam diu apud Chriſtianos longè latèque per Europam (d); quin & religioſum probatumque habitum fuiſſe ex eo conſtat, quod Liturgiæ & preces ad impetrandam ea occaſione Dei opem non deſint. His moribus cenſentur hodie pariter Indi. Commiſſi criminis reos accuſatos jubent Caſtræ potare venenum, lingere ferrum candens, vel bibere ebullientes aquas, quibus amaræ quædam herbæ anteà decoctæ ſunt. Nigri de Loango, Quineæ, & Siam, Indorumque cæteri eandem ſuperſtitionem probant, firma perſuaſione tenentes, omnia hæc inſontibus illæſis, præſtari.

AQUÆ ABYSSI. Ipſiſſimæ ſunt maris & fluminum, ſicut & in occultis terræ receptaculis conditæ aquæ. Appellantur etiam *aquæ inferiores*, ut diſcernantur ab aquis Cæli, nubibus, imbribus, rore, dictis *aquæ ſuperiores*, quas ab inferioribus ſeparat intermedium firmamentum (e), i. e. aer vel Cælum. In theſauris ſuis recondidiſſe Dominum abyſſos, conſtitutiſque illis terminis injunxiſſe, ne ultra tranſgrederentur, legimus in Scriptura.

AQUÆ CONTRADICTIONIS. Narrat Moyſes Num. 20. 2. &c. Iſraelitas, cùm veniſſent ad Cades, & aquarum penuria laboraſſent, ſeditioſo hoc murmure in Aaronem ejuſque fratrem invectos: *Utinam periiſſemus inter fratres noſtros coram Domino. Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem, ut & nos, & noſtra jumenta moriamur? Quare nos feciſtis aſcendere de Ægypto, & adduxiſtis in locum iſtum peſſimum, qui ſeri non poteſt, qui nec ficum gignit, nec malogranata; inſuper & aquam non habet ad bibendum. Ingreſſuſque*, proſequitur Textus, *Moyſes & Aaron dimiſſa multitudine Tabernaculum fœderis, corruerunt in terram, clamaveruntque ad Dominum, ac dixerunt: Domine Deus audi clamorem hujus populi, & aperi eis theſaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut ſatiati, ceſſet murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini ſuper eos; locutuſque eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.*

Tulit igitur Moyſes virgam congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite rebelles & increduli: num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? Cùmque elevaſſet Moyſes manus percutiens bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet & jumenta. Dixitque Dominus ad Moyſem & Aaron: Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Hæc eſt aqua contradictionis, ubi jurgati ſunt filii Iſrael contra Dominum, & ſanctificatus eſt in eis. Pro *aquæ contradictionis* Hebræus legit, *aquæ Meribah*, i. e querelarum & murmuris populi in Moyſem & in Deum.

Quærendi locus hic, quo potiſſimùm crimine Deum læſerit Moyſes, ut privari mereretur honore introducendi populum ſuum in terram promiſſionis. Notat Pſalmiſta, Pſal. 105. 32. 33. commotum aliquantò turbatumque fuiſſe Moyſem ex murmure populi, & minùs fiduciæ verbis ſuis prætuliſſe: *Irritaverunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus eſt Moyſes propter eos, & diſtinxit in labiis ſuis*. Ambigere aliquid de fide divinarum promiſſionum viſus eſt: educendas ab illo aquas non hæſitans ſpoponderat Deus; hæſitavit Moyſes aliquantò: *Num de petra hac aquam vobis poterimus ejicere?* Bis percutit ſilicem, cùm ad nutum tantùm educturum ſe aquas Deo pollicente ſciret; timet, ne commotus in populum Deus ea ſe impleturum neget, quæ implenda promiſerat. *Anima eorum variavit in me* ait, Zaccharias 11. 8. i. e. fluctuavit in incertum.

Minùs etiam, quàm par eſt, *ſanctificarunt Dominum*; de honore enim illi debito, obedientia, fide verbis illius præſtanda detraxerunt aliquid: *Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael*. Minùs juſtam utique indiderunt populo ideam virtutis ſeu amoris in illum Dei; & hæſitatione iſta ſua Deo omnia valenti injuriæ aliquid irrogarunt. Tandem Deus *ſanctificatus eſt in eis*; illuſtri enim documento monſtravit, quantæ eſſet juſtitiæ pariter & majeſtatis; monſtravit etiam populo, quanta fidei puritate ſerviendum fuiſſet Numini. Nec ſanè potentius aliud eſt inſpirando in Deum terrori, demonſtrandoque, quanto ſtudio Deus pro aſſerenda gloria ſua teneatur, quàm ſumpta in Moyſem & Aaronem de re tantula pœna.

AQUÆ

(a) Leo Modena par. 4. cap. 6. (b) Iter Sinenſe noni ſæculi pag. 37. not. pag. 159.
(c) In Antigon. ver. 264. (d) Ducange Lexic. Ferram candens, Juret not. ad Yvon. Carnot. Baluz. not. ad Capitular.
(e) Geneſ. 1. 6. 7. & 7. 11. Exodi 15. 5. Deut. 8. 7. & 33. 13. Iſaiæ 51. 10. &c.

Digitized by Google

AQUÆ MARA. Vide *Mara*.

AQUÆ FIDELES Iſaiæ 33. 16. aquæ ſunt nunquam deficientes, quarum latex ſemper fluens nunquam fallit; quibus opponuntur *aquæ mendaces* Jer. 15. 18. Ita *Domus fidelis* perinde valet, ac Domus nunquam non ſtabilis, *Ædificabo ei domum fidelem* 1. Reg. 2. 35. Et 2. Reg. 7. 16. *Fidelis erit domus tua*. *Merces fidelis* eſt merces certa & aſſerta. Illud Iſaiæ 22. 32. *Figam illum paxillum in loco fideli*, ideſt in loco ſtabili.

AQUÆ VIVÆ, aquæ fontanæ, fluentes, quibus oppoſitæ è ciſterna aquæ, aquæ ſtagnantes.

Quemadmodum autem *panis* in Scriptura de alimenti quocunque genere uſurpatur, ita pariter & aquæ ſunt potus quodcunque genus. Vitio vertitur Deut. 23. 4. Mohabitis & Ammonitis, quòd iter habentibus Iſraelitis in deſerto non occurrerint *cum pane & aqua*, i. e. cum annonæ quocunque genere, feſſis recreandis; Militibus Davidis inſultans Nabal dicebat 1. Reg. 25. 11.: *Tollam ego panes meos & aquas meas, & dabo viris, quos neſcio, unde ſint?* Ariolus ille Jeroboami in occurſum veniens Prophetæ Domini, injunctum ſibi ab Angelo nunciavit 3. Reg. 13. 18.: *Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, & bibat aquam*.

AQUÆ ALIENÆ, AQUÆ FURTIVÆ (*). Exprimunt voluptates illicitas de alieni generis fœminis ſumptas. Vitio id Iſraelitis datum eſt, deſeruiſſe nimirum illos fontem aquæ vivæ, ut ſitim reſtinguerent diſſipatarum ciſternarum aquis (a); i. e. cultum Dei abjeciſſe, ut ad corrupta Numina ſe conferrent.

Aquæ perinde valent interdum ac mala & ærumnæ: *Inundaverunt aquæ ſuper caput meum*. Thren. 3. 54. Pſ. 68. 1. *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam*. Vide etiam Pſ. 123. 4. 5. &c. *Non me demergat tempeſtas aquæ* Pſ. 128. 16.

Sunt etiam interdum aquæ lacrymæ & ſudor: *Quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum*. Jerem. 9. 1. Et: *Per cuncta genua fluent aquæ*. Ezech. 21. 7. & 7. 17.)

AQUÆ PEDUM. Hoc nomine apud Hebræos urina appellatur. Iſai. 36. 12. *Ut bibant urinam pedum ſuorum*: Hebraicè, *aquam pedum ſuorum*.

AQUÆ, frequenter Poſteros ſignificant: *De aquis Juda exiſtis* Iſ. 48. 1. *Fluet aqua de ſitula ejus* Num. 24. 7. *Bibe aquam de ciſterna tua, & deriventur fontes tui foras in plateis, &c.* *Prov.* 5. 15.

AQUÆ MEROM (b). Has eſſe aquas lacus Sechechon inter fontes Jordanis, & lacum Tiberiadis plures exiſtimant: verius tamen videtur, *Merom*, vel *Merome* in Campo Magno fuiſſe, & juxtà Euſebium, duodecim à Sebaſte milliaribus abſentem, Dothaim versùs. Debora enim in ſuo cantico dixit, Zabulon & Nephtali adversùs Siſaram pugnaſſe in regione Merome (c); conſtat autem eas Tribus ad radicem montis Thabor, & ad torrentem Ciſon bellum geſſiſſe.

AQUÆ. Aquæ multæ frequenter pro populis multis uſurpantur, juxtà Prophetarum phraſim. *Apoc.* 17. 15. *Aquæ, quas vidiſti, ... populi ſunt*.

I. AQUILA, ex Ponto in Aſia Minori oriundus Chriſtiana religione una cum Conjuge Priſcilla ab Apoſtolo imbutus (d); quem etiam, dum Corinthi ſubſiſteret, hoſpitem aliquandiù habuit, ejuſdem artis exercitio, tentoria nempe conſtruendi, vitam tolerantes. Veniendi autem Corinthum Aquilæ in cauſa fuerat edictum Claudii (e), quo Judæi Roma exulare coacti ſunt. Hujus hoſpitium mox Apoſtolus dereliquit, in domum Juſti non longè à Synagoga Judæorum digreſſus (f); quod fortaſſe Aquila fidelis eſſet ex Judæis, Juſtus vero ex Gentibus; quare hujus Domum liberiùs Pagani frequentare potuiſſent. Deindè cum Apoſtolus Corinthum deſereret, illum una cum Uxore Priſcillâ Epheſum uſque comitatus eſt, ubi præſentiſſimo vitæ periculo eundem Apoſtolum ſuo periculo ambo eruerunt (g). Quo tempore Paulus Epiſtolam ad Romanos dabat, Romam regreſſi fuerant; quare illos in eadem Epiſtola laudatos ſalutat; ſicut etiam ſalutandos per Timotheum curavit, in ſecunda ad illum Epiſtola c. 4. 19. ex quo intelligimus illos eo anno Epheſum diverteſſe. Quid veró præſtiterint dum viverent, nos latet. Feſtum S. Aquilæ Epiſcopi, & Apoſtoli Magno Græcorum Officio colitur, die 14. Julii. Latini Aquilæ, & Priſcillæ feſtum ad diem 8. Julii conſignant.

II. AQUILA, cujus eſt celeberrima Veteris Teſtamenti Verſio ex Hebræo in Græcum. Cum Adriani Imperatoris juſſu miſſus eſſet dirigendæ Hieroſolymæ reædificationi, ea occaſione Diſcipulos Jeſu Chriſti frequentiùs videre, & eorum ſanctiſſimis moribus ad idem vitæ genus ſeligendum allici potuit. Quare baptiſmo initiandum ſe tradidit. Verùm cum Aſtrologiæ judiciariæ addictus eſſet, ac monitus ab illius profeſſione non deſiſteret; anathematis cenſura ab Epiſcopis inuſtus, ab Eccleſia ejectus eſt. Quam ille injuriam graviter ferens, maluit fidem abjicere, & ad Judaicam Religionem deſcivit. Hinc ad ſtudium Linguæ Hebraicæ ſe conferens, tantum in ea profecit, ut vertendi Veteris Teſtamenti ex Hebræo in Græcum, negocium ſuſceperit; in quo tamen ſtudio apoſtaſiæ ſuæ defendendæ oracula Chriſto aliò avertit, quam Septuaginta interpretati fuerint, ait S. Epiphanius, de Ponder. & menſur. ex quo hæc omnia hauſimus. Porrò ſub Adriano hæc Verſio adornata creditur.

Primò autem Scripturam ita reddendam ſuſcepit, ut quamvis ſenſum teneret, verbis tamen illius non ſerviret, ſed ſtylo liberiori uteretur. Deinde iterùm opus adorſus eſt, quo non ſenſum tantùm, ſed & verba religioſè ſervare conabatur (h); quæ poſterior ſcribendi ratio Judæis probata fuit, adeout hanc Verſionem exactam prædicarent, & cæteris prætulerint; *Aquila*, ait S. Hieronymus in Epiſt. ad Pammach., *contentioſus Interpres, qui non ſolùm verba, ſed etymologias quoque verborum transferre conatus eſt*. Alibi verò idem S. Hieronymus aliter de illo effatus eſt (i): *Aquila, qui non contentioſus, ut quidam putant, ſed ſtudioſus, verbum interpretatus eſt ad verbum*. Ac in Epiſtola ad Marcellam Matronam Romanam teſtimonium pro illo tulit de eo, cujus à pleriſque Veterum accuſabatur, quaſi oracula Chriſtianæ Religioni faventia detorſerit. *Ut amicæ menti fatear, quæ ad noſtram fidem pertineant roborandam, plura reperio*.

An Paganus eſſet, ſive Judæus, antequam Chriſto nomen dediſſet, non conſtat. S. Epiphanius Paganum aſſerit; alii tamen contra hanc opinionem ea argumenta afferunt, quibus non facile eſt occurriſſe. An idem ſit ac Onkelos celebris Pentateuchi Paraphraſtes, in utramque partem ambigitur, pro utraque Rabbinis, & Chriſtianis Authoribus diſputantibus. Verùm potior Judæorum pars Onkelon Aquila antiquiorem agnoſcit; ſimulque conſtat in interpretatione quorumdam locorum haſce duas Verſiones non convenire. Conſule P. Bernardum Montfaucon in Hexaplis pag. 51. & Prolegomena Valtonis, & Serrarii.

AQUILA, avis, cujus Scriptura frequenter meminit. Hæc cum reliquis ejuſdem ſpeciei, immunda in Levitico 11. 13. dicitur: aquila ſcilicet æquorea, ſeù *haliaetos*, aquila quæ *oſſifraga* dicitur à frangendis oſſibus, ut eorum medullas voret. Alia etiam eſt aquila nigri coloris, quæ *Valeria*, ſeù *Melanaetus* appellatur. Ad aquilarum genus milvus, & vultur reduci poſſunt. Omnes hæ aves à Moſaica Lege prohibentur.

Legitur in Pſalmo 102. ℣. 5. Dominus juſti, velut aquilæ, juventutem innovaturus. *Renovabitur, ut aquila, juventus tua*. Plura Interpretes ab aquila ſenium deponente conjecerunt. Aliqui enim (k) denis quibuſque annis aquilam ad regionem ignis progreſſam, ex ea in mare præcipitem ſe dare, ibique vetuſtis pennis relictis, noviſque naſcentibus, juventuti

reſtitui

(*) Proverb. 9. 17. (a) Jerem. 2. 13. (b) Joſue 11. 5. 7. (c) Judic. 5. 15. (d) Act. 16. 2. &c.
(e) Sveton. in Claud. c. 25. (f) Act. 18. 7. (g) Rom. 16. 4.
(h) Origen. ad African. Hieronym. in Ezech. Idem ad Pammach. (i) Hieron. ad Dam. (k) Rab. Sabadias.

reſtitui arbitrantur. S. Auguſtinus in Pſal. 102. 5. & S. Epiphanius in Phyſiolog. teſtantur, aquilæ jam ſeneſcentis roſtrum adeò curvari, uti illi comeſtionem impediat; ipſam verò roſtrum ad lapidem allidentem, quod curvum nimis increverat, abrumpere, ciboque ſumpto juveneſcere. Alii roſtrum aquilæ jam ſeneſcentis adeò curvari ajunt, ut à cibo ſumendo impedita, ſola potione victitet; ex quo proverbium natum, *aquilæ ſenectus:* quæ tamen opinio ab aliis Philoſophis reſpuitur, qui aquilam, ut & reliquas aduncis unguibus aves, potus experrem vivere aſſerunt. Alii denique (a) aquilam veluti reliquas aves, quæ pennas quotannis renovant, juventutem recuperare autumant: quæ certè planior eſt explicatio. Quamobrem Hebraico textui ſanſus hic accommodari poteſt: *Renovaberis, & tua, velati aquila juventus erit.* Vires tuas recuperabis, utque aquila juventute ſua, ita eris.

Ait Moyſes Iſraelis populum à Domino ex Ægypto eductum, *ab ipſo ſuper alas aquilarum aſportatum fuiſſe* Exod. 19. 4. & Deut. 32. 13. ſicut Aquila pullos, ſic Dominus populum ſuum ſuper humeros geſtaſse dicitur; ipſumque ex Ægypto extraxiſse, & libertati reſtituiſse, ut Aquila pullos è nido educit, & leni circa illos volatu ad volandum provocat. Fertur certè aquila, pullos ſuos ſatis ad volatum per ætatem idoneos videns, alis ſuprà nidum plaudere, illoſque ad volandum provocare, deſeſſos verò, aut deterritos, humeris ſuis impoſitos deferre, adeo ut à venatoribus, niſi per matris corpus, nequeant vulnerari.

Salomon in Proverbiis 30. 19. quatuor ſibi penitùs ignota eſſe fatetur: viam aquilæ in aere, colubri ſuper lapidem, navis in mari, & viri in adoleſcentia ſua. Locus iſte nullam de aquila, colubro, & navi difficultatem habet; cum ſatis conſtet, hæc nullum ſui veſtigium in aera, lapide, & mari relinquere. Omnis autem ambiguitas de *via viri in adoleſcentia ſua*, quæ tantùm in Vulgata reperitur, ab Hebraico Textu tollitur, cum in illo legatur, virginitatis ſigna in Adoleſcentula nimium eſſe æquivoca, & cognitu difficilia.

Michæas 1. 16. innuere videtur, aquilam in luctu pennis exui: *Dilata calvitiam, ut Aquila*; his tamen verbis Propheta, eos, quos alloquitur, luctus tempore cæſariem ſciſſuros, nudoſque & ſpoliatos, velut aquilam pennas innovantem, futuros ſignificat. Aquila enim eo tempore omnes ſere pennas exuit, gravique adeò languore premitur, ut neque venatum, ut mos illi eſt, exerceat, neque ullis inſeſta volucribus evagetur. (b)

In Evangelio Chriſtus (c) pluries Jobi ſententiam (d) repetit: *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Communes aquilæ cadaveribus non veſcuntur; eſt tamen quoddam aquilarum genus, quod illis paſcitur (e). Cæterùm noſtræ non aquilæ crudas carnes, ſed recentes vorant; morticina reſpuunt. Hoc ad literam de aquila Job ſignificavit; cæterùm Chriſtus hac ſententia per allegoriam uſus eſt, ut ſcilicet explicaret, ubicumque prævaricatores Judæi fuiſsent, illic & Romanos Divinæ ultionis miniſtros adfuturos. Vide Comment. in Matth. 24. 28.

Alia, quæ de aquila circumferuntur, vel falſa ſunt, aut vulgaria, aut nil ad Scripturam, cui explicandæ in hoc Dictionario laboramus.

Plura etiam narrantur, ſed plurimùm fabuloſa; de lapide quodam, qui latinè *aetites*, Italicè *pietra d'aquila*, Gallicè *pierre d'aigle* nuncupatur, qui in ingreſſu nidorum iſtarum avium inveniri dicitur. Hunc fulmina à nidis prohibere dicunt. Majori eſt is in pretio, qui dilatatus eſt, ſubniger, ater, quique, ſi quatiatur, ſonat, quòd alium intra ſe lapidem claudat.

(Romanos in ſuis inſignibus pictas Aquilas prætuliſse, quibus etiam Aquilis ſicut & inſignibus aliis divinos honores contuliſse, ſat conſtat: *Religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna curat, ſigna omnibus Diis præponit*, ait Tertullianus (f). Ex Patribus & Interpretibus ſanè multi autumarunt, *abominationem deſolationis*, de qua Matth. 24. 15. *Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ prædicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto &c.*; autumarunt, inquam, dicta hæc accipienda de Aquilis aliiſque Romanorum inſignibus militaribus conſtitutis *in loco ſancto*, i. e. in terra Sancta circa Jeruſalem; cùm ſcilicet Titus ad ejus mœnia propiùs applicavit arma. Nobis tamen ea ſedet perſuaſio, abominationem illam deſolationis in Daniele & in Evangelio, deſignare Templi prophanationem per Judæos illos ſeditioſos, qui Zelotum ſe nomine honeſtabant. Porrò ab impiis hiſce & perduellibus ea omnia perpetrata ſunt, cædes, ſacrilegia, ſcelera, de quibus Joſephus in hiſtoria belli Judaici.)

AQUILO, ventus ſeptentrionalis. Hebræi pro ſitu hominis ad orientem obverſi, cui ſeptentrio ad ſiniſtram, meridies ad dexteram, oriens in fronte, occidens à tergo reſpondet, eaſdem Cæli plagas nominibus dextræ, ſiniſtræ, à fronte, & à tergo deſignant. Vide noſtra Comment. in Gen. 13. 9.


AR, *Arepolis*, *Ariel Moab* (g) ſivè *Rabbath-Moab*, ſynonyma ſunt ejuſdem Urbis, Moabitarum Metropolis, ad flumen Arnon, quod medium interfluit. Theodoretus in Iſai. 15. & 29. tantummodò *Ariel* appellat; conſonat Euſebius in loc. Hebraic. in *Areopolis* addens inſuper Idolum hujus gentis, & fortaſsè etiam omnium Moabitarum, *Ariel* nuncupari. S. Epiphanius l. 1. contra hæreſ. teſtatur Arielitim eſſe modicam regionem, Moabitis, Ituræ, & regioni Nabathæorum conterminam. Iſaias 16. 7. 11. nuncupat urbem *ad muros cocti lateris*, Hebraicè *Kir-hareſet*, ſivè *Kirias hares*. Eam terræmotu omninò interciſſe, quo tempore ipſe juvenis eſſet, tradit S. Hieronymus in Locis. Credimus eandem eſſe ac *Charac-Moab*, ſivè *Charax-Moab*.

I. ARA. Cum Sacrificii cultus cum Mundo ipſo inceperit, Altarium ritum nihilò Mundo recentiorem fuiſse conſtat. De altaribus per Patriarchas erectis ſermo eſt in Sacra Scriptura, quamquam de illorum materia, ac forma nihil occurrat. Altare, quod Jacob in Bethel erexit, eadem petra conſtabat, quam ipſe capiti dormiens ſuppoſuerat. Gedeon Sacrificium Domino obtulit ſuper ſaxum juxta Domum ſuam poſitum. Aræ, quas primo Deus erigendas Moyſi injunxit, ex terra, ſive ex lapidibus impolitis (h) conſtitui debuerant; adeout ſi iis expoliendis ferrum adhibitum fuiſset, continuò impuræ haberentur. Altare Holocauſtorum (i) ejuſdem Dei juſsu conſtructum ad inſtar Arcæ ex ligno Sethim efformatum erat, excavatum, & æreis laminis ſuperindutum. Vide *Holocauſtum*, & ibid. *Altare Holocauſtorum*.

Altare, de Moyſis mandato in Monte Hebal à Joſue excitandum, ex lapidibus impolitis conſtitiſse debuerat (k), ad cujus exemplar veroſimiliter efformata creduntur cætera, quæ deinde Samuel, Saul, & David erexerunt. Altare Templi Salomonis ex ære quidem conflatum eſt (l), ſed, ut veroſimilius creditur, impolitis lapidibus repletum. Viginti cubitis in longitudine, totidemque in latitudine, ac tandem decem in altitudine porrigebatur. Ex lapidibus itidem impolitis conſtabat Altare, tum illud, quod Zorobabel poſt regreſsum è captivitate, tum illud, quod Machabæi reſtituerunt (m). Altare Templi ſui temporis ex lapidibus impolitis, quindecim cubitorum in altitudine, quadraginta in longitudine, ac totidem in latitudine, Joſephus deſcribit de Bello l. 6. c. 14.

I. ARA THYMIAMATIS, menſa erat ex lignis ſethim laminis aureis obducta, unius cubiti in longitudine (n), unius in latitudine, ac duorum in altitudine,

(a) Vide Boch. de animal. ſacr. parte 2 l. 2. c. 2. Grot. Menoc. (b) Theodoret. in Mich. 1. 16.
(c) Matth. 24. 28. Luc. 17. 37. (d) Job. 39. 30. (e) Job. 9. 26. Prov. 30. 17.
(f) Vide & Tacit. *Fulgentibus Aquilis ſigniſque & ſimulacris Deorum in modum Templi.* (g) 1. Par. 2. 22.
(h) Exod. 20. 24. 25. (i) Exod. 27. 1. 2. &c. (k) Deut. 27. 5. Joſue 8. 31. (l) 2. Par. 4. 1. &c.
(m) 1. Mach. 4. 44. &c. (n) Exod. 30. 1. &c.



ARA THYMIAMATUM

Digitized by Google

tudine. Ad quatuor angulos quatuor veluti cornua eminebant, ac perpetua corona tota cingebatur. Quotidie mane, & veſpere Sacerdos per hebdomadam deſtinatus thymiama mixturæ ſingularis ſuper illud adolebat, cujus rei gratia thuribulum ſumans igne ex Altari holocauſtorum hauſto, in Sanctum deferebat, atque ſuper Altare poſitum è regione menſæ Panum propoſitionis deponebat. Quibus peractis, egrediebatur. Altare hoc Jeremias ante captivitatem abſcondit 2. Mach. 2. 5. 6.

III. ARA PANUM PROPOSITIONIS, menſa erat ea lignis ſethim aureis laminis ſuperinduta (a), quam limbus perpetuus interraſili opere ambiebat. Duos cubitos in longum, unicum in latum, unum cum dimidio in altum æquabat. Locum habebat in Sancto. Singulis Sabbatis novi ſuper illud panes duodecim, addito incenſo, & ſale, imponebantur. Vide *Panes Propoſitionis*.

IV. ARA HOLOCAUSTORUM. Vide *Holocauſta*.

(ARA *Dei ignoti*. Cùm S. Paulus relicta Theſſalonica contuliſſet ſe Athenas, ibique vel in Synagoga cum Judæis, vel in foro cum Philoſophis quotidie diſputaret, & non ſemel de reſurrectione mortuorum verba faceret, annunciaretque Jeſum Chriſtum, ſupplicio Crucis ſublatum, hominem eſſe Deumque; à Philoſophis nonnullis tractus eſt ad Areopagitas Judices, quò de Dogmatibus hiſce ſuis redderet rationem. Stans ergo coram tremendo Tribunali ita effatus eſt Act. 17. 22. 23.: *Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video; præteriens enim & videns ſimulacra veſtra, inveni & Aram, in qua ſcriptum erat*: IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis*.

Quæ Ara iſta Dei ignoti, inquiritur. Tradit S. Hieronymus in Epiſt. ad Tit. cap. 1. Aræ hujus epigraphem pauló diverſis verbis conceptam fuiſſe, quàm recitat Apoſtolus, in hanc ſententiam: DIIS ASIÆ, EUROPÆ ET AFRICÆ; DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS; Apoſtolus autem, inquit, plurale in ſingulare reformandum cenſuit, quò conſilio ſuo ſerviens, demonſtraret Athenienſibus, cultum ab illis, quod ignorarent, Numen.

Malunt alii (b) præ oculis habuiſſe Apoſtolum Aras illas, per Atticam non uno in loco conſecratas, & nullo peculiari Numini inſcriptas, erectiſque occaſione expiationis ſolemnis, qua Epimenides Philoſophus regionem luſtravit (c).

Placet quibuſdam ignoti Dei Aram ipſiſſimam fuiſſe cum illa, de qua Pauſanias & Philoſtratus (d); erectas enim Athenis narrant Aras *Diis ignotis*; quibus fortè ſingulis ſua erat epigraphes: *Ignoto Deo*. Lucianus in Dialogo Philopatris jurat per *Deum ignotum Athenarum*; additque: *Cùm Athenas veniſſemus, Deum ignotum nacti, cultu & gratiarum actionibus, porrectis in Cœlum manibus, venerati ſumus*.

Petrus Comeſtor Hiſtoriæ Scholaſticæ Anthor refert, S. Dionyſium Areopagitam, verſantem adhuc Alexandriæ, ſpectaſſe eclypſim ſolis & lunæ contra naturæ legem in obitu Salvatoris, reputantemque ignotum aliquod Numen dira pati, cùm in rei cognitionem devenire non poſſet, Athenas reſtitutum, conſecraſſe Aram Deo ignoto, de qua Apoſtolus Paulus verba deinde fecit.

Aliter rem narrat Theophylactus. Superati prælio Athenienſes obvium habuerunt ſpectrum quoddam, renuncians ſibi quidem authori ſiniſtrum hunc caſum deberi; hanc enim ultionem exegerat, quòd cæteris aliis Numinibus inſtituiſſent ludos; ſe verò abſque ludorum honore præteriiſſent. Hæc Athenienſibus erigendi Templi ignoto Deo ratio fuit & occaſio.

Aliter etiam Oecumenius. Urenti quodam morbo, & ut ne tenue quidquam ſuper corpus paterentur, correpti Athenienſes, fruſtrà Deos ſuos omnes fatigarunt. Quare in ſumma Deorum beneficorum penuria erigere viſum eſt Aram Deo ignoto, metuentes ne fortè Dei alicujus peregrini indignationem incurriſſent. Receptæ ex eo morbo valetudinis beneficium in Deum illum ignotum relatum eſt.

Alii verò narrant in bello Perſas inter & Græcos, poſtremos hoſce miſiſſe Philippidem ſuppetias rogaturum a Lacedæmonibus; cuni obvium ſe feciſſe Deum Pan in monte Parthenio, atque acerbè de Athenienſibus expoſtulaſſe, quòd ſolus inter Numina ab illis neglectus præteriretur; ſimul autem opem illis ſuam pollicitus eſt, ſiquidem præteritum contemptum ſtatutis honoribus repararent. Acturum omnia; erectumque illi Altare; metu verò ne quis alius Deus imprudenter neglectus tam altè deinceps quereretur, Aram ignoto Deo erexerunt.

A variis hiſce ſententiis nulla non ardua. Altera eſt planè Ara illa Apoſtoli ab inſcripta: DIIS ASIÆ ET EUROPÆ, DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS; neque enim Aram ignoti Dei cum iſta confundi a Paulo ſuccenſuiſſet Areopagitis. Epimenidis Aræ nulli inſcriptæ Numini alienæ ſunt pariter ab Apoſtolica. Quæ ab Authore Hiſtoriæ Scholaſticæ, Theophylacto, & Oecumenio recitantur fabellæ, antiquo aſſertore penitùs carent. A vero igitur non abludit, Athenienſes, gentem, ſi quæ alia, ſuperſtitioſiſſimam, metu ne fortè Numen aliquod præterirent incultum, alicubi in Urbe Aram erexiſſe, cum epigraphe: *Ignoto Deo*, unde diſſerendi de Jeſu Chriſto, Deo penitùs illis ignoto, cui proindè imprudentes cultum aliquem impendiſſent, occaſionem Apoſtolus nactus eſt.

Huic S. Chryſoſtomi in Acta conjecturæ fidem adſtruunt, quæ ſupra attigimus ex Philoſtrato, Pauſania, & Luciano.

Ne ambigens quidem tenet S. Auguſtinus contra Creſcon. lib. 1. cap. 29. Athenienſes ſub ignoti Dei nomine, verum & genuinum Numen coluiſſe; quam illorum colendi rationem comparat impenſo à Schiſmaticis vero Deo extra Eccleſiam cultui. Ea igitur fuit Apoſtoli mens, ait, *ut eundem Deum, quem præter Eccleſiam ignoranter atque inutiliter colebant, in Eccleſia ſapienter & utiliter colerent*. Videſis noſtram Diſſertationem in Aram ignoti Dei, Commentario in Acta Apoſtolorum præfixam.)

V. ARA, Urbs, ſivè regio Aſſyriæ, quo decem Tribus Iſraelitarum per Teglathphalaſar tranſlatæ ſunt. 1. *Par.* 5. 26.

VI. ARA, filius Jether, ex Tribu Aſer. 1. *Par.* 7. 38.

ARAB, Urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 52.

ARABA, Urbs Tribus Benjamin. *Joſue* 18. 18.

(ARABES. De Arabibus gente florentiſſima, quæ de ſapientia placeret ſibi plurimùm, mentio frequens in Scriptura. Ditiſſimos eorum cenſus referebant pecorum & ovium greges. Solvebant Arabes Regi Joſaphat 7700. arietum, & caprarum totidem annuum tributum 2. Par. 17. 11. Ingens auri & argenti vis repenſa ab Arabiæ Regibus Salomoni 2. Par. 6. 14. Bellum amabant, ita tamen ut excurſionibus magis & direptionibus (e), quàm æquo Marte collatiſque ſignis hoſtibus eſſe graves noſſent. Verſabantur plerumque ſub tentoriis, ſolutam in agro vitam agentes, terræ culturam negligentes, Regibus ſuis ſubjecti. Hanc de gente ideam ſubjicit Scriptura Iſai. 13. 20.

Veteres Arabiæ populi, antequam Abraham veniſſet in regionem, genus referebant ex Chan; noti ſunt ibi Madianitæ è Chus, apud quos Moyſes ſeſe recepit; notus etiam Abrahami ætate Abimelech Rex Geraræ; Amalecitæ in vivis agente Moyſe; Hevæi, Amorrhæi, Cinæi, Meunii, vel Mahonii ſat longiùs intra Arabiam Petræam excurrentes (f); Horræi tenentes montes ad auſtrum Chananitidis, & ad Orientem Maris mortui. Rephaim, Emim, Zuzim (g) & Zomzummim eam occupantes regionem, quæ deinde

(a) Exod. 25. 23. (b) Grot. Voſſ. Beza in Acta 15. 11. Caſaub. ad Laert. Selden. de Synedr. l. 3. c. 13. Hammond. alii.
(c) Laer. l. 1. in Epimenid. (d) Philoſt. Pauſan. in Attic. lib. 6. c. 2. (e) 2. Par. 22. 2.
(f) 1. Par. 4. 40. 41. & 2. Par. 20. 1. (g) Geneſ. 14. 5. Deut. 2. 8. 9. &c.

Digitized by Google

Arabiæ deſertæ nomine innotuit, ſedeſque præbuit Ammonitis, Moabitis, & Idumæis.

Arabiam Petræam & Felicem poſſidebant ex Iſmaele poſteri, peculiari Arabum nomine deſignati: Videſis V. *Iſmaelitæ*. Hanc autem primorum incolarum regionis ſuæ, & quo eventu illam Arabes ipſi ſibi occupaſſent, hiſtoriam ex Arabibus accepimus.

Primi illi Arabiæ populi (a), quos ſine admiatione puros Arabes appellant, genus referebant ex Cathan vel Jectan filio Heber & fratre Phaleg, qui poſt ſermonum diviſionem ſedes locavit ſuas in hac Aſiæ Peninſula, cui facilè deductum nomen ex Jarab filio Joctan, vel ex late patenti agro provinciæ Tahamah, appellato *Arabat*.

Prioribus hiſce, alterius generis Arabes ſuccedentes originem retulerunt ex Iſmaele filio Abrahami & Agar, cùm inter Arabes puros vetereſque ſedem elegiſſet, effudit Arabes mixtos vel *Mosa-Arabes*, ſeu *Moſta-Arabes*, ſeu Iſmaelitas, alios plane à *Moſarabibus* vel *Moſtarabibus* recentioribus, ita ab Hiſpanis appellatis, quòd Arabes referrent gentibus aliis extra Arabiam admixtos.

Arabes puri & veteres diſtribuebantur in Tribos; quemadmodum & filii Iſmaelis; manent adhuc ex his Tribubus quædam in Arabia; interierunt aliæ, ſive criminum ſuorum merito ultorem Dei gladium expertæ, ſive inteſtinis bellis, in ea regione familiaribus, exterminatæ.

Porro Iſmaelitæ diviſi ſunt in duodecim Tribus pro numero totidem filiorum Iſmaelis (b); videlicet Nabujoth, Ceder, Abdeel, Mabſam, Maſmam, Dumam, Maſſam, Handar, Themam, Jetbur, Naphim, Cedmam. Licèt autem nihil habeant antiquius populi illi, quàm ut indagent, ſedulaque cura genealogias ſuas ſervent, ab Iſmaele tamen illas repetere fruſtrà ſtudent; ſubſiſtont enim coactè in *Adnam*, ex poſteris ejus quodam; nec ipſa Mahometi genealogia altiùs aſcendit.

Præter Iſmaelis poſteros, majorem Arabiæ portionem frequentantes, ultro etiam fatendum eſt, filios Abram & Cethuræ (c), filios Lot, Elan, & Nachor aliquos (d) eandem occupaſſe regionem, quin & veterum incolarum partem exterminaſſe.

Diſtinguuntur autem Arabes, ſive in eos, qui Urbes incolunt, ſive in agreſtem degentes vitam ſub tentoriis locisque deſertis; qui ſanè poſtremi Arabes & moribus & ingenio urbes incolentes aliis ſuperant, appellanturque Bedoui & Arabi. Diſtinguuntur etiam Arabes in Gentiles & Muſulmanos; præceſſerunt illi Mahometum, atque inter ſuos nomen obtinent Arabes ſæculorum ignorantiæ. Poſteriores verò reliqui dogma de ſingularitate Dei, à Mahometo traditum, receperunt, appellanturque Mol-Lemoun vel Muſulmani, i. e. fideles. Horum virtute major Aſiæ & Africæ portio ſubacta eſt; horum pariter maximæ in Europa provinciæ, authoreſque reputantur quatuor ſummorum Imperiorum, Turcarum, Perſarum, Marochi & Mogolis, ut prætermeam ampliſſimas Indiarum, quas occupant, regiones.

Arabia eſt univerſa, uti jam innuimus, in partes diviſa tres, quarum prima eſt *Jemen*; Arabiam felicem nos appellamus; ejus tractùs veluti centrum tenent Provinciæ *Tahamah*, & *Jemamah*. Arabia deſerta nomen obtinet Hegiaz, celebraturque præ cæteris fama Urbium, quas in ſuo ſinu fovet, Mechæ, & Medinæ. Arabiæ Petrææ nomen hodie uſque manet in *Hagr* vel *Hagier*, i. e. Petra, quo nomine diſtinguitur ejus tractus Urbs Metropolis. Veteres tamen Arabiæ deſertæ fines multò longiùs excurrebant Syriam versùs & Euphratem.

Jectam vel *Jochtan* filius Heber, conſtituta in Jemen ſede, Regnum ibi fundavit, ab ipſo omnium primo adminiſtratum (e). Cui patri ſucceſſit filius Jarab longè lateque vernaculum Arabum ſermonem prorogavit; de cujus nomine & idioma illud & Regio Arabia appellata eſt. Tertium Regem habuit Arabia Felix *Jaſchab*; quartum *Abdal ſcham*, cognomento Sabas, ex quo veteribus Sabæis nomen. Hujus Regis poſteritas regnavit in Jemen ante Muſulmannorum originem per annos ultra 2000.

Sunt autem generatim Arabes ingenio perſpicaci, ſubtili, animo generoſo, ornateque dicendi, quà ſtrictâ quà ſolutâ oratione, amantiſſimi; ſed virtutes haſce vitiis non minoribus compenſant, ſuperſtitioſi, vindictæ tenaciſſimi, crudeles, furto addicti, quod ſibi permiſſum credunt, eùm Abraham pater Iſmaelis nulla portione hæreditatis filium aſperſerit Geneſ. 25. 5. 6.

Idololatriam colebant veteres Arabes; quos de lapide conſecrato in Numen accuſat S. Clemens Alexandrinus in Protreptico; nec ab ea ſuperſtitione excuſant illos Maximus Tyrius & Arabes recentiores. Spectare licet hodie uſque in porticu Templi Mechæ nigrum lapidem, olim gentis Numen. Nonniſi duo Numina ſuſpeaſſe illos affirmat Herodotus lib. 1. & 3. videlicet Bacchum vel Dionyſium (*Uroſtalt* appellabant) & Venerem cæleſtem (*Alilat* vel *Alilattam*). Ex Diis unum Jovem cum Baccho cultos ab illis aſſerit Strabo lib. 16. quod cùm reſciſſet Alexander Magnus ſubjugare gentem ſtatuit, ut tertium ipſe Numen accederet.

Recentiores Arabes, ex Iſmaele ſati, ſervant nomina quædam veterum Numinum, apud veteres Arabiæ populos cultum obtinentium. *Sakrah* ad impetrandam pluviam invocatum; *Hafedah* præſentiſſimum avertendis, ſi quæ occurriſſent in itinere, malis; *Bazeca* pro rebus vitæ neceſſariis obſecrabantur. Colebant etiam *Lath* vel *Alat*, quod diminutivum eſt *Alla*. Erat autem Alla genuinum Dei nomen. Colebant *Azam* vel *Uzam*, derivatum nomen ex *Azaz*, i. e. Deus fortis; *Menat* ex *Menan*, beneficiorum largitor. Nec à vero abludit, in aris habuiſſe conſecratas duas Gazas aureas, quarum frequens in eorum hiſtoriis mentio, oblataſque conſtat in Templo Mechæ. Veteres Madianitæ, apud quos Moyſes in domum Jethro divertens ſubſtitit, colebant *Audan* & *Handam* (f). Cæterùm *Urosalt* Herodoti ſolem facilè deſignabat, *Alilat* Lunam; prius enim illud nomen exprimere poteſt Deum ſummum, alterum Deum vel *Deam* ſine addito, excellentis appellationis gratia. Vide etiam quæ contulimus V. *Abraham*.

Poſt Evangelium promulgatum ex Arabibus plures ad Chriſtiana ſacra tranſierunt; nec enim ignoti ſunt Arabum Epiſcopi, & Martyres; ſicut & in Arabia Concilium habitum in Hæreticos quoſdam Origenis ætate intelligimus. Mahometanorum etiam confeſſione conſtat (g) ante Mahometum tres regionis Tribus Chriſtianam religionem profeſſas, videlicet Thanouk, Baheram, *Naclab*. Tribus *Thanouk* Religionis cauſa commiſſa cum finitimis ſuis, divertens in provinciam Baharaim ad ſinum Perſicum, quietem ibi ſedemque nacta eſt.)

ARABIA, potiſſima Aſiæ pars, Judææ, ſivè Hebræorum regioni ad meridiem contermina. In tres partes dividitur, nempè in Arabiam deſertam, Arabiam felicem, & Arabiam petream. Deſerta ſpectat ad occidentem montes Galaad, ad orientem alluitur Euphrate. Complectitur Ituræos, Idumæos orientales, Nabathæos, populos Cedar, eamque gentem, quæ ſedibus fixis carens, erratica habet tentoria. Regio iſta ſæpiſſimè in S. Scriptura ſignificata videtur ſub nomine Hebræo *Arab*, ſcilicet *occidens*, ſive populi congregati. Iidem verò *Arabim*, ſivè occidentales dici potuerunt, quia Euphratem ad Orientem ſpectant. Apud Euſebium, coævoſque, ac ſequioris ævi Authores, omnes fermè Urbes ultrà Jordanem, totuſque ferè ille tractus regionis, quem tertiam Palæſtinam appellant, Arabiæ attribuitur.

Arabia petrea ad meridiem Terræ Sanctæ porrigitur, ejuſque Metropolis Petra appellatur. Complectitur *Idumæos* meridionales, *Amalecitas*, *populos Chus*, quos Interpretes

(a) Bibl. Orient. pag. 120. 121. (b) Geneſ. 25. 13. &c. (c) Geneſ. 25. 1. &c. (d) Geneſ. 22. 20.
(e) Biblioth. Orient. pag. 477. Jaman vel Jemen. (f) Herbelot. Bibl Orient. pag. 476.
(g) Idem pag. 852. Tanouk.

tes S. Scripturæ *Æthiopes* appellant, & alios nonnullos, veluti *Hevæos Maonios*, ſive *Maoninos*; qui tamen omnes hodiè nonniſi ſub una Arabum appellatione innoteſcunt; quamquam veteres ſingulorum nuncupationes adnotaſſe operæ pretium fuerit, ut intelligamus ea, quæ in S. Scriptura de variis hiſce populis traduntur. Ad hanc regionem ſpectabant Cades-barne, Gerara, Barſabee, Lachis, Lebna, Pharao, Arad, Aſmona, Oboda, Phunon, Dedan, Segor &c. ſicut etiam Mons Sinai, lege Moyſi ibidem tradita clarus.

Arabia felix, divitiis, & aromatibus celeberrima, meridionalior erat, inter Sinum Perſicum ad Ortum, Oceanum ad meridiem, Alphaltitem ad Occaſum. In Scriptura rara eſt hujus mentio, cum Judæorum Regioni contermina non eſſet. Reginam Saba, quæ Salomonem inviſit (a), Arabiæ felicis parti imperitaſſe arbitramur.

ARACÆI, poſteri Arac filii Canaan, qui ſedem fixerant in Urbe *Arce*, ſivè *Arca* ad radices Libani. De hac Urbe egerunt Joſephus & Ptolomæus: eamque Itinerarium Antonini inter Tripolim, & Antaradum collocat. In fragmento hiſtoriæ Aſſyriorum apud Joſephum Antiq. l. 9. c. 14. traduntur incolæ ejuſdem Urbis una cum Sidoniis, & veteris Tyri incolis, Aſſyriis ſe tradidiſſe. Et de Bello l. 7. c. 14. idem Joſephus aſſerit fluvium Sabbaticum inter *Arce*, & Raphaneam in Mediterraneum influere. Hanc Urbem Arce, de qua Joſephus, eandem eſſe ac Arce, quæ in partes Tribus Aſer ceſſit (b) alio nomine Antipas, mihi prorſus probatur. Sub Salomone Baana Tribum Aſer adminiſtrabat juxta textum Hebræum (c); Joſephus autem Antiq. l. 8. ſcribit illum Urbis Arce ad mare ſitæ Præfecturam geſſiſſe. Poſtremis Reipublicæ Judaicæ temporibus Urbs iſta Agrippæ parebat.

ARACH, Urbs Chaldææ, à Nemrod Nepote Chus ædificata. *Geneſ.* 10. 10. Fortaſſe non alia eſt ab *Aracca*, ſita juxta Ptolomæum in Suſiana ad Tigrim, infra confluentem ejuſdem fluminis, & Euphratis. Ex ea Urbe, quam Ammianus *Arecham* vocat, nomen deduxerunt regiones Arectææ, quæ liquore quodam inflammabili perfuſæ, non raro incenduntur (d).

(Ex hac facilè Chaldææ Urbe Arabes nomen indiderunt *Irac* vel Eracæ ampliſſimæ illi Aſiæ provinciæ, quæ ſecundum utramque Tigridis ripam porrigitur, quemadmodum utramque Nili plagam occupat Ægyptus. Hujus provinciæ longitudo à Takrith uſque Abadan, ubi Tigris influit in ſinum Perſicum (e), excurrit; æquat autem 20. dierum iter in longum, latitudo autem jungit Cadeſie cum Habran diſſitas inter ſe 12. dierum itinere. Ejus provinciæ Metropolis ſub Chaldæis & Aſſyriis Babylon; ſub Regibus Coſras Madain, ſub Arabibus Bagdat. Hunc ipſum regionis tractum Græci & Latini appellarunt Chaldæam ſive Babyloniam.)

ARAD, ſivè *Arada*, *Arath*, *Adraa*, *Adra*, Urbs Chananitidis ad meridiem Tribus Juda, in Arabia Petrea. Rex hujuſce Urbis iter Iſraelitarum, qui in Chananitidem jam proceſſerant (f), prohibiturus, prælio cum illis certavit proſpero primum ſucceſſu; deinde verò, totam eam regionem Hebræis in anathema devoventibus, iterum commiſſo prælio exciſus eſt, tota ipſius regione igni & ferro, juxta voti obligationem tradita (g). Arad poſt eam cladem reſtituta fuit; eamque Euſebius collocat in viciniis Cades, quatuor milliaribus à Malathi, & viginti ab Hebron. Iſraelitæ in itinere moventes à Sepher, venerunt Arad, inde Maceloth, quem locum credo eſſe Malathim.

ARADUS, Urbs, & Inſula Mediterranei, lateribus Phœniciæ adjacens, contra Antaradum Urbem Continentis. Inſula Aradus ſeptem tantummodò ſtadiis, ſivè 875. pedibus circuitum terminat. Eam incolebant Aradii ex poſteris Canaan. *Geneſ.* 10. 17. Quamquam ea regio Iſraelitis deſtinata fuiſſet, diù tamen illa caruerunt, & forte ſemper, niſi ſub Davide, & Salomone poſſederint.

I. ARAM, quintus filius Sem, pater Aramæorum, ſivè populorum Syriæ. Plures ejuſdem nominis Regiones in S. Scriptura occurrunt. *Aram Naharaim*, ſivè Syria duorum fluminum, eadem eſt ac Meſopotamia; *Aram Damaſci*, *Aram Soba*, *Aram Bethrohob*; *Aram Maacha*; quæ cognomina ideò his Urbibus addita ſunt, quòd vel illæ ad Syriam attinebant, vel ſaltem ad illam ſpectabant Provinciæ Soba, Maacha, Rohob &c. Homerus, & Heſiodus *Aramæos* vocant eos populos, quos poſteriores Græci Syros nuncuparunt. Propheta Amos 9. 7. innuere videtur Aramæos primum Kir incoluiſſe regionem Iberiæ, quàm Cyrus fluvius perluit; ex qua Deus illos eduxerit, ſicut Hebræos ex Ægypto. Quo tempore hæc tranſmigratio acciderit, prorſus ignoramus; certè ante Moyſem, quippe ille populos Syriæ, & Meſopotamiæ jugiter Aramæos appellat. Syri non ſemel Hebræos præliis laceſſierunt, donec David in ſuam ditionem ſuoſque tributarios redegerit. In quo rerum ſtatu poſt ſeparationem decem Tribuum diù permanſiſſe non videntur; quippè Regibus Iſrael paruiſſe nullo argumento intelligi poteſt, niſi tantum Jeroboam II. qui Regno Iſrael veterem ditionem reſtituit, 4. Reg. 14. 25.

II. ARAM, filius Eſrom, & Pater Aminadab. *Ruth.* 4. 20. *Matth.* 1. 3. 4. *Luc.* 3. 33.

ARAMA, Urbs Tribus Aſer. *Joſ.* 19. 36.

I. ARAN, primogenitus Thare, frater Abraham, & Nachor. Filios habuit Loth, Melcham & Jeſcham, Nachor Melcham duxit, & Abraham, juxta opinionem plurium Interpretum, Jeſcham, alio nomine Saram, de quo tamen alii ambigunt. Aram Patrem ſuperſtitem reliquit, novo ad id temporis exemplo. S. Epiphanius hæreſ. lib. 1. tradit, Aran à Deo fuiſſe perculſum, ut in filio puniretur Thare, qui nova Numina invexerat. Rabbini (h) referunt, Aran renuentem exhibere cultum igni, ideò à Thare accuſatum, & in fornacem conjectum conflagraſſe. Alii tandem narrant, Aran flammis abſumptum, cum vellet igni per Abraham immiſſo Idola Patris ſubducere.

II. ARAN, filius Diſan, & frater Hus, ex genere Eſau. Gen. 36. 28.

ARAPHA, ſeù *Rapha*, Pater Gigantum, ſivè Raphaim; niſi credere malimus, *Rapha*, nomen fuiſſe cujuſdam Gigantis, ex quo Gigantes, ex genere Enach, olim in Palæſtina degentes, proceræ ſtaturæ ſimilitudine nomen traxerint. Vide *Rapha*, & *Raphaim*.

ARARAT, mons celeberrimus Armeniæ, in quo Arcam poſt diluvium ſtetiſſe (i), ejuſque reliquias uſque hodie ſupereſſe ferunt. Joannes Struis in ſuis Itineribus aſſerit ſe ad verticem hujus montis pertingentem, Heremitæ cujuſdam habitaculum offendiſſe, à quo has Arcæ reliquias adhuc permanere didicit, ſimulque crucem obtinuit ex eo ligno confectam. Verùm D. Tournefortius, qui locum inviſit, nihil ſimile ibidem occurrere mihi aſſeruit; quippè vertex Ararat inacceſſibilis eſt, tum quod nimium ſublimis ſit, atque præruptus, tum quod nivibus perpetuo obſideatur. Diſtat ab Erivan 12. leucis verſus Orientem, ac in medio circumjacentis latiſſimæque vallis ſolus erigitur. Vide noſtr. Comm. in Gen. 8. 4.

(Montem hujus nominis, cui fluctuans Arca ſubſidit, appellant Orientales *Ar-dag* vel *Parmak-dagh* (k) montem digiti. Nominis hujus ratio inde petitur, quòd mons ſit rectà aſſurgens & ſecretus ab omnibus, tanquam digitus erectus; vertice eſt autem adeò eminenti, ut longiùs proſpiciatur tanto ſpatio, quantum decem dierum itinere emetiuntur Caravanæ. Urbs Tauris jacet non diſtans. Montem illum pluribus frequentatum Cœnobiis, *Meſeſouſſar* ideo ab Armenis appellatum, quòd ibi ſubſiderit Arca, affirmat Tavernier (l). A ceterorum Arabiæ montium longa & perpetua catena veluti avulſus, & à medio ad uſque ſummum verticem nivibus, tribus vel quatuor anni

K 2   menſi-

(a) 3. Reg. 10. 1. (b) Joſeph. Ant. l. 5. c. 14. (c) 3. Reg. 4. 16.
(d) Tibul. *Ardet Arectæis aut unda per hoſpita campis.* (e) Bib. Orient. pag. 317. (f) Num. 21. 1.
(g) Num. 35. (h) Hieron. quæſt. Hebr. in Geneſ. Lyr. in Gen. 11. (i) Geneſ. 8. 4.
(k) Itinerar. de la Boulaye p. 42. Bibliot. Orient. p. 404. (l) Tavern. Iter. Perſic. t. 1.

Digitized by Google

menſibus albeſcens diſtinguitur. Addit ille to. 4. Urbem *Nekgevan* vel *Nakſchevan* tribus leucis ab eo monte diſtantem, omnium quotquot unquam vetuſtiſſimam eſſe; eò ſe contuliſſe Noemum poſtquam pedem retulit ex Arca; vocem autem *Nak-ſivan* deducit ex *Nack*, i. e. navis, *Sebivan*, quod eſt depoſitum vel detentum; cùm ſcilicet Arca in monte Ararat conſederit. Montem hunc alii appellant (a) *Gioud* vel *Gimda* in regione *Mouſſal* vel *Diar Rabiah* Meſopotamiæ, cujus radicibus adjacet etiam vicus Thamanin & Corda; nomen *Thamanin* ſonat octo, quòd ſcilicet octo homines egreſſi ſint ex *Arca*; & *Corda* deſignat montes *Gordios*, Veteribus notiſſimos. Porrò de ſententia eorum, quibus Arca ſubſidit in uno ex montibus Apameæ Phrygiæ, egimus alibi. (b).

Montem Ararat appellant Perſæ montem Aſim, quaſi diceretur mons felix; ſelectus eſt enim à Deo, ut in illum veluti in portum ſeſe reciperet Arca Noe. Traditione receptum tenent Armeni, neminem poſt Noe in verticem hujus montis evadere potuiſſe, perpetuis enim obſideri nivibus veteribus non ante ſolutis, quàm cùm novæ ſuccedunt: addunt Noe ex Arca pedem referentem veniſſe Erivan, duodecim leucis ab Ararat, & in loco ab ea Urbe leuca diſſito, cujus læta, facies virum hunc ſanctum vitem implantaſſe, qui ſanè locus hodie uſque exquiſitiſſimo vino diſtinguitur.)

ARAXES, fluvius celeberrimus, ex monte Ararat originem ducens, ſex paſſibus ab Euphratis ſcaturigine, & in Mare Caſpium defluens. Præcipiti plenoque amne fluit, ac maximè nivibus liqueſcentibus adeò intumeſcit, ut quidquid obſtiterit molis, obvolvat (c). Aquarum ſtrepitu terrorem incutit, lintreſque tali impetu abripit, ut momento temporis ad 500. paſſus deferat. Pontem illi imponere diù tentatum eſt, ſed irrito opere, conſtructas moles diripientibus aquis. Verum Paulus Lucas (d) tradit pontem ſuper Araxem hodie extare, addens inſuper eundem fluvium juxta Regionis traditionem è Paradiſo Terreſtri profluere. Nos credimus eundem eſſe, ac *Gehon* apud Moyſem Gen. 2. 13. Vox *Gehon* Hebræis eſt impetu fluere, idemque ſonat *Araxes* apud Græcos. Vide noſtra Comment. in Gen. cap. 2. 13.

ARBACES, Dux Medorum, ejuſque Regionis Præfectus ſub Sardanapalo Rege Aſſyriæ (e). Cum Regem laſcivientem, & vitam fœmina dignam agentem diutiùs ferre non poſſet, unà cum potentiſſimis exercitus Medorum ab illo deſcivit; junctiſque viribus cum Beleſi Satrapa Babyloniæ, conflato exercitu 400000. militum Sardanapalum adortus eſt. In primo ac ſubſequentibus duobus prælius victus receſſit, in quarto verò auctus viribus Bactrianorum, qui ad ipſum defecerunt, ac nocte ſubitò hoſtem adortus, Sardanapalum caſtris exuit. Ille Ninivem fugiens copiarum ducem Salamenem Uxoris ſuæ fratrem conſtituit; quo duobus prælius fracto, Ninivem obſidere Conjurati aggreſſi ſunt. Tertio hujus obſidionis anno, Mundi nempè 3257. (cum cœpiſſet anno 3254.) cum Tigris dilapſis pluviis plurimùm intumuiſſet, ac extra alveum effuſus, Urbis mœnia ſpatio 22. ſtadiorum ſivè 2550. paſſuum diruiſſet, quà ingreſſus patebat, aggreſſores impetu facto Urbem occuparunt. Hinc Arbaces rex ab exercitu ſalutatus eſt, quem ille titulum rejiciens, eos tamen populos tegendos authoritate, & prudentia ſuſcepit. Poſt ejus mortem, interregnum fuit uſque ad annum 3296., quo Dejoces aſſumptus eſt.

ARBATIS, Urbs Galilææ, quam Simon Machabæus expugnatam evertit. 1. *Mach.* 5. 23.

ARBEE, eadem ac *Hebron*; quod fortè nomen à Fundatoris nomine traxit, ut Icoſius inſinnat. Hanc Urbem primò tenuerunt Gigantes ex genere Enach, deindè in partes Tribus Judæ, ac tandem Caleb ceſſit. Rabbini (f) tradunt nomen Arbee, ſcilicet quatuor, eidem Urbi inditum eſſe, quòd quatuor Patriarcharum ſepulchra contineat, nempè Adam, Abraham, Iſaac, & Jacob: alii verò ejuſdem etymologiam non ex viris, ſed ex quatuor clariſſimis fœminis ibidem conditis derivant, nempè Eva, Sara, Rebecca, & Liah. Verùm traditiones Hebræorum minimi habendæ ſunt.

I. ARBELA. Plures Paleſtinæ Urbes eo nomine innoteſcunt. Locus erat in Galilæa, juxta Sephorim, ut Joſephus innuit (g). Bacchides Antiochia movens, Arbelæ caſtra habuit. Juxtà eandem Arbelam ſpecus quidam erant difficilis acceſſus, ubi latrones latitabant; qui ab Herode expulſi (h), iterùm regreſſi ſunt, omnemque latè regionem infeſtarunt. Joſephus cum Galilææ præeſſet, quo tempore bellum cum Romanis cœptum eſt, Arbelam munivit (i).

II. ARBELA, Urbs ſita in magno campo, novem milliaribus à Legione, fortaſſè verſus orientem. Euſebius, & S. Hieronymus.

III. ARBELA. Quo loco in Vulgata *Oſee* 10. 14. legimus: *Sicut vaſtatus eſt Salmana à domo ejus, qui vindicavit Baal*, (ſcilicet deſtruxit aram Baal (k) nempè à Gedeone) Hebræus habet: *Sicut Salmana vaſtavit domum Arbela in die belli*. Hunc textum aliqui intelligunt de expugnatione Arbelæ per Salmanaſar. Cum tamen ea de re nihil in Hiſtoriis occurrat, præſtat, ut hunc locum legamus cum S. Hieronymo, & M. S. Alexandrino, *Jerobaal*, & dictum interpretemur juxta Vulgatam, de victoria Gedeonis ſuper Salmana.

Cæterùm Arbela, ſivè Arbah-el ſignificat arva pulcherrima, ſive arva Dei. Hinc factum eſt, ut pluribus locis id nomen tribueretur. In primo Machabæorum 9. 10. dicuntur Bacchides, & Alcimus in Galilæam venientes caſtrametati fuiſſe in *Maſaloth*, *quæ eſt in Arbelis*. Urbs *Maſal*, ſivè *Meſal* ſita erat in Tribu Aſer (l), eique pulcherrima arva adjacebant, ac locus, cui nomen Arbelæ.

IV. ARBELA, Urbs ultra Jordanem in ditione Pellæ. *Euſ. S. Hieronymus*.

ARBORES. Nomina plantarum, & arborum, de quibus in Hebræo S. Scripturæ, minus quàm cætera innoteſcunt; quamquam de præcipuis, prout dabitur occaſio, in ſuis locis pro viribus agere conabimur. Cum Judæi arborem, vel vineam plantarent, primis tribus annis à fructibus illius, tamquam impuris, omninò abſtinebant; quarti anni Deo offerebantur Levit. 19. 23. Hiſce prioribus tribus annis neſcio quod genus circumciſionis cum arboribus ſervabatur, juxtà phraſim S. Scripturæ: *Auferetis præputia eorum*. Poſt oblatum Domino ſacrificium, fructus reliquorum annorum non ſecus ac cæteri fructus habiti, quodammodò prophani reputabantur. Vide Geneſ. 4. 20.

ARBOR VITÆ. Planta in medio Paradiſi collocata, cujus fructus vim habebant conſervandi vitam Adam, dum Divinis juſſis obtemperaſſet. Verùm illi à Deo deſciſcenti, arbor extitit non vitæ, ſed mortis.


ARBOR *ſcientiæ boni, & mali*, quam Deus in medio Paradiſi plantaverat, cavitque, ne ex ejus fructibus Adam deguſtaret, pœna mortis in tranſgreſſorem indicta Gen. 2. 12 An eadem eſſet ac arbor vitæ, valdè in utramque partem diſceptatur. Qui utraſque diſtinguunt, meliori ſententiæ ſuffragari videntur. Vide noſtra Comment. in Gen. 2. 9.

(His potiſſimùm argumentis fulcitur ſententia, ſive quæ arbores iſtas confundit, ſive quæ diſtinguit. Narrat Moyſes Geneſis 2. 9. Deum implantaſſe hortum in Edem omnibus exquiſitis arboribus divitem, ac potiſſimùm plantaſſe *lignum vitæ in medio Paradiſi*, *lignumque ſcientiæ boni & mali*. Immiſſo autem homini in poſſeſſionem ejus horti facultatem elargitus eſt ver. 17. *Ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quacumque enim die comederis ex eo morte morieris*. Anguis Evam tentans interrogabat (Gen. 3. 1. &c.): *Cur præcepit*

(a) Bibliot. Orient. p. 404. Gioud. (b) Vide de hoc argumento D. Saurin, Differt. hiſtor. tom. 1. pag. 115. 131. &c.
(c) Chardin Voyage de Perſe. (d) Lucas t. 1. c. 27. p. 362. 363. (e) Diod. l. 2. Herodot. l. 1. Juſtin. l. 1.
(f) S. Hieron. quæſt. Hebr. ſup. Geneſ. (g) Ant. l. 12. c. 18. Vide l. 14. c. 27. (h) Ant. l. 14. c. 27.
(i) De Bello l. 2. c. 25. & de Vita ſua. p. 1035. (k) Judic. 6. 25. & 7. & 8. 10. &c. (l) Joſ. 26. 30. & 1. Par. 6. 14.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google



ARCA FŒDERIS

A Virga Aaronis quę floruit
B Gomor, seu vas trium circiter pintarum Manna plenum.

Digitized by Google

cepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi? Cui Eva, omnia nobis, ait, poſita ſunt in medio: *de fructu verò ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, ne fortè moriamur.* Excepit ſtatim Anguis: *Nequaquam morte moriemini; ſcit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.* Et poſtquam Adam & Eva poſitum à Domino præceptum tranſgreſſi ſunt, *expulit illos Deus de Paradiſo*, ſugillatque (Gen. 3. 22.): *Ecce Adam*, ait, *quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum; nunc ergo, ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ & comedat & vivat in æternum; & emiſit eum de Paradiſo.*

Ex his omnibus hæc inferas pro ſententia unam arborem, cujus fructus à Deo vetiti, adſtruente. 1. Fruſtra duo arbores admitterentur, unius enim ejuſdemque arboris beneficio & vita Adam prorogaretur, & conferretur ſcientia. 2. De una eademque arbore commodè exponeretur textus Moſaicus: *Produxit Deus lignum vitæ in medio Paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali.* Familiare eſt enim Hebræo, ut conjunctio & vim habeat disjunctivæ *vel*; quemadmodum ſenſum illum commodè admittunt verba alia: *Ne forte ſumat etiam de ligno vitæ & vivat in æternum*; ita enim reddentur: Ne fortè ſicut ſcientiæ acquirendæ gratia fructum decerpſit, ita pariter decerpat iterum pro acquirenda ſibi vita. 3. Tandem non obſcurè Dæmon uni eidemque arbori vindicat fructum vitæ & fructum ſcientiæ: *Nequaquam morte moriemini; ſcit enim Deus, quòd in quocumque die comederetis ex eo, eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.* Animos illis addit excuſſo mortis timore, tum & erigit in ſpem ſcientiæ, ſi de fructu vetito deguſtarent.

Sed literæ textus, averſæ huic ſententiæ magis congruere videtur; diſtinguit enim Moyſes non obſcurè duas arbores, vitæ nempe & ſcientiæ; ut quid igitur nulla jubente neceſſitate unicam ſtatuamus? Sat multùm inter ſe differunt vita & ſcientia; cur igitur in unam eandemque arborem utramque jungamus? An fortè duplex præceptum nimiùm gravaret Adam? Quæ Deus cum illo effatus eſt poſt crimen admiſſum, ſatis apertè duas arbores diſtinguunt: *Ne fortè ſumat etiam de ligno vitæ & vivat in æternum*; quæ perinde valent ac ſi dixiſſet: de fructu ſcientiæ jam guſtavit; removendus eſt ergo à fructu vitæ, ne pariter ejus deguſtandi pruritu titilletur. Mortis quidem timorem ab animo utriuſque hominis excuſſit Dæmon; ſed non niſi ſcientiæ fructum offert, pollicitus futurum ut vix eo deguſtato, peregrino lumine tanquam Dii illuſtrarentur; factum inde, ut poſt commiſſum crimen ſcriptum ſit de illis: *Aperti ſunt oculi amborum.* His rationum momentis à contraria ſententia, cui olim inclinabamus, in poſtremam hanc transferimur. Vide S. Auguſtinum Operis imperfecti in Julianum lib. 6. cap. 30. pag. 1359. &c.

Quis fructus iſte vetitus inquiritur? Frumentum reputarunt nonnulli; uvam alii (a); ficum quidam, ceraſum, pomum tandem plures. Quæ poſterior ſententia, quanquam non melius ac ſuperiores cæteræ fulta, obtinuit. Fides illi adſtruitur ex verbis Cant. 8. 5. *Sub arbore malo ſuſcitavi te; ibi corrupta eſt mater tua*; quaſi ſcilicet de lapſu primæ hominum parentis ſermonem habuerit Salomon.

Totam hanc Moyſis hiſtoriam allegorico ſenſu accipientes Veterum ſanè multi autumarunt, verba Moſaica aliter explicari non poſſe, niſi ad allegoriam detorta. Perſuaſum habuit S. Auguſtinus (b), arborem vitæ & arborem ſcientiæ boni & mali, dotibus hiſce non à natura datis, ſed prodigio à Deo acceptis valuiſſe. Naturæ privilegio id conceſſum alii maluerunt (c). Juxta Philonem de Opif. Mundi, arbor vitæ typum exprimebat pietatis; arbor ſcientiæ exhibebat prudentiam, quarum virtutum author eſt Deus. Abſurda & ſupra fidem de arbore vitæ comminiſcuntur Rabbini; procera ad prodigium; ex ejus radicibus aquæ omnes Univerſi ſcatebant (d). Si quis ſolidis 500. annis viam decurriſſet nunquam ceſſando, via emenſus fuiſſet immanis hujuſce arboris ambitum. Facilè hæc omnia allegoricè dicta cenſenda ſunt, ſed occultum fabulæ ſenſum indagare quis adnitatur?)

ARCUS TRIUMPHALIS, Saul 1. Reg. 15. 12. poſt victos Amalecitas arcum triumphalem ſibi in Carmelo erexit: *Eo quod veniſſet Saul in Carmelum, & erexiſſet ſibi fornicem triumphalem.* In Hebræo legitur *erexiſſe manum*, ſcilicet monumentum. Cujus eſſet formæ monumentum illud, incertum; fortaſsè tamen petra erat, ſive columna in memoriam ejuſdem victoriæ erecta. Author Traditionum Hebraicarum in Libros Regum refert, hunc arcum contextum fuiſſe ex ramis myrti, palmæ, & olivarum.

ARCUS COELESTIS. Vide *Iris*.

ARCA. Urbs Phœniciæ. Vide *Araca*, & *Aracani*. Sita eſt in ditione Tribus Aſer, inter Arad, & Tripolim. Flumen Sabbaticum inter Arcam, & Raphanæam fluit, teſte Joſepho de Bello l. 7. c. 24.

ARCA, vox Latina, quæ propriè eſt ſcrinium rebus aſſervandis; huic in Hebræo reſpondet vox *Aron*, quo Moyſes uſus eſt pro ſignificanda Arca fœderis, recondendis Tabulis Legis deſtinata. Hæc lignis Sethim conſtabat, laminis, ſivè foliis aureis obducta, duobus cubitis, & dimidio in longitudine, uno & dimidio in latitudine, ac uno cum dimidio in altitudine. Coronula aurea perpetuo gyro in ſummitate, ac duobus Cherubim operculo adhærentibus exornabatur. Duobus lateribus duo annuli utrinque prominebant inferendis vectibus, quibus in itinere Arca deferretur. Igitur Arca fœderis ſcrinium erat recondendis Tabulis lapideis Dei manu exaratis.

Poſt Jordanis tranſitum, Arca fœderis diu in Urbe Galgalis detenta eſt, donec Silo transferretur; hinc ad exercitum detulerunt Iſraelitæ, prælium contra Philiſtæos inituri. Iſraelitis victis, arca in poteſtatem hoſtium redacta eſt; ſed mox illis reddita, quod infeſtum ſibi Dominum arcam detinendo Philiſtæi ſentirent. Hinc in Cariath-jarim manſit; deinde conſtat ſub Saule in Urbe Nobe extitiſſe; Davidi è Cariath-jarim ad Domum Obededom tranſtulit; ac deinde in domum ſuam in monte Sion. Tandem Salomon in Templo à ſe conſtructo magnificentiſſimè collocavit.

In Templo igitur ſumma religione diù aſſervata eſt, donec; piis Regibus Juda impiis & Idololatris ſuccedentibus, in ipſa ejus ſede prophanorum Numinum ſtatuæ invectæ ſunt. Quam impietatem non ferentes Sacerdotes, illam de loco in locum deportarunt, prout ſacrilegorum Regum furorem declinandi aditus patebat. Joſia regnante iterum propriis ſedibus reddita eſt, vetitumque ne alio aſportaretur. 2. Par. 35. 3.

Attamen aliquantò ante captivitatem Jeremias divino lumine perfuſus ſuæ gentis ærumnas prænoſcens, Tabernaculum & Arcam fœderis (e) è Templo ſubducta in ſpecu abdidit, eo in Monte, quem Moyſes terram promiſſam viſurus, & poſtea diem ibi clauſurus aſcenderat. Hunc locum Sacerdotes Prophetæ comites, ſigno aliquo ſibi notare volentes, nunquam deindè reperire potuerunt. Quare eos Propheta objurgans oraculo pronunciavit futurum, ut nunquam antrum illud innoteſceret, donec Dominus, pace cum populo ſuo inita, priſtinis domibus illos reſtituiſſet. An poſt captivitatem, reſtituto Templo, Arca illi redderetur, jure meritòque in dubium revocatur. Vide noſtram Diſſert. ante Libros Machabæorum.

(Narrant Thalmudiſtæ (f) Salomonem divinitus factum certiorem, futurum ut Templum igne ab Aſſyriis deſtrueretur, diripiendaque ab illis quæcumque pretioſa ejus cultui à ſe deſtinata, latibulum quoddam

 ſub

(a) Rabb. in Sanhedrin. pag. 70. Bemidbar. Rabb. pag. 170. & 238. Theod. apud Theodoret. qu. 28. in Gen. Iſid. Peluſ. l. 1. Ep. 2.
(b) De Geneſ. ad lit. lib. 8. cap. 5. & de Peccat. Merit. l. 2. cap. 21. (c) Antiq. lib. 1. cap. 1. Bonav. in 2. Sent. diſt. 19. Strabus in Geneſ. Hug. Victor. Abulenſ. alii paſſim. (d) Baſnag. hiſt. Jud. lib. 6. cap. 12. art. 18. (e) 2. Mach. 2. 4. 9.
(f) Galatin. de Arcan. l. 4. c. 9. Genebr. Chronol. 2. RR. Juda, & Abarbanel in Daniel. Maimon.

ſub terram effodiendam curaſſa, quo ſcilicet inferrentur res Templi pretioſiſſimæ, & ſanctiſſimæ, hoſtium perquiſitioni celandæ. Joſias probè intelligens quæ ſuper Judæos imminerent mala, intimis hiſce receſſibus commendavit Arcam fœderis, virgam Aaronicam, vas Mannæ, Ephod Summi Sacerdotis, & ſanctum oleum. Sed factum eſt, ut captivitate diutiùs perſeverante, loci memoria excideret; quare poſt eam ſolutam ornamenta illa in ſecundo Templo deſiderata ſunt.

Affirmant alii, tranſlatam à Nabuchodonoſore Arcam Babylonem, cum cæteris pretioſiſſimis Templi vaſis pompam triumphi auxiſſe. Suſpicantur nonnulli Manaſſem collocandis in Templo Idolis amota Arca locum feciſſe; quam tamen poſt ejus regnum iterum reſtitutam credunt. Judæi captivitatis, 4. Eſdr. 10. 22. queruntur Arcam Teſtamenti in direptione Templi per Chaldæos in hoſtium poteſtatem veniſſe.

Gemarra Hieroſolymitana tit. Maccoth, & Babylonica tit. Joma c. 1. Arcam illam inter cætera recenſent, quæ in ſecundo Templo poſt ſolutam captivitatem Babylonicam deſiderata ſunt. Sed iterum pariturram unà cum Meſſia blandiuntur ſibi Judæi (a). Jeremias tamen cap. 3. 16. de Meſſiæ & vocationis gentium ad fidem ætate agens, affirmat: *Non dicent ultra: Arca Teſtamenti Domini; nec recordabitur illius, nec viſitabitur.* Nulla de Arca in ſecundo Templo mentio, ſive apud Eſdram, ſive apud Nehemiam, Machabæos, Joſephum; quo etiam affirmante, de Bel. l. 5. c. 14. in Græc. ſcimus à Tito poſt captam Hieroſolymam in Sanctuario nihil inventum.

Refert S. Epiphanius in vit. Jerem. ex veteri utique traditione Judæorum, Jeremiam, imminentem Templi everſionem probè intelligentem, Arcam fœderis in caverna quadam occultaſſe; impetraſſe quin etiam precibus, ut fiſſens ſubito petra in ſinu ſuo ſacrum pignus abſconderet recondereque. Tum ait ad Sacerdotes & Seniores adſtantes: *Deus è Monte Sion in Cælum aſcendit; unde ſtata die cæleſtem ſecum exercitum trahens deſcenſurus eſt, cujus adventus ſignum erit cultus ab omnibus per Orbem nationibus nemori impenſus.* Adjecit inſuper, nemini deinceps locum occultatæ Arcæ Domini reſerandum, niſi Moyſi Prophetæ Domini. Sicut omnibus quà Sacerdotibus, quà Prophetis tabulas ibidem ſervatas occluſum iri, præterquam Aaroni, electo Domini. In ſecunda verò reſurrectione, ait, Arca è latebris ſeſe efficiens in Monte Sina conſtituetur; & circum eam coacti viri ſancti regredientem Dominum, & in detenſionem ejuſdem Arcæ adversùs hoſtes illi inſidiantes venientem, opperientur. Tum vir ſanctus petram illam ſigillo ſuo obſignavit, digitis in illa ſuis Dei nomine ita inſculpto, quaſi ſi ferro impreſſiſſet. Dum hæc agerentur ſtatim nubes quædam tenebroſa impreſſas nominis Dei literas ea caligine texit, ut ne hodie uſque appareant. Quare ignotus eſt omnibus locus, & nemini lectio Divini nominis conceſſa; cùm tamen ſingulis noctibus micare ſuper antrum nubes illa lucida conſpiciatur, quaſi hoc indicio deſignans, Dei gloriam nunquam legem ſuam deſeruiſſe. Sita eſt autem ſpelunca intra duos montes obitu Moyſis & Aaronis inclytos.

Joſephus Gorionis, qui Machabæorum hiſtorias legerat, refert Jeremiam poſt celatam Arcam, & velamina Tabernaculi Moyſis, hæc ad Sacerdotes, quos habebat in comitatu, effatum; juratum ſtatuiſſe Dominum nemini locum reſerandum, donec ipſe & Iſaias Propheta in mundum regrederentur; tunc autem reſtituendam Arcam Sanctuario, & ſub alis Cherubim. Tandem ſat convenit inter Rabbinos, Arcam poſt captivitatem nunquam ſpectatam, ejuſque loco conſtitutum in Sanctuario *lapidem fundamenti*, qui crederetur centrum ſacri montis. Patres, & Chriſtianorum Interpretes plerique à Judæis non diſſident, rati nunquam poſt captivitatem detectam Arcam. Vide noſtram Diſſertationem de hoc argumento, præfixam Libris Machabæorum, ſicut & alteram Friſchmuti de non ſperanda Arcæ fœderis reſtitutione.

Præter Tabulas fœderis, ſacræ illi Arcæ commiſſas à Moyſe, ibi pariter recondidit virgam Aaronis, quæ flores emiſit (b) & Gomor è manna in deſerto collecta plenum (c). Ibi etiam poſitos cenſet Tertullianus lapides ex imo Jordanis alveo, dum ſicco pede amnem trajicerent Iſraelitæ (d), deductos. Servatas quoque cenſet Mahometani (e) ſoleas Moyſis, quibus detractis acceſſit ad rubum ardentem (f); addunt Aaronis tiaram, fruſtulum è ligno Alovah, quo Moyſes aquas Mara correxit. Jurant inſuper Arcam illam jam abſolutam munus fuiſſe à Deo traditum Adam, ex quo in alios continuata ſucceſſione Patriarchas adusque Moyſem, ornatam illam circùm imaginibus ad vivum Patriarcharum, & Prophetarum; aſſediſſe autem ibi *SchecKinah* vel Dei majeſtatem; cum verò bellum adversùs hoſtes urgebat, ingens ſubitò ventus erumpens ex Arca, impetu ferebatur in hoſtes, quos fugabat fundebatque; id autem intelligentes Iſraelitæ non rarò ante agmen ferendam Arcam curabant.

Paganorum etiam religione notæ erant Arcæ, vel *ciſtæ*, res maximè ſacras recondentes (g). Narrat Apulejus de Aſin. aur. l. 9. & 11. in quibuſdam Ægyptiorum pompis adlatam in ſuggeſtu quodam ciſtam claudentem quidquid erat in Religione ſanctiſſimum. Gemina fermè tradit Plutarchus in Libro de Iſide & Oſiride. Meminit Pauſanias l. 7. ciſtæ recondita habentis Trojana myſteria, quæ in expugnatione ejus Urbis Eurypilo ceſſit. Veteribus Etruſcis inter cætera ſacra nec vaſa nec ciſtæ deerant (h); Græci, Romanique ciſtas pariter norant. Sæpè ſacro illæ ſilentio tegebant ſalaciſſima quæque, prophana, ſuperſtitioſa, abſurda (i); cum interim Arcam Domini implerent quæcumque ſacratiſſima, & veneratione digna haberet Mundus, nimirum ſcriptam Dei legem ferentes Tabulas.)

ARCA NOE in Hebræo *Thebat*, genus eſt arcæ. Vox Hebræa, qua Moyſes uſus eſt, differt ab aliis, quibus arcas cæteras, ſivè ſcrinia deſignat; eandem tamen uſurpavit, cum fiſcellam expreſſit, in qua ipſe aquis Nili expoſitus eſt. Porrò fiſcella illa lintris, ſivè arculæ ſimilitudinem referebat. Veteres Scriptores (k) tradunt Ægyptios conſueviſſe lintribus vimineis Nilo ſe committere; quod cymbæ genus adeò leviſſimi erat ponderis, ut humeris impoſitum transferrent, cum navigationis curſus cataractis impediretur.

Ad has Ægyptiorum fiſcellas Arcam Noe ſimilitudine acceſſiſſe veroſimillimè creditur, quanquam majoris eſſet molis, & amplitudinis. Nam 300. cubitis in longitudine, 50. in latitudine, & 30. in altitudine, producebatur; quare ſingulis cubitis 20. pollicibus ac $\frac{44}{79}$ aſſignatis, tota moles 512. pedes ac $\frac{32}{79}$ in longitudine, & 85. $\frac{51}{79}$ in latitudine, ac tandem 51. pedes & $\frac{39}{79}$ in altitudine circuibat, tota verò area 337600. cubitis cubicis Hebraicis conſtabat: & pro ſingulis cubitis 18. pollicibus tantum computatis, ejus longitudo 450. pedes latitudo 75., altitudo 45. habebat. Figuræ erat quadratæ, & oblongæ, tecto aliquantò in declivi diſpoſito, ne aquis ſtagnantibus corrumperetur.

Vix ullum in Europa Templum eſt adeò vaſtum, ut longitudinem hujus molis adæquet. Ejus altitudo tanta erat, ut commodè quatuor ſolariis diſtingui potuerit; quorum interſtitia ſingula congruum ſpatium continerent. Primò quippè tres cubiti cum dimidio, ſecun-

(a) Abarban. in Dan. 9. (b) Num. 17. 10.
(c) Exod. 16. 33. & Hebr. 9. 3. 4. *Arcam Teſtamenti in qua urna aurea, & virga Aaron.* (d) Joſue 4. 4. 5.
(e) Bibliot. Orient. pag. 1022. & 834. (f) Exod. 3. 5. (g) Vide Spencer. de legibus Hebr.
(h) Clem. Alex. in Protrept. Euſeb. Præp. Evan. l. 2. c. 5. (i) Vide Clem. Alex. Admonit. ad Gentes pag. 12. 14.
(k) Vide Herod. l. 2. Diod. l. 1. Plin. l. 7. c. 56. & lib. 13. c. 2.

ſecundo ſeptem, tertio octo aſſignantur; ab ultimo ſolario ad tectum, ſpatium erat ſex cubitorum ac dimidii; craſſities ſolariorum ac tecti quinque reliquos cubitos occupabat.

Hujus navigii ſentina primum ſpatium tenebat; ſecundum verò horreo, ac veluti penario deſtinabatur: tertium ſtabulum erat pro quadrupedibus & terreſtribus animantibus: quartum volatilibus addictum. Sentinam Moyſes non deſcripſit, quòd nulli eſſet uſui, niſi potabilibus aquis continendis. Sunt, qui ſtabula pro quadrupedum ſpeciebus diverſa diſtinguant; ſed parum ad rem; quippe plures ſunt quadrupedum, ac volatilium ſpecies, quæ eodem convictu facilè utuntur.

Numerus animalium, quæ in Arcam convenerant, minor eſt, quàm quod videatur. Ea quadrupedibus enim 130. ſpecies circiter nobis tantummodò innoteſcunt: reptilium verò ad 30. Mole verò ſex ſpecies ſolùm Equum ſuperant; paucæ adæquant, plures infra ovem ſunt. Hinc quadrupedes, additis inſuper 3650. ovibus pro cibo animalium carnivororum, tantum ſpatii circiter occupabant, quantum 120. boves, 3730. oves, & 80. Lupi tenerent.

Inter aves, raræ Cycnum ſuperant mole, plures ſuperantur.

Reptilia exilia ſunt corpore; è quibus etiam plura aquas patiuntur; quare ab Arca excludi potuerunt.

Stabula quadrupedibus commodè 36. deſignari potuerunt; totidemque caveæ volucribus aſſervandis, dato ſingulis ſpatio 25. pedum, & dimidii longitudinis; 29. cum dimidio latitudinis, ac 13. cum dimidio altitudinis.

Aquarum potabilium ultra 31174. dolia in ſentina contineri potuerunt; quantum ſcilicet numero animalium quadruplo majori, quàm intrà Arcam degeret, integro anno ſuffeciſſet.

Horreum, ſivè penarium plura recondere potuiſſet, quàm quæ neceſſe eſſet ad victum omnium animantium integro anno, quamvis omnia fœno, fructibus, & leguminibus victitaſſent.

Præter hæc omnia, tantum ſpatii reliquum eſſe poterat in ſuprema Navigii contignatione, ut 30. apothecæ conſtitui potuerint, recondendis utenſilibus domos, inſtrumentis ad agros colendos, tritico, ac tandem ſeminibus ad ſerendam terram poſt diluvium. Inſuper culinam, aulam, quatuor cubicula, ac tandem ambulacrum 48. cubitorum ſibi, ſuiſque Noe reſervare potuiſſet. Conſule Librum D. Le Pelletier Rothomagenſis de Arca Noe, Jo: Buteonem Anglum de eodem argumento, ac noſtra Comment. in Gen. 6. 24.

(Plures de hac quæſtiones.

E. G. Quantum temporis ejus conſtructioni datum? Annos 120. Interpretum plerique ideo aſſignant, quòd Geneſis 6. 3. legitur: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, eruntque dies illius centum viginti annorum*. Hanc annorum periodum conſtitutam fuiſſe, ut ea evoluta ſtatim exciperet diluvium vulgò creditum eſt (a); additumque totum illud temporis ſpatium abſumendum à Noe, tum ad Arcam conſtruendam, tum ad annunciandam hominibus pœnitentiam, ac tandem ad colligendam annonam animantibus in Arca detinendis neceſſariam.

Qui verò iſta cohæreant cum illis Gen. 5. 31. *Noe cum quingentorum eſſet annorum genuit Sem, Cham, & Japhet?* Cùm autem Arcam fabricare primo eſt juſſus, præcepit illi Deus, Gen. 6. 18. *Ingredieris tu, & filii tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum*. Tunc igitur Noe non tantùm tres liberos genuerat, quos natos conſtat poſt annum ætatis ejus 500. ſed & tres illi duxerant jam conjuges; quanquam non ſeriùs diluvium conſignatur anno ætatis Noe 600. Nunquam ergo fieri poterat, ut ad Arcam conſtruendam juſſu Dei ſe accingeret ante annos 120. à diluvio.

Reponunt ea Patribus quidam (b) illud *quingenteſimo anno vitæ Noe*, capreſſum Gen. 5. 35. poſitum eſſe

pro 480. numerum rotundum pro fracto; egiſſe autem 500. annorum ætatem Noe, cùm à Deo juſſus eſt Arcam fabricare. Volunt alii Deum (c) eraſiſſe è 120. annis, quos reſipiſcentiæ hominum aſſignaverat, eraſiſſe, inquam, viginti, ut poſt evolutam centum annorum, & non 120. periodum, diluvium ſuccederet.

Sed hæc mera conjectura, nullo ſolido argumento aſſeruntur; dubia hæc nihil valent contra apertum aſſertumque verborum Scripturæ teſtimonium. Ad hæc, argumenti tantùm partem diluunt; adhuc enim ſciſcitandi locus eſt, quinam fieri potuiſſet, ut Noe ab anno 480. ætatis uſque ad 500. intra breve illud ſpatium, & liberos gignere, & conjugio elocare potuerit, ut vim illam verborum Domini impleret: *Ingredieris Arcam tu, & filii tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum?* Via in animum inducimus, quo tempore ætas hominum attingebat 8. vel 9. ſæcula, nubili ætati pares fuiſſe annos 17. vel 18. Reputari tandem potuiſſet, verba illa de Noe, qui 500. annis grandævus genuit Sem, Cham, & Japhet, ita eſſe accipienda, ut illud, *genuit*, poſitum crederetur pro *genuerat*.

Ita ea Interpretibus ſanè multi conſtruendæ Arcæ ſpatium aſſignant 52. vel 78. annos; quod etiam intra anguſtiores terminos definiunt alii (d). Biennio vaſtum hoc ædificium abſolutum cenſent Mahometani (e); adduntque, monſtrante Deo, dejectam à Noemo arborem, qua navi ſuæ ædificandæ uteretur, illam implantaſſe, ac terræ commiſſam intra 20. annos tam enormiter excreviſſe, ut ad uſum, cui deſtinabatur, ſufficeret; tum Noe ad opus ſeſe accinxit, abſolvitque intra biennium. Hæc Interpretes Alcorani.

Quod attinet ad genus ligni in uſum Arcæ deſtinati, Hebræus Gen. 6. 14. habet, *è lignis Gopher*; Septuaginta, è lignis quadratis; alii cedrinis; alii, buxi vel incorruptibilibus. *Gopher* cypariſſum deſignare cenſet Bochartus; nec ſanè amplioribus navigiis conſtruendis aptius aliud lignum ſuppeditare poterant Armenia & Aſſyria, ubi fabricatam Arcam non immeritò ſtatuit. Cùm Alexander Magnus claſſem parare inſtitueret, nec in Babylonia aptam rei materiam nactus eſſet, transferri ex Aſſyria cupreſſos mandavit (f). Hebræum Gopher generatim deſignare ligna quædam pinguia & reſinoſa, veluti pinum, abjetem, terebinthum cenſent alii. Vox *Gophrit* affinis admodum *Gopher* exprimit ſulphur, nec malè etiam reſinam, picem, & combuſtibilia quæque è lignis expreſſa. Sanctus Hieronymus reddit hic *ligna lævigata*; alibi verò (g) *ligna linita bitumine*, vel *bituminata*. Ambo Paraphraſtes Onkelos & Jonathan, aliique nonnulli (h) pro cedro pugnant. Rem in medio poſitam fatemur; mihi tamen, ſi in partes ſecedendum eſſet, arrideret cupreſſus. Vidimus ſupra Mahometanos vocem explicare de *Sag* ſeu platano Indiarum.

Tenent inſuper Noe Arcam conſcendiſſe in *Cenfah*, vel juxta alios ſecus locum, ubi ſucceſſu temporis condita Babylon, ſive in *Ain-Varda* loco Meſopotamiæ; alii in Indiis, rati inſuper ſpatio ſex menſium, quibus diluvium perſeveravit, totum mundi ambitum circuiſſe.

Intentum operi Noe ſannis excipiebant impii, dictitantes: Cui bono navis in continenti & extra ſalum? Alii hominem de ridiculo traducentes: Navem fabricas; cur ergo & aquam huc non derivas? Inſultantes autem quidam: Colonum hic pertæſus, tandem ſe vertit ad Fabrum lignarium. Quibus ille: Et mea tandem agetur res, & vos veſtro tandem impendio intelligetis eſſe, qui in hoc mundo puniat ſcelera, quæ & ulteriori flagello in altera vita reſervat.

Majoris moliminis res eſt indagare quanta eſſet navis hujus area, quantus & ambitus; quæ ratio conſtruendi molem aptam continendis hominibus, brutis, atque annonæ quantum ſat eſſet per annum? Salebris

(a) Chryſoſt. hom. 22. in Gen. Aug. L. 15. de Civit. c. 24. Hieron. de qq. Hebr.
(b) Aug. loc. cit. (c) Hieron. de qq. Hebr. (d) Pſeudo Beroſ.
(e) Bibl. Orien. pag. 575. 676. (f) Arrian. in Alexand. lib. 7. Strabo lib. 16.
(g) In qq. Hebr. (h) D. Le Pelletier in Arc. Noe cap. 5.

Digitized by Google

bris hiſce tollendis minutiſſima plura tractata ſunt circa menſuram cubiti Moſaici, circa animalium numerum, quæ in Arcam recepta, circa dimenſiones omnes molis; & poſt rerum omnium ſedulam & accuratam diſcuſſionem, poſt dimenſiones ad exactiſſimam geometriæ methodum ſupputatas, tandem doctiſſimi ac peritiſſimi Geometræ, & navigiorum ac molium maritimarum expertiſſimi Architecti (a) ſtatuerunt, nunquam fieri poſſe, ut magis exactum elaboratumque ad artis regulam ædificium pararetur, quando etiam in conſilium adhibiti fuiſſent Mathematicarum rerum viri ſcientiſſimi; tantumque abeſſe, ut quæ in hiſtoria ſancta narrantur, valida ſufficiant Deiſtis arma oppugnandæ authoritati Sacrarum Scripturarum, quin potiùs ex illa invicta præbeat argumenta, quibus adversùs omnes niſus ſtaret immota: via enim induceretur in mentem, ut Noemi ætate, cùm ſcilicet navigandi ars tenera adhuc vagiret, navis conderetur, tam aptè, tanto artificio, ac proportione inſtructa, quantam exhibet in varia diſtributa ſolaria Arca, quæ intentui ita ſerviret, ut nihil ſuprà. Eſt igitur, cur Deo authori, ſuoque lumine illuſtranti rudes adhuc ea in re hominum mentes, hæc omnia tribuamus.

Negotium faceſſit nonnullis Arcæ figura oblongum referens quadratum; ſed illis utiquè animadvertendum fuiſſet, molem hanc ad navigandum non deſtinari, ſed ut tempore ſat diuturno ſuper aquas fluitans, reliquias hominum, brutorum, & plantarum conſervaret. Adductis quin etiam exemplis viris illis demonſtraretur, aptiſſimam hanc eſſe navigii formam, ad navigandum non minus, quàm ad ferendum (b). Refert Georgius Hornius in ſua Imperatorum hiſtoria, quemdam Petrum Hans de Horne ineunte ſæculo decimo ſeptimo conſtruenda curaſſe gemina navigia juxta modulum & proportiones Arcæ, quorum unum porrigebatur 120. pedibus in longum, 20. in latum, 12. in altum. Molibus hiſce idem fuit ac Noemicæ latum. Sannis primùm exceptæ traductæque in deriſum; ſed deriſores illos docuit experientia, aptiſſimas fuiſſe illas triplo majori ſarcinæ ferendæ, quamquam non majoribus ac cæteræ omnes inſtructas navalibus, iiſdemque ac reliquas velis celeriùs ferri. Unum illud occurrit incommodi, quod nonniſi in pace valere naves ejuſmodi intelligerentur; neque enim ferendis machinis tormentariis erant aptæ.

Uberrimam etiam diſputationum meſſem exhibet numerus hominum & brutorum in Arca ſervatus. Ad homines quòd attinet plana ſunt omnia, ſiquidem teneamus Moyſis & S. Petri textum; habet enim ille Geneſ. 7. 13 Arcam ſubiiſſe Noe cum uxore, tres inſuper ejus liberos cum ſingulorum conjugibus; & S. Petrus Epiſt. 1. cap. 3. 20. *In qua* (in Arca) *pauci*, *id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam*; ſed ideis fœcunda hominum mens, inquieta, novarumque rerum ſtudioſa, rationem inivit, cur numerum illum prorogaret. Qua in re conſulturos ſe Numinis Providentiæ aliqui opinati ſunt, rati impares eſſe octo tantùm homines tot tantæque animalium multitudini curandæ. Reputarunt alii nimia anguſtia terminis definiri miſerentis Dei amplitudinem, ſi collatam octo tantùm hominibus ſalutem ab aquis diluvii antumarent. In Alcorano ſuo narrat Mahometus (c), conſcenſo Arcæ tecto Noemum incredulos homines hiſce invitaſſe: Conſcendite in nomine Domini; ſimul autem dicente illo Arca undas ſulcabat, conſiſtebatque immota per invocationem nominis Domini. Injunxerat illi Deus venientes quoſcunque etiam infideles recipere; ſimul autem prædixerat futurum, ut rari admodum accederent. Credunt Mahometani Interpretes præter octo illos homines, de quibus jam, acceſſiſſe etiam 72. quà ex filiis Noe, quà è domeſticis illorum. Unus ex univerſa familia Noe Chanaan ex filio nepos effugium Arcæ recuſavit, qui voracibus fluctibus abſortus eſt.

Docent ea RR. nonnulli Regem quendam Baſan è diluvii aquis ſervatum, quòd tecto arcæ adequitaret; tenent etiam alii Philemonem Sacerdotem Ægyptium cum familia recepiſſe ſe cum Noe. Sibylla Babylonia ſe quoque cum viro ſervatam affirmat. Apage fabellas!

Multò difficiliori negotio certus brutorum numerus definiretur. Tenebras enim offundit Moyſes illis Gen. 7. 2. *Ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena & ſeptena, maſculum & fœminam; de animantibus verò immundis duo & duo, maſculum & fœminam.* Plures in hæc verba quæſtiones. 1. Quænam hæc pura, & impura animantia; 2. An in Arcam introducta ea puris 14. & ex impuris 4. vel tantùm ex puris ſeptem, è deterioribus duo? Legit Hebræus: *Tolles de animantibus puris ſeptem, ſeptem maſculos, & fœmellas, & de animantibus impuris duo* (ſemel tantùm habet *duo*) *maſculum, & fœmellam*. Sed Textus Samaritanus, Septuaginta, & Vulgata bis legunt *duo*. Sicut etiam Hebræus cap. 7. 9. ubi eſt *duo & duo*; ex quo integra manet ambigendi ratio, cùm Textus æquè exprimere poſſit ſeptem & ſeptem, i. e. 14. ac introduces ſepteno ordine, vel bino, i. e. binos & binos, ſeptem & ſeptem; quo ſenſu habet S. Marcus 6 7. miſſos Diſcipulos à J. C. *binos & binos*; ſicut diſpoſitas turbas ut aſſiderent ſecundùm *contubernia*. *Et diſcubuerunt*, inquit, Marc. 6. 39. 40. *in partes per centenos & quinquagenos*.

Hanc ſententiam tuentur cum Joſepho Antiqu. l. 1. c. 3. & Patribus ſanè multis (d) ferè omnium Commentariorum Scriptores; ſed adverſæ huic opinioni nec repugnat Textus Originalis, nec Aſſertoribus caret. Commodè enim Textus exponeretur: Introduces in Arcam quatuordecim animalia pura, vel ſeptem paria; ea impuris verò paria nonniſi duo. Commodè etiam redderetur unum par, *duo & duo*. Origenes contra Celſum l. 4. Pſeudo-Juſtinus in quæſtionibus ad Orthodoxos, Abenezra, Dionyſius Carthuſianus, Oleaſter, & alii hanc opinionem tuentur.

Sed quæ hic animalia munda & immunda cenſeantur? an fortè quod Moyſes notavit in Lege inter permiſſa cibo animalia vetitaque diſcrimen, jam inde ante diluvium obtinebat; ſeu potiùs anticipatione quadam rem totam expreſſit Moyſes? A vero utique non abſludit, minimè hæc Noemum latuiſſe, dictum enim ſuum non explicans Deus, jubet ex animalibus mundis plura ſervare, quàm ex immundis; quæ autem eo nomine deſignabantur Noemo animalia, ipſiſſima facilè erant ac quæ apud Judæos; Moyſes enim nihil adnotat diſcriminis. Quantùm autem intelligimus nomine animalium mundorum cenſebantur quæcumque Sacrificio erant auſpicata, veluti bos, aries, capella, eorumque generis omnia, ſicut & avium quædam genera, veluti columba, turtur, gallina, paſſer.

Ad uſum cibi animalium mundorum numerum prorogat Moyſes; an majorem hic animalium mundorum numerum deſignarit, quàm qui permittebatur ad ſacrificium, ambigere me profiteor. Porrò immundorum animalium par conſtabat utique è mare & fœmella; ſeptenarium vero purorum animalium coaleſcere etiam potuiſſet è duobus maribus, quinque fœmellis; è maribus unum reſervabatur ad ſacrificium, reliqua ad genus propagandum.

Ubi potiſſimùm ſubſiderit Arca ſat indicavimus V. *Ararat*, & *Apamea Phrygia*.)

ARCE, alio nomine *ReKem*, ſivè *Petra*, Metropolis Arabiæ Petrææ. Vide *ReKem*, & *Petra*.

ARCEUTINUS. Vox occurrens in 2. Par. 2. 8. ubi *Ligna arceutina*; quod de lignis Juniperi dictum eſt. In Hebræo eſt, *Beruſim*, quod propriè vertitur *Abiegna*.

ARCHELAIS, Urbs, ſivè vicus Judææ, quam Archelaus Ethnarcha ejuſdem Regionis (e), & Filius Herodis magni ædificavit, aliquantò antequam Viennam Galli-

(a) Vilkius Epiſc. Ceſtrenſis Eſſay Tovvarſ. Real character. par. 2. cap. 5. pag. 162. Saurin. diſſer. hiſtor. &c. tom. 2. pag. 87. 88. Gallicè. (b) Le Pelletier Diſſert. in Arcam Noe c. 2. pag. 29. 30.

(c) Biblioth. Orient. pag. 676. col. 2. (d) Chryſoſt. Hom. 24. in Geneſ. Theodoret. q. 50. in Geneſ. Hieron. l. 1. contra Jovinian. Aug. de Civit. l. 15. c. 18. &c.

(e) Ant. l. 17. c. 15.

Galliæ exul abire cogeretur. Tabulæ Pentingeri eam collocant inter Jericho, & Scythopolim, fortè in planitie ad ripam occidentalem Jordanis.

I. ARCHELAUS, Rex Cappadociæ, Pater Glaphyræ Uxoris Alexandri, Filii Herodis Magni. Is intellecta Herodis ſimultate contrà Alexandrum, Hieroſolymam adivit (a), ac primò Herodem conciliaturus, invitum ſibi Alexandrum ſimulans, velle ſe dicebat nuptias abrumpere, Filiam reducendo; ſimulque illius ingenium pluribus inſectatus, Herodem ſummis laudibus extulit; deindè cum Herodem diſpoſitum ſentiret, paulatim omnem ab Alexandro invidiam depellere, ac in familiares ipſius rejicere cœpit. Inter hæc, Pheroras frater Herodis Archelaum convenit, rogans, ut authoritate ſua pacem ſibi ab Herode fratre impetraret; quam occaſionem nactus Archelaus, ſuaſit, ut ipſe Pheroras omnium eorum, quæ Familiam turbaſſent, authorem ſe coram Herode fateretur, ac veniam deprecaretur, pollicitus opera ſua exinde effecturum, ut pacem obtineret. Res pro voto ſucceſſit, quippè Archelaus dexteritate ſua fratres inter ſeſe, ſimulque Patrem cum Filio reconciliavit.

Poſt aliquod tempus Alexandro delato apud Herodem, quod fugam meditaretur unà cum Uxore ad Archelaum, cumque idem Alexander interrogatus non abnuiſſet, ea res invidiam Archelao apud Herodem creavit. Quare in Concilio Beryti coacto pro decernenda pœna mortis contra Alexandrum, & Ariſtobulum, Archelaus non adfuit; quamquam Auguſtus Imperator in literis ad Herodem datis accerſendum juſſiſſet (b).

II. ARCHELAUS, Filius Herodis Magni ex Maltace, quinta ejus Uxore. Poſtquam Alexandrum, Ariſtobulum, & Antipatrum Filios Herodes ſubſtuliſſet, eraſo nomine Herodis Antipæ, cui in Teſtamento Regnum reliquerat, Archelaum ejuſdem Regni hæredem inſtituit, Herode Antipa titulo tantùm Tetrarchæ donato. Hoc teſtamento poſt Herodis mortem recitato (c), quamquam in eo expectandum Auguſti conſenſum caveretur, nihil tamen cunctatum eſt, quin ſtatim Archelaus in Regem ſalutaretur, ejuſque nomini totus exercitus juraret. Novus Rex poſt curatum Patris ſui funus, Hieruſalem venit, ac luctum juxta morem ſeptem diebus celebravit; quo abſoluto, ſumptuoſo convivio populum excepit. Sub hæc, coram univerſis concionem habuit in Templo, in qua magna de ſe pollicitus eſt, ſimulque à Regis titulo ſe uſque ad aſſenſum Imperatoris abſtenturum promiſit (d).

Dicentem intercepit populi murmur, ad mortem depoſcentis eos, quos Herodes conſiliarios adhibuerat damnandis viris illis religioſis, qui Aquilam auream pro Templi foribus collocatam removerant (e). Clamabant inſuper, ut Joazas Sacerdotio expoliaretur; ac tandem defuncti Regis memoriam maledictis proſcindebant. Archelaus ſeditioni compeſcendæ, militum manum immiſit, à quibus ad 3000. circà Templum trucidati ſunt. Deindè Cæſarea ſolvens, Romam ſe contulit, negotium ſuum pro Judææ Regno acturus; quo etiam Antipas de eadem re diſceptaturus acceſſit, prius Herodis teſtamentum poſteriori, tamquam ſcripto à Rege mentis jam emotæ, præferendum contendens.

Utriuſque cauſam facundiſſimi Oratores coram Auguſto egerunt, cujus deinde genibus provolutus Archelaus, ab eodem comiter relevatus eſt, ac bono eſſe animo juſſus; quippè ſe nihil contrà Herodis voluntatem facturum Imperator ſignificavit; quamquam nihil interim pronunciaret. Interea (f) Legati Judæorum Romam venerunt petentes, ut liceret Hebræis Legibus ſuis vivere; ac pulſis Regibus in Romanorum ditionem ſub Præſide Syriæ Provincia redigeretur. Auguſtus omnibus auditis, tam quæ ipſi pro ſe, quàm quæ contra illos Archelaus afferret, re infecta cœtum dimiſit.

Tandem poſt aliquot dies (g) Auguſtus accerſito Archelao, juſſit, ut non Regio, ſed Ethnarchæ titulo aſſumpto, mediam paterni Regni hæreditatem obtineret; pollicitus tamen futurum, ut à ſe titulo Regis tunc demum donaretur, quando egregiis factis promeruiſſet. Secundum hæc Archelaus in Judæam regreſſus eſt; quo perveniens, Summo Sacerdotio Joazam removit, ipſum juvaſſe contra ſe ſeditionis accuſans, eam verò dignitatem Eleazaro ejus fratri conceſſit (h). Deinde Regnum adminiſtrandum ſuſcepit adeò violenter, ut ſeptem prioribus annis evolutis (i), Judæorum, ac Samaritanorum optimates ad eum deferendum coram Auguſto adiverint. Quibus auditis, Imperator ne dignatus quidem Archelaum ſuis literis, ejus Miniſtrum Romæ agentem accivit, juſſitque, in Judæam regreſſus nomine ſuo Archelao renunciaret, ut Romam quantocyus veniret. Paruit illicò Archelaus (k), ſed cum cauſam ſuam defendere non poſſet, Viennam Galliæ exulare coactus eſt, eoque in exilio incertum quo anno obierit.

ARCHI, Urbs Tribus Manaſſe trans Jordanem. *Joſue* 16. 2.

ARCHIPPUS, de quo S. Paulus ad Coloſſenſes 4. 17. Hunc alii credunt fuiſſe Epiſcopum Coloſſarum: alii Sacerdotem ſivè Diaconum ejus Eccleſiæ; in Conſtitutionibus l. 7. c. 46. tandem eſt Epiſcopus Laodiceæ in Phrygia. Græci recolunt ejus memoriam die 22. Novembris, ac ſub Nerone martyrium Coloſſis conſummaſſe tradunt; Latini verò die 20. Martii.

ARCHISYNAGOGUS, Princeps Synagogæ, Titulus Magiſtratus apud Judæos. Munus præſidendi Synagogis, aliiſque cœtibus pluribus ſimul demandabatur, quorum tamen numerus pro temporum, & locorum diverſitate varius ſervabatur. Quo enim majores erant Urbes, ac confluentium ad Synagogas major frequentia, eò plures eligebantur, ut quandoque ad 70. aſcenderent, aliquando verò unus tantummodò eſſet. Nuncupantur etiam ſæpè Angeli, & Principes Synagogæ, *Chachamim*, ſivè Sapientes. Præſidebant autem cœtibus pro Religionis negotiis; iis qui apti eſſent, verba faciendi coram populo in Synagoga copiam dabant; ſuper negotiis pecuniariis, furtis, & aliis hujus generis ſententiam ferebant; ac tandem à communione, atque Synagoga indignos repellebant. Vide Baſnage *Hiſt. des Juifs. l. 7. c. 7.* & Vitringam *de Synagoga*.

ARCHITRICLINUS. Quamquam ea vox reddi ſoleat, *Præfectus domus*, meliùs tamen dicta intelligeretur de Præfecto convivii. Ejus munus ità deſcribit S. Gaudentius Tract. 9. *Qui conviviorum apparatum, miniſtros, atque ordinem diſpenſaret: & hoc pro officio Architriclinus, hoc eſt, triclinii præpoſitus dicebatur.* Inſuper vinum prægustabat, & aliis apponi jubebat. In Eccleſiaſtico 32. 1. hæc de Architriclino habentur: *Rectorem te poſuerunt; noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis; curam illorum habe, & ſic conſide, & omni cura tua explicita recumbe, ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem conſequaris corrogationis.*

ARCTURUS, quo nomine ſydera illa ſignificantur, quæ caudam Urſæ conſtituunt, ac præ cæteris illud potiſſimùm, quod poſt caudam majoris urſæ ſitum eſt, cujus ortum, & occaſum procellas nimboſque portendere autumant (l). *Arcturus ſignum ſum omnium quàm acerrimum. Vehemens ſum cum exorior, cum occido, vehementior.* Job. 9. 9. de *Arcturo* ſub nomine *As* loquitur, de *Orione* ſub nomine *Cheſil*. Orion ſydus eſt in corde Scorpionis de *Hyadibus* ſub nomi-

(a) Antiq. l. 16. c. 12. & de Bello l. 1. c. 17. (b) Vide Antiq. l. 16. c. 16. in fin. & cap. 17. init. de Bel. l. 1. c. 17.
(c) Antiq. l. 17. c. 10. (d) An. M. 4001. Chr. 1. ante Ær. 3. (e) Ibid. c. 11.
(f) Antiq. l. 17. c. 11. (g) Antiq. l. 17. c. 13. (h) An. M. 4002. Chr. 2. ante Ær. 2.
(i) Antiq. l. 7. c. ult. & de Bel. l. 1. c. 6. (k) An. M. 4010. Chr. 10. Ær. 7.
(l) Plaut. in Rud. Prolog.

numine *Chimad*; de polo antarctico ſub nomine *interiorum Auſtri*. Vide Noſtra Comment. in Job, cap. 9. 9. & 37. 9.

(ARCUS. Quid ſit arcus latere neminem arbitror. Armorum enim genus erat Iſraelitis familiariſſimum, quippe qui muniebant exercitus ſagittarum jaculandi ſcientia peritiſſimis. Cùm ſermo eſt in Scriptura de arcu intendendo, recurrit phraſis *conterere arcum pede*, quod ſcilicet preſſus pede arcus faciliùs intendebatur. Agit gratias Deo Pſalmiſta, Pſ. 17. 35. quippe qui tanto robora brachia ſua firmaſſet, quantum robur eſt ænei arcus. *Poſuiſti ut arcum æreum brachia mea*. Plerumque formabantur ex ligno. Illud Jerem. 42. 35. *Confringam arcum Ælam*, & Oſee 1. 5. *Conteram arcum Iſrael*, exprimit coercendam à Deo earum gentium potentiam.

Arcus doloſus Oſee 7. 16. *Facti ſunt quaſi arcus doloſus*, eſt arcus hebes, ſcopum fugiens. Armamentaria inſtructiſſima fabricavit Rex Ozias, ubi inter cætera armorum genera non deerant magno numero arcus & fundæ 2. Par. 26. 14. Inſtruitur in Scriptura Deus veluti miles aliquis, ſeu triumphans Imperator arcu & ſagittis: *Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, juramenta Tribubus, quæ locutus es*; Habacuc. 3. 9 ſuſcitabis, ſeu intendes arcum tuum Pſ. 77. 9 *Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum, converſi ſunt in die belli*, i. e. terga verterunt, cùm prælium eſſet ineundum. Permiſſorum ſe pronunciat Deus *arcui Juſti* Cyri, Meſſiæ, gentes, ſicut ſtipulam vento raptam Iſaiæ 41. 2. Elamitæ, ita enim in Scriptura appellantur Perſæ, qui Cyro Regi ſuo parebant, cæteris per orbem gentibus ejaculandi ſcientia nihil concedebant.)

ARDON, filius Caleb, & Aſuba. 1. Par. 2. 18.

AREA, Vir, cujus poſteri 775. è Babylonia regreſſi ſunt. *Vide Eſdr.* 2. 5.

AREA ATHAD (a). Locus, in quo Filii Jacob, & Ægyptii eos comitati, funus Patriarchæ Jacob luxerunt, poſtea *Abel-Mizraim*, ſcilicet luctus Ægyptiorum nuncupatus. Sunt qui illum trans Jordanem, ſunt etiam, qui citrà, collocent. S. Hieronymus (b), ponit intrà Jordanem, & Jericho, duobus milliaribus à flumine, & tribus ab Urbe, eo loci, ubi poſtea *Betagla* ædificata eſt, cui Procopius Gazenſis ad Geneſ. 50. conſentit. Qui trans Jordanem collocant, decepti videntur ex eo, quod S. Hieronymus ſcribat, *Abel-Mizraim* locum eſſe ultra Jordanem: nam tò ultrà Jordanem refert ad eos, qui ex Ægypto in Palæſtinam aſcendunt, eo itinere, quod Iſraelitæ tenuerunt; verùm an ex Ægypto in Palæſtinam venientibus eadem via eundum eſſet ac Iſraelitis, non conſtat.

AREA NACHON. Locus, in quo Oza à Deo percuſſus eſt (c), in pœnam protentæ ad Arcam inſultantem manus. De hujus ſitu non planè conſtat. Alii credunt nomen Nachon eſſe appellativum viri illius, ad quem Area pertinebat. Alii verò vertunt *Area Præparata*, ſcilicet præparata, ſeù deſtinata ad Arcam recipiendam. Nec equidem longè depoſita fuit, in domo nempè Obededom, qui vel intra Hieruſalem, vel propè illam habitabat. Verùm Domus Obededom *Area præparata* appellari minime potuit, cum David alibi Arcam collocare cogitaverit. In Paralipomenis 13. 9. legimus pro *Area Nachon*, *Aream Chidon*. Verùm de utroque nomine æquè ambigimus.

AREA AREUNA (d), ſiveut legimus in Paralip. (e), *Area Ornan*, locus erat in Monte Sion, ubi poſteà Templum erectum eſt. Hæc pertinebat ad Areuna ſivè Ornan Jebuſæum, ex quo, pretio 50. ſiclorum argenti, vel 600. ſiclorum auri, ut in Paralip. 21. 25. ſibi emit Rex David. Cum enim prænoviſſet hunc eſſe locum à Deo in ſuum cultum electum, voluit in illo ſacrificium Domino offerre, ut Angelum Dei gladium contra Hieruſalem jamjam ſtringentem averteret. Obtulit autem holocauſtum ex bobus ab Ornan emptis, impoſitis etiam igni plauſtro, & jugo.

AREA, *in qua frumentum excutitur*. Loca erant ſub dio, in quibus manipuli frumenti erecti invicem ſe fulcientes, ac ſpicis prominentibus collocabantur. Boves ad culmorum trituram, & equi, flagra quoque, tribulæque, & trabæ adhibebantur. Veteres de Agricultura ſcribentes præparandæ Areæ rationem ſolerter deſcripſerunt. Olei amurca pinguis terra obducebatur, quam cum latè ebibiſſet, paviculis æquabatur; indè areſcens cruſtam adeò ſolidam inducebat, ut neque muribus, neque formicis, neque aquis pervadaretur. Poſtquàm verò triticum excuſſum erat, adhuc paleis contuſis admixtum, vento veſpertino flante, ventilabris jactabatur, recidentibuſque in aream granis, paleæ exſufflabantur. Iſta adnotaſſe operæ pretium duximus; cum enim ſint à noſtris uſibus remota, ad intelligentiam plurium locorum S. Scripturæ ſitu neceſſaria videntur.

AREBBA, Urbs, de qua Joſue 15. 60. Eadem fortaſſe eſt ac *Hebron*. Hebræus pro *Arebba* legi poteſt *Rabba*, ſcilicet magna. *Rebbo* apud S. Hieronymum eſt Urbs in finibus Eleutheropolis Orientem verſùs.

ARECON, Urbs Tribus Dan. *Joſue* 19. 46.

ARED, Filius Geta, filii Benjamin. *Gen.* 46. 21.

AREE, filius Olla, & nepos Aſar. 1. *Par.* 7. 39.

ARELI, ultimus filius Gad. *Gen.* 46. 16.

AREM, cujus poſteri 1017. è captivitate Babylonica regreſſi ſunt. *Eſdr.* 7. 42.

(ARENA. Ducta ab arena maris ſimilitudine exprimitur ſive ingens quædam rerum multitudo, ſeu graviſſimum aliquod pondus, ſeu viliſſimum quiddam nullius planè momenti. Propagaturum ſe Deus pollicetur Abrahamo & Jacobo genua *velut arenam, quæ eſt in littore maris*. Geneſ. 22. 17. & 32. 12. Job. 6. 3. mala, quibus affligitur, ita exaggerat: *Quaſi arena maris hæc gravior appareret*; & Salomon Proverb. 27. 3. perhibet, quanquam lapis & arena pondere ſint planè graves, hominis tamen ſtulti furorem minùs tolerari poſſe; quem etiam ſtultum Eccli. 22. 18. minùs eſſe ferendum dicit, quàm pondus arenæ, plumbi & ferri.

De arenis Palæſtinæ conficiendo vitro ſervientibus agemus V. *Vitrum*. Vide *Deut.* 33. 19.

Notavimus etiam v. *Phœnix* Textum illum Jobi redditum; *ſicut palma*, vel ſicut *phœnix multiplicabo dies*, exprimere juxta Hebræum: *Sicut arenam multiplicabo dies* Job. 29. 18.

Multis relevant Prophetæ Dei potentiam, quæ mari terminum conſtituit arenam littoris, jubens illic conſtringere tumentes fluctus, nec ultra tranſgredi. Jerem. 5. 22.

Virum hebeti corde domum ſuam locare ſuper arenam; ſuper lapidem verò hominem prudentem, notat J. C. *Matth.* 7. 26.

Humanæ vitæ ætatem licet diuturnam nec aquæ guttas, nec arenæ granula ſuperare, pronunciat Eccli. 18. 8. & Sapien. 7. 9. legimus mundi aurum planè totum comparatum ſapientiæ minus eſſe, quàm tantulum arenæ granulum.)

AREOPAGUS, Locus, in quo Areopagitæ celeberrimi Athenienſium Judices conſidebant. Situs eſt in colle fere in meditullio veteris Urbis; hodie verò extra Urbem. Hujus ædificii reliquiæ exhibent uſque hodie in fundamentis hemicyclum, ex lapidibus miræ craſſitie, ac quadratis. His fundamentis area impoſita eſt 140. paſſuum, quæ veluti curia erat hujus ampliſſimi Senatus, in cujus medio ſolium è vivo lapide exciſum eminebat; ac diſpoſita circum in lapide excavata ſedilia: his autem Judices Areopagitæ ſub dio aſſidebant, ſententiam dicturi (f). Juxta eum locum extant antra quædam in rupe excavata, quæ detinendis captivis coram Senatu ſtatuendis deſtinabantur. Ferunt ibidem non niſi noctu ſententiam pronunciari conſueviſſe, ne reorum cauſam ſuam defendentium aſpectu Judices commoverentur. Cum S. Paulus contra Deorum multiplicitatem verba faceret, ſimulque Numen illud ſe indicaturum profiteretur, quod Athenienſes ignorantes colerent, ad Areopagitas tanquam novæ Religionis invector delatus eſt; ubi cauſam adeo defendit, ut unum ex Judicibus, Dionyſium nomine, ad fidem perduxerit. Act. 17. 19.

AREO-

(a) Gen. 50. 10. (b) Hieron in loc. Hebr. in Area Atad. (c) 2. Reg. 6. 6. (d) 2. Reg. 24. 16. 18.
(e) 2. Par. 21. 18. &c. 2. Par. 3. 1. (f) Vide D. Le Spon Voyage de Grece en 1676.

AREOPOLIS, eadem ac *Ariel*, ſive *Ar*, vel *Rabbath-Moab*. Vide *Ar*.

I. ARETAS Plures inter Arabiæ Reges eo nomine appellabantur. Regem Aretam Joſephus Antiq. lib. 14. cap. 2. commemorat, qui magna cum Antipatro neceſſitudine conjunctus erat, & Hircanum Summum Sacerdotem & Principem Judæorum à fratre Ariſtobulo expulſum non recepit tantùm, ſed exercitum 50000 Arabum contra Ariſtobulum ducens, primò illum prælio fregit, deinde Hieroſolymam, quò confugerat, arctiſſima cinxit obſidione (a). Jam Urbs in poteſtatem venerat victoris, nec niſi Templum Ariſtobulo ſupererat, in quo ſe cum Sacerdotibus defenderet; cum Scaurus à Pompejo miſſus, Damaſcum venit, quem ambo Fratres miſſis legationibus, ac facta pecuniarum ſpe ſinguli in ſuas partes pertrahere conati ſunt. Scaurus, cui Ariſtobuli divitiæ, & munificentia perſpectæ erant, illum fratri prætulit; quare Aretæ injunxit, niſi vellet populi Romani offenſionem ſubire, ut ſoluta Templi obſidione regrederetur. Paruit illicò Aretas, quem tamen in Arabiam revertentem cum Hircano Ariſtobulus valido exercitu inſequutus, ad Papyronem commiſſo prælio graviſſimè afficit, occiſis 7000. militibus.

Tribus, vel quatuor ab hinc annis (b). Scaurus, quem Pompejus Judææ præfecerat, expeditione contra Aretam ſuſcepta (c) cum ad *Petram*, Metropolim Arabiæ deſertæ, itinerum difficultate pertingere non poſſet, regiones circumjacentes depopulatus eſt; deinde reducere exercitum coactus commeatuum indigentia, Antipatrum ad Aretam miſit, ut de pace, ac de redimendis pretio ſpoliis ageret. Aretas 300. talentis enumeratis utrumque, & ſpolia nampè & pacem emit, magno utriuſque, tam Scauri, quam ipſius commodo. Tradunt Scaurum, dum Ædilis eſſet, nummum cudiſſe, in quo ipſe exhibebatur, ac ejus pedibus genuflexus barbarus Rex coronam dorſo cameli impoſitam offerens, addita hac Inſcriptione M. SCAURUS ÆD. CUR. EX S. C. & infrà REX ARETAS (d).

II. ARETAS, alio nomine Æneas, Rex Arabiæ, filius, ſive Nepos præcedentis, Obodæ in Regno ſucceſſit (e). Cum Syllæus quidam ad Auguſtum per calumniam retuliſſet, illum Regni adminiſtrationem inconſulto Imperatore ſuſcepiſſe, ipſe verò cum excuſare ſe, & invidi calumnias diſſipare commodè non poſſet, gravem apud eundem Imperatorem invidiam ſubivit; demùm tamen cognitis Syllæi artibus (f), priſtinam gratiam, ſimulque Regni confirmationem recepit. Filiam hujus Aretæ Herodes Antipas duxit: mox verò ea relicta, nuptias cum Herodiade fratris ſui Philippi Uxore celebravit (g) Aretas Filiam repudiatam apud ſe recepit, atque Antipæ, ſumpta occaſione cujuſdam controverſiæ pro limitibus Gamalæ, bellum movit, in quo illum prælio fregit (h). Vulgò tamen creditum eſt hæc omnia Herodi accidiſſe ob mortem Jo: Baptiſtæ illatam, quod graviter ab illo de inceſtis nuptiis corriperetur.

Antipas datis ad Tiberium Imperatorem literis, de bello ſibi ab Areta illato illum certiorem fecit; quod adeò graviter ab ipſo acceptum fuit, ut Vitellio Syriæ Procoſ. injunxerit, ut indicto in Aretam bello, vivum ipſum, ſivè mortui caput Romam tranſmitteret. Vitellius cum exercitu Ptolemaidem venit, ubi accepta Judæorum legatione rogantium, ne per eorum regionem copias duceret, cum pictas Imagines in inſignibus geſtarent, per magnum Campum iter proſequi exercitum juſſit, fortaſſè Jordanem Scythopoli tranſgreſſurum. Ipſe tamen Jeruſalem venit, ut ibidem triduo amicorum conſuetudine frueretur. Inter hæc, de Tiberii morte nuncium recipiens copias reduxit, novi Imperatoris juſſiones expectans.

Inſequenti anno (i) S. Paulus, qui diù Damaſci ſubſtiterat, ac prædicationi ſedulò incubuerat, noctu ex Urbis mœnibus in ſporta demiſſus, elapſus eſt; quippè Judæi Præſidem pro Areta Rege ibi degentem pretio corruperant, ut portas diù noctuque cuſtodibus obſervaret, ne Paulus elaberetur (k).

ARETH, ſive *Hareth*, ſaltus in Tribu Juda, de quo 1. Reg. 22. 5. In eo David delituit, ut Saulis furorem declinaret.

ARETHUSA, Urbs Judææ in viciniis Mariſſæ, & Azoti; quam Pompejus propriis incolis reſtituit, additis etiam Mariſſa, Jamnia, & Azoto (l). Hujus Urbis nulla occurrit mentio in Sacris Libris, ſed inſequentibus temporibus celeberrima effecta eſt.

AREUNA ſivè *Ornan*. Vide *Area Ornan*. Fremente Hieroſolymis peſte (m), Gad Propheta juſſu Angeli Davidi renunciavit, ut Aram Domino erigeret in Area Ornan, ſivè Areuna Jebuſæi, unius fortaſsè ex veteribus Hieroſolymæ incolis, qui priſtinam habitationem, & aream in Monte Moria retinuerat. Areuna igitur venienti ad ſe David, juſſa Dei exequuturo, occurrit, eique aream venderet expoſcenti, dono obtulit, exhibitis inſuper etiam bobus, & lignis ad Sacrificium. Verùm renuente David Deo offerre, quod non emiſſet, 50. ſiclis argenteis, vel ut in libris Paralip. 600. ſiclis aureis, aream, & boves remiſit. De hac pretii diverſitate Interpretes conſulantur.

(Quæ de 600. auri ſiclis à Davide ſolutis Areunæ in pretium emptæ areæ ipſius 1. Par. 21 25. & quæ viciſſim occurrunt 2. Reg. 24 24. de ſolutis eidem 50. ſiclis argenteis emendæ areæ & bubus, crucem figunt Interpretibus. Credunt alii emptos primùm à Rege boves cum area appenſis 50. ſiclis argenteis; tum verò totum montem ſibi vindicaſſe repenſis 600. ſiclis aureis. Hunc autem montem ipſiſſimum credunt, qui poſtea Templo Hieroſolymitano ſuperbiit (Vide 2. Par. 3. 1.). Pecuniæ huic conſlandæ ſingulas Iſraelis Tribus contuliſſe 50. ſiclos affirmant Judæi; cùm autem duodecies 50. conſtent ſummam 600. ſiclorum, reputavit Bochartus Hierozoic. p. 2. l. 2. c. 38. vocem *Argentum* in libris Regum non materiam, ſed pecuniam deſignare; in Paralipomenis autem expreſſam & materiam item & ſummam, ad 600. ſiclos aureos ſupputatam.)

ARGENTEUS. Moneta argentea. Hoc nomen de ſiclo intelligi ſolet; valet autem ſiclus 32. ſolidis, & 6. denariis juxtà noſtram ſupputationem.

(ARGENTUM. Ejus uſus ante diluvium ſive non obtinebat, vel ſaltem nullus eſt de illo apud Moyſem ſermo, non enim meminit niſi metalli, æris, & ferri, Geneſ. 4. 22. Sed Abrahami ætate familiare jam vel in commerciis obtinebat; notat enim Geneſ. 13. 2. Virum hunc ſanctum divitem fuiſſe *in poſſeſſione auri & argenti*, & Geneſ. 23. 15. emit ſepulchrum condendo uxoris cadaveri *quadringentis ſiclis argenti*. Expendebatur autem, quantùm credimus, redactum in virgulas, non cuſum, ſoloque pondere æſtimabatur. Vide infra *Pecunia*.)

I. ARGOB, regio trans Jordanem in media Tribu Manaſſe. Sita erat in Baſanitide, regione omnium ultra Jordanem cultiſſima. In Argob occurrunt 60. illæ Urbes *Cavoth Jair* appellatæ, proceris mœnibus, & firmis januis notiſſimæ: plures etiam numerabantur Vici, & oppida (n). Veſtigium quoddam nominis Argob ſupereſſe videtur in *Ragaba* nomine Urbis ultra Jordanem. Vide articulum proximè ſequentem.

II. ARGOB, Urbs metropolis regionis Argob, de qua modo. Argob Euſebii ætate (o) locus erat 15. milliaribus à Geraſa, occidentem versùs. Idem eſt fortaſsè ac *Ragab*, ſeu

(a) An. M. 3939. ante Chr. 61. ante Ær. 65. (b) An. M. 3942. ante Ch. 56. ante Ær. 60.
(c) Antiq. lib. 14. c. 9. & de Bel. l. 1. c. 6. (d) Pigh. Annal. Rom. t. 3. ap. Uſſer. an. 3943.
(e) Antiq. l. 16. c. 15. (f) Antiq. l. 16. c. 16. An. M. 3998. ante Chr. 2. ante Ær. 6.
(g) Antiq. l. 18. c. 7. (h) An. M. 4040. Ch. 40. Ær. 37. (i) An. M. 4041. Chr. 41. Ær. 38.
(k) Act. 9. 23. 24. &c. 2. Cor. 11. 33. (l) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 8. & de Bel. l. 1. c. 5.
(m) 1. Par. 21. 18. &c. & 2. Reg. 24. 18. (n) Deut. 3. 4. 14. & 3. Reg. 4. 13. (o) Euſeb. in Argob.

Digitized by Google

ſeu *Ragaba*, quæ in Miſna in Menachot 8. 3. & Joſepho Antiq. l. 13. c. 23. occurrit. Septuaginta pro Argob habere ſolent *Rigoba*.

III. ARGOB, locus Samariæ, non longè à Palatio, in quo Phacee filius Romeliæ Phacejam filium Manahem Regis Iſrael occidit, 4. Reg. 15. 25.

ARIARATHES, Rex Cappadociæ, filius alterius Ariarathetis. Expulſus à Regno ab Oropherne, reſtitutus eſt à Romanis (a). Literas pro Judæis commendatitias à Senatu Romano accepit (b).

ARIBA, Urbs Juda. Vide *Areba*.

ARIDAI, nonus filius Amani, una cum aliis fratribus ſupplicio damnatus Eſth. 9. 9.

ARIDATHA, ſextus filius Aman. Eſth. 9. 9.

I. ARIEL, natu minimus inter filios Gad Num. 26. 17.

II. ARIEL MOAB. Duæ 1. Par. 11. 22. commemorantur Ariel Moab, quæ tamen una & eadem ſunt *Ar*, ſivè *Areopolis*, Metropolis Moab, qua flumen Arnon bipartitur. Vide *Ar*

III. Ariel, eſt etiam Altare holocauſtorum, & Urbs Hieruſalem (c). Porrò Ariel ſignificat Leonem Dei, ſivè maximum Leonem.

IV. ARIEL eſt tandem Idolum Moabitarum, quorum Metropolis *Ariel* nuncupatur, authore Euſebio in Onomas. in Ariel.

(ARIES. *Agnus*, *Ovis*. Abuſione quadam vel licentia arietem reddimus, quem Hebræi *Car* vel *Seh*, & Latini *agnum* appellant; conſtat enim nulla apud Hebræos abſcindi animantia. Agnus vel aries vulgaris erat hoſtia in veteri Lege. Nunquam non admonet Moyſes, cùm de victimis ejuſmodi agit, ut cauda integra igni Altaris abſumenda committatur (d); delicatiſſima enim erat, & majoris æſtimata portio. Spectare licet in Oriente arietes, quorum arvinoſa eſt maximè cauda, pondere interdum 25. librarum. Arietes apud Tartaros, teſte Joanne Kinlon, caudam vel ſarcinam trahunt æquantem interdum pondus 80. librarum. Arietes Indoſtani latiſſima etiam ponderoſaque ſunt cauda, lana autem breviſſima ac tenuiſſima. Cauda arietum Madagaſcar pondere eſt 15. vel 16. librarum. Ovium duo genera planè ſingularia alere Arabiam perhibet Herodotus lib. 3. cap. 113. aliæ caudam gerunt longam adeò, ut tres cubitos circiter æquet, quæ ſi trahatur ſuper terram, vulnera facilè & ulcera ex affrictu contrahit, quod præcaventes Paſtores parva ſubjiciunt plauſtra caudæ ovium ferendæ, quæ illæ commodè poſt ſe trahunt; alterius generis oves caudam habent duobus cubitis, vel tribus pedibus latam. Hujus generis in Aſia minori ſpectari affirmat Busbequius in ſuo itinere, Epiſt. 3. *In eam aliquando magnitudinem accreſcit, ut duas rotulas cum media tabella ſubjici neceſſe ſit.*

Verſans in Meſopotamia Jacob, Labani ſoceri ſui curans greges, Angelum habuit obvium, monentem Gen. 31. 12. 13.: *Leva oculos tuos, & vide univerſos maſculos aſcendentes ſuper fœminas, varios maculoſos, atque reſperſos*. Simul viro inſpiravit artem ut fœtus procuraret variatos, ope virgarum, quas partim detracto cortice, partim integras ſubjecit canalibus, quò oves & capræ ad reſtinguendam ſitim confluebant. Fusè hiſtoriam hanc habes relatam Geneſis 30. ubi pariter accuſatur Laban de variata ſæpiùs, quàm conſtituerat Jacob, pro locato ſibi opere mercede. His ſanè non immoramur, tria hæc tantùm in examen revocaſſe contenti. Primò, an ſuccurrens Jacob artificium naturale eſſet, vel ſupra naturam; 2. Quid ſibi poſtulaverit Jacob; nec enim ſat apertè declarat Textus; 3. An artificio uteretur permiſſo & legitimo. Ad primam illam quæſtionem quod attinet, ſcitum eſt planè fœmellis animalium inditum eſſe à natura, ut plurimum conferant ad propenſiones quaſdam animi, vel indolem, figuras, colores, imprimendos fœtui. Res ea eſt experimentis adeò multis firmata, ut certitudine ſua hæſitationes vincat omnes. Experimento id ſuo quotidiano noſcunt fœminæ; agnoſcimus & nos frequentiùs in animantibus domeſticis, variis objectorum ante oculos ſeſe offerentium impreſſionibus maximè omnium ſubjectis. Equi, canes, feles, columbæ, gallinæ, cicures, cuniculi ſetarum colore variant; & nati ex illis catuli colorem plerunque exprimunt rerum validiùs ſeſe imprimentium in oculis fœmellarum, quo tempore fœtus concipiebant. Exploratum id habuerunt veteres æquè & recentiores Philoſophi (e); id etiam appoſitè in rem noſtram obſervandum ſibi duxerunt S. Hieronymus Quæſt. Heb. in Geneſ., S. Auguſtinus in Geneſ. quæſt. 93. & de Civit. lib. 18. cap. 5., ac inter Commentariorum Scriptores plerique. In artificio ergo Jacob ut prodigium agnoſcamus, nihil eſt; miraculo tamen deputandum, quòd Angelus per quietem noctis viro apparens ea de re ignorantem inſtruxit.

In altera quæſtione hanc tenemus ſententiam; petiiſſe Jacob à Labano, 1. aſſignari ſibi maculoſum quicquid naſceretur & varium tam ex ovibus, quàm è capellis; 2. quicquid atro prorſus eſſet vellere vel albis tantùm maculis aſperſum; Labano cedens quicquid album tam ex ovibus, quàm è capris. Poſt hæc Laban & Jacob ſegregarunt quidquid eſſe: penitus album in gregibus caprarum & ovium, hæc autem curanda aſſignata ſunt Jacob; ratus nimirum Laban non niſi unicolores effundendos fœtus, quòd ſanè diſpendio fuiſſet Jacob maximo, niſi ille injuſtum fraudatorem dolo feſelliſſet. Quas enim ſubjecit oculis caprarum, virgæ colore variatæ id effecerunt variandis fœtibus, quod variati velleris greges feciſſent. Sibi curandos ſuſcepit Laban greges omnes, quos variatos fœtus daturos autumabat.

Illud etiam ſolerter excogitavit Jacob, ut variatas cortice detracto virgas non ſemper, ſed verna tantùm tempeſtate exponeret, quò ſcilicet naſcituros autumno agnos haberet ſibi; autumno autem concipiendos fœtus naturæ in totum permittens, id agebat ut nati vere hinnuli Labano cederent. Vel juxta nonnullos virgas non exponebat niſi ſelectis è grege ovibus, neglectis ceteris (f). Ad hæc creditum nonnullis cum variegatorum fœtuum numerus latiùs haberetur, quàm ut virgis vicariam ſufficeret operam, tunc è virgis illis ſubjiciendis ceſſatum fuiſſe.

Ad tertiam quæſtionem reponunt. Jacob in tranſigendo cum hero ſuo callidum aliquod & doloſum admiſiſſe. Quæ etenim ille proponebat naturali pronoque ſenſu excipiens Laban, perſuaſum habuit quidquid ſpontè naſceretur ſeu nigri, ſeu variati velleris, hæc omnia ceſſura Jacob; pro eo igitur, quòd eandem viam teneret alter, artificio uſus eſt, cujus doli inſcia Labani mens decepta; factum eſt enim ut major gregis portio Jacob cederet. Repugnare hæc ſinceritati videntur. Nec eſt, cur excuſando viro reputemus datum illi fuiſſe, ut jus ſuum vindicaret adversùs Labanum durum, & injuſtum Dominum, qui tot annorum ſervitutem mercede ſua fraudaverat; neque enim juxta ſanctiſſimas Moralis diſciplinas integrum eſt privato cuique, ut in Judicem ſeſe erigens, ſententiam pro ſe feras. Ad hæc, quid debebat Laban Jacob, ſi totum juris rigorem ſpectemus? Nonne ille ultro ſpoponderat 14. annorum ſervitutem pro nuptiis utriuſque filiæ Labani? Qua impleta, ut ad ſua ſe reciperet, quis vetabat? Sed excuſando Jacob illud maximè valet, nimirum artificium ejus omne, & probaſſe Deum, & per Angelum ſuum inſpiraſſe (g). Æquiſſimus ille Judex norat utique Labani in fraudando alterius jure iniquitatem; viam monſtravit Jacob, qua ejus impendio ita ditеſceret, abſque eo quod de fraudato jure ſuo alter meritò quereretur. Nonne integrum eſt cuique qua valet arte & induſtria, res ſuas libè procurare, tum maximè; quando tranſigendum eſt cum hominibus ejuſmodi indolis & characteris?)

ARIES, notiſſima belli machina; cujus Ezechiel bis meminit (h), & qua Nabuchodonoſor in Hieroſolymorum obſidione uſus eſt. Machinæ hujus inventorem

(a) Appian. Syriac. Polyb. Legat. 186. An. M. 3847. (b) 1. Mach. 15. 22. circa An. M. 3865.
(c) Is. 29. 1. 2. 7. & Ezech. 43. 15. 16. (d) Exodi 29. 22. Levit. 3. 9. & 7. 3. & 8. 25. &c.
(e) Ariſtot. problem. ſect. 11. Plin. lib. 12. cap. 2. Oppian. de Venat. lib. 1. (f) Bochart. de Anim. ſacr.
(g) Gen. 31. 1. 11. 12. (h) Ezech. 4. 2. 2. & 21. 22.

torem Epeum Plinius l. 7. c. 56. facit in Trojæ obſidione. Vitruvius tamen l. 10. c. 19. & Tertullianus de Pallio Carthaginenſibus illius inventionem tribuunt. Ezechiele vetuſtiorem neminem machinæ hujus meminiſſe arbitror.

ARIMANON, Urbs refugii ultrà Jordanem (a), eadem fortaſſe, ac Ramoth Galaad. Vide *Joſue* 21. 38.

ARIMATHIA, ſivè *Ramatha* Urbs, patria Joſephi ab Arimathia, de quo in Evangelio Luc. 23. 52. Sita eſt inter Lyddam, & Joppem, authore S. Hieronymo in Epitaph. Paulæ. In Recentiorum Itinerariis occurrit Urbs *Ramatha* in monte inter Joppem, & Hieruſalem. *Ramatha*, ex qua derivatum eſt nomen Arimathia, celſitudinem ſignificat. Alia eſt à *Ramathaim-Sophim* patria Samuelis; quippe Arimathia ad plagam occidentalem Hieruſalem, Ramathaim in plaga ſeptentrionali jacebat 1. Reg. 1. 1. Et quidem Saul domeſticas aſinas requirens (b) eam viam tenuit, quæ non alium ſitum Urbis Ramathaim facilè patitur; quippè ex Urbe Gabaa ſeptentrionem verſùs per montes Ephraim pergens, deindè occidentem verſùs iter flectens, *Saliſam*, ſivè *Baal-Saliſam* ad occidentem Hieruſalem pervenit. Hinc in terram *Salim*, ſivè *Salem* Hieroſolymæ circumjacentem veniens, ac ad orientem procedens, Tribum Benjamin luſtravit; ex quo, verſo gradu, Gabaam rediturus, regionem Suph, ſivè Sophim ad occidentem venit; ac Ramathaim-Sophim in viciniis ſitam ingreſſus, cùm Samuele collocutus eſt. Diſcedentem monuit (c) Samuel, futurum, ut in itinere duobus viris venientibus è viciniis Bethleem, è ſepulchro Rachelis, occurreret, à quibus de inventis aſinis nuncium acciperet; prædixit inſuper, paulò indè procedentem tres alios viros offenſurum peregrinantes in Bethel; tandem ad collem Gabaæ imminentem, à Philiſtæis occupatum, perventurum. Ex his colligo Urbem *Ramathaim-Sophim* eandem eſſe ac Rama prope Bethel, quatuor à Jeruſalem leucis. Conſulantur Tabulæ Geographicæ.

ARIMI (d) iidem populi, ac Aramæi, ſivè Syri, ex poſteris *Aram*. Vide *Aram*.

ARINDELE, Urbs Palæſtinæ, cujus Epiſcopi ex Conciliis innoteſcunt.

I. ARIOCH, Rex Ponti, ſivè, juxtà Hebræum, Rex *Ellaſar*, vel Rex *Thalaſſar*, juxtà Paraphraſtem Jonathan, & Syriacum. Erat autem Thalaſſar regio trans Euphratem, haud procul ab Armenia; quippe Iſaias 37. 12. verba facit de filiis Eden, qui regionem Thalaſſar incolebant. Arioch fœdus inierat cum Codorlahomor contrà Reges Sodomæ, & Gomorrhæ. Gen. 14. 1.

II. ARIOCH, Dux copiarum Regis Nabuchodonoſor (e). Cum Rex ſomnii ſui non interpretationem tantùm, ſed ejuſdem ſomnii, cujus non meminerat, narrationem ex Divinis, & Magis Babyloniæ fruſtra requiſiviſſet, omnes occidendos Duci Arioch commiſit. Id ab eodem Duce Daniel ſciens, impetrata ad cogitandum dilatione, brevi & ſomnium, & interpretationem Regi aperuit.

ARISAI, ſeptimus ex filiis Amani, cum Patre & Fratribus ſupplicio abſumptus Eſth. 9. 9.

(ARISSA, uxor Japhet, juxta traditionem Orientalium, teſte Eutychio Patriarcha Alexandrino, to. 1. Annal.)

ARISTARCHUS, de quo S. Paulus in Epiſtolis ad Philippenſes, ac Coloſſenſes, nec rarò de illo in Actibus Apoſtolorum (f). Macedo erat genere, & Theſſalonica oriundus. Comes fuit S. Paulo, dum Epheſum contendit; ibique duobus annis ſimul commorantes, Epheſiorum converſioni ambo allaborarunt, qua occaſione parum abfuit, quin excita contra illos per aurifices Epheſinos ſeditione, pariter occiderentur. Ex Urbe cum Apoſtolo digreſſus exutem in Aſiam, & exinde Judæam, ac tandem Romam comitatus eſt; ubi ambo ſub Nerone capitali ſententia damnati obierunt, juxtà Græcorum traditionem. Epiſcopus fuit Apamææ in Syria, ſi eiſdem Græcis fidem habeamus; Theſſalonicæ verò, ſi Adoni & Martyrologio Romano.

ARISTEAS, Scriptor Hiſtoriæ, ſivè fabellæ Verſionis Septuaginta Interpretum. Hujus genus, patria, ætas ignorantur. Licet enim ipſe ſe Ægyptium, & ex cuſtodibus corporis Ptolemæi Philadelphi, ac tandem Religionem Gentilem aſſerat; Operis tamen genius, ratiocinationes, ſermo, captiones Judæum produnt. Quo potiſſimum tempore vixerit, ignoratur: alii enim ſub Philadelpho; alii ſub Philometore ſcripſiſſe autumant. Alii tandem recentiorem credunt; ac Dodvvellus in Diſſertatione ſuper hiſtoria Ariſteæ c. 1. poſt Philonem Hebræum revocat; addens inſuper Philonem hunc omnium primum tradidiſſe, Ptolemæi Philadelphi cura Scripturas ex Hebræo Græco ſermoni mandatas fuiſſe. (g) Ariſtobulus, quem Judæum Peripateticum eſſe autumant, ac ab Euſebio Præpar. Evang. l. 3. c. 9. laudatur, de eadem Verſione agit; nihil tamen & ipſe, & Philo de Ariſtea habent. Primus omnium Ariſteæ meminit Joſephus Hiſtoricus. Verùm de Ariſtobulo mox agemus; hic ſolum aliquid innuiſſe debuimus, ex quo intelligerent Lectores, Ariſteam, ejuſque hiſtoriam magnis ambagibus, ac fabulis obvolutam eſſe.

I. ARISTOBULUS, Judæus ex genere Sacerdotali (h), Philoſophus, ac Præceptor Ptolemæi Regis Ægypti. S. Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. laudat primum Librum Ariſtobuli, inſcriptum Philometori; in quo aſſeritur ante Verſionem, quam Demetrius Phalereus curaverat, alteram præceſſiſſe, ex qua Pythagoras, & Plato quamplura hauſerint. Anatolius ab Euſebio l. 7. c. 32. hiſt. Eccl. laudatus ſcripſit, hunc Ariſtobulum ex Septuaginta Interpretibus unum fuiſſe, & Commentaria in Libros Moyſis edidiſſe, Ptolemæis Lago ejuſque filio Philadelpho inſcripta. De eodem Ariſtobulo agi credunt S. Clemens l. 5. Strom., & Euſebius hiſt. Eccl. l. 3. 9. in Præfatione ſecundi Libri Machabæorum (i), in qua legimus: *Ariſtobulo magiſtro Ptolemæi Regis, qui eſt de genere Chriſtorum Sacerdotum*.

Hic Ptolemæus vulgò creditur fuiſſe Philometor; licet enim Epiſtola data ſit anno 188. Græcorum, Mundi ſcilicet 3880., ac Philometor anno 3860. obierit, potuit tamen, niſi alia obſtiterint, idem Ariſtobulus Præceptor ejuſdem Principis in Epiſtola nuncupari. Verùm alia ſunt, quæ in hac re difficultatem creant; quippe ſi Ariſtobulus anno Mundi 3880. in vivis agebat, quomodo fieri potuit, ut librum ſuum Ptolemæo Lagi inſcripſerit, ante 160. annos, nempè 3720. vita functo? Præſtat igitur, hunc Ariſtobulum, de quo in libris Machabæorum, ab alio S. Clementis, & Euſebii diſtinguamus; ſivè hunc poſtremum nomen eſſe Scriptoris ad arbitrium confictì, præfixum Libris, diù poſt Machabæos conſarcinatis, & omnibus Veteribus uſque ad S. Clementem Alexandrinum ignotis. Vide Diſſertationem Dodvvelli in hiſtoriam Ariſteæ cap. 28.

II. ARISTOBULUS, de quo S. Paulus in Epiſtola ad Romanos 16. 11. Plura de illo Græci recentiores narrant: nimirum unum fuiſſe ex 70. Diſcipulis à S. Barnaba ipſius fratre Epiſcopum ordinatum; vel à S. Paulo, cui itinerum comes adhæſerit; ac tandem in Angliam miſſum in fidei prædicatione plurimum, nec ſine fructu, laboraſſe; ibique etiam vitam abſolviſſe. Celebrant ejus Feſtum die 15. & 16. Martii; ac 31. Octobris. Verùm alii (k), an Chriſtianus quidem fuerit, ambigunt; cum Paulus non illum, ſed eos, qui in Domo ipſius eſſent, ſalutaverit. Alii (l) tandem eundem eſſe credunt, ac Zebedæum Patrem SS. Apoſtolorum Joannis Evangeliſtæ, & Jacobi Minoris. Hæc tamen omnia æquè incerta ſunt, ac fabulas ingerere ſupervacaneum ducimus.

L   III. ARI-

(a) Joſeph. Antiq. l. 4. c. 7. (b) 1. Reg. 9. 4. &c. (c) 1. Reg. 10. 2. 3. Vide Hebr.
(d) Strabo lib. 16. ad fin. (e) Dan. 2. 14 (f) Coloſſ. 4. 10. & Philem. 24. Act. 19. & 20. 4. & 27. 2.
(g) Philo de vita Moſis lib. 2. (h) 2. Mach. 1. 10. (i) 2. Mach. 1. 10.
(k) Vide Paræum in Rom. 16. 11.
(l) Sophron. in t. 7. Biblioth. PP. Ita & Haleca in Cron. Dextri. Vide & Pſeudo-Doroth.

Digitized by Google

III. ARISTOBULUS, alio nomine *Judas*, & *Philellen*, ſivè Græcorum amans, filius Hircani, & nepos Simonis Machabæi Sacerdotis, & Principis Judæorum, qui, Patre adhuc ſuperſtite, obſidioni Samariæ unà cum fratre Antigono, non ſinè laude virtutis præfuit (a). Urbem captam Hircanus funditùs everti, cæmentaque in imum torrentis ad radices illius montis, cui Urbs inſedebat, demerſit. Triennio poſt, anno Mundi 3898. Hircano vita functo, Ariſtobulus in Regno ſucceſſit (b); cui uno tantummodò anno præfuit. Matrem, treſque fratres in carcere detinuit, ac tandem fame enecavit. Antigonum verò alterum fratrem in partem poteſtatis anteà vocatum, poſteà tragico quodam mortis genere occidit. Etenim ægrotante Ariſtobulo, Antigonus expeditionem militarem ejus juſſu ſuſcepit; ea qua victor regreſſus, affectatæ dominationis reus ab invidis quibuſdam apud eundem Ariſtobulum accuſatus eſt. Obtendebant illum Templum adiviſſe, eo comitatu ſtipatum, qui non alium, quàm Regem deceret; indè verò regreſſurum affirmabant cum militum manu, ut ipſum opprimeret. Horum cavillationes quanquam Regi non probarentur, ſuſpicione tamen in fratrem concepta, miſit qui illum ad ſe accerſerent; velle tamen ut inermis veniret; diſpoſitiſque in obſcuro, & ſubterraneo loco, per quem illi tranſeundum erat, cuſtodiæ ſuæ militibus, ſi armatus veniret, occiderent imperavit. Nuncii contraria referentes, renunciarunt Antigono, velle fratrem, ut ad ſe veniret, ſed non ſinè armis, quæ in bello capta inſpicere cupiebat. Paruit illicò Antigonus; aſſumptiſque armis ad Aulam perrexit; quem milites armatum deprehendentes, illicò captum occiderunt. Hujus criminis pœnitentia ſtatim cœpit Ariſtobulum: quare morbo, ac dolore tabeſcens ad mortem elanguit. Inter hæc contigit, ut cruorem, quem æger evomuerat, quidam è famulis afferens, dum ad locum, ubi cædes contigerat, perveniſſet, totum imprudens effunderet. Eo omine adſtantes inhorreſcentes, ſubitum clamorem ediderunt; quod Rex audiens, cauſam ſciſcitatus, ut novit, & in lacrymas & ejulatus effuſus, vindicis Numinis iram agnovit, ac ſibi mortem in pœnam criminis imprecatus, vita deceſſit, A. M. 3890. Huic ſucceſſit frater ipſius Alexander Jannæus, quem Salome, ſivè Alexandra Uxor Ariſtobuli ſtatim poſt hujus mortem è carcere eduxerat.

(Ariſtobulus, Hircani Summi Sacerdotis filius, Aſſamonæorum omnium primus, qui Regium ſibi titulum conciliaret. Motis armis in Ituræos (c) poſteros Jethur ex filiis Iſmaelis (d), regionem in Arabia tenentes trans Jordanem inter Damaſcenam ad notum, & dimidiam Tribum Manaſſe ad auſtrum, redegit illos in poteſtatem, coegitque circumciſionem admittere, data illis optione, num vellent ad Judæorum ſacra tranſire, num è regione ſua laceſſere, eligerent. Maluerunt imperata facere, ſedes avitas retinentes.

Aliquantò pòſt Ariſtobulus miſerabili cæde ſæviit in Antigonum fratrem ſuum, quemadmodum proſecuti ſumus.)

IV. ARISTOBULUS, alter Alexandri Jannæi filius, ac frater natu minor Hircani Sacerdotis magni. Cum Alexandra ipſius Mater ad extremum vergeret (e), Ariſtobulus ſecretò Jeruſalem egreſſus, per arces ab amicis occupatas excurrit, à quibus exceptus ſpatio dierum quindecim arces in ſuam ditionem recepit. Ea res animos optimatum Judæorum atque Alexandræ conſternavit, qui in re ſubita remedium quærentes, Uxorem, & filios Ariſtobuli in arce ad Templum clauſerunt, ut eo veluti fræno, ab incepto proſequendo cohiberetur. Ille tamen nihil propterea cunctatus, copias cogebat, munitiones occupabat, ut Regis omnia præter nomen haberet.

Inter hæc, Alexandra vi morbi ingraveſcente abſumpta, regnandi jus Hircano, Regni moderamen optimatibus Judæorum reliquit. Verùm Ariſtobulus dominationis ſuæ fines latiùs in dies promovens, eò devenit, ut poſt tres annos (f) à morte Alexandræ, in planitie Jericho (g) juſto prælio cum Hircano certaverit, ac fratrem pulſum fugatumque, in arcem, in qua Uxor, & filii Ariſtobuli cuſtodiebantur, receptum obſederit. Cui reſiſtendo imparem ſe ſentiens Hircanus, pacem ab eo petiit: quam iis conditionibus obtinuit, nimirum, ut Regio titulo Summoque Pontificatu demiſſus, ad privatam vitam, ac privatas facultates deinceps redigeretur. Pacta ambo Fratres in Templo juramento rata habuerunt, datoque invicem mutuæ pacis amplexu, in diverſa receſſerunt. Hircanus quidem in Domum, quàm olim Ariſtobulus occupaverat, Ariſtobulus verò in Aulam.

In hunc modum rerum potitus Ariſtobulus, tribus menſibus ſupra tres annos regnavit (h), diutius etiàm regnaturus, niſi Antipater Idumæus, Pater Herodis Magni, Hircano inſtitiſſet, ut ad Aretam Regem Arabum confugeret; Regemque ad arma in Judæam inferenda fuiſſet hortatus. Coacto igitur 50000. militum exercitu (i), Aretas Judæam inundavit tanto ſucceſſu, ut pluribus fractum victoriis Ariſtobulum, in Templo ſe defendentem (k) unà cum Sacerdotibus ſuæ factionis obſederit. Inter hæc (l) Scaurus in Syriam miſſus à Pompejo, Damaſcum pervenit, ubi acceptis duorum fratrum legationibus, utriſque magna pollicitantibus, ſi partibus alterius contra alterum faveret; tandem in Ariſtobulum, trecentorum talentorum pretium offerentem, inclinavit (m). Quare Aretæ imperavit, ut quantocyus ab obſidione recederet, niſi mallet populi Romani offenſionem ſubire. Ità Ariſtobulus à metu liberatus eſt.

Labente anno, Pompejus Damaſcum venit, ubi vitem auream 500. talentis æſtimatam, ab Ariſtobulo munus accepit. Deinde Hircani, & Ariſtobuli legationes (n) de jure Regni diſceptantium audivit. Querebatur Ariſtobuli Orator de Gabinio, & Scauro; quorum primum trecenta, alterum quadringenta talenta accepiſſe inſimulabat, magno Ariſtobuli damno, cum hoc ab eo duos hoſce Romanos averterit. Cum hæc res per legatos confici non poſſe videretur, Pompejus duos Fratres coram ſe ſiſterentur juſſit. Affuerunt illicò, ac Hircanus jure Regni injuſtè ſe exſpoliatum queſtus eſt; Ariſtobulus verò opponebat, jure ſe adminiſtrationem recepiſſe, à qua Frater animi inertia, & levitate exciderit; Tertii in ea cauſa venerunt Judæi, petentes, ut pulſis Regibus, Sacerdotibus gubernanda Provincia committeretur.

Singulis auditis, Pompejus Ariſtobuli *violentiam* improbavit; interim tamen ambos Fratres ad ſua remeare juſſit, pollicitus ſe, poſt ordinatas Nabatæorum res, idem negotium tractaturum. Secundum hæc labente anno in Judæam venit, accitumque ex arce Alexandrio (o) Ariſtobulum non ſemel audivit, nec ſemel ire ac redire permiſit. Tandem ut arces reſignaret, reſignandaſque ſuis Præfectis per literas committeret, imperavit; quod cum impræſentiarum ægrè feciſſet, ſtatim Hieruſalem regreſſus de bello cogitavit. Verùm Pompejus illum cum exercitu ponè ſequutus, ejus conſilia prævertit. Jamque Jerichunti accelerat, cum obvius illi Ariſtobulus bello abſtineret exoravit, magnam ſimul pecuniæ ſummam, ac Urbis deditionem pollicitus. Utramque recepturus Gabinius miſſus eſt; à militibus tamen Ariſtobuli clauſis portis exclusus, vacuus ad Pompejum rediit; qui rei indignitate exacerbatus, Ariſtobulum captivum apud ſe detinuit, & Urbem obſedit. Ea poſt tres menſes in deditionem recepta, Hircanus ad Regnum, Summumque Sacerdotium revocatus eſt; Ariſtobulus vero unà cum duobus filiis Antigono, & Ale-

(a) Antiq. l. 13. c. 18. *Obſeſſa fuit Samaria integro anno nempe a 3894. uſque ad 3895.* (b) Antiq. l. 13. c. 19. (c) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 19. (d) Gen. 25. 15. (e) Antiq. l. 13. c. ult. & l. 14. c. 1. A. M. 3935. (f) A. M. 3938. Joſeph. Antiq. l. 15, c. 9. ſcribit Hircanum Regnum in pace tenuiſſe tribus menſibus: ſed Uſſerius probè demonſtrat, legendum eſſe tribus annis. (g) Antiq. l. 14. c. 2. (h) Antiq. l. 20. c. 8. (i) An. M. 3939. ante Chr. 61. ante Ær. 65. (k) Vide antiq. l. 14. c. 2. 3. (l) An. M. 3939. ante Chr. 61. ante Ær. 65. (m) Antiq. l. 14. l. 4. 5. (n) An. M. 3940. ante Chr. 60. ante Ær. 64. (o) Antiq. l. 14. c. 6.

& Alexandro, ac filiabus totidem, vinctus Romam adductus eſt (a). Verùm Alexander mox è cuſtodia elapſus, in Judæam rediit, quò etiam octo poſt annos Ariſtobulus unà cum altero Filio Antigono fuga ſe recepit (b). Indè cum Ariſtobulus iterum copias cogeret, arci Alexandrio muniendæ, Gabinius Præfectus Syriæ miſſo exercitu, primò ex arce ejecit, poſtea verò coacta 8000. militum manu, juſto prælio certantem 5000. cæde mulctavit, ac tandem 1000. militum manu, per exercitum Romanorum ad arcem Macheruntem dilapſum, obſedit, captumque una cum Filio Antigono iterum Romam tranſmiſit.

Ut Romam captivi pervenerunt, Senatui vinctum detineri Ariſtobulum placuit; Filios vero in Judæam ad Matrem remitti, quæ ea conditione Gabinio urbes ſuæ ditionis dediderat, ſi Filii redderentur (c). In eo ſtatu ab anno Mundi 3948. uſque ad 3955. res Ariſtobuli permanſerunt, quo tempore a Julio Cæſare libertate donatus eſt, qui illum ut Pompejo obſiſteret (d), in Judæam cum duabus legionibus remittere deſtinaverat. Verum iter parantem amici Pompeji veneno ſuſtulerunt, ejuſque funus à Cæſarianis curatum eſt; ac tandem corpus melle conditum, atque ad Marcum Antonium Romæ aſſervatum, ejus juſſu in Judæam in ſepulchris Regum condendum delatum eſt.

(ARISTOBULUS, alter filius Alexandri Jannæi & Alexandræ Reginæ, ac Hircani Summi Sacerdotis frater natu minor, altè improbare ſe ſignificavit agendi rationem Alexandræ matris ſuæ erga meritiſſimos viros, qui Regi patri ſuo operam contulerant planè utilem. Propinato enim veneno illos ad nutum Phariſæorum necabat (e). Factum eſt proinde, ut amici & fautores extincti Regis, quorum ſe ducem præbuit Ariſtobulus, Reginam ſemel convenientes exponerent, quæ quiſque in defunctum Regem officia contulerat, quanto ſtudio illi in omnibus bellis faviſſent, habere proinde ſe graviſſimum, ut ſtudium illud ſuum in crimen ſibi verteretur; rogare permitti ſibi facultatem recipiendi ſe è regione, vel ſaltem mitti in arces, quas militibus illa ſuis crediderat, quò ab adverſariorum invidia reciperentur in tutum. Hiſce querelis mota Alexandra, cùm pro voto favere illis minus ſe poſſe intelligeret, facultatem conceſſit ſeſe recipiendi in eas, quas poſtulaverant arces.

Aliquantò poſt miſit Ariſtobulum filium ſuum (f) in Ptolemæum filium Mennæi Regem Chalcidis ditionem habentem ad radicem Libani, finitimoſque, & maximè Damaſcenos incommodis excurſionibus infeſtantem. Venit igitur Ariſtobulus cum exercitu Damaſcum, reduxitque deinde infectis omnibus copias. Illud unicè ſtudebat, ut milites in ſuas partes traheret, quò poſt obitum Matris vindicaret ſibi Regnum. Et quidem cùm Alexandram ad extremum vergere jam noſſet &c.)

V. ARISTOBULUS, Filius Alexandri, ex Alexandra filia Hircani, Nepos Ariſtobuli fratris Hircani, ac tandem frater Mariamnes Uxoris Herodis Magni, Princeps omnium ſui temporis venuſtiſſimus. Cum ultimus eſſet generis Aſſamonæorum, illum à Summo Sacerdotio arcere Herodes Socer ipſius omni ſtudio curaverat; ſed precibus Mariamnes, & Alexandræ exorari ſe tandem paſſus, annos 17. natum conſectandum permiſit (g). Mox verò facti pœnituit, cum populum illi favere plus æquo animadverteret; quare natantem una cum aliis coævis Adoleſcentibus nactus, juſſit ſpecie ludendi in aquis demerſum tandiù detineri, quandiù interiret. Id evenit an. M. 3970. ante Chr. 30. ante Ær. 34. Obiit Jericho, nedum integro anno in ea dignitate exacto.

VI. ARISTOBULUS, filius Herodis Magni ex Mariamne, & frater Alexandri. Uxorem habuit Berenicem filiam Joſephi, & ſororem Herodis Magni: filios reliquit tres, ac duas filias; videlicet *Herodem* Regem Chalcidis; *Agrippam* Regem Judæorum cognomentò Magnum: *Ariſtobulum* virum Jotapes filiæ Regis Emeſæ: *Herodiadem* Conjugem primo Herodis, deindè Philippi Patrui ſui, ac tandem Antipæ; *Mariamnem* Conjugem Antipatri Patrui ſui. Communem habuit cum Alexandro fratre vitæ, & necis eventum; quare quæ de Alexandro ſcripſimus, conſulantur.

ARIUS, ſive *Areus* Rex Spartæ (h). Epiſtolam dedit ad Oniam Summum Sacerdotem, 1. Mach. 12. 20. exhibitam, in qua Lacedæmonum & Judæorum origo ex eodem Parente Abrahamo repetitur. Vide de ea ſe Diſſertationem noſtram ante primum Librum Machabæorum. Scripta erat Epiſtola in pagina quadrangula, obſignata ſigillo Aquilæ Draconem unguibus detinentis (i). Tempus ſcriptionis ignoratur, nec ad quem Oniam, vel à quo Ario ſcripta fuerit, ſatis conſtat; ſcimus tamen Oniam III. Summum Sacerdotium geſſiſſe ab anno 3805. illudque anno 3829. abdicaſſe, Arium verò II. Regem Lacedæmonum anno 549. ab Urbe condita, Mundi nempè 3805. regnare cœpiſſe, ac octo tantùm annos natum obiiſſe, Patre & Prædeceſſore Acrotato II., ſucceſſore vero Leonida Cleonymi filio. Quare ſi ad hunc Arium Epiſtolam referamus, eam potiùs Regni adminiſtratores, quam ipſum, ſcripſiſſe oportuit. Alter eſt Arius Rex Lacedæmonum in Hiſtoriis clarior, qui 44. annis antequam Onias III. Sacerdotio potiretur, diem clauſerat. Verùm ad ejus regis tempora Onias I. revocari poteſt: quippè ab an. 3682. uſque ad 3702. Summum Sacerdotium habuit; quare cum initium regnandi Arius I. feciſſet anno 3700. ad ejus primum vel ſecundum annum Epiſtolam conſignandam eſſe oportuit.

(ARMA *Hebræorum*. Armis utebantur Hebræi ætate ac regionibus, ubi degebant, accommodatis, gladio, jaculis, lanceis, haſtis, arcubus, ſagittis, fundis; ſicut & protegendo corpori arma erant galea, lorica, clypeus, ocreæ. Animadverſum eſt jam in certis quibuſdam temporum difficultatibus, tunc maximè, cum oppreſſione & ſervitute tenerentur, exercitus Iſraelitarum nullis ſat inſtructos armis valuiſſe. In bello Deboræ & Barac in Jabin Iſraelitarum exercitus 40000. virorum nec clypeis nec lanceis inſtruebatur Judic. 5. 8. regnante Saule, cùm prælium in Philiſtæos ineundum eſſet, 1. Reg. 13. 22., in univerſo Iſraele nemo, niſi unus Saul & Jonathas lanceis & enſibus armabatur; Philiſtæi enim, regionem obtinentes, vetuerant, ne quis ex Judæis artes exerceret fabri ferrarii, vel ſimiles; cogebantque in ſuam regionem venire, ſi quibus fortè agriculturæ inſtrumentis indigebant, negabantque illis cudere arma.

Veterum Arma conflabantur indiſcriminatim ex ære vel ferro (k). Noti ſunt enim in Scriptura clypei, galeæ, & arcus ex ære (l). Gnaviter exercebantur Hebræi in funda & arcu; ſcitum eſt autem quantum valuerit funda David in Goliath. 1. Reg. 17. 5. 6. 7. In funda ita valebant Benjamitæ, ut vel crinem capitis petiiſſent, Judic. 20. 16. utraque etiam manu plerumque illos uſos notat Scriptura.

Quatuor diſtinctis vocibus clypei deſignantur in Scriptura (m), quas diſcrimen aliquod rerum deſignare, ne ambigimus quidem; quamquam formam, & uſum ſingulorum definire fruſtra adniteremur. Conſtabant plerumque ex ligno ſeu viminibus, quibus ſuperinductum vel æs vel corium vel ferrum; interdum limbum tantùm habebant è metallo; interdum multiplex corium totum tegebat. Amplum quoddam æreum ſcutum muniebat humeros Goliath, cum exercitus Iſraelitarum inſultaret.

Loricæ interdum ex lino, lana, vel goſſypio coactili opere; interdum ex ære, interdum ſubuculæ erant annulatæ, interdum ſquammatæ, ſæpè ex laminis altera ſuper alteram poſitis; ac tandem perpetuo interdum conſtabant ære, ferro, calybe. Induebat Goliath

L 2 loricam

(a) Antiq. l. 14. c. 8. & de Bello l. 1. c. 5. Uſque ad annum Mundi 3948. ante Chr. 52. ante Ær. 56.
(b) Antiq. l. 14. c. 11. & de Bello l. 1. c. 6. (c) Antiq. l. 14. c. 11. & de Bel. l. 1. c. 6. (d) Dio. l. 41. Joſeph. Antiq. l. 14. c. 13. & de Bel. l. 1. c. 7. An. M. 3955. ante Chr. 45. ante Ær. 49. (e) Antiq. lib. 13. cap. 24.
(f) Joſeph. Ibid. pag. 464. & de bello lib. 1. cap. 4. pag. 717. (g) Antiq. l. 15. c. 2. 3. An. M. 3969. ante Ch. 31. ante Ær. 35.
(h) 1. Mach. 12. 7. & Joſeph. Antiq. l. 12. c. 5. (i) Apud Joſeph. antiq. l. 12. c. 5. (k) Vide Diſſer. noſtr. de Milit. Hebr.
(l) Job. 20. 24. Pſ. 17. 35. & 3. Reg. 14. 27. (m) Chidon, Magen, Zinna, Scharah.

loricam ſquammeam (a); Saul linea benè conſerta tegebatur, qua cuſpidem omnem retunderet (b). Porrò hujus generis loricas Veteres non latuiſſe demonſtravimus in Diſſertatione de re militari Hebræorum.

In moribus poſitum erat, ut arma, & ſcuta ad arces circum ſuſpenderentur. De ſcutis ſuſpenſis ad turrim David ſermo eſt Cant. 4. de galeis & ſcutis, quas Tyrii, Perſæ, Lybes, Lydi appenderant mœnibus Tyri, habes Ezechielem 27. 10. Machabæi expiati dedicatique iterum Templi fores ornarunt coronis aureis & ſcutis 1. Mach. 4. 57.. Armis & navigiorum in petra cælatis imaginibus ornandum curavit Simon Macchabæus poſitum fratri ſuo Mauſolæum. Mach. 13. 29.

In omnibus fermè Epiſtolis ſuis alludit Apoſtolus ad arma, prælia, militares, & athleticas in ludis publicis exercitationes. Monet Epheſios 6. 11. &c. ut membra ſua impendant velut *arma juſtitiæ* ad ſerviendum Deo, & non *arma iniquitatis* ad militandum peccato; *ut induant arma lucis* vel nitida & fulgentia; ſciant manum ſibi conſerendam non eſſe cum adverſariis hominibus è carne, & ſanguine; ſed cum Principibus tenebrarum, poteſtatibus aeris, ac Dæmonibus; quare etiam atque etiam denunciat, inſtruant ſe armis Dei, lorica juſtitiæ, caligà præparationis ad Evangelium pacis, galea ſalutis; ſtringant enſem ſpiritus, qui eſt verbum Dei &c. Et 1. Theſſal. 5. 8. *Induite loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpem ſalutis.* In ludis publicis decertaturi abſtinent ſe ab omnibus, ut corruptibilem coronam accipiant 1. Cor. 9. 25.. Qui in ludis hiſce publicis certat non coronabitur niſi legitimè certaverit 2. Timoth. 2. 15.)

ARMAGEDON, locus, montem Mageddo ſignificans (c). Eſt autem Mageddo, ſivè Mageddon, Urbs in Magno Campo ad radices Carmeli, ubi in prælio contra Nechao Regem Ægypti Rex Joſias vulnus lethale accepit (d). Spiritus malus ex ore draconis egreſſus, omnes Reges terræ in *Armagedo* congregabit, prælium die vindictæ Domini initurus, juxta oraculum Apocalypſis; in quem locum vide Noſtra Commentaria.

(ARMAMENTARIA. Veteres Hebræi armis, è privato ſuo, non è publico ſuffectis, & inſtruebant ſe, & ad bellum omnes procedebant. Quarè armis publicè continendis nullæ erant tunc ædes deſtinatæ; non enim moris erat tunc ſive habere ſub ſignis perpetuò, ſive mercede conducere milites. Sub Davide & Salomone prima in Iſraele Armamentaria. Collectam ingentem armorum vim David conſecraverat Domino in Tabernaculo. Ex illis verò Levitas cæteroſque inſtruxit Jojadas, cum Joas ad Regnum elevaret 2. Par. 23. 9.. Arma pariter collegerat inſtructiſſima Rex Salomon in Regiam illam ædem, ſaltum Libani appellatam 2. Par. 10. 16.; nec improvidus defuerat quin Armamentaria in munitiſſimis quibusque ditionis ſuæ Urbibus pararet 2. Par. 11. 12., devictas etiam gentes tributi loco cogebat interdum excudere arma 3. Reg. 10. 25.. Ozias Rex in Armamentaria ſua intulit præter lanceas, galeas, clypeos, loricas, enſes, arcus, fundas, obſidionales etiam machinas, quà urgendis, quà ſuſtinendis obſidionibus aptas 2. Par. 26. 14.. Eadem providentia Ezechias 2. Par. 32. 27. Iſaiæ 22. 8.: *Fecit theſauros armorum diverſi generis.* Jonathas, & Simon Machabæi Armamentaria commoda inſtruxerant, non ex captis ab hoſte tantùm armis, ſed & de novo emptis fabricatiſque, 1. Mac. 10. 21. & 15. 7.)

ARMENIA, Aſiæ Provincia, Euphratis, Tigridis Araxis, & Phaſidis fontes continens, in qua credimus ſitam fuiſſe Provinciam Eden, locum Paradiſi terreſtris. Nomen *Armenia* ſivè ex *Aram Patre* Syrorum, ſivè ex *Har-Minni*, monte Minæorum, de quibus mentio ſit Jeremiæ 51. 27. originem duxit. Quo loco (e) legimus Arcam *ſupra montes Armeniæ* conſediſſe, Hebræus legit: *Supra montes Ararat:* & ubi (f) ſermo eſt de Filiis Sennacherib, qui poſt occiſum Patrem *in terram Armèniorum* confugerunt, Hebræus habet *in terram Ararat*.

(ARMILLUS, nomen eſt à Judæis datum Antichriſto (g). Naſcetur ille ex nefario congreſſu impiorum quorundam variarum nationum cum ſimulacro Virginis elegantiſſimæ, quod Romæ poſitum ſpectabitur. Statua erit ad miraculum procera, oggeretque ſe tanquam Meſſiam & Numen. Ad ejus leges redigentur è poſteris Eſau (ita enim Romanos appellant) quicunque fuerint. Bello illum infeſtabit Nehemias filius Joſeph, primus Meſſias, (duos enim opperiuntur) contra quem noſter exercitum ducet 30000. Judæorum. Prælio cedet Armillus, cæſis in priori illo certamine 200000. reparabit ſtatim exercitum ac prælium, & poſt amiſſam ingentem ſuorum vim imprudens Meſſiam Nehemiam enecabit.

Tunc fracti animo Judæi declinabunt in fugam, quibus adverſarias ſe præbebunt gentes per orbem omnes, ut caſum patiantur illi ſi unquam aliàs graviſſimum. Rebellabunt tandem. Tertiò buccina clanget Archangelus Michael, qua primò ſonante, parebit Meſſias filius David cum Elia Propheta; illis ſeſe adjungentes Judæi, arma ferent in Armillum, qui prælio & vita cedet. Poſt hæc Meſſiæ Regnum, & everſio Chriſtianorum atque Infidelium. Hæc Rabbinorum de Antichriſto idea. Legitur Armilli nomen in Textu Paraphraſtis Jonathan; an ab Authore poſitum, ſive aliena manu additum, incertum.)

I. ARMON. *Amos* 4. 3. legimus: *Projiciemini in Armon*, ſcilicet juxtà interpretationem S. Hieronymi, Chaldæi, Syriaci, Symmachi, Grotii, & Bocharti, & aliorum, *Projiciemini in Armeniam*, quò decem Tribus à Regibus Aſſyriis aſportatæ ſunt.

II. ARMON, ſivè Armoni, filius Saul ex Reſpha, quem Gabaonitæ unà cum fratribus crucifixerunt. 2. *Reg.* 21. 8.

ARNON, fluvius, ſivè torrens, cujus ſæpè in Scripturis ſermo occurrit. Ex montibus Galaad ſivè Moabitarum profluens, primo ex ſeptentrione in meridiem directo curſu, poſtea converſo ex oriente in occidentem, in plagam Orientalem Maris Mortui delertur.

ARNONA, regio trans Jordanem, juxtà fluvium Arnon protenſa. Vide *Reland. Palæſt. t. 1. l. 2. c. 12. p. 495.*

AROD, quintus inter filios Gad. *Num.* 26. 17.

I. AROER, Urbs Tribus Gad, *Num.* 32. 34. ſita in ripa ſeptentrionali torrentis Arnon (h), in finibus ditionis Hebræorum trans Jordanem (i). Euſebii ætate monti inſidebat.

II. AROER, Urbem hujus nominis ſitam fuiſſe juxtà Rabbath Ammonitarum, alio nomine Philadelphiam Relandus *t. 2. p.* 583. & de hac intelligendum credit *Joſue* 13. 25. & *Judic.* 2. 33.

III. AROER, in Tribu Juda (k). Hic tamen locus commodè etiam intelligi poſſet de Urbe hujus nominis trans Jordanem. David diutiùs in regione Moabitarum moratus, facilè in Urbe Aroer aliquot ex ſuis cognatis reliquiſſe potuit. *Joſue* 15. 22. apud Septuaginta occurrit Urbs Aroer, ſivè Arocl, quæ fortè eadem eſt ac *Aroer* in Tribu Juda. Urbem Aruir viginti milliaribus ab Jeruſalem, ſeptentrionem verſùs, Euſebius, & S. Hieronymus recenſent. Porrò Aroer *tamariſcum* ſignificat, plantæ genus frequentiſſimum; quare plurium locorum nomen ex ea derivari facilè potuit.

ARPHAD. Fortaſsè Urbs eſt Syriæ celeberrima. Hujus nomen in S. Scriptura (l) nunquam occurrit, quin etiam *Emath* adjungatur. Sennacherib ſe Arphad, & Emath in ſuam poteſtatem reduxiſſe, ac utriuſque Deos deſtruxiſſe jactabat. Porrò *Emath* eſt *Emeſa*, *Arphad* vero eandem credimus, ac *Arad*, quæ in Hebræ aliquando *Arvad* nuncupatur. Alii credunt Arphad eſſe Urbem, ſivè vicum *Arphas*, quem Joſephus de Bello l. 3. c. 2. ſitum deſcribit in poſtremis finibus orientalibus, ſivè ſeptentrionalibus regionum Galamitiæ, Gau-

(a) 1. Reg. 17. 5. (b) 2. Reg. 1. 9. *Tenent me anguſtiæ.* Hebræum *ſcabats* ſonat texturam quandam ex lino. Exodi 28. 3. Pſ. 44. 14. (c) Apoc. 16. 16. (d) 2. Par. 35. 22. 23. (e) Geneſ. 8. 4. (f) 4. Reg. 19. 37.
(g) Vide Huſſ. de Theol. Jud. l. 1. p. 52. 78. 80. 142. 150. (h) Deut. 2. 36. & 3. 12. ac 4. 48. (i) Joſ. 12. 2. Deut. 4. 48. (k) 1. Reg. 30. 28. (l) 4. Reg. 18. 34. & 19. 13. Iſa. 10. 9. & 36. 19. & 37. 13. Jerem. 49. 23.

Gaulanitidis, Batanææ, & Trachonitidis; ſicut Julias easdem regiones ab occidente, & meridie terminabat. Porrò iſte ſitus optimè etiam Urbi Arphad juxtà Emath congrueret; quare operæ pretium feciſſet Joſephus, ſi exactiorem deſcriptionem ſitus hujus loci dediſſet. Quantum ego conjicio, *Arphas* iſta apud Joſephum non alia eſt, ac Raphanæa, ſive Raphan inter montes Caſium, & Anticaſium. Scribit Joſephus de Bello l. 7. c. 24. flumen Sabbaticum inter Arcam, & Raphanæam fluere; & Stephanus Geographus Raphanæam collocat juxtà Epiphaniam in viciniis Arad (a).

ARPHASACHÆI, populi à Regibus Aſſyriorum in Samaritidem ducti, Iſraelitis ejuſdem regionis incolis ultrà Euphratem traductis 1. *Eſdr.* 4. 9. Una cum aliis populis Samaritanis Jeroſolymorum ædificationi obſtiterunt 1. *Eſdr.* 5. 7. Credimus *Arphaſachæos* eoſdem eſſe ac *Perſoſehytas*.

I. ARPHAXAD, filius Sem, Pater Sale, natus anno Mundi 1658. biennio poſt diluvium, & mortuus an. M. 2096. ætatis 438. Vide *Gen.* 11. 12. *&c.*

II. ARPHAXAD, Rex Medorum, de quo *Judith* 1. 5. Credimus eundem eſſe, ac Phraortem filium, & ſucceſſorem Dejocis Regis Medorum. Quippe Phraortes, juxtà Herodotum *l.* 1. *c.* 97. ſubactis Perſis, cæteriſque Aſiæ gentibus, tandem Ninivem, & Imperium Aſſyriorum adorſus, victus fuit, & occiſus anno Regni 22. In libro autem Judith traditur Arphaxad Urbem Ecbatanam condidiſſe, & in magna planitie Ragau victum abſceſſiſſe, quæ fortaſſe planities campi ſunt juxtà Urbem Rages in Media. Vide *Tob.* 1. 16. & 3. 7. ac 4. 11. noſtra Comment. in Judith, & Cl. Montfaucon de verit. Hiſt. Judith.

ARSA, Præfectus Therſæ, Urbis olim Metropolis Regni decem Tribuum Iſraelis. Ela Rex Iſrael occiſus fuit à Zambri in domo Arſa (b).

ARSACES, alio nomine Mithridates, Rex Parthorum, de quo 1. *Mach.* 14. 2. Regni ſui fines prudentia, & virtute plurimum auxit. Demetrius Nicanor, ſivè Nicator, ejus ditionem (c) cum exercitu ingreſſus, ac ad illum deficientibus Medis, Elymæis, Perſis, & Bactrianis, Arſacem non ſemel fregit; verùm Arſaces miſſo ad eum uno ex ſuis Ducibus, tanquam de pace acturo, incautum in inſidias perduxit, ejuſque exercitu à Perſis trucidato, ipſe in poteſtatem Arſacis vivus devenit (d).

ARTABA, genus menſuræ Babyloniis familiaris. Duodecim vini Artabas ſingulis diebus Belo offerebant Dan. 14. 2. *e* quas, Numinis obtentu, Sacerdotes clam in ſuos ſus convertebant. Horum fraudes Daniel aperuit. Artaba 72. ſextarios implebat, authoribus SS. Epiphanio, & Iſidoro Hiſpalenſi (e).

I. ARTAXERSES, alio nomine *Aſſuerus*; Græcus conſtanter legit *Artaxerſes*; Hebræus, & Vulgata *Aſſuerus*. Hunc eſſe credimus Darium Hyſtaſpis. Vide *Aſſuerus*.

II. ARTAXERSES, cognomento *longimanus* regnavit ab an. M. 3531. ad 3579. ante Chr. 481. ante Ær. 425. Eſdræ, cæteriſque copiam fecit, ut in Judæam regrederentur (f) an. M. 3537. ac deindè Nehemia deprecante permiſit, ut mœnia, & portæ Jeruſalem (g) reſtituerentur, an. M. 3550. regni ſui 20. Ex hac Epocha exactiores Chronologi ſeptuaginta duas hebdomadas Danielis ſupputant (g). Hebdomadæ autem iſtæ non diebus, ſed annis conſtant, ſimulque collectæ 490. efficiunt; media verò ſeptuageſima hebdomada Chriſtus neci tradendus erat. Porrò initium hujus ſeptuageſimæ hebdomadæ tempore baptiſmi Jeſu Chriſti, an. M. 4033., ſtatuendum eſt; medietas verò ejuſdem hebdomadæ anno M. 4036. cum dimidio reſpondet; finis tandem hujus periodi anno 4040. imponitur.

(*Longimani*. Cognomentum id datum Regi cenſent Orientales, quòd longiſſime protenſæ ditioni imperaret (i). Vulgari proverbio uſurpatum eſt, longiores manu eſſe Principes. Reipſa tamen tuentur Græci (k), Regem hunc manus habuiſſe longas, & ita planè, ut ſtans ad genua manu pertingeret. Cæteros ætate ſua viros corporis forma ſuperaſſe fertur. *Bahaman* appellatur ab Orientalibus, addito cognomine *Ardſchir-diraz-deſt*, i. e. Longimanus. Patrem habuit *Asfendiaro* inter Reges ſecundæ Dynaſtiæ Perſarum ſextum. Poſt ſuppreſſam familiam Roſtam, quam viris inſignibus potentem metuebat plurimùm, expeditionem ſuſcepit in Provincias Occidentales, i. e. Meſopotamiam & Syriam, Imperii ſui appendices. Balthaſarem filium Nabuchodonoſoris a gubernanda Babylonia amovit, in pœnam vaſtatæ à patre ipſius Syriæ & Palæſtinæ, ſubſtituitque *Kereſch*, Cyri nomine ſat notum.

Si Perſis nonnullis Hiſtoricis aſſerentibus credamus, Artaxerſis vel *Bahaman* mater erat Judæa, è Tribu Benjamin & è familia Saulis; ſicut & è Tribu Juda de genere Salomonis per Roboamum Regem Juda fœminam alteram ſupra cæteras uxores habebat in deliciis; quare quòd admiremur nihil eſt, ſi apprimè commendans Cyro Judæos, rogaverit, ut quanto maximo poſſet favore illos proſequeretur. Nec fruſtra ille; nam Cyri beneficio, & libertas, & reſtituendi Templi Hieroſolymitani facultas populo data eſt. Hæc non alia fide tenenda proponimus, quàm quæ Authoribus illis debetur.

Rex iſte ipſiſſimus eſt habitus cum Aſſuero, qui in locum amotæ Vaſthi, in toro ſubſtituit Eſther; quam ſententiam diſcutiemus v. *Darius filius Hyſtaſpis*.

Poſt expoſitam autem geſtorum Artaxerſis ſummam juxta Perſarum fidem, juvat pariter & Græcos audire. Xerxe Rege Perſidis, de quo è noſtris Hiſtoriis ſilet nulla, ſublato ab Artabano cuſtodum ſuorum Præfecto, impius ille ſicarius occupare ſibi Regnum nece trium filiorum ejuſdem Xerxis, moliebatur. Trium illorum primus erat Darius patri in Regno ſucceſſurus; ſecundus Hyſtaſpes; tertius Artaxerſes Longimanus.

Hæc igitur meditans Artabanus inſinuavit Artaxerſi, paternæ necis authorem fuiſſe Darium fratrem natu majorem, quem pariter & eodem fato Artaxerſem ipſum obvolvendi agitaſſe conſilium; caveret proindè ſibi, efficeretque, ut fraternas inſidias declinaret. Omnia facilè perbibit animo Princeps, ſiniſtri nihil de Artabano ſuſpicatus; quare & paternam cædem ulciſci, & paria in fratrem rependere, qualia in ſe meditari rebatur, ſtatuens, ne dato quidem maturiùs rem deliberandi ſpatio, ſtatim ad fratrem cum Artabano ingreſſus, illum peremit. Verſabatur tunc Hyſtaſpes fraterni Regni hæres in Bactriana, longè ab illis remotus, quare eo neglecto Artabanus ad thronum extulit Artaxerſem, ut illum viciſſim amoveret, ac ipſe aſcenderet, ratus ſe facilè id conſequuturum. Omnia tamen Rex ſubodoratus, proditorem neci tradens, à periculo ſe liberavit (l).

Ea proditoris nece ſubmotum quidem periculum, non ſublatum; namque Artabani amici & neceſſarii ea collectis militibus comparato exercitu, prælio aggredi Regem auſi ſunt; ſed triti illorum conatus omnes ceſſerunt. Hoc metu ſolutus Artaxerſes, in fratrem Hyſtaſpem Bactrianæ gerentem Præfecturam movit, quem tandem poſt bellum biennale cruento prælio fudit. Secundùm hæc rebus Imperii compoſitis, novos in Provinciis fermè omnibus Præfectos conſtituit, & quæ ſub veteribus mala inoleverant in Provinciis illis, tollere aggreſſus eſt; ex quo ſtudium ingens & æſtimatio populi in Principem.

Triennio circiter evoluto Ægyptii Perſarum jugum excutientes (m), Inarum Lybiæ Principem ſalutarunt in Regem, & claſſem, quam 200. navibus inſtructam

L 3　　　habe-

(a) Stephan. in Epiphania.　(b) 3. Reg. 16. 10. An. M. 3075. ante Ch. 925. ante Ær. 929.
(c) An. M. 3863. ante Chr. 137. ante Ær. 141.　(d) 1. Mach. 14. 2. 3. Joſeph. antiq. l. 13. c. 9. Juſtin. l. 36. & 41.
(e) Epiph. de Pon. & Menſ. Iſid. l. 16. orig.　(f) 1. Eſdr. 7. 8.　(g) 2. Eſdr. 2. 12.　(h) Daniel. 11. 29.
(i) Bibliotb. Orient. pag. 170. c. 6.　(k) Plutarch. in Cimone, Strabo lib. 15.
(l) Vide Cteſi. Diod. Sic. l. 11. Juſtin. l. 3. c. 1.　(m) Thucid. l. 1. Cteſia Perſic.

habebant Athenienſes ad Inſulam Cypri, in defectionis ſuæ tutelam acceperant. Simul hæc intelligens Artaxerſes, collectum 300000. exercitum ipſe per ſe ducere in perduelles ſtatuerat; ſed tandem rogantibus amicis, ne ſe dederet in diſcrimen, acquieſcens, expeditionem commiſit Achemenidi è fratribus ſuis uni, vel, ut alios patruo (a). Venientem illum in Ægyptum ſecundo commiſſo prælio fuderunt Ægyptii & Athenienſes. Cæſa tunc in acie ad 100000. Perſarum; è ſtrage reliqui receperant ſe Memphim. Fugientibus inſtantes victores primo impetu Urbem tertia ſui parte minùs occuparunt. Sed quod habebant in illa reſidui (murus albus appellabatur) ita munierunt Perſæ, ut triennali obſidioni ferendæ pares fuerint; donec miſſi ab Artaxerſe Megabyſus & Artabazus cum exercitu & oppreſſos relevarunt, & Inari exercitum ſecundo prælio fuderunt, cujus victoriæ fructus reddita Perſis Ægyptus.

Interim Athenienſes, qui Ægyptiis rebellibus faverant, infenſi non ſemel in Perſas, ſæpè, nec ſine magno Perſarum incommodo, hoſtilis animi ſui exhibuerunt argumenta; quibus ſollicitior factus Artaxerſes pacem tandem cum illis his conditionibus compoſuit (b). Primò, Græcis omnibus in Aſia Urbibus libertatem decerni facultatemque ſeligendi quibus maximè legibus ac politia viverent. 2. Nullam Perſicam militarem navim permitti intra mare à Ponto Euxino aduſque Pamphiliæ litora. 3. Neminem Perſarum Ducem cum copiis propiùs ad ea maria acceſſurum, quàm ad tres dies itineris. 4. Hoſtilia in Urbes ditionis Regiæ Athenienſibus vetita.

Sollicitationibus Matris ſuæ, quæ Inarum & Athenienſes in expeditione Ægyptiaca captos ſibi concedi rogabat, (mactandis in ſacrificium Manibus Achemenidis filii ſui) quibus integro quinquennio reſtiterat, tandem acquievit Artaxerſes. Quare juſſu fœminæ in crucem ſublatus Inarus, reliqui capite abſciſſi; qua inhumanitate maximè omnium commotus Megabyſus, quippè qui fidem illis ſuam obligaverat, futurum ut non mactarentur in ſacrificium, Aulam deſeruit, ſeceſſitque ſeſe in Syriam, cujus gerebat præfecturam, ibique ad ulciſcendam injuriam exercitum armavit. Miſſus in illum à Rege Oſiris cum exercitu 200000. ſed victus vulneratuſque in Megabyſi poteſtatem venit. Vertente anno novus in illum exercitus Menoſtane Imperatore venit; ſed victi iterum Regii fugerunt. Tandem veniam obtinuit Megabyſus, revocatuſque in aulam. Regnavit Artaxerſes annis 41. obiit A. M. 3572. ante Chriſtum 428.)

III. ARTAXERSES. Eſdras (c) eo nomine deſignat Magum illum, quem Juſtinus *Oropaſtem*, Herodotus *Smerdim*, Æſchylus *Mardum*, & Cteſias *Spendadatem* nuncuparunt. Hic poſt Cambyſis mortem, ſimulans ſe Smerdim eſſe filium Cyri, quem Cambyſes occidi curaverat, Imperium Perſarum occupavit. Epiſtolam ſcripſit ad Præfectos ſuos trans Euphratem, in qua ſignificavit ſe Regni Annales juxtà eorum monitum conſulendos curaſſe, eorumque lectione ſibi fuiſſe compertum, Hieroſolymam Urbem extitiſſe potentem, ac non rarò à Regibus defeciſſe; quare ſuo nomine imperari volebat Hebræis, ut ab ejus reædificatione abſtinerent. Hinc anno Mundi 3483. inceptum opus intermiſſum eſt, nec niſi permittente Artaxerſe Longimano, anno 3550. reſumptum. 2. *Eſdr.* c. 1. & 2.

ARTEMAS, Diſcipulus S. Pauli (d), ab eodem Apoſtolo in Inſulam Cretæ miſſus, ut vicibus Titi, Nicopoli cum ipſo Paulo per hiemem commorantis, fungeretur; quo unico argumento virtutem ipſius conjicere permittimur, ſiquidem nihil de eo ultra ſcimus.

(ARTICULI *Fidei Judæorum*. Ad tredecim vulgò numerantur, deducti à nobis v. *Fides*.

Tredecim hoſce articulos digeſſit Maimonides, Æræ Chriſtianæ ſæculo undecimo exeunte; exceperunt illos generatim omnes, eandemque fidem ſervaturos ſe uſque ad mortem ſanctè profeſſi ſunt Judæi (e).)

ARUBOTH, ſivè *Araboth*. Fortaſsè Urbs erat ſivè vicus Tribus Juda; 3. *Reg.* 4. 10. ſitus tamen ipſius ignoratur. Hoc nomen etiam reddi poteſt Deſertum, ſeu arva inculta.

ARUIR. Urbem hujus nominis 20. milliaribus à Jeruſalem, ſeptentrionem versùs Euſebius, & S. Hieronymus ponunt.

ARUM, Pater Ahareel, & filius Cos 1. *Par.* 4. 8.

ARUMA, ſivè *Ruma*, urbs propè Sichem; Judic. 9. 41. ubi Abimelech caſtrametatus eſt.

ARUNDO, *vallis arundineti*, ſeù *Torrens Canna* (f), ſive *Torrens arundineti* ſita in extremis Tribus Ephraim, ad ſeptentrionem, Manaſſe Tribum versùs. Verus iſtius locus ignoratur.

Arundo, Servatori noſtro, ad ipſius irriſionem in ſua Paſſione, in manus tradita. Simplex arundo fuiſſe creditur, quæ pro baculo fortaſsè geſtabatur, ut illi pro ſceptro eſſet.

ARUS, Urbs juxtà Samariam, ubi Varus caſtra habuit (g). *Arbarus* S. Hieronymo eſt Urbs, quatuor milliaribus à Samaria ſeptentrionem versùs.

I. ASA, filius Abiæ regis Juda, ex Maacha filia Abeſſalom (h). Rerum potitus, quadraginta ac uno annis Jeruſalem regnavit. Pietatem, ac juſtitiam coluit; quare è Regni ſui finibus expulit eos, qui in honorem Numinum ſe proſtituerant; ſimulque omnibus Idolorum ſordibus, ab anteceſſoribus Regibus invectis, Jeroſolymam expurgavit. Regiis inſignibus & negotiorum adminiſtratione Matrem ſuam privavit, quòd Idolum Aſtharteæ in luco erexiſſet. Idolum verò flammis tradidit in Valle Hinnon, quà torrens Cedron fluit. Reprehenditur tamen in S. Scriptura eo nomine, quòd populum ſuperſtitioſè ſacrificantem Domino in locis excelſis non prohibuerit; quem quidem abuſum fortaſsè tolerandum judicavit, ut majus malum Idololatriæ evitaretur. Vaſa aurea, & argentea, quæ Pater voverat, in Templum invexit.

Cum in pace Regnum quieſceret, ac Deus populo faveret, curavit Aſa, ut Urbium munitiones repararentur (i); quibus reſtitutis, exercitum collegit ex Juda 300000. militum haſtis, & ſcutis armatorum; ex Benjamin verò 280000. milites ſagittis & ſcutis expeditos levavit. His copiis Zaræ Regi Æthiopiæ, ſivè Chus, quæ pars eſt Arabiæ, Ægypto conterminæ 1000000. militum exercitu & 300. curribus in ſuam ditionem, Mareſam uſque progreſſo, occurrit. Igitur Aſa caſtrametatus in campis Sephata, ſivè *Sephala*, propè Mareſam, antequam ad prælium egrederetur, Dei opem imploravit. Nec mora, panico quodam terrore exercitus Zaræ commotus, in fugam ſubitò effuſus eſt (k); fugientes autem Aſa inſequutus uſque Geraram, plures trucidavit.

Poſt eam victoriam, Judæis præda onuſtis Jeruſalem regredientibus occurrit Propheta Azarias, filius Obed, Divinoque œſtro abreptus Populum admonuit, ut paria ſemper ſperaret, ſi Deo morem ſemper geſſiſſet. Futurum verò prænunciavit, ut Deum derelinquentes, plures actum eſſent dies ſinè Deo, ſinè Sacerdote, ſinè Lege (quod fortaſsè captivitatem decem Tribuum innuit) nec niſi ad Deum regreſſi tot malis levarentur. Vos tamen, ait, macti virtute eſtote, quippe opera veſtra mercede non carebunt.

His oraculis Aſa acrioribus ſtimulis ad virtutem incitatus, Idola non ex Juda tantùm, & Benjamin, ſed ex Urbibus montis Ephraim in ſuam ditionem redactis abſtulit. Hinc altari Holocauſtorum reſtituto, coactis in unum populis Tribus Juda, & Benjamin, pluribus etiam ex Iſraelitis Tribus Simeon, Manaſſe, & Ephraim, trigeſima die menſis anno decimoquinto Regni ſui, ſolemnitatem Domino celebravit. Victimæ ex præda immolatæ ſunt, videlicet 700. tauri, & 7000. oves; initumque eſt ſolemne cum Domino fœdus, promittentibus Judæis totos ſe in ipſius obſequium tradituros;

(a) Herodot. l. 3. & l. 7. Diod. l. 6. (b) Diodor. lib. 11. Plutarc. in Cimone. (c) 1. Eſdr. 4. 7. (d) Tit. 3. 12.
(e) Leo Moden. Cærem. Judæor. par. 5. cap. 13. Baſnag. Hiſtor. Judæor. tom. 4. lib. 6. cap. 1. (f) Joſue 16. 8. 17. 9.
(g) Joſeph. Antiq. 17. 12. & de Bel. l. 1. c. 2. (h) 3. Reg. 15. 8. &c. & 2. Par. 14. 1. 2. An. M. 3049. ante Chr. 951. ante Æ. V. 955.
(i) 2. Par. 14. 1. 2. &c. (k) Fortaſſe anno 15. Aſa. Vide 2. Par. 15. 10. An. M. 3064.

Digitized by Google

turos; quod etiam publico juramento, decreta mortis pœna in tranſgreſſores, canentibus interim buccinis & cymbalis, confirmatum eſt. Secundùm hæc Deus bella omnia à populo ſemovit; ac Regnum uſque ad annum 35. Aſa juxtà Paralipomena in pace quievit. Verùm pro 35. legendum credimus 25., quippè Baaſa, qui bellum in Aſam geſſit, anno 26. ipſius occubuit, 3. *Reg.* 16. 18.

Igitur anno Aſæ 36. ſivè 26. (a) Baaſa Rex Iſrael, Urbes ſuæ ditionis in finibus Juda munitionibus vallavit, eo conſilio, ne Iſraelitæ ad Regnum Juda, & ad Templum Domini commearent. Aſa ut hoſtem ab incepto abduceret, quidquid auri, & argenti ſivè in ſuis, ſivè in theſauris Templi invenit, totum ad Benadad Regem Damaſci tranſmiſit, ea conditione, ut rupto cum Baaſa Rege Iſrael fœdere, in ejus ditionem irrumperet, diverſionem facturus. Res pro votis ſucceſſit; quippè Benadad Regnum Iſraelis adortus, ac pluribus Urbibus Tribus Nephtali occupatis, Baaſam coegit, ut munitionibus Urbis Rama intermiſſis, regionem ſuam defenderet. Aſa ea occaſione abrepta, populum Ramam adduxit, atque aſportatis omnibus, quæ Baaſa Urbi muniendæ paraverat, Gabaam Saul, & Maſpham ædificavit.

Eo tempore Propheta Hanani (b) Aſam convenit, ac Dei nomine exprobravit, quòd hominibus præ Deo confideret; quamquam quid poſſet Dei ope antea contrà Zaram expertus fuiſſet: quare in ultionem criminis, variis bellis impoſterum ſe exagitandum à Domino ſciret. Dicentis libertate Rex indignatus, illum carceri addixit; plures etiam ex Juda eodem tempore mortæ damnavit. Inclinante vita, podagra laboravit, cujus morbi vi nobilioribus partibus occupatis, tandem extinctus eſt Ao. M. 3090. antè Ch. 910. antè Ær. 913. Reprehenditur in Scriptura, quòd æger Medicorum potiùs, quam Dei opem imploraverit. Mortui corpus in lectulo impoſitum, unà cum aromatibus concrematum eſt; cineres verò, & oſſa condita tumulo, quem in Civitate David ipſe paraverat.

II. ASA, locus, ubi Judas Machabæus occiſus fuit (c). Hic tamen 1. Machab. cap. 9. denominatur *Azotum*; quod cum aliud ſit ab Azoto Urbe celeberrima, ubinam ſitum fuerit, ignoratur.

ASAA, nomen viri, quem Joſias Rex Juda ad Holdam Prophetidem ſuper Libro Legis in Templo invento conſulendam miſit. 2. *Par.* 34. 20. 21. An. M. 2951. an Ch. 1049. ante Ær. 1053.

ASAEL, filius Sarviæ, & frater Joab, quem Abner occidit, cum aliter avertere inſequentem non poſſet (d). Hujus necem ulturus Joab, ſimulata amicitiæ ſpecie, occidit Abner euntem ad David in Urbem Hebron, ut ei omnem Iſraelem reduceret. (e)

ASAMON, Mons Galilææ juxta Sephorim. (f)

ASAN, Urbs Tribus Juda (g). Urbs *Beth-Aſan* Euſebii ætate ſex milliaribus ab Jeruſalem occidentem versùs occurrebat. Fortaſsè eadem eſt ac ea, quæ in partes Tribus Simeon ceſſit. *Joſue* 19. 7.

ASAPH, pater Johahe, qui fuit à ſecretis Regi Ezechiæ. 4. *Reg.* 18. 18.

II. ASAPH, filius Barachiæ, ex Tribu Levi 1. Par. 6. 39. Filios habuit *Zachur*, *Joſeph*, *Nathaniam*, & *Aſarelam*. 2. Par. 25. 2. Muſicæ fuit peritiſſimus inter Cantores David. Cum familiæ Gerſon locum Rex aſſignaſſet in dextra Templi parte (aſſignata læva Meraritis, medio verò Caathitis), Aſaph, qui huic familiæ accenſebatur, ejuſque poſteri ejuſdem loci Cantoribus præfuerunt. Plures Pſalmi nomine hujus viri inſcripti ſunt, videlicet 49., & decem qui ordine ſequuntur poſt 72., uſque ad 82. ſivè ipſe Aſaph illos ſcripſerit, ſivè David ad illum miſerit Muſicis cantilenis coaptandos; ſivè (quod nos malumus) aliqui ex poſteris Aſaph primò illos dictaverint, & huic celeberrimo Cantori tribuerint; quippè cum longè poſt Aſaph ſcripti videantur, aliqui nimirùm in captivitate ut 49. 73. 78. & 79., alii tempore Joſaphat, ut 81. 82., ſolum 77. ad ætatem Aſaph referendum ducimus. Vide noſtram Præfationem in Pſal. 49.

ASARAMEL (h). Idem credimus eſſe ac vallem *Mello*, de qua in 2. Regum 5. 9. *Aſar-Mella* ſivè *Haſer-Mello* eſt pavimentum mello. Vatablus & Tirinus autumant, hoc nomen uſurpatum eſſe pro Jeruſalem. Serrarius reddit, *Princeps partis Domini*, ſivè populi Domini, ac intelligendum judicat de Simone Summo Sacerdote illorum Temporum.

ASARELA, quartus filius illius Aſaph, de quo ſupra egimus. Vide 1. *Par.* 25. 2.

ASARADDON, in Iſaia 20. 1. dictus *Saragon*, ſivè *Sargon*, filius & Succeſſor Sennacherib. Dum rebus potiretur, Thartan cum exercitu in Philiſtæos miſit, & Azotum expugnavit Iſa. 20. 1.. Ægypto etiam, Provinciæ Chus, & Idumææ arma intulit Iſa. 20. 34., ultionem fortaſſe expetiturus è Tharaca Rege Chus, ac è Rege Ægypti, qui cum Ezechia Rege Juda contra Sennacherib fœdus inierant (i). Sacerdotes Judæos miſit ad inſtruendos Cuthæos (k), quibus Sennacherib, poſt translatos ultrà Euphratem Iſraelitas, eorum regionem incolendam dederat. Manaſſem Regem Juda, poſt expugnatam Jeroſolymam captum, Babylonem adduxit (l), quam armis obtinuerat (m), eò faciliùs, quòd fortaſſe Rege carebat, deficientibus hæredibus ex genere Beleſis Regis Babyloniæ (n). Annis 29. ſeu 30. Ninive regnavit, quot à morte Sennacherib anno M. 3294., uſque ad 3323. interfluxerunt; deinde verò 13. annis Babylone imperavit, quod 42. annos Regni efficit. Anno M. 3336. diem clauſit, relicto Saoſduchin Regni ſucceſſore.

ASARMOTH, tertius filius Jectan *Gen.* 10. 26. & 1. *Par.* 1. 20. Urbs hujus nominis in Armenia occurrit (o). Sunt qui credant Sarmatas nomen ſuum ex *Aſarmoth* derivaſſe.

ASASON-THAMAR (p); idem eſt ac *Engaddi* (q), ſita in ripa occidentali Maris Mortui. Vide *Engaddi*.

ASBAI, Pater Naarai, de quo 1. *Par.* 11. 36.

ASBEL, ſecundus filius Benjamin. 1. *Par.* 8. 1. *Num.* 26. 38.

ASCALON, Urbs in regione Philiſtæorum inter Azotum, & Gazam, ad Mediterraneum quingentis ſtadiis à Jeruſalem (r). Hanc Urbem, unam ex quinque Satrapiis Philiſtæorum, Tribus Juda poſt deceſſum Joſue occupavit (s). Cæpæ Aſcalonitæ, & vinum, ac cyprus, arbuſculum valdè frequens illius loci, apud Antiquos (t) celebrantur. Tradit Origenes (u) puteos ſupereſſe Aſcalone, ab Abraham, & Iſaac, uti fama erat, effoſſos. De hac Urbe frequens eſt ſermo in S. Scriptura; veteris tamen magnificentiæ exiles reliquiæ noſtris quidem diebus ſuperſunt. Juxtà illam erat ſtagnum piſcibus refertum, à quibus, utpotè Deæ Derceto ſacris, incolæ abſtinebant, qua etiam de cauſa columbas venari nefas habebant (x).

ASCAN. Vidè ſupra *Aſan* Urbem Tribus Juda.

ASCENES, primus filius Gomer (y), Pater fortaſse Aſcanum, quorum regio erat circa Tanaim & Paludem

(a) De hoc anno plurimum diſceptatur; quippè 2. Paralip. 16. 1. legitur annus 36. Aſæ. Verùm initium hujus ſupputationis ſumendum eſt à diviſione Regnorum Juda, & Iſrael; vel potius legendum eſt 25. & 26. pro 35. & 36.
(b) 2. Par. 16. 7. (c) Joſeph. Antiq. l. 12. c. 19. (d) 2. Reg. 2. 18. &c. (e) 2. Reg. 3. 26. 27. An. M. 2956. antè J. C. 1044. antè Ær. 1048. (f) Joſeph. de Bel. l. 2. c. 13. (g) Joſ. 15. 42. (h) 1. Mach. 14. 28.
(i) Vide Iſ. 36. 9. & 37. 9. (k) 1. Eſdr. 4. 2. 10. (l) 2. Par. 33. 12. (m) Iſ. 23. 13.
(n) Vide Uſſer. ad An. M. 3123. ex Canon. Reg. Ptolemaico. (o) Plin. l. 6. c. 26. (p) Geneſ. 14. 7.
(q) 2. Par. 20. 2. (r) Joſeph. de Bel. l. 3. c. 1. (s) Judic. 1. 18.
(t) Athen. l. 2. c. 27. Plin. l. 19. c. 6. Strabo lib. 16. alii.
(u) Lib. 3. contra Celſ. Vide & Euſ. Onomaſt. ad vocem *Phrear*.
(x) Diodor. l. 2. Bibl. Vide & Lucia. de Dea Syr. & Philo. ap. Euſ. Præp. Evan. l. 8. (y) Geneſ. 10. 3.

Paludem Mæotidem (a). Vide Comment. *in Gen.* 10. 3.

ASCENSIO *Domini noſtri*. Solemnitas, qua Eccleſia poſt quadraginta dies à Reſurrectione J. C. ejus rei memoriam recolit, de qua S. Luc. 24. 50., & Act. 1. 4. Siquidem Jeſus Chriſtus, poſtquam quadraginta dies à Reſurrectione Apoſtolis inſtituendis impendiſset, illos extrà Jeruſalem uſque Bethaniam adduxit, ac Oliveti monte conſcenſo, media leuca ab Jeruſalem, collata anteà omnibus benedictione, in Cœlum ipſis intuentibus elevatus eſt, ubi Patris dexteræ aſſidet, deſcenſurus poſtea ſtata die, præmiis & pœnis viventibus & mortuis, pro ſingulorum meritis, decernendis. Fertur (b) convivium cum Apoſtolis celebraſſe, antequam aſcenderet, in ſpecu ejuſdem montis. Vulgatum eſt etiam apud Antiquos (c), pedum Chriſti aſcendentis veſtigia altè in terra impreſſa permanſiſſe, nec temporis edacitate, nec pia fidelium devotione aliquid ſemper abradente, unquam deleta.

Non deſunt etiam (d), qui miraculis miracula cumulantes tradant, Helenam imperatricem Templum inſigne in loco Aſcenſionis erexiſſe; nunquam tamen fieri potuiſſe, ut pavimentum ſuper eum locum ſterneretur, quo veſtigia Chriſti cernebantur; quare hodie uſque nudum ſolum extare. Addunt inſuper (e), hanc ſoli partem ſub dio extare, eo quòd ædificium in ea parte concamerari nullo artificio potuerit. Horam meridianam Chriſtum ſua Aſcenſione conſecraſſe S. Auguſtinus apud Proſp. ſent. 203. affirmavit; ejuſque myſterii feſtum die Jovis celebrari in Conſtitutionibus Apoſtolicis l. 5. c. 19. præcipitur. Hujus diei ſolemnitas cum Eccleſia incepiſſe, nec niſi ex Apoſtolica traditione videtur.

ASCOPERA. Latinus adhibet hanc vocem in textu Judith. 10. 5. Significat autem utrem, ſive peram coriaceam, pice oblitam liquoribus detinendis.

ASEDOT, vox eſt ſignificans planitiem, ſivè loca fœcunda, & irrigua. Urbs hujus nominis occurrit in Tribu Ruben *Joſue* 10. 40., alio nomine dicta *Aſedoth Phaſga*, quòd in planitie eſſet ad radices montis Phaſga.

ASEL, filius Elaſa, ex ſtirpe Cis 1. Par. 8. 37.

ASEMONA (f), ſivè *Heſmona Num.* 33. 29., Urbs in plaga magis meridionali Tribus Juda, Ægyptum versùs (g). Statio fuit Hebræorum in deſerto.

ASEM, Urbs Tribus Simeon. *Joſue* 19. 3. Eadem fortaſsè ac *Aſemona*.

ASENA, Urbs Tribus Juda, eadem ac *Aſan*, ſivè *Aſchan*. *Joſue* 15. 33.

ASENAPHAR, Rex Aſſyriæ, qui Cuthæos ad incolendam regionem decem Tribuum miſit 1. *Eſdr*. 4. 10. Hunc alii confunduñt cum *Salmanaſare*, ſed aliis melius idem eſſe videtur ac *Aſſaradon*.

ASENETH, filia Putipharis, & Conjux Joſeph Patriarchæ, ac mater Ephraim, & Manaſſe. An Patrem habuerit eundem Putipharem, cujus Joſeph ſervus fuit, qui etiam calumniis Uxoris deceptus, illum in carcerem truſit, valde ambigitur. Hebræi apud Originem (h) tradunt, Aſeneth innocentiam Joſeph, & crimen Matris Putiphari aperuiſſe. S. Hieronymus (i), Rupertus Abbas, & Toſtatus huic opinioni accedentes credunt, Aſeneth filiam eſſe ejuſdem Putipharis. Major tamen Patrum & Interpretum pars Putipharem Aſeneth, ab alio diſtinguunt. I. Quia nomen hujus paulo aliter in textu Hebræo ſcriptum, ac alterius Putipharis domini Joſeph, animadvertitur. II. In S. Scriptura, dum ſermo eſt de Putiphare filiam deſpondente Joſeph, hæc circumſtantia, quod ſcilicet eundem Joſeph mancipium antea habuiſſet, ſubticetur, nequaquam reticenda, ſi contigiſſet. III. Ambo iſti Putiphares locis erant, & dignitatibus adeo diſſiti, ut vix in unum & eundem hominem coaleſcere potuiſſe videantur (k); horum enim alter Præfectus erat Cocorum, ſive Dux cuſtodum corporis in Aula Pharaonis, quæ erat Tani; alter vero Sacerdos erat Heliopoli, quæ in Hebræo On appellatur; porrò duæ iſtæ Urbes pluſquam 15. leucis inter ſe diſtant. His rationibus Commentatorum turba adducta eſt, ut duos hoſce Viros diſtinguant. Verùm congruis reſponſionibus refutari poſſe in articulo *Putipharis* oſtendemus.

Si quis fabulas amet, adeat Rabbinos, & Vincentium Bellovacenſem (l), qui de nuptiis Aſeneth cum Joſeph hiſtoriam intexunt, comœdia dignam.

(ASENETH Uxor Joſephi Patriarchæ, cujus connubii hiſtoriam ita narrat Vincentius Bellovacenſis Speculi tom. 4. lib. 1. cap. 118. Priori ſeptennalis ubertatis anno Ægyptum percurrens Joſephus, attigerat vicinia Helіopolis, ubi verſabatur Putiphar vir Pharaonis a conſiliis, cui filia erat Aſeneth elegantia ſpectabilis puella. Continebat ſe illa in turri paternis ædibus juncta, in decem conclavia diſtributa. Conclave primum deſtinatum Penatibus Aſeneth, quibus litabat quotidianis ſacrificiis; ſecundum mundo muliebri, veſtibuſque ſplendidiſſimis Aſeneth; tertium erat promtus condus bonorum omnium terræ; ſeptem cætera habebant ſibi Virgines ſervitiis Aſeneth deſtinatæ, puellæ elegantiſſimæ, nè colloquio quidem cum viro violatæ.

Conclave Aſeneth tribus inſtructum erat feneſtris, quarum una patebat ad orientem, ſecunda ad meridiem, tertia ad ſeptentrionem. Lectus ibi aureus, purpureis velaminibus cum aureis laciniis. Turrim ambiebat circum atrium occluſum ſepto murorum ſat procero è cæſis lapidibus, unde aditus per quatuor portas ferreas habentes diſpoſitos 18. cuſtodes juvenes cum armis. Ad dexteram atrii fons egerebat aquas in pelvim, ex quo deinde humor ſuffectus arboribus horti.

Porro Aſeneth proceritate Saram æquabat, corporis elegantia Rebeccam, venuſtate Rachelem. Eò igitur cùm veniſſet Joſephus, renunciari juſſit Putiphari, in ejus ædibus ſeſe hoſpitem ſubiturum; qua de re lætus Putiphar nuncium participavit filiæ, venturum ſcilicet in ædes ſuas Joſephum illum fortem Dei, quem nuptiis ejus deſtinabat. Negavit illa ductum iri mancipium, ambire enim nuptias filii Regis. Inter hæc venire Joſephum renunciatum eſt; itaque Aſeneth ad ſuum conclave, unde proſpiciens Joſephum venientem in curru Pharaonis ex ſolido auro, cui juncti quatuor candentes inſtar nivis equi; Joſephum, inquam, purpureo cum aureis laciniis pallio velatum, redimitumque aureo diademate duodecim gemmis diſtincto, manu ſtringentem cum olivi ramuſculo aureum ſceptrum. Simul ad hæc mulier, aſpectu atque pulchritudine viri capta, commota eſt ſpiritu, reputavitque intra ſe: En ſolem venientem ad nos in curru ſuo; ignorabam utique Joſephum filium eſſe Deo ſatum, ecquis enim alius effudiſſet hominem adeò decorum?

Ædium limina attingenti Joſepho actutum effuſa lavandis manibus aqua. Interroganti que illi, ecqua mulier, quam è feneſtris proſpicientem ſpectaverat? timebat enim, ne ſicut à cæteris fœminis fieri ſolebat, miſſis xeniis rogaretur in ſponſum. Repoſuit Putiphar filiam eſſe ſuam, quæ nullum ad id uſque paſſa fuerat virum, ne colloquentem quidem ſecum; acceſſuram autem ad obſequii ſui ſignificationem exhibendam, ſiquidem optaret. Tum Joſephus: Si virgo eſt, accedat; ego illam perinde ac meam ſororem amavero. Simul ad hæc mater ad filiam deducendam convolavit; facta autem illa in conſpectu, invitatur à patre, ut ſalutaret fratrem ſuum, horrori mulieres omnes habentem, ſicut ipſa viros; exciperet illum amplexu. Joſephus protenſa manu ad pectus Virginis dixit, nunquam ſe permiſſurum, ut à quoquam Idolorum cultui addicto tangeretur.

Hac repulſa ad lacrymas uſque commota Aſeneth;

Joſeph

(a) Plin. l. 6. c. 7. (b) Euſ. l. 3. c. 41. 43. vita Conſt. Vide Chryſoſt. in Acta hom. 1.
(c) Sulp. Sev. l. 2. c. 48. hiſt. Paulin Epiſt. 1. Optat l. 6. Aug. in Jo. hom. 47. (d) Euſeb. vit. Conſt. l. 3. c. 43.
(e) Hieron ſeu quis alius in locis Actorum Beda locis SS. c. 7. (f) Num. 34. 4. (g) Joſue 15. 4.
(h) Origen. in Caten. Mſſ. in nov. edit. Hexapl. (i) Hieron. Qu. Heb. Vide & Auth. Teſtam. duod. Patriarch.
(k) Aug. q. 136. in Geneſ. (l) Vide in Spec. hiſtor. l. 2. c. 118. & in hiſt. Scholaſt.

Joſeph illam benedixit; puella renunciavit Idolis, & ex mœrore contracto morbo decubuit. Volentem tandem abire Joſephum dimittere recuſabat Putiphar; ſed ille in conſilio perſeverans, rediturum ſe ſpopondit intra dies 8. Inter hæc Aſeneth atris induta veſtibus per feneſtras Idola projecit, longamque traxit illis omnibus diebus inediam. Octavæ diei ſummo diluculo ſolandæ Aſeneth venit Angelus è Cœlo, mandans ſumeret cibos, ac ſplendidiſſimis indueretur veſtibus; ſciret enim nomen habere ſuum deſcriptum in Libro vitæ; futurum autem ut, pro Aſeneth, deinceps appellaretur multi refugii. Hæc nuncianti Angelo appoſitus panis, & vinum; favum mellis unà ille poſtulavit à puella. Cui deeſſe ſibi graviter ferenti, alteri Eas, inquit, ad promum condum tuum, & favum invenies. Paruit illico, retulitque favum ad Angelum; qui cùm de illo pauxillum deguſtaſſet, reliqua permiſit puellæ. Volitarunt actutum apes, ac mellificarunt in manu virginis; tum juſſu Angeli volatu in Cœlum ſublatæ ſunt.

Rogavit Angelum puella, ut benedictionem impartiret etiam ſeptem virginibus ab infantiâ unà ſecum educatis. Omnes voti fecit compotes Angelus, evanuitque ſtatim ab oculis. Secundùm hæc reditu Joſephi nunciato, venienti obviam illa ſtatim occurrit, expoſuitque habere ſe ab Angelo acceptam fidem, ut ejus nuptiis potiretur. Mane alterius diei Joſeph in conjugem illam à Pharaone poſtulavit, eoque annuente nuptiæ celebratæ.

Plura omitto leviora, ſatis enim hæc arbitror ad ferendum de hujus hiſtoriæ ſuppoſitione judicium.

Sunt etiam apud Orientales myſtici quidam Libri referentes amorem Joſephi cum ZoleiKab filia Pharaonis Regis Ægypti, & uxore Putipharis heri Joſephi. Hiſtoriam hanc ita fermè exponunt, ac nos Canticum Canticorum Salomonis, i. e. myſtico quodam & ſublimi ſenſu de amore animæ erga Deum. Vide infra v. *Joſeph*.)

I. ASER, filius Jacob ex Zelpha famula Liah (a). De geſtis hujus Viri nihil veri novimus; quippè cum ea, quæ in Teſtamento duodecim Patriarcharum de eo referuntur, de prænunciata captivitate ſuæ Tribus, ac ſubinde liberatione per Jeſum Chriſtum, atque de ſepultura hujus Patriarchæ in Hebron, omninò incerta ac nullius fidei ſint. Quatuor habuit filios, & filiam unam (b) Poſteritati illius ceſſit in partem ſolum omnium maximè pingue, cujus fines ad occidentem tangebat Phœnicia; ad ſeptemtrionem Libanus; ad meridiem Carmelus, & Tribus Iſſachar; ad orientem Tribus Zabulon, & Nephtali. Nunquam tamen eum regionis tractum ſibi attributum totum poſſedit; porrigebatur enim ultra Libanum ad Syriæ, & Phœniciæ portionem, cujus rei in cauſa fuit ſivè hominum ſegnities, & torpor, ſivè crimina, ſivè hæc omnia ſimul.

II. ASER, Urbs ſita inter Scythopolim, & Sichem (c), valdè propterea à Tribu Aſer diſſita.

III. ASER, vicus non exiguus inter Azotum, & Aſcalonem authore Euſebio.

ASER-GADDA, Urbs Juda in plaga meridionali, *Joſue* 15. 27.

ASEROTH, & *Aſerim*. Vide *Haſeroth*, & *Haſerim*.

ASIARCHÆ, in verſione Latina Actuum 19. 31. *Aſiæ Principes*, quod idem eſt. Summi erant Sacerdotes Paganorum ſelecti, ut ludis publicis, & ſolemnibus præeſſent (d). Aſiarchæ Epheſini, pro ſua in Paulum amicitia, & æſtimatione, authores ei fuerunt, ne in ſeditione, per Demetrium artificem contrà illum excitata, in theatro ſe ſiſteret.

ASIA, una ex maximis Orbis partibus. Veteres Hebræi Orbis diviſionem in quatuor, ſivè tres partes ignorabant; quare Aſiæ nomen in Libris Hebraicè ſcriptis nunquam occurrit. Imò Aſiam majorem tantum, & Africam inter regiones continentis habuiſſe videntur; cæteras verò omnes, nec Aſia Minori excepta, *Inſulas Gentium* (e) appellabant. Ethymon nominis Aſiæ ignoratur. In Scriptura nunquam legitur, niſi in Libris Machabæorum, & in Novo Teſtamento. Pars eſt Orbis inter cæteras majoribus privilegiis donata; ſiquidem primus homo in ea conditus eſt; Patriarchas incolas habuit; Lex primò ibidem data eſt. Hic etiam celeberrimæ Monarchiæ conſtitutæ; ex ea coloniæ in cæteras terræ partes deductæ; ac tandem in Aſia Jeſus Chriſtus opus redemptionis incæpit, atque abſolvit; ex qua etiam per totum Orbem Evangelii lumen diffuſum eſt. Quid plura? Leges, Artes, Scientiæ, & Religiones ferè omnes Aſiæ debentur.

ASIEL, Pater *Saraiæ*. 1. Par. 4. 35.

ASIMAH, Numen celeberrimum, cujus ſimulachrum, & cultum Emathitæ in Samariam invexerunt 4. Reg. 17. 39. Hujus ſimulachrum aliqui ex Rabbinis (f) tradunt Simiam prætuliſſe; alii agnum; alii hircum; alii Satyrum (g); omnium incerta fides (h). Qui Simiam crediderunt, reſpexiſſe videntur ad vocem *Sima*, quæ Græcæ *Simia* affinis eſt; verùm Hebræi Simia alio nomine exprimunt. Cæterum ſimia (i), & hircus (k) apud Ægyptios, alioſque Orientales colebantur.

(Autumarunt ex Rabbinis quidam, Mardochæum, virum inclytum & altorem Eſther, ſcripſiſſe Pentateuchum Samaritanum, munus ab ipſo traditum Perſis ditionis Aſſueri (l); Perſas verò Opus recondidiſſe in Bibliotheca ſua, eraſo prius nomine Dei *Elohim*, quod in exordio Geneſeos legebatur; ac ſubſtituto nomine *Aſimah*, quo Deum ſuum appellabant; hunc autem Deum Samariam delatum fuiſſe à Coloniis eò miſſis juſſu Regum Aſſyriæ. Sed meras ſtrui ab illis calumnias ex eo conſtat, quod in M. SS. Codicibus autenticis, ſicut etiam in impreſſis Pentateuci Samaritani, nomen Elohim perindè appareat, ac in Hebraicis ad uſum Judæorum.

Vir quidam eruditus (m), ea occupatus perſuaſione, veteres Perſas impendiſſe cultum igni, reputavit Aſimah ignem deſignare; quem pariter conſecraſſe in regione ſua Samaritanos arbitratur; proinde loco Aſimah legendum vellet *Aſchita*, quod explicat ignem cœleſtem; vel *Eſchiomah*, ignem quotidianum. At ſi quis ignem ex Aſimah velit exprimere, pronior eſt lectio *Eſch-Schamai*, ignis cœleſtis.

Moverant Coloniæ illæ ex Emath, vel Emeſa Urbe Syriæ ad Orontem, ubi obtinuiſſe legimus cultum Solis ſub nomine *Elah Gabalah*; ex quo & nomen ſibi adſcivit *Heliogabalus* Imperator. Deus iſte Elagabalus rotundus erat in inferioribus & grandior lapis, qui ſenſim, inter aſſurgendum decreſcens, in conum vel pyramidem evaneſcebat (n). Poſt Regnum Heliogabali ejus religio adeo crevit Romæ, ut magnifico Templo ſuperbiret; circum illud Templum aræ multæ ad quotidianas bovum Hecatombes, cum quotidianis item diviribuſque arietum ſacrificiis deſtinatæ; ſuper illas pariter affuſa aromata, ac meraciſſimi vini copia. Ludebant circum aras chori Muſicorum voce & inſtrumentis; ducebant in gyrum choreas, plaudebantque cymbalis & tympanis Phœniciæ mulieres, ſtantibus coram ex Equeſtri & Senatorio ordine Romanis. Is cultus Numini Ægyptio ab Heliogabalo procuratus.

Ut ad nomen *Aſimah* regrediamur, commodè acciperetur de Igne cœleſti vel Sole, uti ſupra innuimus; nec malè etiam derivaretur è Perſico *Aſuman*. Nomen erit Angeli, vel Genii (o), juxta veterem ſuperſtitionem Magorum Perſidis res omnes curantis, quæ forte accidiſſent die 27. ſingulorum menſium ſolarium anni Perſici, quæ proinde dies ejus Genii nomine deſignabantur. Rebantur etiam Magi, Aſuman Ange-

lum

(a) Gen. 30. 13. (b) Gen. 49. 20. & Deut. 33. 24. (c) Joſue 17. 6. Euſeb. in Onomaſt. (d) Vide Grot. & Hammond. ad Act. 19. (e) Gen. 10. 5. (f) Elias Levita in Thisbi (g) Rab. Salomon. & Kimchi. (h) Vide Selden. de Diis Syr. Syntagm. 2. c. 9. & addit. Andr. Beyeri ibid. (i) Juven. ſatyr. 15. *Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci*. (k) Vide Levit. 17. 7. Diodor. Sicul. l. 1. (l) Abarbanel. Vide Scalig. de emend. temp. lib. 7. cap. 663. (m) Baſnag. Antiq. Judaic. tom. 1. pag. 190. (n) Herodianus (o) Biblioth. Orient. pag. 141. col. 2. Aſuman.

lum fuiſſe mortis, animas à corporibus diſſociantem: Cælum etiam appellant Perſæ Aſuman vel Sumau, quod ſatis accedit ad Hebræum *Schamaim*.)

ASINUS, *Aſina*, jumenti genus, de quo ſæpè in S. Scriptura. Eo utebantur ad equitandum honeſtiſſimi quique Palæſtinorum. Debora in Cantico magnates his verbis deſignat: *Qui aſcenditis ſuper nitentes* (ſcilicet pictos) *aſinos* Judic. 5. 10. Triginta Filii Jair Galaaditæ (a), qui totidem Urbibus præerant, totidem aſinis equitabant. Abdon Judici Iſrael 40. erant filii, ac 30. nepotes (b), quibus 70. aſini præſto erant.

Animal erat impurum, atque cibo interdictum, utpotè quod non ruminaret (c). Vetitum erat, ne arandis agris bos unà cum aſino conjungeretur Deut. xx. 10. Hiſtoria Aſinæ Balaam nota eſt (d). *Mola aſinaria*, de qua aliquando in Evangelio *Matth*. 18. 6. *Marc* 9. 41. eſt mola ingens, cui torquendæ aſini adhibebantur, cum alias minoris ponderis mancipia verſarent.

Scriptores prophani Judæos accuſant, quaſi capiti Aſini cultum impenderent; cujus calumniæ primus artifex Appion Grammaticus videtur (e). Dictitabat enim, cum primùm Antiochus Epiphanes, occupato Templo, adyta illius penetravit, caput Aſini in Sanctuario deprehendiſſe. Addebat inſuper, Zabidium quemdam clam in Templum irrepſiſſe, ac Aſini caput furto ſublatum Doram detuliſſe. Suidas refert (f) Damocritum, ſivè Democritum, Hiſtoricum, de Judæis ſcripſiſſe, eos caput Aſini ex auro conflatum pro Numine venerari, cui ſingulis trienniis, ſivè ut alibi legit (g), ſingulis ſeptenniis, homine in fruſta conciſo litabant.

Plutarchus (h), & Tacitus eamdem calumniam credidere, qui hujus cultus in cauſa fuiſſe credunt beneficium ab aſino receptum; illo enim indice fontem deprehenderunt, cum poſt egreſſum ab Ægypto, ſiti & fame langueſcerent. *Effigiem animalis, quo monſtrante, errorem, ſitimque depulerant, penetrali ſacravere*. Tacit. hiſt. l. 5.

Eadem quoque de Chriſtianis Ethnici ſparſerunt: *Audio Chriſtianos*, ait Cæcilius apud Minutium, *turpiſſimæ pecudis Aſini caput conſecratum inepta neſcio qua perſuaſione venerari*. Eadem tradit Tertullianus Apolog. c. 16. *Nam & quidam ſomniaſtis caput aſininum eſſe Deum noſtrum*. Quin etiam quidam ex obtrectatoribus Chriſtianorum, tempore ejuſdem Tertulliani, ſimulachrum quoddam trabeatum pinxit in tela, librum gerens, auribus oblongis, pedibuſque ad inſtar aſini, addita epigraphe: *Deus Chriſtianorum ononychites*. Gnoſtici, authore S. Epiphanio de hær. Gnoſt., figuram aſini Deo Sabaoth tribuebant, quanquam alii figuram Suis mallent.

Originem hujus calumniæ ſcrutantes Eruditi, in varias ſententias abierunt. Cauſa, quam Plutarchus, & Tacitus adduxerunt, plauſibilis videretur, ſi aliquid occurreret in Hiſtoria Judæorum, quod narrationi de Aſinis aquæ ſcaturiginem Moyſi monſtrantibus faveret. Tanaquillus Faber ex Templo in Ægypto, quod *Onion* dicebatur, hanc accuſationem derivat, quaſi ex Ono, ſcilicet aſino. Huic conjecturæ probandæ confert, quod veroſimile ſit hance contra Judæos calumnias ex Ægypto profluxiſſe, ac potiſſimum ex civibus Alexandrinis, Judæis infeliſſimis. Verùm facilè norant, hoc nomen ex Onia Pontifice Judæorum Templo inditum eſſe, cum ejus ædificationem curaſſet ſub Ptolemæo Philometore, & Cleopatra. (i)

Alii (k) ex æquivocatione, & imperita legendi ratione errorem Paganorum acceſſunt. Cum enim Græci dicerent, Hebræos Cœlum, *Ouranon* colere, pro Ouranon, compendioſa nota uſi ſcripſerunt, *Ounon*, ex quo adverſarii Hebræorum fecerunt *Onon*, Aſinum. Vel potiùs legentes apud Latinos, Hebræos adorare Cælum.

Nil præter nubes, & Cœli Numen adorant (l): pro Cælo legerunt *Cillum*, Aſinum (m), ex quo locus fabellæ de Aſino à Judæis culto. Bochartus de Animal. Sac. l. 2. c. 18. autumat, ex verbis S. Scripturæ ſæpiùs à Judæis uſurpatis, *Os Domini loquutum eſt* (n), in Hebræo *pi Jehovah*, ſivè *pi-jeo*, autumat, inquam, factum eſſe, ut Ægyptii, apud quos *pieo* eſt Aſinus (o), fabellam de Aſino cuderent. Explicationes iſtæ quo ingenii plus, eo ſoliditatis minus habent; quanquam nihilo ſolidiores aſſerendæ de re adeo futili in futurum ſperentur. Le Moine multò quàm cæteri veroſimilius autumat, fieri potuiſſe, ut urna aurea mannæ in Sanctuario recondita caput Aſininum per errorem crederetur, atque *gomor*, manna, cum *chamor*, Aſinus, confunderetur.

ASINUS SYLVESTRIS, genus beſtiæ olim in Palæſtina occurrentis, & in Scriptura non ignotæ. Nonniſi in penitioribus deſertis degit, ſuæque libertatis diligentiſſimus eſt cuſtos (p); ſitim ægrè tolerat (q); ac fœmellarum ejuſdem ſpeciei grex maſculum comitatur. Herodes (r) uſque ad 40. ex his Aſinis unica venatione occidebat. Recentiores aliqui (ſ) illum deſcribunt, tanquam Beſtiam forma egregiam, ſtatura mulæ juſtæ magnitudinis, corpore eleganti, & pleno, ſolis auribus Aſino ſimilem, pilis jacentibus, & concinna colorum varietate diſtinctis; quaſdam enim veluti faſcias ſubnigras, nigras, & ſubrubras æqua dimenſione, & proportione diſpoſitas exhibent ad latera, & alibi circumvolutas. Hæ pelles à quibuſdam 1400., ſivè 1500. nummis aureis venierunt. Figuram hujus exhibet Ludolphus in Comment. Hiſtor. Ethiopiæ pag 150.; qui author eſt ab Africanis hanc beſtiam appellari *zecora*, ab incolis Congi *zebra*; additque aſini ſylveſtris nomen illi minimè omnium convenire.

(Perniciſſimum eſſe animal tenent Orientales; in cibo ſapit. Apud D. Paulum Lucam ſpectavi ego pellem hujus aſini radiatam, referentem animal mediocri mula non majus, habens faſcias ſanè plures ſubnigras, nigras pariter & ſubrubras. Crediderim aſinos illos deſignari in Scripturis nomine *nitentium aſinorum* (t), quos adequitabant viri Principes in Iſraele; conſtat utique onagrum domeſticum eſſe animal non ſylveſtre.

Nomen *Zecora*, quo ab Africanis appellatur, accedit ad alterum Zechora, quo Debora indicavit aſinas ad uſum virorum Principum Iſraelis, de quibus alibi. Innuere videtur verbis illis ſuis, bellicis uſibus valuiſſe animalia illa; & quidem Orientales in eam rem hodie pariter iis uti, ſat conſtat.

Quod adequitabat Mahometus animal, cùm iter cæleſte ſuſcepiſſet, mole fuiſſe corporis dicunt Mahometani inter aſinum, & mulum media; *Borak* appellant, quod eſt nitens, fulgens. Porrò hiſce onagros deſignari, ne ambigerem quidem, ex *Borak* autem factum vernaculo noſtro ſermone *Bourique*. Etymologiæ reliquæ hujus vocis ſeu violentiores ſunt, ſeu nimis à longè deductæ. *Boruk* Arabicè & *Zechorah* Hebraicè idem ſignificant.

ASINA BALAAM. Hujus aſinæ cum Propheta colloquentis hiſtoriam habes v. *Balaam* relatam. Diſcutiendum ſupereſt, an hiſtoria illa apud Moyſem ad literam accipienda ſit, vel detorquenda ad allegoriam, ſeu phantaſiæ vi hæc omnia deputentur. Rem veluti certam, & ad literæ rigorem accipiendam cenſent cum S. Auguſtino in Geneſ. quæſt. 48. & 50. Commentariorum Scriptores plerique. Porrò vir ille ſanctus nihil magis ſtupet, quàm Balaami habes illud ingenium, qui colloquentem aſinam velut hominem cum homine ita auſcultavit, quaſi nihil ſibi continge-

(a) Judic. 10. 4. (b) Judic. 12. 40. (c) Levit. 11. 26. (d) Num. 22 & Petri 2. (e) Appion. Apud Joſeph Joſeph. l. 2. contra App. (f) Suidas in Damocrito. (g) Idem in Juda. (h) Plutarchus Sympoſ. l. 4. c. 5. (i) Vide Joſeph. Ant. l. 15. c. 6. & l. 14. c. 14. & de Bel. l. 1. c. 7. & l. 7. c. 37. An. M. 3854. antè Ch. 146. antè Ær. 150. (k) Author libri, cui titulus laus aſini. (l) Juvenal. Satir. 14. (m) Pollux Onomaſt. l. 7. c. 13. (n) If. 1. 2. & 40. 5. & 58. 14. (o) Ità Nomenclator Ibnochabar. (p) Job. 11. 12. & 39. 5. (q) Jerem. 14. 6. Pſ. 103. 12. (r) Joſeph. de Bel. l. 1. c. 16. (ſ) Almeida, Bernier, Literæ PP. Societ. à Goa 1614. Tellez. Vide & Philoſtorg. l. 3. c. 11. (t) Judic. 5. 10.

Digitized by Google

tingeret novi; Affirmat, Ariolum hunc *talibus monſtris aſſuetum* fuiſſe, vel adeò obcæcatum avaritia, ut nec inſuetis hiſce detineretur. Addit, Deum quidem ratione utenti anima non inſtruxiſſe brutum, permiſiſſe tamen, ut humanis verbis loqueretur, quo Prophetæ avaritiam reprehenderet.

S. Gregorius Nyſſenus in vita Moyſis tenuiſſe videtur, aſinam nullum articulatum ſermonis ſonum emiſiſſe; ſed barritu ſuo, unde captare omina ſolebat Ariolus, id ſignificaſſe, unde reſponſum alter interpretatus eſt. Moyſes autem deridiculo traducturus artem hanc ſuperſtitioſam haruſpicinæ, rem totam ita deſcripſit, quaſi cum aſina familiare colloquium habitum fuiſſet.

Totum hoc fictum eſſe quoddam & allegoricum tenet Maimonides, relatumque dicit à Moyſe tanquam hiſtoriam, quicquid phantaſiæ ludibrio Balaami menti obverſabatur.

Alii verò tollendam difficultatem cenſuerunt quæ ſtatim ſe ſe offert legentibus; cur Balaam nihil ſtupens cum bellua ita miſcet ſermonem, quaſi cum illâ familiariùs agere conſuevisſet; tollendam, inquam, hanc difficultatem cenſuerunt, reputantes Balaam menti gerentem impreſſam opinionem de Metempſychoſi, ſeu de circumvolutione animarum de homine in brutum, & de bruto in hominem prout ſors vel electio dederit, nihil proinde obſtupuiſſe ad aſinæ loquentia miraculum (a).

In ſyſtemate eorum, qui brutis rationis aliquid permittunt, tota rei difficultas non in eo verſatur, quòd aſina de Balaam queratur, vel ad illum habeat ſermonem; quot enim aves humanas imitantur voces, pſittaci, picæ, gazæ; ſed hiſce quidem humanas dare voces planum eſt, quòd organa habeant ad loquendum idonea: at organis deſtituta aſina, ut humano ſermone loquatur, qui fiet? Nihilo tamen ſeciùs Veteres rem adeo incredibilem affirmant, nihil cunctantes. Ita e.g. ſerpentem cum Eva locutum dicunt; aſinam cum Baccho; eodem etiam privilegio donant equos Achillis, agnum Phryxi, elephantem Pori. Hæc referentes opus ſanè fuit vel ad allegoriam & myſterium dicta ſua detorquere, vel aliam habuiſſe de rebus hiſce ideam, ac nos, quibus impoſſibile id factu creditur. Ita de hac re agit S. Petrus Epiſt. 2. cap. 2. 6. tanquam explorata & literali; nec diſſentiunt Interpretum ferè omnes. Reputanda eſt igitur hiſtoria ſanè prodigioſa à Scriptore divinitus inſpirato deſcripta, cujus authoritatem in dubium vel tantillum revocare nefas. Integrum eſt autem ſingulis viam id exponendi inire, quæ magis cum ratione cohæreat, & ardua ſubmoveat, quibus invidia creatur in veritatem hiſtoriæ. Superane verò Dei potentiam, ut ex aſina humanos conceptoſque ſermones exprimat? Res eſt equidem ſupra conſuetas naturæ leges, ſed prodigio utique permittenda; non enim legibus illis naturæ adverſatur.)

ASIONGABER, ſive *Eſiongaber*, Urbs in Idumæa, ſivè in Arabia deſerta ad ſinum Maris Rubri, quem ſinum Elan appellant. Iſraelitæ poſt longiorem moram in Hebrona, tandem venerunt Aſiongaber; indè moventes, ad Deſertum Sin, ubi Cades ſita eſt, tranſierunt (b). In portu hujus Urbis Salomon claſſem inſtruebat, in Ophir mittendam (c). Vide quæ diximus in articulo *Ailath* ad ſinum Elan. Scribit Joſephus Antiq. l. 8. c. 2. hanc Urbem eandem eſſe, ac Berenicem Urbem celeberrimam ad Mare Rubrum. Verùm confudiſſe videtur Urbem Berenicem, ſitam ad occidentem Maris Rubri, Æthiopiam versùs, cum Aſiongaber, ſita in parte oppoſita ad ſinum Elaniticum.

I. ASIR, filius Jechoniæ Regis Juda (d), & frater Salathiel, qui in genealogia Salvatoris apud S. Matthæum recenſetur (e).

II. ASIR, filius Caath, ex Tribu Levi. 1. *Par.* 6. 22. In Exodo 6. 24. Aler appellatur.

III. ASIR, filius ejuſdem Caath. 1. *Par.* 6. 23. Hic ſecundus Aſir neque in Exodo 6. 24. neque in 1. *Par.* 6. 36. 37. recenſetur; quare in textum irrepſiſſe videri poteſt.

ASLIA, pater Saphan. 4. *Reg.* 22. 3.

ASMODÆUS, Dæmon, qui Saram Filiam Raguelis infeſtabat, cujus opera ſeptem priores illius viri occiſi ſunt (f); quem tandem fumo fellis piſcis expulſum, Angelus Raphael in Deſerto ſuperioris Ægypti alligavit (g). Plura de hoc Dæmone quæruntur. I. Quidnam Aſmodæus ſignificet? Sunt qui hoc nomen derivent ex Hebræo *Eſ-Madai*, ignis Mediæ; quaſi ſcilicet igne turpis amoris regiones Mediæ, quibus præſidebat, incenderit. Alii veroſimiliùs accerſunt ex Hebræo *Schamad*, exterminare; quare Dæmon *Aſmodæus* eſt Angelus exterminator.

Somniantur Rabbini, Aſmodæum ortum eſſe ex inceſtu Tubalcain, & Noemæ ſororis ſuæ, eumque dicunt Saram filiam Raguelis adeò deperiiſſe, ut eos, qui ad illam accederent, paſſionum ſuarum brutalitate ejus poteſtati utcumque ſe dimittentes, omnes occideret. Hinc illud Angeli ad Tobiam 6. 17.: *Hi, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem Dæmon ſuper eos. Tu autem, cum acceperis eam, ingreſſus cubiculum, per dies tres continens eſto ab ea:*

Inquirunt etiam, quinam fieri potuerit, ut ea fumo fellis incenſi Dæmon abigeretur, qui ſubindè ab Angelo alligaretur? Ab ea difficultate nullo negocio expediunt ſeſe, qui corpora quædam ſubtilia ſpiritibus bonis, maliſque attribuunt; ſiquidem odorem acutum fumi corpus tenue non facilè ſuſtinet; illudque proindè ex eo loco pulſum Angelus Raphael inviſibili ac celeri curſu pro corporis tenuitate traducere potuit in Ægyptum ſuperiorem, ibique in ſpecu aliquo concludere.

Nos verò, qui fide Magiſtra, ſpiritualem naturam Angelis tribuendam didicimus, fumo fellis incenſi non aliam vim attribuimus, quàm ut voluptatum ſenſum in Tobia, & Sara hebetaret; atque Aſmodæi alligationem allegoricè intelligendam eſſe pro data à Deo juſſione, ne iterum ad Saram regrederetur, ſed in ſuperiori Ægypto præſentiæ ſuæ ſigna exhiberet. Vide de ea re noſtram Diſſertationem ante Comment. in Tobiam.

(Narrant Rabbini (h), Aſmodæum Dæmonem depulſi à ſe Salomonis locum occupaſſe; ſed viciſſim Salomonem adverſarium ſuum aggredientem deturbaſſe, & oneraſſe catenis. Adduut, coactum ab eo Rege Dæmonem operam ſuam præſtare in conſtructione Templi Hieroſolymitani; & arcana quadam ab illo arte edoctum Regem id effeciſſe, ut tota moles creſceret nullo ferri uſu, nulloque audito rei ſtrepitu, juxtà illud 3. Reg. 6. 7. *Malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in Domo, cùm ædificaretur.* Valuiſſe in eam rem dicunt lapidem Schamir, ſecantem marmora, uti fabri noſtri vitrarii vitrum ſcindunt adamante. Arabes Mahometani reputant, Salomonem catenis vinxiſſe Dæmonem *Laura-Elmand* in monte Barend (i).)

ASMONÆI. Vide ASSAMONÆI.

ASNAA. Filii Aſnaa poſt regreſſum è captivitate, conſtruxerunt portam Jeruſalem, quæ appellata eſt Porta piſcium 2. Eſdr. 3. 3.

ASOCHIS, Urbs Galilææ (k), quam Ptolemæus Lathurus die Sabbati improviſo adortus, ſubitò occupavit, ac 10000. captivorum abduxit. Eademne eſt, ac Azech, de qua ſæpè in Libris Veteris Teſtamenti? *Aſochis*, ſivè *Azochis* non longè aberat à Sephori, authore Joſepho.

(a) Cleric. in Num. 22. 28. (b) Num. 33. 35. (c) 3. Reg. 9. 26. (d) 1. Par. 3. 17.
(e) Matth. 1. 12. collat. cum 1. Par. 3. 17. (f) Tob. 6. 14. & 3. 8. (g) Tob. 8. 2. 3.
(h) Gemar. Cod. Gitthim. (i) Gollius in Abulfarag. pag. 18.
(k) Antiq. l. 13. c. 20. & de Bel. l. 1. c. 3.

Digitized by Google

I. ASOM, ſextus filius Iſai Bethleemitæ; & frater David. 1. *Par.* 2. 15.

II. ASOM, filius Jerameel. 1. *Par.* 2. 25.

ASOPH, locus juxta Jordanem, ubi Alexander Jannæus, prælio victus a Ptolemæo Lathuro, ac 300.0. militibus imminutus fuit (a).

I. ASOR, Urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 24. De vico hujus nominis ad orientem Aſcalonis, ſermo eſt apud Euſebium.

ASOR Nova, alio nomine *Heſron* in eadem Tribu. *Joſ.* 15. 25.

III. ASOR, Urbs Tribus Nephtali. *Joſue* 19. 36. Fortaſſe Urbs eſt celeberrima Aſor, Metropolis Regis Jabin (b), quam Joſue, poſt devictum Jabin, alioſque fœderatos ad aquas Merom, occupavit. *Joſue* 11. 7. 10. 11. Sita erat ad lacum Semechon.

ASOR-HADDON. Vide *Aſſaradon* Rex Aſſyriæ.

ASOTH, tertius filius Jephlat, nepos Heber. 1. *Par.* 7. 33.

ASPHALTOS, vox, quæ bitumen ſignificat; unde *Lacus Aſphaltites* dictus eſt lacus Sodomæ, bitumine ſcatens. Ea de cauſa lacus ille piſces omnes perimit, & aquarum craſſitudine, & pondere ita natantes ſuſtinet, ut difficillimè etiam volentes, & conantes demergantur (c). Bituminis pondera magnitudine tauri ſine capite (d) ſæpè aquis innatare cernuntur, aliquando etiam mole minora, quæ piſcatu apprehenſa, in uſus medicinæ, condiendiſque cadaveribus adhibentur. Cum moris ſit apud Hebræos, bitumini, & nitro nomen ſalis attribuere, ideò lacum ſæpè Mare ſalſum appellant. Quanquam, Galeno referente (e), aquæ illius non ſalſum tantùm, ſed etiam amarum quendam guſtum referant, atque ita ſint ſale refertæ, ut ſi corpus aliquod in iis demergatur, glacie ſalis obductum retrahatur; quare nec ſal in ipſas projectum facilè liqueſcit. Tandem Mare Mortuum appellatur, quod animalium ſpiritum intercludat, & extinguat (f); quare ſi aquarum impetu projectus piſcis aliquis illùc deferatur, ſtatim ſuffocatus aquis innatat. Joſepho authore, à confluentia Jordanis uſque Segor, lacus ille 580. ſtadiis, ſivè 22. leucis circiter, tribus millibus paſſibus ſingulis leucis attributis, in longum porrigitur; in latum verò, tractum occupat 150. ſtadiorum, ſcilicet 5. leucarum ejuſdem menſuræ.

(Lacus Aſphaltites influentem Jordanem in ſinu ſuo recipit, unà cum aquis torrentum Arnon, Jabok, cæterorumque è collectis vicinorum montium aquis, nec tamen regurgitat; quamquam alioqui nullo aperto exitu aquas egerit. Creditur tamen cæcis quibuſdam canalibus exonerare ſe in mare Rubrum, vel Mediterraneum. De mineribus circa mare illud hodie pariter reliquis, veritatem prodigii narrati in Sacra Scriptura aſſerentibus, egimus v. *Sodoma*. *In teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis*. Hæc Author libri Sapientiæ c. 10. 7.

Demetrius filius Antigoni Regis Macedoniæ, à patre in Nabathæos miſſus, venit cum exercitu ad lacum Aſphaltitem; cùm autem animadvertiſſet ſat commodum proventum Regio ærario ex ejus bitumine acceſſurum, redux omnia Patri expoſuit (g). Gratiſſimè excepit Antigonus, miſitque ſtatim Hieronymum Cardianum, ut rem totam ſedulò explorans, ſi è re eſſe intellexiſſet, opificium bituminis ibi erigeret. Vix tamen ac lintres ad piſcationem illam neceſſarii fabricati erant, colligendoque bitumini in lacum ſubmiſſi, conſerta 6000. Arabum manus impetum faciens, ex Opificibus illis interemit plures, Virumque coegit, ut ſalutem fuga quæreret. Ita infectis omnibus res tota dimiſſa.

Cæterùm Aſphaltos, ſeu bitumen Judææ, vel Maris mortui omnium exquiſitiſſimum reputatur. Certis quibuſdam anni temporibus è profundo lacu emergens, aquæ ſuperinnatat, ſæpè magnitudine bovis, ſæpè dolii, ſeu viminei caniſtri; nec colligendo deſides Arabes ad litus reducunt natantem maſſam, colliguntve, cùm impellente vento eò urgetur. Variis medicinæ uſibus valet; olim condiendis cadaveribus, maximè in Ægypto erat familiare. Genuinum Aſphaltos Judææ niteſcit, purpureum refert, pondere eſt & odore valido. Nullum hodie ex Judæa in noſtris apothecis bitumen, proſtat autem aliud compoſitum ex oleo, petroleo & pice.)

ASPHAR. Fortaſsè non aliud ſignificat, quam lacum Aſphaltitem, de quo jam egimus. Jonathas, & Simon fratres ſe receperunt in deſertum Thecuæ, juxtà lacum *Aſphar* (h); in viciniis autem Thecuæ nullus alius occurrit, quàm lacus Aſphaltites.

ASPHENEZ, Præpoſitus Eunuchorum Regis Nabuchodonoſor, qui nomina trium juvenum Hebræorum, Danielis, Ananiæ, & Azariæ immutavit, primum Balthaſar, ſecundum Sidrach, tertium Abdenago appellari præcipiens (r). Illum Daniel precibus requiſivit, ut ſibi ac ſociis permitteret leguminibus tantùm, ac cibis in lege Moyſis permiſſis veſci; qui tamen veritus, ne palleſcentibus illorum aſpectibus, Regis offenſionem ſubiret, deprecanti non acquievit. Verùm quod ille negavit, clam conceſſit Malaſar, cui Aſphenez illorum curam commiſerat; Deoque favente, ciborum frugalitas venuſtati, & elegantiæ juvenum nedum non offecit, ſed vehementer conduxit *Dan.* 1. 8. 9. 12.

ASPIS, genus ſerpentis veneno lethali, & ſubito, adeout in inſtanti poſt ictum occidat, nec remedio ſatis prompto illi poſſit occurri. Mole corporis, ut ferunt, minimus tam celeri curſu fertur, ut volare videatur. Sæpè de illo in Sacra Scriptura ſermo occurrit; ſed locus Pſalmi 57. 5. poſiſſimùm, ubi aſpis ad vocem incantantis dicitur aurem obturaſe, ſcribentes exercuit. Ferunt aſpidem aures ſuas obducere, ne voces illius exaudiat, qui illum conſopire tentat. Huc autem ſpectavit Pſalmiſta in illo: *Furor illi ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, ne exaudiat vocem incantantis.*

In Diſſertatione de eodem argumento, primo libro Pſalmorum præfixa, latè rem tractavimus, in qua tres hujus textus explicationes retulimus. Tradunt aliqui (k) genus eſſe aſpidis auribus carentis, cæterorum pernicioſiſſimi, eoſque à Pſalmiſta ſpectari. Alii credunt (l), aſpidem ſeneſcentem una aure obſurdeſcere; alteram verò terra implicare, ne vocem venefici exaudiat. Alii tandem (m) volunt, aſpidem non ſecùs ac cæteri angues, ſenſu auditus excellere; ſed cum veneficum ſentit, unam aurem terræ applicatam vi comprimere, alteram verò caudæ extremitate obducere. Vide Bochar. & noſtram Diſſert.

ASRIEL, filius Galaad, Princeps Familiæ Aſrielitarum. *Num.* 26. 31.

ASSAMONÆI, ſivè *Aſmonæi*, cognomen Machabæorum, ex genere Mathathiæ. De origine hujus nominis inter Scriptores non convenit; alii enim (n) accerſunt à vico Judæ Aſſamon (o), ex quo fortaſſe familia illa ortum traxerit. Noldius derivat ex monte Aſamon, quem Joſephus de Bello l. 2. c. 23. in meditullio Galilææ juxta Sephorim collocat. Kimchi (p) placet, hoc nomen titulum eſſe honoris, quod Mathathiæ collatum ad poſteros deductum eſt. *Chaſmanim* in Hebræo Principes ſignificat. Joſephi (q) tamen ſententia communiori aſſenſu probatur; tradit enim Mathathiam patrem habuiſſe Joannem, Avum Simonem, & proavum *Aſſamonæum*. Quamquam alibi idem Joſephus de Bello l. 1. c. 1. videtur Mathathiam immediate ex eodem Aſſamonæo derivare;

(a) Ant. l. 13. c. 25. (b) Joſue 11. 1. &c. (c) Joſeph. de Bel. lib. 1. c. 4. Gal. de ſimpl. medicam. Facult. l. 4. c. 19.
(d) Joſeph. de Bel. l. 5. c. 4. ſeu c. 5. in Lat. (e) Galen. l. 4. de ſimpl. med. Facult. c. 19.
(f) Hieron. in Ezech. 47. (g) Diod. lib. 19. (h) 1. Mac. 9. 33. (i) Dan. 1. 6. 7.
(k) Vide Bochart. de animal. Sacr. parte 2. l. 3. c. 6. Kimchi. (l) Rabb. Salomon. & Kabuenachi.
(m) Auguſt. Caſſiod. Beda, Iſidor. & alii. (n) Druſ. Præfat. in 1. Mach.
(o) Joſue 15. 27. (p) Kimchi ad Pſal. 67. 32. (q) Antiq. l. 12. c. 8.

Digitized by Google

re; & alii eundem Mathathiam ex Joanne, hunc veſo ex Heſnai repetunt. Genus Aſſamonæorum poſtremis Reipublicæ Hebræorum temporibus longe clariſſimum fuit, ac totius religionis & libertatis aſſertor; quin & à deceſſu Mathathiæ uſque ad Herodem Magnum, ſpatio ſcilicet 128. annorum, ſumma apud illud authoritas, & imperium fuit. Vide *Machabæi*; & Catalogum Principum Aſſamonæorum quære in articulo, *Reges Juda*.

ASSARON, ſivè *gomor*, menſura cava Hebræorum, decimam partem ephæ continens, uti nomen ipſum *Aſſaron* ſatis indicat; redditur enim decima. Tres ferme pintas menſuræ Pariſienſis æquabat. Hoc menſuræ genere quantitas mannæ ſingulis Iſraelitis à Deo conceſſæ metabatur Exod. 16. 16.

ASSEDIM, Urbs Tribus Nephthali. *Joſue* 19. 35. Hebræus tamen hunc locum ita legit: *Urbes munitæ Tyriorum ſunt Tyrus, & Emath.*

ASSEN, civis illuſtris Jeruſalem 1. *Par.* 11. 33. in ſecundo Regum 23. 33. 34. Jaſem appellatur.

ASSEMON, *Aſſemona*, idem eſt ac *Aſſemon*, *Aſemona*, ſivè *Aſmon*, *Heſmona*, & *Jeſimon*, Urbs in deſerto Maon (a) ad meridiem Tribus Juda (b), omnium Urbium ad meridiem Ægypto maximè proxima (c). Eſt etiam ſtatio Iſraelitarum in deſerto *Num.* 33. 29.

ASSER-VAL. Vide *Hazer-Saul*.

ASSIDÆI. Hoc nomen occurrit in Pſal. 78. 2. & 84. 9., ac ſepè in Machabæis (d). De origine hujus nominis ambigitur. Sunt qui ex Hebræo *Chaſidim*, miſericordes, pios, ſanctos exprimente, accerſunt. Author Eccleſiaſtici 44. 10 dum ſuæ nationis clariſſimos viros celebrat, appellat eos, *Viros miſericordiæ*; quod idem eſt, ac *Aſſidæos* juxta allatam interpretationem. Plures (e) contendunt hoc nomine *Eſſenos* denotari, quorum vitæ genus Joſepho, Philoni, Plinio, aliiſque apud illos valdè probatur. Huic ſententiæ confirmandæ facit illud quarti Machabæorum 6., in quo Eſſeni *Aſidæum* appellantur. Alii autumant Aſſidæos tractu temporis inter ſe diviſos, *Saducæorum & Phariſæorum* Sectas conſtituiſſe. Nomen *Saducæi* redditur, juſtus; *Phariſæi* vero, Separatus; quaſi ſcilicet vita ad juſtitiam, & pietatem conformata, à cæteris Judæis ſegregarentur.

Scaliger (f) credit, Aſſidæos genus eſſe religioſi cœtus apud Judæos, cujus potiſſimum inſtitutum eſſet, ædificia Templi ſarta tecta conſervare. Ultrà conſuetum Judæorum vectigal medii ſicli in ſingulos, quod Templo pendebatur, alia etiam ſibi ſponte imponebant. Jurabant per Templum, & quotidie, excepta die undecima menſis Tiſri, agnum in ſacrificium immolabant; quod ſacrificium Aſſidæorum pro peccato dicebatur. Ex illis orti Phariſæi, & Eſſeni. Eorum ſectam exhibet Scriptura (g) tanquam virtute, zelo Legis, & numero hominum florentem: *Synagoga Aſſidæorum fortis viribus ex Iſrael, omnis voluntarius in Lege.*

ASSON, ſivè *Aſſos*, Urbs maritima, quam nonnulli Myſiæ, alii Troadi attribuunt. Socii S. Pauli Troade ſolventes, Aſſon appulerunt; quo etiam pedeſtri itinere venit Apoſtolus; eamde ſimul omnes Mytilenem petierunt, anno Chr. 56. *Act.* 20. 13. 14.

I. ASSUERUS. *Dan.* 9. 1. alio nomine *Aſtyages*, *Dan.* 13. 65., ac *Artaxerſes*, *Dan.* 6. 1. *in Græco*. Vide *Aſtyages*.

II. ASSUERUS. De Aſſuero Viro Eſther, in articulo *Artaxerſis* diximus eundem eſſe ac Darium Hyſtaſpis. Natus eſt circa an. Periodi Julianæ 1465. An. M. 3455. ante Chr. 545. ante Ær. 549. Cambyſe Rege Perſarum vita functo, anno Mundi 3482., ſeptem Magi ſupremam dignitatem uſurparunt (h), & obtrudentes pro vero *Smerdi*, filio Cyri, & fratre Cambyſis jam occiſo, fictum quemdam Smerdim, Regno præfecerunt. Verùm Oſtanes ex Perſarum Magnatibus cum ex filia ſua concubina Tyranni noviſſet, illum auribus carere, quas ſciebat Cyrum, ſivè juxta alios, Cambyſem Mago præcidiſſe, fraudem deprehendit (i). Quare cum Magnatibus Aulæ re communicata, omnes ad occidendum Tyrannum ſacramento ſe ſe adegerunt. Nec mora, raptim ad aulam delati, obviis quibuſcumque trucidatis, interiora domus penetrarunt, ubi Magos nacti, ſtrictis gladiis illos adorti ſunt. His reſiſtentibus, aliquanto certatum eſt; verum conjuratis prævalentibus, quanquam duo inter illos vulnerati eſſent, quidam eorum, Gobryas nomine, primo Magorum medio apprehenſo, ac detento, ſocios ut ferirent admonuit; quibus morantibus, quippe cum in loco tenebroſo ſocium pro hoſte facilè transfodere potuiſſent, clamavit Gobryas, ut vel per ſuum corpus hoſtem vulnerarent. Ictum tamen Deus direxit, ut hoſtis, Gobrya illæſo, occideretur. Ita ſeptem conjurati Patriam jugo Tyrannidis oppreſſam relevarunt (k).

Poſt ſex dies conjurati convenerunt, acturi de ratione adminiſtrandi Regni Perſarum; & cum Oſtanes eſſet pro Democratia, nempè populari regimine; Megabyſes pro Oligarchia, ſcilicet imperio paucorum & ſelectorum; ac Darius Hyſtaſpis pro Monarchia, nempè unius tantum Regis; tandem in poſteriorem ſententiam omnes abierunt. Huic Regi eligendo decreverunt, ut ſinguli primo mane in locum quendam deſtinatum cum equis adeſſent: cujus verò equus orientem Solem primus hinnitu ſalutaſſet, ipſi Regia poteſtas, & ſolium Cambyſis deferretur. Strator Darii, re audita, equum Domini ſtatim veſpere in locum condictum una cum equa adduxit: quare mane eodem iterum deductus, priſtino odore ac voluptate titillante adeò excitatus eſt, ut altum ederet hinnitum, quo Regnum Domino ſuo adjudicavit (l).

Darius igitur rerum potitus, Uxorem duxit Atharſem, filiam Cyri, Monarchiæ illius authoris, & conjugem antea Cambyſis, deindè Magi, qui Regnum occupaverat (m). Secundo regni ipſius anno, M. 3485., Judæi in Palæſtinam reduces, auctoribus Aggæo 1. 1.... 15., & Zacharia 1. 1. 6. Prophetis, Templi reſtitutionem ſub Cambyſe novem annis intermiſſam reſumpſerunt 1. *Eſdr.* 4. 6. Quærentibus Provinciarum Præfectis ex parte Perſarum; qua facultate inhibitum olim opus aggrederentur 1. *Eſdr.* 5. 3. 4. &c. edictum Cyri pro ſe latum oſtenderunt. Ea de re literæ à Præfectis ad Darium datæ ſunt, monentes, ut Edictum in Archiviis Babyloniæ inquiri juberet, & quid facto opus eſſet, reſcriberet. Inventum igitur Ecbatanis, Rex authoritate ſua confirmavit, ac Præfectis per literas imperavit, ut Judæis in eo opere faverent, & omnia tum ad eam rem, tum ad ſacrificia neceſſaria ſuppeditarent. Illis imperata exequentibus, brevi opus profecit.

Inſequenti anno (n), Aſſuerus Magnates Imperii lauto, ac ſolemni convivio Suſis excepit (o); quod ad 180. dies, ſcilicet ſex menſes, prorogatum eſt. His peractis, epulum parari ſeptem diebus omnibus populis Urbis illius, nullo excepto, juſſit. Magnificentiæ, & pompæ illius convivii nihil deſiderabatur; apparatus verò, & ciborum pretium Regis potentiam, & magnitudinem æquabant. Simili convivio Regina Vaſthi fœminas in Regio Palatio excepit. Ultima hujus feſti die Aſſuerus largiori compotatione hilarior factus, mandavit per Eunuchos Reginæ, ut elegantiæ, & venuſtatis ſuæ coram populo ſpectaculum exhiberet. Illa Regis voluntati morem gerere recuſante, Aſſuerus adeò graviter tulit, ut adhibitis Conſiliariis, quid de ea faciendum eſſet, ſeriò deliberaverit. Videbatur ea res non

M   ſolum

(a) 1. Reg. 25. 24. (b) Joſue 15. 4. (c) Num. 34. 4. 5. (d) Mach. 1. 42. & 7. 13. & 14. 7.
(e) Serrar. in 1. Mach. 7. 13. Grot. Tirin. Mari. Gorionid. & alii. (f) Scalig. Elenchus Trihæreſ. c. 22. (g) 1. Mach. 2. 42
(h) Valer. Max. l. 9. c. 2. Ammian. Marcellin. l. 23. (i) Vide Juſtin. l. 9. Herodot. l. 3. Cteſiam, &c.
(k) An. M. 3483. ante Chr. 517. ante Ær. 521. (l) Herodot. l. 3. c. 80.... 88. Juſtin. l. 3.
(m) Juſtin. l. 1. Herodot. l. 3. c. 88. (n) An. M. 3486. ante Chr. 514. ante Ær. 518. (o) Eſth. 1. 1. 2. &c.

Digitized by Google

ſolum Regem offendiſſe, ſed etiam peſſimo exemplo aliis Fœminis futura; quare communibus ſuffragiis decretum eſt, ut Vaſthi repudiata, alia in locum illius ſufficeretur.

Eſther neptis Mardochæi, ex Judæorum genere ſelecta eſt; qua de re alibi agemus. Mardochæus, quanquam Reginæ arcto cognationis vinculo conjunctus, noluit tamen genus ſuum prodere, ſatis habens, ſi pro foribus Palatii verſans, de ſalute Eſther certior fieret. Inter hæc contigit, ut Aman Edictum obtineret a Rege pro occidendis Hebræis, eorumque bonis rapiendis; quare Mardochæus inſtitit Reginæ, ut Regem adiret, populi ſui cædem deprecatura. Aſsuerus edicto vetuerat, ne quiſquam ſub pœna capitis ad ipſum ingrederetur, niſi vel a ſe vocatus, vel Rex inclinatu in illum ſceptro veniam indulſiſſet (a). Eſther quanquam non vocata, adhuc Regi ſe ſiſtere auſa eſt; quam ille intuitus primò, inclinato ſceptro animo confirmavit; deinde quid vellet requiſivit. Illa optare ſe dixit, ut Rex, & Aman eadem die parato a ſe convivio adeſſent. Annuit Aſsuerus, ac inter veſcendum largiori compotatione hilarior factus, quid Eſther peteret interrogavit. Petenti, ut inſequenti die ſimili convivio ipſum, & Aman excipere permitteretur, facilis arriſit. Eo honore auctus Aman, nihil ſibi ad felicitatem reliquum eſſe putavit; niſi quòd triſtiori eſſet animo in Mardochæum, qui unus illo tranſeunte non proſterneretur.

Inter hæc viro de ſua gloria ſuperbienti res accidit moleſtiſſima (b). Cum Rex noctem inſomnem ageret, juſſit ſibi Annales Regni legi; & cum hiſtoriam audiſſet conjurationis duorum Eunuchorum, quam Mardochæus prodiderat; quæſivit, an Mardochæus præmio aliquo pro ſua in Regem fidelitate donatus fuiſſet. Cum adſtantes nihil illum retuliſſe reſponderent, Rex ſummo mane juſſit, ut Aman, qui præſto aderat, ingrederetur, atque illum interrogavit, quid fieri opus eſſet Viro, cui Rex honorem vellet impendere. Alter ſe eum Virum futurum ratus, hunc Regio indutum amictu, ac regio equo vectum, regioque diademate redimitum, ab uno ex Aulæ Magnatibus manuduci par eſſe reſpondit. Rex conſilium probavit, juſſitque ut omnia in Mardochæum ipſe Aman exequeretur. Ita Mardochæus tota Urbe deductus eſt, quanquam collati honoris voluptate, dolorem excidii imminentis genti ſuæ nihil temperaret.

Cum prandii tempus adeſſet, Rex adjuncto ſibi Aman, Reginam adivit, lautoque ab illa epulo exceptus, inter bibendum (c) iterum Eſther ſi quid vellet requiſivit. Illa nihil cunctata, reſpondit orare ſe, ut ſibi, & populo ſuo vitam indulgeret; ſuam enim ſuorumque cædem ab Aman jam eſſe decretam. His auditis, Aman animo contabuit; Rex verò ſubito furore commotus, ex aula convivii exivit. Tunc Aman apprehendit pedes Reginæ ſuper lectum convivii, pro more Perſarum, jacentis. Dum eo corporis geſtu oraret, Rex iterum ingreſſus, ratuſque illum manus in Reginam violentas injicere tentaſſe, rei indignitate exclamavit. Continuò Eunuchi miſerum hominem apprehendentes, ejuſque obvoluto capite, ut moris eſt morte damnatis, illum juſſu Regis eidem ſupplicio tradiderunt, quod ipſe Mardochæo paraverat.

Aman ſublato (d), in locum ipſius Mardochæus ſuffectus, ejus bona Eſther conceſſa, ac tandem Edictum contra Hebræos contrario Edicto revocatum eſt, & ita revocatum, ut pro eo, quod prioribus Edictis cædes Hebræorum die 13. Adar decreta fuerat, novo hoc decreto permiſſum fuerit Hebræis, ut eadem die de hoſtibus ſuis ulciſcerentur. Hæc acta ſunt annis Mundi 3494. 3495. & 3496. Reliquum vitæ Darii, utpote cum nihil habeat commune cum Hebræis, ac hiſtoriis S. Scripturæ, libentes prætermittimus. Obiit poſt exactos 36. annos Regni an. M. 3519. ante Ch. 481. ante Ær. 485. Succeſſorem habuit Xerſem, filium ſuum ex Athaſſe, ſive Vaſthi, de qua ſupra egimus.

(In noſtro Commentario, æquè ac in Dictionario Biblico aſſeruimus opinionem, quæ Aſsuerum virum Eſther confundit cum Dario filio Hyſtaſpis; cùm autem difficultate ſua non careat ſententia, optimum factu cenſemus ea in medium afferre, quæ adverſus illam congerit *D.* Prideau (e), & quibus fulciat ſuam vindicantem Aſſuero Longimano, quæ S. Scriptura de Aſſuero Eſther narrat: qua in re, ut ipſe quidem ultrò fatetur, recedit ille à duobus inſignibus viris, Uſſerio & Joſepho Scaligero, quorum prior ſtat pro Dario filio Hyſtaſpis, alter verò pro Xerſe. Hiſce igitur falſi arguit Uſſerii ſententiam eandem ac noſtram, quamquam non in omnibus, uti in noſtro Commentario.

Autumat Uſſerius Darium Hyſtaſpis duxiſſe Athoſſam, quam cum Vaſthi confundit, ejuſdem autem è thoro amotæ locum occupaſſe Ariſtonem filiam Cyri viduam Cambyſis, quam credit Eſther Scripturæ. Sed hanc opinionem falſi revincit Herodotus lib. 3. & lib. 7. docens Ariſtonem patrem habuiſſe Cyrum; alia erat proinde ab Eſther, viridi adhuc ætate puella. Affirmat lib. 7. ſub init. Athoſſam retuliſſe ex Dario ultra filias filios quatuor; ita verò Regis animum habuiſſe ſibi devinctum, ut excluſis filiis reliquis, induceret ad Regni ſucceſſionem deferendam Xerſi filio ex ipſa nato.

Hæc nos equidem ſenſimus in Commentario ad Eſther. 1. 9. nec affirmantes ipſiſſimam fuiſſe *Vaſthem* ab Aſsuero repudiatam demonſtravimus, nec à thoro amotam Athoſſam, quam nos filiam Cyro conſentimus, nec Ariſtonem, quam virginem duxerat in conjugem, atque cum Eſther facilè confunderetur. Herodotus diſertè aſſerit lib. 3. cap. 68. & 88. filiam Cyri uxorem Darii *Athoſſam* fuiſſe.

Addit D. Prideau, id potiſſimùm impuliſſe Uſſerium in eam ſententiam, quod in Libro Eſther 10. 1. legerit de Aſsuero: *Omnem terram* (continentem) *& cunctas maris inſulas fecit tributarias*; quod pariter de Dario affirmat Herodotus lib. 3. cap. 89 ſed paria etiam de *Dario Longimano*, quem cum *Artaxerſe Longimano* D. Prideau confundit, aſſerit Strabo lib. 15.

Scaliger verò de Emendat. temp. lib. 9. Xerſem cum Aſſuero, & *Ameſtrim* conjugem illius cum Eſther confundit, nullo majori argumento, quàm nominum affinitate inductus. Sed Ameſtris, quam exhibent hiſtoriæ, indoles ſat demonſtrat longè aliam illam ab Eſther Scripturæ. Porrò ex illa & Xerſe natus eſt filius, qui anno ſeptimo Regni patris ſui conjugalem ætatem attigerat (f); alia erat igitur ab Eſther, quam ſeptimo Regni ſui anno duxit Aſſuerus. Satis hæc ad evertendam Scaligeri ſententiam.

Audiamus modo quæ pro ſe afferat D. Prideau, Artaxerſem Longimanum præferens. Primò igitur ſummo eſt illi momento Joſephus lib. 11. cap. 6. Artaxerſem hunc Eſther conjugem eſſe aſſeverans. Verſio Septuaginta, & additamenta Græca ad Librum Eſther Aſſuerum appellant Artaxerſem; ſunt autem in additamentis hiſce quædam ab Artaxerſe Mnemone planè aliena; impenſus etiam ſingularis ab Artaxerſe Longimano in Judæos favor ſat demonſtrat, conjugem ſibi adſciviſſe ex Judæis. Sulpicius Severus ac Veterum & Recentiorum ſat plures in hanc ſententiam deſcendunt. Hæc pro ſe D. Prideau. Videſis noſtrum Commentarium ad *Eſther*.)

I. ASSUMPTIO, vox, quam Eccleſia adhibuit, ut Virginis deceſſum, & juxta plurimorum Recentiorum, & quorumdam Antiquorum ſententiam, ejus poſt tres dies reſurrectionem, ac in Cœlum elevationem ſignificaret. Verum ea, quæ in obitu Virginis contigiſſe feruntur, nec non ea, quæ nonnulli poſt quintum ſæculum tradiderunt, dubiæ ſunt fidei poſt ea omnia, quæ de hoc argumento noſtra ætate ſcripta ſunt. Vide Cl. *Tillemont. tom.* 1. *Not.* 13. 14. 15. *ſur la S. Vierge*. Nos verò, cum Dictionarium Biblicum, non Eccleſiæ hi-

(a) Eſther. 5. 1. 2. &c. (b) Eſth. 6. 1. 2. &c. (c) Eſth. 7. 1. 2. &c.
(d) Eſth. 8. 1. 2. &c. (e) Hiſt. Jud. C. 2. pag. 57. Gallicè.
(f) Herodotus lib. 9.

ſiæ hiſtoriam retexamus; ideò nihil de re, de qua nihil in S. Scriptura, addendum ducimus.

II. ASSUMPTIO MOYSIS (a), Liber apocryphus; cujus titulus in Hebræo eſt *Petirath Moſe*; in Græcos *Analepſis Moyſi*. Agitur in eo de obitu Moyſis, ac de translatione animæ ipſius in Paradiſum. Ex eo libro deſumpta eſſe tradunt, quæ de altercatione S. Michaelis cum Dæmone circa corpus Moyſis in Epiſtola S. Judæ referuntur. De hoc argumento latè egimus in Diſſert. de morte, & ſepultura Moyſis, in ultimo Tomo noſtrorum Commentariorum.

III. ASSUMPTIO VIRGINIS, Liber apocryphus, S. Joanni Evangeliſtæ tributus. (b).

ASSUR, filius Sem, ex quo Aſſyria nomen traxit. Primitùs habitaſſe in regione Senaar, Babyloniæ adjacente; ex quo pulſus à Nemrod circà fontes Tigris progreſſus, in Provincia Aſſyriæ ſedem fixiſſe, ubi præter alias minores, nempè *Rohobot*, *Chale*, & *Reſen*, Urbem Ninivem celeberrimam condidiſſe creditur. Hoc ſenſu explicant Commentatores illud Gen. 10. vv. 11. *De terra illa (Sennaar) egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Ninivem, & plateas Civitatis, & Chale, Reſen quoque, inter Ninivem, & Chale.* Eundem tamen textum alii (c) dictum intelligunt de Nemrod, qui è ſua regione in Aſſyriam excurrens, illam occupavit, atque in ea Ninive, aliiſque Urbibus ædificatis, ſedem habuit potentiſſimi, ac ampliſſimi Imperii. Michæas Propheta 5. 6. Aſſyriam nomine terræ Nemrod nuncupavit: *Paſcent terram Aſſur in gladio, & terram Nemrod in lanceis ejus.*

Svidas in Thuras, Jo: Malala p. 20., Cedrenus p. 15. tradunt Nino ſucceſſiſſe in Urbe Ninive Thuram, qui vicit, & occidit Caucaſum, ex genere Japhet; ac deinde ipſo vita functo, ejus nomen ab Aſſyriis planetæ Martis impoſitum eſſe; atque ejuſdem memoriam ſub nomine Baal (quod eorum lingua Deum belli exprimit) aris conſecraſſe. Hunc autem eſſe Baal illum, cujus ſimulachrum Daniel evertit. Hæc Svidas. Vulgò Thuras idem eſſe ac Aſſur, ſimulque Baal Aſſyriorum, & Babyloniorum, primus eorum Rex, ac Monarchiæ author extitiſſe creditur. Quæ ſi vera ſint, non Ninus Thuræ, ſed Thuras, ſivè Aſſur Nino præponendus erit; Hiſtorici enim omnes (d) Ninum Thuræ ſive Belo, aut Baal filium attribuunt. Sunt tamen alii, qui Aſſur cum Nino confundunt. Alii tandem Aſſur ex Patre Nemrod genitum autumant. Verùm in rebus vetuſtiſſimis nulla ſatis certa cognitio ex Prophanis Authoribus reperi poteſt. Illud tamen ſedulò animadvertendum, ne veterem Belum, qui idem eſſe videtur cum Evechoo Rege Chaldææ, cum Belo Aſſyrio, Nini parente, confundamus; ſiquidem Evechous regnavit Babylone 440. annis ante Belum Aſſyrium.

Aſſyriorum Imperium omnium, quæ fuerint in Oriente, vetuſtiſſimum creditur, ejuſque author ſive Aſſur, ſive Nemrod, ſive Belus, aut Ninus (non enim de rerum originibus certi quid afferri poteſt) reputatur. Herodotus lib. 1. cap. 95. cujus de hac re authoritas communi aſſenſu probatur, tradit Ninum filium Beli, hujuſce Monarchiæ fundamenta jeciſſe, quæ in ſuperiori Aſia tractu 520. annorum effloruit. Initium illius ſtatuit Uſſerius an. M. 2737. Periodi Jul. 3447. ante Chr. 1283. ante Ær. 1267. Poſt Ninum Semiramis ejus Uxor 42. annis regnavit. Illam excepit filius Ninias, qui 39. annis regnum habuit. Poſtea 36. Reges, uſque ad Sardanapalum ordine ſucceſſiſſe tradunt (e), quorum nomina, & anni regni, certis Mundi annis digeſta exhibentur. Attamen cum illorum Catalogi ſuſpecti ſint, ac nihil præter nuda nomina exhibeant, conſultò à nobis omittuntur.

Initium hujus Imperii ſtatuit S. Scriptura Gen. 10. 8. diu ante Ninum in Nemrod, nempè circà tempus Turris Babel, An. M. 1757. ante Ch. 1243. ante Ær. 1247., 1903. annis ante captam Babylonem ab Alexandro Magno. Exindè obſervationes aſtronomicæ Babyloniorum inceperunt; cum ſpatium 1903. annorum continerent illæ, quas Calliſthenes ad Ariſtotelem miſit. Succeſſores Nemrod ne nomine quidem innoteſcunt; tantùm ſcimus tempore Abraham (f) circa An. M. 2092. Codorlahomor Regem Elamitarum, inito fœdere cum Amraphael Rege Sennaar, Arioch Rege Ellazar, Thadal Rege Gentium, bellum intuliſse Regibus Sodomæ, Gomorrhæ, ac vicinarum Urbium, quæ contrà illum deſciverant. Diù poſt (g), nempè circà an. M. 2591. Deo permittente, Iſraelitæ ab Chuſan-Raſathaim, Rege Meſopotamiæ, jugo ſervitutis octo annis oppreſſi ſunt. Julius Africanus tradit, Evechoum regnaſse apud Chaldæos 224. annis ante Arabes, ſcilicet tempore Iſaac an. M. 2242. Arabes Imperium Chaldææ ſpatio 216. annorum habuerunt, ſcilicet ab anno M. 2466. uſque ad 2682. Poſt illos Imperio potitus eſt Belus Aſsyrius 55. annis ante fundatam per Ninum Aſsyriorum Monarchiam.

Anguſtiſſimis tamen finibus Aſsyriorum Imperium primitùs contentum fuiſse Dionyſius Halicarnaſseus (h) animadvertit; quod quidem ex iis, quæ ſuprà diximus, planè intelligimus; ſiquidem quo tempore captum à Nemrod Aſsyriorum Imperium ſubſiſtebat, adhuc tamen aliis Regibus parebant regiones Sennaar, Elam, Chaldææ, & Ellaſar. Quare nonniſi poſt fundatam, ſivè potiùs auctam Monarchiam per Ninum, illius Reges Authoribus prophanis innotuerunt. Regnantibus David, & Salomone, Regnum Aſsyriæ citrà Euphratem non porrigebatur. David enim ſuæ ditioni totam Syriam, Aſsyriis Regibus non repugnantibus, adjecit. Eodem Rege bellum contra Ammonitas inferente, illi auxilium à populis ultra Euphratem depopoſcerunt; 2. *Reg.* 10. 16. verum hiſce auxiliariis copiis devictis, transfluviales nationes tributum pendere Judæis coactæ ſunt. 2. *Reg.* 10. 16. 19. Rex ille Aſsyriorum, qui Ninive regnabat, cum Jonas pœnitentiam populo indiceret (i), circà an. M. 3180., primus inter omnes ex Scriptura innoteſcit. Ejus nomen apud Prophetam non occurrit; Ninive tantùm, tanquam portentoſæ magnitudinis Urbs, deſcribitur. In 4. Reg. 15. 9. &c. Paralipomenon 5. 26. ſermo eſt de Phul Rege Aſsyriorum, qui ditionem Manahem Regis Iſrael cum exercitu ingreſsus eſt. Creditur Phul idem eſse ac pater Sardanapali; ſiquidem iſte rerum potitus eſt juxta Uſserium ab anno Per. Jul. 2947. Mundi 3237., ac quinto Regni Manahem; Phul autem in ditionem Iſraeliticam excurrit ſub initium Regni Manahem.

Cum Ninivitarum ſcelera immenſum excreviſsent, ſuſcitati, Deo diſponente, in Sardanapalum adverſarii, illum in ultimam deſperationem adegerunt. Quippe cum Arbaces Præfectus Medorum, effœminatos ejus mores ferre diutius non poſset, junctis cum Beleſo, Satrapa Babyloniæ, conſiliis, Medos, & Chaldæos ad defectionem ſollicitavit. Poſt varia inter illos, & Sardanapalum prælia, Rex in Urbe Ninive concluſus, tertio obſidionis anno, Tigridis exundatione collapſis mœnibus tractu 20. ſtadiorum, ipſe ſe una cum divitiis omnibus, Fœminis, & Eunuchis in rogum conjecit. Ita Urbs in poteſtatem hoſtium venit, ac Aſsyriorum Imperium, quod à Nemrod 500. circiter, à Nino verò filio Beli, 520. annis effloruit (k), in partes divulſum eſt.

Vetus tamen Imperii hujus gloria ſub Nino Juniore, ejuſque ſucceſsoribus in Urbe Ninive aliquanto ſubſiſtere viſa eſt. Hunc Ninum eumdem eſse credimus cum Teglathphalaſar, qui, ut in libris Regum ſcribitur (l), in auxilium vocatus ab Achaz Rege Juda, prælio fudit Reges Damaſci, & Iſraelis. Succeſsorem habuit Salmanaſar (m). Illum excepit Sennacherib ex Scriptura, & Prophanis Scriptoribus (n) notiſſimus.

Eo occiſo à duobus filiis (o), Regno ſuffectus eſt *Aſſaraddon*, qui recepta Babylonia, Chaldæorum &

(a) Orig. Peri-archon. l. 3. Athanaſ. in Synopſi. (b) Vide Sixt. Senenſ. l. 2. Baron. an. 44. §. 48.
(c) Vide Bochart. Phaleg. l. 4. c. 12. (d) Herodot. l. 1. c. 95. (e) Vide Jul. Afric. & Euſeb. (f) Geneſ. 10. 5.
(g) Judic. 2. 10. (h) Dionyſ. Halicar. l. 1. Antiq. Roma. (i) Jonas 3. 6. (k) Herod. l. 1. c. 95.
(l) 4. Reg. 15. 29. & 16. 7. 10. & 1. Par. 10. 6. & 2. Par. 28. 20. (m) An. Per. Jul. 3986. M. 3236. ante Ch. 764.
(n) Beroſ. apud Joſeph. Antiq. l. 10. c. 1. (o) An. M. 3294. ante Chr. 706. ante Ær. 709.

Aſſyriorum Imperia conjunxit (a). Inde Saoſduchin ordine ſucceſſit (b), qui cum Nabuchodonoſor relato in Libro Judith confunditur. Regnavit annis 20. decedenſque ſucceſſorem reliquit Sarac, ſivè Chinaldan (c), 22. annis natum.

Nabopolaſſar, alio nomine Nabuchodonoſor, Satrapa Babyloniæ, adjuncto ſibi *Aſtyage*, ſeu Aſſuero, filio Regis Medorum, Ninive obſidione recepta, & Chinaldan interfecto, Aſſyriorum Imperium in partes iterum diſtraxit (d). Ninive, & Babylonia Nabopolaſſaro ceſſerunt; Mediam, & finitimas Provincias Aſtyages retinuit. Nabopolaſſar filium habuit Nabuchodonoſor Magnum, qui Jeruſalem occupavit. Poſt hunc Evilmerodac (e), deinde Balthaſſar, (f), poſtea Darius Medus ordine ſucceſſerunt: quam Regum ſeriem S. Scriptura luculenter texit.

Scriptores prophani ſucceſſores Evilmerodach aliter recenſent. Megaſthenes (g) tradit Nerigliſſor cognato ſuo Nabuchodonoſor Regnum, & vitam abſtuliſſe. Poſt quatuor annos ſucceſſit Labaſſoaraſchus; quo à conjuratis ſublato, eorum unus Nabonides, ſivè Nabannidoch, aut Labinith Regnum occupavit. Hunc Cyrus capta Babylonia dejecit. Beroſus (h) cum Megaſthene ferè conſentiens, quatuor Regni annos attribuit Nerigliſſor; novem menſes Laboroſardoch; 17. annos Nabonidi. Poſtea Cyrus tria Imperia Aſſyriæ, Chaldææ, & Mediæ conjunxit.

ASTAROTH, ſivè *Aſtaroth-Carnaim*, vel tantum *Carnaim*, ſivè *Carnea*, Urbs ultra Jordanem, duabus leucis ab Adraa, ſivè Edrai, media inter eandem Urbem, & Abilam. Duo erant ejuſdem nominis loca in Batanæa, ſita inter Abilam, & Adraam, novem circiter milliaribus inter ſe diſſita (i), Alia Urbs Carnaim in vicinitis Jeruſalem occurrebat, authore Euſebio (k).

Nomen *Aſtaroth-Carnaim* ex cultu Aſtarthes Deæ cornigeræ derivatum creditur; ſiquidem *Carnaim* redditur cornua; ac Aſthare inter celeberrima Phœnicum Numina habebatur. De Aſtarthe latè egimus in Diſſ. de Diis Phœnicum, præfixa Commentariis in minores Prophetas, ubi oſtendimus eam fuiſſe Deam nemorum, Lunam, Reginam Cœli, Deam Cœleſtem, Venerem Cœleſtem, Deam Syriam ſivè Venerem Syriam, Adonidis Sponſam. Apud Carthaginenſes Aſtarthe eadem reputabatur, ac Juno, authore S. Auguſtino (l). Nec alia fortaſsè ab Aſtarthe erat Iſis (m), cujus ſimulachro vel caput bovis, vel cornua imponebantur (n). Author ſecundi Machabæorum c. 12. 26. ſcribit, in Urbe Aſtarothe Carnaim Fanum Deæ *Atergatæ* extitiſſe. Porrò *Atergata* erat *Dea Derceto* Aſcalonitarum, quam in formam mulieris deſinentis in piſcem repræſentabant (o), hinc ab Hebræis Deus Dagon, ſivè Deus piſcis nuncupabatur.

(ASTAROTH, mater Melchiſedechi juxta Orientales; *Aſteriam* vel Salathielem alii appellant (p).)

ASTARTHE. Dea Phœnicum, de qua in articulo præcedenti.

(Plurali nomine Aſtaroth appellat Scriptura; qua ſcilicet voce deſignatur grex ovium, vel caprarum *Deut.* 82. 13.. Nuncupatur etiam interdum *Aſerah*, nemus, vel *Aſerot*, aut *Aſerim*, nemora; quòd ſylvarum eſſet Dea & lucos haberet in peculiare ſibi Templum. Dicati illi Aſera vel luci proſtitutionibus & impudicitiis infames, unde Numinis infamis religio. Appellata interdum Regina Cœli. *Jerem.* 12. 18. & 34. 17. 18; interdum ejus cultus deſignatur cultu *militia Cœli.* 4. *Reg.* 18. 4. Jungitur ferme apud Authores Sacros cum Deo Baal; & maſculino nomine Dea appellatur, cùm exprimendæ fœminæ inter Numina peculiaris in vernaculo ſermone vox deſit 3. *Reg.* 11. 5. & 13. 33.

Sub eo nomine culta Luna fertur, cujus Templa plerumque cum Solis fano conjuncta; & quo ſimul tempore Baal vel Soli cruenta ſacrificia, nec rarò etiam humanæ victimæ mactabantur, litabatur pariter Aſtarthe vel Reginæ Cœli oblatis panibus, liquoribus & ſuffitibus. *Iſaiæ* 65. 11. *Jerem.* 7. 18. & 44. 17. In ejus honorem poſitæ menſæ ſuper tecta domorum, ante portas, in veſtibulis, in compitis, inſtructæque illi cœnæ ſingulis recurrentibus menſium Kalendis, quibus conviviis inditum à Græcis nomen cœnæ Hecates.

Hebræum *Aſera* vel *Aſtarte* reddit non ſemel S. Hieronymus Priapus (q), deſignaturus eo nomine quàm ſalaci religione coleretur in lucis Aſtarthe. Colebant Orientales non uno in loco ſub Dei nomine Lunam exhibebantque illam Numen barbatum armatumque (r). Poſitum in Templo Heliopolis Syriæ Simulacrum fœminam præferebat virili amictu (s). Salomon, poſt adſcitas in conjuges mulieres alienigenas, cultum Aſtarthe invexit in Iſraelem; ſed invectum longè, latèque per Palæſtinam promovit Jezabel filia Regis Tyri, & conjux Achabi.

Affirmat S. Auguſtinus quæſ. 16. in Judic. de Africanis, qui genus à Phœnicibus referebant: *Juno ſine dubitatione ab illis Aſtarthe vocatur.* Notat tamen Herodianus lib. 5. Pœnos appellaſſe illam *Aſtroarchem*, Deam Cœleſtem, eamque cum Luna confundendam cenſuiſſe. Docent ex Phœnicibus Theologi (t) Aſtarthem ipſiſſimam eſſe Venerem Syriam Tyro oriundam, & conjugem Adonidis, aliam plane à Venere Cypria. Tandem Lucianus, qui de Dea Syra, Aſtarthe ſcilicet, ſcripſit, non obſcure affirmat, ipſiſſimam eſſe Lunam; certò autem conſtare aſtrum illud in variis per Orientem regionibus adorari. *Cœleſtem Afri, Mithram Perſæ, plurique Venerem colunt, pro diverſitate nominis, non Numinis diverſitate* (u).

Varie etiam expreſſa in nummis Aſtarthe (x). Interdum talari induitur, breviori interdum; ſæpe baculum tenet oblongum, in quo eminet crux; radiis coronata non ſemel, pinnis non rarò, ſæpe coronam imponit Victoria. In nummo cuſo Cæſareæ Palæſtinæ breviori eſt amictu, pinnis coronata, dextera manu tenens caput hominis, ſiniſtra baculum. Ipſum creditur humanum caput, Luciano memoratum, delatum quotannis ex Ægypto Biblum Urbem Phœniciam, qua de re nos v. *Adonis*. Refert Sanchoniato apud Euſebium Præparat. lib. 1. cap. ult. vaccam retuliſſe, cujus in capite prominentia cornua & regiam dignitatem & lunæ radios exprimebant.)

(ASTRA. Quo Hæbreos præmuniret Moyſes adverſùs regnantes per Orientem abuſus, colendi ſcilicet Solem, Lunam, & aſtra, ab ipſo Geneſis exordio docet Deo illa authore educta fuiſſe e ſinu illius materiæ, quam Deus ipſe ſtare juſſerat e nihilo *Geneſ.* 1. 14. &c.. Aſtra ab ipſo mundi exordio Creatoris ſui laudes celebrantia exhibet Job. 38. 7. Iſaias 14. 13. ita loquentem inducit perduellem Luciferum: *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte Teſtamenti &c.*

Aſtrorum nitore & gloria, beneficiis pariter, ordine quem in motu ſuo certum obſervant, & fluxibus, quorum benignitatem valuiſſe plurimum gignendis conſervandiſque animantibus, fructibus, plantis, & metallis rebantur; hiſ, inquam, omnibus capti homines, vitam illis induxerunt, mentem, virtutem, atque divinitatem. Moyſes Deut. 4. 19 *Ne forte elevatis oculis ad Cœlum videas Solem & lunam & omnia aſtra Cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub Cœlo ſunt.* Job. 31. 26. 27. *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum* meam (ad ſignificationem religionis) *ore meo, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum Altiſſimum.* Cultus Baal, Aſtarthe, Reginæ & militiæ Cœli &c. ſæpè Judæis exprobratus, nihil eſt aliud, quàm Aſtrorum, & maximè Solis ac Lunæ religio. S. Stephanus,

(a) An. M. 3323. Vide Uſſer. ad hunc annum. (b) An. M. 3335. ante Ch. 665. ante Ær. 669. (c) An. M. 3356. ante Ch. 644. ante Ær. 647. (d) An. M. 3378. ante Ch. 622. ante Ær. 625. (e) An. M. 3443. ante Ch. 557. ante Ær. 580. (f) An. M. 3444. juxta Uſſerium, ante Ch. 556. ante Ær. 560. (g) Megaſthen. apud Euſ. Præpar. l. 9. c. 41. (h) Ber. apud Joſ. l. 1. contr. Appion.
(i) Euſ. in Aſtaroth. (k) Idem in Carnaim. (l) Aug. q. 16. in Judic. (m) Vide Sanchoniat. apud Euſeb. Præpar l. 1. c. ult.
(n) Herodot. 2. c. 41. (o) Vide noſtram Diſſertationem de Diis Phœnicum, initio Judic. (p) Fabric. Apocry. V. T. pag. 328.
(q) 3. Reg. 15. 13. & 2. Par. 15. 16. (r) Vide Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 8. (s) Plin. lib. 5. cap. 23. (t) Cicer. de Nat. Deor. lib 3.
(u) Ambr. Ep. 31. (x) Vide noſtram Diſſer. de Numin. Phœnic. & D. Bernard. Montfaucon Antiq. explic. tom. 2. p. 386. Gallicè.

Act. 7. 42. poſt facta de aureo vitulo à Judæis in deſerto conſecrato verba, cæcitati ſuæ permiſſos illos dicit, ut ex crimine in crimen provoluti cultum impenderent militiæ Cœli: *Et ſuſcepiſtis*, addit, *tabernaculum Moloch*, & *ſidus Dei veſtri Rempham*. Hæc verba ſibi diſcutiemus.

Aſtrorum influxibus multa vindicant Judæi quà veteres, quà recentiores. Eorum quæ aguntur in terra ſanè plurima accepto illis refert Philo Leg. allegor. lib. 1. cap. 41. Aſtra non anima tantùm agi affirmat lib. de Somniis, ſed & puriſſimos referre ſpiritus; frequentari aerem animantibus, vel ſpiritibus animandis corporibus paratis; hæc omnia ille è Platone magiſtro didicerat. Patria adoptaſſe Origenem conſtat ex tom. 1. in Joann. Mente Cælum & aſtra donant Rabbini (a): noſſe illa Deum affirmant, noſſe ſe pariter invicem, vota habere ſua ad Deum, intelligentia autem & actionum ſuarum perfectione præſtare.

Docet Maimonides plana eſſe omnia de hoc argumento inter Doctos, ſat enim inter illos convenire, ad ſtellarum influxus ſpectare plurimùm, ut generationes & rerum corruptiones fiant in ſublunaribus (b). Sed rerum omnium eventus ab Angelis potiùs, quàm ab aſtris dirigi malunt alii; aliis viciſſim probatur aſtrorum influxibus fœcundari terram, peculiare ſingulis herbis ſidus, virtute ſua ſingulas imbuens; quæ aſtrorum virtus agit pariter ſuper hominum corpora, & humanæ vitæ præcipuas actiones. Salva tamen his humani arbitrii libertas, nulla enim è planetarum influxibus neceſſitas: agunt illa proximè in noſtra corpora, in valetudinem, temperiem, & quæcumque è prioribus his conſequuntur.

Senſus nonnihil Aſtris vindicare Sacri Authores videntur, uti cùm Aſtra ab exordio mundi Deum laudantia inducunt (c); cùm ad eaſdem laudes ingeminandas invitant ſolem, lunam, ſtellas; cùm lunam recepiſſe in ſe lucem, ac dicto Joſue ſtetiſſe ſolem perhibent; cum ſolem ipſum tanquam ſponſum egredientem è thalamo depingit Pſalmus 18. 6. Solis & lunæ influxus admittere viſus eſt Moyſes, cum Joſepho apprecatur, Deut. 33. 14. *De pomis fructuum ſolis ac lunæ* Job. 9. 7. de Deo: *Qui præcipit ſoli, & non oritur*. Pſalmus 103. 19. habet ſolem noſcere tempus & locum quieſcendi. Eccleſiaſtes 1. 5. *Oritur ſol & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem luſtrans univerſa per circuitum, pergit Spiritus* (nempè ſpiritus iſte, vel fortè etiam ventus) *& in circulos ſuos revertitur*. Congruit huic Eccleſiaſticus 42. 16. *Sol illuminans per omnia reſpicit; & gloria Domini plenum eſt opus ejus*; tum & illud cap. 43. 2. *Sol in aſpectu annuncians in exitu, vas admirabile opus Excelſi*. Solem lunam & aſtra ad nutum Domini ſtare affirmat Baruc 5. 59.

Sed hæc omnia ad phraſim populi uſurpata, aliter ſanè quàm ad literam ſunt accipienda; alioqui etenim reputaretur terram, arbores, aquas anima cieri, quòd itidem phraſibus quibuſdam Scripturæ hæc inſinuentur. Laudant omnia iſta quidem, & fauſta apprecantur Domino ſuo capita ſingula. Si quid præ cæteris tributum eſt ſoli, lunæ, & aſtris, id utique eò referendum, quòd creaturæ ſint præ cæteris abſolutiſſimæ, quibus magis auguſto majeſtatis apparatu Deus hominibus exhibetur.)

I. ASTYAGES, alio nomine Cyaxares Rex Medorum, & Phraortis ſucceſſor, regnavit annis 40., & diem clauſit an. M. 3409. antè Chr. 591. antè Ær. 595. Filium habuit *Aſtyagem*, alio nomine *Darium Medum*, & filias *Mandanem*, & *Amyit*; quarum prima Cambyſi Perſæ nupta Cyrum genuit; altera matrimonio copulata cum Nabuchodonoſor filio Nabopolaſſari Regis Chaldæorum, edidit Evilmerodach.

II. ASTYAGES, alio nomine in Græco textu Tobiæ cap. ult. ver. ult. & Dan. 9. 1. *Aſſuerus*, dictus etiam in Græco Dan. 6. 1. *Artaxerſes*, & *Darius Medus* Dan. 5. 31. *Cyaxares* apud Xenophontem ex Patris nomine, ac tandem *Apandas* apud Cteſiam. Medorum Præfectura, ſivè Satrapia, à Patre Cyaxare donatus fuit (d), nec non una cum Nabopolaſſaro Rege Babyloniæ copiis ducendis contrà Sarac, alio nomine Chinaldan Regem Aſſyriæ, præpoſitus eſt. In ea expeditione Sarac Ninive concluſo, atque Urbe obſidione capta, Aſſyriorum Imperium in partes divulſum eſt. Aſtyages etiam in Babylonia expugnatione pro Cyro militavit (e). Dan. 5. 30. 31. legimus hunc regnum Chaldæorum poſt Balthaſar obtinuiſſe, an. Mundi 3447. Illi obeunti ſucceſſit Cyrus an. M. 3456. Vide Dan. 13. 65.

ASYLUM (f) vox, quæ pro loco ſacro uſurpatur, quo Rei confugientes ab hoſtium inſultibus in tuto ſint, & invitos inde extrahere nefas habeatur. Hujus authores Herculis Nepotes extitiſſe feruntur (g); veriti enim ne quid ſiniſtri ab iis paterentur, quibus Hercules, dum in vivis ageret, iniquior fuerat, Templo Miſericordiæ Athenis excitato, aſylum inſtituerunt. Aliud Thebis Cadmus erexit, aliud Romulus in Monte Palatino. Quod Daphnis erat, celebre habebatur, adeò ut Onias III. Summus Judæorum Sacerdos illùc confugerit (h), nec niſi inſidiis Andronachi, à Menelao ſollicitati, eo egreſſus, trucidatus eſt.

Templum Domini, & Ara Holocauſtorum aſylum erat inviolabile; quò tamen cùm Joab confugiſſet, nec inde retrahi poſſet, juſſu Salomonis ibidem percuſſus eſt. In lege *Exod.* 21. 14. cavetur, ut ſi quis hominem data opera occiderit, ab ipſa Ara evellatur. Neque enim, ut Prophani quoque Authores ſenſerunt (i), aſylum fovendis impiis, ſed tanquam juſtitiæ, & innocentiæ contrà impiorum inſultus tutamen inſtitutum eſt. Cùm illùc ſceleſti homines confugerent, ſivè denegato alimento fame enecabantur, ſivè igne circa illos incenſo, ad egreſſum compellebantur. De Urbibus Refugii, quas Deus in Terra Promiſſionis deſtinaverat, iis recipiendis, qui hominem inviti occidiſſent, vide *Refugium*, *Urbes Refugii*.

ASYNCRITUS, de quo S. Paulus ad Rom. 16. 24. Hujus Viri geſta ignorantur; à Græcis tantùm Epiſcopus Hyrcaniæ creditur, ejuſque feſtum ab illis, ſicut & in Martyrologio Romano ad diem 8. Aprilis conſignatur.

ATAD. Vide ſuprà *Area Atad*.

ATARA, Uxor Jerameel, & mater Onam. 1. *Par.* 2. 26.

ATABYRIUS MONS, quo nomine Mons Thabor appellatur, ubi etiam Urbs Athabyrium, ſivè Itabyrium occurrebat, de qua Polybius l. 5. Extant Monetæ nonnullæ, in quibus Jupiter cognomento *Athabyrius* cernitur; ſed cum plurimæ hujus nominis ſint Urbes, quænam ex illis deſignetur, incertum eſt.

I. ATAROTH, Urbs Tribus Gad, ultrà Jordanem. *Num.* 32. 3. 34.

II. ATAROTH-SOPHAN. Vide *Etharoth*. *Num.* 32. 35.

III. ATAROTH, in Tribu Ephraim. *Joſue* 16. 7. inter Janoe, & Jericho ſita.

ATER, cujus filii numero 98. è Babylonica captivitate regreſſi ſunt. 1. *Eſdr* 2. 16.

ATHACH, Urbs Tribus Juda. 1. *Reg.* 30. 30.

ATHALAI, filius Bebai, qui Uxorem, cum non eſſet ex genere Iſraelitarum, repudiavit. 1. *Eſdr.* 10. 28.

ATHALIA, filia Achab Regis Samariæ, & Uxor Joram Regis Juda. Cum audiſſet Filium ſuum Ochoſiam, ac 42. Principes Regii ſanguinis à Jehu neci traditos fuiſſe, reliquos è ſtirpe Regia deleri curavit (k), ut, cæteris ſublatis, ipſa vacuum Regnum occuparet. Verùm Joſaba, filia Regis Joram, & Soror Regis Ochoſiæ, cum filii Regis cæderentur, Joas filium Ochoſiæ una cum ejus Nutrice clam ſubtraxit (l), nutriendumque in

(a) Maimonides More Neboch. par. 2. cap. 4. &c. Menaſſe Ben-Iſrael. problem. 25. &c.
(b) Vide Baſnag. Hiſt. Judæor. tom. 1. pag 362. lib. 3. cap. 2. (c) Job. 38. 7. (d) Alex. Polyhiſt. apud Cedren.
(e) Vide Iſ. 13 & 14. & 21. & 45. ac 46. & 47. Jer. 50. & 51. Megaſt. ap. Euſ. Præp. l. 9. c. 41.
(f) Aſylum Græcè *Aſylon*, ab à, & *Syle*, præda; quod ſpoliare nefas. Quidam deducunt ab Hebræo *Áſchel*, Lucus.
(g) Servius ad Æne. 8. v. 342. (h) 2. Mac. 4. 34. An. M. 3834. antè Ch. 166. antè Ær. 170.
(i) Demoſth. Ep. 3. de Lycurgi liberis. (k) 4. Reg. 11. 1. 2. &c. (l) An. M. 3120. ante Chr. 880. ante Ær. 884.

Digitized by Google

que in Templo Summo Sacerdoti Jojadæ tradidit. Poſt ſex annos Jojada, convocatis Sacerdotibus, & Levitis, conſilium ſuum aperuit, Regni ad legitimum Regem Joas revocandi; qui cum præſto ſe eſſe ſignificarent, nulla interpoſita mora, Joas, multitudine acclamante, in Regem ſalutatus eſt.

Athalia eo clamore excitata, ad templum cucurrit, novumque Regem intuita, diſruptis ſubitò veſtibus, proditionem clamavit. Continuò Jojada innuit Levitis, ut eam è Templo raperent, & ſi quis illam ſequeretur, hunc trucidarent. E Templo igitur uſque ad portam Equorum propè Palatium abſtracta, ibidem neci tradita eſt, anno Regni ipſius ſeptimo, M. 3126. ante Ch. 874. ante Ær. 878.

ATHANAI, Levita tempore David canendi peritus. 1. *Par.* 6. 41.

ATHAR, Urbs Tribus Simeon. *Joſue* 19. 7. Locus nomine *Athaurus* apud S. Hieronymum ſitus eſt 4. milliaribus à Sebaſte, ſivè Samaria ad Septentrionem; ſed iſte à Tribu Simeon nimis longè diſtat. Quare *Athar* eandem crederem ac *Ether*, ſivè *Jether*, quæ primùm Tribui Judæ, deinde Tribui Simeon ceſſit. *Ether*, & *Aſan* conjunctæ commemorantur, *Joſue* 15. 43. ſicut & *Athar*, & *Aſan*, *Joſue* 19. 7. *Ether* autem, ſivè *Jether*, aut *Jethira*, temporibus Euſebii, & S. Hieronymi (a), vicus erat magnus, 18. milliaribus ab Eleutheropoli, in plaga meridionali Judæ juxta *Malatham*.

ATHENÆ; Urbs celebris in Græcia, olim Reſpublica rebus, & bellis pollens; ſed multò ſcientiarum gloria, eloquentia potiſſimùm, & Civium cultiſſimis moribus florentior. Athenarum hiſtoriam retexere ſupervacaneum ducimus; quamquam prætereundum non ſit, eo tempore, quo S. Paulus illam adivit, anno Chr. 52. Idololatriam latè Urbem occupaſſe (b), ac populum ſcientiarum cupidum in varias de Religione, atque de ſummo bono ſententias abiiſſe. Apoſtolus, qui in ſuis prædicationibus novam Religionem invehere videbatur, coram Judicibus Areopagitis accuſatus fuit, ubi illuſtri veritati & unitati Dei edito teſtimonio, Dionyſium Areopagitam, & Damarim (quam veterum aliqui (c) ejus Uxorem crediderunt) ad fidem induxit. Dionyſius deinde omnium primus Athenienſem Diœceſim adminiſtravit; ac Epiſcopatus labores glorioſo martyrio clauſiſſe fertur.

ATHENOBIUS, filius Demetrii, qui ad Simonem Machabæum juſſiones Antiochi Sidetis, Regis Syriæ, detulit (d), ut ſcilicet Urbes Joppem, & Gazaram, arcemque Jeruſalem traderet; pro cæteris verò Urbibus, quas extra Judæam tenebat, tributa perſolveret; ac tandem damna, quæ ditioni Regis Syriæ intulerat, repararet; cujus rei gratia 500. argenti talenta, totidemque pro tributis exigebat. Petitionibus Athenobii reſpondit Simon, nihil ſe, quod ad Regem pertineret, uſurpaſſe, eaſque Urbes, quas ille repetebat, à Judæis occupatas fuiſſe, ut ſe ab iniquis Civium turbationibus liberarent. Cæterùm ſe 100. talentorum ſummam Regi dono daturum pollicebatur. Athenobius his dictis indignatus recedens, ad Antiochum Doram obſidentem regreſſus, omnia renunciavit. Ille verò Cendebæum cum exercitu contra Judæos miſit, qui prælio commiſſo cum duobus Filiis Simonis, fuſus, fugatuſque, re infecta inglorius abivit. 1. *Mach.* 16. 1. *&c.*

ATHERSATA, Nomen Nehemiæ, quod à munere in aula Regis præſtito illi impoſitum eſt; redditur enim *Atherſata*, *Pincerna Regis*. (e)

ATHLETA. In Libris S. Scripturæ, poſt Græcorum in Oriente Monarchiam exaratis, ac potiſſimùm in Epiſtolis S. Pauli ſæpè de Athletis ſermo occurrit. Ante ea tempora, neque Athletæ, neque cæteri ludi, in quibus corporis vires exercentur, uſu innotuerant. Hujus generis homines corpus exercebant ſivè prò libito, ſivè ſanitatis gratia, ſivè tandem ut propoſita præmia & coronas in ludis publicis referrent. Ludorum varia fuerunt genera; quorum tamen potiſſimi ſex enumerantur; ſcilicet, Lucta, Curſus, Saltatio, Diſcus, Pugilatus, & certamen illud, quod pugnis, & calcibus conficiebatur. Vitam ducebant Athletæ valdè frugi, & ab omnibus voluptatibus, ab uſu potiſſimùm Matrimonii, abſtinentem (f); quò ſpectat illud S. Paulis *Qui in ſtadio currit, ab omnibus ſe abſtinet*. 1. *Cor* 9. 25.

ATHMATHA, Urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 54. In textu Græco 1. *Reg.* 30. 29. occurrit Urbs *Themat*, ſivè *Thamat*; & S. Hieronymus (g) Patriam S. Hilarionis *Thabatham* appellat, quam quinque milliaribus à Gaza ad meridiem collocat; ſicùt Nicephorus (h) eandem non *Thabatham*, ſed *Thebaſem* nuncupet, & 15. milliaribus à Gaza removeat. Hanc Urbem ego libenter eandem eſſe ac *Athmatham* dicerem.

ATHON, Urbs in finibus Arabiæ, quam ab Areta Rege Arabiæ Alexander Jannæus bello abſtulit. (i)

(ATLAS. Ex Japeto, & Clymene ſatum Atlantem tenent nonnulli (k). Addunt Heroem illum offenſarum Jovis damnatum fuiſſe ſuſtinendo impoſitum capiti & humeris Cælum, coactumque ſarcinam ferre in diſſitam regionem contra Heſperidas. Supplicium hoc Atlantis præ oculis habuiſſe videtur S. Hieronymus, ita vertens illud Job. 9. 13. *Deus cujus iræ nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curvantur qui portant orbem*. Septuaginta: *Incurvati ſunt* (ſub pondere majeſtatis ejus) *cete*, (ſeu monſtra marina) *qui ſub Cælo*. Ovidio (l) eſt pariter filius Japeti, cui conſtitutum dicit hortum eximiis arboribus amœnum; eminebat autem inter illos arbor pomis aureis fœcunda. Poma hæc ſubrepturum filium Jovis Themis prædixerat; quare ut à diſcrimine rem poneret in tuto, validis mœnibus ſeptum hortum, immanis draconis cuſtodiæ tradidit. Accidit, ut Perſeus hoſpitium rogaret, recuſantemque illum, Perſeus ipſe Meduſæum caput proferens, in montem transformaret. Nata hinc fabella de Atlante Cælum impoſitum ſuſtentante; eſt enim Atlas Africæ mons adeò procerus, ut incumbens vertici Cælum ferre videatur.

ATLETÆ. Atletarum exercitationes, & conſtitutum victoribus bravium præ oculis habuit Apoſtolus illis 1. Cor. 9. 24. *Neſcitis quòd ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium?..... Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant*. Vide etiam Philipp. 3. 14. Porrò Atletæ, ut iis omnibus, quæ in ludis publicis exhiberentur, aſſueſcerent, ſeu curſui, ſeu luctæ, ſeu ceſto, ſeu miſſilibus, ſeu pilis, frugi admodum agebant vitam, jam inde ab ineunte ætate exercitationi ſe dabant, durabant corpus frigore, calore, labore nunquam intermiſſo. Abſtinebant à voluptatibus, à vino, à potu frigidæ; cibus nonniſi ad menſuram, & ſi quæ infirmando corpori eſſent, omnia ſibi interdicebant (m)

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, ſudavit & alſit,
Abſtinuit Venere & Baccho &c.

Victoribus Atletis ſua erat decreta corona, querna, pinea, è lauro, vel oliva; præter hæc pluribus donabantur prærogativis, uti à publicis oneribus exemptione, honoribus etiam triumphi, & erectarum in Urbe ſtatuarum. Olim verò ab exordio honor victoriæ ſat erat præmii victoribus; animadverſum etiam eſt priores illos Atletas frugi magis & laborioſam egiſſe vitam, quam qui deinde conſecuti ſunt. Valent hæc conciliandis iis, qui Atletas traducunt velut *homines altiles* juxta phraſim Tertulliani, cæteriſque, qui de vita frugi, & continenti illos laudant.

ATRIUM. Hebraicè *Chazer*, quo nomine deſignan-

(a) Euſeb. & Hieron. in Jether, & Ether. Vide Comment. in 1. Reg. 30. 27. Joſua 15. 42. 43. 47. & 19. 7.
(b) Act. 17. 15. &c. (c) Chryſoſt. de Sac. l. 4. c. 7. Aſter. hom. 8. (d) 1. Mach. 15. 28.
(e) Vide 2. Eſdra 1. ult. & 2. Eſdr. 8. 9. & 10. 1. (f) Plato l. 8. de leg. Pl. in l. 34. c. 28. (g) Hieron. vita S. Hilarion.
(h) Nicephor. hiſt. Eccl. l. 9. c. 15. (i) Joſeph. ant. l. 14. c. 2. (k) Heſiodus v. 509. 515.
(l) Metamorph. l. 4. verſ. 630. &c. (m) Horat. de Art. Poet. v. 412.

gnantur atria illa ſat ampla Templo Hieroſolymitano adjecta. Omnium primum occurrebat atrium Gentilium, quò eò ingredi Gentiles fas eſſet; ultra progredi nefas. Succedebat atrium Iſrael, quod Iſraelitis omnibus, modò puris, permiſſum erat. Tertium atrium Sacerdotum, ubi Ara holocauſtorum, & ubi pariter Sacerdotes ac Levitæ ſacrum miniſterium operabantur. Iſraelitæ cæteri ſacrificium Domino oblaturi deducere victimas permittebantur ad interiora ejus atrii, ad ſeptum quoddam medium ſecans; eò venientes, ac manibus Sacerdotum remiſſis hoſtiis, & oblationibus, vel facta criminum ſuorum confeſſione, impoſita capiti victimarum manu in Sacrificiis pro peccato, atrium ſuum repetebant.

Quòd attinet ad figuram, ornamenta, & dimenſiones atrii Templo conjuncti vide v. *Templum*.

Ante conſtructum Templum, atrium erat conjunctum Tabernaculo; ſed minùs profectò amplum ac Templi atrium, ſepiebaturque columnis regentibus vela è funibus ſuſpenſa. Vide V. *Tabernaculum*. Porrò atria illa ad guſtum erant Templorum Ægypti, quibus ornamenti loco accedebant patentia quædam atria, columnarum ambitu ſuperba. Idem data proportione exhibent Regiæ, & ampliſſimorum Virorum ædes, atriis enim patentibus diſtinguebantur, uti conſtat exemplo ædium Salomonis, tum & Regis Aſſueri, de quibus Eſther 4. 1. & 5. 1. & 6. 4. De atrio Summi Sacerdotis meminit S. Matthæus 26. 58. & Joan. 18. 15. ubi de paſſione Jeſu Chriſti. *Fortem armatum, qui cuſtodit atrium ſuum* legas Lucæ 11. deſignant autem cuſtodem in armis vigilantem ante fores ædium viri alicujus Principis, uti noſtra ætate ſpectamus Helvetios, ante Principum fores agentes.

Atrium uſurpatur etiam ſæpe pro Urbe: *Atrium Ennon* Ezech. 47. 17. & 48. 1. *Atria Netophati* 1. Par. 9. 19. ſunt urbes Ennon & Netophat. Spectatur id frequentiùs in Hebræo; omnes enim Urbes præferentes nomen Hazer, ita appellantur ac ſi diceretur atrium Hazer, Sual, Hazer, Suſarum &c. ita *Hazera*, *Hazerim*, *Hazeroth* nomina ſunt, Urbium atrium exprimentia. *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Jeruſalem*, i. e. in Urbe Jeruſalem.)

ATTALUS, Rex Pergami. Quanquam hujus nominis plures extiterint Pergami Reges, de illo tantummodo Attalo, cognomento Philadelpho (a), agendum eſt nobis, qui Regnum adminiſtrabat pro Nepote ſuo Attalo III. Philometore, filio Eumenis Regis Pergami. Cum Judæorum Legati Romam veniſſent (b), cauſa fœderis innovandi, Epiſtolas à Senatu retulerunt, ad hunc Attalum directas, & Judæorum commendatitias. Regnum obtinuit an. 3845. ac anno 3866. Philometori Regi legitimo illud remiſit. Philometor ſine liberis decedens, Romanum Populum omnium bonorum ſuorum hæredem inſtituit; quo nomine ii Regnum etiam occuparunt (c).

ATTALIA, Urbs Pamphyliæ, quò SS. Paulus, & Barnabas, prædicationis gratia, venerunt an. Ch. 45. Act. 14. 24.

AVA. In 4. Reg. 18. 34. ſermo eſt de Ana, & Ava Diis populorum *Sepharvaim: Ubi eſt Deus Sepharvaim Ana, & Ava?* Et Iſa. 37. 13. ac Reg. 19. 13. legimus: *Rex Urbis Sepharvaim Ana, & Ava*. Ego quidem conjicio, Deos Ana, & Ava eoſdem eſſe, ac *Anamelech*, & *Adramelech*, Deos Sepharvaim, juxta textum in 4. Reg. 17. 31. *Hi, qui erant de Sepharvaim, comburebant filios ſuos igni, Adramelech, & Anamelech Diis Sepharvaim*. Nomine autem Regum Sapharvaim, apud Iſaiam eadem Numina ſignificari autumo; Hebræi enim, cæterique Orientales, Regum appellatione Numina deſignare ſolebant. Porrò Anamelech, & Adramelech, Solem & Lunam deſignabant. Cum autem *Anamelech* reddatur, Rex benignus; & *Adra-melech*, Rex magnificus; *Ava-melech*, Rex iniquus, aut perverſus; Hebræi, quibus uſu receptum erat, nomina Deorum Paganorum transformare, pro eo quod legerent *Adra*, Magnificum, ſubſtituerunt *Ava*, iniquum, obliquum, perverſum: ſic eodem exemplo pro *Baal* ſcribunt *Boſeth*, *Miphiboſeth*, pro *Miphibaal*; & *Bethaven*, Domus iniquitatis, pro *Beth-el*, Domus Dei.

Alii verò credunt, Ana, & Ava duas eſſe Provincias, textum Regum ità reddentes: *Ubi eſt Deus Sepharvaim, ac Regionum Ana, & Ava?* Quorum ſententiam illud etiam 4. Reg. 19. 13. & Iſa. 37. 13. confirmare videtur: *Ubi eſt Rex Civitatis Sepharvaim, Ana, & Ava?* Si enim, ajunt, Reges, aut Deos hiſce nominibus intelligebat, cur ſingulari *Regem*, non plurali, uti par erat, numero *Reges* non ſcripſit? Quin & in 4. Reg. 17. 24. ubi ſermo eſt de populis ad incolendam Samariam traductis, memorantur populi Cutha, *Ava*, Emath &c. ex quo loco colligunt vulgò Commentatores, *Ana*, & *Ava* regiones eſſe ultra Euphratem, & fortaſſe in ea Aſſyriæ parte, quam Diabam, Adiabam, & Adiabenem appellant. Ego tamen ab opinione primò adducta non recedo.

(AVES. Oblatæ in ſacrificium non una occaſione aves; e. g. in ſacrificiis pro peccato quicunque impar fuiſſet offerendæ capræ vel ovi, permittebatur ſubſtituere duos turtures vel duos pullos columbarum, unum pro peccato, & alterum in holocauſtum. *Dabit autem*, ait Lex Levit. 5. 8. *eos Sacerdoti, qui primum offerens pro peccato retorquebit caput ejus ad pennulas, ita ut collo hæreat, & non penitus abrumpatur. Alterum verò adolebit in holocauſtum, ut fieri ſolet*. Sed Levit. 1. 14. &c. pleniùs deſcribit Moyſes ejus ſacrificii ritum. Accipiens Sacerdos avem in holocauſtum deſtinatam, caput ejus torquebat retrorſum, inflictoque vulnere cruorem exinde fluentem demittebat ad baſim Altaris; veſiculam autem gutturis cum pennis projiciebat juxta aram ad latus Orientis, locum deſtinatum excipiendis cineribus; diſruptæ deinde alæ, non abſciſſæ nec diviſæ ferro, tum igni impoſita victima in holocauſtum abſumenda.

Interpretum nonnulli (d) avulſum volunt avis illius caput; ſed aliis probatur, factam fuiſſe ungulis inciſionem inter caput & guttur, non avulſo à reliquo corpore capite. Quid enim fieret de abſciſſo capite nihil habet Textus Moſaicus; & in rem præſentem animadverſum eſt, Abrahamum aves offerentem in holocauſtum, integras, non abſciſſas victimas igni impoſuiſſe: *Aves autem non diviſit*. Geneſ. 15. 10. Nec alibi, ubicunque Moyſes de ſacrificiis avium tractat, avelli caput unquam præſcribit.

Recens enixæ puerperæ præſcripto ſibi ad expiationem tempore oblationem habebant deſtinatam. Levit. 12. 6. 7. *Agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ ſive turturem pro peccato*. Cenſu tenuiores *ſument*, ait Lex, *duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, alterum pro peccato*. Holocauſtum deſcripto jam ritu parabatur; ſacrificio pro peccato deſtinato avis retorto collo, non tamen avulſo capite ſuffocabatur. Vide Levit. 5. 7. 8.

Cum à lepræ morbo aliquis convaluiſſet, ſtatuens ſe ante aditum caſtrorum Iſrael, ſedulò à Sacerdote perquirit ſinebat, an re ipſa valeret, Levit. 14. 5. 6. tum accedens extra Tabernaculum offerebat duos paſſeres, vel duas viventes & puras aves, quarum permiſſus eſus. Simul ad hæc, faſciculus è ramuſculis cedri & hyſſopi, rubro filo ſeu vitta colligabatur, ac vas fictile viva replebatur aqua; ſuper aquam ex his avibus una immolabatur, ut defluens ſanguis, cum illa miſceretur, immerſoque à Sacerdote faſciculo in aqua abluebatur leproſus è morbo convaleſcens, ac ſuperſtes paſſer liber obire permiſſus.

Quod attinet ad diſcrimen avium mundarum ab immundis, vide earum catalogum v. *Animal*.

Expoſita interdum cadavera injuriis carnivorarum avium, conſtat non uno Sacræ Scripturæ exemplo. Deut. 32. 24. & 2. Reg. 21. 10. & 3. Reg. 14. 2. Jerem. 7. 33. Plerumque tamen ad veſperam mandabantur ſepulturæ, cum

(a) 1. Mach. 15. 22. (b) An. M. 3865.
(c) Livius l. 59. Flor. l. 2. c. 7. An. M. 3871. ante Chr. 129. ante Ær. 133. (d) Levit. 1. 15. Rabb. alii plures.

Digitized by Google

ræ, cùm ſcilicet è patibulo etiam reorum cadavera demittebantur. Deut. 21. 23. Libero aeri computreſcere cadavera nonniſi in ſingularibus rerum eventibus relicta ſunt.

Ut humanitatis ſenſus altiùs imprimeret Iſraelitis Moyſes, præcepit Deut. 22. 6. 7. ut ſi fortè invenerint avium nidum, ne ſimul matrem cum pullis capiant; ſed accipientes ſibi pullos, matrem liberam abire permittant; *Ut benè*, inquit, *ſit tibi, & longo vivas tempore.*

Aucupio delectatos Veteres ſat conſtat ex Scriptura. Agit Baruc 3. 17. de Regibus Babyloniæ, *qui in avibus Cœli ludunt*. Daniel ad Nabuchodonoſorem loquens, revocavit in mentem ſubmiſſas illi à Deo aves Cœli *Dan.* 3. 28.

Tranſmigrantes aves ſæpiùs recurrunt apud Prophetas; hirundo & ciconia ad ſedes remigrant priores *Proverb.* 27. 8. & 26. 2., homo vero Dominum Deum ſuum non recognoſcit *Jerem.* 8. 7.. Revocaturum ſe ait Deus captivos populi ſui, ſicut avem è longinqua regione remeantem ad propria *Oſee* 9. 12. & 11. 12.

Dominus apud Jerem. 12. 9. 10. de populo agens: *Nunquid avis diſcolor hereditas mea mihi, nunquid avis tincta per totum? Venite, congregamini omnes beſtiæ terræ, properate ad devorandum*; veluti ſi diceret: Juda perinde erat velut avis eximiæ pulchritudinis; nunquid tamen illi peperci, cùm me læſit, nunquid non carnivoris belluis illum permiſi ad devorandum? Hebræus ad literam commodè redderetur: *Nunquid hereditas mea non avis tincta, nunquid non mihi avis recluſa?* Avis, inquam, pulcherrima in cavea recluſa, quam tamen ut permitterem belluis carnivoris, nequaquam me continui. Vertunt nonnulli Hebræum (a): *Nunquid non hereditas me mihi velut hiena? Omnis hereditas mea nunquid non ferocibus belluis repleta?*

Hebræum *Zippor* plerumque redditur paſſer, uſurpatur etiam generatim pro avicula; interdum pariter pro gallina. De ſenioribus agens Eccleſiaſtes 12. 4. *Conſurgent*, ait, *ad vocem volucris*, i. e. ad cantum galli. Græcum *Ornis* ſonat pariter avem & gallinam; & Interpres Origenis poſuit gallinam pro *volucre*.)

AUGUR. Eo nomine potiſſimùm appellantur, qui ab avium volatu, ſivè cantu, ſivè ciborum capiendorum ratione futura prædicunt. Hæc tamen Auguriorum captandorum ratio in S. Scriptura nunquam occurrit; quanquam ibidem Augurum nomen frequentiſſimum ſit, quatenus latiori ſignificatione, ad omne divinationis, ſivè magicæ ſuperſtitionis genus extenditur. In Lege *Levit.* 20. 6. cautum eſt, ne populus Magos ſub mortis pœna conſuleret, additumque, ne Hebræi Ariolos, ſivè Magos, in ſuis regionibus conſiſtere paterentur.

(AUGURIUM. Legimus Gen. 44. 5. curaſſe Joſephum, ut charus ſibi ſcyphus, quo ad auguria utebatur, clam in ſaccum Benjamin conderetur: *Scyphus ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Non eſt utique reputandum, Joſephum dediſſe ſe auguriis ſuperſtitioſis; abſint enim vana hæc & impia à viro ſapientiſſimo æquè ac religioſiſſimo. Sed viri ejus familiares hæc inter loquendum cum fratribus Joſeph uſurparunt, quæ de hero ſuo vulgò increbuerant, virum eſſe ſcilicet divinatione inſignem (b); vel fortè *augurari* hic tantumdem valet ac renuntiare futura; ita ſcyphus erat in uſum Joſephi, quo Deo libationes offerebat, cùm de rebus futuris Numen conſuleret (c). Superſtitioni utique nunquam non ſtuduerunt Orientales, nec ab aliis potiſſimùm cœperunt auguria. Fuerunt qui ſibi arrogarent ſcientiam percipiendi Avium ſermones, inde ars augurandi petita. Quanquam Romani in arduis, & majoris momenti rebus captabant auguria; viri tamen inter illos emunctæ naris apud ſe vanitatem & ſuperſtitionem ejuſmodi reputabant.)

AUGUSTUS, Imperator Romanorum poſt Julium Cæſarem. Prælium Actiacum, in quo ille, M. Antonio victo, Imperio potitus eſt, Chriſti Nativitatem quindecim annis præceſſit; quippè ad an. M. 3985. conſignatur. Obiit 17. annis poſt natum Chriſtum, & 14. Æræ. Cenſus ille, de quo S. Lucas 2. 1. ab eodem Imperatore inſtitutus eſt. Ejus geſtorum reliqua ad noſtrum inſtitutum non pertinent.

(Auguſtus capiti Herodis Judææ diadema à Senatu imponi curavit poſt devictum M. Antonium. Herodes Auguſti fortunam ita ſecutus eſt, ut inter fideliſſimos primas teneret. Plura in amicum cœpendit Auguſtus, quà rerum, quà honorum; & cum Imperator expeditionem ſuſciperet in Arabiam, Herodes è cuſtodibus ſuis 500. adjecit Ælio Gallo Romanarum copiarum Imperatori. Volebat Auguſtus ſuſcipere in ſe educationem Alexandri & Ariſtobuli filiorum Herodis, & apud ſe retinere. Cùm in Syriam veniſſet, aures ejus occuparunt ſtatim querelæ in Herodem; Zenodorus enim & Gadareni reum illum egerunt impotentiæ, tyrannidis & rapinæ. Sed nubes haſce omnes præſentia ſua diſſipavit Herodes, eò inſuper deſperationis adigens accuſatores ſuos, ut illata ſibi nece eriperent ſe ea infeſtiſſimi adverſarii manibus. Adeò verò nihil Auguſti animus ab accuſationibus illis commotus eſt, ut virum honoribus cumularet, augeretque Tetrarchia Zenodori (d). Alienum quin etiam à ſe non cenſuit, turbatas Herodis & filiorum ipſius res componere, conciliato patre cum filiis.

Sillæus miniſter Obodæ Regis Nabathæorum Herodem accuſaverat de irruptione in Arabiam cum valido exercitu facta, non ſine ingenti Arabum cæde (e). Amariores ea de re literas Auguſtus dedit ad Herodem; ſed ille egregiè adeò & callidè ſeſe purgavit; ut favori Imperatoris reſtitutus, nunquam deinceps exciderit. Nequicquam tamen his factum eſt, quin Auguſtus Herodis conſilium improbaret, de illata ſcilicet nece tribus filiis, Alexandro, Ariſtobulo, ac tandem Antipatro, ex quo Imperatoris effatum illud: *Præſtare ſuem eſſe potiùs Herodis, quam filium.* (f)

Poſt obitum Lælii Auguſtus occupaverat Summi Pontificis Romanorum dignitatem (g), unde illi in res ſacras, & cæremonias inſpectio. Nihil tum habuit antiquius, quàm ut ſedulò diſcutiendos mandaret libros Sibyllinos tunc maxime vulgatos; ex quibus incommoda plura, quà vulgò inter populum, quà in Rempublicam, ſingulis ſibi facultatem arrogantibus interpretandi Oracula, prout rebus ſuis & genio conduxiſſet. Sedula igitur perquiſitio Codices omnes indagavit Auguſtus, collectoſque 2000. omnes abolevit, ſervatis tantùm, quibus Sibyllarum nomen adſcriptum legit, & tanquam Sibyllina à Criticis habebantur; quin & ex illis nonniſi ſevero examine probatis. Quæcumque igitur poſteritate digna viſa ſunt, tanquam genuina, duplici aureæ arculæ commiſſa, ſub baſi Statuæ Apollinis, cujus erat Templum intra ſepta Palatii, recondita ſunt. Vide V. *Sibylla*.)

AVIM, Urbs Tribus Benjamin. *Joſue* 18. 23.

AVITH, Urbs Metropolis Adad Regis Idumææ, *Gen.* 36. 35.

AULON. Eo nomine temporibus Euſebii, & S. Hieronymi nuncupabatur vaſta illa vallis (h), quæ ſecundum Jordanem à Libano, uſque ad deſertum Pharan porrigebatur. Nominis ethymon à Græco verbo *Aulos*, vallis, derivatum videtur. *Aulon* eſt etiam Magnus Campus, & vallis inter Libanum, & Antilibanum (i).

AVOTH-JAIR. Hebræum *Avoth*, ſive *Hevoth* deſignat caſas illas Arabum, in rotundum conſtructas, quæ ſi plures excitentur in eodem loco, vicum conſtituunt; cujus generis populationes hodie uſque ab Arabibus *Havoth* appellantur. Jair filius Manaſſe plures non diſſimiles vicos occupavit (k), ſitos in Batanæa, ultrà Jordanem in Galaaditide (l), quos ſuo nomine

(a) Septuag. & Bochart. de Animal. ſacr. tom. 1. l. 3. cap. 11. (b) D. Thom. 22. q. 195. a. 7. (c) Grot. in Gen. 44.
(d) Antiq. l. 15. c. 16. (e) Antiq. l. 16. c. 14. 15. (f) Macrob. Saturn. l. 2. c. 4.
(g) Suet. in Octav. Dion. Caſ. l. 14. (h) Euſeb. & Hieron. in Onomaſt. in Aulon.
(i) Vide Reland. Palæſt. t. 1. pag. 364. & ſeq. (k) Num. 32. 41. (l) Euſeb. Hieron. in Avoth. Jair.

ne nuncupavit. Pertinebant autem ad dimidiam Tribum Manaſſe *Joſue* 13. 31.

AURAN. Apud Ezechielem 47. 16. eſt Regio inter Orientem, & Septentrionem Terræ Sanctæ, quæ cum Ituræa confundenda creditur. Etenim S. Lucas tradit, Philippum Filium Herodis Ituræam, & Trachonitidem tenuiſſe; illum verò regnaſſe ſcribit Joſephus Antiqu. l. 17. c. 7. in Batanæa, Trachonitide, & Auranitide; quo in loco Auranitis pro Ituræa uſurpata videtur. S. Hieronymus (a) nomen Avran dictum teſtatur de Urbe in regione Damaſci in deſerto. Regionem Auran, ſivè, ut ille loquitur, Avran, Recentior Geographus ad meridiem Damaſci collocat (b), & apud Abulfedam (c) *Bozra* Urbs, Metropolis Regionis *Havran* ſtatuitur. Golius in Notis ad Abulphagium obſervat; apud Arabes, & Syros *Auran* appellari regionem, in qua Tiberias ad Mare Galilææ ſita eſt; quo etiam nomine apud Guillelmum Tyrium l. 22. nuncupatur. Cæterum Auranitidem trans Jordanem eſſe, certum eſt.

(AURES. *Aurem revelaſti mihi*, Hebraiſmus perinde valens ac detexiſti, in auribus obmurmuraſti mihi aliquid 1. *Reg.* 20. 13. & 2. *Reg.* 7. 27. Quicumque è mancipiis manumiſſionis anni ſabbatici privilegio ceſſiſſent, illis ſubula auris perforata 1. *Exodi* 21. 6. *Deut.* 15. ante fores ædium Domini ſui & coram Judice; quæ ſervitutis non liberalis nota habita eſt. Si grave aliquod imminens malum apta phraſi exprimendum erat, vulgò uſurpabant: *Quicumque audierint, tinnient ambæ aures ejus* 1. *Reg.* 3. 11. & 4. *Reg.* 21. 12. Meſſias apud Pſalmiſtam, Pſ. 39. ad Deum locutus: *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi*; in Hebræo eſt *aures perfodiſti mihi*, aperuiſti, auſcultando intentas feciſti; ſeu fortè perfodiſti pro more ſervorum, qui nullum ſibi indulgent ſervitutis terminum anno ſabbatico. S. Paulus Hebr. 10. 5. legit, *Corpus aptaſti mihi*; eandemque lectionem ſervarunt Patres veteres poſt Septuaginta; facilè autem hæc de Incarnatione J. C. dicta exponuntur.

Auribus ſuis audire; *inclinare aurem ſuam ad audiendum*, phraſes ſunt ſacris Authoribus familiares, quæ moroſam haberent apud nos prolixitatem. *Auribus percipe lacrymas meas*, *Pſ.* 38. 13. audi ejulatus meos. *Habere aures aggravatas*, perinde valet, ac ſurdis eſſe auribus, ſeu vitio morbi, ſeu voluntatis affectione. Dominus Iſaiæ 6. 10. *Aggrava aures populi hujus*, annuncies illi futurum, ut cor eorum obfirmem in malo, & aures claudam, ne verba mea auſcultent; ſæpè enim in S. Scriptura fieri dicitur à Prophetis, quod eventurum tantùm illi prædicunt. Idem Propheta cap. 50. 5. *Dominus aperuit mihi aures, ego autem non contradico*; mandavit ſcilicet, & ego pareo & promptè. Et ad Judæos cap. 48. 8. *Non audiſti eu, neque aperta eſt auris tua*; nova ſunt quæ vobis annuncio, nunquam audita. *Aures incircumciſæ* Jerem. 6. 10. aures ſunt Dei verbis obſurdeſcentes. *Quæ in aure audiſtis, prædicate ſuper tecta*. *Matth.* 11. 15. Proverbium eſt idem deſignans ac annunciare ubique palam, quæ ſeorſum auſcultata ſunt. *Qui habet aures audiendi, audiat Matth.* 13. 42. &c. Qui voluerit audire, qui mente percipere.

AURORA. Sermonem habens Pſalmus 109. 3. de ortu ſeu æterna generatione Meſſiæ, genitum illum ante auroram perhibet, vel juxta Hebræum: *Poſteritas tua veluti ros à vulva auroræ*. Poſteritatis nomine hìc deſignati Fideles, quicunque Chriſto nomen dederint; non incongruè autem eorum multitudo comparata eſt rori manè uberrimè fluenti, veluti ex auroræ ſinu, in agros effuſo.

Præpetem fugam ſuam ita exprimit Pſalmiſta Pſ. 138. 8. *Si ſumpſero pennas meas diluculo*, (pennas auroræ) *& habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Porrò nihil eſt

celeriùs, quàm radii Solis longè lateque ſeſe diffundentes ad exortum auroræ.

Agens Iſaias 8. 20. de iis, qui addicere ſe Legi ejuſque præceptis neglexerint; *Non erit eis*, ait, *lux matutina*; non perſeverabunt uſque ad lucem matutinam.

Job 41. 9. de oculis Behemoth, i. e. elephantis: *Oculi ejus ut palpebræ diluculi*, i. e. auroræ imitantur nitorem.

AUSCULTARE uſurpatur interdum pro parere. Pſalm. 80. 12. 14. *Non audivit populus meus vocem meam*, i. e. non paruit mihi. 1. Reg. 24. 10. *Quare audis verba hominum loquentium in David?* quare ſcilicet adverſariis meis credis? *Dominus judicabit inter me, & te*. *Gen.* 16. 5. Teſtis erit tum de mea innocentia, tum de tua in me iniquitate. Auſcultare ponitur etiam non raro pro exaudire, approbare, diſcere.)

AUSITIS. Regio Job. Vide *Hus*, *terra Hus*.

AUSTER, meridies. Vox *Negeb*, ſcilicet meridies, in S. Scriptura (d) de Arabia Petræa, ſivè de Idumæa meridionali; ſivè de plaga meridionali Judææ intelligenda eſt. Interdum Hebræi meridiem denotant nomine dextræ. Eandem meridiem Euſebius, & S. Hieronymus, nec raro etiam S. Scriptura (e) deſignant hac voce, *Daroma*.

AXa, filia Caleb, illi à Patre deſponſa, qui *Cariatſepher* Urbem ſibi aſſignatam, expugnaſſet. Othoniel, conditione impleta, fœminam duxit *Joſue* 15. 16. 17. &c.

In ſolemni traductione in domum Sponſi, Axa Viri perſuaſionibus adducta, ad Patris pedes ſubitò accidit; eique quid peteret quærenti, orare ſe dixit, ut arenti, & ſiccæ terræ, quam ſibi dono dederat, aliam adderet irriguam. Annuit Caleb & campum conceſſit, aquarum ſcaturigine, & pluviis, ac rore irriguum.

AXAPH (f), ſivè Acſaph: eadem eſt ac Ecdippus inter Ptolemaidem, & Tyrum ſita. Vide *Acſaph*.

I. AZA, cujus filii è captivitate Babylonica cum Zorobabel regreſſi ſunt, 1. *Eſdr.* 2. 49.

II. AZA. Eo nomine interdum Urbes Gazæ, & Azoti appellantur (g). Juxtà montem ejuſdem nominis, authore Joſepho Antiq. l. 12. c. 9. Judas Machabæus prælium miſcuit cum Bacchide, in quo ipſe Judas occiſus eſt. Idem locus in 1. Machab. 12. 19. Mons Azoti appellatus.

III. AZA, Urbs Ephraim. 1. *Par.* 7. 28.

AZAEL, Rex Syriæ. *Amos* 1. 4. Vide *Hazael*.

AZANOTH-THABOR. *Joſue* 19. 34. ſivè tantùm *Azanoth*, aut *Aznoth*, Urbs in planitie in viciniis Diocæſareæ.

I. AZARIAS (h), Summus Sacerdos Judæorum, poſt Achimaam, & ante Johanan. Fortaſſe confundendus eſt cum Amaria, ſub Regno Joſaphat Regis Juda. 2. Par. 19. 11. Circà An. M. 3092. ante Ch. 908. antè Ær. 912.

II. AZARIAS, filius Johanan, Summus Sacerdos Judæorum (i) Fortaſſe idem eſt, ac Zacharias filius Jojadæ, qui occiſus eſt anno M. 3164. 2. *Par.* 24. 20.

III. AZARIAS, Summus Judæorum Sacerdos, regnante Ozia, Rege Juda; qui eidem Regi, munus offerendi incenſum uſurpanti (k), reſtitit, eumque, in criminis pœnam, à Deo lepra percuſſum è Templo expulit.

IV. AZARIAS, Summus Sacerdos Judæorum ſub Ezechia 2. Par. 31. 10., Helciæ Pater. Vide Catalogum Summorum Sacerdotum.

V. AZARIAS, Summus Sacerdos ultimis temporibus Regum Juda. Hujus fuit filius Saraias, poſtremus ex Summis Sacerdotibus ante captivitatem 1. Par. 6. 14.

VI. AZARIAS, filius Saddoc Summi Sacerdotis 3. Reg. 4. 2. An Patri in dignitate ſucceſſerit, nuſquam legitur.

VII. AZARIAS, filius Nathan, Præfectus militum cuſtodum Salomonis. 3. *Reg.* 4. 5.

VIII. AZA-

(a) Hieron. ad Ezech. 47. 16. (b) Apud Reland. Palæſt. tom. 1. l. 1. cap. 22. p. 197.
(c) Apud eundem tom. 2. l. 3. par. 666. (d) Deut. 33. 23. (e) Eccli. 1. 6. Ezech. 20. 46. & 40. 24. &c.
(f) Joſue 19. 25. (g) Stephan. in Gaza, & in Azotos. (h) 1. Par. 6. 9. (i) 1. Par. 6. 10.
(k) 2. Par. 26. 17.

VIII. AZARIAS, ſivè ut appellatur 2. *Paralip.* 26. 16. *Ozias* Rex Juda, filius Amaſiæ ex Jechelia, qui à 16. ætatis anno, ſpatio 52. annorum, Regno præfuit 4 *Reg.* 15. 1. Legem Dei ſanctè ſervavit; quanquam in permittendis ſacrificiis in editis collibus, quæ Deus vetuerat, nimio indulgentior fuerit. Cum in Templo ſacerdotale munus offerendi incenſi uſurparet, continuò lepra percuſſus eſt (a), quare ab hominum conſortio ſegregatus; privatam vitam extra Urbem uſque ad mortem egit; interim Jonathan ejus filio Regnum adminiſtrante.

Cum Rex thura adoleret, tradit Joſephus Antiq. l. 9. c. 11. terram adeò ingenti motu fuiſſe concuſſam, ut medius mons occidentalis è ſolo evulſus, impetu quodam actus, ſpatio ſtadiorum quatuor, ſivè 500. paſſuum circumvolveretur; donec objectu montium ad orientem Jeroſolymæ impeditus, viam clauſit, ac Regios hortos oppreſſit. Addit inſuper lucis radium, terræmotus vi diſrupto Templi culmine, in Regem cælitus immiſſum fuiſſe, quo percutiente corpus illius lepra contectum eſt. Hæc ab Joſepho adjiciuntur hiſtoriæ in libris Paralipomenon deſcriptæ. Cæterum conſtat regnante Ozia ingentem terræmotum accidiſſe, ut Amos c. 1. & Zacharias 14. 5. innuunt, & ex libris Regum, & Paralipomenon intelligimus; an verò illud eo temporis articulo contigerit, ignotum eſt.

Regnum feliciſſimis auſpiciis incepit; ſiquidem de Philiſthæis, Ammonitis, Arabibus victorias retulit: Jeroſolymæ munitiones auxit; exercitum 307500. virorum ſub armis detinuit; omni armorum genere refertiſſima armamentaria habuit. Cum agricultura delectaretur, plurimos agricolas in arvis, vinearum cuſtodes in collibus, Paſtores in vallibus deſtinavit. Obiit anno M. 3245. antè Ær. 759. antè Chr. 755. cujus cadaver non in tumulis Regum, utpotè lepra infectum, ſed in tumulo juxta agrum reconditum eſt.

IX. AZARIAS, filius Jehu, & Pater Helles 1. *Par.* 2. 39.

X. AZARIAS, alio nomine *Sephonias*, filius Uriel. 1. *Par.* 6. 36.

XI. AZARIAS, Propheta, filius Oded, (b) qui juſſu Domini obviam factus Aſæ Regi Juda, regredienti ex bello contra Zaram Regem Chus, monuit, ut eam, quam retulerat de hoſte victoriam, ſuæ in Dei legem obſervantiæ acceptam referret, addens futurum, ut ab illa recedentes Judæi omnibus malis oppreſſi, Deo, Sacerdotibus, Doctoribus, Lege aliquo temporis ſpatio deſtituerentur: reſipiſcentes verò veniam à Deo impetrarent: cæteriſque per Orbem nationibus ſibi mutuò cladem inferentibus, ſoli Judæi ſervarentur. His auditis, Aſa reliquiis Idololatriæ deſtruendis novo zelo incumbit. De hoc Propheta nihil ultrà reſcimus.

XII. AZARIAS, filius Obed, unus ex iis, cum quibus Jojada Summus Sacerdos ſecretum communicavit, quod Joas adhuc ſuperſtes ſervaretur: ac ob illum in Regnum reſtituendum, juſſu ejuſdem Jojadæ, Levitas ex univerſa regione congregavit (c).

XIII. AZARIAS. Eo nomine appellati ſunt duo Filii Joſaphat Regis Juda. 2. *Par.* 21. 1. 2.

XIV. AZARIAS. Angelus Raphael hoc ſibi nomen aſſumpſit, cum Tobiam juniorem ad urbem Rages duceret. *Tob.* 5. 18.

XV. AZARIAS, filius Oſaiæ, qui Jeremiam Prophetam accuſavit (d), quaſi populum à tranſmigratione in Ægyptum averteret. Hinc, authoritate Johanan filii Caree & aliorum, operam dedit, ut idem Jeremias, unà cum Baruc, & reliquis de populo, in Ægyptum transferretur.

XVI. AZARIAS. Joſephus, & Azarias (e) quibus Judas Machabæus cuſtodiam Hieroſolymæ commiſerat, auditis victoriis ejuſdem Judæ, nomen ſibi quoque facturi, contra hoſtes copias eduxerunt: verùm prælio inito cum Gorgia apud Jamniam, clade 2000. militum in fugam acti ſunt an. M. 3841. ante Chr. 159. ante Ær. 163.

XVII. AZARIAS, alio nomine *Abdenago*, unus ex tribus, qui ſimulachrum à Nabuchodonoſor erectum adorare renuentes, ejuſdem juſſu in fornacem ardentem acti ſunt (f).

AZARICAM filius Haſabiæ, Levita. 1. 2. *Eſd.* 11. 15.

AZAU, filius Nachor ex Melch. *Gen.* 2. 22.

AZAZ, filius Samma, ex Tribu Ruben. 1. *Par.* 5. 8.

AZAZEL, ſivè *Hazazel*, Græcè *Apopompaios* (g) Latinè Emiſſarius. Is eſt, quem nos appellamus *hircum Emiſſarium*, de quo in ſuo titulo Die ſolemnis Expiationis. Seniores ex populo duos hircos prò peccatis univerſi Iſraelis offerebant (h); quorum alter ſorte extractus, immolabatur; alter liber abire permittebatur, dictus proinde hircus *azazel*, ſive juxtà interpretationem Septuaginta, Aquilæ, Symmachi, Theodoreti, S. Cyrilli Alex. & aliorum, hircus emiſſarius, ſive liber dimiſſus. Hircus iſte liber dimiſſus, totius populi peccatis, & imprecationibus Summi Sacerdotis onuſtus, juxtà eoſdem Interpretes, ad inſtar videtur illorum brutorum, quæ Pagani Numinibus ſuis conſecrabant, & exinde ſui juris eſſe ſinebant, (i). Azazel in Hebræo reddi poteſt hircus abiens, ſive aufugiens.

Alii credunt, *Azazel* nomen eſſe montis, quem nonnulli ex Rabbinis (k) 90. ſtadiis ſcilicet 11. milliaribus & 125. paſſibus à Jeruſalem collocant. Bochartus eam vocem interpretatur; *diſceſſus* ſive *ſeceſſio*. Spencerus dictam intelligit de Dæmone; qua hircus *Hazazel* juxta hanc interpretationem eſt hircus Diabolo permiſſus. Marcus author hæreſis Marcoſiorum (l), eo nomine Dæmonem illum appellabat, cujus miniſterio in præſtigiis utebatur. In eam rem adducit etiam Spencerus Cabaliſtas, & Julianum Apoſtatam (m) Clericus eandem vocem derivans ex Arabico *Aza*, durus, & *azala*, in anguſtiis eſſe, interpretatur, *præcipitium*; ſubditque hircum emiſſarium in prærupto derelinqui conſueviſſe, ubi periret; hinc, ait, poſtquam Levit. 16. 21. præſcriptum eſt hircum Azazel in deſertum eſſe dimittendum, deinde ℣. 22. ſubditur *in terram præruptam*. Præſtat tamen Veterum Interpretum Græcorum verſiones ſequi, qui ex Hebræo *hez*, ſive *hez*, hircus, & *azal*, abiit, eandem vocem duxerunt. Vide Spencerum in Diſſert. *de hirco*, *Emiſſario*, Bochar. *De animal. Sacr. par.* 1. *l.* 2. *c.* 54. Marsham. *Canon. Chronol. Ægypt. ſæc.* 9.

(Hi potiſſimùm cæremoniis dimittebatur hircus emiſſarius (n). Deducti duo hirci ad intimum Templi aditum, ſtatuebantur coram Summo Sacerdote, ſeu ad utrumque latus ejus ad plagam ſeptemtrionalem Altaris holocauſtorum. Tum allata urna, poſitaque inter illos media, cui geminæ ſortes impoſitæ ligneæ, vel argenteæ, vel aureæ; in ſecundo Templo nonquam niſi aureæ adhibebantur. Ex his ſortibus una ferebat adſcriptum *pro Domino*, altera verò *pro Azazel*. Poſt agitatam probe urnam Summus Sacerdos ambas ſimul manus introducens, utramque ſortem efferebat; quæ dextera manu offerebatur, fatum ſtatuebat hirci dexteræ; quæ ſiniſtra, hirci ſiniſtræ. Affirmant Judæi toto eo tempore, quo Simon Juſtus obtinuit Sacerdotium, quæ dexteræ manui cedebat ſors adſcriptum obtuliſſe *pro Domino*, quod non ſine præſentiſſimo omine acceptum eſt; poſt ejus obitum ita variaſſe ret eventum, ut ſors pro Domino nunquam non cederet ſiniſtræ.

Secundùm hæc Pontifex alligabat capiti *Azazel* longiorem quandam faſciam, ſeu ligulam rubram. Id

etiam

(a) An. M. 3221. ante Ch. 779. ante Ær. 783. (b) 2. Par. 15. 1. &c. An. M. 3063. ante Ch. 937. ante Ær. 941. (c) 2. Par. 23. 1. 2. &c. An. M. 3126. ante Ch. 874. ante Ær. 878. (d) Jerem. 43. 2. (e) Mach. 5. 6. (f) Dan. 3. 49. An. M. 3444. ante Ch. 556. ante Ær. 560. (g) Haz-azel. 70. Ἀποπομπαῖος Hieron. [illegible] Abenezra. Aq. [illegible] Dimiſſum, ſolutum. (h) Levit. 16. 5. 7. 8. (i) Spencer. Diſser. de hirco Emiſ. Bochar. de Anim. Sacr. par. 1. l. 2. c. 53, Marsham. ſæc. 9. (k) Jonath. R. Saad. Gaon, Kimchi. R. Salom. Aben-ezra &c. (l) Epiphan. hæreſ. 34. (m) Julian. apud S. Cyrill. l. 9. cont. Julian. (n) Miſna in Joma Maimon. in Jom-Haccipurim.

etiam à ſuo prodigio non vacavit Sacerdotium gerente Simone Juſto, nunquam enim non alba ligula apparuit, eo argumento demonſtrante Numine, populi crimina à ſe indulgentiſſimè remiſſa; ſub aliis Pontificibus modò album pertulit, modò nativum rubrum colorem. Vindicant hiſce Iſaiæ 1. 18. verba: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur &c.*

Poſt Sacrificium hirci Domino deſtinati, hircus Azazel ſtatuebatur coram Pontifice, qui manu utraque capiti victimæ impoſita crimina ſua omnia, tum & populi confitebatur; ſub hæc, per ſelectum virum deductus Azazel in deſertum ad crepidinem prærupti cujuſdam loci 12. milliar. à Jeruſalem; hic derelictus ſecum rapere cenſebatur crimina omnia filiorum Iſrael. Dum ſacris præeſſet Simon Juſtus antequàm hircus Azazel ruens præcipitii tenuiſſet medium, diſcerptus erat in fruſta; ſed poſt ejus obitum fugitans per deſerta, obvius occurrens Saracenis captus ab illis mactabatur in cibum. Vide infra *Expiatio ſolemnis*.

AZAZIAS, Levita, Legis Dei zelotes. 2. *Par.* 31. 13.

AZAZOM-THAMAR. Vide *Aſaſon-Thamar*, ſivè *Engaddi*.

AZBAI, Pater Naarai, unus ex fortiſſimis militibus David. 1. *Par.* 11. 37.

AZBOC, Pater Nehemiæ, qui tempore ejuſdem Nehemiæ Jeruſalem morabatur. 2. *Eſdr.* 3. 16.

AZECA, Urbs Tribus Judæ. *Joſue.* 15. 35. Inter hanc & Soco Philiſthæi cum Goliath caſtrametati ſunt, 1. *Reg.* 16. 1. Urbs hujus nominis inter Jeruſalem, & Eleutheropolim Euſebii, & S. Hieronymi ætate occurrebat.

AZEM, ſivè *Eſem*, Urbs Tribus Simeon, *Joſue* 19. 3., non alia fortaſſe ab *Eſmona*, ſivè *Aſmona*.

AZER, filius Joſue, Princeps Maſpha. 2. *Eſdr.* 3. 19.

AZIAZA, Iſraelita, qui fœminam, cui contra Legem nupſerat, dimiſit. 1. *Eſdr.* 10. 27.

I. AZMAVETH (a), ſive *Azmoth*, aut *Bethazmoth* (b), Urbs fortaſſe Tribus Juda, in viciniis Jeruſalem, & Anathoth.

II. AZMAVETH, filius Beromi, unus ex fortiſſimis militibus David. 2. *Reg.* 23. 31.

AZMON, ſivè *Aſmon*, aut *Aſmona*. Vide *Aſmona*.

I. AZMOTH, filius Jojadæ ex Tribu Benjamin, & familia Saul 1. *Par.* 8. 36.

AZMOTH, filius Adiel. 1. *Par.* 11. 32. & 27. 25.

AZOCH, ſivè *Azochis*, Urbs Galilææ in viciniis Sephoris (c).

I. AZOR. Vide *Aſor*, Urbs Juda.

II. AZOR, filius Eliakim, cujus nomen in genealogia J. C. recenſetur. *Matt.* 1. 13.

AZOTUS, ſivè juxtà lectionem Hebræam, *Aſdod* Urbs in ſorte Tribus Juda (d), quam tamen diù Philiſthæi detinuerunt. Portum habebat ad Mediterraneum. Sita erat inter Aſcalonem, & Accaron, ſive inter Jamniam juxta Joſephum Antiq. l. 13. c. 23. Quæ variæ hujus ſitus deſcriptiones facilè conciliantur, ſi dicamus illam eas Urbes non eadem ratione ſpectare, nec omnibus immediatè interjacere. Inter quinque Satrapias Philiſtæorum potentiſſima habebatur; 1. *Reg.* 15. 17. adeout obſidionem contra Pſammeticum Regem Ægypti 29. annis ſuſtinuerit, authore Herodoto l. 1. c. 157., qui nullam aliam obſidionem tandiù productam fuiſſe obſervat. Judas Machabæus in monte Azoti occiſus eſt, juxtà textum Machabæorum *Lib.* 1. *c.* 10. 85.

I. AZUBA, Uxor Aſæ Regis Juda, & Mater Regis Joſaphat. 3. *Reg.* 22. 41.

II. AZUBA, Uxor Caleb. 1. *Par.* 2. 18.

I. AZUR, Pater Pſeudo-Prophetæ Hananiæ, *Jer.* 28. 1.

II. AZUR, Pater Jezoniæ Principis populi. *Ezech.* 11. 1.

(AZURA filia Adam juxta Orientales (e).)

AZYMUS, ex voce Græca *azymos*, abſque fermento. Pane azymo veſcebantur Hebræi tota octava Feſti Paſchatis (f), memoriam recolentes ejus rei, quæ illis acciderat, dum ex Ægypto egrederentur, cum diſceſſionem urgentibus Ægyptiis, commodum illis non fuit, ut panem fermento curarent. *Exod.* 12. 39. Die 13. Niſan ſedula perquiſitione abditiſſima quæque totius domus ſcrutabantur, ne die ſubſequenti poſt meridiem aliquid fermenti uſpiam remaneret. Hanc cæremoniam Judæi uſque hodie religiosè obſervant; eamque non uno in loco ſpectat Apoſtolus, ut in illo (g): *Modicum fermenti totàm maſſam corrumpit*; ſcilicet, ſi panis diebus Paſchalibus quantulamcumque fermenti portionem admixtam habeat, totus veluti impurus abjiciendus eſt. Alibi etiam (h) ſcribit oportere Chriſtianos non à fermento panem, ſed à delictis, & criminibus vitam puram ſervare; & Chriſtus in Evangelio Matth. 16. 11. abſtinendum monet à fermento, id eſt à doctrina, Phariſæorum, & Herodianorum.

Quæ Judæi noſtris temporibus circa eam rem obſervant, hæc ſunt (i). Domum univerſam diligenter ſcrutantur, ne quid in ea ſivè panis fermentati, ſivè fermenti, ſivè rei ad fermentum accedentis, remaneat. Poſt mundatam, alba calce totam obliniunt, noviſque menſæ, & culinæ utenſilibus inſtruunt; vel ſi non novis, ſaltem pro hiſce diebus tantummodò deſtinatis; quamquam ſi ex metallo confecta ſint, & ad uſus quotidianos, expolita, & ab omni impuritate, ex fermento contracta, igne expurgata permittantur. Tertia dies antè Paſcha huic operi deſtinatur, nempè dies 13. Niſan; ſiquidem Solemnitatem exordiuntur à die 15., ſeu à veſperis diei 14.; diem enim à veſpera ad veſperam ſupputant.

Decimaquarta Niſan, hora 11., in ſignum inceptæ prohibitionis veſcendi fermentato, portio panis communis concrematur, additaque ſolemni proteſtatione Patris-familias, nihil fermenti domi ſupereſſe, continuò azymis conficiendis manus admovetur. Quæ in hunc uſum adhibetur farina, ab omni humiditate, atque ſitu caloris pura prorſus eſſe debet, ne fortè fermentari contingat; ex ea verò aqua ſubacta placentas diverſæ craſſitudinis & figuræ conficiunt. Pro aqua non rarò lac, & ova adhibent, addito ſaccaro; ex quo delicatulos panes, quos vocant *Mazah haſcehira*, Azyma ditia, pro ægrotis, amicis, etiam Chriſtianis efformant.

An Chriſtus in Eucharistiæ inſtitutione azymos ſivè fermentatos panes adhibuerit, ex altera quæſtione dependet, nimirum an Paſcha eadem die, ac Judæi, celebraverit, an prævenerit. Qua de re, utpotè à Dictionario aliena, conſulantur ſcripti de eodem argumento Libri, ac noſtra Diſſertatio de ſupremo Paſchate Chriſti, Commentariis in S. Matthæum præfixa.

AZZI, filius Banni, Princeps Levitarum Jeruſalem poſt regreſſum è captivitate, 2. *Eſdr.* 11. 22.

B A

BAAL, Hebraice Dominus, Conjux, ſivè, *Bel*, Idolum Phœnicum, vel Chananæorum. Ut plurimum ubi *Baal*, ibi etiam *Aſtaroth*; hinc ut *Aſtaroth* Lunam, ſic Solem *Baal* denotare jure creditus fuit. Frequenter genericè, pro maximo Numine Phœnicum, Chaldæorum, Babyloniorum, Moabitarum &c. ſumitur. Sæpè etiam alio aliorum Idolorum nominibus præponitur, ut *Beelphegor*, *Beel-ſebub*, *Bal-gad*, *Beel-ſephon*, *Baal-Berith*. Chananæorum vetuſtiſſimum Numen Baal eſt: quos Hebræi imitati, Baal coluere, ipſi humanas victimas (k), ſuper domorum tecta, & in lucis Altaria (l), Prophetas denique, & Sacerdotes ejuſdem cultui addictos voluere (m). Baal, & Aſthartes ſolemnia per nefas quodlibet, & laſciviam celebrabantur (n).

Authores aliqui Phœnicum Baal, Saturnum eſſe voluerunt, cum victimæ humanæ, quæ litabantur Saturno,

(a) 2. Eſdr. 12. 29. (b) 2. Eſdr. 7. 28. (c) Joſeph. l. 13. c. 20., & de Vita ſua. (d) Joſue 15. 47.
(e) Joel in limine Chronographiæ. (f) Exod. 12. 8. Deut. 1. 6. 8. (g) 1. Cor. 5. 6. & Galat. 5. 9. (h) 1. Cor. 5. 7. 8.
(i) Leo Modena; *De' riti Hebraici p.* 3. c. 3. (k) Jerem. 32. 35. & 19. 5. & 4. Reg. 17. 16. (l) 4. Reg. 23. 4.
(m) 3. Reg. 18. 22. & 4. Reg. 10. 19. (n) 3. Reg. 14. 24. & 15. 12. & 22. 47. & 4. Reg. 23. 7. Oſeæ 4. 14.

turno, aut parum, aut nihil differant ab illis, quas Baal mactari ſolitas Scriptura memorat. Nonnulli putaverunt Baal eſſe Herculem Phœnicem, aut Tyrium, apud Phœnices Idolorum omnium vetuſtiſſimum; ego tamen in mea diſſertatione ſuper Phœnicum Idolis, Baal Solem eſſe, & quidquid ipſi à Scriptura tribuitur, facile de Sole intelligi poſſe pro viribus oſtendi. Putant alii Belum Chaldæorum, aut Babyloniorum eſſe Nemrodum primum ipſorum Regem; alii verò eſſe Belum Aſſyrium, Nini Patrem (a); multi eſſe Filium Semiramidis (b); plurimi demum eſſe Jovem arbitrantur. Nihilominus putandum omninò eſt, apud Phœnices, & Chananæos Baal fuiſſe Solem, qui ſæpè genericè vocabatur maximum Orientalium Numen. Quoad autem Chaldæos, & Babylonios, quàm maximè credibile eſt, Belum fuiſſe aliquem ex primis eorum Regibus; adhuc tamen latet, an hic Aſſur fuerit, an Nemrod, an Thuras, an Belus Nini Pater, an denique Belus filius Semiramidis.

(BAAL non alius facile reputandus à Sole, cujus per univerſum Orientem ſacra erat Religio. Omnium, quotquot colerentur inter Paganos, Numinum Sol, quantum ſcimus, vetuſtiſſimus eſt (c). Homines conſecrarunt Græci, qui ſuperſtitionem illam ſuam apud Romanos & per univerſum ferme Orbem provexerunt; ſed per Orientem univerſum populi aſtra ſibi & elementa ſtatuerant in Numina. Nec abluſerunt Ægyptii, qui licèt ſequioribus ſæculis honores divinos liberaliſſime contulerint in homines, bruta, res etiam ſenſu carentes; ab initio alia non coluerunt Numina niſi Cœlum, aſtra, & elementa. Quod autem Religionem ſibi formaverint monſtroſam adeò & abſurdam, id repetendum potiſſimùm ea tentata veteris Theologiæ ſuæ cum nova Græcorum conciliatione; ac tandèm ſucceſſu temporis factum eſt, ut Ægyptii, Græci, & Latini, quibus de abſurda Religione ſua, atque de conſecratis in Numina mortalibus, & inter bipedes corruptiſſimis invidia creabatur, è re ſua eſſe cenſuerint, ſi ad ſimplices veteres mores redeuntes colerent Aerem, Solem, Lunam, Terram, & Elementa, quorum etiam nomine nihil aliud deſignatum volebant, quàm rerum omnium matrem naturam.

Sed fruſtrà Paganicæ ſuperſtitionis abſurda, quacumque tandem cautatione honeſtata, æquis rerum æſtimatoribus approbarentur. Impenſus aſtris vel elementis cultus, non ſecùs ac creaturis cæteris, rationi penitùs repugnat. Si Pagani conſecraſsent in aris, non homines quidem & mulieres corruptiſſimas, ſed viros potiùs virtute ac morum innocentia venerabiles: nonnè tamen de ridiculo traducerentur, ſin minùs eo nomine, quòd crimen & nequitiam conſecraſſent; ex eo tamen, quòd creaturam divinis honoribus habuiſſent parem.

Æquiùs ſanè reputaſsent illi, qui cultum impendiſſent aſtris, perſuaſi mentes eſse puriſſimas, vel ſaltem ab Angelis animari ac dirigi. Semel enim hæc reputantes, nihil utique tam perfectum habebant præ oculis inter res naturales omnes, quàm ſolem, ſtellas, & planetas, quanquam tamen in eo meritiſſimè & alii reprehenderentur, quòd ea creatura in cognitionem Creatoris aſsurgere negligentes, debita gloria Deum fraudaſsent. *Rom.* 1. 21.

Solem deſignarunt interdum Hebræi nomine *Baal-Semes*, Baal Sol. Manaſse adoptavit cultum Baal, implantavit lucos, atque univerſæ militiæ cæleſti divinos honores contulit 2. *Par.* 43. 3. 5. malum ab eo invectum Joſias emendaturus internecione delevit *Sacerdotes Idolorum, qui adolebant incenſum Baal, & Soli,* (Baal-Semes) *& Lunæ, & duodecim ſignis, & omni militiæ Cæli. Præcepit ut projicerent de Templo omnia vaſa, quæ facta fuerant Baal, & in luco,* (& *Aſtarte*) *& univerſæ militiæ Cæli.* Tandem *abſtulit equos, quos dederant Reges Juda Soli in introitu Templi Domini; curruſ autem ſolis combuſſit igni.* Hiſce Solis cultus diſerte pingitur, ac Sol nomine Baal non obſcurè deſignatus eſt.

In editis plerumque locis Templa & Altaria Soli, vel Baal poſita. Cùm Templum [illegible] Iſrael emineret in monte, ibi inter duo atria collocavit Manaſse altaria univerſæ militiæ Cæli 4. *Reg.* 21. 5. 7., ac potiſſimùm Aſtartei, & Lunæ. Minas intentat Jeremias 32. 29. iis, qui ſacrificiis litaverunt Baal ſuper domorum tecta. Super tecta ædium Regalium poſita ab Achaz altaria deſtruxit Joſias 4. *Reg.* 23. 12.

Victimis humanis cultus eſt Baal; cultus & Sol. Mithra, non aliud à Sole Numen, humanis ſacrificiis non impar habebatur (d); paria interdum exigebat Apollo (e). Moloch Deus Ammonitarum exhibetur non rarò in Scriptura tanquam ſæviſſimum Numen, traductis per ignem pueris colendum. Populo Juda & Jeruſalem vitio vertit Jeremias 19. 5. 6. *Ædificaverunt excelſa Baal ad comburendos filios ſuos igni in holocauſtum Baalim.* Diſcutiendum hic non ducimus, num re ipſa abſumerentur igne victimæ illæ, vel tantùm per ignem traducerentur. Vide infra v. *Moloc*, & noſtram Diſſertationem de illo.

Templa Soli vel Baal dicata peculiari nomine Scriptura appellat *Chamanim Levit.* 27. 30. *Iſaiæ* 17. 8. & 27. 9. & 2. *Par.* 34. 4. loca erant ſepto murorum clauſa ad æterni ignis cuſtodiam. Frequentiſſima occurrebant in Oriente, & maximè omnium apud Perſas; Græcorum vernaculo ſermone appellata *Pyrreja* vel *Pyrratheja* ex Græco *Pyr*, ignis, vel *Pyra*, rogus. Erecta ibi Ara ſpectabatur, plurimus aggeſtus cinis, & ignis perpetuus. Strabo lib. 15. Veſtigia quædam clauſtrorum ejuſmodi in Syria ſpectaſse ſe affirmat Maundrellus, iter ſuum Aleppo Jeruſalem deſcribens. Ex his pleraque nulla offerebant ſimulacra, alia ſua habebant poſita, ſed nihil in figura uniforme.)

BAAL. Pluribus Palæſtinæ urbibus Baal nomen præponitur, vel quod in ipſis Idolum Baal coleretur, vel quod ipſæ fuerint cæterarum Metropoles.

BAALAH, ſeù *Baalat*, vel etiam *Cartathjarim* Joſue 15. 9. 1. Paral 13. 6., aut *Cariath-Baal*, ſivè tantùm *Baal*, aut *Baalim de Juda*, aut *Sedejarim*, & *Campi ſylvæ. Pſal.* 131. 6. Sunt una eadem Civitas in Tribu Juda prope Gabaa, & Gabaon ſita. Carathjarim tranſlata eſt Arca Fœderis, cum eam a ſuis regionibus remiſiſsent Philiſtæi, ibique apud Aminadab ſtetit 1. Reg. 6. 21., donec eam David Jeruſalem tranſtulit.

I. BAALATH, in Tribu Simeon (f). Probabile eſt hanc eſse unam ex urbibus meridionalibus Judæ (g), quæ deinde Tribui Simeon ceſſit. Sita eſt inter Aſem, aut Aſemon, & Chazar-Sual, ſatis proindè vergens ad Petream Arabiam.

II. BAALATH. Urbs Tribus Dan (h). Baleth prope Gazaram meminit Joſephus *Antiq. l.* 8. *c.* 2.

BAALATH-BEER. Urbs ad meridiem Tribus Simeon. *Joſue* 29. 8.

BAAL-BERITH, ideſt *Dominus Fœderis*, Sichimitarum Idolum (i). Gedeone mortuo, Iſraelitæ recedentes a Domino, Baal-berith ſibi Deum conſtituerunt. Hujus Templum in Urbe Sichem erat, in quo pecunias condiderant, quas deinde Abimelech Gedeonis filio tradidere. Diodorus Siculus *lib.* 5. meminit cujuſdam Cretenſium Deæ *Britomartis*: hæc fortè eadem eſt, ac *Baal-berith* cum *Britomartis* oriatur a *Marath-berith*, Fœderis Domina.

(Philo Biblius apud Euſebium Præpar. lib. 1. docet *Elion* & *Berath* duo fuiſse Phœnicum Numina, ex quibus nati *Cælum* & *Terra*, ſingularis adeò elegantiæ pueri, ut ea eorum nomine Cœlum & Terra, illa, quæ oculis habemus ſubjecta, appellarentur. Siquæ fides huic Scriptori, aliunde plane requirenda non eſſet origo *Baal-Berith*; ſed Philo & Sanchoniato ſuſpecta ſunt adeò apud Eruditos nomina, ut vel ab illis lauda-

(a) Vide Marsham. Can. Chronolog. ſæcul. 1. (b) Vide Syncellum, & Cedren. (c) Plato in Cratyl.
(d) Vide Euſeb. Præp. lib. 4. (e) Dionyſ. Halycarn. apud Euſeb. (f) Joſue 19. 1. & 1. Paral. 4. 28. (g) Joſue 15. 28.
(h) Joſue 19. 44. & 3. Reg. 9. 8. (i) Jud. 8. 3. & 9. 4.

laudandis prorſus abſtinendum ſit, vel ſi laudentur, nihil ſat certi adſtruendum ex eorum teſtimonio.

Suſpicatur Bochartus (a) Berith eamdem eſſe ac Beroe filiam Veneris & Adonidis, quæ in conjugem expetitâ a Neptuno, Bacco conceſſa fuit (b); ea illa nomen Beritho in Phœnicia, Urbi deinde ejus cultui addictæ. Hæc Bocharti conjectura; nullo enim argumento conſtat Deam Berithum, cultum in ea Urbe obtinuiſſe.

Pronior & maximè ſimplex explicandi nominis Baal-Berith ratio illa ſuccurrit, ut generatim uſurpatum accipiatur pro Deo fœderum & ſacramentorum. Quo ſenſu verus Deus non incongruè appellaretur Deus fœderum; & niſi Scriptura nomini *Berith* adjeciſſet alterum *Baal* commodè dictum illud uſurparetur de vero Deo. Sed barbaræ æquè omnes gentes quemadmodum & ſuperſtitioſiſſime ac politiores cæteræ, Deum invocare conſueverunt in teſtem, ac vindicem fœderum, & ſacramentorum. Apud Græcos ſacramentorum teſtis & arbiter ſuus erat Jupiter *Zeus Arkios*; apud Latinos *Deus Fidus*, vel *Jupiter Piſtinus*, quod habebatur tanquam fidei ſynceræ Numen, fœdera curans & pacta conventa; jurabat interdum per *Jovem lapidem*; quòd ſcilicet lapide cæderetur victima deſtinata ad fœdus obſignandum; ſive quòd rogaretur ut Jupiter precipitem ageret illum, qui datæ fidei non ſtetiſſet, ſicuti præceps è Capitolio ſummo dabatur lapis, quem manibus tenebat Pontifex.)

BAAL-GAD, Urbs ad radices montis Hermon. Eſt meridionalis Libano, & Damaſco, ſeptentrionalis verò monti Libano. Ex Joſue 11. 17. & 12. 7. mons Hermon *Joſ.* 15. 17. videtur eſſe citrà Jordanem; aliunde tamen evidentiſſimè conſtat, hujuſmodi montem, & proinde etiam *Baal-gad* eſſe ultra Jordanem *Joſ.* 12. 1. *&* 5. Gad erat Idolum Solis, aut bonæ Fortunæ (c), cui cum adoleret *Baal-gad*, ab eodem nomen accepit.

BAAL-HAZOR. Urbs Tribus Ephraim, ubi Abſalomi greges tondebantur. 2. Reg. 13. 23.

BAAL-HERMON, Urbs ad ſeptentrionem Tribus Iſſachar, & Campi Magni Eſdrelon. Vide. 1. *Par.* 5. 23.

BAALIA, unus ex triginta fortiſſimis David. 1. *Par.* 12. 5.

BAALIADA, filius David. 1. *Par.* 14. 7.

I. BAALIM *Juda*. Idem eſt, ac *Baaloh* ſivè Cariath-iarim. Vide ſuperiùs.

II. BAALIM, Pluralis *Baal* numerus, falſos Deos generatim ſignificans.

BAALIS, Ammonitarum Rex, Iſmaelem filium Nathaniæ ad Godoliam (d), à Rege Babylonis Nabuchodonoſor, rel quiis populi Judaici in Judæa relictis præfectum, interficiendum miſit.

BAALMEON, Urbs ex Tribu Ruben. *Num.* 32. 38. & 1. *Paral.* 4. Aliquando etiam *Beth-Baalmeon*. Hanc Rubenitis ereptam, vel Ezechielis ætate poſſidebant Moabitæ (e). *Beel-meon*, aut *Beel-meus*, authoribus Euſebio, & S. Hieronymo, ſita eſt ad radices Montis Baaru, aut Montis Abarim, novem milliaribus ab *Esbur*, ſivè *Eſebon*.

BAAL-PHARASIM, ubi David Philiſthæos fugavit: non procul ab Jeruſalem, in Valle Rephaim. 2. *Reg.* 5. 20.

BAAL-SALISA (f), ſecundùm S. Hieronymum & Euſebium Urbs ad ſeptentrionem, procul à Dioſpoli quindecim milliaribus.

BAAL-THAMAR, ubi filii Iſrael filios Benjamin prælio fuderunt Jud. 20. 33. Euſebius locum hunc propè Gabaam collocat.

BAALTIS, eadem ac *Aſtharte*, aut Luna, maximum, poſt Baal, Phœnicum Idolum.

BAANA, & *Rechab*, Miniſtri Isboſeth filii Saulis quem meridie dormientem, latenter domum ingreſſi interfecerunt; ſublatumque caput detulerunt David (g), qui ob meritam turpiſſimi facinoris mercedem, pedibus, manibuſque abſciſſis ſuſpendi eos juſſit ſuper Piſcina in Hebron.

BAARAS, vel *Baaris*, ſeù *Baru*. D. Hieronymus (h), & Euſebius cujuſdam loci meminerunt nomine *Baru*, aut *Baris* propè *Cariatham*, quam decem milliaribus à Medaba ad occaſum ponunt; & addunt (i) Beelmaus, ſeù Beelmeon duobus milliaribus diſtare ab *Esbus* propè Baaru. Narrat etiam Joſephus (k), ad ſeptentrionem Macheruntii adeſſe vallem, nomine *Baaras*, ubi radix naſcebatur ejuſdem nominis, coloris verò ignei, quæ veſpere ad inſtar Solis radios emittebat. Plura quoque adeò mira de eadem refert, ut à pleriſque omninò apocrypha exiſtimentur; quæ tamen P. Eugenius Roger tamquam teſtis tuetur, & approbat.

BAASA, Filius Ahiæ, Dux exercitus Nadab, Filii Jeroboam Regis Iſrael. Hic proprium Regem, dum Gebethon Urbem Philiſthinorum obſideret (l), per inſidias interfecit: ſicque potitus Regno, quatuor ſuprà viginti annos imperavit (m), & univerſum ſemen Jeroboam, ut ei Dominus præceperat, omninò delevit. At cum & ipſe impietati, & idolis ſerviret, divinam in ſe vindictam concitavit: quem proindè Propheta Jehu Filius Hanani, juxtà Domini mandatum (n), infidelitatis redarguit; qui enim ea humillima ad regiam conditionem fuiſſet erectus, Jeroboami veſtigia relegiſſe: Quamobrem ſciret, ſe poſteroſque à domino delendos; quique ipſorum in Urbe, à canibus; qui in agro obiiſſent, à volucribus diſcerpendos.

Hiſce minis minimè territus Baaſa, ira maximè æſtuans, Prophetam interemit. Obiit denique, & ſepultus in Therſa (o), tunc decem Tribuum Metropoli; Ela Filio ſucceſſore (p). In Paralipomenis tantùm 2. 16. 1. Baaſa Ramath adversùs Aſam Regem Juda muniſſe legitur; eumque ut ab opere averteret Aſa, in ejus urbes Benadad Regem Damaſci excitaſſe, quod ubi intellexit Baaſa, opus intermiſit.

BABAS, ex Aſmonæorum genere. Hujus Filios interfecit Herodes, quod ſibi, ſub Antigono, Jeruſalem ingredienti obſtitiſſent (q).

BABEL, ſeù *Babylon*, *Confuſio*; ex confuſis enim Turrim Babel ædificantium linguis, ut alterum alter non intelligeret, nomen urbi, & Provinciæ inditum eſt (r). Varios modos, quibus fortè linguarum confuſio contigit, cum è re noſtra non ſit hic recenſere, videantur Interpretes, & Cl. Simon in ſua Hiſtoria Critica veteris Teſtamenti, l. 1. c. 14. & 15. & Author opinionum nonnullorum Batavorum Theologorum Ep. 19. Turris Babel ædificatio, & linguarum confuſio contigit an. M. 1775., poſt diluvium 120.

Babel ædificandæ præcipuus author creditur (s) Nemrod Filius Chus. Ipſe ſibi propoſuerat, inquit Joſephus, Turrim adeò ſublimem conſtruere, ut alteri diluvio ſe poſſet eximere, & in Deum ipſum inſurgens Majorum ſuorum naufragium ulciſci valeret. Difficile tamen creditu eſt, tantam ſibi inſaniam perſuaſiſſe, cum præcipuè hoc Scriptura non narret, ſolamque hominibus quibuſdam, ex Oriente in Terram Sennaar progreſſis, nominis famæque augendæ cupiditatem cauſam fuiſſe afferat, cur Turrim excitarent: *Celebremus nomen noſtrum &c. Geneſ.* 11. 7.; Cum verò Dominus certum illis eſſe, ab opere niſi perfecto non deſiſtere, videret, eorum *ita linguas confudit*, ut quiſque ſocii loquentis voces non intelligeret. Quare invicem coacti alii ab aliis recedere, ab incepto facinore reſilierunt.

N Adhuc

(a) Chanaan lib. 2. cap. 17. (b) Nonnus Dionyſ. art. 41. 42.
(c) Vide Geneſ. 30. 11. (d) Jerem. 40. 14. (e) Ezech. 25. 9.
(f) 1. Reg. 9. 4. & 4. Reg. 42. (g) Vid. 2. Reg. 4. 2. & ſeq.
(h) Euſeb. in Kariathaim. Hieron. ibid. (i) Idem in Beelmeon.
(k) Joſeph. de Bello l. 7. c. 25. pag. 981. (l) A. M. 3051. antè Ch. 949. antè Ær. 953.
(m) 3. Reg. 15. 27. &c. (n) 3. Reg. 16. 1. &c. (o) An. M. 3074. antè Ch. 926. antè Ær. 930.
(p) 3. Reg. 16. 7. (q) Joſeph. Antiq. l. 15. c. 11.
(r) Gen. 11. ℣. 7. & ſeq. (s). Joſeph. Antiq. l. 1. c. 5.

Adhuc latet quouſque ea Turris erecta fuerit, quidquid enim ab Authoribus aſſertur, incredibile videtur, & reprobandum. Exiſtimarunt nonnulli Turrim Beli, de qua Herodotus l. 181. quæque ejus adhuc ætate eſtabat Babylone, Turrim fuiſſe Babel, aut ſaltem ſuper ipſius fundamenta fuiſſe erectam, quod poſtremum veroſimile habetur, cum hæc fuerit abſoluta, & ad ſibi debitam ſublimitatem redacta. Hæc ex Herodoto, turribus octo eo ordine diſpoſitis conſtabat, ut una alteri, & hæc ſubinde alii, ſubtiliores uſque impoſitæ conſpicerentur, Earum poſtremæ Templum Beli inſidebat, de cujus menſura, ut & de totius ædificii ſublimitate, nihil Herodotus; qui dumtaxat primam omnium turrim, & cæterarum baſim latitudine, & altitudine, ſivè in quadratum (non enim ex illius textu apertiſſimè colligitur) ſtadium integrum, aut 150. paſſus abſolviſſe narrat. Scriptores aliqui, inter quos Strabo l. 16. initio Turri toti hanc altitudinem tradunt: alii verò, cuilibet ex his turribus ſtadium tribuunt, & totius ædificii altitudinem octo ſtadiis, ſeù mille paſſibus commetiuntur. Rem ſanè incredibilem, licet S. Hieronymus (a) nixus aliorum authoritate, ejus altitudinem ad mille paſſus extendat; nec deſint, qui adhuc ſublimiorem fuiſſe ſeriò opinentur.

Belus Babylonia Rex, cui Turris, de qua Herodotus, erectio tribuitur, longè poſt Moyſem vixit, Filiuſne Semiramidis Belus, an Pater Nini, qui, ut ſcribit Uſſerius, multò poſterior Moyſe, ſub Judice Samgar floruit, circà An. M. 2682. Per. Jul. 3392.

Noviſſima Itineraria diverſimodè Turrim Babel deſcribunt. Fabricius & Gujon mille circiter paſſibus ambitum terminaſſe ferunt; Benjamin, hiſce antiquior, ad bis mille paſſus ejus latitudinem extendit. Cl. de la Boulaye le Gouz eques Andegavenſis, diù Babylone, ſeù Bagdat commoratus, refert novem circiter milliaribus ab urbe Turrim videri nomine Megaram, in planitie ſitam, Euphratem inter & Tigrim: quæ cum interius ſolida ſit & concreta, mons potiùs appellari poteſt, quàm Turris; Ejus ambitus ad calcem nonniſi 500. paſſibus metatur; cumque venti, pluviæ eam penè deleverint, à reliquis nihilo minùs argui poteſt 138. circiter pedes regios altitudine perfeciſſe. Qui eam conſtruunt lateres, quatuor digitorum craſſitiem habent, quos paleæ pice, & bitumine mixtæ trium digitorum craſſitudine ſubſequuntur, ſicque lateribus paleiſque ſibi vicilſim ſuccedentibus. quinquaginta eorum circiter ordines adhuc numerantur. Vide quæ diximus in noſtris Commentariis in Geneſ. cap. 10. verſ. 4. Profectò quidquid de hac Turri, præterquàm à Sacra Scriptura, refertur, effictum omninò eſt, & apocryphum; & reliquiæ quarumdam Turrium, quæ extant Babylone, ad aliud quid pertinere videntur.

BABYLON, Chaldæorum Metropolis, quam Nemrod, Imperii ſui præcipuam (b), ibi condidit, ubi Turris Babel cœpta eſt ædificari. Hujus antiquitas certior eſt, quàm quæ in dubium revocetur; cum Scriptores exteri (c), ad quos nulla unquam rerum Judaicarum notitia pervenerat, eam à Filio Beli, Semiramide bis mille annis antiquiori conditam putent: Alii autem Semiramidem ipſam, alii Belum (d) Aſſyrium Beli Patrem, illius conditorem appellent. Marshamus (e) denique ejuſdem primordia refert uſque ad ætatem Nabonaſſari. Ea tamen de re certius eſt, & à pleriſque comprobatum, Babylonem conditam fuiſſe à Nemrod, à Belo auctam, demùm à Semiramide ità eleganter renovatam, ut tutò dici poſſit eam, ut Conſtantinopolim Conſtantinus, condidiſſe.

Babylonem ſæpè Scriptura memorat, potiſſimùm poſt Regnum Ezechiæ, ad quem ab ægritudine jam liberum, Merodac. Baladani Regis Babylonis Legatus ſe contulit inviſendum (f). Iſaias, qui eadem ætate vixit, calamitates, quibus Babylonii Palæſtinam vexarunt, captivitatem Hebræorum, eorumdemque reditum Babylone, hujus etiam maximè Urbis a Perſis Mediſque everſionem quàm ſæpiſſimè prædicit. Prophetæ autem, qui poſt Iſaiam fuerunt, Jeremias nempe, Ezechiel, & Daniel, qui Nabuchodonoſor Regnum, ultimos Jeruſalem caſus, & excidium Regni Judæ viderunt, Babylonia amplitudinem, crudelitatem, calamitateſque, quibus à Deo confecta eſt, diutiùs deſcribunt.

Liquet etiam apud Sacros Scriptores, Babylonem ampliſſimas inter, & omnium potentiſſimas enumerandam. *Nonne*, Danielis 4. 27. inquit Nabuchodonoſor, *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi... in robore fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei?* Beroſus, & Abydenus putant (g), Babylonis mœnia, ejuſque hortos penſiles ab hoc Rege conditos eſſe; licèt non deſint, qui à Semiramide utraque conſtructa malint. De latitudine, & altitudine horum mœnium maximè inter ſe differunt Scriptores: Clitarcus enim à Siculo Diodoro relatus, 368. ſtadiis; 60. milliaribus Quintus Curtius; 380. ſtadiis Herodotus; Cteſias (h) pariter, relatus à Diodoro Siculo, ſtadiis 360.; Strabo denique 385. ſtadiis eorum circuitum dimetiuntur. Horum altitudini Quintus Curtius, & Strabo 65., latitudini 32. pedes; Plinius tamen, & Solinus altitudini 200., latitudini verò 50. pedes tribuunt. Refert Quintus Curtius duodecim in eorum ædificatione menſes fuiſſe conſumptos, & ſtadium, nempe 125. paſſuum menſuram, ſingulis diebus eſſe abſolutam. Beroſus tamen, & Abydenus volunt decem & quinque diebus maximè mirandum opus omninò fuiſſe confectum.

Quamvis Babylonis imperium credi potuerit omnium vetuſtiſſimum, ſi Nemrod, ut diximus, imperium primò Babylone ſtatuit, diù illud perſtitiſſe nec à Scriptura, nec ab exteris Scriptoribus habetur. Abrahami ætate Amraphelem invenimus Regem (i) Sennaar. Licèt autem Babylon intrà fines Sennaar fuerit, dubium tamen eſt, an *Babyloni* etiam Amraphel imperarit; ſi tamen imperavit, partes aut fœderati, aut auxiliarii Principis, quas in Codorlahomor exercitu gerebat, magni nominis Regem non prætulerunt.

Evechous, idem facile, ac Jupiter Belus, juxtà Julium Africanum, 224. annis ante Arabes, nempè Per. Jul. an. 2952. M. 2242. Iſaac ætate, ante Ær. 1762. Chaldæis imperare incœpit. At Arabes, cum Chiniaſto Babylonis Regi bellum intuliſſent, Regnum illi ereptum, Mardocenti tradidere, An. Per. Jul. 3176. *M.* 2466. ante Ær. 1538. 216. annis ante Belum *Aſſyrium*, dum Moyſes quadrageſimum circiter annum ageret. Aſſyrius Belus *Babylonis* imperium accepit an. Per. Jul. 3392. An. M. 2682. antè Ær 2686. Samgar Iſraelem judicante. Poſt Bellum Ninus, Semiramis, Ninyas, & alii, quorum nomina in vulgatis laterculis. Horum omnium, ſaltem tamquam Regum Babylonis, nunquam meminit Scriptura. Juxta Herodotum l. 1. c. 95. (k) Ninus Aſſyrium Imperium condidit, quod in ſuperiori Aſia 520. annis ſtetit. Eo tempore urbs omniſque Babylonia ſub Satrapa, ab Aſſyriæ Rege eidem præfecto fuit. Unum è tot Aſſyriis Regibus, qui in Urbe Ninive regnarunt, Sacra Scriptura tantummodò Phul memorat, fortè Patrem Sardanapali, Regum Aſſyriorum, Nini ſucceſſorum, poſtremi.

Hoc ultimo imperante, Per. Jul. an. 3966. M. 3257. *Arbaces* Medorum Satrapa, & *Beleſus*, ſeù *Baladan* (l), aut *Nabonaſſar* Babyloniæ Satrapa, à Sardanapalo deficientes, ipſum obſidione Ninive circumſeptum, & ſe, & ſua omnia pretioſiora flammis committere coegerunt; ejuſque imperio inter ſe ipſos diviſo, Arbaces Medis attulit libertatem, Beleſus Babyloniæ Regnum

tutti-

(a) Hieronym. in Iſai. 14. l. 5. p. 114. nov. edit. (b) Gen. 10. 10. (c) Herennius apud Stephan. in Babylon.
(d) Doroth. Sidonius poeta item Abiden. apud Euſeb. Præp. l. 9. c. 41. (e) Marsham ſæcul. 13.
(f) 4. Reg. 20. 12. (g) Vide Joſeph. l. 10. c. 11. & l. 1. contra Appion. & Euſeb. l. 9. Præpar.
(h) 360. Stadia 45000. & ſexcentos paſſus continent, nempe leucas ferè quindecim, 3000. paſſibus in ſingulas.
(i) Gen. 14. 1. (k) An. Per. Jul. 3447. M. 3737. ante Ær. 1267.
(l) Iſ. 39. collatum cum 4. Reg. 20. 12.

Digitized by Google

inſtituit. *Ninus* Junior, quem (a) *Teglathphalaſſar* Scriptura appellat, regnavit Ninive, & Regum Aſſyriorum ſucceſſionem, anguſtiori tamen in Regno, produxit. Huic ſucceſſere Salmanaſar, Sennacherib, & Aſſaradon, nomina ab oppreſſis Iſraelitis illuſtria.

Beleſus, ſeu Baladan, Rex Babylonis, Pater aut Avus fuit *Merodach-Baladan*, à quo Legati, poſt prodigium retroacti per decem lineas Solis in Horologio Achaz, ad Ezechiam miſit (b), eumdem incolumem invenere. Nomina, & geſta ſucceſſorum latent; ſcimus tamen *Aſſaradonum* Aſſyriæ Regem Babylonis Regnum (c) conſequutum, illudque poſt ipſum, *Saoſduchim*, & *Chinaladan*, alio nomine *Sarac*, tenuiſſe, donec *Nabopolaſſar* Babylonis Satrapa, & *Aſtyages* filius *Cyaxaris*, Medorum Rex, in Chinaladan conjurantes (d), ipſum interfecerunt; Regnoque inter ſe ipſos diviſo, Imperium Aſſyrium, penitus delevere An. Per. Jul. 4088. M. 3368. ante Ær. 626.

Nabopolaſſar Nabuchodonoſor Magnum, Jeruſalem everſorem, & inter Reges Babylonis præſtantiſſimum procreavit. Scriptores aliqui eidem illuſtria quædam, quæ alii Semiramidi, adſcribunt. Nabuchodonoſori Evilmerodach; huic Balthaſſar ſucceſſere. Quamvis de ſucceſſoribus Balthaſſaris, & Evilmerodach diſſentiant inter ſe (e) Scriptores exteri; Daniel tamen 5. 31. liquidò oſtendit poſt Balthaſſarem, Darium Medum, poſt hunc, Cyrum, alio nomine Aſtyagem; imperaſſe (f).

De Cyri Succeſſoribus nullum diſcrimen: Cambyſes, ſeptem Magi, Darius Hyſtaſpis, Xerſes, Artaxerſes longimanus, Xerſes II. Secundianus ſeu Sogdianus Ochus ſeu Darius Nothus, Artaxerſes Mnemon, Artaxerſes Ochus, Arſes, Darius Condomanus, de quo triumphavit Alexander Magnus An. Per. Jul. 4383. M. 3973. ante Ær. 331.

Prophetarum minæ in Babylonem gradatim impletæ. Narrat Beroſus (g) Cyrum, poſtquam Urbe hac potitus fuit, ejus exteriora mœnia penitùs evertiſſe, ne propria rursus fortitudine à ſe aliquando deficeret. Darius Hyſtaſpis (h) Babylonis captæ portas & mœnia funditus diruit, ut illius ſuperbiam contunderet. Alexander Magnus de Babylone reſtituenda cogitaverat; at morte præpropera correptus deſtitit ab opere, quod cæteri deindè Succeſſores neglexerunt (i). Cum Seleucus Nicator, ex Alexandri Succeſſoribus, Seleuciam, cujus maximè incrementis ſtudebat, ad Tigrim ædificaſſet, ſenſim factum eſt, ut, confluentibus ad eam Babyloniis, Babylon deſereretur; ipſeque Strabo l. 16. aſſerit ætate ſua, nempè imperante Auguſto, Babylonem ferè undique fuiſse deſertam; ipſique, quod quidam Poeta Megalopoli, vaſti deſerti nomen indidit. Diodorus Siculus l. 2. c. 9. Straboni coævus, ait, hujus Urbis incolas minimam ipſius partem frequentaſſe. Pauſanias Arcad. c. 33. qui ſecundo Eccleſiæ ſæculo floruit, nihil Babylonem reliqui habere aſſerit præter muros. Author eſt Theodoretus, ætate ſua quorumdam tantummodo Judæorum domicilium fuiſse; & Euſebius in cap. 13. Iſai. ab oculatis teſtibus ſe accepiſse ſcribit, Babylonem tunc jam vacuam fuiſse, & penitùs incultam. Ipſe D. Hieronymus in idem cap. 13. Iſaiæ, nixus authoritate cujuſdam Religioſi Elamitæ, Jeruſalem degentis, docet à Perſarum Regibus Babylonem ad vaſtum ferarum vivarium fuiſse redactam, in quo venatum exercerent. Benjamin Tudelenſis, Judæus duodecimi ſæculi, penitùs erutam Babylonem ſe inveniſse fatetur, vidiſse etiam Reliquias Domùs Nabuchodonoſor, quò tamen, frequentiſſimorum angulum metu, pervenire non potuit. Poſt ea tempora, hujus ampliſſimæ Urbis veſtigia adeo perierunt, ut ne vetus quidem illius locus queat inveniri. Quare toto cœlo aberrant, qui urbem *Bagdat* pro veteri Babylone uſurpant.

Aſtronomicarum Obſervationum per Babylonios antiquitas diu multumque jactata eſt; cum Babylonii a primis ſuis Aſtrologia, uſque ad Alexandrum Magnum 473000. annos enumerent (k). Cicero huic numero 3000. annorum demit. Plinius a Perizonio, & ab Harduino caſtigatus, refert l. 7. c. 56. Epigenem 720000. annorum prædictis tribuiſſe obſervationibus; Beroſum verò, & Critodemum, qui earumdem vetuſtatem contrahunt, 480000. eiſdem induliſſe. Hujuſce ſupputationis exceſſus patet; cum non ſolum longè ante diluvium, ſed etiam ante Orbis creationem à Moyſe relatam protendatur: Si Babylonii ea pollent vetuſtate, cur nobis de eorum antiquiſſimis geſtis nihil conſtat? Beroſus, ait (l) Joſephus, cum Moyſe cohæret in iis, quæ de corruptis hominum moribus, & de Diluvio deſcribit. Ariſtoteles (m) indagandæ veritatis cupidus, Calliſthenem monuit, ut ſi certius quid de Babyloniorum obſervationibus haberet, ſibi aperiret; cui ille ab initio Imperii Babyloniorum ad Alexandrum 1903. annos reſcripſit. In Libris tamen editis Plinii pro 720000, tantùm 720, & pro 480000. apud Beroſum, & Critodemum 480. ſcriptum eſt. At ne immoremur in defendenda vulgata Plinii lectione, à qua nullo jure error poteſt removeri, nos prorſus protenſam adeò Chaldæorum vetuſtatem rejicimus, cum à ſacris Literis omnino improbetur. Cæterùm ipſius Calliſthenis computus videtur aliquantulùm excedere, cùm nos juxtà noſtram Chronologiam à Nemrod, & à Turri Babelis uſque ad Imperium Alexandri Babylone. 1800. circiter annos numeremus.

(Autumarunt Patres Græci (n), Textum Septuaginta Iſaiæ 10. 9. ſecuti, turrim Babelicam conſtructam fuiſſe *Chalanne*. Ita illi Textum: *Non cœpi regionem, quæ eſt ſupra Babylonem, & Chalannem, ubi turris ædificata eſt*: Quo loco Hebræus: *Nunquid non ut Charcamis, ſic Calano*, (vel *Chalanne*) *& ut Arphad, ſic Emath; nunquid non ut Damaſcus, ſic Samaria*? Nonne Urbes hæſce omnes ut Imperata facerent adegi? Itaque nihil ex hoc Textu Septuaginta commodè deduceretur ad determinandum conſtructæ turris certum locum. Nec ſanè ambigendi ulla fermè eſt ratio, ſive intra, ſive juxta veterem Babylonem ſtetiſse.

Honorem conditæ Babylonis, & Ninive tribuunt Perſæ (o) Thahamurath, inter vetuſtiſſimos Reges ſuos planè vetuſto. Porrò Rex ille nihil de religione præſcribendum cenſuit ſubjectis ſibi gentibus, ut eo rerum potiente in plures diviſa ramos Idololatria per univerſum planè Orientem explicaretur; quod aliqui dictum accipiunt de tempore ante diluvium, ut congruat cum illo Moſaico de ætate Enus juxta Hebræum: *Tunc cœptum eſt prophanari nomen Domini* (p), Idololatriæ nempe addicentibus ſe hominibus. Orientales equidem non rari cenſent Malaleelem filium Cainan Urbis illius jeciſſe fundamenta ante diluvium; plerique tamen malunt, Nemrod authore potiſſimo inductos homines ad condendam turrim. Ita verò rem narrant, ut prodigioſi aliquid inferant (q). Cùm intellexiſſet Nemrod incolumem Abrahamum ſervatum ab igne, quem ſubire coactus fuerat, dixit ad ſuos: Conſilium agito petendi Cœlum, deſiderio videndi potentem illum Deum, quem annunciat Abrahamus. Fruſtrà illum deterrere ab incœpto conati ſunt familiares, rem planè impoſſibilem tentari ab illo demonſtrantes; juſſit enim excitari, quam fieri potuiſſet maximè celſiſſimam Turrim. Triennio laboratum eſt; & cùm ſurgentis in

(a) 4. Reg. 15. 29. & 167. 10. Item 1. Paral. 28. 12. (b) 4. Reg. 20. 12.
(c) Vide Uſſer. ad an. 3323. & Iſai. 23. 13. (d) Alex. Polyhiſtor. apud Syncell. Uſſer. ad an. M. 3328.
(e) Vide Beroſ. apud Joſeph. l. 1. contra Appion.
(f) Dan. 13. 65. Balthaſſaris mors per nos contigit an. M. 3448. & initium Regni Cyri Babylone an. M. 3457.
(g) Beroſ. apud Joſeph. l. 1. contra Appion. (h) Herodot. l. 3. c. ult.
(i) Strabo l. 16. (k) Diod. l. 2. Cicero de Divinat. l. 1. & l. 2.
(l) Beroſ. apud Joſeph. contra Appion. l. 1. (m) Vide Simplicium l. 2. de cœlo.
(n) Cyril. Alex. Baſil. Greg. Nazianz. (o) Biblioth. Orient. pag. 10. 16. & 159. Babel.
(p) 10. Geneſ. 4. 26. vide Hieron. in qq. Hebr. in Geneſ. (q) Biblioth. Orient. pag. 668. Nemrod.

immenſum ædificii verticem ſcandiſſet Nemrod, attonitus admiratus ad Cælum, quod tanta adeò diſtantia videbatur remotum, quanta jam antea. Stupenti ſtuporem adjecit allatum manè nuncium dejectam turrim corruiſſe.

Nec mora, aliam condi celſiorem ac firmiorem mandat; corruit nihilo ſecius, eodem ac prior illa fato. Mutavit Rea conſilium, ſtatuitque cœlum rectà petere, quatuor vectus avibus monſtruoſis nomine Kerkes. Aliquo temporis ſpatio diſcurrit ita per aera infauſtiſſimus vir, ſed tandem pondus excutientibus avibus lapſu ruit ſuper montem, qui eo caſu inhorruit contremuitque. Apagè fabellas!

Itinerator quidam Germanus, nomine Ranvuolf, qui anno 1575. diſcurrit per loca, ubi olim vetus Babylon, hæc narrat de ruinis inclytæ Urbis (a). *Urbs Elugo ibi collocata eſt, ubi olim Babylon Chaldææ. Leucæ quarta parte abeſt portus, quò appulſis navibus terreſtri itinere petitur Urbs inclyta Bagdad, diei & ſemis itinere diſtans ad Orientem & ad Tygridem. Solum adjacens aridum eſt maximè & ſterile, ut cultus ſit impatiens, vixque reputantibus venire poteſt in mentem ſtetiſſe hîc olim Urbem adeò potentem, & inter florentiſſimas totius Orbis principem, collocatam in medio uberrimi agri Sennaar. Nec id sanè mihi unquam fuiſſet perſuaſum, niſi oculis ſpectaſſem ſitum, & magnifica vetuſtatis rudera, quæ neglecta modò, tetra ſunt tamen veteris gloriæ monumenta. Reſtant adhuc baſſes, & arcus lateritii veſtigia ſuperbi pontis impoſiti Euphrati. Anteriorem faciem urbis Elugo totam habet collis, cui arx inſidebat. Spectare licet adhuc veterum munitionum rudera, quamquam disjectis omnibus & habitatoribus deſtitutis. Retro, & ſat proximè erigebatur turris Babylonica... Offertur etiam oculis ſemileucam diametro occupans; ſed diruta eſt adeò, humilis, venenatiſque belluis, quæ ſibi cuniculos in dejectis ejus ruderibus effoderunt, infeſta, ut ſemileucâ propiùs accedere tutum nemo ſibi cenſeat, niſi duobus hyemis menſibus, cùm ſcilicet in cuniculis ſuis belluæ ſe continentes, tractum illum deſerunt. Maximè omnium metuitur bellua vernacula Incolarum lingua appellata Eglo, cujus eſt virus altiſſimè ſeſe inſinuans; magnitudine vulpes ſuperat.*

Hujus Viri deſcriptionem conferre juvat cum triſti illo rerum ſtatu, quò redigendam Babylonem oraculo prænunciat Iſaias 13. 19. 22. *Erit Babylon illa glorioſa in Regnis, inclyta ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubvertit Dominus Sodomam, & Gomorrham. Non habitabitur uſque in finem, & non fundabitur uſque ad generationem & generationem, nec ponet ibi Arabs tentoria, nec paſtores requieſcent ibi. Sed requieſcent ibi Beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi Struthiones, & piloſi* (Satyri) *ſaltabunt ibi; & reſpondebunt ululæ in ædibus ejus, & Sirenes in delubris voluptatis.*

Is autem viciſſim florentis Babylonis ſtatus erat, Babylonis, quæ Semiramidis, vel Nabuchodonoſoris opus erat (neque enim ſat convenit ea de re inter Veteres). Glorioſiſſimæ autem urbis decora ex Herodoto referimus, quippe qui & locum oculis ſpectavit, & vetuſtiſſimus eſt omnium, quotquot in eam rem ſcripſerunt (b). Quadrati erat operis Urbs, 120. ſtadiis undique patens, i. e. 15. milliar. vel. 5. leucis in quadro, ambitum occupans 480. ſtadiorum, ſeu 20. leucarum. Mœnibus cingebatur ex latioribus quibuſdam lateribus, cæmentatis bitumine, craſſo quodam & glutinoſo liquore, quem terra ejus regionis gemit, cæmentoque firmiùs adſtringente, & lateribus ipſis ſolidiùs concreſcente. Mœnium ejuſmodi craſſitudo erat pedum 87. altitudo 350. ambitus 480. Quicumque alta tantùm 50. cubitis perhibent, vera narrant de Urbe, qualis erat poſt Darium Hyſtaſpis, qui defectionis reos Babylonios puniturus, juſſit de proceris Urbis mœnibus tantùm derogari, ut ad 50. cubitos altitudinis reformarentur.

Muniebat circùm Urbem vaſta quædam, lateritiis muris ad utrumque parietem veſtita & dives aquis, foſſa. Quæ in illa effodienda terra egeſta eſt ſuffecit lateres in opus mœnium, ut è proceritate mœnium foſſæ hujus immanis hiatus intelligatur. Centum portis aditus patebat, 25. ad ſingula quatuor latera. Fores è ſolido ære, ærei inſuper ſtipites & liminaria. Spatium inter duas portas occupabant ſurgentes per intervalla turres tres; & tres inſuper ſtabant inter ſingulos ampliſſimi quadrati angulos; eminebant turres illæ decem pedibus ſupra mœnia; non ubique tamen, ſed ibi tantùm ubi natura loci hiſce munitionibus indigebat. Quâ enim parte Urbem protegebant redundantes ſemper aqua paludes, acceſſus hoſtium prohibentes (c), cur turres eò loci adderentur nihil erat. Quare è turribus recenſebantur tantùm 250. cùm ambitus Urbis multò plures exegiſſet, ſiquidem latera omnia munienda arte fuiſſent.

Singulas portas ſingulæ excipiebant viæ, ut quinquaginta excurrerent per Urbem, ex una ad alteram portam ductæ, interſecantes ſe mutuò rectis angulis, porrigebantur autem in longum 15. milliar. ſeu 5. grandioribus leucis, patebantque in latum pedibus 150. Præter haſce quatuor ſpectabantur viæ, quarum unum latus ornabant imminentes ædes, alterum aggeres in loricæ modum. Ambiebant illæ Urbem ſecundùm mœnia, 200. pedibus in ſingulas ſpatioſæ. Cùm autem Babylonem ſecantes viæ ſe mutuò decuſſarent, Urbem diſtinguebant in *676.* quadrata, quorum ſingula latera tenebant 4. ſtadia & ſemis; ut ambitum complerent duorum milliar. cùm quadrante. Exteriorem ambitum quadrati hujus ſpatii formabant eminentes in tria, vel quatuor ſolaria diſtinctæ domus (d), exteriorem faciem proferentes vario artificio comptam interiora verò occupabant atria, vel horti.

Secabat in duas inæquales portiones, Urbem è ſeptemtrione ad meridiem fluens Euphrates; ſcitiſſimi operis pons, ſtadio ſeu 125. paſſibus in longum, & 30. pedibus in latum, partes illas Urbis inter ſe committebat; ejuſque pontis utrumque aditum duo ornabant palatia, vetus ſcilicet ad latus orientale amnis, novum alterum ad occidentale oppoſitum (e). E duobus hiſce primum tenebat quadratorum, de quibus jam, quatuor ſpatium; ſecundum novem; gyrabat illud teſte Diodoro 30. ſtadia; hoc verò *60.* Alterum è quadratis ſpatiis occupabat Templum *Beli* veteri palatio proximum. Sedebat Urbs in *vaſtiſſimo* agro, cujus ſolum perpingue, & fœcundum. Vaſtæ huic Urbi frequentandæ colonias deduxit Nabuchodonoſor è gentibus planè infinitis, quas armis ſubegerat. Plura de captivitate Judæorum Babylonem in Libris ſanctis leguntur.

Egimus in ſuperioribus de Templo Beli, quod alii cum turri Babelica confundunt. De ſimulacro, mandante Nabuchodonoſore, erecto in agro Duræ, Provinciæ Babyloniæ, agemus alibi. Reſtat ut verbo ſaltem innumanus penſiles illos hortos, perinde habitos velut Orbis prodigium. Spatium occupabant 400 pedum in quadro (f), exhibebant autem ampliores areolas ſanè plures in amphitheatri modum diſpoſitas, quarum ſuperior ex æquo reſpiciebat crepidines mœnium Babylonis; i. e. eminebat 350. pedibus. Ex inferiori ad ſuperiorem aſcendebatur per ſcalam decem pedum; molem autem univerſam regebant concamerati quidam fornices, alii aliis incumbentes, validiſque murorum molibus fulti, 22. pedum craſſitudinis, undique fornices illos cingentibus. Fornicibus ſuperſternebantur dolati quidam ampliſſimi lapides 16. pedum longitudinis, & 4. latitudinis.

Super lapides ſtratæ arundines, affuſa bituminis copia intriſæ; ſuccedebant duo ordines laterum cæmentatorum. Tum protecta omnia laminis plumbeis, & ſuper laminas poſita terra, ut horto ſerviret. Hiſce omnibus proviſum eſt, nè alte ſeſe inſinuans humor

per

(a) Itiner. cap. 8. (b) Herodot. lib. 1. (c) Diodor. Sicul. lib. 2.
(d) Herodot. lib. 1. (e) Beroſ. apud Joſephum Antiq. l. 10. c. 11. Herodot. l. 1. Diod. l. 2.
(f) Diod. l. 2. Strab. l. 16. Q. Curt. l. 5. c. 1.

per tranſverſos fornices ſtillaret. Potiò tantum humi aggeſtum, ut vel proceriſſimæ arbores hortis illis non deeſſent. Nihil autem ibi ad horti amœnitatem deſiderátum: arbores proceriſſimæ quæque & aſpectui jucundæ, flores, plantæ, arbuſta; per ſuperiorem areolam ad horti commodum derivatæ in canale, ope forte antliæ, aquæ fluminis deducebantur. Fertur ædificii hujus prodigium ſuſcepiſſe Nabuchodonoſor, ut genio indulgeret Amyntis filiæ Aſtyagis, quæ cùm originem referret è Media, montibus, & lucis plurimùm delectabatur.

De hortis hiſce ne ſemel quidem Scriptura; ſermo tamen apud illam de ſalicibus ſecundùm torrentem Babyloniæ, ſeu Babylonis implantatis, quorum ramis ſuſpendebant Sacerdotes vel Levitæ captivi, Templi Domini Miniſtri, muſica inſtrumenta: *In ſalicibus in medio ejus ſuſpendimus organa noſtra*. Pſ. 136. 2. Iſaias 15. 7. profetico ſtilo deſcribens futuram captivitatem Moabitarum ſub jugum mittendorum à Nabuchodonoſore, deducendos illos prænunciat ad vallem ſalicum. Et capite 21. 1. deſcribens inferenda à Cyro in Babylonem mala, Urbem illam appellat deſertum maris. *Onus deſerti maris*. Jeremias 51. 36.: *Deſertum faciam mare ejus, & ſiccabo venam ejus... Aſcendit ſuper Babylonem mare, multitudine fluctuum ejus operta eſt*. Et Megaſthenes apud Euſeb. Præparat. l. 9. c. 41. fidem facit Babylonem eo loci fabricatam fuiſſe, qui antes aquis latè ſtagnantibus *mare* appellabatur.

Cedo mihi quæ in Babylonem Iſaias vaticinatus eſt c. 13. 1. 2. &c. *Super montem caliginoſum levate ſignum* (ſuper Mediam Regionem monſtruoſam) *exaltate vocem, levate manum, & ingrediantur portas Duces*, (convenientes, ut in Babylonem moverent). *Ego mandavi ſanctificatis meis, & vocavi fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea. Vox multitudinis in montibus, quaſi populorum frequentium; vox ſonitus Regum, gentium congregatarum.... Ululate, quia propè eſt dies Domini quaſi vaſtitas à Domino veniet. Propter hoc omnes manus diſſolventur, & omne cor hominis contabeſcet, & conteretur. Torſiones & dolores tenebunt, quaſi parturiens dolebunt, unuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, facies combuſta vultus eorum..... Et viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Pretioſior* (rarior) *erit vir auro..... Et erit quaſi damula fugiens, & quaſi ovis, & non erit qui congreget; unuſquiſque ad populum ſuum convertetur, & ſinguli ad terram ſuam fugient. Omnis qui inventus fuerit occidetur, & omnis qui ſupervenerit cadet in gladio. Infantes eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, & uxores eorum violabuntur. Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint. ... Et erit Babylon illa glorioſa in Regnis, inclyta ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubvertit Dominus Sodomam, & Gomorrham. Non habitabitur uſque in finem, & non fundabitur uſque ad generationem, & generationem &c.* Vide Iſai. 14. & 21. & 45. & 46. & 47. & 48. Jerem. 50. 51. Ezech 21. 30. 31 32. Habac. 11. &c.

BABYLON Ægypti, juxta Diodorum Siculum l. 1. Seſoſtri regnante condita. Idem refert, Captivos quoſdam ab eodem Rege Babylone in Ægyptum ductos, eodem in loco ſe munientes, urbem condidiſſe; cui Patriæ nomen impoſuere. Cteſias ab eodem Diodoro relatus, Babylonios in Ægyptum à Semiramide translatos, ibi Babylonem conſtituiſſe narrat, Joſephus tamen. Antiq. l. 21. c. 5. veriùs ait, Cambiſe imperante, à quibuſdam Perſis conditam fuiſſe, quibus ipſe Cambiſes & locum, & facultatem Urbis ſibi conſtruendæ permiſit. Recentiores quidem de hac Babylone Ægypti S. Petrum in ſuarum Epiſtolarum prima loquutum volunt; quod peculiari Diſſertatione ultimo noſtrorum Commentariorum volumini præfixa, rejecimus.

BABYLONIA, Chaldæorum, ſivè Aſſyriorum, Provincia, ubi Babylon Metropolis; nunc *Yerak*.

BACA, locus Tyrum à Galilæa ſejungens (a).

BACATHA, Urbs, ſeu vicus, authore S. Epiphanio (b) in Arabia ſita, intrà fines Philadelphiæ, ultrà Jordanem. Epiſcopus Bacathæ quibuſdam Conciliis ſubſcripſit (c). Carolus à S. Paulo, & Labbæus putant, *Bacatham* eamdem eſſe ac *Bazcatam* in Tribu Juda.

BACBACAS Levita. Hic Templi Jeruſalem ædificationem juvit. 1. *Par.* 9. 15.

BACCHIDES, Dux exercitus Demetrii Soteris Regis Syriæ, & Meſopotamiæ Præfectus (d), ab eodem Demetrio cum Alcimo Sacerdote Jeruſalem miſſus, ut mala, quibus Judas Machabæus regionem devaſtaſſe inſimulabatur, propiùs conſideraret. Jeruſalem igitur ingenti ſtipatus exercitu perveniens, Judam, fratreſque, ſpe pacis per fraudem facta, per nuncios compellavit (e). His tamen dicto minimè obaudientibus, Scribas, & Aſſidæos ſexaginta, qui ad Bacchidem venerant, eadem die interfecit. Hieroſolymis inde diſcedens, apud Bethzecam caſtrametatus eſt; & ex iis quoſdam, qui à Syris defecerant, comprehenſos, mactavit, cadaveribus in puteum projectis. Quibus peractis, Regionem Alcimo commiſit, relictiſque nonnullis militum copiis, Antiochiam ad Demetrium regreſſus eſt.

Pauló poſt (f), eodem labente anno, Bacchides novo lectiſſimoque inſtructus exercitu in Judæam rediit, ut Judam, qui nuper Nicanorem fregerat, edomaret. Cumque recta Jeruſalem perveniſſet, nec ibi, ut putabat, Judam, qui Laiſam ſeu Leſen diverterat, comperiſſet, eò 20000 peditum, equitumque 2000. exercitum duxit. Quos ubi exercitus Judæ ex 3000. tantummodò hominum conflatus proſpexit, plerique metu coacti, præter octingentos, diffugere: cùm quibus tamen Bacchidem adortus Judas, dexteram illius alam fregit, eoſque ad montem Azoti perſequutus, ab iis, qui in ſiniſtro cornu certabant, circumventus, hoſtium numero oppreſſus, Heros fortiſſimus dimicans interfectus eſt (g).

Tunc omnis circum Regio Bacchidi ſe dedidere, quibus ipſe viros impios præfecit (h), qui nequiſſimè in omnes amicos Judæ ſæviebant. Cum verò omnes Judæ amici ad Jonatham Fratrem Judæ confugiſſent, eumque pro Juda in Principem elegiſſent, Bacchides omni conatu mortem illi intentavit. Quod ut novit Jonathas, in Deſertum Thecuæ propè Jeruſalem ultrà Jordanem fugiens, à Bacchide ita eſt circumſeptus, ut à tergo fluente Jordane, & hinc & inde ſaltibus viam intercludentibus, aut vincendum illi eſset, aut moriendum; ſigna tamen cum hoſtibus conferens, poſtquam viriliter dimicatum eſt, cum hoſtium numerum ferre non poſſet, una cum ſuis in Jordanem diſſiliens, tranſnatavit. In eo certamine Bacchides mille viros amiſit; hinc Jeruſalem reverſus eſt. Quaſdam urbes in Judæa munivit, Principum Filios obſides acceptos in arce Jeruſalem cuſtodiendos tradidit, & pauló poſt, mortuo Alcimo, ab Judæa recedens, Antiochiam ſe contulit (i).

Duobus poſt annis (k), à quibuſdam iniquis Judæis revocatus Bacchides, in Judæam rediit novo inſtructus exercitu, ſuoſque, qui in Judæa erant, occultè per epiſtolas monuit, ut comprehenderent Jonatham: qui cognito eorum conſilio, inſidias declinaturus, unà cum Fratre ſuo Simone receſſit Beth-Beſſen; ubi poſtquàm diù Bacchidis obſidioni reſtitit, ad urbis cuſtodiam relicto Fratre, cum militum manu, agrum tenuit.

(a) Joſeph. l. 2. de Bello c. 2. (b) Epiph. adverſ. hæreſ. l. 2.
(c) Vide Reland. Palæſt. l. 1. p. 612. (d) 1. Mach. 7. 8.
(e) An. M. 3843. ante Ch. Advent. 157. ante Ær. 161. (f) 1. Mach. 9. 1. &c.
(g) An. M. 3843. ante Chr. 157. ante Ær. 161.
(h) 1. Mach. 9. 24. &c. (i) An. M. 3843. ante Chr. 157. ante Ær. 161.
(k) 1. Mach. 9. 57. &c. An. M. 3846. ante Chr. 154. ante Ær. 158.

temuit. Simon etiam è civitate in hoſtes erumpens, Bacchidis machinas incendit, eumque ab obſidione deſiſtere coegit. Qui denique Jonathæ Legatis exceptis, pace cum eodem compoſita, redditiſque captivis Antiochiam rediens, in Judæam nunquam regreſſus eſt. Hæc de Bacchide; quamvis autem 2. *Machab.* 8. de quodam Bacchidis & Judæ certamine mentio fiat; tamen nec belli tempus, nec hiſtoria innoteſcunt; tantùm poſt an. M. 3840. contigiſſe novimus.

BACENOR, Doſithei Pater 2. *Mach.* 12. 35.

BACHUR, ſivè *Bahurim*, ſeù *Bachor*, vel *Bacora*, aut *Choraba*, vel *Choromanon*; ejuſdem loci ſynonyma (a). Pagus eſt circa Jordanem Hieroſolymæ proximus, ubi Semei Filius Gera, Davidem maledictis impetiit. 2. *Reg.* 16. 5.

BACULUS, ſive *Virga Magica*, ſeù *divinatoria*. Ezech. 21. 22. legitur Nabuchodonoſor cum exercitu ſuo Palæſtinam versùs proficiſcens, in bivio ſtetiſſe, commiſcens in pharetra ſagittas, ut per divinationem, qua bivii via ſibi eſſet progrediendum, edoceretur. S. Hieronymus, Theodoretus, Grotius, & plerique recentiores Interpretes, de his Ezechielis verbis agentes, ſcribunt, inter Chaldæos morem invaluiſſe, ut quotieſcumque vel rem aliquam, vel iter aggredi vellent, virgis, aut ſagittis in pharetra commiſcendis, nomen vel urbium ad quas progredi, vel rerum, quas perficere cupiebant, inſcriberent. Hinc è pharetra ſagittis ſorte extractis, quod earum prior exhibebat, exequebantur. Qui divinandi modus in Oriente vetuſtiſſimus eſt. Scythæ (b), & Alani (c) per quoſdam ramos ſalicis aut myrthi divinationes quærebant. Arabes etiamnum (d) tribus virgis ſacculo incluſis utuntur, quarum uni, *Jube Domine*, alteri *prohibe Domine*, tertiæ nihil inſcribunt. Si quæ primò extrahitur virga, inſcripta ſit; *prohibe Domine*, à ſententia recedunt. Simili quodam videntur uti Turcæ (e) Sinenſes (f), olim etiam Hebræi (g), & Medi (h). Author eſt Tacitus, veteres Germanos in fruſta ramum aliquem arboris frugiferæ ſcindere conſueviſſe, quæ quibuſdam characteribus inſcripta, fortuitò in album pannum projiciebant, deinde Pater-familias ſingula colligens, ab eorum characteribus futurum conjiciebat.

(BACULUS. Affirmat Tobias habere ſe filium tanquam baculum ſenectutis ſuæ (i) Minitatur Deus Moabitis, confracturum ſe *baculum gloriæ* eorum (k), robur nempe cui potiſſimùm fidebant. *Quomodo confracta eſt virga fortis, baculus glorioſus?* Famem minitantur Prophetæ hac potiſſimùm phraſi. *Conteram baculum panis*, Ezech. 4. 16. redigendoſque à Deo addunt homines in extremam rerum omnium penuriam. *An ſperas in baculo arundineo, atque confracto Ægypto* (l), *ſuper quem ſi incubuerit homo, & comminutus ingredietur manum ejus & perforabit eam?* Iſaias 10. 5. *Aſſur virga furoris mei, & baculus &c.*; ſunt enim impii baculus, quo Deus viros bonos durat ad toleranda mala. *Adhuc in plateis Jeruſalem viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum*. Zacch. 8. 4. Trangreſſum ſe Jordanem affirmat Jacob baculum tenentem, in manu (m), tranſvadare illum iterum trahentem ſecum geminam turbam, hominum nempe & gregum. Mandat Deus Iſraelitis, ut comedant Paſcha tenentes baculum in manu, tanquam accingentes ſe ad iter (n). David in modum imprecantis rogat, ut nunquam deſint in domo Joab, qui progrediantur tenentes baculum in manu (o), nempe viliati pede; vertere tamen maluit S. Hieronymus, homines *tenentes fuſum*.)

BADACER, Dux exercitus Jehu Regis Iſrael. Huic mandavit Jehu, ut Joram, filii Achab, cadaver in agrum Naboth Jezraelitæ projiceret 4. *Reg.* 9. 25.

BADAD, Pater Adad (p), Idumæus, à Septuaginta in Geneſi, & Paralipomenis (q) *Barad* appellatus.

BADAIAS, ex illis unus, qui Babylone Jeruſalem regreſſi, Uxores alienigenas ſibi à Lege interdictas repudiarunt 1. Eſd. 10. 35.

BADAN. Legitur 1. Reg. 12. 11. Dominus miſiſſe *Jerobaal*, *Badan*, *Iephte*, & *Samuelem*, ut per eos populum Iſrael ſervaret. Notum eſt Jerobaal eumdem eſſe ac Gedeonem; Badan verò inter Iſraelis Judices minimè reperitur. Septuaginta pro *Badan* legunt *Barac*. Quidam volunt (r) Badan eumdem eſſe ac Jair ex Tribu Manaſſe, qui tribus, & viginti annis Iſraelem judicavit (ſ). Quidam *Badan* ultimus Nepos Machir legitur (t); porrò Jair filius erat Segub, cujus Mater Heſron, filia Machir. Rabbini, & Chaldæus, & Interpretes (u) plerique aſſerunt Badan fuiſſe Sampſonem ex Tribu Dan; ego tamen cum iis, qui ſcribunt fuiſſe Jair, ſentio Sampſonis, & Barac nomina in pluribus Bibliis addita ſunt ante (x) correctionem Romanam.

BAETER, aut *Bether*, ſive *Betharrus*. Vide *Bether*.

BAGATHAN, Præfectus Cuſtodiæ Regis Aſſueri, ſeu Darii Hyſtaſpis. Hujus inſidias, quas vitæ ipſius Aſſueri paraverat, aperuit Mardochæus (y). Bagathan idem ferè ſonat, ac Bagoas, ſcilicet Eunuchus. Scriptores Chaldæi, & quædam 70. Interpretum exemplaria referunt, Bagathan, & Thares in Regem conjuraſſe, ne Patruus Reginæ Mardochæus dignitatibus augeretur: Alii tamen putant inſidias in Aſſuerum ſtruxiſſe, ut Amano, cui maximè favebant, Regnum deferrent. Cæterùm nil certi habemus, cum vera conjurationis cauſa ignoretur.

BAGDAD, ſeù *Bagdet*, Urbs conſpicua propè Tigrim, Metropolis Provinciæ *Yerach*, pluribus Babylon: hæc tamen à veteris Babylonis loco longè abeſt.

BAGOAS, ſcilicet *Eunuchus*, frequens in Orientalibus nomen. Idem eſt ac *Vagoa*, Judith. 12. 10. *Egeus*, ſive *Egaios*, Eſth. 2. 3. 8. 15.

BAHEM, (z). Demetrius Summo Sacerdoti Simoni, *Coronam auream, & Bahem quam miſerat ſuſcepiſſe*, reſcripſit: quo nomine quidam gemmas, ſeu uniones; quidam veſtem ſignificari autumant (aa). *Græci* pro *Bahem*, legunt *Bainan*, quod Grotius ex *Bais*, Palmarum ramo, derivat. Hoc ſanè credibilius, cum aureas palmas, & coronas donum mitti victoribus Regibus ſatis conſuetum fuerit.

BAHURIM. Vide *Bachur*.

BALA, ancilla Rachelis, à qua viro ſuo Jacob tradita eſt, ut vel ex ipſa filium acciperet. Nec votis defuit, cum *Dan*, ſcilicet Judicium (bb), & *Nephtali* genuerit. In veteri, ſed apocrypho, duodecim Patriarcharum Teſtamento (cc) Ruben dicitur Balam Concubinam Patris ſui Jacob inceſtu violaſſe; quarè acriter *Gen* 49. 3. increpatus eſt; & mortua Rachele in lethali partu Benjamin, traditus Balæ infantulus, quem nutriret (dd); quod tamen nimis eſt incertum.

BALA, aliter *Segor* (ee), Urbs Pentapolis. Vide *Segor*. Ferunt (ff) vocatam fuiſſe Balam, quod eſt Abſorpta, quia via Loth ab ea egreſſo, hiſcente tellure hauſta eſt.

BALA; Urbs Tribus Simeon fortè eadem, ac *Segor*, *Joſue* 19. 3.

BALA-

(a) Vid. Joſeph. Antiq. l. 7. c. 8, 9. (b) Herodot. l. 4. c. 67. (c) Ammian. l. 31.
(d) Herbelot. Bibliotheque orient. verbo Aldad. (e) Thevenot voyage du levant, c. 26.
(f) Gonzal. & Mendoza l. 2. c. 4. (g) Oſee 4. 12. Maimon. Tract. de Idolat. c. 6. (h) D. Chryſoſt.
(i) Tob. 5. 23. (k) Jerem. 48. 17. (l) 4. Reg. 18. 21. Ezech. 29. (m) Geneſ. 32. 10.
(n) Exod. 10. (o) 2. Reg. 3. 29. (p) Geneſ. 36. 35. (q) 1. Paralip. 1. 46.
(r) Jun. Piſcat. in 1 Reg. 12. 11. (ſ) Judic. 10. 3. (t) Par. 2. 21. 22.
(u) Lir. Eſt. Mennoch. Tir. Cornel. Sanct. &c.
(x) Ita Sixt. V. edit. Jerobaal, & Badan, & Sampſon, & Barak, & Jephte. (y) Eſth. 2. verſ. 21.
(z) 1. Mach. 13. 37. (aa) Vide Syr. ad 1. Mach. 13. 33. (bb) Gen. 30. 3. 4. 5. &c.
(cc) Teſtament. 12. Patriarch. in Rub. c. 3. (dd) Idem in Benjamin. initio. (ee) Gen. 14. 2. 8.
(ff) Vid. Theodoret. qu. 70. in Gen. Procop. Diodor. in Caten. & Hieronym. quæſt. Hebr.

BALAAM, Propheta, ſeu Ariolus Urbis Pethor ad Euphratem. Balac Moabitarum Rex Num. 22. 4. viſa multitudine filiorum Iſrael, veritus ne in ſuas Regiones impetum faceret, nec illis obſiſtendo parem ſe noſcens, per nuntios Balaam Ariolum invitavit, ut juxta vetuſtiſſimam illius populi ſuperſtitionem Iſraelitas devoveret. Cum igitur Legati Moab, & Madian, ferentes Divinationis pretium, ad Prophetam veniſſent, ipſique Regis mandata expoſuiſſent, ille apud ſe pernoctare juſſit, reſponſum, ex Domino à ſe eadem nocte quærendum, in craſtinum redditurus. Deus igitur Balaamo ſe ſiſtens, ipſum, quaſi inſcius, quid ſibi peterent, interrogavit. Quod cum ex Balaamo audiſſet, ne cum ipſis pergeret, prohibuit. Craſtina interim die, reddito Domini reſponſo, Legatos dimiſit. Ut Prophetam abnuiſſe Rex intellexit, nequaquam animis cadens, nobiliores prioribus viros, majoribus donis inſtructos iterùm ad Ariolum legavit. Qui, ut Nuntios vidit, Dei reſponſa invertere, quibuſvis muneribus illectum, ſe non poſſe teſtatus, Legatos rogavit, ut eam noctem apud ſe ducerent, dum Dei placita perſcrutaretur. Dominus itaque eadem nocte Ariolo apparens, ipſum, monitum antea, ut juſſis ſtaret, cum Legatis abire permiſit.

Strata igitur Balaam Aſina, cum iis profectus eſt. Cumque impium proficiſcentis animum Dominus noſſet, Angelum, qui evaginato gladio viam illi intercluderet, miſit: Quem videns aſina, per arva, metu acta, vagari cœpit. Hæc verò a Balaam verberibus ad ſemitam reducta, Angelo iterum viſo, maceriæ cuidam adeò hæſit, ut ſedentis pedem contriverit. Balaam ira majori æſtuans, crudelius ipſam verberabat; donec in anguſtiſſimum locum, ubi nullus utrinque aditus patebat, delatus, aſinam pergere abnuentem, humique jacentem vehementius cædens; impietatis, quod mite animal adeò percuteret, ab ipſa aſina, divina vi humanas voces proferente, redargutus eſt.

Tunc Angelum, Deo permittente, videns, humi ſtratus, pronoque in terram ore, veneratus eſt. Quem cum Angelus & crudelitatis in aſinam, & perfidiæ in Deum increpaſſet, ipſumque à ſe occidendum fuiſſe dixiſſet, niſi aſina declinaſſet; ille facti pœnitens, ſe à cœpto itinere receſſurum dixit, ſi Angelus imperaſſet: quem tamen ille ad iter proſequendum confirmavit, dum ea tantum, quæ à Domino intelligeret, loqueretur. Progredienti igitur Balaamo Balac, ut eum adventare monitus eſt, obviam factus, cur ſtatim arceſſitum abnuerit, interrogavit. Cui Balaam: En adſum; cæterùm, quæ à Domino edoctus fuero, me loquuturum ſcito. Tum Balac Ariolum ad Metropolim Moabitarum *Ar*, ſeù *Kir-hareſeth* ductum, mactatis bobus, atque ovibus donavit. Craſtina verò die ipſum ad excelſa Baal, unde extrema Iſraelis pars proſpiciebatur, adduxit.

Tunc Balaam ſeptem conſtrui aras, vitulumque, & arietem cuique ſuperimponi jubens, aliquantiſper ſeceſſit, ut à Domino dicenda edoceretur. Num. 33. 1. 2. Cui continuò Dominus occurrens, quæ loqueretur, dictavit. Regreſſus igitur Balaam, ſtanteſque propè paratum holocauſtum Balac, & Principes Moabitarum intuitus, ait: Ex Aram me acceſſit Balac Moabitarum Rex, ut Iſraelem devoveam. Qui devoveam, quem Dominus non devovet? Qui deteſter, quem Dominus non deteſtatur? Tum Iſraelem à cæteris Gentibus ſeparandum, innumeroſque Jacob poſteros futuros prædicens, ſibi vitam, & exitum, illorum morti vitæque ſimilem deſiderat.

His auditis, Balac, quid, inquit, agis? Ut hoſtibus maledicas, te vocavi; tu verò benedicis. Cui Balaam ſe Domini imperata eloqui cum reſpondiſſet, ille ariolum ad montem Phaiga deduxit, unde totum Iſraelem non videns, facilius ipſum deteſtaretur. In montis igitur vertice aris, & holocauſto, ut antea, præparatis, ariolus ad Dominum inquirendum ſecedens, ab occurrente ſibi Domino quæ loqueretur, inſtructus eſt. Reverſus itaque Balaam, Regique de auditis ſe interroganti, Sta, inquit, Balac, & audi. Non ut homo, mentitur, nec mutat ſententiam Deus. Quæ ſemel pronunciavit, exequetur. Ad maledicendum vocatus, benedictionem prohibere non valeo: Non enim præſtigia, nec Divinatio Iſraeli officiunt; adeſt enim illis Deus, Deique victoriarum ſonitu Iſraelis caſtra pulſantur. Hunc ipſe, ut rhinoceros, fortis ex Ægypto eduxit; quæque Dominus egit, Iſraeli ſemper impoſterùm recolentur. Ipſe populus veluti leæna conſurget, & quaſi leo erigetur; prædaque nonniſi vorata, hauſtoque ſanguine accubabit.

Tunc Balac, ne maledicas, inquit, nec benedicas. Cui Balaam, Annon, ait, prædixi, quidquid mihi Deus imperaſſet, hoc facturum? Tum Balac adhuc tentaturus an Deo placeret, ut Iſraeli Balaam malediceret, ariolum ſuper verticem montis Phegor duxit; ubi, ut Phaſga, ſeptem aris erectis, nihilque hæſitans de Domini voluntate non receſſit Balaam, ut Domino occurreret, ſed vultum ad deſertum verſo, ait: Audite quæ Balaam Filius Beor, Divinorumque ſermonum auditor eloquitur, qui viſiones Omnipotentis intuitus eſt, qui cecidit, cadentique oculi aperti ſunt (Angeli à ſe viſi hic meminit, cum, aſina ſub ſe inſidente, concidit.) Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael! Tum nemoroſis vallibus, hortiſque vicino flumine irriguis Iſraelem comparat. Augendos in immenſum poſteros; ipſorumque Regnum ſuper Gog extollendum; hoſtes ſuos & vel ipſa eorum oſſa voraturum vaticinatur. Quaſi leo, & leæna accubuit; quem quis à ſomno audeat excitare? Qui bona tibi, ſeù mala imprecabitur, eadem illi rependentur. *Num.* 34. 1. 2.

Iratus Balac, quid, ait, inimicis meis jam tertiò benè precaris? Abi ergo: honores, quos tibi decreveram, tibi abſtulit Dominus. Cui Balaam: Nonne nuntiis dixi, nullis muneribus, ipſave domo tua argento auroque referta, fieri poſſe, ut quæ Dominus mihi dictaſſet dicenda, non dicerem; Verum abiens quid tibi, populoque tuo in Iſraelitas agendum ſit, edocebo. Tum Divino furſum œſtro percitus, Servatoris adventum, ipſiuſque in Duces Moab, Filioſque Seth præpotentiam, & in Idumæam, & Seir dominatum vaticinatur. Hinc ad Amalec verſus: ipſum, principium licet Gentium, deſtruendum aſſeruit. Tum Cinæorum regionem intuitus, robuſtum quidem illis domicilium, at quamvis in vivo lapide ſitum, igni devotum; ipſoſque Cinæos captivos ab Aſſyriis ducendos eſſe pronunciavit. Tum exclamans, ait: Heu! quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus; Venient de Macedonia, & ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabunt populos ultra Euphratem; ipſique tandem etiam peribunt.

His expletis, Balaam profectionem parabat. Antequam tamen regrederetur, Madianitis & Balac (a), ad idolatriam, & impudicitiam Hebræos inducerent, imperavit, tunc enim fore, ut eorum vires conſtringerent, & de iiſdem, ab eorum Deo relictis, victoriam haud dubiè referrent. Moabitides igitur mulieres Iſraelitas ad ſolemnia Beelphegor acceſſitos, nulloque negotio ad ſacrificandum adductos, in fornicationem impulerunt. Tum iratus Deus Moyſi mandavit, ut ſcelus hujuſmodi ulciſceretur; qui deinde bello Madianitis indicto (b), maximaque cujuſque ætatis & ſexus multitudine eorum deleta, quinque etiam eorum Principes, & ipſum Balaam interfecit (c). Hæc tantum Scriptura de Balaam.

Rabbini (d) verò addunt, eum antea Pharaoni à Conſiliis fuiſſe; tum Aula relicta, in Æthiopiam perrexiſſe, ibique in quamdam magni nominis urbem receptum, ad defectionem à ſuo Principe eamdem impuliſſe, ſuis magicis artibus cum nullis armis expugna-

(a) Vide Num. 34. 14. Mich. 6. 5. & 1. Petr. 2. 5. Judæ verſ. 11. Apoc. 2. 14. (b) Num. 25. 17. 18. (c) Num. 31. 8.
(d) Vide Vitam Moſis à Gualmino editam; & Archiva V. T. Scipionis Sgambati &c. l. 2. Denique Fabricii apocrypha V. T. pag. 807. &c.

Digitized by Google

pugnabilem redditurum; Moyſem tamen, ipſius ſpe deluſa, urbem ſubegiſſe; qua capta, Balaamum ad Arabes confugiſſe commentantur. Quidam Hebræorum Scriptores Balaam, & Eliu amicum Job confundunt; cujus rei in ſuis Hebraicis quæſtionibus meminit S. Hieronymus. Non deſunt, qui velint Balaam, eumdem eſſe ac Laban, celebreſque illos Pharaonis Magos, Jannem ſcilicet, & Mambrem ipſius filios dicant. Præterea ipſum Juſeum, & gibboſum, authoremque illius tractus Numerorum, hiſtoriam ſui continentis, faciunt, quam Moyſes proprio operi, non ſecus, ac ultima verba Jacob, aut aliqua loca Libri bellorum Domini, inſeruerit. Patres aliqui (a) crediderunt, eos Magos, qui Bethleem ad Chriſti Domini Infantis incunabula ſeſe contulerunt, Diſcipulos fuiſſe & Poſteros Balaam, à quo novum Regem, & Servatorem in Iſrael apparliturum didicerint, cum novum ſydus primò videretur.

Veruſne Domini Propheta, an ſimplex Divinator, & Ariolus, ut Numerorum capite 22., Balaam fuerit, diſceptatur. Origenes enim Homil. 13. in Num. aſſerit omnes hujus hominis vires in magicis artibus, & malis imprecandis conſtitutas, cum Diabolus, cujus auxilio utebatur, ad hæc tantum poverit homines excitare. Theodoretus qu. 39. & 42. in Num. putat Balaam minime Dominum conſuluiſſe; Dominum verò eum, invitum licèt, ad ea proficienda coegiſſe, quæ minimè protuliſſet. S. Cyrillus Alexandrinus l. 4. & 6. de adorat. in Spir. ſceleſtum, Magum, Idololatram, & falſum Propheram nuncupat, qui verum nunquam, niſi invitus, protulerit. S. Ambroſius Ep. 50. 1. claſſ. nov. edit. eum Caiphæ comparat, qui imprudens prophetam egit. Plerique tandem (b) Commentatores eum Magum, & Idololatram volunt.

S. verò Hieronymus quæſt. Hebr. in Geneſ. Balaam verum Deum noviſſe, cui Aras erexit, verumque Prophetam fuiſſe, licet pravis moribus obnoxium cum Hebræis ſentire videtur. Moyſes apertè ait, eum conſuluiſſe Dominum (c), Dominumque appellaſſe ſuum Deum: *Non potero immutare Verbum Domini Dei mei*. S. Auguſtinus (d) quæſtionem hanc ſolvere non audens, tantùm ait, Balaam ex iis futurum, qui ſupremo Judicii die Domino dicent; *Domine nonne in nomine tuo prophetavimus?* Ex quo inferri poteſt, S. Doctori, verum Prophetam, licet peſſimum, & in perditorum numerum referendum creditum fuiſſe. Pro eadem ſententia videantur. Toſtatus, & alii.

(Hunc virum Chananæum ſatumque è radice Enacim, vel Gigantum Palæſtinæ ſenent Mahometani; adduntque lectione voluminum Abrahami didiciſſe ineffabile Dei nomen (e); cujus virtute & futurorum arcana panderet, & quicquid poſtularet, impetraret à Deo. Regionis Gigantes ad ingentem copiarum Iſraeliticarum numerum, tum & ad mira, quæ ipſis militabant, prodigia obſtupeſcentes, per allegatos viros rogarunt Balaam, ut veniens dira apprecaretur in populum. Tentatus licèt precioſiſſimis muneribus, enixique ſollicitatus precibus invictè primùm reſtitit; nec acquievit, niſi importunis ſollicitationibus uxoris ſuæ, quam ſibi collocatis muneribus emerant Chananæi.

Id ergo in ſe ſuſcipientem Balaamum, ut dira imprecaretur Iſraeli, Deus reum egit de crimine; multatumque volunt oblivione nominis ineffabilis; tum retractis donis ſuis, hominem ſibi reliquit, adeo ut, inquit Mahometus, optimè compararetur cani, cujus è diducto ore pendet lingua, monſtranturque ſannæ, cùm ſcilicèt illum diu inſecutus deſeris.)

BALAAM, Urbs Tribus Manaſſis, ultra Jordanem, Levitis ea ſamilia Caath conceſſa. 1. *Par.* 6.10.

BALAAT, Urbs Tribus Dan. *Joſue.* 19. 44.

BALAAT, Urbs à Salomone condita 1. *Par.* 8. 6.

BALAC, Filius Sephor, Rex Moabitarum. Hic Iſraelitarum viſa multitudine, qui in ſois regionibus caſtra locaverant, metuenſque ne ſe, veluti Amorrhæos, aggrederentur, Ariolum Balaam per nuncios accerſivit, ut ad eos execrandos, devovendoſque ſe conferret (f). Perrexit Balaam, (ut paulò ante diximus ſub verbo Balaam) qui tamen non mala, ſed bona Iſraelitis imprecatus eſt; quare iratus Balac indonatum Balaam remiſit. Priuſquam tamen ille diſcederet, Regem hortatus eſt, ut ad ſolemnia Phegor Iſraelitas vocans in peccatum eos induceret; Quod conſilium eos æquè in quos, & quibus traditum eſt, ipſumque authorem perdidit; prævaricatores enim Iſraelitæ ab iis qui fideles perſtitere, interfecti ſunt; *Num.* 25. 5. Madianitæ verò, qui totis viribus Iſraelitas ad idololatriam deflectere conati fuerant (g), cæſi ſunt, eorumque regio vaſtata, quibuſcum & Balaam interemptus, nequiſſimi ſceleris pœnas expendit. Nihil certi de morte Balac; Deus enim prohibuit Iſraelitas, ne Moabitas ob eorum Patrem Loth Nepotem Abrahæ, bello laceſſerent Deuteron. 2. 9.

BALADAN, Babyloniæ Rex (h), qui ab exteris Scriptoribus *Beleſis*, aut *Beleſus*, ſive *Nabonaſar*, ſeù *Nanybrus* appellatur (i). Primò tantùm Babylonia Satrapa, fœdere inito cum Arbace Mediæ Satrapa, in Sardanapalum Aſſyriæ Regem cum eo inſurgens, 400000. hominum comparato exercitu, cum eodem Sardanapalo ſigna pluries contulit; à quo ter victus, Bactrianis à Rege ad ſe deficientibus, noctu hoſtes invaſit, & eorum caſtris potitus eſt. Tunc Sardanapalus militibus præfecto Salemæne conjugis ſuæ fratre, Ninivem ſe recepit, ubi bis à Baladan Salemæne profligato, ab eodem undique circumſeſſus, tribus annis obſidionem ſuſtulit, donec tumentis Tigridis alluvione, ſtadiis viginti, ſeù 2500. murorum paſſibus everſis, perque ruinas aditu hoſtibus patefacto, ne in eorum manus incideret, extructa pyrà, rebuſque omnibus pretioſiſſimis eò congeſtis, ſeipſum una cum Regia combuſſit. Arbaces Medorum, & Baladan Babyloniæ Reges denunciati fuere. *Berodac-Baladan*, qui nuncios ad Ezechiam legavit 4. Reg. 20. 12. hujus Baladan filius fuit.

BALAIA, Filius Melchiæ Levitæ, ex progenie ſecundi filii Gerſon. 1. *Par.* 6. 40.

BALAN, Filius Jadiel, & Pater Jehu. 1. *Par.* 7. 10.

BALANAN, Filius Achobor, ſeptimus Idumææ Rex, Saulis ſucceſſor. *Gen.* 36. 38. & 1. *Par.* 1. 49.

BALBECH, Urbs vetuſtiſſima Heliopolis in Cœleſyria.

BALDAD DE SUEH, alter ex amicis Job, Job. 2. 11., ex progenie Suæ Filii Abraham, ex Cethura Gen. 25. 2. Hujus Poſteri Arabiam deſertam ad orientem Terræ Sanctæ incoluere.

BALE, Filius Beor, Denabæ Rex, in terra Edom. 1. *Par.* 1. 43.

BALOT, Urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 24. Fortè eadem ac *Balat*, quam munivit Salomon. 1. *Par.* 8. 6.

BAL-SALISA. Vide *Baal-ſaliſa*.

BALSAMUM. Aroma pretioſum, Judææ proprium. Diodorus Siculus, & alii (k), aſſerunt, nullibi tunc niſi in agro Engaddi, propè Mare mortuum proveniſſe. Poſt ea tempora alibi coli cœpit, in Arabia nempè, & in Ægypto. Rarum nunc eſt in Palæſtina, ubi in hortis colitur. Plinius ait (l) hujuſmodi liquorem educi vulneribus, quibus balſami arbor vel vitro, vel gladio oſſeo inciditur; nam ſi ferrum adhibeatur, arbor perit. Alii dicunt (m), vulſis ab arbore foliis, qua orientem reſpicit, & ibi ipſa arbore inciſa liquorem quam maximè redolentem effluere. Balſami arbor eo-

(a) Origen. l. 1. contra Celſum. Auth. oper. Imperf. in Matth. hom. 2.
(b) Lyr. Cajet. Burg. Janſ. Oleaſt. Tir. &c. (c) Num. 22. 8. 9. &c. 18. &c.
(d) Aug. l. 2. de diverſ. quæſt. ad Simplicium art. 9. & quæſt. 48. in Num. (e) Biblioт. Orient. pag. 180.
(f) Vid. Num. 22. (g) Num. 31. 1. &c. (h) Iſai. 39. 1. & 4. Reg. 20. 12.
(i) Vide Uſſer. Annal. ad an. Per. Julian. 3966. 3967. An. M. 3254. Per. Jul. 3964. ante Ær. 750.
(k) Diodor. l. 2. cap. 48. Vide Joſeph. Antiq. l. 9. c. 1. Plin. Dioſcorid. (l) Plin. l. 12. c. 25. Solin. c. 33. (m) Salmiac.

bor eodem fere cultu ac vitis gaudet; nec altius quam vitis creſcere permittitur. Joſephus *Antiq. lib.* 8. *cap.* 2. refert, Reginam Saba hujus arboris Salomoni munera obtuliſſe.

Balſami nomen fortè ab Hebræo *Baal-ſchemen* derivatur; quod oleum regale, ſivè unguentum pretioſiſſimum ſignificat. Hujuſmodi nomen in toto veteri Teſtamento nullibi invenitur; reperiuntur tamen in Canticis Canticorum 1. 13. *Vinea Engaddi*, quæ eſſe creduntur vineæ Balſami. In Ezechiele verò 27. 17. habetur hæc vox *Pannag*, quæ à Vulgata, Chaldæo, & ab aliis plurimis Expoſitoribus, *Balſamum*, explicatur.

(Balſamum Arbuſcula malo granato fermè non major. Aſſerit Dampier figuram referre *Agni Caſti*, altitudinem Liguſtri. Folia rara, ramuſculis ſanè multis veſtitur ornatis, rotundulis quibuſdam & nunquam non virentibus foliolis. Ejus lignum gummoſum eſt & ſubrubrum; rami longiores, tennes, raris veſtiti foliis, floſculi albentes, gratiſſimumque ſpirantes; fructus nucem refert avellanæ quadam, & ſubnigra pelle veſtitam; nucleum condit amygdalæ parvæ non abſimilem, ſi fortè acciderit, ut nucleus ille naturæ vitium patiatur, pro amygdala conditur in nuce flavus quidam liquor melleo colore, guſtu amaro, qui linguam vellicat. Arbuſculæ balſami tres pedes altitudinis aſſignat Marmolus l. 11. c. 12. aſſeritque ramos habere ceu vitis ſarmentum, quemadmodum & ſimilem cum illis colorem referre; rubrum verò in fructu.

Scripſere nonnulli arborem illam peculiarem eſſe Judææ, ibique tantùm genuinum & exquiſitiſſimum balſamum increſcere; ſed Arabiæ peculiarem eſſe plantam tam certum eſt, quàm quid aliud; ibi enim ceu ſpontè naſcitur, in regionibus ſcilicet ad Mecham, & Medinam adjacentibus (a) conſtat inſuper montem, agrum, cultas incultaſque terras, quin & arenas ipſas loci gummiferis pluribus arboribus eſſe feraces, quas ſanè plantas augendis proventibus ſuis incolæ ab ingrato, & ſterili ſolo transferunt in loca magis culta, & pinguia; ſicut etiam quæ ex arenoſo agro proveniunt minùs ſtillare balſami, abundare verò ſeminibus, quæ per Europam longè latèque tranſvehuntur. Docent Arabes, regionem ſuam nunquam balſamo deſtitutam fuiſſe, nec aliunde comportaſſe Reginam Sabam in Judæam aromatis illius plantam, quam Salomon in agro Engaddi, & Hiericuntino ſatam coluit. Quæ in Ægypto circa Mataream creſcit, originem refert ex Arabia. Ex quo Arabes intellexerunt quantum ſibi compendii proveniret ex balſamo, omnem poſuerunt operam, ut quamplures implantarent id generis; lege tamen vetitum eſt ſerere, ſeu implantare arborem balſami ſine obtenta à magno Turcarum Imperatore facultate.

Colligitur ex arbore balſamum menſibus Junii, Julii, & Auguſti, ſive facta in cortice inciſione, ſive liquore ſpontè ſtillante. Inciditur autem cultro, ſeu vitreo, ſeu lapideo, ſeu eburneo (b); pernicioſum enim arbori ferrum creditur (c). Liquor eſt primò albus; poſtea viridis, tum aureus, ſeneſcens melleum refert. Turbidè fluit, tum poſita fæce purus ad terebinthinæ conſiſtentiam. Robuſto eſt maximè, & gratiſſimo odore; guſtu amaro, acri, & adſtringenti. Recens expreſſum ad levitatem nihil habet ſupra; affuſâ aquâ non demergitur, ſed promptè obtinens ſuperiora, totam aquæ ſuperficiem tenet, miſceturque cum eadem aqua: citò etiam diſſolvitur; concreſcit demum, albeſcitque velut lac, tum ex aqua educitur.

Balſamum, quod ex Arabia Cairum tranſvehitur, odore licèt gratiſſimo, aliud eſt tamen à genuina ejus arboris gumma, aliud etiam à lacrymis ex ejus cortice ſtillantibus, e quibus pretioſi liquoris ſat parum colligitur. Quod venditur apud Aromatarios noſtros balſamum, expreſſum eſt ex ligno, & ramis virentibus ejus arboris igne diſtillatis; nec etiam purum putumque refert balſamum, admixtum enim habet ex Ægypti terebinthina aliquid. Ad hæc, è fructu balſami liquor extrahitur, qui veluti genuinum balſamum obtruditur, quanquam odore eſt minus acuto, & guſtu amariori.

Præter balſamum Arabiæ, vel Mechæ plurimum varii generis defertur ex America; magis æſtimantur balſama Peruviana, Tholou & Capaibæ. Sed cùm iſta latuerint Veteres, aliena ſunt à noſtro inſtituto, quippe qui ea tantùm diſcutimus, quæ valent illuſtrando Textui S. Scripturæ.)

BAL-THAMAR. Vide *Baal-thamar*.

I. BALTHASAR, Filius Evilmerodach, & Magni Nabuchodonoſor nepos. Optimates ſuos mille ſplendido convivio (d), in quo quiſque pro ſua ætate bibebat, excepit (e). Vaſa aurea, & argentea, à Nabuchodonoſor Patre ſuo è Templo Hieroſolymitano aſportata, juſſit afferri, ut in eis Rex, & Optimates ejus, uxoreſque, & Concubinæ potarent. Cum ergo compotantes in Deorum ſuorum laudes effunderentur, in ſuperficie parietis aulæ Regiæ contrà candelabrum digiti quaſi manus ſcribentis apparuere. His viſis perterritus Rex, exclamanſque, Magos, ſapienteſque Babyloniæ accerſiri juſſit, ut ſcripta interpretarentur. His, ut venere, interpretationis præmium purpuram, & torquem aureum, tertioſque in Regno ſuo honores pollicitus eſt. Nil verò Magis percipientibus, auctoque idcircò Regis, & procerum metu; Regina (f), Magni Nabuchodonoſor uxor, aulam convivii ingreſſa, Regi virum eſſe in Regno, Danielem nomine, indicavit, qui cæteros Chaldææ ariolos, & Magos ſcientia ſuperabat, ipſiuſque Nabuchodonoſor ætate, ingentia ſuæ artis monumenta ediderat.

Danieli itaque acciri juſſo, eadem, quæ Magis, dona promiſit, dum ſcripta explicaret. Ille Regi gratiis habitis, ſimulque muneribus ejus rejectis, Scripturæ interpretationem ſe illi oſtenſurum promiſit. Quem cum primò increpaſſet, quod à Domino ad ſummam magnificentiam, & poteſtatem elatus, beneficii immemor in ipſum Dominum inſurrexiſſet, & vaſa Domus Dei polluiſſet, tandem dixit: Hæc eſt Scriptura, quæ digeſta eſt: *Mane*, *Thecel*, *Phares*, & hæc eſt interpretatio ejus: *Mane*: numeravit Deus regni tui dies, eorumque finem notavit: *Thecel*: appenſus es in ſtatera, & æquo levior inventus es: *Phares*: diviſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis.

Tunc, jubente Rege, indutus Daniel purpura, & aureo torque donatus, tertius in Regno præconis voce prædicatus eſt. Eademnocte interfecto Balthaſare, Darius Medus Chaldæorum Regnum occupavit, annos natus ſexagintaduos. Hæc de Balthaſare in quinto Danielis capite; Sacram tamen hiſtoriam cum extera conciliantibus, maximæ occurrunt enodandæ difficultates. Plerique putant Evilmerodach ſucceſſorem habuiſſe *Nerigliſſorem*, & huic ſucceſſiſſe *Laboroſardoch*; præterea Balthaſarem eumdem eſſe ac *Nabonidem*, ſeu *Labynit*. Videantur noſtra Commentaria in Dan. 5. 1. & Diſſertationes de quatuor maximis Regnis, ſub initium Commentarii in Iſaiam.

(Characteres omnes Nabonidi in Hiſtoria aſſignati cum Baltaſare quadrant. Nabonides ille, alio nomine Labynith, teſte Herodoto lib. 1. omnium poſtremus regnavit in Babylonia; alieno erat genere à familia Nerigliſſoris e Laboroſardoch; è Regina Nitocri clari nominis fœmina natus. Poſtremus etiam omnium regnavit in Chaldæa Balthaſar, filius Regis Babyloniæ, nec ſanè alterius ab Evilmerodacho. Daniel. 5. 2. Balthaſarem appellat filium Nabuchodonoſoris; ſed Hebræorum ſtilo filii ſæpè appellantur è filio nepotes. Tandem Jeremias non obſcurè cap. 27. 6. 7. futurum pronunciat, ut gentes omnes ditio-

(a) Dampier. deſcript. Egypt. pag. 62. (b) Theoph. Plin. Dioſcorid. (c) Plin. l. 12. c. 13. Tacit. l. 5. Hiſt. c. 6. Marmol. (d) Dan. 5. 1. (e) Balthaſar regnum Chaldææ accepit ant. mund. 3444. contigit hoc convivium an. 3449. Proinde quatuor tantùm annis regnavit. (f) Vide Origen. & Theodoret. apud Hieronym. in Dan. 5.

ditioni Nabucodonoſoris, ejus filii, & ex filio nepotis adjungeretur, quoſque impleretur tempus ultionis, quâ in Regem, quâ in ſubjectam Regi ditionem.

Narrat Xenophon Cyropæd. lib. 7. arte quadam ſinita Cyrum evaſiſſe in Babylonem; intereiſo enim alveo Euphratis, aquas derivavit in foveas diu antea ductas juſſu Reginæ Semiramidis, via tunc parata exercitui, ut per arentem amnis alveum intra urbem evaderet, quo potiſſimùm tempore, occaſione recurrentis cujuſdam Feſti, cives omnes compotationibus, conviviis, ac tripudiis toti occupabantur. Babyloniæ Rex neci traditus eſt in ædibus ſuis à militibus Gadatæ & Gobriæ Babyloniorum, qui ultionis de Rege Babyloniæ expetendæ gratia in partes Medorum tranſiverant.

Beroſus, & Megaſthenes (a) referunt Nabonidem arma in ſe Cyri anno Regni ipſius 17. gravia expertum fuiſſe, commiſſoque prælio fuſum, fugatumque recepiſſe ſe cum reliquis copiarum Boriſippum. Ita Cyrum Babylonem redegit in poteſtatem, dejectiſque exterioribus Urbis illius mœnibus, recta duxit exercitum Boriſippum; ſed Nabonides ratus minus ſibi conducere, ſi obſidionem ſuſtineret, facta in manibus Cyri deditione, victorem expertus eſt humaniſſimum, à quo obtento in Caramaniam effugio, illic reliquos vitæ annos egit. Abludunt iſta quidem maximè ab iis, quæ Scriptura narrat de Balthaſare.

Utcunque tamen diſcrepent inter ſe Hiſtorici, uno tamen veluti conſenſu demonſtrant, Propheticorum Oraculorum in Babylonem pleraque ad literam impleta in obitu Balthaſaris. Hanc Urbem preſſerunt hoſtiles copiæ ex Medis, Elamitis & Armenis collectæ; juxta vaticinia Iſaiæ 13. 17. & 21. 2. & Jerem. 51. 11. 27. &c. futurum prænunciantia, ut vada omnia fluviorum occuparentur, ut confuſione & turbis omnia tenerentur in Urbe, conſternarentur fortes Babylonis, areſceretque alveus Euphratis (b), invadendam urbem, dum tripudiis occuparetur, ejuſque Sapientes, Principes & Imperatores ebrietate ſepultos, & ſopore alto merſos ſomnum conjuncturos cum morte, æterno ſcilicet ſomno, è quo nunquam evigilabunt (c); urbem tandem olim florentem, potentem adeò, & magnificam tanto futuram horrori ac deſolationi, ut mali ominis aves, ſqualidas ejus ſedes inhabitarent. *Iſaia* 13. 23.)

II. BALTHASAR. Hoc nomen Daniel in aula Nabucodonoſor obtinuit. Dan. 1. 8.

III. BALTHASAR. Nomen alteri ex Magis qui ad Chriſti incunabula Bethleem ſe contulere, adſcriptum; nullo tamen argumento.

(BALTIS, *Balchis*, vel *Balkis*. Eo nomine Reginam illam Sabam, quæ Salomonem inviſendi gratia convenit (d), appellant Orientales. Addunt autem regnaſſe illam in Arabia, ac retuliſſe genus ex Jarab filio Cathan; certamque ejus ſedem deſtinant urbem Mareb Metropolim Sabæorum. Patrem habuit Hadhab filium Scharhsbim inter Reges Jemen, vel Arabiæ Felicis, ordine vigeſimum. Accerſunt alii e Sarahil recta linea procedente è Saba filio Jakh-Scab filii Jarab, filii Cathan, vel Joctan. Fabellas pluximas venditant Mahometani de Salomonis in Arabiam itinere, ac de literis ultrò citròque miſſitatis ferente Upupâ, quam apud ſe Rex alebat. Narrant etiam ſuo more fabellas potiùs, quàm hiſtoriam itineris Reginæ Balkis in Palæſtinam, ad inviſendum Salomonem, recenſentque velut oculati teſtes, ejus Reginæ munera, ſicut & celebratas cum eodem Principe nuptias. Hiſce omnibus egregia quidem Romanenſis fabula formatur, hiſtoria ad illuſtrandos ſacros Judæorum Authores non formatur. Vide V. *Candacis*, quo nomine Joſephus Reginam Sabam appellat; ſicut & v. *Saba*.)

BAMAH, quo nomine Hebraicè venit altitudo.

B A

BAMOTH. Habræi (e), ex Nahaliel profecti ſunt Bamoth, et Bamoth ad vallem, quæ eſt in regione Moab. Apud Euſebium Bamoth urbs eſt Moab, ad Arnon.

BAMOTH-BAAL. Urbs eſt ultra Jordanem, Tribui Ruben tradita (f), in agro, quem interfluit Arnon, ſita, authore Euſebio.

BANA, Filius Ahilud, Præfectus Thanac, Mageddo, & Betſan 3. Reg. 4. 11.

BANAIA, ſivè *Baana* Filius Moſæ, & Pater Raphæ. 1. *Par.* 8. 37.

I. BANAIAS, Filius Iojadæ Regiæ Davidis Cuſtodiæ Præfectus. Ipſe cœpit duos Leones Moab (g), duas ſcilicet Urbes Ar, ſeù Ariel, vel ipſam Urbem Ar, ab Arnon in geminàs interſectam. Ipſe quoque Leonem in ciſternam prolapſum percuſſit diebus Nivis. Virum Ægyptium, altitudine quinque cubitorum, haſta & enſe inſtructum, ipſe armis omninò, preterquam baculo, vacuus invaſit, atque interfecit. Contrà Adoniam adhæſit Salomoni, à quo miſſus ad occidendum Ioab, exercitus deinde Imperator Ioabo ſuffectus eſt (h).

II. BANAIAS, vel *Bananias*, Filius Phaat, qui è captivitate Babylonis regreſſus, uxorem, à Lege ſibi interdictam, dimiſit. 1. Eſdr. 10. 30.

BANE, Urbs Tribus Dan. *Joſue* 19. 44.

BANE, ſolitarius quidam Eſſenus, cujus ab anno decimo ſexto ætatis ſuæ uſque ad decimumnonum, Diſcipulus fuit Joſephus Hebræus hiſtoricus (i).

BANEA, & *Baneas* Judæi, qui poſt captivitatem, uxores, quibus contrà legem nupſerant, dimiſerunt. *Eſd.* 10. 25. & 35.

BANI. De Babylonis captivitate 642. Filii Bani regreſſi ſunt. 1. *Eſd.* 2. 10.

BAPTISMUS, à Græco *Baptiſmos*, *ſeù baptiſma*, quod ducitur à verbo *Baptizo*, lavo. Hebræi plurimis baptiſmis & purificationibus utebantur. Interdum corpus omne in aquas immerſum abluebant, interdum veſtes ſolummodo tergebant, interdum etiam corpus ſimul eluebant & veſtes. Judæorum ſuperſtitioſiſſimi quoties redirent à foro (k) nequid immundum tetigiſſent metuentes, brachia à cubitis ad extremas uſque manus abluebant, nec cibum ſumebant, quin ante, & poſtea manus abſtergerent. Denique vaſa, urceos, & quidquid menſæ, aut culinæ inſerviret (l), ſi fortuitò inquinatum fuiſſe ſuſpicarentur, *purificatione*, ſeù baptiſmo eluebant.

Quotieſcumque Proſelytum aliquem in Judaiſmum admittebant, illum priùs circumcidebant, & baptizabant; eo enim baptiſmo ita regenerari Proſelytum ajebant, ut novus homo fieret, & è ſervo liber conſtitueretur; quare propinqui ei eſſe deſinerent, qui ante fuerant. Huc intendiſſe creditur Chriſtus, cum dixit Nicodemo, qui ſui diſcipulus eſſe cuperet, renaſceretur oportere *Joan.* 3.

Cum pœnitentiam prædicare incepit Joannes Baptiſta, in aquis Jordanis baptiſmum inſtituit, qui licet peccata non tergeret, mediis tamen pœnitentiæ operibus, quæ in ſuo baptiſmo ab Joanne exigebantur, ad Chriſti Baptiſma, & peccatorum remiſſionem præparabat (m). Profectò Joannes non ſimplicem peccatorum dolorem, ſed ſatisfactoria opera, & vitæ immutationem expoſcebat. Joannis baptiſmus perfectior fuit quam purificatio Judæorum, Chriſti tamen baptiſmate imperfectior. *Pontis inſtar*, ait S. Jo: Chryſoſtomus *t. 1. hom.* 24. *qui à baptiſmo Judæorum ducebat ad baptiſmum Chriſti, primo altior, ſed inferior ſecundo.* Quæ Chriſtus ſuo baptiſmate tradidit, ille promittebat. Poſt Joannis baptiſma, altero Chriſti ad crimina delenda, animamque ſanctificandam opus erat, ait S. Auguſtinus (n).

Quamvis S. Joannes minimè præſcripſerit Diſcipulis ſuis, ut ſe defuncto, baptiſmo Pœnitentiæ Gentes abluere proſequerentur, cum, Servatore palàm facto, Sancti-

(a) Beroſ apud Joſeph. contra Appion. lib. pag. 1045. & Megaſthenes apud Euſeb. Præp. lib. 9. cap. 41. (b) Jerem. 50. 38. & 51. 36. (c) Jerem. 51. 39. 57. (d) 3. Reg. 10. 1. &c. (e) Num. 21. 19. 20. (f) Judic. 13. 17. (g) 2. Reg. 23. 20. (h) 3. Reg. 1. 36. & 2. 29. (i) Joſeph. de vita ſua. (k) Marc. 7. 4. (l) Marc. 7. 2. Joan. 2. 6. (m) Marc. 1. 4. Matth. 3. 11. (n) Aug. l. 5. contra Donatiſt. c. 10. Enchirid. de fide, ſpe, & charitate c. 49.

Digitized by Google

Sanctique Spiritos baptiſmate conſtituto, inutile illud evalerit, nihilominùs plurea Joannis aſſeclæ in ejuſmodi ritù perſtiterunt; imò multos etiam poſt annos à Chriſti morte & reſurrectione, Baptiſma à Chriſto inſtitutum ignorabant. Ex his fuit Apollo, vir ſapiens, & fervens ſpiritu, Patria Alexandrinus, qui poſt annos vigioti à Domini reſurrectione Epheſum ſe conſerens (a), nullum Baptiſma, præterquàm Joannis, noverat. Cumque S. Paulus eòdem poſt Apollo veniſſet, plures Epheſios, ſolo Joannis baptiſmo ablutos (b), Sanctumque Spiritum, qui in baptizatos Chriſti baptiſmate deſcenderet, ignorantes invenit.

Quod autem ad Chriſti Baptiſma ſpectat, cum ipſe Apoſtolos ſuos ad prædicandum toto orbe Evangelium mitteret, *ite*, ait, *docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (c); *quicumque crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*. Baptiſmatis igitur ad ſalutem omnimoda neceſſitas eſt, primuſque Diſcipulorum Chriſti character eſt, credere, & baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Nos tamen diù hìc non immorabimur, cum ad Dictionarium propriè non pertineat.

Addimus tantum ſæpè in Sacra Scriptura eo nomine ærumnas nuncupari; ut Marci 10. 38. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* & Lucæ 12. 50 *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur?* Idem videtur innui in veteri Teſtamento, ubi aquæ ſæpè calamitates denotant; & ubi dicitur, obrui ſub aquas, aut tranſire per aquas, doloribus atque calamitatibus opprimi ſignificatur.

(Legis pariter, & Hiſtoriarum Judaicarum utraque pagina exhibet luſtrationes, & varii generis baptiſmata. Lotis veſtibus, ac luſtrationibus comparare ſe populum ad recipiendam à Deo Legem jubet Moyſes Exodi 19. 10. Cùm primùm Sacerdotes, & Levitæ exercitium miniſterii ſui auſpicabantur, totum antea corpus pura lavabant (d): maculas omnes legales eluebat baptiſmus, nempe totius corporis in aquam immerſio (e). Certa etiam morborum genera, & certa quædam naturæ vitia in maribus, atque in fœminis, tanquam impurum aliquod reputata, lotione purgantur. Si quis tactu cadaveris, ſi quis adſiſtens funeribus ſeſe polluiſſet, continuò ad luſtrationes *Num.* 31. 24. & 19. 14.

Sed illæ non unius ritus erant omnes. Plerumque totum corpus demerſum aqua, quæ prona eſt, & obvia vocis *baptizare* ſignificatio. Interdum Baptiſmus per aſperſionem tantùm valebat, ſicut & per luſtrationem, quà leviter aſperſæ raræ ſanguinis vel aquæ luſtralis guttæ hominem reddebant purum; ita Moyſes Exod. 29. 21. Levit. 8. 11 Sacerdotes & Altare tunc conſecravit, cùm aſperſit ſanguine Tabernaculum die Expiationis ſolemnis Levit. 16. 14. 15. vel ſaltem cum offerebat ſacrificia pro expiandis criminibus Summi Sacerdotis, & populi, tingebatque cruore victimæ Altaria cornua Levit. 4. 32. Per ablutionem, vel aſperſionem aquæ luſtralis eluebantur leproſi, poſtquàm convaluiſſent Levit. 14. 7. ſicut & homo quicumque tactu, vel occurſu cadaveris pollutus Num. 20. 12. &c.

BAPTISMUS PER IGNEM. Argumentum hujus quæſtionis ſuppeditant verba S. Joannis Baptiſtæ, Matth. 3. 11. perhibentis aqua ſe tantùm baptizare: *Qui autem*, inquit, *poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu S. & igni*. Quis Baptiſmus iſte ignis? veteres Patres ſanè plures (f) autumarunt Fideles ante Paradiſi aditum tranſmittendos per ignem, cujus ſcilicet flammis amburerentur quiquid reliquum eſſet ſcoriæ vitiorum. In hanc ſententiam colliment ex Patribus plerique, quamquam non ſine diſſenſu aliquo inter ſe; fulciunt autem illam verbis Gen. 3. 24. de Cherubim ante fores Paradiſi terreſtris conſtituto igneum gladium verſante, ſicut & aliis Apoſtoli 1. Cor. 3. 13. 14 *Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc* (Jeſum Chriſtum) *aurum, & argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit, dies enim Domini declarabit, quia igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit ignis probabit.*

Alii ex Patribus (g), dictum exponunt de igne inferni, alii de igne tribulationis, & tentationis (h); alii de affluentia divinarum largitionum (i) alii (k) de illapſu S. Spiritus in ſpeciem linguarum ignis ſuper Apoſtolos; alii tandem (l) additum hìc ſuſpicantur nomen ignis, legendum enim tantùm: *Ego baptizo vos in aqua; qui autem poſt me venturus eſt ipſe vos baptizabit in Spiritu S.* Conſtat equidem in Mſs. pluribus Codicibus S. Matthæi vocem *igni* deſiderari; ſed nec deeſt in S. Luca, nec in Verſionibus Orientalibus S Matthæi.

Veteres quidam Hæretici, uti Seleuciani & Hermæ ſectatores (m), hæc ad litteram uſurpantes, in adminiſtratione Baptiſmatis ignem neceſſarium contendebant; ſed quo ritu id præſtarent, cui parti corporis applicarent, an ſatis haberent traducere ſivo per medias, vel ſupra flammas initiatos, nemine docente, ignoramus. Baptiſmate extra ſectam ſuam ablutos novo Baptiſmate expiandos cenſens Valentinus, per medium ignem traducebat (n).

Bis docuit tingui, traducto corpore flamma.

Heraclion apud S. Clementem Alexandrinum affirmat, obtinuiſſe apud quoſdam, ut candenti ferro aurea inurerentur, quaſi ſcilicet, characterem quemdam impreſſuri. Hodie pariter apud Æthiopes (o) recens à Baptiſmo excepti infantes candenti ferro ſtigmatizantur in naſo, oculis, & ad utrumque tempus. Accipitri ferro in eam rem uti illos affirmat P. Eugenius Rhogerius. Fama eſt etiam Jacobitas, Chriſtianorum Orientalium genus, applicare ferrum urens fronti puerorum, poſt initiatos illos circumciſione.

Verùm, quæ de urenti ferro apud Æthiopes in baptiſmo feruntur, mera eſſe commenta affirmat D. Abbas Renaudot t. 4. Perpetuit. t. 84. fateturque D. Ludolfus hiſt. Æth. l. 3. c. 6. conſultos à ſe Gregorium Æthiopem, & PP. Miſſionarios Jeſuitas nihil ea de re noſſe; obſervat tamen apud gentes quaſdam Africæ, quà Paganas, quà Mahometanas in moribus poſitum, ut cauterio quodam utroque tempore infantia adulto, hoc remedio è rheumate præſervent; hinc facilè nata perſuaſio de cauterio in Baptiſmo

Ex his omnibus facilè intelligimus nunquam admiſſam in Eccleſia eorum opinionem, qui Evangelii verba uſurpantes ad litteram, autumarunt in conferendo Baptiſmate J.C. ignem nequaquam amovendum; reliquiſſe tamen in medium, ut ignem hunc, ſi quis vellet, exponeret, ſive de gratiarum affluentia, qua per Baptiſmum animæ redondant, ſive de igne in illapſu Spiritus S. ſuper Apoſtolos, ſive de igne perpeſſionum, dolorum, & pœnitudinis, quæ Baptiſmo velut appendices accedont.

Baptiſmum in nomine J. C. Plura in hæc verba Act. Apoſtolorum 2. 38. quæſita: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine J. C. in remiſſionem peccatorum veſtrorum*; tum & in illa Actuum 8. 16. *Nondum in quenquam illorum venerat*, (Spiritus S.) *ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu*. Primò enim ſciſcitandi locus eſt, an unquam collatum ſit Baptiſma in nomine J. C. tantùm, cæteris Trinitatis Perſonis non expreſſis? Secundò, an re ipſa auſpicatum Sacramentum illud cen-

(a) Act 18. 25. (b) Act. 19. 1. (c) Matth. 28. 16. Marc. 16. 14. Joan. 3. 1.
(d) Exodi 29. 4. Levit. 8. 6. Num. 8. 6. 7. 8. (e) Levit. 13. 6. 34. & 16. 6. &c. & 11. 25. 28. & 22. 6.
(f) Origen. Hom 3. in Pſal. 36. Hom. 24. in Luc. Lactan. lib. 7. cap. 21. Hilar. in Pſal. 118. n. 5. & n. 11. Ambroſius in Pſal. 178. 1. &c. (g) Baſil. contr. Eunom lib. 5. Theophilus Antioch. lib. 2. (h) Author Oper. Imperf. in Matth. hom. 5.
(i) Chryſoſt. hom. 11. in Matth. (k) Ita Commeot. plures. (l) Vide Milii N. T. G. in Matth. 3. 11. & Proleg. 690. 1098. 1177. (m) Apud Aug hæreſ. 59. & Philaſt. de hæreſ. cap. 55. &c. (o) Tertull. Carm. contra Marcion. lib. 1.
(o) Paul. Jovi. Hiſt. l. 18. Leo Rauchvuolff, Iter Orient. l. 3. c. 17.

cenſeatur & legitimum. Pluresex PP. & quædam Concilia autumarunt, Apoſtolos re ipſa interdum Baptiſmate tinxiſſe unicè in nomine J. C. quà in re ait S. Hilarius de Synod. n. 85. cave illos prævaricationis accuſes, cave damnes Scripturas tanquam ſibi repugnantes, dum mandant regenerari Baptiſmate homines in nomine Patris & Filii & Spiritus S. docentesque nihilò ſeciùs ab Apoſtolis tinctos homines in nomine tantùm Jeſu Chriſti. Vetus quidam Auctor (a), contra S. Cyprianum de Baptiſmo ſcribens, docet, Baptiſmum in uno Jeſu Chriſti nomine collatum nihil valere, niſi junctum Confirmationi, qua Spiritus S. recipitur; docet inſuper Baptiſmum illum nonquam reiterandum; neque enim, ait, ſupervacanea reputanda eſt invocatio nominis J.C. S. Ambroſius De Spirit. S. lib. 1. cap. 3. 41. 42. defendit: *Si unum ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum S., plenum erit fidei ſacramentum*; *quia*, addit, *qui unum dixerit, Trinitatem ſignificavit*.

Beda Venerabilis in Acta, S. Bernardus Epiſt. 403. nov. edit. Concilia, Forojulienſe A. 791. & Nimacenſe A. 1284. Nicolaus I. Reſponſ. ad Conſulta Bulgaror. c. 104. Hugo Victorinus de Sacramentis lib. 1. cap. 13. Magiſter ſententiarum, Petrus Pictavienſis, Alexander Alenſis, S. Thomas, & alii pluresè ſchola Doctores, Theophylactus, Dionyſius Carthuſianus, Hugo Cardinalis, ultrò admittunt Apoſtolos tinxiſſe in nomine J. C. rato & legitimo Baptiſmate.

Sed hujus ſententiæ veritatem non adſtruunt niſi factum quoddam dubium, & Textus obſcurus, in cujus interpretatione falſos Patres, Doctores, & privata quædam Concilia fieri utique potuiſſe conſtat; decepti autem in ea re ſemel, facilè erroneas conſecutiones intulerunt. Conſtat inſuper Latinis illis Autoribus, & Conciliis fucum feciſſe authoritatem S. Ambroſii quam ſanè peremptoriam autumarunt pro validitate hujus Baptiſmatis. Demonſtrari tamen poſſet, 1. Textum ex Actis Apoſtolorum ambiguè tantùm opinionem hanc adſtruere; 2. adeoque & inter ambigua ambiguum eſſe maximè Apoſtolos re ipſa tinxiſſe in uno J.C. nomine; 3. S. Ambroſium neutiquam his favere.

Baptizare in J.C. nomine duo exprimere poteſt: ſive initiare Baptiſmate invocato tantùm J.C. & non alterius è Trinitate Perſonæ nomine; ſive Baptizare ejus nomine, authoritate, & inſtituto ab ipſo Sacramento, invocata Trinitate Perſonarum, ut ille non obſcurè præſcripſit, Matth. 28. 19. Cùm igitur Textum habeamus luculentum & expreſſum, quis cogit apertam veritatem recuſare, ut alterum teneamus Textum variis ſignificationibus exponendum? Quis induxerit in animum Apoſtolos, neglecta formula Baptiſmi à Jeſu Chriſto tradita, novam alteram, nulla jubente neceſſitate, procudiſſe?

Textus etiam S. Ambroſii ſua difficultate non caret; 1. etenim non ſemel docuit vir Sanctus (b) nullum eſſe Baptiſmi meritum abſque expreſſa invocatione trium perſonarum; qui ergo fieret, ut ſibi ipſi apertè adeo repugnaret, aſſerens Baptiſmum in uno J.C. nomine collatum firmum eſſe ratumque? Ad hæc, non immeritò reputaremus S. Ambroſium hîc, ſicut & alibi ſemper, S. Baſilium doctorem ſecutum fuiſſe. Porrò S. Baſilius, ut ratum eſſet Baptiſma, cenſuit minimè negligi oportere trium Perſonarum invocationem (c); quanquam enim, addit, Apoſtolos non raró meminit tantùm Filii, omiſſo Patre & Spiritu Sancto, excluſos ambos ab illo continuò inferendum non eſt; per invocationem enim nominis Jeſu Chriſti veluti Fidei confeſſione quadam profitemur ſanctiſſimam Triadem, Patrem, qui unxit, Filium, qui unctus eſt, & Spiritum Sanctum, qui unctio ipſa reputatur. Quemadmodum, addit ille, & ſi in pluribus aliis Scripturæ textibus præferatur tantùm Spiritus Sanctus, reputandum tamen non eſt Baptiſma per ſolam ejus invocationem perfici, quam enim recepimus, traditio ſanctè retinenda eſt. Segregare Spiritum Sanctum à Patre & Filio crimen eſt baptizanti perniciosum, & baptizato res eſt penitus inutilis.

Sed textus ipſe S. Ambroſii excutiendus, perpendendumque, an recta de illo ſtatuerint, qui Baptiſmum Jeſu Chriſti defendunt. Contendit ille collatum à Joanne Baptiſmum nullum reipſa fuiſſe, quòd ibi nulla fuerit confeſſio ſive Jeſu Chriſti, ſive Spiritus Sancti: *Plenum autem eſt*, ait, *Baptiſma, ſi Patrem & Filium & Spiritum Sanctum fatearis*. Qui unam in Trinitate Perſonam negat totam myſterii œconomiam ſubvertit; qui non niſi unam verbis ſuis exprimit, cæteris tamen fidem non denegans, ille utique Sacramentum Baptiſmatis plenum & perfectum recipit. Conſtat utique ſermonem his eſſe, non de Miniſtro Baptiſmi; perſuadetur ſotem illum, qui Baptiſmate initiandum ſe præbens, negat unam de Trinitate Perſonam, nec gratia donari, nec Sacramento pleno & perfecto, quantum ex eo eſt potiri; ſicut viciſſim, ſi unam quidem è Trinitate Perſonam verbis exprimeret, intus tamen, & in corde cæteras retineret, integro & perfecto Sacramento fieri compotem. Sacramenti efficacitas in illo operatur, quia *qui unum dixerit, Trinitatem ſignavit*. Dicta hæc omnia unicè accipienda de initiandis Baptiſmate.

Cæterùm, quæ illorum ſententia tenet, Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem expreſſam intercedere oportere in Baptiſmo, ut ſi unius tantùm exprimatur nomen, irrita ſint omnia, hæc, inquam, ſententia aſſertores habet doctiſſimos Theologos hoc argumentum tractantes (c).

BAPTISMUS *pro mortuis*. S. Paulus 1. Cor. 4. 15. 29. futuræ reſurrectionis mortuorum dogma pluribus adſtruit; tum aliud nectens argumentum, addit: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis*, ſi mortui omnino non reſurgunt? Quid Baptiſmus iſte pro mortuis diſquiritur? Quæ prima ſuggeritur legentibus idea illa eſt, nimirum Fideles, ad quos literas dabat Apoſtolus, abluendos Baptiſmate ſeſe dediſſe pro neceſſariis & amicis ſuis qui non initiati deceſſerant, ſperantes profuturum illis in altera vita quicquid hujuſmodi ipſi ſuperſtites in eorum favorem præſtarent; quemadmodum data proportione preces & largitiones pro mortuis illos juvant, ut venialia crimina, quæ non eluiſſent in hac vita, expient, & quò ſcilicet maturiùs ad beatitudinem properent.

Neque illud reputandum eſt, mores illorum & ſuperſtitionem probaſſe Apoſtolum; ſatis enim habemus ad intentum, ſi non defuiſſe tunc demonſtraretur, qui ita ſibi præſtandum cenſerent; ita enim fieret ut illos ſtringeret Apoſtolus argumento, quod vocant, *ad hominem*. Nec ipſe quidem ait, Corinthios tingendos ſe curaſſe pro mortuis; ſed tantùm: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis*? Quomodo mores illos ſuos defenderent; qua cauſatione id à ſe præſtitum excuſarent, ſi nulla eſt mortuorum reſurrectio, ſi cum corpore & animæ intereunt?

Totus ergo quæſtionis cardo in eo verſatur, ut demonſtremus, obtinuiſſe ætate illa apud homines Chriſtiano ſe nomine obtrudentes, qui ſibi baptiſmum procurarent in gratiam mortuorum, ut ſcilicet illos juvarent, & ſolaminis aliquid afferrent. Scitum eſt autem, quo tempore prior ad Corinthios epiſtola data eſt, nempe à reſurrectione annis 23. Hæreticos Simonianos, Gnoſticos & Nicolaitas per Eccleſiam graſſatos, ac fidem denegaſſe ſuam reſurrectioni mortuorum, non aliam agnoſcentes reſurrectionem, quàm quæ in Baptiſmo per gratiam ſanctificantem habetur. Scitum eſt inſuper aliquantò poſt paruiſſe, qui iiſdem opinionibus cenſebantur, Marcionitas, & mortuorum reſurrectionem negantes, & quod in rem noſtram plus valet, tingendos ſe tradentes pro mortuis. Docet hæc Tertullianus cont. Marcion. lib. 5. cap. 10 ex-

(a) Tom. 1. Concil. pag. 770. 773. 775. (b) De Myſteriis cap. 4. n. 20. & in Lucam lib. 8. n. 67. & de Sacram. lib. 2. cap. 5. & 7. (c) Baſil. de Spirit. S. cap. 10. 11. 12.

(d) Bellarm. de Sacram. Baptiſ. l. 1. c. 3. Eſtius in 4. ſent. diſt. 3. Natal. Alexand. ſæc. 2. diſſert. 13. Notæ in Nova edit. S. Ambroſ. in lib. 1. de Spir. S. c. 4. Harduin. de Baptiſmo in nomine Chriſti. Mabillon Notæ in Epiſt. 106. D. Bernardi.

to. exprobrans illis minùs rectè agere, dum morem recipiendi Baptiſmi pro mortuis defendere niterentur, Apoſtoli authoritate; ſi enim Apoſtolus moris illius meminiſſet, id tantùm habuiſſe illum conſilii, ut dogma de reſurrectione mortuorum contra illos magis magiſque adſtrueret: *Ut tantò magis ſiſteret tacitus reſurrectionem, quantò illi, qui vanè pro mortuis baptizarentur, fide reſurrectionis hoc facerent.* Et de reſurrectione carnis cap. 48. agnoſcit obtinuiſſe Apoſtoli ætate apud quoſdam, ut Baptiſmate pro mortuis tingendos ſe traderent, ſpe illorum reſurrectionis juvandæ.

Exactiùs S. Chryſoſtomus in 1. Cor. Hom. 40. tradit, cùm apud Marcionitas è Catechumenis aliquis deceſſiſſet, incolumem alium ſub ferali lecto occuluiſſe, tum ad mortuum accedentes interrogaſſe, num vellet tingi Baptiſmate. Optare ſe id vehementiſſimè reſpondebat pro mortuo, qui vicibus ejus fungebatur vivus alter; ſtatimque pro mortuo ipſe abluebatur, atque ita theatro digna ſcena completa. Defendit S. Epiphanius hæreſ. 42. & hæreſ. 28. Marcionitas admiſiſſe Baptiſmum non ſemel tantùm, ſed & bis, ac ter, & ſæpiùs prout ſibi commodum cenſebant; tradidiſſe autem tingendos ſeſe nomine pariter eorum, qui illoti deceſſerant; illos verò habuiſſe præ oculis Apoſtolum, cùm dogma de reſurrectione in priori ad Corinthios ſtabiliret.

Hanc ſententiam adſtruunt inter Commentariorum in hanc Epiſtolam Scriptores vetuſtiſſimi æquè ac clariſſimi, ut Ambroſiaſter ſeu Hilarius Diaconus ſub S. Ambroſii perſona latens, Theophylactus, S. Thomas, Gloſſa Ordinaria, Valafridus Strabo, & recentiorum ſanè plures. Videſis Diſſertationem, Bocharti tom. 2. Geograph. pag. 1026. Danielem Grade Diſſert. in idem argumentum, Salomonem Deilingium tom. 2. Obſervat. Sacrar. cap 44. & noſtram Diſſertationem Epiſtolis S. Pauli præfixam.)

BARA, Rex Sodomæ, Abrahami ætate, Codorlahomor Regis Elam tributarius. Qua ſorte Codorlahomor adeò à Palæſtina diſſitus, Reges Pentapoleos vicerit, ignoratur. Bara ſervitutis impatiens, aliique cum eo quatuor Reges finitimarum urbium, propinqua fortaſsè populis ſieri, ab Elamitarum Rege defecerunt. Qui, fœdere cum tribus aliis Regibus inito, Sodomam, Gomorrham, Adamam, Seboim, & Segor aggreſſus, captas populatus eſt, prædamque uſque Hoba paulò ſuprà Jordanis fontes tulit. Abraham revertentem perſequutus, victorem invaſit, profligavit, prædam omnem ab eo extorſit, & Baræ, aliiſque Pentapolis Regibus rapta reſtituit. (a) Primum hoc bellum eſt, cujus meminit Scriptura. Illud evenit An. M. 2092. ante Chr. 1908. ante Ær. 1912.

BARA, Uxor Schataim, ab eodem repudiata 1. *Par.* 8. 8.

BARABBAS, celeberrimus latro, ſeditioſus, & homicida, quem Judæi prætulerunt Chriſto; cum enim juxta Paſchatis conſuetudinem, ab eis petiiſſet Pilatus, quem vellent dimitti, Jeſum, an Barabbam, Barabbam popoſcerunt (b). Origenes ait, in pluribus Exemplaribus legi (c) Barabbam quoque Jeſum vocatum fuiſſe. Eodem modo legitur in Armeno: *quem vultis vobis dimittam? Jeſum Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus?*

BARAC, Filius Abinoem, à Domino electus, per quem Filii Iſrael à ſervitute Jabin Regis Chananeorum vindicarentur (d), Dominicis juſſis à Debora Prophetide ſibi ſignificatis, reſtitit. Cum enim imperatum illi Debora dixiſſet à Domino, ut ducto ſuper montem Thabor exercitu, lectiſque ex Tribubus Nephtali, & Zabulon 10000. pugnatorum, Siſaram Imperatorem exercitus Jabin Regis, quem Dominus ad torrentem Ciſon ſe ducturum pollicebatur, invaderet; ille, promiſſa licet victoria, pergere, niſi Debora comite, non confidit. Veniam, inquit Debora; victoria tamen tibi non reputabitur, ſed fœminæ. Jaelem intelligebat, quæ Siſaram interfecit, vel ſe ipſam, per quam præcipuè Filiis Iſrael hæc victoria parta eſt. Itaque Debora cum Barac in Cades Nephtali Metropolim profecta eſt, inſtructoque 10000. pugnatorum exercitu, ſimul ad montem Thabor proceſſere.

Quo cognito, Siſara nongentos falcatos currus, & omnem exercitum duxit ad Torrentem Ciſon, ibique caſtrametatus eſt. Tunc Debora: Surge, inquit, Barac; hac enim die tradidit tibi Dominus Siſaram. Deſcendit itaque Barac de Monte Thabor, cumque Dominus perterruiſſet Siſaram, & omnem exercitum ejus, nullo negotio profligatis hoſtibus, maxima victoria potitus eſt. Territus Siſara de curru deſilit, ut citiùs fugeret, ingreſſuſque in tentorium Heber Cinæi, ab Jaele ejus uxore interfectus eſt, ut alibi narrabimus. Paulò poſt Barac Siſaram inſequens, pervenit ad tentorium Jaelis, quæ ipſi Siſaram jacentem mortuum oſtendit. Ita Iſrael ſervitutem Jabin Regis Aſor excuſſit. Tunc Debora, & Barac hilari Cantico gratias Domino cecinerunt (e). Et quadraginta annis terra quievit.

Quidam (f), Barac fuiſſe Filium Deboræ, quidam Patrem, quidam denique conjugem, & Barac præterea eundem fuiſſe ac Lapidoth credidere (g). Divus verò (h) Hieronymus maximi erroris arguit dicentes Deboram fuiſſe viduam, & Barac ejus fuiſſe Filium. Profectò ab ipſo Textu videtur innui, Deboram nupſiſſe Lapidoth, nihilque cognationis cum Barac habuiſſe.

BARACH, Urbs Tribus Dan. *Joſue* 19. 45.

BARACHEL, Buzites, Filius Eliu. *Job.* 32. 2.

I. BARACHIAS, Filius Zorobabel. 1. *Par.* 3. 20.

II. BARACHIAS, Pater Aſaph Levitæ. 1. *Par.* 6. 39.

III. BARACHIAS, Levita, Filius Aſa. 1. *Par.* 9. 16.

IV. BARACHIAS, Filius Meſezabel, & Pater Meſollam, ex iis, qui regreſſi ſunt à captivitate Babylonis, & in reſtauratione Jeruſalem operam impenderunt 2. Eſdr. 3. 3. 30.

V. BARACHIAS, Pater Zachariæ, de quo Matth. 23. 35. *Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, qui ad te miſſi ſunt, ut veniat ſuper te ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum, & Altare.* Maximum eſt Scriptorum diſcrimen de Zacharia Filio Barachiæ. Quidam enim putant (i) Zachariam hunc fuiſſe Filium Ioiadæ, qui jubente Rege Ioas, inter Templum & Altare interfectus eſt 2. *Par.* 24. 21. Volunt ſcil. Ioiadæ duo fuiſſe nomina, Barachiam nempe, & Ioiadam; & revera in Nazaræorum Evangelio, quod S. Hieronymus laudat, legitur, Zacharias filius Ioiadæ, pro Zacharia filio Barachiæ.

Quidam (k) dicunt Barachiam Patrem Zachariæ fuiſſe ultimum ex duodecim Minoribus Prophetis (l). Nullibi tamen conſtat, hunc Barachiam mortem violentam ſubiiſſe, aut interfectum fuiſſe in Templo inter Holocauſtorum Altare & Templi veſtibulum.

Veterum complures (m), Zachariam Patrem Joannis Baptiſtæ, hujus Barachiæ filium aſſerunt. Profectò in aliquibus etiam apocryphis libris (n) legitur Zacharias interfectus in Templo, quòd filium ſuum Herodis furori exemiſſet, cum pueros omnes Bethleem interficeret; quod tamen omninò eſt incertiſſimum.

Invenitur quidam Zacharias Filius Barachiæ, quem Iſaias Propheta (o) adhibuit in teſtem Prophetiæ, quam tunc de Salvatoris Nativitate referebat. Prorsùs autem

(a) Vide Gen. 14. (b) Joan. 18. 40. (c) Origen. in Matth. tract. 33.
(d) Judic. 4. 4. 5. &c. (e) Judic. 5. Ab an. M. 2719. ad 1759. ante Chr. 2241. ante Ær. 1245.
(f) Ambroſ. lib. de Viduit. c. 8. (g) Rab. David., Hugo à S. Vict. alii plures.
(h) Hieronym. Ep. 10. ad Furiam. (i) Hieron. Beda, Maug. 23. ult.
(k) Strabo in Matth. 23. Sanct. ad Zach. 1. 1. Natal. Alex. in Matth. 32. (l) Zach. 1. 1.
(m) Origen. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. in Matth. 23. Baſil. de hum. Chriſti Generat. Tertull. Scorpiac. Epiph. & alii.
(n) Vide Protevangelium Jacobi. (o) Iſai. 8. 2. Vid. P. Martianay in Matth. 23.

& vita & mors tam hujus Barachiæ, quàm Zachariæ ejus filii ignoratur.

Alii denique ex Recentioribus (a) conjiciunt, hunc Barachiam fuiſſe Baruch patrem Zachariæ, de quo Joſephus *de Bello l.* 5. Hic à Zelatoribus in medio Templo interfectus eſt paulo antequam Romani Jeruſalem everterent.

Cuilibet harum ſententiæ adhærere licet; cuilibet enim & ſua ineſt probabilitas, & ſua difficultas.

BARAC, Urbs Tribus Judæ, prope Cades ſita *Gen.* 16. 14. Chaldæus *Agaram*, Syrus *Gedar*, Arabs *Jader* appellant. Fortè eadem eſt ac *Arad*, ſeu *Aruda* in plaga meridionali Judæ. *Num.* 34. 4.

BARAIA, filius Semei. 1. *Par.* 8. 21.

BARASA, eadem probabiliter ac *Bazora*, aut *Bozra* Metropolis Orientalis Idumææ. Vide *Bozra*.

(BARBA. Barbam nutriebant in mento veteres Hebræi, radebant in labio ſuperiori, & ad genas. Vetat Moyſes Levit. 19. 27. ne *radant barbam*, (Hebr. *angulum*, ſeu extremum *barbæ*) i. e. ne mores Ægyptiorum imitentur, quibus in extremis tantùm menti barbæ floccus; cùm Judæi & hodie pariter barbæ tenue quoddam veſtigium relinquant ab inferiore auricula uſque ad mentum, unde promiſſior quidam barbæ floccus pendet; pendet etiam aliquid in labio inferiori. In luctibus radentes crines & barbam (b), negligebant interim (c), intonſam ſcilicet relinquebant barbam labii ſuperioris, & genarum; interdum etiam dum luctus & dolor angeret, avellebant barbam & crines (d), quemadmodum & in triſtioribus rerum caſibus apud alias etiam gentes obtinebat.

Ammonitarum Rex probro volens afficere miſſos à Davide Legatos dimidio barbæ & veſtium abſcidit (e); i. e. vultum media ſui parte tantùm nudavit barba; & David tandiù amotos illos voluit ab Aula, quandiù genis honor, creſcente barba, redderetur.

Cùm leproſus aliquis à morbo convaluiſſet (f), balneo ſe lavabat, radebatque pilos omnes corporis; tum reſtituens ſe in caſtra, ſive in urbem, poſt ſeptem dies iterum ſe, ac veſtes lotione purgabat, radebatque pillos, nec omittebat præſcripta luſtrationis ſacrificia.

Qua die Levitæ erant initiandi, loti priùs veſtibus, & corpore, pilos omnes corporis radebant, offerebantque deſtinata ad eam cæremoniam ſacrificia. Vide v. *Radere*.

BARBA. Quanquam Hebræi ingenti cultu barbam curabant, aptabantque certo quodam ritu alieno à luctus tempore, negligebantque viciſſim in luctu; aliquid tamen barbæ illi ſuæ detuliſſe obſequii nullibi inſinuatur. Arabes autem viciſſim illam obſervant adeo, ut reputent id generis ornamentum quoddam ſacrum datum eſſe ſibi à Numine fœminas à viris diſcernendo (g), *Nunquam Barbam radunt; ſed à prima juventa ſuo illum permittunt arbitrio: Nec vir majori probro notaretur, quàm ſi barbam raderet; maximi autem id ducunt ad Religionem momenti, quòd ſcilicet Mahometus nullam admiſit novaculam. Inſigne eſt etiam authoritatis & hominis ingenui apud illos, æquè ac apud Turcas. Perſæ, qui barbam tondent raduntque ſupra mandibulam, perinde reputantur ac Hæretici. Novaculam nunquam ſuper faciem admittit Magnus Tartarum Imperator; cujus tamen Aula quicunque ſervitiis deſtinati ſunt, ſervitutis hujuſce ſuum argumentum, barbam radunt; nunquam ab his moribus recedentes, niſi facta ſibi à Sultano barbam permittendi facultate, quod ingentis beneficii loco ducunt; nec unquam id datum, niſi ſimul alicui muneri deſtinentur.*

Juvenes nondum copulati conjugio barbam abſcindere permittuntur; cùm duxerint uxores, vel cùm filium genuerint, dimittunt, ut eo ſcilicet documento monſtrent ſapientiam aſſecutos ſeſe, ac Juvenilis ætatis nugis abjectis, tranſtuliſſe ſe ad ſolidi honoris & ſalutis ſtudia. Cùm pectine curant barbam, lineum quoddam habent ſuper genua ſtratum, ſi quid è barba deciderit, pilum colligens; & cùm plus aliquid comparaverint furfuris, convolutum in carta deferunt ad cœmeterium.

Inſignis eſt etiam apud illos probri nota, ſi barba abſcindatur; quemadmodum & apud nos infamia ducitur, ſi quis ab ultero flagro cædatur, vel flore lilii ſtigmatizetur. Nec deſunt qui id ſupplicii genus morte rediment. Oſculantur fœminæ barbam mariti, & filii patris, quod ducunt loco ſalutationis. Viri autem cùm ſibi invicem occurrerint, amica ſalutatione, ita ſe excipiunt, ut barbam mutuò oſculentur ex utroque latere .... Docent barbam decus eſſe hominis ſummum, cui minus decederet ad decorem, ſi naribus, quàm ſi barba abſcinderetur.

Elegantem barbam admirantur, & proſequuntur invidia. Vide, rogo, aſſantur ſe invicem, qualem barbam, ſolo ejus aſpectu intelligimus virum hunc eſſe ſui probum! Si fortè acciderit, ut egregiè barbatus homo inſiguiter malus evadat, miſerantes dicunt: Qualè malum hujus barbæ! Dolendum eſt utique huic barbæ. Sè componere morti alicujus correctione voluerint: Pudeat te barbæ tuæ; nonne probrum in tuam barbam recideret? Si rogare aliquem ſuccurrerit; ſi aliquid affirmandum, negandumque iſt ſacramento: Per tuam barbam, per vitam barbæ tuæ, quæſo, hoc mihi concedas: Per barbam tuam verò hæc affirmo, nego hæc. Gratias repenſuri: Deus conſervet barbam tuam benedictam: Deus ſuis largitionibus barbam tuam perfundat. In comparationibus ducendis: Id pretio barbam ſuperat.

Cùm ſolemni rita viſitationes inſtituunt, pretioſi odoris lympha barbam alterius irrorant, humentemque perfundunt pulvere ligni aloe, ex qua gratus naribus odor. Congruunt hæc utique illis Pſalmi 132. 2. *Sicut unguentum in capite, quem deſcendit in barbam, barbam Aaron.*

BARBARI, Vox iſta ſemel tantùm occurrit in Verſione librorum Sacrorum Hebraicorum, ideſt in Pſ. 113. 8. *In exitu Iſrael de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro.* Juxta Hebræos vox *Loez* eſt alienigena, cui & lingua ſancta & lex Domini ignotæ. Barbari Græcorum vernaculo ſermone dicebantur, quicunque alienam ducerent à Græcis originem, ſeu neque politiam, neque leges habebant cùm Græcis communes. Ita Perſæ, Ægyptii, Hebræi, Arabes, Galli, Germani & Latini, Barbari communi nomine apud illos audiebant. Paulus omnes homines cenſet ſub appellatione Græcorum, & Barbarorum: *Græcis & Barbaris, Sapientibus & inſipientibus debitor ſum Rom.* 10. 14. Inſulæ Melitæ incolas Barbaros appellat S. Lucas Act. 28. 2. 4. *Barbarum & Scytham*, tanquam duo nomine perinde fermè valentia, ponit in ſua Epiſtola ad Coloſſenſes 3. 11. Apoſtolus; & in 1. Cor. 14. 11. notat eum, qui in cœtibus publicis ſermonem ignota audientibus, dialecto habuerit, quantum ex illis, barbarum futurum; & ſi viciſſim alloquentes ſecùm, ille intellectu non perceperit; barbaros ipſos, habiturum. Barbarus eſt igitur alienigena, alieno à noſtro utens ſermone; ſive is Græcus, ſive Latinus, vel Hebræus fuerit.

De origine hujus nominis *Barbarus*, non ſat convenit; acceſſunt enim nonnulli ex Arabico *Bar*, deſertum; alii ex adverbio Chaldæo *Bara*, extra; alii ex *Barbar*, obmurmurare. Alii vocem derivant è ſono quodam nihil ab origine deſignante, rati Græcos ad ridiculo imitaturos inconditum Barbarorum ſermonem clamitaſſe, *Barbas*, unde factum *Barbaros & Barbarizein*. Epiſcopos extra Romani Imperii limites Barbaros appellat Concilium Chalcedonenſe. Jam inde à pluribus ſæculis obtinuit apud nos, ut Barbaria appelletur

Per-

(a) Grot. Hammond. Lud. de Dieu in Matth. Tillemont. tit. 1. de Imperatoribus art. 54.
(b) Iſaiæ 15. 2. Jerem. 41. 5. & 48. 37. Baruc. 6. 30.
(c) 2. Reg. 19. 24. (d) 1. Eſdr. 9. 3.
(e) Reg. 10. 45. Par. 19. 5. (f) Levit. 14. 9.
(g) Mores Arabum per Darvieux pag. 173. cap. 7. Gallicè.

Provincia quædam Africæ ad Mediterraneum, quam Ægyptus ad Orientem, Bildulgerid & Mons Atlas ad Meridiem, Oceanus ad Occidentem, & Mediterraneum ad Septemtrionem definiunt. Hoc illi nomen inditum creditur, quod Romano Imperio non ſubmitteretur; Romanos enim Barbaros appellaſſe, quicunque extra eorum ditionem fuiſſent poſiti, jam diximus.)

BAR-CHOCHEBA, ſeù *Chochebas*, ſivè *Cochibus*, notiſſimus Seductor. Fertur nomen Cochebar, ſivè Barcochebar, nempè filius ſyderis, ſibi indidiſſe, quòd Meſſiam ſe faciens, de ſe ipſo intelligebat illud Balaami *Num.* 24. 17. *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael*. Volunt alii nomen ab oppido *Cochaba* ultrà Jordanem ſito propè Aſtaroth-Carnaim, & ultrà Adrac, ſeù Edrai (a) deſumpſiſſe. Scaliger niſus Rabbinorum authoritate refert, ejus proprium nomen fuiſſe *Gozeb*, aut *Coſeb*, Mendax, aut *Bar-Coſebah*, Filius mendacii, cujus nominis cum eum puderet, in *Bar-cochebar*, filius ſyderis, vertit. Ipſe ad defectionem ab Adriano impulit Judæos. Celebris Rabbinus Akiba Meſſiam eum eſſe propugnavit. Spartianus in Adriano c. 14. aſſerit idcircò Judæos defeciſſe, quòd circumciſione prohibebantur. Hos ut Bar-Chocebar deciperet, paleas accenſas recipiens ore, flammas ſe vomere ſimulabat (b). Plurimis in locis ſe pluries munivit, pluſimoſque, præcipuè Chriſti fideles, interfecit (c).

Adrianus Imperator in rebelles Julium Severum miſit, qui eos ſtrenuè aggreſſus, pluribuſque oppidis urbibuſque potitus, tandem obſidione ſepſit in urbe Bitter, ubi diu obſiſtentibus Judæis, diu etiam pugnatum eſt. Tandem urbe expugnata, bellum omninò quievit. In eo (d) Barchochebar cecidit, Judæi autem innumeri vel occiſi, vel in ſervitutem venditi (e). Eorum plurimi in nundinis Terebinthi; qui ex his ſuperfuere, Gazæ; reliqui tandem Ægyptiis venundati, qui tamen, vel naufragio, vel fame, vel denique ab ipſis Ægyptiis occiſi interierunt. Adrianus deindè edicto pronunciavit, capitale eſſe Judæis Jeruſalem ingredi (f), præſidiumque in portis diſpoſuit, quo ipſi ab ingreſſu arcerentur. Ejuſmodi Judæorum defectio, anno Adriani imperantis 17. & 18. Chr. 278. & 179. contigit.

(Contendunt Hebræi duos fuiſſe inſignes impoſtores & cognomines *Barcochebas* (g) avum nempe, & ex filio nepotem. Narrant *Cochebam*, vel Cozibam I. ſalutatum fuiſſe apud Judæos in Regem anno 52. ab everſione primi Templi; deceſſiſſe verò Bither Urbe proxima Jeruſalem, & Imperii ſui Metropoli. Vacuum patris thronum aſcendit ejus filius Rufus; tum regnavit ex filio nepos *Romulus* appellatus *Coziba*, quem Judæi in Meſſiam inſpexerunt. Adrianus Imperator certior factus de Judæorum, authore Coziba, defectione, in Judæam veniens cum exercitu, armis cœpit Bither, trucidavitque latè Judæos, anno ab everſione Templi 73. Ferunt alii, Cozibam à ſuis obtruncatum in Urbe Bither, quod charactere Meſſiæ fuiſſet deſtitutus, noſcendi ſcilicet homines ſceleſtos ex odore. Fruſtra abſurda hæc male congeſta refutarentur.

Valido collecto exercitu Barcochebas res Judææ pluſimùm turbavit; rem habuit potiſſimùm cùm Chriſtianis, ex quibus ſanè plures trucidaſſe fertur, tractos alios in apoſtaſiam, coegit, inquiunt Thalmudiſtæ, novam admittere circumciſionem, & Judæa ſacra, à quibus deſciverant, recipere iterum. Tinnius Ruſus omnium primus ejus conatibus obſtitit; tum miſſus ad Imperatore Julius Severus, capta Urbe Biber, inſignem impoſtorem interemit. Comminiſcuntur Judæi Adrianum, ſpectato capite hujus viri, truncum ejus corpus ſpectare pariter voluiſſe; ſed cùm è terra effoderetur cadaver, tetrus quidam anguis ejus ſtringens collum oculis ſpectantium ſeſe exhibens, omnes terruit; ex quo Princeps intellexit Deum unum virum illum interimere valuiſſe.

Diſcipuli Akibæ, qui Urbem Bither defenderant, libris alligati ſuis projecti ſunt in ignem. Tanta cædo in populum ſævitum ferunt, ut multò plures ex Judæis in eo bello interierint, quam qui pedem retulerunt ex Ægypto: ſuper unum lapidem repertæ ſunt calvariæ, 300. puerorum. E cruore tumentes rivi rapidi ferebantur adeo, ut ſecum veherent quatuor librarum grandia ſaxa, devolverentque in mare, quatuor inde milliari diſſitum. Tandem loci incolæ abſtinuerunt ſeptennio à ſtercorandis agris, quòd cæſorum cadavera in eum uſum ſat valuiſſent. In jejunio recurrente die 18. Menſis *Ab* reſpondentis noſtris Julio & Auguſto appellant Adrianum, Nabuchodonoſorem alterum, rogantque Deum, ne unquam ſæviſſimi Principis, qui 480. Synagogas evertit, ponat memoriam. Hoc ſpecimen eorum, quæ de Barchocheba comminiſcuntur Judæi.)

BARED, filius Suthala, ex Tribu Ephraim 1. *Par.* 7. 20.

BARIA, quartus filius Aſer. *Geneſ.* 46. 17. & 1. *Par.* 7. 30.

BAR-JESU (h), ſivè juxtà quædam exemplaria, *Bar-jeu*, Judæus Magus, Cretæ incola, apud S. Lucam *Elymas*, quo nomine Arabicè Magus deſignatur. Cum Sergius Paulus, vir prudens, acceſſitis Paulo, & Barnaba, Chriſtianæ fidei rudimenta noſſe cuperet; ipſis Bar-jeſu obſiſtens, Sergium à Fide avertere conabatur. Tum Paulus Spiritu Sancto repletus ad eum verſus, o plene, inquit, omni dolo, & fallacia, fili Diaboli, omnis juſtitiæ hoſtis, an rectas Domini vias pervertere non ceſſabis? Jam nunc ergo à Domino percutieris, viſuque ad certum uſque tempus carebis. Minas continuò cæcitas ſubſequuta; cæcuſque Bar-jeſu, qui ſibi manum porrigeret, inquirebat. His viſis. Proconſul credidit; Elymam etiam, ſivè Bar-jeſu, cui proinde D. Paulus viſum reſtituerit, credidiſſe, Origenes in Exod. & S. Chryſoſtomus in Act. hom. 18. opinantur.

BAR-JONA, ſeù filius Jonæ, aut filius Columbæ. Hoc cognomine Chriſtus Petrum appellabat. Matth. 16. 17. Sunt, qui putant, *Bar-jona* uſurpatum pro *Bar-Johanna*, nempè filio Joannis (i).

(BARIS nomen eſt ædificii, quod cæptum à Joanne Hircano ſuper montem Templo ſacrum, ceſſit deinde in ſedem Principum Aſmonæorum (k). Perfecit illud Herodes Magnus, reformavitque in arcem, quam de nomine M. Antonii amici æquè & patroni ſui appellavit *Antoniam*. Quadrata erat moles, præruptæ inſidens petræ eminenti 50. cubitis, qua parte reſpiciebat vallem versùs Urbem; ex æquo autem reſpondebat Templi ſolo. Ædificii ejus ambitus duo ſtadia, i. e. 63. paſſus & aliquanto amplius dimetiebatur. Servata ibi Pontificia ornamenta, quibus ſacram dignitatem reddebat auguſtam recurrentibus per annum Feſtorum ſolemniis. Nomen Baris apud Septuaginta uſurpatur pro æde undique circumcluſa in formam Turris (l). Derivatur ex Chaldæo *Berah*, quod eodem ſenſu acceptum occurrit in Libris Hebræorum poſt captivitatem ſcriptis, ut in Daniele, Eſdra, Nehemia, Eſther, Familiarem fuiſſe vocem Palæſtinis ad id ſignificandum affirmat S. Hieronymus. *Baris* in plurali habet *Bareis*, quod ambiguum eſt; vox enim eadem derivari poteſt ex *Barus*, i. e. grave. Factum inde ut Latini quidam interpretantes Pſalmi 44. 10. illud *à domibus eburneis*, vertant *à gravibus eburneis*, nullo ſenſu; ex quo etiam lapſu lapſus alius derivatus; volentes enim corrigere primum illud mendum, ſubſtituendum putarunt *à gradibus eburneis*, quod planè cum reliquo contextu non congruit. Ita etiam in Pſ. 47. ubi legimus: *Diſtribuite domus ejus*, legerunt alii, *graves ejus*, ex quo factum ab aliis: *Diſtribuite gradus ejus*.

O 2 BAR-

(a) Vid. Epiph. lib. 1. adverſ. hæreſ. p. 126. & 142. (b) Hieron. Apolog. 2. adverſ. Rufin.
(e) Juſtin. Martyr. Apolog. ad Antonium. (d) Dicunt Judæi eum inciſiſſe 10 manus Romanorum, à quibus cum ferreis ungulis detracta ei fuiſſe pellis, infeliciſſimè obiit.
(c) Hieronym. in Jerem. 31. & in Zacchar. 11. Vide & Chronic. Alex. (f) Hieron. in Iſai. 6. Euſeb. l. 5. c. 6. hiſt. Eccleſ.
(g) Vide Baſnag. Hiſt. Jud. 1. 2. p. 123. 124. (h) Act. 13. 6. (i) Hieron. in Matth. 16.
(k) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 6. & de Bello l. 6. c. 15. (l) Hier. in Jer. 16. in Oſee 9. in Pſ. 44. ad princip. *Utique hodie domus ex omni parte concluſa, & in modum ædificata turrium Baris appellantur.*

BARNABAS, filius conſolationis, vel Prophetiæ, Jeſu Chriſti Diſcipulus, & in Apoſtolicis S. Paulo laboribus comes (a), Patria Cyprius, ex Tribu Levi, *Joſeph* etiam, ſeu *Joſe*, & in aliquo Græco exemplari Barſabas appellatur; hinc ortus error aliquorum, qui eum confundunt cum Barſaba, cui una cum S. Matthia ſortes dederunt Apoſtoli, quis eorum Judæ loco ſufficeretur Act. 1. 23. Bona ſua omnia vendidiſſe, eorumque pretium ad pedes Apoſtolorum detuliſſe creditur. Gamalielis etiam diſcipulus dicitur, una cum S. Paulo; quem tribus annis à ſua converſione Jeruſalem profectum, ipſe Barnabas ad cæteros Apoſtolos duxit, ut etiam viſu eum agnoſcerent (b).

Quinque poſt annis (c), cum Hieroſolymorum Chriſtiani auctum in dies numerum credentium Aotiochiæ intellexiſſent, illuc Barnabam miſere (d), qui tantis gaudens incrementis, credentes omnes monuit, ut nunquam à Chriſti fide, & ſequela diverterent. Profectus deinde Tarſum eſt, ut quæreret Paulum, quem cum invenifſet, Antiochiam duxit; ubi duobus annis ſimul commorantes, tam multos ad Fidem adduxerunt, ut eorum Diſcipuli ibi primùm Chriſtiani appellarentur. Antiochia uterque diſceſſerunt anno Chr. 44., ut eleemoſynas, ab Antiochenis Eccleſiæ Jeroſolymitanæ oblatas, deferrent; hinc regreſſi Joaanem Marcum, Barnabæ conſobrinum, Antiochiam adduxerunt.

Hic cum (e) Domino miniſtrarent, Spiritus Sanctus ipſos à cæteris ſegregatos per manuum impoſitionem juſſit conſecrari, ut munus, ad quod electi fuerant, exequerentur. Itaque precibus ac jejuniis prius adhibitis, manuum impoſitionem receperunt, & Antiochia diſcedentes Seleuciam, inde Cyprum proceſſere. Iis ut Salaminam venere, prædicationi inſiſtentibus, Sergius Paulus ad Chriſtum traductus, Bar-jeſu, quem paulò ſuperiùs diximus, cæcitate à S. Paulo affectus eſt. Salamina Paphum, & Papho in Pamphiliam navigaverunt. Interea Joannes Marcus, Barnabæ conſobrinus, ab eis recedens, Jeruſalem rediit.

Interim cum ii Pergæ in Pamphilia prædicantes, ob Judæorum pertinaciam parum proficerent (f), pulvere pedum in eos excuſſo diſceſſerunt Iconium, ubi plurimos Chriſti fide initiarunt (g). Concitato verò in eos ab Judæis tumultu, Lyſtram, & Derben, Lycaoniæ urbes, confugerunt. Ibi S. Paulus cum quemdam Æacam claudum à puero, ſanitati reſtituiſſet, populus Lyſtræ Apoſtolos Deos eſſe autumans, ipſis adolere parabat: Barnabam Jovem, & Paulum Mercurium nominans. Hoc viſo, Apoſtoli ſciſſis veſtibus domo exilientes, vix populum ſedarunt, ne ſibi immolarent. Paulò poſt Antiochia Piſidiæ, & Iconio Lyſtram venientes quidam Judæi, Paulum & Barnabam publicæ pacis everſores prædicarunt; quare Paulus ex urbe ab iis eductus, obrutuſque lapidibus, veluti exanimis relictus eſt. Ope tamen Diſcipulorum ſurgens, civitatemque ingreſſus, poſtera die una cum Barnaba profectus eſt Derben. Inviſentes deinde urbes, quibus Catholicam Fidem intulerant, Antiochiam Syriæ, unde diſceſſerant, regreſſi ſunt.

Anno Ch. 51. Antiochia Barnabas, & Paulus Jeruſalem profecti, ut à cæteris Apoſtolis, an cæremoniis legalibus Gentes ad Chriſtum traductas obſtringi par eſſet, ut Judæis videbatur, audirent, Concilio Jeroſolymitano adfuere; in quo ipſis Gentium Apoſtolis renunciatis, Judææ tantùm Pauperes commendati ſunt. Antiochiam ſtatim regreſſos paulò poſt ſequutus eſt Petrus quem cum quemdam legalem ritum exemplo ſuo viſus eſſet comprobare, in eamque ſimulationem etiam Barnabas adductus fuiſſet, liberè S. Paulus increpavit; quare Petrus, Barnabas, & cæteri, qui eidem ſimulationi conſenſerant, impoſterùm omnino abſtinuere.

Fideles deinde in Cyprio, & Aſia minori recens initiatos inviſere Paulus exoptans, Barnabam invitavit; qui cum itineris comitem, ut anteà, Joannem Marcum vellet, idque Paulus abnueret, quòd ipſos in Pamphilia deſeruiſſet, ab invicem receſſerunt; & Paulus in Aſiam, Barnabas cum Marco in Cyprum navigavit. Hæc certa de B. Barnaba habeantur; cætera, quæ in Actis, falsò Joanni Marco tributis, & in ejus vita, à Monacho Alexandro conſcripta leguntur, nullam fidem merentur. Ferunt ab Judæis Cypri lapidibus obrutum Salaminæ interiiſſe: ejus profectò corpus ea in inſula, Zenone imperante an. Ch. 488., inventum eſt (h), ſuperque ipſius pectus Evangelium S. Matthæi, propria manu ab ipſo Græcè conſcriptum. Hujus Feſtum à Græcis æquè & Latinis ad diem undecimam Junii conſignatur.

Extat ſub Barnabæ nomine quædam Epiſtola à quibuſdam inter canonicas numerata, cujus etiam quidam Scriptores veteres meminerunt (i). Et revera difficile nimia creditu eſt eam eſſe D. Barnabæ, nec canonicam. Attamen cum Eccleſia inter canonicas eamdem non recenſeat, maximè dubitandum relinquit, an verè hanc D. Barnabas conſcripſerit. Certum ſanè eſt eam vetuſtiſſimam eſſe, & Apoſtolorum temporibus exaratam. Nititur hæc præcipuè oſtendere ab Evangelio abolitam Legem Moyſis, & Legales cæremonias omninò infirmatas; Incarnationis præterea, & Mortis Chriſti neceſſitatem. Fallarii quidam ſub nomine D. Barnabæ commentitium Evangelium ſcripſere, quod Gelaſius Pontifex improbavit.

Recentiores Græci (k) ferunt, Barnabæ fratrem fuiſſe, nomine Ariſtobulum, cujus etiam maximè admiranda recenſent; quem eſſe dicunt, de quo Paulus Rom. 6. 11. *Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtobuli Domo*. Nihil tamen certi habemus de hujuſmodi Ariſtobulo, quem apud veteres Scriptores, ut Barnabæ Fratrem omnino incognitum reperimus.

S. Barnabæ authori adſcribitur Pſeudoevangelium quoddam à Gelaſio PP. in ſua Conſtitutione ſpurii cenſura inuſtum. Interiit penitùs Opus illud, cujus nec unus quidem Codex, ſive M. S. ſive impreſſus remanet; ſed Turcæ dolo malo ſuppoſuerunt ſub eodem nomine Evangelium alterum (l), quod pluribus inſerſere fabellis tam nomini J. C. injurioſis, quàm Mahometo honorificis. Ejus Operis M. S. Codicem ſervat Bibliotheca Principis Eugenii. Arabicè primùm ſcriptum credit D. dè la Croſe ſub Imperio Friderici II. qui rebus præfuit ab anno 1211. uſque ad 1245. tum Italicis literis traditum circa dimidium ſæculi decimiquinti. Verſio hæc tantùm reſtat, & nunquam typis excuſa; quin & M. S. Codex Principis Eugenii unicus ex omnibus creditur.

Ibi autem ſuſcepiſſe in ſe Barnabas dicit provinciam ſcribendi; arrogat ſibi titulum Apoſtoli familiaris J. C. ejuſque Parentis; meliùs, quàm S. Paulus, inſtructus de Circumciſionis merito, atque de uſu dapum, ſive quæ permittendæ, ſive quæ denegandæ Fidelibus. Diſcere licet ex ejus lectione infernas Mahumetanorum pœnas æternitati pares non duraturas. Jeſus Propheta tantùm, nec cruci ſuffixus dicitur; ſed translato illo ad tertium Cælum Judas in ejus locum ſubſtitutus; falſa tamen perſuaſione credidiſſe dicitur Virgo Maria & Apoſtoli, Jeſum interiiſſe eo ſupplicio, adeò enim inter utroſque par in omnibus ſimilitudo ſpectabatur. Jeſus verò, addit Scriptor, copiam impetravit veniendi ad mæſtam Parentem, & Apoſtolos ſolandos; Deus autem, quò illum puniret ex titulo Dei ab hominibus ipſi attributo, permiſit, ut ad exitum uſque Mundi illuſioni eſſet hominibus, quippe quibus fucus factus eſſet, Jeſum ſupplicio Crucis extinctum fuiſſe. Hoc ſpecimen Operis ſub tanto nomine obtruſi à Mahometanis, alterius planè ab apocrypho, quod proſcribit in ſuo Decreto Gelaſius.)

BAA-

(a) Clemen. Alex. Strom. l. 2. Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 12. Epiphan. hæreſ. 20. c. 4. (b) Act 9. 26. Circa an. 37. Æræ. (c) Circa an. Chr. 42. (d) Act. 11. 22. (e) Act. 13. 1. 2. &c. (f) Act. 13. 50. (g) Act. 14. (h) Theod. Lector. l. 2. (i) Vid. Hieronym. de Viris illuſtribus, Euſeb. l. 3. c. 25. Clem. Alex. Orig. (k) Doroth. in Sinopſ. Menæ. (l) Vide du la Monnoye not. in Menagiana l. 4. Edit. Amſtelod. 1716. pag. 321. & Fabric. Apocryph. N. T. t. 2. p. 363.

BAR-PANTHER, ſeù *Filius Panther*. D. Joannes Damaſcenus l. 4. c. 15. de Fide ait, Levi Filium Nathan ex progenie David, Melchi, & Pantherem, Pantherem Joachim, Joachim Mariam Chriſti Matrem procreaſſe. Judæi in falſis de Chriſto hiſtoriis, quas protulerunt, aſſerunt, ex adulterio Pantheris & Mariæ matris ejus natum eſſe Salvatorem. Pantheris nomen habetur in Origene contra Celſum l. 1. & in Talmud (a), ex quo arguitur, quamdudum in Jeſum fabulæ, & calumniæ Judæorum cœperint. Cæterùm Damaſceni Genealogiæ ordo nullo modo defendi poteſt, cum adverſetur Evangelio, à quo inter *Levi*, & B. Virginem nemo medius interponitur, niſi ſolus *Heli*, qui probabiliter idem eſt ac Joachim.

I. BARSABAS. Joſeph Barſabas, cui cognomen *Juſtus*, ex primis (b), & vero ſimiliter ex 70. Chriſti Diſcipulis. Poſt Chriſti aſcenſionem, cum Apoſtoli in Cœnaculum Jeroſolymæ coacti, promiſſum à Chriſto Spiritum Sanctum expectarent, Petrus unius ex præſentibus, qui proditori Judæ ſufficeretur, electionem propoſuit. Propoſitis igitur *Barſaba*, cui cognomentum *Juſtus*, & Matthia, ductiſque ſortibus, Matthias eligitur. Author eſt Papias (c) hauſtum à Barſaba venenum, nihil Chriſti ope, ipſi nocuiſſe. Hæc de Barſaba, cætera latent. Quidam eum cum Barnaba confundunt. In Martyrologiis Uſuardi, & Adonis ejus Feſtum ad diem 20. Julii conſignatur, ubi plurima propter Evangelium paſſus, in Judæa feliciſſimè interiiſſe dicitur.

II. BARSABAS, cognomen Judæ, ex præcipuis Diſcipulis, de quo in Actis Apoſtolorum 15. 22. *Judam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam viros primos in fratribus*. Ipſe & Silas ab Apoſtolis Antiochiam comites Pauli & Barnabæ, ut literas deferrent de iis, quæ Concilium decreverat Jeroſolymis, miſſi ſunt; cumque Antiochiam perveniſſent, congregatis Fidelibus, epiſtolas tradidere (d); quibus perlectis ingens in omnes lætitia exundavit. Judas autem & Silas aliquandiù inibi commorati, Fratres confirmarunt, & Judas, ſeù Barſabas, relicto Antiochiæ Sila, Jeruſalem regreſſus eſt. Hæc tantùm de hoc Barſaba novimus.

BARSAITH; filius Melchiel. *Par.* 7. 31.

BARTHOLOMÆUS, ſeù *Bar-tholomaios*, Filius ſcilicet Ptolomæi, Galilæus erat, ut & cæteri Apoſtoli (e); Patria tamen latet. De eo nihil Evangelium, nihiloque certum de ejus vita, & morte ſupereſt. Vulgò Indis Evangelium nunciaſſe creditur (f). Fertur etiam Evangelium Matthæi Hebraicè exaratum illuc tranſtuliſſe, quod centum poſt annos à D. Panteno repertum eſt (g). Sunt qui populis Felicis Arabiæ, & Perſiæ Verbum Dei prædicaſſe opinantur; quod profectò iis, qui Indos initiaſſe dicunt, non adverſatur; ad Indos enim progrediens, eas regiones fortaſſe peragravit. Fortè etiam Indiarum nomine eædem Regiones intelliguntur.

Obitus ipſis tempus, locus, aut genus nuſquam patet. Recentiores Græci & Latini Scriptores occubuiſſe ferunt Albani, ſeù Albanopoli, quæ probabiliter eſt Albanus Albaniæ ad mare Caſpium, & in Armeniæ finibus ſita, quæ interdum Indiarum nomine deſignatur. Vulgò creditur ab Aſtyage Polemonis Regis Armeniæ fratre eidem vivo cutem detractam fuiſſe, Fidei cauſa, ad quam ipſum Polemonem induxerat. Incertiſſima.

Putant aliqui (h) Nathanaelem ipſum eſſe Bartholomæum, quod probant 1. quia Bartholomæi vocatio, ſi Nathanaelis non ſit, nullibi deſcribitur: 2. Evangeliſtæ, qui Bartholomæi, Nathanaelis minimè meminere; & S. Joannes, qui Nathanaelem nominat, Bartholomæum ſilet: 3. *Bartholomæi* nomen, proprium minimè eſt, tantummodò enim filium Ptolomæi ſignificat, præterquamquod Bartholomæus fortè Nathanael appellabatur; 4. denique, S. Joannes recenſere videtur Nathanaelem inter Apoſtolos (i), cum Jeſum D. Petro, D. Thomæ, duobus filiis Zebedæi, Nathanaeli, aliiſque duobus Diſcipulis, cum piſcatum pergerent, apparuiſſe narrat. Videantur noſtra Commentaria in Matthæum, c. 10.

Olim D. Bartholomæo quoddam falſum Evangelium adſcriptum eſt, quod inter Apocrypha recenſuit Gelaſius. S. Bernardus, & Rupertus (k) Abbas eum fuiſſe Sponſum nuptiarum Canæ arbitrantur.

BAR-TIMÆUS, ſeu *Filius Timæi*. Cum Chriſtus (l) Hierichunte egrediens, Hieroſolymam Diſcipulis ſuis, populiſque ſtipatus proficiſceretur, cæcus quidam, Bartimæus nomine, qui mendicans in via aſſidebat, ut Jeſum pertranſire intellexit, elata voce inclamavit: Jeſu fili David, miſerere mei. Quem cum multi increparent, ut taceret, ille validiori voce eadem repetens inſtabat. Tunc ſtetit Jeſus, vocatumque ad ſe Bartimæum, quid ſibi vellet, interrogavit; cui cum viſum reſpondiſſet, ſanitate donatum dimiſit. Ille tamen una cum cæteris Jeſum ſequutus eſt.

Hac de re diſſerens S. Matthæus 20. 30. ait duos fuiſſe cæcos, qui in via ſedebant, quique cum cognoviſſent, quod Jeſus tranſiret, inclamarunt: Miſerere noſtri, Fili David. Quos ubi Jeſus audivit, quid poſcerent interrogavit: petentibus autem illis uſum oculorum, indulſit, tactiſque eorum oculis, viſum reſtituit, ipſique Jeſu comites ſe addidere. Divus tamen Marcus ſolius Bartimæi optimè meminit, quod magis altero cognitus eſſet, vel quod zelum ferventiorem & fidem oſtenderit, Jeſum fuerit alloquutus, ſeque hic majori dignum memoria exhibuerit. Alterius cæci curationem refert Lucas cap. 18. 35., cui Jeſus Jericho ingrediens, Bartimæo autem poſtera die Jericho exiens viſum indulſit.

BARUCH, filius Neriæ, Maaſiæ nepos ex illuſtri progenie in Tribu Judæ. Ejus frater Sarajas apud Sedeciam Regem nobiliſſimo munere fungebatur; ipſe Prophetæ Jeremiæ adhæſit, cui & Diſcipulus, & à ſecretis quoadusque vixit, perſeveravit; nec niſi mortuum reliquit. Regnante Joakim Rege Judæ, Jeremias (m) carcere incluſus, à Domino vaticinia, quæ hucuſque pronuntiarat, conſcribere, juſſus eſt, Baruch itaque à Propheta accerſitus, eo dictante exaravit, ejuſque juſſu ingreſſus Templum coram populo legit, qui illuc convenerat. His auditis Michæas filius Gamariæ ad eos, qui erant à ſecretis Regis adiit, illiſque audita narravit. Hi Baruch vocato, ea, quæ populo legerat, ſibi quoque perlegeret, præcepere (n). Quibus perlectis ii obſtupentes, Regi ea nunciari opus eſſe dixerunt. Interrogantibus deinde ea unde ſcripſiſſet, ex Jeremia quaſi legeret dictante, reſpondit: Hi verò cùm Baruch, & Jeremiam latere juſſiſſent, ut nemo, ubi eſſent, noſceret, acceptum è Baruch volumen, in Eliſamæ à Secretis Archivio collocarunt.

Regem deinde adeuntes, audita nunciarunt: qui ſtatim miſſo Judi, ut volumen deferret, allatumque coram ſe, & univerſis, quibus ſtipabatur, Principibus, illud legi juſſit: cumque Judi tres vel quatuor paginas perlegiſſet, Rex illud Scribæ ſcalpello preciſum, in focum prunis refertum, qui coram ſe erat, projecit; ipſoſque Baruch & Jeremiam teneri juſſit: irrito tamen conatu, cùm Divino munere inveniri nequiverint.

Rurſum deinde, Jeremiæ Deus vaticinia ſua exaſaret, imperavit. Jeremia igitur dictante, Baruch ea conſcripſit, multòque plura poſteriori huic volumini adjecta ſunt. Jeremiæ familiaritas ipſi Baruch odia, calamitateſque comparavit. Cum itaque quadam die tot laceſſitus ærumnis, calamitates ſuas conquereretur, Deus deficientem per Jeremiam 45. 2. confirmavit; quare impoſterum & hilarior fuit, & conſtantior. Quarto Sedeciæ anno (o) cum Saraia fratre Babylonem

 profe-

(a) Talmud. Tract. Sanhedrin. (b) Act. 1. 21. &c. Vide Euſeb. l. 1. c. 11. ex Clem. Alex. Beda in Acta, Epiph. de Chr. c. 4.
(c) Apud Euſeb. l. 3. c. 39. (d) An. Chr. 51. (e) Act. 1. 2. 11. (f) Euſeb. l. 5. c. 10.
(g) Euſeb. l. 5. c. 11. Hieron. de Viris Illuſtr. c. 36.
(h) Ruper. in Joan. 1. Janſen. Corn. à Lap. Hamm. in Jo. Toſtat. in Matt. 10. (i) Joan. 21. 2.
(k) Rupert. in Jo. 2. Bern. Serm. de S. Jo. (l) Marc. 10. 46. (m) Jerem. 36. An. M. 3498. ante Ær. 506.
(n) An. M. 3499. ante Chr. 501. ante Ær. 505. (o) An. M. 3499. ante Chr. 501. ante Ær. 505.

profectus, longam Jeremiæ detulit Epiſtolam, qua Propheta mala Babyloni imminentia referebat (a); Judæiſque captivis libertatem aliquando pollicebatur. Hanc epiſtolam Baruch coràm Rege Jechonia, & cæteris captivis legit, deinde ut Jeremias juſſerat, in Euphratem projecit.

Captivi iis, quæ audierant, valdè commoti, ipſi Baruch pecunias, quibus ſacrificia Domino offerret in Templo Jeruſalem, erogarunt, ſcripta etiam fratribus epiſtola, ab ipſo fortaſſe Baruch exarata, quia eam primis quinque Capitibus Libri, ſuo nomine inſcripti, refert. Jeruſalem regreſſus, ut anteà, Jeremiæ adhæſit; cumque urbs obſidione vallaretur à Nabuchodonoſor, Jeremias una cum Baruch carcere incluſus, expugnata denique urbe, à Nabuzardan uterque libertati reſtitutus eſt (b).

Tranſlatis Babylonem Judæis, eorum reliquiæ, quibus Nabuchodonoſor Godoliam præfecerat, in Ægyptum profugere decreverunt; cumque eorum ſententiæ adverſaretur Jeremias, in Baruch conjuravere; ac ſi Jeremias non ſuis, ſed Baruch verbis loqueretur (c). Itaque cum nullo pacto Jeremiæ acquieſcere voluiſſent, Jeremias ipſe, Baruch, & populi reliquiæ in Ægyptum pertexerunt, ubi Jeremias occubuit; poſt cujus mortem Baruch Babylonem petiit, ubi à Rabbinis obiiſſe dicitur duodecimo captivitatis anno. Hæc de Baruch certa.

Quoad ejus Librum, qui ut plurimum Jeremiæ libro ad calcem inſeritur, Græcè tantùm ſupereſt. Judæi, qui inter Canonicos, nonniſi Hebraicè exaratos libros admittunt, Baruch excludunt. D. Hieronymus de eodem ita diſſerit, ut cæteros libros Canonicos pluris æſtimare videatur (d); viſum enim ſibi eſſe ait, librum Baruch, qui in 70 Jeremiæ additur, commentariis non explicare, quòd ab Judæis non legatur; & inſuper Epiſtolam, falsò Jeremiæ adſcriptam, continent. Alibi etiam (e) inquit eum ſe non eſſe interpretatum, ſicut Jeremiam, quia Hebraicè non extat, nec ab Judæis inter Canonicos numeratur. Præterea Liber Baruch in veteribus Bibliorum catalogis, quorum Patres, & Concilia meminerunt, non legitur. A Proteſtantibus, & à quibuſdam etiam Catholicis Scriptoribus inter Canonicos minimè recenſetur (f)

Quibus tamen omnibus reſpondemus, Judæorum morem, qui Baruch à Canonicis excludant, minimè validum ſatis argumentum eſſe; cum alios libros, quos inter Canonicos nos recenſemus, ipſi rejiciant. Veteres Eccleſiæ Tabulæ ejus expreſſo nomine non meminerunt, quia ſub nomine Jeremiæ complectebatur. Florentinum Concilium, & Tridentinum nominatim Baruch inter Canonicos enumerant; Veteres Patres, D. nempè Irenæus, D. Cyprianus, D. Clemens Alexandrinus, Euſebius, D. Ambroſius, Julius Firmicus, D. Auguſtinus, D. Baſilius, D. Cryſoſtomus, D. Epiphanius, & alii recentiores in ſuis ſcriptis, Prophetiam Baruch tamquam Scripturam Sacram quamvis ſæpiſſimè Jeremiæ nomine, laudarunt. Hucuſque uſus etiam in Eccleſia invaluit, ut quoties Baruch ſcriptis in Horis Canonicis utitur, ea ſub Jeremiæ nomine referat. Videatur Præfatio noſtra in Baruch, ubi nos de hac re fuſius.

BARUTH, aliàs *Berytus*. Vide *Berytus*.

BARZAPHERNES, Dux exercitûs Pacbori Regis Parthorum. Hic in Palæſtinam miſſus auxiliaturus Antigono Regi Judæorum, quem Hircanus & Herodes oppugnabant, capto Hircano, fugatoque Herode, Antigonum confirmavit. (g) Videantur hæc fuſiùs verbis *Antigonus*, & *Hircanus*; & *Joſephus antiq. l.* 14. *c.* 25.

BARZAIAS, filius Melchiæ, Levita. 1. *Paral.* 6. 40.

BASAN, Regio *Baſan*, ſeù *Batanea* in Peræa, nempè ultrà Jordanem ad ſeptentrionem Tribuum Gad, & Ruben, in media Tribu Manaſſe; ad Orientem conterminos habet montes Galaad, & regionem Ammon, & Idumæam Orientalem; ad ſeptentrionem montes Hermon; ad meridiem torrentem Jobok; ad occaſum Jordanem. Cum Moyſes regione Baſan potitus eſt, ibi tùm Og Rex Amorrhæorum imperabat. Baſan complectitur Regionem Argob, de qua *Deuter.* 3. 4. 14. & 3. *Reg.* 4. 13. maximè ferax habebatur; ejuſque præ cæteris paſcua, quercus, & armenta laudantur. (h)

BASARA, Urbs Galilææ, ſtadiis viginti à Gaba propè Ptolemaidem. *Vide Joſeph. de Vita ſua.*

BASCA, Oppidum, in quo Jonathas Machabæus interfectus eſt (i). *Baſcama* etiam dicitur (k).

BASCAMA, Urbs fortè eadem cum *Beſech* (l) aut *Baſcath* (m) in Tribu Juda. Vide *Baſca*. Beſech non longè aberat à Bethſan, ubi Iſrael ingreſſurus regionem Galaad, Jordanem pertranſiit. Tryphon occiſo Jonatha in Urbe Baſcama, feſtinus in Syriam regreſſus eſt. Vide 1. *Mach.* 13. 22. &c. in Græco.

I. BASEMATH, filia Elon Hethæi (n). Huic nupſit Eſau invitis Patre Iſaac, & Matre Rebecca; & ex ea filium Rahuel (o) excepit.

II. BASEMATH, filia Salomonis, uxor Achimaas, ex Tribu Nephtali 3. *Reg.* 4. 15.

BASILISCUS, ſeù *Regulus*, ſerpentis pernicioſiſſimi genus, qui, ut dicitur, ſolo halitu, aut viſu interficit. *Regulus*, quod idem valet ac *Baſiliſcus*, nempè *parvus Rex*, dicitur, quod in ejus capite quædam coronæ ſpecies erigitur, & omnium ſerpentum lethaliſſimum eſt. Galenus (p) hunc flaveſcentem deſcribit, cujus caput tribus parvis tumoribus, colore quodam in album declinante aſperſis turgeat, quibus quoddam coronæ ſpecimen effingatur. Ejus venenum adeò eſſe actuoſum, ut ſolo halitu maximos ſerpentes interficiat, Ælianus *l.* 2. *c.* 5. *&* *c.* 7. eſt author. Eos etiam perimit, quorum ima baculi ipſe momorderit; omneſque ſerpentes ſolo ſibilo propellit. Plinius *l.* 8. *c.* 21. addit eos occidere, quos ipſe reſpexerit. In quibuſdam Pharmacopolarum officinis videndi exhibentur quidam parvuli ſerpentes mortui, quos Baſiliſcos appellant; Baſiliſcus autem quædam eſt ſpecies parvæ avis ad inſtar galli, implumis tamen, cujus caput elatum, ingentes oculi, collum exiguum, & alæ ad inſtar veſpertilionis.

Inſigniores tamen Medici, & Philoſophi recentiores putant commentitium & prorſus inventum, quidquid de Baſiliſco fertur; addant etiam à nemine unquam fuiſſe viſum; eos autem, qui oſtenduntur, & venduntur Venetiis, aut alibi, exiguos eſſe piſces, quos Rajas appellant, artificioſè efformatos ad ſimilitudinem flavi galli, quibus alas protendunt, parvum caput effingunt, & oculos fictos apponunt. Hoc profectò ego ipſe perpendi in quibuſdam ejuſcemodi Baſiliſcis, quorum alterum in officina cujuſdam Pharmacopolæ Pariſiis, alterum Muſſiponti apud PP. Jeſuitas vidi. Videantur noſtra Commentaria in Pſalmum 90. 23. 13. Vox hebræa *peten* (q), quæ vertitur *Baſiliſcus*, *aſpidem* ſignificat, in quo doctiores conveniunt Interpretes.

BASIOTHIA, Urbs ex Tribu Judæ (r). Vox hæc non refertur à Septuaginta, cujus vice legunt, *&* *oppida earum*, *&* *villæ earum*.

BASSUS. Lucilius Baſſus, ſucceſſor *Cerealis Vitaliani* in Præfectura Judææ, poſt captam Jeruſalem, Hebræos in ſeditione perſiſtentes perſequutus eſt quocumque confugerent. Expugnavit Herodium, & Macheruntem, & ſeditionis reliquias omninò delevit. Obiit in Præfectura, cui Flavius Sylva ſucceſſit. Vide *Joſeph. Lib.* 7. *de Bello Judaico cap.* 30.

BATA-

(a) Jer. 50. 51. (b) Joſeph. Antiq. l. 10. c. 11. (c) Jerem. 43. 1. 2. &c. (d) Hieronym. Præf. in expoſit. Jerem.
(e) Idem Præfat. in verſion. Jerem. (f) Driedo de ſcrip. & dogmat. Eccleſ. l. 1. c. ult. Lyran. Dionyſ. Carthuſ.
(g) An. M. 3964. ante Chr. 36. ante Ær. 40. (h) Vide Rel. Palæſt. l. 1. p. 200. &c. (i) 1. Mach. 13. 23.
(k) Antiq. l. 13. c. 1. (l) Judic. 1. 4. &c. (m) Joſue 15. 40. (n) Gen. 26. 34. (o) Gen. 36. 10.
(p) Galen. de Theriaca ad Piſon. (q) Pſal. 90. 13. *Pethen*. 70. *βασιλίσκον*, vel *ἀσπίς*, vel *ἀσπίδα*.
(r) Joſue 15. 28.

BATANÆA, regio Baſan, trans Jordanem. Vide ſuperiùs *Baſan*.

BATH-KOL, filia vocis. Hoc nomine Scriptores Judæi (a) revelationem nuncupant, qua Deus, poſtquam per prophetarum ora electum populum alloqui deſiit, nempè poſt Prophetas Aggæum, Zachariam, & Malachiam, ſuam voluntatem ſignificavit. Hac vocia filia pleræque eorum revelationes, & nationis Hebrææ mores nituntur; Judæi enim Patribus ſuis Deum, ea non verbali prophetia, ſed interiori inſpiratione, ſeù Traditione, quam vocis Filiam vocant, autumant revelaſſe.

(Tria vaticiniorum genera agnoſcunt RR. 1. Per Urim, & Thummim; cum ſcilicet ex imo Sanctuarii, vel è pectorali Summi Sacerdotis vox reſponderet. 2. Per Spiritum Prophetiæ, quo inſpirati Prophetæ ſive ante Legem, ſive etiam poſt Moyſem, 3. Per *filiam vocis*, ſeu *Bath-kol*.

Prior illa vaticinandi ratio obtinuit, juxta illos, à conſtructione Tabernaculi, uſque ad extructum Templum. Valuit ſecunda ab exordio Mundi aduſque obitum Malachiæ, poſtremi inter Prophetas ſecundi Templi, quamquam id frequentiùs ſub primo. Cœpit tertium illud vaticinii genus poſt Malachiam, nec hodie uſque in gente deſiit.

Habent autem perſuaſum, *filiam vocis*, datam eſſe de Cœlo vocem, conceptis verbis expreſſam, quemadmodum olim facta eſt Samueli puero, futuros eventus Heli Summi Sacerdotis, ejuſque familiæ revelans; conceptis enim vocibus Deus uſque tertio vocavit Samuelem (b). Samuel, quippe qui inſuetus non ſatis diſtinguebat vocem Dei, ita reſpondit veluti ad hominem homo. Sive, inquiunt, filia vocis aſſimilatur voci ex imo Sanctuario oracula promenti, cùm Deus ſcilicet à Moyſe, ſive à Summo Sacerdote per *Urim*, & *Thummim*, conſultus reſpondebat. Duo hæc vocum genera veluti parentes habebantur alterius vocis, earum loco ſubſtitutæ & appellatæ *Bath-kol*, ſeu filia vocia, quæ è primigenia illa, veluti ex matre filia ſata videretur. Genus erat autem inſpirationis, minùs quidem perfectæ, ſed non minùs certæ.

Sed nonniſi per errorem autumaremus, revelationem *Bath-kol* conceptis ſemper verbis è Cœlo factam inſonaſſe in aures eorum, quibus Deus arcana ſua revelabat. Neque etiam niſi temere aſſereremus, veteres Prophetas, expreſſos in aure vocis ſonos auſcultaſſe, cùm factum ſibi à Deo verbum perhibent. *Factum eſt verbum Domini ad Iſaiam &c.* Sat enim eſſet ad intentum, ſi intimo quodam cordis ſenſu ſecretam inſpirationem perciperent, ſi motu quodam, vel ſubito lumine penetrati agnoſcerent quidquid Deus revelare illos hominibus mandaſſet. Ita proportione quadam, cùm Deus arcana ſua *per filiam vocis* manifeſtabat, ſive id factum conceptis verbis inſonantibus ad aures, ſeu viva quadam impreſſione in phantaſia, vel in mente, ſeu caſu quodam audita voce, quæ ita acciperetur, quaſi datum è Cœlo oraculum.

En deductum in eam rem è Thalmude exemplum. Cùm duo Rabbini inviſendi amicum ſuum R. Samuelem Doctorem Babyloniæ deſiderio tenerentur, dixerunt: Sequamur quidquid monuerit *Bath-kol*; tranſeuntes per Scholam caſu auſcultarunt juvenem legentem illud 1. Reg. 21. 1. *Et mortuus eſt Samuel*; reputaruntque apud ſe virum interiiſſe. Nec malè illi, renunciatum eſt enim Samuelem tum deceſſiſſe Babylone. Ejuſdem generis exempla plura congererentur è Libris Judæorum. Oracula illa caſu, & novo prophetandi genere prolata perinde habebantur, ac voces à Deo miſſæ, quemadmodum ſimili fermè exemplo pluribus retro ſæculis obtinuit in Eccleſia, ut è caſu apertis voluminibus, quæ primò ſe offerent verba, futurorum eventuum omnia conſulentibus darent.)

BATH-SAMA. Probabiliter eadem ac *Bethſames*. *Joſeph. lib* 6. *Antiq. c.* 2.

BATHUEL. Filius Nachor ex Melcha, Nepos Abraham, Pater Laban, & Rebeccæ uxoris Iſaac. Author eſt Joſephus Antiq. *l* 1. *c.* 24. Bathuelem, cum venit Eliezer ad petendam Rebeccam in uxorem Iſaac, jam è vivis exceſſiſſe. Bathuel pater Rebeccæ non videtur egiſſe de his nuptiis, ſed tantum Laban. *Gen.* 24.

BATHUS, aut *Epha* quædam erat Hebræorum menſura continens decimam partem *Core*, ſeu *gomor*, nempe viginti novem pintas cum dimidia, ſemiſextarium, quadrantem, & pollicicis partes $\frac{475158}{704969}$. Immeritò putarunt aliqoi Bathum ſacrum eſſe diſſimilem à Batho vulgari. Bathum ſacrum dicebant continere Bathum vulgarem cum dimidio, quod ex 3. Regum 7. 26. probare conabantur, ubi mare Salomonis bis mille bathos, & in 2. Paralip. 4. 5. menſuras, ſeu bathos ter mille continuiſſe legitur. Quæ loca facilè conciliantur, ſi dicatur concavum maris ænei bis mille bathos, ut dicitur 3. Regum, & pes ejuſdem vaſis, qui cavus erat, illos mille continuiſſe, qui prioribus bis mille additi, ter mille bathos conficiunt, ut 2. Paralipomenon habetur.

BATHYARA, Urbs ab Herode condita in Batanæa, ut in ea Judæi, Babylone revertentes, à Trachonitarum invaſionibus reciperentur (c).

BAVAI, filius Henadad. Hic in reſtauranda Jeruſalem poſt captivitatem operam impendit 2. *Eſdr.* 3. 18.

BDELLIUM, gummi quoddam ab arbore in Arabia, pluribuſque Orientis Regionibus vulgari manans. Aſſerit Plinius *l.* 12. *c.* 9. bdellium perfectiſſimum in Bactriana reperiri, & arborem, à qua fluit, nigram eſſe, altitudine Olivam, frondibus Robur, & fructu caprificum imitari. Eſſe autem debet translucidum, & flavum, ſimile ceræ, guſtu amarum, pingue, & *unguem odoratum* combuſtum redolens. Naſcitur & in Arabia, Indiaque, ac Media, & Babylone. Hebræi vocant *bdolach*. Moyſes bdellium in iis etiam regionibus, quas alluit Phiſon, inveniri (d), & Manna bdellii (e) colorem habuiſſe, nempe ad flavum declinaſſe, ſcribit.

BEAN. Filii Bean, Iſraelis populo in laqueum, & in ſcandalum, inſidiantes ei in via, fuiſſe dicuntur (f). Latet, an Bean hominis ſit nomen, an urbis. Quidam urbis nomen ultrà Jordanem ſitæ (g); alii pro Batanæa poſitum; alii demum hominis nomen eſſe arbitrantur.

BEBAI. Filii Bebai 623. è captivitate regreſſi ſunt. 1. *Eſdr.* 2. 11.

BEBETHEN, Urbs ad orientem octo, milliaribus à Ptolemaide (h).

BECAH, ſeu *Bekah*. Dimidia pars Judæorum ſicli. Singuli Iſraelitæ quolibet anno centum *bekah* pro expenſis Templi ſuppeditabant. *Exod.* 30. 13. Vide *Matth.* 17. 21., & infrà, *Didragma cenſus*.

BECHER, filius Ephraim, à quo familia Becheritarum. *Num.* 26. 35.

BECHAR, filius Benjamin, & pater Zemiræ &c. *Gen.* 46 21' & 1. *Par.* 7. 6.

BECHORAT, filius Aphiæ, & proavus Cis patris Saul. 1. *Reg.* 9. 1.

BECTILET. Vide *Judith.* 2. 11. in Græco: ubi Holophernes Ninive profectus, poſt tres dies itineris, cum toto exercitu *veniſſe Bectilet, & propè Montes ad Ciliciæ lævam poſitos, caſtrametatus fuiſſe* legitur. Puto ego *Bectilet* eſſe agrum *Bagdaniæ* ad lævam, ſeù ad ſeptentrionem *Montis Argæi*, quem Vulgata *montem Ange* appellat.

BEEL-

(a) Talmud. Sotha c. 9. (b) 1. Reg. 3. 4. &c. (c) Antiq. l. 17. c. 2.
(d) Gen. 2. 12. (e) Num. 4. 7.
(f) 1. Mach. 5. 4. (g) Num. 31. 3.
(h) Euſeb. Onomaſt. voce *Batnai*.

Digitized by Google

BEEL-MEON, Vide *Baal-meon*.

BEEL-MEUS, eadem ac *Baal-meon*, milliatibus novem ab Eſebon. Ibi fluunt aquæ calidæ, inquit Euſebius.

BEEL-PHEGOR, ſeu Idolum *Phegor* aut *Phogor*. Plura diximus de hoc Idolo in Diſſertatione Libro Numerorum præfixa, in qua Adonidem eſſe, vel Orum, ab Ægyptiis, & plerisque Orientalibus adoratum, pro viribus oſtendimus. Iſraelitas in Deſerto Sin caſtrametatos, Beelphegor coluiſſe, ipſique immolaſſe, cum filiabus denique Moab fornicatos Scriptura *Num.* 25. 1. deſcribit. Pſalmiſta autem eadem hæc referens *Pſ.* 105. 28. Hebræi, inquit, *initiati ſunt Beel-phegor, & comederunt ſacrificia mortuorum*. *Phegor*, ſeu *Peor*, idem eſt ac *Or*, ſeu *Orus*, dempta ex *Peor* otioſa ſyllaba *Pe*. *Orus* autem idem eſt ac Adonis, ſeu Oſiris. Adonidis ſolemnia funerum more celebrabantur; tum Adonidem, qui antea veluti extinctus deflebatur, revixiſſe fingentes, in impudicitiam quamlibet effundebantur. Videatur noſtra Diſſertatio, & ſi libet, etiam Seldenus *de Diis Syris*, & Commentatores in *Num.* 25.

(Autumavit Origenes (a), Phegor, ſeu Beelphegor Deum Moabitarum confundendum cum Priapo, ſeu *Idolo turpitudinis*, mulieribus potiſſimùm culto, quem apertiùs ne diſtingueret, Moyſem abſtinendum duxiſſe, metu, ne caſtas Hebræorum aures offenderet, ſi ſcilicet cujus turpitudinis ſermo eſſet, apertiùs exponeret. Tradit S. Hieronymus in Oſee 4. *Colentibus maximè fœminis Beelphegor ob obſcœni magnitudinem, quem nos Priapum poſſumus appellare*. Cenſet viros effœminatos, ac mulieres ſeſe proſtituentes in cultum Idolorum, de quibus ſæpè in Scriptura, religioſum ea in re cultum Beelphegor, ſive Priapo exhibuiſſe. Perſuaſum verò habuiſſe videtur obſcœnum hoc Numen ore apprehenſum tenuiſſe illud, quòd maximè ſpectatur in Idolo Priapi (b).

Cenſet Maimonides cultum Beelphegor impendi conſueviſſe id revelando, quod maximè celari jubet pudor; oblata illi excrementa affirmat Salomon Jarchi. Nec ſanè ambigendum Beelphegor ſalaciſſimum fuiſſe Numen, & quanta impudentia filiæ Moab ad turpia provocarent Iſraelitas, habes Num. 25. De crimine illo agens Oſee 9. 10. ait: *Ipſi intraverunt ad Beelphegor, & abalienati ſunt in confuſionem, & facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt*.

Confundendum alii cenſuerunt Beel-phegor cum Saturno in Arabia culto (c); & ſalaci ejus religioni cauſam dediſſe credenda ſunt ea, quæ de Saturno à filio ſuo abſciſſo narrantur. Veſtigia etiam nonnulla rimari liceret ſimilitudinis inter Saturnum, & Loth patrem Moabitarum colentium Beel-phegor.

Deprehendiſſe ſibi viſi ſunt aliqui in Beelphegor Numen illud, quod *Crepitum* appellant Pagani (d); verbum enim Phegor derivatur ex radice ſonante laxare ventrem. Viſum eſt tamen aliis, Numini Moabitas ſuo nomen tribuiſſe *Beelreem*, Deum tonitru, quod Hebræi deridiculo vertentes reddiderint *Beelphegor*, Deus Crepitus ventris. Cenſuit Voſſius Solem, & Priapum cultum à Moabitis ſub nomine Beelphegor (e). Et Seldenus ſub eodem nomine Plutonem agnoſcit (f); opinioni autem ſuæ fidem adſtruit ex illo Pſ. 105. 28. *Initiati ſunt Beelphegor, comederunt ſacrificia mortuorum*, i. e. ait Seldenus, ſacrificia placandis Manibus oblata. Apollinaris in ſua Paraphraſi hic notat, Hebræos polluiſſe ſe ſacrificiis Beelphegor, degustantes Hecatombas mortuis immolatas. Fertur Saturnus (g) in cenſum Deorum filium ſuum Moth, è Rhea ſibi natum, contuliſſe; cultum autem illum à Phœnicibus modò ſub nomine mortis, modò ſub Plutonis.

At ſententiæ iſtæ omnes minus habere nobis veritatis cenſentur, quàm aſſerta in noſtra Diſſertatione de Beelphegor, ubi contendimus Numen illud confundendum eſſe cum *Adonide*, vel *Oſiride*. Iis autem, quæ à nobis latè diſputata ſunt, addendum modò ſuccurrit, Adonidem, juxta quorundam opinionem, genuiſſe Priapum, celebrata ſub ejus nomine convivia funebria, quæ commodè ſacrificiorum nomine deſignata acciperentur. Baruch. 6. 31. *Sacerdotes rugiunt contra Deos ſuos, ſicut in cœna mortui*. Si in Pſ. 105. 28. plurali nomina convivia illa deſignantur: *Comederunt ſacrificia mortuorum*, inde factum, quòd ſacrificia illa Beelphegor alia planè eſſent à cæteris, Numinibus aliis oblatis; referebant enim convivia, qualia obtinerent in funeribus, eo tamen diſcrimine, quòd funebres epulas comitaretur ſincerus dolor, & ejulatus; cùm nonniſi fictæ lugentium perſonæ exhiberentur in conviviis Adonidis.)

BEEL-SEBUR, Idolum Muſcæ. Vide *Beelzebub*.

BEEL-SEPHON. Hebræi ex Ægypto profecti, poſt tres dies itineris Beel-ſephon venientes, mare trajecerunt *Exod.* 14. 2. *Beel-ſephon* igitur propè *Clyſma*, ſeu *Colſum* erat, cum hæc urbs ibi ſita ſit, ubi Hebræos mare Rubrum tranſiiſſe Majores tradidere. Videantur noſtra Commentaria in hunc Tranſitum ſub Exodi initium p. 40. & ſupplementum p. 54. Ferunt *Sephon* aut *Zephon* Ægyptiorum numen fuiſſe, ejus nomine urbs Beel-ſephon appellata. Quodnam numen illud fuerit, ignoratur. (*Sephon* Hebraicè Septentrionem, aut Latentem ſignificat; Adonis Ægyptiis numen erat Septentrionis, cum ipſe in Libano occiſus fuerit, & præcipuè Biblis in Phœnicia coleretur. Numen etiam latens erat ab Ægyptiis appellatum *Thammus* (h) ſcilicet latens, vel quia in ejus cæremoniis veluti mortuum in arca reconditum, inde revixiſſe fingebant; vel quia ſex menſibus in Terris cum Venere, ſex verò aliis in inferis cum Proſerpina immorari dicebant (i). Ajunt Rabbini, Beelſephon idolum, aut ſtellatam ſtatuam fuiſſe, à Pharaone eo in loco erectam, ut Hebræis exitum à ſuis regionibus intercluderet. Quidam ipſi Beel-ſephon canis figuram tribuunt.

(Beelſephon, ſeu potiùs *Beelzephon*. Sunt qui canis figura expreſſum credant, uti canino capite pingitur ab Ægyptiis Deus Anubis; ideò facile, ut canis iſte latratibus ſuis arceret hoſtes, moneretque deſenſores, atque latebris illis Maris rubri advigilaret. Sunt qui dicant eo loci potiſſimùm conſtitutum, ſervis fugam ab heris tentantibus retinendis. Affirmat Thargum Jeruſalem inter ſimulacra Numinum Ægyptiorum ab Angelo exterminatore everſa, unum Beelſephon conatibus ejus reſtitiſſe. Ingens inde opinio Ægyptiis omnibus de Numinis potentia, auctaque in illud religio. Intelligens Moyſes eò confluere è populo plures, permitti ſibi facultatem à Pharaone poſtulavit, ut ipſe pariter cum Iſraelitis eò ſe conferret. Annuit facilè Princeps; cùm autem toti occuparentur colligendis in littore Maris rubri gemmis, quas Phiſon devolverat in amnem Gion, ſecumque tranſvexerat amnis iſte in Mare rubrum, ex quo rejectæ in litus; ita occupatis ſupervenit cum ſuis Pharao, nactuſque eſt veluti attonitas, & conſilio deſtitutas gentes. Eò veniens, offerenda cenſuit ſacrificia Beelſephon, opprimere Iſraelitas differens adusque mane alterius diei; habebat enim perſuaſum tenere jam ſe gentes illas manu, Deo tradente. Sed interim Iſraelitæ Mare rubrum tranſvadentes, è manibus

(a) In Numer. c. 25. Hom. 20. *Beel Phegor, quod eſt Idolum turpitudinis*. (b) Idem in Oſee 9. *Denique interpretantur Beelphegor idolum tentiginis, habens in ore, id eſt, ſummitate pellem, ut turpitudinem membri virilis oſtenderet*.

(c) Theodor. in Pſ. 105. Apollinar. Caten. in Pſ. Suidas Maſius in Joſue, Hottingerus hiſt. Orient. c. 6. &c.

(d) Minut. in Octav. *Nec Serapidem magis Ægyptii, quàm ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos contremiſcunt*. Origen. contra Celſum p. 255. Hieron. in Iſai. 13 *Ut taceam de formidoloſo & horribili cæpe, & crepitu ventris inflati, quæ Peluſiaca religio eſt*.

(e) De orig. & progreſſ. Idololatr. l. 2. c. 7. (f) De Diis Syris Syntagm. 1. c. 5. (g) Sanchoniat. apud Euſeb. præpar. l. 1. c. 10. (h) Ezech. 8. 14. Vide Hieronym. in eum locum. (i) Vide Theocrit. Scholiaſten.

manibus ejus & è diſcrimine elapſi ſunt, nequidquam in contrarium moliente Deo Beltephon. Sed Rabbinicis hiſce quis fidat?

D. Baſnage loc. cit. perſuadetur Beelzephon Solem eſſe. *Zephon* eſt in Hebræo contemplator, tanquam ſi diceretur: Deus ſpeculator. Sol eſt enim magnus ille naturæ oculus, intuens, noſcens, & illuminans omnia. Ezechielus Poeta apud Euſebium Demonſtrat. l. 10. c. 29. cenſet Beelzephon Urbem fuiſſe; nec ſanè huic opinioni parùm favet Textus Moſaicus. Vide *Clyſma*.)

BEEL-TEEM, ſeu *Reum Beel-teem*. *Reum* nomen erat, *Beel-teem* verò ejuſdem dignitas, ſeù munus, Conſiliarii nempè, juxtà aliquos, aut Scribæ, aut Ærarii Præfecti. Miniſtrorum Regis Perſarum, qui præerant Samariæ, & Palæſtinæ, Princeps erat; Artaxerſem, qui Smerdis, ſeù Oropaſtes, Cambyſis ſucceſſorem, ut reſtauratione Templi Jeruſalem Judæos prohiberet, admonuit (a); quod ut petebat, eſt conſequutus.

BEEL-ZEBUB, ſivè ut ſæpè in Græco & Latino, *Beel-zebul*, ſeu *Beel-zebut*, Deus Muſca, Accaronitarum Idolum. De hujuſce Numinis forma, & qualitatibus diſceptatur. De hoc in noſtra Diſſertatione ſuper Idolis Philiſthæorum, commentariis in primum Librum Regnum præfixa, ſatis egimus. Celebre huic Accarone Templum. Cum Ochozias Rex Iſrael è tecto domus ſuæ in cœnaculum lapſus ægrotaret, Beelzebub, an ſanitatem conſequuturus eſſet nec ne, Accarone conſuluit (b). In novo Teſtamento (c) Beelzebub ſæpè Princeps Dæmonum appellatur.

Interpretes nonnulli verum idoli hujus nomen, *Belſamen* eſſe, ſcilicet Deum Cæli, ab Judæis verò *Beelzebub*, muſcarum Deum, vel *Beelzebul*, Deum immundum vocitari conſueviſſe opinantur. Alii Deum Accaronitarum Deum muſcarum appellatum, quòd à Muſcis liberaret, ut Elei Jovem muſcarum Venatorem colunt (d); & Romanos etiam Jovi muſcarum Tutori adoleviſſe arbitrantur (e). Alii demum Accaronitis Muſcam, aut Scarabæum, ſivè hujus inſecti figuram Deum fuiſſe; quod veritati conformius judicamus. Scarabæum Ægyptii, proximi Philiſtæis, apud quos Accaron, authore Plinio (f), inter numina coluere. Scarabæi inveniuntur in tabulis Iſiacis apud Pignorium. Author Libri Sapientiæ, poſtquam dixerat Deum in Chananæos, & Amorrhæos muſcas, & veſpas immiſiſſe, ut eos paulatim ab eorum Regionibus expellerent (g), addit Deum eos mulctaſſe rebus iiſdem, quibus ipſi divinos cultus obtulerunt; quarè ab ipſis Deos habitas eſſe veſpas & muſcas liquet. Nummos etiam & ſtemmata vetera inveniri ferunt, in quibus muſcarum, & ſcarabæorum imagines conſpiciuntur. Cur Judæi, Chriſti ætate, Beelzebub Dæmonum Principem appellarent, non ſatis conſtat. Vide Bochart. *de animal. Sacr. P. 2. l. 4. c. 9.* & Selden. *De Diis Syris Syntag. 1. c. 6.*

(Credunt nonnulli nomen Achor (h) Numinis, quod Cyrenaici in muſcas experiebantur præſentiſſimum, derivari ex Deo Accaron, Urbis, in qua Beelzebub cultus. Tenent alii genuinam à Philiſtæis datam Numini ſuo appellationem fuiſſe *Beel-zebach*, Deus ſacrificiorum, vel *Beel-Zabaoth*, Deus armorum, ſeu *Beel-zebul*, Deus habitationum, vel Cæli; Judæos verò id ſemper ſtudentes, ut Pſeudo-Deorum numina deformarent, religioni quin etiam ducentes ſuo illa nomine appellare (i), mutatis paulò literis deridiculo traduxiſſe, nuncupantes *Beelzebub*, Deum muſcarum, Deum immunditiæ. Nomen Beelzebuth ſatis habet affinitatis cum *Beelzebaoth*, Deus armorum.

Numinis hujus religionem ætate etiam J. C. obtinuiſſe ex eo intelligimus, quòd Judæi accuſarent illum, quaſi Dæmones in numine Beelzebub, *Principis Dæmoniorum* ejiceret (k); i. e. in nomine Satanæ, Luciferi Principis rebellium Angelorum, cui ſuppareá Jeſu Chriſto Hebræi nomen indiderant Beelzebut, vel Beelzebub. Conſtat id non obſcurè ex dato à Jeſu Chriſto reſponſo, tum ex iis, quæ ipſe Jeſus intulit ibid. v. 26. 27. *Si Satanas Satanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt, quomodo ergo ſtabit Regnum ejus?* Utra melior lectio Textus S. Matthæi 12. 24. inquiritur; an Vulgatæ præferentis Beelzebub, an veterum Exemplarium Græcorum ferè omnium, & Verſionum Orientalium ex Græco *Beelzebul*; an tandem, uti nos Galli vernaculè, *Beelſebuth*? Conſtat utique in Libris Hebraicis V. T. conſtantiſſimè præferri *Beelſebub* (l), i. e. Deus muſca, vel Deus muſcas. Septuaginta reddunt *Baal-Muſcam*, ut proinde legiſſe conſtet *Beelſebub*. Suſpicantur nonnulli eandem lectionem retinuiſſe Originalia N. T. ſubſtitutum verò ab Amanuenſibus vel ex incuria, vel Numinis traducendi gratia *Beelſebul*, Deus immunditiæ, de quo tamen nullum affertur argumentum. Ad adſtruendam lectionem *Beelſebuth* afferunt expreſſam eſſe vocem è plurali numinis *Sebub*, ex quo factum primò *Beelſebuboth*, Deus muſcarum, & compendii gratia *Beelſebuth*, ſed nullibi locorum poſitum demonſtrant *Beelſebuboth*, pro *Beelſebub*.)

BEER, ſeù *Beera*, Hebraicè puteus. Hujus nominis Urbs quatuor leucis diſtat à Jeruſalem, Sichem versùs, ſeù Neapolim (m). Huc fortaſſe Joatham filius Gedeonis, ne incideret in manus Abimelech fratris ſui, confugit. *Judic.* 9. 21.

BEER-ELIM, ſeù *Puteus-Elim* (n), ideſt *puteus Principum*; probabiliter idem, de quo *Num.* 21. 17. ſub nomine Putei Principum; *Beer-ſarim*.

I. BEEROTH, Urbs Gabaon (o), quæ deindè Tribui Benjamin ceſſit (p). Beeroth ſeptem milliaribus à Jeruſalem, Nicopolim verſùs, ſitam eſſe teſtatur Euſebius. D. Hieronymus pro Nicopoli, Neapolim legit; Relandus Euſebio aſſentitur. Videantur ejus argumenta (q).

II. BEEROTH *filiorum Jacan*, de qua *Deuter.* 10. 6. Hanc Iſraelitarum ſtationem decem milliaribus ab Urbe Petræ locat Euſebius *Onomaſt. ad vocem Beeroth*, *Num.* 33. 31. pro *Beeroth-bene-Jacan*, legitur tantùm *Bene-Jacan*.

I. BEERI, Princeps Tribus Ruben, quem captivum duxit Teglathphalaſar. 1. *Par.* 5. 6.

II. BEERI, Pater Oſeæ Prophetæ. *Oſea* 1.

III. BEERI, Pater Judith uxoris Eſau. *Gen.* 26. 34.

BEER-SABEE. *Puteus Juramenti*, aut *Puteus ſeptem*, quòd ibi Abraham fœdere cum Abimelech Rege Geraræ *Gen.* 21. 22. inito, ſeptem illi agnas in jurati fœderis monumentum dono *Gen.* 21. 30. obtulit. Beerſabee primùm ab Joſue Tribui Judæ tradita (r), deinde Tribui Simeon ceſſit (ſ). Sita eſt ad meridiem viginti milliaribus ab Hebron. D. Hieronymi, & Euſebii ætate præſidium ibi erat Romanorum (t). Sæpè Scriptura Terræ Sanctæ fines his verbis notat: *à Dan uſque Beerſabee* (u); ad ſeptentrionem enim terminum habet Dan, ad meridiem Beerſabee.

BEESTERA, eadem ac *Boſra*, ſeù *Becra* Metropolis Idumææ orientalis. Vide *Boſra*.

BEGA-

(a) 1. Eſdr. 4. 9. (b) 4. Reg. 1. 2. &c. (c) Matth. 12. 24. Luc. 11. 15.
(d) Plin. l. 10. c. 29. Solin. c. 1. (e) Clem. Alex. in Protreptico, & Pauſan. in Eliac.
(f) Plin. l. 30. c. 11. Plutarch. Sympoſ. l. 4. c. 5. (g) Sap. 12. 8. 23. 34.
(h) Plin. lib. 10. cap. 28. Cyneraici Achorem Deum &c. (i) Pſal. 15. 4. Exod. 23. 13.
(k) Matth. 12. 24. (l) 4. Reg. 1. 2.
(m) Maundrel. Voyage d'Alep à Jeruſalem. (n) Iſa. 15. 8. (o) Joſue 9. 17.
(p) 2. Reg. 4. 2. (q) Reland. Palæſt. l. 3. p. 618. 619. (r) Joſ. 15. 28.
(ſ) Joſ. 19. 2. (t) Euſeb. & Hieron. in locis. (u) 2. Reg. 17. 11.

BEGABAR, Urbs ultra Jordanem, & Patria Prophetæ Nahum (a). Eadem probabiliter ac *Bet-abara*.

BEGUAI. Ipſe & ipſius filii Babylone regreſſi ſunt Jeruſalem cum Zorobabel. 1. *Eſdr.* 2. 2. 16.

BEGUI, cum Eſdra Babylone rediit. 1. *Eſdr.* 8. 14.

BEHEMOTH. Animal à Job 40. 10. deſcriptum, cujus etiam fuſiùs dotes exponit. Bochartus pro viribus oſtendit, Behemoth eſse hippopotamum, ſeù equum fluvialem; Sanctius putat eſse bovem; Patres autem illum interpretantur Dæmonem; Nos verò pleriſque Interpratibus adhærentes opinamur eſse Elephantem; *Behemoth* in Hebræo idiomate genericè animalia, ingentia præcipuè, & onetaria ſignificat. Rabbini docent elephantem maximum eſse inter quadrupedes; Deum autem ab Orbis exordio geminos elephantes edidiſse, maſculum nempè, & fœminam. Ajunt prætereà Deum fœminam interfeciſse, & ſale condiiſse, ut eam tempore Meſſiæ Electis diſtribueret, maſculum verò adhuc vivere, eodem tamen Meſſiæ tempore interficiendum, ut eum Deus Iſraelitis poſt reſurrectionem impertiatur. Cui delirio adeò ipſi inhærent, ut ſæpè pro parte Behemoth, quam ſperant ſe eſse conſequuturos, jurent.

(BEIZA, vel *Beizath*. Vox in Hebræo *ovum*, & certum menſuræ Judaicæ genus deſignans. Sunt qui ovum ſextam partem Log æquaſse credant, ut proinde referret tres pollices cubicos, ac $\frac{678895}{2114907}$ pollicis. *Beizath* eſt etiam aurea moneta apud Perſas, 40. drachmarum; & ex eadem voce, non de nomine Urbis Byzantii formatum eſt *Bezam*. Eſt Beſam nummus æquans valore duo denaria; denarius autem valebat 20. & etiam 25. drachmis (b). Narrant Perſæ Philippum Regem Macedoniæ debuiſse ex tributo 1000. Beizath, ſeu aurea ova Dario Regi Perſidis, Philippi autem ſucceſsorem Alexandrum ſolvere id recuſaſse dictitantem; avem, quæ ova illa pariebat, in alterum mundum evolaſse.)

BEL, vel *Belus*, primus Babylonis Rex, cui mortuo Babylonii, & Chaldæi divinos cultus obtulerunt. Iſaias 46. 1. frangandum, & conterendum Bel prædicit. Herodotus *l.* 1. Templum Beli celeberrimæ Turri, quæ ſua adhuc ætate Babylone videbatur, ſuperimpoſitum deſcribit.

I. BELA eadem ac *Bala*, aut *Segor*. Vide *Segor*.

II. BELA, filius Beor, Rex *Denaba* in orientali Idumæa. *Gen.* 36. 32.

III. BELA, filius Beniamin; ab eo Belaitarum familia. *Num.* 26. 38.

BELEUS, ſeu *Belus*, parvus Galilææ fluvius, in mediterraneum influens, ſtadiis duobus à Ptolemaide (c). Plinius *l.* 36. *c.* 26. refert hunc à quodam lacu, ſeu palude, quam Cendeviam appellant, oriri, & quinque circiter milliaria tantùm percurrere. Ejus aquæ minimè hauriri poſsunt; alveum habet limoſum. Undæ verò Maris, quæ ejus ripam ſuperant, arenam abluunt, qua fit vitrum. Ejuſmodi ora, à qua hæc arena educitur, quingentis ad ſummum paſſibus protenditur; & quamvis tot poſt ſæcula arena educatur, minimè tamen exhauritur, novaſque quotidie arenas acquirit. Hoc de fluvio eodem modo loquuntur Joſephus, & Tacitus *hiſt.* *l.* 5. Scriptores tamen Belli ſacri (d) has Beli arenas, nonniſi ut ſuo tempore uſui nulli deſtinatas, memorant quarum notitiam à veteribus tantùm accepiſse fatentur.

BELGA, Princeps XV. Ordinis Sacerdotum, quos Miniſterio Domini addixit David. 1. *Par.* 24. 13.

BELGAI, ea progenie Sacerdotum, ex iis, qui poſt reditum Babylone, fœdus cum Domino initum obſignarunt. 2. *Eſdr.* 10. 6.

BELIAL. Hebraica vox, hominem inutilem, impatientem jugi, impium, rebellem, contumacem ſignificans. Proindè à Scriptura filii Belial vocantur Gabaa cives, qui uxore Levitæ abuſi ſunt (e). Ophni etiam, & Phinees filii Summi Sacerdotis Heli, ob crimina, pravumque in Domo Domini miniſterium, filii Belial appellantur 1. *Reg.* 2. 12.

Interdum nomine Belial denotatur Dæmon. Sic Paulus 2. *Cor.* 6. 15. *Quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* Hinc Judæos Pauli ætate, genericè nomine Belial Dæmonem colligimus intellexiſse in iis locis, in quibus Vetus Teſtamentum eodem nomine utitur.

BELLUM. Cum Hebræi ad congrediendum progrederentur, appropinquante jam prælio, Sacerdos ante aciem ſtans ita loquebatur *Deut.* 20. 3. *Audi Iſrael: nolite metuere inimicos, quia Dominus veſter pro vobis contra adverſarios dimicabit*. Duces quoque per ſingulas turmas proclamabant: Quis novas ædes conſtruxit, nec dedicavit? Jam ad dedicandas revertatur; ne fortè eo obeunte in bello, alius dedicet. Tum eadem ratione, eos, qui recentem vineam non vindemiaſset, vel qui deſponſæ puellæ non adhuc nupſiſset, dimittebant. Formidoloſos denique regredi jubebant, ne alios ſuo timore commoverent.

Cum verò ad Urbis cujuſpiam obſidionem proficiſcerentur, primò ipſi pacem offerre jubebantur; cui ſi acquieſceret, portaſque recluderet, toti populo, ejus contenti ſervitute, ignoſcerent: ſecus verò ſi oblatam pacem abnueret, ea expugnata, mares interficerent, ſervarent cætera. Si denique diù civitatem obſiderent, & ad eam oppugnandam machinis indigerent, arbores fructiferas non ſuccideſent, ſed tantum ſylveſtres, quibus ad inſtruendas machinas uterentur.

(Erant olim Hebræi gens inter cæteras orbis nationes bellicoſiſſima: Quæ etenim de bellis illorum digeſta ſunt volumina, Scriptoribus non debentur vel aſſentatione, vel rerum ignoratione, vel ſtudio partium ſuſpicioſis. Sunt enim à viris, quà veritate, quà ſapientia ſpectatiſſimis. Bellicæ virtutis laude clari apud illos Heroes non utique referebant ſeu fabularum thraſones, ſeu Imperatores illos ampulloſos victoris titulo ſeſe inflantes, id tamen ſtudentes unicè, ut devaſtarent Urbes, ac Provincias, & gentes ſanè multas ditioni adjicerent ſuæ, eo unico conſilio, ut nominis famam ſibi parerent, & jura darent plurimis in mundo gentibus. Sunt enim plerunque Viri ſapientia, & bellica virtute inclyti, à Deo ſuſcitati ad gerenda bella Domini, ad hoſtes ejus exterminandos; ſunt, ut uno eorum nomine totum ſingulorum elogium complectar; ſunt, inquam, Joſue, Caleb, Gedeon, Jephte, Samſom, David, Joſias, Macchabæi; quanta nomina!

Bella autem ab illis ſuſcepta non temerè, nec levioribus adductis, nec exiguo molimine. Actum eſt ſub Joſue de ſubigenda vaſtiſſima regione manibus populi à Deo permiſſa, de exterminandis florentiſſimis gentibus à Deo anathemati devotis, de ulciſcenda Numinis injuria, ac reparanda in naturam illata vi à populo impio & corrupto, qui ſcelerum attigerat ſummum. Sub Judicibus res erat, ut vindicarent ſe in libertatem, excuſſo, potentiſſimorum Regum, quo premebantur, jugo. Id pariter agitatum ſub Saule & Davide, ſub quibus pariter alterum belli conſilium fuit, ut ſubigerentur regiones, quas fide ſua Deus traditurum ſe populo ſpoponderat. Porrò tanti moliminis res erat, quanti fuit profectò mittere ſub jugum Philiſtæos, Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Arabes & per Syriam Principes.

Vergentibus Regnorum Iſrael & Juda annis, ſpectati ſunt Reges opponentes ſe velut aggeres potentiſſimis Imperatoribus Aſiæ, Aſſyriæ, & Chaldeæ, Salmanaſari, Sennacheribo, Aſſaradoni, Nabuchodonoſori: ad quorum nomen perterrebantur etiam omnes per Orientem nationes. Rerum potientes Macchabæi modicis planè copiis totam ſuſtinuerunt men-

tem

(a) Epiph. de vita, & morte prophetarum. (b) Biblioth. Orient. pag. 186. B.
(c) Joſeph. l. 2. c. 9. (d) Vide Geſta Dei per Francos p. 1166.
(e) Judic. 19. 22.

tem ſuper ſe molem copiarum Regum Syriæ; ſuſtinuerunt autem ita, ut ſemper perſiſteret immota avita Patrum Religio; excuteretur quin etiam jugum tyrannici illiua Principis, qui oppsimere nitebatur populi libertatem & Religionem. Cùm agerent in extremis, quanta virtute, qua conſtantia, quàm impavide arma in ſe Romanorum, Dominorum ſcilicet mundi, exceperunt fatigaruntque!

Sed quos illi ſcripſerunt exercitus? Olim ab exordio ſub Joſue, & Moyſe bellicam profitebantur omnes. Ea Ægypto pedem retulerunt non minùs quàm 600000. militum; Chanaanitidem attingens Joſue, modò cum univerſo exercitu bellum geſſit, modò cum ſelectis aliquibus ex univerſo exercitu copiis, pro variis rerum circumſtantiis. Sæpè Deus potentiæ ſuæ exhibiturus ſpecimen ac tumidam hominum audaciam depreſſurus, minimis copiis prælium geſſit, vicitque; ita factum ſub Gedeone, cùm ſcilicet viro illi mandaret, ut maxima copiarum parte ſeſe demittens, cum ſelectis tantùm 300. viris, manus conſereret cum inſtructiſſimo & immenſo Madianitarum & Amalecitarum exercitu, quem vicit, & fugavit.

Siquis inſtructiſſimorum exercituum exempla maluerit, habet in promptu Abiam Regem Juda, ducentem exercitum 400000. in Jeroboamum Regem Iſrael, occurrentem cum 800000. ex his verò 800000. uno ſingulari prælio cæſa in ipſa acie relicta ſunt 500000. *Par.* 13. 3.... 17. Phacee Romeliæ Rex Iſrael una die trucidavit è copiia Juda 120000. p. 1. *Par.* 28. 6. Aſa Rex Juda cum exercitu 600000. 2. *Par.* 14. 9.... 13. impetum ſuſtinuit Zaræ Regis Chus ducentis exercitum 1000000. quo in prælio Aſa adverſarium inſigni victoria delevit. David & Salomon ſub ſignis habebant perpetuò ultra 300000. 1. *Par.* 27. Joſaphat Rex Juda 1160000. abſque diſpoſitis per arces cuſtodibus 2. *Par.* 17. 14.... 19.

Duo bellorum genera apud Hebræos. Quædam Dei præcepto neceſſaria, quædam ſponte ſuſcepta. Primi generis à Deo indicta, ut in Amalecitas & Chananæos anathemati devotas gentes; alterius generis Duces populi Dei ſuſcipiebant in ultionem illatæ populo injuriæ, ſeu in vindictam criminis, aut rei in populo iniquiùs tentatæ; ita e. g. moverunt Hebræi in Urbem Gabaa & in Tribum Beniamin commiſſum à ſe crimen defendentem; ita pariter David bellum intulit in Amonitas pro illata in Legatos ſuos inſigni injuria. Sæpè fœderatis gentibus defendendis arma ſumpta; ita Joſue protexit Gabaonitas ab inundantibus ſuper illos armis Regum Chananæorum. Quæ tandem omnia Principes armat ad juſtum bellum, eadem pariter in adverſarios impellebant Hebræos. Leges omnes Moſaicæ certum ponunt, Iſraelitas bellum illaturos, illatumque in ſe propulſaturos.

E legibus bellicis omnium prima occurrit, ut ante illud inferendum indicetur hoſti, reſque ſuæ, vel injuriæ reparatio ante mota arma ab illo repetantur. Deut. 20. 10. 11. *Si quando acceſſeris ad expugnandam Civitatem, offeres ei primùm pacem; ſi receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſalvabitur, & ſerviet tibi ſub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis maſculini eſt, in ore gladii, abſque mulieribus & infantibus, jumentis & cæteris, quæ in Civitate ſunt. Omnem prædam exercitui divides, & comedes de ſpoliis hoſtium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Sic facies cunctis Civitatibus, quæ à te procul valdè ſunt, & non ſunt de his Urbibus,* (Chananæorum) *quas in poſſeſſionem accepturus es. De his autem Civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omninò permittes vivere, ſed interficies in ore gladii.*

Denunciationes belli. Indicti, vel denunciati belli exempla plurima ſuppetunt; nec deſunt querelæ defenſorum in aggreſſores, de motis ante indictum bellum armis. Cùm Ammonitæ inopini Transjordanicis Iſraelitis ſupervenisſent, Judæorum Imperator Jephte altè de illis conqueritur, Judic. 11. 12. *Quid mihi, & tibi eſt, quia veniſti contra me, ut vaſtares terram meam?* Novam tunc Ammonitæ inſtaurarunt in Hebræos querelam, eos ſcilicet Ægypti ſolum vertentes, regionem ſuam invaſiſſe. Sed dicta illorum facilè exploſit Jephte; nec acquieſcentibus tandem ait: *Judicet Dominus arbiter hujus diei inter Iſrael, & inter filios Ammon*. Tum acie in illos directa pugnans conjecit in fugam. Cum Philiſtæis ditioni Juda ſe ſe ſuper infundentibus, paria illatutis pro igne in menſibus ſuis à Samſone injecto, expoſtularunt Judæi: *Cur aſcendiſtis adverſus nos?* *Judic.* 15. 10. &c. Repoſitum ſtatim, rem eſſe illis tantum cum Samſone Philiſtæi agri vaſtatore. Remiſſuros ſe virum in eorum manibus ſpondentibus Judæis, pedem ſtatim retulerunt adverſarii.

Inflatus Amaſias Rex Juda pro rebus proſperè geſtis in Idumæos, per Feciales provocavit Joas Regem Iſrael: 4. *Reg.* 14. 8. &c. *Veni, & videamus nos;* cui ſtatim alter: *Carduus Libani miſit ad cedrum, quæ eſt in Libano, dicens: Da filium tuum filio meo uxorem. Tranſieruntque beſtiæ ſaltus, quæ ſunt in Libano, & conculcaverunt carduum. Percutiens invaluiſti ſuper Edom, & ſublevavit te cor tuum; contentus eſto gloria, & ſede in domo tua*. Non acquievit Amaſias, certatumque inter duos Reges collatis ſignis, res Iſrael potiores. Benadad Rex Syriæ, ductis in Samariam copiis, bellum indixit Achabo Regi Juda, denuncians per feciales: 3. *Reg.* 20. 3. *Argentum tuum, & aurum tuum meum eſt, & uxores tuæ, & filii tui optimi mei ſunt*. Imbecilliorem ſe tantæ belli moli ſuſtinendæ intelligens Achab, omnibus facilè conſenſit: *Juxta verbum tuum, Domine mi Rex, tuus ſum ego, & omnia mea*. Benadad multò quàm antea ſuperbior: *Argentum tuum*, ait, *& aurum tuum, & uxores tuas, & filios tuos dabis mihi: Cras igitur hac eadem hora mittam ſervos meos ad te, & ſcrutabuntur domum tuam, & domum ſervorum tuorum, & omne, quod eis placuerit, ponent in manibus ſuis, & auferent*. Ardua, & iniqua viſa ſunt hæc Regi, cæteriſque quos habebat à conſiliis, ſuſtinendamque obſidionem cenſuerunt, donec Benadad reducere arma coactus eſt.

Decreto bello, ferendis armis omnes, ſeu portio tantùm, juxta ac res ferebat, conſcribebantur; neque enim ſub ſignis detenti milites videntur in Iſraele ante Regnum Davidia. Ad certum locum indicti omnes, ubi per Tribus & familias luſtratis militibus, procedebantur in hoſtes. Saul in exordio Regni ſui, quæ ſæviſſimè imperaverant Ammonitæ civibus Urbis Jabes in Galaad intelligens arreptos plauſtri ſui boves concidit in fruſta, abſciſſaque membra miſit per regionem; ſimul denuncians: *Quicunque non exierit, & ſecutus fuerit Saul, & Samuel, ſic fiet bobus eius*. 1. *Reg.* 11. 7. Secundùm hæc proceſſum in hoſtes. Cum per Iſraelem increbuiſſet fama criminis civium Gabaa in uxorem Levitæ Bethlehemitici *Judic.* 20. 8. ſolemni ſacramento jurarunt ultionem, nec antea redituros ſe domum ſpoponderunt, quàm ut injuriam injuria expiaſſent. Conſultus autem ab illis Dominus, quem præficerent expeditioni, reſpondit Tribum Juda Imperatorem ſuffecturam. Deſtinarunt è centum viris decem, & centum è mille, ac mille è decem millibus, ut annonam comportarent ad exercitum; mota tum arma in hoſtes.

Olim vetuſtis moribus receptum erat, ut in bellum procedentes, vel ſecum ferrent annonas, vel ex hoſtili caperent; ex quo factum ut breviſſimæ eſſent expeditiones; vix enim diutius ſubſtitiſſent inſtructiſſimi exercitus, non aliis referti annonis, quam quas ſinguli detuliſſent. David inter filios Iſai natu minor curandis gregibus patris ſui manſerat, dum fratres alii ferrent arma in exercitu Saulis; 1. *Reg.* 17. 13. miſſus autem à patre annonam fratribus illis ſuis deferebat. Hanc belli gerendi diſciplinam obtinuiſſe credimus ſub Judicibus, Saule, Davidici Regni initiis, ſub Regibus Juda & Iſrael ſucceſſoribus Roboami & Jeroboami, ac ſub Macchabæis, uſque ad Simonem Macchabæum Principem pariter, & Sum-

mum

Digitized by Google

mum Sacerdotem Judæorum, qui milites habuit mercede conductos & ſub ſignis. Vide 1. Macch. 14. 32. Quiſque pariter de ſuo arma ſibi providebat, neque enim cœpta apud Reges Judæorum armamentaria, niſi ſub Davide.

Procedebant ipſi per ſe Reges in bellum, & non ſecùs ac gregarii quique milites olim ab exordio inter pedites certabant. Nullibi locorum legimus deſtinatos equos, ſive pro Imperatoribus, ſive pro Ducibus aliis ſub Judicibus, Davide, & Saule. Poſt eam ætatem minùs hæc rara; & Reges Juda, & Iſrael curru vecti apparent in Scriptura. Vide v. *Currus*.

Militares apud Hebræos Præfecti hi potiſſimùm cenſebantur: Imperator, ſeù *Princeps militiæ*, qualis Abner ſub Saule, Joab ſub Davide, Banaias ſub Salomone. *Princeps Tribuum*, vel *Princeps Patrum*, ſeu Familiarum Iſraelis, qui Tribubus imperabat. Erant inſuper *Principes Millenorum*, ſeu *Tribuni*, *Centuriones*, *Quinquagenarii*, *Triarii* in Hebræo *Schaliſchim*, quorum ignorantur functiones; ac tandem *Decuriones*. Non deerant pariter *Schopherim*, Scribæ ſcilicet, qui militum habebant cenſum; nec *Schoterim*, vel Inſpectores, qui certis copiis præerant. Videſis noſtram Diſſertationem de re militari veterum Hebræorum, & alteram pariter de Præfectis Aulæ, & Militiæ Regum Hebræorum.)

BELMA, ſeù *Belmon*. Locus valli Eſdrelon proximus. *Judith*. 7. 3.

BELMEN. *Judith*. 4. 4. in Græco *Belmen* meminit; fortè eadem eſt ac *Beel-maim*, fortè etiam *Abel-maim* ex Tribu Nephtali, 2. *Par*. 16. 4. ſeu *Abel-mehula*, ut legit Syriacus, *Judith*. 4. 4. & 7. 3. quare *Belmen*, *Belma*, *Bel-maim*, & *Abel-mehula* eadem fortaſsè civitas ſunt.

BELUS. Vide *Bel*, aut *Beleus*.

(Numen Chaldæorum. Verſamur in ambiguo num ipſiſſimus ſit Nemrod, vel Belus pater Nini, vel alius quiſpiam Regum Chaldæorum; an potiùs Sol, vel Saturnus, vel Jupiter. Vide ſupra v. *Baal*. Jeremias cap. 50. 2. agens de everſione Babylonis à Perſis, & Medis: *Capta eſt*, ait *Babylon*; *confuſus eſt Bel*, *victus eſt Merodach*, *confuſa ſunt ſculptilia ejus*, *ſuperata ſunt Idola eorum*. Idem Propheta 51. 44. *Viſitabo ſuper Bel in Babylone*, *& ejiciam quod abſorbuerat de ore ejus*, *& confluent ad eum ultra gentes*, *ſiquidem & murus Babylonis corruet*. Impletum id ſub Cyro, Dario Hyſtaſpis, & aliis poſt illum Regibus. Vide *Babylon*.

Belum ita colebant Babylonii, ut vivere Numen putarent; præſentiſſimum autem cenſebant reſtituendæ à morbis valetudini, potu ſe, atque cibo ingurgitare. Oblatum mutum ut loquelam reſtitueret Numini huic muto, & loquendi facultate deſtituto ridet Baruc. 6. 40. Qua arte fraudem detexerit Sacerdotum Beli, clam per cæcos aditus ſeſe noctis ſilentio introducentes in occluſum Numinis Templum, vorandis quæ per diem oblata erant Belo, de ſe narrat Daniel. 14. 2.

Inter Orbis prodigia meritò accenſendum Templum Beli Babylone deſcribit Herodotus lib. 1. cap. 181. Turris erat immanis, quadratæ baſis, cujus ſingula latera ſtadio, vel 125. paſſibus excurrebant, ut tota moles ambitum contineret 500. paſſuum: octo erant turres, altera ſuper alteram poſitæ. Deſcribens illam Strabo lib. 16. pyramidem appellat, quòd turres data proportione ſenſim graciloſcerent, coarctarenturque, prout in altum attollebantur. Stadio ejus altitudinem dimetitur, i. e. 125. paſſibus. Ad ſummum verticem deferebat diſpoſita circum in exteriori pariete ſcala. Porrò octo illæ turres veluti totidem erant ſolaria referentia ſingula ampliora quædam conclavia, ſuis fulta pilis. Supremæ turris ſupremo vertici inſidebat Templum Beli ſuperbum pluribus ſimulacris ex auro ſolido, quorum unum ad 40. pedes erat immane. Opes illæ, cum Templo perſeverarunt uſque ad Xerſem (a), qui ex infauſta in Ægyptum expeditione redux, everſo Templo, opes omnes diripuit, nec parcens aureis ſimulacris, nec ſacris quibuſque utenſilibus eorum uſui deſtinatis. Vide ſupra *Babel*, Turris Babelica.)

BELZEPHON, aut *Belſephon*. Vide *Beel-zephon*.

BEMESELIS, ſeù *Bethome*, Urbs à Demetrio Syriæ Rege occupata (b).

BEN-ABINADAB, Princeps omnis Provinciæ Dor, qui Tophet Filiæ Salomonis nupſit 4. *Reg*. 4. 11.

I. BEN-ADAD, filius Tabremonis, Rex Syriæ, opem Aſæ Regi Judæ adversùs Baaſam Regem Iſrael tulit; Regnum enim Iſrael invadens, Baaſam coegit, ut relictis munitionibus, quas circà Ramam conſtruebat, ad ſuas regiones tuendas regrederetur (c). Idem eſſe Filius *Adad* Idumæi videtur, qui ſub finem Regni Salomonis in ipſum Regem conjuravit. 3. *Reg*. 11. 25.

II. BEN-ADAD, Rex Syriæ, filius Benadad (d) de quo ſuprà, bellum intulit Achab Regi Iſrael (e) anno M. 3103. nempè 37. annis poſt bellum Benadad I. in Baſam Regem Iſrael. De hoc bello fuſiùs verbo *Achab*. Eo prælio Benadad profligatus ſarcinas omnes amiſit (f). Cum verò exercitus Duces, Hebræorum Deos montanos eſſe dicerent, non campeſtres; ſuperandos itaque Hebræos, ſi in planitie prælium committerent; ejuſmodi conſilio adhærens Benadad, ſequenti anno ingenti exercitu comparato, Aphec venit; contra quos & Achab progreſſus, ipſorum è regione caſtrametatus eſt; cumque ſeptem diebus quieviſſent, ſeptimo tandem die commiſſo prælio hoſtium 100000. Iſraelitæ ceciderunt; cumque reliquum exercitus Aphec confugeret, illius mœnibus ruentibus ad 27000. ruinis oppreſſa periere; ipſeque Benadad ne in manus Achab incideret, in ſecretiori aulæ penetrali delituit. Regii tamen Miniſtri, narrata Iſraelis Regum clementia, ſpem illi veniæ fecere, dum ſacco induti, funibuſque colla præcincti, Achab expoſcerent.

Profecti igitur ad Achab nomine Benadad, ejus vitam incolumem ſervari poſtularunt. Quibus ille, ſi vivit, frater meus eſt; juſſum ad ſe duci, in currum ſuum excepit. Tunc Rex Syriæ oblatis pro liberante urbibus; quas ipſius Pater ab Achab Patre abſtulerat, plateaſque Damaſci, ut Pater ipſius Samariæ fecerat, ædificandi poteſtate, annuens Achab, liberum *dimiſit*. Dominus autem eum per Prophetam increpavit, quòd peſſimum virum libertate donaſſet; quare iratus Achab & audire contemnens, Prophetam in vincula conjecit.

Duodecim poſt circiter annos (g) idem Benadad bello Joram filium, & ſucceſſorem Achab Regis Iſrael laceſſivit (h). Quem cum per inſidias oppugnare moliretur, minimè valuit, Eliſæo ejus conſilia Regi Iſrael detegente. Quare Benadad proditorem aliquem inter ſuos ſuſpicabatur, at intelligens, ab Eliſæo omnia Joram Regi aperiri, validiores exercitus ſui copias miſit, quæ Dothaim, ubi Eliſæum degere noverat, invadentes, Prophetam vincirent. At Eliſæus cæcitate eos puniens, & minimè cognitus, eos allocutus, Samariam uſque perduxit; denique in urbis medio conſtitutis oculos aperuit, & Joram eodem hortante Eliſæo, cibis refectos omninò incolumes dimiſit.

Aliquos poſt annos (i) Benadad Samariam obſedit, & eo uſque penuria, & fames excreverat, ut non modò aſini caput, quod ab Hebræis veluti immundum reſpuitur; octoginta ſiclis, & quarta pars cabi cujuſdam leguminis (k) quinque ſiclis venderentur; ſed & Mater quædam filium proprium voravit.

Joram

(a) Diodor. lib. 2. (b) Joſeph. de Bel. l. 1. c. 3. & Antiq. l. 13. c. 22.
(c) 3. Reg. 15. 18. An. M. 3066. ante Ær. 938. (d) 3. Reg. 20. 3.
(e) 3. Reg. 20. per totum. (f) An. M. 3103. & 3104. ante Ær. 900. & 901. (g) An. M. 3115.
(h) 4. Reg. 6. 8. (i) An. M. 3119. ante Chr. 881. ante Ær. 885.
(k) Vulgata verbum Hebræum hic poſitum interpretatur ſtercus columbarum, pro quo Bochartus intelligit ſpeciem quamdam leguminis ſimilis Ciceri. Boch de animal. ſacr. t. 2. l. 1. c. 7. art. 7.

Digitized by Google

Joram his auditis, in Eliſæum mala omnia referens, miniſtros miſit, qui eum interficerent. At priuſquam illi perveniſſent, ipſe Joram ad Eliſæum venit (a), qui eum monuit, ut bono animo eſſet, cum die ſequenti hora eadem modius ſimilæ in Samariæ portis ſiclo uno vendendus foret. Et ſanè eadem nocte terror panicus Syriorum exercitum ita invaſit, ut Hethæorum, & Ægyptiorum exercitum ipſi Joram opem tuliſſe arbitrantes, equos, tentoria, cibaria omnia reliquerint, & tantum de fuga cogitaverint.

Leproſi quatuor, qui ob morbum urbis ingreſſu prohibebantur, ad Syriorum caſtra profecti, ut ea hoſtibus vacua, & bonis omnibus referta videre, Regi continuo detulerunt. Qui inſidias metuens, caſtra Syriorum exploratum miſit; at cum exploratores vias omnes veſtibus & armis, quæ fugientes projecerant, impediri nunciaſſent, confeſtim Samariæ populus urbe egreſſus, caſtra Syriorum populatus eſt, verumque Eliſæi vaticinium cognovere.

Anno ſequenti (b) Eliſæo Damaſcum profecto, Benadab ægrotans, Hazaelem ad Prophetam cum muneribus, 40. Camelorum onere, miſit ut ab ipſo intelligeret, an à morbo eſſet evaſurus (c). Hazael igitur ad Eliſæum pergens, Regis petitionem expoſuit. Cui Eliſæus, valetudini reſtituendum, brevi tamen moriturum reſpondit: ipſique Hazaeli Syriæ Regnum, pluraque ab eo Iſraelitis mala inferenda prædixit. Regreſſus Hazael nunciavit Benadad felicia, eum nempe à morbo evaſurum; craſtina verò die ſtragulo aqua madefacto Regis ora cooperiens, ipſum ſuffocavit; ſtatimque Regno ipſe potitus, ut Eliſæus prædixerat, Damaſci imperavit.

III. BENADAD, filius Hazaelis (d). Eo regnante Joas Rex Iſrael quidquid Hazael ejus Pater abſtulerat à Joachas Rege Iſrael, recuperavit; (e) ter enim eo profligato regiones omnes ultrà Jordanem, quibus Hazael potitus fuerat, nempe Gad, Ruben, & Manaſſe, reſtituere coegit.

Duos hoſce Reges, quos Scriptura *Benadad*, ideſt filios Adad, Joſephus *Antiq. l. 8. c. 8.* tantùm Adad appellat, poſtremoque huic Adad, & Hazaeli ob benefacta, ornatamque Templis præclariſſimis civitatem, Divinos cultus exhibitos teſtatur *l. 9. c. 2.* Eorum ſimolacra diebus aliquot per urbem ſolemniter delata, eorumque vetuſtas jactata, quamvis nulla ſit, nec ab eorum uſque ad noſtram ætatem; ait Joſephus, 1100. anni interceſſerint. Attamen juxta noſtram Chronologiam à morte ſecundi Benadad, & à principio Regni Hazaelis uſque ad mortem Chriſti 917. anni interfloere.

BEN-DECAR, Hunc Salomon oppidis Maces, Salebin, Bethſames, Elon, & Bethanan præfecerat. *3. Reg. 4. 9.*

BENE-BARAH. Urbs Tribus Dan (f), quam Vulgata in duas dividit, *Bane* nempe, & *Barach*.

BENEDICTIO. Apud Hebræos hoc nomine ſæpius, mutua amicorum munera intelliguntur, quòd fortaſſe, ut plurimùm, comites habebant benedictiones, & officia tam eorum, qui donant, quàm qui donantur (g).

BENEDICTIO. *Vallis Benedictionis*, in Tribu Juda prope Mare mortuum, & Engaddi. Poſt relatam à Joſaphat de fœderatis Ammonitorum, Moabitarum, Idumæorumque exercitibus victoriam, id nomen obtinuit (h).

(BENEDICTIONES ſolemnes, quas Sacerdotes populo in deſignatis quibuſdam cæremoniis impartiebant. Injungit Moyſes Aaroni Summo Sacerdoti, Num. 6. 23. *Sic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi; & miſereatur tui. Convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* Hæc apprecans ſtabat: tollebatque vocem, protenſas habens & elevatas manus. Prophetæ pariter & homines à Deo inſpirati, benedictionem etiam apprecabantur famulis & populo Dei; quibus ſanè apprecationibus redundant Pſalmi. In extremis agentes Patriarchæ filios univerſamque familiam benedicebant (i). Mandat Deus Iſraelitis, ut cùm in terram Promiſſionis venerint (k), populum cogant in loco inter montes Hebal, & Garizim, elataque voce ſuper montem Garizim pronuncient benedictiones in eos, qui legibus Domini morigeros ſe præbuerint; maledicta verò in monte Hebal congerant in prævaricatores. Mandatum id executioni à Joſue poſt ſubactam regionis Chananitidis portionem. *Joſue 30. 31.* Vide V. *Hebal*.

Benedictio uſurpatur etiam pro copia 2. *Cor. 9. 6. Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus & metet*, i. e. meſſem feret copioſam ibi pariter verſ. 5. *Rogavi fratres, ut perveniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe, ſic quaſi benedictionem, non tamquam avaritiam.* Precatur Jacob filio ſuo Joſeph, Geneſ. 49. 25. *Benedictiones Cœli deſuper*, ſeu largom imbrem, & rorem; *Benedictiones abyſſi*, divitem aquarum venam; *Benedictiones uberum, & vulvæ*; i. e. fœturæ animalium & mulierum abundantiam. *Pſ. 144. 16. Reples omne animal benedictione*; i. e. bonorum largitate.)

BENE-JACAN. Vide. *Beroth-benejacan*.

BEN-GABER. Filius Gaber ex Tribu Manaſſe, Princeps urbium Jair, & totius Regionis Argob ultrà Jordanem. *3. Reg. 4. 13.*

BEN-HAIL, ex iis, quos Joſaphat ad omnes Civitates Juda miſit, ut populos erudirent, & ab Idolis averterent. *2. Par. 17. 7.*

BEN-HENNON, ſive *Ben-hinnon*, ſeu *Geh-hinnom*, aut *Geh-ben-hennon*, Vallis filiorum Hennon (l), ad Orientem, & Meridiem Jeruſalem (m). Cloacam fuiſſe Jeruſalem, & inferni figuram ferunt. Hinc Infernus *Gehenna* dicitur à *Gehennon* valle Hennon. Vide *Gehenna* Tophet etiam vocabatur. Vide *Tophet*.

BEN-HESED, Præfectus *Soco*, & Provinciæ Epher ſub Salomone. *3. Reg. 4. 10.*

BEN-HUR Præfectus Provinciæ Ephraim ſub Salomone. *3. Reg. 4. 8.*

BENJAMIN, ultimus Jacob & Rachelis filius. Cum Jacob ex Meſopotamia rediens, ſatis jam ad meridiem proceſſiſſet, Rachel ejus uxor non longè à Bethlehem partus doloribus correpta, marem peperit, quem *Benoni*, filium nempe doloris mei appellavit; nam partu (n) difficilè edito, ſtatim interiit. Jacob autem *Benoni*, in *Benjamin*, filium nempè dexteræ meæ commutavit: *Jemini* tantùm, dextera ſcilicet mea, & filii Benjamin, *filii Jemini* frequenter in Scriptura nominantur.

Cum fames maxima Chanaan, & ejus finitimas regiones devaſtaret (o), Jacob filios ſuos in Ægyptum ad triticum emendum miſit; Benjamin tamen tamquam ſuæ ſenectutis ſolatium, apud ſe retinuit, ne quid incommodi in itinere ei contingeret. Joſeph autem licet fratribus ignotus, fratres optimè agnoſcens, cum Benjamin deeſſe comperiſſet, callidè ab eis an viveret, exquiſivit; nec frumentum eiſdem tradidit niſi ea lege, ut & illum ad ſe perducerent, carceri intereà Simeone addicto, donec redirent. Quod ut Jacob audivit, maximè dolens vehementer reſtitit, donec ſane coactus, reliquis filiis rogantibus, indulſit, & omnes in Ægyptum dimiſit.

Quibuſcum ut Joſeph Benjamin vidit (p), in cœnaculum ſuum omnes excepit, ut cum eis, non tamen eadem menſæ accumbentibus, veſceretur; non enim ſe adhuc prodere volebat; & Ægyptii cum Hebræis comedere nefas putabant. Ut omnes igitur ætatis ordine diſcubuere, ciborum portio Benjamin quinquies cæteris

P　　　　major

(a) 4. Reg. 7.　(b) An. M. 3120. ante Chr. 880. ante Ær. 884.
(c) 4. Reg. 8. 7. &c.　(d) 4. Reg. 13. 3. &c.　(e) An. M. 3168.　(f) Joſ. 19. 45.
(g) Vide Gen. 33. 11. Joſ. 15. 19. & 1. Reg. 25. 27. & 30. 26. & 4. Reg. 5. 15. &c.
(h) 2. Par. 20. 23. &c. An. M. 3108. ante Ch. 892. ante Ær. 896.
(i) Geneſ. 27. & 49. Deut. 33. Tob. 7. 7.
(k) Deut. 11. 26. 29. &c. & 27. & 28. & Joſue 8.
(l) Joſue 15. 8. & 4. Reg. 23. 10.　(m) Vide Euſeb. ad vocem
(n) Gen. 35. 16.　(o) Gen. 42. 2.　(p) Gen. 43. 29.

major. appoſita eſt. Ut autem Joſeph eorum fidelitatem, & amorem erga Benjamin periclitaretur, adminiſtratori domus ſuæ imperavit, ut ſingulorum ſaccis frumento repletis (a), in junioris ſacco pateram ſuam argenteam, unà cum pretio tritici, quod detulerat, reconderet. Quibus peractis, Fratres dimiſit, at vix urbe fuerant egreſſi, miſit poſt eos, qui aſſequerentur, & retinerent: Domuſque adminiſtrator furti eos redarguit, quòd pateram Domini ſui ſuſtuliſſent. Negarunt illi, & ad carcerem, ſeu mortem paratos ſeſe exhibentes, eum, apud quem patera fuiſſet, morte, cæteros ſervitute damnandos eſſe reſponderent. Quibus ille; furem tantummodò quæſo, cæteros incolumes dimittam. Apertis itaque eorum ſaccis, pateram in ſacco Benjamin reperit. Tunc ſciſſis veſtibus in urbem regreſſi ſunt; cumque Joſeph duriùs illos excepiſſet, Judas pro viribus conatus eſt Benjamin liberare, pro quo fidem ſuam Patri Jacob deſpondiſſe clamans, vehementer Joſeph obſecravit, ut ſe ipſum pro Benjamin in mancipium acciperet, ne ea miſerrimo ſeni afferretur calamitas, cui planè ſuperſtes eſſe non poſſet. Tum lacrymas Joſeph cohibere minime valens, ſe eſſe Joſeph Fratrem eorum aperuit, & incidens in collum Benjamin amplexatus, & cæteros poſt ipſum fratres oſculatus eſt (b) eoſque rogavit, ut unà cum Patre redirent, apud ſe impoſterum commoraturi. Singulis quoque veſtes duas, tunicam ſcilicet & pallium, Benjamin verò trecentos argenteos, & quinque veſtes optimas tradidit; munera quoque Patri deferenda; & inter ipſos pacem commendans tandem dimiſit.

Poſt hæc nihil de Benjamin in Sacra Scriptura. Quæ autem de eo in duodecim Patriarcharum Teſtamento leguntur, nihil referunt, cum ſint apocrypha. Jacob moriens dixit Benjamin *Gen.* 49. 7.: *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere dividet ſpolia.* Moyſes verò in ſuo ultimo Cantico: ait: *Deut.* 33. 12. *Benjamin amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo;* (in ſua ſcilicet ſorte) *quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Benjamin lupus rapax, ut plurimum de D. Paulo, qui fuit ex Tribu Benjamin, explicatur, vel de ejuſdem Tribus virtute, quæ contrà cæteras Tribus Iſrael Gabaæ incolas defendit, qui Levitæ Gabaa tranſeuntis uxore abuſi, eandem nimia libidine interfecerant.

(BENJAMIN, *Tudelenſis*, Judæus clari nominis, originem è Regno Navarræ referens, natus verò in urbe Tudela, florebat ſæculo duodecimo. Per omnia ea loca curioſiùs diſcurrit, ubi reperturum ſe Synagogas ſibi blandiebatur, quò certum gentis ſuæ ſtatum meliùs addiſceret. Poſt datos excurſionibus locorum plures annos, rediit in Galliam, Ludovico Juniore regnante, trajecitque anno 1173. Caſtellam; ubi eodem anno deceſſit. Scriptam reliquit Itinerum ſuorum hiſtoriam, in qua plura de Judæorum gente, ſed minùs accurata apud illum omnia. Geographus eſt parum, vel nihil inſtructus, ac Hiſtoricus non raro degenerans in fabellas; aptiſſimus tamen ad ingerendam quandam de ſtatu Judæorum quà Orientalium, quà Occidentalium ſæculi duodecimi ideam. Vitio illi vertitur veritatis etiam diſpendio ſuæ gentis favor. Ejus Opus primùm excuſum eſt Hebraicè Conſtantinopoli, An. 1543. Arias Montanus Latinis literis a ſe traditum imprimendum curavit Antuerpiæ An. 1575. Iterum prodiit Leidæ An. 1633. illuſtratum annotationibus Conſtantini l'Empereur. Videſis de hoc argumento Fabricium de Apocryphis V. T. pag. 1188. & criticam ejus in hiſtoria Judæorum Baſnagii tom. 3. lib. 5. cap. 6. pag. 3. &c edit. Pariſ.)

BENNO, Levita filius Oſan. 1. *Par* 3. 26.

BENNUI, Iſraelita, qui uxorem, cui contra legem nupſerat, repudiavit. 1. *Eſdr.* 10. 30.

BEN-ONI, *filius doloris mei*, nomen a Rachel filio impoſitum, quem deinde Jacob Benjamin appellavit. *Gen.* 35. 18.

BEN-ZOHET, filius Jeſi. 1. *Par.* 4. 20.

BEON, *Num.* 32. 3. ſeu *Bean Mach.* 5. 4. 6. urbs ultra Jordanem. Euſebius ad *Bajan.* hanc à Tribu Ruben poſſeſſam dicit.

BEOR, Pater Bolæ Regis Denabæ in Idumæa *Gen.* 36. 32.

BERA, vel potiùs *Berra.* Vide ſuperiùs *Berra*, & *Judic.* 9. 21. Euſebius quamdam urbem *Beram* octo milliaribus ab Eleutheropoli ad Septentrionem locat.

BEREA, aut *Beræa*, vel *Beroe*, Urbs Macedoniæ, ubi D. Paulus Evangelicæ prædicationis uberem fructum retulit. *Act.* 17. 10. 13.

I. BERENICE, Agrippæ Magni Regis Judæorum filia, & junioris Agrippæ Regis pariter Judæorum ſoror, quæ primò deſponſa Marco filio Alexandri Lyſimaci, Alexandriæ Alabarchæ, deindè Patruo ſuo Herodi Chalcidis Regi nupſit (c). Herode mortuo (d) Polemonem Ponti, & partis Ciliciæ, Regem ad circumciſionem adduxit, ut ſibi nuberet, cui tamen non diù hæſit, ſed ad Fratrem Agrippam regreſſa, cum eo non ſine impudentiæ ſuſpicione vixit. Cæſareæ Palæſtinæ quadam die Paulum dicentem coram Feſto una cum Fratre Agrippa audivit (e). Titus Veſpaſiani filius eam adamavit, & ipſe Veſpaſianus maxima ei munera eſt impertitus (f).

II. BERENICE. Nonnulli quamdam ſanctam fœminam, vulgò *Veronicam*, quæ Chriſto Calvariam petenti ſudariolum obtulit, in quo ipſe Chriſtus ſui imaginem impreſſit, hoc nomine nuncupatam volunt. Creditur hæc eſſe eadem illa imago, Romæ ſervata, quæ Vultus Sanctus, aut Veronica appellatur. Quidquid hucuſque vulgatum eſt de S. Veronica, nempe ejus in Galliam cum S. Martiali tum Romam S. Petrum viſurum iter, ejuſque regreſſus Burdigalam ad S. Martialem, nullam fidem apud Criticorum doctiſſimos invenerunt. Sunt qui hanc Veronicam, aut Berenicem, quæ Domini effigiem in Sudario impreſſam ab ipſo Domino acceperit, nunquam fuiſſe opinantur; nec illud ipſiſſ Veronica, quam *vera Icon*, vera Imago, ex qua imprudenter fœmina conficta eſt, quam quidam nuperi Scriptores inter Sanctos ad diem 4. Februarii, vel aliam, recenſent. Ejus tamen minimè meminit Martyrologium Romanum, etſi eam Romæ occubuiſſe contendant. Hanc eamdem cum ea eſſe volunt, quæ *alicubi* ſub vitiato nomine Sanctæ *Veniciæ* colitur (g).

BERESCHICTH. Hoc nomine Hebræi Geneſim vocant, cum hæc eadem voce incipiat, nempè *in principio*.

BERI, filius *Sopha*, ex Tribu Aſer. 1. *Par.* 7. 36.

BERIA filius Aſer, Pater Heber, & Melchiel. *Gen.* 46. 12.

BERYTUS, ſeu *Berous*, Urbs Phœniciæ ad Mediterraneum, inter Sidonem & Biblos, à Sidone ſtadiis 400. ad ſeptentionem (h)

BERODACH-BALADAN, filius Baladan Regis Babylonis. Hic cum Ezechiam Regem Juda è morbo convaluiſſe intellexiſſet, poſt prodigium retroacti decem lineis Solis, quo de ſalute & quindecim vitæ annis, ab Iſaia promiſſis certior fieret, Legatos cum literis, & muneribus miſit (i), qui ei reſtitutam ſanitatem ſuo nomine gratularentur (k). Ezechias maximè adventu Legatorum gaviſus, eis pretioſiora, & pulcherrima domus ſuæ oſtendit; quod tamen improbans Dominus, Iſaiam ad Regem miſit, ut illi omnia, quæ erant in domo ſua; quæque ipſius Majores condiderant, & ipſe extranea illis oſtenderat, Babylonem transferenda fore nuntiaret.

BEROT, Urbs Tribus Benjamin. *Joſue* 9. 17. Vide ſuperiùs *Beeroth*.

BE-

(a) Gen. 44. 1. &c. (b) Gen. 45. (c) Antiq. l. 10. c. 5. p. 693.
(d) Herodes Chalcidis Rex mortuus eſt anno 48. (e) Act. 25. 13. 25. (f) Tacit. lib. 2. hiſt. c. 81.
(g) Vide Bolland. 4. Febr. & *Tillemont. t. 1. hiſt. Eccl. not.* 33. *ſur* J. C. 471.
(h) Strabo l. 16. (i) 4. Reg. 20.
(k) An. M. 3292. ante Ch. 708. ante Ær. 712.

Digitized by Google

BEROTH (a). Urbs à David occupata, Eadem facilè eſt ac *Beroe* Syriæ, aut *Berythus* Phœniciæ, quæ & *Baruth*.

BEROTHA, inter Hethalon & Emeſam (b). Fortè eadem ac *Berythus*, ſeù *Beroth*, quam ex Adadezer Rege Syriæ David abſtulit. 2. *Reg*. 8. 8.

BERSA, Rex Gomorrhæ, qui cum Codorla-homor & Fœderatis pugnavit. *Gen*. 14. 2.

BERSABE, oppidum Galilææ, ad meridiem Galilææ ſuperioris, & ad Galilææ inferioris ſeptentrionem (c), quod Joſephus hiſtoricus reſtauravit, atque munivit.

BERSABE, Urbs Tribus Simeon, ad meridiem Palæſtinæ. Vide ſuperiùs *Beerſabee*. *Beersheba* quoque, *Berosba*, & *Berzamna* dicitur.

BERYLLUS, octava in Rationali Summi Sacerdotis gemma. Hanc Vulgata, & 70. *Beryllum* (d), Hebræi *Iaſphe* vocant. Diximus vim nominum Hebræorum, quibus gemmæ deſignantur, ut plurimùm tam Hebræis, quàm Interpretibus incognitam eſſe.

(BERYTUS. An de illa ſermo ſit in Scriptura ambigitur; ſuſpicantur nonnulli Deum *Berith*, de quo nos ſupra ſub nomine *Baal-Berith*, cultum habuiſſe in ea Urbe peculiarem, nomenque illi ſuum indidiſſe. Accerſunt alii nomen illud à *Beroe*, filia Veneris, & Adonidis, quæ Numen erat ejus regionis tutelare. Deducunt alii ex *Beeroth*, putei, ſeu fontes. Hujus nominis plures ſunt in Palæſtina urbes. Ex urbibus *Beet*, & *Beroth* in Syria plurimum ſibi æris comparavit Rex David, uti ex 2. Reg. 4. 8.

BEROSUS Hiſtoricus Babyloniæ, genere Chaldæus. & Babylonici Numinis Beli Sacerdos: Affirmat Tatianus contra Gent. floruiſſe illum ætate Alexandri Magni; Opus verò ſuum inſcripſiſſe Antiocho, qui tertius ab Alexandro regnavit, i. e. Antiocho Deo; primus enim inter Reges Syriæ conſtituitur *Seleucus Nicanor*; poſt illum *Antiochus Soter*; tertius tandem *Antiochus Deus*. Si quis inter tres illos Reges accenſere maluerit Alexandrum Magnum, ille ſanè Beroſum componet cum Antiocho Sotero, quod planè meliùs cum veritate congruere convincit ingens illud temporis ſpatium, quod effluxit Alexandrum inter & Antiochum Deum (ab obitu enim Alexandri, uſque ad primum initi ab Antiocho Deo Regni periodus eſt 64. annor.) Utcumque res habeat ſeſe Beroſus Græca lingua inſtructus contulit ſe primùm in Inſulam Cos (e), ubi Aſtronomiam & Aſtrologiam auditoribus explicavit; tùm Athenas veniens, tantam ſibi famam prædictionibus ſuis Aſtrologicis comparavit, ut in Gymnaſio, ubi juvenes exercebantur, viri ſimulacrum linguam auream præferens poneretur (f). Eximia quædam fragmenta hiſtoriæ Beroſi ſervârunt nobis Joſephus, & Euſebius, ex quibus lux V. T., & ſine quorum ope fruſtra exacta ſeries Regum Babyloniæ digerenda ſuſciperetur.)

I. BERZELLAI, ex urbe Rogel in regione Galaad, ſenex, Davidis amicus, cui Abſalomum fugienti opem tulit (g); profugum enim Regem in Mahanaim ultrà Jordanem adiit, cunctiſque, quibus opus fuerat, juvit. Victo Abſalom, cum David Jeruſalem reverteretur, eum Berzellai uſque ad Jordanem proſecutus eſt 2. *Reg* 19. 33. & à Rege, ut ſecum pergeret, invitatus, reliquam vitam feliciter apud ſe in Jeruſalem ducturus, ille ſenectutem, & octogenariam ineptam voluptatibus ætatem cauſatus, finemque vitæ ſuæ in civitate ſua imponere, ſuiſque cum majoribus ſepeliri deſiderans, renuit. Filium tamen ſuum Chamaan obtulit, ut ſi Regi liberet, pro ſe apud Regem viveret. Quod & David indulſit. Trajecto verò à Rege & à populo Jordane, David amplexus Berzellai, bona ei comprecatus eſt; Berzellai autem in Patriam ſuam revertit. Id accidit A. M. 2981. ante Ch. 1019. ante Ær. 1022.

II. BERZELLAI, ex urbe Molath in Tribu Simeon. Filium genuit Hadriel, cui Michol, anteà Davidis uxor nupſit. 2. Reg. 21. 8.

III. BERZELLAI, ex genere Sacerdotum, qui uxorem ex filiabus Berzellai Galaaditæ duxit, 2. *Eſdr*. 7. 63.

BESAI, Iſraelita, cujus poſteri 323. numero, Babylone rediere. 1. *Eſdr*. 2. 17.

BESARA, ſeù *Bezara* Urbs inter fines Ptolemaidis ſtadiis viginti a Gabaa (h).

BESECH, aut *Beſeca*, vel potiùs *Bezec*, *Bezeca*, aut *Bezaca*, vel *Bezecath*. Sunt, qui Adoni-bezech, qui a filiis Juda captus & interfectus eſt (i), quique ſeptuaginta Regibus manuum ac pedum extrema ſe amputaſſe jactavit, Beſech Regem fuiſſe defendunt. Hic Saul exercitum inſtruens, ut opem urbi Jabes Galaad ferret, milites recenſuit 1. *Reg*. 11. 8. Euſebius duas aſſerit fuiſſe ad tranſitum Jordanis propè vel circà Scythopolim.

BESELEEL, filius Uri, aut Hur, & Mariæ ſororis Moyſis, quem Dominus incredibili metalla elaborandi, & quælibet in mechanicis inveniendi ſcientia inſtruxit *Exod*. 31. 2. Huic Moyſes conſtructionem Tabernaculi Fœderis commiſit, ſociumque Ooliab, filium Achiſemech ex Tribu Dan, adjunxit. Judæi Sidonis incolæ Beſeleel, & Sophoniæ Prophetæ ſepulchra ad mœnia hujus urbis eſſe credunt, eaque magna religione inviſunt, ac venerantur.

BESELAM MITHRIDATES, Miniſter Regis Perſarum citrà Euphratem, qui cum Reum Beelteem, Artaxerſem per epiſtolam monuit, ut Judæos Templi reſtauratione prohiberet 1. Eſdr. 4. 7.

BESETHA, unus ex collibus, quibus Jeruſalem inſidebat, Templo ſeptemtrionalem (k).

BESIMOTH, eadem ac *Beth-jeſimoth* trans Jordanem.

BESIRA. Eadem ac *Ciſterna-ſira*. 2. Reg. 3. 26. Hanc Joſephus ſtadiis viginti, aut ſeptem leucis ab Hebron collocat (l).

BESODIA, Pater Meſollam. 2. *Eſdr*. 3. 6.

BESOR, aut *Boſor*, Torrens, qui in Mediterraneum egeritur, Gazam inter & Rhinocoruram, aut potiùs Rhinocoruram inter & Ægyptum, authore D. Hieronymo in cap. 6. Amos. Hic eſt *Torrens Deſerti* (m), quem plures falsò putarunt flumen Ægypti, cujus alicubi Scriptura meminit (n), quod vel Nilus, vel Nili brachium orientalis eſt.

(BESTIA. Animal ratione deſtitutum hominum ſervitiis, atque univerſi ornamento deſtinatum. Olim ab exordio Deus quinta producti Mundi die creavit piſces maris, & in Cælo aves, *Geneſ*. 1. 20. 21. 23. ſextâ deinde animalia terreſtria, & humo ſtare juſſa *Geneſ*. 1. 24. 26. 31. Tandem Cæli aves, & terreſtria quæque animantia coram Adam ſtatuta ſunt, quo ſingulis imponens nomina *Geneſ*. 2. 19. conceſſi ſibi à Deo ſuper animalia omnia imperii exhiberet argumenta. Tum benedictionem impertit Deus homini, avibus, piſcibus, ac beſtiis terræ, jubet multiplicare genus, permittit illis in cibum fructus omnes & herbas terræ *Geneſ*. 1. 29. Dapes carnium nonniſi poſt diluvium relaxatæ ſunt homini, *Geneſ*. 9. 3. nec ſine præſcripta abſtinendi à ſanguine limitatione, minitatus alioqui Deus ſanguine ſuo pœnas daturum, quicunque ſanguinem effudiſſet; nec mitiùs acturum ſe cum belluis, effuſi humani ſanguinis reis, *Geneſ*. 9. 5.

Conſtat equidem in Lege Moyſis beſtiam hominis necati ream, *Exod*. 21. 28. 29. ſeù quæ crimini infando ſe præbuerit inſtrumentum, *Levit*. 20. 15. 16. morte damnari. Urbes apoſtaticæ devoventur igni, unà cum incolis omnibus, & animantibus. *Deut*. 13. 15. Cùm Noe pedem retulit ex Arca, ſecum

(a) 2. Reg. 8. 8. (b) Ezechiel. 47. 16. (c) Joſeph. l. 3. de bello c. 2. & l. 2. c. 25. & lib. de Vita ſua.
(d) Exod. 28. 20. (e) Vitruvius lib. 9. cap. 7. (f) Plin. lib. 7. cap. 37. (g) 2. Reg. 17. 27.
(h) Joſeph. l. de Vita ſua. (i) Judic. 1. 4. &c. (k) Joſeph. de Bello l. 6. c. 10.
(l) Joſeph. Antiq. l. 7. c. 1. (m) Amos 6. 14.
(n) Joſue 15. 4. 47. & 2. Par. 7. 8.

habens filios & animantia, quæ in eadem Arca ſervaverat, tunc Deus inire ſe fœdus ſignificavit eum Noe, ejus familia, poſteris & animalibus omnibus ex Arca eductia; fidem illis obligat futurum, ut nunquam pari innndatione diluvio terram abſorberet *Geneſ.* 9. 9. Requiem Sabbathi injungens Deus, Exodi 23. declatat, mandare ſe requiem ea die, quâ ſervorum omnium, qua etiam brutorum. Deus in Ægypto eadem pœna obvolvit majores natu hominum, ac beſtiarum; tum verò ſervandæ beneficii à Judæis eadem occaſione accepti memoriæ præſcribit, ut quemadmodum primores natu illorum conſervaverat, ita pariter deinceps ſibi conſervent conſecrentque primores natu hominum, & beſtiarum *Exodi* 22. & 23.

Eva conſuetudinem habebar cum ſerpente *Geneſ.* 3. 1., nihil ſtupens ſeu ad vocem, ſeu ad colloquium illius. Verba pariter fecit Balaam cum aſina perinde ac cum homine ratione utente *Num.* 22. 28.; poſt lapſum Adam & Evæ Deus loquitur ad ſerpentem, maledicit illum, plectit, & toleranda ab illo mala prædicit, *Geneſ.* 3. ea planè ratione, qua ab Adam, & Eva. Obſervat Moyſes ſerpentem, omnium, quotquot erant in terra, animalium calidiſſimum fuiſse; monetque Jeſus Matth. 10. 16., ut imitemur prudentiam ſerpentis, cum ſimplici columbæ ingenuitate. Ad formicam deſidem hominem remittens Sapiens, Proverb. 6. animantia illa deſcribit, tanquam coaleſcentia in rempublicam, rebus ſuis optimè proſpicientia, ac moderantia. Minitatur Deus in Prophetis, extermimo ſe traditurum, quà incolas omnes, quà animalia inviſæ ſibi regionis *Jerem.* 50. 51. *Ezech.* 14. *Sophon.* 1. 2. Denunciavit Jonas Ninivitis pendere jam ſuper Urbem divinæ ultionis gladium; quibus territi oraculis Ninivitæ converterunt ſe ad Deum, *Jonas* 3. 5. 6., ſacco induti ſunt à minimò uſque ad majorem, & Rex ipſe è throno deſcendens intimavit: *Homines & jumenta, & boves & pecora non guſtent quicquam.* Cur, rogo, jejunium beſtiis indiceretur, ſi ratione deſtitutæ ſunt, ac merendo demerendoque impares? Et cùm Deus tactus pœnitudine Ninivitarum, crimen illis ſuum remiſit, de nimia ejus indulgentia querenti Jonæ cap. 4. 2. repoſuit: *Non parcam Ninivæ, civitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam, & jumenta multa?* Veluti ſi turba illa jumentorum par eſset flectendo ad miſericordiam Deo.

Ægyptii, quos inter longam traxerunt moram Hebræi, conſecrarunt animalia; ac proinde non ratione tantùm inſtructa autumarunt, ſed neſcio quid ſupra hominem intelligere ſibi in illis arbitrabantur. Parem facilè mentem indiderunt Iſraelitia, cùm ipſi ſibi pariter bruta conſecrarint in deſerto, nec diſſimile Numen ſibi conſtituerint poſt ſchiſma Jeroboami.

Dogma de Metempſychoſi longè latèque per univerſum Orientem etiam inter Hebræos propagatum; dogma ſcilicet, cujus ſuperſunt veſtigia apud Iſraelitas ætatis Jeſu Chriſti (a); quo Apoſtoli ipſi pariter aſpergebantur ante illapſum S. Spiritus; dogma tandem illud non obſcurè probat inſtrui ratione animantia. Quæ etenim animæ ſapientiſſimis ac doctiſſimis viri inſederant, hæ deinde migraſse credebantur in corpora brutorum (b).

Omnia mutantur: nihil interit; errat & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter: nec tempore deperit ullo.

Hæc utique nec rara ſunt, nec nova apud Judæos, ſpectantur enim, quanquam nonnihil variata, apud Philonem de Somn. & celebres plures Rabbinos (c).

Autumarunt plures, aves ſermone quodam inter ſe uti. Porphyrius refert Tireſiam & Apollonium Thianæum loquentes illas percepiſse; quam ſibi pariter ſcientiam arrogant hodie uſque in Arabia quidam (d), ad ſe id derivatum affirmantes jam inde à tempore Salomonis, & Reginæ Sabæ, amores ſuos fidiſſimo cuidam nuncio, avi ſcilicet Huddud, i. e. Upupæ committentium. Scriptores quidam Arabes (e) autumarunt, non deeſse Elephantes Muſulmanos, Dei ſcilicet religioſos cultores. Et quidem Religioni aptos Elephantes cenſuerunt poſt Plinium lib. 8. cap. 1. alii plures, rati Solem & Lunam ab illis coli.

Veterum Philoſophorum plerique, Empedocles, Pythagoras, Galenus, Cleantes, Eudoxus, Porphyrius, Ælianus, Plinius ratione uti bruta autumarunt. Dialogum quendam inter canes ex Ægyptio in Græcum tranſtuliſse Eudoxum Philoſophum Pythagoricum refert Diogenes Laertius. Tandem hominum ferè omnes, quà Philoſophorum, quà cæterorum per Europam tenent uti ratione quadam bruta, quæ illis ſedit opinio antequam D. Deſcartes ſyſtema illud ſuum de automatis invexiſset. Ante illum quidem Gomeſius Pereira Medicus Hiſpanus de automatiſmo brutorum opinionem firmaverat in ſuo Opere, quod 30. annorum molimine paravit, vulgavitque ann. 1554. ſed adeo incurioſis oculis lecta eſt Lucubratio illa, ut ne reſutatione quidem digna cenſeretur. R. P. Pardies Jeſuita, ſcripto Libro defendit noſcendi facultate quadam inſtrui bruta. Thomas Willis Lucubrationem pariter edidit de anima brutorum; in idem argumentum vulgavit Tractatum D. le Grand. Antonius d'Illy Sacerdos Ebrodunenſis animam brutorum aſseruit in ſuo Opere, typis edito Lugduni ann. 1676. (f).

Salomon in Eccleſiaſte, vel ſententiam ipſe ſuam proferat, ſive opinionem Philoſophorum, eorumque, qui per illam ætatem de ingenio ſibi placebant, ita de re tota diſserit, quaſi ingerens opinionem bruta ſcilicet nec ratione, nec anima ratione utente deſtitui (g): *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis. Idcirco unus interitus eſt hominis, & jumentorum, & æqua utriſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius ..... Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* De brutorum interitu hominibus non abſimili diſserit Scriptura *Pſal.* 103. 29. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur.* Et Job. 34. 14. *Spiritum illius & flatum ad ſe trahet. Deficiet caro ſimul &c.*

Cavendum tamen, nè quis nimirùm vim horum Textuum urgeat, inferens brutorum per omnia æquam cum homine conditionem, et eadem cum illo utantur ratione, ſpiritum habeant religioni, noſcendo Deo, obtinendæ beatitudini, ſupernaturali fini ſibi conſtituendo aptum, ita enim noſcit, ita aliud ex alio infert, optat, prævidet brutum, ut nihil videat ſuper ea, quæ naturalem felicitatem ſuam implent, quæ corpus ſervant, quæ multiplicando generi valent. Sentit utique diſcrimen inter algorem, & æſtum, inter valetudini pernicioſum atque conducens; ſed bonum ac malum in moribus, juſtum & injuſtum, licitum & illicitum, utique non diſcernet. Sit, eſto, immortalis, ſit æterna ejus anima; quidquid enim cogitat, ſpiritale utique reputandum eſt; ſed commune habet in ea re privilegium cum corpore & materia, nunquam re ipſa, natura ſua deficientibus. Mutat quidem figuram, mutat ſitum materia, modò continetur ad requiem, modò cietur: abire autem in nihilum nequit, niſi id efficiat Deus, ut ab ea conſervanda ceſſet; quò utique ceſſante, quis etiam Angelorum ſpirituumque ſubſiſtet?

At

(a) Vide infra v. Metempſychoſis. (b) Ovid. Metamor. lib. 15.
(b) Baſnag. hiſt. Jud. t. 4. lib. 6. cap. 30. (d) Herbelot. Bibliot. Orient. p. 44. col. 1.
(c) Idem pag. 349. col. 2. (f) Dictionar. Trevol. V. Beſtiæ, Gallicum opus.
(g) Eccle. 3. 18. 19. 21.

At enim quid fiet de anima brutorum, cùm materia diſſolvitur? Quod hic reponamus nihil eſt; nulla inſtruendi nos ea de re ſuppetit ratio, non facta divirtus revelatio, non experientia, non conjectura ex effectibus, non ex cauſis ductum argumentum. Omnia Deum propter gloriam ſuam creaſſe ſat conſtat; ut in agnitionem, & amorem Creatoris ſui ſeſe elevet impar eſt brutum; reputandum igitur alia quacunque ratione gloriam hanc ſuam ex brutis paraſſe Creatorem. Quæ noſtra audacia, ſcrutandi ſecreta Divinæ Sapientiæ, & eò mentis obtutum figendi, ubi hebetari neceſſe eſt?

Nec fugit nos, quæ adversùs brutorum animas ex S. Auguſtino deducta ſunt (a): *Neque enim*, ait ille, *ſub Deo juſto miſer eſſe quiſquam, niſi mereatur, poteſt*. Si igitur mente, & ratione non deſtituuntur bruta, infeliciſſima utique reputanda ſunt; id ergo ſibi promeruerunt, merito utique criminis admiſſi. Si autem peccarunt, quis religioni inepta, quis amando agnoſcendoque Deo imparia credat? Repugnant hæc autem iis, quæ ſupra de brutis diſputata ſunt. Porrò miſeram eſſe brutorum conditionem, negabit ſanè nemo, qui necari illa ab homine, in cibum parari, ſubmitti in ſervitutem animadvertat. Profectò, ſi bruta animam habuiſſent ratione & cognitione præditam, grave ſibi adeò jugum imponi permiſiſſent ab homine, admiſſi criminis reo?

His non incongruè reponeretur, Deum creaturarum ſuarum arbitrum & deſpoticum pro jure ſuo agere cum illis valuiſſe, abſque eo, quod in jus à nemine ea de re vocaretur. In poteſtate eſt figuli ex argilla quidquid maluerit vas formare, ſeu ſeiti operis elegans, ſeu probris uſibus turpe (b). Deus hominibus deſtinavit animalia, deſpotico eorum imperio ſubjecit: dogma ſunt hæc è media veritate; permiſit hominibus in cibum bruta, quare & occidendi fecit copiam; hac ſibi data poteſtate utitur homo; ſecundo ordine hæc omnia fluunt. Quæ ratio eſt querendi brutis, quanquam ratione non deſtitutis? an illa opponent Deo, nullum ſe admiſiſſe crimen, & nihiloſeciùs ſubmitti hommini crimino ſo, brutali, hebeti, poteſtate ſibi in bruta conceſſa abutenti? Miſerrimus & criminoſus filius, filius iræ & indignationis, ad laborem natus, & duris tolerandis *dices patri*; *Quid generas? & mulieri, quid parturis? Nunquid dices lutum figulo ſuo. Quid facies, & opus tuum abſque manibus eſt?* *Iſaiæ* 45. 9. 10.

Nonne legimus Job 9. 17. Deum quandoque juſtus quanquam inſontes punire? *Multiplicabis vulnera mea etiam ſine cauſa*; & Deus ad Satanam Job 2. 3. *Tu commoviſti me adverſus eum, ut affligerem eum fruſtrà* (ſine cauſa). Joannis 9. 2. cùm Diſcipuli incidiſſent in hominem ab ipſo ortu cæcum interrogarunt Jeſum, cujuſnè criminis pœna, an cæci illius, an parentum id ſibi miſer promeruiſſet? Repoſuit ille, nullo utriuſque crimini id datum, ſed ut opera Dei in ipſo manifeſtarentur. Scimus utique quanta morum ſanctitate vixerint in mundo SS. Virgo, & S. Joannes Baptiſta, ut neque aviti originalis criminis infecti macula prodierint in mundum; prænunciat tamen S. Spiritus futurum, ut gladio Virginis illius cor transfoderetur *Luc.* 2. 35. conſtat inſuper S. Joannem poſt durum toleratum carcerem, gladio, quæ impiorum eſt pœna, obtruncatum periiſſe. *Marci* 14. Viri igitur inocentia & juſtitia ſpectabiles non ſemper eximuntur à tolerandis malis & perpeſſionibus. Quò autem ad beſtias regrediamur, pro jure ſuo utitur illis Deus, pro jure, inquam, Patris & Creatoris, & nemini infert injuriam; æqua illi poteſtas ſive creandi bruta, ſive negligendi, ut non eſſent. Plurimum itaque Creatori illa ſuo debent, quòd duram licèt tolerent ſervitutem, vivunt tamen, cientur, agunt, & quæcumque obtinent bona, ab illo fruuntur.)

BETE, ſeu *Beten*, Urbs Syriæ, quam David eripuit Adadezer (c). Forte eadem Bethen, quam Joſue Tribui Aſer tradidit (d), aut Bathen in Syria Berœam inter & Hierapolim.

BETHABARA, Urbs trans Jordanem, ubi Joannes Baptiſta baptiſmum exercebat (e). Textus Latinus Evangelii S. Joannis pro *Bethabara* habet *Bethaniam*; legi tamen debet Bethabara, ut Origenes (f). D. Joannes Chryſoſtomus (g), & D. Epiphanius notant (h). Bethabaram, quæ *domus tranſitus* explicatur, oram fuiſſe, qua Iſraelitæ Duce Joſue Jordanem trajecere, & hanc commune hujus fluminis vadum eſſe ferunt.

BETHACAD, Pagus quindecim milliaribus à Legione, in Campo Magno. Euſeb. in locis.

BETHACHARA, aut *Beth-bacherem*, Urbs in Colle ſita, Thecuam inter & Jeruſalem. *Jerem.* 6. 1. Melchias filius Rechab Bethacaram poſſidebat. 2. *Eſdr.* 3. 14.

BETH-AGABRA, ſive *Bethogabri*, ſeu *Bethogabria*. Tabulæ Peutingeri locant *Bethogabri* Aſcalonem inter & Jeruſalem. Ptolemæus ad gradus ſexaginta quinque cum dimidio latitudinis, & uno cum dimidio ſupra triginta longitudinis *Bethogabriam* ponit. Joſephus *Begabrim* locat mille paſſibus ab Idumæa (i). Guillelmus Tyrius refert ab Arabibus Berſabeam *Beshgabriel* nuncupari, eamque milliaribus duodecim ab Aſcalone abeſſe. Benjamin ait *Bethgaberin* quinque paraſangis diſtare ab Hebron, & hanc eandem eſſe ac *Mareſam*. Acta D. Ananiæ eam in regione Eleutheropolis collocant. His omnibus ducti nos eam Eleutheropolim inter & Hebron ſtatuimus.

BETH-AGLA. Extant duæ hujus nominis urbes; altera juxta Euſebium in Bethalaim à Gaza octo milliaribus; altera juxtà (k) Hieronymum, duobus milliaribus ab Jordane. Joſue 15. 6. *Bethaglam* Tribui Judæ conceſſit, & de hac fortaſſe Euſebius. Idem Joſue 18. 21. Bethaglam Tribui Benjamin dedit, & de hac D. Hieronymus.

BETH-AMMARKEVOTH, Urbs Tribus Simeon. *Joſue* 19. 5.

BETHANATH, Urbs Tribus Nephtali. *Joſ.* 19. 38.

BETHANIA *Jo.* 2. 18. quindecim ſtadiis, aut circiter 2000. paſſibus ab Jeruſalem ad radices Montis Oliveti, ad Orientem Jeruſalem, ſecùs viam Jericho ad Jeruſalem ſita. Hic Martha, & Maria, & earum frater Lazarus, quem Jeſus Chriſtus ad vitam revocavit, habitabant. Hic quoque Maria Domini caput unguento pretioſo perfudit. Jam in *Bethabara* diximus, Latina exemplaria Evangelii S. Joannis cap. 1. 28. pro *Bethabara* legere *Bethaniam*. Vide Suidam in *Bethaniam*. Plura Græca non ſecùs ac Latina hoc in loco vitiata leguntur.

BETHANIM, Pagus milliaribus quatuor ab Hebron, & duobus milliaribus à Terebintho Abraham. Euſeb. ad vocem *Arı*.

BETH-ARABA, Urbs Tribus Judæ. *Joſue* 15. 6. inde Tribui Benjamin conceſſa *Joſue* 18. 22.

BETHARAN (l), ſivè *Bethharam*, ſeu *Betharamphta*, poſtea Livias, trans Jordanem ad Mare Mortuum. *Antiq. l.* 18. *c.* 3.

BETHAVEN, eadem ac *Bethel*. Poſtquam Jeroboam vitulos aureos in Bethel adorandos erexit, Filii Juda, qui Domui David adhæserant, per contemptum hanc urbem *Bethaven* (m) ideſt domum nihili, aut domum iniquitatis appellarunt, quæ priùs nomine à Jacob indito, cum per quietem ſcalam myſteriis lætam ibi viderat (n), *Bethel*, Domus ſcilicet Dei, nuncupabatur. Vide infra *Bethel*.

BETH-BAAL-MEON. *Joſue* 13. 17. Eadem ac *Baalmeon*. *Num.* 32. 37.

BETH-BERA, locus trans Jordanem. *Jud.* 7. 24. idem facilè ac *Bethabara*, de qua ſuperiùs.

(a) Oper. Impreſ. contra Julian. l. 1. art. 39. p. 887. (b) Rom. 9. 21. Sap. 15. 7. 8.
(c) 2. Reg. 8. 8. (d) Joſue 19. 25. (e) Jo. 1. 28.
(f) Origen. in Jo. 1. 8. (g) Chryſoſt. h. 16. in c. 1. Jo.
(h) Epiphan. l. 2. cont. hæreſ. (i) Joſeph. de Bello l. 5. c. 4.
(k) Hieronym. in Area Athad. (l) Joſ. 13. 27. Num. 36.
(m) Vid. Oſeam 4. 15. & c. 5. 8. &c. 10. 5. (n) Gen. 28. 19.

BETH-BESSEN (a), Urbs Tribus Juda, quam Simon & Judas firmiſſimè munierunt; & in qua eoſdem obſidione inutili Bacchides oppugnavit. Pro *Bethbeſſen* in Græco *Betthaſi* legitur.

BETH-CAR, Urbs Tribus Dan. 1. Reg. 7. 11.

BETH-DAGON, Urbs Aſer. *Joſue* 19. 27. Domum, aut Templum Dagon ſignificat.

BET-DAGON. Urbs Tribus Juda (b) ſic facilè dicta à Templo Dagon, quod, antequam ea potirentur Iſraelitæ, in ea fuerit.

BETHEKED, aut *Beth-akad* (c), quod plures genericè pro *Paſtorum Tugurio* intelligunt (d). Septuaginta verò, & magni nominis Interpretes volunt eſſe locum, Jezrael inter & Samariam. Fortè idem eſt ac *Bet-Kar*.

BETHEL, Urbs ad occidentem Hai, Gen. 12. 5. in finibus Tribuum Ephraim, & Benjamin. Cum Jacob iram fratris Eſau declinans. (e), & in Meſopotamiam proficiſcens, ſub Solis occaſum ad locum quemdam, ubi noctem tranſigere ſtatuerat, perveniſset, lapide capiti ſuppoſito obdormivit. Per quietem autem ſcalam altera parte terram, altera tangentem Cœlos, Angeloſque per eam aſcendentes, & deſcendentes: Dominum quoque innisum ſcalæ, terræ illius dominium, in qua ipſe dormiebat, ſibi poſteriſque pollicentem; ipſos verò poſteros innumeros futuros, omneſque terræ populos in ipſo & ejus progenie bonis cumulandos, ſe denique illi ubicumque auxilio & ducem promittentem, aſpexit. Cumque Jacob evigilaſset, ait: Verè hic Dominus eſt, & ego neſciebam. Ingentique terrore correptus addidit. Quàm terribilis eſt locus iſte, hic profectò nonniſi Domus Dei, & Porta Cœli eſt.

Cum deinde primo diluculo ſurrexiſſet, ſuper lapidem, quem capiti ſuo ſuppoſuerat, oleum effudit, eumque in monumentum erexit, nomenque Urbi, quæ priùs Luza, Bethel indidit: deſerto nempè, in quo ea nocte quieverat, quod propè Luzam erat, quam deinde Hebræi, ut regionem Chanaan obtinuere, Bethel appellarunt. Euſebius (f) Bethel milliaribus duodecim, aut leucis quatuor à Jeruſalem, ſecùs viam, quæ ducit Sichem, collocat.

Rabbini lapidem illum, in quo dormivit Jacob, in Sanctuario Templi, ab Hebræis Babylone regreſſis ædificato, poſitum, ſuperque ipſum Aream fœderis; poſt Templi denique everſionem ſuper hanc proprias deflere ærumnas Hebræos conſueviſſe commentantur. Mahometani etiam Meccæ Templum ſuper hunc ipſum lapidem conſtitutum volunt, eumdemque quammaximè venerantur. Ab unctione, qua Jacob linivit petram Bethel, Veteres *Bætaliam* ſuperſtitionem duxere: ſic nominant lapides quoſdam, quos oleo inunctos, poſt illuſtrium hominum mortem in eorum dedicant monumentum. Sanchoniaton, aut potiùs Porphyrius, autor Fragmentorum, quæ ſub Sanchoniationis nomine ſervavit Euſebius (g), horum lapidum Authorem Saturnum facit. Damaſcius, à Photio in ſua Bibliotheca citatus, hujuſmodi lapides Paganorum etiam Idolis, Saturno, Soli, & aliis dicatos refert. Heſychius autem aſſerit à Veteribus *Bæthulon* vocatum fuiſſe lapidem, quem deceptus pro filio Jove Saturnus devoravit. Aſclepiades à Damaſcio relatus, mira quædam Bætulium Deæ Veneris Aphacitidis recenſet.

BETHELIA, prope Gazam. Vide *Bethulia*.

BETH-EMEK, Urbs in finibus Aſer. *Joſue* 19. 27.

BETHER. Montium *Bether*, ſivè *Bitther* Cantica Canticorum meminere (h) Author Vulgatæ *Cant.* 8. 14. legit *montes aromatum*, & in pluribus Latinis Exemplaribus *Bethel* pro *Bether* habetur, *Cant.* 2. 17. In Hebræo tamen utrobique *Bether* legitur. Quæras quid ea ſit *Bether*, & ubi locetur? Quidam putant eſſe Bethoron, quam *Bether*, Euſebius, Joſephus, *Betharam*, & Vetus itinerarium *Bethram* appellant. Scriptores Hebræi ſæpè *Bether* captæ ab Adriano Imperatore in ſeditione Barchochebæ meminerunt. Ea erat Judæorum, qui illuc convenerant, multitudo, ferunt Rabbini in Gemara (i); ut *occiſorum ſanguis, qui ad mare uſque defluxit, ſecum lapides magnitudinis quatuor Seab devolverit, & in ipſo mari uſque ad quatuor milliaria proceſſerit, quodque incredibilius eſt, Bether à mari 4000. paſſibus diſtabat. Seab*, ſeù *ſatum* menſura erat cava, novem cum dimidia pintas, ſemiſextarium, & aliquid ſuprà quadrantem continens. Quidam volunt *Bether* eamdem eſſe ac *Bethoron*, ut diximus: quidam verò *Betharim*, Cæſaream inter & Dioſpolim, relatam à veteri Itinerario, de quo pauló ante; aut demùm *Bæther*, quam *Joſue* 15. 60. Septuaginta inter urbes Juda recenſent. Ego ſanè *Bethoron ſuperiorem*, aut *Betharam*, Dioſpolim inter & Cæſaream eſſe arbitror. Euſebius (k) *Betharim* prope Dioſpolim collocat, & loquens de *Bether* ab Adriano capta, eam non longè ab Jeruſalem fuiſſe aſſerit (l).

(In hac una Urbe 400. Collegia erecta comminiſcuntur Rabbini (m); ſingulis Collegiis Profeſſores aſſignant 400. totidemque ſingulis auditores, qui ſimul omnes inſtructiſſimum exercitum conſtituerunt. Primos impetus obſidionis ſuſtinuerunt illi ſtrenuè, quamquam nonniſi ſcriptoriis ſtilis, qualibus olim in pugillaribus cera obductis imprimebantur literæ, armati. Tryphon, clari nominis Rabbinus, cùm deditionis injeciſſet mentionem, actutum neci traditus eſt à Barcocheba. Hoc igitur viro repugnante licèt, & ſtrenuè ſe defendentibus obſeſſis, expugnata eſt tamen Urbs, occiſus Barcochebas, & auditores illi, qui tam egregiè partes ſuas defenderent Libris alligati ſuis projecti ſunt in ignem. Tanta cæde ſævitum ferunt, ut in eo bello plus hominum deſideraretur, quàm quot olim egreſſi ſunt ab Ægypto ſub Moyſe; ac ſuper unum ſingularem lapidem inventas dicunt 300. calvarias eliſorum infantium.)

BETH-EZDA, ſive ut in Vulgata *Bethzaida*, ſeù *Piſcina probatica* (n), ſic dicta, quòd ibi pecora, Græcè *probata*, in ſacrificiis adhibenda, abluerentur. Bethezda nonnullis *Domus Miſericordiæ*, forte ob ægros per atria, quibus ambiebatur, jacentes: aliis verò *Domus Cloacæ*, ſeu effuſionis, ſonat, quòd eo aquæ à Templo, & à loco victimis abluendis deſtinato, effluerent. Euſebius, & D. Hieronymus (o) ferunt ſua adhuc ætate duas Piſcinas, ſeu potiùs duorum lacuum figuram Hieroſolymis ſuperfuiſſe, quorum alter pluvialibus aquis ſingulis annis replebatur, alter verò rubris omnino aquis abundabat, ac ſi ſanguinis victimarum, quæ ibi olim tergebantur, veſtigia adhuc retineret. Hanc piſcinam quinque porticus, ut ex Joannis Evangelio, ob formam fortaſsè pentagonam, circumdabant, ab ingenti ægrotorum manu occupatæ, Angelum qui aquas moveret, præſtolantium, quod certo quodam tempore eveniebat: qui enim prior in aquas, ut movebantur, inſiluiſſet, à quocumque morbo incolumis regrediebatur. Itineraria hanc piſcinam ad Orientem Jeruſalem collocant.

BETHEZOBA, fœminæ illius Patria, quæ in ultima obſidione, quà Romani ad extremas anguſtias Jeroſolymam redegerunt, filium proprium voravit. De hac Joſephus de Bel. l. 7. c. 8.

BETH-GABRIS, aut *Beth-gabril*. Vide ſuperiùs *Bethagabria*.

BETH-GADER, Nomen cujuſdam viri ex poſteris Caleb. 1. *Par.* 2. 51.

BETH-GAMUL, Urbs Moabitarum in Tribu Ruben. Vide *Jerem.* 48. 23.

BETHIA, Filia Pharaonis, Uxor Mered. 1. *Par.* 4. 18.

BETHJESIMOTH. Urbs Tribus Ruben, *Joſue* 13. à 20.

(a) 1. Mach. 9. 62. (b) Joſ. 15. 62.
(c) 4. Reg. 10. 12. (d) Ita Vulg. in 4. Reg. 10. 12.
(e) Gen. 28. 10. An. M. 2245. antè Ch. 1755. antè Ær. 1759.
(f) Euſeb. Onomaſt. in *Aggai* (g) Euſeb. Præpar. l. 1. p. 37.
(h) Cant. 2. 17. & 8. 14. (i) Gemar. Jeroſol. Gittin. fol. 57.
(k) Euſeb. in Arem. (l) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 4. c. 6.
(m) Vide Baſnag. Hiſt. Judæor. tom. 2. pag. 137. lib. 4. cap. 8.
(u) Jo. 5. 2. ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ. (o) Euſeb. & Hieronym. in locis Hebr.

Digitized by Google

20. à Moabitis occupata. Ezechiel 25. 9. ipſius, & aliarum Urbium Moab excidium prædixit. Euſebius hanc ab Jordane milliaribus decem ponit; videtur tamen hanc confundere cum *Jeſimon* de qua 1. *Reg.* 23. 24. ſita citra Jordanem.

BETH-LEBAOTH, Urbs Tribus Simeon. *Joſue* 19. 6. Interdum *Lebaoth* tantùm vocatur. *Joſue* 15. 32.

BETH-LEHEM, ſive *Beth-lechem*, domus panis, Urbs Tribus Juda (a), quæ vulgo dicitur *Bethlehem Juda*, ut ab alia ejuſdem nominis orbe in Tribu Zabulon diſtinguatur (b) *Ephrata* etiam (c), & ejus incolæ Ephrataei dicuntur. Nec magnitudine nec divitiis celebris, cæteras ob natum in ſe Mundi Servatorem, nobilitate antecellit. Huc reſpiciens Michæas ait: *Et tu Bethlehem terra Juda ex minimis licet urbibus Juda, ex te egredietur qui ſit Dominator in Iſrael*. Nec Davidem ſanè Prophetam intellexit, qui longè anteà in Bethleem ortum habuit, ſed Chriſtum longè poſt ibidem naſci non dedignatum. Bethlehem ſita eſt in clivio collis, milliaribus ſex, vel leucis duobus ab Jeruſalem ad meridiem (d). Hanc Joſephus Antiq. l. 5. c. 2. ab Jeruſalem triginta tantùm ſtadiis collocare videtur, nempe 3750. paſſibus; Juſtinus verò Martyr ſtadiis triginta & quinque, ſcilicet 4375. paſſibus (e). In utroque tamen videntur vitiati numeri, qui ejuſmodi intervallum dimetiuntur, cum cæteri tam veteres, quàm recentiores duabus leucis ab Jeruſalem Bethlehem collocent, Joppe, authore D. Hieronymo Ep. ad Dardan., ſex & quadraginta milliaribus à Bethlehem diſtat.

Antrum, quòd incunabula Domino præſtitit, non intra Bethlehem, ſed extra reperitur. Id D. Hieronymus (f) ad meridiem conſtituit. D. Juſtinus (g) Martyr, & Euſebius (h) tantùm extrà Urbem dicunt. Hoſpitium, ad quod B. Virgo, & Joſeph diverterunt, diverſorium facilè, ſeù domus publica fuit, ubi peregrini abſque diſpendio excipiebantur; at cum maximus eſſet gentium concurſus, cum Joſeph & Maria ad eam domum perveniſſent, hoſpitibus ita undique oppletam invenere, ut ad proximam ſpecum, pro ſtabulo adhibitam, divertere coacti fuerint. Certum omninò eſt à veteribus agnitam eſſe in ſpecu Chriſti Nativitatem (i). Ferunt Itineraria, antrum in quo natus eſt Dominus, quadraginta circiter profundiraria, duodecim latitudinis pedes habere, & in anguſtum magis magiſque paulatim deſinere. Adrianus Imperator, teſte D. Hieronymo (k), ut hujus antri memoriam omninò deleret; lucum ſuper illud inſtruxit, Thammuz, ſivè Adonidi ſacrum; Quare in hujus Idoli ſolemnitis: *In ſpecu ubi quondam Chriſtus parvulus vagiit, Veneris amaſius plangebatur*.

(Vaticinium Michææ 5. 2. Meſſiam ſcilicet in Bethlem naſciturum, ardua habet nonnulla. S. Matthæus 2. 6. legit: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda*. In Michæa autem habes: *Et tu Bethlehem Ephrata parvus es in millibus Juda*; tum addit Propheta egreſſurum è Juda, qui ſit *dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis*. Repugnare igitur inter ſe videntur Evangeliſta, & Propheta; poſtremus enim affirmat Bethlehem minorem eſſe, quàm ut florentiſſimis Urbibus Juda comparetur; alter verò non inter minimas habendas aſſerit.

Reponitur hiſce, facilè Evangeliſtam legiſſe interrogationem in Textu Prophetæ, ut ſit: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in minimis Juda?* Expreſſit igitur ſat commodè Textum Prophetæ. Ad hæc Criticorum nonnulli defendunt (l), Hebræum *Zebir*, quod redditur parvus contrarium etiam ſonare, quam in rem afferunt Jerem. 48. 4. & 49. 20. Zacchar. 13. 7. ubi *Zebir* ipſis etiam conſentientibus Judæis, ſignificat Ducem & Principem populi. Tandem S. Hieronymus, aliique poſt illum plures (m) autumarunt, S. Matthæum hiſtorica narratione vaticinium Michææ retuliſſe, non quaſi ab eodem Propheta latum, ſed tanquam à Sacerdotibus relatum, ut tacitè ſuggillaret Sacerdotes illos incuriæ & imperitiæ.

Alterum illud, quod objiciunt, ita diluitur: Judæorum quidem plerique ultro concedunt proditurum è Bethlehem Meſſiam, ſed, alterum illum à Jeſu; in vaticinio autem Michææ nec de Jeſu, nec de Meſſia fieri ſermonem. Vir enim ille de quo Michæas 5. 2. *dominator erit in Iſrael*. Tum addit Propheta: *Reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Iſrael*. In Iſraele Jeſus utique non regnavit; nec ſanè fratres habuiſſe poterat, ſiquidem Deus erat. Ad hæc, anguſtis nimiùm limitibus Regnum Meſſiæ intra Iſraelem tantùm, definiretur: *Et egredietur qui ſit dominator in Iſrael*. Reponimus hiſce Jeſum uti Deum, nullos quidem habuiſſe fratres, quibus tamen non caruit ut filius Mariæ. Diſertè planè diſtinguit Propheta ortum ejus in Bethlehem, & alterum ab æternitate: *Egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Nec alienum eſt à Meſſia, ſi regnaturus in Iſraele dicatur; cùm ipſe ſe Deum Iſraelis non ſemel appellet. Imperium tamen ejus ſuper reliquos homines hac appellatione non tollitur.)

BETH-LEHEM, Urbs Tribus Zabulon, *Joſ.* 19. 15. vix aliunde cognita quàm ex nomine, quod commune habet cum ea, quæ Davidi Regi & Regum Regi Domino natale ſolùm præbuit.

BETH-LEPHTHEPHA, Urbs Judææ, de qua Joſephus de Bel. l. 5. c. 4. & Plinius l. 5. c. 14. ſita ad meridiem Jeruſalem, fortè eadem ac *Beth-lebaot*, de qua ſuperiùs.

BETH-MAAKA, ſivè *Abelmaacha*; ſeù *Abel-Beth-maach*. Vide ſuperiùs *Abelmaacha*.

BETH-MAON, Urbs Moabitarum in Tribu Ruben. Vide *Jerem.* 48. 23.

BETH-MARCHABOTH. Vide *Bet-humar Kavoth* in Tribu Simeon.

BETH-MAUS, in Galilæa, Sephorim inter & Tiberiadem, à qua quinque ſtadiis diſtat. *Joſeph l. de vita ſua*. *Beth-meon* etiam in Thalmud appellatur juxta notas Ligtfooti (n).

BETH-ME, Urbs Tribus Aſer. *Joſue* 19. 27.

BETH-MELLO, propè Sichem. 4. *Reg.* 12. 20.

BETH-NABRIS, ultra lacum Geneſareth, à Liviade, ſivè Bethaaida milliaribus quinque ad ſeptentrionem (o).

BETH-NEMBRA, Urbs Tribus Gad. *Num.* 32. 36. Puto eadem eſſe ac *Nemrim*, *Jerem.* 48. 34., ſeù *Beth-nabrim*, de qua modò, quinque milliaribus à Liviade ad ſeptentrionem. Difficile tamen eſt Tribum Gad ad meridiem uſque *Nemrim*, & ad ſeptentrionem uſque *Bethnabrim* extendere.

BETHOM, aut *Bethoru*, aut *Betharan*, alio nomine *Julias*, Prophetæ Joelis Patria (p).

BETHOME, Urbs Judæorum, eadem ac *Bethom*. Hanc Alexander Jannæus à ſe deſciſcentem cepit, captivoſque incolas Jeruſalem miſit (q).

BETHORA, eadem facilè ac *Bethoron*. Vide *Joſeph Antiq. l. 5. c. 1. & l. 12. c. 10.*

BETHORON, fortè, ut diximus, eadem ac *Bethoru*, *Bethra*, *Bether*, & *Bitther*, Scriptura duarum urbium Bethoron meminit, quarum altera *Bethoron ſuperior*, altera *Bethoron inferior* appellatur. Bethoron

ſorte

(a) Joſue 17. 7. (b) Joſue 19. 15. (c) Gen. 48. 7. Mich. 5. 2. Ruth. 1. 2. 1. Reg. 17. 12.
(d) Ità Euſeb. Hieronym Sulpitius Severus, Phocas, & alii. (e) Juſt. Mart. Apolog. 2.
(f) Hieron. Ep. 24. ad Marcel. (g) Juſt. Martyr. Dialog. cum Tryphone. (h) Euſeb. l. 7. c. 4. Demonſtr. Evang. (i) Origen. l. 1. cont. Celſum. Hieronym. ſæpè, Epiph. hæreſ. 51. Niſſen. orat. de S. Chriſti Nativit. Athan. Theoduret. &c. (k) Hier. Ep. ad Paulin. (l) Pokoch. Otting. Friſchm. Hammond. Mil. 10 Matth. 2.
(m) Hieron. in Michæam 5. D. Thom. in Matth. Can. lib. 2. cap. 14. Maldonatus, Junius &c.
(n) Ligtfoot. Centur. Chorograph. c. 78. (o) Euſeb. Onomaſt. ad Bethnabram.
(p) Epiph. de vit. & mort. Prophet. Chronic. Paſchale. Vide Reland. in Bethom.
(q) Joſeph. Antiq. l. 3. c. 22.

ſorte Tribui Ephraim ceſſit, inde Leviris ab Ephraimitis tradita (a). Hanc Euſebius duodecim ab Jeruſalem milliaribus, Sichem, ſeu Neapolim verſus, ad Septentrionem ſcilicet Jeruſalem, collocat. Bethoron ſuperiorem à Salomone conditam, & Bethoron interiorem Levitis in domicilium traditam idem teſtatur. Joſephus (b) Bethoron à Jeruſalem centum circiter ſtadiis locat, & S. Hieronymus aſſerit D. Paulum, Neapoli Jeroſolymam pergentem, utraque Bethoron tranſiiſſe.

BETH-PHAGE, pagus ad radices Oliveti, Bethaniam inter & Jeruſalem, à qua 1875. paſſibus aberat. Cùm Chriſtus Bethania rediens Jeroſolymis appropinquaſſet, mandavit Diſcipulis, ut Bethphage ſe conferrent ad quærendam ſibi aſinam, cui triumphantis inſtar ingrediens Jeruſalem inſideret (c).

BETH-PHALETH, aut *Beth-pheleth*, Urbs Tribus Judæ, qua magis vergit ad meridiem. *Joſue* 15. 27. & 2. *Eſdr.* 11. 26. Hæc Tribui Simeon conceſſa eſt.

BETH-PHESES, Urbs Tribus Iſſachar. *Joſue* 19. 21.

BETH-PHOGOR, Urbs Moab, in qua Phogor colebatur, Tribui Ruben tradita. *Deuter.* 4. 46. *Joſue* 15. 20.

BETHRAPHA, filius Etheonis, ex Tribu Judæ. 1. *Par.* 4. 12.

BETHSABEE, filia Eliam, ſeu Ammiel, Uxor Uriæ Hethæi, quæ vicinas Davidis Regiæ ædes incolebat. Cum David poſt ſomnum pomeridianum (d), ut mos eſt in calidis regionibus, quadam die ſurgens, in ſolarium domus ſuæ egrederetur, & in atrio, ſivè horto propinquæ domus Beth-ſabee venuſtiſſimam fœminam ſe lavantem vidiſſet (e), quænam ea eſſet, perquiſivit. Ut uxorem eſſe Uriæ Hethæi intellexit, ſuo juſſu ad ſe adductam violavit. Illa domum regreſſa ſe luſtravit, Regique paulò poſt ſe ex eo concepiſſe nunciavit (f). Igitur David Joab Duci exercitus ſui tunc temporis Rabbat Metropolim Moabitarum obſidenti, ut ad ſe Uriam remitteret imperavit; qui ſtatim a Joab dimiſſus, ad Davidem veniens, à Rege ipſo de iis, quæ agerentur in caſtris, interrogatus eſt. Tum David ipſum à ſe dimitteos imperavit, ut Domum regreſſus, lotis pedibus quieſceret; ciboſque menſæ Regiæ miſit, ut domi ſuæ cum uxore ſua compotaret. Hac arte David adulterium occulere conabatur; partus enim, quem ederet Bethſabee, Uriæ creditus fuiſſet, ſi Urias domum ſuam regreſſus, cum uxore ſua noctem tranſegiſſet.

Urias tamen domus ſuæ commoda renuens, ante Regias ædes cum cæteris cuſtodibus pernoctavit. Quod cum audiiſſet David, vocatum illicò cur domum non divertiſſet, interrogavit? Cui Urias: An cum Arca Dei, omniſque populus in in papilionibus habitant, meus ipſe Dux Joab, cæterique exercitus Principes humi jacent, ego domus meæ, uxoriſque delicias quæram? Per ſalutem, vitamque Regis mei, hoc nunquam me facturum juro. Craſtina tamen die David Uriam ad cœnam vocans, inebriavit. Ille verò veſpere ſurſum cum Regis excubiis, quarum ipſe ex numero creditur, in lectulo ſuo noctem egit. David igitur ſe hac ratione honeſtari Bethſabee conſulere non poſſe cognoſcens, Uriam interficere, ipſamque in uxorem ducere deliberavit. Quare Duci exercitus Joab per epiſtolas, Uriam, ubi validiſſimum eſſet in prælium, exponeret, expoſitumque relinqueret, imperavit. Has ipſe Urias Epiſtolas detulit; quibus perlectis, ſtatim validioribus hoſtibus illum Joab objecit, à quibus confoſſus interiit.

Audita Uriæ morte Bethſabee, ut moris erat, conjugem planxit, luctuque abſoluto eam David in uxorem ducens, ex ea Filium ſuſcepit. Quod cum maximè Domino diſplicuiſſet, miſit Nathan, ut peſſimi Davidem criminis redargueret (g). Cum igitur ad Regem Propheta veniſſet, Dives, ait, cui oves, & boves plurimi erant, ut convivio amicum, qui ad ſe diverterat, exciperet, non è ſuis gregibus, ſed unicam cujuſdam pauperis ovem vi raptam appoſuit. David allegoriam minimè intelligens, Vivit Dominus, reſpondit; Mortis reus eſt vir impius: reddet quadruplum. Cui tunc Nathan: Tu es, inquit: tum infidelem, ingratumque vocans, utpotè qui pro bonis omnibus, quibus Dominus eum cumularat, contumelias, & peccata reddidiſſet, ſubdidit; Perpetuis poſthac te bellis vexabo, uxoreſque tuas alteri coram te violandas dabo: tu clam, ille palam hæc exequetur.

Ad quæ cum ingemiſceret David, ſeque peccaſſe confiteretur, & Dominus, inquit Nathan, peccatr tui pœnas tranſtulit: non morieris; filius tamen, tibi nunc natus, morietur. Percuſſus itaque à Domino infans, graviſſimè ægrotavit. David autem pro parvuli incolumitate preces, jejunia, gemituſque humi ſtratus adhibuit. Quo viſo, ipſius Miniſtri ipſum rogarunt, ut gemitu intermiſſo, cibis ſuæ vitæ proſpiceret; quibus tamen David minimè obaudiens, gemitus ſuos, ſuamque pœnitentiam eſt proſequutus. Die ſeptima puero defuncto, cum famulorum nemo rem Davidi aperire auderet, ipſe ex eorum turbatione quid rei eſſet, intellexit. Quare de pueri morte certior factus, ſurgens ad balneum profectus eſt, oleoque inunctus, veſtem mutavit; ingreſſuſque Domum Domini procubuit, & adoravit; regreſſus tandem domum cibos apponi ſibi petiit, & comedit. Quæ cum ſtupentes Regii miniſtri conſiderarent, ipſum, quid ita faceret, interrogarunt. Quibus ille: Dum ſpes adhuc aliqua obtinendæ ipſius vitæ à Domino ſuperfuit, jejunavi, & flevi: nunc autem cur jejunem? An fletibus illum ad vitam revocabo? Quin ego moriar, non ille reviviſcat. Tum uxorem Bethſabee conſolatus eſt, ex qua alterum filium ſuſcepit, quem Salomonem appellavit (h). Tunc David à Nathan certior factus eſt, parvulum à Domino diligi, quem propterea *Jedidiah*, nempe Domino amabilem nominavit. Ipſi deindè ſucceſſurum (i), Domum Dei ædificaturum, & ſcientia, ſapientia, boniſque omnibus replendum fore Dominus ipſi David aperuit.

Cum autem jam David ſenio conficeretur, Adonias aliquorum, quos ſibi devinxerat, ope fretus, quòd Salomone longè natu major eſſet, Regnum occupare conabatur. Quod ubi audivit à Nathan Bethſabee, ejus monitu Davidem adiit, ut ſibi, filioque *Salomoni* proſpiceret 3. Reg. 1. 15. Regem igitur prius venerata, Domine, inquit, Salomonem poſt te regnaturum pollicitus mihi ex ſacramento: at nunc, te inſcio, imperat Adonias. Victimis ille pluribus mactatis, convivio Regis filios, Abiathar Sacerdotem, Joab Ducem exercitus, præter Salomonem, excepit. In te ſunt omnium ora, ut Regem conſtituas. Cum enim Patribus tuis jungeris, ego & Salomon rei habebimur.

Adhuc ea loquente, Nathan ad Regem venit; eumque veneratus, an, inquit, Domine, Adoniam tibi ſucceſſorem elegiſti? Filios enim Regis, exercituſque Principes, exceptis Sadoc Sacerdote, Banaja, Salomone, & me, ad ſolemne convivium invitavit. Qui omnes Adoniam in Regem ſalutarunt. Tunc David Bethſabee accita, promiſſum novo ſacramento confirmans, actiſque ab ea gratiis, accerſitis Sadoch, Nathan, & Banajæ imperavit, ut Salomonem mulæ Regiæ impoſitum, & in Gihon ductum, Sadoc Sacerdos & Nathan Prophera inungerent, Regemque buccinis Salomonem inclamarent. Quæ & geſta ſunt, ut alibi dicemus. Mortuo autem David, Salomon in omnibus ditionibus paternis pacificè imperavit.

Salomone in Regem ſalutato 3. *Reg.* 2. 12., Adonias ad Bethſabee confugit, ut, ni Regnum, ad quod ab omni Iſraele ſe vocatum jactabat, ſaltem Abiſag Sunami-

(a) Juſue 21. 22. (b) L. 2. de Belluc. 11. collat. cum l. 20. Antiq. c. 4. (c) Matth. 21. 2. Marc. 11. 2. Jo. 12. 14.
(d) 2. Reg. 11. 2. &c. (e) In Vulgata legitur David eam lavantem ſe in ſolario domus ſuæ vidiſſe. Quod in Textu Hebræo non habetur. (f) An. M. 2969. ante Ch. 1031. ante Ær. 1034. (g) 2. Reg. 12. 1. &c.
(h) An. M. 2971. antè Ch. 1029. antè Ær. 1033. (i) 3. Reg. 4. 9.

Digitized by Google

Sunamitidem a Rege in uxorem obtineret. Annuit Bethſabee; ſtatimque Salomonem adiit: qui ubi Matrem aſpexit, ipſi aſſurgens, & veneratus, ad ſolium ſuum deinde regreſſus, ſolio altero ad ſui dexteram, Matrem excepit. Illa verò pro Adonia dictura, voti compotem fieri ſe optare ſignificavit. Cui Salomon: Pete mater; neque enim fas eſt, me tibi obtrectari. Abiſag igitur Sunamitidem in uxorem Adoniæ petente Bethſabee, Salomon Adoniæ mentem intelligens, cur, ait, non & Regnum? Ipſe enim frater meus major me eſt, ſibique junctos Abiathar Sacerdotem, & Joab exercitus Ducem habet. Deum teſtor, Adoniam hodie interficiendum. Miſso igitur Banaja filio Jojadæ, Adoniam interfecit (a). Hæc de Bethſabee, & ulterius nihil.

Ex 1. Paralipom. 3. 5.; & 2. Regum 5. 14. alii Bethſabee filii, *Simma* nempe aut *Samma*, *Sobab*, & *Nathan* præter Salomonem apparent. Quidam tres hoſce Uriæ Hethæi filios faciunt; plerique tamen Davidi tribuunt. Huic ſententiæ Textus 2. Regum, & S. Lucas in Genealogia Chriſti. Nathan Filium David tamquam ejuſdem Chriſti Progenitorem recenſens, favent. Quòd autem Salomon in Proverbiis 4. 3. ſe filium Patri ſuo charum, & unicum Matri ſuæ dicat, ſummam tantùm Davidis, & Bethſabee in ſe benevolentiam, ob beneficia ipſi à Domino & promiſsa, & collata, comprobat.

Vulgò (b) caput 13. Proverbiorum ſeries creditur præceptorum, quibus Bethſabee filium ſuum Salomonem inſtituit, quæque ut Salomon matris memoriam conſecraret, *Proverbiis* ſuis, ſeù moralibus monitis inſeruerit. Nec deſunt, qui putent Bethſabee Divino Spiritu afflatam eadem protuliſſe præcepta, eo ducti, quod idem caput ita inſcribatur: *Viſio qua erudivit eum mater ſua*. Et ſanè, ſi conſtet idem caput, ut legitur, à Bethſabee exaratum, ipſam Divino Spiritu afflatam fuiſſe fatendum eſt. Fortè Salomon ipſe, ut Matris gloriæ conſeret, monita omnia, quæ ab ea audiverat, colligens, publicæ luci mandavit, ac ſi Bethſabee vel ſcripſerit, vel enunciarit.

BETH-SAIDA, Urbs ultrà Jordanem, ad Mare Tiberiadis, propè Jordanis oſtia, quibus in hoc mare influit. Philippus Tetrarcha Bethſaidam ornatam, auctamque, Juliadem appellavit. Joſephus apertè in regione Galaunitica ultra Jordanem Bethſaidam locat (c). In Diſſertatione de Geographia Terræ Sanctæ argumenta perpendimus, quibus oſtenditur Bethſaidam fuiſſe ad occidentem, non verò ad Orientem Tiberiadis (d).

In Novo Teſtamento Bethſaida ſub Iuliadia nomine minimè recenſetur. Apoſtolorum Petri, Andreæ, & Philippi Patria fuit. Eò ſæpè divertit Jeſus, ibi etiam cæcum curavit (e), quem cum extrà vicum eduxiſſet, in ejus oculos expuit, & ſuper eoſdem manibus ſuis impoſitis, ipſum interrogavit, an aliquid videret; quo reſpondente ſe videre homines velut arbores ambulantes, rurſum manus imponens ſuper oculos, eum luce omninò donavit, ut optimè omnia videret. Quamplurima alia miracula edidit Jeſus; at Bethſaidæ incolæ neque ex ſermonibus, quos audierant, neque ex prodigiis, quæ viderant, quidquam proficientes, ipſum Dominum quadam die exclamare coegerunt *Luc.* 10. 13. *Væ tibi Corozaim, væ tibi, Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sydone* (urbibus Paganorum) *factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent*. Verbum Hebræum *Bethſaida*, Domum venationis, aut piſcationis ſignificat.

BETHSAIDA. Latina S. Ioannis exemplaria dum de probatica piſcina Ieruſalem agunt, pro *Bethbeſda* legunt *Bethſaida* (f). Legi tamen debet *Bethesda*, ut ſuprà notavimus. Putant aliqui in hac Piſcina, Ieremiam & Sacerdotes ignem ſacrum condidiſſe, multoſque poſt annos Nehemiæ tempore, pro igne aquam craſſam (g) inventam eſſe; quæ ſuper Holocauſti Altare effuſa, ut Sol cœpit effulgere, in flammas erupit. Incerta.

BETH-SALISA, eadem facilè ac *Baalſaliſa*. Euſebius (h) Beth-ſaliſam milliaribus quindecim à Dioſpoli ad ſeptentrionem locat, in regione *Thamna*.

I. BETH-SAMES, urbs Sacerdotalis in Tribu Iuda (i), quæ tamen, ſaltem hoc nomine, in catalogo urbium Iuda, quas huic Tribui aſſignavit Ioſue, non legitur. Euſebio decem milliaribus ab Eleutheropoli ſita eſt ad Orientem, Nicopolim verſùs, aut Emmaus. Relandus *Hir-ſchemesh*, aut *Irſames* ex Tribu Dan (k) aliam à *Betſames* ex Tribu Juda fecit. Ejus tamen argumenta nihil nobis officiunt; imo locus ille, quem adducit ex *Ioſue* 19. 41., collatus cum 3. *Reg.* 4. 9 ubi *Hirſemes* parallela ipſi *Bethſames* ponitur, unam potiùs eſſe comprobat. Hirſemes urbem Solis, Bethſamea vero Domum Solis ſignificat. Cum Tribus Juda, & Tribus Dan ſint finitimæ, hinc fit, ut modò uni, modò alteri eadem urbs tribuatur. Arca Domini à Philiſtæis dimiſſa, pervenit Bethſames; cumque quidam ex populo nimia ducti cupiditate eam reſpicere auſi fuiſſent, Dominus ex Principibus ſeptuaginta viros, & ex plebe quinquaginta hominum millia interfecit 1. *Reg.* 6.

II. BETH-SAMES, Urbs ex Tribu Iſſachar. *Ioſue* 19. 22 Sunt qui tertiam Bethſames recenſent in Tribu Nephtali. *Ioſue* 19. 38. *Iudic.* 1. 33.

BETH-SAN, *Scythopolis* nomine notior, ſexcentis ſtadiis, ſeu milliaribus 65. nempe 22. leucis à Ieroſolymis aberat 2. Mach. 12. 29. Joſephus (l) 120. ſtadiis à Tiberiade eam locat; quare prope lacum Tiberiadis, ubi quidam Geographi illam conſtituunt, eſſe nequit. Sita erat cis, & ad occaſum Jordanis in finibus Campi magni. Refert Abulfeda, quoddam minimi nominis flumen propè Scythopolim in Jordanem fluere. Scythopolis, ſeu Scytharum civitas juxtà Georgium Syncellum (m) dicta eſt à Scythia, qui imperante Ioſia filio Amos, Rege Iudæ, Palæſtinam invaſere. Stephanus Geographus, & Plinius eam quoque *Nyſam* appellant. In Textu Hebræo Veteris Teſtamenti tantummodò *Bethſan* dicitur; at Septuaginta *Iud.* 1. 27. legunt *Bethſan*, alio nomine *Civitas Scytharum*; in libris autem Machabæorum, & apud Joſephum ſæpiſſimè Scythopolis appellatur. Poſt pugnam Gelboe, Philiſthæi cadaveribus Saulis & Ionathæ potiti, ex mœnibus Bethſan ſuſpenderunt; at habitatores Iabes Galaad ultra Iordanem, noctu venientes, ea ſublata honorificè condiderunt in nemore propè Jabes. 1. *Reg.* 31. 10.

BETH-SECA, Urbs cis Iordanem (n), quam invadens Bacchides omnes ejus incolas in puteum projecit. Hæc eadem fortaſſe eſt ac *Bezech*, aut *Bezecath*.

BETH-SEMES. Vide *Beth-ſames*.

BETH-SETTA. Gedeon Madianitas Bethſettam uſque perſequutus eſt, *Iud.* 7. 23.

BETH-SIMOTH (o) Eadem ac *Bethieſimoth* (p). Urbs trans Iordanem in Deſerto Moab.

BETH-SUR, aut meliùs *Beth-zura*. Arx validiſſima, tempore potiſſimùm Machabæorum, quam Roboam Rex Iudæ munivit (q). Lyſias Syriæ pro puero Antiocho, Antiochi Epiphanis filio, Gubernator 60000. peditum, & equitum 5000. Bethſuram duxit, eamque obſidione vallavit; at Judas Machabæus

(a) An. M. 2990. antè Ch. 1010. antè Ær. 1014. (b) Ita Patres, Rabbini, & Interpp. plerique.
(c) Ant. l. 18. c. 13. de Bel. l. 2. c. 13. Vide Cellar. Geogr. Ant. p. 387. & Reland. t. 2. p. 655. 054.
(d) Diſſert. de Geograph. antè Joſue. (e) Marc. 8. 22. (f) Jo. 5. 2. (g) 2. Mach. 1. 20.
(h) Euſeb. Onomaſt. in *Baithſariſath*. (i) Joſ. 21. 16. 1. Reg. 6. 12. & 4. Reg. 14. 21. & 1. Par. 6. 59.
(k) 3. Reg. 4. 9. (l) Joſeph. l. de vita ſua. (m) Georg. Syncell. p. 114.
(n) 1. Mach. 7. 19. (o) 33. 49. Joſue 12. 3.
(p) Joſ. 13. 20. Ezech. 25. 9. (q) 2. Par. 11. 7.

Digitized by Google

chabæus urbi præſto veniens. (Commiſſoque prælio validiſſimos licet hoſtes fudit fugavitque, ac ingenti compendio potius eſt armis & ſpoliis hoſtium relictis in caſtris; ex quo Judæi animis adaucti ſunt, & virtute.

* Rei militaris ſcientiſſimus Judas cavit utique, ne cum Nicanoris & Gorgiæ junctis ſimul copiis congrederetur. Rem itaque habuit ſeorſum cum ſingulis non improſperè. Lyſias tanta hoſtium virtute conſternatus *congregavit virorum electorum ſexaginta millia & equitum quinque millia, ut debellaret eos. Et venerunt in Judæam, & caſtra poſuerunt in Bethoron; & occurrit illis Judas cum decem millibus viris.* Non æquam ſanè utrinque conditionem reputabunt Lectores; & ego quidem cum illis reputaſſem, ſi minus generoſo animo & experientia Duci res agendæ eſſent cum Lyſia, à quo pariter rei militaris peritia vinceretur. Hic tamen agitur de Imperatore utique eximio, manu prompto & animo, congreſſuro autem cum Imperatore altero imperito, quamquam ſexies validiori exercitu inſtructo. Hujus generis prodigia non rara utique ſpectantur, abſque eo quòd Deum ex machina intervenire neceſſe ſit. Perſimiles victorias plures, & multo, quam Machabæorum victorias omnes, præſtantiores ſuppeditat Hiſtoria qua vetus, qua recentior; qui enim contemptus de imbecillitate hoſtium tenet validioris exercitus milites, diſcrimini eſt illis præſentiſſimo. Minùs enim rebus illi ſuis cavent, rati nunquam commiſſurum hoſtem, ut aliquid aggrediatur; quin nec etiam ſtandi in conſpectu ſat animi habiturum. Uladus Princeps Valachiæ obſcuræ noctis ſilentio invaſit exercitum Mahomett II. 100000. validum, quanquam ipſe nonniſi 5000. vel 6000. equitibus rem tentaret. Nec improſper illi ceſſit eventus, tantum enim intulit in hoſtes terrorem, tanto illos horrore turbavit, ut niſi Prætorianorum militum reſtitiſſet manus, ac colligendi ſe ſpatium dediſſet cæteris, actum fuiſſet de immani illo Turcarum exercitu.

Intelligens Judas Lyſiam Judæam tenuiſſe, recta ſe contulit ad caſtra ſua in Bethoron. Contra ſuum morem Author hìc nihil notat de diſpoſitione utriuſque exercitus; cùm tamen optimè teneamus rationem agendi belli à Judæis, cùm imbecilliores ſentirent ſe, quàm ut ſignis collatis, i. e. in perfectam phalangem, inſtructi decertarent in hoſtes, cùm etiam id certum ſit maximè de Machabæis, minoribus ſemper copiis fultis, quàm ad juſtum exercitum; cùm ita res habeat ſeſe, ad conſtitutam eorum methodum recurrendum cenſemus. Reputandum igitur Judam copias ſuas 10000. in 4. vel 5. acies diviſiſſe confertas maximè, uti ſolemne erat Machabæis in omnibus præliis. De equitibus nulla mentio apud Scriptorem; nec ſanè unquam fermè equites habuiſſe in præliis ſuis Machabæos legimus; & quidem belli gerendi per columnas ratio equitatum non exigebat.

Nec ſanè equitatum ſiluiſſet Scriptura, ſiquis fuiſſet in exercitu Judæ, cùm vel numerum ipſum equitum Lyſiæ exactè deſcribat. Cùm autem Aſiani equites conſtituerent in alis, pedites in centro; ita pariter de exercitu Lyſiæ reputaverim; facilè tamen ille alas inſtruxit peditibus ſimul & equitibus: *Et commiſerunt prælium*, ait Scriptor, & *ceciderunt de exercitu Lyſiæ quinque millia virorum*. Quid ſunt utique 5000. virorum in exercitu 65000.? victoria illa ſpecimen exhibet fugæ potiùs, cui collecti tumultuariò milites dederint ſe præcipites, quàm victoriæ de militibus exercitatis relatæ. Unde etiam mihi ſuſpicio, num Author Machabæorum in numero hoſtium aliquid dederit exaggerationi (a). Sequenti anno (b) Bethſuram Lyſias rursùs oppugnans cepit, eamque uſque ad Jonatham Machabæum, qui eam (c) recuperavit, Syri poſſederunt.

Bethſura ad Tribum Judæ pertinebat (d). Sita erat è regione Idumææ meridionalis (e) in Judææ finibus, quà Idumæam reſpicit. A Jeruſalem quinque ſtadiis abeſſe dicitur in 2. Mach. 11. 5.; ſed hoc mendum eſt, quod in Scripturam irrepſit. Euſebius milliaribus viginti, aut ſeptem leucis à Jeruſalem, Hebronem versùs, eam locat. Ad radices montis Bethſuræ fons eſt, ubi Eunuchus Candacis Reginæ baptizatus fuiſſe putatur (f).

BETHAPHUA, aut melius *Beth-thaphua*, ideſt Domus Pomi vel Mali, urbs Tribus Judæ (g). Hanc Euſebius (h) ultimam Palæſtinæ urbem Ægyptum versùs, milliaribus quatuordecim à Raphia ponit.

BETHUL, aut *Bethuel* urbs Tribus Simeon (i). Eadem facilè ac *Bethelia*, quam Sozomenus (k) ſuburbium Gazæ, populis frequens, & Templis antiquitate, & ſtructura præclaris inſigne eſſe narrat. Omnium tamen celeberrimum eſt Pantheon, ſeu Templum omnibus dicatum Diis, in tumulo ex humo congeſta compacto, undè tota civitas circumſpicitur, ſitum. Fortè, ſubdit Sozomenus, ea urbs *Bethelia*, ſcilicet *Domus Dei*, ab hoc Templo omnibus Diis dicato dicitur. D. Hieronymus in vita D. Hilarionis *Bethelia* meminit, quam quinque brevium dierum itinere e Peluſio diſſitam locat. Tandem inter Palæſtinæ Epiſcopos quidam *Bethelia* Epiſcopus invenitur (l).

BETHULIA, Urbs obſidione Holophernis ab Judith interfecti celebris. In noſtris commentariis in Judith (m), hanc urbem eamdem eſſe ac *Bethul*, ſeu *Bethuel*, de qua ſuperiùs, probavimus. Judith cum conjuge, & Bethuliæ Principibus, in Tribu Simeon (n) numerabatur. Holophernes ſubactis Galilæa omni, cunctis trans torrentem Siſon regionibus, montibuſque Regnum Judæ ab Iſraele ſegregantibus, in Ægyptum contendere conabatur; ſolæque Simeonis & Judæ Provinciæ occupandæ ſupererant.

Dices: qui hoc cohæreat Scripturæ (o), quæ Bethuliam urbibus Dothaim, & Eſdrelon, Cadmon, & Bethleem, in Campo magno ſitis, adcò procul à Bethul, propinquam eſſe deſcribit? Reſpondeo, Scriptorem Libri Judith hic iter exercitus Holofernis, & campum, ex quo ad Bethuliæ obſidionem profectus receſſit, non campum, in quo in ipſa Bethuliæ obſidione caſtra locavit, deſcribere (p); *Holofernes præcepit exercitibus ſuis, ut aſcenderent contra Bethuliam ..... Omnes igitur ſe paraverunt ad pugnam contrà Filios Iſrael, & venerunt per crepidinem montis uſque ad apicem, qui reſpicit ſuper Dothaim.* Caſtra autem Holofernis protendebantur à *Belma*, ſeu *Belmaim*, *uſque ad Chelmon, qui eſt contrà Eſdrelon .... Sacerdos* (q) *Eliacim ſcripſit ad univerſos, qui erant contra Eſdrelon, qui eſt contra faciem Campi Magni, juxtà Dothaim, ut obtinerent aſcenſus montium, ut Holofernì viam interluderent, ne impetum ille faceret in regionem Juda.* Huc uſque nil ſanè contra id, quod de Bethulia, Gazam verſus ſita, in Tribu Simeon, diximus.

Fateor Itineraria cujuſdam Urbis Bethuliæ in Tribu Zabulon unica à Tiberiade & Abelina, tribus verò leucis à Dothaim ad Septentrionem Scythopolia meminiſſe; at hæc veteres omnes Scriptores latet. Nec Joſue, nec Joſephus, nec Euſebius, nec D. Hieronymus in ea regione ullam Bethuliam agno-

* Animadverſiones in victoriam Judæ Machabæi de Lyſia relatam. (a) Vide quæ in Præfationem contulimus.
(b) 1. Mach. 6. 31. &c. An. M. 3841. ante Chr. 159. ante Ær. 163. (c) 1. Mach. 11. 65. An. M. 3860. ante Ch. 140. ante Ær. 144. (d) Joſue 15. 38. (e) 1. Mach. 4. 61. & 2. Mach. 13. 19. (f) Euſeb. & Hieron. in locis, voce Bethſur. Ita alii plerique. (g) Joſue 15. 58. (h) Euſeb. Onomaſt. in Bethtaphut. (i) Joſue 19. 4.
(k) Sozomen. hiſtor. eccleſ. l. 5. c. 15. (l) Vide Reland. l. 1. c. 35. p. 208. (m) Judic. 6. 7. Comment. p. 411. 412. Gall. (n) Judith. 6. 11. & 8. 1. &c. & 9. 2. (o) Judith. 4. 3. & 7. 3.
(p) Judith. 7. 2. (q) Judith. 4. 5.

agnovere: quare Urbem illam, poſt bella Crucigerorum notam, ſola aliqua conjectura Bethuliam creditam fuiſſe opinamur; cum præterea Itinerarios ſæpè vetera urbium nomina iis dederint civitatibus, quas in veterum urbium, quarum notitiam didicerunt ex hiſtoriis, loco ſitas eſſe arbitrabantur. Verbo *Judith*, ea, quæ pertinent ad Bethuliæ obſidionem, fusiùs exponemus.

BETH-ZACHARA, aut *Beth-zacharia* locus Bethſuræ proximus, ubi Judas Machabæus, & Antiochus Eupator conflixere. In eo certamine Eleazar Saura, ab Elephante, cujus ventrem proprio enſe perfoderat, oppreſſus cecidit *Macch.* 6. 32. D. Epiphanius in Vita Prophetarum, Habacuc in regione Bethzachar ortum narrat. D. Lucas 1. 39. refert, B. Virginem ad D. Eliſabeth pergentem, Domum Zachariæ intraſſe; quod de *Beth-zachar*, ſcilicet Domo Zachariæ, in montibus Judæ, aut prope Hebron ſita poſſet intelligi. Veroſimilius tamen eſt, eam fuiſſe mentem D. Lucæ, ut diceret B. Virginem in Domum Zachariæ introiſſe, non vero ut Urbis, in qua ipſe degebat Zacharias, meminiſſet.

(BETH-ZACHARA, anguſtiæ inter Jeruſalem & Bethſuram, ubi prælium initum inter Antiochum Eupatorem & Judam Macchabæum. *Adde*. Antiochus provocari ſe à Juda intelligens, ſimulque certior factus illum in anguſtiis Beth-Zachara recepiſſe ſeſe, copias eò immiſit. Porrò agmen erat 100000. peditum, 20000. equorum, ac 32. elephantum instructorum ad bellum 1. *Macch.* 6. 30. Cùm autem arctior eſſet, quàm pro explicando exercitu locus, in tres lineas diviſum agmen ducere coactus eſt; elephantibus ſingulis impoſita turris, ſagittariis armata, quam ſubſequebant 500. equites, ac 1000. pedites; reliquis copiis imperatum, ut duo montis latera occuparent. Ita inſtructum Antiochi agmen proceſſit in prælium, militeſque horrendum adeò ululârunt, ut omnes circùm incolæ terrerentur. Terrori huic terror alius acceſſit, aureorum ſcilicet æreorumque clipeorum, qui cùm lucem ſolis reflecterent, oculos perſtringebant. Sed nihil his motus invictus Maccabæi animus tanta virtute reſiſtit irruentibus, ut primo impetu 600. hoſtium cæderentur. Ejus frater Eleazar, cognomento Abaron, elephantem magnificè inſtructum proſpiciens, Regium vectorem ratus, exponere in diſcrimen vitam ſuam pro liberatione populi præclarum ſibi ducens, per medios hoſtium ordines viam ſibi gladio & cæde multorum aperiens, ſub ipſum elephantis ventrem ſeſe conſtituit, transfoſſumque enſe animal necavit, ſibique pariter paravit necem, ruentis animalis pondere oppreſſus. Intelligens tunc Judas imparem eſſe ſe tam valido confertoque hoſtium exercitui reſiſtendo, cauta receſſione recepit ſe Hieroſolymam, ad obſidionem ſuſtinendam omnia comparans.

* Præliorum egregiè geſtorum ac virtutis ſpeciminum à Machabæis exhibitorum, dum potentiſſimis Aſiæ Imperatoribus reſiſterent, veritatem tota animi devotione complector, quandoquidem, ſilente etiam Scriptura, ſatis eſſent ad hoc Joſephi ſynceriſſimi ſcriptoris teſtimonia. Miror tamen latere hæc potuiſſe Polybium, coævum Scriptorem, qui vel nomina ipſa tantorum Virorum ſilet. Hæc ſanè, ultra quàm reputari poſſet, digniſſima cenſeo admiratione, cùm maximè poſt illum hiſtorias ſcribentes de rebus Aſiæ, quà Græci, quà Latini altum teneant de illis ſilentium.

* Minora hæc planè reputata fuiſſe videntur, quàm quæ pro noſtra perſuaſione, ut proinde de illis rumor ad diſſitas à Judæa gentes nequaquam pervenerit. Perſuaſiſſimus licèt de rebus inſigniter ab Heroibus illis Judæis geſtis, relatiſque ab illis victoriis, habeo etiam perſuaſum exaggeratum eſſe aliquantò in numero hoſtium manus conſerentium adverſus, non dicam exercitum, at parvam militum manum; quin & adverſus, nihil; nihil enim, jure reputaverim 8000. vel 10000. agmen adverſùs exercitum 60000. validum. Hic autem habemus in promptu exercitum ex 100000. peditum, & 20000. equorum ſtantem ex adverſo 8000. vel 10000. hoſtium; neque enim copias Judæ definit Scriptura. Sed nihilo majore exercitu pugnaſſe illum ſat ſcio; nec ulla teneor admiratione, ſi Imperator eximius ſat animi habuerit ad conferendam cum hoſtibus adeò validis, non ſine ingenti rerum ſuarum compendio, manum. Probè enim teneo, quid poſſit ſtrenua virtute armatus animus, quid fulta audacia rei militaris ſcientia; quoties modicæ virorum fortiſſimorum copiæ victorias retulerint de inſtructiſſimis, veteraniſque exercitibus. Ejus generis exempla utraque pagina exhibent hiſtoriæ quà veteres, quà recentiores; nec datum pariter aliqua prodigium certaminis hujus Macchabaici ſuperantia. Ad inopinatos hoſtium impetus quod attinet, adeat Lector hiſtoriam Polybii.

De prodigio illo copiarum, quibuſcum Macchabæi res habuerunt, quid reputaverim, ambigo. Si profectò tam immanes fuiſſent exercitus, quàm deſcribit Author, victorum fugatorumque illorum fama increbuiſſet per orbem, & Polybius coævus Autor, de illis utique non ſiluiſſet? Cùm utique tanta manum conſerentium exercituum inæqualitas attenditur, admiratione hæremus ſuſpenſi. Quod attinet ad elephantes impoſitas vehentes turres, bellorum machinas & milites ad triginta, cum Bocharto utique teneo, exaggeratione hic uſum aliquo Scriptorem; reputat enim vir ſummus exercitus illos minores fuiſſe, quàm deſcribit Author, maximos tamen fuiſſe Judæorum comparatione, ſicut & elephantes belluas fuiſſe mole ſua terribiles, quamquam tam grandi ſarcina non onuſtos.

Sat exactè deſcribit Scriptura diſpoſitionem exercitus Antiochi, ac loci ſitum, ubi prælium commiſſum eſt. De Juda ne verbum quidem; quamquam, his etiam preſſis ſilentio, tantam animi virtutem, tantam rei militaris ſcientiam exhibuit vir ille egregius, quantam ad prodigium. Res utique geſſit cum hoſtibus per agmina ſat conſerta quorum alterum ab altero diſtinctum, quæ prælii gerendi ratio eſt admiratione & prudentiæ laude digniſſima; familiaris autem Judæis. Cùm illi ſemper, vel ferè ſemper militum numero hoſtibus concederent, qua tenebantur, neceſſitas defendendi ſe adverſus finitimos potentiſſimos, ſubigere illos molientes, quo etiam animabantur zelus veri Dei, cujus gerebant cauſam; hæc omnia ſimul inſpirarunt illis aptiſſimam hanc prælii gerendi diſciplinam, modicis exercitibus commodiſſimam. Porrò Imperatores illi eximii, viribus adeò imbecilles, nihil habebant rebus ſuis providendis aptius, quàm ut uterentur tactica callida, hoſtibus inopinato ſupervenientes obſcuræ ſæpe noctis favore, occupanteſque commodiſſima loca, ubi reſiſterent minori diſcrimine hoſtibus, medios excipi nihil timentes, cogenteſque adverſarios manus conſerere æqua utrinque fronte; ſæpè etiam præliabantur in patenti agro; adeò ad omnia apta utebantur inſtruendo agmini diſciplina, & milites habebant ad omnia paratos.

Quod hic commiſſum eſt prælium nec peremptorium erat, nec generatim omnibus copiis certatum eſt, pugnarunt enim in vallis quadam anguſtia, cujus aditum occupabat Antiochus, & quà magis in arctum cogebatur, illic ſuos habebat inſtructos Maccabæus. Arctiſſimas illas anguſtias fuiſſe tradit Joſephus Antiq. lib. 12. cap. 14. Cùm autem valles fermè omnes in planum vergentes ſenſim dilatentur, quemadmodùm & flumina propiùs accedentia ad oſtia, Antiochus primò quà exponebatur vallis in agrum locum obſedit, cùm autem inter procedendum ſenſim cogeretur locus in arctum, coactus, milites ſuos montium latera tenere juſſit, id facilè meditans, ut Judæos

* Animadverſiones in prælium Judæ Macchabæi cum Antiocho Epiphane in anguſtiis Betzacharæ, 1. Macc. 6.
* De his omnibus vide Præfationem, & rationes ibi adductas in oppoſitum, quibus falſitatis arguuntur animadverſiones.

Judæos clauderet, ac recipiendi ſe viam omnem præcideret, ſicut etiam fortè pluribus duplicatis phalangibus inveheret in hoſtes. Hæc conjectans reputaverim; ſed prorſus non temerè, veri etenim ſpeciem tenet omnem, ideo maximè quòd initum credo certamen priorem ordinem inter & equites, intermixtos habentes elephantes, ex quo ſecundi ordinis res aliquantò turbatæ. Nihil autem magis exactum, ſpectius nihil habemus, quàm deſcriptionem inſtructi exercitus Antiochi, atque agminis vallis anguſtias ſubeuntis. Prior linea intermixtos habens elephantes, vel unica valuiſſet inferendo in hoſtes terrori, mirè enim erat inſtructa; ſingula agmina à ſuccedenti altero ſuſtinebantur, ut validius aliquid in illis agnoſcam, quàm ejus, prodigioſam licet, phalangem: *Et diviſerunt beſtias per legiones*, ait 1. Macch. 6. 35. *Et adſtiterunt ſingulis elephantis mille viri in loricis concatenatis, & galeæ æreæ in capitibus eorum, & quingenti equites ordinati unicuique beſtiæ* (latera ſcilicet tuentes) *electi erant*. Alteram ego concipio lineam, 1000. militibus validam, priorem illam ſuſtinentem. Porro duæ illæ lineæ ita diſpoſitæ perindè ac phalanx valebant, ſeu ut melius dicam, ex his in illam munimen; ſi enim Judas agmen penetraſſet elephantibus inſtructum, turbatus ſtatim ſecundæ ordo, facilè deinceps verteretur in fugam phalanx, quippe quæ conſertis abſque intervallo militibus conſtans, à fugientibus ſeu turbaretur, ſeu abriperetur, nequaquam vel minimum reſiſtendo par. Græci olim & Aſiatici inſtruebantur in phalangem, & cum loci ſitus anguſtior eſſet, quàm ut tota in fronte explicaretur, duplicabatur phalanx, i. e. in duas phalanges vel duas lineas diſtribuebantur copiæ, quod ſanè erat perniciosiſſimum. Inconſulta enim hac inſtruendi exercitus diſciplina fieri utique potuiſſet, ut modicus hoſtium exercitus æqua fronte decertans; vertere in fugam valuiſſet multò ſuperius hoſtium agmen; verſa enim in fugam prior phalanx, alteram impetu ſuo ſecum arripuiſſet. Intellexit hoc diſpendio ſuo Annibal, cùm ab alto gloriæ ſuæ culmine excidit miſerè in prælio ad Zamam. Diſpoſuerat ille milites ſuos in tres lineas phalangis ritu conſertas, alteram collocans poſt alteram certis intervallis; at validus licèt 5000. militum veteranorum prælio victus fuit à Scipione ducente in prælium non ultra 2200 in columnas inſtructos. Modicus iſte Romanorum exercitus ſuper tres phalanges glorioſus diſcurrit; fracta enim prima, ceteræ deinde ejus fatum ſecutæ ſunt, fruſtra vel nihil moliente Annibale, quo perditæ res inſtaurarentur.

Ut ad aciem Antiochi regrediamur, duas ejus priores lineas optimè inſtructas cenſeo; quod attinet ad phalangem, de illa mentem meam aperui; inſtruxit illam pro conſueto more, & fortè tam veteri, quàm mos ipſe belli gerendi. Sed vetuſtiſſimus licèt, longa hac præſcriptione nihil ſibi vindicare poteſt privilegii, quaſi idem ſit vetuſtiſſimus, ac optimus, uti ſatis demonſtravi ſexto libro meorum Commentariorum in Polybium. Equitatum rejecit in alas peditum robori ſuſtinendo.

Quanquam exercitu planè formidabili pugnaſſet Antiochus, Judas poſt prima illa tentamina, quæ ſibi acciderant feliciter, inſtitiſſet adhuc, expertus enim probè norat poſt verſam in fugam priorem lineam, minoris eſſe moliminis fugam ceterarum; recepit ſe tamen. Quòd autem recederet, ſuprà cauſam attigimus; metuebat enim ne per latera montium diſcurrentes hoſtes iter ſuum interciperent (vix enim ullus eſt montium non opportunum latus aliquod præbens infeſtando à tergo recedentes); quare è re ſua cenſuit, ut è locis incommodis ſeſe reciperet, ne, cùm maximè vellet, prohiberetur. Facinus autem Eleazari gliſcentis ſub ventrem elephantis, quem regio cultu ornatum Regem vehere autumabat; cujus confoſſi lapſu oppreſſus eſt; facinus eſt, inquam, præclarum, & ſtrenuo homine digniſſimum. Sed devoventium ſe facinora ejuſmodi tam crebra offert hiſtoria, ut præ aſſuetudine minoris habeantur, quàm ut, tanquam eximiæ virtutis prodigia, extorqueant admirationem.)

BETH-ZECA. Eadem facile, ac *Bezech*, aut *Beſech*, *Baſach* &c. Vide ſuperius *Beſech*.

BETH-ONEA, aut *Beth-oanea* quindecim milliaribus à Cæſarea ad Orientem, ubi juxtà Euſebium, & D. Hieronymum balnea calida valetudini utiliſſima extant (a).

BETHOANNABA, aut *Beth-hannaba*, oppidum, authore Euſebio, quatuor, aliis, teſte D. Hieronymo, octo milliaribus à Dioſpoli ad Orientem. *Betho-annaba* vocis *Nobe*, ubi aliquandiù Arca Fœderis, Saul imperante (b), permanſit, veſtigia retinere videtur. D. certè Hieronymus in S. Paulæ Epitaphio, Nobe non longè à Dioſpoli fuiſſe teſtatur.

BETHOGABRA. Vide ſuperius *Bethagabra*.

BETHOMESTEM, Urbs, cujus mentio *Joſue* 21. 14. & 1. *Par.* 6. 58. Pro Græco *Bethomeſtem*, Latinum exemplar habet *Bſthamo*, & eſt Urbs in Juda.

BETHONIM, Urbs in finibus Gab (c) ad Septentrionem, & contermina Tribui Manaſſe.

BEZECH, Metropolis Regni Adonibeſech *Judic.* 1. 4. Vide ſuperius *Beſec*, *Beſecha*. Non longè erat à Bethſa, & à tranſitu Jordanis.

BEZEDEL, Pagus prope Aſcalonem (d). Huc Antonius Dux Romanus inſequens Judæos, compulit fugientes, qui in ejus pagi validiſſima arce coacti, diu Romanis reſtitere, donec igne arci admoto, ea tandem Romani potiti ſunt.

BEZER, ſeu *Bozor*, ſivè *Bozra*, aut *Beſtra*, vel *Beſtera*, Vide *Bozor*, ſivè *Bozra*.

BEZETHA, ſivè *Betzeta*, arx Jeruſalem, in monte ſita, & validis mœnibus circumſepta, urbs velut nova veteri addita, ad Septentrionem Jeruſalem, & Templi (e).

BEZETH, aut *Betzetho*, ubi Bacchides Jeruſalem egreſſus, caſtra locavit (f).

(BIBERE. Eorum quæ ad hanc vocem pertinent, quædam excuſſimus v. *Calix*. Siti affectos omnes invitat Iſaias 55. 1. ut lacte & vino gratis ſeſe irrigent; præ oculis autem habebat Meſſiam, & fontes illos, de quibus idem Propheta cap. 12. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Et Jeſus Chriſtus daturum ſe ſpondit Samaritanæ aquam vivam, quæ ſitim perpetuo reſtringueret. Iniquitatem velut aquam ingurgitat impius, ait Job 15. 16. objurgationes & contemptus velut aquam bibere Jobum, exprobrat Eli Job 34. 7. Monet Rabſaces Judæos, caveant ſibi ab Ezechia, qui Iſraelis obſidionem ſuſtinens, eò illos redacturus eſt, ut bibant urinam, i. e. ut extrema omnia tolerent. 4. *Reg.* 18. 27.

Monet Sapiens Proverb. 5. 15. Diſcipulum ſuum, ut *bibat aquam de ciſterna ſua*; i. e. permiſſis tantùm connubii voluptatibus contentus, ad ea, quæ à lege vetita ſunt, non aſpiret. Bibere & comedere eſt in Eccl. 5. 15. lætum traducere tempus: *Hoc viſum eſt mihi bonum, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitia & labore ſuo*; quæ pariter phraſis in Evangelio *Matth.* 11. 18. recurrit pro vita ad vulgarem exacta. *Venit Joannes non manducans nec bibens, & dicunt: Dæmonium habet*. Noemi ætate, cùm Deus diluvium immiſit, & agente in vivis Loth, cùm exterminio deleta eſt Sodoma, homines ſecuti *edentes & bibentes*, nihil ſibi metuebant *Luca* 17. 26. &c. Bibiſſe ſe & comediſſe cum Jeſu è mortuis ad vitam reſtituto, atque pro conſueto more cum illo converſatos ſe perhibent Apoſtoli, Act. 10. 41.

Bibere uſurpatur etiam pro largiori ſe cibo ingurgitare. Benadad Rex Syriæ 3 *Reg.* 20. 12., *bibebat* cum Regibus fœderatis *in umbraculis*. Pſ. 68. 13. *In me pſallebant, qui bibebant vinum*. *Bibere & comedere coram Domino*, eſt religioſa convivia in Templo inſtrue-

(a) Euſeb. ab vocem A'μιγ (b) 1. Reg. 21. 1. (c) Joſue 13. 26. (d) Joſeph. de Bello l. 3. c. 1.
(e) Joſeph. de Bello l. 6. (f) 1. Mach. 7. 19. Antiq. l. 12. c. 14.

inſtruere. *Bibere vinum* (a) eſt ſæpè agere ſolemne convivium; in vulgaribus enim menſis vinum aberat.

Ego bibi aquas alienas, jactitabat Sennacherib (b) *& ſiccavi veſtigiis pedum meorum omnes aquas clauſas*: Ego ſcilicet bibi aquas omnium gentium, in quas arma converti; ego illorum ſiccavi puteos & ciſternas. Uſitum id ad ingerendam altiſſimam de potentia ſua opinionem. Exprobrat Jeremias 2. 18. Judæis, confugiſſe illos ad Ægyptum, ut biberent aquas cœnoſas, & ad Aſſyrios, ut biberent aquam amnium eius generis; idest aquas ſibi procuraſſe è Nilo Ægypti, & ex Euphrate Aſſyriæ, ſuppetias nempe ex utroque populo imploraſſe.

Bibere ſanguinem eſt exſaturare ſe cæde (c). *Sanguinem Principum terræ bibetis*. Delatam ſibi à tribus exercitus ſui viris fortiſſimis, non ſine ingenti vitæ diſcrimine hauſtam aquam recuſavit David, proteſtatus: *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc; num ſanguinem hominum iſtorum bibam?* Mandat Jeſus Chriſtus, ut de carne ſua deguſtemus, ſanguinem bibamus. Bibimus utique & deguſtamus utrumque & re ipſa, & ſimul ſpiritaliter ac myſticè in Euchariſtia. Bibere ad menſuram aquam (d), emere ſibi pecunia aquam ad potum (e), exprimit extremam rerum omnium caritatem & deſolationem. In jejunio ſolemne erat Judæis abſtinere ſe tota die à cibo pariter & potu, ſatis æquè jejunio repugnare, ſive ſe quiſque cibo, ſive potu reficiat.

BIBLIA, à Græco *Biblos*, Liber. Sacras Scripturas *Biblia*, ſeu *Libros* Antonomaſticè dicimus; *Mikra* vero, *Lecturam*, ſeu *Scripturam* Hebræi. Hi Bibliorum libros duos tantùm, & viginti Canonicos habent, quos hoc ordine recenſent.

Lex. 1. Geneſis, in Hebræo *Bereſchis*, *In Principio*, prima Libri verba. 2. Exodus, in Hebræo *Velle ſchemoth*, *Et hæc ſunt nomina*. 3. Leviticus, in Hebræo *Vaikra*, *Et vocavit*. 4. Numeri, in Hebræo *Bammidbar*, *in Deſerto*. 5. Deuteronomium in Hebræo *Elle haddebarim*, *Hæc ſunt verba*.

Prophetæ Majores. 6. Joſue. 7. Judices. 8. Primus, & ſecundus Liber Samuelis; quos Hebræi unicum faciunt. 9. Primus, & ſecundus Liber Regum, Hebræis unicus. 10. Iſaias. 11. Jeremias, & Baruch. 12. Ezechiel.

Prophetæ Minores. 13. Duodecim Prophetæ Minores in unicum librum coacti, id eſt; Oſeas: Joel: Amos: Abdias: Nahum: Jonas: Michæas: Habacuc: Sophonias: Aggæus: Zacharias: Malachias.

Libri Sacri, aut Hagiographi. 14. Pſalmi, quos Hebræi dividunt in libros quinque. 15. Proverbia. 16. Job. (Judæi poſt Lamentationes inſerunt librum Ruth poſt quem Canticum Canticorum). 17. Canticum Canticorum. 18. Eccleſiaſtes. 19. Eſther. 20. Daniel. 21. Eſdras, & Nehemias. 22. Libri duo Paralipomenon, aut Chronicorum.

Catalogus Librorum Sacrorum ſecundùm Hebræos ex Origene ductus Tom. 1. Edit. Huet. p. 47.

1. Geneſis. 2. Exodus. 3. Leviticus. 4. Numeri. 5. Deuteronomium. 6. Ioſue. 7. Judices, & Ruth. 8. Primus, & ſecundus Samuelis. 9. Primus, & ſecundus Regum. 10. Primus, & ſecundus Paralipomenon. 11. Primus, & ſecundus Eſdræ. 12. Pſalmi. 13. Proverbia. 14. Eccleſiaſtes. 15. Canticum Canticorum. 16. Iſaias. 17. Jeremias & Lamentationes, & Epiſtola ad Captivos. 18. Daniel. 19. Ezechiel. 20. Job. 21. Eſther. 22. Prophetæ Minores.

Ordo, & diviſio Bibliorum tam veteris quàm novi Teſtamenti juxta Concilium Tridentinum Seſſ. 4. Decret. 1.

Geneſis. Exodus. Leviticus. Numeri. Deuteronomium. Ioſue. Iudices, & Ruth. Primus Liber Regum. Secundus Liber Regum. Tertius Liber Regum. Quartus Liber Regum. Primus Liber Paralipomenon. Secundus Liber Paralipomenon. Primus Liber Eſdræ. Secundus Liber Eſdræ, aut Nehemiæ. Tobias. Judith. Eſther. Pſalmi. Proverbia. Eccleſiaſtes. Canticum Canticorum. Sapientia. Eccleſiaſticus. Iſaias. Jeremias, & Baruch. Ezechiel. Daniel. Oſeas. Joel. Amos. Abdias. Nahum. Jonas. Michæas. Habacuc. Sophonias. Aggæus. Zacharias. Malachias. Primus Liber Machabæorum. Secundus Liber Machabæorum.

Libri Novi Teſtamenti.

Evangelium S. Matthæi: S. Marci: S. Lucæ: S. Joannis: Acta Apoſtolorum.

Epiſtolæ D. Pauli.

Epiſtola D. Pauli ad Romanos: ad Corinthios: II. ad Corinthios: ad Galatas: ad Epheſios: ad Philippenſes: ad Coloſſenſes: ad Theſſalonicenſes: II. ad Theſſalonicenſes: I. ad Timotheum: II. ad Timotheum; ad Titum: ad Philemonem: ad Hebræos.

Epiſtolæ Canonicæ.

Epiſtola S. Jacobi: I. S. Petri: II. S. Petri: I. S. Joannis: II. S. Joannis: III. S. Joannis. Epiſtola S. Judæ. Apocalypſis S. Joannis.

De Libris Apocryphis Bibliorum.

Libri apocryphi veteris Teſtamenti ſunt: Liber Henoch (f): tertius, & quartus Eſdræ: tertius, & quartus Machabæorum. Oratio Manaſſis: Teſtamentum duodecim Patriarcharum: Pſalterium Salomonis, & alii hujuſmodi.

Libri, qui periere, in Veteri Teſtamento laudati, ſunt: Liber Juſtorum, *Joſue* 10. 13. & 2. Reg. 1. 18. Liber Bellorum Domini, *Num.* 21. 14. Annales Regum Juda, & Iſrael, quos ſæpiſſimè Libri Regum, & Paralipomenon citant, à Prophetis, tunc temporis in Regno Juda, & Iſrael viventibus, conſcripti. Nonnulla tantùm ex 3000 Salomonis Proverbiis, & 5000 Canticis ſuperſunt (g). Quæ autem idem de plantis, de animalibus, de avibus, de piſcibus, & reptilibus ſcripſit, omninò interiere (h). Scriptum etiam Prophetæ Jeremiæ periit (i), quo Judæos, Babylonem tranſmigrantes, ſacrum ignem abſcondere juſſit, eoſque præceptis, & monitis, ne in Idololatriam laberentur, inſtituit. Denique incertum eſt, an ejus Lamentationes in mortem Joſiæ Regis Juda ſuperſint; quas enim habemus, Hieroſolymæ per Nabuchodonoſor excidium conqueri videntur (k).

Libri Apocryphi Novi Teſtamenti ſunt: Epiſtola D. Barnabæ: Epiſtola falsò appoſita D. Paulo ad Laodicenſes: plura Evangelia, & Apoſtolorum Acta commentitia; plures etiam commentitiæ Apocalypſes: Liber Hermæ, qui inſcribitur, Paſtor: Epiſtola Jeſu Chriſti ad Abgarum: Epiſtolæ D. Pauli ad Senecam: & alia hujuſmodi, videnda in Catalogo librorum Apocryphorum Novi Teſtamenti apud Fabricium.

De Idiomate, quo Biblia conſcripta fuere.

Vetus Teſtamentum, omnia ferè, Hebraicè: nonnihil Libri Eſdræ (l), & Prophetiæ Danielis (m) Chaldaicè; Judith, Machabæi, Eccleſiaſticus Chaldaicè, aut Syriacè conſcripta ſunt. Sapientiæ liber Græcè tantùm. Videatur noſtra Præfatio in ſingulos hoſce Libros.

Libri omnes Novi Teſtamenti Græcè, præter Evangelium S. Matthæi, quod Hebraico, ſive Syriaco, vulgari tunc temporis in Judæa idiomate, exaratum. Græcè, an Latinè S. Marci Evangelium, & an Epiſtola ad Hebræos primo Hebraicè ſcripta ſint, diſceptatur. Nos tamen in horum Præfationibus Græcè ſcripta fuiſſe oſtendimus.

De Verſionibus Bibliorum.

Cum nulla primùm Hebræis eſſet cum extraneis conſuetudo (n), hinc fiebat, ut & ipſi Paganos deſpicerent, & execrarentur, quibus ſacro theſauros

(a) Job. 1. 13. 18. Judith 12. 12. Cantic. 5. 1. Iſaiæ 22. 13. (b) Reg. 19. 24. Collatum cum Iſaiæ 37. 25.
(c) Ezech. 39. 17. 18. (d) Ezech. 4. 11. (e) Jerem. Thren. 5. 4. (f) Vide Judæ ℣. 14.
(g) 3. Reg. 4. 32. (h) 3. Reg. 4. 33. (i) 2. Mach. 2. 2.
(k) Vide noſtram Præfat. in Lamentat. Jeremiæ. (l) 1. Eſdr. 4. 7. 8. & 5. & 6. 1. 19. & 7. 12. 27.
(m) Dan. 2. 98. 99. 100. & 4. 1. 2. 34. & 2. 4. &c. & 3. 13. 14. 15. &c. & 6. 21. &c.
(n) Vide Joſeph. l. 1. contra Appion.

Scripturarum apertè dedignabantur, ipſoſque viciſſim Pagani Judæis finitimi, ut Ægyptii, Arabes, Phœnices aut contemnerent, nec quicquam de eorum Hiſtoriis, & Lege curarent. In variis autem Judæorum captivitatibus & Legis, & cæremoniarum novitate ducti extranei, ad ea quæ ad ſingularem populum pertinebant, indaganda animum applicuere.

Joſephus diligentiſſimus Gentis ſuæ Antiquitatum ſcrutator, vix leviſſima Hiſtoriæ Judæorum fragmenta, Ægyptiorum, Chaldæorum, & Phœnicum hiſtoriis immixta invenit; ſuamque Legem, & Religionem ætate ſanè noviſſima, ſi cum Hebræorum antiquitate compararetur, vix cognitam reperit. Cauſam verò tamen in cæteris Scriptoribus de Rebus Hebraicis ſilentii afferens (a), id ait in cauſa fuiſſe, quòd eorum Libros evolvere nequiverint. Demetrium verò Phalereum, veterem Philonem, & Eupolemum adeò infeliciter de Judæis ſcripſiſſe, quòd ea, qua par erat, diligentia, & ſtudio eorum hiſtorias perlegere non potuerint. Cur verò? Quod Biblia ſacra nondum Græco Idiomate conſcripta, exteras gentes adhuc latebant.

Ariſteas quidem (b) ante Demetrium Phalereum ſacrorum Bibliorum Verſionem quamdam, licèt imperfectam, extitiſſe; Theopompum etiam ex ſacris Libris nonnihil ſuis interere operibus auſum, morte mulctatum narrat; nullo tamen argumento. Quis enim vertit? An Græci Pagani? At eorum in Oriente nemo iſtud curabat, Hebræi profectò Sacrorum Codicum verſione non egebant. Græcum igitur idioma longè poſt Alexandrum Magnum Biblia novere, cum Judæi quamplurimi in Provinciis degentes, cum ſatis Hebraicum non intelligerent, in Græcum ſermonem Biblia transferri voluerunt. Adde Philoſophorum, Eruditorumque Paganorum ſciendi aviditatem, Regumque Ægyptiorum ſuas exornandi Bibliothecas cupiditatem. Hæc profectò in cauſa fuere, cur Biblia ex Hebræo ad Græcum idioma transferrentur.

Biblia Græca Septuaginta Interpretum.

Verbo *Septuaginta* hiſtoriam Ariſteæ, quamque ipſe de Demetrio Phalereo, Bibliothecæ Ptolemæi Philadelphi Præfecto, Bibliorum verſionem Græcam procurante narrat, expendemus. Interim verſionem Septuaginta tributam, nihilo recentiorem quàm Ptolemæi Philadelphi Regnum, dicimus; neque ullam antiquiorem ea fuiſſe vetuſtiorem credimus; illud etiam credendo difficile eſt, omnia ſimul Biblia Græco ſermone fuiſſe donata. Certiſſimum eſt cæterorum Scripturæ Librorum Verſionem caſtigatam æquè non eſſe, ac quinque Librorum Moyſis, ingeniique à Criticis in Libris cæteris ſtyli, dicendique, ac eadem voces vertendi formularum diſcrimen reperiri.

Verſiones Chaldaicæ.

Chaldææ verſiones vetuſtiſſimæ cenſentur, nec deſunt Critici, qui eas Chriſti adventu priores velint; poſteriores tamen eſſe conſtat (c). Paraphraſes potiùs aut explicationes, quam literales Hebræi Textus Verſiones ſunt. De his fuſius infrà, ad verbum *Targum*, aut *Paraphraſes Chaldaicæ*.

Biblia Syriaca.

Extat Syriaco idiomate conſcripta, & ab Hebræo deprompta Veteris Teſtamenti Verſio, quam Syri vetuſtiſſimam, ſacrorumque Codicum pleroſque Salomonis, reliquos Abgari Edeſſæ Regis ætate conſcriptos aiunt. Cum enim, inquiunt, Hiram Rex Tyri, & Salomonis amicus, ab eo petiiſſet, ut & Syris Hebræorum characterum, & ſcripturarum uſum communicaret; atque Syriaco idiomate Libros ſacros, qui tunc temporis extabant, verterat, Pentateuchum nempè, Joſue, Judices, Ruth, duos primos Regum Libros, Pſalmos, Proverbia, Eccleſiaſtem, Canticum Canticorum, & Job; Salomon libenter indulſit. Ab ea ætate uſque ad Chriſti Adventum, Syri nullum Scripturæ librum, præter hos, agnovere. Poſtquam verò ipſis S. Thaddæus Chriſtum nunciavit, alius ab ejuſdem nominis Apoſtolo, qui illuc poſt Chriſti Reſurrectionem ſe contulit, cæteris Scripturæ Libris Syriacè conſcriptis, operà & juſſu Abgari Regis Edeſſæ, qui, cùm Chriſtum antè ipſius Paſſionem cognoviſſet, Chriſtianæ Fidei ſeſe addixerat, aucti ſunt. Hæc Maſonitarum Traditio de Syriaca ab Hebræo Scripturæ Verſione.

Commentitia tamen hæc omnia, licèt Syriacam Verſionem vetuſtiſſimam eſſe fateamur, cum Græci Patres ejuſdem ſæpè meminerint. Author ipſius, & tempus latent. Pocok (d) Verſionem quandam Syriacam, à Thoma quodam Heraclæenſi conſcriptam laudat, qua tamen aliam longè vetuſtiorem extitiſſe fatetur. Contendit Abbas Renaudot, hunc Thomam Epiſcopum Heraclææ fuiſſe Jacobitarum, aut Dioſcori ſectatorem, qui in Ægyptum profectus, Biblia Syriaca cum exemplaribus, quæ in Monaſterio D. Antonii invenerat, ingenti ſtudio contulerit. Quarè poſthac Sacri omnes Syrorum Libri juxta eam ejus Thomæ Heraclæenſis Verſionem caſtigantur. Nullis tamen argumentis hanc Verſionem ullam proprio marte exaratam convincitur.

Præter hanc veterem Syriacam Verſionem ab Hebræo depromptam, & Polyglottis Pariſienſibus, & Anglis additam, altera etiam ex Græco extat apud Syros, cujus origo adhuc latet. Deuteronomium, Joſue, Judices, Libros Regum, & Paralipomenon, Eſdram, Judith, & Tobiam, anno Chr. 617. ex Græcis Exemplaribus ab Origene caſtigatis tranſlata ſe vidiſſe teſtatur Maſius (e); quibus incredibili diligentia Obeli, & Aſteriſci Origenis inſerti erant. Hæc tamen Verſio nuſquam viſa; imò nonnihil de ea dubitari poteſt; cum præſertim Græci, & Syriaci Idiomatum maximum ſit diſcrimen, omneſque Origenis Obeli, & Aſteriſci in Linguam articulis & particulis carentem, quibus abundat Græca, nullo pacto queant transferri. Syriacæ quædam Verſio ex Græco ſuperest, à *Mar-abba* quodam exarata (f).

Biblia Latina.

Bibliorum Latina Verſio vetuſtiſſima eſt; attamen Chriſtianæ Religionis exordium non antecedit. Judæi in Romano Imperio commorantes, cum omnes ex Aſia, ſive Græcia egreſſi, Græcum, & Hebraicum callerent, de Veteri Teſtamento Latinitate donando non cogitarunt. Cum verò Chriſtianæ Religionis initio Pagani, Latina tantùm lingua pollentes, Chriſto nomen dediſſent, Latinam Scripturæ Verſionem eorum captui accommodatam comparare oportuit. Hujus Author vel potius Authores, cum in ea vertenda plurimi deſudaverint (g), adhuc latent; vertendi tamen ratio vel Latino ſermone Scriptores minimè præſtitiſſe, vel rudes, & illiteratos eos, pro quibus vertebatur, fuiſſe ſuadet; quorum profectò quamplurimi Chriſtianæ Religionis exordio extitere (h). Attamen hi tantummodò rudes homines Latinæ Verſionis indigebant; Eruditi enim, quique genere, & nomine pollebant, Græcum idioma callentes, ad Verſionem minimè confugiebant. Ad hæc, primorum temporum Fideles ab eloquentiæ mundanæ illecebris vulgò abhorrentes, & pietatis tantum & veritatis amantes in Sacris Libris non quo oblectarentur, verborum elegantiam, & ſermonum diſpoſitionem, ſed quo ad honeſtiſſimos mores efformarentur, exquirebant.

Omnium prima Latina Verſio Veteris Teſtamenti ex

(a) Joſeph. contra Appion. l. 1. (b) Vide Ariſteam, hiſt. 70. Interp. Ipſe ait Theodectum, & Theopompum, cum ex ſacris libris aliquid ſuis operibus inſeruiſſent, prodigioſè mulctatos audacìæ pœnas expendiſſe.
(c) Vid. Exercitat. Biblic. Morin. Exercit. 8. c. 2. (d) Pocok Præf. gener. in Joel.
(e) Maſius Proœm. Comment. in Barcepha de Paradiſo; & Ep. Nuncupator. Comment. in Joſue. (f) Hebed Jeſu Catalog. Lib. Chaldæorum. (g) Auguſt. de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 11. Qui Scripturas in Linguam Græcam verterunt, numerari poſſunt: Latini autem Interpretes nullo modo. Ut enim primis Fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari. Vide Mill. Proleg. in Nov. Teſt. Græc. p. 350. (h) 1. Corinth. 1. 26. V. de Juſtin. Martyr. Apolog. Chryſoſt. &c. 41. primæ ad Corinth.

Digitized by Google

ex Græca 70. Interpretum, Latinis Scriptoribus tantùm nota, deprompta eſt: Ante D. Hieronymum nemo Veteris Teſtamenti ex Hebræo verſionem curavit. Inter Latinas omnes Editiones, quæ Hieronymum præceſsere, celeberrima habita eſt Vetus, ſeu Italica, utporè omnium clariſſima, & ad literam maximè accedens (a). Poſtquam autem D. Hieronymus ex Hebræo Verſionem Latinam adornavit; ſenſim Eccleſia Latina undique Veteri Italica dimiſsa, hanc, quæ nunc in noſtris Bibliis impreſſis, & manuſcriptis legitur, adoptavit.

Vetus Italica nullibi integra reperitur, cujus tamen fragmenta quædam in noſtris vulgaribus Bibliis inſerta ſunt, Pſalterium, Liber Sapientiæ, Eccleſiaſticus, Additiones Danielis, & Libri Eſther, Baruch, Machabæi, & Epiſtola Jeremiæ. Novum Teſtamentum integrum à S. Hieronymo ex Græco translatum eſt, eaque Verſione Eccleſia nunc utitur, & Concilium Tridentinum authenticam renunciavit.

Neque tamen Vetus Italica Novi Teſtamenti proſſus interiit, nec difficillimum eſset omnem reparare. Ego ipſe Veteris hujus Verſionis quatuor Evangelia in vetuſtiſſimo Manuſcripto Corbejenſi num. 195. inveni, cujus varias Lectiones in meo Supplemento poſt Apocalypſim attuli. Cl. Martianæus Evangelium Matthæi & Epiſtolam S. Jacobi ex veteri Manuſcripto tranſcripſit. Lucas Brugenſis (b) vetus Manuſcriptum Abbatiæ Malmundarienſis ſe evolviſse teſtatur, in quo Vetus Italica, ante S. Hieronymum vulgaris, legebatur. Manuſcriptum etiam Græcum, & Latinum Epiſtolarum S. Pauli ſupereſt, quarum alterum exemplar in Regia Bibliotheca, alterum in Bibliotheca S. Germani in Pratis: eorum autem altera columna Veterem Vulgatam complectitur. Si accuratè Bibliothecæ perquirerentur, omnem omninò Veterem hanc Verſionem inveniendam eſse puto. Neque tamen ea ſibi ubique ſimilis eſset, cum S. Hieronymus, & S. Auguſtinus (c) vetera Exemplaria valde inter ſe diſſimilia fuiſse teſtentur.

Sed de Verſione Latina alibi, cum de Vulgata diſſeremus.

Biblia Arabica.

Pocok, & Valtonius duas Veteris Teſtamenti Arabicas Verſiones apud Orientales Chriſtianos eſse ajunt; quarum altera Eccleſia Antiochena, altera Alexandrina, & Eccleſiæ ad has utraſque Orientis præcipuas Metropoles pertinentes, utuntur. Putat Cornelius à Lapide ſe harum Verſionum nonnulla Exemplaria in Bibliotheca Magni Ducis Etruriæ inveniſse (d). At Abbas Renaudot (e) tutò aſserit, Eccleſiam Græcam Alexandrinam in Divinis Officiis Græca Lingua, & Septuaginta Verſione uti, & extrà Eccleſiam privatim Verſionem Arabicam ex ſeptuaginta Interpretibus translatam adhibere. Eccleſia tamen Coptica, aut Ægyptia hæretica in publicis Officiis Coptico ſermone, licet Ægyptiis minimè familiari, utitur.

Iiſdem Valtonio & Pocok accurata minimè cognitio fuit, Græcos Antiochenos, ſeu Syros Melchitas, Græci Ritus aſseclas, Officia Divina perſolviſse, & omnia Sacramenta Græco idiomate miniſtraſse; Syros verò Jacobitas, aut Neſtorianos in Officiis publicis Verſione Syriaca uſos, privatim verò Verſionem quamdam Arabicam ex Syriaca deſumptam, adeòque Hebraicæ ex qua illa, affinem legiſse. Idem Renaudot, Syros, quamvis Syriacam Verſionem ex Græco habeant, nunquam tamen vel in Officio Eccleſiaſtico, vel in Theologicis quæſtionibus adhibere teſtatur.

Præter Arabicam ex Syriaca, alteram ex Septuaginta tranſtulit *Hareth filius Senan*. Hujus tamen exemplaria adeò inter ſe differunt, ut nulla opera, aut ſtudio valeant conciliari. Neque omnibus Orientalibus familiaris eſt; ſed quibuſdam tantùm Melchitarum, aut Græcorum Orthodoxorum Eccleſiis, quæ in publicis Officiis Græcam, in privatis Arabicam Scripturam juxta Septuaginta Verſiones legunt. Cophti etiam quadam Verſione Arabica vel ex Græco, vel ex ipſa Coptica ex Græco translata, utuntur; ipſe enim Abbas Renaudot, ex quo hæc depromſimus, hæret.

Verſiones Arabicæ in Polyglottis Pariſienſibus, & Anglis impreſſæ, nil cum Verſionibus Orienti familiaribus commune habent, quodque magis mirere, quælibet ex Eccleſiis Orientalibus ſuam Verſionem ab his diſſimilem legit. Arabica Pentateuchi Verſio, Polyglottis addita, ex ea eſt, quam Saadias Gaon Judæus Ægyptius pro ſuis Judæis ex Hebræo tranſtulit; qua interpolata, & proprio uſui à Chriſtianis accommodata, Gabriel Sionites, qui editioni Arabicæ Pariſienſibus Polyglottis additæ præfuit, uſus eſt. Cæteri verò Scripturæ Libri ex diverſis exemplaribus collecti fuere, & Arabica Verſio nunc à Græco, nunc à Syriaco deducta eſt; Qui enim huic editioni præfuerunt, nil de ea perpendenda, & Criticè caſtiganda, ſed tantùm de Verſione Arabica utcumque conficienda cogitarunt. Quare Verſiones hæ Arabicæ ab Orientalibus Fidelibus nihili æſtimantur.

Judæis etiam variæ Arabicæ Verſiones ſuperſunt, quarum quædam in Bibliothecis inveniuntur; nec veteres tamen, nec ullius authoritatis. Quædam Arabicis, quædam Hebraicis characteribus conſcriptæ ſunt. Omnium, quæ ex Hebræo ſunt, perfectiſſima Saadiæ Gaon Verſio eſset, ſi pura, & integra haberetur.

Biblia Æthiopica.

Æthiopica Verſio proximè ex Græco, ſeù ex Coptico vel Arabico Textu, à 70. Interpretibus deſumpto, tranſlato eſt. Ludolfus (f) hanc Verſionem, tam in capitum ordine, in Pſalmorum inſcriptionibus, quam in cæteris, Manuſcripto Alexandrino ſimillimam eſſe denunciat. Hujus Verſionis authorem ipſi Æthiopes *Salama* quemdam, qui *Frumentius* Æthiopiæ Apoſtolus, à S. Athanaſio illuc miſſus creditur, faciunt; quibus & Abyſſinorum Martyrologium aſſentitur. Alii tamen (g) primis novem earum gentium Apoſtolis eam tribuunt. In Libris Æthiopum quædam ſuperſunt carmina, quæ Verſionis Sacrorum Librorum ex Arabico meminerunt; Ludolfus tamen pro *Libris ſacris* Conſtitutiones, & Canones, Apoſtolis adſcriptos, ex Arabico in Æthiopicum verſos, cenſet intelligendos.

Volunt nihilominus Renaudot (h), & Simonius (i) Verſionem Æthiopicam totiùs Scripturæ tam Veteris, quam Novi Teſtamenti ex Textu Coptico, ſeù Ægyptiaco translatam. Quare cum Ægyptiaca Verſio ex 70. Interpretibus, & ex veteribus exemplaribus juxtà Manuſcriptum Alexandrinum deſumpta ſit, mirum non eſt Verſionem Æthiopicam adeò cum Textu 70. Interpretum hujus Manuſcripti convenire. Conſtat ſanè ab imperio Mahometanorum in Ægypto, Eccleſiam Æthiopicam Eccleſiæ Jacobitarum ejuſdem Ægypti paruiſſe; quapropter ex Jacobitarum Textu ſuam ab Eccleſia Ægyptiaca Verſionem efformatam eſſe, veroſimile eſt.

Biblia Coptica ſeu Ægyptiaca.

Copti nomen ex *Ægyptos*, ſeù *Aiguptos*, oritur, & Coptica Verſio in Ægyptiacam Linguam Scripturæ Translatio eſt. Conveniunt Periti hanc Verſionem ex 70. Interpretum Græco Textu deductam, cùm horum ſenſus ad literam ab ea ſervetur. Author eſt Renaudot (k) Ægyptios adeò in tuenda veteri Græca 70. Interpretum Verſione, qua Eccleſia Alexandrina ab exordio uſa eſt, inſtitiſſe, ut nil Origenis, & alio-

(a) Aug. lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 15. (b) Vid. Brugenſ. in notationib. in ſacr. Bibl., in quibus variantia loca diſcutiuntur. In Catalogo MSſ. quib. uſus eſt. (c) Aug. loco cit. Hier. Præfat. in quatuor. Evangelia. (d) Cornelius à Lap. argumento in Commentar. ad Prophetas minores. (e) Euſeb Renaudot apud P. Le Long Bibliorb. ſacræ c. 2. ſect. 5. p. 176. Vide Commentarium in Liturg. Copticam S. Baſilii p. 208. (f) Ludolf. hiſtor. Æthiop. l. 3. c. 4.

(g) Epiſ. PP. Societ. Jeſu de annis 1607. & 1608. c. 15. p. 28. (h) Renaudot apud P. Le Long in addendis Bibliot. ſacr. p. 666. (i) Simon. *hiſt. Critique du vieux Teſtam.*

(k) Renaudot. Liturg. Oriental. tom. 1. Comment. in Liturg. Coptic. Baſilii 207.

aliorum, qui in Græca Verſione cum Textu Hebræo conferenda inſudarunt, opera proficere voluerit. Origenes etiam in vita Demetrii Alexandriæ Archiepiſcopi, de Meſſia Prophetias fertur diluiſſe, & ad Judæos, ab Epiſcopo ſuo ſacro anathemate inultus confugiſſe. Hæc de Origene Ægyptii.

De Ægyptiacæ Verſionis vetuſtate diſputatur. Putant quidam à Chriſtianæ Religionis exordio Ægyptiacam Scripturæ Verſionem à D. Marco pro fidelibus Græcæ Linguæ rudibus exaratam. D. Athanaſius ait, D. Antonium (a), ſolius Ægyptii idiomatis gnarum (b), cum quadam die in Eccleſia illud Matthæi 19. 21. intellexiſſet, *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus*, tamquam ſibi dictum ità accepiſſe, ut extemplò id ſibi adimplendum conſtituerit. Hinc Verſionem Ægyptiacam, publicè iis Eccleſiis familiarem jam tum extitiſſe arguunt. Quidam verò D. Antonium idipſum à Sacerdote, qui, quod Græce legebat in Divinis Officiis, hoc ei Ægyptiacè explicuerit, intellexiſſe contendunt; certiſſimum enim eſt Liturgiam in Ægypto idiomate Græco celebrati conſueviſſe (c), quod vel quædam Officii, quæ Græcè leguntur, loca ſatis probant. Hoc tamen non prohibet, quominùs diutiſſimè Liturgia idiomate Coptico in Ægypto Superiori, ubi communius Græcum erat, incœperit, dum Alexandria, & interior Ægyptus in ritu Græco perſtarent (d).

Quidquid ſit, Copticæ Verſionis origo, & an ea, quam habemus, vetus illa communis ſit D. Antonii ætate, & ſequentibus ſæculis, quibus ex Conciliis Epheſino, & Chalcedonenſi, quoſdam Epiſcopos, Græcè rudes, Ægyptiacè ſubſcribentes legimus, & quibus tot Abbates & Monachi, omnium, præter Ægyptiacam, Linguarum ignari vivebant, ignoratur. Credibile autem minimè eſt, ſacram Scripturam ab his Epiſcopis, & Religioſis nunquam aut lectam aut explicatam. Extabat igitur ab ea ætate Ægyptiaca Verſio; attamen, ut diximus, an ea fuerit, quæ hodienum ſupereſt, incertum. Ego eamdem opinor veterem eam eſſe; cur enim altera transferretur, cum altera extaret? Si poſt ſeptimum, & octavum ſæculum Ægyptiaca Verſio fuiſſet adornata, Author profectò, & Epocha non laterent. Cum autem utrumque ignoretur, hanc, quam habemus, eamdem eſſe ac veterem facillimum eſt.

Coptica, qua Ægyptiaca Verſio conſcripta eſt, cum vetuſtiſſima Ægyptiaca Lingua eadem fere eſt (e); Helleniſmia tamen aliquot immixta, ipſique characteres à Græcis deducti. Quamvis Coptici Idiomatis uſus in Ægypto deſierit, nec à populo intelligatur, adhuc tamen Liturgia Copticè celebratur; Evangelium autem, & Epiſtolæ Arabico Idiomate, nunc in iis regionibus communi, explicantur.

Biblia Perſica.

Plures tam novi quàm Veteris Teſtamenti Perſicæ Verſiones ſunt, à variis Scriptoribus, pleriſque ignotis, exaratæ: aliam autem alii Scripturæ partem, alii aliam tranſtulerunt. Nulla, quæ à Perſici ſermonis peritis authentica habeatur, uni tota debetur. Earum alteræ, quæ in Bibliothecis ſervantur, characteribus Hebræis conſcriptæ ſunt, quòd facilè Hebræorum uſui fuerint deſtinatæ; alteræ verò Perſicis. Pleræque tamen adhuc manuſcriptæ (f).

Quædam Pſalmorum Verſio Perſica à Patre quodam Joanne Carmelita conſcripta reperitur; altera etiam ejuſdem libri Pſalmorum, ex Latino à Jeſuitis quibuſdam translata. Evangelia quoque Perſica anno 1388. ab Originali vetuſtiori tranſcripta habentur. In Anglis Polyglottis Evangelia Syriacè à Simone quodam Perla Chriſtiano, Joſephi filio anno 1341. conſcripta, Valtonii opera excuſa ſunt; quam ipſe Valtonius Verſionem omnium ejus Linguæ perfectiſſimam, & vetuſtiſſimam opinatur (g). Aliam ruſum Perſicam Evangelii Verſionem à ſupradicta diverſam anno 1657. Welochus edidit ex Græco translatam, ut & in Londinenſibus Polyglottis editæ; Pentateucho tamen excepto, ex Hebræo per quemdam Judæum nomine Jacobum, filium Joſeph de Tavas verſo.

Biblia Turcica, Armena, & Georgiana.

Turcicæ quædam Bibliorum Verſiones extant. Sic Joannes Vugnadius Scripturam omnem Turcicè transferri voluit, teſte Thuano ad annum 1565. Albertus Bobavius Polonus Apoſtata, poſt Apoſtaſiam *Ali-beg*, à *Levino Varnerio* exoratus, idiomate Turcico Biblia conſcripſit. Veteris Teſtamenti nil unquam Turcicè excuſum vidimus; Londini tamen anno 1666. nova Verſio hujuſmodi idiomatis, diſſimilis ſanè à puro Arabico, & à Perſico, impreſſa eſt.

Armenam Bibliorum Verſionem ſatis veterem ex 70. Interpretibus habent Armeni. Author eſt Gregorius Alexandriæ Epiſcopus, qui floruit anno 620. D. Joannem Chriſoſtomum Cucuſi in Armenia exulantem, cum quoſdam Græci ſermonis peritos inveniſſet, eos hortatum, ut ad populi utilitatem Novum Teſtamentum, & Pſalterium in Armenum transferrent (h). Res tamen incerta eſt, quod ambigua ſit Gregorii Alexandriæ fides, quem Photius falſitatis aliquando redarguit.

Armenicas (i) Bibliorum Verſiones Arcadii Imperatoris, & D. Joannis Chryſoſtomi ætate primùm editas conſtat; cum Moyſes cognomine Grammaticus, David Philoſophus, & Mampræus Armeni ex Græco pleroſque tam Veteris, quam Novi Teſtamenti libros in Armenicum idioma tranſtulerunt.

A B. etiam Abbate Meſropa, qui Theodoſio juniore imperante floruit, nonnulli Verſionem quamdam, duobus ipſius Diſcipulis Joanne & Joſepho juvantibus, concinnatam volunt. Græcum quoddam fragmentum affert Gretſerus, in quo quidam Magni Theodoſii, & Babram Regis Armeniæ ætate, circà annum 380. Pſalmos Armenicè tranſtuliſſe dicuntur: quod ægre ferens Theodoſius, valdè ſuccenſuit Armenis, quod traditionem à S. Gregorio earum regionum Apoſtolo acceptam violaſſent. Vide Gretſer. *Defenſ. Bellarm. l. 2. c. 16. col.* 881. Quæ tamen dubia nonnihil ſunt, cum Orientales in ſcribendis hiſtoriis omnia diligentis, & fide non laborent.

Omnem etiam Scripturam (k) à Bartholomæo parvo, & Joanne Angelo Ordinis Prædicatorum una cum duobus Armenis Joanne & Jacobo, ex Latino in Armenicum anno Chr. 1416. translatam ferunt. Quod tamen adhuc incertiſſimum eſt, cum à nemine Scriptorum veterum referatur.

Armeni anno 1666. Biblia Armenica Amſtelodami opera & ſtudio cujuſdam Armeni Epiſcopi, qui huic editioni præfuit, excuderunt. Hæc Verſio 70. Interpretes ſequitur, nec Armenis placuit. Rurſum Antuerpiæ anno 1670. ſtudio Theodori Petræi recuſa eſt; Novum etiam Teſtamentum ſeorſim anno 1668. & 1698. Piekius Doctor Sorbonicus Verſionem Armenicam vetuſtiſſimam credidit, aptiſſimamque, ex qua Originale Græcum, undè profluxit, caſtigaretur.

Georgiani Scripturæ Verſionem veteri Georgiano idiomate conſcriptam habent (l). Cum autem idioma hujuſmodi noſtra ætate nonniſi à pauciſſimis intelligatur, eumque earum regionum populi maximè rudes ſint, vix alter, aut alter invenitur, qui Georgianam Verſionem intelligat. Mulieres tantùm paulò viris doctiores, hiſtorias ex Evangeliis, quas memoriter tenent, quandoque narrant.

Biblia Gallica.

Diù in Gallicis Bibliorum Verſionibus non immorabimur, cum de re tot tantaque excuſa ſint, quæ plura cupiens conſulet. Omnium prima Gallica Verſio, & ſatis

(a) Athanaſ. in Vit. Anton. (b) Pallad. ſub finem cap. 26. hiſt. Lauſiacæ. (c) Renaudot. tom. 1. p. 206. Litorg Orient. (d) Idem tom. 1. p. 43. (e) Vide P. Le Long Bibliot. ſacr. tom. 2. & addenda. (f) Vid. Jacob Le Long Biblioth. ſacr. tom. 1. (g) Idem tom. 1. cap. 2. (h) Greg. in Vit. Chryſoſt. tom. 8. Oper. D. Chryſoſt. edit Savill §. 59. (i) Vide Jacob. Le Long Biblioth. ſacr. tom. 1. (k) Altamura Biblioth. Prædicat. ad an. 1333. (l) *Chardin Voyage de Perſe*, & Le Long. Biblioth. l. 1. cap. 2.

ſatis ſuperque cognita, Petri Valdenſis, Authoris Valdenſium eſt, qui circa annum 1160. floruit. Incertum eſt an ejus exemplaria quædam adhuc in veteribus Bibliothecis inveniantur (a). Innocentius Tertius Beltramo Metenſi Epiſcopo anno 1209. (b) ſcribit plurimos Laicos ſacræ Scripturæ legendæ cupidos effeciſſe, ut Evangelia, Epiſtolæ D. Pauli, Pſalterium, Moralia Job, & alii plures Libri in Gallicum transferrentur.

Recentiores plurimi *Nicolaum Oreſmium* cujuſdam veteris Verſionis Biblicæ Authorem faciunt. Attamen P. Le Long (c) Oreſmio ereptam, Rodulpho de Preſla tribuit, qui a Carolo Quinto Galliæ Rege Sapiente dicto, juſſus, ut ipſe aperte in ſua Epiſtola nuncupatoria ad ipſum Carolum meminit, eamdem adornavit. Hæc abſoluta eſt anno circiter 1380.

Quare hæc poſterior eſt Verſione anno 1294. à *Guiarto Des Moulins*, ut ipſe in ſuo Prologo fatetur completa, quæ in plurimis Bibliothecis manuſcripta ſervatur. Monet etiam idem Guiartus plurea à ſe Bibliorum Textui inſertas eſſe poſtillas, plurimaſque ex Petri Comeſtoris Scholaſtica hiſtoria adnotationes; plura quoque, à ſe ibidem prætermiſſa, ut Genealogias, & ſimilia, quæ neceſſaria non eſſe cenſebat. Hæc autem Verſio pluries recuſa eſt ſub hac inſcriptione: *Bible hiſtoriale*, ſeu *hiſtoriée*.

Præter has totius Scripturæ Verſiones, aliæ veteres quorumdam Scripturæ Librorum extant, Pſalmorum videlicet, aut Novi Teſtamenti. Vide earum Catalogum in Bibliotheca ſacra P. Le Long tom. 2.

Guillelmus le Menand circa annum 1484. Biblia Gallicè translata, juxta Verſionem Latinam Petri Comeſtoris edidit. Eadem fortaſſe Verſio eſt, ac Guiarti des Moulins amendata tamen, & caſtigata.

Eamdem Guiarti Verſionem Joannes de Rely Carolo octavo regnante caſtigavit. Jacobus Faber Stapulenſis novam è Latino in Gallicum Scripturæ totius interpretationem cudit, & Pariſiis anno 1528. edidit; Novum tamen Teſtamentum jam anno 1523. & Pſalterium anno 1525. impreſſa fuerant. Eadem integra Verſio in variis Galliæ urbibus pluries recuſa.

Cùm Lovanii Doctores Caroli V. Imperatoris juſſu à Latino in Gallicum Scripturam tranſtuliſſent, anno 1550. ediderej Privilegium tamen ejuſdem Caroli V. anno 1546. conceſſum eſt, eademque Verſio ſæpiſſimè recuſa. Theologis hiſce (d) Lovanienſibus non aliam, quam Olivetani Verſionem, expurgatam quidem emiſiſſe exprobratur. Monet tamen (e) Simonius anno 1530. aut verius 1534. Martinum l'Empereur Antuerpiæ Gallicam Verſionem à Nicolâo de Leuſe Lovanienſi Doctore conſectam ediſſe, eamdemque fermè cum ea aliſe, quæ aliquot poſt annos nomine Doctorum Lovanienſium recuſa eſt, ſtudio præſertim, & opera ejuſdem Nicolai de Leuſe, qui priorem Verſionem adornarat. Qua de Leuſa Verſione uſus eſt Olivetanus, ut ſuam, quam anno 1534. Genevæ excudit, compilaret.

Renatus Benedictus anno 1566. Gallicam Verſionem, cum notis marginalibus difficiliora quædam explicantibus, edidit Pariſiis. A Theologis Pariſienſibus anno 1567. damnata eſt, quod eam Renatus, cum eadem eſſet ac Genevenſis, non ſatis accuratè recognitam, ut arbitrabatur, at innumeris ſcatentem erroribus ediderit. Verſiones nomine Petri de Beſſe, & Petri Friſon editas, eaſdem cum Verſione Renati, ſeu Genevenſi, innumeris refertas erroribus eſſe teſtatur P. Veron in primo præloquio Novi Teſtamenti, quod anno 1647. Gallicè edidit.

Jacobus Corbin anno 1643. Scripturam Sacram vulgavit, quam à Ludovico XIII. juſſus Gallicè tranſtulit; adeò autem barbara eſt, & ſerviliter adeò Latino Textui adhæret, ut phraſes etiam, & loquendi formulas imitetur.

Cardinalis de Richelieu ad novam Scripturæ Verſionem incumbens, morte præoccupatus, opus inſectum reliquit.

Cùm Michael de Marolles Scripturam Gallicè verſam, additis Iſaaci la Peirere notis, cum privilegio Regis imprimeret, jamque ad 23. caput Levitici perveniſſet, inopinato juſſu Petri Seguier Franciæ Cancellarii ſuppreſſa fuit editio. Quædam ejuſdem folia impreſſa in Bibliotheca Regia vidi. Nil ex hac ſuppreſſione detrimenti Publico ceſſit.

Biblica Verſio ab Iſaaco le Maitre de Sacy Gallicè tranſlata, & anno 1672. excuſa, additis ſenſuum literalium, & ſpiritualium explicationibus, ingenti plauſu excepta eſt. Pluries deinde caſtigata, variiſque ſæpiſſimè formis recuſa. Qui anno 1701. Broncarti editionem curavit, pluribus in locis eam recognovit, atque correxit. Nos quoque eam in editione Textus, noſtris literalibus commentariis præpoſiti, emendavimus.

Omnes inter Novi Teſtamenti Verſiones ſeorſim impreſſas, & à diverſis authoribus translatas, majorem iſta ſibi plauſum vindicavit, quam jubentibus quibuſdam Galliæ Prælatis Pater Amelotte Congregationis Oratorii confecit, & notationibus divitem annis 1666. 1667. & 1670. Pariſiis excudit; primò Evangelia & Acta, inde Epiſtolas Divi Pauli, poſtremò Epiſtolas Canonicas, & Apocalypſim. Idem Amelotte in ſua Præfatione aſſerit, ut ſuæ Verſionis perfectioni conſeret, oſtenderetque Latinum Textum Vulgatæ cum antiquis Originalibus Græcis planè conſentire, ſe ex omnibus Europæ Bibliothecis Manuſcripta antiquiſſima perquiſiiſſe, quorum nonnulla 1200. & 1300. annorum ætatem ſuperabant: ex his omnibus excerpta habuiſſe, nimirum ex viginti Gallicanis, ex omnibus tum Vaticanæ, tum aliarum Italiæ Bibliothecarum, ex Hiſpanicis ſexdecim, præter ea, quibus uſus eſt in ſuis Polyglottis Complutenſibus excuſis Cardinalis Ximenius, ex multis denique Anglicanis, & Regionum Septentrionalium, plurimis etiam in ipſa Græcia repertis &c. Si verò ipſius adnotationes perpendas, tria vel quatuor Manuſcripta, quæ quartum, aut quintum ab hinc ſæculum non prætereunt, ad ſummum evolviſſe noſcea (f); neque ullam ab eo exhibitam eſſe Lectionum vel minimam varietatem, quæ in Anglicis Polyglottis, aut alibi non fuerit. Hâc autem de re interrogatus Amelotte, candidè faſſus eſt, quæ in ſua Præfatione dixerat, quemdam tantummodo ſermonis ornatum fuiſſe, quo major Verſioni ſuæ authoritas accederet.

Novum Teſtamentum Montenſe, an. 1665. Archiepiſcopi Cameracenſis facultate, & Hiſpaniarum Regis Privilegio excuſum, celebre adeò eſt, ut leviter perſtringi non debeat. Primus hujus Operis Author Antonius le Maitre fuit, à quo quatuor Evangelia Gallicè translata, Antonius Arnauld, & Iſaacus le Maitre de Sacy plurimis in locis emendarunt. De Sacy in illud Præfationem, juvantibus Petro Nicolio, & Claudio à S. Martha compoſuit; in ejus tamen Privilegio, quo ea Verſio eſſe cujuſdam Doctoris Sorbonici dicitur, ſolus Arnaldus nominatur. Codex Manuſcriptus ab ipſo Le Maitre exaratus, cum variis ad marginem notis, propriis characteribus ab Arnaldo, & à de Sacy conſcriptis, Nicolao Tuynardo ab uno ex Elzeviriis, qui illud excuderat, traditus eſt (g); quamvis enim in titulo Verſionis fronte Montibus apud Caſparem Migeot impreſſa dicatur, nunquam tamen Montibus; ſed Amſtelodami excuſa eſt, quò Sebaſtianus De Cambout Abbas de Pont-chateau ſe data opera contulit, ut eam apud Elzevirios ederet.

Huic Verſioni res peſſimè ceſſerunt. A Pontificibus Clemente IX. anno 1668. & Innocentio XI. anno

(a) Vide P. Le Long Bibliot. ſacr. t. 2. p. 3. (b) Innocent. 3. Ep. 141. pag. 432. edit. Baluz.
(c) Le Long Bibl. ſacr. t. 2. (d) Franc. Veron. *Preface ſur le N. Teſt. en François.*
(e) Simon. *hiſt. critique du nouv. Teſt.* c. 29. Vide P. Le Long tom. 2.
(f) Simon. *Hiſt. Critiq. des Verſions du nouv. Teſt.* (g) Le Long Biblioth. ſacr. tom. 2.

Digitized by Google

1679. à pluribus etiam Galliæ Epiſcopis, diverſis temporibus, eſt interdicta. Quod tamen ne curſum ſæpiſſime cuderetur, neve plerique, qui Novum deinde Teſtamentum Gallicè tranſtulerunt, eadem Verſione uterentur, prohibuit; quam pro viribus ab iis expurgare, ob quæ à Pontificibus, & Epiſcopis interdicta eſt, ſtuduere. Verſio enim Iſaaci de Sacy, quæque cum P. Queſnelii Meditationibus, ea demum, quæ in Novo Teſtamento Caroli Huré prodiit, ut plurimùm Montenſem ſequuntur, recognitam tamen, & caſtigatam in iis locis, quæ Cenſorum oculos offenderat.

Antonius Godeau Epiſcopus Vincinenſis Novi Teſtamenti Verſionem anno 1668. Pariſiis edidit; quæ tanè neque literalis interpretatio, neque Paraphraſis, ſed inter utramque media eſt; vocalis nonnullis Textui additis, quæ Scripturæ ſenſum clariùs explicant.

Novum Teſtamentum, quod Gallicè redditum anno 1702. Trevoltii cum literalibus, & Criticis Obſervationibus in loca difficiliora, vulgavit Simonius, ab Epiſcopis Pariſienſi, & Meldenſi reprobatum eſt, ejuſque uſus in ſuis Diœceſibus interdictus, annis 1702. & 1703.

P. Dominicus Bouhours S. J. juvantibus PP. ejuſdem Societatis Michaele Tellier, & Petro Beinier, Novum Teſtamentum Gallicè vertit, & anno 1697. Pariſiis edidit. Hæc Verſio, dum prælum ſudaret, juſſu Illuſtr. Archiepiſcopi Pariſienſis à Reviſoribus ab eo deſignatis fuit plurimùm recognita; barbara nonnihil, atque obſcura Authori contigit, quòd ille nimiùm Latino Textui, ex quo eam transferebat, adhæſerit. Hac eadem Verſione in explicationibus Novi Teſtamenti, quas aliquot poſt annos pervulgavit P. Lallemant Jeſuita, uſus eſt.

P. Joannes Martianay recentiorem Novi Teſtamenti Verſionem edidit Pariſiis anno 1712. cum notis, & explicationibus, quas non aliunde, quàm ex ipſis Scripturæ fontibus ſe decerpſiſſe profitetur.

Abbas denique Fleury antea Regiæ Familiæ in Gallia Præceptor, nunc verò à Confeſſionibus Ludovico XV. juſſu Ludovici XIV. & Cardinalis de Noailles, Gallicam Novi Teſtamenti Verſionem inſtituit, quæ adhuc in lucem non prodiit. Hactenus de præcipuis Verſionibus Veteris & Novi Teſtamenti ab Authoribus Catholicis Gallicè translatis.

Biblia Gallica à Proteſtantibus confecta.

Omnium primam Gallicam Verſionem, quæ ab Hæreticis prodiit, Robertus Petrus Olivetanus tranſtulit, & anno 1535. Genevæ excudit. Pluries deinde cum correctionibus Joannis Calvini, & aliorum recuſa eſt. Priſtinæ Olivetani Editiones imperfectiſſimæ idcircò fuerunt, quòd ipſe Gallicum parùm, Originale tam Veteris, quàm Novi Teſtamenti idioma nihil calleret. Sunt qui hanc Olivetani Verſionem eamdem eſſe cum eâ, quam tranſtulit Doctor Lovanienſis Nicolaus de Leuſe, & Martinus l'Empereur anno 1534. Antuerpiæ excudit, opinantur. Si enim ambæ conferantur, ſimillimæ ptorſus, præterquam in iis locis, in quibus Olivetanus à Vulgata receſſit, ut Hebræo Veteris Teſtamenti à Pagnino, & Græco Novi ab Eraſmo tranſlato (a) adhæreret, deprehendentur. Ita ſanè jactare facilè potuit Olivetanus, ſe intrà unius anni ſpatium Gallicè Biblia omnia, Vetus nempè Teſtamentum ex Hebræo, & Novum ex Græco tranſtuliſſe, ut in Editione anno 1535. Valdenſium ſumptibus Neocomi recuſa, jactitat.

Sebaſtianus Caſtellio, ſeu Caſtalio, vulgò *Chatillon*, anno 1555. Gallicam Verſionem Veteris Teſtamenti ab Hebræo, & Novi ex Græco deceptam Baſileæ excudit; ex qua tamen laudis nihil acquiſivit, cum Gallicum idioma penitùs ignoraret; quare omnium fo ludibrio ob inſolentes, & abſonas dicendi formulas propinavit. Ita pro *tranſgreſſer*, ſcribit *treſpaſſer*, pro *circonciſion*, *rognement*, pro *prepuce*, *avantpeau*. En Verſuum 25. 26. & 27. Capitis 2. Epiſtolæ ad Romanos Verſionem: *Si tu viens à treſpaſſer la Loi, ton rognement devient avantpeau. Que ſi un empellé* (incircumciſum innuit) *garde les ordonnances de la Loi, certes ſon avantpeau lui ſera compté pour rognement. Et celui qui de nature eſt empellé, & garde la Loi, te condamnera, toi qui de la lettre, & rognement, & ſi treſpaſſes la Loi.*

Joannes Diodati Verſionem Gallicam ex Hebræo, & Græco, notis illuſtratam, anno 1644. Genevæ edidit. Hæc ingenti Reformatorum plauſu excepta eſt, iiſque familiariſſima; ipſaque Olivetani Verſione toties, & quoad ſenſus, & quoad verborum vim à doctiſſimis Proteſtantium Theologis caſtigata, gratior fuit. Improbatur tamen ejuſdem Verſionis methodus, quæ ſcrupulosè ſatis literæ non adhæreret; quare Diodatus, ut eam clariorem exhiberet, Paraphraſim potiùs, quàm Verſionem fecit, nonnullaſque etiam voculas majoris perſpicuitatis gratia quandoque intexuit.

Conſtat alteram totius Scripturæ Verſionem à Carolo de Cené, alteram à Joanne Clerico exaratas; quæ tamen nondum prodiere.

Inter Novi Teſtamenti Verſiones, ſeorſim à Veteri ab Authoribus Proteſtantibus excuſas, editiones Joannis Fabri Stapulenſis, uſui Eccleſiarum Reformatarum Pedemontii accommodatæ, & editæ anno 1534. ſibi primas depoſcunt.

Novum Teſtamentum Gallicè à Petro Dolet tranſlatum, vulgatum eſt ante annum 1545. quo ipſe Petrus igne damnatus interiit.

Joannes Dallæus Joannis filius, & Valentinus Conrartus anno 1671. Novum Teſtamentum ex Verſionibus P. Amelotte, & Montenſi concinnatum Pariſiis excuderunt; at vix prodiere aliquæ quædam exemplaria, cum univerſa hæc editio ſuppreſſa fuit (b).

Joannes Clericus Novum Teſtamentum Gallicè tranſlatum, tam notis ut plurimùm ex Grotio, & Hammondo excerptis, Amſtelodami apud De Lorme anno 1703. excudit. Hæc verſio, ait Petrus Bayle, prohibita eſt, & proſcripta, tam in Belgio, Decreto Ordinum Generalium, & plurimarum Synodorum Eccleſiarum Proteſtantium, quàm Boruſſiæ mandato Conſiſtorii Berolinenſis; tamquam opus ad ſtabiliendos Sabellii, Sociniique errores de induſtria ſcriptum.

Biblia Italica.

Biblia ſermone Italico exarata à Jacobo de Voragine, qui floruit anno 1270. Sixtus Senenſis l. 4. Bibl. & Antonius Poſſevinus in Appar. ſac. nominant. Jure tamen an unquam extiterint dubitamus, cum ipſe Jacobus de Voragine ad annum 1292. ſuæ Genuenſis hiſtoriæ, opera ſua recenſens, hanc prætermittat. Adde, nullum in Italiæ Bibliothecis Bibliorum exemplar ipſius Jacobi nomine inſcriptum reperiri (c). Italica verò Biblia, quæ manuſcripta in Bibliothecis ſervantur, nullo Authoris nomine præſcribuntur.

Prima omnium Bibliorum Italica Verſio, quæ Catholicorum ſtudio in lucem prodierit, ea eſt, quam ex Latino Nicolaus Malermius Monachus S. Benedicti Ordinis Camaldulenſium exaravit, quæque Venetiis anno 1471. menſe Auguſti prodiit. Ejuſdem Authoris nomine altera eodem anno Menſe Octobris edita eſt, priori in Veteri Teſtamento penitus abſimilis, in Novo ſimillima. Typographi tamen nomen, & impreſſionis locus latent. Nicolai Malermi Biblia pluries in Italiâ recuſa ſunt.

Verſionem alteram Italicam Veteris ex Hebræo, & Novi Teſtamenti ex Græco depromptam edidit Antonius Brucciol, Venetiis anno 1532. Hæc, inter Libros à Tridentino Concilio prohibitos enumerata eſt. Hujus Verſionis Teſtamentum Novum anno 1530. excuſum fuit.

Sanctes Marmochinus Editionem Bruccioli caſtigatam,

(a) Vid. Simon. *hiſt. critiq. des verſions de la Bible* c. 26. & Jacob. Le Long t. 2. Bibl. ſacr.
(b) Vide P. Le Long Bibliot. ſacr. t. 2.
(c) Le Long t. 2. Bibliot. ſacr.

gatam, novam veluti Verſionem Venetiis excuſam vulgavit anno 1538. Pluries etiam hæc Verſio impreſſa fuit.

Gregorius Leti (a), Sixti V. juſſu Italicam totius Scripturæ Verſionem anno 1590. confectam narrat; cum autem Philippus II. Hiſpaniarum Rex, & Cardinales nonnulli apud Pontificem de ea conqueſti eſſent, eumdem Pontificem curaſſe, ut omnino ſupprimeretur. Præterea hujus Verſionis exemplaria adhuc in Bibliothecis Magni Ducis Hetruriæ, Genevenſis, & Ambroſiana Mediolanenſi reperiri addit. Omnia tamen hæc tamquam commentitia improbamus (b), & nunquam eam Verſionem editam, neque ullum in Bibliothecis omnibus Verſionis Italicæ, quæ Sixto V. mandante vulgata fuerit, exemplar eſſe aſſerimus.

Calviniſtis etiam ſua Italica Biblia ſunt; Genevæ enim anno 1562. Italicam Verſionem ex Hebræo Veteris, & è Græco Novi Teſtamenti depromptam, proprioque uſui accommodatam vulgârunt. Hæc autem ex Bruccioli Verſione, purior tamen, atque elegantior, deducta eſt. Novum Veſtamentum ex editione potiùs Fabii Tudeſchi anni 1560. tranſcriptum eſt.

Joannes Diodati priùs anno 1607. tùm anno 1641. Italica Biblia eadem methodo, qua Verſionem Gallicam confecerat, Paraphraſtes potiùs, quàm interpres vulgavit. Novum ejus Teſtamentum ſeorſim à veteri Genevæ anno 1608. & Amſtelodami, & Harlemii 1665. prodit.

Maximo etiam Theophilo Novi Teſtamenti Italica Verſio, anno 1551. Lugduni edita, & Franciſco de Medicis Hetruriæ Duci dicata, debetur.

Nullam Judæi Itali Italicam Sacræ Scripturæ integram tranſlationem habent, ab Inquiſitoribus Fidei Verſionibus hiſce conſtanter prohibitr. Leo Modena, ut hujuſmodi defectum repararet, anno 1612. Hebraico-Italicum Dictionarium edidit, in quo difficillima quæque Scripturæ loca Italicè eſt interpretatus (c). Quare hoc opus veluti totius Scripturæ Italica Verſio habendum eſt.

Biblia Hiſpanica.

Jacobus primus Aragoniæ Rex, qui obiit anno 1276. decreto cavit, ne quis libros Veteris vel Novi Teſtamenti in Romancio, ſeù vernaculo idiomate retineret, eoſque loci Epiſcopo deferret comburendos; ſecus qui feciſſet, ſivè Clericus, ſivè Laicus, tamquam de hæreſi ſuſpectus haberetur (d). Fortè Albigenſium Verſiones erant.

Alphonſus Caſtellæ Rex Bibliorum in Caſtilianum idioma Verſionem curavit, ſi Marianæ ſit fides (e). Joannis etiam II. Legionenſis, & Caſtellæ Regis juſſu Biblia Hiſpanicè verſa adhuc extat, teſte Geſnero (f). In quibuſdam profectò Bibliothecis quædam Manuſcriptæ partes Hiſpanicæ Verſionis inveniuntur; quæ tamen authorem ſuum minimè præſeferunt.

Omnium prima Bibliorum Hiſpanica Verſio typis vulgata ea eſt, quam Cyprianus de Valera anno 1500. editam, & à ſe ipſo viſam eſſe teſtatur. Latet adhuc ejus Author, qui tamen circa annum 1420. claruiſſe, & integram Scripturam in idioma Valentinum vertiſſe creditur.

Idem Cyprianus de Valera ab Hebræo Scripturam Hiſpanicè à ſe tranſlatam, anno 1602. Amſtel. edidit. Hæc autem eadem eſt ac Verſio Caſſiodori de Reyna Calviniani, quam Cyprianus correxit, & ſuo nomine inſcriptam excudit.

Ambroſius de Monteſino Epiſtolas & Evangelia totius anni Hiſpanicè vertit, & anno 1512. typis commiſit. Præterea hic, ne nimius ſim, Pſalmos, & parvas Bibliorum partes à Catholicis Interpretibus Hiſpanicè tranſlatas.

Ex Latina Sanctis Pagnini Verſione ab Hebræo tranſlata Caſſiodorus de Reyna Calvinianus Hiſpanicam Verſionem adornavit, quam anno 1549. Baſileæ excudit. Hanc, ut diximus, Cyprianus de Valera à ſe correctam anno 1602. recudit.

Franciſcus Enzinas, alias Driander, Novum Teſtamentum Hiſpanicè ex Græco tranſlatum, & Carolo V. Imperatori dicatum, anno 1543. Antuerpiæ typis vulgavit.

Veteris Teſtamenti Verſionem Hiſpanicam ab Hebræo depromptam, & Judæorum uſibus accommodatam habent Judæi Hiſpani. Gilbertus Voetius (g), & deinde Henricus Hottingerus (h) confectam à David Kimchi celeberrimo inter Rabbinos, qui ſæculo decimotertio clarebat, Hiſpanicam Bibliorum Verſionem aſſerunt; nullo tamen adducto teſtimonio. Hæc forſan eſt, cujus Pentateuchus Hebræis characteribus Byzantii excuſus eſt anno 1546.

Veteris Teſtamenti ab Hebræo depromptì Hiſpanica Verſio, quæ Judæis Interpretibus primum prodiit, ea eſt, quæ charactere Gothico exarata, & Herculi Eſtenſi Ferrariæ Duci nuncupata, ejuſdem privilegio anno 1553. Ferrariæ prodiit. Hujus editionis Pentateuchus Byzantinæ Editionis Pentateucho ſimillimus ferè noſcitur. Verus certè hæc editio creditur (i) eaque uti conſueviſſe putamus Judæos Hiſpanos, antequam à Ferdinando, & Iſabella anno 1492. ex iis regionibus expellerentur. Quare, cum Judæi in Præfatione Verſionis Ferrarienſis teſtentur ſe adhæſiſſe Verſioni Sanctis Pagnini Ordinis Prædicatorum, hoc idcircò præſtitere, ne ab Inquiſitoribus, qui huic Hebræorum Verſioni obſtabant, prohiberentur. Hiſpanica Ferrarienſis Bibliorum Verſio cura, & diligentia Manaſſe Ben-Iſrael anno 1630. edita, anno 1661. opera, & ſtudio Samuelis de Cazeres Amſtelodami recuſa eſt.

Biblia Germanica.

Cum latiſſimè Germanicum idioma ob varias Dialectos à ſe productas increverit, plures idcircò protulit Verſiones. Harum, ne nimii ſimus, præcipuas colligemus; de reliquis qui plura cupiat, Libros de hoc agentibus conſulat.

Omnium prima & vetuſtiſſima Bibliorum Gothica, ſeù Germanica Verſio ab Ulphila Gothorum Epiſcopo prodiit (k) circa annum 360. Licèt autem omnia ipſe Biblia tranſtulerit, Libros tamen Regum, qui res bellicas tractant, minimè vertit; cum enim Gothi nimis ad bella proclives eſſent, veritus eſt, ne ab eorum lectione ad bellicum furorem vehementiùs excitarentur. Hæc Verſio periit, præter id, quod in Bibliotheca Abbatiæ Verdinenſis prope Coloniam inventum eſt in quodam Codice, qui ab argenteis Characteribus, quibus erat exaratus, *Codex argenteus* appellatus eſt. Hunc 500. Imperialibus à Comite de la Gardie Sveciæ Cancellario emptum, eodem permittente Franciſcus Junius tranſcripſit, & additis Thomæ Mareſchalli notis, & Onomaſtico, quo explicaretur, anno 1655. excudit. Codex verò etiamnum in Bibliotheca Upſalienſi ſervatur; & quatuor tantùm Evangelia, ipſaque hiatibus graviſſimis ætate & Dominorum incuria fœdata, & lacera, continet.

Quidam (l) Caroli Magni juſſu Novum Teſtamentum Francicè, ſeu Germanicè tranſlatum ferunt; nullo tamen allato teſtimonio. Conſtat ſanè de Caroli Magni Imperatoris ſollicitudine, qua Vulgatam Latinam recognoſci, & Novum Teſtamentum collatum

(a) Gregor. Leti. Vit. Sixt. V. Hetruſco Idiomate anni 1668. l. 4. p. 399. (b) Le Long. Bibliot. ſacr. t. 2.
(c) Richard Simon. t. 1. Epiſt. ſelect. Ep. 25. initio. Vide P. Le Long. Bibliot. ſac. t. 2.
(d) Cangius ad Vocem Romancium t. 3. Gloſſar. Latin.
(e) Mariana de Reb. Hiſpan. l. 14. c. 7. (f) Geſner. Partit. Theol. t. 2. ſ. 6. l. ult.
(g) Voet. Bibl. Studii Theol. l. 2. p. 511. (h) Henric. Hottinger. Diſſert. de tranſlat. Bibl. in Linguas Vernaculas. Vide & P. Le Long. t. 2. Bibliot. ſacr. c. 8. (i) Idem ſupra c. 8.
(k) Socrat. l. 4. Hiſt. Eccl. c. 33. Sozom. l. 6. Hiſt. Eccl. c. 37. Philoſtorg. l. 2. c. 5. &c.
(l) Vide Vitum Amerbac. Præfat. Dedicat. ad Carol. V. Imp., & Ferdin. Cæſar. in Conſtit. Caroli Magni. Claudium Eſpenc. tract. quod Principem literæ deceant. Hotting. Bibl. quadrip. l. 1. c. 3.

latum cum Græcis, & Syris corrigi curavit, teſtibus ejus ætatis Hiſtoricis (a); qui tamen Novi Teſtamenti Verſionem Germanicam ejus juſſu confectam ſilent.

Ferunt alii (b) Ludovicum Pium Scripturæ Sacræ in Saxonicam Linguam Verſionem curaſſe; cujus tamen rei infirma ſunt argumenta. Extant in Bibliotheca Novi Teſtamenti Verſiones Germanicæ manuſcriptæ vetuſtiſſimæ: quis tamen certo ſciat Carolo Magno, aut Ludovico Pio imperantibus conſcriptas? In Bibliotheca S. Galli, nonnullis abhinc annis à Proteſtantibus Helvetiis everſa, Pſalmi David, & Liber Job, à Notkero Labeone ejuſdem S. Galli Abbate circa annum 890. Arnolpho Imperante, in Linguam Alemannicam tranſlati ſervantur. Goldaſtus denique tum etiam temporis cum ſcriberet, Germanicum Pſalterium ad uſum Cunegundis uxoris Henrici II. Imperatoris, ab Ekkerardo exaratum anno circiter 1004. in manibus habuiſſe teſtatur. Hæc de Germanicæ Verſionis vetuſtioribus Mſſ.

Inter Verſiones excuſas vetuſtiſſimæ adhuc reperiuntur, quarum pleræque editionis annum nonniſi calamo ſignatum habent; quare quoad annum fidei nimium dubiæ ſunt (c). Omnium vetuſtiſſimæ, cujus editionis annus certus eſt; eæ ſunt, quæ anno 1477. Norimbergæ, & Auguſtæ Vindelicorum excuſæ ſunt: Ante Lutheri hæreſim aliæ quoque editiones in iiſdem Urbibus, & anno 1485. Argentinæ etiam prodierunt.

Germanica Bibliorum Verſio, quam Joannes Dietembergeius ex Latina Vulgata tranſtulerat, anno 1534. excuſa eſt Moguntiæ; pluries deinde recuſa; Notant Critici, hujus authorem in tranſlatione Novi Teſtamenti, Hieronymi Emſeri Capellani Georgii Ducis Saxoniæ Verſioni adhæſiſſe, quam idem Emſerus, ut Lutheri hæreſes ſuas effundere incipientis Verſionem retunderet, adornavit.

Teſtamentum Vetus ex Vulgata Germanicè vertit Joannes Eckius, qui in ſua Epiſtola nuncupatoria ſe Novo Emſeri Teſtamento aliquid addidiſſe fatetur; cùm enim ejuſdem Novi Teſtamenti editores nihil Authoris meminiſſe iniquum duceret, cum merito nomine fraudare noluiſſe.

Ferdinandus Bavariæ Dux, & Colonienſis Elector, Bibliorum Verſionem à Caſpare Ulenbergio confici curavit, quæ anno 1630. Coloniæ excuſa eſt. Cum autem Ulenbergius patria Weſt-phalicus Germanicum idioma parum calleret, Theologi Moguntini ejus Verſionem purgatam, rurſus anno 1662. edidere. Hæc de præcipuis Bibliorum Verſionibus à Catholicis Germanicè tranſlatis ſufficiant.

Martinus Lutherus ab Hebræo Vetus, & Græco Novum Teſtamentum undecim annorum ſtudio vertit. Anno 1522. Pentateuchum; A. 1524 Libros hiſtoricos V. T. & Pſalmos; Salomonis Libros A. 1527. Iſaiam A. 1529.; cæteros Prophetas annis 1531. & 1532.; reliqua autem Veteris Teſtamenti anno 1530., & anno 1532. Novum Teſtamentum vulgavit. Pluimæ deinde juxta Lutheri Verſionem prodierunt Bibliorum editiones. Fatentur quidem Eruditi Verſionis Lutheri idioma Germanicum purum eſſe, ipſamque Verſionem claram, atque perſpicuam; Authorem tamen ſæpè Paraphraſtem potius agere, quàm Interpretem (d).

Lutheri Verſio ab ipſo, dum viveret, & à pluribus eodem jam mortuo pluries correcta eſt. Hæc tamen ad nos nihil. Pleræque Bibliorum Verſiones Germanicæ, quæ in Saxonia, Svecia, aut alibi excuſæ fuere, omnino à Lutheri Tranſlatione depromptæ ſunt. Sic Tigurina omnium Germanicarum exactiſſima, & celeberrima, integrum ferè Vetus Teſtamentum vertit juxta Interpretationem Leonis Judæ Germanici Miniſtri, qui ex Hebræo Latinè Biblia tranſtulerat; quandoque tamen eas phraſes exhibet, quibus Lutherus ornarat eos Bibliorum Libros, quos tunc jam vulgaverat; non enim Biblia integra adhuc excuderat.

Joannes Piſcator anno 1604. Bibliorum Verſionem Germanicam edidit, quam à Latina Junii, & Tremellii exhauſerat, ita tamen horum authorum ſenſibus adhæſit, ut deinde illum Verſionem omnem Latinis phraſibus, à quibus Germanicum idioma maximè abhorret, referſiſſe pœnituerit.

Anabaptiſtæ anno 1529. Germanicam Verſionem Ludovici Hetzeri, juvante Joanne Denkio, Wormatiæ Vangionum ediderunt. Hi Tigurina Verſione maxime uſi eſſe creduntur.

Anno 1630. Novum Teſtamentum Germanicè tranſlatum Racoviæ vulgavit Joannes Crellius; aliud pariter à ſe verſum anno 1660. Amſtelodami edidit Felbingerus.

Suas etiam Judæi Germani Bibliorum Verſiones, quaſdam tamen Hebræo, quaſdam Germanico charactero exaratas ediderunt. Hæ autem Verſiones ita Hebræo Textui adhæſiſſe arguuntur, ut pueriliter verba verbis Germanicè reddant.

Biblia Belgica.

Belgica Biblia ad Catholicorum uſum plurima ſunt; omnia tamen, antequam Verſio Nicolai Vingh anno 1548. Lovanii, & Coloniæ excuſa prodiret, Authoris nomen minimè præferebant. Idem Nicolaus duos Lovanienſes Theologos, quorum tamen nomen præterit; ſuæ Verſionis adjutores adhibuiſſe fatetur.

Belgicæ Verſiones, quibus uſque ad annum 1636. aut 1637. uſi ſunt Calviniani, aut ex Lutheri, aut Tigurina Verſione depromptæ ſunt. Eorum autem Synodi annis 1618. & 1619. Dordraci coactæ novam Verſionem Belgicam fieri juſſere, quæ quibuſdam commiſſa, tandem annis 1636., & 1637. abſoluta eſt, ejuſque deindè editiones plurimæ prodierunt.

Biblia Danica.

Omnium primam Scripturæ Verſionem Danicam anno 1550. excuſam priori Lutheri Germanicæ Tranſlationi adhærentes, Petrus Palladius, Olaus Chryſoſtomus, Joannes Synningios, & Joannes Machabeus confecerunt. Hæc editio correcta fuit, & recuſa anno 1589.

Anno 1605. Joannes Paulus Reſenius Seelandiæ Epiſcopus Bibliorum Verſionem Danicam ex Hebræo tranſlatam vulgavit. Cum tamen nimium Hebræis phraſibus retinendis adhæſerit, Verſionem adeò obſcuram prodidit, ut ferè ab ipſis Danis non intelligatur. Anno tamen 1633. juſſu Chriſtiani IV. Daniæ Regis correcta eſt, elegantiorique ſtylo efformata.

Joannes Michael Novum Teſtamentum Danice tranſlatum anno 1524. Lipſiæ, & anno 1529. Antuerpiæ excudit. Chriſtianus etiam Petri Canonicus Lundenſis ſuum Danicum Novum Teſtamentum vulgavit anno 1531. Hæc autem Verſio primò barbara nimium viſa, in poſterioribus Editionibus purior, caſtigatiorque prodivit.

Biblia Svecica.

Diva Birgitta, quæ ſæculo decimoquarto vixit, ſæpiſſimè, ut ipſius vitæ Scriptor teſtatur (e), Sacræ Scripturæ, quam ſibi Svecicè transferri curaverat, lectioni vacabat. Hæc à Mathia Canonico Lincopienſi, qui ipſi erat à Confeſſionibus, tranſlata dicitur; nullum tamen unquam hujus exemplar invenitur.

Olaus, & Laurentius Petri filii Svecicam ex Germanica Martini Lutheri, Verſionem confecerunt, & excuderunt anno 1534. Guſtavus verò Adolphus Rex Sveciæ eam A. 1617. corrigi juſſit, quam ferè omnes impoſterum ſequuti ſunt; quamvis enim ſæpius correcta poſtea fuerit, tamen eadem ſemper perſeverat.

Biblia

(a) Vid. apud Andr. Duchesne t. 2. n. 7. p. 277. (b) Vide apud P. Le Long t. 2. Bib. Sac. c. 9.
(c) Vide Le Long c. 6. (d) Vid. Le Long Bibliot. Sacr. tom. 2. c. 9. & authores ab eo laudatos. Ut Lutherus ſuæ Verſionis pulchritudini, & perfectioni conſuleret, à plurimis idiomatis Germanici peritiſſimis eam voluit examinari. Vide Lutheri vitam ex Iconib. metall. (e) Apud Surium 23. Julii.

Biblia Anglo-Saxonica, & Anglica noviſſima.

Anglo-Saxonicas (a) Pſalterii ab Aldelmo Epiſcopo Shireburnenſi, qui claruit A. 709. & nonnullorum Scripturæ Librorum ab Egberto Lindisfarnienſi Epiſcopo, qui an. circiter 730. floruit (b), Verſiones confectas eſſe conſtat. Sunt qui velint integra Biblia (c) Saxonicè à Venerabili Beda, qui anno 735. obiit, translata; Guthbertus tamen ejus Diſcipulus, qui omnia ſui Præceptoris opera recenſet, ſolam Evangelii tranſlationem memorat (d).

Alfredus Angliæ Rex, qui anno 890. regnabat, plures Scripturæ Libros, vel ſaltem Pſalterium Anglo-Saxonicè transferre aggreſſus, morte intercedente non abſolvit (e). Scribit Balæus, Æthelſtanum Anglorum Regem, teſte Guillelmo Malmesburio, curaviſſe, ut in Anglo-Saxonicum idioma Scriptura Sacra ex puriſſimis Hebræorum fontibus, forte per Hebræos quoſdam ad Chriſtum converſos, verteretur.

Extat vetus plurium Scripturæ Librorum Anglo-Saxonica Verſio, quam Ælfricus Abbas Malesburienſis confecit. Guillelmus Lisle Anglicus fragmenta Biblia Ælfrici anno 1638. Londini excudit; At Edmundus Thvvaites vetam Ælfrici tranſlationem anno 1699. vulgavit Oxoniæ. Plures etiam plurimorum Scripturæ Librorum translationes Anglo-Saxonicæ, manuſcriptæ tamen, & anonymæ in Angliæ Bibliothecis reperiuntur (f).

Matthæus Parkerus an. 1672. Anglo-Saxonicam vetuſtiſſimam Evangeliorum Verſionem, cujus latet Author, Londini excudi curavit. Hanc Thomas Mareſchallus characteribus Anglo-Saxonicis tranſcriptam, & ſuis Obſervationibus ornatam anno 1665. recudit. Compoſita erat hæc Verſio, inquit Millius, ad exemplar Veteris Vulgatæ, quales paſſim in Occidente ferebantur, ante caſtigationem Hieronymi. Hinc colligimus ejus authorem eſſe vetuſtiſſimum.

Anglicarum Scripturæ Sacræ Verſionum primus Author habetur Joannes Treviſa, qui ſuam anno 1357. abſolvit (g). Secundus autem creditur Vvicleſus, cujus Anglica tranſlatio manu exarata in pluribus Angliæ Bibliothecis extat; nunquam tamen, ut opinor, excuſa. Plures quoque manu ſcriptæ, ſed anonymæ Verſiones inveniuntur.

Prima Scripturæ Anglica Verſio ad uſum Catholicorum efformata, an. 1609. & 1610. Duaci, & an. 1635. Pariſiis excuſa eſt. Vetus tantùm Teſtamentum continet, quorumdam Duacenſium Theologorum adnotationibus exornatum. Novum autem Teſtamentum cum Anglicorum Rhemenſium Theologorum notis anno 1582. Rhemis impreſſum eſt.

Anglica Verſio ad uſum Proteſtantium partim à Guillelmo Tyndall, partim à Milleſio Cordevale tranſlata eſt, & anno 1535. Londini excuſa. Hæc non ſecùs ac ipſius Authores, varia dudum ſorte jactata eſt; hinc juſſu Regis Angliæ Henrici VIII. rurſus excuſa, & in omnes Anglicas Eccleſias diffuſa eſt, ut publicè legeretur (h).

Thomæ Matthæi, aut Joannis Rogers Verſio an. 1537. Londini excuſa vix diſcrepat à præcedenti. Verſio juſſu Regis Henrici VIII. an. 1541. Londini vulgata, & à Cuthberto Tunſtallo Dunelmenſi, & à Nicolao Heatho Roffenſi Epiſcopis examinata, & correcta, an. proximè ſequenti 1542. Ordinum Decreto regia authoritate ſancito prohibita eſt (i); imò poſterum, Henrico regnante, cujuslibet Verſionis vernaculæ uſus Anglis omnibus eſt interdictus. Ut primùm tamen Eduardus Regni gubernacula capeſſivit, Cranmerus Tunſtalli, & Heathi Verſionem an. 1549. iterum vulgavit, eique ſuam præfationem præpoſuit.

Regina Maria regnante plures exules Angli Genevæ degentes (k) à Genevenſis Verſionis fonte Verſionem Anglicam deduxerunt, quæ anno 1561. Reginæ Eliſabethæ dicata, & edita, pluries deinceps in Anglia recuſa eſt. Cum tamen non bene ab omnibus Anglis audiret, Mathæi Perkeri tranſlatio, quæ Epiſcoporum Verſio appellata eſt, anno 1568. iterum typis fuit commiſſa (l).

Demum anno 1612. regnante in Anglia Jacobo I. excuſa eſt verſio, quæ Biblia Regia appellata. Hanc Andreas Epiſcopus Vvintonienſis, & Ovverrall Epiſcopus Norvvicenſis, aliique Theologi permulti uſque ad 47. omni diligentia ab Exemplaribus Hebræo, & Græco tranſtulerunt. Hæc de præcipuis Verſionibus Anglicis.

Biblia Slavica.

Nonnulli credidere Vetus, & Novum Teſtamentum (m) à D. Hieronymo Dalmata fuiſſe Slavicè tranſlatum. Hæc tamen ſententia levibus nititur argumentis; primò enim D. Hieronymus Dalmata erat, non Slavus; ſecundò cum idem in ſua Epiſtola ad Sophronium, Scripturam *ſuæ linguæ hominibus* tranſtuliſſe fateatur, intelligi debet de Lingua Latina, quam ſibi veluti naturalem effecerat.

Putarunt alii Slavicam Verſionem à DD. Cyrillo, & Methodio, qui an. circiter 880. fuere Slavicæ Nationis Apoſtoli, fuiſſe confectam. Suam autem ſententiam duobus nixi Bohemis Hiſtoricis tuentur, quorum alter an. 993. alter an. 1200. claruit. Vetus hæc Verſio an. 1581. in Moſcovia edita eſt.

Prima inter Slavicas Tranſlatio typis commiſſa ea eſt, quam Joannes Glogovienſis confecit, & Cracoviæ vulgavit. E vrvia ille deceſſit an. 1507. Ejus autem Bibliorum Verſionis quidam tantummodo Libri, ut diximus, Cracoviæ excuſi ſuperſunt. Puto ego integram Scripturæ Slavicam Verſionem nunquam extitiſſe, ſed Pſalterium tantùm, Epiſtolæ, & totius anni Evangelia.

Biblia Bohemica, Polonica, Ruthenica, ſeù Moſcovitica.

Thaboritæ Bohemiæ hæretici Scripturam ex Vulgata Bohemicè tranſlatam anno 1506. Venetiis imprimi curarunt, quæ deinde pluries recuſa eſt. Cum autem Textus, à quo depromta fuerat, Reformatis minime arrideret, ab eorum aſſeclis an. 1579. altera edita eſt, quam octo eorum Theologi, qui ad Academias Vvittembergenſem, & Baſileenſem, ut omnia Græcæ, & Hebraicæ Linguæ arcana addiſcerent, miſſi fuerant, à Græcis, & Hebræis fontibus tranſtulerunt. Hæc in ſex Tomos diviſa, & in Moraviæ Caſtello *Kralitz* excuſa eſt; primus Tomus anno 1579. ſextus an. 1593. prodiere.

In Linguam Polonicam Sacrum Codicem primò transferri curavit Hedvvigia Uxor Jagellonis Ducis Lithuaniæ, qui Chriſto nomen dedit an. 1390. Extat etiam Polonica Scripturæ Verſio, quam juſſu Sophiæ Uxoris Jagellonis Poloniæ Regis Andreas de Jaſſovvitz tranſtulit, & Petrus de Cadoſzitz tranſcripſit ann. 1455. Hi autem codices nonniſi manuſcripti reperiuntur.

Anno 1599. Cracoviæ prodiit Polonica Bibliorum Verſio, quam Theologi quidam Poloni, & præſertim Jacobus Vieccus Societatis *Jeſu*, tranſtulerunt. Altera etiam ab Hieronymo, ſive ut Sixtus Senenſis, ab Joanne Leopolitano tranſlata, edita eſt *Hannoniæ*, fortè *Hayin* in Bohemia, in Sileſiana Provincia, anno 1608.

Polo-

(a) Balæus ſer. Britan. cent. 1. c. 83. (b) Idem cent. 2. c. 4.
(c) Joan. Foxius Præf in Evang. Anglosax. an. 1571. Jo. Caiu l. 1. de Antiq. Academ. Cantabr. p. 150. Balæus cent. 2. c. 1.
(d) Acta SS. Ord. S. Bened. t. 3. pag. 1. p 537.
(e) Guillelm. Malmesbur. lib. 2. de Geſtis Reg. Angl. cap. 1. Polydor. Virgil. hiſt. Angl. lib. 5. ad an. 893.
(f) Vid. P. Le Long Biblior. ſacr. t. 2. c. 10. (g) Vid. Le Long Biblior. Sac. t. 2. p. 250.
(h) Acta Erud. Lipſiæ anno 1694. & ſuppl. 1. tom. (i) Jo. Danell. Vindic. Eccl. Angl. c. 27.
(k) Idem ſub finem c. 9. p. 72. (l) Vide Le Long Biblioth. ſacr. t. 2. c. 20.
(m) Vid. eumdem, & authores ab eo laudatos c. 11.

Digitized by Google

Polonicam anno 1596. Scripturæ Sacræ Verſionem ex Tranſlatione Lutheri vulgarunt Proteſtantes, quæ anno 1631. recuſa eſt, Uladiſlao IV. Poloniæ Regi nuncupata.

Suam etiam Sociniani Tranſlationem ex Hebræo, & Græco deſumptam anno 1562. Breſtiæ in Lithuania excuderunt. Anno deinde 1572. altera à Simone Budnæo examinata, & correcta prodiit Zaslavii Oppidi in Lithuania. Duplex etiam Teſtamenti Novi Tranſlatio, altera à Martino Czechovicio, altera à Valentino Smalcio confecta, ad Proteſtantium uſum edita eſt.

Ruteni, ſeù Moſcovitæ in vernaculum idioma Scripturam ex Græco à S. Cyrillo Slavorum Apoſtolo converſam vulgarunt Oſtroviæ an. 1581. Cum autem hæc vetus Tranſlatio obſcura nimis evaſiſſet, Erneſtus Gliik, qui poſt Narvam à Ruſſis expugnatam captivus Moſcuam abductus fuerat, novam Slavicam Scripturæ Verſionem aggreſſus eſt: Hanc autem cum idem Erneſtus anno 1705. obiens reliquiſſet infectam, Moſcorum Czar quibuſdam Theologis perficiendam commiſit (a); quam tamen nullibi adhuc excuſam arbitramur.

Hæc de Bibliis vulgari Idiomate conſcriptis, aut excuſis pro noſtro Onomaſtico ſatis ſuperque ſufficiant. Qui fuſiorem notitiam cupiunt, eos conſulant, qui conſulto ea de re egerunt, ut Opera Critica Simonii in Vetus, & Novum Teſtamentum; & Bibliothecam Sacram P. Le Long, ex quo ea ferè omnia excerpſimus, quæ hucuſque congeſſimus.

Quoad autem Scriptores cujuſque Bibliorum Libri, & tempus quo quiſque ſcriptus fuerit, eorumque Canonicam authoritatem, quæſtiones denique cæteras, quæ de horum unoquoque agitari ſolent, videantur noſtræ Præfationes, & ſingula verba hujus Onomaſtici, ubi Librorum, & Authorum nomina referuntur.

BIBLIOTHECA. Interdum ipſe Veteris, & Novi Teſtamenti Codex *Bibliotheca Sacra* appellatur. Sic collectio ſacrorum Librorum, quos D. Hieronymus tranſtulit, D. Hieronymi Bibliotheca dicitur. Bibliothecas apud Hebræos ante Nehemiam, & Judam Machabæum non reperimus; Bibliothecarum tamen loco habendi ſunt Annales regum Judæ, & Iſrael, quorum brevis adeò in Libris Regum, & Paralipomenon fit mentio. Jam ætate ſua Salomon nullum ſcribendi libros modum eſſe querebatur (b). Plurimos ipſe conſcripſit, plurimos confecit (c), & veroſimillimum eſt, inter ſuæ magnificentiæ monumenta regiis ſumptibus inſtructam Bibliothecam reliquiſſe.

Eſdram, qui pleroſque hiſtoricos Scripturæ Libros correxit, atque collegit, pluribus ſanè monumentis, Annalibus, Genealogiarum Tabulis, aliiſque Codicibus abundaſſe quis neget? cum eorum præcipuè Libri Paralipomenon meminerint. Ex 2. Machabæorum 2. 13. apertiſſime conſtat, Hieroſolymis Bibliothecam à Nehemia ex Libris Regum, & Prophetarum, ex Davidis Pſalterio, & Catalogis munerum olim Templo oblatorum fuiſſe conſtructam. Judas Machabæus (d) quæ Antiochi Epiphanis bello vel defecerant, vel prorſus perierant, reſtauravit. Quarum jam etiam ſententiarum moralium, quas Ezechias collegerat, Proverbia 25. 1. meminere. Benjamin Tudelenſis Judæus in celeberrimo ſuo Itinerario ſcribit, prope Ezechielis ſepulchrum ad Euphratem vaſtam eſſe Bibliothecam, in qua Codices omnes videntur, qui in primo, & ſecundo Templis ſervabantur; inter quos & Ezechielis liber, ipſius manu exaratus. Aliis etiam codicibus referta eſt, eique, inquit idem Benjamin, qui filiis carent, ſuos Libros legare conſueverant.

BITHYNIA, Aſiæ Minoris Provincia, ad Propontidem, & ad ſeptentrionem Myſiæ, & Phrygiæ. D. Paulus, cùm in Myſiam cum Timotheo Diſcipulo perveniſſet, cumque illinc iter ad Bithyniam tentaret, à *Spiritu Jeſu prohibitus eſt*. Act. 16. 7. Cur autem id factum fuerit, Deo tantummodò ſciendum relinquimus, qui Gratiam quibus vult elargitur, quoſque vult, duritie cordis non liberat.

BITTHER. Vide *Bether* aut *Betheron*. *Bitther* non longe ab Jeruſalem abeſt, teſte Euſebio (e).

BITUMEN. Craſſa, unctuoſa, & igni concipiendo facillima materies, pluribus in locis, & potiſſimùm circà Babylonem, in Judææ Lacu Aſphaltiti proveniens. Arcam bitumine linivit Noe *Gen.* 6. 14.; idem pro cæmento in Turris Babel erectione adhibitum eſt *Gen.* 11. 3.; Bitumine quoque ſuperinduta eſt fiſcella, qua protectus Nilo expoſitus eſt Moſes. *Exod.* 2. 3.

BLASPHEMIA, Verbum Deo vel ejus attributis injurioſum, quo vel quod Deus non eſt dicitur, vel quod eſt negatur. Lege Veteri morte Blaſphemi damnantur *Levit.* 24. 12. & 16. Qui blaſphemantem audierant, manus ejus capiti imponebant, ac ſi pœnam omnem eo crimine dignam hac manuum impoſitione in reum regererent; quem deinde extra Urbem eductum populus lapidibus obruebat.

BOANERGES, *Filius Tonitrui*; Nomen à Chriſto Filiis Zebedæi, Jacobo & Joanni inditum *Marc.* 3. 17. tum fortè, cùm ab eo poſtularunt, ut ignem è cœlo delabi juberet, quo quandam Samaritanorum urbem, quæ eum hoſpitio non receperat, devaſtaret, *Luc.* 9. 53. *Boanerges* neque Hebræum eſt, nec Syriacum, & facilè à Græcis Notariis malè tranſcriptum eſt; cum pro *Banaregem* filio tonitrui, ſeù *Bane-reges* filio procellæ, *Boanerges* ſcripſerunt. *Boanerges* denique quædam eſt infelix Galilæorum formula, qua *Bana-reges* pronunciabant.

I. BOCCI, filius Jogli ex Tribu Dan. *Num.* 34. 22.

II. BOCCI, Sacerdos Judæorum, filius Abiſue, & Pater Ozi. 1. *Par.* 6. 5.

BOCCIAU, Levita, qui coram Arca pſallebat. 1. *Par.* 25. 4.

BOCHIM, locus flentium, aut arborum Mori. Vide *Clauthmon*.

BOCHRI, Pater Seba, ob ſeditionem in *David* celeberrimi. 2. *Reg.* 20. 1.

BOCHRU, filius Azel ex Tribu Benjamin. 1. *Par.* 8. 38.

BOETHUS, Simonis Summi Sacerdotis Judæorum ab an. M. 3981. uſque ad 3999. pater.

BONI-PORTUS, locus in meridionali Cretæ ora, prope Thalaſſam, ſivè Laſſam. *Act.* 27. 8.

BONNI, filius Sommer, Levita, ex familia Merari. 1. *Par.* 6. 46.


II. BONNI de Gadi, unus ex fortiſſimis exercitus David. 2. *Reg.* 23. 36.

(BONUS uſurpatur non rarò pro *pulchro*, & *grato* atque in genere ſuo abſolutiſſimo. Quæ creaverat conſiderans Deus tanquam abſolutiſſima probavit; *Et erant valdè bona*; ſingulæ ſcilicet res creatæ culmen illud perfectionis & pulchritudinis attingebant, quod ſibi conveniſſet. *Vir iſte non prophetat mihi bonum*; 2. *Par.* 18. 7. nihil ſcilicet lætum. *In die bona venimus*; 1. *Reg.* 25. 8. die ſcilicet feſta, die lætitiæ. *Si bonum eſt oculis tuis*; ſi tibi gratum id accidit. Parentes Moyſis jucundiſſimum aſpectu infantem viderunt; ad literam: *viderunt eum bonum* Exodi 2. 3. *Spero videre bona Domini in terra viventium*, Pſal. 26. 13. fruiturum Cæli felicitate. Jerem. 7. 3. *Bonas facite ſemitas veſtras, & ſtudia veſtra*; vitam agite probo homine dignam.

Bonus oculus perinde valet ac homo liberalis; *oculus malus* avarus & ſuſpicioſus. Vide infra *Oculi*.)

BOOZ, filius Salmon ex Rahab. Hæc Jerichuntina erat Chananæa, quam Salmon ex Tribu Juda duxit

(a) Vide Le Long Biblioth. ſacr. c. 11. ſect. 4.
(b) Eccl. 12. 12. (c) 3. Reg. 4. 32. 33.
(d) 2. Mach. 2. 14. (e) Euſeb. hiſt. Eccl. l. 4. c. 6.



COLUMNÆ IACHIN ET BOOZ

xit, & Booz unum ex Progenitoribus Chriſti ſecundùm carnem ex ea ſuſcepit. Non deſunt, qui (a) tres ponant Booz, Filium nempè, Nepotem, & Pronepotem Salmon, quorum ultimus duxit Ruth, & Obed genuit: inſuper alia ratione Scripturam ſibi ipſi cohærere poſſe negant, quæ inter Salmon & David 366. annos numerans, inter utrumque tres homines memorat, *Booz*, nempè, *Obed*, & *Jeſſe*.

Quamvis autem 366. annorum intervallum à quatuor hominibus ſibi invicem per progeniem ſuccedentibus difficile ſit abſorberi, & perrarum omninò ſit in eadem familia à quatuor hominibus diuturnam annorum ſucceſſionem protrahi, & ætate jam confectis filios adhuc gigni, attamen potuit contingere; tunc præſertim, cum quoſdam ſæculum integrum prætergreſſos conſtat. Salmon 106. annos agens fortaſſe Booz procreavit, ſexaginta ſex annis circiter poſtquàm Iſraelitæ Terram Promiſſionis obtinuere. Booz jam centenarius Obed; Obed autem vel ſæculo proximus, vel major genuit Jeſſe; Jeſſe demùm centeſimum traducens annum fortaſſe filio David auctus eſt. Fatemur quidem hæc conjecturæ fines non excedere; cum tamen nec impoſſibilis, nec repugnantis quidpiam in his appareat, hæc eligere poſſumus, ne pro uno, cujus meminit Scriptura, tres Booz numerentur.

Abeſan Iſraelis Judicem, de quo *Judic.* 12. 8. eſſe ipſum Booz Rabbini quidam idcircò (b) putarunt, quòd Abeſan Bethleemita fuerit; & nomen Abeſan quodammodò cum Booz conveniat. Cum tamen Abeſan ab an. M. 2823. uſque ad 2830. Iſraelem judicaverit, neceſſariò alius à Booz, qui ad ſummum natus eſt an. 2620. cum Salmon ejus Parens an. 2553. Ruth duxerit, intelligitur. Si ergo Booz an. 2620. natum fingamus, an. deinde 2830. quo è vivis deceſſit, 210. ejus anni erunt enumerandi; quod ſane fidem nullam inveniet.

BOOZ. Alterius ex duabus columnis æneis, à Salomone ante veſtibulum Templi collocatis nomen (c). Altera *Jachin* dicebatur. Hæc ad dexteram, Booz ſita erat ad ſiniſtram. *Jachin* ſignificat, Deus eam ſtatuit; *Booz* verò, firmitatem, robur. Utraque ſimul altitudinem cubitorum 35. habebant, ut 2. Par. 3. 15. dicitur, decem ſcilicet, & ſeptem cum dimidio cubitorum ſingulis altitudo contigerat (d). Regùm Textus, & Jeremias *decem & octo cubitos* earum ſingulis impertiuntur (e); numerum tamen integrum à Scriptore ſacro pro dimidiato poſitum credimus. Interiùs cavæ, quatuor digitorum craſſitiem habebant (f). Duodecim cubiti earum ambitum (g), ſeù quatuor earum diametrum metiebantur. Cujuſque columnæ epiſtylium quinque cubitis porrigebatur (h). Scriptura hiſce epiſtyliis nunc tres (i) nunc quatuor (k), nunc etiam quinque cubitos altitudinis tribuit. Cum enim pluribus ornamentis componerentur, nunc hæc ut ab epiſtyliis diſtincta, nunc ut eadem cum iiſdem computabantur. Ipſum igitur epiſtylium trium cubitorum; ornamentum, quod ipſi columnæ adhærebat, unius cubiti; tota autem ipſi Epiſtylio ſuperimpoſita pariter unius cubiti altitudinem exæquabant.

BORITH. Herbæ *Borith* meminit Jeremias 2. 22. *Si multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es iniquitate tua.* *Borith* eſt herba *Kali*, qua in cinerem redacta ſaponem, & optimum lixivium ad pannos abluendos conficiunt. Hujus herbæ folia pellis maculas abſtergunt, cùm manibus perfricatur. Fusè de hac Joannes Michael Langius. Nos etiam de eadem in Caput ſecundum Jeremiæ *verſ.* 22. abundè diſſeruimus.

BOSES, Arcis nomen, ad quam Jonathas Filius Saul, Philiſthæos invaſurus aſcendit. 1. *Reg.* 14. 4.

BOSOR, aut *Bozra*, ſeù *Boſtra*, Urbs ultra Jordanem, Tribus Ruben à Moyſe tradita (l), & à Joſue urbs refugii, quò confugerent ii, qui imprudentes hominem interfeciſſent, conſtituta (m). Hinc Levitis ex domo Gerſon conceſſa (n). Scriptura *Boſor* aut Boſram nominans, ipſam ſemper *in deſertis* locat; quòd profectò in Arabia deſerta, & in Orientali Idumæa, undequaque deſertis vallata, ſita eſſet. Ingentia Iſaias Bozræ mala comminatur 34. 16. victoremque quemdam, Bozra tinctis veſtibus venientem, prævidit 63. 1. Judam fortè Machabæum deſignabat, qui Boſor, aut Boſram ingenti ſtrage domuit (o), maribuſque omnibus interfectis, Urbem populatus incendit.

Jeremias etiam (p) graves in Bozram minas pronunciavit, quas tunc impletas credimus, cùm Nabuchodonoſor, expugnata Hieroſolyma, bellum poſt quinque annos in Idumæam, finitimaſque Provincias vertit (q). Euſebius quatuor & viginti milliaribus Bozram ab Adraa, aut Edrai removet (r). Hæc interdum Ruben, nonnunquam Moab, Idumææ etiam quandoque adſcribitur; cùm enim tribus hiſce Provinciis contermina ſit, nunc ad hanc, nunc ad alteram, ut armorum vis, & fortuna tulerat, pertinebat. Urbs Veteribus celeberrima; & Boſtrorum adhuc numiſmata reperiuntur. Plures etiam hujus Urbis Epiſcopi in Conciliis referuntur. Urbs eadem nunc regioni Galaad, nunc Trachonitidi, nunc Auranitidi, Arabiæ, ſivè Idumææ frequentiùs tribuitur. Quidam Geographi urbes Boſor, aut Bozras citrà neceſſitatem augent.

(Boſor vel Boſra, Urbs quatuor dierum itinere à Damaſco, meridiem versùs (1). Arcem habet muniſſimam & portam 20. cubitis altam, ac urnam ſeu mare recipiendis aquis, omnium quot in Oriente, ampliſſimam, ait Geographus Perſa.)

BOSPHORUS. Abdias Propheta verſ. 20. captivi Iſraelis reditum vaticinans, ait, Iſraelis exercitum è regione ſua eductum omnia Chananæorum loca, Sareptam uſque poſſeſſurum, urbeſque meridionales iis, qui ex Jeruſalem ad Boſphorum uſque traducti fuerant, ſerrituras. Tres Boſphori ſunt, quò Hebræi duci potuere. 1. Cimmerius in Ponti Euxini finibus, ipſum inter & paludem Mœotidem. 2. Thracius, propè Conſtantinopolim, illud ſcilicet fretum Chalcedonem à Byzantio dirimens. 3. Boſphorus, ſeu fretum, Hiſpaniam ab Africa ſegregans. Hæc Græcè idcircò Boſphori, vel potiùs *Boſpori* dicuntur, quòd à bove tranſnatentur, quòdque Inachi Filia in juvencam commutata, nando Thraciæ fretum, Byzantium inter & Chalcedonem, quod quatuor ſtadiorum, aut 500. paſſuum latitudinem non prætergreditur, trajecerit. Quis tamen à Propheta Boſphorus deſignetur, diſputant Interpretes. Judæus (t), quem in Hebraicis quæſtionibus conſulebat Hieronymus, vult Boſphorum, de quo Abdias, eſſe Cimmerium, quò Adrianus Imperator plures Judæos in Palæſtinæ bello captos amandaverat; de quo nihil Hiſtorici. Putant alii, & meliùs, captivos, quorum meminit Abdias, à Nabuchodonoſor ad Mœotidem Paludem, peſſimam Terræ plagam, proſcriptos, quò Perſecutores Eccleſiæ Catholicos ablegare conſueverant. Plures denique pro Boſphoro Abdiæ, fretum Hiſpanicum intelligunt, & ſic Prophetam ab Hebræo transferunt: *Captivi Jeruſalem, qui exulant in Sepharad*, ſcilicet in Hiſpania, *poſſidebunt Civitates Auſtri*. Prophani Hiſtorici, ut Megaſthenes (u), & Strabo *l.* 15. addunt, Nabuchodonoſor victoriis ſuis, & progreſſibus in Africam uſque, & Iberiam perveniſſe; ipſas quinimò Columnas, quas Hercu-

(a) Quidam in Rab. Salom. Lyran. in Ruth. 2. & 4. Catharin. alii. (b) Targum, Ruth, Talmud Jeroſol. Rabbini Sal. Kimchi, Levi Fil. David, Abraham Zaccuta &c. (c) 3. Reg. 7. 21. (d) Vat. Gnt. Sanct. (e) 3. Reg. 7. 15. Jerem. 52. 21. (f) Jerem. 52. 21. (g) 3. Reg. 7. 15. (h) 3. Reg. 7. 16. Jerem. 52. 22. (i) 4. Reg. 25. 17. (k) 3. Reg. 7. 19. (l) Deut. 4. 44. (m) Joſ. 20. 8. & 21. 6. (n) Joſ. 21. 27.
(o) 1. Mac. 5. 26. &c. (p) Jerem. 48. 24. & 49. 13. &c. (q) Joſeph. Antiq. l. 10. c. 11. Hieron. in Jer. 25. 32. &c.
(r) Euſeb. in Onomaſt. voce Bozra. (s) Biblioth. Orient. pag. 218. col. 2. (t) Hieron. in Abdiam.
(u) Megaſthenes apud Euſeb. Præp. Evang. l. 9. cap. 41.

Herculis Columnas explicamus, præteriiſſe. Quibus teſtimoniis Verſio, quæ Boſphorum legit, & Judæi cum aſſeclis, qui Sepharad pro Hiſpania vertunt, conciliantur, ſi Judæos aliquot in hasce Provincias à Nabuchodonosor deductos concedamus.

Scrupulus tamen ſupereſt, an hac voce *Sepharad* Hiſpania ſignificetur; quidam enim pro Gallia intelligunt, & Veteres Interpretes *Sepharad* tranſcripſerunt. D. Hieronymi ætate Hebræi pro hac voce *Boſphorum* reddebant. Mihi tamen *Sepharad* aliqua ultra Euphratem, ut *Sapirorum*, ſivè *Saſpirorum* Mediam verſùs, regio eſt, vel *Hippara*, urbs in Meſopotamia.

BRACCA. Sodales ſuos tres in ardentem fornacem *cum braccis ſuis* conjectos Daniel 3. 21. narrat. *Saraballas* Hebræum legit; quæ Perſicorum tibialium quoddam genus erant, quibus crura ſimul & coxendices induebantur (a).

(BRACHIUM, roboris typus. Deus populum ſuum de ſervitute Ægypti liberavit in *brachio extento*; *Deut.* 5. 15. brachii ſui robore, *in magnitudine brachii ſui*; exerto brachio *in brachio excelſo. Exodi* 6. 6. *Præcidam brachium tuum, & brachium patris tui*, denunciat Dominus Heli Summo Sacerdoti, illud deſignans futurum, ut hominem opprimat, & ad extrema omnia redigat. 1. *Reg.* 2. 31. *Poſuiſti ut arcum æreum brachia mea*, ait David Pſal. 17. 35. *Veh illi qui ponit carnem brachium ſuum*; i. e. in brachio carni fiduciam ſuam. *Jerem.* 17. 5. *Brachium ejus* (impii) *ariditate ſiccabitur*; nullis ſerviet uſibus.

Extremæ famis anguſtias deſignans Iſaias 9. 20. vorandam ab hominibus carnem brachii ſui dicit. In Daniele 11. 31. *brachium*, abſque addito exprimit viros fortes & potentes; *Brachia ex eo ſtabunt & polluent ſanctuarium fortitudinis*, Eccl. 7. 33. 37. Brachium ſignificat armum victimæ pacificorum, qui cedit Sacerdotis; *Purga te cum brachiis. Levit.* 7. 32. & paulò infra; *Datum brachiorum tuorum, & ſacrificium ſanctificationis offeres Domino.*)

BRIE, Filius Aſer, Brieitarum pater. *Num.* 26. 44.

BRUCHUS, Locuſtarum genus. Hebræum *Arbe* varia ratione transfertur. Vulgata & Septuaginta plerumque vertunt, *bruchus*, alii verò Interpretes, *locuſta*. Locuſta autem & bruchus differunt; juxtà Auguſtinum in Pſal. 104. ut mater & filia. Illa jam perfecta locuſta; hic parva locuſta non ſum alis inſtructa. Locuſtarum eſum Hebræis Deus permiſerat (b), quibus D. Joannes Baptiſta ut plurimùm veſcebatur (c). Plures quoque populi, ut in S. Matthæum oſtendimus, locuſtas comedunt.

BUBALUS. Bubali Scriptura ſæpè meminit (d). Ejus carnium uſum Moyſes Hebræis indulſit, & Salomoni apponebantur. Hebræum *Jachmur* quoddam ſignificat animal, rubris villis, & cornibus cervo ſimile. Tale Interpretes Arabes *Jachmur* deſcribunt, quod Vulgata *Bubalum* vertit.

BUBASTE. Urbs in Ægypto celebris. Hanc Ezechiel 30. 17. *Phi-beſeth* appellat. Sita eſt ad Orientale Nili brachium, Arabiæ propius. Huic Urbi à Rege Babylonis ſupremum excidium minitatur.

BUBO, ſivè *ulula*, *noctua*, *nycticorax*, avis immunda è noctuarum genere, cujus eſus Judæis interdicitur (e). Hebræo *Tachmas*, quod in Levitico *bubo* explicatur, hanc avem ſignificari minimè conſtat. Struthionis marem eo deſignari putat Bochartus. Bubonis, alio tamen nomine, Pſalmus 101. 7. meminit, & profectò Noctuam deſignat; cùm ſynonyma paſſeri ſolitario punatur: *Sicut nycticorax in Domicilio, & ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Hebræa vox *ſcheleeh*, quæ noctua in Deuteronomio c. 4. 17. vertitur, mergum potiùs peritiſſimis Interpretum ſignificare viſa eſt; & vocem (f) *ineſcoph*, quâ ferè ab omnibus bubo intelligitur, Vulgata, & Septuaginta nunc *ibim*, nunc *cycnum*, nunquam noctuam interpretantur. Fatendum tamen eſt, propriam hujus vocis ſignificationem adhuc ignorari. Iſaias 13. 22. Babylonis futuram ſolitudinem prænuncians, ululas in ea ſibi reſponſuras prædicit.

(Plura ſunt bubonum genera; capite ad felem accedit, unguibus eſt acutiſſimis. Venatur mures tanquam felis, oculis autem immotis ſolares radios ſuſtinet. Odio eſt cæteris avibus, quæ illum inſequuntur, & viciſſim ille alias inſequitur, vorat que aviculas. Lugubre ſtridet & tetrum, ut mali ominis ſit avis. Sacer erat Minervæ, de cujus Numinis religione divinos ſibi conciliaverat honores apud Athenienſes, in quorum nummis exhibetur. Cultus hodie pariter fertur apud Tartaros. Gallicum nomen *Hibou* derivatum creditur ex latino *Bubo*, vel ex Caldæo *Ibbou*, quæ pariter nomina ſunt Bubonis.

Anteriùs ſpectatus Bubo inviſum præfert, rotundum caput, ampliores oculos micanteſque, tetrum intuentes, grandes aures, roſtrum durum, recurvum & ſubnigrum; plumis veſtitur ſubnigris inter album & nigrum grata varietate. Corporis menſura triplex eſt; majores, capones æquant; medii, columbas ſylveſtres; minores domeſticas.

Bubonis cornuti duo ſunt genera juxta Aldovrandum, major ſcilicet, & minor; major pennis veſtitur magis cinereis, magiſque albeſcentibus; minor plus accedit ad flavum, colorem exprimens dilutæ rubiginis.

Majoris Bubonis duo ſunt pariter genera, eſt enim major & minor. Majori aures & cornua deſunt, viciſſim autem faciès ambitur corona ex pluribus minutiſſimis ac delicatiſſimis pennulis, roſtrum habet albens & acutiſſimum cum unguibus. Dorſum plumbeum albentibus maculis diſſeminatur; pectus & venter ſubalbi nigris amplioribuſque maculis aſperguntur. Totum corpus denſant magna copia congeſtæ plumæ, ex quibus pullo gallinæ non major avis ad magnitudinem caponis creſcit. Integrum uno oris niſu vorat murem, ſeu aviculam, & cùm in ventre carnem decoxerit, reductas in pilam evomit plumas cùm oſſibus, uti ſolent Alciones voratorum piſcium oſſa & ſpinas reddere.

Minor Bubo per omnia majorem refert, exceptâ minori mole, ut magnitudine domeſticam columbam ferè nunquam vincat. Nigerrimis eſt oculis, brevi & albenti roſtro, plumæ ventris, & quod in alis exteriùs apparet, tum infima ventris & genua cinereum referunt, crura & unguiæ aſperantur pilo flavo & ſubrubro. Duabus munitur veluti manibus in anteriora, & duabus in poſteriora, quas armant nigræ ungulæ firmiſſimæ & acutiſſimæ.

BUCCINÆ. Quò ſe præpararent Judæi plures ad feſtum Buccinarum ſive ineuntis anni civilis, frigidæ ſe totos immergebant, & prout corpus altiùs aſcendebat in aquas, confitebantur peccata ſua, plangebantque pectus. Totum demergebant corpus, quò per omnia puri ſiſterent ſe oculis Dei. Autumabant ea die cogi à Deo Senatum ſuum, vel Angelos, expandi Libros ad judicium hominum. Porrò trium generum volumina expanſa. *Liber vitæ*, pro Juſtis; *Liber mortis*, pro impiis; *Liber hominum media tenentium*, qui ſcilicet nec probi eſſent penitùs nec per omnia improbi. In duobus voluminibus vitæ ſcilicet & mortis duo ſunt paginarum genera, hæc ſcilicet pro vita iſta mortali, altera pro æterna; accidit enim ſæpiùs, ut minùs quàm pro meritis puniantur impii in hac vita, & Juſti viciſſim duriſſimis ſubdantur, perinde quaſi Dei in ſe iram concitaſſent. Hæc agendi ratio dubios nos homines reddit de con-

ditione

(a) Vid. Briſſon. l. 1. de Regno Perſ.
(b) Levit. 11. 22.
(c) Matth. 3. 4.
(d) Deuter. 14. 5. & 3. Reg. 4. 23.
(e) Levit. 11. 16.
(f) Levit. 11. 17. Deuter. 14. 16. Iſa. 34. 11.

diviſione noſtra, an ſcilicet amorem, vel potiùs Dei indignationem nobis meruerimus. Quod attinet ad hominea illos inter probos maloſque, tenentes medium, nullibi ſcriptos eſſe docent Judæi adusque diem Expiationis ſolemnis in decimum anni menſem incidentis; ſuſtinet enim Deus an melioribus ſeſe addicentis, ſeu deteriori ſpectans, ea tandem die iſtorum cauſam dijudicans, morti, ſeu vitæ pro geſtorum merito adſcribit.)

BUGÆUS, ſeu *Bougaios*, vanus, & ſuperbus, Amano Judæorum hoſti a Scriptura cognomen additum (a), quod in Græco tantùm legitur. *Bugæum* pro Bagoa, Eunucho ſcilicet, & Miniſtro Regis Perſarum, ſcriptum opinor.

BUL, octavus Menſis Hebræorum (b), quem poſtea *Marchevan* appellarunt. Noſtro Octobri reſpondet, & ſecundus anni civilis menſis eſt, octavus Eccleſiaſtici. Diebus unde triginta conſtabat; ipſiuſque ſexta die jejunium ſervabatur, quod Nabuchodonoſor eadem die Sedeciæ Filios coram Patre interfecerit, & ipſi Patri deinde oculos eruerit. Vide 4. *Reg.* 25. 7. *Bul* nonniſi 3. *Reg.* 6. 38. Salomonis ætate nominatur.

BUNA, Filius Jerameel. 1. *Par.* 2. 25.

BUTYRUM, nomen à Scriptura cremori lacteo, ſive butyro liquido Orientalibus frequenti, inditum. Vide noſtra Comment. in *Gen.* 18. 8. & Supplementum, ad calcem Apocalypſis. Iſaias melle, & butyro (c), id eſt lacteo cremore, & melle, quo valdè affluebat Palæſtina, nutriebantur. Putant aliqui pro *butyro* caſeum in Scriptura eſſe intelligendum; quorum ſententiæ adhærere non poſſumus: Hebræi enim alio caſeum, alio butyrum, aut cremorem lacteum vocabulo deſignant.

I. BUZ, filius Nachor ex Melcha, & frater Hus. (d) Eliu ex amicis Job, ex Buz filio Nachor originem traxerat. Scriptura hunc *Aramæum*, aut Syrum dicit, Job. 32. 2. *Eliu Buzites de cognatione Ram*; ſcilicet *Aram*. Jeremias 25. 23. Divini furoris minas in Buzitas, qui Arabiam deſertam incolebant, pronunciat.

II. BUZ, filius Abdiel, & Pater Jeddo ex Tribu Judæ. 1. *Par.* 5. 14.

BUZI, Sacerdos, & Ezechielis prophetæ pater. *Ezech.* 1. 3.

BYBLUS, Urbs Phœniciæ Sidonem inter, & Orthoſiam, ad radices Libani ad Mediterraneum, è regione loci illius, in quo quædam adhuc cedri conſpiciuntur. Adonidis, quem in Libano, Byblo imminenti, ab apro interfectum dicunt, cultu celeberrima. Fluvius Adonis, qui è Libano defluens, Byblum alluit, nonnunquam rubra terra ſuis alluvionibus aſportata, veluti ſanguine infectus rubet. Colorem illum Adonidis in monte tunc vulnerati ſanguinem eſſe Byblii fabulantur (e). Quolibet anno Adonidis ſolemnis recurrentibus, Ægyptii arculam ad capitis, quod Oſiridis nominabant, figuram efformatam in mare projicientes, epiſtolam in eadem incluſam ad Byblios leucis pluſquam octoginta diſſitos dirigebant, quam ſeptem diebus Byblum appellere arbitrabantur. Huc Iſaias intendiſſe creditur, cum dixit: 18. 1. *Væ terra, quæ mittit in mare Legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas.*

Qui in Scriptura (f) Giblii appellantur, & quorum in lignis cædendis, & navibus conſtruendis commendatur induſtria, Byblii fuiſſe creduntur, quod Byblus Hebraicè *Gebal* (g) diceretur.

BYSSUS, linum Ægypti perfectiſſimum, quo Sacerdotum tunicæ intexebantur. In Scriptura tamen tria diſtinguenda ſunt, quæ ut plurimum lini nomine confunduntur. 1. Hebræum *bad*, quo linum; 2. *ſcheſch*, quo goſſypium; 3. *buz*, quo byſſus vulgo dictus, quæ ſerici quoddam genus eſt, è pinna, ex teſtaceorum piſcium genere, proveniens, ſignificatur. Videantur noſtra Commentaria in Exodum 24. 4; & Paralipomena 1. 15. 27. Vide etiam inferiùs *Goſſypium.*

(Philo de ſomniis pag. 597. byſſum deſcribit tanquam intextum puriſſimum, pulcherrimum, albentiſſimum, nitidiſſimum & firmiſſimum; addit non è mortali aliquo deduci, i. e. è lana, ſeu animalis cujuſque vellere, ſed e terra potiùs; nitorem autem & albedinem ſemper augere majorem cùm benè lavatur. In finibus Arabiæ & in Inſula Cypro (h) pumicis quoddam genus reperitur nomine Amiantus vel incorruptibilis, quæ contuſa & diſſoluta pro noſtro more cartam conficiendi, tum exſiccata, ad colum inſtar goſſypii nevitur. Manuum tegmina ex eo ſtamine formant Arabes, & femoralia ab urenti æſtu ſabuli Arabiæ ſibi muniendis optima. Genus id telæ nec corrumpitur unquam, nec igne abſumitur, quin & purgatur in flammis. Plinius lib. 19. cap. 1. id genus appellat *linum vivum*, ex quo mappas ſibi & mantilia conficiebant Romani; purgabant verò illa per flammas traducentes. Genus hoc lini non prætermiſſe Moyſem cætera recenſentem non inviti credimus. Sed nomine byſſi expreſſum, quis niſi temerè aſſerat?

In Commentario ad Exodum & ad Paralipomena prætulimus genus illud ſerici quod eſt in cauda piſcis Pinnæ, defixumque animal terræ ceu flocco quodam detinet, refert autem colorem flavi aureique ſerici, valuitque olim texendis pretioſiſſimis palliis Regum (i), uti de Imperatore Juſtiniano affirmat Procopius de Fabricis, in ſolemnibus ſcilicet cæremoniis pallio quodam ex eo ſerico velatum prodiiſſe.

In hanc tamen ſententiam ne pedibus omnibus concedam difficultate aliqua retardor; neque enim in Textu Hebraico Moyſis lego nomen *Buz*, quamquam Græci & Latini Interpretes poſuerunt nomen byſſus ad deſignandas veſtes quaſdam Sacerdotum carbaſinas. Non incongruè igitur reputaretur Moyſes abſtinere ab eo voluiſſe. Nomen *Buz* nullibi occurrit in Scriptura niſi in Paralipomenis, Ezechiele 27. 16. & Eſther. Pallio è *Buz* indutus exhibetur David *Par.* 15. 27. & 2. *Par.* 5. 12. cùm Cantoribus omnibus & Levitis. Velamina Templi & Sanctuarii è Bux fecit Salomon *Par.* 14. & 3. 14. Tentorium Aſſueri continebant funes è Buz *Eſther.* 1. 6.; & Mardochæum ad ſecundariam in Regno dignitatem evectum ſpectabilem reddebat pallium è purpura & Bus *Eſther.* 8. 15. Tandem in Urbe Berſabee in Palæſtina intexebantur opera è Buz. Vix in animum inducerem frequentem adeo in ea regione Davidis & Salomonis ætate obtinuiſſe ſericum piſcis Pinnæ; re ipſa tamen Buz à lino vulgari diſcretum fuiſſe ſat conſtat, cùm ibi exhibeatur David indutus ſtola byſſina, & veſtitus pariter legatur *ephod lineo.*)

C A

CAATH, filius Levi, Pater Amram, Adar, Hebron, & Oziel (k). Caathitis impoſitum eſt, dum iter per deſertum ageretur, ut Arcam, & Vaſa ſacra Tabernaculi deferrent. *Num.* 4. 4. &c.

CABALA. Hoc nomen aliam apud Hebræos, aliam apud nos interpretationem obtinuit. Hebræis enim *Cabala* idem eſt ac *Traditio*; & Rabbini, qui *Cabaliſtæ* appellantur, componendis, comparandiſque inter ſe quibuſdam verbis, literis, & numeris incumbunt, quibus artibus ſibi futurarum rerum, & difficillimorum Scripturæ locorum abdita pandi jactitant. Horum tamen ſcientia nullis fulta certis principiis, ſed tantum quibuſdam Veterum traditionibus (ex quo *Cabalæ* nomen procedit) innititur. Nominibus illi quampluribus utuntur, quæ ſacra eſſe dicunt, Spiritibus invocandis, & rebus occultis cognoſcendis, ut ferunt;

R　　　runt;

(a) Eſth. 12. 6. (b) 3. Reg. 6. 38. (c) Iſa. 7. 15. & 22. (d) Gen. 22. 21.
(e) Lucian. de Dea Syria. (f) 3. Reg. 5. 18. (g) Ezech. 27. 9.
(h) Relatio Caravan. impreſſa Nancii 1707. per D. Bugnon. Geographum R. C. Gallicè.
(i) Baſilius in Hexaemeron.... Oratione 7. (k) Gen. 46. 11. Exod. 6. 18.

runt, aptiſſimè. Cabalæ ſecretum Moyſi in Monte Sina revelatum narrant, ex quo veluti per manus traditum ad illos devenisse; nihilque ex eo ſcriptis demandatum fuiſſe, quòd quidquam de illo ſcribi vetitum eſſet. Ferunt apud Polonos, aliaſque Septentrionales Regiones frequentiſſimos occurrere Judæos, qui Cabalam profitentur. Vide Baſnage in Continuat. Joſephi tom. 6. l. 9. c. 7.

(Cabalam ſeu traditionem Judæorum ita deſcribit Maimonides Præfat. in Miſchnam. Scripſit Deus Moyſi Legem, tradit etiam illi ejuſdem Legis in monte Sinai interpretationem. Cùm è monte deſcendens in ſuum ſe tentorium recepiſſet, Aaronem fratrem convenit, quocum Leges à Deo receptas & illarum expoſitionem, quas docente Deo acceperat, communicavit. Tum Aaron conſtituit ſe ad dexteram fratris, & introducti Eleazarus ac Ithamarus filii Aaronis, ea omnia, quæ Aaron à Moyſe, auſcultarunt. Illis pariter ad dexteram & ad ſiniſtram Moyſis poſitis, introducti Septuaginta Seniores Iſraelis, ex quibus Sanhedrin coaleſcebat, nec illis Moyſes ſcientiam hanc ſuam invidit. Tandem venire permiſſi ſunt quicunque vellent ex populo, ac docente Moyſe inſtructi. Factum inde ut Aaron ex ore loquentis Moyſis quater auſcultaret, quæ Deus illi expoſuerat in monte, ter inſtructi Eleazarus ac Ithamarus, bis ſeptuaginta Senes, & ſemel è populo reliqui.

Poſt hæc ſcripto Leges illas Moyſes redegit, expoſitiones menti commendatas retinuit; commendatas, inquam, non ſuæ tantùm, ſed & cæterorum, quos inſtruxit, & poſterorum deinde omnium per ſæculorum ſucceſſionem, ad quos ex prioribus illis devenerunt. Leges ſcriptis traditas habemus in Libris Moſaicis, in Exodo, Levitico, Numeris; expoſitio traditione vel cabala Hebræorum memoriæ commiſſa adhuc perſeverat. Ipſa eſt *Lex oralis*, quod ex ore in os, ex parentibus in filios tranſierit; eodemque nomine ab iis diſtinguitur, quæ *Leges ſcriptæ* appellatæ ſunt.

Ex his traditionibus vel cabalis quædam, inſtructis à tutelaribus Angelis, Patriarchis tribuuntur (a). Adam præceptorem in cabala audivit Angelum *Razielem*; Sem *Japhielem*; Abraham *Zedekielem*; Iſaac *Raphaelem*; ſicut & *Peliëlem* Jacob, *Gabrielem* Joſeph, & *Metatron* Moyſes, *Malathielem* Eliæ. Ita magnis hiſce nominibus authoritatem conciliare nituntur Rabbini ſuis legum expoſitionibus, quas acriter perſtringit Jeſus Chriſtus in Evangelio. Hæc vera notio cabalæ, vel traditionis Judaicæ.

Alia obtinet cabala artificialis dicta, qua abdita & myſtica in vocibus quibuſdam Scripturæ deducuntur, variè inter ſe comparatis, quibus ſcriptæ ſunt, elementiſtibus literis. Cabalæ hujus tria ſunt genera; *Gematria*, *Notaricon*, *Temarah* vel Immutatio. Totum Gematriæ artificium ex eo petitur, ſi vocis Hebraicæ totidem literæ ſeu pro compendiariis notis, ſeu pro numeris arithmeticis uſurpentur, tum ſingulæ voces exponantur juxta valorem arithmeticum, quem reddunt; e. g. literæ Hebraicæ vocis *Jabo Schiloh* (b), Siloh veniet, eundem arithmethicum numerum reddunt, ac *Meſſiach* Meſſias; ex quo rectâ conſecutione deducitur *Schilo* ipſum eſſe Meſſiam.

Succedit cabala *Notaricon*, qua ſingulæ voces alicujus literæ pro integra voce uſurpantur, e. g. *Bereſchit*, quæ prima occurrit in Geneſi, vox conſtat literis, B, R, A, SCH, IT, hanc ſententiam exhibentibus; *Bara-Rakia Arez Schamaim-jam-Thehoth*: *Creavit firmamentum, terras, cœlos, & mare abyſſos*. Eodem pariter artificio priores ex integra ſententia literæ in unam vocem conflantur; e. g. *Atah Gibbor-Lebolam* *Adonai*: Fortis es in æternitate Dominus. Cujus ſententiæ priores literæ formant Dei nomen iſtud: *Agla* (c) quo ſignificari poteſt, ego revelabo, vel roris gutta.

Succedit tandem Cabala *Themurah*, i. e. Immutatio, qua ſcilicet variè inter ſe tranſmutatæ literæ, invicem licèt, ſententiam reddere cogantur: eodem artificio, quo Latini, Galli, Itali anagrammata conficiunt. E. g. è Bereſchit redditum eſt *A. Betiſri*, prima dies menſis Tiſri; unde illatum, mundi creati exordium componendum eſſe cum prima die hujus menſis, fermè noſtro Septembri congruentis.

Obtinuit etiam ut abuſione quadam apud Chriſtianos *Cabala* appellaretur Magiæ genus quoddam, abutens ſententiis Sacræ Scripturæ ſeu ad magicas quaſdam excantationes, ſeu ad magicos characteres, figuras taliſmannicas &c. Hujus generis ſunt *Abraxas* Antiquariis notiſſimi. Eodem nomine cenſetur ars hermetica, ſeu Philoſophici lapidis inquiſitio.

CABALISTÆ, quo nomine appellantur Judæi Doctores Rabaniſtæ, æque admittentes cum Textibus Scripturæ expoſitiones etiam Thalmudicas, Veterum traditiones, ac prætereà ſtudium collocantes ſuum indagandis occultis & myſticis Scripturæ ſenſibus, quos Deus inquiſitioni hominum permittit. Nihil eſt enim juxta illos in Lege non myſticum, non literula, non accentus.

Primus, quem noverimus Author Cabaliſta, eſt Simon filius Joachim, vir ſane & Judæis & Chriſtianis quibuſdam magnus, florens, juxta illos, paulo ante everſionem Jeruſalem per Titum (d) Rejicitur tamen ab aliis ad decimum ſæculum, & decora illius omnia inter fabellas amandant. Scriptus ab eo Liber *Zohar*, ſed variis auctus incrementis impreſſus eſt.)

CABSEEL, Urbs in regione meridionali Tribus Juda. *Joſue* 15. 21.

CABUL, ſeù *Chabul*. Vide *Chabul*, ſeù *Chabalon*, ſive *Chabalon*.

CABUS, ſeù *Cab*, menſura Hebræorum, ſexta pars *ſeah*, ſive *ſati*, duodevigeſima vero *Epha*. Cab pariam cum dimidia, octava pintæ parte, & digito cubico, & aliquantò ampliùs capiebat. Tantùm ſtercoris columbarum, ſeù cujuſdam ciceris, quod ſtercus columbæ appellabatur, quantum quartam cabi partem impleret, olim in obſidione Samariæ quinque ſiclis vendebatur (e). Porro quarta Cabi pars ſemiſextarium cum pintæ octava parte, & digito cubico paulò excedit. Cabum alii *log*, ſeù *rebah* denominant. *Cabus* longe differt à *Cad*, ſeù *Cada*.

CADEMOTH, Urbs Rubenitarum. Vide infra *Cedimoth*.

CADES, ſeù *Cades-barne*, alio nomine *Fons Judicii* (f). Nomen huic Urbi fecere tum Maria in eadem clauſtens (g); tum Moyſes & Aaron, cùm rupem apud aquas Contradictionis percutere juſſi, Dei Omnipotentiæ diffidere aliquantulùm viſi, morte damnati fuere, optata ſpe Terræ Promiſſæ potiundæ præciſa (h). Hujus Rex à Joſue occiſus eſt (i). Ad meridiem Hebron ſita, 24. milliaribus aut circiter ab ea diſtat, & inter Urbes Tribus Juda recenſetur. *Joſue* 15. 24.

Forte *Cadytis* illa, cujus ſitum Herodotus *l.* 3. *c.* 5. deſcribit, non alia eſt à Cades, de qua loquimur. *A Phœnice*, ait, *uſque ad montes Cadytis urbis Syrorum, qui Palæſtini appellantur, regio eſt: A Cadyti autem, quæ urbs eſt, ut mihi videtur, non multò minor Sardibus, emporia maritima uſque ad urbem Jenyſum, ditionis ſunt Arabicæ. Ab urbe Jenyſo rurſus Syriaca uſque ad lacum Serboniidem*. Palæſtina igitur à Phœnicia, quæ Carmelo terminatur, uſque ad montes Cadesbarne, ad meridiem Palæſtinæ ſitos, porrigitur.

A'

(a) R. Abraham Bendior, Præfat. in Jetzira.
(b) Geneſ. 49. 10. (c) Vide Salatin. Arcan. lib. 2. cap. 15.
(d) Vide Baſnag. hiſtor. Judæor. tom. 6. lib. 9. cap. 7. pag. 317. Gallicum Opus,
(e) 4. Reg. 6. 25. (f) Gen. 14. 7. (g) Num. 20.
(h) Num. 27. 14. (i) Joſ. 12. 22.

A' Cſdes uſque *Jenyſum*, locum nobis incognitum, emporia maritima ad Arabes ſpectant; rurſus à Jenyſo, uſque ad Lacum Sirbonidem, Syrorum Palæſtinorum ditio ſuccedit. Hæc omnia ſatis perſpicua videntur. Herodotus alibi *l. 2. c.* 150. narrat Nechon Ægypti Regem Syros prope Magdolum ſtegiſſe, & Cadytim magnam Syriæ Urbem occupaſſe; quæ omnia Nechai de Joſia Rege Judæ victoriam, prælio ad Urbem Maggedo, Scriptura teſte (a), inito, innuere videntur. Magdolum autem Herodoti Maggedo nonnihil ſonat; uti & Scaliger aſſentitur.

Sunt tamen qui credant Cadytim non aliam eſſe quàm Jeruſalem, quæ non rarò *Cadyta*, ſeù *Cadyſcha*, ſcilicet *Urbs Sancta* dicebatur. Verùm Jeruſalem a Nechao occupatam ſivè ante, ſivè poſtquam Charcamas expugnaſſet, nuſquam in Scriptura deprehendimus. Nos olim credidimus (b) Cadytim Herodoti eandem eſſe ac *Cades*, ſeù *Cedes* Nephtali in Galilæa ſuperiori, à Nechao fortaſſe, poſt victoriam de Ioſia ad Maggedo juxta radices Carmeli, oppugnatam; eunti enim Charcamas ad Euphratem, Cades Nephtali occurrit.

CADES NEPHTALI, communi appellatione *Cedes* dicta, Ioſepho *Cadeſa*, ſeù *Cadeſa*, & in Græco Tobiæ Textu, *Cudis*, ſita erat in ſuperiori Galilæa ſupra Naaſſon, ad ſiniſtram, ſcù Septentrionem habens Sephet (c). Hæc primùm Tribui Nephtali, (d) deindè Levitis ex familia Gerſon ceſſit, *Joſ.* 21. 32. ac tandem una ex Urbibus Refugii deſignata eſt. *Joſ.* 20. 7.

CADMONÆI. Vide infra *Cedmonæi*.

CADUMIM, torrens (e), quem alii nullo ducti argumento, ab Occidente in Orientem per radices montis Thabor in mare Tiberiadis influere opinantur. Alii verò malunt torrentem Cadumim & Cedron duo eſſe ejuſdem rei ſynonyma, quibus Scriptura favere videtur: *Torrens Ciſon traxit cadavera; torrens Cadumim, torrens Ciſon.* Fortè Urbs *Cadmon* in viciniis ſita (f) nomen dedit torrenti *Cadumim*, qui etiam Ciſon appellatus eſt. Vicum quemdam ſatis amplum nomine *Kudmon* ſitum in Campo Magno ſex milliaribus à Legione, ſeptentrionem verſùs, Euſebius commemorat.

CADUS, ſivè *Cad.* Hebræis eſt amphora, ſitula, cadus; ſed Luc. 10. 6. eſt menſuræ genus: *Quantum debes Domino meo? Centum cados olei.* Græcus habet *centum bathos*. *Bathus* autem, qui & Epha dicitur, continet menſuræ Pariſienſis 29. pintas, cum dimidia, & inſuper ſemiſextarium, pintæ octavam partem, & ampliùs aliquantò. *Cab* non excedit 18. partem *Cadi*, ſeu Ephæ.

(CÆCUS, CÆCITAS. Uſurpatur interdum cæcitas pro lucis privatione, interdum pro caligine quadam temporaria. E. g. cæcitas illius qui ab ipſo ortu vitium retuliſſe fertur in Evangelio, ſicut & Tobiæ, reale quoddam erat, cum uſura lucis reipſa privarentur. Caligine quadam ad tempus laborarunt tantùm Sodomitæ, quærentes oſtium Loth, nec invenientes, *Gen.* 19. 11. & S. Paulus, qui triduo, cùm primùm venit Damaſcum, *Actuum* 9. cæcitate laboravit. Viris illis oculorum functiones ſuſpendebantur. Qua eſſent habitudine Sodomitæ optimè expreſſerunt Septuaginta ſcribentes, percuſſos illos *aorasia*, veluti ſi diceretur *avidentia* impotentia ſcilicet actu videndi.

Cavet Moyſes Levit. 19. 1. *Nec coram cæco pones offendiculum.* Quod vel ad literam accipiendum eſt, vel reputandum inſinuari à Moyſe, quo ſimus humanitatis & charitatis ſenſu in eos, qui lumine & conſilio deſtituti ſunt: ut viam errantibus monſtremus, rudes inſtruamus, nec imbecillibus offendiculum ponamus. Mentem hanc ſuam exponere videtur idem Moyſes Deut. 27. 18. *Maledictus qui errare facit cæcum in itinere.*

Davidi ejuſque copiis obſidione ſtringentibus Jeruſalem, inſultantes Jebuſæi dicebant 2. *Reg.* 5. 6. *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos*, Urbem defendentes; veluti ſi reipſa, inſultandi hoſtibus cauſa, ſuper mœnia conſtituiſſent eo vitio affectos propugnatores vel fortè dicto illo ſuo ſignificarunt, ſolis cæcis & claudis delendi Urbem potuiſſe. Expugnavit tamen illam David, & gladio victoris per vias diſcurrens, inſultatoribus ſuis cæcis & claudis utique non pepercit: *Abſtulit cæcos & claudos odientes animum David.* De ſe ipſo Jobus c. 9 25. *Oculus fui cæco*, probo conſilio adjuvi indigentes, laboravi ut eos deducerem ex errore, qui lumine & mentis oculo capti à recto aberraverant. Paria ferme ſuadet Jeſus Chriſtus, Matth. 15. 14. monens, ſi fortè cæcus cæco ducem ſe præbuerit, futurum ut ambo cadant in foveam; ſuggillans hiſce magna de ſe præſumentes Phariſæos, qui cæco licèt errore à via Domini aberraſſent, duces ſe tamen recti cæteris præbebant. Et Joannes 9. 40. 41. profitetur veniſſe ſe in mundum: *Ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Peti ſe hiſce intelligentes Phariſæi, repoſuerunt: *Nunquid & nos cæci ſumus?* Et Jeſus ſtatim: *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis: Quia videmus; peccatum veſtrum manet.* Si humili atque ſincero animo eſſetis, ut deſtitutos vos lumine ultrò fateremini, ejuſque indigni dari vobis poſtularetis à Patre luminum, evitare peccatum pronum eſſet vobis.

Inter potiſſimos Meſſiæ characteres ille expreſſus eſt à Prophetis (g), futurum ſcilicet ut cæci lumini reſtituantur. Id Jeſus ingeſſit oculis Diſcipulorum S. Joannis, qui nomine Magiſtri ſui poſtulatum ab illo venerant, ecquis ipſe eſſet. Renunciandum ille mandavit Joanni *Matth.* 11. 5 *Cæci vident, claudi ambulant.* Porrò cæcos non inſrequentes à Jeſu Chriſto valetudini reſtitutos perhibent Evangeliſtæ.

Cæcitas cordis Judæorum obduratorum non ſemel exprimitur, maximè in Libris N. T. *Contriſtatus* (Jeſus) *ſuper cæcitate cordis eorum Marc.* 3. 5. Illam prædixerat Iſaias. Deus eundem Prophetam alloquens ait *Iſaiæ* 6. 10. *Vade, & dices populo huic: Videte viſionem, & nolite cognoſcere; excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava;* i. e. vaticinare futurum ut obfirmentur animo, ut cæcitas eorum oculis inducatur; quare nec audient, nec videbunt quæcunque ſibi expediant ad ſalutem.

CÆLUM. *Cælum & terra* Geneſ. 1. 1. uſurpantur procreaturis omnibus ſenſilibus. Cælum eſt etiam non rarò aer. *Volucres Cæli*, ſunt volucres diſcurrentes per aera, *aquæ Cæli, & cataractæ Cæli*, ſunt imbres. Deus pluere fecit è *Cælo* ſulphur & ignem in Sodomam *Geneſ.* 19. 24. i. e. ex aere pluit. *Ros Cæli*, manna è Cœlo cadens; *nubes Cæli; venti Cæli;* in his omnibus Cœlum eſt aer.

Stellæ conſtitutæ ſunt *in Cælo*, ſive in firmamento. Cœlum velut è ſolidâ quadam materia concameratum & immanem fornicem, Hebræi concipiebant. Deus conſtituit Solem & Lunam *in firmamento Cæli Geneſ.* 1. 14. 15. &c. Deus velut Imperator quidam potentiſſimus nomina aſtris imponit, eaque parata habet ad nutum *Pſal.* 146. 4. ideo aſtra illa *Cæli militia* appellantur Deut. 17. 3.

Deum Hebræorum non Judæi tantùm, ſed & Paganæ atque exteræ quæcunque gentes *Deum Cæli* appellabant (h); ideò facilè, quod nihil ſenſile colerent Judæi, & nunquam non oggererent Deum ſuum in Cœlo regnare, ubi ejus thronus, & unde jura daret rebus omnibus creatis.

Cælum Cælorum, inter Cœlos ſummum; ut *Canticum Canticorum*, eximium inter Cantica; *Deus Deorum*

(a) 4. Reg. 23. 29. 30. (b) Vide noſtra Comment. in 4. Reg. 23. 29.
(c) Tob. 1. 1. 2. (d) Joſ. 19. 36.
(e) Jud. 5. 21. (f) Judith. 7. 3. in Syriaco.
(g) Iſaiæ 29. 18. & 35. 5. & 42.
(h) 1. Eſdr. 1. 2. & 5. 11. & 6. 9. 10. & 7. 12. &c. Judith. 5. 9. 12. Jonas 1. 9.

& Dominus Dominorum, inter Deos atque Dominos ſummus. Illud ipſum eſt tertium *Cælum*, de quo S. Paulus, 2. Cor. 12. 2. non enim niſi tres agnoſcunt Hebræi; 1. Cælum aereum quod diſcurrunt aves, ubi regnant venti, ac pluviæ formantur. 2. Cælum ſtellarum ſeu firmamentum. 3. Cælum Cælorum ſive tertium Cælum, ubi Deus, Angeli & Juſti beatitudine donantur.

Nomina Sanctorum & Prædeſtinatorum *ſcripta ſunt in Cælo* (a), in Libro vitæ. *Tabulæ Cæli*, quarum meminit Teſtamentum duodecim Patriarcharum, & vetera quædam Scripta, facilè erant apocrypha aliquo volumina referentia Prophetica, uti cenſebantur oracula. Tenent alii deſignari illis arcana Aſtrologiæ judiciariæ (b), alii prototypa Legum Moſaicarum, ſicut & Novi Teſtamenti, quæ in Cælo recepta cenſebantur.

Regnum Cælorum, variis ſubeſt ſenſibus, quos habes deductos, *v. Regnum*.)

CÆREMONIÆ, Latina vox, ritum & apparatum ſignificans, quo Miniſtri Religionis functiones ſacras exercent. Quamvis enim verus Dei cultus interno cordis ſacrificio exhibeatur: *Eos qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare* (c), externus tamen cæremoniarum cultus non parvi ad Religionem momenti, imò & neceſſarius hominibus unum Eccleſiæ & Religionis corpus componentibus, cenſendus eſt (d). His ſublatis, quæcunque illa fuerit Religio, concordia, & unione reciſa, in partes malè cohærentes diſſolvitur; ac ſingulis ſui ſpiritus, & appetitus ductum ſequentibus, totum cultum in ſuperſtitionem degenerare neceſſe eſt.

In Veteri Teſtamento Deus primò Legem hominibus tradidit, in his quæ ad Deum & proximum neceſſariò pertinent, informandis; tum cæremonias præſcripſit, plures quidem, & varias, ut iis occupati (e) inclinantes in Idololatriam animi veluti contrario pondere retinerentur; ac Liberatorem ardentioribus votis expeterent. In novo Teſtamento Chriſtus, & Apoſtoli, à cæremoniis præſcribendis ferè abſtinuerunt, non quòd eas omnino ſuperfluas judicarent; ſed quòd omnino Religioni quaſi parergon ducerent. Quamvis enim Religionem hanc, ſpiritu licèt ductam, cæremoniis carere non poſſe ſcirent; eas tamen ad ſpiritus conſervationem, utque debilibus mos gereretur, adhibendas eſſe cenſuerunt.

Vox *cæremonia* non rarò in Veteri Teſtamento in Vulgata occurrit; quamvis aliquando vox Hebræa illi reſpondens, alia voce in Vulgata reddatur. Hebræi quidem nullum habent nomen, quod Latinum *cæremonia* ſatis exprimat; quare Moyſes ubi nos cæremoniam, vocem, quæ cultum, ordinationes, ſtatuta, præcepta &c. ſignificat, ſcribit.

(Magna inter Eruditos contentione diſquiritur an Judæorum cæremoniæ expreſſæ ſint ex Ægyptiacis, ſeu Ægyptiacæ ex Judaicis. Quæ ſemper affinitas inter utriuſque populi mores & cæremonias ſpectata eſt, viros doctos diſtraxit in partes. Olim Romanorum Imperatorum tempore (f), confuſæ plerumque Judaicæ ac Ægyptiacæ ſuperſtitiones, exterorum omnium odia & execrationes ſuſtinebant. Eques Marshamus Canon. Chronolog. &c. ſæcul. 11. & Joannes Spencerus Anglus, De Legibus Hebr. Ritual. defendendum ſuſceperunt Moyſem ab Ægyptiis in ſuum ſuccum tranſtuliſſe plura. Opinio huic contraria viris doctis arriſit pluribus.

Atque in ipſo limine animadvertere juvat plura quidem ſpectari affinia inter quaſdam utriuſque gentis cæremonias; ſed plura viciſſim ſunt inter ſe, & ſtudio, uti quidem videtur, inducta repugnantia. Nec diſſimulandum pariter, plurimùm interceſſiſſe ſimultatis inter utraſque, quanquam & multa ſimul apparet animi propenſio in Iſraelitis inclinantibus in cultum & ſuperſtitiones Ægyptiacas: ſicut etiam maximo ſtudio detentos ſcimus Ægyptios, ut religionem ſuam & cæremonias finitimis adprobarent. Animi propenſiones illæ ſecum adeo repugnantes, neceſſariò utique exigebant, ut plures ſimul leges & cæremoniæ oppoſitæ prorsùs inter utraſque gentes ſancirentur, & plures viciſſim aliæ prorsùs affines & communes utrinque.

Cùm verò ad ſingulas haſce leges & cæremonias utriuſque gentis diſcutiendas animum applicamus, diſtinguimus ſtatim in peculiaribus quibuſdam ritibus indulgere voluiſſe Moyſem aliquid ingenio, propenſioni, habitudini, præjudiciis, quin & obdurato Hebræorum cordi, ex quo permittendum illi, ſeu vetandum cenſuit vetita quædam pariter, ſeu permiſſa in Ægypto. E. g. commodè ex Ægyptiorum ritibus exprimere potuit veſtes & ornamenta Sacerdotum, victimarum delectum, ſpectato ſcilicet certo earum vellere, ſexu, ætate & ritu offerendi; eorum pariter imitationi aliquid indulſit in forma Templi & Altaris. Ita quoque in legibus judicialibus plura Judæis præſcripta ſunt, quæ derivata videntur ex Ægyptiis, cujus rei ratio facilis ſuppetit: cùm enim longam traxiſſent Iſraelitæ in Ægypto moram, ibique coaleſcere cæpiſſent in populum, leges etiam ejus gentis admittere coacti ſunt. Moyſes, qua erat prudentia & diſcretione Legiſlator, novit utique, quæ forent utilia, quæ ſaltem non pernicioſa; quibus cæteroqui populus longo uſu aſſueviſſet: contentus autem ſupprimere & damnare pernicioſa, juſtitiæ, pudori & religioni contraria, retinuit cætera.

Ex eo fonte tot leges & cæremoniæ, quarum cauſas & rationes via aſſignaremus; ex eo tot in ſpeciem frivola, & minuta. Sapientiſſimè hæc utique conſtituta ſunt, & finem habent ſat dignum, ut ſcilicet magis magiſque removerentur Hebræi à dogmatibus, moribus & ſuperſtitionibus Ægyptiacis, ut quanto ſieri poſſet majori diſcrimine removerentur ſe invicem populi illi; quod maximè neceſſarium erat & conducens, tum ad amovendos ab Idololatria Judæorum animos, & contrario niſu retrahendos ab inſita propenſione in cultum & abominationes Ægyptiacas. A diſcutiendis ſingulis legalibus & ſacris Hebræorum cæremoniis, quibus in infinitum fermè abduceremur, ſuperſedere optimum ducimus; ſat erit exempla quædam in Operis decurſu attuliſſe.)

CÆSAR, nomen omnibus Romanorum Imperatoribus ab Julio Cæſare ad ejuſdem Imperii finem uſque commune. In Scriptura *Cæſar* abſque addito Imperatorem tunc temporis regnantem exprimit: quare Chriſtus Tiberium innuens, *Reddite*, ait Matt. 22. 21. *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*; & S. Paulus, *Cæſarem appello* (g), ſcilicet Neronem. Vide *Julius Cæſar*.

CÆSAREA PALÆSTINÆ, anteà *Turris Stratonis*. Hanc Herodes Magnus in honorem Auguſti ædificavit. Sita erat ad orientale Mediterranei latus; ac à Ieruſalem ſexcentis ſtadiis, ſive 80. circiter milliaribus remotam Joſephus tradit (h). Portu ſatis commodo; habitatoribus partim Judæis, partim Græcis ſeu Ethnicis, inter quos non rarò ad arma concurrebatur. Poſt bellum Judaicum Veſpaſianus Coloniæ Romanorum aſſignavit. Hujuſce Urbis frequens eſt mentio in Novo Teſtamento. Hic Rex Agrippa populi laudibus tumens, nec Deo gloriam referens, à Deo percuſſus eſt (i). Cornelius Centurio baptiſmo ibidem à S. Petro initiatus eſt (k). Cæſareæ domicilium habebat S. Phi-

(a) Luc. 10. 20. Hebr. 12. 23. (b) Vide Doduuel. & Simon. apud Fabric. Apocryph. V. T. t. 2. p. 151.
(c) Job. 4. 24. (d) Aug. l. 19. cont. Fauſt. *In nullum nomen Religionis ſeu verum, ſeu falſum coagulari poſſunt homines, niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.*
(e) Act. 15. 10. (f) Sveton. in Tiber. cap. 36. Tacit. Annal. 2.
(g) Act. 25. 10. (h) De Bello l. 1. c. 3. Antiq. l. 13. c. 19.
(i) Act. 12. 23.
(k) Act. 10. 1 &c.

S. Philippus Diaconus, quatuor Virginum Pater (a). Ibi Agabus Propheta Paulo Apoſtolo carcerem & vincula Hieroſolymis imminere prædixit. Act. 21. 10. 11. Tandem Apoſtolus Paulus tandiù ibidem carcere detentus eſt (b), quandiu Romam abduceretur. Hæc Urbs intelligenda eſt, quoties in Scripturâ nomen *Cæſarea*, abſque addito invenitur.

CÆSAREA PHILIPPI, antea *Paneas*, ſic dicta, quòd monti Paneo prope fontes Iordanis ſubjecta eſſet; quanquam & hoc nomen à Phœnicibus (c) obtinuiſſe creditur, cùm antea *Dan*, ſeu *Lais* appellaretur. Verùm Euſebius *Dan*, & *Paneadem* tanquam duas Urbes invicem proximas deſcribit (d). Hæc itinere diurno à Sidone diſtabat (e), & unius diei cum dimidio à Damaſco (f). Philippus Tetrarcha eam vel condidit, vel ornavit, ac ex nomine Tiberii Cæſaris *Cæſaream* appellavit; indè etiam Neronias Neronis nomine dicta eſt (g). Iordanes latentibus meatibus à Lacu Phiala illuc uſque deductus, itinere 120. ſtadiorum ſivi quindecim milliarium inde erumpens aperto amne fluit (h).

Fœminam illam, quæ fimbriæ Chriſti contactu à fluxu ſanguinis liberata eſt (i), ex hac Urbe acceſſiſſe, ferùntque in accepti beneficii monumentum, Chriſti ſimulacrum ibidem erexiſſe; (k) cujus fimbriam ſemel ut herbæ circum ſubcreſcentes tetigiſſent, morbis quam plurimis medendis utiliter adhibebantur. Hanc Statuam Julianus Apoſtata dejecit, ut ſuam erigeret, quam tamen ignis è Cœlo abſumpſit; illa verò Chriſtianorum curâ in Eccleſiâ repoſita eſt.

CÆSENNIUS GALLUS, in Græco Joſephi Gallus tantùm, Dux Legionis duodecimæ exercitus Romani in Syria. Hic à Ceſtio (l) ad ſubigendam Galilæam miſſus, Sepphorim, aliaſque munitiones occupavit, manum Judæorum, quæ in montem Azamon in Galilæa ſe receperat, fudit, atque fugavit.

CAIN, primogenitus Adam, natus anno primo Mundi; quem alii ab Eva geniellum cum filiâ quadam nomine *Calmana*, ſive ut aliis placet, *Azura*, ſeu *Azarum*, editum putant, de qua tamen nihil in Scriptura. Cain cum adoleviſſet, agriculturæ (m); Abel verò ejus frater paſcendis ovibus operam dedit. Uterque laboris ſui primitias quadam die Domino offerentibus, lac & agnos ab Abele oblatos ſibi gratos eſſe Dominus ſenſibili quodam ſigno manifeſtavit, fructuum primitias à Cain oblatas minimè dignatus; quâ amoris ſignificatione Cain privatus, adeo ægrè tulit, ut livoris in fratrem notis in ipſo vultu exhiberet. Cui Dominus, cur, ait, triſtis es? Quid concidit facies tua? Annon benefacta præmium, pœna maleficium conſequetur? Abel tibi ſubditur, tuque jure primogeniti illi imperabis.

Verùm Cain æſtu livoris fervens fratrem in agrum adductum occidit. Tum Domino quid de Abele? ipſum interroganti, ſe ignorare, neque illius cuſtodem eſſe reſpondit. Dominus verò, quid, inquit, egiſti? Fratris tui clamoris ad me vox è terra pervenit; tuque in terra, quæ fratris tui ſanguino dehiſcens exhauſit, infeſtiùs vives. Culta te tellus fructu fruſtrabitur, Orbemque vagus, profuguſque peteres bis. Cui Cain crimen ſuum qualibet veniâ majus eſſe teſtatus, cum ab omnibus ſe impoſterùm interficiendum eſſe diceret, nequaquam, ait Dominus: qui te interficiet, ſeptuplum redderet: Tum ipſum ſigno quodam diſtinxit, ne à quoquam occideretur. Porrò ſignum illud alii dicunt cornu fuiſſe, iſtico in fronte natum; alii primam literam nominis Cain fronti inſcriptam; alii tremorem totius corporis, angoris conſcientiæ indicium; quæ ſententia etiam Patribus arriſit; Rabbini verò canem ante illum allatrantem. Timebat verò Cain, ne in filiorum Abelis, ſive fratrum manus incidens, commiſſum crimen cædis ſua expiare cogeretur, occiſionem enim neceſſariorum ulciſci tunc temporis, & diu etiam poſt religio erat. Quare Lex Urbes Refugii deſignavit; quò tuto confugerent qui fortuitò, & citra dolum hominem occidiſſent; quemammodo in aliis caſibus [illegible] legem ferens.

Igitur Cain a Domino ſe ſubducens in terram Nod, ad Orientem Provinciæ Eden receſſit; ubi Henoch filium genuit, & Urbem Filio cognominem condidit. Præter hæc quid de Cain ex Scriptura novimus: plura tamen de illo diſputant Commentatores: ubi quonam de cauſa, & quo inſtrumento Abel occiderit, quorumnam indignationem timuerit: quò aufugerit; quo ſigno à Domino notatus fuerit; quo mortis genere obierit. Hanc verò mortem ita contigiſſe; traditione tamen omnino incerta, ferunt. Lamech caſu obcæcatus à venatione tamen non abſtinebat, operâ cujuſdam pueri uſus, quem ducem habebat itineris, & indicem prædæ, ſiqua occurriſſet. Accidit ut quadam die à duce admonitus, qui ſtrepitu quodam audito feram adeſſe crediderat, ſagittam exploderet, quæ pro fera, Cain, ibi fortè latentem, occidit. Cognito errore Lamech adeò vehementer excanduit, ut puerum illum repentè confoderit. Tum domum regreſſus duas uxores ſuas Adam, & Sellam his verbis compellavit (n): Audite uxores Lamech: Virum malo meo, & adoleſcentulum meo infortunio interfeci. Qui Cain occiderit, ſeptuplum; qui Lamech, ſeptuagies ſepties punietur.

Cain ſtatuto in *Naid*, ſivè *Nod* domicilio, Urbeque ibi ædificata, exilio deteriorem factum in omnia vitia, & violentias effrænem irruiſſe; latronum præbuiſſe ſe ducem; malis artibus divitias cumulaſſe, alioſque docuiſſe, ut ſuo exemplo diteſcerent; primævam tandem ſimplicitatem, & æquitatem fraudibus, dolis in negociationibus locum cedere coegiſſe; pondera, & menſuras excogitaſſe; terminos agris omnium primum impoſuiſſe; Urbes denique ædificaſſe, ac munivisſe teſtatur Joſephus Antiq. l. 1. c. 3.

Porrò ipſi Cain alii 800. annorum; alii 700. alii 631. alii 931. vitam tribuunt, alii uſque ad diluvium protrahunt. Sunt qui ſcribant à domo ſubitò corruente oppreſſum; alii verò à Lamech; alii tandem à ſe ipſo occiſum ferunt (o). Cæterum, nedùm eorum quæ diximus, ſed etiam quæ de hiſtoria Cain feruntur incerta fides, de quibus Commentatores conſulantur.

Tenent Orientales, filios Seth filios nempe Dei & fideles, ante diluvium pluries [illegible] fatos fuiſſe bello à filiis Cain, quos Scriptura filios hominum appellat. Adduntque, multum filius Cain momenti fuiſſe Caïumarum primum Regem Orientis juxta Perſas, & cœ & Du[illegible] copiarum ipſius Imperatorem (p).

Priora Eccleſiæ ſecula afflixit hæreſis, Cainanorum vel Cainitarum ideo appellata, quod virum illum patrem ſuum & principem ſuſpiceret. Gnoſticorum, errores ſanè monſtruoſos tenentium, erant ſurculus; defendebant enim Gnoſtici Cainum, Eſaum, Loth, Judam proditorem, Sodomitas & cæteros tandem probroſo aliquo elogio notatos in Libris ſacris, quorum etiam impiè geſta relata ſunt, è virtute quadam cœleſti & potentiſſima ſatos fuiſſe; cùm viciſſim Abel & cæteri Juſti imbecillioris alterius eſſent ſortis. Sceleſtiſſimorum ejuſmodi hominum exempla, & Libri, quos illi authoribus inſcribebant, impellebant homines, ut nihil ſibi ad erhoilita facerent reliqui. Vide Epiphan. hæreſ. 38.)

CAINI, ſeu *Cainitæ*, hæreticorum genus ſecundo Eccleſiæ ſeculo, qui Cain Abeli prævaluiſſe, quod ille matrem habuiſſet Virtutem quandam potiorem, & dignitate meliorem Abelis matre fabulabantur. Eodem ſpiritu eos omnes, qui in Scriptura peſſimi deſcribuntur, magnis honoribus colebant, ut inter cæteros, Sodomitas, Core, Dathan, & Abiron;

 neque

(a) Act. 8. 40. (b) Act. 23. & 24. (c) Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 17. Strabo. [illegible] (d) Euſeb. ad vocem *Bethſamis*. Et ad vocem *Dan*. (e) [illegible] (f) Abulfeda apud Reland. Palæſt. l. 2. p. 920.
(g) Joſeph. Antiq. l. 20. c. 8. (h) Joſeph. de Bello l. 3. c. 18. (i) Matth. 9. 20. Luc. 8. 43. (k) Euſeb. l. 7. c. 18. Niceph. Nic. l. 8. c. 15. (l) De Bello l. 2. c. 25. in Lat. & c. 37. in Græco (m) Gen. 4. 2. &c.
(n) Gen. 4. 23. (o) Vide Bayle in Diction. v. Cain. (p) Herbelot. Bibl. Orient. pag. 323.

neque Juda proditore omiſſo, à quo Chriſtum hoſtibus traditum dicebant, nequicquam obſtantibus Virtutibus quibuſdam mortalium felicitati invidentibus; ideo autem Chriſtum interficere voluiſſe, quòd morte ipſius ſalutem hominibus comparandam nollet. Gnoſticorum, aliorumque eorum temporum hæreticorum impudicitias Cainitæ adoptarunt. Vide S. Epiphanium *hær.* 38. Tertull. *De Præſcript. cap.* 47. &c.

I. CAINAN, filius Enos, quem Pater nonagenarius anno M. 325. genuit. *Gen.* 5. 9. Nihil de eo memoriæ proditum eſt; tantùm annis natum 70. Malaleel genuiſſe, ac anno ætatis 910. diem clauſiſſe novimus An. M. 1235. ante Chr. 2765. ante Ær. 2769.

II. CAINAN, filius Arphaxad, & Pater Sale, cujus nomen tam in Textu Hebræo, quam in Vulgata deſideratur, *Gen.* 12. 12. legitur verò *Luc.* 3. 36. *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.* Apud Septuaginta quoque inter Arphaxad & Sale ponitur (a). Sunt qui Judæos accuſent, nomen illud ex ſuis exemplaribus ſubduxiſſe, ut Septuaginta, & Evangelii authoritati detraherent. Alii credunt Moyſem ipſum conſultò illud omiſiſſe, quòd decem tantummodò generationes ab Adam uſque ad Noe, totidemque à Noe uſque ad Abraham numerare decreviſſet. Alii dicunt Arphaxad patrem fuiſſe Cainan, & Sale, prioris legalem, poſterioris verò naturalem. Alii denique ex Cainan, & Sale unum & eundem hominem binominem conſtant. Hæc illi, quibus Cainan inter Arphaxad, & Sale verè ponendus videtur. Horum opinioni refutandæ non immoramur, Lectoreſque tum ad noſtra commentaria ſuper Geneſim, tum ad Authores de Cainan differentes remittimus (b).

Qui verò nomen Cainan in Septuaginta, & in Textu Evangelii irrepſiſſe autumant, authoritatem Hebraici Textus, Vulgatæ, Verſionis Chaldaicæ, & Syriacæ, uni Verſioni Septuaginta præferendam contendunt; S. Lucam verò, quæ apud Septuaginta legerat, ſimpliciter ſcripſiſſe; quare nulla huic lectioni major authoritas accedit, ex quo ab illo retinetur. Quantæ verò fidei ſit Verſio Septuaginta, in iis, quæ Hebraicæ veritati contraria ſunt, ex detractionibus, & additionibus in Chronologia Patriarcharum ibidem deducta, ſatis apparet. Quid? quòd Exemplaria hujus Verſionis inter ſe comparata invicem diſcrepant? Forte tamen non ab his Interpretibus error, ſed ut non nulli ſuſpicantur, in aliquibus illorum Codicibus nomen Cainan ſuppoſitum fuit; & inde ab Evangeliſta ſumptum; alii verò ex iiſdem Codicibus incorrupti remanſerunt, quibus SS. Patres uſi ſunt, apud quos de Cainan filio Arphaxad altum eſt ſilentium. Et quidem nihil de illo habent Joſephus, Philo, ac Veteres Patres, qui à Noe uſque ad Abraham decem generationes enumerant, undecim numeraturi, ſi Cainan non prætermitterent. Complures etiam malunt, hoc nomen etiam in Textum Evangelii Amanuenſium incuria, æquè ac in Septuaginta irrepſiſſe.

CAIPHAS, ſive *Joſeph Caiphas*, Summus Judæorum Sacerdos, poſt Simonem filium Camith ſacris præfuit novennio ab anno M. 4025. à 4028. cui ſucceſſit Jonathas Anani [illegible]. Quo anno [illegible] mortuus eſt, Mundi 4037. Caiphas Summum Pontificatum gerebat, quo, à Vitellio Syriæ Præſide ſpoliatus eſt. Uxorem duxit unam ex filiabus Anani, ſeu Annæ illius, qui pluribus annis potitus Sacerdotio, etiam ab ea dignitate depoſitus, Summus Pontifex nihilominus in Evangelio appellatur.

Cum Sacerdotes de Chriſto deliberarent, Caiphas pronunciavit, nullum eſſe conſultationi locum, ſed unum hominem morti tradendum (c), ut totius Nationis ſalus conſiſteret; quod à Summo Sacerdote dictum, tanquam Divinum oraculum accipiendum eſt; diſponente Deo, ut ex ipſo Judæorum Sacerdote Summo ſciremus, Chriſtum ſalvandis hominibus mortem oppetiiſſe.

Qua nocte Chriſtus in horto Oliveti à Juda proditus, à militibus captus, alligatuſque fuit, ad Annam hujus Pontificis ſocerum ductus eſt; à quo de doctrina, ac Diſcipulis ſuis interrogatus (d), reſpondit ſe nihil ſecreto locutum, doctrinæ ſuæ populum univerſum teſtem habuiſſe. Hac reſponſione indignatus Caiphæ ſervus quidam, colapho Chriſti malam percuſſit, hæc objurgans: *Sic reſpondes Pontifici?* Pontificem Annam, licet ea tunc temporis dignitate privatum, appellavit, quòd antea Pontificatum diutius obtinuiſſet.

Annas audito Jeſu reſponſo, ipſum ad Caipham remiſit (e), in eadem fortaſſe domo degentem; quo Sacerdotes & Legis Doctores convenerant, quærentes teſtimonia ut Jeſum morti traderent. Nonnulli falſi teſtes auditi ſunt; quorum tamen teſtimonia cum illius damnationi minimè ſufficere judicarentur, Caiphas ipſum adhuc ſilentem interrogavit, cur nihil reſponderet? quem in ſilentio perſiſtentem tum per Deum vivum adjuravit, ut, an Dei Filius eſſet, fateretur. Cui Jeſus: *Ut dicis, Sum. Attamen Filium hominis in nubibus cœli venientem, Deique virtutis dexteræ aſſidentem, ut Judicium exerceat vos viſuros prædico.* His auditis Caiphas veſtes diſcerpens, quid ultra, inquit, teſtes quærimus, poſt auditam ejus ore blaſphemiam? Quid vobis videtur? Tum omnes una voce dignum eſſe morte pronunciarunt.

Inde Concilium, manè iterum cogendum, dimiſſum eſt, ac Jeſus militibus traditus. Manè Caiphas, Synedrio in Templo de more coacto, Jeſum coram omnibus interrogavit, num Chriſtum ſe diceret. Qui reſpondit ſibi quidem nullam præſtandam fore fidem, ſi Chriſtum ſe fateretur, nec ſi libertatem oraſſet, impetraturum; verùm, ait, tempus erit, cum Filium hominis dexteræ Dei aſſidentem videbitis. Tum Judæi: *Filius igitur Dei es.* Quem affirmantem, illum reum mortis pronunciarunt; ac ad Pilatum, ut hanc ſententiam ratam haberet, mittendum cenſuerunt: jus quippe ſanguinis Judæis ablatum. Romanis, quorum nomine hanc Provinciam Pilatus adminiſtrabat, ſibi reſervaverant.

Duos poſt annos, Ær. 35. Chr. 38. Vitellius Syriæ Proconſ. Feſtis Paſchalibus Hieroſolymam veniens, ut populo, à quo magnificè exceptus fuit, gratiam referret, cuſtodiam Pontificalium ornamentorum penes Pontificem Summum deinceps eſſe voluit, [illegible] ea quæ dam ſuper fructus exigi ſolita remiſit, ac tandem Caipham Summo Pontificatu removit; quod inter beneficia Judæis à Vitellio præſtita Joſephus (f) enumerare videtur. Quo mortis genere, & quo tempore Caiphas obierit, nobis latet. Domus ipſius adhuc Hieroſolymis ſupereſſe creditur; quod poſt tot, tantaſque illius Urbis calamitates, incredibile videtur.

CAIPHA, vel *Caipha*, ſeu *Hepha*, aliàs *Hepha*, Urbs ad radices Carmeli, ſeptentrionem verſus ad ſinum Ptolemaidis. Veteribus *Sycaminos*, & *Porphyreon* dicebatur; *Sycaminos* fortè quod ſycomoris eo loco abundaret; *Porphyreon* verò, quia piſces purpuræ ibidem piſcatu capiebantur. *Caipha*, ſeu *Cepha* à ſcopulis, qui à Syris *Cepha*, ab Hebræis *Hepha*, non *Gepha*, vel *Kepha*, dicuntur, fortaſſe nuncupabatur. Vaſto, pulcherrimóque portu ab *Acco* diſterminatur, à qua 15. milliaria, ſi mari iter agatur, tantum vero, ſi terreſtri via, diſtat (g).

I. CAJUS, ſeu *Gajus*, Diſcipulus S. Pauli, de quo in Actibus 19. 29. fortè Macedo erat genere, ſed Corinthi degens, ubi Paulum Apoſtolum hoſpitio excepit (h). Euntem Apoſtolum comitabatur in Aſiam, cum

(a) Gen. 10. 24. & 11. 12. (b) Uſſer. ſuper Cainan. Corn. à Lap. Nat. Alex. Diſſert. in V. T. Grot. in Luc. 3. [illegible] Evang. [illegible] l. 2. cap. 19. & noſtra Comment. in Gen. 10. 24. & Luc. 3. 36.
(c) Jo. 11. 49. 52. (d) Jo. 18. 21. 22. (e) Jo. 18. 24. (f) Antiq. l. 18. cap. 6. (g) Vide [illegible] Nubienſ. apud Reland. t. 2. p. [illegible] (h) Rom. 16. 23. [illegible]

cum Ariſtarcho Epheſum uſque comitatus eſt, ubi diutius ſubſtitere. Excitato ab Argentariis ob Dianam Epheſinam tumultu, Epheſii ad Caii, & Ariſtarchi domum concurrentes, ipſos ad theatrum perduxere. Sedata verò per Scribam Urbis ſeditione nihil gravius contra illos tentatum eſt. Caji cujuſdam diſcipuli S. Pauli ad Epiſcopatum Theſſalonicenſem aſſumpti meminit Origenes Ep. ad Rom. 16. p. 6, 2.

II. CAIUS, cui tertiam ex ſuis Epiſtolis S. Joannes inſcripſit. Hunc cum Diſcipulo S. Pauli nonnulli confundunt; plures verò diſtinguunt, ac noſtrum Cajum eundem credunt cum Derbæo in Lycaonia, de quo *Act.* 20. 4. Caji cujuſdam a S. Joanne Pergamenorum Epiſcopi conſecrati Conſtitutiones Apoſtolicæ l. 7. c. 46 meminerunt. Author Additionum Synopſi S. Athanaſii ſentire videtur, Cajum S. Pauli hoſpitem Evangelio S. Joannis ſermonis ornatum contuliſſe: hæc tamen Cajo Derbæo probabilius tribuuntur (a).

III. CAIUS CALIGOLA, Romanorum Imperium poſt Tiberium gubernavit; cujus regni initium anno Chriſti 37. ſtatuendum eſt; finis verò poſt annum Imperii nonum, menſes novem, & dies 28. Nil contra Chriſtianos movit, contra Judæos plurimum. Imaginem enim ſuam cultui propoſitam volens, Gentiles obſequentes habuit; Judæi, in quorum Templo Hieroſolymis erigendæ Imperatoris ſtatuæ Petronio Syriæ Procoſ. negotium datum eſt, totis viribus reſtitere. Res ad ſeditionem deveniſſet; cum Petronius deſiſtendum ratus, ad Cajum interim ſcripſit (b). In literis nihil de Judæorum obſtinatione commemoravit, veritus, ne ultimam deſolationem in Judæorum capita adduceret; ſed cunctationem cauſatus eſt, quod Artifices tempus ſibi differri ſtatuis perficiendis poſtulaſſent; ſe Judæos hoc potiſſimum tempore cogere noluiſſe, ne forte agris colendis abſtinerent, ac inculta regio tributis pendendis deeſſet, omniaque rapinis complerentur. (*Hæc de literis Petronii narratio non uſquequaque integra fide à Calmet refertur; quare Joſephus loco laudato conſulatur.*)

Cajus Petronii literis perlectis, iis, quæ pro dilatione excuſanda dicebantur, acquieſcere ſimulans, ſe quidem prudentiam ipſius probare reſpondit; verum ſolertius inſtaret monebat, ut ſtatuæ quantocyus dedicarentur. Ii tamen, qui Imperatoris vultum inter legendum Petronii literas notaverant, certam Petronii ruinam eſſe non dubitarunt.

Intereà Agrippa ex Judæa Romam regreſſus, horum nihil ſciens, Cajum de more ſalutaturus adiit; quem iratum offendens, oculiſque in ſui vultum intentis, cauſam tantæ indignationis apud ſe perquirebat. Tunc imperator, Tui, inquit, Judæi verè miraodi, qui ſoli inter homines Cajo Divinos honores denegantes, ultimum exitium in ſuum caput adſciſcunt. Ut Jovis ſtatua in eorum Templo erigeretur, impetrare non potui; illi quippe ſpecie gratiam petendi, undique in me conjurarunt.

His auditis, Agrippa animo defecit, ac domum reductus omnino ſenſibus deſtitutus uſque ad veſperum alterius diei permanſit; tunc verò oculis ſubapertis circumſtantes reſpiciens, iterum ſenſibus deſtitutus eſt. Tandem die tertia reſumpto ſpiritu, Imperatorem per epiſtolam deprecatus eſt, ut Judæis parceret, neve eos ſtatuas recipere cogeret. Cajus literis lectis, & rationibus commotus, lautiſſimo convivio, non multò poſt ab Agrippa exceptus, ipſum inter bibendum beneficiis quampluribus ſe cumulaturum promiſit; petere interim ſi quid vellet. Agrippa occaſionem nactus, orare ſe dixit, ne de ſtatuis in Templo invehendis ulterius cogitaret. Acquievit Imperator, dediſque ad Petronium literis juſſit, ſi ſtatuæ jam erectæ eſſent, illas permittere; ſin minus, Agrippæ gratia ab illis procurandis deſiſtere.

Verùm non ità multò poſt præfatæ Judæis indulgentia perteſus, novam ſtatuam æream, pro ea, quam Sidone elaborari cœperat, Romæ miræ magnitudinis, & auro ſuperinductam conflari juſſit. Hanc verò anno ſequenti ſecum ipſe in Ægyptum transferre, ac ſecretò in Templo Hieroſolymitano erigendam curare, antequam Judæi adverterent, cogitabat. Interea Petronium per literas objurgavit, quòd Judæorum munera potiùs, quam Principis voluntatem reſpexiſſet; juſſitque ipſum eo crimine dignas ex ſeipſo pœnas expetere; quod tantumdem erat, ac ſi mortem ſibi conſciſcere imperaſſet. Deo tamen diſponente non antè redditæ ſunt Petronio literæ, quàm de Caji morte nuncium acceperit.

Sub idem tempus Judæi (c) ab Alexandrinis plurimùm vexabantur, qui a Flacco Præſide adjuti, nihil ad eos perſequendos ſibi reliquum fecerant. Illis coercendis Philo Judæus, aliique ad Cajum deputati ſunt; cumque primò ita benignum nacti fuere, ut ſe eos auditurum, cùm primùm poſſet, polliceretur. Ea humanitate omnes fefellit, non verò Philonem, qui ex qua præſtabat, ſcientia, & experientia ſuſpicatus eſt, Principis animum ab Alexandrinis præoccupatum deteriorem cauſæ exitum, quàm principium facturum.

Nec ſuſpicionem decepit eventus; ſiquidem Cajus in villa ſuburbana, cui nomen Mecænas, quam inſpecturus venerat, Judæorum legatos ad ſe venire juſſos, riſu quodam amaro excipiens; Vos, inquit, Deorum eſtis inimici, qui ſoli inter homines Divinos mihi honores denegatis, ut Deo ne nomine quidem noto deferatis. His dictis protenſis in Cœlum manibus horribilem adeò blaſphemiam vomuit, ut Philo ne referre quidem in ſuo libro auſus ſit. Intereà Iſidorus quidam Principi propior factus, Judæi, inquit, iſti adeò iniquo in te ſunt animo; ut ſoli mortalium ſacrificium pro incolumitate tua offerre recuſent. Ad hæc reclamantibus Judæis, & ſacrificia ſolemnia pro ejus ſalute ter obtuliſſe affirmantibus; Eſto, reſpondit Cajus; ſacrificia pro me obtuliſtis, ſed alteri, non mihi; qui proindè nihil à vobis honoris obtinui.

Aulas interim percurrebat, quid in melius mutari vellet, præcipiens. Tum ad Judæos regreſſus, eos ſerio cur à ſue abſtinerent, interrogavit. Quibus reſpondentibus ſingulas Nationes peculiaribus legibus, & moribus gubernari; ſuoſque adverſarios etiam viciſſim ab aliquibus ſe continere; in quorum exemplum ab adſtantibus quorumdam more ab ovium carnibus abſtinendi commemorato, Sapienter, Cajus inquit; nam caro illa non ſapit. Hinc quo privilegio Cives Alexandriæ haberi vellent ſciſcitatus eſt; inde nec expectato eorum reſponſo, in aulam divertit, quam totam circuivit. Ut egreſſus eſt, vultu remiſſiori à Judæis, num aliud vellent quæſivit; ac nihil moratus, in aliam aulam ſe contulit, ubi picturas quaſdam ſuſpenderat; nec diu poſt illos dimiſit: dixitque, [illegible] eas gentes non tam impias, quam miſeras & ſtultas videri, quæ Divinitatem ſuam credere nollent. Quem exitum hæc cauſa deinceps habuerit, ignotum eſt; Cajo tamen imperante Judæos Alexandrinos nihilo æquiorem conditionem habuiſſe ex Joſepho, & Philone conſtat.

Alia, quæ ad Cajum pertinent, libenter omittimus, ſatis habentes ea attuliſſe, quæ Judæorum gentem reſpiciunt, utpote ad hunc librum ſpectantia. Obiit anno 4. regni, Chr. 41. fœdè à Chærea Prætoriæ cohortis Tribuno trucidatus, dum è Theatro egrederetur. Huic Claudius ſucceſſit.

Cajus pluribus beneficiis, & Regno Judææ Agrippam donavit. Ille ſuum Regnum adiens, invidiam Herodis Antipæ Patruelis ſui, & Galilææ Tetrarchæ in ſe concitavit; qui Romam cundi, ſpe Regis titulum obtinendi, conſilium, authore præſertim Herodiade conjuge, inivit. Quòd ut intellexit Agrippa, illum apud Cajum de ſuſpecta cum Parthis contra Romanor[illegible]

(a) Athan. in Synopſ. p. [illegible]. (b) Joſeph. Ant. lib. 18. cap. 11. De Bello l. 2. c. 17.
(c) Phil. de Legat. ad Cajum.

Romanos amicitia, armaque apud illum ſecreto militibus inſtruendis in promptu eſse accuſavit (a). Herodes ut Italiam tenuit, rectà Bajas tetendit, ubi Cajus verſabatur: nec priùs pervenit, quam Fortunatus Agrippæ Libertus illuc ex Judæa appuliſset, literas Domini ſui ad Imperatorem deferens. Cajus iis perlectis, ab Herode petiit, num tantum armorum apud ſe haberet: quem negare non audentem, Imperator nedum Regis titulo decorare recuſavit, ſed bonis omnibus, & Tetrarchia expoliatum Lugdunum relegavit. Herodiadi verò Agrippæ ſorori, fratris gratia parcere conſtituerat, niſi illa Conjugem ſequi in exilio maluiſset. Has pœnas Deus pro occiſione Jo: Baptiſtæ ex Herodiade & Herode expetiit.

CALAL, vel *Chalal*, Iſraelita, qui Babylone regreſsus, fœminam, quam contra Legem duxerat, dimiſit. 1. *Eſdr.* 10. 3.

CALAMUS AROMATICUS, ſeu *odoratus*, arundinis genus, aut radicis odoratæ, de quo meminit Scriptura, quoties aromata, quibus thymiama conficiebatur, nominat (b). Radix eſt nodis aſpera, exterius rubeſcens, interiùs vero alba, foliis anguſtis, & oblongis. Optimus ex India aſportatur. Prophetæ de illo tamquam de merce extranea diſserunt. Theophraſtus, & Plinius (c) calamos quoſdam odoratos in Syria ultra Libanum provenientes memorant, in Lacu inter Libanum, aliumque parvum montem jacente, cujus aquæ æſtate deficiunt, licèt ultra 30. ſtadia profundatur. Diſtat autem lacus hic à mari 150. ſtadiis; quæ omnia Lacum Semechon indicare videtur. Hi calami, virentes nullum odorem emittunt; plurimum vero, ſi areſcant; qui ad lacum ingredientibus latè ſentitur. Forma nihil ab aliis arundinibus differunt.

CALAMUS, menſuræ genus, Hebræis *Kanna*, de quo in Ezechiele 40. 3., & Apocalypſi 10. 1. Ejus extenſio, ut ex Propheta colligitur, ad ſex cubitos, & palmum, ſeu verſus ad ſex cubitos, & ſex palmos porrigebatur; cubitus enim Hebræorum cubitum Babylonicum palmo fere excedebat. Hanc vero menſuram Propheta ita exactè deſcribit, quod dum ſcriberet, trans Euphratem moraretur, ubi menſuræ Palæſtinas menſuras non adæquabant. Cubitus Hebraicus digitis 24. ſivè ſex palmis conſtabat: ſeu ferè 20. duodecim linearum unciis cum dimidia.

(CALAMUS SCRIPTORIUS. Solemne erat Priſcis uti pugillaribus cera obductis, in quibus literas ſcriptoriis ſtilis imprimerent; ſolebant etiam juncos vel calamos adhibere ad ſcribendum in membranis, vel in papyro Ægyptia; quæ enim utimur, charta recens eſt noſtrorum inventum. Pſalmiſta *Pſ.* 44. 2. *Lingua mea calamus Scribæ*; ſed Textus Hebræus ſtilum potiùs præfert, quàm calamum. Author 3. Machabæorum perhibet, Scribas in deſcribendo cenſu Judæorum verſantium in Ægypto, attritos uſu calamos monſtraſse, obtendentes impares eſse ſe deſcribendo tot hominum cenſui. Baruch vaticinia ſua ſcribebat *atramento*, *Jerem.* 36. 18., adeoque & calamo, de quo in præſenti; neque enim plumis, qualibus noſtra ætate, tunc uſos Veteres illos credimus. S. Joannes Ep. ſt. 3. 13. *Nolui per atramentum & calamum ſcribere tibi*. Familiare id apud Prophanos. Perſius Satyr. 3.

Inque manus chartæ nodoſaque venit arundo.

Hiſce calamis uti noſtra etiam ætate Arabes, Perſas, Turcas, Græcos, & Armenos, teſtes damus Itinerantes.)

CALANNE, Urbs in terra Sennaar, eadem fortaſſe ac *Calano* apud Iſaiam 10. 9. & *Channe* apud Ezechielem 27. 3., una ex primis Nemrod Imperii civitatibus (d). Forte ſita erat in Meſopotamia, cum Prophetæ illi, de quibus diximus, eam Provinciam Haran, Eden, Aſſyriæ, & Chelmad jungant, quæ omnes negotiationis cauſa Tyrum confluebant. Credibile eſt Calannem exinde Cteſiphontem dictam fuiſse (e), Provinciæ Chalonitidis Metropolim (f).

CALCAL, ſeu *Chalcol*, quartus filius Mahol filii Zare. 1. *Par.* 2. 6. & 3. *Reg.* 4. 31.

(CALCEAMENTA. Sat egimus de calceamentis v. *Caligæ* Hebræorum. Vide etiam Dictionarium v. *Sandalia*. Diſcipulis ſuis præſcripſit Pythagoras arborum corticibus calceari; ſcilicet ne uterentur ſoleis è corio animalium; abſtinebant enim illi à viventium quocumque genere. Nota erant apud Veteres calceamenta totum protegentia pedem, qualia noſtro more; alia etiam obtinebant, quibus inferiores pedum plantæ ita tegebantur, ut ſuperiorem pedem relinquerent nudum, niſi quantùm è tranſverſo loco occuparetur. Priora illa calceamenta appellabantur, *Calceus Mulleus*, *Pero*, *Phæcaſium*; ſecunda altera erant, *Caliga*, *Solea*, *Crepida*, *Baxea*, *Sandalium*. Olim apud Romanos è corio erant crudo & non parato. Iis tantùm, qui ædilitiam egiſsent, *Mulleo* utentibus, permiſsum erat ut è corio alumine macerato rubricatoque ſoleas conficerent. Feruntobtinuiſse id etiam apud Senatores Romanos, ut è macerato, ſed nigro ſoleas induerent. Fœminis apud Romanos idem ferme calceatum mos erat ac apud viros (g). Sub nigris ſoleis lunam, vel lunulas geſtaſse illos tradit Juvenalis Satyr. 7.

Adpoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

De lunulis pariter in calceis fœminarum Judaicarum ſermo eſt Iſaiæ 3. 18. *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas*. Rubris, flavis, albis, viridibus uti decreto ſuo vetuit Aurelianus Imperator viris (h), permiſit fœminis; & Heliogabalus ſanctione declaravit, quibus interdiceretur uſus ſolearum aurearum, & gemmatarum. Conſtat utique apud Hebræos ditiſſimè calceatas paruiſse fœminas nobiles & locupletes; ſed ornamenta illa nemo exactè deſcribat.

Quod attinet ad militares ſoleas, è metallo paratas interdum, agens de Aſer deſignat Moyſes, Deut. 33. 25. *Ferrum & æs calceamentum eorum*; & inter arma Goliath illa pariter recenſentur, 1. Reg. 17. 6. *Ocreas æreas habebat in cruribus ſuis*. Stanno alios, aliosve ocreatos Heroas exhibet Homerus, ſicut & aurichalco Herculem. Ferro calceari Romanos aſserit Vegetius. Qui pariter Romani, inferiores habebant ſoleas pluribus clavis præacutis armatas (i); clavata calceamenta appellat Feſtus. Meminit Joſephus de bello lib. 7. cap. 3. militis cujuſdam Romani audaciſſimi, quem currentem ſuper mœnia Hieroſolymæ ſolearum clavi (clavatas enim ſicut & cæteri milites habebat) ſolo infixi adegerunt in terram. In exercitu Magni Antiochi adeò pervagabatur luxus, ut plerique milites aureis clavis ſoleas ornaſsent (k). Id pariter obtinere hodiè uſque ferunt in oriente apud divites æquè ac tenuiores quoſcumque, uſque ad fœminas Imperatoris Turcarum ac Præſidum, ut talum habeant ſicut & calceamentorum cuſpidem ferro armatam.)

CALCIS, ſeu *Chalcis*, Urbs & Dynaſtia Syriæ, inter Libanum, & Antilibanum ſita (l), de qua nihil quidem in Scriptura, ſed ſæpiùs apud Joſephum. Regnum Chalcidis, plures ex Herodis poſteris, ac Ptolemæus Mennæi obtinuerunt.

CALDÆA, ſeu *Chaldæa*, regio Aſiæ, Euphratis, & Tigridis confluentem verſus, cujus caput Babylon. In textu Hebraico pro Chaldæa *Chaſdim* legitur; vel quod Chaldæi nomen à *Caſed* filio Nachor fratris Abraham, ſivè ab alio antiquiori traxerint. Chaldæa primum ſatis anguſta, inde aucto in immenſum Chaldæorum Imperio latiùs porrigebatur.

CALDÆI, ſeu *Chaldæi*, quo nomine vel populi Chal-

(a) Vide Joſ. Antiq. l. 18. c. 9. (b) Exod. 30. 23. Iſ. 43. 24. Jerem. 6. 20. Ezech. 27. 19. (c) Theophraſt. Hiſt. Plan. l. 10. c. 7. Plin. l. 12. c. 22. & l. 13. c. 11. (d) Gen. 10. 10. (e) Chald. Euſeb. Hieron. Broch. &c. (f) Plin. l. 6. cap. 26. (g) Ælian. Var. Hiſtor. lib. 7. cap. 11. (h) Vopiſc. in Aurelian. ad fin. (i) Iſidor. Orig. lib. 19. cap. ult. (k) Valer. Max. (l) Strab. l. 16. Joſ. Antiq. l. 14. c. 13.

Chaldæorum, & Chaldæis ſubditi; vel Philoſophi quidam ſeu Divini, Hebraicè *Caſdim* dicti, appellabantur. Mathematicas, & Aſtrologiam præcipuè excolebant; aſtrorumque inſpectione utramque hominum fortunam ſe prænoſcere jactitabant. *Chaldæi non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati, diuturna obſervatione ſyderum ſcientiam putantur effeciſſe, ut prædici poſſet quid cuique eventurum, & quo quiſque fato natus eſſet*. Cicer. de Divin. l. 1. c. 1. Obſervationes aſtronomicas annorum 472000. apud ſe habere commentabantur (a). Cicero lib. 1. & lib 2. de Divinat. eas ad 470000. extendit; Epigenes apud Plinium lib 7. c. 56. ad 720000. qui verò contractiores ſunt, ad 420000. (b). Verùm portentoſa hæc Chaldæorum vetuſtas ſuſpicionem falſitatis nunquam vitavit. Ariſtoteles indagandæ veritatis cupidus, Calliſtheni tunc temporis Babylone cum Alexandro verſanti ſcripſit, ut ſi quid certioris de ea re deprehendere poſſet, reſcriberet. Calliſthenes apud Simplic. lib. 3. de cœlo obſervationes annorum 1903. ab exordio Monarchiæ Chaldæorum uſque ad Alexandrum remiſit. Si quis igitur ab anno Mundi 3676. ſcilicet poſt victum Darium annis 1903. aſcendat, ad annum 1771. quo tempore Turris Babel ædificari cœpta eſt, perveniet.

Chaldæorum imperium ſub Nemrod cœpiſſe conſtat, ſed continuata ſucceſſio ex nullo veteri monumento ſatis apparet. Sub Abrahami tempora de quodam Rege Sennaar fit mentio (c), qui fortè etiam Chaldææ imperabat. Iulius Africanus ſcribit Evechoum in Chaldæa regnaſſe 224. annis M. 2242. Iſaaci ætate, aute Arabes, qui Imperium Chaldæorum ab anno 2466. ad 2682. ſolidis ſcilicet 216. annis occuparunt. Arabibus ſucceſſit Belus Aſſyrius, qui 55. annis antequam Ninus Imperium Aſſyriæ inſtitueret, imperavit.

Regum Aſſyriorum Imperium uſque ad Sardanapalum Chaldæi tolerarunt. An. M. 3254. antè Chr. 750. Arbaces Mediæ Præfectus, & Beleſus Præfectus Babyloniæ à Sardanapalo deficientes, eoque in Ninive clauſo igni ſe tradere coacto, Chaldæorum imperium reſtituere (d). Regno Præfectus eſt Beleſus, quem Scriptura *Baladan* (e); Hippaccus, Cenſorinus, & Ptolemæus *Nabonaſſarem* appellant. Huic ſucceſſit *Merodach-Baladan*; ipſi verò *Merodac-Baladan*, de quo 4. *Reg*. 20. 12. ubi Legati ab eo miſſi ad Ezechiam Regem Iuda dicuntur. Verum Babylonios receptam libertatem non diù poſt amiſiſſe ex eo colligimus, quod anno Mundi 3378. *Nabopolaſſar* Babyloniæ Præfectus conſtitutus à *Chinaladan*, ſeu *Sarac* Aſſyriæ Rege ab illo deſcivit, initoque cum Cyaxare Mediæ Satrapa fœdere, Ninivem obſidione cepit, Regemque Chinaladan occidit (f). Indè Imperium Aſſyriæ inter duos diviſum eſt, Media, & Armenia Cyaxari; Aſſyria & Chaldæa Nabopolaſſaro ceſſit. Ex eo tempore celebris illa Chaldæorum Monarchia cæpit, quæ in Regibus Nabopolaſſaro, Nabuchodonoſor, Evilmerodac, Balthaſar uſque ad Darium Medum perſtitit; Medo autem ſucceſſit Cyrus.

CALE, ſeu *Chale*, *Cala*, vel *Chalach*, Urbs Aſſyriæ, incertum an ab Aſſur, vel a *Nemrod* (g) conſtructa; cui enim ex illis tribuenda ſit Textus Scripturæ æquivocus non ſatis determinat. Ab Urbe Ninive quamplurimum diſtabat; inter quas duas Urbes ſita erat Reſen. Fortè Cale eadem erat ac Chala Urbs capitalis regionis Chalenitidis, quam Mons Zagrus à Media ſeparat (h); fortè etiam Urbs erat caput Provinciæ Chalacenæ circa fontes fluminis Lyci (i).

I. CALEB, filius Iephone, ex Tribu Iuda. Unus fuit ex undecim è ſingulis Tribubus Iſrael ſelectis, quos Ioſue ad inſpiciendam Terram Chanaan, Iudæis à Deo promiſſam, delegavit (k). Inde regreſſi in ſignum expletæ commiſſionis ſuæ pulcherrimos ex ea regione fructus Fratribus detulerunt: illius fæcunditatem tum hoc indicio, tum verbis extollentes. Verum quamvis omnes in celebranda regionis ubertate convenirent, fuerunt tamen qui difficultatem illius expugnandæ præpoſterè exaggerarent, incolarum fortitudinem, & Urbium validas munitiones deſcribentes. Populo ad hæc trepidanti ſtatim occurrit Caleb; Regio, inquiens, uberrima eſt: eundum ergo ſtrenuè, eaque nobis vindicanda. Aliis verò, qui regionem inſpexerant, reclamantibus, ac hoſtium fortitudinem inexpugnabilem fore affirmantibus, ſeque cum illis comparatos locuſtas veluti futuros aſſerentibus, populus in apertam ſeditionem erumpens, regreſſum in Ægyptum, aliis Ducibus ſubſtitutis, meditabatur (l). His auditis Moyſes, & Aaron vultum in terram demiſere. Ioſue verò & Caleb, veſtibus ſuis ſciſſis, Iſraelitas ad conſilia ſaniora revocare conabantur, oſtendentes, illos nullo negotio hoſtes ſuperaturos, Deo ſub eorum ſignis pugnante, cujus auxilio tam facilè ipſi vincerent, quam ſine eo Adverſarii vincerentur. Horum verbis nedum populus non acquievit, ſed concitatior factus, lapidibus illos impetiit. Gloria tamen Domini ſubitò Tabernaculo palam inſidens, exterminium in contumaces minitata eſt, Moyſes interim pro populo deprecans, adhuc tamen obtinere non potuit, quin Deus ſacramento ſe obſtringeret effecturum, ut nemo eorum promiſſam terram ingrederetur, ſed omnes in deſerto abſumerentur. Caleb verò in eam ingreſſurum, illamque cum poſteris ſuis poſſeſſurum ſpopondit.

Igitur poſt acquiſitum à Ioſue Terræ Chanaan dominium, Caleb cum ſuis Contribulibus illum in Galgal adivit (m), petiitque ut promiſſam ſibi, ſuiſque poſteris terram concederet; cujus promiſſionis jam inde à 45. annis factæ, cum ipſe annum ageret quadrageſimum, tempus adeſſet explendæ: addiditque ſe jam octoagenarium à Deo nedum incolumem, ſed etiam nihilo viribus fractiorem, quam juvenis fuiſſet, ſervatum, ut aſſignata ſibi regione frueretur: montem igitur, in quo gigantes Enacim habitabant, ſibi petiit, ut iis à ſe expulſis ipſe obtineret. Itaque (o) facta ſibi à Ioſue facultate, Caleb cum ſuis primum Urbem *Cariatharbe*, alias *Hebronem* expugnavit, occiſis tribus de ſtirpe Henach gigantibus, Selai videlicet, Abiman, & Tholmai; inde contra Dabir, alias Cariath-ſepher arma movit; quam validis munitionibus firmam intelligens, filiam ſuam Axam ei ſpondit, qui urbem expugnaret. Quod cum Othoniel filius Cenez præſtitiſſet, Caleb promiſſo ſtetit. Creditur Caleb ipſi Ioſue ſupervixiſſe: quamdiu, incertum.

II. CALEB Provinciæ nomen in Tribu Iuda (o), urbes Cariath-ſepher, & Hebronem continentis, quæ ad familiam Caleb, de quo jam diximus, pertinebant.

III. CALEB, ſeu *Calubi*, filius Heſron, qui Axobam, inde Ephratam duxit: quod tamen in Textu Hebræo quaſdam patitur difficultates. Vide Textum (p), & Interpretes.

CALI, ſeu *Chali*, Urbes Tribus Aſer: cujus ſitus ignoratur. *Joſue* 19 25.

(CALIGÆ HEBRÆORUM. Hebræi generatim caligati incedebant maximè in agro & in Urbe; ſed nudis cruribus erant ſæpè in ædibus, dum privati manerent. Caligas interdum deponebant obſequii & venerationis gratia, uti Moyſes coram rubo ardenti *Exod*. 3. 5. & Ioſue coram Angelo in planitie Ierìcho ſibi occurrenti, *Joſue* 5. 15. ac Sacerdotes dum muneri ſuo præſtando verſarentur in Templo *Exod*. 30. 19. Interdum ad luctum & pœnitudinem deponebant caligas, uti David cùm Abſalomum perduellem fugiens è Ieruſalem digreſſus eſt, 2. *Reg*. 15. 30. & Iudæi ſolemnis expia-

tionis

(a) Diod. Sic. lib. 2. Biblios. (b) Beroſ. & Critodem. apud Plin. ibid. (c) Gen. 14. circa an. M. 2092. (d) Vide Diod. Sic. l. 2. & Uſſer. ad an. 3254. (e) Iſ. 39. 1. & 4. Reg. 20. 12. (f) Uſſer. ex Alex. Polyh. ad an. 3378. ante Ær. 626. ante Ch. 622. (g) Gen 10. 11. & 12. (h) Iſid. Characen. (i) Strabo l. 11. & l. 21. (k) Num. 13. 2. &c. (l) A. M. 2514. ante Ær. 1490. ætatis Caleb. 40. (m) Joſ. 14. 6. 7. A. M. 2559. ante Ær. 1445. Æt. Caleb. 85. (n) Joſ. 15. 13. 14. (o) 1. Reg. 30. 14. (p) 1. Par. 11. 9. 18. 24.

Digitized by Google

tiona die, ac funera lugentes. Vetat Deus Ezechieli ne caligas deponat, lugeatque funus defunctæ uxoris *Ezechiel.* 24. 17. Nudipedium indictum Iſaiæ, impoſitumque exuere veſtes ut imagine illa ſub oculis exhiberet futuram Ægypti captivitatem. *Iſaia* 20. 2.

Veteres quidam autumarunt Jeſum Chriſtum nudipedium ita ſervaſſe, ut nonniſi diſcalceatus prodiret (a); alii contraria malunt; indignum ſe profitetur S. Joannes Baptiſta, qui ferat vel ſolvat calceamenta Jeſu Chriſti *Matth.* 3. 11. *Jo.* 1. 27. vix autem credimus recedere voluiſſe Jeſum à moribus gentis ſuæ; vix etiam permiſſurum fuiſſe Apoſtolis ſolearum uſum *Marc.* 6. 9. quem ipſe repoſuiſſet.

Incedebant Matronæ ditiſſimæ caligatæ, quod conſtat exemplo ſponſæ Cantici, & Judith; conſtat etiam teſtimonio Ezechielis, inter ſponſalitia munera recenſentis precioſas caligas. Sandalia, inquit Scriptura, Judith rapuerunt oculos Holofernis *Judith.* 16. 3. & 16. 11. Purpureis ſoleis Dominus Sponſam ſuam donat *Ezech.* 16. 10.

Porro conſtabant caligæ ſive è corio, ſive è lino, junco, lignove; neque enim ea de re certi quidquam. Plerumque viliſſimi erant pretii, ut proverbio locus ceu vilis ſolea vilis. Amos, 2 6. & 8. 6. *Vendidit pauperem pro calceamentis.* Vacuum ab auri cupiditate animum Samuelis hiſce potiſſimùm commendat Scriptura, ne calceamentum quidem à quoquam accepiſſe illum *Ecl.* 46. 22. Militibus in uſu erant interdum ferreæ vel æreæ caligæ *Deut.* 33. 25. *Ferrum & æs calceamentum tuum.* Videſis V. *Sandalia.*)

CALITA, ſeu *Calaja*, Levita. 1. *Eſdr.* 10. 23.

CALIX. Hoc nomen in Scriptura nonnunquam proprio, quandoque figurato ſenſu ſumendum eſt. Vas propriè ſignificat potui in prandio vel frugi, vel ſolemni & Religioſo, ut Paſchali, deſtinatum: tunc enim Pater-familias, precibus quibuſdam ſupra vas pronunciatis, ſimulque illud libans, reliquum deinde commenſalibus guſtandum tradit (b).

Myſtice verò Calix pro ærumnis, quibus Deus punit, ſumitur: quare Calicem bibere, idem eſt ac ærumnas à Deo immiſſas tolerare: *Conſurge Jeruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ ejus.* *Iſ.* 51. 17. Et in Pſalmo 74. 9. *Calix in manu Domini, bibent omnes Peccatores terræ.* Idem ſonant, & ea eadem metaphora phraſes illæ derivantur, inebriare doloribus, afflictionibus, vino iræ Dei &c. Hæc autem omnia deſumpta videntur ex more in conviviis conſueto, bibendi in gyrum, altero alteri vas præbente, ſi quis verò bibere recuſaſſet, loco cedere cogebatur; ex quo proverbii ſpecies orta erat; *aut bibat, aut abeat.* Cum Filii Zebedæi primas Regni ſedes à Chriſto ſibi depoſcerent, hoc reſponſum ab illo audierunt: *Poteſtis bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum?* *Matth.* 20. 22.

(*Calix benedictionis* ille eſt, qui poſt ſolemnes epulas benedictus, tum in gyrum per convivas ad hauſtum benedictum tranſmittebatur. In poſtrema Cœna, *Lucæ* 22. 20. & 1. *Cor.* 11. 25. Jeſus Chriſtus poſt cœnam calicem ſanguinis ſui benedixit, tranſmiſitque in Apoſtolos. *Calix ſalutis*, de quo Pſal. 115. 13. calix eſt gratiarum actionis, unde benedicentes Deum bibebant, agentes gratias pro acceptis beneficiis. Cujus rei morem ſpectare adhuc licet in 3. Machab. ubi Judæi Ægyptii, læta celebrantes pro recepta libertate convivia, offerebant calices ſalutis. *Mach.* 6. 27.

Manent hodieuſque apud Hebræos calices iſti gratiarum actionis, quos benedicunt tum in cæremoniis nuptialibus, cùm etiam in celebratis pro circumciſione filiorum ſuorum conviviis (c). Commentariorum Scriptores quidam tenent, calicem ſalutis ipſum fuiſſe vinum, quod juxta Moſaicæ Legis præſcriptum affundebatur ſuper victimas euchariſticas (b).

Calix ſtilo Scripturæ exprimit partem *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei* *Pſal.* 15. 5. quòd ſcilicet in conviviis ſuus ſingulis calix aſſignatur, vino pro cujuſque arbitrio ac neceſſitate affuſo opplendus; ſeu fortè alludit Propheta ad calices illos ſolemnes, de quibus in gyrum tranſmiſſis convivæ omnes participabant. Deus eſt hæreditas mea & calix meus; nullam volo portionem in hæreditate, conviviis, ſacrificiis, ſocietate impiorum. Unus mihi Deus valet pro omnibus; ille eſt pars mea & calix meus, nihil ultra repoſco.

Scyphus Joſephi, de quo Geneſ. 44. 5. celatus in ore ſacci Beniamin fratris natu minimi hujus Patriarchæ, argumentum eſt plurium diſceptationum; ita enim de illo miſſi à Joſeph viri locuti ſunt: *Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Quæſtio hic animum pulſat, num Joſeph re ipſa ſcypho uteretur futuris rerum eventibus referandis; an fortè familiares illius ita perſuaderentur; an hæc affari illos contingeret, juxta receptam Egyptiorum opinionem, qui magiæ profeſſorem Joſephum cenſebant; an tandem iſta obtenderent ad incutiendum terrorem fratribus Joſephi eam inducentes perſuaſionem, Joſephum illum, quem fratrem ſuum adhuc non agnoverant, virum eſſe divinandi arte peritiſſimum, qua virtute ſua probè intellexiſſet commiſſum ab illis furtum.

Opiniones iſtæ omnes aſſertoribus ſuis non carent. Conſtat utique, notas fuiſſe Priſcis divinationes in crateris. Narrant Orientales, vetuſtum Regem Gianſchid, qui Perſarum eſt Salomon, & Alexandrum Magnum ſuos habuiſſe ſcyphos, quibus & res naturales omnes, & ſupra naturam etiam interdum noſcerent. Sermo eſt apud Veteres (e) de crateris quibuſdam divinatoriis, vino vel liquoribus aliis oppletis, qui ſanè liquor, ritu quodam inclinato versùs anſam cratere, effuſus, certa quædam futurorum præſagia deſignabat. Divinationes per aquas & ſphæras legas apud Plinium lib. 30. cap. 2. Is autem ritus erat in auguriis per ſcyphos. Injectæ primùm in craterem parvæ quædam laminæ aureæ vel argenteæ, ſeu gemmæ characteribus quibuſdam inſculptæ; tum præmiſſis invocationibus & ceremoniis ſuperſtitioſis, conſulebatur Dæmon. Non una ratione ille dabat reſponſa; interdum per conceptas voces; interdum in aquæ ſuperficiem reflectens characteres in cratere deſcriptos, & certum oraculum ordine ſuo referentes; interdum picta exhibebatur oculis imago illius, de quo interrogabatur.

Interdum ſuſpenſus filo annulus tenebatur ſuper craterem aqua oppletum. Annulus variè impingens in parietes crateris varia deſignabat. Interdum etiam liquatæ ceræ guttæ diſtillabantur in aquam crateris, tantaque inſtruebatur inter ſe arte, ut conſulentibus apta darent reſponſa.

Non iis ſumus planè, quibus perſuadeatur, uti potuiſſe his Joſephum in augurando. Callebat ille utique augurandi ſcientiam; ſed non arte, ac Dæmonis ope comparatam. Datum hoc illi à Deo, quo etiam largiente eò dignitatis & gloriæ venerat in Ægypto. Nec à vero abludit, Egyptios, & fortè etiam è familiaribus illius plures Magum illum re ipſa exiſtimaſſe, ac proinde juxta præjudicia ſua locutos; nec inde tamen rectè inferas per ſcyphum Virum illud divinaſſe.

Textus pariter Hebræus Geneſeos aliter etiam redderetur: *Nonne ſcyphus idem eſt, in quo Dominus meus bibit, & quem multo ſtudio quæris*, ſeu potiùs: *In quo bibit Dominus meus, & in quo de vobis fecit experimentum*, an ſcilicet accepta ab illo beneficia ſatis grato animo rependeritis. Erit ſcyphus iſte in argumentum deſertæ à vobis fidei, & animi planè ingrati.)

CALLIRHOE, Urbs trans Jordanem apud lacum Aſphaltitem, in qua fontes aquæ calidæ ſanitati utilis, & guſtui gratiſſimæ erant: quæ inde mare mortuum ferebantur (f).

(a) Hieron. ad Euſtochiam, de virgin. ſervanda. Ita & Dionyſ. Chartuſian. Bonavent. Liran. &c.
(b) Leo Moden. par. 5. cap. 3. Buxtorf. Synag. Jud. de Paſch. (c) Vide Leo Moden. Cærem. Judæor.
(d) Vide Exod. 29. 40. Num. 15. 5. & 28. 7. 14. (e) Euſtat in Odiſſeam, (f) Joſeph. l. 17. c. 8. de Bel. l. 1. c. 21. Plin. l. 5. c. 16.

CALLISTHENES, Regis Syrorum Miniſter, qui Machabæorum ætate januas Templi incenderat. Quâ verò die populus victorias Judæ Machabæi de Antiochi Ducibus relatas celebrabat, Calliſthenes in quibuſdam domibus latitans à populo deprehenſus, una cum domibus igni abſumptus eſt 1. *Mach*. 8. 33.

CALMANA. Primam Adami, & Hevæ filiam quidam hoc nomine nuncupant, & Cain gemellum faciunt. Leviſſimæ fidei ſententia.

CALPHI, pater Judæ illius, qui eo prælio, quod Jonathas in planitie Afor apud Lacum Genezareth cum Syris iniit (a), cum aliis tribus, reliquis fugientibus, in acie perſtitit.

CALVARIA, ſeù *Golgotha*, cranium. Collis cujuſdam nomen ad Septentrionem montis Sion (b), fortè quod humanæ calvariæ ſpeciem referebat. Vetus eſt fabella (c), Adami calvariam eo loci ſepultam nomen monti feciſſe; eam verò calvariam Semo contigiſſe, cum Noe Adami corpus ſecum jam in Arcam translatum, poſt diluvium inter Filios diſpertiretur; Sem deinde futura ſpiritu prænoſcentem, illam in eo monte collocaſſe, ubi Chriſtus fuerat moriturus, ut ejus ſanguine vitæ & reſurrectionis gratiam primo Parenti communicaret. Verùm quæ ad hanc rem confirmandam tum Veteres Patres, tum Recentiores Scriptores afferunt, tanta non ſunt, ut nos ab ea hiſtoria rejicienda abſterreant; cum præſertim iidem, qui hæc narrant, leviſſimam his fidem præſtiterint.

Mons Calvariæ parum ab Urbe Jeruſalem diſtabat, ibique fortè ultimo ſupplicio rei puniebantur. Verum Jeruſalem non ſemel deſtructa, & iterum ædificata, non eundem ſemper locum occupavit. Primò enim à Romanis ſub Tito funditùs everſa; deindè paulatim emergere cœpit, adeout cum Barcochebas à Romanis deſcivit, Judæi frequentiſſimi eam incolerent. Adrianus eam iterum captam evertit (d), ac vomere à Turano Ruſo, ſeù Tinnio Ruſo, tunc Judeæ Præfecto, ſuper locum, in quo Templum quondam erigebatur, acto (e), illud iterum ædificari abſque Senatuſconſulto vetitum eſſe indicarunt. Inde Judæis expulſis, ac pœna capitali decreta, ſi eorum quis unquam regrederetur in vacuam, dejectamque ſedem (f), Colonia Romanorum ducta eſt, quæ novam iterum Urbem conſtituit, novoque nomine Æliam Capitolinam appellavit. Nova hæc urbs non ſuper ruinas antiquæ, ſed in loco paulò ſeptentrionaliori ædificata eſt; ex quo factum eſt, ut Mons Calvariæ non extra Urbem, uti prius, ſed medium ipſius occuparet; parvaque Veteris Urbis pars novo ambitu contineretur. Hinc Mons Sion, olim Templi ſedes, vel campus erat ferendis frugibus, vel ſterilia ruinarum maceries (g).

Hodie Jeruſalem eundem occupat locum, quem Adriani tempore; ſed Calvariæ mons pro veteri prophanatione novum obtinet honorem, & cultum, incolumi adhuc Eccleſia, quam Helena Magni Conſtantini mater in loco, ubi Chriſtus morti, & ſepulchro traditus eſt, ædificavit, ac ſplendidè exornavit; quare plus Cruci, & Sepulturæ Chriſti, & Calvariæ à Chriſtianis, quam veteri Hieroſolymæ à Judæis gloriæ collatum eſt.

CALUMNIA. Paſtores Iſaac puteo, qui ab ipſis effoſſus propè Geraram, à Paſtoribus Abimelech Regis Geraræ uſurpatus fuerat, nomen *calumniæ*, injuſtitiæ ſcilicet, & violentiæ, indidere. Gen. 26. 20. *Calumnia* pro injuſtitia tum hic, tum alibi ſæpè in Scriptura uſurpatur.

CAMBYSES, filius Cyri, Patris ſucceſſor, an.M. 3475. ante Ær. 529. Violentus fuit & ad inſaniam uſque ſævus. Quæ de ipſius geſtis ad Scripturam, & Judæorum hiſtoriam pertinent, hic breviter ſubjiciemus, cæteris omiſſis. Statim ac ad Regnum aſſumptus eſt, Samaritani, qui ſub Cyro nonniſi clam, & ſpecie aliud agendi Judæis infeſti fuerant, apertè illos impugnarunt; datiſque ad Cambyſem, quem illi *Aſſuerum* nominant (h), literis, Regem perduxerunt, ut Judæis inhiberet, ne Templi ædificationem proſequerentur. Quid pro ea re obtinenda ſcripſerint, non legitur.

Secundo Regni anno bellum Ægypto intulit, quam regionem brevi ſubegit, proditione cujuſdam Eunuchi Regis Ægypti, qui loca omnia, itinera & anguſtias in ejus manus tradidit. Quinquennio ibidem moratus poſtea Babylonem regredi cogitavit, expulſurus Smerdim Magum, quem Magus Pathiaites illius frater pro vero Smerdi Cambyſis fratre, Regno ſubſtituit. Hæc Cambyſi Ecbatanæ Palæſtinæ urbis ad radices Carmeli verſanti, renunciata ſunt; tantoque his auditis furore arreptus eſt, ut equum præceps conſcendens, nec facta enſem fortè è vagina egreſſum advertens, ſeſe graviter vulnerarit. Eo vulnere morti proximè adductus, poſt viginti dies Perſidis Optimates accitos monuit, eum, qui Perſidis regnum occupabat, non Smerdim fratrem ſuum, quem ipſe occiderat, ſed Smerdim Medum tyrannum eſſe (i): tantum itaque crimen impunitum non ſinerent, ne Imperium Perſarum ad Medos transferretur. Obiit igitur Ecbatanæ, ut ab Oraculo ſibi prædictum noverat; ſed de Ecbatana Mediæ interpretabatur, quod Ecbatanæ in Syria contigit.

Ad Cambyſis tempora referendum credimus quod in Ezechiele legitur de bello Gog, & Magog in Iſraelitas (k); deque judicio Dei in illius populi adverſarios; quod fortè bellum indicant ea mala, quæ Iſraelitis poſt regreſſum è captivitate imminere Prophetæ prædixerunt. Vide *Joel* 2. 30. 31. & 3. 2. &c. *Iſ*. 41. 15. 16. *Mich*. 4. 11. 12. 13. Sunt (l) qui ad idem tempus hiſtoriam Judith referant. Vide noſtram Diſſertationem de Gog, & Magog, Commentariis in Ezechielem præfixam.

CAMELUS, genus animalis in Arabia, Judæa, & finitimis regionibus notiſſimi, in Scriptura *Gamal*, cujus nominis interpretatio nullam patitur difficultatem. Camelorum tres ſunt ſpecies; alii mole corporis majores, qui vehendis oneribus deſtinati, pondera mille librarum pati dicuntur: alii duplicem inter gibbum, in dorſu aſſurgentem, medium ſeſſorem, vel onera excipiunt; tertii generis tandem corpore exiliores, & expeditiores, quòd pernici curſu ferantur, dromedarii appellantur; iiſque homines dignitate præſtantiores uti ſolent.

Cameli carnes inter delicatiſſimos cibos ab Arabibus & Perſis deputantur (m); quarum tamen uſus, veluti impuri animalis, Hebræis interdictus eſt (n). Dum quieſcunt, genua flectunt: quod & cameli Eliezer ſervi Abraham fecere, cum ad fontem Haram ſubſtiterunt (o). Aquam potando, hauſtam diù in ſtomacho detinent, ut refrigerentur, quam in quibuſdam ſacculis inter ventriculi ſatis ampli tunicas comprehenſis, ſervare creduntur. Hinc duodecim dies ſine cibo & potu tolerare feruntur.

(Quæ narrant de alveolis ad aquas reſervandas circa ventriculum Cameli, ubi ad plures dies potum ſervat quo membra irriget; hæc, inquam, phyſicis Jeſuitarum apud Sinas obſervationibus falſi arguuntur; nihil enim tale reperiſſe ſe dicunt, pluribus diſſectis in eam rem Camelis. Statim ac è ventre fœmellæ

(a) 1. Mach. 11. 70. An. M. 3860 ante Ær. 183. (b) Euſ. & Hieron. in locis. (c) Vide Hieron. in Epheſ. 5. 14. & Ep. Paulæ & Euſt. ad Marcel. Vide & S. Ambr. in Luc. 23. Vide & Tertul. Orig. Cypr. Euſ. Auguſt. apud Gretſ. de Cruce l. 1. c. 18.
(d) Euſeb. Demonſtr. l 6. c. 18. Hieron. Chro. an. 124. in Joël. c. 1. & in Jer. 31. in Dan. 9. in Zach. 5. &c. Appian. Syr.
(e) Scaliger Iſag. l. 3. & in Euſ. (f) Euſeb. l. 4. c. 6. Hiſt. Eccl. Hieron. in Iſai. 6. &c.
(g) Euſ. Demonſtr. l. 6. c. 13. & l. 8. c. 3. Cyril. Jeroſ. Cath. 16. (h) 1. Eſdr. 4. 6. (i) Herod. l. 3. c. 62. &c.
(k) Ezech. 38. & 39. (l) Petr. Comeſtor. Auth. hiſt. Scolaſt. Dion. Carthuſ.
(m) Ariſtot. hiſt. l. 6. c. 26. Plin. l. 11. c. 41. Athen. l. 4. Herod. in Clio. (n) Deut. 14. 7. Levit. 11. 4.
(o) Geneſ. 24. 11. Cumque Camelos feciſſet accumbere.

Digitized by Google

mellæ effuſus eſt Camelus, quatuor ejus pedes ſub ventre alligantur; tum ſuper dorſum inſternitur tapete, cujus extremum limbum gravant lapides, ne ſcilicet ſpatio 40. dierum relevare ſe in pedes valeat. Ita factum, ut habitudine quadam aſſueſcat flectere genua, ſeu ad captandam requiem, ſeu ad inducendas deponendaſque ſarcinas. Pede inſtruitur lato & firmo, & non duro; tegitur ſimplici pelle, & primo vere, labentibus minùs quàm intrà tres dies pilis omnibus, nudo tegitur corio. Muſcarum tunc incommodo malè afficitur, & nullum levando tædio remedium ſuccurrit promptius, quàm ut corpus linimento quodam ponatur in tuto. Virgula quadam pro ſtrigili utuntur qui Camelos curant, cæditur enim illa dorſum jumenti, quemadmodum apud nos virga tunduntur panni ad pulverem excutiendum. In itineribus Camelorum curatores cantu & ſibilo illos ad iter incitant, quantò autem validiùs illi cantant, tantò velociùs iſti cientur.)

CAMELO-PARDUS, ſeu *pardalus*, animal, cujus eſus Hebræis in Lege permittitur Deut. 14. 5. 6. Nomen ſortitur à Camelo, cujus ſpecimen in corporis ſtructura exhibet, & a Panthera, cum ad ejus ſimilitudinem pelle rubeſcenti, albis maculis diſſeminata, contegatur. Plures, quibus tamen nulla fides, ex Panthera, & Camelo, ſeu fæmella Cameli productum tradunt.

Alii pro *Camelo-pardalo* animal quoddam Indiæ Orientalis ultra Gangem intelligunt, collo ſex pedibus longo, & tenui; auribus diſſectis; pedibus bifurcatis; cauda rotunda talis breviori; tibiis quam cætera animalia longioribus, quibus niſi divaricatis potum capere prohibetur, toto tandem corpore ad perticam protenſo. Sunt qui illi duo cornicula addant: Camelo-Pardalum, qualem modò deſcripſimus, alii inter fabuloſa & chimericha animantia rejiciunt. Bochartus credit neque animal Indum, neque aliud ſimile quodcumque a Moyſe eo in loco deſignatum, cum in regionibus longe ab Hebræis diſſitis illa reperiantur, adeoque Hebræis omnino incognita fuerint. Quid? quod camelo inter animalia immunda computato, veroſimile non eſt Camelo-pardalum mundis accenſeri. Quare verbum Hebræum *ſamer*, quod in Vulgata Camelo-pardalus redditur, ab illo pro capra ſylveſtri explicatur. Alii verò vertunt *alcem*, ſeu *rupicapram*.

(CAMINUS, *fornax*, *focus*. De Hebræorum atque Ægyptiorum caminis alia à noſtris idea formanda eſt; reputandumque pariter vocem *Caminus*, longè aliud planè ſignificare, apud illos, quam noſtro more. In Palæſtina, Arabia, & Ægypto raro igne algor depellitur, quòd ferventiſſimæ ſint regiones, ut proinde vel nullus ſit hujus uſus, vel prunis, ſeu foco aliquo contenti vivant. Rex Joakim in hyemali triclinio verſans poſitas ante ſe habebat in clibano prunas, oblatumque ſibi Jeremiæ volumen, cultro priùs diſciſſum in ignem illum projecit *Jerem.* 36. 22. Ubi in Exod. 9. 8. legimus de Moyſe, aſſumpſiſſe nimirum illum *plenas manus cineris de camino*, legit Hebræus, *de fornace*. Quo ſenſu uſurpatur ſæpe in Scriptura, ut loco poſitus ſit excoquendo liquando auro, argento, (a) & metallis, ſicut etiam fornacis. Dictum eſt etiam per metaphoram *Jerem.* 48. 10. *Eccli.* 2. 5. *Apoc.* 1. 15. *Caminus humilitatis, paupertatis & ſervitutis*; quo exprimitur ſtatus plenus anguſtiæ indigorum, oppreſſorum, & mancipiorum. *De camino ferri*, nempè de Ægypto, eductos à Deo Hebræos perhibet Moyſes *Deut.* 4. 10. & 3. *Reg* 8. 55. *Jerem.* 11. 4.; quæ deinde phraſis ſæpiùs recurrit in Scriptura De fornace in quam Daniel conjectus eſt, vide v. *Supplicia*.)

I. CAMON, Urbs cis Jordanem, ſita in Magno Campo ſex milliaribus à Legione ſeptentrionem verſus (b). Eadem fortaſſe ac Cadmon, de qua ſupra.

II. CAMON, Urbs ultra Jordanem in Galaaditide (c), eademque fortè ac *Camon* ab Antiocho Rege capta, de qua Polybius (d). Jair Judex Iſrael in Urbe Camon ex Tribu Manaſſe ultra Jordanem ſita, ſepultus eſt. Jud. 10. 5.

CAMPUS, *Magnus Campus*, quo nomine ab Hiſtoricis & Geographis duæ Paleſtinæ valles latis amplæ appellantur. Harum altera ſecus Jordanem à Tiberiade ad Segor 1200. ſtadiorum ſpatio in longitudine (e), ac 120. in latitudine protenditur. Euſebius, & S. Hieronymus (f) illam ex utroque latere prorogantes, inter Libanum & deſertum Pharan comprehendunt; ambituque ſuo campeſtria Jericho continere idem Euſebius eſt author (g). Altera verò ab Oriente in occidentem à Scythopoli ad Jordanem ſita, ad Legionem uſque ad radices Carmeli longitudine fere 75. milliarium producitur. Ab iis Urbibus, quas ambitu ſuo continet, *Campus Eſdrelon*, *Legionis*, vel *Jezrael* ſubinde appellatur. Ambæ hæ valles quandoque ſub nomine *Aulon*, *Aulos*, *Araba*, ideſt planities, deſignantur.

I. CAMUEL, tertius filius Nachor. Syrorum, ſeù potius Aram patrem fuiſſe narrat Moyſes (h). Filium vel *Syrum*, ſeù *Aramæum* cognomine, vel *Aram* nomina procreavit; conſtat enim Syros ab *Aram* filio Sem genus duxiſſe. A Camuel fortè Camelitæ, populi Syriæ ad occidentem Euphratis. Strabo l. 16.

II. CAMUEL, filius Sephtan ex Tribu Ephraim, ex iis, qui ad dividendam inter Tribus terram promiſſionis electi fuere Num. 34. 24.

CANATH, Urbs Tribus Manaſſe, ultrà Jordanem; *Nobe* etiam dicta (i) ab Iſraelitæ nomine, qui illam armis cepit; notior tamen nomine *Canath*. Hanc Euſebius in Trachonitide propè Bozram collocat; Plinius verò l. 5. cap. 18. urbibus Decapoleos jungit.

CANA, parva Galilææ urbs, primo Chriſti miraculo in ea patrato (k). Inter Sephorim, & Nazareth ſex milliaribus à Sephori, occidentem verſùs *vulgò* locant. Urbs profectò circa ea loca invenitur *Sepher-Cana* quatuor milliaribus a Nazareth ad Septentrionem, & Orientem declinans. Canæ cujuſdam meminit Joſephus (l); eamdem tamen ac *Canath*, de qua ſupra, eſſe opinor. Urbem quamdam Canam nomine propè Sidonem, ex qua ortum duxerit fœmina illa Cananæa (m), Chriſti elogio illuſtris, aliqui nullo ſatis firmo fundamento commenti ſunt.


CANDACES, Æthiopum Regina, cujus Eunuchus Jeroſolymam perrexit, Dominum adoraturus (n). Hic regrediens, propè Bethſuram, in via, quæ Gazam ducit, obvium habuit Philippum Diaconum, à quo fidem & baptiſmum recepit. Nomen Candacis commune fuiſſe omnibus Fæminis in Inſula, ſeù peninſula Meroe regnantibus; eodemque authoritatem, & ſuperioritatem denotari creditum eſt ab aliquibus, qui & addunt nomine Æthiopiæ eamdem inſulam intelligendam. Equidem Fæminas illic regnaſſe longa ſucceſſione, ac communi nomine omnes Candaces appellatas, author eſt Plinius (o). Aliqui ex Patribus (p) Candacis nomen Eunucho ipſi ſivè exemplarium, quibus uſi ſunt, errore, ſivè memoriæ lapſu tribuerunt. Fertur Regina Candaces Eunuchi perſuaſionibus ducta in Chriſtum credidiſſe.

CANDELABRUM AUREUM *ſeptem ramis diſtinctum*, quod Moyſes auro excudi, & in Templo collocari juſſit. Auro malleo elaborato (q) talenti pondere conſtabat. Baſis aureum truncum ſuſtinebat, qui in ſeptem ramos dividebatur; illi verò liliis, ſphærulis, &

(a) Proverb. 17. 3. Apoc. 1. 15. Eccli. 2. 5. (b) Euſeb. in locis &c. (c) Joſ. Antiq. l. 5. c. 8.
(d) Polyb. l 5 hiſt. (e) Joſeph. Antiq. l. 9. c. 11. & 2. Par. 4. 17. & Joſeph. de Bello l. 5. c. 4.
(f) in Onomaſt. in Aulon. (g) Euſ. in Engadd. (h) Gen. 22. 21.
(i) Num. 32. 42. (k) Joan. 11. 1. 2. &c. (l) Antiq. l. 15. c. 6. & de Bel. l. 1. c. 14.
(m) Matth. l. 15. 21. Marc. 7. 24. (n) Act. 8. 26. Vide verbo *Philippus*.
(o) Plin. l. 6. c. 29. Vide Strab. l. 17. (p) Athan. Sinait. l. 6. Euthym. in Pſ. 63. Nazian. in S. Baptiſm.
(q) Exod. 25. 31. &c.



Digitized by Google



CANDELABRUM AUREUM

& ſcyphis eiſdem alternato ordine inſculptis ornabantur. Singulis aureæ lucernæ mobiles impoſitæ, quæ veſpere accenſæ, manè extinguebantur. Sanctum, in quo Candelabrum ad latus meridianum collocatum erat, quod velut aula Sanctuarii habebatur, non aliunde lumen, quàm ex iis lucernis petebat; eo autem altare incenſi, & menſa panum propoſitionis illuminabantur.

Templo per Salomonem ædificato, decem ejuſdem operis, & metalli Candelabra in ejuſdem uſum excuſa ſunt, & duobus lateribus meridionali, ac ſeptentrionali æquali ordine in Sancto diſpoſita (a). Emunctoria & forcipes ad uſum Candelabrorum Moyſis, & Salomonis, auro conſtabant. Argentea Candelabra, præter aurea, David pro Templo deſtinaſſe videtur(b). An verò quod ille meditabatur, Salomon executioni mandaverit, nuſlibi legimus; fortaſſe tamen hæc argentea Candelabra ad alios Templi uſus, quàm ad quem aurea adhibebantur, deputata ſunt.

Poſt captivitatem unà cum Templo etiam aureum Candelabrum reſtitutum eſt, cujus meminere Zacharias (c), & Libri Machabæorum (d). Illud verò cum cæteris Templi ornamentis poſt ejuſdem Templi deſtructionem, Romam translatum, & in triumpho delatum fuiſſe Joſephus aſt auctor (e). Addit verò ille, Candelabrum hoc in aliam formam mutatum fuiſſe, quàm apud Judæos haberet; ſiquidem columna conſtabat baſi impoſita; è columna vero ſeptem veluti calami latis exiles, & in triangulum deſinentes egrediebantur; ſinguli verò calami lucernas ſuſtinebant. Poſt triumphum Candelabrum, & Menſa aurea in Templo Pacis, tunc primùm à Veſpaſiano dedicato, collocata ſunt. Ejus Candelabri figura in triumphali arcu Titi ad radices montis Palatini, anaglyphico opere cælata exhibetur(f).

(Candelabrum aureum ſeptiforme per viſum Zachariæ Prophetæ 4.2.3. objectum, ſimillimum erat per omnia Moſaico *Exod.* 25. 31. & 37. 17. 18. & Salomonicis 3. *Reg.* 7. 4. eo tantùm inter illa & hoc propheticum diſcrimine, quòd Sacerdotes affunderent in ſingulas lampadas oleum; cùm Zachariæ iſtud oleum ſeptem lampadibus ſufficeret per ſeptem canalia ducta ab uno communi alio in vertice candelabri conſtituto. Porrò canale iſtud, cæteris oleum ſufficiens, affuſum habebat liquorem è duplici dolio, in dolia autem ſtillabat liquor è duplici arbore olivarum, hinc inde ad latera Candelabri. Nunquam re ipſa lampadem illam extitiſſe credimus; ſed paratu utique difficilem non reputamus. Quid lateret in objecto per viſum Candelabro illo myſterii expandimus in Commentario ad Zachariam.

CANES. Arabes perinde ac Judæi canes rejiciunt ad immunda (g), verbis palpant mollibus, cibo nutriunt ſat laute, ſed continent ſe à tactu maximè ſi humore madueint, cavent ne propiùs accedant, ne gutta aliqua in veſtes ſuas excutiatur metuentes, inauſpicati enim tunc ad preces ſe conferrent. Sed venationem amantes venatorios canes nutriunt, obtendentes canes illos arrectos ſemper in prædam nihil vorantes impurum à communi cæterorum lege eximi. Paria philoſophantur de catellis. Nemo apud illos audet injuriæ aliquid inferre canibus; & ſi quis animo deliberato aliquem ex iſtis occideret, traheretur in judicium ſententia Judicis puniendus.)

CANIS, animal familiare notiſſimum, ſed in Lege inter impura rejectum, & à Judæis deſpectui habitum; quare injuriæ genus erat apud illos ſi quis hominem cani mortuo compararet. Hinc David, ut ſe vilem homuncionem oſtenderet, quem proinde perſequi Saulem tantum Regem dedeceret, *Quem*, ait, *perſequeris Rex Iſrael?... canem mortuum perſequeris*(h). Eadem comparatione uſus eſt Miphiboſeth (i), ut ſe dignum honore Menſæ Regiæ accumbendi, quo à Davide donatus erat, oſtenderet. Job conqueritur, ſe in ſuis ærumnis ab iis irriſum, quorum patribus antea canes ſuorum gregum prætuliſſet (k).

Interdum homines, qui turpi ac pudendo quæſtu ſe proſtituere, canes dicebantur, quem ſenſum nonnulli tribuunt Legi per Moyſem latæ, prohibenti, ne in Templum inferretur merces *proſtibuli, nec pretium canis*(l); & Textui Eccleſiaſtici 13. 22. *Quæ communicatio ſancto homini ad canem?* Chriſtus in *Apoc.* 22. 15. è domo ſua excludit *canes, veneficos, impudicos, Homicidas, Idololatras &c.* Pſeudoapoſtoli, homines impudentes, & turpis lucri cupidi, canes ab Apoſtolo (m) appellantur. Tandem Salomon, & S. Petrus peccatores in eadem ſemper peccata relabentes (n), canibus ad vomitum regreſſis comparant. Canes etiam David (o) eos appellat, à quibus detractionibus, perſecutionibus, & injuriis proſcindebatur.

Hebræos canibus in venatione uſos eſſe, cum de venatione fit mentio, nunquam occurrit; maximè cum ab animantibus occiſis à canibus, tamquam impuris abſtinere juberentur (p). Ad eum uſum apud Orientales potiùs adhiberi leones, vel ſimilis generis belluæ, vel lupos proprium venatoris equum, vel ſuper alium ad hoc deſtinatum devectæ: quæ ſtatim ac præda aliqua occurrit, detracta per venatorem vitta, quâ illorum oculi obligantur, ex equo proſilientes illam mira dexteritate aſſequuntur. Negare tamen non auſim, potuiſſe apud Hebræos aliquem extitiſſe canum uſum in venationibus, dummodo tamen illos impedirent, ne prædam occiderent; ſiquidem eas tantum, quas canes occidebant, impuras habere jubebantur.

CANON, Græca vox, Regulam ſignificans, & Eccleſiaſtico ſtylo ad denorandas regulas fidei, diſciplinæ, & morum à Conciliis tra[illegible] confectata. Eadem etiam utimur pro Libris Sacræ Scripturæ, quos tamquam Divino Spiritu afflante conſcriptos haberi volumus, iiſque à prophanis, apocryphis, & dubiis diſtinguendis. Sic Librum Geneſis eſſe in Canone, eumque tamquam Canonicum à Judæis, & Chriſtianis admitti dicimus; contra vero, Librum Sapientiæ in Catholicorum, non item Judæorum Canone contineri. Denique de quibuſdam Scripturæ libris dicere ſolemus, diù de illis dubitatum, nec niſi poſt aliquot ſæcula unanimi Chriſtianorum conſenſu in Canonem fuiſſe receptos; uti ex Veteri Teſtamento Liber Sapientiæ, Tobiæ, Judith, duo priores Libri Machabæorum, Baruch; in Novo vero, Epiſtola ad Hebræos, ſecunda S. Petri, ſecunda, & tertia S. Joannis, & Apocalypſis.

In Canone Hebræorum vigintiduo tantum Scripturæ libri continentur, vel ad ſummum vigintiquatuor, ſi Liber Ruth, & Lamentationes Jeremiæ à cæteris, quibus adhærent, ſeparentur. De his tamen omnibus latè egimus verbo *Biblia*. Satis recepta traditio eſt apud Hebræos, Canonem Scripturæ clauſum non fuiſſe, ut eorum phraſi loquar, ſeu Libros S. Scripturæ non fuiſſe numero certo, niſi Eſdræ ætate, determinatos. Ille enim annuente Concilio generali totius Nationis, Libros Sacros in unum corpus collegit, & Canonem Scripturarum digeſſit. (q)

Nullum impoſterum librum in Canonem invehi tolerarunt Judæi; vel ſaltem nullus eſt apud eos liber, qui æqualem authoritatem cum Libris Canonicis obtineat. Quare Joſephus l. 1. c. Appion. ſcribit, à Moyſe uſque ad Artaxerſem Perſarum Regem Judæos à Prophetis vigintiduos libros habuiſſe, quos tamquam divinos venerantur; nihilque in iis mutari permittunt; ab Artaxerſe verò, licèt receptus mos ſervaretur ſcriptis conſignandi ea, quæ digna memoria Nationi Judæorum contigiſſent, eos tamen libros parem cum Veteribus authoritatem non obtinuiſſe.

Genebrardus, & Serarius credunt, Libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Tobiæ, Judith, & duos Machabæorum poſt Eſdræ tempora Canoni Judæorum ex decreto magnæ Synagogæ additos; quamquam hiſce libris minorem contulit authoritatem, quam primis, & Veteribus. Verùm eorum opinio difficultate non caret. Pri-

(a) 3. Reg. 7. 49. (b) 1. Par. 28. 15. (c) Zach. 4. 2. 11. (d) 1. Mach. 4. 49. 50. (e) De Bello l. 7. c. 24. in Lat. ſeu 17. in Græco. (f) Baron. an. Chr. 73. Art. 2. (g) Darvieux Mores Arabum c. 8. p. 182. Galliſcè. (h) 1. Reg. 24. 15. (i) 2. Reg. 9. 8. (k) Job. 31. 1. (l) Deut. 23. 18. (m) Philipp. 3. 2. (n) Prov. 26. 11. & 2. Petri 2. 22. (o) Pſal. 21. 17. 21. (p) Levit. 17. 15. (q) Ita Hebræi communiter. Vide & Iren. l. 3. c. 25. Tertull. de habitu mulier. c. 3. Hieron. cont. Helvid. c. 3. Hilar. Præfat. in Pſal. Athanaſ. in Synopſi.

Google

mò enim Libri Tobiæ, & Judith ante captivitatem compoſiti fuiſſe veroſimiliter credi poſſunt. Secundò, cur Judæi hiſce poſterioribus Libris æquam authoritatem cum prioribus non contulere, ſi non ſecus ac illos, Deo dictante ſcriptos credebant? Neque difficultati facile occurrit Joſephus (a); qui hujus rei in cauſa fuiſſe dicit, quòd poſt Artaxatſes tempora ſucceſſio Prophetarum ceſſaverit. Si enim apud Judæos viri divinitus afflati, qui eos Libros, de quibus loquimur, conſcripſerint, non defuere, poterant illi eoſdem libros in Canonem cooptare. Cur etiam hanc ſibi authoritatem non vindicaſſent Matiathias, Judas Machabæus, Simon & Jonathas ejus frater? Nonne Joannes Hircanus vir Deo apprimè carus, & ſupernaturali lumine illuſtratus ipſius Joſephi teſtimonio (b), eadem præſtare potuiſſet? Quid? quod ex ſecundo libro Machabæorum (c) ſcimus, Judam Machabæum ſedulitatem ac zelum Nehemiæ imitatum fuiſſe in colligendis Libris, agentibus de bello Judæorum contra Syrios; cur igitur eodem zelo eos Libros in Canone non repoſuit, ſi dignos, & à Deo inſpiratos reputavit?

Non abs re quis ſuſpicari poſſet, Judæos Hebraizantes eoſdem Libros è Canone ſubſtuliſſe, quòd Hebraice ſeu ſacra Lingua exarati non eſſent. Cur tamen ſi hos ſubduxiſſe potuerunt, Danielem, & Eſdram reliquiſſent, Chaldaicè pluribus in locis ſcriptos, eadem ſcilicet Lingua, qua Eccleſiaſticus, Tobias, Judith: & ſaltem primus Machabæorum liber? Anne fortè mutua Judæorum Hebraizantium, & Helleniſtarum æmulatio in cauſa fuit, cur Hebraizantes è Canone excluſerint eos libros, quos tamquam Canonicos Helleniſtæ recipiebant? an tandem ne aliqui Scripturæ libri etiam Divinitus inſpirati in Canonem reciperentur, fecit vana Judæorum ſuperſtitio, quæ Canoni Scripturarum ab Eſdra confecto aliquid addere religioni ducebat? Quæcumque tandem hujus rei ratio afferatur, illud conſtat, Eccleſiam Chriſtianam eos Libros ex Judæis recepiſſe, & veroſimiliter ab Helleniſtis; neque illos ut inſpiratos, & Canonicos tradere, niſi ii, à quibus accepit, eorum authoritatem, & inſpirationem agnoviſſent.

Neque offendi quempiam par eſt, ſi particulares Eccleſiæ de illis inter S. Scripturas recipiendis tandiù dubitarunt; ſi Doctores aliqui, & Concilia in Catalogis Scripturarum à ſe ductis illos omiſerunt; ſi denique nonnulli aperte excluſerunt. Æſtimanda potius ea his ſumma Eccleſiæ in Libris Sacris inter Canonicos recipiendis prudentia; quæ ſi tandem illos in Canonem cooptavit, nonniſi validis certiſque rationibus ducta fuiſſe dicenda eſt. Traditioni Eccleſiarum ea de re conſulendæ, excutiendiſque dubitantium ſcrupulis congruum tempus permittendum erat. Veteres illi, qui eos libros e Canone expungebant, Hebræorum Canoni plus nimio deferebant, cum nihil id temporis adhuc Eccleſia definiiſſet. Poſt Concilium Tridentinum omne opinionum diſſidium ceſſavit.

CANONICA. Epiſtolæ Canonicæ, ſeù Catholicæ. Vide infra *Catholica*.

CANTHARA. Simon Canthara, filius Simonis Boethi ad Summum Pontificatum Agrippæ Magni favore poſt Theophilum filium Jonathæ evectus (d), eam dignitatem poſt annum Matthiæ filio Anani cedere coactus eſt (e). Iterum verò poſt Elimæum reſtitutus, eodem anno Agrippa defuncto, ab Herode Rege Chalcidis depoſitus eſt, ſubſtituto Joſepho filio Camith (f).

CANTICUM. Hebræi ſi aliquid magni momenti ipſis accideret, Cantica ſcribere conſueverunt. Moyſes gratias Deo acturus pro mirabili per mare rubrum tranſitu, Canticum compoſuit (g). David lugubribus Canticis mortem Saul, & Jonathæ, tum etiam Abner (h) ingemuit. Jeremias Lamentationibus, quæ Canticum ſunt, Jeroſolymæ deſolationem proſecutus eſt, quod & in morte Joſiæ Regis Juda fecerat (i). Debora & Barac victoriam de Siſara Cantico cecinerunt (k), quod etiam de Judith poſt deletum Holofernem memoriæ proditum eſt (l). Canticum Canticorum, & Pſalmus 42. Cantica ſunt pro nuptiis; quod carminum genus à Græcis Epithalamium appellatur. Anna mater Samuelis (m), & Rex Ezechias (n) gratias à Deo acceptas Cantico retulerunt. Cantica B. Virginis, Zachariæ patris S. Jo: Baptiſtæ, & Simeonis, actiones gratiarum ſunt. Ex 5000. Canticis, quæ, Scriptura teſte, Salomon dictaverat (o), ſolum ſupereſt Canticum Canticorum, de quo ſtatim.

CANTICUM CANTICORUM, Scripturæ Liber Hebræis *Schir Aſchirim*, ſcilicet excellentiſſimum Canticum. Compoſitum creditur in nuptiis Salomonis cum filia Regis Ægypti. Verùm ut hujus Libri ſenſum, & myſterium aſſequamur, non ad carnem, & ſanguinem, ſed omnia ad Chriſti cum natura humana, cum Eccleſia, & cum anima juſti nuptias referenda ſunt. Hac veluti clavi ea, quæ in hoc Libro dicta videntur de nuptiis humanis, de ſupernaturali & Divino connubio dicta eſſe intelligemus.

In Cantico, ſeptem dierum, totidemque noctium fit mentio, quod ex more Hebræorum nuptias per ſeptem dies celebrandi deſumptum eſt (p). Quæ his ſeptem diebus contigerunt, ſtylo adeò poetico, & ab hiſtorico diſcrepanti conſcripta ſunt, ut Hebræi vetitum, ne nimis ad literam intelligerentur, Lectionem hujus Libri ante annum ætatis trigeſimum vetuerint (q): quod & à Chriſtianis ſervatum eſt. Certè hominibus carnalia ſapientibus Liber iſte exitio eſſe poteſt, ac illum legentes, de excutienda erga S. Scripturam veneratione, & de animæ ſalute periclitantur.

Hunc librum tum Eccleſia tùm Synagoga inter Canonicos ſemper habuere (r). Inter antiquos unus Theodorus Mopſueſtenus occurrit, qui illum rejecerit. Nonnulli ex Rabbinis de ejus inſpiratione dubitarunt; Anabaptiſtæ verò tamquam pernicioſum rejiciunt. Quibus omnibus prævalet authoritas Eccleſiæ & Synagogæ, pro illius inſpiratione unanime teſtimonium ferentium.

Fruſtrà verò objeceris, neque Chriſtum, neque Apoſtolos eum Librum unquam laudaſſe; neque in illo, ne ſemel quidem, Dei nomen ſcriptum eſſe: quot enim Scripturæ Libros Chriſtus præterit illaudatos? Quòd autem Dei nomen fruſtra ibi requiratur, in cauſa eſt, quia Dei Filius ſub Sponſi allegoria inducitur; debuit proindè juxtà allegoriæ leges, ejus nomen ſileri, & Sponſus induci.

CANTORES. Plures Levitarum ordine Divinis laudibus concinendis, & muſicis inſtrumentis ante Altare canendo in Templo Hieroſolymitano deſtinabantur. Davide regnante 4000. ex iis numerabantur, ſuis Ducibus & Præfectis ſubjecti (ſ). Aſaph Heman, & Idithum Muſicæ ſub Davide, & Salomone præerant. Horum primo quatuor erant filii; ſecundo quatuordecim; poſtremo verò ſex, qui viginti quatuor Cantorum choris duces electi ſunt, ſinguli ſingulis. Sub iis Ducibus alii erant Præfecti inferiores undecim, pro quolibet Choro, aliis Cantoribus inſtruendis deſtinati. Familia Caath medium Templi tenebat; Meraritæ ſiniſtram; Gerſonitæ tandem dextram. Neque ex familia tantùm, ſed & ex genere inſtrumentorum diſtincti fuiſſe videntur; cum filii Idithum *cinnor*, ſeù *cythara* canerent, filii Aſaph *nabal*, ſeù *pſalterio*, filii Heman *mizlothaim*, tintinnabuli quodam genere.

(Levitæ

(a) Cont. Appion. l. 1. (b) Antiq. l. 13. & 18. & 20. (c) 2. Mach. 11. 14. Textus Græcus hanc etiam interpretationem patitur. *Judas collegit libros diſperſos & amiſſos tempore belli poſterioris*. Verum ſenſus, quem ſequuti ſumus, literæ propior eſt.
(d) Antiq. l. 19. c. 5. primo ab an. 4044. uſque ad 4045. iterum 4048. (e) Antiq. l. 19. c. 6. (f) Antiq. l. 20. c. 1.
(g) Exod. 15. 1. 2. (h) 2. Reg. 1. 18. & 3. 33. (i) 2. Par. 35. 25. (k) Judic. 5. 1. 2. &c. (l) Judit. 15. 12.
(m) 1. Reg. 2. 1. 2. &c. (n) 2. Reg. 38. 10. &c. (o) 3. Reg. 4. 32. *Fuerunt carmina ejus quinque millia*. Hæc Joſephus 5000. Odas; plerique tamen poëmata, ſeu verſus 5000. intelligunt. (p) Gen. 29. 22. Jud. 14. 12. 15. 17. Tob. 8. 23.
(q) Orig. & Theodor. Præf. in Cant. Hier. Præf. in Ezech.
(r) Conc. Conſtantin. 2. collat. 4. Orat. 58. & ſeq. & Ep. Pelag. 11. &c. (ſ) Vide 1. Par. 25. 1. 2. &c.

Levitæ & Cantores, voce & muſicis inſtrumentis ludendo, ſicut & cæteris Templi muneribus deſtinati, nullo, quo diſtinguerentur, certo veſtimenti genere utebantur. In ſolemni tamen Arcæ translatione ad Templum Salomonicum (a) Cantores byſſina vel carbaſina tunica ſpectabiles pompam condecorabantur. Notat Joſephus Antiq. l. 20. c. 8. ſub Agrippa Rege impetratam ab illis apud eum Principem facultatem, lineam pro more cæterorum Sacerdotum, deferendi in Templo. Id ſibi Regno ſuo glorioſum, & ſingulare Rex ille duxit, ſi ſcilicet tanti momenti rem innovaret. Cæteri etiam Levitæ variis in Templo obeundis muneribus deſtinati, impetrarunt facultatem addiſcendi ſcientiam canendi, ut de fratrum prærogativis communicarent. Repugnabat id, inquit Joſephus, Legibus Dei, quas nemo violat impunè.)

CAPELLA, animal notiſſimum, inter pura reputatum, ut ad victum, & Sacrificia adhiberi poſſet. In Palæſtina, aliiſque regionibus Orientis (quod adhuc ſervatur) tondebantur, earumque villis ſaga intexebantur tentoriis conficiendis. Nonnulla etiam Tabernaculi vela eodem opere conſtabant. Exod. 25. 4. & 35. 6 &c. & 37. 14.

CAPER-NOMA, ſeu *Capharnaum*, ultra Jordanem; ubi fons pulcherrimus ſpectabatur, creditus ramus Nili, ait Joſephus de Bel. l. 3. c. 18.

CAPHAR, nomen Hebræum, quo campus ſeu vicus ſignificatur; quare nomini proprio alicujus vici ſive campi adjunctus reperitur. Quandoque etiam nomini alicujus urbis additum; non raro enim contigit, ut quæ priùs vicus erat, temporis inceſſu in urbem tranſierit.

CAPHAR, ſeu *Caphara*, vicus Tribus Benjamin. *Joſue* 18. 26.

CAPHAR-ABIS, oppidum Idumææ, de quo Joſephus (b). Cerealis Tribunus Romanus parva militum manu illud occupavit. Gemara (c) cujuſdam munitionis Idumææ mentionem ſub nomine *Caphar-biſſa* meminit, quæ tamen urbs magna fuiſſe videtur, non ſimplex munitio.

CAPHAR-BARUCHA, *Vicus benedictionis*, in Tribu Juda ſitus. S. Paula illuc aſcendens, ſpeluncam Loth meminit, ait S. Hieronymus (d), ſubjectumque locum, ubi olim Sodoma, & Gomorrha fuerant, obſervavit. Creditur Abraham hucuſque Angelos ad excidium Sodomæ properantes proſequutus. Tribus milliaribus diſtat ab Hebron, authore S. Epiphanio *cont. hæreſ.*

CAPHAR-ABIA, vicus, ſeu campus leonis. Hunc Peutingeri Tabulæ inter Jeruſalem, & Aſcalonem collocant.

CAPHARATH, vicus Galilææ à Joſepho munitus, ut ipſe in Vita ſua teſtatur.

CAPHAR-DAGON, *Vicus Dagon*, Dioſpolim inter & Jamniam, teſte Euſebio (e).

CAPHAR-ETHAJA, in Samaritide, Menandri Hæreſiarchæ patria. *Juſtin.* Apolog. 2.

CAPHAR GAMALA, viginti milliaribus à Jeruſalem, Lucii Presbyteri Scriptoris V. Eccleſiæ ſæculi, qui Inventionis corporis S. Stephani hiſtoriam ſcripſit, patria. Nomen fortaſſe à Gamaliele illo, qui corpus S. Stephani ſepelivit, eundemque locum poſſidebat, ſortitur.

CAPHAR-IAMA (f), idem ac Jabaeel in Tribu Nephtali.

CAPHARNAUM, ſeu *Capernaum*, Urbs ex Evangelio notiſſima, ubi Jeſus tribus annis ſuæ prædicationis ut plurimùm morabatur (g). Quamquam ſitam fuiſſe ad Orientem, & ad ripam Lacus Genezareth probè conſtat, locus tamen certus ignoratur; parum tamen à Bethſaida abfuiſſe ex Evangelio diſcimus. Septimo & octavo Eccleſiæ ſæculo adhuc ſuperérat, ut ex ſcriptoribus Adamnani, & S. Willibaldi colligimus. Adamnanus eam ab Oriente in Occidentem protenſam, habuiſſe à Septentrione montem, ad meridiem verò Lacum Tiberiadis, deſcribit. In ea urbe Chriſtus pluries prædicavit, pluraque miracula edidit. Sed Capharnaitas parùm conficientes acrioribus tandem verbis increpans, dixit eos in Cœlum à ſe evectos, uſque in infernum iri ſc. Matth. 11. 10. addens inſuper, ea quæ inter illos facta fuerant miracula, magis apud Tyrios, & Sidonios Idololatras profutura fuiſſe, quàm apud ipſos valerent. Ibidem Matthæus à teloneo revocatus eſt, ut Chriſtum ſequeretur. *Matth.* 9. 9.

CAPHAR-ORSA, Urbs Idumææ ad occidentem Jordanis.

CAPHAR-SABA. In ejus agro Herodes Antipatridem in honorem patris ſui Antipatri condidit. *Joſeph.* Antiq. lib. 16. cap. 9.

CAPHAR SALAMA, vel *Caphar-ſarama* 1. Mach. 7. 31. eadem fortè ac *Caphar-ſemelia*, de qua in hiſtoria Inventionis S. Stephani. Non longè à Jeruſalem aberat.

CAPHAR-SOREC, oppidum ad ſeptentrionem Eleutheropolis apud Saraam (h). Nomen fortè ſortitum eſt à torrente, ſeu valle Sorec, patria Dalilæ. *Judic.* 16. 4.

CAPHAR-TOBA, vicus Idumææ *Joſephus de Bel.* lib. 5. cap. 4.

CAPHET-RAMIS, vel *Caphetra*, Urbs Idumææ ſuperioris, à Tribuno Cereali ſolo æquata (i).

CAPHIRA, Urbs Benjamin. *Joſue* 9. 17.

CAPHTOR, Inſula (k), ex qua Caphtorim (l), alio nomine *Cretim*, *Cerethim*, ſeu *Philiſthiim*. Interpretes plures Caphtor eſſe autumant Cappadociam, & *Caphtorim* Cappadoces, ex quo Philiſthiim, & Cerethim originem deducunt. In prima Editione noſtri Commentarii in *Gen. c.* 10. 14. Caphtoritas ex Inſula Cypri derivavimus. Verùm poſtea ex Inſula Cretæ illos ortum habuiſſe in Diſſertatione initio primi Libri Regum impreſſa, probavimus. Conſulantur ea, quæ ibidem diximus, ſimulque ea, quæ in Supplemento ad calcem Apocalypſis pro eadem re congeſſimus.

(Caphtor) *Caphtorim*, quo nomine deſignari Inſulam Cretæ & Cretenſes his rationibus perſuademur. Philiſthæos alienigenas eſſe non aborigines Palæſtinæ Scriptura docente, ſat conſtat *Geneſ.* 10. 14. *Jerem.* 4. 4. *Amos* 9. 7. Nomen illud conſtanter redditur à Septuaginta, *Allophyli*, i. e. exteri. Peculiare eorum nomen fuiſſe *Cerethim* conſtat, quâ apud Ezechielem & Sophoniam, quà ex hiſtoria prioris Libri Regum. Ezechiel minitatur Philiſthæis cap. 25. 16. ait: *Ecce extendam manum meam ſuper Philiſthiim, & interficiam interfectores* (Hebr. *Cerethim*) *& perdam reliquias maritimæ regionis*. Sophonias 2. 5. in illos invehens: *Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum* (Hebr. *Cerethim*). Fa[illegible] Amalecitis irruptionem ad auſtralem plagam Cerethim, i. e. Philiſthæorum, ut ex ſubſequentibus conſtat, ſeg mur 1. Reg. 30 14. 15. Temporis ſucceſſu Regum Juda milites cuſtodes erant *Cerethim* & *Phelethim*, è numero utique Philiſthæorum 2. *Reg.* 15. 18. Vide Comment.

Pro *Cerethim* reddunt Septuaginta Cretenſes, ſicut & pro *Ceroth* Cretam, *Ezech.* 25. 16. & *Sophon.* 2. 5. Accerſit Philiſthæos Scriptura ex Inſula *Caphtor*, *Jerem.* 47. 4. nulla eſt autem in Mediterraneo Inſula, cui meliùs quadrent characteres à Scriptura aſſignati *Caphtor*, & *Cerethim*, quàm Inſula Cretæ. Nomen *Cretim* vel *Cerethim* idem eſt ac Cretenſes, ibi pariter notus erat *Kairat*, & Dea Ceres (m); *Curetes* altores Jovis in monte Ida, ex quibus Inſulæ univerſæ nomen inditum (n). Inter vetuſtiſſimas ac celebratiſſimas Inſularum Mediterranei gentes primas ſibi vindicant Cretenſes; è terra natos ſe jactitant; frequentabatur Inſula illa cultoribus Trojani belli ætate. Inſulam *Centum Urbium* appellat Homerus in Catalogo. Nec Urbs Gaza in Palæſtina nomen obtinuit Minoæ, quod conditum ſibi à Minoe Rege Cretæ, qui ejus inventiſſet antiquiſſimam Urbem de ſuo nomine appellavit.

Refert Herodotus lib. 2. cap. 173. Cretenſes ab ipſa origine barbaros fuiſſe omnes, hæc enim venerunt è Græcia. Vacuas obtinuiſſe linguas in Inſula Cretæ, ubi

(a) Par. 15. 12. (b) De Bel. l. 4. c. 33. (c) Gem. Babyl. Gittin. 57. 1. (d) In Epitaph. Paulæ. (e) Euſeb. in *Bedagon*. (f) Gem. Jeroſol. Megillah. fol. 70. 1. (g) Matth. 4. 13. Marc. 1. 21. (h) Hieron. Onom. in Sorec. (i) Joſ. de Bel. l. 4. cap. 8. (k) Deut. 2. 23. Jerem. 47. 4. Amos 9. 7. (l) Geneſ. 10. 14. Deut. 2. 23. (m) Callimac. hymn. in Dianam. (n) Plin. lib. 4. cap. 10. (o) Stephan. Byzant. in Gaza.

[illegible] & [illegible], & [illegible] Cretenſes, & *Pelaſges &c.* affirmat Homerus. Veteres Cretenſes, ipſi ſunt *Cer[illegible]*, Peleſi vero *Philiſtini* ſive Pheleſim Scripturæ. Sermone utebantur eodem cum Chananæis, vel Phœnicibus, & [illegible]Hebraico; ducebant autem originem ex Cham per Mizraim, quemadmodum & Chanaan. *Geneſ.* 10. [illegible]

Mores, Arma, Religio, Nomina [illegible] cum Philiſthæis fermè congruebant. Armabantur utrique arcu & ſagittis. Dagon Philiſthæorum ipſum eſt Numen cum Dictinna Cretenſium. Marnas Gazæ Jupiter eſt Cretenſium, ſi fides Stephano [illegible] 10., Deus Belſebub vel Deus muſca, conſecrabat [illegible] memoriam apum altricum Jovis in monte [illegible], quas inter varias prærogativas [illegible] pariter donavit Deus, ut nigrum colorem in aureum reformarent (a).

Contra noſtram hanc ſententiam opponitur, [illegible] Abrahami ætate Philiſthæos Palæſtinam [illegible] [illegible], cum ſcilicet non adhuc frequentibus [illegible] culta Inſula Cretæ colonias mittere in P[illegible] minus valuiſſet. Hiſce ego repono, Abrahami ætatem, i. e. circa A. M. 2090, annos 434. à diluvio effluxiſſe, & à diſperſione Babelica 320. circiter. Miſraim avus Philiſthæorum & Caphtorim borenti [illegible] poſteritate abundabat; natus erat proxime ex Cham, ſiſque [illegible] Ægyptum [illegible]. Ex Ægypto in Cretam tranſitus nec arduus eſt, nec longus, quis proinde neget ſuperari potuiſſe ſpatio [illegible] vel [illegible] annorum?

Caphtor. Aptera Urbs Cretæ nominis affinitate congruit cum Caphtor; eſt Aptera à Rege [illegible] nomine appellata. Juxta illam Sirenes victæ à Muſis alis ſuis mutilatæ ſunt.

CAPILLI. De capillis nihil Hebræis ſancitum datum à Deo legibus. Comas ſponte ut ei [illegible] permittebant; Sacerdotes tunc illam attondebant, cum ipſo [illegible] dierum Templi ſervitiis occuparentur, adtondebant autem forcipe, non novacula *Ezech.* 44. 20. Verum illis etiam [illegible] comam [illegible] *Lev.* 19. 28. & è ſecundis, quamvis in cætu [illegible] ſunt [illegible] nulla [illegible] *Jerem.* 41. 5.

[illegible] illis Deus [illegible] *Non [illegible] in rotundum attondebitis comam*, mos [illegible] Arabum, Ammonitarum, Moabitarum, Idumæorum, populorum Dedan, Thema, & Buz *Jerem.* 9. 25. 26. & 25. 23. *Herod.* l. 3. c. 8. Servatum id à gentibus illis in honorem Bacchi eo [illegible] geſtis. *Herodot. loc. cit.*

Moſaicum textum ita reddunt Septuaginta: *Non facies ſiſoe de coma capitis tui.* Vox hæc Hebraica [illegible] juxta veterem Scholiaſtem ſignificat plexum crinium Saturno conſecrari ſolitum. Ita cincinnos ſuos [illegible] Syros Numinibus a[illegible] Lucianus.

[illegible] olim apud [illegible] ingereret ſe [illegible] nunquam reform[illegible] tecto crines, vel barbam, niſi prius de hoſtibus [illegible] victoriam. Silius Italic. de Bello Punic. [illegible]

[illegible] Sarvient [illegible] qui ponere [illegible]
C[illegible]iem, crinemq [illegible]

His moribus conſentiunt Germani, [illegible] Tacit.: *Cri[illegible] barbamque ſummittere [illegible] exuere, [illegible] obligatumque virtute [illegible]*. Idem Tacitus Hiſtor. l. 4. *Civilis barbaro [illegible] capite adverſus Romanos [illegible], propexum, rutilatum [illegible] patrata demum cæde [illegible] depoſuit.*

Congruit hæc nonnihil cum lege [illegible] Nazaræis Numer. 6. 5. *Omni tempore ſe[illegible] ſua novacula non tranſibit per caput ejus.* [illegible] *ſuperfectat* [illegible] 3. tonoiam [illegible] circuli, more [illegible] polluerat, & ex integro [illegible] Nazaræatus [illegible] Vide Dictionarium v. *Nazaræi.*

Cum ſuſpicio [illegible] aliqua in homine de lepra [illegible] quirebant [illegible] capilli, erant enim [illegible]

[illegible] multis [illegible], ſe [illegible] quipiam contaminaverat corpus lavabat, & veſtes *Levit.* 14. 8. 9. tum præcidebat crines, barbam, & pilos omnes corporis, offerebatque ſacrificium ante fores Tabernaculi, admiſſus tamen in caſtra ad octo etiam dies dilatus, nec prius permiſſus, quàm abraſiſſet iterum corporis pilos.

De pondere comæ Abſalomi egimus in Dictionario, v. *Abſalom.* Nigricantes comæ omnium venuſtiſſimæ habebantur *Cant.* 5. *Coma ejus ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi corvus.* Placebant hæc pariter Romanis. Horat. de arte Poet.

Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

CAPITATIO JUDÆORUM. Indixerat Moyſes Exod. 30. 13. ſemiſiclum in ſingulos ſolvendum *pro [illegible] ſuis*, ſeu pro redemptione ſua; [illegible] autem quando, ait, *tuleris ſummam filiorum Iſrael juxta numerum, & non erit plaga in eis.* Ubi quidam Interpretes indictam hanc legem credunt perpetuo, cum cenſus ageretur; cui minus obſequens David, negligens ſcilicet in cenſu à ſe inſtituto multam illam exigere, populus eandem multionem criminis ſuſtinere coactus eſt 2. *Reg.* 24. 1. Plerique tamen malunt indictam hic à Moyſe capitationem ſingulis recurrentibus annis ſolvendam pro impenſis Tabernaculi, pro hoſtiis item, lignis, oleo, vino, ſimila, veſtibus, cæteriſque ad uſum Sacerdotum & Levitarum neceſſariis. Ab eo tributo Jeſu Chriſti ætate non adhuc ceſſatum erat. Vide infra *Didracma.*

Soluta Babylonica captivitate 2. *Eſdr.* [illegible] ſibi indixerunt Iſraelitæ data fide, multam tertiæ partis ſicli Templo à ſingulis ſolvendam; neque enim facilè graviorem capitationem ferebant tenuiores tunc populi reſidui. Poſt Templi everſionem per Romanos (c) coacti ſunt Judæi ſolvere Templo Jovis Capitolini hemiſiclum, capitationem olim Templo Hieroſolymitano indictam. E ſingulis, quas frequentabant, Provinciis exacta pecunia à Telonariis deferebatur Hieroſolymam. Notat Cicero orat. pro Flacco, vetuiſſe Flaccum ferre collectitium è Judæis Italiæ pecuniam Hieroſolymam. [illegible] illis vertit [illegible] quod tributum [illegible] ab Imperatoribus ſolvi permiſſum, ut Numinis ſui cultui providerent, [illegible] in largitiones ſuos, ut bellum ſcilicet adverſus Romanos.

Capitationi medii ſicli ſubdiſos volunt Rabbini Judæos generatim omnes, etiam Sacerdotes, ſolis exceptis fœminis & pueris 13. annor. ætate minoribus, & mancipiis. Exigebant eam pecuniam Telonarii ineunte menſe Niſan; ſed nemo ſolvere coactus erat [illegible] uſque ad feſtum Paſchæ; tunc nolentes cogebantur, vel ſolvere, vel pignus conferre. Valebat hemiſiclus [illegible] circiter ſolidis monetæ noſtratis. Siclum dicit Moyſes juxta *menſuram Templi*, i. e. juxta menſuram [illegible], cujus archetypus in Templo (e). Vide infra, *P[illegible] Sanctuarii.*

CAPITOLIAS, Urbs Paleſtinæ, in tabulis [illegible] inter Gadaram, & *Edras* [illegible] *Adraſtus* ultra Jordanem [illegible].

CAPITOLINA. Cognomen Urbis Jeruſalem, quæ ab Adriano reædificata, eique *Ælia Capitolina* appellata eſt.

CAPPADOCES, qui in Libris Veteris Teſtamenti frequentes. Verùm Textus Hebræus habet *Caphtorim*, quod nos de antiquis Cretenſibus, qui in Hebræorum [illegible] nomina Ceretheim & Philiſthiim [illegible], explicamus.

CAPRA. Vide *Pilos Caprarum.*

CAPTIVITAS: Crimina & perfidiam populi ſui captivitate, vel ſervitute puniebat Deus. Omnium prima captivitas eſt Ægyptiaca Moyſe liberatore ſoluta, [illegible] potius tanquam Providentiæ divinæ [illegible], id agentis, ut gloriam ſuam manifeſtaret mundo, quàm ut exigeret de criminibus Iſraelitarum ultionem. Quibus temporibus ſervitus duraverit, vide in *Exodus*.

Secun-

(a) Diodor. lib. [illegible] (b) Diction. Trevolt. [illegible] (c) Xiphilin. in Veſpaſ.
(d) Joſeph. de Bello [illegible] (e) Vide [illegible] infra Pondus Sanctuarii.

Secundùm hæc ſex recenſentur ſervitutes ſub Judicibus. Primam omnium induxit Chuſan Raſathaim, Rex Meſopotamiæ; octennali tyrannide populum opprimens: in ſecunda Regi Moabitarum Egloni ſervitum; Aod liberatore ceſſavit: tertiam ſub Philiſthæis excuſſit Samgar; quarta ſub Jabim Rege Azot 20 annos duravit; vindicea autem habuit Deboram & Barach. Succeſſerunt Madianitæ, à quibus inductum jugum fregit Gedeon; Ammonitis & Philiſthæis ſub Judicibus Jephte, Abezan, Elon, Abdon, Heli, Samſone, & Samuele gravibus Dominis ſervit populus.

Sed prolixiores & celebratiſſimæ Hebræorum ſervitutes cenſentur, quæ populos Juda & Iſrael ſub peculiaribus utriuſque ditionis Regibus oppreſſerunt. Teglatphalaſſar A. M. 3264. Regni Iſrael pluribus occupatis Urbibus, ingentem captivorum turbam, maximè è Tribubus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe ſecum abduxit 4. *Reg.* 15. 29. Secundùm hæc Salmanaſar captam Samariam, triennali obſidione oppugnatam, evertit A. M. 3283. & populi reliquias tranſtulit trans Euphratem 4. *Reg.* 22. 6. & 8. 10 11. Perpetua hæc captivitas vulgò redditur, nunquam à diſperſione ſua decem Tribubus recollectis; & S. Hieronymus in illud Oſee 1. 6. *Voca nomen ejus: Abſque miſericordia, quia non addam ultra miſereri Domui Iſrael, ſed oblivione obliviſcar eorum*; de Tribubus illis affirmat: *Uſque hodie Perſarum Regibus ſerviunt, & nunquam eſt eorum ſoluta captivitas.*

Si propiùs tamen Prophetarum ſcripta diſpicimus, reditus Iſraelis è captivitate disertè expreſſus legitur, ac apertiſſime relata eſt ſolutio captivitatis Tribuum Juda & Benjamin. Idem Oſee, de perſeverante decem Tribuum captivitate laudatus, affirmat cap. 1. 10. *Erit numerus filiorum Iſrael, quaſi arena maris, quæ ſine menſura eſt, & non numerabitur. Et erit in loco ubi dicetur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filii Dei viventis.* cap. 11. 11. *Avolabunt quaſi avis ex Ægypto, & quaſi columba de terra Aſſyriorum, & collocabo eos in domibus ſuis, dicit Dominus.* Amos 9. 14. *Convertam captivitatem populi mei Iſrael, & ædificabunt Civitates deſertas & inhabitabunt &c.* Abdias v. 18. & 20. *Erit Domus Iſrael flamma, & domus Eſau ſtipula, & ſuccendentur in eis, & devorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Eſau. Tranſmigratio exercitus domorum Iſrael, omnia loca Chananæorum uſque ad Sareptam.*

Majores Prophetæ, Iſaias, Jeremias, & Ezechiel gemina iis, nec minùs apertè tradunt. Iſaias 11. 16. *Levabit* (Dominus) *ſignum in nationes & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Juda colliget à quatuor plagis terræ. Et auferetur zelus Ephraim, & hoſtes Juda peribunt. Ephraim non æmulabitur Judam, & Judas non pugnabit contra Ephraim.* Vide etiam cap. 27. 12. 13. Ezechiel ſcribere juſſus eſt à Deo ſuper duo lignorum fruſtula; in uno quidem: *Judæ & filiorum Iſrael ſociorum ejus*; in alterum: *Joſeph ligno Ephraim, & cunctæ domui Iſrael, ſociorumque ejus*, ita deſcripta ligna in unum conjungere juſſus eſt, junctionis utriuſque populi Juda & Iſrael emblema Jerem. cap. 3. 18. *Ibit domus Juda ad domum Iſrael, & venient ſimul de terra Aquilonis ad terram, quam dedi patribus veſtris.* Vide etiam Jerem. 31. 7. 8. 9. 17. 20. & 16. 14. & 49. 2. &c. Confer Zach. 9. 13. & 10. 6. 10. Mich. 2. 12. Si quis Prophetarum oraculis jungat petita è Libris Hiſtoricis Sacræ Scripturæ teſtimonia, oculis fermè ſpectabit remeantes in regionem ſuam Iſraelitas, quemadmodum & Juda & Benjamin. Tobias pater (a) aſſeverat, nunquam excidiſſe Dei verbum, futurum autem ut fratres decem Tribuum è terra Iſrael diſperſi regrederentur. Inter reduces cum Zorobabele recenſeatur etiam Ephraimitæ, & è Manaſſe Judæi (b), ſed in Jeruſalem conſtituentes una cum fratribus ſuis è Tribu Juda. Luſtrans Eſdras reduces è captivitate nihil ab illis exquiſivit, niſi id tantùm (c), *utrum ex Iſrael eſſent*, & primo Paſchate in Templo tunc celebrato, immolati ſunt *hirci caprarum pro peccato totius Iſrael duodecim, juxta numerum Tribuum Iſrael* (d). Sub Machabæis & Jeſu Chriſti ætate Palæſtinam frequentabant indiſcriminatim ex omni Tribu Iſraelitæ. Chronicon Samaritanum ſub A. 3905. notat annos 35. Sacerdotii Abdeli Iſraelitas, facta ſibi redeundi copia à Rege Sauredio, remeaſſe 300000. numero, duce Ado filio Simonis.

Captivitates Juda ad quatuor recenſentur. Componitur prima cum A. M. 3398. ſub Rege Joakim, cùm Daniel & ſocii captivi tranſlati ſunt Babylonem (e); ſecunda cum A. 3401. & Joakim ſeptimo, qua premente Nabuchodonoſor 3023. Judæos (f) captivos deduxit Babyloniam; tertia cum A. 3406. & Jechoniæ quarto, cùm ſcilicet Princeps ille ſimulque populi portio Babylonem tranſlata eſt (g). Quarta demum ſervitus incidit in A. M. 3416. ſub Sedecia (h); unde incipiunt ſeptuaginta anni captivitatis oraculo Jeremiæ 26. 11. & 29. 10. prædicti.

Judæos Babylonem, & in Babyloniam tranſtulit Nabuchodonoſor, conſilium agitans Urbem illam erigendi in Metropolim Orientis, eo tranſlatis, quas variarum regionum ſubegerat, gentibus. Judices tamen Seniores ſuos habuerunt in captivitate Judæi, dantes populo jura ſecundùm avitarum Legum præſcriptum. Docet id hiſtoria Soſannæ in jus vocatæ, atque capitali ſupplicio damnatæ à Senioribus gentis ſuæ (i).

Permiſit Rex Cyrus Judæis remeandi ad propria facultatem A. M. 3457. & Regni ſui Babylone primo; ſed reſtituendi Hieroſolymitani Templi copia nulla tunc facta eſt, nec propheticis oraculis prænunciantibus exitum captivitatis poſt annum ejus ſeptuageſimum, fides liberata eſt, niſi A. M. 3486. cùm Dario Hyſtaſpis agente edictum de reſtitutione Templi datum eſt. Tandem An. 3537. Artaxerſes Longimanus miſit Nehemiam Hieroſolymam (k). Affirmant Judæi, è captivitate non rediiſſe niſi quod viliſſimum erat è gente ſua, manſiſſe enim ſelectiſſimos in conſtitutis ſibi in Babylonia ſedibus, ubi reipſa frequentiſſimos fuiſſe poſt tranſmigrationem ſub Nabuchodonoſore ſat conſtat.

Poſt Hieroſolymitani Templi per Romanos everſionem ſuis Ducibus non deſtitutos ſe Hebræi gloriantur.

Princeps Captivitatis in Oriente & Occidente.

Princeps Captivitatis in Oriente jura dabat Hebræis verſantibus in Babylonia, Chaldæa, Syria, & Perſide. Principi autem Captivitatis Occidentis parebant in Judæa, Ægypto & Italia atque in reliqua Imperii Romani ditione Judæi (l). Inter Patriarchas Judææ, & Principes Captivitatis Babylonicæ magnum eſt, ſi Judæos audias, diſcrimen. Priores illos appellant *Rabban*: hos verò *Rabbani*; hi rectà linea per mares deſcendunt è Davide; cùm Patriarchæ non niſi per fœminas generis illum ſui authorem agnoſcant. Affirmant florere adhuc Davidicam domum, è cujus genere viri illuſtres verſantes Bagded ſelecti ſunt in Principes Nationis, quorum ex ea familia Principum ſeries memoriam omnem vincit. Ita Judæi.

Princeps Captivitatis in Judæa reſidens ſedem habebat conſtitutam Tiberiade, vindicans ſibi titulum *Roſch-Abboth*, Princeps patrum, ſeu Patriarcharum, Præſidebat cœtibus & Synagogis, ferebatque ſententiam de rebus majoris momenti, & quid in ſingularibus rerum eventibus ediceret Religio, pronunciabat. Tributa exigebat, ut impenſis in perluſtranda ditione ſufficeret; paratos habebat ad manus viros deſtinatos,

(a) Tob. 14. 6. Vide & 13. 12. 17. (b) 1. Par. 9. 14. (c) Eſdr. 2. 59. (d) 1. Eſdr. 6. 17. & 8. 35.
(e) Reg. 23. 36, & 2. Par. 35. 5. 6. Jerem. 16. 2. (f) 4. Reg. 24. 2. Jerem. 52. 28.
(g) 4. Reg. 24. 14. (h) Jerem. 32. 4. & 34. 3. Ezech. 12. 13. Jerem. 25. 11. (i) Dan. 13. 41.
(k) 1. Eſdr. 17. 1. 78. (l) Baſnag. Hiſt. Jud. 2. lib. 4. 3. art. 1. 2. & cap. 4. & 5.

qui juſſionibus ſuis urgendis diſcurrerent per Provincias. Patriarcharum ejuſmodi inſtitutionem 100. annis præceſſiſſe Templi everſionem tenent Judæi; narrant enim 30. annis ante natum Chriſtum Hillel, cognomento Babylonicum, cùm veniſſet Hieroſolymam, conſulta dediſſe de celebratione Feſti Paſchalis in Sabbatum eo anno incidentis; atque reſponſum viti quæſtionibus ita ſatisfeciſſe, ut conferretur in illum gentis Patriarchatus, quod deinde jus manſit ejus poſteritati uſque ad quintum Eccleſiæ Chriſtianæ ſæculum, quo Patriarchatus abolitus eſt.

De numero Patriarcharum non ſat convenit inter Scriptores Judæos; ſunt enim qui 13. ab Hillel; ſunt qui 12. tantùm recenſeant. Hæc nomina ſingulorum.

1. Hillel Babylonicus.
2. Simeon ejus filius.
3. Gamaliel filius Simeonis.
4. Simeon II. filius Gamalielis.
5. Gamaliel II. filius Simeonis.
6. Simeon III. filius Simeonis II.
7. Judas filius Simeonis III.
8. Gamaliel III. filius Judæ.
9. Judas II. filius Gamalielis III.
10. Hillel II. filius Judæ.
11. Judas III. filius Hillel II.
12. Hillel III. filius Judæ.
13. Gamaliel IV. filius Hillel.

Videſis Baſnage Hiſtor. Judæor. lib. 4. cap. 1. 2. 3. 4. 5. ubi fuſiùs diſſerit de ſingulis hiſce Principibus Captivitatis Occidentis, Judæorum commenta omnia excutiens, evinceníque vel ſuſpicioſa vel etiam falſa.

Principum Captivitatis Babyloniæ, vel Orientis (a) origo æquè ac ſucceſſio ignoratur; illud conſtat, ante exitum ſæculi ſecundi jam ceſſaſſe. Subſiſtente Templo Principes Captivitatis nullos creare ſuccurrit, dicto enim Summi Sacerdotis parebant Judæi, quà Orientis, quà Occidentis omnes. De Principibus iſtis Captivitatis, quos jactant, ante everſionem Templi, nemo unus hiſtoriam ſcribens meminit. Ex illis, qui primus in ſcænam prodiit, Hana nonniſi ad exitum ſecundi Eccleſiæ ſæculi pertinet; poſt illum uſque ad ſupremam manum Thalmudi impoſitam, i. e. ſpatio 300. annorum vix producuntur tres. Apud eos Principes Captivitatis Babylonicæ, è Tribu Juda & genere David ſatos omnes, ſi Judæos audias, manſit depoſitum Sceptri Juda, cujus meminit Jacob, Geneſ. 49. 10. ſicut & in Judæa, nec niſi apud Patriarchas, de quibus nos egimus, reperire erat *Legiſlatorem* de quo idem Jacob.

Exaggerant Authores Judæi magnificam illam pompam, qua Principes Captivitatis Orientis conſtituebantur in Principatu (b). Propinquarum Academiarum Principes, Senatores, cum populis omnibus confluebant Babylonem. Princeps Captivitatis throno aſſidebat; cùm interim Princeps Academiæ Syriacæ orationem ad illum haberet, moneretque ne collata ſibi poteſtate abuteretur. Feria quinta ſubſequente à Præſidibus Academiarum impoſitæ illi manus in Synagoga. Mane diei Sabbati ſolemni pompa in Synagogam deductus, pro concione loquebatur, ac benedictionem populo impartiebat. Poſt aliquot dies ad Regem Babyloniæ ſe conferens, maxima honoris ſignificatione excipiebatur.

Principes Captivitatis Orientis ſuam interdum habuerunt ſedem Mahaziæ conſtitutam; tranſmigratum deinde Babylonem vel Bagded. Decem ibi juri dicundo Tribunalia, quibus omnibus præerant. Synagogæ erant conſtitutæ 28. inter quas princeps Synagoga peculiari elegantia ac magnificentia ſtructuræ diſtinguebatur. Ante armarium conditam tenens Legem, decem gradibus eminens attigebatur tribunal, ubi ſedes Principis Captivitatis, & univerſæ ejus domus. Imperabat longè lateque Judæis per Aſſyriam, Syriam, Chaldæam & Parthorum Regna diſperſis. Benjamin Tudelenſis, ſæculi duodeni Scriptor, affirmat, ſua etiam ætate ſpectatum ſibi Principem Captivitatis; ſed poſt tempus illud evanuerunt, & facilè etiam ante eam ætatem ceſſarunt.

Optandum eſſet utique ut & hiſtoria Principum Captivitatis & ſua conſtaret ſeries, & melioribus ſulciretur monumentis; ſed minùs exacti ſunt in ſcribendo Judæi Hiſtorici; cæteri vero aliarum gentium de Principibus hiſce planè ſilent. Excipiamus tamen oportet Patriarcham Occidentis Palæſtinæ vel Ægypti, cujus mentio aliqua apud Adrianum Imperatorem, Origenem, S. Hieronymum, & Codicem Theodoſianum; ſed nihil illi de Principe Captivitatis Babyloniæ, eo quòd viveret Imperio Perſarum ſubjectus.

Ad primum illud nuncium delatum in Luſitaniam, detectæ nempè regionis Pretejani, vel Regis Æthiopiæ (c), qui, ut vulgari ſermone ferebatur, genus referebat à Salomone, ſubditoſque habebat ſuos circumciſione initiatos, Sabbatum obſervabant, abſtinebant a ſuilla, & Judæorum mores alios imitabantur; inducta ſtatim apud homines eſt perſuaſio gentes illas Judæas fuiſſe. Cùm enim inter viros detegendæ regioni ſelectos duo eſſent Judæi, ſuarum eſſe partium duxerunt, ſi Gentilibus ſuis hæc ſimul omnia exaggerarent. Nec ſanè pluribus opus fuit, inducendo illos in eam ſententiam, Judæum Regem in Africa imperare, ex quo recta conſecutione ſecunda præjudiciis ſuis plurima inſerebant.

R. Abarbanel, tunc verſans Ulyſſipone, non ſemel in Commentariis ſuis ad Prophetas ad ſem contulit primos illos in Luſitania ſparſos rumores, de ingenti Judæorum multitudine apud Indos verſante. Judæi Conſtantinopolitani imprimendam curarunt Hiſpanam Verſionem duarum Epiſtolarum nomine Pretejani inſcriptarum, quæ variis traditæ linguis longè diſſipatæ ſunt. Sed hujus opinionis Judaicæ falſitas non diù latuit; cùm enim in Æthiopiam veniſſent Luſitani, noverunt gentes illas, Judaica licèt plurima adoptantes, quarum invidiam ab illis amoliri recentiores quidam fruſtra conati ſunt, re ipſa tamen Chriſtianam religionem profiteri. Ita ſponte ruit totum illud *ſyſtema*, fundamento illi ſubnixum, perſeverantis ſcilicet adhuc inter eas gente ſceptri Juda.

CAPUT. Varia ſignificat; præter naturalem enim notionem, qua ſcilicet caput hominis exprimit; eſſe ſuper caput eſt dirigere, imperare, gubernare. *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra Pſal.* 65. 12. nobis ſcilicet imperantes. *Conſtituiſti me in caput* (in Regem) *gentium*, *Pſal.* 17. 44. *Facti ſunt hoſtes ejus in capita. Thren.* 1. 5. Deuteronomii 28. 13. *Conſtituet te Dominus in caput, & non in caudam*; ut ſcilicet ſemper imperes, nunquam ſubdaris.

Caput eſt etiam rei exordium. *In capite* (in exordio) *Libri ſcriptum eſt de me.* Hebræus: *In volumine Libri*; i. e. in libro in volumen circumvoluto, pro Veterum more. Amnia Paradiſi terreſtris dividebatur *in quatuor capita Geneſ.* 2. 10. quatuor fontes, ramoſve. Lapis rejectus ab ædificantibus *factus eſt in caput anguli Pſal.* 117. 22. in angulo primus; ſive ut in vertice anguli conſtitueretur ad coronam & ornamentum, ſive in baſi ad ſulcimentum. Projecti ſunt filii tui *in capite omnium viarum. Iſaie* 51. 20.

Caput eſt etiam venenum; Hebræum enim *Roſch*, caput, æquè & venenum ſignificat. *Caput aſpidum ſuget Job* 20. 16. venenum ſcilicet. Eccleſiaſticus 25. 22. *Non eſt caput* (venenum) *nequius ſuper caput colubri; non eſt ira ſuper iram mulieris.*

In luctibus tegebatur caput, radebantur, ſeu evellebantur crines. De triſtiſſimo tempore agens Amos 8. 10. ſcribit: *Super omne caput calvitium*; viciſſim autem unguentis delibutum erat caput, cùm læta omnia ſuccederent: *Oleum de capite tuo non deficiat. Ecleſ.* 9. 18.

Quaſſare

(a) Baſnag. Hiſt. Jud. lib. 4. 6. 7. &c.

(b) Baſnage Hiſt. Judæor. tom. 2. lib. 4. cap. 6. art. 7. D. Abbas Renaudot. in Annot. ad Iter Sinicum duorum Arabum ſæculi decimi pag. 332. 333. affirmat ea, quæ à Judæis de Principe Captivitatis ferebantur, congruere veritati; rationem autem conſtituendi illos in Principatu eandem fuiſſe ac eam, qua Chriſtiani Patriarchæ in ea regione inaugurabantur. Conſule Librum.

(c) Renaudot Annot. in Iter Sinicum duorum Arabum pag. 331.

Quaſſare caput in aliquem, temnentis eſt & inſultantis: *Subſannavit te virgo filia Sion, poſt te caput movit filia Jeruſalem, Iſaia* 37. 22. Interdum admirantis eſt & exultantis. Neceſſarii & Amici Job de accepta ab illo valetudine, atque reſtitutio in priſtinum viro gratulaturi venerunt ad cibum cùm illo capiendum, *& moverunt capita ſuper eum Job* 42. 11. lætitiæ ſcilicet ſignificatione.)

CARAITÆ, ſecta Judæorum, cujus indoles ex nomine exprimitur; illud enim ab Hebræo *Carai*, ſeu *Caraim* derivatum eſt; & genus hominum ſtudio Scripturæ deditum, ſeu literæ Textus adhærens ſignificat. Quare à Rabbiniſtis Caraitæ diſſident; illi enim Veterum Traditionibus paſſim omnibus deferunt; iſti vero præter literam Librorum Sacrorum, quam ſequi profitentur, cæteras traditiones non facilè recipiunt; ſi quas tamen ſedulo examine diſcuſſas verè ab Antiquis profluiſſe cognoverint, eas probant, dummodò nec Textui, nec ſpiritui Scripturæ repugnent (a).

Ferunt Caraitas originem ſuam ad Eſdiam referre; à quo longum Catalogum ducunt eorum, qui Caraiſmum probarunt, vel improbarunt, exinde ſuarum Eccleſiarum jugem ſucceſſionem oſtendentes (b). Qui verò ex Caraitis adhuc in Polonia, & Lithuania ſuperſunt, antiquiorem originem jactantes, eam à decem Tribubus per Salmanaſarem in captivitatem deductis repetunt. Rabbaniſtæ Caraitarum opinionibus ſemper infeſti, aſſerunt illos ab Alexandri Magni tempore Jeruſolymæ extitiſſe; adduntque Jaddum caput Rabbiniſtarum miraculum coram Rege edidiſſe; id quod etiam ab Anano, & Creſcanato Caraitarum Principibus fruſtra tentatum eſt. Hæc tamen omnia inter fabulas reijcienda. Veroſimilius creduntur (c) Caraitæ nonniſi circa octavum ſæculum cœpiſſe; vel ſaltem ab eo tempore eorum Secta opera Anani iterum reſtituta. Cum enim Talmudiſtæ ſacris Scripturæ veritatibus humanas traditiones æquare conarentur, ac purum Religionis cultum ſuperſtitionibus quibuſdam invectis violarent, quidam ex Judæis, quibus Lex cordi erat, reſtiterunt; quare Caraitæ, ſcilicet Scripturæ textui unicè adhærentes, appellati ſunt.

Rabbiniſtæ Sadducæorum errores Caraitis imputant; animarum immortalitatem, & exiſtentiam Spirituum eos negare aſſerentes. Nihil tamen tale ſe unquam ſenſiſſe reclamant Caraitæ, egregia confeſſione eorum articulorum objectas accuſationes diluentes. Non deſunt hujus Sectæ Scriptores accurati, quos ad inveſtigandum Scripturæ ſenſum conſulere operæ pretium eſt; ſed pauci ex multis in Bibliothecis deliteſcentibus hucuſque contigit, ut typis vulgarentur. Meſſiam adhuc expectant, quem illi, ut & cæteri Judæi, futurum credunt merum Regem temporalem; verum ſupputari tempora ejus adventùs nolunt. Eos tantùm Scripturæ libros admittunt, qui in Canone Judæorum recipiuntur, cæteris rejectis. Sacris verò Libris uſque adeò deferunt, ut articulorum Legis veritatem ad examen revocare nefas habeant. Phylacteria, & membranas ſuper fores domorum ſcriptas, chartas fronti ſuperpoſitas rejiciunt; Judæos, qui his utuntur, *aſinos phaleratos* appellant; ac Scripturæ loca, in quibus de phylacteriis ſermo eſt, non ad literam, ut cæteri Judæi, ſed veluti figuratè dicta interpretantur. Vigent adhuc, nedum Conſtantinopoli, in Syria, Palæſtina, & ultra Euphratem, ſed & Polonia, & Lithuania.

(Wolfius in ſua Notitia Caraitarum (d) ita deſcribit originem, progreſsum, ac tandem abolitionem Caraitarum, juxta fidem Commentariorum Mardochæi Caraitæ. Alexander Jannæus Rex Judæorum Legis Doctoribus omnibus, & fermè etiam omnibus viris doctis gentis ſuæ enecatis, locum fecit Schiſmati, quæ Judæos inter ſe commiſit. Simeon filius Setah & Reginæ frater, ope ſororis à Regio furore ſubductus evaſit in Ægyptum, ubi traditionum, quas ferunt, ſyſtema molitus eſt. Reſtituens ſeſe Hieroſolymæ commenta ſua vendidit, ſuiſque accommodans præjudiciis Legis Textum, ita de ſe prædicabat, tanquam unus eſſet inter omnes, qui ſcientiæ à Deo Moyſi traditæ depoſitum conſervaret. Plures habuit quà dogmatum ſuorum propugnatores, quà oppignatores plures, defendentes quæ Deus Moyſi tradiderat omnia ſcripto fuiſſe commiſsa. Ex eo diſſidio duæ in populum lectæ, Caraitarum uni Textui inhærentium, & Traditionariorum defendentium traditiones. Inter poſtremæ Sectæ aſsertores claruit Hillel; inter Caraitas Judas filius Sabbai.

Caraitarum numerum auget Wolfius, accenſens illis Saducæos, & Scribas Evangelii; ſed Traditionarii, alio nomine Rabaniſtæ, vel Phariſæi potiora obtinuerunt ſuper Caraitas. Periiſsent illi penitùs octavo ſæculo, niſi labantes eorum partes utcunque ſuſtinuiſsent viri quidam, & R. Anan inter potiſſimos. Viri hujus zelum imitatus eſt ſæculo nono R. Salomon filius Jerucham, qui rem habuit cùm Sachadia Gaone. Nec poſterioribus ſæculis minus felices ceſserunt res Caraitis, apud quos Scriptores magni nominis plures. Poſt ſæculum 14. in deteriùs aliquando labi viſi ſunt.

Aliquanto aliter ac Wolfius originem Caraitarum deſcribit Triglandus in ſuo Opere de Caraitis, impreſso Delphis A. 1703. Paulò poſt extinctos Prophetas, Judæi in dogmate de operibus ſpontaneis in partes diſtracti ſunt. Neceſsarias defendebant quidam, juxta traditiones; unicè inhærebant alii ſcriptis & in Lege conſtitutis ſanctionibus. E poſterioribus hiſce nati Caraitæ, originem ſuam referentes è Prophetis Aggæo Zacharia, Malachia, & Eſdra. Ex eorum Scriptoribus eximius quidam (e) affirmat, poſt improbam inquirendæ rei operam locatam, deprehendiſse ſe tandem ætate Joannis Hircani, & Alexandri ejus filii Regis Judæorum R. Judam filium Thaddai reſtitiſse conatibus R. Simonis filii Seroch novam legem invehere tentantis. Judas eſt igitur iſte inter primos Caraitarum authores. Hujus Sectæ de Thephilim agens meminit Miſna, ex quo de illius vetuſtate judicium.

Aliam de illorum origine hiſtoriam recitat D. Prideaux, hiſt. Iud. tom. 4. Cùm Thalmud ſæculo J. C. ſexto paruiſset in publicum, iniquiùs illud tulerunt probi quique viri, legentes anilia, anachroniſmos, & fabellas ſupra fidem, quibus Opus illud infertum eſset; hæc autem omnia obtruſa dolebant tanquam à Deo tradita dogmata. Quare delendum illud rati, fidei ſuæ nullum voluerunt aliud fundamentum, quam expreſsum in Scriptura Dei verbum, rejicientes Thalmud, tanquam operis humani figmentum, nonniſi prævio examine admittendum. Denegata hæc Thalmudi tanquam Operi irrefragabili fides nihil tamen ſchiſmati inducendo, prolixo ſatis temporis ſpatio, valuit.

Tandem circa annum 750. Anan Judæus Babylonicus è genere David, & Saul ejus filius altè & palam proteſtati ſunt, unum ſe admittere verbum Dei ſcriptum, abjectis traditionibus, quæ illi minùs congruerent. Natum hic ſchiſma; quicunque Thalmud cùm traditionibus omnibus defendebant ſeu Rabbini ipſi, ſeu Rabbinorum Diſcipuli Rabbiniſtæ appellati ſunt; cæteri traditiones humanas rejicientes, & regulam ſibi unicè ponentes Scripturam, nuncupari voluerunt *Caraita*; veluti ſi diceretur, Scripturarii, ex *Cara*, quod vernaculo Babyloniorum ſermone eſt Scriptura.

Inducti hujus ſchiſmatis invidia onerant Judæi Ananum virum ambitioſum (f), qui cùm tuliſset egerrimè denegari ſibi dignitatem Gaonis, i. e. excellentis, (quo titulo certos quoſdam Doctores diſtinguunt) idque pariter vulnus recruduiſset ambita fruſtra dignitate Principis Captivitatis, quò adſpirabat, uti Davidicæ ſtirpis ſurculus, ſchiſmatis hujus authorem ſe dedit.

In-

(a). P. Morinus cum aliis vult eos nullam omnino traditionem recipere. Vide Baſnage Hiſt. des Juifs t. 6. l. 9. c. 1.
(b) Vide Baſn. contin. de Joseph. t. 6. l. 9. c. 11. & 12. (c) Baſnage t. 6. l. 9. c. 2. (d) Hamburgi & Lipſiæ 1714.
(e) R. Moſe Ra Ichitar. (f) Abraham Ben David Cabala hiſtor. Zachut. in Juchaſin, David Gans in Zemach David.

Inter Doctores Judæos primas tenere cenſentur Caraitæ; rari ſunt in Occidente, frequentes in Polonia, Moſcovia, & Oriente. Circa medium ſuperioris ſæculi ducto ex illis cenſu ad 20000. in Polonia deſcripti ſunt; Caffæ in Tartaria Crimæa 1200. Cairi 300. Damaſci 200. Jeruſalem 30. Babylone 100. in Perſide 600. omnes ſimul 4430. modica quidem hominum turba, ſi cum immani planè altera Rabbiniſtarum comparetur.

Rabaniſtæ vel Traditionarii tanto horrore deteſtantur Caraitas, ut ne iter quidem facere, nec habere eum illis conſuetudinem ſuſtineant (a); nomine Manzerim vel Mothorum traducunt, quòd ſcilicet ſancita Rabbinorum omnia repudient, quà in connubiis, quà in divortiis, & luſtrationibus mulierum. Eo crevit in illos odium, ut ſi quis Caraita ad Rabaniſtarum partes tranſire voluiſſet, recipere illum cæteri recuſarent.

Ut exemplo aliquo methodum hanc Caraitarum exponamus, afferre juvat verba illa Deut. 6. 8. *Ligabis ea* (verba mea) *quaſi ſignum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine, & oſtiis domus tuæ*. Id totum ad literam interpretantur & implent Rabaniſtæ. Contraria omnia placent Caraitis, autumantibus lege Dei præcipi, ut nunquam ex oculis mentis deponatur lata à Deo lex. Ita cùm Moyſes verat coqui hædum in lacte matris ſuæ (b); Rabaniſtæ ſive mandato huic ad literam obſequuntur, vel interdictum credunt in eodem convivio uſum carnis & lactis. Caraitæ ex altero Deut. 22. 6. teſtimonio: *Matrem pullis, vel ovis deſuper incubantem non tenebis cum filiis*; lucem priori illi textui affundunt, docentque, inſinuari præcepto hoc à Deo Iſraelitis humanitatem.

Quæ Rabaniſtas à Caraitis diſtinguunt dogmata, ad tria potiſſimùm reducit R. Caleb Caraita. 1. Negant Caraitæ legem oralem à Moyſe receptam teneri, & Cabalam vel traditionem rejiciunt, 2. Deteſtantur Thalmud; 3. Sabbatum majori religione in multis præ Rabaniſtis obſervant. Ad hæc vetitos incundis connubiis neceſſitudinis gradus fermè ad infinitum extendunt. Legis autem exemplaribus communibus cùm Rabaniſtis utuntur; ſed voces ſeu plenas ſeu defectivas parùm curant; habent tamen perſuaſum, juxta Peringerum, puncta vocalia Moyſi authori deberi.)

CARBUNCULUS, Græcè *anthrax*, Hebraicè *nophec* (c) gemma grandis pyropi, vel calchedonii magnitudine, rubro ſaturo colore, bovis cruori proximo. Radios vel nocte conſpicuos, & pyropi radiis nitidiores emittit. Cæterùm Braunius poſt Boetium de Boot notat, veterum *anthracem*, ſive *Carbunculum*, nullum pyropum fuiſſe.

CARCA, Urbs in finibus Juda, à meridie Joſue 15. 3. Euſebius oppidum *Carcarium* diurno itinere à Petra diſtans notat.

CAREE, pater Johannam 4. *Reg.* 25. 23.

CARETH, Urbs Tribus Zibulon. *Joſue* 19. 15.

CARIATH, vox Urbem ſignificans; quare nominibus plurium Palæſtinæ locorum adjungitur.

CARIATH, oppidum propè Gabaon, Tribus Benjamin. *Joſue* 15. 3.

CARIATHA, Urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 13.

CARIATHA, ſeù *Cariada*, & *Cariathaim*, Urbs ultra Jordanem, decem milliaribus à Medaba ad occidentem. (d)

CARIATHAIM, Urbs Tribus Nephtali 1. *Par.* 6. 76.

CARIATHIARIM, ſeù *Cariath-Baal*, vel *Baalath de Juda*, aut *Bala*, Urbs Tribus Judæ in finibus Beniamim, ubi Arca Domini tandiù in domo Aminadab ſervata eſt, donec à David Jeruſalem deferretur, 2. *Reg.* 6. Vide *Bala*.

CARIATH-SENNA, Urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 49.

CARIATH-SEPHER, ſcilicet literarum, ſeù librorum urbs, alias *Dabir*, Urbs, quæ Tribui Juda aſſignata, indè Caleb ceſſit. Verùm illius dominium non ante obtinuit, quàm ope Othonielis, cui poſtea filiam ſuam Axam nuptui dedit, hoſtes expelleret. Joſue 14. 9. 7. &c. Judic. 1. 10. &c.

CARITH, Torrens ultrà Jordanem, qui in eundem fluvium intrà Bethſan influit. In valle, quam irrigat, Propheta Elias Jezabelis perſecutionem declinans, deluit, ubi & à corvis quotidie carne, & pane paſtus eſt. 3. Reg. 17. 3. 4.

CARMEL, Urbs Tribus Juda, in Carmelo, ad meridiem Palæſtinæ (e); quam Nabal Carmelus Vir Abigail incolebat (f). Romanorum Præſidio tenebatur, teſte S. Hieronymo. Eo in monte Saul trophæum ex Amalecitis erexit. 1. *Reg.* 15. 12.

CARMELUS, Mons ad Mediterraneum, ad meridiem Ptolemaidis, & ad Septentrionem Doræ. Ad hujus radices in regione ſeptentrionali torrens Ciſſon, & hinc non longè fluvius Belus fluebant. Quamvis autem à Joſepho (g) in Galilæa ponatur, melius tamen ad Tribum Manaſſe, & ad meridiem Tribus Aſer ſpectat (h). *Carmelus*, vineam Dei ſignificat; ejuſque vertex, authore S. Hieronymo, paſcuis veſtiebatur. Scribit Tacitus Hiſt. l. 2. Numen quoddam *Carmelum* ibidem cultui expoſitum, Templo carens, & ſtatua: *Nec ſimulacrum Deo, aut Templum; ſic tradidere Majores, Aram & reverentiam*. Pythagoræ tamen ætate Templum erectum viſebatur, ubi Philoſophus ſolum ſe ſæpè recipiebat, teſte Jamblicho. In latere ad mare, antrum, quod Eliæ domicilium creditur, hodie uſque oſtendunt, ibique Monaſterium Carmelitarum erectum eſt. Quæ de incenſis Prophetis Baal, de exorto in hoc monte igne de Cœlo precibus Eliæ Prophetæ leguntur, notiora ſunt, quàm ut hìc referantur 3. Reg. 18.

Carmeli nomen omnibus locis, vineis, & arboribus fructiferis non rarò tribui ſolet. Sunt qui credant, illud etiam de purpura dictum fuiſſe (i), quòd ad radices hujus montis ſeptentrionem versùs oſtrea in hunc uſum piſcatu caperentur.

CARNAIM, ſeù *Aſtaroth-Carnaim*, ſcilicet *Aſtaroth*-bicornis, Urbs Galaaditis, ultra Jordanem, *alio* nomine dicta *Carnion* 2. *Mach.* 12. 21. Vide *Aſtaroth-Carnaim*.

(CARO. Variè nomen illud uſurpatur; e. g. pro carne, hominum, & brutorum corpora tegente. Ab uſu carnium animalium quorondam opinione ſua immundorum abſtinent Hebræi. A' carnibus animalium Idolis conſecratorum religione abſterrebantur Fideles quidam apud Apoſtolum ad Tit. 1. 15. docet ipſe tamen munda eſſe omnia mundis, nec in alimentis, vel in ſeligendis cibis ac potu Dei Regnum conſtitui *Rom.* 14. 17. & 1. *Cor.* 8. 8.

Caro eſt etiam homo vivens, ſicut & omnia animantia generatim. *Finis univerſæ carnis venit coram me*; *Geneſ.* 6. 13. ſtatui viventia omnia perimere. *E' cunctis animantibus univerſæ carnis &c. Geneſ.* 6. 19. omnium generum animantia. *Omnis caro corruperat viam ſuam Geneſ.* 6. 12. Et: *Spiritus meus non permanebit in homine, quia caro eſt*.

Caro etiam eſt aliquid oppoſitum Spiritui. Galat. 5. 16. 17. *Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem .... ſpiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis*. Et ℣. 19. 20. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, ſectæ .... Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas*. Carnem ſuam unà & concupiſcentiam crucifigere; deſideria carnis non perficere; Judæi ſecundùm carnem, & Judæi ſecundùm ſpiritum; ſapientia & prudentia carnis, phraſes ſunt notiſſimæ adeò in Scriptura, ut inutilis planè opera iis explicandis tereretur

Quia

(a) Leo Moden. Cærem. Jud. part. 5. cap. 1. (b) Exodi 23. 19. & 34. 26. Deut. 14. 21. (c) Exod. 28. 18. (d) Joſue 13. 19. Euſeb. in Cariathaim. (e) Joſue 15. 55. & 4. Reg. 25. 5. (f) 1. Reg. 25. 5. Vide Euſeb. in *Chermalla* Procop. in 1. Reg. 25. & Theod. in 1. Reg. quæſt. 59. (g) De Bell. 3. c. 2. (h) Joſue 19. 26. (i) Bochar. de animal. ſac. par. 1. l. 2. c. 48. & par. 2. l. 5. c. 9.

Digitized by Google

Quis det de carnibus ejus [illegible] *ut ſaturemur?* Job. 31. 31. Vide & 19. 22. Ita ſecum reputabant adverſarii vel etiam domeſtici Job, cùm malis virum premerent. Veruin illum devorare voluiſſent, adeò in hominem animabantur; & hæc reſpondebant ingrati pro beneficiis ab illo plurimis acceptis. Paris fermè Pſalmus 26. 2. *Dum appropinquant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas.* Hi ſunt furentis in alium, atque efferati ſenſus; quibus pariter inſinuatur, morem vorandi ſuperſtitum hominum carnes, vel ſaltem carne humana paſcendi, in ea regione non latuiſſe. Vitio vertit Chananæis Sapientiæ 12. 15. quod hominum viſcera vorarent: *Comeſſores viſcerum hominum.* Barbaræ hujus feritatis exempla quædam ſuppeditat Hiſtoria Sancta, & Joſephus. Minitatur Jeremias 19. 9. cives Jeruſalem futurum, ut ad extremas anguſtias redigantur, quibus & vorare carnes filiorum & amicorum ſuorum adacti ſint. Nec vana denunciaſſe Prophetam docent Threni 2. [illegible] & 4. 10. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos, facti ſunt cibus earum.* Idem habes Ezechiel. 5. 10. Parem inhumanitatem matris in filium, recepiſſe obſidione Jeruſalem per Romanos, memorat Joſephus de Bel. lib. 6. cap. 21.

Nec hodie pariter ab efferato illo more deguſtandi ſcilicet humanas carnes, adhuc penitus ceſſatum eſt. Peccatos homines omnes in cibum adhibent Sinæ (a), eaſdemque carnes publicè venum exponunt; occiſos in bello hoſtes, peremptos ſupplicio ſontes, patriis deſtinant uſibus. Par a deteſtari licet in Inſulis plurimis maris Orientalis (b); nec filii ſe continent quin ſeneſcentes parentes vorent; nec indigenæ ab Europæis, quibus fortè manus injicere valeant. Iiſdem moribus cenſebantur Pagani, apud quos humanæ carnes in foro venales. Caſri, ſævæ Barbariæ tenentes, anno 1586. ad intima Africæ excurrerunt numero hominum 5000. obvios quoſcumque vorantes, ipſamque inducentes vaſtationem ad [illegible] 300. leucarum ſpatium. De Siamitibus & Celebibus paria narrant.

Os & caro tua ſumus (c); familiaris eſt in Scripturis phraſis; denotat neceſſitudinem ac ſanguinis conjunctionem.

Viam univerſæ carnis ingredi. Joſ. 23. 14. eſt communem cæterorum hominum legem ſubire.

Salaciſſimorum hominum carnes equorum & aſinorum carnibus comparantur. *Ezech.* 16. 26. & 23. 20. Proverbiorum 5. 11. affirmat Sapiens ſalaciſſimorum hominum carnes probroſis morbis depaſci; & Eccle. 6. 36. *A carnibus tuis ne* [illegible] (ſimul enim ſermonem) *illum, ne ſemper te abſtineas.* His ſanè phraſibus per abſidines deſignantur, quæ proprio nomine revelare in homine pudor vetat. S. Judas 1. 7. de exceſſibus Sodomæ & Gomorrhæ, vel de pravis illis Angelis, quos, juxta receptam apud Veteres ideam, concupiſſe viam ſuam cum filiabus hominum legimus, ſecus: *Abeuntes retrò poſt carnem alteram*; id eſt, exceſſibus ſuis vel natos [illegible] probrium intulerunt.

Dapes carnium. Plurimæ etiam Hebræis animalium genera, a quibus abſtinebant in cibo. Legimus de illis v. *Animalia.* Inter domeſtica rejiciebant omnia, niſi quæ ex vacca, ove, & capra naſcerentur; admittebant etiam gallinacea & columbam, quæ ſanè aves ſunt domeſticæ; & inter ſylveſtria animalia quædam. Carnes cum ſanguine & multo etiam validius, ſanguinem à carnibus diſtinctum deguſtare nefas. Eorum in rem [illegible] & carnes guſtum intelligimus ex his, quæ de menſa Salomonis legimus 3. Reg. 4. 22. 23. Nulla non die ſui cibabantur 30. menſuræ ſimilæ, & vulgaris ſarinæ duplum; 10. boves opimi, 20. boves è paſquis; 100. arietes, præter venatoriam prædam, cervos, damas, capros & alia. Omnium exquiſitiſſimæ dapes cenſebantur agninæ vel hædinæ carnes. Sapidum ex illis cibum Rebecca paravit Iſaaco, quo virum induceret ad benedictionem impartiendam Jacob. Paſchale convivium ex iis dapibus inſtrui præcipit Moyſes; eliſtitem hædum appoſuit Manue Angelo, lætum de ortu Samſonis nuncium ferenti; eodemque munere componere cum uxore ſua pacem tentavit idem Samſon.

Adeps victimarum in partes Domini cedebat, totuſque aſſumebatur ſacro Altaris igni. *Levit.* 3. & 4. &c. Per ò ſacer [illegible] adeps tegens renes & ilia; ſacra cauda arietis in ea regione ingens & adipoſa *Levit.* 3. 10. Exilium animalium victimas offerri ſibi à populo ſuo queritur non ſemel Deus per Prophetas *Malach.* 1. 13. 14.

Patandis cibis ſat delicato fuiſſe guſtu Hebræos nequaquam credimus; non enim ſpectatè licet apud illos, niſi elixatum aliquid, toſtum igni, & ſaltamenta. Igni toſtus Agnus Paſchalis; elixatæ in olla immolatitiæ carnes; ex olla enim illas extrahebant filii Summi Sacerdotis Heli, crudas ſibi habere volentes 1. *Reg.* 2. 13. ut quo maximè vellent ritu decoquerent. Carnes ita condivit Rebecca, quemadmodum guſtum Iſaac ſollicitari intelligeret *Geneſ.* 27. 4. 14. Inter condimenta carnium decoctarum in Templo, nihil erat præter ſal. Aromatum noſtrorum pleraque latebant tunc Hebræos; ſequuntur autem Palæſtini hodie pariter condiendis cibis uti familiariſſimè melle. Accedebant huic faciè oleum & aromaticæ quædam herbæ. Amaris herbis, vel fortè muſti condimento quodam Agnus Paſchalis parabatur.

Excoqui hædum in lacte matris ſuæ vetans Moyſes Exod. 23. 19. & 34. 26. vel ita accipiendus eſt, quaſi veterem ejus immolationem denunciaret, cùm adhuc lactat; vel tantùm negat coqui in lacte matris ſuæ, quod poſtremum placet Hebræis. Cavent iſti ne dapes lacte condiant; eademque hora carnem, tum lac, butyrum, vel caſeum deguſtare nefas ducunt (d); ne fortè carnis aliquid inter dentes fortuitè latens, caſeo admiſceatur. Rem autem in medio poſitam conſert, ſi aliquandiu poſt deguſtatum caſeum, conferant ſe ad dapes. Itaque tam longè abſunt ab addendo dapibus lacte crudo vel coctio, ut ne ſuſtineant quidem iiſdem coquinariis inſtrumentis uti ad carnes, butyrum, lac & caſeum. Sui utrique diſtincti lances, & cultri; & ſi fortè imprudentibus obrepſerit, ut alterutrius inſtrumentis in alterum utantur, non ſolùm à cibo eorum [illegible] abſtinent, ſed & fictilia vaſa penitùs [illegible] vent.

Caſeum, cujus antea coagulum non explicaverint, nullum admittunt, mera ne fortè lactis aliquid admixtum ferat è vetito quodam animali; vel ſaltem poſſis aliquid cum coagulo recipiare, ex quo [illegible] aliud tremendum conciliatum ſit carnis cum lacte: timent etiam ne igni admotum ſit idem ſit in aheno, in quo ante veteres carnis aliquid fuerit elixatum. Signo igitur appoſito diſtinguunt caſeum probatum. Spectavi ego teſtis oculatus in montibus Voſgi Judæos, qui per ſe in ædes Chriſtianorum, greges vaccarum curantium ad parandum ſibi caſeum veniebant.

Nefas etiam habent jugulare eadem die vaccam cum ſuo vitulo, ſicut ovem & capram cum catulis. Vetitum aliis è ſuperſtite animali membrum abſcindere, abſciſſumque crudum vel coctum vorare. Si fortè accidat, ut animal quoddam, vel avis pura ſponte interierit vel caſu ſuffocetur, non detracto ſanguine, ab illis ſeſe interdicunt. Si fortè etiam in avibus ſpinæ aliquid, vel acus, quo fortè tranſfoſſæ ſint, vel tumorem aliquem in quadrupedibus, vel affectos eorum pulmones deprehenderint, vel morſu belluæ cujuſdam vitiatos, rejiciunt penitùs omnia juxta illius Legis *Exodi* 22. 31. *Levit.* 22. 8. *Carnem, quæ a beſtiis prægustata fuerit, non comedetis; ſed projicietis canibus.* Vide etiam Levit. 5. 2. & 7. 24. & 17. 15. Si quis fortè imprudens deguſtavit de morticino vel de animali occiſo & capto à beſtia, pollutus ad veſperam uſque manebat, nec eluebatur macula, niſi lotis priùs veſtibus.

Si

(a) Vide Iter Arabicum [illegible] Parisiis anno 1718. pag. 42. 54. 56. (b) Pag. 3. Not. pag. [illegible] (c) [illegible] 14. [illegible] Paral. 11. 1.
(d) Leo Modin. part. 2. cap. 6.

Si animal quoddam ſuperſtes adhuc aliquid habeat confractum in iis membris, quæ declararunt Rabbini, ſi inflictum vulnus, ſi in mortis diſcrimen, contendendum ſe ab illo, metu ne forte ſubrepat, ut ea animali quodam impuro caro deguſtetur. Nihil non coctum à Judæis ſuſtinent; & coquinaria utenſilia ab aliis commodata, niſi à Judæis ad cibos parandos non adhibent, vel à cultris alienorum ſeſe continent.

Edixerant Rabbini, nequis auderet in uno eodemque convivio deguſtare è carnibus & piſcibus, valetudini id officere prætendentes; hodie tamen ab ea religione ceſſatum eſt: Ad piſces quod attinet, indiſcriminatim utuntur omnibus permiſſis à Lege, nihil curantes ſive de ſanguine, ſive de adipe, ſive morticinio fuerint, ſeu vitio aliquo notati; nihil enim ea de re expreſſum in Lege.

Sanctè obſervarunt ſemper Judæi legem abſtinendi à ſanguine & à ſuffocato; abjiciunt & ovum, ſi quâ forte tenui ſanguinis macula inficiatur. Cùm jugulandum eſt animal plura circa re obſervanda, quæ omnem ingerent laniorem, niſi peritiſſimum; ſpectandum in ea re maximè aptum tempus, culter benè limatus & non ſerratus, quo celerrime ac perpetuo fluxu defluat cruor. Effluit autem ſive in terram, ſive in cinerem, unde poſtea colligitur; quod ut exactius obſervetur, carnes ſale macerandas integrâ hora relinquunt, antequàm decoquendas ponant in ollam, ut ſanguinis ne gutta quidem reſtet. Quæ ſi fuerint neglecta, abſtinent ſe à carnibus niſi toſtis igne. Cùm ſanguine redundet jecur, torrent illud prius carbonibus, antequàm elixent.

Inter ſummas curas ſummam ponunt amovendi nervum femoris eorum animalium, quæ ſibi parant in cibum; juxta illud Geneſ. 32. 32. *Quàm ob cauſam non comedunt nervum filii Iſraël, qui emarcuit in femore Jacob, uſque in præſentem diem.* Quin pluribus in locis Germaniæ & Italiæ poſteriora animalis omnia abjiciunt, quod nervum probè tollere viri ſit exactiſſimi, ac rari admodum id noverint.

Quod ſpectat ad adipem, bovis, agni, capræ, & id generis animantium adipem omnem ſeponebant, juxta expreſſam Levitici 7. 23. legem: *Adipem ovis, & bovis, & capræ non comedetis.* A' cæterorum omnium, ne morticinis quidem exceptis, non abſtinebant: *Adipem cadaveris morticini habebitis in varios uſus*; vetitum tamen ſibi cenſebant in cibum, vetitum ſcilicet adipem ipſum, ſeu potiùs morticini carnes. Vide Hebræum hujus Textus: *Omnem adipem bovis, & agni, & capræ non comedetis.* & v. 24. *Et adeps cadaveris, & adeps capti à beſtia fiet in omnem uſum, ſed comedendo non comedetis illum.* Vetitum ergo ſibi cenſebant in uſum cibi, animantium, de quibus in Textu, adipem (a); ſed in medio poſitum arbitrabantur adipem cæterorum animalium mundorum. Ex morticinis adipem paratum habebant ad omnem uſum, ſed non in cibum.

Doctiſſimorum tamen Commentatorum quorumdam ſententia tenet, adipem animalium mundorum nunquam veteris Judæis, niſi cùm illa in ſacrificium mactarentur; ſicut & adipem per carnem diffuſum nunquam interdictum fuiſſe, niſi eadem pariter carne interdicta. Vide Commentatores in Levit. 7. 23. 24. & 3. v. 27.

Diu perſeveravit in Eccleſia Chriſtiana mos abſtinendi à ſuffocato, & ſanguine. In Concilio Apoſtolorum Hieroſolymæ (b), poſt aliquot à reſurrectione J. C. annos (c) ſancitum fuit, Fideles ex Judæis & Paganis converſos, jugo cæremoniarum legalium non opprimendos, cogendos tamen, ut abſtinerent ab Idololatria, fornicatione, uſu ſanguinis & ſuffocati. Sanctum id pluribus ſæculis in Eccleſia manſit. Tertullianus Apolog. c. 9. Athenagoras, Minutius Felix in Octav. S. Juſtinus Martyr Apolog. 2. Sanctus Biblis, quæ martyrium conſummavit anno ætatis 79. ut Paganorum calumnias retunderent, invidia onerantes Chriſtianos de enecatis infantibus, atque de compotatione innocentis ſanguinis cœtibus ſuis religioſis, oſtendebant vetitum Chriſtiana Religione uſum ſanguinis vel è bruto expreſſi.

Concilium Gangrenſe A. 324. can. 2. Trullenſe A. 692. can. 69. Arelatenſe II. A. 553. Vormenſe A. 868. cap. 64. Leo Imperator Conſtitut. 58. Zacharias Pontifex Ep. 13. ad Bonifacium A. 751. non obſcurè & unanimes teſtantur ſua adhuc ætate perſeveraſſe abſtinentiæ à ſanguine & ſuffocato diſciplinam. A' quibus etiam moribus non adhuc ceſſatum in Eccleſiis Orientalibus & Romana affirmat ætatis ſuæ teſtis S. Hieronymus in Ezech. 44. Sub Leone IX. Papa, ſæculo Eccleſiæ undecimo, Humbertus Cardinalis Pontificis ad Conſtantinopolitanos ablegatus (d), Græcis reſpondens, demonſtrat nefas haberi in Eccleſia dapes è ſuffocato hominum induſtria, ſive è morticinis, ſive è demerſo aquis animali. Quas Eccleſiæ ſanctiones ſi quis tranſgrederetur, arcta non cogente neceſſitate, duræ pœnitudinis diſtrictiuni ſubmittebatur.

Simul tamen fatetur, nulla religione vetari aves è venatione, & prædam canibus venatoriis apprehenſam; in his enim omnibus datum teneri ab Apoſtolo præceptum jubente indiſcriminatim omnibus, quæ publicè venum habentur, uti, *nihil interrogantes propter conſcientiam* 1. Cor. 10. 27. S. Auguſtinus, plus nimium multò, quàm Cardinalis Humbertus, vetuſtior (e), tradit manſiſſe tandiu in Eccleſia diſcrimen in cibis, quandiu eſſe illus nun patuit Judæos inter & Fideles ex Gentilibus paries, & quandiu pariter Eccleſia Chriſtiana ex utroque hoc populo formata non plenè coaluit. Cùm tandem Iſraelitæ ſecundùm carnem evanuerunt omnes, nemo religione abſtinuitus eſt à dapibus è ſuffocato, ut quicunque vetitum id ſibi ducunt adhuc, illi aliorum ſannis & cachinnis exponantur.

Probant hæc & Patris illius peculiarem ſententiam, & per eam ætatem Eccleſiæ Africanæ morem, quem ſanè adoptaſſe plures uſque ad decimum & undecimum ſeculum, ſat conſtat. Diſcretum è carne ſanguinem reſpuunt in cibum Græci, noſtra etiam ætate (f); nec deſunt poſtremo hoc ſeculo viri docti ſubſiſtere adhuc præceptum illud defendentes, quos inter excellunt Salmaſius, Blondellus, Courcellius, Gerardus Voſſius cum Grotio.

Veteres ſanè plures (g) agentes de præcepto illo ab Apoſtolis in Concilio Hieroſolymitano dato nonniſi ſanguinem vetitum fuiſſe opinantur, nihil habent de ſuffocato, S. Auguſtinus lib. [illegible] cap. 13. contra Fauſt. & Gaudentius Brixienſis ſermone 15. illud à *ſuffocato*, tanquam gloſſa quadam additum Textui cenſent, ut explicetur datum de abſtinendo à ſanguine præceptum. Sed M. SS. omnes, & impreſſi, Græci pariter & Latini Codices ferme omnes cum Patribus, duo in hoc vetita agnoſcunt & ſuffocatum, & ſanguinem. Veteres quidam voce illa à *ſanguine* vetitum cenſuerunt homicidium, vel ſanguinis effuſionem; ſed cur hæc omnia in Concilio Hieroſolymitano prohiberentur, nihil erat. In M. SS. [illegible] Græcis & Latinis etiam nonnullis poſt illud à *ſuffocato & ſanguine*, additum legitur: *Ne facias alteri quod tibi fieri non velles.* At fruſtra hæc addita conſtat.

CARNES IDOLIS IMMOLATÆ, Græcè *Idolothyta* 1. Cor. 8. 9. 10. In ipſo Eccleſiæ exordio acriter in utramque partem diſceptatum fuit de [illegible] Idolothytorum. Chriſtianorum quidam, [illegible] ad fidem converſi, inductum animo tenentes Idolum perinde eſſe ac nihil, abolitumque eſſe diſcrimen inter mundas immundaſque dapes ex quo Jeſus Chriſtus in filiorum Dei libertatem homines aſſeruit; de omnibus indiſcri-

mina-

(a) Joſeph. Antiq. l. [illegible] c. 10. pag. 94. C. Rabb. Leo Moden. part. 2. c. 6. (b) Act. 15. 20. 29. & 21. 25.
(c) A. J. C. 54. Eldra 51. (d) Dialog. contra Calumnias Græcor. tom. 4 Biblioth. PP. (e) Contra Fauſt. lib. 32. c. 13.
(f) Zonar. ad Gangrens. Can. Balſamon. Vide Bochartus de Animal. Sacr. par. 1. lib. 2. cap. [illegible]
(g) Iren. lib. 3. cap. 12. Tertull. de Monogam. cap. 9. de Pudicitia cap. 12. ad Cyprian. ad Quirin. lib. 3. Auguſt. contra Fauſt. lib. 32. cap. 13. & Epiſt. 82. nov. edit. Hieronym. in cap. 5. ad Galat. Ambroſiaſt. in Galat. [illegible]

minatim deguſtabant, tunc pariter, cùm apud Paganos cœnarent, nihil attendentes, ſive appoſitæ dapes ex Idolothytis paratæ eſſent, ſive è puris; eademque ſe libertate tuentes, quidquid venum erat expoſitum emebant, nihil interrogantes ſive impura eſſent, ſive pura juxta Hebræorum ideam, ſive ex Idolothytis poſſiderentur: mos enim erat Paganis æquè ac Hebræis, ut è ſacrificiorum quorundam victimis partim Altari imponeretur, partim cederet hoſtiam ſufficienti, qui ſuo compendio vel illud vendebat, vel cùm amicis deguſtabat.

Imbecilliores alii Chriſtiani, minùs inſtructi, ea libertate ſcandalo afficiebantur, rati de Idolothytis deguſtare perinde eſſe, ac de ſacrificio impio & ſacrilego ſocietate criminis quadam participare. Hoc ſententiarum morumque diſcrimen vitium aliquod intulit charitati; quare prompto remedio occurendum malo ſuarum partium eſſe duxit Apoſtolus. Pronunciavit igitur munda eſſe omnia mundis *Rom.* 4. 20. *Tit.* 1. 15. Idola perinde eſſe ac nihil 1. *Cor.* 4. quæ publicè venum exponuntur in medio eſſe poſita ſingulis *Cor.* 10. 25. *&c.* ut nihil interrogent *tanquam ex conſcientia*. Si quis Paganus fidelem aliquem apud ſe inviter, de appoſitis omnibus indiſcriminatim utatur fidelis, nihil interrogans religionis causâ.

Simul autem ſartam tectam ſervari mandat legem charitatis & prudentiæ; quare caveat quiſque ne offendiculo ſit imbecillioribus; omnia enim permitti; ſed non æquè omnia expedire 1. *Cor.* 10. 23. 24. nemini quæ è re ſua fuerint quærenda, ſed quæ conduxerint proximorum ſaluti. Si quis nobis aliquid indicaverit tanquam Idolo immolatum, abſtinendum nobis ab illo, metu ne fortè qui certiores nos ea de re fecerit, lædat non conſcientiam noſtram, ſed ſuam; uno verbo imbecilliores quicunque, vetitum ſibi perſuadentes de carnibus quibuſcumque uti indiſcriminatim, oleribus veſcantur *Rom.* 14. 1. 2.

Æquè tamen conſtat, Chriſtianos generatim contimuiſſe ſe ab Idolothytis. Vide Apocalyp. 2. 20. ubi Spiritus S. vitio vertit Epiſcopo Thyatiræ, tolerare illum in Eccleſia ſua Iezabelem quandam, vaticinia jactantem, re ipſa tamen ſeducentem Dei ſervos, ut manducent de Idolothytis. Notat Tertullianus de Jejun. committi noſtris manibus ab Apoſtolo laniena clavem, quippe qui indiſcriminatim omnibus carnibus uti nobis permiſerit, Idolothytis exceptis: *Ad conſtituendam Idolothytorum exceptionem*. Romanorum Imperatores quidam, Chriſtianos perſecutione inſectantes (a) polluerunt non ſemel expoſitas venum carnes, Idolis priùs illas offerentes, ut Chriſtianos ab illis emendis amoverent.

Ad Judæos quod attinet, fruſtra exponeretur à nobis, ſummo ſemper horrore removiſſe ſe ab Idolothytis. Scitum eſt, quanta animi conſtantia martyrium conſummavit Senex Eleazarus, quòd recuſarit polluere ſe, ſaltem in ſpecie, ſimulato cibo carnium Idolothytarum 2. *Machab.* 6. 2. *Rogabant afferri carnes, quibus veſci ei licebat, ut ſimularetur manducaſſe de ſacrificii carnibus.*

Quicunque Iſraelitarum offerebat in Templo victimas pacificas, i. e. ad agendas Deo gratias, ſeu ad beneficium aliquod impetrandum, poſt aſſignatam Sacerdotibus debitam ex hoſtiis portionem, & ſacro igni commiſſum quidquid Lex mandaret, cætera in ſuos uſus habebant permiſſa. Integrum erat illis veſci victimarum ejuſmodi carne prima tantùm & altera à ſacrificio die; ſiquid reliquum eſſet in diem tertiam igne abſumebatur; & quicunque impurus de illis deguſtaſſet, crimen id ipſi in ſupplicium extremum imputabatur. *Levit.* 7. 18. 19. 20.

In Holocauſtis nihil victimam offerentibus relictum eſt; omnia enim ſacro igne abſumpta. In ſacrificiis criminis expiatoriis victimarum carnes habebat ſibi Sacerdos; veſci illis, cæteris omnibus nefas erat, niſi unis exceptis maribus è genere Aaronis, nec illis niſi intra Templi ambitum. *Levit.* 7. 1. 7. 8. 10.)

CARPUS, S. Pauli Diſcipulus Troade commorans, ubi Paulum ex Aſia redeuntem anno Chr. 65. hoſpitio excepit. Hac occaſione ibi Apoſtolus veſtem quamdam reliquit (b), vel ut alii malunt thecam librariam, & præterea quædam ſcripta, ſeù membranas, ſive Libros Scripturæ in membranis ſcriptos. Carpi geſta ferè ignorantur; quæ enim à Græcis de eo feruntur, incerta ſunt. Illum nimirum ſeptuaginta Diſcipulis accenſent, ejuſque miniſterio S. Paulum plurimùm uſum fuiſſe tum in prædicatione, tum in literis ferendis narrant: plura illum loca prædicationibus percurriſſe, ubique prodigiis claruiſſe; ac demùm cum Berœæ Epiſcopatu fungeretur, in pace obiiſſe (c). Hujus memoriam Græci die 26. Maii; Latini verò die 13. Octobris venerantur.

CARTHAGO, Urbs Africæ celeberrima, & Colonia Tyri in Phœnicia. In Vulgata legitur locus Ezechielis, in quo Carthaginenſes negotiationis gratia Tyrum adire conſueviſſe dicuntur (d). *Carthaginenſes negotiatores tui*. Hebræum tamen pro *Carthaginenſes*, habet *Tharſis*; & quidem Tharſus Ciliciæ negotiationibus celeberrima habebatur.

CASAIA, Pater Ethan, Levita ex familia Merari. 1. *Par.* 15. 17.

CASALOTH, ſeu *Cazaloth-Thabor*, Urbs ad latera Thaboris *Joſue* 19. 18. quam Euſebius, & S. Hieronymus *Caſalum*, ſeù *Exalum* appellant, ac 10. milliaribus à Diocæſarea, orientem verſus removent (e).

CASBI. *Gen.* 38. 5. In Vulgata legimus: *Quo nato* (nempe Zela) *parere ultra ceſſavit*, nempè Uxor Juda. Textus habet: *Illa cum peperit, erat in Casbi*. Casbi ſeù Caſib. *Joſue* 15. 44. & *Mich.* 1. 14. cujuſdam loci nomen eſt; Casbi etiam Euſebii ætate appellabatur locus quidam deſertus prope Odollam.

CASBON (f), vel *Chasbon*, idem ac *Heſebon*, *Eſebon*, vel *Esbus*, ultrà Jordanem; quibus poſterioribus nominibus frequentiùs appellatur. V. *Eſebon*.

CASED, pater *Caſedim*, ſeù *Caſdim*, ſcilicet Chaldæorum, qui ab Hebræis *Caſdim* appellabantur. Aliter videtur iſte *Caſed* à filio Nachor & Melcha, de quo *Gen* 22. 22.

CASIS. Vallis *Caſis* in Tribu Benjamin. *Joſue* 18. 21.

I. CASIUS, mons inter Peluſium, & lacum Sirbonidem, Syriam ab Ægypto diſterminans. Simulacrum Jovis Caſii, quod ibidem colebatur, malum granatum in manu gerebat (g). *Caſius* fortaſsè ab Hebræo *Kez*, ſeù *Cas*, ſcilicet extremitas, terminus, limes, derivabatur; erat enim ad meridiem terminus Palæſtinæ, & Ægypti.

II. CASIUS, mons Syriæ juxtà Seleuciam, alter Palæſtinæ terminus ad Septentrionem, quem eundem eſſe credo ac mons ille altiſſimus, dictus à Moyſe *Mons montium* (h).

CASLEU, nonus anni ſacri Hebræorum menſis, & tertius anni civilis, noſtro Novembri ferè reſpondens. Triginta plenis diebus conſtat; quorum ſeptima jejunio deputatur ob injuriam à Rege Joakim Libro Prophetiæ Jeremiæ illatam, quem cultro reciſſum in ignem projecit (i); decimaquinta Judæi coram Domino ſe affligunt, quòd dies recurrat prophanationis Templi, & erecti (k) in eo Idoli Jovis Olympici, juſſu Antiochi Epiphanis; vigeſimaquinta purificati à Juda Machabæo Templi Hieroſolymitani (l), & innovatæ ejus dedicationis memoriæ dicata eſt: de quo feſto in Evangelio. *Facta ſunt Encænia Hieroſolymis* (m): Ferunt die trigeſima hujus menſis Nehemiam hoſtiam aſperſiſſe aqua illa craſſa, quæ in loco, ubi ſacrum ignem antea depoſuerant, reperta eſt; totumque hoc ſacrificium igne cæleſti abſumptum. 2. Mach. 1. 19. 20.

CASLUIM, ſeù *Ghasluchim*, Mizraim poſteri, quorum domicilium adhuc ignoratur: fortaſsè tamen ad Ægyptum pertinebant. Vide Commentar. in *Gen.* 10. 14. & 1. *Par.* 1. 12.

CASPHIN (n), idem ac *Chesbon*, ſeù *Eſebon*, in Tribu Ruben.

CAS-

(a) Theodoret. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 11. 12. (b) 2. Timot. 4. 13. *Tonphelonem* Penulam. (c) Menæa die 26. Maii. (d) Ezec. 27. 12. (e) Vide Euſeb. & S. Hier. ad Aceaph. (f) 1. Mach. 5. 36. (g) Achilles Tatius l. 3. (h) Num. 34. 7. 8. (i) Jerem. 36. 23. (k) 1. Mach. 1. 57. (l) 2. Mach. 1. 18. (m) Jo. 10. 22. (n) 2. Mach. 12. 13.

CASPHOR (a). Legendum puto *Caſbon* ſeù *Cheſbon*. Idem eſt ac *Eſebon*, ſeù *Eſbus* Urbs ultra Jordanem. Græcus legit *Chaſcor*; Joſephus *Caſphon*.

(CASPII. *Montes Caſpii*. Nullibi expreſſum eſt in Textu Biblico nomen illud, niſi ſi fortè inſinuetur 1. Eſdræ 8. 27. *Miſit eos ad Eddo, qui eſt primus in Caſpia loca*. Vaſa colligens Eſdras, Palæſtinam actutum regraſſurus, ducere ſecum optavit Nathinæos quoſdam ad ſervitia Templi Domini. Miſit igitur ablegatos viros ad Eddo, qui primas tenebat apud Nathinæos, laborantes facilè ad fodinas montium Caſpiorum Mediam inter & Hyrcaniam. In his montibus conſtituunt nonnulli *Portas Caſpias*; quæ arctiſſimæ ſunt fauces, unde tranſitus è Media in Albaniam ad Occidentem maris Caſpii. Sunt tamen aliis Portæ Caſpiæ in monte Tauro, unde ex Aſſyria in Mediam. Perſuaſum habent Orientales (b) Alexandro Magno authore fabricatum fuiſſe prolixi operis murum fauces montis claudentem, excludentemque populos Septemtrionales, Gog & Magog appellatos à Perſide. Diſtat parùm è loco Urbs, cui nomen *Derbend*; quod Perſarum vernaculo ſermone ſonat tranſitus clauſus vel cancellatus. *Demir-Capi*, portas ferreas, appellant illas Turcæ. Murum ædificatum curante Alexandro cognomento *Dhoul-Carnein*, alio planè ab Alexandro Magno, appellant Arabes aggerem Alexandri, ſeu vallum Gog & Magog.

Temporum, ſeu Scytharum injuriæ murus ille ceſſit; ſed reparandum curavit Jezdegerd; filius Bahararam, Rex Perſidis, & muniendo ſupremam manum impoſuit Choſroas, cognomento Nuſchirvan, Rex item Perſidis. Provincia ubi Urbs Derbend, ac murus de quo modò, appellatur Schirvan, olim Thronus aureus, quòd Præſidi ejus Provinciæ, cùm jus diceret, thronum aureum conceſſiſſet Rex Perſidis; munus enim gerebat loci dignitate ampliſſimum. Fertur (c) Artaxerſes Ochus Judææ portione, ſeu potiùs Ægypto occupata, magno numero Judæos tranſtuliſſe in Hyrcaniam mari Caſpio proximam. Tradit Oroſius deductos ad littore ejus maris Judæos ætate ſua increviſſe plurimùm, reditumque ſperaſſe in Judæam; affirmat inſuper, Alexandrum Magnum nactos ibi frequentiſſimos Judæos concluſiſſe omnes intra Portas Caſpias, de quibus ſupra.

MARE CASPIUM. Lacus eſt immanis, nullo quidem aperto mari junctus commercio, ſed aquarum vaſtitate mare appellatus. Eodem pariter maris nomine donant Hebræi majores quoſcumque lacus, uti Sodomæ, & Geneſareth. Paucis ab hinc annis exacta hujus maris, & adjacentis circa regionis Tabula data eſt ex recenſibus à Czare Moſcoviæ ad DD. Academiæ ſcientiarum, Pariſios tranſmiſſis documentis. Maris hujuſce aquæ ſalitum habent, & amarum guſtum, uti cæterorum marium omnes; quia tamen alluunt Hyrcaniæ litora, nec dulces ſunt, nec ſalſæ. Piſcoſum eſt ſi quod aliud maximè. Influunt in illud nobiliſſimi amnes Volga, Araxes, Jaik, Cheſel, Jehun, & cùm tot augeatur aquis, nec incrementum exhibet aquarum ullum, nec decrementum, ut cum illo dictum Eccl. 1. 7. per omnia quadret: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*. Suſpicio eſt tamen aquarum illud pondus demittere per cæcos occultoſque canales in Sinum Perſicum, vel in mare Nigrum, ſeu forte erogate plurimùm implendis venis, quibus poſtea ſufficiuntur aquæ Euphrati, & Tigridi, quæ planè aquæ ſub terram philtratæ, ſale depoſito dulceſcant.)

CASSIDILIS, pera, *Tobiæ* 8. 2.

CASSIA, aroma inter ea numeratum, quibus ſacrum oleum conſecrandis vaſis, & Tabernaculo conficiebatur (d). Hebræus habet *Kidda*, & Septuaginta *Iris*. Caſſiam hanc dicunt eſſe corticem arboris, cinamomo ſimillimæ, apud Indos ſponte provenientis.

(CASSIUS cognomento *Longinus*, Quæſtor Craſſi in Syria in ſuſcepta ab illo contra Parthos expeditione. Craſſi prælio victi, cæſique reliquias copiarum recolligens Caſſius, Parthos, qui Syriam ad Antiochiam uſque occupaverant, ab ea regione expulit. Tranſiens inde Tyrum, compoſitiſque ejus partis Syriæ rebus, movit in Judæam (e). Eò veniens arma duxit in Tarichæam ad lacum Geneſareth, ubi ſe continebat Philolaus cum reliquis ſecutis partes Ariſtobuli, quibus idem pariter, Philolaus paulò ante adjunxerat ſeſe. Urbem expugnavit Caſſius, jugumque ſervitutis incolis omnibus impoſuit, plexitque Philolaum capite; ita enim Antipatro viſum; qui expeditiſſimum id cenſuit rebus Ariſtobuli perdendis. Tum Alexandrum ejuſdem Ariſtobuli filium adegit rogare pacem, qua conceſſa, copias duxit ad ripam Euphrates in Parthos, invaſionem minitantes.

Poſt enecatum à Caſſio & Bruto Cæſarem, ambo illi conjurationis Principes libertatem Reipublicæ reſtituendam ſtatuere. Redegit ſe in Syriam Caſſius, ubi ſummo loco ſemper habitus, brevi octo Legiones in ſuas partes adegit. Quibus validus in Palæſtinam & Judæam venit, nec ingenti molimine utramque ſubegit (f). Cùm ibi verſaretur, per Palæſtinam iter fecerunt quatuor legiones à Cleopatra Ægypti Reginæ miſſæ in auxilium Dolabellæ, oppoſitas Caſſio partes tuentis. Intercepit illas Caſſius, coegitque partes ſuas ſequi, qua copiarum acceſſione 12. legionibus fortem exercitum inſtruxit.

Tot detinendis copiis coactus fuit ingentibus tributis onerare Provinciam. Judæa pro ſe contulit 700. talenta. Illis promptè exigendis ſollicitam contulit operam Antipater, commiſſa rei cura Phaſaelo & Herodi geminis filiis ſuis, tum & Malicho, aliiſque nonnullis, quos exigendis tributis, in ſua quemque regionis parte, præfecit. Cùm Herodes omnium primus collectam pecuniam in ærarium Caſſii intuliſſet, viri ſibi favorem demeruit.

Urbs Gopna, Emmaus, Lyddæ, Thamnæ aliæque nonnullæ plus nimio ſolvendum tributum diſtulerunt; quarè civium bona omnia publicari juſſit Caſſius, quo debita ab illis ſumma conficeretur, impoſitiſque exigendis illis tributis Malichus, parùm abfuit, quin negligentiæ ſuæ pœnas capite lueret. E' diſcrimine virum liberavit Hircanus, miſſis è ſuo ærario ad Caſſium 100. talentis. Reliqua geſtorum Caſſii nihil habent, ſive cum Scriptura, ſive cum rebus Judæorum commercii. Prælio victus fuit cum Bruto Philippi in Macedonia, coactuſque manus ſibi violentas inferre A. M. 3963. ante J. C. 37. ante Æram 40.)

CASTOR, ET POLLUX. S. Paulus (g) Romam ad Imperatorem navigans, in navi, quæ à pictis, vel ſculptis in prora, tanquam inſignibus, Dioſcuris, ſivè Caſtora, & Polluce nomen obtinuit, ferebatur. Caſtor verò & Pollux fratres erant, ex Jove & Leda ab eodem ovo, uti ferunt, excluſi; quare ſinguli mediam ovi teſtam tenentes pinguntur. Porrò Jupiter ſub cycni ſpecie cum Leda congreſſus erat. Ambo autem bellis in pyratas geſtis adeò clariores, ut divinos ſibi honores promeruerint. Cum primùm à litore ſolvebatur, iterumque in procellis, votis invocabantur. Præter Dioſcuros, alii etiam Dii, tanquam Patroni, & cuſtodes, in puppibus navium videbantur. Vide noſtra Commentaria in Acta *cap.* 28. ℣. 11.

CASTRA, ſeù loca, in quibus Iſraelitæ caſtrametati ſunt in deſerto. 1. Rameſſe. 2 Sochoth. 3. Etham. 4. Pihahiroth. 5. Beelſephon. 6 Ad Mare Rubrum. Poſt tranſitum. 7. Ad deſertum Sur. 8. Mara. 9. Elim. 10. Ad Mare Rubrum. 11. Ad deſertum Sin. 12. Daphca. 13. Alus. 14. Raphidim. 15. Mons Oreb. 16. Sinai. 17. Tabeera, ſeù adunſtio. 18. Sepulchra Concupiſcentiæ. 19. Cades-barne. 20. Haleroth. 21. Rethma. 22. Remmonphares. 23. Lebna. 24. Reſſa. 25. Ceelata. 26. Sepher mons. 27. Adar, ſeù Arad. 28. Maceloth. 29. Thaheth. 30. Thare. 31. Metca. 32. Heſmona. 33. Moſeroth (fortè idem locus ac Haſeroth) 34. Bene-jaean. 35. Mons Gagad. 36. Jetebata (forte idem locus ac Sepulchra

Con-

(a) 1. Mach. 5. 26. confer. ℣. 36. (b) Biblioth Orient. pag. 291. col. 2. & 157. (c) Hieronym. in Chron.
(d) Exod. 30. 24. (e) Antiq. l. 14. c. 12. & de Bel. lib. 1. c. 6. (f) Antiq. l. 14. c. 18. & de bello lib. 1. cap. 9.
(g) Act. 28. 11. Cui erat inſigne Caſtorum. Græcus habet: Παρασήμῳ Διοσκούροις.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

...ZIONALE · VITTORIO EMAN...
...NAPOLI

Digitized by Google

Concupiſcentiæ) Hebrona. 38. Elath. 39. Aſiongaber. 40. Moſeroth, ſeù Mons Hor. 41. Salmona. 42. Phunon. 43. Obodat, vel Oboth. 44. Jeabarim. 45. Zared. 46. Mathan. 47. Nabaliel. 48. Bamoth-Anon. 49. Dibon-gad, Helmon-deblataim. Ubi loca hæc ſingula ſita fuerint, quid in illis contigerit, in ſuis articulis dicemus. Vide pariter Tabulam Itineris Iſraelitarum in deſerto, quam hic exhibemus.

(CASTRA LOCARE ET MOVERE. Caſtrametationes & profectiones exercitus Iſraelitici in deſerto.

* Cùm Moyſes caſtrametationes & profectiones Iſraelitarum in deſerto narrat, non ita ſemper reputandum eſt, quaſi populum duceret per loca arida, aquis & paſcuis, arboribus & cultu, habitatoribus tandem deſtituta & prorsùs deſerta. Fatemur utique accidiſſe aliquando, ut talia nanciſcerentur loca, ubi ſubſiſtere coacti ſunt; tunc autem Deus, quò illos in officio & obſequio contineret, potentiam ſuam prodigiis in eorum favorem patratis aſſeruit. Cæterùm ea nos tenet perſuaſio, Moyſem caſtra ferè ſemper metatum fuiſſe in locis frequentatis ab Urbibus, ſive à vicis non remotis, quorum culturæ patiens ſolum omnia neceſſaria ſufficeret. Hæc autem operæ pretium eſt animadvertiſſe, nequis (vocem *deſertum* ad literam uſurpans) reputet tantam populi turbam iter habuiſſe per loca inculta, & perpetuo prodigio potiùs quàm cibo alimento opus fuiſſe, nempè manna, tum & coturnicibus, de quibus impendio ſuo deguſtarunt illi omnes, quos tædium ceperat & faſtidium nuſquam innovatarum dapum. Quot enim prodigiis opus fuiſſet, rebus aliis neceſſariis ſufficiendis, ad tantum exercitum detinendum, quibus ſanè, ſi deſtituatur, exterminari tandem opus eſt? Nihil tamen de illis Moyſes. Cùm verò mentis aciem conjicio in populum, nudum fermè & armis deſtitutum, pedem ex Ægypto referentem, & poſt tranſmiſſum Mare rubrum nullius rei indigum in deſerto, hærens planè ſtupeo; ſi raptu vixerunt, opus igitur fuit, ut iter haberent per regionem, rebus omnibus tantæ hominum multitudini neceſſariis refertiſſimam. Quod autem admirantem nova admiratione excipit, illud eſt, nimirum tam frequentem populum & rudem, adeò militari ſcientia excolere valuiſſe Ducem, ut milites formaret eximios; tanta enim diſciplina & arte agmen duxit, tanta locavit caſtra, tanta ordinavit in prælium, ut nihil tale unquam.

Studioſi antiquitatis, de illis loquor, qui nihil in arte bellica admirantur, niſi quod Græcum eſt & Romanum, perſuaſum habent neminem ſupra illos rerum militarium ſapere quidquam potuiſſe; illis ego quidem affirmantibus crederem, ſi diſciplinæ militaris nomine intelligerent tantùm artem inſtruendi & formandi milites. Nonniſi autem per ſummam impudentiam aſſereretur, illos primos inter homines agmen inſtruxiſſe ad procedendum, ad metanda caſtra, ad prælium majori ordine & diſciplina gerendum. Plerique nihilominus Eruditorum, ne dixerim omnes, æſtimant, exceptis Græcis Romaniſque, cæteros inconditas duxiſſe in prælium copias, nulla diſciplina, nulla rei militaris ſcientia inſtructas.

Nulli præ Moſaicis vetuſtiores Libri ſuppetunt; nec inde tamen ſatis argumenti deduceretur, ad convincendum Hebræis Authoribus inſtitutas fuiſſe agminis profectiones & caſtrametationes, ſicut & prælii ſcito ordine & diſciplina gerendi morem; uno verbo primos fuiſſe inventores ſublimis illius & profundiſſimæ ſcientiæ militaris. Habeo utique perſuaſum, ejus originem non in Moyſe quæri oportere; ſed deductam ab illo credo ex Ægyptiis, quod nu ambigens quidem affirmarem, ne quidquam licèt in contrarium moliatur D. Baſnagius in Republic. Hebr. tom. 2. pag. 356. ſcribens: *Si quis vel leviter advertat ad Legem Moſaicam, & mentem præjudiciis vacuam illi parùm concedat, intelliget affirmabitque ſtatim, politiæ ſcientiam omnem à Lege illa divina repetendam eſſe.* Quin etiam addit ille: *Non aliunde repetendam eſſe rei militaris ſcientiam facilè autumo, quòd utique, ſi tempus daret, nullo negotio demonſtrarem &c.* Summo licèt obſequio Virum illum doctiſſimum ſuſpexerim, reputarem utique majus, quàm pro opinione, aſſumpturum illum negotium, ſi viveret, & demonſtrandum ſuſciperet, quòd hic tanta fiducia aſſerit. An ejus rei meminit unquam Scriptura? Scitum eſt alioqui, Ægypti ampliſſimum Regnum floruiſſe maximè politia, cujus eſt pars non infima continere in diſciplina populos, ut ab inſultibus finitimarum gentium illos defenderet. Non obſcurè Scriptura docet. *Exodi* 14. 6. 9. moviſſe Pharaonem in Iſraelitas cum validiſſimo exercitu, peditibus, equitibus & militarium curruum ingenti copia inſtructo; quo exercitus apparatu ſatis intelligimus, militaris artis originem aliàs planè, quàm in Scriptis hujus Legislatoris quærendam eſſe; quippè quæ innotuerit Ægyptiis ſicut & bellicorum curruum inventionem nequaquam illis tribuendam eſſe; ita enim de his agit Scriptura, tanquam de re jam familiari. Nonne pariter Moyſes offendit in itinere hoſtes, viam intercipientes, atque inferentes in ſe arma, eo ordine & methodo, quam ferebat ætas; nonne pariter accidit non ſemel in eas anguſtias devenire illum, ut niſi divino miraculo juvaretur, nunquam excidium evitaſſet?

Parcus eſt maximè Legiſlator in deſcribendis agminis profectionibus, nec ſibi legem impoſuit annotandi omnes; parcior eſt etiam in caſtrametationibus ſuis deſcribendis, illis tantùm non neglectis, quæ re aliqua geſta commendatentur. Nec utique unquam ſupremam impoſuiſſet manum hiſtoriæ ſuæ, ſi nihil ſibi negligendum duxiſſet; breviſſimum enim de ſe iter per varios viarum flexus prorogavit uſque ad 39. annos; undè factum eſt, ut profectiones exercitus, & caſtrametationes multiplicarentur prorogarenturque; ut moram traheret diutinam in caſtris non ſemel; ut integris etiam annis uno in loco ſubſiſteret. Præterea, quas in itinere nactus eſt difficultates, quibus utique comparandis in bellum populis ſuis plurimùm nactus eſt adjumenti, & variis ea occaſione ſubactis regionibus, quæ neceſſaria eſſent ad bellum, bello ipſo providit. Perrupit in terram Promiſſionis, ac laboribus & conatibus ſuis firmavit vel ſibi, vel potiùs ſucceſſoribus in eo loco ſedem. Nun enim carus ille Deo vir, niſi à longè, optatam terram proſpexit; ejus ſubigendæ gloria reſervata eſt Joſue, ſummo illi Imperatori, cui nec rei militaris peritia, nec virtus, nec prudentia ſingularis deerat, digniſſimo proindè, ut in ſucceſſorem Moyſis à Deo ſeligeretur. Documentum hìc exhibetur Principibus cæteriſque populos moderantibus, ut intelligant, robur, potentiam & felicitatem Reipublicæ in eo maximè verſari, ſi rebus ſeu politicis ſeu militaribus præficiant Viros peritos, prudentes, & animi ſtrenuitate præſtantes.

Conſtat ea utraque Scripturæ pagina, & res eſt illuſtrior, quàm ut inobſervata prætereatur; conſtat, inquam, ſemper electos fuiſſe à Deo homines animi ſtrenuitate & virtute inſignes, ut colla ſubmitteret ſuperborum Principum, qui nimia proſperitate elati, exeruerunt ſe ſupra æquitatem, nec imparia ſibi cenſuerunt maxima vitia; vel ut ultionem proſequeretur gentium perditiſſimarum; vel ſaltem ut alias gentes ſuper aliarum ruinas elevaret. Moyſem elegit Deus non quidem ſubigendæ terræ Promiſſionis, atque exigendæ de criminibus incolarum illius ultioni; deſtinatus eſt tantùm in Ducem populi, & in inſtrumentum, quo Deus Leges ſuas traderet; quare à dotibus magni Imperatoris illi conferendis temperavit ſeſe, ut è rerum geſtarum ipſius hiſtoria intelligimus. Neque enim formare illum Deus meditabatur virum ſanguinis, ſed in ſuum ſinum excipere voluit manus habentem puras & ſine macula.

Modo ad noſtrum argumentum. Sanctum erat Antiquis, ut rerum ſummam referentes, cætera omitterent,

* Animadverſiones in caſtrametationes & profectiones Iſraelitarum per Deſertum. *Num.* 10.

rent, quæ nobis conferrent ad mores illorum agnoſcendos apertiùs. Nemo unus exactè proſecutus eſt ea, quæ pertinent ad profectionem, tum & caſtrametationem exercituum, ut in cognitionem diſciplinæ tum obtinentis veniremus. Num vitium illud emendarunt Recentiores? Non eſt igitur cur admiremur, ſi Authores Sacri ejuſmodi neglexerunt. Suboſcurè tamen quædam interlucent hinc illinc in Scriptura de profectionibus exercituum Hebræorum, ac diſciplina tam in movendis, quàm in ponendis caſtris. Vario buccinarum clangore ſignum dabant tum apparandi ad iter omnia, colligendi vaſa, in ſuum quemque ordinem ſecedendi, ac tandem movendi. Eſt autem, cur animemus, hac eadem diſciplina uſos fuiſſe in variis motibus, qui occurrunt in militia: dum ſcilicet prælium eſſet ineundum, dum receptui ſignum dandum. Vide Numer. c. 4. ubi & de collecto Tabernaculo, & de ordine proficiſcendi inter Levitas ad illud ferendum deſtinatos.

Hebræos ordinem exactè tenuiſſe dum proficiſcendum eſſet, tam certum eſt, quàm quid aliud. Procedebat omnium prima nubis columna, non uni uſui ſerviens Hebræis. Præterquàm enim ſignum erat, oculis ipſis expoſitum, Dei præſentis; noctem etiam ſuo lumine colluſtrabat; per diem vero denſam opponens nubem ſolaribus radiis, tolerabilius itineris ab æſtu tædium reddebat.

Illa etiam curſum ſiſtente ponebantur ſtatim caſtra figebaturque Tabernaculum (a); recedente autem longiùs, ſtatim collecta vaſa cum Tabernaculo, onerata plauſtra, ordine iter inſtitutum. Nec ſanè in profectionibus ſuis alia fermè ab illis ſervari poterat, ac apud nos diſciplina. Tenent RR. eundem ſervatum fuiſſe ab illis ordinem in itinere, qui in caſtris; quæ ſanè illorum opinio omnium unica nobis placet; in varia diſpoſiti agmina prout loca patiebantur faciebant iter, vias ſibi aperiebant per media arva, quò majori agminum numero diſtributi procederent; ſingulæ Tribus ſuum tenebant ordinem deſtinatum, & cum ordinati procederent, ordinatiſſimè etiam locarent caſtra. Majora, & minuta impedimenta ſeorſum vehebantur, ne cæterorum iter occuparent. Omnium poſtremæ incedebant Tribus, Dan, Aſer, & Nephtali ad regendos vectores, imbecilles, impotentes, ſenes, fæminas & pueros; ibi enim conſtituere impedimenta hæc omnia viſum eſt, quòd exercitus poſtrema tenentibus lento itinere procedendum eſt, pro menſura viæ conficiendæ, & pro numero agminum, quæ alia ab aliis diverſa incedunt.

Grandem hunc exercitum integra die & ſemis, nonniſi leucam confeciſſe itineris tuetur D. Baſnagius ex illo Numerorum 11. 3. 4. ubi leguntur Iſraelitæ è Sinai moventes veniſſe intra triduum Kiberoth-Aba, i. e. ad ſepulchra concupiſcentiæ; quæ ſanè duo loca, non ultra duarum leucarum ſeparat intervallum. Sed venia Viri hujus doctiſſimi reponerem, minimè hiſce probari tam lentis itineribus ſemper proceſſiſſe exercitum; fortè iter tunc morabantur montium anguſtiæ, cùm ſanè non niſi viritim procedendi ſpatium daretur; in aperto enim agro exercitus 600000. commodè emetiretur dietino itinere 3. vel quatuor leucas & ultra.

Ordo & procedentis agminis inſtructio, quam exhibet idem Author, aptiſſima eſt ad perſuadendum diurnum exercitus illius iter non impar fuiſſe 4. leucis. At ingenuè fatendum eſt plura ad arbitrium in hac re confingi; nunquam enim legimus in Scriptura procedentem populum explicaſſe in fronte plura inter ſe diſſecta agmina, & duplicatas lineas, relictis inter agmina ſingula intervallis, ſicut & vacuo quodam ſpatio relicto inter priores & poſteriores lineas, quæ retrò è regione priorum intervallorum ſequebantur. Exhibet hæc omnia picta Tabula in opere ejuſdem D. Baſnagii. Iter conficiebant per columnas diſtributi, quod non abſque veri ſpecie affirmaremus, & in apertis etiam explicatiſque regionibus ſemper columnas illas magno numero ſervabant, niſi fortè procedendum eſſet in hoſtes. Cùm autem inſtare illos intelligerent, inſtructo agmine, ſiquidem natura loci patiebatur, iter proſequebantur. Servavit hæc Cyrus, cum in agro Tymbrarum in Crœſum proficiſciſceretur.

Cùm verò per regiones montuoſas ducendus eſſet exercitus, varias ſibi perrumpebant vias per crepidinem montium, & per valles in alias valles exponentes, ſicut & per plana; nec aliam ſervabant diſciplinam excurrentes loca ab inſultibus hoſtium tutiſſima, nunquam ſtatum ordinem deſerentes, nunquam agentes remiſſiùs.

Nihil autem ſuccurrit majori dignum admiratione, quàm ſervata ab illis diſciplina, ſive in ponendis, ſive in metandis caſtris; mira id arte factum. Non inviti credimus didiciſſe ex illis Græcos, ſicut è Græcis Romanos; ſed Romanorum caſtra ad Judaica accedebant magis; nihil enim inter utraque diſcrimen, vallo utrique, foſſa, & palis eadem caſtra muniebant. Vide Iſraeliticorum caſtrorum ordinem in Dictionario Biblico v. *Tribus*.

* PROFECTIO EXERCITUS ISRAELITARUM circa Jericho. Expugnatio & deſtructio Jericho inter militaria Joſue geſta non ita recenſenda eſt, quaſi Ducis illius virtuti & prudentiæ referatur accepto. Quicunque Imperator ita ſubigeret Urbes, non utique inter ſummos Imperatores locum ſibi vindicaret, & ſi geſtum patraſſet præter hoc nullum, affirmaremus utique in eo ſolùm triumphaſſe illum, quod circum Urbem hoſtilem ſexies ductaſſet exercitum; cùm verò ſeptimò id præſtaret, Deum, qua eſt ſumma in res omnes poteſtate, exhibuiſſe ante oculos Imperatoris illius & populi univerſi jucundum illud ſpectaculum, mœnium ſcilicet Urbis munitiſſimæ inviſibili niſu dejectorum, in conſpectu hoſtium, ideo obeuntium mœnia illa, ut tantum prodigium admirarentur, ut ſuper rudera aſcenderent ad inferendum incolis exeidium, atque in cinerem favillaſque *redigerent* Urbem, anathemati devotam.

Nullus eſt ambigendi locus ab eximio Imperatore ductum exercitum, ita circuiſſe Urbis mœnia, ut ſuum tamen ordinem ſervaret, diſtributum ſcilicet in duas vel tres columnas ambientes & circulares, ſua habentes per certa ſpatia diſpoſita intervalla, quòd ita exigeret copiarum multitudo; & ſanè extra ſagittarum hoſtilium jactum.

Defendit Maſius in Joſue eundem tenuiſſe ordinem Iſraelitas, quem in itinere per deſertum etiam cum toto Tabernaculi apparatu. Facilius ego quidem concederem agminis tunc diſciplinam non aliam fuiſſe, quàm quæ in itinere per deſertum; nec omiſſa tamen cum Tabernaculo utenſilia omnia, id utique non affirmat Scriptura, nec veritatis ſpecies ulla ſuadet; poſtquàm enim exercitus ſingulis diebus circuiſſet mœnia, recipiebat ſe in caſtra, quibus cum Tabernaculo defendendis ſemper utique portio aliqua copiarum reſtabat.

Nec difficilè explicaretur ratio præcepti ab Imperatore dati, ne ſcilicet quidquam clamaret populus, ut ſilens circumiret mœnia ſex prioribus diebus. Mirari tamen ſubit, cur inobſervatum id præterierint Commentatores, & rem maxime illuſtrandam penitùs neglexerint. Hæc igitur ratio faciendum id ſuadebat, nec id ignorabat Joſue (b) ſi populus Urbem circumeundo toto vocis niſu clamare conſueviſſet, ea aſſuetudine minùs fuiſſent intenti plures ad convertendos in Urbem oculos, cùm ſeptima die clamantibus illis, mœnia corruerunt. Nunc autem ad inuſitatum clamorem intentis omnibus quid in Urbe ſuccederet novi, magnum illud prodigium omnium etiam oculis palam factum eſt. Notat utique Joſue ſeptimam tandem diem de fato Urbis laturam ſententiam;

ſed

(a) Num. 9. 15. 16. 17. & 10. 34. 35. Exodi 40. 34. 35.

(b) * Animadverſiones in everſionem mœnium Jericho poſt quàm Iſraelitæ ſepties Urbem ambiendo gyraſſent Joſu. 6.

ſed ejus rei in obſcuro cæteri fuiſſe videntur. Reputarem itaque, clamorem illum, quem ſubitò attollere Iſraelitæ juſſi ſunt, (poſt ſex dierum ſilentium, cùm ſacræ buccinæ clangorem ederent prolixiorem, & magis intercîſum) ideo potiſſimùm illis indictum fuiſſe, ut converterent ad Urbem oculos prodigii teſtes futuros.

Quorum potiſſimùm criminum merito tantam in ſe ultionem provocaverint cives Jericho, ſilet Scriptura; ſed ſceleris attigiſſe ſummam utique reputandi ſunt; ita enim de illis Joſue 6. 17. *Sit Civitas hæc anathema, & omnia quæ in ea ſunt Domino; ſola Rahab meretrix vivat cum univerſis, qui cum ea in domo ſunt; abſcondit enim nuncios, quos direximus*. Probant hæc merito criminum ſuorum Urbis illius cives pares ſeſe exhibuiſſe ultioni, quotquot unquam in Chanaanitas decretæ ſunt, maximæ (a); devota enim Urbs fuit univerſa anathemati Domini, jubentis funditus deſtrui Jericho, incolas omnes gladio ſubjici, nemini parcendo, ne brutis quidem; ad hæc mandantis vaſtari omnia igne, ut nihil reſervaretur prædæ, metalla verò conſecrari Domino: cùm Urbium aliarum Chanaanitidis & præda conſervaretur victoribus, & Urbes manerent &c.)

CATA-MANE, ſeù *Kata-mane*, ſcilicet, *mane ſingulorum dierum*. Vox Græca *cata* in Verſione Latina Ezechielis 46. 14. 15. ſervata eſt.

(CATARACTÆ. Latinum *Cataracta*, è Græco *Cataractes*, eſt impetu quodam & recta cadens. De aquis maxime uſurpatur, ceu de amne, qui præceps ruit è monte vel ſaxo. Nili cadentis ex altiſſima rupe in plana Cataractæ maximè celebrantur. Diſruptis Cæli cataractis diluvii aquas Deum immiſiſſe demergendis impiis affirmat Gen. 7. 2. & 8. 2. Hebræum *Aruboth*, quod redditur *cataractæ*, uſurparetur etiam de feneſtris, vel in eminenti quodam loco apertis foraminibus; utitur illo etiam Scriptura ad exprimendum nimbum vel imbrem largiſſimum; habet enim ea de re aperiri à Deo Cæli cataractas, Iſaiæ 24. 18. Malach. 3. 10.

Quibus inundabatur, mala exprimens Pſalmiſta Pſ. 41. 8. habet: *Abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum*; quas aperuiſti ad inundandum me malis. Hebræus hujus Textus diſcrepat ab aliis, ubi vox cataracta recurrit. In Pſalmo 41. eſt *Zenor*, quod exprimit canales. *Abyſſus* aquarum maris appellavit *abyſſum* aquarum Cæli *voce canalium tuorum*, ut me inundaret. Aquæ maris & Cæli mihi inundando ſimul conjurarunt.)

CATECHISMUS, *catechizare*, *catecheſis*, Græcæ voces, inſtruere, & inſtructionem ſignificantes. Inſtructor *Catechiſta*; inſtructus verò *Catechumenus* appellatur. Monet S. Paulus ad Gal. 6. 6. ut Catechumenus omnium bonorum ſuorum ſuum Catechiſtam participem faciat, hanc illi gratiam pro beneficio accepto rependens: *Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui ſe catechizat in omnibus bonis*.

(CATHEDRA *Moyſis*, cui aſſidebant Scribæ & Phariſæi (b), exprimit Doctorum Legis authoritatem, munuſque vel ſibi delatum, vel ſibi arrogatum docendi. Auſcultari illos & haberi in obſequio, mandat Chriſtus, moribus autem exprimi vetat.

Cathedra peſtilentiæ vel *peſtilentum*, de qua Pſ. 1. 1. exprimit ſermocinationes planè noxias, & impiorum vitam planè effrænem, exemplo ſuo bonos corrumpentem, & dogmatum, quæ ſpargunt, ſcandalo auditores ad crimen impellentem. Hebræus prò *peſtilentum* legit *deriſorum*, quod exprimit ingenia illa ſupra vulgaria, qui credulitatem & territamenta ſimplicum rident. Contra ſagittas linguæ noxiæ diſcipulum ſuum præmuniendum curat Salomon in Proverbiis (c).

Cathedra honoris, de qua Eccli. 7. 4. Primores cathedræ affectatæ à Phariſæis in Synagoga (§); *cathedra* in cætibus publicis parata Jobo (*); *cathedra Regis & Dei*, quid ſint, ſatis per ſe nomina exprimunt. Throous ad Deum pariter & ad Regem pertinet; cathedta honotis ad Regis amicos, & viros ampliſſimos; cathedra Doctorum ad profeſſores ſcientiarum.)

CATHETH, Urbs Tribus Zabuloo. *Joſ.* 19. 15.

CATHOLICUS, vox Græca, univerſalem, ſeù generalem ſignificans; quare Eccleſiæ Jeſu Criſti tribuitur, quæ ad Orbem totum, & omnia tempora extenditur. *Catholicæ* etiam eæ *veritates* dicuntur, quæ ab omnibus fidelibus receptæ ſunt. Voci *Catholicus* opponitur vox *hæreticus*, *ſectarius*, & *ſchiſmaticus*, ſcilicet à vera Eccleſia reſciſſus.

CATHOLICA. *Epiſtola Catholica*, ſeù *Canonica*. Catholicæ quidem dictæ, quòd omnibus Fidelibus, non uni tantùm Eccleſiæ ſcriptæ; Canonicæ verò, quod fidei & morum regulas præſcribant. Eo nomine ſeptem Epiſtolæ comprehenduntur, ſcilicet ùnica S. Jacobi, duæ S. Petri, tres S. Joannis, ac tandem unica S. Judæ; quamvis olim apud Græcos (d) non hoc ordioe diſtribuerentur, ut aliàs in Præfatione Commentariorum in eaſdem Epiſtolas notavimus. Neque in illis recipiendis concors fuit Veterum ſeotentia; alii enim omnes, alii verò tres tantum probabant, rejectis ſecunda S. Petri, ſecunda & tertia S. Joannis, & Epiſtola S. Judæ (e). Scriptores illarum toti ſunt in aſſerenda bonorum operum neceſſitate adversùs Simonem, Nicolaum, Cerinthum, alioſque coævos Hæreticos, qui libertate nobis per Evangelium collata plus æquo abutebantur (f).

CATULUS, Lybiæ Pentapolitanæ Præfectus. Cùm Magna Judæorum ejuſdem Provinciæ manus in deſertum conveniſſet textore quodam Jonatha duce, qui facta prodigiorum ſpè illos ſeduxerat, Catulus omnes trucidavit. Ipſe tamen nimiæ in illos ſævitiæ pœnas acerbis doloribus, ac horrificis ſpectris exagitatus luere coactus eſt an. Chr. 75. ante Ær. 72.

CAUDA, Plinio *Gauda*, ſeù ut Græcus Textus Act. 26. 16., & Ptolomæus, *Claudia*. Inſula quædam parva ad meridionalem, & occidentalem Cretæ plagam.

CAUDA VICTIMARUM. Arietum in pacificum holocauſtum oblatorum caudas & adipem, Altaris igni tradendos Moyſes præceperat (h) Cauda, utporè pinguiſſima, inter animalium partes delicariſſima habetur. Vetera, & recentiora Itineraria Arabum & Syrorum arietum caudas tantæ molis eſſe ferunt, ut viginti & triginta librarum pondus exæquent. Quaſdam verò quatuor pedum cum dimidio longitudinem habere narrat Herodotus l. 3. c. 113. neve, dum humum verrunt, excorientur, paſtores hiſce arietum caudis rhedulas ſupponunt, quas ipſi arietes trahunt. Pagani etiam cavebant, ne cauda in ſacrificiis deeſſet (i)

CAVERNÆ. In Palæſtina frequentiſſimæ. Vide *Scopulus*.

(CAVERNA DUPLEX Geneſ. 23. 9. Vide *Macphela*.)

CAYRUS, ſeù *Cairat*. Magna Cairus Arabibus *Mezer*. Hanc Urbem alii dicunt eſſe Veterum *Memphim*, alii Babylonem Ægypti. Nomen Cairus recentius eſt, quàm quod reperiri poſſit in libris, ſivè Veteris, ſivè Novi Teſtamenti. Memphis ſita erat ad Nili ripam occidentalem; Cairus vero ad Orientalem; Babylon circa eundem locum erat, in quo nunc ruinæ Veteris Cairi occurrunt. Locus adhuc ibidem oſtenditur, in quo Chriſtus io Ægyptum fugiens, aliquandiù ſubſtitiſſe creditur.

CAZALOT. Vide *Caſaloth*, ſeù *Caſeloth*.

(a) Deut. 7. 1. 2. (b) Matth. 22. 2.
(c) Proverb. 1. 22. & 3. 34. & 9. 2. 7. 8. & 13. 1. & 14. 6. & 15. 12. & 19. 25. & 20. 1. &c.
(§) Matth. 23. 6. (*) Job. 29. 7. (d) Prolog ſub nomine S. Hieron. in Ep. Cathol.
(e) Gregor. Nazian. carm. de Script. Canone. (f) Aug. de fide, & operib. c. 14.
(g) Joſeph. de Bel. l. 7. c. 28. (h) Vide Exod. 29. 22. Levit. 3. 9. & 7. 3. & 9. 19.
(i) Ariſtoph. in Pace & Acharnenſ. act. 3. ſc. 3.

CEDAR, filius Iſmael Gen. 35. 23., pater Cedræorum, ſeù Cedarenorum, de quibus Plinius, qui regionem tenebant Arabiæ deſertæ Nabathæis proximam. Quamquam certum populi hujus domicilium difficile eſt reperire, cum nec in urbibus, nec in domibus, ſed in tentoriis (a) viventes ſedem frequenter mutarent; in meridionali tamen Arabiæ deſertæ plaga potiſſimum verſabantur, ad ſeptentrionem Arabiæ Petreæ, & Felicis; ea qua plures uſque ad Mare Rubrum excurrebant. Cedar nonnunquam à S. Scriptura Arabia omnis deſerta nuncupatur.

CEDES, ſeù *Cadet*, Urbs celebris Tribus Benjamin. Vide *Cades*.

CEDES DE JUDA, eadem ac *Cadeſ-barne*.

CEDIMOTH, ſeù *Cademoth*, urbs Tribus Ruben. Joſue 13. 18. ad Orientem torrentis Arnon. Una ex ſtationibus Hebræorum in deſerto. Deut. 2. 26. Habitationi Filiorum Merari ex Tribu Juda aſſignata eſt. 1. *Paral.* 6. 79.

CEDMA, ultimus filius Iſmael, Gen. 25. 15. qui unà cum fratribus regionem ad Orientem montium Galaad incoluit. Forte Urbs Cedemoth primò ad ejus poſteros pertinebat. *Cadmonæi* tamen, ſeù *Cedmonæi*, de quibus *Gen.* 15. 19. ab eo originem non traxerant, cùm iidem eſſent ac populi Chanaan, jam inde à tempore Abraham, avi Cedmæ, florentes.

CEDMONÆI, ſeù *Cadmonæi*, ſcilicet *Orientales*, primi terræ promiſſæ habitatores, Chanaan filii Cham poſteri. Regionem occupabant ultra Jordanem, ad Orientem Phœniciæ, propè Libanum. Cadmus Thebarum in Bœotia conditor ex Cadmonæi, & Hermione ejus conjuge à monte Hermon nomen, & originem traxiſſe creditur. Quippè *Cadmonæi* etiam *Hevæi* dicebantur. *Hevæus* verò ex radice, quæ ſerpens ſonat, derivatur. Cum igitur Cadmus hos viros ſtrenuos novæ Urbi incolas dederit, hinc fabulæ locus, è ſparſis humi à Cadmo ſerpentis dentibus homines armatos prodiiſſe.

CEDMIHEL, ex filiis Odovia è captivitate Babylonis regreſſus. *Eſdr.* 11. 40

CEDRON, torrens, qui poſt irrigatam vallem inter Montem Oliveti & Jeruſalem ad Orientem, in Mare Mortuum exoneratur. Aquis ſemper exiguus, nonnunquam caret. In magnis imbribus maximè tumet, ingentique impetu labitur. Nomen duxit non à Cedris, quibus ripæ conſitæ eſſent, ut nonnulli opinantur, ſed à tenebris profundæ vallis, quas denſiſſimæ arbores augebant, vel ab urbis eluvionibus, in ipſum influentibus. Joſephus nomen Cedron conſtanter declinat hac ratione: *Cedron*, *Cedronos*, *Cedroni*. Vallis hujus torrentis potiſſimùm ea pars, quæ meridiem ſpectat, veluti Hieroſolymæ cloaca ſemper eſt habita. Reges Aſa (b), Ezechias (c), & Joſias (d), Idola & abominationes ibi in unum congeſta igne abſumpſerunt.

CEDRUS, arbor in Scriptura notiſſima adhuc in Libano ſupra Byblum, & Tripolim ad Orientem vigens. Infrequens tamen nunc eſt, olim frequens; quod ex tot tantiſque operibus, quibus uſui erat, colligimus. Arboris hujus truncus quandoque 36. vel 40. pedes circuitu exhaurit; ramos ad decem, vel duodecim pedes à terra, & invicem diſſitos emittit; qui foliis jugi viriditate ridentibus, & roſmarino ſimillimis veſtiuntur. Gummi quoddam ex eo diſtillat, pluribus utile; ligno ad nigrum vergente, pulchro, & incorruptibili, niſi aquæ exponatur (e); fructu pino ſimili, cortice tamen minùs aſpero, minuſque aperto.

Nec in Libano tantùm, ſed & in Africa, in Inſulis Cypri, & Cretæ cedri producuntur. Statuæ æternum permanſuræ ex eo ligno effingebantur. Palatio Regis Salomonis, & Templo Jeroſolymitano plurimo fuit uſui, adeout ea de cauſa Templum aliquando Libanus appellaretur; *Aperi, Liban*, *portas tuas* (f), & Domus Jeroſolymitana Salomonis, *Domus ſaltus Libani* dicta eſſet (g). Tectum Phani Epheſini ex cedro contectum erat, authore Plinio l. 16. c. 40. Salomon tota Judæa Cedros ſevit; adeout tantum Cedris regio abundaret, quantum ſycomoris, ait Joſephus *l.* 8. *Antiq.* c. 2.

(Cedrus loca amat algida & montuoſa, reciſo vertice interit. Quos emittit per intervalla, rami ſenſim decreſcunt uſque ad ſummum verticem, exhibentque ceu totæ ſpeciem, ac elevantur in formam pyramidis. Superiora reſpicere ejus arboris folia, fructus autem inferiora teſtis eſt Bruyn in ſuo Itinerario Terræ Sanctæ. Fructus habet perſico perquàm ſimillimos, longiores tamen, duriores, ſucculentiores, & à folliculo difficiliùs evellendos. Semen continent Cedri Cipariſſinum referens; & reſinam ſtillant craſſam, pellucidam, odore valido, non fluentem, ſed ſtillantem guttatim. Affirmat ille duos, quos ampliores reputavit, Libani Cedros dimenſum fuiſſe; ambitum unius notaſſe 57. palmorum, alterius 47. Scriptores rei naturalis plura Cedrorum genera diſtinguunt; nobis tamen hic de Cedro Libani tantùm agendum eſt, de quo unicè Scriptura.

Ædificiorum trabes & tabulæ è Cedro parabantur; ſæpè etiam laquearia è cedro; nec raro parietibus committendis una cùm lapidibus in uſu erant ligna cedrina, ut e. g. poſt tres lapidum ordines unus excurreret è Cedro (h). Interdum ex uno in alterum murum ducti lignorum ordines ſingulares, cum ſingularibus item lapidum, alterno ordine, ſpecimen exhibebant quaſi tabulæ latruncularis (i).

Abſtergendi vis tributa Cedro ex eo intelligitur, quod Moyſes in expiatione leproſi, faſciculum parari jubet ex eo ligno cum hyſſopo, quo in aquam demerſo, leproſus ipſe abſtergendus erat. *Levit.* 14. 4. Ita verò faſciculus iſte parabatur: ramus ex Cedro, itemque alter hyſſopi, cui pura avis juncta, alligabantur ſimul vitta purpurea vel rubra, ita tamen ut ad faſciculi manubrium obverſum roſtrum haberet avis. Tum faſciculus in aquam, temperatam *prius* ſanguine alterius avis puræ, immergebatur, aſperſuſque poſt hæc leproſus; tandem avis ſuperſtes ſibi permittebatur. Ejuſdem operis faſciculo, niſi quod viva ave careret, aſperſiones fiebant ſanguinis vaccæ ruſæ die ſolemnis expiationis. *Num.* 19. 6.)

CEELATHA. Iſraelitæ cum iter facerent per deſertum, caſtra moventes à Reſsa *Ceelatha* ſteterunt. Num. 33. 22. Hanc eandem eſse credimus ac *Ceilat*, ſeù *Ceilath*; neque tamen opinamur Iſraelitas adiiſse, ſed in deſerto propè eandem urbem caſtra habuiſse.

CELLA, Urbs Juda, Joſue 15. 44: decem & ſeptem milliaribus Eleutheropoli diſtans, Hebronem verſùs juxtà Euſebium, vel octo tantùm milliaribus ab Hebrone, juxta S. Hieronymum. Quondam ſepulcrum Habacuc Prophetæ in ea oſtendebatur (k).

CELAI, è Sacerdotum genere. 2 *Eſdr.* 12. 20.

CELAIA, Levita. 1. *Eſd.* 10. 23. Vide *Calita*.

(CELARE vultum, faciem ab aliquo avertere, exprimit averſionem ſeu abalienationem quandam animi. Rogat Dominum Propheta, ne vultum ſuum à ſe avertat, ac ſibi celet; i. e rogat, ut propitio oculo reſpiciens peccantem exaudiat. Rogat etiam Pſalmiſta Pſ. 30. 21. ut amicos ſuos celet *in abſcondito faciei ſuæ*, in loco quodam intimo, ubi faciem ejus intueantur, in ædium penetralibus. Rogat ipſe tandem Deum Pſ. 118. 19. *Non abſcondas a me mandata tua*; i. e. ocultum eorum ſenſum reveles. Apoſtolus Coloſ. 1. 26. (l), ſcribit. *Myſterium quod abſconditum fuit a ſæculis & generationibus, nunc autem* (tempore novi fœderis) *manifeſtatum eſt Sanctis ejus.* Celare eſt etiam ſæpè protegere. Viri ſancti interdum in Pſalmis abſconditi appellantur. Pſ. 83. 4. *Cogitaverunt adverſus ſanctos tuos*; Heb. *adverſùs abſconditos tuos*.

CELER,

(a) Cant. 1. 4. Jerem. 42. 21. (b) 3. Reg. 15. 13. (c) 2. Par. 29. 16. (d) 4. Reg. 23. 4.
(e) Cedrus durabilis niſi humore tangatur. Pallad. l. 2. c. 26. (f) Zach. 11. 1. (g) 3. Reg. 7. 2. & 10. 10.
(h) 3. Reg. 6. 36. & 7. 12. &. 1. Eſdr. 6. 34. (i) Vitruv. lib. 1. cap. 5. & Not. D. Perault. ibid.
(k) Sozomen. hiſt. l. 8. c. 29. (l) Vide etiam Epheſ. 3. 9.

Digitized by Google

CELER, Tribunus in exercitu Cumani, qui durè Judæos habuiſſe convictus, juſſu Claudii Cæſaris Jeruſalem reductus eſt, ut per viaa raptaretur, donec animam efflaret (a).

(CELEUSMA. Ter legitur in Jeremia (b); uſurpatur autem pro læto quodam vindemiantium clamore, aptaturque ad victorum lætos de victis inſultus. Pro epinicio poſitum videtur à Jeremia. Græcum *Keleuſma* ad literam exprimit nautarum clamores; Hebræum *Hedad* peculiariter deſignat vindemiatores clamantes *Hedad*, *Hedad*, *Hedad*.)

CELLON, locus, de quo *Judith.* 2. 13. Idem eſt ac *Chellus* Palmyrenæ pagus, de quo ibidem *cap.* 1. 9. qui fortè eſt *Allus*, Urbs Idumææ meridionalis, alio nomine *Eluza*, ſeù *Chaluza*, prope Petram Arabiæ Deſertæ metropolim, uti Euſebius, & S. Hieronymus aſſerunt.

CENCHRÆ, pagus ſatis Corintho diſtans, ſed veluti ejus ſuburbium habitus; quarè portus maris Ægæi, qui Cenchris erat, pro portu Corinthi uſurpabatur. Hic S. Paulus iter Hieroſolymitanum ſuſcepturus, capitis comam abraſit (c), ut votum jam emiſſum expleret. Hæ cæremoniæ votum Nazaræorum ſpectaſſe videntur, qui certo tempore abſtinentiam à vino vovebant, eoque elapſo capillos ad Templi portam detondebant, & ſacrificia offerebant (d). Igitur S. Paulus cum Hieroſolymitanum iter brevi abſolvi non poſſe prævideret, comam Cenchris detondit, reliqua Hieroſolymis expleturus.

CENDEBÆUS, dux exercitus Antiochi Sidetis, filii Demetrii Regis Syriæ. Ab eodem Antiocho præfecturam regionis ad Mediterraneum, quam Simoni Magno Judæorum Pontifici antea commiſſam, rurſum ob inimicitias quaſdam abſtulerat, obtinuit; juſſuſque inſuper, poſt vallatam munitionibus *Gedor*, ſeù Gadaram excurſionibus Judæam depopulari. Quem imperata complentem (e) Simon certior de ea re à Joanne filio factus, miſſis cum exercitu duobus filiis Joanne, & Juda, illum ſolo ſacrarum tubarum clangore ludit, fugavitque. Judæi autem fugientes inſequuti, plures occiderunt; reliquis cum Duce in Gadaram ſe recipientibus.

(CENDEBÆUS. Imperator copiarum Antiochi Sideris. Damus hic obſervationes quaſdam in victoriam de illo relatam à Joanne Machabæo filio Simonis.

* Machabæorum Liber inter omnes Scripturæ, ſcientiæ militari confert plurimùm; quamquam ubique eadem occurrunt mihi principia tactices veterum Hebræorum. Nihil illo pulchrius, nihil aptius ad inſtruendum formandumque Heroem Chriſtianum, abſolutumque copiarum Imperatorem. Favet Deus magnorum animorum conſiliis, qui nihil cogitant, nihil aggrediuntur, niſi ingenuo, niſi ſtrenuo homine dignum; nullo facto perſonarum diſcrimine utitur illis conſiliis ſuis mandandis exequutioni, urgendæ nempe ultioni, vel ſaluti & gloriæ populi ſui procurandæ. Quare niſi mea me fallit perſuaſio, nullibi in ſacris Libris reperire eſt ſelectum à Deo virum aliquem puſillo corde gerendis bellis à ſe inſpiratis, ut populos aliquos puniat. Machabæi omnes totidem fuerunt Heroes; nominis Machabaici famam extulit Pater, nec filii tanta appellatione impares ſe reddiderunt, neque enim minori animorum gloria eluxerunt. Rarum hoc & monſtri loco habendum, filios nempè Heroum patres referre.

Plus aliquid habes in Machabæis; audi Scripturam: *Machab.* 16. 2. *Joannes nunciavit Simoni patri ſuo, quæ fecit Cendebæus in populo ipſorum.* Tum Simon accitis ad ſe duobus filiis ſuis expoſuit: *Ego, & fratres mei, & domus patris mei expugnavimus hoſtes ab adoleſcentia uſque ad hunc diem, & proſperatum eſt in manibus noſtris liberare Iſrael aliquoties.* Habes hic tres generationes Heroum ſummorumque Ducum; nec unus ſingularis è clariſſimo genere filius domus gloriam ſuſtinuit; ſed qua patres, qua avi omnes. Si quis aliunde quàm in Machabæis ſimile aliquid indicet, is certè maxima capiet animum meum admiratione; nihil enim tale me alicubi legiſſe ſuccurrit. Pater decrepitæ jam ætatis incommodo gerendis per ſe rebus impar, filios ſuos hortatur, ut decora ſua cæterorumque ejuſdem nominis Heroum imitatione ſuſtineant.

Joannes animo ad verba patris auctus exercitum comparavit 20000. duxit ſtatim in hoſtes plenus ſpe, virtute atque conſilio, plenuſque dogmatibus atque exempla patris ſui; molimine quodam ſummo Imperatore digno demonſtrat non fortunæ vel caſui deberi victoriam, ſed ordini ſervato, atque rei militaris peritiæ. Victoria, inquiunt nonnulli, refertiſſimos ſequitur exercitus; non bene; ſed minimos, probè tamen inſtructos, ordinatoſque: minoribus enim hiſce ſuperari majores oportet; cùm nihil in præliis juvet numerus; quin & temnendus eſt etiam ſi ſcito ſteterit ordine, ſiquidem oppoſitum habeat exercitum alterum, in quo minores copias major in Duce rei militaris peritia compenſaret. En igitur quemadmodum dogma de inferciendo militibus agmine ſpontè per ſe corruit, cùm fatale illud experimento ſuo probarint tot Duces armorum, qui ea perſuaſione tenebantur.

Cendebæi exercitus agmen Joannis ſuperabat; cui etiam illud accedebat commodi, quòd inter utriuſque caſtra medius decurreret torrens, quem tranſvadare Hebræi cogebantur, ut manus conſererent cum adverſariis.

Joannes, inquit Scriptura 1. Machab. 16. 6. *admovit caſtra contra faciem ipſorum, & vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretavit primus; & viderunt eum viri, & tranſierunt poſt eum.* Vides Imperatorem, qui excutiendo è pectore militum terrori primus ipſe ſe committit diſcrimini? Sed alii hæc admirentur maximè; ſunt autem multò majora ſpectanda in ſummo viro ab iis, qui militarem artem callent; ſenilem nempe in novo Imperatore peritiam agminis inſtruendi ordinandique, cujus rara ſunt in tyronibus Imperatoribus exempla. Diſſertationem vulgavi in meis *novis Obſervationibus bellicis*, qua relevavi maximè abſurdum diſciplinæ in rejiciendo equites ad alas, pedites verò in centro conſtituendo; peditum eſt enim, utpotè qui robur ſunt exercitus, ut tegant protegantque alas equitatus. Hoc planè exemplum graviſſimum aptiſſimumque ad intentum cenſeo, ut neglectum in meo illo Opere maximè doleam.

Joannes tranſvadato torrente, utique diligentiſſimè, neque enim aliter potuiſſet tam citò ad alteram ripam formare exercitum; *diviſit populum & equites in medio peditum; erat autem equitatus adverſariorum copioſus nimis.*)

Non inviti reputamus, Cendebæum, qui ordinem hoſtilis exercitus ignorabat, retinuiſſe tacticen vulgarem Aſiaticorum; (diſciplinam enim ſequutus eſt Joannes, quam vulgari inhærentes nequaquam probarent) diſpoſuit enim pedites ſuos in alas, in centro verò ordinavit equites. Quòd enim ad hoſtium aſpectum ſubitò mutaverit ordinis œconomiam, id arduum eſt nimis; quin ne cogitaſſe hoc quidem ex eo intelligimus, quòd recta contendit in hoſtem. Hæc agminis Joannis diſpoſitio ſubitò corripuit, uti facilè credimus, Cendebæum ejuſque exercitum; pedites, qui committi ſe cum equitibus intelligebant, hæſiſſe primùm credendi ſunt, tum concidiſſe animis; accidit id enim peditibus, inſuetis decertare cum equitibus,

(a) Joſeph. Antiq. l. 20. c. 5. (b) Jerem. 25. 30. & 48. 33. & 51. 14.
(c) Act. 18. 18. (d) Num. 6. 3. 21.
(e) 2. Mach. 15. 26. &c. 16. 1. 2. &c. An. M. 3866. ante Chr. 134. ante Ær. 138.
* Animadverſiones in prælium, quo Joannes Machabæus filius Simonis Cendebæum vicit 1. *Mach.* 16.

accidit, inquam, ut metuant in conſpectu agminis, cujus vires in aperto agro opinione ſua plus valent, quàm re ipſa timendæ ſint. Idem pariter accidit equitibus cum peditibus commiſſis; ſi autem quid poſſent peditea intelligerent, nunquam non ſentirent partes ſuas in prælio cum equitibus eſſe potiores. Ex quo intelligimus oculos omnium primos in exercitu Cendebæi victos fuiſſe; dein verò parta reliqua Joanni victoria. Omne igitur in ea re prodigium abfuit; ſi quis fortè aliquid deputandum prodigio cenſuerit, id utique jurè meritòque dicet prodigioſum, Deum ſcilicet favere ſemper viris juſtitiam & religionem propugnantibus.)

CENDEVIA (a), lacus, ex quo originem ducit fluvius Belus, ſeù Beleut, qui propè Ptolemaidem in mare recipitur.

CENERETH, vel *Ceneroth*, ſivè *Cinnereth*, aut *Kinnereth*, Urbs Tribus Nephtali (b), à cujus Meridie planities uſque ad Mare Mortuum ſecundùm Jordanem prætendebatur (c). Cenereth eamdem fuiſſe cum Tiberiade ex eo non levi argumento aliqui opinantur, quod lacus Geneſareth, Hebræis *lacus Cenereth*, idem omninò cum Lacu Tiberiadis eſſet. Rationes tamen, quæ contrariæ opinioni ſuffragantur, vide v. *Tiberias*.

Lacus Cenereth, ſivè Mare *Kinnereth*, vel *Tiberiadis*, & *Geneſareth*, aut *Geneſar* (d), nomina varia obtinuit; illa ab Urbe Cennereth, ſeù Tiberiade ſita in ejus ripa occidentali; hæc verò ex regione Geneſara ad ripam orientalem; at & ex circumjacente ad latus boreale, & orientale Galilæa, Mare Galilææ nominatur (e). Centum ſtadia in longitudine, 40. verò in latitudine, ſivè 12. milliaria in longum, & quinque in latum occupabat, juxta Joſephum *de Bello l. 3. c.* 18. Aqua illius potabilis eſt, & piſcibus abundat; quorum piſcatione S. Petrus, S. Andreas, & S. Joannes, & S. Jacobus vitam tolerabant. Hunc Jordanes medium ſecat, & novis ſemper aquis auget. Vicinia illius amœna eſt, & miræ fertilitatis.

I. CENEZ, Othonielis, & Caleb pater. *Joſue* 15. 17. *Judic.* 1. 13. & 2. 19. &c.

II. CENEZ, quartus filius Eliphaz, filii Eſau. Idumæis præfuit poſt Sepho, & ante Core. *Gen.* 36. 15.

CENEZÆI, Veteres Chananæorum populi, quorum regionem Deus poſteris Abraham promiſit. *Gen.* 15. 19. Creduntur montes ad meridiem Judææ tenuiſſe. *Cenez* filius Eliphaz, fortè ab illis domicilium, & nomen obtinuit.

(CENSUS ab Auguſto indictus, Quirino vel Cyrenio Syriæ Præſide. Lucæ 2. 1. 2. Vide v. *Cyrenius*.)

CENTURIO, dux centum militum; quod genus nos *Capitani* appellamus. Centurionis nomen ſæpè in Novo, & Veteri Teſtamento occurrit; quamquam in Textu Hebræo pro Centurione habeatur, *Dux centum hominum*.

CEPHA, vel *Kepha* Syris, petra, ſeù ſcopulus Latinis. Hoc nomine à Chriſto donatus eſt S. Petrus; qui prius Simon, deinde *Kepha*, Græcè *Petros*, Latinè *Petrus* appellari cœpit.

CEPHA. Vide *Carpha*, vel *Sycaminon*.

CEPHARNAUM, vel *Cepharnum*, ſcilicet, pulcher Campus. Vide *Capharnaum*.

(CEPHAS. Scribit Apoſtolus ad Galatas 1. 18. & 2. 9. &c. veniſſe ſe Hieroſolymam Apoſtolis doctrinam ſuam approbaturus, ne fortè in vanum curreret; noſſe autem Apoſtolos injunctum ſibi fuiſſe à Deo munus, annunciandi gentibus fidem, quemadmodum Petrum conſtituerat Deus ipſe Apoſtolum circumciſionis: *Jacobus, Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem.... Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Judæus ſis, gentiliter vivis, & non Judaicè; quomodo gentes cogis judaizare?*

In hæc verba quæſtio ſatis ardua agitatur; num ſcilicet Cephas, quem gravioribus verbis caſtigavit Apoſtolus, ipſe ſit Petrus, vel ab illo alius. Hanc difficultatem excuſſimus in peculiari Diſſertatione præfixa Epiſtolis S. Pauli, quam nos brevioribus verbis hic repetendam cenſemus, quòd facti ſimus certiores, ſententiam, quæ Petrum à Cepha diſtinguit, plurimùm invaleſcere, cui proinde viam intercipere è re eſſe arbitramur.

Hæc igitur validiora in ſpeciem feruntur pro iſta ſententia. Primò omnium laudantur Hypotypoſes S. Clementis Alexandrini apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 12. Petrum à Cepha diſtinguentes. S. Chryſoſtomus Hom. 61. tomo 5. pag. 719. 720. S. Hieronymus in Epiſt. ad Galat. 2. Oecumenius, Pſeudo-Anſelmus in Epiſt. ad Galat. ambiguos verſari ſe innuunt, num Cephas idem ac Petrus reputandus ſit. Dorotheus Syrus Chronic. Paſchal. Edit. Cangii, & Chronici Alexandrini Author mentionem habent Cephæ inter 70. Diſcipulos, quem ipſum eumdem dicunt eſſe, cui Apoſtolus reſtitit in faciem.

Authoritates iſtas rationum hiſce momentis fulciunt. Si Paulus in faciem reſtitit S. Petro, reputandum eſſet Principem hunc Apoſtolorum in hæreſim incidiſſe; ejus enim exemplo palam docebantur Antiochiæ fideles, contraria omnia iis, quæ ipſo eodem præſente ſancita fuerant in Concilio Hieroſolymitano. Tanto autem Apoſtolo quis talia objiciat? Ad hæc, S. Paulus in eadem Epiſtola bis S. Petrum ſuo nomine Petrum appellat, nec unquam ſine debita obſequii ſignificatione; quomodo ergo in ipſa eadem Epiſtola, eodemque ſermonis contextu Cepham illum appellaret, cui & in faciem reſtitiſſe ſe profiteretur? Hujus Epiſtolæ Textus demonſtrat Apoſtolum Cepham illum reſpexiſſe tamquam multò inferiorem S. Barnabæ. *Cephas*, ait ille, ſeſe à Gentilibus recipiens, neganſque cibum cum illis capere, Judæos cæteros ad exemplum ſuum imitandum inducebat; ita ut *& Barnabas*, addit, *duceretur ab eis in illam ſimulationem*. Quinam Barnabas Principis Apoſtolorum exemplum ſequeretur? Illud eſt admirandum, ſecutum ſcilicet illum exemplum Cephæ, viri è vulgo & ſine nomine (f); id utique ſtupebat Apoſtolus.

Aliud argumentum pro diſtinguendo Cepha à S. Petro illud eſt, nimirum Apoſtolum reſtitiſſe illi in faciem palam tamquam virum exercentem in aliam authoritatem; quod utique alienum fuiſſet à Pauli in Principem Apoſtolorum obſequio. Harduinus, qui data opera ſcripſit pro ſententia Cepham diſtinguente à S. Petro, autumat Cepham, de quo S. Paulus 1. Cor. 12. & 3. 22. & 9. 5. & 15. 5. cui Jeſus per viſum apparuit, qui Corinthiis prædicavit, qui ſororem ſuam habebat in comitatu, ipſiſſimum fuiſſe Cepham, cui Apoſtolus Antiochiæ reſtitit in faciem. Obiter etiam ex obliquo notant in Vulgata, Concilii Tridentini definitione canonica, repudiato Textu Græco & Veteribus legentibus *Petrus*, repoſitum fuiſſe *Cepham*, in verſ. 9. 11. 14.

Tandem ingenti ſanè niſu demonſtrat verſari cum Jeruſalem Petrum, quo tempore S. Paulus Cepham reprehendit Antiochiæ; nec niſi poſt reprehenſionem illam, menſibus aliquot excurſis, ſed eodem anno Jeſu Chriſti 49. cœptum iter S. Pauli & Silæ Hieroſolymam, quod ſtatim conſequutum eſt Concilium Hieroſolymitanum.

Afferenda nunc in medium quæ huic ſententiæ opponuntur. Notat S. Hieronymus nunquam venturum fuiſſe in mentem, ut S. Petrus à Cepha diſtingueretur, ſi ab objectis calumniis ſe temperaſſet Porphyrius aliique nonnulli Chriſtianæ Religionis oſores, qui de hac diſceptatione inter duos illos Chriſtianæ religionis

(a) Plin. l. 5. c. 19. & l. 36. cap. 26. (b) Joſue 19. 35.
(c) Joſue 11. 2. & 12. 3. Deut. 4. 49. (d) 1. Mach. 11. 67. Joſeph. Antiq. l. 13. c. 19. &c.
(e) Matth. 4. 18. (f) Chryſoſt. hom. 61. tom. 5.

gionis Coriphæos obtrectandi ſibi materiam ſtruentes, alterum acenſant erroris, hunc audaciæ, utroſque mendacii, & Chriſtianos omnes vanæ credulitatis. Eorum itaque ora obſtructuri veteres Patres varia repoſuerunt; alii enim ſimulationis ſpecie quadam totum hoc Apoſtolorum diſſidium exhibitum cenſent; de induſtria enim hæc inter ſe diſceptaſſe, ut fideles, maximè ex Judæis inſtruerentur. Aliis diſtinguendum ſuccurrit inter Petrum & Cepham; quæ tamen poſterior ſententia, aſſertore fermè carens, alta oblivione ſepulta jacuit ad poſtrema uſque ſæcula, quibus viri quidam docti revocandam in dias luminis auras cenſuerunt.

Veteres illi, quorum teſtimonia diſcrimini huic aſſerendo laudantur, vel nonniſi ambigendo rem propoſuerunt, vel illud expreſsè refutarunt, vel ipſi per ſe nòmine ſunt adeò obſcuri, & authoritate tam imbecilli, ut via refutari mereantur. Liber Hypotypoſeon, ſive ille genuinus ſit S. Clementis Alexandrini fœtus, ſive Clementis alterius, hodie intercidit. Photius Cod. 109. qui Opus illud excuſſerat, temnit reprobatque, veluti mendis infertum, ſcatenſque erroribus, fabellis, & impiis dogmatibus. S. Chryſoſtomus vim intelligens argumentorum, quæ contra communem opinionem opponerentur, adhuc tamen concludit, è præcedenti ac ſubſequenti ſermonis contextu ſatis demonſtrati, non aliter quàm de S. Petro Textum accipi oportere. S. Hieronymus poſt relatam Porphyrii objectionem, & ſententiam diſtinguentem Cepham inter & Petrum, ſtatuit tandem, ſe non alium agnoſcere Cepham, quàm cujus meminit Evangelium, & Apoſtolus in ſuis Epiſtolis indiſcriminatim modò Petrum, modò Cepham appellat; & ſi quis vellet Cepham alterum admittere, quem Porphyrio opponat, illi certè delendi eſſent Textus plures Scripturæ, quos adverſarius ille noſtræ Religionis ideo maxime oppugnat; quòd minùs aſſequitur.

S. Gregorius Magnus oppugnat ſententiam diſcriminantem Petrum à Cepha; nec eam adoptat Oecumenius, ſicuti neque Pſeudo-Anſelmus in Commentario. Quanta eſt autem authoritas Dorothei Tyri in ſcribendo? tanta plane, quanta & Chronici Alexandrini, qui ſane ambo dicunt, ſed non probant. Syſtema tandem Chronologicum P. Harduini, probans, S. Petrum verſari tunc Antiochiæ, merum eſt ingenii ejus viri opus, nullo ſolido argumento ſuffultum. Quæ verò poſt hæc afferuntur ſententiæ huic aſſerendæ, è rerum congruentia petita, nihil utique valent contra vim apertam Textus. Quid eſt autem quòd probare nituntur, Petrum nunquam in Scriptura appellari Cepham, niſi ſemel tantùm, cùm nimirum Jeſus ad illum Joan. 1. 42. *Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cepha, quod interpretatur Petrus* vel petra?

Si Cephas, de quo S. Paulus in Epiſtolis non ſemel, vir erat tam obſcuri in Eccleſia nominis, ut oblivioni ad noſtram uſque ætatem relinqui mereretur, cur Apoſtolus ſummum in id ſtudium ponit, ut illum laudet, aſſertione ejus, authoritate & approbatione ſe muniat? *Galat.* 2. 9. Cur tam ſollicite curat præmunire fideles, nequid ejus exemplo emoveantur? *Galat.* 2. 14. Cur tamquam ſolidum reſurrectionis Chriſti argumentum illud ingerit, ſpectandum ſcilicet ſe illum præbuiſſe Cephæ? *Cor.* 15. 5. Cur Cepham hunc adeò neglexerunt Evangeliſtæ, ut vel nomine nunquam meminerint? Sat ſcimus, quanto teneantur fideles obſequio & veneratione, qua in S. Petrum, qua in Pontifices ejus ſucceſſores; è re noſtra ducimus omni niſu aſſerere primæ ejus dignitatis jura & prærogativas; an igitur hiſce prohibemur affirmare S. Petrum Jeſum Chriſtum negaſſe, & reprehenſione ſe dignum præbuiſſe Antiochiæ? Satis hæc ad Dictionarium. Si quis pleniùs inſtrui deſideret, adeat Diſſertationem R. P. Harduini, D. Abbatis Boileau, D. Deyling. Obſervat. tom. 2. cap. 45. & quam præmiſimus ad Epiſtolam S. Pauli Diſſertationem.)

I. CEPHIRA, vel *Kephira*, ſeù *Caphira*, Urbs Gabaonitarum, deinde Tribus Benjamin (a).

II. CEPHIRA, filius *Cariath-jarim*, 2. *Eſdr.* 2. 25.

CERASTES, ſcilicet *cornutus*, ſerpens, quatuor cornuum ſpecies in fronte gerere creditus. Toto quandoque corpore arena tecto, ſola cornua carni ſimillima nuda exhibet; quorum aſpectu aves deceptæ ad prædam volant, ipſæ mox anguis ſubitò arenam excutientis præda. Colorem habet arenæ non abſimili, in latus graditur, & gradiendo ſibilum edere videtur. Hæc de Ceraſte apud Scriptores. Cæterùm hoc nomen ſemel in S. Scriptura *Gen.* 49. 17. occurrit: *Dan in via coluber, ceraſtes in ſemita.* Hebræus pro ceraſte habet *ſchephiphon*, quòd alii interpretantur *aſpidem*, alii *baſiliſcum*: Bochartus tamen, cui in his rebus unice deferimus, ceraſtem interpretandum judicat.

CEREALIS, Tribunus quintæ legionis Romanorum, qui à Veſpeſiano miſſus ſexcentis equitibus, & 3000. peditibus, 10000. Samaritanorum in monte Garizim fudit (b). Superiorem quoque Idumæam vaſtavit, pluresque Judæorum Urbes expugnavit (c): Idem forte eſt ac Cerealis ille cognomento Vettilianus, qui poſt captam Hieroſolymam, in Judæa cum exercitu relictus eſt, & Lucilium Baſſum ſucceſſorem habuit (d).

CERETHÆI, ſeù *Cerethim*, vel *Cretim*, quo nomine Palæſtini ab Ezechiele, & Sophonia appellantur. *Extendam manum meam ſuper Palæſtinos; interficiam Cerethim, & perdam reliquias maritimæ regionis* (e). Et Sophonias Philiſthæos arguens: *Væ qui habitatis funiculum maris gens Cerethim* (f). In primo Regum 1. 30. 14. legimus, Amalecitas irruptionem feciſſe *in auſtralem plagam Cerethim*, ſcilicet Philiſtinorum. David, aliique Reges Juda, milites extraneos, qui Cerethim, & Phelethim appellabantur, corporis cuſtodes habuerunt (g).

Scriptura Philiſthæos, ſeu Cerethim ex Inſula Caphtor accerſit (h). Nos integra Diſſertatione hanc eſſe Inſulam Cretæ probavimus (i). Septuaginta nomen *Cerethim* reddunt *Cretenſes*, & *Cereth*, *Cretam*. In diſciplina, & Religione Philiſthæorum plura ſunt, quæ Cretenſem originem prodant. Cur igitur Philiſthæos ad hanc inſulam non referamus, potiùs quàm ad Cappadociam, cui quamplures attribuerunt, ut ſupra innuimus v. *Caphtor*?

CEROS, Nathinæus, de quo 1. *Eſdr.* 2. 44.

CESELETH-THABOR. Vide *Caſeleth-Thabor*, & *Joſue* 19. 12.

CESIL, Urbs Tribus Juda *Joſue* 15. 30. quam Euſebius *Xil* appellat, & regioni meridionali Tribus Juda tribuit.

CESION, Urbs Tribus Iſſachar, Levitis familiæ Gerſon aſſignata: *Joſue* 19. 20.

CESTIUS GALLUS, Syriæ Procons. Eo Syriam regente, Judæi ad defectionem inclinare cœperunt, Floro eorum Præfecto illis perſequendis vexandiſque nihil reliquum faciente. Cùm enim ſe atrociſſimis ſuppliciis ſubjiciendum fore noſceret, ſi aliquando ipſius flagitia inquirerentur; nihil non movit, ut quam contra ipſum Judæi inſtituere poterant accuſationem, ipſi, arma in Romanos capientes, in ſuum caput transferrent (k) Cùm Ceſtius occaſione Feſti Paſchalis an-

Ch.

(a) Joſ. 9. 17. & 18. 26. (b) Joſeph. de Bell. l. 3. c. 12. in Lat. & c. 22. in Græco.
(c) De Bello l. 5. c. 8. in Lat. & l. 4. c. 33. in Græco.
(d) Idem l. 7. c. 8. in Lat. & c. 20. in Græco.
(e) Ezech. 25. 16. Vulgata: *Interficiam interfectores.*
(f) Sophon. 2. 5. in Vulgata *gens perditorum.*
(g) 2. Reg. 15. 18. Vide noſtra Comment. ibidem. (h) Jerem. 47. 4. Amos 9. 7.
(i) Vide noſtra Diſſert. de origine Divinit. Philiſt. ad 1. Reg.
(k) Vide Joſeph. Antiq. l. 19. c. 9. & de Bel. l. 2. c. 25.

Digitized by Google

Ch. 66. Jeroſolymam veniſſet, Judæorum in illum querelas andivit (a). Tum Judæis Florum impoſterùm æquiorem in eos futurum promiſit: quod tamen fruſtra ab eo promiſſum eventus oſtendit, Floro nihil de priſtinis flagitiis remittente.

Interea Ceſtius nondum è Judæa digreſſus, cum omnia ad defectionem diſpoſita videret, numerum eorum, qui ad Feſtum Paſchale convenerant, ſupputari voluit; ut eo ad Neronem miſſo intelligeret Imperator, rem ſibi cum gente futuram, nec contemnenda, nec parvi pendenda. Pontifices igitur juſſit agnos, qui eo tempore immolari debebant, enumerare: immolabantur autem à tertia hora veſpertina uſque ad quintam, nec niſi à Judæis (b): quamvis nec Judæi omnes de immolatis carnibus participare permitterentur, ſed ii tantùm, qui ab omni legali impuritate expiati fuiſsent. Singuli vero agnis edendis decem ſaltem convivæ adhiberi debebant, licèt non rarò viginti ſimul accumberent. Summa agnorum accuratè ſupputata ad 255600. aſcendere comperta eſt, quæ, ſingulis agnis decem tantùm convivis aſſignatis, 2556000. Judæos exhibet.

Nec ita multò poſt Judæi à Romanis defecere. Quo audito Ceſtius jam in Syriam regreſsus, in Palæſtinam iterum cum exercitu venit; primoque impetu Galilæam opera Cæſennii Galli recepit, ſimulque in itinere Lidda, & Joppe captis, propè Gabaon, ſex milliaribus ab Jeruſalem, caſtrametatus eſt (c). Judæi Feſti Tabernaculorum religione nihil retenti, tanto impetu in illum procurrerunt, ut Romanorum exercitus ferè inclinaret. Totis tribus diebus Ceſtius immotus permanſit, veritus, ne ſi evadere tentaret, à Judæis, quibus obſidebatur, illæſum exercitum reducere non permitteretur. Interim facta ab Agrippa Judæis ſpe obtinendæ à Romanis veniæ, ſi arma ponerent, ac propterea oborto inter illos diſſidio, Ceſtius diviſos adortus, facilè fudit, ac fugientes Jeruſalem uſque perſequutus eſt.

Poſt victoriam, tribus diebus in loco, cui nomen *Scopus*, ſpecula, ſeptem circiter ſtadiis ab Urbe ſubſtitit, quaſi Judæorum deditionem expectans. Poſtridie, 30. Octobris, ordinato in prælium agmine procedens, tantum Hieroſolymæ terroris injecit, ut primo munitionum ordine relicto, omnes ad interiora urbis, & ad Templum confugerint; quicquid interjaceret urbis victoris poteſtati, & igni ab eo mox injecto relinquentes. Bellum facilè ea die Ceſtius capta urbe confeciſſet, niſi perſuaſionibus quorumdam Præfectorum, quos à Floro ſubmiſſos Joſephus credit, ab inſequendis Judæis averſus fuiſset.

Subſequentibus diebus exploravit mœnia, ſi qua fortè ſuperari poſsent: quæ ubique valido præſidio munita inveniens, tandem die ſexta, 5. Novembris, unam ex Templi januis adortus, tantum obſeſſis incuſſit terroris, ut jamjam de deditione facienda populus cogitaret, niſi Ceſtius inopinatò exercitum revocaſset, ac ex Urbe egreſsus, ad caſtra in Scopum revertiſset. Recedentibus Judæi inſtiterunt, nec fruſtrà, cùm plures equites, peditesque cecidiſsent.

Poſtridie Ceſtius è Scopo exercitum movens, ut ad priora caſtra Gabaonis regrederetur, agmen poſtremum, ac latera infeſtantibus Judæis, gravi cæde affectus, & pleriſque impedimentis amiſſis, tandem Gabaonem pervenit; ubi incertus biduo commoratus, poſtremò 8. Novembris, hoſtium numero in dies creſcente, relictis impedimentis, & onerariis beſtiis occiſis, præter eas, quæ armis, & machinis ferendis eſsent, rurſus iter cœpit. Judæi Romanos fugientes primò levioribus præliis inſequuti, tandem ad anguſtias in deſcenſo quodam redactos, omnibus viribus adorti ſunt. In eo prælio ex Romanis ad 4000. peditum, & equites 400. cecidere; reliqui noctis favore Bethron ſe receperunt.

Verùm Ceſtius omnia à Judæis occupata cernens, non expectata luce caſtra movit, relictis in loco ad hoſtes fallendos militibus 400., qui in domorum ſolariis clamitantes, ſpecimen exercitus præberent. Oborta luce Judæi cognita fraude poſt eos milites trucidatos, reliquos perſequuti ſunt: quos tamen magnis itineribus fugientes aſsequi non potuerunt. Machinæ à Romanis in fuga relictæ, & à Judæis occupatæ, magno deindè uſui in obſidione Jeroſalem fuerunt. Ceſtius ſequenti an. Chriſti 67. poſt eam cladem obiit.

CETHÆI, ſeù *Chetæi*, vel *Chitthæi*. Vide *Hethæi*.

CETHIM, filius Javan, & Nepos Noe, cui Macedonas originem debere in commentariis in Geneſim 10. 4. oſtendimus.

Quamvis enim Joſephus inſulæ Cypri, alii Inſulæ Chio, alii Ciliciæ, vel Achajæ illum tribuant; noſtræ tamen opinioni author primi Machabæorum 1. 1. ſuffragatur, qui Alexandrum, & Perſeum (d) *Reges Cethæorum* appellat. Daniel 11. 30. quorundam navium Cethim meminit, quas Bochartus de Claſse Romana dictas intelligit, ut & Cethim pro Italia interpretatur. Verùm claſsem Romanam *Naves Cethim* Daniel appellavit, quòd ex Macedonia ſolverit, duce C. Popilio, ut Antiochum invaderet; quod prælium à Propheta ibidem commemoratum eſt.

(Agens Iſaias 23. 1. de Tyri per Nabuchodonoſorem everſione, hæc habet: *Ululate naves maris, quia vaſtata eſt domus, unde venire conſueverant; de terra Cethim revelatum eſt eis.* Si terra Cethim pro Macedonia accipienda eſt, uti in Commentario ad Geneſ. 10. & in Dictionario monſtravimus, quomodo Tyri everſio per Nabuchodonoſorem è terra Cethim referenda diceretur? Nonne præſtaret dicta hæc exponere de Urbis excidio per Alexandrum Magnum? Scriptor noſtræ ætatis quidam (e) *Cethim* uſurpat pro Cuthæis tenentibus Suſianam, Babyloniæ proximam, ſub ditione Nabuchodonoſoris, qui ſub eo Principe ferentes arma, una cum cæteris Imperii illius gentibus Tyrum ſtrinxerunt obſidione. Sed ubinam in Scriptura Cuthæos *Cethim* appellatos monſtres? Romanos eo nomine deſignari autumat Bochartus, ſed obſidionem illam, de qua Iſaias, certè non urſerunt Romani; & ſub Imperio Romano Tyrus utique minor erat *Urbs*, quàm ut furorem illorum exerceret.

Habemus itaque perſuaſum, *Cethim* hic & alibi exprimere Macedones; ita verò reddimus Hebræum Iſaiæ: *Ululate naves Tharſis, quia Tyrus vaſtata eſt intus, & revelata eſt, qua parte venire conſueverunt de terra Cethim.* E' Macedonia Tyrum iter erat à latere maris, qua parte adeo munita Urbs cenſebatur, ut conatus omnes adverſariorum ſuperaret. Inſidebat enim ſcopulo, quem undique mare cingebat. Caſuram tamen Urbem Vates prædicit, deſolandam & *revelandam* ex ea parte; deſtruendam inſuper *intus* ab incolis; inter ſe enim committendos cives & milites *illam* defendentes.

Addit Iſaias v. 12. *Virgo filia Sidonis* (Urbs Tyri) *in Cethim conſurgens, transfreta, ibi quoque non erit requies tibi.* Aſylum quæras in Macedonia regione maritima remota; pone tamen te ſequetur ultio Dei, nec quieſcere in pace permittet.

Exprobrans Jeremias inconſtantiam Iſraelitarum in avita religione habet, cap. 2. 10. *Tranſite ad Inſulas Cethim, & videte, & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer, & videte, ſi factum eſt ejuſcemodi; ſi mutavit gens Deos ſuos.* Macedoniam appellat hic Propheta *Inſulam*, pro more Hebræorum, qui peninſulas & maritimas regiones Inſulas appellant.)

CETHLIS, Urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 40.

CETHURA, altera Abrahami uxor (f), quam Judæi eandem ac Agar antea expulſam, & poſt Saræ obitum revocatam, credunt. Alii verò illam ex Chananæitide acceſſunt: omnes incerta fide. Mirum, Abraham 140. annis natum fœminam & for-

(a) De Bello l. 2. c. 24. (b) De Bello l. 6. c. 43. (c) De Bello lib. 2. cap. 37.
(d) 1. Mach. 8. 5. (e) Baſnag. Antiq. Judæor. tom. 1. p. 330. (f) Gen. 25. 1. 2. &c.

& fortè Chanaaniridem duxiſſe, & ex ea filios generaſſe. Quam rem S. Auguſtinus *l. 3. contr. Julian.* divino miraculo tribuit, eandem fœcunditatem in illo conſervanti, quam pro generando Iſaaco ex ſterili, & grandæva fœmina antea contulerat. Alii verò maluſit, Abrahamum longè antè obitum Saræ Cethuram duxiſſe, concubinæ loco (a), quandiù Sara viveret, habitam; illa mortua in defunctæ locum ſucceſſiſſe: hinc filii ex ea haberi potuerunt, non longè poſt natum Iſaac, & Agar expulſionem. Filii autem ſunt Zamram, Jecſan, Madan, Madian, Jesboc, & Sue. Hos Abraham muneribus ditatos ad Arabiam Deſertam incolendam tranſmiſit, omnia terræ Iſaaco cœlitùs promiſſæ poſſeſſione eidem reſervata.

CETRON, Urbs Zabulon, quam ejuſdem Tribus homines à Chananæis auferre non potuerunt. *Judic.* 1. 30.

CETUS, piſcium, quos novimus, maximus. Cetos ſexcentorum pedum longitudinis, & 360. latitudinis viſos eſſe author eſt Plinius *l.* 32. *c.* 1. Indica quinimò maria balænas habent, ultra ſpatia quatuor jugerum, ait Solinus *c.* 52. octingentos ſcilicet pedes, ſi ducentos jugeri concedamus. Tantam alii (b) oris ingluviem ceto tribuunt, ut navim cum onere deglutiat. Feſtus Avienus:

Protinùs hæc ipſas abſorbent fame carinas,
Involvuntque ſimul mox monſtra natantia nantes.

Fabulæ! P. du Tertre aſſerit, ſe in maritimo pluſquam 12000. leucarum itinere, halænas 60. pedibus longiores nunquam offendiſſe. Cæterum Americanum Oceanum cetos 90. & 100. pedum longitudinis frequentare ajunt; majoreſque adhuc eos eſſe teſtantur, qui in Mari Boreali innatant, quàm qui ad Aquitaniæ, & Mediterranei oras appellunt.

Scriptura non rarò *ceti* meminit: hebræum verò *thennim*, quòd *cete grandia* vertitur, magnis piſcibus ſeu fluvialibus, ſeu marinis tribuitur. *Leviathan* apud Job 40. 20. à pleriſque pro ceto expreſſum (c), crocodilum ſignificat (d). Piſcis denique, qui Jonam deglutiit (e), *carcarias* eſt, ſeu canis marinus, ut in Diſſertatione de eo piſce, 12. Prophetis minoribus præfixa, oſtendimus. Vide & V. *Piſcis, qui Jonam deglutiit.*

CHABALON, ſeu *Chabulon*, aut *Chabelon*, & *Chabul*. Hiram Rex Tyri 3. *Reg.* 9. 13. eas urbes, quas pro exhibitis ad Templi conſtructionem ſubſidiis à Salomone acceperat, *Terram Chabul* appellavit. Non ſatis Scriptores de nominis hujuſce ſignificatione, deque hujus regionis ſitu conveniunt. Joſephus *Antiq. l.* 8. *c.* 5. ſcribit, *Chabul* à Phœnicibus appellari, quidquid diſplicet; alii verò eo nomine intelligunt terram ſterilem, arenoſam, & aridam; alii è contrà terram nimis humentem, & herboſam intelligunt. Septuaginta reddunt: *Et vocavit eas terminum*, quaſi *Gabal*, non Gabul, legerint. Alii tandem Chabul interpretantur, *quaſi nihil*.

Locum ejuſdem regionis in vicinia Tyri Joſephus ſtatuit: alii in Decapolitana (f); Grotius inter urbes Chabul eas omnes comprehendit, quas Pharao ex Philiſthæis captas, Salomoni ceſſerat. Plerique tandem urbem Chabul, de qua Joſue 19. 27. ex iis unam eſſe credunt, ex eaque Hiram cæteras omnes appellatas voluiſſe. Urbs autem Chabul fortaſſe eadem eſt ac Chabalon, vel Chabal, quam Joſephus (g) in vicinia Ptolemaidis ad meridiem Tyri collocat.

CHABRATH, ſeu *Chaphrath* V. *Kiberat*.

CHABRI, & *Charmi*, duo ſivè Sacerdotes, ſivè ſeniores populi, cum quibus Judith conqueſta eſt de promiſſa per Oziam Bethuliæ deditione, niſi intra quinque dies obſeſſæ ab Holopherne urbi ſuccurreretur; *Judith.* 8. 9. videbatur enim quaſi lex, & neceſſitas impoſita.

CHABUL. Vide *Chabalon*.

CHADID. Vide *Hadid*.

I. CHÆREAS, frater Timothei, & Apollophanis, Præfectus Gazaræ, poſt captam eam urbem, in paludibus inventus unà cum fratribus occiſus. 2. *Mach.* 10. 32. 37.

II. CHÆREAS; Romanus eques, qui Caligulam Imperatorem interfecit.

CHALAL, Iſraelita, qui ductam contra legis prohibitionem fœminam Babylone regreſſus dimiſit. 1. *Eſdr.* 10. 30.

CHALANNE, Urbs in agro Sennaar à Nemrod ædificata. Fortè eadem eſt ac *Calno* apud Iſaiam 10. 10. Ezechieli 27. 23. *Canne*. Inter Eruditos alii credunt hanc urbem eſſe *Callinicum*; alii verò (h) *Cteſiphontem* provinciæ Calonitidis metropolim. *Plin. l.* 6. *c.* 26.

I. CHALCOL, Levita, & Cantor eximius, quartus filius Mahol. Vide 3. *Reg.* 4. 31. ubi *Cholchol* appellatur.

II. CHALCHOL, filius Zaræ, ex Tribu Juda. 1. *Par.* 2. 6.

CHALCHUL. Vide *Halhul*.

CHALCIS. Vide *Calcis*.

CHALE, urbs Aſſyriæ ab Aſſur ædificata. *Gen.* 12. 12. De hac ſermo eſt in Libris Regum (i), ubi urbi *Chabor* ſæpè jungitur; quare à fluvio Chabora non longè abfuiſſe creditur.

CHALI, urbs Phœniciæ in Tribu Aſer, *Joſue* 19. 25.

(CHALIZA (k). Eo nomine appellant Judæi cæremoniam, qua vidua relicta, fratris viri ſui defuncti, à quo conjugio excipienda eſſet, ſoleas detrahit, atque ita viro cuicumque maluerit nubere integram habet poteſtatem. Vide infra *Leviratus*.)

CHAM, filius Noe, frater Sem, & Japheth, & fortè natu minimus (l). Cum Patrem ſuum ſomno in ebrietate reſolutum inverecundè cubantem animadvertiſſet, rem totam ſilentio celandam, incautè fratribus aperuit; qui ſtatim retrorſum incedentes, demiſſo ex humeris pallio, quod conſultò ſumpſerant, nuditatem ipſius operuerunt. Hujus rei Noe certior factus, maledictionem in Chanaan, filium Cham pronunciavit; ſivè quòd Chanaan Avi nuditatem primus videns ad Patrem detuliſſet, ſivè quòd mala, quæ in filium imprecabatur, Patri graviora futura fuiſſe judicaſſet. Tum addit Noe; *Benedictus Dominus Deus Sem: ſit Chanaan ſervus ejus. Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaan ſervus ejus.*

Cham florentiſſimæ poſteritatis pater fuit, filioſque habuit Chus, Mezraim, Phut, & Chanaan, ſingularum Nationum authores, ut propriis locis dicemus. Africam incolendam obtinuit, quam univerſam filiorum copia frequentavit; quare non rarò in Pſalmis 77. 51. & 104. 23. & 105. 22. Africa terra Cham appellatur, & Plutarchus (m) Ægyptum (ubi Cham habitationem fixit) *Chemiam* nominat. Ab eadem origine *Pſochemmis*, & *Pſitta-chemmis*, regiones in Ægypti confiniis derivantur. Ammon, Ægypti & Lybiæ Numen, non alius creditur, quàm Cham, de quo loquimur.

(Author-Tharik-Tabari (n) tradit Noemum imprecatis in Cham & Chanaan diris poſteros eorum ſubjeciſſe fratribus ſuis, ut ſervituti priùs eſſent addicti, quàm naſcerentur: ſimul autem carnem utriuſque ſubitò fuſco colore inhorruiſſe; habent enim perſuaſum, nigros omnes è Cham & Chanaan ſatos. Commotus ad ſpectaculum Noe Deum rogavit, ut qui Chanaan ejuſque poſteros haberent ſervos, amore in

illos

(a) 1. Par 1. 32. & Geneſ. 25. 6. (b) Dionyſ. Perieget. v. 603. Priſcian. (c) Bochart. de animal. Sacr. p. 2. l. 5. c. 12.
(d) Vide noſtr. Comment. in Job. 4. 20. (e) Jonæ 2. 1. &c. Matth. 12. 40. (f) Hieronym. Amos 1.
(g) Joſeph. in vita ſua. (h) Chaldæi Interpp. Euſeb. Hieronym. Bochart. &c. (i) 4. Reg. 17. 6. Vulg. Hala.
(k) Caliza *extractio*, vel *exuvia*. (l) Geneſ. 9. 24. *Cum didiciſſet Noe, quæ fecerat ei filius ſuus minor.* Hæc nonnulli de Chanaan filio Cham, & nepote Noe intelligunt. Melius de Cham. (m) Plutar. de Iſide & Oſiride.
(n) Bibliot. Orient. pag. 425.

Digitized by Google

illos quodam & miſeratione tenerentur. Nec ſurdis auribus vota hominis excepit Deus; ſi etenim vim Noemicæ maledictionis ſentiunt hodie ex Chan poſteri ſervituti addicti, ſentiunt pariter precum illius efficaciam: quicumque enim nigros habent à ſervitiis, ſtudio illos proſequuntur & amore ſingulari.

Autumarunt plures, ſatos è Cham homines vel ſolos, vel potiſſimos fuiſſe conſtruendæ Babelicæ Turris authores, communicatoque aliis conſilio, ſimul omnes conſpiraſſe in molem ædificandam, cujus vertex contenderet cum Cælo, tùm nominis ſui ad poſteriora retro ſæcula amplificandi gratia, cùm etiam ut ſe ponerent in tuto ab inundantibus diluvii aquis, ſi fortè Deus ſimili flagello terram affligeret. Ultrò nos quidem aſſentimur, molimen hoc Babelicæ Turris iniquum fuiſſe oculis Dei; habet enim Sapientia 10. 5. *Conſenſum illum fuiſſe nequitiæ*, ſed ejus invidia onerare tantum poſteros Cham temerarium prorſus & iniquum reputamus.

Author quidam Arabs (a). affirmat, Cham authore primo inundaſſe terram Idololatriam; deberi pariter illi themata cœleſtia, & magiam, ſicut & ſuperſtitionum varia genera, unde illi nomen Zoroaſtres vel Adris Propheta, i. e. imago aſtri vel ignis ſemper lucens.

Veſtigia quædam hiſtoriæ Cham in fabula deprehendas licet. Narrant Myrrham, ſponſam, vel juxta alios nutricem Hammonis, & matrem Adonidis, cùm ſemel haberet in comitatu filium, nactam fuiſſe Cyniram ſub tentorio, & nullo ſtragulo opertum, quin & indecorè jacentem reſolutum in ſomnum. Accurrit illa ſtatim ad Hammonem, de re tota certum factura; ille omnia ad fratres, qui ne rubore ſuffunderetur Cyniras, ſi excoſſo ſomno nudum ſe intelligeret, ejus nuda ſtragulo quodam operuerunt. Id intelligens Cyniras diris inceſſit Adonidem, Myrrham vero inſecutus eſt in Arabiam, qua in regione mulier, poſtquàm novem menſibus perreraſſet, in myrrhæ arborem tranſmutata eſt. *Ammon* ipſe eſt Cham; Adonia Chanaan.)

CHAMAAM, filius Berzellai Galaaditæ. Davidem poſt debellatum Abſalom Jeruſalem regredientem comitatus, pluribus ab eo donis cumulatus eſt; Rege beneficia à Patre accepta filio rependente. 2. *Reg.* 19. 37. 38.

CHAMAAN, locus propè Bethleem, *Jerem.* 41. 17.

CHAMÆLEON, animal immundum, cujus carnibus veſci Hebræi Lege (b) prohibebantur. Lacertæ plerumque ſimillimus, capite verò craſſiori, & productiori, in acutum quidem, ſed paulò obtuſius deſinente. Quatuor pedibus graditur, ſingulis in tres digitos diſpertitis. Cauda oblonga, & compreſſa, qua, ut & pedibus, arborum ramis adhæret. Dorſo acuto, pelle hiſpida, & plicis aſperà veluti ſerra, à collo uſque ad ultimum caudæ nodum; genus criſtæ capiti eminet: cætera piſci ſimilis, & collo caret. Sunt qui crediderint, illum aere paſci; quare à Tertulliano (c) pellicula vivens appellatur; muſcas tamen lingua venari certum eſt. Porrò linguam habet albam, decem lineis longam, tribus latam, rotundam & in ſummitate planam; quam quidem ſummitatem perforatam, & apertam habet, Elephantis proboſcidi nonnihil ſimilem. Linguam in muſcas citiſſimè jaculatur, quas veluti glutine quodam detinet.

Ferunt Chamæleontem colorem à re, cui imponitur, mutuari, ut album ab alba, nigrum à nigra (d); genuinum tamen ejus colorem, cùm in umbra quieſcit, cinereum cæruleo proximum recentiores Naturaliſtæ obſervarunt. Sunt alii corpore breviores, quorum naturalis color viridis eſt, alii, quorum flavus. Soli verò ſi exponatur, cinereus color magis nigreſcit, ut pullo accedat; partes autem luci minus expoſitæ diverſos induunt colores, macularum ſpecies exhibentes, digiti medietate latas; partes, quæ luce carent, panno pluribus coloribus diſtincto aſſimilantur. Si manibus contrectetur, maculis ſubnigris ad viridem declinantibus aſperſus videtur. Pileo nigro ſuperpoſitus, violaceus videtur; quandoque linteo obvolutus albeſcit. Pannorum, quibus volvitur, coloribus indui falſum eſt, neque ſiquem contrahat, toto corpore exhibet, ſed in partibus tantùm. Hæc de Chamæleonte feruntur.

Illud tamen animal, cujus carnes Hebræis interdicuntur in Lege, Vulgatæ Chamæleon, an aliud ſit ab eo, de quo diximus, dubitamus. Vox enim hebraica *hacoah*, quæ in Textu hebræo legitur, à Bochario pro genere quodam fortiſſimarum lacertarum in Arabia frequenti, Arabibus *alvarlo*, quæ ſerpentes inter petras venantur & occidunt, explicatur.

(CHAMANIM. Hebræum eſt nomen eorum, quæ Græci *Pyrreja* vel *Pyrrateria*, & S. Hieronymus Levit. 26. 30. vertit *Simulacra*, & Iſaiæ 27. 9. *Delubra*. Porrò Chamanim, vel Pyrreja, Idola erant, ſi fides ſit R. Salomoni, Soli expoſita in domorum tectis. Abenezra maluit ædiculas vel templa geſtatoria in formam curruum Soli dicata. Quæ Græci appellabant Pyrreja vel Pyræa, templa erant Soli vel Igni ſacra, ubi perpetuus ignis ſervabatur. In eminenti quodam loco ædificata ampliori ſepto conſtabant, ubi Soli cultus impenſus. Herodotus lib. 1. pag 87. & Strabo ſermonem habent de Guebris, ubi Ignis cultores apud Indos & Perſas hodie pariter habent Pyræa. Ejuſmodi templa plura adhuc ſua ætate ſpectari in Cappadocia, affirmat Strabo lib. 15. Sacra autem dicit Deæ Anaitidi, vel Deo Homano; eſt Anais facilè Luna, Homanus Sol. Nomen Chamanim petitur ex Chaman, quod eſt calefacere, urere.

CHAMARIM. Recurrit id non ſemel in Hebræo V. T. redditur autem plerumque Sacerdotes Idolorum, vel Sacerdotes fuſca veſte induti, eſt enim *Chamar niger*, vel *nigredo*. S. Hieronymus in 4. Reg. 23. 5. *reddidit Auſpices*; & in Oſeæ 10. 4. ac Sophoniæ 14. *Æditui*; ſed optimi quique Commentariorum Scriptores tenent deſignari Sacrificulos, ac potiſſimùm Ignis Sacerdotes (e), quòd nigra uterentur veſte; vel fortè eo nomine deridiculo traducti ſunt ab Hebræis, quod cum ſemper eſſent intenti alendo fovendoque igni, perinde ac carbonarii & fabri ferrarii nigredine offuſcabantur. Inter Iſidis Sacerdotes recenſentor Melanophori, i. e. ferentes nigrum, ſive ſcilicet quòd veſtibus eſſent atrati, ſive quòd ferrent in ſupplicationibus Deæ illius velum nigrum & ſplendeſcens (f). *Quæ longè latèque meum confutabat obtutum palla nigerrima ſplendeſcens, atro nitore*. *Chamar* Arabicè eſt Luna, ad quam pariter Iſia referenda eſt. Camillos Romanorum Sacerdotes ex Hebræo Chamarim acceſſit Grotius. Sacra operantes Diis Infernis atrati erant apud Paganos. Horat. l. 1. Satyr. 8. v. 23.

Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, paſſoque capillo.)

CHAMOS, Moabitarum Numen, nomen à radice Arabica, quæ *properare* ſignificat, derivatum. Hinc pluribus perſuaſum eſt, hoc nomine Solem exprimi, quem perniciter cœlos circumeuntem, nomine à velocitate deſumpto appellaverint. Alii Chamos confuderunt cum Hammone, qui non in Lybia tantùm, ſed & in Ægypto, Arabia, Æthiopia, & India colitur (g). Hammonem Solem deſignare, illiuſque cornua Solis radios exprimere Macrobius *Saturn. l.* 1. *c.* 21. oſtendit. Hujus opinioni nos etiam accedentes credimus *Hamanum*, & *Apollinem Chomeum*, de quibus Strabo l. 15. & Ammianus l. 23. Numina plurium Orientis Provinciarum eoſdem eſſe ac *Chamos*, ſivè Sol-

(a) Abeneph. apud Kirker. Templ. Iſiac. (b) Lev. 11. 30. (c) Tertull. de Pall. c. 3. Pellicula vivit ... jejunus ſcilicet ſemper, & indefectus, oſcitans veſcitur, follicans ruminat, de vento cibus. (d) Idem ibid. *Cùm illi colores proprietas una ſit, ut quid acceſſit, inde ſuffunditur.* (e) Kimchi Sophon. 1. 4. (f) Apulei lib. 10. Meleſ.
(g) Lucan. l. 9. Pharſal. *Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis Gentibus, atque Indiæ unus ſit Jupiter Ammon.*

Digitized by Google

Solem. Sunt (a) qui analogiam inter vocem Hebræam *Chamos*, & Græcam *Comos*, quæ crapulam ſignificat, animadvertentes, Chamos pro Baccho ſumendum eſſe crediderunt. S. Hieronymus *in Iſa.* 15. Chamos, & Phegor unum Numen credit; quare cum Beelphegor idem ſit ac Tamuz, ſive Adonis, & iſte pro Sole non rarò apud Paganos habitus ſit, plura hæc nomina ad unum Chamos referri oportet. Hujus rei argumenta latiùs deducta vide in Diſſertatione noſtra de Beelphegor, & Chamos ad commentaria in Numeros.

(Qui nominis *Chamos* etymon deducunt ex Hebræo *Chamos* ſcripto cum (b) *caph*, *men*, *ſameth*, quod ſonat Deum abſconditum, ſeu Plutonem in Infernis agentem; illis, inquam, Chamos cum Thamuz confundendum eſt; fatendum inſuper ipſis exprimi eo nomine Adonidem, qui ceu latens, in ſarcophago reconditus, dein reſtitutus ad vitam coleretur. Nullibi tamen in Scriptura nomen Dei Chamos ita ſcribitur, ut inſinuet Deum.)

CHANAAN, filius Cham, quem omnium primum nuditatem Noe dormientis animadvertiſſe, & ad Patrem detuliſſe, à quo & fratres Sem & Japheth admonitos fuiſſe, narrat Hebræi (c); adduntque, Noe certiorem de ea re factum, Chanaan primum mali authorem ſua maledictione mulctaſſe. Alii verò (d) credunt maledictionem hanc ideò in Chanaan fuiſſe pronunciatam, ut pater in filio puniretur. Non deſunt qui pro eo quod legimus, *maledictus Chanaan*, legendum eſſe ſuſpicantur, *Maledictus Cham &c.* ſeu *maledictus Pater Chanaan*. Quæ verò in Chanaan pronunciata eſt maledictio, in Chananæis impleta eſt; quos omnes ab Iſraelitis poſt terram promiſſionis acquiſitam, deleri Deus juſſit (e); quare extorres è ſuis ſedibus facti, deleti, exterminati, partim ſervituti, partim letho traditi ſunt.

Chanaan magnæ poſteritatis pater fuit, *Gen.* 10. 15. filioſque habuit, præter *Sidonem* natu maximum, qui ſaltem Urbem Sidonem, & Sidonios, ac Phœnices condidit, alios etiam decem, plurium Nationum in Palæſtina, & Syria authores, *Hethæorum* ſcilicet, *Jebuſæorum*, *Amorrhæorum*, *Gergeſæorum*, *Hevæorum*, *Aracæorum*, *Sinæorum*, *Aradiorum*, *Samaræorum*, & *Amathæorum*, de quibus in ſuis articulis agemus. Creditur Chanaan Patri ſuperſtes fuiſſe, diemque clauſiſſe in Palæſtina, quæ non rarò ab ejus nomine Terra Chanaan appellatur. Locus ipſius ſepulchri in caverna in monte Pardorum, non longè ab Jeruſalem, 25. pedum ſpatium occupans, oſtendebatur.

(Hunc virum diluvii aquis demerſum periiſſe credunt Mahometani, quòd recipere ſe in arcam recuſaverit. Mahometus ita loquentem Deum ad Noe inducit; *Aſſume, & transfer tecum in Arcam bina animalium omnium paria, mares & fœmellas, & unà pariter univerſam familiam tuam, eo tantùm excepto, qui ore tuo jam condemnatus eſt* (Chanaan). *Excipe tecum pariter fideles ac infideles; ſed rari ingredientur.* Hiſce ergo obtemperans mandatis Noe introduxit in Arcam ad 80. Homines; cùm autem moram nectentem Chanaan ſuum ex filio nepotem videret, ignoraretque adhuc ex infidelibus eſſe unum, clamavit ad illum: *Aſcende, fili mi, nobiſcum, ne te accenſeas Infidelibus*. Tum ille: *Recipiam me in montem, ubi tutum ab aquis effugium.* Ad hæc Noe repoſuit, *ana Dei miſeratione fieri poſſe, ut ſervaretur. Inter colloquendum undæ fluctus alterum ab altero disjungent, obvolutum Chanaan miſerè demerſit*. Ita Mahometus commentis ſuis Scripturas infercit corrumpitque.)

CHANANÆI, nomen omnibus Chanaan poſteris commune. Primò regionem Chanaan incoluerunt, ubi negotiationibus, & militiæ operam dantes, adeò populorum & divitiarum affluentia excreverunt, ut plores colonias per omnes ferè Inſulas, & regiones Mediterranei ducere cogerentur. Aucta verò in immenſum una cum divitiis licentia, & Idololatria, Deus Iſraelitis ſub Joſue ductu delendos tradidit; juſſitque populus, jam olim diris devotos, penitùs exterminare. Qui imperata complentes, eorum plurimos interfecerunt; cæteris in Africa, & Græcia (ſunt qui addant etiam in Germania, Illyrico, & regionibus Americæ) diſperſis.

Cæterùm illi in Africam ſe recepiſſe veroſimiliùs creduntur; quod Gergeſenos feciſſe Rabbini affirmant, quamquam regionem, in qua potiſſimùm ſubſtiterint, ſileant. Procopius *de Bello Vandalico l.* 2. *c.* 10. narrat Chananæos illos primò in Ægyptum confugiſſe; deinde quòd ſe minimè in ea regione tutos crederent, in ulteriora Africæ tranſiiſſe, ubi urbes quamplures ædificarunt, vaſtumque terrarum tractum uſque ad Columnas Herculis occuparunt, materna ſemper linguâ, paulùm mutata, utentes. Ne verò eorum memoria excideret, ut idem addit, in Urbe Tingi Provinciæ Tingitanæ, ab illis condita, duas candidi marmoris columnas apud magnum fontem ſtatuerunt, in quibus Phœniciis characteribus hæc inſculpta legebantur: Nos genus ſumus, qui è prædone Jeſu filio Nave perſequente fugientes, in tutum recepti ſumus. S. Auguſtini ætate (f), Africani de origine ſua requiſiti, ſe Chananæos eſſe reſpondebant; & quidem Linguam Punicam cum Chananæa, & Hebraica ferè conveniſſe apud omnes conſtat.

Coloniæ Thebarum in Bœotia à Cadmo, & Ciliciæ à Cilice fratre Cadmi, ex Chananæis ductæ ſunt; quod etiam ferunt de Inſulis Siciliæ, Sardiniæ, Melitæ, Cypri, Corcyræ, Balearibus, Gadium, ac Ebuſi. De his omnibus latè & egregiè diſputat Bochartus in ſuo Opere, cui titulus, *Chanaan*; nos verò in Diſſertatione Commentariis in Joſue præmiſſa, laboravimus in iis locis proferendis, quò Chananæi à Joſue expulſi ſe receperunt; eorum argumentis etiam ad trutinam revocatis, qui Americam inter eas regiones numerant.

I. CHANAANA, quartus filius Balan. 1. *Par.* 8. 10.

II. CHANAANA, pater Sedeciæ Pſeudo Prophetæ. 3. *Reg.* 22. 11.

CHANANI, Levita. 1. *Eſdr.* 9. 4.

CHANNATON, Urbs Zabulon. *Joſue* 19. 4. Vide *Hannathon*.

CHAOS. Hoc nomine ſignificatam volumus materiam indigeſtam, qualis in prima ſui creatione, antequàm à Deo diſponeretur, fuiſſe creditur. Ad chaos exprimendum Moyſes illis vocibus uſus eſt *Tohu*, & *Bohu*, quas Septuaginta reddiderunt, *invisibilem*, & *inordinatam*: Symmachus, *molem abſque motu*, & *ordine*: Aquila, & Theodotion, *vacuum*, & *nihil*. Ovidius *Metamorph. l.* 1. his carminibus Chaos deſcripſit.

. . . . Rudis indigeſtaque moles
Nec quidquam, niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Chaos etiam abyſſum ſignificat, ſeu ſpatium, per quod ab uno ad alium locum tranſmeari non poteſt. Hoc ſenſu Abraham diviti illi dixit: *Inter vos & nos magnum chaos* (Græcus habet, hiatus) *firmatum eſt*. *Luc.* 15. 26.

CHAPHRATH. Vide *Kiberath-Aran*.

CHARABE, oppidum Galilææ ſuperioris, Joſephi Hiſtorici (g) opera munitionibus vallatum. Idem fortaſſe locus eſt, quem ille *l.* 2. *de Bello c.* 25. Petram Achabarorum nominat.

CHARACA, Urbs Tribus Gad, è qua Judas Machabæus Timotheum expulit. 2. *Mach.* 12. 17.

CHA-

(a) Voſſ. de Orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 8 (b) Chamas, *occultavit*. (b) Bereſchit Rabba. ſect. 37. Theod. q. 57. in Gen.
(d) Chryſ. hom. 29. in Gen. Ambr. de Noe, & Arca, c. 32. Aug. l. 16. de Civit. c. 2.
(e) Vide Deut. 7. 2. 26. & 13. 15. & 18. 9. 20. 16. 17. Levit. 18. 25.
(f) Aug. expoſit. in Ep. ad Rom. *Interrogati ruſtici noſtri, quid ſint, Punice reſpondent: Chanani:* (g) Idem in Vita.

CHARAC-MOBA (a), fortaſſè *Charach-Moab*, Urbs Palæſtinæ in Notitiis Veteribus, & in ſubſcriptionibus conciliorum, Areopoli, Petræ, & Segor conjuncta (b). Fortaſſe eadem eſt ac *Caraca*, de qua nunc egimus.

CHARACTER *Beſtiæ*, ſeù *Antichriſti*, de quo in Apocalypſi (c), numerus eſt redditus ex literis nomen ejuſdem Antichriſti exprimentibus, ſumpto numero juxta valorem numericum literarum. Vide *Antichriſtus*.

CHARACTER, quorumdam Sacramentorum Novæ Legis, veluti Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, ſignum eſt, ſeù character, minimè conſpicuus, poſt recepta eadem Sacramenta in anima impreſſus, ex quo fit, ut illa iterum conferri non poſſint.

CHARACTERES *Hebraici*. Vide *Litera Hebraica*.

CHARAN, ſeù *Haran*, natu minimus ex filiis Diſon, filii Seir Horræi. *Gen.* 36. 26.

CHARAN, ſeù *Haran*, alio nomine *Charra*, ſivè *Charres* in Meſopotamia, Urbs recepto Abrahamo poſt egreſſum ex Urbe Ur, & ſepultura Thare Patris ipſius, celebris *Gen.* 11. 31. 32. Huc apud Labanum confugit Jacob (d), iram fratris ſui Eſau declinaturus. Ibidem Craſsus Conſul, & exercitus Romani Imperator, exercitum & vitam amiſit, à Parthis trucidatus. Sita erat inter Euphratem, & Chaboram, longè à confluente horum fluminum. Author Vulgatæ conſtanter legit *Haran*.

(P. Harduinus Chronolog. V. T. pag. 24. autumavit Haran in Meſopotamia ſitam fuiſse, quam regionem collocat ille inter Euphratem, & Jordanem; confundit autem hanc Urbem non cum Charres, Urbe caſtris exuto Craſso celebratiſſima, ſed cum Palmyra vel alia quacumque Cœleſyriæ. Nititur autem demonſtrare Meſopotamiam quandam notam fuiſse cis Euphratem, inter amnem illum & Jordanem mediam; eidemque opinioni huic ſuæ adſtruit ex titulo Pſalmi 59. *Cum ſuccendit David Meſopotamiam, & Syriam Soba*; tum etiam affert illud Judith. 2. 14. ubi ſermo de Holoferne, qui tranſmiſſo Euphrate venit in Meſopotamiam. Sed duo hæc nihil minùs quàm intentum convincunt. In titulo Pſalmi non utique legitur Meſopotamia regio cis Euphratem; commodè autem David arma inferre potuit in Meſopotamiam, & alio pariter tempore in Syriam Sobæ; ſeu potiùs reputandum eſt prælio ſudiſſe illum populos Meſopotamiæ in Syria, & cis Euphratem. Vide 2. Reg. 10. 16. 19. & 1. Par. 19. 19. Potuit Holofernes referre pedem ultra Euphratem & in Meſopotamiam, poſt tranſmiſſum ſemel amnem.

Feruntur Charræi Meſopotamiæ coluiſse Lunam ſub virili nomine, ac veſte, & in veſtibus, dum ſacra operarentur, ſolemnibus, viros mulierbriter indutos, fœminas viriliter ſeſe exhibuiſse.

D. Baſnage in ſuis Antiquitatibus Judaicis impreſſis anno 1713. t. 1. pag. 542. contendit, præpoſterè reponi urbem Ur inter Niſibim & Tigrim, ſicut & Urbem Haran malè confundi cum Charres in Meſopotamia inter Euphratem & Chaboram. Defendit Ur ibi exſtitiſſe conſtitui oportere, ubi poſteà ſedit Edeſſa, Regis Abgari Metropolis; *Haran* vero vel Charan locum fuiſse ignotum hodie, extra Meſopotamiam in Syria Sobæ Chananitidem verſus. Hanc Sententiam ideò tantùm referendam duxi, quòd ſingularis eſt; non enim niſi futilibus conjecturis aſtruitur à Baſnagio.)

CHARCAMIS, Urbs ad Euphratem ditionis Aſſyriorum. Hanc Nechaos Rex Ægypti à ſe occupatam (e), præſidio munitam reliquit; ipſoque poſtea cæſo, Nabuchodonoſor Rex Babylonis an. IV. Joakim Regis Juda uſurpavit (f). Theglath-phalaſar eam occupaſse ex Iſaiæ narratione 10. 9. colligere videmur; tunc fortaſse, cùm ab Ægyptiis tenebatur. Exteri Scriptores neque de hac Urbe, neque de hiſce bellis quicquam habent: niſi fortè Charcamis eadem ſit ac *Cercuſium*, vel *Circeſſum*, ſeù *Circeſium* in angulo confluentia fluminum Chaboræ & Euphratis ſitum.

CHARCUS, unus è ſeptem Aſsueri Eunuchis. *Eſth.* 1. 10.

I. CHARMI, quartus inter Filios Ruben, Charmitarum pater. *Num.* 26. 6.

II. CHARMI, pater Achan, ex Tribu Juda (g).

III. CHARMI, cognomento *Othoniel*, ſeù *Gothoniel*, qui in obſidione Holofernis, Bethuliæ morabatur. *Judith.* 6. 11.

CHARSENA, ex præcipuis Regis Aſsueri Miniſtris. *Eſth.* 1. 14.

CHARTA, qua ad ſcribendum utimur. Vide *Papyrus*.

CHARTA, Urbs Tribus Zabulon, Levitis ex familia Merari aſſignata. *Joſue* 21. 34.

CHARTAN: Urbs Tribus Nephtali, Levitis ex familia Gerſon tradita. *Joſue* 21. 32.

CHASELON, pater Elidad ex Tribu Benjamin, unus ex pluribus, qui Terram Chanaan Tribubus diviſerunt. *Num.* 34. 21.

CHASLUIM, Filius Mezraim (h). Quam incoluerit regionem, & cujus Nationis author fuerit, valde ambigitur. Paraphraſtes Jonathas *Chasluim* explicat *Pentapoleos*, ſive Cyrenaicæ populos; Paraphraſtes Hieroſolymitanus vero interpretatur de Pentaſchænis, populis interioris Ægypti; Arabs de populis Saitis in Thebaide; Bochartus, & poſt ipſum plures, de *Colchis*, quos Herodotus (i) ſcribit circumciſionem admiſiſse, Ægyptiorum inſtar; quibus & valde affines fuiſse, tum colore ſubnigro, coma nigra, & criſpanti, tum etiam ſermone, & diſciplina. Verum Colchorum ab ipſis derivatorum nullam ſuperfuiſse apud Ægyptios memoriam, idem Bochartus ultro fatetur.

Bocharti quidem rationes plauſibiles videntur; ſed quamvis Herodoti narrationem ultro admittamus, adhuc tamen Chasluim & Colchos unum & eundem populum eſse non convincimur. Etenim licet res eſset exploraia, Seſoſtrim coloniam Ægyptiorum in Colcho reliquiſse, an idcircò univerſam Chasluim nationem eò tranſtuliſse credemus? Anne tantùm poſt Seſoſtrim, deductoſque ab eo populos Chasluim, Colchidis nomen primò regioni impoſitum fuiſse temere, nullo authore, aſseremus? Philiſthæos, & populos Caphtorim ex Chasluim originem duxiſse Moyſes perhibet *Gen.* 10. 14.: Prophetæ Jeremias 47. 4. & Amos 9. 7. Philiſthæos ex Caphtorim ortos innuunt. Ut hæc omnia ſibi conſtent, dicamus oportet, populos Caphtorim ex Chasluim egreſsos fuiſse, è Caphtorim verò Philiſthæos proceſſiſse.

Nomen *Caphtor* Inſulam Cretæ deſignaſse ſuperiùs in proprio articulo oſtendimus. Potuit igitur Chasluim ſuorum coloniam è Cyrenaica in Inſulam Cretæ tranſmiſiſse, è qua Philiſthæi originem traxerint; qui certe populi longe antea Palæſtinam tenebant, quàm Seſoſtris, & commentitia ejus colonia in Colchidem ducta audiretur. Alias etiam conjecturas de veteri ſede populorum Chasluim adduximus in Commentariis in *cap.* 10. 14. *Gen.* ubi illos facile tenuiſse diximus tractum ripæ occidentalis Maris Rubri e regione Inſulæ Colocaſitis, ſive Colocæ. Quam opinionum diſcrepantiam de uno, & eodem argumento ideò afferre maluimus, ut rei obſcuriſſimæ congeſtis conjecturis facem quamcunque admoveamus; quod forte aliis veritati tandem aſſequendæ auxilio eſse poterit.

CHAS-

(a) Ptolom. 5. & Stephan. Ἐν ἐθνικοῖς.
(b) Vide Reland. tom. 2. pag. 513. & tom. 2. p. 533. 701.
(c) Apoc. 13. 6. & 14. 9. & 16. 2. & 19. 20. & 20. 4. (d) Gen. 27. 45. & 28. 10. &c.
(e) 2. Par. 35. 20. & 4. Reg. 23. 29. (f) Jer. 46. 1. 2. (g) Joſue 8. 1. 18.
(h) Gen. 10. 14. (i) Herodot. l. 2. & alii paſſim.

CHASPIA. Eſdras, ut ipſe de ſe narrat 1. 8. 17. in Judæam regreſſurus, viros quoſdam legavit ad Eddo, commorantem in Chaſpia. Hunc locum credimus eſſe montem Caſpium ad Mare Caſpium, inter Mediam & Hyrcaniam, quò plures ex Judæis captivi abducti fuerant.

CHASPHORA, ſivè *Chasbona*, Urbs Galaaditidis, à Juda Machabæo capta (a). Eadem fortaſsè eſt ac Eſebon.

CHEBBON, Urbs Tribus, Juda. *Joſ.* 15. 41.

CHEBRON. Vide *Hebron*, & *Chariath-Arbe*.

CHELEAB, filius David ex *Abigail* antea Uxore Nabal. 2. Reg. 3. 3.

CHELIAN, Iſraelita, qui fœminam, quam contra Legem duxerat, dimiſit. 1. Eſdr. 10. 33.

CHELION, filius Elimelech & Noemi, ex Bethlehem Juda, qui cùm in Judæa fames graſſaretur, ſolum vertit, totamque familiam in Moabitidem tranſtulit, ubi & fœminam duxit, nomine *Orpha*, Deinde paulò poſt ſine filiis obiit. *Ruth.* 1. 1. 2. 9

CHELMON, urbs è regione Eſdrelon (b), quam propè pars exercitus Holophernis caſtra habuerat, antequam ad obſidendam Bethuliam accederet. Fortaſsè eadem eſt, ac *Selmon*, de qua in Pſalmis (c), & alibi, ſeù *Cedmon*, vel tandem *Belmon*, aut *Cyamon*, uti habet Græcus *Judith.* 7. 3. vel *Cammon*, quam Euſebius ad ſeptem milliaria à Legione, ſeptantrionem verſùs collocat.

CHELUB, pater Ezri. 1. *Par.* 27. 26.

CHENE, apud Ezechielem 27. 23. fortè eadem ac Chalanne, *Gen.* 10. 10. Vide *Calanne*.

CHEREM, anathematis genus. Hebræi tria habent diſtincta anathemata. Primum appellant *Niddui*, ſeparationem, quod eſt minus anathema: ſecundum, *Cherem*, quod eſt majus: tertium, *Schammata*, quam excommunicationem mortis pœna conſequitur. Cherem igitur excommunicatum interdicebat omnibus fermè civilis ſocietatis commodis; ſcilicet ab omni commercio prohibitus, neque emere, neque vendere quidquam poterat, niſi vitæ prorſùs neceſſaria; à Scholis, & Synagogis arcebatur, nullum in cibo, & potu capiendo ſocium habere poterat. Hæc excommunicatio nonniſi à decem, vel coram decem hominibus pronunciari poterat; quanquam à tribus tantùm, dummodò Judæis, & Doctoribus, abſolutio impendebatur. Illius proferendæ formula pluribus maledictionibus, & imprecationibus è S. Scriptura collectis conſtabat. Vide Bartoloccium *Bibl. Rabin.* c. 3. Selden. *de Synedr. l.* 1. Baſnage *Hiſtoire des Juifs t.* 5. *l.* 7. *c.* 20. *Edit. Pariſ. &c.* Vide etiam *Anathema*, & *excommunicatio*.

CHERUB, Iſraelita, qui è captivitate redux, ſuæ genealogiæ ſeriem exhibere non potuit 1. *Eſd.* 2. 59.

CHERUB, *Cherubin*. Vox Hebræa *Cherub* aliquando pro vitulo, ſeù bove uſurpatur. Hinc in Ezechiele 1. 10. & 10. 12. *facies Cherub*, & *facies bovis* veluti ſynonyma habentur; & vox Syriaca, & Chaldæa *Charub*, laborare ſignificat, quod de bove aptiſſimè dicitur. Quin & idem *Cherub*, *fortem & potentem* exprimit; quod etiam bovi convenit. Grotius conjicit Cherubim formam propiùs ad bovem acceſſiſſe. Bochartus figuram hujus animalis inter cæteras, quibus Cherubim conſtabat, præſtitiſſe credit; cui etiam Spencerus aſſentitur. Tandem S. Joannes in Apocalypſi 4. 6. 7. Cherubim animalia appellat: *In circuitu ſedis quatuor animalia*. Joſephus Antiq. l. 4. c. 6. Cherubim veluti animalia rara, & formæ prorſùs ignotæ deſcribit. S. Clemens Alexandrinus *l.* 5. *Strom.* opinatur, ſphinges, & animalia hieroglyphica, ut Hebræi Cherubim, Ægyptios effinxiſſe.

Cherubim à Scriptura deſcripti, nec unius erant figuræ, nec rationis; quamvis omnes in eo convenirent, quòd ſinguli ex plurium rerum formis in unum collectis conſtabant, veluti, hominis, bovis, aquilæ, & leonis, cujus generis erant Cherubim apud Ezechielem 1. 5. Iſaias 6. 23. eos, quos Seraphim nominat, ità deſcribit, quaſi homines exhiberent alatos: alæ autem erant ſingulis ſex, è quibus duæ pedes, duæ faciem velabant, reliquis ad volandum utebantur. Quos Salomon in Templo Jeroſolymitano ſtatuit, ad eandem figuram accedebant (d). S. Joannes *Apoc.* 4. 6. 7. narrat, ſe quatuor Cherubim obvios habuiſſe, toto corpore antè & retro oculis repletos, ac tribus alarum paribus munitos; horum verò primus leonem; ſecundus bovem; tertius hominem: quartus aquilam referebant; jugiter verò diù noctuque Sanctus, Sanctus, Sanctus &c. inclamabant. Cujus eſſent figuræ Cherubim in Arca fœderis Moyſis *Exod.* 25. 18. ſimulque alii, quos Deus ad cuſtodiam Paradiſi voluptatis poſt expulſos Proto-Parentes ſtatuit (e), Scriptura non ſatis deſcribit. Veroſimiliùs tamen creduntur humanam figuram exhibuiſſe; ſiquidem de Cherubinis Paradiſi Terreſtris narratur, flammeum gladium ſtrinxiſſe, & Ezechiel 28. 14. Regem Tyri comparat *Cherubim extentis* ſuper Arcam Fœderis in monte ſancto, ac ſi ſcilicet Rex ea gloria fulgeret ac Cherubim. Quin & Moyſes eoſdem deſcribit alatos, aliſque ex utroque latere protenſis Propitiatorium protegentes, vultu verò ad ſeipſos invicem, & ad Propitiatorium converſo.

Ex his omnibus ſatis intelligimus, Cherubim varias induiſſe figuras, nunc hominis, nunc aquilæ, bovis, & leonis, eaſque ſimul omnes quandoque exhibuiſſe. Hinc Moyſes *Opus Cherubim* appellat (f) hieroglyphica, quæ in velis Tabernaculi opere Phrygio exprimebantur. Nec multùm ab his differunt figuræ ſymbolicæ, quas Ægyptii pro foribus Templorum ſtatuebant, ſivè eorum Numinum ſimulacra, formis hominum ſimul & animalium conſtantia. *Virg. Æneid.* 8.

Omnigenumque Deum monſtra, & latrator Anubis.

CHESELETH-THABOR, Urbs ad radices montis Thabor. Vide *Caſeleth*, vel *Caſaleth-Thabor*.

CHESITAH, *Gen.* 33. 19. Vox Hebræa, quæ in Vulgata redditur *agnus*: Vide *Keſitha*.

CHESLON, Urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 10.

CHETHIM. Vide *Cethim*: quæ vox Macedoniam exprimit. 1. *Mach.* 1. 1.

CHEZIB, locus propè Odollam. Vide *Casbi*.

CHIBRATH-AREZ. Vide *Kibrath*, ſeù *Kiberat-Arez*.

CHIBEROTH-ABA. *Sepulchra Concupiſcentiæ*, locus, in quo plures Iſraelitæ optatis carnibus paſti, extincti ſunt (g). Fortè idem ac *Jetebata*, *excelſa concupiſcentiæ* (h).

CHIBROTH-ABAH. *Sepulchra Concupiſcentiæ*. Vide *Chiberoth-aba*, & *Concupiſcentia*.

CHIDON. *Area Chidon*, quo in loco Oza ſubita morte percuſſus eſt 1. *Par.* 13. 9., quòd manum ad Arcam inclinantem erigendam protenderit. Hæc eadem area 2. *Reg.* 6. 6. *Area Nachon* appellatur. An verò *Nachon*, & *Chidon* nomina ſint locorum, an hominum, ignoratur.

(CHION vel *Chevan*, vox eſt in Hebræo Amos, quem Textum laudat S. Lucas in Actis 7. 43. *Suſcepiſtis Tabernaculum Moloch, & ſidus Dei veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis, adorare eas.* Ita verò Hebræus Amos 5. 26. *Portaſtis tentoria Regis veſtri & baſim (Kion) figurarum veſtrarum, ſidus Deorum veſtrorum, quod feciſtis vobis.* Non abſimile vero reputamus Septuaginta legiſſe *Repham* vel *Revan* pro *Kion* vel *Kevan*, & baſim uſurpaſſe pro ipſo Deo. Tria hic Numina intelligere ſibi viſi ſunt alii *Moloch*, *Kion*, & *Rempham*. Placet aliis tribus hiſce nominibus unum eundemque Deum trinominem deſignari, Saturnum

V

(a) Mach. 5. 26. Joſeph. Antiq. l. 12. c. 12. (b) Judith. 7. 3. (c) Pſ. 67. 15. & Judic. 9. 48. (d) 3. Reg. 6. 23.
(e) Gen. 3. 24. (f) Exod. 26. 1. Vulg. *Variatas opere plumario.* Heb. *Cherubim opus induſtrii hominis.*
(g) Num. 11. 34. & 33. 16. (h) Num. 33. 34. Deut. 10. 7.

turnum ſcilicet & ejus planetam. Salmaſius & Kircherus defendunt *Kion* ipſum eſſe Saturnum; cujus ſidus *Keiran* apud Perſas, & Arabes appellari; idem etiam Nomen deſignari apud Ægyptios nomine Rempham vel Rephan. Addunt, Septuaginta, qui ſcribebant in Ægypto, ſubſtituiſſe *Remphan* pro *Chion*, quorum nominum una eademque eſt ſignificatio. Vide Dictionarium v. *Remphan*, & noſtram Diſſertationem de Idololatria Hebræorum in deſerto, duodecim minoribus Prophetis præfixam. D. Baſnage in ſuo Opere Antiquitatum Judaicarum poſt plura de *Chion* & *Rempham*, ſtatuit Moloch ipſum eſſe Solem, & Chion vel Remphan Lunam tom. 2. p. 576. 581. 611. 614. 617.)

CHIPPUR, ſivè *Kippur*, Feſtum Expiationis Judæorum, voce à *Caphor*, ſeù *Cipper*, ſcilicet expiare, derivata. Vide *Expiatio*.

CHLOE, Mulier Corinthia Fidelis, quæ Apoſtolum de diſſidiis Corinthi pro Cepha, Apollo, & ipſo Paulo obortis, monuit. Literæ autem non ab ipſa, ſed ab aliquo domeſticorum in domo illius ſcriptæ ſunt (a); vel fortaſſe a Stephano, Fortunato, & Achaico, primitiis Achajæ, ut S. Chryſoſtomo viſum eſt. Sunt, qui *Chloe*, non fœminæ, ſed viri nomen crediderint. Ceres apud Pauſaniam *l.* 1. *Chloes* cognomen obtinuit.

CHOBAR, alio nomine *Chaboras*, Aſſyriæ amnis, in Euphratem ad ſuperiorem Meſopotamiam influens. Ad ejus ripas Ezechiel Divino œſtro afflatus eſt. *Ezech.* 1. 1.

CHODCHOD. Inter merces Tyrum advehi ſolitas, etiam Chodchod ab Ezechiele (b) recenſetur, quam quidem vocem intactam Veteres Interpretes in ſuis Verſionibus conſervarunt, cum ejus ſignificationem non aſſequerentur, ut ipſe de ſe S. Hieronymus teſtatur. Chaldæus *margaritas* interpretatur; alii *onychem*; alii *pyropum*; alii *carbunculum*, *chryſtallum*, *adamantem*: ſinguli, ut videtur.

CHODORLAHOMOR, Rex Elimæorum, ſeù Elamitarum, ſcilicet ſivè Perſarum, ſivè populorum propè Perſidem. Hic juncto fœdere cum tribus aliis Regibus, arma in quinque Reges Pentapolis Sodomiticæ movit; eorumque in fugam actorum præda onuſtus regrediebatur. Abraham verò abeuntes perſequutus, omnes fudit, & diſſipavit (c).

CHOEROGRYLLUS, *herinaceus*, ſivè *hiſtrix*, inter impura rejectus (d), quod, ait Legiſlator, ruminet quidem, ſed ungulas habeat indiviſas. Vox Hebræa *ſchaphan*, quæ reddita eſt *Chœrogryllus*, quid ſignificet incertum eſt, alii enim *leporem*, alii *cuniculum* interpretantur: ſed leporis Moyſes antea meminerat; cuniculus verò non ruminat, quod de Chœrogryllo idem Moyſes affirmat. Buchartus verò intelligit de quodam muris grandioris genere, nomine *Alsarbuko*, apud Arabes notiſſimi, quo & veſci conſueverunt. Porrò mures hi ruminant, in rupibus degunt, & gregatim procedunt; quæ omnia ipſi *Schaphan* à Scriptura tribuuntur (e).

CHOLOZA, pater Sellum. 2. *Eſdr.* 3. 15.

CHOMER, ſivè *Homer*, menſura eadem ac corus, decem bathos complectens, ſcilicet 298. pintas cum tribus quadrantibus, & $\frac{310720}{794969}$ digiti cubici partibus.

CHONENIAS, Præfectus Muſicæ Templi, 1. *Par.* 15. 22., qui in pſallendis Canticis in cœremoniis præcentorem agebat, cùm artis ſuæ peritiſſimus haberetur.

CHORAZIN. Vide *Corozaim*, ſivè *Corozaim*.

CHORRÆI, vel *Horræi*, primi regionis Sehir incolæ, quibus pulſis poſtea Idumæi ſucceſſerunt. *Gen.* 36. 20. 21. Abrahami ætate (f), & diù ante natum Eſau, potentiſſimi erant. Sehir, vir longè diverſus ab Eſau, gentis author (g). Temporis ſucceſſu Eſau poſteri ea regione occupata, unum cum priſcis habitatoribus populum conſtituerunt; quod quidem ex eo aſſerimus, quod ſciamus poſteros Sehir, & Eſau tamquam unam eandemque nationem habitam fuiſſe, ſimulque Arabiam Petræam (h), & Deſertam, ad meridiem & orientem Chananitidis incoluiſſe. Horræi nomen in ſenſu appellativo in 3. *Reg.* 21. 2. occurrit, quod Interpretes *Optimates*, ſivè *Heroes* reddiderunt.

(CHRISTIANI S. JOANNIS. Quos Itinerarii appellant Chriſtianos S. Joannis & Orientales *Sabios* (i), cave credas gentem fuiſſe peculiarem, veluti Sabæos in Arabia; ſed illos reputes inter gentes, quicumque peculiarem Religionem, longè lateque per Orientem diffuſam, profitentur. Nec minimi negotii res eſt deſignare, quid ſit potiſſimum Religio illa; parùm adeo ſibi conſtantibus ea in re Scriptoribus Orientalibus, Exploratiſſimum eſt tamen Sabienſium religionem unam eſſe e tribus, cui ſe patronum permiſit Mahometus in Alcorano; ſunt autem tres illæ Chriſtianiſmus, Judaiſmus, Sabiiſmus. Vide Dictionarium v. *Zabii*.

Itaque Chriſtiani S. Joannis vel Sabii è Chriſtianis plura adoptarunt; genus imitantur Baptiſmatis, & ſummo tenentur obſequio in S. Joannem Baptiſtam, cujus ſe profitentur Diſcipuli. Legunt non tantùm Librum Pſalmorum, quem *Zebour* appellant, ſed & alterum Adami nomine inſcriptum, quem uti Scripturam Sacram ſuſpiciunt; eſt autem ſingularibus prorſus characteribus inſcriptus, lingua autem ferè in totum Chaldaica.

Jactant de illis Scriptores Arabes, (k) genus referre ſuum è vetuſtiſſima totius orbis natione; ſermonem autem retinere, ſaltem in Libris, prorſus Adamicum; Religionem obſervare ac Legem datam a Scheith & Eori, id eſt à Patriarchis Seth & Noe, quorum moralibus inſtitutionibus pleniſſimos Libros hodie paritèr exhibent. Integro Lunæ curſu jejunant, nihil capientes cibi, ab exorto ſole uſque ad occaſum; ſolent autem jejunium illud ſemper terminare ad æquinoctium vernum, quod fermè incidit cum Paſchate Judæorum circiter. Deum ſepties quotidiè precantur nihil interim agentes, ſeu præſtantes.

Venerantur Templum Mechæ, coluntque Ægypti pyramides, rati Sabim filium Enoch in tertia earumdem teneri. Peregrinationum ſuarum religioſiſſimam habent ad locum ſat proximum Haran in Meſopotamia, ubi natum Abrahamum credunt nonnulli; conſtat tamen inde ſe moviſſe illum, ut in Palæſtinam veniret. Credunt alii locum illum coli in gratiam *Sabi filii Mari*, Abrahamo coævi; ex quo facilè originem ſuam referunt potius, quàm ex Sabe filio Enoch, ne nomine quidem in Scriptura noto, quem & vivere ante diluvium opus fuiſſet.

Scriptor alius Ben-Hazem affirmat, Sabiorum Religionem non vetuſtiſſimam eſſe tantùm, ſed & generalem, & unam in orbe jam inde ab ætate Abrahami, è qua Religiones cæteræ veluti è fonte profluxerunt. Feruntur Veteres Perſæ, Chaldæi, Aſſyrii, Græci, Ægyptii Sabaicæ hujus Religionis fuiſſe omnes, antequàm profiterentur Judaiſmum, Chriſtianiſmum, vel Mahometiſmum; quin & Chriſtiani Orientales affirmandum ſibi ducunt, Conſtantinum Magnum Sabiiſmum antea profeſſum, ad Chriſtiana dein ſacra tranſiiſſe.

D. Chardin in ſuo Itinere Perſico tom. 1. pag. 107. affirmat Diſcipulos S. Joannis Baptiſtæ numero eſſe ſatis infrequenti, diffuſoſque per Arabiam, Perſidem, & ſecundùm ſinum Perſicum; origine verò deduci ex Chaldæa, & vetuſtiſſimos eſſe Zoroaſtris Diſci-

(a) Cor. 1. 11. *Ab his qui ſunt Chloes*. (b) Ez. 27 16. *Chadchod*.
(c) Gen. 14. 1. &c. An. M. 2092. antè Chr. 1908. antè Ær. 1911. (d) Levit. 11. 5.
(e) Vide Text. Hebr. Pſ. 103. 18. Prov. 30. 26. Lev. 11. 15. (f) Gen. 14. 6. (g) Gen. 36. 20.
(h) Deut. 2. 1. 33. 2. Judic. 5. 4. (i) Bibliot. Orien. pag. 725. (k) Ben. Schumah. ibid.

Diſcipulos, cujus hodie uſque plures retinent ſententias; recepiſse tandem Baptiſmum S. Joannis, ac ſibi formaſse religionem è doctrina Chriſtiana, moribus Judaicis, & Mahometiſmi commentis monſtruoſam. Fidei ritus, & Librorum etiam ſuorum Authorem aſſerunt S. Joannem, cujus Baptiſmate quotannis tinguntur, illumque ſibi magnum & unicum habent Divum, cum utroque illius parente; ejus verò ſepulchrum conſtituunt juxta Chuſter Metropolim Chuſiſtan, ubi pariter & Jordanis fontes collocant. Jeſum Chriſtum non perindè ac Dei Filium habent, ſed Prophetam & Spiritum Dei. Crucem ita venerantur, ut nimio cultu fermè degenerent ad Idololatriam.

Librum ſervant *Divan*, quem factum opinantur; fert autem Deum inſtrui corpore, & Filium ex illo ſatum eſse Gabrielem, per quem Pater Mundum creavit. Creavit & Angelos utriuſque ſexus, corporeos, & gignendo non impares. Fama eſt illos Sacra conficere, vel ſaltem perſuaſione ſua conſecrare panem ſubactum vino, & oleo, quem circumductum religioſa pompa, poſtea deguſtant. Seriem habent Epiſcoporum, & Presbyterorum ex patre in filium deductam; jungunt autem Sacerdotes ſibi in conjuges puellas virgines. Feruntur etiam quotannis ad ripam amnis ſemel immolare pullum gallinaceum, ſicut etiam mactare arietem. Baptiſmate quotannis initiantur per aſperſionem, vel ut libuerit per immerſionem, Dei ſolius nomine concepto; neque enim Filium, nec Spiritum Sanctum agnoſcunt. Polygamiam habent in medio poſitam, & luſtrationibus tanta cura fermè, quanta Judæi, ſtudent. His moribus cenſentur Chriſtiani S. Joannis.

Chriſtiani Cingali, quo nomine appellantur in Oriente (a) Neſtoriani vel Jacobitæ, & ipſi quoque tuterdum Maronitæ, quamquam poſtremi hi Catholicam religionem profitentur; hæc autem nominis origo. Montavakel decimus Kaliſa familiæ Abbaſtidarum inter Mahometanos Principes omnium primus coegit ſubjectos ſibi Chriſtianos & Judæos iſtum ferre coriaceum cingulum (b), quod hodie pariter præferunt maximè in Aſia, ut à Mahometanis diſtinguantur. Extuda datum hoc religionis inſigne nunquam depoſuerunt Chriſtiani Syriæ & Meſopotamiæ, Neſtoriani ferè omnes, vel Jacobitæ; hinc appellatio: *Chriſtiani cingali*. Cùm anathema in quempiam è ſuis pronunciant, abſcindunt ejus cingulum (*Zonnar* appellant) tum flagris quibuſdam cedunt humeros. Si quis autem è Vatibus Orientalibus laudandum ſibi è Principibus ſuis aliquem ſuſceperit, exaggerat victorias de Chriſtianis relatas, prædicatque ſilentium induxiſse æribus campanis illorum, abſcidiſse in fruſta nigros eorum cingulos.)

CHRISTIANUS, nomen Diſcipulis, ſivè ſectatoribus Jeſu Chriſti, Antiochiæ, ut à Judæis diſtinguerentur, primùm inditum *Act.* 11. 26. Fratres etiam, Fideles, Sancti, credentes; & à Paganis *Nazaræi*, & *Galilæi*, quòd Jeſus Nazaræus eſset ex Galilæa. Sunt qui nomen *Chriſtiani* ex Græco *Chreſtos*, bonus, utilis, derivent. Suetonius in Claudio narrat Claudium *Roma Judæos, impulſore Chreſto aſſiduè tumultuantes, expuliſſe*. *Chriſtus*, ait Lactantius *de vera ſap. lib. 4. c. 7. non proprium nomen eſt, ſed nuncupatio poteſtatis, & regni; ſic enim Judæi Reges ſuos appellabant*. (Chriſtus enim unctum ſignificat; inungi autem ſacro chriſmate Reges apud ipſos conſueverunt.) *Sed Pagani propter ignorantiam, immutata litera Chreſtum ſolent dicere*. Et Tertullianus in Apologetico innuens nomen Chriſtiani ab unctione derivatum, deinde ait: *Sed cùm perperam Chriſtianus pronunciatur à vobis (nam nec nominis certa eſt notitia penes vos) de ſuavitate & benignitate compoſitum eſt*.

CHRISTUS, Hebraicè *Meſſiah*, Græca vox *Unctum* ſignificans. Illud Hebræi tribuerunt Salvatori, quem à Prophetis promiſſum, venturum expectabant. Unctum autem nuncupabant, quòd dignitates Regis, Summi Sacerdotis, & Prophetæ, quæ unctione conſerebantur, in illo conjungendas crederent; ac futurum, ut eas non in Judæos tantum, ſed in homines univerſos & maximè in eos, qui in ipſum eſsent credituri, exerceret. De Jeſu Chriſto vero Meſſia, & Servatore vv. *Jeſus*, & *Meſſias* agemus.

(CHRONICA, quo nomine deſignantur duo Libri inſcripti apud nos *Paralipomena*, Hebræis *Dibrei Hajamim*, verba dierum. Vide *Paralipomena*.

Sunt apud Judæos vernaculo eorum ſermone ſcripta Chronica, ſed recentiſſima, & mendoſiſſima. De Hiſtoria *Joſeph Ben Gorion* egimus in ejus articulo; præter illam ſunt etiam ſeptem alia Chronica ſeu volumina hiſtorica, de quorum ſingulis modo pauca.

I. *Seder-olam-Rabba*, i. e. magnum Chronicon ſeu magnus ordo ſæculorum, quo nomine diſtinguitur ab alio Chronico minori *Seder-olam-Sutah*, quod priori illi plurimùm concedit, tum brevitate, cùm ætate (c). Amplioris illius Operis Author creditur *R. Joſe filius Chalipthæ*; vixit ille paulò infra exortum ſecundum ſæculum, habuitque auditorem, ſi vera referunt, R. Judam Sanctum Authorem Miſnæ. Sed R. Azariar in tertia parte Operis ſui *Meorenaim* legiſse ſe affirmat in M. S. vixiſse illum 771. annis poſt everſum Templum Hieroſolymitanum, quod incidit in annum J. C. 832. Conſtat utique nonniſi poſt Thalmud Babylonicum, unde fabellas plurimas & commenta in ſuum illud Opus tranſtuliſse non obſcurè intelligimus, ad ſcribendum ſe contuliſse. Nihil fermè refert Author, niſi ea, quæ in Scriptura continentur. Affirmat Buxtorfius pertingere Opus aduſque tempora Adriani, & victoriæ ab ipſo de *Barcocheba* relatæ. Quod autem potiſſimum probat alium fuiſse Operis Authorem à R. Joſe, illud eſt, nimirum ſæpiùs eundem Joſe ibidem laudari. Tradit Author, Eliam Prophetam, poſtquam ſublatus in Cœlum evanuit, decem ſcripſiſse epiſtolas ad Regem Joram; & quo detinetur in loco ſcriptis mandaſse hiſtoriam Mundi; Jobum patrem fuiſse Balaami; Joſue, poſt tranſmiſſum Jordanem deſcripſiſse ſeptem variis idiomatibus Legem, inſculptamque cælaſse in duodecim lapidibus è Jordane deductis.

Secundum Chronicon Judæorum inſcribitur: *Jeſu Beth R. Serira Gaon*: Reſponſa R. Serira Doctoris ſublimis. Interrogandi & reſpondendi methodo digeſtum eſt Opus ſanè breviſſimum. Præfuit Author Babylone, habuitque ſubjectas Scholas omnes & Academias ejus regionis. Munus inivit A. 967. abſolvitque intra ſpatium 30. annorum, demiſit tandem in filium ſuum R. Haiam, omnium poſtremum, qui *Gaon* vel Doctoris ſublimis titulo decoraretur. Eo præſide A. 1037. Rex Babyloniæ, Mahometiſmum profitens, Judæos omnes è ditione ſua expulit, quo edicto Scholæ Judæorum omnes deſertæ ſunt. Digeſserat Serira Academiarum ejuſmodi hiſtoriam, ac ſeriem Rabbinorum à Thalmud aduſque, qua vivebat, ætatem.

Tertium Chronicon titulo *Seder-olam-Zuta*, ſeu Chronicon minus, diſtinguitur ab alio, *Seder-olam-Rabba*, de quo ſupra. Scriptis mandatum fuit 1053. annis poſt everſum Templum, i. e. J. C. 1133. quo Authore incertum. Compendio ſcriptam refert hiſtoriam à creato Mundo aduſque annum J. C. 522. Ex quo adhuc 8. generationum non hiſtoriam, ſed nomina tantùm proſequitur.

Quartum Chronicon, *Sepher-Cabbala R. Abraham Levita Ben-Dior*: Liber traditionis Authore R. Abraham Levita filio Dior. Id potiſſimum ſpectabat Author, ut ſucceſſionem digereret eorum, qui veluti per manus & generationes præbuerunt traditiones Judæorum à Moyſe aduſque Scriptoris ætatem, qui florebat à J. C. 1160. Veſtigia premit Joſephi Ben-Gorion,

(a) D. Herbelot Biblioth. Orient. pag. 681. 939.
(b) Editum hoc datum fuit annu 235. Ægiræ.
(c) Prideaux tom. 3. præfet. in hiſtur. Judaic. Bartholoccius Bibl. Rabbi.

Gerion, cujus Operi nomen conciliando plurimùm contulit.

Quintum Chronicon *Sepher Juchaſin*, liber Genealogiarum amplitudine ſua ſingula alia quatuor ſuperat. Hiſtoriam ducit à creatione adusque annum J.C. 1500. Authorem habet *Abrahamum Zacbus*, qui Opus illud typis vulgavit Cracoviæ in Polonia An. 1580. Notat ſolertiſſime ſucceſſionem Judaicæ traditionis jam inde à monte Sinai ductæ, & Doctorum omnium, qui illam per ſucceſſiones ſæculorum docuerunt, nomina.

Sextus *Schalſcheleſh Havabala* vel Catena traditionis. Liber eſt hiſtoricus ejuſdem ſaporis cum præcedenti, publici juris factus Venetiis A. 1587. ab Authore R. *Gedalia* filio Jechaja.

Septimum *Zemach David*, vel *Germen David*. Init cum mundo, deſinit autem in An. J.C. 1592. vulgatum eſt Pragæ in Bohemia eademque recoquit ac præcedentia duo. Author eſt Operis *David Ganz* Judæus Bohemus; Latine vertit vulgavitque typis Leidenſibus Ann. 1644. Guillelmus Henricus Vorſtius filius Conradi Vorſtii.

Chronicon Moyſis Prophetæ, Hebraice: *Dibrei-Haiamim-Schel-Moſe*. Liber eſt fabuloſus rerum à Moyſe geſtarum, impreſſus Venetiis Anno 1544. Latine vertit D. Gaulminus.

Chronicon Samaritanum vulgavit D. Bernardus, communicavitque Authoribus Actuum Lipſienſium. Totum cum adnotationibus inſeruit D. Balnagius in ſuam Hiſtoriam Judæorum tom. 6. lib. 8. capit. 6. pag. 640. Hiſtoriam proſequitur à creato mundo adusque captam Samariam anno 1187. per Saladinum. Conciſum eſt maxime Opus & exactum minus. Vide v. *Samaritani*.)

CHRYSOLITUS, una ex gemmis Rationalis Summi Sacerdotis, in quâ nomen Zabulon cælatum erat. (a) Pellucida eſt, aureo colore, viridi admixto, nitidiſſimum fulgorem emittens. Hebræus habet *Tharſis*, quod nomen aliquando Septuaginta & S. Hieronymus *carbunculum* interpretantur. Rabbini Beryllum; ſed iſtis rem ignotam fuiſſe ſatis conſtat.

CHRYSOPRASUS, decima inter gemmas, in Cœleſtis Hieruſalem fundamentis locatas *Apoc.* 21. 20. Colore erat viridi, porro ſimillimo, ad aureum accedente, ut nomen ipſum innuit.

(CHRYTEUS. Vide *vitram*.)

CHUB. Vox apud Ezechielem 30. 5. tantùm occurrens, de Cubiis populis in regione Mareotide (b), fortaſsè intelligenda.

CHUN, ſive *Can*, Urbs Syriæ à Davide capta 1. *Par.* 18. 8.; eadem fortaſſe, ac *Cunna* in Itinerario Antonini; fortè *Gamma* Ptolomæi.

I. CHUS, primus filius Cham, & pater Nemrod (c). Hujus nominis unum tantùm in Scriptura cognoſcimus; plures vero regiones, ſive quod plures fuerint Chus, quam quos Scriptura nominet, ſive quod idem Chus domicilium ſubinde, & ſolum verterit. Nec me latet, Vulgatam, Septuaginta, ac veteres, novoſque Interpretes nomen *Chus* ut plurimum Æthiopiam reddidiſſe. Verùm de pluribus Scripturæ locis hæc interpretatio aperte fallitur, quare diverſæ hujus nominis acceptiones ſtatim ad examen revocandæ ſunt.

(Ejus nominis viro filio Chanaan, & Chami ex filio nepoti, filium tribuunt Orientales (d) nomine *Habaſchi vel Haboſchi*, patrem Abyſſinorum vel Æthiopum, quos Perſæ appellant *Indos nigros*. Nomen *Habaſchab*. Æthiopiam ſignificans, acceſſunt Grammatici Arabes ex *Habuſcha*, exprimente populum variis intermixtum gentibus, quarum origo varia, & ſimul in unum coaleſcentibus, quæ ſanè vera eſt origo nomini *Habaſchi*, quo ſimul cenſentur Abyſſini, Nubienſes, & Fonges. Nulla in ſacris Libris mentio ſive de Chus filio Chanaan, ſive de *Habaſch* filio Chus; ſed habent tantum Chus filium Cham, ex quo nati Saba (e), Hevila, Sabatha, Rhegma, Sabathaca, & Nemrod. Arabiæ portio, & potiſſimum quam nos Felicem appellamus, ſub communi olim Æthiopiæ nomine cenſebatur; quòd ſcilicet ſubactam ſibi Abyſſini diutius tenuerant. Dhou-Izen Rex Jemen, Perſarum armis adjutus Arabes illos depulit.)

II. CHUS. Eo nomine intelligi debet regio, quam Araxes alluit *Gen.* 2. 13. Qui Chus Æthiopiam interpretati ſunt, flumen *Gehon* cum Nilo confundendi authores fuerunt; cujus quidem opinionis defendendæ nulla apparet ratio. Nilus enim nimium ab Euphrate & Tigri diſtat, ut credantur ab uno, & eodem fonte Paradiſi Terreſtris originem duxiſſe. *Chus* igitur ad Gehon, de veteri Scythia ad Araxem intelligimus. Scythas enim primo regionem ad Araxem tenuiſſe, pulſoſque deinde à Maſſagetis, trajecto flumine in regionem Cimmeriorum ſe recepiſſe Herodotus eſt author l. 1. c. 201. Terminos Scytharum ad meridiem, Araxem & Phaſim Juſtinus l. 1. & 2. deſignat. Diodorus Siculus l. 11. narrat, Scythas in Indiæ viciniis primo regionem ad Araxem tenuiſſe, & ab iis Sacas, & Maſſagetas ortum duxiſſe. Nomen *Cuthæorum*, & *Cutharum*, è quibus *Scythæ*, ſeù *Scuthæ*, idem eſt ac *Chus*; ſolent enim Chaldæi in literam *tau*, *ſchin* Hebræorum transformare (f). Quare pro *Chus*, dicunt *Cuth*. *Cuthæi*, qui in Samaritidem ducti ſunt, originem trahebant è regione Medorum ad Caſpium. In viciniis ejuſdem regionis non obſcura ſuperſunt veſtigia veteris nominis Chus; *Quthi*, *Cethæi*, ſive *Coeta*, Cythæi: urbes *Cotatis*, *Cetemane*, *Cythanum*, *Cyta*, *Cytaia*, *Cethyxum*, *Cethena*.

III. CHUS. Joſephus *Ant.* l. 1. *cap.* 7. teſtatur, Æthiopes nomen Chus ſibi adſcripſiſſe, qua appellatione in univerſa Aſia cognoſcebantur. Idipſum Hebræos de illis ſenſiſſe ſcribit S. Hieronymus (g). Idem & Septuaginta. In Jeremia 13. 23. legimus: *Si mutare poteſt Æthiops* (Hebræus, Chuſæus) *pellem ſuam &c.* In Ezechiele 29. 10. *Dabo terram Ægypti in ſolitudines, à Magdal uſque ad turrim Syenes, & ad terminos Æthiopiæ* (Hebræus, Chus). In Iſaia 11. 11. Dominus promiſit *ſe revocaturum populi ſui reliquias ab Aſſyriis, ab Ægypto, à Phetturis, & ab Æthiopia* (Hebræus, à Chus). Hiſce characteribus Æthiopia ad meridiem Ægypti ſata exprimitur.

IV. CHUS. Bochartus Geogr. Phaleg. eruditè demonſtrat, extitiſſe regionem, nomine *Chus*, in Arabia Petræa, Ægypto conterminam; quæ ad latus orientale maris Rubri protenderetur, & in extremitatibus ejuſdem maris, ad Ægyptum, & Palæſtinam vergeret. Hujus ſententiæ hæc ſunt fundamenta. Sephora uxor Moyſis, quæ Madianitis erat, *Chuſitis* ab ipſo eodem Moyſe nuncupatur. Madianitidis vero regionem ad orientem Maris Rubri intrà Arabiam ſitam fuiſſe Joſephus, Ptolemæus, & Sanct. Hieronymus conveniunt. Huc igitur etiam regio Chus ſpectabat. Habacuc 3. 7. hæc duo nomina *Chus*, ſeu *Chuſan*, & Madian de una eademque regione uſurpat: *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ* (Hebræus Chuſan): *turbabuntur pelles Terræ Madian*. Job 18. 19. de topazio Chus mentionem ingerit. Porrò topazii in Inſula Maris Rubri propè regionem, de qua agimus, inveniuntur (h). Iſaias 18. 1. & Sophonias 3. 10. Ægyptum deſcribunt, tamquam regionem ſitam *trans fluvium Chus*, quod de fluvio Æthiopiæ intelligi non poteſt. Reges *Tharaca* 4. *Reg.* 19. 9. & *Zara* 1. *Par.* 14. 9. quorum ille in Sennacherib, alter in Judæam bellum intulerunt, regnabant in Chus, regione Ægypto, & Palæſtinæ contermina, ut ex ipſis hiſtoriæ circumſtantiis colligitur. En igitur tres regiones *Chus*, aperte in Scriptura diſtinctæ, & ab Interpretibus hucuſque confuſæ.

CHU-

(a) Ex. 28. 20. & 39. 19. Hebr. Tharſis. (b) Ptol. l. 4. c. 5.
(c) Geneſ. 10. 8. (d) Bibliot. Orient. pag. 409.
(e) Geneſ. 10. 7. (f) Chuſch Chut, ſeù Chuta ex quo Scytha.
(g) Hier. quæſt. Hebr. in Gen. (h) Plin. l. 37. c. 8. Strabo. l. 16.

CHUSA, OEconomus in Domo Herodis Agrippæ, viri Joannæ, de qua *Lucæ* 8. 3.

CHUSAI, ex urbe Arach, qui Davidem amicum ſuum, ob Abſalom (a) Hieroſolymis fugientem, in loco eminenti extrà Urbem ſito, capite cinere reſperſo, & veſtibus diſciſſis, aſſequutus eſt. Illum verò Rex ad Urbem remiſit, ut ſimulata cum Abſalom amicitia, conſilia Achitophelis, contraria ſuadendo, irrita efficeret; ſimulque ea omnia, quæ hoſtis moliretur, opera Summorum Sacerdotum Abiathar, & Sadoc, renunciaret.

Chuſai Hieruſalem regreſſus, Abſalomum adiit, eique operam ſuam, & fidelitatem promiſit (b). Nec ità multò poſt Achitophel propoſuit (c), ut ſibi 10000. militum concederentur, eadem nocte Davidem inſequuturo, quem itineris labore feſſum nullo negotio ſe oppreſſurum ſpondebat. Hujus conſilia Abſalom, & cæteris probantibus, ſolus Chuſai rogatus quid ſentiret, reſpondit ſibi contraria probari. Quippe cum David, ejuſque commilitones fortiſſimi manu, & injuriis acceptis feroces eſſent, utpotè rei militaris peritiſſimi, non in aperto campo, ſed in ſpeluncis hoſtem opperirentur.

Ab his ſi fortè Abſalomi exercitus incommodo aliquo afficeretur, vulgata protinus fama devictus crederetur; qua audita, fortiſſimus quiſque animis caderet. Se igitur authorem eſſe, ut collecto ex univerſo Iſraelis à Dan uſque Beerſabee exercitu, David vel in aperto ſignis collatis opprimeretur, vel in urbe clauſus unà cum illa caperetur.

Poſteriora conſilia prioribus præferenda viſa ſunt; Deo diſponente, ut Abſalom utilia conſulentem Achitophelem in ſuam perniciem negligeret. Deinde Chuſai ex condicto rem totam ad Davidem detulit; qui cum toto exercitu Jordanem trajecit, verens, ne Abſalom abjectum Achitophelis conſilium reſumeret. Quid de Achitophel actum ſit, diximus, v. *Achitophel*. De Chuſai nihil ultra novimus.

CHUSAN-RASATHAIM, Rex Meſopotamiæ, qui Iſraelitas octo annis oppreſſit (d). Demùm ab Othoniele, quem liberatorem Iſraelitæ precibus à Deo obtinuerunt, pulſus, liberos illos relinquere coactus eſt. *Judic.* 3. 8. 9. 10.

I. CHUSI, nuncium de victoria, & cæde Abſalom ad Davidem retulit (e).

II. CHUSI, pater Selemiæ. *Jerem.* 36. 14.

III. CHUSI, pater Sophoniæ Prophetæ. *Sophon.* 1. 1.

CHUTÆI, populi trans Euphratem, quibus Salmanaſar Samaritidem incolendam conceſſit, poſt adductos in captivitatem Iſraelitas (f). Illos è regione *Chus*, ſivè *Chuta* ad Araxem, derivamus, primaſque eorum ſedes, urbes Medorum à Salmanaſare, & ab ejus prædeceſſoribus occupatas (g), fuiſſe credimus; quæ poſtea regio Iſraelitis captivis decreta eſt, ut viciſſim Iſraelitarum regio, Chutæis. Eoſdem Deos, quos trans Euphratem coluerant, in novas ſedes tranſtulerunt; cujus criminis pœnas, immiſſis à Deo leonibus, luentes (h), ad Aſſaradonem Syriæ Regem, qui Sennacherib ſucceſſerat, rem detulerunt; cauſam hujus monſtri probabilem aſſerentes, ſcilicet Chutæos religionem Numinis, qui loco præerat, ignoraſſe; quod ille impunè fieri non fineret.

Aſſaradon ad malum avertendum Presbyterum Iſraelitam miſit (i), ut populos religione Dei Iſraelis erudiret. Presbyter imperata facturus, in Urbe Bethel domum ſtatuit, & religionis Iſraeliticæ ſcholam. Verùm cultus veri Numinis non uſque adeò inter illos invaluit, ut veterum Idolorum cultus excluderetur; quin potiùs religionem cum ſuperſtitione conjungentes, varia ſibi Numina variis in urbibus ſtatuerunt. Babylonii in ſuorum Numinum honorem erexerunt *ſucchot benoth*, ſcilicet tentoria quædam, in quibus juvenculæ proſtituebantur. Cuthæi ſimulachra erexerunt *Nergel*; habitatores Emath, *Aſima*; Hevæi, *Nebahas* & *Thartac*; incolæ Sepharvaim in honorem *Adramelech*, & *Anamelech* infantes ſuos igni abſumendos tradebant. De his omnibus Numinibus propriis locis agemus.

Hac igitur ratione cultu veri, & falſi Numinis à Cuthæis in unum confuſo, deinde Sacerdotes è trivio, viliſſimique, ut in collibus & montibus miniſtrarent, conſecrati ſunt. Quæ religionis facies diù perſeveravit, donec tandem excluſo penitùs Idolorum cultu, ſola Moſaicæ legis obſervantia obtinuit; quam adhuc Samaritani è Cuthæorum poſteris, profitentur. Hinc Samaritæ Judæos è captivitate Babylonica reduces requiſierunt (k), ut in ædificatione Templi Hieroſolymitani ſocii admitterentur; cum ſe jam inde à Rege Aſſaradone verum Deum coluiſſe jactarent. Miſſis idcircò Samaritanorum legatis, Zorobabel, Joſue filius Joſedech, & Seniores Judæorum reſponderunt, Judæis tantum facultatem Templi condendi à Perſarum Regibus fuiſſe conceſſam. Ex his datur conjecturæ locus, Veteres illos populos Templo caruiſſe; ac in ſingulis urbibus, & in montibus & collibus, lociſque quibuſdam religioſis Deum, ſeù Deos ſuos coluiſſe. Quare ſub Alexandro Magno facultatem erigendi Templi primò illos obtinuiſſe, Joſephus (l) eſt author. De Chutæis pleniùs diſſeremus in art. *Samaritani*.

CHYTROPODES, ollæ (m). Hæc vox occurrit *Levit.* 11. 35. cum Deus jubet ollas fictiles, in quas aliquid impurum ceciderit, comminui. Vox Hebræa *Kiraim*, quam S. Hieronymus ollam vertit, alii focum, clibanum, concham lavandis pedibus interpretantur. *Kiraim* etiam duale eſt, & vas ex duabus partibus compoſitum ſignificat.

CIBSAIM, Urbs Tribus Ephraim, inter urbes Refugii, & Levitis ex familia Caath deſtinata (n).

CICER, leguminis genus, quo ſibi pro neceſſario commeatu providebant Hebræi, cum iter ſuſciperent. Hoc toſtum comedebant; quare Berzellai fugienti Davidi *frixum cicer* inter cætera victui neceſſaria detulit (o). Qui mos, parandi cicer toſtum pro iter agentibus, adhuc in Ægypto viget, adeò ut, teſte Bellonio, Magnæ Cairi, & Damaſci pluribus in officinis venale proſtet (p). Eidem uſui hordeum torrent Æthiopes; & oriza deglabrata, ac præparata Turcæ utuntur. Vox Hebræa *cali*, propriè rem frixam generatim ſignificat; quare de hordeo, cicere, & oriza æquè intelligi poteſt; nec deſunt, qui de cicere *caffè* interpretentur. De alio ciceris genere, quod *ſtercus columbæ* appellatur (q), dicemus in ſuo articulo.

CICONIA, genus avis notiſſimum, Hebræis *chaſeda*, ſivè *chaſida*, ſcilicèt *miſericordia*, quo nomine fortaſsè hujus avis erga parentes charitatem deſignant, quos uſque ad mortem cibo, & cuſtodia tuetur. Avis eſt peregrina, regiones mitiores hyeme requirens: *hyrundo, & ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui. Jerem.* 8. 7. Hebræa vox *chaſida* quandoque à Septuaginta, & S. Hieronymo redditur *herodius*; nonnunquam, *pellicanus*. Verùm Interpretes unanimes vertunt, *ciconia*. Illas Moyſes *Levit.* 2. 19. *Deut.* 14. 18. inter impura rejecit. Nidos in altiſſimis abietibus conſtruunt, ut innuitur Pſalmo 103. 17. quod quidem in Palæſtina contingit, ubi domus in plano deſinunt, nec aſſurgunt in tectum. In noſtris verò regionibus, in culminibus turrium & domorum nidificant. Pietas hujus avis erga parentes ab Authoribus prophanis ſummopere celebratur: eamque Romani avem piam appellabant (r); & Poeta (ſ).

Ciconia etiam grata, peregrina, hoſpita
Pietati-cultrix, gracili-pes, crotaliſtria.

(a) 2. Reg. 15. 32. A. M. 2981. antè Ch. 1019. antè Ær. 1023. (b) 2. Reg. 16. 17. 18. &c. (c) 2. Reg. 17. 1. 2. &c. (d) Ab an. M. 2599 antè Ch. 1401. antè Ær. 1405. (e) 2. Reg. 18. 21. A. M. 2981. antè Ch. 1019. antè Ær. 1023. (f) Samaria capta eſt an. M. 3283. antè Ch. 717. antè Ær. 721. (g) 4. Reg. 17. 17. 24. comparatus cum c. 18. 34. & 17. 6. & 19. 12. 16. (h) 4. Reg. 15. 1. 25. (i) Circa an. M. 3295. Regnare cœperat an. 3293. antè Ch. 707. (k) 1. Eſdr. 4. 1. 2. An. M. 3469. antè Ch. 531. antè Ær. 535. (l) Joſ. Antiq. l. 11. c. 8. (m) Hebr. Kiraim. χυτρόποδες. *Concha*, *later*. (n) Joſue 21. 12. (o) 2. Reg. 17. 28. (p) Bellon. Relatio Æthiopiæ. (q) 4. Reg. 6. 25. (r) S. Ambroſ. in Hexaem. l. 5. c. 16. (ſ) Publius apud Petron. Vide Bochart. de anim. ſacr. t. 2. l. 2. c. 29.

(Ciconia avis roſtro & pedibus longioribus atque rubentibus, victitat anguibus, ranis & inſectis. Albentibus veſtitur plumis, extrema tantum alarum habens fuſca, & fuſcum pariter aliquid in capite & in femore. Ova ſua (quatuor tantum parit) fovet ſpatio 30. dierum. Abſtinebant olim homines ab eſu ciconiarum; modò in delicatiſſimis carnibus æſtimantur; recedunt è noſtris regionibus circa medium Auguſti, redeuntque primo vere. Affirmat Bellonius è ciconiis illam, quæ omnium poſtrema ad locum veluti condictum, undè ſimul omnes iter inſtituant, ſeſe contulerit, actutum necari; ac nocte in meridionalia tendere.

Præter vulgares illas ciconias, de quibus modò, nigram aliam noſcunt Ægyptii (Ibim appellant) ; eſt autem avis non ex alia regione migrans, ſed ibi perpetuò manens; de hac v. *Ibis*.)

CIDARIS, Pontificis Hebræorum mitra (a). Hebræus agens de mitra Summi Sacerdotis conſtanter legit *miznepheth*; aliorum verò Sacerdotum pileos *migbaoth* appellat. Haſce duas voces eandem rem innuere contendunt Rabbini, ac pileum Sacerdotum conſtare dicunt ex telæ vitta ſexdecim minarum, capiti obvoluta, caſſidis inſtar; nec alia cidaris Summi Sacerdotis ſpecies, quam quòd hujus obtuſior, Sacerdotum verò acutior eſt vertex ad inſtar *turbantis*. Cidari tamen Pontificiæ lamina aurea addebatur, de qua hic non agimus.

Joſephus (b) cidarim vulgarium Sacerdotum deſcribit conſtantem ex linea tela pluribus meandris obvolutam, & aſſutam, ut ſpeciem vittæ craſſioris exhiberet. Totam verò coronam tela ſuperpoſita, & uſque ad frontem deſcendens ità contegebat, ut ſuturæ non apparerent. Nec Pontificiæ cidaris formam aliter exhibet, niſi quòd eam totam protegebat aliud hiacynthini coloris tegmen, occiput, & utraque tempora contegens; illudque triplex aurea corona cingebat, tamquam calyculis herbæ hyoſcyami perpetuò ornata, præterquàm ubi aurea lamina collocanda erat.

S. Hieronymus pileum Sacerdotum inſtar hemicycli deſcribit, ſimillimum tegumento, quo Ulyſſes ornatus pingi ſolebat: *Tertiam partem a fronte inopertam relinquebat; atque ita in occipitio vitta constrictum erat, ut non facilè laberetur ex capite* (c). Ex lino tenuiſſimo confectum erat, ac tela affabrè ſuperimpoſita, ſuturarum conſpectum prohibebat. Hanc verò cidarim Hebræos *miznepheth* nuncupaſſe credit; ac demum addit: *Pileo, de quo diximus, tam Sacerdotes, quàm Pontifices utebantur.*

Ex his omnibus ſatis intelligimus, ea, quæ ad Sacerdotalem cidarim ſpectant, nondom nobis eſſe exploratа. Moyſes dicit Pontificiam cidarim ex *ſcheſch*, goſſypio ſcilicet, Sacerdotalem verò lineam fuiſſe. Poſteriorem vitta alligatam fuiſſe innuit Ezechiel, eaque in ſincipite nodo vinciebatur; prior verò auro, & gemmis, ac lamina aurea Dei nomine inſcripta præſtabat. Vox Hebræa *migbaoth*, pileum Sacerdotalem conſtanter deſignans, quæ à S. Hieronymo redditur *mitra*, pileum ad modum caſſidis exprimit. Vocem *miznepheth* pro tiara Pontificia uſurpatam S. Hieronymus vertit *cidarim*; & hanc credimus tiaræ erectæ Regum Perſarum (d) non abſimilem. In Iſaia legimus, Reges Juda pileum geſtaſſe, vulgò *zenuph*; quæ vox ab eadem radice ac *miznepheth*, derivatur. Cæterùm Hebræorum Sacerdotes nonniſi tecto capite Templum ingrediebantur; & adhuc in Oriente illiberalis, & inofficioſi hominis eſt caput coram aliquo aperire.

CILICIUM, ſagi genus, nigri, ſive ſubnigri coloris, quo Hebræi in luctu, & ærumnis utebantur. Cilices illud vel intexebant, vel artem illius conficiendi ex pilis caprarum in uſum agros colentium, militum, & nautarum, invenere (e). Hinc cilicii nomen. Septuaginta, & Hebræus habent *ſaccos*, quam vocem S. Hieronymus vertit, *cilicia*; fortè cilicia inſtar ſaccorum anguſta erant, & clauſa, vel ſacci ex eo panno conficiebantur. Nigri extitiſſe coloris ex Apocalypſi 6. 11. colligimus. *Sol factus eſt niger, tamquam ſaccus cilicinus.*

Jacob (f) falſum de morte Joſephi nuncium audiens cilicinum ſagum induit. Reſpha Saulis concubina (g), ſtrato in terram cilicio pro lecto utebatur, dum corporibus filiorum in crucem à Gabaonitis actorum excubias ageret. Achab (h) auditis, quæ Dominus contra illum paraverat, eadem veſte indutus prodiit. Cùm Samaria à Syris obſeſſa adeò crudeli fame affligeretur, ut fœmina quædam proprii filii carnes voraverit (i), rei atrocitate Rex territus, veſtibus præ dolore diſciſſis, cilicio ſuper nudo contectus apparuit. Hæc verò cilicia nihil habebant cum noſtris commune. Hinc cilicium, quo veteres Monachi pro veſte utebantur, veſtes erant panni rudioris, & craſſioris, nigreſcentes, quales Capuccini nunc etiam habent. S. Paulinus de S. Martino loquens ait (k):

Quin & contexto ſetis coopertus amictu
Exeſa aſſiduo compunxit acumine membra.

CIN, pater *Cinæorum*. *Num.* 24. 22. V. *Cinæi*.

CINA, ſivè *Cyna*, urbs Tribus Juda. *Joſ.* 15. 22.

CINÆI, populi ad occidentem Maris Mortui. Horum regionem intrà Arabiæ Petreæ fines longè excurriſſe ex eo intelligimus, quòd Jethro Moyſis cognatus, Sacerdos Madian eſſet, & Cinæus (l); ac Saulis tempore Cinæi inter Amalecitas habitarent (m). Ea, quæ cum Jethro & Moyſe neceſſitudo intercedebat, fecit, ut Cinæis omnibus, qui ſponte Judæis ſe ſubjecerant, regio ſervaretur, licèt ex iis eſſent, quorum ſedes Hebræis Dominus deſtinaverat (n). Cæteri, qui illorum jugum declinaverant, ad Idumæos, & Amalecitas ſe receperunt. Regio Cinæorum in ditione Tribus *Juda* ſita erat.

Balaam acceſitus à Balac Rege Moab, ut *Iſraelitas* diris devoveret (o), montem conſcendens, ubi exercitus Iſraelitici, & regionis Cin conſpectus patebat, ad Cinæos converſus; *Robuſtum*, inquit, *quidem eſt habitaculum tuum; ſed ſi in petra poſueris nidum tuum, & fuerit electus de ſtirpe Cin, quandiu poteris permanere? Aſſur enim capiet te.* Montes inacceſſos, & cavernas incolebant. Hinc eorum Pater Cin dictus eſt, quod nidum, cavernam, ſignificat; & Cinnim Græcè reddi poteſt *Troglodytæ*. Nabuchodonoſor eam gentem victam in ſervitutem traduxit (p). Quin & poſt Regnum Saulis altum de illis ſilentium eſt in Scriptura; quamvis cum Idumæis, & cæteris Arabiæ Petræ populis confuſi adhuc ſubſiſterent. De *Haber Cinæo* in ſuo articulo agemus.

(CINGULUS. Hebræi ſive in ædibus privatis, ſive foris cingulum non habent familiare, eo tantum utentes cum inſtant operi, ſive cum itineri ſeſe expediunt. Tunc enim cingulo luxuriantes prolixaſque veſtes pro more Orientalium noſtræ etiam ætatis coercent. Moſtrant id non rara utriuſque Teſtamenti exempla. Tobias junior nactus Angelum ſtantem præcinctum, & quaſi ad iter paratum, rogavit, ut itineris ſui ſocium ſeſe addere dignaretur. Dominus J. C. inſtruens ſe ad lavandos Diſcipulorum pedes, *Joan.* 13. 4. 5. *Cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe.* Balteo plerunque accinctos milites ſat conſtat: *Præcinxiſti me virtute ad bellum. Pſ.* 17. 40.

Sæpè autem pretioſi erant operis baltei, & fortis illa fœmina Prov. 31. 40. ditiſſimos, quos parabat, cingu-

(a) Exod. 28. 4. (b) Ant. l. 3. c. 8. (c) Hieron. ad Fabiolam.
(d) Xenoph. de exped. Cyri Junioris. (e) Virg. Georg. l. 3 v. 311. *Nec minus interea barbas incanaque menta Cinyphii tondent hirci, ſetaſque comantes, Uſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.*
(f) Gen. 37. 14. (g) 2. Reg. 21. 10. (h) 3. Reg. 12. 27. (i) 4. Reg. 6. 29 30.
(k) De Vita S. Martini l. 2. (l) Judic. 1. 16. & 1. 16. & 1 Par. 2. 55. (m) 1. Reg. 15. 16.
(n) Gen. 15. 19. (o) Num. 24. 11. 22. (p) Joſ. Antiq. l 10. c. 11.

cingulos, vendebat Chananæis, i. e. è Phœnicia mercatoribus. In uſu erant autem quà virorum, quà fœminarum; muliebres ſæpè appellantur *zonæ*. Quanti eſſent pretii ex hoc planè intelligas, quòd integras ſæpè Provincias Reges Perſarum Sponſis ſuis aſſignarunt, pro impenſis zonarum ſuarum (a). In Apocalypſi 1. 3. ſpectaodum ſe præbet Jeſus per viſum S. Joanni aurea zona adſtrictus; & ibi pariter ſeptem Angeli egrediuntur è Templo lineis veſtibus, aureiſque zonis induti. Viciſſim autem Prophetæ & cæteri quicunque pœnitudinis atque mundi contemptus ſtatum profiterentur, cingulis adſtringebantur pelliceis, vel coriaceis; ita de Elia propheta traditum eſt 4. Reg. 1. 8. & de S. Joanne Baptiſta Matthæi 3. 4. In luctibus pro cingulorum ornamento funes ſubſtituebantur, demiſſi animi dolentiſque argumentum. Minitatur Iſaias 3. 24. filias Sion, quæ muliebris cultus luxurie Dominum offenderant, redigendas eſſe ad cilicium, & ad cingulos funiceos. Et capite 22. 12. opprimendam edicit Juruſalem captivitate, cogendamque ad *planctum*, *ad calvitium*, *ad cingulum facci*.

Cingulus militaris, vel balteus. Ex humeris non demittebatur, ut olim apud Græcos; ſed adſtringebat renes, juxta vim phraſium ejuſmodi 2. Eſdræ 4. 18. *Gladio accinctus renes*, vel Ezechielis 23. 15. *Balteo accinctus renes*. Operis erant ferè ſemper pretioſi, & dabantur non ſemel in præmium militibus. Militi renuncianti Joabo ſpectaſſe ſe ex arbore ſuſpenſum Abſalomum dixit 2. *Reg*. 18. 11. *Si vidiſti, quare non confodiſti eum cum terra, & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos, & unum balteum?* Balteo pariter donatur David à Jonatha Saulis filio 1. *Reg*. 18. 4. Dei potentiam efferens Job, prædicat exui ab illo balteo Reges, accingi fune. *Job*. 12. 18.

De Sacerdotali cingulo egimus V. *Sacerdotales*.

Cingulo olim uſos Veteres pro marſupio tum alinnde, tum ex Novo Teſtamento conſtat. Vetat Jeſus Apoſtolis Matthæi 10. 9. *Ne pecuniam in zonis veſtris feratis*. Erant cinguli illi lati pariter, & ſinuoſi, uti Orientalium hodie, non malè referentes ſive anguis, ſivè anguillæ exuvias. Deſignans Aggæus, 1. 6. opificem fruſtraneo intentum labori: *Miſit eas* (pecunias) *in ſaccum pertuſum*. Horatius de homine, qui zonam ſeu pecuniam amiſit, Ep. 2. l. 1.

Ibit eò, quò vis, qui zonam perdidit.

In uſu erant pariter fœminarum cinguli ſinum adſtringentes. Filias Sion minitatur Iſaias 3. 24. pro vittis ſinum & mammillas adſtringentibus, cogendas fore ad cilicium. Et Jeremias 2. 32. *An obliviſcetur* (Sponſa) *faſcia pectoralis ſuæ?* Et Dominus Ezechielis 16. 10. Sponſæ ait: *Cinxi te byſſo*.)

CINIPHES. Vide *Siniphes*.

(CINIS. *Pœnitentiam agere in cinere & cilicio eſt* pro criminibus, ſive pro malo aliquo opprimente affligi. Aſſidere in ſacco & in pulvere vel in cinere phraſes ſunt S. Scripturæ familiares. Abraham ad Dominum Gen. 18. 22. *Sum pulvis & cinis*. Cinerem loco pluviæ demiſſurum ſe ſuper terram Dominus minitatur Deut. 28. 24. ut ſcilicet non fæcunditatem, ſed ſterilitatem promoveat, nec humore vireſcant arva, ſed ariditate deſolentur. Thamar inſignem illam injuriam illatam à fratre Amnone lugens, cinere caput reſperſit 2. *Reg* 13. 19. Pſalmiſta Pſ. 101. 10. acerbitatem doloris ſui hyperbole exaggerans, cinere ſe loco panis nutrire dicit; *aſſidebat cineri*; cinere caput inſperſerat, quæ ex capite in panem decidens alimentum corrumpebat. Jeruſalem apud Jeremiam Thren. 3. 16. queritur ali ſe cinere à Domino. Homo coaleſcens è cinere in avitum cinerem redibit, ait Job 34. 15.

Lixivium ſeu luſtralem quandam aquam conficiebant Hebræi è cinere vaccæ ruſæ, die Expiationis ſolemnis immolatæ, quæ ſanè cinis diſtribuebatur in populum. Hujus aquæ uſus erat eluendæ maculæ contractæ ſive ex contactu mortui, vel ſiquis funeri adſtitiſſet *Num*. 19. 17. *Heb*. 9. 33.

Supplicii quoddam genus obtinebat apud veteres Perſas, quò ſcilicet magnorum quorumdam criminum rei cineribus extinguebantur. Ita peremptus Menelaus, turbarum omnium in Judæa author & fomentum (b). Præceps ille actus eſt è turri 50. cubitis alta ad certum quoddam ſpatium aggeſto cinere oppleta. Miſer ille actus ex alto præceps infelici laborans conatu, ut ſe è periculo liberaret, magis magiſque ſuum ſibi aggravabat ſupplicium; quæ ſanè agitatio arte etiam promovebatur, ope rotæ nunquam non removentis circa illum cinerem, donec penitus ſoffocaretur. Vide v. *Supplicia*.)

CINNAMOMUM, genus aromatis, ex iis, quibus oleum ad inungendum Templum & vaſa, conficiebatur. Arbuſtum eſt, cortice ſuaviſſimi odoris, quam alii cum *cannella*, & caſſia aromatica confundunt, alii diſtinguunt. Cinnamomum, quod genuinum ſit, raro in officinis occurrit. Matthiolus fruſtra ſe exquiſiiſſe aſſerit; & jam inde à Galeni tempore nonniſi in Imperatorum ſcriniis reperiebatur. Olim 1000. denariis ſtabat; ſed pretium dimidio auctum eſt poſt Barbarorum excurſiones, authore Plinio l. 23. c. 19 Quo tempore balſamum in Judæa deſiit, & cinnamomum in Arabia deſiderari cœpiſſe Matthiolus autumavit. Aliqui ex Rabbinis, hebræum *cinnamon* de aloe dictum interpretantur.

(Veterum cinnamomum, de quo non ſatis exactè illi, ipſiſſimum eſſe cinnamomum, (la cannelle, cannella) noſtræ ætatis nemo amplius dubitat. Eſt autem cinnamomum iſtud cortex quidam oblongus, tenuis, in gyrum circumvolutus, colore è rubro in nigrum, ſapore acuto, aromatico & gratiſſimo. Ex inſula Ceylan totum probatum advehitur. Eodem etiam cinnamomi nomine cenſentur alii cortices, uti cinnamomum caryophyllaceum, cinnamomum album, caſſia lignea. Primum illud Cinnamomi genus cortex eſt arboris Ravendraſæ inſulæ Madagaſchar. Cinnamomum album cortex eſt arboris creſcentis in America, Jamaica, & S. Dominico. *Caſiam ligneam* refert arbor Katoukarva in Malabarica. Malunt alii corticem eſſe ſecundum cinnamomi.

Vix tamen inducimus in animum ſermonem habuiſſe Moyſem vel de cinnamomo Ceylan, vel Americæ. Nihil enim norant tunc de regionibus Americanis; nec extra veri ſpeciem credimus nullis adhuc incolis eas regiones frequentari. Nullum etiam adhuc inſtitutum erat commercium cum inſula Ceylan, vel Taprobana. Sed facilè non deerat cinnamomum in Arabia vel Æthiopia; vel fortè Hebræum *Cinnamon*, quo utitur Moyſes, aliud deſignat, quàm noſtræ ætatis cinnamomum. Legit Hebræus hic Exodi 30. 23. & Cantic. 4. 14. *Kin-namon*. Affirmat Matthiolus deſiiſſe Cinnamomum in Arabia, ut in Judæa balſamum. Expreſſa eo nomine videretur potius gummia quædam vel oleum, quàm cortex vel arbor aromatica.)

CINNERETH. Mare *Cinnereth*, ſeù Geneſareth, ſivè lacus Tiberiadis. Vide *Cenereth*.

CINYRA. Idem ac Hebræum *cinnor*, quod verti ſolet *cythara*, *lyra*, *pſalterium*. Hoc inſtrumentum ex ligno confectum, à Jubal filio Lamech ante diluvium excogitatum eſt *Gen*. 4. 21. Eodem coram Saule David canebat 1. *Reg*. 16. 16. 23. illud etiam in captivitate Levitæ ſalicibus ſuſpenderunt *Pſal*. 136. 2. Uſus ejus plurimus in Templo Hieroſolymitano (c). Sono fuiſſe lugubri, & triſti innuit Iſajas 1. 6. 11. *Venter meus in dolore meo quaſi cinnor ſonabit* (d). *Cynniros* apud Græcos triſtem, & deplorabilem ſignificare notat Heſychius. Joſephus Antiq. l. 7. cap. 29. ſcribit, cinyram Templi decem fidibus compoſitam, quæ plectro pulſabantur. Magnum eorum numerum ex electro Salomonem comparaſſe idem author l. 8. c. 2. teſtatur,

cinyras

(a) Plato Alcibiad. Athenæus l. 1. &c. (b) Machab. 13. 5. 6. Vide Valer. Max. lib. 9. cap. 2. Exter. 5. 6.
(c) 3. Reg. 10. 12. & 2. Par. 9. 11. (d) Vulgata: *Venter meus ad Moab quaſi cythara ſonabit*.

Digitized by Google

cinyras tamen Salomonis ligneas fuiſſe ex S. Scriptura novimus. 3. *Reg.* 10. 12.

Primus liber Machabæorum *cymram*, & *cytharam*, tamquam duo inſtrumenta recenſere videtur: *Templum renovatum eſt in canticis*, & *cytharis*, & *cinyris* (a). Alii in unum confundunt. Et quidem, ſi duo fuerunt, parùm inter ſe differebant, nec niſi fortaſsè numero fidium, & diſpoſitione; ſiquidem apud Authores veteres varii generis cytharæ non raro occurrunt. Ex eo verò inſtrumento cætera derivata eſſe non veterum tantùm, ſed et quoque noſtrorum temporum, quæ fidibus conſtant, præter controverſiam videtur. Licèt enim Græci honorem inventæ lyræ Mercurio tribuerint, ut & ejus artis ad perfectionem adductæ, aliis; hæc tamen de Græcia tantùm dicta credenda ſunt. Hæbræos enim diu ante Mercurium, & cæteros, Muſica, & inſtrumentis, iiſque ad perfectionem deductis, ceciniſſe conſtat.

CIRCUMCISIO. Vox à Latino verbo *circumcidere*, ſcilicet circum amputare; ſiquidem Judæi, cum circumciderent, pelliculam præputii maſculorum amputabant. Hanc Deus Abrahamo injunxit *Gen.* 17. 10., ut ſignum eſſet initi cum eo & poſteris ejus fœderis: *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me*, & *vos*, & *ſemen tuum poſt te. Circumcidetur ex vobis omne maſculum*, & *circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me*, & *vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris, tam vernaculas, quàm emptitias circumcidetur*, & *quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra .. .. Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo, quia pactum meum irritum fecit*. Dei juſſis Abraham obſequuturus, octuagenarius ſe filium Iſmael, ac Domeſticos omnes circumcidit.

Idem circumciſionis præceptum Deus innovavit, cum Moyſem inſtitueret (b); juſſitque eo Sacramento initiatos tantùm ad Victimæ Paſchalis participationem admittendos; circumcidi autem infantes die octava à nativitate. Hanc cœremoniam adeò religioſè ſervarunt Judæi, ut ne in Ægypto quidem neglexiſſe videantur. Moyſes vero, cum in Domo Jethro cognati ſui in Madian moraretur, à circumcidendis duobus filiis, ibidem natis, abſtinuit; quod etiam ſervatum eſt cum filiis Hebræorum, qui in itinere per deſertum naſcebantur: fortaſsè ne eo vulnere inter viæ incommoda, & itineris feſtinatione periclitarentur.

De Miniſtro, & inſtrumento circumciſionis nihil in Lege cautum eſt. Hinc liberum erat parentibus ſivè per ſe, ſivè per alium eo Sacramento liberos initiare. Utebantur autem cultro, ſivè novacula; quorum defectum Sephora uxor Moyſis lapide acuto ſupplevit (c); ſicut & idem inſtrumentum Joſue pro Iſraelitis adhibuit, qui in itinere per deſertum nati, diù circumciſionem diſtulerant (d). Hinc fortaſſe cultri lapidei Ægyptiorum pro ſecandis cadaveribus, balſamo condiendis (e), orti. Ejuſdem generis cultri præ ferreis, & æreis, vulneribus minùs noxii vulgò creduntur. Galli Matris Deorum Sacerdotes, præacuto lapide, ſeù teſta ſe mutilabant; vita periclitaturi, ſi aliter egiſſent (f).

Cœremoniæ, quas noſtra ætate Judæi in circumciſione ſervant, hæ ſunt (g). Poſtquam filius in lucem editus eſt, in quatuor cubiculi angulis totidem chartulæ hi verbis inſcriptæ, *Adam*, & *Eva: Lilith foras*, figuntur, ſingulæ in ſingulis (Lilith primam fuiſſe Adami uxorem tradunt Judæi; eam verò à Viro ſeparatam in aere degere, & puerperis, natiſque infantibus infeſtam eſſe) additis trium Angelorum nominibus, quibus veneficia, & ſortilegia diſſolvantur. Verùm hæ ſuperſtitiones non ab omnibus ſervantur.

Pater curare debet, ut filius die octava à nativitate circumcidatur, niſi diferre cogat filii languor, aut infirmitas. Noctem ante circumciſionem, quæ vigilia appellatur, familia omnis inſomnem ducit, filio excubias agens, & amicorum viſitationibus, & gratulationibus tempus fallens. Patrinus, & Matrina jam antea electi ſunt, ille detinendo infanti in circumciſione, altera deferendo ad Synagogam. Cœremoniam operaturi ex quolibet hominum genere ſeligi poſſunt, ne Patre quidem excluſo; quòd autem quis eligatur in *Moel* (ſic enim circumciſorem appellant) magno eſt honori. Domi, ſivè in Synagoga conferri hoc Sacramentum poteſt.

In loco ad eam rem deſtinato duo ſcabella ſerico pulvinari parantur, quorum alteri Patrinus Infantem detinens inſidet; alterum vacuum, ut nonnulli credunt, Eliæ Prophetæ relinquunt, quem toti cœremoniæ inviſibilem adeſſe ſomniantur; adeò Legis obſervantiam deperibat. Procedit Mohel lancem deferens, in qua inſtrumenta continentur, nempe novacula, pulvis ſtypticus, lineæ faſciæ, fila, & oleum roſaceum. Interim dum Matrina infantem deferens expectatur, adſtantes Cantica pſallunt. Ut ad Synagogæ fores Matrina fœminarum comitatu pervenit, ſubſiſtit, ac infantem Patrino tradit, clamantibus cæteris *Baruch haba*; Salve.

Continuò Patrinus loco ſibi deſtinato aſſidens, infantem in gremio aptat; Mohel verò faſciis revolutis, ſæpè argenteo forcipe, ſæpè etiam digito pellem præputii, quam præcidere ſtatuit, apprehendit, dicenſque: *Benedictus ſis Domine, qui circumciſionem præcepiſti*, ſumpta novacula craſſiorem præputii pellem abſcindit; tenuiorem verò, quæ ſupereſt, unguibus ſecat. Dein ſanguinem è vulnere profluentem ſemel & iterum ſugens, in craterem vino plenum expuit. Hinc vulnus cinnabari, corallino pulvere, aliiſque ad ſanguinem coercendum curat. His peractis, craterem, in quo vinum cum cruore, benedicit, ac infantis labia ter eo liquore madefacit, illud *Ezech.* 16. 6. recitans: *Ego dixi tibi, cum eſſes in ſanguinem tuo*, vive, collata puero antea benedictione, ac nomine impoſito. Hinc Pſalmus 128. canitur: *Beati omnes, qui timent Dominum*; eoque abſoluto infans Matrinæ redditur, domum ad matrem referendus. Patri verò, qui adſunt, gratulati, ut filii nuptiis ſuperſtes adſit, imprecantur. Vulnus infantis intra 24. horarum ſpatium obduci ſolet. Sunt qui etiam poſt mortem arundine puerum circumcidant, ſi ante octavam diem obire contingat.

Cum fœmellis has cœremonias, loco circumciſionis, ſervant. Mater 80. diebus domi moratur, (h) quibus evolutis, Synagogam adit, eamque excipit Cantor, benedictionem pro infantula recitans, cui etiam nomen à parentibus electum imponit. Quibuſdam in locis non mater Synagogam, ſed Cantor illius domum adit. Quod in Lege præcipitur, ut Mater fores Templi ſivè Tabernaculi adeat, & agnum, ſive turturem, aut columbam in ſacrificium offerat, poſt everſionem Templi abolitum eſt.

Diſputant Theologi, utrum circumciſio originale peccatum deleret; an merum eſſet ſignum, quo Judæi à Gentilibus diſtinguerentur. Veteres P. P. ante S. Auguſtinum, uti S. Juſtinus (i), S. Irenæus, S. Chryſoſtomus, S. Epiphanius, Hilarius Diaconus, S. Hieronymus, ac tandem S. Jo. Damaſcenus poſterioris ſententiæ aſſertores ſunt. S. Auguſtinus

deleri

(a) 1. Mach. 4. 54. & 13. 51. (b) Ex. 12. 44. 48. Lev. 12. 3. (c) Exod. 4. 25. (d) Joſue 5. 3.

(e) Her. l. 2. c. 86. (f) Plin. l. 35. c. 12. *Samia teſta matris Deûm Sacerdotes, qui Galli vocabantur, virilitatem amputabant, nec aliter citrà perniciem*. Ovid. Faſt. 4. *Ille etiam ſaxo corpus laniavit acuto*.

(g) Leo Modena p. 4. c. 8. Vide Diſſert. Jo. Jac. Quandt. de culris circumciſ. Hebræorum.

(h) Levit. 12. 5. 6. (i) S. Juſt. in Dial. cont. Tryph. Iren. l. 4. Chryſoſt. Hom. 39. in Geneſ. Epiph. hær. 30. Ambroſiaſt. in Rom. 4. 11. Hier. in Gal. l. 2. Damaſc. de Fide Orth. l. 4. c. 25. Aug. de nupt. & concup. c. 11. de Civ. Dei l. 16. c. 17. & de Bap. contr. Donat. l. 4. c. 24. Greg. l. 4. Moral. cap. 3. Bed. in Luc. 11.

deleri peccatum originale per circumciſionem probat, quòd S. Scriptura exterminandos pronunciet infantes incircumciſos; quos certe nullius criminis, niſi tantum originalis, reos credere neceſſe eſt. Idem S. Gregorio Magno, Bedæ, S. Fulgentio, S. Proſpero, S. Bernardo videtur, quibus Theologi vulgò adhærent. Vide noſtram Diſſertationem, Commentariis in Epiſtolas S. Pauli præfixam.

Hunc circumciſionis ritum adſciverunt Arabes, Ægyptii, Æthiopes, & Idumæi. Ex Ægyptiis vero in cæteros illos populos devenisse, magni nominis Authores autumarent. Celſus, & Julianus Apoſtata (a), quibus Marshamus, & Clericus aſſentiuntur, ex Ægyptiis Abraham circumciſionem petiiſſe aſſerunt. Verum Herodoti authoritas aſſerentis (b), circumciſionem ex Ægyptiis in reliquos populos effluxiſſe, uni tantùm innixa relationi Sacerdotum Ægyptiorum, cæremonias, & vetuſtatem ſuam jactantium, tanti facienda non eſt, ut S. Scripturæ præferatur, quæ hanc cæremoniam, tamquam in orbe novam, & inuſitatam, Abrahamo divinitus traditam fuiſſe narrat. Qui enim fieri potuiſſet, ut circumciſio Hebræos à Gentilibus diſtingueret, ſi cum Abrahamo tradita eſt, eadem apud Ægyptios, & alias Gentium nationes obtinuiſſet?

Quod ad Arabes, Sarracenos, & Iſmaelitas ſpectat, minor eſt ambigendi ratio, hunc ritum ex Abraham recepiſſe, quem, non ſecus ac Hebræi, generis ſui authorem agnoſcunt. Quamquam apud eas gentes circumciſio tanti non ſit, ut ſiquis illam neglexerit, è totius populi cœtu ſegregandus cenſeatur. Religionis potiùs, quàm neceſſitatis apud illos ejuſmodi cæremonia habetur. Samaritani, ſivè Cuthæi circumciſionem unà cum Moyſis lege admiſerunt. Idumæi, quamvis ex genere Abraham & Iſaac, nihil tamen minùs nonniſi poſtquam à Joanne Hircano debellati ſunt, circumciſionem, & Moyſis legem à victore populo traditas ſubierunt (c). Qui ſcribunt Phœnices eumdem ritum ſervaſſe, eo nomine Samaritanos intelligunt; quippè Phœnices cæteros ab eo abhorruiſſe liquidò conſtat.

Ægyptii non omnes æquè ad circumciſionem cogebantur; ſed quidam tantùm è Sacerdotibus, aliorumque generum homines. Philo *de Circumciſ.* ejuſdem ritûs rationes nonniſi naturales, & ſymbolicas exhibet; cui ſententiæ Veſlingius celeberrimus Medicus (d) in eo accedit, quòd credat Ægyptios viros & fœminas rationibus naturalibus adduci potuiſſe, ut illam admitterent. Verùm Artapanus ab Euſebio Præpar. Evang. l. 18. c. 9. laudatus aſſerit, eam ad Ægyptios ex Abrahamo deveniſſe. Hujus propagandæ in cauſa fuiſſe credit Origenes contra Celſum. l. 5. perſuaſionem palam receptam, quòd Angelus incircumciſos morte puniret; eo verò ritu initiati ab ejus ditione eximerentur. Sunt qui credant, Ægyptios Salomonis ætate primum illam ex Judæis recepiſſe. Bochartus verò non ab Hebræis, ſed ex Arabibus in Ægyptum fluxiſſe autumat. Qui tandem credant, Hebræos omnium primos eam cæremoniam ſervaſſe, frequentiſſimi ſunt. Vide Spencerum *de Leg. Rit. J.* l. c. 4. & noſtram Diſſertationem de origine Circumciſ. ad Com. in Gen.

Fœminarum circumciſio inter Hebræos nunquam uſu recepta, apud Ægyptios, & aliquas Arabiæ, & Perſiæ regiones obtinebat. S. Ambroſius (e) ſcribit Ægyptios virorum, & fœminarum circumciſionem ad annum ætatis 15. incipientem ſtatuiſſe. Fœminas apud Ægyptios circumciſioni ſubjectas eſſe etiam Strabo l. 17. teſtatur. At ex Medicorum & Itinerantium relationibus (f) non intelligimus morem hunc, adhuc in Ægypto vigentem, vel communem eſſe, vel neceſſariò ſervandum; ſed ut earum natura indiget, à pluribus, non ſingulis, fœminis recipi, & ſervari. Chardin (g) teſtatur illius ſubeundæ neceſſitatem nonniſi in aliquibus Regionibus Arabiæ & Perſidis impoſitam eſſe, uti ad Sinum Perſicum, & Mare Rubrum, ubi utriuſque ſexus omnes æquè circumciduntur; fœminæ tamen nonniſi poſt exactam adoleſcentiam; anteà enim pars non adeò excreſcit, ut abſciſſionem patiatur; viri autem vel quinto, vel ſexto, nono, ſive decimotertio ætatis anno.

(Reiterabaturne interdum circumciſio? nefas id planè apud Hebræos, quemadmodum apud nos nunquam iteratur Baptiſmus, ſemel illo initiatis. Cùm verò ad Judæorum ſacra tranſibat Proſelytus è gente, apud quam obtinebat circumciſio, uti è Samaritanis, Arabibus, Ægyptiis, ſi circumciſione jam fuiſſet obſignatus, abſtinebant tunc utique ab illa, contenti aliquas educere ſanguinis guttas è loco prioris circumciſionis; appellabantque cruorem illum *ſanguinem fœderis*. Samaritanos ad Judæorum ſacra tranſeuntes nova circumciſione initiari, tradit S. Epiphanius de ponder. & menſur. lib. 2. ita eum Symmacho ad Judaiſmi profeſſionem ſeſe conferente præſtitum eſt. Præſentes aderant, cæremoniæ majori authoritate roborandæ, tres teſtes, tum benedictiones in Deum cumulatæ, & precandi hæc formula recitata. *O Deus, fac reperire nos in Lege bona opera, & opem tuam, quemadmodum introduxiſti hunc hominem in fœdus tuum.*

Ejurantes Religionem ſuam Judæi, ſimul etiam ſigillum omne circumciſionis abolere in ſe conabantur (h), uti legas in Libro Machabæorum: *Fecerunt ſibi præputia, & receſſerunt à Teſtamento ſancto.* Morem hunc tegendi circumciſionem omnium primum invexiſſe Eſau, abolito in ſe fœderis cum Domino initi ſignaculo, ejurataque Abrahami & Jacob religione, tuentur Rabbini. Gemina etiam præſtitiſſe Iſraelitas in deſerto ſuſpicantur nonnulli: unde coactus Joſue, ſecundæ circumciſioni illos ſubjeciſſe (i) creditur. Ad reſtituendum ſibi præputium arte quadam uſi Judæi in perſecutione Romanorum poſt Templi everſionem feruntur; ſed illos, inquiunt, iterum ad circumciſionem adegit Barcochebas. Nequid ſimile præſtarent Chriſtiani ex Judæis metuere viſus eſt Apoſtolus 1. Cor. 7. 18. *Circumciſus aliquis vocatus eſt, non adducat præputium.*

Fatemur equidem, S. Hieronymum in Iſai. 52. & in Jovinian. lib. 1. aliosque nonnullos (k), autumaſſe circumciſionis ſignaculum altè adeò imprimi, ut aboleri non poſſet: *Neque enim poteſtatis noſtræ eſt adducere præputium poſt circumciſionem*; ſuſpicabantur proinde verba illa Machabæorum accipi oportere de parentibus circumciſione obſignare filios ſuos renuentibus. Origenes Periarchon l. 4. c. 2. affirmat, nunquam fieri poſſe ut ſemel abſciſſa pellis iterum ſarciatur;

(a) Vid. Orig. con Celſ. l. 1. & l. 5. Cyrill. cont. Jul. l. 10. Marsham Can. Ægypti ſæc. 5. Cler. in Gen. cap. 17.
(b) Herod. l. 2. c. 35. 36. (c) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 17.
(d) Veſling. Syntagma Anatom. c. 6. (e) Ambroſ. lib. 2. de Abraham c. 11.
(f) Vide Huet. not. ad Orig. p. 5. *Circumciſio Fœminarum fit reſectione clitoridis, quæ pars in auſtralium præſertim regionum mulieribus ita excreſcit, ut ferro ſit coercenda. Id tradunt Medici inſignes Paul. Æginet. l. 6. c. 70. Æth. tetrab. 4. ſerm. 4. c. 103. Quorum hic ita pergit. Quapropter Ægyptiis viſum eſt, ut antequàm exuberet (pars illa corporis) amputetur, tum præcipuè cum virgines nubiles ſunt elocandæ .... Porro hanc conſuetudinem circumcidendarum Mulierum hodieque retinere Ægyptios ferunt ii, qui regiones illas luſtraverunt, ignemque ad compeſcendam partis hujus luxuriem adhiberi. Scribit Bellon. l. 3. c. 28. morem hunc ſervare fœminas in Perſia & Cophtas etiam in Æthiopia, Chriſti licèt nomen profeſſas. Leo Africanus l. 8. narrat, Muhammedi lege id preſcribi quamvis in Ægypto tantùm, & Syria obtineat, munuſque id obire vetulas quaſdam per vicos Cairi miniſterium ſuum venditantes.*
(g) *Chardin. voyage de Perſe l. 3. p. 207.*
(h) 1. Machab. 1. 6. Antiq. lib. 12. c. 6. (i) Joſue 5. 2.
(k) Rupert. lib. 9. de Victor. cap. 18. Haimo. in 1. Cor. 7. 18.

farciatur; ſed Philocaliæ cap. 11. agnoſcit, plures ad tegendum probrum circumciſionis peritorum arte novam ſibi pellem inducere conari.

Quibus inſtrumentis & qua medicaminum ope ſarcirent pellem, ejuſque rei peritiam deſcribit S. Epiphanius de ponderibus & menſuris. Ea de re integro capite diſſerit Cornelius Celſus Medicus clariſſimus; nec fermè aliter rem tractat Galenus. Secretum regendo ſignaculo circumciſionis docuiſſe Æginetam & Faloppium habet Bartolinus de morbis Biblic. c. 20. Buxtorfius filius in ſua Epiſtola ad Bartolinum frequentes Judæos artem hanc, tanquam apud Deſertores religionis ſuæ uſitatiſſimam, innuentes, recenſet.)

I. CIS, filius Abi-gabaon & Maachæ. 1. *Par.* 8. 30.

II. CIS, filius Ner, & Pater Saul. 1. *Reg.* 9. 1. & 1. *Par.* 8. 33. & 9. 38. 39.

III. CIS, filius Abdi, Levita ex familia Merari. 2. *Par.* 29. 12

CISON, ſivè *Ciſſon*, aut *Kiſſon*. Torrens Ciſſon è valle Jezrael originem ducit; ac ſecundùm eam vallem ad meridiem montis Thabor fluit, quouſque in Mediterraneum in portu *Acco*, aliàs Ptolemaide, exoneretur.

CISTERNA. Frequentiſſimæ erant in Urbibus, & domibus, & agris Palæſtinæ. Cum enim urbes illius, ut plurimùm, in montibus ſitæ eſſent, nec niſi duobus per annum temporibus, verno ſcilicet, & autumnali, plueret, conſervandis aquis in animalium & hominum uſum, plures ciſternæ parari debebant. Ex his adhuc plures ſuperſunt; aliæ 150. paſſibus altitudinis, & 60. latitudinis; aliæ 122. paſſibus in altum, & 54. in latum effoſſæ. In urbe Rama, quædam occurrit 32. paſſuum in longum, & 28. in latum. Putei, ac ciſternæ non rarò in Scriptura confunduntur, ut & fontes, ac ſcaturigines.

(CLAMARE. Sanguis Abelicus effuſus clamavit è terra *Geneſ.* 4. 20. Clamor Sodomorum, i. e. criminum ejus gentis ad cœlum uſque aſcendit *Geneſ.* 18. 20. Clamor filiorum Iſrael oppreſſorum ab Ægyptiis aduſque Dei thronum pervenit. Exodi 3. 9. *Expectavi*, ait Dominus Iſaiæ 5. 7. *ut vinea mea faceret fructus juſtitiæ, & ecce clamor*. Job. 31. 38. *Si adversùm me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci ejus deflent*. Has omnes exprimendi phraſes minùs aptè altera quacumque phraſi redderemus.

Querentibus Phariſæis permitti à Jeſu Diſcipulorum ſuorum clamores illos *Luca* 19. 39. 40. *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini*; repoſuit: *Si tacuerint hi, lapides clamabunt*. In Pſalmo 146. 9. quo loco habet Vulgata: *Pullis corvorum invocantibus eum*; in Hebræo eſt: *Clamantibus ad eum*. Spiritus S. *clamat in cordibus noſtris*, *Abba* (*Pater*) *Rom.* 8. 15. Ubique in his teſtibus *clamare* per metaphoram uſurpatur. Id potiùs committet Deus, ut ſublati è lapidibus clamores reſonent, quàm ut Apoſtoli hac occaſione conticeſcant. Nunc tandem Dei opera implenda ſunt, tempus eſt ut Dei Filius palam omnibus manifeſtetur. Pulli corvorum clamant ſuo more ad Deum, neceſſaria poſtulantes. Spiritus S. tacitè in cordibus noſtris inſinuat ut clamemus ad Deum: *Tu es Pater meus*.

Eſt in Scriptura, cordis perinde ac vocis clamor. *Clamavit cor eorum ad Dominum Thren.* 2. 18.; & Exodi 14. 15. Deus ad Moyſem tacentem licet: *Quid clamas ad me?* Familiare eſt Prophetis ſtilo utentibus vivido, audaci, figurato, ut loquentia inducant bruta, arbores, animantes, terras, Urbes, cujus generis exempla, minùs tamen frequentia, non deſunt in prophanis Poetis.

Tandem clamare maximè in Pſalmis eſt enixis precibus iteratiſque clamoribus poſtulare.

CLAUDICARE *in duas partes Reg.* 8. 21. Vitio id vertit Iſraelitis decem Tribuum Elias; quippe qui Deum minùs ſyncero cultu venerarentur, auſi ejus religionem cum Numinibus conciliare. Deus Michææ 4. 6. *Congregabo claudicantem, & eam quam ejeceram*. Uxorem hanc incommodam, deformem, repudiatam iterum adſciſcam in torum, & florentis poſteritatis matrem efficiam. Sermo eſt hic de Judæis diſperſis & veluti derelictis à Deo. Gemina vide Sophoniæ 3. 19. Pſalmiſta 35. 15. de adverſariis ſuis: *In claudicatione mea læti ſunt*. Vulgata legit: *Et adverſum me lætati ſunt*. Jeremias 20. 10. *Omnis homo pacis meæ* amici ſimulati veri hoſtes) *obſervavit* (expoliavit) *claudicationem meam*. Vulgata: *Pacifici mei obſervantes latus meum*.)

CLAUDIUS, cujus nomen non rarò in Scriptura legitur. Cajo Caligulæ anno Chr. 41. ſucceſſit, ac annis 13. menſibus 8. diebus 19., ſcilicet ad annum J. C. 54. regnavit. Delati illi ab exercitu Imperii accipiendi, & conſervandi author fuit Agrippa. Cui proinde grati animi cauſa, totius Judææ regnum detulit, fratremque Herodem Chalcidis Regno præfecit (a). Inſtitutis contrà Judæos Alexandrinos ab incolis Alexandriæ querelis, finem impoſuit, Judæis in jure Civitatis, ſimulque libero religionis, & Legis exercitio confirmatis (b). Vetuit tamen, ne Romæ cœtus haberent (c).

Agrippa Rege defuncto, anno 4. Claudii, Chr. 44. Judæam in Provinciam redegit, ac Cuſpio Fado Procuratoris titulo adminiſtrandam commiſit. Circa hæc tempora fames, cujus Acta meminere (d), ab Agabo Propheta prædicta contigit; qua ſæviente, anno ſcilicet Chr. 44. Chriſtiani Antiocheni in ſubſidium fratrum Hieroſolymæ degentium, eleemoſynas per Saulum, & Barnabam miſerunt. Sequente anno Claudius ſancivit, ut Summi Sacerdotis veſtes impoſterum non à Procuratoribus Provinciæ, ut ipſi contendebant, ſed à Judæis ſervarentur (e).

Sub idem tempus Herodi Chalcidis Regi permiſit, ut de Templo, de ſacris pecuniis, de Summi Sacerdotis electione, & depoſitione ſuo arbitratu diſponeret. Tandem anno nono Imperii, & 49. Chr. Judæos omnes Roma expulit (f); cum quibus & Chriſtiani communem habuiſſe fortunam facilè creduntur, cum ne nomine quidem à Judæis diſtinguerentur, & Svetonius idipſum innuere videatur, ſcribens: *Judæos impulſore Chriſto aſſiduè tumultuantes Roma expulit*. Hæc de Claudio in Dictionario Biblico referenda erant, utpotè ad Judæos & Chriſtianos pertinentia. Cæterùm proditione conjugis Agrippinæ venenum incautus hauſit, quo extinctus eſt, relicto Nerone Imperii ſucceſſore.

II. CLAUDIUS LYSIAS, cupiarum Romanarum Tribunus. Cum Templo excubias ageret, viſo, quem Judæi in Paulum excitaverant, tumultu (g), illum è manibus hominum efferatorum ereptum, duabus catenis vinctum in Arcem Antoniam, quam cohors tenebat, cuſtodiendum adduxit. Ibi ad cauſam cognoſcendam quæſtionem inſtituens, Paulo in terram ſtrato, virgas expediri juſſit; ne tamen cæderetur obſtitit civis Romani privilegium, quod Paulus ea occaſione exhibuit.

Poſtridie Lyſias Judæorum Synhedrium coegit, cauſam tumultus quæſiturus. Paulus vero pro ſe dicturus animadvertens cœtum ex Phariſæis, & Sadducæis conſtare, orationem ita inſtituit, ut cauſam ſuam cum Phariſæis communem eſſe oſtenderet; acculatum ſe clamitans, quòd de reſurrectione mortuorum parta cum illis ſentiret. Cui plaudentibus Phariſæis, ac Sadducæis contra illos æquè ac Paulum tumultuantibus, Lyſias Paulum è cœtu ſublatum in arcem reſtitui præcepit.

Poſtera die quadraginta Judæi facta in Paulum conjuratione, cædem illius moliebantur; qua ad Paulum per

(a) Joſeph. Antiq. l. 19. cap. 4. de Bello l. 2. cap. 18.
(b) Antiq. l. 19. cap. 4. (c) Dio l. 60. (d) Act. 11. 28. 29. 30. Antiq. lib. 20. cap. 3.
(e) Antiq. lib. 20. cap. 1. (f) Act. 18. 2. Sveton. lib. 5. cap. 25. (g) Act. 21. 27. 28. &c. & 22. 1. 2. &c.
(h) Anno Æræ 53. (i) Antiq. l. 20. cap. 5. (k) Antiq. lib. 20. c. 6.
(l) Act. 23. 26. 27. &c. & 24. 1. 3. &c. Anno Æræ 58.

per Filium ſororis ſuæ & ab eodem ad Tribunum delata, noctu valida militum manu ſtipatus, idem Paulus Cæſaream tranſmiſſus eſt. Hæc ſunt, quæ de Lyſia hic ſcripſiſſe oportuit.

III. CLAUDIUS FELIX, in Præfectura Judææ Cumano ſubſtitutus (a). Druſillam ſororem Agrippæ junioris ſollicitavit (b), ut viro priore Aziſe Rege Emeſſeniorum repudiato, ſecum nuptias celebraret; cujus voluntati illa obſequuta eſt. Eleazarum Dinæi filium, valida latronum manu Palæſtinam infeſtantem, Felix Romam vinctum tranſmiſit (c). Jonatham Summum Sacerdotem Judæorum occidendum curavit, graviter ferens, quòd ab eo quandoque corriperetur. Coactam ab Ægyptio Pſeudo-Propheta circa Olivetum 3000. hominum manum diſſipavit. Cum S. Paulus Cæſaream ductus eſſet (d), ubi Felix ſedem fixerat, hic adeò in eum benevolum ſe exhibuit, ut familiarium colloquiis & ſervitute frui liberè permitteret; ſperans ea comitate magnam pecuniæ vim ſe lucraturum. Judæos illum accuſantes ita audivit, ut ſententiam, vel damnationis vel abſolutionis ad Lyſiæ adventum, qui illum Hieroſolymis vinctum tranſmiſerat, differre cenſuerit.

Cùm Felix quadam die cum Druſilla, quæ religione Judæa erat, colloqueretur, Paulum adduci juſſit; quem de caſtitate, juſtitia, ac de ultimi Judicii ſeveritate liberiùs diſſerentem, plurimùm conterritus, impræſentiarum in carcerem reduci juſſit; ſæpè tamen alias revocabat, ſpecie quidem, ut ejus inſtitutionibus proficeret, re tamen, ut pecuniæ ſubducendæ rationem iniret. Hinc lucri captandi ſpe, duobus annis illum in carcere detinuit, cauſæ finem imponere differens; hanc etiam Judæis gratiam præſtans, quorum animos plurimum jam irritaverat. Tandem Felix provinciam Porcio Feſto ſucceſſori cedens, Romam revocatus eſt an. Chr. 60. ubi à Judæis accuſatus de tributorum impoſitionibus, de vi, aliiſque criminibus, gratia, qua frater ipſius Pallas libertus Claudii pollebat, via ſupplicium evitavit (e).

CLAUDIA, Matrona Romana, opera S. Pauli Chriſti nomen profeſſa 2. *Timoth.* 4. Sunt qui illam uxorem credant Pudentis, cum eorum nomina à S. Paulo conjungantur, & Martialis Claudiæ cujuſdam uxoris Pudentis meminerit (f). Alii malunt illam conjugem Pilato tribuere, quæ receptam in Palæſtina religionem, Romæ retinuerit. Verùm hæc apocryphorum ſuſpicionem non evitabunt, quamdiù uxoris Pilati nomen, & religio aliis argumentis non demonſtretur. Alii tandem Claudiam ex Anglia arceſſunt, & A. Ruſo Pudenti uxorem adſciſcunt; ſed non meliori fide.

CLAVIS. De clavibus frequens in Scriptura ſermo occurrit, tam propria, quam allegorica ſignificatione. Claves apud Veteres longè aliæ erant ac noſtræ; quippè januæ, arcæ &c. vinculis quibuſdam alligabantur, claves autem illis inter ſe nectendis adhiberi conſueverant. Apud Orientales etiam noſtris quidem diebus feræ alterius ſunt formæ, ac noſtræ. Chardin refert eas ex ligno eſſe, quod parvæ inſtar cataractæ demiſſum, in ſubjectum lignum incidens medium, admovetur; attollitur verò ope cujuſdam lignei manubrii cuſpidibus in ſummitate armati, è ſuperiori parte in idem lignum adacti; quod manubrium clavim appellant. Vide etiam Dandinum *Voyage du mont Liban. Chap.* 4. & noſtram Diſſert. de Domibus Veter. Hebr. Commentario in Judices præfixam.

Clavis allegoricè non uno ſenſu uſurpatur. Iſaiæ 22. 22. *Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat.* Qua phraſi innuitur Eliacim in Regia Domo pro ſuo arbitrio diſpoſiturus, tanquam miniſter à Rege ſecundus. Eodem ſenſu Chriſtus *Matth.* 19. 29. claves Regni Cœlorum, poteſtatem ligandi atque ſolvendi (in quem uſum claves adhibebantur, ut ſupra innuimus) Petro commiſit; ſcilicet primas in ſua Eccleſia detulit. In eodem autem Iſaiæ textu dicitur Eliacim in humero claves geſtaturus; inſigne erat authoritatis quod & potentiæ. Hinc Callimachus de Cerere ait, clavem humero geſtaſſe. Hujuſmodi claves ligneæ erant, curvæ, & oblongæ, quales nunc apud Orientales adhibentur.

Chriſtus Phariſæis exprobrat, quòd cùm clavibus ſcientiæ potirentur, *Luc.* 12. 52. nec ipſi ſibi Regnum Cœlorum recluderent, nec aliis ingreſſum permitterent; cujus phraſis eſt ſenſus, illos, quamvis Scripturæ ſtuduiſſent, nec ſibi nec aliis veritatem aperuiſſe.

Tandem in Apocalypſi c. 8. ad indicandam ſupremam Chriſti authoritatem, qua de vita ac morte hominum ſuo arbitratu decernit, dicitur clavem habere mortis, & inferni, ſcilicet ſepulchri. Et cap. 3. 7. de eodem Chriſto uſurpantur verba, quæ de Eliacim ab Iſaia dicta ſupra retulimus; quod quidem jure optimo de illo aſſeritur, vitæ, & mortis, ſalutis, & interitus ſupremo Domino, & authore. Quatuor clavium genera ex Rabbinorum ſententia Deus ſibi reſervavit, ne Angelis quidem committere auſus, nempè pluviæ, ſepulchri, fecunditatis, & ſterilitatis.

CLAUTHMON, Græca vox, quæ Latinè reddita eſt *locus flentium*. *Judic.* 2. 5. in Hebræo tamen *Bochim* legitur. Hujus meminit & 2. *Reg.* 5. 24. *Et cum audieris ſonum gradientis in cacumine pyrorum* (Hebr. Bochim) *tunc inibis prælium*. Huc pariter ſpectare videtur Pſ. 83. 7. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum.* Alii verò Hebræum *Bochim* reddunt *pyra*, & *morus*; quare pro valle lacrymarum habent *valle moris conſita*.

Hunc locum, cujuſcumque tandem eſſet nominis, alii in Silo ſitum fuiſſe credunt, ex eo ducti, quòd Angelus in locum *Bochim* ad populum deſcendiſſe, ibidemque populi congregati ſacrificia obtuliſſe narrantur. *Judic.* 2. 5. Sacrificia autem offerri nonniſi in loco, ubi Tabernaculum collocatum erat (erat autem in Silo) in Lege permittebantur. Alii Bochim propè Jeruſalem fuiſſe malunt; ſiquidem prælium, quo David Philiſthæos in valle Bochim fudit 2. *Reg.* 5. 24. propè Hieruſalem præter controverſiam initum eſt. Vel igitur duo loca ejuſdem nominis diſtinguamus; vel ſi unum tantum, prope Jeruſalem collocemus oportet.

CLAVUS. Chriſtum clavis Cruci confixum fuiſſe, Evangelio apertis verbis aſſerente (g), & Pſalmiſta prædicente, *Foderunt manus meas, & pedes meos. Pſal.* 21. 17. nemo in controverſiam revocaverit. In numero clavorum non ita facile convenitur. Græci quatuor aſſignant. S. Gregorius Turonenſis de Glor. martyr. l. 1. c. 6. ultra quatuor, ſingulos ſingulis manibus ac pedibus, addit quamdam baſim pedibus ſuppoſitam, corporis ponderi excipiendo, ne clavis incumbentes manus mediæ ſcinderentur. Duos ex his clavis ab Helena Imperatrice duobus longè diverſis uſibus adhibitos idem S. Gregorius commemorat; ex altero enim frænum equo filii ſui Conſtantini confecit, alterum in Mare Adriaticum ad ſedandam procellam conjecit; alterum denique in caſſide Imperatoris Conſtantini ab eadem poſitum alii tradunt (h).

Apud Latinos verò magis invaluiſſe videtur ea opinio, tres quæ tantummodo clavos admittit, ſingulos ſingulis manibus, alterum duobus ſimul pedibus configendis. Veteres Crucifixi imagines apud noſtros ferè hanc formam referunt. Nonnus (i) catenarum etiam meminit, quibus brachia Chriſti Cruci revincta fuerunt; & S. Hilarius funes ad hunc uſum adhibitas memorat. In pluribus per Orbem Templis clavi ſeù clavorum Chriſti partes ſervantur; ex iis tamen neque

clavos

(a) An. Ær. 53. (b) Antiq. l. 20. cap. 5. (c) Antiq. lib. 20. c. 6.
(d) Act. 23. 26. 27. &c. & 24. 1. 2. &c. An. Ær. 58. (e) Antiq. l. 20. c. 7.
(f) Vide Bolland. 19. Mai. (g) Joan. 20. 26. Luc. 24. 39.
(h) Theodoret. l. 2. hiſt. Eccl. c. 18. Ambroſ. &c. (i) Nonnus in Jo. Nazianz. Poemat. de Chriſto, &c.

clavus plures quàm quatuor fuiſſe, neque eos omnes veros eſse, vel ſuppoſititios, prudenter ſatis dubitare poſsumus. Vel enim, ut mox innuimus, partes tantummodò ſunt clavorum Chriſti, vel clavi ſunt, non ad corpus Chriſti configendum, ſed ad uſum Crucis, ſuppedanei, & tituli deſtinati; qui tandem pro clavis ipſis Chriſti uſurpari cœperunt.

(Denunciat Moyſes Numeror. 33. 55. futurum, ut ſi Hebræi præpoſtera tangantur in Chananæos miſericordia, habituri ſint illos quaſi clavos in oculis, & lanceas in lateribus; vel juxta Interpretes nonnullos, velut acus in oculis, vel tanquam haſtas in lateribus. Sæpè *clavi* nomen uſurpatur pro paxillo, qui figitur in terra, ad firmanda tentoria. Iſaias 33. 20. Novam Hieroſolymam deſignans ſub allegoria tentorii erecti: *Non auferentur*, ait, *clavi ejus in ſempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur*. Et cap. 22. 23. de Heliacim filio Helciæ: *Figam illum paxillum in loco fideli* (ſtabili) ... *& ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus Patris ejus* (quæcunque ſcilicet pretioſa conduntur in domo).

Ad *Clavos* Jeſu Chriſti quod attinet diſputatum eſt à nonnullis, an ſat fuiſsent clavi ſuſtinendo ponderi totius corporis; viſum eſt autem pluribus addere in ſubſidium, ne ingraveſcente pondere manus dilacerarentur, viſum eſt, inquam, addere continendis pedibus baſim quandam vel ſcabellum, & præter hæc lignum quoddam extans, cui crucifixus velut adequitaret (a). Sed Bartolinus egregiè demonſtravit, non ſuperſtitem tantùm hominem clavis utraque manu affixum detinere poſse in cruce ſuſpenſum; ſed & commodè etiam ſuſtineri hominem mortuum: conſtat equidem factum non ſemel, ut infimis pedibus vel medio corpori fulcimentum aliquod ſuſtinendis in cruce corporibus adderetur; ſed ideo id præſtitum, ne pondere adigerentur in terram corpora, diu poſt mortem putredine jam diffluentia, cum ſcilicet retinendis manus valerent clavi. Videſis de hoc argumento Epiſtolam Nicolai Fontanæ, ubi exempla quædam hominum, quos affixæ vel ambæ manus, vel unica, vel pellis lateris continuerunt ſuſpenſos.)

CLEMENS, cujus nomen S. Paulus in Epiſt. ad Philippenſes 3. in Libro vitæ deſcriptum eſse teſtatur. Hæc de Clemente, qui poſt SS. Linum, & Cletum Romanæ Eccleſiæ præfuit, melior Patrum, & Interpretum pars dicta interpretantur; quorum opinioni Eccleſia acceſſiſse videtur, dum in Officio S. Clementis lectiones ex eodem Epiſtolæ loco deſumpſit. Grotio tamen Clemens, de quo in Epiſtolis S. Pauli, merus Philippenſis Eccleſiæ Presbyter fuiſse videtur.

Quæ de illo in vita ipſius, in libro Recognitionum, & in Conſtitutionibus Apoſtolorum referuntur, plura ſunt; ſed cum horum librorum authoritas minimè aſserta ſit, quamvis veritates, & primorum ſæculorum traditiones aliquas fortaſse contineant, ſuſpectis adeò teſtimoniis credere non audemus. S. Chryſoſtomus (b) Clementem illum, de quo in Epiſtolis S. Pauli, jugem Apoſtolo ſocium fuiſse opinatur. S. Irenæus, Origenes, S. Clemens Aleſandrinus, aliique Veteres teſtantur, Clementem Apoſtolorum diſcipulum fuiſse, quorum colloquiis & inſtitutionibus profecerit. S. Epiphanius, S. Hieronymus, Rufinus, Beda, & alii nonnulli ſcribunt, Apoſtolos Petrum & Paulum cum ſe itineribus occupatos cernerent, urbemque Romanam Epiſcopo vacuam relinquere incongruum ducerent, ſui muneris vicem Lino, Anacleto, & Clementi detuliſse, quos Epiſcopos inſtituerunt. In Conſtitutionibus (c) legimus S. Linum, à S. Paulo ordinatum; Tertullianus verò & S. Epiphanius, Clementis initiationem S. Petro adſcribunt. Rufinus aſserit, Apoſtolum Petrum eumdem Clementem in ſucceſsorem ſelegiſse. Verum S. Epiphanius credit, illum, poſtquam à Petro in Epiſcopum Romanum electus fuit, ſponte eam dignitatem dimiſiſse, donec poſt mortem SS. Lini, & Anacleti iterum reſumere coactus eſt; quam opinionem vulgò Scriptores ſequuntur. Hinc S. Petro ſubſtitutus eſt S. Linus; huic verò Anacletus; cui tandem S. Clemens ſucceſſit (d), anno Chr. 91. Domitiani decimo.

Is Pontifex, orto in Eccleſia Corinthiorum diſſidio, Epiſtolam ad illam ſcripſit: quam Veteres tanti faciebant, ut publicè in Eccleſiis legeretur; nec deſunt, qui inter canonicas Scripturas illam recenſuerint; eamque ad nos integram tranſmiſerunt. Cum Domitianus perſecutionem in Chriſtianos meditaretur, Hermas divinitùs de illa admonitus, S. Clementi Pontifici rem totam aperire juſsus eſt (e), ut Eccleſias cæteras quid factu opus eſset, inſtrueret. In ea perſecutione quid S. Clementi acciderit, ignoramus; conſtat verò, illum uſque ad tertium Trajani annum, & Chr. 100. vitam produxiſse (f). Feſtum ipſius ad diem 23. Novembris Beda, & omnia Latinorum Martyrologia conſignant; cum apud Græcos die 24. ſeu 25. ejuſdem menſis celebretur. Martyris titulum à Rufino, & Pontifice Zoſimo obtinent; ſimulque inter Sanctos, qui ſanguinem pro Chriſto fuderunt, ab Eccleſia in Canone recenſetur.

In veteri hiſtoria (g), traditum eſt, S. Clementem in Cherſoneſum ultrà Pontum Euxinum exulaſse ſub Trajano; ubi & novum fontem refocillandis Confeſsoribus unà ſecum relegatis, precibus impetraſse, & circumjacentem regionem, ſpatio unius circiter anni, quo ibidem moratus eſt, ad fidem adduxiſse, donec miſsus à Trajano Præfectus eum in mari demergi juſſit, anchora collo alligata. Hæc tamen minimè obſtitit, quin ipſius corpus Chriſtianorum obſequia, & honorem tumuli obtineret; quippè mare ad tria milliaria recedens Templum marmoreum, in quo illius oſsa marmoreo ſepulchro condita, exhibuit. Illud autem prodigium ſingulis annis, recurrente feſto *ipſius die*, innovari in eadem hiſtoria legimus.

CLEOPATRA. Plures hujus nominis Feminæ in Scriptura vel innuuntur, vel exprimuntur.

I. CLEOPATRA, Antiochi magni filia, quam Pater Ægypti Regno inhians, Ptolomæo Epiphani Regi Ægypti, adoleſcenti adhuc, deſpondit; filiam ſibi adjutricem futuram ratus in ea, quam tentare conſtituerat, ejuſdem Regni acquiſitione. Verùm Sponſi negotiis potiùs, quam iniquis Patris conſiliis Cleopatra proſpexit (h). Huc ſpectaſse Danielem credimus illis verbis: *Et ponet faciem ſuam, ut veniat ad tenendum univerſum ejus* (Regis Auſtri, ſcilicet Ægypti) *& recta faciet cum eo; & filiam fœminarum dabit ei, ut evertat illud.*

II. CLEOPATRA, filia Cleopatræ, de qua egimus, & Ptolomæi Epiphanis. Fratrem ſuum Ptolomæum Philometorem duxit; de quibus utriſque ſermo eſt *Eſther* 11. 1. *Anno quarto regnantibus Ptolomæo, & Cleopatra, attulerunt Doſitheus, qui ſe Sacerdotem, & Levitici generis ferebat, & Ptolomæus filius ejus*; attulerunt autem Librum Eſther, ſeu Epiſtolam Purim, ex Hebræo in Græcum tranſlatam opera Lyſimachi filii Ptolomæi (i).

III. CLEOPATRA, filia ſecundæ hujus Cleopatræ, & Ptolomæi Philometoris, conjux verò primùm Alexandri Balæ Regis Syriæ; quam poſt quatuor annos pater priori viro ereptam, Demetrio Nicanori alteri Syriæ Regi deſpondit. Verum cum Demetrius apud Parthos captivus, Radegunam Arſacis Re-

(a) Juſtin. contra Tryphon. Iren. lib. 2. cap. 42. *Ipſe habitus crucis fines & ſummitates habet quinque, duas in longitudine, & duas in latitudine, & unam in medio, ubi requieſcit, qui clavis affigitur.* Vide Bartolinum de Cruce cap. 1. de ſedili medio.
(b) Chryſ. hom. 1. in Timoth. 1. Iren. l. 3. c. 3. Orig. princip. l. 2. c. 3. Clem. Alex. l. 4. Strom. (c) Conſtit. l. 7. c. 46. Tertull. de Præſcript. c. 32. Epiph. hær. 27. c. 6 Rufin. Recogn. prim. parte. (d) Iren. l. 3. c. 3. Euſeb. l. 3. c. 3. 4. 21. Hiſt. Eccl.
(e) Hermas Paſtor. l. 1. c. 2. (f) Euſeb. l. 3. c. 34. Hiſt. Eccl. Hieron. de Viris illuſtribus c. 15. (g) Coteler. Patres 1. ſæc. p. 8. 28.
(h) Hieron. in Dan. 11. 17. Appian. Syriac. (i) An. M. 3827. Per. Jul. 4537. ante Chr. 173. ante Ær. 177.

Regis Parthorum filiam duxiſſet, Cleopatra tertias nuptias cum Antiocho Sidete, Demetrii fratre, celebravit. Tandem eodem Demetrio in Regnum ſuum regreſſo, Cleopatra reſciſſum cum eo conjugium reſtauravit. Licèt autem de hac Cleopatra nulla fiat in Sacris Libris mentio, illius tamen Commentaria in Machabæos meminere. Venenum, quod Grypho filio ſuo paraverat, ab eodem coacta hauriens, obiit. (a)

IV. CLEOPATRA, ſoror, & conjux Ptolemæi Phyſconis. Poſt viri mortem, Regnum ad juniorem ex duobus filiis deferre molita, cùm ab optimatibus Lathuri majoris natu jura negligere non permitteretur, tantum turbarum in illum concivit, ut in Cyprum confugere coegerit. Illa Judæis Ægyptiis unicè fidebat; è quibus Cheleiam, & Ananiam copiis ſuis præfecit (b). Filium Lathurum ne in Cypro quidem quietum reliquit; quare eadem Inſula relicta ab incolis Ptolemaidis accitus, ut eos ab obſidione Alexandri Jannæi Regis Judæorum liberaret, in Palæſtinam venit. De hac Cleopatra vv. *Ptolemæus Phyſcon*, & *Ptolemæus Lathurus* ſermo redibit.

Alexander Jannæus, auditis Cleopatræ & Lathuri inimicitiis, cum altera contra alterum fœdus iniit (c). Regiæ copiis ſub Ananiæ ductu Ptolemais urgeri cœpit (d), ac deinde Regina ad exercitum ſuperveniente, urbs ad deditionem adducta eſt. Cleopatra urbem ingreſſa, Alexandrum ſe ſalutaturum, & dona offerentem excepit; quem ut opprimeret, totamque Judæam in ſuam ditionem redigeret invidis ſuggerentibus, Ananias obſtitit, rei difficultate Reginæ expoſita; quippè Judæos in toto Orbe diſperſos, ſi quid gravius in illos tentaſſet, hoſtes eſſet habitura. Igitur Cleopatra cum eodem Alexandro Scythopoli fœdus innovavit (e). Necem, quam filio Alexandro Ægypti Regi inferre meditabatur, ipſa ab eo præoccupata, ſubire coacta eſt (f). Alexander 18. annis unà cum matre regnavit. Vide Ptolemæus Lathurus.

V. CLEOPATRA, ultima Ægypti Regina, Ptolemæi Auletis, ſcilicet tibia canentis filia. Duobus fratribus, & ſorore Arſinoe propriæ ambitioni litavit. M. Antonium adeò illexit, ut repudiata Octavia ſorore Auguſti, ad ſuas nuptias induxerit. Nullum illi, ſivè cum Chriſtianis, ſivè cum Judæis de religione negotium; ejuſque nomen nunquam in Scriptura occurrit; cùm tamen Alexandræ matri Mariamnes, & ſocrui Herodis Magni familiaritate jungeretur, eam invitavit, ut in Ægyptum unà cum filio Ariſtobulo proficiſceretur, relicta Herodis Regia, in qua non omnia ſibi pro votis ceſſiſſe ab ea per literas reſciverat. Quæ res ab Herode intellecta de inferenda illi nece initum jamdiù conſilium non parùm promovit; quod & aliquibus poſt annis executioni mandatum eſt, primum in Ariſtobulo (g), inde in Alexandra anno M. 3970. ante Chr. 30.

Hoc facinus ab Herode patratum Antonius, inſtigante Cleopatra, ulturus, ad ſe Herodem accivit. Hujus tamen muneribus, & liberalitate ita captus eſt, ut eum amici loco deinceps habuerit. Exeunte anno M. 3970. Cleopatra ab Euphrate redux, in Judæam venit. Quam Herodes regio apparatu excepit; ſed ab ea ad turpes amores inſtigatus, eidem non acquievit, verùm etiam à nece illi inferenda ſolo amicorum conſilio deterritus abſtinuit. Tandem Peluſium uſque comitans, muneribus cumulatam dimiſit (h). Paulò poſt Antonius in Actiaco prælio ab Auguſto fractus, in Ægyptum ad Cleopatram regreſſus eſt, victore ipſum inſequente, Cleopatra aſpidis morſu mortem ſibi concivit.

CLEOPHAS, quem veteres Patres (i) S. Joſephi fratrem, & Jacobi filium dicunt, filios habuit S. Simeonem Epiſcopum Jeroſolymitanum, S. Jacobum Minorem, S. Judam, S. Joſephum, ſeu Joſe. Uxorem duxit Mariam, Virginis Deiparæ ſororem; quare Chriſti avunculus, ejuſque filii illius conſobrini fratres fuere. Tota hujus familia cum uxore, & filiis inter fideles Chriſti diſcipulos recenſebantur, eumque Iſraelis Redemptorem fatebantur. Verùm ille non ſatis myſterium Crucis, & mortem ipſius aſſequutus videbatur. Quare eum exanimatum conſpiciens, omnem ſalutis ſpem, quam conceperat, abjecit.

Igitur tertia à morte Chriſti die, eadem qua Chriſtus reſurrexerat, ad Emmaus cum alio Diſcipulo (k) tendenti, ac mutuos cum eo de ea re ſermones miſcenti Chriſtus Jeſus ſub itinerantis forma comitem ſe adjunxit; qui Scripturas de morte ſubeunda interpretans, nutantium fidem confirmavit. Cum inter eundum ad Emmaus propè acceſſiſſent, Jeſum cœptum iter proſequi ſimulantem, ut ſecum cœnaret, coegerunt. Menſæ tamen aſſidentem, ac panem poſt collatam benedictionem, convivis diſtribuentem, tandem apertis mentis oculis cognovere. Verùm vix cognitus, protinùs ab eorum oculis raptus eſt.

Illi è veſtigio Hieruſalem regreſſi, Diſcipulos de iis, quæ ſibi contigerant, certiores fecere; à quibus cum viciſſim Chriſtum Petro viſum didiciſſent, inter loquendum Chriſtus repentè eorum medium ſe exhibuit, januis licet occluſis, comiter omnes ſalutans ac illis benedicens, confirmanſque, primò vulnera manuum & pedum oſtendit; deinde, guſtato cibo, Scripturarum ſenſus aperuit; ac tandem ſingulis prædicandi Evangelii poteſtatem contulit.

De geſtis S. Cleophæ nihil ultra novimus, niſi quòd martyrem obiiſſe, à Judæis occiſum in eadem Domo, in qua Chriſtum convivio excepit, Uſuardus, & Ado tradunt. Quibus S. Hieronymus Ep. 27. ſuffragari videtur, dum eandem domum inhabitaſſe credit. Hanc, ſucceſſu temporis, in Eccleſiam tranſlatam fuiſſe ferunt. Verùm, ſi Cleophas pater SS. Jacobi, Judæ, Simeonis, & Joſe, nec non frater Joſephi credatur, non alibi aptiùs, quàm in Galilæa, unde originem traxiſſe videtur, illius domicilium ſtatuitur. Feſtum ipſius die 25. Septembris à Latinis colitur; die verò 13. vel 30. Octobris à Græcis, apud quos Apoſtoli titulo decoratur.

CLERUS, vox à Græco *Cleros*, ſcilicet *portio*, unde illud 1. Petri 5. 3. *Neque dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo*, nempè cavete, ne dominium exerceatis ſuper hæreditatem & gregem Domini, vobis commiſſum; quem vos potiùs veſtro exemplo dirigere, & paſcere debetis. Alii (l) legunt: *Neque dominantes in Clero*; quibus verbis intelligunt inhibitam Epiſcopis deſpoticam, & effrænem in Presbyteros, Diaconos, cæteroſque Clericos authoritatem.

Vox *Cleros* occurrit in Pſ. 67. 14. *Si dormiatis inter medios Cleros* (nempè portionem, ſeu regionem, quæ vobis obtigit) *pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri*. Alloquutum hic credimus Pſaltem populos duarum Tribuum Ruben, & Gad, qui in prælio, quo à Debora, & Barach Siſara fuſus eſt, ab armis abſtinuerunt. Eos igitur ita compellat: Vos quidem, o argenteæ columbæ, alis aureis, celeberrimæ illius victoriæ, qua Deus per Deboram fœderatos Reges diſſipavit, gloriæ otioſam inter rivos, & vireta terræ veſtræ quietem prætuliſtis; verùm illatam nomini veſtro contumeliam aliis glorioſiſſimè geſtis ita reparaſtis, ut Selmon juga nivibus albentia candore vincatis.

(a) Juſtin. l. 39. c. 2. Appian. Syriac. An. M. 3882. ante Chr. 118. ante Ær. 122.
(b) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 18. & Strab. apud eundem. (c) An. M. 3898. antè Chr. 102. ante Ær. 106.
(d) An. M. 3901. 3902. (e) Antiq. l. 3. c. 21. An. M. 3902. ante Ch. 38. ante Ær. 42.
(f) Juſtin. l. 39. c. 4. Pauſan. in Atticis. A. M. 3902. ante Chr. 98. ante Ær. 102. (g) Joſ. Antiq. l. 15. c. 2. An. M. 3969. ante Chr. 31. ante Ær. 35. (h) Joſeph. de Bello l. 1. c. 13. Antiq. l. 15. c. 5. An. M. 3974. ante Chr. 26. ante Ær. 30.
(i) Euſeb. l. 3. Hiſt. Eccl. c. 11. Epiph. hæreſ. 78. cap. 7. (k) Hic Diſcipulus à S. Greg. in Job. l. 1. c. 1. creditur S. Lucas; ab Orig. in Jerem. hom. 19. & S. Baſil. in Iſ. 5. S. Simon; à S. Epiph. hær. 23. c. 6. Nathanael; à S. Ambroſ. Apol. David, l. 2. c. 8. & in Luc. c. 12. & alibi, *Emmaus*. Quod etiam nomen exprimitur in MS. Evangelio Corbejenſi, cujus variantes lectiones in Comment. in Apoc. dedimus. (l) Septima Synod. Gener. Can. 4. Hieron. ad Nepotian. Ep. 2. Bernard. Ep. 237. &c.

Digitized by Google

(CLIPEUS. Dominus ad Abrahámum Geneſ. 15. 1. *Ego protector tuus ſum* (Hebr. *clipeus*). Pſal. 5. 13. *Scuta bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos;* Et Pſal. 90. 5. *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Eſt igitur Deus ſuorum clipeus. Sunt etiam viri Principes clipei populi. De Saule 2. Reg. 1. 21. *Abjectus eſt clipeus fortium, clipeus Saul.* Pſal. 46. 10. *Clipei terræ pertinent ad Dominum* (ſubjecti ſunt Domino). Vertunt Septuaginta: *Dii fortes terræ vehementer elevati ſunt.*

Suſpendebantur clipei è turribus, ornamenta pacis, præſidia belli. De turri David, Cantic. 4. 4. *Mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Machabæi: *Ornaverunt faciem Templi coronis aureis, & ſcutulis.* 1. *Machab.* 4. 57. Cùm armandi eſſent in hoſtem milites, clipei inde ſumebantur *Iſaïæ* 22. 6. *Parietem nudavit clipeus.* De Perſis, Lydis & Libybus Ezech. 27. 10. *Clipeum & galeam ſuſpenderunt in te* (o Tyre) *pro ornatu tuo.*

Ex ligno plerumque parabantur, tecti corio, laminis aureis, vel æneis; interdum ex auro ſolido omnia ut de Salomonicis ferunt, vel ex ære. Clipeos illos cùm rapuiſſet Serach, Rex Ægypti, æneos alios ſubſtituit Roboamus. Æneum clipeum levabat Goliath 1. *Reg.* 17. 45. Renidentes clipeos Chaldæorum deſcribit Nahum 2. 3. Pſalmiſta Pſ. 45. 10. annunciat Dei opera regnaturam in populo pacem: *Et ſcuta* (lignea utique) *comburet igni.*)

CLYSMA, ſivè *Cliſma*, & *Colſum.* Locus erat, in quo Iſraelitæ Mare Rubrum tranafretarunt, ut Euſebio, Philoſtorgio, Coſmæ Ægyptio, & Gregorio Turonenſi viſum eſt (a). E' tribus portubus Maris Rubri, primus Ailat, alter Berenice, tertius Clyſma, ad oppidum ejuſdem nominis ſitus, appellabantur, authore S. Epiphanio *l.* 2. *contra hæreſ.* Sunt (b) qui ad plagam orientalem, & ſunt (c) qui ad occidentalem Maris Rubri ſpectaſſe tradant. Nos verò ad orientem locamus, ſimulque eumdem eſſe locum, ac hodiè *Colſumam*, autumamus. Cùm autem vetus Clyſma totam olim occidentalem Maris regionem ſuo nomine nuncuparet; ità adhuc *Mare Colſumæ*, ſivè *Ba-har-el-Colſum* denominant eum maris tractum, qui Ægyptum verſus protenditur, è regione ſinus Elat, ſivè Ailath. Quamquam verò prope extremitatem Maris Rubri ſitus erat, quantum tamen ab ea diſtaret, certò definire non poſſumus. Eo in loco adhuc permanere veſtigia rotarum, & diſjectorum curruum Pharaonis reliquias, Gregorius Turonenſis, & Paulus Oroſius cum aliis, de ſuo quilibet ævo aſſerentes, tradunt.

Urbem *Colſum* ita ferè deſcribit Abulfeda (d). Locus eſt modicus, ad extremitatem ſeptentrionalem maris Rubri, ſub gradu $44.\frac{1.}{4.}$; alii malunt ſub $46.\frac{2.}{4.}$ longitudinis, & $23.\frac{1.}{3.}$ latitudinis. Occidentalis eſt urbi Ailat, ſivè Elat ſub eadem ferè latitudine; hæc ad extremitatem ſinus orientalis, Colſum verò ad occidentalis pertinent. Inter Urbes utraſque mons *Al-tour*, ſivè Sinai, erigitur, auſtralior quàm Colſum. Ægyptum è Sinai petentes propè Colſum prætergredi neceſſe eſt. Mare Rubrum, Colſum aliquantulum prætérito, ad orientem, & meridiem aquis extenſis, latiori, quàm alibi, alveo utitur, latitudinis 60. circiter milliarium, quem locum *Barka Corondal* appellant.

COA, cujus nomen 3. *Reg.* 10. 28. & 2. *Par.* 1. 16. occurrit, cum de Salomone ſermo eſt, advectos equos ex Coa certo pretio comparante. Quod alii de Coa Inſula, ſericis & laneis operibus notiſſima, dictum interpretantur; alii (e) malunt de urbe Coa in Arabia Felici; alii (f) eandem de urbe Co in Ægypto, regionis Cynopolitanæ Metropoli.

Hebræus textus huic ſententiæ reſpondens reddi poſſet: *Et educebantur equi Salomoni de Ægypto & de Michoe*, quod nomen, Plinio authore, l. 6. c. 29. olim Troglodytis Ægypto proxima obtinebat. Alii (g) vertunt: *Et educebantur &c. ex Ægypto, & Mercatores Regis emebant netum pretio urgenti.* Illi enim Hebræum *Mikoa*, netum interpretantur. Jarchi vocem illam intelligit de equis caudarum complexu junctis; quod etiam Recentiorum Interpretum turbæ viſum eſt (h). Bochartus (i) tandem ſic legit: *Et educebantur &c. ex Ægypto, & quoad tributa, Præfecti illius certo pretio exigebant.*

COCCUS, *Coccinum*, *Coccineus color.* Purpureus, ſivè juxtà alios, puniceus color. Ut vividior rutilaret, eo colore bis panni inficiebantur: undè illud (k):

Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

Hinc Moyſes non rarò *coccum bis tinctum* memorat. Hebræus habet: *Tolahut Schuni*, ſcilicet, *duplex vermiculus*, ſeù *vermiculus Schani*, ſumpta hac ultima voce pro vermiculi nomine. Quæ de vermiculo purpuræ ſcribit Bellonius, hæc ſunt: (l) Inſula Cretæ cocco affluit, ex quo ingens compendium incolæ naneiſcuntur. Menſe Junii colligitur ex parvis quibuſdam quercubus, quarum folia ſpinis aſpera, granis quibuſdam, veluti parvi ciceris, diſſeminantur. His granis è foliis ſeparatis, parvi quidam vermiculi ad inſtar lendium, rubro colore, ex ſingulis plures egrediuntur, foramine retecto, quod foliis, quibus grana adhærebant, antea occludebatur. Deinde ope cribri, è granis ſeparati ac collecti vermiculi leviter comprimuntur: atque maſſa tota in parvos quoſdam globulos magnitudine ovi gallinacei reducitur. Vermiculos illos Arabes appellant *charmes*, undè color ex illis expreſſus ab Italis, & Gallis *cremeſi*, & *cramoiſy* nuncupatur. (Vide *vermiculus.*)

COCYTUS, Arcadiæ amnis, e Styge profluens, quem Poetæ unum è quatuor Inferni fluviis eſſe comminiſcuntur. Ejuſdem nominis fluvius Campaniam irrigans, in Lacum Lucrinum influit. Author Vulgatæ nomen illud *Job* 21. 33. quo impiorum in Infernum ruinam explicaret, adhibuit. Neque in Hebræo, neque in antiquis Verſionibus vox extat ulla, quæ Cocytum jure reddi potuerit; atque hujus generis fabulæ recentiores ſunt, quam quæ Job tempore noſcerentur. Quo loco Vulgata legit, *Dulcis fuit glareis Cocyti*, Hebræus habet, *Glareæ torrentes illi dulces fuerunt.*

(CODORLAHOMOR Rex Ælamitarum. Cùm 12. annorum ſpatio ſubjectos habuiſſet Imperio ſuo quinque Reges, videlicet Baram Sodomæ, Berſam Gomorrhæ, Semnaar Adamæ, Semeber Seboim, & Regem Segor, illi tandem excuſſo jugo rebellarunt circa A. M. 2091. ante J. C. 1909. ante Æram 1913. Ingenti comparato exercitu Codorlahomor, adſcitiſque in ſocietatem armorum Amraphele Rege Sennaar, Arioch Rege Ellaſar, facilè Talaſſar propè Aſſyriam in provincia Eden, ac tandem Thadal Rege Gentium, facilè ini Transjordanis in Galilæa Gentium verſantium (m), in Chananitidem movit. Inter eundum populis nonnullis transjordanicis graves ſeſe exhibuerunt, uti Gigantibus Rephaim, regionis illius tractum occupantibus inter Jaboc & Arnon medium; expugnarunt diripueruntque Aſtaroth-Carnaim, Urbem inclytam ad Orientem maris Galilææ.

Prælio vicerunt etiam Zuaim, eoſdem facilè ac *Zomzommim*, vetuſtos regionis illius incolas, quam deinde occuparunt Ammonitæ. *Deut.* 2. 20. 21. Victos Zuzim narrat Moyſes ad Cham facilè *Chomim*, veterem ejuſdem regionis Urbem. *Vide Judic.* 10. 5. *& Notas ad Geneſ.* 14. 5. Fuderunt etiam Emim commiſſo prælio in Save Kariathaim. Sunt autem Emim veteres incolæ tenentes ab initio regionem, quæ poſtea Moabitica appellata fuit *Deut.* 2. 20. 21. Save Kariathaim ſeu vallis Kariathaim Urbs eſt ejuſdem regionis poſt hæc imperio Regis Sehon ſubjecta, Jo-

(a) Euſeb. in locis, in Beelſephon. Διὰ τοῦ Κλύσματος παρὰ τὴν θάλασσαν. Philoſt. hiſt. Eccl. l. 3. c. 6. Coſm. Ægypt. l. 5. Greg. Turon. hiſt. l. 1. c. 10. (b) Vide Athan. hiſt. Arian. ad Monach. t. 1. & Peuting. (c) Ptolem. Itin. Anton. &c. (d) Abulfeda, deſcriptio Maris Rubri. (e) Malvenda. (f) Serar. Corn. (g) Montan. Jun. Lud. de Dieu. Braus. (h) Pagnin. Vatabl. Caſtal. (i) Bochart. de Animal. ſacr. p. 1. l. 2. c. 9. (k) Ovid. Amor. l. 3. (l) Bellon. Obſerv. l. 1. c. 17. (m) Vide Joſue 12. 23. Matth. 4. 15. Iſai. 9. 1.

Joſue 13. 19. 21. Tandem in montibus Galaaditidis armis infeſtarunt Choræos non obſcuri nominis gentem, referentem originem ex Sehir Choræo, quorum deinde regionem habuerunt Idumæi. *Geneſ.* 32. 13. & 36. 20. Victrices tandem penetrarunt uſque in agros Pharan in Arabia Petræa. Reduces inde declinarunt ad Cades-Barne, ubi fons Miſphat, cui nomen non-niſi poſt Moyſem primùm eſt inditum. *Num.* 20. 13. Deſolationem intulerunt in Regionem Amalecitarum, loca tenentium in Arabia Petræa, fuderunt Amorrhæos ſedes habentes in Hazazon-Thamar, quæ ipſiſſima creditur Engaddi Urbs Pentapoli & Gomorrhæ proxima. Ita quatuor illi fœderati Reges in ipſo expeditionis ſuſcipiendæ limine proximas Sodomæ & Gomorrhæ gentes ſubduxerunt, quibus ſcilicet veluti nervis ſuccisis, imbecilliores haberent ad reſiſtendum Urbes, & minus ad evitandam ultionem comparatas.

Averſi quinque Reges inſtare proximè fœderatorum arma intelligentes, in apertum agrum, ubi ſitæ Urbes, eduxerunt exercitum (a). Erant autem in eo agro putei bituminis ſat frequentes, ex quibus difficilior hoſtibus, & equitibus maximè perniciosus acceſſus. Signis collatis decertatum eſt, victique ceſſerunt Reges Sodomæ, Gomorrhæ, Seboim, Adamæ, & Segor; exercitus enim illorum parte cæſa, pars reliqua in vicinos montes ſeceſsit, permiſitque Urbes in prædam victorum. Quare Sodoma, Gomorrha, & Urbes ceteræ hoſtibus cedentes, armis, illorum direptioni & furori permiſſæ ſunt, onuſtique victores præda & captivis iter Euphratis proſecuti ſunt.

* De hoc utique prælio fuſiùs non diſſeram; quomodo enim tam remotæ antiquitatis hiſtoriam ſub oculis exponeremus? Sedet mihi utique perſuaſio, è qua non ita facilè me demitterem, nimirum ab ea ætate, & diu antea pariter, Aſiæ populos rei militaris non ita fuiſse inexpertos, quantùm pro opinione. Ita res narrat Scriptura, ut intelligamus bellum ab illis geſtum ſapienter; paret enim ea tunc tactice ad certam regulam cum prudentia pariter, & ſapientia. Si quis audiat viros quoſdam diſſerentes, ita tunc gerebant bellum, quomodo rudes quique & imperiti. Si Mundus, quàm pro opinione, vetuſtior non eſt reputandus, monſtri utique loco haberi oportet, rei militaris ſcientiam tam brevi adeò profeciſſe. Id autem ut aperto lumini exponatur efficiam in mea Diſſertatione de tactice Hebræorum cæterarumque per Aſiam gentium. Sed hæc aliàs.

Ne verbo quidem innuit Scriptura, quem tenerent ambo illa agmina ordinem; nec tamen hiſce prohibemur, quin illos in prælium inſtructos fuiſſe reputemus; de tactice enim illorum inſtruimur. Conſtat utique prælium geſſiſſe, ampliora confertaque maxime in agmina diſpoſitos, quod ſexcentis exemplis demonſtraretur. Quam tenuit Abraham diſciplina, cùm ſcilicet ille de ſiniſtro eventu prælii certior factus, copias ſuas duxit in quinque Reges victores, diſciplina ſcilicet illa demonſtrat luculenter, certatum eſſe tunc per ſegmenta ſeu portiones phalangis, & ſæpè etiam integra phalange; phalanx enim illa, de qua tantum ſibi placent Græci, ſolo nomine diſtinguebatur à phalange Aſiaticorum.

Copias itaque ſuas quinque Reges in totidem agmina diſtribuere, confertiſſima utique juxta Veterum illam diſciplinam noſtra hac recentiori multò ſapientiorem. Nec facile alium ordinem tenebat oppoſitus illis exercitus Codorlahomor. Nolo illud mihi opponatur, merè hæc eſſe arbitraria; dicta iterum repetam, rationem gerendi prælii illorum ſat noſcimus; ex quo planè de cæteris ignotis, quæ rara ſunt planè, ideam nobis formamus. Pronum eſſet utique Scriptori, quicunque tandem eſſet, ideam, quam optimam reputaret, ſubjicere prælii ad Lentium poſt 3000. ab eo geſto annos, exercitumque in eo agro ad prælium inſtruere, quando etiam methodus præliandi, quæ hodie obtinet, interiiſſet, dummodo probè noſceret tacticen Gallorum, & cæterorum ætatis illius populorum. Cannenſe prælium quis depoſit? cùm tamen Polybius diſpoſitionem exercituum deſcribat, ſat noſſet quiſque in tabulas referre exercitus Carthaginenſium & Romanorum, de quorum diſciplina ſat inſtructi ſumus. Licèt autem Romani tunc non ſatis exactè conſuetam cohortium ſuarum diſpoſitionem tenuiſſent, rem tamen pro ſuo more adeo exactè explicat Hiſtoricus, ut via ac ne vix quidem poſſit in ejuſmodi rebus utcumque expertus quiſquam, vix, inquam, poſſit in ea re depingenda falli. Hujus prælii à Codorlahomor initi circumſtantias nullas attingit Scriptura; ceſſerunt hoſtes ac fuga ſe receperunt in tuto, & nihil ultra.

Poſt fuſos fugatoſque quinque Reges armis Codorlahomor & ſociorum, Loth, ſedem habens in Sodomis, eodem cum urbe fato obvolutus fuit, ſuis omnibus, ac libertate expoliatus, captivus abductus eſt cum cæteris. Rem totam detulit ad Abrahamum quidam è prælio reliquus. Verſabatur tunc Abraham in valle Mambre, ubi fœdus inierat ad inferendam ac propulſandam injuriam cum Mambre, Eſchol, & Aner, in eodem agro ſuas habentibus ſedes conſtitutas. Via igitur hæc intelligens fœderatis ſibi amicis expoſuit, hortatuſque eſt, ut meditanti ſibi Loth nepotem ſuum liberare, ſuppetias ferre non gravarentur. Miſſi actutum ab illis familiares cum armis, quibus Abraham junxit 318. vernaculos ſuos, armis pariter inſtructos & ad omnia paratos (b); & unà ſimul omnes inſecuti ſunt exercitum quatuor Regum victorum. Emenſi fuerant ferme 70. leucas, nec adhuc hoſtes attigerant, ſed tandem aſſecuti ſunt ad Dan juxta fontes Jordanis. Copias ſuas ac fœderatas Abraham in plura agmina diviſit, ſimulque omnes noctis ſilentio duxit in caſtra hoſtium, quos ſubito terrore conſternatos fudit fugavitque, ac fugientes inſecutus eſt uſque Hoban vel Abilan ad Septemtrionem Damaſci, in valle Libanum & Antilibanum interjacente. Ceſſit illi in præmium victoriæ reſtituta Loth nepoti ſuo libertas, cum omnibus quæ illius eſſent, nec fœminis captivis exceptis; ceſſit & præda, quam è victis quinque Regibus direptaque Sodoma & Gomorrha agebat Codorlahomor.

* Ingens prælium commiſſum fuerat in valle ſylveſtri. Codorlahomor Rex Elamitarum & tres alii cum eo conjuncti Reges ingenti victoria proſtrarunt quinque fœderatos Reges. Intelligens Abraham Loth nepotem ſuum veniſſe in poteſtatem hoſtium, actutum libertati illius procurandæ ſeſe comparavit. In eam rem, ait Scriptura: *Numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo, & perſecutus eſt eos uſque Dan*.

Ut genuino militari ſenſu reddatur illud: *Perſecutus eſt eos uſque Dan*; reputarem ego Abrahamum victorum legiſſe veſtigia; vox quidem *perſequi* exprimere videretur Abrahamum fudiſse jam prælio hoſtes; cum tamen hic agatur de hoſte planè diverſo à priori alio hoſte jam devicto, qui novus hoſtis ad terga adverſariorum inſtat gravis, occultat tamen iter ſuum ne detegatur, ut superveniat incautis. Imparem ſe utique intelligebat Abraham plena die congredi; noctis ergo favorem opperitus eſt, quæ ſanè commoda eſt Imperatoribus minimis inſtructis copiis. Nihil igitur tale expectantibus ſupervenit Abraham: *Et diviſis ſociis irruit ſuper eos nocte, percuſſitque eos, & perſecutus eſt eos uſque Hoban, quæ eſt ad lævam Damaſci*. Opportuno utitur ſtratagemate; opportunum eſt etiam in nocturnis aggreſſionibus hoſtes pluribus in locis tenere occupatos. Præterquàm enim terrorem augent tenebræ, ſubitus etiam pavor omnia exaggerat in majus; vires hoſtium ignorantur, & in majores ſemper, quàm re ipſa fuerint, augentur, neque enim reputaretur minimam adverſariorum manum tantùm ſibi de audacia præſumere, ut inſtructiſſimo exercitui inferret arma. Hæc primò occurrunt, cùm hoſtes ſuperveniunt inſperatò.

(a) Circa A. M. 2022. (*) Animadverſiones in prælium quinque fœderatorum Regum initum cum Codorlahomor in valle nemoris, Geneſ. 14. 8. (b) Geneſ. 14. 24. (*) Animadverſiones in aggreſſionem inopinatam caſtrorum Codorlahomor agente Abrahamo. Gen. 14. 14. Vide Præfationem &c.

Digitized by Google

Diviſit ergo Abrahám ſuos in manipulos, *diviſis ſociis*; ſed quo numero manipulos diſtingueret tacente Scriptura quis definiat? Maluerim ego in quatuor velut agmina diſtribui copias illas. Ita ergo comparatus utrique fundendis hoſtibus valuiſſet; noctis tenebræ & ſubitus pavor, multò perniciosiore ſunt in magnis quàm in minimis exercitibus; minores enim copiæ minùs terroribus panicis capiuntur. Conſtat id exemplo ſeſſorum Bavarorum juxta Rhinfels, qui ingenti victoria ſuderant antè exercitum Ducis Veimar; collectis enim ille diſperſis è fuga reliquis, nocturno occultoque itinere ſupervenit inopinatus in caſtra Bavarorum, qui ne tentato quidem prælio fuga omnes diſperſi ſunt. Non inviti credimus, Abrahamum ignem injeciſſe in caſtra hoſtium, poſt quam præda copiis ſuis permiſsa illa exuiſſet.)

COELE-SYRIA, Græcè *Koile-Syria*, Syria Cava, quo nomine potiſſimum appellabatur vallis Libanum inter & Antilibanum (a) jacens à meridie in ſeptentrionem ab introitu Emath uſque ultra Heliopolim, ſeu *Baal-Bek* protenſa. Dionyſius Geographus inter Libanum, & montem Caſium illam comprehendit.

Laxiori tamen ſenſu tota regio ad meridiem Seleuciæ, uſque ad Ægyptum, & Arabiam, Cœle-Syria dicebatur. Joſephus Antiq. l. 2. c. 11. regionem Ammonitarum, Stephanus Geographus urbem Gadaræ ad orientem Maris Tiberiadis Cœleſyriæ tribuunt. Urbes præcipuæ illius Provinciæ ſunt, juxta Ptolomæum; Abila, Lyſanium, Saana, Inna, Damaſcus, Samulis, Abida, Hippos, Capitolias, Gadara, Adra, Scythopolis, Geraſa, Pella, Dium, Gadara, Philadelphia, Canatha: quarum plures ad Peræam attinebant.

Cæle-Syria in S. Scriptura ſub generali nomine Aram comprehenditur. Fortè *Syria-Soba*, ſeù *Aram-Soba* ad illam pertinebat; quod tamen an ullo argumento demonſtrari queat, ignoro, cum urbis Soba, ex qua *Aram-Soba*, locus lateat; niſi malimus eandem eſſe ac *Hoba*, de qua *Gen.* 14. 15. vel ut legunt Septuaginta, *Chobal*, nunc *Abyla* ad ingreſſum Cœle-Syriæ.

(COENA. Super mortuorum ſepulchra illata *cœna mortui*, de qua Baruc 6. 31. *Rugiunt autem clamantes contra Deos ſuos, ſicuti in cœna mortui*. Rugiunt Pagani in conſpectu Numinum, veluti cùm inſtruitur cœna pro mortuis. Sermo eſt hic de ſolemnibus quibuſdam feſtis, quas ingentibus ejulatibus celebrabant Pagani, uti de feſtis Adonidis narrant. Quod attinet ad cœnas pro mortuis, duo earum genera diſtinguuntur; aliæ enim inſtruebantur in ædibus defuncti, cùm emortualis pompa reduceretur in domum. Invitati enim neceſſarii & amici defuncti, ingentibus ejulatibus & clamoribus luctûs ſui dabant ſignificationem. Super mortuorum ſepulchra inſtruebantur epulæ, erraticis animabus in cibum deſtinatæ, ſicut & Triviæ Deæ præſidi viarum atque itinerum, quæ eò per noctem conveniens, reficere ſe epulis cenſebatur. Reipſa tamen egentes in noctis ſilentio clam ad locum ſe conferebant, epulabanturque lautè. *Ovid. Faſt.*

Eſt honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.

Interdum verò & defuncti neceſſarii, parcè tamen, convivabantur juxta tumulos mortuorum (b): *Ad ſepulchrum antiquo more ſilicernium confecimus; i. e. perideipnon, quo pranſi diſcedentes dicimus alius alii: Vale.*

Mos ipſe cibos conſtituendi ſuper tumulos mortuorum familiaris erat Hebræis. Tobias ad filium cap. 4. 18. *Panem tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus*, i. e. ne conviva accederet peccatoribus eandem cæremoniam inſtituentibus. Jeſus filius Sirach cap. 30. 18. *Bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſita ſepulchro*; quibus verbis innuitur ea quæ ſuper tumulos conſtituebantur mortuo, perinde eſſe ac nihil; impar eſt enim ut eorum uſu reficiatur. Et cap. 7. 37. *Gratia dati in conſpectu omnis viventis, & mortuo non prohibeas gratiam.*

Eadem ubique fermè per Orbem invaluerat diſciplina, non Romanis, non Græcis exceptis. Nec ceſſatum eſt hodie pariter in Syria, Babylonia, & apud Sinas; idem, ætatis ſuæ teſtis, affirmat de Africa S. Auguſtinus *Ep.* 22. *&* 29. *nov. edit.* tradens, illatas epulas ad ſepulchra Martyrum & cœmeteria. Primò id inductum more ſimpliciſſimo, tum degeneravit in abuſum; ut proinde viri quique Sanctiſſimi, & quicumque recti zelo tenebantur Epiſcopi toto animi niſu tollendis illis laboraverint. S. Monica Mediolani verſans volebat pro conſueto more panem & vinum conferre ad memorias Martyrum (c); fores petenti recludere denegavit Oſtiarius, reponens prohibitum fuiſſe, ne oblationes iſtæ fierent à S. Ambroſio, cujus juſſionibus illa prompto animo obſecuta eſt.

Quæ in defuncti ædibus inſtituebantur apud Judæos convivia duplicis iiſdem erant generis. Quædam perſeverante adhuc luctu celebrata impura habebantur; quòd convivæ omnes, cùm adfuiſſent obſequiis in mortuum impenſis, legali macula pollurerentur. Oſee 9. 4. *Sacrificia eorum quaſi panis lugentium, qui comedent eum contaminabuntur.* Et Iſraelitæ primitias ſuas Domino offerentes in hanc formulam preces ſuas concipiebant: *Domine juſſiones tuas non neglexi, neque rebus hiſce uſus ſui in luctu, nihil impendi in funere mortuorum.* Vetat Deus Ezechieli 24. 17. ne funus lugeat uxoris ſuæ: *Nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.* Jeremias 16. 7. *Non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuo, & non dabunt eis potum calicis ad conſolandum.*

Epulas alias, quæ parabantur in luctu, eas dicimus, quæ inſtituebantur poſt celebrata funera. Refert Joſephus de bello l. 2. c. 1. Archelaum, poſt juſta ſeptem dierum in funere Regis patris ſui celebrata, populum lauto epulo excepiſſe. Addit, poſitum id in moribus apud ſuos, ut ingenti convivio neceſſarii exciperentur, quod, ait, non ſine multorum, quorum cenſus tenuior eſt quam ut impenſarum profuſionem illam ſuſtineat, incommodo fieri poteſt. S. Paulinus laudat Pammachium eo nomine, quod lauto convivio pauperes refeciſſet in Baſilica S. Petri, qua die funus Paulinæ ſponſæ ſuæ celebravit.

COENA MORTUI. Vide infra *Mortuus*.)

COENACULUM, Græcè *hyperoon*, locus in ſuperiori domus parte, vel in quo cœnare conſuevimus. Chriſtus pridie ejus diei, qua mortem obiit, Diſcipulis imperavit, Hieroſolymis *cœnaculum grande ſtratum*, in quo cum iis cœnaret, præpararent. Poſterioribus ſæculis Hieroſolymis aula oſtendebatur, ab Helena Auguſta in Templum converſa, in qua Chriſtus ſupremum convivium egiſſe, & Euchariſtiæ Sacramentum inſtituiſſe dicebatur. Difficile tamen creditu eſt, eam è Romanorum furore in Hieroſolymæ excidio liberatam.

COENOMYIA, ſivè *cynomya*, & *cinomuja* atque *cynomyia*, canina Muſca. Vox in Pſ. 77. 45. & 104. 31. occurrens, quæ pro variis Exemplaribus variè effertur. In Græcis fermè omnibus recentioribus, & in Latinis vetuſtioribus ſcriptum reperimus *cinomyiam*, Muſcam caninam. In Vulgata *cœnomyiam* habemus, quæ lectio præferenda videtur, utpote cui & Hebræus Textus, & Veteres Verſiones Græcæ favent. Vetera quædam Pſalteria Latina, uti Romanum, Mediolanenſe, Carnutenſe S. Petri legunt, *Muſcam caninam*: quod Græco *Kynomyiam* reſpondet. S. Hieronymus (e) reddit, *omne genus Muſcarum*, quod *cœnomyian* exprimit. Septuaginta habent *cynomyian*, Muſcam caninam, inſecti genus pernicioſiſſimi & morſu venenoſo, canibus potiſſimum infeſti.

(COGITATIO. Non ſemper vox illa uſurpatur pro mentis actu quodam rem aliquam apprehendente, nihil autem judicante ſive ſtatuente. Sæpe cogitatio rei faciendæ propoſitum infert. E. g. Jerem. 11. 19. *Cogitaverunt ſuper me conſilia, dicentes: Eradamus eum de terra viventium.* Et Geneſ. 11. 6. de conſpirantibus in ſubſtructione turris Babelicæ dictum eſt:

Ne

(a) Strabo l. 16. (b) Nonnus Marcell. ex Varron. (c) Aug. Confeſſ. l. 6. c. 2.
(d) Paulin. illuſtrat. pag. 29. 30. (e) Exod. 8. 21.

Digitized by Google

Nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, i. e. à conſilio ſuo non recedent. Pſal. 32. 10. 11. *Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum; conſilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generatione & generationem.* Ubique hic conſilia, propoſitum, cogitationes, perinde valent ac operis ſuſcepti vel ſuſcipiendi propoſitum.

Opus cogitationis appellant Hebræi opera, in quibus induſtria & ingenium artificis emicat. Vide Exodum 35. 31. 32. *Implevit eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia... ad cogitandum, & faciendum.* Hebræus: *Ad cogitandum cogitationes, ad faciendum.* ℣. 33. *In omni opere cogitationis.* In Proverbiis 14. 17. & 24. 8. *Qui cogitat malè facere, ſtultus vocabitur;* Hebræus: *Qui cogitat malè facere appellabitur Dominus cogitationum* (i. e. homo callidus). In Actis 17. 29. eſt: *Sculptura artis & cogitationis.*

Cogitare & cogitatio in malam ſæpè partem uſurpata ſunt pro ſtruere dolos: *Omnes cogitationes eorum in malum.* Pſalm. 56. 6. Et Nahum 1. 9. *Quid cogitatis contra Dominum?* .. ℣. 11. *Et ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam.* Jerem. 18. 18. *Cogitaverunt contra Jeremiam cogitationes:* Iſaiæ 55. 7. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas.*

Docet Apoſtolus *Rom.* 2. 15., cogitationes hominis ſe invicem accuſare, vel ſe invicem defendere, cùm ſcilicet ſive conſcientia rectè factorum laudamur, ſeu malè geſtorum reprehendimur. Et Epheſ. 2. 3. de ſe affirmat, ſecutum ſe olim voluntatem *carnis & cogitationum*; i. e. quòcunque ſpiritus ferret eo ſe ducendum permiſiſſe. Et 1. Cor. 7. 34. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt*; i. e. tota rebus divinis occupatur.

COGNATI. Parentes ſunt pater & mater; Cognati, qui propaginis ejuſdem communione uniuntur. Parentes colere in Lege filii jubentur *Exod.* 20. 12.; pareſe ſcilicet, opitulari; intima mentis, exteriorique corporis veneratione proſequi; opem denique omnem, ut res & natura tulerint, præſtare. Chriſtus in Evangelio *Matth.* 15. 5. 6. impium ſenſum damnat, quo Legiſperiti præceptum iſtud explicabant, cum filium ab alendorum, obſervandorumque parentum debito ſolutum docebant, ſi diceret: *Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit*: nempe, Bonorum meorum dominium amiſi; Domini enim ſunt; de oblationis tamen merito participes eritis. Vide inferius *Corban.*

Inter cognatos connubia ad certos gradus interdicebantur *Levit.* 18. 1. Matri: 2. Novercæ: 3. ſorori vel ex patre, vel ex matre: 4. nepti: 5. filiæ Uxoris Patris: 6. amitæ, & materteræ: 7. patrui uxori: 8. privignæ: 9. uxori fratris nubere nefas erat. Tum & veterum matrem poſt filiam, vel ſimul ambas; uxoris ſororem, uxore ſuperſtite, ducere. Hi cognationis gradus his verſibus continentur:

Nata, ſoror, neptis, matertera, fratris & uxor,
Et patrui conjux, mater, privigna, noverca,
Uxoriſque ſoror, privigni nata, nuruſque,
Atque ſoror patris conjungi Lege vetantur.
(Vide *Inceſtus.*)

COGNOSCERE. *Novi te ex nomine*; Exodi 33. 12. 17. intimè te cognovi quis eſſes, inter fidiſſimos habui mihi te, cui ego nomen impoſui: ita Deus ad Moyſem; aliter: Ego te nomine appellavi, ut mihi ſervires. *Mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate*; i. e. fœminas omnes nuptas, non virgines. Ita: *Adam cognovit uxorem ſuam. Virum non cognoſco. Rex non cognovit eam*; hæc omnia conjugalem actum honeſtate quadam verborum exprimunt.

Cognoſcere Dominum, Jerem. 31. 34. Oſee 13. 4. *&c.* eſt cognoſcere viam, & conſilia Domini; ſicut contrario planè ſenſu, non cognoſcere Dominum nec vias ejus, non eſt utique minus intelligere ſpeculativa quadam cognitione Deum, ſed practica ignorantia rerum Divinarum ita teneri, ut nihil ex charitate operemur. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & Iſrael me non cognovit* Iſaiæ 1. 3.

Ego te cognovi in deſerto; Oſee 13. 5. ſelegi te in populum meum, tibi legem in deſerto conſtitui. Amos 3. 2. *Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ*; vos tantùm ex omnibus in meum populum diſcrevi. Oſee 8. 4. *Principes extiterunt, & non cognovi*; nec à me miſſi, nec à me conſtituti uſurparunt ſibi in populum meum Principatum.

Ego te non cognovi; quia ſis ignoro; i. e. nullæ mihi ſunt tecum res; perinde tecum agam quaſi cum extero, cum viro quocunque, quocum nullæ mihi fuerint res conjunctæ.

Cognoſcere eſt etiam appellationis, æſtimationis & amicitiæ argumentum. Pſal. 1. 6. *Novit Dominus viam juſtorum*; & 36. 18. *Novit Dominus vias immaculatorum.* Proverb. 4. 27. *Vias quæ à dextris ſunt novit* (amat, probat) *Dominus.*)

COHORS, Græcè *Spira.* Militiæ Romanæ ordo, 600. peditibus ut plurimùm conſtans, tria manipulos continens, ut Legio 10. Cohortes, manipulus verò 200. pedites. Sunt qui 500. tantum Cohorti aſſignent, ac proindè Legioni 5000. Fortè numerus, ex quo Cohors conſtabat apud Romanos, eaſdem vices paſſus eſt, ac apud nos Commilitia.

COLOCYNTHIS, ſivè *cucurbita* ſylveſtris, planta dentatis interciſis foliis, & ſarmentis in terra reptantibus, omninò cucumeri ſativo ſimillima accedit; cujus medulla, detracto cortice, alba eſt & levis, ſed guſtu adeo amara, ut *fel terræ* ideircò nuncupetur.

In 4 *Reg.* 4. 39. traditur Eliſæus, dum in Galgalis eſſet, fame graſſante, famulis ſuis imperaſſe, ut cibos Prophetis illorum locorum pararent: qui juſſa complentes, colocynthides in agro collectas quid eſſent ignorantes, coxere; quæ adeo comedentium palatum offendere, ut venenum ſuſpicarentur. Verùm Eliſæus allatam farinam in olla admiſcens, tetrum ſaporem adeò correxit, ut cibum exindè nemo detrectaret. Hebræi hanc plantam, & fructum appellant *pekaah.*

COLOSSÆ, Urbs magnæ Phrygiæ; quam creditur S. Paulus nunquam adiiſſe (a), quamvis in Phrygia prædicaverit; ſed fidem ab Epaphra illius loci Epiſcopo recepiſſe. Cum idem Apoſtolus reſciviſſet, ſivè referente Epaphra, tunc Romæ apud illum commorante, ſivè per Epiſtolam à Laodicenſibus, ea, quæ de neceſſitate circumciſionis, & obſervantiæ legalium, tum etiam de eo, quòd non Chriſto, ſed Angelis Mediatoribus ad Deum nos uti oporteret, Pſeudo-Apoſtoli apud Coloſſenſes diſſeminaverant, Epiſtola ad illos directa, Mediatoris, & Reconciliatoris inter Deum, & homines, tum etiam capitis Eccleſiæ munera Chriſto aſſeruit; ac tandem ad legalium obſervantiam nulla neceſſitate Fideles teneri probat: hinc optimis moralis doctrinæ præceptis conſtitutis, literam claudit.

Dum hæc ſcriberet Apoſtolus, Romæ in vinculis degens, anno Chr. 61. Epaphram, Timotheum, Ariſtarchum, Jo: Marcum, Lucam, Demam, Jeſum cognomento Juſtum, apud ſe habebat. Tychicus verò fidelis illius adminiſter, & Oneſimus, quem Philemon miſerat, ut eo famulo uteretur, Epiſtolam detulere. Græca Exemplaria quampluríma pro Coloſſis, habent *Coluſſas*, quod aliquibus Criticis probatur. Exemplaria tamen Latina conſtanter legunt *Coloſſas*, cujus nominis conjectura ducti non defuerunt (b) qui crederent, illam Epiſtolam directam fuiſſe ad Fideles degentes Rhodi, Urbis Solis Coloſſo celeberrimæ.

COLSUM. Vide *Clyſma.*

COLOSSUS. Coloſſus Rhodius, æneum erat ſimulacrum immane, cujus divaricata crura liberum relinquebant tranſitum navibus, nè velis quidem demiſſis. Inter ſeptem orbis prodigia vindicabat ſibi locum (c), porrigebaturque in altum 70. cubitis, vel 105. pedibus. Molem hanc ex ære fuſo conflaverat Chares Lyſippi inclyti artificis diſcipulus. Pollicis ejus ambitum, qui complecterentur rari erant; dicabatur autem Apollini vel Soli. Cùm Rex Demetrius poſt tentatam in-

(a) Vid. Coloſs. 2. 1. Hieron. ad Philem. ℣. 22. Chryſoſt. Theoph. Athanaſ. in Synopſi, Eſt. & alii.
(b) Suidas, Zonar. Glycas, Euſtat. Calepin. Munſter. (c) Plin. lib. 34. cap. 7. Strabo lib. 14.

ægro anno obſidione Rhodum compoſita tandem pace, reduxiſſet arma, obſidionales omnes machinas, quas in eam rem impenderat, muneria loco dedit civibus. Poſt aliquod tempora vendentes machinas haſce Rhodii ſummam retulerunt 300. talentorum, quam non modica de ærario facta accrſſione in opus Coloſſi contulerunt. Inſudatum eſt operi ab artifice ſpatio 12. annorum, ejuſque cœpti epocha componitur cum A. M. 3700. poſt 60. annos ab ejus erectione valida terræ ſuccuſſione dejectum eſt.

Simulantes autem Rhodii cœpiſſe ſe conſilium operis everſi reſtituendi, collectitias pecunias compararunt, quà per Græciam univerſam, quà per ditionem (a) Ægypti, Macedoniæ, Syriæ, Ponti, & Bithyniæ; tanta verò arte detrimentum ſuum in ea re exaggerarunt, ut è collectitia pecunia quintuplo majorem ſummam coegerint, quàm quæ farciendo operi fuiſſet neceſſaria. Ea igitur recepta ſumma ſparſerunt in vulgus, vetari ſe ab Oraculo, ne proſtratum Coloſſum erigerent; pecuniam autem omnem intulerunt in ærarium. Dejectus Coloſſus ille manſit ſpatio 894. annorum, donec anno J. C. 672. Moavias, ſextus Califa Saracenorum, capta Urbe æs Coloſſi vendidit negotiatori Judæo, qui nongentos Camelos oneravit; quare ſumma ducta aſſignatiſque in ſingulas ſarcinas 8. quintaiis pondus aſcendebat ad 7200. quintanos, vel 720000. libras. Vide Dictionarium v. *Rhodus*.

Nummi Rhodiorum præferebant ut plurimum in antica quidem caput Apollinis vel Solis; in poſtica vero roſam cum aſcriptione Græca *Rhodion*. Hos nummos in pretium venditi collatos Magiſtri Judæ tenent nonnulli. Vide Dictionarium Biblicum v. *Rhodus*.

COLUMBA, avis domeſtica, inter pura in Lege recenſita, cujus etiam oblatio in Templo fieri præſcribitur (b) à fœminis poſt puerperium; quippè Templum, poſt ſtatum à lege tempus, primò adeuntes, agnum cum columba, ſivè turture in ſacrificium exhibebant, alterum in holocauſtum, alteram in hoſtiam pro peccato. Fœminæ tenuioris ſubſtantiæ pro agno duos pullos Columbarum, ſivè turturum offerebant. De ſexu, & ætate harum avium nihil præſcriptum invenimus: cum *pullus columbarum*, quo ita utitur, æquè de quacumque, & cujuſvis generis columba uſurpari poſſit. Huic legis præſcripto, licèt jure exempta, ſubjicere ſe volens B. V. Maria, pauperculatum Fœminarum oblationem, par nempe ſive columbarum, ſive turturum obtulit. *Luc.* 2. 24. Columbas, & agnos ad hunc uſum vendentes (quippè fœminis è longinquo ad Templum ventitantibus, agnos columbaſque ſecum deferre grave fuiſſet) in porticu Templi, Chriſtus ſuniceo flagello expulit. *Matt.* 21. 12. *Marc.* 11. 15. *Joan.* 2. 14.

Neque ea tantùm occaſione aves in holocauſtum, & in hoſtiam pro peccato, Domino offerebantur. Pro quadrupedibus enim, quorum ſacrificium a divitibus exigebatur, pauperculi columbas exhibebant, hoc ritu *Levit.* 1. 14. *&c.* Sacerdos traditæ avis collum, & caput vi retorquebat; alii credunt caput omninò vellendum, alii vero collum tantùm intorqueri, quod Legi *Lev.* 5. 8. conforme eſt. Dein unguibus vena reſecata, Aræ latera ſanguine aſpergebat (in hoſtia tamen pro peccato etiam baſis abluebatur. *Levit.* 5. 8.) Tum plumas, & ingluviem ad orientalem Altaris partem in locum cineribus deſtinatum abjiciens, alaſque contringens, integram hoſtiam ferro intactam, igni abſumendam tradebat.

In 4. *Reg.* 6. 25. cùm fames Samariæ graſſans deſcribitur, regnante Achab Rege Iſrael, traditur ſtercus Columbarum, quantum Cabi quartam partem impleret, ſteiiſſe quinque ſiclis, ſcilicet octo libris Gallicis. Porrò quarta Cabi pars ſemiſextarium, pintæ quadrantem, ac digitum cubicum parùm excedebat. Hæc nos non de ſtercore columbarum, ſed de quodam ciceris genere Arabibus *Uſnen*, ſive *Kali*, dicta cum Bocharto intelligimus. Hebræi quippe cicer frixum *Kali* appellant, illudque familiare habent pro commeatu itinerantium, quod hodie uſque in Oriente obtinere ſuperiùs v. *Cicer* diximus. Cætera S. Scripturæ loca, in quibus de Columbis eſt ſermo, prona ſunt & aperta. In Canticis 2. 14. Sponſa comparatur columbæ in foraminibus petræ, quippe in Oriente Columbæ ſive agreſtes, ſive etiam domeſticæ in petrarum foraminibus degunt.

Jeremias 25. 38. de Judææ depopulatione, quæ per Nabuchodonoſor imminebat, loquens, *facta eſt*, ait, *terra eorum in deſolationem a facie iræ columbæ*; & 46. 16. *Surgite, & revertamur ad populum noſtrum, à facie gladii columbæ* & 50. 16. *Unuſquiſque à facie gladii columbæ ad populum ſuum convertetur.* Sunt (c) qui iſta de Deo intelligant, qui columbæ lenitatem in leonis furorem transformabit, totam regionem cædibus & terrore completurus. Alii (d) de Nabuchodonoſor Rege Chaldæorum interpretantur, qui columbam in ſignis tulerit, in Semiramidis memoriam ſivè in columbam transformatæ, ſive columbæ per antiphraſim appellatæ. Verùm unde perſuadeant Chaldæos columbam in ſignis pinxiſſe, non habent. Nos vocem Hebræam *Jona* reddimus deſertorem, hoſtem, depopulatorem; quæ de Nabuchodonoſor aptiſſime dici potuiſſent. Terram igitur, ait Jeremias, graſſator depopulabitur, ſubducite vos è gladio illius, qui omnia igne & terrore replebit.

(Typus eſt hominis ſimplicis moribus & vitæ ſanctitate juſti. Spiritus Sanctus in Baptiſmo J. C. videndum ſe præbuit ſub imagine columbæ *Matth.* 3. 36. Monet Jeſus Chriſtus Diſcipulos, ut cum ſerpentis calliditate columbæ ſimplicitatem componant *Matth.* 10. 16. Columbæ ſeductæ, corde vel mente deſtitutæ Iſraelitas comparat Oſee. 7. 4. 11. Eſt autem columba avis ad repellendam injuriam imparata, calliditate, & felle deſtituta, ad hominum & animalium perſecutiones ita comparata, ut nec defendere ſe nec pullos ſuos *ab illis*, neque apta ulla cautione & vitam & *libertatem* ſuam aſſerere valeat. Hæc omnia exprimit *phraſis, non habens cor.* Spiritum enim in corde conſtituebant Hebræi. Vide Oſee 4. 11. Prov. 7. 7. & 9. 4. 16. & 10. 21. & 12. 11. Eccli. 16. 23. Quod attinet ad illud *columba ſeducta*, notant, ut innuimus, Commentariorum Scriptores, unicam eſſe inter aves, quæ pullos ſuos injuriis infectantium indefenſos permittit, nec ulla doloris ſignificatione tangitur, ſi rapiantur; ſemper ad idem foramen rediens ad nidificandum, nihil deterrita quamvis experta locum hunc infeſtari injuriis anguium, avium, vel hominum pullis infeſtorum.

Maluerim ego tamen Textum exponere de columbis, quæ ſeductæ in alias ſecedant turres. Fama eſt in Cairo, aliiſque Ægypti Urbibus familiares eſſe fures columbarum, hanc profitentes artem, alienas columbas ad proprias turres ſeducendi. Ejuſmodi homines ne munus gerant in Sanhedrin, vetant Thalmudiſtæ.

Scriptura non ſemel meditandi & cogitandi vim attribuit columbæ. *Iſaia* 38. 14. *&* 59. 11.; *Meditabor ut columba; & quaſi columbæ meditantes*; *Nahum* 2. 7. ſed hæ plerumque de avis gemitibus accipiuntur. *Gemens ut columba Cantic.* 1. 15. *&* 2. 10. 14. Querula promunt veluti ſuſpiria & gemitus columbæ, perinde ac turtures. In Cantico Ezechiæ *meditari* poſitum eſt pro exprimendo columbæ gemitu.

Columbas deſcribens Pſalmiſta Pſal. 67. 14. habet: *Pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.* In Palæſtina columbæ albis pennis veſtiuntur, quarum proinde candor non malè comparatur argento; ſicut oſtens, palleſcens, ſeu vireſcens plumarum illarum fulgor auro. In Hebræo enim pro *auri pallore* eſt *viriditate auri.* Nec ſane deeſt apud Authores Prophanos pallor ſeu viriditas auro tributa. Catullus:

(a) Polyb. lib. 5. & Strabo l. 14. (b) Levit. 12. 8. Num. 6. 10. (c) Gregor. Mor. l. 32. c. 6. Thom. Hugo &c. (d) Hier. in Jer. 25. 38. & in Ezech. 29. Bochart. Maldon. Sanct. Trin. &c.

lus: *Inaurata pallidior ſtatua*. Martialis lib. 12. epigram. 15. *Miratus Scythicus virentis auri flammas Jupiter*.

In Ægypto, Arabia, Syria & Regno Mogolii inſtruuntur columbæ, ut tabellarium agentes commiſſas deferant epiſtolas, quas gerunt ſub alis alligatas; acceptaque ab amico reſponſa per litteras referunt. Columbas in eam rem pluribus in locis alit, inſtruendasque ſolertiſſime curat magnus Mogolius. Porrò literas ille ſuas vel ad extremos ditionis fines celerrime ferentibus columbis tranſmittit. Nulla non die Conſul Alexandriæ quæcunque contigerint per litteras nunciat Aleppum, quas intra quinque horas amicus recipit, quanquam utramque Urbem diſterminet trium dierum equitibus conficiendum iter (a). Adoptarunt id interdum Hollandi auxilium in obſidionibus opportunum. Caravanæ iter habentes per Arabiam, de itinere ſuo certiores faciunt fœderatos Principes Arabes columbarum ejuſmodi opera (b). Eunt aves illæ celerrime & volando ad locum deſtinatum; reſtituunt ſe adhuc promptiùs ad avitas familiareſque ſedes, ubi & nidos habent & eſcas paratas. Accidit non rarò, ut iter habentibus occurrerent ex aviculis illis nonnullæ ſupino ventre jacentes in arena, & hianti roſtro rorem captantes, laſſoſque reficientes ſpiritus.

Artem inſtruendi ea in re columbas profitentur quidam in Ægypto. Affinitatis autem habere aliquid iſta videntur cum iis, quæ de Noemo legas Geneſ. 8. 8. 10. Dimiſit ille ex Arca columbam, cujus indicio noſceret, an recuxiſſent ſe è terra aquæ. Hanc ille ſelegit inter cæteras avem utpote domeſticam, exhorrentem ſordes & cadavera; via dimiſſa actutum rediit nihil offendens ubi pede conſiſteret; adhuc enim omnia aquis tenebantur. Dimiſſa ſecundò, redit iterum, gerens roſtro virentis olivæ germen, novum poſt diluvium fœtum. Tandem iterum abire permiſſa abiit in diverſa, nec ultra rediit, quod penitùs ceſſaſſet diluvium. Alas columbæ ſibi poſcit Pſalmiſta Pſal. 54. 2. Populum Domini evolaturum ex Ægypto tanquam avem, & ex Aſſyria tanquam columbam habet Oſee 11. 11. Sentimus hiſce omnibus ſolicitudinem columbarum Epiſtolas deferentium, pro reſtituendo ſeſe ad familiares ſedes & domeſticum nidum.

COLUMNÆ, *Columna nubis, columna ignis* Exodi 13. 21. *columna fumi*, Judith 20. 40. deſignant nubem, ignem, fumum, recta in Cælum ſe ſe dirigentes more columnæ irregularis. *Columnæ Cæli* Job. 26. 11. & *Columnæ terræ* Job. 9. 6. & Pſalm. 74. 4. metaphoræ ſunt innuentes Cælum & terram perinde reputari tanquam ædificium, Dei manu ſuper fundamentum & baſim conſtitutum; ut ex illis Job. 38. 5. fit planum: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Quis poſuit menſuras ejus, vel quis tetendit ſuper eam lineam? Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt, aut quis demiſit lapidem angularem ejus?* Terram planæ eſſe figuræ rebantur Veteres; Cælum vero perinde habebant ac ſi extremis terræ oris incumberet.

Columnæ Eccleſiæ. Jacobus, Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, Galat. 2. 9. & Apocalypſis 3. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei*; fulcimentum erit & ornamentum domus Dei. Eccleſiam Jeſu Chriſti appellat S. Paulus, 1. Timot. 3. 15. *Columnam & firmamentum veritatis*. Munus prædicandi gentibus imponens Deus Jeremiæ cap. 1. 18. *Ego dedi te*, ait, *hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum*, ut ſcilicet conatibus omnibus & injuriis adverſariorum tuorum reſiſtens nihil animo labefacteris.

COLZUM Urbs celebris olim & florens adjacens mari Rubro, ad ripam averſam urbis Elanæ ſitæ ad radices Sinai (c). Ambæ illæ hodie corruerunt. Ductum olim canale Colzum jungebat Cairo; ſed hodie ne veſtigium quidem ſupereſt. Omarus ſecundus Califa, poſt ſubactam Ægyptum, mandavit Amoni, qui expeditionem illam conſecerat, ut canale effoderet, quo promptè tranſveherentur ex Ægypto in Erythræum frumenta. Sed cùm temporum vicibus factum eſſet, ut Medina excideret ab honore Urbis metropolis Califarum, canale illud, utpote tunc minùs neceſſarium, neglectum eſt, & paulatim ſabulo oppletum.

COMMUNE uſurpatur de prophano, impuro. *Communibus manibus manducare* perinde eſt, ac manibus non lotis *Matth.* 7. 2. 5. *Communibus manibus*, i. e. non lotis, *manducare*. S. Petrus Actuum 10. 4. 15. ad Dominum: *Nunquam manducavi omne commune & immundum*; ſed ſtatim Deus ad illum: *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*. S. Paulus Rom. 14. 14. *Nihil commune per ipſum*, (natura ſua) *niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe*. Eodem ſenſu Moyſes Deut. 20. 6. *Communem ſeu prophanam vineam* appellat, de cujus racemis ſingulis deguſtare datum eſt: *Quis homo, qui plantavit vineam, & nec dum fecit eam eſſe communem &c.* illi ut domum redeat per nos licet. Porrò quos ferebant vineæ & arbores, primi fructus cenſebantur impuri, ſeu potiùs Domino conſecrati, ut non niſi anni quarti deinceps permitterentur in uſum, *Levit.* 19. 24. 25. Vide v. *Prophanum*.

COMPUNCTIO. Eccleſiaſtico ſtylo compunctio perinde valet ac intimus de peccatis dolor. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini*. Pſal. 4. 5. *Perſecutus eſt pauperem impius & compunctum corde mortificare*. *Pſ.* 108. 17.

Septuaginta tamen uſurpant non rarò vocem *catanuxis*, quæ redditur compunctio, alio planè ſenſu ut perinde ſit ac ſomnium, gravedo, ſtupiditas, obduratio. E. g. Iſaiæ 29. 10. *Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis*, gravedinis, ſtupiditatis; Septuaginta reddunt *ſpiritum compunctionis*. Illos expreſſit Apoſtolus Rom. 11. 9. *Dedit eis Dominus ſpiritum compunctionis*. Ita etiam Pſal. 59. 5. quo loco Hebræus habet: *Potaſti nos vino ſoporis*, vino ſcilicet ebrietatem & ſenſuum ſtuporem inducente, quaſi damnati ſupplicio ſontes potantur; Septuaginta legunt: *Vino compunctionis*. Tandem in Textu illo Pſalmi 4. 5. ſupra in articuli exordio laudati: *In cubilibus veſtris compungimini*; Hebræus fert: *Loquimini in corde veſtro ſuper cubile veſtrum, & manete in ſilentio*. Septuaginta: *Compungimini in cubilibus veſtris*.

In his omnibus Originalis fides tenenda eſt, & nomen compunctionis in Iſaia 29. & Pſalmo 59. accipiendum de ſomno alto mentem turbante, & offuſcante. Sed alicubi, e. g. Actuum 2. 35. *Compuncti ſunt corde*; & Pſalmo 109. 17. *Compunctum corde mortificare*; de compunctione cordis dictum accipiendum eſt. Ita pariter in aliis Textibus, Pſal. 29. 13. *Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar*; Hebræus exponit: *Et non taceat*, gloria mea in tuis laudibus celebrandis nunquam conticeſcat. In Pſalmo 34. 16. *Diſſipati ſunt, nec compuncti*. Hebræus habet: *Laceraverunt me* ſermonibus impiis, *nec tacuerunt*.)

CONCILIUM. Ea vox non rarò quemcunque hominum cœtum ſignificat: ſæpè verò Senatum Hieroſolymitanum, quod *Sanhedrin* nuncupatur; frequenter etiam conventum Epiſcoporum, qui ob dirigenda Eccleſiaſtica negotia fidei, diſciplinæ, & morum in unum congregantur. Hinc Apoſtoli, & Sacerdotes Hieroſolymis cum ſimul conveniſſent, *Act.* 15. 7. 8. *&c.* ut decernerent, an præſtaret, Gentiles Legalibus ſubdi, primùm Eccleſiæ Chriſtianæ concilium inſtituerunt. Iidem Apoſtoli non diù poſt Servatoris Aſcenſionem ante Concilium Hieroſolymitanum, nempè Sanhedrin, cauſam ſuam dicere, ac deindè ejus juſſu virgas ſubire coacti ſunt; facta illis inſuper inhibitione, ne deinceps de Chriſto verba facere auderent. Verùm hi quò promptiori animo virgas pro Chriſti nomine tolerarunt, eo fidentiori juſſis ſtare detrectarunt. *Act.* 5. 41. Vide *Sanhedrin*.

Sunt,

(a) Tavernier. (b) Relatio Caravanarum pag 114. 115.
(c) Bibliot. Orient. pag. 271.

Sunt, qui plura Judæorum Concilia ante & poſt Chriſtum habita recenſeant; cum tamen in S. Scriptura non memorentur, jure de iis ambigendum. In primo Concilio, Hieroſolymis per Apoſtolos coacto, norma veluti, & regula cæterorum omnium ſemper habito, ne Fideles ex Gentibus jugum Circumciſionis, & Legalium ſubire cogerentur, tantummodo à carnibus Idolis antea oblatis, ab animantibus ſuffocatis, & ſanguine in cibum adhibendis, ac tandem à fornicatione abſtinerent, cautum eſt. Secundum Apoſtolorum Concilium, quod aliqui ob Symbolum componendum coactum credunt, v. *Symbolum* ad trutinam expendemus. De cæteris poſt Apoſtolorum deceſſum in Eccleſia coactis agere, cum in Scriptura non contineantur, noſtri non eſt inſtituti.

(CONCORDANTIÆ *Bibliorum*. Eo nomine deſignatur Dictionarium ad elementares literas digeſtas continens Bibliorum voces cum adſcriptionibus librorum, capitum, & verſiculorum. De his fusè in Præfatione ad Dictionarium Biblicum, & in præfixa huic Operi Bibliotheca Sacra, cui acceſſio aliqua facta in Supplemento ad Bibliothecam illam Sacram, quod ad calcem hujus Operis conjecimus.)

CONCUBINA. Apud prophanos Authores eo nomine nuncupari ſolet fœmina, quæ citra nuptias Viro tamquam nupta adjungitur. Alium tamen longè ſenſum in Scriptura obtinet; eo enim nomine fœmina ſignificatur, quæ legitime viro alicui nupta, ſed abſque ſolemnitatibus, & cæremoniis loco ſecundæ Conjugis habetur, honorem, & domus adminiſtrationem primæ conjugi cedens. Illius filii hæreditatis jure Patri non ſuccedebant; ab eo tamen muneribus donari poterant, quoad viveret. Hujus ſecundæ conjugis locum Agar, & Cethura penes Abraham obtinuerunt; quarum proindè filii muneribus à Patre cumulati, ab Iſaac primæ conjugis Saræ filio, & bonorum Patris hærede ſejuncti ſunt. Similia multarum uxorum exempla apud Judæos, polygamia nondum ſolemni lege per Chriſtum prohibita, ſæpè occurrunt; quorum familiæ paſſim ex una vel duabus primariis fœminis, aliiſque plurimis ſecundi generis conſtabant. Davidi uxores ſeptem, & concubinæ decem fuerunt 2. *Reg.* 3. 1. Salomoni 700. Reginæ loco habebantur, concubinarum verò 300. 3. *Reg.* 11. 3. Roboam ejus filius decem & octo primi generis, ſexaginta ſecundi numerabat. 2. *Par.* 11. 21. Matrimonio per Chriſtum ad ſui primævam inſtitutionem redacto, polygamiæ, & concubinarum abuſus omninò eliminatus eſt ab Eccleſia, quamvis diù matrimonia clandeſtina tolerata fuerint, in quibus nomen concubinæ veris uxoribus tribuebatur.

CONCUPISCENTIA, vox à S. Joanne uſurpata pro effræni amore voluptatum, divitiarum, & honorum; hic enim ſententiæ illius ſenſus eſt: *Omne quod eſt in Mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Jo.* 2. 16. Concupiſcentia vero non peccatum, ſed peccati originalis germen eſt, & propago; omnium etiam malorum, quibus Mundus æſtuat, origo. Quemadmodum autem in utroque Teſtamento non impia tantum facta, ſed & deſideria proſcribuntur; hinc hominis eſt Dei cultui addicti, concupiſcentiam in ordinem redigere.

(Uſurpatur plerumque de amore ad rem aliquam effræni. Cùm Hebræi poſtulaſſent à Moyſe, non ſine murmure effrænis concupiſcentiæ, carnes, Deus ultore gladio in multos ſævit, unde loco nomen: *Sepulchra concupiſcentiæ. Num.* 11. 33. 34. Quæcunque proximi eſſent, vehementi concupiſcentiæ deſiderio optari vetat Dominus *Exodi* 20. 17. *Deut.* 5. 21. Uſurpatur plerunque concupiſcentia in ſiniſtram partem, & maximè explicandis carnis deſideriis; interdum eſt tamen in bonum vehemens deſiderium, ut perinde valeat e. g. ac amor ſcientiæ, & ſapientiæ. *Sapien.* 6. 18. 21. *Initium ſapientiæ veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia.* Et paulò infra: *Concupiſcentia Sapientiæ deducit ad Regnum perpetuum.* In Pſalmo 83. 3. *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* Pſal. 118. 20. *Concupiſcit anima mea deſiderare juſtificationes tuas.*

Caino animi ægritudine affecto de præſtitis in Abelem à Deo peculiaribus amoris ſignificationibus, ita Dominus affatus eſt Geneſ. 4. 7. *Sub te erit appetitus ejus,* (concupiſcentia tua) *& tu dominaberis illius.* Ita Textum plerumque reddunt plures; aliis tamen perſuadetur illud, *ejus*, non ad crimen, ſed ad Abelem referri, veluti ſi ita Cain affaretur Deus. Quid times, cur animi omnes reſolvis nervos? Si bona egeris, præmium de bono reportabis; ſi malum, peccatum ſtatim in foribus præſto erit; Abel tibi ſubmittetur, & jura majori natu ſarta tecta in illum conſervabis. Ita ſententiam reddit poſt Septuaginta S. Chryſoſtomus Hom. 18. in Geneſ. nec obſcurè Textus idem refertur ad alterum Geneſ. 3. 17. ubi Deus virum præficit mulieri: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi.* Hebræus: *Ad virum tuum concupiſcentia tua, & ille dominabitur tui.*)

SEPULCHRA CONCUPISCENTIÆ, Hebræia *Kibtroth-aba* (a), locus in deſerto, ubi Hebræi poſt ſtationem ad Sinai, caſtra habuerunt. Nomen ex eo obtinuit, quòd 23000. Iſraelitarum ibidem morte à Deo multata ſunt, quòd in ipſum Deum ſeditionem excitaſſent, & è coturnicibus, quas ille indignabundus conceſſerat, immoderatè comediſſent. Vide *Num.* 11. 34. *Deut.* 9. 20. 22.

(CONDEMNARE, ſontem declarare, quod non tantùm de Judicialibus cauſis uſurpatur, ſed & de aliis quibuſcunque ſimilitudine quadam ad judiciales cauſas pertinentibus. Sacerdotes condemnabant leproſos admiſſæ impuritatis *Levit.* 13. 8. i. e. declarabant impuros. Danielis 1. 10. *Condemnabitis caput meum morte*; per vos fiet, ut ad mortem condemner. Job. 9. 20. *Os meum condemnabit me*; meis verbis judicabit me Deus. *Juſtus mortuus condemnat vivos impios:* Sapien. 4. 16. i. e. vitæ a juſto mortuo inſtitutæ ratio, impietatis damnabit peccatores ſuperſtites. Non diſſimili fermè *ſenſu* Jeruſalem criminis & Idololatriæ rea *juſtificat Sodomam & Gomorrham*, cùm ejus comparatione ambæ illæ juſtæ cenſendæ ſint. *Juſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis. Ezech.* 16. 51. 52.

CONFESSIO. Quam criminum confeſſionem exigebat S. Joannes Baptiſta ab omnibus quotquot accederent, ut Baptiſmate ſuo tingerentur, cave credas ſimplicem eſſe & confuſam quandam admiſſorum criminum proteſtationem, quà ſe ſcilicet ſontes profiterentur; vel confeſſionem quandam criminum vagam, quà ſe reos admiſſi peccati cogitatione, operibus, admiſſione faterentur. Proſequebantur enim exactè & diſtinctè ſingula ſcelera ſua & errores in Legem commiſſos; quemadmodum ſimilem criminum confeſſionem agebant Hebræi, dum manus ſuas imponerent capiti victimarum, quas pro peccatis mactabant. Nec ita expoſita crimina eluebat per ſe Baptiſmus S. Joannis, veniam tantùm adpromittebat iis, qui deinde Baptiſmo Jeſu Chriſti expiarentur. *Ut ab eo baptizatis in ſpe remitterentur peccata, reipſa vero in Domini Baptiſmo id fieret* Auguſtin. lib. 5. contra Donatiſt. cap. 10. Nec ſat illis fuerat, quòd confeſſione & intimo dolore cordis peccatorum feciſſent exomologeſim, adigebantur enim pariter ad *dignos fructus pœnitentiæ* præſtandos *Matth.* 3. 8.

Confluxiſſe Gentiles ad fidem, & ad crimina ſua confitenda ante pedes Apoſtolorum legimus Actuum 19. 18. *Multi credentium veniebant, confitentes, & annuntiantes actus ſuos.* Ad mortem decumbentes Judæi noſtræ ætatis confeſſionem criminum inſtituunt, fermè pro noſtro more (b). Rudiores habent deſcriptam generalem quandam criminum confeſſionem, quam recitant. Cæteri ſeorſum ſingula exponunt. Suam etiam criminum confeſſionem inſtaurant ſingulis ineuntibus annis in pelvi aqua plena immerſi. For-

(a) Num. 11. 44. Heb. Kiberoth hattavah. (b) Buxtor. Synag. Judæor. cap. 35.

Formulâ utuntur confeſſionis in 22. voces, pro numero literarum elementarium, diſtributa; ad ſingulas, quas pronunciant, confeſſionis illius voces vir aliquis præſens caput illorum demergit in aquam, & alter, qui crimina fatetur, deſtera manu tundit pectus (a).

Confeſſio die Expiationis ſolemnis inſtituta hoc ritu peragitur (b). Recipiunt ſe duo Judæi in angulum Synagogæ, tùm alter coram altero demiſsè inclinatur, os habens ad ſeptentrionem obverſum; qui excipiendæ confeſſionis munus implet cædit ferula 39. ictibus dorſum pœnitentis, ſimul obmurmurans illud Pſalmi 77. 38. *Deus eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non diſperdet eos; & abundavit ut averteret iram ſuam, & non accendit omnem iram ſuam*. Cùm in Hebraica hujus Pſalmi ſententia nonniſi 13. voces diſtinguantur, ter integrum repetunt, ad ſingulas voces flagro cædentes dorſum, ut 39. vocibus totidem flagri ictus reſpondeant. Interim Penitens admiſſa crimina confitetur tundens ad ſingula pectus. Secundùm hæc, qui confeſſionem excepit, pœnitentis induit perſonam, ab altero viciſſim eodem ritu flagris cæſus.

Grotius, ſcribens in S. Matthæum 3. 6. mentem ſuam de confeſſione, his animadverſione dignis verbis exponit. Quod attinet, uit ille, ad quæſtionem inter doctos agitatam, num in textibus Numerorum & Levitici, ubi de confeſſione eſt ſermo, agatur de ſimplici confeſſione hominis ad Deum, vel hominis peccata ſua exponentis Sacerdotibus, mihi utique ſatis probatur eorum opinio, qui dicta accipiunt de peculiari criminum confeſſione coram Sacerdotibus; dum tamen de criminibus ſermo eſt pœna mortis inferioribus. In illis enim ſatis fuiſſe credo criminum ſe reum generatim profiteri; probabiliſſimè etiam reputaremus, idem pariter obſervatum majori pietate & fiducia ab illis, qui ad Joannem Baptiſtam confluebant, utpote quem norant Sacerdotem & Prophetam, ac virum etiam fidei probatæ.)

CONFESSOR, *Confeſſio*. Confeſſoris nomen ſtylo Eccleſiaſtico iis omnibus datur, qui Chriſti nomen in Judiciis prætulerint, ac pro illo genus aliquod pœnarum tolerarint. Si in ſupplicio vitam conſummaſſent, Martyres appellabantur. Eos, quos ſui nominis coram hominibus aſſertores habebit, ſe etiam coram Patre ſuo aſſerturum Chriſtus profitetur Matth. 10. 32. Apoſtolus 1. *Timoth.* 6. 12. eo nomine Timotheum laudat, quòd *bonam confeſſionem confeſſus* fuerit; ſcilicet vitæ diſcrimen pro veritatis defenſione ſubierit. *Bonam confeſſionem ſub Pontio Pilato* Jeſum Chriſtum *reddidiſſe* idem Apoſtolus ſcribit. 1. *Timoth.* 6. 13.

Confeſſionis etiam nomine appellamus eam, quam Fideles inſtituere ſolent, publicam, vel privatam criminum ſuorum coram Miniſtro accuſationem, à quo poſt injunctam pœnitentiam, abſolutionem obtinent. S. Matthæus 3. 6. tradit Judæos undique ad Jo: Baptiſtam conveniſſe, ut crimina confiterentur, & baptiſmum reciperent. S. Jacobus 5. 16. hortatur, ut nobis invicem peccata ob ſalutem promerendam confiteamur. S. Joannes 1. 1. 9. ſuadet, ut peccata noſtra confiteamur; *Deus* quippè, ait, *fidelis eſt, & juſtus, ut remittat peccata noſtra*.

In Veteri Teſtamento duo Confeſſionum genera notantur: Confeſſio laudis, & Confeſſio criminum. Nihil in Scriptura frequentiùs occurrit, quàm illud: *Confitemini Domino, Confitebor Domino &c.* ſcilicet, *laudate Dominum, laudabo Dominum*. Hebræi tam publicam, quàm privatam criminum confeſſionem familiarem habebant, nonnunquam Domino, aliquando Sacerdotibus confitentes. In ſolemni Expiatione ſummus Sacerdos peccata ſua, Miniſtrorum Templi, & totius populi generali confeſſione expiabat *Levit.* 16. 6. 21. Si quis Iſraelita victimam pro peccato oblaturus, Templum adibat, manu capiti hoſtiæ impoſita, peccata ſua fatebatur *Levit.* 4. 1. qua confeſſione ſingula ea crimina, pro quibus ſacrificium offerebatur, explicari debuiſſe, Interpretes nonnulli autumarunt. Privatæ Confeſſionis cæremoniam die ſolemni *Cippur*, ſic enim diem Expiationis nuncupant, adhuc Judæi ſervare traduntur.

CONFIRMATIO. Sacramentum Confirmationis fidelibus perficiendis inſtitutum eſt, quo indelebilis character in animas baptizatorum imprimitur, & robur confertur, ut vel in vitæ diſcrimine fidem profiteantur. Apud Veteres *Impoſitio manuum* appellabatur; manuum enim impoſitione confertur. Jam inde à ſua inſtitutione illius conferendi jus ad Apoſtolos, ac Epiſcopos eorum ſucceſſores ſpectavit; quare in Actis Apoſtolorum 14. 15. legimus, Apoſtolos Petrum, & Joannem Samariam ſe contuliſſe, ut iis, qui per Diaconum Philippum baptiſmo initiati fuerant, manuum impoſitione S. Spiritum conferrent. S. Paulus de hujus Sacramenti in anima operatione hæc loquitur: *Epheſ.* 4. 30. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis*.

Sub ipſum Eccleſiæ exordium eo Sacramento per manus impoſitionem initiati, viſibilibus donis, ac ſenſibilibus gratiis S. Spiritus donabantur, veluti prophetiæ dono, miraculorum virtute &c. Quod & in baptiſmo Cornelii apertiſſimè oſtenſum eſt *Actor.* 10. 44. quamquam ſpeciali Divinæ providentiæ diſpenſatione factum eſt, ut Spiritus Sancti illapſus ſuper eos, qui Baptiſmum poſcebant, ipſam Baptiſmi collationem, ac manuum impoſitionem præveniret. Rei novitate obſtupuerunt Judæi, qui Cæſaream cum Petro venerant; nunquam enim ſe vidiſſe profitebantur homines Paganos, qui ignotis & peregrinis linguis illico loquentes, in laudes Dei effunderentur, eorum inſtar, qui Baptiſmi gratiam, & manuum impoſitionem tum receperant. Cùm Apoſtoli Samariam veniſſent *Actor.* 8. 9. 14. confirmandis iis, qui Baptiſmo jam initiati fuerant Spiritu Sancto ipſam manuum impoſitionem conſequente; Simon Magus oblata Apoſtolis pecunia hanc virtutem, conferendi nempè Spiritum Sanctum, emere tentavit. Horum donorum ſæpiſſimè S. Paulus (c), & Patres (d) quatuor priorum ſæculorum meminere; ex quorum teſtimoniis intelligimus, toto eo temporis ſpatio in Eccleſia perſeveraſſe.

Quo ritu hoc Sacramentum Apoſtoli miniſtraverint, ſi ex S. Scriptura intelligere velimus, nonniſi manuum impoſitionis, & orationis mentionem in ea fieri cognoſcemus; ſolam etiam manuum Impoſitionem tum vetuſtiſſimi Patres, tum vetera Ritualia commemorant. In Eccleſiis Orientalibus ex veteri Traditione, Epiſcopi & Sacerdotes olei ſancti unctionem adhibent; in Latinis verò penes ſolos Epiſcopos eſt ordinaria poteſtas illud conferendi; quod perficiunt manuum impoſitione, unctione Chriſmatis in fronte, additis iis verbis: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

(CONFRACTIO. Familiare eſt in Textu originali Scripturæ *confringere*, pro morte percutere. *Deus confractionem fecit in Ozam* 1. *Reg.* 6. 7. i. e. interemit. Exodi 19. 10. 12. mandat Moyſes luſtrari populum, ne forte iraſcens Deus *faciat confractionem in medio eorum*. Pſalmo 105. 23. *Dixit Deus ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus*; niſi ſcilicet conciliandæ pacis author interceſſiſſet.

CONFRACTIO etiam uſurpatur pro mœnium diſruptione. *Vocaberis ædificator ſepium*; Hebræus: *Sepiens rupturas*, *Iſaiæ* 58. 12. Amos 9. 11. *Suſcitabo Tabernaculum David, quod cecidit, & readificabo aperturas murorum ejus*.

CONSCIENTIA tantumdem valet ac teſtimonium vel intimum animæ judicium geſta ſua probans ſi bona, damnans ſi mala. Naturalis luminis appendix eſt,

(a) Idem cap. 18. (b) Idem cap. 20.
(c) 1. Cor. 12. & 13. Rom. 12. 6. 7. Eph. 4. 7.
(d) Vide Iræn. l. 2. c. 52. & 57. & l. 5. c. 6. Juſtin. Apol. 1. & Dial. cum Tryph. Conſt. Apoſt. l. 8. c. 1. Hilar. in Pſ. 46.

dis eſt, qua diſcernimus vel judicamus, an pravum ſit quod gerimus, vel ſecùs. *Eſt qui promittit, & quaſi gladio pungitur conſcientia*, ait Sapiens Proverb. 12. 18. Quot qui minus penſantes, fidem ſuam oppignerant, ſtatimque facti pœnitudine tanguntur. Hoc vitio meritò damnandus Herodes, qui poſtulata omnia ſe conceſſurum promiſit Salome, filiæ Herodiadis, & poſcenti caput Joannis Baptiſtæ conceſſit coactus *Matth.* 14. 6. &c. *Semper præſumit ſæva* (ſiniſtra) *perturbata conſcientia Sap.* 17. 10. Qui ſcripta lege caret, ait Apoſtolus Rom. 1. 5. conſcientiam habet intimè judicantem, ſi quid agat boni vel mali. Mandat idem Rom. 13. 5. ut vivamus in obſequio ſæcularium Principum: *Non ſolùm propter iram* (pœnæ timore) ſed *etiam propter conſcientiam*; & 1. Cor. 10. 27. permittit fidelibus, ut ad Paganorum convivia invitati de omnibus indiſcriminatim veſcantur: *Nihil interrogantes propter conſcientiam*; monet tamen, ut ſi fortè hæ vel illæ dapes ex immolatitiis paratæ indicentur, ab illis abſtineant ſeſe, metu ne offendant illius, qui talia indicaverit, & aliorum etiam conſcientiam: *Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius*. Si enim hæc admonuerit vir aliquis fidelis, & videat te è dapibus illis deguſtantem, ſeu te reum in corde ſuo judicabit, ſive tuo exemplo manum ad illas extendet, reluctante licèt conſcientia; unde criminis illius reum te conſtitues. Si verò hæc monuerit Paganus, & deguſtantem te ex immolatitiis cognoverit, & te pariter & religionem tuam contemnet.)

CONSECRARE, *Conſecratio*. Conſecrata ea res dicitur, quam Dei cultui addiximus. In Veteri Lege primogenita ſivè hominum, ſive brutorum, Dei juſſu ipſi conſecrabantur (a), ut & totam Abrahami ex Iſaac, & Jacob propaginem ſuo cultui ipſe Deus peculiariter conſecraverat (b); ex hoc autem populo Tribum Levi, & genus Aaron adhuc peculiariùs ſibi ſegregavit *Num.* 3. 49. & 3. 6. *Deut.* 108. Præter haſce conſecrationes, quas ſibi Deus jure dominii vindicaverat, aliæ etiam recenſentur, quæ ut libuerat, ab hominibus fiebant, ſivè rerum ſuarum, ſivè hominum, in quos jus habebant, ſivè ad certum tempus, ſive in perpetuum.

Joſue (c) ſervitio Templi Gabaonitas conſecravit; David & Salomon (d) Nathinæos, Chananæorum reliquias, eorumque poſteros in perpetuum. Anna Samuelis mater filium conſecravit, ut toto vitæ tempore Templo miniſtraret 1. *Reg.* 1. 1. Angelus à Deo juſſus Zachariam monuit *Luc.* 1. 15. ut eum, quem geniturum prænunciabat, filium voto Nazaræum in perpetuum Domino conſecraret; quæ etiam conſecratio à meris Nazaræis, quamquam ad certum tantummodò temporis ſpatium, obſervabatur. *Num.* 6. 1.

Hebræi quoque non rarò pecora, & agros Domino vovebant, ſtatimque poſt votum omne ab illis rebus dominium abdicare cogebantur; nec niſi redemptas pretio, eas iterum ſibi vindicare permittebantur *Levit.* 16. 1. 18. 18. 29. Eo voti genere David, & Salomon arma, & hoſtium ſpolia Domino conſecrarunt 1. *Par.* 18. 11. & 2. *Par.* 23. 9. Erant qui hoſtium capita, eorum regiones &c. in excidium devoverent. Vide *Anathema*.

In Novo Teſtamento ſimilia hiſce votorum, ſeu conſecrationum genera occurrunt; omnes quippè Fideles tamquam gens ſancta, & populus electus, Domino conſecrantur 1. *Petr.* 2. 9. Epiſcopi, & cæteri Sacrorum Miniſtri, ejus portio ſunt præ reliquis ſelectiſſima. Nazaræis perpetuò Domino addictis reſpondent inter Chriſtianos Religioſi, qui ſolemnioribus votis, & jugi regularis vitæ exercitio Deo conſecrantur. Templa tandem, cœmeteria, loca pia, Monaſteria, vaſa ſacra, & cætera ad Dei cultum pertinentia, quodam conſecrationis genere Domino addicta reputantur, majori vel minori religione ſervanda, quo magis, minùſve ſingula corpori, & ſanguini Jeſu Chriſti ex propinquo inſerviunt, ex quo omnis in illa ſanctitatis, & venerationis ratio derivatur.

(CONSILIUM. Præter vulgarem hujus vocis ſignificationem uſurpatur etiam in Scriptura pro decreto Dei & providentiæ ipſius juſſione: *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum*; Geneſ. 45. 8. providentiæ ſcilicet ſupernæ diſpoſitione, non veſtra opera huc veni. *Reprobat Deus conſilia*, cogitationes, meditationes & propoſita *Principum*; *conſilium autem Domini manet in æternum* Pſal. 32. 10. quæ ſcilicet ipſe decreverit rata manent & aſſerta, ut nihil averſum non perrumpant. *Deus terribilis in conſiliis ſuper filios hominum*, Pſal. 65. 5. *Conſilium Altiſſimi irritaverunt* Pſal. 106. 1. Voluntati ejus reſtiterunt. *Annunciavit omne conſilium Dei vobis*, Act. 20. 27. voluntatem ſcilicet ejus & doctrinam. Judæi *conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſos*, Luc. 7. 30. i. e. beneficia, & quæ pro eorum ſalute decreverat Deus. Deus manifeſtabit conſilia cordium, i. e. quas corde occultamus meditationes & propoſita. Jeſus Chriſtus Iſaiæ 9. 6. juxta Septuaginta appellatur: *Magni conſilii Angelus*, Miniſter ſcilicet ad exequenda conſilia Dei pro ſalute hominum deſtinatus.)

CONSISTORIUM. *Conſiſtorium Palatii*, de quo in libro Eſther 5. 1. alio nomine dictum, *Baſilica Regis*; ab Hebræis vero *Domus Regni*. Palatium Regum Perſarum tribus potiſſimùm partibus conſtabat; Atrio exteriori, in quo aulæ Miniſtri degebant, *Eſth.* 6. 4. Atrio interiori, quod non vocatis ingredi capitale erat, *Eſth.* 4. 2. & penetrale, in quo Regis ſedes erigebatur, idcircò *Conſiſtorium Palatii*, ſeù *Baſilica Regis* nuncupatum. *Eſth.* 5. 1. 2.

De Conſiſtoriis Hebræorum, audiendis dicendiſque cauſis deſtinatis, agemus v. *Sanhedrim*, ſeù *Tribunal*.

CONSOLATIO, *conſolari*, quæ vox aliquando apud Hebræos uſurpatur pro *ulciſci* V. *Vindicta*.

(CONSUMMATIO. Qua voce non *exprimitur* tantùm ſuprema operi manus impoſita, ſed *etiam* mali alicujus extremum. *Numquid iratus es nobis uſque ad conſummationem* 1. Eſdræ 9. 14. ut nos ſcilicet penitus diſperdas? Pſalm. 58. 14. *Annunciabuntur in conſummatione, in ira conſummationis, & non erunt*; ubique palam ſpargetur, exerere te in illos gladium ultionis die furoris, nec ultra ſubſiſtent. Iſaiæ 10. 22. *Conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam, conſummatio & abbreviationem faciet Dominus*; juſtitia Dei innundabit ſuper peccatores, veluti è diluvio aquæ, decretum eſt eorum exitium, brevi perdentur & exterminabuntur. *Conſummatio abbreviata*, ſeu potiùs juxta Hebræum *conſummatio vel deſolatio deciſa*, decreta, conſtituta. 1. 8. 9. De exitio Ninive: *In diluvio prætereunte conſummationem faciet ... conſummationem faciet, & conſurget duplex tribulatio*; fluctibus iræ ſuæ obvolvet Deus Urbem, ita deſtruet uno exterminio, ut non ſit opus ſecundo.

Jeremias 4. 27. *Deſerta erit omnis terra, ſed tamen conſummationem non faciet*; vaſtabit, ſed penitùs non exterminabit. Ezechielis 11. 13. *Heu, heu, heu, Domine Deus, conſummationem tu facis reliquiarum Iſrael*; reliquias Iſraelis excindis. Parta legas Iſaiæ 38. 22. Jerem. 5. 10. 18. & 30. 11. & 46. 28. Ezechielis 20. 17. Danielis 9. 27. &c. Difficilis occurrit Textus, in eandem tamen ſententiam exponendus, in Pſalmo 118. 96. *Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis*; gravia & ſæviſſima expertus ſum, excidio etiam expoſitus, ſed ex his anguſtiis eductum, in via lata me conſtituerunt defenderuntque, ne perirem, mandata tua. Hebræus: *Latitudo mandatorum tuorum*, opponitur illi: *Finis conſummationis, vel extrema conſummationis*.)

CON-

(a) Exod. 13. 2. 12. 15. & 34. 19. Num. 3. 12.
(b) Exod. 19. 6. & 1. Pet. 2. 9.
(c) Joſue 9. 27
(d) 1. Eſd. 8. 20. & 1. Eſd. 2. 58. & 3. Reg. 9. 20. 21.

CONTRADICTIO. *Aquæ Contradictionis*, Cum Iſraelitæ in deſerto Pharan ad Cades caſtra haberent, aquarum inopia laborantes, gravè contra Deum, & Moyſem murmur extivere: cui compeſcendo Moyſes juſſus à Domino ſilicem virga percutere, aquas continuò daturam, ille de eventu nonnihil diffidere viſus eſt. Quare duplici ea murmuris, & diffidentiæ cauſa loco nomen impoſitum eſt, *Aqua contradictionis*.

(CONTRISTARE, affligere, malè excipere. Levit. 22. 21. *Advenam non contriſtabis*. David *noluit contriſtare ſpiritum Amnon filii ſui* 2. Reg. 13. 21. S. Paulus 2. Cor. 7. 8. 9. commodè ſibi accidiſſe dicit, non quòd illos videret contriſtatos, ſed, ait, *quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*; ſalutari ſcilicet triſtitia affecti dignos pœnitentiæ fructus datis, & grandi horrore crimen proſequimini: *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei*. Epheſ. 4. 30. nihil agatis, loquamini nihil, quod verſantem ſpiritum in vobis vel in fratribus affligat; ne aliquid admittatis, quod fervorem extinguat in vobis gratiæ Spiritus Sancti, quod vos privet ejus ſeu interna gratia, ſeu exterioribus donis; ſeu quod velut agger opponatur impediendis gratiæ effectibus ſive in vobis ſive in fratribus. In maximorum criminum cenſum referebat Evangelium Hebræum Nazaræorum crimen illud, contriſtandi nempe ſpiritum fratris ſui. *Hieron.* in Ezech. 18. 7.)

CONTRITIO, ſeu dolor peccatorum cum propoſito non peccandi de cætero (a). Vox iſta quamvis in Scriptura in ea ſignificatione non occurrat, ſenſus tamen deprehendi facilè poterit; quippè prolatis ex ea teſtimoniis neque pœnitentiam abſque contritione, neque peccatorum remiſſionem abſque pœnitentia obtineri poſſe intelligimus. Pſalm. 50. 19. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*. Iſ. 38. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Deut. 4. 29. *Cum quæſieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ*. Vide etiam Deut. 30. 1. 2. S. Paulus Regem Agrippam alloquens Act. 26. 20. *Sed & in omnem regionem Judææ, & gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, dignæ pœnitentiæ opera facientes*.

In omnibus ferè locis, in quibus *conterere*, & *contritio* occurrunt, ſemper detritionis, humiliationis, doloris, ruinæ, deſtructionis ſenſum reddunt. Hinc illud Pſal. 13. 5. *Contritio & infelicitas in viis eorum*, ſcilicet, impios Deus ærumnis contundet, & opprimet. Illud etiam *Prov.* 16. 18. *Contritionem præcedit ſuperbia*; nempè, ſuperbi ærumnis demùm oppreſſi deturbantur.

(CONVERTERE. Prono ſenſu vocem hanc immutationem exprimere tam notum eſt, quàm quid aliud. *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi* Pſ. 29. 11. & Levit. 19. 4. *Ad Idola nolite converti*. Deus convertit cor Regis Aſſyriorum. *Deus converte nos, & convertemur &c.* quas loquendi phraſes in vernaculo etiam ſermone habemus familiares. Sæpè tamen in Scriptura converti eſt è captivitate Babylonica redire: *In convertendo Dominus captivitatem Sion* Pſal. 125. cùm Dominus è captivitate reduxit populum ſuum. Jeremiæ 23. 3. *Congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero eos illuc, & convertam eos ad rura ſua*. Et capite 31. 44. *Convertam captivitatem eorum*.)

COPHER. Cantica 1. 13. *Botri Copher in vineis Engaddi* memorare. In Vulgata *Copher* redditum eſt *Cyprus*: *Botrus Cypri*. Porrò Cyprus arbuſcula eſt, altitudinis plantæ mali punici, foliis olivæ ſimillimis, flore albo, & odoro, fructibus ſatis producto racemo adhærentibus, ac odore gratiſſimis. Folia exſiccata, & comminuta pulverem flavum reddunt, quo Turcæ & Ægyptii ungues pingunt, ac fœminæ manus, partem corporis, & comarum inficiunt.

COPHTÆ, Genus Ægyptiorum, noſtra ætate Chriſti nomen profitentes, nominis etymologia ex *Aigyptos*, & *Aicuphtos*, detracto *Ai*, longè derivata. Ægyptum frequenter S. Scriptura nominat, & in Textu Hebraico *Mizraim* dicitur; in Græcis libris *Aigyptos*.

COPONIUS, Præfectus Judææ, ab Auguſto ad illam regionem adminiſtrandam miſſus, poſtquam Archelaus Viennam Galliæ exulavit (b). Succeſſorem habuit *Marcum Ambrvium*.

(COR. Emphaſim quandam peculiarem vox iſta in omnium ſermone ſibi vindicat. Cor reputant Hebræi ſeu fontem & originem ingenii, amoris, bellicæ virtutis, doloris & voluptatis. Hinc dicendi phraſes illæ: *Invenire, poſſidere, inclinare, ferre in alium cor ſuum*. *Bonum & malum cor* eſt conferendorum beneficiorum capax, cor ſpontè beneficum, magnum cor &c. Obdureſcere corde; elevare cor ſuum ad Deum; rogare illum, ut cor lapideum transferat in carneum; amare toto corde, uno eſſe corde & anima cum alio. Nota hæc ſunt. *Convertere cor filiorum ad patrem, & cor patrum ad filios Lucæ* 1. 17. perinde eſt, ac pacem inter utroſque abſolutiſſimam componere, ut eadem ſit utriſque ſententia.

Corde deſtitui, exprimit interdum mente carere & prudentia *Oſee* 7. 11. *Columba ſeducta non habet cor*; columba minus ſolers & hebes. *O ſtulti & tardi corde*, Lucæ 24. 25. homines ſcientia & mente deſtituti. *Incraſſatum eſt cor populi hujus.... ne corde intelligant*. *Loquimini cunctis ſapientibus corde*, Exodi 28. 3. Pſeudo-Prophetæ, quæ maximè cor dictat, loquuntur, ſua oggerentes pro genuinis vaticiniis. Ezech. 13. 2. *Dices prophetantibus de corde ſuo*. Ponere aliquid ſuper cor ſuum, vel cor ſuum ſuper aliquid, perinde eſt ac in mentem aliquid revocare, alicui rei intendere & ſtudere. *Moritur juſtus & nemo eſt qui recogitet corde*. Jerem. 11. 12. *Redire ad cor*, eſt recipere ſe intra ſe.

Cor extendere, ſeu *dilatare* & *comprimere* eſt lætari & corripi timore: dilatatur enim cor in gaudio, contrahitur in luctu; in proſperitate pingueſcit & obduratur; reſiſtit interdum veritati; aperit illud Deus, præparat, & cum maximè voluerit, mite efficit. Uſurpatur etiam *furari cor* alicujus Geneſ. 31. 20. & 2. *Reg.* 15. 4. aliquid præſtare clam alterum. Liqueſcit cor cùm animis deficimus; deſtituit ſe cor, cùm timore relaxatur; deſolatur in rebus ſubitis; fluctuat cùm ambigit. *Poſſidere cor ſuum*, eſt cordis motus ad arbitrium moderari. *Loqui ad cor* alicujus, eſt conceptis verbis ad gratiam emovere aliquem.

Cor etiam perinde eſt ac rei meditullium; e. g. Ezech. 27. 4. Tyrus *eſt in corde maris ſita*, in medio maris. Pſal. 45. 3. *Non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris*. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde Terræ tribus diebus & tribus noctibus* Matth. 12. 40. Moyſes ad Iſraelitas Deut. 4. 11. *Acceſſiſtis ad radices montis, qui ardebat uſque ad Cœlum* (Hebr. *uſque ad cor Cœli*.)

Scindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra Joel. 2. 13. *Corde creditur ad juſtitiam* Rom. 10. 10. Daturum ſe Dominus ſpondet populo ſuo *cor intelligens & timens Deum*. Deut. 29. 4. *Optimum eſt gratia ſtabilire cor; non eſcis* Hebr. 13. 9.)

CORALLIUM. Contendunt Rabbini vocem Hebræam *almugim*, quàm S. Hieronymus reddidit, *Ligna Thyina*, 3. *Reg.* 10, 11. vertendam fuiſſe *Corallium*, Vide *Almugim*.

CORBAN, *Marc.* 7. 11. ſivè *Corbona*, *Matth.* 27. 6. Vox ab Hebræo *Korab*, ſivè *hekerib*, ſcilicet offerre; hinc *Corban* eſt donum Deo in Templo oblatum;

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. Contritio eſt dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. (b) Vide Joſeph Antiq. l. 18. c. 1. 2. 3. & de Bello l. 2. c. 12.

Digitized by Google

tum; quod tantæ religionis erat, ut Judæi non raró per *Corban* jurarent (a): *Quicumque juraverit in dono, quod eſt ſuper Altare, debet*. Tyrii, Authore Theophraſto apud Joſeph l. 1. contra Appion. omnes juriſjurandi formolas, quibus exteri utebantur, ſibi interdixerant, ac potiſſimum illud per *Corban*, apud ſolos Judæos receptum, ait Joſephus.

Jeſus Chriſtus in Evangelio impietatem Judæorum in parentes exprobrans, innuit filios, ne cum ſuis bona communicare cogerentur, eo ſe ſacramento obſtringere conſueviſſe: *Quidquid à me petitis, eſto Corban*; ſivè: *Quidquid ex me habituri eſtis, ſit mihi Corban*; ſcilicet Deo ita devoveatur, ut nec in meos, nec veſtros uſus adhiberi queat; ſivè tandem: *Juro per Corban, me nihil vos adjuturum*. Impium hoc filiorum in Parentes ſacramentum ità refert S. Matthæus 15. 5. *Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit*; nempe: ea, quæ ex me petitis, Deo jam devovi; quare vobis de ejuſdem oblationis merito participare fas eſt; rem verò poſſidere nefas.

(Notat Joſephus Antiqu. lib. 4. cap. 4. interdum Hebræos, quà viros, quà mulieres redegiſſe ſe Corbam; i. e. Deo ſe addixiſſe conſecratione, vel certa in ſe ſuſcepiſſe in ejus obſequium munia. Hoc ſibi impoſito ultrò onere relevaturi ſeſe homines illi conterebant pecuniæ ſummam Sacerdoti; pro viris decreti 50. ſicli; pro fœminis 30. Si quis impar eſſet tantæ pecuniæ ſolvendæ, de pretio cum Sacerdote tranſigebat.

Agens Philo de hominibus Deo ſeſe devoventibus lib. de ſpecial. Legib. pag. 774. affert illud Moyſis Levitici 27. 2. &c. *Homo, qui votum fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam* (vitam ſcilicet & ſe totum) *ſub æſtimatione* (Sacerdotum) *dabit pretium. Si fuerit maſculus a vigeſimo anno uſque ad ſexageſimum annum dabit quinquaginta ſiclos argenti ad menſuram Sanctuarii; ſi mulier triginta. A quinto autem anno uſque ad vigeſimum, maſculus dabit viginti ſiclos, fœmina decem. Ab uno menſe uſque ad annum quintum pro maſculo dabuntur quinque ſicli, pro fœmina tres. Sexagenarius & ultra, maſculus dabit quindecim ſiclos, fœmina decem. Si pauper fuerit, & æſtimationem reddere non valebit, ſtabit coram Sacerdote, & quantum ille æſtimaverit, & viderit eum poſſe reddere tantum dabit.*

Sed unde enam, proſequitur Philo, in omnibus ſpectatur magis ætas, quam cenſus, & reliquæ voto ſe nuncupantis dotes? Ideo arbitror, ait ille, quòd votum à quopiam cujuſcunque ſit dignitatis conceptum ejuſdem ſit meriti. 2. Non ita reputandum de illis, qui voto ſe obſtringunt, veluti de mancipiis, quorum meritum & pretium augent elegans corporis diſpoſitio, proceritas, & valetudo. 3. Et potiſſimùm, quia Deus inſpicit, atque æſtimatione ſua probat conditionum æqualitatem, quam homines negligunt.

Agit etiam Moyſes de varia ratione nuncupandi Corbam ſeu devovendi bonorum partem, quæ Deo nuncupatæ res ſive pretio dato redimebantur, ſive abſumebantur Sacrificio; ſi nempe fuiſſent animalia, ſacrificiis ritu Legis apta *Levit*. 27. 9. 10.

Cùm vir aliquis bona ſua omnia devoviſſet, illis uti nefas; ſi Corbam feciſſet omnium, quæ uxori ſuæ vel utrique parenti deberentur, vetitum ex illis quicquam iis alendis detrahere. Viri illi, qui voto ſeſe obſtringebant, tandiu abſtinendi à cibo & potu, quandiu non interemiſſent Apoſtolum, *Actuum* 23. 12. genere quodam Corbam conſecraverant quæcunque ad ſe pertinerent omnia, vel ſaltem ad cibum & potum ſibi eſſent neceſſaria. Filii, de quibus Marci 7. 11. ſacramento Corbam addicentes quæcumque alendis parentibus ſuis valuiſſent, non eò utique ſeſe redegiſſent, niſi quòd efferato eſſent in parentes illos animo; ſi enim avaritia ad id adigerentur, quid utique profeciſſent, voto Deo conſecrando, quidquid negarent parentibus alimenti? Sæpè tamen citra votum ſat habebant facere *Corbam*, interdicentes ſibi facultatem res illas conferendi iis, quibus maximè tenerentur; e. g. proteſtabantur: Bona mea omnia tibi ſunt Corbam; quare aliquid in te conferre vetor; voto me obſtrinxi nil tibi largiendi. *Baſnage Hiſt. Jud. lib.* 7. *cap.* 19.

Quò verò averſa illi charitati & religioni vota magis magiſque obtinerent, ſeu potiùs confirmandæ atque augendæque in populo ſuperſtitioni, Doctores Judæi nuncupari vota illa permittebant etiam ſolemnibus votorum formulis neglectis; parùm inſuper referebat abſtinuiſſe ſe aliquem à proferenda voce *Corbam*, quanquam id maximè obtineret, dummodo ſimile aliquid profiteretur. Genus hæc ſunt votorum, quæ nuncupantur vocibus etiam non ſatis votum exprimentibus; *anſas* appellant Thalmudiſtæ; ſicut enim apprehendendo vaſi atque ſuſtinendo ſatis eſt anſas tenere manu; ita ſatis ſuperque votum nuncupatur voti aliqua voce pronunciata. Si quis diceret: *Sit mihi hoc veluti Templum*, ſeu tanquam ara, tanquam ignis, tanquam victima, ſatis hæc ad votum. Integrum etiam pronunciabant obæratis, ut fœneratorum diſpendio æs alienum Deo conſecrarent, tanquam ſi non aliena, ſed ſua Domino voverent. Vide Capell. in Matth. 15. ex Origen.

Si fortè acciderit, ut filii, pœnitudine tacti, officium aliquod pietatis in patres ſuos rependere voluerint, poſtquam temerè, vel quacumque tandem de cauſa obſtrinxiſſent ſe voto Corbam, quod utique acriter reprehendit J. C. in Evangelio, votum illud cavillationibus eludendum eſt; (b) e. g. filius patri ſuadebit, ut quæ ſibi ſunt reliqua, omnia in manus ſuas tradat, ea conditione, ut ab illo reliquo vitæ tempore alatur: alter verò cibos ſuppeditari patri curabit per amicos, quibus pretium ea de re ſolvet &c.)

CORBONA, Templi ærarium, ubi oblationes factæ Deo, ſi quæ fierent alicujus pretii, cuſtodiebantur. Huc argentum à Juda acceptum, ut Chriſtum proderet, & ab eo mox in Templum projectum, invehi nefas reputatum eſt; Matth. 27. 6. impura enim habebatur oblatio, quæ ea pretio pro hominis proditione accepto eſſet.

I. CORE, filius Eſau, & Oolibamæ, Gen. 36. 15. &c. qui poſt Cenez, & antè Gathan in parte Idumææ regnavit.

II. CORE, filius Iſaar, ex genere Levi, & pater Aſer, Elcanæ, & Abiaſaph, & familiæ Caritarum, inter Leviticas celeberrimæ, author. Is gloriæ atque authoritatis, quam Moyſes, & Aaron in populo obtinebant, invidia tactus, ſeditionem in illos commovit, eodem crimine una cum Dathan, Abiron, & Hon, aliis 250. ex primoribus Levitarum involutis *Num*. 16. 1. Turba igitur facta, Moyſem convenerunt, querentes illum omnem ſibi authoritatem in populo arrogaſſe. His Moyſes auditis, vultu in terram projecto reſpondit, judicium ejus rei Domino ſe committere; quare die ſequenti ex utraque parte incenſum Domino exhiberetur, cujus oblationem ipſe Deus probaſſet, ille impoſterùm Sacerdos & Ductor futurus eſſet.

Core igitur, ejuſque ſectatoribus die ſequenti incenſum Domino oblaturis, gloria Domini continuò vertici Tabernaculi inſedit, ſimulque Moyſi, & Aaroni inclamatum eſt, è turba ſeditioſorum ſe ſubducerent, nec cum illis interirent. Quibus pro reliquo populo deprecantibus, vox iterum audita eſt, ut populus è Tabernaculis Core, Dathan, & Abiron ſegregaretur. His peractis Moyſes populum alloquens, ſi, inquit, hi communi morte intereant, me à Domino miſſum ne creditote, ſin verò eos vivos terra deglutiat, eos blaſphemos eſſe noſcetis. Vix hæc, tellus continuò dehiſcens, reos vivos cum bonis ſuis omnibus abſorbuit; ſolis eorum filiis Divino miraculo illæ-

(a) Matth. 23. 18.
(b) Baſnag. Hiſtor. Jud. l. 7. c. 19. art. 4.

ſileſſ. *Num.* 26. 10. *&c.* Quo anno iſta contigerint, incertum. Filii, & poſteri Core in Templo pro more Levitarum deinceps miniſtrarunt: quippè ea illis David janitores Templi, & Cantores conſtituit; iiſque pariter undecim Pſalmi, nomine Core inſcripti, tribuuntur; videlicet 41. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 83. 84. 86. 87.

(Traditiones de Core ſervant plures Mahometani, quas, ſubleſtæ licèt fidei, referre hîc operæ pretium judicamus. Ferunt igitur Core (*Carun* appellant) ortum duxiſſe è patre Maſaab, conſobrinum germanum fuiſſe Moyſis (a). Cùm illum rei familiaris anguſtiis laborare Moyſes intelligeret, Chymicis ſecretis inſtruxit, cujus ſcientiæ ope tantùm ſibi divitiarum comparavit, ut vehendo auro & argento ſeriniorum ſuorum 40. camelos impenderet. Non deſunt etiam, qui vendicent, plures camelos oneratos fuiſſe ſarcinis clavium arcularum ejus.

Lege indixerat Moyſes Iſraelitis ſolvere è bonis ſuis omnibus decimas; parere recuſavit Core, quin & in Largitorem ſuum deſciſcens, plurimas in illum ſtruxit calumnias, quibus de authoritate ejus in populum detraxit plurimùm. Querelas ea de re ſuas tulit Moyſes ad Deum; & Deus puniendum illi virum tradidit. Maledictionem igitur in illum ſuam imprecatus, juſſit hiſcere terram, virumque illum abſorbere, quod executioni ſtatim mandatum eſt.

Alia etiam traditione receptum tenent Mahometani, abſorberi terra locupletem gazam ſuam ſpectantem Core, vorari pariter tentorium ſuum & familiam, ac ſe denique uſque ad genua in terram jam immergi, veniam criminis quater à Moyſe rogaſſe, qui tamen obfirmato ſemper in illum fuit animo. Poſt aliquod temporis Deus per viſum Prophetæ illi apparens exprobravit: Veniam roganti Core ſemel iterum & quartò non conceſſiſti, ego vel ſemel rogatus ſequleviſſem.)

COREÆ. Joſephus *Antiq.* 14. *c.* 6. ſcribit Coreas Urbem eſſe ad ipſum Judææ ingreſſum, ſeptentrionem verſùs, propè caſtellum Alexandrium, ſitum in vertice montis, in via inter Coreas, & Hierichuntem. *Antiq. l.* 13. *c.* 24. & 16. 2. & 14. 6.

CORIANDRUM, ſemen parvum, rotundum, & grati odoris, cui ſimillima erat manna, Iſraelitis è cœlo lapſa, *Exod.* 16. 31. *Num.* 11. 8. quamquam illa colore erat bdellii, ſeu albenti.

CORINTHUS, urbs celeberrima, & omnis Achajæ metropolis, ad Iſthmum, inter Peloponneſum & Atticam ſita; quò S. Paulus anno Chr. 52. fidem nunciaturus devenit. *Act.* 18. 1. *&c.* Duo maria, quibus media alluebatur, fecerant, ut totius Orientis, & Occidentis Emporium eſſet, & divitiis, populoque mirum in modum afflueret. Hinc comites opulentiæ, luxus, faſtus, omniſque vitiorum turba in ea ſedem ſtatuerant; quamquam non adeo regnabant, ut obſcœnæ voluptates, quibus in ara Veneris, ac publica proſtitutione mulierum Veneri devotarum, cultus religioſus addicebatur. Philoſophiæ tandem, ac politioris literaturæ ſcientia apud Corinthios non ſecùs ac apud cæteros Græcos obtinebat. Is erat Urbis ſtatus, cum S. Paulus primò fidem prædicare adorſus eſt.

Igitur huc deveniens, in domo Aquilæ, & Priſcillæ ſedem ſtatuit, ibique communem cum illis artem tentoria conficiendi exercens, victum ſibi comparabat, ne cuiquam eſſet diſpendio. Deindè ſingulis Sabbathis Synagogam adibat, verba ad populum facturus. Quod cum non fruſtra fieri ea aliquorum converſione intelligerent Judæi, verbis blaſphemis ejus doctrinæ detrahere conati ſunt, eo eventu, ut Paulus inanem jam eſſe prædicationem ſuam apud Judæos experimento ſentiens, excuſſo in eos veſtium, ac calceamentorum pulvere (b), factaque ſolemni proteſtatione de innocentia ſua, quòd ab illis rejectus pro Gentibus deinceps laborare cogeretur, ad domum Titi, ex Gentibus ad Fidem converſi, tranſmigravit. Hinc plures ex Gentibus Chriſti nomen profeſſi ſunt; quorum tamen converſio Paulo quamplurimi ſtetit. Per quietem verò à Chriſto Domino ſibi viſo noctu confirmatus, uberrimæ meſſis ſpe ſibi per illum facta, decem & octo menſibus ibidem ſubſtitit *Actor.* 18. 11. Eo temporis ſpatio, an. Chr. 52. duas ad Theſſalonicenſes Epiſtolas ſcripſit. Corintho diſcedens an. Chr. 54. Hieroſolymam divertit *Act.* 18. 18. poſt duos annos, cum Epheſi eſſet, primam ad Corinthios epiſtolam dedit. Invehitur in ea Paulus in illos, qui Eccleſiam in ſectas ſcindebant; ut enim inter Philoſophos alter huic, alter illi ſectæ addicitur; ita & ex illis alii ſectatores Pauli, hi verò Apollo, ac tandem plures Cephæ ſe eſſe profitebantur 1. *Cor.* 1. 10. 12. Carpit ſubindè eos, qui lites in Fratres intentabant; abuſus etiam, qui in eorum cœtus irrepſerant, ac tandem illum, qui Novercam violaverat, graviſſimis verbis caſtigat. Hæc Epiſtola per Stephanum, Fortunatum, & Achaicum delata; mirum eſt quantum Corinthiis triſtitiæ ſalutaris, timoris judiciorum Divinorum, quantum denique ardoris pro ſcandalo reparando, ac reis puniendis ingeſſerit (c). Quare Paulus de ea re certior factus, ſecundò ad illos ſcripſit anno Chr. 57. ipſis gratulans zelum, quem in inceſtuoſum exhibuerant (d); tum ſe purgans ab iis, quæ in ipſum Pſeudo-Apoſtoli diſſeminaverant, miniſterium ſuum Moyſis miniſterio præſtantius eſſe oſtendit (e), ſimulque labores, ac perſequutiones ſuas effert. Tandem Corinthios hortatus (f), ut eleemoſynas, ſi quas volebant, pro Fidelibus Judææ præſto haberent, Epiſtolam claudit, Philippis Macedoniæ datam, quam poſtea per Titum, aliumque Fratrem (g) ſibi ab Eccleſiis comitem additum, miſit; nec abs re creditur idem Paulus ſub finem ejuſdem anni, poſt miſſam Epiſtolam, illuc veniſſe (h).

CORNELIUS, Centurio Legionis dictæ Italicæ *Act.* 10. 1. 2. genere Gentilis, ſed Deum cum tota familia timens; orationibus inſuper, ac eleemoſynis addictus, quæ religioſæ pietatis officia à Judæis Cæſarienſibus didicerat. Cum die quadam his exercitiis, ac jejunio vacaret, Angelum Dei humano vultu, ac veſte lucida obvium habuit, à quo Dei juſſu monitus eſt, ut miſſis Joppem nunciis, Simonem Petrum in domo, quam idem Angelus deſignavit, accerſeret; auditurus ab eo quid ab eo ac familia ad ſalutem obtinendam fieri oporteret. His auditis Cornelius confeſtim nuncios ad Petrum dimiſit. Petrum intereà in ſolario domus orantem Deus mirabili viſione quæ fieri oportebat, edocuerat. Quippè viſum Petro eſt è Cœlo linteum quoddam demitti, quatuor ejus angulos veluti totidem manibus ſuſtinentibus, in quo ingens omnigenum animalium & reptilium, & volucrum copia continebatur. Tum audita cœlitùs vox: *Surge Petre, occide, & comede*; eique detrectanti, & legalem ciborum impuritatem cauſanti, vox iterum reſpondit: *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* His ſemel, & iterum, ac tertiò iteratis, tandem linteum in Cœlum receptum eſt.

Interim nuncii Cornelii ad Petri domicilium pervenerant; eique adventus ſui cauſam exponentes, petiere, ut ad Cornelium venire non detrectaret: quod ab illo, cui placita Divina cœleſti illuſtratione innotuerant, facilè impetratum eſt. His proindè comitibus Cæſaream adiit; illique propiùs accedenti Cornelius obviam occurrit, ac domum ſuam adducto, omnia, quæ ſibi contigerant, ordine expoſuit; petiitque, ut Divina conſilia ſibi, & familiæ revelaret. Petrus, his auditis, ſermonem de Chriſti Divinitate, ejuſque

(a) D. Herbelot Bibl. Orient. p. 259. & 1006. (b) Act. 18. 6. 7. 8.
(c) 2. Cor. 7. 9. 10. 11. (d) 2. Cor. 2. 5. 11.
(e) c. 3. & 4. & 7. & 10. (f) c. 8. & 9.
(g) Hunc Fratrem alii S. Lucam, alii S. Barnabam credunt.
(h) Vide Act. 20. 2. & ad Cor. 12. 14. & 13. 1. Uſſer. Tillem. & alii.

in Mundum adventu, morte, ac reſurrectione ob homines ſalvandos, inſtituit. Inter loquendum, auditores illicò S. Spiritus illapſu, Divino œſtro abrepti, in laudes Dei vario linguarum ſono eruperunt, obſtupentibus ea circumciſione Fidelibus, qui cum Petro venerant. Petrus verò, An, inquit, baptiſmus iis denegandus, in quos Spiritus Sanctus deſcendit? Quare omnes Baptiſmo juſſit initiari. Hujus rei famam Hieroſolymam delatam Fideles non æquo animo exceperunt *Act.* 11. 1. *&c.* quippe hominem incircumciſum in cœtu Fidelium recenſere, præter morem eſſe videbatur. Verùm auditis ex Petro, Cæſarea reduce, ubi aliquandiù ſubſtiterat à Cornelio rogatus, quæ ſibi circà eam rem acciderant, nedùm acquievere, ſed & in Dei laudes, qui Gentilibus ſalvandis januam aperuiſſet, effuſi ſunt.

Uſuardus, & alii ex Latinis hunc Cornelium inter Sanctos & Epiſcopos Cæſareæ in Palæſtina cooptant. Conſtitutiones Apoſtolicæ *l.* 7. *c.* 46. quemdam Cornelium Epiſcopum Cæſarienſem ſucceſſorem Zachæi memorant. Verùm an hic fuerit, incertum. Euſebius ejuſdem urbis Epiſcopus inter prædeceſſores ſuos Cornelium non nominat. Neque ejus Actis plurimùm deferri poteſt; quippè nec originalia ſunt, nec probata. Græci recentiores alii Epiſcopum Ilii, alii Scepſis, quæ duæ urbes parùm diſtant, fuiſſe tradunt. Feſtum hujus Cornelii, addito Martyris titulo, in Menologiis ad diem 13. Septembris conſignatur, apud Latinos verò ad diem 2 Februarii. Domum hujus Cæſareæ in Eccleſiam conſecratam fuiſſe, quam S. Paula anno Chr. 385. inviſit, à S. Hieronymo Epiſt. 17. proditum eſt.

(CORNUA. Prominens quoddam, vel angulum, vel dorſum, cornu nomine deſignant Hebræi: *Vinea facta eſt Dilecto meo in cornu, filio olei.* *Iſai.* 5. 1. vinea in prominenti quodam conſita, vel in angulo vel in dorſo montis fertilis & opimi. Nomine cornuum Altaris Holocauſtorum, *Exodi* 27. 2. & 30. 2. deſignatos credunt quamplures Aræ illius angulos; conſtat tamen eminuiſſe ad angulos ipſos cornua, vel prominentia quædam, commiſſas retinentia catenas quatuor, unde Altaris craticula pendebat.

Cornu eſt etiam gloria, fulgor, radii; e. g. cornuta dicitur facies Moyſis, i. e radiata, ut ea illa tanquam cornua lucis aſſurgerent *Exodi* 34. 29. Legimus etiam 1 Reg. 2. 10. *Exaltatum eſt cornu meum in Deo meo; ſublimabit cornu Chriſti ſui*; i. e. cumulavit me gloria; & gloriam relevavit Regis vel Sacerdotis ſui: *Nolite exaltare cornu*. ait Pſalmus 74. 5. 6. ne gloriemini: *Cornu ejus exaltabitur in gloria*; cumulabitur honoribus &c.

Cùm autem liquoribus continendis cornua eſſent in uſu apud Veteres, vaſa olei & unguentorum ſæpè cornuum nomine deſignat Scriptura; ſive reipſa è cornu conficerentur, ſive e materia alia quacunque: *Imple cornu tuum oleo*, ait 1. *Reg.* 16. 1. Dominus ad Samuelem, & eas ungendo David in Regem. Sadoc Summus Sacerdos cornu olei Tabernaculi aſſumpto ad ungendum Salomonem ſe contulit 3. *Reg.* 1. 39. E filiabus ſuis unam Jobus appellavit *Cornuſtibii*, ſeu cornu continens ſtibium, cujus eſt hodie pariter uſus apud fœminas Orientales.

Cornigerarum beſtiarum robur maximum, & munimen in cornibus ſitum eſt; quare aptiſſime cornua in Scriptura exprimunt robur. *Elevabit Dominus cornu David Pſ.* 131 17. *Cornu populi ſui*. *Eccli.* 47. 6. *Contrivit cornu impiorum*. *Eccli.* 47. 8. *Abſciſſum eſt cornu Moab. Jerem.* 48. 25 *Confregit in ira furoris ſui omne cornu Iſrael*. *Thren.* 2. 3. *Pullulabit cornu domus Iſrael Ezechiel* 29. 21.; i. e. robur illi priſtinum reſtituet & honorem. Comparat Joſephum Moyſes Deut. 33. 17. vitulo, cujus cornua rhinocerotis aſſimilarentur. Exprimunt non rarò victoriam facri Authores vocibus illis: *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu*; diſſipabis illos hoſtes, quemadmodum taurus petulcis cornibus obvios quoſcumque diſſipat *Pſ.* 43. 6. *Ezech.* 32. 2. & 34. 21. &c. 1. *Mach* 7. 46.

Regna, & maxima quæque Imperia cornuum ſæpe nomine exprimuntur; quo emblemate depingit Daniel 7. 8. Imperia Perſarum, Græcorum, Syriæ & Ægypti. Exhibet Darium & Alexandrum tanquam hircum & arietem ſe invicem cornibus petentes; Antiochum Epiphanem tanquam cornu pronuncians blaſphema, & bello aggrediens Sanctos. Exhibet autem hic Propheta animalia illa veluti pluribus inſtructa cornibus, quorum alterum ab altero emergeret. Nec id monſtri loco habendum, cùm multicornes oves nunc etiam offerant regiones Barbariæ & Inſulæ Cypri. Myſtica ſunt hæc utique in Daniele, ſed myſterium ea ipſa rerum natura non raro petitur.

In 1. Machabæorum 9. 1. 12. 16. utraque exercitus ala exprimuntur nomine dextri & lævi cornu. Et Habacuc 3. 4. deſcribit venientem è Pharan Dominum gloria terribilem & majeſtate; *& cornua*, ait, *in manibus ejus*; i. e. jacula ignita, igneaſque ſagittas ſtringens, ac vibrans. Sæpè etiam apud Prophanos ſagittæ & jacula cornuum nomine deſignantur, quòd cornibus olim armarentur; ſolemne enim erat multis ut jaculorum extrema munirent cornibus, & de Centauro Doryla habet Ovidius Metamor. lib. 12.

..... Sævique vicem præſtantia teli
Cornua dura boum, multo madefacta cruore.)

CORNU-STIBII. Vas pigmento ſeu antimonio plenum; quippe apud Veteres pro vaſis cornua adhibebantur. Antimonii verò plurimus erat uſus, tingendis oculis ac palpebris dilatandis, quod apud illos ſpecies erat venuſtatis. Hebræus (a) legit, *Cornu phuc*; quæ vox aliquando antimonium, aliquando lapidem pretioſum deſignat (b). Septuaginta reddunt, *Cornu abundantiæ*, ſive *Cornu Amaltheæ*; Chaldæus, *fulgens, ut Smaragdus*.

CORUZAIM, ſivè *Chorazin*, urbs Galilææ, ad latus occidentale maris Tiberiadis propè Bethſaidam, duobus mille paſſibus à Capharnaum, juxtà S. Hieronymum, quamquam in Euſebium 12000. paſſibus mendosè irrepſit. Chriſtus Jeſus pluribus editis miraculis, ac repetitis prædicationibus, hanc Urbem excoluit; verum cùm fruſtra ſe laborare intelligeret, gravioribus illam verbis reprehendit, *Matth.* 11. 21. *Luc.* 10. 13. futurum fuiſſe dicens, ut Tyrus, & Sidon jamdiu pænitentiam agerent, ſi pro earum converſione tantum laboris, quantum pro illa, impenſum fuiſſet.

CORONA. Coronas non rarò Scriptura nominat, quippè illarum uſus apud Hebræos frequentiſſimus erat. Summi Sacerdotis mitram corona cingebat, quæ in occipite vinciebatur; in anteriori verò parte aurea lamina videbatur, hoc lemmate inſcripta: *Sanctum Domino*. *Exod.* 25 11. & 28. 36. *Eccli.* 45. 14. Sacerdotes reliquos coronam quoque geſtaſſe ex eo conjicimus, quòd Deus Ezechieli præcepit (c), ne coronam deponeret, neve luctus inſignia ſumeret; quibus verbis intelligimus, Judæis in captivitate neque coronas deponere, neque luctum, vel in ipſo ſuorum funere, induere licuiſſe. Hæc corona non alia erat, quàm vitta quædam, Hebræis *peer*, quæ capiti obvolvebatur, more apud alios etiam Orientales recepto, Principum coronis ſimilis, præter colorem, & pretium (d). Iſraelitis tandem coronas & dextrariola, prorſus familiaria fuiſſe Moyſes *Deut.* 6. 8 indicavit, dum verba Legis in capite, & in manibus ut coronam, & dextrariola geri jubet.

Coronarum uſus, ditiorum tamen, novis nuptis utriuſque ſexus frequens erat (e). Inſuper ii, qui-
bus

(a) Job. 42. 14. (b) 1. Par. 29. 2. Iſa. 54. 11.
(c) Ezech. 24. 17. 24. (d) Vide noſtra Commentar. in Exod. 24. 17.
(e) Iſa. 61. 10. Cant. 3. 12.

bus aliquid pro votis accidiſſet; tum etiam, qui conviviis accumberent (a), floribus coronabantur. Reges item coronas geſtabant, tamquam dignitatis inſignia (b); cujus etiam rei gratia Deorum capitibus coronas imponi conſueviſſe conſtat, quòd David illam detraxit ex Melchon Deo Ammonitarum 1. *Par.* 20. 2., & Baruch (c) coronas Deorum Babyloniorum commemorat. Aureæ coronæ ad Reges, Victores, & urbium expugnatores mittebantur (d). Milites Pilati ſpineam coronam Chriſto impoſuerunt, ipſi quòd Regem ſe Judæorum diceret, illudentes. *Matth.* 27. 29. Cujus verò generis eſſent ſpinæ illæ, non ſatis conſtat; alii enim albam-ſpinam, alii dumos, alii tandem creſpinum, Gallia *Eſpine Vinette* malunt.

(Sæpe in unum confunduntur corona, diadema, infulæ, faſcia, balteus Regius, tiara. Erant autem corona Deorum æquè ac Regum ornamentum. Coronam Dei Moloch, vel Melchon 1. *Par.* 20. 2. & 2. *Reg.* 12. 30. gemmis & auro divitem in ſuum caput tranſtulit David, ſeu potiùs ſuper caput ſuum ſuſpendit; erat enim gravis ponderis talenti, i. e. 173. marchorum 6. unciarum, 3 groſſorum & ſemis, 22. granorum & $\frac{2}{7}$

Amalecita ille, qui de interfecto à ſe Rege Saule gloriam aucupabatur 2. *Reg.* 1. 10., reſignavit Davidi diadema vel balteum ejuſdem Regis. Sponſa in Cantico ſocias invitat ad ſpectaculum Regis Salomonis diadematis, qua corona illum donaverat mater die nuptiarum ſolemni *Cantic.* 3. 11.; erat autem diadema illud faſcia pretioſæ cujuſdam telæ, opere phrygio ornatæ, quam facilè manibus ſuis paraverat Regina Bethſabee. Diadema impoſitum eſt capiti Joas Regis, cùm primùm exhiberetur populo ſalutandus in Regem 2. *Par.* 23. 11. Idola Babylonica auro redimita præfert Baruc. 6. 9. Uxoribus Regiis ſua pariter erant diademata apud Perſas, quo authoritatis inſigne Reginam Vaſthi uxorem ſuam donaverat Rex Aſſuerus, eodemque, illa repudiata, dignatus eſt Eſther in tori ſocietatem adſcitam *Eſther.* 2. 17. Aurea corona ornaſſe ſe caput Judaicæ gentis affirmat Deus, quippe qui illam ſibi veluti in ſponſam adduxerat *Ezech.* 16. 12.

Peculiaris etiam Summo Sacerdoti erat corona vel diadema, inſcriptum præferens: *Sanctum Domino.* Vide Eccli. 45. 14. Sapien. 18. 24. Exod. 28. 36.

Non uno tantùm, ſed pluribus etiam redimebantur diadematibus Reges, cùm pluribus Regnis jura darent. Ptolemæus Rex armorum jure ſibi adſcita Syria, triumphantis more ingreſſus eſt Antiochiam duplici inſignitus diademate, Ægypti ſcilicet, & Aſiæ 1. *Machab.* 11. 13. In Apocalypſi 12. 3. Draco ſepticeps totidem præferebat diademata, ſingulis capitibus unum; & cap. 13. 1. bellua è pelago emergens decem ſpectanda erat cornibus, & pro numero cornuum diadematibus. Tandem cap. 19. 12. de Verbo Æterno vero & fideli legimus: *In capite ejus diademata multa.*

Die nuptiarum ſolemni utrumque ſponſum ornari corona in Salomone ſupra ſpectavimus. Iſaias etiam morem illum innuit cap. 61. 10. *Quaſi ſponſum decoratum corona;* innuit & Ezechiel cap. 23. 42. *Coronas ſpecioſas in capitibus earum.* Et pro corona Sponſæ idem Propheta 16. 12. *Dedi coronam decoris in capite tuo.*

Viri dignitate ſpectabiles idem gloriæ inſigne præferebant. Hominem, quem Rex honore dignari voluerit, Regio paludamento & diademate in capite decorandum præſcripſit Amanus *Eſther.* 6. 8.; nec ſanè ex his honoribus quidquam denegatum fuit Mardochæo. Prodiit enim in publicum *fulgens veſtibus Regiis* ... *coronam auream portans in capite.* *Eſther.* 8. 15.

Tandem ſua erant vel diademata vel coronæ, cùm de re quapiam feſta gaudia agerentur; ſed diſcrimen erat maximum, quà coronarum forma, quà materia in diadematibus Regum & virorum Principum, ac privatorum. Regium plerumque exhibebat faſcia quædam albens capiti circumvoluta, cujus extrema nodo invicem conjuncta, retrò ad cervicem recidebant. Interdum textile erat opus ex auro, gemmis ornatum. Summi Sacerdotis Judæorum diadema, omnium, quotquot novimus, vetuſtiſſimum, efferebat faſcia quædam aurea, frontem excipiens & vitta quadam hiacynthina vel cerulea ad occiput alligata. Porro diadema iſtud capiti non priùs imponebatur, quàm poſt aſſumptam à ſummo illo Sacerdote tiaram.

CORONA SPINEA J.C. Vide *Spina.*

Corona typico ſenſu exprimit gaudium & honorem. Eccli. 25. 8. *Corona ſenum multa peritia.* S. Paulus Philipp. 4. 1. *Gaudium meum & corona mea vos eſtis.* Exprimit etiam *corona* præmium operis; victores enim in ludis publicis donabantur corona.

CORPUS uſurpatur non rarò de cœtu quodam vel de ſocietate, e. g. 1. Cor. 10. 17. *Unum corpus multi ſumus.* S. Jacobus 3. 6. de lingua: *Maculat*, ait, *totum corpus*; actus ſimul omnes noſtros, vel fortè de omnibus criminibus participat, quæ cætera corporis noſtri membra committunt. Ita Jeſus Chriſtus Matthæi 6. 22. *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*; ſi mente eris recta, geſta etiam tua omnia Deo probabuntur; vel potiùs ſi oculus tuus fuerit ſimplex, ſi ad largiendum animo fueris propenſo, reliqua tua geſta omnia probitate placebunt; vel ſaltem plura evitabis crimina, è rerum cupiditate, veluti mala quadam radice, germinantia.

Diſcrimen invehit Apoſtolus 1. Cor. 15. 44. inter corpus animale & ſpiritale: *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.* Quod ſuſtinemus corpus, in terram pondere ſuo ferens, animale eſt; quod verò reſurrectione reparabitur, ſpiritale erit, nullo pondere grave, nulli obnoxium corruptioni, non neceſſitudinibus vitæ hujus jactatum.

Corpus etiam opponitur umbræ, & figuræ: *Quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti Coloſſ.* 2. 17. Legis cæremoniæ & Judæorum feſta nonniſi figuræ ſunt & umbræ, quarum veritas in Jeſu Chriſto & Religione Chriſtiana. Paſcha Judaicum e. g. quid, niſi typus Paſchæ Chriſtianorum; Quid ſacrificium Agni Paſchalis, niſi umbra ſacrificii Jeſu Chriſti? *In ipſo* (Jeſu Chriſto) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter Coloſſ.* 2. 9., re & natura. Deus in Sanctis ſuis inhabitat, veluti in Templo ſuo; inhabitat autem per Spiritum Sanctum, per illuſtrationem & gratiam: ſed in Jeſu Chriſto tota inhabitat divinitatis plenitudo, non per allegoriam & figuram, non obiter, ſed re ipſa & perpetuò. *Corpus rei* vulgari Hebræorum ſtilo eſt rei ipſius veritas; *Geneſ.* 7. 13. & 17. 23. & 12. 17. *Levit.* 23. 4. *Corpus diei*, corpus puritatis, corpus mortis, corpus peccati exprimunt plenam diem, morum innocentiam ipſam, vim, naturam & rem ipſam peccati, vel corpus noſtrum in peccato genitum; *corpus mortis*, eſt corpus mortale, vel corpus pelliciens nos in crimen per concupiſcentiam, imperium ſuum in membris noſtris exercentem.

Ubicumque fuerit corpus illuc congregabuntur & aquilæ; Matth. 24. 28. proverbialis eſt formula, quam Jeſus uſurpavit, deducta è Libro Job 39. 30. ubi legimus aquilam in eminenti quadam ſpecula ſuper petram verſari, prædam ſuam ex alto proſpicientem, ſtatimque ac mortuum quoddam corpus alicubi locorum jacuerit, ibi continuò præſto eſt aquila ad vorandum. Judæorum genus comparat J. C. cadaveri, quod Deus in furore ſuo carnivoris avibus & beſtiis permittit; ubicumque Judæus fuerit verſatus; ibi ſtatim præſto erunt hoſtes in ejus perniciem. *Corpus* in probatis Latinis Authoribus valet interdum cadaver.

Ingredi ſuo corpore & egredi ſuo corpore. Exodi 21. 3. exprimit ſolum addicere ſe heri alicujus ſervitiis, & ſolum iiſdem ſervitiis functum abire; abſque uxore &

Y 2 liberis

(a) Sap. 2. 8. & 2. Mach. 6. 7. Iſa. 28. 5. (b) Ezech. 21. 26. Jerem. 13. 18.
(c) Baruch. 6. 9. (d) 1. Mach. 10. 20. 29. & 13. 37. & 2. Mach. 14. 4.

libertia venire, redire verò pariter. Si cum uxore ſua ſervus obſequiis Domini ſeſe mancipaverit, anno Sabbatico manumittetur cum illa: *Cum quali veſte intraverit, cum tali exeat*, ita vertit S. Hieronymus; ſed optimi quique Interpretes dictum uti modo expoſuimus accipiunt: *Gaph* Hebraicè eſt *corpus*, & ſymbus veſtium.

Corpus eſt etiam aliquid ſpiritui oppoſitum. Roman. 8. 10. *Corpus mortuum eſt propter peccatum; ſpiritus vivit propter juſtificationem*; Naſcimur peccato & morti obnoxii; ſed Jeſu Chriſti largitione reddimur vitæ; ipſe enim merito mortis ſuæ & gratiæ in bono perſeverantibus nobis obtinuit æternæ vitæ felicitatem.)

CORSEUS, amnis propè Cæſaream Palæſtinæ. *Ptolem.*

CORUS, vel *Chomer*, menſuræ genus apud Hebræos, continens 10. bathos, ſeu 298. cum dimidia pintas, ſemiſextarium, ac tandem $\frac{310720}{704968}$ digiti cubici partes. Cùm Deus ſecundò coturnices Hebræis cœlitùs ſuppeditaſſet, tantum ſinguli ex his avibus collegerunt, ut, *qui parum, decem coros* impleverint. *Num.* 11. 31.

CORUS; venti genus ex plaga occidentali æſtiva ſpirans; quem modò *nord-eſt* appellamus. Navis, qua Paulus Romam navigabat, è Boniportubus proram vertit ad Phœnicem, alterum Cretæ portum, inter Africum & Corum, nempè inter ventos flantes è regione occidentali, altero æſtiva, altero hyemali.

CORVUS, avis ex accipitrum genere, plumis nigris, in Lege *Levit.* 11. 15. inter impura rejecta. Hunc Noe ex arca dimiſit, ut an aquæ terram inundantes decreviſſent, indicaret; ille vero ad arcam ulterius non rediit. *Gen.* 8. 6. 7. Fertur Corvus pullos ſuos alba quadam lanugine obductos ita odiſſe, ut eorum curam abjiciens non priùs ad nidum regrediatur, quàm illi nigreſcere incœperint. Huc ſpectaſſe creditur Pſalmiſta 146. 9. *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, pullis corvorum invocantibus eum*; & Job. 38. 41. *Quis præparavit corvo eſcam ſuam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos?* Verùm ii, qui animalium naturam ſedulò indagarunt, ea de re non conveniunt, eamque à fabula parùm differre exiſtimant.

Voſſius (a) autumat, corvos frequentes à nido abeſſe, quòd pullis ſuis cibos quærere cogantur, cui muneri præ nimia illorum edacitate aliquando impares ſunt. Alii verò hujus rei cauſam aſſignant oblivionem, quæ è nido egreſſis nullam de regreſſu ſpeciem ingerat. Alii tandem malunt, in adductis locis S. Scripturæ id innui, quod ab aliis etiam (b) traditum eſt; nempè corvos curam pullorum ſatis cito abjicere, eoſque relictos cogere, ſibi de victu ſollicitos eſſe; qua occaſione Dei providentia illorum indigentiæ ſuccurrit. Alii tandem credunt in eiſdem locis ſermonem eſſe de ſuavi Divinæ Providentiæ diſpenſatione, æquè omnibus & quadrupedibus, & volucribus proſpicientis: hinc corvus, ſpecies volucrum, pro omnibus volucribus in genere commemoratus eſt.

Corvi miniſterio uſus eſt Deus, cum bis per diem, veſpere ſcilicet, & mane panem & carnem ad Eliam mitteret, ſuo juſſu juxtà torrentem Carith latitantem 3. Reg. 17. 5. Aliqui tamen textum Hebræum non corvum interpretantur, ſed *Arabes*, ſivè *Negotiatores*, vel incolas *Arabo*, aut *Oreb* juxta Bethſan (c); quippè illis credendum minimè videtur, impuræ avis miniſterio Deum uſum fuiſſe. Verum priſtinam Verſionem communis Interpretum, & Commentatorum conſenſus præferendam cenſet. Equidem ſi non corvus, ſed homines cibum ad Prophetam detuliſſent, cur non & aquam, poſtquam torrens defecit, ne ille ejus defectu priores latebras deſerere, ac ad viduam Sareptanam divertere cogeretur?

(Corvus ſacra erat Apollini, tanquam Deo fatidico, avis. Corvi nigredo abiit in proverbium: *Coma tua nigra, quaſi corvus. Cant.* 5. 11. Sunt tamen & albentes corvi, nec rari in regionibus ſeptentrionalibus diuturna nive albentibus (d). Fabella eſt quæ de corvo roſtro concipiente aſſeritur. Vitam ad longiſſimam ætatem producit, parem, ait Plinius l. 7. cap. 38. ætati novem hominum; quod tamen ipſo etiam fatente fabellam ſubolet; affirmat tamen ad centum uſque annos agere ſuperſtites. Aluntur carnibus, vorantque homines ſuſpenſos & cruci affixos.

..... *Non paſces in cruce corvos*,

ait Horatius Epp. lib. 1. Ep. 16. v. 48.

Sapiens Proverbiorum 30. 17. *Qui deſpicit partum matris ſuæ effodiant eum corvi de torrentibus*. In ſuperliminaribus domorum detentos corvos inſinuare videtur Sophonias 2. 14. (e) *Vox cantantis in feneſtra corvus in ſuperliminari*. Exprimitur hiſce tamen potiùs futurum, ut poſt deſolatam Idumæam, Moabitarum & Ammonitarum regiones obſideant corvi derelictarum domorum feneſtras & portas. Aves iſtæ doctæ facilè hominis voces imitantur.

Corvorum plura ſunt genera; rubro quædam roſtro & pedibus veluti ex corallo. Ruber eſt alius corvus *Pyrrhus corax*; magnitudine concedit cornici, æquat noctuam, pedes habet & roſtrum ita flavum, ut declinet in nigrum; in reliquis nigreſcit. Avis eſt familiaris in Alpibus, apud Helvetios, Arvernos, in Candia, in monte Jura. Corvus aquaticus roſtro eſt oblongo, & ad extremi incurvo, in ſuprema ſuperioris mandibulæ parte niger, in reliquis medio inter rubrum & flavum colore palleſcit; caſtaneas refert in plumis alarum & dorſi; extrema omnia exteriora nigreſcunt, ſicut & avis cætera; ventris pennæ albæ, dorſi in extremis viridis ſunt ſubnigri, in medio cinerei diluti & rubri. Colli ſuperiora veſtiunt pennæ nigræ & albentes, quæ autem in antica nigras & virentes pennas referunt. Alis inſtruitur prolixis, ejuſdem ac dorſum coloris.

CORVUS *ſylveſtris*, Lotharingis *Corneille de mer*, pullum gallinaceum æquat mole, & à longe proſpectus toto corpore fuſcus eſt: verùm ſi quis propiùs accedat, cùm potiſſimùm ſolis radios reflectit, virenti colore nitere ſtatim ſentitur. Roſtro eſt ſubrubro & ſublongo, & pedibus fermè ad pullum gallinaceum accedentibus; cruribus ſulcitur oblongis, & rubro ſaturo tinctis; alitur vermiculis & inſectis: nidificat in deſertis & ruinoſis turribus.

Minor corvus, nicticorax, amat aquas, & canneta, ubi ingrato clamore inquietat noctes, & homines ad vomitum uſque nauſeat. In ſupremo arborum vertice nidificat, duo vel tria ova ſimul fovens, aliturque piſcibus. Mentio eſt apud Moyſem de ave, quam vertunt *Pellicanus* Pſ. 101. 7. & Levitici 11. 18. deducitur autem ex radice exprimente evomere, quare facilè cum nicticorace confunderetur. Vide infra *Pellicanus*.

Sermo etiam in Scriptura 2. Reg. 17. 13. de machinis quibuſdam obſidionalibus lapides vibrantibus in mœnia. Veteres, qui hiſce maximè aſſueverant, appellabant *Corvos* (f).)

COS, pater Anob, & Sobaba. 1. *Par.* 4. 8.

COSAN, filius Elmadan, unus ex progenitoribus Chriſti ſecundum carnem. *Luc.* 3. 28.

I. CO-

(a) Voſſ. l. 3. de Idololatr. cap. 84. Vide Valeſ. de Sac. Phil. cap. 55.
(b) Plin. l. 10. cap. 12. Ælian. l. 11. cap. 49. Ariſt. l. 2. cap. 41.
(c) Euſeb. & Hieron. in Araba, ſeu Aravss.
(d) Ariſtot. Scalig. Olaus Mag. Longol. Voſſ. &c.
(e) Vide Iſai. 34. 11.
(f) Diodor. l. 17. Vitruv. l. 10. cap. 19. Homer. Iliad. M.

I. COSTOBARUS, Idumæus, ex familia illius regionis clariſſima, cujus progenitores functi fuerant Sacerdotio Choſen Numinis Idumæorum, antequam ejus regionis populi ad cultum, & circumciſionem Judæorum per Joannem Hircanum reducerentur (a). Coſtobarus igitur plurimis Herodi Magno præſtitis, ejus ſororis Salomes nuptias promeruit. Verùm immodica tumens ambitione, de Idumæis a Judæorum dominio ſubducendis Marci Antonii authoritate, cum Cleopatra per literas agere cœpit, ſuturum ſperans, ut ejus Regni imperium ſibi traderetur. Herodes ejus rei certior factus, necem Coſtobari decrevit; quam tamen poſtea Salome veniam deprecante remiſit.

Aliquandiù poſt Coſtobarus cum uxore diſſidens, apud Herodem ab illa accuſatus eſt, quòd conſpirationis Antipatri Lyſimachi, & Doſithei conſcius fuiſſet, ac filios Babæ, quos Herodes poſt receptam Hieroſolymam interfici juſſerat, apud ſe in arce cuſtodiſſet. Horum veritate comprobata, juſſu Herodis Coſtobarus interfectus eſt (b).

II. COSTOBARUS, Regem Agrippam cognatione contingens, qui unà cum quodam Saulo prædonum manu ſtipatus, Judæam excurſionibus infeſtabat. Poſt victum Caſſium mala patriæ imminentia ambo prævidentes, relicta Hieroſolyma ad Ceſtium confugerunt (c); à quo ad Neronem miſſi ſunt in Achajam, ut ſtatum Judaicarum rerum exponerent, ac omnium malorum invidia Florum onerarent.

COTURNICES. Coturnicum carnibus bis à Deo paſti ſunt Iſraelitæ in deſerto (d), ſemel in deſerto Sinai, paulò poſt tranſitum Maris Rubri; iterùm ad caſtra Kiberoth-aba, ſivè Sepulchra Concupiſcentiæ (e); verno utrobique tempore, cùm Coturnices ex Aſia in Europam tranſmeare, & ad Mare Rubrum, ac Mediterraneum affluere conſueverunt. Quare aves illas tunc temporis adfuiſſe præter naturæ leges non erat; quod verò ſtata die & loco ſubito quodam vento flante omnes reducerentur, & eo numero, ut paſcendis ſupra 100000. hominibus ultra menſem ſufficerent, nonniſi Divino miraculo fieri potuiſſet. Vocem Hebræam *ſchalav* (f), quam veteres Interpretes omnes reddunt *Coturnices*, cùm maximè haud abſimili nomine eædem aves nuncupentur in Linguis Chaldaica, Syriaca, & Arabica, Cl. Ludolphus *Hiſt. Æthiop. l. 1. c. 13. §. 96.* vertendam contendit *Locuſtas*.

(His potiſſimùm rationibus evincere conatur D. Ludolfus, in Exod. 16. 3. 13. & Numer. 11. 31. ſermonem eſſe non de coturnicibus, ſed de locuſtis. Obſervat ille vocem originalem *Selavu* derivari poſſe ex radice ſignante abundantiam, quæ locuſtis meliùs, quàm coturnicibus quadrat. Fatetur ipſe quidem Orientales Verſiones præferre *Coturnices*, ſed genuinum Textus ſenſum nequaquam ab illis exprimi contendit. Notat Porphyrius de Abſtinentia l. 1. c. 55. integrum exercitum in Africa fame jam enecandum fuiſſe, ni prompta ope ſuccurriſſet advolitantium locuſtarum manus quibus fames illa exſaturata eſt. Non diſſimili eventu contigiſſe, ut vota Iſraelitarum in Deſertis Arabiæ explerentur, arbitratur idem Ludolfus. Non arduo planè negocio demonſtraretur Veterum, & Recentiorum teſtimonio infinitas propemodum locuſtas Orientis arva frequentare (g); illis victitare Arabiæ populos, apud quos locuſtarum nubes venti impellunt; colligunt enim animalium ejuſmodi acervos, & ſale condita ſervant, non indignum etiam Regiis menſis epulum, quà guſtu gratiſſimum, quà maximè ad valetudinem aptum.

Interdum locuſtæ aerem tam ingenti nube offuſcant, ut ſolem ipſum prohibeant (h), & meſſores ingrata malique ominis umbra tegant; ſi fortè vero in agrum aliquem inciderint, depaſcuntur omnia nihil relinquentes intactum, ne duriſſimis quibuſque lignis exceptis. Integræ ſæpè Gentes ſedes transferre ſuas coactæ ſunt, quas inſecta illa formidanda deſolarunt.

Demonſtrat poſt hæc Ludolfus Textum Moſaicum opinioni huic ſuæ maximè favere. Primo, locuſtæ valent ad cibum, & Moſaica Lege apertè permittuntur *Levit.* 11. 22. 2. Rapiente vento impulſæ ſunt in caſtra, quod utique meliùs congruit locuſtis, quàm coturnicibus. 3 Relatum eſt, tota latè caſtra oppleſſe illas, tantumque circùm ſpatii, quantum diei iter occupaſſe; erant ad altitudinem cubiti, collectaique in acervos æquaſſe decem coros; quæ ſanè omnes dicendi phraſes nunquam conſtarent in ſyſtemate vulgari de Coturnicibus; plenam autem habent vim, ſi de locuſtis exponantur. 4. Extenderunt Judæi animantia illa per gyrum caſtrorum, vel juxta Vulgatam, Num. 11. 32. *Siccaverunt eas per gyrum caſtrorum*; quod utique de Coturnicibus in mentem induci non poſſet, cùm ſoli expoſitæ ſtatim ebulliſſent vermibus.

Verum conjecturas haſce omnes evertit, primo aſſenſus linguarum, & Verſionum Orientalium omnium, quibus *Selavu* ſunt coturnices. Gemina tenent Septuaginta, Joſephus cum Commentariorum Scriptoribus omnibus, quà Veteribus, quà Recentioribus. Adhæc Hebræi mannæ pertæſi carnes poſtulantes, an locuſtis explerentur?

Mahometus in Alcorano de prodigio conceſſarum à Deo Iſraelitis carnium agens, eadem ac Moyſes voce utitur (i). Ex ejus Interpretibus quidam docet (k) *Salva*, non coturnices tantùm, ſed & mel ſignificare. Interpres alius affirmat pleroſque vocem *Salva* reddere *Sumai*, quod familiare eſt Arabibus nomen deſignandis coturnicibus, apud Perſas pariter appellatis *Semanah*; attamen, addit ille, avis eſt Arabiæ Felicis peculiaris, paſſere major, & columba minor, carens nervis, oſſibus, venis, gratiſſimis cantilenis delectans. Affirmat inſuper, immiſſo à Deo furentiſſimo vento, diſruptis avium ejuſmodi alis, omnes veluti gravi quadam nube corruiſſe ſubito in caſtra Iſraelitarum, qui porrecta manu illas apprehendentes, ſimul cum manna deguſtabant. Quod ferunt de ave carente nervis, oſſibus, & venis hyperbolicum eſt, exprimens aviculam ſaginatam, & delicatiſſimis carnibus, quales apud nos ficedulæ, miliariæ, & aliæ hujus generis.)

COUS, ſivè *Cos*, Inſula Arcipelagi è regione Cnidi, & Halicarnaſſi. S. Paulus à Mileto ſolvens, Coum venit, inde Rhodum Act. 21. 1.

(COZAR, vel *Chozar*. In Hiſtoriis Orientalibus legimus (l), Chozar vel Kozar ſeptimum filium Japhet, facta ſeceſſione à cæteris fratribus, ſedes habentibus ſuas in regione, quæ ſub Magnæ Tartariæ nomine cenſetur, veniſſe ad ripam amnis Volga, ubi & Urbem de ſuo nomine conſtruxerit, & in adjacenti circa agro milium ſeminaſſe, quod unicum frumentum eo loci colligitur. Manſit regioni nomen Cozar, & incolæ Cozarienſes dicti. Jacet ad Septemtrionem maris Caſpii, porrigiturque à Volga versùs Orientem. Nomen idem ſuum communicavit mari Caſpio, quod Perſis eſt mare *Cozar*.

Authores Judæi defendunt (m) Chozar vel *Kozar* nepotem fuiſſe Japheti ex filio Thogorma, authoremque Regni Choaar, ubi inter Urbes principem locum habet Thogorma. R. Perachia apud Buxtorf. in Cozri. præf. affirmat octo ſe diebus verſatum fuiſſe in eo Regno, quod lingua maria intermedia diſtinguit à Tartaria, aſſeritque ex ejus finibus ſeptem magna flumina egredi; duo ibi ſpectari maria, quorum alterum ab altero terra, quantum diei iter, diſterminat. Porrò ex

(a) Antiq. l. 15 c. 11. (b) Antiq. l. 15. 11. A. M. 3978. ante Aer. 26. (c) Antiq. l. 20. c. 8. & de Bello l. 2. c. 25.
(d) Exod. 16. 3. 13. (e) Num 11. 32. Pſ. 104. 40. (f) Exod. 16. 13. Hebr. ſcalav: Chald. Sclav. Syr. Salvai: Arab. Salva. Coturnix. 70. ortigometran. (g) Strabo l. 16. Diodor. l. 3. Plin. 10. c. 23. Clenard. Ep. l. 2. *Kirſten.* in Matth. 3. 4. &c.
(h) Plin. l. 10. c. 35. (i) Moyſes habet ſelavv, Mahometus ſalva. (k) Houſſain Vaez. Vide Bibliot. Orient pag. 749. col. 1.
(l) Herbelot Biblioth. Orient pag. 1102. kozar. (m) Baſnag. Hiſt. Jud. 10. 3. l. 5. c. 1.

Digitized by Google

his duobus unum tam noxio eſt ingratoque odore, ut ejus gravitate navigantes omnes interimantur. Urbs Thogorma ſedet in montibus Ararat. Mahometi lex obtinet in loco; eainde verò iter ad Niſibim, Urbem octo dierum itinere diſſitam. Tres ibi Synagogæ erectæ ſunt.

Judæus alius Itinerator (a) explorandi cupidus, num Judæ ſceptrum adhuc ſubſiſteret, ac locus eſset in Mundo aliquis, ubi regio jure præſtarent Judæi, didicit ex alio Religionis ſuæ viro Medicinam profitente apud quendam Principem, didicit, inquam, in Regno Chozar Reges Moſaicæ Legis diſciplinam ſequi, quod illi utique perſuaſum eſt, cùm oculis vidit epiſtolam Joſephi Regis Chozar ad Rabbinum quendam Hiſpanum.

Scribit Abulfaragius Coxarienſes ipſiſſimos eſse Georgianos (b); ac Eutychius Patriarcha Alexandrinus refert Heraclium Imperatorem auxiliares copias impetraſse à Rege Cozarienſium in expeditinne adverſus Perſas, atque in præmium illi pollicitum fuiſse thronum, i. e. digniſſimum aliquem locum in conſeſsu Aulæ ſuæ Imperialis. Edriſſi in ſua Geographia ſcribit, apud Cozarienſes in medio eſse ſingulis poſitum, ut quàm optimam probaverint Religionem, ſequantur, quare ea incolis alios Muſulmanos, alios Chriſtianos, Judæos alios eſse. Fertur Calitas Abdalmelec arma intuliſse in Cozarienſes Armeniæ, ignem in eorum Templa injeciſse, eorum exercitum fregiſse ad Portas ferreas, & qui è prælio reſtarunt, ad Chriſtianorum ſacra tranſiiſse.

Tot licèt aſsertum teſtimoniis Regnum Cozar fabellam eſse ſuſpicantur è viris doctis nonnulli (c); defendunt quin etiam fabulas eſse putidiſſimas quæcumque de illo feruntur omnia; nec certum ejus ſitum deſignare unquam valuiſse ſive è Judæis, ſive è Chriſtianis quempiam. Reputaverim ego tamen regionem illam hodie ignotam eſse Geographis noſtris ſub nomine Cozar; regionem tamen vel nullibi ſubſiſtere, vel latuiſse Veteres, poſt luculenta tot in contrarium Orientalium Scriptorum teſtimonia, non facilis conceſserim.

Utcunque res habeat ſeſe, ferunt circa annum J. C. 740. Regem quandam Cozar ex viſu quodam per ſomnium inducto inſtruere ſe voluiſse de ſingulis per orbem Religionibus (d), nt optimam probaret; acciris igitur ad ſe Philoſopho, tum Chriſtiano, cùm Mahometano, cum ſingulis diſputavit, nec allatis ab illis rationibus emotus eſt. Dein cum Sangari viro Judæo congreſsus, ab illo perſuaſus veritatem Religionis Judaicæ præ cæteris approbavit.

Hanc Sangari cum Cozri diſputationem ſetiptis traditam habemus, in qua ſanè rara ſunt apta ad virum infidelem convincendum. Igitur Cozri ad Judaicam religionem converſus arcanum illud ſuum revelavit ſupremo copiarum ſuarum Duci; uterque verò clam ſeſe ſubducentes è Cozar, felici itinere pervenerunt in montes, ubi Judæi Sabbatum celebrabant. Rex ibi cum ſocio circumciſione obſignati ſunt, ac Judaiſmi profeſſione admiſsa Metropolim ſeſe reſtituerunt, atque in ſuas partes ſubjectos ſibi populos redegerunt. Si de fide Epiſtolæ Joſephi Regis Coaar ad R. Chaſdai Hiſpanum nihil eſt ambigendum, reputandum utique Judaiſmum floruiſse in Regno Cozar uſque ad exitum ſæculi decimi quarti; agebat enim Rabbinus ille in vivis circa A. 1394. (e).

Sed quæ de epiſtola Regis Joſephi ac de converſione ad Judaiſmum Regis Cozar feruntur, ſuſpicioſa ſunt maximè. Non enim niſi ad veri ſpeciem propiùs autumaremus, librum Cozri, quem tanti æſtimant Judæi, nt memoriæ commendare integrum optarent; librum, inquam, illum, converſionis hujuſce hiſtoriam referentem, & quibus rationibus R. Sangar viro perſuaſit exponentem, tantæ eſse fidei, quantæ Romanenſis fabella. Author Judæus libri inſcripti *Mehor-Enaim* (f) ambigit, num re ipſa unquam extiterit Rex Coaar, qui Religionem Judaicam profeſsus ſit. Hæc ſanè confeſſio maximi æſtimanda in Scriptore Judæo de re tanti momenti.)

COZBI, filia Zur Principis Madianitarum, quæ una cum aliis ſuæ ætatis juvenculis ad Hebræos in crimen & Idololatriam inducendos in eorum caſtra dimiſſa, una cum Zambri filio Salu ex Tribu Simeon, qui ad eam publicè ingreſsus fuerat, à Phinees filio Eleazari gladio percuſsa eſt. *Num.* 25. 6. 15.

COZBA, urbs Juda. 1. *Par.* 4. 22. fortè eadem ac *Caſeb*, ſivè *Cazbi*. *Joſue* 15. 44. *Mich.* 1. 14.

(CRAS interdum perinde valet in Scriptura ac indeterminatum aliquod tempus; e. g. (g) *Cùm interrogaverit te filius tuus cras, dicens; Quid eſt hoc? reſpondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti de domo ſervitutis.* Joſue 22. 24. *Cras dicent filii veſtri filiis noſtris. Quid vobis & Domino Deo Iſrael; terminum poſuit Dominus inter nos & vos Jordanem fluvium &c.* Orientalium ſtilo *hodie* perinde eſt ac vita præſens; *Cras* futura. Vetat Jeſus Diſcipulis ne ſolliciti ſint in diem craſtinam; *ſufficit enim*, inquit, *diei malitia ſua*, i. e. moleſtia.)

CRASSUS. M. Craſsus cum ad expeditionem contra Parthos tenderet (h), ac in Judæam perveniſset, nihil antiquius habuit, quàm ut Templi Hieroſolymitani theſaurum expilaret, in quo 8100. auri, & 2000. argenti talenta deprehendit. Ea pecuniæ ſumma nondum expletus, vaſis ſacris, & velis pretioſis manum injicere parabat; cum Eleazarus Sacerdos, velorum Templi cuſtos promiſit, ſi à cæteris abſtinere ſacramento polliceretur, ſe auri ſolidi trabem magno pondere indicaturum. Craſso fidem ſuam obliganti, Eleazarus trabem quamdam ligneam, cui vela pretioſa Templi appendebantur, oſtendit; in cujus cavitate aurea trabs recondebatur, pondo 300. minarum, ſingulæ autem minæ duas libras cum dimidia æquabant. Craſsus tamen his nondum expletus, omne aurum Templi una aſportavit. Hujus tamen ſacrilegii pœnas mox luere coactus eſt; quippè regionem Parthorum vix ingreſsus, cum parte exercitus maxima cæſus eſt (i).

CREARE, *Creator*, *Creatio*, quibus vocibus ſignificatum volumus tranſitum rerum è nihilo, ſivè Dei actionem, qua res è nihilo eduxit. Hebræi ad eam rem utuntur verbo *bara*; quod tamen aliquando, non ſecùs ac Latinum *creo*, ad materiæ transformationem ab una in aliam formam, ſtatum, locum ſignificandum uſurpatur.

Creatio ſucceſſiva, & *ſimultanea*. Vide *Sabbathum*.

CRESCENS. S. Paulus 2. *ad Timoth.* 4. 10. ſcribit Creſcentem Galatiam, ſivè Galliam (k) petiiſſe, Titum verò Dalmatiam. Hinc Euſebius, Theodoretus, S. Epiphanius, Chronicon Alexandrinum, Nicephorus, Anonymus apud Oecumenium, Dorotheus tradunt, Creſcentem in Gallia fidem Chriſti nunciaſſe; quibus S. Hieronymus, Uſuardus, & Ado ſuffragantur; nec diſſentit vetus traditio Eccleſiæ Viennenſis in Delphinatu, quæ illum authorem fidei ſuæ veneratur. Moguntinæ Eccleſiæ illum Apoſtolum & fundatorem ſcribit Serarius in Hiſt. Mogunt., Ruperti Abbatis teſtimonium in eam rem ſæpiùs laudans; quamquam fatetur nihil extare neque in Breviario, neque in Miſſali, neque in Monumentis hujus Eccleſiæ, quod hanc opinionem confirmet.

Eccle.

(a) Iſaac filius Abraham A. 1562. (b) Bibl. Orient. pag. 1003. (c) Vide Baſnage Hiſt. Jud. l. 5. c. 1. pag. 5. 6.
(d) Vide Librum Cozri à Buxtorfio editum & Latinè verſum.
(e) Vide Bartolocc. Biblioth. Rab. tom. 2. pag. 853.
(f) Vid. Bibliot. Orient. p. 1003. col. 2. Baſnag. loc. cit. (g) Exodi 13. 14. Deut. 6. 20. Joſue 4. 6. 21.
(h) An. M. 3950. ante Chriſt. 50 ante Ær. 54. (i) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 12.
(k) Theodoret. Euſeb. & libri quidam, in Galliam, alii paſſim habent, in Galatiam.

Digitized by Google

Eccleſiæ Viennenſis traditio nihilo firmior eſt, quam Moguntinæ; quippe nonniſi antè 200. annos nomen Creſcentis in Litaniis ipſius Eccleſiæ inſeri cœptum eſt. Quo tempore Eccleſiæ Viennenſis, & Arelatenſis de jure Metropolis diſceptarunt, miſſio S. Creſcentis, quæ jus ſummopere promoviſſet, nunquam à Viennenſibus producta eſt. Epiſtola Pauli I. ad Carolum Magnum, in qua S. Creſcentis miſſio Viennam memoratur, ſuppoſititium olet, quòd noſtris tantùm temporibus primò illa audiri cœperit. Mors illius à Latinis conſignatur ad diem 27. Junii, à Græcis ad 30. Julii. Conſtitutiones Apoſtolicæ l. 6. c. 46. illum in Galatia fidem annunciaſſe, ibique vitam abſolviſſe tradunt.

CRETA. Inſula Cretæ, hodie *Candia*, in Mediterraneo. Titus Diſcipulus S. Pauli ab eodem Apoſtolo Cretenſium Epiſcopus renunciatus eſt, dataque inſuper Epiſtola monitus, ut ſubjectos ſibi populos argueret, atque increparet, ne quando fabulis Judaicis, humanis legibus, ac legalibus exercitiis plus nimio adhærerent; ſed moneret, ut in fide firmi permanerent; quippè, addebat (a), *Cretenſes*, teſte ipſorum Propheta, ſivè Poeta, *ſemper mendaces ſunt, malæ beſtiæ, ventres pigri*. Hunc Prophetam ab Apoſtolo laudatum non alium eſse ac Epimenidem Poetam Cretenſem ſatis conſtat. S. Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique plures ex Callimacho deſumptum teſtimonium illud autumant; quippè Callimachus author eſt illorum carminum:

Cretenſes ſemper mendaces, etenim ſepulchrum o Rex (Jupiter) tuum
Cretenſes fabricarunt: tu autem non periiſti, es enim ſemper.

Verùm carmina illa non integram referunt ſententiam, quam ea Poeta Cretenſi S. Paulus laudavit, quæ tamen totidem verbis in Epimenide occurrit.

In articulo *Caphtor*, ſivè *Caphtorim* diximus, Cretam olim iis nominibus innotuiſſe, quare *Cretim*, ſive *Coretim*, de quibus ſæpe Scriptura, Cretenſes ſignificant. Vide noſtram Diſſertationem de origine Philiſthiim in fronte primi Libri Regum.

CRISPUS, Princeps Synagogæ Judæorum Corinthi (b), quem S. Paulus Apoſtolus baptiſmo initiavit (c) anno Chr. 52. Hunc Eccleſiam Æginenſem prope Athenas adminiſtraſſe tradunt (d). Feſtum illius die 14. Octobris à Græcis colitur.

CROCODILUS, bellua amphibia, vorax, ſæva, lacertæ ſimillima, ſed mole corporis multò grandior. In Nilo potiſſimum occurrunt, quamquam & in fluvio *Darat* in Mauritania (e), ac in India (f) aliqui deprehenduntur. Nec in Palæſtina prorſus ignotos fuiſſe, ex urbe *Crocodilo* inter Ptolemaidem, & Cæſaream Palæſtinæ, ſatis colligimus. Hoc belluæ genus ſquamis prædutis & impenetrabilibus protegitur, ſi ventrem excipias, tractabili pelle contectum. Ampla gula, dentibus acutis, & alternis, multiplici ordine, & ita diſpoſitis, ut inferiores inter ſuperiores alternatim recipiantur. Pedibus graditur, quamquam breviſſimis, adeout reptare ferme cogatur, velociſſimis tamen; licet corpori vertendo incommodis. Vitam diutiſſimè producit; feruntque mole corporis uſque ad mortem ſemper augeri, quod tamen fabulam ſubolet. Aliquando uſque ad 15. ſivè 18. cubitos in longum excreſcunt.

Ova anſerinis ſimillima vel ſuper terram, vel ſuper ripæ ſabulum deponit, quandoque uſque ad 60.; ea verò ſabulo contegit, ut Solis calore iota facilius excludantur. Si vulneretur, ſivè exenteretur, odore eſt gratiſſimo. Multiplici arte capitur. Sæpè grandioribus hamis ſuillæ carnes appenduntur, quarum bellua avidiſſima eſt; ſæpè foveæ effodiuntur, in quas Crocodilus decidit, cùm terra & arborum ramis contecta minime ab eo animadvertantur. Fertur animal quoddam, quod Ichneumonem, ſive murem Indicum appellant, magnitudine felis noſtratis, Crocodilum adeo inſectari, ut ejus ova, ſiquæ invenerit, proterat; eum verò ſi fortè dormientem aperto ore deprehenderit, in interiora gliſcens viſcera abrodat, & occidat.

Etymon hujus nominis ex Græco *croco* & *deilos*, nempè crocum pertimeſcens, derivant; quippè, ajunt, croci odorem Crocodilus exhorreſcit. Viſu eſt acutiſſimo, dum in terra graditur, in aquis obtuſiori. Tradunt quatuor hyemalibus menſibus, Novembri ſcilicet, Decembri, Januario, & Februario, in aquis degere prorſùs jejunum. Divinos honores apud Ægyptios, potiſſimùm incolas Arſinoes, & viciniam Thebarum, ac lacus Mæridis obtinebat. Ab incolis verò Tentyræ, & Elephantidis occidebatur, & in cibum adhibebatur; quos populos præ oculis habuiſſe Job credimus, illis verbis 3. 8. *Qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan* (nempe è ſomno crocodilum excitare). Vide noſtrum Commentarium in hunc locum. Huc etiam refertur Pſ. 73. 14. *Tu confregiſti capita draconis* (Hebr. Leviathan) *dediſti eum eſcam populis Æthiopum* (Hebr. Chus).

Crocodilus ſub nomine Leviathan egregiè deſcribitur *Job.* 40. 20. ad 41. 1. 2. &c. Vide *Bochart. Anim. ſacr. p.* 2. *l.* 4. *c.* 16. Ezechiel 29. 34. & 32. 2. 3. Regem Ægypti ſub allegoria Crocodili alloquitur: *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus eſt fluvius, & ego feci meipſum.* Sunt (g), qui credant nomen Pharaonis Crocodilum ſignificare.

Quoddam Crocodili genus, Hebræis *choled* (h), quod à Septuaginta redditum eſt *Crocodilus terreſtris*, inter animalia impura recenſetur. Hujuſmodi autem eſt quoddam lacertæ genus, flores odoratiſſimos veſcens; quare ejus viſcera pluris æſtimantur. His verò animalibus pro cibo uti Syros conſueviſſe S. Hieronymus contra Jovinian. c. 1. eſt author. Nonnulli vocem Hebræam *choled*, reddunt *turturem* ſivè *ranam viridis coloris*. S. Hieronymus Verſionem Septuaginta ſequutus, vertit *Crocodilum*.

(CROCODILUS TERRESTRIS. Alio nomine appellatur *Stinx*. Amphibia eſt bellua, partim in aqua degens, partim in continenti; quatuor inſtruitur pedibus perinde tenuioribus ac lacertæ; acutum habet rictum maximè, caudam brevem & tenuem. Tegitur ſquammis ſcitè diſpoſitis argenteo colore, & ſubinde nitentibus, tum & aurato maximè in dorſo. Creſcit nunquam in majus; naſciturque in Ægypto juxta mare Rubrum, in Libya, & apud Indos. Lineam habet ſecundum corporis longitudinem à capite aduſque extremam caudam ductam.)

CROCUS Hebraicè *carcos*, ſeù *corcos*, flos notus, colore cæruleo, cujus è medio fila quædam flava gratiſſimi odoris prodeunt. Salomon *Cant.* 4. 14. aliis aromatibus crocum jungit; *Nardus, & crocus, & fiſtula &c.* Crocearum veſtium Jeremias meminit *Thren.* 4. 5. *Qui nutriebantur in croceis &c.* Hebraicus tamen hujus loci Textus *purpureis*, vel *coccineis* reddi potius deberet.

CRUX. Hac voce ſignificatum volumus genus quoddam ſupplicii ex duobus lignis decuſſatis conſtans, ſivè ambo in medio, ſivè ſupra medietatem longitudinis ad angulos rectos ſecentur, ſivè in medio quidem, ſed ad angulos acutos, ad modum Crucis S. Andreæ, ſivè tandem alterum alteri ad modum furcæ ſuperponatur. Græcum *Stauros*, quod Crucem ſignificat, aliquando pro ſimplici ligno terræ infixo, quod Latinis *palus*, ſivè *vallum*, uſurpatur; quamquam Crux propriè figuram T exhibebat, nec alterius eſſe formæ Chriſti Crux veriſimillimè creditur.

Suppli-

(a) 1. ad Tit. 1. 12. 13. (b) Act. 18. 8.
(c) 1. Cor. 1. 14. (d) Conſt. Apoſt. l. 7. cap. 46.
(e) Strabo l. 17. Plin. l. 6. cap. 1. & 5. 9. (f) Plin. l. 6. c. 20.
(g) Bochart. de Animal. Sacr. p. 2. l. 5. c. 16. (h) Levit. 11. 27.

Supplicium Crucis apud Syros, Ægyptios, Perſas, Africanos, Græcos, Romanos, & Judæos in uſu erat. Piſtor Pharaonis capite obtruncatus eſt, juxtà Joſephi vaticinium *Gen.* 40. 19.; deinde truncum corpus cruci affixum. Aman Crucem, quam Mardochæo paraverat, ſubire coactus eſt *Eſth.* 7. 10. Joſue in crucem egit Regem Hai *Joſ.* 8. 29. & Moyſes eos Iſraelitarum duces, qui Beel-phegor initiati fuerant *Num.* 5. 4. Exempla eorum, quos Romani, & Græci cruce multarint, notiora ſunt, quam quæ hic afferre operæ pretium fuerit.

Judæi, quamvis ultrò fateantur crucis ſupplicium olim uſu receptum fuiſse apud ſuos, contendunt tamen non niſi mortuorum cadavera illi ſuſpendi conſuevìſse; cujus rei exempla quamplurima ex Scriptura in medium adducunt. Verùm ex eadem Scriptura plura laudari poſsunt, quibus intelligamus etiam homines vivos Cruci fuiſse affixos, ut eo ſupplicii genere abſumerentur. Adoratores Beel-phegor, Rex Hai, & poſteri Saulis in cruce obierunt 2. *Reg.* 21. 9. Pſalmiſta de morte Meſſiæ ait *Pſal.* 21. 27. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea.* Zacharias 12. 10. proteſtatur futurum, ut Judæi *aſpiciant ad quem confixerunt.* Joſephus Antiq. l. 13. c. 21. tradit Alexandrum Regem Judæorum 800. perduelles in crucem egiſse; eoſque adhuc ſpirantes cædes filiorum & uxorum ad pedes crucum trucidatorum aſpicere coegiſſe. Vide noſtram Diſſert. de ſuppliciis in fronte Comment. *Deuter. p.* 42. &c.

In Lege *Deut.* 21. 22. cautum eſt, ne poſt occaſum Solis corpora in Cruce ſuſpenſa relinquerentur: *Non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur, quia maledictus Deo eſt, qui pendet in ligno.* Joſue cadaver Regis Hai veſpere deponi juſſit *Joſ.* 8. 29. Judæi (a) ſomniantur, animas eorum, qui ſepulchro caruerint, & ſupplicio affixi permanſerint, tandiù irrequietas vagari, quoadusque corpora ſepulturæ mandentur; nullum interim orationum fructum pro illis exhibitarum ſentientes; quod Græcorum & Romanorum fabulis conſonat. Homer. Iliad. 22. & Virg. in Æneide.

Nec ripas datur horrendas, & rauca fluenta.
Traſportare priùs, quam ſedibus oſſa quierint.

De Cruce Chriſti plura traduntur. Ferunt enim (b) ex quatuor lignorum generibus conſtitiſse, nimirum cupreſso, cedro, pino, & buxo; quamquam S. Bernardus (c) malit ex cedro, cupreſso, oliva, & palma; cupreſſo in baſi; cedro in ſuperiori parte, oliva veluti in epiſtylio, palma in brachiis. Proba Falconia in Centone ait:

Ingentem quercum, deciſis undique ramis
Conſtituunt.

Author Hiſtoriæ Scholaſticæ, aliique plures tradunt Reginam Saba, cùm domum Saltus Libani à Salomone ædificatam viſeret, trabem quandam indicaſse, cui virum in exitium Iſraelis ſuſpendendum prædixerit: huic malo avertendo Salomonem eam tolli juſſiſse, ac in eo loco ſepeliri, in quo poſtea piſcina probatica, de qua *Joan.* 5. 2. 3. 4. Hoc lignum tempore Paſſionis Chriſti effoſsum, ejus cruci conſtruendæ adhibitum fuiſse. Alii fabulas fabulis nectentes ſcribunt, Seth tertium ex filiis Adam, facta ab Angelo poteſtate, ex Paradiſo terreſtri tria grana arboris vitæ aſportaſse, quæ poſtea in terra ſepulchri Patris ſui ſevit. Inde tria virgulta enata, quæ in unum coaleſcentia, adoleverunt in trabem illam, de qua mira Reginam Saba prædixiſse jam diximus. Apage fabulas!

Longitudinem Crucis quindecim pedum definiunt: latitudinem verò laterum ſeptem, vel octo. Superiorem ipſius partem ex ligno mobili conſtitiſſe credunt, cui lamina quædam affixa erat, his verbis inſcripta, *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.* Verùm Recentiorum Authorum fides ſilentibus Veteribus Scriptoribus & Patribus in re facti ſuſpecta eſt.

Dum Chriſtus configeretur, crucem non erectam, ſed in terra jacuiſſe, quamvis Pictoribus veroſimile videatur, & piis meditationibus occupatis hominibus ad exaggerandos Chriſti dolores conducat, nobis tamen non probatur: quippè nec furcam proſternere, ut Rei ſuſpendantur, in uſu eſt apud nos, nec manuum & pedum juncturæ corporis pondus vi concuſſionum plurimùm auctum ſuſtinere potuiſſent, quin omninò diſcinderentur. Hinc Nonnus, Author Tragœdiæ, *Chriſtus patiens*, S. Auguſtinus, & plures docti Interpretes noſtræ ſententiæ ſuffragantur (d).

Sunt (e), qui credant pedes Chriſti ſuppedaneo cuidam cruci addito fuiſſe affixos; quod à S. Gregorio Turonenſi (f) traditum, & in pluribus Crucifixi imaginibus expreſſum eſſe conſtat. Nec corporis ponderi ſuſtinendo manus diutiùs ſufficere facilè potuiſſent, niſi eo ſuppedaneo adjuvabantur. Verum, ut alii (g) animadvertunt, hujus ſuppedanei nullum apud Veteres Authores tum Græcos, tum Latinos veſtigium ſupereſt; qui eidem uſui deputare videntur extentum quoddam lignum, cui reus, veluti obequitans, toto corpore incumbebat. Lege de ea re S. Juſtinum, S. Irenæum, Tertullianum, ac Criticos doctiſſimos, qui huic opinioni ſuffragantur (h).

Jeſus Chriſtus frequenter in Evangelio repetit, eos, qui Diſcipuli ipſius haberi velint, oportere, ut Crucem unà ſecum deferant: quòd de tolerandis ærumnis, & aſperis quibuſque per allegoriam dictum, intelligendum eſt. In eo autem crucis genere ferendo tota Chriſtianorum ſpes & ſumma votorum eſt ponenda; quare S. Paulus Galat. 2. 19. ſibi plaudit, quòd Cruci cum Chriſto affixus eſſet: eademque de Servatoris cruce gloriatur ibid. 6. 14.: tum & eos, qui Chriſti ſunt, carnem & concupiſcentiam ſuam crucifixiſſe perhibet *Galat.* 5. 24. Equidem Chriſtus Jeſus via eſt, qua eundum nobis eſt; neque aliunde quàm per Crucem gloriam & beatitudinem aſſequemur.

(Vide quæ ſupra diximus v. *Clavi.* Viliſſimorum mancipiorum erat ſupplicium; dictum proinde *Servile ſupplicium* (i). Summo probro habebatur, ſi quis miles, vel Præfectus, vel honoratiſſimus quiſque ad Crucem damnaretur. Adeo autem familiare erat ſupplicium apud Romanos, ut mala omnia, ærumnæ, & ſi quid grave vel ſiniſtrum opprimeret, communi omnia nomine *Crux* appellarentur; & verbum *cruciare* de omnibus uſurparetur, quà ſuppliciis, quà pænis, corporis item & ſpiritus.

Crux Domini J. C. ſupplicio ſacra formam T, qui ipſiſſimus erat Tau Samaritanorum (k), exprimebat, ut Tau Græcorum, & non Hebræorum noſtræ ætatis, referret. Cave tamen hæc ad literæ rigorem accipias, format enim *Tau* ſtans quædam linea, cui tranſverſa altera incumbit. Crucem autem Domini exhibebat linea rectis angulis ſecans tranſverſim ſtantem alteram †. Ita enim pingunt Crucem veteta monumenta, Nummi Conſtantini Imperatoris, & veteres expreſsæ Cruces. Comparat S. Hieronymus in Marcum 11. avi volanti, & natanti homini, vel extenſis in crucem brachiis oranti. Præter

ſtantem

(a) Talmud. tract. Sanhedr. Rab. Bar. Naemam in Bereſchit. Rabba c. 22.
(b) Chryſoſt. ſeù alius de Cruce. Beda in Collectan. (c) Bern. ſeù alius ſub ejus nom. tract. de Paſſ. Domin.
(d) Vide Bynæum de morte Chriſti l. 3. c. 6. a. 7. Lipſ. l. 2. de Cruce c. 7.
(e) Lipſ. not. in 2. lib. de Cr. c. 10. Fevard. Not. in Iren. l. 2. c 42. Neuſ. in Non. Paraph. in Jo. 19. 18.
(f) De gloria Martyr l. c. 6. (g) Scal. animadv. in Euſ. digreſſione de literat. Gonie. orig. litt. T. Bynæus de morte Chr. l. 3. cap. 5. num. 11. 12. 13.
(h) S. Juſtin. Dial. cum Tryph. Iren. l. 5. c. 46. Tertull. l. 2. con. Nation. Scal. loc. cit. Salmaſ. de Cruce, Barthol. de latere Chriſti aperto, & de Cruce, Bynæus l. 3. cap. 5. a. 12.
(i) Lipſius de Cruce lib. 1. cap. 10. 12. (k) Hieronym. in Ezechiel. cap. 9.

ſtantem igitur truncum, noſſe oportet in cruce ſupra tranſverſam trabem ligno emicantis portionem aliquam. Superiori huic ligni affigendum curavit Pilatus titulum ferentem rei damnati crimen: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*.

Interdum loco crucis funibus alligati ſunt arbori ſontes; ita enim crucifigi juſſit Tiberius Sacerdotes Saturni Cartaginenſes (a): *Saturni Sacerdotes in eiſdem arboribus Templi ſui obumbratricibus ſcelerum, votivis crucibus expoſuit*. Arbori crucifixum Amorem ita depingit Auſonius in Cupidin. affixo.

Hujus in excelſo ſuſpenſum ſtipite Amorem,
Devinctam poſt terga manus, ſubſtrictaque plantis
Vincula, mœrentem, nullo moderamine pœnæ.
Affigunt ....

Interdum capite inverſo levabantur in crucem miſeri; ita ſecum agi rogavit S. Petrus obſequio in Magiſtrum prohibitus, ne pari cum illo ſupplicio tolleretur (b). De ſupplicio illo Seneca Conſolat. ad mort. cap. 20.: *Alios converſo capite in terram ſuſpendere*. Ita peremptos plures in Ægypto Martyres notat Euſebius Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 8. cap. 8. Non rarò ſubjectus ad pedem crucis ignis, ut ambuſtus flammis & ſuffocatus fumo miſer periret. Eo genere ſupplicii damnavit Alexander Severus circulatorem quendam venditantem fumum, ut parem crimini pœnam daret (c): *Præcone dicente: Fumo punitur, qui fumum vendidit*.

Familiaris nectendi ſontes cruci ratio erat, ut clavis utraque manus & duo ſimul vel ſinguli pedes affigerentur; neque enim in ea re mos ſemper conſtans; & à Veteribus modò quatuor (d), modo tribus (e), ſuffixus Jeſus Chriſtus exhibetur. Sæpè etiam nectebantur funibus, quæ quidem in ſupplicium agendi ratio, in eo quidem mitior reputanda eſt, quòd minoris doloris ſenſu affligeret miſeros; in eo tamen erat ſævior, quòd tædium & angorem protraheret. *Arbori infelici rectè ſuſpendito* (f). Fama eſt, S. Andream ita cruci innexum laqueis, martyrium triduo protelaſſe (g). Agendum in crucem S. Petrum bis verbis illi prænunciavit Jeſus Chriſtus, Joan. 21. 18. *Cum eſſes junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cùm autem ſenueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis*. Profectò, ait Tertullianus in Scorpiac. *tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci adſtringitur*. Adducebantur ad ſupplicium vinculis onuſti, vinciebanturque palo funibus (h).

Interdum clavi pariter & funes accedebant. Lucanus lib. 6. de Maga Theſſala, agens de homine è cruce deponendo.

Laqueum nodoſque nocentes
Ore ſuo rupit ....
Inſertum manibus chalybem, nigramque per artus
Stillantis tabi ſaniem, viraſque coactum
Suſtulit.

Quanquam autem plerumque nectebantur ſontes clavis, ſæpè tamen aliud obtinuit. S. Pionius Martyr ſupplicio illi damnatus, ipſe ſe veſtibus exuit ſtravitque ſuper lignum corpus, membra ſua offerens militibus configenda clavis. Cùm funes addebantur clavis, innexum jam cruci ſontem erigere in altum pronum erat; funibus enim corporis pondus ſuſtentabatur; nec erat cur mitiùs agendum fuiſſet cum viris ſceleſtiſſimis, ut augendo illorum tormento parceretur.

Antequàm in crucem ſontes levarentur vel flagro vel ferulà cædebantur, quod ſæviſſimum habebatur & probroſum magis, quàm ſi torquerentur virgis. Addita ſunt aliquando extremi flagrorum oſſicula, ut acriùs torqueretur miſer. Dirè flagris cæſus eſt Jeſus Chriſtus in Paſſione ſua. Pilatus ſententiam in illum pronuncians cædendum flagris præcepit, tradiditque crucifigendum *Marc.* 27. 26. Sæpè mancipia de crimine convicta furcæ vel cruci alligata tota Urbe rapiebantur, cæſa interim virgis (i). Ita cum J. C. ſervatum, ligneam crucem ſuam humeris impoſitam ferre coacto (k); cum autem ſub pondere fatiſceret, juſſus eſt ſuccumbere in partem ſarcinæ Simon Cyrenæus, qui unà cum illo, & poſt illum ferebat Crucem.

In palum agebantur nudi (l); nec mitiùs ea in re habitum Jeſum in crucem levandum credimus. Ejus inter ſe veſtes partiti ſunt milites, tunicam verò, interiorem ſcilicet veſtem, qua indusii loco induebantur, arbitrio ſortis ſemiſerunt. Sed Chriſtiani, obſequio in Jeſum & pudori volentes conſulere, exhibuerunt illum in Cruce ſæpè veſtitum (m); ſæpè à renibus adusque genua velamen appingunt; ſæpè tandem contenti eodem velamine celare, quæ revelare pudor vetat. Sed hæc Chriſtianorum cautio non ita factum reipſa probat, nec indultum aliquid ea in re Chriſto, cujus perſonam utique tortores non norant; ipſe autem Jeſus onerare ſe voluit, quà pœnis omnibus, quà probro criminum noſtrorum.

De vino myrrhato, quo Chriſtus cruci jam ſuffixus potatus eſt, agemus V. *Vinum*. Interdum levati in crucem rei ſat diu vitam protogabant; ad triduum vixiſſe fertur S. Andreas. Legas apud Euſebium l. 8. c. 8. Martyres quoſdam Ægyptios tandiu in patibulo vivos detentos fuiſſe, quandiu fame enecarentur. Affixus cruci S. Victorinus triduum egiſſe fertur in Martyrol. 5. Septembris. Et de S. S. Timotheo, & Mauro ibidem 3. Maji ad novem in cruce dies prorogaſſe martyrium legimus. Tam brevi confectum fuiſſe Jeſum obſtupuit Pilatus, quòd juxta conſuetas naturæ leges vivendum illi diutius fuiſſet, niſi quo jure animam ſibi receperat, eodem & ponere valuiſſet. Mortis accelerandæ gratia crurifragium imperatum in latronibus ſociis J. C. in paſſione, quò ſcilicet reorum in patibulo horrore Sabbati religio non violaretur (n), & quò pariter præcepto Moſaicæ Legis pareretur; vetitum eſt enim Deut. 21. 22. ne corpora reorum poſt ſolis occaſum relinquantur in patibulo.

Sed apud alias gentes derelicta diù in Patibulo cadavera; interdum viventes adhuc crucifixi vorabantur ab urſis & belluis carnivoris. Prudent. Periſtephanon. Carm. 11.

Crux illum tollat in auras,
Viventeſque oculos offerat alitibus.

Familiare erat inſuper, ut mortuorum in ſupplicio cadavera cederent in paſtum lupis, canibus, & avibus; ſi verò in altas levabantur cruces, tunc avium tantùm injuriis expoſita, vel in ſaniem reſoluta paulatim defluebant. Ne verò ſeu neceſſariorum ſeu amicorum pietate ſepulturæ mandanda deponerentur, diſpoſiti addebantur in eam rem cuſtodes. Vide Lipſium de Cruce lib. 2. c. 15. 16. Vulgata eſt hiſtoria militis agentis ad cruces excubias, & Matronæ illius Epheſinæ. Milites Romani tandiù advigilarunt ad crucem Jeſu Chriſti, & duorum Latronum, donec è patibulo deponerentur cadavera.

Cavebant Hebræi ne preces ſuas offerrent pro gentilibus ſuis in patibulo ſuſpenſis, vel ſaltem nulla de illis erat mentio in publicis Synagogæ precibus, contra morem conſuetum in cæteris defunctis, pro quibus

(a) Tertull. in Apolog. cap. 8. (b) Chryſoſt. Orat. in Petr. & Paul. Abdias in Petr. &c.
(c) Lamprid. in Alexandr. (d) Cyprian. de Paſſion. Clavis ſacros pedes terebrantibus.
(e) Gregor. Nazian. carm. de Chriſto patiente.
(f) Liv. lib. 1. (g) Abdias Hiſt. Apoſt. lib. 3.
(h) Theophylact. in Joan. (i) Lipſius lib. 1. c. 1. de Cruce & lib. 2. c. 2. 3.
(k) Joan. 19. (l) Lipſ. l. 2. de Cruce cap. 7.
(m) Vidi ego in Æde quadam Abbatiæ Epternac. Luxemburgi Codicem Mſ. quatuor Evangeliorum, cujus aureæ literæ, elegantiſſimæ, ac dignum Rege munus, datum ab Othone Imperatore & Theophania Imperatrice; ibi verò Jeſus & ambo Latrones veſtiti pinguntur in Cruce. (n) Joan. 19. 31. 32. 33.

quibus ſpatio 11. menſium à deceſſu juges offerebantur in Synagoga & palam preces (a). Vetabant inſuper neceſſariis hominis ſupplicio perempti inferre inſerri cadaver in avita ſepulcra, niſi priùs in publicis ſepulcris reſolutis in cinerem carnibus (b): oſſa enim in privata ſepulcra inferre integrum erat. Ea forte de cauſa Joſephus ab Arimathia à Pilato facultatem poſtulavit inferendi cadaver Jeſu Chriſti in ſepulcrum ſuum, nè ſcilicet in publicis reorum ſepulcris condaretur.

CRYSTALLUM. Vide infra *Vitrum*.)

CTESIPHON, urbs ad Tigrim, tribus milliaribus à Seleucia, & Metropolis Aſſyriæ Calonitidis. Euſebius, S. Hieronymus, & Chaldæus autumant, hanc urbem in eo loco ſitam eſſe, ubi quondam Calanne, de qua *Gen.* 10. 10.

CUBITUS, genus menſuræ apud Veteres, Hebræis *ammu*, ſcilicet mater menſurarum, Græcis *Pechys*. Cubitus primò illud ſpatium continebat, quod ab extremitate digiti intermedii uſque ad brachii curvaturam porrigitur, quartam partem totius ſtaturæ hominis benè conformati. Cubitus verò vulgò 18. digitos æquat; Hebræorum menſura Romanam quarta parte excedebat, juxta Talmudiſtarum obſervationem. Verùm eam nonniſi ad 20. digitos cum dimidio menſuræ Pariſienſis extendi Cl. Cumberlandus, & Cl. Pelletier Rothomagenſis deprehenderunt; quorum ſupputationibus in hoc opere uſi ſumus. Alii 17. digitos tribuunt. Origenes hom. 11. in Gen. & l. 4. contra Cel. autumat cubitos dimetiendæ Arcæ Noemicæ ſex vulgares cubitos comprehendiſſe; quod etiam S. Auguſtino (c) adeò probatum eſt, ut contraria opinantes ſibi excipiendos cenſeat.

Ludovicus Capellus, aliique plures contendunt duo cubitorum genera apud Hebræos extitiſſe, ſacrum, & commune: primum tribus pedibus Regiis conſtabat; alterum verò pede & dimidio. Moſes *Num.* 35. 4. Levitis urbes quaſdam, & regionem latitudinis 1000. cubitorum (*ſacrorum*) circumjacentem tribuit: deindè verſu ſequenti eandem regionem aſſignat latitudinis 2000. cubitorum (*communium*). Item 3. *Reg.* 7. 15. altitudo columnarum ænearum in Templo Salomonis 18. cubitorum deſcribitur; cum 2. *Par.* 3. 15. ea cubitorum 35. dicatur. Quæ menſurarum diſcrepantia conciliari non poteſt, niſi diverſorum cubitorum ratione excogitata.

Villalpandus, aliique cum eo, hiſce cubitis ſacris exceſſum unius tantùm pedis ſupra communes tribuunt; ac Moyſem volunt de communibus loquutum, eorum extenſionem ità determinaſſe *Deut.* 3. 11. *Ad menſuram cubiti viriles manus*; de ſacris verò ſermonem eſſe *Ezech.* 40. 9. & 43. 13. *Iſta menſura Altaris in cubito veriſſimo, qui habebat cubitum, & palmum.*

Horum ſententiæ nos minimè acquieſcentes credimus, ab egreſſu ex Ægypto uſque ad captivitatem Babylonicam nonniſi unicum cubiti genus Hebræis innotuiſſe, cujus dimenſionem paucis ab hinc annis ex Veteribus Prototypis Magnæ Cairi exprimere licuit. Poſt regreſſum è captivitate primò in Sacra Scriptura ejuſdem menſuræ diverſitas deprehenditur; quippè alio utebantur cubito Babylonii, quorum moribus Hebræi in captivitate aſſueverant; alius erat Hebræorum cubitus vetuſtiſſimus. Qua de cauſa Ezechiel menſuram, quam adhibebat, nempè veterem, ab alia recentiori & alienigenarum diſtinguendam duxit. Cætera, quæ in hanc rem efferuntur, facilè applicantur abſque ulla duplicis cubiti diſtinctione. Vide Commentatores.

CUCURBITA SYLVESTRIS. Vide *Colocynthis*.

CULON, ſivè *Caulon*, urbs Tribus Juda, quæ tamen nonniſi in Textu Græco occurrit, *Joſue* 15. 60.

(CULTRI *lapidei*, quorum fuit in circumciſione uſus. Vide *Lapis*.

CULTUS PEREGRINUS. Quo nomine generatim deſignabant Hebræi idololatriam omnem, ſuperſtitionem, & irritamenta cultus exterarum gentium Numinum religionem profitentium, tum & ſacrilega omnia, ac ritum mancipatum Domino impenſum, ſive in alieno loco, tempore, ritu; hæc omnia cultus peregrini nota traducuntur; cultus eſt enim alius planè ab eo, quem ſancierunt Patriarchæ, & primi gentis parentes.)

CUMANUS, Præfectus Judææ poſt Tiberium Alexandrum (d). Cùm Judæos durè & injuſtè haberet, delatus ab illis coram Quadrato Syriæ Procoſ. ejus juſſu comprehenſus, & catenis oneratus Romam ad Claudium Imperatorem tranſmiſſus eſt. Deindè ab eodem Imperatore proſcriptus, miſſo in Judæam ejus loco Claudio Felice, Pallantis fratre (e).

CUMINUM, herba, fœniculo ſimillima, floribus, & ramis inſtar faſciculi florum diſpoſitis. Semen nigellæ, & cumini ruſticus terræ æquatæ mandat; id verò non flagris grandibus, plauſtriſve ferrò ſeu lapide armatis, ſed virgis excutit; quod ab Iſaia 28. 25. allatum eſt, ut Divinæ Juſtitiæ indolem explicaret, quæ mitioribus pœnis cæteros afficit, gravioribus flagellis tantummodo in impios animadvertens. Jeſus Chriſtus Scribas, & Phariſæos arguit Matth. 23. 23.; quòd menthæ, cumini, & anethi decimas religiosè ſolventes, potiora legis præſcripta, & Dei cultum negligerent.

(CURRUS MILITARIS. Militarium curruum duo genera diſtinguit Scriptura; alios ſcilicet vehendis ſummis Imperatoribus & Principibus; alios ad impetum faciendum in hoſtes; agebantur enim in ordines armati ferro currus, magnas latè ſtrages in exercitum inferentes. Omnium, quotquot noverimus, vetuſtiſſimi ſunt currus Pharaonis, quos Erythræi undæ recurrentes abſorbuerunt *Exodi* 14. 7. Chananæi, quibuſcum manus conſeruit Joſue ad Aquas Merom *Joſue* 11. 4., exercitum habebant validum equitibus & curribus: *Equi & currus immenſæ multitudinis*. Siſara, Dux copiarum Jabim Regis Aſor, habebat in exercitu 900. militares currus *Judic.* 4. 3. Aſſignatam ſibi in portionem ſortis terram redigere in poteſtatem non valebat Tribus Juda, quòd ferro armatis curribus veteres regionis incolæ ſeſe defenderent *Judic.* 1. 19. Pugnabant Philiſtæi cum Saule fortes 30000. curribus & 60000. equitibus 1. *Reg.* 13. 5. Mille currus militares, devicto Adarezer Rege Syriæ, ſibi cœpit Rex David, ſed ex illis nongentos igne abſumpſit, centum tantummodò reſervatis; equos verò ſubnervavit. 1. *Par.* 18. 4. & 2. *Reg.* 8. 9.

Militarium curruum nullum habuiſſe in bellis uſum Reges Hebræorum videntur. Plures quidem ſibi comparaverat Salomon 3. *Reg.* 9. 19. 22.; ſed in bellis adhibuiſſe nunquam legimus. *Facti ſunt ei*, ait Scriptura 3. Reg. 10. 26. *mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum*. Cum Judæa frequentiſſimis montibus impediretur, nullus planè fuiſſet curruum ejuſmodi uſus, valens tantùm in patenti agro; & id etiam belli robur hoſtibus ademerunt Judæi montibus pugnantes; quare ejuſmodi ſibi muniminis comparandi incurioſi ſemper fuerunt.

De curribus falcatis à Regibus Syriæ in Judæos ductis ſermo eſt 2. Machab. 13. 2. Ita verò currus illos deſcribunt Authores (f): equos jungens temo efferebatur haſtis ferro præfixis porrectiſque antrorſum; jugum verò equi utriuſque horrebat duplici ferrea cuſpide trium cubitorum. Axis pariter rotarum præfixos habebat ferreos veruſos in falces ad extrema deſinentes; radii tandem rotarum extentis minabantur jaculis, tum & rotarum orbitas armabant falces quoſcunque obvios ſecantes.

Quò

(a) Bar-Nachman in Bereſchit, Rab. cap. 22. Thalmud. Tract. Sanhedrin. cap. 4.
(b) Miſna cap. 6. 21. 14. 15. (c) Quæſt. in Gen. l. 1. c. 4. & de Civit. l. 15. c. 27.
(d) Ao. Or. 48. Ær. 51. (e) Joſeph. Antiq. lib. 20. cap. 5.
(f) Diodor. lib. 17. Q. Curt. lib. 4. Xenoph. Cyropæd. lib. 6.

Quò ad impetum reſiſterent validiùs, & minùs facilè everterentur currus, rotas habebant, quàm pro conſueto, validiores, & magis porrectos axes. Aſſidebat auriga omni armorum genere, & ferro undique protectus, ligneæ cuidam turriculæ firmæ admodum & medium pectus aurigæ illius defendebat. Impoſiti quandoque curribus plures milites armis inſtructiſſimi miſſilibus & ſagittis pugnabant. Quantam latè ſtragem ederent, & quo impetu inveherentur in ordines ſemel concitatæ machinæ illæ, mente faciliùs, quàm verbis aſſequimur (a). Reges Iſraelis ſolebant curru vecti pergere ad bellum; de curru itidem pugnabant, & diſponebant de prælio; ponè autem illos ſequebatur currus alius vacuus, quem promptè aſcenderent, ſi fortè, quo vehebantur alius caſu quodam disjiceretur. *Par.* 35. 24.

Sacri erant interdum currus Soli 4. *Reg.* 23. 11. è quibus plures, à deceſſoribus Regis conſecratos, flammis devovit Rex Joſias. Superſtitionem hanc expreſſerunt Judæi è Paganis, & maximè è Perſis, apud quos currus & equi in honorem Solis. Albos currus, & coronatos, albentibuſque junctos equitibus ſacras Perſarum pompas exhibuiſſe, obſequium Soli religioſum, habes apud Herodotum lib. 7. Xenophontem Cyroped. lib. 8. & Q. Curtium lib. 3.

Solemne erat Rhodiis, ut demergerent quotannis in mari currum in honorem Solis, ratis obire aſtrum illud quotidie terram curru ſuo vectum.

Currus vel *Traha* excutiendo tritico. Vide *Traha*.)

CUSI, filius Abdi, pater Ethan, Levita & Cantor, qui jugiter canendi ante Arcam munus gerebat 1. Par. 6. 44.

CUSPIUS FADUS, cui Præfectura Judææ poſt deceſſum Magni Agrippæ commiſſa fuit (b). Ut in Provinciam pervenit, Ptolomæum quemdam, ducem prædonum Judæam infeſtantium, morte damnavit. Deindè cùm audiſſet Theudam quemdam Magum & Pſeudo-Prophetam plurimos poſt ſe traxiſſe, cùm jactitaret, Jordanis curſum ſe verbo tantùm prolato repreſſurum, ut ſicco pede tranſigi poſſet; immiſſo in eum & ſocios equitatu, alios occidit, alios fudit: ducem verò captum capite damnavit anno Chr. 45. Fado ſucceſſit Tiberius Alexander (c) anno Chr. 46.

CUTHA, regio Aſſyriæ, cujus incolæ in Samaritidem juſſu Salmanaſaris tranſlati ſunt 4. Reg. 17. 24. Deum quemdam 4. Reg. 17. 30. *Nergel* colebant. *Cutham* idem eſſe autumamus ac *Scytham*, & Cuthæos, qui in Samaritidem tranſmigrarunt, ex regione *Chus*, ſive *Chuth Gen.* 2. 13. originem duxiſſe. Vide *Chutæi*.

CYAMON, locus è regione Eſdrelon, *Judith.* 7. 3. in Græco; in Latino verò legitur *Chelmon*. Idem fortè ac Euſebii *Camon*, in Magno Campo 6. milliaribus à Legione ſeptentrionem versùs.

CYATHUS, crater ad uſum libaminum Templi Exod. 25. 29. Erat etiam menſuræ genus apud Hebræos, quam illi *kos* nuncupabant, ultra 4. digitos cubicos capiens. Cyatho utebantur Hebræi pro calice, ſivè vaſe benedictionis, in quo poſt prandium diebus celebrioribus, veluti Paſchæ &c. in ſignum gratiarum actionis potabant.

(CYAXARES I. filius Phraortis, & patri in Medorum Regno ſucceſſor (d), ultioni de Aſſyriis exigendæ valido comparato exercitu ingentique commiſſo prælio fregit adverſarios; tum copias Medorum ſecundò duxit ad ſtringendam obſidione Ninivem. Sed cùm Urbem adhuc urgeret, Scythæ è Palude Mæotide moventes, & obito circum Caucaſo ſuperfuderunt ſeſe Mediæ. Suis defendendis promptè accurrit Cyaxares; at prælio victus imperio Aſiæ ſuperioris expoliatus eſt, quod ſibi Scythæ ſpatio 28. annorum poſſederunt. Penetrarunt ex eo loco in Syriam & Palæſtinam, qua in expeditione creduntur occupaſſe Bethſam, dein appellatam Scythopolim vel Urbem Scytharum, ac diripuiſſe Templum Veneris Aſcalonitis (e). Obiit Cyaxares poſt annos Regni 40. excepitque illum Aſtyages, alio nomine Aſſuerus (f). Regnum inivit A. M. 3390. obiit circa A. 3430.

CYAXARES II. filius & ſucceſſor Aſtyagis Regis Medorum (g). Intelligens ille quanto ſucceſſu proficerent arma Evilmerodachi Regis Aſſyriæ, vel Balthaſaris ejus filii, ut ſecum jungeret arma, invitavit Cyrum filium Cambyſis Regis Perſarum & Mandanis filiæ Regis Aſtyagis, ac proinde ſororis Cyaxaris. Simul igitur ambo intulerunt arma in Babylonem, uti relatum eſt v. *Balthaſar*, & v. *Babylon*, A. M. 3448. Affirmat Xenophon, Regni Babylonici adminiſtrationem Cyrum reliquiſſe Cyaxari avunculo ſuo; tenuit verò illam tantùm biennio, quippe qui obiit A. 3450. ante Jeſum Chriſtum 550. Porrò Cyaxares iſte appellatur etiam *Darius Medus*, ad quam vocem nos de illo.)

CYCNUS, avis impura Levit. 11. 18., ſi Verſioni S. Hieronymi adhæremus, qui Hebræum *tanſchemeth*, cycnum reddidit; Septuaginta verò Porphyrionem verterunt, avem roſtro & pedibus rubentibus; Onkelos, Verſio Samaritana, Bochartus reddunt bubonem, ſive noctuam. Nos in Comment. in Iſaiam 13. 21. conjecturas aliquas adduximus, quibus Hebræum *Bath-ianah* de cycno dictum eſſe probaremus. Cycnus aquas amat; ſæviſſimus eſt, lugubribus cantilenis notiſſimus, iiſque, quos edit ſibilis præacutis, tantoque impetu emiſſis, ac tandiù productis, ut ad mortem adigatur (h); ex quo fabellæ locus cycnum morti proximum in cantus effundi.

Sic ubi fata vocant udis abjectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Filia haiana, quod nomen redditur Struthio, inter impura animalia à Moyſe recenſetur (i).

(Cycnus avis eſt aquatica major, prolixo collo, & recto, albedine inſignis, niſi cùm ooo adhuc adoleſcit. Crura, pedes & roſtrum accedit ad Ocam, rotundius tamen & paulò aduncum inferius; oculorum infima nigro fulgore velut ebeno nitent. In velorum morem expandit alas, quibus ſcilicet flante vento ſuper aquas velut navigat. Alitur herbis, & ſeminibus nonnullis, uti & de Oca ſcimus. Vitam diu prorogat, nec deſunt, qui affirment ſpectaſſe ſe Cycnos 300. annis decrepitos. Avis hujuſce genus eſt quoddam, dexterum pedem armatum habens unguibus velut aves prædatoriæ: utitur illo ad apprehendendum piſcem intus in aquas; dexterum verò pedem refert ad modum Ocæ, quo ad natandum valet. Alterius eſt etiam generis cycnus, cujus plumæ omnes capitis, qua parte ad pectus referuntur in extrema ora diſtinguuntur puncto quodam aureo accedente ad rubium (k); hanc facilè avem deſignat Horatius lib. 4. Ode 1. inducens plauſtrum Veneris tractum ab alitibus *purpureis coloribus*. Apollini conſecrabatur, tanquam muſicis cantilenis Deo præſidi, ſuaviſſimas enim muſicas cantilenas ducere cycnum rebantur Veteres, cum morti proximus inſtaret. In Textu Latino Scripturæ nullibi cycnos occurrit, niſi in cenſu immundarum avium.)

CYDIDA, *Cydis*, urbs alio nomine, *Cedes Nephtali* in Galilæa.

CYDOESSA, ſivè *Cydoſſus*, de qua Joſephus (l), vicus Tyriorum in finibus Galilææ, & Galilæorum ſemper hoſtis. *Cydoſſam* locum eſſe juxta Paneadem, 20. milliaribus à Tyro Euſebius eſt author.

CYNO-

(a) Vide Lucret. de rerum natura lib. 3. (b) An. Chr. 48. Ær. 45.
(c) Antiq. l. 20. c. 2. & c. 3. (d) Herod. lib. 1.
(e) Idem ibid. (f) Tob. cap. ult. & Dan. 9. 1.
(g) Xenoph. Cyropæd. lib. 1. (h) Ælian. l. 5. cap. 34.
(i) Levit. 11. 16. Deut. 14. 16. (k) Vide Dictionar. Trevolt. v. Cycnus.
(l) De Bello l. 4. cap. 4.

CYNOMYA, muſca canina. V. *Cœnomyia*.

CYPRESSUS, ſivè *Cupreſſus*, arbor procera, recta ut ait Plinius l. 16. c. 33., *natu moroſa, fructus ſupervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratioſa*. Hinc apud Romanos arbor funeſta erat; nec niſi in uſus funereos, ac lugubrium cæremoniarum adhibebatur. In monte Libano frequentiſſima eſt (a); & Authores Sacri non rarò ex ea comparationes ducunt, tanquam ex arbore procera, & ſpectabili. *Sicut Cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut Cypreſſus in monte Sion.* (b) (Græcus habet *Hermon*, qui pars montis Libani) Et alibi (c): *Simon Oniæ filius quaſi cedrus pullulans, & ſicut cypreſſus in altitudinem ſe extollens*. Sponſa (d) ait: *Laquearia noſtra cypreſſina*. Hebræus in hoc loco habet *beroth*, quod alii reddunt, *abiegna*. Verùm præſtat dictum intelligere de quodam cypreſſi genere, *bruta* nuncupati, odore quidem, & ſoliditate cedro ſimillimi, proceritate vero minoris.

(Cypreſſus arbor eſt nunquam viriditate ſpoliata, ligno condenſo, gratum ſpirante, nec ſanie nec vermibus corrumpendo, quemadmodum & Cedrus, Ebenum, Taxus, Buxus, Oliva. Odit fimum, & loca aquis humentia, quibus perimitur. Duo arboris hujusce ſunt genera, mas nempe & fœmella; prioris rami veluti ad orizontem porriguntur; fœmella rectos emittit: valet proinde poſterior hæc ornandis hortis, viridibuſque pyramidibus dirigendis. Fructus emittit rotundos, oleas referentes colore, magnitudine verò nuces maturas, quos per intervalla profert; *Conos* e figura appellant Latini. Porrò fructus iſte coaleſcit ex pluribus veluti ſquammis, quo loco altera alteri incumbit, tegentibus ſeminis grana quædam compreſſa & anguloſa. Ex ſeminibus probe ereſcit, & citò.)

CYPRIARCHES, Nicanor 2. *Mach.* 12. 2. cognominatur *Cypriarches*, ſcilicet Præfectus Cypri.

CYPROS, oppidum ſupra Hierichuntem ab Herode Magno in honorem Matris ſuæ Cypri conſtructum (e).

I. CYPROS, uxor Antipatri, Mater Herodis Magni, Phaſaeli, Pheroræ, Joſephi, & Salomes.

II. CYPROS, filia Herodis Magni ex Mariamne, ſoror Alexandri, & Ariſtobuli, uxor Antipatri filii Salomes (f). Filiam babuit cognominem.

III. CYPROS, filia Phaſaeli fratris Herodis Magni, ex Salampſo filia ejuſdem Herodis, ex Mariamne. Duxit Agrippam Magnum, ex quo genuit Agrippam juniorem, Druſum, Berenicem, Mariamnem, & Druſillam (g).

CYPRUS, Inſula Mediterranei notiſſima, omnium hujus pelagi ambitu maxima, inter Ciliciam & Syriam. Luxui, & Veneri deditiſſimi erant Cyprii (h); quorum præcipuum Numen Venus colebatur. SS. Paulus, & Barnabas Seleucia ſolventes (i), in Cyprum navigarunt; quam tenentes, Salaminæ in Synagoga Judæorum Chriſtum annunciarunt; hinc cæteras Inſulæ urbes percurrerunt. Cùm Paphum perveniſſent, Bar-jeſum Pſeudo-Prophetam nacti ſunt, quem Sergius Paulus, Provinciæ Procol. apud ſe habebat. Is cùm eorum prædicationibus obſiſtens, Proconſuli converſionem impediret, cæcitate ab Apoſtolo Paulo percuſſus eſt; quo prodigio Proconſul motus, baptiſmo initiatus eſt an. Chr. 44.

Poſt aliquod temporis ſpatium, S. Barnabas cum Joanne Marco (k) iterum eandem Inſulam petiit; ibique munus Apoſtoli, ac Epiſcopi geſſiſſe, ſimulque lapidibus oppreſſum à Judæis Salaminiæ martyrem obiiſſe ſcitur: (l). Ejus corpus in eadem Inſula repertum eſt Zenone imperante (m), gerens in pectore Evangelium S. Matthæi, propria ipſius Barnabæ manu deſcriptum.

CYPRUS, arbuſcula, in Hebræo *copher* (n). In Inſula Cypri frequentiſſima eſt, ex eaque nomen etiam regioni derivatum ferunt. Floribus eſt acuti odoris, & ea præ aliis, quæ in Cypro naſcitur (o); quippe alibi etiam adoleſcit, uti Aſcalone, & in Engaddi; quare Sponſa *Can.* 1. 13. Dilectum ſuum comparat botro Cypri in vineis Engaddi. Cyprus ab aliquibus cum ligustro confunditur, potiùs tamen pro *Alhenna* Arabum uſurpatur. Vide *Copher*.

(CYPRUS, vel *Cyperus* juncus eſt odoratus, cujus foliis Orientales nigrant corporis pilos. *Cyperus* autem *odoratus* folia habet perquam ſimillima arundini, ſed oblongiora, tenuiora, & ſolida magis quàm pyri; faſto creſcit 10. pedibus circiter, recto, triangulari, nullis aſpero nodis, in vertice emittente florea, faſciculi cujuſdam expanſi & in partes diſſecti exhibentes ſpeciem. Grana ſeminis dura ſunt, triangularia, & nigro cortice veſtita. Radices emittit longas, nodoſas, alias aliis implexas, ſubnigras & gratum ſpirantes. Cypri genus eſt aliud per omnia præcedenti ſimile, niſi quòd radicibus eſt rotundis, olivæ magnitudine, & pluribus ſimul junctis.)

CYRENE, urbs & Provincia Lybiæ Pentapolitanæ media inter magnam Syrtem & Mareotidem. Urbem hodie nuncupant *Cairoan* ſitam in Regno *Barca*, & in Regione *Meſrata*. Hanc patriam habuit Simon ille pater Alexandri, & Rufi (p), cui à militibus Romanis Crux Chriſti deferenda impoſita eſt. Cyrenaica Judæis abundabat, quorum plures Chriſto nomen dederunt (q): quanquam plures etiam fidei reſtitiſſe (r) ex eo conſtat, quod Synagoga Cyrenenſium Hieroſolymis toto conatu S. Stephano obſtitit.

Poſt excidium Hieroſolymitanum ſub Tito, quidam ex ſicariis Judææ Cyrene pertranſiens, plures ex Judæis ſeduxit, facta illis ſpe, futurum ut Deus poſitâ in Judæos ira (ſ) exciſam Urbem illis reædificandam traderet; cujus rei ſignum prodigiis ſe daturum pollicebatur. Rem ſentiens Catullus Cyrenaicæ Præfectus, ſtatim ſocantos in ſylva adortus, omnes oppreſſit, Jonatha tantummodò ſervato, ut ex eo imaginariam quamdam conjurationem reſciſceret; cujus reos Provinciæ optimates ille accuſavit.

CYRENE. Libri veteris Teſtamenti Provinciæ Cyrenes, alteriùs ab Africana, meminere. Teglatphalaſar Damaſcenos in Cyrenem tranſtulit (t), uti Amos Propheta ante quinque annos prædixerat c. 9. 7. *Transferetur Populus Syriæ Cyrenem*. Porrò Cyrenaica prope Ægyptum ditioni Teglathphalaſar non ſubdebatur; quare non illuc, ſed in Iberiam, ſeù Albaniam, ubi fluvius *Kir*, ſivè Cyrus in Mare Caſpium influit, Damaſcenos traducere potuit. In idem recidit Joſephus *l.* 9. *c.* 12. eum in Mediam ſuperiorem populos illos tranſmigraſſe teſtatur. Media enim olim ampliſſimæ regionis tractum occupabat.

Amos tradit Aramæos è Kir originem duxiſſe: *Numquid non aſcendere feci Syros* (Hebr. *Aram*) *de Cyrene*? Hinc nomen *Kir*, ſivè *Cyr* uſurpatum videtur de populis ultra Euphratem, & Meſopotamiam, è quibus Aramæi ex Aram filio Sem orti ſunt. An vero primitùs eam potiſſimùm regionem incoluerint, quam Cyrus amnis alluit, nullo monumento comprobare poſſumus.

CYRENIUS, *Cyrinus*, ſivè P. Sulpitius Quirinus, cui poſt illud tempus, quo pulſus eſt in exilium

Arche-

(a) Cyrill. in Iſa. l. 5. Phocas in deſcrip. Terræ Sanctæ. (b) Eccli. 24. 17. in Græco.
(c) Eccli. 50. 11. (d) Cant. 1. 16.
(e) Joſeph. Antiq. l. 16. c. 9. & de Bel. l. 2. c. 20.
(f) Antiq. l. 18. c. 7. (g) Antiq. l. 18. c. 7. (h) Juſtin. l. 18. c. 5. Lact. l. 1. c. 17.
(i) Act. 13. 4. 5. &c. (k) Act. 15. 39. (l) Acta S. Barnabæ 11. Junii. An. Chr. 51.
(m) Theod. Lect. l. 2. Cedren. tom. 1. (n) Cant. 1. 13. & 4. 13. (o) Plin. l. 12. c. 22.
(p) Matth. 27. 32. Luc. 23. 26. (q) Vide Act. 11. 20. & 13. 1. (r) Act. 6. 9.
(ſ) Joſeph. de Bell. l. 7. c. 2. (t) 4. Reg. 16. 9. Amos 1. 5.

Archelaus Rex Judææ, decem annis circiter ab Ortu Chriſti, Syriæ Provincia ab Auguſto commiſſa eſt, Quintilio Varo ſucceſſit (a). Cenſus ille (b), cujus cauſa B. Virgo unà cum Viro Joſepho iter Bethleemiticum ſuſcepit, inſtante Chriſti nativitate, ità ab Evangeliſta deſcribitur, quaſi primus eſſet inter eos, qui per Cyrinum indicti fuerint: *Hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino*. Verùm cùm Cyrinus Syriam non adminiſtraverit, niſi poſt decem annos à Nativitate Chriſti, credimus idcircò cum Eruditis quampluribus, Evangelii verba hoc ſenſu reddenda eſſe: *Hæc deſcriptio facta eſt, antequam ſuum cenſum Quirinus inſtitueris*. Porrò cenſus iſte Evangelii generalis erat pro omnibus Romanorum Imperio ſubditis, Quirini verò pro Syria, & Provinciis adjacentibus (c).

Petavius, Grotius, & Uſſerius, quamvis ultrò fateantur, Quirinum Syriam nonniſi ſerius adminiſtraſſe, fieri tamen potuiſſe credunt, ut ille, dum adhuc Ciliciæ præeſſet (d), ad eum cenſum curandum deputaretur. Nihil autem de hac Cyrini commiſſione in Hiſtoriis relatum eſſe, quòd ſcitu minùs neceſſaria res haberetur; S. Lucam verò, quod ſuo inſtituto conduceret, de illa effari, ac ab altera, quam idem Cyrinus anno à nativitate Chriſti ſexto, ſive decimo inſtituit, diſtinguere voluiſſe.

Tertullianus contr. Marc. l. 4. c. 19. eam deſcriptionem, de qua in Evangelio, Sentio Saturnino Syriæ Præſidi ſub Auguſto tribuit. Cujus opinionem cum Evangelio conciliaturus Uſſerius credit, eo tempore Saturninum Syriam quidem adminiſtraſſe, cenſùs verò habendi curam demandatam fuiſſe Quirino, proximæ Provinciæ, nempè Ciliciæ, Præſidi. Verùm hanc Ciliciæ Provinciam Saturninum reliquiſſe anno ante mortem Herodis, adeoque ante natum Chriſtum ex Joſephi teſtimonio Antiq. l. 16. c. 13. & l. 17. c. 13. quamplures oſtendunt (e).

CYRUS, filius Cambyſis Perſæ, ex Mandane filia Aſtyagis Regis Medorum. Cum Aſtyages vidiſſet per quietem vitem quamdam ex utero filiæ Mandanes ortam, totam Aſiam obumbraſſe (f), omen ab Ariolis quæſivit; ac futurum audiens, ut Mandane filium ederet, qui tantam gloriam aſſequeretur, quantam vitis tanto ſpatio protenſa portenderet, à quo etiam ipſe Aſtyages è Regno eſſet pellendus; ut malum omen averteret, filiam Cambyſi, homini nec generis nobilitate, nec ingenio, & divitiis ſatis pollenti, ut ardua moliretur, junxit.

Nec eo ſatis; ſed fieri poſſe ſuſpicatus, ut filius, quem Mandane eſſet editura, ſive propria virtute, ſive caſu, majora tentaret, quàm viribus ſuæ conditionis par eſſet, Harpago cuidam ex Aulæ Præfectis commiſit, ut eundem filium ſtatim à partu neci traderet. Harpagus indignationem Mandanes declinaturus, infantem occidendum tradidit Regiorum armentorum Præfecto, qui imperata feciſſet; ſed precibus Conjugis permotus maluit infantem vivum ſervare, ejuſque loco proprium filium neci tradere, ne unquam fraus deprehenderetur. Hinc Cyrus inter Regios paſtores tamquam ex illis unus educatus eſt.

Accidit interea, ut Cyrus cum Paſtoribus coævis ludens, Rex ab illis, juxta ludi conditiones, renunciaretur. Cum autem ludicra, qua pollebat, authoritate unum ex paſtoribus quàm par eſſet gravius multaſſet, apud Aſtyagem à domeſticis illius paſtoris delatus eſt. Rex juvenem compellans, ſtatim in ejus vultu Mandanes filiæ ſuæ lineamenta agnoſcere ſibi viſus eſt; quare ſedulò rem perſcrutatus, tandem Nepotem deprehendit. Harpago tamen, quod in nece filii condignas pœnas ſatis luiſſe videbatur, veniam conceſſit; Cyrum etiam vivum dimiſit, Regni omen, quod illi fata decreverant, in ea ludicra dignitate, quam à pueris delatam geſſerat, completum ratus.

Cyro jam ætate valenti Harpagus totum generis ſui myſterium aperiens, perſuaſit, ut in Mediam ſecum tranſiret, pollicitus ſe copiis & conſilio adjuturum, ut regione in ſuam poteſtatem redacta, Aſtyagem poſtea Regno depelleret. Nec ſpem feſellit eventus; quippè Cyrus Perſas ad defectionem à Medis ſollicitans, ducemque ſe illis exhibens, Aſtyagem invaſit; eoque fuſo ac fugato, Mediam univerſam occupavit. Deindè pluribus præliis proſperè actis, tandem Babylonem obſedit; eamque, licet ſeriùs, expugnavit. Hæc de Cyro ex Juſtino in Epitome Trogi, & Herodoto retulimus, quæ ex Eruditorum ſententia, fabulis adeò miſta ſunt, ut vera à falſis nulla queant ratione ſecerni.

Aliam Cyri hiſtoriam Xenophon adornavit, ſed fidei non melioris. Plato (g) credebat Cyrum non eum Principem fuiſſe optimum, qualem Xenophon deſcribit: ſeu verius Xenophontem talem non exhibuiſſe Cyrum, qualis omnibus numeris abſolutum Principem deceret; quippe Laertii verba duplicem hunc ſenſum patiuntur. Diſplicet enim Platoni, quod Cyrus apud Xenophontem curam familiæ ſuæ inſtituendæ non ſuſceperit; quod filios fœminis educandos commiſerit. Paucis, Xenophon Cyrum exhibet exemplar egregii Ducis, Principis Patriæ amantiſſimi, ſed non Principis perfecti. De ejuſdem hiſtoriæ veritate hæc habet Cicero ad Q. Frat. Ep. 1. *Cyrus ille à Xenophonte, non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus eſt, ſed ad effigiem imperii*.

De Cyro vero hæc à Xenophonte de Inſtit. Cyri l. 1. traduntur. Aſtyages filiam habuit Mandanem, quæ Cambyſi filio Achemenis Regis Perſarum nupta, Cyrum genuit. Is in aula Patris ſanctiſſime educatus, cum ad duodecimum ætatis annum perveniſſet, ab Aſtyage una cum Matre accitus, aliquaodiù apud eum manſit. Qua occaſione, bello contra Aſſyrios in Mediam irrumpentes moto, ad prælium cum avo, & illius filio Cyaxare profectus, plura edidit virtutis ſpecimina. Inde a Patre Cambyſe revocatus eſt; & Aſtyage vita functo, Cyaxares ejus filius, & Cyri avunculus in Regno Medorum ſuffectus eſt.

Triginta annorum natus commiſſum ſibi à Cambyſe Patre 30000. militum exercitum, in Regem Babylonis, fœderatoſque cum ipſo Cappadoces, Cares, Phryges, Cilices, & Paphlagones duxit, ſuppetias laturus avunculo Cyaxari, contra quem hoſtes moverant. Belli ſors Cyro, & Cyaxari adeò favit, ut fuſo, & diſſipato hoſtium exercitu Babylonem uſque Cyrus pervenerit; hinc ad avunculum regreſſus, in finibus Armeniæ, & Aſſyriæ, ſub ipſis Regis Aſſyriæ tentoriis ab illo exceptus eſt.

Indè bello trans flumen Halym illato, Cappadociam ſubegit; eodemque ſucceſſu Cræſum Lydiæ Regem primo æquo prælio vicit, inde obſeſſis Sardibus, Lydiæ Metropoli, ac decimaquarta die urbe capta, eundem Cræſum captivum adduxit. Hunc verò igne damnatum, jamque pyram conſcendentem cum ter Solon, Solon, Solon, inclamantem audiſſet, cauſam hujus ſciſcitatus eſt. Cui ille, ſe modo experiri quam vera eſſent, quæ à Solone audierat, reſpondit, nimirum neminem eſſe mortalium, qui dum viveret, felix nuncupari mereretur. His auditis, Cyrus vitam, libertatemque miſero indulgens, ipſum in amicorum & Conſiliariorum numero deinceps habuit.

Poſt univerſam ferme Aſiam Minorem ſuis armis reductam, Euphratem tranſgreſſus bellum in Aſſyriam invexit, ac exercitu ex Medis, Perſis, devictiſque à ſe populis confecto, recta Babylonem tetendit. Babylonii urbis munitionibus validiſſimis confiſi, ſimulque commeatibus ad viginti annos inſtructi, obſidionem confidenter exceperunt. Neque ſpem eventus fallebat; quippe Cyrus quamvis urbem foſſa exteriùs cinxiſſet, diſpoſitis identidem turribus, atque caſtellis diutina opera, parum proficiebat. Quare inito conſilio, Euphratis alveum crebris canalibus incidens, magnam

(a) Joſeph. Ant. l. 17. c. 13. 24. (b) Luc. 2. 2. (c) Vide Joſeph. Antiq. lib. 17. in fine, & l. 18. initio.
(d) Vide Uſſer. An. M. 4000. Chr. 1.
(e) Vide Tuynard. Harm. Evang. (f) Juſtin. l. 1. Herodot. l. 1. c. 107. &c.
(g) Plato de Leg. l. 3. Vide Diog. Laert. in Platone.

fluminis partem in proximas paludes divertit: hinc ſatis imminutis aquis, qua parte flumen urbem ſubibat, ea exercitum noctu adductum, latenter in urbem immiſit. Hac arte Babylonem occupavit. Urbem ingreſſus, nihil antiquius habuit, quàm ut Cyaxari Regias ædes inſtrueret, ſi quando illuc divertere voluiſſet.

His bellis confectis Cyrus ad Parentes adhuc ſuperſtites regreſſus eſt; deinde poſt aliquod tempus, cùm ad Cyaxarem in Mediam iviſſet, unicam illius gnatam, & Regni hæredem duxit. Babylonem deinde cum ea redus, populis à ſe ſuperatis ſingulos Satrapas præfecit. Neque à bellis omninò quievit; omnes enim gentes inter Syriam, & Mare Rubrum ſitas, ſuo imperio adjecit.

Cum ad annum ſeptuageſimum perveniſſet, ac trigeſimum regni (a), fato functus eſt; quo genere mortis, incertum. Etenim Juſtinus l. 1. c. 8. Herodotus l. 1. c. 214. & Valerius Maximus l. 9. c. 10. obtruncatum tradunt à Thomyri Scytharum Regina, in bello contra Scythas per inſidias captum; ejuſque caput in utrem ſanguinis demiſſum, eadem Regina inſultante: *Satia te ſanguine quem ſitiſti*. Diodorus Siculus l. 2. Bibl. ſuſpendio vitam finiiſſe ſcribit, cum in hoſtium poteſtatem in certamine veniſſet. Joannes Malala Antiochenus ex quodam Pythagoræ Samii ſcripto refert, occiſum fuiſſe à Samiis, cum in illos claſſe certaret. Illum denique in lecto obiiſſe morbo confectum inter ſuos Xenophon eſt author. Ejus ſepulchrum Peſargadis in Perſide oſtendebatur, Plutarcho, Q. Curtio, & Ariſtobulo oculato teſte (b), aſſerentibus.

Ex his, quæ diximus, ſatis intelligi oportet, Cyri geſta minùs innoteſcere, quàm deceret authorem Imperii Perſarum, & Chaldæorum everſorem. Quæ ex S. Scriptura diſcimus, minora quidem ſunt, quàm quæ ab aliis, ſed fide longe majora. Daniel in viſione de Imperiorum ante adventum Meſſiæ everſione, Cyrum ità exhibet, c. 8. 3. 20. *Aries unus ſtabat ante paludem, habens cornua excelſa, & unum excelſius altero, atque ſuccreſcens ..... cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra meridiem, & omnes beſtiæ non poterant reſiſtere ei: fecitque ſecundum voluntatem ſuam, & magnificatus eſt*. Duo hæc cornua duo portendebant Imperia Perſarum, & Medorum, quæ in unum Cyrum convenerant; Perſarum verò præ Medorum præſtabat; vel, ſi mavis, duo cornua duo ſunt Succeſſorum Cyri rami; Cambyſe ſiquidem ejus filio vita functo, Regnum ad Darium Hyſtaſpis translatum eſt, & uſque ad Darium Codomanum productum. Hæc poſterior Regum ſeries præſtantiori cornu portenditur, quod poſtea ab eo ariete, qui Alexandrum præfigurabat, in eadem viſione confractum eſt Dan. 8. 5. 6. & c. 7. 5. Daniel Cyrum deſcribit velut urſum quatuor ordinibus dentium armatum, cui dictum fuit: *Surge, comede carnes plurimas*.

Cyrus in Regno Perſidis Cambyſi ſucceſſit, in Regno verò Medorum & in Imperio Babyloniorum *Dario Medo*, quem Xenophon *Cyaxarem*, Textus Græcus Danielis c. 13. 65. *Aſtyagem* appellat. Cum totius Orientis, ſive *totius orbis* juxta phraſim S. Scripturæ (c), imperium obtineret, Judæis conceſſit, ut in ſuam regionem regrederentur; quos poſtea ab ædificatione Templi abſtinere juſſit (d), Hebræorum hoſtibus apud illum pro ea re inſtantibus. Danielem jugiter obſervavit (e), eique ſumma quæque negotia commiſit. Eo Rege hiſtoriæ Bel, & Draconis contigerunt, quæ in Græco Danielis Textu c. 14. leguntur. Religioni Judæorum edicto favit, poſt quam quid Judæi poſſent, Daniele in lacu leonum Divino miraculo illæſo, didicerat. Dan. 14. 42.

Prophetarum oraculis Cyrus ſæpiſſimè prænunciatus eſt, eumque vel ipſo nomine Iſaias (f) integro ſæculo ante expreſſerat. Hoc Prophetæ de illo oraculum à Judæis Babylonii Regi indicatum fuiſſe Joſephus Antiq. l. 11. c. 1. eſt author; additque Cyrum hujus rei teſtimonium in edicto pro Iſraelitarum regreſſu dediſſe, qua etiam occaſione Deo Iſraelitarum totius Orbis Imperium acceptum retuliſſe; Templumque à ſe Hieroſolymis condendum prænunciatum fuiſſe in eodem edicto teſtatum. Profecto Cyrum Scriptura *Juſtum* Iſai. 41. 2. 10. & *Iſraelis Paſtorem* Iſai. 44. 28. nominat. Illum quidem de Iſraelitarum Deo rectè ſenſiſſe ex verbis ejuſdem ad Danielem colligi poteſt (g): *Paveant omnes habitantes in terra Deum Danielis: quia ipſe eſt ſalvator, faciens ſigna, & mirabilia in terra: qui liberavit Danielem de lacu Leonum*. Et alibi 1. Eſdr. 1. 2. ait: *Omnia Regna Terræ dedit mihi Dominus Deus Cœli, & ipſe præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jeruſalem*. Verum Deus in Iſaia 45. 5. ſic illum affatur: *Ego Dominus, & non eſt Deus. Accinxi te, & non cognoviſti me*. Et Jeremias 51. 48. 56. Cyrum, ejuſque Duces, qui Imperium Babylonis everterunt, fures nuncupavit.

Genus trahebat paternum ex Perſis, maternum verò ex Medis; quare ab Oraculo (h) nuncupatione Muli deſignatus eſt; Crœſo enim conſulenti reſpondit: *Time, cum mulus Medis imperitabit*. Ac Nabuchodonoſor aliquandiu ante mortem œſtro divino abreptus Babylonios ita affatus eſt (i): *Malum vobis annuncio, quod Dii veſtri nequicquam avertent. Mulus Perſa vos petet, qui Deorum veſtrorum favore protectus vos in ſervitutem rediget*. Nec aliud ſpectaſſe Iſaias 21. 7. 9. videtur, cum de Cyro Babylonem proficiſcente loquens, dixit, ſe hominem vidiſſe curru vectum, quem aſinus, & camelus trahebant.

Babylonis expugnationem expreſſit Iſaias cap. 13. 14. 21. 41. 42. 45. & Jeremias cap. 50. & 51. Daniel apertis verbis ejus victorias, & Imperii Perſarum & Medorum ortum prædixit cap. 7. & 8. Cyri nativitatem conſignamus ad annum M. 3405. Primum annum, quem Babylone egit, ad 3466. Mortem verò ad 3475. Septuaginta hebdomadarum initium, ad 3550. ante Ær. 454. ante Chriſtum 450.

(Cyrum Kireſch appellant Orientales, ſatumque docent è patre Giamaſb, filio Lohoſub quarti Regis Perſidis, è Dynaſtia Cajanienſium, è matre verò prognatum dicunt à Judæis Prophetis (k). Miſſus fuit à Bahamam, filio Aſfediar Regis Perſidis Babylonem, ut ejus præfecturam exciperet loco Balthaſnaxar filii Nabuchodonoſoris. Erat autem, uti ferunt, Bahamam natus è matre Benjamitica, & rectà deſcendebat è Saule primo Iſraelitarum Rege: adſciverat ſibi in conjugem fœminam è Tribu Juda à Salomone per Roboamum prognatam; quare Princeps ille Judæis favebat maximè, nihilque habuit antiquiùs dum Cyrum præficeret Mediæ, Aſſyriæ, & Chaldææ, quàm ut vitum rogaret, ut optimè de Judæis mereretur.

Mandata implevit omnia Cyrus, quippe qui animum habebat inclinatum in Judæos, ſanguinis conjunctione ſibi adſtrictos; natus enim erat è Judæa matre juxta Authores Perſas, conjunxeratque ſibi conjugii vinculo filiam Salathielis & ſororem Zorobabelis juxta Eutychium Abulpharagem filium Batrik Patriarcham Alexandrinum. Copiam igitur fecit Judæis remeandi Hieroſolymam, ac reparandi Urbem & Templum. Sed traditiones omnes Orientalium Scripturæ non cohærentes in fabellarum cenſum redigemus; ſi etenim Cyrus è matre Judæa ſatus fuiſſet, & retuliſſet etiam ex eadem gente uxorem, nunquid rem tanti momenti præteriiſſent Libri Hebræorum?)

CYTHARA. Vox Hebræa *Kinnor* non rarò redditur *cythara*. Cythara igitur veterum, ſivè lyra inſtrumentum eſt Muſicum, quod in deſuetudinem abiit. Baſi, ſeù ventre cavo, & reſonanti conſtabat, additis duobus lignis in duobus ejuſdem baſis lateribus ad perpendiculum erectis; quæ duo ligna altero ligno tranſverſo ad utramque illorum extremitatem ducto continebantur. Huic ligno 3. 6. ſive 9. fides commiſſæ erant, quæ digito ſeu plectro pulſabantur. Vide *Cinyra*.

DA-

(a) Cicero de Divin. l. 1. Ad annum ſeptuageſimum pervenit, cum quadraginta annos natus regnare cœpiſſet.
(b) Strabo Geogr. l. 5. (c) 1. Eſdr. 1. 1. 2. & 2. Par. 36. 22. 23. A. M. 3466. ante Ch. 534. ante Ær. 538. (d) 1. Eſdr. 4. 5.
(e) Dan. 14. 1. (f) If. 44. 28. Qui dico Cyro: Paſtor meus es. (g) Dan. 14. 42. (h) Herod. l. 1. c. 55. 91.
(i) Megaſthen. apud Euſeb. Præp. l. 9. c. 41. (k) D'Herbelot Bibl. Orient. pag. 170. & 1005.

D A

DABERETH, ſive *Dabarith*. De *Debereth* urbe Zabulon, vel ſaltem illi Tribui conterminoa, ſermo eſt *Joſue* 19. 12. Alibi vero in Tribu Iſſachar recenſetur (a), ab eadem Tribu Levitis tradita (b). De hac urbe ſæpiùs agit Joſephus, quam *Dabarittam*, ſive *Darabittam* appellat, & in magno Campo collocat, Galilææ & Samariæ conterminam (c). Fortaſſe eadem eſt ac *Dubira*, quam S. Hieronymus montem Thabor verſus, in regione Diocæſareæ conſtituit. *Debora* ad radices montis Thabor Maondrellus meminit.

I. DABIR, alio nomine *Cariat-ſepher*, ſcilicet urbs Literarum; ſive *Cariat-arbe*, urbs Juda, juxta Hebron. Olim ſedes erat gigantum è ſtirpe Enac. Regem illius capta urbe Joſue trucidavit (d). Calebo in partem hæreditatis aſſignata fuit, qui Othonieli omnium primo in illam irrumpenti Aaam filiam ſuam uxorem conceſſit. Joſue 15. 15. 16. Urbs erat Levitica. Joſue 21. 15. & 1. Par. 6. 58.

II. DABIR, urbs Tribus Gad, ultra Jordanem. *Joſue* 13. 26.

III. DABIR, Rex Eglon de quo *Joſue* 10 3.

DABRI, pater Salumith è Tribu Dan. Salumith filium habuit blaſphemum illum virum, ab Iſraelitis in deſerto lapidibus obrutum *Lev.* 24. 11.

I. DADAN, ſecundus Regmæ filius. Gen. 10. 7. Septuaginta pro *Dadan* legunt *Rauan*, Ezech. 24. 15 vertuntque: *Filii Rhodiorum*. Joſephus habet *Judum*, quem dicit patrem quorumdam Judæorum Orientalium fuiſſe. Lectio *Dadan* cæteris eſt præferenda; ejus vero Dadan poſteros in Palmyrena collocandos cenſuit Arias Montanus, ubi mons *Aladan*, ſive *Alſadadan* occurrit. Bochartus verò eos populos in regione Arabiæ felicis ad occidentem Rhegmæ, hodie uſque *Dadena* appellata, cujus Metropolis Dadem, ſedem habuiſſe maluit.

(Dadan alter è Regma filius, expreſſus Geneſ. 10. 7. Septuaginta legunt hic *Dadan* cum Vulgata & Hebræo; ſed in Geneſ. 10. 4. pro *Dodanim* legunt *Rhodanim*; & in Ezechiele 27. 15. loco *Dedan* ſubſtituunt *filios Rhodiorum*. Joſephus in Geneſ. 10. 4. non legit *Dodanim*, cùm ejus ne nomine quidem meminerit Antiquit. lib. 1. cap. 1. pag. 14. Ille pariter in eodem capite pro *Dadan* legit *Juda*, quem patrem vindicat Judæorum quorumdam in Æthiopia Occidentali. Sed probata lectio Geneſ. 10. 7. eſt *Dadan*. Ambigere me autem profiteor, an *Dedan* & *Dedanim*, de quibus in Iſaia 21. 13. *In ſemitis Dedanim*, Jeremia 25. 23. & 49. 8. Ezechiele 25. 13. & 27. 15. 20. & 38. 13. idem ſit *Dodanim*, quem Geneſis 10. 4. inter poſteros Japhet acceſitum legimus; vel idem ſit ac *Dadan* expreſſus ibidem ℣. 7. inter poſteros Cham; an potiùs tandem quiſpiam ſit è poſteris *Dadan* filii Jecſan, & ex filio nepotis Abrahami per Cethuram. Juvat animadvertere in Textu Hebræo deſtituto punctis nomina *Dodan*, *Dadan*, & *Dedan* iiſdem literis ſcribi. Poſteros Dadan in Palmyrena conſtituit Arias Montanus.)

II. DADAN, filius Jecſan, & Abrahami ex Cethura nepos. Filios habuit Lathuſim, Aſſurim, & Loomim Gen. 25. 3. Sedem ſtatuit in Idumæa, ubi Jeremias 25. 23. urbem Dadan collocavit. Populorum *Dadan*, qui negotiationis gratia una cum populis Chober, Eden, Aſſur, & Chelmad Tyrum ventitabant, Ezechiel. 27. 23. meminit; ex quo ſatis intelligimus duos hoſce populos *Dadan*, de quibus hucuſque egimus, in Meſopotamia propè populos Edeo, & Aſſur ſedem habuiſſe.

DÆMON, nomen ex Græco *Daimon*, ſcilicet ſapiens, intelligentia præditus, & tam Latinè, quam Græce de Angelis ſive bonis, ſive malis uſurpatum; licet de malis frequentiùs, apud Gallos & Italos verò ſolum de malis. Hebræi Angelos malos exprimunt nomine *Serpentis*, *Satan* ſeu Tentatoris, *Seddim*, vaſtatoris, *Sehirim*, hirci ſive hirſuti. In Libris Græcè exaratis hæc de illis nomina & ſimilia occurrunt: *Dæmones*, *Diaboli*, ſcil. *Calumniatores*, *Spiritus impuri*. Princeps Dæmonum appellatur Beelſebub, Sammael, Aſmodæus, Belial, Satan, Draco, Angelus excriminator, Princeps poteſtatum aeris.

Plures ex Patribus, quibus impoſuit liber apocryphus Enoch, magnæ apud illos authoritatis, & loca quædam ex 70. (e), in quibus Angeli Dei commiſti cum mulieribus Gigantes procreaſſe narrantur; plures, inquam, ex veteribus Patribus autumarunt, Angelos nec corpore quodam tenui, neque corporeis quibuſdam paſſionibus exemptos fuiſſe. Verum communis Eccleſiæ & Patrum ſententia, Angelos omnes ſive bonos, ſive malos ab omni materia ſecretos pronunciat; quorum aliquos eodem ſimul momento creatos eademque donatos gratia ſuperbia ab aliis in ordine manentibus diſcrevit; illis enim in pœnam Infernus (f) datus eſt; illis in præmium & confirmata gratia, & gloria æterna conceſſa.

De natura & origine Dæmonum non una eſt apud Rabbinos ſententia: alii enim autumant (g), Deum poſt creatos Angelorum ſpiritus, Sabbathi jam ſubeuntis religione ab elaborando eorum corpore abſtinuiſſe. Alii verò & corporeos malunt, & ſexu diſcretos, ut & per generationem propagari, & per mortem queant extingui. Sunt, qui genitos credant ex congreſſu Sammaelis Principis Dæmonum cum Eva, antequam illa cum Adamo commiſceretur. Sunt, qui filios faciant Adami, & Lilith; tradunt enim Adamum è Paradiſo extorrem 130. annis in excommunicatione perſtitiſſe; quo temporis (h) ſpatio Angeli maſculi cum Eva congredientes; & Adam viciſſim cum Angelis fœminis, Dæmones genuerunt. Eo tempore elapſo, tamquam expleta pœnitentia, Adam filios ad imaginem ſuam ex Eva procreavit. En portentoſiſſima illorum commenta.

Ejuſdem eſſe naturæ Angelos, Dæmones, & animas humanas Philo de Gigant. autumavit; addens ſpirituales ſubſtantias inſita quadam à natura propenſione in corpora deſcendiſſe, inde verò poſt longum tempus divulſas in aera ad priſtinas ſedes rediiſſe.

Dæmones illos, a quibus homines obſeſſi diris aliquando cruciatibus ad mortem adiguntur, non alios eſſe ſenſit Joſephus de Bel. l. 7. c. 25. quam impiorum animas corpore ſolutas. Alibi verò (i) ſententiam ea de re Phariſæorum refert, ab opinione Philonis mox adducta minimè diſcrepantem. Hinc facilè intelligimus genus quoddam metempſychoſeos à Judæis vulgò probari; nihilque inter Angelos bonos, & malos diſcriminis, quam probitatis, improbitatiſque per illos intercedere.

Dæmonis ſtudium omne ad decipiendos, tentandos, excruciandos, perdendoſque homines converſum eſſe ex Scriptura intelligimus. Illis enim præcoces inſolitæque mortes, morbi, pertinaces præſertim, & minimè vulgares tribuuntur; nec rari in Evangelio ea de cauſa muti, incurvi, ſiderati (k) occurrunt. Hujus miniſterio Ægyptiorum filii natu majores, murmurantes in deſerto, ſeptem priores Annæ filiæ Raguelis viri exterminati ſunt. Nec alius Evam in Paradiſo, Chriſtum in deſerto, & Davidem ad recenſendum populum (l) tentavit. Circuit enim, juxta S. Petrum, abripiendæ prædæ occaſionem quærens (m); eſt, juxta S. Paulum Ephel. 6. 16. communis omnium adverſarius, flammeas in nos ſagittas ejaculans; eſt ſpiritus erroris (n), impudicitiæ, malitiæ, & ſegnitiæ.

Similis ordinis politia, ac in Angelis bonis, inter Dæmones ſervari vulgò creditur; quamvis eorum gradus recenſeri, ſilente Scriptura, non poſſint. Evangelium (o) *Beelſebub Dæmonum Principis* meminit,

(a) Joſue 21. 28. (b) 1. Par. 6. 72. (c) Joſeph de Bel. l. 2. c. 26. in Græc. c. 43. & de vita ſua. (d) Joſue 10. 39. & 12. 13.
(e) Gen. 6. 2. (f) Judæ ℣. 6. (g) Bereſchit. Rabb. ſect. 7. col. 3. Manaſſe Ben Iſrael de creat. probl. 23.
(h) Vide Rabb. Salom. in Pſ. 89. 23. Rabb. Jerem. fil. Eliezer. &c. (i) Antiq. l. 18. c. 2. & de Bel. l. 2.
(k) Matth. 9. 32. 33. Luc. 11. 14. & 13. 16. (l) 1. Par. 21. 1. (m) 1. Pet. 5. 8.
(n) 3. Reg. 22. 22. (o) Matth. 12. 24. Luc. 11. 15. 18.

cujus authoritate Dæmones à Chriſto expelli Phariſæi in vulgus ſpargebant. Hanc calumniam Chriſtus quidem reprobavit, oſtendens fieri non poſſe, ut Principis hujus Regnum ſtet, ſi contra ſubjectos ſibi Dæmones imperium exerceat. Nunquam tamen ſubjectionem & dependentiam inter Dæmones negavit; quin & innuiſſe videtur, cum adducta de *forti armato* parabola Luc. 11. 25. addidit, Dæmonem è domo pulſum, aſſumptis ſecum ſeptem aliis ſpiritibus ſe nequioribus, ad priores ſedes regreſſurum. S. Paulus, Ephes. 6. 12. *Principes, & Poteſtates mundi, rectores tenebrarum harum, ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus* (Spiritus nequam in aere) memorat (a). De opinione Ethnicorum de Dæmonibus, atque de iis, quæ ea de re apud SS. Patres occurrunt, agere ſuperſedemus, quod in ſola Scriptura nos pro viribus continere, juxta Voluminis hujus titulum, ſtudeamus.

(Doctores quidam Judæi docens (b), poſt creatum Adam, Deum in comitatu adſciviſſe geminos Angelos, ut ſuis obſequiis quocunque tandem in loco non deeſſent; alterum verò habuiſſe lævum, alterum dexterum. Poſt peccatum lævus Angelus alios genuit Spiritus, acta infeſtantes, affligendiſque hominibus ſedulam ponentes operam. Habent inſuper perſuaſum damnatorum animas poſt temporis quoddam ſpatium tranſire in Dæmones, torquendis hominibus; diſcurrere verò illos inviſendis ſepulcris ſuis, inſpiciendiſque vermibus cadavera ſua depaſcentibus; ex quo alto ſauciantur dolore; reſtituere ſe tandem ad Inferos. Porrò Dæmones illi tria habent cum cæteris Angelis communia; futura ſcilicet mente pervadunt, in aera ſeſe alis extollunt, & ad diſſita mundi extrema momento citiùs tranſvolitant. Tria etiam habent vitia hominibus communia; generant ſcilicet & propagantur; bibunt pariter & edunt; morti tandem ſunt obnoxii (c).

Exhibent Judæi pravos Angelos ſtantes throno Supremi Numinis ſiniſtros, ad juſſiones illius promptos; cùm interim Angeli probi ad dexteram ſint intenti & ad nutum. Opinionem hanc ſuam derivaſſe videntur ex 3. Reg. 22. 19. &c. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum Cæli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris. Et ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem Iſrael? Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo? Et ille ait; Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus.* In Evangelio Matthæi 25. 41. exhibentur Dæmones & reprobi ad ſiniſtram Judicis ſupremi.

Doctores alii (d) affirmant, animas hominum recipere ſe è corpore in ſomnum reſoluto; quam ſibi commodam occaſionem nacti Dæmones inſinuant ſe in corpora, ut fœda cauſent. Inde accepto referunt Judæorum mos, unicè curantium, ut nullo non mane lavent corpus, agantque Deo gratias de reſtituta anima in corpus, ea precandi formula: *Benedictus ſis Domine, quòd animas cadaveribus ſuis reſtitueris.* Somnum perinde habent ac mortem; nullum tunc argumentum præſentiæ exhibens anima, facultatibus ſuis veluti destituitur; quod inertiæ tempus opperiri Dæmones creduntur, ut corpori motus imprimant, quibus maximè puritas officitur.

Docet Scriptura peccatum Dæmonis livore inductum fuiſſe in mundum: Sapien. c. 24. *Deus creavit hominem inexterminabilem, ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum: Invidia autem Diaboli, mors introivit in orbem terrarum.* Hanc autem memorandæ rei hiſtoriam narrant Rabbini. Colloquens ſemel Deus cum Angelis, intellexit ægritudine quadam animi teneri illos in hominem. Defendebant enim hominis vana eſſe omnia; quare minùs aptè conſtitui illum ſupremum creaturarum omnium Imperatorem. Duo prætendebat Deus, aſſerendæ operis ſui dignitati, primò, quòd homo laudibus ſuis celebrandis deſtinatus eſſet in terra, ſicut Angeli in Cælo. 2. Quòd Adam creaturarum omnium nomina probè noſſet, quo ſcientiæ genere præſtabat Angelis, illa ignorantibus. Samael perduellium Spirituum Princeps, id ſibi ſumpſit, ut hominem expoliaret eximiis, quibus ornabatur, prærogativis. Deſcendens igitur in terram, ac ſimul intelligens anguem ingenio & calliditate ſupra reliqua animantia valere, eo adminiſtro uſus eſt Evæ tentandæ, atque inſinuando in animam ejus audaciæ & pervicaciæ ſpiritui. Seducta igitur Eva errorem admiſit; nec ſibi indignum reputavit Adam, ſi vanitatem & pervicaciam uxoris imitaretur. Habemus ex his, Judæos Principi Dæmonum nomen Samaelis tribuere, uti nos Luciferi. Addunt, Samaelem ſerpenti adequitantem ad Evam tentandam veniſſe, qua fœmina abuſum, ex vitiato illo concubitu Cainum genuiſſe.

Animadvertere juvat, in Libris V. T. Hebraicè ſcriptis ante captivitatem Babylonicam, pravorum Spirituum nomina exprimi nulla, ſed tantum nomina illorum generalia, deſignantia ſive Principem Dæmonum, ſive Dæmones alios Principi illi ſubjectos. Eſt ibi quidem *Satan*; ſed nomen eſt illud generatim deſignans accuſatorem vel calumniatorem, affinitatis habens plurimum cum Græco *Diabolos*, quod paria ſonat. Tobias nomen exprimit *Aſmodæi*; & in Evangelio legimus *Beelſebub* Principem Dæmonum. In libro Apocrypho Enoch crebra occurrunt nomina Angelorum ac Dæmonum; ſed Liber eſt utique recentior quàm quod præfert titulus, nec veteribus Judæis notus videtur. Laudavit illum omnium primus S. Judas.

Hoc autem Lucubrationis illius celeberrimæ ſpecimen. Cùm filiæ hominum numero creviſſent, *Egregori*, vel Senes, ita enim Chaldæi Angelos denominant, mutuis ſeſe excitarunt alloquiis: Accipiamus nobis in conjuges filias hominum. Ducenti erant numero. Præerat autem cæteris *Semexias*, vel *Simiexas* cum aliis 18. Sociis, videlicet 2. *Lotarcaph*, 3. *Aracie*, 4. *Chababiel*, 5. *Orammanes*, 6. *Ramiel*, 7. *Sapſic*, 8. *Zaciel*, 9. *Balciel*, 10. *Azazel*, 11. *Pharmarus*, 12. *Amariel*, 13. *Anagemas*, 14. *Thauſael*, 15. *Samiel*, 16. *Sarinas*, 17. *Eremiel*, 18. *Tyrael*, 19. *Sariel*. Sacramento illi ſeſe adegerunt in verba *Semexiæ* principis ſui, cujus exemplis ſe per omnia ducendos obligarunt. Adſciverunt igitur in torum filias hominum, ſalaceſque omnes voluptates nullas à ſe alienas judicarunt. Ex eo connubio nati Gigantes tota antiquitate famoſi.

Azazel, è pravis hiſce Spiritus decimus, homines docuit arma inſtruere, liquare in pecuniam metalla, mulieres etiam docuit fucos & pigmenta. Semexia authore Gigantes intellexerunt quomodo robore ſuo uterentur, quomodo acuendæ paſſiones animi. Simplicum & veneficiorum, ſicut excantationum, ac faſcinationum vim omnem aperuit *Pharmarus*; quomodo hæc omnia hebetarentur ſimul docens. *Balciele* authore tradita hominibus Aſtronomia; *Chababiele* Aſtrologia; *Zaciele* ars divinandi obſervatis in aere ſignis, ſicut & in terra *Aracele*, atque in Luna *Sapſie*. Hæc inventa Angelorum perduellium, quibus edoctæ uxores illorum & filii. Inundarunt inde mala & crimina ſuper terram, quibus corrupta iram in ſe Dei provocavit.

Probi Angeli, exercitus cæleſtis Imperatores, *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*, & *Uriel*, quæ committerentur in terra mala noſcentes, querelas ea de re ſuas detulerant ad Deum, qui frænandis malis hæc dedit mandata: Eas, præcepit Urieli, ad Noemum filium Lamech, injungaſque ut ad tempus lateat; ſtatui enim diluvium in terram immittere, ex quo ſuperficies ejus univerſa corrumpetur. Quid illi præſtandum ſit ea occaſione, ut ſibi conſulat, hominem inſtruas, quò ſcilicet tandem in patrem novi generis evadat.

Tum

(a) Vide Noſt. Diſſert. de bon. & mal. Ang. ad Comment. in S. Luc.
(b) Vide Baſnag. Hiſt. Jud. t. 4. l. 6. c. 11. p. 170. (c) Excerpta Gemarræ apud Hottinger. p. 224.
(d) Vide Bartuloc. Bibliot. Rabbinic. tom. 1. pag. 295.

Tum Raphaeli præcepit, iret, alligaret Azazelem, gravemque catenis projiceret in tenebras; recluderet profundiſſima Deſerti Dudail, & impium eò deturbaret; tum rudium lapidum ſtruem aggereret ſupra illum, offuſcaret tenebris denſiſſimis, ne videret lucem, donec tandem die judicii projiceretur in Infernum. Repares verò, ait, quæ mala Seniores cauſarunt in terram per myſterium iniquitatis, quod uxores ſuas & filios docuerunt.

Ad Gabrielem verò conferre ſe juſſit in Gigantes, filios Seniorum, committereque illos inter ſe, quò in mutuas cædes ruentes, ſuis ſe manibus omnes ad unum exterminent.

Oneratus tandem mandatis eſt Michael alligandi Semexiam, & cæteros perduellionis illius fautores; ac poſtquàm coacti ſub oculis ſpectaſſent ſupplicium Gigantium filiorum ſuorum, retineret vinctos catenis in nemoribus ſpatio 70. generationum, ad uſque extremam judicii diem; tunc enim præcipites agendos in Chaos æternum, & in ignem perpetua flamma terribilem. Adjecit verò, homines ſcelerum illius exempla ſectatos, criminum ejuſmodi merito damnandos illos pariter cum pravis Spiritibus, detrudendoſque in carceres perpetua nocte horribiles.

Juxta fidem Authoris hujus Operis nonniſi ſat diu poſt creatum mundum Angeli deſciverunt à Deo, occaſione connubii cum filiabus hominum initi: inſtruuntur illi corpore, tanguntur ſalacibus corporis voluptatibus, gignere homines ſunt potentes; modò verò catenis alligati ſunt in deſertis, vel in nemoribus, poſtrema tandem judicii die ad inferna præcipites agendi.

Cùm Opus illud fide non indignum reputaverint Veterum plures, factum inde, ut in eorum Scripta ex opinionibus hiſce plerimæ occurrant. Lactantius e. g. l. 2. c. 14. duo eſſe Dæmonum genera autumavit, cæleſtes ſcilicet, & terreſtres. Cæleſtes ipſi ſunt Angeli perduelles, qui à Principe Dæmonum ſeducti non caſtis amoribus implíciti ſunt. E prioribus illis, tanquam è parentibus filii, nati ſunt terreſtres, qui medium tenentes inter Angelos & homines ſtatum, ad neutros accedunt natura; nec præcipites acti ſunt in inferna, uti Dæmones parentes ſui, nec in Cælum recepti. Porrò terreſtres Angeli ſpiritus ſunt immundi, malorum omnium in terris authores.

Ex Patribus alii opinati ſunt, Deum pravis Angelis puniendis aereis illos corporibus adſtrinxiſſe. Unum hunc inter Origenis errores recenſet S. Hieronymus Epiſt. ad Avitum: *Quòd Dæmones ob delicta aereis corporibus ſunt veſtiti*. In eandem ſententiam deſcendiſſe videtur S. Auguſtinus (a), docet enim rebelles Angelos ante admiſſum crimen cæleſtibus & ſpiritualibus corporibus valuiſſe, ſed poſt lapſum redactos eſſe ad aerea, quibus impreſſionem ignis ſentirent. Idem ſedit Fauſto Rhegienſi, cujus Epiſtolam, qua opinionem hanc ſuam adſtruit, refutavit Claudianus Mamercus. Græci in Concilio Florentino defendebant Angelos prævaricatores ſpiritales ante lapſum, poſt lapſum degeneraſſe in materiales & carnales, ex quo inclinare illos in corpora, uti intelligimus non obſcurè crebris Energumenorum exemplis, & ex votis legionis illius Dæmonum, poſtulantis permitti ſibi, ut gregi porcorum inſidere daretur. *Matth.* 8. 28. 30.

In Authoribus, qui de Angelorum lapſu ſcripſerunt, tres variæ opiniones notantur. Alii enim labendi in peccatum cauſam & originem tribuerunt faſtui animi magna de ſe præſumentis, alii ægritudini de homine conceptæ, alii tandem effræni in fœminas amori. Duas ſimul priores cauſas plures jungunt, nempè faſtum animi placentis ſibi de dotibus ſuis, quarum gloriam Lucifer refundere in Deum recuſavit; addunt ægritudinem quandam animi in hominem, quòd illum conſtituiſſet Deus ſuper opera ſua, tanquam Numen ſecundarium. Poſterior hæc opinio ſola fermè hodie obtinet in Eccleſia; quam verò aſſertam in libro Enoch ſpectavimus, excidiſſe nempe Angelos meritò effrænis in fœminas amoris, penitus abjecerunt Theologi.

Veterùm plures ſingulis hominibus adverſarium Dæmonem aſſignarunt, laqueos in illos inſtruentem, inſtigantem ad malum (b); ſicut & ſuum habet quilque probum Angelum proba ſuggerentem. Opinionem hanc illi ſuam derivarunt ex libro Paſtoris (c). Retinent hanc opinionem hodie uſque Judæi (d), eandemque inſinuant non obſcurè ſcripta quædam veterum Philoſophorum (e). Origenes in ea eſt perſuaſione Hom. 15. in Joſue, ſuum eſſe ſingulis vitiis præſidem Dæmonem, Dæmonem avaritiæ, Dæmonem fornicationi, Dæmonem ſuperbiæ. Rogat Deum Eccleſia, ut Fidules ſui à Dæmone fornicationis liberentur; & tribuia conſtat in Evangelio Dæmoni malorum & incommodorum, quibus homines affliguntur, plurima. Habes hic Spiritum mutum ſeu Dæmonem loquendi facultatem homini prohibentem (f). Eſt apud S. Lucam 13. 11. 16. fœmina, quæ *habebat ſpiritum infirmitatis*, quam pariter *alligavit Satan decem & octo annis*.

Detineri apud Inferos Dæmones, ibique ſpreti Dei pœnas dare, & ejus ultionis Divinæ in ſontes adminiſtros ſeſe exhibere vulgò credimus. S. Joannes Apoc. 20. 1. 3. ſcribit miſſum à Deo è Cælo Angelum tenentem clavem Abyſſi, & grandem quandam catenam, apprehenſumque Draconem, veterem illum ſerpentem, qui & Diabolus ac Satan, alligaſſe, actumque præcipitem in Abyſſum, ibi clauſis foribus atque ſigillo obſignatis mille annis retinendum conſtituiſſe. Sed alia ea in re veteribus Patribus ſententia manſit; Dæmones enim in aere conſtituebant, qua de re S. Hieronymus in Ephel. 6. 12. *Hæc autem omnium Doctorum opinio eſt, quod aer iſte, qui Cælum, & Terram medius dividens inane appellatur, plenus ſit contrariis poteſtatibus*. Ruiſſe credit S. Auguſtinus (g) è ſuperiori ac puriſſimi aeris regione in craſſum hunc noſtrum & infimum, qui prioris illius nitidi ac ſereni comparatione tenebræ rectiſſimè cenſeretur.

Autumavit S. Chryſoſtomus, hom. 4. in Eph. 6. Dæmones, admiſſo licèt crimine, obtinere adhuc datum ſibi à Deo in aerem imperium. Patres tamen reliqui defendunt ita verſari illos in aere, ut ibi luant criminum ſuorum pœnam; tandem in inferna deturbandos poſtrema Judicii die. Veterum etiam plures (h) explicant de inferiore aeris regione Dæmonum exilio deſtinata, quæ de præſenti Dæmonum ſtatu tradunt S. Petrus Epiſtola prima c. 2. 4. & S. Judas verſ. 6. Ita enim de malis hiſce Spiritibus Apoſtolus: *Rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos*: Tartarum hic de aere inferiori exponunt Patrum ſanè multi; Cælum enim antea tenentes, infimas haſce ſedes perindè reſpicerent, tanquam atra nocte terribilem carcerem.

Quæ à Jeſu Chriſto poſtulant Dæmones, ne ſcilicet amandentur ad abyſſos, ſed permitti ſibi, ut porcorum gregi inſideant (i), hæc, inquam, inſinuant miſeris hiſce Spiritibus levaminis eſſe aliquid, ſi moram agant in terris; & quas inſtituunt de eodem Jeſu, querelæ, veniſſe ſcilicet illum ſibi *ante tempus torquendis*, ſat docent ſupplicii illorum tempus nondum impletum fuiſſe. Sententiam pronuncians Jeſus Chriſtus in homines impios atque nefarios: *Ite*, ait, *maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*. *Matth.* 25. 41. Qui paratus eſt, inquit, non ſuſtinent modò. Tenent re ipſa quidem veterum Patrum ſanè multi (k), Dæmones ſententia

(a) De Geneſ. ad liter. 3. c. 17. Vide & de Civit. lib. 15. c. 23. & contra Academicos l. 1. c. 7. & de Ordine l. 2. c. 9.
(b) Origen. Hom. 35. in Luc. & de Princip. l. 3. c. 11. Antioch. Hom. 65. Nyſſen. de vita Moſ. p. 139. Operis inperfecti in Matth. Hom. 5. (c) Hermias l. 2. mandato 6. (d) Buxtorf. Synag. cap. 10. Baſnage Hiſt. Jud. l. 8. c. 9. art. 14.
(e) Orpheus Hymn. ad Muſas, Plutarch. in Bruto, Servius in Æneid. 6. (f) Matth. 9. 32. 35.
(g) De Geneſ. ad lit. l. 3. c. 10. Enchir. c. 28. in Pſ. 149. (h) Vide Auguſt. in Pſ. 49. Gregor. Mag. l. 13. Mor. c. 17. Beda in 2. Pet. 2. Rupert. in Geneſ. 17. (i) Matth. 8. 29. Luc. 8. 31. (k) Tertul. Apolog. c. 17. Juſtin. Martyr. Apolog utrique. Minut. Felix in Octav. Lactant. l. ult. Inſtit. Tatian. contra Gent. Origen. hom. 8. in Exod.

Digitized by Google

jam damnari ad ſupplicium æternum, ſubeundum tamen non priùs, quam ad extremam judicii diem. Nec ita tamen reputandum eſt doloribus, & pœnarum animi ægritudine eſse immunes; ſummi enim ſupplicii loco habent, quod ſe nunquam non excluſos intelligunt a ſummo bono, damnatoſque irrevocabili ſententia ad æterna & infinita ſupplicia. Alioquin cruciantur igne, ait S. Gregorius Moral. l. 4. c. 10. alio torquebuntur poſt extremam judicii diem. *Lata eſt ſententia*, ait S. Bernardus ſerm. de tranſitu S. Malach. *ſed adhuc non promulgata; ſuccenſus eſt rogus, ſed nondum in rogum injecti ſunt*. Beda Venerabilis in Jacob. 3. *Ubicumque vel in aere volitant, vel in terris, aut ſub terris vagantur, ſive detinentur, ſuarum ſecum ferunt ſemper tormenta flammarum, inſtar febricitantis*. Hæc hodie ſententia maximè obtinet apud Theologos.

Affectaſse olim Dæmones divinos honores, & votorum ſuorum compotes factos fuiſse apud gentes ſtultitiæ inſigni elogio donandas, ambiget nemo, qui expreſsa ea de re Scripturæ teſtimonia auſcultaverit. Deut. 32. 17. *Immolaverunt Dæmoniis, & non Deo, Diis, quos ignorabant*. Pſal. 105. 37. *Immolaverunt filios ſuos & filias ſuas Dæmoniis*. Baruch 4. 7. *Exacerbaſtis, eum qui fecit vos, Deum æternum, immolantes Dæmonis, & non Deo*. Et in Levitico 17. 7. vetat Deus Hebræis, ne quod eouſque præſtiterant, proſequantur, litando nempè ſacrificia Dæmonibus, vel hircis. Colebant Philiſtæi Beelſebub Principem Dæmonum, ad quod etiam conſulendum Numen mittebant Reges Iſraelis (a), eo religionis argumento divinis illum honoribus parem agnoſcentes.

Fateamur tamen oportet Hebræos, quantum ſcimus, nullum cultum impendiſse Dæmoni, Dæmonis, mali Genii, Satanæ, Diaboli, veteris ſerpentis, Samaelis perſonam referenti, reipſa tamen in Idolis Dæmonem ipſum conſecraſse convincuntur; neque enim præ Dæmonibus ea, quæ erexerant in Altaria, Numina præſtabant magis; & Dæmoni authori deputabatur quidquid erat cultus ſuperſtitioſi; conſecrata erant in Aris crimen, impudicitia, faſtus, & ſævitia. Ecquis alius præter Dæmonem humanis victimis, qualia ſacrificia placebant Moloch, delectaretur? Hebræum *Elilim*, quod Septuaginta, & Vulgata reddunt *Dæmonia*, eſt ad literam Numina flocci, vana terriculamenta, quo utique ſenſu Paganorum Numina omnia Dæmonum nomine traducerentur. Pſal. 105. 5. *Omnes Dii gentium Dæmonia*.

Ad Paganos quod attinet, ſcitum eſt coluiſse illos Plutonem vel *Ades* Deum inferorum, ceteraque inferna Numina; coluiſse Manes, Furias, Deos etiam impios & noxios (b), uti Febrem, Orbonum, quem parentes invocabant ad averruncandam à filiis mortem, ſiniſtram Fortunam, Pallorem, Tempeſtatem, Diſcordiam, Impudentiam, Calumniam, Livorem, Neceſſitatem, Violentiam. Reputaverit fortè quiſpiam Græcos pariter & Romanos, cùm aliam conciperent ac nos Dæmonis ideam, Dæmoni, qualem nobis repræſentamus in mente, nunquam divinos honores impendiſse; ſed impendebant tamen rebus non minùs iis honoribus, quàm Dæmones ipſi, indigniſſimis, & æquè ac Dæmones pernicioſis; affirmatque S. Auguſtinus in Pſal. 94. num. 6 & de Civit. lib. 5. c. 22. conſecrata Templa & erecta Dæmonibus Altaria longè lateque per univerſum inundaſse; invocatis à Romanis bonis Geniis litatum ſacrificiis malis, ut quieſcerent (c).

Fama eſt Perſas duo ſtatuiſse principia, bonum ſcilicet, & malum; prius illud appellaſse *Horomaſum*, alterum *Aſimanam* (d); obtuliſse autem illi in gratiarum actionem, & huic, ut ab inferendis malis averteretur, ſacrificia. Carpebant herbam Omomim, tundebant in mortario ſimul invocantes Deos Infernos & tenebrarum; tum affuſo ſanguine jugulati lupi, mixtum illud quidquid erat ferebant ad locum ſolaribus radiis nunquam non impervium, projectumque ibi dimittebant. Feruntur pariter Americanæ quædam gentes cultum impendere ſuperſtitioſum Diabolo, i. e. malo huic principio, quod moderari terram ſaltem univerſam arbitrantur.

Dæmon Meridianus, cujus eſt mentio Pſal. 90 6. *Non timebis à timore nocturno, ab incurſu, & Dæmonio meridiano*, variè accipiunt (e). Rabbinorum plerique dictum malunt de pernicioſiſſimo ac maximè violento Dæmone, conſerere nobiſcum manum audente plena die, cùm Dæmones alii nocte inſidientur. Populi opinione receptum tenebatur, inquiunt Theodoretus & S. Hieronymus, ut Dæmones quidam pernicioſi eſſent meridie. In ferventibus regionibus conſuetudo obtinet, ut meridie ſomni aliquid captetur, neque libero Soli exponere ſe quiſpiam audet; timet enim populus ſpectra & terriculamenta Dæmonum flagrante meridie, uti & per quietem noctis, quòd ſpatio illo temporum regnet ubique ſolitudo & ſilentium. Evaneſcunt Spirituum ac Dæmonum terrores, cum in patenti agro & in frequentia hominum verſamur. Malunt alii intui Textu illo ſubitum aliquem & violentum morbum, uti luem, qua improviſo homines corripiuntur, vel epilepſiam, qua ſenſuum omni facultate ac motu privamur; quæ ſanè omnia Dæmoni authori tribuuntur. Hebræum *Keteb* vox eſt, cujus non certa adhuc ſignificatio determinatur.

Vahetius filius Montah inter Muſulmanos probatiſſimus aſſertor traditionum, quas receptas tenent ex ipſo Mahometi ore, refert, Deum ante creatum Adamum (f), produxiſſe Divas vel Divos, non homines illos quidem, nec Angelos, nec Diabolos, ſed Genios vel Dæmones noxios. Tradidit illis Deus gubernandum mundum ſpatio 7000. annorum, qua evoluta periodo, Dæmonum, vel ſaltem erraticorum noxiorumque Spirituum genus aliud Peris imperium exceperunt ſpatio 200. annorum, parentibus tamen illis unico Principi Gian-Ben-Gian. Porro Divi & Peris excuſſo obſequii in Deum jugo rebellarunt; quibus in ordinem cogendis Deus præfecit Eblim, qui cùm natura eſſet nobiliori, ac ignis elemento participante, educatus erat inter Angelos.

E Cælo igitur in terram deſcendens Eblis bellum intulit in Divos & Peris, qui in communem defectionem viribus conjunctis ſeſe armaverant. Non defuerunt tamen inter Divos, qui ad partes Eblis tranſeuntes permiſſi ſunt agere in mundo uſque ad formatum Adamum, quin & uſque ad Salomonis ætatem, cujus Principis ſervitiis ex his nonnulli addicti ſunt. Congreſſus Eblis cum Imperatore Gian prælio illum fregit, brevique inferiorem hunc mundum, ſedem tunc Divorum & Peris, totum redegit in poteſtatem. Sed inflatus victoria non diù poſt parere Deo recuſavit, illud jactitans: Quis ſimilis mihi! Ego, cùm maximè libuerit, in Cælum me extollo; cùm in terram rediero, imperio meo ſubjectam omnem circumſpicio.

Intolerabilem illum faſtum ſtomachatus Deus, ad ſaniora revocandum, hominum genere creato, cenſuit. Plaſtico igitur opere formatum Adamum conſtituit orbis univerſi Imperatorem, impoſuitque Ebli & Angelis cæteris, ut novum hoc manus ſuæ opus promptè adorarent. Parere recuſans ille cum ſociis dejectus eſt ab imperio, ac maledicta Dei in caput ſuum provocavit. Hinc nomen *Joa*, nempe refractarius, in pervicacem; nomen etiam *Satan*, ideſt calumniator; nomen *Eblis*, i. e. deſperatus; primum enim nomen fuit *Hareth*, i. e. adminiſtrator vel cuſtos.

Syſtema illud tria conſtituit creaturarum genera diù ante creatum Adamum, Angelos, Divos, Peris: poſtrema hæc duo fermè congruunt cum bonis & malis Geniis vel Dæmonibus Græcorum.

DAGON, ſivè *Dog*, vel *Doch*, arx in planitie Jericho, quam Ptolomæus filius Abobi tenebat, adductumque in eam Simonem Machabæum ſocerum

ſuum

(a) 4. Reg. 1. 2. &c. (b) Cicero lib. 3. de Natur. Deor. Valer. Maxim. l. 10. c. 5. (c) Aug. de conſ. Evangel. l. 1. c. 8.
(d) Plutarch. de Iſid. & Oſiride. (e) Vide Genebrar. in Pſal. 90. & Chaldæum. (f) Biblioth. Orien. pag. 298.

ſuum (a), una cum duobus filiis Mattathia, & Iuda per inſidias occidit. Eam cædem Joannes Hircanus filius Simonis ulturus, arcem obſedit; cepiſſetque, niſi Ptolomæus callide ejus conatus eluſiſſet; cum enim arcem invaderent milites, ille conſtitutos ſuper muros Matrem, duoſque fratres Hircani virgis durè cædi jubebat, minitans ipſos eo ſupplicio necandos, niſi Hircanus ab obſidione recederet. Quare Hircanus miſericordia in matrem motus, milites reducere coactus eſt. Productam ita obſidionem ſuperveniens annus ſabbathicus diſſolvit; ſtatimque Ptolomæus, poſt occiſam matrem, fratreſque Hircani, apud Zenonem Cotylam Tyrannum Philadelphiæ confugit. Hæc Joſephi narratio, cum iis, quæ in primo Machabæorum referuntur, parum cohærere videtur; ibi enim duo filii Simonis unà cum patre in convivii loco occiſi perhibentur.

DAGON, Numen Philiſthæorum, quod credimus figuram mulieris in piſcem deſinentis, *Tritonum* inſtar, & *Sirenum* exhibuiſſe.

Deſinit in piſcem mulier formoſa supernè (b).

Porrò Dagone Saturnum deſignari cenſet author Magni Etymologici; alii verò expreſſum in illo Jovem, alii tandem Venerem credunt. Ægyptii ſanè Venerem ſub piſcis figura (ſub qua Venus ipſa in bello Typhoei in Deos (c) delituit) exhibebant. Cives Aſcalonis celeberrimæ urbis Philiſthæorum, authore Diodoro Siculo *l.* 2. Deam *Derceto*, ſivè *Atergatim*, Sirenis formam referentem colebant; neque aliam eidem Deæ figuram Lucianus tribuit (d). Cùm igitur omnium conſenſu conſtet, Dercetum eandem fuiſſe ac Venerem, fateamur oportet Dagonem Venerem retuliſſe.

Humanam Dagonis figuram ſatis exprimere videtur Scriptura, dum idolum illud, in cujus Templo Arcam Domini clauſerant Philiſthæi, manè ingredientibus in fanum Sacerdotibus truncum apparuiſſe, manuſque ejus, & pedes in veſtibulo jacuiſſe narrat (e). Hujus numinis Templum Gazæ erectum Samſon evertit. *Judic.* 16. 23. Aliud viſebatur Azoti, ubi Arcam Domini Philiſthæi depoſuerunt. 1. *Reg.* 5. 1. Inter urbes Juda *Beth-Dagon* ſcilicet Dagonis domicilium, occurrit *Joſue* 15. 41., cujus etiam nominis altera in finibus Aſer recenſetur. *Joſue* 19. 27. *Caphar-Dagon* vicus ſivè *Campus Dagon* vicus erat inter Iamniam, & Dioſpolim, Euſebio authore.

(Philo Biblius in verſione Sanchoniatonis, *apud Euſeb. Præpar. lib.* 1. affirmat, *Dagon* exprimere *Siton*, vel Deum frumenti. Conſtat equidem *Dagon* Hebraicè eſſe frumentum; ſed quis frumenti Deus iſte? Cererem arbitror, carebant enim Hebræi nomine fœminino Deabus ſignificandis; docetque Ælianus inter varia *Cereris* nomina unum hoc fuiſſe, *Sito*, veluti ſi diceretur frumenti Dea, quippe cui primum traditæ agriculturæ frumenti honor tribueretur. Pingebatur cum vomere, ſpicis frumenti, fructibus & papaveribus circa caput vel in manibus; jungebatur Baccho vini inventori; jungebatur, inquam, in myſteriis, & communibus utrique Orgiis.

Occurrit iſta pariter in Nummis appoſitos habens piſces (f), quod congruit cum nomine *Dagonis*, è radice *Dag*, piſcis. In Nummo quodam Syracuſano piſces quatuor exhibentur in Nummi areola circa caput Deæ fructibus coronatæ. In alio Nummo pariter Syracuſano, in quo & caput Cereris, piſces ambiunt tantum. In Philone Biblio *Dagon* frater eſt Saturni, quemadmodum apud Græcos Saturni ſoror eſt Ceres. Porro Ceres iſta amplexus fratris ſui, juxta Græcos, ſuſtinuit; Atergatis ſoror eſt pariter Saturni eodem Philone authore.

Tandem Cereri interdum tribuuntur dotes, quibus pollet Iſis, Dea Ægypti (g), cujus Numini accepto refertur agricultura, frumentum, & fructus; coliturque tanquam Luna. In veteri ſtatua Cereris reperta Tulli ſpectare licuit ſpicas circa caput Numinis, quæ ſpicæ ſeu crinium ſeu radiorum ſpeciem exhibent.

Agens Beroſus de Oannes, tradit toto eſſe corpore & capite piſcem, & poſt piſcis rictum, aliud præferre caput, ſicut & infra caudam piſcis demittere pedes hominis. Hæc vera effigies, uti ferunt, Dagonis variis nominibus per varia loca appellati. Nummus quidam Ægyptius (h) fœminam exhibet medio ſui corpore, manibus tenentem cornu Amaltheæ, deſinentem in caudam piſcis, retrorſum reflexam, inſtructamque pedibus ceu crocodili ſeu vituli marini. Hæc facilè Deæ Dagon figura. Variant in illa depingenda Rabbini, quod divinando loquuntur: aliis eſt figura ſuperiora habens hominis, inferiora piſcis; alii piſcem ſtatuunt ſuperiùs, inferiùs hominem; aliis nihil non hominis, aliis nihil non piſcis præfert.

Scribit Diodorus Siculus lib. 2. Aſcalone Urbe Palæſtinorum cultam fuiſſe Derceto vel Atergatim ſub imagine fœminæ media inferiori ſui parte piſcis, uti pinguntur Nereides. Profundiſſimus erat juxta Aſcalonem lacus, cujus omnes piſces Deæ eſſent ſacri, nefas autem illis uti civibus ejuſdem Urbis, ratis Venerem olim demerſiſſe ſe in lacu, ac in piſcem tranſiiſſe.

Refert Herodotus lib. 2. Scythas olim irrupiſſe in Palæſtinam conſilio deinde invadendi Ægyptum, quod à ſe malum averterit ingenti collata pecunia Pſammeticus Rex Ægypti. E Scythis hiſce nonnulli in Aſcalonem perrumpentes ſacrilegas intulerunt manus in Templum Deæ Veneris Cæleſtis, omnium quotquot in Mundo, vetuſtiſſimum reputatum. Furens injuria Dea probroſo quodam ac incommodo morbo hæmorroidum ſacrilegos percuſſit, quæ mala hæreditas in poſteros tranſmiſſa memoriam ſacrilegii perennat. Conſtat hic Herodotum appellare Venerem Cæleſtem, quæ alio nomine erat Atergatis, vel Derceto, & nos cum Dagone confundimus.

Cenſet Salmaſius in Solin. pag. 574. Dagonem idem eſſe ac *Ceto*, marinum monſtrum; Ceto autem, cui vorandam Andromedam ad litus Joppe expoſitam dicit, cum Dea *Derceto* Aſcalonitarum confundit. Maluit Seldenus, De Diis Syris Syntag. 2. cap. 3. *Atergatim* ipſam eſſe Dagonem, nomen autem Atergatim derivari ex Hebræo *Adir-Dagam*, magnificus piſcis. Magnifici elogium Deo genuino ac fictis commune erat.)

DALAIAS, filius Elioenai, ex familia David 1. *Paral.* 3. 24.

II. DALAIAS, à conſiliis Regi Joakim, qui Regi Librum oraculorum Jeremiæ à Baruch exaratum igni tradere volenti (i), una cum Elnathan, & Gamaria reſtitit; ſed fruſtra, cùm Rex non pateretur extare opus, quod à ſuis moribus nimiùs abhorrebat.

DALAIAU, ex genere Sacerdotali, ſervitiis Templi in claſſe 23. Sacerdotum addictus *Par.* 24. 18.

DALETH, quarta inter literas alphabeti Hebræorum, ex qua Delta Græcorum.

DALILA, meretrix, in valle Sorec habitans, ex tribu Dan, juxta regionem Philiſthæorum (k); quam Samſon perditè deperiens, tandem juxta aliquorum opinionem in uxorem duxit (l). Porrò fœmina illa ingentis pecuniæ ſpe à Philiſthæorum Principibus corrupta (ſinguli enim 1100. argenteos promiſerant) quæſivit à viro, quanam potiſſimum in parte ſui corporis ſitam haberet vim illam, qua ſupra hominem pollebat; & quid facto opus eſſet, ut ea privaretur. Samſon quærenti reſpondit, ſi ſeptem humentibus nerviceis funibus alligaretur, ſe ut cæteros imbecilliorem futurum. Alligato igitur viro à Dalila, cui Principes Philiſthæorum vincula ſuppeditaverunt, hæc ſtatim clamavit Samſoni Philiſthæos adeſſe; aderant enim in occulto, ut cum muliere condixerant. Ille continuò

(a) 1. Mach 16. 11. Joſeph. Ant. l. 13. c. 15. (b) Horat. de Arte Poet. (c) Ovid. Metam. l. 5. fab. 5. (d) Lucian. De Dea Syr. (e) 1. Reg. 5. 4. 5. Vide noſtram Diſſert. de Diis Philiſth. ante Comment. in Reges. (f) Antiquit. explic. t. 1 pag. 85. fig. 8. 9. Tab. 45. & 10 noſtro Dict. Bibl. v. Loca edita. (g) Ibid. pag. 93. & 275. (h) Vaillant. append. hiſt. Ptolom. (i) Jerem. 36. 25. (k) Judic. 16. 4. (l) Chryſ. ſeu alius de var. in Matth. locis, & in Philip. hom. 12. & apud Anaſtaſ. Antioch. q. 63. Alii. Joſeph. apud Caſſian. Collat. 17. c. 20. Ephræm. ſerm. adver. improbas mul. Perer. in Gen. Alii apud Serar. q. 5. in Jud.

nuò experrectus, funes non ſecùs ac tenue filum diſrupit. Tunc Dalila enixius eadem de re Samſonem interrogavit; & Samſon iterùm reſpondit, ſe recentibus funibus alligatum nihilo præ cæteris hominibus potentioſem futurum. Verùm his alligatus, exclamante muliere Philiſthæos adeſſe, vincula nullo negotio fregit. Tertiò Dalilæ contentius eadem requirenti ſignificavit Samſon ſe viribus deſtituendum, cùm ſeptem comæ ſuæ crines licio plexi clavo terræ affigerentur. Dalila re, uti priùs, fruſtra tentata, cùm Samſon illius clamore excitatus, crines, licium, ipſumque clavum facillimè extraxiſſet, irriſam ſe tertio conqueſta, ingeminatis precibus, ut voti ſui compos fieret, etiam atque etiam rogavit. Flexus tandem Samſon, omnibuſque animi ſui nervis reſolutus, veram ſuæ virtutis ſedem eſſe comam intonſam, Deoque Nazaræorum voto ab utero matris conſecratam prodidit. His auditis mulier Principes Philiſthæorum, ut ſemel adhuc ad ſe venire non gravarentur, admonuit. Venientibus illis, ac pecuniam ex condicto afferentibus, Dalila viri in ſinu ſuo dormientis comam abraſit, ſtatimque à ſe illum amovens, adeſſe hoſtes inclamavit. Samſon continuò experrectus, ut defenſionem parabat, viribus ſubitò ſe deſtitutum ſenſit; quare à Philiſthæis captus, catenis oneratus, ac luminibus orbatus, Gazam deductus eſt, ubi ad mortem uſque in carcere contabuit, ut dicemus v. *Samſon*.

DALMANUTHA. Tradit S. Marcus 8. 10. Chriſtum per mare Tiberiadis navigaſſe *Dalmanutham*; S. Matthæus verò 15. 39. & plura S. Marci MſI. habent veniſſe *Magedan*. Græcus S. Marci fert *Magdalam*; Syriacus, & Arabicus, & Græca quædam vetuſtiſſima legunt *Magdan*. De ſitu *Magedan*, & *Dalmanutha* diſputatur. Brocardus autumat *in Deſcript. Terr. San. c.* 3. *Magedam*, ſivè *Medan*, eſſe fontem Jordanis ad radices Libani, vulgò *Dan* appellatum. Porro (a) propè lacum *Phialam*, qui vera eſt Jordanis ſcaturigo, tota æſtate nundinæ celebrabantur, eò convenientibus, ibidemque ob loci amœnitatem commorantibus Saracenis, Arabibus, & Parthis; *Medan* autem Arabibus nundinæ ſunt. Hanc regionem Hegeſippus quoque *Meldam*, ſivè *Meldan* appellat, quam vocem nundinas intrepretatur. Ex Meldan efformari potuit *Dalmana*, *Delmanata*, & *Delmanutha*; quare locus, quò Jeſus appulit, *Medan*, *Maggeda*, & *Delmanutha* æquè appellari potuit; ipſeque Chriſtus, Mari Tiberiadis trajecto, Jordanis fontem verſus, *Medan* iviſſe dicendus eſt.

Magedan Euſebio, & S. Hieronymo locus eſt propè Geraſam trans Jordanem, quem ſua ætate *Magedenen* nuncupatum ferunt. Porro Geraſa urbs eſt Transjordanina ad orientem Maris Tiberiadis. Cellarius, & Ligtfoot pro *Magedan* legendum credunt *Magdalam*, quam urbem collocant in vicinia Gadaræ, & Tiberiadis, ad orientem maris Geneſareth; ab eaque urbe non longè abfuiſſe credunt aliam nomine Dalmanutham. Hammondus cum aliis S. Marcum de urbe *Magedo* loquutum autumant, quæ *Magedan* eſt Zachariæ 12. 11. ubi Ochoſias primùm, deinde Joſias obiere (b). Nec tamen ad eam urbem, ſed tantùm ad ejus fines, juxta Textum S. Marci, Chriſtus delatus eſt. Hanc quidem ſententiam, & lectionem nos aliquando prætulimus (c), poſtea verò lectis iis, quæ de *Medan*, ſivè de nundinis ad Phialam diximus, ea lectio potior viſa eſt.

DALMATIA, pars veteris Illyrici, ſecundum Adriaticum, quam S. Titus prædicationibus obivit 2. *Timoth.* 4. 10.

DAMA, ſivè *Damula*, agreſte animal, capreoli magnitudine, & cornibus ad cervum accedens, humilioribus tamen, & latioribus. Citiſſimi eſſe curſus Proverbia 6. 5. & Iſaias 13. 14. innuunt. Hebræi appellant *tzeb*, & *tzebi*.

(Dama animal eſt ſylveſtre, mole corporis medium inter cervum & caprum, cornua ferens in anterius inclinata, ramis autem compreſſiſſimis & latiſſimis, non rotundis. Meticuloſum eſt ſi quod aliud, & inter pura habitum, cujus in cibum carnes permiſſæ. *Deut.* 12. 15. 22. *&* 14. 5. *&c.* Damæ nondum adultæ carnes delicatiſſimæ ſunt & ſucculentæ. De illa, veluti de animali grato aſpectui, & miti indole, ad curſum prompto, ſermo eſt Cant. 2. 9. Prov. 6. 5. & Iſaiæ 13. 14. Hebræum *Tzeb*, vel *Tzebi* uſurpatur indiſcriminatim vel de *Capreolo*, vel de *Dama*.)

DAMARIS, fœmina, quam S. Paulus, dum Athenis eſſet, ad fidem adduxit Act. 17. 34. Uxorem S. Dionyſio Areopagitæ plures attribuunt (d); apud quem dum Athenienſi Eccleſiæ præeſſet, vitam egiſſe creditur. Ejus feſtum die 4. Octobris apud Græcos colitur.

DAMASCUS, urbs Syriæ celeberrima, regni Damaſceni, ſivè Aram Damaſci, ſeù Syriæ Damaſci diù Metropolis. Hujus conditores ignorantur; quamquam ex veteribus aliqui (e) Damaſco cuidam decus illud attribuunt, cui in adminiſtratione Regni Abraham ſecundus ſucceſſerit. Illud conſtat Abrahami ætate eam urbem extitiſſe; quippè cui libertus eſſet domus præpoſitus, Damaſco oriundus *Gen.* 15. 2. Ipſe verò Abraham inſequutus dicitur Codorlahomor, fœderatoſque cum eo Reges Hobam uſque, urbem ad ſeptentrionem Damaſci (f). Ex eo tempore uſque ad Davidem de Damaſco altum eſt in Scriptura ſilentium. David verò Adad Regem Damaſci ſuppetias ferentem Adarezer Regi Sobæ prælio vicit, amborumque regionem ſibi ſubjecit (g). Hunc Adad omnium primum Regis nomen aſſumpſiſſe tradit Joſephus ex Nicolao Damaſceno, qui patriæ regionis hiſtoriam tempore Herodis Magni ſcribebat (h).

Sub finem Regni Salomonis (i) Razin filius Eliadæ, permittente Deo, Damaſci regnum, jugo Regum Juda excuſſo, reſtituit. Diù poſt Aſa Rex Juda Ben-adad filium Tabremonis Regem Damaſci in ditionem Baſæ Regis Iſrael immiſit (k) Exinde Reges Damaſci *Ben-adad* appellati leguntur. Ben-adad, filius hujus, de quo diximus, duobus & triginta Regibus ſecum in auxilium accitis Samariam obſedit 3. *Reg.* 20. 1.; coactuſque deinde incepto deſiſtere, altero anno novum exercitum comparavit (l), quo per Achabum diſſipato, omnes Iſraelis urbes, quas eripuerat, reddere coactus eſt. Verùm renuente Ben-adad Ramoth Galaad reſtituere, bellum inter Reges Iſraelis, & Damaſci innovatum eſt, quod neque obeunte Achabo, ac Joram ejus filio quievit. Plura in Iſraelitas ea occaſione Ben-adad & fecit, & molitus eſt, Samariæ præſertim obſidionem. Eliſæus tamen ſingula ejus conſilia Regi Joram prodens, fruſtrabat. Iratus proinde in Prophetam Ben-adad, miſſa militum manu, ipſum capere tentavit. Eliſæus venientes illos cæcitate percuſſit, omneſque imprudentes intrà Samariam adduxit 4. Reg. 6. 13. Tandem Ben-adad morbo laborans Damaſci, ad Eliſæum, qui illuc venerat, munera per Hazaelem miſit: Propheta verò Hazaeli regnum prædixit. Igitur Hazael ad Ben-adad regreſſus, illum ſuffocavit, & regnum invaſit 4. Reg. 8. 7. &c.

Novus Rex nihilo in Iſraelitas prædeceſſoribus ſuis æquior, bellum contrà illos proſequutus, eorum regionem vexavit. Neque in regnum Judæ mitior (m), copiis in illud inductis, nonniſi ingentibus pecuniis ex Rege Joas acceptis, à Provinciæ, ipſiuſque Jeruſalem direptione abſtinuit. Ben-adad filius Hazaelis eodem, quo pater, furore duos Reges afflixit 4. *Reg.* 13. 3. 22. 25. ſed tandem ter prælio victus à Joachaz Iſraelis

(a) Vide Palæſt. Relandi t. 1. c. 41. p. 265. (b) 4 Reg. 19. 27. & 23. 29. (c) in Commen. in Matt 15. 39.
(d) Chryſoſt. de Sacerd. l. 4. c. 7. Aſter. hom. 8. (e) Juſtin. l. 36.
(f) Gen. 15. 2. An. M. 2092. antè Chr. 1908. antè Ær. 1912. (g) 2. Reg. 8. 5. & 1. Par. 18. 4. &c.
(h) Ant. l. 7. c. 6. (i) 3. Reg. 11. 23. &c. Sub An. M. 3027. ante Chr. 973. antè Ær. 977.
(k) 3. Reg. 15. 18. An. M. 3064. antè Chr. 936. antè Ær. 940. (l) 3. Reg. 20. 23. 24.
(m) 4. Reg. 12. 17. &c.

lis Rege, omnes Iſraelitarum urbes à patre occupatas reſtituere coactus eſt.

Jeroboam II. Rex Iſrael in Syriam movens, Damaſcum & Emath maximas ejuſdem provinciæ urbes occupavit 4. *Reg.* 14. 25. ſed eo defuncto Syri everſam Monarchiam reſtituerunt. Raaſin Damaſci regno potitus, junctis viribus cum Phacee Iſraelitici Regni tyranno, ditionem Achaz regis Juda invaſit. Ille Teglatphalaſſar Aſſyriorum regem in Damaſcum concitavit; quare Aſſyriis in eam regionem ingreſſis, Damaſco expugnata, Rege occiſo, Syri illius regionis trans Euphratem captivi adducti (a) ſunt, ut Iſaias 7. 4. 8. & Amos 1. 5. 4. prædixerant.

Damaſcus iterum emerſit, iterumque ſubacta eſt primò, ut credimus, à Sennacherib, cùm expeditionem in Ezechiam ſuſcepiſſet, ut Iſaias 9. 11. innuit; deinde ab Holopherne, regnante Manaſſe in Juda (b). Ezechielis ætate florentiſſima urbs habebatur (c). Denuò à Nabuchodonoſor capta eſt, juxta Jeremiæ (d) minas, eodemque, quo cæteræ Syriæ urbes, fato. Quæ Zacharias 9. 1. vaticinatus eſt in illam mala, in expugnatione ejuſdem urbis per Duces Alexandri Magni contigiſſe opinor (e). Syriæ rebus turbatis, Jonathas Machabæus frater Simonis, imperium aliquod, ſed non diuturnum, in Damaſcenos obtinuiſſe videtur (f). Tandem Romanorum armis urbs illa ceſſit circa A. M. 3939. miſſis ad eam rem à Pompejo, Metello, & Lælio Ducibus, ipſo interim bello in Tigranem occupato (g). Scaurus poſt aliquod tempus eo venit, & poſt illum Pompejus, qui Hircanum, & Ariſtobulum coram ſe de Regno diſceptaotes ibidem audivit (h).

Romanorum in Damaſcenos imperium tandiu manſit, quouſque Arabes non ſucceſſerint; quos jam inde à tempore Obodæ patris Aretæ, de quo S. Paulus 2. *Cor.* 11. 32., ſub Auguſto Damaſci regnaſſe conſtat (i). Obodas tamen, aliique plures, Romanos ſupremos ejuſdem Provinciæ dominos agnoſcebant. Aretas, qui eam urbem per Præfectum regebat, quo tempore S. Paulus illuc divertit, à Romanis deſciſcens, bellum cum illis inivit; ejuſdemque belli tempore Judæi Damaſceni S. Paulo inſidias moliti ſunt (k). Hæc potiſſimum viſa ſunt, quæ de hiſtoria Damaſci in Dictionarium Biblicum referrentur.

Naaman Imperator exercitus Regis Syriæ, elephantiaſi, qua laborabat, medicinam quærens, in Palæſtinam ad Eliſæum venit; expoſitaque illi ſui adventus cauſa, Jordanis alveo ſepties ſe abluere juſſus eſt. Remedium morbo impar Naamano viſum eſt; ſecumque tacitus reputabat, omnibus Iſraelis fluminibus Damaſcenorum fluminum Abanæ, & Pharphar aquas & ſalubriores eſſe & præſtantiores. Porrò Abana aliquibus eſt Orontes, & Pharphar Chryſorroas, celeberrimi Syriæ amnes. Benjamin Tudelenſis aſſerit, Abanam, ſive Amanam Damaſcum, Pharphar verò ſubjectam regionem alluere. Amnis Damaſcum ſecans noſtris quidem temporibus *Tarſar*, *Tarſara*, *Farfaro*, *Ger*, aut *Pir*, juxta Itineraria appellatur (l). Apud Syros vetus nomen *Barrady* eidem amni ſervari aſſerit Maundrelus (m); vetus, inquam, nam apud Stephanum Geographum Baradinus appellatur. Ex Antilibano in paludes, quatuor vel quinque leucis ultra Damaſcum ad meridiem, devolvitur. Nominis Abanæ, & Pharphar nullum in ea regione veſtigium reperiſſe idem Maundrellus teſtatur.

Locus, in quo S. Paulus cœleſti voce proſtratus eſt, 500. paſſibus à Damaſco ad meridiem via publica oſtenditur; olim etiam excitato Templo, modò, eo funditus everſo, ſola rei geſtæ memoria religioſus. Domus S. Ananiæ, in qua S. Paulus fidei myſteriis imbutus, & baptiſmo initiatus eſt, adhuc extare creditur; ſed illam, quam prius Chriſtiani in Eccleſiam, Turcæ poſtea in Moſcheam transformarunt. Juxta eam urbem credunt aliqui Cain fraternam cædem perpetraſſe; quare ex ſanguine Abel nomen loco inditum *Damaſcum*; in Hebræo enim *Dam-ſak* eſt *ſaccus ſanguinis*. Nec ad fidem rei faciendam deeſt eò loci ſepulcrum 40. pedum longitudinis, quod Abelis eſſe dicunt; quis tamen his tutò adhæreat?

(Damaſcum appellant Arabes *Damaſchk*, vel *Demeſchk*, aut *Scham*, quo poſtremo nomine cenſetur univerſa Provincia Damaſco Metropoli parens (n). Vulgò tenent nomen inditum fuiſſe Urbi ex *Dameſchek* Eliezer famulo ſeu œconomo Abrahami; ejus autem conditorem illum eundem Patriarcham arbitrantur. Quidam tamen vetuſtiorem Abrahamo Urbem cenſent, conditam, & de ſuo nomine appellatam rati à *Demſchak* filio Chanaam filii Cham, nepotis ex filio Noemi.

Apud Geographum Perſam ager ſeu planities Damaſcena, quæ porrigitur inter Libanum, & Antilibanum, appellaturque ab Arabibus Ganthah, unus eſt è quatuor Paradiſis Orientis. Tres alii ſunt Oboſla in Chaldæa, ubi & ejuſdem nominis amnis, Scheb Baoram in Perſide, & Sogdiana, quam Orientales appellant Vallem Samarcand. Cenſent Adamum non longè à Damaſco formatum fuiſſe è rubro quodam ſabulo, quod hodie pariter loco non deeſt, aptiſſimumque arbitrantur ad formandam carnem. Non deſunt qui ibidem etiam collocent Paradiſum terreſtrem.

Urbs Damaſci, ſi Stephanum Geographum audias, nomen ſuum & originem refert à Damaſco filio Mercurii, & Alcimedis. In 1. Par. 18. 5. 6. *Damaſcus* exprimitur nomine *Darmaſch*. Sunt qui nomen Damaſch, vel *Damaſak* accerſunt ex Hebræo *Dam*, ſanguis, & *Sak*, juſtus, veluti inſinuaretur Urbem hanc infectam fuiſſe ſanguine Abelis. Metropolitana Sedes fuit olim Damaſcus ſub Antiocheno Patriarcha, ipſe tamen Patriarcha Græcus Antiochiæ ſedem hodie ſuam hic conſtituit. Inter magnificentiſſima Turcarum Templum Damaſcenum reputatur, feruntque conditum primum à Sabienſibus Diſcipulis S. Joannis Baptiſtæ, qui & ſuſpenſum è tholo caput S. hujus Præcurſoris, fidelium venerationi expoſuerint; ceſſit poſthæc Chriſtianis, quos è loco depulit Califa Valid filius *Abdalmelech*, qui plurium annorum è Syria obvenientes ſibi proventus ornandæ ſacræ ædi contulit. Teſtudo ibi magnificentiſſima ſpectatur, quam appellat teſtudinem Aliat; hujus veluti ſatellitio minores aliquæ acceſſerunt, quarum una appellatur teſtudo aſcenſus vel aſcenſionis Mahomett in Cœlum; tertia teſtudo reſurrectionis mortuorum; quarta Libræ, vel judicii poſtremi. Licèt autem vicibus agitata pluribus Urbs eſt tamen hodie inter Orientales magnificentia ac potentia nulli ſecunda.)

DAMIATA, urbs Ægypti. Vide *Peluſium*.

DAMMIM. V. *Dommim*, vel *Aphes-Dommim*.

I. DAMNA, urbs in montibus Juda *Joſue* 25. 49.

II. DAMNA, urbs Zabulon *Joſ.* 21. 35. quæ Levitica è familia Merari ceſſit.

III. DAMNA, urbs Juda. *Joſue* 15. 49. Ejus nominis altera occurrit urbs Levitica in Tribu Nephtali. *Joſue* 21. 35.

DAN, quintus filius Jacob, & primus Balæ ancillæ Rachelis. *Gen.* 30. 4. Rachel ſterilitatem ſuam ancillæ fœcunditate utcumque reparatura, illam pro ſe viro ſuo conjugem dedit; natumque ex eo matrimonio filium Rachel *Dan* appellavit, ſcil. *judicavit*, eo nomine innuens Deum ſuis tandem partibus faviſſe.

Dan filium unicum genuit *Huſim* (o), ex quo tamen florentiſſimum populum habuit; ſiquidem in egreſſu ex Ægypto Tribus Dan ex 72000. viris aptis ad arma, præter fœminas, & infantes (p), conſtabat. Jacob morti proximus benedictionem Dan his verbis pro-

(a) 4. Reg. 16. 9. (b) Judith. 2. 17. (c) Ezech. 27. 18.
(d) Jerem. 25. 9. 10. & 27. 8. & 49 23. 24. (e) Plut. in Alex. Q. Curt. l. 3.
(f) 1. Mach. 12. 32. (g) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 4. (h) Antiq. l. 14. c. 5. 6.
(i) Antiq. l. 16. c. 15. (k) An. Chr. 37. (l) Vide *Davity, Syrie*. (m) *Voyage d' Alep à Jeruſalem*.
(n) Biblioth. Orient. pag. 282. 772. &c. (o) Gen. 46. 23. (p) Num. 1. 38.

pronunciavit *Gen. 49. 16. 27. Dan judicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus in Iſrael* (ſcilicet non ſecus ac ex cæteris Tribubus, ex Dan Duces Iſraelis conſtituentur, quod in Samſone impletum eſt) *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrò:* quibus verbis virtus & verſutia Danitarum capiendis, decipiendiſque hoſtibus multò ſe potentioribus exprimitur. Alii dicta interpretantur de Antichriſto, quem credunt ex Dan oriturum; eamque opiniónem vulgò Patres, & Eccleſiaſtici Scriptores ſequuntur; addentes inſuper, id in cauſa fuiſſe, cur in Apocal. c. 7. inter cæteras Tribus Iſrael Danitica non recenſeretur. Verùm hæc licet plures SS. PP. habeant aſſertores, dubiam ſemper, nec niſi poſt exploratum rei eventum certam fidem obtinebunt.

Danitarum regio inter Judam ad orientem, & Philiſthæos ad occidentem ſita, ſolo erat pingui & fertili, ſed arctis adeò finibus, (utpote quæ portio eſſet regionis, quæ Judæ obtigerat) ut colonias in alienas regiones mittere cogerentur. Quare miſſis quinque ſelectiſſimis viris ad aptum locum explorandum (a), renunciatum ab illis eſt Lais urbem ad fontes Jordanis, civibus nullò periculi timore incautis, facilè opprimi potuiſſe. Illuc igitur Colonia deſtinata eſt, 600. viris aptis ad arma cum ſuis familiis conſtans. Qui in itinere juniorem quemdam Levitam in domo Michæ, Idoli cujuſdam myſtam, in monte Ephraim offendentes, ſecum ire coegerunt. Urbem vero Lais improvisò adorti, facilè occuparunt; cui deinde nomen *Dan* indiderunt; ſuperſtitioſumque cultum Idoli Michæ in eam invexerunt.

(Eldad Judæus hiſtoricus, quem alii componentes cum ſæculo nono floruiſſe cenſent A. 880. alii vero rejiciunt ad A. 1283. ſcribit; Judæos Daniticos arma in fratres ſuos ſub Jeroboamo inferre detrectantes, recepiſſe ſeſe in Æthiopiam, ubi fœdere conciliato cum incolis tributarios factos fuiſſe Regia Æthiopiæ. Illic averſo flumine Phiſon (Nilum ſcilicet) aſcendentes, occurrerunt in gentem quandam, atro colore ceu corvos, terram, gigantea ſtatura, humaniſque carnibus victitantem. In eas regiones Danitas ſecutæ ſunt Tribus Nephtali, Gad, & Aſer, tranſmiſſiſque amnibus Æthiopiæ, ibi ſedes conſtituerunt ſuas, paſtoritiam agentes, verſanteſque ſub tentoriis. Præerat omnibus ex poſteris Oliab Rex, & majoris momenti præcepta Legis ſanctè cuſtodiebat. Porrò Rex ille ad nutum habere ſub ſignis poterat 120000. equites, & pedites 100000. Quatuor illæ Tribus per quatuor anni tempora ſingulæ ſingulis rebus agendis occupabantur; per ſua ſingulæ trimeſtria bellum detinebant, referebantque ad Regem prædam, cujus erant curæ æquas portiones diſtribuere inter cæteras Tribus cuſtodiæ regionis invigilantes. Sed hujus tranſmigrationis omnia, cujus nulla è Sacra hiſtoria fides, errantis phantaſiæ ludibria merito cenſentur.)

DAN, urbs in finibus ſeptentrionalibus regionis Iſraeliticæ, & in Tribu Nephtali; quare in Scriptura deſignandis ditionis Iſraeliticæ extremitatibus, non raró hæc phraſis occurrit (a): *A Dan uſque Berſabee* Dan ad ſeptentrionem, Berſabee ad meridiem Judæam terminabant. Porro Dan ad radices Libani ſita erat, juxta rivum Dan, ſive Jordanem. Hinc nomen Jordanis aliqui ex Hebræo *Jor*, rivus, & *Dan*, urbe ad fontes ejuſdem amnis derivant; quod non ſine multis in contrarium argumentis ab illis aſſertum eſſe v. *Jordanis* oſtendemus. Quatuor milliaribus à Paneade diſtabat Tyrum verſus (c); ex qua duarum urbium propinquitate factum eſt, ut Dan cum Paneade plures confunderent (d). Jeroboam filius Nabath duos aureos vitulos alterum in Dan, alterum in Bethel conſecravit. 3. *Reg.* 12. 29.

I. DANIEL, Propheta Domini, e familia David, qui imbecillioris adhuc ætatis captivus Babylonem anno quarto (e) Joakim Regis Juda adductus eſt. Regis Nabuchodonoſor una cum tribus ſociis Anania, Azaria, & Miſaele, ſervitio in Regia deſtinatus eſt *Dan.* 1. 2. parique dignitati cura educati, omni Chaldaica literatura imbuti ſunt. Nec tamen unquam allatis ſibi è Regia menſa dapibus ſe inquinare deguſtando ſuſtinuerunt.

Prudentiæ ſuæ ſpecimen Daniel primò exhibuit cum accuſatam, damnatamque Suſannam nedum inſontem probavit, ſed etiam accuſatorum calumnias apertiſſimis argumentis detexit. (f). Aliquanto poſt Nabuchodonoſori ſimulachrum per quietem exhibitum eſt, diverſis metallorum generibus compoſitum (g), quod tandem divulſus e monte lapis disjecit. Somnii hujus narrationem, quod illi exciderat, ſimulque ſomnii interpretationem a Magis quæſivit. Quod cùm fruſtra a ſe requiri intellexiſſet, omnes morti adjudicavit. Daniel ejus rei certior factus Regem adivit, ſomnioque priùs enarrato, deindè interpretationem ſubjecit; quare totius Babyloniæ præfectus, & Magorum Princeps conſtitutus eſt.

Aliud deinde ſomnium Nabuchodonoſori per quietem viſum eſt, arboris nempè proceræ (h), cujus dejectæ atque conciſæ radices nihilo ſecius ſuperfuerant. Hanc viſionem Daniel de ipſo Rege explicavit, qui in bruti formam mox reducendus, & ex aula depellendus fuiſſet. Eventus oraculum probavit; Nabuchodonoſor enim ſubita phreneſi correptus, turbato mentis judicio in bovem transformatus ſibi eſſe videbatur. Poſt ſeptennium ab inſania revocatus, priſtino regno reſtitutus eſt.

Poſt aliquod temporis (i) Rex auream ſtatuam à ſe dedicatam, edito ſymphoniarum ſigno colendam ab omnibus præcepit. Tres Danielis ſocii (ipſe enim Daniel forte Babylone aberat) regiis juſſionibus parere recuſantes, in ſuccenſam fornacem juſſu Regis projecti ſunt. Sed illis inter flammas illæſis, Nabuchodonoſor ingens prodigium admiratus, Judæorum religionem Edicto commendavit. Nec diù poſt vita cedens, Regnum Evilmerodacho reliquit (k): eandem vero cum illo gratiam, quam cum patre, Daniel iniit.

Poſt illum Balthaſar ſucceſſit, eoque regnante, Danieli viſiones exhibitæ ſunt quatuor animalium e pelago emergentium (l), quatuor nempe Monarchiarum, Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum, ſeu potiùs Seleucidarum, & Lagidarum. Deinde imminens ab Antiocho Epiphane in Judæos perſequutio, ultio de illo à Deo expetenda, Machabæorum de eodem Rege victoriæ Prophetæ per viſum reſeratæ ſunt. Sequenti capite viſio arietis, & hirci cornibus ſeſe mutuo impetentium narratur. Porrò hircus arietem vicit; (Alexander ſcilicet Magnus Darium Condomanum, qui jugem a Cyro Regum Perſarum ſucceſſionem clauſit) hircus vero poſt victoriam potentiſſimus effectus eſt. Succreſcentia deinde in fronte hirci cornua Alexandri Succeſſores, ac potiſſimum Antiochum Epiphanem portendebant. Quæ omnia Angelus Gabriel Prophetæ explicavit.

Balthaſare eadem nocte ſublato, qua ſacra Templi Dei vaſa violaverat (m): Darius Medus, major illius avunculus rerum potitus eſt (n). Eo Rege totius Imperii Provinciæ centum & viginti Satrapis, ſingulæ ſingulis commiſſæ (p); Daniel omnibus prælatus eſt; cui etiam totius Regni adminiſtrationem Darius committere conſtituerat. Quæ res tantam Satraparum invidiam in Danielem concitavit, ut illius perdendi conſilio, à Rege edictum extorſerint, quo quicquam à quoquam peti, ne à Diis quidem, niſi tantùm à Rege interdiceretur. Regiis juſſionibus omnes paruerunt: ſolus Daniel, qui ſtatis horis in conclavi, vultu ad Jeruſalem verſo ter orare conſueverat, de priſtino more nihil remiſit. Statim igitur ad Regem delatus eſt, qui,

(a) Judic. 18. 1. &c. Joſue 19. 46. 47. (b) 1. Reg. 30. 20. & 2. Reg. 3. 10. & 17. 11. & 24. 2. & paſſim.
(c) Euſeb. in Dan., & Bethſamæ. (d) Hieron. in Ezech. 48. Philoſtor. hiſt. l. 7. c. 3. & alii. (e) A. M. 3398. ante Chr. 602. ante Ær. 606. (f) Dan. 13. Vide *Suſanna*. (g) Dan. 2. (h) Dan. 4. 1. &c. An. M. 3434. ante Chr. 566. ante Ær. 570. (i) Dan. 3. 1. &c. A. M. 3444. ante Chr. 556. ante Ær. 560. (k) A. M. 3444. (l) Dan. 7. (m) Dan. 5. 1. &c. A. M. 3445. ante Chr. 555. ante Ær. 559. (n) Dan. 5. A. M. 3448. ante Chr. 552. ante Ær. 556. (o) Dan. 6. 1. &c.

qui, invitus quidem, hominem ad leones damnavit; quod ſtatim executioni mandatum eſt. Sub auroram verò ſequentis diei Rex ad leonum caveam ſe contulit; nactuſque ex inſperato Danielem illæſum, illico extrahendum, & ejus loco invidos accuſatores cum tota familia trudendos præcepit.

Regnante Dario, Daniel lectis iis, quæ in libro Oraculorum Jeremiæ de 70. annis deſolationi Jeruſalem complendæ dicuntur, orationibus & jejuniis eorum explicationem à Deo urgebat. Oranti Angelus Gabriel adſtitit, atque majora quam quæ petierat, aperiens, mortis & ſacrificii Meſſiæ certum tempus edocuit; poſt evolutas nempe 77. hebdomadas annorum, ſingulis hebdomadis 7. annis aſſignatis, nempe poſt 490. annos.

Cyro jam inde à tribus annis in Perſide regnante, qui annus cum primo Darii Babylone concurrit, Angelus Gabriel Danielem allocutus dixit, ſibi negotium fuiſſe cum Principe Perſarum (a) (cum Cyro nempe) ac demum ope Michaelis prævaluiſſe. Deinde abſque verborum ambage hiſtoriam retexuit eorum, quæ poſt Cyrum in Perſide fuerant eventura (b); expeditionis, & victoriæ Alexandri Magni, everſionis Imperii Perſarum, atque erectionis Græcorum, bellorum inter Syriam, & Ægyptum, Antiochi Epiphanis perſequutionis in Sanctos, hujus excidii; triumphi denique, & felicitatis Sanctorum (c).

Dario in Imperio Perſarum, & Medorum Cyrus ſucceſſit (d); idemque ſemper Principis favor Danieli manſit. Hiſtoriæ Bel, & Draconis, quem Babylonii colebant, ad hujus Regis tempora referimus. Porro Bel ſimulachrum erat ex ære conflatum, eique duodecim ſimilæ artabæ, oves quadraginta, & ſex vini amphoræ ſingulis diebus apponebantur (e). Tantum ciborum apparatum non in uſum Numinis, uti Rex crediderat, ſed ſeptuaginta Sacerdotum illius, eorumque familiæ cedere conſueviſſe, Daniel certis indiciis Regi ſe oſtenſurum ſpopondit. Ambo igitur ſoli Templum ingreſſi Sacerdotibus egredi juſſis, Propheta cinere pavimentum obduxit, inſtructa prius conſuetis cibis menſa, deinde egreſſi januas Regio ſigillo obſignarunt.

Sacerdotes totius rei inſcii noctu per occultos quoſdam meatus una cùm ſuis familiis in Templum irrepentes, dapes appoſitas pro more abſumpſerunt. Mane alterius diei Rex una cum Daniele Templum ingreſſus, vacuas intuitus menſas, in Beli laudes ſubito effuſus eſt. Mox verò impreſſis in pulvere veſtigiis virorum, fœminarum, & infantum, indice Daniele, animadverſis, Sacerdotum fraudem deprehendit. Juſſi proinde omnes cum familiis ſuis comprehendi, cæcos meatus, unde in Templum aditus ad ſubripiendos cibos patebat, indicarunt. Hinc Regis præcepto & illi neci traditi ſunt, & Idolum cum Templo Danieli, quod everteret, permiſſum.

Draco præterea ingens & admirationem, & cultum ab incolis ejuſdem urbis tunc temporis exigebat (f). Rex Danieli imperavit, ut coram eo, qui ſine controverſia Deus eſſet, proſterneretur. Daniel neque colere ſe niſi Deum ſuum, neque Deum eſſe, reſpondit, illum; cui, ſi Rex permitteret, necem ipſe ſine gladio & fuſte potuiſſet inferre. Annuente Rege, Daniel ex pice, adipe, & pilis in unam maſſam decoctione coactis, offam confecit, qua in os draconis immiſſa, bellua diſrupta eſt. Ea res animos Babyloniorum in Prophetam concitavit; quare Regem adeuntes, ut virum ſibi ad necem permitteret, inſtabant. Rex invitus tradidit; ſtatimque in fovea leonum incluſus, ſex diebus cum belluis verſatus eſt.

Accidit interea, ut Abacuc Propheta prandium meſſoribus in Judæa paraſſet, cui Angelus Domini per viſum occurrens, juſſit cibos Babylonem ad Danielem in fovea Leonum degentem deferre. Excuſantem ſe Abacuc, quòd nec Babylone unquam fuiſſet, nec de fovea Leonum quicquam noſſet, Angelus crinibus abreptum, atque in aera levatum, Babylonem ad Danielem tranſtulit; appoſitiſque Prophetæ cibis, in Judæam illicò reſtitutus eſt.

Septima die Rex ad foveam venit, juſta Danieli lachrymis perſoluturus: quem in medio ſeptem leonum vivum incolumemque deprehendens, magnum eſſe Danielis Deum continuò exclamavit. Inde Prophetam educi, ejuſque loco invidos illius accuſatores projici juſſit; quos Leones aſſueti ſingulis diebus duorum hominum, totidemque ovium carnibus paſci, actutum devorarunt. Hæc Scriptura de Daniele. Duos aliqui ejuſdem nominis viros autumarunt; alterum è familia David, & Prophetam; alterum è Tribu Levi, & ex genere Ithamaris, cui & liberationem Suſannæ, & oppreſſionem draconis, atque everſionem Templi Beli attribuunt. Verùm hujus diſtinctionis ſolidiores rationes deſiderantur.

Porrò Danielis adhuc ſuperſtitis nomen adeò celebre fuit, ut illud Ezechielis 28. 3. de Rege Tyri per ironiam dictum proverbii loco obtineret: *Ecce ſapientior es tu Daniele*. Unde etiam illud Dei ad eundem Prophetam 14. 10. 20. *Et ſi fuerint tres viri iſti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job; ipſi juſtitia ſua liberabunt animas ſuas*. Joſephus *Antiq. l.* 10. *c.* 15. virum fuiſſe perhibet à Deo inſignibus beneficiis donatum, atque ad dignitatem ſublimium Prophetarum elevatum. Addit inſuper in pretio illum fuiſſe ſummis Principibus, populiſque gratiſſimum, dum viveret; poſt obitum verò immortalem ſui nominis memoriam reliquiſſe. Judæorum nonnulli (g) è Prophetarum albo expungere illum tentarunt; cujus in virum ſanctum odii cauſa fuit apertum de Jeſu Chriſto teſtimonium, cujus adventus certum tempus definivit.

Diem inter Chaldæos clauſiſſe creditur; ne etenim facta à Cyro Judæis facultate regreſſus in patriam uteretur, fecerunt ſumma Imperii munia ejus fidei, ac induſtriæ commiſſa. Babylone obiiſſe ſcribit S. Epiphanius, cui Scriptorum plerique aſſentiuntur; alii Suſis malunt, ubi plures vitæ annos egit, plureſque viſiones obtinuit. Suſis quidem, quæ modo *Cuzeſtan* appellantur, ejus ſepulchrum adhuc extare teſtatur Benjamin Tudelenſis. Turris quædam eximii operis Ecbatanis, Metropoli Mediæ, Joſephi ætate viſebatur, ejuſdem Danielis opus credita (h), in qua Regum Perſarum, & Medorum cadavera condebantur, ejuſdemque cuſtodiæ Sacerdos ex genere Judæorum deputabatur.

Scripta Danielis alia quidem ſummo omnium ſæculorum aſſenſu inter Canonica relata ſunt; de aliis verò diù diſceptatum eſt. Quidquid Hebraicè, & Chaldaicè ex illis ſcriptum occurrit (extant enim plura Chaldaico ſermone) ſine controverſia à Judæis, & Chriſtianis admittitur. Quæ autem Græco tantùm eloquio ſcripta ſuperſunt, ea primò poſt Tridentinum Canonicam authoritatem, ratam, abſolutamque obtinuere. S. Hieronymi ætate (i) Judæi de Suſannæ hiſtoria inter ſe diſſidebant; alii enim totam rejiciebant; alii viciſſim totam probabant; alii tandem partim apocrypham, partim verò legitimam eſſe contendebant. Joſephus hiſtoriam Suſannæ, Beli, & Draconis omittit. Joſephus Ben-Gorion, genere & ſermone Judæus, hiſtorias Beli, & Draconis deſcribit; Suſannæ verò reticet. Cætera ad eam controverſiam ſpectantia ex Præfatione noſtra in Danielem reperienda ſunt.

Duodecim priora hujus libri capita partim Hebræo, partim Chaldæo ſermone, duo verò poſtrema Græcè exarata ſunt. In rebus geſtis narrandis Hebraicum eloquium adhibetur; colloquia cum Magis, Rege Nabuchodonoſore, Balthaſare, & Dario Medo (k), quemadmodum Chaldaicè habita, ita & Chaldaicè ſcriptis redacta ſunt: qua etiam ratione edictum à Nabuchodonoſore latum, poſt explicatum à Daniele aureæ ſtatuæ ſomnium nonniſi Chaldaicè exaratum eſt (l). Ea nempè erat Scriptoris ingenuitas, & fides,

ut

(a) Dan. 10. A. M. 3448. ante Chr. 552. ante Ær. 556. (b) Dan. 11. (c) Dan 12. (d) A. M. 3456. ante Chr. 544. ante Ær. 548. (e) Dan. 14. (f) Dan. 14. 22. &c. A. M. 3457. ante Chr. 543. ante Ær. 547.

(g) Vide apud Hier. Præf. in Dan. Theodoret. Præf. in Comment. Dan. (h) Antiq. l. 10. c. ult.

(i) Hier. Præf. in Dan. & in Dan. 13. (k) Dan. 2. 4. &c. 3. & 5. & 8. (l) Dan. 3. 98. 99. 100. & 4. 1. &c.

nt hiſtoriæ veritatem ne ipſo quidem ſermone immutato violare pateretur. Tertium libri caput à verſ. 24. uſque ad 90. Græcè tantùm, ut & duo poſtrema totius operis capita extant. An unquam Hebraicè ſcripta fuerint, diſſident Critici. Verſio Græca totius Libri, Theodotionis eſt (a); ea enim, quam Septuaginta adornarunt, jamdiu interciderat.

Porphyrius (b) hunc librum à Daniele abjudicavit, ſcriptumque aſſerit ab Impoſtore in Judæa, Antiochi Epiphanis ætate; qui hiſtoriam ſuorum temporum ementito ſtylo & phraſi Prophetica deſcribens, auram ſibi aucupari tentarit. Cujus etiam nomina ſibi faciendi gratia plura poſt ſua tempora implenda, ſed fortuito eventu, prædixerit. Hunc celeberrimum noſtræ Religionis hoſtem teſelit hujus libri ſtylus, qui obvius adeò eſt, & apertus, ut non oracula fundere, ſed hiſtoriam narrare videatur. Cæterum Danielem diù ante Epiphanem Babylone vixiſſe, atque opus ejus nomine inſcriptum concinnaſſe, nemo ſapiens negabit. (c)

Danielis Chronologiam ita digerimus. Ductus eſt Babylonem annos natus fortaſſe 12. A. M. 3398. Hiſtoria Suſannæ an. 3401. Somnium ſtatuæ 3402. Alterum ſomnium arboris 3434. Phreneſis Nabuchodonoſoris 3435. An. 3443. Imperio reſtituitur Nabuchodonoſor: quo eodem anno ſtatua aurea ab eodem erecta eſt. Viſio quatuor animalium ſub exordium Regni Balthaſaris ann. 3446. Altera viſio arietis & hirci 3448. Initio Darii Medi 3449. viſiones capitum 9. & 10. & 11. & 12. Ad Regnum Cyri verò an. 3468. hiſtoriæ Beli, & Draconis ſpectant. Tempus mortis hujus Prophetæ ignoratur.

{ Iniquo in Danielem animo ſunt Rabbini, facilè quod nimis aperto vaticinio Meſſiæ privilegia adſtruat Jeſu Chriſto, & apertè nimis aſſeveret deſideratum cunctis gentibus in limine adeſſe. Contendunt à Prophetarum albo virum expungi duplici potiſſimùm ratione (d) 1. Quòd extra terram ſanctam egerit, extra quam vaticinandi ſpiritus non reſidet. 2. In Aula Magni Principis vitam traduxit inter dignitates & delicias, contrario planè vivendi genere à cæteris Prophetis. Eviratus à nonnullis creditur, ex illo Iſaiæ ad Ezechiam 4. Reg. 20. 18. *De filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt Eunuchi in Palatio Regis Babyloniæ*. Lex autem excludit ab Eccleſia vel à cœtibus religioſis Eunuchorum genus omne: *Non intrabit Eunuchus Eccleſiam Domini*. *Deut.* 23. 1.

Poſtremam hanc calumniam amovent quidem à Viro ſancto cum Abenezra Rabbinorum plerique; ſed quæ opponunt cætera ſubſiſtunt; ſatiſque habent plures, ſi ejus ſcripta redigant in ordinem Hagiographorum, quorum ſecundaria eſt à Scripturis Canonicis authoritas. Maligna etiam inſinuatione aſſeverant (e), quo tempore tres ſocii juvenes Sidrach, Miſach, & Abdenago impia mandanti regi Babyloniæ reſiſtebant (f); cujus rei meritò in ardentem fornacem conjecti ſunt, abluiſſe Danielem, quippe qui ſeceſſerat in Ægyptum: ecujus rei gratia? Ut ſcilicet, inquiunt, quæreret porcos, quos clam & callidè ex ea regione ſubducebat. Sed merito viri ſummi debitas laudes non invidit Joſephus Antiq. l. 10. c. 12. & inter viros eximios ætatis ſuæ recenſet, laudatque Ezechiel 14. 14. & 28. 3. ac tandem Jeſus Chriſtus Matthæi 24. 15. verum & genuinum Prophetam non ambiguo teſtimonio aſſeverat.

Autumarunt nonnulli rediiſſe Danielem in Judæam unà cum Eſdra; docentque Orientales (g) copiam redeundi viro factam fuiſſe à Bahamam filio Aſfeodiæ Regis Perſidis; poſt hæc autem remeaſſe in Perſidem, & diem clauſiſſe Suſis. Danieli authori tribuit Joſephus (h) in urbe Ecbatana molem quamdam inſignem arci perſimilem, ſua adhuc ætate perſeverantem, & tanto conſtructam artificio, ut omniſi paucis ab hinc annis condita videretur, adeo novi operis nitorem omnem conſervabat. Sepulcra ſua ibi conſtituerunt Reges Perſidis, & obſequium conditoria ea adhuc ætate viri Judæi cuſtodiæ aſſignabatur.

Malunt alii perſeveraſſe illum conſtanter Babylone, vel Suſis; nec unquam remeaſſe in Judæam, ne in Patriam rediret prohibitus qua decrepita jam ætate, qua muneribus, quibus fungebatur, qua indigentiis fratrum, quibus viro ſummo erat ſerviendum. Nec rari ſane Judæi è ſe ſua cenſuerunt non deſerere Chaldæam, ubi Sedem conſtituerant ſuam; vitamque agebant ab omni moleſtia quietam, ut incerta ſibi procurarent in regione ferme deſolata.

Geomantiam, *Raml* (i) appellant, ejuſdem eſſe inventum tenent ex Orientalibus nonnulli; ſed alii vindicant Edri, idest Enoch Patriarchæ. Eſt autem Geomantia ſcientia in eo potiſſimum verſans, ut ſuper certa pugillaria, *Raml* appellant, deſcribant puncta ſane multa, quæ ita diſpoſita certo numero in lineas plures inæquales ſat commode etiam deſcribi poterant calamo ſuper cartam; qui vero ope eorumdem punctorum occulta divinare vellet, appellabatur *Rammal*.

Danieli etiam Authori inſcribunt volumen, cui titulus: *Principium explicationis ſomniorum*; eſt etiam in Bibliotheca Regia Liber alius, num. 410. præſcriptus: *Odmath-al-mantoul an Danial al Nabi*; complectitur autem vaticinia ex traditione à Propheta Daniele recepta. Opus eſt inter fabuloſa fabuloſiſſimum, quod ſuper certum genuinorum oraculorum Danielis fundamentum ſubſtruxerunt Mahometani. Tenent iſti inſuper, Prophetam hunc de ſingularitate Dei fidem per univerſam late Chaldæam propagaſſe, quam & perſuaſerit Regibus Perſarum Lohoraſbe, & Cyro, quem poſtremum Regem Danielem præfeciſſe univerſæ Syriæ, ac poſſidendam conceſſiſſe Urbem Damaſci.)

II. DANIEL, filius David, & Abigail 1. *Par.* 3. 1.

III. DANIEL, ex familia Ithamaris è Babylonica captivitate redux 1. *Eſdr.* 8. 2.

DAPHCA, nona ſive decima caſtrametatio Iſraelitarum in deſerto; è Sin moventes venerunt in Daphca; inde Alus. *Num.* 33. 12.

DAPHNE. Fontis Daphnes (k), cujus aquis Jordanis augetur, meminit Joſephus. Locus *Num.* 34. 11. ubi S. Hieronymus, & Chaldæus legunt, *fontem Daphnim*, in Hebræo ſolummodo habet *fontem*: *De villa Enan uſque Sephama, & de Sephama deſcendent termini in Reblatha contra fontem Daphnim* (in Hebræo: *contra fontem*.)

Porrò S. Hieronymus, & Chaldæi Interpretes fontem Daphnes juxta Antiochiam innuiſſe non inveroſimiliter videntur; quamquam etiam de fonte Daphnes apud lacum Semechon, de quo Joſephus, non incongrue intelligi potuerant, niſi Textus Joſephi mendoſus appareret: *Lacus Semechon*, ait, 30. *latus*, & 60. *ſtadiis longus; paludeſque ſuas ad Daphnem uſque tendens. Quæ regio cum alias ſit delitioſa, præcipuè tamen fontes habet, qui minorem Jordanem alentes, ſub aurei bovis Templo in majorem adducunt*. Vitulus autem aureus in Dan colebatur; quare pro *regione Daphnes*, legendum videtur *regionem Dan*.

DAPHNE, lucus, ſive ſuburbium Antiochiæ Metropolis Syriæ, quadraginta tamen ſtadiis circiter, ſcilicet leuca cum dimidia, ab urbe diſſitum. Rivulorum fontiumque amœnitate, ſylvis, Templo, ſacri aſyli religione celebri, locus erat inſignis. Onias III. inſidias Menelai tyranni metuens, illuc ad aſylum confugerat: ſed fraudibus Andronici, pro Antiocho Epiphane tunc temporis abſente Antiochiæ adminiſtratoris, à Menelao corrupti, ex arce ſubductus, trucidatus eſt. (l)

(a) Vide Hier. Præf. in Dan. (b) Apud. Hier. loc. cit. (c) Vide Præf. Hier. & noſtram in Daniel.
(d) Hieron. Præfat. in Dan. Maimon. More-Nebochim part. 2. cap. 45. Vide Grot. Præfat. in Iſaiam.
(e) Gemar. Cod. Sanhedr. Coch. (f) Dan. 3. (g) Biblioth. Orient. p. 283.
(h) Antiq. l. 10. c. 12. legit ipſe Ecbatanam; verùm S. Hieronymus legit Suſas. (i) Biblioth. p. 709. Raml, & 283. Daniel.
(k) Joſ. de Bel. l. 4. c. 1. (l) 2. Mach. 4. 33. A. M. 3834. ante Chr. 166. ante Ær. 170.

(Sozomenus, Theodoretus, S. Chryſoſtomus conveniunt, Oraculum Daphniticum ſiluiſſe ſub Juliano; adduntque Gallum fratrem ipſius, Chriſtianam religionem profitentem, conſilio expiandi locum à veteri ſuperſtitione, Antiochia Daphnem transferenda curaſſe lipſana S. Babylæ ejuſdem Urbis Epiſcopi, qui ante centum annos ſub Decio martyrium conſummaverat. In conſpectu ſacrarum reliquiarum, quemadmodum ipſe ſibi Princeps ſpoponderat, Dæmonem ita obmutuiſſe ferunt, ut nullo deinceps oraculo falleret, ſeu reſponderet conſulentibus. Verùm Julianus parans expeditionem in Perſas, contuliſſe aliquanto ante illam ſuſceptam ad Oraculum de ejus eventu interrogandum; litatis igitur plurimis victimis Numini, victum tandem illud reſpondit, ſe, præſente ac prohibente Babyla, nullum dare poſſe reſponſum. Furens Imperator aliò aſportari S. Epiſcopi oſſa Chriſtianis imperavit. Quibus executioni mandatis, ſtatim eadem nocte irruens fulmen Templum Apollinis in cinerem favillaſque redegit, Aram & Simulacrum Numinis, totumque fermè ædificium ſubvertit. Tandem cura Zenonis Imperatoris excitatum eſt Daphnis Templum S. Michaeli, & S. Euphemiæ ſacrum.)

DARA, filius Zare è Tribu Juda. 1. *Par.* 2. 6.

DARABITTA, vicus in Campo Magno. Vid. *Dabaritta.*

DARCON, ex Judæis è captivitate Babylonica regreſſis 2. *Eſd.* 7. 58.

DARCMONIM, vox in Hebræo primi Eſdræ 2. 69. ſecundi 7. 70 71. 72. occurrens, quam reddunt *drachmas*, cujus generis nummi apud Græcos, ſolidis octo, & denario reſpondent. S. Hieronymus in 1. *Eſdra* 2. 69. vertit, *ſolidos aureos*; & Septuaginta, *minas aureas*. In ſecundo verò Eſdræ S. Hieronymus jugiter habet, *drachmas*, & Septuaginta, *nummos aureos*. Probatur nobis ſententia Cl. Le Pelletier Rothomagenſis, qui *dracmonim* confundendum cenſet cum *adarcmonim*, nummi genere 1. *Par.* 29. 7. & 1. *Eſd.* 8. 27. utramque autem vocem intelligendam *de daricis*, nummis ex ſolido auro, à Dario Hyſtaſpis Perſarum Rege (a), ſive ab alio Dario (b) cuſis: ab alio, inquam, Dario; ſiquidem Hyſtaſpis filius diu poſt Eſdram vixit; quamquam fieri potuerat, ut Darici, rudes ante Darium Hyſtaſpia nummi, ab illo primò ſignarentur.

Nummum hunc Le Pelletier libris undecim, totidemque ſolidis, ac denariis novem, & quadranti æquat, quanti ſcilicet hemiſiclus Hebraicus ab illo æſtimatur. Gronovius de pecun. Vet. l. 1. c. 3. pretium minuens, ad viginti drachmas argenti, ſive ad novem libras, ſolidum, & denarios octo, daricos reducit; hinc 1000. darcmonim 10090. libris noſtratibus reſpondent, & 20000. darici 201080. libras referunt.

(DARE. Verbum iſtud uſurpatur non raro pro imponere, conſtituere, donare, conſentire, permittere, reddere, concedere. *Dediſtis nos tamquam oves eſcarum;* *Pſal.* 43. 12. ideſt permiſiſti nos tanquam oves lanienæ. *Inimicos meos dediſti mihi dorſum. Pſ.* 17. 41. permiſiſti nos manibus adverſariorum. *Dediſti* (inſinuaſti) *lætitiam in corde meo. Pſ.* 4. 7. *Non dabis* (non permittes) *Sanctum tuum videre corruptionem. Dabis eum* (Servum tuum comparabis) *in benedictionibus dulcedinis. Pſ.* 20 7. *Da illis* (redde) *ſecundum opera eorum. Pſ.* 27. 4. *Oblivioni datus ſum. Pſ.* 30. 13. *Opprobrium inſipienti dediſti me*, expoluiſti. *Pſ.* 38. 9. Pſal. 45. 7. *Dedit vocem ſuam*, ideſt tonitru ſuo reboavit in auribus.

Pſal. 77. 46. *Dedit* (permiſit urendos) *ærugini fructus eorum.* Pſal. 80. 3. *Date tympanum*, ideſt inſonate. Pſ. 105. 46. *Dedit* (fecit ut haberet) *eos in miſericordiam.* Pſ. 102. 3. *Non det* (non permittet commoveri) *in commotionem pedem tuum. Cor ſuum dabit*, ideſt totum ſe tradet. Iſai. 41. 19. *Dabo* (redigam) *in ſolitudinem cedrum.* Iſai. 3. 4. *Dabo* (conſtituam) *pueros Principes eorum.* Idem 49. 8. *Dedi te in fœdus populi*, conſtitui, ut fœdus me inter & populum ſancires Iſai. 62. 17. *Ne detis ſilentium ei*, ne laudibus ejus celebrandis ceſſetis. Jerem. 31. 33. *Dabo* (inſcribam) *legem meam in viſceribus eorum.*

DARICI. Vide *Darcmonim.* Daricus nomen eſt acceptum è *Dario Medo* (c), alio nomine Cyaxare avunculo Cyri, quem Cyrus ipſe præfecit Babyloniæ, cæteræque regioni, quam ſibi, pulſis Chaldæis, vindicaverat; cùm interim Cyrum ipſum detineret expeditio in Ægyptum, Syriam, ac circumjacentes regiones. Nactus Darius hic Babylone ditiſſimos planè theſauros à Regibus Chaldæorum congeſtos, cudi præcepit aureas monetas ex auro puro, nulla fermè alieni metalli admixtione viciato, quas proinde monetas puritate, & ſinceritate ſua plurium ſæculorum tractu Orientales maximè præ omnibus æſtimarunt; probatiſſimas etiam habuerunt Græci, apud quos vulgatæ ſunt. Juxta D. Bernardum Anglum, qui de ponderibus & menſuris Antiquorum ſcripto libro diſſeruit, ad pag. 171. Daricus duorum granorum pondere ſuperabat guinæam. Succeſſu temporis aliæ ejuſdem ponderis & valoris monetæ excuſæ, nec deerant pariter hemidarici pondere & valore dimidio inferiores Daricis.)

I. DARIUS, Hujus nominis non unus Princeps in Hiſtoria occurrit: nos eos tantùm afferemus, quorum Scriptura meminit. *Darius Medus*, de quo in Daniele (d), patrem habuit Aſtyagem Regem Medorum, & ſororem Mandanem matrem Cyri, & Amyit matris Evilmerodachi, & aviæ Balthaſaris; quare Darius ad Evilmerodachum, & Cyrum avunculi jure pertinebat. In Textu Hebræo ut plurimum *Dariaveſch*, ſive *Darius* appellatur: apud Septuginta Dan. 6. 1. *Artaxerſes*: in Græco Dan. 13. 65. *Aſtyages*, in Xenophonte *Cyaxares.* Poſt Balthaſarem abnepotem ſuum, ſuæque ſororis nepotem Babyloniæ regnum obtinuit (e). An verò jure belli Regno potitus ſit, Daniel quidem ſilet, ſed Iſaias (f), & Jeremias (g) bellum interceſſiſſe ſatis indicant, ſive illud inter Darium & Babylonios, ſive inter Cyrum, eoſdemque Babylonios commiſſum ſit.

Rerum igitur potitus Darius, centum & viginti Satrapas Provinciarum Regni adminiſtratores conſtituit Dan. 6. 1. quibus omnibus tres viros, inter quos Danielem, præfecit. Collata Danieli dignitas, cui Rex alteram addere, adminiſtrationis nempe in Regnum univerſum, cogitabat, invidiam cæterorum in Danielem creavit. Inſtigantibus proindè Satrapis publico Edicto ſancitum eſt, ne quiſquam petere aliquid ſivè ab hominibus, ſive à Diis, excepto Rege, auderet. Neque initum illud perdendi Danielis conſilium viros invidos fefellit: ſiquidem Danielem conſuetas per diem preces ter nihilominus Domino offerentem deprehendentes ad Regem detulerunt; eique neceſſitatem exaggerantes legibus conſenſu magnatum latis obſequendi, Danielis ad leones damnandi inſtigatores atque authores fuerunt. Conjecto in foveam leonum Daniele, Rex mane ſequentis diei ad locum venit; nactuſque præter ſpem vivum illum & incolumem, illicò educi juſſit, ipſiuſque accuſatores cum tota familia eodem ſupplicio damnavit (h).

Dario regnante viſio 72. hebdomadarum, quibus certum futuræ mortis Chriſti tempus deſignabatur; item perſecutionis Judæis ab Antiocho Epiphane inferendæ, Danieli objecta eſt (i). Dario Medo Babylone obeunti Cyrus ſucceſſit (k), in quo Perſarum, Medorum, & Chaldæorum Imperia coaluerunt. (Vide *Ciaxares* 11.)

II. DARIUS, *filius Hyſtaſpis*, ex ſeptem conjuratis unus, qui *Smerdim*, & Magos Regni Perſidis tyrannos ſubſtulere. Poſt eam cædem conjurati de Rege conſtituendo agentes, decrevere, eum, cujus equus exorientem Solem primus hinnitu ſalutaſſet, Regem futurum. Re audita, cuſtos equorum Darii veſpere præcedentis diei equum una cum fæmella ad ſtatum locum adduxit. Exorta dein luce focii illicò adfuerunt; Darius ad Solis exortum ſupervenit, ſtatimque ipſius equus, præterita voluptate titillante, hinnitum edidit. Quo audito, actutum cæteri ex equis deſilientes, Darium in Regem ſalutarunt (l). Regno igitur potitus Darius, Athoſſam Cyri filiam, olim *Cambyſis* fratris ſui deinde falſi *Smerdis* uxorem, duxit, ex qua filios habuit quatuor, *Herod. l.* 3. *c.* 7. illamque diu negotiorum regni & parti-

(a) Herod. l. 4. c. 100. (b) Scholiaſt. in Ariſt. Eccleſiaſt. v. 598. (c) Vide Suid. Daricos, Harpocration. Scholiaſt. Ariſtoph. ad Eccleſ. (d) Dan. 5. 31. & 9. 1. & 11. 1. &c. (e) Dan. 6. 31. A. M. 3442. ante Chr. 558. ante Ær. 562.
(f) Iſa. 13. & 14. & 46. & 47. (g) Jerem. 50. & 51. (h) A. M. 3450. ante Chr. 550. ante Ær. 554. (i) à c. 9. uſque ad 12.
(k) A. M. 3456. ante Chr. 544. ante Ær. 548. (l) Juſt. l. 3. Herod. l. 3. A. M. 3483. ante Chr. 517. ante Ær. 561.

Digitized by Google

participem habuit & adjutricem. Hoc indicio ſatis colligimus hanc aliam fuiſſe à Vaſthi, quæ à Rege adhuc acerbo conjugio repudiata videtur. Aliam duxit uxorem cæterarum jucundiſſimam, & præ cæteris cariſſimam *Artiſtonem* nomine, *Herod. l. 7. c. 69.* cui etiam auream ſtatuam ductilem dedicavit. His indiciis in ea fœmina Eſther agnoſcere nobis videmur. Præter duas haſce, plures etiam alias uxores pro more Regum Orientalium duxit; ac omnium primam filiam Gobriæ. *Parmim* etiam filiam Smerdis filii Cyri, *Herod. l. 7. c.* 88. *Phralagunem* filiam unicam Atarnis fratris Darii *ibid. c.* 224. *Phadimam* filiam Othanis *ibid.* 2. 68. uxores habuit; ex quibus fortaſſe una à Principe repudiata, quam Vaſthim Scriptura nominat. Hujus repudii narrationem ex articulis *Eſther*, & *Aſſueri* repetas. Vaſthim repudiatam credimus an. M. 3487. & Darii quarto; at Eſther (a) electionem ad ſequentem referimus.

Anno ſecundo Darii intermiſſam ſub Cyro Templi ædificationem, urgentibus Aggæo, & Zacharia, Judæi reſumpſerunt. Piis conatibus favit Darius, adverſariis Hebræorum nequicquam in contrarium molientibus 1. *Eſd. 6. 12... 14.* Amanum filium Amathi poſtulantem, ut Judæorum in Perſide morantium cædes ſibi permitteretur, Rex illius fraude intellecta, eidem cruci ſuſpendi voluit, quam Mardochæo vir iniquus paraverat, Judæis verò hoſtium ſuorum necem ſuo Edicto conceſſit an. M. 3496. Obiit Darius 36. Regni anno (b) Vide *Aſſuerus*.

(Darius filius Hyſtaſpis, viginti menſium obſidione oppugnatam, redegit tandem in poteſtatem Babylonem. Urbs illa, olim Metropolitica ſuper univerſum Orientem dignitate ſuperbiens, gentibus quà latè patet orbis univerſis jura dare aſſueta ſub Nabuchodonoſore, ejus filiis, & nepotibus, ægerrime quidem paſſa eſt deturbari ſe ab illo gloriæ culmine in ſecundarium minorum Urbium ordinem, expoliari inſignibus prærogativis, atque ſuperiores ſibi agnoſcere Suſas, quò Reges Perſidis Imperii ſui ſedem tranſtulerunt. Excutere igitur ingratum jugum ſtatuens, defectionem in Perſas meditata eſt (c). Nacta igitur ſat commodam occaſionem ex agitantibus Perſidem turbis primùm in obitu Cambyſis, iterumque in cæde Magorum, cœpit clam belli adjumenta omnia procurare, ac comparare, ut diuturnam obſidionem ſuſtineret; omnibus quadriennium impenſum eſt; & cùm præſto ſibi eſſe omnia ad bellum in plures annos cives reputarent, in apertam defectionem prorumpentes, parere Dario filio Hyſtaſpis recuſarunt.

Promptè accurrit Darius Imperii ſui vires omnes, redigendis in fidem Babyloniis, conferens. Collatis ſignis in aperto agro cùm ſtrenuo illo Imperatore, decertare è re ſua non cenſuerunt Babylonii. Continuerunt ſe proinde intra mœnia, quorum proceritate & craſſitudine ab inſultibus omnibus hoſtium tutum erat illis perfugium; & cùm nihil ſibi timendum ſupereſset niſi famem, conſilium cœperunt, quotquot unquam audita ſint, maximè barbarum, exterminandi ſcilicet quicunque ad defenſionem eſsent inutiles, fœminas, pueros. Quare collectam imbellem hanc turbam ſimul omnem jugularunt, inter uxores ſuas excipientes ſinguli quàm maximè amabant, & unam ſingularem famulam domeſticis rebus curandis. Ita ſua fides vaticinio Iſaiæ 47. 7. 8. 9. *Dixiſti* (Babylon): *In ſempiternum ero domina, non poſuiſti hæc ſuper cor tuum, nec recordata es noviſſimi tui. Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego ſum, & non eſt præter me ampliùs: Non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem. Venient tibi duo hæc ſubito in una die, ſterilitas, & viduitas.* Porrò hæc duo mala excidio uxorum & filiorum unà eademque die toleraſse Babylonem quis non intelligat?

Vulgò creditum, nec ſine veri ſpecie, Judæos Babylone commorantes ex Urbe pulſos fuiſſe à civibus, quippe qui nimis partibus Darii, res ejus gentis maximè promoventis, ſtuderent; vel ſaltem illi cùm in defectionem vergere omnia intelligerent, ultrò ſibi exilium indixerunt. Monuerant illos etiam atque etiam Prophetæ, ut è medio Urbis iniquæ ſeſe proriperent. Iſaias 48. 20. *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis, in voce exultationis annunciate; dicite: Redemit Dominus ſervum ſuum Jacob.* Jerem. 50. 8. *Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini. Quoniam ecce ego ſuſcito & adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra Aquilonis; & præparabantur adversùs eam, & inde capietur, & erit Chaldæa in prædam.* Tùm & cap. 51. 6. 7. 8. 9. *Fugite de medio Babylonis, & ſalvet unuſquiſque animam ſuam, quoniam tempus ultionis eſt à Domino. Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino ejus biberunt gentes, & ideo commotæ ſunt. Subito cecidit Babylon & contrita eſt.* Eodem fermè tempore, id eſt circa annum 50. Darii, renunciandum curaverat Zacharias Judæis Babylonis. *O Sion fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus.... O Sion, fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis. Zach.* 2. 6. 9.

Viginti ſolidis menſibus perſeveravit Darius ſtringendæ Babyloni, nec tamen vi plurimùm profecerat; in plures annos habebant propugnatores paratas annonas, validitate munimentorum irritos reddebant adverſariorum conatus, ac tandem certum erat ſingulis propoſitum ad extrema uſque ſeſe defendendi. Ambitu ſuo complectebatur Babylon vacui ſoli tractum ſanè vaſtum (d) cultus patientem, ingenti obſeſſorum commodo, ex quo nec aggreſſione, nec fame tentari facilè urbs valuiſſet. Perrumpendum in illam ſtratagemate reputavit Zopyrus è Darii Ducibus quidam; itaque auribus ſe naribuſque præcidens, ac variè inciſo corpore, miſerando illo habitu civium urbiſque ſe permiſit conſpectui, admiſſuſque in urbem altè conqueſtus eſt de Dario, cujus iniquitate eo ſe redactum dolebat. Tanta arte inſinuavit ſe in animos civium, tanta ſingulos cepit, ut tandem, conſentientibus illis, totam in ſe Urbis & copiarum adminiſtrationem ſuſciperet. His opportunè uſus eſt remittendis omnibus in manu Regis, qui beneficium illud largitione ingentium divitiarum atque honorum in reliquum vitæ tempus rependit.

Vix in poteſtatem urbis venerat Darius, transferri inde juſſit centum ejus portas æreas, juxta fidem oraculi Jeremiæ 51. 58. *Hæc dicit Dominus exercituum; Murus Babilonis iſte latiſſimus ſuffoſſione ſuffodietur, & portæ ejus excelſæ igni comburentur, & labores populorum ad nihilum.* Atteſtatur hiſce etiam Herodotus lib. 3. *Darius muros Babylonis circumcidit* (non ad ſolum uſque evertens, ſed 200. cubitis ſuperbos redegit ad 50.) *portas omnes amolitus eſt, quorum neutrum Cyrus fecerat priùs eidem à ſe capta. Babyloniorum quoque Procerum tria millia patibulis affixit*, venia cæteris conceſſa; ne verò urbs in deſertum redigeretur, adduci eò juſſit 50000. fœminas, ut locum & defectum cæſarum in obſidione ſuppleret.

Cæteræ Darii hujus expeditiones & res geſtæ nihil habent cum noſtro argumento commune. Legimus Principem hunc Judæis nunquam non faventem, qui Eſther ſibi adſciverat in uxorem, & ad ſummam dignitatem elevaverat Mardochæum, ac proinde cognitione aliqua veri Dei aſperſum fuiſſe oportet, ſub exitu tandem vitæ degeneraſſe in errorem Magorum ignem colentium. Venerat Suſas, & in Aulam ſeſe inſinuaverat Zoroaſtres (e), qui callidè animum Regis pertentans, tanta veri ſpecie opiniones ſuas propoſuit, ut illum tandem pertraxerit in ſuas partes. Regis exemplum ſecuti ſunt Aulici, ampliſſimi quique viri, ac quicquid erat in toto Regno ingenuum. Ita Magiſmus vel cultus ignis regnavit in Perſide, perſeveravitque uſque ad introductum conſtitutumque in ea regione Mahometiſmum.

Pa-

(a) Eſt. 1. 3. (b) Herod. l. 7. c. 7. A. M. 3519. ante Ær. 481.
(c) Herodot. l. 3. Juſtinus lib. 1. cap. 10. Polyæn. lib. 7. (d) Q. Curt. lib. 5. cap. 1.
(e) Religio veter. Perſa. cap. 24. 25. 26.

Digitized by Google

Paria tentavit Zoroaſtres in Argaſp Regem Scytharum Orientalium, Sabæiſmi aſſertorem zelotem; quò autem faciliùs intentum aſſequeretur, authoritatem Darii adhibuit. Indignatus Rex Scytha id ſibi tamquam lege quadam dara imponendum tentari, Bactrianam inundavit armis, cæſiſque Darii copiis trucidavit Zoroaſtrem cum omnibus ejus Sacerdotibus ad 80. numero, tum & Templa ejus regionis ſubvertit. Accurrit promptè Darius, & antequam recolligerent ſe Scythæ ſuperveniens, lata clade ultus eſt injuriam, depuliſque omnes è regione, everſa reſtituit Templa, illud maximè quod ſtetera Balch, ubi Metropolis Religionis univerſæ Magorum. Porrò in eo reædificando nihil ad magnificentiam & amplitudinem ædificii reliqui fecit Darius, ex quo deinde nomen loco manſit *Templum Darii Hyſtaſpis*. Fertur adſcivisſe ſibi titulum Principis Magorum (a), quem ſibi elogii loco tumulo inſculpendum curavit.

Quæ negocium faciunt in Darium tanquam virum Eſther, hunc enim ipſiſſimum reputamus, diſſentienda remittimus ad v. *Eſther*.)

III. DARIUS CONDOMANUS, filius Arſanis, qui ſucceſſionem Regum Perſarum ex Cyro clauſit. Sex annis Regno præfuit ab A. M. 3668. ad 3674. tum prælio fractus, & Regno ab Alexandro expoliatus (b), à ſuis indignè peremptus eſt. Bellum inter Darium & Alexandrum Danieli per viſum deſignatum eſt in hirco & ariete inter ſe pugnantibus, quorum alter à primo oppreſſus, conculcabatur (c). Aries Darius, hircus Alexander.

(E regio quidem Perſarum genere natus eſt Darius, ſed à Regni ſpe in humili rerum ſuarum ſtatu aberat longiſſime; cùm Bagoas, clari nominis Eunuchus, qui necem alteri poſt alterum intulerat Regibus Ocho, & Arſeti & ad ſupremam illum dignitatem elevavit (d). Genuino nomini Condomanus alterum adjecit Darii, cùm rebus præfectus eſt. Genus referebat è Dario Notho, ex quo natus filius Oſtanes pater Arſanis & ex Arſan Condomanus. Porrò vir iſte munus agebat *Aſtandis*, i. e. Tabellionis (e), ſeu potius veredariorum Imperatoris Ochi Præfecti. Accidit, ut ſemel ſub ſignis ejuſdem Principis agente illo, ex hoſtibus quidam fortiſſimum Perſarum quenquam ad ſingulare certamen provocaret. Id in ſe diſcriminis ſuſcepit Condomanus, vicitque adverſarium (f), cui in præmium rei bene geſtæ præfectura Armeniæ data eſt. Ex eo loco in thronum Perſarum virum extulit Bagoas.

Sed brevi Eunuchus ille intellexit ejuſmodi virum non eſſe Darium, qui fucato Regis titulo contentus, cætera Regni omnia manibus ejus permitteret. Quare ſubducendum illum è medio ſtatuens clam paravit venenum (g). Sed rem omnem ſubodoratus Darius, oblatum ſibi poculum haurire, detrectantem licèt, Bagoam coegit, atque ita tranquillum ſibi Regnum, eo ſublato, peperit. Hunc Principem inter cæteros omnes Perſarum Imperatores corpore elegantiſſimum exhibet hiſtoria; ſimul autem gerebat animum ſtrenuum & generoſiſſimum ad miraculum; quas etiam dotes maximè commendabant mores mitiſſimi, & ad clementiam expreſſi.

Cùm Alexandrum Magnum ſelegiſſent Reſpublicæ & liberæ Græcorum Urbes in Principem expeditionis, quam moliebantur in Perſas, tranſlato in filium honore paulò ante obitum Philippo ejus patri delato, in Aſiam ille deduxit exercitum 30000. peditibus, & 5000. equitibus validum. Incidens autem ad vada Granici in Darium ducentem exercitum quintuplo majorem, conſertis cum illo manibus, inſignem reportavit victoriam. Altero item prælio Perſas vicit ad Iſſum. Tunc Darius uſque tertiò pacis conditiones propoſuit; ſed nihil ſibi ea in re ſperandum intelligens, novum collegit exercitum 200000. inſtructum, ac Ninivem versùs deduxit. Euntem inſecutus eſt Alexander, commiſſumque inter duos hoſtes prælium ad vicum Gargamelem. Deteriores Darii partes evaſere, quanquam in prælium duxit Alexander non ultra 50000. Fuſus itaque Darius, Mediam versùs profugit, ſperans ex ea Provincia & reliquis, quæ ſibi reſtarent ad ſeptentrionem Imperii, tantum comparare ſibi copiarum, quantum aleam tentare iterum valeret.

Venit Ecbatanam Mediæ Metropolim, ubi reliquias copiarum collegit (h), quibus militum recens conſcriptorum acceſſio facta eſt. Alexander hyeme traducta Babylone, & Perſepoli, relegendis Darii veſtigiis iterum ſe commiſit itineri. Ille accedere adverſarios certior factus Ecbatana movit, eo conſilio, ut ſeſe recipiens in Bactrianam muniret ſe ibi, augeretque exercitum; at ſubitò propoſitum mutans, gradum continuit, dumque novam iterum aleam prælii ſibi ſubeundam, quanquam non ſupra 40000. fortis. Certamen itaque paranti Beſſus Præfectus Bactrianæ, & Nabarſanes è Magnatibus Perſarum alius, manus injecerunt violentas, oneratumque catenis impoſuerunt tecto cuidam plauſtro; tum clam auſugientes ad Bactrianam iter inſtituerunt, eo conſilio, ut ſi fortè Alexander gravis ſibi inſtaret, pacem ab illo emerent tradito in ejus manibus hoſte; ſin minùs, eo occiſo occuparent Imperium ſuoque nomine bellum repararent.

Poſt octo ab eorum abſceſſu dies, Ecbatanam venit Alexander, & ſpatio undecim ſuccedentium dierum totum ſe inſequendis fugitivis impendit. Rei tandem deſperatione victus ſubſtitit Rages Urbe Medorum; inde ſedegit ſe in Parthiam, ubi de triſti miſerrimi Principis eventu certior factus eſt. Poſt dies plures feſtinati itineris aſſequutus eſt, tandem proditores, qui cùm inſtare hoſtem intelligerent, nihil non omiſerunt ut Darium cogerent, quò conſcenſo equo fugeret ſecum; ſed recuſantem illum, pluribus vulneribus confoſſum ſemimortuum dereliquerunt in curru. Spiritum jam efflaverat, cùm ſupervenit Alexander, qui ad triſte ſpectaculum continere ſe à lacrymis non valuit; pallio ſuo exanime cadaver obtexit, tranſmiſitque ad ejus uxorem Siſigambim, quò in tumulum Regum Perſarum illatum ſupremo honore non privaretur.

Ita ſua fides oraculis Danielis de excidio Imperii Perſarum. Exhibuerat ille Perſarum Imperium ſub imagine urſi, cujus gulam triplici ordine diſpoſiti dentes armabant (i); ſimul autem illis impoſitum fuiſſe narrat: *Surge comede carnes plurimas*; ſed hanc belluam enecavit irruens altera ſimilis leopardo, quatuor alis, & totidem capitibus terribilis. Idem Perſarum Imperium exhibitum eſt ſub emblemate ſtatuæ per quietem Nabuchodonoſori oblatæ (k), cujus pectus & brachia è puro argento; Alexandri verò Imperium referebat pectus & crura ænea.

Ad cap. 8. 4. 5. 6. 20. 21. Imperium idem refert aries cornibus aggrediens Orientem, Septemtrionem & Meridiem; omnia autem cùm haberet ad nutum ſubjecta, ac pro arbitrio ageret cuncta, in magnam excrevit potentiam. Simul autem hircus (Alexander Magnus) è latere Occidentali movens mundum percurrebat univerſum, ne tacta quidem pedibus terra; armabatur ampliſſimo cornu inter utrumque oculum extante. Irruit ille impetu contra arietem cornutum, & rudi ictu duo ejus cornua fregit, dejectumque contudit pedibus, nemine ex ejus poteſtate ſubducere arietem valente. Hæc non oracula ſunt futurorum, ſed potiùs rei geſtæ hiſtoriæ.

Græcorum Scriptores conventum expeditionis hujus

(a) Porphyr. de Abſtinen. lib. 4. (b) 1. Mach. 1. 1. A. M. 3674. ante Chr. 326. ante Ær. 330.
(c) Dan. 8. 5. &c. & 11. 2. &c. (d) Diod. Sicul. lib. 17.
(e) Plutarch. de Fortun. Alex. & in vit. ejuſdem.
(f) Diodor. lib. 17. Juſtin. lib. 10. cap. 3. (g) Diodor. lib. 17.
(h) Arrian. lib. 3. Diod. lib. 17. Plutarch. in Alex. Q. Curt. lib. 5. (i) Dan. 7. 5. 6. (k) Dan. 2. 39. 40.

Græcorum in Perſas inde cauſam repetendam eſſe; quòd Xerſes priùs Græciam armis invaſerat, cùm ſcilicet Princeps ille juxta phraſim Danielis 11. 2. *Concitavit omnes adverſus Regnum Græciæ*. Sed rem aliter narrant Orientales Scriptores (a). Darab II. Rex Perſidis, filius Babaman, armis in Philippum Regem Macedoniæ illatis, virum coegit, pacis conditiones poſtulare. Obtinuit, fidem ſuam obligans ſolvendi Regi victori 1000. beizath vel 1000. aurea ova, annuum vectigal; valebant ſinguli beizath 40. argenti dracmæ; ſpopondit etiam Philippus filiam illi ſuam in conjugem ſe conceſſurum. Adſcitam igitur Darab filiam Regis Macedoniæ in torum, prima coeundi nocte ſtatim intellexit halitu eſſe gravi; quarè prægnantem licèt ad patrem remittere viſum eſt.

Inſpectores puellæ conſtituit Rex Philippus, uſque ad tempus, quo enitteretur; peperit tandem Alexandrum, quem ad ſe pertinere Philippus declarans, Regni ſucceſſorem poſt obitum reliquit. Sub eoſdem ferè dies obiit etiam Darab Rex Perſidis, excepitque illum filius Dara, (ipſe eſt Darius Codomannus) Princeps ſi quis alius impotens & ſævus, qui ſubditorum & Magnatum etiam animos ita à ſe abalienavit, ut miſſa legatione pertentarent illi Alexandrum ad expeditionem in Perſidem ſuſcipiendam. Recuſavit itaque Alexander ſolvere tributum, poſtulanteſque nomine Regis hoc reſponſo dimiſit, gallinam ſcilicet, quæ aurea illa ova pariebat, in alterum mundum evolaſſe. Dara, ingenti comparato exercitu, ſtatim in illum movit.

Hoſti excipiendo non tantùm ſe comparavit Alexander, ſed & præveniendum cenſuit, in Perſidem uſque procurrens; ibi commiſſo inter utroſque prælio, victoria ceſſit Alexandro; aufugit in territorium Dara, ubi duo ex ejus Præfectis, oriundi ex Hamadan, vulneribus transfoſſum interemerunt, ſtatimque perfugerunt ad victores. De re tota certior factus Alexander, convolavit ſtatim ad Daram, & ſpirantem adhuc nactus, apprehenſum caput ſuper genua impoſuit, lacrymabilem caſum ſecum illugens, ſanctèque obteſtatus imprudente ſe id nefas commiſſum fuiſſe. Languentes oculos aperiens Dara, rogavit victorem, ut percuſſæ ſanguine illud crimen ulciſceretur; filiam ſuam Roxanem illi tradidit in conjugem, rogavitque ne gubernandam Perſidem committeret Græcis. Exanimis tandem decidit inter brachia Alexandri, qui fraterno cum illo ſanguine conjungebatur, juxta Hiſtoricos, utpotè natus è matre filia Philippi, & uxore Darab; ſicuti Dara parentem habuit alteram uxorem Darab patris ſui.

Darius Codomannus regnavit ſexennio, ab A. M. 3668. uſque ad 3674. obiit A. 3674. Ante Jeſum Chriſtum 326. ante Æram 330.)

DAROMA, ſive *Darom*, vox Hebræa, meridiem ſignificans, & plagam meridionalem Judææ apud Euſebium, & S. Hieronymum. Porrò eo nomine totus ille tractus appellabatur, qui ab Eleutheropoli Arabiam Petræam verſus, ex ſeptentrione ad meridiem ſpatio 30. milliarium, ab oriente verò in occidentem, à mari mortuo uſque Geraram, & Berſabee protenditur (b).

DATHAN, filius Eliab, quem ejuſdem cum Core, Abiron, & Hon conſpirationis in Moyſem, & Aaronem reum, ſubito hiatu terra dehiſcens unà cum illis, cæteriſque fautoribus abſorbuit (c).

DATHEMA, arx in Galaaditide, quæ à Timothei furore Judæos tamdiù defendit, quamdiù à Juda Machabæo liberarentur (d).

(Oppidi hujus certus locus ignoratur, quod tamen ſilentium nihil offert rei ibi geſtæ hiſtoriæ. Ante captivitatem Babylonicam accisis rebus utriuſque Regni, Juda ſcilicet & Iſrael, gentes, quæ Galaaditidem occupabant, ideſt Arabes, Ammonitæ, & Moabitæ, in excidium Judæorum regionis ſuæ conſpirarunt 1. *Machab.* 5. 9. Namque poſt latum Antiochi edictum, quo deſerere religionem ſuam Hebræi jubebantur, quælibet ex finitimis gentibus, & adverſariorum ſinguli, audendi quodlibet in Judæos datam ſibi poteſtatem cenſuerunt; adjeceruntque ſe ſpontè copiis Antiochi in miſeræ gentis perniciem. Sed molitiones illorum intelligentes Judæi receperunt ſe in munitionem Dathemæ. Illinc per literas certiorem de rebus ſuis fecerunt Judam Machabæum ac fratres, ut prompta ope rebus ſuccurreret ſuis, etiam atque etiam rogantes. Dum epiſtolas illas legeret Judas, alio à Judæis Galilææ ſollicitatus eſt nuncio; quare coacto ſimul univerſo populo deliberavit, quid in re præſenti optimum cenſeretur factu. Decretum eſt, Judas & Jonathan fratres tranſmiſſo Jordane ſuccurrerent Judæis in Galaaditide verſantibus; Simon vero, alter ex fratribus, conferret ſe in Galilæam è diſcrimine liberandis populis ſuis, quibus extrema omnia imminebant ab hoſtibus. Ad defenſionem, & cuſtodiam Judææ relicti ſunt Joſeph, & Azarias, onerati mandatis ne manus cum quoquam conſererent, niſi poſt Machabæorum reditum, auderent. Simon itaque, cùm veniſſet in Galilæam, pluribus ſecundis præliis fregit fuditque hoſtes, quos inſecutus eſt uſque ad portas Ptolemaidis, ceciditque uſque ad 3000. circiter, opimaque dives præda regreſſus eſt. 1. *Machab.* 5. 21. 22.

Nec ſegniores Judas cum Jonatha; tranſmiſſo enim Jordane, facile ad Bethſam, triduo per deſertum progreſſi ſunt; euntibus occurrerunt Nabathæi, Arabiæ populi, qui cum cæteris illis gentibus exterminandis Judæis non conſpirarunt; occurrerunt, inquam, & amiciſſimè ab illis excepti, narrarunt omnia, quæ Judæis in Galaaditide contigiſſent; expoſuerunt inſuper illos in munitiſſimis Urbibus ſeſe continere, ubi arcta obſidione premerentur; conſpiraſſe verò hoſtes mane alterius diei copiis ſuis omnibus illos aggredi, quo una die omnes exterminarent. *Ibid. ver.* 27.

Id intelligens Judas, collectis ſtatim vaſis, copias duxit in Boſor, captamque ſubita aggreſſione Urbem incendio vaſtavit, maribus omnibus gladio exterminatis, prædam ſecum abſtulit. Reliquum ejuſdem noctis impendit ducendis clam ſuis ad munitionem Dathemam, quo perveniens primo mane, nactus eſt hoſtes ingenti clamore Urbem jamjam invaſuros, quos etiam ingenti alio clamore excipiebant Judæi. Jam propiùs admovebantur mœnibus ſcalæ & machinæ, cùm Judas triſariam diviſum agmen inſtructumque in prælium, duxit in hoſtes, & propiùs ad illos factus ingenti buccinarum clangore, ſublatiſque in Cælum clamoribus, divinam ſibi opem invocavit. Inſtare Judam Machabæum ſtatim intellexerunt copiæ Timothei; quare aggreſſione dimiſſa in fugam effuſi ſunt. Ponè ſubſtitit Judas, tantamque cladem edidit, ut ea die ad 8000. trucidarentur.

* Urbes admotis ſcalis tentare, aggreſſionis genus eſſe credo vetuſtate certans cum more vallandi Urbes munitionibus; & obſidionales omnes machinas hominum ingenio excogitatas diù poſt ſcalas cœpiſſe perſuadeor. Fatemur equidem ante ſcalas illas obſeſſas ut corona cingerentur; & ſæpe etiam ſola corona Urbes ſtringere optimum factu viſum eſt, cùm mœnium ſingularis proceritas ſcalas omnes vinceret. Inopinis invaſionibus Urbium, ſicut & cùm admotis ſcalis mœnia tentarent, jungere ſolebant Hebræi aggreſſione coronales; ſæpè etiam opportunum viſum eſt patentes quoſdam aditus aperire viri-

(a) D'Herbelot Biblioth. Orient. pag. 285. Dara, & Darab.
(b) Vide Reland. Palæſt. l. 1. c. 32. p. 185. 186.
(c) Num. 16. 1... 31. Pſ. 105. 17. Circa A. M. 2552. ante Chr. 1448. ante Ær. 1452.
(d) 1. Mach. 5. &c. Joſeph. Antiq. l. 12. c. 11.
*. Animadverſiones in aggreſſionem ſcalarem Dathemæ per Timotheum; & in auxilia obſeſſæ Urbi lata per Judam Machabæum. 1. Mach. 5. 9. &c.

Digitized by Google

viribus hoſtium diverſione extenuandis. Eadem Græcorum & Romanorum diſciplina; omnes ſimul copiæ, ne equitibus quidem exceptis, impetum faciebant. Cùm exercitus ſucceſſiſſet ad urbem, ſtatim peditum corona circumvallabantur mœnia; alteram lineam retrò poſt milites gravioris armaturæ, qui ad ſcalarem invaſionem deſtinabantur, formabant ſagittarii & funditores; excipiebant illos omnes protegebantque, tertiam conſtituentes lineam, equites.

Ita diſpoſitæ certo quodam intervallo lineæ, veluti corona quadam cingebant urbem arctiori ſemper ambitu, prout ad ejus mœnia accedebant propius, ut cùm ad foſſam jam veniſſent (arentem neceſſariò in aggreſſionibus illis) nullum relinquerent intervallum. Tum ſagittarii & funditores nimbo lapidum & ſagittarum defenſores è mœnibus abigebant, ut commodum daretur ſpatium gravioris armaturæ militibus diſtribuendi ſcalas. His ita diſpoſitis, milites illi raptim deſcendebant in foſſam, ac pedeſtres accedebant ad murum, applicatiſque ſcalis in ſuperiora evadere tentabant. Aggreſſionis genus hoc Romani appellab ant *coronâ capere*; certò autem conſtat id non moribus illorum, nec etiam Græcorum primum invectum fuiſſe; norant enim id per Aſiam populi, antequam illi per orbem agnoſcerentur. Quod appellabant *teſtudinem militum*, id pariter familiare erat Hebræis in aggreſſionibus impetuoſis & inopinis, cum ſcilicet milites elevato clypeo caput protegentes ſuum, conſertis ordinibus pedeſtres ſuccedebant ad mœnia, nihil experti incommodi ſive ex ignibus, ſive è molaribus lapidibus è ſuperioribus mœnibus deturbatis; hæc enim ſuper teſtudinem velut ſupra tectum cadentia defluebant in terram. Egregiè id totum explicavit D. Breboeuf in ſua Pharſalia Lucani lib. 3.

Et joignant de concert leurs écus en tortue,
Les Romains vont couverts juſqu'au pied des remparts,
Et laiſſent derriere eux les cailloux & les dards.

Teſtudinem hanc apertiſſimè quidem non exprimunt ſacra Volumina; ſitis tamen conſtat Hebræorum cognitionem non fugiſſe. Atque hæc dicta ſufficere arbitror inſtruendo de rebus id generis Lectori; modo ad prælium Judæ Machabæi.

Egregium hoc Judæ molimen in Timotheum, ſat dignum eſt virtute Ducis inſignis. Non vacuum & expeditum ille hoſtem aggreditur, non detinentem ſe in caſtris ante Urbem; ſed opportunum ſibi tempus nactus eſt, cùm ſcilicet hoſtis ille admotis ad mœnia ſcalis Urbem viribus ſuis omnibus oppugnans, quod illi opponat nihil habet: ut ſcilicet inopinatò ſuperveniat, inſtet gravis, quo tempore diviſus eſt exercitus, nec recolligendi ſe atque inſtruendi in prælium ſat habet ſpatii. Norat utique Judas imbecilliori inſtrui ſe exercitu, quàm ut æquo Marte ſigniſque collatis decertaret; Ducis ingenium in eo ponendum erat, ut opportunam captaret occaſionem, quo certior fieret de eventu. Fallendis igitur aptiùs hoſtibus, *convertit Judas & exercitus ejus viam in deſertum Boſor repentè, & occupavit Civitatem* 1. *Machab.* 5. 28. Id reſciſcens Timotheus, autumavit planè ſat temporis ſibi datum, ut ſcalari aggreſſione expugnata Dathema, prompto dein auxilio ſuccurreret Boſor; ſed ita reputantem fefellit eventus, repentinæ enim aggreſſioni ſtatim Urbs ceſſit. Poſt eam expeditionem Judas noctis ſilentio copias ſuas promptè adeò duxit ad juvandam Dathemam, ut *diluculo, cùm elevaſſent oculos ſuos, ecce populus multus, cujus non erat numerus, portantes ſcalas, & machinas, ut comprehenderent munitionem, & expugnarent eos*. Opportunus ſupervenit, quo maximè optabat temporis articulo, cùm ſcilicet hoſtes tentare jam Urbem cœpiſſent; in re enim adeò inopinata, quid conſilii capiatur, incertum eſt; juſſionibus non præmeditatis dirigenda omnia, deferenda aggreſſio, cogendæ circa Urbem diſpoſitæ copiæ, inſtituendæ in prælium; momento omnia. In eas anguſtias ſenſit ſe Timotheus, habens à tergo, quin & in caſtris ipſis ſuis hoſtes.

Quo ordine Judas ſuos duxerit in prælium deſcribit Sacer Author ℣. 33. *Venit tribus ordinibus poſt eos, & exclamaverunt tuba, & clamaverunt in oratione*. Terrori de ſupervenientibus inopinatò hoſtibus, terrorem alium adjecerunt quà militum virtute, quà exquiſita inſtructi agminis diſciplina, quà Dei exercituum ope, non invocata tantum, ſed & impetrata. Contraria omnia acciderunt Joſepho & Azariæ in cuſtodia regionis patriæ relictis; illi enim tanta fratrum ſuorum gloria ſollicitati, contra datas ſibi juſſiones copias duxerunt in Jamniam (a), conſertoque prælio cum Gorgia, prompta ex Urbe eruptione in eorum occurſum veniente, fuſi ab illo fugatique ſunt: ita factum eſt, ut pervicaciæ & temeritatis ſuæ pœnas luerent quàm æquiſſimas, ac documento ſuo demonſtrarent, ſacrorum bellorum eventus non è virtute, neque copiarum numero pendere; ſed è Deo uno, cui ſanè improbantur minùs æqua conſilia eorum, qui res quidem Religionis agunt, at ad alienum planè ſcopum, nempe gloriolæ & jactantiæ dirigunt.)

DAVID, filius Iſai, ſive Jeſſe, è Bethleem modica urbe Juda. Poſt reprobatum Saulem à Domino, Samuel Dei juſſu ad ungendum in Regem unum ex filiis Iſai, quem ipſe Deus indicaſſet, in Bethleem miſſus eſt 1. *Reg.* 16. 1. *&c.* Ut ad locum venit, indicata adventus ſui cauſa, ſingulos filios coram ſe productos, à Domino monitus rejecit, Davidem vero, omnibus juniorem, annorum nempe quindecim circiter ætatis (b) à paſcendis ovibus revocatum, Dei inſtinctu cæteris præponens, allato ſecum oleo in Regem inunxit. Poſt hæc, David iterum paſcendis gregibus occupatus eſt.

Aliquantò poſt Saul atro melancholiæ morbo correptus, cujus occaſione à Dæmone plurimùm exagitabatur 1. *Reg.* 16. 15. 16. Davidem accivit, quo cythara coram ſe ludente morbi vis remitteretur. Porrò David cum ad aulam venit, *fortiſſimus erat robore, vir bellicoſus, & prudens in verbis, & vir pulcher, Dominus erat cum eo*; quibus verbis ſatis intelligi datur, Davidem, poſt receptam decimoquinto ætatis anno regalem unctionem, diutiùs uſque ad annum nempe 22. ætatis circiter cum ſuis verſatum, virtutis & prudentiæ famam inter illos ſibi comparaſſe. Suo munere David egregiè functus, Regii armigeri honorem promeruit; nec tamen inde factum, quin, cum morbus Saulis remitteretur, ad Patrem rediret. Paulò poſt (c) Philiſthæi arma moventes, inter Azecam, & Soco caſtra locaverant 1. *Reg.* 17. 1. &c. Pro vallo autem virum corpore, & viribus immanem poſuerant, nomine Goliath, cui liberiùs Iſraeliticis copiis inſultanti nemo obviam procedere auſus eſt; hinc ſolidis 40. diebus duo exercitus coram poſiti in caſtris ſe continuerunt. Sub idem tempus David à Patre miſſus, ut quid de fratribus in exercitu militantibus nunciaret, in caſtra venit; auditoque Goliath liberiùs, & impunè Iſraelitis inſultante, ignominiam Iſraelis ſe facilè ulturum palàm dicebat. Temeritatis tamen illum ſuæ frater natu major redarguit; hæc tamen quin identidem jactitaret, ſe continere non potuit: quibus demùm ad Saulem delatis, illicò juvenis accitus eſt. Quærenti igitur Regi, an tantum ſibi animi & virium eſſet, ut cum Philiſthæo manum conſereret? undè verò acerbæ adhuc ætatis juvenis cum Gigante, &

(a) 1. Mac. 5. ver. 58.
(b) Natalem Davidis ad annum 2919. conſignamus: unctionem ejus per Samuelem ad 2934. ante Chr. 1066.
(c) A. M. 2942. ante Chr. 1058. ætatis David 22. ſive 23.

veterano milite congredi auderet? reſpondit ille: Cum greges in ſaltu paſcerem, leo nonnunquam, vel urſus clam veniens, ovem rapiebat. Hunc ego perſequens, è faucibus prædam eripiebam; feramque rursùs in me ſævientem, faucibus apprehenſam ſuffocabam; leonem quippe & urſum interfeci. Quidni ergo quod in feras valui, in Philiſthæum non poſſim? Saul Davidis animoſitatem admirans, regiis armis indutum ad pugnam procedere juſſit; ſed ille impediri ſe, non defendi, armorum pondere ſentiens, iis poſitis, ſumptoque baculo, & quinque ſelectiſſimis è torrente lapidibus, in hoſtem proceſſit. Lenem, elegantemque juvenem intuitus Goliath, ſimulque armorum rudem apparatum, an, inquit, canis ſum, qui me baculo invadas? Accede jam: carnes tuas accipitribus miniſtrabo. David nihil iis minus territus, impoſitum fundæ ſaxum ea dexteritate ac vi in illum rotavit, ut in frontis vertice percuſſum in terram dejecerit. Inde hoſti proſtrato inſiſtens, abrepto ipſius gladio, cervicem præcidit. Ea cæde animis cadentes Philiſthæos in fugam vertit, quos Hebræi magnis clamoribus inſequuti ſunt.

Saul poſt permiſſam Davidi facultatem cum Gigante congrediendi, quæſivit ab Abner, quiſnam juvenis ille eſſet; cui Abner neſcire ſe reſpondit: mirum, cui Saul armigerum, & citharœdum ſuum non agnoverit 1. *Reg*. 16. 15. &c. Fortè quo tempore ab aula receſſerat, vultum, vocem, totiuſque corporis habitum planè immutaverat. Poſt relatam de Gigante victoriam, juvenem caput hoſtis, & enſem deferentem Abner ad Regem introduxit. Primo illo congreſſu Jonathæ filii Saulis animus in Davidem inclinavit, cui deinde fuit devinctiſſimus. Saul verò ab expeditione regrediens, auditis plauſibus fœminarum, Davidi præcinentium: *Saul percuſſit mille, & David decem millia*, 1. *Reg*. 18. 6. Davidem æquis oculis exinde nunquam aſpexit. In aula tamen illum detinuit, copiiſque quibuſdam præfecit; regales tamen filiæ ſuæ nuptias (promiſſum occiſori Gigantis præmium) denegavit 1. *Reg*. 17. 25.

Die ſequenti Saul domum regreſſus, conſueti morbi acceſſu agitatus 1. *Reg*. 18. 10. coràm ſe cythara ludentem Davidem, haſta, quam præ manibus habebat, vibrata transfodere tentavit. Declinato ab adoleſcente ictu, Rex impoſterum ſibi ab eo timere incipiens, ut illum ſub honoris ſpecie ab aula diſtineret, 1000. virorum cuneo præfectum, ad bellum miſit: eunti, ut præmii ſpe vitæ diſcrimina alacrior, & incautior ſubiret, nuptias cum Merob filia Regis natu majori pollicitus. Sed utrumque ſpes feſellit; Saulem, quòd David virtute, & prudentia ſua ab omni diſcrimine ſe incolumem reduceret; Davidem verò, quòd promiſſis ſibi nuptiis Hadriel Molathites potitus eſt.

Michol altera Saulis filia, Davidis amorem ambire videbatur; qua Davidem perdendi occaſione, Saul regales illi nuptias ſe conceſſurum ſignificavit, dum 100. præputiis Philiſthinorum præciſis, tantum honorem promereretur. Ille conditione accepta, brevi ducenta hoſtium præputia ad Regem deferens, nuptias quidem ab illo, invito licèt, extorſit, ſed in ſuſcepto propoſito necem ſibi moliendi etiam, atque etiam confirmavit: à quo tandem, Jonatha authore, cui, ut & reliquis magnatibus conſilium ſuum Rex communicaverat 1. *Reg*. 19. remotus eſt.

Paulò poſt (a) reviviſcente cum Philiſthæis bello, David magna illis cæde illata, cæteros in fugam vertit. Interea Rex conſueto morbo agitatus, lyra canentem coram ſe Davidem iterum transfodere conatus eſt. Eo verò ictum ſimulque Regis furorem noctis favore fugiente, Saul domum illius militibus cuſtodiendam præcepit, ut Sole exoriente caperetur. Verùm Michol viro clam è feneſtra demiſſo, illius ſaluti conſuluit: fallendis autem militibus ſimulacrum quoddam, cui ex hœdina pelle caput conſarcinaverat, in lecto compoſuit. Rebus ita diſpoſitis, Michol ægritudinem conjugis ſimulavit; quem nihilominùs ad Regem deferre milites juſſi, ad lectum concurrerunt; ſed inventa ſtatua deceptos ſe eſſe intellexerunt.

David fuga elapſus, Samuelem in Ramatham adivit, narratiſque Prophetæ omnibus, ambo in proximam urbem Najoth ad Prophetarum cœtum diverterunt. Illuc continuò Saul, certior ea de re factus, ſatellites capiendo juveni miſit; qui tamen ſimul ac Prophetarum limina attigerunt, inſueto prophetandi œſtro abrepti ſunt. Idem ſecundis à Saule miſſis contigit; ipſi demum idem Sauli, qui tertius venit. Securitati tamen ſuæ parum eſſe in Najoth conſultum ratus, ſecretò David Jonatham 1. *Reg*. 20. adivit, malumque cum eo in ſe Regis animum conqueſtus eſt. Jonathas lenioribus verbis amicum ſolatus monuit, ut in agro quodam lateret, donec ipſe animo Saulis explorato, quid facto opus eſſet, intra triduum referret. Mane igitur Rege pro more menſæ aſſidente una cum Jonatha, & Abner, conſuetus Davidis locus vacuus apparuit; neque tamen ejus rei cauſam Rex ſciſcitatus eſt, ratus fortaſſe impuritatem illum aliquam contraxiſſe, qua à Kalendis celebrandis (tunc enim menſis Kalendæ recurrebant) prohiberetur. Sed cum altera die locus iterum vacuus Davidis cerneretur, Sauli de illo quærenti reſpondit Jonathas, ſe illi eundi in Bethleem ad offerendum Domino ſacrificium, facultatem feciſſe. Tunc Rex furore in filium æſtuans, ea, quam præſto habebat, haſta, illum transfodere minitatus eſt.

Malam Regis voluntatem in Davidem Jonathas ſatis intelligens, mane ſequentis diei agrum, ubi amicus latebat, adivit; datoque ex condicto ſagittis ejaculatis ſigno, armigerum cum arcu & pharetra domum reverti juſſit; ipſe verò ſolus cum Davide collocutus, admonuit, ut decretam à Rege mortem evitaret; cumque, priſtina amicitia ſacramento confirmata, dimiſit. David primò (b) Nobem ad Summum Sacerdotem Achimelech divertit, cauſatuſque ſe urgente Regis negotio miſſum, neque armis, neque commeatibus providiſſe, utraque à Sacerdote quæſivit. Gladio igitur Goliath, qui Tabernaculo ſuſpenſus erat, & panibus propoſitionis, è menſa Domini præcedenti die ſubductis, ex eo acceptis abivit. Quæ Sacerdotis humanitas, à Doeg Idumæo tunc fortè Nobe exiſtente, poſtea Sauli nunciata, exitium in Achimelechum cæteroſque Sacerdotes induxit 1. *Reg*. 21. 6.

Interim David totam Saulis ditionem minùs ſibi tutam intelligens, primò apud Achis Regem Geth, in terram nempè Philiſthæorum, ſe recepit; deinde ab illis agnitus, inſaniam ſimulans ex eorum manibus elapſus Odollam petiit. Illuc congregatis ad eum fratribus ſuis (c), cognatis, aliiſque pluribus, 400. militum collecta manu, in Moabitidem venit; ubi parùm ſubſiſtens, monito Gad Prophetæ in ſaltum Hareth ditionis Juda ſe contulit; ubi Sacerdotem Abiathar ornamenta Summi Sacerdotis deferentem excepit (d). Inter hæc Philiſthæi facta in eam regionem irruptione, meſſem Ceilæ diripere aggreſſi, à Davide fuſi fugatique, diſſipati ſunt (e). Saul his auditis, protinus Ceilam venit, ratus poſſe, occupata urbe, Davide potiri. Illo tamen in ſolitudinem Ziph, & deinde in deſertum Maon dilapſo, ſpe ſua decidit. Nec tamen acquieſcens, ex urbe movens in deſertum Maon, Davidem inſequebatur; jamque in altera montis parte incedentem, propè erat ut aſſequeretur, cùm ſubitò à Philiſthæis regionem vaſtantibus, ad rerum ſuarum defenſionem revocatus eſt.

Eo vi-

(a) A. M. 2944. ante Ch. 1056. ante Ær. 1060. (b) 1. Reg. 20.
(c) 1. Reg. 22. (d) 1. Reg. 22. 20. & 23. 6. &c.
(e) 1. Reg. 23. Circa An. M. 2945. ante Chr. 1055. ante Ær. 1059.

Eo vitato periculo, David in deſertum Engaddi (a) ſeceſſit; at Saulem à tergo inſequentem cum exercitu trium millium jam imminere intelligens in ſpelunca cum ſuis delituit: quam etiam Sauli ingreſſo, ut ventrem purgaret, ora chlamydis furtim præciſa, intactum abire permiſit. Deinde egreſſo Regi, atque iter proſequenti, & ipſe egreſſus poſt tergum clamavit, ſimulque chlamydem, innocentiæ ſuæ, atque optimi in Regem animi argumentum, oſtendit. Converſus igitur Saul, atque verbis non minùs quàm Davidis magnanimitate commotus, obortis lachrymis ipſum amplexus ſacramento adegit, ne poſt acquiſitum Iſraelis Regnum in domum ſuam quicquam moliretur. His expletis, abiit; David verò tutiorem locum ſibi, ſuiſque quæſivit.

Quo tempore David in deſerto Maon verſabatur (b), diligentiſſimè cavit, ne quid à ſuis incommodi pateretur grex Nabalis incolæ Carmeli; Carmeli, inquam, non illius ad Mediterraneum ad meridiem Ptolemaidis, ſed ad Judæ meridiem. Cum igitur tondendi gregis illius tempus adeſſet, David miſſis nunciis, à Nabale quæſivit, ut ſibi aliquid remunerationis loco largiretur. Eo inofficiosè & nuncios, & petitionem rejiciente, David illius inurbanitate offenſus, primo furoris impetu totius domus Nabalis exterminium ſolemni jurejurando decrevit; ſtatimque è loco movens, cum ſuis in Nabalem properabat: cùm ſubitò venienti Abigail uxor Nabalis occurrens, muneribus, precibuſque adeò Davidem efferatum leniit, ut viro veniam impetrarit. Nec Davidem, poſtquam primus iræ fervor intepuit, remiſiſſe pœnituit, quæ inconſulto ſacramento promiſerat. Nabale autem paulò poſt extincto, ejus conjugem David matrimonio ſibi copulavit.

Verſante interim David in colle Hachila 1. *Reg.* 26. Ziphæi locum Sauli indicarunt; nec ille ſegnior ſtatim cum 3000. adfuit. David ejus caſtra noctu ingreſſus, Regi ſub tentorio quieſcenti haſtam, & ſcyphum pulvinari dormientis impoſitum ſubripuit. Inde in adverſum collem evadens, edito clamore Abnerum admonuit, quòd excubias Regi adeò ſegniter ſervaſſet, ut via in regium tentorium ad ſubripiendam haſtam & ſcyphum furibus patuiſſet; mitteret tamen, qui utrumque reciperet. Vox Davidis à Rege agnita iram illius ſopivit, ruſumque domum re infecta rediit.

Verùm David, ut Saulem à ſollicitudine ſe inſequendi liberaret, in urbem Siceleg regioni Philiſthæorum, ſibi ab Achis Rege Geth, ad quem confugerat, aſſignatam, conceſſit (c). Inde in regiones Amalec, Geſſur, & Gerſi excurrens, viros & fœminas, ne Regi Achis eæ excurſiones indicarentur, trucidabat; greges verò ad Regem agebat, prædam illam ſe ex Juda, Jerameel, & Ceni tuliſſe mendacio certè non probando ſimulans. His artibus omnem adeò de ſe ſuſpicionem è Rege demùm amovit, ut hic in bello, quod in Iſraelitas paulò poſt paravit, ejus opera uti conſtituiſſet (d); nec niſi Satrapis deprecantibus, veritis, ne medio in prælio ad Iſraelitas, magno rerum ſuarum detrimento, deficeret 1. *Reg.* 29. à propoſito deſtitit.

David quamquam ea miſſione ab ancipiti periculo ſive arma in populum ſuum ferendi, ſivè datam Achi fidem infringendi liberabatur, ingratiſſimam tamen illam ſibi eſſe ſimulavit; Regis tamen excuſationibus acquieſcens ſeceſſit, ac tridui itinere in Siceleg pervenit 1. *Reg.* 30. Sed cum eam urbem ab Amalecitis direptam, incenſam, atque incolis in captivitatem addictis vacuam inveniſſet, prædones continuò cum ſuis inſequutus, atque indice quodam Ægyptio ſervo, quem herus Amalecites ægritudine fatiſcentem in via reliquerat, inopinatò illis superveniens, omnes oppreſſit receptaque præda regreſſus eſt.

Inito interim prælio inter Saulem, & Philiſthæos in montibus Gelboe, Saulis exercitu fuſo fugatoque, Rex ipſe unà cum Jonatha filio in certamine cecidit 1. *Reg.* 31. Poſt triduum Amalecites quidam ejus rei nuncius, in Siceleg ad Davidem venit (e); atque renunciata Saulis cæde, quam ſuis manibus ab illo rogatum intuliſſe jactitabat, diadema ac regiam armillam obtulit. Infauſtum nuncium communi luctu excepere; ipſeque David lugubri Cantico Sauli & Jonathæ juſta perſolvit; cumque Amalecitem, qui ſe in Unctum Domini manus intuliſſe jactitaverat, neci tradidit.

Secundum hæc, David juſſus à Domino, Hebronem, ac in vicinias cum ſuis venit 2. *Reg.* 2. quò Iſraelitis è Tribu Juda convenientibus, in regem inauguratus eſt; cùm interim cæteri Iſraelitæ Isboſeth filium Saulis in Mahanaim ultra Jordanem in Regem ſuum ſalutaſſent. Levia inter duos Reges certamina frequenter oriebantur; Davidis tamen partes prævalebant 2. *Reg.* 3. Accidit interea, ut Isboſeth animum Abneri ducis copiarum ſuarum reprehenſionibus quibusdam exacerbaſſet; quod ille ægrè admodum ferens, Davidem adiit, deque reducendo ad ipſum Iſraele condixit. Hoc Abneri cum Davide fœdus Joabo diſplicuit; verebatur enim, ne Ducis dignitatem Rex à ſe in illum transferret: quare in porta Hebronis Abnerum nactus, per fraudem interfecit (f). Rem David quidem indigniſſimè tulit, ſed ultionem de eo militum favore protecto expetere minùs ſibi conducere arbitratus, publica facinoris deteſtatione, ſolemnique funeris apparatu illatam amico injuriam reparavit.

Paulò poſt Isboſeth, dum in lecto quieſceret, per inſidias oppreſſo (g), ac proditoribus in ultionem ſceleris à Davide occiſis, totum Iſraelis regnum in uno Davide collectum eſt. Novus Rex poſt occupatam Jeruſalem, pulſis Jebuſæis, Regni ſedem in ea ſtatuit. Philiſthæos, poſt auditam ipſius ad Regnum Iſraeliticum aſſumptionem, arma inferentes prope Jeruſalem, bis profligavit (h). Poſt biennium Arcam Domini ex Cariatjarim Jeroſolymam ad deſtinatum in Palatio locum reducere conſtituit (i). Territus autem inopinato Ozæ interitu, ob extentam in Arcam inclinantem manum percuſſi, eam mutato conſilio in domo Obededom prope urbem depoſuit: poſt modicum verò temporis in regiam tranſtulit. Hujus translationis occaſione Davidem coram Arca regia majeſtate depoſita ſaltantem, Michol ejus uxor contempſit. Cui David reſpondit, ſe quidem coram Domino, à quo cæteris hominibus, ipſiuſque patri Sauli prælatus eſſet, abjiciendi, dejiciendique ſe nihil reliquum facturum.

Interim David Regnum habens pacatum, & quietum, de Templo Domino conſtruendo meditabatur (k). Hujus rei Nathanum Prophetam primò habuit hortatorem; deindè verò idem Propheta à Domino juſſus retulit, operis hujuſce gloriam, non Davidi, cujus manus humanò ſanguine eſſent pollutæ, ſed ipſius filio à Deo reſervari. David igitur ab opere quidem abſtinuit, ſed aptæ ad rem materiæ præparandæ, auro ſcilicet, argento, æri, ferro, ligniſque curam omnem impendit.

Sub hæc bello Philiſthæis illato 2. *Reg.* 8. moleſtiſſimo Iſraelem jugo prorſus relevavit. In Moabitas in ſuam poteſtatem redactos incredibili furore deſævit, quem nos, cauſam hujus belli ignorantes, nec

(a) 1. Reg. 24. circa A. M. 2946. ante Chr. 1054. ante Ær. 1058.
(b) 1. Reg. 25. circa A. M. 2947. ante Ch. 1053. Ær. 1057.
(c) 1. Reg. 27. A. M 2947. ante Chr. 1053. ante Ær. 1057.
(d) 1. Reg. 28. A. M. 2949. ante Chr. 1051. ante Ær. 1055.
(e) 2. Reg. 1. A. M. 2949. ante Chr. 1051. ante Ær. 1055. (f) A. M. 2956. ante Chr. 1044. ante Ær. 1048.
(g) 2. Reg. 4. & 5. (h) A. M. 2957. (i) 2. Reg. 6. A. M. 2959.
(k) A. M. 2960. ante Chr. 1040. ante Ær. 1044.

Digitized by Google

nec probare quidem, nec improbare audemus. Ex captivis enim alios tributis obſtrictos ſervavit, alios carpentis ſerratis, & lapidibus onuſtis (qualibus ad trituram utebantur) contrivit. Syriam tandem univerſam, ipſumque Adarezer tributis obnoxium fecit. Ab expeditione regionis ad Euphratem redux, Idumæos in valle Salinarum, fortè inter Palmiram, & Idumæam, profligavit, 18000. eorum cæſis, totaque in regione præſidium reliquit. Tempus harum expeditionum certum ignoratur.

Defuncto Naas Rege Ammonitarum 2. *Reg.* 10. David legatos miſit, qui ſuum de patris obitu dolorem filio ſignificarent (a). Hanc ejus humanitatem ſiniſtrè interpretati Principes Ammonitarum, quaſi ſcilicet ad explorandum regnum Legati veniſſent, Regi perſuaſerunt, ut illos dimidio barbæ raſos, dimidiatiſque veſtibus remitteret. Eam injuriam ulturus David, primò Ducem Joab cum exercitu in Ammonitas, Syroſque ipſis fœderatos miſit; ſequenti verò anno ipſe per ſe idem bellum proſequutus eſt. Ejus expeditionis exitus Davidi favit: qui poſt diſſipatos prælio Ammonitas, Syroſque trans-Euphratæos, ſequenti anno Rabbath Metropolim Ammonitarum reducturus, iterum Joabum cum exercitu miſit.

Cum interim ille Jeroſolymis verſaretur, Bethſabeam conjugem Uriæ Hethæi in balneo domeſtico lavantem, è porticu palatii caſu proſpexit. Eo fortuito aſpectu captus, accita ad ſe fœmina turpiter abuſus, deinde remiſit. Paulò poſt concepiſſe fœminam ex eo congreſſu intelligens, crimini ſuo tegendo, amaſiæque honori conſulturus, Uriam Hethæum in exercitu ſub Joabo ultra Jordanem verſantem illicò ad ſe accitum, juſſit ea nocte in domum ſuam ad uxorem divertere; cum verò Urias regiis juſſionibus non paruiſſet, è veſtigio in caſtra remiſſus eſt cum epiſtola ad Joabum directa, in qua omnem inire rationem præcipiebatur, ut Urias ab hoſtibus opprimeretur. Nec mora: eductis ad urbem oppugnandam copiis, Urias ubi prælium fervebat à ſociis derelictus, ab hoſtibus concluſus, abſumptus eſt. David ejus rei certior factus, illico Bethſabeam in aulam deductam matrimonio ſibi copulavit. Quod quidem Regis ſcelus Deo vehementer diſplicuit, nec Iſraeli ſatis placuit, ipſiſque exteris nomen Dei execrandi præbuit occaſionem (b).

Quare Nathan juſſu Dei Regem adivit, expoſitaque illi parabola divitis, qui pauperculo cuidam unicam, quam poſſidebat, ovem ſubripuit 2. *Reg.* 12. ſententiam contra ſe dicere, ſuumque crimen agnoſcere coegit. Inde Dei ultionem gravioribus verbis denuncians, & domum ipſius ſanguine replendam, & uxores ab extraneo palam violandas minitatus eſt. Cum vero David crimen ſuum fateretur: Tuum, inquit Propheta, Deus à te ſcelus abſtulit, nec morieris: filius tamen tuus è Bethſabee occidet: idque paucos poſt dies contigit. Prioris Infantis obitum natus è Betſabee altero anno puer reparavit (c), cui Nathan Salomonis, ſcilicet *dilecti Deo* nomen impoſuit.

Cum Rabbath in ultimas anguſtias à Joabo redacta, nihil niſi expugnationem expectaret, David à Duce invitatus, ad exercitum veniens, rem ſtatim confecit (d), captamque urbem diripuit; incolas verò medios ſecavit, carpentis ad trituram deſtinatis contrivit, membratim concidit cultris, ac tandem in fornaces coquendis lateribus ſuccenſas conjecit. Quæ certè extremæ crudelitatis exempla in Davide fortaſſe ante expiatum, agnitumque ſum cum Bethſabee crimen, Dei gratia, ac lumine deſtituto, non probamus.

Amnon deinde (e) filius Davidis ſororem Thamar violavit, ut v. *Amnon* diximus; & cædes Amnonis ab Abſalom, & ipſius Abſalom triennale exilium apud Regem Geſſur conſequutum eſt.

Deinde opera Joabi Abſalom à patre 2. *Reg.* 14. Jeroſolymam revocatus, ac tandem coram ſe venire permiſſus. Ea tamen patris indulgentia filius abuſus (f), collecta conjuratorum manu, Regem ſe totius Iſraelis in urbe Hebron ſalutandum curavit A. M. 2981. Re audita, David è Jeruſalem fugiens, ultra Jordanem ſe recipere cogitavit; ipſi verò & ſelectiſſimorum manus, & cuſtodiæ, & amicorum potiſſimi adhæſere. Nec Chuſai Arachites abfuiſſet, niſi David è re ſua fore oſtendiſſet, ſi ille in urbe ſe continens, ſimulata cum Abſalom amicitia, conſilia Achitophelis peritiſſimi conſiliarii, quondam patris, tunc filii, fruſtraſſet.

Fugienti autem David, ac vix montem Oliveti ad orientem Jeruſalem tranſgreſſo, Siba ſervus Miphiboſeth, duobus onerariis cum commeatibus adductis 2. *Reg.* 16. occurrit. Illum David de Miphiboſeth interrogans, audienſque in urbe perſtitiſſe, quòd ſperaret in avitum Regnum ab Iſraelitis ea occaſione eſſe reducendum, continuò bona illius omnia in Sibam tranſtulit. In ea ſententia ferenda Regem plus nimio feſtinaſſe ex eo poſtea compertum fuit, quòd non Regni ſpem, ſed denegatum à ſervo equum, ne Davidem ſequeretur, Miphiboſethum prohibuiſſet.

Iter proſequenti juxta Bahurim obviam factus Semei filius Geræ conviciis illum oneravit; quam quidem indignitatem Rex æquo animo ferens, inſigne patientiæ, atque præteritorum criminum pœnitentiæ documentum exhibuit. Inter hæc Abſalom acclamantibus populis Jeroſolymam ingreſſus, inter cæteros Chuſai Davidis amicum, operam ſuam ipſi offerentem, obvium habuit. Quod quidem ab illo ſimulatum eſt, eaque occaſione conſilium Achitophelis de perſequendo ſtatim Davide, nulla data rebus ſuis providendo opportunitate, fruſtravit: deinde Davidem de omnibus monuit; quare hic Jordanem tranſgreſſus in Mahanaim ſe recepit 2. *Reg.* 17. Interea Abſalom orto ſole, copias contra patrem duxit: nec diu cunctatus prælium miſcuit 2. *Reg.* 18. quo in prælio victoria penes Davidem fuit, Abſalomo verò ad cumulum malorum acceſſit, quòd crinibus arbori implexis, immotus hærens, à Joabo transfoſſus occubuit.

Accepto de nece filii nuncio 2. *Reg.* 19. David altè ingemuit: ſed à Joabo admonitus, è re ſua eſſe, ſi dolorem ſuppримeret, populo ſeſe reſtituens, Jeroſolymam verſus iter recepit. Euntem Tribus Juda ducebat: quod cæterarum Tribuum invidiam, quaſi ſcilicet ſola ſibi Regem tribueret, concitavit; ex invidia ad jurgia, ex jurgiis verò in apertam defectionem, ſuadente Seba filio Bochri 2. *Reg.* 20. ventum eſt. Iſraelitæ igitur omnes, excepta Tribu Juda, in Davidem rebellantes, Sebam ſequuti ſunt. Illis reducendis David Jeroſolymam veniens, ſtatim Joabum cum exercitu contra Sebam miſit. Cum ille Abelam, urbem in regione Macha, ſe recepiſſet, Joab continuò urbem obſedit; neque obſidionem antea ſolvit, quàm caput Sebæ à civibus abſciſſum, ſuadente fœmina illius urbis ſapientiſſima, per muros ſibi demitteretur. Seba extincto ſeditioſi quievere.

Cum fames valida per triennium jam regionem affligeret, (g) Dominus ea de re conſultus reſpondit, injuſtam Gabaonitarum cædem, Saule authore, hujus mali in populum inducendi cauſam præbuiſſe 2. *Reg.* 21. Accitos propterea Gabaonitas poſtulavit David,

(a) A. M. 2968. ante Chr. 1032. ante Ær. 1036. (b) 2. Reg. 12. 24. A. M. 2970. ante Chr. 1030.
(c) A. M. 2971. ante Chr. 1029. ante Ær. 1033. (d) A. M. 2969. ſive 2970.
(e) An. M. 2972. ante Chr. 1028. ante Ær. 1032.
(f) 2. Reg. 15. A. M. 2980. ante Chr. 1020. ante Ær. 1024.
(g) A. M. 2983. ante Chr. 1017. ante Ær. 1021.

David, ecquid ſibi pro injuria rependi vellent? Illis ſeptem filios Saulis in crucem agendos concedi poſtulantibus, Rex acquievit; ſeptemque ex familia Saulis in crucis ſupplicio Gabaæ, patriæ Saulis, abſumpti ſunt.

Procedente tempore (a), univerſum ſuæ ditionis populum David recenſeri præcepit: quod Domino adeò diſplicuit, ut miſſo Gad Propheta, tribus propoſitis ærumnis, Regi quam potiùs mallet eligendi fecerit optionem (b), peſtemne tridnanam, an ſeptennalem famem, an infauſtum per tres menſes bellum. David peſtem elegit; qua ſequenti die in populum immiſſa, tribus diebus 70000. hominum abſumpſit. Quin nec totus ſententiæ rigor expletus eſt; deprecante quippè Davide, Deus Angelo exterminatori ceſſandum præcepit. Quo accepto beneficio, Rex altare in area Ornan erexit: eo nimirum in loco, ubi Angelus Davidi viſus eſt, ſubindeque Templum Domini erectum fuiſſe creditur.

Cùm Rex fatiſcente jam ætate, foveri non poſſet (c), ad hunc uſum Abiſag Sunamitis puella frigido ſeni & fomes & ſolatium adjuncta eſt. Hanc quidem nos verè matrimonio cum Rege conjunctam, quamvis virginem poſtea relictam, fuiſſe credimus. Interim Adonias inter Davidis liberos prior, & apparatum ad Regiam dignitatem ſubſtruendam, & Principum favorem ad illam obtinendam ſibi comparabat. Quibus à Nathano Propheta, promiſſorum Domini in Salomonem memore, intellectis, Bethſabee de omnibus monuit, ſimulque ut Regem adiret hortatus eſt. Illa verò cum Rege colloquente, Nathan ſuperveniens narravit, Adoniam ipſo inſcio, atque Deo invito, qui Salomonem regno deſtinaverat, Regnum affectare. Illico David Salomonem regiæ mulæ impoſitum, & in Gihon adductum, Regem conſecrari juſſit; idque continuò executioni mandatum eſt.

Novum Regem David morti jam proximus (d) ad ſe accitum, pluribus eſt allocutus. Primò, omne illi aurum, atque argentum in uſum Templi erigendi præparatum; tum ejuſdem Templi ichnographiam deſcriptam tradidit (e). Secundò, monuit, ut in Joabum populi favore impune illuc uſque flagitioſum, condigna pœna animadverteret. Hoc enim juſtitiæ, & poſteritati debitum ſibi perſolvendum cenſuit piiſſimus Princeps. Tandem conviciorum, quibus Regiam dignitatem Semei offenderat, vindicem illum conſtituit. Poſt hæc omnia, David diem clauſit, ejuſque corpus in urbe David ſepulturæ mandatum eſt *An. M.* 2990. *antè Chr.* 1010. *antè Ær.* 1014. Obiit autem ætatis anno 71. regni in Hebron, ſeptem ac dimidio; in Jeruſalem, 37.

In ejus tumulo theſauros planè ditiſſimos à Salomone conditos tradit Joſephus (f); ex quibus poſtea 3000. talenta Hircanum Pontificem, ab Antiocho pio Jeroſolymis obſeſſum, effodiſſe; eorumque partem Regi tradidiſſe, ut ab obſidione deſiſteret. Addit inſuper, Herodem diù poſt maximam pecuniæ vim ex eodem tumulo eruiſſe.

Hanc hiſtoriam fortè Joſephus partim ex hebraicis monumentis, partim ex vulgari traditione conflavit. Etenim in Mſſ. Arabicis, quæ Cl. le Jay in ſuis polyglottis inſeruit, legimus Hircanum Pontificem, quo tempore Jeruſalem ab Antiocho Sidete obſidebatur, theſaurum olim ad quemdam ex poſteris David ſpectantem, recluſiſſe; undè ingentibus erutis pecuniis, nec minori ſumma relicta, iterum clauſiſſe. Hæc quidem hiſtoria à Joſephi narratione plurimùm diſcrepat.

Benjamin Tudelenſis, qui circa annum 1173. ſcribebat, narrat ante annos quindecim, cum ruina cujuſdam muri montis Sion repararetur, viginti conductis operariis, duos fortè poſt operam diei, ſolos aliis diſcedentibus relictos, fortuito lapidem removentes, ſubterranei cujuſdam loci aditum recluſiſſe. Eo ingreſſis Palatium occurriſſe, marmoreis columnis fultum, auri, argentique obductum cruſta. Hoc, inquit Benjamin, Davidis erat monumentum, cui è regione aliud ſimilis operis pro Salomone extabat. Nec deerant in loco urnæ, quas nec ſcrutari potuere: inſuper ejuſdem ædificii penetralia introſpicere incipientes, ſubitus exortus turbo in terram dejecit, eo terrore, ut ſenſibus deſtituti ad veſperam uſque permanſerint: ſub veſperam verò animis paulum confirmati, cujuſdam vocis monitu e loco receſſerunt. Hanc hiſtoriam quamquam ex Abrahamo Pharisæo didiciſſe Benjamin aſſerit, qui ea de re à Patriarcha Hieroſolymitano conſultus, monumentum eſſe Davidis cenſuerat, fabulam tamen eſſe nemo ſanæ mentis negabit.

Illud tamen conſtat, Davidis ſepulchrum maximo ſemper in honore apud Judæos fuiſſe. Illud autem ſuo tempore ſuperfuiſſe teſtatur S. Petrus *Act.* 2. 29. ejuſque partem regnante Adriano concidiſſe teſtatur Dio (g); ex quo intelligimus, ne Paganos quidem latuiſſe. Ad hunc etiam tumulum oratum veniſſe S. Hieronymum, ipſe de ſe perhibet in Ep. ad Marcellam. Sepulchri, quod Davidis credebatur, ſchema exhibuit Cardinalis Grimanus (h); ſicut & de ſepulchris in ſaxo exciſis operis magnificentiſſimi, ad uſum, ut vulgò creditur, Regum Juda, ſermo eſt apud recentiores Itinerantes (i), ex quibus tamen vetuſtate patrius, quod potiſſimùm ad Davidem pertineat, arduum eſt diſcernere.

(Vati huic authori vulgò tribuitur Pſalmorum Liber, & ſub ejus nomine ſacra illa carmina laudantur. Magno quidem numero ab illo dictata utique fatemur; ſed omnia indiſcriminatim ipſi authori aſſerere ægrè admodum admitteremus. Vitio vertit Amos Iſraelitis cap. 6. 5. quod ſomno ſe darent in lectis eburneis, fallerentque tempus muſicis inſtrumentis ac voce ludendo, atque, ait, *ſicut David putaverunt ſe habere vaſa Cantici.* Vide v. *Pſalms.*

Hiſtoriam hujus Regis plurimis adjectis inſerſerunt Judæi (k). Narrant Iſai ejus patrem famulam ad crimen ſollicitaſſe, ſed heram, ab eadem famula admonitam, clam ſe ſubſtituiſſe in locum ipſius, & è furtivo illo congreſſu conceptum prodiiſſe Davidem. Ratus Iſai filium hunc debere ſe famulæ, ceu mancipium miſit gregibus curandis, indignumque reputavit, ut coram Samuele ſtaret. Apertè tamen denunciavit Propheta futurum, ut lapis reprobatus evaderet in caput anguli. Natus eſt David ferens ſignaculum circumciſionis, quod probant Hebræi ex titulo Pſalmorum quorundam inſcriptorum: *Michtam*, i. e. perfectè percuſſum, quod exprimit, inquiunt, manu Dei factam circumciſionem. Malunt alii, dilatam illi circumciſionem fuiſſe ad annum ætatis 14. quo temporis momento Deum virum hunc verbis illis compellaſſe; *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; eodem etiam temporis articulo, quo natus prodiit vivere ceſſaſſet, niſi Adam à Deo certior ex de re factus, 70. ætatis annos ſibi demptos in illum contuliſſet. (l).

Fertur David rufus perinde ac Eſau & aſpectu parùm amœno fuiſſe, ex quo primo intuitu Samuel virum efferatis moribus judicaſſet, abjeciſſetque, niſi accurriſſet Deus, admonens, Eſau privato jure & nulla ſervata æqui juſtique lege homines interemiſſe; David autem neminem occiſurum inconſulto Sanhedrin. Cùm David obliquo oculo aliquem reſpiceret, reddebat actutum lepro-

(a) An. M. 2987. ante Chr. 1013. ante Ær. 1017. (b) 2. Reg. 24.
(c) 3. Reg. 1. A. M. 2989. ante Chr. 1011. ante Ær. 1015.
(d) A. M. 2990. ante Chr. 1010. ante Ær. 1014. (e) 3. Reg. 2.
(f) Antiq. l. 7. c. ult. A. M. 3870. ante Chr. 130. ante Ær. 134. (g) Dio in vita Adrian.
(h) Apud Seſtinon de Architect. l. 3. & apud Pined. de Reb. Salom. l. 8. c. 3. (i) *Doubdan ch 26. Morizon, &c.*
(k) Bartoloc. Biblioth. Rabinic. tom. 2. pag. 42. &c. Baſnag Hiſt. Judæor. lib. 6, cap. 19. art. 5. 6.
(l) Hæc eſt etiam Muſulmanorum traditio, Bibl. Orient. pag. 284.

leproſum; refelvit id experimento ſuo Goliath, cujus facies lepræ ſubita plaga percuſſa eſt. Idem, & pejus aliud, in ſe expertus eſt Joab. Ipſe pariter David lepram contraxit, recepitque ſe Deus ab illo, deſeruit Sanhedrin, ſolidis menſibus ſex, quibus morbus perſeveravit.

Cùm ſe obtulit Sauli, ut facultatem ineundi cum Goliath certaminis impetraret, obſtupuit Rex, admirans armaturam ſuam ita viro aptari, quaſi ſcilicet pro illo fabricata eſſet, quanquam corporis habitu eſſent utrique diverſi. Reputavit ſtatim apud ſe futurum, ut David in Regno ſibi ſuccederet. Quæ Regis meditamenta penetrans alter, recuſavit armaturam.

Abſalom ejus filius ſententia damnatus erat ad Inferos, jamque è ſeptem, quæ ducunt in Inferna, portis, quinque pertranſierat, cùm David opportunè quinquies inclamavit: *Abſalom fili mi*; & ad ſingulas patris inclamationes filius è portis illis unam remeando tranſgrediebatur. Tum David verſiculum illum Pſalmi 85. 17. occinuit: *Fac mecum ſignum in bonum, ut videant, qui oderunt me & confundantur.*

Narrant inſuper Davidem lyram habuiſſe, quæ tangente nemine ſonum ederet per noctem, certo quodam venti flamine adſpirante; quo interdum ſono excitatus Rex ſomno jactitabat ſe, quaſi ſcilicet auroram ipſe excitaret, cùm Reges alii aurora excitarentur. Addunt, adſcitas fuiſſe ab illo in torum duas ſuperſtites ſorores, filias Saulis, i. e. Merob, & Michol; ſcitum eſt tamen oppigneratam ſibi Merob, nunquam tamen in conjugem obtinuiſſe. Eundem Regem accuſant quaſi vanis Aſtrologorum ſtudiis addictum, quin nec magiam reſpuiſſe, nec etiam idololatriam, lapſum etiam dicunt in extremam ſalutis ſuæ deſperationem.

Quod autem abſurdorum omnium eſt abſurdiſſimum, illud eſt, nimirum de obitu ejuſdem Patriarchæ hæc ab illis narrari. Admonitus revelatione notat exitum ſibi vitæ inſtare die Sabbati, quem ſanè diem emortualem ſibi futurum ægrè ferebat, cum nefas eſt ea ſeu plorare ſeu curare funera. Quare dilationem rogavit uſque manè alterius diei, ſed non impetravit, id tantum concedente Deo, ut veſpere Sabbati vitam clauderet. Opperiebatur Diabolus momentum, quo ceſſaret à lectione Legis, ut mortalem ictum infligeret, ſed cum operi inſtaret perpetuo, reputavit Satan ad avocandum à lectione virum poma ſibi in horto regio ex arboribus excutienda eſſe. Ad inopinum fragorem accurrit David, & cùm raptim deſcenderet per ſcalam nemoris, deprehendendo furi, Diabolus ſcalam ſeduxit à ſe, ac præceps corruens David interiit.

Canum injuriæ permiſſum eſt ejus cadaver, quod Sabbati religio ab eo curando omnes deterreret. Quid in triſti & inopinato eventu facto opus eſſet conſulta Academia, reſpondit, fruſtula panis circa cadaver ipſum projicienda eſſe, quibus vorandis occupatæ belluæ abſtinerent à carnibus tandiu, quandiu dies Sabbati abſolveretur. Opportune illi quidem, nam canes panem prætulerunt cadaveri, atque ita proviſum, ut Rex mandaretur ſepulturæ. Ita maximè ſerias hiſtorias deridiculo tradunt commentis ſuis inſcientes Doctores Hebræi. Nec ſanè illis referendis bonas horas impenderemus, ſi vel genium noſtrum vel ejuſmodi rerum contemptum attenderemus; ſed hominum errores & deliria noſſe in partem ſapientiæ cedit: *Tranſivi ad contemplandam ſapientiam, erroreſque, & ſtultitiam*, ait Eccleſiaſtes 2. 12.

Neque, cum de Davide agitur, minùs fabuloſa obtrudunt Muſulmani (a). Narrat de illo Mahometus occidiſſe Goliath, atque largiente Deo obtinuiſſe Regnum ac ſapientiam, & quicquid ſcire maximè optaſſet. Quo in loco Commentarium ſuum addens Scriptor quidam (b) venditat, Saulis exercitum integrum conſtitiſſe militibus 313. tantùm, quos ideò ſelegerat Deus, quòd rivi aquam hauſtam manu deguſtaſſent. Confundit iſte Gedeonis hiſtoriam cum Saule. Poſtquam David Goliath interemit, *Deus illi Regnum dedit*; ideo ſcilicet, quia Saul & filiæ ſuæ nuptias & Regni mediam portionem appromiſiſſet viro, qui Gigantem interemiſſet. Non diù poſt decedente Saule David in poſſeſſionem Regni ipſius immiſſus eſt. Dedit illi pariter Deus ſapientiam, i. e. prophetiæ donum, & Pſalmorum libro pangendo Spiritum. Tandem Deus illi non invidit, *quidquid ſcire maximè optaſſet*, i. e. artem indidit conficiendi loricas, cilicina ſaga, & cætera id generis, queis potiſſimùm exercebantur Prophetæ; vel etiam adjecit donum mente percipiendi quid ferrent avium ſermocinationes. Addunt nonnulli aves & lapides habuiſſe ad nutum ſubjectos, ferrum poſuiſſe in manibus ejus rigorem, & toto illo ſpatio temporis, 40. ſcilicet dierum, quo peccatum ſuum flevit, largas adeò atque fœcundas liqueſcebat in lacrymas, ut ea illarum rivo plantæ irrigatæ adoleſcerent.)

DEBASETH, urbs Zabulon. *Joſ.* 19. 11.

DEBALAIM, pater Gomer, uxoris Oſee Prophetæ. *Oſee* 1. 3.

DEBERA, urbs Benjamin, antea ad Judam pertinens. *Joſue* 15. 7.

DEBLATA, *Deblataim*, ſive *Helmon-Deblataim*, urbs transjordanina, ad radicem montis Nebo, ſive Phaiga.

DEBORA, fœmina Propheris, & uxor Lapidoth *Judic.* 4. 4. quæ ſub palma inter Ramam & Bethel ſedens, Iſraelem judicabat. Accitum Barac filium Abinoem, juſſit Dei monitu coactum 10000. virorum exercitum, ad Thaborem adducere in Siſaram Ducem exercitus Jabin, victoriam certò pollicita. Illo nonniſi Debora comite, hoc bellum ſe ſuſcepturum ſignificante, Propheris adeſſe conſenſit; ſed futurum prædixit, ut ea victoria non ipſi Barac, ſed fœminæ tribueretur; cujus oraculi veritatem poſtea eventus probavit (c). In Libro Judicum c. 5. Canticum extat, quod parta victoria, Debora, & Barac in gratiarum actionem Deo cecinere.

DEBORA, nutrix Rebeccæ, quæ regredientem è Meſopotamia in Chananitidem Jacob ſequuta, in eadem regione obiit, prope Bethel ſepulta ſub quercu, quæ inde dicta eſt *Quercus fletus* (d). Debora *apem* ſignificat.

DECACHORDON, inſtrumentum muſicum, decem fidibus conſtans, Hebræis *haſur*, *Harpa* noſtratis ſimilitudinem referens, forma triangulari, ventre cavo & reſonanti inferiùs (e).

DECALOGUS, vox ex Græco *deca*, decem, & *logos*, verbum: quo nomine appellant Judæi decem potiſſima Moſaicæ legis præcepta, in decem & ſeptem prioribus verſiculis Capitis 20. Exodi expreſſa. Vide *Lex*.

DECAPOLIS, regio Palæſtinæ, nomen trahens à decem præcipuis urbibus, aliis citra, aliis ultra Jordanem, in ea contentis. Potiſſima eſt *Scythopolis*: aliæ juxta Plinium *l.* 5. *c.* 18. ſunt *Philadelphia*, *Raphana*, *Gadara*, *Hippos*, *Dion*, *Pella*, *Geraſa*, *Canatha*, *Damaſcus*. Alii tamen alias urbes pro iſtis enumerant, eodem Plinio authore. Decapolim Chriſtus crebris prædicationibus luſtravit; quare de illa bis vel ter ſermo in Evangelio occurrit *Matth.* 4. 45. *Mar.* 5. 20. & 7. 21.

DECIMÆ. Omnium vetuſtiſſimæ ſunt decimæ illæ, quas Abraham poſt regreſſum ab expeditio-

(a) Bibl. Orient. pag. 284.
(b) Alcoran. cap. Bacrat.
(c) An. M. 2719. ante Chr. 1281. ante Ær. 1285.
(d) Gen. 35. 8. An. M. 2266. ante Chr. 1734. ante Ær. 1738.
(e) Vide Nuſt. Diſſert. de inſtrum. Hebr. ad Comment. 1. tomi in Pſalmos.

ditione in Codorlabomor, & quatuor cum illo fœderatos Reges, Melchiſedecho Regi Salem obtulit ex omnibus ſcilicet ſpoliis decimas tradidit *Gen.* 14.22. Illuſtris Avi veſtigia relegens Jacob, ipſe quoque ex omnibus, quæ è Meſopotamia adduxerat, decimas Domino conſecravit *Gen.* 28. 20. In Lege quoad decimas hæc præſcribuntur *Levit.* 27. 30. *&c. Omnes decimæ ſivè de frugibus, ſivè de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas ſuas, addet quintam partem earum. Omnium decimarum bovis, & ovis, & capræ, quæ ſub paſtoris virga tranſeunt, quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino.*

Phariſæi Chriſti ætate, ut omnium religioſiſſimi haberentur, non eorum tantùm, quæ ſub generico *proventuum* nomine cenſentur, vini nempe, tritici &c. ſed & olerum, cæterarumque hortenſium herbarum, de quibus nihil in Lege, decimas pendebant. Exactiorem hanc obſervantiam Chriſtus non reprobavit quidem, ſed offerentium hypocriſim, & intolerabilem arrogantiam deteſtatus eſt *Mat.* 23. 23. Quidquid ſativum ad cibum pertinet, totum decimarum & primitiarum legi in Talmud ſubjicitur (a).

Decimæ ex iis deducebantur, quæ poſt oblationes, & primitias ſupererant, & ad Levitas Hieroſolymam deferebantur, ut à Joſepho *Antiq. l.* 4. *c.* 8. & Tobia *s.* 6. innuitur. Decimis verò non antea uti poterant Levitæ, quàm ex his decimas Sacerdotibus ſolviſſent.

Poſt has decimas Levitis perſolutas, ex bonorum reliquo adhuc aliæ decimæ ſegregabantur, Hieroſolymam transferendæ, vel, ſi longa eſſet via, ipſarum pretium, & inſuper, juxta Rabbinos (b), quinta pretii pars, argento repenſa. Simile quid erant agapæ Chriſtianorum. In hanc rem duo ex Deuteronomio loca à Rabbinis laudantur (c). *Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus tuis, qui naſcuntur in terra per annos ſingulos, & comedes in conſpectu Domini Dei tui.* Et alibi Deut. 12.17.18. *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorum, & pecorum, & omnia, quæ voveris .... ſed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, tu, & filius tuus, & filia tua, & ſervus, & familia, atque Levites.* Porrò horum conviviorum in Templo, & Hieroſolymis meminit Joſephus *Antiq. l.* 4. *c.* 8.

Cum Tobias in urbe moraretur, in qua nulli erant Sacerdotes, & Levitæ, ideò fortaſſe de illo narratur *Tob.* 1. 16. ſingulis trienniis *proſelytis & advenis miniſtraſſe omnem decimationem.* De his decimis triennalibus Moyſes hæc præcipit *Deut.* 14. 28 & 26. 12. *Anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus, quæ naſcuntur tibi eo tempore, & repones intrà januas tuas. Venietque Levites, qui aliam non habet partem, nec poſſeſſionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui juxtà portas tuas ſunt, & comedent, & ſaturabuntur, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus.* Porrò hanc triennalem decimam non aliam tertiam decimarum ſpeciem conſtituiſſe credimus; ſed decimas illas, quæ ſingulis annis Jeroſolymam transferebantur, ſemel ſingulis trienniis in propria cujuſcumque regione impendi conſueviſſe.

Decimas etiam à Rege exigendas prædixit Samuel Propheta 1. *Reg.* 8. 15. 16. *Greges quoque veſtros addecimabit.* Quamquam autem nihil occurrit in hiſtoria Judæorum, quo intelligamus decimas in annuum Regis proventum ceſſiſſe, jus tamen illas exigendi vulgò Reges Orientales ſibi vindicaſſe ex verbis ejuſdem Prophetæ colligere videmur (*).

(Lex ſolvendi decimas contraria conſuetudine ceſſavit jam apud Judæos, vel ſaltem nulla ſe ad illas obligatione teneri cenſent (d), niſi ſi qui fortè inter illos ſedes habeat conſtitutas in ſubjecta Jeruſalem & veteris Judææ regione. Ideo autem Legis diſpoſitionem illam à ſe amovent, quòd rari ſint hodie, latifundia vel greges jure proprio habentes; modicum quid tantummodo ſolvunt ad redimendos primores natu, conferunt id autem viris illis, qui vel dubiis quibuſdam documentis aſſerunt genus referre ſe à Sacerdotibus ſeu Levitis. Feruntur tamen viri quique in gente religioſiſſimi proventuum ſuorum omnium decimam in egenos diſtribuere.

E latifundiis ſuis decimas ſolvunt pariter Miniſtris Domini Chriſtiani non lege quidem ulla, ſive à Jeſu Chriſto lata, ſive ab Apoſtolis promulgata coacti. Nihil enim à J. C. ea in re proviſum, quo tantùm cavente juſſi ſunt Apoſtoli, dum ad annunciandum Evangelium in Urbes Iſrael mitterentur (e), nè quid ferrent ſecum, nòn peram, non commeatum; mandatum eſt illis, ut ultrò offerentium hoſpitium acceptarent, quidquid apponeretur, deguſtarent: *Dignus eſt enim,* inquit, *operarius mercede ſua,* qua vitam toleret. Mandat Apoſtolus Galat. 6. 6. ut qui ab aliquo inſtituitur, admittat inſtituentem in bonorum ſuorum ſocietatem. Is enim naturæ ordo conſtitutus, nec niſi æquiſſimum reputandum, ut qui Altari inſervit, vivat de Altari (f); quis enim ſuis impenſis unquam geſſit bellum?

Olim tamen ab exordio Eccleſiæ ſolis largitionibus, & oblationibus Fidelium detinebantur Miniſtri Altaris. Procedente tempore latifundia, & certi proventus Eccleſiis & Miniſtris Domini aſſignari cœperunt; & maturè ſatis obtinuit inter Fideles, ut ex proventibus ſuis aliquid certum ſegregarent ad illorum uſum, quod *decima* appellatum eſt, ex affinitate quadam ad decimas indictas pro Sacerdotibus Veteris Legis; quanquam ſpontè quiſque, nulla adactus ſeu neceſſitate daret, ſeu certa ſibi ea inducta mulcta. Tandem Epiſcopi inito conſilio cum Principibus ſæcularibus legem ea de re ſtatuerunt, qua juberentur Chriſtiani è latifundiis & proventibus ſuis decimam conferre. Cum autem hæc non unius temporis opus fuerint, nec ubique una eademque lege indicta, certa epocha determinari pro inducta decimarum obligatione vix ac ne vix quidem poſſet. Conſtat tamen vetuſtum eſſe morem, adeò ut ſexto ſæculo jam invaleret, quanquam non conſtanti ratione, nec æqua præcepti ſanctione ubique. Cenſet Origenes in Numer. Hom. 11. Moſaicas illas de primitiis ac decimis leges manſiſſe adhuc ſub Evangelio. F. Paulus in ſua de Beneficiis lucubratione aſſerit, nullum obtinuiſſe ſolvendi decimas morem ſive in Oriente, ſive in Africa ante octavum, & nonum ſæculum; qui verò exactiùs idem argumentum excuſſerunt, demonſtrant vel à primis ſæculis id ſervatum, ut penderentur. Cum hodie Oriens univerſus ſub jugo Infidelium Principum gemat, decimas ne nomine quidem noſcit.

Barbaræ quæque gentes, Græci & Romani idololatriæ addicti, communi cæteris omnibus Religionis ſenſu inducti, decimas non rarò contulerunt in Deos ſuos; aliæ quidem gentes certam illam ſibi conſtituentes legem; aliæ in ſingularibus rerum eventibus temporaria quadam pietate ad id religionis adactæ. Negotiatores Arabes nunquam commiſiſſent, ut thuris aliquid venderent, non ſoluta decima Deo Sabi (g). Religione ſanctum id habebant Perſæ, ut de hoſtium manubiis decimas Diis ſuis ſegregarent (h); nec id pariter à ſe alienum cenſebant Scythæ, decimas ad Apollinem mittentes (i). Obtinebat apud Carthaginienſes, qui Tyriorum Coloniam ſe norant, ut decimis è proventibus ſuis omnibus Tyrum miſſis, avitas

ſedes

(a) Seder Seraim Maſſec. (b) Vide *Lyran.* in Deut. 14. 22. 23.
(c) Deut. 14. 22. 23. (*) Vid. noſt. Comment. in Levit. 27. 30.
(d) Leo Modena part. 2. c. 12. (e) Matt. 10. 10. Lucæ 10. 7. 8. (f) 1. Cor. 9. 13.
(g) Plin. lib. 12. cap. 14. (h) Xenoph. Cyropæd. lib. 4. 5. 7.
(i) Solin. cap. 27. Mela lib. 2. cap. 5.

ſedes agnoſcerent (a); decimas pariter è redacta in poteſtatem Sicilia ſubmiſerunt ad Herculem Tyrum. Porrò naves ſolemnes Carthaginienſium decimas Tyrum deferentes eo appulerunt, paulò ante Urbis ab Alexandro obſidionem (b). Scribens ad Solonem Piſiſtratus (c), ut rediret Athenas, ideò potiſſimùm ſuadere conatus eſt, quòd Athenienſes decimam proventuum ſuorum conferrent offerendis in Deos ſacrificiis. Pelaſgi, qui ſedes in Italia conſtituerant, mandatis onerati ſunt ab Oraculo, ut miſſis decimis Apollinem Delphicum agnoſcerent (d). Meminit non ſemel Plutarchus moris apud Romanos obtinentis, offerendi è manubiis decimas Herculi.

DECIMUS eſt non rarò certa quædam menſura: *Decimam ſimile*, nempè *Gomor*, vel *Aſſaron*, decima pars *Ephe* vel *Bathi*. Porro nomen *decima* formatum eſt ex Hebræo Aſſaron, quod eſt ex *Aſar decem*. Implet autem Aſſaron 3. pintas Pariſienſes circiter.)

DECLA, ſeptimus inter filios Jectan *Gen.* 10. 27. cujus poſteri ſivè Arabiam felicem, ſivè Aſſyriam incoluiſſe creduntur; Arabiam quidem, quia palmis abundat, Syriacè & Chaldaicè *Decla* appellatis; Aſſyriam verò, quia urbem habet nomine *Degla*.

DECURIO, decem militum præfectus in exercitu Romanorum, quin etiam Hebræorum *Exod.* 18. 21. 25. *Deut.* 1. 15. Moyſes ſiquidem, authore Jethro ſocero ſuo, plures conſtituit præfectos, judices, & duces populi in pace, & bello, & inter cæteros, Decuriones non omiſit. Eamdem ac Moyſes diſpoſitionem in conſtituendis Præfectis exercitus, Judas Machabæus obſervavit 1. *Mach.* 3. 35. quin & Joſeph ab Arimathea *nobilis Decurio* in Evangelio appellatur (e), quamvis in Græco ſit, *Dives Conſiliarius*, ſivè, *dives Senator*, & apud S. Lucam (f) tantùm *Conſiliarius*. Solebant Senatores municipiorum, & Coloniarum, *Decuriones* appellari; quare fortaſſe Author Vulgatæ Græcum *Bouleutes*, *Senator*, reddidit, *Decurio*.

DEDAN, Iſaiæ *Dedanim*, populi in Idumæa, ſivè in Arabia inter Mare Mortuum, & Petram Arabiæ Metropolim (g).

(Dedan Arabiæ vel Idumææ Gens. Vide ſupra *Dadan*. Non ſine veri ſpecie credimus, duo hæc nomina idem deſignare, ac gentes appellatas *Dedan* vel *Dedanim* in Iſaia, Jeremia & Ezechiele, & genus referre è poſteris Dadan filii Rhegma nepotis ex filio Chanaan, Geneſ. 10. 7. vel ex *Dedan* filio *Jecſan*, & Abrahami per Cethuram nepote; Geneſ. 25. 3. Alium verò ab altero diſtinguere arduum eſt maximè, quòd expreſſi utriuſque *Dadan* vel *Dedan* in Scriptura characteres non ſatis diſtinguuntur inter ſe. Propheta Iſaias 21. 3. Jeremias 25. 23. & 49. 8. ac Ezechiel 25. 13. accenſent non obſcurè populos Dedanim Arabibus, & Idumæis in latis adverſus illos vaticiniis. Impleta hæc autem credimus ſub Nabuchodonoſore gentes illas omnes ſub jugum mittente, quinque annis poſt captam Hieroſolymam (h). Dedan inter mercatores ad Emporium Tyri venientes, recenſet Ezechiel 27. 15. 20. & unà cum Gog & Magog deſolationem inferentibus in ditionem Iſrael, illos exhibet idem Propheta cap. 38. 13. Cùm autem gentes iſtæ facilè loca tenerent in Arabia deſerta, certas earum ſedes definire nequaquam fieri poſſe judicamus. Cum Arabibus attondentibus circùm comas jungit Jeremias: *Et Dedan, & Thema & Buz & univerſis, qui attonſi ſunt in comam.*)

DEDICATIO. Ritus, quo locus, Templum, & vaſa Divino cultui addicebantur. Sic Moyſes erectum in deſerto Tabernaculum (i), itemque vaſa ipſius ſervitio addicta dedicavit. Eandem cœremoniam Salomon pro erecto à ſe Templo 3. *Reg.* 8. & Iſraelitæ poſt regreſſum è captivitate, pro inſtaurato eodem Templo *Eſdr.* 6. 16. 17. ſolemniter, atque innumeris mactatis victimis innovarunt. Machabæi tandem 1. *Mach.* 4. 52. poſt capiatum Templum, ab Antiocho Epiphane olim pollutum, dedicationis Altaris feſtum inſtituerunt: cujus hyemali tempore ſingulis annis recurrentibus ſolemniis, Chriſtus quondam adfuiſſe creditur *Joan.* 10. 22.

Neque religioſæ tantùm dedicationes rerum ſacrarum occurrunt, ſed etiam urbium, mœnium, & portarum, quod poſt reſtitutam Jeruſalem ſub Nehemia ſervatum eſt 2. *Eſdr.* 12. 27. quin & ipſarum domorum, uti ex Pſalmo 29. pro dedicatione Domus Davidis inſcripto, intelligimus. In Lege præceptum eſt, ut inituris prælium Judæis, Duces antea elata voce clamarent: *Quis eſt homo, qui ædificavit domum novam & non dedicavit eam? vadat, & revertatur in domum ſuam, nè fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eam.* Potiſſimus hujus cœremoniæ ritus in eo, juxta Rabbinorum doctrinam, ſitus erat, quòd poſt pronunciatas benedictiones, verba quædam Legis in membrana deſcripta, & in arundine, ſive alio cavo baculo recondita, in ſuperliminari affigerentur (k).

Ex Judæis dedicationis rerum ſacrarum ritus in Chriſtianos, imò & in cæteras Orbis Nationes, & Religiones manavit; de quibus tamen utpote ad S. Scripturam non pertinentibus, agendum nobis non eſt.

(Sua etiam fuit dedicatio, uti nec ambigentes affirmamus, Templo ab Herode reſtituto; reformatum eſt enim in majorem elegantiam ac magnificentiam, quàm priùs in reparatione poſt captivitatem. Solemnem ejus dedicationem celebravit Herodes, cui etiam Feſto augendo voluit, ut eadem dies componeretur cum anniverſaria Regni à ſe primùm initi (l). In Regem autem declaratus fuerat exeunte anno 3964. ante J. C. 36. ante Æram 40 quare & Templi dedicatio incidit in exitum anni 32. Herodis, Mundi 3996. & ante J. C. 4. Nec inveroſimiliter reputaremus de ipſa eadem dedicatione ſermonem eſſe Joannis 10. 22., ubi ... perſeverante hyeme celebratam, & præſentia Jeſu Chriſti illuſtratam legimus (m).

DELEAN, urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 38.

DELTA, quarta alphabeti Græci litera, ex Hebræo *Daleth*. *Delta* Geographis eſt Ægypti pars, quam Nilus ſeptifido amne in Mediterraneum influens definit: *Septemplicis oſtia Nili*. Regio iſta literam *Delta* referre videtur, cujus baſis ad Mediterraneum terminatur, cuſpis ad Magnam-Cairum ſpectat.

I. DEMAS, Theſſalonicenſis, vir quondam Apoſtolo Paulo addictiſſimus *Coloſſ.* 4. 14. & in Romano carcere potiſſimùm non inutilis. Procedente verò tempore *circa an. Chr.* 65. Apoſtolo, religioſæque vitæ propoſito abjecto 2. *ad Timoth.* 4. 9. in Patriam ſe recepit; ubi & ad hæreſim Cerinthi, Ebionis, aliorumque Chriſti divinitatem negantium deſciviſſe tradit S. Epiphanius *hær.* 51. imò & penitus ejurato Chriſto, Idolorum Sacerdotio initiatum Dorotheus in Synopſi ſcribit. Alii verò (n) falſa perſuaſione ducti, ſecundam Epiſtolam ad Timotheum in carcere Romano ſcriptam fuiſſe, & ante Epiſtolas ad Coloſſenſes, & ad Philemonem, ipſum autumant reſipuiſſe, deque eo dictum interpretantur illud S. Ignatii in Epiſtola ad Magneſianos, Epiſcopum nempe illorum populorum *dignum eſſe Deo*.

II. DEMAS, ſeu ut alii vocant, *Dumachus*, nomen, ex aliquorum opinione, unius ex latronibus, qui unà cum Jeſu crucem ſubierunt.

I. DE-

(a) Diodor. lib. 20. (b) Q. Curt. lib. 4. cap. 2. (c) Laert. lib. 1.
(d) Dionyſ. Halicarn. (e) Marc. 15. 43. Εὐσχήμων βουλευτής.
(f) Luc. 23. 50. βουλευτὴς ὑπάρχων. (g) Vide Iſ. 21. 13. Jer. 25. 23. & Ezech. 25. 13.
(h) Joſeph. Antiq. lib. 10. cap. 11. (i) Exod. 40. Num. 7.
(k) Vide Chald. ad Deut. 6. Talmud. Maimon. Halac Tephilim.
(l) Antiq. lib. 14. c. 25. 26. & lib. 15. c. 14. (m) Baſnag. Antiq. Judaic. tom. 1. pag. 1[illegible].
(n) Eſtius, Grot. Menoc. Carmeſ. in 2. ad Timoth.

Digitized by Google

I. DEMETRIUS PHALEREUS, Philoſophus Platonicus, Theophraſti diſcipulus, qui poſt adminiſtratam decem annorum ſpatio Rempublicam Athenienſem, tanto populorum plauſu, ut 360. ærearum ſtatuarum honore dignus habitus fuerit, deinde Athenienſibus ipſis adeò inviſus eſſe cœpit, ut eo abſente, & ſtatuæ dejicerentur, & capitalis in ipſum ſententia pronunciaretur. Demetrius igitur Athenis damnatus, ad Ptolomæum Lagi Ægypti Regem confugit, ubi fortunam nihilo æquiorem nactus eſt; ſiquidem apud Ptolomæum agens, ut excluſo à Regno Ptolomæo Philadelpho natu majori, Euridicis filios præferret, à Philadelpho rerum potito, in exilium actus eſt, ubi aſpidis morſu ſibi necem conſcivit (a).

Hujus geſta ideo in hoc Dictionario retulimus, quòd nonnullis credatur author fuiſſe Ptolemæo Philadelpho Verſionis S. Scripturæ ex Hebræo in Græcum curandæ. Quorum quidem ſententis tum ex iis, quæ diximus de Philadelphi in Demetrium odio, tum ex dicendis v. *Septuaginta Interpretes*, falſitatis arguitur.

II. DEMETRIUS SOTER, Rex Syriæ, Seleuci IV. Philopatoris filius, qui cum obſes Romæ detineretur, quo tempore pater deceſſit, ideò Syriæ Regno diu caruit. Antiochus enim Epiphanes Demetrii patruus opportunè in eam regionem superveniens, regnum annis undecim, & poſt hunc Eupator Antiochus hujus filius duobus annis, occuparunt. Tandem paternam hæreditatem adiens, duodecim annis Syriæ præfuit (b).

Eo temporis ſpatio, inſtigante Alcimo, qui Summum Judæorum Sacerdotium invaſerat, aliiſque Judæis novitatum cupidis, Bacchidem cum exercitu adversùs Judam Machabæum 1. *Mach.* 7. & 2. *Mach.* 14. miſit. Cùm Judas Bacchidi ſtrenuè reſtitiſſet, altero anno Nicanor cum novis copiis in Judæam venit; eoque unà cum exercitu à Judæis cæſo (c), Bacchides iterum cum Juda conflixit, ipſumque parva militum manu adverſus inundantes hoſtium tormas pugnantem, multitudine oppreſſit (d), totamque Judæam ærumnis cumulavit. Judæ ſucceſſit Jonathas 1. *Mach.* 9. 28. qui & ſtructas à Bacchide inſidias evitavit, & Demetrii viribus ſtrenuè obſiſtens, diù poſt Demetrium vixit.

Interim Alexander Bala filium ſe Antiochi Epiphanis jactans, Regis Syriæ titulum delatum ſibi a militibus Ptolemaide uſurpavit (e): cui malo occurrendum ratus Demetrius, exercitum contra illum duxit 1. *Mach.* 10. 1. 2. Jonatham literis ſollicitavit, ut ſibi in ea expeditione ſuppetias ferret; quem cùm in Balam inclinantem vidiſſet, novis iterum literis, noviſque promiſſionibus tentavit; ſed fruſtra, cùm Jonathas hosti adhærere è re ſua cenſuiſſet. Commiſſo igitur inter duos æmulos prælio, Demetrius in pugna occubuit (f) eique *Demetrius Nicanor* ſucceſſit.

III. DEMETRIUS NICANOR, ſive *Nicator*, Demetrii Soteris filius, quem initio contra Balam belli, pater loco præſidii ab incertis belli eventibus in Inſulam Cnidum miſit. *Juſt. l.* 35. *c.* 2. Poſt obitum patris opportunam ſibi hæreditatis acquirendæ occaſionem operiens, diutiùs quievit; donec poſt annos quinque coacto exercitu, in Ciliciam (g) veniens, ibique Apollonio Cœle-Syriæ Præfecto in ſuas partes adducto, primò bellum contra Jonatham Machabæum Alexandri Balæ fautorem, ſed infauſto eventu, intulit (h).

Demetrii tamen res contra Balam in dies invaleſcebant; cùm anno M. 3858. Ptolomæus Rex Ægypti exercitum in Syriam invexit, quaſi Alexandro Balæ genero ſuo ſuppetias laturus, revera tamen, ut idem Regnum ſibi uſurparet. Neque ea conſilia diu latuerunt: ingreſſus enim Antiochiam, Rex Syriæ illicò ſalutatus eſt, quamquam nec ſibi eam dignitatem retinere poſtea voluit. Siquidem Syris ſignificans fore ſibi acceptiſſimum, ſi Regnum ad Demetrium ſocerum ſuum (Cleopatram enim filiam ſuam Balæ ereptam Demetrio tradiderat) deferrent, ipſi Demetrio Syriam reliquit. Demetrius ita Regno potitus, non diù poſt, æmuli nece, metu liberatus eſt 1. *Mac.* 11. 14. 18. *Joſ. Ant. l.* 13. *c.* 8.

Syriæ rebus ita turbatis, Jonathas hac oblata occaſione in Judæa invaleſcebat, adeout arcem Hieroſolymitanam à Syris occupatam obſederit. Quibus ad Demetrium relatis, Jonathas cauſam ſuam dicturus, Ptolomaidem (i) ad Regem accitus eſt. Nec ille cunctatus, Demetrium adivit, ab eoque magnis muneribus delinito nedum veniam obtinuit, ſed & in Summo Sacerdotio confirmatus, atque totius Judææ immunitatem, promiſſo 300. talentorum pretio, pactus eſt.

Interim Demetrius, ut in pacato Regno, vitiis liberiùs indulgens, omnium in ſe contemptum, atque invidiam adeò incitavit, ut Diodotus quidam, in exercitu Alexandri Balæ quondam inſignis, de transferendo Regno in Antiochum Balæ filium, apud Elmalchuelem Arabiæ Regem verſantem, conſilium agitaverit 1. *Mach.* 11. 39 40. Neque concitandis in ſe animis minùs contulit, quòd Demetrius Antiochiæ cives armis ſpoliari, eaque de cauſa tumultuantes trucidari mandavit 1. *Mach.* 11. 45.... 53. Syri ita à Demetrio averſi, ad Antiochum, qui in eam regionem cum Diodoto, alio nomine Tryphone, venerat, confertim deſciſcentes, brevi juſtum exercitum conſtituerunt: quo Demetrius fuſus fugatuſque, Seleuciam confugere coactus eſt (k).

Victoris partibus à Tryphone ſollicitatus etiam Jonathas Machabæus, relicto Demetrio, favit (l), acceptaque ab ipſo facultate, Phœniciæ & Syriæ urbibus una cum fratre Simone bellum intulit, non minori ſucceſſu, quam fama virtutis. Verùm Diodotus, qui Antiocho Regnum procurans, ad eam dignitatem ſibi viam parare conſtituerat, collatos ſibi honores, ipſamque regiam authoritatem ſpernens, niſi & nomen atque regnum obtineret, primò Jonatha Machabæo, unico Antiochi præſidio, deindè ipſo Antiocho per inſidias occiſis, Regnum occupavit. Hoc Tryphonis, (hoc ſibi nomen fecerat Diodotus) parricidium deteſtatus Simon Jonathæ frater ac ſucceſſor, Demetrium Nicanorem Seleuciæ, veluti in angulo regni, latentem, regio miſſo diademate, regem ſalutavit; ab eo viciſſim & immunitate Judæis, & venia de præteritis, & privilegiorum confirmatione impetrata. Hoc anno à jugo gentium Judæi omninò ſubducti ſunt (m).

Demetrius & maxima urbium parte deſtitui ſe, & à militibus, quòd labentibus rebus ſuis ſuccurrere ſegniùs viderentur, contemptui haberi ſe ſentiens, expeditionem in Parthos ſuſcepit (n): quo in bello ipſe per

(a) Diogen. Laert. in Demetr. Phaler. Cicer. Orat. pro Rabir. Vide Menag. in not. in Diog. l. 5. A. M. 3724. Regnum cepit Philadelphus an. 3751.
(b) Ab A. M. 3841. uſque ad 3854. ante Chr. 146. ante Ær. 150.
(c) 2. Mach. 15. & 1. Mach. 7.
(d) 1. Mach. 9. 2..... 20 An. M. 3843. ante Chr. 157. ante Ær. 161,
(e) A. M. 3851. ante Chr. 149. ante Ær. 153.
(f) 1. Mach. 10. 49. 50. Joſ. Antiq. l. 13. c. 5. Juſtin. l. 35. A. M. 3854. ante Chr. 146. ante Æ. 150.
(g) 1. Mach 10. 68. 69. Joſeph. Antiq. l. 13. c. 8. Juſtin. l. 35. c. 2. An. M. 3856. ante Ær. 148.
(h) 1. Mach. 10. 76..... 89.
(i) A. M. 3859. ante Chr. 141. ante Ær. 145.
(k) 1. Mach. 11. 54. 55. Joſeph. Antiq. l. 13. c. 9.
(l) 1. Mach. 11. 57. &c. Joſeph. Antiq. l. 13. c. 9.
(m) 1. Mach. 14. 38.... 41. & 13. 35. 42. Joſeph. Antiq. l. 13. c. 11. A. M. 3861. ante Ch. 139. ante Ær. 143.
(n) A. M. 3863. ante Chr. 137. ante Ær. 141.

inſidiis captus, in hoſtium poteſtatem traditus eſt (a). Ex tamen humanitate Rex Parthorum captivum Regem habuit, ut filiam ſuam nuptui illi tradiderit: quibus à Cleopatra uxore Demetrii, Seleuciæ cum filiis agente, intellectis, continuò miſſis ad *Antiochum Sidetem* Demetrii fratrem nunciis, ad nuptias ſuas, ſacta Regni ſpe, ſollicitavit. Ille nihil cunctatus, conditione accepta, illicò in Syriam veniens, & Regem ſalutari ſe, & Simonem Machabæum ſibi per literas promereri curavit (b). Novennali regno plura geſſit, ac potiſſimum liberando Demetrio fratri bellum in Parthos intulit. Poſt varios tamen expeditionis hujus, neque infelices, caſus, tandem cum toto exercitu periit. Demetrius, mortuo fratre, captivitate ſolutus, regnoque poſtliminio reſtitutus, poſt quatuor annos interfectus eſt (c). Regni ſucceſſorem reliquit Seleucum, inter filios natu majorem, ſed ab *Alexandro Zebina* moleſto competitore exagitatum.

IV. DEMETRIUS, cognomento *Eucærus*, ſive *Eukairus*, *Antiocho Grypho* prognatus, de quo nihil quidem in S. Scriptura, ſed apud Joſephum quædam, cum Alexandrum Regem Judæorum bello vexavit *Antiq. l.* 13. c. 21. Cùm enim Alexander invidiam Judæorum maximam ſubiiſſet, eos rogavit, quidnam ſibi præſtandum fuiſſet, ut eorum gratiam iniret; cui ſi te ſuſpenderis, reſponderunt. Dein continuò Demetrium Eucærum contra Alexandrum ſollicitarunt Demetrio igitur cum exercitu 40000. peditum, & 3000. equitum Judæam ingreſſo, & propè Sichem caſtrametato, Alexander cum exercitu 20000. Judæorum, atque 6000. advenarum occurrit. Commiſſo prælio Alexander fractus, in proximos montes ſe recipere coactus eſt: qua calamitate adeò Judæos commovit, ut plurimis ad illum confluentibus, brevi 6000. virorum copias comparaverit. Eucærus veritus, ne mora numerus hoſtium augeretur, motis caſtris receſſit. Hunc Demetrium Ptolomæus Lathurus ad Regnum evexit (d); aliquibus verò poſt annis in Parthorum poteſtatem devenit. Hunc Mithridates Rex Parthorum in honore ſemper habitum in regiis ædibus detinuit, ubi & morbo confectus eſt (e).

V. DEMETRIUS, faber argentarius Epheſius, cujus potiſſimus erat proventus ædiculas Dianæ Epheſiæ in uſum advenarum efformare *Act.* 19. 24. An. Chr. 57. hic cum mercimoniis ſuis vendendis plurimum Evangelii prædicationem, receptamque longè lateque per univerſam Aſiam fidem obfuturam intelligeret, plurimis artis ſuæ ſociis convocatis oſtendit, ex Pauli prædicationibus & ſuis mercibus plurimùm, & quod diligenter cavendum erat, cultui Dianæ non detrahi tantùm, ſed etiam univerſam Deæ religionem in diſcrimen venire. Hac oratione concitati, clamare omnes: *Magna Diana Epheſiorum:* quibus vocibus tota continuo urbs commota, & Gajus, & Ariſtarchus, S. Pauli comites, in theatrum rapti. S. Paulus, ne ſe multitudini ſiſteret, ab amicis prohibitus eſt. Inter hæc Alexander quidam Judæus in mediam turbam proſiliens, orationem aliquam ad rem præſentem habiturus videbatur: ſed continuò exorto in populo murmure, illum Judæum eſſe, ingeminatis clamoribus illis, *Magna Diana Epheſiorum*, ea cantilena ſolidis duabus horis perſeveratum eſt. Tandem Scriba populi, ægrè ſedato tumultu, oſtendit nihil Dianæ cultui ab aliquo unquam derogatum iri; quare ſublatos ea occaſione clamores, non religionis potiùs, quàm ſeditionis videri. Ceſſarent igitur, niſi in ſuſpicionem ſeditionis venire vellent. Siquid autem querelarum Demetrius in aliquem haberet, Magiſtratus adiret, nec populum turbaret. Ea oratione & animi ſedati, & concio ſoluta eſt.

VI. DEMETRIUS, quem S. Joannes veluti Fidelem totius Eccleſiæ aſſenſu probum commendat 3. *Jo. verſ.* 12. Sunt (f) qui credant hunc eundem eſſe Demetrium argentarium, qui poſt excitatas in S. Paulum turbas, Chriſto nomen dederit: ſunt etiam (g), qui Epiſcopum faciant: ſunt demùm (h) qui hunc Cajo, ad quem S. Joannes Epiſtolam dirigit, fratrem tribuant: omnium tamen futiles conjecturæ.

DEMOPHON, ex Ducibus exercitus Antiochi Eupatoris, poſt inducias inter Antiochum, & Judam Machabæum firmatas, in Judæa relictus (i).

DENABA, urbs Idumææ, ubi Bela filius Beor ex genere Eſau regnavit. *Gen.* 36. 32.

DENARIUS, monetæ Romanæ genus, quinque ſeſtertiis minoribus, Gallicis nempè, ut vulgò creditur, ſolidis decem reſpondens. Nomen iſtud nunquam in Veteri Teſtamento, ſæpè verò in Novo occurrens pro argentea moneta utcumque ibidem uſurpatur; quare non rarò de ſiclo, nummo apud Hebræos vulgari, antequam Græcis, & Romanis ſubderentur, dicebatur. Vectigal illud, ſeù capitationem Judæis à Romanis impoſitam, quam S. Matthæus 22. 19. *numiſma cenſus*, S. Marcus 12. 15. & S. Lucas 20. 24. *denarium* appellant; cujus tamen pretii, non conſtat. Denarii nomine Rabbini quartam ſicli partem, nempe ſolidos octos noſtrates efficeret, intelligunt.

(DENS. Ebur *dentem elephantis* appellant Hebræi; ſæpè etiam dentes ſunt prærupiæ quædam & nudæ petræ atque ſcopuli: *Quaſi in modum dentium ſcopuli*, 1. *Reg.* 14. 4. ac lapis ille unde Deus aquam eduxit reſtinguendæ Samſonis ſiti, appellatus eſt *Machtes*, i. e. *dens molaris*. *Judic.* 15. 2. Lex talionis à Moyſe ſancita *Exodi* 21. 24. jubet dentem pro dente dari. Frendere dentibus indicium eſt doloris, furoris, & depaſcentis intùs rabiei. *Frenduerunt ſuper me dentibus ſuis*, Pſal. 34. 16. *Molas impiorum confringet Dominus*, *Pſal.* 57. 7. nequid ſcilicet viris probis noceant. Querentur impii parentes ſuos deguſtaſſe uvam acerbam, qua filiorum dentes obſtupeſcerent *Ezech.* 18. 2.; veluti ſi Deum accuſarent injuſtitiæ; utpote innocentem punientem, parcentem ſonti. Amos 4. 6. denunciat Judæis prævaricatoribus immiſſam illis puritatem dentium, idest famem; defuturum enim illis, unde dentes inhærerent; S. Hieronymus vertit *ſtuporem dentium*. Meminit non ſemel Evangelium ſtridoris dentium in damnatis, i. e. deſperationis illorum, & furoris. De adverſariis ſuis Pſalmiſta Pſ. 56. 5. *Dentes eorum arma, & ſagittæ.*)

DERBE, urbs Lycaoniæ & patria Caji Diſcipuli SS. Pauli, & Jo: Baptiſtæ *Act.* 20. 4. quò SS. Paulus, & Barnabas Iconio pulſi, ſe receperunt. *Act.* 14. 19. *An. Chr.* 41.

(DESCENDERE, & *aſcendere*. Duæ iſtæ voces uſurpantur non raro pro ire: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam. Deſcendebat in Jericho. Aſcendit Abraham in Ægyptum. Jacob deſcendit in Ægyptum. Aſcende in oppidum Hai. Deſcenderunt Cæſaream.* Valent hæc omnia perinde ac tetenderunt versùs Jeruſalem, Ægyptum, Jericho, Hai, Cæſaream; ſimul autem varius locorum ſitus hiſce exprimitur, alia enim petebantur aſcendendo, deſcendendo alia.

Deſcendere in Infernum eſt deſcendere in ſepulcrum, in locum ubi mortui congregantur. *Deſcendant in Infernum viventes*; ſpirantes ſcilicet in ſepulcrum, uti de Core, Dathan, & Abiron memoriæ proditum eſt. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum* (in ſepulcrum) Pſal. 21. 30. *In conſpectu ejus cadent* (adoraturi more ſupplicis) *omnes qui deſcendunt in terram*; quibus verbia deſi-

(a) Antiq. l. 13. c. 9 & 1. Mach. 14. 1. &c. (b) 1. Mach. 14. 10. &c. Regnavit ab an. M. 3865. ante Ch. 135. ante Æra 139. ad 3894.
(c) A. M. 3878. ante Chr. 122. ante Ær. 126. (d) Antiq. l. 13. c. 22. A. M. 3912.
(e) Antiq. l. 13. c. 22. (f) Serar. in 3. Jo. (g) Catharin. Salmeron. (h) Pſeudo Dexter. in Chron.
(i) 1. Mach. 12. 2. A. M. 3841. ante Chr. 159. ante Ær. 163.

Digitized by Google

deſignantur vel mortales homines, qui deſcenderunt in mundum, vel pauperculi qui deſcendunt in pulverem juxta Hebræum; vel defuncti qui deſcendunt in ſepulcrum, in pulverem.

Oſee 11. 12. *Judas teſtis deſcendit cum Deo, & cum ſanctis fidelis;* inſinuata his creditur Tribus Juda, quæ cunctantibus cæteris Tribubus, ne diſcrimini ſe committerent, prima omnium in mare Rubrum deſcenderit. Commodè etiam dictum acciperetur de Tribu Juda manente in obſequio Dei ac domus David, cum interim Ephraim & cæteræ Tribus defectionem in Roboamum ſimul & Dominum molitæ fuerint.

Deſcendere in lacum eſt mori, deſcendere in ſepulcrum. *Lacus* hic ſunt ſpecus & ſepulcra ſive in petris, vel ſub terra effoſſa deponendis mortuorum cadaveribus.

Qui deſcendunt mare Pſal. 106. 23. negociatores ſunt maria diſcurrentes. Jonas *ad extrema montium deſcendit*, i. e. ad ima maris, ubi montium baſes, & fundamenta locantur.)

DESERTUM, Hebræis *midbar*. Vox hæc quo apud nos ſenſu intelligatur, conſtat. Ea verò Hebræi loca quæcumque inculta & montes præſertim intelligunt. Quare apud illos erant deſerta arida, & effœta, erant & amœna, ac paſcuis uberrima. Hinc amœnorum deſertorum ſæpè Scriptura meminit. *Pingueſcent ſpecioſa deſerti Pſ.* 64.13. *Super ſpecioſa deſerti planctum aſſumam Jer.* 9. 10. *Ignis devorabit ſpecioſa deſerti Joel.* 1. 20. Plura memorantur in Scriptura deſerta, ac ferè ſingulis urbibus ſua erant, quæ paſcuis, & lignationibus providerent (a).

(Hoc potiſſimùm nomine deſignantur Arabiæ deſerta, in quibus Iſraelitæ ex Ægypto digreſſi ſpatio 40. annorum pererrarunt. Videſis in Dict. Biblic. v. *Caſtra*, ſtationes filiorum Iſrael toto illo tempore conſtitutas. Iter illud breviant maximè Mahometani, 40. annos reformantes ad 40. dies (b). Obiiſſe tamen in eo itinere concedunt Moyſem, Aaronem, & Sororem utriuſque Mariam. Quidam ex illorum Poetis, Judæorum ſuperſtitionem deridiculo traducens, erraſſe illos in deſerto nullo non tempore dicit.

Affirmat Moyſes de 40. illis annis, quibus in deſerto pererratum eſt, Deut. 8. 4. *Veſtimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus; en quadrageſimus annus eſt.* Quod Dei prodigium plurimùm exaggerant S. Juſtinus Martyr in Dialogo, ſicut & alii plures Interpretum, quà Judæorum, quà Chriſtianorum, affirmantes puerorum veſtes adoleviſſe unà cum illis, ut accomodarent ſe ad corporum ſtaturam. Plus aliquid ſupra fidem narrat S Hieronymus Epiſt. 38. nov. edit. nec comas ſcilicet nec ungulas toto eo tempore illis ſucreviſſe. Alii tamen multò ad fidem propiùs (c) reputant, Deum ità rebus Hebræorum providentia ſua conſuluiſſe, ut nulla rerum indigentia tenerentur, non cibi, non veſtium, non calceamentorum.

Animadvertimus etiam v. *Chion*, & *Rempham*, Iſraelitarum plures clam ſibi toto eo itinere retinuiſſe cultum Idolorum; affirmatque Pſalmiſta, Pſal. 94. 10. Deum toto eodem tempore animo ab illis averſo fuiſſe, quippe qui ab eo provocando injuriis ac murmure nunquam ceſſarunt.

Deſertum Sur, *Geneſ.* 16. 7. ad extremam oram maris Rubri, pererrabat Agar domo pulſa ab Abrahamo. Iſraelitæ pedem referentes è mari Rubro contulerunt ſeſe in deſertum illud Sur. Non inviti credimus conditam ibi olim Urbem nomine Sur.

Deſertum Pharan, in Arabia Petræa circa urbem cognominem. In eo deſerto ſedes habuit ſuas Iſmael filius Abraham *Geneſ.* 21. 21. Deus teſte Habacuc 3. 3. per viſum apparuit Hebræis in montibus Pharan. Sat diu illud pererrarunt Hebræi. Vide *Pharan*.

Deſertum Sin. Duo ejuſdem nominis deſerta ſunt in Scriptura, quorum primum ſcriptum cum Samech adjacet inter Elim & Sinai. *Exodi* 16. 1. & *Num.* 33. 12. Secundum cum *Tzade* ſcriptum, poſitum erat juxta Cadesbarne, quin & Urbs illa ad deſertum *Syn*, vel *Zin* pertinebat *Num.* 20 1. & 33. 36.

Deſertum Sinai circumjacet ſeu adjacet monti Sinai. *Exodi* 19. 2. Subſtitit ibi diu populus in caſtris, ibique pariter ex legibus in libris Moſaicis recitatis pleræque rogatæ ſunt.

Deſertum Arnon ſeu *Arnon, quæ eſt in deſerto. Num.* 21. 13. Eſt autem Arnon perluens deſertum Galaad, ſeu in finibus Arabiæ deſertæ torrens.

Deſertum Ziph, 1. *Reg.* 23. 15. ubi David Saulem inſequentem fugiens latuit. Vide *Ziph*.

Deſertum Maon. 1. *Reg.* 23. 24. Locus erat in regione, & facilè etiam Maon urbs erat Metropolis Maoniorum vel Meoniorum in Arabia Petræa ad extremam oram ſortis Juda.

Deſertum Cades Pſal. 28. 8. juxta *Cades-Barne* in portione Meridionali Juda & in Arabia Petræa.

Deſertum Idumæa, 1. *Reg.* 3. 8. cujus ſive limites ſive dimenſiones exactè definire non poſſumus; longiùs enim ipſa pariter Idumæa excurrebat intra montes Arabiæ.

Deſertum Palmyra. 2. *Par.* 8. 4. Palmyram urbem condidit Salomon in deſertis Euphratem amneſque Orontem & Chryſorroam interjacentibus. Inter Syriæ urbes accenſebatur atque in deſertis media ſedebat.

Deſertum Deblata Ezech. 6. 14. juxta urbem ejus nominis inter Moabiticas. Jerem. 48. 22.

Deſertum Ægypti Ezech. 20. *Tob.* 8. 3. In Ezechiele exprimere videtur deſertum, ubi pererrarunt Hebræi ex Ægypto pedem referentes, ſolidis 40. annis. Sermo eſt etiam in Tobia de deſertis ſuperioris Ægypti, facilè Thebaidis, quò Aſmodæus relegatus, vinculis alligatus ferreis detentus eſt.

Deſertum Judææ, *Matth.* 3. 1. ubi prædicabat S. Joannes Baptiſta ad Jericho in ſorte Tribus Juda.

Deſertum Thecue, Boſor, Gabaon &c. Vide *Thecue*, *Boſor & Gabaon;* quarum Urbium deſerta exprimunt loca quædam inculta illis adjacentia.

Deſertum ſine addito exprimit non raro deſerta Arabiæ inter Jordanem & montes Galaad & Euphratem media; e. g. Exodi 23. 31. daturum ſe pollicetur Deus Iſraelitis totum regionis tractum *a deſerto uſque ad fluvium*, ſcilicet à montibus Galaad uſque ad Euphratem. Et Deut. 11. 24. ac Joſue 1. 4. permiſſurum ſe illis dicit quidquid excurrit inter Libanum, deſertum, Euphratem, ac Mediterraneum.)

DESSAU, vicus, ſive caſtellum, ignotum tamen ubi ſitus, juxta quem Iſraelitæ, Juda Machabæo duce, ſe continuerunt 2. *Mach* 14. 16.

DEUS, nomen entis infiniti, æterni, & incomprehenſibilis; omnium creatoris, ſummaque ſapientia, & potentia moderatoris, & conſervatoris; noſtræ demum finis religionis. Deus quidem ejus eſt naturæ, quam ne nomine quidem appellari fas eſt; quippè quæ cum unica ſit, & infinita, certis illis limitibus caret, quibus homines inter ſe & diſcernuntur, & varias obtinent appellationes. Quæ igitur illi tribuuntur nomina, ex perfectionibus creatis deſumpta, nonniſi per analogiam quandam ejus perfectiones & attributa deſignant.

Huic Hebræi nomen tribuunt *Jehovah*, ſivè *Jao*, aut *Jaho*, quod tamen ſcribere licet, ſed effari nefas apud illos eſt; quare pro *Jehovah*, *Adonai*, ſivè *Elohim*, ſcilicet Dominos, Magiſtros dicunt. Frequens eſt etiam apud illos nomen *El*, fortis; *Saddai* ſibi ſufficiens, vel juxta aliam pronunciationem, vaſtator, & potens; *Elion*, Altiſſimus; *El-ſebaoth*, Deus exercituum; *Ja*, Deus. Angelus ille, qui Dei vices in

(a) Vide, ſi lubet, Raland. Palæſt. t. 1. p. 375.
(b) *Karik Montekbeh.*
(c) Coſmas Monac. Indicopleuſt. lib. 5. pag. 205. Eſtius in Deut. 8. Jun. Druſ. Cleric.

Exodo gerebat, dixit nomen ſibi eſſe: *Ego ſum qui ſum*. *Exod.* 3. 14. Vide *Iehovah*.

DEUTERONOMIUM, quinque librorum Moyſis poſtremus, in quo veluti ſumma colligitur omnium, quæ Moyſes in aliis præcedentibus libris & fecerat, & conſtituerat; undè & nomen *Deuteronomii*, ſcilicet ſecundæ legis, ſive ſummæ Legis. Titulus ejus apud Hebræos, ex verbis in exordio Libri occurrentibus *Elle-hadddebarim* reperitur: ab aliis tamen Rabbinorum *Miſna*, ſcilicet *ſecunda Lex*; ab aliis *Liber reprehenſionum*, ob redargutiones in Iſraelitas cap. 1. & 8. & 9. & 28. & 30. & 32. infertas, appellatur. Hiſtoriam continet ſex circiter hebdomadarum; quantum ſcilicet temporis interceſſit ab exordio undecimi menſis, ad ſeptimam menſis duodecimi diem anni quadrageſimi ab egreſſu ex Ægypto.

Sunt qui de authore hujus libri dubitaverint, cum & hiſtoriam deceſſus Moyſis referat, & regionem transjordanicam author commemoret, quaſi ſcilicet cis Jordanem, & ad occidentem hujus fluminis ſcriberet. Verùm hæc omnia tanta non ſunt, ut hunc Librum à Moyſe abjudicent; potuerunt enim ea, quæ de illius obitu referuntur, ab aliquo veluti ad Operis complementum adjici: vox vero Hebræa *heber*, quam Latinus vertit, *trans Jordanem*, commode etiam ſignificare poteſt *cis Jordanem*.

In eo libro Moyſes populum alloquens *Cap.* 1. *&* 2. *&* 3. *&* 4. totam ab egreſſu Ægypti uſque dum in planitiem Moab venirent, hiſtoriam recenſet. Deinde ſecunda ad illos oratione (a), Leges Dei in Sina receptas explicationibus, noviſque additionibus illuſtrat. Inde à capite 28. uſque ad 30. populo enixe obedientiam, & fidelitatem Divinis Legibus debitam commendat. Subinde Joſue ſucceſſorem ſuum in populi regimine à Deo deſtinatum eſſe declarat *Deuteron.* 31. 9. 10. . . . . 14. Tandem poſt ea omnia ſcriptis exarata, Librum Senioribus populi commiſit, etiam atque etiam obteſtans, ut ſingulis ſeptenniis in cœtu populi Feſto Tabernaculorum die illum perlegerent.

Poſt paucos dies Canticum elegantiſſimum coram populo recitavit, in quo violandam à Judæis Domino fidem non obſcure ſignificabat; illud verò exſcribendum à ſingulis præcepit, ut debitæ Deo fidelitati præſtandæ ejus lectione excitarentur. Tandem eadem die juſſus à Domino montem Nebo aſcendere, ut diem clauderet, convocatis antea populis, ſingulis Tribubus benedictionem, ac peculiare futurorum eventuum oraculum pronunciavit: inde conſcendens montem vita functus eſt. Hæc omnia Deuteronomium complectitur.

(DEUTEROSIS. Hoc nomine Judæi *Miſnam* vel ſecundam Legem appellant; Græcum enim *Deuteroſis* eadem ferme ſignificat ac Hebræum *Miſna*; utrumque eſt *ſecundum*, ſeu potius *iteratum* aliquid. Judæos accuſat Euſebius in Iſaiam 1. 22. de corrupto ſimplici ac puro Scripturarum ſenſu vanis Deuteroſeon ſuarum expoſitionibus. Deuteroſeon ejuſmodi quatuor eſſe genera affirmat S. Epiphanius hæreſ. 33. num. 9. aliæ Moyſis nomine inſcribuntur, aliæ Akibæ, aliæ Addad vel Judæ, aliæ tandem filiorum Aſsamonæorum, vel Machabæorum. Non ita facile definiretur, an Miſna noſtræ ætatis eadem ſit, ac Veterum; an omnes antiquæ illius partes ſervaverit, vel unam tantum; an tandem diverſum penitus Opus ſit. Affirmat Sanct. Hieronymus in Iſaiam 8. Deuteroſes illas ſuas referre Hebræos ad Sammai & Hillel; quæ ſane vetuſtas eſſet probatiſſima, ſi certis documentis aſſereretur; de Sammea enim (idem eſt vir ac Sammai) meminit Joſephus *Antiquit. lib.* 14. *cap.* 17. *&* *lib.* 15. *cap.* 1. circa exordia Regni Herodis. Nunquam de illis agit S. Hieronymus, niſi addito inſignis probri elogio; ita enim reſpicit, quaſi Opus confertiſſimis fabellis, obſcæniſſimis, & puerilibus coaleſcens. Potiſſimos autem præclaræ hujus Lucubrationis Authores juxta fidem Judæorum indicat *Bar Akibam*, *Simeonem* & *Hellem*. Eſt facile Bar Akiba avus vel pater inclyti Akibæ. Simeon idem eſt ac Sammai. Hellel idem ac Hillel. Vide Dictionarium v. *Miſna*.

DEXTERA. Manus dextera typus eſt roboris atque potentiæ. Plerumque in Scriptura dextera tribuitur Deo, eademque virtus ejus ad omnia potens exprimitur (b). *Dextera tua Domine magnificata eſt; dextera tua Domine percuſſit inimicum*. Vide Pſalmos 20. 9. & 43. 4. & paſſim.

Sedere à dextris Dei exprimit æqualem illi per omnia gloriam & potentiam; quare locum illum tenens in throno Patris cæleſtis, Dei Filius non raro exhibetur. *Pſal.* 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis*. Et *Matth.* 26. 64. *Coloſſ.* 3. 1. *Hebr.* 1. 3. *&* 10. 12. *Amodò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei*.

Exprimitur plerumque dexteræ nomine latus meridianum, uti levæ ſeptentrionale. Mundi etenim partes diſtribuentes Hebræi eundem ſingulis aſſignant ſitum, qui intuentibus ſibi exhibetur, dum faciem haberent ad orientem converſam, terga ad occidentem, manum dexteram reſpondentem meridiei, & lævam ſeptentrioni. Ita *Kedem*, quod eſt anterius, eſt etiam oriens; *Achor*, i. e. poſterius eſt occidens; *Jamin*, dextera, meridies; *Schemol*, ſiniſtra, vel ſeptentrio. Ita 1. Reg. 23. 19. 24. *Hachila*, quæ eſt ad dexteram deſerti . . . . *Maon*, ad *dexteram Jeſimon*, i. e ad meridiem deſerti & Jeſimon.

Qui reum alterum agebat de crimine dexter illi ſtabat: *Diabolus ſtetit à dextris ejus Pſal.* 108. 6. & Zachariæ 3. 1. *Satan ſtabat à dextris ejus* (Jeſu ſummi Sacerdotis) *ut adverſaretur ei*.

Sæpè contrario plane ſenſu ad dexteram alicujus ſtare, eſt defendere, opem præſtare & defenſionem. Pſal. 15. 8. *Dominus à dextris eſt mihi ne commovear*. Et Pſ. 108. 31. *Quia adſtitit à dextris pauperis, ut ſalvam faceret à perſequentibus animam meam*.

Non divertere à lege Dei, *nec ad dexteram nec ad ſiniſtram*, phraſis eſt Scripturæ familiaris, perinde valens, ac à via præceptorum Dei ne minimo quidem, exorbitare, ut nihil præſtetur nec minus ac illa præcipiat; ſeu potius eſt ſtabili pede & conſtanti iter proſequi mandatorum Dei, veluti cum itinerator quidam iter ſuum rectè & conſtanter proſequitur, nec ad dexteram nec ad ſiniſtram quidquam divertens.

Deſignans Jeſus Chriſtus in Evangelio qua cautione cuſtodiendum ſit proborum noſtrorum operum ſecretum, habet Matth. 6. 3. *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*. Cum bonum aliquid præſtas, cave ab oſtentatione & gloriola.

Dextralia vel *dextrariola* armillæ ſunt in uſum qua virorum, qua fœminarum. Huc ſpectat Moyſis illud Exodi 35. 22. & Num. 31. 50. monentis Iſraelitas, ne unquam avertant oculos mentis à lege Dei, habeantque illam, quaſi ſignum in manu ſua *Exodi* 13. 9. veluti ſcilicet ſigillum, quod impreſſum geritur ſive in annulo, ſive in armillis. Confer Textum hunc cum altero Eccli. 49. 13. *Quomodo amplificemus Zorobabel? Nam & ipſe quaſi ſignum in dextera manu*.

Dextera & *ſiniſtra* junctæ ſimul exprimunt utrumlibet latus indefinite: *Si tu ad dexteram ibis, ego ad ſiniſtram tera. Ne divertas à mandatis Dei ſive ad dexteram ſive ad ſiniſtram*; id eſt perſevera ſtabilis. Sagittarii illi Davidem convenientes eo laudantur nomine, quod perinde valerent funda, ſive dextra illam vel ſiniſtra agerent 1. *Par.* 12. 2., erant enim ambidextri. Jonas 3. 11. verſari in Ninive perhibet homines ultra 12000. *Qui neſciebant, quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam*; quæ ſane verba commodè acciperentur eodem ſenſu, ac

ſupra

(a) à c. 5. uſque ad 27. (b) Exodi 15. 6.

ſupra de illis, qui utraque manu valent in prælio; plerique tamen dictum malunt de infantibus dexteram inter & ſiniſtram diſtinguere non valentibus, quod innocentiam illorum exprimit.

Dare dexteram, ſocietatis eſt & amicitiæ. S. Paulus Galat. 2. 9. de Jacobo, Cepha & Joanne: *Dexteras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis*. Recurrit id utraque pagina in libris Machabæorum: *Demus dexteras hominibus*: *Poſtulaverunt ab eo dexteras*. Dexteram dedit, accepit, abiit.

In ſacramentis præſtandis dextera erigebatur: *Juravit Dominus in dextera ſua. Iſaiæ* 62. 8.)

DIA, urbs transjordanina, in Notitia Imperatoris Leonis Arabiæ tributa.

DIABOLUS, vox ex Græco *Diabolos*, calumniator; in Veteri Teſtamento rarò quidem occurrens, atque reſpondens nunc Hebræo *Belial* 3. *Reg.* 21. 13. nunc *Satan*, *Pſ.* 109. 6. Porrò Belial eſt homo nihili, & perditiſſimus; Satan verò adverſarius, ſeu accuſator in Judicio. Textus Abacuc 3. 5. *egredietur Diabolus ante pedes ejus*, in Hebræo legitur *Reſcheph*, ſcilicet carbo: quare locus ille vertendus eſſet: *Ante faciem ejus ibit peſtis, & egredietur carbo ante pedes ejus*. In libris Veteris Teſtamenti Græcè ſcriptis *Sap.* 2. 24. *Eccli.* 21. 30. *Diabolus Dæmonem*, ſivè tantùm *adverſarium* ſignificat (a); in Novo verò ſemper pro Dæmone, humani generis hoſte, uſurpatur.

(De Luciferi cæterorumque perduellium lapſu lat egimus v. *Dæmon*. Ibi pariter obſervatum eſt, *Eblis* Mahometanorum ipſum eſſe, quem nos Luciferum. Juvat etiam hic quædam attexere de *Eblis*, cujus nomen ad nomen *Diabolos* maximè accedit (b); appellatur etiam à Muſulmanis *Azazel*, quod Num. 16. 5. 6. 7. &c. deſignat hircum Emiſſarium. Nec facilè alius eſt *Azazel*, quem perduellium Angelorum principem aſſignat Liber Enoch. Porro inditum nomen Eblis, idest refractarius, Angelo dicunt, quòd à Dei obſequio receſſerit; juſſus enim proſternere ſe coram Adam recuſavit, obtendens minimè decere ſe, qui igneam referret naturam, genuum provolutione obſequium præſtare Adamo è terra concreto. Ferunt Angelos jam inde à pluribus chiliadibus annorum præceſſiſſe Adamum, quo autem coaleſcebant, ignem multò actuoſiorem fuiſſe, quàm vulgaria noſter; quippe qui naturam fulminis referret.

Jam alibi annotatum eſt, inſtructos illos fuiſſe vi generativa, genuiſſe quin etiam naturæ ſuæ alios, non minùs quàm ſe pervicaces ac refractarios. Tenent Eblim à Deo precario impetraſſe dilationem, ne infernis torqueretur. Cujus Deus votis ita annuit, ut certum ejus terminum non ſignificaret; perſeveraturum tamen in hoc ſtatu dicunt quoadusque primus clangor buccinæ præcedentis diem extremam judicii, non inſonuerit; tunc autem deceſſurum Eblim, & inter mortuos ſpatio 40. annorum manſurum, i. e. uſque ad tempus alterius buccinæ inſonantis: redditurum enim tunc cum cæteris hominibus ad vitam. Nunquam pronunciant nomen *Eblis*, quin inſimul dignum illud elogium addant; *maledictus Deo*, vel *Al-Regim*, lapidatus, vel lapidum ictu depulſus.

In Libris veteris Teſtamenti Diabolus ſæpè Dæmonem ſignificat, ut in illo Sap 2. 24. *Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum*. Sæpè valet accuſator, adverſarius, cauſam in nos proſequens coram Judice, ut Pſalmo 108. 6. *Diabolus ſtet à dextris ejus*, i. e. accuſator dexteræ ejus inſiſtat, judicium adverſus illum urgendo. Eccli. 21. 30. *Dum maledicit impius Diabolum* (adverſarium ſuum) *maledicit ipſe animam ſuam*; ipſe in ſuum caput prava agendi ratione hoc malum provocabit; neque enim, ſiquidem reputaſſet ſaniora, concitaſſet in ſe adverſarium. Sed aliis dictum hoc uſurpatur de Dæmone. Qui maledicit Dæmoni ad prava inſtiganti, quin & inducenti re ipſa ad peccatum, ipſe de ſe queratur; crimen enim nonniſi voluntarium adſit.

Interdum Diabolus perinde valet ac impius, effrænis, nullius fidei ac legis, homo filius Belial 3. Reg. 21. 13. *Adductis duobus viris filiis Diaboli*. Tandem 1. Machabæorum 1. 38. ſcriptum eſt, alienigenas diſpoſuiſſe in arce Jeruſalem cuſtodes. *Quod fuit in Diabolum malum in Iſrael*; i. e. in occaſionem querelarum, diſſidiorum, præliorum ac prophanationum, in laqueum & lapidem offendiculi multis.)

DIACONISSA. Viduæ quædam, ſive virgines ſervitiis Eccleſiæ deſtinatæ, quibus præſtandis Diaconi impares erant, Diaconiſſæ appellabantur. Hinc Eccleſiarum foribus pro fœminis deſtinatis, (neque enim locum illæ tenebant cum viris communem) præerant; fœminas baptiſmo tingendas veſtibus exuentes, deinde è lavacro egreſſas induebant; privatis catecheſibus mulieres inſtituebant, & in carcere pro fide detentas curabant. Ad ea miniſteria nonniſi mulieres ætate, & moribus graves, probatique nominis, & non ſine religioſis cæremoniis, ac manuum impoſitione deputabantur (c). S. Paulus cujuſdam Phœbes Diaconiſſæ Eccleſiæ, quæ erat Cenchris, in Epiſtola ad Romanos 16. 1. meminit. Idem Apoſtolus, viduas pro Eccleſiæ ſervitiis eligendas admonet, ſexagenarias, unius viri, probati teſtimonii, quæ filios optima educatione imbuerint, hoſpitalitatem exercuerint, pedes laverint Sanctorum, tulerint miſeris opem, atque bonorum operum exercitio fuerint addictæ *Timoth.* 5. 9. 10. Juniores verò excludendas præcipit.

DIACONUS, ex Græco *Diaconos*, Miniſter. Diaconi viri ſunt ſervitiis Epiſcopi, ſivè Sacerdotis in oblatione Sacrificii, & miniſtranda Euchariſtia, addicti: inſuper curandæ pauperum inopiæ deſtinati. Creſcente enim in dies Diſcipulorum numero Jeroſolymis *Act.* 6. 1. cùm in quotidiana eleemoſynarum diſtributione viduæ Græcorum, nempè Fidelium ex Ethnicis, negligi viderentur, exortum ob eam rem Græcorum in Hebræos murmur Apoſtoli compeſcere volentes, in cœtu Fidelium ſeptem virorum probati nominis, prudentiæ, & religionis, electionem propoſuerunt, quibus ejus rei curam demandarent: neque enim fas eſſe dixerunt, ut ipſi relicta verbi Dei miniſtrandi cura, temporali œconomiæ incumberent. Selecti igitur à cœtu ſeptem, videlicet Stephanus, Philippus, Procorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus, ante Apoſtolos conſtituti, ab illis manuum impoſitione, & oratione ſacris initiati ſunt.

Ex doctrina S. Pauli 1. *Timoth.* 3. 8.....12. Diaconos eſſe oportet caſtos, inculpatos, non vino deditos, & ſordido lucro; myſteria fidei in abdito puræ conſcientiæ ſervantes; qui ſemel tantummodò uxorem duxerint, domum ſuam curaverint & familiam: ac tandem nonniſi antea probati initientur.

DIANA, Dea Ethnicorum celeberrima, cujus maximus erat Epheſi cultus. Pluribus appellabatur nominibus, *Hebe*, *Trivia*, *Hecate*: eadem in Cœlo, Luna; in terra, Diana; apud Inferos, Hecate; dum mulieribus partum enitentibus aderat, *Lucina*. Virgo credebatur; quare ex volucribus apes ejus numini ſacræ habebantur. Cùm autem venationi ſtuderet, ejus idcircò ſimulacrum & expedito amictu indutum, & arcum tenens (Lunæ etiam cornua in capite eminebant) exhibebatur. Dianæ tamen Epheſiæ alius erat habitus; interdum enim à capite uſque ad pedes papillis tegebatur; interdum pectore tantùm & ventre, reliqua in baſim deſinebant, variis identidem ornatam cervorum, canum, & boum capitibus, anaglyphico opere inſculptis. Porrò mammæ fœcun-

(a) 1. Mach. 1. 32. *Factum eſt hoc ad inſidias ſanctificationi, & in Diabolum malum in Iſrael.*
(b) Biblior. Orient. pag. 317. 465. & 785.
(c) Conc. Laodic. c. 2.

conditatem, nutritoſque ab ea homines, & bruta; canes verò & cætera, venationis ſtudium deſignabant. Vide Hieron. Prolog. in Ep. ad Epheſios.

Parentes habuiſſe dicitur Jovem, & Latonam, fratrem verò ex matre Apollinem. In Palæſtina Iſaiæ & Jeremiæ ætate, oblatione panis & liquorum nedum in Altari, ſed in capite viarum initio menſium colebatur *Iſai.* 65. 11.; eaque de cauſa Deam *Meni*, ſcilicet Menſium, & Lunam appellabant. Via etiam unà cum fratre Apolline, bonæ fortunæ Deo, præerat (a). Hæc tandem de illa Jeremias (b): *Filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas reginæ Cæli:* quæ quidem ſacrificia in areis, tectis, angulis viarum, & foribus domorum exhibebantur.

Demetrius quidam argentarius, qui vitam elaborandis Dianæ ædiculis, ſive nummis, Dianæ ejuſque Templi effigie inſculptis tolerabat, turbas ea de cauſa in S. Paulum Epheſi degentem, quaſi Deæ cultum everteret, concitavit. Vide *Demetrius*, & *Act.* 19. 24. &c.

DIBON, urbs Tribui Gad à Moyſe aſſignata *Num.* 32. 3. .... 33. 34.; deinde Rubenitis (c) conceſſa. Vicum ingentem ejuſdem nominis ad Arnon commemorat Euſebius. Eadem fortaſſe eſt ac Dibon-gad (d), ubi Iſraelitæ caſtrametati ſunt. Adhuc S. Hieronymi ætate, locus iſte æquè Dibon, & Dimon ex literarum ſimilitudine appellabatur.

DIBON-GAD, idem locus, ac Dibon, de quo jam diximus.

DIBON, in Tribu Juda (e), fortaſſe idem eſt ac *Dabir*, ſivè *Cariath-Sepher*: locum enim, quem Hebræus (f) *Dabir*, Septuaginta *Dibon* appellant.

DIDRACHMA, vox Græca nummum deſignans duarum drachmarum (g). Porrò drachma ſolidos octo, & denarium æquat; quare didrachma ſolidis ſexdecim, & denariis duobus reſpondet; quod cum medio ſiclo Hebraicò, valoris 16, ſolidorum, & $\frac{11}{16}$ denarii, convenit. Judæis ex Legis præſcripto capitatio medii ſicli quotannis Templo pendendi impoſita erat *Exod.* 30. 13. Hanc rogatus ab exactoribus Jeſus, continuò Petrum piſcatum in lacum miſit; captuſque piſcis nummum quatuor drachmarum (tributum ſcilicet Chriſti, & Petri) in ore conditum attulit. (Vide *Capitatio*).

DIDYMUS, ſcilicet *Gemellus*, quæ vox Hebraico ſivè Syriaco nomini *Thoma* reſpondet. *Thomas, qui dicitur Didymus* (h). Vide *Thomas*.

DIES. Dierum quatuor ſunt genera: *Naturalis*, *Aſtronomicus*, *civilis*, & *artificialis*. Naturalis, ſive ſolaris, horis quatuor & viginti evolvitur. Aſtronomicus, ab integra æquatoria revolutione conſtituitur, eaque æquatoris parte, quam Sol proprio motu diei naturalis ſpatio percurrit. Civilis is eſt, cujus initium & finem quæque gens ſuo arbitratu definit. Hebræi diem à veſpera ad veſperam pro civilibus, & ſacris rebus terminabant: *A veſpera ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra* (i). Idem pro horarum Canonicarum recitatione, non verò pro ceſſatione ab operibus Feſtis diebus, Catholica ſervavit Eccleſia: Babylonici ab ortu ad ortum ſolis dies numerant; quod adhuc apud Norimbergenſes obtinet: aſtronomi, à meridie ad meridiem: Catholici Romani, à dimidia nocte ad ſequentem dimidiam. Artificialis denique dies ſpatium eſt, quo Sol in horizonte apparet, quod à Sphæræ obliquitate, pro temporum & locorum varietate, inæquale conſtituitur. Scriptores Sacri vulgò diem in duodecim inæquales horas, & noctem in totidem partiuntur. Sextà toto anni curſu, meridiem; duodecima, ultimam diei horam ſignificat. Æſtate verò hæ, quam hyemes ſunt longiores. Vidè *Hora*.

DIEVI, populi, de quibus Eſdras c. 4. 9. fortaſſe iidem, quos Rex Aſſyriorum (k) ex regionibus *Cutha*, & *Ava* in Samariam tranſtulerat. Dievi iidem ſunt ac populi Ava; & fortè eam Aſſyriæ regionem incolebant, quam flumen *Diaba* perluit (l).

DIGITUS. *Digitus Dei* eſt ejus virtus & operatio, quam in prodigiis Moyſis (m) ſe agnoviſſe Magi Pharaonis teſtati ſunt. Legem Dei digito ſcriptam Moyſes tradidit Exod. 31. 18. cujus etiam digiti opus ſunt Cœli Pſal. 8. 4. Deus tribus digitis orbem ſuſtinet *Iſ.* 40. 12. In digito Dei JeſusChriſtus Dæmones expellebat *Luc.* 11. 20., ex quo Regnum Dei jam veniſſe probavit.

DIGITUS, menſura, in hebræo *esbah*, quæ $\frac{67}{89}$ unciæ partes non excedit. Quatuor digiti palmum, ſex palmi cubitum, cubitum verò fermè unciæ viginti cum dimidia efficiunt.

(DII. *Dii ficti*. Nomen Deus, Hebraicè *Elohim*, in Scriptura ambiguum eſt maximè; uſurpatur enim æquè de Deo, ac de Angelis, Judicibus, Viris Principibus, quin & de fictis etiam Numinibus atque Idolis. Geneſ. 1. 1. *Creavit Deus* (Hebr. *Elohim*) *Cælum & terram*; de ſummo Deo ſermo eſt. Exodi 22. 20. *Qui immolat Diis* (Elohim) *occidetur*; hic Numina ficta deſignantur, ſicut & in Pſal. 85. 8. *Non eſt ſimilis tui in Diis, Domine, & non eſt ſecundùm opera tua*. In Libris Moſaicis ſæpe Angelis datur elogium *Dei*. *Dii* ſunt Angeli, qui per viſum ſpectandos ſe præbuerunt Abrahamo, & Lot è diſcrimine liberarunt; *Deus* eſt etiam qui Moyſi in rubo ardenti ſeſe obtulit; qui tandem Iſraelitas in itinere deducebat. Dii tandem ſunt Principes, Magiſtratus, viri clariſſimi in hiſce potiſſimùm Textibus; Exodi 21. 6. *Offeret eum Dominus Diis*, Magiſtratibus nempe, Judicibus, qui ſubula aures mancipii ſpontè eligentis manere cum Domino perfoderent. Exod. 22. 8. *Si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos*, Judices, Magiſtratus. 1. Reg. 2. 25. *Si peccaverit vir in virum, Dii judicabunt*; Vulgata: *Placari ei poterit Deus*, i. e. vel diſſidentes conciliabunt Judices, vel cauſa agetur in Judicio. Exodi 22. 28. *Diis non detrahes*; i. e. viris honoratiſſimis. Vetitum hìc tamen cenſent Joſephus contra Appion. Antiqu. l. 4. c. 8., & Philo de Monarchia l. 1. de vita Moſis l. 3. ne de externis Diis obloquantur Judæi. Pſalmus 81. 1. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat*. Pſalmus 46. 10. *Dii fortes terræ vehementer elevati ſunt*. Exodi 7. 1. Deus ad Moyſem: *Conſtitui te Deum Pharaonis*.

Probi quippe Iſraelitæ deteſtabantur, temnebantque adeo externa Paganorum Numina, ut ne nomine quidem illa appellare ſuſtinerent *Pſ.* 15. 4. *Exod.* 23. 13. nomina proinde illorum vel derìdiculo traducta corrumpebant, vel in probrum transformabant; ita *Elohim* reddebant *Elilim* nihil, Dii flocci; pro *Miphibaal*, *Meribaal*, *Jerubaal* reddebant *Miphiboſeth*, *Meriboſeth*, *Jeriboſeth*; *Baal* eſt herus, vir, maritus; *Boſeth* res aliqua probro digna & confuſione. Interdum idola appellabant *Sordes*, in Hebræo *Gelulim*, ſtercora, vel *Dii ſtercorei*. Jurare per externa Numina vetat Deus Iſraelis, Exodi 23. 13.

Iſraelitæ, qui externis Numinibus proſternebantur, *adoraverunt Deos, quos neſciebant, & quibus non fuerant attributi*, ait Moyſes Deut. 29. 26. i. e. Deos, quorum cultui addicti non erant, nec quidquam ad ſe pertinebant; ex quo multum ingraveſcebat perduellionis illorum & ingrati animi crimen. Reddi poteſt Hebræus:

(a) Ariſtoph. in Pluto & in Theſmophoriis. (b) Jer. 7. 18. Vide etiam cap. 11. 13. & 44. 17. 18. Ezech. 16. 25.
(c) Joſue 13. 9. (d) Num. 32. 45. (e) 2. Eſdr. 11. 25. (f) Joſue 15. 26. (g) Matth. 17. 23.
(h) Joſ. 11. 16. & 20. 24. (i) Luc. 23. 32. Moyſes nullum inter civilis, & ſacræ diei initium, & finem diſcrimen notat. Veſperam, cum diem deſcribit, uſquequaque priorem nominat. Sic Gen. 1. primum Creationis diem deſcribens, ait. *Factum eſt veſpere, & mane dies primus* &c.
(k) 4. Reg. 17. 24. (l) Ammian. l. 23. (m) Exod. 8. 19.

bræus: Diis alienis *qui ipſis nihil donaverant*. Facta hujus Textus cum aliis Scripturæ collatione, reſultat, Deum cæteras per orbem gentes permiſiſſe Diis alienis, aſtris, Idolis; ſibi verò, tanquam peculiarem hæreditatem, retinuiſſe populum ſuum; non quod venia de commiſſa Idololatria dignos alienigenas cenſeat; ſed Hebræorum crimen, multò præ illis graviſſimum, accuſat. Confer. Deut. 29. 26. cum Deut. 4. 19. & 17. 3. Act. 7. 42. Jerem. 19. 13. & 4. Reg. 17. 16. & 21. 3. 5. & 2. Par. 33. 3. 5. Amos 5. 25. 26. 27. Vide etiam S. Clementem Alexandrinum Strom. lib. 6. pag. 669. S. Auguſtinum in Dialogo pag. 374. B.

DILATARE. Hoc potiſſimum verbum deſtinatum eſt ad exprimendam latitudinem cordis, cùm gaudio aliquo relevamur, cui opponitur cordis contractio, cùm malo aliquo premimur. Pſal. 4. 2. *In tribulatione dilataſti mihi*; & 2. Cor. 6. 11. *Cor noſtrum dilatatum eſt.*

Dilatare eſt etiam augere pomeria, & alienas regione ſubigere: *Dilatet Dominus Japhet*, *Geneſ.* 9. 27. vaſtam illi ditionem procuret. Exodi 34. 24. *Cùm dilatavero terminos tuos.*

Dilatare os in utranque partem uſurpatur. *Super quem dilataſti os? Iſaia* 57. 4. quem redegiſti in ordinem? *Dilataverunt ſuper me os ſuum. Pſal.* 34. 21. aperto ore injuriis me proſciderunt. Alio ſenſu: *Dilata os tuum & implebo illud*, *Pſal.* 80. 11. tanquam puer, cui ſibi aliquid roganti os implet mater vel nutrix. Proverb. 20. 19. *Ei qui revelat myſteria, & dilatat labia ſua, ne commiſcearis*; in Hebr. *qui fallit labiis ſuis.*

Dilatavit Infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino. Iſaia 5. 14. *Habacuc* 2. 5., ut ſcilicet viros fortes & potentes populi mei abſorbeat; hiſcens ſepulcrum vorandis defunctis ſanè multis præſto eſt, ac paratum, nihil aliud poſtulat, quàm ut voret & abſorbeat.

Dilataſti greſſus meos Pſal. 17. 35.; è diſcrimine ac rerum difficultate me liberaſti, ut in loco ſpatioſo me conſtitueres.

DILUVIUM. Eo nomine in Scriptura non deſignatur tantùm inundatio illa aquarum, qua excidium illatum eſt mortalibus omnibus, tum hominibus cùm brutis terreſtribus, & aereis extra Arcam verſantibus; ſed imbrium ac inundationum aquarum, ſiquid extraordinarium contingeret, diluvium appellabatur. Ita Pſalmiſta Pſal. 28. 10. de maris ſeu violentæ cujuſdam procellæ aquis: *Dominus*, ait, *diluvium inhabitare facit*; & Pſal. 31. 6. *In diluvio aquarum multarum ad eum* (ad juſtum) *non approximabunt*. Nec ſimiles loquendi phraſes vernaculo ſermone ignorantur: inundantes plus ſolito aquæ diluvium appellantur, uti de diluvio Deucalionis & Ogygis uſurpatur; ita etiam diluvium appellamus, cùm effuſis imbribus ac ſubita excuſa procella intumeſcentes aquæ arva latè inundant. Familiare eſt etiam in ſenſu allegorico & ſpiritali *diluvium malorum*, ac *ærumnarum*. Scripturæ ſtilo inundantes aquæ ingentes calamitates deſignant. *Job.* 3. 24. *Pſal.* 17. 17. & 2. 15. & 123. 4. &c.

Verùm diluvii nomen potiſſimùm exprimit Noemicum illud, quod latè excidium intulit omnibus, octo tantùm, juxta ac obſervat S. Petrus 1. *Petr.* 3. 20. & 2. 2. 5. hominibus reſervatis. Hujus hiſtoriam ita narrat Moyſes *Geneſ.* 6. E' familia Seth homines fœdè corruptos cum filiabus è genere Cain, ſeveræ animadverſioni ſubigendos ſtatuit Deus, hæc reputans apud ſe: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt; eruntque dies illius centum viginti annorum.* Quibus poſtremis verbis non unus eſt ſenſus; commodè enim exponerentur è vita hominum annos plurimos demeto, ut è nongentis redigantur ad 120. annos; vel potiùs: Non ſupra 120. annos vitæ hominum adſcribo, quibus evolutis perdam omnes diluvio. Totum illud temporis ſpatium permittendum fuiſſe Noemo affirmant plures, quo Arcam conderet, & neceſſaria omnia provideret.

Cùm igitur Deus ſtatuiſſet criminis reum hominem una & animantia omnia ejus ſervitiis creata perdere, ita Noemum affatus eſt: *Fac tibi Arcam de lignis levigatis; manſiunculas in Arca facies, & bitumine linies intrinſecùs & extrinſecùs.... Ecce ego adducam aquas diluvii ſuper terram, ut interficiam omnem carnem, in qua eſt ſpiritus vitæ ſubter Cælum; univerſa quæ in terra ſunt conſumentur. Ponamque fœdus meum tecum, & ingredieris Arcam tu, & filii, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum.* Omnia executioni mandata ſunt à viro ſancto: *Eratque* (*Noe*) *ſexcentorum annorum, quando diluvii aquæ inundaverunt ſuper terram* (Gen. 7. 17.) *Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimo decimo die menſis rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ Cœli apertæ ſunt.... Factum eſt diluvium quadraginta diebus ſuper terram, & multiplicatæ ſunt aquæ; opertique ſunt montes excelſi ſub univerſo Cælo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat. Conſumptaque eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram, & univerſi homines.*

De Arca Noe, & quæcunque ad illam pertinet, ſat egimus in Dictionario & in Supplemento v. *Arca*. Videſis pariter v. *Noe*. Sermonem hic tantum reſtringimus ad diluvium, quæ ejus cauſæ, quæ circumſtantiæ; an univerſale illud; qui ejus effectus. Hominum crimina, quæ ad ſummum ſceleris devenerant, diluvium provocarunt; id enim non ſemel inculcat Moyſes. Ut quid autem Deus id genus animadverſionis præ cæteris aliis elegerit? Id utique curioſiùs ſcrutari nefas eſt homini; & quando aliam etiam rationem exterminandi ſontes iniviſſet Deus, nunquam quæſtiuncularum ejuſmodi ineptarum materiam præcideret.

Sat convenit inter Commentariorum Scriptores de anno diluvii; ſupputant enim à creatione annos 1656. at de menſe quo initum diluvium, magis ambigitur. Cæptum abſolutumque primo vere tenent ex Patribus ſanè multi, ſecundum illum menſem, de quo Moyſes, accipientes de ſecundo anni ſancti ineuntis à Niſan (reſpondet Niſan Martio circa æquinoctium vernum). In hanc rem aſſerendam argumentum deducunt ex relato à columba olivæ recentis germine. Nobis tamen cum doctiſſimis Chronologis perſuadetur, innui hic ſecundum menſem anni civilis ducti ex autumno ad menſem Octobris circiter, qui planè ſecundus menſis componitur partim cum Novembri, ut diluvium cœperit autumno; & quo maximè tempore hyems exorditur. Inſanti hujus anni calendarium iſtud dirigit D. Baſnage Antiq. Judaic. t. 2. pag. 399. cujus ſententia noſtræ utcunque congruit.

Anno à Mundo creato 1656.

I. Menſis. September	——	Mathuſalem 969. annis grandævus obiit.
II. October	——	Noe cum familia in Arcam ingreditur.
III. November die 17.	——	Fontes & abyſſi diſrumpuntur.
IV. December die 26.	——	Imbres cadunt 40. diebus & 40. noctibus continuatis.
V. Januarius.	——	Bruta & homines univerſo inundantes aquæ demergunt.
VI. Februarius.	——	Imbres perſeverant.
VII. Martius.	——	Aquæ nihil imminutæ tenent Mundum uſque ad diem 27. tunc paulatim decreſcunt.
VIII. Aprilis die 17.	——	Subſidit Arca in Ararat monte Armeniæ.
IX. Majus	——	Quieti manent omnes in Arca, dum

Digitized by Google

	dum interim aquæ reducuntur è terra.
X. Junius die 1.	Montium culmina emergunt.
XI. Julius die 11.	Dimiſſus à Noe corvus non regreditur.
die 18.	Dimiſſa columba redit in Arcam.
die 25.	Iterum dimiſſa refert olivæ ramum.
XII. Auguſtus die 2.	Tertiò avolans columba abit in diverſa.

Annus à Mundo creato 1657.

I. September die 1.	Terræ ſuperficies ab humore exſiccatur.
II. October die 27.	Noe unà cum familia ea Arca egreditur.

Quæ de aquis diluvii terram, quàm latè patet, univerſam inundantibus agitatur quæſtio inter graviſſimas & majoris momenti reputanda eſt. Diluvium univerſale negarunt viri quidam docti, rati ſententiam illam deſcendentes nihil minus moliri, quàm ut rationi abſonum quid & abſurdum adſtruant; nonniſi falſam de Numine ideam ſibi formare illos qui in mentem inducunt, præſtari ab illo poſſe quæ rationi æquè ac naturæ contraria ſunt. Utrique autem repugnantia invehere eos, qui Diluvii univerſalis ſententiam tuentur. Probari enim dicunt repetitis è Geometria rationibus nunquam fieri poſſe, etſi nubes omnes aeris liqueſcerent in imbrem, ut altiùs aſcenderent inundantes omnem latè terram aquæ quàm pede & ſemis. Quando autem amnium & maria aquæ regurgitarent in terram, nunquam aquarum altitudo pertingeret ad 4000. paſſus, quantum ſcilicet opus eſſet ad celſiſſimorum montium cacumina demergenda; niſi fortè rareſcere aquas illas ultra morem arbitraremur, ſed & tunc ſuſtinendo Arcæ ponderi impares fuiſſent. Quando etiam aer omnis terræ circumfuſus in aquam tranſiret, aquarum tunc vorago 31. pedum menſuram non excederet, quod utique minus eſt quam ut exigeretur ad univerſæ terræ ſuperficiem ità demergendam, ut aquæ 15. cubitis ſupra celſiſſima montium cacumina erigerentur.

Repugnare iſta quidem rationi videntur: quæ autem naturæ abſonam hanc eandem ſententiam demonſtrent, illa occurrunt. Celſa illa montium culmina 600. paſſuum altitudini ſuperiora, nullis imbribus tanguntur; ex altiori enim aeris regione nulla cadit pluvia, nec ſanè altiùs aſcendentes pluviales vapores imbrem formare poſſunt, in glaciem concreſcere regnantis ibi brumæ rigore coacti. Undè ergo ſuppetere potuiſſent aquæ, quæ montium cacumina mediam aeris regionem excedentia ſuperarent? An fortè pluvia altiùs reſilit, quàm undè ruat? Quomodo plantæ ſub inundantibus Diluvii aquis intactæ tandiù ſervarentur? Quomodo ex Arca deducta animalie longè latèque per orbem propagata fuiſſent? Ad hæc, terræ univerſæ faciem ejus ætatis homines non adhuc tenebant; ut quid igitur univerſam ſubmerſit Diluvium? Nonne ſatis ſuperque fuiſſet, frequentata hominibus loca inundari? Quomodo ab extremis orbis finibus accirentur animalia in Arcam reducenda?

His potiſſimùm argumentis de univerſali Diluvio ſententia oppugnatur (a). Illa expoſuit Iſaacius Voſſius in ſua Diſſertatione ad hoc ſcripta, præfixa verò titulo: *De ætate mundi*, & in ſua Epiſt. ad *Andream Colvium*, & in ſuis reſponſis ad *Andream Scotanum ac Georgium Hornium*. Hæc ſententia examini ſubjecta fuit Romæ, quo tempore aderat R. P. D. Joannes Mabillon occaſione itineris ſui anno 1685. & cùm S. Congregationis Indicis Conſultores ejus ſententiam in id rogaſſent (b), expoſuit ille quæ Voſſium damnarent rationes, & quæ pariter illum excuſarent. Obſervavit opinionem hanc nihil referre ſeu fidei ſeu bonis moribus planè averſum; hoc tantùm ſyſtema propoſitum à Voſſio, ut commodiùs retunderet liberrima quædam ingenia ex univerſali Diluvio argumentum formantia evertendæ Sacrarum Scripturarum authoritati.

Nihil injurioſum, nihil quod in Eccleſiam Catholicam obſequium offendat effutiri à viro docto; nulla cenſura ſententiam oppoſitam ab illo notari, ſed opinionem ſuam dare tantùm ceu veri ſpeciem majorem præſeferentem. Commodè autem accidere, ut vel admittantur vel ſaltem tolerentur in Eccleſia expoſitionum Scripturæ varia, dummodo apertæ authoritati Sacrorum librorum & Eccleſiæ non adverſentur: phraſes illas: *Omnis terra*, *omnes montes*, *omnis caro*, ad certum interdum ſenſum reſtringi in Sacra Scriptura. Doctores etiam Catholicos nonnullos, ut Cajetanum, tenuiſſe montem illum, cujus vertici inſediſſe credit Paradiſum terreſtrem, ab inundantibus Diluvii aquis evaſiſſe intactum. Opinionem hanc Voſſii, adjecit, nullas agitaſſe ad id uſque turbas inter Catholicos, ſed aliquos tantùm nactam fuiſſe adverſarios inter Proteſtantes; quare citra diſcrimen utique tolerari potuiſſe: præſtare quin etiam ut à cenſura temperetur potiùs quàm ut diſceptationum, quæ Proteſtantes committunt inter ſe, tranſeamus in partes. Cæterùm ſi opinionem hanc inurere cenſura operæ pretium viſum fuerit, eadem pariter damnatione obvolvendam eſſe Georgii Hornii refutationem, Opus injuriis adverſus Eccleſiam Catholicam & Pontificem Summum inſperſum. Hæc vir prudentia non minus quam doctrina præſtantiſſimus.

Agedum modo diſcutiamus, num meritò Voſſius in ſententiam conceſſerit planè diverſam à communi Patrum & Scriptorum, quà Catholicorum, quà Proteſtantium. Recedit ille non obſcurè a litera textûs Moſaici ſupra à nobis recitati, cujus ſanè teſtimonium pro univerſali diluvio tam apertum eſt, ut nihil ſupra. Aſſerit Moyſes, non ſemel vel iterum, ſed & ſæpius inundantes diluvii aquas terram univerſam habuiſſe ſubmiſſam, animalia omnia, quæ ſub Cælo, aquis illis demerſa periiſſe; fluctus tandem 15. cubitis altiſſimis montibus altiores intumuiſſe. Quid in hanc ſententiam luculentius?

At enim diluvium univerſale æquè impoſſibile ac non neceſſarium convincitur. Ut quid enim terra univerſa ſubmergeretur eo conſilio, ut exterminio delerentur homines univerſi? Nunne id obtinuiſſet Deus, ſi regiones tantùm hominibus frequentatas tradidiſſet aquis? Ecquis, rogo, indicavit Voſſio ſpatio illo 2200. annorum, quot jam excurrebant à primo mundi exordio, nondum homines longè lateque per univerſi faciem ſeſe diffudiſſe? Etenim juxta chronologiam Septuaginta, quam Voſſius ipſe tuetur, mundi tunc ætas creverat ad 2200. annos (c). An longius temporis ſpatium exigitur ad frequentandum incolis orbem? Ad hæc, minoreſne ſalebræ occurrent viro docto

(a) D. Le Pelletier Rothomagenſis in ſua præfatione ad Diſſertationem de Arca Noe ſcribit, demonſtraſſe ſe Diluvium juxta ac Scriptura & traditio Eccleſiarum quà Judaicæ quà Chriſtianæ ſemper affirmavit, univerſale. Nihilò tamen ſecius contrarium dicit pag. 344. & 416.
(b) Votum D. Joan. Mabillon de quibuſdam Iſaaci Voſſii Opuſc. t. 2. Oper. poſthum. ejuſdem Mabill. an. 1724. p. 59. &c.
(c) Supputat ille 2256. annos uſque ad diluvium.

docto in ſyſtemate de particulari diluvio? Eo etenim poſito, quæ neceſſitas conſtruendo tanto apparatu ac molimine ejus operis Arcam, quò redigerentur omnis generis animantia, exciperenturque ab interitu octo illi homines; hæc autem omnia ideo, ut ſcilicet ponerentur in tuto ab aquis nonniſi terræ portionem quandam inundantibus? Nonne opportuniùs ſuccurriſſet, homines illos mittere in regiones diluvio intactas, eò pariter reductis ex animantibus iis tantùm, qui in ea regione hoſpites adhuc non fuerant?

Quomodo tunc aquæ ſuper vertices celſiſſimorum montium, Armeniæ e. g. Chaldææ, vel Perſidis 15. cubitis altiores intumuiſſent, abſque eo quòd in ſubjectas valles innato pondere defluerent? Quomodo navis tantæ utique molis, quanta Arca illa Noemica, ſuper aggeratas in montem aquas ita ſe continuiſſet, ut in contrarium annitente pondere, per ejus montis devexa non rueret ad inferiora? Is autem Arcæ ſtatus erat poſito particularis diluvii ſyſtemate, ut nec Voſſius ipſe diffitetur.

Opponit, plantas omnes & arbores enecandas fuiſſe ſub aquis per univerſum mundum regnantibus. Verùm plantas & arbores manſiſſe ſuperſtites ſub aquis diluvii, ex eo deducimus, quòd Noe ejuſque familia cum animantibus in Arca ſervatis, pedem ea illa referentes, ipſas eaſdem inhabitarunt regiones, quas conſtat antea diluvio ſubjectas fuiſſe, ideſt vicina monti Ararat loca, Meſopotamiæ, & Chaldææ. Profectò ſi arbores & plantæ ejus regionis intactæ ſervatæ ſunt; ut quid & alibi per orbem interiiſſent? Et ſi interiiſſe ibi ſtatuamus; ſi Moyſes in regione aquis ſubjecta brevi defectum illum reparavit; cur non & lapſu plurium ſæculorum in reliquo mundo reparari potuiſſe conceſſerimus? Si regnantibus diluvii particularis aquis arbores omnes, & plantæ ejus regionis corruptæ ſunt; unde ramus ille vel germen olivæ, quod columba retulit ad Noe? Geneſ. 8. 11. Infinitis propemodum experimentis demonſtrata eſt naturæ fœcunditas in productione ac reproductione plantarum; mira narrantur de ſeminum conſervatione ſub aquis, ſub terra, & extra etiam ſpatio plurium annorum, quibus tamen ita ſervatis nihil de vi innata germinandi deceſſit: exploratum eſt aquam, ad plantas quod attinet, ſervandæ potiùs augendæque fœcunditati, quàm labefactandæ valere, exemplis etiam plantarum quamplurium ſub aquis creſcentium (a) familiaribus inſtruimur; conſtatque pariter humore omnes herbas ali ac promoveri; ſcimus ex fimo animalium & avium reproduci non raró in agris ſemina, quæ aves ipſi & bruta voraverunt; ſcimus inſuper terram virginem aeri expoſitam herbas producere nunquam ibi ſatas; ut quid igitur ſimili virtute non polleat emergens ex aquis terra? Nemo hominum id ſibi ſcientiæ arrogare poteſt, ut rationes omnes Authoris naturæ, quibus rerum conſervationi proviſum eſt, habeat exploratas. Spectatum eſt interdum ex avulſis è radicibus ſuis neglectiſque ſpatio decem vel undecim annorum arborum truncis germina ſuccreſcere, quibus & ipſæ matrices arbores innoventur, & novæ iterum gignantur (b).

Adde, inundantes diluvii aquas univerſam terræ faciem non tenuiſſe niſi 110. dierum ſpatio circiter; jam inde enim à prima decimi menſis luce reducta ſunt ex aquis montium cacumina. Arcam intraverat Noe die 17. menſis ſecundi Gen. 8. 3. 4. ſtatimque ruentes imbres perſeverarunt 40. diebus ac totidem noctibus, & ante exitum diluvii 256. diebus aquæ in vapores attenuatæ petere ſuperiora cœperunt, quare nimis multum abeſt ut credamus, plantas omnes & ſemina ſub aquis demerſa integro anno jacuiſſe.

Facilius eſt autem, quàm pro opinione, molimen illud deducendi undique ex orbe ad Noe animalia. Minor eſt, quàm ut credatur, animalium numerus ab exordio rerum productus. Deus marem creavit & fœmellam ex hominibus; nec facilè plura ſuffecit ex ſingulis animalium generibus. E binis hiſce ſingulorum generum, equorum e. g. canum, & caprarum animalia omnia nata ſunt, quotquot ejuſdem generis noſcimus. Quodcunque obſervamus diſcrimen inter varios equos & canes, majus utique reputandum non eſt, quàm quod homines diſtinguit, quorum alii candido, alii fuſco, alii flavo, rubro alii colore tinguntur; barbam demittunt alii; imberbes autem ſunt plures.

Ad hæc, omnium generum animalia in regionibus circa Paradiſum terreſtrem ſubſtitiſſe ex eo intelligimus, quod Deus è ſingulis aliqua ſtatuerit coram Adamo, ut nomina illis imponeret Gen. 2. 19. Nonniſi plurima veri ſpecie aſſereretur Paradiſus terreſtris propiùs acceſſiſſe ad Armeniam, & fontes Tigridis ac Euphratis, quos ambos nomine exprimit Moyſes in deſcriptione Paradiſi Geneſ. 2. 8. &c. Tandem deſitum eſt fermè jam dubitari, Arcam Noemicam in Meſopotamia Chaldæam versùs conditam fuiſſe. Vero igitur eſt etiam propiùs in ea regione & finitimis nullius fermè generis animantia defuiſſe, quæ deducerentur in Arcam. Si quod verò animal longa hodie habitudine, quæ diu perſeverans in naturam transformatur, ab hac regione ita deſueverit, ut vitam ibi agere nequeat, quod tamen ægrè inducerem in animum, non inde tamen inferas neceſſe eſt, hanc vivendi difficultatem, animalia illa ab eo ſolo removiſſe ætate Noemi. Si promptè quis è fervida Africæ regione in algentiſſimos Septemtrionis receſſus transferretur, ſive homo is eſſet, ſive brutum, extremas haſce aeris vices illæſum ſubiturum utique non crederem. Aliter verò reputandum eſt de iis, qui paulatim ex uno ad alterum ſe conferunt clima, vel qui ab ineunte ætate extremos illos vel algores, vel æſtus pati aſſueverunt. Si quæ fortè regio certis hodie animantibus caret, his ſemper caruiſſe recta conſequutione inferat nemo. Experimento quin etiam contrario diſcimus, plures in Orbe regiones certi cujuſdam generis animantibus deſtitui, vel raris frequentari, quæ tamen olim erant familiariſſima, uti de Hippopotamis in Ægypto, de lupis in Anglia, de *Bievres* (c) in noſtris regionibus.

Sed validiſſimum, quod opponunt, adversùs univerſale diluvium argumentum ex eo petitur, quod tantam aquarum vim, quanta Moſaicæ narrationi implendæ neceſſe eſſet, vis ac ne vix quidem natura ſufficeret. Certum ponunt, celſiſſimos montes aſſurgere ad perpendiculum mille, vel 2000. paſſibus. Res eſt hic indagandi, num terræ ſuperficiem alluentes aquæ ad tantam altitudinem excreſcere potuiſſent, collectis ſimul marinis, fontanis, & fluvialibus aquis, quibus ferrent ſuppetias aquarum ſub terram receptacula, & nubes aeream regionem tenentes.

Perſuaſum fuit nonnullis, quando etiam aer terræ circumfuſus, & atmoſphæra prorsùs tota, ſpatium tenens inter nos & lunam, concreſceret in aquas, nunquam tamen altiùs aſcenſuras undas ſuper terram, quam 32. pedibus; reputatum eſt enim aeris columnam è terra aduſque ſummam atmoſphæram pondus non excedere 32. pedum aquæ, quam utique ſupputationem adſtruunt optima quæque experimenta, quibus aeris pondus ad libram revocatum eſt. Hæc tamen experimenta evertunt contraria alia, non minus quàm priora illa, ſaltem in ſpeciem, certa & exacta (d), ex quibus ambigendi ſaltem jus datum eſt, num veritati conſtet dogma illud philoſophicum, pondere ſcilicet aeris contranitente ſuſpendi ad certam altitudinem aquam & mercurium in fiſtulis. Demonſtratum eſt inſuper, ſiquidem veritati

conſtet,

(a) Plin. lib. 13. cap. 25. D. Le Pellerier Rothom. Diſſert. de Arca Noe cap. 33.
(b) Licet. lib. 3. cap. 7. De his quæ diu vivunt ſine alimento. Scalig. in Cardan. exercit. 14.
(c) Avis eſt fluviatilis oblongo roſtro, ſerrato, & ad extrema adunco, aſſurgit ſuper collum criſta, dorſo cinereo, ventre ſubalbo & ſubrubris pedibus.
(d) Le Pelletier Diſſert. in Arcam Noe pag. 36.

Digitized by Google

conſtet, quod ab exactiſſimis ponderis aeris indigatoribus experimentis plurimis probatum eſt, 500. ſcilicet perticis altum aerem, 37. lineis & ſemis deprimere mercurium in fiſtula inferiori ore aperta, & ſuperiori occluſa, eundem verò mercurium ad 28. digita & ſemis ſuſpendi in loci ad libellam maris conſtitutis; demonſtratum eſt, inquam, hiſce admiſſis hypotheſibus aerem terræ globo affuſum non elevari niſi duabus leucis & 60. perticis, contra dogma illud Philoſophorum, ſtatuentium ultra 86000 leucarum lunam inter & terram diſtantiæ, quod totum ſpatium ab aere pondere ſuo terræ incumbente oppleri cenſent.

Concipiamus igitur re ipſa pondere ſuo non deſtitui aerem, totumque in aquas liqueſcere; quanta vis aquarum, rogo (a)? ſi vero nihil habet ponderis; ut quid ex pondere adverſus univerſale diluvium deducatur argumentum? Pondus equidem aeris, quatenus capio, nihil eſt aliud, quàm niſus recedendi à centro ſui motùs, quo circa terram torquetur; pondus vero corporum in aere ex aeris ipſa preſſione repetitur; premit enim aer corpora, quod ſcilicet è centro illo ſui motùs recedere annitens, regerit illa in terram depellitque, validiùs imbecilliuſque juxta ac corpora ſolidiora ſunt, craſſiora, magiſque terreſtria, vel ſubtilia magis, poris pervia & aerea. Hæc autem omnia aliena ſunt à quæſtione de univerſali diluvio; nec hiſce reddimur ſapientiores, an re ipſa ſufficere poſſit natura aquarum ſat, quantum opus eſſet ad demergendam terræ ſuperficiem altitudine circiter 12000. pedum.

Olim ab exordio terreſtrem globum ſubmergebant aquæ, obducebatque terram chaos; Geneſ. 1. 2. 3. diſcurrebat ſpiritus Dei ſuper aquas, & tenebris inhorreſcebat abyſſi facies univerſa; hæc Moyſes. Nec minùs diſertè Pſalmiſta Pſal. 103. 5. 6. 7. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus, ſuper montes ſtabunt aquæ; ab increpatione tua fugient, & a voce tonitrui tui formidabunt. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis. Terminum poſuiſti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.*

Habemus hic diluvium univerſale ab exordio mundi non ambiguis characteribus expreſſum. Quis autem vetat, ut diluvium illud iterum in terram reduceretur ſecundo, jubente Deo, qui maris fluctibus imperat, Job. 38. 10. *Uſque huc venies & procedes ampliùs; hic confringes tumentes fluctus tuos?* Sapientia Proverb. 8. 27. *Aderam quando certa lege & gyra vallabat abyſſos.*

At enim, ut ad primævum res omnes ſtatum redigerentur, opus fuiſset, non in terram tantùm regerere marinas, fontanas, & fluviales aquas, quod vix fieri poſſe conciperemus, niſi ſimul globi univerſi terreſtris œconomia turbata; ſed & revocare etiam ad interiora aquas ſupra firmamentum elevatas. *Dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diviſitque aquas quæ erant ſub firmamentum, ab his, quæ erant ſuper firmamentum*, Geneſ. 1. 9. Aquæ illæ inferiores, non aliæ utique reputandæ ſunt, quàm maris & amnium; ſuperiores ſunt aquæ attenuatæ atmoſphæram tenentes, & ipſa facilè atmoſphæra; uno verbo quencumque teneant locum, quidquid de illis factum ſit, conſtat utique in nihilum nequaquam rediiſſe; nec majori planè negocio à Deo in primævum ſtatum revocari potuiſſent, & redigi in aquas tempore diluvii, ac olim ab ipſo rerum exordio in auras & vapores attenuavit. Utcumque res habeat ſeſe, demonſtrant hæc utique univerſale diluvium nec legibus naturæ repugnare, nec omnia valentis Numinis ſuperare potentiam.

Quanta tunc rerum in natura mutatio contigerit ſub oculis exponit Moyſes Geneſ. 7. 11. 12. *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ Cœli apertæ ſunt; & facta eſt pluvia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus*; quibus verbis tantundem inſinuatur; veluti ſi terra ad primævum ſtatum redacta confuſum rerum omnium chaos revocaverit. Aggeres & repagula, quibus in ordinem continebantur maria fluctus, diſrupti ſunt; revulſæ firmamenti cataractæ; aquæ inferiores ac ſuperiores una ſimul, ut olim ab exordio, conjurarunt, colveruntque.

Sed hypotheſi admiſſa de elevata in ſublime Arca, ut 15. cubitis altiùs aſcenderet quàm celſiſſimorum montium cacumina, qui fieri potuiſſet, ut in algenti & tenuiſſimo aere, qualem mediæ regionis concipimus, à nullo animalium ferendo, bruta & homines incolumes diù reſpirarent? Hiſce duo reponenda; 1. Quæ rationum & experimentorum momenta afferuntur ad evincendum ſummorum montium culmina incolas non ferre, hæc utique minus certa ſunt, quàm ut exploratì aliquid adſtruant. Fatemur equidem algentiorem ibi brumam regnare, tenuiorem vividioremque aerem; ſed illum abſque exitio ſpirare non poſſe mortales aſſerto plurium teſtimonio falſi convincitur.

2. Media aeris regio non ita reputanda eſt, quaſi in certo ſemper puncto & in adſtricta limitibus regione conſiſtat, ut nec infra demitti, nec ſuperiùs aſcendere valeat; quin potiùs ita ſtatuendum eſt, ut ad nos propiùs remotiuſque feratur, prout calor ſolis magis vel minùs æſtuat. Rigente hyeme minùs à terra recedit; maximè autem urente æſtate; vel ut melius dicam, cùm bruma in media regione per æſtatem ſeſe contineat, infimæ etiam communicatur in hyeme: quare in hypotheſi univerſalis Diluvii ad ſenſum utique conſtat, mediam illam aeris regionem longiùs receſſiſſe à terra & ab aquis; parique gradu rediiſſe propius ad nos, ac tenentes terram aquæ paulatim dilabebantur. Factum inde, ut Arca ſemper inferiorem aeris regionem teneret, tunc etiam cùm ſupremis montium cacuminibus 15. cubitis altior imminebat; eundemque ſemper aerem reſpiraſſe homines & bruta aquas navi ſulcantes, eundem ſcilicet, quam priùs, dum nullis inundatam aquis terram incolebant.

Nec his tamen congeſtis rationibus abfuiſſe prodigium omne ab univerſali Diluvio evincere conaremur. Prodigium enim, & quidem maximum, in eo agnoſcimus, quòd imbres nunquam intermiſſi 40. ſolidis diebus aquas evomuerunt in terram; prodigium inſuper cùm aquæ illæ iterum in vapores attenuatæ ſunt, defluxerunt in abyſſos, abieruntque in auras, quacunque id tandem ratione factum ſit. Fatemur inſuper terribilem hanc Dei ultionem ardua plura, via cogitatione ſuperanda inferre, quà univerſalis quà particularis Diluvii ſyſtemate admiſſo. Cùm autem alterutra admiſſa ſententia ſeries ſuccedentium inter ſe prodigiorum ſtatuenda ſit, præſtare utique arbitramur, commune retinere ſyſtema Patrum ac Interpretum omnium, quà Catholicorum, quà Heterodoxorum, quin & ſæculorum omnium, quàm novas ſtruere vias non minoribus difficultatibus implexas. Si quis utique Diluvii particularis ſyſtema admittendum ideò cenſeat, ut os audacium quorundam obſtruat, & authoritatem Sacrarum Scripturarum ponat in tuto; quomodo id ſe impetraturum blanditur, dum Sacro Textui vim infert planè apertam; aſſerere enim cogeret non niſi partem tantùm Orbis tenuiſſe Diluvium, cum Moyſes cæterique Sacri Scriptores, ea de re tractantes, ſuculenter aſſerant nihil terrarum à Diluvio illo intactum manſiſſe?

D. Thomas Burnet Anglus in ſuo Libro inſcripto : *Telluris theoria ſacra*, libri duo priores *de Diluvio & Paradiſo*, impreſſo Londini anno 1681. in 4. explicare conatus eſt phyſica quadam ratione univerſum Diluvii myſterium. Statuit igitur terram ab exordio rotunda ſuperficie teretem montibuſque aſperatam fuiſse nullis, continentem autem in centro immanem aqua-

rum

(a) Author, quem laudavimus, demonſtrat ea hac aquarum mole reſultare poſſe plus aquarum 165. $\frac{1}{4}$ vicibus, quàm ſit opus ad implendam illam aquarum altitudinem, quàm fert textus Moſaicus. Vide p. 384. 385. 386.

rum abyſſum. Factum autem cenſet, ut terræ multis concuſſionibus humus pluribus in locis ſubſideret, aggeſtaque in aliis ſtrue protuberaret, ex quibus apertas hinc inde aquis ſcaturigines, unde erumperent, totamque latè ſuperficiem terræ occuparent. E tumultuariis autem terræ aggerationibus formatos dicit montes depreſſaſque valles. Statuit olim ab exordio axem terræ ſitum tenuiſſe ad axem Mundi parallellum, ut directo ſemper motu terra ſub æquatore torqueretur, ex quo perpetuum æquinoctium. Re ipſa quidem, ait, Zona torrida nullis erat incolis frequentanda; ſed diſpendium illud reparabat verna ſemper temperies in aliis Mundi partibus regnans. Addit nulla fuiſſe tunc maria, nullos imbres, iridem in Cœlo nullam. Quam verò nos incolimus terram, poſtquam igne repurgata fuerit, recepturam tandem aſſerit primævam illam formam, donec poſtrema Judicii die in ſtellam fixam transferatur.

Hoc ſyſtema refutare utique ducimus ſupervacaneum, propoſuiſſe tantùm contenti. Satis certè ex Moyſe conſtare arbitror, ætate ſuperiores diluvio fuiſſe montes, maria, & varias anni temporum vices. Burnetum impugnarunt Leidekkerus, aliique nonnulli Proteſtantes Scriptores, quos adeas.

Scriptor alter Anglus, Vooduvard in ſuo Libro *Naturalis hiſtoria telluris illuſtrata*, impreſſo Londini anno 1714. contendit terræ maſſam omnem Diluvii aquis reſolutam, ſubſidentem tandem in ſinu aquarum novam aliam terram formaſſe, variis ſoli ſeu materiæ terreſtris in liquido innatantis ſtratis conſertam. Ex ſtratis illis alterum aggeſtum erat ſuper alterum, ſervato fermè majoris minoriſve ponderis gradu; ex quo factum aſſerit, ut plantæ & animalia, maximè autem piſces & conchæ, nondum aquis diſſolutæ uti cætera, in unam coaleſcerent maſſam cum mineralibus ac foſſilibus, quorum virtute præſervata ſunt intacta, vel ſaltem foſſilibus illis inſculpſerunt, vel prominenti cælatura figuram ſuam indiderunt.

Juxta eam hypotheſim exponit conchas fortè occurrentes in locis à mari diſſitis, molares illos elephantinos, animalium oſſa, piſces in lapides concretos, & alia id generis, quæ ſuprema montium culmina, & loca à mari diſſita ſpectantibus offerunt; reputat ille hæc omnia cum aggeſto ſolo in diluvio univerſali commixta bituminoſa quadam materia, vel ſalinis terræ partibus benè ſubacta, concreviſſe in lapides, retenta tamen priſtina forma, nova licèt adoptata rerum natura. Hunc Authorem ſi quis conſulat, curioſa utique plura intelliget de Diluvio. Vide etiam Ray *Conſequentes of the deluge*; & Scheuczerum *Piſcium querela*, & *Herbarium diluvianum*, Opera impreſſa Tiguri, prius illud anno 1708. alterum 1709. *Nova Reſpublica literaria* Martii 1704. Edmundi Halley *Diſſertationem* in Actis Philoſophicis Londini lib. 16. pag. 104. Dictionarium Trevoltianum v. *Diluvium; Oſtrea* (*Coquillages*) *Foſſilia*.

Diluvii receptam traditionem ſervarunt pariter, ſuo ſinguli more inſigne hoc rei monumentum referentes, Muſulmani, Pagani, Sinenſes, & Americanæ gentes. Joſephus contra Appion. lib. 1. Beroſum laudat, qui ex veterum monumentorum teſtimonio ita de diluvio diſſerit, ut Moſaicæ veritati planè congruat. Nec enim ſilet ille Noemum, Arcam, & quibus ſubſedit, montes. Abydenus apud Euſebium Præpar. lib. 9. cap. 12. refert de Seſiſtro quodam, qui de imminenti diluvio terram univerſam inundaturo à Saturno monitus, tectam quandam navem ſubiit, unde aves nonnullas dimiſit, exploraturus ecquiſnam terræ eſſet ſtatus; rediiſſe aves illas uſque tertiò. Paria refert Alexander Polyhiſtor, addens quadrupedia, reptilia, ac volatia in eadem navi ſervata fuiſſe. Lucianus in ſua Lucubratione de Dea Syra, refert cùm homines laxaſſent in vitia fræna, terram inundantibus diluvii aquis abſorptam fuiſſe, ut ſolus ex hominibus remaneret Deucalion, qui perfugium quæſivit in navi, unà cum familia univerſa ac omnis generis animantibus. Deucalionis diluvium illud recenſet in Apollodoro Biblioth. lib. 1. cap. 1. Ovidio Metamorph. lib. 2. ver. 270. &c. aliiſque pluribus, ſed ubique tamen apud illos variis infarcitur, quæ à Noemico prorſus abludunt.

Regionem ſuam à diluvio intactam fuiſſe, ita tenent Sinæ, ut ne ad Indos quidem pertigiſſe cenſeant; quod utique legas in itinere duorum Arabum Mahometanorum, qui Sinas nono ſæculo luſtrarunt, impreſſoque Pariſiis anno 1718. curante D. Renaudot; ſed Arabes univerſale Diluvium facilè admittunt.

Egimus ſupra v. *Apamea*, de traditione, juxta eam Urbem ſubſtitiſſe Arcam Noemicam ferente, ex qua Urbi illi cognomen *Kibotos*, i. e. Arca. Porrò vulgati ſunt duo nummi ibi cuſi (a) quorum unus exhibet caput Philippi Imperatoris, additis circum Græcis characteribus *Imperator Cæſar Julius Philippus Auguſtus*; offert autem poſtica Arcam continentem Deucalionem, & Pyrrham, vel Noemum cum uxore; geminæ columbæ ſpectantur in tecto, tenentes ramum olivæ; ad latus Arcæ inſculpta legitur vox *Noe*; circùm autem in poſtica: *Sub M. Aurelio Alexandro ſecundo Pontifice Apameorum*.

Secundum nummum, priori in reliquis ſimilem, diſtinguit caput *Lucii Septimii Severi Pertinacis*: Arca in poſtica inſculptas præfert literas Græcas *Neton*; circùm autem: *Sub eo qui præſidet ludis Magneſiorum, & Apameorum*. Autumavit P. Kircherius Græcas literas exhibentes Noe, poſtremas eſſe craſæ vocis *Apameon* inverſo ordine cuſas. Suppoſitios eſſe nummos alii ſuſpicantur. Ferendo de illis judicio opus fuiſſet, & nummos habere ſub oculis, & revocare in examen. Illud conſtat, Apameenſes in Aſia originem ſuam inter primos homines referre, acceptamque tuliſſe Deucalioni & Pyrrhæ, ſeu Noemo ejuſque uxori, qui ex Arca efferentes pedem poſt Diluvium Urbem illam condiderint.

Mahometus in Alcorano cap. Hond. agens de diluvio aſſerit, *impleto tempore à Deo præſtituto exigendæ de hominibus ultioni, cùm ſcilicet clibanus æſtuare cœpit, & regurgitare, injunxiſſe Deum Noemo, ſegregaret ac ſecum introduceret in Arcam ex omnibus animantibus paria bina*. Clibanus ille, qui æſtuare cœpit, appellatur Arabicè *Tannur*; docentque Mahometani in uſum fuiſſe Evæ pani decoquendo, atque hæreditaria ſucceſſione ad Noemum tranſiiſſe; differt autem à furnis noſtratibus; orificio eſt arctiſſimo in ſuperiori culmine. Plerumque clibani illi lapidei fabricantur vel lutei, ſuccenduntur autem impoſitis è ſuperiori ædificio lignis; farina aqua ſubacta externo furni hujus parieti applicatur, vel intus ponitur ſuper prunas, quibus ad medium uſque furnus oppletur.

Cùm igitur *furnus ille ferveſceret*, ideſt cùm diluvii aquæ ex imo fundo terræ impetu prorumperent, mandavit Deus Noemo ſecederet in Arcam, unà cum familia Juſtiſque omnibus, qui perfugium ſibi eò quærere voluiſſent. Ingreſſi ſunt ad 80. hominum, ſed Chanaam recuſavit. Poſt ſex menſes, quibus perſeveravit diluvium, neque enim ultrà prorogatur, Deus hæc injunxit terræ: *Aquas tuas abſorbeas*; Cœlo verò: *Quas effudiſti, aquas iterum ad te retrahas*. Statimque tenſim decreſcere aquæ, Dei juſſionibus ſtatutum exequutioni mandatis. Subſidit Arca in monte Giondi, ubi è Cœlo data vox inſonuit: *Væ impiis*. Obſervant Interpretes verſiculum hunc eloquentia & ſublimitate ſua cæteros Alcorani ſuperare, tam verbis ipſis, quàm verborum ſenſu.)

DIMAS, *Diſmas*, *Deſmas*, ſive juxta alios *Titus*; aliis verò *Vicimus*, ac tandem *Matha*, nomen, ut aliqui credunt, alterius Latronis, qui una cum Chriſto, in cruce pendens, in ipſum credidit: ſed nihil hiſce nominibus incertius.

DIMONA, urbs in plaga meridionali Juda (b).

DINA, Jacob, & Liæ filia, poſt Zabulon nata (c). Cùm Jacob in terram Chanaan regrederetur, Dina quin-

(a) Octav. Falconer. Inſcript. Athleticæ Rom. 1668. pag. 163. Kircher. de Arca Noe pag. 138.
(b) Joſue 15. 22. (c) Gen. 30. 23. A. M. 2250. ante Chr. 1750. ante Ær. 1754.

Digitized by Google

quindecim circiter annos nata, mulieres Sichimitas inſpectura, celebritati illorum ſolemni adfuit (a). Puellam intuitus Sichem filius Hemor Hevæi, Princeps urbis, ſtatim deperiit, ac vi raptam violavit. Deinde poſt delinitam blanditiis puellam, injuria acceptâ triſtem, illius nuptias, procurante patre Hemor, petiit à Jacob.

Inter hæc fratres Dinæ ſupervenientes, ea de re certiores facti, ultionem molientes, petentibus ſororis nuptias annuerunt; ea tamen conditione, ut Sichimitæ circumciſionis legi ſubderentur. Hemor, & filio aſſentientibus, eorumque opera cæteris Sichimitis, illicò omnes vulneri ſubjecti ſunt. Poſt hæc, tribus elapſis diebus, cum vulneris dolor crudeſceret, Simon & Levi filii Jacob, urbem ingreſſi, Hermon, & Sichem, omneſque ſimul incolas trucidarunt, abductiſque pueris & mulieribus, ac præda, Dinam ſororem ſuam, nec ſane inultam ad patrem, totius ejus cædis initium, reduxerunt.

Quid deinde Dinæ acciderit, incertum. Hebræi illam tribuunt uxorem Job viro ſancto; cujus quidem ſententiæ nedum nullæ ſunt conjecturæ, ſed ſi quæ ſunt, contrariæ videntur: ſi enim Job idem eſt ac *Jobab*, quartus princeps Edom poſt Eſau fratrem Jacob, certè ut Dina filia Jacob cum illo nuptias celebraret, diutius vixiſſe oportuit.

DINÆI, populi Hebræorum hoſtes, qui Hebræis Templum reſtaurantibus obſtiterunt 1. Eſdr. 4. 9.

DIOCÆSAREA, alio nomine *Sephoris*, in Galilæa. Vide *Sephoris*.

DIODOTUS, alio nomine *Tryphon*, quondam Dux copiarum Alexandri Balæ. Cum Demetrius Nicanor Rex Syriæ militibus invitus eſſet, Diodotus de transferendo Regno in Antiochum filium Balæ apud Elmalchuelem Arabiæ Regem verſantem, cogitavit (b). Igitur obtentum precibus Antiochum à Rege, & in Syriam ductum, à militibus ac populo in Regem ſalutandum curavit: quamquam Antiocho ſolum nomen, Diodoto vero authoritas Regis manſit. Nec tamen ab affectando etiam Regio titulo diutius abſtinuit: atque conſilio Medicos corrupit, qui Regem quaſi lythiaſi laborantem ſecarent, atque interficerent (c). Eo occiſo, Regnum invaſit, ac nomen Diodoti in Tryphonem commutavit.

Ut autem Romanorum amicitiam mereretur, auream Fortunæ ſtatuam, pondo 10000. aureorum, ad Senatum miſit; quam Patres illi ita receperunt, ut tamen Tryphonis petitionem, Regem ſe ab illis agnoſci poſtulantis, eluderent. Acceptæ ſiquidem Statuæ inſcriptionem appoſuerunt, qua ab Antiocho juniori, quem Tryphon occiderat, oblata fuiſſe dicebatur (d).

Interim Simon Machabæus, regnante Tryphone, omnia ad rapinam direptionemque vergere cernens (e), ejus partibus relictis, ad Demetrium Nicanorem acceſſit; eodemque conſilio cæteri Tryphonis milites ad Cleopatram, quæ eidem Demetrio (f) nupſerat, & in expeditione contra Parthos ultra Euphratem verſabatur, defecerunt. Igitur Tryphon ab omnibus deſtitutus, cum Doram Phœniciæ urbem ſe recepiſſet, obſeſſa ab Antiocho Sidete, fratre Nicanoris, urbe, vix inde elapſus, Orthoſiam, ac deinde metu Antiochi inſequentis, Apamæam patriam ſuam confugit (g). Tandem in ea urbe ad ultimas anguſtias redactus, juxta Strabonem l. 14. præcipitem ſe ab arce dedit; vel ſe in ignem conjecit, juxta Syncellum; vel vi illata occiſus eſt, juxta Joſephum Antiqu. l. 13. c. 12.

DIONYSIUS AREOPAGITA, quondam in Senatu Areopagi, omnium Tribunalium totius Græciæ celeberrimo, dein Chriſtianus; de qua converſione *Act.* 17. 34. Fertur uxorem habuiſſe *Damarim*, quæ eodem tempore (h) Chriſto nomen dedit (i): Epiſcopus Athenienſium per S. Paulum initiatus fuit & martyrio occubuit. Quæ contra ejus Opera & iter Pariſios afferuntur argumenta, noſtri inſtituti non ſunt.

(Legimus in Actis 17. 14. &c. S. Paulum, metu ne veniret in manus Judæorum, qui è Theſſalonica eò ſe contulerant concitando in ipſum populo, coactum referre pedem è Berœa Urbe Macedoniæ, in Achajam tranſiiſſe, tum & Athenas: opperiens autem ibi Sylam itineris ſocium, & Timotheum diſcipulum ſuum, ſpiritu commotus eſt, ſibique indignatus, quòd Urbem inclytam perbibiſſe Idololatriam intelligeret. Sæpiùs itaque de religione diſſeruit cum Philoſophis maximè omnium Epicureis, & Stoicis. Horum alii res novas proponentem de ridiculo traducebant; alii quòd ignotam religionem inducere videretur, novumque Deum annunciare, (liberiùs enim prædicabat Jeſum Chriſtum & reſurrectionem) abreptum hominem ſtatuerunt coram Areopago, dicentes: Nova adeò & inſolita annuncias, ut quid rei ſit hoc intelligere nobis conducat: Athenienſes enim rerum novarum addiſcendarum auſcultandarumque prurītu ſollicitabantur.

Coram Areopago ſtans Paulus, ſignificavit ſe per mediam Urbem caſu tranſeuntem, inſpicientemque Numinum ſimulacra, caſu incidiſſe in Aram, hac epigraphe dedicatam: IGNOTO DEO. *Quod ergo, ait, ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic Cæli & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam & inſpirationem & omnia: Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longè ſit ab unoquoque noſtrum. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt; Ipſius enim & genus ſumus.*

Genus ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro & argento aut lapidi ſculpturæ artis & cogitationis hominis Divinum eſſe ſimile. Et tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod ſtatuit diem, in qua judicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.

Cùm de mortuorum reſurrectione ſermonem innectentem audierunt, commenta de ridiculo traduxerunt nonnulli; quidam alia vice illi ea de re diſſerenti ſeſe auditores ſignificarunt; atque ita è cœtu dimiſſus Apoſtolus. Adhæſerunt tamen illi quidam victas manus tradentes fidei, inter quos Dionyſius ex Patrum Areopagitarum numero, & mulier quædam nomine Damaris, necnon rari quidam alii (k). Hæc S. Lucas in Actis, nec plura fermè de S. Dionyſio Areopagita conſtant. Autumarunt nonnulli, ſed incertis omnino conjecturis, Damarim conjugii jure ad illum pertinuiſſe (l). Athenienſem Civem illum appellat S. Chryſoſtomus ibid. nec ſine veri ſpecie; plerumque enim è Civibus aſſumebantur Areopagitæ. Alii è Thracia virum acceſſunt (m), cujus tamen opinionis fides nonniſi ex unico teſte, & certè minoris authoritatis, quàm ut valeat ad perſuadendum, peritur. Quæ ſapientiæ, integritatis, & juſtitiæ fama de Judicibus Areopagitis increbuit, viri merito commendando plurimum valet. Poſt datas fidei manus primus etiam Athenarum Epiſcopus renunciatus eſt (n), & pluribus confectus pro fidei propagatione, ac

(a) Gen. 34. 1. &c. (b) 1. Mach. 11. 39. 40. An. M. 3860. ante Chr. 140. ante Ær. 144.
(c) 1. Mach. 13. 31. 32. Liv. l. 55. Strab. l. 16. Juſt. l. 36 (d) Diod. Sicul. Legat. 31. (e) 1. Mach. 13. 34. 37. & 14. 10. 33.
(f) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 12. An. M. 3864. ante Chr. 136. ante Ær. 140. (g) An. M. 3866. ante Chr. 134. ante Ær. 138.
(h) An. Chr. 53. Ær. 56. (i) Chryſ. de Sacerd. l. 4. c. 7. Aſter. hom. 8. (k) A. J. C. 53. Æræ 56.
(l) Chryſoſt. de Sacerdot. l. 4. c. 7. Aſter. hom. 8. (m) Cæſar. Dialog. q. 12.
(n) Dionyſ. Corinth. Ep. ad Athenienſ. apud Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 4.

Digitized by Google

ac defenſione laboribus, multa etiam in eam rem perpeſſus, tandem vitam glorioſo martyrio coronavit. Fertur igne abſumptus fuiſſe Athenis circa A. J. C. 95. Ejus Feſtum Græci conſignant ad diem 3. Octobris.

Latini, jam inde ab ætate Ludovici Pii, firma perſuaſione tenuerunt, Dionyſium Areopagitam primum Athenarum Epiſcopum ipſum eſſe eundemque virum ac Dionyſium Epiſcopum Pariſienſem. Hoc argumenti genus plures extremo hoc ſæculo exercuit; tandem diſceptationes deſiiſſe jam videntur, ut nullus ſuperſit ambigendi locus, duos hoſce cognomines viros in duos reipſa diſtinguendos eſſe. Nihil hic ego de Lucubrationibus S. Dionyſii nomine inſcriptis; alienum eſt enim hoc à noſtro inſtituto, certaque hodie perſuaſione tenent docti falsò viri ſancti nomine perſigi.)

DIORIX, ſive *Dioryx*. *Ego quaſi fluvii Diorix Eccl.* 24. 41. Ea eo loco aliqui autumant *Dioryx* nomen eſſe amnis cujuſdam (a). Verum *Dioryx* Græcam vocem eſſe, quæ canalem, vel rivum ſignificat; vel ex eo conſtat, quod in eodem cap. verſ. 43. ea vox redditur *trames: Factus eſt mihi trames abundans.*

DIOSPOLIS, alio nomine *Lydda*. V. *Lydda*.

(Dioſpolis. Nullibi quidem nomen illud legitur in Libris ſacris, ſed in Commentario ad Nahum obſervavimus hanc facilè Urbem deſignaſſe Prophetam capite 3. 8. nomine *No-Ammon*, quod S. Hieronymus reddit plèrumque *Alexandria*. Hæc igitur de *No-Ammon* Propheta: *Nunquid melior es Alexandria* (No-Ammon) *populorum, quæ habitat in fluminibus? Aqua in circuitu ejus, cujus divitiæ mare, aquæ muri ejus. Æthiopia fortitudo ejus, & Ægyptus, & non eſt finis. Africa & Libyes fuerunt in auxilio ejus, ſed & ipſa in tranſmigrationem ducta eſt in captivitatem.* Hæc ſimul omnia nulli melius, quàm Dioſpoli quadrare reputavimus. Urbs eſt enim ſita in Delta ad ramum Nili inter Buſiridem ad meridiem, & Mendeſum ad ſeptemtrionem; ad extremam oram unius ex duobus ramis Nili influentibus in Mediterraneum non longè à Dioſpoli. Ingentibus ſtagnis ambiebatur (b): ſcitum eſt autem lacus in ſcriptura non ſemel Maria appellari. Ejus nomen *Dios-polis* Urbs Jovis congruit cum *No-Ammon*, ædes Jovis Ammonis; facile autem ſibi providere poterat de ſuppetiis, quarum meminit Nahum; erant aquæ robur ejus & munimen.

Cum tamen viri plures docti teneant No-Ammon ipſam eſſe Urbem Thebarum, Metropolim Thebaidis; horum rationes promemus v. *No-Ammon*.)

DIOTREPHES, quis fuerit, vel cujus urbis Epiſcopus, an omnino Epiſcopus fuerit, ignoratur. Cajum, ad quem tertia S. Joannis Epiſtola dirigitur, Epiſcopum fuiſſe unius ex ſeptem Eccleſiis in Apocalypſi recenſitis, eumdemque locum ac Diotrephem incoluiſſe, Grotius autumavit. Ligtfootus Diotrephem Corinthi vixiſſe maluit. Illud ſanè conſtat, hunc virum miſſos à S. Joanne viros neque ſuo ipſum hoſpitio recepiſſe, neque ab aliis recipi voluiſſe. Hæreticum fuiſſe Oecumenius, Beda, & Recentiores aliqui credunt. Alii Chriſtianum judaizantem malunt, qui cum Ethnicis fide initiatis communem habere menſam religioni duceret. Aliis tandem fidelis ex Ethnicis fuiſſe videtur, qui à Fidelibus ex Judaiſmo abhorreret. Vide 3. *Jo. ver.* 9.

DIPLOIS, Græca vox, veſtem, ſive pallium duplicatum ſignificans. Detractores ſuos Pſalmiſta à Deo pudore affici poſtulans, *Operiantur*, ait, *ſicut diploide confuſione ſua Pſ.* 108. 24. In Hebræo eſt *mehil*, quæ vox reddi poteſt, pallium, ſeu veſtis extima. Philoſophi Cynici tunica, & veſte interiori carente, diploide, ſivè pallio duplicato utebantur (c).

Contra quem duplici panno patientia velat.

Hæc vox occurrit etiam *Baruch*. 5. 2. de cujus tamen ſenſu, cum textus Hebræus non extet, nihil certi afferre poſſumus.

DIPONDIUS, parvus ſanè nummus apud S. Lucam 12. 6. *Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio?* Idem dictum ita refert S. Matthæus: *Nonne duo paſſeres aſſe* (ſolido ſcilicet) *veneunt?* In Græco legitur *aſſarion*, qui nummus dimidium aſſis, nempè 4. denarios, & $\frac{5}{8}$ ſivè juxta alios, 2. denarios, & $\frac{5}{16}$ æquat: *Dipondius* aſſis dimidium potiùs indicare videtur.

DIPSAS, Latinè *ſitula*, anguis genus, qui morſu ſitim lethiferam ingerit; unde & nomen *dipſas*, nempè ſitiens. De hoc Moſes *Deut.* 8. 15. *Ductor tuus fuit in ſolitudine ... in qua erat ſcorpio, ac dipſas.* Hebræum *tzimaon* optimè redditum eſt per dipſadem, quamvis aliqui de loco deſerto, & arido interpretentur.

DISAN, & *Diſon*, ambo filii Seir Horræi (d).

DISCIPULUS, notiſſima vox, quæ in Novo Teſtamento de Fideli, Chriſtiano, de Diſcipulo, ſive Jeſu Chriſti ſectatore, de Apoſtolo uſurpatur: *Creſcente numero Diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos &c.* Item: *Erat quidam Diſcipulus Damaſci, nomine Ananias*; Et de Paulo ſcribitur: *Saulus ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos Domini*, ſcilicet in Chriſtianos.

Interdum *Diſcipulus* de Apoſtolis ſcribitur, in Evangelio potiſſimum (e): quamquam Diſcipuli alii fuerant ab Apoſtolis. Etenim ea Diſcipulis 12. Apoſtoli à Jeſu Chriſto (f) ſelecti ſunt, ut abdita myſteriorum loco depoſiti cuſtodirent, præcipuiſque Religionis muneribus fungerentur.

Diſcipuli verò, qui ipſo prædicationis exordio Chriſto adhæſerunt, 72. recenſentur. Porrò eos Chriſtus (g) nominibus propriis *deſignavit, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem civitatem & locum, quò erat ipſe venturus, & dicebat illis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Ite: ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam ſalutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui: & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra; ſin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, manducantes, & bibentes, quæ apud illos ſunt; dignus eſt enim operarius mercede ſua. Et in quamcumque civitatem intraveritis ... curate infirmos, qui in illa ſunt, & dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei. In quamcumque autem Civitatem intraveritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas ejus dicite: Etiam pulverem, qui adhæſit nobis de civitate veſtra, extergimus in vos ... Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit ... Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes ... & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* His inſtitutionibus Diſcipulos ſeptuaginta duos formavit Chriſtus, in urbes Judææ prædicationis gratia illos dimiſſurus. Horum Diſcipulorum catalogus apud Græcos occurrit; ſed neque antiquitate, neque authoritate ita præſtans, ut fidem extorqueat. Ille verò, qui Euſebii ætate, quarto ſcilicet ſæculo, extabat, intercidit (h). Feſtum 70. Diſcipulorum (nam 70. pro 72. (i) paſſim uſurpantur) apud Latinos die 15. Julii; apud Græcos 4. Jan. celebratur.

(a) Raban. in Eccl. 24. 41. Complut. Sixt. v. *Fluvius Dorix*. Alii. *Fluvius Dorax*; Alii *Fluvius Vorax*.
(b) Strabo l. 17. Laert. l. 5. Suidas in Demetrio Phaleræo. (c) Horat. L. 1. Ep. 17. de Diog. Cyn.
(d) Gen. 36. 21. (e) Matth. 5. 1. & 8. 23. 25. &c.
(f) Luc. 6. 13. Matt. 10. 2. &c. (g) Luc. 10. 1. 17. An. Ær. 31. Chr. 34.
(h) Euſ. l. 1. c. 12. Hiſt. Eccl. (i) Græcus S. Lucæ impreſſus habet 70. Latinus & plures Mſſ. Græci 72. referunt. Patres ſæpius habent 70. ſed cum volunt numerum exactius definire, ſcribunt 72. Vide Mill. in Luc. 10. 1. 17. Tillem. not. 24. *ſur. J. C.*

Inter hoſce 72. Diſcipulos recenſeri jure poſſent (a) S. Barnabas, Soſthenes, S. Matthias, Joſeph Barſabas, Thaddæus S. Thomæ frater, ſeptem Diaconi (b), S. Marcus, S. Lucas, Andronicus & Junius S. Pauli neceſſarii (c), Judas cognomento Barſabas, Silas, Simon Niger, Lucius Cyrenæus, Manahem, Mnaſon, qui antiquus Diſcipulus appellatur *Actor.* 21. 16. Ananias, qui S. Paulum baptizavit (d), Ariſtion, & Joannes, de quibus Papias (e).

(DISCRETIO SPIRITUUM donum eſt à Deo datum, cujus 1. Cor. 12. 10. eo ſcilicet deſcernimus an illi, qui divinitùs inſpiratos ſe dicunt, reipſa tamen bono malove ſpiritu agantur; an Prophetarum rem vel ſpeciem tantùm habeant. Maximi erat momenti in Veteri Teſtamento, cùm ſcilicet ſæpius Arioli & ſeductores populorum parerent in ſcenam; & in Novo etiam primis Eccleſiæ ſæculis, cùm ſupernaturalium donorum chariſmata eſſent familiaria; familiaris proinde erat & dolus, Angelis Satanicis perſonam interdum aſſumentibus Angeli lucis; nec rari erant Pſeudo-Apoſtoli exteriora ovis interiora lupi habentes. Quare ſapienter monuit Fideles S. Joannes 4. 1. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, utrum ex Deo ſint.* Quibus characteribus genuini ac falsò ementientes perſonam Prophetæ diſtinguantur, exponit Deus, Deut. 18. 20. 21. 22.

DISPERSIO. SS. Petrus & Jacobus ſcripſerunt *ad Judæos diſperſionis* 1. *Petr.* 1. 1. *Jacob.* 1. 1. id eſt ad Judæos per Orientis faciem, Pontum, Galatiam, Bithyniam, Aſiam & Cappadociam diſperſos. Vaga magis & incerta eſt ſalutatio S. Jacobi: *Duodecim Tribubus quæ ſunt in diſperſione.* Hæc autem non ita accipienda ſunt, quaſi ſcilicet Tribus omnes per varias orbis partes diſſipatæ diſperderentur; conſtat enim Hebræos tunc frequentaſſe Judæam, cùm ambæ illæ Epiſtolæ ſcriptæ fuerint ante Judæorum excidium per Romanos. Sed poſt varias captivitates Regum Aſſyriæ & Chaldææ armis inductas, nunquam non per Orientem Judæos ex omnibus Tribubus diſperſos licuit ſpectare. Hos igitur Judæos deſignatos conſtat nomine *Diſperſionis*; ita Nehemias ad Dominum: 2. *Machab.* 7. 26. 27. *Congrega diſperſionem noſtram.* Et Judæi de Jeſu Chriſto, minitante illos ſeſe derelicturum, dicebant *Joan.* 7. 35. *Nunquid in diſperſionem gentium iturus eſt?* Vide vv. *Captivitas*, & *Tranſmigratio.*

DISSOLUTIO, *Diſſolvo.* Variè hæc uſurpantur. Diſſolvi cupit Apoſtolus Philipp. 1. 23. è vinculis corporis: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Paralyſi & ingenti quodam terrore correpti viribus cadunt, nervisque reſolvuntur, ut ne ſuſtinere quidem ſe valeant 1. *Machab.* 9. 55. *Diſſolutus eſt paralyſi.* Ezech. 7. 17. *Omnes manus diſſolventur*; & 29. 7. *Diſſolviſti omnes renes eorum.* Eccli. 25. 32. *Manus debiles & genua diſſoluta.* Joſue 5. 1. *Diſſolutum eſt cor eorum*; defecerunt corde. Iſaias 8 22. *diſſolutionem* ponit ceu ſynonimam *anguſtiæ.* Nahum 2. 10. *Diſſolutio geniculorum.* In Proverbiis 18. 9. *Mollis & diſſolutus*, eſt homo in labore piger; & 19. 15. *Anima diſſoluta eſuriet*, anima pigra. *Diſſolvere* Templum Dei vel diſſolvere opus, eſt in Novo Teſtamento dejicere deſtruere illud.

DIVIDERE. Eſt ſeparare & in duas vel plures partes abſcindere. Supplicium ſecandi, vel medio corpore abſcindendi familiariſſimum erat Antiquis; de quo nos v. *Supplicia.* Eò ſpectat S. Matthæus 24. 51. *Dividet eum partemque ejus ponet cum hypocritis.* Et Dan. 13. 15. *Angelus Dei ſcindet te medium.* Vide etiam 2. Reg. 12. 31. *Diviſitque culteris*; & 2. Machab. 1. 16. *Diviſerunt membratim.* Aliæ ſignificationes hujus verbi pronæ ſunt omnibus.

DIVINATIO, in divinationem & in artes curioſas, ad ſcrutanda omnia, ac penetranda occulta futurorum arcana, ad illicitas artes propenſos fuiſſe maximè Orientales omnes, ac potiſſimùm Iſraelitas ſat conſtat: derivatum id ex indole quadam timida & ſuperſtitioſa. Cùm Moyſes Legem Domini rogaret, gliſcebat lues illa in Ægypto, proximiſque regionibus; præſervandis autem Iſraelitis continendiſque, ne iniſſum penitùm conſulendi Divinos, Horoſcopantes, ſomniorum Interpretes ſequerentur, fidem obligavit ſuam futurum, ut nunquam propheticus ſpiritus in medio eorum deeſſet; vetuitque graviſſimis ſuppliciis, ne Divinos, Aſtrologos, & cæteros id generis adirent *Levit.* 20. 27. Et Deut. 18. 9. &c. hæc inſuper ſancit; *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationem illarum gentium; ne inveniatur in te qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem, aut qui Ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia, atque auguria; nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat, nec Divinos, aut quærat à mortuis veritatem ...... Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus; ipſum audies.* Scripta Prophetarum Domini utraque pagina exhibent invectivas in Iſraelitas conſulentes Divinos, eoſque qui ſibi de ementito Prophetarum nomine placebant.

Divinationum plura erant genera, per aquam, per ignem, terram, aerem, avium volatum, cantum, per ſortes, per ſomnia, per virgam. Divinationem per aquam excuſſimus v. *Calix Joſeph.* Ad divinationem per ignem vel Pyromantiam commodè referentur obſervationes fulminum, fulgetrum, & meteorarum, ſicut etiam Magorum ſuperſtitiones, excantationeſve per ignem, quem ſibi in ſeptis, vel in Templis, *Pyrathejis*, ſervabant. Nulla non die, inquit Strabo lib. 15. eò venientes perſeverabant per horam, inſiſtentes excantamentis quibuſdam, tenenteſque manu virgularum faſciculum, frontem verò redimentes tiaris quibuſdam villutis & amplis ad labia uſque deſcendentibus.

Divinatio per terram, ſeu *Geomantia* Perſis eſt familiaris, cujus inventæ honorem tribuunt *Edris*, i. e. Patriarchæ Enoch, vel Danieli Prophetæ. Huic igitur addicti ſuperſtitioni puncta conſignabant plurima in ſabulo quodam præparato, quod appellabant *Ram* (f). Puncta illa certo quodam numero in plures lineas inæquales diſpoſita calamo etiam in papyro adnotari licebat; qui vero talibus delectatur diſtinguitur nomine *Rammal.* Porrò huic futurorum arcana reſerantur, ex varia punctorum ejuſmodi ac linearum combinatione; unde de vanitate ejus artis non obſcurum capias argumentum.

Divinationis per virgam meminit Ezechiel 21. 22. Vide quæ de hac diſputavimus in Dictionario Biblico v. *Baculus.* Apud Strabonem lib. 15. legas virgas vel baculos, quos, ſacras cæremonias ad ignem ſacrum operantes, Magi tenebant.

Divinatio per volatum, cantum, ex ratione eſcas capiendi in avibus. An olim hiſce delectarentur Hebræi, ignotum. Vide ſupra v. *Augurium.*

Auguria de ſerpentibus accepta olim videntur. Hebræum *Nachaſch*, quod non raro uſurpatur pro augurari, conjectare, exprimit etiam ſerpentem. De auguriis per anguem exempla quædam collegit Bochartus Hierozoic. lib. 1. cap. 3. part. 1. Cari erant Ægyptiis angues quidam, quos bonos Dæmones, vel Genios appellabant (g): *Ægyptios Dracunculos Roma habuit, quos illi Agatho-Dæmones vocant.* In Abraxas nihil familiarius expreſſum cernitur, quàm ſerpentes; ſcitum eſt autem ejuſmodi Taliſmannica eſſe quædam & magica.)

DIUM,

(a) Vide Euſ. lib. 1. c. 12. (b) Vide Epiph. de Chriſto, c. 4.
(c) Rom. 16. 7. (d) Act. 9. 10.
(e) Apud Euſ. l. 3. c. 39 hiſt. Eccl.
(f) Biblioth. Orient. pag. 709. (g) Lamprid. in Elagab.

DIUM, urbs à Ptolemæo Cœlæ-Syriæ tributa, habens, eodem authore, 31. gradus & dimidium latitudinis, & 77. ac dimidium longitudinis; ſita verò, juxta Plinium l. 5. c. 17., prope Pellam, trans Jordanem, & inter urbes Decapoleos. In veteribus Notitiis Imperii in Arabia recenſetur: & à Pompejo priſtinis incolis reſtitutam fuiſse Joſephus eſt author Antiq. l. 14. c. 4. Ab Alexandro conditam tradit Stephanus Geographus (a).

DIVORTIUM, ſive *Repudium*, quod quidem juſtis de cauſis in Lege toleratum eſt. Deuteron. 24. 1. En verba: *Si acceperit homo uxorem, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cumque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque libellum repudii...., vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta eſt, & abominabilis facta coram Domino.* Quid ſit autem tò *Propter aliquam fœditatem*, vel juxta Hebræum, *Propter aliquam nuditatem* (b), inter Commentatores non convenit.

Schola Sammaiæ (qui paulo ante Chriſtum florebat) docuit (c) repudium non niſi ex fœdo aliquo, & contra honeſtatem crimine permitti. Schola verò Hillel Diſcipuli Sammaiæ in conjugatos mitior, leviorem quamcumque cauſam probabat, in ſuam ſententiam textum Moyſis ita explicans: *Si in illa invenerit aliquid, ſive aliquam fœditatem.* Hinc ſi fœmina dapes inſcitè inſtruxiſset, ſi altera venuſtior atque jucundior priori uxore videretur, licebat viro invitam conjugem dimittere. Tandem Akiba celebris Rabbinus, uxorem minùs viro gratam tuto dimitti poſse, ex verbis Legis ad ſuum ſenſum detortis, ſubſtinebat. Duabus enim de cauſis repudium in Lege permitti dicebat: Primò, ſi mulier *non inveniſſet gratiam ante oculos viri*: ſecundò, ſi *aliqua fœditate* eſset polluta. Nec niſi levioris momenti cauſas ad eam rem ſua ætate ſuffeciſse tradunt Joſephus (d), & Philo (e); quibus de moribus Judæorum recentiorum paria narrat Leo Modena p. 4. c. 6. ſi enim, ait, mulier oculis viri minùs blandiatur, ſtatim abjici poteſt.

Verum Chriſtus tantæ licentiæ modum imponens, ſolam ob repudium adulterii cauſam probavit: *Dictum eſt antiquis: quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Matth.* 5. 31. 32. Porrò nomen *fornicationis* in verbis Chriſti relatis pro quocumque immaniſſimorum criminum genere, ſcilicet Idololatriæ, Infidelitatis &c. quæ juxta phraſim S. Scripturæ non raro fornicationes dicuntur, intelligendum eſse aliqui ſentiunt. Alii verò nonniſi de adulterio, & infidelitate dictum interpretantur.

Fornicationem à Chriſto relatam non tamquam unicam repudii cauſam, ſed in exemplum, indicandi criminibus, quæ ad repudium ſufficerent, ſenſit Origenes *hom.* 7. *in Matth.* Hujus tamen ſententiæ cum Patres fere omnes & Interpretes, tum Eccleſiæ recepta conſuetudo refragantes, nonniſi de adulterio verba Chriſti interpretantur, unica ea cauſa divortium permittentes. De crimine infidelitatis S. Paulus eos, qui fidem ampleĉtuntur, ita alloquitur 1. *Cor.* 7. 11. 12. *Ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum.... Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi.*

Solutis autem per divortium connubiis, licebatne utriſque nova cum aliis connubia celebrare? Ea res non tantùm Veteri Lege, ſed vel ipſis Conſtitutionibus priorum Imperatorum, etiam Fidelium, permittebatur. Quibus aſſentitur Tertullianus, fœminæ per divortium dimiſſæ tutò cum alio nuptias celebrare fas eſſe docens (f); nec deerant Epiſcopi, Origenis ætate (g), qui ſubjectis ſibi populis eandem facultatem concederent. Tandem in eam plura, & maximè Gallicana, Concilia laudantur (h).

Verùm abuſus ille, licet forte obtinuerit, ſemper tamen damnatus, atque revulſus eſt. Morem enim illum reprobat Concilium Eliberitanum *c.* 8. 9. Canones vulgò Apoſtolici *can.* 48. Pontifices Syricius, Innocentius I. Leo, Stephanus, & Zacharias in Epiſtolis Decretalibus; ac tandem jugis Eccleſiæ Latinæ doctrina ea de re in Concilio Tridentino luculentis ſatis verbis exprimitur (i): *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cùm docuit & docet... propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimiſſa adultera, aliam duxerit &c. anathema ſit* (k).

(Veri ſpeciem habet plurimam divortium jam inde ante Legem obtinuiſſe apud Hebræos; cùm Jeſus Chriſtus Matth. 19. 8. Marc. 10. 5. ideo permiſſum dicat Hebræis divortium à Moyſe, quòd nimis dura eſſent corda; i. e. vel longa conſuetudine animum habuiſſent huic mori aſſuetum, vel ut majora mala permiſſo minori præveniret. Legimus equidem Abrahamum è toro rejeciſſe Agar, quòd illa gravior eſſet Saræ. Onkelos & Paraphraſtes Hieroſolymitanus cum Rabbinis plurimis tenent, ideo Aaronem & Mariam in Moyſem obmurmuraſſe *Num.* 12. 1. quòd ille Saram repudiaſſet juxta nonnullos, vel juxta alios abjeciſſet Tharbim filiam Regis Æthiopiæ. Alii tamen malunt obtrectandi in fratrem cauſam dediſſe non repudium Sephoræ, ſed quòd illam poſt repudium iterum admiſiſſet in conjugem. Re ipſa tamen conſtat, remiſiſſe illam Moyſem ad tempus in ædes paternas, & non rejeciſſe à toro, conſilio diſſolvendi conjugium.

In Libris V. T. poſt Moyſem ſcriptis ne unicum quidem offendas exemplum divortii. Scribunt quinetiam Judæi nec Davidi quidem factam copiam abjiciendi vel unam è ſuis uxoribus, ut in ejus locum ſufficeret Abiſag; coactum proinde illam habere loco concubinæ, vel uxoris ſecundariæ; antea enim adſciverat, more ejus ætatis permiſſas, 18 uxores. Idem etiam Princeps ad obitum uſque habuit apud ſe uxores omnes, quas palam & aperto probro affecerat Abſalom ejus filius, nec enim illas repudiavit, contentus clauſas perpetuò cuſtodire. Certum eſt tamen, illos plus nimio etiam uſos fuiſse indulgentia à Lege permiſſa, nec gravibus utique de cauſis divortia cum uxoribus ſuis intentaſse. Reputabat ſocer Samſonis, generum illum ſuum uxorem repudiaſſe; ejus enim nuptias cum viro altero conciliavit *Judic.* 15. 2. Mulier illa viridi juventa florens uxor Levitæ, quam probro affecerunt Gabaonitæ, à viro ſuo ita ſeceſſerat, ut nè reditura unquam videretur, niſi ille ad eam quærendam veniſſet *Judic.* 19. 2. 3. Meminit Salomon Proverb. 2. 16. 17. mulieris proſtitutæ, mariti & *directoris juventutis ſuæ* deſertricis, quæ ſimul partes Dei ſui deſeruerat. Abrahamum eo nomine laudat Malachias 2. 15. quòd ſterilem licèt Saram, è toro abjicere non ſuſtinuit; acerbiſque verbis caſtigat Judæos deſertores

(a) Δῖον ... πόλις Συρίας κτίσμα Ἀλεξάνδρου. (b) Septuaginta: ἄσχημον πρᾶγμα.
(c) Vide Selden. Uxor Hebr. l. 3. c. 18. 20. (d) Antiq. l. 4. c. 8. & de Vita ſua.
(e) Philo de ſpecial. Leg. præcep. 6. & 7.
(f) Tertull. l. 4. con. Marc. & de Monog. (g) Origen. hom. 7. in Matt.
(h) Arelat. 1. can. 10. Aurelian. 2. c. 11. Vermer. c. 5. 6. 11. 17. 20. Compendienſ. c. 16. Synod. Hibern. S. Patricii, an. 314. cap. 16. (i) Trident. ſeſſ. 24. can. 7. (k) Vide noſtram Diſſ. de divortio ad Comment. in Deut.

uxoris pubertatis ſuæ; quos etiam reprehendit Micheas 2. 9. *Mulieres populi mei ejeciſtis de domo deliciarum ſuarum, & à parvulis earum tuliſti laudem meam* (Dei) *in perpetuum*. Eſdras & Nehemias authores fuerunt Judæis ſanè multis, ut repudium dicerent uxoribus alienigenis, quas contra Legis ſanctiones duxerant 1. *Eſdr.* 11. *&* 2. *Eſdr.* 13. 23. 24.... 26. 30. Edicit Salomon Proverb. 18. 22. *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum; qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt, & impius.* Probant hæc omnia divortia ea ætate familiarius obtinuiſſe.

Autumavit Joſephus Hiſtoricus, Antiquit. l. 15. cap. 11. nulla Moſaica lege copiam dari fœminis, ut viros abjiciant ſuos; quin potiùs vetari illas, cùm à prioribus viris dimitterentur, alterum adſciſcere, niſi priùs patentibus divortii literis à priori viro obtentis. Perſuaſum habet Author ille, Salome Herodis Magni ſororem inter mulieres primam ſibi arrogaſſe, ut viro ſuo diceret repudium. Herodias, de qua Matth. 14. 3. Marc. 6. 17. repudiaverat Philippum virum ſuum, uti ex Joſepho intelligimus, Antiq. lib. 18. c. 7. De uxore ſua etiam perhibet Scriptor ille, ſubduxiſſe ſe à viri toro, paulo antequam ille manumitteretur à Veſpaſiano Imperatore (a). Tres ſorores Agrippæ Junioris Regis in Chalcide primùm, tum in Trachonitide, & Batanæa jure etiam divortii in viros ſuos uſæ ſunt. Berenice natu major, paulò poſt celebratas cum Polemæo Rege Ponti nuptias, virum abjecit. Ejus ſoror Mariamne, in locum Archelai viri ſui repudio dimiſſi, admiſit Demetrium Alabarcham Judæorum Alexandrinorum. Tertia tandem ſoror Druſilla pro Aſia Rege Emeſæ alterum admiſit virum Felicem Judææ Præſidem (b).

Dubitatum eſt in Eccleſia Chriſtiana num fœminis datum ſit, quemadmodum de viris conſtat, ut adulterii reos conjuges abjiciant à toro. S. Baſilius in ſua Epiſtola Canonica ad Amphilochium cap. 9. agnoſcit ſervatam quidem religioſè legis ſanctionem illam, quæ divortium permittit viris in uxores adulterio reas; negat autem idem jus fœminis in viros; ſed poſitum in moribus dicit, ut fœminæ tolerent maritos, eoſdem licèt crimine reos. Græcorum illi, qui ſcripſerunt in canonem 8. Apoſtolorum, contendunt perpetuò id in gente ſua obſervatum fuiſſe, ut fœminæ nullum ſit jus dimittendi maritum adulterum. Vidimus ſupra, Joſephum Hiſtoricum habuiſſe perſuaſum, nihil in Lege Moſaica dari fœminis in maritos. Ex his veluti principiis veterum Chriſtianorum nonnulli intulerunt (c), jus eſſe viris in locum repudiatæ conjugis alteram adſciſcere; negarunt autem pari jure donari fœminas.

Sed alii malunt æquum eſſe utrique conjugi jus, & in ſecundas poſt divortium nuptias (d). Meminit S. Juſtinus Martyr fœminæ cujuſdam Chriſtianæ, quæ divortii libellum conjugi ſuo miſit, quòd effrænis eſſet in vitia. Nec impari de cauſa Fabiola Matrona Romana, de qua S. Hieronymus, à viro ſeſe diſcrevit. Apud Græcos, nec hodie pariter ceſſatur à more divortia intentandi in iis rerum eventibus, de quibus Matth. 5. 32. & poſt divortia nova iterum conciliare licet connubia, quaſi ſcilicet priora evanuiſſent penitùs. Concilii Tridentini Patres (e), exponentibus pro concione Venetis degere in ditione ſua Græcorum plurimos, qui moribus illis tenerentur, canonem de divortiis ita temperandum cenſuerunt: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cùm docuit, & docet juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimiſſa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo adultero alii nupſerit, anathema ſit.*

Repudium in cauſa adulterii ſeu lege indicere videtur Sapiens. Proverb. 18. 22. *Qui tenet adulteram* (qui divortio illam non abjicit) *ſtultus eſt & impius*. Concilium Neocæſarienſe canon. 8. mandat Sacerdotibus repudium uxoris ſuæ, quæ poſt viri conſecrationem adulteravit. Locum illum Proverbiorum tanquam præceptum aliquod reputaſſe viſus eſt S. Auguſtinus, Retract. lib. 1. cap. 19. nec altero fermè ſenſu mentem ſuam explicat S. Hieronymus ſcribens in S. Matthæum. Verùm Apoſtolus 1. Cor. 7. 10. 11. ſuadens fœminis, ut pacem componant cum viris, ſatis apertè demonſtrat mentem Jeſu Chriſti; & ex Patribus plerique nunquam non removerunt à Fidelibus divortia, ſuaſeruntque ad pacem conciliandam.

Apud Judæos divortium minùs primum factum eſt, ex quo diſperſi vagantur inter varias gentes levi quacumque de cauſa vinculum illud diſſolvi non permittentes (f). Nihilo tamen ſeciùs, rara licèt, divortia tamen aliqua manent apud illos. Vir aliquis ſuſpicione quadam de fide uxoria ſuæ aſperſus, vetat ne procum illum aſpiciat familiariùs; ſi nequaquam ſe admonuiſſe recepto in aures murmure intelligat, & utroſque ſimul offenderit, maximè ſi in crimine flagranti, tum invitum etiam infidelem abjicere jubent Rabbini; integrum eſt tunc fœminæ quemcunque maluerit virum alterum adſciſcere, dummodo alius ſit ab eo, qui repudio cauſam ſubminiſtravit.

Puella 10. annorum ætate minor, ſive patre ſit orphana, vel minùs, poſt nuptias cum viro, ſiquidem illius pertæſa torum abjiciat, integrum id habet quoaduſque duodecim ætatis annos una die non excedat, tunc enim primùm in fœminam evadit. Repudiando autem viro ſat eſt ſi coram duobus teſtibus, ſcripto ejus voluntatem excipientibus, palam edicat, nolle ſe talem in maritum; tunc novas ſibi conciliare nuptias permittitur.

Quo autem Judæorum in divortia licentia coerceatur, plura obſervanda præſcribunt RR. quæ cùm rem diſtrahant, procraſtinentque diutiùs, temporis remedio fit ſæpe, ut apertum vulnus obducatur, inter conjuges pace iterum conciliata. Cùm res ad ultimas deſperationes devenerit, fœmina, vel ſurdus, vel tabellio divortii literas digerit; ſcribuntur autem coram uno vel pluribus Rabbinis in parata ad id membrana, in qua duodecim ductæ lineæ totidem quadratorum characterum lineas capientes; qua in re plura alia minutiſſima obſervata ſunt, tam quoad literas, quàm in ratione ſcribendi nomina & cognomina utriuſque conjugis. Cavendum inſuper, ne Scriba, Rabbini, & Teſtes affinitate aliqua ſive inter ſe, ſive cum alterutro ex conjugibus conjungantur.

Hæc autem ſumma literarum, quas appellant Gheth: *Tali die, menſe, anno & loco, Ego N. ſponte te repudio*, amoveo, liberam reddo te *N. hucuſque conjugem meam, permittoque ut cuicunque maximè volueris nubas.* His ſcriptis literis Rabbinus ſciſcitationibus exquirit diligenter à marito, an ſponte id fecerit. Curant ut quantum fieri poteſt decem ſaltem homines, dum res agitur, adſint, præter duos teſtes, qui ſignant inſtrumentum, duoſque qui teſtimonium ferunt de adſcriptione. Sub hæc Rabbinus mandat fœminæ extendat manus, atque alteram alteri jungat, excipiendo inſtrumento, ne fortè in terram cadat. Sciſcitatur iterum conjugem, & maritus membranam conſignat uxori, ſimul addens: *Hoc repudium tuum, te à me abjicio, atque in medium relinquo; ut quemcumque malueris virum adſciſcas.* Accipit uxor ſyngrapham, conſignatque Rabbino, à quo iterum

(a) Joſeph. de vit. ſua. (b) Idem Antiqu. lib. 20. cap. 15.
(c) Vide S. Baſilium ad Amphiloc. cap. 9. Ambroſiaſt. in 1. Cor. 8. 10. 11. Concil. Eliberit. can. 9.
(d) Conſtit. Apoſt. lib. 3. cap. 2. Epiphan. hæreſ. 59. Origen. in Matth. 19. & Pollent. apud Auguſt. lib. 1. de adulterin. Conjug. cap. 6.
(e) Concilium Trident. canon. 6. vide F. Paul. Hiſtor. Concil. Trident. l. 8.
(f) Leo Modena part. 4. cap. 4. & 6. Vide etiam Baſnag. Hiſt. Jud. lib. 7. cap. 22. art. 20.

iterum peregitur; tunc ſolutum matrimonii vinculum, Omittimus minuta quamplura, eò tantùm conſilio inducta, quo minùs prona ſint divortia. Monet poſt hæc Rabbinus fœminam, ut ſpatio trium menſium novas nuptias differat, nè fortè prægnaverit. Exinde nefas utrique illi conjugi ſolitarios quocunque in loco ſimul manere, & utrique pariter nova inire connubia, integrum eſt.)

DOCH, alio nomine *Dagon*, arx Hierichunti *proxima*. Vide *Dagon*.

(DOCTORES JUDÆORUM. Vide *Rabbini*.)

DODAIM, ſive *Dudaim*. Vide *Mandragora*.

DODANIM, poſtremus natu inter filios Javan. Sunt, qui Hebræum textum legant *Rhodanim*, & hunc Rhodiorum authorem autument: Nos verò Dodonæ, & circumjacentium regionum incolas poſteros habuiſſe (a) oſtendimus.

DODAU, pater Prophetæ Eliezer, de quo 2. *Paral.* 20. 37.

DOEG, Idumæus (b), paſtor mulorum Saulis, qui cum Nobe verſaretur, exceptum à Summo Sacerdote Achimelecho Davidem refectumque cibis, Sauli renunciavit. Eo accepto nuncio Saul Summum Sacerdotem, ac cæteros Sacerdotes 85. coram ſe accitos, veluti proditæ conjurationis una cum Davide reos, 1. *Reg.* 22. 16. *&c.* coram ſe trucidari juſſit. Detrectantibus omnibus manus violentas in Sacerdotes Domini inferre, Doeg impiis juſſionibus parere religioni non duxit.

DOMINICA DIES: dies Domini, cujus eſt in Apocalypſi 1. 10. mentio. Diem Reſurrectionis Jeſu Chriſti (quæ una Sabbathi contigit) ſanctam, feſtamque ab ipſo Eccleſiæ exordio Fideles habuerunt. Ut autem ejus celebritas, & cultus augerentur, viſum eſt Apoſtolis, requiem die Sabbathi Judæis præſcriptam, ad Dominicam transferre. S. Barnabas in Epiſt. tradit, nos octavam diem in memoriam Reſurrectionis celebrare. S. Ignatius Ep. ad Magneſ. ea de cauſa colendam hanc diem, atque omnium potiſſimam habendam admonet. S. Juſtinus Apol. 2. tradit eadem die Chriſtianos ſolemnes cœtus habere, quòd Mundus hac die creatus ſit, & Chriſtus reſurrexerit. Paria occurrunt apud Tertullianum Apolog. & de anima, Origenem (c), & in Conſtitutionibus, quæ Apoſtolis tribuuntur.

DOMINUS, Græcè *Kirios*, Hebraicè *Adoni*, *Adonai*, *Elohim*, *Jehovah*; Græci enim & Latini Interpretes frequenter *Dominum* pro omnibus hiſce Hebraicis vocibus ſcribunt. Deus per excellentiam *Dominus* dicitur; nec eo ſenſu ulli creaturæ convenit. Chriſtus, utpote Deus, & Dei Filius, Patri æqualis, ſæpè *Dominus* in Novo & Veteri Teſtamento nuncupatur. II. Idem Angelis nomen interdum tribuitur; ſivè Dei perſonam in Veteris Teſtamenti viſionibus gerant, cùm Patriarchæ, & Prophetæ illos, uti Deum ipſum, alloquuntur; ſivè tamquam ſimplices Dei legati habeantur. Ita Daniel Angelo, ſivè homini, ut ipſe ait, ſecum ſub humana forma colloquenti, dixit 10. 16. *Domine mi, in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ; & quomodo poterit ſervus Domini mei loqui cum Domino meo?* III. Eodem Principes, Magnates, ii que, quibus obſequium exhibetur, paſſim in Scriptura nominantur. Sed plerumque additur to *mi: Domine mi*, neque unquam creaturæ nomen *Jehovah* traditur, licet interdum *Adoni*, & *Elohim* non denegetur.

(DOMITIANUS Imperator, Veſpaſiani filius, & Titi frater inter duodecim Cæſares poſtremus. Tito fratri ſucceſſit anno J. C. 81. die 13. Septembris. Princeps fuit, ſi quis alius, compotationibus addictiſſimus, & impotentiſſimus; perſecutus eſt Eccleſiam, ac necem intuliſſe fertur S. Clementi Papæ. S. Joannes Apoſtolus Romæ damnatus fuit ſubeundo ferventis olei dolio juxta portam Latinam (d); ſed illæſus ſupplicium illud ſuſtinuit; tum exilio damnatus eſt in Inſulam Pathmos, unam è Sporadibus Archipelagi. Ejuſdem perſecutionis æſtu furens Domitianus, certiorque factus Chriſtianos eſſe quoſdam è genere David, & J. Chriſto ſanguine conjunctos, metuit ne ſiniſtri quid in ditionem ſuam ab illis immineret. Porrò neceſſarii iſti Jeſu erant nepotes Judæ fratris Jeſu ſecundùm carnem (e), nati facilè ex Joſepho, & prima quadam ejus uxore. Ducti itaque illi à milite coram Imperatore interrogati ſunt, an genus referrent è Davide; faſſoſque ſe Davidici eſſe generis, exquiſivit iterum Imperator, ecquot poſſiderent bona ac latifundia; repoſuerunt illi cenſua ſuus omnes non ultra æſtimari, quàm 9000. denariorum, non quidem argenti numerati, ſed in latifundiis, quorum menſura complecteretur 39. plethras, i. e. circiter ſeptem jugera, & 4. perticas Pariſienſes; ſolvere ſe ex illis tributa, & pauperes illos agellos ſuis manibus colentes victitare; cujus rei teſtimonium exhibebant manus callolas, & agriculturæ laboribus aſperas.

Quæſivit Imperator; & quodnam eſſet Regnum Jeſu, quo in loco, & quando regnaturus; illi ſtatim Regnum illud non terreſtre, neque in mundo poſitum eſſe dixerunt, ſed Cæleſte & Angelicum; futurum ut ille pareat in exitu mundi, cum tota Numinis Majeſtate ad judicium aſſeſſurus viventium & mortuorum. Viliſſima capita temnens Domitianus, intactos remiſit ad propria, juſſitque ceſſari à perſecutione ſaltem in Judæa. Duo illi ſanctiſſimi Confeſſores Eccleſiam moderati ſunt, vitamque prorogarunt adusque ætatem Trajani. Obiit Domitianus Anno J. C. 96. die 17. Septembris, & Regni ſui 15.)

DOMMIM. Vide *Aphes-Dommim*.

DOBERAT. Vide *Daberath*.

DONEC, Latinorum particula, rem certo aliquo tempore permanſiſſe vel permanſuram, eoque abſolutu diſſolvendam ſeu diſſolutam ſignificans. In Scriptura verò non rarò id tantùm, quod factum, vel faciendum eſt uſque ad certum tempus indicat, quamvis etiam eo termino elapſo, eadem nihilo ſecius res fortaſſe permaneat. Hinc de S. Joſepho ſcriptum eſt Matt. 1. 25. *Et non cognoſcebat eam* (nempe B. Virginem) *donec pepererit filium ſuum primogenitum*; nec tamen ex illa particula *donec*, inferre licet, poſt natum Salvatorem duos conjuges matrimonium conſummaſſe. S. Paulus ad Timotheum ſcribit 1. 4. 13. *Dum venio, vaca lectioni*. An poſt Pauli adventum à lectione ceſſandum? Pater apud Pſalmiſtam pſ. 109. 1. Meſſiam alloquens: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*. Sanè etiam poſt ſubjectos ſibi hoſtes Chriſtus regnabit. Vide *Geneſ.* 28. 15. & 1. *Reg.* 15. 35. *Iſ.* 46. 4. *Matth.* 12. 20. *Pſ.* 122. 23.

DOR, ſive *Dora*, metropolis regionis cognominis in Chanaanitide, in Hebræo *Napheth-dor*. Poſt ejus expugnationem, Regiſque necem, à Joſue dimidiæ Tribui Manaſſe cis Jordanem tradita eſt (f). Urbs eſt ad mediterraneum, portu tamen incommodo, inter Cæſaream Palæſtinæ, novem milliaribus, ſive tribus ab ea leucis, & montem Carmelum; ac ſæpe inter Phœniciæ urbes recenſetur. In ea urbe Antiochus Sidetes Tryphonem tyrannum Syriæ obſedit. 1. *Mach.* 15. 11.

(Juvenes quidam è civibus Dor ſpontè & inconſultis Magiſtratibus Statuam Imperatoris erexerant in Synagoga Judæorum Urbis ſuæ (g); quod reſciſcens Agrippa,

(a) Vide noſt. Comment. in Gen. 10. 4.
(b) 1. Reg. 21. Joſephus in Textu legit *Arami* pro *Edomi*, vertitque Aramæum, ſcilicet Syrum, pro Idumæo, quod etiam in Septuaginta occurrit.
(c) Hom. 6. in Exod. Vide etiam Iren. apud Author. Reſp. ad Orthodoxos.
(d) Tertull. de Præſcript. c. 36. Hieron. de Scriptor. (e) Hegeſippus apud Euſeb. l. 3. c. 20. Hiſt. Eccl.
(f) Joſue 12. 23. & 17. 11. (g) Joſeph. Antiq. l. 17. c. 5. 6.

querelas ea de re ſuas in authores detulit ad Petronium Provinciæ Præſidem, ſimul expandens edicta Imperatorum, qui per totum late Imperium conceſſeſant Judæis non liberum tantùm religionis legumque ſuarum exercitium, ſed jus etiam Civitatis; rogavit ut audacium virorum impotentiam coerceret, cogeretque amovère Imperatoris ſimulacrum. Id intelligens Petronius, graviſſimis literis ad Magiſtratus ejus Urbis datis, præcepit turbarum authores ad ſe mitti, caverique in poſterum, ne quid ſimile molirentur, neve querelarum occaſio deinceps ulla daretur Judæis; ſed liberi permitterentur Religionis cultuſque ſui exercitio peculiare ſibi Numen venerari.)

DORCAS, vox Græca, quæ Syriacè *Tabita*, Latine *dama* redditur.

DORDA, cantor inſignis ex Levitarum genere, & filius Mahol. 3. *Reg.* 4. 31.

DORIS, prior Herodis Magni uxor, quam nondum ad regnum evectus duxit. Filium habuit Antipatrum, de quo ſuo loco ſatis. Porrò Doris conjurationis filii in Herodem conſcia, ut ſecretum proditum eſt, & à favore Herodis, & ab aula excidit (a), Fortaſſe Idumæam Patriam habebat. Theudionem quemdam Doridis fratrem Joſephus memorat.

(DORMIRE uſurpatur frequenter de quiete corporis, de ſomno etiam animæ langueſcentis & reſolutæ, de ſomno tandem mortis.

Dormietis cum Patribus veſtris, i. e. ſicut Patres veſtri, ita & vos moriemini. Et Jeremiæ 51. 39. *Dormiant ſomnum ſempiternum*. Danielis 12. 2. *Qui dormiant in terra pulvere*, i. e. in pulvere ſepulcri; Joannis 11. 11. *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado ut à ſomno excitem eum*; i. e. obiit; ſed vado revocaturus ad vitam. Epheſ. 5. 14. *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus*. Sermo eſt hic de morte infidelitatis & peccati. 2. Petri 2. 3. *Perditio eorum dormitat*; Deus non dormit, ſed tempore ſuo illos puniet. Proverbiorum 23. 21. *Veſtietur pannis dormitatio*; i. e. dormitantes & pigri vitam agent in egeſtate.

Meminit Iſaias 65. 4. Paganicæ cujuſdam ſuperſtitionis, qua ſcilicet in Templis Idolorum dormientes, prophetica ſomnia captabant: *Qui habitant in ſepulcris, & in delubro Idolorum dormiunt*. Suggillantur his verbis Judæi ſuperſtitioſi, qui Prophetas & Templum Domini negligentes ad ſepulcra & delubra Idolorum ſe conferebant, ut ſomnia & auguria de futuris caperent. Pagani in eam rem capiebant ſomnum ſuper ſtrata immolatorum hoſtiarum vellera *Virgil. Æneid.* 7.

—— Caſarum ovium ſub nocte ſilenti

Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit.

Hebræus hujus Textus Iſaiæ commode etiam redderetur; *Commorantur in ſepulcris, & noctem agunt in monumentis*; ſeu in locis deſertis. Strabo lib. 2. affirmat Judæos ſomnos captaſſe in Templis, prophetica ſomnia vel ſibi vel aliis procurantes: quæ tamen Deum non concedere niſi vitam agentibus in juſtitia, morumque ſanctitate.

Dormire exprimit etiam commercium viri cum fœmina. Geneſ. 19. 33. legimus de filiabus Lot: *Dormierunt cum patre ſuo*.

DORSUM. *Inimicos meos dediſti mihi dorſum* 2. *Reg.* 22. 41. *&* *Pſal.* 17. 41.; ita coram me fugaſti inimicos, ut eorum dorſum viderem. Pſal. 68. 24. *Dorſum eorum ſemper incurva*; opprime illos oneribus, redige in ſervitutem. Pſal. 65. 11. *Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro*, malorum ſarcinis veluti jumenta nos oneraſti: Dominus Jeremiæ 18. 17. *Dorſum & non faciem oſtendam eis*. Pſal. 128. 3. *Super dorſum meum fabricaverunt*; Hebræus *araverunt*.

Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei 3. *Reg.* 12. 10. Effutiit impudentiſſime Roboamus ad Iſraelitas alloquens; pollex meus groſſior eſt toto corpore, quà late patet ad renes, patris mei; majori ego, quàm ille unquam, polleo authoritate. Proverb. 10. 13. *Virga in dorſo ejus, qui indiget corde*; inſenſatus piger virgis adigendus eſt. Ezechieli per viſum oblatus eſt homo vel Angelus, qui habebat atramentarium in dorſo ſuo *Ezech.* 9. 11. ſeu potiùs, juxta Hebræum, ſuper renes ſuos; quo etiam ſenſu accipienda ſunt verba illa Roboami: *Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo* (renibus) *patris mei*.)

I. DOSITHEUS, qui Sacerdotem ſe ex Levitarum genere profitebatur, Epiſtolam *Purim* (a), ſcilicet librum Eſther, Græce redditum, in Ægyptum detulit. Porrò de hoc ambigitur: Uſſerius autumat eundem eſſe Demetrium, quem, pari cum altero Judæo Onia imperio, Ptolemæus Philometor Ægypti Rex ſuis copiis præfecit (b).

II. DOSITHEUS, ex Præfectis in exercitu Judæ Machabæi (c), quem Judas ad pellendum præſidium à Timotheo relictum in arce Characha, regionis Tubianæorum, miſit. Alterius Doſithei *De Bacenoris* (num ejuſdem?) Liber idem (d) meminit; cui Gorgiam aſſequuto, vivumque illum jamjam apprehenſuro, continuò Thrax quidam eques ſuperveniens, ictu gladii humerum abſcidit, ipſique Gorgiæ Mareſam aufugiendi poteſtatem fecit.

III. DOSITHEUS. Judæi autumant (e), Doſitheum quemdam, filium Jannæi, ex regionibus ultra Euphratem in Samariam miſſum fuiſſe, inſtruendis in Lege Dei Cuthæis, novis ejuſdem regionis incolis.

IV. DOSITHEUS, Samaritanus, quem, authore S. Hieronymo Dial. adv. Lucif., Sadoc, & Saducæi Præceptorem & Ducem habuerunt. Rejicienda Scripta Prophetarum Samaritanos docuit.

V. DOSITHEUS, qui Jeſu Chriſti ætate florebat, & coævum ſociumque habuit Simonem Magum (f). Cum inter Judæorum Doctores primas habere irrito conatu tentaſſet, novam ſectam ſibi cognominem, ciborum ac voluptatum inſignem, continentiam præſeferentem, inſtituit (g). Tandem in ſpelunca ſponte concluſus, cibo potuque abdicato, inedia confectus eſt. De hoc viro, ac ſecta latius agere, utpote re, cujus nulla eſt in Scripturis mentio, abſtinemus.

(DOSITHEUS. *Doſitheenſes*. Contendunt Judæi Doſthai vel Doſitheum filium Jannæi egiſſe in vivis Sennacheribo rerum potiente; nec alium cenſent ab uno è duobus Sacerdotibus, ab eo Principe miſſis inſtituendæ coloniæ Cuthæorum Samariam tenenti, & Leonum infeſtationibus afflictæ 4. *Reg.* 24. 25. 27. *&c.* Autumat S. Epiphanius hæreſ. lib. 1. Doſitheenſes quartum fuiſſe ſurculum Hæreticorum Samaritanorum; ſed unde illi, & qui, non ſatis indicat. Refert Photius Cod. 230. poſt colloquium illud Jeſu Chriſti cum Samaritana ad puteum Sichem, duas in Samaria ſectas ſat validas in contraria ſtudia incolas diſtraxiſſe; defendebant alii Jeſum Chriſtum genuinum eſſe aſſertumque Meſſiam, à Moyſe prædictum illis Deuteronomii 18. 15. 18. *Prophetam de gente mea, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus*. Meſſiam verò non alium reputandum quàm Doſitheum, hominem Samariæ natum, & coævum Simoni Mago, alii tuebantur.

Hegeſippus *apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib.* 4. *cap.* 22. qui ſecundo Eccleſiæ ſeculo florebat, Doſitheum ejuſque ſectarios componit cum Simonianis, ad exordia Eccleſiæ Chriſtianæ.

S. Hippolyti nomine inſcribitur Liber adversùs hæreſes, in quo omnium primi oppugnantur Doſitheenſes. Origenes contra Celſum lib. 1. & lib. 6. opponit Jeſum Chriſtum, cujus Evangelium longè lateque

teque

(a) Eſth. 11. 1. An. Per. Jul. 4537. M. 3827. ante Chr. 173. ante Ær. 177.
(b) Joſeph. contra Appion. l. 2. (c) 2. Mach. 12. 19.
(d) 2. Mach. 12. 35. (e) Tanchun. 172. (f) Hegeſip. apud Euſeb. l. 4. c. 22. hiſt. Eccl.
(g) Epiph. hæreſ. 13. Doſith.

teque per univerſum promulgatum erat, Simoni & Doſitheo, quorum jam ſectæ exciderant, quanquam eorum Authores miracula jactarent, & Doſitheus obtruderet ſe tanquam Meſſiam, quo tempore Jeſus Chriſtus paruit in mundum. Author Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 6. capit. 8. tradit, Cleoblum & Simonem Magum Doſitheo adhæſiſſe comiter; ſed illum tandem è conſortio ſuo expuliſſe, & è ſumma illa dignitate, quam ſibi inter ſocios arrogabat, dejeciſſe.

Ablunt hæc omnia quàm longiſſime à fide Judæorum componentium Doſitheum cum Sennacheribo, ſicut & S. Hierpnymi, cui eſt Princeps Saducæorum. Nec ſane ambigendum credimus ſupparem illum fuiſſe Simoni Mago, & ſuam habuiſſe factionem jam conſtitutam in Samaria, quo tempore Jeſus Chriſtus palam ſe fecit hominibus. Judæum genere natum ferunt, & cùm novis inductis expoſitionibus ignotis gentis ſuæ Doctoribus, diſtingui inter ſuos tentaret (unicè enim ſtudebant Doctores illi explicationibus myſticis Legis (a), & traditionibus Veterum) cùm inſuper prima ſubſellia inter Rabbinos illos affectaſſet, rejectus eſt. Quare tranſiens in partes Samaritanorum, ſectæ ſe Authorem conſtituit (b) obſervantis ritu Judaico circumciſionem; Sabbatum verò tanta tenebant religione, ut ne locum quidem, quem fortè haberent ineunte Sabbato, deſerere ſibi datum crederent; jejunia ſervabant arctiſſime & ab animatis omnibus abſtinebant.

Ea illis quidam cælibem agebant vitam; alii ad prægnantes uxores accedere nefas ſibi ducebant, vel juxta alios ſecundas nuptias damnabant. Pentateuchum admittebant unice, & Doſitheum in Principem ſuum & in Meſſiam agnoſcebant (e). Ipſe ſibi Doſitheus applicabat oracula in Pentateucho expreſſa, quæ nos de Jeſu Chriſto exponimus. Hæc autem oracula Samaritani oppoſitas Doſitheo partes ſecuti, accomodabant Joſue Moyſis ſucceſſori. Evsnuiſſe Doſitheum hunc ferunt, ejuſque tandem cadaver inventum fuiſſe dicunt in ſpelunca adroſum vermibus, ebullienſque muſcis. Receſſiſſe ſe autem ex hominum conſortio creditur, ut vanam de immortalitate ſua opinionem ingereret mortalibus; quaſi ſcilicet ex hominibus vivens tranſlatus eſſet in Cœlum. Sed impoſtorem ad ſenſum manifeſtavit detectum viri cadaver; nec tamen his perſuaſi ſunt ejus Diſcipuli, qui ſparſerunt in vulgus, receſſiſſe illum ut Philoſophiæ vacaret liberiùs. Supererant adhuc Doſithei quidam Diſcipuli in Ægypto ſexto Eccleſiæ ſæculo.)

DOTHAIM, ſive *Dothain*, & *Dothan*, urbs duodecim milliaribus, ſive quatuor leucis à Samaria ad Septentrionem (d). Hic Joſeph à fratribus venditus eſt Iſmaelitis mercatoribus, ex Galaaditide venientibus *Gen.* 37. 11. Holofernes caſtra hinc uſque Belthem porrexit. *Judith* 7. 3.

DRACHMA, nummus valoris octo ſolidorum, & denarii. Duo drachmæ medium fermè ſiclum æquabant.

DRACO, vox, Hebrææ *Thannim*, ſive *Thannin* fere ſemper in Scriptura reſpondens. *Thannim* verò eſt cetus, ſive bellua marina, quamvis Septuaginta ſæpiſſime eam vocem reddant *Dracones*, rarò *Cetos* (e); interdum *Syrenes* (f), & aliquando *Struthiones* (g). S. Hieronymus ſæpius vertit, *Dracones*, interdum etiam *Syrenes*, ſive *Lamias*. Neque Aquila, Symmachus, & Theodotion meliùs ſibi conſtant. Porro Syrenum nomine quæcumque marina monſtra denotata videntur; cum Syrenes, quales ſunt apud Poetas, numquam niſi in eorum ſcriptis occurrant. Si diverſa loca, in quibus vòx *Thannin*, ſive *Thannim* occurrit, inter ſe conferantur, intelligemus profectò eam vocem aliquandò belluas ſeu fluviales, ſeù marinas (h) ſignificare; quin & ſerpentes venenoſos (i), & mea quidem ſententia, ſæpiùs crocodilum, & balænam: Pſ. 73. 13. Iſ. 51. 9. Ezech. 29. 3.

Dracones verò ſæpiùs in Libris occurrentes, ſerpentes ſunt ob diuturniorem vitam corpore immanes. Sunt, qui illos alatos, pedibus, unguibus aduncis, criſtis præditos faciant; addunt & rictum varii generis. Serpentes alatos Moyſes voce *Zaraph* nominat. *Num.* 21. 6. Draconum, & ſerpentium cultus Ethnicis familiaris erat. Inter quos Babylonii Draconem colebant, quem poſtea Daniel occidit. (k)

(Uſurpatur id ſæpe de Dæmone. S. Joannes Apoc. 12. 3. 4. &c. pingit immanem draconem: *Et ecce draco magnus, rufus, habens capita ſeptem & cornua decem, & in capitibus ejus diademata ſeptem, & cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum Cæli, & miſit eas in terram & draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cùm peperiſſet, filium ejus devoraret. Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea. Et factum eſt prælium magnum in Cælo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus. Et non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in Cœlo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit univerſum orbem, & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt.* Exhibent hæc omnia ſub oculis & pugnam Dæmonis in Eccleſiam J. C. & victoriam de illo relatam à S. Michaele militantis Eccleſiæ Principe. Vide etiam Apoc. 13. 2. 4. & 16. 3. & 20. 2.

Non ſemel apud Prophetas nomen Draco animal quoddam aquaticum deſignat; agitur apud illos de clamoribus Draconum; e. g. Eſther. 11. 6. 7. *Ecce duo dracones magni, paratique contra ſe in prælium, ad quorum clamores concitatæ ſunt nationes, ut pugnarent contra gentem Juſtorum.* Jerem. 14. 6. *Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.* Michæas 1. 8. *Faciam planctum velut draconum; luctum quaſi ſtruthionum.*

Alibi non ſemel, cùm de everſa quadam Urbe, vaſtata Provincia, redacta in ſolitudinem regione eſt ſermo (l), redactæ illæ dicuntur in ſedem draconum; & reipſa quidem conſtat angues, dracones & venenatas quaſcunque beſtias amare loca incolis deſtituta, veterum ædificiorum & Urbium rudera; ex quo Veterum illa perſuaſio Dracones excubias agere occultis ſub terram theſauris. Fateamur tamen oportet ſæpè draconis nomen uſurpari de cete quodam, vel aquatica bellua. Ad unam & eandem ferè claſſem redigunt Hebræi piſces, & ſerpentes, eodemque illa nomine jungunt; appellant enim *reptilia* & *ſerpentes*.

Apud Prophanos draco valetudinis eſt typus; nec unquam exprimebatur Eſculapii, vel Deæ Hygiciæ, ſanitatis, imago ſine appoſito ſerpente, qui vel baculum ſpiris ambiret, vel eorum manu ſtringeretur. Genuini dracones, teſte Solino c. 30. arcto ſunt gutture & mordendo impares, vel ſi forte mordent, morſu tamen non venenato. Bonos Genios appellabant Ægyptii, curatoſque habebant in ædibus familiares. Quare alii fuiſſe credendi ſunt dracones à Prophetis deſignati tanquam belluæ ſæviſſimæ, funeſtæ, pernicioſæ, ſylveſtres &c.)

DRA-

(a) Vide Nicetam lib. 1. c. 35. Euſeb. Præpar. lib. 11. c. 3. & l. 12. c. 1.
(b) Epiphan. de hæreſ. lib. 1. (c) Epiphan. loc. cit. cujus locum corrigit Le Moine, Varia ſacra tom. 2. pag. 102.
(d) Euſeb. in loc. (e) Gen. 1. 21.
(f) Job. 30. 29. Iſ. 34. 13. & 43. 20.
(g) Jerem. 49. 3x.
(h) Gen. 1. 21. Job. 7. 12. Pſ. 73. 13. & 184. 7. Iſa. 27. 1. Ezech. 31. 2.
(i) Exod. 7. 9. 10. 12. Deut. 32. 33. Pſ. 90. 13. Iſ. 35. 7. Jerem. 14. 6. Mach. 1. 3. (k) Dan. 14. 22.
(l) Vide Iſ. 13. 21. & 34. 13. Jerem. 9. 11. & 10. 22. & 14. 6. & 39. 33. & 50. 39. & 51. 34. 37.

Digitized by Google

DRACO, *Fons Draconis* ad orientem Jeruſalem in Libro ſecundo Eſdræ c. 2. occurrit: *Egreſſus ſum* (ait Nehemias) *per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam ſtercoris &c.* Fons iſte adhuc in quodam ſubterraneo ſpecu fluens viſitur, ad quem per gradus viginti deſcenſus patet. *Fons Mariæ* à Turcis appellatur, quod domeſticis B. Virginis uſibus deſerviiſſe arbitrentur.

DROMADARIUS, ſive *dromedarius*, genus Cameli perniciſſimum, nomine à Græco *dremo*, curro, derivato; corpore cæteris camelis breviori, exiliori, & expeditiori. Dorſum ſellæ inſtar gibboſum aſſurgit; longioribuſque villis, quibus ea parte induitur, commodum ſatis locum ſeſſoribus præbet. In expeditiſſimis itineribus dromedariis utuntur honeſtiſſimi quique inter Orientales, iiſque curſoribus majus 100000. paſſibus iter una die conficiunt. Nec deſunt Dromedarii, qui quinquaginta integras leucas eo temporis ſpatio metiantur (a). Hujus generis animalia apud Iſaiam 46. 20. juxta Bochartum appellantur *Biccheroth*, quamquam alii Interpretes nomen *bichrim*, apud Iſaiam 60. 10. itidem occurrens, quod à S. Hieronymo redditum eſt *Dromedarii Madian, & Epha*, explicant de pullis camelorum. Verùm nomen *bichra*, quod fœmininum eſt nominis *bicher*, pro Dromedario uſurpatur Jeremiæ 2. 23. juxta interpretationem Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis: quem locum S. Hieronymus vertit, *Curſor levis*.

(Nomen *Bactrianum* quod Dromadario addicitur, affine eſt plurimùm Hebræo *Bikker*, dromadarius, & *Bikkerah* vel *Bikerath* dromadaria fœmella. Porrò Dromadariorum duo ſunt genera, major, cui duæ in dorſo gibbæ aſſurgunt, & minor unica gibba gibboſus. Utrique familiariſſimi ſunt in regionibus Occidentalibus Aſiæ, velut in Syria & Arabia. Qui unica eſt gibba plerumque *cameli* nomine deſignatur; qui duplici *Dromadarii*. Utrique laboris patientiſſimi, teretis veſtiuntur mollibus, brevibuſque; ſed circa medium paulò aſſurgit cameli dorſum, tegiturque ſetis pede ſuper gibbam elevatis; Dromadarius autem duplici eſt gibba & duplici item prominentia ſetarum. Nihilo tamen ſeciùs porrectiones iſtæ adeò parùm aſſurgunt, ut ſi propiùs rem diſpiciamus, Dromadarii & Cameli nihilò majori gibba turgent, quàm cætera animalia. Nullis caninis, atque ad inciſendum aptis molaribus inſtruuntur; ungulæ in pedibus nullæ, ſed plantas habent carnuta pelle munitas. Dum potum capiunt pede turbare aquam feruntur; cujus rei alii alias cauſas prætendunt; vulgò tamen perſuadetur id factum ab illis, quò aquas reddant minus leves aptaſque proinde ut diutius perſeverent in ſtomacho. Largiſſimè potari illos dicunt, reſervareque diu aquas in commodum futuræ ſitis; nec deſunt qui affirment, itinerantes in ſitia maximis anguſtiis è diſſecto eorum ſtomacho deducere ſuis neceſſitatibus aquas. Stomachum ferunt in quatuor ventriculos diſtinctum, quorum ſecundus parietes habet hinc inde ſciſſos, unde aditus in 20. circiter cava quædam receptacula vel ſacculos. Aſſurgit Dromadarius in altum 7. pedibus & ſemis à ſummo capite uſque ad imos pedes.)

DRUMA, concubina Gedeonis, & Abimelechi mater, quem Sichimitæ, cum quibus Druma patriam communem habuerat, judicem, & Regem elegerunt, *Judic.* 8. 31.

DRUMOS, ſive *Drymos*, aut *Drymas*, planities propè Carmelum, quà Cæſaream Palæſtinæ ſpectat. Drymum, & Carmelum duo eſſe loca invicem proxima Strabo l. 16. innuit; cui conſentit Joſephus (b), ſcribens Carmeli incolas de adjungenda ſibi regione *Drymo* non deſperaſſe. Septuaginta quandoque nomen *Saron* reddunt *Drymum*.

DRUSILLA, tertia inter filias Agrippæ Magni, & Cypri, quam pater primò Epiphani, Antiochi Regis Comagenes filio, deſpondit. Sed illo circumciſionis legem ſubire, ut promiſerat, renuente, hæc Azizi Regi Emeſſeniorum nupſit. Non diu poſt fœmina Aztem deſerens, Claudio Felici Judææ Præſidi adhæſit, ex quo Agrippam filium genuit. Coram duobus hiſce conjugibus S. Paulus (c) productus, Jeſu Chriſti Religionem palam commendavit; ſimulque de juſtitia, caſtitate, ac de ſupremo judicio conſueta ſibi efficacia, ac vi diſſerens, Felicem terruit; à quo tamen ſtatim in carcerem, ſuo non tempore revocandus, remiſſus fuit. Druſilla venuſtiſſima quidem omnium ſui temporis fœmina habebatur, non verò pudiciſſima.

DUDIM, ſive *Dodaim*: Vide *Mandragora*.

DUDIA, Præfectus 24000. virorum, qui ſecundo menſe anni Davidi & Salomoni cuſtodias ſervabant. 1. *Par.* 27. 4.

DUEL, è Tribu Gad, pater Eliaſaph (d).

DUMA, ſextus natu inter filios Iſmaelis; Gen. 25. 14. cujus etiam nomine urbem, ſive regionem in Idumæa, aut in viciniis ſitam recolit Iſaias 21. 11. Dumam vicum magnum in plaga meridionali Juda, decem & ſeptem milliaribus ab Eleutheropoli, nominat Euſebius in locis.

(DUPLEX. Plura ſignificat in Scriptura. Eſt pecunia duplex, Geneſ. 43. 12. Sunt *cibi duplices*, Exodi 16. 22. 29. duplum pecuniæ & alimenti.

Veſtis duplex exprimere poteſt ſeu veſtem duplicatam, uti de pectorali Summi Sacerdotis dictum eſt Exodi 28. 16. *Quadrangulum & duplex*; ſive etiam completam veſtem, par veſtium, pallium nempe & tunicam. *Veſtem duplicem vel veſtes mutatorias duplices.* *Judic.* 17. 10 & 4. *Reg.* 5. 22.

Duplex uſurpatur etiam interdum de multitudine. Iſaiæ 11. 2. *Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis*; duplo ſeveriori ultione punitus fuit. Jerem. 16. 19. *Duplici* (ſevera) *contritione contere illos*. Et cap. 16. 18. *Reddam duplices iniquitates & peccata eorum*; duplo puniam eorum ſcelera, vel paria infligam & æqua criminibus. Eccli. 12. 7. *Duplicia mala invenies*; duplo punieris pro crimine.

Cor, lingua, ſpiritus duplex opponuntur cordi ſimplici, recto, ſincero, linguæ ſinceræ, ſpiritui juſto, fideli.)

DURA, planities vaſta prope Babylonem, ubi Nabuchodonoſor ſtatuam 60. cubitorum altitudinis, & ſex latitudinis, ab omnibus ſubditis ſuis populis colendam erexit: quod cum exequi Sidrach, Miſael, & Abdenago renuentes comperiſſet, eos in ardentem fornacem projici juſſit; ex qua ii divino miraculo incolumes prodierunt. *Dan.* 3. 1.

Hac in valle contigiſſe reſurrectionem, de qua Ezechiel 37., autumant Judæi. Verius tamen eſt, eandem reſurrectionem ſpecie ſolùm tenus per viſum Prophetæ objectam fuiſſe, ut regreſſum Judæorum è captivitate ſignificaret.

(DURUM uſurpatur pro difficili, triſti, infelici, ſævo, auſtero &c. Geneſ. 45. 5. *Non vobis durum eſſe videatur quòd me vendidiſtis*; Hebræus: *Ne affligimini quòd me vendidiſtis*. Geneſ. 49. 7. *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura*; Hebræus: *Quia eſt obdurata*. Pervicax Pharao Iſraelitas oppreſſit Exodi 1. 14. *operibus duris*, difficilibus, gravibus. Exodi 32. 9. *Cerno quod populus iſte duræ cervicis ſit*, indocilis, inflexibilis. 2. Reg. 3. 39. *Viri iſti filii Sarviæ duri ſunt mihi*, mecum agunt ſuperbè & præpoſtera ſeveritate utuntur. Nabal homo erat *durus & peſſimus*; homo inhumanus, corde duro, & neminem reſpectans. Pſal. 16. 4. *Ego cuſtodivi vias duras*, auſteram egi vitam, & difficilem. *Cor durum* eſt obduratum, inſenſibile; *frons dura*, eſt frons perfricta. Ezech. 3. 8. *Ecce dedi frontem tuam duriorem fron-*

(a) Vincent le Blanc *Voyage* p. 2. cap. 22.
(b) Antiq. l. 14. c. 24. & de Bel. l. 1. c. 11. (c) Act. 24. 24. 25.
(d) Num. 7. 14. & 8. 47. & 10. 20.

frontibus eorum; Iſraelitæ perfricta ſunt fronte, ut nullo probri horrore tangantur; ego illis reprehendendis caſtigandiſque verbis reddam te fronte magis perfricta. Iſai. 50. 7. *Poſui faciem meam ut petram duriſſimam*. Jerem. 30. 14. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura* (nunquam corrigenda) *facta ſunt peccata tua*. Cantic. 8. 6. *Dura eſt ſicut infernus æmulatio*; zelotypia ſæva eſt, crudelis, implacabilis veluti mors & ſepulcrum tyrannis. Eccli. 30. 8. *Equus indomitus evadit durus*; niſi maturè tractetur equus, fit tandem intractabilis.)

DYNASTIÆ. Priſcorum Regum Ægypti Imperium, Dynaſtia appellabatur. Dynaſtias verò triginta enumerant Ægyptii, ſpatium 36525. annorum complentes. Verum etſi gratis haſce omnes Dynaſtias admittamus, illæ tamen collaterales erant, non ſucceſſivæ; ex quo tanta annorum vetuſtas manifeſtæ falſitatis arguitur.

DYSCOLUS, ex Græco *dyſcolos*, difficilis, moroſus &c. cujus generis heris, non ſecùs ac probis & ſuavibus, à famulis Fidelibus operam diligenter navandam eſſe S. Petrus (a) admonuit.

E B

EBAL, octavus natu inter filios Jectan, qui Arabiæ partem frequentaſſe vulgò creditur; ibidem enim *Abalite*, ſeu *Avalite* regio occurrit.

EBAL, filius Sobal (b), ex poſteris Seir Horræi.

EBAL, mons juxta Sichem. Vide *Hebal*.

EBEN-EZER, *petra* ſcilicet *adjutorii*, campus eſt, in quo Iſraelitis fuſis, Arca Dei in manus victorum Philiſthæorum incidit (c).

EBODA, urbs Arabiæ Petrææ, fortaſſe eadem ac *Oboda*, ſive *Oboth* (d). Vide *Oboth*.

(EBRIUS, EBRIETAS, EBRIOSUS. Non ſemper in ſiniſtram partem, quemadmodum apud nos, in Scriptura voces iſtæ uſurpantur. Sæpè enim deſignant compotationem largiorem quidem, ſed non majorem, quàm ut ferant læta inter amicos convivia, in quibus vina abundant. Ita e. g. Geneſ. 43. 34. legimus fratres Joſephi una cum illo ſeſe inebriaſſe, cum ſecundo venerunt in Ægyptum, ignorantes convivas eſſe fratris. Nec enim credimus ea occaſione oblitos illos obſequii vel officii, quod à viris privatis debetur viro ſummo & ampliſſimæ dignitatis, uti Joſepho. Sponſa in Cantic. 5. 1. invitat amicos: *Bibite & inebriamini cariſſimi*, i. e. bibite, comedite, lætamini. Aggæi 1. 6. *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum, comediſtis & non eſtis ſatiati, bibiſtis, & non eſtis inebriati*, i. e. ſat vini non collegiſtis, ut paratum habeatis ad largitatem. Proverb. 11. 25. *Qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur*; homo ſplendidus ſplendidè etiam excipietur. In Evangelio Joan. 2. 10. *Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt*. Quis porrò credat, Jeſum Chriſtum tandiu expectaſſe, quandiù convivæ admiſiſſent ebrietatem, ut illis prodigio faveret? Apoſtolus 1. Cor. 11. 21. *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*; indigent alii potu, abundant alii.

Ebrietas valet etiam pro oppreſſione, mœrore. Iſaiæ 21. 21. *Paupercula & ebria non a vino*; ebria ſcilicet calice iræ Dei. Vide *Calix*. *Abſumat ebria ſitientem*, ait Moyſes Deut. 29. 19. proverbiali quadam phraſi exprimens divitem abſumentem pauperem, & fortem imbecillem. Ipſe pariter Moyſes Deut. 32. 42. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine*. Pſalmiſta Pſal. 64. 11. *Rivos ejus inebria*. Iſaiæ 49. 26. *Cibabo hoſtes tuos carnibus tuis, & quaſi muſto ſanguine ſuo inebriabuntur*. Ezech. 23. 33. *Ebrietate & dolore repleberis*; & cap. 39. 19. *Bibetis ſanguinem in ebrietate, inebriamini ſanguine victimæ meæ*.)

EBUR; Hebræis *Schen*, dens; ebur enim dens eſt elephantis. Hoc Ezechiel 27. 15. *cornu dentis* nominat, quod elephantis dens cornu ſpeciem naturamque referat, tractabilem nempè, quæque in varias faciliimè figuras conformetur. Imò eburni, *quos dentes multi vocant, ſunt cornua*, ait Varro de Ling. Lat. l. 6. Salomoni etiam *Dentes Elephantorum* ex Ophir allati fuiſſe dicuntur 3. *Reg.* 10. 22. Hebræus habet: *Schenabim*; quas voces pro *Schen-Kababim* poſitas eredit Bochartus; *Kababim* enim elephantes, ſignificare aſſerit. Nos quidem duo hæc verba *Schen-habenim* ſeorſum primum ab altero legenda eſſe cenſemus; adeout hunc ſenſum ferant: *Schen*, dentes; *habenim*, ebenum: ebenum enim vox *habenim* apud Ezechielem 27. 15. ſignificat.

Salomonis thronus eburneus erat, ſex gradibus ornatus, quorum ſingulis duo hinc & inde leones adſiſtebant. *Eburnea domus* Pſalmi 44. 9. eburneas arculas in domus formam conſtructas ſignificant. Apud Amos verò (e) *domus eburneæ* Samariæ erectæ, ædes multo ebore ornatas referunt.

(EBUR. Affirmat Dioſcorides, ebur unacum radice mandragoræ ebullitum in aqua ſpatio 6. horarum ita molleſcere, ut in quamlibet formam ſit paratum. Illud habet ſingulare ebur Inſulæ Ceilan, ſicut & Inſulæ Achem, ut nunquam flaveſcat, quemadmodum alia Continentis & Indiarum Occidentalium; quare majoris præ illis æſtimatur. Eboris rubri meminit Jeremias Thren. 4. 7. *Rubicundiores ebore antiquo*. Hujus coloris, quo tingitur ebur, meminit Homerus Iliad. D. ubi de equorum phaleris ex ebore ornatis. Rubro pariter imbui colore ebur ne veteraſcens pro innato vitio flaveſcat, innuere videtur Ovidius Amor. lib. 2. Eleg. 5.

Aut quod ne longis flaveſcere poſſit ab annis
Mæonis Aſſyrium fœmina tinxit ebur.

Hebræus Textus Jeremiæ, quem laudavimus, differt à Vulgata, habet enim: *Eorum corpus nitidius eſt*, vel rubicundius *margaritis*. Scitum eſt autem margaritas albeſcere & non rubeſcere; quare neceſſe eſt Hebræum, quod plerumque redditur *rubicundum*, accipiamus pro *nitido*, quemadmodum uſurpatur interdum in Scriptura; nec deſunt apud Prophanos exempla (f): vel rubicundum margaritæ exponendum de rubro illo diluto, quem in oſtrea margaritam recondente ſpectamus; admixto enim nitente albo & rubro colore, ut æque laudari poſſint ex albedine ſicut & à rubore: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores pinnis, ſeu perulis*.

Sermo eſt etiam in Scriptura de *domibus eburneis*. Gravioribus verbis caſtigans Amos 3. 14. molles & ſumptuoſas divitum Samariæ voluptates: *Peribunt*, ait, *domus eburneæ*; domum pariter eburneam ſibi conſtruxerat Rex Achab: *Et domus eburnea, quam ædificavit*, 3. *Reg.* 22. 39. de qua fuſè in Annalibus Regum Iſrael. Deſcribens Pſalmiſta Pſal. 44. 9. magnificam munerum pompam, quibus in cæremonia nuptiali Sponſa Salomonis donata fuit, narrat, filias Regum munera illi obtuliſſe myrrhæ &c. *in domibus eburneis: Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo*. Porrò arculæ iſtæ eburneæ in uſum erant recondendis veſtibus precioſiſſimis, auro, gemmis & quæ majoris æſtimabantur; quod etiam apud Prophanos non latet. Sæpè in eum uſum parabantur è cedro arculæ, ut ex Hebræo Ezechielis 27. 24. & conſtat inſuper ex Euripide illas appellante *Domus cedrinas*.

Ad domus eburneas, de quibus Amos, & 3. Reg.

quod

(a) 1. Pet. 2. 18. (b) Gen. 36. 23.
(c) 1. Reg. 4. 1. &c. A. M. 2888. ante Chr. 1112. ante Ær. 1116. Heli Pontificatum gerènte.
(d) Num. 21. 10. & 33. 43. 44. (e) Amos 3. 15. Vide etiam 3. Reg. 22. 39.
(f) Vide Bochart. de Anim. ſacr. par. 2. lib. 5. cap. 6.

Digitized by Google

quno attinet, vero propiùs autumaremus ædes fuiſſe reipſa aureis, eburneis utenſilibus inſtructas, uti lectis, menſis, arculis, aliiſque id generis, quæ olim tunc magis quàm modo æſtimabantur.

Idem Amos 6. 4. *Qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris*. S. Joannes in Apocalypſi 18. 12. agens de lapſu Romæ, quam ſub ementito Babylonis nomine deſignat, futurum affirmat, ut non ampliùs ſuperbiat pompa vaſorum auri, argenti, & eboris, qualia antea, intuentium oculis exponebat. De Throno eburneo Salomonis egimus alibi. Eò uſque creviſſe Tyriorum luxum affirmat Ezechiel 27. 6. ut tranſtra ex ebore Indico pararent: *Tranſtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico*. Præpoſterus utique luxus iſte videtur; quarè variè Hebræum legerunt alii: *Fecerunt tibi tranſtra ex ebore, pedibus conculcata*, (ad literam *ex ebore filia greſſuum*) *& deducta ex Inſulis Cethim*. Sed quid ebur pedibus conculcatum? Id fortè quod elephantes teſte Plinio lib. 8. cap. 3. *Dentes decidaos caſu aliquo vel ſenecta defodiunt*. Vertunt alii: *Fecerunt tibi tranſtra ex ebore elaborato in Aſſyria, & delata ex Inſulis Cethim*, vel Macedoniæ. Sed quis neſciat in Macedonia peregrinos eſſe dentes elephantum? Aliis tandem ita probatur (a): *Tranſtra tua fecerunt ex ebore inſerto in buxo devecto ex Inſulis Macedoniæ*. Inſularum nomen commune erat in vernaculo Hebræorum ſermone Peninſulis, locíſque maritimis, perinde ac Inſulis reipſa; buxa autem Macedoniæ maximi æſtimabantur (b). Nec ignotum erat artificium includendi ebur buxo. Virg. Æneid. 10.

. . . . . *Quale per artem*
Incluſum buxo, aut oricia terebintho
Lucet ebur . . . . .)

ECBATANA, urbs Mediæ, à Dejoce Medorum Rege condita, mœnibuſque ſeptemplici ordine, inæqualis celſitudinis, atque coloris inſtructa (c). Ampliores muri circuitu Athenarum muros æquabant, juxta Herodotum; ſcil. 187. ſtadia, ſivè 23300. paſſibus (d) ſeu fermè leucis octo portendebantur. Pinnacula primi ordinis alba erant; ſecundi nigra; tertii rubra; cærulea quarti; purpurea quinti; ſexti argentata; poſtremi tandem aurata. Licet autem Dejocem hujus conditorem ſecerit Herodotus; in Sacra tamen Scriptura (e) Arphaxado, quem nos credimus eſſe Phraortem, Dejocis ſucceſſorem, tribuitur.

Sita erat in veteri Media, quamvis non rarò Perſidi adſcriberetur; quippè quia mitior hujus urbis aura gratum Regibus Perſidis æſtivum contubernium præſtare ſoleret. Ecbatanis Mediæ inventum legitur (f) decretum Cyri pro Judæorum in ſuas regiones regreſſu: ſed vox *achmeta*, quæ in Originali extat, à pluribus Interpretibus vertitur armarium, arcula, lagena; quare in pluteo Tabularii Mediæ Edictum illud inventum fuiſſe interpretantur. Urbs Rages *in monte Ecbatanis* in libro Tobiæ 5. 8. collocatur. Antiochus Epiphanes Ecbatanis, deletum exercitum ſuum in Paleſtina audivit 2. *Mach*. 9. 3.

ECBATANA, ſeù potiùs *Gabbata*, urbs ad radices Carmeli, qua Ptolemaidem ſpectat (g). Ibidem Cambyſes fortè ſuo ſibi acinace, dum equum conſcenderet, crus lædens, è vulnere occubuit (h).

ECCETAN, pater Johanam, illius nempè, qui 110. viros è captivitate reduxit. 1. *Eſdr*. 8. 12.

ECDIPPUS, alio nomine *Aczib*. V. *Acziba*.

ECHELA, idem fortaſſe ac *Ceila*, urbs meridionalis Juda. Vide *Ceila*.

ECCLESIA, Græca vox, cœtum ſignificans, quæ pro loco, in quem cœtus hominum conveniunt, uſurpatur. Profanis & ſacris, religioſiſque indiſcriminatim cœtibus deſignandis adhibetur. In Novo teſtamento communiter Fidelium cœtum ſonat, qui ſub Chriſto Jeſu capite, ducibus legitimis Paſtoribus, unum corpus efficiunt. Particulares etiam Eccleſias, uti Corinthiam, Epheſiam, Theſſalonicenſem &c. exprimit.

(In Libris V. T. Eccleſia uſurpatur interdum pro Judæorum cœtu, e. g. Num. 20. 4. *Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem?* Et Deut. 23. 1. &c. Eunuchus, Nothus, Ammonita & Moabita interdicuntur ab Eccleſia Dei, i. e. vetitum illis, ne ad jus indigenarum admittantur, vetita connubia cum Hebræis, neve tandem ſedes habeant conſtitutas in medio populi; vel etiam ne recipiantur tanquam Proſelyti ad profitendam religionem. Quæ omnia exprimunt animum maximè ab ea Gente, tanquam ab hominum fæce, abhorrentem: habiti ſunt tanquam prophani, ut nec commercia vel ſacra vel civilia habere cum illis Hebræi dignentur.

Quod ſpectat autem ad Idumæos & Ægyptios permittit Moyſes ibid. 8. *Tertia generatione intrabunt in Eccleſiam Domini*; i. e. ſi quis Ægyptius vel Idumæus migraverit in regionem, nomenque ſuum dederit inter Proſelytos domicilii, poſteris ejus poſt tertiam generationem jus erit ducendi ex Iſraele uxorem, ſicut & in cæteras Hebræorum prærogativas; vel aliter: Si quis Hebræus uxorem duxerit Idumæam vel Ægyptiam, nati ex eo filii non priùs tanquam genuini Iſraelitæ agnoſcentur, niſi in tertia tandem generatione; ad id enim uſque nec permiſſa illis conjugia cum Iſraelitis, nec aditus in Templo, nec jus in publica Gentis munia.

Eccleſia eſt etiam communio in ſocietate & precibus Fidelium; *excludi* proinde *ab Eccleſia* eſt inuri excommunicatione. E. g. ſcriptum eſt de illo, qui poſt contactum mortui, vel poſtquàm funeribus interfuerit, & aqua ſe luſtrali, in quam injecti cineres vaccæ rufæ ad id immolatæ, expiari neglexerit: *Peribit anima illius de medio Eccleſiæ, quia ſanctum Domini polluit*; *Num*. 19. 20. 21. à communione cœtuque Iſraelitarum excludetur, tanquam prophanus & incircumciſus reputandus. Dicta hæc accipiunt Rabbini de interitu corporis, vel de morte acerba aut violenta, aut etiam de morte animæ, vel etiam utriuſque juxta criminis atrocitatem, & rei, de qua agitur, gravitatem.

Eccleſia eſt Locus Sanctus, Tabernaculum, Templum, vel Synagoga, quò Fideles coibant. Seniores Iſraelis: *Intra Eccleſiam oraverunt*. *Judith*. 6. 21. i. e. intra Synagogam Bethuliæ. Pſ. 21. 23. 26. *In medio Eccleſia laudabo te*. *Apud te laus mea in Eccleſia magna*; i. e. laudabo in Templo coram frequentibus Iſraelitis, ac tandem in totius populi cœtu.

Eccleſia perinde valet ac ſocietas Fidelium, penes quam veræ Religionis depoſitum jam inde ab exordio Mundi uſque ad noſtram ætatem ſervatum eſt, ſanctèque uſque ad exitum ſæculorum ſervabitur. Succeſſionem hujus Eccleſiæ ab exordio Mundi ad ætatem uſque ſuam conſervavit Moyſes; à Moyſe uſque ad adventum J. C. ſuppetunt Libri ſacri & Hiſtoriæ Hebræorum, quorum lectione intelligimus, quantas ſubierit vices ſtatus Religionis apud Iſraelitas. Adam genuinam Religionem docuit filios ſuos; ſed maturè ſatis ſincera illa ſemina corrupit clam ſatum in ejus familia lolium; ut proindè brevi geminæ diſtinguerentur Eccleſiæ, quarum altera coaleſcebat è filiis Dei Sethi poſteris, altera è filiis hominum de Caini genere natis. Is Religionis ſtatus perſeveravit uſque ad diluvium; poſt diluvium verò Noe optimos Religionis ſenſus, quibus ipſe perſuadebatur, inſpiravit filiis ſuis; ſed quandiu ſan-

ctum

(a) Bochar. de Anim. ſacr. p. 1. l. 3. c. 35. Glaſſ. Gram. l. 3. c. 1.
(b) Plin. l. 16. c. 16.
(c) Herod. l. 1. c. 98. (d) Thucyd lib. 2.
(e) Judith. 1. 1. (f) 1. Eſdr. 6. 2. (g) Plin. l. 5. c. 19.
(h) Herod. l. 3. c. 64. Vide noſt. Diſſert. de Gog & Magog ad Comment. in Ezech.

ſtum depoſitum integrumque retinuerit, incertum eſt.

Ducit nos quidem Moyſes à Sem aduſque Abrahamum patrem fidelium; nihil tamen addit quo inſtruamur, an vera Religio per poſteros Cham & Japhet perennata ſit, vel ſaltem quoadusque apud illos manſerit. Scimus tamen Abrahami deceſsores Idolorum cultui addictos fuiſse in Chaldæa; *Gen.* 20.3. &c. conſtatque pariter Dei timorem & obſequium non penitùs è mentibus excuſſiſse Palæſtinos & Ægyptios, quo tempore Abraham venit in eas regiones, cùm & rex Geraræ, & Rex etiam Ægypti timore Domini atque etiam criminis horrore aliquo tenerentur. *Gen.* 12. 17. 18. &c. Hujus etiam argumentum eſt non obſcurum Melchiſedech Summus Sacerdos. *Gen.* 14. 18. Ipſe pariter Abraham perſuadebatur decem ad minus vel viginti Juſtos Sodomæ non defuiſse. *Gen.* 18. 23. &c. Poſt Abrahamum aduſque Chriſtum conſtans manſit ſucceſſio veræ Eccleſiæ apud Judæos, cæteroſque Patriarchæ illius poſteros; propiùs enim vero autumamus filios Abrahami per Agar & Cethuram ſpatio quodam temporis avitam, à Patre exceptam, religionem non deſeruiſse. Job inter poſteros Eſau, ejuſque Amici Deum notant. Ammonitas & Moabitas, è Loth ſatos, idololatriam, cui addictos novimus jam inde ſub Moyſe, non ſtatim totam, ſed veluti per gradus admiſiſse credimus.

Iſmaelitæ, filii Abraham & Agar, eam ſibi vindicant prærogativam, nunquam ſcilicet à genuino Dei cultu receſſiſse, promoviſse pariter veram Religionem longè latèque per Arabiam, ſicut Iſaac per Palæſtinam. Verbo tamen affirmantibus planè non credimus; cùm maximè conſtet, & Mahometi ætate, & diu etiam antea, ſinceram abjeciſse illos fidem; ſed certam ejus apoſtaſiæ epocham definire vix ac ne vix quidem poſsumus. Ad poſteros Iſaac quod attinet, certiſſimis intelligimus argumentis in fide ſemper manſiſse, nunquam inter malos defuiſse plures bonos, permultos Deo ejuſque Religioni adhærentes, tot licet vicibus ſubjecta fuerit gens illa, frequentibus licet prævaricationibus ſuorum Principum fere omnium ad malum propelleretur, ſicut & gentis ejuſdem ſane plures defectiones, labefactandæ veræ Religioni admitterentur. Conſtat itaque in Iſraele unice quærendam eſſe veram Eccleſiam uſque ad formatam per Jeſum Chriſtum alteram.)

ECCLESIASTES, Liber Canonicus, in Hebræo Inſcriptus *Cobeleth*, nomen fæminini generis ſignificans *illam, quæ publicum alloquitur*, ſive quæ *cœtum indicit*. Latini, & Græci, neglecto fæminino genere, eundem Librum inſcripſerunt *Eccleſiaſtem*, ſcilicet Concionatorem. Salomon, cui opus tribuitur, ſe ipſum ſtatim in libri exordio prodit illis verbis: *Verba Cobeleth filii David, Regis Iſrael* Eccleſ. 1. 1. Deinde opera ſua, divitias, & ædificia cap. 2. 4.; tum & Proverbia, ac Parabolas commemorat cap. 12. 9., ſe omnium prædeceſsorum ſuorum, qui Hieroſolymis regnarunt, ſapientiſſimum, atque feliciſſimum cap. 1. 16. fatetur, quæ certe omnia Salomonem fere pingunt. Hiſce tamen rationibus nihil moti quidam Critici, opus à Salomone abjudicarunt; quin Grotius, diu poſt Salomonem concinnatum eſse à Zorobabele autumat, cùm in gratiam filii ſui Abiud (a), tum ut æternum pœnitentiæ Salomonis monumentum extaret. Author anonymus (b), cenſet hunc Librum Dialogum eſse inter virum religioſum, & impium Saducæum; in eo ſiquidem plura invicem repugnantia, quæ uni eidemque perſonæ convenire non poſsunt, ſibi viſus eſt animadvertiſse. Verùm nec de Zorobabele ulla eſt conjectura, nec dialogi ullum veſtigium deprehendimus; ſiquidem repugnantes inter ſe opiniones, ejuſdem Salomonis ſunt, qui de rebus in utramque partem diſputat, atque Saducæorum argumenta adducta diſsolvit.

Dum hæc ſcriberet Salomon, reſipuiſse jam, atque priſtinos errores ſuos, rerumque terrenarum fucum, labente ætate, in eo libro defleviſse, cum Judæis S. Hieronymus, & plurimi ex Commentatoribus aſserunt; ejuſdemque reſipiſcentiæ non obſcura in opere ipſo indicia exhibentur. Fatetur enim, ſe nihil eorum, quæ ſenſibus blandiuntur, inexpertum reliquiſse; nihil tamen inveniſse unquam, in quo non fucus magis, quam veritas, ineſset. Hæ tamen rationes tanti roboris non ſunt, ut ſalutem Salomonis extra omnem controverſiam faciant: qua de re adhuc in utramque partem in Eccleſia diſceptatur.

Qui Canonem Scripturarum poſt captivitatem confecerunt, diu multumque de Eccleſiaſte hæſiſse, Rabbini, & S. Hieronymus teſtantur. Res enim plena periculi videbatur, ſi legendus liber is traderetur, in quo plures periculoſæ opiniones, phraſeſque de immortalitate animæ ſcrupulum injicientes occurrunt. Cum ea de re deliberaretur, tandem animadverſis iis, quæ de timore Dei atque Legis obſervantia Author diſserit (c), ad illum probandum animi inclinarunt. Huic poſtea ſententiæ tum Judæi omnes, tum deinde Chriſtiani ſubſcripſere, uno tantum excepto Theodoro Mopſueſteno (d), qui Salomonem nullo Dei ſpiritu afflatum hæc ſcripſiſse autumavit; & Hæreticis illis apud Philaſtrium, qui opus idem, tanquam Epicureis faveus, rejiciebant. Hi tamen omnes, etiam nomine, ab Eccleſia damnati, quòd Librum Canonicum reſpuere auderent.

In eo libro Saducæorum, & Epicureorum argumenta ſedulò proponuntur; rerum hujus mundi vanitas, humanorum negotiorum futilitas, atque ſciéntiarum incertum detegitur. Objectionum adverſus animæ immortalitatem totam vim explicat; deinde diſputationem ita claudit: *Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata ejus obſerva*. Hæc enim eſt munerum hominis ſumma, & una ad felicitatem via.

ECCLESIASTICUS; Liber Latine ità inſcriptus, ſive ut ab *Eccleſiaſte* diſcerneretur, ſive quia, non ſecus ac ille, præcepta & monita ad virtutem & ſapientiam continet. Græce inſcribitur: *Sapientia*, ſive *Panaretos*, *Jeſu filii Sirach*. Porrò *Panaretos* eſt omnium virtutum cumulus. Operis enim Scriptor omnibus ætatibus, & generibus hominum regulas præſcribit.

Quamvis opus à nonnullis Veteribus Salomoni tribuatur (e), verum tamen authorem Salomone recentiorem fuiſse ex eo conſtat, quòd plurium poſt Salomonem virorum meminerit; quin & ipſe Author nomine ſe prodit cap. 50. 20. *Doctrinam ſapientiæ, & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Jeſus filius Sirach Jeroſolymita*: & in fronte capitis 51. legimus: *Oratio Jeſu filii Sirach*. Interpres ejuſdem Operis ex Syriaco, vel Hebræo in Græcum, tradit in præfatione, avum ſuum Jeſum eum librum Hebræo ſermone ſcripſiſse.

Porrò de hoc Interprete SS. Athanaſius, Epiphanius, & Jo: Damaſcenus autumant Jeſum filium Sirach, filium & nepotem habuiſse cognomines; nepotem verò, dictum & illum filium Sirach, Operis vertendi negotium ſuſcepiſse. Verum neque de nomine hujus viri ex aliquo authentico monumento conſtat; titulus enim præfationis, in quo ille *Jeſus* appellatur, in Græco Editionis Romanæ id nomen non legit.

Nonnulli ex Rabbinis autumarunt, *Benſira*, Judæum authorem, cujus duo ſuperſunt Proverbiorum

(a) Præf. in Eccleſ. & Eccleſ. 21. 21. 22.
(b) *Sentimens de quelques Theologiens de Hollande*.
(c) Eccleſ. 12. 13.
(d) Vide Syn. V. Conſtantinop. act. 4.
(e) Innoc. I. Epiſt. ad Exup. Conc. Carth. 3. Orig. hom. 8. in Num. & hom. 1. in Ezech. Chryſ. in Pſ. 134 Cypr. l. 3. Ep. 4. Optat. l. 3. contr. Donat. Leo Mag. ſer. 2. de Quadr. & alii.

Digitized by Google

tum Alphabeta, eumdem eſſe omninò cum Jeſu filio Sirach; qua in re cùm plurea ex Chriſtianis Authoribus conſentiunt, rum Cornelius à Lapide in fronte ſuorum Commentariorum in Eccleſiaſticum, ſententias Alphabetorum, & Eccleſiaſtici comparat. Verùm ſi Ben-ſira avum habuit Jeremiam, & patrem Uzielem, ut Judæi aſſerunt, profectò alium fuiſſe oportet à Jeſu Sirach, diu poſt regreſſum è captivitate, & Monarchiam Ptolemæorum in Ægypto in vivis agente.

Quare certum hujus Scriptoris tempus tutò definiri non poteſt: quamvis enim Simonis Pontificis elogium, veluti jam defuncti, texere videatur; tamen inter pluresejus nominis Sacerdotes, quiſnam Simon iſte fuerit, incertum. Veroſimilius tamen de Simone II. eo in loco agitur, cujus poſt obitum ex calamitates Judæos oppreſſerunt, quas Author innuere videtur c. 36. 50. Hujus vero Operis Interpres, ut ipſe in Præfatione nit. Latinam 38. Ptolemæi Evergetis in Ægyptum venarrat, anno interpretationem, ſatis quidem rudem, eandem habemus, qualis à veteribus Patribus laudatur; neque enim S. Hieronymus quidquam ad illam contulit.

An recipiendus in Canonem eſſet, diù dubitatum eſt. In veteribus Catalogis quam plurimis deſideratur. Teſtatur S. Hieronymos Præfat. 12. lib. 6. Salom. illum ab Eccleſia receptum *ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* Sed jam totius Eccleſiæ conſenſus inter cæteros Libros Canonicos eundem cenſet: cujus judicio firmando omnium ſæculorum accedit traditio; plures enim ea veteribus Patribus illum ut divinum & Canonicum laudant. In catalogis verò ideò deſideratur, quòd nonniſi Libros æquè Judæorum, & Catholicorum conſenſu probatos contineat.

ECHAJA, Princeps familiæ Judæorum (a).

ECHI, ſextus filius Benjamin (b). Apud Septuaginta verò patrem habet Bela, & avum Benjamin. Idem eſt ac Ahtram. Num. 26. 38.

ECHO. Legimus *Sap.* 17. 17. *Reſonant de altiſſimis montibus Echo. Echos* vox eſt Græca, ſonum ſignificans: Echo verò nomen eſt Nimphæ, quæ in lapidem transformata, ſolum vocis uſum ſervavit (c).

Nec prior ipſa loqui didicit reſonabilis Echo.
Corpus adhuc Echo, non vox erat: & tamen uſum
Garula non alium, quàm nunc habet, oris habebat.

ECLYPSIS. Neque vox *Eclypſis* in S. Scriptura unquam occorrit, neque Judæi rem ſatis intellexiſse videntur; quippè qui inter miracula, & Divinæ indignationis conſpicua argumenta illam enumerent (d). Eclypſim ita deſcribere Job videtor, quaſi ſcilicet Dei manus inter nos & aſtrum interponatur: *In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei, ut rurſus adveniat Job.* 36. 32. cap. vero 9. 7. dicit, Deum interdicere Soli ne oriatur, ejuſque dicto Solem obtemperare; ſtellas vero quaſi ſub annulo clauſaa continere. Ezechiel phraſi magis vulgo accomodata c. 32. 7. dicit Deum in eclypſi faciem Solis nubibus obducere.

Porro eclypſis (e) in morte Salvatoris, quo tempore Luna pleno orbe fulgebat, præter naturæ leges contigit: cui etiam illud acceſſit ad prodigium, quod cùm naturales Eclypſes intra horam circiter abſolvantur, illa *ab hora ſexta, uſque ad horam nonam*, ſpatio ſcilicet trium horarum, univerſæ terræ caliginem offudit. Porro univerſæ terræ nomine Judæam tantùm deſignari, ut alibi ſæpè in S. Scriptura, Origenes in Matth. 27. 45. autumavit. Alii vero totum hemiſphærium tenebris obvolutum ſentientes, Jolii Africani (f), & Euſebii, ac S. Hieronymi (g) fide, teſtimonium producunt Phlegontis liberti Adriani Imperatoris, qui anno quarto Olympiadis 202. (qui annus eſt emortualis Chriſti) Eclypſim Solis omnium retro ſæculorum maximam viſam fuiſse, teſtator, tetris adeo tenebris, ut meridie ſydera apparerent. De hiſce tenebris meridianis ad Tabularia publica, fidem Paganis factura, Tertullianus provocat in Apolog. c. 21.

Rufinus (h) S. Lucianum Sacerdotem Antiochenum qui anno 312. martyrium conſummavit, hortantem inducit Paganos, ut Annales conſulant, ſi de Solis defectu omnium maximocertiora cupiant argumenta. Thallum etiam ejuſdem rei teſtem Julius Africanus laudat. Pſeudo-Dionyſius Areopagita ſcribit, ſe dum Helioploli Ægypti verſaretur, eandem Eclypſim adnotaſse(i); Apollophanem vero Aſtronomiæ ſtudioſiſſimum, rei novitate præter Aſtronomiæ leges viſæ territum clamaſſe: *Hæ, o præclare Dionyſi, divinarum ſunt viciſſitudines rerum.* Suidas eundem Dionyſium ita loquutum tradit: *Aut Deus naturæ patitur, aut Mundi machina diſſolvitur.*

ECHMALOTARCHA, ſeu potiùs *Echmalotarches*, vox Græca, Principem captivitatis, ſivè captivorum ſignificans. Porro Judæi autumant, univerſum populum, dum in captivitate Babylonica detineretur, ſuis paruiſſe Echmalotarchis: quod tamen ab illis temerè, & ſinè certis conjecturis aſsertum eſt.

ECRON. Vide *Accaron.*

EDDO, Princeps Nathinæorum, quos è montibus Caſpiis, quo captivi traducti fuerant, ad regreſsum in Patriam Eſdras invitavit. *Eſdr.* 8 17.

EDEMA, urbs Nephtali. *Joſue* 19. 36.

EDEN, Provincia Orientis, in qua Paradiſus terreſtris Gen. 2. 8. *Plantaverat Deus Paradiſum voluptatis* (Hebr. *Paradiſum in Eden*) *à principio.* Porro, ut de Eden loquamur, nam de Paradiſo alibi, ejus regionis, etiam *Adea* dictæ, ſæpè meminit Scriptura. Iſaiæ 37. 12. *Filii Eden, qui erant in Thalaſſar.* Idem legas 4. *Reg.* 19. 12. 13. ubi filii Eden cum *Gozan, Haran, & Reſeph* conjunguntur. Negotiatores *Eden, Haran, Chenne, Aſſur, & Chelmad* unà ſimul Ezechiel 27. 23. commemorat. Porro Haran eſt Charræ in Meſopotamia ad amnem Chaboram: & Chenne, ſivè *Calne* fortaſse *Callinicum* eſt in Meſopotamia. Igitur regionem Eden in Armenia ſitam, ſuoque ambitu Euphratis, Tigris, Phaſis, & Araxis fontes continere cenſemus.

(Conſtituunt nonnulli hortum Eden in viciniis Jordanis, ipſumque fluminis nomen derivatum eſt ex *Jor* rivus, & *Aden rivus Aden*; deducunt pariter nomen *Geneſareth*, qui lacus eſt leucis nonnullis infra fontes amnis, ea *Gennat Sara*, hortus Principis, ſeu hortus principalis. Tandem legimus Gen. 2. 8. regionem ad Jordanem juxta Sodomam & Gomorrham fuiſse *tanquam Paradiſum Domini.* Muſulmani nomine *Gennat Adu*, hortus Eden (k), deſignant Paradiſum Beatorum, quo translatum credunt Adamum, ac deinde expulſum. Affirmant, Deum in horto Eden conſtituiſse quidquid oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit; huic Paradiſo Deum loquendi facultatem indixiſse; quare verba hæc ab illo prolata feruntur: *Non eſt alius Deus præterquam Deus ipſe.* Exponere in hunc Paradiſum octo portas; in infernum vero ſeptem; ex quo ſecta inferunt, ſupereaccedere Dei Miſericordiam, Juſtitiam, & multo proniùs eſse ſalutem conſequi, quàm damnari.)

EDEN, urbs in loco amœniſſimo montis Libani, prope Adonidem amnem, & Cedros Libani, ipſi paulo quam amoia meridionaliores. De hac locutum Amos Prophetam credo: *Diſperdam tenentem ſceptrum de domo voluptatis:* Hebræus *de domo Eden. Amos* 1. 5.

EDEN, filius Joah. 2. *Par.* 29. 12.

EDER,

(a) 2. Eſdr. 10. 26. (b) Gen. 46. 21.
(c) Ovid. Metam. l. 3. (d) Vide Joel. 2. 10. 31. & 3. 15.
(e) Matth. 27. 45. (f) Jol. Afric. apud Syncel.
(g) Euſ. & S. Hier. in Chron. (h) Ruf. l. 9. c. 6. hiſt. Eccleſ.
(i) Dionyſ. Ep. 7. ad Polycarp.
(k) Biblıot. Orient. pag. 36. Adu.

EDER, urbs Juda. *Joſue* 15. 21.

EDER, *Turris Eder*, Turris gregis, prope Bethlehem (a), quamvis aliqui Interpretum teſtum Michææ de Jeruſalem dictum interpretentur. Hebræus legit: *Et tu turris gregis Ophel. Turris Ophel* Jeroſolymis erat.

EDER, filius Muſi, & frater Moholi (b).

EDESSA Meſopotamiæ urbs, à Seleuco Magno Syriæ (c), 400. antè Chriſtum annis in ea, quæ Oſrhoene dicitur, Meſopotamiæ regione condita; & Epiſtola Jeſu Chriſti ad *Abgarum*, ſivè *Agabarum*, & *Abagarum*, ejuſdem urbis Regem, celeberrima (d). Darius Comes teſtatur (e), hanc urbem promiſſionibus Chriſti Abgaro factis, ab hoſtium incurſibus tutam eſſe: cujus quidem rei licet nulla extet in Epiſtola Salvatoris mentio, recepta tamen erat apud Fideles ejuſdem regionis memoria, authore Evagrio hiſt. Eccl. c. 27. l. 4. Nec ſanè parum ea ſpes aucta eſt, cum Coſrhoas poſt tentatam diutius urbem, tandem re infecta redire coactus eſt. S. Thaddæus ex Septuaginta Diſcipulis (alius ille ab Apoſtolo) miſſus à S. Thoma, Edeſſenos inſtituit (f), omneſque unà cum Abgaro Rege, fama miraculorum, & doctrinæ Chriſti jamdiu ad fidem diſpoſitos, baptiſmo initiavit.

EDISSA (g) alio nomine *Eſther*, neptis Mardochæi Vide *Eſther*.

(EDITH. Quo nomine veteres RR. appellant uxorem Loth, ſicut è filiabus ejus unam *Pluitih*. Porrò *Edith* Hebraicè eſt teſtimonium, quòd uxor Loth in ſtatuam ſalis translata monumentum eſt & teſtimonium ſuæ incredulitatis. Vide Fabric. Apocryph. V. T. tom. 1. pag. 421.)

I. EDNA & *Ednas*, duo viri fortiſſimi è Tribu Manaſſe, qui è ſuis caſtris ad Davidem transfugerunt. 1. Par. 12. 20.

II. EDNA, dux copiarum Joſaphat Regis Juda 1. *Paral.* 17. 14.

III. EDNA, Levita, qui regreſſus è captivitate, ductam contra Legis præſcriptum uxorem dimiſit. 1. *Eſdr.* 10. 30.

EDOM, alio nomine *Eſau*, filius Iſaac, & frater Jacob. Nominis *Edom*, rubeſcentis nempè ſive rubri, viro imponendi in cauſa fuit, ſivè quod jus primogeniti prètio pulmenti ex lentibus, quæ rubræ ſunt, vendiderit; ſivè quòd ore, & crinibus rubeſceret. Vide *Eſau*. Idumææ nomen ab *Edom* derivatur, nec ratò *regio*, *Edom* appellatur. Vide *Idumæa*.

EDOMIA, urbs Palæſtinæ. *Hieron. ad Abdia c.* 3.

I. EDRAI, urbs Manaſſe tranſjordanica (h), alio nomine *Edrei*, *Edrau*, & *Adraa*, & fortaſſe etiam *Edera* apud Ptolomæum, de urbibus Batanææ agentem. Euſebius *in Eſdras* eam collocat 24. ſive 25. milliaribus ſeptentrionem versùs à Boſtris, urbe Arabiæ.

II. EDRAI, urbs Nephtali. *Joſue* 19. 36.

(EDRIS. Quo nomine Muſulmani deſignant Enoch. Vide v. *Enoch*.)

EDUMA, urbs duodecim milliaribus à Sichem, orientem versùs. *Euſ. in Aſtaroth*.

EFFOEMINATI. Ea vox, non raró in S. Scriptura occurrens, diverſum aliquid, quàm apud nos, ſonat. Vox *Kaddeſch*, quæ reddita eſt, *effœminatus*, de viro ſacris initiato uſurpatur; quamquam dicendi conſuetudine quadam in S. Scriptura vicum ad cultum alicujus prophani numinis, præſertim Baal, & Aſtarthes, proſtitutum exprimit. Porrò perditiſſimi viri iſti in nemoribus & ſylvis *Ædiculas effœminatorum* ſibi conſtruebant, in ſolum libidinis & domicilium. Nec rara occurrunt deteſtabilis hujus licentiæ exempla apud Judæos (i), nequicquam aperta Legis prohibitione deterritos. *Deut.* 23. 13.

Nomen illud etiam apud Iſaiam 3. 4. occurrit, ſed in Hebræo legitur, *parvuli*, homunciones ſcilicet rudes, & indocti; occurrit & in Proverbiis 18. 8.; *Pigrum dejicit timor: animæ autem effœminatorum eſurient.* Huic in Græco reſpondet *androgynos*, nempè Hermaphroditus.

EGÆUS, Eunuchus Eſther. *Eſth.* 2. 8.

EGLA, ſexta Davidis uxor, & mater Jethahan 2. Reg. 3 5., quam aliqui (k) cum Michol confundendam, & in partu Jethaham obiiſſe autumant. Verùm *Michol filiæ Saul non eſt natus filius, uſque in diem mortis ſuæ*; Egla verò filium habuit Jetraban. *Egla* juvencam ſignificat.

I. EGLON, Rex Moabitarum, qui Iſraelitas octo annis oppreſſit (l). Juncto cum Ammonitis, & Amalecitis fœdere, urbem Palmarum, nempè Hiericuntem, ſivè *En gaddi* occupavit; Hierichuntem vero regni ſui ſedem conſtituit. Populi ſui Deus liberatorem Aod excitavit; cujus inſidiis Eglon occiſus, & Iſraelitæ ſervitute liberati. Vide *Aod*.

II. EGLON, urbs Juda. *Joſue* 15. 39.

EN-GALLIM, ſive *Ægallim*, vel tantùm *Gallim*, octo milliaribus ab *Areopoli*, juxta Euſebium. Verùm S. Hieronymus in Ezech. 47. 10. *En-galim* collocat ad oſtia Jordanis in Mare Mortuum; qua e *Egallim*, & *Engallim*, duas fuiſſe urbes loco diſtitas neceſſe eſt.

I. ELA, princeps Idumææ poſt Oolibamam (m).

II. ELA, pater Semei, viri notiſſimi è Tribu Benjamin. 2. *Reg.* 4. 18.

III. ELA, filius Baaſæ Regis Iſrael, qui poſt exactum in regno biennium, proditione Zambri intercidit 3. *Reg.* 16. 6. Filium reliquit Oſee nomine, qui Phacee interfecto, uſurpatum ab eo regnum ſibi vindicavit 4. *Reg.* 15. 30.

ELAD, nepos Ephraim, in urbe Geth occiſus ante egreſſum Iſraelitarum ex Ægypto. 1. *Par.* 7. 21.

ELADA, filius Thahath, & nepos Ephraim (n).

ELAI, ex proavis Judith *Judith* 8. 1.

ELAM. Vide *Ælam*.

ELANITIS, ſive *Elaniticus*, fretum ab urbe Elan, ſive Ailan ad ripam orientalem maris Rubri nuncupatum. Elat, ſive Elan portus erat ex tribus Maris Rubri, quorum primi duo Berenice, & Clyſma appellabantur. Porrò Elat ſpatio 150. milliarium à Gaza diſtabat, juxtà Plinium, vel 1200. ſtadiorum, juxta Strabonem.

ELASA, filius Heller, pater Siſamai 1. *Par.* 2. 39.

ELAT, ſive *Ailat*. Vide *Aila*.

I. ELCHANA, Samuelis pater è Ramatha in regione Sophim, & in Tribu Levi. 1. *Reg.* 1. 1.

II. ELCANA, filius Aſir, & pater Abiaſaph 1. *Paral.* 6. 23.

III. ELCANA, dux exercitus Achaz Regis Juda à Zechri duce copiarum Phacee Regis Iſrael interfectus. 2. *Paral.* 28. 7

ELCESI, vicus Galilææ, patria Nahum Prophetæ Nahum 1. 1., cujus ruinæ S. Hieronymi ætate adhuc ſupererant (o). Situs erat ultra Jordanem, authore Theophylacto.

ELCHANAM, ſive *Elchanan*, filius Patrui Aſaelis. 1. Par 11. 26.; nec fortaſſe alius ab *Elchanan filio Jair*, ſive ut legit Vulgata, *Adeodato filio ſaltus*. 2. Reg. 21. 18.

ELDAA, filius Madian, nepos Cethuræ, & Abrahami 1. *Paral.* 1. 33.

ELDAD, & *Medad*, qui inter 70. Seniores Iſrael à Moyſe ſelecti Num. 11. 24. 25., ut ſibi in populi regimen adjutores adſiſterent. Hi, cum ab aliis collegis, dum eligebantur, abeſſent, non ſecus tamen

(a) Mich. 4. 8. Beda, Remig. Haimo, Grotius. (b) 1. Par. 23. 23. (c) Hieron. in Chron.
(d) Euſ. l. 1. c. 13. hiſt. Eccl. Vide v. *Abgarus*. (e) Apud Aug. Epiſt. 230. nov. Edit.
(f) Euſ. l. 2. c. 1. hiſt. Eccl. (g) Eſth. 2. 7. (h) Euſeb. in locis.
(i) 3. Reg. 14. 24. & 15. 12. & 22. 47. & 4. Reg. 23. 7. Job. 36. 14. Oſee 4. 14.
(k) Ita Rabbin. & Auth. tradit. Hebr. in 2. Reg. (l) Judic. 3. 12. &c. Ab A. M. 2591. ad 2599. ante Chr. 1402. ante Ær. 1405.
(m) Gen. 36. 41. (n) 1. Par. 7. 20. (o) Hieron. Prolog. in Proph. Nahum.

ac cæteri, ſubito Divini Spiritus illapſu in caſtris vaticinari cœperunt. Quo audito, Joſue veritus, ne quantum aliis accederet, tantum Moyſis gloriæ detraheretur, Moyſem rogavit, ut illis ſilentium indiceret. Noluit Moyſes, optare ſe dicens, ut omnis populus eodem prophetiæ, ac Spiritus privilegio à Deo donaretur. Sunt, qui duos hoſce viros fratres Moyſis fuiſſe contendant: ſed nihil in ea re ſolidi.

ELEALE, urbs in Tribu Ruben. Num. 32. 37. paſſibus mille ab Heſebon, juxta Euſebium.

I. ELEAZAR, tertius natu inter Aaronis filios & ipſi in Summo Sacerdotio ſucceſſor. Terram promiſſionis una cum Joſue ingreſsus, poſt 23. ſive 25. annos vitam abſolvit, ejuſque funus ac ſepulturam in Gabaat in Tribu Benjamin Phinees Patris ſucceſſor curavit (a). Dignitas Supremi Pontificatus in domo Eleazari ad Heli Pontificem è familia Ithamaris perſeveravit.

II. ELEAZAR, filius Aminadab, cujus cuſtodiæ Arca Domini, à Philiſthæis reddita, commiſſa eſt (b). Sacerdotalis, ſive Levitici ordinis fuiſse creditur, quamvis ejus nomen in catalogis filiorum Levi non occurrat. Domum obtinebat in Gabaa, in loco ſcilicet celſiſſimo, & munitiſſimo, urbis Cariath-jarim: Gabaa etenim Hebraicè eſt ſublimitas. Porrò Eleazar, juxtà Scripturæ phraſim, *ſanctificatus eſt, ut cuſtodiret Arcam Domini:* ſive iſta conſecratio mera fuerit ad Arcæ cuſtodiam electio, ſive in Sacerdotem initiatio, ſive tantùm purificatio.

III. ELEAZAR, filius Ahod, ex tribus fortiſſimis viris, qui per media caſtra Philiſthæorum tranſgreſſi, aquam è ciſterna Bethleem hauſerunt (c). Solus etiam impetum exercitus Philiſthæorum integra die ſuſtinuit; quos tanta clade affecit, ut cædentis manus ſtricto gladio obrigeſceret 1. Par. 11. 13. & 2. Reg. 23. 10.

IV. ELEAZAR, ſenex nobiliſſimus Jeroſolymita, qui in perſecutione Antiochi Epiphanis martyrium ſubiit (d). Cùm ille juſſionibus Regis de abjicienda Religione obtemperare noluiſſet, ad ſupplicium raptus eſt. Viri ſenioris caſum miſerati ex amicis quidam, illum hortabantur, ut ſuillæ carnis eſum ſimularet; quod ille conſilium, malo Judæis fraudis inſciis exemplo futurum, continuo reprobavit. Quare verberibus confectus, glorioſo martyrio occubuit.

(Eleazar venerabilis ſenex Hieroſolymitanus, martyrio par in perſecutione Antiochi Epiphanis. An mortem tulerit Hieroſolymæ, vel Antiochiæ ambigitur. Illud extra controverſiam poſitum videtur, ex teſtimonio 2. Machabæorum & Joſephi, ſupplicium toleraſſe illum coram Antiocho Epiphane; ſed Antiochiæ, an Jeruſalem id contigerit, non ſat liquidò apparet. Antiochiam præfert vetus Interpres Libri Joſephi *de Imperio rationis*; ſed nihil tale leges in Textu Græco Joſephi; quin & conſtituit ſeptem fratres Hieroſolymæ paſſos fuiſse. Idem perhibet Antiquit. l. 12. cap. 7. Volunt alii ſeptem fratres Martyrium conſummaſse Antiochiæ, ubi & eorum ſepulcra monſtrabantur (e); meminit & S. Auguſtinus ſerm. 1. de Mach 30. nov. edit. Antiochiæ eorum paſſionem conſignant Martyrologia, Lyranus, Serrarius, Tirinus, Joſephus Ben-Gorion. Certum autem conſtare videtur, ibi toleraſſe ſupplicium ſuum Eleazarum, ubi & ſeptem fratres; nam & fratrum & ſenioris hujus Martyria jungunt quicunque de illis habuerunt ſermonem.

Vir iſte, de quo modò, inter Doctores Legis primas tenebat 2. Machab. 6. 18. &c. genuſque retuliſse Sacerdotale credunt poſt Joſephum S. Gregorius Nazianzenus Orat. de Mach. & S. Ambroſius de Jacob & Vit. beat. lib. 2. cap. 10. Raptus coram Antiocho ad deguſtandam porcinam tentatus eſt, non precibus tantùm, ſed & vi aperto ore; ille mortem præferens vitæ, quam nonniſi fœde ſuccumbendo ſervaſſet, ſponte ſe contulit ad ſupplicium. Eo aſpectu tacti corde adſtantes, ſimulque gratiam volentes præſtare homini, veteri ſibi amicitia conjuncto, ſeorſum adductum rogarunt, ut non vetitos cibos deguſtans, ſpecie quaſi idolothyta re ipſa admiſiſſet, ea ſimulatione & Regis juſſionibus in ſpeciem obſequeretur, ſeque ipſum ab imminenti diſcrimine eriperet. Sed ille ætatem ſuam conſiderans, crines jam canos, & moram ſanctitate traductam ad id uſque vitam, repoſuit, malle ſe potiùs demitti in tumulum, quàm poſtulatis acquieſcere. Indignum eſt enim, ait, ætatis noſtræ hominem hac ſibi conſulere ſimulatione, qua juvenibus plurimis eſſemus offendiculo, reputantibus Eleazarum 90. annis grandævum è Judæis defeciſse ad Paganos, ejuſque proinde imitationem ſibi proponerent. Ita ego nomini meo inſignem ab hominibus maculam inferrem; & quanquam me à paratis hominum injuria ſuppliciis eximerem, quia tamen e manu omnia potentis Dei me poſt obitum vindicaret?

His viri ſtrenui reſponſis alte offenſi ſunt qui hominem rapiebant ad ſupplicium; rati temoria eſse, quæ celſi erant animi. Cùm igitur ictibus pene enectus mortem jam inſtare intelligeret vir ſanctus, ingenti ſublato clamore, ita effatus eſt: Tu Domine noſti pronum fuiſse mihi e præſenti mortis diſcrimine me eripere; noſti pariter quos perferam in meo corpore cruciatus; ſed intus in corde ſimul gaudeo, mortem pro te opperens. Quibus ſimul dictis efflavit animam. Hæc ſecundus Liber Machabæorum, quem inter Canonicos recipimus.

At Joſephus in opere de Imperio rationis fuſiùs rem totam perſequitur. Antiochus, ait ille, via Hieroſolymam veniens, intellexit lata à ſe edicta exſufflari à populo; quare in ſuperiorem Urbis partem comitantibus ex Aula ſua viris principibus & militibus armatis aſcendens, novo edicto ſanxit, cogi Judæos ad comedendam porcinam, & immolatitia; in refractarios vero totæ ſupplicio animadverti. Eleazar, omnium primus, reus ad tribunal ſtare juſsus eſt, tentatuſque verbis ab Antiocho, ſed nihilo e ſapientiæ atque conſtantiæ culmine dimotus, regiis juſſionibus ſtare ſemper recuſavit. Tum milites cuſtodes Regis injectis in illum manibus, raptaverunt ad ſupplicium, dilaceratiſque veſtibus, & manibus ad terga alligatis, diris flagrorum ictibus hominem ſulcabant, clamante interim præcone: *Regiis juſſionibus eſto obediens*. Sed ille immotus, qua verba, quà ictus ſuſtinebat, donec effuſo cruore atque ictibus toto corpore conſulus corruit in terram, quanquam animo ſemper vegeto ac ſtabili. Exſiluit tunc miles ſuper ventrem proſtrati viri, quò doloris ſenſu animatus erigeretur; ſed ille injuriis & tormentis nihil niſi invictam conſtantiam oppoſuit. Suggerebant ex amicis quidam, ut vel ſaltem ſpecie quadam deguſtandi immolatitia falleret perſecutores; ſed ille ſtrenue recuſavit; quæ viri repulſa amicorum animos offendis. Injecerunt itaque miſerum in ignem, cruciarunt ferreis inſtrumentis, graveolentes odores infuderunt in nares. Ut ſuppliciorum oppreſsus eſt, rogans Deum ut reciperet ſanguinem ſuum & vitam, tanquam victimam expiationis pro fratribus. Martyrium toleravit A. M. 3837. ante J. C. 163. ante Æram 167.)

V. ELEAZAR, cognomento *Abaron*, ſive Auran, Judæ Machabæi frater, & Sauræ filius (f), ſivè juxta Joſephum, filius *Auran, vel Avran*. Eleazar igitur in exercitu Antiochi Eupatoris, Bethluram obſidentis, elephantem ſpectatæ magnitudinis, atque inſigniter phaleratum intuitus, ratuſque Regem illo vehi, per me-

(a) Joſ. 24. ult. (b) 1. Reg. 7. 1. An. M. 2888.
(c) 2. Reg. 23. 9. & 1. Par. 11. 16. 17.
(d) 1. Mach. 6. 18. &c. A. M. 3837. ante Ch. 163. ante Ær. 167.
(e) Hieron. de loc. Hebr. v. Modim. (f) 1. Mach. 6. 43. Joſeph. Antiq. l. 12. c. 14.

per medias hoſtium acies viam ſibi ſternens, ſub belluæ ventrem ſuccedens illam enſe confodit: qua corruente, & ipſe oppreſſus pondere interiit.

VI. ELEAZAR, Summus Sacerdos, Oniæ I. filius, & frater Simonis, cognomento Juſti: mortuo Simone, Eleazar Summi Pontificatus dignitatem undeviginti annis (a) adminiſtravit, donec ſcilicet Onias filius Simonis, ætate minor fuit.

VII. ELEAZAR, filius Eliud, & pater Mathan, S. Joſephi avus. *Matth.* 1. 15.

VIII. ELEAZAR, filius Moholi, & frater Cis. 1. Par. 23. 21.

IX. ELEAZAR, filius Boethi, Summus Sacerdos ab Alexandro Ethnarcha Judæorum conſtitutus (b) Succeſſorem habuit Jeſum filium Siah.

X. ELEAZAR, filius Anani, qui poſt Iſmaelem filium Phabi, & antè Simonem filium Camith, Summum Sacerdotium à Valerio Grato obtinuit (c).

XI. ELEAZAR, filius Dinæi, dux latronum, qui ſæpiùs cum Samaritanis congreſſus, tandem prælio victus, captus atque morte damnatus eſt a Cumano (d).

XII. ELEAZAR, filius Summi Sacerdotis Ananiæ, qui unà cum aliis pluribus Judæorum animos ad defectionem, exitio univerſæ nationi, & templo futuram, ſolicitavit (e).

De aliis viris hujus nominis mentio eſt apud Joſephum; de quibus tamen, quia nihil ad Scripturam, ad nos etiam nihil attinet.

I. ELECTA, Matrona, ut vulgò creditur, clariſſima, cujus domicilium prope Epheſum erat, ad quam S. Joannes Evangeliſta primam Epiſtolam ſuam direxit. In ea Epiſtola Apoſtolus adversùs hæreticos, Divinitatem Chriſti Incarnationiſque veritatem negantes, eam ejuſque filios præmunit. Sunt qui Electam titulum eſſe honoris, non proprium fœminæ illius, ad quam Epiſtola dirigitur, nomen opinentur (f). Hanc alii *Kyriam* appellatam credunt (g): alii non ad fœminam, ſed ad Eccleſiam quamdam eamdem Epiſtolam miſſam cenſent (h). S. Clemens Alexandrinus in Commentar. ad Epiſtolas Canonicas, Electam Babylone natam, & commorantem fuiſſe tradit. Vide noſt. Præf. in hanc Epiſtolam.

II. ELECTA. S. Joannes ad Electam, de qua egimus, hæc ſcribit: *Salutant te filii ſororis tuæ Electæ*. De hac Electa eadem eſt ambigendi ratio ac de priori.

ELECTRUM, metalli genus, ex argenti aurique miſtura, apud Veteres pluris quàm ipſum aurum vel argentum, authore S. Hieronymo in Ezech. 1. æſtimatum, & in S. Scriptura non ignotum (i). Quatuor auri partibus, & una argenti compoſitum Plinius l. 33. c. 4. ſcribit. Vox Hebræa *hachaſmal*, quæ reddita eſt *electrum*, potiùs vertendam eſſe auricalchum, genus metalli pretioſum, in quo æs prævalet, Bochartus autumavit (k).

(Naturale quoddam electrum è fodinis eruitur; artificiale certa quadam portione adjecta, quæ ſi quintam partem ſuperet, electrum incudem non patitur. Electri meminit Homerus in deſcriptione ædium Regis Menelai. Scyphum electrinum dedicavit Helena in Templo Minervæ in Inſula Lindo. Sincerum electrum argentum vincit fulgore, quin & electrino crateri impoſitum, venenum indicare ſtatim dicitur, fulgorem emittente cratere illo iridi perquam ſimilem, & fragorem, veluti ſi pro liquore haberet ignem. *Plin. l. 33. c. 4.*

Electrum interdum etiam uſurpatur pro *ambra*, *ſuccino*, vel *Karabe*, quod genus eſt bituminis guſtu reſinoſo, & aliquanto acri, & cùm ejus fruſtula alterum alteri affricantur, olei terebinthi referunt odorem, ingratum aliquanto cùm amburuntur. Plerunque colore eſt flavo & pellucido; interdum rubro, interdum etiam ſubalbo, ſeu potius pallenti; & cùm affrictu incaleſcit, vi magnetica paleas trahit. *Karabe* colligitur potiſſimùm ad latera maris Baltici, & maximè Pruſſiani; nec lora aliquandò a mari diſtantia illo deſtituuntur. Id tamen electri genus noſſe Hebræos non credimus. Electrum illud, de quo Ezechiel 1. 4. & 8. 2. metallum erat auro & argento pretioſius, ait S. Hieronymus in Ezechielem 1. Hebræum *Hachaſmal* (l), exprimit potiùs, juxta Bochartum de Animal. ſacr. l. 2. & l. 6. c. 16. aurichalcum.)

ELEPH, urbs Tribus Benjamin. Joſue 18. 28.

ELEPHAS, genus belluæ omnium quadrupedum ſtatura immaniſſimum, de cujus ſagacitate, fide, prudentia, & intelligentia, qui ejus indolem ſerio ſcrutari ſunt, mira tradidere. Apud Hebræos ſignificatus videtur nomine *Behemoth*, (quæ vox de jumento quopiam ſumitur) & ſub ejus nominis appellatione apud Job. 40. 10. ſedulò deſcribitur. Apud Græcos & Latinos quandoque generica voce *Beſtia* appellatur, quæ Hebræo *Behemoth* apprimè reſpondet. Nomen *Elephas* forte ab *aleph*, docere, eſt enim ingenio docili, ſivè ab *Eleph*, Dux, derivandum eſt, nam Elephas quippè omnium terreſtrium animalium eſt Imperator.

Quo loco Vulgata legit 3. Reg. 10. 22. *Dentes elephantorum*, Hebræus habet *Schenhabbim*. Porro *ſchen*, *dentem* ſignificare conſtat; an vero *habbim* vertendum ſit, *Elephantas*, ambigunt nonnulli. Nos *ſchen*, ebur interpretamur; *habbim*, ſivè potiùs *habenim*, ebenum: quare duas voces, quæ ab aliis de una & eadem re intelliguntur, nos de duabus dictas eſſe cenſemus. Elephantorum in Libris Machabæorum ſæpè mentio occurrit; ſiquidem poſt Alexandri regnum, in exercitu Regum Syriæ & Ægypti, Elephanti uſui eſſe cœperunt.

(De Elephante vel Behemoth ita Deus ad Job capite 40. 10. &c. *Fænum quaſi bos comedet*. Mirè congruunt hæc cum hiſtoriis de elephante. Nec enim carnivora eſt bellua, nec ferox; alitur fœno, herbis, & oleribus, ut domeſtica quæque animalia.

Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus. Partes habet naturales velut equus ſub ventre, ſed teſticuli latent in renibus (m). Stylo Scripturæ virtus gignendi paribus omnino phraſibus exprimitur. Vide Gen. 49. 3. Deut. 21. 17. Pſ. 77. 51. & 104. 36.

Proſequitur Dominus ℣. 12. *Stringit caudam ſuam quaſi cedrum, nervi teſticulorum ejus perplexi ſunt*. Fœmella marem excipit reſupina contra cæterorum animalium morem, nec unquam mas coit cum fœmella, ſi adſtare quenquam ſentiat.

℣. 13. *Oſſa ejus velut fiſtulæ æris, cartilago illius quaſi laminæ ferreæ*. Hyperbolicis hiſce phraſibus eximium Elephantis robur exprimitur; uno proboſcidis ictu camelum, vel equum interimit. Spectaculo fuit Elephas ſuſpenſas dentibus ferens duas machinas tormentarias ex ære fuſo, plauſtris ſuis impoſitas, quarum ſingulæ pondus æquabant 3000. librarum; detulit autem ſpatio 500. paſſuum. Legimus 1. Machabæorum 6. 37. in exercitu Antiochi elephantem impoſitos vexiſſe 32. armatos milites. Porro milites illi continebantur in lignea ſolidaque turri dorſo elephantis impoſita, quam infra ventrem belluæ validis nexibus continebat catena.

℣. 14. *Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum, applicavit* (dedit illi) *gladium ejus*. Porro inter Dei opera unum hoc eximium eſt omnium, (de animali-

(a) Ab A. M. 3727. uſque ad 3744. ante Ær. 260. (b) An. M. 4004. Chr. 4. Ær. 1.
(c) A. M. 4027. & Ær. 23. (d) Antiq. l. 20. c. 5.
(e) De Bello l. 2. c. 17. in Lat. & in Græc. cap. 30. (f) Bartholom. Petri, & Cler. in 2. Jo.
(g) Athan. in Synopſi. (h) Quidam apud Oecum. Mauduit. Diſſert. 23. Corn. à Lap. Serar. in ℣. 13. Fromond.
(i) Ezech. 1. 4. 27. & 8. 2. (k) De anim. Sacr. t. 2. l. 6. c. 16.
(l) Pagnin. *Crepitans flamma*.
(m) Ariſt. hiſt. anim. l. 2. c. 1. Plin. 11. c. 59.

bus quadrupedibus loquor), Cætera ſuperat, qua mole, qua robore, quà docilitate, calliditate, modeſtia, fidelitate, pudore, agilitate, ac vitæ diuturnitate.

Nullum ad hominem accedit propius ingenio, ſagacitate, beneficiorum agnitione; dictoria ſui verba vel nutus probè intelligit; ac tandem mira adeo de docilitate ac facilitate diſcendi bruti hujus feruntur, ut fabellas obtrudere id narrantes ſuſpicaremur, niſi graviſſimos, & maximè ſerios Scriptores darent vades.

Addit Scriptura: *Deus applicavit illi gladium ejus*; furore elephas fertur ſuo. Nihil illi retinendo valet, arbores evertit, domos, muros, obvia quæcunque conculcat pedibus, vel agmina ipſa. Habet pro armis proboſcidem, dentes, quos cornua appellabant Veteres. Proboſcis exhibet cartilaginem prolixam & cavam ampliſſimæ cuidam buccinæ perſimilem. Media inter dentes pendet, & vice manuum fungitur; ejus ictus occidit equum, ſuſpenſaque elevat pondera immania. Molares belluæ ipſum ſunt ebur, ex quo opifices plura formant in Europa; cornu per omnia ſimiles ſunt, ut & molleſcant. Molaria quædam Elephantis ſpectata ſunt cruris magnitudine & perticæ longitudine. Cùm inter ſe pugnant elephantes dentibus alter alterum impetit, veluti tauri ſe invicem cornibus.

℣. 15. *Huic montes herbas ferunt, omnes beſtiæ agri ludent ibi.* Omnium, quotquot unquam, brutorum mitiſſimus eſt elephas, ut robore ſuo, niſi coactus, nunquam invaleat. Abhorret à belluarum ingenio, quæ longè latèque terrorem inferunt animantibus; coactuſque per medios brutorum greges tranſire mitiori proboſcidis agitatione aperit ſibi viam. Paſcitur in agris & pratis, ac imbecillia quæcunque animalia ſecura ludunt coram illo.

℣. 16. *Sub umbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus.* Mirè quadrant hæc cum elephante. Notat Ælianus (a) non male appellari poſſe animal paluſtre, quod paluſtria maximè loca amet. Demergit ſe totum in amnibus, ut nihil è bellua appareat niſi extrema proboſcis; incalente æſtate, limo ſe totum obducit, ut æſtum toleret.

℣. 18. *Abſorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam quòd Jordanis influat in os ejus.* Aquæ plurimum ingurgitat & longo hauſtu, quaſi ſcilicet videretur abſorbere fluentum, & quaſi Jordanis vix ſufficeret ſiti ejus reſtinguendæ. Hebræus ad litteram: *Bibet fluvium, nec accelerabit*; commodè bibet, tempuſque opperietur commodum turbandi quas potat, fluenti aquas, quò ad nutriendum reddat aptiores, vel ut certo quodam ſapore condiat corrigatque innatum dulcorem, linguæ ſuæ ingratum. Porrò aquæ ingurgitare plurimum elephantem ſat conſtat; affirmatque Ariſtoteles lib. 8. Hiſt. animal. cap. 9. abſorbere uſque ad 14. lagenas menſuræ Macedonicæ. Amphora, juxta Budæum, æquat circiter octavam partem modii Pariſienſis, vel tribus circiter ſtatiis par eſt. Addit Scriptura: *Habet fiduciam quòd influat Jordanis in os ejus*; vel nihil timet, etſi Jordanis totum fluentum ori ſuo haberet oppoſitum. Ampliſſima quæcumque flumina trajicit, modò tantùm ut extrema proboſcidis ſuæ levet ſuper aquas.

℣. 19. *In oculis ejus quaſi hamo capies eum.* Petunt angues Elephantem, maximè ad oculos ejus inſilientes; *Oculos maximè petunt*, ait Plin. lib. 8. cap. 12. *inde fit, ut plerique cæci & fame ac mœroris tabe confecti reperiantur.* Affirmat etiam frequentari Gangem ſerpentibus 60. ulnis immanibus, qui bibentis elephantis proboſcidem arripiunt, attrahuntque, ac belluam in aquis demergunt. Sed multò pronius exponeretur Textus juxta Hebræum: *In oculis capitur, in laqueis, ſudibus perforantur nares ejus.* Venatu apprehenditur Elephas adhibita elephantis fœmella in venerem excitata; in loco enim ſudibus conſtricto eam conſtitutam proſequitur elephas, capiturque commodè. Hæc exprimuntur verbis illis *capitur oculis*; quemadmodum de Holoferne legimus, captum fuiſſe in oculis ſuis ab aſpectu elegantiſſimæ Judith. *Judith* 10. 17.

Laquei etiam parantur Elephantibus; excavata enim ampla & profunda ſcrobe, æquatur deinde ſuperius ſolum vel humi ſuperficies ceſpitibus. Nunquam ego quidem *nares ejus perforari* conſueviſſe legi, pro more camelorum, bubalorum, & equorum in Oriente; ſed facilè ætate Job id obtinebat, quod noſtra hodie ceſſavit.

Legimus 1. Machab. 6. 34. acuendis Elephantibus ad prælium expoſitos fuiſſe pannos ſucco uvarum & mororum rubentes, quo ſcilicet aſſueſcerent ſuſtinendo cruoris aſpectui; nec enim ſanguinariæ ſunt belluæ & crudeles. Legimus 3. Machab. 5. *Saturatos illos fuiſſe multa prabitione vini & thuris admixti.* Porrò faſciculi thuris infundebantur vino, quò fumoſius eſſet, aptiuſque inebriandis elephantibus; inebriati verò multo audaciùs proculcarent pedibus Hebræos in Ægypto verſantes; quod ſupplicii genus notiſſimum erat Veteribus.)

ELEUTHEROPOLIS, urbs Tribus Juda, de qua nihil in S. Scriptura; ſed Euſebii, & S. Hieronymi ætate, celeberrima; hi enim ab ea omnia urbium meridionalium Juda intervalla metiuntur. Sedes erat Epiſcopalis primæ Palæſtinæ, ut ex Notitiis Eccleſiaſticis conſtat. Hujus celeberrimæ urbis ſitus quod fidem ſuperat, adeò incertus eſt, ut tuto definiri difficilè poſſit. Viginti milliaribus à Jeruſalem abfuiſſe tradit Joſephus: & 24. milliaribus ab Aſcalone, ac 18. à Lydda in itinerario Antonini perhibetur. Hanc Euſebius quinque milliaribus à Geth, ſex à Lachis, 25. à Gerara, 20. à Jethet, ſeptem à Lachis, & octo à Ceila removet (b).

ELEUTHERUS, amnis Syriæ, qui è fontibus inter Libanum, & Antilibanum poſitis, in vallem hiſce montibus interjacentem deſcendens, in Mediterraneum juxta inſulam Aradum influit. Hunc inter Tyrum, & Sidonem nonnulli imperitè collocant, cum longe ultra eas urbes ad ſeptentrionem excurreret.

ELI, ſcilicet *Deus meus.* Jeſus Chriſtus cùm in Cruce penderet, illa Pſalmi 21. 1. verba recitavit: *Eli; Eli, Lama Sabachtani*, ſeù potiùs, *Lama Sabactani, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Matth. 27. 46.

ELIA; hujus nominis duo viri apud Eſdram 1. 10. 21. 26. occurrunt, qui ductas contra Legis præſcriptum uxores dimiſerunt.

I. ELIAB, filius Helon, Princeps Tribus Zabulon. *Num.* 1. 9.

II. ELIAB, filius Iſai, & Davidis frater (c).

III. ELIAB, filius Elcanæ, & pater Jeroham, è Tribu Levi 1. *Paral.* 6. 27.

IV. ELIAB, unus inter viros fortiſſimos in Davidis exercitu, qui eidem Davidi Saulem fugienti, atque in Siceleg verſanti adhæſit (d). In Regum primo 23. 32. *Eliaba de Salaboni* appellatur.

I. ELIACIM, è Sacerdotali genere, Babylone cum Zorobabele regreſſus. 2. Eſdr. 12. 40.

II. ELIACIM, filius Helciæ, præpoſitus domus (e) Regis Ezechiæ: licet ex Textu Hebræo commodè etiam præpoſitus Templi intelligi poteſt; non raro enim Templum nomine *Domus* antonomaſticè appellabatur. Hunc Helciæ Summi Sacerdotis ætate Ezechiæ (f), filium, ejuſque ſucceſſorem, Manaſſe regnante, fuiſſe credimus (g). Hinc Eliacim, qui & nonnunquam

(a) Ælian. lib. 4. cap. 24. & lib. 13. cap. 8. & lib. 9. cap. 56. & lib. 7. c. 7.
(b) Vide Reland. Palæſt. t. 1. l. 2. c. 5. p. 422. (c) 1. Reg. 16. 6.
(d) 1. Par. 12. 11. 10. (e) 4. Reg. 18. 18.
(f) 4. Reg. 18. 18. 26. 37. & 19. 8. 10. & 23. 4. 24.
(g) Iſa. 22. 20. 21.

quam Joakim appellatur (a), & fortaſſe idem eſt ac Helcias, ſub Joſia (b) & circa illius tempora (c) in vivis agens, Eliacim, inquam, Summum Sacerdotium gerebat, cum Bethulia obſideretur. *Judith.* 4. 5.

III. ELIACIM, cognomento *Joakim*, Rex Juda poſt fratrem Jechoniam, impietate celebris 4. Reg. 23. 34. 35. &c. Vide *Joakim*, ſive *Joachim*.

IV. ELIACIM, filius Abiud, & pater Aſor (d).

I. ELIADA, filius David. 1. *Par.* 3. 8.

II. ELIADA, pater Razon. 3. *Reg.* 11. 23.

III. ELIADA: ex Ducibus in exercitu Regis Joſaphat. 2. *Paral.* 17. 17.

I. ELIAM, pater Bethſabee, uxoris primùm Uriæ, deindè Davidis, & matris Salomonis (e).

II. ELIAM, Achitophelis filius, ex urbe Gelon, & ex 30. fortiſſimis Davidici exercitus 2. *Reg.* 23. 24.

ELIAS Propheta clariſſimus, Thisbe, transjordanica urbe in Galaaditide oriundus, & ut quibuſdam (f) placet, quorum authoritas neque Scripturæ, neque Veterum authoritate fulcitur, ex patre *Sabaca*, viro è genere Sacerdotali Aaronis, natus. Virginitatem ſervaſſe plures ex Patribus (g) crediderunt. Eliam Deus ſuſcitavit, ut Jezabelis & Achabi conatibus, Idololatriam in Iſraelem invehentium, tanquam æneus murus opponeretur. Hinc in Scriptura primò inducitur Elias coram Achabo longam terræ ſiccitatem, ſuo tantùm nutu repellendam, indicens (h). Continuò verò juſſus à Domino, transJordanem ad torrentem Carith ſe recepit; ubi carne & pane bis die corvorum miniſterio (i) refectus eſt. Verùm calore Solis torrente, quo ſitim levabat, exſiccato, Sareptam Sidoniorum ad viduam juſſu Domini contendit. Cùm urbem ingrederetur, viduam quandam ligna colligentem offendit: quam primò ut ſibi potum præberet, rogavit; euntem inclamavit Elias, ut ſibi panis etiam aliquid afferret: cauſanti verò fœminæ paupertatem, quippe cui farinæ ſolùm pugillus, neque plus olei eſſet, iterum Propheta inſtitit, ut ſubcinericium panem ſibi conficeret, futurum pronuncians, ut nunquam neque oleum, vel farina deficerent, quoadusque arentem terræ faciem largo imbre Dominus irrigaret. Eventus oraculum probavit, atque in domo ejuſdem viduæ commoratus eſt (k).

Non diù poſt, viduæ illius filius obiit 3. Reg. 17. 17. Quare Elias miſerabili matris dolore commotus, ad vitam hac ratione revocavit. Acceptum ex matre pueri cadaver lectulo ſuo impoſuit; poſtque oblatas Domino preces, deindè ter totus illi incubuit, ita in arctum ſe colligens, ut os ori, totuſque toti reſponderet. Quibus peractis, puer vitæ reſtitutus eſt.

Triennio elapſo juſſus à Domino Achabo Regi Iſraelis occurrere (l), cùm Rex herbas, quibus equi veſcerentur, inquireret (totam enim latè regionem fames vaſtaverat) Abdiæ Regiæ Domus diſpenſatori, cui Rex eam provinciam demandaverat, Elias obviam factus eſt, utque adventum ſuum Regi nunciaret, imperavit. Abdias primò recuſare; quippe qui metueret, ne Propheta ſubito Dei ſpiritu aliò raperetur; venienſque Achab, atque illuſum ſe credens, in delatorem animadverteret. Elia tamen ſe Regi ea die adfuturum pollicente, imperata perfecit. Achab igitur Prophetam conveniens, Tune, inquit, es, qui Iſraelem vexas? Cui Propheta, Tu verò, ſubdidit, Patriſque tui domus, qui ſpreto Domini cultu, Baali adhæſiſtis. Nunc igitur omnem Iſraelem in Carmelum convoca, & 450. Baalis, & 400. Aſtarthes Prophetas, quos Jezabel Regiis ſumptibus alit, illuc ducito. Hic, Iſraele judice, meane an illorum Religio vera ſit, exhibebo.

Accepta igitur à Rege conditione, omnes in Carmelum reducti ſunt. Tum coram frequenti multitudine Elias verba faciens, minimè omnium decere dixit, ut inter duas Religiones, Baalis ſcilicet & Domini, neutri ſe contineret; ſeligerent igitur quam præſtantiorem judicarent. Silente ad hæc populo, addidit Propheta, ſe unum relictum eſſe, qui Dominum coleret; Prophetas vero Baalis ad 450. aſcendere. Utrique igitur bovem, qui immolaretur, tribuerent: cujus autem victimæ ſapto de Cœlo igne abſumerentur, ipſe in Deum haberetur. Æquè propoſuiſſe viſus eſt: quare Prophetæ Baalis priore loco bovem immolantes, in fruſta conciſum altari impoſuerunt. Tum Baal rogare, ejuſque opem qua clamoribus, qua religioſis carnium ſuarum inciſionibus, quà tandem ſuper Altare ſaltibus implorare. Dùm fruſtra rogare viderentur, Elias interim illis inſultans, Euge, ajebat, clamores tollite: Baal fortaſſe vel ſomno, vel itinere occupatus, rogantes non audit.

Verùm fruſtra ultrà meridiem re ab illis tentata, Elias denique dejectum Domini Altare coram populo reſtituit, novoque ex duodecim lapidibus, pro numero Tribuum Iſraelis, erecto, toti operi parvam foſſam, & veluti duos ſulcos circumduxit. Altari immolatum bovem, atque in fruſta diſſectum imponens, totum holocauſtum, atque injecta ligna adeo largè infuſa aqua perfudit, ut imbre circum defluente foſſa repleretur. Subinde Dominum rogavit, ut demiſſo cœlitus igne Religionis veritatem vindicaret. Nec diù poſtulatum eſt: illico enim delapſæ cælitus flammæ ligna, holocauſtum, ipſoſque lapides ac loci pulverem abſumpſerunt. Tunc populus demiſſo in terram vultu clamavit: *Dominus ipſe eſt Deus;* ſtatimque, authore Elia, abreptos Prophetas Baal, atque ad radices montis raptos, ad torrentem Ciſon omnes occiderunt.

Elias deinde Achabum bono animo eſſe juſſit, ſonitum pluviæ ſe audire ſignificans. Imbris quidem nulla apparebat ſpes; ſed Propheta, cui rerum futurarum eventus patebat, Carmeli verticem conſcendens, pronus in terram, atque vultu inter genua demiſſo, ſervo imperavit, ut ad mare proſpiceret, & ſi quid videret, renunciaret. Cum ille ſexies fruſtra iviſſet, tandem ſeptima vice regreſſus renunciavit, nubeculam quamdam, velut veſtigium hominis, è mari emergere. Quibus auditis juſſit Elias ſervum Achabo renunciare, ut junctis ad currum equis, iter domum, quod immineret pluvia, maturaret. Rex illico parens iter Jezrael verſùs direxit; cui Elias accinctus præcurrebat. Nec diù abfuit, quin largus imber decideret.

Jezabel uxor Achabi, accepto de cæde omnium Prophetarum nuncio (m), graviter rem ferens, nunciari juſſit Eliæ, illum craſtina die ſanguine ſuo pœnas ſoluturum. Elias ſtatim fugam arripiens, Bethſabee ad meridiem Tribus Juda pervenit, indeque miſſo famulo, ad interiora Arabiæ Petrææ iter dirigens, poſt exactam eundo diem tandem feſſus ſub junipero conſedit, atque à Domino petiit, ut vitæ ærumnis tandem liberaretur. Oranti Angelus adfuit, qui ut ſurgeret, atque comederet, imperavit, panis enim ſubcinericius, & aquæ vas continuò prope jacentis caput apparuerunt. Cibo recreatus Elias obdormiit. Poſtera die ab Angelo manè excitatus, iterumque cibo refectus, quadraginta dierum ac noctium itinere, ad montem Dei Horeb eo cibo confirmatus pervenit.

In ſpecu ejus montis; exinde delituit, ubi quondam à Domino quid faceret interrogatus, cum reſpondiſſet ſe ob illatas in Deum ab Iſraelitis contumelias animo tabeſcere; cui etiam ad mœrorem illud addebatur, ipſum quoque ad necem quæri, in veſtibulo antri ſe

(a) Judit. 15. 9. (b) 4. Reg. 22. 4. & 2. Par. 349. (c) Baruc. 1. 7. (d) Matth. 1. 13. (e) 2. Reg. 11. 3.
(f) Doroth. in Synopſi, Jo: Joroſ. c. 1. t. 9 Bibl. PP. Iſid. & Epiph. de vita & morte Proph.
(g) Ambroſ. de Virgin. Hieron. l. 1. con. Jovin. Ephrem. l. 1. Præn. &c. (h) 3. Reg 17. 1. 2. A. M. 3092 ante Ch. 908. ante Ær. 912.
(i) Sunt qui pro Corvis legendum cenſeant Arabes, ſive incolas Horeb. Hebræus habet, *Arabim*. Vide *Corvus*.
(k) A. M. 3093. ante Ch. 907. ante Ær. 911. (l) 3. Reg. 18. 1. &c. A. M. 3096. ante Chr. 904. ante Ær. 908.
(m) 3. Reg. 19.

ſiſtere juſſus eſt. Cum paruiſſet, primò ingentis venti ſonitum audire, poſtea terram motu quati, deinde tranſeuntis flammæ ſpecimen videre: in his autem tribus Dominus non aderat. Poſt hæc omnia tenuis auræ ſibilus flavit, quo Deus adeſſe indicio monſtrabatur. Continuò Elias ſtrato in terram ore, eoque pallio obducto, adoravit. Domino verò eadem ac priùs interroganti, eadem reſpondit. Cui iterum Dominus: Eadem via, qua acceſſiſti, regredere, perque deſertum, Damaſcum veni. Hic Hazaelem in Damaſci regem; tum Jehu filium Namſi in Iſraelis Regem; Eliſeum denique filium Saphat in Prophetam, qui tibi ſuccedat, inunge. Omnes autem gladium Hazaelis effugientes in Jehu incident, ab utriſque verò illæſi, ab Eliſeo corripientur. Cæterum neque tu ſolus me colis: 7000. hominum in Iſraele ſuperſunt, qui ab extendendis ad Baal manibus, ac deinde religiosè oſculandis ſe continuere.

Redux igitur à monte Elias, cum in regionem Ephraim ad Abel-Meulam veniſſet, Eliſeum duodecim boum juga agrum arantem nactus illico pallium ſuum ejus humeris impoſuit, illique ad munus Prophetæ Divino juſſu acciri ſignificavit. Eliſeus nihilò ſegnior, continuò relictis bobus, ejus ſequelæ ſe dedit, petita tantùm & obtenta à Propheta, ut Parentibus ſuis antea vale diceret, facultate.

Succeſſu temporis (a) occupata per Achabum Vinea Naboth, atque viro optimo fraudibus Jezabelis neci tradito, ut in ſuo articulo dicemus, Elias juſſus à Deo, Regi obviam factus (b) futurum dixit, ut ipſius Achabi cruor in agro Naboth à canibus lingeretur. Adjecit inſuper ipſum ejuſque poſteros tot eſſe ærumnis à Domino opprimendos, ut domus Achabi, non ſecus ac domus Jeroboam filii Nabath, & Baaſæ filii Ahiæ, divinæ ultionis monumentum eſſet futura. De Jezabele verò ſciret, ejus cadaver à canibus eſſe devorandum.

His territus Achabus, veſtes mærore conſcidit, atque cilicio contectus, demiſſo capite incedebat. Cujus pœnitentiæ merito impetravit à Deo, ut ea, quæ ejus domui imminebant mala, uſque poſt ipſius obitum differrentur.

Cum Ochozias Rex Iſraelis è cancellis cænaculi domus ſuæ præceps dilapſus, gravi accepto vulnere laboraret (c), eaque occaſione ad conſulendum Beelſebub Deum Accaron ſuper eventu morbi miſiſſet (d), Elias juſſus ab Angelo, euntibus occurrit, atque poſt exprobratum Regis crimen, quòd relicto Deo Iſraelis, Idolum conſuluiſſet, ipſi referre juſſit futurum, ut morbo abſumeretur. His dictis abiit Elias; Legati autem Ochoziæ regreſſi ea Regi renunciarunt. Cùm verò ab eo quis eſſet, qui ea prædixerat, interrogarentur, ignotum ſibi eſſe, piloſum tamen (e), & zona pellicea renes accinctum, reſponderunt.

His indiciis Ochozias Iſraele Eliam agnoſcens, continuo Quinquagenarium Ducem cum ſua manu ad illum miſit: qui cum ad montem, in cujus vertice Propheta morabatur, perveniſſet, ad illum aſcendens, Vir Dei, inquit, Rex præcepit, ut deſcendas. Cui Elias Deum ſe deprecari dixit, ſiquidem Vir Dei eſſet, ut dilapſus è Cœlo ignis Ducem cum militibus abſumeret. Nec mora: demiſſis è Cœlo flammis omnes conflagrarunt. Aliis ſubinde militibus à Rege miſſis, eademque pœna multatis, tandem tertius Dux cum ſua manu venit. Hic ad genua Prophetæ accidens, ne ſe ſuoſque perderet, rogabat. Tunc Elias monitus ab Angelo, deſcendens, ad Regem cum illis venit, eademque coram dixit, quæ per miniſtros nunciaverat. Nec obitus Ochoziæ à Propheta prænunciatus, diù dilatus eſt.

Cum diem translationis ſuæ ex hoc Mundo imminere jam divinitus prænoviſſet Elias (f), nihilque ea de re cum Eliſeo communicare voluiſſet, Deus tamen nedum Eliſeo, ſed omnibus Prophetis in Bethel, & Jericho morantibus ſecretum prodidit. Quare hortanti Eliæ, ut ibidem Eliſeus maneret, neque ſe miſſum à Deo in Bethel comitaretur, nedum ille non acquievit, ſed cùm ambo Bethel perveniſſent, atque Elias iter Hierichuntem initurus, ſimilia rogaret, alter ab ejus latere ſe nunquam receſſurum ſacramento aſſeruit. Cùm ad urbem veniſſent, atque Eliſeo nequidquam moram Elias perſuaderet, ambo iter ad Jordanem deflexerunt, quinquaginta Prophetarum filiis euntes illos è longinquo ſervantibus. Ut ad amnem ventum eſt, Elias percuſſit complicato pallio aquis, ſtatimque in duas partes diviſis, per medium alveum ſicco pede cum ſocio tranſivit.

Jam in adverſam ripam evaſerant, cum Elias ſocium monuit, ut ſiquid ea ſe cuperet, antequam ipſe transferretur, poſtularet. Cui Eliſeus petere ſe ait duplicem Eliæ ſpiritum. Porro duplex ſpiritus ſivè ſimilem ſignificat, ſivè duplicem, nempè Prophetiæ, & miraculorum, ſivè geminatum eundem ſpiritum; ſivè tandem vox *duplex* pro ubertate, & affluentia uſurpatur, ut in illo: *Recepit de manu Domini duplicia*, *Iſa.* 40. 2. & *Duplici contritione contere eos*, *Jerem.* 17. 18.

Tunc Elias, ardua, inquit, petis; ſi tamen cum raptus fuero, me videris, obtinebis. Interim proſequentibus illis iter, continuo igneus currus igneis equis ductus, medius inter illos apparuit; raptuſque Elias veluti turbini inſidens, Cœlum petebat. His viſis clamavit Eliſeus: Pater mi, pater mi, qui currus Iſraelis es, ipſiuſque Auriga. Mox vero cùm ex oculis jam ille evanuiſſet, dilapſum, dum raperetur, Eliæ pallium ſumens, ad Jordanem regreſſus eſt; amnemque primo eodem pallio verberans, atque contumacem, ſecundo ictu diviſit, adeout ipſum pede trajiceret.

Eo prodigio Prophetis Hierichuntis, vicinarumque regionum ſpiritum Eliæ in Eliſeum migraſſe innotuit: quare omnes ad illum convenientes, propoſuerunt, an mittendos cenſeret 50. validiſſimos viros, qui Eliam, abreptum fortaſſe in deſertum atque occultum locum vi ſpiritus, & quærerent, & reducerent. Eliſeus ſupervacaneam eam operam futuram dixit; quod quidem non fruſtra ab eo dictum quæſitus irrito labore toto triduo Elias oſtendit. Id evenit *A. M.* 3108. *ante Ch.* 892. *ante Ær.* 896.

Octennio poſt, literæ Eliæ ad Joram Regem Juda redditæ ſunt, in hanc ſententiam (g). *Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Quoniam non ambulaſti in viis Joſaphat patris tui, & in viis Aſa Regis Juda, ſed inceſſiſti per iter Regum Iſrael, & fornicari feciſti Judam, & habitatores Jeruſalem, imitatus fornicationem domus Achab; inſuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te, occidiſti: ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo & filiis, & uxoribus tuis, univerſaque ſubſtantia tua. Tu autem ægrotabis peſſimo languore, donec egrediantur vitalia tua paulatim per ſingulos dies.*

Has literas ſunt (h), qui ſcriptas credant ab Elia in loco, quo translatus eſt; alii (i) ante raptum ſcriptis mandatas autumant; alii (k) per ſomnium eas literas Regem legiſſe. Circumferebatur olim liber inſcriptus, *Prophetia*, ſivè *Apocalypſis*, ſivè *Aſcenſio Eliæ* (l); ex quo deſumptum credebatur illud S. Pauli 1. Cor. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Rabbini in Libro *Seder-olam*, ſivè ſæculorum ſucceſſio, tradunt, Eliam in conſcri-

bendis

(a) A. M. 3105. ante Chr. 895. ante Ær. 899. (b) 3. Reg. 21. 1. &c. (c) 3. Reg. 21. 1. &c.
(d) A. M. 3108. ante Chr. 892. ante Ær. 896. (e) Fortè hirſutus erat, ſive tunica villoſa indutus.
(f) 4. Reg 2. 1. 2. 3. A. M. 3108. ante Ch. 892. ante Ær. 896.
(g) 2. Par. 21. 12. A. M. 3116. ante Chr. 884. ante Ær. 888. (h) Ita Hebr. Tirin. & Mariana.
(i) Menoch. Jun. Piſcator, & Kimchi. (k) Grot. in 2. Par. 21. 12.
(l) Orig. in Matth. 27. 9. tract. 35. Hier. in Ep. ad Pammach. & in Iſai. l. 19. Euſ. l. 9. c. 30. Fabric. apocryph. Vet. Teſt.

bendis hiſtoriis omnium Mundi ætatum etiam nunc occupari.

Enochum, & Eliam adhuc vivere, & in exitu Mundi adverſus Antichriſtum prodituros, non à Chriſtianis tantum (a), ſed à Judæis (b) vulgo creditum eſt; deque illis explicari ſolet illud: *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta*, *Apoc.* 11. 3.

Judæi tandem (c) Eliæ cuidam prophetiam celeberrimam tribuunt, quam hic exſcribimus: *Traditio domus Eliæ: ſex millia annorum erit Mundus: duo millia inanitatis* (ſcilicet ſine Lege): *duo millia Legis: duo millia dierum Meſſiæ*. Porrò hunc Eliam, quem aliqui cum noſtro Elia confundunt (d), alium verè ab illo & recentiorem eſſe judico. Idem de authore dicito trium illorum operum, quæ inſcribuntur (e) 1. *Magnus ordo Eliæ*, 2. *Parvus ordo Eliæ*, 3. *Caverna Eliæ*.

Author Eccleſiaſtici 48. 1. hoc elogio Eliæ mores & geſta complexus eſt: *Surrexit Elias Propheta, quaſi ignis, & verbum ipſius, quaſi facula ardebat, qui induxit in illos famem, & pauci facti ſunt. Verbo Domini continuit Cælum, & dejecit de Cælo ignem ter: ſic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis. Qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis de ſorte mortis* (nempe filium viduæ Sareptanæ) *in verbo Domini. Qui dejeciſti Reges ad perniciem, & confregiſti facile potentiam ipſorum, & glorioſos* (nempe Achabum, Ochoziam & Jezabelem, quibus imminentia mala prædixit) *de lecto ſuo. Qui audis in Sina judicium, & in Horeb judicia defenſionis. Qui ungis Reges ad pœnitentiam* (Iehu, & Hazaelem) *& prophetas facis acceſſores poſt te* (Eliſeum). *Qui receptus es in turbine ignis in curru equorum igneorum. Qui ſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere Tribus Jacob*. Quæ poſteriora verba ſpectant illud Malachiæ 4. 6. *Ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & terribilis. Et convertet cor patris ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam, & percutiam terram anathemate*. Porrò hæc ad exitum ſæculorum ante judicium complenda reſervantur. Verum Jeſus Chriſtus in Evangelio Eliam veniſſe jam in ſpiritu, Jo. ſcilicet Baptiſtam, aſſeruit *Matt.* 11. 14. & 17. 10. *&c.* & in Transfiguratione Chriſti Eliam & Moyſem colloquentes cum Jeſu de morte ipſius adfuiſſe, Evangeliſtæ teſtantur, *Matt.* 17. 3. 4. *Marc.* 9. 3. *Luc.* 9. 30. Tandem non defuerunt inter Judæos, qui animam Eliæ in corpus Jeſu tranſmigraſſe autumarent, *Matt.* 16. 14. *Marc.* 6. 15. *Luc.* 9. 8.

(Judæorum plures autumarunt Eliam unum fuiſſe eundemque virum cum Phinees filio Eleazari, & Aaronis ex filio nepote, quòd uterque zelo eſſet inſignis & promovendæ Dei gloriæ ſtudioſiſſimus. Petitur ea opinio ex dogmate Metempſychoſeos, familiari Mahometanis, Judæis pluribus, & nonnullis etiam Chriſtianis Orientalibus; conſtat enim alioqui Phinees pluribus ſæculis Eliam præceſſiſſe.

Narrant Muſulmani (f), Kheder vel Khiſir, copiarum Alexandri (alter eſt ab Alexandro Magno & vetuſtior) Imperatorem, magno rerum ſuarum compendio inveniſſe fontem vitæ, quem Alexander diù & fruſtra quæſiverat. Longis hauſtibus potatus Kheder immortalitem obtinuit. Nomen adſcivit *Kheder*, quod eſt vireſcens, ideo ſcilicet quod immortali exinde vita & beata floreret. Eſt autem juxta illos, Kheder Elias, vitam agens in loco à turbis remoto, amœno, ubi fons vitæ, & arbor item vitæ, quorum adjumento immortalitatem ſibi reparat. Hic opperitur ſecundum Jeſu Chriſti adventum, tempus deſtinatum, ut iterum Elias prodeat in mundum.

Magi Perſarum affirmant, Zoroaſtrem, quem præceptorem ſuum venerantur, Diſcipulum fuiſſe Eliæ Prophetæ, vel ſaltem patres ſuos inſtitutos fuiſſe à Diſcipulis utriuſque Prophetæ, Eliæ & Eliſei. Fabella inde petitur, quod Elias & deduxit ignem è Cœlo (g), & in Cælum igneo curru elevatus eſt (h); ignis autem cultui potiſſimum addicuntur ſectatores Zoroaſtris.)

ELIASAPH, filius Duel, Princeps Tribus Gad, ſub Moyſe. *Num.* 1. 14.

ELIASIB, alio nomine *Joaſib*, & *Chaſib*, Summus Sacerdos ex genere Eleazari; quam dignitatem poſt Joachim, Xerſis ætate Pontificem, authore Joſepho Antiq. l. 11. c. 5., obtinuit. Sacris præfuiſſe conſtat ſub Nehemia An. M. 3550.: ſed quo anno obierit, quove temporis ſpatio dignitatem tenuerit, incertum. Succeſſorem habuit Jojadam, ſive Judam. 2. *Eſdr.* 12. 10.

ELIATHA, octavus filius Heman, ex vigeſima Levitarum claſſe, qui coram Arca Domini canebat. 1. *Paral.* 25. 27.

ELICA DE HARODI, unus ex triginta fortiſſimis, atque Præfectis, in Davidis exercitu 2. *Re.* 23. 25.

ELICI. In Libro Judith 1. 6. *Arioch Rex Elicorum* memoratur. Græcus, & Syriacus legunt *Regem Elimæorum*, nempè populorum regionis Elam, in Medis, ſive in veteri Perſide. In Geneſi 14. 1. 9. occurrit *Arioch Rex Ellaſar*; quæ fortaſſe regio eadem eſt ac Elicorum.

ELIDAD, filius Chaſelon, è Tribu Benjamin, unà cum cæteris ad dividendam terram Chanaan ſelectus. *Num.* 34. 21.

I. ELIEL, è Tribu Manaſſe, vir fortiſſimus, ætate Joathan Regis Juda, & Ieroboam II. Regis Iſrael. 1. *Par.* 5. 24.

II. ELIEL, Levites è familia Caath 1. *Par.* 6. 34.

III. ELIEL. Hujus nominis duo etiam fuerunt viri fortiſſimi, qui David Saulem fugienti adhæſerunt. 1. *Paral.* 11. 46.

I. ELIEZER, œconomus Abrahami, in Meſopotamiam ab hero miſſus, ut uxorem ad filium ipſius Iſaacum deduceret (i). Patria erat Damaſcenus (k), filiumque habuiſſe ſibi cognominem videtur, quem Abraham ante natum Iſaacum, hæredem ſuum relinquere cogitabat. *Vide Gen.* 15. 1. *&c. & Comment. ibid.*

Cùm in Meſopotamiam ab hero mitteretur, poſita priùs ſub ejus femore manu, ea cæremonia ſacramento ſe obligavit, ſe fœminam nullam Chananæam filio ipſius ſponſam procuraturum, ſed illam è patria & ex cognatione ipſius Abrahami accerſiturum. Ad eas vero regiones Iſaacum nunquam ſe deducturum pollicitus eſt. Igitur Charras Meſopotamiæ, quò tendebat, inclinante die perveniens, camelis in genua procumbentibus ad requiem, ipſe nihil antiquius habuit, quam ut ſigno divinitus dato, electam Iſaaco ſponſam ſibi manifeſtari fuſis precibus à Deo poſtularet. Rogabat autem, quæ inter puellas ſibi occurrentes non ſibi tantum petenti, ſed & camelis ne requiſita quidem potum offerret, illa eo indicio ad nuptias deſtinata oſtenderetur. Inter hæc, Rebecca filia Bathuelis, & Iſaaci conſobrina, lagenam aquæ deferens ſupervenit; quæ ab Eliezer rogata, ut potum ſibi concederet, nedum illi, ſed & camelis ipſius præſto ſe obtulit. Eliezer lætus eventu, ſtatim geminis inauribus, aureiſque armillis puellam donavit; ſimulque genus ab ea ſuum, & hoſpitium in domo ipſius requiſivit. Rebecca filiam ſe Bathuelis prodidit, apud quem nihil defuturum ad hoſpitium pollicita eſt. Quibus auditis, Eliezer pronus in terram Deo gratias egit, ſimulque ſe Abrahami miniſtrum eſſe aperuit.

Puella domum feſtinans, parentibus quæ ſibi acciderant, enarravit; ſtatimque Laban frater Rebeccæ hoſpiti obviam factus, domum deduxit. Antequam menſæ accumberetur, Eliezer nunquam ſe cibum ſumpturum dixit, niſi prius negotium ſuum expoſuiſſet: narrataque ſtatim itineris ſui hiſtoria, tandem Rebec-

(a) Juſtin. Mar. Dial. con. Tryph. Epiph. de vita & mor. Proph. (b) Vide Ligtfoot. ad Matth. 17. 10.
(c) Gemar. Sanhedr. c. 11. Parag. 29. Gemar. Aboda Sara c. 1. &c. (d) If. Voſſ. de Sybil. Orac. c. 8.
(e) Sgambat. Archiv. Vet. Teſt. Bartholocci Bib. Rab. t. 1.
(f) D'Herbelot Biblioth. Orient. pag. 401. & 992. kheder.
(g) 3. Reg. 18. 24. & 4. Reg. 1. 10. 12. (h) 4. Reg. 2. 11. Eccli. 49. 9.
(i) Gen. 24. 1. &c. A. M. 2148. ante Chr. 1852. ante Ær. 1856. (k) Gen. 15. 2. 3.

Rebeccæ cum Iſaaco nuptias propoſuit; Cum Labanus, & Bathuel aſſenſum præbuiſſent, Eliezer Rebeccam pronus ſalutavit, productiſque muneribus, ea novæ heræ ejuſque parentibus obtulit; his peractis menſæ accubuit.

Orto mane cum Eliezer diſceſſum urgeret; neque precibus fratrum, & matris Sponſæ, decem dierum moram rogantium, flecteretur, tandem inter partes conventum eſt, ut filiæ voluntas ejuſdem controverſiæ arbitra conſtitueretur. Interrogata igitur Rebecca, num iter ſtatim capere mallet, velle ſe reſpondit: quare eadem die iter Beerſabee verſus, ubi Abraham morabatur, ambo ſuſceperunt.

(Hunc virum deſignant Muſulmani (a) nomine *Dameſchak* vel *Damaſceni*; habentque perſuaſum nigrum fuiſſe mancipium à Nemrod dono datum Abrahamo. Animum heri ſui ita cepit, ut & domui univerſæ præficeretur, deſtinareturque in hæredem ea aſſe, antequam Iſaac naſceretur. Cum Abraham veniſſet in Syriam, condidit ibi Urbem, quam de nomine mancipii ſui *Damaſchak* appellavit; ipſa eſt autem Urbs hodie Damaſci nomine celebris. Majori veri ſpecie tenent alii, Eliezer Damaſcenum fuiſſe origine, ac filium genuiſse, quem in hæredem deſtinavit Abraham. Vide Geneſis 15. 1. 2. 3. & Commentatores ibidem. *Cum in Meſopotamiam &c.*)

II. ELIEZER, Moyſis, & Sephoræ filius, tunc natus cum parentes in Madian morabantur, *Exod.* 2. 18. 22. Filium habuit, nomine Rohobià. 1. *Paral.* 23. 17. Sunt qui hiſtoriam Angeli occurrentis Moyſi, *Exod.* 4. 24. 25. ex Madian in Ægyptum reduci, ita intelligunt (b), quaſi Angelus ipſi Eliezero incircumciſo adhuc necem minitatus ſit; ſunt etiam qui ambigua Scripturæ verba de nece Moyſi ipſi intentata intelligant.

III. ELIEZER, Levites, qui in traductione Arcæ Hieroſolymam per Davidem, tuba canebat. 1. *Paral.* 15. 24.

IV. ELIEZER, filius Zechri è Tribu Ruben, Princeps 24000. hominum ejuſdem Tribus ſub Salomone. 1. *Par.* 27. 16.

V. ELIEZER, filius Dodau, propheta, qui Ioſaphat Regi Iuda prædixit futurum, ut claſſis, quam cum Ochozia impio Rege Iſraelis inſtruxerat profecturam in Tharſis, in portu Aſiongaber diſperderetur. 2. *Par.* 20. 37.

VI. ELIEZER, Levita, qui uxorem contra Legem ductam, è captivitate Babylonica redux dimiſit. 1. *Eſdr.* 10. 23.

VII. ELIEZER, filius Iorim, ex proavis Ieſu Chriſti. *Luc.* 3. 29.

ELIHOREPH, vir à Conſiliis Salomonis (c).

ELIM, ſeptima caſtrametatio Iſraelitarum in deſerto, locuſque erat 72. palmis, & duodecim fontibus amœnus. *Exod.* 16. 27. Ex *Elim* Iſraelitæ deſertum *Sin* petierunt.

ELIMELECH, Bethleemites, Noemi Vir *Ruth.* 1. 2. *&c.* ex qua Mahalon, & Chelion genuit. Graſſante per Iudæam fame, ſolum vertens, in Moabitidem ſeceſſit; ubi poſt decennium una cum filiis, qui duas Moabitides fœminas, Orpham, & Ruth, conjuges duxerant, obiit. Vide *Mahalon*, *&* *Chelion*.

De hoc viro dictum interpretantur Hebræi (d) illud (e): *Et Joakim, & viri Cosba, & Joas, qui duxerant uxores in Moab, & qui morabantur in Lebem*: quem locum ita legit in Vulgata S. Hieronymus: *Qui ſtare fecit Solem, virique mendacii, & ſecurus & incedens, qui Principes fuerunt in Moab, & qui reverſi ſunt in Lebem.* Porro *Joakim* eſt Elimelech, ejuſque nomen redditur, *qui ſtare fecit.* Tradunt autem Hebræi, Ioakimum ruentes in ſcelera cives ſuos fruſtra reducere conatum, qua verbis, quà etiam ſignis, adeout Solis curſum, ut Joſue, ſiſteret; tandem famem venturam prædixiſse. Ea fame graſſante addunt ipſum ſolum vertiſse una cum duobus filiis, qui prole carentes ideo in Paralipomenis *viri mendacii* appellati fuerint. Fratres vero illi *duxerunt uxores*, *& morati ſunt in Bethleem*, quamquam enim illi in Moabitide diem clauſerint, pro illis tamen Noemi eorum mater, & Ruth alterius eorum ſponſa eandem urbem incoluerunt. Sed hæc inter Rabbinorum commenta recenſemus.

ELIODA, Davidis ex concubina filius 2. *Reg.* 5. 26.

I. ELIOENAI, filius Naariæ, & pater Odujæ. 1. *Paral.* 3. 23. 24.

II. ELIOENAI, filius Aſielis, è Tribu Simeon. 1. *Paral.* 4. 36.

III. ELIOENAI, filius Bechor, è Tribu Benjamin. 1. *Paral.* 7. 8.

IV. ELIOENAI, filius Aſaph, Templi janitor. 1. *Paral.* 26. 3.

V. ELIOENAI, filius Zarehe, qui Babylone redux, uxorem alterius Religionis antea ductam dimiſit. 1. *Eſdr.* 8. 4. & 10. 22.

ELIONÆUS, Summus Sacerdos Iudæorum. Matthiæ filio Anani ſucceſsor anno M. 4041. qui poſt annum, ſucceſsorem habuit *Simonem Canthara*.

ELIPHAL, filius Ur, ex fortiſſimis in Davidis exercitu. 1. *Paral.* 11. 36.

I. ELIPHALETH. Duo Davidis filii hujus nominis occurrunt. 2. *Reg.* 5. 16. *&* 1. *Par.* 14. 7.

II. ELIPHALETH, filius Eſec. 2. *Par.* 8. 39.

ELIPHALU, Levita, qui Arcæ, dum Ieroſolymam transferretur, aderat. 1. *Paral.* 15. 18. 21.

I. ELIPHAZ, filius Eſau ex Ada filia Elon, & pater Theman, Omar, Sepho, Gathan, & Cenez. *Gen.* 36. 11.

II. ELIPHAZ, amicus Iob & fortaſse ex poſteris Eliphæ filii Eſau. *Job.* 2. 11.

ELISA, filius Iavan, *Gen.* 10. 4. creditus pater Eleorum in Peloponneſo, in quorum regione vicus occurit apud Homerum, nomine *Aliſium*. Purpuram *Eliſa* ad emporium Tyri delatam nominat Ezechiel 27. 7. Purpureis conchis Eurotas, quo loco in mare influit, refertiſſimus eſt, & purpura Laconica apud Veteres celebratur (f). Sinus etiam Corinthius iiſdem piſcibus abundabat.

I. ELISABETH, filia Aminadab, ſoror Nahaſſon, uxor Aaronis; & mater Nadab, Abiu, Eleazari, & Ithamari. *Exod.* 6. 23.

II. ELISABETH, uxor Zachariæ & mater Io. Baptiſtæ ex *filiabus Aaron*, *Luc.* 1. 5. ſcilicet ex genere Sacerdotali; ſed quibus potiſſimum Parentibus, ignotum. Poſt acceptum ab Angelo nuncium de futura Io. Baptiſtæ nativitate, Zacharias domum reverſus eſt, & Eliſabeth concepit. Hujus conceptionis Feſtum apud Græcos die 23. Septembris: apud Latinos in veteribus Martyrologiis die 24. ejuſdem menſis recolitur. Ejus rei ſecretum, cujus nemo præter Parentes quinque menſibus conſcius fuerat *Luc.* 1. 24. Mariæ Virgini ab Angelo Gabriele proditum eſt, ut eo ſigno rata haberet ac firma, quæ de futura Meſſiæ conceptione, abſque viri opera prænunciabat. *Luc.* 1. 36. 37.

Quo accepto nuncio, Maria continuò Hebronem, inviſendæ Eliſabeth cognatæ ſuæ gratia, contendit; ſtatimque à primo inter illas congreſsu, fœtus in utero Eliſabeth exultare viſus: quod quidem matri in cauſa fuit, ut tota in laudes Mariæ effunderetur, Dei Matrem, benedictam inter mulieres, filio, & fide beatam pleno ore appellans. Maria toto trimeſtri, *Luc.* 1. 56. 57. cum cognata commorans, fortaſse & Nativitatis Præcurſoris, & prodigiorum, quæ ea occaſione contigerunt, teſtis fuit. Siquidem octava ab ejus nativitate die, cùm puer de more circumciſioni ſubdendus eſſet, nomen illi non Zachariæ, uti adſtantibus videbatur, ſed Ioannis imponi mater voluit. Quin & ipſe pater Zacharias de ea re nutu interrogatus, loquelæ facultate jam indè à colloquio cum Angelo priva-

(a) Herbelot Biblioth. Orient. pag. 291. Dameſchak. (b) Rabbin. quidam; Tert. cont. Jud. c. 3. Vide Aug. c. 11. in Exod. (c) 3. Reg. 4. 3. (d) Author Tradit. Hebr. in Paralip. Lyran. Toſt. Hebr.
(e) 1. Par. 4. 22. (f) Horat. Pauſ. Plin.

privatus, idem nomen puero imponendum ſcripto manifeſtavit; ſtatimque ipſe Zacharias linguæ vinculo ſoluto, in laudes Dei effuſus eſt.

Fama erat apud Orientales (a), Eliſabeth furorem Herodis, qui necem Joannis una cum pueris Bethleemiticis ſtatuerat, declinaturam, puerum ad montes aſportaſſe. Sed cum ii mulieri impervii eſſent, ipſa ſubito mons dehiſcens, matrem & filium in ſinu excepit; ubi tutum Angeli cuſtodia, & jucundum cœleſti luce contubernium obtinuerunt. Interim Herodes à Zacharia puerum requirens, cùm fruſtra ejus animum ſe tentare intelligeret, apprehenſum illum inter veſtibulum Templi & Altare holocauſtorum, ibidem juſſit trucidari. Hujus rei integra hiſtoria in Protevangelio S. Jacobi, & aliis veteribus monumentis refertur; quæ omnia in Canone Scripturarum non recenſentur.

De cognatione Sanctæ Virginis cum Eliſabeth nihil eſt, in quo hæreamus; quamvis enim altera ad Tribum Juda, altera ad Tribum Aaronis pertineret, lege tamen connubii, ſivè quod è domo Mariæ aliqua patrem Eliſabeth duxiſſet, cognatione jungi potuerunt. Neque enim vetitum erat Iſraelitarum Tribubus connubia inter ſeſe invicem celebrare, niſi mulieres familiæ hæreditatem defectu fratrum, in viri domum debuiſſent inferre (b).

I. ELISAMA, filius Ammiud, & Princeps Tribus Ephraim, Moyſis ætate (c); qui in Tabernaculi dedicatione victimas ſolemnes nomine univerſæ Tribus obtulit.

II. ELISAMA, filius Icamiæ, & pater Sellim. 1. *Paral.* 2. 41.

III. & IV. ELISAMA; duo enim hujus nominis viri inter filios Davidis recenſentur. 1. *Par.* 3. 6. 8.

V. ELISAMA, pater Nathaniæ, & avus Iſmaelis, qui Godoliam, quem Nabuchodonoſor poſt everſam Jeruſalem toti regioni præfecerat, interemit. 4. *Reg.* 25. 25.

VI. ELISAMA, è Sacerdotali genere, miſſus à Joſaphat Rege Judæ, ut Iſraelitas ab idololatria reduceret. 2. *Par.* 17. 8.

I. ELISAPHAN, filius Ozielis, Aaronis Patruus, & Princeps familiæ Caath (d), cui Moyſes removenda præcepit è caſtris cadavera Nadab, & Abiu, quos lapſus è Cœlo ignis peremſerat. *Levit.* 10. 4.

II. ELISAPHAN, filius Pharnac, è Tribu Zabulon, ad diviſionem Terræ promiſſionis unà cum pluribus deſtinatus. *Num.* 34. 25.

ELISAPHAT, filius Zechri, qui Pontifici Jojadæ reſtituendi in Regnum Joas, non inanem operam præſtitit. 2. *Par.* 23. 1.

(ELISEI. *Campi Eliſei*, vel *Eliſii*. Ita à Paganis appellantur arva quædam conſita nemoribus, variata pratis, amœna fontibus in Inferis, locus in ſedem deſtinatus Heroibus probiſque viris poſt obitum (e); cùm interim impiis & ſceleſtis, ſuppliciis omnibus horrida loca nigro in Tartaro parata ſint. Creduntur campi Eliſii derivari ex Hebræo *Halaz*, quod eſt lætari; animæ enim in Eliſiis verſantes quieſcunt atque voluptatibus recreantur.

Devenere locos lætos & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas

Virgilius. Accerſunt alii (f) ex *Eliza* filio Javan, qui Peloponneſi tractum quendam frequentavit.

Fabellis Græcanicis vulgò tribuuntur campi Eliſii; ambigere me tamen profiteor, num potiùs ab Ægyptiis & Hebræis repetantur. Legimus in Prophetis (g) de ſtatu animarum Heroicarum poſt obitum quædam, à Prophanorum de campis Eliſiis fabellis prorsùs non abhorrentia. Ezechielis 31. 15. &c. *In die quando deſcendit Aſſur ad inferos induxi luctum, operui eum abyſſo, & prohibui flumina ejus & coercui aquas multas.* (cernis hic Acheronta, & cætera Inferni fluenta?) *Contriſtatus eſt ſuper eum Libanus, & omnia ligna agri concuſſa ſunt. A ſonitu ruinæ ejus commovi gentes, cùm deducerem eum ad infernum* (ad ſepulcrum) *& conſolata ſunt in terra infima omnia ligna voluptatis* (Edem ſeu horti delicioſiſſimi) *egregia, atque clara in Libano, univerſa quæ irrigabantur aquis, nam & ipſi cum eo deſcenderunt in Infernum ad interfectos gladio, & brachium uniuſcujuſque ſedebit ſub umbraculo ejus in medio Nationum. Cui aſſimilatus es, o inclyte atque ſublimis, inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis* (Edem) *ad terram ultimam: in medio incircumciſorum dormies, cum eis qui interfecti ſunt gladio: ipſe eſt Pharao & omnis multitudo ejus, dicit Dominus Deus.*

Ubique in hac narratione Rex Aſsyriæ adducitur ſub emblemate cedri Libani, qui lapſo ſuo arbores ejus montis omnes dejicit; Principes autem & Reges imperio Aſſyriorum tributarii, comparantur arboribus regionis Edem. Porrò arbores illæ omnes in Inferna tranſlatæ nemus formant, vel hortum amœnum. Iſaias 14. 9. &c. exhibet Reges Gentium poſitis in Inferno thronis aſſidentes, conſurgenteſque ſe ad obſequium Regis Babylonis: *Infernus ſubter conturbatus eſt* (ait Iſaias ad Regem Babylonis), *in occurſum adventus tui, ſuſcitavit tibi Gigantes. Omnes Principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes Principes Nationum* (ad obſequium tuum). *Univerſi reſpondebunt & dicent tibi: Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus es. Detracta eſt ad Inferos* (ad ſepulcrum) *ſuperbia tua, concidit cadaver tuum, ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes &c.*

Quemadmodum autem apud Paganos Eliſii campi diſcreta erant loca à Tartaro, atque à ſedibus impiorum; diſcreta, inquam, intermedio impervio murorum ſepto, cum igneo fluento (h); ita pariter immane quoddam Chaos Beatorum Sedes in ſinu Abrahami diſterminat ab infernis ſuppliciorum locis; *Inter vos & nos Chaos magnum firmatum eſt, ut hi qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint, neque inde tranſmeare.* Nec his tamen prohibebantur impii ab aſpectu felicitatis, qua Juſti fruebantur, quod in partem cedebat ſuppliciorum. In hanc ſententiam legimus impium illum divitem ſermonem conferentem cum Abrahamo, obtecrantemque, ut moneret fratres ſuos, quò ſibi caverent, ne ſimilibus tormentorum locis addicerentur. Ita in Libro Sap. 5. 2. &c. impii teſtes ſunt gloriæ Juſtorum: *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe; Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum.* In eandem rem Virgilius *Æneid.* 6. *v.* 557.

Hinc exaudiri gemitus, & ſæva ſonare
Verbera; tum ſtridor ferri, tractæque catenæ.

Sicut autem Judæi tenent animas, quarum cadavera inhumata jacent, non priùs donari requie, quàm cadaver ipſum ſepultura; ita etiam Pagani tenebant inhumatorum animas nec recipi in cymbam Charontis, nec ad deſtinata loca tranſmitti. *Virgil. Æneid.* 6. *ver.* 324.

Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba eſt,
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Tranſportare priùs, quam ſedibus oſſa quierunt.

Tandem ſicut Rabbini perſuadentur mortuorum animas & redire poſſe, & re ipſa quidem ad homines reverti, maximè intra duodecim menſes ab obitu, tum petere Inferna ſive locum, in quo animæ reſervantur ad generalem hominum reſurrectionem; in eandem ſententiam Prophani credunt frequentiſſimè ſpectari animas recentium maximè defunctorum, animas pariter ex Infernis regredi; ac eò remeare frequenter (i); quo tamen privilegio inſignium ſceleſtorum animas multari. Hinc Ezechiel 31. 15. docet claudi à Deo abyſſum ſuper Regem in Infernis detentum. Ita pariter in Libro Enoch Deus onerat man-

(a) Vide Protevang. Jacobi, num. 22. Petr. Alex. can. 13. de Pœnit. Euſtat. Antioch. Vide & Græc. Menæa 5. Sept.
(b) Num. 27. 1. &c. & 36. 1. 2. &c. (c) Num. 7. 48. (d) Num. 3. 30. (e) Virg. l. 6. vers. 638. Tibullus l. 1. Eleg. 3.
(f) Beroul. & Hornius Hiſt. Philoſ. l. 3. c. 2. (g) Gen. 10. 4. Ezechiel. 27. 2. (h) Virg. Æneid. l. 6. vers. 548.
(i) Vide ſomnium Er viri Armeni apud Platonem de Republica lib. 10. pag. 6. 14. 655.

Digitized by Google

mandatis S. Michaelem, ut vinctos catenis perduelles Angelos præcipites agat in imum terræ fundum; & in Apocalypſi 20. 1. Angelus è Cœlo deſcendens tenenſque manu clavem abyſſi, apprehendit Dæmones, onerat catenis, projicitque in Abyſsum, occludit januam, munit ſigillo, ne unquam egrediantur. Impius ille Lucæ 16. 23. &c. vetatur ne a loco ſupplicium pedem referat.)

ELISEUS, filius Saphat, diſcipulus, & in Prophetæ munere ſucceſſor Eliæ, ortus Abelmeulæ, quæ urbs eſt aliquibus trans Jordanem, in Tribu Ruben (a), ciſjordanica (b) in Tribu Manaſſe, & in Magno Campo, ſecundùm amnem protenſo, decem milliaribus a Scythopoli, meridiem verſùs (c). Cum Elias juſsus à Deo Eliſeum in prophetam initiaturus Abelmeulam veniſset 3. *Reg.* 19. &c. ipſum nactus 12. boum jugis agrum excolentem, ſuo illum pallio operuit. Nec mora: Eliſeus omnibus abjectis, petita obtentaque ab Elia facultate, domum redit, parentibus vale dicturus: ubi & geminis ea aratro bobus mactatis coctiſque carnibus, epulum populo dedit; regreſſuſque inde ad Eliam, illius ſequelæ ſeſe addixit.

Porrò Eliſei hiſtoriam uſque ad Eliæ raptum latè deſcripſimus v. *Elias*. Tranſlato igitur Elia, Eliſeus & duplicis ſpiritus ipſius, & pallii hæres (d) ad Jordanem venit; percuſſiſque aquis pallio primo quidem fruſtra, iterum vero invocato Eliæ Deo, iiſdem aquis percuſſis, diviſo amne, ſicco illum pede trajecit. Eo prodigio, Eliæ ſucceſſor ab omnibus Prophetis agnitus, atque ſalutatus eſt.

Cum Hierichuntem veniſſet, quærentibus civibus de loci illius, cæteroquin commodi, ſterilitate, aquarumque vitio, vas novum ſalem continens juſſit afferri. Quibus ſtatim allatis, Propheta ſalem in fontem Hierichuntis projecit; ſtatimque aquarum ſapor jam inde uſque ad noſtram ætatem correctius eſt. Inde in Bethel contendens Propheta, pueris in via ſibi irridentibus, calvumque per contemptum appellantibus, Dei nomine maledixit: ſtatimque gemini è proximo ſaltu urſi in eos irruentes, 42. ex eis diſcerpſere.

Cum Reges Iſraelis, Juda, & Edom, expeditionem in Moabitas ſuſcepiſſent, qui ab Iſraelis Rege defecerant, 4. *Reg.* 3. 1. cumque exercitus, deficientibus in itinere per deſertum aquis, periclitari videretur, Eliſeum, qui fortè aderat, junctis precibus exorarunt, ut opportunè afflictis rebus ſuccurreret (e). Ille primò Joram Regi Iſraelis exprobravit, cur Ariolos ſuos ea de re non conſuluiſset. Tum, Joſaphat, inquit, Regis Juda conſpectum vereor; cæterùm veſtris minimè precibus commoverer. Quare pſaltem adducite. Eo igitur pſallente, Propheta ſtatim divino œſtro abreptus, juſſit foſſas ſecundum torrentis alveum fodi; futurum enim eſt, addidit, ut abſque pluvia, aut vento eæ mox aquis repleantur. Cujus oraculi veritatem ſequenti nocte eventus probavit.

Sub idem tempus (f), Eliſeus oleum in domo viduæ cujuſdam ex Prophetis adeo auxit, ut ejus pretio creditori illius Prophetæ ſatisfieret, duoque ejuſdem viduæ filii, quos creditor vel ſibi vindicare, vel vendere minitabatur, à periculo liberarentur 4. *Reg.* 4. 12. *&c.*

Cum Propheta Sunam urbem ciſjordanicam Tribus Manaſse, domumque in ea matronæ cujuſdam frequentaret, 4. *Reg.* 4. 8. *&c.* Dei nomine filium eidem Matronæ adhuc ſterili promiſit. Dictis ſua fides (g): verùm cum poſt aliquos annos natus filius deceſſiſſet (h), continuò mater ad Eliſeum, in monte Carmelo verſantem, ſe contulit; ac tamdiu apud illum precibus inſtitit, ut ſecum venire compelleret. Venit igitur Propheta, gelidoque cadaveri totus incumbens, veluti vitalem calorem revocaturus, tum & orationum vi effecit, ut filius vitæ reſtitueretur.

Vaſtante Judæam fame (i), quidam ex Prophetis in Galgalis cibum fratribus curaturus, plenum colocynthide fortè in agro collecta pallium domum attulit; ex quibus pulmentum Eliſeo ibidem verſanti, cæteriſque appoſuit. Eo cibo vix guſtato, ſtatim omnes tetro ſapore offenſi, virus ſibi appoſitum eſſe clamarunt. Id Eliſeus animadvertens, allatam ſibi farinam in olla miſcuit, eaque pulmenti ſaporem reformavit. Sub idem tempus Eliſeus viginti panibus hordeacis pluſquàm 100. homines ſatiavit. 4. *Reg.* 4. 41.

Naaman Dux copiarum Regis Syriæ, elephantiaſi laborans, audita Eliſei fama (k), illum adire ſtatuit, ut curaretur. Hujus adventum audiens Propheta, ne domo quidem egreſſus, miſit, qui illi ſuo nomine, ſepties in Jordane lavaretur, imperarent. Naaman vulgarem medicinam indignatus, regreſſum infecta re meditabatur; ſed hortantibus domeſticis, ne facile remedium inexpertum relinqueret, amnem petiit, ſervatiſque juxta præſcriptum lotionibus, ſanitati reſtitutus eſt. Regreſſus igitur ad Eliſeum, ingentibus illum muneribus donare tentavit, ſed omnibus à viro Dei rejectis, petiit, ut ſaltem humum ſoli Iſraelitici duobus mulis impoſitam in regionem ſuam tranſvehere permitteretur; ſanctè pollicitus, nullum ſe præter Iſraelis Deum veneraturum. Veniam tamen ſibi a Deo obtineret, rogavit, ſi cum Dominum ſuum comitaretur, Templum Remmon ingreſſus, ejuſdem Domini ſibi incumbentis gratia, cum illo proſterneretur. Deinde à Propheta in pace dimiſſus, in Syriam remeavit.

Hæc Naamani verba quidam Interpretes (l) ita cenſent reddenda, quaſi ſcilicet ille interpoſitis Prophetæ orationibus veniam à Deo poſtularet cultus antea Idolo impenſi, dum Regi inſerviret; non cultus ſpecie tenùs impoſterum eidem Numini exhibendi: quod profectò veriſimilius videtur.

Giezi famulus Eliſei, heri ſui liberalitatem minimè imitatus, abeuntem Naamanum alloquutus eſt; ipſiuſque Prophetæ nomine talentum, duaſque veſtes poſtulavit. 4. *Reg.* 5. 26. Ille omnibus conceſſis, ſimulque alterum talentum addens, bajulis ſuis impoſuit, prope urbem uſque advehenda. Giezi ex eorum manibus recepta munera domum ſuam tranſtulit: ſed ab Eliſeo, cui res tota divinitus innotuerat, mox vocatus, verbis primò graviſſimis, deinde morbo ejuſdem Naamani ipſe cum tota familia multatus eſt.

Accidit quondam, ut Prophetis ligna ad ripam Jordanis cædentibus (m), ferrum manubrio ſecuris cujuſdam ex illis non probè junctum, in profluentem decideret. Eliſeus continuò lignum præcidens, in amnem projecit; ſtatimque ferrum innatans, ſponte ligno adhæſit.

Rex Syriæ bellum in Regem Iſraelis intulerat (n): ſed cum omnia conſilia ſua hoſti innotuiſſe, atque ab eo fruſtrari intelligeret, ſimulque Eliſeum totius rei cauſam eſſe audiſſet, militum manum, qui illum caperent, in urbem Dothaim, ubi Propheta morabatur, immiſit. Verùm omnes genere quodam cæcitatis Propheta percuſſit, ut Samariam omnes imprudentes, nihilque repugnantes deduceret. Tunc viſum illis reſtitui à Deo imperavit; illæſoſque & cibo potuque refectos ad Regem ſuum remiſit.

Non diù poſt (o), Benedad Syriæ Rege Samariam obſidente, in eas anguſtias urbs redacta eſt, ut caput aſini 80. argenteis venderetur, & tantum ciceris cujuſ-

(a) Epiph. de vit. & morte Proph. (b) 3. Reg. 4. 12. & 19. 16. Judic. 7. 22. 23. (c) Euſeb. & Hieron. in Abelmeula.
(d) 4. Reg. 2. 1. &c. Duplex ſpiritus vel prophetiæ & prodigiorum doni, vel Dei ſpiritum, quem Elias habuerat, in ipſo duplicem, vel prophetiæ donum excellentiori modo ipſi communicatum ſignificat. A. M. 3108. ante Chr. 892. ante Ær. 896.
(e) An. M. 3109. ante Chr. 891. ante Ær. 895. (f) An. M. 3109. (g) An. M. 3109. ante Chr. 891. ante Ær. 895.
(h) An. M. 3113. ante Chr. 887. ante Ær. 891. (i) 4. Reg. 4. 38. An. 3114. Ea fames ceſſavit an. M. 3120. ante Chr. 880. ante Ær. 884. (k) 4. Reg. 5. 1. Incertum quo anno. (l) Vide Boch. Diſſ. in eum loc. Quenſted. Diſſ. in 4. Reg. 5. 18. & noſt. Suppl. poſt Apocal. (m) 4. Reg. 6. 1. &c. (n) 4. Reg. 6. 8. &c. An. M. 3115. ante Chr. 885. ante Ær. 889.
(o) 4. Reg. 6. 24. &c. An. M. 3119. ante Chr. 881. ante Ær. 885.

cujuſdam, quod ſtercus columbarum appellatur, quantum quarta cabi, minimæ menſuræ, pars capiebat, quinque ſiclis ſtaret, & mater quædam filii carnibus, fame coacta, veſceretur. Joram Rex Iſraelis ratus Eliſeum hujus ærumnæ cauſam fuiſse, cùm ſuo arbitrio ipſam avertere potuiſset, apparitores ad illum occidendum miſit. Propheta, re divinitùs cognita, oſtium domus obfirmari juſſit; qoò vix nuncius à Rege miſſus venit, ipſe Rex superveniens, graves coram Propheta querelas de urbis calamitatibus inſtituit. Cui Eliſeus verbis Domini (a) futurum revelavit, ut poſtera die, eadem hora, ante fores Samariæ menſura ſarinæ, ac duplum hordei ſiclo venderentur. Cum ea reſeuidam ex Ducibus neque ſi cœlum commeatibus plueret, credibilis videretur; Tu, ait Eliſeus, cernes, non tamen frueris. Oraculi veritatem eventus probavit, ſoluta nocte ſequenti à Syris abeuntibus obſidione.

Labente jamis ab Eliſeo prædictæ ſeptennio, Propheta Damaſcum petiit (b), ut Hazaelem Syriæ Regem declararet; Dei juſsa ante plures annos (c) ea de re Eliæ data completurus. Interea Benadad Rex Syriæ in lecto æger decumbens, audito Eliſei in eas regiones adventu, miſit Haſaelem, inter Aulæ primates, opem ab illo quæſiturus. Propheta renunciandum præcepit futurum, ut à morbo convaleſceret; ſed Deum ſibi oſtendiſse, fore ut brevi diem clauderet. Cùm his dictis, aliquandiù ſilens ingemiſceret, ipſum de luctus cauſa Hazael interrogavit. Cui Eliſeus ingemiſcere ſe ait, quòd antè ſuos oculos clades ab ipſo Hazaele in Iſraelem inferenda verſaretur; quot enim urbes ab ipſo evertendæ, quot trucidandi juvenes, quot tellure allidendi pueri, quot prægnantes transfodiendæ? Dictis mox eventus reſpondit; regreſsus enim Hazael Regem ſuffocavit, uſurpatoque Regno Iſraelem bellis afflixit.

Circa idem tempus (d) miſsus à Deo Propheta, Jehu filium Joſaphat, & Namſi nepotem (e) in regem inunxit, ut Deus ante aliquos annos (f) Eliæ præceperat. Jehu deinde omnia ab Elia prædicta mala in domum Achabi, & in Jezabelem intulit. Vide *Jehu*, *Achab*, *Jezabel*.

Cum Eliſeus morbo, quo demum occubuit, laboraret (g), Joas Iſraelis Rex ad illum veniens, ejulans identidem repetebat: *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus.* Tunc Propheta allatum ad ſe arcum & jacula Regi tradidit, imperans ut eundem arcum intendens, manibus ſuis teneret. Cum Joas paruiſset, ipſe Regis manibus ſuas imponens, aperire juſſit feneſtram, orientem verſùs, & ſpiculum ejaculari: quod quidem ſpiculum Dei victoriam de Syris propè Aphec referendam portendere, Propheta revelavit. Deinde monuit, ut ipſo terram feriret; Quod cum Joas ter feciſset, ac tandem reſtitiſſet, Eliſeus nonnihil commotus, ſi, inquit, quinquies, ſivè ſexies jaculum emiſiſſes, Syriam deleſses: nunc verò tribus tantum victoriis illam franges.

Tandem Eliſeus diem clauſit; eodemque obitus illius anno, prædonibus Moabitis terram Iſraelis excurſentibus, accidit, ut Iſraelitæ nonnulli cadaver quoddam ferentes, Moabitas proſpicerent: quare ſaluti ſuæ conſulturi, in Prophetæ ſepulchrum cadaver projeceſe. Ut ſacra lipſana defunctum corpus contigere, ſpiritus vitæ continuò in illo excitatus eſt. Hujus prodigii occaſione hoc Eliſeum elogio Author Eccleſiaſtici proſequitur *Eccli. 48. 13. Mortuum prophetavit corpus ejus. In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt.*

Apud quoſdam dubiæ fidei Authores legimus (h), ipſa qua Eliſeus ortus eſt die vitulum aureum in Galgalis erectum tanto ſonitu mugitum edidiſſe, ut Hieroſolymis exaudiretur; inſuper & hoc oraculum pronunciaſſe: *Hinc perſpicuum eſt natum hodie Prophetam, qui ſculptilia diruet, & fuſilia ſimulachra conflabit.*

ELISEUS, *fons Eliſei*, cujus ſcaturigines duplici baliſtæ jactu à monte *Quarantena* diſtant, indeque in ſubjectam Hierichuntis planitiem 80. ſtadiis in longum, & 20. in latum patentem (i) excurrens, meridionale Galgal latus alluens, in plures diſperſus rivos, in Jordanem influit (k). Hujus fontis aquas potabiles reddidit Eliſeus, ut latè ſuperius narravimus.

ELISUA, filius Davidis, Hieroſolymis natus. 2. *Reg.* 5. 15.

ELISUR, filius Sedeur, Princeps Rubenitarum ſub Moyſe. *Num.* 7. 30.

I. ELIU, filius Semejæ, vir ex fortiſſimis Tribus Manaſse, qui ad Davidem, Saulis iram declinantem, transfugit. 1. *Par.* 12. 20.

II. ELIU, Levites, janitor Templi, ſub Davide. 1. *Par.* 26. 7.

III. ELIU, frater Davidis, Princeps Tribus Juda. 1. *Par.* 27. 18.

IV. ELIU, ex amicis Job, de ſtirpe Nachor (l).

ELIUD, filius Achim, pater Eleazari, in genealogia J.C. *Matth.* 1. 14. 15.

ELMADAN, ex Progenitoribus J.C. *Luc.* 3. 58.

ELNATHAN, filius Achobor, & pater Nohеſtæ, Matris Joachim Regis Juda. Porrò Elnathan eidem Regi prophetias Jeremiæ igne abſumere volenti, inter cæteros reſtitit *Jerem.* 36. 12. In Ægyptum ad reducendum Uriam Prophetam, qui illò confugerat, miſsus eſt. *Jerem.* 26. 22.

ELNEAM, ſive *Elnaem*, pater quorumdam virorum fortium Davidis ætate. 1. *Par.* 11. 46.

ELOHI, ſive *Eloi*, *Elohim*, nomen ex Dei nominibus, Angelis etiam, Principibus, Magnatibus, Judicibus, & Idolis non rarò tributum: cujus proinde genuinus ſenſus ex contextu determinatur. Hujus vocis ſingularis caſus eſt *Eloha*, pluralis, *Elohim*; quamquam *Elohim*, cùm de vero Deo agitur, etiam ſingulari frequenter jungitur: cum verò de falſis Numinibus, plurali frequentiùs conſtruitur.

I. ELON, urbs Tribus Dan. *Joſue* 19. 43.

II. ELON, Hebraicè quercetum ſignificat: hinc *Elon-Mambre*, *Elon-More*, *Elon-Beth Chanan*, ſcilicet quercetum, ſive quercus Mambre &c.

III. ELON, Hethæus, pater Baſemath uxoris Eſau. *Gen* 26. 34.

IV. ELON, è Tribu Zabulon, author familiæ Elonitarum. *Num.* 26. 26.

ELPHAAL, filius Mehuſim. 1. *Par.* 8. 18.

ELTHECE, *Eltheco*, *Eltheca*, urbs in Tribu Dan; Levitis ex familia Caath conceſsa (m).

ELTHECON, urbs Tribus Juda, Tribui Benjamin contermina: *Joſue* 15. 59.

ELTHOLAD, urbs Tribus Juda, *Joſ.* 15. 30. quæ deinde ad Tribum Simeonis tranſiit. *Joſue* 19. 4.

ELUL, menſis Hebræorum 29. dierum, Auguſto fere reſpondens. Porrò duodecimus erat anni civilis, & ſextus anni ſacri. Septima, ſive nona hujus menſis die jejunium recurrit ob eam ſeditionem, quæ poſt regreſsum ſpeculatorum terræ Chanaan, in caſtris Hebræorum excitata eſt. *Nu.* 13. 14. Vigeſima ſecunda ejuſdem Xylophoriæ Feſtum celebratur, in quo ligna ad templum vehuntur (n): eam tamen ſolemnitatem ad 18. Menſis Ab revocat Seldenus. Vigeſima ſexta recolitur memoria dedicationis mœnium Jeruſalem ſub Nehemia. 2. *Eſdr.* 12. 28. &c.

ELUSAI, vir fortiſſimus in Davidis exercitu. 1. *Paral.* 12. 5.

ELUSA, urbs Arabiæ, ſive Idumææ, eadem fortaſse ac *Alus*, *Allus*, ſive *Chaluſa*. Vide *Alus*, & *Num.* 33. 13. 14.

ELYMAIS, urbs Metropolis Regionis Elan, ſeu vete-

(a) 4. Reg. 7. 1. &c. (b) 4. Reg. 8. 7. 8. An. M. 3120. ante Chr. 880. ante Ær. 884. (c) A. M. 3097. Vide 3. Reg. 19. 15.
(d) An. M. 3120. ante Chr. 880. ante Ær. 884. (e) 4. Reg. 9. 1. &c. (f) 3. Reg. 19. 15. A. M. 3097.
(g) 4. Reg. 13. 14. 15. An. M. 3165. ante Chr. 835. ante Ær. 839. (h) Vide Doroth. & Epiph. & Iſidor. de vita, & morte Proph. & Chro. Paſch. (i) Joſeph. de Bel. l. 5. c. 4. (k) Sanut. ſecret. fidel. crucis. (l) Job. 32. 2. &c. 34. 1. &c.
(m) Joſue 19. 43. & 21. 23. (n) Joſeph. l. 2. de Bel. c. 17.

Digitized by Google

veteris Perſidis. Cùm Antiochus Epiphanes theſaurum Templi Elymaidis, quem ditiſſimum eſſe audiverat, diripere cogitaſſet, ejus urbis cives conſilium illius ſubodorati, ſeditione in illum facta, arreptiſque armis, adeo reſtiterunt, ut ipſum in fugam converterent 1. *Mach.* 6. 1. In 2. Machabæorum Libro 9. 2. urbs iſta *Perſepolis* appellatur, quod fortaſſe Elymais olim Metropolis eſſet Perſidis. Cæterum conſtat Perſepolim, & Elymaidem duas eſſe longè diverſas urbes, hanc ad Eleum, illam ad Araxem amnem poſitas. Templum, quod Antiochus diripere tentaverat, *Nanneæ* dicatum erat 2. *Mach.* 9. 2. ſive Veneri, ut Appiano placet; ſive Dianæ, juxta Polybium, Diodorum, Joſephum, & S. Hieronymum.

ELYMAS, ſive *Bar-Jeſu*, *Act.* 13. 7. *&c.* Magus, qui Sergio Paulo Procoſ. ſive Præſidi Cypri impoſuerat; quare cum Proconſulem à fide deterrere conaretur, S. Paulus ipſum intuens, cæcitate percuſſit. Eo prodigio commotus Procoſ. nomen Chriſto dedit. Porrò vox Arabica *Elymas* Magum ſignificat. Vide *Bar-Jeſu*.

ELZABAD, filius Semejæ Levitæ, inter Templi janitores. 1. *Paral.* 26. 7.

ELZEBAD, idem fortaſſe ac præcedens, inter triginta fortes Davidis. 1. *Paral.* 12. 13.

I. EMAN, tertius filius Zaræ, nepos Judæ (a).

II. EMAN, Levita ex poſteris *Core*, Præfectus Muſicæ in Templo (b). Pſalmus 87. inſcribitur nomine *Eman-Ezrahitæ*. Vide *Heman*.

EMATH, urbs notiſſima Syriæ, quam eandem eſſe cum *Emeſa* ad Orontem credimus. *Introitus Emath*, cujus ſæpè in Scriptura mentio occurrit (c), via eſt è Chanaanitide in Syriam, per vallem Libanum inter, & Antilibanum jacentem ducens. Porro *introitus Emath* veluti limes Septentrionalis Chanaanitidis conſtituitur, & limiti Meridionali ad Nilum opponitur. *Emath* eandem eſſe, ac *Epiphaniam* Joſephus (d), & poſt illum S. Hieronymus; ſed Theodoretus *in Serm.* 4. *&* 46. aliique Geographi peritiſſimi hanc urbem cum Emeſa Syriæ confundendam cenſent.

Verùm Aquila, ipſo fatente Theodoreto q. 22. *in* 2. *Reg.* pro Emath vertit Epiphaniam; quare ipſe Theodoretus duas diſtinguendas eſſe urbes Emath cenſuit; alteram nempe cognomento *magnam* apud Amos 6. 2. quam Emeſam credit; alteram Emath tantùm appellatam, quam cum Epiphania confundendam exiſtimat (e). Attamen S. Hieronymo (f), & S. Cyrillo Alexandrino (g) *Emath magna*, Antiochia eſt, *Emath* verò, Epiphania. Verùm an ex Textu Scripturæ ſatis duæ urbes Emath in Syria diſtinguantur, ambigimus. Urbs Emath in partes Tribus Nephtali ceſſit (h). De Thou rege Emath Davidis amiciſſimo memoriæ proditum eſt. 2. *Reg.* 8. 9. Eandem urbem primo Reges Juda cepiſſe, deinde ab Aſſyriis occupatam, iterum à Jeroboamo II. vindicatam fuiſſe conſtat 4. *Reg.* 14. 28. inchoante tamen Iſraelis Regno Aſſyriæ Reges illam occupaoics, cives Samariam tranſtulere 4. *Reg.* 17. 24. *&* 18. 34. *&c.*

EMESA, urbs ad Orontem, 18. milliaribus à Laodicea, prope Libanum, quam eandem eſſe ac *Emath* cenſemus. Vide *Emath*.

EMIM, veteres populi tranjordaniei Chanaanitidis, quos Codorlahomor, fœderatique Reges ad *Save-Cariathaim*, ſive in planitie *Cariathaim* prælio fuderunt *Gen.* 14. 5. Porro *Cariathaim* urbs eſt in Regione, quam, pulſis Moabitis, Schon occupaverat (i). Populi erant ingenio, habituque corporis bellicoſi: *Populus magnus & validus, & tam excelſus, ut de Enacim ſtirpe quaſi Gigantes crederentur Deut.* 2. 10. Ana ille (k) qui *invenit aquas calidas* (Hebr. *Jeamim*) *in ſolitudine*, veriſimiliter populos Emim fregiſſe, & fugaſſe intelligendus eſt. Vide *Ana*, & *Comment. in Gen. ibidem*.

EMMANUEL, vox Hebræa, quæ redditur, *Deus nobiſcum*. In oraculo Iſaiæ celeberrimo, quo Propheta Regi Achaz prænunciavit futurum, ut Meſſias è Virgine naſceretur, nomen eidem Meſſiæ tribuitur *Emmanuel Iſa.* 7. 14. Itidem alio in loco Propheta de hoſtium exercitu Judæam inundante loquens, ait: *extenſio alarum ejus, implens latitudinem terræ tuæ ô Emmanuel. Iſa.* 8. 8. Porrò oracula iſta in Jeſu Chriſto è Virgine orto impleta fuiſſe S. Matthæus 1. 23. oſtendit; Jeſus enim in ſe geminas, Divinam ſcilicet, humanamque, naturas conſociavit, ut in illo tota hujus nominis *Emmanuel* vis, & ſignificatio impleatur.

I. EMMAUS, vicus 60. ſtadiis, ſive leucis duabus cum dimidia ab Jeruſalem *Luc.* 24. 13. in plaga Septentrionali, ex occurſu Domini & Diſcipulorum illuc tendentium, ipſa Reſurrectionis Jeſu Chriſti die, celebris. Cùm enim duo illi in itinere eſſent, Jeſus Chriſtus ſe iter agentis ſpecie ipſis jungens, primò Scripturas omnes de neceſſitate Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti latè explicavit; deinde cùm ad locum jam perventum fuiſſet, iter ſuum ſe proſequuturum, ſimulavit; ſed orantibus, cogentibuſque Diſcipulis, ut apud ſe diverteret, demùm acquievit. Inter cœnandum, cùm panis frangeretur, Chriſtus agnoſcendum ſe dedit. Ex his diſcipulis alter *Cleophas* appellabatur, alter *Emmaus*, teſtibus S. Ambroſio (l) & Ms. Corbejenſi vetuſtiſſimo; cujus variantes lectiones dedimus in calce Comment. in Nov. Teſtam. In urbe *Emmaus* aquarum calidarum vena, medicinæ uſibus opportuna ſcatebat. Domus Cleophæ, locus Chriſti olim præſentia ſacer, in Eccleſiam erecta eſt. Veſpaſianus, Joſepho authore, 800. militibus in Judæa relictis ſtationem in *Emmaus* aſſignavit; additque Joſephus hunc vicum 60. ſtadiis à Jeruſalem abeſſe; quod cum S. Luca convenit (m).

II. EMMAUS, urbs Judææ 22. milliaribus à Lydda diſtans, juxta vetus Itinerarium Palæſtinæ, ſucceſſu temporis *Nicopolis* appellata; quare alia eſt hæc à vico *Emmaus*, decem milliaribus ab Jeruſalem, de quo S. Lucas, & Joſephus. Hanc duorum locorum diſtinctionem luculenter Relandus teſtimonio Joſephi, Machabæorum, S. Hieronymi, & Thalmudiſtarum demonſtrat (n). S. Hieronymus tamen in Epitaphio Paulæ *Emmaus*, ſive *Nicopolim* cum vico *Emmaus* propè Jeruſalem confundit; quamvis alibi ea de Nicopoli dicat, quæ vico *Emmaus* non conveniunt. In urbe *Emmaus*, ſive *Nicopoli* aquarum calidarum balnea erant, quorum aquas à lotis Domini pedibus medicam vim hauſiſſe vetus traditio teſtatur (o). Hos fontes Julianus Apoſtata in odium Jeſu Chriſti exſiccavit. Domum Zachariæ, & Eliſabeth hic ſitam fuiſſe quidam credidere. Authores duas haſce *Emmaus* non ſatis diſtinguunt.

III. EMMAUS, urbs prope Tiberiadem (p), aquarum calidarum vena, non ſecùs ac cæteræ cognomines urbes, celebris; *Emmaus* enim, ſive *Ammaus* ex Hebræo *Chamat*, nempe balnea aquarum calidarum, derivatur.

EMMER, Princeps Familiæ Sacerdotalis, inter claſſes à Davide præſcriptas decimæ ſextæ (q). Hujus

(a) 1. Paral. 2. 6. Vide *Heman*. (b) 1. Paral. 2. 9. & 2. Paral. 5. 12.
(c) Joſ. 13. 5. Judic. 3. 3. & 3. Reg. 8. 65. & 4. 25. & 1. Paral. 7. 8.
(d) Antiq. l. 1. c. 7. Hieron. in locis, & in Amos 6. & in Iſ. 47. (e) Theod. in Jerem. 4. & 46.
(f) Hieron. in Amos 6. & in Ezech. 47. (g) Cyrill. Alex. in Amos.
(h) Joſ. 19. 35. (i) Joſ. 13. 19. &c. (k) Gen. 36. 24.
(l) Apolog. David. l. 2. c. 8. & in Luc. 12. in Symb. c. 29. Serm. 59. de temp.
(m) Joſeph. l. 7. de Bello c. 26. in Lat. & in Græc. 27.
(n) Reland. Palæſt. l. 2. 6. p. 427. &c. Vide & lib. 3. p. 758. &c.
(o) Theophan. Chronogr. p. 41. Sozom. l. 5. c. 20. Itiner. S. Villibaldi.
(p) Joſeph. de Bell. l. 4. c. 1. (q) 1. Par. 9. 12. & 24. 13.

jus poſteri numero 1502. è captivitate Babylonica regreſſi ſunt 1. *Eſd.* 2. 37.

EMUNCTORIA, inſtrumenta lucernis aurei ſeptemplicis candelabri emungendis apta. *Exod.* 25. 38. 37. 23. Aurea erant, nec alterius figuræ forſaſſe, quàm quibus ad lychnos emungendos nos utimur. Hebrææ vocis, quæ Latinæ reſpondet, radix, *capere* ſonat. ſtringere &c.

EN, *Ein*, *Æen*, *Ain*, ſive *In*, vox Hebræa, fontem ſignificans; quare nominibus urbium frequenter præponitur, veluti, *En-dor*, *En-gaddi*, *En-gallin*, *En-ſemeſch* &c.

ENABRIS, locus inter Scythopolim, & Tiberiadem. *Joſeph. l. 3. de Bello c. 6.*

ENAC, *Enacim*, Gigantea Palæſtini celeberrimi. Enac horum Populorum pater, ex Arbe, à quo *Cariath-arbe*, ſive *Hebron*, natus (a), filios habuit Seſai, Ahiman, & Tholmai (b); nepotes verò innumeros, ingenio, atque corporis immani ſtatura feroces, atque ita immanes, ut eorum comparatione ſe locuſtis breviores fuiſse Hebræi dictitarent. Sunt qui ſcripſerint, nomen Phœnicum Chananæis tributum, præſertim Sidoniis, ex *Bene-Enac*, ſcilicet filiis *Enac*, derivari; alii verò ex Græco *Anax*, nempe Rex, ſive Dominus, arceſſunt. Urbem *Cariath-arbe* occupavit, Giganteſque Enacim Caleb, ope virorum Tribus Juda, delevit an. M. 2559. *Jud.* 1. 20. *Joſ.* 13. 14.

ENAIM, urbs Tribus Juda *Jos.* 15 34. eadem forſaſſe, quæ Gen. 38. 21. nominatur; quo enim in loco in noſtra Vulgata legimus, Thamar ſediſſe in *bivio*, in Hebræo habetur ſediſſe in *Enaim*, & apud Septuaginta ſediſſe in *Enan in via*. Verùm alii *Enan*, ſive *Enaim* ibidem fontem ſignificare autumant, quod veriſimilius credimus.

ENADA, Euſebio eſt locus inter Eleutheropolim, & Jeruſalem, decem milliaribus à prima diſtans. Alia urbs ejuſdem nominis in Tribu Iſſachar occurrit. *Joſ.* 19. 21. Vide *Enhada*.

ENAN, pater Abiræ, è Tribu Nephtali, *Num.* 1. 15. & Princeps Tribus ſuæ ſub Moyſe.

ENAN, ſive *Enon*, fortaſſe idem ac *Enna*, ſive *Inna*. Ezechiel c. 48. 1. de *Enon*, & cap. 47. 17. de *Chazar-Enon* veluti de limite notiſſimo oræ Septentrionalis Terræ Promiſſionis, loquitur. Apud Moyſem hæc verba occurrunt *Num.* 34. 9.: *Ad Sephronam, & Villam Enan, hi erunt termini in parte Aquilonis*. Hinc cenſemus urbem *Enan* eſſe *Gnuaam*, ad Septentrionem Damaſci, ſive *Innam* apud Ptolemæum, ſive *Æunon* in tabulis Peutingeri, ad Meridiem Damaſci. Neque aliam ab iſta cenſemus *En-hazor*, ſive *Ein-Chazor* in Tribu Nephtali. *Joſ.* 19. 37.
(Enan facile idem eſt ac Anan, cujus ſupra memini.)

ENCÆNIA. Vide *Dedicatio*.

ENDOR, ſive *Aendor*, urbs Tribus Manaſſe, *Joſ.* 17. 11., 4. milliaribus à monte Thabor, Meridiem verſùs, prope Nain ſita, in extremo Scythopolis limite, authore Euſebio (c) Sedes Pythoniſſæ fuit, quam Saul ante prælium Gelboenſe conſuluit; 1. *Reg.* 28. 13.

EN-GADDI, alio nomine *Hazazon Thamar*, ſcilicet urbs palmarum (d); regioni enim palmis conſitæ adjacebat. Vineis Cypri, atque balſami arbuſculis abundabat; hinc vineæ Engaddi à Salomone *Cant.* 1. 14. celebrantur. Sita erat ad lacum Sodomiticum, Hierichunti proxima, & oſtiis Jordanis ad mare mortuum, 300. à Jeruſalem ſtadiis (e). In ſpelunca deſerti Engaddi David latens, Sauli ſe inſequenti necem inferre potuiſſet. 1. *Reg.* 24. 1. *&c.* Hujus urbis frequens eſt in Scriptura mentio.

EN-GADDI, Hebræis *fontem capræ* ſignat.

EN-GALLIM, ſive *Ein-eglaim*, *fons vitulorum*. Hanc urbem Ezechiel 47. 10. urbi Engaddi opponit: *Ab Engaddi uſque ad Engallim ſiccatio ſagenarum erit.* Ejus verò ſitum ad initium Maris Mortui, ad oſtia ſcilicet Jordanis, S. Hieronymus deſignat. Urbem quandam Agallim in altero ejuſdem Maris latere collocat Euſebius, octo milliar. ab Areopoli: ſed illa nimiùm à mari diſtat, ut cum hac Engallim confundi poſſit.

I. ENGANNIM, urbs in campeſtribus Tribus Juda. *Joſue* 15. 34.

II. ENGANNIM, urbs Tribus Iſſachar (f), quæ Levitis familiæ Gerſon ceſſit.

ENGANNA, urbs eſt prope Geraſam transjordanica, teſte S. Hieronymo.

ENGASTRIMYTHOS, Ventriloquus, Divinus, Magus. Vide *Python*.

EN-HADA, urbs Tribus Iſſachar *Joſ.* 19. 21. Urbem *Enadam* decem milliar. ab Eleutheropoli, & in via inter Eleutheropolim, & Jeruſalem, Euſebius collocat.

EN-HAZOR, urbs Nephtali *Joſ.* 19. 37. num eadem ac *Atrium Enon*, ſivè *Chazor-ennon* apud Ezechielem 47. 17. & 48. 1. & *Enna* apud Moyſem *Nu.* 34. 5.?

ENNOM, à quo inditum nomen valli *Ge-hen-nom*, ſive *filiorum Ennom* (g), ad orientem Jeruſalem poſitæ, cujus vallis aliud eſt nomen, vallis Topheth. Illic erectum Idolum Moloc, ejuſque honore perpetuum ignem ſervatum fuiſse tradunt. Vide quæ diximus v. *Ge-henna*.

ENNOM, ſive *Ænnon*, locus ubi S. Joannes baptiſmum conferebat, quòd aquis abundaret *Jo.* 3. 23. Situs erat octo milliar. à Scythopoli, ad meridiem, inter Salim, & Jordanem *Euſ. in loc. in Ænon*.

I. ENOCH, ſive *Henoch*, filius Cain *Gen.* 4. 17. de cujus nomine primam, quæ uſpiam fuerit, urbem à ſe conditam Cain appellavit.

II. ENOCH, filius Jared (h), qui 65. annis natus, genuit Mathuſalam; atque exinde ad alios 300. annos ætate producta, copioſæ poſteritatis author fuit. Vitam coram Deo rectam inſtituit; quare poſt exactam 365. annorum ætatem, *non apparuit, quia tulit eum Deus*. Sunt qui verba illa ita intelligant, quaſi Enoch naturali quidem morte ſublatus ſit, ſed acerba, quippe qui minùs quàm cæteri, vixerit (i); adduntque Deum Enochum ideircò præripuiſſe, ne cum cæteris corrumperetur. Vulgò tamen Patres, & Commentatores ſentiunt, Enochum non obiiſſe quidem, ſed è conſortio hominum à Deo translatum, eo planè privilegio, quo deinde Elias igneo curru tranſvectus eſt. Hanc lethi immunitatem Enocho aſſerit S. Paulus illis verbis: *Fide Enoch translatus eſt, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus Hebr.* 11. 5. Translatum illum in Paradiſum (terreſtrem (k) nempè) aſſerit Jeſus filius Sirach, juxta Vulgatam; *Eccli.* 44. 16. in Græco tamen vox Paradiſi non occurrit. Nomine Paradiſi S. Hieronymus Cœlum intelligit (l).

S. Judas Apoſtolus teſtimonium laudat ex libro Enoch, quod quidem operoſæ diſputationis argumentum eſt apud Interpretes. *Juda verſ.* 14. 15. Quærunt nimirum, an Apoſtolus ſententiam illam ex libro Enoch, qui primis Eccleſiæ ſæculis extabat, & cujus noſtra ætate fragmenta ſuperſunt, decerpſerit; an verò receptam traditione, ſive privata revelatione ſententiam ſcriptis mandaverit. Veriſimiliùs tamen credimus, deſumptam eſſe ex libro mox laudato, apocrypho quidem, ſed veras quamplures hiſtorias continente; quarum à falſis diſcretio in ædifi-

(a) Joſ. 14. 15. (b) Joſ. 15. 14. Num. 13. 23. (c) Euſeb. in *Ændor*, & in *Endor*. (d) 2. Par. 20. 2.
(e) Joſeph. Antiq. l. 9. c. 1. (f) Joſue 19. 21. & 20. 29.
(g) Joſ. 15. 8. & 18. 16 & 4. Reg. 23. 10. & 2. Eſdr. 11. 30. Jer. 7. 31.
(h) Natus A. M. 622. ante Chr. 3378. ante Ær. 3382. Gen. 5. 18.
(i) Vide Arab. & Menaſſe Ben-Iſrael de fragil. human. ſect. 22. a. 7. Calv. Rab. quidam.
(k) Iren. l. 4. c. 30. Aug. l. 9. Oper. Imperf. contra Julian. c. 30.
(l) Hieron. in Amos 8. *Enoch, & Elias rapti ſunt cum corporibus in Cœlum*.

Digitized by Google

cationem Fidelium divinitùs Apoſtolo conceſſa eſt. En verba teſtimonii apud Apoſtolum: *Prophetavit autem de his* (de hæreticis nimirum, & impiis) *ſeptimus ab Adam Enoch dicens: ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum.*

Vetuſtiſſimi Patres, S. Juſtinus, Athenagoras, S. Irenæus, S. Clemens Alexandrinus, Lactantius, aliique primorum ſæculorum, ex eodem libro Enoch opinionem de concubitu Angelorum cum mulieribus hauſere. Tertullianus de eodem libro ſæpè, & cum honoris elogio loquitur (a); adeòut diluvii tempore in Arca apud Noe ſervatum fuiſſe, ſive in diluvio diſperſum ab Authore iterum exaratum, & ad Noe tranſmiſſum fuiſſe arbitretur. Addit verò, nihil ejuſdem Libri authoritati, quòd à Judæis reprobetur, detractum fuiſſe, cùm aperta de Jeſu Chriſto teſtimonia eorum invidiam in eum concitent. Horum tamen Patrum authoritas non prohibuit, quin Eccleſia ſcriptum illud inter apocrypha recenſeret; cui etiam judicio ſapientiſſimi Patres (b) ſuo ſuffragio accedunt: illis enim totus liber improbatus eſt, unâ tantùm excepta prophetia ab Apoſtolo laudata, cui ipſius Apoſtoli teſtimonium divinam authoritatem conciliavit. In Teſtamento duodecim Patriarcharum plura ex eodem libro Enoch laudantur, quæ noſtra ætate interciderunt.

Nomen Enoch, ejuſque de futuro diluvio prophetia ipſos etiam profanos authores non latuiſſe videtur. Stephanus Geographus *Anacum* appellat, additque Iconium urbem Phrygiæ incoluiſſe; nec non poſt ejus mòrtem Mundum univerſum abſorbendum, ab Oraculo prædictum fuiſse. Obiiſſe verò illum narrat ultra 300. ætatis annos agentem, ejuſque funus ingenti luctu Phrygas proſequutos; inde proverbium *lugere Anacum*, quod de ingenti luctu uſurpatur. Diluvium Deucalionis morti Anaci è veſtigio ſucceſſit. Hactenus Stephanus. Euſebio ex Eupolemo *Præp. l.* 9. narrat Babylonios habuiſſe Enochum tanquam Aſtrologiæ Patrem, eundemque fuiſſe ac Atlantem Græcòrum, patrem Mathulalæ; ac tandem Angelorum magiſterio plura didiciſſe.

Enoch tranſlatus in Cœlum inter Angelos receptus fuit, ut Rabbini comminiſcuntur; adduntque illum ſub nomine *Metatronis*, ſive Michaelis, inter Cœli Principes, operum bonorum, malorumque Iſraelitarum rationem ſupputare. Tradunt inſuper, Deum, & Adamum docuiſſe Enochum, quæ ad obſequium Dei, & ad ſacrificia pertinerent. Epiſtolarum quarumdam, & librorum Aſtrologiæ, quin etiam formulæ magnæ excommunicationis author fingitur. Vide ſuper his Fabricium de *Apocryphis V.T.* & Authores ab ipſo laudatos.

(Quo tenebatur deſiderio poſſidendi librum Enoch impulſus fuit D. Peireſchius, ut nec impenſis nec laboribus, quo tandem fieret voti compos, parceret. (c) Relatum eſt illum in Æthiopia ſervari, effecitque tandem, ut eo Codice potiretur. Delatum eſt pro Libro Enoch Opus cujuſdam Bahaila Mochail. D. Ludolfus, cui illud excutere datum eſt, detexit impoſturam eſſe hominis vaniſſimi. En Operis exordium: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hic eſt liber myſteriorum Cæli & terræ; continetque argumentum primi & ultimi Templi, ſicut & creaturarum omnium. Hæc didicit Abba-Bahaila Mochail, audivitque ex Tambana: Samas Angelus, qui ad illum miſſus eſt, dixit: Audi..... Pater non eſt ante Filium; Filius non eſt ante Patrem, nec S. Spiritus ante Patrem & Filium &c.* Differunt hæc plurimùm à Libro Enoch, quem norant laudaruntque Veteres, & cujus fragmenta ab injuriis longiſſimi temporis ſervata collegit D. Fabricius.

Parùm certas de Enoch (Edris appellant) traditiones ſervarunt Orientales. E. g. credunt in aſſiduis illis, quibus ſe mutuò infeſtabant bellis filii Seth ac Cain, i. e. genus filiorum Dei, & filiorum hominum, Enoch omnium primum tuliſſe arma, atque aliis ferendi authorem ſeſe exhibuiſſe (d); ſicut & ſuggeſſiſſe primum, ut capti in bello Cainitæ haberentur mancipia. Seth, in illo orbis exordio, Imperium ſuum æquabat cum Mundo, & Mahaleel, quem Mahometani Doudaſch appellant, armis illius præerat, certabatque nudus à ſummo capite uſque ad umbilicum, ſolo lacertorum ſuorum robore.

Tenent inſuper (e), Enoch, largiente Deo, obtinuiſſe eximium ſapientiæ & ſcientiæ donum, miſſaque ad illum pariter è Cælo 30. volumina reconditis omnibus ſcientiis arcaniſque deſcripta; ex quo factum eſt, ut Libri Enoch hodiè celebrentur maximè, atque æſtimentur in Oriente, quanquam ſola apud illos fama, non re ipſa ſunt noti. Præter Libros illos cælitus acceptos, alios etiam magno numero ipſe Enoch deſcripſit, ſed æquè ac priores illos ignotos.

Miſit illum Deus ad poſteros Cain, quò in rectam viam redigerentur; ſed illi auſcultare virum recuſarunt; quare indictum ipſis bellum, redactique cum uxoribus & filiis ſuis in ſervitutem. Honorem illi tribuunt inventi calami & acus, vel ſuendi & ſcribendi, Aſtronomiæ, Arithmeticæ, & omnium maximè Geomantiæ. Nota ſunt, quæ tradit Joſephus Antiquit. lib. 1. cap. 3. de geminis columnis, lapidea ſcilicet, uti inundantibus aquis reſiſteret, & lateritia, ut contra vim ignis valeret, erectis à filiis Seth ante diluvium, inſcriptiſque aſtronomicis eorum obſervationibus.

Ferunt etiam, Edrim vel Enoch cauſam dediſſe Idololatriæ, invitum tamen & imprudentem. Ex ejus Amicis quidam raptum illum dolens, inſtigante Dæmone, amiſſi ſimulacrum adeò ad vivum formavit, ut tanquam cum amico integros cum illo dies ageret, peculiares exhiberet honores, qui paulatim degeneraiunt in ſuperſtitionem. Aliis tamen Idololatriæ epocha conſtituitur in Enos, exponuntque verba illa Gen. 4. 26. *Ipſe cœpit invocare nomen Domini*, quaſi ſcriberetur: *Tunc cœptum eſt prophanari nomen Domini*; hunc cuius ſenſum non reſpuit Hebræus. Tandem Orientales Chriſtiani confundunt Enoch cum Mercurio *Triſmegiſto*, i. e. ter magno Ægyptiorum, ſub *Hermetis* nomine magis noto. Filius Enoch tribuitur *Sabi*, quem Sabinenſes Orientales Sectæ ſuæ authorem venditant.)

III. ENOCH, ſive *Henoch*, filius Madian, & nepos Abrahami ex Cethura. *Gen.* 25. 4.

IV. ENOCH, ſive *Henoch*, filius Ruben, natu major, & familiæ Enochitarum pater. *Gen.* 46. 9.

ENOS, filius Seth, & pater Cainan (f). Hic *cœpit invocare nomen Domini*: quæ Geneſeos verba Enos authorem rituum, & cæremoniarum externi Deo præſtiti cultus ſignificant. Eadem verò alii hoc ſenſu explicant: *Tunc cœptum eſt invocari nomen Domini*; adeò ut Enos publicum Dei cultum docuiſſe intelligatur. Hic profectò cultus in Enos familia perſeveravit, cùm interim Cain poſteri criminum & impietatis profundo mergerentur.

Judæi quamplures (g) Enos ætate Idololatriam cœpiſſe arbitrantur: quare ea verba ita interpretantur: *Tunc cœptum eſt profanari nomen Domini*; cùm ſcilicet creaturis, & idolis tribueretur. Hac etiam ratione verti poſſent (h): *Tunc homines cœperunt diſtingui nomine Domini*: ut dicantur pii & religioſi homines, ut ab impiis ſecernerentur, filiorum, ſivè ſervorum Dei nomen ſibi tribuiſſe: hinc Moyſes *Gen.* 6. 1. filios Enos

veræ

(a) Tert. de cultu fœmin. l. 1. c. 3. & l. 2. c. 10. & de Idolol. c. 4. & Apolog. c. 22. (b) Origen. homil. 28. in Num. & l. 5. contra Celſ. Hier. de ſcript. Eccleſ. in Jud. Apoſt. Aug. l. 5. de Civit. c. 23. & l. 18. c. 28.

(c) Ludolf. Comment. in Hiſt. Æthiop. lib. 3. num. 34. pag. 47. (d) D'Herbelot. Biblio. Orient. pag. 301. Doudaſch.

(e) Idem pag. 410. Edriſ. (f) Gen. 4. 26. Natus an. M. 235. ante Chr. 3765. ante Ær. 3769. obiit 905. annos natus, an. M. 1140. ante Chr. 2860. ante Ær. 2864. (g) Ita Chald. uterque, alii. Vide Cartvrgt. ad Gen. 4 &c. (h) Vide Aquil.

jecit pietatis ſtudio affectores, *filiorum Dei* titulo deſignat. *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant.*

Scripta quædam de Religione, de Cæremoniis, Deumque orandi ratione huic Enos attribuit Genebrardus *Chronogr. l. 1. p. 10.* de quibus tamen altum eſt apud Veteres ſilentium, nullaque pro ſe idem Genebrardus adducit.

(Patriarchæ hujus hiſtoriæ addunt Orientales (a) à Setho patre ſuo renunciatum fuiſſe utriuſque dignitatis Sacræ & Prophanæ poſt ſe Principem in mundo. Enos mortalium primus collectitiam pecuniam indixit egenis juvandis, erexitque publica juſtitiæ tribunalia juri dicundo, ac tandem ſevit ſeu potius excoluit palmetum. Obiit 965. annis grandævus, atque dignitatis utriuſque ſucceſſorem reliquit inter liberos natu majorem Cainanum.)

EN-SEMES, ſcilicet fons Solis, in finibus Juda, & Benjamin. *Joſ.* 15. 7. An eo nomine urbs, ſive fons deſignetur, incertum. Fons ultra Bethaniam, Jordanem verſus, occurrit, quem fontem eſſe Solis dictitant, ſed fide incerta.

(Eo nomine appellant Arabes veterem Metropolim Ægypti, quam Hebræi *On* (b), Græci Heliopolim. Futurum prædicit Iſaias 19. 18. ut Ægypti quinque Urbes vernaculum Phœnicum vel Hebræorum ſermonem adoptent, jurentque in nomine Domini; ex iſtis verò urbibus unam appellandam *Hir-Hacheres*, Urbem Solis. Deſignari his creditur Heliopolis, urbs celebris Ægypti, ad Nilum, medii diei itinere diſtans à Babylone Ægypti. Ipſiſſimam credo urbem deſignari ab Arabibus nomine *Ain-al ſchamſch*, fons ſolis. Sed D. d'Herbelot Biblioth. Orient. pag. 274. deſignari his credit Urbem Coſs in ſuperiori Ægypto, amplitudine cæteras Ægypti ſuperantem, & magno Cairo tantum inferiorem. Porrò hanc ipſam urbem fuiſſe cenſet vetuſtiſſimam & inclytam urbem Thebarum ad Nilum. Vide *Heliopolis*.)

ENTHUSIASMUS. Eo nomine deſignatur poeticum quoddam œſtrum, quod phantaſiam Vatum rapit in ſublime, ut mira & ſupra fidem videat. Egregiè Virgilius *Æneid. 7.* depinxit enthuſiaſmum ſeminæ Sacerdotis Apollinis ab Ænea conſultæ, cùm ad Inferos deſcenſum meditaretur.

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur Vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum; tantò magis ille fatigat
Os rabidum [illegible]

Enthuſiaſmus uſurpatur interdum de inſpiratione Prophetarum; dum enim oracula fundunt, œſtro quodam abrepti videntur, ut vel novo quodam ſermone prædicta illa promant. Ita Saul cum obvium habuiſſet Prophetarum cœtum ad inſtrumentorum concentum vaticinantem, & ipſe pariter in medio eorum prophetavit: *Inſiluit Spiritus Domini in eo, & prophetavit in medio eorum.* 1. *Reg.* 10. 10. Idem Princeps ad ſubigendum in poteſtatem Davidem ſe conferens, eodem Divini Spiritus œſtro abreptus eſt, Davidem nactus in medio Prophetarum; detractis ſibi veſtibus nudus immiſcuit ſeſe manſitque cum illis die cum nocte continuata 1. *Reg.* 20. 23. 24. Hunc Prophetarum enthuſiaſmum exprimere ſolent Hebræi nomine manus Domini, quæ illis imponitur, vel Spiritus Domini inſilientis ſeu veſtientis illos. Eliſeus Propheta verſans in exercitu Regum Juda & Iſrael, conſultuſque à Rege Joſaphat: *Adducite mihi,* ait, 4. *Reg.* 3. 15. 16. *pſaltem; cumque caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini.* Fama eſt Pythagoricos inſtrumentorum concentu cordis ſibi quietem procuraſſe: *Pythagorei mentes ſuas à cogitationum intentione, cantu fidibuſque ad tranquillitatem traducebant.* Cicero *Tuſcul. QQ. lib.* 4.

Pſeudo-Prophetæ & Arioli Paganorum furore potiùs, quàm enthuſiaſmo rapiebantur; mitius œſtrum agebat Prophetas Domini, quo ſimul movente ſpiritum illorum, quantum par erat ad nobilitatem & majeſtatem addendam divinis oraculis ab aliis tanquam ſegregatione à Deo ſurgentibus prolatis, mens tamen in ſecreto tranquilloque pacis manebat. Divini ſeu Prophetæ nonniſi maligenio animati, vel ſaltem œſtu ebrietatis, quo ſe ipſi non afflabantur, agitationibus ſe contorquebant violentis, quaſi excutere Dæmonem, quo angebantur, tentantes.

Fatemur equidem Deum ſæpè tanta vi in Prophetas illapſum, ut infectis agitationibus illos contorqueret. Deceptum quodam captum ſe à Deo queritur Jeremias 20. 7. 8. quòd invitum prophetandi muneri traditus eſſet: *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum, fortior me fuiſti, & invaluiſti. Factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me. Et dixi: Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius. Et factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſque in oſſibus meis, & defeci, ferre non ſuſtinens.* Eliu apud Job paribus fermè in eam rem loquitur, Job 32. 18. 19. *Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus uteri mei. En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas novas diſrumpit.*

Is erat ſincerus Prophetarum enthuſiaſmus, quo animabantur, incaleſcebant, vi quadam ſed mitiſ agebantur, zelo fervebant, ut continere ſe non poſſent à coercendis caſtigandiſque verbis vitiis, & criminibus ſceleſtorum. Sed illapſibus hiſce atque afflatu valido licèt, vivo & efficaci, non ita agebantur, ut ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjectus non eſſet, juxta effatum Apoſtoli 1. Cor. 14. 32. Mentem habebant expeditam, ſpiritum promptum, & quieta omnia etiam interiùs. Nec deſunt Prophetæ qui ſibi indixerint à prophetando ſilentium. Ita Jonas fuga ſe proripuit in Tharſum, ne prædicaret Ninivitis (c); & de Prophetis illis queritur Deus, obſtruere ſcilicet ſibi os, quòd timerent ea annunciare gentibus, quæ ſpiritus ſuggerebat interiùs: *Ecce ego ad Prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea unuſquiſque à proximo ſuo.* Jerem. 23. 29. 30. Uno verbo genuini Prophetæ non ita agebantur à furente ſibitus Numine, quemadmodum de Paganorum Vatibus ſcitum eſt, ut inviti cogerentur loqui, quæ neſcirent, concutientemque ſe in omnem partem, ut jugum Dæmonis, quo premebantur, excuterent. Lucan. Pharſal. lib. 5.

[illegible] *Bacchatur demens aliena per antrum*
Colla ferens, vittaſque Dei, Phœbæaque ſerta
Erectis diſcuſſa comis; per inania templi
Ancipiti cervice rotat, ſpargitque vaganti
Obſtantes tripodas, magnoque exæſtuat igne,
Iratum te, Phœbe, ferens.

Patres atque ac Eccleſia (d) damnarunt Montaniſtas docentes, Prophetas extra ſe rapi, quemadmodum Sacerdotes, quà viri, quà fœminæ Apollini inſpiratæ in ſuis enthuſiaſmis.)

EPAPHRAS, primus, ut creditur, Coloſſenſium Epiſcopus (e). Hic fidei myſteriis à S. Paulo initiatus, convertendis cæteris civibus ſuis non inutilem operam contulit. Quo tempore S. Paulus in vinculis Romæ detinebatur, illuc venit, eademque cum Apoſtolo pari de cauſa toleravit (f). Cum Pſeudo-Apoſtoli, eo abſente, fidei ſegetem lolio corrupiſſent, S. Paulo, cujus maximum erat in tota Phrygia nomen, & auctoritas, inſtitit, ut ſcriptis ad Coloſſenſes literis, ad cognitionem Pſeudo-doctorum & ab errore revocaret. In ea epiſtola S. Paulus ut Epaphræ auctoritatem tueretur, ejus elogium his verbis complexus eſt: *ſicut didiciſtis ab Epaphra, chariſſimo conſervo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Jeſu Chriſti.* Ejus feſtum ad diem 19. Julii in Martyrologiis conſignatur, in quibus Martyrium Coloſſis conſummaſſe narratur.

Ee 2 EPA-

(a) D'Herbelot, Biblioth. Orient. pag. 317. Anoſch. (b) Idem pag. 89. Ain-Al-Schamſch [illegible] (c) Jonas 1. 11. (d) Hieron. Præfat. in Iſai. in Nahum & in Habacuc, Origen. l. 6. in Joc & [illegible] Celſ. Chryſoſt. & Baſil. in Pſ. 44. [illegible] (e) Vide Coloſ. 1. 7. & 4. 12. Adon. Uſuard. Mart. Rom. (f) Philem. v. 23. an. Chr. 61.

Digitized by Google

EPAPHRODITUS, Philippenſium Epiſcopus (a), ſive ut illum S. Paulus appellat, *Apoſtolus Philippenſium* (b); quo *Apoſtoli* nomine ſignificari poteſt *Legatus Philippenſium*; ab ipſis ſiquidem ejuſdem Eccleſiæ Fidelibus ad Apoſtolum legatus eſt, ut ille in vinculis detento eorum nomine miniſtraret. Munus illud eo ſtudio obivit, ut non ſemel de ſua ſalute ob eam rem periclitaretur, morbumque contraxerit, quo ad extrema perductus, moram Romæ protrahere coactus eſt. Altero anno (c), iter in Patriam maturavit, ut ſuo aſpectu cives ſolaretur, de ejus morbo ſollicitos, eademque occaſione epiſtolam S. Pauli, ex qua hæc omnia hauſimus, ad eoſdem ſcriptam detulit.

Ejus feſtum apud Græcos die 8. ſive 9. Decembris, inſuper 29. & 30. Martii celebratur, atque inter Apoſtolos, ſive 72. Diſcipulos, nec non inter Epiſcopos Andriacæ, ſive Andracæ recenſetur. In quodam ſermone Metaphraſti inſcripto traditur Epaphroditus quidam Tarracinæ Epiſcopus, à S. Paulo initiatus; ſed Epaphroditum illum eundem eſſe cum noſtro non conſtat. Porrò S. Epaphroditi Epiſcopi Tarracinæ nomen in Martyrologio Romano die 22. Martii occurrit.

EPENETUS, Diſcipulus S. Pauli *primitiæ Aſiæ* (d), nempe ex primis inter Aſiaticos, quos Apoſtolus ad ſidem duxerit. Ejus Feſtum apud Græcos unà cum S. Creſcentio, & Andronico die 30. Julii celebratur; qui & addunt eos poſt latam diverſis ad locis Chriſti fidem, diem in pace clauſiſſe. Epiſcopus Carthaginis eſt Dorotheo.

I. EPHA, filius Madian, & Abrahami ex Cethura nepos. Arabiam incoluit, & fortaſſe regionem Madianitis proximam, quibus ab Iſaia jungitur. *Iſaiæ* 60. 6.

(Epha inter filios Madian natu major, ſedes habens in Arabia Petræa. De ſuo nomine Urbem appellavit Epham, quam Septuaginta *Gaphar* vel *Gephar*, *Gen.* 25. cùm ſæpis frequenter Hain pronunciens tanquam G. ut *Gaſan* ponunt pro *Haſan*, *Gomorrham* pro *Homorrha*. Urbs Epha, & modica illi adjacens regio portio erant amplioris, regionis Madian, ſitæ in plaga Orientali Maris mortui, alterius planè à Provincia ejus nominis ſita ad mare Rubrum. Meminit Ptolemæus oppidi Hippos ad litus Orientale Maris mortui paulò infra *Madian*, vel *Madian*. Regio Madian & Epha ferax erat Dromedariis, & Camelis, uti conſtat ex Judic. 6. 5. & Iſaiæ 9. 6. *Dromedarius Madian & Epha*.)

II. EPHA, filius Jehadai. 1. *Par.* 2. 47.

III. EPHA, Concubina Caleb, & mater Haran, Moſæ, & Gezez. 1. *Par.* 2. 46.

IV. EPHA, menſura Hebræorum. Vide *Ephi*.

EPHEBIA, *Ephebium*. 2. *Mach.* 4. 9. 12. Plura erant apud Græcos exercitationum genera, magni ab ipſis æſtimata, & quorum peritia maximè gloriabantur. Jaſon, cæterique Judæi Legis periti, Gentium verò moribus deferentes plurimùm, Gymnaſia in Jeruſalem pro viris, *Ephebea*, ſive *Ephebia* pro adoleſcentulis quarto & decimo ætatis anno minoribus conſtituerunt. Hæc omnia luculenter ſatis diſtinguit Vitruvius *l.* 5. *c.* 11. Ut in eo palæſtræ genere nudi homines exercebantur, idcircò Ephebia tanquam lupanaria in Scriptura nominantur: *Optimos quoſque Epheborum in lupanaribus ponere*. 2. *Mach.* 4. 12.

I. EPHER, filius Madian, & frater Epha. 1. *Par.* 1. 33. regionem transjordanicam incolebat. 3. *Reg.* 4. 10.

II. EPHER, filius Ezræ. 1. *Par.* 4. 17.

III. EPHER, è Tribu Manaſſe. 1. *Par.* 5. 24.

EPHESUS, urbs clariſſima Aſiæ minoris in Jonia, quam Templum Dianæ, inter ſeptem Orbis miracula celebratum, & Paganis inſignem, & advenarum concurſu frequentem faciebat. Porrò Templum illud 127. columnis, totidem Regum muneribus fulciebatur. Pedibus 425. in longum, 220 in latum patebatur. Hujus ædificii, 200. annorum periodo abſoluti, ſumptus omnes Aſiæ Provinciæ inſecerunt.

Cum S. Paulus ad eam urbem veniſſet (e), poſt paucorum dierum moram, inceptum Hieroſolymitanum iter proſequutus eſt: aliquot verò poſt menſes regreſſus, poſt triennium, coactus ſeditione argentarii Demetrii, qui fingendis argenteis Dianæ ædiculis vel ſimulachris vitam tolerabat *Act.* 19. 24., eam ſedem reliquit. Epiſtola prima ejuſdem S. Pauli ad Corinthios, Epheſi data eſt.

Epheſii curioſis artibus, ut magiæ, ſortilegiis, aſtrologiæ judiciariæ plurimùm ſtudentes effecerunt, ut *Epheſia grammata*, quod de magicis literis uſurpabatur, proverbii loco haberentur. Cùm Judæi quidam accepta pecunia, Dæmonem ex Energumeno abigere tentantes, nomen Jeſu Chriſti, quem Paulus prædicabat, invocaſſent, Energumenus illicò in ipſos irruens, vulneribus affectos, veſtibuſque ad nudum uſque diſcerptis, Exorciſtas ſuos fugavit, interim dicens: *Jeſum novi, & Paulum ſcio; vos autem qui eſtis?* Ejus rei fama Epheſios omnes, & Judæos, & Paganos terruit; eorumque plures curioſarum artium libros rariſſimos, pretioſiſſimoſque in forum deferentes, combuſſerunt.

Aquila, & Priſcilla S. Pauli hoſpites, Corintho Epheſum venientes, aliquandiù ibidem ſubſiſtere *Act.* 18. 2. 3. 18. Apollo Judæus Alexandrinus eandem urbem præſentia, & prædicationibus illuſtravit *Act.* 18. 24. 28. S. Joannes Apoſtolus majori vitæ ſuæ parte in ea urbe exacta, tandem occubuit: nec alibi diem clauſiſſe, locumque ſepulturæ habuiſſe SS. Virginem teſtimonio Patrum Concilii Epheſini intelligimus; in ea enim Sepulchrum B. Virginis coli, ejuſque nomini Metropolitanam urbis Eccleſiam dicatam eſſe teſtantur. *Concil. l.* 3. Mariam etiam Magdalenam Epheſi obiiſſe tradit Photius *Cod.* 275.

S. Timotheus S. Pauli Diſcipulus, primus Epheſiorum Epiſcopus ab Apoſtolo inſtitutus eſt (f): quod tamen non obſtitit, quin in ea urbe, & Provincia S. Joannes Evangeliſta Apoſtoli munus exerceret. Si emortualis S. Timothei annus in annum 97. ſub Nerva, & ſub Procoſ. Peregrino incidit; quo quidem tempore S. Joannes in Inſula Pathmo verſabatur, fateamur oportet, Angelum Epheſi, ad quem S. Joannes ſcriptum ſuum direxit, alterum à S. Timotheo fuiſſe. *Apoc.* 2. 1. *&c.* Hunc, quicumque is fuerit, magnis laudibus Apoſtolus proſequitur; verùm quòd à priſtina charitate aliquantulum excidiſſet, verbis caſtigat, Jubet inſuper priorem ſtatum in mentem revocare, eique ut reſtituatur, pœnitentiæ, bonorumque operum exercitio laborare; ſin renueret, lucernam ipſius è loco à Deo removendam minatur. Vide *Timotheus*. Martyrio Epheſi conſummato in monte urbi proximo conditus eſt. Succeſſorem habuit S. Oneſimum.

EPHPHETAH, vox Hebræa, ſeu potiùs Syriaca, ex Hebræa *patha*, *aperire*, *aperimini*. Chriſtus ſurdum ſimul & mutum ſanitati reſtituturus, poſitis in ejus auribus digitis, linguamque ſaliva hoiens, ſublatis ad Cœlum oculis, ſuſpiriumque ex imo pectore trahens, dixit: *Ephphetah, aperimini*; quo dicto, continuò aures apertæ, lingua ſoluta eſt. *Marc.* 7. 32. *&c.*

EPHI, menſura cava Hebræorum, 29. pintis cum dimidio, modium inſuper ſextariumque cum octava pintæ parte, & aliquantò ampliùs capiens. *Bathus* idem eſt ac *Ephi*, ſive *Epha*.

EPHOD, Sacerdotalis Hebræorum veſtis genus, cujus nominis ethymon ex verbo *aphad*, ligare, cingere, conjungere. Ejus uſus cum nominis ſignificatione congruit; ſiquidem cingulum erat, quod poſteriorem colli partem ambiens, ex ſcapulis in partes deſcendens, in medio ipſius pectoris decuſſabatur, inde vero totum corpus ambiens tunicam cingebat.

Sco-

(a) Theodoret. in Philipp. (b) Ad Philipp. 2. 25. & 4. 18. An. Chr. 62. (c) An. Chr. 63.
(d) Rom. 16. 5. In Textu Græco legitur *primitiæ Achajæ*, quam lectionem ſervant S. Chryſoſt. hom. 31. in Rom. & Theodoret. in Rom. (e) Act. 18. 19. 22. A. Ch. 54. (f) 1. ad Tim. 1. 3. & 2. ad Tim. 4. & Chryſ. in 1. Tim. hom. 15. & 2. Tim. hom. 1.

Digitized by Google

Stolæ noſtrorum Sacerdotum haud abſimilis; in eo differebat, quod ſtolæ partes, poſtquam in pectore decuſſantur, utrimque pendent; Ephod verò, corpus ambiens, tunicam continebat: inde quod reliquum erat, anterius ad terram uſque pendebat.

Duo Ephod genera occurrunt: alterum lineum pro Sacerdotibus, alterum auro conſertum in uſum Pontificis. De Sacerdotali, cùm ſimplex eſſet, nihil præter nomen in Scripturis. Summi verò Sacerdotis Ephod exactè ſatis deſcribitur. Auro igitur, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, goſſipio torto, polymito opere conſtabat. Quibus in locis ex ſcapulis deſcendebat, duabus pretioſis magniſque gemmis, nominibus duodecim Tribuum, ſex cuique inſculptis, interſerebatur. *Exod.* 28. 6. Ubi vero Ephod in pectore decuſſabatur, pannus quadratus, Rationale dictus, in Hebræo *choſchen*, reſpondebat; Rationale inquam, in quo duodecim gemmis duodecim Tribuum Iſraelis nomina, ſingula ſingulis, inſculpta legebantur. Tandem Ephod ad humeros circumvolutum tunicam continebat; novoque mæandro ejus extremitates in anteriora reductæ, nodo inter ſe vinciebantur, atque exinde liberiores in terram defluebant, cingulorum inſtar, quibus Orientales utuntur.

Vulgarium Sacerdotum Ephod lineum erat, ejuſdem cum Pontificio uſus & figuræ, ornamentis verùm, & pretio inferius. Tanti autem momenti ad Sacerdotium habebatur, ut ſine ipſo Sacerdotium illud, ſeu verum, ſive falſum, conſiſtere non poſſe crederetur. Hinc illud S. Hieronymi *ad Marcellam: Illud breviter attende, quòd nunquam, niſi in Sacerdotio, nominetur Ephod.* Gedeon ex ſpoliis Madianitarum Ephod compoſuit, quod Iſraelis univerſi ruinam peperit. *Jud.* 8. 27. Micha conflato Idolo, domique ſuæ erecto, Ephod conficere non omiſit. *Jud.* 17. 5. Deus per Oſeam Iſraelitis prædixit futurum, ut longo temporis ſpatio Regibus, Principibus, Sacrificiis, Aris, Ephod, & Teraphim carerent. *Oſ.* 3. 4. Iſaias tandem Numinibus, quæ ſibi Iſraelitæ conſtituerant, Ephod tribuit: *Contaminabis laminas ſculptilium argenti tui, & veſtimentum* (Hebr. *Ephod*) *conflatilis auri tui. Iſa.* 30. 22.

Quamvis autem Sacerdotale eſſet ornamentum, interdum tamen & à laïcis uſurpabatur; illo enim cinctus eſt David cum Arca è domo Obededom ſolemni traductione Hieroſolymam veheretur. 2. *Reg.* 6. 14. Illo Samuel adhuc puer, & Levita, cùm in Tabernaculo miniſtraret. 1. *Reg.* 12. 18. Nomen *Ephod* interdum pro Rationali, pro Urim, & Thummim uſurpatur, licet enim ornamenta eſſent diſtincta, ipſi tamen Ephod hærebant, ejuſque pars reputabantur. Hinc David Dominum per Urim, & Thummim conſulturus, Summo Sacerdoti præcepit: *Applica Ephod*. Ea ratione Deus ore ſummorum Pontificum conſultus, oracula pandebat; penès Pontifices enim jus erat deferendi Ephod cum Rationali, & in arduis totius populi & Reipublicæ, Dominum conſulendi. Vide *Urim*, & *Thummim*.

(Hac veſte Levitæ familiariter non induebantur, utebantur enim cum Laïcis communibus, vel ſaltem nihil de ſingularitate veſtium Leviticarum decrevit Moyſes. Nihilo tamen ſecus in ſolemni celebritate dedicationis Templi Salomonici Levitæ & Cantores illi, qui Sacerdotum ordini eſſent minores, *veſtiti erant byſſinis* 2. *Par.* 5. 12.; quo etiam paludamento diſtinguebatur David in ſolemni translatione Arcæ è domo Obededom in Regias ædes. *Par.* 15. 27. Notat Joſephus *Antiq. l.* 20. *c.* 8. rerum potiente Agrippa, paulò ante captam à Romanis Hieroſolymam, conſuluiſſe ſe ad Regem Levitas obſecrantes, ut Sanhedrim lato decreto permitteretur Levitis lineæ ſtolæ, quali utebantur Sacerdotes; Regis animum ad eam rem pulſabant, monſtrantes ceſſurum hoc in gloriam Regni ſui. Factis acquievit Agrippa, ſed notat Hiſtoricus, id non ſine crimine innovatæ patriæ legis factum eſſe; nunquam autem contigiſſe ut adverſus Leges quicquam intentaretur impunè.

Spencerus de Urim & Thummim, & Cunæus de *Rep. Hebr. l.* 1. *c.* 14. autumarunt, Regibus Hebræorum datum eſſe, ut veſtirent Ephud, conſulerentque Dominum per Urim & Thummim. Fidem opinioni ſuæ aſtruunt ex illo 1. Regum 30. 7. ubi legimus Davidem venientem Siceleg, captamque Urbem ab Amalecitis, ductaſque in captivitatem cum civibus & uxores ſuas querentem, ita compellaſſe Abiatharem Summum Sacerdotem: *Applica ad me Ephod. Et applicavit Abiathar Ephod ad David*. In eandem ſententiam faciunt, quæ poſt hæc conſequuntur in ſacro Textu v. 8. *Conſuluit David Dominum dicens: Perſequar latrunculos hos & comprehendam, an non? Dixitque ei Dominus: Perſequere, abſque dubio enim comprehendes eos & excuties prædam*. Legimus etiam 1. Reg. 28. 6. Saul Dominum conſulenti non reſpondiſſe Dominum *nec per ſomnia nec per Prophetas*. Conſuluit ergo Dominum per Urim & Thummim; adeoque & Ephod induebatur.

Sed pleríque & doctiſſimi etiam Commentatorum Scriptores tenent, nec Davidem, nec Saulem, nec Joſue, nec ex Principibus Iſraelitarum quemquam ſibi vendicaſſe Ephod Summi Sacerdotis ad conſulendum Dominum; quæ verò laudavimus teſtimonia eò tantum referri, ut juſſi ab illis Sacerdotes aſſumerent Ephod, & conſulerent Dominum; ad literam: *Applica pro me Ephod, & applicavit Abiathar pro David Ephod*. Tenet Grotius Summum Sacerdotem converſiſſe Ephod vel Pectorale ad Davidem, ut ſuis ille oculis ſpectaret, quid Deus per gemmas Rationalis reponeret.)

EPHRA, urbs Ephraim, incerti ſitus, patria Gedeonis. *Jud.* 6. 8. 9.

1. EPHRAIM, ſecundus (a) Joſephi ex Aſeneth filia Putipharis, filius, quem unà cum Manaſſe fratre Joſeph ad Jacob morti proximum duxit. Jacob igitur ambos fratres ad ſe accedere jubens, dexteram manum capiti Ephraim natu minoris, ſiniſtram verò Manaſſis natu majoris, impoſuit. Cùm Joſeph de errore Patrem admoneret, dexteramque manum majori imponendam diceret, reſpondit Jacob ſe eam rem conſulto feciſſe; ſcire enim futurum, ut Ephraim natu minor, numero poſterorum Manaſſi præſtaret, quamvis etiam Manaſſe florentiſſimæ poſteritatis pater futurus eſſet. Addidit inſuper Ephraim, & Manaſſis nomina in ſpecimen benedictionis, quam alter alteri precaretur, eſſe adducenda: *Faciat tibi Deus ſicut Ephraim, & ſicut Manaſſe*.

Verſantibus in Ægypto Iſraelitis, filii Ephraim irruptione in Palæſtinam facta 1. *Par.* 7. 20. 21. à Getheis occiſi ſunt; quos proinde pater Ephraim tamdiu flevit, quamdiu poſt plures dies ſupervenientes fratres ipſius ægrum recrearunt. Inde filium genuit nomine *Beria*, & filiam nomine *Sara*, quæ Bethoron inferiorem, & ſuperiorem, & Ozen-Sara condidit. Filios etiam Raphan, Reſeph, & Thale genuit. Poſteri Ephraim in Ægypto adeo crevere, ut in egreſſu Iſraelitarum 40500. Ephraimitarum armis aptorum, & 20. annis majorum numerarentur. Illorum agmen Eliſama filius Ammiud ducebat. *Num.* 2. 18. 19.

Poſt occupatam Palæſtinam, Joſue, qui ad eam Tribum pertinebat, illis regionem tradidit Mediterraneo ad Occidentem, & Jordane ad Orientem terminatam. Dimidiæ Tribui Manaſſe regio obtigit ad Septentrionem; Benjamin verò & Dan ad Meridiem. Arca Fœderis, & Tabernaculum diutiùs in Silo, urbe hujus Tribus, ſervata, Regnique ſedes Iſraelitici poſt diviſionem decem Tribuum Tribus Ephraim fuit. Hinc non rarò nomen Ephraim pro toto Regno decem Tribuum uſurpatur. Aliquando pro Ephraim occurrit *Ephram: Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum Pſ.* 77. 9. & regio hujus Tribus *Ephrata* appellatur in Pſ. 131. 6. *Ecce audivimus eam in Ephrata*. Hinc *Ephratæus* de Ephraimita dicitur. *Jud.* 12. 5. *Numquid Ephratæus es? ... Dic ergo Schibboleth*. Elcana Samuelis pater, *Ephratæus* cognomento appellatur 1. *Reg.* 1. 1.

(a) Gen. 48. 8. 9. &c. natus circa A. M. 2292. ſive 2294.

Aït *Ephrata* nonnunquam pro Bethleem; & *Ephratæus* pro Bethleemita ſcribitur, ut aliàs dicemus. Tribus Ephraim cum cæteris Iſraelis Tribubus in captivitatem trans-Euphratem à Salmanaſare Aſſyriæ Rege ducta eſt an. M. 3283. ante Chr. 717. ante Ær. 721. Sunt qui ſcribant, eam Tribum in Tartaria, Sinis, & apud Indos mirè adhuc florere: omnes tamen decem Tribus circa Magni Alexandri Regnum in Palæſtinam rediiſſe oſtendimus (a). De Chutæis in Samariam traductis poſt tranſlatas aliò decem Tribus, in articulo *Chutæi*, & *Samaritani* egimus.

II. EPHRAIM, ſive *Ephram*, Urbs in Tribu Ephraim, Jordanem verſus, quò fortaſſe Chriſtus paulo ante Paſſionem ſe recepit. *Jo.* 11. 54.

III. EPHRAIM, Urbs Benjamin, 8. milliaribus à Jeruſalem, authore Euſebio (b), propè Bethel ſita (c). Duas haſce urbes ab authoribus non diſtinctas ſuſpicor; ſiquidem S. Hieronymus 20. milliaria pro 8. milliar. ut in Euſebio legitur, ſcribit.

IV. EPHRAIM, *Saltus Ephraim*, trans-Jordanem, juxta quem Abſalom cum exercitu Patris ſui conflixit 2. *Reg.* 18. 6. eodemque in ſaltu arboris ramo hærens, transfoſſus eſt, & ſepulchro conditus. Hic ſaltus fortaſſe non longè à Mahanaim aberat, ubi David morabatur.

EPHRATA, ſecunda uxor Caleb, & mater Hur 1. *Par.* 2. 19. quæ urbi Bethleem Ephratæ nomen indidiſſe creditur.

EPHRATA, alio nomine *Bethleem*, urbs duabus leucis à Jeruſalem, Davidis, præcipuèque Dei filii Jeſu Chriſti ortu clariſſima. *Ephratæus*, & *Bethlehemita* idem quandoque ſonant.

EPHRATA, vox, quæ in Pſ. 131. 6. Regionem Ephraim denotat: *ecce audivimus eam in Ephrata*, ſcilicet audivimus Arcam Domini in Silo in regione Ephraim eſſe. Hinc *Ephratæus* vir Tribus Ephraim appellatur. 1. *Reg.* 1. 1. *Judic.* 12. 5.

EPHREE, Rex Ægypti *Jer.* 44. 30. Sedeciæ Regis Juda, & Magni Nabuchodonoſoris Regis Chaldæorum ætate, Hebræis *Hophra*, apud Herodotum *Apries* (d). Regem hunc Jeremias in manus hoſtium tradendum, ſicut Sedecias in manus Nabuchodonoſoris traditus eſt, comminatur. Patrem habuit Pſammim, authore Herodoto, & Avum Nechon, ſive Nechaum Ægypti Regem, interque feliciſſimos ætatis ſuæ Principes diutiùs habitus eſt. Bello Tyrios & Sidones afflixit; inſtructa verò in Cyrenenſes claſſe, maxima clade affectus eſt. Eam rem Ægyptii ægrè ferentes, ſeditionem excitarunt, dictitantes Regem eo conſilio milites ſuos hoſtibus trucidandos tradidiſſe, ut ſubditis ſibi Populis viribus fractis impunè abuteretur. Rex Amaſi, uno ex Præfectis, ad ſeditioſos miſſo, ad ſaniora conſilia reducere tentavit: ſed illi Amaſim in Regem ſalutantes, eo duce in Apriem bellum intulerunt. Commiſſo prælio Rex in manus hoſtium incidit. Ab Amaſi honeſtè, captivus licèt, habebatur: populo tamen poſtulante laqueo faucibus eliſis occiſus eſt. Hactenus Herodotus.

(Ephræus Rex Ægypti. Pertæſus Sedecias jugum Regis Babyloniæ per ablegatos ad eam rem in Ægyptum viros, fœdus inivit cum Ephræo, anno Regni ejuſdem Sedeciæ 7. Acerrimè illum eo potiſſimùm nomine reprehendit Ezechiel 17. 15. *Qui recedens ab eo miſit nuncios ad Ægyptum, ut daret ſibi equos & populum multum. Nunquid proſperabitur, vel conſequetur ſalutem qui fecit hæc? & qui diſſolvit pactum, nunquid effugiet? Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in loco Regis, qui conſtituit eum Regem, cujus fecit irritum juramentum, & ſolvit pactum, quod habebat cum eo in medio Babylonis, morietur.*

Poſt biennium, i. e. nono Sedeciæ, Nabuchodonoſor exercitum duxit in Urbem Metropolim (e), cepitque Urbes omnes Juda, excepta Lachis, Azecha & Jeruſalem. Cùm ad ultimas extremitates reductum fœderatum ſuum intellexerit Ephræus, ab Ægypto movens, ſuppetias in illum ferre tentavit. Quod ubi ad Nabuchodonoſorem relatum eſt, ſtatim reductas ab obſidione copias duxit in occurſum venientis. Simul ad hæc Jeremias 7. 5. 6. oraculo pronunciavit futurum, ut Ægyptii, ne tentato quidem prælio cum Chaldæis, re infecta recederent, expugnaturum Urbem Nabuchodonoſorem; quibus vaticiniis omnibus ſua fides manſit ex eventu. In partem victoriæ ceſſit ipſe pariter Sedecias, abductuſque eſt captivus Babylonem. Secundùm hæc Jeremias cap. 44. 30. pronunciavit, Regem Ægypti hoſtium ſuorum manibus tradendum, eadem ac Sedeciam paſſurum. Sed & Ezechiel verbis hiſce cap. 29. 1. &c. ita Ephræum affatur: *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus eſt fluvius, & ego feci memetipſum. Et ponam frænum in maxillis tuis; & agglutinabo piſces fluminum tuorum ſquammis tuis; & extraham te de medio fluminum tuorum, & univerſi piſces tui ſquammis tuis adhærebunt. Et projiciam te in deſertum, & omnes piſces fluminis tui: ſuper faciem terræ cades, non colligeris, neque congregaberis: beſtiis terræ & volatilibus Cœli dedi te ad devorandum. Et ſcient omnes habitatores Ægypti, quia ego Dominus: pro eo quòd fuiſti baculus arundineus domui Iſrael. Quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & lacerasti omnem humerum eorum: & innitentibus eis ſuper te, comminutus es, & diſſolviſti omnes renes eorum. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam ſuper te gladium: & interficiam de te hominem & jumentum. Et erit terra Ægypti in deſertum & ſolitudinem: & ſcient quia ego Dominus &c.*

In Regem Ægypti pariter ſunt capita 30. & 31. ejuſdem Prophetæ; undecimo enim Sedeciæ anno Ægypti excidium, & vaſtationem ſatis pathetica oratione proſequitur. Septima die primi menſis, dicit Dominus Ezechieli. *Fili hominis; brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi, & ecce non eſt obvolutum, ut reſtitueretur ei ſanitas, ut ligaretur pannis & faſciaretur linteolis, ut recepto robore poſſet tenere gladium..... Comminuam brachium ejus forte, ſed confractum: & dejiciam gladium de manu ejus: & diſpergam Ægyptum in gentibus, & ventilabo eos in terris. Et confortabo brachia Regis Babylonis, daboque gladium meum in manu ejus: & confringam brachia Pharaonis, & gement gemitibus interfecti coram facie ejus. Et confortabo brachia Regis Babylonis, & brachia Pharaonis concident, & ſcient quia ego Dominus, cùm dedero gladium meum in manu Regis Babylonis.*

Aliquot poſt menſes (f) Ezechiel iterum in Ephræum Ægypti Regem. Ita enim Dominum loquentem inducit: *Fili hominis, dic Pharaoni Regi Ægypti, & populo ejus: Cui ſimilis factus es in magnitudine tua? Ecce Aſſur quaſi cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemoroſus, excelſuſque altitudine, & inter condenſas frondes elevatum eſt cacumen ejus..... ſub umbraculo illius habitat cœtus gentium plurimarum..... Æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in Paradiſo Dei. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd ſublimatus eſt in altitudine, & dedit ſummitatem ſuam virentem atque condenſam, & elevatum eſt cor ejus in altitudine ſua: Tradidi eum in manu fortiſſimi gentium, faciens faciet ei....... Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam: in medio incircumciſorum dormies, cum eis qui interfecti ſunt gladio: ipſe eſt Pharao, & omnis multitudo ejus, dicit Dominus Deus.*

Propheta, capite proximè ſequenti, funebre canticum ad Pharaonis Ephræi interitum canit: *Leoni gentium aſſimilatus es, & Draconi qui eſt in mari (cete), & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Expandam ſuper te rete meum in multitudine populorum multorum, & extraham te in ſagena mea, & projiciam te in terram, ſuper faciem agri abjiciam te: & habitare faciam ſuper*

(a) Vide noſt. Diſſer. ad Lib. Paral. p. 20. 21. &c. (b) Euſeb. in Ephron. Vide & Joſeph. de Bello l. 5. c. 8.
(c) Epiph. contr. hær. l. 1. & 2. Par. 13. 19. (d) Herod. l. 2. c. 161. (e) 4. Reg. 25. 1. & 2. Par. 36. 17. Jerem. 39. 1. & 52. 4. (f) Ezech. 31. 1. 2. &c. *Primo die tertii menſis anni undecimi.*

Digitized by Google

te omnia volatilia Cœli, & ſaturabo de te beſtias univerſæ terræ. Et dabo carnes tuas ſuper montes, & implebo colles tuos ſanie tua. Et irrigabo terram fœtore ſanguinis tui ſuper montes, & valles implebuntur ex te. Et operiam, cùm extinctus fueris, Cœlum, & nigreſcere faciam ſtellas ejus: ſolem nube tegam, & luna non dabit lumen ſuum. Omnia luminaria Cœli mœrere faciam ſuper te.... Gladius Regis Babylonis veniet tibi; in gladiis fortium dejiciam multitudinem tuam: inexpugnabiles omnes gentes hæ: & vaſtabunt ſuperbiam Ægypti, & diſſipabitur multitudo ejus. Cùm dedero terram Ægypti deſolatam; deſeretur autem terra à plenitudine ſua, quando percuſſero omnes habitatores ejus; & ſcient quia ego Dominus.

Vaticinia hæc brevi fidem ex eventu obtinuerunt, impleta enim conſtat primò in Apries vel Ephræo, aut Hophra agente Amaſi; tum in Regno Ægypti & Ægyptiis, item urgente exercitu Nabuchodonoſoris. Herodotus Ephræum filium tribuit Amaſi &c. Vide *Ephræus* in Dictionario.

Fatis functo Ephræo, Nabuchodonoſor cœpit evertitque Hieroſolymam (a); tum in Urbem Tyri ductis copiis (b) longa 13. annorum obſidione tandem in illam perrupit. Prolixæ hujus obſidionis incommodis ſanè pluribus & magnis compenſandis, ita Deus hominem ſolatus eſt, verba faciens ad Ezechielem 29. 18. 20. & 30. 1. 19. *Fili hominis; Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſervire fecit exercitum ſuum ſervitute magna adverſùs Tyrum; omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus eſt, & merces non eſt reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro, pro ſervitute, qua ſervivit mihi adverſùs eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonoſor Regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diripiet ſpolia ejus, & erit merces exercitui illius, & operi, quo ſervivit adverſùs eam: dedi ei terram Ægypti &c.*

Sua fides verbis; Nabuchodonoſor etenim Ægypto ſeſe ſuperinfundens à Migdol vel Magdol ad exordia Regni uſque ad Syenem ad extremam oram adverſam in finibus Æthiopiæ (c) omnia replevit direptionibus (d), ſtragibuſque, victoria emenſus eſt regionem, vaſtamque adeò induxit ſolitudinem, ut nonniſi poſt 40. annos vix reſtitueretur (e). Pacta conditiones tandem Amaſi roganti conceſſit, Regemque illum permiſit Ægypto, ſed imperio ſubmiſſum & tributarium.)

EPHRÆM, idem ac *Ephraim*: *Filii Ephræm* (filii Ephraim) *intendentes, & mittentes arcum*. *Pſ.* 77. 9.

EPHRÆM, urbs *Ephræm*; eadem ac *Ephraim*, de qua ſuper iis.

I. EPHRON, filius Seor, qui cavernam duplicem, ſive cavernam *Macphela* in ſepulchrum Saræ Abrahamo vendidit *Gen.* 23. 6. &c.

II. EPHRON, urbs Benjamin. 2. *Par.* 13. 19.

III. EPHRON, urbs transjordanica, quam Judas Machabæus, ab expeditione in Timotheum ducem Syrorum redux, captam diripuit (f).

EPICÆRUS, urbs ad Orientem Jordanis apud Ptolemæum.

EPICURÆI, Philoſophi, qui ſummum bonum in voluptate ſitum contendunt: non in voluptate quidem inhoneſta, & fallaci, ſed ſenſibili quidem, non tamen extra modeſtiæ limites. Providentiam, & Animæ immortalitatem negabant. S. Paulus cùm Athenis eſſet, cum illis diſputavit. *Act.* 17. 18.

EPIPHANES, vox Græca, ſignificans id, quod lumine quodam irradiatum apparet: hinc de Diis, qui hominibus viſendos ſe præbent, uſurpatur. Cum Antiochus Seleuci frater, poſt illius mortem inſperatò in Syria apparuiſſet, tamquam Numen habitus eſt, titulóque *Epiphanis* donatus. Vide *Antiochus Epiphanes*.

Epiphaniæ nomine nos Feſtum appellamus, in quo manifeſtatione Jeſu Chriſti hominibus in adoratione Magorum, in Baptiſmo ipſius, & in primo miraculo ad Nuptias Canæ memoria celebratur.

EPIPHANIA, Syriæ urbs ad Orontem, Antiochiam inter, & Apamæam, quam plurium Veterum teſtimonio (g) antea Emath appellatam, Antiochus Epiphanes ſibi cognominem fecit. S. Hieronymus, aliique plures eandem eſſe cenſent cum magna Emath addens ſuo etiam tempore apud Syros *Emmas* appellari conſuevisse: ſed v. *Emath* oſtendimus, urbem Emath eandem eſſe cum Emeſa Syriæ.

EPISCOPUS, Græca vox à Latinis adoptata, inſpectorem, præſidem ſignificans. Levitarum Hieroſolymitanorum Epiſcopi meminit Nehemias 2. *Eſd.* 11. 22. *Et Epiſcopus Levitarum in Jeruſalem Azzi filius Bani*. Hebræum enim *Pekid*, quod Epiſcopus vertitur, præſidem, inſpectorem exprimit. *Epiſcopus* ab Athenienſibus Juſtitiæ Præfectus dicebatur; eodemque nomine Digeſtum Magiſtratus Annonæ Præfectos nuncupat. Communior tamen vocis hujuſce notio ea eſt, quæ in Actis, & apud S. Paulum legitur (h), Principis nempe, & Paſtoris Eccleſiæ latè amplæ, inferiores ſubditoſque Paſtores ſub ſe enumerantis.

Apoſtolis Epiſcopi ſucceſſere, & penes ipſos diſputationum de Fide judicium eſt. Chriſtum *animarum noſtrarum Paſtorem, & Epiſcopum* nominat S. Petrus 1. 2. 25. Paſtor enim profectò Paſtorum eſt, & Epiſcopus Epiſcoporum. Epiſcopi dotes S. Paulus his verbis exprimit 1. *Tim.* 3. 1 &c. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet ergo irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem: non vinolentum, non percuſſorem: ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum &c.*

Ex *Epiſcopo*, fit *Epiſcopatus* apud Pſalmiſtam occurrens, *Pſal.* 108. 8. quo Epiſcopi munus, & inſpectio denotetur, Apoſtolatum S. Petrus hoc nomine nuncupat, ex quo Judas excidit, cui S. Matthias ſuffectus eſt *Act.* 1. 20. 21. *Et Epiſcopatum ejus accipiat alter.*

EPISTOLÆ S. PAULI, de quibus ſingulatim vita ejuſdem Apoſtoli agemus.

EPOMIS, Græca vox, quæ Latinè *ſuperhumerale* reddita eſt, & Hebræo Ephod reſpondet. Vide *Ephod*.

EPOCHA, Chronologi certos quoſdam, atque exploratos hiſtoriæ terminos ſtatuunt, à quibus annorum ſupputationes ab uno ad aliud tempus deducunt: hos verò terminos *Epochas* appellant. Omnium prima Epocha eſt Mundi creatio an. 710. Periodi Julianæ, & 4000. ante Chriſtum ſtatuta.

2. Diluvium A. M. 1656. & 2334. antè Chr.

3. Turris Babel, quam alii aliter, nos ad A. M. 1800. antè Ch. 2200. ponimus.

4. Secunda vocatio Abrahami ex urbe Haran A. M. 2083. ante Ch. 1917.

5. Egreſſus Iſraelitarum ex Ægypto, A. M. 2517. ante Ch. 1483.

6. Dedicatio Templi, A. M. 3001. ante Ch. 999.

7. Solutio captivitatis Babylonicæ, A. 3468. ante Ch. 532.

8. Nativitas J. Ch. A. 4000 ante Ær. 4.

Quoad Epochas Hiſtoriæ Profanæ, primam poſuimus conſtitutionem Imperii Aſſyriorum per Belum A. M. 2737. antè Ch. 1263.

2. Æram Nabonaſſari, ſive Epocham obitus Sardanapali; & conſtitutionis Imperii Babyloniorum, & Medorum A. M. 3257. ante Ch. 743.

3. Regnum Cyri Babylone, & Perſarum Imperii inſtitutionem, A. 3468.

4. Regnum Alexandri Magni in Perſide, & Monarchiæ Græcorum initium A. 3674. ante Ch. 326.

5. Etc.-

(a) A. M. 341 . ante Chriſtum 585. ante Æram 588. (b). A. M. 3450. antè Chriſtum 568. ante Æram 571.
(c) Ezech. 30. 6. (d) Idem cap. 29. 30. &c. (e) Idem cap. 29. 13.
(f) 1. Mach. 5. 46. & 2. Mach. 12. 27.
(g) Hieron. in loc. in Emath, & ad Amos 6. Aquila, Theodoret. in 2. Reg. 9. 22. & in Jer. 4. Cyril. Alex. in Amos.
(h) Act. 20. 28. Philipp. 1. 1. & 1. Timoth. 3. 2. Tit. 1. 7.

Digitized by Google

5. Exordium Regni Auguſti A. M. 3960. 40. annis ante Christum, & 44. ante Æram.

EQUUS, animal familiariſſimum, nobiſque notiſſimum; Hebræis verò uſque ad Salomonem, qui ingentem equorum & equitum numerum alebat, rariſſimum, ante ipſum enim nulli equites in Iſraelis exercitu leguntur. Populi ſui Reges Deus equorum multitudine prohibuit *Deut.* 17. 16. neve *equitatus numero ſublevati* populum in Ægyptum reducerent. Joſue præcepit Deus, ut Chananæorum equis in bello captis crurum nervos ſuccideret, currusque combureret. Eadem præſtitit David, centum tantummodò curribus ſervatis, cùm Regem Sobæ Adarezer bello fregit 2. *Reg.* 8. 4. 5. Judices & Iſraelis Principes aſinis, vel mulis vulgò utebantur, nec niſi poſt Davidem equi Palæſtinæ familiares eſſe cœperunt.

ERASTES, Corinthius, diſcipulus S. Pauli, ab ipſo *Arcarius Civitatis* appellatus (a), ſcilicet Præfectus Ærarii Corinthiorum, quæ in urbe tunc Paulus morabatur; ſive Hieroſolymæ; juxta Græcos recentiores (b). Hic munere ſuo abdicato, & Pauli ſequelæ addictus, cum illo Epheſum petiit (c), ubi A. Chr. 56. verſabatur. Inde à Paulo cum Timotheo in Macedoniam miſſus, ut fortaſſe fidelibus eleemoſynas deferret. Cum idem Paulus ad Romanos ſcriberet A. Ch. 58 Timotheus, & Eraſtes cum illo Corinthi degebant; amborum enim nomine, Romanos Apoſtolus ſalutavit. Exindè veriſimiliùs creditur Eraſtes individuus itinerum comes Paulo hæſiſſe, quouſque hic Corintho tranſiens Romam ad Martyrium pervenit, A. Chr. 65. Apoſtolus enim ſocium ſuum in eadem civitate reliquit, quo etiam paulò poſt Timotheum tranſmiſit 2. *ad Timoth.* 4. 20.

Uſuardus, Ado, & Martyrologium Romanum tradunt, Eraſtem in Macedonia ab Apoſtolo relictum, Epiſcopi munus ibidem obiiſſe, ac tandem Philippis Martyrium conſummaſſe. A Græcis autem Apoſtoli elogio donatur, interque 72. Diſcipulos recenſetur; qui non Epiſcopus Paneadis ad fontes Jordanis fuiſſe, & poſt emenſum prædicationibus Orbem in pace obiiſſe traditur. Utrorumque tamen fides nullo argumento fulta notat. Colitur à Latinis die 26. Julii, à Græcis die 10. Novembris.

EREBINTHON-OICOS, ſcilicet Domus cicerum, vicus Hieroſolymis proximus. *Joſephus de Bello* l. 6. c. 13.

EREMBON, vicus Judææ 16. milliar. ab Eleutheropoli, ad Meridiem, idem fortaſſis ac *Eremintha*; de quo Euſebius in locis.

ERIOCK, Rex Elicorum *Judith.* 1. 6. ut Vulgata; ſive *Arioch Rex Elymæorum*, ut Syriaca habent. *Arioch Rex Ellaſar* in Geneſi occurrit *Gen.* 14. 1. Regio quidem Elicorum ignota eſt; notiſſima verò Elymæorum, ſive Elamitarum, ſcilicet veteris Perſidis populorum. Arphaxad, & Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum prælium inierunt in campo Ragan circa Euphratem, & Tigrim in ditione Erioch Regis Elicorum.

EROGE. Regnante Ozia Rege Judæ ingens terræ motus Hieroſolymam adeò concuſſit, ut pars Montis Oliveti avulſa uſque ad locum, qui *Eroge* dicebatur, 4. ſtadiis ab urbe, evolveretur (d).

ERUCA, ſeu bruchus. Vox Hebræa *Gazam* (e), quæ à nobis redditur bruchus. Bocharto genus eſt locuſtæ. Alii vertunt *vermem*.

(ESAR-ADDON. Vide *Aſar-Addon*.)

ESAN, urbs Tribus Juda *Joſ.* 15. 52.

ESAU, filius Iſaaci ex Rebecca (f). Rebecca duobus facta gemellis, ambos uno partu fudit; quorum primus, quod villoſus prodiiſſet, *Eſau* dictus eſt; quaſi diceretur, homo adultæ jam ætatis. Sunt tamen, qui nomen Eſau ex Arabico *Geſcha*, ſive *Geſcheua*, ſugum, arceſſant. Cum Eſau adoleviſſet, totum ſe colendæ terræ ac venationibus dedidit, quibus artibus peculiarem Iſaaci Patris amorem ſibi conciliavit. Quadam die Eſau feſſus labore domum regreſſus, fratrem Jacob, qui pulmentum ſibi ex lentibus paraverat, offendit; cumque partem illius poſtularet, negaſſetque Jacob ſe aliquid daturum, niſi jus primogeniti ſibi jurejurando cederet, ille facilè petenti acquievit, neque quid feciſſet ſatis perpendens, lentibus voratis abiit.

Annum agens 40. duas ex Chananitide fœminas duxit (g), Judith filiam Beeri Hethæi, & Baſemath filiam Helon ejuſdem regionis; quibus nuptiis utriuſque parentis animos irritavit. Cum interim Iſaac ſeneſceret, oculiſque penè caligaret, Eſau accito imperavit, ut ſibi è venatione cibum pararet, extremam benedictionem deinde ſe largiturum pollicitus *Gen.* 27. 1. Paruit illico Eſau, quo abſente, Jacob, matre hortante, ſe Eſau loco patri ſupponens, per fraudem benedictionem ſurripuit. Iſaac enim doli ignarus, credens ſe ſancta Eſau precari, revera ipſum Jacob bonis omnibus cumulavit, fratrumque dominum declaravit. Sub hæc Eſau regreſſus, cùm promiſſam benedictionem à Patre peteret, fraude ſibi à fratre extortam agnoſcens, indoluit. Quibus lachrymis permotus Iſaac, alteram ſuper illum benedictionem pronunciavit, ſoli ubertatem, atque Cœli clementiam ei imprecatus, in gladio tamen vitam tracturum, atque fratrum dominio ſubjectum fore prænunciavit; addidit tamen futurum, ut tandem excuſſo jugo in libertatem aſſereretur. Eo fratris dolo Eſau exulceratus, necem illi inferre, cùm primum pater obiiſſet, meditabatur. Cùm vero ejus conſilia Rebeccam non latuiſſent, illa hortante, nec Iſaaco, Rebeccæ artibus, diſſentiente, Jacob in Meſopotamiam ad Labanum avunculum ſuum inſcio Eſau diſceſſit. Interim Eſau pluribus uxoribus ex Chananitide, & ex filiabus Iſmaelis & Nabajoth ductis, montes ad orientem Jordanis occupavit, ubi & florentiſſimæ prolis pater, & potentiſſimi imperii Rex effectus eſt, *Gen.* 36.

Deinde redux è Meſopotamia Jacob *Gen* 32. 33. cum familia, ut fraternam iram deliniret, munera ad illum præmiſit (h). Quibus ad Eſau per famulos delatis, & comiter exceptis, ipſe dein Eſau 400. è ſuis comitatus in occurſum venientis feſtinavit. Ea ſpecie territus Jacob, Divinam opem precibus imploravit; tum fratri fidenter occurrens, pacato, mitique animo exceptus eſt; quin, & reliqui itineris trans Jordanem ſocium & ducem una cum ſuis ſe exhibentem nactus eſt. Renuente tamen Jacob, Eſau eadem die in Sehir regreſſus eſt. Inde duo fratres obeunti Iſaaco patri adfuere (i). Cùm autem idem ſolum alendis utriuſque gregibus impar eſſet *Gen* 36. 6. 7. fratres alter ab altero receſſere, & Eſau in montes Horræorum ſeu Sehir ad priſtinas ſedes ſe recepit.

Priores uxorum Eſau nomina hæc ſunt: *Judith* (k), ſive *Oolibama* (l); *Baſemat* (m), ſive *Ada* (n); *Mahaleth* (o) ſive *Baſemath* (p); Prima *Jehus*, *Ihelon*, & *Core*; altera *Eliphaz*; tertia *Rahuelem* genuère. De obitu Eſau omnia incerta; ſiquidem in libro Teſtamenti duodecim Patriarcharum, veteri quidem ſed apocrypho traditur, Eſau arma in fratrem ſuum movens interemptus quadrageſimo Judæ Patriarchæ anno, qui cum 120. Eſau concurrere potuit, M. 2289. ante Chr. 1711. ante Ær. 1715. Creditur Rex Erythros (q), qui Mari Rubrò nomen indidit, cujus [illegible] tumu-

(a) Rom. 16. 23. [illegible] Græc. (b) Menæa 10. Nov. Ughel. l. 6. (c) Act. 19. 22.
(d) Antiq. [illegible] (e) [illegible] Septua. [illegible] Vide & Amos [illegible] 429.
(f) Gen. 25. 24. &c. Natus A. M. 2168. ante Ch. 1832. ante Ær. 1836. (g) Gen. 26. 34. A. M. 2208. ante Ch. 1792. ante Ær. 1796.
(h) A. M. 2265. ante Ch. 1735. ante Ær. 1739. (i) A. M. 2288. ante Chr. 1712. ante Ær. 1716. (k) Gen. 26. 34.
(l) Gen. 36. 2. (m) Gen. 26. 34. (n) Gen. 36. 2. (o) Gen. 28. 9. (p) Gen. 36. 3.
(q) Strabo l. 16. Q. Curt. l. 10. Plin. l. 6. c. 28.

tumulus in Inſula Tyrina, ſive Aggride oſtenditur; idem eſſe ac Edom; cùm Erythros Græcis idem ſonet, ac Edom Hebræis, nempè rufum. In Teſtamento quidem duodecim Patriarcharum ſepultus Eſau in monte Sehir traditur: ſed ſcripto apocrypho quis credat? Jacob jamdiù in Ægyptum deſcenderat, cum Judas [illegible] annum ageret; ille anno præcedenti jam obierat.

(Hunc virum Mahometani appellant *Ais*, ejuſque hiſtoriam ita nonnullis inſerebant (a). Cùm Jacob fraude extorſiſſet patris benedictionem Eſau deſtinatam, patrem rogavit Eſau, ut precario obtineret ſibi à Deo è genere ſuo Reges & triumphatores, quandoquidem poſteris Jacob adprecatus fuiſſet viros ſanctos & Prophetas. Roganti facilè acquievit Iſaac; nec Deus ſegnior conceſſit Eſau filium *Roum*, ex quo Græci Romanique Imperatores prognati ſunt.

Recepta per univerſos Orientales, apud quos Sacrorum Librorum authoritas in pretio eſt, traditio tenet, ſub Abdone Hebræorum Judice, Idumæorum Coloniam tranſiiſſe in Italiam, ibique conſtitiſſe; in illa verò regnaſſe Latinum, nec aliunde originem duxiſſe ſuam Romulum conditrè Romæ authorem. Cave hæc omnia quicquam aliud credas, quàm proculas malis avibus à Judæis fabellas, ut in Chriſtianos, atque in ipſum J. C. detorqueant, quidquid infauſti apprecatum eſt à Scriptura in Idumæam pariter atque Idumæos.

Malè conceptam hanc traditionem pervicaciter tuentur RR. Principes (b). Italiam ac Romam appellant Thalmudiſtæ *civitate Imperium Edom*. Probata Hebræa fama docet, Idumæos ſub Conſtantino fide Chriſtianorum adoptata Romam ac Romanum Imperium aggreſſos fuiſſe; malunt alii Sacerdotis Idumæi opera illatam Romam Chriſtianorum religionem. Eò impiæ temeritatis devenerunt è Cabaliſtis quidam, ut aſſirment; animam Eſau metempſychoſis revolutione tranſiiſſe in corpus Chriſti, cujus dicti ſui illud argumentum exhibent, nimirum obverſis litaris Hebraicis exhibentibus nomen Jeſu, reddi nomen Eſau; ambos ſub Martis ſydere natos eſſe: Edom rubeum ſignificat; Romanorum Imperatores rubro paludamento velatos, ſicut etiam rubro Cardinales, quis neſcit? Bella proinde philoſophatio!

Rem aliter narrat Joſippos Gorionides l. 1. c. 2. p. 4. Tzepho, ex filio nepos Eſau, captivus in Ægypto à Joſepho detentus, aufugit ad Æneam Regem Carthaginis, ubi exercitibus Regiis præfectus eſt. Arma movit Æneas in Africam, & in Italiam, bis prælio fregit Turnum Regem Beneventi, cui & raptam Janiam (vel Laviniam) ſibi conjugem adſcivit. Pallas Æneæ nepos in prælio occiſus eſt, idemque fatum obvolvit Turnum; utrique autem erectæ ſunt duæ turres vel mauſoleæ, quæ, dum hæc ſcriberet, ſpectari adhuc Romæ & Albæ idem Joſippos affirmat. Africani, Duce Tzepho, repetitis vicibus Italiam aggreſſi ſunt, diripueruntque. Accidit ut ſemel Tzepho vitulum amiſerit, quem in ſpecu quodam nactus eſt; ubi homo quidam media ſui parte hircus, media vir, miſeram belluam devorabat. Illa monſtro necem intulit, vitulum reduxit (præ oculis habuiſſe videtur Author fabellam Caci.) Hoc monſtro gregibus ſuis latè deſolationem inducente liberati incolæ, Tzepho, tanquam ex Heroibus unum, coluerunt, honeſtaruntque nomine Jani, cui additum eſt & Saturni elogium, ex nomine ſyderis, quod illi ea ætate colebant. Factum inde, ut Idumæus homo idem eſſet Deus & Rex Italorum.

Fabellis hucuſque relatis non meliora attexit Gorionides; proſequitur enim, Latinum ſucceſſorem Tzephoi bellum indixiſſe Aſdrubali Regi Carthaginis, ut urgendam ultionem de Ænea, qui author fuerat conſtruendi pontis, vel aquæductus aquas ex Italia Africæ communicantis. Pontis hujus pars dejecta eſt; victum prælio Aſdrubal ac neci traditus; victoriis ſuis Latinus elatus aſt totum ſpatium adusque Germaniam & Burgundiam. Quantas, rogo, fabellas, abſurdas quanta! Nec tamen deſuerunt Authores, qui ab aliis adoptandis, vel omnibus, vel ſaltem portione quadam ſe non continerent. Laudatur Panormitana quædam inſcriptio in hæc verba concepta (c): *Non eſt alius Deus præter verum Deum, non eſt alius potens præter eundem Deum, non eſt alius victor præter eundem Deum, quem colimus. Hujus Turris Præfectus eſt Sepho filius Eliphaz, filii Eſau, fratris Jacob, filii Iſaac, filii Abraham*.

Scribit Abulfarages, Eſau bellum intuliſſe Jacob, ſed ab illo ejaculatâ ſagittâ enecatum fuiſſe; quæ ſanè affinitatis habent aliquid cum hiſtoria in Teſtamento duodecim Patriarcharum relata. Sennacheribum è genere Eſau accenſent Mahometani; appellantque pariter Græcos & Latinos *Francos rufos*, vel Idumæos, tanquam prognatos è *Roum* filio Eſau.)

ESBAAL, idem ac *Isboſeth*, quartus Saulis filius 1. *Par*. 8. 33. Hebræi prò *Baal*, ſi quando idem nomen alicui contigiſſet, *boſeth* pronunciabant, quod confuſionem ſignificat. Ita Miphiboſeth prò Miphibaal, & Isboſeth pro Esbaal.

ESBON, filius Bele, nepos Benjamin. 1. *Par*. 8. 7.

ESBUS, urbs tranſjordanica. Vide *Eſebon*, ſive *Heſebon*.

ESCOL, unus inter fœderatos Abrahæ, qui cum eo in convalle Mambre fœdem habuerunt, junctiſque viribus Codorlahomor, cæteroſque fœderatos Reges poſt direptas Sodomam, & Gomorrham, captumque Loth Abrahæ nepotem regredientes, inſequuti ſunt. *Gen*. 14.

ESCOL, vallis ſive torrens Eſcol, ſeu *vallis botri*, in plaga meridionali Judæ. Exploratores Hebræorum ex ea valle botrum adeò immanem retulere, ut ſibi deferendo vir unus non ſufficeret. *Num*. 13. 24. 25. & 32. 9. *Deut*. 1. 24. Eſcol urbem eſſe innuere videtur S. Hieronymus in *Epitaph. Paulæ*.

I. ESDRAS, è Sacerdotali genere, & juxta aliquos, Summi Sacerdotis Saraiæ, à Nabuchodonoſore poſt captam Jeruſalem in Reblata occiſi, filius. Nos verò non filium, ſed nepotem, ſive abnepotem illius fuiſſe arbitramur. Babylone Hieroſolymam regnante Cyro an. M. 3468. ante Ch. 532. ante Ær. 536 primò rediiſſe cum Zorobabele vulgò creditur. Ejus reditus *Eſd*. 1. 2 & cæt. rerum, quæ inde contigere, hiſtoriam, cum ipſum, tamquam ſcientia & ſtudio Legis inſignem, partem earum maximam fuiſſe oportuerit, ſcriptis mandavit.

Cùm Judæorum obtrectatores invidiam in illos apud Perſarum Regem creaſſent, juſſi ſunt Judæi ab ædificatione Templi abſtinere, quam poſt obitum Cyri, & Cambyſis reſumpſerant (d). Novo tamen edicto, Dario filio Hyſtaſpis regnum ineunte, intermiſſum opus An. 3485. proſequi permiſſi ſunt; quo abſoluto deinde ejus Templi Dedicatio celebrata eſt an. M. 3489. ante Chr. 511. ante Ær. 515.

Interim Eſdras tractandis fortaſſe gentis ſuæ negotiis Babylonem redierat; nec niſi ſeptimo anno Artaxerxis Longimani, eodem Rege jubente, in Patriam reverſus eſt (e). Regredienti Artaxerxes omnia, quæ petierat, conceſſit, munitaſque ſigillo ſuo literas dedit; quibus omnibus Judæis Babylone verſantibus patriæ repetundæ facultas cum bonis omnibus permittebatur. Quia Rex ipſe, ejuſque Optimates auri, argentique copiam obtulerunt, ut Templi Domini uſibus, emendiſque victimis in ſacrificium impenderetur. Vaſa etiam pretioſa Templi, quæ Cyrus non reſtituerat, remiſſa ſunt. Novis inſuper literis Præfecti Ærarii Provinciarum ultra Euphratem jubebantur, Eſdræ, neceſſaria pro Sacrificiis, ſive frumentum, ſive vinum, oleum, ſalem, & argentum ſuppeditare.

(a) Biblioth. Orient. pag. 80 Ais. (b) Abarbanel, Aben Ezra, Joſeph Albo. Vide Baſnag. Hiſt. Judæor. tom. 5. l. 2. c. 5.
(c) Fazelus de reb. Sicul. Decad. 1. l. 8. c. de Panormo.
(d) 1. Eſd. 4. 7. . . . 17. An. M. 3484. ante Chr. 516. ante Ær. 520.
(e) 1. Eſd. 7. 1. . . . . 6. &c. A. M. 3537. ante Chr. 463. ante Ær. 467.

[illegible], Præter hæc, Sacerdotes, & miniſtri Templi à vectigalibus immunes facti ſunt; ac tandem Eſdræ conceſſum eſt, ut pro arbitrio Judices, & Magiſtratus judicandis populis conſtitueret, quibus omnibus ipſe præeſſe, populumque poſſet inſtruere.

Igitur Eſdras his privilegiis auctus, magna Iſraelitarum turba congregata, iter in Judæam cœpit 1. *Eſd.* 8. Cùm ad ripam Ahavè perveniſſet, Sacerdotes, & miniſtros Templi, qui in *Caſpia* (fortè in montibus Caſpiis) erant, per nuncios ad regreſſum in Palæſtinam invitavit; ex quibus 258. illum ſecuti ſunt. Indicto deinde jejunio, quo reliqui itineris felicitas impetraretur, traditiſque cuſtodiæ Optimatum vaſis aureis argenteiſque à Rege ſeiunctis, curſum iter receperunt, ac tandem numero 1775 hominum in Judæam pervenerunt an. M. 3537. ante Ch. 463. ante Ær. 467.

Cùm plures ex Sacerdotibus, Levitis, Magiſtratibus, ac reliquis populi uxores alienigenas, & idololatras duxiſſent, Eſdras re comperta 1. *Eſdr.* 9. vulſis præ dolore capillis in Templo mœſtus ſedens, ſacrificium veſpertinum eo corporis habitu in ſilentio oppertiit. Cum verò ſacrificium immolaretur, veniam à Deo pro toto populo implorare cœpit; coactoque interim circa ipſum populi cœtu, optimatibus populi viſum eſt, fœdus cum Domino innovare, ductaſque fœminas, ac natos ex iis filios abdicare: quod ab univerſo populo ſacramento promiſſum eſt. Verùm cum plures abeſſent, edicto ab Eſdra præceptum eſt, ut intra triduum omnes in Judæam, & Jeruſalem vagantes ad Templum convenirent (a).

Congregatos igitur populos Eſdras alloquens, exaggerato primùm crimine, juſſit deinde ductas alienigenas fœminas, natoſque ex iis filios repudiare. Acquievit populus: cum tamen anni tempus incommodum eſſet, neque res unius diei opus videretur, exequutioni urgendæ ſelectiſſimi ex Judæis deſtinati ſunt ann. M. 3538. ante Ch. 462. ante Ær. 466.

Univerſo populo Jeruſalem Eſdras tandiu præfuit, quandiu Nehemias in Judæam ab Artaxerxe miſſus, ejus juſſu regimen Urbis ſuſcepit (b). Altero Nehemiæ anno, (c) poſt reſtituta Hieroſolymæ mœnia, coacto in Templum populo, occaſione Feſti Tabernaculorum, Eſdras rogatus Legem Domini perlegit. Ea lectio ab aurora uſque ad meridiem producta eſt, legentique Levitæ aderant; ſilentium populo indicentes. Mane alterius diei populus iterum Eſdram conveniens, illum de cæremoniis, quibus Feſtum Tabernaculorum celebrandum eſſet, interrogavit; iis verò à Levitis explicatis, ſtatutum lectioni Legis vacatum eſt, idque per totam octavam ejuſdem Feſti ſervatum. 2. *Eſd.* 8. Libro Legis evoluto, fœdus cum Domino ſolemni cæremonia innovatur 2. *Eſd.* 9. & 10.

Hactenus de geſtis Eſdræ ex ſacris Libris. Tradit Joſephus ipſum Hieroſolymis ſepultum; Judæi tamen in Perſide obiiſſe narrant, cum ſecundo ad Regem Artaxerxem iret. Ejus profecto tumulus in urbe Samuza oſtenditur. Vitam ad 120 annos produxiſſe ferunt.

Potiſſimas illi partes in examinandis, recenſendiſque S. Scripturæ Libris tribuunt; illos enim correxit, aliquantulum mutavit, eoſque effecit, quales nunc leguntur. Cum enim doctiſſimus eſſet, ſtudioſiſſimus, intentiſſimuſque colligendis veteribus Gentis ſuæ monumentis, quin & ſpiritu Prophetiæ non deſtitutus, ſancte colligendis libris Sanctis, inſtituendoque Canoni incubuit. Porrò in eo Canone 22. Libros Sanctos, quos adhuc inter Canonicos recenſent Hebræi, conſtituerunt.

Sunt qui tradiderint Eſdram Maſoræ, & punctorum vocalium inventorem fuiſſe, eumque veterum Scripturæ, atque Hebraïcorum characterum ratione inverſa, Chaldaïcas literas, quibus adhuc Judæi utuntur, inveniſſe (d). Sunt etiam qui ſcripſerint, illum innovaſſe, reparaſſe, ac demum ſcriptis iterum mandaſſe Sanctos Libros, captivitatis Babylonicæ tempore diſperſos ſuæ tandem; qui Eſdram eumdem eſſe ac Malachiam Prophetam cenſuerint. Quarum opinionum ſingulæ Diſſertationem exigerent; ſed non patitur Dictionarii inſtitutum, quid de ſingulis ſentiamus, brevioribus verbis afferemus.

Maſora, & puncta vocalia longè recentiora ſunt non Eſdra tantum, ſed & Eccleſiæ Chriſtianæ exordio, uti v. g. *Maſora*; *Maſſoretha*, & *Puncta vocalia*, oſtendemus. Quoad characteres Hebræorum veteres cum priſcis Phœnicum, & hodiernis Samaritanorum convenientes, in Diſſertatione *Comment. in Eſd. præfixa* de hoc argumento oſtendimus, 1. abſurdi nihil eſſe, ſi Eſdras antiquis Hebræorum characteribus mutatis, recentiores Hebræorum literas, Chaldaïcas nempe, ſubſtituiſſe credatur, 2. hanc characterum mutationem non ſtatim quidem, ſed ſenſim obtinuiſſe, diu enim poſt Eſdram, in Judæorum Scripturis veterum Hebraïcarum literarum veſtigia ſupereſſe fuerunt.

Quartus liber Eſdræ adſcriptus, Eſdram ſacros iterum Libros captivitatis tempore diſperſos ſcripſiſſe pluribus ex Patribus impoſuit (e). Verum hujus libri apocryphi authoritatem nullam eſſe, & ea, quæ de reparatione Scripturarum refert, ab ipſis Scriptoris argui falſitatis oſtendimus (f).

Tandem ea, quæ de Malachia cum Eſdra confundendo feruntur, non Rabbinorum tantùm, ſed & S. Hieronymi (g), & Ruperti Abbatis, aliorumque authoritate fulciuntur. Conjecturas ad eam rem in Præfatione Commentariorum in Malachiam attulimus; conſtat enim Malachiam nomen eſſe commune potiùs, quàm proprium, cùm Angelum, ſive nuncium Domini ſignificet; conſtat inſuper Eſdræ ætate Prophetas nomine Malachiæ, ſive Angeli Domini appellari conſueviſſe (h). Potes non tardè Malachiam nomine Angeli, ſive miſſi à Deo deſignatum. Vide *Malachias*.

Quatuor libri nomine Eſdræ circumferuntur, quorum priores duo in Canone Latinæ Eccleſiæ recenſentur, poſteriores verò apocryphi ſunt. Duo priores apud Hebræos in unum librum conjiciunt. Authorem primi Eſdram eſſe, qui à ſe oculorum ſuorum teſtimonio probatas hiſtorias recenſens, in prima perſona loquitur, res eſt celeberrima. Secundus, licet nomine Eſdræ inſcriptus, Nehemiæ tamen vulgo tribuitur, quamvis levioraquædam adjecta ſint, quæ cum Nehemia non cohærent. Hujus generis eſt Summi Sacerdotis Jeddoæ, & Regis Darii mentio 2. *Eſdr.* 12. 22. quorum alter Jaddus eſt, qui Alexandro Magno Hieroſolymam venienti occurrit; alter verò Darius Codomanus ab Alexandro Magno Regno poſt 100 annos ab regimine Nehemiæ Hieroſolymam expoliatus. Tertius, & apud Græcos Canonicus, in quidem à primo Eſdræ non differt, variis tamen additamentis interpolatus eſt, quorum potiſſimum trium Cuſtodum corporis Darii hiſtoriam continet, inter quos Zorobabel recenſetur. Hi ſuam ſinguli ſententiam probare aggreſſi ſunt; alter nimirum vinum omnium fortiſſimam virtutem eſſe oſtendebat, alter Regem; Zorobabel fœminas quidem fortiſſimas eſſe ſuſtinebat, ſed cunctis omnibus veritatem præſtare. Cum Rex è ſomno evigilaſſet, atque problema illud referentibus audiſſet, omnibus aulæ ſuæ proceribus convocatis, tres propoſitiones coram illis juſſit recitari, & ſingulis ex tribus viris imperatum, ea, quæ pro ſua opinione haberent, explanarent. Zorobabel omnium oſſenſu probabiliora dixiſſe viſus, facultatem Hieroſolymam repetendi, reſtituendi Templi, & ſacra vaſa à Nabuchodonoſore antea aſportata referendi facultatem in præmium obtinuit. Verùm Liber hic, uti ſupra diximus, in Eccleſia Latina rejicitur.

Quar-

(a) 1. Eſd. 10. A. M. 3538. ante Chr. 462. ante Ær. 466.
(b) 2. Eſd. 1. 2. &c. A. M. [illegible] ante Chr. [illegible] ante Ær. 45[illegible].
(c) A. M. 3551. ante Ch. 449. ante Ær. 458. (d) Hieron. in Prolog. Galeat. Talmudici. in Sanhedrin.
(e) 4. Eſd. 14. [illegible] &c. Clem. Alex. l. [illegible] Strom. Iren. l. 3. c. 25. Baſil. [illegible] ad Chilonem. Iſidor. l. de Scriptis, [illegible] Iſid. l. 6. Orig. & alii. (f) Vide noſt. Diſſert. de hac re præfixam Comment. in 4. l. Eſdræ.
(g) Hieron. Præfat. ad Malach. & in Comm. pluries. (h) V. [illegible] Aggæi 1. 13. Malach. 2. 7.

Quartus Liber ea arte deſcriptus eſt, ut Eſdram authorem præſeferat, quamquam fraudis ipſe per ſe liber non obſcura exhibet argumenta. Diem enim Judicii proximum eſſe, omneſque cùm bonorum, tum impiorum animas exinde educendas eſſe ab Inferis docet. Tradit inſuper duo monſtra jam inde à Mundi exordio à Deo fuiſſe creata, quibus opiparum Deus convivium poſt reſurrectionem electis inſtrueret. Decem Tribus ad incolendam regionem Arſeret transmigraſſe; ac tandem Eſdram diſperſos omnes Sanctos Libros reparaſſe. De Jeſu Chriſto, ac de Apoſtolis non minùs, quàm in Evangelio, apertus in eodem libro eſt ſermo (a). Omnium Eccleſiarum Latinæ, & Græcæ, quin & ipſius Synagogæ conſenſu inter apocrypha rejectus eſt; quamquam interdum ab aliquibus Patribus laudatur, & Eccleſia Latina ex eo ſententias aliquas in ſuum Officium transtulit. Textus Græcus intercidit, Hebræus nuſquam extitit, Latinus plerumque in noſtris Bibliis ad calcem imprimitur.

Duo poſteriores Regum Libri, duo item Paralipomenon, nec non plures alii in S. Scriptura Eſdræ tribuuntur, quos facilè ſaltem recenſuit, atque correxit. Regulas quaſdam, benedictiones, & orationes a Judæis Eſdræ adſcribuntur. De Apocalypſi, viſione, & ſomnio Eſdræ ſermo eſt apud nonnullos. Verùm hæc omnia incertæ ſunt fidei (b).

(Eſdras, vir Judæis ſummè probatus, & elogio illo apud eoſdem obtinente par: Niſi Moyſes legem dediſſet, leges rogare Hebræis Eſdras meruiſſet. Mahometani virum appellant *Ozair filium Seraiab*; referunt autem de illo (c), cam fortè repeteret è Babylonia Judæam, conſtitiſſe in Oppido ſat proximo Judææ; quod appellabant *Sair-Abad*, vel domum ambulacri, ſeu *Diar-Anab*, locum vinearum; ibi verò juxta vetuſti muri ſemirutum parietem, caſam ſibi fabricaſſe, vitam tolerando è fructibus quibuſdam, quos vicina arva ſufficiebant. Cum ibi haberet in proſpectu Urbem Jeruſalem, ſeu dejectæ Urbis ruderum ſtruem, reputabat apud ſe: quomodo Deus ruinas haſce reſtituet, & cives revocabit ad vitam? Vix hæc verſabat in mente, cum à Deo ſubitò percuſſus interiit, manſitque ibi centum annis inſepultus.

Accidit poſt hæc, ut Rex Perſidis Judæos remitteret Hieroſolymam, auctos poteſtate illam reſtituendi. Eſdras jam inde à centum annis defunctus, è morte perinde ac è ſomno ſeſe excuſſit, ratuſque ſe non 100. annis jacuiſſe cadaver, ſed diem tantùm egiſſe ſopitum, apertos ad Jeruſalem oculos convertit, reſtitutamque & incolis frequentatam admiratus eſt. Tum clamans: Deus utique ſummè potens eſt, cùm omnia poſſit quidquid velle illi ſuccurrerit.

Vetuſtiſſima eſt traditio (d), quam nobis obtrudit Liber quartus nomine Eſdræ inſcriptus, & Patrum non rari, uti S. Irenæus, Tertullianus. S. Clemens Alexantrinus, S. Baſilius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus aliique nonnulli; ab Eſdra ſcilicet reparatos fuiſſe Sacros Libros incendio antea diſſipatos, vel amiſſos in ea rerum turbatione, quæ Rempublicam agitavit ſub poſtremis Regibus Juda & premente captivitate. Bellam hanc traditionem novis ornarunt Mahometani. Narrant Eſdram è captivitate reſtitutos nunquam non inſtituiſſe, nec unquam ceſſaſſe, ut verba ad illos faceret de Legibus Divinis: cum tamen Sacri Textus omnino intercidiſſent, verba docentis minùs valebant.

Judæi igitur tentaturi experimento, num vir Sanctus, ut ipſe de ſe aſſerebat, re ipſa memoriæ mandatos conſervaſſet Sacros Libros, manibus ejus tradiderunt quinque calamos, quos ſimul omnes tanta facilitate ac celeritate movebat ad ſcribendum, quantum ſi uno uteretur; ita dictante memoria deſcripti ſunt Sacri Judæorum Libri, nullo licèt Exemplari ſuperſtite.

Revincendis Judæis minùs hæc valuerunt; mutuis enim ſermonibus ſciſcitabantur: Quomodo ſcire potuerimus, an ſcriptus ab Eſdra Codex ipſiſſimus ſit Sacrorum Librorum? nemo enim inter nos unquam ſacros illos Libros habuit exploratos, nemo ſcire de illis teſtimonium par eſt. Tum ex iis quidam ſuccurrere ſibi ait ſæpè memorantem patrem ſuum audiſſe, olim ab avo abſconditum fuiſſe Legis codicem in hiſcente quadam petra, certo illo, quem indicabat, loco. Eò igitur actutum; quæſituſque Codex jam inde à longa ætate ibi celatus, repertus eſt. Facta ejus collatione cum Textu Eſdræ congruere adeo deprehenſi ſunt, ut ne literula vel unus apex diſcreparet. Tunc populus ad prodigium obſtupeſcens exclamavit: Ozair filius eſt Dei, rem enim præſtitit miram, atque humanis viribus ſuperiorem. Ex quo Mahometus oblatam ſibi occaſionem blaſphemias evomendi in Jeſum Chriſtum captat, dictitans Deum Filio carere, quippe qui generando ſit impar.

Rem aliter deſcribit Author quarti Eſdræ 14. 23. &c. Deum obſecraverat Eſdras, ut ſpiritu donaretur, quo deperditos Sacros Libros iterum ſcriptura reparare valeret. Deus convenire populum juſſit, ac monere, ne ſpatio 40. dierum ipſum quærerent, pararet autem pugillaria buxea plurima, adhiberetque ſecum Saream, Dabriam, Salemiam, Echanum, & Aſielem viros ſcribendi celeritate inſignes: qui cum præſto fuerint, huc, inquit, redeas, & ego in corde tuo lumen incendam nunquam reſtinguendum, antequam dicta mea omnia mandentur executioni. Juſſa cumplevit Eſdras, tum ad locum deſtinatum ſe reſtituit, oblatumque habuit à Deo ſcyphum ignei coloris liquore ſpumantem. Quo potatus intima depaſcente flamma toto corde inardeſcere ſe ſenſit. Tum quinque illis Amanuenſibus dictare Sacros Libros, ſolidiſque 40. diebus dictando perſeveravit; ad 240. Libri deſcripti ſunt. Cibo non reficiebatur, niſi per noctem. His abſolutis, juſſit Deus reſervari 70. ex his Libris, nec niſi viris in populo ſapientiſſimis permitti; cæteros vulgare palam, nec dignis æquè ac indignis invidere mandavit.

Chriſtiani Orientales ferunt (e), Eſdram deglutiſſe pulverem putei, qui reconditum tenuit ſacrum ignem, atque ita ſibi procuraſſe donum S. Spiritus, quo tantùm valuit, ut Sacros Libros repararet. His omnibus intelligimus, quàm latè per Eccleſiam, & extra Eccleſiam pariter divagata ſuerit opinio à nobis refutata in Diſſertatione de hoc argumento.)

II. ESDRAS. Legimus in Vulgata 2. *Mach.* 8. 23. Judam Machabæum prælium iniiſſe cum Syris poſt auditam lectionem S. Scripturæ ab Eſdra recitatam. In Græco tamen, & Syriaco pro *Eſdra* legitur *Eleazarus*, quod de Eleazaro fratre Judæ probabiliter intelligendum eſt.

ESDRELON, campus in Tribu Iſſachar, ab oriente in occidentem, fermè à Scythopoli uſque ad montem Carmelum protenſus (f). Idem eſt ac *magnus campus, vallis Jezrael, & Planities Eſdrela.*

ESDRELON, ſive *Eſdrela*, pagus, à quo nomen Campo inditum. Idem eſt ac Jezrael in Tribu Iſſachar *Joſ.* 19. 18. in veteri Itinerario decem milliar. à Scythopoli. Vide *Jezrael*.

ESDRIN 2. *Mach.* 12. 36. urbs transjordanica, prælio Judæ Machabæi cum Gorgia & Timotheo ibidem commiſſo celebris. Sunt, qui *Ephron* pro *Eſdrin* legant *Grot. & Hiller.* Alii probabiliter credunt, *Eſdrin* nomen viri eſſe: *qui cum Eſdrin erant* nempe Eſdræ milites &c.

ESE-

(a) Vide noſt. diſſert. in hunc lib. libris Eſd. præfixam.

(b) Fabr. Cod. Pſeudepigr. V. T. art. 229.

(c) Alcoranc. Bachra, d'Herbelot. Bibl. Orient. pag. 697. Ozair.

(d) Vide noſtram Diſſert. de hoc argum.

(e) D'Herbelot Biblint. Orient. pag. 6p8. col. a.

(f) Vide Euſ. in Jezrael, & in Arbela, & Joſeph. de Bello l. 4. c. 2. Hieron. ad Oſeæ 1.

ESEBAN, filius Diſon, filii Eſau. *Gen. 36. 26.*

ESEBON, filius Gad *Gen. 46. 16.* author fortaſſe, ſive reparator urbis Eſeboo.

ESEBON, urbs celebris transjordanica, alio nomine *Esbus*, *Chesbon*, *Chaſphon*, *Chaſcor*, 20. à Jordane milliaribus, orientem verſus, authore Euſebio. Primò Rubenitis ceſſit *Joſ.* 13. 17. deinde in partes Tribus Gad tranſiiſſe videtur, cùm inter urbes ab eadem Tribu Levitis conceſſas recenſeatur. *Joſ.* 21. 17. & 2. *Par.* 6. 8. Veteres ejuſdem urbis incolas Moabitas Rex Sehon expulit; eamdemque urbem pauló poſt obitum Moyſis Iſraelitæ occuparunt. Poſt tranſlatas trans Jordanem decem Tribus, rurſum in Moabitarum dominiam tranſiit *Jer.* 48. 2. Inter Arabiæ urbes à Plinio *l.* 5. *c.* 11. recenſetur. Aquas Eſebon Salomon celebrat: *Cant.* 7. 4. & in Machabæorum libris 2. 12. 16. lacus Eſebon duobus ſtadiis, ſive 300. paſſibus protenſus commemoratur.

ESEC, filius Mola. 1. *Par.* 8. 39.

ESEJA, pater Sephan. 2. *Par.* 34. 8.

ESEM, urbs Tribus Juda. *Joſ.* 15. 29. eadem fortaſſe ac *Eſmona*, ſive *Aſemona*.

ESER, ſecundus Sehir Horræi filius *Gen.* 36 21.

ESMONA, ſive *Heſmona*, ſeu *Aſemona*, urbes Arabiæ Petrææ, ubi Hebræi in Deſerto caſtrametati ſunt *Num.* 33. 29. Sub Tribu Juda recenſetur (a).

ESNA, urbs Tribus Juda. *Joſ.* 15. 47.

ESRIEL, filius Manaſſis. *Joſ.* 17. 2. 1. *Par.* 7. 14.

ESRON, filius Phares, Pater Aram (b).

ESSA, Urbs tranſjordanica, quam Alexander Judæorum Rex cepit (c).

ESSENII. Horum ortus, & nominis etymologia ignoratur. Gentem eſſe à pluribus ſæculis abſque conjugio, & ſexuum commixtione ſubſiſtentem tradit. Plinius *l.* 5. *c.* 17. *Ita per ſæculorum millia, incredibile dictu, gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur.* In quarto Machabæorum Libro *c.* 6. *Haſidæim* appellati, atque jam inde ab Hircani Summi Sacerdotis ætate incepiſſe perhibentur circa A. M. 3894. ante Ch. 106. ante Ær. 110. Joſeph cognomento Judas, ætate Ariſtobuli, & Antigoni filiorum Hircani, Eſſeniorum, qui apud Joſephum occurrunt, primus eſt (d). Suidas (e), & alii nonnulli poſt ipſum, Eſſenios ex Rechabitis derivant, qui, ut omnibus exploratum eſt, ante captivitatem Babylonicam florebant.

S. Epiphanius *hær.* 29. *de Nazar. c.* 4. eorum nomen ex *Jeſſe* Davidis patre, ſive ex nomine Jeſu Chriſti Domini noſtri, quod, ut illi placet, redditur Medicus, ſive Salvator, acceſſit. Addit inſuper, illos ſectam eſſe Samaritanorum, quos Eſaaai ſeduxerat. Druſius maluit ex Phariſæis deducere. Salmaſius ex urbe *Eſſa*, de qua ſuperiùs: duodecim tandem varias eade re ſententias Serarius recenſet (f). Nos ex *Chaſidim*, de quibus in Pſalmis 78. 2. & 84. 9. & ex *Aſſidæis*, de quibus in Machabæis (g), Eſſenios derivamus.

Horum mores, & diſciplinam ita Joſephus deſcribit (h). Societatis inter ſe leges inviolatas ſervant, atque ab omnium voluptatum uſu, tanquam veneno lethaliſſimo, abhorrent. A connubiis abſtinentes, alienos tamen filios adoptant, quos ſuis legibus, ſuiſque diſciplinis inſtruunt. Divitias contemnunt, bona tantùm in communi poſſidentes; olei, & unguentorum uſum ignorant; toto denique corporis habitu ingenuam quandam auſteritatem ſpirantes, hominum frugi ſpecimen exhibent. Res illorum domeſticæ per Oeconomum curantur, qui pro ſingulorum neceſſitate illas diſtribuit. Hoſpitalitatem exercentes erga ſuos, commeatibus ea ratione providere ſibi in itinere negligunt.

Quos inſtruunt pueros, eodem veſtitu, & victu curant; ipſi verò veſtes nonniſi longo uſu attritas deponunt, ut novas ſubſtituant. Negotiationes inter ſe non pecunia, ſed permutatione perficiunt, ſuperfluis neceſſaria comparantes. Ante ortum Solis ſilentium inviolatum ſervant, nulla utentes voce, niſi fundendis precibus, ritu à patribus per manus tradito; quas preces ad Solem dirigunt, ut citiùs exoriatur. Orto Sole, agrorum culturæ vacant uſque ad quintam diei horam, undecimæ fermè horæ matutinæ reſpondentem.

Hinc omnes in cœtum convenientes, lineis accincti, frigida ſe totos perfundunt, ac deinde ſinguli ſuas ædes repetunt, quo nulli extraneo aditus permittitur, mox ad commune cœnaculum in Templi morem conſtructum conveniunt. Menſæ accumbentibus poſt fuſas à Sacerdote preces, panis, & pulmenti portio diſtribuitur; quo tempore ſilentium omnibus indictum eſt. Cœnam prece claudunt, eaque peracta, lineis poſitis, ad priſtina exercitia ad veſperam uſque regrediuntur. Inde iterum ad cœnaculum redeunt, unaqua hoſpites, ſi forte aliqui ſupervenerint.

Datam fidem ſanctè ſervant; quare fides ipſa apud illos ſacramenti vim obtinet. Hinc factum eſt, ut ab jurejurando, veluti à perjurio abſtineant. Ægrotantium maxima apud illos eſt cura, quibus quid minimum deeſſe non patiuntur. Veterum libros evolventes, multiplicem hauriunt ſcientiam, plantarum nempè, lapidum, radicum, & medicamentorum. Tyrones antequam in cæterorum ſocietatem adſciſcant, integro anno improbis laboribus exercent. Exinde in cœnaculum commune, & balneum recipiunt; domus verò penetralia nonniſi poſt duos ulteriores Tyrocinii annos illis adire non licet. Eo biennio evoluto, diris ſacramentis obſtrictos, genere quodam profeſſionis ad legum pietatis, juſtitiæ, modeſtiæ, fidelitatis in Deum & Principes obſervantiam; nulli inſuper ex extraneis prodenda ſectæ myſteria, ac tandem ad libros Patrum ſervandos, Angelorumque nomina cuſtodienda adſtringunt. Juratæ fidei inſigni aliquo crimine violatores, è cœtu pulſi miſeriis enecantur, cum ſacramenti religione, nullum ab extraneis cibum capere prohibeantur. Interdum tamen poſt exhibita certæ conſtantiſque pœnitentiæ argumenta, à fratribus iterum recipiuntur.

Poſt Deum, & Moyſem, ſeniores colunt. Sabbathi apud illos ea eſt religio, ut neque ignem excitare, quidquam parare, & utenſilia domus vel parum amovere, quin & ventrem exonerare fas eſſe ducant. Verùm & cæteris diebus ſi quando ſuperfluo onere alvum levare coguntur, ab omnium aſpectu remoti, ferreo quodam roſtro, quod in eum uſum cingulo ſemper appenſum deferunt, foſſam pedis altitudine excavant; Dein incurvi atque veſtibus undique corporis nuda protegentes, ne Dei radii eo aſpectu, ait Joſephus, inquinentur, naturæ neceſſitati ſatisfaciunt. Mox humo foveam operiunt, contractamque imputitatem continuò legali lotratione abſtergunt.

Frugi atque moderato victu utentes, vitam ad plures annos, nec rari uſque ad integrum ſæculum producunt. Summæ conſtantiæ ſpecimina in tormentis exhibent; cujus virtutis præclara monumenta in bello Romanorum adverſùs Judæos reliquerunt. Dogma de immortalitate animarum tuentur, eaſque è ſummo aere in corpora, inſita quadam à natura ſympathia tractas deſcendere, Corporis verò vinculis ſolutas priſtinas ſtatim ſedes, veluti è captivitate redeuntes, repetere. De ſtatu animarum poſt mortem paria cum Ethnicis ſentire videntur, qui juſtorum animas ad Elyſios Campos, impiorum verò in Tartara, & in Regnum Plutonis, tormentis excruciandas, demittunt.

Sunt inter eos, qui connubiis ſocientur, quamvis

(a) Joſue 15. 27. (b) Ruth. 4. 18. Matth. 1. 3. Luc. 3. 33.
(c) Antiq. l. 13. c. 13. (d) Antiq. l. 13. c. 19.
(e) Suidas in Πρόγονοι, &c. (f) Serar. trihær. l. 3. c. 1.
(g) 1. Mach. 2. 42. Synagoga Aſſidæorum 2. Mach. 14. 7. & 44. 10.
(h) De Bello l. 2. c. 12. Vide Philo. lib. Quod omnis probus liber.

vis in cæteris ab aliis Eſſenis non diſcrepent. Porrò illi triennio ante nuptias fœminam explorant, an benè valeat, atque benè conſurmatos filios ſit editura. Ab Uxoribus prægnantibus abſtinent. Mancipiorum ſtatum, quaſi injuriam naturæ humanæ irrogatam reſpiciunt. Hinc mancipia apud eos nulla. Donum Prophetiæ apud illos floret, quod acceptum ferunt aſſiduæ ſacrorum librorum lectioni, ſimplicique & frugi vitæ inſtituto. Ea, quæ in Mundo contingunt, Divino decreto diſpoſita eſſe defendunt; hinc ad Pythagoricos, & Græcos accedunt. Præter viros fœminæ etiam ejuſdem exercitii, & inſtituti occurrunt.

Quamquam Eſſenii omnium ſuæ gentis religioſiſſimi habebantur, nunquam tamen Templum Hieroſolymitanum adibant, atque à victimis immolandis abſtinebant. Verebantur enim, ne commercio cæterorum hominum, quorum mores longè deteriores erant, coinquinarentur. Oblationes per alios tranſmittebant, purique cordis, & crimine vacui ſacrificia offerebant. Ea his ad 4000. in Judæa extitiſſe author eſt Philo (a); potiſſimam tamen eorum ſedem locum Engaddi ulteriorem, ubi fructibus palmarum in ea regione frequentiſſimis, victitabant, Plinius l. 5. c. 17. annuit; qui & addit, illos procul à mari habitaſſe, ne cum externis communicarent. Quamquam & multi urbes incolebant, ſæpiùs tamen in agris morabantur. Terræ cultura, cæteriſque ejus generis operoſis artibus, quæ viros ſolitudinis amatores decerent, vitam traducebant.

Neglecta Logica, & Phyſica, uni tantùm ſtudebant morali Philoſophiæ; præcipua tamen erat illorum cura Moſaicam legem ſcrutari, cujus lectioni potiſſimum diem Sabbathi dedicaverant. Ea die in cœtum congregati, ſuo ſinguli ordine, ſeniores ſuperiori, inferiori juniores aſſidentes, intenti, primùm lectionem, deinde ejus explicationem à viro docto habitam audiebant. Symbolis, allegoriis, & parabolis, Priſcorum exemplo, delectabantur. Hæc de Eſſeniis Philo, & Joſephus. Cæterum de his neque in Evangelio aliquid, neque illis Chriſtum unquam prædicaſſe proditum eſt. Probabiliter tamen S. Jo: Baptiſta, antequam ad prædicandam pœnitentiam & conferendum baptiſma egrederetur, inter eos vixiſſe creditur (b). Deſertum enim, ubi Eſſeniorum ſedes erat, authore Plinio, ab Hebrone, loco nativitatis S. Joannis non longè diſtabat. Vide *Aſſidæi*.

Ita deſcribit Philo Libr. *Quod omnis probus liber*, Eſſenios, quos meritò appelles *Aſcetas*, diſtinguendos à *Therapeutis*, quos Eſſenios contemplativos non malè dixeris. Primi illius generis Eſſenii ad 4000. ſunt numero, aguntque in Palæſtina à cæterorum hominum commercio disjecti. Nominantur *Eſſei* ex Græco *Hoſios*, Sanctus, dicti, quia ſumma religione Deo ſerviunt, non mactando victimas, ſed ſuamet ipſorum mentes componendo ad ſanctimoniam. Hi vicatim habitant, Urbes fugiunt, propter familiaria civibus earum vitia; gnari non minus periculi eſſe ab eorum convictu, quàm ab aeris intemperie peſtifera, propter contagium incurabile.

Vivunt partim ex agricultura, partim ex opificiis in pace florentibus, benefici erga ſuos & proximos, nullam cudentes pecuniam, nec parantes ampli redditus latifundia, ſed quotidianis neceſſitatibus quærentes remedium; nam penè ſoli hominum degunt ſine prædiis, ſine pecunia, & propter vitæ inſtitutum divites habentur magis, quàm ob rerum copiam, frugalitatem non vana exiſtimatione ducentes eſſe quæſtum maximum. Tela, jacula, gladios, galeas, thoraces, ſcuta nemo apud eos fabricat, ſicut nec arma cætera, nec machinas, aut aliud quidquam bello utile. Imo ne ea quidem ſtudia reperias ibi, quibus in pace facilè abutuntur homines. Negociatores, inſtitores, nauclerosne in ſomniis quidem viderunt, ſubtrahendo materiam avaritiæ. Nemo ex illis ſervit; omnes liberi miniſtrant ſibi invicem; dominationem damnant, uti injuſtam atque impiam, repugnantem juri naturæ, quæ omnes ex æquo genuit educavitque tanquam mater germanos fratres revera, non ſolo nomine; eam cognationem labefactatam convulſamque inſidiis avaritiæ; hujus opera inductam pro familiaritate abalienationem animi, & odium pro benevolentia.

Philoſophiæ partem ratiocinatoriam, ut parandæ virtuti non neceſſariam, relinquunt verborum captatoribus. Eam verò, quæ naturam ſcrutatur, diſputatoribus, ut humano captu ſublimiorem, niſi quatenus de Creatore mundi, & ejus creatione diſſerit. In ſola morali ſe exercent ſub pædotribis legibus patriis, quas non poteſt concipere humanus animus abſque afflatu Numinis. Has ediſcunt & alio tempore, ſed præcipuè recurrente die ſeptimo, quem ſacratum exiſtimant, feriunturque tunc ab omnibus aliis negociis, quoties ſacras ædes, quas Synagogas vocant, adeunt: pro ætatis ordine juniores ad ſeniorum pedes conſidunt, & ad audiendum ſe componunt. Ibi alius ex Libro perlegit, alius quiſpiam unus è peritioribus accedens, quæ obſcura ſunt explicat. Nam pleraque per figuras, more veterum Philoſophorum, eis ſunt tradita.

Diſcunt autem ſanctitatem, juſtitiam, curam rei vel domeſticæ vel publicæ, verorum bonorum malorumque ſcientiam, atque rerum indifferentiam; inſuper quid expetendum, quid contrà fugiendum; quæ triplici regula examinant, amore Dei, & virtutis, & hominum. Pietatis erga Deum argumenta præferunt plurima; caſtitatem in tota vita perpetuam, à jurejurando mendacioque abſtinentiam; ad Deum authorem bona omnia, malum verò nullum referunt. Virtutem quoque ſibi eſſe cordi ſatis declarant, dum pecunias, honores, voluptateſque contemnunt fortiter, vivuntque continenter in laboribus, complexi frugalitatem, ſimplicitatem, facilitatem, modeſtiam, Legum reverentiam, conſtantiam, & id genus cætera. Charitatem eorum porrò erga homines indicat benevolentia, mira dictu æquabilitas, & omnium rerum ſocietas, de qua non intempeſtivum fuerit nunc paucis dicere.

Patent eorum ſodalitia hominibus etiam advenis. Idem inſtitutum ſervantibus omnibus unum eſt promptuarium, unde veſtitus, & menſa communis ſumitur. Nam contubernium, victuſque ac menſæ ſocietas apud alios laudatur magis quàm recipitur; nec mirum, quidquid enim lucrantur è quotidianis operæ mercedibus non ſibi quiſque ſervat, ſed in medium conferendo, cuicumque volenti fruendi poteſtatem faciunt. Tum ſi qui valetudinarii nequeunt victum quærere, non negliguntur, paratum habentes è publico infirmitati ſubſidium, quam ſecurè ſuſtentant ex communi copia. Senioribus juniores debitam curam, honorem, reverentiam exhibent, tanquam germani filii. Labentem eorum ætatem fulcientes modis omnibus, tam conſiliis, quàm miniſteriis.

Omnia in Deum referri ab Eſſeniis tradit Joſephus Antiquit. lib. 18. cap. 1. Animas immortales faciunt: fructuſque juſtitiæ magnopere expetendos ducunt. In Templum autem donaria dum mittunt, ibi ſacra non faciunt, propterea quòd luſtrationes habeant ſanctiores: hac de cauſa communi delubro arcentur, & ſacra ſua ſeorſum faciunt. Cæterum homines ſunt optimè morati, & agriculturæ prorsùs addicti. Convenit autem illos mirari ſupra omnes, qui virtutis laudem ſibi tribui volunt, propter juſtitiam (minime quidem inter Græcos Barbaroſque cultam; ab illis tamen non ad breve tempus, ſed à multis retro annis uſurpatam) qua modis omnibus

(a) Philo l. Quod omnis probus liber.
(b) Vid. Epiph. hær. 29. de Nazaræis.

agebant, ne quid eos impediret, quominus habeant bona inter ſe communia, ita ut dives ſuis bonis non magis fruatur, quàm qui nihil poſſidet. Suntque ſuper quatuor hominum millia, qui hæc faciunt, & neque uxores ducunt, neque ſervos habere ſtudent, quòd hoc iniquum, illud jurgioſum arbitrantur; ſed ſeparatim vivunt & alii aliis miniſtrant.

Quæſtores etiam ſuorum proventuum, & terræ frugum creant viros bonos Sacerdotes, qui frumentum parant, & edulia. Vivunt omnes uno eodemque modo, & quàm maximè referunt Dacas, qui Poliſtæ appellantur. Alibi idem Joſephus affirmat, Eſſenos tenuiſſe à fato gubernari omnia, ut nihil hominibus contingat, niſi quod ſatum tulerit. Conſule de Eſſenis Authores ſcribentes de Sectis Judæorum, quos repetes è noſtra Bibliotheca Sacra v. *Secta Judæorum.*)

I. ESTHAMO, ſive *Eſthemo*, urbs oræ meridionalis Juda (a). Ingens vicus eſt Euſebio, in regione Eleutheropolis, ad ſeptentrionem ejuſdem urbis. In domicilium Sacerdotum ceſſit, 1. *Paral.* 6. 58.

II. ESTHAMO, filius Jesba. 1. *Par.* 4 17.

III. ESTHAMO, filius Odaiæ. 1. *Par.* 4. 19.

ESTHAOL, urbs primum Tribus Juda, *Joſue* 15. 33. deinde Danitica, *Joſue* 19. 41., 10. milliar. ab Eleutheropoli, Nicopolim verſus, Euſebio authore in Eſtaoil.

ESTHER, alio nomine *Ediſſa*, filia Abihail, e Tribu Benjamin, quæ parentibus orbata, à patruo Mardochæo educata eſt. Repudiata ab Aſſuero ſivè Dario Hyſtaſpis Regina Vaſthi (b), in tota Perſarum ditione venuſtiſſimæ fœminæ conquiſitæ ſunt, ut ejuſdem loco earum aliqua ſufficeretur. Eſther cum cæteris ſelecta (c) in aulam ducta eſt, & Eunuchi cuſtodiæ tradita. Servitio ipſius ſeptem puellæ deſtinatæ ſunt, ac data Eunucho cuſtodi cura, ut omnia neceſſaria ſuppeditaret.

Poſt evolutum annum (d), quo temporis ſpatio unguentis, atque oleis ſuaviſſimis delibuta ſe ad eam rem præparaverat, ſplendidiſſimis veſtibus induta, ad Regem introducta eſt. Ejus decore captus Aſſuerus, Regio diademate capiti illius impoſito, in locum Vaſthi ipſam adſcivit. Nuptiæ regio apparatu celebratæ, populiſque ea de cauſa tributa remiſſa, ac conceſſa donaria. Eſther ad eam dignitatem evecta, genus ſuum, prohibente Mardochæo, nunquam prodidit.

Vir erat inter aulicos Regio favore tumens Aman, qui Divinos honores affectans, votis ſuis unum Mardochæum obſiſtere animadvertit (e). Quod ille non religionem, ſed contemptum interpretatus, Edictum à Rege impetravit, ut omnes in toto Imperio Judæi interficerentur (f). Mardochæus illicò totam eam rem Reginæ indicavit, monens, ut edicti ab Amano fraude extorti abrogationem poſtularet. Illa ſe excuſare, quòd ab Aſſuero à 30. diebus accita non eſſet, & lege cautum eſſet, ne quis non vocatus Regem adiret, capitali pœna in tranſgreſſores decreta, niſi Rex ipſe inclinato in illos aureo ſceptro pœnam remitteret.

Mardochæus his minimè acquieſcens, renunciari juſſit Reginæ, vel cum ipſo vitæ diſcrimine imminentem genti ſuæ procellam illi eſſe avertendam, quippe quæ ad eam dignitatem ea fortaſſe de cauſa à Deo evecta eſſet. Eſther exorari ſe paſſa, precibus primùm, jejunio atque animi demiſſione Dei ope implorata, ſignificavit Mardochæo, ut ipſe quoque ob eam rem triduanum jejunium, atque orationem præmitteret. His evolutis (g), Regina ſplendidiſſimis veſtibus ornata, in Regium penetrale ingreſſa eſt; cùm autem in veſtibulo eſſet, Aſſuerus continuò inclinato in illam ſceptro, eo clementiæ ſigno Reginæ animum confirmavit; quin & ſi quid vellet, vel Regni dimidium, impetraturam promiſit. Tunc Eſther petere ſe dixit, ut convivio à ſe eadem die parato ipſe Rex cum Amano adeſſet. Annuit Aſſuerus; ſtatoque tempore, ipſe cum Amano ad convivium venit. Inter epulas largiori potu exhilaratus Aſſuerus, iterum Reginam ſi quid vellet, interrogavit. Illa nihil ſe optare dixit, niſi ut altera die iterum Rex cum Amano ſimili convivio à ſe excipi pateretur.

Altera igitur die Rex una cum Amano convivio à Regina exceptus, tertiò ab ea quæſivit, an aliquid vellet. Illa non ultra cunctandum rata, ſi, inquit, ullus in te gratiæ locus mihi eſt, meam populique mei vitam peto. Cùm verò Rex hoſtem ejus, ſuorumque vitam impetentem ab ea exquireret; Aman, ea ſubdidit, Aman hic hoſtis noſter eſt infenſiſſimus. Rex, his auditis, furore æſtuans è menſa aſſurgens, in proximum hortum divertit: Aman verò ſubito ictu perculſus, relicto convivio, Reginæ pedibus provolutus, imminens periculum deprecabatur. Interim Rex in aulam regreſſus, Amanum in lecto, in quo Regina accumbebat, inclinatum intuitus, ratuſque vim Reginæ inferre, rei indignitate exclamavit. An vel Reginam, me præſente, opprimit? Vix hæc; Regis ſatellites continuò manus in Amanum injecerunt, ejuſque ore velato ad ſupplicium traxere. Vide *Aman.*

Eadem die Rex contrariis edictis priora abrogans, Judæis liberam fecit poteſtatem, ut pro libito hoſtes ſuos interficerent, illorumque domos diriperent, atque delerent: cujus rei executioni eandem diem, nempe 13. Menſis Adar, ab Amano prius pro occidendis Judæis decretam, conſtituit. Neque Judæi in expetenda de hoſtibus ſuis ultione ſegniores fuerunt; tanta enim clade in illos ſæviere, ut in ſola Suſarum urbe, præter decem Amani filios, 500. trucidarentur. Ea cædes ad alteram diem Regis permiſſione Suſis prorogata eſt; eaque occaſione in cæteris urbibus ditionis Perſarum ad 75000. cecidere. In ejus rei memoriam, Feſtum *Purim*, ſivè *ſortium* à Judæis die 14. Menſis Adar celebratur, eadem ſcilicet die, quæ ab Amano pro occidendis Hebræis per ſortem electa eſt.

Totius rei geſtæ hiſtoriam Liber Eſther complectitur, omnium ſæculorum judicio, Judæorumque & Chriſtianorum conſenſu Canonicus. Additiones ad calcem ejuſdem libri in editionibus Latinis, quæ in Hebraicis exemplaribus deſiderantur, ancipitis authoritatis habitæ ſunt. Exemplaria Græca, quæ ſuperſunt, nec inter ſe, nec cum Hebræo conveniunt; ut & Verſiones Latinæ S. Hieronymo antiquiores, & ab Hebræo, & à Græco differebant. In fronte Græcæ Verſionis hæc verba leguntur: *Anno quarto Ptolemæi, & Cleopatra, Doſitheus ejuſque filius Ptolemæus attulerunt in Ægyptum Epiſtolam Purim, quam à Lyſimacho filio Ptolemæi Græcè redditam ducebant.* Ptolemæus iſte vulgò fuiſſe creditur *Ptolemæus Philometor*, qui anno 3861. nempe diu poſt adornatam Verſionem Septuaginta ſub Ptolemæo Philadelpho, diem clauſerat. Et facilè Lyſimachus iſte additiones, quæ in textu Græco hujus Libri extant, de ſuo addidit.

De Scriptore hujus libri ambigitur. S. Clemens Alexandrinus *l.* 1. *Strom* cum Rabbinis & Commentatoribus nonnullis Mardochæo tribuit, quippè qui, ut in eodem libro legitur, *memoriam rei literis tradidit. Eſth.* 12. 4. alii Eſdram authorem credunt (h); alii tandem Synagogam magnam eandem hiſtoriam literis mandaſſe, atque in Canonem Scripturarum cooptaſ-

(a) Joſue 15. 50. & 21. 14. & 1. Reg. 30. 18.
(b) A. M. 3486. ante Chr. 514. ante Ær. 518.
(c) Eſth. 2.
(d) A. M. 3490. ante Chr. 510. ante Ær. 514.
(e) Eſth. 3.
(f) A. M. 3495. ante Chr. 505. ante Ær. 509.
(g) Eſth. 5.
(h) Epiph. de pond. & menſur. Auguſt. de Civ. l. 18. c. 36. Iſid. Orig. l. 6. c. 2.

cooptaſſe autumant (a). Hujus rei geſtæ tempus ad Darium Hyſtaſpis, quem Aſſueri nomine credimus indicatum, revocamus; in quam rem plura adduximus v. *Aſſuerus*, *Aman*, *Mardochaus*. *Vide noſtr. Præf. in lib. Eſther*.

ESTHON, filius Mahir, & pater Bethraphæ. 1. *Paral*. 4. 11. 12.

ETHAI, filius Rebai, cognomento Gethæus, ex urbe Gabaathoriundus 1. *Par*. 11. 31. Davidi in primis fidiſſimus, cui in bello Abſalomi non ſegnem operam præſtitit. 2. *Reg*. 15. 20.

I. ETHAM, tertia Iſraelitarum ſtatio poſt egreſſum ab Ægypto, *Exod*. 13. 20. *Num*. 33. 6. qui fortè locus ab extremitate Maris Rubri non aberat. Idem fortaſſe eſt, ac *Buthut*, ſivè *Buthum*. Hebræi ex Etham moventes, Pihahiroth petiere.

II. ETHAM, petra Etham, in quam Samſon, poſt combuſtas meſſes Philiſthæorum, confugit (b).

III. ETHAM, ſivè *Ethan*, locus aquis irriguus, atque hortorum elegantia amœnus, duobus *ſchœnis*, ſivè ſexaginta ſtadiis, ſcilicet tea leucis à Jeruſalem, in ora meridionali, quo Salomon recreandi animi gratia non rarò divertebat. Ibidem urbem cognominem fuiſſe conſtat (c).

In itinerariis amœna aquarum fluentu quinque vel ſex leucis à Jeruſalem notantur (d). Has aquas credimus à Pilato in urbem inductas (e), cujus rei fidem faciunt aquæductus rudera adhuc extantia. Sunt (f) qui credant, flumina Ethan, de quibus in Pſalm. 73. 15. eadem eſſe, ac aquas Etham. V. *Athan*, ſive *Athum*.

ETHAN EZRAITES, vir ſua ætate ſapientiſſimus, quamquam Salomone inferior, 3. *Reg* 4. 31. Pſalmus 78. nomine Ethan Ezraitæ inſcribitur (g). Idem eſt ac *Ethan* filius Chuſi, ſivè Chaſiæ è Tribu Levi, & è familia Merari (h), qui etiam non raro *Idithun* appellatur, eoque nomine in fronte plurium Pſalmorum occurrit. Inter Præfectos Muſices in Templo eminebat, 1. *Par*. 15. 17.

ETHAN, filius Sammæ, Levita è familia Gerſom.

ETHAN, *fluvii Ethan*, de quibus in Pſalmo 73. 15. quem locum explicant de aquis *Etham*, ſivè de fluminibus rapidis, juxtà vim Hebraici nominis *Ethan*: quod validum, fortem ſignificat. De fluminibus ab Iſraelitis trajectis, cum in Palæſtinam tenderent, eundem locum Judæi intelligunt, adduntque Arnon non ſecùs ac Jordanem, ſicco alveo tranſitum Judæis exhibuiſſe.

ETHANIM, Menſis nomen apud Hebræos, 3. *Reg*. 8. 2. idem, qui poſt captivitatem *Thizri* appellatus eſt, ac noſtro Septembri reſpondet. In eundem Menſem dedicatio Templi Salomonis incidit.

ETHAROTH, *Ethroth*, ſivè *Atharoth*, cujus nominis plures ſunt urbes; altera nimirum in Tribu Gad (i), quæ fortaſſis eadem eſt, ac *Atharoth-Sophan*, eidem Tribui tradita (k): altera in finibus Ephraim inter Janoe, & Jericho, (l), quæ fortè eadem eſt, ac *Atharoth-Adar*. *Joſ*. 16. 5. & 18. 13.

ETH-BAAL, Rex Sidoniorum, Jezabelis uxoris Achabi pater. 3. *Reg*. 16. 31.

ETHECA, vox apud Ezechielem 41. 15. 16. *Ethechas ex utraque parte centum cubitorum*. Nomen ex Hebræo *Athikim*, ſive *Ethikim*, porticum ſeu ſecretum locum ſignificante, deductum. S. Hieronymus, qui in cap. 41. Ezechielis *Ethecu* vertit, in cap. 42. 3. 5. porticum reddidit; quæ quidem ſignificatio hujus vocis *Etheca* genuina eſt. Verùm in ſuo Commentario legit *Ecthera*, quam vocem ità explicat (m). *Ecthetas Roma appellant ſolaria de Cœnaculorum parietibus eminentia, ſive Mœniana ab eo qui primus invenit*.

ETHEEL, filius Iſaiæ, pater Naſſiæ è Tribu Benjamin. 2. *Eſdr*. 11. 7.

ETHEL, filius Jeraæ, & pater Nathan. 1. *Par*. 2. 35. idem fortaſſe ac *Ethi*, vir inter Davidici exercitus fortiſſimus. 1. *Par*. 12. 31.

ETHER, ſive *Athur*, & *Jether*, prope Malatham 20. milliar. ab Eleutheropoli (n), in Plaga Meridionali Juda. Primò inter urbes Tribus Juda. *Joſue* 15. 42. deinde Tribui Simeonis ceſſit. *Joſue* 19. 7.

ETHNARCHA, Princeps nempe unius populi, & ipſe tamen Regi ſubjectus. Archelaus filius Herodis, Ethnarchiam Judææ ab Auguſto obtinuit. *Joſeph. Antiq. l.* 17. *c.* 13.

EVA, fœmina omnium prima, & Adami uxor. Vide *Heva*.

EVANGELISTA, vir bonum nuncium ferens; quare non de iis tantùm, qui ſcriptis mandarunt, ſed de illis etiam, qui Evangelium Chriſti viva voce nunciarunt, ut tandem de omnibus, qui læti aliquid afferunt, uſurpatur. Dominus apud Iſaiam 41. 27. pollicetur daturum ſe in Sion *Evangeliſtam*, nuncium nempe, & Prophetam, voluntatem ſuam revelaturum. Nomen *Evangeliſta* Philippo, uni ex ſeptem Diaconis, in Actis 21. 8. tribuitur. S. Paulus *Evangeliſtas* inter Apoſtolos, & Prophetas enumerat *Epheſ*. 4. 11. Timotheum verò hortatur, ut miniſterium Evangeliſtæ impleat. 2. *Tim*. 4. 5. Crebri fuere primis Eccleſiæ ſæculis Evangeliſtæ, qui nullis Eccleſiis addicti, pro Spiritus S. ductu, regiones Evangelica prædicatione percurrebant (o). Illud vero nomen uſus obtinuit, ut Sanctis Matthæo, Marco, Lucæ, & Joanni, quatuor Evangeliorum Canonicæ authoritatis ſcriptoribus, tribuatur.

EVANGELIUM, ex Græco *Evangelion*, bonum nuncium, quod quidem nomen jure optimo de hiſtoria vitæ, miraculorum, & rerum geſtarum Jeſu Chriſti uſurpatur; quid enim jucundius homines audire potuerunt? De hac hiſtoria late agemus v. *Jeſus Chriſtus*. Præter quatuor Evangelia, nempe SS. Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis, nulla præterea alia inter Canonica recenſemus. Quamquam plura eodem nomine inſcripta paſſim occurrunt; apocrypha tamen, quorum adhuc multa ſuperſunt. Horum Catalogum hic ſubjicimus.

1. Evangelium ſecundùm Hebræos. 2. Evangelium ſecundùm Nazaræos. 3. Evangelium duodecim Apoſtolorum. 4. Evangelium S. Petri. Hæc quatuor Evangelia unum facilè ſunt Evangelium S. Matthæi, ab Hæreticis Nazaræis corruptum. 5. Evangelium ſecundum Ægyptios. 6. Evangelium Nativitatis SS. Virginis. Extat Latinè. 7. Evangelium S. Jacobi. Extat Græcè, & Latinè, Protevangelium S. Jacobi. 8. Evangelium Infantiæ Jeſu. Extat Græcè, & Arabicè. 9. Evangelium S. Thomæ. Idem eſt ac præcedens. 10. Evangelium Nicodemi. Extat Latinè. 11. Evangelium æternum. 12. Evangelium S. Andreæ. 13. Evangelium S. Bartholomæi. 14. Evangelium Apellis. 15. Evangelium Baſilidis. 16. Evangelium Cerinthi. 17. Evangelium Ebionitarum. 18. Evangelium Encratitarum. Idem ac Evangelium Tatiani. 19. Evangelium Evæ. 20. Evangelium Gnoſticorum. 21. Evangelium Marcionis. 22. Evangelium S. Pauli. Idem ac ſuperius. 23. Parvæ, & magnæ Interrogationes Mariæ. 24. Liber Nativitatis Jeſu Chriſti. Idem fortaſſis ac Protevangelium S. Jacobi. 25. Evangelium S. Joannis, alio nomine Liber obitus SS. Virginis. 26. Evangelium S. Matthiæ. 27. Evangelium Perfectionis. 28. Evangelium Simonianorum. 29. Evangelium ſecundùm Syriacos. 30. Evangelium Tatiani. Idem ac Encratitarum. 31. Evangelium Thaddæi, ſeu S. Judæ. 32. Evangelium Valentini. Idem ac Evangelium

Ff a Veri-

(a) Talmud. in Baba Batra. c. 1. Rabb. plures. (b) Judic. 15.
(c) Joſue 15. 60. in Græco LXX. & 1. Par. 4. 32. & 2. Par. 11. 6. & Joſeph. Antiq. l. 8. c. 2. 3.
(d) Cotovic. Le Brun, Pater Roger. (e) Joſeph. de Bello l. 2. c. 13. (f) Iſidor. Peluſ. l. 2. Ep. 66.
(g) Vide noſtr. Supplem. (h) 1. Paral. 6. 44. (i) Num. 32. 33.
(k) Num. 32. 35. (l) Joſue 16. 6. (m) Vide novam edit. Hieron. p. 714.
(n) Euſeb. & Hieron. in Jether., & Ether. (o) Vide Grot. ad Act. 21. 8.

Digitized by Google

Veritatis. 33. Evangelium Vitæ, ſeù Dei Viventis. 34. Evangelium S. Philippi. 35. Evangelium S. Barnabæ. 36 Evangelium S. Jacobi Majoris 37. Evangelium Judæ Iſchariothæ. 38. Evangelium Veritatis. Idem ac Valentini. 39. Pſeudo-Evangelia Lucii, Seleuci, Luciani, & Heſichii.

Conſulendi Cl. Fabricius in Libro, cui titulus: *Codex Apocryphus Novi Teſtamenti &c.* & noſtra Diſſertatione in Evangelia Apocrypha, initio Commentariorum in S. Matthæum.

Veteres Hæretici ex Evangeliis vulgò errores ſuos ſivè tuebantur, ſivè excuſabant. Nec defuere, qui veris rejectis, falſa Evangelia ſubſtituerent, uti Apellis, Baſilidis, Cerinthi, & aliorum. Alii tandem vera falſis miſcuere, ſive aliquibus detractis interpolarunt: ita Nazaræi Evangelium S. Matthæi corruperunt, Marcionitæ unicum, quod admittebant, S. Lucæ Evangelium, fœdè mutilarunt; Alogi, quòd damnationem ſuam ex Evangelio S. Joannis eludere non poſſent, cæteris admiſſis, illud tantummodò repuerunt: Ebionitæ, Cerinthiani, & Valentiniani ex quatuor unicum tantùm Evangelium probabant; primi S. Matthæum, alteri S. Marcum, tertii S. Joannem.

(Miſſum à Deo ad Jeſum Chriſtum Evangelium intercidiſſe jam vel ſaltem ad nos deveniſſe corruptum defendunt Mahometani. Cenſent proinde, ut nihil ex illo urgeri poſſit, ratumque haberi niſi quod congruit Alcorano, Operi à Mahometo ſcripto, qui ſanè vir nec Evangelium legerat unquam, nec legere utique poterat, ſi voluiſſet. Laudat ille quidem nonnullas ex Evangelio ſententias; ſed parùm exactè, tanquam vix ab aliis audita referens, quæ parum ipſe norat, non ſuamet ſcientia comperta. E. g. ita recitat ſalutationem Angelicam (a): *O Maria, certè Deus annunciat tibi Verbum ex ſe, nomen ejus erit Chriſtus Filius Mariæ, conſpicuum in hoc Mundo, & in futuro ſæculo, & ex approximatis Deo. Et alloquetur homines in cunis, & ætate provectus, & erit ex probis.*

Ita verò orantem Jeſum inducit, alio planè orandi ſpiritu, quàm quo nos eum ſolemnem illam precationis formam tradens, docuit: *Pater noſter.*

Deus meus, malum, quod deteſtor, à me removere non valeo, nec acquirere poſſum bonum, quod ſpero. Alii quidem præmium ſuum receperunt, ego mercedem operis mei adhuc expecto. Nemo egenus pauperior me eſt. Veniam mihi concedas, o Deus magne; ne permittas me Domine onerare opprobriis inimicum meum, vel ab Amico meo contemni: nec afflictionis ſit mihi argumentum mea religio, nec amoris mei objectum mundus, non ſtudii, non voluntatis. Ne mihi Dominum imponas, qui mei non ſit compatient. Concedas mihi hæc per miſericordiam tuam, o miſericordiſſime omnium qui miſerentur.

Mahometi Diſcipuli habent perſuaſum, expuncta fuiſſe à Chriſtianis plota, quæ Mahometo faverent.

Quanquam Apoſtolus nullum per ſe ſcripſit Evangelium, ſæpè tamen provocat ad Evangelium ſuum (b): *Secundùm Evangelium meum*, vel inſinuans Evangelium J. C. quod revelatione didicerat ſe prædicabat; ſive Evangelium S. Lucæ, quod à ſe potiſſimùm S. Lucæ dictatum fuerat, vel ſaltem de ſuo conſilio ita ſcriptum ab Evangeliſta, ut ſimul ſcribenti operam ſuam conferret; vel tandem id ſcripſerit S. Lucas, quod ab ore prædicantis Apoſtoli præceptoris ſui didicerat; ſolemne eſt autem ut Diſcipuli Opera Magiſtro vindicentur. Ita Veteres (c).)

EUBULUS, S. Pauli Diſcipulus (d), cujus Feſtum apud Græcos die 28. Februarii colitur.

EUCHARIS, vox, juxtà vim Græcis vocabuli, gratum, ac jucundum ſignificans; *Lingua Eucharis in bono homine abundat, Eccli. 6. 5.* Pro *Eucharis* Græcus legit *Eulalos*, bene loquens.

EUCHARISTIA, vox, qua Eccleſia Catholica Sacramentum illud in Miſſæ Sacrificio confectum exprimit, in quo ſub panis vinique ſpeciebus verùm Chriſti Corpus, & Sanguis continetur. Idcircò Euchariſtia appellatur, quod Chriſtus in ejus inſtitutione gratias egit Deo, fregit panem, & calici benedixit *Matth.* 26. 27. *Euchariſtia* ſiquidem Græcè eſt actio gratiarum, & Hebræo *Barach*, benedicere, ſive *Hodah*, laudare, reſpondet.

EVERGETES, Græca vox, *beneficum* ſignificans, Ptolemæorum III. & VII. Ægypti Regum cognomentum.

EVI, unus ex Principibus Madian, in bello per Moyſem in ipſos lato occiſis (e).

EVILMERODACH, Nabuchodonoſoris Magni, Babylonici Regis filius, & ſucceſſor: quamquam & antea toto ſeptennio, quo ille phreneſi, qua in bovem transformatus ſibi videbatur, laboravit, idem Regnum adminiſtrarat (f). Poſtquàm Nabuchodonoſor reſipuit, Evilmerodach ſceptrum reddere coactus, quin & in carcere uti creditur, ab eodem Rege detentus eſt (g). Dum captivus detinebatur, fortè cum Jechonia Rege Juda, Regno à Nabuchodonoſore, & libertate ſpoliato, neceſſitudinem iniit; ex quo factum eſt, ut Evilmerodach rerum potitus, eundem Regem libertati reſtitutum, amiciſſimum, atque inter aulæ ſuæ Reges ſummo in loco haberet (h).

Hebræi cum S. Hieronymo, aliiſque pluribus (i) tradunt, Evilmerodacho poſt mortem Patris rerum potiri volenti, aulæ Magnates obſtitiſſe, veritos ne Nabuchodonoſor adhuc viveret; quare Evilmerodachus ipſe ut eos à metu liberaret, cadaver patris è ſepulchro extractum, per urbis vias raptari coram omnibus juſſit. Addunt aliqui Jechoniam authorem illi fuiſſe, ut Regis cadaver è tumulo extractum, & in fruſta comminutum, trecentis corvis vorandum exhiberetur, ne ut olim in hominem ex bove, ita nunc in vitam ex mortuo rediret.

Evilmerodacho uno tantum anno ex noſtra ſupputatione rerum potito, Balthaſſar ipſius filius ſucceſſit, quamquam Joſephus *Antiq. l. 10. c. 12.* S. Hieronymus *in Dan.* 5. aliique nonnulli, hunc Balthaſſarem nonniſi poſt Nerigliſſorem, & Laboroſoarchodum, immediatos Evilmerodachi ſucceſſores, regnaſſe tradunt; quam difficultatem alibi latè diſcuſſimus (k).

(EULÆUS amnis. Vide infra *Ulai*.)

EUMENES, Bithyniæ & Pergami Rex (l), qui junctis viribus cum Romanis, bellum in Antiochum Magnum egit, atque in præmium, Regiones *Indarum, Mediæ, & Lydiæ* retulit, ut in Textu Machabæorum legimus. Fortaſsè tamen ità legendum eſſet, Regiones *Joniæ, Myſiæ, & Lydiæ* (m).

EUNICE, S. Timothei mater (n), quæ, licèt religione, Judæa, Paganum conjugem habuit, ex quo S. Timotheus ortus eſt (o). Apoſtolus cum Lyſtras veniſſet, Eunicem, & Timotheum jam Chriſtianos, & gratia, & virtute plurimùm profeciſſe invenit.

EUNUCHUS, ex Græco *Eunuchos*, nempe vir lecti cuſtos: ſolebant enim Reges Orientis Regalium conclavium cuſtodiam Eunuchis committere. Quod in fœminis maximè ſervabatur; quippe quæ longè ab hominum conſortio, & aſpectu detinebantur.

Vox

(a) Alcoran. Surat. 3. (b) Rom. 2. 16. & 16. 25. & 2. Timoth. 2. 8.
(c) Hier. de Script. Eccleſ. Pſeudo-Athan. in Synop. Tertullian. l. 4. contra Marcion. c. 5. Euſ. l. 3. c. 4. & l. 5. c. 26.
(d) 2. ad Timoth. 4. 21. (e) Num. 31. 8. A. M. 2553. ante Chr. 1447.
(f) Dan. 4. 29. A. M. 3435. ante Chr. 565. ante Ær. 569. (g) Dan. 4. 31. 33. A. M. 4443. ante Chr. 557. ante Ær. 561.
(h) 4. Reg. 25. 27. Jer. 52. 31. A. M. 3444. ante Chr. 556. ante Ær. 560.
(i) Hieron. in Iſai. 14. 19. Haimo & Hugo in Iſai. 14. Hiſt. Schol. in Dan. 5. Toſt. in 4. Reg. 25.
(k) Vide noſt. Diſſer. de Magn. Monarch. Orient. ante Iſa. & noſtr. Comment. in Dan. 5. 1., & noſt. Hiſt. Vet. Teſt.
(l) 1. Mach. 8. 8. (m) Vide Comment. in 1. Mach. 8. 8. (n) 2. ad Timoth. 1. 5. (o) Act. 16. 1. 2.

Digitized by Google

Vox Hebræa *Saris* Eunuchum verè talem, ſive qui ex natalibus, ſive qui arte hominum eſſet, ſignificat. Sæpè tamen nomen illud, non ſecus ac Græcum *Eunuchos*, & Latinum *Eunuchus*, in S. Scriptura de Miniſtris Principis intimis, atque domeſticis, licèt interdum Eunuchi non eſſent, dicitur. Hinc nomen illud erat Officii, & Dignitatis; quamquam noſtra ætate apud Perſarum, & Turcarum Reges, prima Palatii munera à veris Eunuchis poſſidentur. Putiphar Eunuchus Pharaonis, & Joſephi herus, uxorem, & filios habebat, *Gen.* 39. 1. 7. & 41. 45.

Lege Moſaica vetitum erat homines, & bruta amputare, *Levit.* 22. 24. & in Deuteronomio 23. 1. hæc de Eunuchis ſancita ſunt: *Non intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro, Eccleſiam Dei.* Hæc autem verba non una ratione intelliguntur; ſunt enim, qui illis cautum aſſe autument, ne eunuchi Iſraeliticis fœminis nubant (a). Sunt qui interdictos velint eunuchos ab ingreſſu Templi (b); ſunt, qui prohibitos cenſeant ab obeundis Magiſtratuum dignitatibus (c). Veriſimiliùs tamen ea Lege ſancitum eſſe credimus, ne genus illud hominum externorum ad participationem privilegiorum, quibus fruebantur Iſraelitæ, ut populus Domini, admitterentur; arida enim veluti ligna in Republica habebantur. *Ecce ego lignum aridum.* *Iſa.* 56. 3. A felicitate verò, & præmiis, Juſtis Divinam Legem obſervantibus promiſſis, Eunuchi cæterùm fideles non excludebantur: *Hæc dicit Dominus Eunuchis; qui cuſtodiant Sabbatha mea, ... & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus.* *Iſai.* 56. 3.

Regibus Juda, & Iſraelis *Sariſim*, nempè Eunuchi, non deerant (d); ſed hi fortaſſe Eunuchi non re, ſed munere, vel ſervi alienigenæ fuerunt. Aliud Eunuchorum genus, longè ab his diverſum Chriſtus in Evangelio diſtinguit, eorum ſcilicet, qui pietatis, & religionis gratia omni voluptatum carnalium uſu abdicato, cælibem vitam agentes, ſe *propter regnum Cælorum caſtraverunt.* *Matth.* 19. 12. Quorum verborum vim minimè aſſecuti Origenes (e), & alii ex veteribus Hæreticis, Eunuchorum ſtatum Chriſti conſilio ob Beatitudinem conſequendam commendatum credidere.

EUNUCHUS REGINÆ CANDACIS. Vide *Philippus Diaconus.*

(EVOCATIO animæ Samuelis. Vide in Dictionario V. *Samuel.*)

EVODA, ſive *Evodia*; cujus meminit S. Paulus *Philip.* 4. 2. Virne eſſet an fœmina, ambigitur; quædam enim Mſs. Græca *Evodium* maſculino nomine, impreſſa verò, & ferè omnia Mſs. *Evodiam* fœminino nomine nuncupant. Evodiam, & Syntichem veriſimiliter duas fuiſſe honeſtiſſimas fœminas, & maximo S. Paulo pro Evangelio laboranti auxilio, opinamur. Duas haſce inter ſe diſſidentes, incertum qua de cauſa, ut tandem conveniant S. Paulus orat, obteſtaturque. Alii verò credunt (f), Syntichem virum fuiſſe, Evodiam verò fœminam, quos S. Paulus ad priſtinam concordiam revocare conatur. Verùm in Martyrologio in numero SS. Mulierum Syntiche die 22. Julii recenſetur; quare Evodiam, & Syntichem, vulgò tanquam duas fœminas habitas intelligimus.

EUPATOR. Vide *Antiochus Eupator.*

EUPHRATES, amnis celeberrimus, qui è montibus Armeniæ devolutus, fines Cappadociæ, Syriæ, Arabiæ Deſertæ, Chaldææ, & Meſopotamiæ perluit, ac tandem in Sinum Perſicum influit. Noſtris quidem temporibus communi cum Tigri alveo in mare defertur; olim verò peculiarem habebat. Hujus veteris alvei veſtigia Plinii ætate ſupererant (g). Quartus erat inter amnes, quorum fontes in Terreſtri Paradiſo videbantur. *Gen.* 2. 14. In Scriptura ſæpè magnus fluvius appellatur, limeſque Orientalis terræ promiſſæ à Deo Iſraelitis ſtatuitur (h). Plurium Scriptorum teſtimonio legimus, Euphratem auctum liquatis è montibus Armeniæ nivibus tumentem, ſubjecta arva non ſecus ac Nilum inundare (i), quod ipſe Scriptor Eccleſiaſtici innuit. *Eccli.* 24. 36.

(Deſinit hic amnis è montibus Armeniæ, unde & Tigris. Communes utique fontes aſſignarunt Veteres: *Lucan. Pharſal. l.* 3.

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diverſis fontibus edit
Perſis......

& Boethius de Conſolatione l. 2. car. 1. (k).

Tigris & Euphrates uno ſe fonte reſolvunt,
Et mox abjunctis diſſociantur aquis.

Sed modò falli illos compertum eſt; magno enim intervallo fontes habere utroſque amnes inter ſe diſtantes, ſat conſtat. Plinius l. 5. c. 24. & Strabo l. 11. Euphratis exordia conſtituunt in monte Abo vel Aba Armeniæ, qua in re ita ambo conveniunt, ut in cæteris fermè omnibus diſcrepent. Si Straboni fides, ſurgit amnis è latere ſeptemtrionali Montis Tauri, defluitque primùm ad occidentem, tum vergit ad meridiem. Plinius verò oculatorum teſtium authoritate affirmat, è ſeptentrione ad meridiem excurrere, tum flectere ad occidentem.

Euphratem diſtinguunt Arabes (l) in majorem, & minorem; major è ſuis fontibus in montibus Gordiis exordium fluendi ducens, tandem devolvitur in Tigrim juxta Anbar & Pelongiah. Minor, qui ſæpè latiori alveo expatiatur quam major, Chaldæam versùs curſum ſuum inſtituens, perluit Chouſac, influitque in Tigrim inter Vaſith & Naharvan, ad locum cui hodie nomen eſt *Carna*, i. e. cornu, nomine indito ex cornu, quod duo amnes major, & minor Euphrates in unum confluentes formant.

E' minori Euphrata in majorem tranſmeant navigia per canale ductum à Trajano: Ipſum eſt *Foſſa Regia* vel *Baſilius fluvius* Græcorum, & Romanorum, Syris *Nahar-malca*, quod Severus Imperator tranſmiſit, copias ducens in Cteſiphontem urbem ad Tigrim. Tanta vi aquæ in Sinum Perſicum aguntur, ut impreſſus Euphratis aquis impetus ab ejus oſtio 30. leucis infra perſeveret. Euphratis aquas ſalubres eſſe maximè & præſentiſſimas in morbos omnis generis cenſent Arabes.)

I. EUPOLEMUS, filius Joannis, unus ex Legatis à Juda Machabæo Romam miſſis (m).

II. EUPOLEMUS, Scriptor, incertum cujus ætatis; certè tamen ſub Regibus Hebræorum. Hunc laudant Joſephus (n), S. Clemens Alexandrinus, & Euſebius.

EUTYCHUS, adoleſcens Troade oriundus, qui Paulum Apoſtolum diſputantem cum cæteris Diſcipulis audiens, in feneſtra conſedit, a qua ſomno fortè correptus, in ſubjectam viam è tertio ſolario domus corruit. Quo viſo, S. Paulus ad illum procurrens, toto corpore cadaveri incumbens, ſuo amplexu fovit, vivumque fratribus reſtituit (o).

(EXCANTATIONES. Excantationes omnes, & Excantantes damnat lata à Deo Lex. Porrò excantationes illas non una voce habes expreſſas; 1. *Lucaſch*

(a) Rab. Salom. Abenezra, Abarb. Lyr. Vat. &c.
(b) Philo de victim. offer. (c) Muis, Jun. Gerard. Bonfrer. Tirin.
(d) 1. Reg. 8. 15. & 3. Reg. 22. 9. & 4. Reg. 9. 32. & 24. 12. &c. & 1. Par. 28.
(e) Orig. in Matth. 1. 15. Hæret. Valeſii apud Aug. Hær. 37. & Epiph. Hær. 58.
(f) Quid. apud Theoph. & Eraſm. &c. (g) Plin. l. 6. c. 27. & 28. (h) Deut. 1. 7. Joſ. 1. 4.
(i) Strab. l. 16. Plin. l. 18. c. 17. & 18. Solin. c. 50. &c. (k) Vide & Q. Curt. l. 5. & Salluſtii fragmenta.
(l) D' Herbelot Bibliot. Orient. pag. 353. (m) 1. Machab. 8. 17. A. M. 3843.
(n) Contr. Appion. l. 1. Clem. Alex. l. 1. Strom. Euſeb. Præpar. l. 9.
(o) Act. 20. 10. A. Chr. 60. Ær. 57.

Pſal. 57. 6. Iſaiæ 26. 16. &c. quod ſonat ad literam muſſitare; ſolent enim magica quædam obmurmurare Magi, dum excantant. Utitur Moyſes verbo *Latim*, ſecreta, cùm de Magorum excantationibus coram Pharaone tractat. *Exodi* 7. 12. In eam rem pariter adhibita legitur vox *Caſſaph.* 2. *Par.* 33. 6. *Jerem.* 27. 8. præſtigiatores, faſcinatores, quidquid inſuper oculos & ſenſus præſtigio quodam rapit. Vox etiam *Chabar Deut.* 18. 11. *Pſ.* 57. 6. eſt ſociare, adunare, colligere, quod potiſſimum valet de excantantibus angues, ſuis enim artibus illos ita cicurant, ut poſita feritate, atque veneno, quin & moribus illis intractabilibus, mites eos reddant & ſociabiles.

De ſingulis hiſce excantandi generibus ſuppetunt exempla. Solemne eſt Magis, Veneficis, & Excantatoribus Scripturæ, ut magica quædam obmurmurent, qui cùm voces velut in imo ventre concipere videantur, inde nomen *ventriloqui*; ſecreta pariter affectant myſteria, ut ambagibus illis vanitatem, abſurda, & probra artis ſuæ honeſtent. Sæpè, quam jactitant, magia, tota eſt ſubdolæ artis callidum commentum, ſive enim dexteritate ſe movendi valent, vel medicaminibus latentibus & occultis; quare noctem amant & tenebras; negant inſuper interdum prodigia ſua exhibere, niſi apud vulgus indoctum ac rude, nihil magis præcaventes, quam ſerium & grave rerum ſuarum examen, lucem, ac virorum, quorum perſpicax ingenium, præſentiam.

Quod attinet ad Magos Pharaonis, ideò à Principe adhibitos, ut prodigia Moſaica imitarentur, hæc utique omnia deputanda ſunt ad præſtigia, & ad ludibria, quibus ſpectantium oculi capti ſunt (a); vel ſaltem, ſi genuinis illos prodigiis valuiſſe teneamus, tranſmutatis virgis ſuis in angues, aquis Nili in ſanguinem, cæteriſque, factum id credo applicatis cauſis ſecundis ad producendos effectus valentibus, effectus unquam, re ipſa tamen à virtute Dei pendentes, qui certam quandam formam rebus indit, vel motu materiam ciet (b); cùm autem rerum iſtæ tranſmutationes leges naturæ ſtatas ſuperent, vulgò reputantur prodigia.

Nunquam tamen permittit Deus, ut patrata à malis Spiritibus in ſpeciem prodigia eam habeant vim, qua nos cogant in errorem; ſive enim permiſſæ illis poteſtati certos quoſdam fines conſtituet, uti ſe ipſa præſcripſit Magis Pharaonis, qui cùm producendis muſcis impares ſeſe intellexiſſent, fateri coacti ſunt Dei manu juvari Moyſem (c); vel ſaltem ipſi ſe impoſtores produnt ſeu doctrinæ ſuæ pravitate, ſeu morum impietate, ſeu vitiorum admiſſione: quibus omnibus indiciis diſtinguendos docet Moyſes Prophetas, qui malo Spiritu agerentur Deut. 13. 1. 2. &c. *Si ſurrexerit in medio tui Propheta, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos . . . . . non audies verba illius, quia tentavit vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non.*

Excantationes anguium, curationes plagarum inductæ per carmina, metamorphoſes illæ, de quibus S. Auguſtinus & Apulejus, tranſmutati ſcilicet hominis in aſinum, in camelum, vel in bruti quodcumque genus, familiariſſimè apud Veteres obtinebant. Meminit Pſalmiſta Pſ. 57. 5. *Aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, quæ non exaudit voces incantantis, venefici incantantis ſapienter*; arte ſcilicet, induſtria & ingenio, Hebræus ad literam: *Vocem muſſitantium, & qui excantationes adhibent peritè*; ſeu vocem cicurantis, ſeu mite ingenium inducentis anguibus. Jeremias Dei verbis hæc in Judæos minas intentat cap. 8. 17. *Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos* (pernicioſos,) *quibus non eſt incantatio.* Et Eccleſiaſtes 10. 11. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Verſiones habent: *Si momorderit, ut non ſit in Incantatore emolumentum.* De Excantatoribus angues enecantibus ſermo eſt etiam Job 40. 25. *Concident eum amici?* (Leviathan Excantatores). Eccleſiaſticus 12. 13. *Quis miſerebitur Incantatori à ſerpente percuſſo?*

Agnoſcit S. Auguſtinus, de Gen. ad literam l. 11. c. 28. Marſos Italiæ populos olim excantandorum ſerpentium artes calluiſſe: *Putantur audire & intelligere ſerpentes verba Marſorum, ut eis incantantibus proſiliant plerumque de latebris.* Sæpè Excantatoribus ſat erat ab anguium infeſtatione locum liberare. Lucan. l. 9. v. 913.

Primùm quas valli ſpatium comprehendit arenas,
Expurgat cantu, verbiſque fugacibus angues.

Nonnunquam diſrumpi cogebant. Ovid. Met. fabul. 2. de Medea.

Viperas rumpo verbis & carmine fauces.

Sæpè ſtupor quidam & rigor membrorum inductus, coactique efferatos cicurare mores. Virg. Æneid. 7.

Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat.

Origenes Hom. 20. in Joſue, & Euſebius in Pſal. 57. agunt de excantationibus anguium tanquam ætate ſua in Palæſtina familiaribus. Nec aliis frequentius pharmacis quàm e cantationibus, in venenatos ſerpentis ictus uſos Indos perhibet Nearchus, qui Alexandro Magno in ſuis expeditionibus adhæſerat; aſſeritque plures apud eas gentes hanc vitæ profeſſionem exercuiſſe. Pſylli & Marſi non exſuctione tantùm plagas curabant, ſed & vendebant magicas quaſdam laminas præſentiſſima in morſus anguium amuleta (d).

Excantare morbos, ſanguinem carminibus ſiſtere, morſus ſerpentum curare, excantare gravedines, & rheumatiſmos tam nota ſunt Priſcis, quàm quid aliud. Affirmat Pindarus Pyth. Ode 4. Chironem Centaurum morbi quodcunque genus depuliſſe excantationibus; ſicut eadem arte valuiſſe plurimùm Æſculapium in febres, ulcera, vulnera, & dolores, quibus medendis mites quaſdam excantationes adhibebat, potiones inſuper, remedia topica, & inciſiones. Repreſſum etiam ſanguinem è vulnere Ulyſſis fluentem excantatione tradit Homerus Odyſſ. T. Luxato membro præſentiſſima carmina quædam recitat Cato de re Ruſt. c. 160.

Muſica etiam & cantilenæ, quod excantationis genus eſt quoddam, depellendis morbis ſive ſpiritus languefcentis, ſive è turbata paſſionum œconomia inductis, valebant plurimùm. Multiplici experimento compertum id ſibi affirmat Galenus de Sanit. tuen. l. 1. c. 8. addens juvari ſe pariter in rem præſentem authoritate Æſculapii gentilis ſui, qui muſicorum inſtrumentorum concentu illius ſolabatur, quorum temperaturam abundans calor vitiabat; affirmatque Plato in Theodoſt. obſtetrices Athenienſes faciles induxiſſe partus ope carminum & excantationum.

Hebræi, gens ſi quæ alia unquam in ſuperſtitionem prona, ne eo malorum devenirent, ut carminibus & excantationibus pararent ſibi in morbis remedium, prohibiti ſunt ex Lege, excantationum & magiæ quodcunque genus vetante; continuit illos pariter in obſequium authoritas Regum, & Sacerdotum ſedulò invigilantium, ut ſuperſtitionibus omnibus viam præciderent. Veſtigia tamen apud ipſos quædam deprehenduntur ſuperſtitionis ejuſmodi in morbos, Quin nec deſunt authoritatem illi conciliare exemplo Moyſis, qui æneum ſerpentem levari juſſit in haſtam *Num.* 21. 8. 9. quo morſu anguium *Saraph* correpti in illum reſpicerent, reſtituerenturque valetudini. Animadvertimus jam morem excantandi ſerpentes, & carminibus parandi in illos remedia, obtinuiſſe apud Iſraelitas; Dei

enim

(a) Philo l. 1. de vita Moſ. Joſeph. Antiq. l. 2. Juſtin. q. ad Orthodox. q. 22. Juſtin. in Dialog.
(b) Aug. q. 21. in Exod. & de Civit. l. 18. c. 18. D. Th. 1. parte qu. 104. art. 41. & 2. 2. qu. 178. Eſt. ad 2. &c.
(c) Exodi 8. 18. 19. (d) Arnob. l. 2.

enim verbis minitatur Jeremias 8. 17. futurum ut immittat in illos Deus angues adverſus excantationes omnes morſibus ſuis pervicaces; & Eccleſiaſticus 12. 3. notat excantatorem, ſi fortè morſu anguis corripiatur, neminem commiſeraturum. Saul muſicam, & lyram manu Davidis pulſatam præſentiſſimam nactus eſt compeſcendæ furentis melancholiæ impotentiæ, atque augenti intus Dæmoni coercendo 1. *Reg.* 16. 14. 15.

Affirmat Joſephus Antiquit. lib. 8. cap. 11. Salomonem recepiſſe à Deo virtutem Dæmones pellendi; quam in rem præſentiſſima ſcripſiſſe carmina, paraſſe excantationes, ac tandem adjurationes in Dæmones. Quam etiam inducendi valetudinem rationem obtinuiſſe perhibet ſua adhuc ætate apud Judæos, cujus gentis Eleazar quidam, ejuſmodi artium gnarus, inſertam habebat in anulo radicem quandam à Salomone indicatam, cujus virtute ab iniqua Dæmonis inſeſſione plures coram Veſpaſiano Imperatore ejuſque filiis liberaverat. Rex Ezechias abuti populum ſerpente illo æneo à Moyſe conflato intelligens, aboleri illum juſſit 4. *Reg.* 18. 4.; igni etiam tradidiſſe fertur Libros de Medicina ſcriptos, qui Salomoni Authori tribuebantur.)

EXCELSA. Hebræis *Bamoth*. Horum frequens eſt in Scripturis mentio (a); nec rarò Prophetæ Iſraelitis exprobrabant, quòd in excelſis adorarent. Porrò pauciſſimi Reges eo in Legem ſtudio ferebantur, ut excelſa deſtruerent; plures enim, quamvis non mali, populum tamen ſacrificia in excelſis offerentem tolerarunt.

Ante Templi ædificationem excelſa veri Dei ſacrificiis deſtinata, permiſſa ſunt. Sub Judicum regimine tolerata fuiſſe ex eo etiam conſtat, quòd Samuel extra Tabernaculum, & longè ab Arca ſacrificia obtulerit. Sub Davide in Silo, Hieroſolymis, & Gabaone Deo litabatur. Poſt ædificatum Templum, ſedemque Arcæ in eo conſtitutam, extra illud ſacrificia offerre nefas habebatur. Salomon initio Regni ſui religioſa quidem peregrinatione Gabaonem petiit; exinde tamen ſacrificia ritè extra Templum oblata nunquam occurrunt.

In Regno Iſraelitico frequentiſſima erant excelſa, cùm populus loca ſeligeret Patriarcharum, & Prophetarum domicilio, ſiva viſionum Domini memoria conſecrata, ut in illis cultum Domino impenderet. Huic cultui, ut ritè fieri cenſeretur, nihil præterquam locus electus à Deo deerat. Non rarò tamen in excelſis Idola colebantur, quibus fœdiſſimi cultus in lucis, antris, & tentoriis celebrabantur; quod in cauſa fuit, cur ſanctiſſimi Reges ad ea deſtruenda totis viribus incumberent.

EXCOMMUNICATIO. Eccleſiaſticæ in impios animadverſionis genus, qua ab Eccleſiæ commercio, & ſpiritualium bonorum participatione ſegregantur. Excommunicationis verò duæ ſunt ſpecies; majoris nempe, qua impii è cæterorum Fidelium congreſſu arcentur, qua cenſura S. Paulus inceſtuoſum Corinthium inuſſit (b); & minoris, qua adminiſtratio, & participatio Sacramentorum interdicitur; cum Fidelibus tamen ſocietas permittitur. Hujus à cæteris Fidelibus ſegregationis meminit S. Paulus 2. *Theſſal.* 3. 6. *Denunciamus vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis:* Et infra verſ. 14. *Si quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur.* Videndus etiam in hanc rem S. Auguſtinus (c), Regula S. Benedicti c. 24. 26. ac Theophylactus *in* 2. *Theſſal.* 7. qui hanc ab Eccleſia reſciſſionem inter maximas pœnas habitam fuiſſe teſtatur.

Parcius quidem in Veteri Eccleſia, nec niſi graviſſimis de cauſis, & ſummo ejuſdem Eccleſiæ mœrore, eo puniționis genere in Fideles animadvertebatur. Porro excommunicatio alia eſt *medicinalis*, alia *mortalis*; primæ olim ſubdebantur pœnitentes, qui nonniſi poſt exactam impoſitam illis pœnitentiam, Fidelium conſortio reſtituebantur; ſecunda Hæretici, peccatores impœnitentes, & Eccleſiæ perduelles puniebantur. Ferendæ excommunicationis poteſtas pars eſt authoritatis à Chriſto Apoſtolis per claves commiſſæ; ex Apoſtolis verò in Epiſcopos derivata.

Omnes excommunicationis cauſæ ad tres potiſſimùm revocari poſſunt; errorem nempe, crimen, & inobedientiam. Olim ſpiritualis gladius nonniſi ſpirituales ob cauſas adhibebatur; deinde verò impiorum conatus in viros, & bona Eccleſiaſtica, eadem cenſura repreſſi. Eccleſiæ initio excommunicationis ritus facilis erat, & promtus; indicta enim quibuſdam ſeparatione à cœtu Fidelium, ſtatim illi dicto obtemperantes erant: ſucceſſu temporis præceptis minæ, anathemata, & ſententiæ excommunicationis additæ; tandem ob terrorem incutiendum aptas cæremonias addere viſum eſt, ut candelarum incenſiones, & extinctiones, quæ in terram projectæ pedibus proculcantur, maledicta in excommunicatum &c.

Porrò excommunicati primo à cœtu Fidelium ſegregabantur, neque Religioſis congreſſibus, neque uſu Euchariſtiæ, communibus precibus, cæteriſque Sacramentis adeſſe permittebantur; quin & ab omnibus mutuæ charitatis officiis, quibus fortius Eccleſiæ corpus colligatur, reſcindebantur. Quare ea cenſura affecti, tamquam Publicani, & Pagani, juxta Evangelii phraſim, habendi ſunt (d). Verùm ab iis officiis, quæ non fidelem quidem, ſed hominem, civem, patrem, conjugem, & Regem jure naturæ, Gentium, & civili ſpectant, non interdicuntur. Siquando autem Apoſtolus nullum nos commercium cum excommunicatis habere jubet, ne menſæ quidem, neque ſalutationis (e); ejus verba de iis intelligenda ſunt, quibus ea ſocietatis officia libera ſunt, non de iis, qui jure naturæ & Gentium ad ea tenentur.

Excommunicationis Judæorum uſus jam inde à Barac & Deboræ ætate, ſi Rabbinis fides ſit (f), obtinebat. In Cantico Deboræ hæc verba occurrunt *Jud.* 5. 23. *Maledicite Terræ Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortiſſimorum ejus.* In Meroz igitur, reboantibus 400. tubis, cenſura pronunciata eſt, ut narrant Judæi; Barac, qui nomine Angeli Dei eo loco ſignificatur, illum, ejuſque habitatores devovit. Verùm hoc exemplum longè profectò abeſt à vindicanda excommunicationis vetuſtate; ejus uſus ſanè ſub Eſdra, & Nehemia, luculentiùs probatur, (g), cùm à cœtu Fidelium ſegregati ſunt ii, qui fœminas alienigenas illegitimè ductas repudiare noluerunt; ipſique Iſraelitæ eodem tempore ad Legis obſervantiam ſub anathematis pœna ſe coegerunt.

Eſſenii vitæ ſuæ profeſſionem ineuntes (h), diris ſe ſacramentis ad ſuas leges ſervandas adigebant, ejuſque fidei violatores è cœtu expulſi, non rarò crimen ſuum morte expiabant. Siquidem ſacramento adacti, oblatos ab externis cibos recipere prohibiti, quin & ab omni cum illis commercio interdicti, eò redigebantur, ut vitam agreſtibus herbis ferarum inſtar tolerare cogerentur, uſque dum putreſcentibus paulatim membris, tandem penitùs extinguerentur. Nec tamen omnes eo mortis genere conſumebantur; ſiquidem poſt expiatum pœnitentia crimen, interdum in cœtum ſociorum revocabantur.

Chriſtus in Evangelio (i) futurum prædicit Apoſtolis, ut Judæi conceptum in ſe odium in ipſos expleturi, excommunicationibus, atque injuriis eos afficerent, è Synagogis pellerent, diemque in Judiciis dicerent, ac tandem

(a) 3. Reg. 3. 4. & 12. 31. 32. & 13. 2. & 14. 23. &c. (b) 1. Cor. 5. 1. &c. (c) Aug. contra Epiſt. Parmen. c. 2. & contra Donatiſt. poſt collat. c. 4. & de Fide. & Oper. c. 2. (d) Matth. 18. 17. (e) 1. Cor. 5. 2. &c. & 2. Theſſ. 3. 6. 14. & 2. Jo. ℣. 10. (f) Vide Gemar. Babyl. ad titul. Moed. katon c. 3. & Selden. de Synhedr. l. 1. c. 7. 8. (g) 1. Eſdr. 10. & 2. Eſdr. 13. 25. 28. Joſeph. Antiq. l. 11. c. 5. (h) Joſeph. de Bello l. 2. c. 12. (i) Matth. 10. 17. Jo. 9. 22. & 16. 11. Luc. 6. 22.

tandem ad flagella damnarent. Tradunt Judæos in viros, quos anathemate damnabant, flagellis primùm animadvertere, deinde à Synagoga expellere conſuevisse. Excommunicationis ſententiam præcedebat cenſura, & monitiones primùm ſecretò; deinde ſi reus non reſipiſceret, *Domus Judicii*, nempe cœtus judicum minis, ut reſipiſceret, denunciabant.

Pertinaces cenſura publica puniebantur; quatuor enim ſuccedentibus Sabbathis nomen, & crimen Rei palam ad publicam ignominiam aperiebatur. Tandem ſi hæc non ſufficerent, excommunicationis ſententia ſuccedebat. Hæc ſpectaſſe videtur Chriſtus, dum ſimilem correctionis ordinem ſtatuit; primo enim alium errantem moneri, deinde duobus, vel tribus adhibitis iterum rem tentare; quæ ſi fruſtra fierent, tandem Eccleſiæ judicio totum committi jubet, *Matth.* 18. 16. 17. Si verò Eccleſiam reus audire noluerit; illum tamquam publicanum, & peccatorem habendum eſſe decernit.

Excommunicationis ſententia his verbis apud Judæos proferebatur: *Hic ſit in excommunicatione*, ſive *in ſeparatione*: ſive ſit excommunicatus, aut ſeparatus. Jus illius inferendæ penes Synagogam, Judices, nec non etiam privatos erat; quanquam excommunicatio ſolemnis ad domum Judicii, ubi criminales cauſæ diſcutiebantur, pertinebat. Privatorum cenſuræ, vel privatum aliquem, vel ipſum, qui ſe devoverat, afficiebant; uti in Judæis illis conſtat, qui necem Paulo inferre, interdictis ſibi anathemate cibo & potu ante confectum opus, conſpirarunt, *Act.* 23. 12. Neque bruta ab eo animadverſionis genere exempta ſunt; ex doctrina enim Rabbinorum vel canes ipſi devoventur. Quid? quod & ipſi dormientes, ſpecie ſibi in ſomniis objecta inferentium in ſe anathema, tanquam vera cenſura innixos habere ſe debuerunt; ſiquidem, Rabbinis teſtibus, facilè contingere potuit, ut dormientes ipſos ſive Deus, ſivè ejus miniſter, ipſius juſſu ſententia afficeret.

Tollendæ verò, & infligendæ excommunicationis una eademque poteſtas erat. Si quis præſens anathemate obligabatur, præſens abſolvi debebat. Quem privatus obligaverat, Judex, ſivè tres viri ad eam rem ſelecti, ſolvere permittebantur. Qui ſeipſum devoverat, à decem tantummodo viris è toto populo ſelectis abſolvebatur: paremque numerum virorum ſcientia Legis & Talmud præſtantium adhibere debuerat, ſi quis per quietem innixus erat.

Excommunicationes autem apud Judæos non ejuſdem erant rationis. Alia enim minor habebatur, *niddui*, *ſeparatio*, nuncupata, in qua triginta ſolidis diebus uſus rerum ſacrarum interdictus erat: ſecunda *cherem*, *anathema*, excommunicationi majori reſpondens, priorem cenſuram auget; quippè quæ reum Synagoga, atque civili commercio exortem facit. Tertia tandem, cujus nomen *ſchammata*, *excisio*, cæterarum graviſſima, 400. tubis clangentibus promulgabatur, omnemque in Synagogam regreſſus ſpem præcidebat: quin & mortis ſententiam involviſſe plures autumant. Seldenus tamen hæc nomina, *niddui*, *cherem*, & *ſchammatha*, ſæpè ſynonyma eſſe; neque apud Judæos aliud excommunicationis genus præter minorem, & majorem, in uſu fuiſſe advertit (a).

Leo Modena *par.* 2. *c.* 3. narrat, Rabbinum ſententiam excommunicationis in aliquem pronunciantem, maledicta palam in illum congerere; inde neminem alloqui, ſive illi propius quam perticæ intervallo accedere nefas. E' Synagoga vero ille excluſus, terræ inſideta nudis pedibus cogitur, ac ſi obitum cognati alicujus lugeret; donec ab uno, ſive pluribus Rabbinis benedictionem, & abſolutionem impetret. Si verò crimina graviorem pœnam exigant, Synagoga coacta, atris tædis incenſis, & cornu inſonante, maledicta in illum, qui hæc vel illa crimina patravit, pronunciantur, toto interim cœtu *Amen* reſpondente.

Uſus excommunicationis pro magnis criminibus ipſos etiam Paganos, Græcos, Latinos, Gallos non latuit: quod argumentum ideircò intactum prætermiſimus, quia de rebus Veteris Novique Teſtamenti agentibus parergon videri potuiſſet.

EXEDRA, Latina vox, in Libris Regum, & Paralipomenon frequens (b), ſedilia in porticibus diſpoſita ad convenientium commodum, ſivè conclavia iiſdem porticibus hærentia, ubi ad ſimiles uſus ſedilia parata erant, ſonans. In Scriptura tamen ædiculas Templi porticum ambientes, & ad uſum Sacerdotum, ac Levitarum, dum Templo miniſtrabant, deſtinatas exprimit; quin & illis penu erat Templi, & Gazophylacium donariis oblatis recondendis.

(EXEMPLUM. Vox illa in utranque partem uſurpatur: *Det te Dominus exemplum cunctorum in populo ſuo. Num.* 5. 21. & 2. *Par.* 7. 20.; exemplum ſcilicet diſtrictionis judicii ſui. In exemplum & fabulam hominum poſitum ſe dicit Job 17. 6. & digito monſtrari in exemplum ærumnæ atque oppreſſi anguſtiis hominis. Virginem ſanctiſſimam palam de crimine accuſatam atque exemplum publicæ ultionis conſtituere noluit S. Joſephus: *Cùm nollet eam traducere Matth.* 1. 19. probio ſcilicet & infamiæ tradere. Græcus habet: *Noluit in exemplum conſtituere publica vindicta continendis in officio cæteris.*

Exemplum, eſt etiam propoſita ad virtutem norma. *Sit* (Ruth) *exemplum virtutis in Ephrata. Ruth.* 4. 11. Senior Eleazarus martyrium conſummavit, conſtituitque ſeſe Gentilibus ſuis omnibus *exemplum virtutis & fortitudinis* 2. *Machab.* 6. 31. Jeſus Chriſtus exemplum ſe poſuit humilitatis, ad imitationem hominibus. *Joan.* 13. 15. Monet Apoſtolus Timotheum ſuum, ut ſit in exemplum fidelium. 1. *Timot.* 4. 12.)

EXODUS, Græca vox, egreſſum ſignificans. Eo nomine ſecundus inter Libros Sacros Veteris Teſtamenti inſcribitur, (Hebraicè *Velle ſchemoth*, *Et hæc ſunt nomina*, quæ prima ſunt totius hiſtoriæ verba) qui hiſtoriam egreſſus Iſraelitarum ex Ægypto, Moyſe duce, complectitur. Ejuſdem vero Moyſis ortus, educatio, fuga, Regumque Ægyptiorum in Hebræos odia, regreſſus Moyſis è Madianitide, animadverſiones in Ægyptios; Hebræorum egreſſus, ac tranſitus Maris Rubri, Legis indictio, Tabernaculi erectio, ac tandem ſecundi Paſchatis celebratio in eodem Libro recenſentur. Porrò hujus hiſtoriæ geſta intra ſpatium 140. annorum evenere, quot nimirum ab obitu Joſephi uſque ad egreſſum ex Ægypto excurrerunt. Ab A. M. 2369. ante Chr. 1631. ante Ær. 1635. ad 2414.

(Quam ſequimur chronologia moram Hebræorum in Ægypto non ultra prorogat, quàm ad 215. annos ab ingreſſu ſcilicet Jacob in regionem anno 2298. uſque ad exitum Iſraelitarum ſub Moyſe A. M. 2513. Legimus tamen expreſſum in Exod. 12. 40. *Habitatio autem filiorum Iſrael, qua manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. D. Boivin Senior, qui diutiſſimè ſeſe exercuit in chronologiis Joſephi & Septuaginta, reſtituiſſe ſe confidit, ope fragmenti cujuſdam Manethonis, numerum illum 430. annorum, de quo Moyſes. En integrum locum Manethonis apud Joſephum contra Appionem lib. 1. „ Regem olim habui„ mus Tamaum, cujus tempore neſcio quo pactò cùm „ nobis Deus eſſet iratus, ex partibus Orientalibus „ homines ignobili genere illi quidem, ſed tamen „ audaciæ pleni, repentinum hanc impetum in regio„ nem fecerunt, eamque facilè admodum ac ſine pu„ gna ſubegerunt, atque Principibus ejus in ſuam po„ teſtatem redactis, de cætero & civitates crudeliter „ incenderunt, & Deorum Templa everterunt. Porrò„ que in omnes indigenas inimiciſſimè ſe geſſerunt, „ alios quidem perimentes, aliorum verò & liberos & „ conjuges in ſervitutem agentes, tandem vero unum „ ex illis Regem crearunt, cui nomen *Salatis*.

„ Atque hic in Memphide verſabatur provinciam „ ſuperiorem & inferiorem tributariam faciens, præ„ ſidiaque in locis opportuniſſimis relinquens. Quin „ &

(a) Vide Selden. de Syned. vet. Hebr. c. 7. 8.
(b) 3. Reg. 23. 11. & 1. Par. 9. 26. 33. & 23. 28. & 28. 12. Jer. 35. 2.

„ & maximè partes munivit Orientales, proſpiciens
„ Aſſyris tùm aliis populis potentioribus futuram cu-
„ piditatem invadendi illud ipſum Regnum. Cum
„ nactus eſſet in Saite Nomo civitatem opportuniſſi-
„ mam ad orientem fluvii Bubaſtite ſitam, quæ verò
„ ab antiquis Theologis *Avaris* appellabatur, ipſam
„ ædificavit, & muris firmiſſimis communivit, poſt
„ quam illic collocaſſet ad cuſtodiam ejus armatorum
„ multitudinem uſque 240000. virorum.
„ Cùm autem regnaſſet annis 19. vitam finivit. Poſt
„ hunc etiam regnavit alter annis 44. *Baon* nomine.
„ Poſt quem alius *Apachnas* nomine, annis 36. &
„ menſibus 7. Dein etiam *Apophis* 61. & *Janias* 50.
„ & menſe 1. Poſt omnes autem *Aſſi* annis 49.
„ & menſibus 21. Et illi quidem ſex inter eos fuere
„ primi Principes bellum ſemper gerentes, & maxi-
„ mè Ægyptum radicitus extinguere cupientes.
„ Vocabatur autem gens eorum univerſa *Hyc-Sos*,
„ ideſt *Reges Paſtores*... ſunt autem qui Arabas illos
„ extitiſſe dicunt. In alio autem Exemplari nomine
„ illo *Hycſos* non Reges ſignificari comperi, ſed è
„ diverſo captivos Paſtores indicari. *Hyc* enim ite-
„ rum Ægyptiaca lingua & *Hac* cum aſpiratione,
„ captivos propriè nominatimque ſignificant. Atque
„ hoc mihi veroſimilius videtur & magis cum anti-
„ qua hiſtoria contentiens.(*)

Addit Manetho Reges illos Paſtores & poſteros tenuiſſe Ægyptum 511. annis, tum Reges Thebaidis & reliquos Ægypti, diro illos & diuturno bello afflixiſſe. Sub Rege *Alis-Frag-muthoſis* Paſtores illi victi & ab Ægypto pulſi, coacti ſunt intra Urbem *Avarim vel Abarim*, cujus illi circumjacentem regionem ſpatio 10000. jugerum terræ, ſepto murorum vel munimento clauſerant. *Themoſis*, filius Alis Fragmutoſis, illos obſidione ſtrinxit, diſpoſito circum exercitu 80000. virorum, & cùm vi nequidquam redigendos eſſe illos intelligeret, permiſit, quòcumque maximè vellent, abire. Retulerunt igitur ex Ægypto pedem, veneruntque in Judæam, ubi & condiderunt Jeruſalem urbem adeo amplam, ut tantæ multitudini continendæ par eſſet.

Inde igitur repetit D. Boivin totum ſyſtema chronologicum, quo reſtituendam ſuſcipit moram Iſraelitarum in Ægypto. Ita ergo ille: Quietæ res Hebræorum manſerunt in Ægypto ſolidis 71. annis ſub Jacob & Joſepho, rerum potientibus inter Pharaones, qui Iſraelitas habebant in amore. Regnarunt deinde ibi ſpatio 259. annorum & 10. menſium ſub *Ephraimo* filio & ſucceſſore Joſeph, & ſub *Beria*, *Rapha*, *Reſeph*, *Thale*, & *Thaan* ejus filiis, recenſitis 1. Par. 7. 23. 25. 26. 27. Idem Ephraim & filii exhibentur in hiſtoria ſacra Ægyptiorum apud Manethonem nomine *Salathis*, *Beon*, *Aphachnas*, *Apophis*, *Janias*, *Aſſis*.

Excepit tandem 99. annorum ac 2. menſium ſervitus, ſub Pharaonibus adverſariis, dum populo præeſſent Ephraimitæ *Laadan*, *Ammiud*, *Elizama*; ita enim appellat 1. Par. 7. 26. Triplex igitur Iſraelitarum ſtatus in Ægypto: ſuo enim ordine primum extitere *Paſtores*: tum *Reges*; tandem *Captivi*. Paſtoritiam egiſſe illos & in captivitate vitam negaverit nemo; Regnum demonſtrandum eſt. Nihil ea quidem de re Scriptura; ſed Regia quædam illorum affert, quæ deſpoticam authoritatem demonſtrant juxta D. Boivin.

Conſtituit ille in obitu Joſephi, vel Pharaonis, qui illum habuit in deliciis, innovationem quandam dynaſtiarum turbaſſe Ægyptum, hæredibus Pharaonis, qui Joſepho faverat, ſupplantatis à *Vaheb*, cujus nomen legitur in libellorum Domini, laudato Num. 21. 14. quem virum Manethon appellat Timau. Novus ille Pharao, qui Joſeph non noverat, nec ſervitia ab illo præſtita ſat obſervabat; Vahebius, inquam, ille metuens ne aucta nimium Iſraelitarum potentia invaleſceret, reſtituendam ſibi cenſuit Idololatriam in regione Geſſen Hebræis occupata. Ephraim filius & ſucceſſor Joſephi, impiis Regis conſiliis reſtitit; cenſuitque urgendam ſibi ultionem de illata nece priſcis Pharaonibus familiæ ſuæ maximè beneficis. Sed belli hujus infeliciſſimum fuit molimen; in prima enim expeditione, qua copias duxit in Urbem Geth luxit amiſſos novem è filiis ſuis, *Suthalam I. Bared*, *Thalath I. Elada*, *Thalath II. Sahud*, *Suthlam II. Ezer*, & *Elad*.

Hujus expeditionis meminit quidem Scriptura, 1. Par. 7. 20. 21. ſed habet tantum: *Occiderunt eum viri Geth, quia deſcenderant ut invaderent poſſeſſionem eorum.* Scitum eſt autem Geth ad Ægyptum non pertinuiſſe.

Reliqui filii Ephraim *venerunt ut conſolarentur eum* cœperuntque conſilium ulciſcendi necem fratrum ſuorum 1. *Par.* 7. 22. Venit itaque cum Paſtoribus Ephraim, i. e. cum viris omnibus Dei cultoribus, iniitque in Ægyptios bellum. In ea expeditione contigiſſe affirmat Scriptor noſter, quæ de prodigiis in campo Taneos memorat Pſalmus 77. 12. 43. Vahebius devoratus eſt à turbine ignis, uti legitur in Libro bellorum Domini: *Steteruntque Sol, & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis*, ut eſt in libro Juſtorum apud Joſue 10. 13. Tunc *Ephraim*, alio nomine *Salathis* Regis Ægyptiorum ſibi titulum vindicavit, cui poſtea ſucceſſerunt filii ſupra jam indicati.

Poſt evolutos 259. annos & 10. menſes Ephraimitæ à recto degenerantes, ac Dei obliti aberrarunt in Idololatriam, ut ex teſtimonio libri Joſue 24 14 Permiſit illos Deus manibus hoſtium, à quibus magna prælii cæde affecti ſunt; qua de re Pſalmus 77. 9. 10. 11. 12. 42. 43. Servitutem Ægyptiacam tolerarunt 99. annis, 10. menſibus uſque ad relatum ex Ægypto pedem ſub Moyſe.

Autumat D. Boivin vacuum eſſe in ſerie hiſtorica Scripturæ intervallum ab obitu Joſeph, quocum clauditur Geneſis, uſque ad exortum Moyſem unde init Exodus. Ejus intermediæ ætatis hiſtoriam relatam cenſet in vetuſtis illis, qui interciderunt, Libris, quorum & titulos & fragmenta quædam ſervarunt Sacri Scriptores, uti in *Libro bellorum Domini* (a), in *Libro Juſtorum* (b), & in libro carmine ſcriptorum *Proverbiorum* (c).

Multò plauſibilius redderetur ſyſtema hoc, ſi annorum apud Manethonem expreſſus numerus per omnia congrueret cum Moſaico; ſed quo loco Moyſes ſupputat 430. annos ab ingreſſu Judæorum in Ægyptum ſub Jacob uſque ad exitum ſub Moyſe; affirmat Manethon Reges Paſtores eorumque poſteros regnaſſe in Ægypto 511. annis; dein à Regibus Thebaidis diuturno bello afflictos, coactos tandem ſeceſſiſſe in Judæam. Sentitur utique annorum diſcrimen, & ita ſentitur, ut conciliandi illos inter ſe vis ulla ſuppetat ratio. Ad hæc, Regnum Ephraim & ordine ſibi alterius poſt alterum ſuccedentium quinque ejus filiorum, nemine ex illis in hæreditatem Regni filio ſuo evocato, res eſt quæ fidem ſuperare videtur. Non facilè inſuper evinceretur argumentis è filiis hiſce poſtremum vitam prorogaſſe ad 250. annos, quod tamen in ſyſtemate D. Boivin conſtituendum eſſet. Utcunque res habeat ſeſe ſeriem Regum Paſtorum ita digerit.

Reges Geſſen.

Jacob — — — — — 17. annis.
Joſeph — — — — — 54. annis.

Hicſos, vel Reges Paſtores, juxta Manethonem.

EPHRAIM ſub nomine — *Salathii* 19. annis.
Beria vel — — Bæon 44. annis.
Rapha vel — — Aphachnas 36. annis, 7. menſib.
Reſeph vel — — Apophis 61. annis.
Thale — — vel Janias 50. annis, 2. menſib.
Thaan — — vel Aſſis 49. annis, 2. menſib.

Hac-

(*) Verba hæc ſunt Joſephi. (a) Num. 21. 14. (b) Joſue 10. 13. & 2. Reg. 1. 18. (c) Num. 21. 27.

Digitized by Google

Harſos, vel Captivi Paſtores. Servitus in Ægypto.

Laadan	— — — —	40. annis.
Ammiud	— — — —	40. annis.
Eliſama	— — —	19. annis, 2. menſib.

Poſt ingreſſum Jacob in Ægyptum uſque ad exitum Moyſis 430. annis (a).

Num filius Eliſama coævus Moyſis regnavit--40.annis.
Joſue filius Num judicavit — — — 27.annis.
Hi omnes poſteri Joſeph per Ephraim.)

EXORCISTA, vox à Græco *exorcizein*, *adjurare*, ſeu Divini nominis imploratione Dæmones ex obſeſſis corporibus, ſive locis expellere. Unum ex quatuor minoribus Ordinibus Eccleſiæ Chriſtianæ eo nomine appellamus, cujus eſt munus Energumenos adjurare. Dæmones Chriſtianorum adjurationes exhorruiſſe, atque vulgò Fideles poteſtatem ſupra malignos ſpiritus exercuiſſe, ex primis Religionis Apologiſtis ſatis intelligimus (b). Dono miraculorum in Eccleſia rareſcente, ſenſim veteri ritu Exorciſtæ initiari cœperunt, ad quos poteſtas olim omnibus latè Fidelibus conceſſa, ſive merito Fidei, ſivè dono in Baptiſmo collato, reduceretur.

Neque apud Judæos ignotum fuiſſe Exorciſtarum munus ex Evangelio intelligimus; exprobrantibus enim Chriſto Phariſæis illum Dæmones in nomine Beelzebub expuliſſe, *Si ego*, reſpondit, *in Beelzebub ejicio Dæmonia, filii veſtri in quo ejiciunt? ideo ipſi judices veſtri erunt*, *Matth.* 12. 27. Judæus quidam nomine Eleazar, authore Joſepho Antiq. *l.* 8. *c.* 2. Energumenos ad ſanitatem revocabat, ope cujuſdam radicis à Salomone, uti jactitabat, indicatæ, quam annulo incluſam geſtabat. Hujus radicis odor naribus ægroti ſubjectus, ſtatim illum in terram deturbabat; interim Exorciſta Dæmonem adjurans, ne amplius in idem corpus regrederetur prohibebat. Eandem virtutem Dæmones expellendi, radici cuidam in Judaico ſolo provenienti tribuit Joſephus, ſi corpori applicetur. Quæ de Exorciſtis apud Judæos diximus, teſtimonio etiam Apoſtolorum confirmantur, quorum hæc ſunt ad Chriſtum verba: *Magiſter vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, qui non ſequitur nos; & prohibuimus eum* (c). Poſt Salvatoris obitum eadem de Judæis narrantur *Act.* 19. 13. *Tentaverunt autem quidam & de circumeuntibus Judeis exorciſtis invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Jeſu, dicentes: Adjuro vos per Jeſum, quem Paulus prædicat... Reſpondens autem ſpiritus nequam? dixit eis: Jeſum novi, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis?* De Judæis etiam invocato Deo Abrahami, Dæmones ſe expellere jactitantibus, interdum etiam expellentibus, S. Juſtinus, S. Irenæus, Origenes, & Tertullianus loquuntur (d).

EXPIATIO. Sacrificia expiationis, quibus vel errores in Legem ab imprudentibus commiſſi expiarentur, vel legales ſordes, quæ inhoneſtum quid, ſive etiam culpæ aliquid victimis luſtrandum præſeferebant (e), non unius erant generis apud Judæos. Hinc mulieribus poſt puerperium, *Levit.* 12. 6. 7. Leproſis, ſi convaluiſſent (f), ſuum erat ſacrificium; ſua etiam iis, qui poſt legalium ſordium contactum, præſcriptas à Lege luſtrationes ſtato tempore & modo ſive obliti eſſent ſeù neglexiſſent, *Levit.* 5. 1. &c. Hiſce tamen ſacrificiis crimina quidem non eluebantur, ſed omnis exterior legaliſque noxa ita remittebatur, ut nullam ob ea temporalem pœnam ſivè Judicea, ſivè Deus deinceps exigerent.

His autem ritibus ea ſacrificia offerebantur, *Levit.* 4. 27. Victimam oblaturus ſe Templo ſiſtens, impoſitiſque victimæ manibus, crimen ſuum primò fatebatur; deinde hoſtiam eodem loco, ubi holocauſta, in atrio ad ſeptentrionem Altaris immolabat. Sanguine ad baſim Altaris defluente Sacerdos digitum tingens, cornua ejuſdem Altaris liniebat; adipem verò, quo viſcera continentur, & renes à reliquo corpore ſeparatos, igne Altaris adolebat. Tandem preces Sacerdotis cæremoniam claudebant; qua peracta, error remiſſus cenſebatur.

Offerenti verò liberum erat ſive capram, *Levit.* 4. 28. ſive ovem, *Levit.* 4. 32. vel duas columbas *ibid.* 5. 15. vel, ſi tenuis eſſet ſubſtantiæ, ſimilæ portionem exhibere. *Ibid.* v. 55.

Sacrificia pro Summo Sacerdote, Principe populi, ac pro cœtu populi, ſi quas ſordes contraxiſſent, ab iis, quæ deſcripſimus, nonniſi levioribus quibuſdam cæremoniis diſcrepabant, *Levit.* 4. 5. Quidquid victimæ igne non abſumebatur, Sacerdotibus cedebat, *Levit.* 7. 5. ex quo extero cuicunque guſtare nefas ducebatur.

EXPIATIO. *Feſtum ſolemnis Expiationis*, Hebræis *Kippur*, & *Chippur*, ſcilicet venia, expiatio, (expiabantur enim commiſſa toto anno crimina;) die 10. Tisri, qui noſtro Septembri reſpondet, hoc potiſſimùm ritu celebrabatur. Summus Sacerdos, non manibus tantum & pedibus, ut in reliquis ſacrificiis, ſed toto corpore lotus, linea tantùm veſte, *Levit.* 16. 4. ut vulgares Sacerdotes, indutus (neque enim ſua ac totius populi peccata expiaturum tunica hyacinthina, Ephod & Rationale decebant) primò vitulum & arietem pro ſuis, ac reliquorum Sacerdotum criminibus immolabat. Hoſtiæ tamen antea manibus impoſitis, ſuos ac cæterorum domeſticorum errores confitebatur. Deinde duos hircos à Principibus populi oblatos, alterum pro peccato, alterum verò in holocauſtum nomine totius populi offerendum, accipiebat; uter verò ex illis immolandus, uter crimina populi laturus in libertatem aſſerendus eſſet, ſorte eligebatur.

Tum ſacro igne, & thure thuribulo impoſito, in Sanctuarium Pontifex ingrediebatur, unde, poſtquam illud thure ſuffierat, ſtatim egreſſus, ſanguine vituli ſumpto, iterum in Sanctuarium regrediebatur, ibique merſo in ſanguine digito, inter Arcam & velum, Sanctum à Sanctuario dirimens, ſepties aſpergebat. Inde ad Altare delatus, in latere holocauſtorum arietem immolabat; cujus ſanguinem rurſus in Sanctum inferens, eodem, ut prius, ritu ſepties aſpergebat; eaſque aſperſiones redux deinde in atrium proſequutus, omnia circum loca luſtrabat. Eo verò tempore Sacerdotibus ac reliquis populi in Tabernaculo, ſive in atrio adeſſe nefas erat. His peractis, quatuor cornua Altaris holocauſtorum ſanguine hirci, & vituli abluebantur, aſperſionibus ſepties iteratis.

Ita luſtratis omnibus, Summus Sacerdos ducto ad ſe hirco in libertatem aſſerendo manus imponens, ſua, ac totius populi delicta confitebatur. Deinde cuidam præparato eundem hircum tradebat, in deſertum locum traducendum: quo eventu, diximus *v. Azazel*. His peractis Summus Sacerdos toto abluebatur corpore in Tabernaculo, ac deinde reſumptis veſtibus, atque, ut nonnullis videtur, ſplendidis dignitatis ſuæ ornamentis indutus, nempè Ephod, Rationali, & tunica hyacinthina, geminos arietes, alium pro ſe, pro populo alterum in holocauſtum immolabat.

Porrò Feſtum illud inter ſolemniſſima à Judæis habebatur, *Levit.* 16. Religioſum in illo otium, arctumque jejunium, decies iterata criminum exomologeſis à die præcedenti ante cœnam, ob Divinum nomen toties à Summo Sacerdote pronunciatum. In ea vero exomologeſi hunc ritum ſervant (g). Duobus Judæis in angulum Synagogæ reductis, alter qui reum agit, toto corpore ad ſeptentrionem, humeris ad meridiem verſus, pronus, & dorſo nudatus, crimina ſua fatetur, pectus interim tundens, quoties ab altero, qui latentem peccata ſua auſcultat, loro quodam triginta

(a) Exodi in 40. (b) Juſtin. Apolog. pro Rel. Chriſt. Tert. Apolog. *Credite illis cùm verum de ſe loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad ſuum dedecus mentitur.* Prudent. Apotheoſ. contra Jud. (c) Marc. 9. 37. Luc. 9. 42.
(d) Juſtin. in Dial. cum Tryph. Iren. l. 2. c. 5. Orig. l. 1. & 4. contra Celſum, Tert. l. 4. contra Marcion.
(e) Vide Levit. 4. (f) Levit. 14. 4. &c. (g) Buxtorf. Synag. Jud. c. 20.

ta & novem ictibus, ceteriſque precibus recitatis, percutitur; preces autem ex verbis Pſalmi 88. 38. deſumuntur: *Ipſe autem eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non diſperdet eos* v. *Et abundavit, ut averteret iram ſuam, & non accendit omnem iram ſuam.*

Ejuſdem Feſti occaſione odia etiam remittuntur; qui enim alterum injuria affecerit, pridie ejus diei, inimicum ſuum adiens, veniam rogat. Si non impetret, ille adhibitis tribus, quatuorve, ſemel atque iterum preces ingeminat. Si alter nihilò ſecius renuat, decem viris comitatus, rurſus coram illis ab eo veniam efflagitat. His peractis, & pertinaci adverſarii animo non expugnato, tunc ille, qui injuriam intulit, exemptus cenſetur (a), veniamque ſe à Deo impetraſſe confidit. Si verò is, qui injuria illata eſt, diem clauſerit, tunc adito cœmeterio, coram decem viris his verbis crimen expiatur; Ego peccavi in Deum Iſrael, & N. qui hic jacet,

Narrat Buxtorfius, Judæos jam inde ab ineunte menſe Tiſri, qui primus eſt anni civilis, ad Feſtum diſponi conſueviſſe, ſolidis ſcilicet decem diebus, quos jejuniis, pœnitentiæ exercitiis, ac precibus, ut Deus promerita mala avertat, tranſigunt. Summo mane ſurgentes, ter ſingulis diebus exomologeſim faciunt, quo tempore & lites ceſſant, & ab inferenda excommunicationis ſententia abſtinent. Pridie Feſti gallum album, ſi fieri poteſt, ſin minus, alterius à rubro coloris ſinguli ſumentes, poſt preces recitatas frontem ter alitis capite ſibi percutiunt, ſingulis vicibus repetentes: Gallo iſto redimar; mortem enim ferens, quàm ipſe promerui, veniam mihi impetrabit: ille pro me morietur, mihi verò vitæ beatæ unà cum Iſraele univerſo aditus patebit. Statimque cultrum in ejus jugulum adigunt, eviſcerant, plumas detrahunt, coctoque in cibum utuntur (b). Hunc uſum diù in Italia, & Oriente obtinentem, exoleviſſe jam, quòd mera inaniſque ſuperſtitio videtur, Leo Modena teſtatur *Hiſt. de rit. Hebraicis*. *p.* 3. *c.* 6.

Ex Judæis plures noctem ante Feſtum totam tranſigunt in Synagoga, orationibus & pœnitentiæ exercitiis vacantes; veſte inſuper lugubri, alba ſcilicet, vel nigra induti: nec deſunt, qui eaſdem induant, quas in ſepulchro ſibi deſtinarunt. Summo verò mane ſinè calceis, & tibialibus ad Synagogam conveniunt, ubi quatuor ſolemnes preces, mane, meridie, poſt meridiem, & in veſperis fiunt. Cum ſydera eluceſcunt, indicium noctis exhibentia, cornu inſonante, jejunii finis denunciatur. Continuò omnes domum regrediuntur, albiſque veſtibus pro cujuſque conditione induti, menſæ accumbunt, totius diei inediam cibo potuque reparantes. His potiſſimùm cæremoniis noſtrorum temporum Judæi Feſtum Expiationis celebrant.

(Damus hic ſingulares quaſdam cæremonias cum explicationibus nonnullis Rabbinicis de ritu ſolemni hujus diei apud Judæos (c). Obtinuit olim ut Summus Sacerdos ſeptem ante feſtum diebus contineretur ab uxore, metu ne fortè maculæ aliquid eum illa contraheret, uti re ipſa contraxiſſet ſiquid accidiſſet fœminæ è menſtruo mulierum incommodo. R. Juda affirmat futurum, ut ſi fortè intra ſeptem illos dies uxor Summi Sacerdotis occumberet, ſtatim ille alteram adſciſceret, explendo Legis præcepto de procuranda expiatione pro ſe & *uxore ſua*, ſeu ut habet Levit. 16. 17. *pro ſe & pro domo ſua*; ſed hæc viri opinio Sapientibus improbatur.

In pervigilio Expiationis adjungebantur Summo Sacerdoti Seniores nonnulli coram illo legentes aliquid, hortanteſque ut legeret per ſe, quo experimento intelligerent, num ille re ipſa legere didiciſſet, numve hac ſe ſcientia deſuetudine privaſſet. Sed minus id neceſſarium habebatur niſi in ſecundo Templo, cùm ſcilicet venalis erat dignitas. Invigilabant etiam Seniores illi, ne in Feſti pervigilio nimio ſeſe cibo ingurgitaret, quo fortè ſopiretur. Tum deductus Summus Sacerdos in ſuperius quoddam conclave *Abtinez* (d), & jusjurandum ab illo exactum, nequid immutandis veteribus ritibus ab ipſo committeretur. Quæ ſanè cautio occaſione Saducæorum inducta videtur; id enim pervicaciter contendebant, ut thymiama ſpargeretur à Sacerdote antequam in Sanctum ingrederetur, quod erat traditioni averſum. Scitum eſt, Hircanum, & Ananum Summos Sacerdotes profeſſos fuiſſe Saducæiſmum, à quibus utique ſacramentum ejuſmodi exigere res erat planè neceſſaria. Cùm autem id eſſet Summo Sacerdoti injurioſum, jurabant non ſine gemitu; nec pariter exigentes id Sacerdotes temperabant lacrymis.

Agebatur ea nox in explicatione Legis vel lectione Textuum aliquorum Job, Eſdræ, vel Danielis. Si Summi Sacerdotes ſat non valuiſſent, ut perpetua ſufficerent verba, aſſiſtentes habebant ad latera juvenes ludentes tibia pulſanteſque digitis, quò à ſomno eum prohiberent ad horam uſque ſacrificii. Exoriente mane, ſumma quiſque Sacerdotum contentione certabat, quò Altare ſublatis cineribus elutiſque ſordibus repurgarent; & cum id pro ſe quiſque decus illud ambiret, ac alter alteri præripere ſatageret, id non rarò accidebat, ut ad Altaris gradus ſeſe urgentes caderent plures non ſine vulnere ac concuſſione membrorum; quare coacti munera in ſingulos diſtribuerunt diverſa. E' Sacerdotibus novem ad ſacrificium matutinum deſtinari conſueverant, veſpertino undecim; ſed in maximis ſolemniis 10. matutino, 12. veſpertino adjecti. Sui etiam electi parandis victimis Levitæ 24. pro vitulo, ſingulis ejus victimæ partibus ſingulis aſſignatis ad deglubandam expediendamque hoſtiam.

Antequam operi ſeſe accingerent, ſingulis Sacerdotibus injungebantur lotiones; quinquies lavandum Summo Sacerdoti edicunt Rabbini, quòd totidem vicibus immutaretur veſtibus; ſingulis enim illis præmittenda lotio. Veſtes erant carbaſinæ, matutinæ quidem è carbaſo Peluſii, veſpertinæ Indico, valebant 800. dracmis.

Sortes, quarum arbitrio ſeligendus erat hircus emiſſarius, ligneas olim in aureas reformavit filius Gamaa; ejuſdemque metalli anſas vaſorum omnium Templi in uſum expiationis ſolemnis conficiendas curavit Rex Monobaſus.

Inferebat in Sanctuarium Pontifex thymiamaterium ex auro obryzo, cui plenâ manu affuſum thymiama, poſtulabatque à Deo aeris temperiem; obſecrabat ne eo anno ſceptrum è manu Juda adimeretur; ne fames ſæviret in Iſraelem; ne vota preceſque itinerantium & exterorum implerentur. Brevior erat precatio, metu ne ſi longiorem traheret in Sanctuario moram, populus terrore aliquo conſternaretur: nunquam enim penetralia illa, quæ Deus præſentia ſua replebat, aditi ſine diſcrimine, recepta perſuaſione tenebant. Recipiebat ſe hinc Summus Sacerdos retrogradus incedens converſis ſemper oculis in Arcam vel in *lapidem fundamenti*, quem conſtitutum affirmant Rabbini in meditullio Sanctuarii, ex quo Arca in ſecundo Templo deſiderata eſt. Succedebat immolatio hirci, jugulatione, uti ferunt, mactandi.

Hircum Azazel vel emiſſarium agendum in præceps ducebant, non è Sacerdotum tantùm, ſed & de Laicorum ordine viri. Parata erat ad id ex Urbe ad locum deſtinatum via, ubi per data intervalla diſpoſita ſtabant reficiendis ex itinere laſſis tentoria, ſeu apta ad quieſcendum loca. Ducebat iter ad præcipitium, atrox illud & horrendum, præruptiſque petris adeò aſperum, ut antequam medium illud emetiretur hircus, ſingulis membris fractus diſſipatus erat; quò autem ſollicitus de eventu populus expediretur, per ſigna ad certa intervalla diſpoſita admonebatur. Affirmant autem ſimul adhæc vittam coccineam præfori-

(a) Buxtorf. Synag. Jud. c. 20. (b) Buxtorf. Synag. Jud. c. 20.
(c) Baſnage Hiſtor. Judæor. tom. 5. lib. 7. cap. 15. art. 5. Miſna ordo Feſtorum &c. (d) Abtinex vir olim præerat parantibus thymiama, nomenque ſuum indiderat deſtinatæ ſibi ædium portioni reſpondenti portæ aquarum.

foribus Templi ſuſpenſam colorem ſuum in album immutaſſe, quo indicio demonſtraretur Deus ſacrificia illa excepiſſe, ac remiſiſſe propitius populi crimina. Prodigium illud 40. annis ante everſionem II. Templi deſiiſſe affirmant.

Poſt abſolutam cæremoniam Summus Sacerdos ad lectionem Legis ſe conferebat, benedictionem impartiebat populo, mutatiſque tandem veſtibus ingenti ſe epulo reficiebat, lætum agens feſtum, quòd incolumis exiiſſet è Sanctuario. Sed populus ſanctum ea die cuſtodiebat jejunium, ea inquam die, de qua mira prædicabant; docebant enim Judæi criminum pœnitudinem, quanquam cum voluntate & propoſito reſipiſcendi conjuncta *ſuſpendere tantùm crimina; die verò Expiationis abolere*; quicunque ante eam diem vita cederent, ipſa eadem crimina expiare morte; hæc de veteri ritu expiationis ſolemnis tradunt Rabbini.

Recentiores Judæi hoc potiſſimùm ritu Feſtum celebrant. In pervigilio ejus diei, qua precibus, quà galli ſacrificio parant ſe ad diem ſacram; ut in Dictionario. Tum conferunt ſe ad cæmeterium, Deum precibus exoraturi, ut ſontibus parceret, ad indulgeret beneficii, meritis Sanctorum ibi quieſcentium; tum immerſiones in aqua, quò ſcilicet penitus abluerentur peccata, parata item in mane alterius diei lumina, ſinguli enim ſingula deferunt ad Synagogam; bina religioſiores adhibent, alterum corpori, alterum animæ & reipſa & nomine etiam deſtinantes.

Ad veſperum, cùm Feſtum init, conferunt ſe ad Synagogam, ſuum ſinguli lumen deferentes, elataque voce abeunt in Cantica. Simul adhæc mulieres candelas incendunt in ædibus, de cujus luce atque de conſtipatione ſevi, vel ceræ omina læta, vel ſecus deducunt. Si enim lumen emittatur clarum nitidumque, certum id de remiſſione peccatorum indicium; ſi palleſcat, ſiniſtra ominantur; ita pariter ſi vel cera, vel ſevum fluant nimiùm, metuunt ſibi omnia à Deo vindice.

Summo alterius diei mane itum ad Synagogam, totaque dies eſurialis eſt nulla facta vel ſexus vel ætatis diſcretione, nemini non interdictis cibis niſi pueris duodennio minoribus. Tum prolixa quædam precandi formula recitatur, qua declarantur ſacramenta omnia & promiſſiones ejus anni curſu non impleta aboleri penitus, eo quòd inducta ſit jam propitiatio de crimine. Leguntur ſanctiones Levitici tum de Feſto ac de hirco Azazel. Reliquum diei inſumitur precibus; nec deſunt qui & ſubſequentem noctem orando continuent. Feſtum claudit Rabbini benedictio ad populum manu elata, & populus obſequio quodam erga manum Sacerdotalem, vel potiùs erga Dei majeſtatem, quam repræſentant manus illæ, & oculos & ora tegit. Inflantur cornua in memoriam Jubilæi, habeturque perſuaſum, Deum voce ſua intonare, altèque edicere, remiſiſſe ſe crimina; quare ſecuri & quieti ſinguli remeant ad propria è ſcelerum crimine puri.

Die hac ſolemnis Expiationis pœnitudinem cœpiſſe ſuam Adamum, atque veniam poſtulaſſe de crimine tenent Judæi; eadem initiatum circumciſione Abrahamum; nec alia tentatam immolationem Iſaac; quare in precibus Deum exorant, ut ſibi facilis remittat crimina, merito oblationis Iſaac. Addunt ea pariter die Moyſem deſcendiſſe è monte Sinai deferentem novas Legis tabulas. Sunt qui numen immutent ſuum indicium tranſmutati cordis, quo majori confidentia coram Deo ſe proteſtentur (a): *Alter ego ſum, & alius à me crimen admiſit.*

EXPLORATORES. Joſephus Patriarcha ideo detenturum ſe fratres ſuos minitatus eſt, detinuitque re ipſa in carcere Simeonem, quòd exploratores illos ſe credere ſimularet. Juxta bellicas leges explorator in caſtris deprehenſus damnatur ſuſpendio. Duodecim numero exploratores ſubmiſit Moyſes ad inſpiciendam Chanaanitidem *Num.* 13. 2. *&c.*, quæ natura eſſet loci, quæ vires, Urbes, incolæ, referrent. Moverunt è caſtris Pharan, atque intra ſpatium 40. dierum totam perluſtrarunt regionem, reſtitueruntque ſe in caſtra Iſraelitarum, ferentes in vecte palmitem cum uva, onus duorum hominum, tum mole ſua, cùm etiam ne uvas læderent. Cùm rediiſſent, hæc ſparſerunt in vulgus: Regionem luſtravimus reipſa beatam, quam perfluunt è lacte & melle fluentes rivi, exhibentque hujus indicium, quos inde retulimus fructus; ſed viciſſim robuſtis incolis defenditur, Urbeſque habet muniтiſſimas, nec deſunt ea Enac Gigantes; Amalec tenet meridiana; Hevæi, Jebuſæi, & Amorrhæi montana, Chananæi ſecundùm mare loca.

Ad hæc abire populus in murmur, aliis alii inſuſurrantes: num id unquam aſſequemur, ut regionem hanc redigamus in poteſtatem, quam validior nobis Gens occupat? Sed Caleb ex exploratoribus unus deſpondentes animis confirmare conatus eſt, demonſtrans facilè illos impetraturos, ut regionem expugnarent. Contrà alios obtendere, exaggerantes expeditionis hujus difficultatem: *Terra devorat habitatores ſuos*. Populus ſtatura eſt enormis. Vidimus homines monſtruoſos, Gigantes è ſtirpe Enac, quorum comparatione ſupra locuſtas nos non aſſurgimus. Exclamare ad hæc populus, totaque nocte in gemitu perſeveratum ac murmura in Moyſem & Aaronem. Suggerebant alii aliis: Novos conſtituamus nobis Judices, ac regrediamur in Ægyptum. Fruſtrà adverſus hæc conati ſunt Joſue & Caleb; quin & in illos procurſum eſt ad lapides.

Sed ecce repentè Domini gloria Tabernaculo fœderis palam inſidens, vocem ſuam omnibus auſcultantibus ad Moyſem direxit, quà extrema omnia minitabatur populo. Obſtitit precibus ſuis Moyſes, impetravitque ne omnes interirent ſimul; jurato tamen affirmavit Dominus futurum, ut ex illis, qui ſeditioſo murmure Deum offenderant, nemo unus terram promiſſionis ingrederetur, exceptis tantum Caleb & Joſue, qui in fide perſeveraverant.

Mentio eſt etiam de exploratoribus in libro Joſue 2. 1. &c. Princeps ille populi Dei tranſmiſſurus jam cum Iſraelitis Jordanem, ut populum immitteret in poſſeſſione promiſſæ Regionis, geminos viros ſubmiſit ad Jericho, ſtatum Urbis exploraturos. Eò ſe conferentes viri illi, diverterunt ad fœminam nomine Rahab. Excepit illa venientes. Rex Jericho id ſubodoratus poſtulatum de illis ad Rahab miſit; celavit mulier hoſpites in ſolario domus, viroſque à Rege ablegatos admonuit, receſſiſſe ſe hoſtes beneficio noctis, antequam Urbis fores clauderentur. Illis hoc accepto reſponſo ſecedentibus, ſtatim mulier ad exploratores, admonens, ſcire ſe quidem traditam eſſe à Domino Chanaanitidem Judæis; quorum terror incolas omnes invaſerat, conſternaveratque animos omnium fama miraculorum, quibus illis militaverat Deus; rogare ſe proinde, ut quandoquidem beneficio ſuo e diſcrimine evaſiſſent illæſi, tantumdem etiam ſibi & familiæ rependerent, cùm Urbem Jericho victores ingrederentur, præſenteſque ſacramento ſeſe ad id obſtringerent. Omnia ſtatim promiſerunt exploratores; demiſſoſque per funem è mœnibus, quibus terga domus Rahab incumbebant, incolumes reſtituti ſunt ad Joſue. Fidem hanc Rahab excipientis ac è diſcrimine eripientes exploratores laudat Apoſtolus Hebr. 11. 31.

EXTENDERE MANUS, eſt extrema ſeveritate, ac juſtitiæ diſtrictione punire: *Extendit manum ſuam in retribuendo*. *Pſ.* 54. 21. Deus eduxit populum ſuum ab Ægypto manu extenſa erectoque brachio, vi prodigiorum ac plagarum, quibus percuſſit Ægyptum. *Extendit Dominus manum ſuam ſuper eum Iſaiæ* 5. 25. *&* 9. 12. 17. imminet adhuc in flagella.

Extendere manum, eſt interdum ad miſerendum invitatio: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum*. *Iſaiæ* 65. 2. Prov. 1. 24. *Extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret, vocavi & renuiſtis.*

Non

(a) Maimon. de pœnit. cap. 10. pag. 99.

Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt 1. *Reg* 24. 11. ab eo occidendo me continebo. Job. 11. *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi*: cædas, cum diſtrictione illum agas, & intelliges num in blaſphemias erumpat.

Extendere manum ſuper aliquid, eſt ſurripere: Exodi 22. 8. *Sacramento ſe purgavit, quòd non extenderit manum ad rem proximi ſui.*

Extendere digitum, geſtus eſt alterum deridentis. Iſaiæ 58. 9. *Si abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris extendere digitum*; i. e. ſi abſtuleris jugum, quo te opprimunt fœneratores tui, abſtinuerisque te à monſtrandis illis digito, quaſi inſultantem. Minitantis id eſſe aliqui credunt, ut illud 1. Mach. 7. 31. 45. ubi de Nicanore, qui extendit manum ſuam minitans incendio ſe devaſtaturum Templum.

Extendere perpendiculum ſuper urbem, eſt funditus illam evertere, æquare cum terra. Zacharias 1. 16. *Perpendiculum extenditur ſuper Jeruſalem*, & Jeremias, Thren. 2. 8. *Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum ſuum.*

EXTERMINATOR. Angelus Exterminator. Vide *Angeli, Dæmones.*

EXTRANEI. Vide PROSELYTI.

EXTREMUS, *Extremitas*, poſtremus. *Extremi populi.* In Sacerdotes excelſorum initiavit Jeroboamus *extremos populi* 3. *Reg* 12. 31. Hebræus ad literam *de extremis populi*. Ioſephus coram Pharaone ſtatuit: *Extremos fratrum ſuorum, quinque viros Gen.* 47. 2. Danitæ *Judic.* 18. 2. miſerunt *quinque viros fortiſſimos* (Hebr. de *extremis ſuis*) commodiores ſedes Tribui ſuæ quæſituros. Iſaias 26. 15. *Elongaſti Domine omnes terminos* (Hebr. *extrema*) *terræ*, i. e. poſtremos regionis.

Sed docti quidam Interpretes (*x*) defendunt, tantùm abeſſe hæc ut poſtremos hominum & ex infimo vulgo deſignent, quin potius de ſummis viris & à cæteris diſtinctis, qui eſſe in capite dicerentur & priores, dicta ſint accipienda. Contendunt alii (b), phraſes illas nihil ſelectum diſtinctum nihil honoris gratia exprimere, obtuliſſe Ioſephum Pharaoni ex fratribus quinque, quos primos habuit obvios.

Extremitas terræ, Iſaiæ 42. 10. *Laus Dei ab extremis terræ*; undique per orbem. Iſaiæ 43. 6. *Affer filias meas ab extremis terræ*. Pſal. 134. 7. *Educens nubes ab extremo terræ*. (c); Iſaiæ 41. 9. *Apprehendite* (*Abraham*), *ab extremis terræ*. Hiſce omnibus phraſibus deſignatur remotiſſima regio, uti nos etiam familiari ſermone uſurpamus de quopiam è longinquo venientè, venire ſcilicet illum ab extremis terræ.

Extremo tempore (d) vel *ad extremum*, exprimunt interdum remotiſſimum tempus; interdum etiam tempus Meſſiæ, vel exitus mundi.)

I. EZECHIAS, Rex Juda, filius Achaz, ex Abi, patre undeoni natus A. M. 3251. (e); licèt enim multi de hac ætate ambigant, Scriptura tamen rem ſatis demonſtrat, cùm tradat Achaz 20. annis natum Regnum iniiſſe, nec niſi 16. annis regnaſſe; ex quo illud conſequitur, 36. annis natum diem clauſiſſe. Cùm igitur, eadem Scriptura teſtante, Ezechias 25. annis natus ad Regnum evectus fuerit, An. M 3277. ſive 3278. ante Chr. 752. ante Ær. 726. concludamus oportet, hunc Regem undennem patrem habuiſſe: quod quidem, licèt rariſſimum, eveniſſe tamen potuit.

Rerum igitur potitus Ezechias 4. *Reg.* 18. pius Rex & religioſus nihil antiquius habuit, quàm ut cultum in excelſis aboleret, lucos prophanos ſuccideret, dicata ſub Achaz Idola deſtrueret; quin & ipſum Moyſis ſerpentem æneum, quòd ſuperſtitioſi cultus cauſa Iſraelitis eſſet, confringendum præcepit. Vix inito Regno 2. *Par.* 29. 3. *&c.* fores Domus Dei recludens, cultum reſtituturus, Sacerdotibus & Levitis ad ſe accitis, author fuit, ut Templum luſtrarent, ut ſacrificia in eo offerri res eſſet; ipſe vero Regio ſumptu primas victimas pro peccato, & in holocauſtum offerendas ſuppeditavit. Exemplum Regis Principes populi imitati, ingentem hoſtiarum copiam obtulerunt: ex quo optimis auſpiciis Domini cultus reſtitutus eſt.

Ad hæc, Ezechias cùm neglectum diù Paſcha celebrare ſtatuiſſet, totum latè Iſraelem ad Solemnitatem invitavit, 2. *Par.* 30. ex quo factum eſt, ut confluentibus undique Hieroſolymam populis (quanquam & plures illudentes Regis pietati, venire neglexere) tantæ celebritatis feſtum eſſet, ut longo antea tempore nullum. His peractis, reliquiis Idololatriæ non Judæ Regnum tantummodò, ſed & Iſraeliticum expurgatur, Oſee poſtremo Iſraelis Rege populi ſui correctionem non iniquè ferente. Interim Ezechias Templi cultui promovendo ſtudens 2. *Par.* 31. ne minimum quidem è neceſſariis Sacerdotibus, & reliquis Miniſtris deeſſe patiebatur. Nec populus in conferendis decimis & primitiis ſegnior erat, adeout hæ cumularent.

Poſt aliquot annos Ezechias, excuſſo ſervitutis Aſſyriorum jugo, impoſita vectigalia pendere recuſavit (f). Philiſthæorum exercitu fuſo, eorum regionem *à Turre cuſtodum uſque ad civitatem munitam* excurrit. Indè annona, armiſque comparatis, fortiſſimos viros militibus præficiens, fontes extra urbem obſtruens, muniendæ urbi, atque hoſtium obſidioni ſuſtinendæ nihil reliqui fecit.

Interim Sennacherib Rex Aſſyriorum ditionem Juda ingreſſus, plurimas urbes ſubegit. Quibus eventibus territus Ezechias, cùm auxilia à fœderatis ſibi (g) Regibus Ægypti & Chus fruſtra expectaſſet, atque imparem ſe tanto hoſti ſuſtinendo ſentiret, miſſis legatis, ut à Regno exercitum reduceret rogavit, imperata ſe facturum pollicitus.

Aſſyrius 300. argenti, ac 30. auri talenta petiit; quibus ab Ezechia, exhauſto Regio ærario, evulſiſque aureis laminis, olim Templi foribus ab ipſo affixis, tandem collectis, atque ſolutis, Sennacherib tamen promiſſis non ſtetit. Miſſis enim Hieroſolymam è caſtris ſub Lachis, quam urbem obſidebat, tribus aulæ ſuæ Præfectis, deditionem imperavit. Venientibus illis, atque colloquium cum Rege poſtulantibus, Ezechias è re ſua eſſe non judicans urbe egredi, Eliacimo, Sobnæ, & Joahe negotium commiſit. Rabſaces legatus Sennacherib tres hoſce allocutus, arrogantibus verbis Regis ſui potentiam exaggeravit, Ezechiam verò adeo viribus deſtitutum, & imbecillem oſtendit, ut, etſi 1000. equi ab Aſſyriis illi exhiberentur, vix totidem viros eorum ſeſſores colligere potuiſſet. Fruſtra vero Judæos Ægypti Regi fidere addidit, baculi inſtar arundinei illis futuro, qui ſcilicet ſub incumbente confractus, manum ferit. Sciant tandem Sennacherib Dei juſſu expeditionem in Judæos ſuſcepiſſe.

Hæc ſermone Hebraico loquentem Rabſacem, coram frequenti populo ex urbis mœnibus colloquium audiente, Legati Ezechiæ monuerunt, ut vernacula Syrorum lingua, ipſis non ignota, uteretur. Verùm ille non ad Regem tantummodo, ſed ad populum univerſum ſe miſſum dixit, ut omnes ab imminenti periculo cautos efficeret; elata proindè voce populum ad deditionem ſollicitavit; ſi enim nullæ fuere gentium urbes, quæ à Diis ſuis è furore Sennacherib exemptæ fuerint; quid vos à Deo veſtro ſalutem præſtolamini?

His blaſphemiis auditis, Ezechias veſtes præ dolore conſcidit, & ſacco indutus, ad Templum convolavit, omnia interim, quæ Rabſaces jactitaverat, Iſaiæ Prophetæ nuncianda præcipiens. Iſaias animis cadentem, prænunciato diſceſſu Sennacherib, ejuſque nece, confirmavit. Dictis ſua fides; Aſſyrius enim

(a) Ludov. de Dieu in Geneſ. 47. (b) Grot. Vatabl. Jun. Fag. &c. (c) Vide & Jerem. 10. 13.
(d) Num. 24. 14. 24. Deut. 31. 29. Iſaiæ 62 11. (e) 4. Reg. 16. 4. collatus cum 4. Reg. 18. 1. Vide noſtr. Comment. in 4. Reg 16. 1. &c. (f) 4. Reg. 18. 7. 2. & 2. Par. 32. 1. &c. A. M. 3290. ſeu 3291.
(g) 4. Reg. 18. 24. & 19. 9.

relicta obſidione Lachis, cùm ad Lebnam obſidendam veniſſet, nunciato adventu Tharacæ Regis Chus, arma in ſe inferentis, urbem relinquens, caſtra in illum movit: miſſis interim ad Ezechiam literis Regem admonuit, ne ſe Dei adjutorio fideret, ſimili enim ope ſoltas cæteras gentes ſuis nihilo ſeciùs armis ceſſiſſe.

His literis Ezechiæ redditis, ſtatim ille ad Templum aſcendens, Deum exoravit, ut ab inſolentiſſimo efferatoque hoſte populum ſuum liberaret. Oranti Deus per Iſaiam, Aſsyrios ne urbe quidem obſeſſa ceſſuros, urbemque & populum à ſe protegendos prænunciavit. Nec diù oraculi eventus expectatus eſt; ipſa enim nocte Angelus Domini in caſtra hoſtium cœlitùs immiſſus, 185000. virorum occidit; quo factum eſt, ut Rex Ninivem præceps repeteret, ibique in Templo Neſroch Numinis ſui duo ejus filii adorantem opprimerent. Huic Aſaradon ſucceſſit An M. 3291. antè Ch. 709. antè Ær. 713.

Paulò poſt illud bellum, eodem ſcilicet anno decimoquarto Ezechiæ, Rex morbo lethali, ulcere fortaſsè, correptus eſt (a). Qua de cauſa, incertum; pro neglecto Cantico in gratiarum actionem de obtenta à Deo victoria de Aſsyriis, Rabbini autumant apud Hieron. in Iſai. 39. Verùm, ut ex 2. Paralipomenon 32. 24. colligere videmur, Ezechias ea victoria nonnihil tumens, totam ejus gloriam non ſatis in Deum refundens, ægritudinem Deo vindice contraxit. Decumbentem igitur Regem Iſaias allocutus, ſtatim moriturus de domo ſua diſponeret, admonuit. His auditis, Rex, verſo ad parietem vultu, in lachrymas & preces effuſus eſt. Interim Iſaias egreſsus, cùm ad medium veſtibuli perveniſſet, iterum à Deo juſſus, reverſus eſt, plorantique valetudinem infra triduum, & quindennem adhuc vitam; quin & protectionem contra Aſsyrios Dei verbis prædixit. Ezechias hujus oraculi veritatem ſigno aliquo cupiens comprobari; cumque Iſaias annuens propoſuiſſet, utrum mallet Solis umbram in horologio retrorſum decem lineis agi, an æquo ſpatio prætergredi; ille primum, utpote factu difficiſsimum, elegit. Nec mora; orante Propheta umbra retrogrado curſu decem linearum ſpatio receſſit: Quod quidem re vera contigiſſe, non Solis aſtro retrogradiente, ſed radiorum ipſius ſubita quadam deflexione cenſemus. Interim Iſaias ficorum maſſam poſtulans, Regis ulcus ea applicata obduxit; qua occaſione Canticum illud ab Ezechia recitatum eſt, quod Iſaias ad nos uſque tranſmiſit. *Iſa.* 38. 10.

Circa eadem tempora Merodach, ſivè Berodach-Baladan Rex Babylonis (b) epiſtolas & munera ad Regem miſit, cùm recuperatam valetudinem, tum prodigium, quod ea occaſione Hieroſolymis accidiſſe audierat, gratulatus. Eo officio Rex nimium delectatus, omnes Regiæ domus theſauros, aromata, vaſa pretioſa, quidquid inſuper in ſcriniis recondebatur, coram nunciis expandit. Inanem hanc pompam rerum ſuarum vitio illi vertit Iſaias, Deique verbis futurum prænunciavit, ut ea omnia in Ærarium Babylonici Regis tandem veherentur; in cujus aula filii Ezechiæ Eunuchorum officio eſſent occupandi. Huic Dei voluntati acquievit Ezechias, pacem tantummodò diebus vitæ ſuæ petens, quam & obtinuit, cùm tranquillo Regno uſque ad obitum imperaverit. Tandem poſt ingentes divitias comparatas, deductaſque in urbem aquas obiit An. M. 3306. ante Chr. 694. ante Ær. 698. relicto Regni, non tamen virtutis, ſucceſſore Manaſſe. Ezechiæ pietatem ſæpè S. Scriptura commendat; ejuſque elogium Eccleſiaſticus intexuit. *Eccli.* 48.

II. EZECHIAS, ſecundus Naariæ filius, è poſteris Zorobabelis. 2. *Paral.* 3. 23.

III. EZECHIAS, filius Sellum, qui cum ſociis Iſraelitis plures Judæos è Tribu Juda captivos ducentibus reſtitit, eoſque libertati reſtituere coegit. 2. *Paral.* 28. 13.

I. EZECHIEL, filius Buſi, Propheta è Sacerdotali genere (c), à Nabuchodonoſore in captivitatem Babylonicam ductus. Cùm captivus detineretur, primùm Divino œſtro afflatus fuiſſe veriſimiliùs creditur; ſiquidem ante adventum in Meſopotamiam nunquam prophetam egiſſe videtur.

Vaticinii munus anno ætatis ſuæ 30. *Ezech.* 1. 1. ut nonnullis videtur, cœpit; ſeù potiùs anno 30. ab innovato cum Domino fœdere, ſub Joſia jurato, qui annus cum quinto captivitatis, & M. 3409. convenit, & ad annum uſque 3430. 14. ab Hieroſolymæ excidio, antè Chr. 570. ante Ær. 574. 20. ſcilicet annis, prophetavit.

Cùm igitur inter captivos ad amnem Chobar, ſeù Chaboram, Ezechiel ſederet, viſus illi per extaſim Dominus, curru quodam à quatuor Cherubim tracto, & quatuor rotis nixo devectus, ipſum diſtincta voce alloquens, populo rerum futurarum eventum nunciaret, imperavit, *Ezech.* 2. Oblatum inde volumen ſibi devoraſſe viſus eſt. Poſtea ſenſibus reſtitutus, eodem ac priùs in loco, ac priſtina captivorum corona medium ſe invenit, ibique ſeptem integros dies plorans tranſegit, *Ezech.* 3. Hebdomada evoluta, ſpeculator in univerſum populum à Deo conſtitutus eſt: altera dein viſione Dei ſolio adeſſe ſibi viſus eſt, catenaſque furentis inſtar, & carcerem ſibi imminere intellexit: nec eventus oraculo defuit.

Cùm in carcere detineretur, *Ezech.* 4., juſſus à Deo, Hieroſolymæ vallo cinctæ (pro veteri obſidendarum urbium more) imaginem in latere, ſive in argilla deſcripſit; ferream item laminam mediam inter ſe urbemque oppoſuit; oculos immotos in ea urbe jugiter fixit; ac tandem 390. diebus ſuper ſiniſtrum latus, & his elapſis, 40. ſuper dextrum in lecto quievit; quo ſymbolo utriuſque regni ſcelera, Iſraelis ſcilicet primo, altero verò Judæ deſignavit. Ea dierum periodo ſpatium obſidionis Hieroſolymitanæ per Nabuchodonoſorem (d), indicabatur. Eodem etiam numero 390. anni captivitatis decem Tribuum, & 40. captivitatis Tribus Juda exhibentur; ſivè illos ab anno captæ Jeruſalem ſub Sedecia ducas, ſeù potiùs ab anno ab ea obſidione quarto, cum reliquiæ Judæorum Babylonem per Nabuzardanum traductæ ſunt, *Jerem.* 52. 30., anno ſcilicet M. 3420. ſive ab anno captæ Jeruſalem, M. 3416. Juxta primam ſupputationem, quæ eſt Uſſerii, quadrageſimus annus in obitu Balthaſaris circa An. M. 3466. exit, in ſecunda, quam nos malumus, cum anno 1457. & primo Cyri Babylone regnantis, deſinit.

Pro numero verò dierum, quibus ſuper latus cubare debebat, *Ezech.* 4. 9. totidem panes ex tritico, hordeo, fabis, lentibus, milio, & vicia ſibi conficere, eoſque humano ſtercore inficere juſſus eſt; Propheta tamen pio ea ſe deprecans, pro humano ſtercore bubulum fimum adhibere permiſſus eſt. Porrò eo ſigno anguſtiæ urbis Jeruſalem ſive Iſraelitarum, premente obſidione, prænunciabantur; quippe quibus eò deveniendum eſſet, ut arctum inquinatumque panem inter anguſtias ærumnaſque comederent. Dein capitis ſui comam præcidere, *Ezech.* 5., hujuſque partem igne, partem ventis diſperdere, partem denique enſe abſcindere juſſus eſt; ea plane ratione, qua Iſraelitæ partim fame & peſte, partim gladio, partim ſuper terræ faciem fuerant diſperdendi.

Sequenti anno (e) Ezechiel in ſpiritu Hieroſolymam raptus, omnia Judæorum ſcelera, & Idololatrias, impendentia quoque illis mala intuitus eſt, *Ezech.* 8... Adhuc autem illo in Templo verſante, quinque Angelis ſuis, ſingulis ad cædem inſtructis, obvios quoſcumque in urbe Jeruſalem ſigno vitæ minime notatos occiderent, Deus imperavit, *Ezech.* 9. Continuò autem Angelus alter urbem diſcurrere, ubiſque ſcelera plorantes ſigno T in fronte notare juſſus eſt. His peractis, ultio à Templo cœpit, quod continuò cædibus repletum, ſanguine exundavit. Tunc Deus grandi majeſtatis apparatu ſpectandum ſe præbens, Angelo, *Ezech.* 10., qui ſignum

(a) 4. Reg. 20. 1. &c. Iſ. 38. & 2. Par. 32. 29. 30. (b) 4. Reg. 20. 21. 22. An. M. 3291. ante Chr. 709. ante Ær. 713.
(c) Ezech. 1. 3. An. M. 3405. ante Chr. 595. ante Ær. 599. (d) Obſidio Hieroſolymitana die decima menſis decimi, noni anni Sedeciæ cæpit: Diè verò nona quarti menſis, undecimi anni ejus Regis; quare 19. menſium ſive 570. dierum ſpatio peracta eſt. Ab his ſi obſidionis à Nabuchodonoſore intermiſſæ tempus demas, ut Regi Ægypti occurreret, quod facile 4. menſes implevit, dies 430. efficiantur. (e) An. M. 3410. ante Chr. 590. ante Ær. 594.

gnum inſcripſerat, prunas è medio Cherubim ſolium vehentium deſumptas, per totam urbem diſpergeret, prunas ſcilicet iræ Domini, imperavit.

Ante annos quinque (a) ab urbis obſidione accingere ſe juſſus eſt Propheta, veluti aliò profecturus, *Ezech.* 12.: domus etiam ſuæ utenſilia curam populo, ac plena jam die alio transferenda curare: ipſe verò ex uno in alium locum palam omnibus, ne quos lateret, migrare: è domo ſua per diruptum parietem evadere, ac tandem alienis humeris noctu ſe tranſvehendum, oculis velatum, curare, ut ſpectaculi novitate intuentes attraheret. Hæc autem omnia in Sedecia poſt captam urbem, cujus excidium jam immineret, implenda prænunciare. Pſeudo-Prophetas denique ac Prophetides, eorumque clientes gravibus verbis redarguit. *Ezech.* 13. & 14.

Dum hæc in Meſopotamia agerentur, Sedecias Rex Juda clam cum Regibus Ægypti atque Edom aliiſque finitimis, defectionem à Nabuchodonoſore moliebatur (b). Cujus conſiliis intellectis, Nabuchodonoſor arma in Jeroſolymam intulit A. M. 3414. ante Chr. 586. ante Ær. 590. Sedeciæ anno nono, menſe nono, die decima; qua de re Ezechiel ultrà 200. leucarum ſpatio ab urbe diſtans, eadem die captivitatis ſuæ ſocios in Meſopotamia monuit, *Ezech.* 24.; ejuſque urbis excidium ollæ carnium & oſſium plenæ, qua validiori igni expoſita primò caro & oſſa, deinde æs ipſum ollæ abſumptum eſt, ſymbolo deſcripſit. Intereà cum Prophetæ uxor obiiſſet, luctum agere à Deo prohibitus eſt; requirentibus autem, quid hæc ab eo geſta portenderent, mox ipſos rebus, quibus minùs nollent, orbandos, Templo ſcilicet, urbe, patria, cognatis, amicis, atque orbitatem ſuam ne lachrymis quidem ſolari permittendos, reſpondebat.

Cùm obſidione urbs premeretur, Ezechiel contra Ægyptum (c), & Tyrum (d) oracula fundebat. Hieroſolymæ expugnationis nuncium ſex menſibus à capta urbe, die ſcilicet quinta decimi menſis (e), anni M. 3417. audiit, ex quo Prophetæ domicilium plurimùm à Babylone, quò Hieroſolymæ excidium continuò renunciatum fuiſſe præter controverſiam videtur, abfuiſſe arguimus. Pridie ejus diei de reliquis Judæorum, qui in patria poſt illius direptionem remanſerant, Ezechiel prophetaverat; eoſque ſibi de priſtino ſtatu recuperando blandientes, diſpergendos, vaticinium poſt quatuor annos eventu comprobante (f), prædixerat. Sub idem fortaſſe tempus infortunia, quæ 5. poſt annis à Hieroſolymæ excidio Sidonios, Syros, Idumæos, & Ammonitas oppreſſere (g), prænunciavit, *Ezech.* 25.

Tyri obſidio (h), & Nabuchodonoſoris in Ægyptum expeditio (i), poſt Judæorum res, maximè in Ezechiele conſiderantur. Poſt diros hoſce conſpectus, lætiora vidit Ezechiel (k); captivorum regreſſum, urbis, Templique, Regnorumque & urbium Juda & Iſraelis reſtaurationem; eorum de hoſtibus victorias, reſque præteritis feliciores.

Duos Prophetas, Jeremiam ſcilicet, & Ezechielem, eodem tempore, alterum trans Euphratem, alterum Hieroſolymæ oracula fundentes ſibi invicem prophetias communicaſſe, ut Judæi exules animis confirmarentur, S. Hieronymus autumavit in Ezech. 12. p. 766. nov. edit. Ezechielem à Principe populi ſui, quem ab Idololatria removere conabatur, interfectum tradunt: ſed Judæis ad Chaboram Princeps populi quis fuit? Eadem inſuper in ſpelunca ad Euphratem, in qua Sem, & Arphaxad, ſepultum ferunt. Hoc Prophetæ ſepulchrum Synagogæ inter Euphratem & Chaboram ſitæ à tergo, ſub ære concamerata, à Jechonia condita, ſuperciſſe teſtatur Benjamin Tudelenſis; additque lampadem perpetuò ardentem ante illud à Judæis detineri, ac manu ejuſdem Prophetæ exaratum librum apud eoſdem Judæos, uti jactitant, ſervari, quem ſingulis annis Expiationis ſolemnis die legere conſueverunt.

Hunc Prophetam geminos conſcripſiſſe de captivitate Babylonica libros Joſephus teſtatur, Antiqu. l. 10. c. 6. ſcriptum inſuper quoddam ejuſdem Prophetæ, in quo everſio Templi, & Sedeciæ obitus, antequam Babylonem videret, prædicebantur, Hieroſolymam tranſmiſſum fuiſſe alibi narrat. Antiqu. l. 10. c. 10. Verùm hæc in Libris Ezechielis non occurrunt, nec ſatis ſcimus, undè eam hiſtoriam Joſephus hauſerit; neque enim ulla ſatis firma conjectura ſuſpicari poſſumus cum S. Athanaſio in Synopſi, unum ex Libris Ezechielis intercidiſſe, ſive opus illud, quod ſupereſt, fragmentum eſſe amplioris operis, ut credidit Spinoſa.

Hujus Libri authoritas abſque controverſia, omnium ſæculorum aſſenſu probata eſt. Judæi tamen narrant, diutiùs in Synhedrio ea de re diſceptatum fuiſſe; ejuſdem enim Libri initium & finis obſcuriora videbantur (l), illud autem, quòd idem aſſerit Ezech. 18. a. 20., filium nempe paternæ iniquitatis pœnas non ſoluturum, Moyſis teſtimonio repugnare videbatur *Exod.* 34. 7. & 20. 5.; Deum enim patrum iniquitatem in filiis uſque ad tertiam, & quartam generationem punire Moyſes ſcripſerat.

S. Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. tradit non defuiſſe, qui crederent Nazaratum Aſſyrium Pythagoræ præceptorem eundem fuiſſe ac Ezechielem; quamvis ipſe longè diverſa ſentiat; quippè qui Pythagoram, Ezechiele recentiorem, nunquam illum vidiſſe crediderit. S. Epiphanius & S. Dorotheus plura de Ezechiele narrant, Criticis tamen non probata; illum ſcilicet pluribus miraculis in Judæa claruiſſe, Tribus Dan, & Gad Babylone ab eo diviſas, immiſſiſque in eas ſerpentibus, qui in idololatriæ pœnam eorum filios, & pecua omne interfecere, multatas; populum denique Hieroſolymam ab eo reductum, ut incredulos confunderet, ac tandem in Regione Spyrorum, fortè Sapirorum, ſepulturæ fuiſſe mandatum. Verùm quidquid illi, nonnullique authores dicant, genus mortis, & tempus Ezechielis adhuc latent. Apud Judæos nonniſi poſt 30. annum ætatis lectio hujus Prophetæ permittitur.

(Ita de Ezechiele egerunt Judæi, ceu de viro quem maximè contempſerint (m). Tradunt, famulum, vel *puerum* Jeremiæ fuiſſe; deridiculo & contemptui habitum à populo ſuo, ex quo dictum filium *Buzi* i. e. contemptus, vel ignominioſi. Diem illi dicunt quòd tradiderit plura Moſaicæ doctrinæ repugnantia, e. g. circa ſacrificia; quòd inſuper negaverit à Deo expetendam de crimine patrum ultionem in filiis; cùm Moyſes in tertiam & quartam uſque generationem deducat (n). Iis nominibus accuſatum virum, num eraderet ex albo Scriptorum ſacrorum, ſicut & ejus Libros è Canone Scripturarum, deliberaverit Sanhedrin.

Alia etiam ad ſupprimenda viri Opera Patres illos adigebat ratio, quòd obſcuram noctem præferrent, ea maximè, quæ de viſione myſtici currus in primo Operis capite narrantur. Omnium ſuffragia in damnationem Prophetæ collimaſſent, niſi R. Chananias, tum temporis agens in vivis, tollendas difficultates omnes, in ſe ſuſcepiſſet. Aſſenſerunt omnes, ac viro ab ingenti labore relevando repenſum eſt 300 dolia olei, quibus lampades aleret, & quarum etiam luce, dum operi intenderet, colluſtraretur. Sentimus utique in his omnibus hyperbolem Thalmudiſticam ad exaggerandam difficultatem exponendi vaticinia Ezechielis; nec extra veri ſpeciem affirmaremus, ea omnia, quæ de conſultatione Sanhedrin narrantur, meras eſſe putidaſque fabellas.

Benjamin Tudelenſis in ſuis itineribus, ſpectaſſe ſe refert leucis quibuſdam à Bagdad ſuperbum ſtans Mauſolæum, cujus ſuperiora teneret inſtructiſſima

(a) An. M. 3411. ante Chr. 589. ante Ær. 593. (b) A. M. 3411. Ezech. 15. 1. 15. 17. (c) Ezech. 29. 16. & 30. & 31. (d) Ezech. 26. & 27. & 28. (e) Ezech. 33. 21. Capta eſt Jeruſalem anno Sedeciæ undecimo, menſe quarto, die nona. 4. Reg. 25. 2. 3. &c. (f) Jer. 52. 30. An. M. 3420. (g) Vide Joſeph. Antiq. l. 10. c. 11. A. M. 3421. (h) Ezech. 26. & 27.
(i) Ezech. 29. & 30. & 31. (k) Ezech. 32. & 37. & 38. uſque ad Libri finem. (l) Hieron. Præf. in Ezech. & Comment. in c. 1. ejuſdem. (m) Vide Bartoloc. Bibl. RR. l. 2. Baſnag. Hiſt. Judæ. to. 4. pag. 294. l. 6. c. 19.
(n) Confer. Exodi 20. 5. & Ezech. 18. 2. &c.

Bibliotheca. Sepulchrum id erat Ezechielis Prophetæ, quò ſingulis annis peregrinationem inſtituebant Principes captivitatis, cum frequenti hominum ſatellitio, eò ſe conferentes ad obſequium & vota. Religioſus eſt autem, ait, locus non Judæis tantùm, ſed & Perſis, Medis, ac Muſulmanis ſanè pluribus, eò ſolventes vota, ac munera conferentes. Porro ſingularis eſt gentibus illis omnibus loci ſanctitas, ut ne milites quidem violare illam audeant. Perpetuò incenſa lampas ædem colluſtrat, quàm impenſis ſuis detinet Princeps captivitatis Bagdad. Hodie pariter locus religioſis peregrinationibus frequentatur.

Adjacet ſepulcrum illud ad Chaboram; diſſeminaturque locus 60. turribus, quarum ſingulæ dedicantur in Synagogam. Surgit non longè alterum ædificium, à Jechonia reſtituto in libertatem ab Evilmerodacho, conſtructum. Proſpectum habet hinc ad Euphratem illinc ad Chaboram. Cernere erat adhuc ætate Benjamini in fornice concamerato hujus ædificii imaginem Jechoniæ, ac virorum Principum, qui Regem comitabantur, quorum poſtremum agmen claudebat Ezechiel Propheta.

Bibliothecam ejus loci inſtructiſſimam deſcribit, quam etiam in dies augebant quicunque liberis orbati decederent, eo legatis Codicibus ſuis omnibus. Autographum erat hic, ſi qua fides Judæo, vaticiniorum Ezechielis propria ejus manu deſcriptum, nunc iſta quidem circumſtantiis adeo exacta, ut veritatis indolem referant.

Nihilo tamen ſeciùs vetuſtiſſimus quidam Author (a) affirmat, neci traditum fuiſſe virum Sanctum juſſu Principis gentis ſuæ, ex eo offenſi, quod liberioribus verbis crimina ſua caſtigabat Propheta; mandatumque dicit ſepulturæ in ſpecu, ubi olim conditi Sem & Arphaxad progenitores Abrahami. Scriptor alius, ad Conſtantini ætatem pertinens, tradit Ezechielem conditum fuiſſe in Bethleem eodem loco ubi Jeſſe, David, & Salomon.

Conſtat Ezechielem de inſigni quadam reſurrectione egiſſe capite 37. t. Cùm ſemel raptus eſſet in campum plenum oſſibus, ac ſpiritu Dei deducente tractum illum circumiiſſet, ita loquentem eundem ſpiritum auſcultavit: putas oſſa hæc ad vitam eſſe reſtituenda? Simul ad hæc prophetare juſſus eſt ſuper oſſa illa, atque indicere, auſcultarent verbum Domini, effundendum eſſe ſuper illa ſpiritum vitæ, & in vitam reipſa reſtituenda. Hæc loquente Propheta commoveri primùm oſſa, jungi ſimul in aptam compaginem, ac tandem reviviſcere. Diu multùmque diſputatum eſt in narrationem hanc Propheticam, an ſcilicet hiſtoriam referat, ſeu potiùs figuratum quid & in mente Prophetæ actum, quo ſcilicet vividiùs & expreſſiùs demonſtraretur reditus è captivitate. Hiſtoriam malunt è Rabbinis pleraque; ſed Propheticum Commentatores ſuſpicati ſunt.

Rem totam ita veſtiunt Mahometani. Urbs parva Davardan in ſubjecta Urbi Vaſith regione, lue correpta, è civibus ſuis pluribus deſtituta eſt, aliò divertentibus tuendæ valetudinis gratia (b). Vertente anno lues iterum; ſtatimque extrà incolæ omnes cum gregibus. Cùm fugientes Cives illi in profundam quandam vallem divertiſſent, ad duos extremos angulos ejuſdem vallis offenderunt geminos Angelos, mortem ſibi juſſu Dei annuntiantes. Interierunt omnes cum gregibus. De re tota facti certiores vicina tenentes loca eò ſe contulerunt, ut defunctos traderent ſepulturæ; ſed cùm laborem vinceret numerus, re infecta, occluſa priùs valle duobus muris ad duos angulos excitatis, redierunt; ita cadaverum maxima portio jacuit inſepulta, brevique reſoluta ſunt ut nihil remaneret præter oſſa. Pertranſiens huc aliquot poſt annos Ezechiel in has preces Deum rogavit: Domine, quemadmodum tibi viſum eſt, potentiam tuam cum terrore ſuper iſtos manifeſtare; ita nunc pariter reſpice miſeros oculo clementiæ & miſerationis tuæ. Exoratus hiſce Deus, defunctos revocavit ad vitam. Vides hìc expreſſos Orientalium characteres? nullam fermè hiſtoriam prætereunt inornatam, vel fabellis perſonatam. Porrò Muſulmani Ezechielem conſtituunt ſucceſſorem Caleb filio Jephonæ, qui poſt obitum Joſue judicavit Iſraelem. Sentimus utique anachroniſmum.)

II. EZECHIEL, Pater Sechenïæ 1. *Eſdr.* 8. 5.

III. EZECHIEL, Hebræus Poeta, Græcæ Tragædiæ, *Moyſes* inſcriptæ, author, quam S. Clemens Alexandrinus ſtrom. l. 1., & Euſebius Præpar. l. 9. laudarunt, & Fridericus Morellus Latinè & Græcè Pariſiis 1609. edidit.

I. EZER, pater Hoſæ è Tribu Juda. 1. *Par.* 4. 4.

II. EZER, Sacerdos, è captivitate Babylonica regreſſus 2. *Eſdr.* 12. 41.

EZIEL, Filius Arajæ, quæ reſtituendæ Hieroſolymæ poſt captivitatem Babylonicam, operam contulit 1. *Eſdr.* 11. 4.

EZRI, filius Chelub, Præfectus operum Davidis 1. Par. 3. 23.

I. EZRICAM, filius Naariæ, Davidis cognatus 1. *Par.* 3. 23.

II. EZRICAM, filius Aſeel, Saulis cognatus 1. *Par.* 8. 38 & 9. 44.

III. EZRICAM, è Tribu Benjamin à Zechri interfectus. 2. *Paral.* 28. 7.

IV. EZRICAM, filius Aſſub, Levites. 1. *Par.* 9. 14.

I. EZRIEL, è Tribu Manaſſe, filius Jeroham, inter viros fortiſſimos Davidici exercitus (c), Princeps Tribus Dan. 1. Par. 27. 12.

II. EZRIEL, Sarajæ pater. *Jer.* 36. 26.

F A

FABIUS, Tribunus in exercitu Pompeii, inter primos, qui per disjecta Templi mœnia in illud evaſere (d). An idem cum Fabio, auro Antigoni filii Ariſtobuli corrupto (e)?

(FACERE, uſurpatur pro implere legem, operi alicui allaborare, aliquid acquirere. Gen. 12. 5. *Animas, quas fecerant* (quas acquiſiverant) *in Haran* Gen. 30. 30. *Facere ſibi domum*, eſt procurare ut ſe latè fundet, acquirere bona. *Facere currus & equites* 3. *Reg.* 50. 8., eſt facere ſibi ſatellitium. *Facere hædum* Gen. 18. 21., eſt ſacrificare Deo & coquere. *Faciam te in gentem magnam* Gen. 12. 2.; in patrem ſcilicet gentis florentiſſimæ. *Facere ſalutem magnam* Exodi 14. 7. eſt potentiam ſuam exercere in ſervando populo ſuo. *Odioſum facere* aliquem Gen. 34. 30. eſt nomen odioſum alicui procurare. *Cum Deo facere, operari* 1. *Reg.* 14. 45., eſt Dei ope juvari, inſtrumenti loco ejus potentiæ ſervire. *Facere* ſolitariè poſitum exprimit complere aliquid. *Commenda Domino viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet*; *Pſ.* 36. 5. felicem cœptis dabit exitum. *Hæc faciat mihi & hæc addat*; formula eſt jurejurandi, qua continet ſe quiſque ab exprimendo malo, quod imprecatur vel ſibi, vel aliis.

FACIES. Spondet Dominus Moyſi Exodi 33. 13. 14. *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi*; quibus loquendi phraſibus alii Deum ipſum expreſſum malunt: *Facies mea ego ipſe*; habent Septuaginta, vel Angelus meus, *Angelus faciei meæ*, Angelus Michael, quem ego deducendo populo aſſignavi. *Angelus faciei* deſignat etiam Meſſiam, Iſaiæ 63. 9. *Angelus faciei ejus ſalvabit eos*. Porro *Angeli faciei* appellantur Angelorum Principes vel Archangeli, faciei Domini aſſiſtentes, nunquam non Deum videntes facie, & cæteri proximiores ad illum accedentes. Populari loquendi phraſi utens Scriptura exhibet ſæpe in Cælo Dominum, tamquam in regiis ædibus Imperatores Aſſyriorum vel Perſarum, nunquam in conſpectum admittentes niſi ſelectos quoſdam ex Aula Principes, quos eo honore habent pares. Vide Tob. 12. 15. Apoc. 1. 4.

Ibi pariter Moyſes, ſcilicet Exodi 33. 17. Deum rogat: *Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam*; additque: *Oſtende mihi gloriam tuam*; quod perinde eſt ac faciem tuam. Cui Deus: *Oſtendam*

(a) Epiph. de mort. Prophet. t. 2. p. 241. (b) D'Herbelot Bibl. Orien. pag. 992. Khazkhil. (c) 1. Par. 5. 28.
(d) Antiq. l. 14. c. 8. de Bello. l. 1. c. 5. An. M. 3941 ante Chr. 59. ante Ær. 63. (e) Antiq. l. 14. c. 21.

dam omne bonum tibi, omnem gloriam meam. Tranſibo coram te, & præſentiæ meæ hoc tibi exhibebo ſignum, meum ſcilicet nomen, quod tunc pronunciabo. Verùm: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo & vivet*. Recepta tunc mentibus hominum perſuaſio tenebat, neminem in hac vita parum futurum, ut videret Dominum, quin ſimul mortem hac de re oppeteret. Vide Geneſis 16. 13. & 32. Exodi 20. 19. & 24. 11. Judic. 6. 22. 23.

Stetit Dominus promiſſis, pertranſiit enim ante ſpeluncam, quam Moyſes ſubierat. Ex oſtio ejus ſpecus tranſeuntis gloriam intuitus eſt ille quidem, ſed non faciem Domini (cap. 33. 4. 6. 7.), dorſum tantùm & poſteriora. Quæ cum ita ſint legimus tamen Num. 12. 7. *Ore ad os loquor ei* (Deus ad Moyſem) *& palam, & non per ænigmata Dominum videt*. Et Num. itidem 14. Ad Chananæos fama delata eſt, ait Moyſes, *Quòd tu Domine cum populo iſto ſis, & facie videaris ad faciem*. Ita pariter Deut. 5. 4. legimus, Deum *facie ad faciem* locutum eſſe Hebræis *in monte de medio ignis*. Sed ubique illud, *facie ad faciem*, commodo ſenſu leniendum, tanquam ſi exprimeret, Deum ſe palam manifeſtaſſe Iſraelitis, quà auribus eorum voce ſua inſonante, qua expreſſo aliquo ſigno præſentiæ ſuæ exhibito, veluti ſi facie ad faciem loqueretur.

Panes facierum, ſunt panes propoſitionis nunquam non coram Deo appoſiti. Vide, *Panes propoſitionis*.

Facies Dei, perinde valet interdum ac Dei indignatio. *Facies Domini ſuper facientes mala*, Pſal. 33. 17. *Diviſi* (diſſipati) *ab ira vultus ejus*. *Pſal.* 54. 22. *&c.* Pſal. 67. 3. *Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei*. Eſt etiam contrario ſenſu vox illa uſurpata in Pſalmo 30. 17. *Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum*; & Pſalmo 79. 4. *Oſtende faciem tuam; & ſalvi erimus*. Pſalmo 16. 15. *Ego in juſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cum apparuerit gloria tua*. Pſal. 30. 21. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum*; opem, tutelam & favores illis præſtabis.

Cognoſcere faciem alicujus, eſt acceptare perſonas. *Uſquequò faciem peccatoris ſumitis Pſal.* 81. 2.? Sapiens Proverb. 28. 21. *Qui cognoſcit in judicio faciem, non benefacit*; Judicis eſt enim ut nihil ad perſonas reſpiciens, id unicè intendat, quo æquam teneat juſtitiæ lancem. In Malachia 1. 8. 9. *Suſcipere faciem*, eſt præſtare favorem: *Si quomodo ſuſcipiat facies veſtras Dominus*. Geneſ. 19. 21. *Etiam in hoc ſuſcepi preces veſtras*; Hebræus ad literam: *Suſcepi faciem veſtram*.

Expuere in faciem, ſemmentis & inſignis injuriæ ſignificatio. Num. 12. 14. vidua, cujus vir interiit liberis orbatus, ſiquidem in uxorem rejecta ſit à fratre ejus viri, expuebat in faciem recuſantis. Deut. 25. 9.

Salutare vultus Dei *Pſal.* 41. 6., exprimit ſalutem, quam favore ſuo adpromittit Deus.)

FADUS. *Cuſpius Fadus*, Præfectus Judææ. Vide *Cuſpius*.

(FÆCES. Bibere calicem Domini uſque ad *fæces*, eſt ad imum uſque exhaurire, phraſis eſt autem in Scriptura familiaris. Vide Pſal. 74. 9. Iſai. 51. 17. Ezech. 23. 34. Perhibent Rabbini, Sedeciam, Regum Juda poſtremum, liguriſſe fæcem omnium præcedentium ſæculorum.

Fæces populi, ſunt calonum viliſſimi. Iſaiæ 49. 6. 7. *fæces Iſrael* convertendas dicit Dominus, convertendas, inquam, è captivitate & ad Dominum. Minitatur Deus per Sophoniam 1. 12. viſiturum ſe homines *defixos in fæcibus ſuis*, in criminibus obduratos.

FAMES. Sæpiùs de fame in Palæſtina ac vicinis graſſante meminit Scriptura. Geneſis 12. 10. fames notatur ſub Abrahamo; item alia ſub Iſaaco *Geneſ.* 26. 1. Sed omnium, quas noverimus, maxima eſt fames ſeptennalis Ægyptum affligens ſub Joſepho *Geneſ.* 41. 27. Celebris eſt enim quà duratione ſua, quà amplitudine, quà acerbitate flagelli, atque eo pariter, quòd Ægyptus, regio ad exceſſum fœcunda, his malis minùs præ cæteris obnoxia eſt.

Eſt autem fames interdum malum à natura ipſa tel inductum, ut cùm Nili aquæ minores ſunt, quam ut perluant Ægyptum, vel cùm ſtatis in Judæa anni tempeſtatibus, vere & autumno imbres parciores eduna vel nulli; vel cùm bruci, locuſtæ, & id generis inſecta infeſtantes regionem fructus depaſcunt. Quam poſtremam cauſam famis ſæpiùs indicant Prophetæ. Vidè magnificam deſcriptionem Joelis 1. 2. &c. de locuſtis ſeſe ſuperinfundentibus regioni; illas enim comparat inſtructo validoque militibus exercitui longè lateque regionem deſolanti.

Sæpè etiam tota inducendæ famis cauſa eſt Dei in populum ſuum indignatio. Ita e. g. Deus miſit Prophetam Gad ad Davidem, denunciaturum ultionem, eo quod jactabundus indiſiſſet cenſum populi ſui: optionem proinde illi dare, num ſeptennii famem, vel trium menſium oppreſſionem ab hoſtibus, an triduanam peſtem eligeret 2. *Reg.* 24. 12. 13. Sub Achab 4. *Reg.* 8. 12. *Vocavit Dominus famem ſuper terram, & venit ſeptem annis*. Minitantur ſæpe in Iſraelitas Prophetæ *gladium famis*, flagellum ſcilicet belli & famis, quæ duo interdum peſſimo fœdere junguntur.

Genus aliud famis minitatur Amos 8. 11. in populum Dei: *Mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi verbum Domini*.)

FARINA. Pauperes, quibus anguſtior erat cenſus, quam ut emendis pecoribus, ſivè avibus, vel columbis in holocauſtum, ſive pro peccato offerendis ſufficeret, farinam ſubſtituere permittebantur *Levit.* 5. 11. Hujus menſura, ſi pro peccato ſacrificium offerebatur, duodecima pars Ephi, circiter nempè tres Pariſienſes pintæ, præſcripta erat: oleo tamen, aut thure non admiſcebatur, cùm oblatio eſſet pro peccato. Ex ea farina ſacerdos in ignem Altaris injiciebat, quantum pugillus caperet, & poſt oblatas pro expiatione illius, qui ſacrificium offerebat, preces, cæremonia ſolvebatur, farinæ reliquo in Sacerdotis utilitatem cedente. Si verò religioſa tantùm eſſet oblatio, farinæ oleum, & thus addebatur, & de more pugillo farinæ, totoque thure igne Altaris concremato, reliquum ad Sacerdotem ſpectabat (a). Ex ea tamen oblatione nemini, exceptis Sacerdotibus, eiſque nonniſi in Loco ſancto, ſcilicet tempore ſui muneris in Tabernaculo, comedere fas erat. Panes etiam, & placentæ diverſi generis in Tabernaculo offerebantur. De cæremoniis pro hiſce offerendis, vide *Levit.* 5. 4. &c.

(FASCINATIO. Præſtigii genus eſt, quo tenentur oculi ne res videant, quales re ipſa exhibentur. Legimus in Evangelio Infantiæ J. C. apud Fabric. Apocryph. N. T. pag. 183., adoleſcentulum quendam in mulum transmutatum, priſtinæ reſtitutum fuiſſe valetudini ac ſtatui favore SS. Virginis, quæ puerum Jeſum illi impoſuit. Meminit Homerus ſociorum Ulyſſis, quos potenti carminum vi Circes tranſtulit in porcos. Faſcinationum id generis ſermo eſt etiam in Vita S. Hilarionis Authore S. Hieronymo, atque in aliorum Sanctorum ſanè plurium geſtis. Metamorphoſis Apuleji celebrior eſt, quàm ut hic commemoretur. Narrat S. Auguſtinus de Civit. lib. 18. cap. 16. 17. 18., viros quoſdam oblatis in cibum aromatibus nonnullis, homines in jumenta transformaſſe. Porrò metamorphoſes iſtæ omnes ludibria ſunt vel faſcinationes in oculis & in phantaſia intuentium, qua pariter tenebantur homines eo morbo correpti.

Faſcinationem metaphorico ſenſu uſurpat Apoſtolus, Galat. 3. 1. *Quis vos faſcinavit, non obedire veritati?* quis cor veſtrum mentemque ita faſcinavit, ut annunciatis à me veritatibus poſthabitis, in nova declinaretis? Sapiens, Sap. 4. 12. *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona*; faſcinatio, excantamenta, blandimenta hujus Mundi ac voluptatum ita homines occupant, ut ad ſolida minùs afficiantur. De metamorphoſibus, quas à veneficiis induci autumat vulgus videſis S. Auguſtinum de Civit. Dei lib. 18. cap. 16. 17. 18. & quæ de metamorphoſi Nabuchodonoſoris in bovem nos alibi diſputavimus.

(a) Levit. 6. 14. &c. Levit. 2. 1. &c.

FATUM. Latina vox nullibi in Scriptura legenda; exprimimus autem illa connexam cauſarum ſeriem, qua rei eventus neceſſitate quadam inducitur. Deum ipſum fatorum neceſſitati ſubdebant Stoici. Non audentes Pagani Philoſophi in Deum referre crimen malorum, quæ contra fas omne accidere in mundum autumabant, nec ſuo pariter crimini imputare illa volentes, Fatum quoddam induxerunt, cujus tamen nullam ſatis exactam inditam ſibi ideam formarunt. Veteres Hebræi omnia in Deum referebant, quà bona, quà mala, excepta criminis culpa. Deus ultor & juſtus immittebat mala, morbos, bellum, luem; Deus bonus & clemens concedebat bonorum omnium largitatem. In bonis adminiſtros habebat Angelos probos; in malis deteriores Angelos. Mala omnia ideo infligebantur; ſive ad exigendam de criminibus noſtris vel patrum noſtrorum, vel Principum, vel filiorum ultionem, vel ad commendanda opera Dei hominibus. Hoc Hebræorum ſyſtema ab Eccleſia Chriſtiana adoptatum eſt.

Habebant Hebræi illi perſuaſum, eventus omnes, in quibus etiam caſus valere plurimùm videretur, Numinis cuncta providentis conſilio dirigi; ne aviculam quidem in terram cadere ipſo non diſponente Patre Cæleſti; capillos omnes capitis habere illum in numerato; nec tandem vile eſſe adeò in mundo animal, non plantas, quæ Providentiæ curas non occupent. Neque hic agitur an effrænea moribus Judæi fatum tenuerint, & ſi quid ejus rei veſtigium deprehendi liceat in Scriptura. Impiis illis, quorum ſenſus exprimit Salomon in libro Eccleſiaſtis, eadem fuiſſe ac Stoicis mens videtur, omnia ſcilicet ita è ſuperiori quadam cauſa pendere, ut nihil illi valeat obſiſtere: *Eccle.* 8.14.17. *Sunt juſti, quibus mala proveniunt, quaſi opera egerint impiorum, & ſunt impii, qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant...... Intellexi quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt ſub ſole, & quantò plùs laboraverit ad quærendum, tanto minùs inveniet..... Eccle.* 9. 1. 11. *Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit; ſed omnia in futurum ſervantur incerta, eo quod univerſa æquè eveniant juſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti &c. Vidi ſub ſole nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientum panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; ſed tempus, caſuſque in omnibus.* Hic ſee veluti ſub oculis ſatum exhibetur.

Joſephus Hiſtoricus, Antiq. l. 18. cap. 2. agens de Sectis ætate ſua obtinentibus apud Judæos, ſcribit, Phariſæos ita referre omnia in fatum, ut libertatis, & arbitrii eſſe judicent determinare ſe ad opus; hoc enim veluti temperamento Deum erga homines uti, omnia licèt decreto ſeu voluntate Numinis conſequantur; homini nihiloſeciùs libertatem ſeligendi inter vitium & virtutem ſervari. Et de bello l.2.c.12. docet à Phariſæis è fato & Deo omnia repeti; bona tamen & mala pleriunque ab homine pendere, ſed inclinari homines illos fato in recta, vel in deteriora. Eo fati ideam correctam ab idea religionis Judaicæ, exhibentis Deum recti, boni, pietatis tenacem, & ad omnia valentem: quid tamen ille fati nomine ſignificaverit ignotum eſt mihi; ignotum pariter quos limites fatorum poteſtati definiat; præter hæc enim, quæ poteſtas agendi ad arbitrium reſtaret homini? Contendit ille tamen homini integrum ferè ſemper relinqui, ut bonum, ſive deterius agat pro arbitrio. Hæc utique ægrè ſimul concilarentur, & arduo planè negocio ad certum definiretur, quid in ſingulis actibus ſive mala, ſive bona agat Deus, quæ in illis fati partes eſſent, quid reſtet homini.

Quæ neceſſariò conſequuntur in Mundo, agi à fato, vel aſtrorum influentia autumabant juxta ac plures docent (a); rara tamen quædam excipiebant liberæ veluti facultati relicta; docebant inſuper, Deum ipſum in actibus hominum liberis manum afferre opitulantem. Ita accipiendum axioma illud veterum Rabbinorum: *Omnia in manu Cœli ſunt, excepto timore Dei:* i. e. omnia urgenti quadam neceſſitate inferuntur, una excepta hominis voluntate, quæ Religionis res habet in medio poſitas. Paraphraſtes Chaldæus exponens illud Eccle. 9. 2. *Omnia in futurum ſervantur incerta*; docet; præſtari hæc per *fatum*; ſtatimque addit, hæc in Cælo decerni & à Deo conſtitui. Spectant hæc omnia rerum, quas naturales appellamus, eventus, non morales, quos bonos maloſve dicimus, actus, ab hominum libera voluntate productos, *ſed adjuvante fato* juxta Joſephum; facilè quòd Deus illa unà cum cauſis ſecundis rerumque circumſtantiis juvet, opemque præſtet voluntati obſtaculis removendis in contrarium urgentibus. Aſtrorum influxibus ſat multum tribuunt Judæi recentiores, fatenturque hac in re convenire inter Sapientes (b). Qua die celebrantur nuptiæ, amici proſpera apprecatum optant, ut *ſidus Sponſi fulgeat benignum*; nec minima cura veſtigant, quo regnante planeta, quo ſub zodiaci ſigno filii naſcantur. Hiſce tamen omnibus nihil apud illos detrahitur ſive de omnipotentia Dei, ſive de ejus poteſtate in cor & voluntates hominum; ſed diſcrepationes utique apud ipſos minores fuerunt de gratia & libertate, ac ratione utriuſque inter ſe conciliandi, quàm quæ ſcholas Chriſtianorum commiſerunt.

FAUNI. Fauni vel Numina agreſtia ac ſylveſtria, ignota Græcis, Latinis tantùm ſunt cognita, apud quos feſta dies Faunia, quinta Decembris ſacrificio cuniculi in pratis, tum & per vicinos vicos lætitiæ ſignificationibus plurimis colebatur. *Faunus* apud Romanos idem erat ac apud Græcos *Pan*; vel iidem Fauni additi ſunt Pani in ſocios. Quamquam cum Semideis parem habebant honorem, obire tamen poſt certi temporis periodum cenſebantur. Jeremias Propheta, aliique nonnulli, addunt illis epithetum *Ficarii*, quem reddunt alii *ficuum helluones*. Exemplaria plura legunt *Sicarii* pro *Ficarii*, quod dictum accipiunt de efferatis Faunorum moribus; ſed lectio *Ficarii* communi ſuffragio probatur. Alii vocem illam derivant non ex *ficus ficus* fructibus, ſed ex *ficus fici*, quod tumor eſt carnis ſpongioſæ, & fibroſæ ſuccreſcentis variè quidem per corpus, ſed potiſſimùm ad imum ventrem ac verenda, quod vitii genus familiare Faunis creditur. Exhibentur perindè ac Satyri ſæpè hominum imagine, caudati tamen, vel equino vel hircino ſyrmate (c): ſæpè bicornia ſunt auribus & cornibus: confunduntur tamen ferè ſemper cum Satyris, ex quo illud familiare cùm de ipſis ſermo, *Faunus an Satyrus:* picta enim imagine uter Faunuſne vel Satyrus expreſſus ſit, ignoratur.

An re ipſa Fauni unquam in rerum natura extiterint, ambigitur. Conſtat inter omnes S. Hieronymum in vita S. Pauli Eremicolæ pluribus eorum veritati demonſtrandæ allaboraſſe. Nequidquam hæc tamen valuerunt revincendis incredulis planè multis, quos pariter nec revocant ad ſaniora vulgatæ plures relationes de marinis quibuſdam ac ſylveſtribus hominibus. Occurrunt alicubi Simiæ accedentes ad Faunos & Satyros, quippe quæ ingenio ſunt verſatili & callido, ut ſuſpicionem ingererent intuentibus, num intelligentia aliqua polleant. Non abs re autumaremus, Veteres, qui honoribus non impares cenſuerunt Faunos, Sylvanos, Panos, Satyros, eadem de illis habuiſſe perſuaſionem, ac de Tritonibus, Nymphis, Nereidibus: quæ omnia perinde reputarunt ac Genios dominantes in lucis, agris, deſertis, in mari, in aquis; facta autem veteri ſuperſtitioni acceſſione, tribuerunt Geniis illis ad arbitrium corpora: eodem planè conſilio, ac Pictores noſtri corpora indulgent Angelis, Dæmonibus, virtutibus, vitiis, Urbibus, Provinciis, Diis ac Deabus amnium & fontium.)

FAUNUS. De Faunis Jeremias 50. 39. *Habitabunt dracones cum Faunis ficariis.* Hi animalia ſunt ſylveſtria, ſimiæ ingenio, pedibus quatuor, poſterioribus tantu-

(a) Bullus Hærmon Apoſt. Differt. poſter. cap. 15. Vide Baſnag. Hiſt. Jud. l. 3. cap. 2. (b) Maimon. More Neboc. par. 2, c. 10. Talmud in Moed Katon, fol. 28. Abenez. Abarbanel &c. (c) Vide Antiquit. explic. tom. 1. pag. 267. Gallicè.

tantummodò utentia: os homini ſimile; tergo tantùm villoſa; in India, in Angolæ Provincia frequentia. Faunus in Hollandiam paucis ab hinc annis delatus, aliquandiù ibidem vixiſſe fertur. Alius, authore S. Hieronymo in Vita Pauli, Conſtantino Magno imperante, Alexandriam ductus, paulò poſt tædio, & mœrore abſumptus eſt. Aromatibus verò conditus, Antiochiam ad Auguſtum miſſus eſt. Faunos S. Antonio occurriſſe idem teſtatur, eum ad S. Paulum eremitam pergeret. Fracto Mithridate, faunus ad Syllam ductus à Plutarcho narratur. Sylveſtribus pomis præſertim ficubus veſcuntur fauni; unde *ficariorum* nomen iis indutum eſt. Agreſtia etiam Ethnicorum Numina fauni, cornibus, & hircinis pedibus deformia.

Locus Jeremiæ recitatus, Hebraicè ſic legitur: *Ziim habitabunt cum iim*; eademque verba Iſaiæ 34. 14. leguntur, ubi Vulgata fert: *Et occurrent Dæmonia onocentauris*. Si hæc loca conferamus, *Ziim* piſcatores, nautas ſonare videbuntur; *iim*, inſulas: quare Jeremias ita verti poſſet: *Piſcatores habitabunt inſulas*; & Iſaias: *Piſcatoribus*, ſivè iis, qui illuc uſque navigabunt, *inſulæ occurrent*. Babylon, ſcilicet, adeò deſtruetur, ut ejus ruinæ ab aquis ſint operiendæ; piſcatoreſque, & nautæ, qui illac tranſibunt, paucas tantum inſulas, ex ejus ruinis conflatas ſint viſuri.

(FEL. De vino cum felle mixto, quo potatus eſt Jeſus Chriſtus pendens de Cruce, Matth. 27. 34. egimus alibi. Vide V. *Vinum*, ubi conciliare S. Matthæum cum S. Marco conati ſumus, quorum alter vinum felle mixtum inducit, alius vinum myrrhatum. Vini admixto felle ad ebrietatem inducendam meminit Habacuc 2. 15. *Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians, ut aſpiciat nuditatem ejus*. Quibus verbis ſuggillari à Propheta credimus illud Pharaonis Hophra Regis Ægypti cum Sedecia; pollicitationibus enim ſuis Regem ſollicitavit ad excutiendum Nabuchodonoſoris jugum; ſed cùm maximè opis ſuæ indigeret, amicum deſeruit: *Dedit amico ſuo fel ſuum & inebriavit*; ſeſe ſcilicet oblectaturus in ſpectanda ejus nuditate. Perhibent Rabbini, à Nabuchodonoſore lætum cum amicis agente convivium accitum Sedeciam potatum fuiſſe liquore quodam meraceo, ut ſociorum ludibriis exponeretur.

Ut quid autem vino fel admiſceatur? Digeſtionem fel juvat plurimùm, obtinetque apud Æthiopes, ut in condimentis ciborum adhibeatur. Cùm Moyſes deguſtari agnum Paſchalem cum amaris condimentis præſcribit, dicta hæc de felle commodè accipias. Vinum felle admixtum inſinuat ſe celeriùs; quare & promptiùs attenuatum in vapores aſcendit ad caput. Moyſes Dei verbis minitatur Iſraelitas, Deut. 32. 32. 33. redditurum ſe eorum uvas *uvam fellis, & fel draconum*; i. e. dulces uvas tranſmutaturum in amaras, & merum in venenum, quo ebrietas pariter & ex veneno mors inducatur, pro eo quod nutriat vinum illud, & exhilaret. E Tobia 6. 5. & 11. 8. 13. intelligimus, fel apud Veteres collyrium fuiſſe præſentiſſimum. Plinius l. 28. c. 9. in eam rem de felle: *Ad oculorum medicamenta utilius habetur*. In Jeremia 8. 14. & 9. 15. *Thren.* 5. 19. *potum dare aquam fellis*, eſt luctum agere amariſſimum. In Pſ. 68. 21. de Pſalmiſtæ, ſive Meſſiæ adverſariis ſcriptum eſt: *Dederunt in eſcam meum fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto*. *Fel amaritudinis*, Actuum 8. 23. eſt odium, malus, iniquus, invidus in alium animus.

FEMUR. Eliezer famulum ſuum ad Sponſam procurandum filio ſuo Iſaac mittens, adjuravit illum Abraham *Gen.* 24. 2. *Pone manum ſubter femur meum, ut adjurem te per Deum Cæli & terræ, ut non accipias uxorem filio de filiabus Chananæorum, in quibus habito*. Jacob ad obitum decumbens accitum Joſephum filium ſuum affatus eſt *Gen.* 47. 29. *Pone manum tuam ſub femore meo, ut non ſepelias me in Ægypto*. Qui jurandi ritus nunquam ultra deinceps ſervatus à Judæis legitur. Cæremoniæ ejuſmodi ratio

ignoratur, nec vota explent Lectorum, quæ per conjecturas philoſophantur Commentatores. Tenent Judæi eo ritu Patriarchas exigere voluiſſe ſacramentum per circumciſionem, characterem tunc veræ Religionis; malunt alii exigi his ſacramenta per Meſſiam, qui, juxta familiarem Judæorum phraſim, educendus erat è femore Patriarcharum. Affirmat Joſephus, Antiquit. lib. 1. cap. 24. ſua etiam ætate id obtinuiſſe; nec hodie pariter morem hunc abolitum teſtantur alii.

Animæ quæ egreſſæ ſunt de femore Jacob. *Geneſ.* 46. 26. ſunt ſive ex ipſo ſati, ſive ex filiis & filiabus ſuis liberi. Recurrit id ſæpè in Sacra Scriptura.

Accinctum ad femur gladium vel enſem ferebant Judæi *Pſal.* 44. 4. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum*. Cantic. 3. 8. *Uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos*.

Percutere femur, ſignificatio eſt repentini ſtuporis, vel doloris acerbiſſimi. Jerem. 31. 19. *Poſtquam oſtendiſti mihi percuſſi femur meum*. Ezech. 21. 12. *Clama, & ulula ..... quia gladio traditi ſunt, ideircò plaude femur*. Tot malis oppreſſos à Samſone Philiſtæos legimus, Judic. 15. 8. *Ita ut illi ſtupentes ſuram femori imponerent*, hæſerunt attoniti, & conſilio deſtituti, ſuram habentes impoſitam femori vel femori adſtrictam, argumentum ſtuporis ſimul & doloris. Hebræus habet: *Percuſſit femur ſuper ſuram*, vel *femur & ſuram*, dorſo ſcilicet & ventre illos cecidit: gravis fuit equitibus ac peditibus, fugientibus æquè ac reſiſtentibus ex adverſo; vel illos præcidit femore, & cruribus; quod vernaculo ſermone exprimimus: brachiis & cruribus privavit.)

FERMENTUM, Græcè *zyme*, Hebraicè *ſeor*. Tota Paſchatis hebdomada pane, ut alio quopiam fermentato veſci Hebræis Deus interdixerat Exod. 12. 15. 19. Quare ii totam domum pridie ejus Feſti verrebant, nequid fermentatum in ea lateret: quin & oblationes ea die Templo inferendæ (panes ſcilicet, ſeù placentæ) neque fermento, neque melle infici poterant. Cæterùm alias mel & fermentum offerebantur: Deus enim præceperat Num. 15. 20. 21., ut panis omnis, quem univerſus latè Iſrael conficiebat, primitiæ Sacerdotibus, & Levitis ſolverentur. Paſcha Chriſtianum à Fidelibus *in azymis* celebrandum præcipit S. Paulus 1. Cor. 5. 7. 8., in ſimplicitate ſcilicet & veritate, duo nos docens: 1. literalem Paſchatis obſervantiam cum Lege obſoleviſſe: 2. panes azymos cordis ſinceritatem & munditiam deſignaſſe. Sollicitudinem, qua Paſchatis tempore domus a fermento purgabatur, iis verbis innuit: Attendite vobiſmetipſis: ut enim *modicum* (vel nucis magnitudine) *fermenti totam maſſam corrumpit* (impuram reddit); ita cordis impuritas actiones omnes vitiat. Phariſæorum, & Herodianorum doctrina, eorum *fermentum* à Chriſto appellatur Matth. 16. 5. 12.

(FERRUM. Vetat Moyſes *Deut.* 27. 5. conſtrui Altare Domino ex lapidibus ferro expolitis, vel qui ferrum contigerint, quaſi ſcilicet ex ferro maculæ contraxiſſent aliquid. Palæſtinos lapides ferreos vocat Deut. 8. 9. *Lapides ferrum ſunt*: i. e. duritia ferrum æmulantur; vel in fornace excocti tranſeunt in ferrum. Hebræorum ſervitus in Ægypto familiari phraſi exprimitur: *Fornax ferrea Deut.* 4. 20. & 3. *Reg.* 8. 51. ſeu potiùs fabri ferrarii fornax. *Jugum ferreum Deut.* 28. 48. eſt impotens & dura tyrannia. *Ferrum pertranſiit animam* Joſeph. *Pſal.* 104. 18. cum ſcilicet iniquo detineretur carcere. Proverb. 27. 17. *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici ſui*; hominis amici præſentia confirmat nos animis, redditque audaciores. Commiſſurum ſe Deus minitatur, Levit. 26. 19. ut Cælum deſuper *fiat ſicut ferrum & terra ænea*: ſterileſcat ſcilicet ſolum, areſcat deſtitutus imbribus aer. *Currus ferrei Joſue* 17. 16. 18. perinde valent ac currus falcati, cuſpidibus & falcibus ferreis armati. Vide *Currus*. Sedecias Pſeudo-Propheta ferrea ſibi cornua induxit 3. *Reg.* 22. 11. & 2. *Par.* 18. 10. quibus ſignificaret, impetendos eſſe cornibus diſſipandoſque Syros à Rege Achab. *Reges eos in virga*, vel

ſceptro

Digitized by Google

ſceptro *ferreo Pſal.* 2. 9. *Apocal.* 2. 27. & 12. 5. eſt diſpotica authoritate in ſubjectas ſibi gentes uti; neque de Regno quodam ſævo & crudeli dicta hæc accipienda ſunt, ſed de Regno Meſſiæ. Iſaiæ 48. 4. *Nervus ferreus cervix tua*; dura os & inflexibili cervice, tanquam ferrea. Deus ad Jeremiam 1. 18. *Ego dedi te hodie in columnam ferream*; firmum ſcilicet & inflexibilem te comparavi.)

FESTA. Feſta apud Hebræos frequentiſſimè celebrabantur. Omnium primum, & vetuſtiſſimum, Sabbathum, ſive ſeptima dies hebdomadæ erat, quo Mundi creatio celebrabatur Gen. 2. 3. *Benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificavit illum, quia in ipſo ceſſavit ab omni opere ſuo, quod creavit*. Porrò hoc Feſtum ab ipſo Mundi exordio apud ſanctos viros obtinuiſſe nonnulli inter veteres PP. & Rabbinos autumarunt. Vulgo tamen ejus Epocha à Dei ea de re præcepto Iſraelitis dato ad Caſtra Mara aliquantò poſt egreſſum ab Ægypto, inſtituitur, *Exod.* 15. 25.

Annus Sabbathicus, ſingulis ſeptenniis recurrens, quieti deſtinatus, & annus Jubilæi poſt exactas ſeptem annorum hebdomadas, ſivè poſt ſingulos 49. annos, veluti totidem Feſta, atque Sabbathi continuatio habendi ſunt.

Paſchatis inſtitutio, in monumentum egreſſus ab Ægypto, & privilegii Iſraelitarum Primogenitis conceſſi in communi omnium Primogenitorum Ægypti clade, ſancita eſt Exod. 12. 14. Die 14. ſeù potiùs 15. primi menſis anni ſancti, & ſeptimi anni civilis incipiebatur. Poſt meridiem diei 14. Paſcha exordiebatur, quamvis potiſſimum die 15. Niſan celebraretur. Septem dies Feſto dabantur, inter quos tamen primus tantùm & poſtremus feriati. Vide *Paſcha*.

Feſtum Pentecoſtes, die 50. poſt Paſcha recurrens ob datam Moyſi in vertice Sinai legem, 50. die ab egreſſu ex Ægypto. Septem hebdomades, ab altera à Paſchate die ſupputandæ, inter duas haſce ſolemnitates intercedebant (a); quare Hebræi, quam nos *Pentecoſtem*, nempè quinquageſimum diem, *Feſtum hebdomadum* appellant.

Feſtum buccinarum, ineunte anno civili, prima nempè die menſis Tiſri, noſtro Septembri reſpondentis, ſolemnitate potiùs civili, quàm religioſa celebrabatur, quamquam & feriarum erat, & peculiaria habebat ſacrificia (b). Hujus indicendi nulla religionis ratio ſuppetit.

Neomenia, quibus primi cujuslibet menſis dies deſtinati erant. Feſti buccinarum ferè appendices erant. Quies à Lege non jubebatur, quædam tantummodò ſacrificia præcipiebantur. In illis buccinis canere (c), ſolemnitateſque, & convivia (d) inſtitui conſueviſſe videntur. Vide *Kalendæ*, ſivè *Neomenia*.

Feſtum Expiationis, ſivè *Chippur*, ſeù *Veniæ*, decima die Tiſri, primi nempè menſis anni civilis (e). Ejus indicendi in cauſa fuit expiatio criminum, omniumque ſordium, quas Iſraelitæ univerſi, ne Summo Sacerdote quidem excepto, anni decurſu contraxiſſe poterant. Arctiſſimo jejunio, certiſque ſacrificiis colebatur. Vide *Expiatio*.

Feſtum Tabernaculorum, in memoriam itineris 40. annorum per deſertum, cum Iſraelitæ ſub papilionibus morabantur. Ea die populus Templum adire jubebatur, integraque hebdomada ſub Tabernaculis, frondibus contextis, verſari. Die 15. menſis Tiſri exordiebatur; indeque per ſeptem dies productum, è quibus tamen primus & ſeptimus omnium ſolemniſſimi, Levit. 23. 34. 35. Num. 29. 12. 13. Reliquis vacandum non jubebatur. Ineunte Feſto duo argentea vaſa ad Templum ſolemni ritu deferebantur, alterum aqua, vino alterum repletum; quibus per eos dies Feſto deſtinatos Altaris baſis aſpergebatur (f).

Dies octava trium ſolemnitatum Paſchatis, nempe Pentecoſtes, & Tabernaculorum, ſeptima ſcilicet dies à Feſto, feriata erat, non ſecus ac earundem ſolemnitatum dies. Porrò hiſce tribus Feſtis mares omnes Templum adire jubebantur (g); altera tamen à Feſto die regredi poterant; neque enim tota octava, excepto fortaſſe Feſto Tabernaculorum, adeſſe cogebantur.

Præter hæc Feſta à Moyſe præſcripta, *Feſtum etiam ſortium*, ſive *Purim*, inſtitutum eſt, ob liberatum à cæde ab Amano ſub Aſſuero indicta Iſraelem *Eſth.* 9. 29. 30. Vide *Eſther*, *Mardochæus*, *Aſſuerus*.

Mors Holophernis, *Judith.* ult. ℣. 31.

Dedicatio, ſive innovatio Templi ſub Juda Machabæo (h). Vide *Encænia*.

Feſtum obitus Nicanoris (i).

Feſtum inventionis Sacri Ignis ſub Nehemia. 2. *Mach.* 1. 18. &c.

Feſtum Xylophoria, in quo ligna ad Templum ferebantur, *Joſeph. de Bel.* l. 2. c. 31.

In Eccleſia Chriſtiana nullæ quidem Feſtivitates, à Jeſu Chriſto & Apoſtolis indictæ, leguntur. Cùm tamen Fideles Corpus & Sanguinem ſuum deguſtare, & memoriam Paſſionis in celebratione Myſteriorum recolere Jeſus Chriſtus juſſerit, Feſtum inde, & perpetuum Paſſionis ſuæ monumentum ſtatuiſſe viſus eſt. Reſurrectionis memoriam ab ineunte Eccleſia Fideles, nec ſemel tantùm, ſed ſingulis etiam recurrentibus in anno Dominicis diebus, coluere. Porrò Dominicæ nomen obtinuiſſe, cùm Apocalypſis ſcriberetur, ex illo intelligimus: *Fui in ſpiritu in Dominica die* Apoc. 1. 10. S. Barnabas in Epiſt. ſcribit nos diem octavam ſolemnem habere, quòd eam Reſurrectione ſua Chriſtus conſecraverit. Eadem apud SS. Ignatium Martyrem, Irenæum, Tertullianum, & Origenem occurrunt (k).

(Cur plures indiceret feſtos dies Judæis, non uno Deus conſilio permotus eſt: 1. Ut memoriam perennaret rerum geſtarum, tum & prodigiorum quibus ipſe populo favit; e. g. inſtitutione Sabbati revocatur memoria creati mundi; Paſchatis, exitus ab Ægypto; Pentecoſtes, rogatæ ad Sinai Legis &c. 2. Ut cæremoniarum apparatu ac majeſtate firmiùs detinerent in obſequium Religionis populus. 3. Ut certa quædam haberent Iſraelitæ vitæ commoda, ac requiem captarent permiſſam; nunquam enim à celebratione feſtorum ſejungebantur lætitiæ ſignificationes, convivia, atque honeſtæ quædam animi relaxationes. 4. Ut rudes populi inſtituerentur, nunquam enim aberant ea occaſione Legis expoſitiones ac lectiones. 5. Ut ſe mutuo recognoſcerent Tribus, innovarenturque ſocietatis mutuæ vinculum, quà inter Tribus ipſas, quà inter Familias è variis urbibus coeuntes ter in anno ad Urbem ſanctam.

FESTUM DEDICATIONIS TEMPLI, ſeu potiùs innovati Templi expiatique à Prophanatione Antiochi Epiphanis (l), celebrabatur durante hyeme, nec aliud cenſetur à feſto Encæniorum, Joann. 10. 22. Vide ſupra *Dedicatio*. *Feſtum luminum* appellatum dicit Joſephus, Antiquit. lib. 12. cap. 11. Hæc de illo referuntur in Libris Machabæorum. Judas cum fratribus debellato Gorgia, contulerunt ſe ad Templum Hieroſolymitanum, quod prophanationibus ita violatum intelligentes, ut atrium totum occuparent arborum trunci ac ſpinæ, incendio fores amolitæ eſſent,

(a) Levit. 23. Num. 29. Exod. 23. 14. &c. (b) Levit. 23. 24. 25. Num. 29. 1. 2.
(c) Num. 28. 11. (d) 1. Reg. 20. 5. 18. &c.
(e) Levit. 23. 27. 28. Num. 29. 7.
(f) Miſchna. tit. Suca, & Bartenora in c. 4. Miſchnæ. (g) Exod. 23. 17. Deut. 16. 16.
(h) 1. Mach. 4. 56. Joan. 10. 22.
(i) 1. Mach. 7. 48. 49. & 2. Mach. 15. 37.
(k) Ignat. in Epiſt. ad Magneſ. Juſtin. Apol. 2. ad fin. Iræn. apud Script. q. q. ad Orthod. Tertull. Apol. & lib. de Ani. Orig. hom. 6. in Exod. (l) 1. Machab. 4. 52. 54. 55. &c.

ſent, prophanatum Altare, ædificia ſnbverſa; ad rei fœditatem ingemuerunt, tùm repurgandis omnibus accingentes ſeſe, Sacerdotibus indixerunt ut prophanatam Aram demolirentur. Ejus everſæ lapides in ſelectum quendam locum depoſiti ſunt, uſque dum Propheta aliquis, quid facto de illis opus eſſet, conſuleretur. Nova poſt hæc Ara è lapidibus impolitis, expiatum Sanctum & Sanctuarium, repoſitum candelabrum cum menſa panum propoſitionis, & Altare holocauſtorum. Secundùm hæc incenſæ lampades, panes in menſa ſacra poſiti, tradita igni ſuffimenta, oblatæ hoſtiæ & holocauſta, celebratumque Feſtum dedicationis Templi 8. diebus, tanta ſolemnitate, quantam rerum anguſtiæ paterentur. Huic Feſto datum nomen *Feſti luminum*; addit Joſephus, ideò ſortè, quòd repentina illis velut lux poſt obſcuram noctem affulſiſſet.

Ritum celebrati hujus Feſti exactius deſcribit Leo Modena, *Cærem. Judæor. part. 3. cap. 9.* tradens ejus inſtituendi cauſam fuiſſe viris Sapientibus ſtudium perennandi memoriam relatæ à Juda Machabæo de Græcis victoriæ. „ Primam Feſti diem colluſtrat incenſa
„ ſingularis lampas; ſecundam geminæ; & ſic de ſin-
„ gulis ad poſtremam uſque diem qua 8. ſimul incen-
„ ſæ. Petuntur hæc omnia ex eo, quòd cùm hoſtes
„ Urbem occupaſſent ac prophanaſſent Templum, Jo-
„ canan ejuſque filii victos illos depulerunt; & cùm
„ poſt victoriam reduces nullum haberent oleum in-
„ cendendis lampadibus ſeptiformis Candelabri, in-
„ ciderunt in parvum quoddam vas cælaturis orna-
„ tum, quod tantum olei contineret, quantum uni
„ ſingulari nocti ſat eſſet; duravit autem lumen, non
„ ſine divino prodigio, 8. continuatis noctibus: cu-
„ jus rei memoriam revocant incenſæ illæ lampa-
„ des.
„ Hoc ſimul Feſto celebratur facinus Judith in
„ Holoſernem, quanquam alia anni tempeſtate ge-
„ ſtum id dicant nonnulli.
„ Durante 8. dierum Feſto nullæ feriæ, qua à
„ negociis, quà ob opificiis indictæ ſunt; nihil enim
„ habet Feſtum hoc peculiare, quàm ritum inccen-
„ dendi lampades cum prolixioribus quibuſdam pre-
„ cum formulis pro victoria illa; ac ſingularum die-
„ rum mane recitatus Pſalmus 113. & ſubſequentes
„ cum Pſalm. 30. Nonnihil etiam ſervatur ritus in
„ capiendo cibo. Appellatur Feſtum hoc *Hanucha*,
„ i. e. exercitatio ſeu innovatio; tunc enim reſu-
„ muntur iterum exercitia ad id uſque interrupta. „
Diem 21. Septembris Judæi feſtum agunt in memoriam expugnatæ Jericho, quam appellant *Ramoram*.

In eundem pariter menſem incidit Feſtum Collectarum, quòd collectæ ea die recurrerent pro impenſis ſacrificiorum.)

FESTUS. *Porcius Feſtus*, qui Judæam poſt Felicem adminiſtravit (a). Cùm Felix gratiam Judæorum initurus, Provinciam relinquens, S. Paulum in carcere Cæſareæ Palæſtinæ reliquiſſet Act. 21. 27. Feſtum primò vix Hieroſolymam ingreſſum, Optimates Judæorum convenerunt, rogantes, ut vinctum Hieroſolymam duci præciperet; inito conſilio illum in itinere opprimendi Act. 25. 1. Recuſavit Feſtus; inauditum hominem damnare Romanum non eſſe dicens: ſi quid igitur contra reum haberent, Cæſaream venientes cauſam ſuam agerent. Judæi igitur aliquot poſt dies venerunt; ſed eorum conatus, tum & Feſti, auro Judæorum corrupti, malum in ſe animum Paulus Cæſarem appellans, eluſit.

Cùm totam Judææ Regionem prædones vaſtarent, Feſtus in illos expeditionem ſuſcepit (b). Magum etiam quemdam repreſſit, populum in deſertum ſeducentem; tandem in Provincia obiit, eique à Nerone Albinus ſucceſſor datus eſt.

FICULNEA, *ficus*, arbor & fructus notiſſimi, in Palæſtina frequentiſſimi, de quibus ſæpè S. Scriptura. Ejus frondibus velles ſibi conſuiſſe primos hominum parentes ſeimus Gen. 3. 7. an verò illas ex vulgari ficulnea, ſivè ex alterius generis, frondibus latiori, deſumpſerint, incertum. Cum Jeſus Bethania regrediens eſuriret, ad ficulneam acceſſit; quam ſterilem nactus, diris devovit, ſtatimque illa exaruit (c). Intempeſtivum ſanè tempus illud ferendis ficubus notavit Evangeliſta; ſed Jeſus & præcoces ficus, quales primo vere in Palæſtina non deſunt, quærere poterat, vel ſin minùs, fiduciæ in Deum vim atque præſtantiam eo facto experimento monſtravit.

Iſaias ficorum maſſam ulceri, ſive tumori, vel gulæ morbo affectæ (neque enim de morbi genere conſtat) Regis Ezechiæ imponens, ſanitati ſtatim reſtituit 4. Reg. 20. 7. Ficus profectò ad eam rem utiles eſſe Medici fatentur, cùm ſivè tractandis ulceribus, ſivè expurgandis tumoribus, ſive gulæ morbis medendis eodem remedio, nec fruſtra, uti conſueverint.

(Amaſiam Sacerdotem Bethel exprobrantem caſtigantemque verbis Amos Prophetam, quod ſiniſtra prædiceret in Regnum Iſrael, ita affatur idem Amos: *Non ſum Propheta, non ſum filius Prophetæ; ſed armentarius ego ſum, vellicans Sycomoros*, vel ficus ſylveſtres. De ficubus ſylveſtribus, & qua ſcalpantur ferreis ungulis arte agunt Plinius, Theophraſtus, & Dioſcorides. Plinius lib. 13. cap. 7. *Scalpendo tantùm ferreis ungulibus, aliter non matureſcit; ſed cum factum eſt, quarto die demetitur.*

Ita totum caprificationis, ſeu compungendarum ficorum artificium in Inſulis Zia, Zine, Mycone, Scio ac pleriſque Archipelagi deſcribit D. Tournefort: *Itiner. Epiſt.* 8. *tom.* 2. „ Ante omnia operæ
„ pretium eſt animadvertere in pleriſque ejuſmodi
„ Inſularum duo ficuum genera coli; primum appel-
„ latur *Ornos*, ex Græco literali *Erinos* ficus ſylve-
„ ſtris, quam Latini *caprificum*. Secundi generis fi-
„ cus eſt ſativa. Sylveſtris tria dat fructuum gene-
„ ra, *fornites*, *cratitires*, *ornos*, neceſſarios prorsùs ad
„ maturitatem perducendis ſativis ficubus.
„ *Fornites* prodeunt Auguſto, perſeverantque,
„ acerbo ſemper fructu, adusque Novembrim. Ebul-
„ liunt parvis quibuſdam vermiculis, ex quibus mi-
„ nutiſſimæ muſcæ, quæ nonniſi circa ejuſmodi
„ arbores advolitant. Menſibus Octobris & Novem-
„ bris minimæ illæ muſcæ compungunt ſponté ſecun-
„ dos fructus, e matrice arbore ſatos; fructus illi
„ *cratitires* non monſtrantur niſi exeunte Septembri;
„ *fornites* paulatim decidunt poſtquam emiſerunt par-
„ vas illas muſcas. *Cratitires* verò perſeverant in
„ arbore uſque ad menſem Maji, foventque de-
„ poſita à muſculis, è quibus compuncti ſunt, o-
„ va.
„ Menſe Majo tertium genus fructuum protuberat
„ in eadem arbore in qua præcedentes; ficus autem
„ cæteras poſtremæ iſtæ ſuperant, appellanturque
„ *Orni*. Cùm certum quendam ſtatum tenuerint,
„ atque hiſcere cœperint oculo, compunguntur in
„ eam partem à muſculis *Cratitirum*, quæ eo ado-
„ leverint, ut è matrici advolare poſſint in aliam
„ ficum, ad ova ſua ibi deponenda.
„ Accidit interdum, ut muſculæ *Cratitirum* alicubi
„ exitum ſuum retardent, cùm interim *Orni* ejuſdem
„ loci illis excipiendis ſint apti; tunc autem eorum
„ defectui compenſando, utuntur incolæ *Cratitiribus*
„ ex aliis regionibus procuratis, quos configunt ad
„ extrema ramorum comportantium *Ornos*; ſi enim
„ eo tempore muſcæ defuerint decidunt Orni, ac
„ muſculæ tandem prodeuntes advolant.
„ Aptum ad hæc omnia tempus, & ferè dicam
„ momentum, ſoli noſcunt ex incolis quicunque ad
„ culturam ficuum curas ſuas applicarunt, inſpi-
ciuntque

(a) Ab A. Chr. 60. Vide Ant. l. 20. c. 7. (b) De Bello l. 2. c. 24. Antiq. l. 20. c. 7. Circa A. Chr. 62. Antiq. l. 20. c. 8.
(c) Matth. 21. 19. Luc. 13. 7. &c. Vide Commeat. ibid.

Digitized by Google

„ eiuntque in eam rem ſedulò oculum fici; ex eo enim ſignum datur, non temporis tantùm, quo muſcæ emigraturæ ſunt, ſed etiam quo maximè compungendæ ſunt ficus. Si oculus ille molleſcat minùs, coarcteturque pluſquam par eſt, fruſtrà inducent in ficus ova ſua muſcæ, decidit autem ficus, ſi oculus hiſcat nimiùm.

„ Porrò tria hæc fructuum genera inepta ſunt ad cibum, valentque tantùm ad maturitatem inducendam ſativis ficubus, hac potiſſimùm arte. Currente Menſe Junio & Julio incolæ aſſumunt *Ornos*, maturos jam ad muſcas, inſertoſque paleæ ſuſpendunt ad ſativas ficulneas. Apto huic tempori ſi defuerint agricolæ, decidunt *Orni*, & ſativarum ficuum fructus immaturi decidunt. Porrò pretioſa hæc temporis momenta tam benè noſcunt incolæ, ut mane ſingulorum dierum inſpicientes arbores, ad ficus ſativas ſolos transferant maturos *Ornos*; alioqui enim ſi immaturos colligerent fruſtra expectarent fructus. Adeo verò commode *Ornis* utuntur agricolæ illi; ut evolantes muſcæ ſcalpant ficus domeſticas, quæ intra 40. dies ad maturitatem adducuntur.

„ Non ſatis utique patientiam Græcorum admirarer, quorum una eſt, ſpatio ultrà duorum menſium, cura non indiligens, ut muſcas ex una in alteram ficum transferant; ſed tantæ eorum diligentiæ quid eſſet in cauſa brevi intellixi. Ex arboribus ſingulæ reddunt conſueto proventu uſque ad 380. libras ficuum, cùm noſtræ via ſufficiant 25. Porrò compunctiones illæ facilè plurimum conferunt ad inducendam fructibus maturitatem; vaſis enim vitalis ſuccus diſciſſis, occaſione inducendi ova ſua, muſcæ id efficiunt ut efferatur, quæ promptam maturitatem impedit, alimoniæ redundantia. Facile etiam una cum ovis inſtillant liquoris aliquid, quod miti fermentatione una cum lacte ficus, pulpam fructus emolleſcit.

An & eadem ſervarentur in Palæſtina ætate Amos Prophetæ affirmandum mihi non ſumerem; nec in me ſuſciperem demonſtrandum, Prophetæ munus id fuiſſe ut ageret armentarium, curaretque ad maturitatem inducere ficus ſativas ope ficuum ſylveſtrium. Id tamen commodi referent Lectores ex allata deſcriptione D. Tournefortii, ut diſcant novam plane artem accelerandi fructuum maturitatem, quod multum habet affinitatis cum iis, quæ de Amos relata ſunt.

Legimus Matth. 21. 19. & Luc. 10. 11. Jeſum Chriſtum, cum primo adhuc mane veniſſet Bethaniam, titillantemque ſentiret famem, acceſſiſſe ad ficulneam, repetendis ex illa ficubus; pro fructibus autem nonniſi folia oblata ſunt illi ab arbore: *Non enim erat tempus ficorum*, ait Evangelium; *& ait illi: Nunquam ex te fructus naſcantur in ſempiternum, & areſacta eſt continuò ficulnea*. Negocium hic faciunt, quæ diſerte aſſerit S. Marcus 11. 13. *Non enim erat tempus ficorum*. Præcociſſimæ ficus nunquam præveniunt menſes Julii, & Auguſti; ſerotinas verò habent September & October. Quæ autem ab Evangeliſtis narrata ſunt, incidunt in diem quartam, vel quintam ante Paſcha, i. e. citiùs quàm ante diem 15. lunæ Martii. Hæc utique anni tempeſtas maturas ficus non ferebat. Qua conſtituta hypotheſi minus ad rem videtur, primo conferre ſe ad quærendos fructus ex arbore, alieno nempe tempore; 2. dira in arborem illam imprecari, quaſi culpa ſua careret fructibus.

Torquent ſe in omnem partem Interpretes, ut abſurda omnia ſubmoveant, amolianturque à Jeſu Chriſto invidiam, quaſi rem minùs è majeſtate ſua præſtiterit. Reddiderunt nonnulli (a): *Non enim annus erat ficorum*. Quando tamen Textus Græcus hanc expoſitionem pateretur, quod utique certo non conſtat ipſis pariter qui illam proponunt; quid hæc valerent in rem præſentem? Jeſus Chriſtus quæſiturus ex arbore fructus venit menſe Martio, i. e. citiùs 4. menſibus, quam præcociſſimæ ficus, & 6. menſibus quam ſerotinæ matureſcant; & vacuam fructuum ruurit maledictione. Cur rogo? quod ſcilicet ficus annus ille non ferret. Salvant ne hæc, abſurda quæ factum illud Jeſu Chriſti præfert?

Alii, ut Heinſius Exercit. Sacr. lib. 2. cap. 6. Gatakerus in Marcum 11. cum Verſione Gotbica reddunt: *Ibi enim tempus erat ficorum*. Cui verſioni aſſerendæ rationem punctorum & accentuum Textui familiarem reformare opus eſſet, atque ſcribentem inducere Evangeliſtam ſtilo plurimùm conciſo, atque ab indole ſua abhorrente. Ad hæc, veritati utique non cohæret in Palæſtina tempus eſſe ficorum diem 10 vel 12. Lunæ Martii, ſat enim conſtat ficus ibi non matureſcere niſi ſeriùs multo.

Veterum ac recentiorum Interpretum plerique factum illud Jeſu Chriſti recognoſcunt velut typum reprobationis Judæorum. Ficus illa, pro fructibus, ſola offerebat folia, aptum plane Judæorum emblema, quibus nihil erat religionis & pietatis, niſi ſpecies tantùm; nulla erat utique ficulneæ culpa, ſi tempore non ſuo carebat fructibus; ſed Judæi utique crimine non excuſabantur, ſi bonorum operum fructibus deſtituerentur, quo tempore Jeſus inter illos verſatus eſt. Inſontem ficum maledicit ille, quo tandem intelligerent adſtantes, imminere jam capiti Judæorum incredulitatis & impœnitentiæ ſuæ pœnam. Plauſibilia ſunt iſta quidem, ſed adhuc eſt quod obiiciamus. Quomodo demonſtraretur jure meritoque Synagogam reprobari, ſi immerito prorſus maledictione damnatur ficulnea?

His igitur, ſi fieri poteſt, ſolutio aliqua quærenda eſt. Fatemur ultro alienam hanc fuiſſe à ficubus anni tempeſtatem; luculenter enim id habet Textus S. Marci, & ad ſenſum demonſtrat ſeries hiſtoriæ, acta hæc omnia docens ad dimidium menſis Martii; reputamus autem fieri poſſe, ut præcoces non deeſſent fructus, quod facile præſumere poterat Jeſus Chriſtus de arbore adeo fœcunda foliis. Præcoces dari ficus quis neſciat? Pulchritudinem Samariæ præcocibus hiice ficubus comparat Iſaias 29. 4. *Quaſi temporaneum ante maturitatem autumni, quod cùm aſpexerit videns, ſtatim ut manu tenuerit devorabit illud*. Et Oſee 9. 10. Reperiſſe ſe dicit Dominum in deſerto, *quaſi poma ficulneæ in cacumine ejus* (Hebr. *quaſi poma præcocia*). Et Jeremias 24. 2. *Fient bonas habebat nimis, ut ſolent eſſe primi temporis*. Theophraſtus Hiſt. Plant. lib. 4. cap. 2. & Plin. lib. 13. cap. 8. & lib. 15. capit. 18. deſcribunt ficulneam arborem quandam nunquam virore, nunquam fructibus deſtitutam, fructus ſimul ferentem maturos vel adultos, novoſque ſimul groſſos emittentem. In Palæſtina, ubi mitiſſima eſt hyems, facile non deerant ficus præcoces currente Martio; ita Jeſus Chriſtus abſurdi nihil egiſſet, ſi non inepta ficubus anni tempeſtate, ficus requiſivit ab arbore foliis luxuriante, & quo maledicto ficum illam infœcundam juſſit, eodem typo damnavit Judæos.

Scripturæ ſtilo, *habitare ſub vite ſua & ſub ficu ſua*, exprimit ſecurum quoddam quietis & felicitatis tempus: *Habitabat Juda & Iſrael abſque timore ullo, unuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua*. 3. *Reg*. 4. Vide etiam Mic. 4. 4. Zach. 3. 10. & 1. Macch. 14. 12.)

FIDES, virtus inter Theologicas, cujus ope unum Deum eſſe credentes, iis, quæ ab ipſo revelata ſive per Scripturam, ſive per Traditionem Eccleſia docente ſcimus, certa perſuaſione aſſentimur. Ea fide rectorum operum exercitio conjuncta Juſtus vivit (b): *Juſtus ex fide vivit*. Communi autem fidei nomine cenſetur ſive ipſa Dei ad homines revelatio, ſive ipſe hominis revelatis aſſenſus. *Numquid incredulitas Judæorum fidem Dei evacuabit?* ait S. Paulus Rom.

(a) Marc. 11. 13. Hammond. Cleric. Simon. Not. in N. T. (b) Rom. 1. 17. Abac. 2. 4.

Rom. 3. 3. evacuabit nempe certam & ratam veritatem illius, qui myſteria ſua revelavit.

Judæis 13. ſunt fidei articuli, omnium aſſenſu probati. *Leo Modena de' riti Hebr. p. 3. c. 11.*

I. Unus extat Deus, omnium creator, atque omnium, quæ uſpiam ſunt, primum principium, à nemine pendens, ab ipſo autem cuncta.

II. Deus ſingularis eſt, indiviſibilis, & uſque adeo unus, ut ne cum unitatibus noſtris quidem numerum conſtituat.

III. Æternus eſt Deus; alii verò ab illo certum fuit ſtato tempore initium.

IV. Neque corporeus eſt Deus, neque de corporis vitiis quidquam participat.

V. Omnis in unum Deum cultus ita dirigendus eſt, ut alteri cuicumque, ſive uni mediatori, ſive patrono eundem cultum exhibere nefas ſit.

VI. Fuerunt olim, adhuc extare poſſunt Prophetæ, Divini Spiritus illapſui excipiendo.

VII. Moyſes nemini Prophetarum ſecundus eſt, qui ſummum prophetiæ attingens, cæteros omnes Prophetas eo privilegio longè ſe inferiores reſpicit.

VIII. Lex Judæorum à Moyſe promulgata, Divino Spiritu dictante accepta eſt, ut ne apicem quidem de ſuo Moyſes addiderit; eidemque authori tribuenda eorumdem præceptorum explicatio, oretenus Moyſi commiſſa, & ab eo in ſucceſſores derivata.

IX. Ea Lex firma, rataque manet, ut addi detrahive quidquam nefas ſit.

X. Deus omnes hominum actiones exploratas habet, atque in certum finem dirigit.

XI. Sua manent à Deo præmia, ac ſuæ pœnæ ſive Legis ſtudioſos ſive prævaricatores; potiſſima tamen illos in altera vita ſive præmia ſive pœna damnationis animæ expectant.

XII. Quamquam certum adventus Meſſiæ tempus definiri non poteſt, neque in Scriptura ſatis ea res explorata habetur, in qua illud tantùm conſtat, nullum in throno Iſraelis Regem alienum à familia Davidis, ſivè Salomonis ſeſſurum; idem tamen certò venturus eſt. Ejus verò dotes longè præcedentium Regum virtutibus præſtabunt.

XIII. In exitu temporis juſſu Dei mortui ad vitam revocabuntur; indicto ab ipſo Deo ſpiritibus & corporibus hominum judicio.

Chriſtianæ verò fidei articuli in Symbolis, & Canonibus Conciliorum exhibentur.

Interdum *fides* pro fiducia in Deum uſurpatur, qua certa impetrandi perſuaſione ſive Beneficia, ſivè prodigia in ejus gloriam à Deo quærimus: *Si habueritis fidem*, ait Jeſus, *ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis Matth.* 17. 19. Et S. Jacobus 1. 6.: *Si quis veſtrum indiget ſapientia poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter..... poſtulet autem in fide, nihil hæſitans.*

Tandem *fides* ſonat ſinceritatem, fidelitatem in promiſſis ſervandis, & veritatem; quo ſenſu Deus, & homines fideles dicuntur. Iſaias de Meſſia 11. 5. ait: *erit juſtitia cingulum lumborum ejus & fides cinctorium renum ejus.* Scilicet juſtus erit, & fidelis. David fauſta à Deo precatur Ethai 2. Reg. 15. 20. *quia*, ait, *oſtendiſti gratiam & fidem*, ſcilicet fidelitatem.

FIGULUS. De Figulis ſæpè Scriptura. Eos Jeremias operi intentos ſubjectis duobus lapidibus inſidentes exhibet (a). De illis Author Eccleſiaſtici: *Sicut Figulus ſedens ad opus ſuum, convertens pedibus ſuis rotam, qui in ſollicitudine poſitus eſt propter opus ſuum, & in numero eſt omnis operatio ejus. In brachio ſuo formavit lutum, & ante pedes ſuos curvabit virtutem ſuam. Eccli.* 38. 32. 33. Hanc tamen rotam manibus contorqueri dixit Homerus apud Strabonem Geogr. l. 7. noſtra ſane ætate figuli aliam in iis operibus rationem ſervant.

Deus ſuæ in homines poteſtatis imaginem exhibiturus, ductâ à Figulo ſimilitudine utitur; ut enim Figulus lutum ſuo arbitratu diſponens, illud honeſtis uſibus, illud vilioribus deſtinat, modò confectum opus deſtruit, modò formatum ſervat, vel rejicit: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Pſal.* 2. 9. *quaſi lutum figuli in manu ipſius plaſmare illud, & diſponere. Eccli.* 33. 13. ita homines in manu Dei: *Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam* (b).

AGER FIGULI, quem pretio venditi Jeſu Chriſti à Juda in Templum relato emerunt Matt. 26. 7. 10. Vide *Hacheldama*. Hunc agrum ad meridiem Montis Sion jactu lapidis à piſcina Siloe extare ferunt, quem parietes 70. cubitorum longitudine, & 50. latitudine circuunt; protegit autem fornix ſeptem foraminibus in ſuperiori parte patens: undè cadavera demittuntur in ſolum, intra 24. horarum ſpatium reſolvenda. Quare ſalinis ſpiritibus ſummè acribus, carni prorsùs ſolvendæ aptiſſimis, fœtam eſſe terram illam oportet. Fornicem hunc curante Helena imperatrice inductum ferunt; adduntque plures onerarias naves è tellure illa, ejuſdem juſſu, Romam tranſvexiſſe, quæ è regione Montis Vaticani depoſita, adhuc vim ſuam cadavera ſolvendi infrà 24. horarum ſpatium ſervat. Hunc locum advenarum ſepulchris deſtinatum, Campum Sanctum appellant (c). Ejus rei veritatem à Parocho loci didiciſſe Cornelius à Lapide teſtatur.

In quem uſum ager iſte figulo eſſet, ignoramus; forte tamen figlinis exſiccandis antequàm in furnacem inferrentur; & ſi ex pretio triginta argenteorum argumentum ducere liceat, parvi momenti rem fuiſſe oportet. Omnium primum ibidem cadaver Judæ illatum ex Rabano Mauro plures narrant (d). Non abſimile Romano Judæis Piſanis cœmeterium eſſe tradunt (e); ibique ſepulturæ mandari cadavera ſua gratiſſimum illis accidit; quippè qui Hieroſolymitanæ telluri commiſſi ſibi eſſe videantur. Ea perſuaſione Judæi finitimarum Regionum ſepulchra ibidem comparare ſtudent.

Legimus in Miſna (f) ſceleratorum cadavera in avitum tumulum inferri non poſſe, niſi antea in tumulis ipſis deſtinatis computruerint. Hanc fortaſſe conſuetudinem remittendam poſtulans Joſeph ab Arimathea, poteſtatem fieri cadaver Jeſu Chriſti ſtatim in tumulum paratum inferendi popoſcit.

(FILIA VOCIS, Hebr. *Bath-Kol*. Vide *Bath-Kol* & Baſnagium Hiſt. Judæor. tom. 7. lib. 10 cap. 2.

FILII DEI. Exprimuntur eo nomine interdum Angeli; e.g. Job. 1. 6. & 2. 1. *Cum veniſſent Filii Dei, ut aſſiſterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan.* Pſal. 88. 7. *Quis ſimilis erit Deo in Filiis Dei?* Probi etiam homines ut impiis oppoſiti, Filii Dei appellati ſunt; ita Filii Dei homines è Seth nati, planè averſi à cæteris è familia Caini. *Videntes filii Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant Geneſ.* 6. 2.

Filii Dei, Judices, Magiſtratus, & Sacerdotes. Pſal. 81. 6. *Ego dixi: Dii eſtis, & filii Excelſi omnes*; ſermo eſt hic de Judicibus. Et de Sacerdotibus Pſal. 28. 1. *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Hæc omnia accipiuntur oppoſitione quadam ad *filios hominum*, qua communi appellatione generatim *homines* & è vulgo pariter cenſentur.

Iſrae-

(a) Jerem. 18. 3. *ſuper duos lapides.* (b) Rom 9. 21. Vid. etiam Jerem. 18. 2. &c.
(c) Adrichom. Cornel. à Lapid. in Matth. (d) Hanc Hiſtoriam nunquam apud eundem authorem reperire licuit.
(e) Non Judæis, ſed Chriſtianis tumulandis Campus Piſanus deſtinatus eſt.
(f) Miſna tract. de Synedr. c. 6. n. 14. 15.

Iſraelitæ, ut Gentilibus oppoſiti, *Filii* ſunt *Dei* Oſee 1. 10. *Erit in loco ubi dicetur eis* (ubi antea dicebantur) *: Non populus meus vos; dicetur eis: Filii Dei viventis.*

Interdum ea appellatione veniunt Electi & Beati. Sap. 5. 5. *Ecce quomodo computati ſunt inter Filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.*

In novo Teſtamento familiari appellatione Fideles deſignantur nomine *Filiorum Dei*, quod ſibi vindicant adoptione & prærogativis, quibus à Jeſu Chriſto carnis noſtræ exuviis aſſumptis donati ſunt, collata ipſis dignitate filiorum Dei per Baptiſmum, & admiſſis ad participationem meritorum Paſſionis Jeſu Chriſti. *Dedit nobis poteſtatem*, ait S. Joannes 1. 12. *filios Dei fieri*. Quæ adoptionis in filios Dei per S. Spiritum nobis indictæ decora relevat non ſemel Apoſtolus: *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ipſi ſunt filii Dei...... Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei*. Et Galat. 3. 26. *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem.*

Filii hominum. Eo nomine è Caino genita ducentes homines ante-diluviani deſignantur, ac potiſſimùm Gigantes, homines in vitia atque injurias inferendas impotentes, qui *vias ſuas corruperunt*. Geneſ 6 1. 4. ſcelerumque ſuorum merito omnium maxime terribilem ultionem à Deo vindice in terram provocarunt. Succeſſu dein temporis filiorum hominum nomine traducti ſunt impii & ſceleſti Iſraelitarum, ut in illo Pſal. 4. 3. *Filii hominum uſquequò gravi corde*. Pſal. 11. 2. *Diminutæ ſunt veritates à Filiis hominum*. Pſal. 56. 10. *Filii hominum dentes eorum arma & ſagittæ*. Pſal. 61. 10. *Vani filii hominum, mendaces filii hominum in ſtateris*. Sæpe tamen filii hominum nulla invidiæ nota eſt, ſed generatim homines deſignat. Pſal. 8. 5. & 43. 3. *Quid eſt quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam viſitas eum?* & Pſal. 10. 5. *Oculi Dei interrogant filios hominum*. Tandem Pſal. 144. 12. *Ut notam faciant filiis hominum potentiam.*

Filii Belial. Vide *Belial.*

Filii immolati Moloch. Vide *Moloch*.)

FILIUS, quo nomine in Scriptura frequenter Diſcipuli appellantur. Salomon Diſcipulum ſuum in Proverbiis affatus ait: *Audi fili mi* &c. Filii Diaboli, filii Belial ii ſunt, qui mundi, & Diaboli opinionibus ducuntur. Filii etiam dicuntur alicujus, quos poſteros dicimus, quamtumvis è longinquo cognatio repetenda ſit; uti filii Edom, filii Moab, filii Iſrael. Scitum eſt etiam illud: *filii nuptiarum, filii luminis, filii tenebrarum, filii Regni*, nempe nuptiarum & Regni conſortes; luminis & tenebrarum ſtudioſi.

(FINIS. Pſalmorum inſcriptiones plurimæ ita conceptæ ſunt: *In finem Pſalmus David*. Hebræus legit: *Lamnaſeach*, victori, vel Præfecto Muſices. Vide quæ contulimus v. *Lamnaſeach.*

Finis, eſt deſtructio. *Finis univerſæ carnis venit coram me*. Geneſ. 6 13. perdere homines & bruta ſtatuit. *Fines terræ*, mundi extrema. *Fines Iſrael*, extrema populi Iſrael.

In finem, perinde valet interdum ac ſemper: *Ut quid Deus repuliſti in finem Pſal.* 73. 1. *Non in finem oblivio erit pauperis. Uſquequo oblivíſceris me in finem? &c.*

Appropinquat finis noſter. *Thren.* 4. 18. everſionis noſtræ. *Venit finis ſuper populum*; perdere Deus populum decrevit. *Finis impiorum eſt mors*. *Rom.* 6. 21 hæc illorum retributio eſt. *Finis legis Chriſtus Rom.* 10. 4. conſummatio, implementum. *Finis præcepti eſt charitas* 1. *Timot.* 1. 5. tunc impletur lex, quando charitatis mandata exequimur. Jeſus Chriſtus *Alpha eſt & Omega, principium & finis*. *Apoc.* 1. 8. & 22. 13. principium & finis legis, unde ducuntur, & quo ſpes noſtræ omnes terminant.)

FIRMAMENTUM. Firmamentum inter duas aquas, inferiores, & ſuperiores medium conſtituiſſe Deum Scriptura teſtatur (a), illud *Rakiah* nominans, quod reddi ſolet *Expanſum*, ſive *Firmamentum*. Porrò verbum illud ex *Rakah* derivatur, quod malleo producere ſonat (b), ſive in laminas complanare, conterere, percutere. Hinc Moyſes ea voce utitur, cùm aureas laminas malleo productas, ad contegendam Arcam & Tabulas Sancti nominat; Ezechiel 6. 11. & 25. 6. & Scriptor 2. Regum 22. 43. cùm de cædendis conterendiſque hoſtibus agitur. Iſaias 40. 19. eo nomine laminas aureas nuncupat, quibus Idola obducebantur; Iſaias idem 42. 5. & 44. 24 & Pſalmiſta Pſ. 126. 6. Terram extenſam, aquis innatantem (quæ erat Hebræorum de Terræ ſitu ſententia) eadem voce ſignificant; ac tandem Jeremias, ut laminas auri, quod è Tharſis vehebatur (c), exprimeret, eodem vocabulo utitur. Quæ quidem omnia ſatis indicant, nomen Rakiah, ſive Firmamentum inditum cœlo eſſe ab Hebræis, quòd illud, veluti concameratus quidam ampluſque fornix, inter duas aquas conſtitutum eſſet, in quo aſtra inſerta veluti gemmæ in auro, argentoque elucerent. Gen. 1. 17. Quamquam autem veteres Hebræi hæc de Firmamento ſenſerunt, aliter tamen eſſe tutò quidem credere poſſumus; cùm Sacri Scriptores in nullius momenti rebus vulgi opinionibus indulgere optimum judicaverint.

FISTULA, Muſicum inſtrumentum, de quo ſæpè Scriptura, ſub nomine *Chalil*, *machalath*, *maſrokithe*, *& huggab*; quarum vocum ultima, organum verſa eſt; Fiſtula tamen fortaſſe eſt pluribus calamis imparibus, minimè foratis, & in ſuperiori tantùm parte patentibus, diſtincta. Hac verò per labrum inferius ducta, calami ſpiritu inflati ſonum edebant. Vide *Organum*.

Aliarum fiſtularum, quarum Scriptura meminit, forma difficiliùs invenitur. Veteres, qui fiſtula, ſeù tibia canebant, duas ore continuiſſe dicuntur: dextram uno, ſiniſtram duobus foraminibus diſtinctas: hæc acutior, illa gravior (d). Tibia canentium Evangelium meminit Matth. 9. 23. 24. qui filiæ Jairi funus ducere parabantur.

Præter lamentatricem, tenuis etiam conditionis homines duos fiſtula canentes in exequiis ducere debuiſſe docent Rabbini (e); deque ſeipſo narrat Joſephus de Bel. l. 3. c. 3. tibia canentes à pluribus ductos, cum falſum de illius morte Hieroſolymis nuncium exaudiretur. In Veteri tamen Teſtamento, nulla hujus rei lucent veſtigia: cum enim fortaſſe ritum Judæi à Romanis didicerant. In ſenum funeribus, tuba, in juvenum, tibia canebatur (f), ut in Evangelii relata hiſtoria ſervatum vidimus.

FLAGELLUM, ſupplicii genus, apud Judæos frequentiſſimum, cui infligendo in Lege hæc præſcribuntur: *proſternent* (Judices nempè reum) *& coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati erit & plagarum modus. Ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos habeat frater tuus*. Porrò flagrorum alia funiculis, ſive loris; alia verò arborum ramis ſeù virgis conſtabant.

Vulgaria in Legem crimina, quin & ea omnia, quibus nulla mortis pœnam indicta legitur, uſque ad 168. non virgarum, ſed flagrorum expiationi ſubjecta eſſe Rabbinorum doctrina præſcribit (g). Rei proinde ad ilia uſque nudati, brachiis ad columnam modice aſſurgentem alligabantur, ut dorſum recurvum ictibus præbere coacti, facilius cæderentur. Sunt, qui crediderint, ictuum menſuram uſque ad 39. certam

(a) Gen. 1. 6. Hebr. *Rakiah*. Septuag. & alii Græci, *Στερέωμα Firmamentum.*
(b) Exod. 39. 3. Num. 16. 38. 39. (c) Jerem. 10. 9.
(d) Vide noſt. Diſſert. de Muſic. inſtrum. Hebr. t. 2. comment. in Pſal. præfixam.
(e) Vide Seld. Uxor. Hebr. l. 3. c. 8. (f) Stat. Theb. l. 6. Ovid. Propert. Servius.
(g) Vide, ſi lubet, Selden l. 2. c. 13. de Synedr. & Sebikard. de jure Reg. c. 2. Theorem. 7.

[illegible] ſemper [illegible] ſervari conſueviſſe; quamvis gravioribus criminibus puniendis validius flagella infligerentur. Alii tamen malunt pro criminum modo diverſam menſuram ſervatam fuiſſe. S. Paulus quinquies ſupplicium illud expertus, quadragenas tamen dixit 39. iſtarum menſuram in ſe Judæos exceſſiſſe teſtatur; ex quo planè certos illos fines huic animadverſioni præſcriptos intelligimus.

Virgas alterum eſſe à flagris ſupplicium, idem Apoſtolus apertè ſignificat illis verbis: *ter virgis cæſus ſum*. Cùm autem ille à Judæis in Templo comprehenſus, accurrente ad tumultum Tribuno cum Romanorum manu, quæſtioni ab eodem Tribuno ſubjectus eſſet, ut ſeditionis cauſam aperiret, in terram proſtratusque (pro Romanorum more) virgis excipiendis ſe præparabat, Act. 22. 24. Conſuetudo noſtra ætate apud Orientales obtinens, cædendi nempe faſtibus dorſum, ſive pedum plantas proſtrato interim in terram Reo; conſuetudo, inquam, iſta à ſupplicio virgatum, ſive flagrorum differt.

Porrò hæc flagrorum pœna ex Rabbinorum doctrina, nulla ignominiæ nota Reum afficiebat, quare ſupplicium illud ſubeuntes nullam honori maculam apud Hebræos inferebat; neque enim, addunt, ab illo quis Iſraëlita, ne Rege quidem, & Pontifice exceptis, ſi eandem pœnam promeruiſſent, in Lege excipiebantur. Verùm hæc doctrina, de flagris in eorum Synagogis inflictis intelligenda eſt; ea enim legalis potiùs, & privata expiatio, quàm publicum, & infame ſupplicium habebatur. Philo de tyrannide Flacci in Judæos Alexandrinos agens (a) narrat, illos flagris ſubjectos fuiſſe, quod ſupplicium, ait, ingenuo homini, vel ipſa morte gravius eſt. Et Jeſus Chriſtus cum de contumeliis, & ignominiis Paſſionis ſuæ ageret, diſtinctam primam flagellationem commemorabat (b).

FLAVIUS JOSEPHUS. V. *Joſephus hiſtoricus*.

FLAVIUS SYLVA, Præfectus Judææ poſt Baſſum (c). Arcem Maſadam expugnavit, quò ſeditioſi, captis Hieroſolymis, ſe receperant; idemque adeò Eleazarum latronum Ducem concluſit, ut mortem ſibi conſciſcere, poſt trucidatum præſidium, coegerit, an. 72. Chriſti. Omnium poſtremus Judææ Præfectum geſſit.

FLERE. In luctibus acerbiſque caſibus fletu aliiſque doloris indiciis affectionem animi ſui prodebant veteres Hebræi. Neque enim animi conſtantiam virtuti cuique in eo poſitam arbitrabantur, ut & retinerent lacrymas, & ſenſum doloris nullum monſtrarent. Naturæ motibus regendos ſe dabant; nec imbecillis eſſe hominis tribuatur, ſi flentes, homines ſe non lapides exhiberent. Utraque Scripturæ pagina offert rei hujus exempla; nec alios Homerus inducit Heroas. Inter acerbiſſimum etiam habebatur, ſi quis lugentem funere ſuo nactus fuiſſet neminem. *Qui reliqui fuerint ex eo* (ex impio) *ſepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt*, ait Job. 27. 15. Et Pſalmiſta Pſal. 77. 64. agens de interitu Sacerdotum Ophni & Phinees, malum hoc tanquam inter extrema recenſet, viduas ſcilicet illorum funera non illuxiſſe. Ne luctum agat in funere uxoris ſuæ vetat Deus Ezechieli (d), eo ſcilicet emblemate deſignatum, Judæos ad extrema redigendos, ut vel libertate ipſa lugendi caſum ſuum priventur.

Vallis lacrymarum, de qua Pſ. 83. 7. morali ſenſu exprimit mundum, cujus ſunt omnia fletibus & lacrymis proborum digna, tum ex latè vaſtante cuncta licentia, tum etiam, quod perpetuo diſcrimine verſeantur; ac tandem quod ibi exulantes juſti à patria & bonis æternis ſint procul. Sed litera exprimit vallem aliam flentium, vel juxta Hebræum vallem *Becha* aut *Bechaim* Hieroſolymam ſat proximam, ariditate ac [illegible]

ſterilitate ſuâ notiſſimam. Habet ergo Pſalmiſta: Beatus qui auxilium ſuum (fiduciam) ponit in te, Domine, etiam ſi tranſiret per Boſcha vel fletus, Deus diſponeret illi fontem exſurgentem, ut recrearetur.

Locus flentium, de quo Judic. 2. 5. *Vocatum eſt nomen loci illius locus flentium ſive lacrymarum*, ipſiſſima eſt vallis, de qua modò, cujus etiam vallis eſt mentio 2. Reg. 5. 23. illis: *Ex adverſo Pyrorum*, vel juxta Hebræum *Mororum*, legitur autem Hebraicè ex adverſo *Bechim*.

Panem fletuum, vel *lacrymarum* habens in Pſal. 79. 6. *Cibabis nos pane lacrymarum*, Pſal. 41. 4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*. Ponunt hæc ſub oculis in dolore & mœrore animam acerbè ſauciatam ad aſpectum injuriarum illegatarum Deo; quæ cùm doloris ſui nullum exſpectans ſolamen, lacrymis quodammodo vivitur.

Agens Iſaias 16. 9. de iis, quibus Moab propediem erat malis, habet: *Inebriabo te lacryma mea, Heſebon & Eleale*; Hebræus ad literam: *Inebriabo te meis lacrymis*, præſtancio tibi luctuum ut lacrymis inebrieris: *Lacrymæ meæ* ipſæ ſunt, quas tibi prædico; *inebriabo te*, i. e. prædico te inebriandum. Lubens quemdam ſcriptorum in Propheta ſuſpicor, ut pro *Medaba* Urbe Moab proxima Heſebon & Eleale, de induſtriâ poſuerit, *Dimeath*, lacrymas, quod affinitatis habet aliquid cum *Medaba*. Inebriabo *Dimeath* Urbem lacrymarum, ſicut etiam *Heſebon & Eleale*, &c.

Judæis exprobrat Malachias 2. 13. quòd *operuerint lacrymis Altare Domini*. Veſtra culpa, ait, ſponſarum veſtrarum lacrymis fœdatur Altare Domini; quippè qui ſponſas illas vos injuria repudiaſtis; quare per vos utcumque factum eſt, ut lacrymis viduatarum profunderetur Altare, & Templum Domini, inſonaret ejulatibus clamoribuſque piſcantium. Idcirco: *Non reſpiciet Dominus ultra ad ſacrificium. Quia Dominus teſtificatus eſt* (teſtis adfuit) *inter te & uxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti*, v. 14.)

FLORUS. *Geſſius Florus*, Albini in Præfectura Judææ ſucceſſor (e). Provinciæ rebus ab illo malè adminiſtratis, Zelotæ rerum exſtitere, Judæorum verò patientia ad ultimas anguſtias redacta, in apertam denique ſeditionem contra Romanos A. Chr. 66. erupit. Porrò Florus vir erat impudentiſſimus, animo, ſi quis alius, efferato, pecuniæ quàmſcumque extorquendæ ſtudioſiſſimus, ac tandem in Judæos ad extremum immitis. Uxor eo viro digniſſima Cleopatra erat, quæ per Poppæam uxorem, ſeu concubinam Neronis viro Præfecturam impetravit. Prædones univerſam Provinciam infeſtantes, ejus clientela, prædam cum illo partientes, compertaſta, impunè graſſabantur. Cùm res Judæorum in apertam ſeditionem devenire, Florus non extinguendo igni, ſed fovendo operam dedit; quippe qui ea tantùm ratione ſcelera ſua multa fore ſperaret, ſi Judæi perduelles haberentur.

Judæi quidem ſuas in Florum querelas Ceſtio Gallo Syriæ Procoſ. cum ſorte Hieroſolymam A. Ch. 66. veniſſet, detulerant; à quo ſpes injecta eſt, Præſidem impoſterùm æquiorem futurum. Verùm Gallo in Syriam regreſſo, Florus ad vetera ſtudia reverſus eſt. Hinc ſeditio orta Cæſareæ primùm; deinde Hieroſolymis; cui ſupprimendæ Ceſtius in Judæam cum exercitu promptè veniens, urbem vi ingreſſus, Templum obſedit; Sed arcem mox recepturus, ſubitò copias reduxit, commiſſoque cum Judæis prælio, victus receſſit (f). Datis verò ad Neronem literis, omni excitatæ ſeditionis invidiâ Florum oneravit. Cæteræ Flori res apud Joſephum deſiderantur: feciſſe tamen Veſpaſiano A. Chr. 67. Provinciam ingrediente, Judæam reliquit.

FLUVIUS. Nomen Fluvii per antonomaſiam

Hh apud-

(a) Philo in Flacc. & de ſpecial. leg.
(b) Matth. 20. 19. Marth. 10. 34. Luc. 18. 32.
(c) De Bell. l. 7. c. 31. vel 28. in Latino. (d) Ezech. 24. 16.
(e) Antiq. l. 20. c. 9. & de Bel. l. 2. c. 24. &c. An. Chr. 54.
(f) Joſeph. de Bel. l. 20. c. 40.

apud Hebræos interdum *Nilo & Euphrati* quandoque, & *Jordani* tribuitur; quare ex contextu ſermonis ſingulum illud nomen determinandum eſt. Non tamen etiam apud illos nomen fluvii torrentibus, ſive nullius famæ fluminibus datum eſt.

Præcipuorum Paleſtinæ fluminum hæc ſunt nomina. Jordanis, Arnon, & Jabok, & Careth, trans Jordanem. Sorech, Beſor, Ciſon, Belus. Torrens Jearrei, prope Scythopolim, in Jordanem influens, Eleutherus. Sabbation. Torrens Arundineti. Barrady, alio nomine Abana, & Farfar, Damaſci flumina. De ſingulis hiſce in articulis, vel ſuis, vel urbium, ad quas pertinent.

(Fluvii nomine deſignatur interdum mare, ut cum Jonas 2. 4. de ſe perhibet: *Et flumen circumdedit me*, i. e. aquæ maris. Habacuc 3. 8. 9. De transfretatione Erythræi, diviſas dicit à Deo *aquas fluminum* 3. & Pſalmiſta Pſal. 74. 15. perhibet exſiccaſſe Deum *fluvios rapidos*, ſeu *fluvios roboris*; & Pſal. 24. 2. fundatam dicit à Deo terram ſuper mare & conſtitutam ſuper flumina, quæ duo idem prorſus ſignificant. Narrans Herodotus lib. 7. injecta fuiſſe à Xerſe mari vincula & compedes, hunc ſimul Regem illum exprobrâſſe perhibet: *Jam merito nemo tibi offert ſacrificia, aquis doloſis & amaris.*)

FOEDUS. Vide *Teſtamentum*.

(FOEDUS. Omnium primum à Deo cum hominibus conciliatum fœdus illud eſt, quod ſtatim poſt illum creatum iniviт, vetavitque, ne de fructu certæ arboris degustaret. *Geneſ.* 2. 16. *Præcepit ei dicens; Ex omni ligno Paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni & mali, ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*; ſeu mortalis evades. Huc ſpectans S. Auguſtinus de Civit. lib. 16. cap. 27. *Teſtamentum*, ait, *primum, quod factum eſt ad hominem primum, profecto illud eſt. Qua die ederitis morte moriemini.* Hinc Græcorum Eccleſiaſtici 14. 18. legit; *Teſtamentum à ſæculo morte morietur.*

Cum homine in crimen jam prolapſo ſecundum fœdus ſancivit Deus, pœnitudine expiatis criminibus veniam pollicitus; neque hæc tantum appromiſit, ſed Meſſiam etiam, à quo redemptione donandum eſſet hominum omne genus, ſicut & eximendi omnes à morte peccati, & à ſecunda altera morte ſcilicet æternitatis. Meminit non ſemel Apoſtolus hujus fœderis, quo ſecundus Adam eximit à mortis imperio, quos primus Adam in ſævam hanc captivitatem pertraxerat. *Cor.* 15. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Chriſto omnes vivificabuntur.* Et Rom. 5. 12. 19. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.... ſicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.* Et Dominus ad ſerpentem Geneſ. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius; ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus.* Quis tamen hujus mulieris à quo ſerpentis caput conteretur, niſi Meſſias, qui morte ſua interitum intulit Diabolo, mortis imperium gerenti? *Hebr.* 2. 14. *Ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium*, i. e. Diabolum.

Tertium fœdus compoſuit Dominus cum Noemo juſſum accingere ſe ad opus Arcæ (a), ſeu navis capacitatem animantis aptæ ſervandis ex animantibus omnibus terræ reliquiis, certoque hominum numero, quibus novum mortalium genus poſt diluvium inſtauraretur.

Fœdus illud innovatum eſt poſt 120. annos, cum ſcilicet, à terra receſſerunt inundantes diluvii aquæ, & Noemus cum filiis & uxore ſua pedem retulit ex Arca: Ita enim Deus ad illum: *Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos, & ad omnem animam viventem, quæ eſt vobiſcum. Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium diſſipans terram... Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram.* Geneſ. 9. 8. &c.

Fœdera hæc omnia generalia erant, poſita cum Adamo, Noemo ac poſteris illorum univerſis. Brevioribus aſtrictum finibus alterum conciliavit Deus cum Abrahamo, unicè ſpectans Patriarcham illum ejuſque poſteritatem ex Iſaaco naſcituram *Geneſ.* 12. 1. &c. & 15. 4. 5.... 18. excluſis aliis Abraham filiis per Iſmaelem & per Ceturam. Fœderis hujus ſigillum circumciſio data eſt, qua initiarentur mares omnes e familia Abrahami poſt octavum ab ortu diem. *Geneſ.* 17. 10. 11. 12. Hujus pacti effectus omnes & conſecutiones parent in univerſa V. T. hiſtoria; finis autem & conſummatio eſt in Meſſia. Fœdus Dei cum Adamo illum format, quem appellamus ſtatum naturæ; fœdus cum Abrahamo à Lege Moyſis explicatum efficit Legem ſeveritatis; tertium tandem Dei cum hominibus, intermedio Jeſu Chriſto, ipſa eſt Lex gratiæ.

Nihil frequentius in familiaribus noſtris colloquiis quàm ut de veteri & novo Teſtamento injiciamus ſermonem, ſicut & familiariſſimè reducitur in medium fœdus Dei cum Abrahamo, & alterius & cum mortalibus omnibus, conciliante Jeſu Chriſto, initi; duo enim iſta eminentiâ & dignitate ſua reliqua continent, quorum velut appendices, ſurculi, & expoſitiones cætera reputanda ſunt; e. g. cùm Deus innovat datam à ſe fidem Iſaaco & Jacob *Exodi* 2. 24. & 6. 4. 7. celebrans ſolemne fœdus cum Iſraelitis ad Sinaim conſtituta illis lege: *Exodi* 19. 5. 6. &c. 20. 1. &c. cum Moyſes paulo antè obitum ſuum inſtaurat fœdus illud compoſitum Dominum inter & populum *Deut.* 29. revocatque ſub oculis prodigia omnia, quibus Deus militavit Iſraelitis; cum Joſue ad exitum properare ſe intelligens ſolemni Sacramento obſtringit ſe ac populi ſeniores ad ſartam tectam ſervandam Deo Patrum ſuorum fidem *Joſue.* 23. & 24. 25. hæc omnia minora ſunt ſubjecta è ſupremo illo Abrahami veluti profluentia: 4. *Reg.* 23. 1. &c. & 2. *Par.* 34. 26. Eſdras 1. *Eſdr.* 10. 3. Nehemias 2. *Eſdr.* 9. 38. ſimul exempla oppigneratam jam fidem Domino varia temporum occaſione iterum obligarunt; quæ omnia perinde reputantur ac novus devotionis fervor, & novum obligandæ fidei jam obſtrictæ nomen.

Excellentiſſimum & omnium, quotquot unquam fuerunt, ſolemniſſimum, omnibuſque numeris abſolutum fœdus Dei cum hominibus illud eſt, quod Jeſus Chriſtus Deum inter & homines conciliavit; fœdus æternum ad exitum uſque ſæculorum perſeveraturum, cujus vadem ſe exhibet Dei Filius, quod Dei Filius ipſe munivit *ſanguine* ſuo, cujus eſt finis & ſcopus vita æterna, cujus tandem ſacerdotium, ſacrificium, & leges, multò ſuperant cætera V. T. Vide S. Paulum in Epiſtolis ad Galat. & ad Hebræos.

FOEMINA. Poſt creata à Deo bruta bina, marem ſcilicet, & fœmellam, adductaque ſingula ante Adamum *Geneſ.* 2. 20. intellexit Adam è tanto numero neminem ſuſcitare imaginem ſibi perſimilem, creatum fuiſſe ſibi adhuc neminem: quare Deum exoraſſe creditur, ut ſocium ſibi aliquem & conjugem adderet, ſicut & ſuum dederat cæteris animantibus. Immiſit igitur Deus in virum ſoporem, quo cum detineretur ex ejus latere detractam coſtam formavit in mulierem. Experrectus Adam, ac rem totam intelligens, exclamavit admirans: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*; non alio appellabitur nomine, quàm ab homine derivato, eſt enim quod oculis cerno, ab homine deductum; *quamobrem relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, vel unum quid erunt in duo diviſum corpora: unum enim ſunt in generatione filiorum ex utriuſque ſanguine coaleſcentium.

Autumarunt Scriptores nonnulli utrunque ſexum in Ada-

(a) Gen. 6. 18. *Ponam fœdus meum tecum.*

in Adamo ab ipſa creatione conciliatum fuiſſe; Moyſes enim Geneſis 1. 26. refert tanquam dictum à Deo: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; tum verſ. 27. continuat ipſe Moyſes: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam; ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos*. Sermo eſt hic de opere ſextæ diei; tum in proximè ſubſequenti capite verſ. 20. narratur formatæ mulieris hiſtoria, qualem jam dedimus. Jam inde igitur ante productam Evam homo in marem & fœmellam formatus prodierat. Tenent alii (a) corpora Adami & Evæ jam inde à ſexta die formata, ſed alterum alteri veluti glutine ad latera junctum connexumque, ſeparaſſe autem utrinque Deum, cum altum ſoporem in Adamum immiſit, in hunc ſenſum reddunt illi: *Tulit unam de coſtis Adam & ædificavit in mulierem*. Hebræus commodè verteretur. *Tulit unam* (fœminam) *de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea*. Aliis probatur hominis utrunque ſexum creatum die ſexta, juxta Geneſim 1. 27. quæ verò ad cap. 2. 20. referunt epilogum eſſe vel ſupplementum eorum, quæ priùs brevioribus verbis indicata fuerant.

Suſpicati ſunt quidam totam hanc de productione fœminæ hiſtoriam alio planè ſenſu quàm hiſtorico & reali uſurpari oportere, at per metaphoram dicta omnia accipienda ſint. Nec ſanè diffitemur eum, qui primò ſe offert legentibus, ſenſum neſcio quid præferre allegoricum, & figuratum; ſentimus enim eo rapi ſpiritum, ut altius quid cogitet, quàm quod exprimit litera dum legit, immiſſum in Adamum ſoporem, coſtam è latere deductam, cujus vacuum in locum nova ſuppleta eſt caro. Sed his opinionibus invidiæ plurimum in veritatem Scripturæ conflaretur; nec Patres aliud magis curarunt, quam ut Textum ad literam exponerent.

Rabbinorum nunnullis ſuccurrit priorem aliquam inducere Adamo fœminam ante Evam, cujus productæ hiſtoria non priùs narratur, quàm Geneſis 2. 21. &c. Priorem hanc mulierem appellant *Lilith*, affirmantque, ita repudium dediſſe Adamo, ut nunquam cùm illo jungere ulteriùs torum conſentiret.

Nota ſunt quæ comminiſcuntur Prophani de Prometheo, qui formato à ſe opere plaſtico homini furto e Cælo ſubrepto igne, vitæ ſcintillam injecit. Ea injuria offenſus Jupiter, Vulcano præcepit eodem opere conderet & fœminam, cui formatæ datum nomen Pandora. Manibus ejus commiſit Jupiter pixidem malis omnibus oppletam, quam tradere Prometheo juſſa eſt. Conſignavit Pandora Epimetheo, qui illam ſibi conciliavit in uxorem, pixidemque aperuit. Mala ſtatim omnia evolitarunt, totumque ſe per orbem ac genus humanum diffuderunt; ille rem intelligens vas clauſit; at ſerò nimis, mala jam omnia evaporaverant, ſola relicta in imo fundo ſpe.

Fœmina ab ipſa ſui creatione deſtinata eſt in ſociam & adjutricem viri; par cum illo jus à Deo obtinuit ſuper animalia cætera, ſed criminis admiſſi pœna viri imperio à Deo ſubmiſſa eſt: *Sub viri poteſtate eris*.)

FOEMINÆ. Cùm Deus ex viri coſta fœminam creaſſet, hanc illi conjugem & ſociam junxit. Deindè commiſſi criminis ream, ejuſdem dominio ſubdidit: *Sub viri poteſtate eris*. *Geneſ.* 3. 16. Hinc Sara dominum ſuum Abrahamum appellat (b). Præter communia viris, & fœminis præſcripta officia, peculiaria erant fœminarum præcepta, quæ infirmiorem tantummodo ſexum ſpectarent: uti impuritates legales in menſtruis, in puerperiis, & in fluxu ſanguinis (c). Aquis etiam zelotypiæ (d) ſi quam viro de ſe ſuſpicionem, nec temerè conceptam, indidiſſent. Si quandò nota virginitatis indicia in aliqua non deprehendebantur, repudio ſubjacebant. Deut. 22. 15. Viris ſidam minimè uxorem lapidibus damnare permiſſum erat, ut & ductam repudiare: fœminis paria in virum non concedebantur.

Docent Rabbini (e), præcepta omnia negantia æque fœminas, & viros obligare; affirmantia verò, quæ certum executionis terminum expoſcunt, viris indicta eſſe, non fœminis, cum hæ infirmioris ſint ſexus, atque virorum obedientiæ, & ſervitiis ſubditæ. Fœminis imperatum, ut eum menſtruatas ſe noverint, viros, ne accedant, ſedulò moneant. Panem conficientes, omnium poſtremam placentulam reſervabant, quondam in oblationem Domino, nunc in pabulum ignis. Earum tandem munus, lampadem domi in veſperis die Veneris pro nocte Sabbathi ſubeuntis incendere. Hæc ſane præcepta ad fœminas ex Rabbinis pertinent.

Conjugem votum nuncupantem, vir ſi eadem die noverit, prohibere, atque omni illam religione ſolvere poteſt (f); ſi in aliam diem diſtulerit, ſive votum ſciens ſiluerit, fœmina voti rea ſtatuitur, ſilentio viri pro aſſenſu reputato. Officia conjugis in Virum latè deſcribit S. Paulus Cor. 7. 3.; qui etiam fœminas monet, ut viris perinde ac Jeſu Chriſto ſubdantur *Epheſ.* 5. 22. ne Eccleſiam niſi velatæ introeant; neve in ea Fideles inſtruendi munus ſibi arrogent 1. *Cor.* 11. 5. & 14. 34. Addit inſuper, mulieres ſilentes, & dicto audientes aliorum doctrinam, & juſſa auſcultare oportere, non tradere. Mulieres enim, ait, prolem gignentes, eamque optimè in charitate, fide, religione, & morum diſciplina educantes, ſalutis ſuæ præmium conſequentur. Vide etiam ad *Tit.* 3. 4. 5. & 1. *Petr.* 3. 1. &c. in quibus pudoris ſtudium, atque neglectus omnis muliebris apparatus mulieribus commendatur.

(FONS. Metaphorico ſenſu fons perinde valet ac generatio & profluens ex ea poſteritas. *Deriventur fontes tui foras Proverb.* 5. 16. longa poſteritate floreſcas. Pſal. 67. 27. *In Eccleſiis benedicite Domino, de fontibus Iſrael*. Vide etiam Eccli. 12. 6. *Conteratur hydria ſuper fontem*.

Fons eſt etiam aquarum quæcunque ſcaturigo; e. g. *Geneſ.* 7. 11. *Rupti ſunt omnes fontes, abyſſi magnæ*. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium*. *Cant.* 4. 15. *Fons aquæ vivæ, ſeu fons vitæ*, eſt ſcaturigo vel in fontem erumpens, vel in imo putei fundo ebulliens.

Fons ſanguinis Levit. 20. 18. *Marc.* 5. 19. ſanguinis eſt erogatio vel à natura vel à morbo.)

FONTES. In Judæa celeberrimi plures occurrunt, de quibus nos fermè in articulis certorum locorum: uti de fontibus Jezrael & Emmaus v. *Jezrael*, & *Emmaus*. Ad vocem *Ain*, urbes quamplurimas indicavimus, quibus nomen ex fontibus derivatur; Hebræis namque *Ain*, ſive *Ein*, vel *En*, vel oculum, vel fontem ſonat. Hinc *Enſemes* redditur fons Solis; *Engaddi*, fons hœdi; *En-gannim*, fons hortorum, & ſic de ſingulis.

Fons Rogel. Vide *Rogel*. *Fons Gehon*. Vide *Gehon*. *Fons Siloe*. Vide *Siloe*. *Fons Nazareth*. Vide *Nazareth*; & ſic de ſingulis.

Fons Æthiopis, cui ex baptiſmo per Philippum Diaconum Eunucho Candacis Reginæ ibidem collato, nomen inditum Act. 8. 36. Illum alii ad Bethleem; alii ad Bethſuram collocant. Euſebio, & vetuſto Hieroſolymæ Itinerario, eſt ad radicem montis, cui Bethſura inſidet, Bethſura verò 20. milliar. à Jeruſalem prope Eleutheropolim ſita eſt. S. Hieronymi ætate fons ille vix prodiens, iterum abſorbebatur. Nunc aquæ illæ in alveum receptæ, per canales in receptaculum 20. paſſibus diſtans deferuntur; inde verò vallem univerſam irrigant.

Fons aquarum viventium, qui ex Libano provolvitur. *Cant.* 4. 15. In recentioribus Itinerariis (g) fons eſt uberrimus, in planitie, leuca à Tyro diſtans. Quadrato ædificio turris inſtar, 15. circiter pedibus in latum, & 15. cubitis in altum protenditur, ut aquæ in puteo contineri videantur. Ex foramine vero ædificii tanto impetu proſiliunt, ut molendina-

(a) Samuel, Menaſſe-Ben-Iſrael, Maimon. Eugubin. in Geneſ. in Coſmopeja. (b) Gen. 18. 12. & 1. Petr. 3. 6.
(c) Levit. 15. 19 & 12. 2. 3. & 15. 25. (d) Num. 5. 14. 15. (e) Leo Moden. *De' riti Hebr.* p. 5. c. 4.
(f) Num. 30. 7. &c. (g) Vide Doubdan, Breidembach., Adrico.

riæ rotæ quinque molis inſtructæ vertendæ ſufficiant. Ejus molis faſtigium qua parte Tyrum ſpectat, amplo ex lapidibus aſcenſu vel ipſis equitantibus pervium eſt. Inde verò per canalem trium pedum latitudinis, ad alios duos puteos iter patet. Profectò Salomonis ætate aquæ illæ in Tyrorum ditione erant, quas proinde Salomonem in Canticis indicare voluiſſe vix credimus.

Fons ſignatus, *Cant.*4.13. ad Sponſæ Canticorum caſtitatem ſignificandam per allegoriam uſurpatus videtur. In Itinerariis fons ingens eſt, leuca, & dimidia à Bethleem, de quo vide *Ethan*, quem Salomonis *fontem ſignatum* eſſe volunt: nihil tamen incertius. Quoad aquas Ethan, eas ſcilicet aquas prope Bethleem occurrentes, conſule Itineraria (a), latè earum alveum deſcribentia. Eaſdem aquas Pilatus aliquibus ante bellum Romanum annis, Hieroſolymam deduxit.

Fons, ſive *puteus Jacob*, prope urbem Sichem *Joan.* 4. 5. 6.

Fons Judicii, ſive *Miſphat* Gen. 14. 7. idem eſt ac aquæ contradictionis, quas Moyſes è ſilice in Cadesbarne expreſſit. *Num.* 30. 13. &c.

Fons Daphne. Vide *Daphne*.

Fons Eliſei, cujus ſaporem Eliſæus correxit 4. *Reg.* 2. 19. 20. E valle Hiericbuntis in Jordanem infertur (b).

Fons Agar, huic mulieri in ſolitudine ad meridiem Berſabee vaganti, ab Angelo oſtenſus *Gen.* 21. 19.

Fons draconis, ad orientem Jeruſalem ſitus videtur. 2. *Eſd.* 2. 13. Vide *Draco*.

Fons Samſonis, è ſilice, cui nomen *Dens molaris*, Hebraicè *Machtes*, profiliens, qui diutiùs, & fortaſſe adhuc in Tribu Dan, prope *Lechi*, ſcilicet *mandibulam*, perſtitit. Antonino Martyri, & Glycæ *Annal. p.* 2. in ſuburbiis Eleutheropolis ſitus eſt: Rabbinis nonnullis (c) prope Torrentem Cedron, ſive, ut alii malunt, juxta Tiberiadem. S. Hieronymus Moraſthim collocaſſe videtur inter Socoth & fontem Samſonis (d), quem proinde fontem ab Eleutheropoli non removet.

FORMICA, inſectum notiſſimum, laborioſi, & ſeduli hominis imago. *Proverb.* 6. 6. Ejuſdem etiam animantis ſolertia *Prov.*30.24.25. laudatur, cum æſtate annonam hyemalem comparat.

FORNICATIO. Ea vox in S. Scriptura non vitium tantùm caſtitati contrarium, ſed & idololatriam, violatamque Deo fidem ſignificat. Adulterii etiam rei aliquando fornicatri dicuntur: *Uxor tua in civitate fornicabitur*, *Amos* 7. 17. In Veteri Novoque Teſtamento (e) impuritatis genus omne, cùm ſpiritualis, tùm corporalis exprimit; ſive nempe fornicatio vitium corporis, ſive idololatriam, apoſtaſiam, hæreſim, ac violatam Deo fidem ſignificet.

(FORTUNA. Eo nomine deſignatur genius quoddam Numinis cæcum, & nullam rationis legem ſequens, juxta Paganorum Theologiam, rerum omnium eventibus præſidens, & de bonis maliſque ad arbitrium diſponens. Apud veteres Græcos nulla erat vani hujus Numinis notio, nulla in eorum Libris mentio; bona enim & mala in Deos unicè referebant. Nec Authores ſacri eodem, quo nos uſurpamus ſenſu, nomen *fortunæ* tenuerunt in veteri novoque Teſtamento. Ideo vero ſuum habere locum permittitur in noſtro hoc Dictionario, quòd erectas Fortunæ Aras Hebræis exprobrat Iſaias 65. 11. *Qui ponitis Fortunæ menſam*, *& libatis ſuper eam*. Conſtat utique Iſaiæ ætate nec rem ipſam, nec fortunæ nomen Hebræos noſſe; quare Textus originalis habet: *Qui ponitis Gad menſas*, *& repletis vaſa veſtra liquoribus*, *ut libetis Meni*. Agitur hic de ſignificatione nominis *Gad* & *Meni*.

Non ſine magna veri ſpecie *Gad* dictum acciperetur de ſole, & *Meni* de Luna. Bonorum eventuum Sol æquè & Luna Numina habebantur; non aliis enim ſuſpiciebantur oculis, quam ut duo felicia principia & indulgentis genii Numina; certumque tenebatur, eos, qui ſub alterutrius aſpectu nati eſſent, conſtanti proſperitate fruituros. Hæc Ægyptiorum & Perſarum perſuaſio fuit, nec alia facilè Syrorum, cùm Lia introducta in thalamum Jacob Zelpha relatoque ex illa filio acclamavit: *Feliciter* ſeu bonæ fortunæ (Hebr. *in Gad*); *& idcirco*, ait Geneſ. 30. 11. *vocavit nomen ejus Gad*.

Kimchi & Abarbanel (f) perhibent apud Arabes ſidus vel planetam Jovis nomen ferre *Gad*, benigno autem influxu ſtellam iſtam eos reſpicere, qui ſub aſpectu ſuo naſcuntur. Affirmat D. d'Herbelot Bibl. Orient. pag. 728. Arabes deſignare nomine *Sad* vel *Saad* Jovem inter planetas benigniſſimum, cui vulgare nomen eſt apud Aſtronomos noſtrates *Fortuna Major*; Venerem autem donari ab illis ait titulo *Sad-Saghir*, fortuna minor. Idem Jovis ſidus appellant pariter *Moſchteri* (g); ſed Genethliaci nuncupant *Saad-Alſoud*, fortuna fortunarum.

Apud Perſas nomen obtinet *Ormozd* (h), quo deſignatur Genius præſidens primæ diei anni ſolaris, quem ipſum Genium Græci *Oromaſdem* dicunt. Suſcipiebant illum Mahometi Sectatores non tanquam bonum Genium utcunque, ſed veluti bonæ fortunæ potiores ſibi partes vindicantem; habebantque viciſſim tanquam planetam minoris fortunæ *Zoharah*, i. e. planeta Veneris. Opponebant *Ormozd*, vel Oromaſdem, Deum bonæ fortunæ, *Ahermen*, vel *Arimanio*, mali ominis Numini.

Quò ad *Gad* & *Meni* regrediamur, habemus perſuaſum, *Gad* Syrorum ipſum fuiſſe *Sad* Arabum, & Ormozd Perſarum; præfediſſe verò bonæ fortunæ, ac in ſe expreſſiſſe ſolem, vel planetam Jovis; ſicut & *Meni* Lunam, vel planetam Veneris reſpondiſſe pariter *Zoharah* Perſarum, & *Sad-Saghir* Arabum.

Colebantur Numina illa in Palæſtina, erectis ſacris *Gad* menſis, affuſiſque liquoribus in honorem *Meni*. Tradit Demoſthenes *contr. Midiam*, *& adver. Macartatum* apud Græcos litari conſueviſſe ſacrificiis *Apollini* compitis præſidenti, ſive bonæ fortunæ, ſive proſperæ alicui rei impetrandæ gratia; eademque de causa ſacrificiis ſupplicatum fuiſſe *Latonæ & Dianæ* (quis autem neſciat Apollinem cum ſole confundi, Dianam cum Luna?) Inſtruebantur menſæ illæ in angulis compitorum; & in viarum capitibus vino ſpumantes crateres offerebantur, additis ſuffitibus, choreis ornatoque corollis capite. Meminit Strabo non ſemel Templorum dicatorum *Men* vel *Manus*, Anal, Dianæ vel Lunæ per Armeniam, ubi religioſiſſimus ejus Numinis cultus (i).

Scribens S. Hieronymus in Iſaiam ibid. vetuſtiſſima. & è Paganiſmo recepta manente adhuc in omnibus fermè Urbibus, maximè in Ægypto, & Alexandria, traditione obtinere dicit, ut poſtrema anni die menſæ parentur ad capita viarum inſtructæ omnis generis dapibus, & ſcyphis plenis mulſo, quo veluti præſentiſſimo omine proſperum ſibi ineuntem annum apprecantur. Vitio vertit Hebræis Jeremias 7. 18. & 44. 17. 18. placentas & liquores oblatos Reginæ Cœli, i. e. Lunæ. Vide noſtrum Commentarium in Iſai. 65. 11. Vetera plura monumenta ſuperſunt (k) Fortunam exhibentia ſolis & Lunæ præferentem inſignia; cum inſigni-

(a) Cotovio. Eugen. Rog. le Brun. (b) De Bel. l. 5. c. 4.
(c) Vide Bochar. de anim. ſacr. par. 1. l. 2. c. 15. (d) Epitaph. Paulæ.
(e) Levit. 21. 7. Deut. 22. 21. & 23. 18. Prov. 23. 27. Tob. 4. 17. & 1. Cor. 6. 9. 13. 15. Coloſſ. 3. 5. Hebr. 13. 4.
(f) Vide Grot. in Geneſ. 30. 11. (g) Idem pag. 626.
(h) Idem pag. 694. (i) Strabo lib. 9. pag. 352. & lib. 12. pag. 383.
(k) Antiq. Explic. tom. 1. pag. 310. 311. Gal licè.

inſignibus pariter Iſidis & Hecatis, additis duobus ſideribus facilè referendis ad planetam Jovis & Veneris, ſidera proſperæ fortunæ dicata.)

FORTUNATUS (a), vir, qui Paulum inviſurus, Corintho Epheſum venit. Ejus geſtorum, & obitus hiſtoria deſideratur: illud ſcimus, Stephanum, Fortunatum, & Achaicum primitias Achajæ, primos nempè, qui Eccleſiæ & ſanctorum ſervitiis ſeſe addixerint, ab Apoſtolo appellatos fuiſſe. Tribus hiſce Epiſtola ad Corinthios deferenda commiſſa eſt.

(FOVEA. Valet interdum pro ſepulcro. Proverb. 22. 14. *Fovea profunda os alienæ, cui iratus eſt Dominus incidet in eam*. Et cap. 23. 27. *Fovea profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus aliena*. Carcer in quo detentus eſt Joſephus foveæ nomine deſignatur: *Deſcendit Deus cum illo in foveam*. Sap. 10. 13. Proverbialis eſt ac Scripturæ per quam familiaris formula (b): *Qui fodit foveam, incidet in eam*; qui laqueos alteri parat iiſdem capietur. *Lacum aperuit & effodit eum, incidit in foveam, quam fecit ei*. Apud Hebræos obtinuiſſe videntur, ut inſidiæ ſtruerentur paratis clam foveis, quà hominibus, quà brutis capiendis.

FRANGERE PANEM, familiaris apud Hebræos formula pro deguſtare panem, vel convivium parare. *Frange eſurienti panem tuum*, Iſaiæ 58. 7. & Jerem. 16. 7. *Non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuo*. Threnorum 4. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*. In inſtitutione Euchariſtiæ Dominus translatum in corpus ſuum conſecratum panem fregit, diviſitque inter Apoſtolos; ex quo illud in N. T. Matth. 26. 26. *Frangere panem & fractio panis*, uſurpatur pro celebratione SS. Euchariſtiæ. Matth. 26. 26.

Ratio naturalis & literalis ejus phraſis ex eo petitur, quòd apud Hebræos in Palæſtina, ſicut & apud Syros, Arabes & Ægyptios panis maximè tenui & ſubtili forma paretur, ut frangatur melius quàm ſcindatur cultro; frangitur autem digitis, & recens deguſtatur. Vide quæ contulimus v. *Panis*.

FRATER. Non literali tantùm & prona ſignificatione vox illa uſurpatur; ſed generatim etiam interdum deſignat virum neceſſitate quadam conjunctum, gentilem & ejuſdem nationis; ſicut etiam multò generaliùs pro homine utcunque, de proximo, juxta inditam nobis a Jeſu Chriſto de hominibus omnibus totius Mundi ideam; præcepto enim ſuo ſtatuit Chriſtus, ut omnes æquè homines, perinde ac nos ipſos, amore complectamur.

Frater. Valet etiam interdum idem ac homo, alteri ſive in bono ſive in malo ſimilis. Proverb. 18. 9. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis*; Job. 30. 29. *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum*; in clamoribus à dolore expreſſis illos imitatus ſum, ſicut & in fuga ab hominum conſortio. Eccleſiaſticus 34. 27. *Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt*; utriuſque crimen par eſt.

Frater eſt etiam amicus, ſponſus, ſicut & ſponſa ſoror eſt: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ* Cantic. 8. 1. *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa* Cantic. 4. 9. Job. 17. 14. *Dixi, mater mea & ſoror mea vermibus*. Salomon in Proverbiis 7. 4. *Dic Sapientiæ, ſoror mea es*.

Moyſis Lege ſancitum eſt, ut ſine liberis decedentis fratris viduam uxorem ſuperſtes alius frater ducat, ad liberos defuncto ſuſcitandos; atque ita & nomen ejus, & memoria in Iſraele perennetur Deut. 25. 7. Vide v. *Vidua*.

FRONS uſurpatur in S. Scriptura ad exprimendam hominem impudentem, impotentem in ſcelera, & obduratum: *Frons ærea*, ut eſt apud Iſaiam 48. 4. *Frons mulieris meretricis*, uti Jerem. 3. 3. *Attrita frons*, ut in Ezechiele 3. 7. 8. Deus ad eundem Prophetam loquens, faciem ejus magis attritam redditurum ſe dicit, quàm ſceleſtorum inter Iſraelitas, obduraturum frontem præ illis, ad quos mitteretur.

Impreſſum fuiſſe à Deo ſignum quoddam vultui Cain, quo dignoſceretur ab aſpicientibus, creditur, ita ferme, quomodo ſtigmate *Tau* notavit frontes Iſraelitarum, qui à ſceleribus fratrum ſuorum alieni, eorum crimina lugebant *Ezech*. 9. 4. & in Apoc. 7. 3. & 9. 4. Deus impreſſo in electorum fronte ſigillo, ne cum peccatoribus confundantur, diſtinguit.

FRONTALE quadrata eſt è duro vituli corio pellis, quatuor continens fruſtula membranæ, totidem Legis ſententias deſcriptas referentia, quæ ſimul omnia fronti alligant Judæi. Ita porrò frontalia deſcribit Leo Modena. Ducuntur in membranulis illis quadratæ literæ ex parato in eam rem atramento; exhibent autem ſingulæ ſingulas S. Scripturæ ſententias (c). In prima ſcriptum legebatur: *Sanctifica mihi omne primogenitum de hominibus*, & cætera, quæ hiſce continuantur in cap. 13. Exodi ℣. 1. &c. uſque ad ℣. 10. Secunda continebat quidquid excurrit à ℣. 11. ejuſdem capitis uſque ad ℣. 16. *Cùm introduxerit te Dominus in terram Chananæi &c.* In tertio erat illud Deut. 6. 4. ad ℣. 9. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*. In quarto à cap. 11. 13. uſque ad 21. ejuſdem Libri: *Si obedieritis mandatis meis, quæ ego præcipio vobis*. Parabantur hæc in obſequium præcepti Moſaici, Exodi 13. 16. *Erit quaſi ſignum in manu tua*, (hoc præceptum) *& quaſi appenſum quid ob recordationem inter oculos tuos*.

Hæ ſimul omnes membranæ jungebantur in quadratum; quadrato autem huic inſcripta litera *Schin*, tum impoſitum ſuper quadratum fruſtulum vitulini corii, cui duæ innexæ coriaceæ ligulæ, digito latæ, & cubitu ac ſemis, vel circiter oblongæ. Applicatur totum hoc mediæ fronti, & caput ambientes ligulæ nodo cohærent in formam literæ *Daleth*, lactoque iterum inter ſe divortio ante pectus redduntur. Appellatur id ornamenti genus: *Teffila-Schel-Roſch*, vel Tephila capitis. Religioſiſſimi quique id aſſumunt non in matutina tantùm prece; ſed etiam cum ad meridiem orant. Reliquis ornamentum ſacrum eſt matutinæ tantùm precationis. Uni in Synagoga Præceptori injunctum eſt, ut in meridianis, perinde ac matutinis, oratur.

An frontalium ejuſmodi & phylacteriorum præceptum datum ſit à Moyſe, ita ne nullo non tempore Hebræi ad eum ritum lege adſtricerentur, quæſtio eſt in utranque partem anceps. Qui præcepto injunctum id Hebræis tenent, expendunt Textum Moſaicum aſſertò rem tradentem, perinde ac cætera Legis præcepta; deſcribi jubet mandata Dei in ſuperliminaribus domorum; deſcribi tanquam in ſignum ſuper manus, & tanquam frontis ornamentum præferri *Exod* 13. 16. profectò ſi deſcribi Lex edicit, uti Textus inſinuat, mandata illa in ſuperliminaribus domorum, eadem præcepti vi jubebat deſcripta ferri in manibus, & in fronte. Jeſu Chriſti ætate mos ille obtinebat, non in Judæa tantùm, ſed etiam apud Judæos Indos, Perſas, Babylonicos, ſi fides ſit S. Hieronymo, *In Matth*. 23. Ita & Theophylactus. Diu etiam antea ablegati ab Eleazaro (*) Pontifice ad Ptolemæum Philadelphum Regem Ægypti Doctores ita de phylacteriis illis egerunt, tanquam omnis ætatis peculiaribus, ſacriſque ornamentis Hebræis communibus, quorum repetebant à Moyſe exordia.

Sententiæ huic ſuæ confirmandæ notant, ætate Moyſis apud Paganos inſerta eſſe omnia amuletis, quorum ſuperſtitioſiſſimus erat ritus, non minùs ac ſalaciſſimus interdum, ac probroſiſſimus; avertendo autem ab impiis hiſce populo ſuo Deus, præcavendoque, ne quid in futurum ſimile admitteretur, juſſit manibus, & fronti alligata præferri phylacteria, amuleta

Hh 3 quidem

(a) 1. Cor. 16. 15. 17. (b) Pſal. 7. 16. Eccl. 10. 8. Eccli. 27. 29.
(c) Leo Modena Cærem. Jud. 1. p. c. 11. art. 4. (*) Eleazar apud Euſeb. Præp. l. 8. c. 9.

Digitized by Google

quidem illa, ſed alterius planè generis, & ſanctiſſima, i. e. ſanctiſſimarum ſanctionum dogmata (a) continentia.

Contrà alii excipiunt, præcepta illa Moſaica, in quibus de ſcribendis verbis Legis in ſuperliminaribus domorum, præferendiſque in manibus ac inter medios oculos ad frontem ſuſpenſis, allegorico & figurato ſenſu uſurpari oportere, ut perinde valeant, ac ſtudere diligentiſſime quo Legis Dei ſarta tecta omnia ſerventur; nunquam illa ea oculis mentis deponatur. Conſtat utique ne veſtigium quidem ejus ritus deprehendi in Hiſtoria Judæorum ante captivitatem Babylonicam. Segniores in hac re ſuos nunquam objurgarunt Prophetæ; nunquam cùm de moribus reparandis ſancitum eſt, de illis quidquam. Quo tempore ſcriptum ſit Opus complectens hiſtoriam, quam ſciunt, Verſionis Septuaginta, ac miſſionis 70. Doctorum per Eleazarum Summum Sacerdotem, ignoratur; conſtat autem inter Doctos noſtræ ætatis fabellam hanc eſſe, putidiſſimè confictam, nec planè ætate vetuſtiorem Joſepho & Philone. Mos receptus longè lateque per Orientem ætate Chriſti, geſtandi ſcilicet phylacteria & frontalia, pro aſſerenda ſive ejus antiquitate ſive utilitate minùs valet. Sententiam quidem in illum nullam tulit Chriſtus, & res eſt utique in medio poſita; ſed ejus abuſionem alte reprehendit idem Chriſtus; affectatione enim quadam illa præferebant Phariſæi, ſicut & ampliora, quam reliqui omnes. Hodie pariter Caraitæ, literæ Legis unicè inhærentes, vanas Phariſæorum traditiones temnunt, traducuntque Judæos reliquos veluti *Aſinos phaleratos*, quod ſcilicet *Tephilim* & frontalia ferant alligata (b). Vide *Phylacteria*.)

FRUCTUS. Vide *Poma*.

(FRUCTUS. Operis interdum merces eo nomine expreſſa eſt. *Si utique eſt fructus Juſto Pſ.* 57. 12. Salomon Prov. 1. 31. *Comedent fructus viæ ſuæ*; rebus à ſe pravè geſtis excipient paria. *Fructus ventris*, perinde valet ac filii. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam Pſal.* 103. 13. *Fructus labiorum*, eſt pro ſermonibus impiis probiſque rependa merces. Iſaiæ 10. 12. *Viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſur*; de verbis impudentibus in me jactatis, pœnam ab illo exigam. *Fructus incircumciſi* vel impuri, de quibus Levitici 19. 23. ſunt recens ſatarum arborum, trium priorum annorum fructus; impuri enim habebantur, ut de illis degustare nefas eſſet. Quarti anni fructus oblati Domino; reliquorum uſus permiſſus. *Fructus ſpiritus*, de quibus Apoſtolus ad Galatas 5. 22. ſunt *charitas, gaudium, pax*. *Fructus juſtitiæ*, de quibus ille ad Philippenſes 1. 11. ſeminantur in pace Sancti Spiritus, juxta ac docet S. Jacobus 3. 18. Neglectæ paſſiones, & ſenſus carnis producunt fructus mortis: *Ut fructificarent morti Rom.* 7. 5. animam perimunt.)

FUGA JESU CHRISTI IN ÆGYPTUM. Peractis purificationis Mariæ cæremoniis, atque Jeſu in Templo oblato, Angelus Domini Joſephum per quietem alloquutus juſſit: *Accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſquedum dicam tibi; futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Matth.* 2. 3. *&c.* Joſeph dicto audiens, in Ægyptum confugit. Herodes interim poſt aliquot dies mares omnes intra Bethleem, ejuſque agri fines, bimatum non excedentes, trucidandos præcepit; ac deinde poſt quinque vel ſex menſes ipſe quoque circa Paſchatis Feſtum diem clauſit. Herode igitur vita functo, Joſeph Angeli monitu in Judæam rediit. Quare juxta noſtram Chronologiam fugam in Ægyptum ad diem 3. ſive 4. Februarii conſignantes, regreſſum in Judæam circa diem 2. Aprilis, atque exilii tempus duorum circiter menſium ſtatuimus.

In Pſeudo-Evangelio Infantiæ Salvatoris prodigia non deſunt, quæ fugientem in Ægyptum Jeſum proſequuta ſunt; ſed apocrypha illa deſtruendæ potiùs, quam juvandæ religioni conferre videntur. Ægyptiorum Numina ſpontaneo lapſu vim Dei Ægyptum ingreſſi, atque Hermopoli in Thebaide ſubſiſtentis ſenſiſſe, Patres teſtantur (c). Duobus milliar. à Cairo fons adhuc oſtenditur, à Jeſu Chriſto prodigio eductus, quò lavandis linteis Virginem ventitaſſe ferunt. Neque huic Traditioni Pſeudo Evangelii, veterumque nonnullorum teſtimonia deſiderantur.

(Traditione receptum tenent per Ægyptum omnes, qua Chriſtiani, qua Mahometani conditam fuiſſe à Jeſu Chriſto Urbem Bahamam inferioris Thebaidis, proximam Fioum, quæ poſterior Urbs Joſepho Patriarcha authore gloriatur. Ad Bahamam Jeſus Chriſtus accivit Apoſtolos ſuos piſcationi in Nilo occupatos. Regnum ibi per ſe geſſit, ac ſucceſſores reliquit Apoſtolos. Urbem illam diu tenuere Judæi, ea perſuaſione, quaſi ſcilicet hæreditatem Diſcipulorum J. C. ſucceſſione tenerent. Imminet lacui ex defluxu aquarum Nili formato, appellaturque ab incolis Mare Joſeph. Ita obumbrant omnia arbores fructiferæ, ut aquæ omniſi ſat proximè accedentibus detegantur.

Malunt alii Jeſum Chriſtum perfugium quæſiviſſe in Mathaream. Vide *Mathareа*. Evangelium Infantiæ J. C. perhibet apud Fabric. Apocryph. N. T. t. 1. pag. 175. 176. in ipſo Servatoris adventu Idola Urbis ſpontè corruiſſe, palamque denunciaſſe Dæmonem ejus quia vir in regionem veniſſet. Euſebius Demonſtr. Evang. l. 6. c. 20. & l. 6. c. 2. & S. Athanaſius de Incarn. Verbi tom. 1. poſt Veteres plures aſſeruerunt, everſa tunc omnia Ægypti Idola corruiſſe, applicantque prodigio illud Iſaiæ 19. 1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur Simulacra Ægypti à facie ejus.* Et Jeremiæ 43. 13. *Et conteret ſtatuas domus ſolis, quæ ſunt in terra Ægypti comburet igni.*)

FULLO. *Ager fullonis, fons fullonis*. Vide *Rogel*, quæ vox fullonem ſonat. Fons fullonis, vel idem erat cum fonte Siloe, vel illius ramus.

FULVIA, Matrona Romana, quæ Hebræorum Religione initiata, purpuram & aurum Catechiſtarum ſuorum fidei commendavit, ad Templum Hieroſolymitanum deferenda. Sed iſtis dolo malo omnia in privatum commodum convertentibus, re ad Imperatorem Tiberium delata, continuò Judæi omnes Imperatoris edicto Roma exularunt. *Antiq. l.* 18. *c.* 5.

(FUNDA. Stupeum inſtrumentum ejaculandis vi lapidibus aptum. Fundæ authores cenſentur Phœnices (d) vel Baleares (e), quorum hodie ſedes patriæ appellantur Inſulæ Majorica & Minorea. Fundæ olim plurimus erat uſus apud Hebræos; valebant autem præ ceteris Beniamitæ, quorum tanta in ejaculandis ad ſcopum ſaxis peritia, ut vel crinem petiiſſent *Judic.* 20. 16. Exaggeratum in ea re non nihil cenſentimus; demonſtrat tamen ſingularem gentis ea in re dexteritatem. Scitum eſt, quantam ſibi nominis gloriam pepererit David, cum terrorem Iſraelis Gigantem Goliath uno fundæ ictu dejecit 1. *Reg.* 17. Notat Scriptura 1. Par. 12. 2. Davidem in Siceleg verſantem conveniſſe virorum manum, funda ita valentium, ut manu ſiniſtra perinde ac dextera commodè in eam rem uterentur. Inter arma, quæ in armamentariis ſuis plurima collegit Ozias Rex Juda, potiſſimum tenebant locum arcus, & fundæ ejaculandis lapidibus 2. Par. 26. 14.)

FUNERA. Vide *Mors*.

(FUNES.

(a) Vide Litgfoot. Horæ Hebr. in Matth. Scalig. &c.
(b) Simon. Addit. vel Supplem. ad Leonem Moden. pag. 224.
(c) Athan. in Gent. l. 2. ad Maxim. t. Cyrill. Hier. Catech. 10. Vitæ PP. l. 2. c. 7. Hieron. in Iſai. 19. 1. Sozom. l. 5. c. 21. (d) Plin. lib. 7. cap. 56.
(e) Veget. de re milit. lib. 4.

(FUNES, Funibus accingere renes, vel præcingere ſe utcumque, argumentum erat animi dimiſſè de ſe ſentientis, ac dolentis. Job. 12. 18. *Balteum Regum diſſolvit*, (Deus) *& præcingit fune Reges eorum*. Familiares Benadad Regis Syriæ coram Rege Iſrael ſteterunt ſeſe 3. *Reg.* 20. 31. 32. *Accincti ſaccis lumbos ſuos, & funiculos habentes in capitibus ſuis*, quò ſciſcitet ad clementiam & miſerationem in Benadad Achabum flecterent. Iſaias 3. 24. minitatur filiis Sion, commutaturas illas: *Zonam in funiculum*.

Funiculus valet etiam pro bonorum portione. Pſal. 104. 11. *Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis veſtræ*. Ezech. 47. 13. *Joſeph duplicem funiculum habet*, i. e. duplicem portionem. Porrò terra menſurabatur funiculo; certamque funiculorum ſeu jugerum menſuram ſingulis Tribubus aſſignavit Joſue. *Funes ceciderunt mihi in præclaris Pſal.* 15. 6.; mihi ſors tulit eximiam regionem.

Funes Inferni circumdederunt me 2. *Reg.* 22. 6. vel uti legit Hebræus: *Rudentia Inferni*, ſepulcri. Spectantur hiſce inſtitæ, quibus obvolvebantur cadavera, quæ pariter alibi appellatæ ſunt: *vincula mortis*. Septuaginta pro *Rudentia Inferni* in Pſal. 17. 6. reddiderunt: *Dolore mortis*. S. Petrus Epiſt. 2. 4. perhibet rapuiſſe Deum in Tartara Angelos perduelles, *rudentibus Inferni*, quibus exprimit funes retortos validoſque, nulla vi confringendos.

Funes peccatorum circumplexi ſunt me Pſal. 118. 61. ideſt laquei, qui capiendis imbecillibus & innocentibus parantur. *Funes peccatorum*, de quibus Sapiens, Proverb. 5. 22. ſunt criminum appendices, & in malum habitudines; nunquam à pœna immune eſt crimen, ſive in hoc Mundo ſive in alio, ac perverſæ illæ, quæ aſſuetudine peccati contrahuntur, habitudines perinde ſunt, ac vincula ſat firma, quæ confringi vix poſſint.

Singularem Babyloniorum morem his verbis ponit ſub oculis Baruc 6. 41. 43. *Mulieres circumdatæ funibus in viis ſedent, ſuccendentes oſſa olivarum. Cùm autem aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte dormierit cum eo, proximæ ſuæ exprobrat, quòd ea non ſit digna habita, ſicut ipſa, neque funis ejus diruptus ſit*. His verbis proluſum eſt ad eam cæremoniam, de qua Herodotus lib. 1. cap. 199. Fœminis, inquit ille, Babylonicis ſolemne eſt, ut ſemel in vita ſeſe proſtituant in honorem Melitæ, ſtant igitur juxta Templum Deæ capiti habentes funem circumvolutum devotionis ſuæ inſigne. Altera ab altera ſegregatur tranſverſo fune. Intra ſepta ſeſe inſinuantes advenæ, quancumque maluerint, ducunt, franguntque funes caput ambientes.

Tendere funiculum ſuper urbem, eſt funditùs evertere & cum terra æquare. Threnorum 2. 8. *Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion; tetendit funiculum ſuum, & non avertit manum ſuam à perditione*.

Funes etiam, quibus firmabantur tentoria, ſuas pariter ſuppeditabant metaphoras. Iſaias 33. 20. *Ecce non auferentur clavi Sion in ſempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur*; & ℣. 23. *Laxati ſunt funiculi tui, & non prævalebunt*. Jeremias 10. 20. *Tabernaculum meum vaſtatum eſt, funiculi mei diſrupti ſunt*.

FURES. Furtum damnat Lex, Exodi 20. 15. *Non furtum facies*; ſed nullam indicit pœnam, niſi variam pro delicto multam. Sed de ingenuo homine furtum vel de Hebræo, extremo ſupplicio punitur. *Qui furatus fuerit hominem, convictus noxæ morte moriatur*. Exod. 21. 16. Negant Judæi plagium hominis peregrini crimen eſſe morte expiandum; ſed capitali ſupplicio par tantùm cenſent furtum de Hebræo ingenuo; cæteros ſiquis furetur facta reſtitutione, ſalva ſunt illi omnia. Repetunt diſcrimen illud ex addita Legi in Deuteronomio 24. 7. limitatione: *Si furatus fuerit hominem de filiis Iſrael*; quod tamen poſtremum neglexerunt Septuaginta & Onkelos in Textu Exodi 21. 16. Athenienſium leges ſupplicio par cenſebant *Plagium*, ſeu furtum ingenui hominis (a); utrumque, ementem ſcilicet ac vendentem, niſi imprudentibus id obrepſiſſet, extremo ſupplicio pariter damnabant Romanorum leges *Digeſt. t.* 15. 24.

Qui ſibi alienam bovem furto uſurpaverit, quintuplo reſtituat; qui bovem vel capellam, quatuor vel oves vel capellas reddat. Ita cautum Exodi 22. 1. Quòd ſeveriori lege puniretur bovis furtum, quàm cætera his ſimilia, inde factum creditur, quia bos majoris eſſet, præ cæteris, utilitatis. Legi huic paulò infra temperamentum quoddam addit Legiſlator ℣. 4. ſtatuens: *Si inventum fuerit apud eum quod furatus eſt, vivens, ſive bos, ſive aſinus, ſive ovis duplum reſtituet*; vel juxta Hebræum: *Si inventum fuerit in manibus ejus quod furatus eſt, duo viventia reſtituet*, pro uno ſcilicet quod per injuriam uſurpavit.

Fur nocturnus in flagranti deprehenſus impunè necaretur: id tamen de fure diurno negatum eſt. *Exodi* 22. 2. Præſumitur nimirum ille, qui ſuffodere murum vel furto ſubripere aliquid noctu audet, agitare etiam conſilium injuriæ in vitam proximi ſui inferendæ; nulla tamen de fure diurno juſta in eam rem ſuſpicio. Siquid audeat, in promptu eſt defenſio; ſi furto quid rapiat, repetundarum reus agitur in judicio.

Si reſtituendo, quod ſurripuerit, impar ſit fur, in Lege ſancitum eſt Exodi 22. 3. *Si non habuerit quod pro furto reddat, ipſe venundabitur*. Filii etiam furis vendebantur, ſi pater tenuior fuiſſet, quàm ut ex integro reſtitueret. Habes luculentum ejus moris documentum 4. Reg. 4. 1. Mulier quædam Eliſeo expoſuit conjugem ſuum, virum ſanè pium & Prophetarum diſcipulum, obiiſſe; creditorem verò defuncti mox venturum, ut raperet in ſervitutem ambos ejus filios. Opem poſtulanti promptus accurrit Propheta, olei parum, quod ſervabat illa in domo, tanto augens incremento, ut æri alieno ſolvendo par eſſet. In Evangelio Matth. 18. 25. obæratus quidam, 1000. talentis ſolvendis impar, in ſervitutem unà cum uxore ac filiis raptus eſt, ut creditori ſatisfaceret.

Furti ream convictam fœminam in ſervitutem vendi fas eſſe negant Rabbini; negant inſuper vendi unquam furem, niſi rei ſublatæ pretium ejuſdem furis pretium excederet; ſi 20. aureis æſtimaretur, pro furto 10. aureorum libertate non multabatur. Ita autem venditus fur in ſervitute coactus perſeverabat, quoadusque creditori ex æquo non ſatisfieret. Hæc Rabbini. Ad reſtitutionem dupli, tripli, vel quadrupli quod attinet, nunquam hæc mandabantur exequutioni, niſi poſt redditam ſonti libertatem.

Sed nunquid fur præter damni reparationem pœnas de crimine aliquas luebat in corpore? Sunt qui credant, interdum ſupplicio damnatos fures, quòd ita Laban affatus ſit, Geneſ. 31. 32. *Quòd autem furti me arguis, apud quemcumque inveneris Deos tuos, necetur coram fratribus noſtris*. Autumat Eſtius fures ſolvendo impares flagris damnari, vel etiam ſuſpendio, ſi de pluribus rei tenerentur. At ſimplex furtum vel extremo, vel alio quocunque ſupplicio punitum fuiſſe apud Judæos vix credo. Nullam capitalem furto ſententiam dicit lex niſi *Plagio*.

Salomon in Proverbiis 29. 24. *Qui cum fure participat, odit animam ſuam*; in peſſimis enim aſſueſcit; non ideo ſcilicèt quod furto aſſueſcens reum ſe capitalis ſupplicii conſtituat, ſed ideo, quòd in rerum quibuſdam eventibus furtum par eſſet extremo ſupplicio. Accedit inſuper, fures præſto eſſe ad perjuria, cujus criminis genus erat capitale. *Adjurantem audit, & non judicat*, proſequitur Salomon; & Moyſes Levit. 5. 1. *Si peccaverit anima tua, & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit, aut conſcius eſt, niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam*; perjurium eluet ſanguine; quod ſcilicet id in ſe provocaverit ultionis, reus prophanati Divini nominis. Vide etiam Prov. 30. 8. *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi*, ne egeſtate compellar ad furtum, & pejerem nomen Dei mei.

Sin-

(a) Xenoph. lib. 1. Comment.

Singularia infamiæ probro damnatos fuiſſe ſimplicis furti reos apud Hebræos, vix credo. *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit; furatur enim, ut eſurientem impleat animam*, ait Sapiens Prov. 6. 30. vel juxta Hebræum: *Non pertinent furem, cum furatus fuerit ad implendum animam ſuam*. Nulla peculiari animadverſione illum punit Lex, nulla probri vel infamiæ nota. Proſequitur Salomon: *Deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet*. Furti reus huic tantum diſcrimini ſeſe exponit.

Vitæ profeſſionem quandam conſtituebant vicinæ plures Judæis Gentes, ut in furando exercerentur. Iſaac peculiare hoc Eſau filio ſuo dedit Oraculum, victurum nempe illum in gladio, i. e. in prædationibus. Nec aliud vitæ genus elegit Iſmael filius Abrahami, quàm militiam, & prædationem; effectus eſt enim *ferus homo Gen.* 16. 12. *& juvenis ſagittarius*; *Gen.* 21. 20. bello ſeſe exercuit in finitimas quaſque gentes: *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum*. Nati ex Iſmaele poſteri paternum exemplum imitari, à prædatione in regiis itineribus exercenda, nulla religione retrahuntur (a); quin & vitæ genus illud decori ſibi & gloriæ ducunt. Cæterùm rebus contenti, homines, ſi ſponte omnia dimiſerint, ne coactos quidem deſilire ab equis, liberos dimittunt. Cùm venientem quempiam proſpexerint, capitis integumentum, (buſmani appellant) ſuper humeros pendens ad oculos uſque demittunt, ne agnoſcantur, arreptaque lancea laxatis frænis feruntur in miſeros; ſtatimque vernaculo ſermone denunciat: *Expolia te, maledicte, amita tua nada venit ta mundùm*.

His verbis deſignant uxorem ſuam, quam alioqui nomine ipſo exprimere probroſum eſſet juxta receptos apud illos mores. Appellant autem illam amitam ejus, cui inferunt injuriam, in ea rerum hypotheſi, quòd omnes ſcilicet homines affines ſunt inter ſe. Lanceam interim offerunt pectori, donec, quæ per injuriam poſcunt, obtineant.

Permittunt itineranti illi interdum femoralia vel induſium, cùm ſcilicet veſtes promptè demittens, rogat ne ſaltem nudus relinquatur; permittunt etiam equum, neque enim, eorum uſibus ſervit, eoque indicio facilè agnoſcerentur; phaleras tamen, ſi quas habet, rapiunt ſubſtituuntque ſuas viliores. Si miſer ille injuriam propulſaturus aggreſſores vel armis prohibere tentaverit, vel cruentaverit vulnere, tunc extrema omnia illum manent; & ſi ultioni exigendæ de adverſario impares ſint prædones illi, obvios quoſcunque miſerè trucidant. Ita boroſcopus Iſmaelis patris Iſmaelitarum vel Arabum pleno omine impletus eſt.

Meminit ſæpè Scriptura turmarum *latrunculorum Moab*, *Syriæ*, *Chaldææ*, *filiorum Ammon*, & populorum id generis, undique prædationibus diſcurrentium, ubi rem illi impunè ceſſuram intelligebant. Ejuſmodi prædonum manui dux Jephte, deinde in Principem populi Dei aſſumptus eſt *Judic.* 11. 3.; nec David cum electa ſibi manu parum fuit negocii cum prædonibus illis Palæſtinæ vicinia tenentibus 2. *Reg.* 3. 22. Genus id hominum diripuit Siceleg; ſed ultiom à Davide ſubmiſſus eſt, cùm ab expeditione, in quam eunte Achim Regem Geth comitatus fuerat, rediit ad propria 1. *Reg.* 30. 8. 23. Inter domeſticos habebat Isboſeth filius Saul geminos latronum principes, à quibus dormiens ipſe capite obtruncatus eſt 2. *Reg.* 4. 2. Razon è Duce latronum in Regem Damaſci translatus eſt 3. *Reg.* 11. 23. 24. Tres illæ Chaldæorum turmæ camelos Job rapientes prædonibus illis meritò accenſentur *Job* 1. 17.

Furtum apud eas gentes ea probri nota, qua apud nos, nulla inurebatur; quod utique non heroico tantùm ſæculo peculiare fuit, ſed & poſteriori ævo apud Græcos. Si quis furandi gratia aliò ſe contuliſſet, ultrò id profitebatur; ex Homero ſat intelligimus perinde glorioſum ſibi duxiſſe homines, ſi in furto res proſperè ſucceſſit, ac ſi juſtam ſibi peperiſſent victoriam. Venientes in Provinciam, vel in Inſulam aliquam pacato animo interrogabantur, num ad furandum, vel quid aliud præſtandum veniſſent. Majores noſtri, ait Joſephus contr. Appion. l. 1. contenti regione ſua fertili & optima commercia neglexerunt culta à Phœnicibus, latera Mediterranei tenentibus, ſicut & locorum excurſiones, & militiam ad nova ſibi acquirenda: *Sed neque ad latrocinia*, ait, *ſeſe applicarunt, ſicut alii quidam*. Deſignat facilè Arabes & Græcos etiam veteres; ſed, proſequitur, *ipſi nos hanc regionem bonam incolentes, hanc cum labore exercemus; maximè vero omnium liberis educandis ſtudentes & legum cuſtodia*).

FURTUM. Furti crimen apud Hebræos capitale non erat: *Non grandis eſt culpa cum quis furatus fuerit; furatur enim, ut eſurientem impleat animam: Deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet*. Prov. 6. 30. 31. Furem nocturnum necare ex Legis præſcripto fas erat *Exod.* 22. 2., quippe qui non tam rebus, quam vitæ inſidias moliri cenſeretur. Fur verò tantùm dupli pœnæ ſubdebatur, *Exod.* 22. 4., bovem autem ſubripiens quintuplo damnabatur, ovis quadruplo (b). Si tamen apud furem incolume pecus ſervaretur, dupli tantùm pœna infligebatur. Reddere furtum detrectantis rebus omnibus manus injiciebantur; quæ ſi furto ſolvendo impares fuiſſent, furem ipſum in ſervitutem vendere fas erat, *Exod.* 22. 3. In ſententia Proverbiorum antea laudata fur ſeptupli multa damnandus dicitur; ſed hujus vocis *ſeptuplum* eadem vis eſt, ac *in exceſſum damnandus*. Zacchæus quadrupli reſtitutione, ſi quid fraudis in Telonio commiſiſſet, ſeſe mulctavit, *Luc.* 19. 8. eadem enim multa publicæ pecuniæ expilatores in Legibus civilibus damnantur.

Fur ad Judicem delatus, & ſub obteſtatione Divini nominis, ut vera proderet, requiſitus, ſi pervicaciter factum denegaſſet, quod tamen teſtibus deinde probaretur, capite, non furti quidem, ſed perjurii crimine damnabatur. Eadem, pari proportione, pœna fur, & furem in judicio celans multabantur: *Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit, aut conſcius eſt: niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam*. *Levit.* 5. 1. nempè ultimo ſupplicio damnabitur. Et Salomon *Prov.* 29. 24. *qui cum fure participat, odit animam ſuam; adjurantem audit, & non indicat*.

FUSTIS: *fuſtigatio*. Supplicii genus apud Græcos, & Romanos frequens, nec Judæis incognitum. Eleazarus ſenex religioſiſſimus fuſtibus contuſus, extremum ſpiritum agens, plorantſque cruciatuum ſuorum teſtem Deum vocavit 2. *Mach.* 6. 30. 31. Porrò ſupplicium illud *tympanariam* appellabatur; ut enim virgis tympana, ita reorum corpora bacillis tundebantur. Hinc S. Paulus, de Sanctis quibuſdam agens, *Hebr.* 11. 35. ait: *Alii diſtenti ſunt* (Græcè *tympanizati ſunt*) *ut meliorem invenirent reſurrectionem*.

Apud Orientales adhuc idem tormenti genus perſeverat. Reum enim pronum jacentem, ſublatiſque in aera pedibus, palo à militibus ſuſtentato appenſis, in pedum plantis, interdum etiam in dorſo & ſcapulis cædunt. Centenis plerumque, quandoque 500. ictibus damnant; quos tamen 300. cædunt, rarò vitam protogant.

G A

GAAL, filius Obed, quo ſuppetias Sichimitis adverſus Abimelech filium Gedeonis ferente, cives illi animo confirmati ex urbe egredi, & circumjacentem Regionem vaſtare cœperunt; quin & lætiſſimis conviviis inſtructis, inter potationes Abimelecho dira imprecabantur (c). Gaal cæteris fidentior; quis eſt, clamabat, Abimelech, cui Sichem tanta urbs ſubjicia-

(a) Mores Arabum per D. d'Arvieux c. 13. pag. 221. Gallicè. (b) Exod. 22. 1. & 2. Reg. 12. 6.
(c) Judic. 9. 26. &c. A. M. 2771. ante Ch. 1229. ante Ær. 1233.

ſiciatur? In hunc ſanè ego Dux Populi conſtitutus ultimum excidium inferrem. His ad Zebul Præfectum urbis, ab Abimelecho conſtitutum, delatis, Regem de omnibus monuit. Neç mora: Abimelech exercitum ad urbem duxit. Gaal etiam ex urbe cum exercitu egreſſus, primò ſe pro foribus continuit; utrum enim exercitus Abimelechi, an aliut quiſpiam veniret, ignorabat. Sed procedentem Regem agnoſcens, prælium cum illo ſtatim inivit: quo fractus, fuga ſalutem parare coactus eſt. Urbem tamen à Zebul excluſus ingredi nequiit: nec alia de ipſo Scriptura.

GAAS, mons in Regione Ephraim, ad meridiem Thamnat-ſare, loci ſepulchro Joſue celebris *Joſue* 24. 30. Sepulchrum illud propè *Thamnas* Euſebii ætate viſebatur, eodem authore.

GAAS, *torrens*, ſeu *vallis Gaas*, 2. *Reg*. 23. 30. & 1. *Par*. 32. forraſſe ad radicem montis Gaas ſita. Trans eam vallem erat *Haddai*, ſive *Hurai*.

GABAA, urbs Tribus Benjamin, pluribus Scripturæ teſtimoniis celebris (a), Saulis primi Judæorum Regis patria, dicta proindè *Gabaa Saulis*.

Nec civium ſceleribus minùt innoteſcit, violata potiſſimùm junioris illius Levitæ, qui Gabaam venerat, conjuge (b). Primò venientem illum ad urbem nemo excepit hoſpitio; quare tandiù in foro conſidere coactus fuit, donec à ſeniore quodam, qui fortè adfuit, invitaretur. *Judic*. 19. Vix à cœna ſurrexerant, cùm illico facto ad eam domum à civibus concurſu, elatis vocibus ſenem poſtularent, ut hoſpites produceret, quò ab ipſis cognoſcerentur. Hac illi voce crimen infandum celabant. Senex nequidquam conatus eſt imminentem in hoſpites turbinem avertere: cùm tamen eos pertinaces cerneret, virginem puellam filiam ſuam, & Levitæ uxorem illis ſe permiſſurum promiſit, ſi ab incepto abſtinerent. Eo loquente, Levita uxorem ſuam produxit, ut eorum licentiæ obſequeretur. Fœmina igitur tota nocte abuſi ſunt viri nequiſſimi, quæ deindè derelicta, cum domum regreſſa jam veſtibulum attigiſſet, exanimis extentis brachiis concidit.

Lugubri aſpectu Levita dolore concitatus, defunctæ cadaver aſino imponens, domum ſuam reduxit; quod deindè in duodecim fruſta conciſum, ſuum ſingulis Iſraeliticis Tribubus tranſmiſit. Coacto ad eam rem Iſraelitarum conſeſſu, viros Benjamin requiſierunt, ut ſceleſtiſſimos homines condigna pœna afficiendos permitterent. Verùm Benjamitæ non acquieſcere tantùm recuſarunt, ſed armis Gabaæ cives defendere aggreſſi ſunt; quare acre bellum in Iſraele exarſit, quod Tribui Benjamin extremo exitio fuit. *Judic*. 20. & 21.

(Collegerunt Benjamin exercitum 25000. virorum, additis inſuper 700. è civibus Gabaa enſem utraque manu tractantibus, & ejaculandis funda lapidibus adeò ſtrenuis, ut vel crinem petiiſſent. *Judic*. 20. 16. Validior erat exercitus Iſraelitarum 25000. coactæ ſunt copiæ ad Silo, ubi, & Arca Domini. Oraculum conſuluerunt de providendo ſibi Duce: *Reſpondit Dominus: Juda ſit dux veſter*.

Summo alterius diei mane filii Iſrael moventes locarunt ad Gabaa caſtra, & Urbem infeſtis armis aggreſſi ſunt; ſed Benjamitæ eruptione in illos facta 22000. occiderunt. Conſternati eo caſu Iſraelitæ noctem in fletibus coram Domino egerunt (Arca enim è Silo translata erat in caſtra ad Gabaa). Iterumque ab Oraculo quæſiverunt, num reparandum eſſet in filios Benjamin fratres ſuos certamen. Interrogantibus Dominus: *Aſcendite ad eos, & inite certamen*. Mane igitur in prælium inſtructi Gabaam propiùs acceſſerunt; iterumque erumpentes Benjamitæ tanto impetu proruerunt in illos, ut 18000. cæderent. Animis concidentes filii Iſrael conſtituerunt ſe coram Arca, aſſidenteſque ac plorantes jejunium prorogarunt ad veſperum: tum oblatis holocauſtis atque hoſtiis pacificis Deum iterum interrogarunt per Phinees Summum Sacerdotem, num iterum ferenda eſſent arma in filios Benjamin, vel temperandum ſe ab illis; & Deus: *Aſcendite, cras enim tradam eos in manus veſtras*.

Diviſi igitur tertiariam exercitus partem conſtituerunt in inſidiis retro poſt Urbem, ut inſinuantes ſe clam in illam, flammis omnia traderent, vacuam habitatoribus nacti; partim agmine 10000. virorum juſſerunt offerre ſe ante Urbem, oneratos interim clam mandatis, ut cum erumpere ex Urbe intelligerent hoſtes, ſenſim referrent pedem. Qui reſtabant, robur ſcilicet exercitus, occuluerunt ſe in loco nomine Baalthamar; non priùs prodituri, quàm cum Benjamitæ longiùs receſſiſſent ab Urbe, inſequentes agmen 10000. Iſraelitarum, quod fugam ſimulabat.

Res ſucceſſit pro voto; erumpentes enim patentibus portis, pro conſueto more, alacres Benjamitæ, graves inſtiterunt hoſtibus, (fugam ex condicto ſimulantibus) nulla cautione Urbi ſuæ providentes; quam nacti occaſionem retrò in inſidiis ſeſe continentes, irruerunt facilè in Urbem, totamque latè ſubmiſerunt incendio. Ad ſublatum incenſæ Urbis fumum verſo ore fugitivi, quorum latera ſuſciebant reliquus exercitus ex inſidiis ad Balthamar ſurgens, ſuperfuderunt ſe hoſtibus, paſſimque trucidarunt; verſi illi in fugam, cum repetere Urbem tentarent, circumfundi ſe hoſtibus ſenſerunt, qui poſt incenſam Urbem, in ipſos eruperant. Eo prælio ad 18000. Benjamitarum trucidati ſunt. Cùm autem è cæde reliqui paſſim per loca diſperderentur, variis caſibus hoſtili gladio abſorti ſunt, ſemel 500. & ſemel iterum 200. ita ea dies 25000. hominum nece cruentata eſt. Quibus in fuga obtigit ſalus, receperunt ſe ad petram Remmon. Secundùm hæc victores Iſraelitæ Urbem ingreſſi hoſtilem nemini pepercerunt, non hominibus, non brutis; iiſdemque cædibus & incendio ſævitum eſt in omnes Urbes & oppida ditionis Benjamin.

* Nulla movendi prælii cauſa æquior ſuccurrit, quàm quæ undecim Tribus impulit ad arma in Benjamitas reos criminis infandi, & enormis. Cùm ad Urbem Silo conveniſſent omnes, ubi Tabernaculum & Arca Domini, de eligendo Imperatore conſulturi, ab Oraculo reſponſum eſt: *Judas ſit dux veſter* (c), quod argumento fuit apertiſſimo probari à Domino expeditionem. Nihilo tamen ſecius undecim illæ Tribus collectæ in exercitum planè validum ignominioſa fuga bis cedere coactæ ſunt hoſtibus & numero & viribus, multo quam credi poteſt, inferioribus, cæſis è ſuis duplici prælio ad 40000. Stupemus utique ad prodigium: ſcimus enim alioqui alienum eſſe Deum ut crimini patrocinetur. Rei difficultatem ſentientes Interpretes expediunt ſe, quantum fieri poteſt, commodiùs. D. Calmet in ſuo Commentario ita philoſophatur;
„ Iſraelitæ Dominum conſulentes non interrogant primùm, num prælium illud in fratres ſuſcipiendum oraculo ſuo probet, atque confirmet.
„ Ipſi ſe cogunt in prælium, ipſi capiunt conſilium;
„ hinc ſiniſter expeditionis eventus. Addit, tunc utique animum admiratione detinendum fuiſſe, niſi
„ ſciremus æterni Numinis conſilia humanis multò
„ eſſe ſuperiora, & quæ nos æquiſſima judicamus,
„ ſæpè proſperitate eventus deſtitui: quò diſcat tandem homo ſuperbè non ſapere, viribus ſuis diffidere, & confidere unicè non in juſtitia ſua, non in
„ viribus brachii ſui, ſed in miſericordia & ope Numinis ad omnia valentis. Eximia ſunt utique Moralis hujus documenta; ſed cum agitur de oppreſſæ innocentiæ & ſanguinis per injuriam effuſi ultione; cum res eſt de exigenda, juſtiſſima utique, pœna de crimine maximè enormi, quid opus eſt Dominum tanquam in re dubia conſulere? Solemne quidem erat Iſraelitis nihil moliri inconſulto Domino, ſed tunc utique cum ambigendi locus eſſet aliquis (d). Ita in præſenti

(a) Joſue 18. 24. & 1. Eſd. 2. 26. & 2. Eſd. 7. 30. (b) Circa An. M. 2591. ante Ch. 1409. ante Ær. 1413.
(*) Animadverſiones in expeditionem undecim Tribuum in Benjamitas ad Gabaa. Judic. 20.
(c) Ibid. verſ. 18. (d) Vide Num. 9. 9. Judic. 18. 56. & 1. Reg. 14. 37. & 23. 2. 4. 9. & 30. 8. & 2. Reg. 2. 1. & 5. 19. 23. & 21. 1. & 4. Reg. 52. 13. 18. & 1. Par. 14. 10. 14. & 2. Par. 18. 4. 5.

præſenti rerum circumſtantia, cùm de eligendo Imperatore ageretur, deſignatio à Domino quæſita eſt, cui tanquam Principi à Domino electo cæteræ Tribus ſeſe ſubmitterent, neque imperandi ambitio alteram in alteram committeret. Ad hæc, nullius criminis reus illos accuſat Scriptura; & ſi quid commiſiſſent, verbis utique errantes caſtigaſſet Phinees Summus Sacerdos, exprobraſſetque, cùm illum rogarent, ut pro ſe Dominum conſuleret. Nihil utique moliti fuerant adverſus Benjamitas fratres ſuos, quod non æquitas & jus gentium efflagitaret. Per Legatos popoſcerant remitti ſibi in manibus immanis criminis reos puniendos; recuſantes illos, vi cogere viſum eſt, indicto bello. Convenerunt in certum locum omnes; conſulunt Dominum, ut Imperatorem deſignet: eligitur; nonne hæc perinde valent, ac ſi patrocinium Dei implorarent, demonſtrarentque non alio ſe conſilio arma capere, quàm injuriæ in honorem Numinis illatæ ulciſcendæ, puniendiſque authoribus & aſſertoribus criminis enormiſſimi? Pro eo tamen ut victoriam reportarent, turpiſſimè cæduntur: iterum illi ad Deum; jubentur inſtaurare certamen: vincuntur iterum. An Deus fidentes in ſe fallit? Minimè omnium. Mihi quidem id ſuccurrit, quod & Scriptori doctiſſimo; judicia Dei multo humana ſuperare, & vias ejus incomprehenſibiles eſſe. Sed modò ad factum.

Poſtquam Dominus Judæ exercitum filiorum Iſrael commiſiſſet, ſtatim filii Iſrael: *Surgentes mane caſtrametati ſunt juxta Gabaa, & inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, Urbem oppugnare cœperunt Judic.* 20. 19. 20. Non invitus crediderim corona Urbem cinxiſſe, quò nulla pars vacaret ab inſultibus, ſcalis undique & operibus illam urgentes. Hæc enim in obſidionibus diſciplina militaris obtinebat apud Iſraelitas, ut hoſtilem Urbem circumvallarent, diſpoſitis circum copiis, ductoque duplici aggere, tam adverſùs erumpentes à fronte hoſtes, quam retrò poſt terga aggredientes, ſiquid eſſet de illis metus, munimentum. Gabaonitæ, quantum è re præſenti intelligimus, oblata occaſione proficientes, generatim omnes patentibus Urbis portis eruperunt in hoſtes, è re ſua eſſe rati, ſi cum parte tantùm hoſtilium copiarum congrederentur. Quare adverſùs Iſraelitici agminis portionem impetum facientes, nullo negocio fuderunt, cæcideruntque paſſim fugientes uſque ad 22000.

Poſt primam illam fugam Iſraelitæ receperunt ſeſe in caſtra. *Rurſum* verò, proſequitur Sacer Hiſtoricus ℣. 22. *Filii Iſrael & fortitudine, & numero confidentes, in eodem loco, in quo priùs certaverant, aciem direxerunt.* Niſi proximè ante hæc verba legeremus in Textu, Iſraelitas illos demiſſo animo & vultu coram Deo ſupplices imploraſſe ejus miſericordiam, jure meritoque reputaſſent Interpretes, idcirco Deum nova cæde animadvertiſſe in viros, quòd plus nimio de numero copiarum ac virium ſuarum præſumerent. Nunc verò contraria omnia: Supplices & amaro corde ploratum venerunt coram Domino, conſultaturi, num inſtaurandum eſſet in filios Benjamin fratres ſuos bellum. *Quibus* Dominus *reſpondit: Aſcendite ad eos, & inite certamen.* Nonne is habitus eſt hominum de ſe diffidentium, profitentiumque nihil ſe valere, quanquam numero hominum præſtarent plurimùm, niſi Omnipotentis manu regerentur roborarenturque? Nequidquam tamen hiſce factum eſt, ut vincerent; cadentes enim prælio ad 18000. trucidati ſunt.

Repetito malo conſternati Iſraelitæ verſi ſunt iterum in præceps, convenienteſque in Tabernaculum in luctu ac jejunio diem egerunt, nec hoſtiis pacificis, nec holocauſtis omiſſis; atque adhibito Phinees Summo Sacerdote, quæſierunt iterum ab oraculo, num expeditio deſerenda & arma ponenda eſſent. Preces eorum benignis tandem auribus auſcultans Deus, pronunciavit: *Aſcendite; cras enim tradam eos in manus veſtras.*

Poſuerunt igitur *filii Iſrael inſidias per circuitum Urbis Gabaa.* Militare hoc ſtratagema in eam me perſuaſionem induceret, coronali aggreſſione Urbem minimè tentatam fuiſſe; vel fortè in ſupremo hoc diſcrimine vires omnes in unum collegerunt Hebræi, veluti rem infectam deſtituere ſimulantes, quo ſcilicet aſtu decepti Benjamitæ caperentur facilius. Quare triſariam diviſi exercitus pars in inſidiis retro poſt Urbem conſtituta eſt, juſſa in Urbem irrumpere, ſtatim ac vacuam incolis ad urgendos hoſtes erumpentibus intelligerent, latè omnia traderent incendio. Agmen alterum 10000. proceſſit in hoſtem, ut longiùs illum protraheret ab Urbe. Rati itaque Benjamitæ agmen illud, quod videbant in conſpectu, ideo proceſſiſſe, ut reliquum exercitus pedem ab obſidione referentem tegeret, totum belli pondus in illos verterunt. Territi in ſpeciem Iſraelitæ ſenſim recedebant, id intendentes, ut Benjamitas in agrum patentem pertraherent; relicto interim ſpatio, ut qui erant in inſidiis retrò poſt Urbem, vacuam illam occuparent, atque incenſæ Urbis flammæ elevarentur. Eo dato ſigno ſubſtitit agmen decem millium, vertitque in urgentes hoſtes arma. Cùm prælium eſſet initum, qui latebant in inſidiis ad Baalthamar in prælium inſtructi proceſſerunt, opem laturi ſuis, ac perniciem in hoſtes, qui cùm undique Iſraeliticis cingerentur armis, miſeranda cæde interierunt: *Percuſſitque eos Dominus in conſpectu filiorum Iſrael, & interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia & centum viros, omnes bellatores & educentes gladium.*)

Porrò hæc contigiſſe narrantur, quo tempore Iſraelitæ nullis ſubjecti Regibus, ſinguli ex ſententia regebantur.

Duabus fermè leucis ea urbs à Jeruſalem, ſeptentrionem verſùs, non longè à Gabaone, & Cariat-jarim aberat (a). S. Hieronymi ætate funditus everſa erat (b). Hanc Joſephus de Bello l. 3. c. 2. 30. ſtadiis, S. Hieronymus *Oſee* 5. 7. milliar. à Jeruſalem removent. Eandem credo ac Gabaat. *Joſue* 18 28.

GABA, urbs, ad Carmeli montis radicem; Ptolemaidem inter, & Cæſaream, quam *urbem Equitum* appellatam fuiſſe tradit Joſephus, quòd in eam emeritos equites Herodes reduxerit de Bello l. 2. c. 19. Relandus eandem credit cum Caipha, ſivè Hepha ad radicem Carmeli è regione urbis, & portus Ptolemaidis. Urbs *Gabe* in Galilæa ſita eſt apud Stephanum Geographum. Parva etiam urbs *Gaba*, ſivè *Gabe* ab Euſebio 16. mill. à Cæſarea Palæſtinæ, magnum Campum Legionis verſùs, ſtatuitur; quæ ſi eadem eſt cum urbe à Joſepho, & Stephano deſcripta, in regione Meridionali Carmeli ſitam eſſe oportuit: quare inter urbes Galilææ nulla ratione potuit recenſeri.

GABAA, Hebraicè ſonat collem; hinc in regione Judææ, montibus adeò impedita nil mirum, ſi plures ejuſdem nominis, uti Gabaah, Gabaon, Gabbathon, Gabbar, Gabbata, Gabe, plura nomina ejuſdem ſenſùs, occurrant. Nec rarò in Scriptura nomina propria Gabaa, redduntur Colles: *Revertetur omnis terra de colle* (Hebr. de Gabaa) *Remmon ad auſtrum Jeruſalem.* Zach. 14. 10. Interdum verò, qui collis eſt, Gabaa appellatur; ſic *Gabaa* 2. *Reg.* 7. 1. collis eſt Cariat-jarim.

GABAAT PHINEES, urbs in montibus Ephraim, quæ Phinees filio Eleazari ceſſit, ubi & Summi Sacerdotis Eleazari ſepulchrum. *Joſ.* 24. *ult.*

GABATHA, locus in Regione Meridionali Judæ, 12. milliar. ab Eleutheropoli, ubi olim ſepulchrum Prophetæ Abacuc viſebatur (c).

GABAON, Metropolis Gabaonitarum, qui Religionis ſpecie Joſue, & ſeniores Iſraelis deceperunt, è longinqua regione venire ſe ſimulantes, ut fœdus cum Populo Dei inirent (d). Cùm igitur Joſue, Deo inconſulto, affirmantibus crediſſet, fœdus cum illis temerè ſancivit; cujus mox facti, re intellecta, pœnituit.

(a) Hieron. in Oſee 5. (b) In Epitaph. Paulæ, & in Sophon. 1. (c) Euſeb. & Hier. in Gabaat.
(d) Joſ. 9. 3. an M. 2553. ante Ch. 1447. ante Ær. 1451.

nivit. Quare accitis coram ſe Gabaonitis, fraudem gravioribus verbis exprobrarunt; quæ tamen ſacramento polliciti fuerant, rata habentes, iis tantum, veluti mancipiis in bello captis, aquam, & ligna ad Tabernaculum Domini deferendi onus impoſuere; quo in ſervitii genere ad ultimum Iſraelis excidium permanſerunt.

Triduo poſt, Reges Chananæorum, defectione Gabaonitarum ad Hebræos offenſi, eorum urbem obſedere, *Joſue* 10. 3. *&c.* Gabaonitæ quinque Regum viribus (nimirùm Adoniſedech Regis Jeruſalem, Oham Regis Hebron, Pharan Regis Jerimoth, Japhiæ Regis Lachis, & Dabir Regis Eglon) impares ſe rati, ſuppetias à Joſue petierunt. Ille cum ſelectiſſimis copiis nocturno itinere profectus, manè hoſtes offendens, prælium iniit; fugatoſque uſque ad deſcenſum Bethoron inſequutus eſt. Hic Deus lapidum grandine in fugientes pluit, qua permulti oppreſſi ſunt. Veritus autem Joſue, ne imminens nox meliorem victoriæ partem præriperet, Deum exoravit, ut Solis, & Lunæ curſum tantiſper moraretur: *Sol ne movearis contrà Gabaon, & Luna contra vallem Ajalon.* Oranti Deus, Deo Sol, & Luna paruere, ut tam prolixa dies nunquam contigerit. Ejus favore Joſue, & Iſraelitæ plenam de hoſte victoriam retulere.

Quinque Reges capti, & in ſpecu incluſi, tamdiù in eo ſervati ſunt, quamdiù Joſue ab inſequendo hoſte regrederetur. Deinde ejus juſſu adducti, omnes occiſi ſunt, defunctaque corpora crucibus uſque ad veſperum affixa. Quæſtiones, quæ de hoc Joſue prodigio agitantur, in diſſertatione de hoc argumento ante Commentar. in Joſue commodè examinavimus, ad quam Lectores remittimus.

Gabaonitæ ab Hevæis, veteribus mediis Regionis, genus ducebant; eorumque in ditione quatuor occurrebant urbes, Caphira, Beroth, Cariat-jarim, & Gabaon omnium Metropolis; quæ demum Tribui Benjamin ceſſerunt, præter Cariat-jarim, quæ Tribui Juda obtigit. Quamquam autem Gabaonitæ perpetuo in obſequiis Iſraelitarum permanſere, injunctum ſibi à Joſue onus præſtantes, Saul tamen, magna in illos cæde ſævit 2. *Reg.* 21. 1. *&c.* præpoſtero ſanè, ut quidem videtur, Chananæorum reliquias delendi zelo ductus. Regis impium ac crudele factum Deus, immiſſa ſub Davide in Judæam triennali fame, quæ totam vaſtavit, ultus eſt (a).

David pereuntis populi miſericordia motus, Deum precibus exoravit; cùmque ore Prophetarum reſpondentem audiſſet oportere, ut Saulis in Gabaonitas injuriæ, contra ſancitum cum illis populis per Joſue fœdus, expiarentur, Gabaonitas quid ſatisfactionis exigerent, requiſivit. Petentibus illis ſeptem Saulis filios occidendos ſibi permitteret, ut ſanguis ſanguine rependeretur, David acquievit, duobus filiis Saulis ex Reſpha, & quinque filiis Hadrielis & Merob filiæ Saulis traditis. Gabaonitæ omnes eos in crucem coram Domino egerunt: quâ occaſione Reſpha Saulis concubina inſigne maternæ pietatis ſpecimen exhibens, nunquam à loco ſupplicii abſuit, toto eo ſpatio, quod ab ineunte hordei meſſe in Palæſtina (nempè vere ſubeunte) uſquequò dilapſis imbribus terra iterum fœcundaretur, interceſſit.

Indè nuſpiam Gabaonitarum, veluti populi peculiaris, meminit Scriptura; ſed *Nathinæorum*, ſive *donatorum* nomine ſignificatos credimus, 1. *Par.* 9. 2. cùm mancipia eſſent publica, Templi ſervitiis deſtinata. Succeſſu temporis in Gabaonitarum cenſum & miniſterium cæteri omnes Chananæi deputati ſunt, quibus ſubactis vitam ſervare viſum eſt. Ex illis magno numero Domini ſervitio addictos fuiſſe ſub Davide, Salomone, cæteriſque Regibus Juda legimus (b); ac in ſervitutem una cum Tribu Juda & Levitis adducti, quamplures cum Eſdra, Zorobabele, & Nehemia rediere, eadem Templi munera ſub Sacerdotum & Levitarum obſequio præſtantes (c).

Gabaon, ut ipſo ſatis nomine indicat, colli inſidebat, 40. ſtadiis, nempè duobus circiter leucis à Jeruſalem, ſeptentrionem verſus (d). Aliquando *Gabaa* appellatur (e); mutatis tantiſper literis, ſed eodem ſenſu. Scriptura nonnunquam fontis & piſcinæ Gabaæ meminit (f), ad radicem collis, ubi quidem videtur, ejuſdem urbis.

Labentibus Davidis annis, & Salomonis Regno ineunte, 1. *Par.* 21. 29. 30. Tabernaculum & Altare holocauſtorum, olim à Moyſe conflatum, Gabaone viſebantur; ignotum quo tempore, quave occaſione, & cujus opera tranſlata. David aſpectu Angeli Dei ad aream Ornan viſi, adeò territus fuit, ut Gabaonam uſque ſacrificiis offerendis pergere non ſuſtinuerit. Salomon verò, inito Regno, illuc ſacrificium offerendi ſe contulit; 3. *Reg.* 3. 4., locus enim ille religioſiſſimus habebatur omnium, ubi ſacrificia, defectu Templi nondum conſtructi, permittebantur.

GABARA, ſivè *Gabaroth*, urbs Galilææ, de qua, tanquam inter florentiſſimas ejus Provinciæ urbes, frequenter Joſephus, cùm de Vita ſua, tum in Libris de Bello. Quadraginta ſtadiis à Jotapata aberat (g). In Textu Joſephi, interdum Amanuenſium incuria pro *Gabara*, *Gadaram* irrepſiſſe Relandus animadvertit.

GABATHON, ſivè *Gebethon*, urbs Danitica, Levitis conceſſa. *Joſue.* 21. 23.

GABBATHA. Locum fuiſſe in Palatio Pilati, ubi ille ſententiam in Jeſum pronunciavit, *Gabbatha*, Græcè *Lithoſtroton*, Latinè *ſtratum lapide* appellatum ex Evangelio ſcimus, *Jo.* 19. 13. Si ex nomine, quod elatum locum ſignificat, conjecturam capere licet, locus erat elevatus, ſolarium, porticus, feneſtra porrecta, lapidibus, vel marmore ſtrata.

GABE. Vide *Gaba*.

GABELUS, vir è Tribu Nephtali, qui in captivitatem ductus una cum Tobia ſenioris neceſſario ſuo, in Rages urbe Medorum ſedem fixerat (h). Mutuo autem à Tobia petiit argenti talenta decem, quæ 4867. libris, 17. ſolidis & 6. denariis reſpondent, talento Hebræo 4867. libris, & 9. denariis computato.

Succeſſu temporis, Tobias exitum ſibi vitæ imminere ratus, pecuniæ à Gabelo exigendæ Tobiam filium ſuum in Rages miſit. Sed Ecbatanis ſubſiſtere adoleſcens uxoris ducendæ gratia coactus, Angelum Raphaelem, quem ſub viri aſpectu, & ficto Azariæ nomine comitem itineris habuerat, ad Gabelum miſit. Angelus ſtatim & pecuniam, & Gabelum ipſum, ut nuptiis intereſſet, reduxit. Hanc pecuniam non mutuò quidem, ſed loco depoſiti Gabelo commiſſam fuiſſe in Textu Græco, & Hebræo Libri Tobiæ legimus.

GABER, filius Uri, Præfectus Galaaditidis, & Baſanitidis, ultra Jordanem, ſub Salomone 3. *Reg.* 4. 19.

GABIM. (i) *Migravit Medemena, habitatores Gabim confortamini.* Hujus loci ſitus latet. Sunt, qui hanc vocem non certo cuidam loco, ſed collibus ſignificandis poſitam autument, vertuntque: *Confugit Medemenam, habitatores collium.*

GABINIUS, cujus nominis licet plures in Hiſtoria Romana, nobis tamen de uno Aulo Gabinio in præſentiarum agendum eſt. Hic in exercitu Pompeji præfecturam agens, exigendæ ab Antigono pecuniæ jam Pompejo promiſſæ, ab eodem Duce legatus fuit (k). Re tamen infecta, cùm Antigonus promiſſis non ſtetiſſet, ad exercitum rediit. Pompejus ea injuria offenſus, ducto contra urbem exercitu, illam ac ſubinde Templum expugnavit; integrumque inter cap-

(a) An. M. 2983, ante Ch. 1017. ante Ær. 1021. (b) 1. Eſd. 8. 20. & 2. 58. & 3. Reg. 9. 20. 21.
(c) Vide 1. Eſd. 8. 17. & 27. & 2. Eſd. 3. 26. & 11. 21. (d) Joſeph. Antiq. l. 7. c. 11. Alibi tamen abeſſe dicit 50. ſtadiis à Jeruſalem; de Bel. l. 2. c. 37. (e) 2. Reg. 5. 25. collatus cum 1. Par. 14. 16. (f) 2. Reg. 2. 16. Jerem. 41. 12. Joſeph. de Bello, l. 2. c. 24. (g) Joſeph. de vita ſua. (h) Tob. 1. 16. 17. A. M. 3283. ante Chr. 717. ante Ær. 721. (i) Iſa. 10. 31.
(k) Antiq. l. 14. c. 6. &c. An. M. 3940. ante Chr. 60. ante Ær. 64.

Digitized by Google

captivos Antigonum, una cum filiis omnibus Romam tranſmiſit. Cum Alexander filius Ariſtobuli cuſtos fallens in Judæam rediiſſet, coactiſque copiis Provinciam turbaret (a), Gabinius tunc temporis Conſul, qui in Syriam loco Scauri venerat, exercitum contra illum ducens, prælio fregit, ipſo in arcem Alexandrium confugere coacto (b). Deindè Judæam totam percurrens, plures urbes, quæ bellorum præcedentium injurias ſenſerant, reſtituit, uti Samariam, Azotum, Scythopolim, Anthedonem, Apolloniam, Jamniam, Raphiam, Dorum, Mariſſam, Gazam, aliaſque nonnullas.

Interim Romanorum armis arx obſidebatur, quò & Gabinius poſt pacatam Provinciam venit. Quare Alexander in ultimas anguſtias redactus, conditiones pacis requiſivit; nec fruſtra; ſiquidem reſtitutis arcibus, quas occupaverat, dimiſſus eſt. Eas arces Gabinius evertit, hortante ipſius Alexandri matre, veritus, ne iis integris nova filio perduellionis anſa præberetur.

Tandem Gabinius reſtituto Hircano Hieroſolymis, ſummique Sacerdotii dignitate, Præfectos, & Judices ad populi regimen conſtituit; ex quo Monarchicum Judææ regimen in Ariſtocraticum deſiit. Tunc juridici conventus Hieroſolymis, Gadaris, ſive Doræ, Amathunte, Sephori, & Hierichunte conſtituti ſunt, ut in omnibus regionibus certis Judicibus decretis, populi à propriis ſedibus nimium divertere non cogerentur. Sunt qui Synedrii originem Gabinio referendam cenſeant (c).

Cum autem Gabinius Ariſtobulum, & filios Romam tranſmitteret, Epiſtolam & ad Senatum addidit, authore Joſepho Antiq. l.14. c.11. & de Bello l. 1. c. 6. ſignificans ſe fidem ſuam matri puerorum obſtrinxiſſe, quantocyus illos in Judæam remittendos. Ea ſcilicet data fidem inviolate ſervandam cenſuit; dimiſſique, retento Ariſtobulo, Alexander, & Antigonus ejus filii in Judæam reſtituti ſunt. Succedente tempore, Gabinius expeditionem in Parthos initurus, eorum ditionem, trajecto jam Euphrate, attigerat, precibus Ptolemæi Auletis Regis Ægypti inductus, arma in Ægyptum vertit, ut Alexandrinos coerceret, qui in Regem ſuum conjuraverant.

Cum in provinciam Craſſus veniſſet (d), Gabinius exauctoratus, Romam venit; ubi à Syris delatus, quod eorum populos duriùs habuiſſet, Ciceronem adverſarium nactus eſt; quippè qui Gabinium exilii ſui potiſſimum authorem ſuſpiciebat. Tanti igitur adverſarii eloquentia obrutus, quod exilii tantum ſententia damnaretur, probri loco duxit. Exul tamdiu manſit, quamdiu à Julio Cæſare revocaretur, indè in Syriam Tribunicia dignitate auctus rediit (e), multumque Phaſaelo, & Herodi favit; præſtitam ſibi ab Antipatro ſexdecim ante annos in Bello Judaico operam rependens.

GABISCH, *Lapis Gabiſch*. Vide infra v. (*Lapis fulminis*.)

GABRIEL, inter Summos Paradiſi Angelos, cujus nomen *vis Dei* ſonat. Ad Prophetam Danielem miſſus, myſteria viſionis aperuit, & hinc; nec non 70. hebdomadarum expoſuit (f). Adjecit etiam, ſe ſpatio 21. dierum cum Principe Perſarum decertaſſe; decertanti verò unum Michaelem Principem populi Hebræi ſuppetias tuliſſe, *Dan.* 10. 13. 21. Quis iſte fuerit Perſarum Princeps, adhuc latet: ſunt tamen, qui Angelum iſtius populi cuſtodem; ſunt, qui Regem Perſarum autument. Vide Comment.

Ferendo ad Zachariam nuncio de futuro Joannis Baptiſtæ ortu idem Angelus deſtinatus eſt (g). Cùm Zacharias dictis Angeli dubiam fidem præbere videretur, quippè cui uxor eſſet Eliſabeth, ætate effœta, Gabriel nomen ſuum revelavit, miſſumque ſe à Deo prodidit, ut ea nunciaret: verùm, ait, quòd meis dictis dubius hæſeris, loquela certo temporis ſpatio carebis.

Poſt ſex menſes (h), idem Angelus Mariam Virginem uxorem, ſive tantum juxta plures Interpretes, ſponſam Joſephi in Nazareth verſantem, convenit. Illam igitur poſt primas ſalutationes certiorem fecit, præ omnibus mulieribus bonis cumulatam eſſe, quòd Domini conſortio frueretur. Paventem ad ea verba Virginem Angelus confirmavit, nuncians mox ex ea filium oriturum, quem Jeſum nuncuparet; illum verò non illius tantùm, ſed Dei Altiſſimi etiam Filium futurum, cui ſit Davidis ſolium, & Regnum Jacob æternum maneret. Maria ampliſſimæ promiſſionis implendæ rationem quæſivit; cui Angelus Divino Spiritus Sancti illapſu obumbrandam ipſam eſſe reſpondit, ut Dei Filium pareret. Ut autem dictis ſuis fidem conciliaret, Eliſabetham eidem Virgini neceſſitudine conjunctam, effœtam fœminam, jam inde à ſex menſibus concepiſſe nunciavit. His auditis, Ecce, inquit Maria, Ancilla Domini; quæ loqueris, in me compleantur: quo accepto reſponſo, Angelus evanuit.

Eodem, uti quidem arbitramur, nuncio S. Joſephus, uxoris ſuæ dimiſſionem animo verſans, confirmatus eſt; eodemque ſuaſore in Ægyptum ſeceſſit, ut Herodis furorem, cædem infantium Bethlehemiticorum meditantis, evitaret; ac tandem, mortuo Herode, ejuſdem monitu Judæam repetiit. Docent Cabaliſtæ, S. Gabrielem Joſephi Patriarchæ fuiſſe Præceptorem.

(Iis quæ in Scripturâ traduntur de Archangelo Gabriele, plura innectunt Orientales (i). *Fidelem Spiritum* appellant Mahometani, ac per metaphoram Perſæ *Pavonem Cæli* vel Paradiſi. In ſecundo Alcorani capite legimus: *Quicunque adverſarium ſe præbet Gabrieli confundetur*. Aſſeriunt autem nobiſcum in iis, quæ de relato à Gabriele nuncio ad Virginem Mariam, futuram Jeſu Chriſti parentem, profitemur. Docent, Gabrielem cuſtodem eſſe ærarii cœleſtis, i. e. revelationum; traduntque Judæos nunquam non queſtos eſſe de Gabriele, opemque illum Michaelis impetraſſe, nec fruſtrà, rebus enim illorum ſemper faviſſe Michaelem. Fatentur, ſi Mahometus Michaelem voluiſſet, amoto Gabriele, nos illum utique ſecuti fuiſſemus. Tradunt ferunt à Gabriele Mahometo revelationes illas, quas ipſe palam expoſuit, eodem etiam efferente in Cœlum ſcandit Mahometus, adequitans Al Borak (jumentum eſt medium inter aſinum & mulum, quod adequitans Jeroſolymam cæleſtem advectus eſt). Tandem Gabriel amicus eſt Muſulmanorum; quòd fuerit in obſequium Meſſiæ, cui pariter obſequuntur Muſulmani; adverſarium verò ſe præbuiſſe dicunt Judæis, qui Meſſiam rejecerunt. Fabellis huic annectentes fabellas, narrant, Themuditas (vetus eſt Tribus Arabum penitus extincta) occultantes aures præbere faciles monitis Patriarchæ Saleh, appropinquantem ſibi intellexiſſe ſat proximum, i. e. intra triduum, interitum; quare triduum illud impenderunt eruendis foveis, quò ſe pendente in capite malo ſe ponerent in tuto. Quarta die animis confirmati ſunt, ratique elapſum tempus ultioni præſcriptum, pedem retulerunt ex ædibus ſuis. Tunc palam omnibus videndum ſe præbuit Archangelus Gabriel, pedibus terram calcans, capite Cœlum contingens; protendebat alas ab Oriente aduſque Occidentem; rubebat tanquam cum corallo inter horizon, coma. Territi ad monſtrum Themuditæ foveas aſylum ſuas repetierunt, ſed Gabriel tonans voce clamavit; Necè tradamini omnes, quos Deus maledixit damnavitque. Simul ad hæc concuſſa horribiliter ipſe terra, adeò omnes regiones corruerunt, ac Themuditæ ſubito ſepulti ruinis oppreſſi ſunt.)

GAD, Jacobi ex Zelpha, Liæ ancilla, filius, *Geneſ.* 30. 9. Cum enim Lia ſteriliam ſe cerneret, ſororis ſuæ Rachelis æmulatione, quæ Balam ancillam ſuam Jacobo permiſerat, & ipſa ſuam, nomine Zelpham, viro uxorem tradidit, ut ex ea prolem ſuſciperet.

Nec

(a) De Bello l.1. c.5. ad fin. An. M. 3946. ante Chr. 54. ante Æ. 58. (b) Antiq. l.14. c.10. de Bel. l.1. c.6.
(c) Petav. de Doctr. temp. l.12. c.26. (d) An. M. 3949. ante Ch. 51. ante Æ. 55. (e) Antiq. l.14. c.10. de Bello l.1. c.6. circa An. M. 3969. (f) Daniel. 8.16. & 9.21. & 11.1. &c. (g) An. M. 3999. 15. vel 16. menſibus ante ortum Chriſti.
(h) An. M. 4000 ante Chriſt. 5. vel 6. menſibus; Luc. 1. 7. &c. (i) D'Herbelot Bibli. Orient. pag. 363.

Nec Zelpha ſperantem fefellit; ſtatim enim filium genuit, cui à Lia nomen inditum *Gad*, illud interim dicens: *Feliciter*; Gad enim bonæ fortunæ Deum ſonat.

E' Gad ſeptem filii, Sephion, Aggi, Suni, Eſebon, Chori, Arodi, & Areli (a), prodiere. Jacob benedictionem Gad his verbis pronunciavit: *Gad accinctus præliabitur ante eum* (Iſraelem), *& ipſe accingetur retrorſum*, nempè armis protectus è prælio redibit. Quæ ſanè oracula poſt obitum Moyſis implera videntur. Gad enim ſedibus trans Jordanem acceptis, una cum Tribu Ruben, & dimidia Tribu Manaſſe, trajecto tamen amne, in fronte totius exercitus procedens, pro fratribus ſuis arma contra Chananæos intulit; eoque prælio egregiè confecto, armis protectus, & ſpoliis onuſtus ad propria remeavit.

In extremo Moyſis Cantico his verbis Gad compellatus eſt, *Deut.* 33. 20.: *Benedictus in latitudine Gad: quaſi Leo requievit, cepitque brachium, & verticem* (prædæ à ſe captæ) *& vidit principatum ſuum, quòd in parte ſua doctor* (Moyſis ſepulchrum) *eſſet repoſitus. Qui fuit cum principibus populi, & fecit juſtitias Domini, & judicium ſuum cum Iſrael* (Fratres ſuos in obtinenda Chanaanitide adjuvit). Moyſes diem in Monte Nebo clauſit, ejuſque cadaver in ſubjecta valle, ditione Gad, ſepultum, *Deut.* 34. 1. Si quis apocryphis delectetur, adeat librum Teſtamenti 12. Patriarcharum, in quo Gad ut robuſtiſſimus vir celebratur.

Tribus Gad 45650. viris frequens ex Ægypto egreſſa eſt; *Num.* 20. 21. Poſt victos Reges Og, & Sehon, Tribus Gad, Ruben, & dimidia Manaſſe eam ſibi regionem concedi poſtularunt, paſcuis divitem, qualem eæ Tribus pecoribus abundantes exigebant, *Num.* 32. 1. Acquievit Moyſes, ea tamen lege, ut trajecto amne, fratres ſuos in obtinenda Chanaanitide non deſererent, *Num.* 32. 28. 29. Hinc Regio Gaditarum inter Tribum Ruben ad Meridiem, Manaſſe ad Septentrionem, Montes Galaad ad Orientem, & Jordanem ad Occidentem definitur.

II. GAD, Propheta, & Davidis amicus, qui in Saulis perſecutione extorrem amicum non deſeruit. In Scriptura *Propheta*, *& Videns David* appellatur, 2. *Reg.* 24. 11. ideò ſcilicet, uti conjicimus, quod à Deo deſtinatus eſſet Oraculis ſuis eidem Principi revelandis. Cùm David in Regionem Moab ſe recepiſſet, ut parentes ſuos in tuto collocaret, 1. *Reg.* 22. 5. primò fugæ ſuæ, & perſecutionis Saulis anno (b), tunc primò cum Gad conſuetudinem iniiſſe videtur. Ab hoc igitur Propheta monitus eſt David, ut Moabitidem deſerens, in Judæam rediret.

Poſt initum a Davide populo cenſum indicendi conſilium, Gad juſſu Dei, Regem convenit (c), illique in ultionem criminis ex tribus propoſitis plagis unam, vel ſcilicet ſeptennalem famem, ſivè trium menſium ab hoſte fugam, ſeù tandem triduanam peſtem ſeligeret, imperavit. Rex triduanam peſtem cæteris prætulit, de qua etiam Deus, ejus lacbrymas reſpiciens, nonnihil remittendum cenſuit. Angelum enim ultorem ſtrictum in cædem gladium in vagina condere juſſit; oblatumque in area Ornan, ſivè Areunæ Jebuſæi ſacrificium, erecto, Gad authore, Altari à Davide (d), propitiatus ſuſcepit. Librum de geſtis Davidis ſcripſit, in 1 Paralipomenis 29. 29. laudatum; nec alia de eodem Propheta ſcimus.

III. GAD, Ethnicorum Numen, de quo frequenter in Scriptura *Iſa* 65. 11. *Vos, qui dereliquiſti Dominum ..... qui ponitis Fortunæ* (Heb. *Gad*) *menſam, & libatis ſuper eam* (Heb. *& libatis Meni*). Locus in Palæſtina occurrit *Baal-Gad*, ſivè Deus Gad; idemque nomen Gad Arabes ſyderi Jovis, rebuſque omnibus bonis, & beneficis indidiſſe tradunt. Nos in Textu Iſaiæ ſignificatum credimus Solem: quò etiam

ſpectaſſe videtur S. Hieronymus, eundem reddens: *Qui ponitis fortunæ menſam*, nempè bonis auſpiciis. Solebant enim Veteres horoſcoporum ſpeculatores à Sole bonæ indolis indicia, à Luna ſecundæ fortunæ captare. Vide noſt. Comment. in Gen. 30. 11.

(Gad. Numen idem facile ac Sol, vel Jovis ſeu proſperæ Fortunæ ſidus. Vide ſupra *Fortuna*.)

I. GADARA, urbs celeberrima transjordanica, quam Joſephus de Bello l. 5. c. 3. metropolim Perææ fuiſſe tradit; & in plaga orientali Latus Tiberiadis 60. ab illo ſtadiis collocat. Plinio l. 5. c. 18. ſita eſt ad amnem Hieramacem. Ab ea urbe regioni transjordanicæ nomen derivatum. Pompejus ob Demetrium libertum ſuum, Gadara oriundum, illam reſtituit (e); ipſamque poſtea Gabinius ſelegit, in qua unus ex quinque juridicis conventibus, à ſe in Judæa ſtatutis, haberetur (f). Eandem orbem, authore Polybio hiſt. l. 5. omnium totius regionis munitiſſimam, Antiochus Magnus obſedit, ac tandem datis conditionibus in fidem recepit. Balnea aquarum calidarum ejuſdem urbis à S. Epiphanio *adver. Hær. l.* 1. memorantur. Veteres nummi quamplures ad Gadaram ſpectantes, & in ſubſcriptionibus Conciliorum ejuſdem urbis Epiſcopi occurrunt.

Chriſtus trajecto Mari Tiberiadis in Græco S. Marci 5. 1. & S. Lucæ 8. 26. in regionem *Gadarenorum* veniſſe dicitur; eandemque lectionem ſervant nonnulla Exemplaria Græca S. Matthæi 8. 28. quamquam in Vulgata ejuſdem *Geraſenorum eſt*, ſivè *Gergeſenorum*, quam poſteriorem lectionem præferendam eſſe Origenes contendit (g).

II. GADARA, urbs Palæſtinæ, non longè à Dioſpoli & Nicopoli (h), quam confundendam credimus cum *Gazer*, *Gazera*, *Gedor*, *Gadora*, *Gador*, *Gaderoth*, de quibus frequenter in Machabæis, & apud Joſephum (i). In Textu Joſephi mendum aliquando irrepſiſſe, ac pro *Gadara* legendum *Gabara*, jam animadverſum eſt. Porrò Gabara ad occidentem, Gadara ad orientem Maris Tiberiadis ſitæ erant.

GADDA, urbs Tribus Juda, *Joſue* 15. 27. Lacum ſuperfuiſſe ſua ætate non exiguum in extremitate meridionali Judæ ad Mare Mortuum tradit Euſebius. In Vulgata legimus *Haſer-Gadda*.

GADDI, 1. *Par.* 12. 8. non loci cujuſdam nomen eſt, ſed vox Gaditas ſignificans.

GADDI, filius *Suſi*, è Tribu Manaſſe, inter duodecim ad explorandam Chanaanitidem ſub Moyſe ſelectos. *Num.* 13. 12.

GADDIS, Joannis filii Mattathiæ, & fratris Judæ Machabæi cognomentum. Exemplaria quædam habent *Kaddis*, nempè *Sanctus*; Gaddis tamen reddi poteſt, *hædus*, ſivè *bona fortuna*.

GADER. Rex Gader à Joſue interfectus. *Joſ.* 12. 13. Porrò *Gader* eadem videtur ac *Gador*, 1. *Par.* 4. 39. *Gaderoth*, 2. *Par.* 28. 18. *Gedor*, *Joſue* 15. 58 *Gazer*, *Gazera*, *Gadara*, ſive *Gedara*, de qua in Machabæis. Vide *Gadara II.*

GADEROTH. Vide *Gadara II.*

GADGAD, mons in deſerto Pharan, ubi Hebræi in itinere per deſertum caſtrametati ſunt, inter Benejacan & Jethebatham ſitus *Num.* 33. 32.

GADI, pater Manahem Regis, ſivè Tyranni Iſraelis. 4. *Reg.* 15.

GADI, idem fortaſſè ac *Gadda*, ſivè *Haſer-Gadda*, in plaga meridionali Juda. *Joſue* 15. 27. Bonni vir in Davidico exercitu ſtrenuus, è Gadi oriundus erat. 3. *Reg.* 23. 36.

GADOR. Vide *Gadara II.*

GAHAM, filius Nachor ex Roma. *Gen.* 22. 24.

GAHER, Levita, Babylone redux cum Eſdra *Eſdr.* 2. 47.

GAI-ABARIM. Vide *Je-abarim*.

(a) Gen. 46. 16. (b) A. M. 2944. ante Ch. 1056. ante Ær. 1060.
(c) 2. Reg. 24. 12. 13. & 1. Paralip. 21. 11. A. M. 2987. ant. Ch. 1013. ant. Ær. 1017.
(d) 2. Reg. 24. 17. 18. incertum quandiù ea peſtis ſævierit; ex Scriptura tamen contractam fuiſſe intelligimus.
(e) Antiq. l. 14. c. 8. (f) Antiq. l. 14. c. 10. (g) Comment. in Jo. Vide Mille Var. Lect. & noſt. Comment. ibid.
(h) Steph. in Gadara. Strabo l. 16.
(i) Vide Reland. Palæſt. l. 3. p. 679.

GAJUS, ſivè *Cajus*, Diſcipulus S. Pauli, *Act.* 19. 29. & 1. *Cor.* 1. 14. Vide *Cajus I.*

GAJUS, Diſcipulus S. Joannis. Vide *Cajus II.*

GALAAD, filius Machir, nepos Manaſſe, *Num.* 26. 29. cui Montes Galaad trans Jordanem obtigerunt. Nomen à regione mutuatus eſt: montes enim diù antè illum eodem appellatos conſtat. Filios genuit Jezer, Helec, Aſriel, Sechem, Semida, & Hepher. Vide Num. 26. 30. 31.

GALAAD. Montes Galaad ad orientem Jordanis, Ammonitas à regionibus Moab, Ruben, Gad, Manaſſe, & Arabia Deſerta diſterminantes. Idem aliquando nomen de univerſa regione transjordanica uſurpatur. Porrò montes Galaad, authore Euſebio, à Libano tractu ſeptentrionali uſque ad regionem, quam, pulſo Sehon Rege Amorrhæorum, Rubenitæ tenebant, protendebantur. Hinc perpetuo montium jugo ſpatium dimetiebantur 70. leucarum, à meridie in ſeptentrionem, ſuoque ductu montes Seïr, Baſanitidis, Trachonitidis inſuper forraſſè, Auranitidis, & Hermon continentes. Quin & Jeremias 2. 21. 6 innuere videtur eoſdem montes in Libani capite conſtitutos: *Galaad tu mihi caput Libani.* Vide S. Hieronymum, & Interpretes ibidem.

Redux e Meſopotamia Jacob, ſex diebus ad eos montes pervenit, *Gen.* 31. 21. ibique ſub papilionibus quieſcentem Labanus ejus ſocer allequutus eſt. Poſt mutuas querelas, ambo tandem fœdus iniere, cujus perenne monumentum erecta lapidum ſtrue extare voluerunt. Porrò acervo illi uterque vernaculo ſermone nomen indidit, Labanus: *Jegar-ſchabadduta*, ſcilicet tumulus teſtimonii; Jacob *Gal-haed*, nempe tumulus teſtis; ex quo nomen *Galaad* loco inditum.

Montes iſti arboribus reſina manantibus abundabant; quare reſina Galaad in Scriptura celebratur (a); ac mercatores, qui Joſephum pretio emerunt, comparatam in Galaad reſinam in Ægyptum tranſvehebant. *Gen.* 37. 25.

GALATIA, Aſiæ minoris Provincia, quam ab oriente Cappadocia, ad occidentem Bithynia, ad meridiem Pamphilia, ad ſeptentrionem Pontus Euxinus terminant. Cùm Gallorum manus Aſiam minorem infeſtarent, ea regione tandem occupata, ſedes in illa ſuas ſtatuerunt, ſuoque nomine appellarunt *Galatiam*; ſiquidem Gallia Græcè nuncupatur *Galatia*.

Ex his Gallis originem trahebant Galatæ, ad quos S. Paulus literas dedit. Eorum etiam regionem non ſemel excurrit Apoſtolus, ſimulque florentiſſimam Eccleſiam ibidem conſtituit (b). Facilè tamen ipſe ibi omnium primus fidem Ethnicis nunciavit; quamquam ante illum S. Petrus Judæos inſtituiſſe videtur, uti ex Epiſtola ipſius *ad Judæos diſperſionis Ponti, Galatiæ, & Cappadociæ* colligimus, 1. *Petr.* 1. 1. Hos fortaſſè Judæos à S. Petro edoctos, incentores expertus eſt Apoſtolus ſeditionis contra ſe inter Fideles ex Gentibus excitatæ, cujus occaſione apologiam Apoſtolatus ſui, ſcripta ad illos Epiſtola, inſtituit. Excitaverant enim contra illum invidiam, quaſi minor habendus eſſet Apoſtolo Petro, qui nonniſi Judæos ferme erudierat, atque Legis cæremonias ſanctiſſime ſervabat. Deinde inanes oſtendit cæremonias legales, & Circumciſionem; ſimulque illos arguit, qui in ſe, ſuamque authoritatem invidiam creabant. Tandem excellentiſſimas regulas dirigendis moribus, fideique depoſito ſanctè ſervando præſcribit. Hæc Epiſtola Romæ data inſcribitur in Editionibus Græcis; eamque inter datas in ea urbe Epiſtolas primam fuiſſe Theodoretus in Paul. Prolog. autumavit; ſcriptamque, cum in vinculis detineretur Apoſtolus, tradit S. Hieronymus *in Galat.* 6. 11. Verùm nos vulgarem ſententiam præferendam cenſemus, quæ Epheſi ſcriptam A. Chr. 55. judicat.

Judas Machabæus exercitum ſuum ad incundum contra Syros prælium hortaturus, inter cætera Divinæ in Judæos protectionis exempla, commemoravit illud potiſſimum, quo præſentiſſimo ejus Numine juvante, prælio in Babylonia inito 6000. Judæorum 120000. Galatarum trucidarunt 2. *Mac.* 8. 20. In Textu Græco pluribus eadem hiſtoria narratur. Cum Galatæ, una in Judæos Babylonios intuliſſent, exercitum 8000. virorum, additis 4000. Macedonibus, Judæi oppoſuerunt. Verum Macedonibus ad hoſtium aſpectum fugientibus, Judæi ſoli adeò ſtrenuè reſtitere, ut hoſtes frangerent, atque fugarent. Nihil certi de tempore, aliiſque ad eam hiſtoriam ſpectantibus, ſilente Scriptura, referre poſſumus. Imò fortaſſè hæc ad Gallos per univerſam Aſiam ea ætate palantes, potiùs quàm ad Galatas Galatiam tenentes, referenda ſunt. Græcum *Galatai*, æque de utriſque uſurpari poteſt.

GALBANUM, gummi, ſive aroma, quo Thymiama in Altari aureo Sancti adolendum, unà cum cæteris aromatibus conficiebatur (c). Porro Galbanum ſuccus erat ſtillans ex inciſione cujuſdam plantæ in monte Amano Syriæ occurrentis, & ferulæ ſimillimæ. Solitarium ingrato erat odore. Vox *Galbanum*, ex Hebræo *Chalbanah* derivata, ſonat pingue, unctuoſum, & gummoſum.

GALGAL. De Rege *Galgal Gentium* à Judæis in Terram Promiſſionis venientibus victo interfectoque, Joſue 12. 23. loquitur. Hæc *Galgal Gentium* eadem eſt, noſtra quidem ſententia, ac *Gelil Gentium*, *Iſa.* 9. 1. Galilæam ſuperiorem ſignificans, trans Jordanem præcipuè, fluminis hujus ſcaturigines verſus, porrectam.

GALGAL, locus celeberrimus ad occidentem Jordanis, ubi Iſraelitæ, amne trajecto, caſtrametati ſunt. Succeſſu temporis urbs ibidem condita eſt, rerum geſtarum memoria in hiſtoriis celeberrima. Urbs igitur Galgal leuca circiter à Jordane, parique ſpatio à Hierichunte diſtabat. Cùm poſt peractam ibidem populi circumciſionem Deus illud pronunciaſſet: *Hodie abſtuli* (ad literam *revolvi*) *opprobrium Ægypti à vobis*, *Joſue* 5. 2. inde loco nomen *Galgal*, nempè *revolutio*, manſit. Religioſis peregrinationibus, quod Arca ibidem diutiùs ſervata fuiſſet, undique à populo viſebatur (d); ex quibus loci nomen longè latèque propagatum. Ferunt deindè Jeroboamum, ſivè alium Iſraelis Regem ejus ſucceſſorem, vitulum aureum populorum cultui ibidem erexiſſe (e).

Quin, & Aod Judicis Iſraelis ætate, Idolorum oraculis urbem claruiſſe ex eo conſtat, quod Aod poſt oblata Regi munera, *Judic.* 3. 19. Galgal uſque excurrit; undè redux, quaſi acceptum à Numine in Galgalis oraculum deferret, Regem convenit. Eò etiam populus, ut Saulem in Regem Iſraelis eligeret, coactus eſt 1. *Reg.* 11. 14. 15.; ibique Saul immolatis ante Samuelis adventum victimis, Dei in ſe indignationem incitavit, 1. *Reg.* 13. Quin & reprobationis ſententiam pro ſervatis cum Rege Amalec opimis ſpoliis, idem Rex eo loci in ſe prolatam audivit, 1. *Reg.* 15. Cum S. Paula, ait S. Hieronymus (f), ad eam urbem veniſſet, Iſraelitarum caſtra, atque præputiorum acervos, nec non duodecim lapides in rei memoriam à Joſue erectos reſpexit.

GALILÆA, Provincia Palæſtinæ, in tractu illius meridionali potiſſimùm excurrens, ultra ſcilicet planitiem Jezrael, ſivè Campum magnum. In ſuperiorem & inferiorem Galilæam dividitur: inferior Tribum Zabulon, Aſer, & Nephtali ciſjordanicas, ad occidentem Maris Tiberiadis, complectitur: ſuperior verò trans Jordanem potiſſimum excurrit, Trachonitidem, Libanum, & Batanæam verſùs. Superiorem appellabant *Galilæam Gentium*, ſivè quod incolas foveret Ethnicos, Phœnices, Syros, & Arabas finitimos haberet. Porrò quæ de Galilæa diximus, excurrere nimirùm illam ultra Jordanem, quamquam non

(a) Jer. 8. 22. & 46. 11. & 51. 8. (b) Primò ad eam venit A. Chr. 51. Act. 16. 6. deinde iterum A. 54. Act. 18. 23.
(c) Exod. 30. 34. Hebr. Chelbana Septuag. χαλβάνη. (d) Oſee 4. 15. & 15. 12. Amos 4. 4. & 5. 5.
(e) 3 Reg. 12. 29. ex Verſ. Sept. Alexandr. Cyrill. in Oſee 5. (f) In Epitaph. Paulæ, Ep. 62.

non omnibus æquè probantur, nobis tamen hæc potiſſimùm argumenta ſuadent. Judas Gaulonites in Actis 5. 37. & apud Joſephum, *Antiq. l.* 20. *c.* 3. Galilæus dicitur: Gaulonitidem vero regionem eſſe transjordanicam nemo ſanè negaverit. Bethſaidam urbem transjordanicam, authore Joſepho de Bello l. 2. c. 13., in Galilæa recenſendam ea eo intelligimus, quòd Apoſtoli Bethſaidæ orti, Galilæi habiti ſunt. Euſebius in Iſai. 9. conceptis verbis Galilæam in transjordanica ſitam aſſerit. Septuaginta in Iſai. 33. 9. pro Baſan (regione ſanè transjordanica) vertunt, Galilæam; qua in re nomen partis pro toto uſurpaſſe illos S. Hieronymus animadvertit in comment. ibid. quare ejus quidem ſententia, Galilæa ad Baſanitidem excurrebat (a). Galilææ limites ita Joſephus deſcribit de Bello l. 3. c. 2. Ad orientem finitimas habet Ptolemaidem, & montem Carmelum (qui in Galilæa non recenſetur); ad meridiem regionem Samariæ, & Scythopolim ad Jordanem ſitam; ad orientem regiones Hippon, Gadaram, & Gaulan; ad ſeptentrionem Tyriorum regionem.

Galilæa inferior à Tiberiade uſque Chabulon, ſivè Zabulon in longitudinem producitur; in latitudine verò à *Chaloth* in Campo Magno, Berſabee uſque pertingit. Superior autem Galilæa *Berſabee*, & vicum *Bacam* in finibus Tyriorum latitudine ſua conjungit; longitudo à *Tella* vico ad Jordanem, uſque *Meroth* excurrit. Cùm autem certus ſitus *Berſabee*, *Chaloth*, *Baca*, *Tella*, & *Meroth* ignoretur, ſuperioris Galilææ tractus tuto definiri non poteſt. Galilæos ingenio eſſe bellicoſo, audaci, & impavido, qui finitimis externorum nationibus valida ſemper manu reſtiterint, obſervat Joſephus. Addit inſuper eam regionem & ſoli natura, & egregia cultura ubertimam eſſe, viroſque alere ſolertes, & laborioſos; urbes in ea, & vicos frequentiſſimos occurrere, incolis refertos, adeo ut omnium minimus vicus 15000. incolas exhibeat.

Galilæi nomen ex Nazareth urbe Galilææ (ubi pueriles annos exegit) Jeſu Chriſto inditum fuiſſe conſtat. Apoſtoli verò, quòd è Galilæa eſſent, eodem & ipſi cognomento appellati: undè & in cæteros Diſcipulos & Fideles omnes (b) derivatum. S. Matthæus 4. 15. Iſaiæ verba ad Salvatoris prædicationem applicat: *Terra Zabulon, & terra Nephtali, via maris trans Jordanem Galilææ Gentium, populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Iſai.* 9. 1. 2. Galilæi quidem nunquam ſpectatæ religionis viri habiti ſunt; neque ex illis Prophetam unquam proditurum Judæi ſibi perſuadere poterant, *Jo.* 7. 41. 51. Dialecto à cæteris Judæis diverſa utebantur, ut eo indicio S. Petrus Galilæus agnoſceretur. *Matth.* 26. 73.

Mare Galilææ, alio nomine Lacus ſivè Mare Tiberiadis, vel Cenereth, Cinereth, vel Genezareth. Vide *Cenereth*.

I. GALILÆI: quo cognomento Fideles Jeſu Chriſti Diſcipulos appellatos fuiſſe ſuperiùs narravimus.

II. GALILÆI, Judæorum Secta, quæ aliquibus poſt Chriſtum ortum annis audiri cœpit; authore Juda, Gaulone orto, in Galilæa ſuperiori. Sectæ hujus occaſionem præbuit cenſus (alius hic à cenſu ad ortum Chriſti) ab Auguſto indictus, & Quirino commiſſus (c). Is igitur Judas Gaulonites, ſive Galilæus, indictum à Romanis vectigal, tamquam ſervitutis certum argumentum, ne penderetur ab omnibus veris Iſraelitis enitendum eſſe dictitabat. Quibus perſuaſus populus undique ad illum conveniens, arreptiſque armis genus quoddam domeſtici belli excitavit; quod in Urbis, & Templi excidio vix penitùs extinctum eſt. Ex authore hujus ſeditionis Galilæo, ejus Diſcipuli (imò & illi ferè ejuſdem erant Provinciæ) *Galilæi* dicti ſunt. Quin & ab Herode Tetrarcha, cui Galilæa transjordanica, adeoque & Gaulonitis patria Judæ parebat, *Herodianos* etiam appellari contigit (d). Galilæorum & Phariſæorum ſummus cæteroqui erat conſenſus; in eo diſcrepabant, quòd Galilæi plus nimio libertatis amore tenerentur, illud altè retinentes: Deo tantummodò, denegata cæteris omnibus obedientia, parendum. Herodiani in Evangelio, *Matth.* 22. 16. 17. Jeſum convenientes, liceret ne tributum Cæſari pendere poſtularunt, quæ potiſſima erat ſectæ illius quæſtio, & argumentum. Ejuſdem hæreſis ſuſpicione Jeſum coram Pilato onerare delatores quidam conati ſunt, accuſantes obſtitiſſe illum, ne Cæſari tributa penderentur. *Luc.* 23. 2.

I. GALLIM, ſive *Ægallim*, *Agalla*, *Ægalla*, urbs transjordanica. Vide *Agalla*.

II. GALLIM, vicus non longè ab Accarone, *Euſeb. Hieron. in Onomaſt.* Gallei.

GALLION, Senecæ Philoſophi frater, qui à Junio Gallione adoptatus, priore nomine relicto, ſcilicet *M. Annæi Novati*, de novi Parentis appellatione nuncupatus eſt. Achajæ Proconſul à Claudio Imperatore renunciatus, an. Chr. 53. eandem Præfecturam etiam ad Neronis imperium prorogavit. Indolis erat lenis, & jucundæ, dignus proinde, cui Seneca germanus Libellum de Ira inſcripſerit. Communem expertus eſt cum fratribus fortunam; nec diſſimili ab illis fato, Nerone jubente, extinctus eſt. Judæi S. Paulo irati, quem plures ex Gentibus baptiſmo initiaſſe intellexerant, reum illum ad Tribunal Gallionis, Corinthi plerumque verſantis, detulerunt, hæc illi exprobrantes: *quia contra Legem perſuaderet hominibus colere Deum*, *Act* 18. 12. 13. Paulo defenſionem parante, Proconſul nolle ſe ait de quæſtionibus Legis Judaicæ ferre ſententiam; quippè qui nonniſi in crimminoſos tantùm animadvertere ſui muneris eſſe ſciret; atque ita judicium peractum eſt. Eadem occaſione Soſthenes Princeps Synagogæ Judæorum apprehenſus, coram Judice Gallione nil obſiſtente, verberibus affectus eſt, *an. Chr.* 57. *Ær.* 54.

GALLUS, avis domeſtica, & notiſſima. In Job legimus 38. 36. *Quis dedit gallo intelligentiam?* Quæ verba de galli ſollicitudine intelligenda cenſentur (e), qua ter ſingulis noctibus, ſub noctis medium, duabus ante diem horis, & die albeſcente cantat. Vox tamen Hebræa, quæ in Vulgata gallus redditur, ab aliquibus (f) anima, mens vertitur. Septuaginta de fœmina phrygii operis perita intelligunt.

Gravitas, qua gallus incedit, in Proverbiis 30. 31. laudatur: *Gallus ſuccinctus lumbos.* Hæc ab aliis de *pardo*, *cane venatici*, ſeù *equo bellico*, ſive *ape*; à pluribus tamen de *gallo* explicantur.

Iſaias 22. 17. Sobnam è regione ſua, veluti gallum, aſportandum minitatur: *Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus.* Hebraicam vocem, quæ *gallus* reddita eſt, quæque vulgò *homo* vertitur, in eo Textu intelligendam eſſe de gallo, Rabbinus S. Hieronymum Hebraicam Linguam docens, ipſo S. Doctore teſtante, aſſeruit. Cujus tamen Rabbini authoritas tanta non eſt, ut plures Interpretes ab alio ſenſu tuendo deterrantur, legantque: *Dominus aſportari te faciet, o homo bellice*: ſeu, *aſportari te faciet, ut homo bellicus.*

Judæi pridie Expiationis ſolemnis gallum album, ſi fieri poſſit (g), nunquam verò rufum, (album innocentiæ, rufum criminis ſymbolum exiſtimant) ſumentes, poſt quaſdam preces recitatas, ter alitis capite ſibi frontem percutiunt, hæc verba pronunciantes:

(a) Vide in eam rem Ligtfoot. Chorogr. in Marc. & Hor. Talmud. in Matth. 14. 13. Cellar. Geog. antiq. l. 3. &c. Reland. Palæſt. t. 1. l. 2. c. 31. p. 181. & noſt. Diſſert. in Geog. Sacr. ante Comm. in Joſue.
(b) Act. 2. 7. Arrian. l. 7. Diſſert. Epict. c. 7. Julian. Imper. Epiſt. ad Porphyr.
(c) Vide Luc. 2. 1. Act. 5. 37. & Comment. in Act. 5. 37. A. M. 4010. Chr. 10. ab obitu Herodis 10. poſt exilium Archelai, & poſtremo anno Auguſti.
(d) Vide Noſt. Diſſert. de Sect. Judæor. ad Com. in Luc.
(e) Chald. Hebr. Lyr. Thom. in Job. 38. 36.
(f) Syr. Mercer. Grot. Vatabl. Scultet. Boch. (g) Buxtorf. Synag. Jud. c. 20.

Gallus hic pro me immoletur : hic pro me morietur, meaque hic erit expiatio. Inde volucrem capite abſciſſo interficiunt, telluri allidunt, exenterant, illiuſque viſceribus ſupra domus tectum projectis, ipſum torrent. Myſteria in his omnibus latere jactitant, quæ longum eſſet enumerare. In Italia & Oriente apud Judæos hic mos deſiit (a), quòd mera ſuperſtitio videretur. In Germania tamen adhuc vigere ex Buxtorfio apparet.

I. GALLUS, *Ceſennius Gallus*. V. *Ceſennius*.

II. GALLUS. *Ceſtius Gallus*. V. *Ceſtius*.

I. GAMALA, urbs Galilææ, *urbs equitum* appellata. *Joſeph. Antiq. l. 3. c. 1.* Vide *Gaba*.

II. GAMALA, urbs transjordanica in Gaulonitide, cameli formam referens, unde nomen *Gamala* (b). Sub Agrippæ ditione erat, cui tamen nonniſi invita armia ipſius Agrippæ primò, deinde Romanorum coacta paruit; quare longa obſidione tolerata, tandem expugnata, & direpta eſt (c).

I. GAMALIEL, filius Phadaſſur, Princeps Tribus Manaſſe, cùm Iſraelitæ ex Ægypto egrederentur. Subjectos ſibi ex eadem tribu 32200. viros numerabat (d).

II. GAMALIEL, Secta Phariſæus, Præceptor S. Pauli *Act.* 22. 3. nec non, ut nonnullis creditur, S. Barnabæ, & S. Stephani. Paulò poſt illapſum Spiritus Sancti die Pentecoſtes, Judæi coram Sacerdotum Synedrio Petrum ſiſtentes, de nece illi inferenda deliberarunt; quare Gamaliel ſecedere Apoſtolos jubens, in hæc verba conſuluit (e): *Viri Iſraelitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis, quid acturi ſitis. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens ſe eſſe aliquem, cui conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occiſus eſt, & omnes, qui credebant ei, diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum. Poſt hunc extitit Judas Galilæus in diebus profeſſionis* (nempe Cenſus ſub Quirino) *& avertit populum poſt ſe, & ipſe periit, & omnes quotquot conſenſerunt ei diſperſi ſunt. Et nunc itaque dico vobis: diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos; quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus diſſolvetur; ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere illud, ne fortè & Deo repugnare inveniamini.* In eam ſententiam Synedrio abeunte, Apoſtoli dimiſſi ſunt.

Poſt S. Stephani necem, Chriſtiani, Gamaliele authore, noctu illius corpus ſurreptum, ſepulchro mandarunt; quam in rem curtum, fundumque ſuum, 7. vel 8. leucis à Jeruſalem, cui nomen *Caphar-Gamala*, nempe campus Gamalæ, ſive Gamalielis, exhibuit (f). Ferunt Nicodemum nepotis, vel ſaltem conſobrini neceſſitudine Gamalielem ſpectaſſe, cujus Gamalielis gratia factum eſſe, ut pœna mortis in Nicodemum decreta, exilio commutaretur (g). Porrò Gamalielem fidei nomen dediſſe vix ambigendi locus eſt; incertum tamen cujus opera & quo potiſſimum tempore. Filios habuit geminos; Abibam, in fidei profeſſione ſocium; & Sedemiam, ſive Selemiam, qui patris religionem averſatus eſt. Paulò poſt ſuſceptum baptiſmum, ambo diem clauſerunt, quorum cadavera communi cum S. Stephano ſepulchro condita ſunt. Hæc ferme omnia ex hiſtoria inventionis corporis S. Stephani, à Luciano deſcripta decerpſimus.

(Gamalielem, de quo in Actis, eundem ipſum viſum autumarunt nonnulli, ac Gamalielem Japhnæum vel è Ditaneh, ſucceſſorem Jochanam, ſi Doctoribus Judæis fides, in dignitate Occidentalis Patriarchæ(h). Poſt captam Hieroſolymam ſupplicium decretum erat in Gamalielem unà & in patrem ipſius; ſed ejus vitam precibus Jochanam Titus indulſit. Secundum vitavit diſcrimen, cùm Titus Rufus vomerem induxit in locum, qui olim impoſito Templo ſuperbierat. Severus erat adeò, ut viro coercendo, limitibus adſtringere ejus authoritatem è re eſſe crederetur. Sunt qui abſtentum, à munere ſuo defendant; contra alii affirmant tanta illum authoritate valuiſſe, ut non Judæi tantùm latè per Orbem diffuſi, ſed extranei etiam Reges, averſante nemine, pro ſua illum poteſtate uti ampliſſimè permitterent.

Agebat tunc in vivis Samuel minor, ille ſcilicet qui precandi in Hæreticos formulam ſcripſit, ſolemni ritu nunquam exinde non recitatam in Synagoga. Poſtulatur illa Deus, ne ſpem ullam relinquat Apoſtaticis, ut repentino interitu puniat Hæreticos, ut Regnum ſuperbiæ deprimatur, & nulla non die decreſcat. *Benedictus ſis tu, Domine Deus, qui deſtruis impios, & humilias ſuperbos.* Reputarunt nonnulli, Samuelem hunc minorem ipſum fuiſſe Apoſtolum Paulum, redditumque illum è Samuele Saolum ſublato *Men*; Græcum *Gaulos* eſt minor. Saulus, vel Paulus coævus erat & diſcipulus Gamalielis.

Ætas, quâ floruiſſe ambo illi perhibentur, ea quidem non repugnat rebus, quas de Gamaliele narrat S. Lucas. Pro concione ſententiam ſuam expoſuit in Sanhedrio Sacerdotum anno Æræ 33. *Act.* 5. 34. Oculatus teſtis ſpectavit caſum Hieroſolymæ anno Æræ 70. paulò poſt commodè ſuccedere potuit Joachan in gerendo gentis ſuæ Patriarchatu. Major eſt ambigendi ratio de Samuele minori, quem alii cum Apoſtolo Paulo confundendum cenſent. In Judaiſmo immortuum defendunt Authores Judæi: ſcitum eſt autem maturè ſatis Apoſtolum Paulum ad Chriſtianorum partes tranſiiſſe. Quam ſcripſit Samuel minor precandi formula in Chriſtianos tota fermè verſatur; digeſſiſſe autem illam videtur, cùm maxima polleret authoritate; virenti autem ætate S. Paulum Chriſto dediſſe manus quis neget?)

III. GAMALIEL, nepos illius, de quo ante egimus, primus, uti ferunt, Judæorum Patriarcha, circa An. Chr. 97.

I. GAMARIAS, Helciæ filius, qui unà cum Elaſa filio Saphan, a Sedecia Rege Judæ miſſus, ad Nabuchodonoſorem tributa detulit. Per illos redditæ ſunt etiam ſcriptæ à Jeremia ad captivos Babylonem literæ, quibus monebantur, ne vana ſpe imminentis reditus ſibi à Pſeudo-Prophetis facta ſeducerentur (i).

II. GAMARIAS, filius Schaphan (k) à conſiliis Regis Joakim. Hic audita lectione oraculorum Jeremiæ à Baruch recitata, admiratus omnino ſe ad Regem omnia delaturum ſignificavit. Legentem verò interrogavit, qui oracula illa ex Jeremia excepiſſet. Cui Baruch, Prophetam veluti ſi ſcripta recitaſſet ita curſim memoria ſuggerente dictaſſe, reſpondit.

GAMUL, Princeps familiæ Sacerdotalis, ex iis, quæ in miniſteriis Templi ſtato ordine inter ſe ſuccedebant, 1. *Paralip.* 24. 17.

GAMZO, urbs Juda, à Philiſthæis, regnante Achaz, occupata, 2. *Paralip.* 28. 18.

GANGES, fluvius Aſiæ, qui è monte Caucaſo fluens, in Oceanum Indicum devolvitur. Indias in duas partes dividens, Regionem *Indoſtan* perluit. Ejus quidem nomen nuſpiam in Scripturis occurrit: idcircò autem in noſtro Dictionario locavimus, quòd unum eſſe è quatuor Paradiſi fluviis, nomine *Phiſon* à Moyſe inſinuatum plures autumaverint. Verùm cùm ab Euphrate ultra 1200. leucis diſtet, non eſt, cur communem cùm illo & Tigri, à Gange pariter remotiſſimo (ſine controverſia geminis Paradiſi fluviis), communem fontem habere videatur.

(GAO-

(a) Leo Modena, *De' riti Hebr.* p. 3. c. 6. (b) De bello l. 4. c. 1.
(c) De bello l. 4. c. 2. 3. 4. 5. 6. 7. in Græco, ſeu c. 1. 2. 3. in Latino.
(d) Num. 1. 10 &c. & 7. 54. A. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490.
(e) Act 5. 34. A. Chr. 36 Ær. 33. (f) Vide Lucian. de S. Steph. c. 5. ad fin. t. 10. oper. S. Aug. nov. Edit. A. Chr. 37. Ær. 34.
(g) Phot. Cod. 171. Lucian. de S. Steph. (h) Vide Baſnag. Hiſt. Judæor. tom. 2. lib. 4. cap. 3. art. 11.
(i) Vide Jerem. 29. 3. 4. circa A. M. 3408.
(k) Jerem. 36. 12. &c. A. M. 3399. ante Chr. 601. ante Ær. 605.

(GAONES. Ita vulgo appellantur Doctores Judæi, qui Orientem illuſtrarunt poſt ſupremam manum Thalmud impoſitam. Exprimitur autem illo *excellens*, & ſublimis; ita fermè non diſſimili honoris elogio Theologi noſtrates donati ſunt; auditi ſunt enim Doctores Irrefragabiles, Sublimes, Reſoluti, Angelici, Subtiles. Gaones illi ſucceſſerunt *Sebureenſibus* vel *Opinantibus* ad exordium circiter ſæculi ſexti (a). Primus author, & princeps illorum Meſichka Academiam Pundebitæ, ſpatio 30. annorum jam clauſam, aperuit iterum reſtituitque.

Inter Gaones locum ſuum pariter habuit *Judas* quidam *Cæcus*, qui florebat anno 761. Accepto huic referuntur lectiones quædam plurimi habitæ apud ſuos (b). Naturæ vitium illud, nempe cæcitatem, elogio compenſaturi Judæi, appellant *Joſephum plenus lucis*.

Seberra inter Gaones decimi ſæculi exeuntis fama nominis claruit. Dignitate ceſſit, ut filium Hai aſſumeret. Inter Excellentes poſtremus vivebat Hai ineunte undecimo ſæculo, ſumma nominis æſtimatione habitus, tanquam inter *Excellentes Excellentiſſimus*. Perſeveravit in docendo ad obitum uſque, annum ſcilicet 1037. quo ordo Gaonum extinctus eſt poſt periodum 280. vel 350. vel etiam 448. annorum; ſicut enim de initio eorum Doctorum non ſat convenit, ita de periodo illorum anceps eſt diſputatio.)

GAREB, vir è Jethet oriundus, inter Davidici exercitus fortiſſimos. 2. *Reg.* 23. 38.

GAREB, collis Hieroſolymæ proximus, *Jerem.* 31. 39. Locum *Garab*, ſive Gareb, tribus milliaribus à Silo diſtare, in eoque Ephod Michæ ſervari traditur in Miſna (c). Verùm *Gareb*, de quo Jeremias, non adeò ſanè ab Jeruſalem abeſſe poterat, cum ad eum uſque montem urbem augendam eſſe idem Propheta prædixerit. Porrò Jeruſalem, & Silo, 12. circiter leucis diſtabant.

GARIS, urbs Galilææ. *Joſeph. de Bel.*

GARIZIM, Mons propè Sichem in Tribu Benjamin, & regione Samariæ. Porrò Sichem ad radices Hebal, & Garizim jacebat; quorum duorum montium primus ſterilis omninò, alter vero fertiliſſimus. Eoſdem montes poſt Jordanis tranſitum Hebræi aſcendere Divino præcepto juſſi ſunt, diviſis hinc, & inde Tribubus, ſex nempe utrinque, *Deut.* 11. 29. & 27. 12. Ita verò diviſi qui Garizim aſcendiſſent, bona in Divinæ legis ſtudioſos; qui Hebal, mala in refractarios precari tenebantur. Trajectu igitur Jordane, Joſue Divinis præceptis obſecuturus, *Joſue* 8. 33. populum univerſum in verticem Hebal duxit; poſtque oblatum ibi in Altari eam ob rem excitato ſacrificium, diviſis Tribubus, illis Garizim aſcendere, aliis verò in Hebal manere juſſis, benedictionum, & maledictionum cæremonia ritè peracta eſt. (d).

Euſebius, S. Hieronymus, & poſt illos Procopius, & Scaliger (e) credidere, duos illos Montes à Moyſe in Deuteronomio deſignatos, alios fuiſſe ab iis, qui propè Sichem eodem nomine, ſed præpoſterè, eorum quidem opinione, appellantur. S. Epiphanius, *Hær.* 9. eoſdem montes in tranſjordanica collocat. Verùm hæc opinio nulla ratione probatur; Garizim enim ipſi Sichem adeò imminebat, ut Joatham Gedeonis filius è vertice ejuſdem Montis Sichimitas ad ejus radices verſantes alloqueretur, ac deinde, nequidquam illis inſequentibus, evadere potuerit, *Judic.* 9. 7.

Dum Hebræis omnibus una fuit religio, Mons Garizim nihilo cæteris illuſtrior habebatur; neque enim ſub Iſraelis Regibus ulla unquam geſtarum rerum memoria inſignis fuiſſe videtur; nihil de illo in Libris Regum, & Paralipomenon. Sed poſt deductos in Samariam Cuthæos (f), Eſdras è captivitate redux, repurgata univerſa regione ab Idololatria, author fuit Nehemiæ, ut Manaſſem filium Jojadæ, & ſummi Sacerdotis Eliaſib nepotem, cum filia Sanaballat Præfecti Samariæ nuptiarum reum proſcriberet (g). Sub idem tempus S. Epiphanius, & Procopius tradunt, Samaritas ſubducta ex ædibus idola in ſpecu Montis Garizim condidiſſe (h); ad quem locum toto inter orandum corpore perpetuò convertebantur. Poſtquàm autem Manaſſe, gener Sanaballat, Templum in Monte Garizim, facta ſibi ab Alexandro Magno poteſtate, in veri Dei cultum ædificavit (i), Samaritæ veri Dei cultu cum ſuperſtitione Idolorum, quæ in eodem monte condiderant, juncto, religionem ſuam adulterarunt: quibus ea verba Scripturæ complectuntur, 4. *Reg.* 17. 33. *cùm Dominum colerent, Diis quoque ſuis ſerviebant, juxtà conſuetudinem gentium, de quibus tranſlati fuerant.* Huic tamen de celatis Idolis in Monte Garizim traditioni, neque Scriptura, neque Joſephus, Samaritanive hiſtorici ſuffragantur. Ex eorundem Samaritanorum relatione, Joſue Templum Garizim ædificavit, cujus miniſteria Sacerdotes Aaronici obierunt. Sacris omnium primus præfuit *Rus*, ejuſque deinde poſteris ſæculorum progreſſu, jus Sacerdotii manſit. Cum autem Nabuchodonoſor tranſlatis in Babyloniam Judæis, & Samaritanis, in eorum regionem advenas deduxiſſet, novi incolæ ejus ſoli fructus veneno infectos experti ſunt. Quibus ad Nabuchodonoſorem relatis, quantociùs ille Samaritas ad propria redire juſſit; renuentibus illis ſe redituros, niſi Regio Edicto omnes captivi dimitterentur, omnes libertati reſtituti ſunt. Indè orta inter Judæos, & Samaritanos diſceptatio, Hieroſolymitanumne, an alterum in Monte Garizim Templum reſtituendum eſſet. Pluribus utrinque jactatis, tandem Regis juſſu ad ignis experimentum ventum eſt.

Utrinque igitur, Samaritanorum nempe & Judæorum, Pentateuchus in ignem conjectus eſt; quorum alter, ſcilicet Judæorum, ſtatim conflagravit; Samaritanorum, inter flammas illæſus ſervatus eſt. Hinc Samaritanorum cauſa, judicante Rege, potior habita eſt.

Has fabellas pro libito confictas, & ſuppoſititium liquidò præſeferentes, falſitatis arguere ſupervacaneum ducimus. Quæ à Joſepho *Antiq. l.* 11. de hac re aſſeruntur, melioris fidei ſunt. Manaſſe Summi Sacerdotis Eliaſib nepos, & Jaddi Summi Sacerdotis Judæorum frater, ex urbe pulſus; ut ſuperiùs innuimus, ægrè ferens, ſe à Sacerdotii dignitate, & lucro excluſum, opera Sanaballat, eumdem ſibi honorem comparare conatus eſt. Sanaballat igitur Alexandrum Magnum in Tyri obſidione verſantem conveniens, primò univerſam Samariam ſibi commiſſam, ejus ditioni ſubjecit; oblatoque 8000. ſelectiſſimorum auxilio, impetravit, ut Templo in Garizim excitato, cùm generi ſui, tum plurium etiam Sacerdotum Judæorum rebus conſuleret; plures enim ex illis poſt ductas contra Legis præſcriptum alienigenas uxores, exilium potiùs, quàm divortium ſubire maluerant; omneſque proinde ad Manaſſem in Samariam confugerant.

Ædificatum igitur Templum, Iſraelitarum Deo nuncupatum eſt (k): illuc autem, utpotè in altiſſimi montis vertice, per gradus in monte ductos, populus aſcendebat. Poſt excitatam à Rege Antiocho in Hebræos perſecutionem (l), Samaritæ datis ad illum litteris facultatem poſtularunt, ut Templum ſuum ignoto Numini conſecratum, Jovi Græco dedicari permitteret; quod à Rege non ægrè quidem impetrarunt (m). Extat adhuc nummus, in quo Templum gradibus inſtructum exhibetur; quos ſanè gradus Procopius ad 600001. numerat (n): quamquam in Veteri Itinerario 300. tantummodò numerantur.

Ii 3   Ejuſ-

(a) Baſnag. Hiſt. Jud. tom. 6. lib 9. cap. 5. art. 3. (b) Halacoth Peſſienth, Lectiones deciſæ.
(c) Sanhedrin fol. 103. 2. (d) A. M. 2553. antè Chr. 1447. ante Ær. 1451.
(e) Euſeb. & Hier. in locis, Procop. in Deut. Scal. in Euſeb. (f) A. M. 3283. ante Chr. 717. ante Ær. 721.
(g) 2. Eſdr. 13. 28. A. M. 3671. ante Chr. 329. ante Ær. 333. (h) Epiph. Hæreſ. p. Procop. in Deut.
(i) Antiq. l. 11. c. 8. (k) An. M. 3672. ante Chr. 322. ante Ær. 338. (l) A. M. 3836. ante Chr. 164. ante Ær. 168.
(m) Antiq. l. 12. c. 7. (n) Procop. in Deut.

Ejuſdem Templi cauſa diſceptatio quædam inter Judæos, & Samaritanos in Ægypto ſub Ptolemæo Philometore excitata eſt (a). Samaritæ Templum Garizim tamquam ſolum veri Dei Templum vindicabant; Hebræi Hieroſolymitanum præferebant. Cauſa ad Regem delata: cui defendendæ ex utraque parte Patroni comparati ſunt; conventum autem eſt utrinque, ut quæ pars in cauſa caderet, illa & vita cedere ſupplicii cogeretur: inſuper, ne quis niſi ex Lege teſtimonia produceret.

Andronicus Judæorum orator, illorum cauſam egregiè defendit, probata Templi Hieroſolymitani vetuſtate, cùm ex Scriptura, tum ex Pontificum ſucceſſione, tandem ex honore, quo Aſiæ Reges illud perpetuo obſervarunt; cum interim de Templo Garizim ne cogitarent quidem. Adjudicata proinde ob ejus eloquentiam Judæis cauſa, Sabbæus, & Theodoſius Samaritanorum oratores neci adjudicati ſunt. Huic hiſtoriæ, quam ex Joſepho retulimus, ſi fides habenda ſit, brevi profectu acceptum ab Epiphane Jovis Græci cultum Samaritas deſeruiſſe oportuit. In ea enim diſceptatione unum idemque numen in utroque Templo cultum fuiſſe intelligimus. Philometor autem ab A. M. 3824. uſque ad 3861. & Epiphanes ab A. M. 3828. uſque ad 3840. regnarunt.

Diutiùs tamen cultus Jovis Olympici, ſivè Græci in Templo Garizim permanſit, donec Templum ipſum à Joanne Hircano Machabæo deſtrueretur (b). Gabinius Syriæ Præfectus, idem Templum, totamque Regionem, cui nomen ſuum indidit, reparavit (c); quamquam ejus rei nulla ſatis aperta teſtimonia in hiſtoria animadverti. Illud ſanè conſtat, Jeſu Chriſti ætate Templum illud manſiſſe, vero Deo nuncupatum; de illo enim Samaritana ad Jeſum locuta, ait: *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet*, *Jo:* 4.20 Ferunt Herodem Magnum Samaria reſtituta, cui in honorem Auguſti, *Sebaſtes* nomen indidit, incolas cogere voluiſſe, ut Templum à ſe conditum adorandi gratia frequentarent; ab illis tamen nunquam impetravit, ut alibi, quàm in Templo Garizim, adorarent.

(Quam accuſationem ſtruxerunt Samaritani nominis oſores de cultis ſcilicet Idolis ſub eorum monte defoſſis, inde repetitam credimus, quòd in Geneſ. 35. 2. 4. relatum eſt, Jacob è Meſopotamia reducem, cùm veniſſet Sichem, mandatiſque oneratus eſſet à Deo conferre ſe Bethel, injunxiſſe familiæ ſuæ, tradi ſibi Idola omnia & inaures ſuperſtitioſas, ſi quas haberent apud ſe; effodiſſe autem omnia ad terebinthum retrò poſt urbem Sichem. Procuſa ex hoc calumnia Judæorum, onerans Cuthæos vel Samaritanos, Urbem Sichem incolentes, de admiſſo cultu Idolorum, quæ ſuffoſſa erant ſub terebintho, ad radices montis Garizim.

Defendunt Samaritani in montem Garizim erecta fuiſſe Altaria ab Abrahamo primùm *Geneſ.* 12. 6. 7. & 13. tum & à Jacob *Geneſ.* 33. 20. ibi pariter diſpoſitum ſacrificium de Iſaac filio ſuo, ab Abrahamo offerendum. Conſtat utique ejus ſacrificii locum fuiſſe montem More vel Moriah; eſt autem More Sichem & Garizim proximum, uti ex illo Geneſis 12. 6. intelligimus: *Pertranſivit Abram terram uſque ad locum Sichem, uſque ad convallem illuſtrem*; Hebræus: *Uſque ad convallem More*. Et Deut. 11. 30. *Super montem Garizim, & ſuper montem Hebal .... juxta vallem tendentem & intrantem procul*; Hebræus: *Juxta Elon More*, uſque ad quercum vel terebinthum More. Sat etiam convenit inter omnes, Jacob in agro empto ſibi, colliſo pretio, ab Hemor in Sichem, Altare excitaſſe, ubi & obtulit ſacrificium Domino.

Notant etiam Samaritani, Deum ſemel & iterum in Sacra Scriptura ſignificaſſe, in hoc potiſſimùm monte optare ſe, ut cultus ſibi impenderetur religioſus: hunc enim aſſignavit ad proſpera imprecanda illis, qui Legalium præceptorum dicto fuiſſent audientes; cùm interim in refractarios imprecari dira ſtatuiſſet in monte Hebal *Deut.* 27. 12. 13. Ad Garizim excitaſſe dicunt Joſue Aram, è duodecim lapidibus ab alveo Jordanis deductis, quam ab illo excitatam Aram hodie uſque perſeverare contendunt. Amœniſſimus, inquiunt, eſt mons Garizim, lætus, ac fertilis; Hebal viciſſim ſterilitate horreſcit: Garizim ad benedictiones ſelectus eſt, omiſſo Hebal; quod & in Hebræorum Libris exprimitur. Ad ſententiam hanc ſuam aſſerendam producunt Bibliorum ſuorum teſtimonium, ex Deut. 27. 4. in hæc verba: *Quando ergo tranſieritis Jordanem, erigite lapides in monte Garizim* (Hebræus habet *in monte Hebal*) *& linies eos calce & ſcribes ſuper lapides iſtos omnia verba legis hujus &c.*

Et in Exodo 20. poſt verſum 17. legunt: *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram Chananæorum, ad quam vadis poſſidendam, eriges ibi duos lapides magnos, & oblinies eos calce, ſcribeſque ſuper lapides iſtos omnia volumina Legis hujus. Poſtquam etiam tranſiveris Jordanem ſtatues lapides iſtos, quos ego præcipio vobis hodie, in monte Garizim* (Hebr. *Hebal*) *ædificabis ibi Altare Domino Deo tuo, Altare lapideum; non elevabis ſuper eos ferrum. Ex lapidibus informibus ædificabis altare iſtud Domino Deo tuo, & afferes ſuper illud holocauſta Domino Deo tuo, & ſacrificabis pacifica, & comedes ibi & lætaberis coram Domino Deo tuo in monte iſto ultra Jordanem, poſt viam occaſus ſolis in terra Chananæi habitantis in planitie è regione Galgal juxta quercum More, verſus Sichem*. Repetita ſunt hæc partim è Deuteronomii 11. 29. 30. partim ex 27. 2. &c.

Spectare hic licet Textum planè corruptum, ſeu fraude Judæorum ſubſtituentium Hebal pro Garizim, vel Samaritanorum, qui loco expuncti Hebal poſuerint Garizim. Quod autem in Samaritanos multo promovet ſuſpicionem, illud eſt. 1. Quod eorum bono corruptio illa cedit. 2. Verſiones omnes Bibliorum generatim cohærent Hebræo, leguntque *Hebal* pro *Garizim*. Fatemur utique Verſiones illas omnes, utpote ex Hebræo adornatas, nihil probare, onerandis invidia Samaritanis, quorum Textum non exprimunt; & ſi unquam ſuccurriſſet ut totidem è Samaritano Verſiones procuderentur, quot ex Hebræo deductæ ſunt, eadem invidia onerare poſſent Hebræos Samaritani, qua nunc Hebræi Samaritanos illos premunt. Quare ultro fatendum eſt, minoris roboris eſſe petitum inde argumentum.

Adhæc conſtare utique arbitror, Hebræorum cauſæ minus acceſſurum ea in re præ Samaritanis commodi, niſi optimis documentis ex Hiſtoria aſſertiſque monumentis petitis evincere potuiſſent Judæi, publicum veræ Religionis exercitium ſemper apud ſe manſiſſe Hieroſolymis, vel in aliis ditionis ſuæ locis, & nunquam in monte Garizim: cùm viciſſim Samaritanis nihil ſuppetat cultui ſuo in eo monte aſſerendo, præterquam Hiſtoriarum fidei ſubleſtæ & minoris vetuſtatis argumenta. Quando vero concederemus legendum in Textibus illis *Garizim*, & non *Hebal*, nunquid propterea rectè inde inferretur, Joſue, & qui poſt illum populum Dei moderati ſunt, publicum Religionis centrum & exercitium conſtituiſſe in monte Garizim? Id unicè tantùm conſtaret, erectum ibi Altare tumultuarium ad ſingularem quendam, & perfunctoriam cæremoniam. Exercitium cultus ſolemnis Religionis Judaicæ nunquam ſejungebatur ab Arca fœderis, nec illi certus fixuſque fuit nuſquam locus, niſi poſtquam David ſedes illi conſtituit in Regiis ædibus Jeruſalem, & in ea pariter Urbe Salomon Templum Arcæ eidem excitavit.)

GARISIMA, locus 20. ſtadiis à Sephoni, authore Joſepho de vita ſua.

GAR-

(a) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 6.
(b) Antiq. l. 13. c. 17. A. M. 3874. ante Chr. 126. ante Ær. 130.
(c) Jul. Afric. in Syncelli Chron. A. M. 3947. ante Chr. 53. ante Ær. 57.

Digitized by Google

GARMI, vir ex urbe Machuti, filius Naham (a).

GASPHA, locus Nathinæorum domicilium (b). In Hebræo Gaſpha Princeps eſt Nathinæorum.

GATHAM, filius Eliphæ, filii Eſau *Gen.* 36. 11.

GAVER, fauces non longè à Jeruſalem, ubi Ochozias Rex Juda lethali vulnere à Jehu percuſſus eſt, 4. *Reg.* 9. 27.

GAULAN, ſive *Gaulon*, vel *Golan*, celebris urbs transjordanica, quæ modicæ regioni nomen indidit. Tribui Manaſſe transjordanicæ ceſſit, *Deu.* 4. 43. ac deinde Levitis è familia Gerſon, & inter urbes refugii deputata, *Joſue* 21. 27. Urbem Gaulon ſua ætate inter florentiſſimas Batanææ, ſivè Balanitidis fuiſſe refert Euſebius; qui tamen nullum certum ejuſdem urbis ſitum indicat; mirum autem celebris adeò urbis locum ignorari. Ad ſuperiorem Galilæam transjordanicam ſpectabat, atque ex ea Judas Gaulonites, Galilæorum, ſive Herodianorum author, originem ducebat. Porrò Gaulonitis toto tractu à Peræa ad Libanum porrigebatur.

GAZA, urbs Philiſthæorum, Judæ Tribui tradita *Joſue* 15. 45. & 1. *Reg.* 6. 15. Inter 5. Satrapias Philiſthinorum recenſebatur, & ad extremitatem meridionalem Terræ promiſſionis ſita erat. In Textu Hebræo ejus nomen exprimitur, *Aza*, ſivè *Haſa*, per litteram *Ham* vel *Ain*, quam Septuaginta interdum reddunt G. Apud Syros ætate Stephani Geographi idem nomen *Aza* obtinebat. Cùm autem loci opportunitate ea urbs maximi eſſet momenti, variis idcirco fortunæ caſibus jactata eſt. Primo Philiſthæis, deinde Hebræis, randem ſub Joatham, ſivè Achaz, excuſſo ſervitutis jugo, nulli paruit. Poſt hæc, iterum ab Eſechia ſubacta 4. *Reg.* 18. 8. tandem communi cum univerſa Syria & Phœnicia fato, Chaldæos dominos experta eſt; poſt Chaldæos, Perſas; Perſidis domitor Alexander illam obſidione captam evertit (c). Succeſſu temporis, ſivè eadem, ſivè parvula urbs Gaza ad mare, alio nomine *Majuma*, reſtituta eſt.

Tum Regibus Ægypti tandiù manſit (d), quandiù Antiochi Magni armis expugnaretur, diripereturque (e). Pulſis Syris, Aſſamonæi, ſive Machabæi non ſemel illam ſubegere, 1. *Mach.* 11. 61. & 13. 43. Alexander Jannæus Judæorum Rex captam evertit (f); Gabinius reſtituit (g), & nummi ibidem cuſi adhuc ſuperſunt. Herodes Magnus, Auguſti munere illam obtinuit (h); quamquam Archelao filio ipſius non paruit. S. Lucæ ætate, *Act.* 8. 26. deſerta ſqualebar, niſi ejus verba de ampliori urbe Gazæ ad montem ſita, 20. milliaribus à Mari (i), dicta intelligamus, non de *Majuma*, ſive Gaza parva, urbe florentiſſima. Porrò Conſtantinus inverſo nomine in honorem filii ſui *Conſtantiam* appellavit, decretis illi honoribus, & privilegiis, quibus à Gazæ ſubjectione eximeretur. Hæc tamen privilegia, nomenque Julianus Imperator abrogavit, *Sozo. l.* 5. *c.* 5.

GAZABAR, Perſa, pater Mithridatis 1. *Eſdr.* 1. 8.

GAZARA, eadem ac Gadara, Gader, Gaderoth, Gazer &c. 4. milliaribus à Nicopoli, ſeptentrionem verſus, authore Euſebio.

GAZER, ſivè *Gazera*. Vide *Gazera*.

GAZOPHYLACIUM (k), Græca vox, ærarium, ſive ſcrinium theſauris recondendis, ſonans. Non unus erat in Templo Hieroſolymitano locus recondendis, ſervandiſque muneribus pretioſis, à Regibus, aliiſque piis viris Domino conſecratis. Verùm nomen illud ad cellas etiam ſignificandas, in quibus annona pro Sacerdotibus, & ea, quæ Sacrificiis deſtinata erant, ſervabantur, detortum eſt. Quin & omnia Templi conclavia communi Gazophylacii nomine appellata fuiſſe conſtat. In Evangelio gazophylacium eſt arca excipiendis oblationibus ad ingreſſum Templi deſtinata *Marc.* 12. 41. 43. *Luc.* 21. 2.

GEBA, ſivè *Gabaa*, vox collem ſignificans. Vide *Gabaa*.

GEBAL. Legimus in Pſalmo 82. 8. *Gebal*, *Ammon*, & *Amalech*. Verùm Chaldæus, & Verſio Samaritana, interdum montem *Geblam* pro monte *Seir* uſurpant. Apud Joſephum *Antiq. l.* 9. *c.* 20. occurrunt *Gabilita* (l) ad meridiem Palæſtinæ; & apud Stephanum *Gabalene* in Arabia, quæ ipſiſſima regio eſt Amalecitarum. Tandem Euſebius, & S. Hieronymus (m) ſæpiùs Gebalenes, ſivè Gabalenes regionis Idumææ meminere, cujus Metropolis Petra. Porrò omnia hæc regionem Gebal, ſivè Gabalenes ad meridiem Tribus Juda, & in Idumæa meridionali ſitam eſſe, ſatis indicant. *Gebal* montem ſonat, nomenque Gebalenes vetuſtiſſimum ſanè non eſſe ex eo intelligimus, quòd nonniſi in Pſalmo 82. occurrat, ſcripto uti quidem conjicimus, regnante Joſaphat Rege Juda.

GEBAL, alio nomine *Giblet*, & *Biblos*, urbs Phœniciæ. Vide *Giblos*.

GEBAR. Poſteri Gebar è captivitate Babylonica, turba hominum 95. regreſſi ſunt. 1. *Eſd.* 2. 20.

GEBBETHON, urbs Danitica (n), eadem fortaſſe ac *Gabbata*. Baala, poſt uſurpatum Iſraelis Regnum, in Gebbethon (urbe tunc Philiſthæorum) Nadabum filium Jeroboami occidit (o).

GEDELIAS, filius Phaſſur. *Jer.* 38. 1.

GEDDELTI, filius Heman Levitæ, cujus familia ſuo ordine in Templo miniſtrabat 1. *Par.* 25. 4.

GEDDIEL, filius Sodi, è Tribu Zabulon, inter viros ad explorandam Chanaanitidem à Moyſe miſſos (p).

I. GEDEON, filius Raphim, pater Jamnot, è Tribu Simeonis, inter proavos Judith *Judith.* 8. 1.

II. GEDEON, filius Joas, è Tribu Manaſſe, qui in urbe Ephra commorans, miro Divinæ Providentiæ conſilio ad aſſerendos in libertatem Iſraelitas, à Madianitidis poſt obitum Barac, & Deboræ oppreſſos, deductus eſt (q). Porrò Madianitæ ad eas anguſtias populum redegerant, ut in cavernas ſe recipere, atque in munitiſſimis, arduiſque locis ſe continere coegerint. Poſt ſatos autem ab Hebræis agros, illi per totam regionem diſcurrentes, immaturas adhuc meſſes metebant; pecora etiam, ſi quando occurriſſent, mactabant. Tot oppreſſi malis Iſraelitæ precibus ad Dominum clamarunt; qui tandem exorari paſſus, miſſis primò Prophetis, ingentia illorum crimina exprobravit; deinde ad Gedeonem Ephræ commorantem Angelum miſit. Porrò Gedeon tunc temporis excutiendo ſub quercu tritico occupabatur; in torculari verò hæc peragebat, ut faciliùs Madianitas res lateret; & ſi fortè illi occurriſſent, omnia commodè in tutum recipere potuiſſet.

Angelus igitur Gedeonem conveniens, Salve, inquit, Deo amice, & hominum fortiſſime. Cui Gedeon: Quorſum iſta, cum tot malis opprimamur? Quò prodigia periere, quibus majores noſtri à Deo ſervabantur, cum nos ſub Madianitarum jugo deſtituat? Tunc Angelus, Domini vices gerens, I, ſubdidit; iſtaque virtute repletus, Iſraelem è Madianitarum ſervitute liberabis. Te ego mitto, hoc ſcito. Detrectanti autem provinciam Gedeoni Dominus ſe illi affuturum, hoſteſque ope ſua proſtraodos fore polli-

(a) 1. Par. 4. 19. (b) 2. Eſdr. 11. 21.
(c) Vide Plutar. in Alex. & alios. A. M. 3672. ante Chr. 328. ante Ær: 332.
(d) Antiq. l. 13. c. 21. (e) Polyb. in excerpt. Valeſ.
(f) Antiq. l. 13. c. 21. (g) Antiq. l. 14. c. 10. (h) Antiq. l. 15. c. 11.
(i) Arr. l. 2. de Exped. Alex. (k) In Hebr. eſt domicilium, habitaculum.
(l) Euſ. & Hieron. in Idumæa, Seir, Allud, Mabſar, Jether.
(m) Joſue 19 44. (n) 3. Reg. 15. 27. A. M. 3072. ante Chr. 928. ante Ær. 932.
(o) Num. 13. 11. A. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490.
(p) Judic. 6. 1. 2. Servierunt Madianitis ab A. M. 2752. uſque ad 2759.

pollicitus eſt. His auditis, Gedeon pignus aliquod petiit, quo promiſſi hujus ſinceritatem cognoſceret. Quare Angelum tamdiu ſubſiſteret, rogavit, quamdiu ſacrificium offerret. Angelus verò, Affer, ait, carnem, & azyma, eaque lapidi huic impone, ipſumque lapidem jure carnis perfunde. Paruit illicò Gedeon; & Angelus extenta virga, appoſitas dapes attingens, ſubitò ignem è petra expreſſit; quo in aera ſublato, Angelus inter flammas evanuit. Gedeon Angelum noſcens, Heù, exclamavit, Domine: Angelum præſentem vidi. Sed à Deo mox animo confirmatus, ſtatim altare excitavit, cui nomen indidit: Pax Domini. Subeunte nocte, Dominus dormienti apparens, lucum, & aram Baal deſtrueret, ejuſque loco aram Domino in eodem lapide ſtatueret, in quo antea ſacrificium obtulerat, imperavit. Aræ autem unum ex paternis bobus in holocauſtum adolendum imponeret. His à Gedeone peractis, poſtera die Ephræ cives factum intelligentes, irrogatam Numini injuriam ulturi, Joas Gedeonis patrem convenere; filiumque, qui interficeretur, poſtularunt. Quibus Joas: An veſtrum eſt Baal ulciſci? Si Deus eſt, ipſe ulciſcatur. Exinde Gedeoni nomen inditum *Jerobaal*, ſcilicet *Baal videat*, vel *contendat*, in violatorem nempe altaris ſui. Idem illi nomen, ſcilicet *Jerobaal*, vel *Jerombal*, apud falſo inſcriptam Sanchoniatoni (a) hiſtoriam manet.

Inter hæc, Madianitæ trajecto Jordane in valle Jezrael caſtra muniebant; cum Gedeon ſubito Divini Spiritus œſtro abreptus, Iſraelitas è familia Abiezer, Ephræ, & in viciniis verſantes, ſub ſigna vocavit; miſſis etiam per totam regionem orientalem Chanaanitidis Legatis, Tribus Manaſſe, Aſer, Zabulon, & Nephtali ad eam expeditionem, excutiendumque Madianitarum jugum invitavit. Aucto igitur ſic conſluentibus exercitu, Gedeon Deum exorans poſtulavit, ut prodigii alicujus ſigno ſe à Deo miſſum populis in libertatem aſſerendis proderet. Oravit igitur, ut extenſum in area vellus rore, arente interim circum tellure, perfunderetur. Voti compos factus poſtulavit, ut terra circum rore madida, vellus interim ſiccum ſervaretur: idque obtinuit. His ergo exhibitis à Deo vocationis Gedeonis indiciis, totus exercitus in Madianitas in Jezrael caſtrametatos procedens, ad fontem Harad ſubſtitit. Tunc Deus ducem allocutus, majorem eſſe exercitum, quàm ut oporteret, ſignificavit; ſibi enim victoriam, non copiarum viribus acceptam referri volebat. Quare Gedeon omnibus animo deſpondentibus regreſſum permiſit, qua facultate obtenta, 22000. ab exercitu receſſere. Cum 10000. tantummodo reliqua eſſent, nimius adhuc numerus viſus eſt; hinc à Deo monitus Gedeon, copiis ad torrentem ductis, qui deflexo poplite aquis ſe potandis componerent, quive ſtantes manu, vel lingua lympham libarent, notavit. Hos verò Dei monitu elegit, illos rejecit. Ita ad 300. reducti ſunt.

Ita reformato exercitu, commeatibus ad dies aliquot, ſingulique laguncula continendo lumini, ſimulque buccina ſibi providerent, imperavit. Inter hæc, Dux ipſe à Deo juſſus in hoſtium caſtra ſolitarius irrepens, Madianitam quendam ſomnium ſocio narrantem audivit, hordeaceum ſcilicet ſubcinericium panem vidiſſe, qui in caſtra Madianitarum devolutus, obvium papilionem dejecit. Hoc ſomnium alter proſperum ejus belli exitum Gedeoni portendere interpretabatur.

Fauſto igitur omine accepto Gedeon lætus ad ſuos redit, eorumque animis confirmatis, lampades ſinguli caperent, lagunculas & buccinas, quæque Dux faceret, ipſi ſequerentur, imperavit. Teſſera autem ea die data eſt: *Domino*, & *Gedeoni*. Diviſum poſtea in tres partes exercitum tribus diverſis partibus ad hoſtium caſtra tertia noctis vigilia deduxit. Vix ad illa pervenere, Gedeon ſubito confracta ingenti ſtrepitu lagena, lampadem prodidit, ſimulque buccina inſonuit. Exemplum Ducis cæteri ſecuti ſunt; collato tamen pede in ſuo quiſque ordine permanſit. Subito clamore territus hoſtis, turbatuſque, illicò in fugam verſus; deinde inter ſe ipſos commiſſi, mutua ſe cæde confecerunt. Tunc fugientibus inſiſtere Iſraelitæ, ad certam victoriam armatis Tribuum Manaſſe, Nephtali, & Aſer venientibus. Interea Gedeon miſſis per Tribum Ephraim Legatis monuit, ut vada cuſtodirent, ne hoſtium aliquis Jordanem tranſiret. Interim ipſe trajecto cum ſuis Jordane, Madianitas ultrà Socboth, & Phanuel inſequutus eſt *Judic.* 8. 1. illoſque improviſo adortus, quippè qui in tutum receptos ſe crediderant, facilè diſſipavit; duoſque Reges Zebee, & Salmanam captivos abduxit. Inde ante Solis occaſum ad Socoth, & Phanuel iter convertit.

Cum eæ urbes hoſtem inſequenti annonam antea denegaſſent, relata idcircò victoria redux, pœnas ex illis acerbiſſimas exegit. Optimates enim Soroth deſerti ſpinis dilaniavit, atque contrivit: incolas verò Phanuel, everſa priùs eorum turri, trucidavit. Converſo deindè in Zebee & Salmanam gladio, illos occidit; ſimulque aureas bullas, cæteraque ornamenta, quibus Regiorum camelorum phaleræ diſtingui ſolebant, detraxit. Exorta inter hæc Ephraimitarum in Gedeonem querela, quippe qui ad bellum accitus cæteris ipſos reliquiſſet; brevi tamen murmur quievit, oſtendente Gedeone, optimam illis victoriæ partem reſervatam fuiſſe, qui Oreb, & Zeb Madianitarum Principes comprehendiſſent.

In ejus victoriæ præmium ab Iſraelitis Gedeoni, ejuſque in perpetuum filiis, populi dominium oblatum eſt. Gedeon tamen delatum ſibi honorem Domino reſervari juſſit; ſibi vero unum hoc poſtulare *Judic.* 8. 22. 23. receptas nempe ex præda inaures, quas Madianitæ auribus appenſas geſtabant. Petenti libentiſſimè populus acquieſcens, ſuper ſtratum in terra pallium eaſdem manubias conjecit, tantumque ex ea re auri comparatum eſt, ut 1700. ſiclorum aureorum pondus æquaret, præter torques, ornamenta, & purpureas veſtes, quibus Reges Madianitarum utebantur; ipſis etiam aureis camelorum phaleris minimè computatis. Ex collectis divitiis Gedeon Ephod conflavit, quod in patria illius Ephra ſtatutum, ipſi totique familiæ, nec non Iſraeli univerſo, ſucceſſu temporis exitio fuit. Filios habuit Gedeon ex pluribus, quas duxerat, uxoribus, ſeptuaginta, quem numerum auxit Abimelech ex concubina natus, qui triennio in Sichem regnavit.

Gedeon facilè, alio nomine *Jerobaal*, ſive *Jerubaal*, ipſiſſimus eſt *Jerombal*, *Sacerdos Dei Jao*, quem, Sanchoniaton ſuper Antiquitatibus Phœnicis conſuluiſſe ſe jactitat apud Euſeb. l. 1. & 10. Præpar. Sanchoniaton enim ſub Regno Ithobalis Regis Tyri, nempe circa tempora Semiramidis Reginæ Aſſyriorum, florebat; quare Jerobaali, ſive Gedeoni ferè ſuppar. Vulgò tamen Eruditis noſtra ætate perſuaſum Sanchoniatonem Authorem eſſe mirè fabuloſum, pluraque ad libitum in eo opere conficta, plura etiam ex Hiſtoria Sacra inducta, plura tandem ex tabulis Phœniciis, eo conſilio, ut Librorum Sacrorum authoritati detraheret. Vide *Sanchoniaton*. Pro Jerobaal David Gedeonem appellat *Jerubeſeth* (b), cum nomen Baal pronunciare Hebræi religioni ducant; hinc pro *Miphibaal* legunt *Miphiboſeth*.

GEDERA, Gederoth, Gederothaim, Gedor, diverſa nomina ejuſdem urbis, de qua nos v. *Gadera*.

I. GEDOR, filius Phanuelis, è Tribu Juda. 1. *Par.* 4. 4.

II. GEDOR, filius Jared è Tribu Juda. 1. *Par.* 4. 18.

III. GEDOR, filius Maachæ, è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 8. 31.

GE-

(a) Apud Euſ. Præp. l. 1. (b) 2. Reg. 11. 21. in Hebr.

GEDOR. Vide *Gadera*.

GEDRUS, vicus florentiſſimus Euſebii, & S. Hieronymi ætate (a), 10 milliar. à Dioſpoli in via ad Eleutheropolim. Idem forte eſt cum *Gedera*.

GEHENNOM, ſive *Vallis Hennom*, vel *Gehenna*, ſeu *vallis filiorum Ennom* (b). Ea vallis Jeruſalem contingebat, ſimulque limites meridionales Tribus Benjamin definiebat. Euſebio Authore, ſita erat ad Orientem Jeruſalem, ejuſque mœnibus adjacebat; eam tamen meridiem verſus ſecundum torrentem Cedron porrectam fuiſſe conſtat. Ferunt in ea valle cloacam Urbis extitiſſe, ubi perpetuus ignis morticinis, & immundiciis abſumendis detineretur (c); unde nomen Gehennæ ad Infernum, ubi perpetuus ignis torquendis impiis alitur, translatum eſt (d). Alii verius viſum eſt, nomen Gehennæ Inferno datum ex igne in honorem Moloch in eadem valle ſuperſtitioſe ſervato (e); cui ſanè Numini Hebræi non ſemel humanis etiam victimis, quin & filiorum ſuorum ſanguine litarunt. Joſias Rex, ut locum inauſpicatum redderet, Judæis ejuſdem horrore à ſuperſtitione avertendis, mortuorum oſſa, & immundiſſima quæque illuc juſſit aſportari. Hebræa voca *Ge-hennom* vallem Hennom ſonat.

GEHON, amnis inter quatuor è Paradiſo voluptatis profluentes (f), quo nomine alii temerè prorſus Nilum ſignificari ſtatuerunt, ac ſi amnis ille, cujus caput à montibus Armeniæ, unde Euphrates, & Tigris defluunt, ultra 600. leucas diſſitum eſt, communem cum illis fontem obtinere poſſit. Veriſimiliùs igitur Araxem deſignari credimus, qui vorticoſis fluctibus è montibus Armeniæ præceps in Mare Caſpium devolvitur. Nomen Gehon Hebraicè impetu raptum, præcipitem ſonat. Eccleſiaſticus inundationis Gehon vindemiarum tempore meminit *Eccli.* 24. 37. Araxes enim ſolutis æſtivo calore nivibus Armeniæ, eo potiſſimum tempore intumeſcit.

(Receptum eſt vulgo apud Arabes eo nomine deſignari *Oxus*, amnem cujus fontes in montibus Imahu, curſus ab Oriente in Occidentem; cum verò ad regionem Coraruzm pervenit, plurimo Mæandro ſerpit, ut verſo curſu exordium ſuum repetere videatur. Dein flexo itinere aquas devolvit in mare Caſpium occidentem versùs. Amnis iſte ſignat poſitos à natura fines inter Provincias cultas à Turcis Orientalibus & cæteras Perſarum. Apud Geographos recentiores nomen obtinet *Abiamu*, i. e. amnis *Amu*: apud Arabes *Gehon*, & *Neheer balkh*, amnis *Balk*, quòd Urbem illam permeat. Fluere illum credunt è Paradiſo, unum inter quatuor Moſaicos.

Succurrit aliis Gehon deſignare canale occidentalius, è geminis in quos diſtinguuntur Tigris & Euphrates, cum ſcilicet poſt junctas aquas, novo divortio alter ab altero diverſus in mare feruntur. Hæc ſententia Calvini, Scaligeri, ac plurium inter Recentiores, quorum potiſſima ad perſuadendum ratio ea eſt, nimirum orientale alterum canale ipſiſſimum eſſe Phiſon. Reipſa tamen utrumque hoc æquè dubium eſt & ambiguum. Aliis viciſſim *Phiſon* canale eſt occidentale Tigridis & Euphratis iterum ſeorſum fluentium; *Gehon* verò canale eſt alterum ad orientem. Fidem opinioni huic ſuæ adſtruunt, quòd terra Chus, quam permeat Gehon, ipſa eſt Ciſſia vel Cuzeſtan. Probatur id DD. Bocharto & Huetio.

Joannes Hopkinſon, qui ſcripta Diſſertatione Paradiſi terreſtris argumentum vexavit, Gehon nomen vindicat ramo Euphratis, quem deduxiſſe Chaldæos dicit Plinius ad agros ſuos irrigandos quique nimia aquarum in rivos diverſione inaruit. Sed hiſce omnibus ſyſtematibus evertendis id vel tantùm animadvertiſſe juvat, Moyſem intendiſſe utique ut in cognitionem ſitus Paradiſi terreſtris venirent Hebræi, delineatis Geographicis characteribus ætate ſua exiſtentibus, nec gnoti ignotis. Conſtat utique nec aquarum diverticulum illud, de quo Hopkinſon, nec duo illa canalia ex divortio aquarum Nili, Euphratis, & Tigridis temporis Moſaici parem ætatem ſibi vindicare. Nihil eſt igitur cur duo illa canalia præ oculis habuiſſe credatur Moyſes, dum de Phiſon & Gehon ſcriberet.

Aſſerit non obſcure Plinius l. 6. c. 27. nonniſi ſeriùs Tigrim & Euphratem in unum coiviſſe; olim enim ſeorſum ambo ferebantur in ſinum Perſicum, oſtia habentes diſſita intercſtitio 25. milliar. vel 7. juxta alios: *Inter duarum amnium oſtia* 25. *m. paſſus fuere, aut, ut alii tradunt*, 7. *m. ſed longo tempore Euphratem præcluſere Orcheni, & accolæ agros rigantes, nec niſi per Tigrim defertur in mare*. Alibi verò, nempè l. 6. c. 28. affirmat monſtrari adhuc *locum ubi Euphratis oſtium fuit*. A Nitochre Regina commiſſum dicit Herodotus l. 1. ut in plura canalia diverteretur Euphrates, ex quo de veteri majeſtate & gloria fluminis, ita decerptum, ut è pleno olim alveo humili hodie rivo fluat. Meminit idem pariter l. 5. Euphratis ut amne proprio fluentis in ſinum Perſicum, nec de ejus confluxu cum Tigri quicquam habet (g). Plinius l. 6. c. 26. *Sunt qui tradunt Euphratem Gobaris Præfecti opere deductum, ubi eum diximus ſcindi*. Porrò hæc ab ætate Moyſis, immane quantùm diſtant!)

GEHON, ſive *Geon*, fons Hieroſolymæ proximus. Vide *Gihon*, ſive *Gion*.

GELBOE, mons Iſraelitarum, Saulis, ejuſque filii Jonathæ cæde notiſſimus. 1. *Reg.* 31. 1. Hanc Euſebius, & S. Hieronymus ſex milliar. à Bethſan, ſive Scythopoli removent; ibique vicum fuiſſe florentiſſimum nomine *Gelbus*, narrant. Ad radices ejus montis fons defluebat, urbem Jezrael alluens, authore Guillelmo Tyrio l. 22. c. 26. David in lugubri nænia in Saulis, & Jonathæ obitu, uberrimos fuiſſe eos montes inſinuat 2. *Reg.* 1. 6. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat ſuper vos, neque ſint agri primitiarum; quia ibi abjectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul.* Noſtra tamen ætate arentes, & ſteriles eſſe feruntur.

GELBUS, vicus ad radices montis Gelboe, ſex milliaribus à Scythopoli.

GELILOTH JORDANIS, quem locum alii in transjordanica ſitum credunt, ubi ſcilicet Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe, Altare erexerunt, ut cognationis ſuæ cum Tribubus ciſjordanicis monumentum extaret (h). Alii eam vocem reddunt, circuitus, circumvolutiones, ſive etiam limites, & tumuli Jordanis. In Libro Joſue 18. 18. Geliloth ſunt Colles in viciniis Galgalæ, ſive urbs ipſa. Vulgata habet: *pertranſiit uſque ad tumulos*.

GELMON (i) ſive *Gelon*, ſeu potius *Gilon* Juda, Achitophelis patria 2. *Reg.* 23. 34.

GEMALLI, pater Ammielis, è Tribu Dan (k).

(**GEMARRA**, Eo nomine deſignatur complementum & perfectio. Pentateuchum vel quinque Libros Moyſis, Legis nomine ſine addito Rabbini deſignant. Accedit illis poſt eos Libros Thalmud in duas partes diſtributus; prior exhibet generales Legis ſanctiones ad ſingulares eventus accommodatas cum veterum Rabbinorum ad ſingulas ſententiis. Prior hæc Thalmudis pars deſignatur nomine *Miſchna* vel ſecundæ Legis, vel *Deuteroſis*. Pars altera fuſior eſt Legis explicatio, complectens Rabbinorum Miſchnæ poſteriorum dogmata & placita; Gemarram, complementum, perfectionem appellant; perinde enim illam ſuſpiciunt, velut omnibus numeris abſolutam Legis expoſitionem, cui nihil addendum, nihil ultra deſiderandum reſtat,

Duæ

(a) Hier. & Euſ. in Gedur. (b) Vide Joſ. 15. 8. & 4. Reg. 23. 10. (c) Vide Kimchi in Pſ. 27. & Coſar. ſer. 1.
(d) Matth. 5. 10. & 18. 23. Marc. 9. 44. Luc. 22. 5. (e) Vide ſer. 7. 30. (f) Gen. 2. 13. Heb. *Gichon*, ſive *Gehon*.
(g) *Euphrates magnus & altus & celer ex Armeniis in Rubrum mare decurrit.*
(h) Joſ. 22. 10. A. M. 2560. ante Chr. 1440. ante Ær. 1444. (i) Antiq. l. 5. c. 8. 9. (k) Num. 13. 13.

Digitized by Google

Duæ ſunt *Gemarra*, vel duo *Thalmud*, Hieroſolymitanum, & Babylonicum. Digeſtum eſt Hieroſolymitanum, ſi Judæis fides, exeunte ſecundo vel tertio Jeſu Chriſti ſæculo opera Jochanan clari nominis Rabbini; ſed P. Morinus, Criticus emunctæ naris, defendit plus nimium antiquitati Gemariæ vindicaſſe Judæos; neque enim ſupremam manum Operi impoſitam fuiſſe, niſi exeunte ſeptimo ſæculo circiter. Thalmud Hieroſolymitanum ideò parvi æſtimant Judæi, quòd obſcuriſſimus ſit. *Gemarram* Babylonicam Opus eſſe recentius affirmant Rabbini; cœptum eſt ab Aſe Doctore Judæo; atque paterno Operi ſuos poſt illum adjunxiſſe labores ejus filii vel diſcipuli, Maimar, & Mar feruntur.

Eſt autem Gemarra ad Miſnam, quod Commentarii noſtrorum Theologorum ad Textum Magiſtri Sententiarum, vel ad Summam S. Thomæ; eo tamen diſcrimine, quòd amplior ſit Judæorum Doctorum apud ſuos authoritas, quàm noſtrorum apud noſtros. Docent illi nihil referri in Gemarra niſi putum putumque Dei verbum, conſervatum Majorum traditione, tranſmiſſa, veluti per manus, à Moyſe adusque R. Judam Sanctum, Jochanan, Aſem, Joſem, cæteroſque Thalmudis Authores, à quibus id commiſſum, ut ſcripto omnia redigerentur, veritis, nè variis populi tranſmigrationibus & vicibus tandem fieret, ut corruptionis aliquid purum illibatumque fluentum illud contraheret.)

GENAM, ſeu potiùs *Geſ-Nait*, vallis Naim, vicus in magno Campo Samariæ (a).

GENEALOGIA, Græca vox, progenitorum enumerationem ſonans, Hebræis *Sepher toledoth*, nempe Liber generationum. Servandæ genealogiæ, ſiqua Orbis gens, Hebræi ſedulò ſtudebant. In ſacris Libris genealogiæ ſuperſunt pluſquàm ex 3500. annis deductæ, & in Evangelio genealogia Jeſu Chriſti ab Adam uſque ad S. Joſephum, ſive Mariam, ejuſque parentes toto nempe 4000. annorum ſpatio deducitur. Si qui exactam familiæ ſuæ genealogiam oſtendere non poterant, illos Sacerdotio excluſos fuiſſe apud Eſdram 2. 62. legimus, quare authore Joſepho *l.* 1. *contra Appion.* ſeries Sacerdotum conſtans, longo 2000. annorum ſpatio apud Judæos occurrebat. Addit inſuper ille Sacerdotes Hebræorum ſummo ſtudio genealogias ſuas ſervare conſueviſſe, quas ne unquam adſcititiis nuptiis adulterari contingeret, ex tabulis publicis Hieroſolymæ ſervatis, illas ſedulò deſcriptas deferebant, quocumque tandem in loco, ſive in Judæa, ſive extra verſari contigiſſet. Siquæ verò diſceptatio emerſiſſet, tabellaria Hieroſolymitana conſulebant. Tandem, ait, in perſecutionibus, bellis, aliiſve publicis calamitatibus, hujus generis monumentis ſervandis innovandiſque cura maximè habebatur.

Fateamur tamen oportet, ea tandem ſcripta ſubeuntibus Romanorum bellis, 30. ab obitu Servatoris annis, & in Judæorum poſtrema diſperſione ſub Adriano ob tentatam à Barcocheba defectionem, intercidiſſe. Quare nemo forte, totum etiam, qui ſe è genere Sacerdotum jactitant, certa ſuæ genealogiæ argumenta exhibebit. De Judæis hæc ſcribit S. Hieronymus *ad Tit.* 3. *Ita illi à prima ætate vernacula ſui ſermonis vocabula penitiſſimis ſenſibus imbibetunt, & ab exordio Adam, uſque ad extremum Zorobabel, omnium generationes ità memoriter velociterque percurrunt, ut eos ſuum putes referre nomen.* Studium illud genealogias ex priſcis fontibus repetendi carpere S. Paulus (b), hiſque verbis ſuggillare videtur: *ſtultas autem quæſtiones & genealogias, & contentiones Legis devita; ſunt enim inutiles & vanæ.*

(GENERATIO. Præter literalem & obviam vocis ſignificationem altera etiam ſuppetit, ut generatio perinde ſit ac hiſtoria, & genealogia certi cujuſpiam hominis; e. g. *Hic eſt liber generationis Adam Geneſ.* 5. 1. *Iſta ſunt generationes Cæli, & terræ Geneſ.* 2. 4. i. e. hiſtoria creati Adam, hiſtoria creati Cæli & terræ. *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David* Matth. 1. 1. genealogia, & hiſtoria rerum geſtarum Jeſu Chriſti.

Tempora ſupputabant interdum Veteres per generationes, quæ methodus eſt Scripturæ familiaris. *Generatione autem quarta revertentur huc Geneſ.* 15. 16. Joſeph vidit ex Ephraim nepotes uſque ad tertiam generationem *Geneſ.* 50. 22. Deut. 23. 2. decretum eſt nothos rejici à cœtu Domini *aduſque decimam generationem.* Verùm apud Antiquos, cùm duratio generationum certi haberet nihil, nec definita licèt ad ætatem quatuor hominum è patre in filium ſuccedentium certi aliquid ferret, ejus periodus conſtituebatur ab aliis quidem ad 100. annos. ab aliis ad 110. ab aliis ad 33. 30. 25. vel etiam 20. Ita nihil ea de re ſtat conſtans & uniforme. Animadverſum eſt tamen generationum durationes eo prolixiores eſſe, quò accederent ad ſæcula vetuſtiora. E. g. Homerus de Neſtore affirmat egiſſe illum tres generationes, & quartam adhuc currere; quibus inſinuat vitam ultra 300. annos prorogaſſe.

Non tranſibit generatio hæc donec omnia hæc fiant Matth. 24. 34. homines qui nunc vivunt non omnes quidem interibunt, antequam hæc impleantur, vivunt hodie plures, malorum, quæ imminent, teſtes futuri. Lucæ 11. 31. *Viri generationis hujus*, hujus ætatis homines. *Generatio infidelis, perverſa Luc.* 9. 41. *Salvamini à generatione iſta prava Act.* 2. 40. ab hominibus hiſce pravis. *Generatio generationum Pſal.* 32. 11. & paſſim phraſis eſt ventura ſæcula exprimens. *Generationem ejus quis enarrabit?* Iſaiæ 53. 8. quis Meſſiæ æternam generationem? *Generatio Dei conſervat eum*; Sancti & Prædeſtinati, opera manuum Dei, ex ipſo ſati per generationem, in morum ſanctitate vivunt; quoniam generatio iſta & dos filiorum Dei conſervat, permunitque illos à crimine.)

GENESAR, ſive *Geneſareth*. Lacus Geneſareth, idem ac Lacus Tiberiadis, & mare Cinereth, vel Cenereth. Vide *Cenereth*.

GENESIS, inter Libros Canonicos primus, cui ex deducta ibidem Patriarcharum ab Adam uſque ad Jacobi nepotes genealogia, Geneſis, ſcilicet generationis, nomen inditum eſt. Hebræis inſcribitur *Bereſchit*, quòd ea verba in Hebræo Textu prima legentibus occurrant. Hiſtoriam complectitur 2369. annorum, ab exordio ſcilicet Mundi, uſque ad Joſephi Patriarchæ obitum. Totius Pentateuchi Authorem Moyſem fuiſſe ne ambigimus quidem; qua de re ſcripti de illo argumento Libri conſulantur.

GENTILIS, quo nomine, Hebraicè *Goiim*, appellantur, quicumque alterius ſunt ab Hebræis fidei, Legis, & Numinis; quare quicumque non Judæus, is continuò Gentilis habebatur. Vitæ & juſtificationis janua ante Chriſti adventum Legem tantummodò Hebraicam profitentibus patebat; cui ſi quis alienigena nomen dediſſet, *proſelytus* appellabatur. Poſt Evangelii prædicationem vera Religio non intrà unius tantùm gentis & regionis limites, ut olim, comprehenſa, ſed promotis pomeriis prorogata eſt. Deus enim, qui per Prophetas ſuos veræ fidei januas Gentibus ſeſe reſeraturum promiſerat, larga gratiarum largitione fidem ſuam liberavit, eo progreſſu, ut Judæis, conceſſis ſibi privilegiis tumentibus, jactantiæ ſuæ derelictis, univerſa fermè Eccleſia Chriſtiana ex Gentibus cogeretur. Apud S. Paulum *Judæus & Græcus* eodem ſenſu uſurpantur ac Judæus ac Ethnicus (c); eandemque phraſim S. Lucas in Actibus uſurpat *Act.* 6. 1. & 11. 20. & 18. 4. &c.

(S. Paulus vulgò appellatur *Gentium* vel *Græcorum Apoſto-*

(a) De Bello l. 2. c. 2. Reland. p. 803.
(b) Tit. 3. 9. Has Chronologias ab Apoſtolo reprehenſas eaſdem eſſe ac Sephyroth, de quibus Rabbini, Baſnagius autumavit.
(c) Rom. 1. 14. 16. & 2. 9. 10. & 3. 9. & 10. 12. & 1. Cor. 1. 22. 24. Galat. 3. 28.

Apoſtolus (a), quòd potiſſimùm deſtinatus eſſet annunciando Jeſu Chriſto populis Idololatris; cùm autem S. Petrus & Apoſtolorum cæteri, id ſibi curarum potiſſimùm ſuſcepiſſent, ut pro Judæis allaborarent; ea quo nomen *Apoſtoli circumciſionis Galat.* 2. 7. *Creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis.*

Gentium vocationem ad fidem non obſcuris oraculis prænunciaverant Veteres Prophetæ. Jacob futurum prædixerat, ut gentes ſperarent in Meſſiam, & in eum, qui mittendus expectabatur Siloh: *Ipſe erit*, inquit, *expectatio gentium Geneſ.* 49. 10. Salomon poſt abſolutam Templi Domini inſigni pompa dedicationem, his Deum precibus compellat: *Externum quoque, qui non eſt de populo tuo Iſrael, ſi venerit de terra longinqua, propter nomen tuum magnum, & propter manum tuam robuſtam, & brachium tuum extentum, & adoraverit in loco iſto; tu exaudies de Cœlo firmiſſimo habitaculo tuo, & facies cuncta, pro quibus invocaverit te ille peregrinus: ut ſciant omnes populi terræ nomen tuum, & timeant te, ſicut populus tuus Iſrael.*

Pſalmiſta Pſ. 2. 8. ita Dominum ad Meſſiam loquentem inducit: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam Pſ.* 86. 4. agnoſcendum illum dicit ab Ægypto & Babylonia; ſollicitam properaturam Æthiopiam afferendis ipſi muneribus *Pſ.* 71. 9. 10. tributa eidem repenſuros Reges Tharſis, & Inſularum, Reges Arabum & Sabæorum. Ejuſmodi de Gentilibus oraculis utraque Iſaiæ pagina impletur, ea quo nomen Vati datum eſt, *Propheta Gentium. Iſaia* 2. 3. *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi & dicent: Venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus.* Et capite 49. 6. *Dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Parìa Zacharias 8. 23. *In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi dicentes: Ibimus vobiſcum* (ad Templum Domini Jeruſalem) *audivimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt.* In deſcriptione Templi Hieroſolymitani latè deducta ab Ezechiele ſuum eſt pro gentibus atrium.

In novo Teſtamento non ſemel legimus, Gentes Hieroſolymam ventitaſſe Dominum adoraturas. Eorum quidam paulò ante obitum Servatoris, cùm veniſſent Hieroſolymam *Joan.* 12. 20. S. Philippum Apoſtolum convenerunt, rogaruntque, ut ſibi per ipſum aſpectus Jeſu Chriſti permitteretur: Philippus rem detulit ad Andream, & ambo ad Jeſum, qui ita reſpondit. *Venit hora ut clarificetur Filius hominis.* Eunuchus ille Candacis Reginæ, qui Hieroſolymam ſe contulerat adoraturus *Actuum* 8. 27. Gentilis erat profeſſione, juxta multos ex Patribus. Joſephus Hiſtoricus de Bello l. 6. c. 6. ſeu 10. pag. 916. affirmat, in atrio Templi podium quoddam media hominis altitudine ductum fuiſſe, quod per data intervalla ornabant columnæ Græcas & Latinas ferentes inſcriptiones, quibus palam edicebatur vetari alienigenas, ne pedem ulterius inferrent: excipiebantur eorum oblationes, nec à ſacrificiis pro illis offerendis abſtinebatur, nefas illis tamen per ſe accedere ad Altare.

Pompejus uſque ad interiora Sanctuarii penetravit (b); ſed nihil ſanctitate loci admiſit indignum; mane alterius diei juſſit expiari Templum, & ſtata offerri ſacrificia. Paulò ante extremam defectionem Hebræorum (c), ſeditioſi quidam perſuadere conati ſunt Sacerdotibus, ut rejicerent hoſtias omnes & victimas niſi ab Judæis oblatas, coegeruntque remittere, quas Imperatores mactandas pro ſalute Romani Populi aſſignabant. Fruſtra repudii hujus periculum viri graves in populo exaggerare ſtuduerunt, demonſtrantes pariter nunquam à Majoribus ſuis commiſſum fuiſſe, ut munera Gentium rejicerent: indicabant in Templo ornamenta, munus pleraque Gentium. Expendebant illi ſimul authoritatem doctiſſimorum inter Sacerdotes, qui totam vitam ſuam in ſtudio cæremoniarum Legis triverunt, aſſerebantque nunquam à majoribus repudiata fuiſſe exterorum ſacrificia.

Veteres olim perſuaſum habuiſſe videntur Gentes, quæ vitam egiſſent frugi, moderatam, atque ad normam naturalis legis exactam ſalutem obtinuiſſe, cui eorum opinioni anſam dedit Apoſtolus in epiſtola ad Romanos 2. 9. 10. &c. *Gloria honor & pax omni operanti bono, Judæo primùm & Græco. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.... Cùm enim Gentes, quæ legèm non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex; qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis....... Si igitur præputium* (Gentilis) *juſtitiam Legis cuſtodiat, nonne præputium illius in Circumciſionem reputabitur, & judicabit, id quod ex natura eſt præputium legem conſummans, te, qui per literam & circumciſionem prævaricator es legis?*

S. Juſtinus Martyr Apolog. 2. tuetur veteres Philoſophos, qui ad rationem vitam compoſuerunt, quanquam Jeſum ignorantes, Chriſtianos tamen re ipſa fuiſſe; tales haberi apud Græcos quidem Socratem, Heraclitum, alioſque nonnullos; apud Barbaros Abrahamum, Ananiam, Azariam, Miſaelem, Eliam, alioſque plures.

S. Clementis Alexandrini opinione quicunque ante J. C. in vivis egerunt, duplicem habuerunt paratam attingendæ juſtificationi viam, legem ſcilicet & Philoſophiam (d); Philoſophia juſti reddebantur vel ſaltem ad juſtitiam diſpoſiti; gradus enim erat, quò quis ad juſtitiam aſcenderet; quin & juſtitiam illa dabat, ſed non abſolutam & perfectam. Addit, Gentiles, qui ante obitum J. C. deceſſerunt, optaſſe in Infernis adventum J. C. vel Apoſtolorum, quos eum prædicantes auſcultaſſent, fidem avidè, adeoque & ſalutem ſe recepiſſe. Hæc viro ſancto perſuaſerunt verba S. Petri: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatus autem Spiritu. In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens, prædicavit, qui increduli fuerant aliquando* 1. *Petri* 3. 19.

Textus iſte Apoſtoli Commentariorum Scriptores exercuit plurimùm. Docuit pariter S. Auguſtinus de Geneſi ad lit. l. 12. c. 35. animam J. C. cùm ad Inferos deſcendiſſet, i. e. ad deſtinata impiis pœnarum loca, e ſuppliciis eos liberaſſe, quos tanto privilegio donandos juſtitia ſua, hominibus impenetrabilis, ſuadebat. Favet Gentium ſaluti etiam Origenes contra Celſum l. 2. pag. 438. ſcribit enim animam J. C. è corpore ſolutam familiarem habuiſſe cum aliis animabus conſuetudinem, ut perſuaſioni excipiendæ maximè aptas animas ad fidem converteret. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 42. de J. C. deſcenſu ad inferos verba faciens, relinquit in ambiguo, num omnes ad unum ſalvarit, vel eos tantùm, qui prædicanti crediidiſſent. Ad quæ viri Sancti verba ſcribit ejus Scholiaſtes Nicetas: fertur Chriſtianus quidam, quo erat in Religionem ſuam zelo, in Platonem plus nimio invectus Philoſophum traduxiſſe ceu impium & ſceleſtum; proximè ſubſequenti nocte Philoſophus idem per viſum Chriſtiano apparens, injuriam ſibi verbis illatam conqueſtus eſt. Fateor, ait ille, quidem me criminibus teneri maximis; ſed cùm Jeſus Chriſtus deſcendit ad Inferos, ego omnium primus in ipſum credidi.

S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 27. in Matthæum autumavit, eos, qui ante J. C. obiiſſent, nec proinde ad cognitionem ejus venire potuiſſent, ſi fortè deſerta Idololatria unum Deum agnoverint, & vitam egerint laudibus meritiſſimam, à felicitate cœleſtis beati-

(a) 1. Timot. 2. 7. *Poſitus ſum ego Prædicator & Apoſtolus & Doctor gentium.*
(b) Joſeph. de Bello l. 1. c. 5. pag. 720.　(c) Idem l. 2. c. 17. pag. 809. 810.
(c) Stromat. l. 6. pag. 637. 638. 659. & l. 1. pag. 319.

beatitudinis excluſos non fuiſſe. Adnecti his poſſent non raræ Patrum ſententiæ; nec Patrum tantùm, ſed & Doctorum Chriſtianorum, ac Catholicorum in id convenientium, probos quoſcunque ex Gentilibus, qui vitam egerunt moribus caſtam, ac nuncium remiſerunt Idololatriæ, compotes factos fuiſſe Regni Cælorum. Quæ hìc laudaremus ex illis teſtimonia, luculentiora hæc utique cæteris non eſſent, nec majoris authoritatis, quàm huc uſque prolata.

In examen modò revocandum eſt, num ea fuerit illorum mens, Gentiles ſcilicet, qui legis naturalis ductum ſecuti ſunt, beatitudine Regni cæleſtis donari; & ſiquidem hæc tenuiſſe convincantur, num hæc illorum ſententia cum Orthodoxa congruat. Fatemur equidem raros numero Patres tenuiſſe Gentiles illos, quos Dei ſingularis cognitio non fugit, vitamque egerunt juxta Moralis regulas exactiſſimam, ad felicitatem perveniſſe. Sed ambiguitas hujus phraſis, *noſcere Deum, vitam agere ſecundum Moralis regulas integram*, tollenda eſt.

Profectò ſi Deum noſcere perinde eſt ac notionem habere de illo merè ſpeculativam & ſterilem, qua nec Dæmones carent, nec impii, nec Philoſophi illi, de quibus Apoſtolus: *Qui veritatem Dei in injuſtitia detinent, & cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*; hæc utique cognitio & nihil illis ad ſalutem, & multum ad damnationem provehendam valuit.

Quare præter agnitionem Dei exigunt Patres vitam à crimine puram ſanctamque, i.e. Deum ita noſcant ut ſimul & ament, gloriam illi reddant, ſpem collocent in ipſo, legi naturali per omnia ſubdantur, obſervent ejus ſanctiones ſicùt oportet, i.e. ſcopum mentis figentes in Deum, atque gratia animati & charitate ſalutem operentur; neque enim alioqui fieri poteſt, ut ſalutem quis aſſequatur. Maximum illis & ſummum præceptorum omnium implendum erat. Deus toto corde amandus, & præterea ita proximus, perinde ac ſe quiſque, diligendus. Si qui evincere valuerit its rependiſſe in Deum obſequium Philoſophos, Senecam, Socratem, Heraclitum, & Platonem, ille certè, nemine refragante Theologo, ſimul evincet, exceptos illos patentibus portis in Regnum Cælorum. At ſi quis paulò attentiùs eorum geſta omnia perpendat, num regulis iſtis ſat conformem eorum vitam deprehenderit, ambigere me etiam atque etiam profiteor. Quæſtionem hanc ſolidiùs fuſiuſque agitatam habes apud Pererium in epiſtola ad Romanos, & in noſtra Diſſertatione de eodem argumento.)

GENUBAT, filius Adad Idumæi, ex Taphne ſorore uxoris Pharaonis, una cum Regiis liberis in Ægypto educatus. 3. *Reg.* 11. 20.

I. GERA, pater Aod Judicis Iſraelis. *Judic.* 3. 15.

II. GERA, è Tribu Benjamin, pater Semei (a).

GERARA, urbs Philiſthæorum ad meridiem Juda. Abrahami & Iſaaci ætate Reges Geraræ communi Abimelechi nomine appellabantur. Horum invidiam declinaturi ambo illi Patriarchæ ibidem aliquandiù verſari coacti, quas apud ſe habebant uxores, ſorores ſuas eſſe dictitabant (b).

In intimis Arabiæ Petrææ Gerara ſita erat, 25. milliar. ab Eleutheropoli ultra Daromam, adeoque in Plaga Meridionali ditionis Judæ (c). Illam Moyſes inter Cades, & Sur locat, *Gen.* 20. 1. & S. Hieronymus ab ea urbe Hieroſolymam tridui iter metitur (d). Huic proximus locus erat, de quo Theodoretus *in* 2. *Par. q.* 1. & Torrens Aſceterium Monachorum alluens, de quo Sozomenus (e). Torrentis etiam ſeù Vallis Geraræ meminit Moyſes *Gen* 26. 27. Geraræ apud Sozomenum *l.* 8. *c.* 9. parva urbs eſt, 50. ſtadiis à Peluſio; & in Machabæis 2. 13. 24. Præfecturam totius oræ à Ptolemaide uſque ad Gerrenos Judæ conceſſam legimus. Sunt, qui Geraram cum Berſabee (f), cum Aſcalone (g), cum Aluz (h), & cum Arad (i) confuderint.

GERASA, ſive *Gergeſa*, urbs trans Mare mortuum, & ipſi Orientalis. Sunt, qui Cœle-Syriæ; ſunt, qui Arabiæ, & inter urbes Decapoleos illam recenſeant. Cùm Jeſus in Regionem Geraſenorum veniſſet, binos homines à Dæmone obſeſſos, qui in ſepulcbris verſari ſolebant, obvios habuit *Matth.* 8. 28. hæc inclamantes: *Quid nobis, & tibi Jeſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos? Si nos*, addidere, *ejicis, mitte nos in gregem porcorum*, qui fortè ibi paſcebantur. Qua facultate à Dæmonibus obtenta, omnes continuò ſues in mare præcipites ſe dederunt.

Græca S. Matthæi impreſſa pro *Geraſenorum* legunt *Gergeſenorum*; & exemplaria quædam Græca, ipſique S. Lucas, & S. Marcus habent *Gedarenorum*. Utramque lectionem, *Geraſa* nempè, & *Gadara*, improbat Origenes *in Joan.* quòd ambæ urbes à Mari diſtent, neque abrupta loca propè illas occurrant, quæ tamen omnia urbibus ab Evangelio deſignatis non defuerunt. Quare intelligendum cenſet Evangelium de urbe Gergeſa ad Lacum Tiberiadis, ubi cautes, & præcipitia, undè ſues in mare ſe projecerunt, ejus ætate oſtendebantur.

GERGESA, vetus urbs, trans Mare Tiberiadis, in ora ipſius Orientali. Vide *Geraſa*. In ea urbe prodigium liberationis duorum Dæmoniacorum patratum fuiſſe à Jeſu Origenes antumavit (k).

GERGESÆI, veteres Chanaanitidis populi ex Gergeſæo, quinto Chanaan filio. Trans mare Tiberiadis, in cujus ora *Gergeſa*, ſedem conſtituerant. Tradunt Rabbini (l), gentem illam, ſubeuntibus Chanaanitidem Hebræis, regionem deſerere potiùs, quàm jugum illorum ſubire, decreviſſe. Chananæis enim, addunt, Joſue tres haſce conditiones propoſuit: ſervitutemne, an fugam, an bellum mallent. Gergeſæi fugam eligentes, in Africam ſe receperunt, Gabaonitæ jugum ſubire, cæteri Chananæi bellum maluerunt.

Quam potiſſimùm Africæ regionem Gergeſæi occupaverint, memoriæ proditum non eſt; licèt in Africam transmigraſſe, ſubeuntibus Chanaanitidem Judæis, ex veteri traditione reſtentur. Illos in Ægyptum primò tranſiiſſe, ac deinde per univerſam Africam plures occupaſſe urbes, Procopius eſt author (m); addens ſua adhuc ætate in urbe Tingitana duas ex candido marmore columnas propè fontem erectas extitiſſe, in quibus Phœnicis deſcripta characteribus hæc legebantur: *Gens ſumus, qui è latrone Jeſu filio Nave diffugimus*.

Narrant Rabbini (n) eas gentes pro repetenda regione ſua, quam à Judæis occupatam querebantur, apud Alexandrum Magnum inſtitiſſe. Cauſam ſuam ad tuendam acciti Judæi, nihil de ſe Gergeſæis, plurimùm ſibi de Gergeſæis querendum eſſe oſtenderunt; cùm enim mancipii jure Hebræis ſubjecti eſſent, fuga ſe ſubducentes, ſua illos ſervitute tot ſæculis fraudarunt. Porrò ſervos illos eſſe probabant ex inflicta à Noe in Chanaan pœna: *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit*: *Gen.* 9. 24. fugitivos autem eſſe ne ipſi quidem contendebant. Imminebat à Judice pro Hebræis ſententia, quam non expectantes Gergeſæi, cauſa relicta, abierunt.

Hæc non ut hiſtoriam dedimus, ſed ex Rabbinorum fabella ſatis intelligimus, perſuaſum illis eſſe, eas gentes Chanaanitidem ad Hebræorum ingreſſum deſeruiſſe. Quamquam plures etiam perſtitiſſe ex eo intelligimus, quòd Joſue inter gentes ciſjordanicas, Gergeſæos etiam ſe viciſſe teſtetur, *Joſue* 24. 11. Fieri ergo

(a) 2. Reg. 16. 5. (b) Vide Gen. 21. & 26. Vide etiam v. Abimelech, Abraham, & Iſaac.
(c) Euſ. & Hier. in locis. (d) Hier. de Tradit. Hebr. in Gen.
(e) Hiſt. l. 6. c. 32. & l. 9. c. 17. (f) Cyrill. in Amos. (g) Sync. Chron c. & verſ. Samarit.
(h) Arab. in Gen. 26. 1. (i) Targ. Hieroſol. ad Gen. 20. 1. 2. (k) Orig. in Joan. vide Matth. 8. 28.
(l) Gemar. Jeroſ. tit. ſchebiit. c. 6. Marm. Halac. Mel. c. 6.
(m) De Bel. Vandal. l. 2. c. 10. (n) Thalmud. Perek. Chelech.

ergo potuit, ut ſoli Gergeſæi, qui trans mare Tiberiadis incolebant, ſolum verterint, manentibus interim reliquis (a).

GERRENI, ſive *Gerræi* 2. *Mach.* 13. 24. iidem fortaſſe ac Geraritæ. Vide *Gerrara*.

GERSAN, *Gerſam*, ſeu *Gerſom*, filius Moyſis ex Sephora. *Exod.* 2. 22.

GERSOM ſive *Gerſon*, filius Levi, Leviticæ cujuſdam familiæ caput. Porrò ea familia poſt menſem ab exitu ex Ægypto 7500. viris florebat *Num.* 3. 22. 23. 26. quibus deferendi in itinere vela & cortinas Tabernaculi munus demandatum eſt. Tentoria in caſtris ad occidentem Tabernaculi obtinebant.

GERZI. Cum David in Siceleg verſaretur regionis Geſſuri, *Gerzi*, & Amalech decurrebat 1. *Reg.* 27. 8. Hujus nominis nulla occurrunt in Geographis veſtigia. In Septuaginta deſideratur, ubi etiam pro *Geſſuri* legunt *Geſiri*, & in nonnullis Exemplaribus *Geſeri*, & *Geſraum*. Syriacus, & Arabs habent *Geſſua*, & *Gedola*.

GESSEN, *Geſſem*, *Goſen*. *Terra Geſſem*, Ægypti regio, patri & fratribus Joſephi, cùm in Ægyptum migraſſent, eodem Joſepho authore, conceſſa, Gen. 47. 6. Regio erat omnium uberrima, atque, uti quidem conjicimus, pluviis irrigua, raris cæterùm in tota, potiſſimùm ſuperiori, Ægypto; ſiquidem *Geſſem* Hebræis pluviam ſignificat. Regionem *Gozen*, *Goſen* Tribui Juda à Joſue conceſſam (b) eandem eſſe cum *Geſſem*, quam Pharao Ægypti Rex Jacobo, ejuſque filiis largitus eſt, *Gen.* 46. 28. ne ambigimus quidem. Conſtat enim regionem illam inter Palæſtinam, & urbem Taneos ſitam fuiſſe; Hebræos verò ditionem ſuam meridiem verſus ad Nilum uſque protogaſſe, *Joſue* 13. 3.

GESSIUS FLORIUS, Vide *Florus*.

I. GESSUR. Ejus nominis locus non longè à Philiſthæis, & Amalecitis erat, de quo Joſue, & 1. Regum. Inter Philiſthæos, & Ægyptum jacebat, quamquam certum ejus ſitum, deſerta ab incolis regione, & in ſolitudinem redacta, 1. *Reg.* 27. 8. definire non poſſumus.

II. GESSUR, in transjordanica, ad dimidiam Tribum Manaſſe pertinens. Duo populi Geſſuri, & Machati ſimul junguntur *Deut.* 3. 14. *Joſ.* 13. 11. ſimulque ſuſeſtum nihil ab Iſraelitis paſſi in ſuis regionibus manſerunt *Joſ.* 13. 11. Isboſeth Saulis filius ab incolis Geſſuri, & Judæis ex Galaaditide Rex ſalutatus eſt 2. *Reg.* 2. 8.

III. GESSUR, in Syria, quæ certo Regi nemini ſubjecto parebat. Hujus Regis filia Davidi nupta Abſalomum genuit 2. *Reg.* 15. 8. Quare hic poſt fratris cædem in regionem Avi ſui confugit 2. *Reg.* 14. 37. An tamen alia ſit regio à Geſſur transjordanica, uſque adeò certum non eſt, cum 1. *Par.* 2. 23. legamus, Jair *Geſſur & Aram* (ſive Geſſur Syriæ) & *Avoth*, ſive vicos *Jair* cepiſſe.

GETH, urbs celebris, ex quinque Philiſthæorum Satrapiis 1. *Reg.* 6. 17. & patria Goliath 1. *Reg.* 17. 4. David Regni ſui in univerſum Iſraelem initia ejus expugnatione auſpicatus eſt 2. *Reg.* 8. 1. ac deinde florente Regno Juda idem rerum ſtatus manſit. Roboam illi reſtituendæ, noviſque munitionibus vallandæ operam impendit 2. *Par.* 11. 8. Labente eo Regno, jugum excuſſit; quare ſemel ab Ozia (c), iterumque ab Ezechia recepta eſt (d). Inter urbes Daniticas à Joſepho recenſetur Antiqu. l. 5. c. 1.; quamquam in catalogo urbium Tribuum Iſraelis à Joſue ducto, nuſpiam legitur. *Metca* urbs, de qua Moyſes *Num.* 33. 8. eadem eſt, uti credimus, cum *Meleg*, de qua 2. *Reg.* 8. 1. ac proindè legi oportet: *Tulit David Meteg, & matrem ejus*, pro *tulit David frænum tributi*. Porrò Geth mater, *Meteg* filia cenſebatur: quare 1. *Par.* 8. 1. legimus: *tulit Geth, & filias ejus*. Quæ, ſi vera ſint, profectò urbem Geth Philiſthæorum, patriam Gigantum in intimis Arabiæ Petrææ Ægyptum verſus, ſitam fuiſſe oportet 2. *Reg.* 20. 20. 22. quod ſatis cum hiſtoria 1. *Par.* 7. 21. infelicis expeditionis in urbem Geth ab Ephraimitis, in Ægypto adhuc verſantibus, ſuſceptæ congruit.

Hujus nominis vicus florentiſſimus Eleutheropoli Gazam petentibus occurrebat, authore S. Hieronymo *in Mich.* 1. Alterum 5. milliar. ab Eleutheropoli in via ad Lyddam (adeoque alium ab illo, de quo S. Hieronymus) collocat Euſebius *in locis*. Tertia Geth, ſive Gettha inter Jamniam & Antipatridem occurrebat (e). Hinc patria Jonæ Prophetæ non Geth tantummodò, ſed *Geth Opher*, ſcilicet Geth regionis Opher exprimitur; *ad diſtinctionem*, ait S. Hieronymus *Præf. in Joan. aliarum Geth urbium, quæ juxtà Eleutheropolim, ſive Dioſpolim hodie quoque monſtrantur*.

Porrò Geth Philiſthæorum omnibus meridionalior, ut Accaron ſeptentrionalior, in tota ditione habebatur: quare veluti duo hinc & indè termini ejuſdem regionis ſtatuuntur. 1. *Reg.* 7. 14. & 17. 52. Huic urbi adjacebat Mareſa (f); quod cum S. Hieronymo planè congruit, urbem Geth in via Gazam inter ac Eleutheropolim ſtatuente. Neque enim Mareſa, ſive Moraſthi ab Eleutheropoli (cujus urbis memoria ante Euſebii, & S. Hieronymi ætatem in Geographia penè nulla) abeſt. Sub Prophetis Amos & Michæa Geth urbi potentiſſima, atque à jure Regni Juda exempta habebatur, *Amos* 6. 2. *Mich.* 1. 10. 14. quare illi reducendæ Ozias Rex Juda ætate Amos, ac deinde Ezechias ſub Michæa, operam nec fruſtra impenderunt. Eadem eſt ac *Gethaim*, de qua 2. *Reg.* 4. 3. & 2. *Eſd.* 11. 33. Sub Davide inter milites corporis cuſtodes, legio etiam Gethæorum, cui præerat Ethai, recenſebatur. 2. *Reg.* 15. 18. 19. & 18. 2. Cum autem vox *Geth*, ſeu *Gath torcular* ſonet; idcircò multa hujus nominis loca in Palæſtina occurrunt.

GETH-OPHER, ſive *Geth Epher*, vel Geth in regione Opher ſuperioris Galilææ, patria Jonæ Prophetæ. 4. *Reg.* 14. 25. Inter urbes Tribus Zabulon apud Joſue 19. 13. recenſetur; ejuſque ſitum 2. milliar. à Sephori, alio nomine Diocæſarea, ſtatuit S. Hieronymus.

GETTA. Inter urbes in viciniis Ptolemaidis, & Carmeli ſitas Getta à Plinio l. 5. c. 19. recenſetur.

GETHER, tertius filius Aram, filii Sem *Gen.* 10. 23.

I. GETH-REMMON, urbs Danitica *Joſ.* 19. 45. 10. milliar. à Dioſpoli, in via ad Eleutheropolim, authore S. Hieronymo, ſita. Levitis ex familia Caath ceſſit.

II. GETH-REMMON, urbs dimidiæ Tribus Manaſſe cisjordanicæ, Levitarum ex familia Caath domicilium. *Joſ.* 21. 25.

III. GETH-REMMON, urbs Ephraimitica, Caathitis conceſſa. 1. *Par.* 6. 69.

GETH-SEMANI, quod nomen reddi poteſt *torcular olei*. Vicus erat in monte Oliveti, in quo Jeſus noctem non rarò ducebat. In horto ejuſdem loci orabat Jeſus, cum & ſudore ſanguineo flueret, ac Judæ proditoris indicio à militum manu comprehenſus eſt, *Matth.* 26. 36. &c.

GEZER, urbs Philiſthæorum, 2. *Reg.* 5. 25. eadem uti credimus, ac *Gaſer*, *Gaſera* &c. Vide *Gazer*.

GEZER, tertius filius Caleb, ex Epha concubina 1. *Par.* 2. 46.

GEZERON, eadem ac *Gezer*, *Gader*.

GIBAL. Vide *Gebal*.

GIBBETHON. Vide *Gebbethon*.

GIBELI, 3. *Reg.* 5. 18. *Ezech.* 27. 9. incolæ Gebal, ſive Gibli, prophanis Scriptoribus *Bibli*.

GIBLOS, ſive *Biblos*, urbs in finibus Phœniciæ inter Tripolim, & Berytum; cujus cives dolandis lapidibus, cædendis nemoribus 3. *Reg.* 5. 8., atque conſtruendis navi-

(a) Vide noſt. Diſſ. de hoc arg. ante Com. in Joſue. (b) Joſue 10. 41. & 11. 16. & 15. 51.
(c) Antiq. l. 9. c. 11. & 2. Par. 26. 6. (d) Antiq. l. 9. c. 13.
(e) Euſeb. in locis. (f) Vide 2. Par. 11. 8. & Mich. 1. 14. in Hebr.

navigiis. *Ezech.* 27. 9. peritiſſimi habebantur. Sunt qui Giblos, de quibus Scriptura, cives eſſe non Bibli, ſed Gabalæ, urbis Phœniciæ inter Tortoſam, & Laodiceam autumant. Vide *Biblos*.

GIDEROTH, & *Giderothaim*. Vide *Gader* &c.

GIEZI, Eliſei ſervus, qui ab heri lateribus nunquam divulſus, rebus illius omnibus communicavit. Tandem pecuniarum cupiditate victus, Naamanum ab Eliſeo redeuntem conveniens, heri nomine argenti talentum, & geminas veſtes poſtulavit, duorum filiorum Prophetarum adventum cauſatus, quos aliquid Eliſeum rogatum veniſſe mentiebatur, 4. *Reg.* 5. 20. Omnia à viro liberali, quin & argenti duplum obtinuit. Quibus acceptis, ad herum regreſſus, ab illo ſtatim undè veniſſet, requiſitus eſt. Giezi autem ſe quoquam iviſſe, neganti, omnem pecuniæ à Naaman petitæ hiſtoriam ille prodidit; quare in ejus criminis ultionem, ſciret ſe, totumque ex ipſo genus, leprâ impoſterum inficiendos (a). Illicò Giezi leproſus à Propheta receſſit; ab eoque Iſraelis Reges ſæpè prodigiorum Eliſei hiſtoriam audiebant 4. Reg. 8. 4. &c. Vide *Eliſeus*.

GIHON, vel *Gion*, fons ad occidentem Hieroſolymæ, ubi Salomon Regia unctione à Summo Sacerdote Sadoc, & Nathan Propheta inauguratus eſt (b). Superiorem hujus fontis canalem Ezechias in urbem deducendum curavit, ut hoſtes eandem obſidentes, earum aquarum commodo privarentur (c).

GIGAS, Græca vox, Hebraicè *nophel*, ſivè *nephilim* (d), quod reddi poteſt ſivè monſtrum, ſeù vir terrorem incutiens, cæterorum hominum everſor. Gigantes ante diluvium in Gen. 6. 4. *Nephilim potentes à ſæculo viri famoſi* appellantur. Aquila nomen Gigantum in eo Textu reddit: *Irruentes*, nempè in hoſtes, quod ſanè vim totam Hebraicæ vocis *nephilim* implet. Symmachus vertit: *violenti*; ſcilicet quorum omne jus in armis, & violentia eſt. Interdum Gigantes in S. Scriptura *Rephaim* appellantur (e); quare Codorlahomor, & ſocii, inito ad Aſtaroth-Carnaim prælio, *Rephaim*, ſive Gigantes fregere. *Emim* veteres Moabitidis populi, cum ſtatura eſſent gigantea, inter Rephaim recenſentur. Rephaim, & Pheresæi in catalogo veterum populorum Chanaanitidis ſimul junguntur. Sub aquis gemere veteres Rephaim in Job ſcribuntur. Mulieris proſtitutæ vias ad *Rephaim* deducere ait Salomon *Prov.* 2. 18. & 9. 18.; nempè ad Infernum, ubi gigantes ſunt; addit etiam eos, qui à ſemita Sapientiæ receſſerint, in cœtu gigantum in Inferno commoraturos. *Prov.* 21. 16.

Enacim, ſive filii Enac, celeberrimi erant Palæſtinæ gigantes, qui Hebrone, & in viciniis ſedes habebant. Horum ſtatura adeò eminebat, ut Iſraelitæ ab exploranda Chanaanitide reduces, ſeſe cum illis collatos locuſtas videri faterentur *Num.* 13. 33.

Tandem Septuaginta reddunt interdum *gigantem* vocem Hebræam *gibbor*, quæ ad literam virum potentem, ſtrenuum, & bellicoſum ſonat. (f) Ita Nemrod gigas erat coram Domino: Sol tanquam gigas exoritur, ſtatum iter confecturus: Dominus dejiciet gigantes, & viros bellicoſos: gigantes ultionis ſuæ miniſtros armabit: Ægyptum gladio ſuorum gigantum, nempè militum, franget.

Nec à vero abhorret, primos illos homines ſtatura nobis multo proceriores fuiſſe, quippè qui diutiùs vitam producerent, quod firmæ validæque conſtitutionis argumentum eſt, & effectus. Noemi ætate magoo ſatis numero gigantes florebant, Scriptura teſte: antea tamen adhuc extitiſſe quamplures inſinuat, ex quò potiſſimùm filii Dei cum filiabus hominum connubia miſcuerunt. En verba Textus Hebraici: *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis, & etiam poſtquam ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum Gen.* 6. 4. Viros illos ex connubiis filiarum hominum cum Angelis ſatos plures ex Patribus libro Enoc apocrypho decepti credidere (g). In eam rem laudant illi Textum Septuaginta, ut in nonnullis exemplaribus legitur (h): *Videntes Angeli Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerunt*. Hæc tamen verba non aliud ſignificant, quàm quòd poſteri Seth (quæ familia erat juſtitiæ tenax, & filiorum Dei) pravo filiarum Cain, quæ filiæ hominum dicuntur, amore illectos fuiſſe. Ita S. Joannes Chryſoſtomus, Theodoretus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Auguſtinus, & alii plures.

Quinam hominum gigantes fuerint, Scriptores plurimi cùm veteres, tum recentiores diſputantes (i), communem quidem ſtaturam, ſed parum, exceſſiſſe autumarunt; neque adeò immanes fuiſſe, quales à nonnullis crediti ſunt, quadruplo nempè, vel quintuplo noſtris hominibus proceriores.

Verum citrà S. Scripturæ, certiſſimarum hiſtoriarum, receptæque traditionis notam, multò juſtam ſtaturam exceſſiſſe inficiari non poſſumus. Iſraelitæ enim poſt Chanaanitidem exploratam reduces, homines è genere Enac, quorum comparatione ipſi locuſtis majores non viderentur, ſe vidiſſe referebant. *Num.* 13. 33. 34. Og Rex Baſan lecto 9. cubitis longo, & 4. lato *Deut.* 3. 2. ſcilicet 15. pedibus, & 4. digitis & dimidio porrecto, ſternebatur. Goliath cubitos 6. palmo excedebat 1. *Reg.* 17. 4. quod 10. pedibus, & 7. digitis reſpondet. Hominum ætate ad anguſtiſſimos fines redacta, ſub Joſue nempè, & Davide, adhuc tamen, quamvis vulgò ſtatura cum vita decreviſſe videretur, gigantes nec raro occurrebant.

Gigantes Othus, & Ephialtes apud Homerum, *Odyſſ.* 11. *v.* 306. novennes adhuc, immani corpore 9. cubitorum circuitu, & 36. longitudine ſpectabantur; nec immanitate minor erat Polyphemus Cyclops, robore etiam immenſo potens, adeò ut veluti ludens ſaxum obvolveret, quod 20. quadrigæ vix removiſſent (k). Quæ quidem à me, non tanquam hiſtoriæ fidem extorquentia adducta ſunt; ſed veluti receptæ vulgo traditionis jam inde à veteri ætate de Gigantum immanitate indicia apertiſſima. Nec ſanè ab ea perſuaſione Poetæ cæteri, aliique Scriptores abludunt (l).

S. Auguſtinus binos gigantis molares ſibi viſos narrat, craſſos adeò, ut vix 100. ſimul dentibus noſtratibus æquarentur (m). In Vercellenſi ſui Ordinis Templo dentem S. Chriſtophori (uti ferunt) ab illo Auguſtini non diſſimilem Torniellus Annal. V. T. ad An. 987. ſe vidiſſe teſtatur.

Mons in Creta terræmotu hiſcens, ſcheletrum quoddam humanum prodidit erectum, 46. cubitis procerum, quod alii Orionis, alii Othi autu-

(a) Circa A. M. 3114. ante Chr. 886. ante Ær. 890. (b) 3. Reg. 1. 33. &c. A. M. 2989. ante Ch. 1011. ante Aer. 1015.
(c) 2. Par. 32. 30. A. M. 3291. ante Chr. 709. ante Ær. 713. (d) Nephilim ex *nephil* cado, ſive *nophel*, *monſtrum*, *abortus*.
(e) Vide Gen. 14. 5. Deut. 2. 11 20. & 3. 11 13. Joſue 12. 4. & Job. 26. 5. &c.
(f) Vide Gen. 6. 4. apud LXX. Pſ. 19. 6. in Septuag. Vulg. Iſ. 3. 2. apud Septuag. & 13. 2. Ibid. & 49. 24. 25. ibid. Ezech. 32. 12. 21. 27. ibid. & 39. 18. 20. ibid.
(g) Lact. l. 2. c. 14. Athenag. Apol. Clem. Alex. Strom. l. 3. & 5. & Pædag. l. 2. Tertull. de Idol. c. 9. & de cultu fæmin. c. 11. Cypr. de Diſcipl. & habitu Virg. Ambr. de Noe & Arca c. 4.
(h) Gen. 6. 2. 50. io M. S. Alex. Philo de Gig. Antiq. l. 1. c. 4. Vide nov. edit. Hexapl.
(i) Philo de Gig. Joſeph. Antiq. l. 1. c. 4. Orig. apud Gennad. C. P. in cate. Græc. Euſeb. Præp. l. 5. c. 4. Ambroſ. de Noe & Arca c. 4. Chryſoſt. in Caten. Cyril. Alex. l. 9. coo. Julian. Gorop. Becan. de Gigantomach. Temporarius &c.
(k) Odyſſ. 9. v. 240.
(l) Vide, ſi lubet, Virg. Æneid. 2. Juvenal. Satyr. 15. Aug. de Civ. l. 15. c. 9. Pſ. l. 7. c. 16. &c.
(m) De civit. l. 15. c. 9.

Digitized by Google

outumarunt (a). Cadaver Oreſtis juſſu oraculi effoſſum 7. cubitos ſive 10. pedes cum dimidio referebat. Nævius Pollio proceros quoſcumque pedis menſura excedebat (b). Sub Claudio vir quidam nomine Gabbara 9. pedibus, totidemque digitis aſſurgens Romæ ſpectabatur (c). Authore Delrio vir quidam Pedemontanus 9. pedum ſtaturam excedens anno 1572. Rothomagi viſus eſt.

Refert Plutarchus (d), in urbe Tingitanæ Mauritaniæ effoſſum Antæi cadaver 60. cubitorum, cui Sertorius ſacrificia offerre, ac deinde terræ iterum mandari juſſit. Aliud cadaver adeo procerum, ut altiſſima Romæ mœnia excederet, quod Pallantis filii Evandri fuiſſe narrant, anno 1041. inventum ferunt.

Simonius (e) teſtatur, ſe, dum Parochi munus Uzetiæ in Delphinatu obiret, vidiſſe inventos fortè An. 1667. in prato nonnullos hominum molares, pondere ſingulos 20. librarum; quorum unum inferioris mandibulæ parti adhærentem, 17. libras cum illa æquaſſe. Porrò in ejus rei fidem inſtrumentum recitat trium virorum, nempè duorum Præfectorum oppidi, & Sacerdotis Capellani Caſtri Molard Diœceſis Vienneſis in Delphinatu ſubſcriptionibus An. 1690. munitum. In eodem prato oſſa quædam diſſeminata, ſed ferè ætate & tabe contrita, inventa ſunt, inter quæ tamen unum occurrit ambitu duorum pedum, & ſeptem pedum, ac trium digitorum longitudine. Poſt hæc aliaſque plura, quæ in rem adduci potuiſſent, quis in dubium Gigantes revocaverit (f)?

(Damus hic nova quædam argumenta pro Gigantibus aſſerendis, addenda cæteris in noſtra Diſſertatione de eodem argumento, & in Dictionario Biblico congeſtis. Integrum autem recitare juvat fragmentum Alberici Monaci Trium fontium, qui ex Elinando refert hiſtoriam detecti cadaveris Pallantis filii Evandri, à Turno interfecti. Detectum eſt anno 1041. quanquam Albericus non refert niſi ad ann. 1054. *Elinandus ex dictis Guillelmi. Eo tempore corpus Pallantis filii Evandri Romæ integrum repertum eſt, cum hoc Epitaphio.*

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more ſuo, jacet hic.

Quos verſus non tunc factos crediderim, quamvis Carmentis litteras inveniſſe dicatur; ſed vel ab Ennio, vel ab alio antiquo Poeta. Ea quidem eſt natura conditorum balſamo corporum, quòd carne tabeſcente cutis exterior nervos, nervi verò oſſa continent.

Hiatus vulneris, quod in medio corporis fecerat, quatuor pedibus & ſemis menſuratus eſt. Ardens lucerna ad caput inventa eſt, quam cùm nulla liquoris aſpergine, aut flatus violentia extinguere valerent, quidam ſolertioris ingenii ſtilo ſubtus flammam foramen fecit, & mox introducto aere ignis evanuit.

Corpus muro applicatum vaſtitate ſua magnitudinem mœnium vicit; ſed procedentibus diebus ſtillicidiis rorulentis infuſum, communem mortalium corruptionem agnovit, cute ſoluta nervisque fluentibus.

Habes hic plures deductas circumſtantias, quæ vix ſuccurrerent niſi authoribus coævis ac probè inſtructis. Mihi tamen ægerrimè perſuadetur exaggerationibus in ea hiſtoria referenda datum non eſſe aliquid.

Chronicon Colmarienſe ad ann. 1267. notat, reperta juxta Urbem Baſileæ ad oppidum Hertim oſſa Gigantis *magnitudinem & longitudinem noſtram 30. pedum excedentia.*

Anno 1701. menſe Januario in vico Collubella, ſex leucis à Theſſalonica Macedoniæ, in dies auras productum eſt corpus Gigantis conditum ad mare in veteri pariete longo craſſoque. Cùm pelagus muri illius fundamenta ſuffodiſſet plurium ſæculorum niſu, tandem lapſu magnæ pluviæ corruit integer, patuitque quem fovebat loculus; Gigas immanis longitudine 96. pedum regiorum; menſuram 15. ſextariorum Pariſienſium frumenti continebat calvaria; unus ſingularis dens referebat pondus 15. librarum, quippe qui altus erat 7. pollicibus & 2. lineis Regiæ menſuræ. Dens alius radice privatus pondus reddebat 2. librarum & ſemis Gallicanarum; alius, item 2. librarum, unciarum 11. & drachmarum 6. quartus 2. librarum, unciarum 13.

Minimum ex oſſibus infimi digiti pedum æquabat 7. pollices & 4. lineas Regiæ menſuræ in longitudine; brachium dimetiebatur in ambitu 2. pedes 4. pollices, & 2. lineas; infra os unum brachii adſtricta in pugnum manus introducebatur. Cùm adſtantes omnes fruſtulis ex illo referendis eſſent ſolliciti, potiſſima tamen reſervanda cenſuerunt Bacha & Magno Turcarum Imperatori. Ea quæ reſtarunt intacta referri curavit D. Quirandet Gallorum Conſul Theſſalonicæ, tabulaſque ipſe, & P. Hieronymus Rhetel Capuccinus Miſſionarius in Oriente teſtis oculatus ſignavit. Idem P. Hieronymus rem totam per literas detulit ad R. P. Hieronymum de Moulitaux Capuccinum Pariſios in Suburbio S. Honorati; Epiſtolam autem ſubſcriptione ſua munierunt idem D. Conſul, Petrus Roſſi, Coſtantinus Peronnus, Lorhera, Flot Chirurgus, & Joannes Attuchi teſtes oculati.

Juxta Sariſberiam in Anglia anno 1719. reperta eſt humani corporis compages, 9. pedes & 4 pollices in longum æquans (h). Locus inventi monſtri deſignatur 6. milliari à Sariſberia, atque ab incolis inditum habuit nomen Stonenheng vel *lapides ſuſpenſi*, Veteres appellabant *choream Gigantum*. Spectare hic licet adhuc ſeptem è rudibus ſaxis 24. pedibus altum & 7. latum, ſuſtinens tranſverſos alios lapides. Quibus hæc deſtinarentur fruſtrà hucuſque inquiſitum eſt; ideò autem hæc rariora videntur, quòd nullus in proximo agro lapis ſuppetit ædificiis aptus.

Traditione receptum eſt apud Peruanos, regiones illas ſuas effudiſſe olim Gigantes, qui reliquos vulgò homines ab inferiori genu excedebant. Paria regionis ſuæ vetera monſtra prædicant Braſiliani & Mexicani; fidemque dictis conciliant enormis magnitudinis oſſa monſtrantes. Simile pariter oſtenditur in oppido Moulins apud Borbonios. Quin & hodie uſque in America meridionali ſpectari Gigantes quoſdam, quos Cantahnes appellant, 9. vel 10. pedibus immanes, idonei teſtes aſſeverant.

Nec alia eſt de Gigantibus apud Arabes & Perſas, quam apud cæteros, perſuaſio. Aſſerit Mahometus Alcor. c. *Auroræ*, Reges quoſdam Syriæ & Arabiæ, *Ad* & *Schedad* ſtatura ſua ita exceſſiſſe, ut proceriſſimæ tantùm arbores apta illis darent tentoria. Amalecitas, quos veteres Paleſtinæ incolas autumant, gentem 9. cubitis vel 18. paſſibus proceram deſcribunt Mahometani (g), ſimilique commento Og, de quo Moyſes, cæteros illos Gigantes ſtatura ſuperaſſe, vitamque prorogaſſe ad 3000 annos, affirmant. Habent inſuper perſuaſum veteres omnes Gigantes genus retuliſſe ex *Ad* filio Amalec & Chami nepote; vel juxta alios, Amalec è genere Sem, patrem habuit Us, & avum Aram.

Præter hos, alios etiam invehunt Gigantes, quos *Divos* vel *Ginn*, Latini Divos vel Genios appellant, inter homines & Angelos medios, tertium quoddam creaturarum genus referentes, ante Adamum productos, conſtitutoſque ante illum in mundo, ut rebus præeſſent. Quietum habuerunt Regnum ſpatio 7000. annorum, exceperuntque illos Peris, apud quos rerum Imperium 2000. annis. Sed defectionis crimine à Divis & Peris admiſſo, Deus Principem illis conſtituit Eblis, ſuperioris ordinis Genium, ex ignis elemento coagmentatum. Eblis

(a) Plin. hiſt. l. 7. c. 16. (b) Idem ibid. Colum. de re ruſt. c. 8. ex Ciceron.
(c) Plin. ibid. Solin. Colum. Tacitus. (d) Plut. in Sertorio.
(e) Dict. de la Bible Lugduni An. 1703. t. 2. p. 523. 524. Anno 1667.
(f) Vide Diſſert. noſt. de Gigant. (g) Ephemerid. Octob. 1719. 21. Septembr. Ex Epiſt. Londin.
(h) D. Herbelot. Bibl. Orient. Amlak, & Ad.

nihil habuit antiquius, quàm ut armis illos cogeret ad obſequium; bonam cauſam ſecuti nonnulli ad Ebum tranſierunt; cæteri traditi exterminio. Sed & ipſe tandem Ebus detectionis reus factus eſt; nec alius eſt perduellis ille quem Satanæ vel Luciferi nomine cognoſcimus.)

GILO, urbs Juda (a), Achitophelis patria (b).

GINEA, vicus in Magno Campo, Samariam à Galilæa diſterminans (c); idem fortaſſe ac *Jennin*, ſivè *Ginnim*, quem Nova Itineraria in viæ inter Ptolemaidem, & Samariam collocant.

GINETH, pater Thebni. 3. *Reg.* 16.21.

GISCALA, urbs Galilææ (d), quam à Joſepho munitionibus vallatam Gabaritæ, Gabaraganæi, & Tyrii expugnarunt (e). Judæorum Libri urbe *Guſch-Chaleb* inter Morom & Capharnoan meminere (f), quæ Relando eadem eſt cum Giſcala.

Ex fabuloſa traditione ſe accepiſſe narrat S. Hieronymus (g), Apoſtolum Paulum è Giſcalis originem duxiſſe; quam urbem parentes illius, afflicta Romanorum armis Provincia, deſerentes, Tharſum Ciliciæ migrarunt. Alibi etiam idem Scriptor *de Script. Eccleſ.* ex Tribu Benjamin, & urbe Giſcalis Apoſtolum acceſſit; quanquam, ait, poſt occupatam a Romanis urbem, una cum parentibus ſuis Tharſum diſceſſerit. Hæc ſanè fabella prorſus impudentiſſimè conficta eſt; bellum enim Romanorum in Judæos nonniſi poſt obitum Apoſtoli cœpit; hoc nimirum anno 67. ſivè 68. ille anno 66. obiit.

GISON ſive *Gaiſon*, lorica erat ambiens Templum, ſtricto ſenſu intellectum; & Altare holocauſtorum, quæ pro vallo ſtatuebatur, ne populus ultrò procederet (h). In Libris Antiquitatum ejus menſura tribus cubitis; in Libris de Bello uno tantum definitur.

GITH, tritici genus, Græcis *melanthion*, Latinis nigella, quod atro ſit colore; Gallis *nielle*, ſive piper, quòd colore, & magnitudine ad piper accedat. Excutiendo Gith, neque rotæ curruum, neque ſtimuli ferrei pro recepto more, ſed tantum virgæ adhibebantur, uti Iſaias innuit. *Iſa.* 28. 25. 27.

GITTHA, ſive *Gitthaim*. Vide *Geth*.

GITTHITH, vox ſæpe in fronte Pſalmorum occurrens (i), quæ reddi ſolet, torcularia. Porrò de hac voce plura apud Interpretes; ſunt enim, qui muſici inſtrumenti genus deſignatum credant. Alii verò malunt eos Pſalmos poſt vindemiam decantari conſueviſſe; nec deſunt tandem, qui in urbe Geth illas cantilenas excogitatas fuiſſe arbitrentur. Nos verò ſignificatus credimus choros mulierum muſices peritarum ex urbe Geth, quibus Pſalmi illi decantandi committerentur (k). *Gitthith* enim non *torcular*, ſed *mulierem Getheam* ſignificat; torcularia enim non *Gitthith*, ſed *Gittheth* appellatur.

(GLADIUS, familiari Hebræorum ſtilo ſæpè perinde valet ac bellum. Dominus *appellat gladium ſuper terram*; bellum inducit. *Os gladii*, eſt acies gladii. *Homo educens gladium*, eſt militiam profeſſus. *Gladius oris*, *Job* 5. 15., pravæ ſermocinationes, calumniæ: *Manus gladii*, manus armati militis. *Lingua eorum gladius acutus*, ſermones illorum gladio cruentiores ſunt. *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibravit Pſal.* 7. 13. immittet in vos bellum, plagia affliget. *Gladius anceps Pſal.* 149. 6. gladius ancipiti acie: *Levare cultrum ſuper lapidem Exodi* 20. 25., eſt novacula vel forcipe lapides excindere. *Vivere in gladio ſuo Geneſ.* 27. 40., eſt bello vivere & rapto. *Levare gladium in aliquem Iſaiæ* 2. 4, eſt cædere, vulnus infligere, occidere, bello petere aliquem. *Qui acceperint gladium, gladio peribunt*; *Matth.* 26. 52.; qui gladium exerent privata authoritate, ipſi ſibi ultionem procurantes, ſupplicium merentur publica authoritate infligendum. Proverbialis eſt parœmia: Qui gladium ſtringunt in alios, triſti plerumque interitu perimuntur: *Verbum Dei penetrabilius eſt omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus*, *Hebr.* 4. 12. Epheſios hortatur Apoſtolus cap. 6. 17. ut muniant ſe verbo Dei, veluti gladio ſpiritus, adverſus hoſtes animarum ſuarum.)

GLAPHYRA, Archelai Regis Cappadociæ filia, quæ primò Alexandro filio Herodis Magni nupſit, de quo ſatis v. *Alexander*. Ex eo connubio duo filii, Alexander, & Tigranes Armeniæ Rex prodiere. Alteras nuptias Glaphyra cum Juba Rege Mauritaniæ celebravit; quo brevi vita functo, tertium virum Archelaum Ethnarcham Judææ, & fratrem Alexandri prioris Glaphyræ viri, habuit. Huic fœminæ quinque ante obitum diebus Alexandrum priorem conjugem viſum narrant, qui poſt exprobratam fidei violationem, quòd ſecundas, & tertias nuptias iniiſſet, tandem poſt quinque dies ſe illam reducturum minitatus eſt (l). Nec eventus minas fefellit.

(GLORIA DEI. Apud Moyſem *Exod.* 24. 9. 10. 16. 17. gloria Domini eſt plerumque præſentia Dei, uti cum videndum ſe præbuit in vertice Sinai vel in nube lucida, documento præſentiæ ejus deſcendentis ſuper Tabernaculum cœtibus cogendis deſtinatum. Moyſes, Aaron, Nadab, Abiud, & Seniores Iſrael ſeptuaginta aſcenderunt Sinai, & *viderunt gloriam Dei*. Erat autem gloria Dei *veluti ardens ignis in monte*. Micabat ſub ejus pedibus opus ſaphirinum nitens, & velut Cœlum tranquilla maximè ſerenitate fulgens. *Gloria* etiam *Domini* apparuit Iſraelitis è nube poſt murmur, cùm ſcilicet manna pluit & coturnicibus *Exodi* 16. 7. 10. Deum efflagitaverat Moyſes, concedi ſibi poſtulans, ut gloriam ejus ſpectaret oculis, *Exodi* 33. 18. 22. Cui Deus: *Non poteris videre faciem meam*; nemo enim ejus fulgorem ita ſuſtinebit, ut vivat: *Ecce locus eſt apud me, & ſtabis ſupra petram, cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam; tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea; faciem autem meam videre non poteris* 1. *Reg.* 4. 21. 22.

Arca Dei diſtinguitur elogio *gloriæ Iſrael Pſ.* 15. 8. & *gloria Dei*. Cùm Arca in manu Philiſtæorum veniſſet, *tranſlata eſt gloria* de Iſrael; & Pſalmiſta de ſe perhibet dilexiſſe ſe domum Dei, *locum habitationis gloriæ ejus*.

Pſalmiſta inſtrumenta ſua muſica appellat gloriam ſuam *Pſ.* 29. 31. *Ut cantet tibi gloria mea*: Pſal. 56. 9. *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara*.

Sacerdotum Domini ornamenta ſunt *veſtimenta gloriæ*, & vaſa Templi *vaſa gloriæ Exodi* 23. 2. 24. *Eccli.* 52. 14.: *Vaſa gloriæ ejus captiva adducta ſunt*: Mathathias pater Machabæorum deplorat: *Ecce ſancta noſtra, & pulchritudo noſtra, & claritas noſtra deſolata eſt* 1. *Mac.* 2. 9. 12. Salomon *in omni gloria ſua* pompa, ac divitiis, florum & gloriam & divitias non ſuperabat.

Iſraelitæ derelicti Domini ſui in deſerto rei: *Mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. *Pſ.* 105. 20. Gentium ad fidem converſionem, ita exprimunt Prophetæ: *Gloria Domini replebit terram*, ſeu videbit omnis terra gloriam Domini. Non ſemel Apoſtolus, Fidelium qui manus fidei tradiderunt felicitatem exprimit his phraſibus: *Gloria filiorum Dei Rom.* 5. 2. & 7. 21. & 2. *Cor.* 4. 4. &c.

Cunctantem præſtare ſacramentum, ita ſollicitabant Hebræi: *Da gloriam Domino Deo Iſrael Joſ.* 7. 19. *Joan.* 9. 24.

Ve-

(a) Joſue 15. 51. (b) 1. Reg. 15. 12. & 23. 34. (c) Joſeph. de Bel. lib. 3. c. 2.
(d) De Bel. lib. 4. c. 4. & ſæpè in eodem opere. (e) Idem l. 4. c. 1. (f) Palæſt. l. 3. p. 813.
(g) Hieron. in Comm. ad Philem. *Quis ſit Epaphras concaptivus Pauli, talem fabulam accepimus. Ajunt parentes Apoſtoli Pauli de Gyſcalis regione fuiſſe Judææ, & eos in .... Tharſum Ciliciæ fuiſſe translatos* &c.
(h) Antiq. l. 8. c. 2. & de Bello l. 6. (i) Pſ. 8. 1. *Pro torcularibus*. Item Pſ. 80. 1. & 83. 1.
(k) Vid. Argum. in Pſ. 8.
(l) Antiq. l. 17. c. 5. circa A. Chr. 9. vel 10.

Digitized by Google

Veritatem palam edicens da gloriam Deo, profitere facto, noſſe Deum intima cordis tui.

Gloria filiorum patres eorum. Proverb. 17. 6. *Gloria patrum ſunt filii. Ezech.* 3. 16. *Mulier gloria viri eſt.* 1. *Cor.* 11. 7. *Gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra.* 2. *Cor.* 1. 14. phraſium ejuſmodi vim nemo non ſentit.

Cùm Deo viſum eſt ad ſuperos evocare famulum ſuum Moyſem *Num.* 27. 20. ſcandere illum juſſit montem Abarim, ibique ponere ſpiritum. Jubenti reſpondit Moyſes, rogare ſe, ut à Domino de viro provideatur in Principem populi, futuro ad tantum munus pari. Tum Deus: *Tolle Joſue filium Nun, virum, in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum. Et dabis ei præcepta cunctis videntibus & partem gloriæ tuæ.* Quid gloria hæc Moyſis, Joſue communicata? Onkeloſ & Rabbinorum nonnulli arbitrantur, tranſluliſſe in illum Moyſem partem illius fulgoris, quo ora ejus nitebant ex conſortio cum Deo *Exodi* 34. 29. quam ille gloriam ſuam conſorti ſibi in principatu Viro non totam, ſed partim communicavit. Fulgebat Moyſes, inquiunt, perinde ac ſol, Joſue veluti luna, imbecilli nempè & ab alio accepto fulgore. Præſtat tamen dicta uſurpare de communicata authoritate & imperio, quantum illi opus eſſet ad regendum populum. Moyſes *impoſuit viro manus*, quo ritu deſignavit illum in ſucceſſorem adminiſtrandæ Reipublicæ; dedit illi præcepta ſua, leges aſſignans muneri ritè exercendo idoneas.)

GNIDUS. S. Paulus in Italiam ad Neronem cauſam ſuam acturus navigans, Gnidum promontorium Aſiæ minoris è regione Inſulæ Cretæ pertranſiiſſe narratur, *Act.* 27. 7. Sunt (a), qui eo nomine ſignificatam credant Inſulam Cnidum, inter promontorium Gnidi, & Inſulam Cretæ ſitam.

(GNOSTICI. Nullibi quidem eorum nomen in Libris ſeu Veteris ſeu Novi Teſtamenti; ſed Apoſtoli Petrus & Paulus in ſuis Epiſtolis inſectantur ſæpè ætatis ſuæ Hæreticos, qui deinde annorum tractu ſub communi Gnoſticorum nomine cenſiti ſunt. Timotheum monet Apoſtolus 1. *Timot.* 1. 3. 4. caveat ſibi ab impiis quibuſdam alienorum a ſuis dogmatum Magiſtris: *nec intendas fabulis & genealogiis interminatis.* Quibus verbis ſugillati credantur Gnoſtici, qui veterum Magorum, & Platonicorum imitatione, addixerunt Sectæ ſuæ homines deditos ſtudio genealogiarum quarumdam ſub Eonum nomine, ex quibus pleriſima ſeu tota Numinis phantaſtici impleta majeſtas. Barbara illa Eonum nomina ſimplicium auribus intonantia ſtupidos reddebant, & attonitos, & vana hac ſcientiæ oſtentatione rudes capiebant.

Benè admodum depingit Apoſtolus veteres illos Hæreticos 2. Timot. 3. 2. &c. *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſcelesti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi..... habentes ſpeciem quidem pietatis, veritatem autem ejus abnegantes...... homines corrupti mente, reprobi circa fidem; ſed ultra non proficient &c.* S. Joannes in Epiſtola ſecunda 1. 7. *Multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem.* Equidem Gnoſtici, vel *Doctæ*, Simonis Magi diſcipuli comminiſcebantur (b), Verbum Chriſtumque veniſſe in terram, nec aſſumptis carnis noſtræ exuviis, nec è Virgine parente natum, ſed phantaſticum referens corpus nihil re ipſa paſſum fuiſſe. Hæreticorum ejuſmodi ſcitè expreſſos characteres habes in 2. Epiſtola S. Petri capit. 11. 9. &c. & in Epiſtola S. Judæ verſ. 10. &c.)

GOATHA, ſive *Golgota*, vel potius *Golgoltha*, ſeu *Gulgaltha*, quod calvariam ſonat. Eo nomine mons ad Hieroſolymæ occidentem, & ſeptemtrionem ipſi proximus appellabatur, ſive quod calvariæ humanæ ſpeciem referret; ſive quod locus eſſet ſuppliciorum; ſive tandem quod primi hominis caput ibidem ſepulturæ mandatum eſſet (c). Hunc montem nos Latinè Calvarium appellamus. Ibidem verò Jeſus Chriſtus in crucem ſublatus eſt, atque in horto Joſephi ab Arimathia tumulo in lapide excavato reconditus. Hunc Salvatoris tumulum oppleri, ſimulque infamiſſima Idolorum ſimulachra ſupra illum erigi juſſit Adrianus Imperator, dum reſtituendæ Urbi, cui *Ælia* nomen indidit, incumberet. Verum illatam loco ſacro contumeliam Divino inſtinctu Helena Conſtantini mater expiavit, ſublatis ſuperſtitionibus, atque Eccleſia magnificentiſſima excitata, quæ noſtra adhuc ætate ſupereſt.

(Obtinens toto Oriente traditio fert, primùm hominum parentem jacere ſepultum in monte Calvariæ, vel Golgotha, ubi extrema paſſus eſt Jeſus Chriſtus. Hunc ipſum montem appellant Syri & Arabes *Cranion* vel *Acranion* ex calvaria Adami, quem ſepulturæ ibi mandatum credunt. Vulgatus apud Mahometanos Liber recitat Dialogum inter Jeſum Chriſtum, & calvariam Adami (d).)

GOB, planities, in qua bina prælia inter Hebræos, & Philiſtæos commiſſa ſunt, 2. *Reg.* 21. 18. 19. in quorum primo *Sobocai* necem intulit cuidam *Saph* è genere Gigantum; in altero verò frater Goliath ab Elchanan trucidatus eſt. In 1. Paral. 20. 4. pro *Gob* legitur *Gazer*, & in nonnullis Exemplaribus Septnaginta *Nob*, & in aliquibus *Geth*.

GOBOLITE, ſivè *Gabalite*, *Gabalene*, pars meridionalior Judææ, & Idumææ. Vide *Gebal*.

I. GODOLIAS, filius Ahican, cui poſt everſam Hieroſolymam, & Templum per Nabuchonoſorem, regio Palæſtinæ adminiſtranda commiſſa eſt (e), quo & reſiduos in ea populos in officio contineret, & fuga dilapſos reduceret. Jeremias ad illum in Maſphat verſantem ſeſe recepit, idemque exemplum Judæi plures in regionibus Moabitarum, & Ammonitarum palantes, ſequuti ſunt. Venientes humaniſſimè excepit Godolias, Regis protectionem pollicitus, ſi nihil moliſſent. Inter hæc, Iſmael filius Nethamæ è regali genere Juda, ad Godoliam ſe conferens, comiter à Præſide exceptus eſt, quamvis ille ſecretis delationibus, Iſmaelem necis ſuæ a Baali Rege Ammonitarum mandatis oneratum venire, intellexiſſet. Splendido igitur convivio habitus Iſmael, poſt dapes & munera, ſtricto confeſtim enſe unà cum ſuis Godoliam nihil tale metuentem, cæteroſque convivas omnes, & Judæos, & Chaldæos trucidavit (f). Tum populus in Ægyptum ſecedens, Jeremiam nequidquam dehortantem traxit.

II. GODOLIAS, filius Amariæ, Sophoniæ Prophetæ avus. *Sophon.* 1. 1.

III. GODOLIAS, Levita, filius Ethan, ſive Idithun. 1. *Paral.* 25. 3.

GOG, & MAGOG, quæ duo nomina ferè ſemper in Scriptura conjuncta, neque nos ſejungenda cenſuimus (g). Moyſes Magog filii Japhet meminit (h), Gog præterit. Porrò Gog Ezechieli princeps erat, ſivè gentis, ſivè regionis Magog. Nos in Commentariis in Geneſim vulgò inter Antiquos Magog Scytharum, ſivè Tartarorum authorem creditum fuiſſe probavimus; multoſque eſſe Scriptores, qui in regionibus Magnæ Tartariæ, ut in provinciis *Lug*, & *Mungug*, *Cangigu*, & *Cingui*, in urbibus *Cingui*, *Gugui*, *Corganguì*, *Caigui*, ejuſdem nominis veſtigia deprehenderint.

(a) Grotius & alii quidam. (b) Iren. l. 3. c. 11. Hieron. adverſ. Luciferian. c. 8. Clem. Alex. l. 7.
(c) Ambr. in Luc. l. 23. Hieron. in Epheſ. 5. 14. Idem Epiſt. ad Marcellam ſub nom. Paulæ, & Euſtoch. Orig. in Matt. Epiph. hær. 46. Baſil. in Iſa. 5. Chryſoſt. in Jo. hom. 84. Auguſt. lib. 16. de Civit. cap. 32.
(d) D' Herbelot. Biblioth. Orient. pag. 278. Cranion.
(e) Jerem. 40. & 41. & 4. Reg. 25. A.M. 3416 ante Chr. 584. ante Ær. 588.
(f) Vide Jer. 40. & 41. A.M. 3417. ante Chr. 583. ante Ær. 587. (g) Ezech. 38. 2. &c. & 39. 1. &c. Apoc. 20. 7.
(h) Gen. 10. 2. Vide 1. Par. 1. 5.

Alii tamen malunt Perſas ex Magog derivare: quos ſanè nomine Magog in ſuis Regionibus appellari conſuevisse tradunt Suidas, & Cedrenus. Porrò *Magufi*, & Magi apud illos populos audiuntur.

Sunt, qui Gothos ex Gog, & Magog accerſunt, bellumque in Sanctos à Gog, referente Ezechiele, ſuſceptum, illud eſſe autumarunt, quod à Gothis quinto ſeculo in Romanum Imperium illatum eſt (a). Populos Gog ad Caucaſum ſedem habuiſſe credit Bochartus, qui ejuſdem montis nomen ex Hebræo *Gog Chaſar*, ſcil. Arx Gog, derivat: Prometheumque in Caucaſo à Jove religatum, ipſum Gog eſſe contendit. Ad Meridiem Caucaſi Gogarone, Iberiæ Provincia ſpectatur.

Sanior tamen Scriptorum pars meliùs fortaſſe hæc duo nomina in Ezechiele, & Apocalypſi de Principibus Eccleſiæ, & ſanctorum hoſtibus per Allegorism dicta intelligenda eſſe arbitratur. Hinc quamplures nomen Gog in Ezechiele de Antiocho Epiphane Religionis Judaicæ hoſte; & idem nomen in Apocalypſi de Antichriſto Eccleſiæ, & Fidelium adverſario interpretantur. Nos in diſſertatione ante Commentaria in Ezechielem, eum textum de Cambyſe Perſarum Rege intelligendum eſſe oſtendimus; & in Apocalypſi nomine Gog, & Magog omnes Eccleſiæ adverſarios uſque ad Eccleſiæ finem deſignatos eſſe cenſuimus.

(Poſteros Gog & Magog appellant Arabes *Jagiouge & Magiouge* (b); perſuaſumque tenent maximè ſeptemtrionalem Aſiæ regionem utroſque frequentaſſe; regionem, inquam, ultra ſedes Tartarorum & Sclavorum vel Sclavonum (*Chalibes* appellant Veteres) conſtitutam. Vero propiùs autumaremus juxta hanc Arabum ideam, Gog & Magog ſedes olim habuiſſe ſuas in montibus Hyperboreis, eaſdemque ipſas gentes ſub eo nomine agnoviſſe Veteres. Narrant enim Salamum quendam miſſum à Vatek Califa nono Coraſam è genere Abaſſidarum, anno J. C. 842. iter illud intra biennium conſeciſſe, reducem verò narraſſe, ſibi poſt 36. dierum iter à mari Caſpio, Boream versùs, occurriſſe Urbes Hyperboreorum, ſeu potiùs pauperes quaſdam caſas incolis deſtitutas; inde verò poſt 27. itineris dies veniſse ad Urbem Haſnam, ita Arabibus appellatam, quod inacceſſibili fermè in loco conſtituta fuerit. Sat proximè ad arcem illam offerebant ſe rudera monumenti celeberrimi, olim ab Alexandro Magno poſiti, ut Barbarorum Septemtrionalium irruptiones in interiora Aſiæ prohiberet. Porrò Salam tranſferendum ſe eò uſque vectorum manibus curavit, neque enim acceſſibilis erat locus equis & jumentis, oculatuſque teſtis veritatem comprobavit eorum omnium, quæ à Veteribus de loco illo ferebantur.

Ferunt itaque veteres populos Gog & Magog eos montes tenuiſse, quò nemo facilè adniteretur. Labore 17. dierum aſcendendo ac deſcendendo per anfractus ac ſalebras viarum tandem locus tenebatur; quæcunque eò transferenda eſsent, dorſo erant hominum imponenda vel caprarum, quarum eſt maxima corporum moles in illis regionibus. Alieni erant adeo à ſocietate incolæ, ut nihil ab illis reſciſci potuerit, ſive de rebus Gentis, ſive de ea, quam tenerent, regione. Hæc Arabes Scriptores de regione Gog & Magog. Eſt quidem gens clari apud Antiquos nominis, ſed quam olim ſedem tenuerit, ignoratur. Inter Scythas accenſendos ne dubitamus quidem, habemuſque perſuaſum in unam gentem coaluiſse cum majoribus & minoribus Tartaris, & facilè etiam cum Moſchis cæteriſque Septemtrionalibus populis. Cùm autem Nationes illæ res ſuas narrantibus Hiſtoriis vetuſtis careant, omnia manent in obſcuro.)

GOI, ſive *Gom*, vox Ethnicos ſignificans (c): eademque Judæi, inter ſe colloquentes, Chriſtianos viros ſugillant; & fœminas *Goja*, ſivè *Gojath* appellant; hoc enim nomine omnes ſimul incircumciſos deſignant. Cùm autem Chriſtianos ab Ethnicis non diſtinguant, ideò communi utroſque nomine nuncupant.

GOLAN. Vide *Gaulan*.

GOLGOTHA. Vide *Goatha*.

I. GOLIATH, Gigas notiſſimus, ex urbe Geth, ex quinque Philiſthæorum Satrapiis, 1. *Reg.* 17. 4. Cùm uterque exercitus, Philiſthæorum, & Hebræorum, coram inter Sochot, & Azecam conſtitiſsent, Goliath in medium procedens, ſtrenuos quoſcumque Hebræorum, ut ſecum manus conſererent, invitavit (d). Hic ingenti corporis mole terribilis, ſex cubitos palmo excedebat, ſcil. 12. pedibus & dimidio circiter major, 20. digitis, & dimidio pro ſingulis pedibus, atque tribus digitis, & paulò amplius in palmum computatis: Armis corpori paribus protegebatur, audacia verò in dies, metu Iſraelitarum in dies creſcente, impotentior. Quadraginta diebus exercitus utrinque in caſtris ſe continuit; cùm David adoleſcens paſcendis domeſticis gregibus aſsuetus, in caſtra veniens, Iſraelitarum terrore audito, manum ſe cum Gigante conſerturum profeſſus eſt. Adoleſcentis verbis ad Regem delatis, illicò accitus eſt; ac primò ob ætatis imbecillitatem contemptui habitus, ægrè tandem à Rege certandi facultatem impetravit. Rex igitur Regiis armis adoleſcentem indui juſſit; qui inſueto pondere impeditus, iis à ſe amotis, baculo & quinque ex torrente lapidibus munitus in pugnam proceſſit. Vix in hoſtis conſpectum venit, cùm contorto in ejus frontem lapide, illum uno ictu dejecit. Tum proſtrato inſiſtens, ejus gladio cervicem ipſius præcidit.

Ejus victoriæ epinicium creditur Pſalmus 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Apud Septuaginta Pſalmus iſte inſcribitur: *In Goliath:* ſed Pſalmorum tituli ferè omnes fidei leviſſimæ habentur. Scriptus de eodem argumento Pſalmus 150. extrà ordinem Canonicorum in Exemplaribus Græcis occurrit, quem Davidi tribuendum temerè prorſus aſſereremus.

(Goliath genus referebat ex Arapha, i. e. è vetuſtis Rephaim; proceritate ſua ſtaturam duorum hominum vincebat; armiſque protegebatur corporaturæ paribus. Porrò horum armorum pondus Scriptor quidam ſedulo examinavit (e), & eùm ſuum per ſingulas ejus portiones diſtribuiſſet, æquaſſe ſtatuit 272. libras & uncias 13. Ferro præfixo haſtæ aſſignat 18. librarum & $\frac{3}{4}$; haſtam verò illam 26. pedes porrectam ferri ad minus pondus æquaſſe credit. Galea erat 15. librarum, clypeus 30. enſis 4. & ſemis, lorica 156. & $\frac{1}{4}$; adde ocreas, quibus crura protegebantur, & clypeum vel lanceam, quam armiger ferebat; hiſque omnibus ſupputatis pondus fermè conſicies conſtitutum.

Victoria de immani illo Gigante à Davide relata facinus eſt adeò novum & inuſitatum, ut monſtri loco habendum non ſit, ſi Orientales, quorum eſt ingenium rebus miris ſeu excogitandis ſeu amplificandis aptum, rerum quarumdam acceſſione illud infarſerint ornaverintque. Comminiſcuntur illi Goliath procera adeo corporatura fuiſſe hominem, ut ejus arma æquarent pondus 1000. librarum, & una tantùm galea trecentas referret. Nequicquam tamen validum illud ferri munimen reſtitiſſe lapidi à Davide vibrato, qui per mediam galeam capiti infixus ad intimum uſque cerebrum penetravit. Ferunt, Reges Philiſthæorum diu obti-

(a) Vide Ambroſ. de fide ad Gratian. l. 2. c. 4. ad fin. (b) Idem pag. 470. Jsgjouge & Magiouge.
(c) Vide v. Gentiles. (d) An. M. 2942. ante Chr. 1058. ante Ær. 162.
(e) Hoſtius in Hiſt. Monomach. c. 5.

obtinentes in Palæſtina communi nomine Goliath appellatos fuiſſe, quemadmodum & Reges Ægypti ſub uno Pharaonum nomine cenſebantur; adduntque Davidem, poſt Gigantem illum proſtratum, gentem totam Philiſtæorum exterminaſſe, è quarum reliquiis in Africam ſe ſe recipientibus derivari Barbaros, Barbariæ latera tenentes.)

II. GOLIATH, gigas alter, ab Elchanan filio Jair Bethleemitæ occiſus, 2. *Reg.* 21. 19. Vulgata ſic legit: *Percuſſit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethleemites, Goliath Gethæum.* Verum 1. *Par.* 20. 5. cujus emendatior Textus videtur, ita: *Elchanan filius Jair percuſſit Lechen fratrem Goliath* (a). Porrò inter fortiſſimos Davidici exercitus Elchanan filius patrui Joab legitur, qui fortaſſe germanum Goliath, germanum, inquam, vel ſanguine, vel corporis habitu, interfecit. 2. Reg. 23. 24.

I. GOMER, filius Japheth, *Gen.* 10. 2. & populorum Galatiæ pater, authore Joſepho. Galatiam enim antè Galatas Gomari tenebant. Chaldæus ſedem Gomer in Africa ſtatuit; Bochartus in Phrygia, cùm Græca vox *Phrygia*, non ſecùs ac Hebræum, & Syriacum *Gomer*, carbonem ſignificet. Nos ex Gomer Cimbros, ſive Cimmerios derivamus (b).

(Virum hunc, ſeu potiùs Gomeritas ejus poſteros facile credimus frequentaſſe non regionem tantùm Cimbrorum, vel Cimmeriorum (c), ſed & Germaniam pariter & Galliam (d); Germanus enim & Gomerim voces ſunt maximè affines. Galli, vel Galatæ ſeu Celtæ derivari feruntur ex Alchenea filio Noe natu majori; ſed Cluverius in ea eſt perſuaſione veterem Celticam ſinu ſuo complexam fuiſſe Illyricum, Germaniam, Galliam, Hiſpanias & Inſulas Britannicas; quod illi perſuadetur ex communi olim omnibus illis gentibus ſermone. Addit inſuper, Gomer, vel ex illo poſteros frequentaſſe regiones Aſiæ, inter Paropamiſum & montem Imaum medias, & inter confluentem Oxi & Obi conſtitutas; hinc apud Ptolomæum l. 6. c. 13. & Melam l. 1. c. 2. Gentibus illis omnibus nomen eſſe *Comarorum.*)

II. GOMER, filia Debelaim, ex meretrice uxor Oſee Prophetæ, *Oſe.* 1. 1. Propheta enim meretricem ducere à Deo juſſus eſt, ut eo veluti indicio Samariæ proſtitutionem ſignificaret; quippè quæ deſerto Domino, totam ſe Idololatriæ devoviſſet. Filiis ex eo connubio genitis Dei juſſu ea nomina indita ſunt, quibus Dei furor jam exarſiſſe, ejuſque ultio decem Tribubus imminere exprimeretur. Quarè filius natu major, *Jezrael* appellatus eſt; alter, *Non populus meus vos*; filia tandem, *ſine Miſericordia*. Ex Commentatoribus nonnullis, quibus indignæ viro Propheta nuptiæ cum meretrice viſæ ſunt (e), rem totam ad parabolam detorquendam cenſuerunt; vel ſaltem hæc quidem, quemadmodum ſibi in viſione contigerant, Prophetam narraſſe, nunquam tamen executioni mandata credidere. Verum ex contextu ſermonis non viſionem tantùm, ſed veram hiſtoriam ab Oſee relatam ſatis ſuperque intelligimus.

GOMOR, menſura Hebræorum, tres pintas & paululum capiens; eadem ac *Aſſaron*, ſive decima para *ephi.* Vide *Aſſaron.*

GOMORRHA, urbs inter florentiſſimas Pentapoleos, quam ignis cœleſtis ſcelerum ultor conſumpſit. Urbis nomen Hebræis eſt, *Amorra*, ſive *Hemora*, *Gen.* 10. 19. Septuaginta verò pro *Hain* G reddentes, *Gomorra* legunt, ut *Gaza* pro *Aza*. Inter quinque urbes Pentapoleos hanc maximè ſeptemtrionalem ſtatuimus, cujuſque rudera in Mari Mortuo in vicinus Engaddi ſpectari adhuc dicuntur.

GONORRHÆA, Græca vox, fluxum pudendum ſignificans, cujus nonniſi in conjugio uſus eſſe deberet. Porrò hunc fluxum ſiquis procaciter, ſive ad finem alium flagitioſiſſimum, uti de Onan legimus *Gen.* 38. 9. procuraverit, is ſanè maximi criminis pariſque ſupplicii reus habendus eſt. Inter homicidas ejus flagitii rei à Rabbinis deputantur, eoſque à Regno Dei arcendos eſſe Apoſtolus denunciat 1. *Cor.* 6. 10. Conjuges, quibus tale quid contigiſſet, maculam ad veſperum uſque contrahebant, quâ à rebus ſacris, non verò ab uſu & commercio cæterarum rerum, arcebantur. *Levit.* 15. 16. 18.

Si per quietem accidiſſet, illicò è caſtris ſecedendum erat; nec niſi ad veſperam poſt lotas aqua manus regrediendum. *Deut.* 23. 10.

Tandem Gonorrhæa morbus erat continuus, quo laborantes, quoaduſque ſanarentur, impuri cenſebantur. Quicquid illi contigiſſent, continuò eandem maculam contrahebat; ſi verò homines eorum contactu ſeſe inquinaſſent, in veſperis poſt lotum aqua corpus & veſtes expiabantur. Si denique fluxus reſtitiſſet, poſt acceptam ſanitatem, tota adhuc hebdomada ſuſtinendum erat; ac poſtmodum, ablutis de more in profluenti veſtibus, & corpore, tandem macula eluebatur. Die octava duo turtures, ſive columbarum pulli ad oſtium Tabernaculi Sacerdoti exhibebantur; alter pro peccato, alter in holocauſtum offerendi. Dein ſatis Domino precibus pro valetudine impetranda, cæremonia abſolvebatur.

GOPHNA, ſive *Cuphna*, *Gophnith*, Metropolis unius ex decem (ſive undecim, ut Joſephus, computata Jeruſalem, numerat) Judææ Toparchiis (f). Gophniticam cum Acrabatane Toparchia Joſephus ferè conjungit. Gophnam Euſebius 15 milliaribus à Jeruſalem in via inter Sichem, & Neapolim locat (g). Titus Cæſarea Hieroſolymam tendens, Samaria & Gophna tranſiit, & Veſpaſianus poſt ſubactam Gophniticam, & Acrabatenem, Bethel, & Ephrem expugnavit, authore Joſepho *de Bel. l.* 5. *c.* 8. *&* *l.* 6. *c.* 1.

(GORDII MONTES, quorum vertici ſubſediſſe Arca Noe vulgò credita eſt. Vide *Arca-Noe.*)

GORGIAS, celebris copiarum Antiochi Epiphanis Imperator, qui à Lyſia in Judæam unà cum Nicanore miſſus, exercitum 40000. peditum & 7000. equitum duxit (h), totam eam regionem vaſtaturus, ut Antiochus, expeditionem trans Euphratem initurus, mandaverat. Cùm ambo Duces Emmaus uſque proceſſiſſent, audito Judæ Machabæi, parva manu coacta, occurſu, Gorgias cum 5000. peditibus, & 1000. equis ſelectiſſimis, nocturno itinere ad illum contendit, inſperatò ſe ſuperventurum ratus. Verùm ea re comperta, Judas motis ſubitò caſtris, copias in Nicanorem, qui unà cum reliquo exercitu remanſerat, duxit, 1. *Mach.* 4. 1. Commiſſo prælio, Nicanor in fugam actus, caſtris exutus eſt. Interim ſuperveniens Gorgias fruſtrà Machabæum quærens, ut caſtra ab Hebræis occupata animadvertit, reducto pede prælium detrectavit.

Poſt biennium inito inter Gorgiam, & Judam Machabæum in Idumæa prælio (i), nonnulli ex Judæis occidere, præſentiſſimo tamen Gorgiæ periculo, cui imminens eques quidam Doſitheus, vivum jamjam comprehenſurus erat, niſi Thracius eques promptè accurrens armum ejuſdem Doſithei præcidiſſet; quo data Gorgiæ via, ut ſe Mareſam reciperet. Præfecturam Jamniæ, & Idumææ Gorgias obtinebat (k); quin & bellicarum rerum peritiſſimus erat, 2. *Mach.* 8. 9. quare ſæpiſſimè cum Juda ejuſque fratribus congredi coactus eſt; exitu tamen uſquequaque infelici (l). De Gorgiæ obitu nihil memoriæ proditum eſt.

GORTYNA, urbs Cretæ, olim celeberrima, 15. milliaribus à monte Ida, ad quam, utpote ſui juris urbem, nec non ſibi fœderatam, Romani literas pro Hebræis dederunt.

GO-

(a) Ita habet textus Hebræus. (b) Vide noſtr. Com. in Gen. 10. 2. (c) Joſeph. Euſeb. Zonar. Iſidor. Cambden. (d) Claver Germ. antiq. l. 1. c. 6. 7. (e) Hieron. in Oſee, Quid apud Theodoret. Haim. Iſid. Abenezra, Kimchi, Jun. Vat. Figue. Burgenſ. &c. (f) Plin. l. 5. c. 14. Joſeph. de Bel l. 3. c. 4. (g) Euſeb. in *Pharagx Horrous*.
(h) 1. Mach. 3. 38. A. M. 3839. ante Chr. 161. ante Ær. 165. (i) 2. Mach. 12. 33. 34. A. M. 3841. ante Chr. 159. ante Ær. 163. (k) 1. Mach. 5. 59. & 2. Mach. 12. 32.
(l) 2. Mach. 10. 14. 15. & 8. 9. & 1. Mach. 5. 59. A. M. 3865. ante Chr. 135. ante Ær. 139.

Digitized by Google

GOSEN, ſive *Goſſem*, nomen regionis Geſsem in ſorte Tribus Judæ. Vide *Geſſem*.

GOSEM, Arabs, 2. *Eſdr.* 2. 19. qui Nehemiæ Hieroſolymæ mœnia reſtituere cogitanti reſtitit.

GOSSYPION, lanæ genus eſt candidæ, mollis, quodam nucis avellanæ genere proveniens, arbuſculæ foliis, & figura moro ſimillimæ fructu. Ejus plantæ flores, quibus tota veſtitur, venuſtiſſimi ſunt, crocei, atque moſchatæ mentæ floribus vividiores; colorem purpureum in fundo exhibent, radiatum internè. Gemmam fovent in medio teretem, quæ in dies aucta, ad ovi columbarum magnitudinem creſcit. Cùm ad maturitatem pervenerit, colore eſt nigro, atque in tres partes ſponte diviſo cortice, goſsypion candidum veluti nix apparet, quod per calorem turgens, ovi gallinacei magnitudinem adæquat. Tria in illo nigreſcentia grana ſimul juncta, lupinis non inferiora.

De goſsypio intelligendam cenſemus vocem Hebræam *ſheſch*, quam Latinus reddidit *byſſum*, *Exod.* 25. 4. Vox *Xylinum*, goſsypium ſonans, ex *ſcheſch*, ſivè *Xes*, & *linum*, derivari potuit, ſicut & vox goſsypium ex Hebræo *Ægor*, ſcil. oux, & *Pioth*, nempe ora, acceſſiri poteſt, cum goſsypii putamen veluti ore hians goſſypium oſtendat (a).

GOTHOLIA. Sic Græci Athaliam pronunciant.

GOTHONIEL, idem ac *Othoniel*, nam Septuaginta literam Hain in G, ſæpiſſimè vertunt. 1. *Par.* 27. 15.

GOZAN, fluvius, de quo ſæpè Scriptura (b); quin & nomen eſse regionis, ſivè gentis ex eadem (c) ſuſpicamur, cui fortè ab amne Hozan defluente nomen inditum eſt. Iſraelitæ decem Tribuum à Salmanaſare, poſt occupatam eorum regionem, trans Euphratem ad oras Gozan tranſlati ſunt, & gentes Gozan, Haran, aliaſque à Regibus prædeceſsoribus ſuis ſubactas jactat Sennacherib. Reliquum eſt igitur, ut ultrà Euphratem, amnem, ſeu gentem Gozan inveniamus. Ptolomæus Gauzanitidem in Meſopotamia collocat. Regionem Elon-goſinem Plinius ad fontes Tigris ſitam deſcribit. In Media inter Cyrum, & Cambyſem fluvios regio Gauzan occurrit; in qua urbs Gauzania, authore Ptolomæo; nec diſsentiens Benjamin Tudelenſis, Gozan in Media quatridui itinere ab Hemdam diſſitam collocat. Ex Rabbinorum ſententia Gozan idem eſt, ac amnis Sabbaticus, ſingulis tantùm Sabbatis, uti ferunt, fluens, qua etiam die flammis undique ambitur, acceſsum vetantibus. Hæc de Gozan memoriæ produntur.

GRADUALES. Pſalmi Graduales. V. *Pſalmi*.

GRADUS COGNATIONIS, in quibus connubia prohibentur. Vide *Cognatio*.

GRÆCIA, quo nomine in Scriptura tota ea regio appellari ſolet, quam poſteri Javan habuerunt, in Græciam, Joniam, & Aſiam minorem porrectam. Poſt Alexandrum Magnum Græcorum ditione in Ægyptum, Syriam, trans Euphratem, & in alias regiones prorogata, Græciæ etiam nomen crevit, ut apud Judæos quotquot Græcorum Imperio, ſivè in Oriente, ſivè in Occidente ſubditi erant, Græci appellarentur. Hinc in Machabæis (d), Evangelio, & apud Apoſtolum Græcus pro Ethnico uſurpatur; *Non eſt diſtinctio* (nempè apud Deum) *Judæi, & Græci*.

In Libris Veteris Teſtamenti Hebraicè ſcriptis, Græcia, & Græci, nomine *Javan* exprimuntur. Dominus in Iſaia 66. 19., ait, miſſurum ſe nuncios ad varias per Orbem Gentes, & *Javan ad Inſulas longe*. Ezechiel ad nundinas Tyrias acceſſit *Javan*, Tubal, & Moſoc &c. Ezech. 27. 13. 19. Daniel 11. 2. bellum à Dario filio Hyſtaſpis, ſivè à Xerxe in regnum Javan inferendum prædicit.. Tandem Zacharias ſuſcitandos à Domino *filios Sion contra filios Javan* vaticinatus; quod in bello Machabæorum in Antiochum Epiphanem, & in Græcos, Syriam tenentes, impletum credimus. Apud Danielem 8. 21. & 10. 20. Alexander Magnus nomine Regis Javan deſignatur.

GRÆCUS. Libri pleriſque N. T. Evangelio S. Matthæi excepto, Græcè primitus ſcripti ſunt. Græcas enim Lucubrationes ſuas digeſſerunt Evangeliſtæ; Græcas item S. Lucas, S. Paulus, S. Petrus, S. Jacobus, S. Judas; ſed omnes N. T. Scriptores Sacri, ſi S. Lucam excipias, genio Helleniſtarum, i. e. Hebræorum græciſſantium ſeſe conformarent, phraſes plures & formulas Hebraicas & Syriacas retinentes, quarum eſt indoles maximè à Græco abhorrens. Hiſce non abſimilis videretur Scriptor, qui ad genium Gallici vernaculi ſermonis Lucubrationem Gallicam Latio traderet, is profectò *Latinum* ſcriberet non *Latinè*. Poſt Regnum & expeditiones Alexandri Magni, Græcorum lingua toto ſermè Orienti familiaris effecta eſt, & in commerciis uſitata; ut proinde Sacri Scriptores, quorum erat intentum præcipuum, Judæorum per Orientem diffuſorum ad Fidem converſio, è re ſua eſſe cenſuerint, ſi Græcè ſcriberent.

In libris Machabæorum (e), *lingua patria* eſt Syriacus vel Hebraicus vernaculus ſermo, ut oppoſitus Græco familiari, Præfectis Antiochi Regis, Judæos perſequentibus.

Cùm ad Feſta ſolemnia Judæorum ex omnibus orbis gentibus ac religionibus Hieroſolymam confluere ſolerent plures, elevandum in Crucem J.C. mandavit Pilatus, addito damnationis titulo Hebraicè, Syriacè, Græce & Latinè ſcripto (f); quod ſcilicet tribus illis linguis generatim aſſueviſſent ſubjectæ Imperio Romano gentes, ac maximè Palæſtinæ.

Invaluit inde mos, ut ſcilicet Judæis pluribus gemina imponerentur nomina Græcum alterum, aliud Hebræum; ut pariter alii Hebraicum ſuum nomen græcizarent; alii Latinam terminationem ſuo adderent. Ita ex Jeſu formatus *Jaſon*, ex *Saul* vel Saulo *Paulus*. S. Petrus Hebraicè appellabatur *Simon* vel *Simeon*, & Græcè *Petros*. S. *Thomæ*, quod Græcum eſt nomen, alterum ſuperadditum eſt Græcum ejuſdem ſignificationis, *Didymus*. *Salome*, altera fuit appellatio *Alexandra*, cujus ferè eadem eſt interpretatio.

In Libris Machabæorum vox *Græcus* perinde valet ut plurimùm ac *Gentilis* & Idololatra. Ita 2. Machab. 11. 24. illud: *Audivimus Judæos non conſenſiſſe patri meo, ut transferrentur ad ritum Græcorum*, quæ verba perinde valent, ac ſi cultum Idololatricum exprimerent. Et 1. Macab. 4. 15. de Sacerdotibus avitæ dignitatis ſuæ munera poſtponentibus ludis publicis & ſuperſtitioſis, legimus: *Patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur*.

Regnum Græcorum exprimit Regnum Alexandri Magni, cæterorumque poſt ipſum tenentium Imperium Syriæ & Ægypti. *Annus Græcorum*, adſcriptus in 1. Machabæorum 11. ipſa eſt Æra Seleucidarum, cujus exordium componitur cum A. M. 3692. Olymp. 117. A. 1. ante Æram vulgarem A. 312. ante Chriſtum 308. Animadvertiſſe tamen juvat, Joſephum cum Judæis & Authore primi Machabæorum inire Seleucidarum Æram a menſe Niſan, qui anni Sancti primus eſt apud Judæos, reſpondetque lunationi Martii; viciſſim autem Authori 2. Machabæorum exordium ejus conſtituitur in menſe Tiari, reſpondente lunationi Septembris, quam ipſam ſupputationem ſequuntur Græci pariter & Arabes. Sed Chaldæi ducendam cenſent à vere anni ſubſequentis, quibus proinde exordium anni Græcorum ſex menſibus ſerius conſigna-

(a) Vide noſt. Comment. in Exod. 25. 4.
(b) 4. Reg. 17. 6. & 18. 11. & 19. 12. & 1. Par. 5. 26.
(c) 4. Reg. 19. 12. & Iſa. 37. 12.
(d) 1. Mach. 1. 11. & 8. 18. & 2. Mach. 4. 36. & 11. 24. & 4. 15.
(e) 2. Mach. 7. 8. 27. & 12. 37. & 15. 29.
(f) Joan. 19. 20. Lucæ 23. 38.

Digitized by Google

ghatur; ſicut & totidem menſibus præcocior eſt idem annus es Judæorum ſupputatione.

GRANDO LAPIDUM. Vide *Lapides*.)

GRATIA, cui plures ſenſus in Scriptura ſubeſſe ſcimus. I. eadem eſt, ac venuſtas, & corporis elegantia. *Pſal.* 44. 3.: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus*. Si quis conſilia Sapientiæ audierit, illi *augmenta gratiarum* concilianda Sapiens edicit, *Prov.* 2. 9. & 4. 9.

II. *Gratia* eſt favor, amicitia: *Si inveni gratiam coram oculis tuis Gen.* 18. 3. *Noe invenit gratiam coram Domino*, *Gen.* 6. 8. *Dominus dedit Joſeph gratiam in conſpectu Principis carceris Gen.* 39. 21. Eadem gratia Hebræis à Deo conciliata apud Ægyptios, ut ab illis veſtes, & vaſa pretioſa mutuò acciperent *Exod.* 11. 3. & 3. 21.

III. *Gratia* eſt venia, & miſericordia; hinc gratiam, & miſericordiam facere, eſt veniam indulgere, & in priſtinam amicitiam recipere.

IV. *Reddere gratias*, eſt gratum animum exhibere: *Reddet vobis Dominus miſericordiam, & veritatem; ſed & ego reddam gratiam*, nempe & ego beneficia in Saulem impenſa vobis rependam 2. *Reg.* 2. 6. David etiam atque etiam Salomoni commendavit, ut ſuo nomine filiis Berzellai Galaaditæ gratiam referret 3. *Reg.* 2. 7.

V. *Gratia* pro *beneficio* uſurpatur: *gratia dati in conſpectu omnis viventis*. *Eccli.* 7. 37.; nempè beneficiis omnium mortalium animi devinciuntur. Interdum etiam *gratia* eſt compenſatio: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? Luc.* 6. 32. nempe quidnam beneficii rependendum ſpetatis à Deo?

VI. Eſt donum aliquod à Deo gratis, & pro voluntatis libito collatum; quo tamen non ii potiſſimùm, quibus confertur, ſed alii ad juſtitiam proficiant.

Hujus gratiæ genus gratis datum appellant, quo in ordine cenſentur miracula, prophetiæ, linguarum dona, & cætera à S. Paulo longo ordine diducta 1. *Cor.* 12. 4. Porrò dona illa ad aliorum potiùs utilitatem, quàm ad propriam conferuntur, quamquam & bonus ipſarum uſus illorum etiam, qui eas poſſident, profectui conducit. *Gratia* etiam appellatur donum illud, quod juſtitiam nobis, ſive viam ad illam inſtruit, ſeu confert.

Gratia interior non unius eſt generis; ſiquidem aliæ intellectum, aliæ voluntatem inſtruunt. Nec ignotæ ſunt gratiæ habituales, & actuales.

Gratiæ actuales interiores, juxta Theologos, aliæ ſunt *prævenientes*, *excitantes*, & *operantes*, aliæ *ſubſequentes*, *auxiliantes*, & *cooperantes*, de quibus omnibus tamen diſſerere Theologorum potiùs, quam noſtri eſt inſtituti.

Gratiam interiorem actualem ità S. Auguſtinus l. 4. ad Bonif. c. 5. n. 11. definit: *Legem volunt* (Pelagiani) *intelligi gratiam ... non inſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus, quæ propriè gratia eſt*. Addit inſuper: *Benedictio dulcedinis eſt gratia Dei* (gratia, inquam, efficax) *quâ fit in nobis, ut nos delectet, ut cupiamus, hoc eſt amemus, quod præcipit nobis; in qua ſi nos non prævenit Deus, non ſolùm non perficitur, ſed nec inchoatur ex nobis*. Sine gratia interiori Jeſu Chriſti bonum ſupernaturale vel minimum fieri ab homine non poteſt; neque illi perficiendo tantum, ſed etiam incipiendo ejuſdem gratiæ ope indigemus; Deus enim in nobis, & una nobiſcum per gratiam operatur. Hoc tamen merum donum eſt, nullo juſtitiæ jure debitum; neque enim debitum eſſe poſſet, ſi gratia eſt, *Rom.* 11. 6. Ejus autem tànta vis eſt, & efficacia, ut cordis contumaciam omnem ita vincat, ut nihil libertati officiat.

(Nullum in tota Theologia argumentum exercuit maximè Chriſtianos Doctores, quàm quòd gratiam Dei explicat. Myſterium eſt, quod hominum ingenia penetrare ſemper conati ſunt, & cùm maximè adniterentur, impatia ſe tamen ſemper agnoſcere coacta ſunt. Negocium in ea re maximum faceſſit libertatis humanæ conciliatio cum efficacitate gratiæ, agentis hominis concurſus cum præſtita ab Omnipotenti ope. Quis juſtos utriſque illis fines conſtituat; quis ad certum determinatle ſe glorietur jura gratiæ in corde hominum operantis, ac jura item liberi hominum arbitrii quod prævenit colluſtrat, movet & trahit gratia Creatoris?

Quamvis de hominis lapſu, imbecillitate ejus in bonum, eaque, qua ſemper tenemur, neceſſitate ut Dei ope juvetur, de tenebris, quibus ſpiritus offunditur, de prava cordis in malum indole; quamvis, inquam, de his omnibus non obſcura promuntur in Libris V. T. documenta; quamvis hæc omnia pateant apertiſſimè qua relatis in hiſtoria exemplis, in oblatis à Viris ſanctis precibus, & quà etiam in ſcriptis Prophetarum; nihil eſt tamen ut credamus veritates haſce adeò luculenter expreſſas eſſe in V. T. quàm in Novo, ac Judæos Doctores in rebus, quæ ad gratiam pertinent, ea habuiſſe explorata, quæ Patribus ac Theologis Chriſtianis &, Catholicis teleratur. Nihil ſatis compertum eſt Rabbinis de peccato Originali (a); illud enim alii negantes, defendunt in mente induci nequaquam potuiſe, naſci hominem crimini obnoxium; ſimul autem agnoſcunt in homine inſitam quandam in malum propenſionem, *figmentum*, ut ajunt, *malum*, quo ferimur in deteriora. Vide v. *Peccatum Originale*.

Si de gratia Chriſti nihil noſſe deprehenduntur, cur miremur nil eſt, ſive enim Jeſum, ſive ejus dogmata, ſive Libros & Diſcipulos æquè omnia ignorarunt; quin nulla ſatis exacta apud illos eſt notio de futura Meſſiæ, quem opperiuntur, gratia, qua delenda erunt crimina, atque ad ſalutem homines deducendi. Perfecta morum ſanctimonia futurum ut decoretur Meſſias (b), ad bonam frugem redigendas ab illo gentes agnoſcunt; commiſſurumque ut loco veri Dei colatur, & adoretur; nihil tamen habent exploratum quid ab illo præſtandum ſit in peccati expiationem. Plurimi ducunt bona opera, pœnitudinem ac vitæ reſipiſcentiam, ſimul tamen fatentur in ſuis Catechiſmis falli illos, qui ſalutem expectant ab operum ſuorum Sanctimonia, & juſtitiæ ſuæ perfectione, ac non potiùs ea gratia, cujus munere homines ſaluti donantur (c).

Sed cùm propiùs in examen gratia illa revocatur, alii cum Maimonide (d) in unico fermè temperamento conſtituunt; quemadmodum, inquiunt illi, Deus rectam hominis ſtaturam creavit, adjecitque illi manus & pedes; ita pariter inſtruit & voluntate, qua ſe moveat, & ad arbitrium operetur; ex bonitate autem temperamenti efficitur, ut res planæ reddantur, vel arduæ. Addit, timorem Dei non quidem in manu Cæli poſitum, ſed hominis eſſe, ut pro arbitrio ſe conferat homo ſive ad ſervandam Legem, ſive ad ejus præcepta abjicienda, quo rerum in ordine poſitum eſſe timorem Dei; nec enim à Deo ſed ab hominis voluntate pendere. Tandem admittunt Judæi liberam per omnia agendi in utranque partem voluntatem.

Fuerunt quidem inter illos, qui prævenientis gratiæ aliquid noſcerent, docentes gratiam *prævenire merita Juſtorum*; ſed Doctores illos tanquam à Traditione aberrantes refutat Menaſſe Ben-Iſrael clari nominis Rabbinus, qui proximè elapſo ſæculo Amſtelodami ſcribebat (e). Contendit ille libertatem hominis extinctum iri, ſi gratia prævenit voluntatem. Nonniſi duo auxiliorum à Deo collatorum genera diſtinguit, quorum unum in eo eſt poſitum, ut maximè aptas operis executioni occaſiones ſuppeditet; alterum verò, quo hominem juvat, cùm ille ſe in viam rectam dare cœperit. Agnoſcit ille quidem neceſſariam eſſe Providentiæ opem in totam recti operis executionem

(a) Maim. More Nebochim, Baſnag. Hiſt. Jud. to. 4. l. 6. c. 13. Gallicè.
(b) Lemborth. Collat. cum Judæo pag. 73. (c) Catechiſ. Jud. q. 14.
(d) Maimonid. c. 8. præfix. Pirkei Aboth apud Pakukium pag. 237. (e) De fragilit. humana §. 14. p. 116.

tionem, veluti cùm homo levare in humeros molitur graviſſimum aliquod onus, opem alterius, qui fortè aderit, implorat. Eò facilè ſpectavit Joſephus, cùm, ex Phariſæorum dogmate, aſſerit, juvari fato homines in bonorum operum exercitium; fati enim nomine facilè Providentiam deſignavit.

Docent, ſemel admiſſa gratia quadam præveniente & efficaci, operum meritum omne deſtrui, conſtitui Deum authorem criminis & corruptionis, & tanquam injuſtum Perſonarum acceptatorem Deum ipſum traduci; ſi enim gratiam ſuam efficacem largitur omnibus, cur non omnes æquè ſalvantur? Si negat aliquibus, actum eſt de æquitate juſtitiæ; ſi impar eſt homo bono abſque ope gratiæ præſtando, cur illi malum imputetur, quod neceſſitate admittit. Cur auxilium illi denegetur, quo ſi careat, actum eſt de ſalute?

Rabbinus alter Eliezer Pirkei capite 15. introducit Deum inſtruentem homini iter ad vitam & ad mortem, & in bivio conſtituto, quamcunque tenere maluerit, liberum illi permittentem. Si deteriorem elegerit, non tamen Deus errantem penitùs deſerit, quippè qui ſecùs viam diſponit ſeptem Angelos, quatuor ad miſericordiam inducentes, tres cæteros è numero Angelorum crudelium. Priores illi ſingulos perditionis aditus obſident, conanturque pro viribus, ut hominem prohibeant ab ingreſſu. Ad primum oſtium ſtans Angelus, clamat: Quid facis? nulla hic miſericordia, projicis te in ignem, miſer. Si ad ſecundum oſtium venerit, euntem remoratur ſecundus Angelus monens in Dei furorem incurrere. Tertius delendum ipſum minitatur è Libro vitæ. Orat obſecratque quartus ut ſubſiſtat, nec ultra procedat, ſuſtinens ut Deus ad quærendos pœnitentes deſcendat. Si iter proſequatur, ab Angelis crudelibus apprehenſus, deducitur ad Inferna.

Agnoſcimus in his omnibus gratiam quandam naturalem & generalem, nullis denegatam hominibus, providentis Numinis conſuetas quaſdam largitiones, externa tantùm auxilia, longè planè diverſa ab intimo illo in bonum pellectu, quò Deus ipſe per ſe trahit animas noſtras, atque ab intima quadam vi, qua rapimur in bonum, atque à malo avertimur. Sunt hæc omnia ipſa gratia medicinalis Jeſu Chriſti in ejus Eccleſia agnita.

Sua eſt etiam de gratia opinio Mahometanis peculiaris, quam hic retuliſſe grave utique non habebunt Lectores. Mahometus in ſuo Alcorano ad caput *Houd* vel *Heber*, narrat virum hunc ſanctum verba facientem ad populum *Ad* ita effatum (a): Totam ego ſpem meam repoſui in Deo, ipſe eſt meus & veſter Dominus; nulla eſt enim ſuper terram res creata, cujus ille cincinnos frontis non teneat, deducenda per rectum iter quòcumque ipſi placuerit. Hujus Textus Interpretes tenent, phraſim illam, *tenere aliquem per cincinnos ante caput pendentes*; exprimere deſpoticum alicujus in alterum imperium, abſque eo quod præſtare quidquam poſſit Domino illo ſuo invito. Perſuaſum habent, Deum re ipſa authorem eſſe & principium eorum omnium, quæ creaturæ operantur; quin & cooperationem illam creaturæ in ipſum refundi, unum illud eſſe qui conſtituto in rebus ordine atque concurſu cauſarum ſecundarum, quas ipſe creavit, omnia ad ſe trahit, juxta cujuſque diſpoſitionem atque naturam. Hanc genuinam ſtatuunt Textus Alcorani expoſitionem.

Vates quidam Arabs actionem Dei in Creaturam exprimit carmine hunc fere ſenſum reddente: *Deus illum traxit, à quo tractu ſunt quæ vos ipſos traxerunt, ut omnia eant, & redeant ad illum.* In idem argumentum alter ſcripſit: *Cùm ſemitæ omnes, ſive ad lævam, ſive ad dexteram poſitæ ad illam diriguntur, adniteris fruſtrà: quamcumque tenueris viâ ad illam te ducet, ſive præmii largitorem, ſi ad dexteram gradiaris; ſive ultorem, ſi elegeris deteriora. Cùm rerum omnium origo ab illo ſit, in illo eſſe pariter rerum omnium terminum oportet.*)

GRATUS (Valerius) Præfectus Judææ, medius inter Annium Rufum, & Pontium Pilatum (b). Inter ejus geſta illud, quod narraretur, dignum viſum eſt, quòd ſcilicet ab officio ſæpiſſimè Summos Sacerdotes removerit. Ita abrogato à Sacerdotio Anano, Iſmaelem filium Fabi ſuffecit, ac paulo poſt eodem Iſmaele remoto, Eleazarum filium Anani ſubſtituit; quo etiam poſt annum amoto, Simonem filium Camith; iterumque poſt annum Caipham generum Anani accivit.

(GRAVITAS, *Grave*. De gravitate cordis & aurium, i. e. corde obdurato, atque ingenio indocili egimus v. *Cor*, *Aures*, *Poadas*.

GRAVITAS MANUS DEI, ſeu *gravis manus in aliquem*, 1. Reg. 5. 12: exprimit exactam in furore ſuo à Deo ultionem, quemadmodum rigidus quidam herus & pater filium ſeu famulum cædit. *Jugum grave Deut.* 26. 6. & 3. *Reg.* 12. 4. vel *pondus grave* eſt ſub immiti & rigido Domini imperio ſervitus.

Populus gravis, *Pſ.* 34. 18. eſt ingens populi ſeu congregatæ multitudinis turba. *Muſca graviſſima* Exod. 8. 24. eſt ebullientium muſcarum graviſſimum incommodum: *Populus iſte gravis eſt mihi Num.* 11. 14., non ferendus eſt mihi. *Gravis nox*, eſt nox moleſta. *Infirmitas gravis*, eſt morbus periculoſus. *Gravis ſomnus*, eſt altus ſopor. *Multitudo gravis*, ingens turba. *Mandata gravia*; mandata ardua. *Alligant onera gravia*, immania ſcilicet onera aliorum humeris imponunt Matth. 23. 4. &c.)

GRYPHUS, ſeu potiùs Gryphs, cujus bis apud 70. & in Vulgata mentio occurrit, *Levit.* 11. 13. *Deut.* 14. 12. dum impurorum animalium catalogus texitur. Vox Græca *Gryphus* avem adunco roſtro, uti aquila, ſonat; ſed *Gryphus* de avi quadam fabuloſa, corpore quidem leonem, roſtro verò, & alis aquilam referente uſurpatur. Verùm Hebræum *peres*, *Levit.* 11. 13. aliquibus accipitrem; aliis milvum, ſeu potiùs aquilæ genus quoddam ſonat. Bochartus, & Junius dictum intelligunt de aquila, cui *oſſifragæ* nomen additum eſt, quòd poſt voratas prædæ carnes, oſſa ex alto ſuper ſaxa demittit; quibus eo ictu confractis, medullas voret.

(Gryphos, quales depingunt Poetæ, exhibentque vetera monumenta non rara, monſtrum eſſe ad arbitrium confictum, Soli, Jovi & Nemeſi ſacrum, convenit inter omnes. Quadrupes eſt animal capite & alis aquilinis inſtructum, leonino corpore, unguibus ingentibus armatum. Monſtrantur ex his unguibus, uti ferunt, nonnulli in uſum olim poculi deſtinati. Comminiſcuntur tanto præſtare robore monſtrum, ut equitem cum equo valeat abripere. Nec alium ponunt cuſtodem defendendis theſauris, atque auri argentique fodinis ab hominum avidorum rapacitate.

Sed fabellas in his omnibus agnoſcimus, perinde ac in *Simorg-Anka*, ſeu *Gryphus mirus* Perſarum. Avis eſt, ſi illos audias, mira prorsùs, tam corporaturæ immanitate, quàm cæteris naturæ dotibus; tantæ molis eſt enim, ut fructus omnes, & quicquid plures ſimul montes ſufficiunt, omnia voret ut alatur; intelligentia præterea & volendi facultate inſtruitur, vel religionis ſit capax; uno verbo Saga eſt quædam, in avem transformata (c). Hæc ipſa avis de ætate ſua olim interrogata reſpondit: Mundus iſte jam ſepties creaturis evacuatus eſt, ac ſepties iterum reparatus; & ſepties iiſdem animantibus omnibus innovatus. Sæculum, quod modo agitur, Adami maximo 7000. annorum cyclo claudendum eſt; ex his cyclis, ex quo nata ſum, duodecim jam prætererunt, quot inſuper reſtent mihi evolvendi verſor in obſcuro. Avis Simorg, ſi Perſis fides, obſidet montes Caf. Apud Rabbinos Authores Thalmud ſermo

de

(a) D'Herbelot Bibliot. Orient. pag. 469. (b) Ab A. Ch. 15. vel 16. uſque ad 26. vel 27. quare 11. annis Provinciam adminiſtravit. (c) D'Herbelot Bibl. Orient. p. 1016. 1017.

ac ave *Jukhneh* vel *Ben-Jukhneh*, cujus mira eſt procceritas, ac mille additæ proceritati fabellæ; convivio electorum in exitu mundi deſtinari credunt.)

GUEL, filius Machi, *Num.* 13. 16., cum pluribus à Moyſe ad Chanaanitidem explorandam miſſus.

GUNI, filius Nephtali, Gunitarum authos *Num.* 26. 48.

GURBAAL. Ea vox ſemel tantùm in S. Scriptura occurrit 2. *Par.* 26. 7., ubi de Ozia divina ope protecto, potiſſimùm *contra Philiſtiim, & contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal*, agitur. Septuaginta legunt: *habitantes ſuper Petram*. Porrò *Gurbaal* eandem credo cum *Gabal*, ſivè *Gebalene*, quæ à meridie ultra Palæſtinæ fines porrecta, in Arabiam Petræam, & Idumæam excurrit.

GYMNASIUM, locus exercitationibus deſtinatus, cui ex Græco *Gymnos*, ſivè *Gumnos*, ſcilicet *nudus*, nomen inditum eſt, quòd nudi in Gymnaſiis exercerentur. Græci enim ludis theatralibus deditiſſimi erant, in quibus viri vel prorſus vel fermè nudi lucta, curſu, batillo luſorio, arcu, &c. exercebantur. Græcorum mores eorum in Oriente victorias conſequuti ſunt; devictæ enim gentes ad Victorum ſtudia translatæ, totas ſe iiſdem ludis dedere. Jaſon omnium primus Græcas haſce ſuperſtitiones Hieroſolymam invehens 2. *Mach.* 4. Gymnaſium ædificavit; nec ſanè infrequentes Judæi ad ludicra illa Paganorum exercenda procurrerunt, ut patriis honoribus contemptis, vulgò quiſque nomen ſibi ex iis apud Paganos comparare ſtuderet. Neque vulgi tantùm, ſed & ſacerdotum ſtudia eò potiſſimùm ſpectabant, poſthabitis ſacrificiis, & ſacris Templi muneribus, ut propoſita certantibus præmia, & decora conſequerentur. *Vid.* 2. *Mach.*

H A

HABACUC, è Simeonis Tribu, & Bethzacar urbe oriundus, ſi Vitæ Prophetarum Scriptori fides eſt adhibenda (a). Cum Nabuchodonoſorem Jeroſolymæ appropinquantem cerneret, urbiſque excidium præevideret, Oſtracinam in Arabia, propè Lacum Sirbonidem, confugit, ubi & aliquandiu vixit. Capta verò à Chaldæis Jeroſolyma, iiſque in patriam redeuntibus, Habacuc in Judæam regreſſus eſt; cùm interim reliqui Judæi, qui Babylonem translati non fuerant, poſt mortem Godoliæ in Ægyptum recederent. Agrorum ſuorum cultu occupabatur Habacuc; cum autem quadam die meſſoribus prandium deferret, vocem audiit, qua eos cibos ad Danielem ferre jubebatur. Renuens, quòd neque Danielem, neque Babylonem noſſet, ab Angelo Domini capillis elevatus, cum cibis Babylonem ictu oculi translatus eſt: oblatiſque Danieli in Leonum fovea incluſo dapibus, eadem manu in Judæam eſt reſtitutus; ubi & obiit, & duobus ante captivitatis finem annis tumulatus eſt (b).

Plura illi vaticinia, præter Canonica, tribuuntur. Populum brevi è captivitate rediturum; ingens in Templo lumen videndum, in eo gloriam Domini contemplandam (de Meſſia loquebatur); Jeroſolymam ab occidentali populo (Romano) deſtruendam; velum *dabir* in duas partes ſcindendum; duarum columnarum epiſtylia ab Angelis in deſertum, eundemque locum, in quo Arca Fœderis paulo ante captivitatem delituerat, auferenda prædixiſſe narratur.

Suſannæ, Beli, Draconis, ſuæque Babylonem translationis hiſtoriæ, quæ in Danielis libro ſunt, non tamen in Hebræo Textu, ipſi adſcribuntur. Hæc tamen qui aſſerunt, inſcriptione quorumdam Græcorum Exemplarium nituntur, hæc habente. *Prophetia Abacum, Sacerdotis Juda, ex Tribu Levi*. Quem tamen Abacum à Propheta noſtro alium alii exiſtimarunt (c). Habacuc ſepulchrum in urbe *Betzacar*, ſivè *Ceila*, vel *Echela* (d), ſeù *Gabbatha* viſebatur: quæ quatuos fortaſſe nomina eundem locum deſignant. Vel ſi diſtinctas urbes, hæ profectò invicem proximæ fuere, & propè Eleutheropolim. Hujus Prophetæ corpus Theodoſio ſeniore imperante inventum teſtatur Sozomenus *hiſt. Eccl. l.* 1. *c.* 29.

Certa Habacuci ſcripta tribus capitibus continentur. Regni Juda ſcelera conceptis verbis conqueritur *Habac.* 1. 2.; quorum terribilem ultionem Chaldæorum armis expetendam à Domino prævidet *Habac.* 1. 5. 10. Nabuchodonoſoris victorias, metamorphoſim, & mortem prædicit *Ibid.* ℣. 7. 8. 12. cùmque Ethnici hujus Principis felicitate indignaretur, infortunia Chaldæis poſt Nabuchodonoſoris obitum ſuperventura, Domino revelante, intellexit (e). Inde conſilia omnia Joakim deſtruenda prædicit (f); atque in Regem quemdam (fortè Regem Tyri), ſanguine & ſceleribus conſtructa ædificia molientem, invehitur (g). Alterum etiam Regem accuſat, in amico ſuo ebrietatem procurantem, ut ejus pudenda detegeret (h); quæ de Rege Ægypti, Sedeciam Regem Juda ad defectionem à Nabuchodonoſore ſecum animante, interpretamur.

Hæc omnia animo verſans Propheta Canticum cecinit; in quo (i) miſericordiam Dei effert, ſummum ſemper furorem conſequentem, & temperantem; nec minora de divinis in populum ſuum beneficiis prædicans, in captivitatem quidem illos deductos viſurum ſe, Deo concedente, ſperat, mox tamen ab eo liberandos confidere, præſtita illis cervorum agilitate, qua & in montes ſe recipiant, & Chaldæorum manus Judæam vaſtantium effugiant. Hæc ſanè oracula cum iis conſonant, quæ de hujus Prophetæ geſtis antea narravimus. Floruit labente Judæ Regno, eodem quo Jeremias tempore. Obiit in Judæa biennio ante regreſſum Judæorum ſub Zorobabele è captivitate Babylonica (k).

HABER, ſivè *Heber Cineus*, è poſteris Jetro, & Jahelis vir, quæ Siſaram, adacto in templa clavo, confecit (l).

HABOR (m), ſive *Chabor*, *Chaboras*, fluvius celebris Meſopotamiæ, in Euphratem influens. Decem Tribus è ſuis ſedibus translatæ, partim ad oras ejus fluminis deductæ ſunt; quare Ezechiel prophetias ſuas e ripis ejuſdem dedit.

HACCUS, pater Uriæ, & avus Merimuth, illius, qui ædificationi mœnium Jeruſalem ſub Nehemia operam contulit. 2. *Eſdr.* 3. 21.

HACEL-DAMA, ſeù potiùs *Chakel-dam*, ſcilicet hæreditas ſanguinis, quo nomine appellatus eſt ager pretio proditionis Jeſu Chriſti Judæ antea ſoluto, à Sacerdotibus emptus. Cùm enim Judas pecuniam illam in Templum retuliſſet, Sacerdotibus in uſus Loci ſancti illam impendere, utpotè pretium ſanguinis, nefas viſum eſt. Quare emendo à figulo quodam agro in ſepulturam advenarum impendendam cenſuerunt. Ager ille S. Hieronymi ætate ad meridiem Jeroſolymæ adhuc oſtendebatur; neque ætate etiam noſtra ejus memoria intercidit. Anguſtiſſimus eſt locus, ac fornice protectus; telluris autem vis tanta, ut minus triduo vel quatriduo cadavera reſolvat. Hic xenodochium excipiendis Gallis advenis Terram Sanctam adeuntibus, extitiſſe, tradit Drutmarus Monachus Corbejenſis.

HACHAMONI, pater Jesbaam 1. *Par.* 11. 51. Confer. 2. *Reg.* 23. 8. & 1. *Par.* 11. 11., & conſule Commentaria. Locus Regum corruptus videtur. (Vide *Jesbaam*.)

HA-

(a) Epiph. & Doroth. de vita & morte Proph. (b) An. M. 3466. ante Chr. 534. ante Ær. 538.
(c) Vide Salian. Annal & Huet. Demonſt. Evang. (d) Vide Hieron. & Euſeb. in Ceila, & Echela, & Gabaa.
(e) Habac. ℣. 13. & c. 2. 1. &c. (f) Ibid. 2. 9. &c. (g) Ibid. ℣. 12. 13. 14. (h) Ibid. ℣. 15. 16. 17.
(i) Habac. 3. (k) An. M. 3455. ante Chr. 545. ante Ær. 549.
(l) Judic. &c. An. M. 2719. ante Chr. 1281. ante Ær. 1285. (m) 4. Reg. 17. 6. & 18. 11. & 1. Par. 5. 26.

HACHELAI, ex iis unus, qui fœdus cum Domino initum opera Nehemiæ ſubſignarunt (a).

HACHILA. Incolæ Ziph Davidem in Monte Hachila latentem Sauli prodere tentarunt 1. *Reg*. 23. 19.

HACOC, ſive *Hucac*, urbs Tribus Aſer 1. *Par*. 6. 75. eadem ac *Hucuca*, *Joſue* 19. 34. ſive, ut Hebræi pronunciant, *Chucoc*. In libro Joſue Tribui Nephtali adſcribitur.

HADAD, ex duodecim Iſmaelis filiis 1. *Par*. 1. 30. Idem ac Hadar. *Gen*. 25. 15.

HADAD-REMMON, alio nomine *Maximianopolis*. Vide *Adad Remmon*.

HADAIA, pater Ididæ, matris Ioſiæ Regis Juda. 4. *Reg*. 22. 1.

HADDAR, unus ex duodecim Iſmaelis filiis *Gen*. 25. 15. Idem ac Addad. *Par*. 1. 30.

HADDASA, ſive *Chadaſſa*, urbs Juda, *Joſ*. 15. 37. Taphnis proxima, authore Euſebio (b). S. Hieronymus legit *Gophna*, ſed mendosè, ut ipſe animadvertit. Parva urbs, ex Rabbinorum teſtimonio, ut 50. tantùm ædibus componeretur. Vera Euſebii lectio, mea quidem ſententia, *Taphua* eſt, non *Taphna*, nec *Gophna*.

HADID, ſive *Chadid*, urbs Benjamin (c), eadem fortaſſe, ac *Adida*, ſive *Adiada*, de qua Joſephus, & libri Machabæorum (d), à quibus in regione Sephala, ſive in planitie Juda collocatur. An Hadidad Tribuum Benjamin primitùs ſpectaret, mihi ſanè non conſtat: fortaſſè poſt regreſſum è captivitate in ejus Tribus partes ceſſit; fortè etiam *Adida* eadem eſt ac *Adithaim* Tribus Juda. *Joſue* 15. 36. Euſebio & S. Hieronymo duæ ſunt Urbes *Aditha*, ſive *Adi*, alia ad Gazam, alia ad Dioſpolim, ſive Lyddam; quæ ſanè loca ambo, & Sephala Regio nimis à Benjamitide diſtant.

HADRAC, ſive *Adra*, quam vide. Iræ Dei flagellum ipſi Hadrac imminere prædicit Zacharias 9. 1.

HADRIEL, filius Berzellai, qui Merob filiam Saulis antea Davidi deſponſam duxit (e). Ex eo connubio 5. filii orti, Gabaonitis traditi, qui in ultionem exercitæ in eos populos à Saule avo ipſorum crudelitatis, interficerentur. Quamquam enim in Textu 2. *Reg*. 21. 8. quinque ii ex Michol & Hadriele geniti leguntur; mendum tamen facilè irrepſit, & pro Michol legendum Merob; vel ſaltem germanæ Merob filios Michol adoptavit.

HÆRESIS, vox è Græco *Airesis*, ſectam, delectum ſignificans. Eccleſiaſtico ſtylo contumacem in errore, quoad præcipuum aliquem Religionis articulum, animum ſonat. Hinc hæretici dicuntur Ariani, Pelagiani, Novatiani &c. Neceſſarias in Eccleſia hæreſes S. Paulus 1. *Cor*. 11. 19. aſſerit, ut qui probati ſint, appareantur. Hæretici bis, terve admoniti ipſam vel ſocietatem S. Paulus Tito 3. 10. fugiendam præcipit. Saducæorum, & Phariſæorum hæreſis meminit S. Lucas *Act*. 5. 17. & 15. 5.

Haſce autem inter Hebræos hæreſes nullam profitentibus notam intuliſſe conſtat; cùm S. Paulus etiam inter Chriſtianos cooptatus, Phariſæum ſe dixerit. *Act*. 23. 6. & 26. 5. Chriſtianorum Religioni hæreſis aut ſectæ nomen inditum teſtatur Apoſtolus *Act*. 24. 14. neque profectò apud Veteres aliud quàm Secta, ſive Judaicæ Religionis reformatio, Chriſtianiſmus reputabatur; ipſique Patres priorum ſæculorum, Religionem noſtram *Sectam Divinam* appellare non metuerunt (f). Tertullus Judæorum Orator Paulum Felici tamquam *hæreſis Nazaræorum* caput, detulit *Act*. 24. 5. S. Paulus ſe *in hæreſi Phariſæorum*, quæ plurimi apud Judæos habebatur, *ſine querela* vixiſſe aſſeruit *Act*. 26. 5. Judæi Romæ commorantes, cùm S. Paulum conveniſſent, ejus de Chriſtiana Religione ſenſus intelligendi deſiderio teneri dixerunt *Act*. 28. 22.; ſibi enim *de hac hæreſi* quidquam, præterquam communes in eam querelas, innotuiſſe.

In Ethnicorum Philoſophorum ſectis, vel hæreſibus, quæ Judæorum diſſidia peperere, non immoror; ut enim Ethnici ſectas ſuas in Stoicos, Platonicos, Peripateticos, Epicureos &c. ita Judæi, poſt Græcorum in Oriente Regnum, ſuas in Saducæos, Phariſæos, Eſſenos ſive Aſſidæos, & Herodianos &c. diviſere. Similes Hebraicis in Chriſtianis Scholis, non Philoſophicis tantùm, ſed & Theologicis, ſectas afferre liceret, quæ de problematicis ſententiis, ab Eccleſia nondùm definitis, neque Religioni, neque unitati, qua Eccleſiæ membra in eadem Sacramentorum unione, Fideique principiorum confeſſione conveniunt, contrariis diſputant.

Eccleſiæ Chriſtianæ initio hæreſes pernicioſiſſimæ prodierunt, quibus profectò infenſiores nunquam ſenſit Eccleſia: præcipua enim Religionis dogmata, Chriſti ſcilicet Divinitatem, Meſſiæ in ipſo munus, Incarnationis veritatem, mortuorum Reſurrectionem, à Legalibus cæremoniis libertatem, hiſque ſimilia impugnabant. Hæreſiarcharum primus, Simon Magus, qui Dei donum pretio emere, tùm Meſſias, Deuſque omnipotens & creator haberi conatus eſt *Act*. 8. 9. 10. &c. Cerinthus, & Pſeudo-Apoſtoli, quos frequenter adeò S. Paulus in ſuis Epiſtolis redarguit (g), Fideles ad circumciſionem, Legaliumque obſervantiam reducere conabantur.

Nicolaitæ uxorum communitatem concedentes, impudentiſſima Ethnicorum quæque, & ſuperſtitioſiſſima probro ſibi minimè ducebant (h). Hi ad Cainiſtarum ſectam tranſiere, qui ſuperiorem Creatori virtutem quamdam prædicabant. Nicolaitas, ut ſectam ſua ætate florentem, furentemque in Aſia nominat S. Joannes *Apoc*. 2. 15. Pſeudo-Chriſti eadem ætate, & Pſeudo-prophetæ audiebantur (i). Hymenæum, & Alexandrum Satanæ à ſe traditos memorat S. Paulus 1. *Timoth*. 1. 20. ut eos à dogmatibus proferendis averteret. Hymenæi etiam, & Philetæ meminit 2. *Timoth*. 2. 16., qui mortuorum Reſurrectionem jam contigiſſe mentiebantur. Poſtremis temporibus futuros prædicit, qui ut errores, & Dæmonis doctrinam ſequantur, à Fide deficient 1. *Tim*. 4. 1. Eadem SS. Petrus in 2. ep. 2. 1. & 3. 5., & Judas *Ep*. ℣. 18. vaticinantur; Chriſti prædictiones ſequuti, qui Pſeudo Chriſtos, & Pſeudo Prophetas, populum præſtigiis decipientes, futuros eſſe monuerat (k). Vide *Nicolaus*, *Simon*, *Cerinthus*, &c.

HAGGI, ſecundus filius Gad. *Gen*. 46. 16.

HAGGIA, filius Samaæ ex poſteris Merari. 1. *Par*. 6. 30.

HAGGITH. Vide *Aggith*.

HAGIOGRAPHA, quo nomine omnes æquè Sacræ Scripturæ, & veneratione dignæ, ſive illæ Canonicæ ſint, ſive tantum res ſacras Scripturarum inſtar Sanctarum tractent, donantur (l).

Verùm nomen *Hagiographi* potiſſimùm de libris Sacris uſurpatur, quos Hebræi *Cethubim* appellant. Tres enim illi Librorum V. T. claſſes diſtinguunt. I. Legem continet. II. Prophetas. III. Hagiographa, ſivè *Cethubim* (m). Prima quinque Libros complectitur, ſcilicet Pentateuchum, ſive quinque Libros Moyſis; altera octo Libros Prophetales, nempe Joſue, Judices, & Ruth, quos ambos ſimul computant; primum & ſecundum Samuelis (quos pro uno habent); duos Libros Regum, apud nos tertium & quartum Regum, apud Hebræos verò in unum coaleſcentes; Iſaiam, Jeremiam, Ezechielem; & duodecim Prophetas, quos pro uno habent. Hagiographorum claſſis novem libros continet; Job, Pſalterium, in quinque partes diſtributum, Proverbia, Eccleſiaſtem, Cantica Canticorum, Danielem, & duos Paralipomenon

pro

(a) 2. Eſdr. 10. 1. A. M. 3551. ante Ch. 449. ante Ær. 453. (b) Euſ. & Hier. in Adaſa. (c) 1. Eſd. 2. 33. & 2 Eſd 11. 34.
(d) Antiq. l. 13. c. 11. & 23. & 1. Mach. 12. 38. & 13. 13. (e) Reg. 18. 19. A. M. 2987. ante Ch. 1013. ante Ær. 1017.
(f) Tertull. de Pallio, *Divinam ſectam*. (g) Vide Galat. 4. 12. 13. 17. & 5. 11. & 6. 12. Philipp. 3. 18.
(h) Vid. Epiph. hær. 25. Philaſtr. & Aug. de hæreſ. &c. (i) Apoc. n. 20. & 1. Jo. 2. 18. 22. & 4. 3. & 2. Jo. ℣. 7. &c.
(k) Matth. 24. 4. 24. & 7. 15. (l) Vid. Gloſ. ordin. Præfat. in Tob. & Dried. l. 1. c. 4. Catal. Div. Scrip.
(m) Hieron. Præfat. in Lib. Reg.

Digitized by Google

pro uno habitos; primum & ſecundum Eſdræ, quoa pariter pro uno deputant; tandem Librum Eſther. ſunt, qui numerum Hagiographorum ad undecim prorogent, Libris Ruth, & Lamentationibus ſuo ordine computatis.

In Prælatione in Judith, teſtatur idem Sesiptor, Librum illum apud Hebræos inter Hagiographa recenſeri, cujus proinde authoritas tanta non eſt, ut diſceptationes de rebus dubiis dirimere valeat. Eadem de Libro Tobiæ habet præfat. in Tobiam, quem inter Hagiographa tantùm, non inter Canonica cooptatum eſſe tradit. In Præfatione in Danielem animadvertit, Hagiographorum claſſem apud Hebræos undecim libros complecti; ex quibus omnibus duo potiſſimùm inferenda ſunt; alterum nempe, S. Hieronymi ætate numerum Librorum Hagiographorum vagum adhuc fuiſſe, alterum, Hagiographorum duo eſſe genera, Canonicorum nempe, & inferioris authoritatis Librorum, quorum in diſceptationibus de Religione nullus eſſet uſus.

HAI, urbs ad occidentem Bethel Joſue 7. 2. Gen. 12. 8. apud Septuaginta *Azai*, Joſepho *Aina*, aliis *Aiath*. Hujus urbis expugnationi Joſue 3000. ſelectiſſimos miſerat (a), quos tamen ſtrenue excipientes incolæ, in fugam verterunt, Deo ita permittente, ut violatum ab Achan anathema in Hierichuntem profatum ulciſceretur, cùm ſcilicet ex præda ejuſdem Urbis ipſe ſibi ſpolia ſurripuit. Expiato tandem crimine, urbs capta, direpta, & incendio abſumpta eſt ab Hebræis.

(Hai. Urbs eſt à Jericho non diſſita. Poſt expiatum crimen Achan, Dominus mandavit Joſue (b), ut copias omnes Iſraelis duceret in Hai, qua capta cum ejus Rege non mitiùs ageret, quàm cùm Jericho præſtiterat, hoc tamen inter utramque Urbem diſcrimine, ut poſtremam Urbem diripiendam populo concederet.

His ergo mandatis oneratus Joſue noctis ſilentio ſubmiſit 3000. viros, ut retrò poſt Urbem ſeſe locarent in inſidiis, quæ ab ipſis præſtanda eſſent omnia ſimul admonens; diluculo verò alterius diei ipſe cum reliquo exercitu iter contra Urbem direxit. Simul hæc intelligens Rex Hai eruptionem fecit ex Urbe cum copiis iſtis omnibus ac civibus, & impetu invectus eſt in Iſraelitas; fugere illi actutum, ſimulantes timorem, reipſa verò militari hoc ſtratagemate hoſtem in apertum agrum deducere ſatagebant..

Cùm hoſtes ex Urbe omnes ita eduxiſſet Joſue, clypeum ſuum levavit in haſtam, indicturus iis, qui latebant in inſidiis, ſignum; nec mora illi irruptione in Urbem facta, vacuam deſenſoribus occuparunt, ſeſeque omnia tradiderunt incendio. Sublatum ex incendio ſedium ſuarum fumum proſpicientes incolæ Hai pedem referre tentarunt; ſed tergo inſtare graves ea improviſo ſenſerunt Iſraelitas, qui incendio traditam Urbem deſerentes, iter direxerant in hoſtes; ſimul autem reſiſtentem in faciem habebant Ioſue cum ſuis, quo valida inferente arma trucidati ſunt ad unum omnes, ne uno quidem è clade reliquo. Rex in poteſtatem hoſtium veniens, deductus fuit vivus ad Ioſue. Victores Iſraelitæ Urbem ingreſſi igne & clade vaſtarunt omnia, trucidaruntque una ea die ad 12000. hoſtes tam è viris, quàm è fœminis ac pueris. Rex Hai pari cum cæteris fato ſublatus eſt, tum & levatus in patibulum, ſpectaculo omnibus fuit uſque ad occaſum ſolis; tandem depoſitus eſt, projectuſque præ foribus Urbis, ingentique lapidum acervo obrutus potiùs quàm tumulatus. Secundùm hæc diviſa inter Iſraelitas præda juxta datam a Domino facultatem.

* Præclarum hoc Ioſue in Hai facinus ſimile eſt molimen, ſi addita quædam in rem opportuna excipias, præclaro alteri bellicæ virtutis ſpecimini, quo in prælio ad Gabaa inclaruit; hoc enim ad Gabaa prælium veluti ad normam prioris hujus expletium eſt. Exempla non diſſimilia plura exhibet, quà vetus quà recens hiſtoria; unum aliquod ferè per omnia ſimile habes apud Polybium l. 4. quanquam illud, ingenuè fateamur oportet, Joſuè illud primum fuiſſe & veluti normam cæterorum; fruſtrà enim remotiora antiquitatis tempora requireremus in hiſtoriis, dum conferremus nos ad indagandum, ſi quod aliud militare ſtratagema, Iſraeliticum hoc antiquitate ſuperet. Sacri Hebræorum Libri vetuſtate quidem cæteros omnes non ſuperant; erant enim dubio procul Hiſtorici ante Moyſem, & facile etiam antè ſummum illum Judæorum Legiſlatorem, belli artes omnes jam innotuerant. Ea mihi ſedet perſuaſio, certumque teneo res bellicas parem reſcire cum mundo vetuſtatem, i. e. tum cœpiſſe, quando Mundus hominibus frequentari cœpius eſt. Maturè etenim ſatis ambitio diſſidium illud invexit inter meum & tuum. Si quis ex me quærat quando geminæ illæ paſſiones caput levarint; ſtatim interroganti reponam, tunc primùm, cùm Adam Cainum & Abelem effudit; poſterior iſte Domini favore pollens à fratre natu majore neci traditus eſt. Hæc diſſidiorum omnis origo & epocha; ſed modò ad hiſtoriam captæ Urbis Hai.

Quantùm ex Scriptura intelligimus, quo uſus eſt, ſtratagema non Joſue per ſe excogitavit, ſed in Deum & exercituum Dominum referendum eſſe unicè, conſtat. Cùm ille injunxit Duci Hebræo, *Conſurgens aſcende in oppidum Hai, pone inſidias Urbi poſt eam, ecce tradidi in manu tua Regem ejus & populum*; cum, inquam, hæc mandat, integram nihiloſecius inventæ rei & executioni mandatæ gloriam ſummo huic Imperatori intactamque relinquit; alioqui etenim è cenſu ſummorum virorum expungeretur Joſue, ſi Deus ita prodigiis ſuis militaſſet populo, ut nec ingentium ceptorum executionem Imperatori relinqueret. Ad injuſtitiam & nequitiam hominum puniendam prodigiis ſemper invaleſcere utique non cogitur Deus; ipſis enim ſæpè hominibus utitur tanquam decretorum ſuorum adminiſtris.

Verba illa: *Pone inſidias Urbi poſt eam*, diſcutere in præſenti non vacat. Scitè admodum in eum Textum diſſernit D. Calmet, cujus mihi cedo eruditiſſima verba: „ Monſtri loco, ait ille, ducitur, Deum „ qui nullo planè negocio Omnipotenti manu ſua „ opprimere valuiſſet Urbem & incolas, uti maluiſ- „ ſe artificio & ſtratagemate, quo victoriam He- „ bræis procuraret; hæ planè artes minùs decere vi- „ dentur Numinis omnia valentis dignitatem, quip- „ pe quas & certæ quædam Gentes & Imperatores, „ tanquam ſtrenuo viro indignas, atque invidiæ po- „ tiùs in eorum gloriam creandæ, quàm prorogandæ „ dignitati aptas, rejecerunt. Dictitabat Alexander „ Magnus nolle ſe furtiva parta victoria potiri (c); „ veteres Græci & Tibareni certiores faciebant ho- „ ſtes de tempore & loco certaminis; veterum Ro- „ manorum decus erat: *Non fraude nec occultè, ſed* „ *palam & armatum populum Romanum hoſtes ſuos* „ *ulciſci*. Victoriam non aliam ſibi quærebant, quàm „ aperta vi & juſto prælio partam: id molientes ut „ vel hoſtium ſuorum teſtimonio de virtute bellica „ ſibi laudem vindicarent, haberentque hoſtes ipſos „ ſubmiſſos volentes, agnoſcenteſque ſe, tanquam „ imbecilliores, validioribus meritò parere.

Habes hic divitem planè eruditionem, quibus etiam à ſe congeſtis addere potuiſſet doctiſſimus Commentariorum Scriptor exempla veterum Gallorum, Helvetiorum, aliarumque gentium, quarum erant mores ab his fraudibus, & ſtratagematibus ingenui. Sed arduam ſanè provinciam ille aſſumeret, qui ſibi demonſtrandum ſuſciperet, veteres Romanos ab

(a) Joſue 7. 3. &c. An. M. 2553. ante Chr. 1447. ante Ær. 1451. (b) Joſue 8. 1.
(*) Animadverſiones in ſimulatum receſſum Joſue, & captam inopinatò urbem Hai. *Joſue* 8.
(c) Vide Grot. de jure belli & pacis l. c. 1. art. 20. Serar. in Joſue c. 8.

omni arte & dolo bellico abſtinuiſſe; ars eſt enim militaris non alia quàm ſtruendi doli, ingenioſa tamen, callida, & maximè ſapienti methodo. Si hoſtium fraudes ſtructæque inſidiæ, Romanis aliquando fuere pernicioſæ, id in eorum caput mali induxerunt rerum bellicarum imperiti Duces, quorum erat ingenium à militari arte planè abhorreos; quique ut inſcitiam ſuam aliis utcunque excuſarent, frigidam hanc obtendebant cauſationem, ingenuis ſe artibus gerere bellum; omni abjecta fraude ac dolo. Diſcimus autem ex Hiſtoria, Romanos plerunque fraudibus hiſce ac dolis uſos fuiſſe. Si Alexander & alii plures clariſſimi Imperatores à dolo temperandum ſibi cenſuerunt, id utique ab illis præſtitum eſt, quòd intelligerent etiam ſine fraudibus ſe victoriam reportaturos. Norat probè Alexander quibuſcum res eſſet ſibi gerenda. Si cum aliis rem habuiſſet, quàm cum Perſis gente effœminata, datum ſibi à Parmenione conſilium, ducendi ſcilicet ſuos in hoſtes obſcuræ noctis favore, plenis manibus excepiſſet; tùm autem ejus indolis hoſtem haberet adverſarium, conſulenti reſpondit (a), velle ſe plena die inire prælium, cùm mallet queri de fortuna, quàm de victoria erubeſcere.

Quibus mirari ſuccurrit, cur Deus nullo planè molimine opprimere valens Urbem & incolas uno voluntatis ſuæ actu, maluerit dolo & artificio uti; illis ego reponerem, num Deus pariter valuiſſet uno oculi ictu atque unico temporis inſtanti evertere mœnia Jericho, & incolas ejus omnes diſperdere, abſque eo quod ſeptenario ambitu populum ſuum Urbi illi circumduceret, ut tandem ſeptima die ſponte corruentia mœnia ſpectaret. Num pariter exterminare valuiſſet tot populi ſui adverſarios ſine prælio, eundemque populum ſuum immittere ſtatim in poſſeſſionem promiſſæ regionis, abſque eo quod gladium vel enſem exereret? Sed Dei ſecreta penetrare, ut quid homines conemur? Si hoc ille conſilio uſus fuiſſet, potentiam ſuam minùs commendaſſet hominibus, ac minori inclaruiſſet prodigiorum numero, in quorum admirationem Univerſum totum convertit; minorum etiam meritorum ſegetem populo ſuo paraſſet.

Surrexit itaque Joſue; & omnis exercitus cum eo, ut aſcenderet in Hai; & electa triginta millia virorum fortium miſit nocte. Joſu. 8. 3. Antilogia non latens deprehenditur inter hunc verſiculum, & duodecimum, ubi legimus, Joſue nonniſi 5000. homines miſiſſe, ut laterent in inſidiis inter Bethel & Hai; quomodo hæc concilientur? „ Notat D. Calmet à Maſio in „ Joſue 8. deſignari tantùm 5000. pro inſidiis ſtruendis, & 25000. ad capiendam Urbem, perſuaſo alio„ qui exercitum 600000. frequentem turbis ea occa„ ſione tantùm cauſandis futurum opportunum, ju„ vandæ verò rei ineptum. Maſius utique recta ſenſiſſe videtur, qualia nec vir militaris reſpueret; „ ſed Interpretes plerique, proſequitur D. Calmet, agno„ ſcunt duo militum agmina in inſidiis conſtituta, „ utraque inter Bethel & Hai unum ex 25000. alte„ rum ex 5000.

Miſit igitur Joſue primùm 30000. qui favore noctis iter ſuum profecti ſunt, & ne forte aliquid de ſe hoſtes ſubodorarentur; retrò poſt colles Bethel circumeuntes, venerunt in deſtinatum ſibi locum inter duas Urbes ad occidentem. Tunc agminis illius Dux 5000. ex ſuis præcepit ut tectum quendam locum obſiderent, è regione, & quantum fieri poterat, propiùs ad Urbem, ut opportuno ſtatim tempore ad interiora penetrarent.

Notat D. Calmet in Joſue 8. 13. ex Interpretibus nonnullos negaſſe Hebræum *Akeb* deſignare inſidias; exprimere autem ad literam *talum*. Profectò ſi *talum* ſonat, mihi utique probatur per metaphoram poſitum eſſe ad deſignandas inſidias; conſtituti enim in inſidiis hoſtes poſteriora adverſariorum urgent. Nonne familiari ſermone uſurpamus, adverſarios noſtros in talis inſiſtere, veſtigia noſtra premere; nonne retro plerumque & ad talos poſitos in inſidiis hoſtes graves ſentimus?

Noctem egit Joſue in caſtris ad Galgalim; ante primum mane copiis ſuis luſtratis reliquum exercitum ipſe cum ſenioribus duxit in Urbem Hai. Cùm veniſſent in Urbis conſpectum, aciem in prælium inſtruxit Joſue dum adhuc collem teneret, tum in ſubjectam vallem deſcendit: *Quod cum vidiſſet Rex Hai, feſtinavit mane, & egreſſus eſt cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra deſertum.* Ibid. verſ. 14. Joſue paventi ſimilis fugam ſimulavit, quò animos addens hoſtibus magis magiſque removeret ab Urbe. Oblatam hanc occaſionem abjiciendam ſibi nequaquam arbitrati Cives Hai, eò majorem in ſpem venerunt delendi Hebræos, quò illos in anguſtias redactos viderant, ubi cum ſatis explicari acies non poſſet, nec ingens Hebræorum numerus quidquam profeciſſet, nec minor adverſariorum, qui latera haberet in tuto, detrimenti ſenſiſset aliquid. Sed illis ne ſuccurrerat quidem, reliquiſse hoſtes poſt ſe in inſidiis, nec quos veluti fugientes perſequebantur, verſa tandem facie reſtituros, eo ſimul tempore, quo latentes in inſidiis alii ad datum ſignum ſurrexiſsent, irrumpenteſque in Urbem vacuam defenſoribus facilè expugnarent.

Cum ſibi omnia ſuccedere pro voto intelligeret Judæorum Imperator; ſatiſque receſſiſse ab Urbe defenſores cerneret, exercitum ſuum vertere in hoſtem faciem præcepit; datoque condicto latentibus in inſidiis ſigno, monuit irrumpendi in Urbem tempus dari opportunum. Doctiſſimus Commentariorum Scriptor, qua eſt eruditione, plures congerit Interpretum ſententias ad naturam ſigni quod attinet. Sed adhuc verſamur in ambiguo; tenent alii, inquit ille, Hebræum *Cidon* deſignare clypeum; Septuaginta & Aquila exponunt de miſſili ferreo, quod appellant *Gæſon*; ſed miſſile vix à longe proſpiceretur; vix etiam galea. Mihi præ cæteris probatur opinio Rabbinorum, quorum licèt ſit procax in fabellas ingenium, interdum tamen recta ſtatuit. Elevatum igitur in haſtam militare inſigne tenent illi, quo indicio Joſue ſuos admonuit; ex quo ego non abs re deduxerim inſigne illud militare totum ſublatum fuiſſe; ſtilo enim Aſiatico, quod ad poeticum accedit maxime, partem hîc pro toto accipiendam arbitror. Cum primum igitur militare inſigne erectum ex condicto viderent latentes in inſidiis Judæi; *Surrexerunt confeſtim, & pergentes ad Civitatem, ceperunt & ſuccenderunt eam*; non continuò totam, ſed per intervalla, ut ſignum exhibenti Duci, altero dato ſigno reſponderent, demonſtrarentque captam jam Urbem; non enim tota vaſtata eſt & incendio tradita, niſi poſt factam à victoribus direptionem.

Viri autem Civitatis, qui proſequebantur Joſue, reſpicientes, & videntes fumum Urbis ad Cælum uſque conſcendere, non potuerunt ultra huc illucque diffugere, præſertim cùm hi, qui ſimulaverant fugam & tendebant ad ſolitudinem, contra perſequentes fortiſſimè reſtitiſſent. Qui enim latebant in inſidiis, integrumque, licet brevius, agmen componebant, è re præſenti eſſe duxerunt, ut relicta Urbe erumperent, urgerentque à tergo hoſtes, quos à fronte jam cædebat reliquus exercitus. *Cùm ergo ex utraque parte cæderentur, nullus de tanta multitudine ſervatus eſt*; i. e. nemo unus fuga ſaluti ſuæ providit, ſed qui à cæde ſervati ſunt incolumes, in manus hoſtium captivi venerunt unà cùm Rege ſuo, & poſt prælium neci traditi ſunt.)

HAIN, ſive, *En*, *Eia*, vox fontem, oculum ſonans, quare non rarò nominibus urbium Palæſtinæ jungitur. Vide *En*.

HAIN-SEMES, ſive *Ain-Semes*, vel *En-Semes*, vel *Hir-Semes*, urbs Solis, in ditione Tribus Judæ. Joſue 15. 7.

HALA 4. Reg 17. 6. & 18. 11. Regio trans Euphratem, in quam decem Tribus Iſraelitarum ab Aſsyriis deductæ ſunt. Hujus ſitus incertus.

HAL-

(a) Q. Curt. l. 4.

Digitized by Google

HALLELU-JAH. Vide *Alleluja*.

HALMA, ſive *Halmath* Iſ. 7. 14., vox Hebræa, Virginem, ſive Puellam ſonans, pro more Orientalium, in conclavi incluſam, & a commercio hominum ſemotam. In Libris Machabæorum, & Eccleſiaſtici, puellæ clauſæ, & celatæ appellantur; quo epitheto virgines à conjugatis, quæ in publicum prodeunt, diſtinguantur (a). S. Hieronymus in Iſai. 7. diſtinguit inter *bethula*, nempe puellam, & *alma*, nempe Virginem, quod iſta in publicum nunquam prodierit. Quæ ſanè ipſiſſima ejuſdem vocis ſignificatio in Punica, ſive Phœnicia, nempe, ut ſatis conſtat, veteri Hebraica Lingua. Ita in Iſaiæ oraculo de ortu Meſſiæ: *Virgo concipiet & pariet*, eandem vocem de Virgine interpretati ſunt veteres Rabbini; orituramque ex Virgine Meſſiam, ex eodem Prophetæ teſtimonio Evangeliſtæ animadverterunt.

Titulus Pſalmi 45., ſive juxta Hebræos, 46. in Vulgata habens, *In finem filiis Core pro arcanis*, in Hebræo legitur: *Præfecto Muſices filiorum Core*, *Præfecto Chori juvencularum*, ad literam *hal-halamoth*, ſuper Virgines. In Noſtris Commentariis in Pſalmos animadvertimus, in Templo aliquando, & in cæremoniis publicis crebrò ſuos fuiſſe puellarum pſallentium, atque inſtrumentis canentium choros. Pſal. 2. 8. Eadem vox *hal-halamoth* legitur in titulo Pſalmi 9. cujus interpretatio mirè Commentatores torquet. Sunt enim, qui muſicum inſtrumentum; ſunt, qui myſterium aliquod ſignificari autument. Nos de choro puellarum, ut diximus, explicandam cenſemus.

HALCATH, ſivè *Alcat*, urbs Tribus Aſer (b).

HALHUL, urbs Tribus Juda. Joſue 15. 58. *Alula* parvus locus erat ad Hebronem, authore S. Hieronymo in Alul.

HALIÆTUS, ſcilicet *aquila marina*, qua voce deſignando quondam Aquilarum generi inter impura rejecto (c), poſt Septuaginta, S. Hieronymus uſus eſt. Vocem Hebraicam *baſeniiah* de *aquila nigra*, ſeù *valeria* Bochartus interpretatur.

HAM, ſivè *Hem*, *Cham*, regio gentis Zuzim, de quibus Geneſis 14. 5. Quo loco Vulgata habet: *Chodorlahomor percuſſit Raphaim in Aſtaroth-Carnaim, & Zuzim cum eis*, Hebræus legit: *& Zuzim in Hem*, ſivè *Ham*. Hujus regionis ſitus incertus.

HAMATH. *Hamathæi*. V. *Amath*, *Amathæi*.

HAMDAN, filius Diſon, ex poſteris Sehir Horræi. *Gen.* 36. 26.

(HAMMON, *Jupiter Hammon*. Communi apud Criticos perſuaſione receptum eſt, Jovem illum Hammonem, cultum in Ægypto Numen, ipſum eſſe Cham diris à patre ſuo Noemo devotum. Quam opinionem promoverunt plurimùm affinitati nominum additæ rerum circumſtantiæ, è fabulis & hiſtoria deductæ. Ægyptus non ſemel in Scriptura deſignatur nomine *terræ Cham*. *Pſ.* 77. 51. & 104. 23. & 105. 22. Cujus etiam appellationis veſtigia ſupereſſunt quædam in *Pſochemmis* & *Pſittachemis*, Ægypti regionibus. Hanc ipſam Provinciam appellatam olim *Chemiam* conſtat ex Plutarcho de Iſide & Oſiride. Nec ullus eſt ambigendi locus incolarum ejus primum fuiſſe authorem *Mezraim* ex filiis Cham *Gen.* 10. 6.; ſicut & affines illi regiones poſſediſſe ex ejuſdem Chami filiis, nempe ex Chus, Phuth & Chanaan poſteros.

Si Noemus Saturnum Paganorum refert, Cham ex ejus filiis natu poſtremus cum Jove utique confundetur. Quæ Vates canunt de Jove, ac vi ab illo Parenti illata, congruunt fermè cum iis, quæ de Chamo narrantur. Jupiter abſcidit parentem ſuum; Cham verenda patris ſui tegere neglexit; Hebræus textus commode etiam exprimere poſſet abſcidit, pro eo quod in Vulgata eſt, *nunciavit* (d), ſola immutata punctorum, quod recens inventum eſt, ſyntaxi. Saturnus orbem univerſum in tres filios ſuos diviſit, aſſignato Jovi Cælo, Neptuno Pelago, Inferois Plutoni; Noe itidem Africam Chamo, Aſiam Semo, Europam Japheto conceſſit. Porrò Africa regio habetur altior & Cælo proximior.

Terrarum primam Libyem, nam proxima Cælo eſt,
Ut probat ipſe calor, tetigit.

Vulgò creditus inducta a Cham in Ægyptum Idololatria, ſibique pariter ab illo Divinos honores uſurpatos fuiſſe. Creditum inſuper olim ab origine ſolis aſtris cultum conſueviſſe impendi; demum & Heroibus Regibuſque communicatum. Hammonem Solem eſſe perhibent veteres Paganorum Theologi. De Apolline quodam filio Hammonis legas apud S. Clementem Alexandrinum; quis autem neſciat, Apollinem cum Sole confundi? Filius etiam Hammoni vindicatur Bauthen Indus, è Nympha Amalthea natus (e), & torcularium inventor.

Ægyptii ante propagatum ab Alexandro M. Imperium in Aſiam & in Ægyptum, cultum Jovis Græcorum nullum admiſerant; ab illis primùm inducta cum lingua & moribus ſua etiam Religio; nec Ægyptii, gens omnium maximè ſuperſtitioni addicta, moroſos ſe præbuerunt adoptando Græcorum cultui, eumque cum vetuſtis traditionibus ſuis conciliantes, monſtruoſas ſibi Divinitates è Græco & Ægyptio compoſuerunt. Conati ſunt Græci Deos ſuos in Diis Ægyptiorum rimari, & Ægyptii, ad minimum quencumque ſimilitudinis characterem, ſtatim Græca Deorum nomina vetuſtis ſuis Numinibus vindicarunt. Ita *Iſis* reddita eſt Diana; *Luna* Venus, Ceres &c. *Oſiris* Apollo & Adonis; *Hammon* eſt Jupiter, Sol, Deus omnium princeps & ampliſſimus.

Templum Jovis Hammonis cætera per Orbem vetuſtate ſuperare creditum eſt, ut origo ejus inquiſitionem omnem ſuperet. Surgebat in medio ſacræ Numini ſylvæ (f), ac unus idemque locus erat populo religioſus, itemque adverſus hoſtium inſultus munimentum. Totum ambitum tria ampliora mœnia formabant, quorum intra primum ſeptum ſurgebat vetuſtum quoddam ædificium, olim Regum Provinciæ ſedes. Complectebatur ſecundum conclavia fœminarum, & filiorum Regis; tertium verò diſtinguebat Templum, Oraculum Ammonis; in poſteriori atrio erant conclavia corporis cuſtodum, Narrat Q. Curtius, è quo hæc omnia derivata ſunt, delatum Numen hoc à Sacerdotibus in pompa ſolemni intra naviculam, cujus utrumque latus appenſi plures argentei lances ornabant. Referebat Numen illud arietem (g), vel ſaltem caput humanum arietinis cornibus.

..... Stat tortis cornibus Ammon.)

HAMON, ſivè *Chamon*, urbs Aſer. *Joſue* 19. 28. an eadem ac *Chamon* Tribui Nephtali adſcripta? 1. *Par.* 6. 76.

HAMOTH-DOR, urbs refugii, in Tribu Nephtali *Joſue* 21. 32., eadem fortè ac *Hamath*, ſivè *Chamath*, in eadem Tribu, *Joſue* 19. 3. quam ipſiſſimam eſſe urbem Tiberiadis ferunt. Nomen *Hamath*, ſivè *Chamath*, locis tribuitur, in quibus balnea aquarum calidarum occurrunt. V. *Amath*.

HAMRAM, filius Diſon natu major è poſteris Sehir Horræi. 1. *Par.* 1. 41.

HAMUEL, filius Maſmæ. 1. *Par.* 4. 26.

HAMUL, filius Phares, author familiæ Hamulitarum. *Gen.* 49. 12. *Num.* 26. 21.

HANAMEEL, filius Sellum, qui Jeremiæ neceſſario ſuo agrum in Anathoth pretio vendidit. *Jerem.* 32. 7. &c.

I. HANAN, pater Rinnæ. 1. *Par* 4. 20.

II. HANAN, filius Aſel, è Tribu Aſer. 1. *Par.* 8. 37.

HANANEEL, vir, de cujus nomine turris Hieroſolymis appellata eſt (h).

(a) 2. Mach. 3. 19. & 3. Mach. 1. 18. Ezech. 62. 9.
(b) Joſue 19. 25. (c) Levit. 11. 13. Deut. 14. 12. (d) Vaiagged *nunciavit*, pro Veiagged *abſcidit*.
(e) Diod. Sicul. (f) Q. Curt. lib. 4. (g) Antiquit. Explicat. tom. 1. pag. 45. Gallicè.
(h) Jerem. 31. 38. & 2. Eſdr. 3. 1. & 12. 38. Zach. 14. 8.

I. HANANI, pater Jehu Prophetæ 3. *Reg.* 16. 1.

II. HANANI, Propheta (a), qui Aſam Regem Judæ conveniens, juſſu Dei prænunciavit, copias Regis Syriæ incolumes ſervatas, quòd ipſe plus in Rege Syriæ, quàm in Domino præſidii collocaſſet. Quanam occaſione hæc Regi dixerit, ignoratur; ſanè Prophetam idcircò carcerem ſubiiſſe, ac Regem iniquiùs ſubjectos ſibi populos impoſterùm habuiſſe conſtat. Sunt, qui duos Prophetas Hanani, & Jehu, confundendos cenſeant. Scriptura tamen ſcrupulum injicit; alter enim in Regno Iſraelis, primus verò in Regno Juda propheraſſe dicitur; & Jehu, mandante Baaſa Rege Iſraelis, interfectus (b); Hanani Aſam Judæ Regem (c) arguit.

III. HANANI, Levita, & Muſices peritus, ſervitiis Templi à Davide deſtinatus, ordine decimus octavus. 1. *Par.* 25. 4. 25.

I. HANANIAS, filius Zorobabelis. 1 *Par.* 3. 19.

II. HANANIAS, filius Aſur, Pſeudo-Propheta (d), qui in populi & Sacerdotum corona, palam in Templo Jeremiam conveniens, contritum à Deo Regis Babyloniæ jugum dixit; quare poſt biennium vaſa è Babyloniæ ſcriniis in Templum Domini reſtituenda, reductis una Jechonia, cæteriſque captivis. Cui Jeremias optare ſe ait, ne mendax Propheta ille deprehenderetur; ſe tamen nonniſi mala ſpondere auſum eſſe: uter meliùs, air, arguet eventus. His commotus Ananias abrepta vincula (quæ diutiùs jam è collo pendentia geſtabat Jeremias in figuram captivitatis Judæis impendentis) confregit, addens ità mox jugum Regis Babyloniæ à Domino conterendum. Recedens poſt hæc Jeremias, iterum tandem converſo pede Hananiam repetiit, denuncians pro ligneo jugo, quod confregerat, ferreum mox illi imponendum; eodem enim anno ſeducendi populum morte ſua finem facturum. Eventus oraculi fidem probavit. Obiit Hanan. an. M. 3410. ante Chr. 590. ante Ær. 594.

HANATHON, ſivè *Channathon*, urbs Tribus Zabulon. *Joſue* 19. 14.

HANES, urbs, *Iſ.* 30. 4., quam S. Hieronymus *in Iſai.* 30. 4. in finibus Æthiopiæ ſitam ſcribit. Chaldæus, & Interpretes recentiores eo nomine deſignatam credunt urbem, quæ *Taphna* dicitur, ſcilicet *Daphne Peluſiæ*, non longe à Peluſio. Septuaginta non legerunt *Hanes*.

HANNEKEB, urbs Nephtali, *Joſue* 19. 33., quam Vulgata *Adami* jungit: *Adami, quæ eſt Neceb*. Inverſo dein nomine *Ziadatem* appellatam fuiſſe Rabbini aſſeruerunt (e).

HANNI, Levita è captivitate Babylonica redux. 2. *Eſdr.* 12. 9.

HANNIEL, filius Ephod, è Tribu Manaſſe, ad explorandam Chanaanitidem cum ſelectis cæteris miſſus. *Num.* 34. 23.

HANNON, filius Naas Regis Ammonitarum, injuria in Legatos Davidis illata notiſſimus. Cùm enim David ſuum de obitu Patris ipſius luctum, miſſis ad illum Legatis ſignificaret, Hannon veniſſe illos ad explorandam regionem ſuſpicatus, aulicorum quorumdam inſtigationibus actus 2. *Reg.* 10. & 1. *Par.* 19. veſtes illis ad medium corporis ſcindi, radi barbam, ac deinde remitti juſſit. Rei indignitate David permotus, Joabum cum ſelectiſſimis copiis in Ammonitas miſit (f). Joab ea expeditione ſuſcepta, audiens Syros, genteſque trans Euphratem ſuppetias hoſtibus laturos veniſſe, diviſo exercitu, fratreque Abiſai alteri parti præfecto, ambo ſuo quilibet hoſti, Abiſai Ammonitis, Joab Syris prælium intulerunt. Victoria penes duos fratres ſtetit, diſſipatiſque hoſtibus, David de victoria certior factus, trajecto ſtatim Jordane cum reliquo exercitu, in regionem venit; iterumque collatis ſignis cum Syris, commiſſo prælio nova victoria auctus eſt. Sequenti anno (g) bello in Ammonitas perſeverante, Joab Metropolim Ammonitarum Rabbath obſidione tentandam ſuſcepit. Ejus obſidionis tempore, David adulterii cum Berſabee crimen, procuratæ Uriæ cædis ſcelere cumulavit. Ad extrema jam redactam urbem, David à Joabo invitatus, cum reliquo exercitu in caſtra veniens, facili negotio expugnavit: quare illam ingreſſus, cives omnes & gladiis & ferratis ſuper illos carpentis inductis trucidavit. Nec mitior in cæteras Ammonitarum urbes fuit.

HANUM, filius Seleph, qui ædificandæ portæ Vallis poſt regreſſum è captivitate ſub Nehemia operam contulit. 2. *Eſd.* 3. 13.

HAPHARAIM, urbs Iſſachar *Joſue* 19. 19. Euſebii ætate *Apharaim* locus erat, ſex milliar. à Legione ſeptentrionem verſùs.

HAPSIDA, mater Manaſſis Regis Juda (h).

APPHIM, filius Machir. 1. *Par.* 7. 15.

HARAD, ſive *Harod*, fons Arad, *Judic.* 7. 1. in magno Campo, ad radices Gelboe.

HARAN, filius Caleb, ex Epha ipſius concubina. 1. *Paral.* 2. 46.

HARAN, ſivè *Charan*, urbs Meſopotamiæ, inter Chaboram & Euphratem, ſub nomine *Charris* celebratiſſimam.

HARBONA, Aſſueri Eunuchus: Amano ſupplicium intulit; *Eſth.* 1. 10. & 7. 9.

HARED, ſivè *Hered*. Vide *Arad*, urbs in plaga meridionali ditionis Juda.

HAREM, vir, cujus familia 320. hominum è captivitate Babylonica rediit. 2. *Eſdr.* 7. 55.

HAREPH, cujus familia 112. hominum ex eadem captivitate regreſſa eſt. 2. *Eſdr.* 7. 24.

HARES, mons in Tribu Dan, ubi Danitæ obſidione ab Amorrhæis concluſi fuerunt. *Judic.* 1. 35.

HARETH, ſaltus in Tribu Juda, quò David à perſequutione Saulis ſeſe recepit. 1. *Reg.* 22. 5.

HARIM, inter 24. familias Sacerdotales ordine tertia. 1. *Par.* 24. 8. Porrò eadem familia 1017. hominibus frequens è captivitate Babylonica rediit; qua occaſione ductæ ab aliquibus ex illis alienigenæ fœminæ contra Legis præſcriptum, dimiſſæ ſunt. 1. *Eſdr.* 2. 39. & 10. 21.

HARMA, ſivè *Chorma*, *Horma*, urbs primò Tribus Juda, deinde Tribui Simeonis conceſſa. *Joſue* 15. 30. & 19. 4. Eadem urbs eſt, ſivè eodem in ſolo ſita, ac urbs illa, cui poſt victum Regem Arad Hebræi nomen *Horma*, nempè *anathema*, indiderunt *Num.* 21. 3.; cùm antea *Sephaath* appellaretur. Vide *Horma*. Eadem eſt ac *Arama*. 1. *Reg.* 30. 30.

HARNAPHER, ſecundus filius *Sephe* 1. *Par.* 7. 36.

HAROD, patria duorum fortiſſimorum in Davidico exercitu virorum, Semmæ, & Helicæ. 2. *Reg.* 23. 25.; quamquam interdum Semma hæc varia cognomina obtinet: *Semma de Arari* 2. *Reg.* 23. 11.; *Semma Arorites* 1. *Par.* 11. 27.; *Sammoth de Jezer*. 1. *Par.* 27. 8.

HAROSETH GENTIUM, urbs ad Lacum Semechon, ubi Siſara Dux copiarum Jabin Regis Hazor morabatur. *Judic.* 4. 2.

HARPA, inſtrumentum muſicum notiſſimum, quod licèt cum cythara, ſive cinyra confundi conſueverit, adeo ut David vulgò harpa ludens pingatur, hæc tamen duo, cytharam & harpam, diſtinguenda eſſe in diſſertatione de inſtrumentis muſicis Hebræorum probavimus. *Cythara* enim veterum lyram ſignificat; harpa verò aliquantulùm ad *nebel*, *nablum*, ſive pſalterium veterum accedens, ferè tamen *haſur*, inſtrumentum decachordum, de quo ſæpè in Pſalmis referebat. Porrò *nebel* & *haſur*, in eo diſcrepabant, quòd alter inferiori ventre ſuperiùs pulſatus reſonaret; primus verò cavo, & reſonanti ventre in ſuperiori parte inſtructus, inferiùs pulſaretur.

(Har-

(a) 2. Par. 16. 7. (b) Obiit Baaſa An. M. 3075. (c) Aſa regnavit ab A. 3049. uſque ad 3090.
(d) Jerem. 28. 1. An. M. 3409. ante Chr. 591. ante Ær. 595. (e) Gemar. Jeroſol. Megill. fol. 70. col. 1.
(f) An. M. 2967. ante Ch. 1033. ante Ær. 1037. (g) An M. 2968. ante Ch 1032. ante Ær. 1036. (h) 4. Reg. 21. 1.

(Harpa, muſicum inſtrumentum fermè triangulare, quod inter media genua contentum pulſatur. Tribus conſtat partibus; corpus dextrum ejus latus componens octo ligni fruſtulis coaleſcit; jacet ſuprà tabella duo exhibens foramina trifolii figura. Tribus fidium ordinibus, quæ ſimul omnes 78. cordas reddunt, inſtruitur. Primi ordinis ſunt 29. fides, quatuor octavis pares; ſecundo ordine redditur hemitonium; tertius eſt ad uniſonum primi. Clavicularum, quas appellant *boutons* bottoni, duæ ſunt diſpoſitæ claſſes commiſſas fides intendentes firmanteſque; caput alterum fidium habent commendatum triplici ordine claviculæ alii in latere ſuperiori (*le clavier*).

In loco utrique manui reſpondentes eadem ratione tangitur harpa vellicando; ejuſdemque eſt modulationis cum fidiculari illo inſtrumento *epinette*, ſpinetta; tendunt enim fides omnes ad unam ex hemitonio in hemitonium. Id generis inſtrumentum latuiſſe Veteres conſtat, nec obſcure Fortunatus è Barbaris acceptum exprimit l. 2. car. 8.

Romanuſque Lyra plaudet tibi, Barbarus harpa,
Græcus Achillaica, crotta Britanna canet.

De etymologia nominis *harpa* varii varia. Sunt qui deducant ea populis Latine dictis *Arpi*, eo canere aſſuetis; malunt alii è Germanico *Herp* vel *Herff*; alii ex Latino *Carpo*. Cimbri vel Anglo-Saxones *Harpa* vel *Hearpa* (a) appellant; nec vero abhorret ex illis & nomen, & fortè etiam rem ipſam derivari; neque enim ad id uſque intellectum eſt, ea quibus inſtrumentum illud teneamus.

Harpæ vel *Cinnor* inſculpta in nummis Simonis Machabæi imago nihil minùs refert quam harpam, de quà modò, & quam pariter manu ferentem Davidem exhibent Pictores. Multò proximè accedit ad lyram, vel citharam, Mercurii inventum. Sed tribus tantùm, vel quatuor inſtruitur fidiculis; nec ſanè plures offerunt vetuſtiſſimæ lyrarum imagines in anaglyphis nummiſque. Vide v. *Muſica*.)

HARSA, princeps familiæ 1. *Eſdr.* 2. 52.

HARUPH. Sephatia vir ſtrenuus Davidi adhærens, *Haruphites* cognomento dictus eſt. 2. *Reg.* 1. 5.

HARUS, pater Meſſalometh, uxoris Manaſſis Regis Juda. 4. *Reg.* 21. 19.

HASABAS, filius Zorobabelis 1. *Par.* 3. 20.

I. HASABIAS, filius Amaſiæ Levitæ. 1. *Par.* 6. 45.

II. ASABIAS, Levita, filius Idithom. 1. *Par.* 25. 3. cujus poſteri duodecimam claſſem Levitarum inter Cantores Templi conſtituebant. 1 *Par.* 25. 19.

HASADIAN, filius Zorobabelis. 1. *Par.* 3. 20.

HASAR-SUAL, ſivè *Haſer-Sual*, urbs in Tribu Simeonis vel Judæ (b). *Haſar*, ſive Chizer-Sual reddi poteſt, vulpis domicilium.

HASAR-SUSIM, ſivè *Hazer-Suſim*, urbs Simeonis. 1. *Par.* 4. 31.. Chazar-Suſim equorum habitationem ſonat. Eadem urbs appellatur etiam *Hazer-Suſa*. *Joſue* 19. 5.

HASBADAN, Levita, qui Eſdræ Deuteronomium legenti ad lævam adſiſtebat. 2. *Eſdr.* 8. 4.

HASEBIAS, Princeps dimidiæ partis vici Ceilæ. 2. *Eſdr.* 3. 17. qui ædificationi mœnium Hieroſolymæ operam contulit.

HASEM, cujus poſteri 328. è Babylonia regreſſi ſunt. 2. *Eſdr.* 7. 22.

HASERIM, *Haſeroth*, *Hazor*, *Azerothaim*; plura nomina idem ſonantia, quæ variis locorum nominibus adjunguntur. *Haer*, ſive *Chazer* atrium ſignificat, ſive habitationem. Hujus nominis, *Hazor*, nempe in Arabia Petræa urbs occurrit, eadem fortaſſè ac *Hazerim*, ſedes olim Hevæorum, antequam à Caphtorim, *Deut.* 2. 23. ſive Cretenſibus, Palæſtina occupata, pellerentur. Neque alia eſſe videtur ac *Hazeroth*, ubi in itinere per deſertum Hebræi caſtrametati ſunt (c).

HASSEMON, ſivè *Haſemon*, *Haſemona*, *Eſem*, *Eſemon*, *Eſemona*, urbis in plaga maximè meridionali Juda. *Joſue* 15. 27.

HASUB, vir, qui poſt regreſſum e captivitate ædificationi mœnium Jeruſalem operam contulit, qui etiam cum Melchia turrim furnorum reſtituit. 2. *Eſdr.* 3. 11.

HASUM, cujus familia 223. hominibus florens è Babylonia rediit. 2. *Eſdr.* 2. 19.

HATTUS, filius Secheniæ è Davidis familia. 1. *Par.* 3. 22. *&c.* 1. *Eſdr.* 8. 2.

HAVOTH-IAIR, Num. 32. 41. oppida, ſivè pagi Jair. Porrò hi pagi 60. numero in tranſjordanica in Batanæa ſita erant, non longè à montibus Galaad, & in ditione dimidiæ Tribus Manaſſe. Jair, vir è Tribu Manaſſe, his locis occupatis, ea de ſuo nomine nuncupavit.

HAURAN, *Chauran*, *Auran*, *Auranitis*, Regio non longè à Damaſco. Vide *Auran*.

HAZAEL. Cùm Elias Propheta in Monte Oreb verſaretur, Hazaelem in Regem Syriæ Sacra unctione inaugurare juſſus eſt (d). Propheta iter ſtatim iniit, quamvis injunctum ſibi munus per ſe perfeciſſe non videatur. Eliſeus enim poſt plures annos Damaſcum veniens (e), Regnum Syriæ Hazaeli pollicitus eſt, quod ita contigiſſe conſtat. Cùm Benadad Rex Damaſci æger decumberet, Eliſeum Prophetam Damaſcum versùs iter ſuſcepiſſe intelligens, Hazaele ad illum cum muneribus miſſo, ipſum ſuo de morbo conſuluit. Hazael igitur Prophetam rogavit, utrùm Benadad de morbo convaleſcere debuiſſet; cui Eliſeus, futurum quidem, ait, ut convaleſceret; ſciret tamen ſtatim illum morte abſumendum. Hæc loquens Propheta, converſo in luctum ore lachrymis ſimul fundebat. Cauſam hujus luctus ſciſcitanti Hazaeli Eliſeus prodens, verſari ſibi ait ob oculos mala, quæ Iſraelitis imminebant; Arcium nempe combuſtionem, adoleſcentes trucidatos, parvulos proculcatos, & fœminarum fœtarum ventres diſſectos. Hazaeli ad hæc ſtupenti, addidit Propheta futurum, ut in Syria regnaret. Regreſſus poſt hæc ad Regem Hazael, valetudinem annunciavit: mane tamen alterius diei madenti panno ejus ori applicato, ſpiritum illi præcluſit. Poſt mortem Benadad Hazael regnavit. Nec diù moratus (f) prænunciata à Propheta in Iſraelem mala intulit. Cùm etiam audiſſet, Jehum ſoluta obſidione Ramoth Galaad in Samariam exercitum duxiſſe, abſentiæ illius occaſione invitatus 4. *Reg.* 10. 32. 33. ditionem tranſjordanicam ingreſſus, Galaaditidem, totamque latè regionem Ruben, Gad, & Manaſſe, ab Aroer uſque ad Baſanitidem vaſtavit. Diutiùs tamen a Regno Juda, quòd aliquantò eſſet à Damaſco remotius, abſtinuit; donec ſub Joas filio Joachaz (g) illuc etiam arma convertens, primò urbem Geth obſidione ſubegit; deinde in Jeruſalem movens 4. *Reg.* 12. 17. 18. *&c.* *&* 13. nonniſi acceptis à Joas pecuniis, quotquot in Regia & Sacro Templi ærario recondebantur, à propoſito deſtitit. Inſequenti anno Hazaelis exercitus iterum ditionem Jnda ingreſſus 2. *Par.* 24. 23. *&c.* in urbem evaſit, occiſiſque optimatibus, ingentem ex ea prædam ad Syriæ Regem tranſmiſit. Porro earum copiarum numerus minor erat, quam qui huic expeditioni ſufficeret; ſed Divino conſilio factum eſt, ut in Hebræorum greges paſſim ſæviret, eorumque furorem ne Joas ipſe, ignominia affectus, evaderet. Neque Hazael in Regem Iſraelis mitior fuit, quamquam illata in ipſum mala ignorantur, 4. *Reg.* 13. 1. *&c.* Obiit Hazael eodem fermè tempore, ac Joachaz Rex Iſraelis, Regnique ſucceſſorem Benadad filium ſuum reliquit (h).

HAZAZEL, quo nomine hircus emiſſarius appellatus eſt. Vide *Azazel*, & *Hircus emiſſarius*.

HEBAL, mons celebris in Tribu Ephraim propè Sichem, è regione montis Gariaim. Hos ambos montes

(a) Auth. cit. S. Dunſtani c. 2. n. 12. (b) Joſ. 15. 28. & 2. Eſdr. 11. 27.
(c) Num. 11. 34. & 12. 1. & 33. 17. 18. (d) 3. Reg. 19. 15. 16. An. M. 3097. ante Chr. 903. ante Ær. 907.
(e) 4. Reg. 8. 7. An. M. 3120. ante Chr. 880. ante Ær. 88
(f) Anno eodem M. 3120. (g) An. M. 3165. ante Chr. 835. ante Ær. 839.
(h) Circa An. M. 3165. ante Chr. 835. ante Ær. 839.

Digitized by Google

Garizim, & Hebal Hierichuntem è regione ſpectaſſe autumarunt S. Hieronymus, & Euſebius; quos proinde procul à Sichem, & à Tribu Ephraim collocant. Nos tamen cum Garizim deſcriberemus, contraria oſtendimus. Ambos illos montes vallis 200. paſſibus latitudine diſterminat; qua in valle urbs Sichem jacet. Figura verò, celſitudine, & ambitu in ſemicirculum poſito, inter ſeſe ſimillimi ſunt. Qua verò parte Sichem reſpiciunt, adeò prærupti ſunt, ut ne gradum quidem detineant. In mediam leucam ad ſummum excurrunt. V. *Morizon Voyage l. 5. c. 10.*

Moyſis præcepto populus, trajecto Jordane *Deut. 11. 29. &c. & 27. 28.*, Sichem tendere, ibique diviſis Tribubus, ſes utrinque, duos è regione montes Hebal & Garizim aſcendere jubebatur. Qui Garizim culmina tenebant, bona in Legis ſtudioſos; qui Hebal, mala in tranſgreſſores precari debebant. Quæ à Moyſe præſcripta, religioſiſſimè à Joſue ſervata ſunt (a). Apud Moyſem quoque præſcriptum legimus *Deut. 27. 4. 5.*, ut in vertice Hebal Altare ex lapidibus rudibus calce oblitis erigeretur, in quo Legis Dei verba exarata extarent; ſed in Pentateucho Samaritano pro *Hebal* ſubſtitutam eſt *Garizim*, quòd Samaritani religionis ſuæ ſedem in eodem monte collocarint.

Judaicæ Reipublicæ conſecratio hoc ritu contigiſſe creditur. Sex priorum Tribuum Principes montis Garizim, ſex verò aliarum Principes montis Hebal verticem conſcendere. Sacerdotes cum Arca Fœderis, & Joſue ſenioribus populi præcedentes, in valle inter duos hoſce montes jacente conſtiterunt: Levitæ circum Arcam; & Seniores, & populus ad radices utriuſque montis; ſeu utrimque Tribus. Omnibus ità diſpoſitis, Sacerdores ad Garizim, in cujus vertice Principes, & ad radices ſex Tribus erant, verſi, hæc v. g. protulerunt: *Benedictus, qui Idola non calaverit*. Quibus Principes & ſex Tribus reſponderunt: *Amen*. Tum Sacerdotes ad Hebal, in quo totidem erant cum ſuis Principibus Tribus, converſi, pronunciarunt: *Maledictus, qui Idola calaverit*. Quibus ii populi addiderunt: *Amen*.

Scriptura prima ſpecie Tribus montes occupaſſe demonſtrat: cùm vero, præter quam quòd Tribuum numero penè immenſo montes ii ſufficere non potuiſſent, populus inſuper cæremoniæ ritus videre, bonorumque & malorum imprecationes audire non valuiſſet; cumque Hebraica particula, quæ in Originali legitur, æquè ſignificet *propè, è regione*, ac *ſuper Joſue 8. 33.*; hinc nec Joſue, nec Seniores, neque populum, ſed ſolos Tribuum Principes montis verticem aſcendiſſe dicamus oportet.

De lapidibus ibi erectis, & calce oblitis, ut in iis Legis verba deſcriberentur, diſſident Interpretes: utrùm ſcilicet hi lapides, ſive iſtud monumentum idem ſint ac Altare, in quo victimæ pacificæ immolatæ fuere, ut convivium populo pararetur. Si tamen verſus 2. & 3. cum 5. Capitis 27. Deuteronomii compares, optimè hæc diſtincta invenies, neque locus erit errori.

(Hebal mons Urbi Sichem imminens, & monti Garizim vicinus. Sterili horreſcit ſolo; cùm viciſſim Garizim amœna fœcunditate ſit gratus. De utroque hoc monte diſſidia Judæos inter & Samaritanos relata legas v. *Garizim*.)

HEBDOMAS. Hebræi tria Hebdomadum genera recenſebant. 1. Hebdomades dierum, ab uno ad aliud Sabbatum diductas. 2. Hebdomades annorum, ab uno ad alium Sabbaticum annum reputatas, ac ſeptem annos complectentes. 3. Hebdomades ſepties ſeptem annorum ſeu 49. annorum ab uno ad aliud Jobilæum collectas. Hæc omnia in Moyſe, ac in praxi Judæorum conſpiciuntur. Noſtra de Judæorum Chronologia Diſſertatio Commentariis ad Geneſim præfixa, attendenda.

Hebdomades Danielis. Una eſt omnium ſententia, celebres Danielis hebdomades annis conſtare, non diebus. At nonnulli 70. annos eas voluere complecti (b), ita ut ex 70. Hebdomadibus 4900. anni colligantur. Nonnulli ex Rabbinis *apud Lyr. in Dan. 9. & apud Galatin. l. 4. c. 14.* ad annum, ſeù ab uno ad alterum Jubilæum protrahunt, ita ut ex 3430. annos efficiant. Alii verò ad 100. uſque annum protendunt; ita ut ſeptuaginta hebdomades 70000. annos comprehendant. At plerique ad ſeptem Lunares annos ſingulas redigunt, & hac ſubducta ratione, 70. hebdomadas 490. annos enumerant.

Gabriel Angelus ait Danieli 9. 24. 27.: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt* (fluent) *ſuper populum tuum, & ſuper urbem Sanctam tuam, ut conſummetur* (deleatur) *prævaricatio .... & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomadæ ſexagintaduæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum; & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui negaturus eſt. Et civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo; & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in Templo abominatio deſolationis: & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio.*

Varia ſunt de ſeptuaginta hebdomadum Danielis initio, ac fine authorum etiam Chriſtianorum ſyſtemata, hunc Prophetam Chriſti nativitatis, ac mortis tempus ſpectaſſe opinantium. Nonnulli eas (c) à primo Darii Medi anno, qui Prophetiæ Danielis Epocha eſt, ordiuntur; claudunt verò ad violationem Templi, quæ ex Antiochi Epiphanis accidit immanitate. Alii verò (d) exordium à primo, quo Babylonem Cyrus ſubegit, anno ducunt; finem verò ad everſionem Templi per Romanos conſtituunt. Alii initium ducunt à primo Darii Medi anno, quo hæc Danieli prænunciata fuere *Dan 9. 1.*, & ad Chriſti nativitatem complent. Julius Africanus *l. 5.* harum hebdomadum initium ad ſecundum annum rejicit Artaxerſis, qui Nehemiam *2. Eſdr. 1. 1. & 2. 5.* ut mœnia Hieroſolymæ reſtitueret, in Judæam miſit; & in morte Meſſiæ, quintodecimo, juxtà ipſum, Tiberii anno finem ſtatuit. Omnium ex veteribus optima hæc ſententia videtur, & à pleriſque Interpretibus defenditur.

Veteres Judæi, authore S. Hieronymo *in Dan. 9.* Danielis hebdomadas à Dario Medo incipientes, ad Hieroſolymæ excidium producunt. Reliquas vero octo hebdomades in poſtrema Judæorum ſub Adriano diſperſione finiunt. Recentiores Judæi inter ſe diſſident, ne hoc vaticinio Meſſiam jam veniſſe, & fruſtra expectari comprobetur. Alii in eos, qui tempora ſupputant, mala imprecantur; cùm Meſſiæ, qui jamdiù apparuerit, adventum præſtolari ſpem eſſe inanem fateantur. Alii nondum veniſſe, olim tamen fuiſſe venturum, niſi Judæorum peccata prohibuiſſent. Sunt denique qui has hebdomades in prioris Templi per Nabuchodonoſorem excidio exordiantur; & in ſecundi per Titum ruina terminent; inter quæ duo excidia 490. tantùm annos enumerant; aperiſſimum eorum in Chronologia ignorantiæ argumentum. Hieroſolymorum deſolatio ad bellum uſque Gog & Magog, qui à Meſſia debellandi ſunt, perſeverabit. Hoc Jarchi, & Abarbaneli, præcipuiſque Rabbinis commentum placet.

Va-

(a) Joſue 8. 30. 31. An. M. 2553. ante Chr. 1447. ante Ær. 1451.
(b) Origen. tract. 29. in Matth.
(c) Vide 1. Mach. 1. 17. Antiq. l. 10. c. ult. Sixt. Senenſ. Biblioth. l. 8. Eſt. in Dan. Marsham. Cant. 7. Ægypt. ſæc. 18. Harduin. de 70. hebdom Danielis.
(d) Clemens Alex. l. 1. Strom. Quid apud Euſeb. 8. Demonſt. alii.

Varias Patrum, Interpretum, & Chronologorum ſententias recitare, eorumque Syſtemata, quæ nobis periculoſa videntur, aut imperfecta, refutare noſtri non eſt inſtituti. Qui plura cupiat, Scriptores de hoc argumento agentes conſulant. Noſtram tantummodò referemus hypotheſim, quæ eadem ferè eſt Julii Africani, omnium calculis (a) veriorem, & à pleriſque & Catholicis, & Proteſtantibus adoptatam. Hæc igitur primum 70. hebdomadum annum cum vigeſimo Artaxerſis Longimani componit, qui Nehemiæ Hieroſolymam reſtituendi fecerat poteſtatem. Ab eo anno ad ultimam hebdomadam, qua Jeſus, Chriſtus Domini, immolatus obiit, 70. hebdomades, ſivè anni lunares 490. numerantur.

In annorum ſupputatione Chronologi nonnihil diſſident; omne tamen diſſidium in novem vel decem annis verſatur. Has tamen difficultates Petavius *de Doctr. Temp. l.* 12. conciliat, dum ea Danielis verba, *ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, de completa decreti executione, quo Jeruſalem reſtituenda jubebatur, intelligenda eſſe demonſtrat. Vigeſimum etiam Artaxerſis annum 2. *Eſdr.* 1. 1., non de Artaxerſe ſolo imperante, ſed de eo cum patre, à quo decem ante obitum annis Imperii particeps factus eſt, explicandum eſſe contendit. Decem hoſce annos ſi ab annis, qui ab Artaxerſis decreto ad Chriſti mortem fluxerunt, detrahas, omnia diſſidia auferuntur, cùm decem anni, qui ex 490. hebdomadum Danielis annis ſupputatis ſupererant, minuantur.

Addit Propheta, poſt Chriſti mortem *populum, qui eum negaturus eſt, non amplius futurum; civitatem & Sanctuarium à populo cum duce venturo diſſipandum; idque bellum abominationem deſolationis conſecuturam*. Quod profectò contractum inter Deum, & Judæos contumaces, & Chriſti interfectores fœdus, Hieroſolymæ Templique excidium, & Judæorum per Romanos diſperſionem prænunciat. *Abominatio deſolationis* Templi ruinam, & profanationem, Romanaſque aquilas in Sancto collocatas ſignificat. *In ea poſtrema hebdomada, pactum multis confirmabitur*. Chriſtus in media ſeptuageſima hebdomada obiit, ſuaque morte fœdus cum multis, qui in ſe crediderunt, confirmavit. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & Sacrificium*; quòd ſcilicet non penitus defecerint, ſed inania effecta ſint. *Erit denique in Templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio*.

Templi excidium, & abominatio deſolationis 40. poſt Servatoris obitum annis contigit; ipſo tamen illius mortis tempore decreta, & ferè incepta. Judæorum diſperſio aliquandiù dilata, ut iis reſipiſcendi commodum concederetur. Illi tamen contumaces diſperſi, nec unquam aut reſtituti, aut reſtituendi: *Uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio*; æternùmque Judæi diſperſi vagabuntur, quo Scripturarum, & Prophetiarum veritatem confirment: Divinæque in contumacem, perfidamque Gentem ultionis perpetuum extent argumentum (b).

HEBER, filius Sale (c). Sunt qui (d) ex ejus nomine tanquam ex progenitore ſuo Abrahamum ejuſque poſteros *Hebræos* appellatos fuiſſe crediderint. Veriùs tamen nominis illius etymon ex transmigratione Abrahami, ejuſque familiæ à regione trans Euphratem in Chananitidem derivandum eſt; quare *Hebræus* idem primitùs ſonabat, ac vir, qui è regione transeuphratea transmigravit (e). *Heber* enim Hebraicè eſt *ultrà*, ſivè *tranſitus*. Nec ratione ulla convincimur, cur ex omnibus progenitoribus Abrahæ Heber potiſſimùm familiæ nomen inderet (f). Cur honor iſte Semo potiùs non tribueretur, quem patrem omnium filiorum Heber, ſeu virorum trans Euphratem Moyſes appellat? Neque enim Heber ulla geſtarum rerum memoria in Scriptura innoteſcit. Porrò Abraham duobus tantùm annis poſt tranſmigrationem in Chananitidem primò Hebræus appellatus occurrit *Gen.* 14. 13., tunc cùm expeditionem in Codorlahomor fœderatoſque ſuſcepit. Septuaginta, & Aquila Hebræum *Heberi*, reddunt *Perates*, ſive *Perates*, quod ſonat *Transmigratorem*, virum transfluvialem. Pleniùs de hoc argumento agit Valtonius, & ſcripti ea de re Libri, & nos in comment. in *Gen.* 10. 24.

Alia etiam quæſtio Veteres Recentioreſque Scriptores in contraria ſtudia diſtraxit: utrùm ſcilicet Hebraicæ Linguæ origo ab Heber derivanda ſit, ipſiuſve unius familia veterem Linguam in confuſione Babelica ſervarit. Cùm enim Linguarum confuſio in ultionem criminis inflicta crederetur, temeritati ſcilicet ædificantium Turrim coercendæ; non immeritò familia Heber exinde veræ Religionis depoſito ſervando deſtinata, neque criminis aliorum, neque proinde pœnæ conſors fuiſſe credita eſt. Contrariæ tamen opinionis aſſertores duo reponunt. I. Gratia omnino familia Heber à communi Turrim ædificantium crimine eximenda cenſetur. II. Hebraicæ Linguæ uſum apud eas gentes etiam obtinuiſſe conſtat, quibus nulla erat cum familia Heber conſuetudo, uti apud Phœnices, ſive Chananæos, Syros, & Philiſtæos, quorum Lingua Abrahami ætate non multum ab Hebraica diſcrepabat, niſi eamdem fuiſſe malimus. Non igitur ejus Linguæ privilegium apud unam Familiam Heber manſit. Ex quo igitur Linguam illam Hebraicam appellari contigit? An ex eo fortè, quòd gentes trans Euphratem illa uterentur; unde etiam nomen Hebræi Abrahamo inditum eſt? Prorſus hæc quidem; nam facillimè Lingua illa vernacula erat Chaldæorum, & in Meſopotamia Abrahami ætate; quare idem Abraham in Chananitidem veniens, mutua cum incolis colloquia facilè miſcuit; nec majori difficultate Jacob ex Chananitide in Meſopotamiam veniens, ſe ſe alloquio exprimebat. Uxores illius Rachel & Liah Hebraica nomina filiis indiderunt. Nomina Hominum & Locorum earumdem Regionum, & Palæſtinæ, Hebræum ſonant. *Lingua* igitur *Hebraica* idcircò dicta fuiſſe, quòd trans Euphratem obtineret, nonniſi veriſimillimè creditur.

Neque illius uſus in transfluvialibus tantùm ſe continuit, cum & citrà fluvium etiam ad gentes citra Euphratem porrigeretur. Imò & citra fluvium purior, & diuturnior ſervata eſt; Jacobi enim ætate Lingua Syriaca ab Hebraica ſive Phœnicia diſcrepabat, ut ex nominibus ab eodem Jacobo, & Labano, ſingulis vernaculo ſibi ſermone, inditis Monumentis à ſe in montibus Galaad erectis, ſatis intelligimus *Gen.* 31. 47. cùm uſque ad Regnum Græcorum Lingua Hebraica, Chananæa, ſive Phœnicia, & Lingua Philiſthæorum, & Samaritanorum in tota Palæſtina vigerent, ſimul & florerent. Ex his omnibus ſatis intelligimus, nomen Linguæ Hebraicæ ex eo potiùs accerſendum, quòd apud Hebræos poſteros Abrami obtineret, quàm quòd vernacula eſſet Gentium transfluvialium, quæ à

fama.

(a) Ita Chryſoſt. Theodoret. Beda, Carthuſ. Rupert. Zonar. S. Antonin. Galatin. Perer. in Dan. Uſſer. ad an. M. 3550. Lamy. apparat. Chronol. Samuel. Baſnage Diſſert. de 70. hebdom. Danielis.

(b) Vide Perer. in Dan. Baſnag. Diſſert. de 70. hebdom. Danielis. Harduin. de iiſdem adv. P. Lamy, noſtr. Diſſert. de iiſdem ante Comment. in Dan. & J. Friſchmuth. Theſaur. Diſſert. in fine Criticorum &c.

(c) Gen. 11. 14. natus A. M. 1723. ante Chr. 2277. ante Ær. 2281.

(d) Antiq. l. 1. c. 7. Aug. de Civit. l. 16. c. 3. & l. 18. c. 39. Eucher. in Gen. l. 2. c. 7. Beda in Gen. Lyr. Toſt. Mercer. Eugub. Perer. & alii.

(e) Ita Orig. Hieron. Chryſoſt. Theodoret. Burg. Ribera, Arias, Eſtius, Joſ. Scaliger, Munſt. Grot. Selden. Lud. Cappel. Valton. &c.

(f) Abraham ſextus erat ab Heber, 1. Heber, 2. Phaleg., 3. Rehu 4. Sarug., 5. Nachor, 6. Thare, 7. Abraham.

familia Heber potiſſimum abeuntes fuerant.

Cæterùm Lingua, quam nos Hebraicam appellamus, non eodem ſanè nomine apud Prophanos Scriptores ſemper innotuit; nam Lingua Phœnicia, Syriaca, Punica, & Judaica ab iis appellatur. Apud nos verò idcircò ſub nomine Linguæ Hebraicæ & Linguæ Sanctæ celebratur, quòd Veteris Teſtamenti Oracula eo ſermone conſcripta ſint. Quamquam Textus Scripturæ noſtra ætate genuinus, & qui Vetus Hebraica Scriptura cenſetur, Dialecto potius Chaldæa exaratus eſt. Genuini Hebræorum characteres nonniſi in nummis, & in Pentateucho Samaritano extant. Vide *Samaritani*.

(Hunc virum *Hond* appellat Mahometus in Alcorano, integroque de illo capite differit, iſta potiſſimùm narrans (a). „ Miſimus Hond ad gentem Aad fratris ſui hæc monentem: O' populi, ne colatis niſi Deum unicum, alioqui inter infideles cenſebimini. Nihil ego poſtulo à vobis mercedis pro aſſumpta mihi prædicandi provincia; qui me creavit, ipſe mihi præmium largietur pro merito. Nunquam ne vos eritis ſapientes? Veniam à Deo poſtulate; recipite vos ad bonam frugem; divinæ ejus voluntati obedire; & ipſe vobis demittet pluviam de Cælo, augebit vires veſtras & divitias; ne ſitis in numero impiorum. Monenti reſponderant illi: Quæ dicis nullo argumento probas; neququam tuis verbis efficies, ut Deos noſtros deſeramus; dictis tuis nullam adjicimus fidem, atque inter nos reputamus futurum, ut è Diis noſtris aliquis de te ſevera animadverſione ulciſcatur. Tum ille: Deum & vos ipſos in teſtes appello, immunem me eſſe à crimine, quod in cultu Idolorum committitis: Si vos in me conſpiratis, nullam habebitis patronum extrema judicii die. Totum me committo voluntati Dei, mei ac veſtri Domini...... Adjecit Deus: Cùm nos populum illum tradidimus exterminio; ſingolari favore è media illorum iniquitate ſubduximus Hond, ſimulque genuinos fideles illi adhærentes omnes, ab immani quodam tormento liberavimus. Populus Aad mandata Dei contempſit, obaudiit Prophetis, dira in caput ſuum provocavit in hoc mundo, diriſque ſubdetur judicii die, quòd fuerit in Deum pervicax atque exterminium gentium Hond fratris ſui agitaverit.

Leguntur in eodem capite inſcripto Hond Textus plurimi non obſcurè exprimentes prædeſtinationem, & reprobationem realem; ex quibus ipſe de ſe tradit Mahometus tanto inhorruiſſe pavore, ut ad caput iſtud Hond coma ſua ante tempus nigruerit.

Populi Aad, ad quos miſſus venit *Hond*, gens erat quædam Arabiæ ex poſteris *Ad* vel *Aad* filii Amalec & nepotis Cham filii Noe; vel juxta alios *Ad* patrem habuit Hus, & avum Aram filium Sem. Regnavit Ad in provincia Adhamosh in Arabia, ac eo authore prodiit Tribus *Aditarum*, inter veteres Arabas nota. Porrò Tribus illa ſurdas præbens aures monitis Hond vel Heber, initaque pariter in illum conſpiratione, immiſſam à Deo ſenſit ventum urentem, appellatum *Rith-Akim*, ex quo exterminati omnes. Sed ante flagellum venti, gentem afflixit triennalis fames, quam induxit ſiccum ſuper illos Cœlum. Ea ſæviente fame extincta periit maxima Aditarum portio, quam ſanè gentem florentiſſimam ac potentiſſimam in Arabia fuiſſe tradunt. Fruſtra illi precibus implorarunt opem Numinum ſuorum, i. e *Sakiab* Dei pluviarum largitoris; *Hafedhab* Numinis ſecuram viam parantis itinerantibus; *Razechah* à quo neceſſaria vitæ omnia ſuppeditabantur; & *Salemah*, quem in averſa valetudine implorabant.

Cùm fruſtra fatigare ſe Deos ſuos intelligerent, peregrinationem devoverunt in *Hegiaz*, quæ ipſiſſima eſt Mecha. Inter viros totius gentis nomine ablegatos principem tenebant locum *Morthad & Kil*, quorum primus favebat, ſi quis alius, Hond, vera ab illo prædicari ſat perſuaſus. Contrariis tenebatur ſtudiis Kil, obfirmatum gerens in Idololatria animum. Cùm igitur ventum eſſet ad Moavium Regem provinciæ Hegiaz, obſecrarunt Legati Principem, captivum retineret apud ſe Morthad, quoad uſque à peregrinatione redirent. Rogantibus acquievit Princeps, cœptamque iter proſequentes Legati, ad deſtinatum locum tandem venerunt. Kil in has preces Dominum rogavit: *Domine pluvias, quales tibi placuerit, populo Ad concedas*. Statim ad hæc tres paruerunt in Cælo nubes, alba, rubicunda, nigricans; ſimul autem è Cælo voces datæ ſunt: *Ex his tribus, quam malueris, ſelige*. Nigram prætulit Kil, ratus uberiori aqua imprægnari. Sed cùm in regionem ſuam veniſſet, nubes Dei furore fœta reſoluta eſt in ventum algentiſſimum, quo ſeptem diebus totidemque noctibus flante, ferè omnes exterminati ſunt regionis incolæ, ſuperſtitibus tantùm, cum *Hond* vel Heber Propheta, quicumque dicta ejus pronis auribus excœpiſſent. Monſtratur in eadem regione *Adramonth* parva quædam urbs appellata *Cabarhond*, i. e. ſepulcrum Hond, ubi ſepulturæ mandatus vir ille fertur.)

HEBRÆUS. Vide *Heber*. De Epiſtola ad Hebræos, Vide *S. Paulus*, anno 63. J. C., & hujus Epiſtolæ Commentatores.

Hebræi Reges. Vide *Reges*.

Summi Sacerdotes Hebræi. Vide *Sacerdotes*.

HEBRI, filius Merari, Levita. 1. *Par*. 24. 27.

HEBRON, ſeu *Chebron*, ex vetuſtiſſimis mundi urbibus una; ſeptem enim annis ante Tanim, inferioris Ægypti Metropolim *Num* 13. 23. primordia habuit. Cum verò Ægyptii ſuarum urbium jactent vetuſtatem, & revera eorum regio poſt Babelis diſperſionem omnium prima incolas habuerit, omnium antiquiſſimam Hebronem eſſe, fatendum. *Arbe* Palæſtinæ gigas vetuſtiſſimus, ejus fertur inſtitutor; ex quo ei nomen impoſitum *Cariath-arbe Joſue* 14. 15. ſive urbis *Arbe*, quod dein in Hebronem immutatum. Arbe ex patre Enach (b) genitus, & Enach ſuam gigantibus Enacim nomen indidit, adhoc Hebronem incolentibus, dum Joſue Chanaanitidem ſubegit.

In Verſione Latina *Joſue* 14. 15. legitur: *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*; & S. Hieronymus (c), quòd ibi ſuerit humatus Adam, fidem pluribus in locis perhibet Judæorum. Alia etiam ratione verti poteſt Hebræus textus: *Nomen antiquum Hebron, Arbe eſt. Hic* (Arbe) *maximus eſt*, caput *Enacim*. Quando Hebronis nomen illi fuerit tributum, in aperto non eſt. Nonnulli Caleb ea potitum, Hebronis filii nomine nuncupaſſe opinantur. At ego nomen *Hebron* antiquius, filiumque ſuum Caleb celebris, veteriſque urbis nomine forſitan decoraſſe cenſeo.

Hebron in loco edito ſita erat, 22. milliar. à Jeruſalem diſtans, quà meridiem ſpectat (d), 20. verò milliar. à Berſabee, ad ſeptentrionem. Abraham, Sara, & Iſaac in Macphelæ ſpelunca, ſeù in duplici ſpelunca, quam pretio ſibi Abraham paraverat juxtà Hebronem *Gen*. 33. 7. 8. 9. humati. Circa eum locum Quercus, vel Abrahæ Terebinthus, ſub qua tres ipſe Angelos *Geneſ*. 18. 1. exceperat, cernebantur. Euſebius *demonſt*. *l*. 5. *c*. 9. Sozomenus *l*. 2. *c*. 3., aliique cumplures veteres (e) venerationem, quæ non à Chriſtianis modo, verùm etiam ab

(a) Alcoran. cap. de Hund.
(b) Joſue 15. 13. An. M. 2554. ante Chr. 1446 ante Ær. 1450.
(c) Hieron. in Epitaph. Paulæ, & in qu. Heb. in Geneſ. & in locis Hebr. in Arbog. & Comment. in Matt. 29.
(d) Euſeb. in locis ad vocem Arco.
(e) Vide Hieron. & Euſeb. in locis Joſeph. Georg. Syncell. ex Jul. Afric. Socrat. hiſt. l. 2. c. 18.

ab Ethnicis huic Terebintho deferebatur, commemorant. Ibi fuiſſe à Mundi exordio vox erat, perinde ac ſi ſatis ad admirationem non eſſet aſſerere poſt Abraham, poſt annos ſcilicet 2300. Alii hunc eſſe unius Angelorum baculum hoc ſuo radicatum evulgabant. Celebres nundinæ tota in regione inſtitutæ erant; & hæc Terebinthus incorruptibilis putabatur; aliquandiù enim igne admoto incendi viſa, non conſumebatur.

Hebron Judæ ſortitò obtigerat. Famoſo ſuo Caleb *Jſ.* 14. 13. in partem Dominus adſcripſit. Ea primùm potitus Joſue (a), Regem Oham interfecit. At iterum inde à Caleb copiarum ſuæ Tribus præſidio, ac Othonielis (b) virtute ſubacta. Sacerdotibus in domicilium tributa, urbique refugii declarata *Jſ.* 21. 13. David ſui regni ſedem poſt Saulis interitum ibi conſtituit. 2. *Reg.* 2. 2. 3. &c. Hebrone Abſalonis rebellio primò palam facta. 2. *Reg.* 15. 7. Iſraelitis Babylonis adhuc captivitate abſtractis, Idumæi in Meridionalem Judæ plagam irruentes, Hebronem, occuparunt; ex quo interdum a Joſepho *de Bel. l.* 5. *c.* 7. Idumææ adſcripta. In hac domicilium Zachariam, & Eliſabeth, ortumque S. Joannem Baptiſtam habuiſſe, fama eſt. Extat adhuc Hebron, veteri tamen majeſtate penitus imminuta.

HEBRON, filius Caleb, Hebronitarum parens. *Exod.* 6. 18.

HEBRONA, Iſraelitarum caſtra in deſerto, inter Jetebaram, & Elath. *Num.* 33. 34. 35.

HEDDAI, copiarum Davidis miles ſtrenuus 2. *Reg.* 13. 30. ex valle, ſeu ſuperiori torrentis Gaas ripa oriundus.

HEDER, ex illis, qui urbem Geth expugnarunt. 1. *Par.* 8. 16.

HEDERA, arbuſcula ſemper virens, muris, arboribuſque inhærens, Baccho ſacra. Qui Libero Patri devovebantur, ii candenti ferro hederæ frondis ſigno notabantur. Quod S. Hieronymus *hederam* vertit, *Jonæ* 4. 6. 7. 9. veteres Græci Interpretes cucurbitam reddidere. Hebraicum hederæ nomen latet; conſtat enim Hebraicum *Kikaion*, quod in Jona legitur, hederam minimè ſignificare.

HEGLA, filia Salphaad, ex Tribu Manaſſe. *Num.* 26. 33. *Hegla*, *juvencam* ſonat.

HELAM, locus prælio celebris, quo David Syris cæſis, eorum currus, equoſque diripuit. 2 *Reg.* 10. 17. In Textu Paralipomenon 1. 19. 17. ubi hæc hiſtoria traditur, pro *Helam* urbe incognita, legitur *Alehem*: videlicet David *irruit ſuper eos*; quæ lectio majorem veri ſpeciem præfefert.

HELBA, ſeu *Chelba*, urbs Tribus Aſer. *Judic.* 1. 31. Eſſetne hæc urbs Syriæ Chelbon *Ezech.* 27. 18. Damaſco proxima? perſpicuum non eſt. Chelbon vinis optimis celebris. Vide *Chelbon*.

HELCHATH, ſeu *Chelchath*, urbs Tribus Aſer, Levitis familiæ Gerſom dono data. *Jſ.* 21. 31.

I. HELCIAS, Nehemiæ pater. 2. *Eſdr.* 1. 1.

II. HELCIAS, Eliacim pater. 4. *Reg.* 18. 18.

III. HELCIAS, filius Amaſai, Levita ex familia Merari. 1. *Par.* 6. 45.

IV. HELCIAS, Suſannæ pater. *Dan.* 13. 2.

V. HELCIAS, Jeremiæ parens. *Jerem.* 1. 1. Nonnulli (c) hunc Helciam Magnum illum Sacerdotem hujus nominis, qui ſub Joſia vixit, eſſe autumant, 4. *Reg.* 23. 4. 8. 10. At eorum opinio firmo non nititur fundamento.

VI. HELCIAS, Sacerdos Maximus, nepos Sellum, pater Azariæ, ſui in Pontificatu ſucceſſoris. Helcia Pontifice Liber Legis in Templi ærario reperti (d); quod Joſiam Regem ad religionem, in ſuo regno præcedentium Regum improbitate penè collapſam, inſtaurandam adegit. Eundem ac *Eliacim*, ſeu *Joakim* arbitror, Manaſſis ætate florentem, & regnantem, dum Holofernes Bethuliam obſidebat an. M. 3147. ant. Ch. 653. ant. Ær. 657.

VII. HELCIAS, ſuperioris pater, *Baruch.* 1. 7. ſub Ezechia florens. 4. *Reg.* 18. 18. 26. 37. Noſtram de Pontificum Hebræorum diſſertationem, Commentariis in Judith præfixam, adi.

HELEC, filius Galaad, ex Tribu Manaſſe, Helecitarum familiæ author. *Num.* 26. 30.

HELED, filius Banæ, vir fortiſſimus in Davidis exercitu, 2. *Reg.* 23. 29.

HELENA, ſoror, & conjux Monobaſis Adiabenorum Regis, Judæorum Religionem una cum filio Izate, & Monobazis ſucceſſore, amplexa (e). Hæc Hieroſolymam profecta, in inferiore urbis parte magnificas ædes extruxit (f), ubi uſque ad interitum ſuum ſedem fixit. Maxima Judæam fame A. Chr. 44. depopulante, ingentem pecuniæ vim in pauperes erogavit. Paulus Oroſius eam Chriſtianam aſſerit (g). Ætate Euſebii (h), & S. Hieronymi ejus tumulus tribus ſtadiis ab Jeruſalem adhuc viſebatur. Pauſanias, qui labente ſecundo ſæculo ſcribebat, ejuſque aſpexerat Mauſolæum, inter Orbis miracula recenſet.

Ea fames eadem eſt, quæ per Prophetam Agabum *Act* 11. 28. fuit prænunciata, ipſaque ſæviente, Chriſtiani Antiochiæ ſuam erga Fideles Hieroſolymitanos charitatem inſignem effecere *Act.* 11. 29.

HELENA, ſeu *Selena*, uxor Simonis Magi. Vide *Simon Magus*.

HELEPH, urbs Tribus Nephtali (i). In Hebræo, in Septuaginta, in Euſebio *Meheleph* dicta.

HELES, vir ſtrenuus exercitus Davidis. In 2. Regum 23. 26. *Heles de Phalti*, in 1. Paralipomenon 11. 27. *Heles Phalonites* appellatus.

HELI, Sacerdos maximus ex Ithamaris progenie (k), judiciariam poteſtatem in Iſraelem 40. annis geſſit (l). Abdoni ſucceſſit, eique Samuel in regimine populi ſuffectus; at in maximo Sacerdotio *Achitob* ejus tertius natus. Heli apud populum jus dicente, imperiumque tam ſacrum, quàm civile tenente, Samſon Iſraelem in libertatem aſſerebat, atque ab hoſtibus, præſertim verò à Philiſthiinis, propugnabat.

Quomodo Heli ſummum Sacerdotium fuerit adeptus, & hæc dignitas ab Eleazaro in Ithamaris familiam, ex qua Heli, translata, perſpicuum non eſt. Nonnulli, vel ob ſocordiam, vel ob minorem ætatem, vel ob imperitiam eorum ex familia Eleazari, ſummum Sacerdotium Heli collatum opinantur. Alii judiciariæ ejus in Iſraelem poteſtatis gratia, Sacerdotio auctum aſſerunt. Hoc enim verò maximè abnuente Deo contigiſſe, verti in dubium minimè poteſt. En verba viri ſancti, ad eundem perditis ſuorum filiorum moribus arguendum miſſi 1. *Reg.* 2. 27. 28. Ego domum Patris tui Aaronis elegi, ut altaria mea conſcenderet, ſacra obiret; cur ergo victimas meas protriviſti, pluriſque filios tuos, quàm me duxiſti? *Propterea ait Dominus: loquens loquutus ſum, ut domus tua, & domus Patris tui miniſtraret in conſpectu meo uſque in ſempiternum: nunc autem, dicit Dominus, abſit hoc à me: ſed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. Propheta addidit, duos Heli filios unius diei ſpatio interituros, Deumque in aliam familiam Sacerdotium traducturum; illamque Heli ad ſummum contemptum, ac indigentiam redacturum.

Vaticinia

(a) Joſ. 10. 3. 23. 37. (b) Judic. 1. 12. 13.
(c) Clemens Alex. l. 1. Strom. Hieron. ſeu Author Tradit. Hebr. in Paral. Brug. Toſtat. alii.
(d) 4. Reg. 22. & 23. 2. Paral. 14. A. M. 3380. ante Chr. 620. ante Ær. 624.
(e) Joſeph. Antiq. l. 20. c. 2. (f) De Bel. l. 6. c. 16. & l. 7. c. 35. (g) Oroſ. l. 7. c. 6. Bibl. Patr. t. 15.
(h) Euſeb. hiſt. Eccl. l. 2. c. 12. Hieron. ep. 27. (i) Joſue 19. 30. 33.
(k) Obiit A. M. 2888. ante Ch. 1112. ante Ær. 1116. (l) 1. Reg. 4. 18. ab A. M. 2848. ad 2888.

Digitized by Google

Vaticiniis hæc comprobata, cùm Rege Salmone, Summi Sacerdotii munus Abiathari ex familia Heli eſt ademptum (a), ac uni Sadoc ex progenie Eleazari addictum. Quod ei maximo vitio datum, incuria fuit, ac indulgentia in filios. Quæ ipſi in tabernaculis patrabant ſcelera, pravitatiſque exempla ſuis perditis moribus præbebant populis, non illum fugiebant. 1. *Reg.* 2. 12. 13. 22. 23. At pro iis plectendis, arcendiſque à ſacris, ab eo tantùm leniter objurgati, & commoniti ne impoſterum ſe ita gererent: Indignum auditu, ait, vos populis violandæ Legis Dei exemplo eſſe. Si vir in virum peccat, poterit ei reddi propitius Deus; ſi verò in ipſum Deum, quis erit interceſſor? At his patris verbis aures obſtruxere filii; nec prænunciata per prophetam domui ejus imminentia mala, ardentius ipſius in filios ſtudium, ac ſeveriorem diſciplinam elicere.

Illùm etiam Deus per Samuelem, puerum adhuc, allocutus (b), cui in mandatis dedit nunciare, ſe in Iſraele rem ingenti aurium tinnitu audiendam facturum; quidquid à ſe decretum contra Heli, ejuſque domum, ea die peracturum; judicia in ejus domum pronunciaturum, illiuſque iniquitatem nullis hoſtiis, muneribuſque expiandam. His è Samuelis ore perceptis Heli reſpondit: Dominus eſt, quod ſibi probatum eſt, faciat. Ultionem etiam Dominus 27. annis diſtulit; quibus elapſis, tandem exegit, cum Heli filii, Ophni, & Phinees à Philiſthæis cæſi, arca Domini capta, & ipſemet Heli tam triſti comperta ærumna, è ſella ſupinus concidit, eique cervix effracta. 1. *Reg.* 4. 1.... 18. Ipſi ſuffectus *Achitob* ejus tertius natus, ut Joſephus *l.* 6. *c.* 7. & communior fert opinio, ut aliorum verò, *Abia*. Summum Sacerdotem fuiſſe *Abiam* initio Saulis Regni minimè dubium eſt. 1. *Reg.* 14. 18. Plures veteres Samuelem inter Judæorum Pontifices retulerunt; at eum non è Sacerdotum, ſed è Levitarum tantùm eſſe progenie, perſpicuum eſt.

HELI, à S. Luca 3. 23. ut è Salvatoris progenitoribus poſtremus, relatus, idem videtur ac S. Joachim, SS. Virginis parens, in pluribus vetuſtiſſimis recenſitus monumentis, maximoque in honore ab Orientalibus habitus.

HELI, *Heliacim*, *Helcias*, *Joachim*, ſunt penè ſynonyma; ſummum enim Sacerdotem Helciam his nominibus paulò ſuperiùs vidimus appellari.

HELIODORUS, primarius Seleuci Philopatoris Syriæ Regis adminiſter, Hieroſolymam ab eodem miſſus ad theſaurum, qui in Templo (i) ſervari dicebatur, diripiendum. Cùm Hieroſolymam perveniſſet, itineris cauſa patefacta, ſummus Sacerdos ipſum monuit, aurum Regi indicatum, ad Hircanum Joſephi filium, ac Tobiæ nepotem pertinere, qui Seleuci Regis juſſu Transjordanicæ præerat regioni, ac pro eo tributa exigebat; reliquum à diverſis privatis ad cuſtodiam illuc congeſtum, ſine Legum injuria non poſſe auferri. Heliodorus in Regiis mandatis peragendis obſtinatus reſpondit, per ſummam vim hoc aurum ad regem eſſe aſportandum, diemque conſtituit, qua in Templum ad pecunias abducendas erat ingreſſurus.

Cum pedem in Templum intuliſſet, ſummus pavor totam urbem, ac præſertim Sacerdotes occupavit. Tunc ſe omnium oculis ſpectandum præbuit eques terribilis, inſigni paludatus amictu, qui equo laxis habenis in Heliodorum citato, anterioribus pedibus obtrivit, dum duo juvenes ſplendore, ac pretioſo corporis ornatu decori, illum circumventum flagris indeſinenter ex utroque latere contundebant. Heliodorus humi ſtratus, viribus ſenſibuſque deſtitutus, geſtatoria ſella è Templo ſtatim abductus. Eodem tempore Onias ſummus Sacerdos rogatus, ut ſacrificium offerret, Deoque preces ad valetudinem, vitamque Heliodoro exorandam adhiberet.

Orante adhuc Pontifice iidem juvenes iiſdem induti veſtibus, Heliodorum convenerunt, eique dixerunt; grates ab eo ſummo Sacerdoti Oniæ rependendas, cujus gratia vita ipſum donaverat Deus; ejus prodigia, ac omnipotentiam toto terrarum orbe ab eo evulganda. His dictis evanuere. Heliodorus hoſtia Deo oblata, cumque ſe maximis adſtrinxiſſet votis, ad Seleucum Regem Antiochiam rediit. His, quæ ſibi acciderant, ei relatis, Rex ab eo exquiſivit, cui poſſet iterùm hæc Provincia demandari: reſpondit ſiquem ſibi infenſum haberet, cujus perniciem moliretur, mitteret; ſanè vel dilaceratum rediturum, vel illic interiturum; procul dubio enim ibi aliquod Numen adeſſe. En quæ de Heliodoro memoriæ proditum eſt. Joſeph Gorionis filius refert, Heliodorum Idolorum cultu abdicato, Judæorum Religionem profeſſum.

HELIOPOLIS, ſcilicet *urbs Solis*, in Geneſi 41. 45. & 46. 20. & in Ezechiele 30. 17. memorata. In Hebræo *On* appellatur. Putiphar, qui filiam ſuam Joſepho nuptum dederat, Sacerdos erat Heliopoli. Hæc ad Nilum ſita, medio itinere à Babylone Ægypti, ſeptentrionem verſus. Strabo *l.* 16. antiqua templa, Obeliſcos, magnificas Sacerdotum ædes memorat, quæ ſua ætate, deleta quamquam omninò urbe, ibi oſtendebantur.

Onias, Oniæ tertii filius, cùm ſe in Ægyptum recepiſſet (d), gratia ſibi Ptolemæi Philometoris, & ejus uxoris Cleopatræ parta, Heliopoli Templum, pro Judæis Ægyptum incolentibus, ad exemplar Hieroſolymitani (e) excitandi facultatem obtinuit. Hoc Templum ad ætatem uſque Veſpaſiani permanſit, cujus juſſu Lupus Ægypti Præfectus obſeravit (f). Paulinus, qui non longum poſt temporis intervallum Lupi munus occupavit, ab eo cunctis ſupellectilibus, ac divitiis extractis, occluſis foribus Religionem illic vetuit exerceri A. Ch. 73. Vide *Onion*, Templi hujus nomen.

HELIOPOLIS, Cœle-Syriæ urbs, inter Libanum, & Antilibanum, Laodiceam inter, & Abilam, alio nomine *Balbec*, ſeu *Malbech* appellata. In ea Templum erat, Soli, ſeu Deo Balanio dicatum, cujus adhuc magnifica extant veſtigia (g). Mihi mens eſt, hanc eſſe urbem, quam Propheta Amos innuit, cùm dicit 1. 5. *Diſperdam habitatores de campo Idoli*. Hebræus verò, *diſperdam habitatorem de Bekath-aven*, ſeu de valle iniquitatis. Nomen ille *Bekath-aven* urbi tribuit, ab Ethnicis *Bekath-Baal* nuncupatæ, & hodie adhuc *Baal-Bech* ſeu vallis Baal dictæ.

(HELIOPOLIS. Præter urbem *Heliopolis* appellatam in Hebræo *On*, alia eſt ejuſdem nominis in Ægypto inter Cairum, urbem Coptum & Mare rubrum media. D. D'Herbelot Biblioth. Orient. pag. 274. aſſeverat apud Scriptores Arabes urbem Coos appellari *Aim al ſchamas*, i. e. fontem ſolis, vel *Heliopolim*, urbem ſolis; confundendam autem cenſet cum inclita urbe Thebarum Ægypti ſuperioris. Addit, conſtitui à Geographis Arabibus ad 61. grad. & 30. minut. longitudinis, ac 23. grad. & 30. minut. latitudinis. Dampiero eſt Heliopolis Urbs ſeptem mille paſſibus à Cairo orientem versùs, nec procul a vico Mataræorum; qui ſanè loci ſitus Urbem judicat longè altam ab inclyta Thebarum Urbe Metropoli Thebaidis. Nihil de veteri magnificentia, niſi parva quædam priſtinæ gloriæ argumenta retinet. Nomen Heliopolis obtinuiſſe fertur ea Templo olim

(a) 3. Reg. 2. 26. A. M. 2990. ante Ch. 1010. ante Ær. 1014.
(b) 2. Reg. 3. 1. &c. A. M. 2861. Samuele duodenne.
(c) 2. Mach. 3. 7. 8. &c. A. M. 3828 ante Ch. 172. ante Ær. 176.
(d) A. M. 3842. ante Chr. 158. ante Ær. 162.
(e) Antiq. l. 12. c. 15. & l. 20. c. 8. an. M. 3854. ante Ch. 146. Ær. 150.
(f) Joſeph. de Bello l. 7. c. 37. (g) Vide Maundrel, & Moucouis.

Digitized by Google

olim Soli dicato, in quo ſpeculum opportunè adeò conſtitutum erat, ut exceptos ſolis radios nullo diei articulò non reflecteret, quibus totum ædificium mirè colluſtrabatur. Inter rudera manet adhuc obeliſcus in medio plateæ erectus, hieroglyphicis literis ad quatuor latera inſculptus; manet & columna, pyramis Pharaonis appellata.)

HELLENISTÆ, ὄνα ab *Hellen*, Græcus, derivata (a): *Judæi Helleniſtæ* ii dicti, qui in urbibus, & Provinciis degebant, ubi hebræus ſermo non erat pervulgatus; & qui hebraicum, vel Syriacum idiomà minimè callentes, Græca Verſione Septoagìnta non privatim modò, ſed etiam in ſuis cœtibus vulgò utebantur; quod à pluribus aliis Judæis hebraïzantibus, ac Sacram Scripturam alio ſermone, quàm hebræo, legi ægrè ferentibus, improbatum. Helleniſtæ nonnisi poſt Græcorum Regnum in Oriente, comperti. Aliquandiu *Hellenes* tantum, Græci, nuncupati; aliquandiu in Novo Teſtamento *Helleniſtæ* (b). Hæc enim ultima vox à me in Machabæis, & in Græcis Codicibus Veteris Teſtamenti minimè perſpecta.

HELLES PHALONITES, 1. *Par.* 11. 27. idem ac *Helles de Phalti*, ut ſupra.

HELMON DEBLATHAIM, Iſraelitarum caſtra ad torrentem Arnon; ex eo ad montem Abarim ſe moverunt.

HELON, parens Eliab ex Tribu Zabulon *Num.* 1. 9.

HELON, Tribus Judæ urbs, Levitis dono data. 1. *Par.* 6. 58. Hæc eadem ac *Cholon*, ſive Olon videtur. *Joſue* 15. 51.

HEM, Sophoniæ filius, cujus nomine coronam Domino dicandam Zacharias 6. 14. prænunciat.

HEMAN, filius Lothan, ac nepos Eſau. *Gen.* 36. 12.

HEMAN ESRAITES, vide *Eman*. In 3. Regum 4. 31. *Ethan, Eman, Chalchol, & Dorda* filii Machol, ac Salomonis ætate celebres Templi muſici reperiuntur. Et in 1. Paralipom. 2. 6. *Zamri, Ethan, Eman, Chalchal, & Dara* filios Zaræ, ac Judæ nepotes legimus. At ego reor ab amanuenſibus Macholis poſteros cum illi Zaræ permixtos, & ex errore *Eman*, ſeu *Heman* Macholis filio, *Eſraitæ* nomen, tanquam Zaræ filio, ſuperadditum.

HEMATH, v. *Emath*: *Emeſa* hæc eſt urbs Syriæ.

(HEMISICLUS. Capitatio Iſraelitis à Moyſe indicta. Vide Exod. 30. 13. & ſupra v. *Capitatio*.)

HEMONA, ſeu *Villa Hemona*, urbs ex Tribu Benjamin *Joſue* 18. 24.

HEMOR, Sichem urbis Princeps, & junioris, eo nomine Sichem dicti, parens, qui, Dina Jacob filia conſtuprata, Dinæ fratrum ultionem in Patrem, ac in totam urbem Sichem adduxit. *Gen.* 34. Vide *Dina, & Sichem*. Jacob è Meſopotamia redux (d) Sichem divertit, ubi tentoriis ſtatutis, ab Hemore, centum *Keſitæ* pretio, agri partem, in quo tentoria fixerat, comparavit. *Gen.* 33. 19.

HEMORRHOISSA. Vox hæc è Græco deducta, aliquem ſanguinis profluvio laborantem exprimit. Hemorrhoiſſa ea mulier in Evangelio relata, *Luc.* 8. 43. quæ ſanguinis profluvio duodecim annorum ſpatio affecta, cum omnes ſuas fortunas in Medicorum operam nequicquam prodegiſſet, ad Chriſtum retro acceſſit, & ad ejus fimbriæ contactum ſanitati illicò reſtituta. Quærente Jeſu quis ſe tetigiſſet, imò virtutem à ſe prodiiſſe affirmante, obſtupuit Petrus, quòd hoc inter confertiſſimam turbam, qua undique premebatur, exquireret. Tunc ad conſpectum populi tremens adſtitit Hemorrhoiſſa, & quæ cauſa ad Chriſti contactum ipſam impuliſſet, ſanitatemque ex ipſo ſtatim receptam aperuit; quo audito, Jeſus ait: *Filia fides tua te ſalvam fecit: vade in pace.*

S. Ambroſius *de Salomone c.* 5. hanc mulierem S. Martham eſſe arbitratus. Joannes Malala, & Codinus *Veronicam* dicunt. At Euſebius hiſt. Eccl. l. 7. c. 17. Ethnicam eam eſſe mulierem ex urbe Paneadis ad Jordanis fontem ſitæ aſſerit, quæ grati animi ergo ob relatam gratiam Salvatori ſtatuam erexit, quam ſuis inſpexiſſe oculis Euſebius ipſe teſtatur. Sozomenus l. 5. c. 20., & Philoſtorgius l. 7. c. 3. ad ætatem uſque Imperatoris Juliani eam perduraſſe commemorant.

HENOCH, ſeu *Enoch* filius Jared. *Gen.* 5. 18. 19. Vide ſupra Enoch.

HENOCH, filius Cain. *Gen.* 4. 17.

HENOCH, urbs à Cain in honorem filii ſui Henoch majoris natu exædificata. *Gen.* 4. 17. Hæc ab orbe condito vetuſtiſſima urbium eſt. Ad Orientem in Provincia Eden ſita erat. Hæc eadem fortaſſe eſt ac *Hanuchta*, à Ptolemæo in Suſiana poſita. Falſus Beroſus, ac poſt eum Adrichomius Henochiæ urbem à Cain conditam ad Orientem Libani Damaſcum verſus, collocant.

HENOCH, filius major natu Ruben, Henochitarum familiæ author. 1. *Par.* 5. 3. *Gen.* 46. 9.

HENOCH, filius Madian. *Gen.* 25. 4.

HENOS, filius Seth, & parens Cainan. *Gen.* 5. 6. 7. Vide *Enos*.

HEPHA, ſive *Kepha*, ſeu *Epha*, vel *Caipha*, aliter *Sycaminon*, urbs maritima ad radices, & ad ſeptentrionem montis Carmeli, ad meridiem portus Ptolemaidis. Ab hac urbe decem & octo milliar. mari; terra verò, triginta diſtat.

HEPHER, pater Salphaad, ac Hepheritarum familiæ author. *Num.* 26. 32. 33. & 27. 1.

(HEPTATEUCHUS. Ad literam vox illa ſonat *ſeptem Libros*, deſignat autem ſeptem priores V. T. Libros, Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Joſue, Judices. Eos Libros legi vetat S. Benedictus in Regula c. 2. in cœtu Monachorum ante Completorium: *Legat unus Collationes vel vitas Patrum, non autem Heptateuchum, aut Regum, quia infirmis intellectibus non erit utile illa hora hanc Scripturam audire.*)

HER, Patriarchæ Judæ filius major natu, nuptiis Thamar ſibi junxit. At quia multis flagitiis Divinam in ſe iram incenderat, præmatura morte Deus ipſum rapuit *Gen.* 38. 7. Cum Her nullos ex ſua uxore Thamar ſuſcepiſſet filios, Juda ſecundo natu Onan, haud minùs, quàm frater, improbo, eam ad nuptias dedit. Hebræi Her octo tantùm annorum ætate vigentem cum Thamar connubio junctum, cumque ea unius tantùm anni ſpatio convixiſſe opinantur (e). Teſtamentum duodecim Patriarcharum refert ab Angelo tertia nuptiarum nocte peremptum, quod Thamar, tanquam uxore, uti noluiſſet, cum illa Chananæa non eſſet; mater enim Her ex Chananæorum progenie, ut dicitur, ingenti nurum Thamar, Aramæorum, ſeu Syrorum genus ſortitam, odio perſequebatur. Quare filio ſuaſit, ut Matrimonii jura uxori non ſolveret (f). Hæc tamen, licèt vetera, nullo nituntur fundamento.

HERAN, Suthalæ filius, ex Tribu Ephraim, Heranitarum parens. *Num.* 26. 36.

HERCULES, Jovis, & Alcmenæ filius, Heros celeberrimus, cui Ethnici Divinos honores detulerunt, Gedeone judicante natus an. M. 2757. ante Ch. 1243. ante Ær. 1247. Herculem ſemel tantum memorat Scriptura, 2. *Mach.* 4. 19. 20. cum 300. argenteas drachmas Jaſon Pſeudo-Pontifex Hieroſolymitanus Tyrum miſit, ut in ludos, ac ſolemnia ſacrificia, ſingulis quinquenniis celebrata, quæque coram Antiocho Epiphane Syriæ Rege exhibenda erant an. M. 3831. ante Ch. 169. ante Ær. 173. erogarentur.

Hercu-

(a) Hellen Græcus, Gentilis. (b) Act. 6. 1. Act. 9. 29. 11. 20.
(c) An. M. 2265. ante J. C. 1735. ante Ær. vulg. 1739. (d) Seder. Olam c. 2.
(e) Vide Auth. Oper. imperf. in Matth. hom. 1.

Digitized by Google

Hercules tutelare Tyriorum Numen erat, eumque Tyrii *Melicarthum*, ſive urbis Regem, nuncupabant. Varia Joſue, Samſonis, ac Moyſis geſta, Herculi adſcripta (a). Ethnici de hoc Heroe eadem ferè, quæ nos de Jona, referunt. Nam in canis marini ventre tribus diebus latuiſſe narrant (b), ut Jonas in ceti, ſive belluæ alterius marinæ fuit. *Jonas* 2. 1.

(Hercules cum Joſue confuſus eſt. Narrant enim Heroem illum in bello cum filiis Neptuni impetraſſe à Jove lapidum imbrem, quibus ruentibus hoſtes perempti ſunt. Sunt autem filii Neptuni Chananæi ſive Phœnices, gens negocioſa, & navigationibus addicta. Scripturæ ſtilo, *filius maris*, eſt homo maria excurrens. Hercules in expeditione adverſus Geryonem immodicò ſolis æſtu grandi affectus moleſtia, ingenti furore exarſit in aſtrum, quod & arrepto arcu petiit. Taurum viri animum demiratus ſol donavit illum ſcypho, quem ceu navigium conſcendit, & poſtea redux remiſit manibus ſolis. Exprimunt hæc facilè Joſue, qui in conferenda cum hoſtibus manu ſtationem ſoli imperavit, quoadusque plenam non reportaret de hoſtibus victoriam. *Iracundia ejus impeditus eſt ſol*, ait Eccl. 46. 5. Ad aſpectum ſagittarum Domini ſubſtitiſſe ſolem & lunam canit Habacuc. 3. 11. *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum &c.*

Hercules, tutelare ſervorum Numen, & ipſum referebat Joſue principem & patronum Hebræorum, ex Ægyptiaca ſervitute manumiſſorum. Pingitur diadematus, arcum tenens & jacula, & inſignitus elogio invincibilis, quæ ſanè quadrant cum Joſue. Filius Nili eſt Hercules quidam apud Veteres: Joſue natus eſt in Ægypto. Rapuit prior ille mala aurea Heſperidum, boves Geryonis, jugulavitque dracones; omnia emblemata ſunt rerum à Joſue fortiter geſtarum in Chananæos. Cum Centauris manus conſeruit Hercules, vulneravitque Diomedis equos, cum Chananæis Joſue, quorum exercitus, equos & currus militares delevit.

Plura ſunt etiam in Herculis hiſtoria, quæ Samſonem referunt. Hercules vir erat ſtaturæ juſto majori, robore vero penè incredibili; amore tamen puellarum devictus eſt; ſcitum eſt enim quid fabula refcrat de laſcivientibus ejus amoribus cum Omphale, cui fœminæ præcipienti ita per omnia morigerum ſe præbuit, ut vel ad colum redigeretur. Hæc planè omnia non obſcurè ſignificare Samſonem videntur, qui Dalilæ victus amore indigna plurima, ea moliente, ſubivit. Hercules Deorum cauſam ſuſtinuit in bello cum Gigantibus; Samſon defendit populum Dei ab injuriis Philiſtæorum, apud quos non deerant immani corporatura monſtra, potiùs quàm homines. Exaggerando robori Herculis narrant, prælio victos Pygmeos abdidiſſe intra pellem, quam ferebat, leonis; dicta ſunt hæc fortè ad indicandum quam prona fuerit Samſoni de Philiſtæis, ad ligandum ſe capiendumque procurrentibus, victoria. Hercules leones plures occidit; Cithærum, Citheronem, & Nemæum, ex quibus unum jugulavit, cui & mandibulas revulſit. Legas hæc totidem verbis in hiſtoria Samſonis, qui rugientem leonem manibus arripiens ſtringenſque jugulavit.

Samſon manibus Philiſtæorum traditus eſt proditione Dalilæ, quæ arcanum roboris illius revelavit adverſariis; & miſeram illam ferens ſervitutem duriſſimis quibuſque & probroſis ſubmiſſus eſt; refert hæc omnia Hercules odio Junonis Euriſtæo proditus, coactuſque arduis plurimis experimentis ſubmittere ſeſe, ut liberationem à ſervitute obtineret. Quid geminæ Herculis columnæ, niſi columnæ illæ, quas Samſon complexus eſt, dejecitque in Templo Gazæ? Hercules non ſemel idem cenſetur ac Sol. Quin & contendit Macrobius, Saturn. l. 1. c. 20. juxta etymologiam Græcorum ejus nomen ſignificare *gloriam aeris* vel Solem. Nomen Samſon in Hebræo derivatur ex *Schemeſch*, quod Solis nomen eſt. Nunquàm Herculee ſive enſe, ſive completa aliqua armatura pugnavit; nec de Samſone pariter unquam legimus vulgaria arma tractaſſe; pro omnibus enim armis utebatur conceſſo ſibi divinitus robore.)

HERED, Belæ filius, ex Tribu Benjamin, Hereditarum parens. *Num.* 26. 40.

HERED, ſive *Arad*, ultimus Benjamin filius (c).

HERED, *Hared*; *Ared*, *Adar*, *Adara*, urbs ad meridiem Tribus Juda. Regem *Hered*, *Joſ.* 12. 14. ſive *Arad*, vel *Adar* Joſue confecit. Hanc Euſebius 4000. paſſibus à Malathi, & 20000. ab Hebrone, inter Cadesbarne, & Almunam, locat.

HERI, filius Gad, Heritarum pater *Gen.* 46. 16.

(HERI & *hodie*. Primum illud pro elapſo quocunque tempore, etiam remoto, uſurpatur; alterum pro tempore præſenti, longiore tamen perſeverante ſpatio, quàm dici illius in qua loquimur: *Si bos cornupeta fuerit ab heri* Exod. 21. 29: *Qui noverant eum heri* 1. *Reg.* 10. 11.; i. e. jam inde ab aliquo tempore. *Heri veniſti* 2. *Reg.* 15. 20.; antehac parum &c. De Jeſu Apoſtolus, Hebr. 13. 8. *Jeſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula*; ejus doctrina & dogmata vera ſunt & immota, ut illis non ſit heri, non cras, ſed omnia hodie. Job 8. 9. *Heſterni ſumus & ignoramus; quoniam ſicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram.*)

HERICIUS, ſive *herinacius*, *ericius*, & *Chœrogryllus*, quadrupes animal, ſpinis undique armatum. Ut ab homine, ſeu cane ſe viſum ſentit, in pilam ſpinoſam, quæ impunè non tangitur, ſe convolvit. Sub terra habitat, fructibuſque ſylveſtribus veſcitur. Impurus eſt, cum non ruminet, *Lev.* 11. 5. Hebræum *Saphan*, quod Septuaginta, & Vulgata *chœrogryllum*, alii *cuniculum*, alii *leporem*, Bochartus muris quoddam immanis genus intelligunt, in Arabia frequens, eſu optimum, Arabibus *alcarbubo*. *Saphan* & in Pſalmo 103. 18. legitur, quod Septuaginta *lagoon* verrunt, quæ vox leporem, cuniculum, hericium æquè ſignificat. Vetera quædam Pſalteria legunt: *Petra refugium leporibus*; alii *herinaciis*, ut noſtra (d): Murem fuiſſe Palæſtinæ communem hericii magnitudine, urſi penè forma, ſpeluncas, & ſcopulorum foramina incolentem, credit S. Hieronymus (e).

Hericii quoddam genus marinum eſt *Echinus*, teſta ſpinis armata protectus, quibus pro pedibus utitur; ſe enim convolvens graditur. Nigri ſunt, rufi, purpurei, aliique, qui teſtam, ſpinas, & ova alba habent. Nemo ex piſcibus armis inſtructior. Iſaias 14. 23. Babylonis excidium prædicens, eam à Domino in hericii domicilium, cœnoſarumque aquarum ingens ſtagnum vertendam eſſe vaticinatur. Hebræum legit *Kippod*, Septuaginta *echinos*, S. Hieronymus *ericius*. Hebræam vocem avem marinam, ſive paluſtrem apud aliquos ſonare Bochartus oſtendit, veluti onocrotalum, ardeam, vulturem, anatem &c. apud alios lutram, caſtorem. Ejuſdem nominis Iſaias 34. 11. & Sophonias 2. 14. meminere; nec tamen notior eſt ejus ſenſus.

HERMA, urbs ad meridiem Juda, *Joſ.* 12. 14. eadem ac *Horma*, *Harma*, vel *Arama*, olim *Sephaath*. Vide *Horma*, vel *Harma*.

HERMAPHRODITUS, vox ex Græco *Hermes*, Mercurius, & *Aphrodite*, Venus, duorum ſexuum hominem ſonans. Adamum initio à Deo Hermaphroditum creatum Rabbini mentiuntur; fortaſſe duobus corporibus maris & fœminæ inſtructum, tergo, ſive latere junctis; eumque mulierem Deus creavit, duo hæc tantum corpora ſejunxiſſe. Inanis hæc & ridenda ſententia iis Moyſis verbis niti-

(a) Vide Huet. Demonſtr. Evang. (b) Vide Lycophr. Theophraſt. &c.
(c) Gen 46. 21. (d) Vide Aug. in Pſal. 103.
(e) Hieron. ep. ad Suniam, & Fretellam.

Digitized by Google

nititor: *Gen.* 1. 27. *Maſculum, & fœminam creavit illos*,

HERMAS, de quo S. Paulus *Rom.* 16. 14. idem ac Hermas ille, ut multis & veteribus (a), & doctiſſimis Interpretibus (b) placet, cujus opera ſuperſunt, ab aliquibus inter Canonica enumerata (c). Libri Hermæ, inſcripti, *Paſtor*, Romæ, ſive in vicinii exarati fuere, circa A. Ch. 92. ante Domitiani perſecutionem. Ado, Uſuardus, & Martyrologium Romanum Hermæ Feſtum ad diem 9. Maii, Græci die 8. Martii, & 5. Octobris conſignant, qui & inter Apoſtolos, & 72. Diſcipulos ipſum enumerant, nec non Epiſcopum Philipporum in Macedonia, ſive Philippopolis in Thracia faciunt.

HERMES, quem S. Paulus *Rom.* 16. 14. cum reliquis ſibi Romæ notis Fidelibus ſalutat, è 72. Diſcipulorum numero, & Dalmatiæ Epiſcopus, ſi Græcis credamus. Ejus Feſtum die 8. Aprilis colitur.

(HERMES *Triſmegiſtus*. Vide MERCURIUS TRISMEGISTUS.)

HERMOGENES, de quo S. Paulus 2. *Tim.* 1. 15. Magus, ſi fidem dubiis quibuſdam authoribus habeamus (d), à S. Jacobo Majore cum Pygello ad Chriſtum ductus. At brevi Apoſtoli ſequelam reliquere, eum ipſum pro Fide vinctum cernerent. Hermogenes, alius hic ab eo, in quem ſcribit Tertullianus, à fide deſcivir, eodem Tertulliano authore *con. Hermogen.* & Simonis, & Nicolai errores ſequutus, mortuorum reſurrectionem futuram, utpote quæ jam accidiſſet, præcipuè negabat. Hæc de Hermogene certa ſcimus: fabulas vide apud Abdiam.

I. HERMON, ſive *Chermon*, vel *Aermon*, ſeu *Baal-hermon*, Sidoniis *Schirion*; *Deut.* 3. 9. 10. Amorrhæis *Sanir*, Mons, quem S. Hieronymus ſupra Paneadem locat, ex quo nivem æſtate Tyrum deduci conſueviſſe teſtatur. Chaldæus, & Samaritanus *montem nivis* ipſum nuncupant (e), quod præ nimia altitudine ſemper nivoſus appareat. Sion veluti pars montis Hermon nominatur. *Deut.* 4. 48. Montem hunc veluti trasjordanicæ regionis terminum ad Septemtrionem, ut torrentem Arnon ad meridiem, ſtatuit Scriptura. *Deut.* 3. 8. & 4. 48. Baal-gad in Libani planitie ad radices Hermon ſita erat, *Joſ.* 11. 17. & Hevæi radices ejuſdem montis in Terra Maſphæ incolebant, *Joſ.* 11. 3. à *Baal-hermon, ad ingreſſum Emath. Judic.* 3. 3. Hermon ditionem Regis Og ad Septemtrionem definiebat, antequam ab Iſraelitis occuparetur. *Joſ.* 12. 5. & 13. 11.

Author Libri apocryphi Enoch. c. 1. Angelos, quos *Egregoros*, Vigilantes nuncupat, fœminarum amore captos, in Monte Hermon, Jared Patriarchæ ætate, coactos, jurejurando, & anathemate ab ipſis prolato ſe obſtrinxiſſe ſcribit, ut nunquam, niſi ductis in uxores hominum filiabus, invicem ſejungerentur. Anathemata, quibus tunc ſe devovere, monti nomen dederunt; Hermon enim *anathemata* ſignificat (f). Pſalmiſta *pſal.* 133. 3. Sacerdotum concordiam dulcem eſſe ait, *ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.* Hermon genericum montis nomen eſt, qui in plura latera dividitur, quorum aliud *Sion*, alterum *Schirion*, ſeu *Sanir* appellatur. Ita ros Hermon deſcendit in montem Sion, ut unguentum è barba Aaron in oram veſtimenti ejus fluit. Profectò *Sion*, ſeu *Zion* in Pſalmo aliter ac in Deuteronomio 4. 48. ſcribitur: cùm tamen eæ literæ ſonum eumdem reddant, facilè confunduntur.

Idem Pſalmiſta canit *Pſal.* 88. 13. *Aquilonem & mare tu creaſti: Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Thaboris locus non latet, inter Mediterraneum ad Orientem, & Mare Tiberiadis ad Occidentem: mons Hermon ad utriuſque maris Septemtrionem jacet. Legit Hebræus: *Aquilonem & dexteram tu creaſti*, ſeptemtrionem ſcilicet, ac meridiem; *Thabor* ad meridiem, & *Hermon* ad ſeptemtrionem *exultabunt*. Verſiculi hujus partes duæ ſynonymæ ſunt, & altera alteram explicat.

(Recepta apud Chriſtianos Orientales de Gigantibus, quorum eſt ſermo Geneſ. 1. opinio tenet (g), Adamum, facta filiis Seth deliciarum, quibus ipſe in Paradiſo terreſtri fruebatur, expoſitione, ſalivam nonnullis moviſſe ad amœnam hanc veniendi ſedem. Id agitantes, receperunt ſe ab aliorum conſortio conſidentes in monte Palæſtinæ Hermon, ubi caſtam inſtituerunt & ad Dei timorem exactam vitam.

Diſcreti à ceteris mortalibus hominis filiorum Dei appellatione donati ſunt, atque exemplo ſuo normam exhibuerunt & ideam monaſticæ vitæ, profeſſioni tanto deinde ſtudio per Orientem promotæ. Sed tandem filii Seth ſpe amiſſa potiundi Paradiſo, quem veluti hæreditatem Adami reſpiciebant, contulerunt ſe ad filios Cain neceſſarios ſuos, ac cælibis vitæ pertæſi eorum filias junxerunt ſibi in uxores, unde Gigantes nati ſunt.)

II. HERMON, ſive *Hermonim*, mons cis-Jordanicus, in Tribu Iſſachar, ad Thaboris meridiem. Hunc in eo Pſalmi 41. 7. loco deſignari nonnulli credidere: *Memor ero tui de terra Jordanis, & Hermonim, à monte modico*; ac ſi mons iſte cis-jordanicus ad alterius ingentis Hermon transjordanici diſtinctionem modicus mons appellaretur. Alii verò putant, nunquam modici Hermon meminiſſe Scripturam, eumque montem, qui hoc nomine S. Hieronymi ætate noſcebatur (h), in Tribu Iſſachar ad Magni Campi meridiem poſtremis temporibus id nomen obtinuiſſe. Alii in Pſalmo 133. 3. cis-jordanicum hunc montem intelligunt: *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.* Rorem ibi adeo abundare teſtatur Maundrellus, ut copioſus imber videatur. Hæc tamen Pſalmiſtam de hoc cecinisse non convincunt, cùm nihil mons Sion ad iſtum pertineat: contrà, ex lateribus magni Hermon unum *Sion* nuncupatum legimus.

HERMOPOLIS, urbs in Canonicis Scripturæ libris ignota: vetuſtiſſimi tamen Scriptores aliqui (i) Chriſtum, cùm in Ægyptum cum S. Joſepho fugeret, illuc veniſſe narrant; ipſoque Chriſto in ejus Templum quoddam ingreſſo, omnia Idola corruiſſe. Brevis tamen Chriſti in Ægypto mora illum ad Thebaidem uſque perveniſſe non ſuadet.

I. HERODES, Antipatri ex Cypro filius, fratres habuit *Phaſaelum*, *Joſephum*, *Pheroram*, & ſororem *Salomem*; Uxores (k) 1. *Doridem*, ex qua Antipater. 2. *Mariamnem* Alexandri filii Ariſtobuli è genere Aſſamonæorum filiam, ex qua Alexander, Ariſtobulus, Herodes, Salampſo, & Cypros. 3. *Mariamnem*, Summi Sacerdotis Simonis filiam, ex qua Herodes Herodiadis maritus, 4. *Malthacem*, ex qua Archelaus, Philippus, & Olympias. 5. *Cleopatram*, ex qua Herodes Antipas, & Philippus. 6. *Balladem*, ex qua Phaſaelus. 7. *Phædram*, ex qua Roxane. 8. *Elpidem*, ex qua Salome, uni ex filiis Pheroræ nupta. Præter has uxores, duas etiam habuit, ne nomine quidem notas, quarum hiſtoria à rebus Scripturæ, adeoque à noſtro inſtituto aliena eſt.

Herodes igitur Antipatrum Patrem habuit (l); quem alii Idumæum fuiſſe (m); alii origine Judæum.

(a) Orig. in Rom. 16. Euſ. hiſt. Eccl. l. 3. c. 3. Hieron. de viris illuſtr. c. 10.
(b) Eſt. Grot. Bez. Drus. alii.
(c) Vide Iren. l. 4. c. 3. Clem. Alex. l. 1. Strom. & l. 2. pluribus locis. Tertull. l. de orat. c. 12. Orig. hom. 8. in Num. & alios apud Coteler. t. 1. PP. primi ſæculi.
(d) Abdias Apoſt. hiſt. in l. 4. de Jacobo Majore. (e) Ad Deut. 4. 28. (f) Vide, ſi placet, Hilar. in Pſal. 133.
(g) D' Herbelot. Biblioth. Orient. p. 387.
(h) Hieron. ep. 44. nov. edit. Apparebit oppidum Naim, in cujus portis viduæ filius ſuſcitatus eſt. Videbitur Hermonim, & torrens Endor &c. (i) Vitæ PP. l. 2. c. 7. Sozom. l. 5. c. 21. Niceph. l. 10. c. 31.
(k) Antiq. l. 17. c. 1. (l) Natus eſt Herodes A. M. 3932. ante Ch. 68. ante Æ. 72.
(m) Joſep. Antiq. l. 14. c. 2. de Bel. l. 1. c. 5.

Digitized by Google

& ex Judæis, nempe è captivitate Babylonica regreſſis (a); alii tandem Ethnicum (b) dicunt, quem primò cuſtodem Templi Apollinis Aſcalone egiſſe ferunt; ac deinde à prædonibus Idumæis captivum in Idumæam ductum, ibi moribus Judæorum educatum. Idumæi enim ab Joannis Hircani ætate legibus Judaicis ſe ſobmiſerant (c). Nec ſanè Herodes Religioni plurimùm ſtuduit, ambitionem tantùm, malamque honorum cupiditatem unicè colere, etiam Religionis diſpendio, aſſuetus. Quin & in rebus ad Dei gloriam ſuſceptis ipſe ſuæ potiùs gloriæ, quàm Divini honoris monumenta erigere conabatur. Interim Judæus haberi volebat.

Cùm Herodes annum ageret ætatis 25. (d), Præfecturam Galilææ ab Antipatro genitore, nec renuente Hircano, obtinuit (e); quam ſanè Provinciam ea virtute, & prudentia adminiſtravit, ut cum turbatam à prædonibus accepiſſet, pacatam rexerit. Ezechiam etiam prædonum ducem cepit; quo amorem & laudes Sexti Cæſaris Præfecti Syriæ in ſe conciliavit. Interim Optimates Judæorum, qui Antipatri potentiam, & collatam per illum in filios authoritatem ægerrimè ferebant, invidiam apud Hircanum crearunt, à quo cauſam ſuam dicturus Herodes accitus eſt (f). Ille militum manu ſtipatus, coram Judicibus adſtitit eo oris habitu, ut cæteris territis, & ſilentibus, unus tantùm Sameas loqui auſus ſit. Ejus ſermonis vis tota in accuſandis Judicibus, ipſoque Hircano converſa eſt, à quibus tanta criminum patrandorum licentia Herodi, ſumma illi collata authoritate, permiſſa fuerat. Cum omnia jam ad damnandum reum inclinari viderentur, Hircanus differri in ſequentem diem ſententiam, ac noctis favore Herodem fuga à periculo ſubducendum cenſuit.

Herodes igitur Damaſcum apud Sextum Cæſarem ſeſe recipiens, Cœle-Syriæ præfectura ab illo donatus eſt (g). In nova adminiſtratione ultionem injuriæ moliens, exercitum Hieroſolymam duxit; quem tamen Antipatri genitoris, & Phaſaeli fratris precibus, re infecta, reduxit. Poſt obitum Julii Cæſaris, in præfectura univerſæ Cœle-Syriæ à Craſſo & Marco confirmatus (h), exercitum ab illis obtinuit, addita etiam Regni Judææ poſſidendi ſpe, poſt confectum inter Marcum Antonium, & Juniorem Cæſarem bellum (i). Sub idem tempus Antipater Herodis pater proditione Malichi veneno ſublatus eſt; quam tamen necem Herodes egregiè ultus eſt, Malichum Tyrum venientem opprimens (k).

Cum M. Antonius in Syriam veniſſet (l), & Daphnis propè Antiochiam moraretur, centum ex Optimatibus Judæorum illum adeuntes, Herodem & Phaſaelum fratres accuſarunt. Aderat eo tempore apud Antonium Hircanus, qui neptem ſuam Mariamnem Herodi deſponderat. Hic ab Antonio requiſitus, utri adminiſtrandæ Reipublicæ utiliores eſſent, Herodeſne, & Phaſaelus, an delatores illorum? Fratrum adminiſtrationem laudibus extulit Hircanus; quare M. Antonius Tetrarchia illos, & totius Judææ Præfectura donavit (m). Miſſis ea de re literis, quindecim etiam ex delatoribus in carcerem detruſit, vita multaturus, niſi Herodes interceſſiſſet.

Antigonus Ariſtobuli filius, Hircanum à Regno, & ſummo Sacerdotio deturbare molitus (n), ingentium promiſſorum ſpe ad ſuſcipiendam in Hieroſolymam expeditionem Parthos induxerat. Phaſaelus urbem, Herodes verò Regiam defendendam ſuſceperant. Inter hæc Pacorus filius Regis Parthorum, Hircano, & Phaſaelo perſuaſerat, ut ſecum ad Barzaphernem Satrapam in Galilæam venirent, de pacis conditionibus acturi. Illi nihil fraudis ſuſpicati venerunt: brevi tandem proditionem ſenſere; cùm enim Ecdippum urbem maritimam Phœniciæ veniſſent, à Parthis detenti, in vincula conjecti ſunt. Quibus ad Herodem delatis ſtatim ipſe una cum matre Cypro, ſorore Salome, ſponſa Mariamne, & Alexandra ſocru ex urbe ſe ſubduxit; omneſque illos in arce Maſſada relinquens, ipſe iter Petram verſus ſuſcepit, præſidium & auxilium à Malcho Rege Arabum impetraturus. Quò antequam perveniret, à Rege prohibitus, aliò divertere coactus eſt; verebatur enim Malchus, ne fugientem recipiens Parthos offenderet. *Joſeph Antiq. l. 14. c. 25.*

Rhinocoruram; igitur declinavit, ubi nuncium de morte Phaſaeli delatum eſt, qui ultrò ſibi necem, quam à Parthis mox inferendam ſciebat, conſciverat. Ex ea urbe Peluſium venit, ibique poſt aliquot incommoda, ſæviente jam hyeme, navim conſcendit. In eo itinere procella jactatus, divitiarum ſuarum partem projicere coactus eſt, ac Rhodum tandem, ægrè licèt, appulit. Ibi duorum amicorum ope adjutus, quamquam ſuis neceſſitatibus vix ſufficeret, continere ſe non potuit, quin urbi, bello Caſſii malè afflictæ, ſuccurreret. Inde Romam venit, ſtatimque M. Antonium conveniens, eventuum omnium ſeriem amico narravit. Antonius & propenſo erat in Herodem animo, nec beneficiorum ab Antipatro Herodis parente in Syria acceptorum immemor; ſimul etiam Antigonum, tamquam ſeditioſum virum, & Romanorum hoſtem reſpiciebat. Quare ingentium promiſſorum ſpe ab Herode tentari permiſit, qui immenſam pecuniarum vim ſpondebat, ſi regnum Judææ obtineret. Neque Octavius Cæſar, deinde Auguſtus, beneficiis ſibi Herodem obligare minùs curabat. Ambo igitur apud Senatum Herodis cauſam agentes, fecere, ut Senatus-conſulto Herodes Judææ Rex, Antigonus tamquam Reipublicæ hoſtis haberetur (o).

Poſt hebdomadam Herodes Roma diſcedens, Ptolemaidem venit, ubi copias comparavit, ut in Antigonum expeditionem iniens, arcem Maſſadam ab obſidione liberaret (p). Cùm res ſucceſſiſſet, ſuoſque à præſentiſſimo periculo liberaſſet, exercitum adverſus Hieroſolymam duxit, copiarum Romanarum ſubſidio, Silone duce, auctus; verum cum portas ab Antigono clauſas nactus eſſet, & hyems ſucceſſiſſet, copias in hyberna deducere ambo duces maluerunt. Nec tamen adeò quievit Herodes, quin ſimul eo temporis ſpatio loca, atque urbes plurimas Judææ, & Galilææ occuparet. Alter annus (q) pluribus præliis inter Antigonum & Herodem, omnibus tamen ferè Herodi ſecundis, exactus eſt (r).

Tertio tandem anno (ſ) Regni Herodis ineunte, urbis obſidio cœpta eſt; quam ab eo latere urgendam cenſuit, quo ante plures annos Pompejus. Cum igitur in ea obſidione exercitus detineretur, Herodes Samariam proficiſcens, nuptias Mariamnes ibidem celebravit (t). Dein ad caſtra regreſſus novis auctus præſidiis, accedentibus Syris, quos Soſius duxerat, obſidio adeò invaluit, ut poſt quinque menſium obſidionem primæ urbis munitiones expugnarentur. Paulò poſt ſecunda etiam mœnia Herodi ceſſerunt; quare Antigonus in Templum ſe recipiens, Victoris arma, non diu tamen, remoratus eſt. Denique urbe, & Templo expugnatis, Antigonus, qui in Turrim evaſerat, mox deſcendens, ante Soſii pedes ſupplex provolutus, ab eo *Antigona*

per con-

(a) Nicol. Damaſc. apud Joſeph. Antiq. l. 14. c. 2. & Hiſt. Judæor. Arab. ad calc. Bibl. Polyglott. Paris.
(b) Julian. Afric. Ep. ad Ariſtid. apud Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 6. 7. Euſeb l. 3. in Luc. c. 3.
(c) Antiq l. 13. c. 17. A. M. 3875. ante Chr. 125. ante Ær. 129.
(d) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 17. illi tribuit 15. ætatis annos, nos verò 25. egiſſe credimus A. M. 3957. ante Ch. 43. ante Ær. 47. Vide Uſſer. ad An. M. 3957. (e) Joſeph. de Bel. l. 1. c. 8. Antiq. l. 14 c. 16. 17.
(f) Antiq. l. 14 c. 17. A. M. 3958. ante Ch. 42. ante Ær. 46. (g) Antiq. l. 14. c. 17. (h) A. M. 3961. ante Ch. 39. ante Ær. 43.
(i) Antiq. l. 14. c. 19. (k) Antiq. l. 14. c. 20. (l) A. M. 3963. ante Ch. 37. ante Ær. 41.
(m) De Bello l. 1. c. 10. Antiq. l. 14. c. 23. (o) A. M. 3964. ante Ch. 36. ante Ær. 40.
(o) Antiq. l. 14. c. 26. A. M. 3964. ante Ch. 36. ante Ær. 40. (p) A. M. 3965. ante Ch. 35. ante Ær. 39.
(q) A. M. 3966. ante Ch. 34. ante Æ. 38. (r) Antiq. l. 14. c. 27.
(ſ) A. M. 3967. ante Ch. 33. ante Ær. 37. (t) Antiq. l. 14. c. 27. 28.

Digitized by Google

per contemptum appellatus eſt (a). Ea victoria quietum Judææ Regnum Herodi contulit.

Summi Sacerdotii dignitas ad id uſque temporis Regibus è genere Aſſamonæorum manſerat; quare Herodes à Sacerdotali familia alienus, munus illud ſibi permiſſum non eſſe intelligens, cum Hircanus captivus à Parthis detineretur, Ananelum quemdam Babylone ad Pontificatum accerſivit (b). Hunc, quamquam ex Aaronis familia, nulla tamen merita, præter veterem Herodis gratiam, ad id munus extulerant (c). Mariamne tamen Herodis uxor fratri Ariſtobulo favens, cui familiæ jure ea dignitas debebatur, Herodi tamdiù inſtitit, ut amoto Ananelo, tandem Ariſtobulo 17. annorum juveni eam dignitatem obtinuerit (d). Brevi tamen poſt annum Ariſtobulus & dignitate, & vita, Herodis fraude merſus, cedere coactus eſt. Vide *Ariſtobulus*.

Querelas de adoleſcentis nece Alexandra illius mater apud Cleopatram detulit, quæ Antonium adverſus Herodem concitavit. Ab illo tamen accitus Herodes, adeò muneribus & verbis ipſum delinivit, ut in ſuas partes ipſum traxerit (e).

Furente jam inter Auguſtum, & M. Antonium bello, Herodes Antonii ſibi amiciſſimi partibus favit; quare Antonio profligato Auguſti clementiam implorare coactus eſt (f). Rhodum igitur veniens, Imperatorem omnibus Regiis ornamentis, diademate excepto, indutus convenit, atque magnanima, minimeque demiſſa oratione uſus, ſe partibus Antonii faviſſe aſſeruit, cui etiam plura contuliſſet, niſi bellum adverſus Arabes ſuſceptum prohibuiſſet: ait tandem ſe paratum eſſe eadem Cæſari, ac olim Antonio, præſtare, ſi illius favore, & Regno firmaretur. Auguſtus viri magnanimitate captus, ſimul omnia conceſſit; quare Herodes ingentibus Principem, ejuſque amicos muneribus cumulans, in Regnum regreſſus eſt. Cùm Auguſtus per Palæſtinam in Ægyptum tranſiret, Herodes illum perpetuò comitatus, omnia exercitui, & itineri neceſſaria abundè ſuppeditavit (g).

Nihil ad felicitatem Herodi deeſſe videbatur; ſed domeſticis turbis, pluribus etiam eventibus adeò agitabatur, ut inter felicitates omnium ſui temporis infeliciſſimus haberetur. Mariamnem enim uxorem ſuam perditiſſimè deperibat, cùm interim illa à viro abhorrere ad contemptum uſque videretur. Simultas etiam & ſuſpicio inter matrem, ſororemque Herodis cum Mariamne interceſſit; à quibus aſſiduis delationibus Herode in uxorem animato, primò breves rixæ, deindè apertum odium inter conjuges, tandem cædes Mariamnes Herodis juſſu interceſſit (h). Paulatim deinde remiſſo odio amor ſucceſſit, qui dolore ſtimulatus ita ægritudinem auxit, ut parum abfuerit, quin mortem inferret (i). Paulò poſt Alexandræ matri Mariamnes, delato de morte Herodis nuncio faciliùs, quàm par erat, aures præbuiſſe capitale fuit.

Sequenti anno publicis privatiſque ædificiis Provinciam totam, & alia etiam loca ſibi promeruit, tum & ludis, & Templis in Auguſti honorem ejus favorem aucupatus eſt. Duos ex Mariamne filios, liberaliter, ac Regie inſtruendos Romam miſit. Omnium tamen inſigniſſimum opus, Templi reſtauratio cenſenda eſt (k). Cùm ſuum populo conſilium ea de re aperuiſſet; detrectare omnes, veriti, ne poſt deſtructum vetus ædificium, novumque opus aggreſſus, ab incepto tandem deterreretur. Spondenti tamen Herodi, non priùs dejicienda vetera, quàm omnia, quæ ad novum ædificium exigebantur, parata eſſent, tandem acquievere. Novennio totum opus abſolutum eſt, ac A. M. 3996. antè Chr. 4. antè Ær. 8. dedicatum.

Templi reſtauratione incepta, Herodes iter Romanum inivit An. M. 3988. ante Chr. 12. ante Ær. 16. ut Auguſtum ſalutaret, duoſque filios, quos ibi detinebat, amplecteretur. Comiter ab Auguſto exceptus, cumque illo parum commoratus, exhibitis in urbe, totoque itinere liberalis animi inſignibus argumentis, cum filiis in Judæam regreſſus eſt (l). Dein eorum filiorum nuptias celebravit, Ariſtobuli nempè cum Berenice filia Salomés, & Alexandri cum Glaphyra Archelai Regis Cappadociæ filia (m). Sub idem tempus Agrippa, qui in Aſiam venerat, ab Herode invitatus in Judæam venit, deductuſque per urbes Samariæ, alio nomine Sebaſtes, & Cæſareæ, quas Herodes in Auguſti honorem condiderat, Jeroſolymam tandem ingreſſus eſt, eoque honore exceptus, quo majorem ipſe ſibi optare non potuiſſet, An. M. 3993. ante Chr. 7. Ær. 11.

Inter hæc, excitata in familia Herodis ſeditione, Ariſtobulus, & Alexander patri ſuſpecti eſſe cœperunt. Illis in ordinem redigendis, atque audaciæ coercendæ, Doris ejuſque filius Antipater in aulam acciti ſunt, noviſque honoribus, & favore donati. Rei indignitate filii in patrem animati, cùm generis claritate Antipatro præſtare viderentur, indignationis ſuæ non obſcura ſpecimina exhibentes, Herodis in ſe invidiam crearunt. Ab eo igitur Romam deducti delatorem ipſum apud Auguſtum habuerunt. Brevi tamen, agente Auguſto, omnia compoſita ſunt; quare Jeroſolymam redux, in frequenti populi concione tres filios ſuos, Antipatrum primò, tum Alexandrum, & Ariſtobulum Regni ſucceſſores declaravit. *Joſeph. Ant. l. 16. c. 7. 8.*

Domeſticam pacem brevi novæ turbæ, molientibus Antipatro, Pherora fratre, & Salome Herodis ſorore, exceperunt. Diſſidentes patris, & filiorum animos Archelaus Rex Cappadociæ in Judæam veniens conciliavit (n). Iterum verò hanc ſecundam pacem turbarunt Antipater, & Salome, quorum tandem inſtigationibus eo ductus eſt Herodes, ut filios morte damnaret (o). V. *Alexander*.

Ita ſublatis duobus fratribus, nihil antiquius habuit Antipater, quàm ut è medio Herodem ſubduceret, cujus inſtabile ingenium, furoremque vehementer metuebat. Proditionem ſuam celaturus, patrem rogavit, ut bona ipſius venia Romam proficiſci liceret. Verum quo temporis ſpatio Antipater Romæ morabatur, ipſius conſilia Herodes primò ſubodoratus, deinde plurium menſium inquiſitione omnia detexit (p).

Sub idem tempus Servatoris Mundi ortus in Bethleem contigit, A. M. 4000. die 25. Decembris, quem adoraturi Magi ab Orientalibus oris venientes, in Judæam, Stella duce, deducti ſunt. Cùm igitur Jeroſolymam veniſſent obvios quoſcumque de loco, ubi exortus Rex verſaretur, requirebant (q). Novus ejus rei rumor & Jeroſolymam univerſam turbavit, & ad Herodem Hierichunte verſantem, extremæ valetudinis curandæ gratia (r) delatus, ejus animum ingenti cura ſollicitavit. Quare ipſius juſſu conſulti Sacerdotes, & Legis Doctores, quo ſcilicet in loco Chriſtus naſceretur, Bethleem in Tribu Juda, juxta Michææ 5. 2. oraculum, deſignarunt.

Tunc Herodes accitis ad ſe Magis de tempore exorti ſyderis illos ſedulò interrogavit, omniaque edoctus, ut in Bethleem tenderent, ſignificavit; optare tamen ſe dixit, ut inventum puerum reduces ſibi detegerent. Ea tamen conſilia Angelus Domini fefellit; cujus monitu ſibi per quietem viſi altera via ad propria Magi remearunt. Sub idem tempus Joſeph Angeli monitu Matrem, & Puerum in Ægyptum duxit; dum interim Herodes, illuſum ſe à Magis ſentiens,

(a) Antiq. l. 14. c. ult. (b) A. M. 3968 ante Ch. 32. ante Ær. 36. (c) Antiq. l. 15. c. 2. 3.
(d) Antiq. l. 15. c. 2. 3. A. M. 3969. ante Ch. 31. ante Ær. 35. (e) Antiq. l. 15. c. 4. A. M. 3972. ante Ch. 28. ante Ær. 32.
(f) Antiq. l. 15. c. 6. de Bel. l. 1. c. 14. (g) Antiq. l. 15. c. 10. de Bello l. 1. c. 15. (h) A. M. 3976. ante Ch. 24. ante Ær. 28.
(i) Antiq. l. 15. c. 11. (k) A. M. 3985. ante Ch. 15. ante Ær. 19. (l) A. M. 3989. ante Ch. 11. ante Ær. 15.
(m) Antiq. l. 16. c. 1. 2. A. M. 3990. ante Chr. 10. ante Ær. 14. (n) A. M. 3996. ante Ch. 4. ante Ær. 8.
(o) Ant. l. 16. c. 11. 12. A. M. 3999. anno ante ortum Chriſtum. (p) Ant. l. 17 c. 6. A. M. 3999. eodem anno Chr. nativitatis, ante Ær. 4. (q) A. M. 4001. Ær. 4. Matth. 2. 1. 2. &c. (r) Antiq. l. 17. c. 8. & de Bell. l. 1. c. 22.

furore exardeſcens, mares omnes à *bimatu & infra* in Bethleem, ejuſque agro trucidandos præcepit.

Sub initium ejuſdem anni Roma regreſſus Antipater in Judæam venit A. Ch. 1. proditæ conjurationis ignarus. Siniſtri tamen quid Cæſaream veniens ſuſpicatus eſt, neminem ad ſe excipiendum, deducendumque nactus (a); quin nec patrem videre potuit, niſi ut illum crimina ſua ſibi exprobrantem ſuſtineret. Statim igitur vinculis oneratus, in carcerem obtruſus eſt, & Herodes, datis ad Auguſtum literis, illi omnia ſignificavit. Deinde novis tabulis Herodem Antipam natorum minimum ex aſſe hæredem inſtituit (b).

Falſo deinde rumore de obitu Herodis evulgato, adoleſcentes nonnulli pleno meridie aquilam auream præ Templi foribus conſtitutam, quòd à moribus Judæorum abhorreret, dejecerunt (c). Ejus facinoris authores Herodes detineri eorumque 40. diſcipulos, omneſque vivos comburi juſſit. Inter hæc Herodis morbus in dies invaleſcebat; quamvis enim febris remiſſior videretur, lentus tamen, & intimus calor viſcera depaſcebatur; ex quo ſæva adeo fames languentem cruciabat, ut nullo cibo ejus furor compeſceretur. Inteſtina omnia ulceribus corrupta; venter frequentis doloribus angebatur; pedes hydropiſi tumebant; pudenda vermibus, & ſanie ſcatebant; ad hæc toto corpore ſcabies cum intolerabili pruritu accedebat.

Paulò ante obitum Optimates ex univerſa Judæa ad ſe Hierichuntem accivit, mortem minitatus, niſi paruiſſent. Cùm omnes conveniſſent, in Circo concludi juſſit, lachrymis, & precibus à Salome ſorore, & Alexa ejuſdem viro fidem extorquens, omnes poſt obitum ſuum trucidandos, ut Judæi coactis fletibus per univerſam latè regionem ſibi parentare viderentur. Hæc tamen executioni mandata non ſunt.

Poſt elapſum aliquod tempus, acceptis ab Auguſto literis, impetravit, ut, ſi mallet, Antipatrum exilio, ſivè morte mulctaret (c). His lectis aliquantulùm recreari viſus eſt; verùm paulò poſt recrudeſcente morbo, vitam ſibi præripere cogitavit; quare cultrum petens, quaſi pomum decorticaturus, re tamen illum in jugulum direxit. Achiab ejus conſobrinus conſilium ejus intelligens, extentam jam manum detinuit, ſimulque ingentem clamorem edens, aulam univerſam veluti dato ſigno de obitu Regis turbavit. Clamorem illum Antipater audiens, expiraſſe Herodem ratus, cuſtodes ſuos etiam atque etiam rogavit, ut liberum ſe permitterent. His à carceris Præfecto ad Herodem delatis, Rex ſtatim Antipatrum occidendum præcepit. Prorogata deinde ſibi ad quinque dies vita, eo temporis ſpatio Herodes novis confectis tabulis, Regnum Archelao deſtinavit, Gaulanitidem vero, Trachonitidem, & Batanæam Philippo, germano Archelai; Galilæam tandem, & Peræam Herodi Antipæ reliquit. Ita tandem vita ceſſit Herodes, A. M. 4001. Ch. 1. ante Ær. 4. annis natus 70. circiter, poſt exactos in Regno 36. ſivè 37. annos ab obtenta à Senatu dignitate, & 34. à recepta poſt mortem Antigoni Judæa.

TABULA GENEALOGICA
POSTERORUM MAGNI HERODIS.

HERODES MAGNUS

duxit

- **Doridem**, *Antipatri, Herodis aſſu paulò ante ipſius mortem, interfecti matrem.*
- **Mariamnem**, *Alexandræ filiam, ex qua*
  - **Alexander**, *Glaphyræ Cappadociæ Regis filiæ vir, Tigranis Armeniæ Regis pater, & Alexandri, qui Antiochi Regis Comagenorum filiam duxit.*
  - **Ariſtobulus**, *Qui Berenicem Salomes filiam duxit, ex qua tres filios ſuſcepit, & duas filias.*
    - **Herodem**, *Chalcidis Regem, virum 1. Mariamnes filiæ Olympiadis, deinde Berenicis, ex qua Ariſtobulus, Berenicis, & Hircanus. Ariſtobulus Salomem ſaltatricem, Philippi viduam, duxit, ex qua Agrippa, Herodes, & Ariſtobulus.*
    - **Agrippam I.** *Judæorum Regem, qui Cypron duxit, Salampſo filiam, ex qua*
      - **Druſius.**
      - **Agrippa II.** *primò Chalcidis Rex, deinde Trachonitidis Tetrarcha.*
      - **Berenice**, *1. Marco, 2. Herodi Chalcidis Regi, 3. Polemoni Ciliciæ Regi nupta.*
      - **Mariamne**, *1. Archelai Chelciæ filii uxor, dein Demetrii Judæorum Alexandrinorum Alabarchæ, ex quo Berenice, & Agrippinus.*
      - **Druſilla**, *1. Azizi Emeſæ Regi, tum Felici Judææ Præſidi nupſit. Ex hac Agrippa, qui in Veſuvii incendio cum conjuge abſumptus eſt.*
    - **Ariſtobulum**, *Jotapes, Regis Emeſæ filiæ virum.*
    - **Herodiadem**, *Primò Herodi, aliàs Philippo, Tetrarchæ Batanææ, ex quo Salome ſaltatrix; deinde Herodi Antipæ, Galilææ Tetrarchæ, nupſit.*
    - **Mariamnem**, *quæ Antipatro patruo ſuo nupſit.*
  - **Herodes**, *Qui Romæ adoleſcens obiit.*
  - **Salampſo**, *Quæ Pheroræ deſponſa, Phaſaelo nupſit.*
  - **Cypros**, *Quæ Antipatro Salomes ſororis Magni Herodis filio nupſit.*
- **Palladem**, *Phaſaeli matrem.*
- **Phœdram**, *Roxanes matrem, quæ Pheroræ filio nupſit.*
- **Mariamnem**, *Simonis Pontificis filiam, ex qua Herodes Herodiadis vir, ex qua Salome ſaltatrix, quæ primò Philippo, deinde Ariſtobulo, Herodis Chalcidis filio nupſit.*
- **Malthacem**, *Archelai Tetrarchæ Judææ, & Antipæ Tetrarchæ Galilææ, & Olympiadis filiæ matrem, quæ Joſepho Magni Herodis nepoti nupſit. Antipas primò Aretæ Arabum Regis filiam; deinde Herodiadem fratris ſui ſuperſtitis adhuc uxorem duxit.*
- **Cleopatram**, *Ex qua Herodes, & Philippus Batanææ, & Trachonitidis Tetrarcha, qui Salomem ſaltatricem, Herodis Tetrarchæ ex Herodiade filiam, duxit.*
- **Elpidem**, *Salomes, matrem quæ Pheroræ filio nupſit.*

(a) Antiq. l. 17. c. 6. 7. (b) Antiq. l. 17. c. 8. (c) Antiq. l. 17. c. 8. de Bello l. 1. c. 21. (d) Antiq. l. 17. c. 9. de Bello l. 1. c. 14.

II. HERODES, in Evangelio *Philippus* appellatus, Herodis Magni, & Mariamnes filiæ Simonis Summi Sacerdotis filius, qui primis Herodis tabulis poſt necem Alexandri, & Ariſtobuli, proditamque Antipatri (a) conjurationem Rex deſtinatus; deinde tamen, ejus nomine eraſo, Archelaus ſubſtitutus eſt. Herodes enim Mariamnem matrem adoleſcentis, iniræ conjurationis conſciam fuiſſe compererat. Uxorem habuit Herodiadem, neptem Herodis Magni, ex qua Salome nata eſt, ſaltatrix in Evangelio nota. Cùm fortè Herodes Antipas frater ipſius Romam proficiſcens, ad illum veniſſet, vitam Herodiadem perditiſſimè deperiit; quare ad ineundas ſecum nuptias ſollicitatam (b), illicò ſuis votis obſequentem habuit, ea tamen conditione, ut ductam diù antea filiam Aretæ Regis repudiaret. Igitur Antipas Roma regreſſus, impleta conditione, nuptias optatas celebravit. Ejus criminis atrocitatem S. Joannes Baptiſta acribus adeò verbis redarguit, ut Herodias illarum vim ægerrimè ferens, necem ſanctiſſimi viri, nec fruſtra, moliretur (c).

(Hiſtoricorum diſſidium in aſſignanda origine Patris Herodis Magni retulimus in Dictionario v. *Antipater*. Defendit Joſephus *Antipatrum*, alio nomine *Antipam*, Idumæam retuliſſe originem, è claro in regione ina genere; Judaicam profeſſum religionem, quemadmodum & Idumæi cæteri ejus ætatis. Filium alii vindicant Æditui Templi Apollinis Aſcalonitidis (d), feruntque captum illum ab infantia à prædonibus Idumæis, cùm à parente præ rerum familiarium anguſtia redimi pretio non poſſet, manſiſſe in ſervitute, atque in Religione ejus Provinciæ, quæ tunc erat Judaica, innutritum fuiſſe. Ex humili illo loco ad eam gloriam aſcendit, qua deinde emicuit in orbe, utpote pater Herodis Regis Judææ.

De familia Herodis novum alterum ſyſtema invexit P. Harduinus Jeſuita, De Numm. Herodiadum. Perſuadetur ille, Herodem Athenienſem retuliſſe originem, appellatur enim in nummis quibuſdam patronus Athenarum, ſicut & re ipſa conſtat, Herodem quendam in ea urbe floruiſſe Cæſaris ætate. Erat autem Herodes ſecta Platonicus, quam pariter in Judæam invexit, propagavitque. Hujus ſectæ profeſſores erant Herodiani, genus hominum apud Judæos Herodis ætate notum, quocum Saducæi confundendi ſunt, cùm Evangelium Saducæos pro Herodianis indiſcriminatim appellet, confundatque ambos invicem. Inferas hinc, Saducæis eadem fuiſſe dogmata ac Platoni de natura Spirituum Angelicorum. Defendit inſuper Harduinus, Herodis illius partes in reparatione Templi nullas fuiſſe, ut nonniſi aſſentationis gratia, quo *Magni* elogium viro adderetur, illud opus ejus ſumptibus ſtetiſſe narrent Hiſtorici. Hujus rei gratia ſuppoſitionis traducit univerſam Joſephi hiſtoriam, contenditque Herodi unicam tantùm Samariam & Judæam paruiſſe, nunquam Galilæam & Traconitidem. Cur nam? Quòd, inquit ille, nullas conſtruxit arces niſi in Samaria & Judæa. Si autem ſubjectas ditioni habuiſſet Galilæam pariter & Trachonitidem, coactus utique fuiſſet ibi quoque urbes & arces condere fidelitatis ſuæ pignus. Poſtremas igitur geminas illas provincias cum Ithuræa poſſedit Zenodorus uſque ad Regnum Philippi, & Herodis II. in quos Zenodori hæreditas illa, incertum quo jure, tranſivit. Hæc pars ſyſtematis P. Harduini de Genealogia & Regno Herodis.

Nicolaus Damaſcenus magna accepta ab Herode beneficia inſigni aſſentatione rependaturus, viri genealogiam ducit è primoribus inter Judæos, qui poſt ſolutam captivitatem Babylonicam avitas ſedes repetierunt (e). Hunc virum infidelitatis accuſat Joſephus, qui ſanè Herodis res meliùs noſſe poterat, utpote Judæus, & ferè coævus, quà Principi illi, quà Regibus ejus filiis & nepotibus. Cur dicto ejus non ſtemus, & cui bono nova ad arbitrium excogitentur ſyſtemata, fundata tantùm in futili ſuſpicione ſuppoſitionis Operis planè vetuſtiſſimi, in quo nemo ad noſtram uſque ætatem errorem deprehendit? (f).

Judæorum animos nunquam ſibi capere valuit Herodes, quanquam pluribus adniteretur; fruſtra ille in eam rem ingentes profudit theſauros in reparatione Templi, fruſtrà ſumptibus planè infinitis adjuvit populum in extremæ famis anguſtiis. Hujus autem populi in Principem ſimultatis ratio petebatur, 1. Quòd alienam à Judæis, Idumæam ſcilicet, traheret originem. 2. Quòd moribus eſſet efferatis, cujus rei plura exhibuerat argumenta 3. Quòd minori ſtudio teneri videretur pro ſervanda Lege Moſaica, cùm non ſemel, nec infrequenter aliqua, nec planè exigua, moliretur, quà publicè, quà privatim Legis hujus ſanctionibus contraria. Ita conſtituendum Hieroſolymæ curavit Theatrum, & Amphitheatrum, ubi & ludos celebravit in honorem Auguſti. Diſpoſuit circa Theatrum illud trophæa in honorem Auguſti, & victoriarum ipſius monumenta. Locandam præcepit aquilam auream ſuper unam è foribus Templi (g); excitavit Templum Auguſto cæteriſque Numinibus, & favere ſemper affectavit, quà Paganis, quà exteris, nihil curans quid ea de re decerneret Judæorum, quam profitebatur, Religio. Cauſabatur temporum neceſſitatem debitamque Romanis obedientiam (h).)

III. HERODES ANTIPAS, Herodis Magni ex Malthace filius, cui paternis tabulis Tetrarchia Galilææ, & Perææ relicta eſt. Ductam primò filiam Aretæ Regis Arabiæ, ut Herodiade uxore Philippi fratris ſui ſuperſtitis potiretur, repudiavit, ut in articulo præcedenti narravimus. Acceptam à filia injuriam Aretas ulturus, bello in illum indicto, ſecundo marte prævaluit An. Chr. 36. quam quidem Divinam fuiſſe in ipſum animadverſionem pro nece Joannis Baptiſtæ ab eo illata, ne Judæi quidem diffitentur (i). Cum enim vir ſanctiſſimus atrociſſimum tanti inceſtus crimen liberrimis verbis arguere non deſiſteret, vinculis onuſtum in arce Macheruntis Herodes detinuit (k). Neque ſatis hæc Herodiadi; verita enim, ne Herodis in virum ſanctum obſervantia demum prævaleret, ejuſque perſuaſionibus ad diſſolvendas malè conciliatas nuptias induceretur, necem ipſius animo verſabat.

Accidit intereà, ut natalis ſui diem Herodes ſplendido convivio cum optimatibus aulæ celebraret. Ea occaſione Salome filia Herodiadis ex Philippo triclinium ingreſſa, eleganti ſcitaque ſaltatione Regis oculos adeò cepit, ut quidquid illa poſceret, illicò ſe daturum ſacramento polliceretur. Puella igitur de matris conſilio caput Joannis Baptiſtæ petere tantùm ſe dixit. Nec mora; ab Herode, invito licèt, & reluctanti, voti compos facta eſt (l).

Poſt aliquid temporis An. Chr. 39. Herodias delatam Agrippæ Regiam dignitatem ægrè ferens, cum interim Herodes nonniſi Tetrarchæ titulo decoraretur, illum ſollicitavit, ut Romam petens parem ſibi dignitatem ab Imperatore Cajo impetraret. Sed Imperatoris animo literis Agrippæ in Herodem jam occupato, & Tetrarchia ab illo privatus eſt, & Lugduni primo, deinde in Hiſpania exulare coactus (m). Vide *Antipas*.

IV. HERODES AGRIPPA, filius Ariſtobuli, frater Herodiadis, & nepos Herodis Magni. Vide *Agrippa*.

V. HERODES, Rex Chalcidis, frater Agrippæ, & Herodiadis, filius Ariſtobuli, & nepos Herodis

(a) Antiq. l. 17. c. 4. 6. (b) Antiq. l. 17. c. 6. A. Ch. 30. (c) Matt. 14. Marc. 6. 17. A. Ch. 31.
(d) African apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 7. Ambroſ. in Luc. 3.
(e) Apud Joſeph. Antiq. lib 14. cap. 12. pag 469. (f) Vide Baſnag. Hiſt. Judæor. t. 1. lib. 1. cap. 1.
(g) Joſeph. lib. 17. cap. 8. (h) Antiq. lib. 5. cap. 12. pag. 538.
(i) Antiq. l. 17. c. 7. (k) Antiq. l. 18. c. 2. (l) Vide Matth. 14. 3. &c. Marc. 6. 17. &c. (m) De Bello l. 2. c. 16.

Magni, qui primò cum Mariamne nepte ſua, Olympiadis filia, nuptias celebravit; deinde Berenicem aliam neptem ſuam, Agrippæ Magni filiam, duxit. Regno Chalcidis a Claudio Imperatore donatus eſt (a); ac deinde ab eodem Imperatore Præfecturam Templi, atque in Sacros Miniſtros, ſimulque eligendi amovendique Pontifices poteſtatem obtinuit (b). Ea poteſtate uſus, Simone Canthero à dignitate abrogato, Joſephum filium Cami ſubſtituit. Obiit Herodes A. Chriſti 48. De illo nihil in Sacris Libris: filios habuit ex Mariamne Ariſtobulum; ſecundis verò nuptiis Berenicem, & Hircanum.

HERODIAS, Ariſtobuli filia ex Berenice, ſoror Agrippæ Regis, Herodis Magni neptis, uxor primò Philippi patrui ſui, ex quo Salomem genuit (c). Cùm enim ab Herode Antipa Tetrarchâ Galilææ ad jucundas ſecum nuptias, poſtquam ipſe Romam rediiſſet, ſollicitaretur, pronis auribus ejus verba excipiens, à Philippo ad Antipam una cum filia Salome defecit. Inceſtuoſas nuptias Joannem Baptiſtam liberiùs increpantem Antipas in carcerem detruſit, ac deinde petente Salome filia Herodiadis de matris conſilio, capite virum ſanctiſſimum mulctavit, *Matth.* 14. 3. *Marc.* 6. 27. Narrat S. Hieronymus in Rufin. l. 3. c. 11. fœminam illam, ut capite Præcurſoris compos facta eſt, linguam illius, totumque os crinali acu compunxiſſe, ut de uxore Antonii in Ciceronem memoriæ proditum eſt.

Accidit interea, ut Agrippa frater Herodiadis ex humili loco ad Regiam dignitatem elevaretur, cùm interim Antipas nonniſi Tetrarchæ titulo inſignitus eſſet (d). Eam rem ferens iniquè Herodias, Viro perſuaſit, ut Romam ad Cajum Imperatorem tendens, eamdem pro ſe, quam Agrippa, dignitatem obtineret. Agrippa rem ſubodoratus, imbecilliori prorsùs æmulatione, libertum ſuum illicò cum literis ad Cajum miſit, quibus Herodem accuſabat, inſtruendis 70000. viris arma comparaſſe. Ejus delationis veritatem faſſus Antipas, illicò Lugduni exulare coactus eſt An. Chr. 39. Herodiadem Imperator ab ea exilii pœna ob Agrippam ipſius fratrem exemerat (e); illa tamen deteriorem fortunam cum viro ſubire, quàm ſecundam fratri debere maluit. Vide *Antipas*, *Agrippa*, & *Herodes Philippus*.

HERODIANI, inter quatuor Judæorum ſectas Chriſti ætate. Ejus origo Herodum in Judæa Regno vetuſtior eſſe non poterat. Eorum autem nomen apud Joſephum, & Philonem nuſpiam occurrit; quamquam non rarò in Evangelio (f). De Authore & dogmatibus Herodianorum Scriptores non conveniunt. Sunt enim, qui Herodem ipſum Meſſiam eos jactitaſſe autument (g); ſunt qui cum Saducæis illos confundant (h); ſunt tandem, qui Herodianos appellatos credant Herodis Aulicos, qui unà cum ipſo Hieroſolymis verſabantur, Feſto Paſchali Anni 33. Ær. & Chr. 37.

Nos eo nomine appellatos credimus Diſcipulos Judæ Gaulonitæ, ſeu Galilæi, qui *in diebus profeſſionis*, nempe cenſus ab Auguſto indicti (i) turbas in Judæa moliebatur. Hic veros Iſraelitas, utpote Dei populum, nulli hominum jugo ſubjectos eſſe docebat. Hæc jactitans plures ſeduxit, clienteſque ipſius alii *Galilæos* appellabant, quòd Gaulon in Superiori Galilæa ſita eſſet; alii *Herodianos*, quòd ea orbs Herodi Antipæ pareret. Nullo peculiari nomine apud Joſephum deſignantur, ſed tamquam Judæ Gaulonitæ clientes, & libertatis amatores illos deſcribit; cæterùm, ait, ad Phariſæorum opiniones accedunt (k). Nec ſanè Herodiani in Evangelio alio charactere, quàm diſcipulorum Judæ, ut apud Joſephum, deſcribuntur. Hoſce Hæreticos arguit S. Paulus, teſte S. Hieronymo in Ep. ad Tit. c. 3 dum obedientiam Sæcularibus Principibus à Deo præſtitutis enixè commendat (l).

(De ſecta Herodianorum in varias abitum eſt ſententias, ut de illorum origine 8. vel 9. peculiares recenſeantur opiniones. Sunt qui Herodianos habuiſſe pro Meſſia Herodem credant (m); cùm verò plures in Judæam regnaverint Herodes, diſſidium eſt alterum, cui nam Meſſiæ gloria vindicata ſit. Favent plerique Herodi Magno, filio Antipatri, qui nonnullis poſt ortum Chriſtum menſibus diem clauſit. Paruit autem quo tempore mundus univerſus in Meſſiæ expectationem erat arrectos. Princeps erat potentiſſimus, animi virtute præſtans, & bellicoſus, fertur tradidiſſe flammis publicas tabulas, quibus ſervabantur monumenta genealogica domus David, quò ſcilicet nemo tabularum ejuſmodi teſtimonio alienum eſſe ipſum ab ea familia, unde proditurus Meſſias, probaret. Tandem ex Perſio, Satyr. 6. verſ. 180. celebratum probant Romæ pariter apud Judæos & luminibus & facibus Feſtum Regis Herodis.

Viſum eſt tamen aliis, Herodianis Principem aſſignare Herodem II. cognomento Antipam, Tetrarcha Galilææ (n). Princeps fuit politicis artibus & ambitione valens, quippè qui ſuggillatus eſt à Jeſu Chriſto titulo *Vulpis Luc.* 13. 32. Quarè alienum ab illo non fuit, ut ſe tanquam Meſſiam obtruderet.

Philaſtrius (o) aliique nonnulli, Herodis Agrippæ donati Regno Judææ à Caligula adſciviſſe ſibi nomen Herodianos malunt. Sed qui hæc defendantur, cùm Herodiani jam inde audirentur, antequam Princeps ille aſcenderet in thronum?

Succurrit P. Harduino, de Nummis Herodiad. Herodianos illos Platoniſmum profeſſos fuiſſe, quod hominum genus erat ad exemplum Platonicorum Athenienſium; eandem ſectam, Herodes, ipſe pariter Platonicus in Judæam, vel induxit, vel promovit. Cenſet autem Platonicos illos eadem tenuiſſe ac Saducæos, ea quia in Evangelio Herodianorum nomen pro Saducæis uſurpatur; cùm enim Jeſus Chriſtus Marc. 8. 15. monuerit Diſcipulos, ut caverent à *fermento Phariſæorum, & Herodianorum*; eadem referens verba S. Matthæus 16. 6. habet: *A fermento Phariſæorum, & Saducæorum*. Sed ſibi Evangeliſtæ non obſcurè diſtinguunt Saducæos ab Herodianis; & facilè S. Marcus ea ſupplevit, quæ defuiſſe apud S. Matthæum animadverterat.

Author Operis imperfecti in Matthæum autumat, Herodianos homines fuiſſe Paganiſmum profitentes, in ditione Herodis Antipæ. Sed Phariſæos eodem cum illis conſilio conſpiraſſe in Jeſum, ut illum caperent in ſermone, quis credat?

Patres & Commentariorum Scriptores ſanè multi tuentur (p), Herodianos gentem fuiſſe è ſatellitio Herodis, qui ſive curioſitatis, ſive aſſentationis in Principem ſuum gratia, junxerint ſe Phariſæis, ut tentarent Jeſum Chriſtum, quid de ſolvendo tributo ſentiret. Sed quantùm ex Evangeliſtis innoteſcit, genus id erat hominum in Judæa notum, & nihil ad Regem Herodem, & ad ejus authoritatem Hieroſolymæ pertinens.)

Placuit

(a) Antiq. l. 19. c. 4. Dio l. 60. A. Ch. 41. (b) Antiq. l. 20. c. 1. circa An. Ch. 43.
(c) Antiq. l. 18. c. 7. (d) Antiq. l. 18. c. 9.
(e) Antiq. l. 18. c. 9. (f) Matt. 22. 16. Marc. 3. 6. & 8. 15. & 12. 14.
(g) Epiph. hæreſ. Herod. Hieron. contra Luciferianos, Tertul. de præſcrip.
(h) Hardu. de Num. Herod. Hammond. Cler. Ligtfoot.
(i) A. Ch. 10. Ær. 7. decennio poſt Cenſum in ortu Chr.
(k) Antiq. l. 18. c. 1. & de Bell. l. 2. c. 12. (l) Vide noſtr. diſſert. de Sectis Jud. ante Comment. in Marcum.
(m) Tertull. de Præſcrip. appendic. init. Epiphan. hæreſ. Herodian. Hieronym. contra Luciferianos.
(n) Theophylact. Euthym. in Matt. Vide Baſnag. Hiſt. Jud. lib. 3. cap. 8. art. 8. & 16. 17.
(o) De hæreſ. Prateol. Elenc. hæreſ. cap. 14.
(p) Chryſoſt. Hieronym. Drutmar. Janſen. Vatab. Eraſm. Nat. Alex.

Placuit aliis (a) Herodianos politicos fuiſſe quoſdam, faventes dominationi Herodis & Romanorum, oppoſitaſque tuentes partes Judæis pro gentis libertate zelotibus. Defendebant illi tributum ſolvi oportere Regibus à Romanis conſtitutis, ex quo nomen ſibi promeruerunt Herodianorum, perinde ac ſi diceretur Regiorum ſive Realiſtarum, oppoſiti cæteris Judæis, averſas illis partes tuentibus, qui meritò appellarentur *Republiciſtæ* vel *Liberi*.

S. Juſtino Martyri in Dialog. erant Herodiani fautores Herodis, illum agnoſcentes in Principem gentis, quod Judæorum alii recuſabant. Affirmat Strabo lib. 16. hunc Principem Summum ſibi Sacerdotium, quod nunquam deceſſores ejus, uſurpaſſe. Sed nihil tale refert Joſephus; agnoſcit ille tantùm Herodem poſt obitum Ariſtobuli uxoris ſuæ fratris, de ſacra illa dignitate diſpoſuiſſe ad arbitrium, quod bonis Iſraelitis aliè improbatum fuit. Sed illos, qui factum hoc Herodis probarunt, ſectam hominum peculiarem conſtituiſſe, nullo argumento diſcimus.

Scaliger (b), aliique nonnulli cenſuerunt, cœtum exhibuiſſe hominum coactum in honorem Herodis, uti ſodalitatem Auguſti, Adriani, & Antonini inſtitutam Romæ ſcimus, cujus ſodales dicti ſunt *Sodales Auguſtales*, *Adrianei &c.* Sed ſocietates iſtæ Auguſtales Romæ conſtitutæ ſunt primitus poſt obitum Auguſti, adeoque poſteriores ſunt Herode ante obitum Auguſti fatis functo.

Egregiè admodum demonſtravit D. Prideaux Herodianos ſectam prætuliſſe hominum in Judæa; *fermentum* ſeu dogmata peculiaria tenuiſſe a Phariſæis & Sadducæis diſtincta, ſed æquè cavenda. Suſpicioni locus datur, dogmata illa ſua recepiſſe ex Herode Magno, cujus ſibi adſciverant nomen; habebanturque facilè inter ejus fautores vel domeſticos, uti appellantur in Verſione Syriaca. Eò redigitur tota quæſtio in deſignandis hominum ejuſmodi dogmatibus. Ad duo capita omnia redigit Scriptor iſte; primò, docebant Romanorum in Judæos imperio utpote juſto & legitimo, Judæos ipſos ſubmitti oportere. 2. in rerum præſentium circumſtantiis nulla prohiberi Judæos religione, ut mores plurimos Paganorum adoptarent. Hac ſanè perſuaſione teneri Herodem conſtat (c), cùm neceſſitati temporum imponeret, quòd plura religioni Judæorum planè adverſa præſtitiſſet.

Poſt expoſitas varias diverſorum in hac re ſententias, promendum eſt modò, quid nobis arrideat. Ex Evangelio intelligimus, 1. Sectam hanc hominum obtinuiſſe apud Judæos Jeſu Chriſti ætate, 2. Aliam fuiſſe à Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſeniorum. Quæ cum Sadducæis illos confundunt, conjecturas futiles eſſe prorsùs demonſtravimus; 3. Nunquam non cum Phariſæis junguntur; 4. Non incurioſè inſtrui poſtulant, ſolvendum ne eſſet tributum Romanis, necne? 5. Dogmata ſpargebant virulenta, cùm Jeſus Chriſtus cavendum edicat *ab eorum fermento*. Porrò hæc omnia nullis præterquam Diſcipulis Judæ Gaulonitis vel Galilæi congruere arbitror. Secta erant hominum non obſcurè expreſſa apud Joſephum Antiquit. lib. 18. cap. 1. & 2. Cùm Phariſæis per omnia conveniebant, in eo tantùm ab illis diſtincti, quòd ſummo tenerentur pro libertate ſua ſtudio, perſuaſi uni tantùm Deo ſubjectos eſſe homines oportere. Florebant illi maximè ætate Jeſu Chriſti; res autem habuerunt acciſas poſt ruinam Urbis, cùm gens omnis diſperſa eſt in ſervitutem.)

HERODION, S. Pauli conſobrinus, *Rom.* 16. 11. de quo plura apud recentiores (d); cooptatum nempe inter 72. diſcipulos, imò & inter Apoſtolos fuiſſe; quamquam, ajunt, ex pari cum Apoſtolis gradu, ad humile illorum ſervitium ultrò ſe dejecit. Sacerdotio primò initiatus, deinde Epiſcopum Patrarum, fortè in Achaja, egit. Idem fortaiſe eſt, ac S. Rhodion, quem capite damnatum Romæ eadem die, ac SS. Petrus & Paulus, tradunt.

HERODION, arx ab Herode condita eodem in loco, ubi fugiens ipſe hoſtes prælio fuderat (e), 60. ſtadiis a Hieroſolymis, non longè à Thecue (f); quem etiam locum ipſe Herodes ſepulturæ elegit (g). Alteram arcem ejuſdem nominis circa Montes Arabiæ (h), & in transjordanica ab eodem Herode ædificatam Rhelandus opinatur; neque enim hæc 60. ſtadiis, ſivè 3. leucis à Jeruſalem eadem fuiſſe videtur, ac altera circa Montes Arabiæ ab ipſo Herode conſtructa.

HERODIUS. Hebræum *Chaſid*, propriè ardeam ſonat (i); Septuaginta, & S. Hieronymus ciconiam explicarunt, cùm *Herodium* verterint. Porrò *Chaſid* Miſericordem ſonat; quod optimè ciconiæ avi mitiſſimæ, & in alendis in extrema ſenectute parentibus ſuis pietate inſigni, convenit (k); quare pietate hominibus præſtare apud Veteres dicitur. Ciconiam inter immunda Moyſes recenſet, quòd fortaiſe ſerpentibus nutriatur.

(Herodius, vel *Herodio*, *Ardea*, animal, cujus in cibo uſus Hebræis interdictus eſt à Moyſe *Levit.* 11. 19. *Deut.* 14. 16. De illo pariter Job 39. 13. *Penna Struthionis ſimilis eſt pennis Herodii*. Sed vox originalis *Caſidah* exprimit potiùs, juxta Interpretes plerosque, *Ciconiam*; derivaturque ex Hebræo *Cheſid*, ſonante miſericordiam, cujus in Ciconia emblema exprimitur. Vetuſta quædam Latina Pſalteria pro *Herodii domus* legunt *Fulicæ domus*. Verùm & Septuaginta & Interpretes plures præferunt *Herodium*.

Aquatica eſt avis & minimè cicur, diſtinguitur autem ampliori roſtro, & collo productiori. Altum volat, juxta lacus, paludes & amnes verſatur, aliturque piſciculis. Porrò ad herodios etiam referuntur buteones, & *cenclus*. Herodiorum etiam plura ſunt genera, albi, majores, ſubnigri vel cinerei, minores cinerei, caſtanei, cretacei, ſtellari, pulli, qui omnes differunt inter ſe varia ſeu corporis menſura ſeu colore. Conveniunt, quod aquaticæ ſint aves cruribus, roſtro & collo oblongis; plumatam criſtam pleríque in vertice levant. Nidificat herodius in annoſis nemoribus, ſtercore autem ſuo ſi quam arborem infeceſit, vitiat illam ſtatim mortali pallore, interimitque. Immobilis diù perſeverat ſecùs aquas, in capturam piſcium, cum incauti nihil ſibi timeant, intentus.)

HEROON, urbs ad extremitatem ſeptentrionalem, ubi Mare Rubrum in anguſtum cogitur; eadem fortaiſe, quam hodie *Suez* appellant. Apud Veteres *Heroopolis* dicta eſt, unde & Sinus *Suez*, *Sinus Heroopoliticus* appellatus eſt.

HESBON, *Chesbon*, *Eſebon*, urbs transjordanica. Vide *Eſebon*.

HESER, urbs Juda, munitionibus à Salomone aucta (l), eadem fortaiſe, ac *Aſor*, ſive *Haſor*.

HELSI, filius Nagge, inter Progenitores Jeſu Chriſti. *Luc.* 3. 25.

HESMONA. Vide *Eſmona*, ſive *Aſemona*, urbs ad meridiem Juda.

HESDRAI, Carmelita, inter Davidici exercitus fortiſſimos. 2. *Reg.* 23. 35.

I. HESRON, tertius filius Ruben, *Gen.* 46. 9. author familiæ Heſronitarum. *Num.* 26. 6.

II. HESRON, filius Pharez, & Judæ nepos 1. *Par.* 2. 5. *Gen.* 46. 12.

HETH, pater *Hethæorum*, major natu filiorum Chanaan, cujus ſedes ad Hebronem, & in viciniis in ora meridionali Terræ promiſſionis ſita erat. Ephron civis Hebronis, *Gen.* 23. 3. imò & omnes urbis illius incolæ

(a) Origen. in Matth. cap. 17. Cyrill. Alex. lib. 2. in Iſai. 2. Theophylact. in Matth. Grot. Maldonat. &c.
(b) Animad. in Euſeb. Chronic. n. 1882. Caſaub. Proleg. in Exercit. in Baron.
(c) Antiquit. lib. 15. cap. 12. pag. 539. (d) Menæa 8. April. Boll. 8. Apr. (e) Antiq. l. 14. c. 25. & 26. 1.
(f) De Bel. l. 5. c. 7. (g) De Bel. l. 1. c. 21. (h) De Bel. l. 1. c. 16.
(i) Deut. 14. 16. Levit. 11. 19. Pſal. 103. 19. (k) Plato in Alcib. Ariſt. l. 9. hiſt. anim. c. 13. Plin. l. 10. c. 23. Solin. alii. Vide Boch. de Anim. Sacr. p. 2. l. 2. c. 29. &c. (l) 3. Reg. 9. 15.

incolæ Abrahami ætate ea genere Heth habebantur. Sunt, qui eodem nomine appellatam, urbem quandam credant; nihil tamen ea de re in Scriptura.

HETTÆI. Poſteri Heth.

HETHALON, urbs, quam in extremitate ſeptentrionali Terræ promiſſionis ſitam in Ezechiele 47. 15. & 48. 1. intelligimus. Eadem eſt ac *Hetalon*, ſivè *Chetalon*, ad mediterraneum in Syria inter *Poſſidium*, & *Laodiceam*.

HETTHIM: *Qui dimiſſus* (è Bethel alio nomine *Luza*) *abiit in terram Hetthim, & ædificavit ibi civitatem Luzam, Judic.* 1. 26. Porro virum iſtum regionem Hethæorum ad meridiem Tribus Juda adiiſse, ibique urbem *Luſam*, *Elpſam*, *Luſſam*, de qua apud Geographos (a), condidiſse arbitramur. Judæos, pulſis Arabibus, urbem Lulaam occupaſse ſcribit Joſephus, *Antiq. l.* 14. *c.* 2. Ex patriæ ſuæ nomine vir ille conditam à ſe urbem appellaſse maluit.

HEVA, vel *Eva*, primæ mulieris nomen, quod ex Hebræo *Hvah*, ab eadem radice (b), ac *haim*, vita, petitum eſt; cùm Heva omnium viventium mater futura eſset. Poſt conditum marem, *Gen.* 2. 18. Deus ſociam illi adjungendam ratus, ex ejus, alto ſopore detenti, latere coſtam detraxit, quam in fœminam formavit. Abſolutum opus Adamo exhibuit, qui eductam ex viro mulierem *Iſcha* appellavit, ac ſi diceretur *humanam*. Addidit inſuper futurum, ut vir parentibus ſuis relictis, fœminæ adhæreat, ut duo in unum coaleſcant. Ambo illi conjuges eandem diem natalem habuiſse, ſextam nempè creationis, vulgò creduntur; eo vero temporis articulo Evam conditam addunt, poſtquàm Adam, bruta ſuo nomine nuncupatis, imperii ſui in illa ſpecimen exhibuit.

Statim à creatione Adam, & Eva in Paradiſum deducti ſunt; cujuſdam tamen fructus eſu ſub capitali pœna prohibiti. Aliquot diebus ſimplicem, & inſontem vitam traduxerunt, ut ne nudi quidem erubeſcerent; mox tamen tantæ felicitati Diabolus invidens, ementitis anguis exuviis, ſeù potius veri anguis inſtrumento uſus, mulierem convenit. Et cur, ait, *Gen.* 3. *t.* 2. Deus pomi hujus uſum vetuit? Reſpondenti Evæ, liberam ſibi permiſsam in omnes fructus facultatem, uno tantùm excepto, mortem Deo minitante, niſi paruiſsent, reſpondit Dæmon nihil eſse, cur mortem metuerent: ſcirent etiam eam pomo vim eſse, ut guſtanti Divinitatis privilegium, boni malique diſcretione, conferret. Quibus verbis Deum mendacii, & invidiæ arguebat, qui felicitati creaturæ invideret, pœnamque inanem minitaretur.

Mulier igitur pomum intuita, ejus elegantia illecta, porrecta manu decerpſit, ac deinde ori applicatum guſtavit, guſtandumque viro porrexit. Nec mora: apertis veluti amborum conjugum oculis, nuditatem ſuam agnovere, quam illico ficulneis foliis utcumque operientes, in intimum ſaltum confugere. Deus illos conveniens, primo contumaciam exprobravit, deinde lata in Evam ſententia, & cruciatibus in partu torquendam, & viri imperio ſubjectam fore prædixit. Hinc pelliceis veſtibus ambos induens, è Paradiſo extorres egit. Interim Adam cum uxore ſeſe commiſcens, *Cain* filium genuit; illud uſurpans, *Gen.* 4. 1. *Poſſedi hominem per Deum*. Alter eainde filius *Abel* natus, quem poſt nonnullas fœminas Seth conſecutus eſt. Quamquam enim in Scriptura tres tantummodo filii Adam nomine deſignantur, plures tamen genuiſse ex illo intelligimus: *genuit filios, & filias, Gen.* 5. 4. Quo ætatis anno Eva obierit, incertum; facilè tamen circa tempus obitus Adam, anno nempe M. 930.

Adam, & Evam tamquam ſanctos Orientales coluerunt; Græci enim eorum Feſtum, ſivè memoriam ad 19. Novembris conſignant. In Liturgia Maronitarum eorum nomina recenſentur (c); & Petrus de Natalibus catalogum Sanctorum primæ ætatis Mundi ab Adam, & Eva in hebdomada, quam nos appellamus Septuageſimæ, poſt diem 22. Januarii, auſpicatur. Vide *Adam*. Evangelium Evæ, Gnoſticorum opus, & ab illis vulgatum, in quo plura abſurda, S. Epiphanius *Hæreſ.* 26. *n.* 2. 5. commemorat. Non defuerunt Hæretici, qui ex commercio Evæ cum Dæmone genitos Cain, & Abelem comminiſcerentur (d). Ambos illos conjuges non à Deo creatos fuiſſe, ſed à *Sacla*, & *Nebroda*, impuritatis authoribus, Manichæi commenti ſunt (e). Crimen primi hominis illud fuiſſe autumarunt Indorum Brachmanes; quòd ſcilicet cum Heva congreſſus fuerit, fœmina, quam Dæmon ſuppoſuerat. Vide Fabr. Apocr. U. T. Innotuit etiam Liber Oraculorum Evæ, quem Angelum Razielem Adami Præceptorem ſcripſiſſe jactitant.

(Affirmant Mahometani filio ſuo natu majori inditum ab Heva nomen *Abd-al-hareth*, i. e. ſervus vel filius Hortulani vel Coloni, quòd Adam omnium primus terram coluerit, quippè qui juxta illud Gen. 2. 15. conſtitutus fuerit in Paradiſo *ut operaretur illum*. Venerantur hodie pariter *ſpecum Hevæ* in monte Gerahem tribus milliar. à Mecha. Mons Araſat 20. mille paſſibus à Mecha, nomen ſuum refert ex occurſu Adæ & Hevæ, qui ſibi invicem obviam facti, agnoverunt ſeſe, ſi Mahometanis fides, eò loci, poſt longam abſentiam tandem coeuntes. Sepulcrum primæ inter mortales fœminæ conſtituunt in Gidda ad Mare rubrum, decem dierum itinere à Mecha, cujus eſt veluti portus. Tenent inſuper diluvii aquas erumpere cœpiſſe è furno Hevæ, qui planè furnus ad eam uſque ætatem de patre in filium ad Noe uſque pervenerat.)

HEVÆI, gens ex *Hevæa* filio Chanaan, cujus ſedes erat in regione, quam poſtea *Caphtorim*, ſivè Philiſthini occuparunt, *Deut.* 2. 23. *Joſue* 13. 4. ut Scripturæ teſtimonio conſtat: *Hevæos, qui habitabant in Haſerim, uſque Gazam, Caphtorim expulerunt*. In meditullio etiam Chanaanitidis, nempe in Sichem, & Gabaone Hevæos fuiſſe ex eo intelligimus, quòd utriuſque urbis incolæ Hevæi cenſerentur. Neque in Transjordanicis ad radices montis Hermon defuerunt *Joſue* 11. 3. Cadmum deductorem Coloniæ Phœnicum in Græciam, Hevæum Bochartus credidit; nomen enim *Cadmus* ex Hebræo *Kedem*, quod orientem ſonat, derivatus; quaſi ſcilicet ille ex plaga Orientali Chanaanitidis originem duxiſſet. Quin & nomen conjugis ipſius *Hermione*, ex monte Hermon, cui regio Hevæorum adjacebat, accerſendum videtur. Congruit & metamorphoſis ſociorum Cadmi in angues; cùm *Hevæus* Phœnicibus anguem ſignificet.

I. HEVILA, filius Chus, *Gen.* 10. 7. qui, juxta Bochartum, regionem Arabiæ Felicis ad confluentem Euphratis, & Tigris, ubi ambo amnes junctis aquis in ſinum Perſicum devolvuntur, frequentavit. Ea fortaſſe regio nomine Hevila, *Gen.* 25. 18. & 1. *Reg.* 15. 7. deſignatur, & ad Sur uſque, Ægyptum verſus, porrecta deſcribitur. Hic Iſmael hæreditatem ſuam poſſidebat: *ab Hevila, uſque Sur, introeuntibus Aſſyrios*.

II. HEVILA, filius Jectan, *Gen.* 10. 29. incolarum Colchidis pater, uti credimus, & totius regionis, in qua amnis Phiſon, ſive Phaſis ſerpit, *Gen.* 2. 11. In Armenia, & in Colchide hæc urbium nomina occurrunt *Cholva*, *Cholvata*; & regio *Cholobetene* ab Haitone commemoratur.

(HEXAPLA. Eo nomine inſcribitur ingens Opus Origenis, quo uno complexus eſt Verſiones omnes Græcas Scripturæ, ad eam uſque ætatem adornatas; videlicet Septuaginta, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & quintam aliam Verſionem inventam Jericho

cho

(a) Ptolem. l. 5. c. 16. & 17. (b) Vide Geneſ. 3. 20.
(c) Vide Bona de Reb. Litur. l. 2. c. 13. (d) Epiph. hæreſ. 40. c. 5.
(e) Anathematiſmi contra Manichæos apud Coteler. ad l. 4. Recogn. Clem. c. 4. Vide Auguſt. hæreſ. 46.

cho anno 217. cum ſexta alia reperta Nicopoli anno 228. Sex illæ Verſiones in totidem columnas è regione diſpoſitæ erant, quò uno oculi ictu quid in illia variaret, quid conveniret ſpectaretur; & quò pariter minori negocio conferrentur cum Hebræo, addendum cenſuit Origenes Textum Hebræum literis Hebraicis, eundemque Textum Græcis literis expreſſum, duplici columna reſpondente ſex Verſionibus, de quibus modò. Diſtribuebatur igitur pagina in columnas octo, quarum duo ſerviebant Hebræo, ſex totidem Græcis verſionibus. Addebatur ſeptima quædam verſio Pſalmorum, cujus tamen nulla habita eſt ratio in Hexaplarum denominatione. Ex duabus columnis Hebræum exhibentibus factum eſt, ut interdum Opus idem appellaretur *Octapla*, ex octo ſcilicet columnis.

Integrum Opus maximo quidem Eccleſiæ malo noſtra ætate deſideratur. Fragmenta tantum aliqua ſervant veteres Patres. Euſebius, S. Chryſoſtomus, Theodoretus, & Patres alii Græci, ſicut & S. Hieronymus inter Latinos ex Hexaplis interdum aliqua excerpſerunt, Scripturæ Textus conferentes ad varias in eodem Opere recitatas Verſiones. Recentiores quidam fragmentis illis colligendis dederunt operam, inter quos Druſius amplius volumen in 8. collegit. Sed ſtudia multò quàm cæteri omnes ultra promovit R. P. Montfaucon Benedictinus Congregationis S. Mauri, cujus labore habemus duo in folio volumina edita anno 1713. Prolegomenis explicantibus hiſtoriam & formam Hexaplarum inſtructa.

Antequam Hexapla digereret Origenes, vulgaverat *Tetrapla*, quibus exhibebantur quatuor potiſſimæ Scripturæ Verſiones, Septuaginta, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis. Tetrapla ex vi nominis ſonant quatuor ordines ſeu quatuor paria.

Ad immenſum illud Opus Hexaplarum accinxiſſe ſe creditur Origenes circa annum 231. ſed quo potiſſimùm abſolverit, definiri non poteſt; neque enim tanti molìminis res ſat citò confici potuiſſet.)

HEZECHIEL. *Propheta Ezechiel*. V. *Ezechiel*.

HEZECHIEL, inter 24. familias Sacerdotales ordine vigeſima. 1. *Paral.* 24. 16.

HEZECIA, qui unà cum 98. ſuæ familiæ Babylone regreſſus eſt. 2. *Eſd.* 7. 21.

HEZIR, Princeps decimæſeptimæ familiæ Sacerdotalis. 1. *Paral.* 24. 14.

(HIC-SOS *Reges Paſtorum*. Vide ſupra *Exodus*, & infra *Paſtores*.)

HIEL, vir è Bethel, qui nihil diris, à Joſue in eum, qui urbem Jericho dirutam reſtitueret, pronunciatis territus (a), ejus reſtaurationem aggreſſus eſt 3. *Reg.* 26. 34. Ultionis tamen Divinæ flagellum ſtatim ſenſit; cum enim novæ urbis fundamenta jaceret, primogeniti ſui Abiram morte punitus eſt & alterius verò filii Segub, cum fores imponeret.

HIERAPOLIS. Apoſtolus ſuis ad Coloſſenſes 4. 13. literis, ſtudium & amorem Epaphræ in Laodicenſes, Hierapolitas, & Coloſſenſes effert. Porrò Hierapolis urbs erat Phrygiæ, non longè à Coloſſis, & Laodicea.

HIERONYMUS, Demophon, Timotheus aliique nonnulli, quos Lyſias in Judæa reliquerat, poſt pacis conditiones inter Judæos, & juniorem Antiochum Eupatorem firmatas, omnibus artibus conati ſunt, Judæos ad defectionem adducere. 2. *Mach.* 12. 2.

HIERUSALEM. Vide *Jeruſalem*.

HILLEL, Rabbinus celeberrimus, paulò ante Chriſti ætatem, authore S. Hieronymo, *in Iſaiam* 8. *l.* 3. florens. Præceptorem habuit Sameam, ſive Samai, ipſe tandem celeberrimæ Judæorum Scholæ moderator. Mirum, cur Joſephus, de Samea ſæpiſſimè agens, Hillelem ejus diſcipulum, vel ſaltem nomen illius, nunquam expreſſerit; ſiquidem ille Pollionis, Pharisæi celeberrimi, Herodis amici, & Præceptoris Sameæ (b), & Ananeli meminit, quem Herodes Babylone accitum, Pontificem conſtituit. Fortè tamen Hillel horum alter erat. Sameas Hircani ætate, & ſub ipſis Regni Herodis exordiis floruit (c); quare Hillelem ſub Herode vixiſſe oportuit. Hujus viri adeò anguſtam fuiſſe rem familiarem tradunt Judæi, ut vitam labore manuum tolerare cogeretur; lucri autem parte victus neceſſaria comparabat, partem Academiæ janitori, eo ferebatur in literas amore, impendebat. Cùm interim labori ceſſiſſet, neque ulla facta lucri ſpe ab oſtiario impetrare potuiſſet, ut admitteretur, è feneſtra domus Præceptorem audiebat; quo in loco tota nocte perſeverans, mane nive obrigens inventus eſt. Sameas, re audita, amorem in literas admiratus, Sabbati religionem violandam cenſuit, ut rigens foveretur. Celeberrimæ Scholæ numero diſcipulorum florentis tandem moderator conſtitutus eſt. Judæi mira de illo prædicantes, hunc Principem Sanhedrin Phariſæorum, & Traditionum aſſertorem pleno ore appellant. A' Præceptoris ſui ſententiis nonnihil receſſit; utroſque autem egregios illos viros duas in Judaiſmo ſectas invexiſſe, Scribarum nempe, & Phariſæorum, S. Hieronymus in Iſai. 8. tradit. Illis Akiba ſucceſſit; Akiba, Meir. Addit idem Scriptor, Hebræos Miſnam, & Deuteroſes duobus viris Sameæ, & Hilleli acceptos referre. Narrant Rabbini (d), Hillelem, cùm fortè Babylone Hieroſolymam veniſſet (e), de Paſchatis celebratione, tunc die Sabbati contingentis, conſultum, ea reſpondiſſe, quibus omnium conſenſu probatis, ſtatim Patriarcha ſuæ gentis renunciatus ſuit; quæ deinde dignitas ejus poſteris ad quintum uſque Eccleſiæ ſeculum manſit.

Filium Simeonem Cathedræ ſuæ ſucceſſorem reliquit; quem alii cum Simeone ſanctiſſimo ſene, qui puerum Jeſum in Templo oblatum manibus excepit, confundere (f). Futilem tamen eam conjecturam ex eo arguimus, quòd Hillelem, 40. annis Patriarchatu potitum, ad decem poſt ortum Chriſti annos vitam prorogaſſe oportuit. Quare Simeon ejus filius, neque Pontificem, neque tunc Patriarcham Judæorum agere, neque provectioris fuiſſe ætatis potuit, quantam S. Lucas Simeoni videtur adſcribere. Cæterùm nomen Hillel nuſquam in Scriptura occurrit: cùm autem ejus memoria Judæorum ſcriptis celebretur, ejuſque filius cum Simeone ſanctiſſimo ſene à nonnullis confundatur, idcircò de ipſo nobis agendum cenſuimus. Alter eſt Hillel apud Judæos clariſſimus, qui juxtà Rabbinos, circa A. Chr. 240. florebat.

(Hillel Vir Babyloniæ natus (g); ubi & ad quadraginta uſque ætatis annos manſit; tum Hieroſolymam ſe conferens operam navavit ſtrenuam Legis ſtudio, quo tantùm eminuit, ut poſt 40. annos evaſerit in Principem Sanhedrin annis natus 80. Vitam ad alios 40. annos prorogavit, ſi Judæis fides, cujus proinde mortalis ætas attigit annos 120. Munus, inquiunt illi, inivit ante 100. annos à capta Jeruſalem. Mendum eſt quidem in chronologia, ſed parvi ea ducunt Rabbini.

Genus retuliſſe fertur maternum ex David, erat enim natus à muliere familiæ Sephata filii David & Abital; paterna autem ſtirpe attinebat ad Tribum Benjamin. Scriptorum omnium Judæorum teſtimonio inter veteres gentis Doctores primas obtinet; primamque Sanhedrini dignitatem, nempè præſidis, ejus filii & nepotes ſervarunt ſpatio 10. generationum. Damus hæc ex Rabbinorum fide.

Doctorem *Hillel* ſub nomine *Pollionis* deſignatum credimus à Joſepho. Narrat Hiſtoricus ille Antiquit. lib. 14. cap. 17. & lib. 15. cap. 1. Herodi Magno arcta obſidione prementi Hieroſolymam, rato ſi veniſſet Urbs in poteſtatem, facilè ſibi Regi obſequuturam Judæam univerſam, reſtitiſſe fortiter Sanhedrinos

(a) Joſue 6. cap. 26. (b) Antiq. l. 15. c. 1. & 13. (c) Antiq. l. 14. c. 17. (d) Vide *Baſnage hiſt. des Juifs* t. 2. l. 4. c. 3. Edit. Paris. (e) A. ante Chr. 30. circiter. (f) Baron. An. 1. n. 40. Vide Allat. de Simeon. ſcriptis.
(g) Zachutus in Juchaſim, Hedaliah Schalſcelu Haccabala, David Ganz in Zemach David.

drinos omnes Patres, altèque inclamaſſe : *Templum Domini*, *Templum Domini*, *Templum Domini* ; quaſi ſcilicet Deus gloriæ & conſervationi Templi ſui ſtudens efficere teneretur ne Urbs ſancta veniret in manum Herodis, viri tanquam alienigenæ habiti. Sed Pollio, ait, & Sameas averſas ceteris ſententias nunquam non tulerunt, declarantes, recipiendum eſſe Regem Herodem, tradendam ejus manibus urbem, demonſtrantes populo criminibus in immenſum exaggeratis id promeruiſſe ultionis, ut à Deo manibus Herodis traderentur, cujus decretis fruſtra illos reſiſtere. Sed fruſtrà pariter laborarunt viri illi ; quare tandem Herodes perrupit in urbem, gladioque ſubjecit Patres omnes Sanhedrinos, Pollione tantum & Samea, ſeu potiùs *Hillel & Samea*, ſi Pollio cum Hillel confundendus ſit, reſervatis.

De geminis illis Rabbinis ſermo eſt in *Miſna* vel *Deuteroſi*, vel ſecunda Lege Judæorum. Principes ſunt Doctorum traditionis Judaicæ in Miſna expreſsæ. Cùm autem adverſis inter ſe ſententiis ſandem committerentur, in diverſa etiam ſtudia abierunt ejus Diſcipuli ; nec res intra querelas tantùm ſtetit, ſed ventum ad arma, & ad mutuas utrinque cædes. Superiora obtinuit ſchola Hillel, atque peremptoria ſententia lata eſt, uti fertur, ex data cœlitùs voce, quam appellant *Bath Kol* vel filia vocis ; tum pax compoſita. Porrò Hillel mitis erat ingenii ; contra verò Schammai vel Sameas vir animi impotentis & efferati ; diſputationum nihilo ſeciùs pertæſus, acquievit ei, quæ inſonuit, voci, perinde habitæ ac Oraculo. Judæorum ſententia damnat Sameam, Hillel ad Cœlum uſque extollit.

Porrò vir iſte ultra 1000. Diſcipulos ſtudio Legis formavit, inter quos 80. clariſſimi habiti ſunt. Notant enim Judæi Scriptores triginta ex illis pares fuiſſe ut requieſcentem in ſe gloriam Dei foverent, quemadmodum illapſa eſt ſuper Moyſem ; triginta etiam non impares futuros ſiſtendo Soli, uti de Joſue memoriæ proditum eſt ; qui reliqui erant viginti paulò prioribus concedebant ; ſed ſuperabant poſteriores. Eminebat inter omnes Jonathan filius Uziel Author Paraphraſis Chaldaicæ in Prophetas.

Hillel II. filius Judæ Sancti, Rabbinus clari tum inter Judæos, cùm inter Chriſtianos nominis. Primus Author creditur (a) conſtitutæ Epochæ creationis mundi, atque annorum ſupputationis, quæ hodie uſque obtinet apud Judæos. Ante illum variis epochis annos dimetiebantur ; aliis epocha conſtituebatur in exitu ab Ægypto ; Legem in Sinaim rogatam præferebant nonnulli. Ducebant quidam annos ſuos à dedicatione Templi ; erant qui à ſoluta Babylonica captivitate ; erant tandem qui ab ingreſſu Alexandri Magni Hieroſolymam ; ſed Hillel, omnium primus morem invexit ſupputandi annos ab exordio mundi, qui deinde ſatis uniformi aſſenſu ex tunc obtinuit, cùm Gemaræ ſuprema manus impoſita eſt. Juxta eam ſupputationem Jeſus Chriſtus natus eſt anno 376. cùm juxta noſtram chronologiam incidat exortus Chriſti annus in 4000. à creatione.

Accuſantur Judæi tanquam dolo malo eraſerint aliquid annorum è chronologia Veteris Teſtamenti uſque ad Jeſu Chriſtum, quaſi ſcilicet eo conſilio eludere ſatagentes oracula de adventu Meſſiæ. Judæis incredulis ea res faceſſebat negocium ; urgebantur autem maximè oraculo Eliæ cujuſdam, promentes naſciturum Meſſiam abolendamque Legem in exitu quarti mundi millenarii ; aſſignabant enim 2000. annos naturæ, totidem Legi, totidemque item Meſſiæ ; tum mundi exitus. Cùm Judæorum munere haberetur traditio illa, & pluribus inter eos revincendis, atque ad fidem convertendis valeret, commode ceſſurum genti ſuæ cenſuit Hillel II. ſi ex annis ab exortu mundi uſque ad natum Jeſum Chriſtum defluxis aliquid decerperet.

Tribuunt inſuper Judæi Hillel II. cyclum decennalem, quo ope ſeptem intercalationum curſus Solis & Lunæ inter ſe componeret. Intercalabat menſem tertio anno, ſexto, octavo, undecimo, quatuordeno, deno & ſepteno, ac tandem undevigeſimo (b). Eò proniùs cyclum illum exceperunt Rabbini, quòd tradebatur à Principe Captivitatis Occidentis ; nec ab illo priùs receſſerunt, quàm cùm Sid Calendarium Hiſpanicum juſſu Regis Alphonſi reformavit.

Reformavit etiam Hillel *Tekupha*, i. e. revolutionem anni, exactiùs quàm antea certa ſede conſtituta ſolſtitiis & æquinoctiis ; ita malè compoſitum æquinoctium autumnale ad 7. Octobris revocavit ad 24. Decembris.

Manu ſua deſcripſiſſe creditur inſignem illum Bibliorum Codicem, qui ſervatus eſt uſque ad ſeculum decimum ſextum ; & cujus Pentateuchum Toleti ſervari tradit Kimchi.

Hillel II. norat Origenes, conſulueratque frequenter ; eundemque virum ad Chriſtiana ſacra ante obitum tranſlatum, narrat S. Epiphanius. Ita verò hiſtoriam refert, acceptam ex ore Joſephi amici Hillel intimi, filiorum ipſius tutoris, qui etiam Joſephus Diſcipulus Hillel fuerat. Euſebius Vercellenſis, & S. Epiphanius inviſendi gratia Joſephum Scythopoli verſantem convenientes, referentem illum audierunt, Hillel è poſteris Gamalielis, qui Patriarchatus Judæorum tenuerat dignitatem, cum ſupremam diem inſtare ſibi intelligeret, acciviſſe Epiſcopum Tiberiadis, ſpecie quidem veluti Medicum illum experitiſſimum de morbo ſuo conſulturum ; re ipſa autem clam omnibus Baptiſmo ſe ab illo initiandum tradidiſſe. Geſta hæc creduntur circa annum 310. vel 312. Jeſu Chriſti.

Filium ſuum nato minorem tutelæ reliquit duorum Amicorum, à quibus in religione Judaica innutritus eſt ; Patriarchatum vel Principatum gentis ſuæ perinde ac pater obtinuit. Hæc Joſephus, uti jam innuimus, narrabat S. Epiphanio & S. Euſebio Vercellenſi, cum ipſe jam ad Chriſtiana ſacra tranſiliſſet.)

HIN, menſura cava Hebræorum, ſemiſextarium, ſivè dimidium *ſeah* Hebræorum vel ſextam partem bathi continens ; quare pintas 4. cum pintæ dimidio, ſemiſextario, ac octava pintæ parte, 5. digitis cubicis & plus aliquid continebat.

(HIPPOPOTAMUS. Vox iſta quidem in Textu V. T. non legitur ; ſed cùm Bochartus de Anim. Sacr. par. 2. lib. 5. cap. 15, cum aliis nonnullis ante illum, cenſuerit Hebræum *Behemoth*, deſignans generatim animalia, in Job. 40. 10. &c. exprimere *Hippopotamum* ; ideo deſcribendam hic belluam ſuſcipimus. Porro nomen *Hippopotamus* ex vi Græci vocabuli ſonat equus fluviatilis. In Nilo potiſſimum, Indo, aliiſque amplioribus amnibus id genus belluæ occurrit.

Fiſſos habet pedes tanquam bovinus, dorſo, crinibus, cauda, hinnituque refert equos ; dentibus eſt aprinis, ſed minus ſecantibus ; corio in dorſo tegitur, quod cùm arescit, armis omnibus reſiſtit.

Thevenot, qui oculatus teſtis ex his animantibus unum ſpectaverat, ita illud deſcribit Itiner. part. 2. cap. 72. Colore eſt ſubnigro, dorſo ad bubalum accedens ; ſed brevioribus & craſſioribus eſt pedibus. Cameli eſt magnitudine, & rictu bovis. Corporaturam bovinam duplo ſuperat, capite exprimit equum, oculis eſt brevioribus, breviori & aure, ampliſſimo naſo, cervice nulla, pedibus craſſiſſimis & fermè rotundis ; quatuor in pedibus digiti, quot & Crocodilo. Ejus cauda brevitate elephantinam refert ; corio eſt abraſo, & ferme nudo. Mandibula inferior armatur quatuor molaribus ſemipede longis, quorum duo uncati magnitudine ſunt cornu bovini. Ad utrumque gulæ latus unus prominet, duo alii recta & in longum parent exteriùs. Patcentem Hippopotamum illum in ſicco offendentes Janniſſari, tormenti bellici laxa-

(a) Baſnag. Hiſt. Jud. tom. 2. lib. 4. cap. 5.
(b) Bartoloc. Biblioth. Rab. tom. 2. pag. 416. 548. Baſnag. Hiſt. Judæor. tom. 2. lib. 4. cap. 5. art. 15.

Digitized by Google

laxata rota occiderunt; pilam illam tormentariam ſæpè corii illius ſoliditas vicerat; ſed tandem in maudibula icta bellua interiit.

Fatetur Author iſte belluam illam plures bubalum marinum reputaſſe; ſed ipſe cum aliis nonnullis Hippopotamum judicavit. Mihi tamen ea de re anceps adhuc hæret ſententia. Utcunque res habeat iſthc, nos Hebræum *Behemoth* explicavimus de Elephante. Videſis, quæ in ejus articulo contulimus. Non deſunt, qui genus omne Hippopotamorum extinctum in Nilo arbitrentur.)

HIPPOS, urbs celebris, Joſephi Hiſtorici ætate, & Hippenes modicæ regionis metropolis (a), ultra Lacum Tiberiadis, 30. ſtadiis à Tiberiade, & 60. à Gadara ſita (b). Hippi, & Scythopolis agri limitrophi erant. Hippene, Gadara, Gaulanitis, Galilæam ad meridiem terminabant (c). Sedem fuiſſe Epiſcoporum ex ſubſcriptionibus quorumdam Conciliorum intelligimus. Vetus illius nomen latet; *hippos* verò, Græca vox, equum ſonat.

HIPPICOS, nomen turris ab Herode conſtructæ, & à Romanis everſæ.

HIR, filius Caleb. 1. *Par.* 4. 15.

HIRA, filius Acces, ex urbe Thecue, inter viros Davidis fortiſſimos. 2. *Reg.* 23. 26.

I. HIRAM, poſtremus Idumæorum Princeps, è genere Eſau. *Gen.* 36. 43

II. HIRAM, Rex Tyri, filius Abibal (d), ne prophanis quidem Scriptoribus ob inſignia Regiæ liberalitatis in urbe Tyro excitata monumenta, ignotus. Davidi, vix obtento in univerſum Iſraelem Regno (e), Artifices, Lapidarios, ligna cedrina ad Regii palatii ædificium ſuppeditavit; quin & legatos miſit. Ineunti, poſt obitum Patris, Regnum Salomoni ſimili legatione gratulatus eſt; atque ab illo flagitatus, certam frumenti & olei partem à Salomone ſibi pendendam pactus, ligna, lapides, quin & artifices Templi erectioni tranſmiſit. Ambo Reges mutuam amicitiam literarum etiam conſuetudine, authore Dio apud Joſeph. cont. Appion. l. 1. Annalium Tyri ſcriptore, foverunt; quæ literæ Joſephi etiam ætate extabant. Ænigmatibus etiam ſe invicem provocaſſe idem Dius, & Menander Epheſius teſtantur (f). Addit Dius tentatum primò a Salomone Hiram, ænigmate propoſito, difficultate victum ceſſiſſe, ingenti propterea pecunia victori ſoluta; deinde verò ope cujuſdam Abdemonis & veritatem illius aſſequutum, & alterum pro ſuo jure Salomoni propoſuiſſe; cujus ille explicationi ſuccumbens, majori, quàm acceperat, pecunia multatus eſt. Poſt ædificia abſoluta, (g) Salomon muneris loco urbes 20. in Galilæa Hiramo tradidit 3. *Reg.* 9. 10. quas Hiram inviſens, ac minùs probans, *Terram Chabul* appellavit, illud interim addens: *Haccine ſunt civitates, quas dediſti mihi, frater?* Porrò *Chabul* idem ſonare, ac res minùs acceptas, Joſephus teſtatur; alii verò reddunt, *terram ſpinoſam*; alii *terram tenacem, lutoſam*. Vide *Chabul*, ubi ſitum earum urbium inquirimus. Salomonem mutuo ab Hiramo 60. talenta aurea in uſum ædificiorum accepiſſe legimus, *Reg.* 9. 14. Ea pecunia ſummam conficit 8343740. librarum monetæ noſtratis. Hæc de Hiramo Rege Tyri Scriptura.

III. HIRAM, filius viri Tyrii, cujus nomen latet, & matris Judææ ex Tribu Nephtali, 3. *Reg.* 7. 13. 14. ſivè ex Tribu Dan, 2. *Par.* 2. 14. Æreis operibus cujuſcunque generis peritiſſimus habebatur, qui non ab aliis inventa ſolùm præſtare, ſed nova ipſe excogitare norat. Hujus opus duæ ſunt æreæ columnæ in Templi veſtibulo à Salomone collocatæ, quarum alteri *Jachin*, alteri *Booz* nomen inditum eſt. Vas etiam *Mare* appellatum aquæ continendæ in uſum Templi conflavit; ad hæc, decem labra ærea minora cum baſibus in uſum Sacerdotum.

HIRAS, Chananæus, ex urbe Odollam, ſocer Judæ filii Jacob, qui filiam illius *Sue* duxit. *Gen.* 38. 1. 2.

I. HIRCANUS, Joannes Hircanus, Simonis Machabæi filius, cui ex victoria de *Hircano* relata (quem liber 1. Machabæorum 15. 38. 39. & Joſephus Antiq. l. 3. c. 13 Cendebæum appellant) nomen inditum fuiſſe in Memoriis Arabicis, ad calcem Polyglottæ Pariſienſis impreſſis, legimus. Joſephus filius Gorionis tradit, filium Simonis natu majorem Hircani nomen obtinuiſſe; quo vita functo, alteri filio Joanni idem nomen acceſſiſſe (h). Euſebius, Sulpicius Severus, aliique (i), nomen illud viro additum ex victoria in Hircanos relata, tum fortè, cùm Antiochum Sidetem trans Euphratem comitatus eſt, autumarunt. Hæc omnia nullius certè fidei ſunt: illud conſtat, nomen Hircani novum omninò, & inuſitatum ad id uſque tempus Hebræis fuiſſe (k).

A' Simone ſummo Sacerdote, itemque Principe Judæorum, Præfectura finium Judææ, qua mare ſpectat, donatus eſt (l). Sedem ſuam Gazaræ conſtituerat: in quam urbem Rex Antiochus Sidetes, cùm Doram obſideret, ubi Tryphon ſeſe receperat, Cendebæum ex Ducibus copiarum ſuarum unum miſit, ut Judæos omnes ſub jugum reduceret 1. *Mach.* 15. 38. &c. Eam rem ſtatim Hircanus patri ſuo Simoni Jeroſolymis verſanti nunciavit, 1. *Mac.* 15. 1. &c. qui accitos duos filios, Joannem Hircanum, & Judam, addito exercitu militum 20000. unà cum equitum manu in Cendebæum miſit. Cùm hoſtiles exercitus in conſpectu eſſent, vix audito ſacrarum buccinarum clangore, milites Cendebæi ſubita fuga elapſi, impunem victoriam adverſariis permiſerunt An. M. 3866. ante Ch. 134. ante Ær. 138. Ambo fratres fugientibus inſtantes, ingenti illos cæde fuderunt.

Paulò poſt (m), Simone generi ſui Ptolemæi proditione ſublato, Joannes Hircanus, & Judas opportunè moniti, paratas ſibi inſidias, ſimulque proditionem Hieroſolymæ vitarunt 1. *Mach.* 19. 11. *&c.* Quin & Ptolemæo in arce ſua Doc Hierichunti proxima, in qua Simonem proditione necaverat, obſidionem intulerunt. Ne tamen ultionem ambo fratres urgerent, conſilio inito, Ptolemæus, quoties arcem aggrediebantur, toties conſtitutos ante eorum conſpectum matrem, duoſque fratres illorum durè cædebat; quare vincente etiam pietate, ab incepto deſiſtere cogebantur. Ita ad annum Sabbaticum producta obſidio, tandem ſoluta eſt, & Ptolemæus Philadelphiam confugit. Hæc Joſephus Antiq. l. 13. c. 14. & 4. Mach. quamquam peritioribus Criticis non uſque adeò probata. Utut res ſe habuit, exploratum eſt, poſt Simonis obitum, Principatum & Sacerdotium gentis ſuæ Hircano ceſſiſſe. Antiochus Sidetes inter hæc, metu Simonis liberatus, Hieroſolymæ obſidionem tentaturus (n), copiis in Judæam traductis, ad latus meridionale urbis, quà facilior erat in illam aditus, caſtra locavit. Hircanus ſtrenuè defenſione ſuſcepta, in hoſtes ſemel erumpens, turribus, atque operibus illorum ſubverſis, à mœnibus procul recedere coegit. Inſtante Feſto Tabernaculorum, Hircanus celebrandæ ſolennitati inducias à Rege poſtulavit; a quo non induciæ tantùm, ſed ditiſſima munera, & victimæ conceſſæ (o). Ea liberalitate captus Hircanus, propoſitis, acceptiſque utrim-

(a) De Bello l. 3. c. 2. (b) Joſeph. de vita ſua. (c) De Bello l. 3. c. 2.
(d) Vide Dium apud Joſeph. cont. Appion. l. 1.
(e) 2. Reg. 5. 11. 12. circa A. M. 2958. ant. Chr. 1042. ant. Ær. 1046.
(f) Vide Joſeph. Antiq. l. 8. c. 1. (g) A. M. 3012. ante Chr. 988. ante Ær. 992.
(h) Ben Gorion. l. 4. c. 2. (i) Euſeb. in Chron. Sulp. Sever. l. 2. hiſt. Cedren. & alii.
(k) Vide 2. Mach. 3. 11. Antiq. l. 11. c. 4.
(l) 1. Mach. 13. 54. A. M. 3865. ante Chr. 135. ante Ær. 139.
(m) A. M. 3869. ante Chr. 131. ante Ær. 135.
(n) 4. Mach. & Antiq. l. 13. c. 16. A. M. 3869. ante Chr. 131. ante Ær. 135.
(o) Antiq. l. 13. c. 16. & 4. Mach. c. 2.

utrimque conditionibus, ingentem Antiocho pecuniam perſolvit, & urbem reclusit. Loricam mœnibus impoſitam, juſſu Antiochi dejectam fuiſſe ſcribit Joſephus. Ferunt (a) ea occaſione effoſſum ab Hircano Davidis ſepulchrum, ingentes reconditos theſauros exhibuiſſe. Vide, quæ de hac re diſſeruimus v. *David*. Poſt triennium, Sidetes expeditionem in Phraatem Regem Parthorum molitus (b), Hircanum invitavit. Bellum feliciſſimis auſpiciis cœptum eſt; tribus enim præliis fractis hoſtibus, Babylon victoribus in præmium ceſſit: mox verò Syriarum copiarum licentia offenſi populi, verſis repentè in illos in hyberna diſperſos armis, omnes trucidarunt. Cùm bellum gereretur, memoriæ proditum eſt, biduò exercitum in caſtris conſiſtere coactum fuiſſe, Judæis Sabbathi quietem violare detrectantibus.(c). Igitur Antiochi exercitu diſſipato, Hircanus in Syriam rediens, Aleppum, Medabam, Samegam, Sichem, & Garizim in itinere recepit, ac tandem Hieroſolymam veniens, excuſſo penitus Syrorum jugo, Hebræos in libertatem vindicavit.

Altero anno M. 3875. ante Ch. 125. ante Ær. 129. Idumæam ſub jugum reduxit; victoſque populos moribus, & circumciſioni Judæorum ſubdi coegit (d); in quibus deinde uſque ad excidium Jeruſalem & Templi per Romanos, 4. Mach. c. 2. perſtiterunt. Sub hæc, miſſis Romam legatis, utriuſque populi fœdera innovavit (e). Aliquibus poſt annis (f) cœpta Samariæ obſidio; cujus dirigendæ munus Antigono & Ariſtobulo filiis ab Hircano commiſſum eſt. Amborum autem Ducum prudentia, & virtute factum eſt, ut intra anni ſpatium urbs caperetur; quam ab Hircano tunc everſam (g), Gabinius diù poſt reſtituit. Tandem Hircanus, poſt ſupremam dignitatem ſpatio 29. annorum geſtam, vita cedens A. M. 3898. ante Chr. 102. ante Ær. 106. Regnum Ariſtobulo filio reliquit. Prophetiæ ſpiritu claruiſſe Joſephus eſt author.

(Poſt ſubactam Samariam imperium ſuum extendit per univerſam Judæam, Samariam, Galilæam, ac plures finitimas Urbes, ut inter circumjacentes Principes potentiſſimus haberetur. Quare moleſtiam illi inferre audebat nemo, quietumque tenuit ad extremam uſque diem ab externis omnibus moleſtiis imperium. Sed domeſticam pacem turbarunt Phariſæi (h), quorum erat ſumma æſtimatio & favor in populum. In ſuas partes pertrahendis illis nullam non operam poſuit Hircanus, utpote inter illos innutritus, eorumque Sectam profeſſus, & nunquam non favoris ſui in illos exhibens argumenta.

Invitaverat ſemel ad regale quoddam convivium ſeptem illorum Principes, rogavitque poſt epulas, exponere ſibi, ſiquid in tota vita commiſiſſet averſum juſtitiæ vel Religioni, juxta recepta in eorum Secta dogmata. Vix ille dixerat, cùm omnes plenis laudibus geſta illius omnia commendarunt, addito elogio viri ſtrenui, recti, juſtique moderatoris. Summa animi voluptate perbibit hæc omnia Hircanus, ſibi perſuadens, hæc omnia rectè geſtorum merito obtinuiſſe.

Sed poſtquam cæteri à loquendo ceſſarunt, excepit Eleazar, ita effatus ad Hircanum. Cùm vera de te dicere à nobis exoptes, illud monendum ſuſcipimus, ſiquidem te juſtum exhiberi volueris, ut ſacra te dignitate abdicans, contentus ſis civili gentis imperio. Conſilii hujus cauſam requiſivit Hircanus: tum alter: Hæc tibi ſuademus, quòd certo Seniorum noſtrorum teſtimonio conſtet, captiva te parente natum eſſe & tanquam exteræ matris filius ſacram dignitatem contra Legem geris.

Falſa Eleazarum aſſeruiſſe affirmat Joſephus Antiquit. lib. 13. cap. 18. ejuſque proinde verba ingratis auribus excepta ab aſtantibus non obſcuris indiciis palam factum eſt. Id autem acerbè adeò tulit Hircanus, ut inſignem ea de re ultionem exigere decreverit. Quam animi diſpoſitionem nactus Jonathan, inter ejus amicos intimus, & Saducæus zelotes, Principem in Phariſæos animavit, inſtitiţque ut eorum Sectam deſerens tranſiret ad Saducæos. Ita verò rem totam molitus eſt. Callidè inſinuavit Hircano dicta illa ita accipi oportere, quaſi ab Eleazaro expreſſa eſſent ad mentem totius Sectæ, cujus rei argumentum capere ſi vellet, de pœna in calumniatorem iniquum ſtatuenda apud illos proponeret; intellecturum ſtatim ex eorum in hominem indulgentia, qua eſſent animi in ſe habitudine.

Amici conſilia ſecutus Hircanus, Principes Phariſæorum conſultavit, quæ eſſet decernenda pœna in hominem convictum calumniæ in Principem Summumque populi Sacerdotem; expectabat futurum, ut mortis in illum dicerent ſententiam. Sed reſpondentes audivit calumniæ crimen capitale non eſſe, nullaque majori pœna in reum animadvertendum, quàm flagris & carcere. Præpoſtera hæc erga graviſſimum crimen indulgentia in eam perſuaſionem induxit Hircanum, vera nimium prodidiſſe Jonathan, exarſitque in Sectam Phariſæorum. Mandavit proinde ſtatim, ne quis unquam ſervare auderet præcepta ex aſſerta traditione petita, decretis inſuper in traſgreſſores pœnis. Simul autem partes Phariſæorum perpetuò deſerens, tranſivit ad Saducæos.

Vitam poſt hæc diu non prorogavit; obiit enim proximè ſubſequenti anno, Pontificatus 29. Prophetiæ dono claruiſſe affirmat Joſephus Antiquit. lib. 13. cap. 18. prædictum ab illo narrans geminos filios ſuos natu maximos, Ariſtobulum, & Antigonum, diu non ſupervicturos patri: paternam autem hæreditatem devolvendam ad Alexandrum tertium natu inter filios. Revelatione pariter novit, quo temporis momento Antiochus Syzicenus, quocum duo filii ſui militabant, victoriam 10. dierum itinere diſtans reportavit.

Ejus opus credita eſt arx *Baris* (i), quæ deinde tranſiit in ædes Principum Aſmonæorum, quoadusque rerum apud Judæos potiti ſunt. Surgebant ædes illæ ſuper præruptum eminenſque 50. cubitis ſaxum, extra ambitum quadratum Templi, ſed in eodem monte quadrata erat moles, duplici ſtadio gyrans: ſervabantur ibi ornamenta Pontificia, quibus Summus Sacerdos in recurrentibus per annum ſolemniis dignitatem ſuam ſuſtinebat. Ibi pariter ſucceſſu temporis Herodes Magnus condidit Turrim Antoniam. Vide ſupra *Baris*.

II. HIRCANUS nepos Oniæ Summi Sacerdotis. Genuerat hunc filium Joſephus ex nepte ſua, totamque rei hiſtoriam ita narrat Joſephus Hiſtoricus Antiquit. lib. 12. cap. 3. Venerat Joſephus Alexandriam negotiorum ſuorum gratia, venerat una cum illo & Solymius ejus frater, ſecum habens ex filiabus ſuis unam, quam nuptui tradere Alexandriæ, ſi quem honeſtum virum offenderet, meditabatur. Vix Urbem attigerant, choreas ſcitè ducentis puellæ cujuſdam amore captus eſt vehementi Joſephus. Nec vulnus celavit fratri ſuo rogans illum pariter, ut juncta ſecum opera id efficeret, quo voto potiretur, clam verò, ne quam nominis invidiam incurreret. Operam ſuam ſpopondit Solymius, ſed pro optata puella toro fratris ſuppoſuit filiam ſuam; nec fraudem ſenſit Joſephus, quippè qui largius ſe vino ingurgitaverat. Perſeveratum eſt diutiùs, nec Joſephus ſenſit quidquam; tantumque abfuit, ut arden-

(a) Antiq. l. 13. c. 16. & l. 7. c. ult. A. M. 3870. ante Chr. 130. ante Ær. 134.
(b) 4. Mach. Joſeph. Antiq. l. 13. alii A. M. 3873. ante Ch. 127. ante Ær. 131.
(c) 4. Mach. 2. Nicol. Damaſ. apud Joſeph. Antiq. l. 15. c. 16.
(d) Antiq. l. 13. c. 17.
(e) Antiq. l. 13. c. 17. & 4. Mach. 2. A. M. 3877. ante Chr. 123. ante Ær. 127.
(f) A. M. 3894. ante Chr. 106. ante Ær. 110.
(g) Antiq. l. 13. c. 18. & 4. Mach. 4.
(h) Joſeph. Antiquit. lib. 3. cap. 18.
(i) Antiq. l. 18. c. 6.

ardentes cupidinis flammæ reſtinguerentur, ut libido creſceret in dies. Faſſus eſt ingenuè fratri, imbecilliorem ſentire ſe, quàm ut libidinoſam illam paſſionem vinceret; ferre autem acerbè, quòd Lege ab ineundo cum illa connubio, utpote alienigena muliere, interdiceretur (a); & Lege etiam non vetante, nunquam commiſſurum Regem, ut præberet aſſenſum.

Tunc frater arcanum omne fratri aperuit, narravitque puellam illam, quam deperibat, neptem eſſe ſuam, quam proinde ducere volens potuiſſet; dolum autem ſuum ideo cauſabatur, quòd ſcilicet hanc nactus eſſet viam, immane adeo crimen impediendi, quale erat ſcilicet vetitum à Lege cum muliere extranea commercium; maluiſſe proinde ſe filiæ ſuæ vitium inferri, quàm æternæ nominis infamiæ fratrem exponere. Tanto fratris in ſe amore captus Joſephus, beneficium profeſſus eſt ampliſſimis verbis; filiamque ſibi adſcivit in conjugem. Hujus connubii fructus proximè ſubſequenti anno natus eſt Hircanus, de quo in præſenti.

Legis quidem Moſaicæ præcepto *Levit.* c. 12. 13. *&* 20. 19. vetatur connubium amitam inter & nepotem, ſed non patrui cum nepte. Hanc autem rationem aſſignant Scriptores Judæi, amitam ſcilicet nepotem perinde ſpectare, ac matrem filium, quæ proinde utpotè nepoti illi natura ſuperior, malè cohæreret eidem nepoti ut nupta: nupta enim fœmina viro ſuo gradu eſt inferior. Quare naturæ ordo peſſundaretur, ſiquidem connubii lege jungerentur amita ſimul & nepos. Nihil tale in connubio patrui cum nepte, quem enim utrique habent à natura ordinem, eum tenent poſt nuptias. Reliqua geſtorum Hircani habes in Dictionario Biblico v. *Hircanus*.)

III. HIRCANUS, filius Joſephi, & Oniæ II. Summi Sacerdotis filius. Pater ipſius, qui exigendorum pro Rege Ægypti tributorum negotium aſſumpſerat, inter plures, quos genuerat, filios, unicè tamen Hircanum, ejus ingenio vivido, & ſolerti delectatus, diligebat. Accidit interea, ut filium hunc datis 300. boum jugis, ac domeſticis, ad vaſtum agrum ſerendum miſerit (b); ſimulque, ut ejus periculum faceret, lora ſubtraxit, quibus boves ad jugum adſtringi ſolebant. Ut igitur ad locum ventum, cùm lora deeſſe ſenſiſſent, mittendos eſſe, qui ea repeterent, cæteri cenſuerunt: Hircano tamen aliter viſum; jubens enim decem boum juga mactari, dapes ex carnibus, ex corio lora paravit. Adoleſcentis ſolertiam pater & probavit plurimum, & laudavit.

Anno M. 3795. ante Chr. 205. ante Ær. 209. nato Ptolemæo Regi Ægypti, ex uxore Euridice, filio Ptolemæo Epiphane, omnes Regiorum tributorum, atque regionum Præfecti, ad illum gratulaturi, nec ſine muneribus, venere. Venit & Hircanus, à patre miſſus, omnium licèt fratrum ſuorum minimus (c); unàque patris literas ad Arionem procuratorem ſuum Alexandriæ detulit, regia ab eo munera accepturus. Cùm verò alii, imparia licèt dona, omnia tamen 20. talentis majora obtuliſſent, ille 1000. ad eam rem talenta à procuratore exegit. His acceptis, 100. pueros, totidemque puellas elegantiſſimas comparavit; illoſque Regi, has Reginæ obtulit.

Eam liberalitatem Rex plurimùm admiratus, & munera probavit, & abeuntem literis commendatitiis ad patrem, ac fratres proſequutus eſt. Antequam hæ redderentur, illi ob profuſam pecuniam offenſi, redeunti inſidias moliti ſunt; à quibus tamen ille non ſe expedivit tantùm, ſed inſilientes fratres duos occidit, cæteros omnes in fugam vertit. Interim Hieroſolymam veniens, cùm à nemine exciperetur, in transjordanica ſeceſſit; reliquum vitæ in ædibus inſtructiſſimis à ſe ædificatis in loco, cui Tyrus nomen (d), transfigens; ubi exigendis ex Arabibus tributis, armorum etiam vi; illiſque prœliis laceſſendis occupatus eſt. Septem poſtremis Seleuci Philopatoris annis quievit (e); donec occupata ab Antiocho Epiphane Syria, veritus, ne de illatis in Arabas injuriis pœnas dare cogeretur, ſibi necem conſcivit; ejuſque bona ab Antiocho Regio ærario addicta ſunt (f).

Hujus meminit 2. *Mach.* 3. 11. 12. ſub nomine *Hircani filii Tobiæ*; quippè qui non patrem, ſed avum Tobiam haberet. Theſaurorum Templi plerique ad Hircanum Tobiæ, Regiorum Tributorum Præfecti filium pertinere dicti ſunt, cùm Heliodorus, juſſu Seleuci, illud expilare conatus eſt.

IV. HIRCANUS, filius natu major Alexandri Jannæi Regis Judæorum, & frater Ariſtobuli Aſmonæi. Poſt Alexandri obitum An. M. 3926. ante Ch. 65. ante *Ær. 69.* ejus uxor Alexandra, ſivè Salome Regni adminiſtratione ſuſcepta, novennem Hircanum ad Summum Sacerdotium efferens, Ariſtobulum in privata fortuna detinuit. Verùm Alexandra obeunte (g), Ariſtobulus ſtatim conjuratorum manu coacta, arcibus munitiſſimis occupatis, uno tantum Regni titulo, atque ornamentis à Regno abeſſe videbatur. Hircanus enim Regis nomen triennio (h), ſivè ut Joſephus Antiq. l. 15. c. 9. tribus menſibus habuit, donec inito cum Ariſtobulo prœlio, ſiniſtram fortunam expertus (i), in arcem Hieroſolymæ ſe recepit; ubi ad ultimas anguſtias redactus, ſuis jam de Templo ab Ariſtobulo pulſis, & Regno & Sacerdotio cedere, privataque fortuna contentus eſſe coactus eſt.

Conciliatam iis conditionibus inter fratres pacem, brevi novæ turbæ exceperunt (k); inſtabat enim apud Hircanum Antipater ejus amicus, ut ab imminenti per fratrem periculo ſeſe eximens, ad Regem Arabiæ confugeret. Cùm autem exploratus ab Antipatro, qui clam illum adiit, ejuſdem Regis animus, ab ea re alienus non videretur; Hircanus amici ſuaſionibus inductus, Petram Arabiæ urbem deduci paſſus eſt. Brevi autem Aretas Arabiæ Rex, ejuſdem Antipatri hortatu, muneribus, precibus, promiſſiſque victus, expeditionem in Ariſtobulum ſuſcepit. Inito igitur inter utroſque exercitus prælio, Ariſtobulus victus, in urbem primò, deindè in Templum ſeſe recepit, ubi à victoribus obſeſſus eſt (l).

Accidit interea, ut Scaurus Romani exercitus Dux, Damaſcum veniret (m). Is, amborum fratrum legatis auditis, deprecantibus utriſque, ingenti facta pecuniæ ſpe, ut ſuæ parti adversùs alterum faveret, Ariſtobulo, majora, quàm Hircanus, 400. nempè talenta offerenti, venalem favorem exhibuit. Datis idcircò ad Hircanum & Aretam literis, indignationem Romanorum, & Pompeji minitatus eſt, ni ſtatim recederent. Paruit illicò Aretas; eoque recedente, Ariſtobulus erumpens Hircanum invaſit, viriſque 7000. cæſis, victor regreſſus eſt.

Altero anno, Pompejum, ut Damaſcum pervenit (n), utriuſque fratris legati primùm, deindè ejus juſſu ipſi per ſe fratres convenere. Amborum cauſa audita, ad ſuum in Judæam adventum Pompejus ſententiam diſtulit. Juſſi igitur ad propria regredi, judicem opperiebantur; nec ille diſtulit, quin veniret, ſimulque Hieroſolymam obſidione tentaret, Hircano Romanis neceſſaria ſuppeditante (o). Ea obſidio ad tres menſes prorogata, urbem tandem & Templum aggreſſoribus contulit die 20. Decembris An. M. 3940. ante Chr. 60. ante Ær. 64. quibus ſtatim, unà & Summo Sacerdotio, Hircano à Pompejo reſtitutis, Judæam univerſam ea occaſione Romanis vectigalem fecit: uti vero diademate Hircanum noluit.

(a) Exodi 34. 16. Deut. 7. 3. & 3. Reg. 11. 2. & 1. Eſdr. 9. 10. & 2. Eſdr. 10. 30. & 14. 15.
(b) Antiq. l. 12. c. 4. (c) Antiq. l. 12. c. 4. (d) Antiq. l. 12. c. 5.
(e) Uſque ad An. M. 3829. ante Ch. 171. ante Ær. 175. (f) Antiq. l. 12. c. 5.
(g) Antiq. l. 13. c. ult. & l. 14. c. 1. A. M. 3935. ante Chr. 65. ante Ær. 69.
(h) Vide Uſſer. ad A. M. 3935. & 3938. & Joſeph. Antiq. l. 14. cap. 1.
(i) Antiq. l. 14. c. 1. A. M. 3938. ante Ch. 62. ante Ær. 66. (k) Antiq. l. 14. c. 2. A. M. 3939. ante Chr. 61. ante Ær. 65.
(l) Antiq. l. 14. c. 3. (m) Antiq. l. 14. c. 4. (o) Antiq. l. 14. c. 5. A. M. 3940. ante Chr. 60. ante Ær. 64.
(o) Antiq. l. 14 c. 8.

Julius Cæſar, Syria, & Ægypto potitus, Hircano Summum Sacerdotium, & ſuæ gentis Principatum aſſeruit, ſimul illum Ethnarcham, & amicum populi Romani declarans (a). Is rerum Hircani ſtatus ab obtenta à Pompejo dignitate An. M. 3940. uſque ad 3964. ante Chr. 36. ante Ær. 40. manſit. Eo rerum potito, utpote ingenio ſtupido, & inerti, omnia Regni negotia Antipater adminiſtrabat; ſolo tantùm Principis nomine Hircano relicto. Antipatro cogente, nuptiæ Mariamnes Alexandræ filiæ, & neptis Hircani cum Herode, ejuſdem Antipatri filio, initæ ſunt; Phaſaelo autem, atque Herodi fratribus, adminiſtratio præcipuarum Hircani Regionum, Herodi nempe Galilææ, & Phaſaelo Hieroſolymæ, atque adjacentis ditionis demandata eſt An. M. 3957. (b). Tanta Antipatri & filiorum authoritas Optimatum invidiam in illos creavit; quare authoritate ſua in Præfectura Galilææ abuſum reum Herodem ad judicium detulerunt an. M. 3958. ante Ch. 42. ante Ær. 46. Sed Hircanus ſecretò illi favens, noctis favore Hieroſolymis laceſſeret, atque in ditionem ſuam ſeſe reciperet, permiſit (c).

Cùm interim Parthi, Syriam tum temporis tenentes (d), ingentium promiſſorum ſpe ab Antigono filio Ariſtobuli ſollicitati in Hieroſolymam arma moviſſent; Pacorus filius Regis Parthorum in urbem venit. Venientem Phaſaelus frater Herodis hoſpitio recepit, atque illi hortanti, ut unà cum Hircano Barzapharnem, Ducem exercitus Parthorum convenirent, de conditionibus pacis acturi, credulas aures præbuit (e). Ut venere Hircanus, & Phaſaelus à Barzapherne comprehenſi; Antigonus in urbem deductus, in cujus poteſtatem vincti traditi ſunt. Antigonus igitur metuens, ne Hircanus populi favore tandem emergeret, neve unquam Summo Sacerdotio potiretur, aures illi præcidit; quoſcumque enim membris mutilatos Sacerdotio indignos eſſe Moyſes ſancivit *Levit.* 21. 17. Ita affectum, vinculis onuſtum Parthis tradidit, trans Euphratem deducendum.

In ea captivitate tamdiu manſit, quamdiu Herodes Regno potitus, metuens ne fortè data occaſione Hircanus de recipiendo Regno cogitare poſſet, in ſua poteſtate ipſum habere, ut à rebus innovandis abſterreret, cogitavit (f) an. M. 3968. ante Chr. 32 ante Ær. 36. Ab Herode igitur ſollicitatus, atque patriæ reviſendæ ſtudio, à Phraate Rege Perſarum facultatem regrediendi in Judæam impetravit. Ingentibus illum honoribus Herodes primò cumulavit; brevi tamen malus ipſius in Hircanum animus prodiit.

Antonio profligato, Alexandra mater Mariamnes, & filia Hircani, rata Herodem, qui Antonio favebat, Auguſti indignationem non vitaturum, novandis pro ſe rebus Hircano author fuit. Ea igitur ſuadente an. M. 3974. ante Ch. 26. ante Ær. 30. ægrè licèt, adduci paſſus eſt, ut datis ad Malchum Regem Arabiæ literis, equitum manum ab illo peteret, quibus ad lacum Aſphaltitem, in finibus Arabiæ, tutò deduceretur; ea ratione inſidias, malumque in ſe Herodis animum declinaturus, *Joſeph. Antiq. l.* 15. *c.* 9.

Eas literas ſibi commiſſas Doſitheus ad Herodem detulit; juſſuſque Malcho reddere, acceptamque reſponſionem ſibi nunciare, inceptum iter proſequutus eſt. Malchus prono animo nuncium excipiens, ſe tranſmittendis equitibus, omnibuſque ad iter neceſſariis, quin & ad aſylum exhibendum ſe præſto futurum reſpondit. Herodes his literis perlectis, quæſivit ab Hircano, ecquid negotii cum Malcho haberet? Negantem ſe quicquam habere cum illo commercii, productis literis, illicò morte damnavit A. M. 3974. ante Chr. 26. ante Ær. 30.

HIRCANIUM, arx munitiſſima, & vicus Judææ. *Joſeph. de Bel. l.* 1. *c.* 14.

(HIRCI. Eo nomine interdum traducuntur Dæmones, qui etiam *piloſi* appellantur, ſive ex ea recepta perſuaſione, ſub hircorum ſpecie videndos ſeſe illos præbuiſſe, ſive Idola ſub hircorum figura ad cultum ſibi propoſuiſſe Hebræos; ſive tandem re ipſa hircos conſecraſſe. Mandat Deus Levit. 17. 7. ut præ foribus Tabernaculi ſiſtantur animalia omnia in hoſtias mactanda: *Et nequaquam ultra*, addit, *immolabunt hoſtias ſuas Dæmonibus*, (ad literam *hircis*) *cum quibus fornicati ſunt* (g). Legimus in 2. Par. 11. 15. conſtitutos fuiſſe à Jeroboamo Sacrificulos in editis locis *Dæmoniorum* (hircorum) *vitulorumque quos fecerat*. Deſcribens Iſaias 13. 21. miſerum illum, ad quem redigenda erat everſa Babylon, ſtatum: *Et piloſi*, ait, (hirci) *ſaltabunt ibi*. Et cap. 34. 14. *Piloſus* (hircus) *clamabit alter ad alterum*.

Hæc omnia vulgò accipiunt de cultu ab Ægyptiis & Hebræis præſtito ſpectris, Dæmonibus, Satyris & ſimulacris hircorum. Mendeſiu Urbe Ægypti inferioris conſecratum hircum & capellam tradit Herodotus lib. 1. cap. 46. pictumque addit Numen illud eadem ac apud Græcos Deus Pan imagine, vultu ſcilicet & infra femur hircus; id autem ab illis non ea quidem perſuaſione præſtitum, quaſi ſcilicet hanc eſſe Numinis genuinam formam crederent; nihil enim ea in re differre à cæteris arbitrabantur; ſed quia id erat moribus apud illos conſtitutum, addita etiam perſuaſione delectari ſcilicet Deos ſub animalium emblematibus pingi. Conſecraverant etiam in aris genuinos hircos, quos etiam cernere eſt expreſſos in tabula Iſiaca. Quæ in ſolemnitis ejus Numinis ſcelera committebantur, in lucem ſoleмque plus nimio producta ſunt, quique de illis egerunt Scriptores veteres quàm juſta infamis proſtitutionis nota inflicta ſint à Moyſe plene demonſtrant.

HIRCI. Principes populi eo ſæpè nomine expreſſi ſunt apud Hebræos. Dominus Zach. 10. 3. *Super hircos viſitabo*, ultionem exacturus à Principibus populi incipiam. Iſaiæ 14. 9. *Omnes Principes* (hirci) *terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis*, occurſuri ſcilicet Regi Aſſyriæ ad inferna deſcendenti. Jeremias 50. 8. *Recedite de medio Babylonis, & eſtote quaſi hædi gregis* (quaſi hirci ante populum). In actione ſupremi judicii lævam tenebunt hædi vel hirci, nempè reprobi, æternoque igni damnati.)

HIRCUS EMISSARIUS, hircus erat, qui die ſolemnis Expiationis liber dimittebatur (h), hoc ritu, *Levit* 16. 5. *&c.* Pontifex oblatos à populo duos hircos pro peccato, in Tabernaculi veſtibulo coram Domino ſiſtens, utrum immolaret, ſeù dimitteret, ſortiebatur. Sorte electum immolabat, alterum coram Domino ſiſtebat; fuſiſque ſuper illum precibus quibuſdam, manibuſque ambabus illius capiti impoſitis, omnia filiorum Iſraelis crimina fatebatur, hæc dicens: Deliquimus, Domine, peccavimus coram te, ego, & domus mea; hæc, Domine, quæ in te patravimus, remitte: quibus Pontificis verbis Sacerdotes, & populus reſpondebant; Benedictum nomen regni ejus in ſæcula ſæculorum.

His peractis, hirco mala omnia, populique criminum pœnas imprecabatur; eumque certo cuidam viro, abducendum in deſertum, tradebat. Hic in deſerta, & prærupta loca deductum libertati reſtituebat. Inde ad caſtra revertens, ea, nonniſi lotis pura aqua corpore & veſtibus, ingrediebatur. Hæc de Hirco Emiſſario Scriptura. Cæterùm hircus iſte ex earum victimarum genere eſſe videtur, quæ malorum imprecationibus onerabantur, Deorum iram ab hominibus avertere credita. Ex his erant homines illi, quos Maſſilienſes è ſcopulo dejiciebant (i); & animalia, quæ Ægyptii poſt mala imprecata, in mari demergebant (k). Sunt, qui Hircum Emiſſarium præcipitem agi, ſunt qui liberum dimitti con-

(a) Antiq. l. 14. c. 17. A. M. 3957. ante Ch. 43. ante Ær. 47. (b) Antiq. l. 14. c. 16. 17. de Bel. l. 1. c. 8.
(c) Antiq. l. 14. c. 17. (d) An. M. 3964. ante Chr. 36. ante Ær. 40. (e) Antiq. l. 14. c. 24. 25.
(f) Antiq. l. 15. c. 2. 3. (g) Septuaginta habent *vanis* vel *falſis* (ſupple *Diis*).
(h) Vide *Azazel*. (i) Petron. Satyr. in fine. (k) Herodot. l. 2. c. 39.

conſueviſſe defendant. (Vide *Azazel & Expiatio ſolemnis.*)

HIR-SEMES, urbs Tribus Dan, *Joſue* 19. 41. cujus nomen ſonat *urbem Solis*.

HIRUDO, aquaticus vermis, ater, carni adhærens, nunquam miſſurus, niſi ſanguine ſatur. Horat. de Arte poet.

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo. Salomon hirudinem duarum filiarum inexplebilium matrem eſſe ait, *Prov.* 30. 15. Hirudo, cupiditas; filiæ, avaritia, & ambitio, quæ nunquam ſaplentur. *Tres filias* habent Septuaginta. Bochartus de anim. ſacr. p. 1. l. 1. c. 9. Hebræum *hulukad*, quod Septuaginta, & Vulgata *hirudinem* vertunt, fatum ſignificare opinatur; ejuſque filias, ſepulchrum, & infernum, quæ nunquam dicunt: ſufficit.

(HIRUNDO. Sermo eſt de avi illa Iſaiæ 38. 14. *Sicut pullus hirundinis, ſic clamabo*; & Jerem. 8. 7. *Milvus in cœlo cognovit tempus ſuum, & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui*. E nido hirundinis cadens ſtercus, Tobiæ lumina oculorum extinxit *Tob.* 2. 11. Hebræum *Sis*, redditum hirundo, exprimit juxta aliquot Interpretes (a) gruem; & quæ vox legitur in Iſaia ac Jeremia *hagur*, reipſa hirundinem denotat iiſdem Interpretibus. Chaldæus & Symmachus Iſaiæ textum reddunt: *Sicut hirundo, quæ comprehenſa eſt, garris, ſic garriebam*; Aquila: *Sicut equus Agur.*

Septuaginta, Vulgata, & Bochartus conveniunt *Sis* hirundinem deſignare. Sed *Hagur*, Septuaginta, Vulgata & Symmachus loco verbi accipiunt; Bochartus pro nomine exprimente *gruem*. Conſtat utique ex Jeremia ambo hæc nomina duarum eſſe diſtinctarum avium. Hiſce autem rationibus *Sis* cum hirundine componenda demonſtratur: 1. Veteres Interpretes Græci in hunc ſenſum uſurparunt; 2. Nomen *Sis* exprimit garritum hirundinis; ac de *Iſide* memoriæ proditum eſt, ex fœmina in avem illam tranſmutatam fuiſſe. 3. Hirundo querula eſt avis & migratoria, quæ ſanè omnia planè congruunt cum ave Iſaiæ & Jeremiæ. Ad Tobiæ Textum quod attinet de hirundine accipiendum ſat convenit inter omnes.

Pulla eſt avis, maculis quibuſdam albentibus, ſed planè non nitidis, ſub ventre aſperſa; volatu inæquali & viſu eſt acutiſſimo. Verno primo tempore parens, tota perſeverat æſtate, evaneſcit autumno. Creditur tranſfretare ac recipere ſe in tepidiores regiones, vel etiam in excavatis ſub terra foveis deliteſcit, aut in locis paluſtribus & ſub aquis; non raro enim piſcatu apprehenduntur in majorem quendam globum junctæ ſimul hirundines devinctæque invicem roſtro & unguibus. Cùm in tepentem aliquem locum transferuntur, removent ſe ſtatim recipiuntque vires, cùm antea perinde eſſent ac mortuæ. Græcè appellantur *Chelidon*, ex quo nomen herbæ *Chelidonia*, Gallicè *Eclaire*, (Italicè *Celidonia*), quod ſcilicet herba illa oculis pullorum impoſita credantur hirundines extincta illorum lumina reſtituere. Ex hiſtoria Tobiæ intelligimus quàm averſum ſit oculis ſtercus hirundinis; fertur autem ex redacta in cinerem avium ejuſmodi carne præſentiſſimum parari vitiatis oculis collyrium.

Narratur in fabulis Philomenam vel Prognem uxorem Terei in hirundinem ex fœmina tranſiſſe, lugubrique illa ac querula cantilena deplorare amiſſum Atym, carum ſibi caput. Nullis valet uſibus hirundo, nec in cavea, nec in locis alendis avibus deſtinatis ſervatur. Creditur bis in anno ovis ſuis incubare, ſemel in benigniori climate, quò ſe transferens hyemis algorem fallit, ſemel etiam in noſtris regionibus, cùm apud nos verſatur. Innutritur potiſſimùm muſcis, quæ volantes venatur. Nidificat plerumque in caminis, & quem ſemel locum elegerit, illum quotannis repetit; nidus eſt autem ex terra cum paleis atque feſtucis concreſcens.

Le Martinet, qui nidificat in tectis domorum atque in feneſtris, genus eſt hirundinis, hujus tamen caro plus ſapit; nitidiùs autem quàm hirundo albeſcit in ventre.

Hirundo ripatica nidum ſuum conſtituit in foraminibus, ad ripas amnium.

Major hirundo latet in amplioribus foraminibus ſeu celſis domorum molibus, ubi & nidificat. Alitur muſcis, papilionibus, & id generis inſectis, quæ volitantia venatur. Viſu eſt adeo acuto, ſi fides Bellonio, ut ad mille paſſus diſtantem muſcam diſtinguat. Sunt etiam hirundines maritimæ. Munda ſit vel immunda avis, nihil determinat Moyſes.)

HISPANIA, Europæ pars, quam mare alluit; Oceanus ad occidentem, & ſeptemtrionem; Mediterraneum ad orientem, & meridiem; Galliæ ad orientem, & ſeptemtrionem contermina. Hanc Hebræi *Sepharad* vocitant, *Abdias* 1. 20. Hiſpanorum patrem fuiſſe *Tharſis* credunt Euſebius, & Bochartus *Phaleg. l.* 3. *c.* 7. S. Paulus ad Romanos 15. 24. 28. ſcribit ſe eos inviſurum, cùm in Hiſpaniam proficiſceretur. Utrùm verò unquam in Hiſpania fuerit, incertum (b). Patres plurimi aſſerunt (c). Alii dubitant: Baronius, & Pererius ajunt, S. Thomas, & Scotus negant. V. *Tillemont.* Not. 73. ſur S. Paul.

HOBA, ſivè *Hobal, Soba, Sobal*. Codorlahomor, fœderatoſque Reges inſequutus Abraham, excurrit *uſque Hoba, quæ eſt ad lævam* (ad ſeptentrionem) *Damaſci*, *Gen.* 14. 15. Hoc nomine deſignatam credimus *Abilam* in valle inter Libanum, & Antilibanum.

HOBAB, filius Jetro, & frater uxoris Moyſis. Movens jam è Sinai Moyſes, iter Chanaan iſtidem versùs proſequuturus, Hobab, ut ſecum veniret, conceſſæ à Deo terræ portionem habiturum invitavit, *Num.* 10. 29. Renuenti illi, in ſuam regionem regreſſuro, etiam atque etiam inſiſtens Moyſes, tandem flexit. Cinæi, qui ad meridiem Juda ſedes habebant (d), Hobab Madianitæ poſteri creduntur.

(HODIE. Vox non tantùm præſentem hanc diem deſignans, ſed interdum etiam tempus aliquod indefinitum; *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Porro, ait Apoſtolus Hebr. 3. 13. hodie hoc totius vitæ noſtræ tempus deſignat; *Per ſingulos dies donec, hodie cognominatur*. Et Pſal. 109. *Ego hodie genui te*, i. e. ab æternitate, nec ceſſo à te generando. Apoſtolus Hebr. 13. 8. *Jeſus Chriſtus heri & hodie ipſe & in ſæcula*. Nehemias 2. *Eſdr.* 9. 36.: *Ecce nos ipſi hodie ſervi ſumus*, ii ſumus quales ſemper fuimus. Eccli. 38. 23. *Sic erit & tuum mihi heri, & tibi hodie*, eadem mihi & tibi ſubeunda eſt conditio. Jeſus Chriſtus Lucæ 13. 33. *Oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare*; i. e. aliquo adhuc tempore.)

HODSI, ſivè *Chodſi*, locus in Galaaditide, ſitus tamen incerti. Joab populi cenſum juſſu Davidis facturus, in Gad, & ad montem Chodſi veniſſe perhibetur. 2. *Reg.* 24. 9.

HOLAN, ſivè *Cholon, Helon*, urbs montana Judæ, *Joſ.* 15. 51. Sacerdotalis, & refugio deſtinata. *Joſue* 21. 15. & 1. *Par.* 6. 69.

HOLDA, Propheteſs, uxor Sellum, quam Joſias ſuper invento Libro Legis in Templi Ærario conſuluit. 4. *Reg.* 22. 14. 15.

(Cùm ſarta tecta Templi Hieroſolymitani curarentur juſſu Regis Joſiæ, autographum Legis reperiri contigit in Ærario Templi ab Helcia Summo Sacerdote 4. *Reg.* 22. 1. *&c.* & cùm miſſus à Rege Saphan Præfectus veniſſet, ait ad illum Helcias: *Librum Legis Domini reperi in Templo*, ſimulque illum ejus manibus remiſit. Traditum accepit Saphan, legit, conferenſque ſe ad Regem poſt expoſita ea, quæ præſtiterat oſtendit & Codicem è manu Summi Sacerdotis receptum, legitque coram Rege. Hæc audiens Rex, diſcidit veſtimenta ſua, juſſitque *Helciæ* Summo Sacerdoti, *Abicam*

 filio

(a) Pagnin. Munſt. Buxtorf. Mercer. R. Salom. & Kimchi. (b) Vide Interpp. in Rom. 15. 24.
(c) Epiph. hæreſ. 27. Chryſ. Præfat. in Epiſt. ad Hebr. Hieron. in Iſa. 11. Theodor. in 2. Timoth. 4. & in Philipp. 1. 16. Gregor. in Job. l. 31. c. 22. (d) Judic. 1. 16. & 1. Reg. 15. 6.

filio Saphan, *Acobor* filio Michæ, *Aſaia* domeſtico ſuo, ut irent ad conſulendum Dominum. Ite, inquit, conſulite Dominum pro me ac populo ac univerſo Juda de iis, quæ in Libro iſto continentur; exarſit enim furor Domini in nos, quòd Patres noſtri ſurdas præbuerint aures vocibus hujus Libri, renuerintque ſubmittere ſe ejus præceptis.

Contulerunt ſe illi ad Holdam Prophetidem uxorem Sellum cuſtodis veſtium, commorantem Hieroſolymæ in Urbe ſecunda. Expoſuerunt fœminæ omnia quæcunque Rex mandabat; tum illa: Hæc verbis Domini renunciate Regi, a quo veniſtis ablegati; immiſſurum ſe ſcilicet (Deum) in hunc locum & cives mala omnia, quæ volumen hoc minitatur, quòd verſis in ipſum tergis ad Deos alienos convertiſſent faciem, furoremque inde ſuum in ſe provocarint: *Succendetur*, inquit, *indignatio mea in loco hoc*, *& non extinguetur*. Regi autem Juda hæc item verbis Domini renuncianda commiſit: Cùm ad lectionem hujus voluminis corde expaveris animoque te demiſeris coram Domino, intimoque tactus dolore ſcideris veſtimenta tua, & obortis lacrymis veniam rogaveris, ego te auſcultavi; adjungeris patribus tuis, & in pace infereris tumulo, nec oculis ſpectabis mala, quæ in hunc locum caculſurus ſum.

Hoc accepto reſponſo Joſias advocato Seniorum Juda & Jeruſalem in Templum cœtu 4. *Reg*. 23. 1. &c. eò pariter ipſe ſe contulit una cum populo Urbis univerſo, ne uno quidem excepto, palamque omnibus legi volumen juſſit; tum innovavit ſolemne cum Deo fœdus, populum obſtringens promiſſione, nunquam ſcilicet ſe commiſſurum, ut refractarium ſe legibus illis præberet; ſimul autem ad hæc reliquias Idololatriæ in Templo & Provincia delevit omnes. Tempus obitus Holdæ ignoratur, ſed volumen Legis repertum eſt A.M.3380. ante J.C 620. ante Æram 623.)

I. HOLDAI, vir, quem, ut & alios nonnullos, juſſus eſt à Deo Zacharias aurum flagitare, conflandis coronis pro Jeſu filio Joſedech. *Zach*. 6. 10. 11.

II. HOLDAI, ex duodecim Præfectis legionum Davidis, qui ſuo ſinguli menſe cum ſua manu 24000. virorum aulæ miniſteria obibant, 1. *Par*. 27. 15. Holdai XII. menſe ſerviebat.

HOLOCAUSTUM, vox ex Græco *holocauſton* (a), quod ſonat penitus combuſtum; quippè quòd in altari victima penitùs abſumeretur, cùm victimæ pro peccatis, & hoſtiæ ſalutaris certæ portiones reſervarentur. Vox Hebræa *holah*, quæ redditur *holocauſtum*, ex radice verbi, quod ſonat *aſcendere*, derivata eſt; cùm fumus ex univerſa hoſtia in holocauſto offerendo in ſublime ferretur. Porrò holocauſta vetuſtiſſima ſunt omnium, quæ ſciamus, Sacrificiorum, atque ante Legem ſola, cæteris, etiam iis pro peccato, & gratiarum actione, nondum uſu receptis, obtinuiſſe videntur (b). Poſt erectum Tabernaculum, ſivè poſt Templum conſtructum, vel ſaltem poſt conſtitutum certo loco idem Tabernaculum, duo agni in quotidianum holocauſtum ſuper Altare æneum, alterum ocyùs ſub lucis exortum ante cætera Sacrificia, alterum ſub ejuſdem exitum, offerebantur.

Altare holocauſtorum, arcæ ſimilitudinem referebat, ex lignis ſethim conſtructæ, & æreis laminis obductæ, quinque cubitis in quadratum, & tribus in longum, *Exod*. 27. 1. *&c*. Hujus ſitus ad orientem, & in veſtibulo Tabernaculi ſub dio erat; ne ſcilicet, igne continuò ſuper illud ardente, fumus victimarum interiora Tabernaculi denigraret. Ex quatuor ejus lateribus totidem veluti cornua prominebant, eodem, quo cætera, metallo obducta. In ejus concavo crates ænea ſuſpenſa erat, igni continendo, demittendiſque in ſubjectum receptaculum relictis ex igne cineribus. Hanc cratem ſuſpenſam tenebant quatuor catenæ, ſingulis lateribus ſingulæ, ex altaris cornibus demiſſæ. Suis etiam annulis ad latera inſtructum erat, detinendis vectibus ex ligno Sethim, & ære obductis; altari tranſvehendo præparatis.


Hæc de altari holocauſtorum à Moyſe fabricato; quod verò ad alterum, à Salomone in Templo conſtructum, ſpectat, illud profectò majoris molis fuiſſe conſtat; quippe quod cubi ſpeciem referens, 20. cubitos in longum, totidemque in latum, & 10. in altum æquaret. Æreis craſſiſque laminis obductum erat; interiora verò ex lapidibus impolitis conſtabant; ad quod etiam in orientali latere aſcenſus ſabrefactus patebat. Poſt regreſſum è captivitate Babylonica, Altare holocauſtorum Salomonici inſtar reſtitutum eſt; verùm poſt Templi, & Altaris profanationem, juſſu Antiochi Epiphanis, illud prorſus abolere viſum eſt, lapideſque in locum purum Templi reſervare, uſquequò Prophetæ alicujus judicio in aliquod pium opus deſtinarentur 1. *Mach*. 14. 41. Herodes Magnus, innovato Templo, Altare etiam holocauſtorum excitavit, formæ à cæteris non diſſimilis, quamquàm aſcenſus ad meridianum latus patebat (c).

(Altare illud, ſi Rabbinis fides (d), ſtructa moles erat è rudibus lapidibus, cujus baſis 32. cubitis gyrabat, vel 48. pedes dimetiebatur in quadro. Surgebat à baſi moles integro cubito vel pede & ſemis, tum in arctum ſe cogebat craſſitudine cubiti. Sic reformata 30. cubitos in quadro creſcebat 5. cubitis: tum arctior iterum ac contracta duobus cubitis in latum, ad 28. tantùm cubitos redigebatur. Aſcendebat iterum adhuc tribus cubitis; tum iterum duobus cubitis coarctabatur. Tandem uno adhuc cubito ſeſe erigebat in altum, ac denique aream offerebat latitudinis 24. cubitorum, vel 36. pedum in quadro. Focus erat ibi cremandis victimis, atque perpetuo igni continendo.

Duo illi cubiti Aræ cogentis ſe in arctum inter ſurgendum ad mediam fermè molis altitudinem opportuni erant inſternebantque viam Sacerdotibus, quò faciles irent recederentque, gyrarentque circum Altare, prout res exigebat, ſive fovendo igni, ſive imponendis victimis. Veſtiebant Altare illud ampliores è ſolido ære laminæ, ex quo nomen Altare æneum. Intus autem opificium creditur è congeſta terra ſeu lapidibus rudibus, juxta illud Exodi 20. 24. 25. *Altare de terra facietis mihi..... quòd ſi Altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus; ſi enim levaveris cultrum ſuper eo, polluetur*. Quo loco Altare ultimò ſtringebatur, poſita ad quatuor latera ſurgebant unius cubiti in quadro quatuor pilariola, ſemicubito concava in quadrum, abſolutumque cubitum referentia. Recurrunt hæc ſæpiùs in Scriptura ſub nomine cornuum Altaris, cavumque præferebant alveum excipiendæ cruoris victimarum portioni. Ad meridionale Altaris latus leniter acclivis aditus via (*Kibeſch* dicta) deducebat ad ſuperiora, eò deſinens quo tota moles in arctiſſimum cogebatur, juxta locum ſeu faſtigium. Patebat via illa in latum 16. cubitis; in longum ad 32. porrecta: atque ita Legis ſanctioni, *Exod*. 20. 26. obſecundatum eſt, mandanti, ne Sacerdotes per gradus aſcenderent ad Altare. Circum Altare illud ultrò citròque ut facilè decurrerent Sacerdotes, commodam præſtabant viam cogentes ſe in arctum molis duplex receſſus, medius ſcilicet, qui cubito latum ſpatium relinquebat, & ſupremus, qui pariter ſubſtratum unius cubiti ſolum permittebat; vix enim alioqui nudipedes incedere ſuſtinuiſſent in ſuprema area vel foco perpetuo igne torrido.)

HOLOFERNES, Princeps militiæ Nabuchodonoſoris Aſſyriæ Regis, de quo ſuo loco. Vide etiam

(a) Ab ὅλος, totus, & καίω, accendo.
(b) Vide *Sacrificium*. (c) Joſeph. de Bello l. 6.
(d) Miſnajoth in Middoth. Maimonid. in Beth-Habb-Ahi-rach. c. 1.



ALTARE HOLOCAUSTORUM

Digitized by Google

Digitized by Google

etiam *Arphaxad*. Cùm Rex ille Arphaxad Regem Medorum, prælio victum, ſubegiſſet (a), omnibus, quæ latè patent, nationibus, ut ſuis imperiis ſubderentur, renunciavit, *Judith.* 1. ſe enim eum Regem eſſe dictitans, cujus potentiæ nullus jam obſiſtere valuiſſet. Cùm gentes imperata facere abnuerent, Holofernem cum validiſſimo exercitu ad eas, ut ſubigendas, miſit. Is igitur Euphratem tranſgreſſus (b), Ciliciam primò, deinde Syriam ferme ſibi vectigales, ſive armorum vi, ſive ſponte fecit; alis ubique crudelitatis, & impietatis veſtigia relinquens adeò, ut Regem ſuum pro Numine haberi coegiſſet.

Deio expeditionis in Ægyptum ſuſcipiendæ conſilio Judæam versùs iter torsit, quà conſuetus in Ægyptum tranſitus eſt. Sperabat ſponte ſibi ſubditos Judæos habiturum; quare illos, ſibi reſiſtentes præter ſpem, ominò nactus eſt *Judith.* 5. Inter auxiliares copias Ammonitas etiam, mox ſibi ſubjectos, habebat, quorum Dux Achior, requiſitus ab illo de Hebræis, prodidit eas gentes peculiari ſui Numinis potentiſſimi auxilio in tuto eſſe; cui ſi dicto fideles fuiſſent, nunquam effici poſſe, ut vincantur: monuit igitur, ut ſolam victoriæ ſpem in eo poneret, ſi fortè illi ejuſdem Numinis opem aliquo crimine demeriti fuiſſent, *Judith.* 6. Ducis libertate offenſus Holofernes, ait, velle ſe, Divinam Nabuchodonoſoris potentiam experiretur; quare eodem cum Hebræis, quos adeo extulerat, exterminio perdendum eſſe ſe ſciret. Simul autem illum Bethuliam deduci, & Hebræis relinqui juſſit. Relictus igitur ante mœnia urbis Achior, ab Hebræis ſupervenientibus in urbem abductus, totam rei geſtæ hiſtoriam narravit.

Intereà Bethuliæ obſidio cœpta *Judith.* 7. aquæ etiam ab aggreſſoribus interclusæ ſunt, uniuſque, qui ſuperaverat juxta mœnia, fontis uſus, appoſitis militibus, incolis prohibebatur; quare brevi ad ultimas anguſtias cives redacti, intra quinque dies, niſi Deus prompta ope ſubveniret, deditionem ſtatuerunt. Ejus conſilii Judith certior facta, Holophernem in caſtris aggredi ſtatuit, *Judith.* 8. & 9. & 10 & 11. Splendidiſſimis igitur veſtibus ornata, ex urbe, unà cum pediſſequa, ad Ducem profecta eſt, quaſi Dei monitu in ejus clientelam, Judæorum ſcelera iniquo animo ferens, confugeret.

Primo intuitu Holofernes fœminæ amore captus eſt; quare, diebus aliquot elapſis, ad convivium unà cum Principibus ſui exercitus invitavit. Hic Dux effuſe bibens, in ebrietatem primo, deinde in ſomnum reſolutus, nihil in fœminam indignum tentare valuit. Interea Judith cum Duce ſola in tentorio tota nocte relicta, ſtrictu ipſiuſmet enſe, dormientis cervicem præcidit *Judith.* 12. & 13. atque clam è tentorio ſe ſubducens, in urbem, Holofernis caput deferens, regreſſa eſt. Sub ipſo diei ortu, Judæi impetum ex urbe in aggreſſores fecere, qui ſtatim ad Ducis tabernaculum convolantes, truncum cadaver, ſuoque in ſanguine natans invenere. Agnita igitur mulieris Hebrææ fraude, ſimulque carentia Ducis turbati, ſpolia opima Judæis relinquentes, illicò ſe præcipites in fugam dedere. Fugientibus Judæi inſtantes, & cæde, & præda exſaturati ſunt. Quo potiſſimum tempore id bellum contigerit, diutiùs diſceptatum eſt; ſunt enim, qui ante captivitatem Babylonicam ſub Manaſſe, & ſub Pontifice Eliacim contigiſſe; ſunt, qui poſt captivitatem retrahant. Vide *Judith.* Nos ante captivitatem contigiſſe credimus, A. M. 3348. ante Chr. 652. ante Æri 657.

HOLON, urbs Juda, *Joſue* 15. 14. alio nomine *Holan*, *Cholan*, *Olon*, ſive *Helon*. Vide *Holan*.

HOMER, ſive *Chomer*, vel *Chorus*, menſura cava Hebræorum, 10 bathos continens: adeoque 49. pintas, ſemi-ſextarium, & octavam pintæ partem paulò excedens.

(HOMICIDA. Illatæ ultrò in hominem necis crimen nunquam non capitale reputatum eſt; qui vero alterum imprudens & ignorans peremiſſet, exilio damnabatur apud Hebræos. Cui enim tale aliquid accidiſſet ad unam ex Urbibus aſyli pronum erat perfugium, ubi & tutam habebat moram ad obitum uſque Summi Sacerdotis *Num.* 35. 28. Tum verò integer erat illi in Urbem & domum avitam reditus. Sponte autem illatæ neci impunitas nulla; cujus reum interimere vel ipſi occiſi propinquus permittebatur *Ibid.* ver. 17. Pretium pro ejus vita ſervanda accipere nefas *Ibid.* v. 31.; ac tandem vel ab ipſo Altari avellere ad necem fas erat *Exodi* 21. 14.

Si fortè interempti hominis cadaver, ubicumque intra regionem jacere conſpiceretur, ignoto delicti hujus patratore, Moyſis ſanctione edictum eſt *Deut.* 21. 1. 8. Seniores omnes & Judices propinquæ regionis ad locum conveniant, & poſt declaratam ſedulo examine quæ proximior Urbs habeatur, à Senioribus ejuſdem Urbis ſtatuatur in medium vacca, à jugo adhuc intacta, deducaturque in vallem incultam, aſperam, in qua ſata nulla, ubi & mactetur. Tum accedant cum Senioribus & Magiſtratibus Urbis Sacerdotes Domini, lavanteſque in ſanguine victimæ manus, proteſtentur: *Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi viderunt. Propitius eſto populo tuo Iſrael, quem redemiſti, Domine; & ne reputes ſanguinem innocentem in medio populi tui Iſrael.* Tota hæc cæremonia ſentitur utique quanto de atroci illo crimine homines tenerentur horrore; quanto timore corriperentur, metuentes ne de ſcelere illo ultio totam involveret regionem; ac tandem intelligimus uno eo crimine pollutam totam eandem regionem cenſeri, niſi exacta de authore, ſi tandem innoteſceret, ultiò maculam eluiſſet.)

HOMO. Plura ſunt in creationem & lapſum primi hominis ambigua, quæ diſcuſſa ſunt v. *Adam*, & v. *Eva*. Ita Gen. 1: 27. legimus: Deus hominem *maſculum & fœminam creavit*; i. e. juxta nonnullos creavit hominem androgynum; vel juxta alios marem & fœminam ad latera inter ſe conjunctos; ſed pronior Textus illius ſenſus exhibet, Deum marem & fœminam creaſſe, quomodo & cætera animalia binos, ut ſingula animantium genera ſuos haberent marem & fœmellam. Quo tamen loco cætera animalia bina ſimul ad unum Dei imperium ſtare juſſa ſunt è nihilo: marem Deus & fœminam ex hominibus ſeorſum, interjecto inter utrumque tempore, produxit.

Mulier in Paradiſo creata eſt *Gen.* 2. 20. 21. 22. *&c.* è latere quieſcentis ſopore Adami deducta: reliqua quæcunque animantia mas & fœmella è ſinu materiæ inanimis ſimul effuſa ſunt.

Ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus homo eſt. Hæc potiſſimum ſimilitudo è dotibus animæ repetitur. Retulit enim à creatione arbitrii libertatem; rationem, immortalitatem, aptamque virtuti, ſapientiæ, juſtitiæ indolem; retulit quo beatitudine potiatur. Admiſſo ſemel peccato perfectæ illi ſimilitudini plurimùm derogatum eſt, detractum, atque decerptum. Similitudinis etiam habere aliquid cum Deo reputaretur homo è jure illo Principatus, quod, largiente Deo, ſupra creaturas cæteras obtinet. Ita enim conſtitutus eſt in terra, tanquam Deus aliquis ſecundarius. Hæc tandem ſimilitudo non incongruè reſpexiſſe cenſeretur eam, quæ futuro tandem tempore ſpectanda erat inter hominem innocentem & Jeſum Chriſtum hominem. Noſtram enim naturam induens Chriſtus, aſſimilavit ſibi quodammodo hominem, ipſum ſe ad hominum ſimilitudinem demittendo.

Vitæ ſpiraculum Dei munere accipiens homo factus eſt in animal vivens: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem Gen.* 2. 7. Deo ſcilicet largitore donatus eſt ſpirandi facultate & vita, animal vivum, ratione utens & immortale effectus. Verba illa uſurpant quidam de vita gratiæ, ſpiritu ſancto & ſanctificante, quo auctus eſt à Deo peculiari munere Adam.

Homo, perinde valet interdum ac homo generatim,

(a) A. M. 3347. ante Chr. 653. ante Ær. 657. (b) Judith 2. & 3. & 4. an. M. 3348. ante Chr. 652. ante Ær. 656.

natura humana ; nec ſemel etiam *Adamo* deſignando poſitus eſt.

Homo Dei, valet plerumque Propheta, Dei ſervitiis peculiariter addictus homo. Ita Moyſes eſt *Homo Dei Deut.* 33. 1. *Joſu.* 14. 6. ; ita & David, Semejas, aliique Prophetæ.

Filius hominis, hominem generatim exprimit. *Quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Pſ. 8. 5. Hic ſanè filius hominis perinde ſonat ac homo. Deus vel Angeli homines alloquentes hanc ſæpè uſurpant de illis appellationem : *Filii hominum*. Deus ad Ezechielem : *Fili hominis, ſta ſuper pedes tuos Ezech.* 2. 1. paſſim. Ita & Angelus Gabriel Danielem affatus eſt *Dan.* 8. 17.. Sibi etiam id nominis vindicat Jeſus Chriſtus.)

HOMONEA, nomen loci in Galilæa tribus ſtadiis à Tiberiade. *Joſeph. de vita ſua*.

HON, filius Pheleth, è Tribu Ruben, ſeditionis Core, Dathan, & Abiron, necnon ſupplicii particeps. *Num.* 16. 1. Vide *Abiron &c.*

(HONESTAS, HONESTUS. Ponitur ſæpe pro divitiis. *Innumerabilis honeſtas per manus illius* (Sapientiæ) *Sap.* 7. 11. Et Sap. 8. 18. *In operibus manuum illius honeſtas ſine defectione*. Et Sap. 10. 10. ubi de Jacob ſermo : *Honeſtavit illum in laboribus*. Sapientia ſcilicet laborantem illum locupletavit. *Honeſtum fecit illum*.

HONOR, HONORARE. Solemne eſt Scripturæ ut honoris nomen non de externa tantùm ſignificatione, vel etiam de intimo cordis obſequio, quod præſtari nobis agnoſcimus, uſurpetur ; ſed exprimat etiam præſtandum erga illos, quibus debetur, honorem, famulatum. *Honora patrem, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram Exodi* 20. 12. Hoc enim legis præcepto non ſignificationes tantùm nudæ obſequii & ſubmiſſionis in parentes injunguntur ; ſed opem etiam, famulatum præſtare jubemur. Balac Rex Moab ad Balaam *Num* 24. 11. : *Dominus privavit te honore* (mercede) *diſpoſito*. Salomon, Prov. 3. 9. *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei* ; obſequii in illum tui pignus exhibe, muneribus & oblationibus.

Honor eſt etiam cultus & adoratio unicè Deo præſtanda. *Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem* ait Mardochæus, *Eſt.* 13. 14. Et Pſal. 28. 2. *Afferte Domino gloriam & honorem*. Malachiæ 1. 6. *Si pater ego ſum, ubi eſt honor meus?* Apoſtolus 1. Tim. 1. 17. *Soli Deo honor & gloria*.)

HOPHA, Sacerdos, cujus familia decima-tertia recenſebatur inter eas, quæ ſtatis in gyrum hebdomadibus in Templo miniſtrabant, Davide regnante. 1. *Par.* 24. 12.

HOR, mons Arabiæ Petrææ, Idumææ finitimus, quem Aaron ſcandere à Deo juſſus eſt, ut diem claudens extremum, cum Patribus ſuis apponeretur (a).

HORÆ. Olim Hebræi diem in horas non diſpeſcebant, ſed in quatuor partes, mane ſcilicet, meridiem, primum, & ſecundum veſperum dividebant. Noctem etiam tres partes dividebant, veſpera (b), medium noctis (c), & vigilia matutina (d). Siquando autem apud Septuaginta horarum nomen occurrat, illud denotandis anni temporibus, ut apud Homerum, & Heſiodum, uſurpatum eſt.

Horologia ſero invecta ſunt apud illos. V. *Horologium*.

In Libris Novi Teſtamenti diei diſtributio in 12. æquales horas (e) more Græcorum, & Romanorum apertiſſimè intelligitur. Porrò horæ illæ, quamvis æquo conſtarent ſpatio, pro diverſis tamen anni temporibus productiores, contractioreſque fuerunt. Omnium primam ab ortu Solis horam ducebant, quæ ſextæ horæ matutinæ apud nos reſpondet in æquinoctio, cæteriſque anni temporibus, pro data brevitatis, & diuturnitatis proportione. Tertiam horam numerabant, quam nos nonam matutinam in æquinoctio, ſexta ſemper in meridiem cadebat, & ſic de ſingulis. Conſueviſſe etiam Judæos Romanorum more noctem in quatuor vigilias diſtribuere, ex Novo Teſtamento intelligimus. (f).

(Horarum nomen in Scriptura utriuſque Teſtamenti recurrit frequens ; e. g. *Pluam cras hac ipſa hora grandinem Exodi* 9. 18.. Deut. 28. 57. *Liberi qui eadem hora nati ſunt &c.* Joſue 11. 6. *Hac eadem hora ego tradam omnes iſtos vulnerandos in conſpectu Iſrael &c.* Danielis 3. 15. *Quacunque hora audieritis ſonitum &c.* Job 11. 14. *Quaſi dimidiam ferè horam*, & cap. 12. 22. *Proſtrati tres horas*. Judith 7. 18. *Per multas horas una voce clamaverunt ad Deum &c.* Sed in Libris Moſaicis, aliiſque Hebræo ſermone ſcriptis *hora* perinde valet ac certum quoddam tempus vel anni tempeſtatem. In Daniele legitur nomen *ſchaata*, quod redditum eſt *una hora* ; derivari autem commodè poteſt ex verbo *ſchaah*, *ceſſare, requieſcere*.

In Libris Danielis, Tobiæ & Judith omnium primis occurrit nomen hora, eo ſenſu uſurpatum, quo nos ſolemus ; ſeu potiùs quo accipiebant veteres Græci Latinique, eo ſcilicet deſignantes particulam diei vel noctis. Daniel 4. 16. de ſe perhibet recogitaſſe *quaſi una hora*, quid ſibi vellet exhibita per viſum Regi Nabuchodonoſori ſpecies. Tobias inopina cæcitate lapſu ſtercoris cujuſdam affectus oculis intimum dolorem ſenſit, *quaſi dimidiam horam*. Idem refert cap. 12. 22. cùm habere ſe in conſpectu Angelum Raphaelem, ipſo eodem Angelo docente, comperiſſet, pronum cum Tobia juniore filio ſuo adoraſſe per *tres horas*. Bethuliæ cives in Synagogam coacti clamaverunt *per plures horas* ad Dominum, liberari ſe de manibus Holofernis poſtulantes, Judith. 7. 18. In Hebræo nihil de horis adnotatum eſt, ſed expreſſæ tantùm leguntur *linea vel gradus* 4. *Reg.* 20. 9. &c. cùm de horologio Achaz, ſeu retrogradatione ſolis in eodem horologio. Quæcunque ſit tamen ratio expreſſionis in Textu, conſtat utique ſermonem illic eſſe de horis, ſeu diei in plures portiones diſſecti. Eſt autem Achaz Daniele, Tobia & Judith multo vetuſtior.

Sed quæ horæ illæ in Sacris Libris expreſſæ? Ægrè id certò definietur, cùm nihil, quò ſapientiores reddamur, tradiderint Sacri Scriptores ; & nemo unus Author Chaldæus vel Syrius tantam præferat antiquitatem, ut certi aliquid ea de re nunciet. Græci autem, quos reconditioris ac vetuſtioris poſt Libros Sacros eruditionis promos condos habemus, horarum originem apud exteras gentes ignorant, nec vetuſtiores apud ſe conſtituunt Anaximene, vel Anaximandro Cyro coævis, ſub exitum Babylonicæ captivitatis. Excurrerat Author iſte Chaldæam, unde facilè referre potuit morem ſecandi in horas diem. Herodotus, qui Xerſi ſuppar vivebat, non obſcurè affirmat l. 2. receptam à Græcis ex Babyloniis tenere acum gnomonicam, & horologia. Et Xenophon, qui in expeditione ſua Cyrum juniorem ſecutus eſt, loquentem inducit l. 4. Euthydemum, ſolem à quo lumen emittitur, indicare *horas diei* ; ſtellas verò *horas* itidem *nocturnas*. Ariſtophanes, Socrati coævus, acus gnomonicæ & horarum rationem non obſcurè exprimit ; ita enim loquentem inducit ex Actoribus ſuis quendam : *Quotam horam indicat Gnomon?* Videſis quæ contulimus V. *Horologia*.

Ex his omnibus plenè arbitror demonſtratum, rationem horologiorum vel gnomonum, ſecandique in horas diei vetuſtiorem eſſe apud Orientales, quàm apud Græcos ; primum ejus Authorem ignorari, primumque omnium monumentum, quod noverimus, diſertè id exprimens ſuppetere quartum librum Regum, ubi de prodigio retrogradationis Solis in horologio Achaz ; tandem penitùs latere quam ſervarent

(a) Deut. 32. 50. Num. 20. 26. & 27. 13. Anno 40. ab egreſſu ex Ægypto, A. M. 2552. ante Chr. 1448. ante Ær. 1452.
(b) Lament. 2. 19. (c) Judic. 7. 19. (d) Vide Exod. 24. 24. (e) Joan. 11. 9. Matth. 20. 3. &c.
(f) Matt. 14. 25. Marc. 6. 48. & 13. 35.

Digitized by Google

varent veteres Babylonii, Chaldæi & Hebræi diurnarum item ac nocturnarum horarum diſtributionem, an æquale ſignarent temporis intervallum, vel inæquale.)

HORAM, Rex Gaser, quem, ſuppetias Regi Lachis ferentem, Joſue prælio fregit, totamque ejus regionem vaſtavit (a).

HORDEUM, tritici genus, primum omnium maturescens, Hebræis *ſchar*. Statim à Paſchalis Feſto metebatur, & Paſchalis poſtridie hordei primitiæ, in agro quibuſdam ritibus lectæ (b), offerebantur.

(Serebatur in Palæſtina hordeum autumno, vere autem primo, i. e. feſto Paſchalis metebatur. Hordeum appellant interdum Rabbini alimentum beſtiarum, quòd ſcilicet re ipſa eo alantur bruta 3. *Reg.* 4. 28.; nunquam non hordeum ſufficitur equis apud Homerum Vetereſque cæteros; & experimento fœminæ de adulterio accuſatæ hordeum tantummodo in ſacrificium offertur *Num.* 5. 15., quod ſcilicet rea illa agitur de crimine probroſo & brutali: hordeum autem illud nullo conditur ſive oleo, ſive thure, quia, ait Moyſes, *ſacrificium zelotypiæ eſt*. Tradit Herodotus lib. 2. cap. 16. abſtinuiſſe Ægyptios à frumento & hordeo, cæteriſque ex illis confectis cibis. Genus tamen aliud frumenti habebant quo alerentur.

Uſos non rarò Hebræos pane hordeaceo non uno Scripturæ exemplo intelligimus. Qui Davidi fugienti in occurſum venerunt, obtulerunt illi frumentum, hordeum, farinam, ciceres, fabas, lenticulas. 2. *Reg.* 17. 28. Mittebat Salomon ad ſervos Regis Hiram, qui operam illi ſuam locaverant in Libano, frumentum, hordeum, vinum, oleum. 2. *Par.* 2. 15. Jeſus Chriſtus & Apoſtoli in annonam ſibi tantùm providerant quinque panes hordeaceos *Joan.* 6. 9. Ad Eliam allatæ ſunt tanquam primitiæ frumentum crudum cum 20. panibus hordeaceis.

Notat Moyſes, quo tempore Ægyptum grando depopulata eſt, procellæ injuriam ſenſiſſe linum & hordeum, quòd ſcilicet lini meſſes jam adoleviſſent, & hordei ſpica jam pareret *Exodi* 9. 32.; frumentum vero & triticum, quòd ſerotina eſſent, minus ſenſiſſe incommodi, viteſcebant enim adhuc in herbam, nihilque paſſum eſt damni germen, quod emicat in ſpicam. Porrò hæc contigiſſe ſcimus aliquot tantùm diebus ante exitum ab Ægypto, i. e. ante Paſcha. In Ægypto meſſis hordeacea inibat Aprili exeunte (c).

Hordeum ponitur interdum loco rei cujuſque vilis & vulgaris pretii. Queritur Ezechiel 13. 19. de Pſeudo-Prophetis populum Domini vana promiſſionum ſpe ſeducentibus: *Propter puſillum hordei, & fragmen panis*. Narrat Oſee 3. 2. emiſſe ſibi ſponſam pretio quindecim argenteorum, & coro, & dimidio coro hordei.)

HOREB, mons Arabiæ Petrææ, non longè à Sinai; quarè ambo illi, duo ejuſdem montis juga videntur. Sinai orientem, Horeb occidentem ſpectat; orientiſque Solis radios Sinai excipiens, umbra alterum montem protegit. Horebi vertex tribus aquarum fontibus irriguus, pomiferarum arborum copia vireſcit; Sinai verò culmen dilapſis pluviis fœcundatur. Ardentis rubi viſione Deus in Horeb videndum ſeſe Moyſi præbuit, *Exod* 3. 1. *&c.* & ad ejuſdem radices ſaxum virgæ Moſaycæ contactu largiſſimas aquarum venas in populorum potum exhibuit, *Exod.* 17. 6. huc denique Jezabelis perſecutionem declinaturus Elias aufugit, 3. *Reg.* 19. 8. Non rarò in Scriptura Lex data in vertice Horeb legitur; quamvis enim in Sinai traditam fuiſſe conſtet, ambo tamen montes, unus idemque cenſebantur, ut ſupra animadvertimus.

Petra Horeb, de qua Moyſes aquam eduxit, *Exod.* 17. 6. 7. Vide *Raphidim*.

HOREM, urbs Nephtali. *Joſue* 19. 38.

HORI, filius Lothan è genere Sehir Horræi, *Gen.* 36. 22.

HORMA, ſive *Herma*, *Harma*, *Arama*; ſcribendum tamen eſſet *Chorma*, ſive *Cherma*. Urbs iſta olim ante inditum illi nomen ab Hebræis, *Horma*, ideſt *anathema*, *Judic.* 1. 17. *ſephaat* appellabatur. Cùm autem Rex Arad Chananæus Meridiana Terræ promiſſionis tenens, Hebræos prælio viciſſet, illi, ut victoriam à Deo obtinerent, omnia ſe, quæ illius eſſent, anathemati devota habituros, Domino ſpoponderunt. Hinc loco nomen *Horma Num.* 21. 3. Hujus tamen voti religionem non antea ſolviſſe videntur, quàm poſt ingreſſum Joſue in Terram promiſſionis. Inter victos à Joſue Reges, Rex etiam *Herma*, ſive *Horma*, *Joſue* 12. 14. & Rex Ared, ſive Arad occurrit. Porrò Horma ad Tribum Simeonis ſpectabat. *Joſue* 15. 30.

HOROLOGIUM. Ante Regnum Achaz (e) nulla uſpiam horologiorum veſtigia in S. Scriptura apparent; quin & ab eo tempore conſueviſſe Judæos dies in horas diſpertiri, nullo ſatis certo argumento convincimur. Luculentiſſima horarum mentio primò in Tobia 12. 22. occurrit, qui *proſtratus in faciem per tres horas* manſiſſe narratur; eademque verba etiam in Chaldæo leguntur. Hæc quidem eorum opinioni ſuffragari videntur, qui ſolaria horologia inventa trans Euphratem autumarunt (f). Alii verò ejus inventionis honorem Phœnicis deferunt, primumque horologiorum veſtigium apud Homerum *Odyſſ.* 15. v. 402. deprehendiſſe ſe credunt.

Inſula quædam Syria vocatur, ſicubi audis,
Ortygia deſuper, ubi mutationes ſolis.

Cùm Phœnices eam Inſulam tenuiſſe credantur, Aſtronomicæ ſcientiæ monumenta in illa facilè extare voluerunt.

Tribus circiter poſt Homerum ſæculis, Pherecydes ſolare horologium in eadem Inſula horis indicandis deſcripſit (g). Tandem ex Græcorum opinione Anaximander omnium primus tempus in horas diſtribuens, horologiorum ſolarium uſum in Græciam invexit (h). Hujus Anaximandri obitum conſignat Uſſerius ad A. M. 3457. ſub Cyro, manente adhuc captivitate Babylonica ante Chr. 543. ante Ær. 547. Ex Chaldæa autem, ubi horologia ſolaria, & acus magnetica jam obtinebant, in ſuo ad illam itinere Philoſophus accepiſſe potuit.

Ut ad horologium Achaz regrediamur, hanc de illo hiſtoriam in Scriptura habemus, 4. *Reg* 20. 2. *&c.* Lethali morbo detento Ezechiæ ſanitatem intrà triduum Iſaias annunciavit, & talem, ut ſtatim in Templum aſcendere valeret. Ejus rei pignus ſibi exhiberi Rex poſtulavit; factaque ſibi à Propheta illius eligendi poteſtate, num ſcilicet ſolis umbram decem lineis progredi, an retrogradi maluiſſet: Obvium eſt, ait, umbram decem lineis progredi; regrediatur igitur. His dictis, umbra illicò in horologio Achaz decem lineis receſſit. Id accidit an. M. 3291. annis circiter 12. poſt obitum Achaz.

Cujus eſſet formæ horologium illud, Scriptores non ſatis conveniunt. S. Cyrillus Alexandrinus in Iſa. l. 3. t. 4. & S. Hieronymus in Iſa. 38. ſcalam fuiſſe autumant, ea arte fabrefactam, ut umbra à ſole projecta horas notaret; quæ etiam ſententia vulgò Interpretibus arriſit (i). Alii columnam fuiſſe in pavi-

(a) Joſue 10. 33. A. M. 2554. ante Chr. 1446. ante Ær. 1450.
(b) Levit. 23. 10. &c. Vide *Manipulus*.
(c) Plin. l. 18. c. 18. Leo Afer. l. 8. c. 4. Caſſian. Collat. 13. c. 4. &c.
(d) Regnum iniit A. M. 3262. obiit A. 3278. ante Chr. 722. ante Ær. 726.
(e) Herodot. l. 2. c. 109. (f) Laert. in Pherec.
(g) Laert. l. 2. Vide Svidam & Euſeb. Præp. l. 10. (h) Pagn. Munſt. Sanct. Vat.

Digitized by Google

pavimento conſtanti erectam, quæ, umbram demittens, horas, in eodem pavimento deſcriptas, quas gradus Scriptura appellat, denotabat. Grotius ita illud ex Rabbi Elia Chomer deſcribit. Hemicyclus erat ſphæræ concavæ, globum in medio tenens, cujus umbra in lineas 28. in cavitate deſcriptas incidebat; quod horologii genus ferè reſpondet horologiis, quæ Græci *Scaphas*, cymbas ſcilicet, ſive *hemiſphæria*, à Beroſo Chaldeo inventa, authore Vitruvio l. 9. c. 9. appellant.

Hæc de figura illius horologii. Quoad retrogradum ſolis curſum, an ſcilicet ſol verè retrogradus fuerit, an ejus tantùm radii, nubis cujuſdam, ſubito quodam prodigio, oppoſitione refracti illud in horologio phænomenon induxerint, non una eſt ſcriptorum ſententia; de qua nos ſatis in diſſertatione ante Commentaria in 4. Regum.

(In ſuperiori de *horis* articulo demonſtratum eſt, horarum diſtributionem exprimi diſertiſſimè in Daniele, Tobia, & Judith; quare & *horologia*, quocunque tandem artificio elaborata, obtinuiſſe tunc neceſſe eſt. Sive enim horas dabat umbra corporis, quam pede quis dimetiebatur, ſive gnomon ſive columna umbris ſuis horas indicarent, ſive id notarit gradus aliquis, vel aliud quodcumque; hæc enim varii generis horologia olim obtinuerunt. Porrò gnomonica horologia hodie pariter ſunt familiaria, nec in agro degentibus ruſticis ignotum eſt ad juſtum, quota currat hora diei, ſive corporum ſuorum, ſive domorum umbras conſulentes.

Hebræum *Maaloth* (a), quod in Vulgata redditum eſt *horologium*, *linea*, *gradus*, exprimit ad literam aſcenſum graduum, quare nihil certi deduceretur pro figura horologii Achaz. Graduſne erat fabricatus ad horas ſignandas, vel dabat eas caſu & per occaſionem? Erat ne horologium quale modò; vel gnomon, ideo graduum nomine deſignatus, quòd lineas vel cælatas haberet, vel adnotatas?

Altera etiam inſtruitur quæſtio æquè ac prior illa operoſa, unde ſcilicet cœpta horologia, quocunque tandem illa artificio parata fuerint? facilè enim rude inventum tempore atque uſu perficitur. Ejus utique uſus non latuit Judæos ſub Achaz; non latuit & ſub Manaſſe, uti conſtat ex Libro Judith. Diu poſt eadem ſpectamus in Chaldæa trans Euphratem, uti ex Libro Tobiæ & Danielis. Quo autem tempore operum ejuſmodi Authores ſcribebant, tunc novum fuiſſe horologiorum inventum ſive in Judæa, ſive in Chaldæa, quod perſuadeat nihil eſt. Rationem ſecandi diem in duodecim horas æquales, adeoque & invehendi in Mundum horologia (via enim alterum ſine altero cohærere potuiſſe ſupra inſinuatum eſt) primos ſe mortalibus tradidiſſe gloriantur Ægyptii. Fertur Mercurius Triſmegiſtus (b) ex Cynocefalo duodecies per diem æquis intervallis mejente certiſque horis garriente rationem inviſe ſecandi diem in duodecim portiones æquales, quas & horas appellaverit. Eſt autem Mercurius Triſmegiſtus multò vetuſtior Achaz, Tobia & Daniele, ſiquidem verum ſit paulò infra Moyſis ætatem vixiſſe.

Inventi gnomonis uſum à Regione tranſeuphratæa inductum alii malunt. Vide Dictionarium v. *Horologium* & noſtram Diſſertationem de receſſu Solis in horologio Achaz quarto Regum præfixam.

Retrogradatio Solis decem lineis recedentis in horologio Achaz, ſerius adhuc examen expoſcit. Autumarunt quidam (c) receſſum hunc non reipſa quidem in Sole, ſed ſpecie tantùm & in opinione gentium fuiſſe; ut tota rerum mutatio ad umbram incidentem in horologio Achaz, non ad motum aliquem ſolis referenda ſit. Curſum ſuum non retinuit aſtrum illud; ſed ejus radii, objectu nobis aliter ac priùs refracti, vel quacumque tandem alia ratione id effecerunt, nullo quidem prodigio, ut in horologio Achaz umbra inſperatò diverſa incideret; quod perinde obſtupuerunt homines ad prodigium. Eſto utique; factum ita accidiſſe. Nunquid proinde abfuiſſe prodigium omne cenſendum eſt? In eo utique agnoſcas prodigium oportet, quòd opportuna acciderit nubes, radios ſolis ita determinans, ut umbra retrogradi decem gradibus cogeretur in horologio Achaz.

Quibus ea arridet ſententia, ſolem ſcilicet centrum tenere orbis, quam habitamus, tam prona eſt ratio expediendi ſe ab hac difficultate, quàm quibus ſol agitur circa terram. Abſque eo quòd vel ſiſtatur vel ſuſpendatur motus ſolis, facilè quis conciperet ejus radios ita reflecti potuiſſe, ut umbram inducerent decem lineis poſteriorem, quàm antea, cùm ſcilicet radiis nihil erat oppoſitum.

Sed nunquid decem illæ lineæ totidem horas notant? Hic ſanè ſententiam omnem ſuſpendendam judico; commodè enim ſingulis horis vel plures notari potuiſſent lineæ, vel ſingulæ ſingulis. Eam diem prolixiorem fuiſſe cæteris omnibus nullibi aſſerit Scriptura. Et quidem ſi tota prodigii vis fuit, ut aſſignato temporis articulo, & brevi aliquo ejuſdem temporis ſpatio radii ſolis aptè ad intentum determinarentur, cur dies illa prolixitate ſua cæteras ſuperaret, nihil erat. Quando verò ſol curſum ſuum ſtitiſſet, uti inſinuare videtur Textus, nequaquam inde tamen inferretur, diem illam decem integris horis cæteras ſuperaſſe; neque enim conſtat, ut jam inſinuatum eſt, lineas illas in totidem horas valuiſſe.)

HORON, ſive *Oronaim*, Urbs Arabiæ, Sanaballat patria 2. *Eſdr.* 2. 10. *&c.* Vide *Oronaim*.

HORRÆI, veteres populi, quos primò montes Seir in transjordanica tenuiſſe conſtat, *Gen.* 14. 6. Potentiſſimis Ducibus parebant, etiam ante occupatam eam regionem ab Eſau, *Gen.* 36. 20. ... 30. Succeſſu temporis Horræi poſteri Seir, & Idumæi in unum populum coaluiſſe videntur.

Nomen Hebræum *Chori*, ſive *Chorim* in Geneſi, & alibi etiam, quandoque in Scriptura (d) redditur Horræi, in ſenſu ſcilicet appellativo denotandis Viris magnis, Heroibus, & potentiſſimis; unde derivatum videtur illud Græcum *Heros*, ut & *Anax*, Rex, ex filiis *Enach*, ſive ex Anach celeberrimo Palæſtinæ gigante deſumptum eſt.

HORTUS, Græcè *Kepos*, Hebraicè *Gan*, vox locum, in quo olera proveniunt, ſignificans; nonnunquam etiam pro viridario uſurpata; ex quo *hortus Eden*, ſive hortus delitiarum (e) is dicitur, in quo primi parentes à Deo collocati. Hebræi verò viridarium *paradiſi* nomine frequentius exprimunt, ex quo Græcum *paradiſos*, locus nempe arboribus conſitus, derivatur. *Horti Regii*, in urbe, vel prope Hieroſolymorum mœnia ſiti, in quibus Regum ſepulchra erant (f), interdum nominantur. Crimina, & idololatrias ſuas Hebræis in hortis patratas Iſaias 1. 29. exprobrat: *Erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis*; Veneri ſcilicet, ac Adonidi nuncupatis. In his Hebræi ſacrificabant, *Iſa.* 65. 3. *Qui immolant in hortis*; cùmque aqua ſe laviſſent, ſe luſtratos cenſebant. *Iſa.* 66. 17.

HOSANNA, ſeù potiùs *hoſa-na*, Hebræa vox ſonans, *ſalva quæſo*; qua loquendi formula fauſta Judæi precari ſolebant. Hinc ingredienti Hieroſolymam Jeſu Chriſto acclamatum eſt: *Hoſanna Filio David*, ac ſi diceretur: *Domine ſerva quæſo filium David*.

HOSPES; *hoſpitalitas*, cujus apud excultiſſimas gentes uſus ſemper curæ fuiſſe ex Homero, aliiſque vetu-

(a) 4. Reg. 20. 11. Iſaiæ 38. 8. Septuaginta *Anabathmos*, *gradus*; Vulgata *linea gradus*.
(b) Tull. apud Victorin. a Macrob. citat. lib. 1. cap. 21.
(c) La Peirere, & Spinoſ.
(d) 3. Reg. 21. 8. 11. & 2. Eſdr. 2. 16. & 4. 14. 19. & 5. 7. & 6. 17. & 7. 5. & 13. 17. Eccl. 10. 17. Iſai. 34. 12. Jerem. 27. 20. & 39. 6.
(e) Ezech. 35. 36. Joel. 2. 3. (f) 4. Reg. 21. 18. 26.

vetuſtiſſimis Scriptoribus Græcis, de ſuis moribus differentibus, conſtat. Tantus enim apud illos hoſpitibus honos, ut vel Deos crederent in terra aliquando fuiſſe peregrinatos, de mortalium in recipiendis hoſpitibus ſedulitate experimentum facturos. Indè ſumma in iis excipiendis cura, ne fortè Deus aliquis, ſub eorum forma deliteſcens, negligeretur; juraque hoſpitalitatis ſanctiſſimè ſemper obſervata ſunt.

De hoſpitalitate Patriarcharum plura in S. Scriptura exempla occurrunt. Abraham, tres Angelos hoſpitio recepturus, precibus, & obſecrationibus exoravit, *Gen* 18. 2. cum acquieviſſent, ipſe miniſtrabat coram illis, obſequii ergo ſtans; Saram conjugem ſuam parare dapes, & panem juſſit. Loth præ foribus urbis hoſpites opperiebatur, ſiqui fortè adventarent, *Gen.* 19. 1. & cùm Sodomitæ ante ejus ædes hoſpitibus illius injurias inferre paraſſent, precibus illos ab incepto deterrere, oblatis etiam duabus puellis ſuis, ut illis pro libito abuterentur, conatus eſt. Idem exemplum in ſene illo Gabaita, juniorem illum Levitam cum uxore hoſpitio recipiente obſervari contigit, *Judic.* 19. 16. 17. S Paulus, *Heb.* 13. 2. duobus illis Abrahami, & Lothi exemplis ingeſtis, Fideles, ut hoſpitalitatem exerceant, hortatur. Qua unâ virtute, ait, Angelis ſub hominum aſpectu obſequium exhiberi contigit.

SS. Petrus, & Paulus Apoſtoli, Chriſti ſpiritu ducti, nihil antiquius habuerunt, quàm ut Fidelibus ejus virtutis exercitium commendarent; quam etiam inter potiſſima viri Chriſtiani officia primos Fideles habuiſse conſtat. Hinc Jeſus ad Apoſtolos loquutus, ait: ſe hoſpitio recipi ab iis, qui ipſos Apoſtolos ſuſcepiſſent; neque indonatos ſe remiſſurum illos, à quibus frigidæ poculum dono accepiſsent, *Matth.* 10. 40. Tandem in Judicio impiis hæc exprobraturum ſe profitetur: *Ite maledicti in ignem æternam, hoſpes eram, & non collegiſtis me.... quandiù non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis*, *Matth.* 25. 41. S. Petrus, Fideles admonens, ait, 1. *Petr.* 4. 9. *Hoſpitales invicem ſine murmuratione* (eſtote). S. Paulus ad eam rem: *Hoſpitalitatem nolite obliviſci*, *Hebr.* 13. 2. &: *Hoſpitalitatem ſectantes*, *Rom.* 12. 13. quod exercitium Epiſcopis curæ eſſe voluit; inter ejus officia illud ex potiſſimis eſſe inſinuans, in duabus ad Timotheum, & altera ad Titum 1. *Timoth.* 3. 2. *& Tit.* 1. 8. Clericum inhoſpitalem ab Epiſcopatu abſterrendum monet S. Gregorius Magnus, *Epiſt. ad Jo: Epiſc.* &: *Epiſcopus, niſi omnes receperit, inhumanus eſt*, ait S. Hieronymus, *Epiſt. ad Ocean.*

Portò in exhibenda hoſpitalitate adeò ſedulam navabant priſci illi Fideles operam, ut ab Ethnicis ipſis admirationem exigerent. Omnes indiſcriminatim advenas uno charitatis ſinu fovebant; in eos tamen, cum quibus eodem Religionis vinculo ſociabantur, *Domeſticos fidei*, impenſiorem curam exhibebant. Dum enim Chriſtianus eſſet advena, nulla certè alia commendatione egebat, ut hoſpitio à Fidelibus reciperetur. Duæ poſtremæ S. Joannis Evangeliſtæ Epiſtolæ commendatitiæ videntur itinerantibus conceſſæ, ut Fidelibus, quibus in itinere occurriſſent, exhiberentur.

HOSIEL, filius Semei, muſicæ peritus, & Levita. 1. *Par.* 23. 9.

(HOSTIÆ HUMANÆ. Humanis victimis ſacrificia. Vide *Sacrificia*.)

HOTHAM, filius Heber, è Tribu Aſer (b).

HOZAI, Propheta Domini ſub Manaſſe Rege Juda, qui ejuſdem Regni hiſtoriam literis mandavit. Eundem eſſe cum Iſaia Propheta, qui ad Manaſſis Regnum vitam produxit, Judæi autumarunt; alii verò nomen Hozai de Prophetis quibuſcumque, ſive *Videntibus*, uſurpatum credunt; quam etiam explicationem Septuaginta probarunt. In Syriaco *Hanan*, in Arabico *Saphan* appellatur.

HUCAC, urbs Aſer, eadem fortaſsè cum *Hucuca*, in ſorte Tribus Nephtali, *Joſue* 19. 33. Levitis ceſſit, atque inter urbes refugii cooptata 1. *Par.* 6. 75. Cum ambæ Tribus Aſer, & Nephtali finitimæ eſſent, inde fieri potuit, ut eadem urbs ſingulis tribueretur.

HUL, ſivè *Chul*, ſecundus filius Aram, *Gen.* 10. 23. quem Joſephus *Otrum* appellans, Armeniæ incolam conſtituit. In ea ſanè regione ejuſdem nominis veſtigia ſuperſunt, urbes nempe *Cholaaa*, *Colmaa*, *Colſa*, *Olane*, *Colvatha* &c. quarum fortè nonnullæ ab Hul nomen ſuum derivarunt.

(HUMERI. *Supponere humerum ſuum ad portandum onera Gen.* 49. 15. eſt ſubmittere ſe ſervituti. Diſcipulum ſuum monet Eccleſiaſticus 6. 26. humeros ſubmittat jugo Sapientiæ. Populum ſuum à virga vel à jugo, quo premebatur, televavit Meſſias *Iſaia* 9. 4. *Virgam humeri ejus ſuperaſti*. Baruc. 2. 21. captivos Babylone Judæos hortatur, humeros ſubmittant Regi Nabuchodonoſori, quò ſcilicet quietam ſub ejus imperio vitam degant. Contrario ſenſu *humerum recedentem* appellat 2. Eſdræ 9. 29. qui ſubdere colla jugo recuſat; qui verò illud ferunt juncto ſimul conſilio exprimuntur Sophon. 3. 9. *Servientes humero uno*.

Inſignia honoris & dignitatis levata interdum in humeros ferebantur. Job. 31. 36. Deum rogat, ut tandem ſententiam de rebus ſuis ferat, quò, ait, *in humero meo portem illam, & circumdem illam, quaſi coronam, mihi*. Iſaias 9. 6. de Meſſia: *Factus eſt Principatus ejus ſuper humerum ejus*. Daturum ſe Deus pollicetur Heliacim filio Helciæ *clavem domus David ſuper humerum ejus; & aperiet*, ait, *& non erit qui claudat; & claudet & non erit qui aperiat*. *Iſaia* 22. 22.

Portari ſuper humeros, exprimit interdum genus quoddam honoris & prærogativæ. Spondet Deus futurum, ut cùm populum ſuum deducet è captivitate Babylonica, ſignum det populis; *& afferent filios tuos*, ait, *in ulnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt*. *Iſaia* 49. 22.

Viciſſim indicium hoc eſt imbecillitatis & exitii. Mandat Deus Ezechieli, ut per ſuffoſſum murum, inducendum ſe curet levatum ſuper alterius humeros & in noctis ſilentio *Ezech.* 12. 6. 7. eo emblemate deſignaturum captam Urbem Jeruſalem & captivum cum Rege populum. Imbecillitatem Idolorum exprimentes Iſaias 14. 25. & Baruc 6. 3. transferri illa non aliter poſſe dicunt, quàm levata in humeros.

HUMILITAS. Singularis eſt J. C. & Chriſtianorum virtus, demiſsè de nobis ſentire ſuadens, quòd mortales ſimus, indigni & imbecilles, prompta Dei ope nunquam non indigentes. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*, ait J. C. Matth. 11. 29. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*, ait S. Petrus in Epiſtola priori 5. 5.

Humilitas perinde valet non rarò ac humiliatio. Gen. 29. 32. *Vidit Dominus humilitatem meam*. Deut. 26. 7. *Reſpexit humilitatem noſtram*. Eſther 15. 2. *Memorare dierum humilitatis tuæ*. Pſ. 9. 14. *Vide humilitatem meam de inimicis meis*.

Eraſmo olim operoſa fuit contentio de voce *humilitas* Cantici *Magnificat*, Lucæ 1. 48. *Quia reſpixit humilitatem ancillæ ſuæ*. Contendebat enim ille *humilitatem* hic exprimere *deſpectum* illum humilemque ſtatum, quem Virgo tenuit in mundo, ut humilitas hìc perinde valeat ac *humiliatio*, *vilitas*. Hanc ſententiam impugnarunt Scriptis Monachi quidam, quibus ille reſpondit in ſuo Colloquio inſcripto *Medardus*. Conſtat utique nomen humilitas non ſemper de virtute uſurpari; ſæpè enim valet egenus, abjectus atque humilis ſtatus, quem quis tenet in Mundo, exprimitque timiditatis illos, diffidentiæ & modeſtiæ ſenſus, quos ſtatus ille inſpirat.

Humiliare ſæpè ponitur pro *affligere*, *redigere in ſervitutem*, *cadere*, *ſubmittere*. *Humiliatus eſt Moab*,

vires

(a) 1. Timoth. 3. 2. & Tit. 1. 8. (b) 1. Par. 7. 32.

vires Moabitarum confractæ ſunt. *Percuſſit David Philiſthæos, & humiliavit eos* 2. *Reg.* 8. 1. potentiam ſcilicet eorum contudit. *Humiliabit Deus calumniatorem Pſ.* 71. 4.; confuſione operiet, dejiciet. *Oculos ſuperborum humiliabis Pſ.* 17. 27. contundes ſcilicet & perfundes opprobrio ſuperbos.

Humiliare Virginem Deut. 21. 14. & 22. 24. 2. *vel fœminam in bello captam*, eſt probrum illi inferre. Jerem. Thren. 5. 11. *Mulieres in Sion humiliaverunt.* Ezech. 22. 10. *Immunditiam menſtruatæ humiliaverunt in te.* Ad mulierem acceſſerunt quo tempore Lex vetat.

Humiliare ſe ſub potenti manu Dei. Petri 5. 6. eſt ejus ſapientiam & potentiam agnoſcere. *Nonne vidiſti Achab humiliatum? Reg.* 21. 29. dolore & pœnitudine dejectum. *Perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino* 4. *Reg.* 22 19. Ad aſpectum prævaricationum populi mœrore contabuiſti. Supervenisse in regionem Holofernem intelligentes Judæi, Judith. 4. 8 *Humiliaverunt animas ſuas in jejuniis & orationibus.* Mandat Apoſtolus Fidelibus 12. 16. *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.*)

HUPHAM, ſivè *Ophim*, filius *Benjamin*, *Gen.* 46. 21. à quo familia Huphamitarum. *Num.* 26. 39.

HUR, ſeù potius *Ur*, urbs Chaldæorum. V. *Ur.*

I. HUR, filius Caleb filii Eſron, alterius à Caleb filio Jephone. Hur Mariam ſororem Moyſis duxit, ſi Joſepho fides; alii enim ejus filium credunt. De illo pauca in Scriptura; quamquam ſummo in honore apud Moyſem fuiſſe ſatis intelligimus. Cùm enim Moyſes in montem aſcendiſset, pugnante interim Joſue contra Amalecitas, comites adhibuit Aaronem, & Hur, *Exod.* 17. 10. à quibus manus ipſius, porrectæ in preces ad Deum, ſuſtinebantur, ne laſſeſcerent. Idem Moyſes Sinai verticem aſcenſurus, ut Legem à Deo reciperet, ſenioribus populi præcepit, ut ſi quæ interim emerſiſſent difficultates, ad Aaronem, & Hur deferrent, *Exodi* 24. 14. Filium habuit *Uri*, ex quo *Beſeleel*.

II. HUR, Princeps Madian, in prælio contra Madianitas à Phinees inito, occiſus *Num.* 31. 8.

III. HUR, filius Joræ, è Tribu Gad, pater Abihail, 1. *Par.* 5. 14. non Abigail.

HURAI, vir inter fortiſſimos Davidici exercitus, ex valle, ſive torrente Gaas. 1. *Par.* 11. 32. In 2. *Reg.* 23. 30. *Heddai* appellatur.

HURAM, filius Ahod è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 8. 5.

I. HUS, filius Nachor. *Gen.* 22. 21.

II. HUS, ſeu potiùs *Ut*, filius *Aram*. *Gen.* 10. 23. & 1. *Par.* 1. 17. Trachonitidem frequentaſse ferunt (a).

(Hus filius Aram, de cujus genealogia ac poſteris nihil Scriptura; ſed Arabibus *Hus* eſt pater *Ad*, ex quo *Aditæ* in Arabia Felici. Aditarum in Idololatriam prolapſorum obfirmatorumque crimen ita Deum provocavit, ut exterminio tradiderit omnes, quemadmodum adnotatum eſt V. *Heber*. Vide D. D'Herbelot Bibl. Orient. pag. 460. *Houd*.

Joſephus Antiq. l. 1. c. 7. S. Hieronymus Quæſt. Hebr. in Geneſ. credunt ab Hus filio Haram conditam fuiſſe Urbem Damaſci, conſtitutaſque ab ejus poſteris ſedes in Trachonitide, agro Damaſceno ſat proxima regione. Maluit Bochartus *Huſitas* frequentaſse vallem inter Libanum & Antilibanum mediam, appellatam Arabibus *Algautam* vel regionem *Gauth* aut *Hus*.)

III. HUS, filius Diſan, è poſteris Eſau, qui in Idumæa Orientali ſedem habuit. *Gen.* 36 28. & 1. *Par.* 1. 42.

HUS, regio, in qua Job vixit, *Job.* 1. 1. cujus ſitus ignoratur, quòd incertum ſit, quam potiſſimum regionem *Hus* eo in loco Scriptura deſignaverit; cùm tres viros ejuſdem nominis ſuprà notaverimus, à quibus totidem regionum nomina derivari potuerunt. Qui Jobum inter poſteros Nachor, ſive Aram, recenſent, alibi certè terram Hus conſtituunt, quàm qui ab Eſau illum acceſſunt: amborum tamen incerta fides. Ne igitur utriuſque ſententiæ rationibus in examen ſevocandis diutiùs immoremur, brevibus ſententiam noſtram ſubjicientes, cenſemus, certum ejuſdem regionis ſitum in Idumæa conſtituendum ad Orientem Jordanis, & Galaaditidis, non longè à Bozra, & à regione, veteri nomine Auſitide appellata (b). Hanc ipſam regionem ſub nomine Hus, & in Idumæa deſignatam apud Jeremiam *Thr.* 4. 21. credimus: *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus.*

(Ea recepta inter Palæſtinos finitimaſque gentes traditione affirmat cum Euſebio S. Hieronymus, Urbem Aſtaroth-Carnaim ſedem fuiſſe Job. Eſt autem Urbs in Transjordanicis ad Jabok inter Mahanaim & Edraim. Viro huic aſſignant alii Urbem Bozram Metropolim Idumææ, unde & originem retuliſſe dicunt matrem illius. Aliis vindicare illi viſum eſt inclytam Urbem *Emath* in Syria ad Orientem, cujus ſæpè recurrit mentio in Scriptura. Conſtituunt alii *Hama*, quæ confundenda creditur cum Apamea in eadem regione & ad eundem amnem. Omnia hæc ex ea petuntur hypotheſi, quæ Jobum inter póſteros Hus filii Aram recenſet.

Cùm nobis ea ſedeat perſuaſio, Jobum facilè confundi poſſe cum Jobab, de quo Geneſis 3. 32. & 1. Par. 1. 42. 43. &c. perſuaſum pariter habemus, patriam illi non incongruè tribui Urbem *Denabam*, in ſedem Jubab à Scriptura aſſignatam. Denabam autem ſtatuunt Euſebius & S. Hieronymus in Moabitide inter Areopolim & Heſebon. Ptolemæo ejuſdem nominis Urbs eſt in Palmyrena.)

HUSAN, inter vetuſtiſſimos Idumææ Reges, & Jobabi ſucceſſor. *Gen.* 36. 34.

HUSATI, ſive *Huſath*, unde originem ducebat *Sobochai* vir in Davidico exercitu ſtrenuus 2. *Reg.* 21. 18.

HUSIM, filius Dan. *Gen.* 46. 23.

HYACINTHUS, quo nomine, & gemmam & florem certi coloris deſignamus. De flore nihil in Scriptura; de colore verò, & gemma plura.

Gemma Hyacinthi. Sponſa in Canticis 5. 14. ait, manus Sponſi tornatiles eſſe auro, & hyacinthis ornatas; atque in undecimo fundamento Cæleſtis Jeruſalem eandem gemmam locatam fuiſſe S. Joannes eſt author *Apoc.* 21. 20. Porrò hujus gemmæ quatuor ſunt genera: primum colore ad rubrum accedit: ſecundum aureo quodam emicat: tertium mali citrei: quartum mali punici colorem exhibent. Textus Hebræus in Canticis, pro gemma hyacinthi, habet gemmam *Tharſis*, quod etiam in Exodo 28. 20. legitur; & vulgò de chryſolitho explicatur.

De colore hyacinthi ſæpiſſimè apud Moyſem *Exo.* 25. 4. Vocem hebræam *techeleth* clariſſimi Interpretes (c) intelligunt de cæruleo cœleſti, ſive violaceo ſaturo, qualem violæ exhibent. Sanguine cujuſdam oſtrei, quod Latini *Muricem*, Hebræi *Chilſon* appellant, color ille conficitur.

HYADES, vox ex Græco *hyetos*, pluvia, quæ in Job 9. 9. & 38 31. occurrit, & Hebræo *Chimah* reſpondet. Porrò eadem vox in eodem Libro redditur etiam *Pleiades*. Nos Hebræam illam vocem explicandam cenſemus de *Oriente*, ſive de *Vere*. Vide noſt. comm in Job. 9. 9.

(HYENA vel Hiena animal quadrupes, cujus in Textu utriuſque Teſtamenti nomen legitur nuſſibi, ſed in Textu Hebræo Levitici (d) legitur filia Hienæ *Bath-Hazana*, cujus loco in Vulgata eſt *Struthio*. Recurrit idem nomen ſæpiùs in Textu Hebræo; nec aliter plerumque redditum eſt, quàm *Struthio*; quan-

(a) Antiq. l. 1. c. 7. Hieron. qu. Hebr. in Gen. & aliis plures.
(b) Vide noſt. Comment. in Job. 1. 1. (c) Vide Braun. de veſt. Sacerd. Hebr. l. 1. c. 13.
(d) Levit. 11. 16. Vide & Job. 30. 29. Iſaiæ 13. 21. & 34. 13. Jerem. 50. 39. & Thren. 4. 3. Mich. 1. 2.

quanquam non ita certò conſtat, an vera illa ſit Hebraicæ vocis ſignificatio. Vide infra *Struthio*.

Conſtat utique *Bath-Hajana* vel filiam Hyenæ avem eſſe; inter aves enim cibo vetitas recenſet Moyſes. Quod autem ſub nomine Hyenæ innoteſcit animal è quadrupedibus eſt, lupi magnitudine, ſed cruribus brevioribus. Setis eſt hirſutum, variiſque coloribus maculatam gerit pellem. Productæ ſunt enim Romæ ſpectaculis publicis Hyenæ, quarum, utpote animalis rariſſimi, ſervatæ ſunt imagines in nummis. Rarum eſt, inquam, animal, nullibi ſermè niſi in Ægypto viſendum. E nummis expreſſum exhibet Spanhemius maſtini capite, auribus brevioribus & triangularibus, cauda & pedibus leoninis, maculata verò pelle ad modum Tigridis.

Bochartus, Hieroz. part. 1. lib. cap. 11. & Ludolfus Comment. in Hiſt. Æthiopic. lib. 1. n. 81. defendunt, Hyenam appellari in Hebræo *Tzeboam*, cujus occurrit vox Jeremiæ 12. 9. Ita verò eum Textum reddit Vulgata: *Nunquid avis diſcolor hereditas mea mihi?* Septuaginta: *Nonne ſpelunca Hyenæ hæreditas mea mihi*. Commodè Vulgatæ ſenſum reddere poſſet Hebræus; ſed Bochartus defendit vocem *Hait*, redditam *avis*, exprimere generatim ſylveſtre quodcunque animal; & *Tzeboah*, redditum *diſcolor*, nomen eſſe *Hyenæ*, ita in lingua ſancta appellatæ, quod maculoſi velleris ſit animal.

De Hyena ita egit Plinius lib. 8. cap. 30. & lib. 28. cap. 8., ut fabulæ potiùs monſtrum, quàm nemorum bellam deſcripſiſſe videatur. Animal eſt, ſi illum audias, anno quidem mas, & anno viciſſim fœmella, è cujus oculis eruuntur gemmæ, *Hyenæ* appellatæ. Umbra ſua obſtruere canibus ora ne latrent, affirmant Ariſtoteles cum Æliano, addentes humanas ab eadem Hyena exprimi voces, fallendis incautis, qui foras è domibus educti vorantur. Addunt pariter pedibus eſſe hominis perquam ſimillimis, & vertebris in collo carere.

Busbequius in ſuo Itinere Amaſeno pag. 76. plura de eadem hac bellua refert. Lupo in omnibus ſimilis, proceritate ſuperatur, ſetis eſt lupinis, ſed hiſpidioribus aſperſiſque amplioribus atris maculis. Cervice caret penitùs; junctum gerit caput vertebris vel ſpinæ dorſali, ut cum retrò poſt terga ſpectat, totum retrò vertere corpus cogatur. Bellua eſt ſævitate inſignis & carnivora, cadavera extrahens è tumulis, quæ & in cuniculum ſuum raptat. Perpetuo oſſe munitur in mandibula, quod molarium loco eſt. Fertur hominum articulatos ſermones imitari, quos incautos in eorum perniciem fallit non ſemel.

Quod attinet ad *filiam Hajana*, avem inter vetitas à Moyſe, hæc habent de illa Scripturæ, undè aliquid de animali inveſtigare liceat. Ex Job & Michæa inſinuatum videtur, avem eſſe lugubrem altis ejulatibus dolorem ſuum exprimentem. *Frater fui draconum, & ſocius Struthionum*, (Hebr. *filiæ Hajana*) ait Job 30. 29. Michæas 1. 8. *Faciam luctum quaſi Struthionum* (Hebr. *quaſi filiæ Hajana*). Iſaias 13. 21. & Jerem. 50. 39. commemorantes everſionem Babylonis, triſtemque illum, quo redigenda erat, ſtatum, futurum dicunt receptaculum belluarum, draconum, & *filiarum Hajana*. Paria repetit Iſaias 34. 13. cùm de excidio Boſræ Metropolis Idumææ. Tandem efferatiſſimam eſſe belluam inſinuat Jerem. Thren. 4. 3. *Lamiæ* (vel crocodili) *nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos, filia populi mei crudelis quaſi Struthia* (Hebr. *quaſi filia Hajana*) *in deſerto*.

Interpretum planè multis venit in mentem, num ipſa eſſet noctua, vel bubo, mœſta, lugubris, ſolitaria, acutumque atque ingratum ſtridens, avis; ſed nunquid noctua inter feras? Conjecturas noſtras propoſuimus ad Iſaiæ 13. 21. 22. pro *Cygno*. Porrò quæ vitio vertit Jeremias huic avi ceu moribus crudeli, ſatis quadrant cum Struthione, qui catulos ſuos & ova dereliquiſſe fertur. Sed nemo ullus apud Scriptores, quantum ſcio, avem illam reprehendit tanquam lugubrem, ſtridentem, aquaticam, mali ominis, quæ locis deſertis vetuſtiſque ædibus delectetur.)

HYMENÆUS, civis, uti quidem videtur, Epheſinus, qui S. Pauli prædicationibus fidem ampleſus in hæreſim deindè eorum prolapſus eſt, qui carnis reſurrectionem 2. Tim 11. 17. utpotè quam contigiſſe crederent, futuram denegabant. Eorum fuiſſe ſententiam putat S. Auguſtinus *in Jo. hom.* 19. nullam manere niſi animæ reſurrectionem, à peccato ſcilicet ad gratiam, per fidem, & baptiſmum. De hoc Satanæ a ſe devoto Apoſtolus Timotheum monet (a); quem tamen biennio poſt in eodem errore una cum altero ſocio Phileta manſiſſe (b) conſtat. De Hymænei exitu nihil memoriæ proditum eſt.

HYMNUS, ex Græco *hymnos*, quod carmen, ſive canticum pium in Dei, & Sanctorum laudes adornatum ſonat. Hymnus interdum ſynonymus eſt cantici, cantus, pſalmi; quæ tria apud Hebræos ferè non diſtinguuntur; neque apud illos vox ſuppetit, quæ hymno, ut à pſalmo, & Cantico diſtincto, reſpondeat. Vox enim *miſmor*, quæ reddi ſolet *pſalmus*, amplioris eſt ſignificationis; quare interdum vertitur *canticum*, *ode*; & vox *tehilla* laudem ſonat, quamvis *hymnus* vertatur. Apoſtolus Fideles hortatur, ut *in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus ſeſe invicem provocent*. *Eph.* 5. 19. *Coloſſ.* 3. 16. Jeſus Chriſtus poſt cœnam peractam, *hymno* recitato, è cœnaculo exiit, *Matth.* 26. 30. pro Judæorum in cœna Paſchali more. Hymni, quorum eſt in Eccleſia Chriſtiana uſus, à pſalmis diſtincti, piiſſimorum quidem, non tamen Canonicorum Authorum opus habendi ſunt.

HYPOCRITA, ex Græco *hypocrites*, quod de illis uſurpatur, qui externo habitu alios ſe ſimulant, veluti in ſcena comœdiarum, & tragædiarum actores. Hypocrita vulgò dicitur, qui viri probi perſonam ſimulat; cujus vitii reos Jeſus Chriſtus ſæpiſſimè Phariſæos arguit. In Libris V. T. Hebræa vox *chaneph*, quæ redditur *hypocrita*, *veterator*, prophanum etiam, impurum, impium, corruptum, proditorem ſonat. Hinc apud Jerem. 3. 1. 9. & 23. 5. eadem vox exprimendæ corruptioni Terræ Juda, ex corruptis incolarum moribus, uſurpatur.

HYRCANUS. Vide *Hircanus*.

HYSSOPUS, nomen herbæ notiſſimæ, Hebræis *eſob*, cujus uſus in aſperſionibus, & luſtrationibus. Ita ſub egreſſu Judæorum ex Ægypto *Exod.* 12. 22. juſſit Deus, hyſſopi faſciculo, ſanguine agni paſchalis madenti, poſtes & ſuperliminaria ædium aſpergi. Interdum ad eum uſum lanæ coccineæ flocculus hyſſopo alligabatur; & in leproſi luſtratione, hyſſopo, & lanæ rubenti addendi erant cedri ramusculi; quæ omnia in aquam, avis ſanguine miſtam, intingebantur. *Lev.* 14. 4. 6.

Porrò hyſſopus arbuſcula eſt, plures ex radice ligni inſtar duriſſima, ad pedis ac dimidii altitudinem, ſurculos emittens. Germina illa frondibus ex utroque trunci latere per intervalla emiſſis veſtiuntur, oblongis, ſolidis, odoris, calidis & ſubamaris. Flos in vertice prodit, ſpicæ figura, & cæruleo, dilutoque colore. Duo hujus plantæ ſunt genera: montanæ ſcilicet, & domeſticæ. In Judæa præter modum excreviſſe videtur, cum milites in Evangelio tumentem aceto ſpongiam, hyſſopi baculo impoſitam, Chriſto in Crucem ſublato porrexerint. *Jo.* 19. 29.

J A

JAASIA, filius, vel fortaſſe incola Thecue; nomen etenim filii non raro pro incola uſurpatur, ut in illo, *Filia Sion* &c. Unus fuit ex electis poſt regreſſum è captivitate, qui Judæos illos, qui alie-

(a) Timoth. 1. 20. A. Ch. 63. (b) 1. Timoth. 1. 17.

Digitized by Google

alienigenas fœminas duxerant, exquiſiere. 1. *Eſdr.* 10. 15.

JABEL, filius Lamech ex Ada, *pater habitantium in tentoriis, & paſtorum*, ſcilicet author eorum, qui Arabum Scenitarum, *Gen.* 4. 20. & Nomadum more in tentoriis extra urbes vivunt, & paſcendis ovibus occupantur. Pater enim in Scriptura eſt aliquando Dominus, Caput, Author.

I. JABES. Quamquam hujus viri nomen, inſigni addito elogio pii & religioſi, exprimitur 1. *Par.* 4. 9. 10. pater tamen ipſius ne nomine quidem exhibetur. Sunt, qui, nec temerè, credant hunc Jabes eſſe Othonielem, filium Kos, ſive Cenez.

II. JABES, pater Sellum, decimus-quintus Iſraelis, ſive Samariæ Rex. 4. *Reg.* 15. 10.

III. JABES, urbs mediæ Tribus Manaſſe, transjordanicæ. Sita erat in regione, & ad radices montium Galaad; quare *Jabes Galaad* in Scriptura appellari conſuevit. Euſebius hanc (a) ſex milliar. a Pella, Geraſam verſus, removet; adeòque illa Mare Tiberiadis ad orientem ſpectabat. Hanc urbem diripuerunt Iſraelitæ, quòd cives arma capere in Beniamitas noluiſſent una cum cæteris, injuriam ulturis illatam uxori Levitæ (b) in urbe Gabaon verſanti. Eandem poſtea obſedit Naas Rex Ammonitarum (c); qui à civibus exoratus, ut eos datis conditionibus reciperet, reſpondit, ſe non alia conditione recepturum, quàm ut urbem dederent, dextroque oculo orbari paterentur. Illi inducias ſeptem dierum petierunt; quo temporis ſpatio niſi ſuppetiæ ferrentur, illius arbitrio ſe commiſiſſent. Interim Rex Saul urbis anguſtiis intellectis, cum exercitu ſuperveniens, hoſtibus cæſis, obſidionem ſolvit. Beneficium illud incolæ Jabes univerſæ Saulis familiæ rependerunt, ac Regis illius cadaver, mœnibus Bethſam à Philiſthæis appenſum, clam ſuſtolerunt, & in nemore urbi proximo ſepulturæ Regio cultu mandarunt (d).

(Retulimus hiſtoriam obſeſſæ hujus Urbis ab Ammonitis; quare fas erit in præſenti aliqua animadvertiſſe in hanc ipſam obſidionem, opportunamque à Saule præſtitam obſeſſis opem.

* Quod in hac obſidione admirationem meam extorquet, ne dicam impoſſibile factu videtur, illud eſt, nimirum 8. tantùm dierùm ſpatio cogere valuiſſe Saulem formidabilem adeò & immanem exercitum. Inducto enim copiarum ſuarum luſtro in Bezech: *Fuerunt filiorum Iſrael trecenta millia, virorum autem Juda triginta millia.* Plus nimio eum copiarum numerum auget, qua fide incertum, Joſephus Antiq. lib. 6. cap. 6. recenſet enim in armis 600000. Iſraelitarum & 70000. è Tribu Juda; eſt utique mendum in numero, hærendumque Textui Sacri Scriptoris: & id copiarum etiam cogi potuiſſe ſine miraculo vix in animum induxerim. Nunquam admoneri Tribus plurimum inter ſe diſſitæ una eademque die omnes poterant; arduum etiam fuerat omnes ad condictum tempus condictamque Urbem ſimul conveniſſe, ſuſcipiendæ expeditioni jam paratas. Non me utique fugit agi de populo præliis aſſueto, feſtinatò procurrente ad præſtandam obſeſſis fratribus opem, ſed qualibet uterentur feſtinatione remotiores illæ Tribus, nunquam tam opportunè convenire potuiſſent. Convenerunt nihilo ſecius; & Saul divino plenus ſpiritu rectà illos ducit in hoſtes, quibus, ſecuris ſeſe in caſtris continentibus, inopinatus ſupervenit.

Sermo erit aliàs de Samaria, quam urbem aggreſſus eſt Benadab exercitu inter validiſſimos valido, quas Rex ille Syriæ propoſuit Achab Regi Iſrael cæteriſque ejus ditionis conditiones, iniquæ reipſa videntur, aptæque ad extrema omnia cogendis obſeſſis; quippe quibus conducibilior eſſet mors, quàm durum adeò imperium. Sed pejora etiam proponit Naas Rex Ammonitarum civibus Jabes. Cùm enim Rex adverſa intuliſſet in urbem arma, illi ſtatim poſtularunt 1. Reg. 11. 1.: *Habeto nos fœderatos, & ſerviemus tibi.* Quibus ille: *In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium veſtrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in univerſo Iſrael.* Duriſſimæ licèt & naturæ repugnanti conditioni acquieverunt miſeri, repoſueruntque ℣. 2. *Concede nobis ſeptem ut mittamus nuncios ad univerſos terminos Iſrael; & ſi non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.* Poſtulata hæc conceſſit hoſtis.

Ablegati igitur ab obſeſſis viri rectà petierunt Gabaam ſubſiſtentemque ibi Saulem certiorem de omnibus fecerunt; & quotquot aderant omnes ad rei acerbitatem commoti ſunt in lacrymas. *Saul veniebat ſequens boves de agro & ait: Quid habet populus quòd plorat? Et narraverunt ei verba virorum Jabes. Et inſiluit Spiritus Domini in Saul, & iratus eſt furor ejus nimis*; in Ammonitarum ſcilicet ſæviſſimum Principem, qui ſubjectos ſibi habere cives Jabes recuſabat, niſi ſimul opprobrium totius Iſraelis conſtituiſſet. Arripiens igitur *utrumque bovem, concidit in fruſta, miſitque in omnes terminos Iſrael*, edici mandans: *Quicumque non exierit, & ſecutus fuerit Saul & Samuel, ſic fiet bobus ejus.* Rex dilationem non admittebat; ſex tantum ſaluti miſerorum ſupererant dies. Hæc ſi denuntiarentur, ſatis futura emovendo ad arma populo ac ſaluti fratrum procurandæ reputaverat Saul. *Tunc invaſit timor Domini populum*, ad iniquas Naas propoſitiones exhorruerunt, *& egreſſi ſunt quaſi vir unus.*

Itaque coactis luſtratiſque à Saule copiis in Bezech, feſtinato per noctem itinere, uti ne ambigentes quidem credimus, properavit ad Jabes, quò ſcilicet ſtaret promiſſis; renunciari enim per reduces eorum ablegatos mandaverat: *Cras erit vobis ſalus cùm incaluerit ſol.* Eo recreati nuncio cives Jabes, ad Ammonitas hæc deferenda curarunt: *Mane exibimus ad vos, & facietis quæcunque placuerint vobis.* Merito quidem Commentariorum Scriptor monet, omne abfuiſſe è verbis illis mendacium; vera enim obtendebant. Erupturi erant ad illos manè, ſed adverſarii, non captivi, negocium faceſſentes hoſtibus; cùm interim caſtra Ammonitarum à Saule aggerentur. Stratagemate uſi ſunt, verborum enim illorum ambiguitas id effecit, ut hoſtes minus ſibi caverent, rati nullam reſtare auxiliorum ſpem obſeſſis.

Et factum eſt cùm dies craſtinus veniſſet, conſtituit Saul populum in tres partes, & ingreſſus eſt media caſtra in vigilia matutina 1. *Reg.* 11. Grandem hunc exercitum Ammonitarum in caſtris, quantùm conjicimus, aggreſſus eſt, triplici per intervalla cuneo vallum oppugnans, ut ſcilicet omnes ejus partes occuparet. Inopinus iſte hoſtium incurſus animis prorſus dejecit Ammonitas; reſtitiſſe enim illos vel minimum nihil habet Scriptura. Vix autem dubitamus, obſeſſos ſimul ad hæc valida ex Urbe eruptione terrorem conſternatis auxiſſe, quà ſtaturos promiſſis, quà etiam ut fratribus ſuis in cædendis hoſtibus eſſent auxilio.

Bellandi diſciplina probè inſtructi erant Hebræi: intelligimus autem ex Scriptura ſolemnem illis fuiſſe præliandi methodum per agmina diſcreta, & ingenti admodum profunditate inſtructa. Quantum ex hac hiſtoria intelligimus, tribus hic phalangibus validiſſimis in caſtra invecti ſunt; has autem credimus phalanges modicis intervallis diſſectas fuiſſe, vulneratis referendis, deferendiſque mandatis maximè opportunis: præterquam quod Tribus mediis intervallis & peculiaribus inſignibus diſtinguebatur.

Non

(a) Euſeb. in locis in Ariſoth. Procop. Gaz. in Jud. Jabes 10. milliar. à Pella locat.
(b) Jud. 21. 8. Quo anno incertum.
(c) 1. Reg. 11. 1. &c. A. M. 2909. ante Ch. 1091. ante Ær. 1094.
(d) 1. Reg. 31. 12. &c. A. M. 2949. ante Ch. 1051. ante Ær. 1055.
* Animadverſiones in obſidionem Jabes, & in victos prælio Ammonitas, 1. Reg. 11. 1.

Non ſatis aſſequor cur D. Calmet ſuccurrit, quarta facilè à conceſſis induciis die obſidionem Jabitarum ſolutam fuiſſe. Factu id impoſſibile ſupra jam demonſtravi, malueramque potiùs prælii hujus eventum ad ſeptimam vel ad exortam octavam diem retrahere. Addit inſuper in Comment. ad idem caput ℣. 11. nunquam ſibi animadverſum, Hebræos finitimaſque illis gentes caſtra ſua vallaſſe munitionibus, ſed diſpoſuiſſe tantùm vigiles ad itinera viarum. Memoriæ utique lapſu hæc Viro docto exciderant; in Hiſtoria enim V. T. quam dedit in 4. tom. 1. pag. 581. expeditionem Benadad in Achab deſcribens notat: „ Moris erat circum obſeſſas Urbes ducere foſſas, & „ munitiones per intervalla addere, quo fame cogerentur ad deditionem. Conſtat quin etiam Moyſem caſtra ſua vallaſſe; nec loricis tantùm caſtra ab eruptionibus defendiſſe conſtat; ſed & terga pariter ſimili ducta lorica defendebat contra externa auxilia. Videſis in Commentario ad Polybium Lucubrationem de aggreſſionibus ac defenſionibus munitarum Urbium apud Veteres, ubi plura congeſta ſunt exempla de vallis circum obſeſſas urbes ductis.)

I. JABIN, Rex Aſor, *Joſ.* 11. 1. &c. in plaga ſeptentrionali Chanaanitidis, qui fœdere inito cum Regibus Madon, Jobab, Semeron, Acſaph, aliiſque populis Chananæorum, ut Judæos, antequam in regione confirmarentur, opprimerent, exercitum coegerunt. Cum ad aquas Meron conveniſſent, Joſue de victoria certior factus à Deo, monituſque, ut devictorum equis nervos ſucciderer, curruſque combureret, alacer cum exercitu proceſſit, improviſos juxta aquas Meron adortus, facilè fudit, fugientaſque Sidonem uſque ad aquas Maſrephoth, & planitiem Maſphæ inſequutus eſt. Indè poſt enervatos equos, combuſtoſque currus, regreſſus Aſor occupavit, Regemque ipſius occidit, anno M. 2555.

(Jabin Rex Aſor ſtupens ad mira virtutis prodigia, quæ è Joſue edita intellexerat, quippe qui univerſum jam tractum meridionalem Chanaanitidis ſubegerat, per ablegatos viros ſollicitavit cæteros plagæ ſeptemtrionalis Reges ſecundùm Jordanem & Mediterraneum atque montium ad boream Chanaanitidis, ut ſimul ſtringerent fœdus; omnia enim illis timenda eſſe inſinuabat, futurumque brevi ut Iſraelitæ omnes ſingulorum Regiones ſubigerent, ſiquidem permitterentur diſſociatos viribus aggredi. Sed hæc valuerunt tantùm, ut celeriori illorum exitio, uno ſimul prælio Joſue rem totam conficeret; ſingulari enim prælio plus ille Regionis ſubegit & Urbium, quàm antea plurium dierum iteratis præliis & victoriis. Fœdus igitur inivit Jabin cum Regibus &c.

*Mirari ſubit cur Sacer Hiſtoricus prælii adeo memorabilis circumſtantias ferè omnes nobis inviderit; ſcribit enim Joſephus, Antiquit. lib. 5. cap. 1. fœderatos in Iſraelem Reges validum duxiſſe exercitum 300000. peditum & 10000. equitum ac 20000. militarium curruum; nec ſanè minorem fuiſſe oportet exercitum arenæ maris à Scriptura, Joſue 11. 4. comparatum.

Ad tantum belli in ſe apparatum territus eſt utique Joſue, ſed animis ſtrenuum virum confirmavit Deus, hæc ſpondens: *Ne timeas eos; cras enim hac eadem hora traham omnes iſtos vulnerandos in conſpectu Iſrael.* Tanta licèt ſpe confirmatus Joſue; adhuc tamen, quod Imperatoris eſt ſcientiſſimi, & expertiſſimi; belli aſtus omnes & artificia ſibi in rem adferenda arbitratus eſt. Nihil autem commendando ſive ingenio ſive ſcientiæ viri ſummi adeo valet, ac ea, qua uſus eſt, ars, ut ſibi, impari alioqui viribus, victoria tamen de ſuperiori hoſte cederet. Porro inopinis ſupervenire tutius eſt & Imperatori decorum, cujus generis ſtratagemata frequentiſſimè recurrunt in hiſtoria.

Capiendo igitur incautos hoſtes, quippe qui magna de viribus ſuis præſumentes minus ſibi invigilarent, opportunum ſibi cenſuit Joſue. Accidit autem frequentiſſimè ut Imperator, copiarum numero excedere ſe plurimùm hoſtes ſuos intelligens, & res præſentes negligat, & futuris non proſpiciat. Neque enim perſuadere ſibi unquam poteſt, vel ſuccurrere in mentem hoſtibus, ut arma in ipſum inferant; dormiunt autem in utramque aurem ſecuri ejus milites, quibus fiducia auget ſocordiam. Hinc nata molimina illa audacia & extraordinaria imbecillioris hoſtis in validiorem, quibus proſper ferè ſemper eventus reſpondit. Sedulò hæc notanda: Minores exercitus probè inſtructi, quos etiam regunt opportuna mandata, jus ſibi nunquam non vindicarunt ſuperandi prælio majores; plura enim ſuppetunt in Hiſtoria exempla cæſi majoris exercitus, quàm rerum infeliciter geſtarum ab illis, qui ſupprimendos incautos, feſtinatis occultiſque itineribus ſupervenientes, ſibi aſſumpſerunt: eventus enim inopinatarum aggreſſionum ex his potiſſimùm referentur accepto.

Porrò in hac de copiis Regum fœderatorum relata victoria nihil prodigii, nihil extraordinarium agnoſco. Satis id demonſtratur ab Hiſtorico Sacro: *Joſue 11. 7. Venit Joſue, & omnis exercitus cum eo adverſùs illos ad aquas Merom ſubito, & irruerunt ſuper eos, tradiditque illos Dominus in manu Iſrael, qui percuſſerunt, & perſequuti ſunt.... Ita percuſſit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias.* Aptè ad rem notat hic D. Calmet „ diſtributas neceſſariò à Joſue in plura „ agmina copias ſuas, quo fugientes perſequerentur; ex illis verò alterum dimiſiſſe in Transjordana, alteram Sidonem versùs & Maſerephoth; eorum autem locorum ſitum demonſtrare facilè, plures dies in perſequendis hoſtibus inſumptas fuiſſe, „ quocunque tandem in loco prælium initum cenſeatur.

Singularis illa circumſtantia, quæ in Scriptura adnotatur, de itinere agminis Iſraelitici, crucem figit Interpretibus. Poſt quinque itineris dies obviam fuiſſe Joſue adverſariis notat Joſephus, Antiquit. lib. 5. cap. 1. Porrò è Galgalis, unde movit Joſue, ad Merom ibi ſitum, ubi Euſebius conſtituit, intervallum eſt 20. circiter leucarum, ait D. Calmet. Nec eſt cur admiretur, ſi quinque dierum tempus impenſum dicatur ab Iſraelitis 20. leucis conficiendis; natura enim locorum accelerandis & retardandis agminis itineribus valet plurimùm. Majores exercitus in regione montuoſa ac ſalebroſa itineris diurni non ſuperant, ut majus, duas vel tres leucas. Nec monſtri loco reputandum, ſi hoſtes, exploratorum defectu, nihil de illis ſubodorati ſunt; id enim ſæpiùs noſtra etiam ætate contigiſſe, ſat ſcimus; recentia autem exempla fidem adſtruunt antiquis. Reputari etiam poſſet, itinera omnia viarum diſpoſitis militibus cuſtodiiſque Joſue, nè itineris ſui lenti admodum, utpotè quod per ſalebras viarum monteſque conficiendum eſſet, quidquam intelligerent adverſarii. Si verò ſtatuamus Joſue iter ſuum direxiſſe versùs lacum Semechon, ultra 40. leucis prolixum, non eſſet utique cur reprehenderetur. Cùm enim agitur de ſuperveniendo inopinatò hoſtibus, via pronior, quanquam prolixior, optima cenſenda eſt; ab hac enim minus ſibi cavent hoſtes, & per hanc ſæpè ad illorum latera, vel ad terga ſucceditur, cum ab illis nihil tale expectaretur. Utcunque res habeat ſeſe, Joſue inopinus hoſtibus ſeſe ſuperinfundens, lata illos ſtrage cecidit.

Suppetunt in Scriptura crebra ſimilium inopinatarum aggreſſionum exempla, maximè in Machabæis, in quibus egregiè adeo omnia, ut vel cum inſignibus antiquitatis facinoribus parem gradum teneant.

Quod ſpectat ad rationem inſtructi utriuſque exercitus, cùm circumſtantias omnes ejus prælii ſupprimat Sacer Hiſtoricus, nonniſi conjecturas darem & veroſimilia. Facilè credimus hæc omnia geſta in agro; Joſue verò, juxta receptam Aſiaticorum, quæ &

* Animadverſiones in victoriam è Rege Aſor aliiſque fœderatis Regibus. *Joſue* 11. 1.

Judæorum, methodum, inſtruxiſſe pedites in eandem lineam in phalangem per agmina majora diſtinctam, inter quæ minora quædam intervalla. De equitibus nullus hic ſermo. Equitibus tamen maximè inſtructus erat Aſor, quos in alas conſtituerim, robore exercitus peditibus reſervato; id enim obtinebat apud Aſiaticos & Occidentales quoſcunque, ut equites diſponerent in alias, quo faciliùs ab agmine divelli, & fugientes inſequi poſt victoriam poſſent.)

II. JABIN, Rex Aſor, qui Iſraëlitas 20. annis oppreſſit (a). Nongentos currus in exercitu habebat, ejuſque Dux Siſara ingentibus copiis præerat. Deus populum ſuum miſeratus, Deboram Prophetidem uxorem Lapidoth, & Barac filium Abinoam excitavit, ut illos ab oppreſſione relevarent. Fudit igitur Barac Siſaram ad radices Carmeli, atque Iſraëlitæ confirmati tandem Jabin oppreſſerunt.

JABNEEL. Vide *Jebneel*.

JABNIA, alio nomine *Jamnia*. Vide *Jamnia*.

JABOC, torrens ultra Jordanem, è montibus Galaad excurrens. In Jordanem devolvitur, non longè à Mari Tiberiadis, quod ad ſeptentrionem reſpicit. Jacob juxta eas aquas cum Angelo luctatus eſt *Gen.* 32. 1. Regionem Ammonitarum à Galaaditide, & à Regione Og Regis Baſan dividit.

JACAN, ſive *Bene-Jacan*, ſeu *filii Jacan*, inter Gadgad, & Moſeroth, ubi Iſraëlitæ caſtrametati ſunt. *Deut.* 10. 6.

JACHAN, filius Abigail ex Tribu Gad 1. *Par.* 5. 13.

JACHANAN CARMELI, urbs, cujus Rex à Joſue debellatus eſt. *Joſ.* 12. 22. Hanc urbem alio nomine *Jecnam*, ſive *Jechonam*, Tribus Zabulon tenuit, ac in Levitatum partes ceſſit. *Joſ.* 19. 11. & 21. 34. Eadem videtur, ac *Jecmaan* 3. *Reg.* 4. 12. & 1. Par. 6. 68.

I. JACHIN, quintus filius Simeonis, qui una cum patre in Ægyptum deſcendit, & familiæ Jachinatarum author fuit. *Num.* 26. 12.

II. JACHIN, caput familiæ ejuſdem nominis, quæ inter 24. familias Sacerdotales vigeſimaprima recenſebatur. 1. *Par.* 24. 16.

JACHIN, nomen unius ex columnis in veſtibulo Templi Salomonis hinc & inde erectis: nomen alteri *Booz*. Æreæ erant, 4. digitorum craſſitie, & ſupra baſim 18. cubitis aſſurgebant (b), præter epiſtylium 5. cubitorum; baſis verò menſuræ in Scriptura omittuntur; complectebantur autem cubitos decem. De altitudine epiſtylii variant loca S. Scripturæ; nam 3. *Reg.* 25. 17. tres cubiti aſſignantur, 3. *Reg.* 7. 19. quatuor, 3. *Reg.* 7. 16. & *Jerem.* 52. 21. quinque; quod quidem diſſidium ex diverſa illas metiendi ratione oritur; ſiquidem totum opus quinque cubitis aſſurgens, ornamentis liliorum, quæ in vertice eminebant, nec non iis, quibus cum trunco columnæ jungebatur, detractis, ad tres cubitos redigitur; ablato verò tantùm faſtigio, 4. cubitis attollebatur. *Jachin* redditur ſtabilitas, *Booz*, firmitas.

JACIM, pater duodecimæ familiæ inter 24. claſſes Sacerdotales. 1. *Par.* 24. 13.

JACOB, filius Iſaaci ex Rebecca natus An. M. 2168. ante Ch. 1832. ante Ær. 1836. frater natu minor Eſau; ſiquidem eodem partu effuſi, Eſau primus venit in lucem, cujus pede apprehenſo, Jacob ex utero prodiit: hinc nomen *Jacob*, ſcilicet ſupplantator, *Gen.* 25. 25. quod de illis dicimus, qui adverſarium pedibus apprehenſum dejiciunt. Hoc ventura portendebat. Illud etiam acceſſit, quòd cum duos gemellos fœtus in utero diſſilire ſentiret mater, Deus ea de re à patre conſultus, reſpondit duarum potentiſſimarum gentium authores Rebeccam geſtare, quorum majorem minori ſubdendum *Gen.* 25. 21. Jacob ſuaviſſimis moribus præditus, vitam quietam domi agebat, relicto Eſau, ingenii ferventioris juveni, venationis exercitio, cui unicè ſe ſe totum devoverat. Porrò patris animus ad Eſau, matris verò ad Jacobum inclinabatur.

Accidit, ut Jacob fortè ſibi pulmentum ex lentibus paraſſet, cujus cùm Eſau labore venationis, & fame laſſatus ſibi portionem daret, anxiè petiiſſet, ille nunquam conceſſurum ſe ait, niſi priùs jus primogeniti ſibi renunciaret. Tum Eſau: *Gen.* 25. 32. Ut quid primogenita, dum fame morior? Statimque Jacob: Jura ergo. Ille juſjurandum addidit, lentibuſque voratis, abiit, eam venditionem parvipendens. Iſta quidem quamvis per ludum acta viderentur, ſatis tamen duorum fratrum indolem produnt, & ingenium; quare jus ſuum prodigentem Eſau S. Paulus *Heb.* 12. 16. *prophanum* appellat.

Diù poſt (c) ambobus fratribus annum agentibus 77. Iſaac 137. annis natus ad mortem decumbens, filium Eſau acciviт, petiitque, ut ſibi venatu aliquid cibi compararet, poſtremam deindè benedictionem à patre impetraturus. Dum Eſau juſſa complebat, Rebecca Jacobum monuit, ut hædum è grege ſubducens, cibum confeſtim pararet, quo patri oblato, eoque indicio ab ipſo (cujus oculi præ ſenectute caligaverant) Eſau creditus, paternam benedictionem ſurriperet. Cui Jacob, vereri ſe dixit, ne pater, manus ipſius & collum attrectans, fraudem deprehenderet; quippe cum frater Eſau piloſus eſſet, ipſe verò lenis. Verùm Rebecca maledictionem, quam ille timebat, in ſuum caput imprecata, quantocyus hædum afferret, imperavit; quo allatu, atque parato, mater veſtibus Eſau ſplendidiſſimis Jacobum induit, deindè hædinis pellibus manibus, ac colli nudis protectis, illum ad patrem introduxit.

Iſaac ingredientem audiens, quiſnam eſſet interrogavit: cui alter Eſau ſe eſſe reſpondens (d), deindè à patre requiſitus, propiùs accedens, palpandum ſe obtulit. Cùm Iſaac piloſum ſentiret, omni fraudis ſuſpicione depoſita, quam ex vocis ſono conceperat, ait: *Vox quidem, vox Jacob eſt; manus autem, manus ſunt Eſau.* Cibum igitur hilaris deguſtavit, deinde filium ad oſculum accedere juſſit. Filio obtemperante, Iſaac veſtium Eſau fragrantiam ſentiens; *Ecce odor*, ait, *filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini, & ſerviant tibi populi, & adorent te Tribus: eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.*

Vix Iſaac quieverat, cùm Eſau coctos è venatione cibos referens ſupervenit. Quod ut pater agnovit, hæſit primò, deinde fraudem Jacobi expoſuit. Ille hæc audiens, Jure, ait, frater meus nomen Jacob ſortitus eſt; bis enim me ſupplantavit, & tùm jus primogeniti, & cùm benedictionem ſurripuit. Deindè ad Iſaac converſus exoravit, ut ſe etiam benedictione non fraudaret. Cùmque pater ſe, alteri dominium in fratres, vinique & frumenti largitatem preca-

(a) Jud. 4. 1. &c. Ab an. M. 2699. ad 2719.

(b) 3. Reg. 7. 15. Jer. 52. 21. In 2. Par. 3. 15. 17. ambabus columnis 35. cubiti altitudinis tribuuntur; quare ſingulis 17. cum dimidio aſſignari poſſunt. Cubiti 18. Hebraici 30. pedibus, & 9. digitis reſpondent. Duodecim cubiti ad 20. pedes & 6. digitos referuntur. (c) Gen. 27. 1. &c. A. M. 2245. ante Ch. 1755. ante Ær. 1759.

(d) Utrùm Jacob peccaverit, vel mentitus fuerit, an non, diſſident Patres. Aſſerunt S. Aug. l. 3. de Doctr. Chriſt. c. 23. & l. 22. contra Fauſt. c. 83. Bonfrer. & Eſt. in Gen. 27. Negant peccaſſe, mentitum tamen fuiſſe, quod licet quandoque, dicunt Orig. l. 6. Stromat. apud Hieron. l. 1. Apolog. contr. Rufin. Chryſoſt. homil. 52. & 53. in Gen. Caſſian. Collat. 17. c. 17. &c. &c. 21. &c. Deo movente Jacobum id feciſſe ajunt Biel. in 3. Sent. diſt. 38. & Petr. de Alliaco in 1. Sent. q. 12. Neque mentitum, neque peccaſſe volunt S. Greg. l. 1. hom. 6. in Ezech. & in Job. l. 18. c. 3. Iſid. Hiſpal. Beda, Rupert. D. Th. 2. 2. q. 110. art. 3. Can. l. 2. de locis c. 4. Demum veniale peccatum admiſiſſe tuentur Lyr. Toſt. Cajet. Lipoman.

Digitized by Google

precatum, nihil habere ipſi reſervatum reſpondiſſet; *Nam*, ait, *unam tantùm benedictionem habes, pater?* Deindè precibus, & gemitibus, ut benedictionem concederet, inſtabat. Permotus hiſce pater, ait: *in pinguedine terræ, & in rore Cœli deſuper erit benedictio tua. Vives in gladio, & fratri tuo ſervies: tempuſque veniet, cùm excutias, & ſolvas jugum ejus de cervicibus tuis.* Sunt, qui textum Hebraicum aliter reddant: *Benedictio tua longe aberit à pinguedine terræ, & à rore Cœli, ſed vives in gladio &c.*

Eainde Eſau odium in fratrem alta mente fovit, eamque injuriam cæde ipſius ulturus obitum patris opperiebatur; quare Rebecca, quam prava filii conſilia non latebant, Jacobo perſuaſit, ut ad Labanum avunculum ſuum in urbem Haram Meſopotamiæ diverteret, donec Eſau quieſceret. Eadem etiam cum Iſaac communicavit, addens inſuper graviſſimum ſibi futurum, ſi Jacob Chananæam uxorem duxiſſet. Igitur Iſaac filium accivit, *Gen.* 28. 1. illique bona imprecatus in Meſopotamiam dimiſit, imperans, ut unam ex Labani filiabus duceret. Clam igitur iter ingreſſus Jacob, cùm ad locum quemdam ſerò perveniſſet, ubi noctem agere decreverat, via quieti ſe dedit, cum ſubitò dormienti ſpecies ſcalæ objecta eſt, è cœlo uſque in terram protenſæ; culmini Dominus incumbebat, per gradus verò Angeli aſcendebant, & deſcendebant: Dominum autem dicentem audiit: *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo, & ſemini tuo; eritque ſemen tuum quaſi pulvis terræ... & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ Tribus terræ.*

Hoc ſomnio Jacob expergefactus, ibi domum Dei & portam Cœli eſſe, quem Dominus præſentia ſua viſitaret, inclamavit; quare diluculò conſurgens, lapidem illum, quem capiti dormiens ſuppoſuerat, in monumentum erexit, atque oleo conſecravit; loco vero Bethel nomen impoſuit: quod etiam urbi proximæ Luzæ inditum eſt. Tandem Dominum exoravit, ut ſuo itineri adeſſet, decimaſque omnium, quæ ſibi obveniſſent ex ſuis laboribus, devovit.

E' Bethel digreſſus, *Gen.* 29. 1. itinere aliquot dierum tandem in Meſopotamiam pervenit, juxta urbem Haran, ubi Laban ipſius avunculus morabatur. Cùm à paſtoribus de Labano quæſiviſſet, ab illis audivit futurum, ut Rachel ejus filia jamjam adeſſet. Jacob venientem expectavit, eaque viſa ſtatim lapidem ex ore putei removens, curandis gregibus manum admovit; ac tandem genus ſuum puellæ prodidit. Illa conteſtim domum ad patrem evolavit, qui, eo nuncio accepto, ſtatim hoſpiti occurrens, in domum ſuam duxit. Poſt menſem evolutum, Laban nolens gratis ſibi à nepote famulatum præſtari, ipſum rogavit, quid mercedis expoſceret. Ille nihil cunctatus, ſeptennii famulatum pro nuptiis Rachelis filiæ ipſius natu minoris pactus eſt. Igitur celebratis gentis illius more nuptiis, cùm Sponſa noctu in thalamum introducenda eſſet, pro Rachele Lia, altera Labani filia natu major, ſuppoſita eſt. Jacob mane tantummodò fraudem deprehendens, eum Labano conqueſtus eſt, ſed ille factum excuſavit, morem regionis cauſatus, quo filias natu minores antè majorem nuptui dare interdicebatur; quare, ſi vellet & alteram ducere, ſeptem adhuc annis ſerviret.

Jacob amore Rachelis injuſtæ petitioni acquievit, impletoque famulatu, optatis nuptiis potitus, novam Sponſam veteri prætulit; Deus tamen Liam fœcundam, Rachelem ſterilem effecit; quare ex Lia quatuor filii, Ruben, Simeon, Levi, & Juda continuata ſucceſſione prodierunt. Rachel filiis carens, ut ſaltem alterius opera mater appellaretur, alteram pro ſe fœminam, Balam nempe ancillam ſuam, viro ſuo dedit. Illa Dan, & Nephtali filios heræ ſuæ edidit. Cùm res Racheli ſucceſſiſſet, Lia quoque Zelpham famulam ſuam viro dedit, ex qua filios retulit Gad, & Aſer. Poſt hæc, Lia filios habuit, nempè Iſſachar, & Zabulon, ac filiam Dinam; nec Dominus Rachelis oblitus eſt, cui tandem filium Joſephum conceſſit.

Evoluto promiſſæ ſervitutis tempore, auctaque familia, regreſſum cogitans, dimiſſionem à Labano petivit (a). Sed ille commodam ſibi ejus ſedulitatem expertus exoravit, ut in curandis gregibus ipſius, ea, quam maluiſſet, mercede perſeveraret. Jacob famulatum ad ſexennium prorogavit, pactus pro mercede, ut omnes tam oves, quàm hædi, qui maculis in vellere aſperſi naſcerentur, atque inſuper omnes nigri velleris ſibi cederent: cæteros verò Laban haberet. Jacob igitur quidquid infimi erat velleris ſibi reſervavit. Ne quid autem fraudis Laban ſuſpicaretur, curavit, ut ovibus unicoloribus à furvis, & maculoſis ſeparatis, unicolores in locum trium dierum ſpatio diſſitum à filiis Laban deducerentur, cæteras verò Jacob ipſe curavit.

Verùm Deus exantlata à Jacob mala remuneraturus, dormienti per ſomnium *Gen.* 31. 10. 11. artificium oſtendit, quo multiplicandis fœtibus furvis, & maculoſis non fruſtra uteretur. Virentes igitur virgas detracto hinc indè cortice, varios colores exhibentes in canalibus ponebat, quò greges ad potum cogebantur. Augebant colorum varietatem umbræ virgarum, in aquis expreſſæ, quibus omnibus adeò oculi gregum, dum concipiendi tempus aderat, afficiebantur, ut fœtus varios, & maculoſos conciperent. Nec tamen eo artificio ſingulis indiſcriminatim anni temporibus uſus fuiſſe videtur, verùm, ut vulgò creditur, verno tantummodò tempore virgas imponebat, ut autumnales fœtus referret; autumnali verò, arbitrio naturæ rem permittebat, nihil gravatus, ſi vernos fœtus Laban haberet (b). Nihil autem ea in re præter naturæ leges occurrit; quippè nec novum, nec rarum eſt, animantia quæcumque ad ea, quibus afficiuntur, objecta fœtus referre, ut ſaltem maculam quandam coloris ejuſdem objecti exhibeant. Quòd autem Jacob rem totam ea Deo didicerit, illud certè miraculum refert. Huic ſententiæ vulgò Latini (c) adſtipulantur: S. Chryſoſtomo *hom.* 37. *in Gen.* Theodoreto *q.* 89. *in Gen.* aliiſque nonnullis prodigioſum opus illud videtur.

Eo artificio Jacob adeò lucrum nactus eſt, ut Labani filiorumque in ſe invidiam crearit; qui indignationis ſuæ non obſcura indicia exhibuerunt, quaſi eorum direptione ſeipſum ditaſſet. *Gen.* 21. Torvo proinde oculo illum aſpicientes, palàm dictitabant, ſua eſſe bona, quæ ille in ſe traduxerat. Interea Deus per ſomnium Jacobum monuit, in regionem ſuam regrederetur, opem illi ſuam pollicitus. Jacob juſſa executurus, conſilium ſuum uxoribus expoſuit; quæ cùm præſto eſſent, continuò ſe cum tota familia, & gregibus clam è domo Labani ſe ſubducens, iter Palæſtinam verſus ſuſcepit. Cùm itinere trium dierum jam proceſſiſſet, Laban tunc primò re intellecta, fugientem inſequutus eſt. Septima die montibus, qui poſtea Galaad dicti ſunt, aſſequutus, primò de fuga ipſius graviter conqueſtus eſt; deindè addidit, ſe pœnas ab ipſo expetiturum fuiſſe, niſi Deus Abrahami, qui noctu ſibi apparuerat, ab omni injuria deſiſtendum præcepiſſet: *Verùm*, adjecit, *cur furatus es Deos meos?* Rachel; inſcio Jacobo, Teraphim Labani ſubripuerat.

Cui Jacob, ſe quidem ait fugam clam ſuſcepiſſe, quòd timeret, ne uxores ſuæ vi manere cogerentur. De furto autem licere ipſi eum ex ſuis interficere, apud quem Idola invenirentur. Tunc Rachel ſub ſtramentis camelorum Idolis occultatis, illis aſſedit; eumque Laban ad Tabernaculum ipſius excutiendum

 veniſ-

(a) A.M. 2260. ante Chr. 1740. ante Ær. 1744.
(b) Nonnihil hic difficultatis habet Textus, quam vide in Commentariis.
(c) Hieron. qu. Heb. in Gen. Aug. qu. 93. in Gen. & lib. 18. c. 5. de Civit. Iſidor. Hiſpal. l. 12. orig. &c.

Digitized by Google

veniſſet, illa, ne aſſurgeret, conſueta fœminarum incommoda cauſata eſt. Ea ratione omnem patris diſcuſſionem irritam fecit. Jacob viciſſim cum Labano de omnibus, quæ ab illo paſſus fuerat, deque injuria ipſi irrogata, quòd Tabetnacula ipſius excuſſiſſet, conqueſtus eſt. Tandem mutuis querelis finis impoſitus eſt, jurato utrinque fœdere pro ſe, ſuiſque poſteris in perpetuum; cujus rei monumentum tumulum lapidum in iis montibus erexerunt. Hunc autem tumulum Jacob *Galbaed*, Laban verò *Jegas ſchebadduṭha* appellavit. Deindè appoſitas dapes ſimul comederunt, atque ambo mutua ſigna amicitiæ exhibentes, in diverſa receſſerunt. Exinde loco nomen *Galaad* inditum eſt. Labano igitur in Meſopotamiam redeunte, Jacob in Chanaanitidem tendebat: cùm verò ad torrentem Jabok, ad orientem Jordanis perveniſſet, *Gen.* 32. duo tanquam Angelorum agmina venienti occurrerunt, ex quo deinde loco nomen impoſitum eſt *Mahanaim*, ſive duo caſtra. Duo hæc Angelorum agmina tradunt ex Angelis tutelaribus Meſopotamiæ coacta fuiſſe, qui Jacobum uſque ad torrentem proſequuti fuerant, ubi ab Angelis Chanaanitidis exceptus, atque in reliquo itinere deductus fuit.

Eo temporis ſpatio, quo Jacob à domo patris aberat, Eſau frater ipſius montem Seit occupaverat. Eos montes cùm Jacob circa plagam orientalem meridionalem illius loci, quò pervenerat, ſpectaret, metuens ne fratris vulnus non adhuc eſſet obductum, obſequiis, & muneribus illum promereri cogitavit. Igitur ſuum adventum fratri nunciandum curavit, quo ille andito, 400. viris ſtipatus, venienti obviam proceſſit. Jacob ſiniſtrum aliquod ſuſpicatus, ad eum demulcendum munera præmiſit, capras, oves, camelos, vaccas, aſinas cum eorum pullis, præcepitque deducentibus, ut ſuo nomine fratri omnia exhiberent, adderentque, rogare ſeſe, ut mittentem non dedignaretur, qui & ipſe eum ſalutaturus veniebat. Interim torrente Jabok ab univerſa familia trajecto, Jacob ſolus in adverſa ripa ſubſiſtens, obvium habuit Angelum, ſub viri ſpecie, quocum uſque mane luctam exercuit (a). Cùm Angelus prævalere non poſſe videretur, digito nervum ſemoris tetigit, quo ſtatim exareſcente (b), Jacob claudicavit. Tunc Angelus: *Dimitte me*, ait, *aurora eſt*. Cùm alter ſe non dimiſſurum ſignificaret, niſi benedictionem obtinuiſſet, Angelus nomen illius requiſivit, atque exindè non Jacob, ſed Iſrael appellandum præcipit. Cùm viciſſim Jacob nomen Angeli requireret, ille, quid quæris, ait, nomen meum? collataque benedictione evanuit. Jacob eum locum appellavit Phanuel, dicens, ſe Deum vidiſſe, nihilque mali ſibi contigiſſe. Iſraelitæ eam ob rem, quæ Jacob acciderat, nervum ſemoris in cibum adhibere nefas ducunt.

Poſt tranſitum torrentis, Jacob univerſam familiam in duas turmas diviſit. Lia, ejuſque filii, ac famulæ primam; *Gen.* 33. Rachel cum Joſeph ac famulæ ſecundam tenebant. Vix Eſau è longinquo apparuit, Jacob progreſſus, ſepties uſque ad terram demiſſus, ſalutavit, hunc itum cæteris etiam uxoribus, & filiis ſervantibus. Indè ambo fratres mutuis amplexibus ſeſe exceperunt, ac Jacob, ut munera per ſuos oblata exciperet, etiam atque etiam exoravit. Eſau oranti vix acquievit; ipſum verò cum ſuis deducere omnino volebat; ſed altero renuente, quòd brevioribus itineribus procedere ob varia omnis generis impedimenta cogeretur, eo ſuadente in montes Seir regreſſus eſt. Jacob indè Socoth pervenit, ac tandem ad Jordanem, ubi domum ædificavit. Hanc ſedem aliquo tempore habuit, deinde trajecto flumine, in Salem urbem Sichimitarum venit, ubi moram traxit, fixis tentoriis in parte illius campi, quam à filiis Hemor patris Sichem, pretio 100. *Keſita*, ſive 100. agnorum, ſive monetarum emit. Vide v. Keſita.

Sub hæc, Dinæ filiæ Jacob raptus, atque violatio per Sichem filium Hemor univerſam familiam turbavit (c). Hiſtoriam hujus raptus dedimus v. *Dina*, & *Sichem*. Hanc injuriam cæde omnium Sichimitarum, urbiſque direptione filii Jacob expiarunt. Jacob metuens, ne populorum finitimorum arma ſuſtinere cogeretur, Dei juſſu ſedem tranſtulit in Bethel, *Gen.* 35. ubi & eodem jubente aram excitavit. In præparationem ſacrificii, purificationem ſingulis indixit, juſſitque omnes Idololatriæ reliquias, ſi quas è Meſopotamia retinerent, abiicere. Eas res omnes Jacob ſub terebintho à tergo urbis Sichem defodit. Ex ea urbe, nemine iter infeſtante, in urbem Bethel venit: ibique ſacrificium offerentem Dominus alloquutus, & protectionem, & immenſam poſteritatem promiſit.

Iter deinde Hebronem verſus iniit, Iſaacum patrem ſuum, propè eam urbem in convalle Mambre verſantem, inviſurus. In eo itinere Rachel (d) in partu Benjamin, difficultate pariendi extincta eſt, ac juxta Bethleem ſepulturæ mandata. Jacob defunctæ uxori monumento erecto, deindè iter proſequutus, ad Turrim gregis tabernacula fixit. Patrem ſuperſtitem nactus eſt, cum quo 22. annis vitam egit (e); ſiquidem ille nonniſi anno M. 2288. ætatis ſuæ 180. diem clauſit. Jacob, & Eſau filii ejus funus curarunt.

Annis circiter 10. ante obitum Iſaac, (f) Joſeph fratrum proditione è ſinu patris abſtractus, in captivitatem abductus fuit, ut in ejus articulo deſcribemus. Filium hunc, quem falsò à beſtiis voratum credebat, Jacob effuſis lachrymis ingemuit, adeo ut vi doloris identidem repeteret: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum* (ſepulchrum). Viginti duos circiter annos in luctu tranſegit (g), donec nimirum à filiis ſuis ex Ægypto regreſſis, de vita illius inſperatum nuncium accepit. *Gen.* 43. & 44. & 45. Ut enim ſuperſtitem illum eſſe audivit, veluti è longo ſomno experrectus, ſibi nihil ad ſolatium deeſſe ſignificavit, ſeque illius conſuetudine antè mortem frui velle dicebat. Hinc è convalle Mambre cum tota familia movens, *Gen.* 46. in Berſabee venit, ubi in altari Domino conſecrato poſt oblatum Deo ſacrificium, noctu per viſum admonitus eſt, ut in Ægyptum iret, ſciretque futurum, ut Joſeph ſui morientis ſupremum ſpiritum exciperet. Illuc igitur cum tota familia 70. hominum pervenit.

Joſeph vix ut patrem adeſſe per Judam, ad eam rem nunciandam deſtinatum, reſcivit, ſimul ad illum in terram Geſſen, ubi ex condicto ſubſtiterat, convo-

(a) Sunt, qui credant fuiſſe Cacodæmonem, qui contra Jacob pugnavit. (Ita quidam ap. Procop. in Gen.) Alii credunt fuiſſe Filium, ſecundam Trinitatis Perſonam. Juſt. in Dial. Clem. l. 1. Pæd. Tertul. con. Praxeam. Hilar. l. 4. c. 5. de Trin. Athana. orat. 3. cont. Arian. Chryſoſt. in c. 7. Act. Theodoret. qu. 92. in Gen. Alii cum Propheta Oſee 12. 3. interpretantur dictum de Angelo, quam ſententiam poſt S. Aug. l. 16. de Civ. Dei c. 39. & q. 104. in Gen. vulgò omnes ſequuntur.

(b) Quidam Jacobum impoſterum claudum manſiſſe ajunt; alii ſtatim ſanitati reſtitutum volunt, & ubi nos in Vulgata legimus, Tranſivitque in Salem &c. vertunt: Sanus trans Jordanem pervenit.

(c) Gen. 34. A. M. 2265. ſeu 2266. ante Ch. 1734. ante Ær. 1738.

(d) Gen. 25. 16. 17. A. M. 2266.

(e) Gen. 25. A. M. 2288.

(f) A. M. 2276. ante Ch. 1724. ante Ær. 1728.

(g) Joſephus an. 2276. venditus. Fames an. 2296. contigit. Filii Jacobi in Ægyptum an. 2297. Joſeph à fratribus cognitus, Patrem acceſſit an. 2298.

Digitized by Google

[illegible] æquale beneficium [illegible] poſtea ſexaginta [illegible] ſuper [illegible] annos [illegible] titulos [illegible] & [illegible] heigerea [illegible] implementur [illegible] [illegible] nempe Gen. [illegible] quæ illi [illegible]

Recole ſeptem [illegible] in Ægypto vixit, ab anno nempe 2298. [illegible] ad [illegible] Tandem ad mortem decumbens [illegible] Ephraim, & M[illegible] [illegible] in tam [illegible] adoptaſſe, [illegible] ut [illegible] terræ Chanaan [illegible] Rachel [illegible] ad Joſeph [illegible] Ephrain [illegible] ad ſiniſtram, Manaſſem ad dexteram. Verum Jacob Divino [illegible] brachiis [illegible] Manaſſe [illegible] Cum [illegible] admoneret [illegible] numero populorum, & potiùs primogenitum [illegible] fuit; Tribus [illegible] Joſeph [illegible] inter [illegible] poſt [illegible] Conſeſſus deinde Jacob ad [illegible] filium, prædixit, Hebræos [illegible] in Chanaan tandem [illegible] patribus ſuis à D[illegible] promiſſam [illegible]. Tibi verò [illegible] campum [illegible] quam [illegible] Amorrhæis [illegible]

Poſt [illegible] quod [illegible] acciſis ad ſe [illegible], benedictionem [illegible] atque futurorum eventuum prædictionem [illegible]; qua occaſione nec merita [illegible], nec dignitas [illegible] caſtigationem ſingulorum meritò [illegible] Tribuum [illegible] atque [illegible] debebant [illegible] Judam & [illegible] [illegible] quam [illegible] M[illegible] [illegible] Omnes tandem [illegible] corpus ſuum ſepelirent [illegible] curarent in ſpelunca [illegible] in campo Ephron, & [illegible] Mambre, [illegible] Abraham, Sara, Iſaac, & Rebecca [illegible] tandem diem clauſit extremum. Mortuum corpus aromatibus [illegible] Ægyptiorum more, conditum eſt, *Gen.* 50. [illegible] 70. diebus publico luctu per univerſam Ægyptum curatum fuit. Deinde Joſeph [illegible] fratres, Magnatibus Ægypti comitantibus, permittente Pharaone, cadaver ad tumulum patrum [illegible] juxta Hebron, ubi Lia uxor [illegible] quieſcebat [illegible] Ut ad locum perveniret [illegible] unde loco [illegible] inditum [illegible]

[illegible] Eccleſiaſtici 44. 25. [illegible] hoc elogio Jacobum [illegible]: *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & teſtamentum* (nempe [illegible] cum Abraham [illegible]) *confirmavit ſuper caput Jacob. Agnovit* [illegible] *& dedit illi hæreditatem* [illegible] *& diviſit illi partem in Tribubus duodecim* (caput conſtituit duodecim Tribuum). [illegible] *homines miſericordiæ* [illegible] (nempe filium illi dedit Joſeph) *invenientes gratiam in oculis omnis*. Jacob [illegible] tantùm Salvatorem venturum prænunciavit, ſed illius etiam figuram in vitæ [illegible] viciſſitudinibus [illegible] expreſſit; in Lia enim Synagogam, in Rachele Eccleſiam præfiguravit.

[illegible]

Fons [illegible] *Jacob*, [illegible] urbem Sichem. Hunc Jeſus Chriſtus [illegible] cum Samaritana alloqueretur *Jo.* 4. 16. [illegible] eum locum Jacob [illegible] antequam cædes S[illegible] contigiſſet. Apud [illegible] Templum S. Joannis [illegible] ad hunc fontem in formam crucis conſtitutum, [illegible] ante Altare [illegible] patens viſitur. Fertur adhuc extare ſitulam [illegible] Samaritana [illegible] aquam [illegible] ſpiritus [illegible]

Vadum Jacob. Hunc locum alii ad Jordanis in Mare Tiberiadis [illegible], intra Cæſaream Philippi, [illegible] alveo [illegible] Verùm [illegible] veriſimilius ducimus [illegible] Redux enim [illegible] Mahanaim [illegible] Phanuel, & Socoth [illegible], quæ [illegible] tamen [illegible] Porrò [illegible] habuit [illegible] dum [illegible] veriſimilius videtur [illegible] *in baculo meo tranſivi Jordanem* [illegible] *cum duabus turmis regredior*. Gen. 32. 10.

Commentum [illegible] (d) Jacob patrem duodecim Patriarcharum, ex quibus [illegible] Tribus [illegible] dono [illegible] etiam [illegible] natos Prophetas omnes [illegible] Job, Jethro, Moyſe [illegible], & Mahometo. Addunt [illegible] eum [illegible] rerum [illegible] uſque ad [illegible] Joannis Baptiſtæ & Jeſu Chriſti. Sicut autem duodecim Judæorum Tribus è Jacob [illegible] & Tribus Arabum omnes [illegible] filium Abrahami natu majorem [illegible]

JACOB, pater [illegible] S. Joſephi, *Matth.* 1. 15. [illegible] nobis [illegible]

JACOBUS, [illegible] ad [illegible] cognominis [illegible] fratrem habuit S. Jo. Evangeliſtam, *Marc.* 3. 17. & parentes Zebedæum, & Salomen [illegible] Bethſaidam [illegible] Chriſto ſe diſcipulum adjunxit; [illegible] Salomen habuit ſociam, quæ Chriſtum in ſuis itineribus cum aliis [illegible] comitabatur. [illegible] Salome [illegible] rogaſſet, ut ſuos filios, Jacobum & Joannem, ad dexteram [illegible] in ſuo Regno [illegible] Reſpondit [illegible] honores [illegible] diſtribuendi [illegible], non ſibi, reſervari. *Matth.* 20. 21. Ante vocationem [illegible] cum Zebedæo [illegible] piſcatoriam exercebant; [illegible] penitus abjecerunt [illegible] in cymba [illegible] Magiſter [illegible] *Marc.* 1. 16. [illegible] Chriſtum [illegible] *Matth.* 17. [illegible] ſuper Samaritanos, qui [illegible] ignem è Cœlo deſcendere [illegible] poſtularunt, *Luc.* 9. 54. Inde nomen *Boanerges* [illegible] derivatum [illegible] Eorum [illegible] Chriſtus verbis repreſſit; dicens neſcire [illegible] quo ſpiritu [illegible]

Aliquibus poſt reſurrectionem [illegible] in Mari Tiberiadis piſcabantur [illegible] Domino in Cœlum aſcendente [illegible] S. Jacobum Evangelium annunciaſſe duodecim Tribubus Iſraelis per Mundum diſperſis tradunt nonnulli (e), ſed dubia fide. Martyrium ipſius [illegible] in Actibus Apoſtolorum 12. 1. 2. ad [illegible] Chriſti [illegible] [illegible] enim certus annus [illegible] Ab Herode Agrippa Rege Judæorum, Herodis Magni nepote, [illegible] & deinde circa feſtum Paſchatis gladio damnatum eſt [illegible] ſe Judæis præſtitiſſe [illegible] Clemens Alexandrinus apud Euſeb. *L.* [illegible] S. Jacobum ad Judicem [illegible]

On[illegible]

(a) Gen. 48. A. M. 2315. ante Ch. 1689. ante Ær. [illegible] (b) Gen. 49. A. M. 2315. ante Ch. 1689. ante Ær. [illegible]

(c) [illegible] Martyris [illegible] & [illegible] apud [illegible] Palæſt. t. 2. p. 1008. 1009.

(d) D'Herbelot Bibl. Orient. pag. 466. Jacob. (e) Sophron. de Viris illuſtribus c. 5.

adduxerat, cum in fidei confeſſione firmitate cepiſſet, infidelitatem exuiſſe, atque propter nomen Chriſti unà cum eodem Apoſtolo capite damnatum. Cùm ambo ad ſupplicium ducerentur, vir ille veniam ab Apoſtolo exoravit; qui aliquandiu apud ſe reputabat, num tanquam fratrem habiturus eſſet hominem, nondum Baptiſmate initiatum: ſubitò tamen dubitatione excuſſa, ſupplicem amplexatus, pacem annunciavit. Deinde ambo capite obtruncati ſunt.

Feſtum S. Jacobi die 30. Aprilis apud Græcos, 25. Julii apud Latinos celebratur. SS. Joannem, & Jacobum fratres virginitatis florem illibatum ſervaſſe, crines intonſos geſtaſſe, à balneis abſtinuiſſe, unica tunica, atque lineo pallio uti conſueviſſe, ac tandem à piſcibus, & carnibus ſeſe continuiſſe, S. Epiphanius hæreſ. 30. cap. 4. eſt author. Hiſpani tanquam primum ſuarum regionum Apoſtolum S. Jacobum agnoſcentes, ejus corpus non diu poſt mortem illuc tranſlatum fuiſſe tradunt. Illud conſtat, jam indè à nono ſæculo reliquias hujus Apoſtoli in illis regionibus ſumma religione obſervatas fuiſſe. Vide Martyrol. Adonis, Uſuard. & Notkeri.

II. S. JACOBUS MINOR, cognomento frater Domini (a), Epiſcopus Jeruſalem, parentes habuit Cleopham, alio nomine Alphæum, & Mariam, Beatæ Virginis germanam; quare Jeſu Chriſti conſobrinus habebatur. Religioſæ, atque caſtiſſimæ vitæ merito, elogio Juſti donatus eſt (b). Tradunt hunc virum Domini Sacerdotem fuiſſe; Leges Nazaræatus ex utero matris obſervaſſe, nec vini quidquam, nec alterius, quod inebriare poſſet, deguſtando (c); caput intonſum geſſiſſe; nihil in cibum adhibuiſſe, quod vitam haberet; balneorum, olei ad corpus fovendum, ſandaliorum, veſtiumque lanearum uſum omnem rejeciſſe, ſola tunica ac pallio ex lino contentum. Cùm oraret, adeò crebrò in terram proſternebatur, ut frons & genua camelorum inſtar callum obduxerint. Precum ut tempore ſiccitatis pluvias impetravit. Cùm autem omnes viri Sancti famam obtinuiſſet (d), ideò poteſtas illi facta eſt (uti ferunt), ut pro libito in Sanctum Templi Jeroſolymitani ingrederetur. Quin & Judæos certatim ad illum confluxiſſe, ut veſtimenti ejus fimbriam contingerent, S. Hieronymus in Galat. 1. 19. eſt author. In Talmud Judæorum plura referuntur miracula per Jacobum Diſcipulum Jeſu facta ligatur; inter quæ illud occurrit de Judæo quodam, nomine Eligazar. Vide Baronium an. 63. §. 8. Cùm Apoſtolus accitus ad illum veniſſet, ſerpentis morſu laborantem, ut languens invocato Chriſti nomine ad ſanitatem revocaretur, Rabbinus quidam obſtabat. Cùm tempus deliberando intermeretur, Eligazar extinctus eſt, Judæis obduratis plaudentibus, quippe qui languentis mortem, quam ſanitatem Chriſti nomine procuratam malebant.

Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem S. Jacobo apparuit, 1. Cor. 15. 7. eique ſcientiæ donum contulit (e). Cùm verò ad Cœlum aſcenderet, ſedem in terris ſuam illi credens, Sponſam ſuam Eccleſiam Hieroſolymitanam commendavit. Exinde ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus deſignatus fuit, quamquam Paſtoralis officii munera tunc primo ſuſcepit implenda, cùm Apoſtoli eum honorem illi detulerunt, ſive per electionem, ſive per quamdam demiſſionem, & obſervantiam. Epiſcopatus inſigne quamdam auream laminam Dei nomine inſcriptam, Summi Pontificis Judæorum inſtar, geſtaſſe tradunt Euſebius l. 2. c. 2. Epiphanius hæreſ. 29. & 78. Jeroſolymis verſabatur, ibique tanquam Eccleſiæ columna habebatur, Galat. 1. 18. quo tempore S. Paulus poſt converſionem ſuam primò illuc divertit an. Chr. 37. & in Concilio Jeroſolymitano anno 51. velut Epiſcopus illius urbis, ultimo loco ſententiam dixit, Act. 15. 13. ejuſque placito Concilium ſententiam ſuam conformavit; ſi quidem S. Jacobus, etiamſi in ea eſſet ſententia, ut Legalia obſervarentur, atque in ſua Eccleſia obſervanda curaret, hoc tamen jugum Fidelibus ex Gentibus imponendum non eſſe cenſuit.

Evangelii longè lateque progreſſus Judæorum optimatum invidiam excitavit; quare Ananus filius illius Annæ Summi Sacerdotis, de quo in Evangelio, necem S. Jacobi molitus eſt. Capta igitur occaſione obitus Feſti, Præfecti Judææ, quo tempore, cùm Albinus ſucceſſor deſignatus, nondum in eas regiones perveniſſet, nullus erat Præfectus in Provincia, ipſe, unàque optimates Pharisæorum, Jacobum coram populo acciverunt; illique populi errorem exaggerantes, quòd Jeſum verum Chriſtum crederent, addiderunt, in eam, qua apud populum erat, exiſtimatione utilem ſanè operam daturum, ſi ab errore ipſum revocaret. Quare in Templi pinna virum conſtituerunt, ut faciliùs à populo undique confluente ad Feſtum Paſchatis exaudiri poſſet. Hinc ſtantes in inferioribus exclamarunt: Dic Juſte, de Jeſu Crucifixo credamus? Quibus ille clarâ voce reſpondit: Jeſus ille filius hominis, de quo me interrogatis, modò tanquam Dei Filius aſſidet dexteræ ſupremæ Majeſtatis, ac tandem nubibus Cœli vectus, venturus eſt. His vocibus plures ex præſentibus Deum glorificantes, clamarunt; Hoſanna. Scribæ verò, & Phariſæi exclamarunt O! O! Juſtus aberravit. Inde ad locum aſcendentes, è pinnaculo præcipitem egerunt. Ille ex lapſu adhuc ſuperſtes, genibus flexis pro inimicis ſuis preces fudit, donec lapidibus juſſu Anani (f) contuſus, ac tandem fullonis fuſte capite confracto (g), animum exhalavit.

Sepulturæ mandatus eſt juxta Templum (h), eodem in loco, ubi martyrium conſummavit; ejuſque monumentum ibidem erectum celeberrimum fuit uſque ad Jeroſolymæ per Romanos everſionem. Hanc necem ampliſſimi quique Judæorum improbantes, graviſſimas contra Ananum querelas ad Agrippam detulerunt (i). Quin & Albinus eadem re certior factus, datis ad Ananum literis, pœnas ſe de illius audacia expetiturum minatus eſt. Ab Agrippa verò poſt tres menſes ab inita dignitate, Sacerdotio remotus eſt. Bellum etiam à Romanis illatum, & omnia ea mala, quæ ea de cauſa Judæos oppreſſerunt, huic neci ulciſcendæ cœlitus permiſſa fuiſſe vulgò creditum eſt; quæ de re teſtimonium ex Joſepho laudatur (k). Jacobi fratris Domini nomine Libri nonnulli à veteribus Hæreticis ſuppoſiti ſunt (l), ſed unica tantùm Epiſtola ordine prima inter Canonicas in ſeriem Scripturarum ab Eccleſia repoſita eſt. Hanc datam fuiſſe credimus paulò ante obitum Apoſtoli, qui ad annum 62. conſignatur. Bonorum operum neceſſitas in ea adſtruitur, adverſùs pravam quorumdam interpretationem qui dicto S. Pauli, nempe fidem eſſe, non opera legis, quæ juſtificet, abutebantur. Quamvis ad Judæos diſperſos dirigeretur, Græco tamen ſermone conſcripta creditur, cùm Verſionem Septuaginta laudet, fuitque Græca Lingua apud Orientales vulgò obvia.

JADA, filius Onam, & pater Jether, ac Jonathan 1. Par. 2. 28. 32.

JADA-

(a) Galat. 1. 19. Joſeph. Antiq. l. 20. cap. 8. (b) Clemens Alex. & Hegeſip. apud Euſeb. hiſt. l. 2. cap. 23. (c) Epiph. hæreſ. 78. cap. 13. 14. Euſeb. l. 2. cap. 23. (d) Hegeſipp. Epiphan. & Euſeb. locis cit. (e) Clemens Alex. apud Euſeb. l. 2. cap. 1. Orig. cont. Celſum l. 1. cap. 35. Hieron. in Galat. cap. 19. (f) Antiq. l. 20. cap. 8. (g) Clemens Alex. Euſeb. Epiph. Hieron. (h) Euſeb. l. 2. cap. 23. Vide Hieron. de Viris illuſtr. cap. 2. (i) Antiq. l. 20. cap. 8. (k) Orig. cont. Cels. l. 1. Euſ. l. 2. cap. 23. Hieron. de Vir. illuſtr. ex Joſeph. apud quem non leguntur hodie verba ab Orig. & Euſ. laudata.

(l) Protevangelium S. Jacobi adhuc extat Orientalibus notiſſimum. Vide Fabric. Biblioth. Libr. apocryph. N. T. p. 66. Liturgia etiam ejus nomine inſcripta ſupereſt.

(JADASON. De Jadaſon ſermo eſt Judith 1. 6. ubi agitur de Nabuchodonoſore victoriam reportante ab Arphexad in viciniis Tigridis, Euphratis, & Jadaſon, vel Hydaſpis, ut habet Textus Græcus. In Syriaco eſt Eulæus, quæ lectio præ cæteris probatur. Hydaſpes enim amnis eſt apud Indos, Eulæus verò fluit propè Urbem Suſanam in Perſide.)

JADIA, Sacerdos, qui è captivitate Babylonica regreſſus, 973. ex fratribus reduxit. 1. Eſdr. 2. 36.

JADDO, Dux mediæ Tribus Manaſſes, ultra Jordanem, Davidis & Salomonis ætate 1. Par. 27. 21.

JADDOA, Jeddoa, 2. Eſdr. 12. 11. ſive Jaddus, ſummus Sacerdos Judæorum, tempore Alexandri Magni (a). Cùm Alexander, authore Joſepho Antiq. l. 11. c. 8. obſidione Tyri occuparetur, miſſis nuntiis ab Jaddo requirivit, ut ſibi auxilia & commeatus ſuppeditaret, ſibi verò eamdem obedientiam exhiberet, quam antea Perſis. Jaddus promiſſam Dario fidem ſe nunquam violaturum reſpondit; quo reſponſo Alexander commotus eſt, ſed indignationem uſque ad peractam expeditionem Tyri repreſſit. Igitur, Tyro ſubacta, in Hieroſolymam exercitum duxit. Pontifex, imparem ſe hoſti obſiſtendo ſentiens, indictis ſupplicationibus, jejuniis, & orationibus, Divinam opem implorare: nec fruſtra: Deus enim per noctem apparens, quietum confirmavit, juſſitque, recluſis Urbis portis, ingredienti occurrere, Sacerdotalibus ornamentis indutum, Sacerdotibus, & populis reliquis, albis veſtibus & coronis redimitis, ut diebus feſtis aſſolet, futurum prædicens, ut ea ratione cor Regis mitteſceret, atque in Judæos inclinaretur. Jaddus manè viſionem ad populum retulit, atque hoſti recipiendo animos [illegible] poluit. Cùm igitur Alexander urbi imminere[illegible], Pontifex ſolemni comitatu Sacerdotum, & populorum egreſſus, ei lætus obviam occurrit. Nec mora: Alexander pro eo, quod conviciorum plauſtra in ſupplices effundere[illegible] ab omnibus perſuaſum erat, ipſe ad pedes Pontificis provolutus, pronus veluti Numen adoravit. Parmenioni verò, hujus rei cauſam ſciſcitanti, dixit, jam indè ab eo tempore, quo de expeditione in Aſiam deliberabat, Deum ſibi per viſum occurriſſe, camdem præferentem ſpeciem, ac Pontifex ille, à quo confirmatus, juſſuſque, ut ſuſceptam provinciam non deſereret, illo ſuam opem pollicente. Quare, addebat Alexander, cultum in ſpecie quidem Pontifici exhibui, re tamen Deum ſub ea imagine ſupplex adoravi. Deindè in urbem ingreſſus, Deo eidem Templi ſacrificia obtulit; Judæis tam Palæſtinis, quam ultra Euphratem incolentibus poteſtatem fecit, ut ſuis legibus viverent; ſeptimo quocumque anno, quo Judæi terram relinquunt incultam, à tributis pendendis eximerentur. Vide Alexander Magnus. Non deſunt tamen (b), quibus hæc Joſephi hiſtoria fabulam ſubolet.

Jaddo ſucceſſit Onias I. ejus filius. Fratrem habuit Manaſſem, qui ducta Nicaule filia Sanaballat Cuthæi, ſive Samaritani, apud ſocerum ſuum ſe recipere coactus eſt, atque copia ſibi ab Alexandro Magno facta, Templum in monte Garizim erexit, ibique omnium primus ſummo Sacerdotio functus eſt. Vide Joſeph. Ant. l. 11. c. 8.

JADIAS, ex Meronath, qui paſtum gregum Davidis curabat. 1. Par. 27. 31.

JADIHEL, filius Benjamin. 1. Par. 7. 6.

JADON. Eo nomine appellat Joſephus Antiq. l. 8. c. 3. Prophetam illum, qui Jeroboamo, dedicationem vitulorum aureorum in urbe Bethel celebranti, occurrit. 3. Reg. 13. Nomen hujus viri in Scriptura ſiletur, ſed interpretes vulgò eumdem eſſe credunt, ac Prophetam Addo, ſive, ut eſt in Hebræo, Jeddo. Vide Addo, & Jeroboam.

JADUR, alio nomine Jagur, urbs Juda, Joſue 15. 21. ſita ad meridiem Judæ, ubinam potiſſimùm, ignoratur.

JAFA, quo nomine Recentiores Interpretes Joppem urbem maritimam Palæſtinæ appellant. Vide Joppe.

JAGUR. Vide Jadur.

(IAH. Unum eſt è nominibus Dei, quod pluribus Hebræorum vocibus additum occurrit. E. g. Adoniah, Halleluiah, Malachia; i. e. Deus eſt Dominus meus, laudate Dominum, Dominus eſt Rex meus.)

IAHAZIEL, filius Hebronis 1. Par. 23. 19.

I. IAHAT, ex genere Gerſon, filius Lobni, & pater Zamme, Levites. 1. Par. 6. 20.

II. IAHATH, Levites, ex genere Merari. Præfuit Templi reparationi ſub Joſia 2. Par. 34. 12.

IAHEL, uxor Heber Cinæi, quæ Siſaram Ducem exercitus Chananæorum occidit (c). Cùm ille in tentorium illius fœminæ ſe recepiſſet, ſomno oppreſſum Jahel, adacto cervicibus clavo, interfecit.

IAHELEL, ſive Jaleel, tertius filius Zabulonis. Gen. 46. 14.

IAHIEL, Levites, & Cantor Templi, 1. Par. 16. 5. cui cuſtodia theſauri, & januæ Sancti commiſſa erat. 1. Par. 15. 18.

I. IAIR, ex familia Manaſſe, qui totam regionem Argob ultra Jordanem uſque ad limites Geſſuri, & Machati, poſſidebat. Poſt Tholam Iſraelis Judicis nomine præfuit ab A. M. 2795. ad 2817. annis 22. illum verò excepit Jephte. Triginta filios genuit, in totidem aſinis equitantes (d), totidemque urbium, nomine Havoth-jair, præfectos. Sepultus eſt in urbe Camon ultra Jordanem.

II. IAIR, filius Semei, pater Mardochæi Eſth. 2. 5.

III. IAIR: Avoth-jair. Vide Avoth, vici, quos Jair poſſidebat.

IV. IAIR, ſive Jairus, Princeps Synagogæ Capharnaitarum. Chriſtum ſupplex adiit, ut filiam duodecennem, gravi ægritudine laborantem, manuum ſuarum impoſitione ſanaret Matth. 9. 18. Marc. 5. 22. Luc. 8. 43. Annuit Jeſus, & cùm ambo ad domum tenderent, domeſtici occurrentes, nunciarunt Jairo, filiam occubuiſſe; ne proindè fruſtraneo itinere Jeſum fatigaret. Verùm ille mœſtum patrem confirmans iter proſequitur, domum venit. Sub ipſo ingreſſu turbam mulierum lamentantium, & tibicinum ad funerum cæremoniam paratam offendit. Illis omnibus ſilere juſſis, quòd puellam non mortuam, ſed ſomno oppreſſam eſſe diceret, Jeſus, adhibitis parentibus defunctæ, ac tribus ex præcipuis Diſcipulis, in conclave ingreſſus eſt. Ibi manu defunctæ apprehenſa, ut ſe à ſomno excitaret, clamavit; qua voce illa ad vitam revocata, confeſtim è lecto ſurgens, ambulavit. Jeſus deindè cibo reficeretur, imperavit.

IALEL, filius Zabulon, caput familiæ Jalelitarum. Num. 26. 26.

IALELEEL, filius Caleb, & pater Ziph 1. Par. 4. 16.

IAMBRI, vir potens, urbis Medabæ ultra Jordanem. Illius filii Joannem fratrem Simonis, & Jonathæ Machabæorum, euntem ad Nabathæos, & impedimentis gravem adorti, occiderunt, omnemque prædam abduxerunt. Hanc injuriam ulturi Jonathas, & Simeon Machabæi, certiores facti quòd nuptiæ ſummo apparatu celebrarentur, ac filii Jambri Sponſam deducerent ad urbem, inſidias in ſylva quadam moliti, inopinantes ſubitò invaſere, & captivos prædamque abduxerunt (e).

IAMIN,

(a) Jaddus Pontificatum ab an. 3665. ad 3682. annis 27. texit, authore Euſebio.
(b) Rab. Azarias in Meorenaim 3. part & alii quidam.
(c) Judic. 4. 17. An. M. 2719. ante Chr. 1281. ante Ær. 1285.
(d) Hæc ſententia potentes illos fuiſſe demonſtrat. Vide Judic. 5. 10. & 12. 14.
(e) 1. Mach. 9. 36. 37. An. M. 3843. ante Ch. 157. ante Ær. 161.

J[illegible], ſecundus filius Simeonis, Caput familiæ [illegible] *Gen.* 46. 10. & *Num.* 26. 12.

[illegible] filius Ater, [illegible] major. [illegible]

I. JAMNIA, *Jamnia*, ſive *Jabne*, [illegible] vel *Jamnes* urbs maritima, in Palæſtina, [illegible] & Joppem. Commodo portu [illegible]. Ejus nomen in Textu Hebræo Joſue 15. 45. non occurrit, ſed tantum in Græco, ubi *Jamna* poſt Accaron in enumeratione urbium Juda recenſetur. [illegible] Rex Juda, filius Amaſiæ, à Philiſthæis [illegible] 26. 6. In parte Tribus Dan [illegible] 1. 5. [illegible] obſideri legimus. 2. *Mach.* 12. 9.

II. JAMNIA, ſive *Jamnith*, Vicus quem in ſuperiori Galilæa Joſephus [illegible] 2. [illegible] 35. [illegible] reponit.

JAMUEL, [illegible] filius Simeonis. *Gen.* 46. 10.

JANAI, [illegible] Tribu Gad, filius Abihail. 1. *Par.* [illegible]

JANITORES TEMPLI. Levitæ [illegible] munere fung[illegible] [illegible]. Janitoris munus [illegible] Vide *Levitæ*.

JANNA, ſive *Janna*, filius Joſeph, & pater Melchi. *Luc.* 3. 24.

JANNES, & Mambres, [illegible] 1. 30. c. 1. *Jannes*, & *Jambres*, [illegible] Magi [illegible] & [illegible] in *Ægypto* [illegible]

[illegible]

ſua Pharaone, qui [illegible] Moyſem, [illegible] venerit ad aulam magiſtratibus per Ægyptum. Viri eximii, maximè [illegible] in Thebaide [illegible] [illegible] viro [illegible], ad [illegible]

Abl[illegible] igitur ad Magos Thebaidis [illegible] evocati ad A[illegible]. Regio edictio [illegible] filius [illegible] qui ſummam ibi dignitatem [illegible] Sabour & Gathar [illegible] eminere [illegible] ad ſupplicium patris [illegible] [illegible] neque enim Moyſes ab A[illegible] [illegible]

[illegible]

(a) Vid. [illegible] (c) [illegible]

ſe in Moyſe recognoverint, donec tandem *Ægyptii* impares ſe mulcis producendis ſentientes, fateri coacti ſunt, valere Moyſem Deo adjutore *Exodi* 8. 18. 19. Nihil igitur ad id uſque agnoverant divinum, ſupra naturam nihil. Sat autem convenit inter omnes, magiam, præſtigia, pravos Angelos, & excantatores eadem fermè veſtigia premere interdum, quæ viri ſancti prodigiorum patratores. Fatemur inſuper, permitti interdum à Numine, ut Dæmon & impii genuinis prodigiis invaleſcant; nec tamen permiſſurum unquam, ut illis imponatur electis, cæteriſque ſtudiis omnibus & conatibus veritatem inveſtigantibus. Mendacium, error, impietas, crimen, cui authoritatem nititur conciliare Satanas, ſerò tandem vel citò in apertum producuntur. Vide infra *Miraculum*.

JANNÆUS, ſivè Alexander Jannæus. Vide *III. Alexander*.

JANOE, urbs Tribus Ephraim, ad fines mediæ Tribus Manaſſis *Joſue* 16. 6. Euſebius urbem *Jano* 12. milliaribus à Sichem ſivè Neapoli in Acrabatene, removet, & aliam, nomine *Janua*, tribus milliaribus à Legione meridiem verſùs.

JANTHINUS. S. Hieronymus frequenter utitur hac voce in Exodo, qua colorem violaceum ſignificet. Hujus etymon ex Græco *ios*, viola, & *anthos*, flos, repetendum eſt. Vocem Hebræam *techaſchim* reddunt Septuaginta colorem purpuræ, qui cum violaceo convenit. Bochartus autumat, hac voce colorem illum exprimi, quem Latini hyſginum, purpureum, ſivè cæruleum ſaturum exhibentem, vocant. Plinius *l.* 8. *c.* 48. *Cocco tinctum Tyrio tingere, ut fiat hyſginum*. Pelles *techaſchim*, de quibus Moyſes *Exod.* 25. 5., pelles eſſe animalium Judæi ſatis conveniunt; ſed in deſignanda ſpecie animatium ipſi inter ſe diſſident. Ezechiel 16. 10. Jeroſolymam alloquens, dicit, Deum Sponſæ chariſſimæ loco illam habuiſſe, ac ſoleis *tachas*, cæruleis, ſivè purpureis calceaſſe: *Calceavi te janthino*.

JANUA. Vide *Janoe*.

JANO. Vide *Janoe*.

JANUM, urbs Juda. *Joſue* 15. 53.

JAO, vel JAVE, vel JABE. Omnia hæc nomina diminutiva ſunt, vel literarum compendio exprimunt ineffabile illud nomen *Jehovah*; nomen ſcilicet Domini, quatuor literarum, quod Hebræi vel obſequio in Deum, vel potiùs ſuperſtitione pronunciare non audent. Vide infra *Jehovah*. Samaritani pronunciant *Jabe* vel *Jave* (a), more Græcorum, qui B. in pronunciatione tranſmutant in V. conſonam.)

JAPHA, urbs Galilææ, non longè ab urbe Jotapa, juxta Joſephum *de vita ſua & de Bello l.* 3. *c.* 31. qui duplicatis mœnibus illam vallavit. Verùm à Romanis vi capta, igne & ſanguine repleta eſt. Eadem fortaſsè eſt, ac *Japhia* apud Joſue 19. 12., Tribui Zabulon tradita.

JAPHA, ſivè *Jaffa*, nomen hodiernum urbis Joppe.

JAPHET, filius Noe, qui tertio loco inter filios illius recenſeri ſolet, quanquam majorem natu inter eos extitiſſe credimus. Natus eſt anno 500. Noe *Gen.* 5. 31. Seniorem fuiſſe inter filios Noe Moyſes ipſe ex Verſione Septuaginta, & Symmachi apertis verbis teſtatur. *Gen.* 10. 21. Et quidem Cham, ejuſdem Moyſis teſtimonio, junior erat trium fratrum. *Gen.* 9. 24. : *Cùm didiciſſet Noe, quæ fecerat ei filius ſuus minor*. Sem verò duobus annis poſt diluvium centeſimum annum agebat (b), quare anno Noe 502. natus eſt; ac proinde Japhet cæteris ætate præibat.

Europa, & pars Aſiæ Japheto obtigerunt; ejuſque poſteri Europam, ac Inſulas Mediterranei, Europæ, & Aſiæ adjacentes, univerſamque Aſiam minorem, partes ſeptemtrionales Aſiæ, ſupra fontes Tigris, & Euphratis, occuparunt. Noe his verbis Japheto bene dixit: *Gen.* 9. 27. *Dilatet Dominus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem; ſit Chanaan ſervus ejus*. Quæ de Japheto oracula tunc impleta fuerunt, cum Græci, ac deinde Romani Aſiam, & Africam victoriis emenſi ſunt, quas regiones poſteri Sem, & Chanaam tenebant.

Filiorum Japheti hæc ſunt nomina: *Gomer*, *Magog*, *Madai*, *Javan*, *Tubal*, *Moſoc*, & *Thiras*: *Ab his diviſæ ſunt Inſulæ Gentium in regionibus ſuis, unuſquiſque ſecundùm linguam ſuam & familias ſuas in nationibus ſuis*. *Gen.* 10. 5. Credimus Gomer authorem eſſe Cimbrorum, ſivè Cimmeriorum; Magog, Scytharum; Madai Macedonum, ſivè Medorum; Javan, Jonum, & Græcorum; Tubal, Tibarenorum; Moſoc, Moſcorum, ſivè Rhutenorum; Thiras, Thracum; de ſingulis tamen pleniùs in ſuis articulis agemus. Ab his verò, juxta S. Scripturam, coloniæ ductæ ſunt in Inſulas nationum, quo nomine apud Hebræos appellantur Inſulæ Maris Mediterranei, omneſque regiones, quas mare à continenti Palæſtinæ diſterminat, nec ab Hebræis niſi maritimo itinere adiri poſſunt, uti Hiſpania, Galliæ, Italia, Græcia, & Aſia Minor.

Japhet apud Authores prophanos nomine *Japeti* innotuit. Illum Poetæ (c) Cœli, ſivè Titanis, & Terræ Patrem faciunt. Theſſaliam incolebat, ubi violentiſſimus, atque potentiſſimus homo habitus eſt. Ex Nympha, nomine Aſia, uxore filios habuit, Heſperum, Atlantem, & Epimetheum, & Prometheum, de quibus plura tum in fabulis, tum in hiſtoriis. Græci originis ſuæ authorem Japhetum conſtituunt, quo vetuſtiorem alium inter homines non agnoſcunt. Hinc proverbium eſt apud illos antiquior Japeto, quòd de homine grandævo uſurpant; eoſdem etiam viros grandævos non diſſimili ſenſu, *Japetos*, appellant. Neptunum, & Japetum unum, & eundem eſſe autumamus. Siquidem ambo hæc nomina inter ſeſe affinia ſunt; Neptunus Deus eſt maris, Japhet Inſulis Gentium præfuit. Saturnus totum Orbem in tres filios, Jovem, Plutonem, & Neptunum diviſit; ut Noe inter Sem, Cham, & Japhet. Jupiter idem eſt, ac Cham, ſivè Ammon; Pluto in Sem intelligitur; Japhet igitur cum Neptuno confundendus videtur. Vide Bochartum, Huetium, Morinum &c.

Præter ſeptem filios Japheti, quos ſuprà recenſuimus, octavus *Eliza* occurrit apud Septuaginta, Euſebium, Chronicon Alexandrinum, & S. Auguſtinum; quamquam illum Hebræus, & Chaldæus ſilent. Filium nomine *Cozar*, de quo nihil in hoc loco S. Scripturæ, huic viro Arabes tribuunt, quem ad amnem *Volga* urbem ſui nominis conſtruxiſſe tradunt. Sunt, qui ſcribant, Iſraelitas decem Tribuum, poſtquam è regione ſua captivi abducti ſunt, in regionem Cozar tranſiiſſe, indè verò in Tartariam, & Sinas penetraſſe. Verùm Hebræi hunc *Cozar*, non filium, ſed nepotem Japheti ex *Togarma* fuiſſe aſſerunt. Apud Joſephum filium Gorionis Cozar legitur; nihil tamen de hoc viro in Textu Hebræo.

Arnobius junior in Pſal. 104. ſcribit, Japhetum fluvium Tigrim poſſediſſe, cum 200. regionibus, ſivè Provinciis, viginti trium linguarum; Cham verò & Sem reliquas regiones Orbis incolis frequentaſſe: quare omnes tres in mille diverſis regionibus colonias conſtituiſſe 72. linguarum.

Hunc virum inter Prophetas à Deo miſſos cooptant Mahometani (d), traduntque maximum fuiſſe natu inter filios Noe, cui poſt diluvium aſſignatæ à Patre Provinciæ ad Orientem & ſeptemtrionem montium Armeniæ, quorum vertici Arca ſubſidit.

Antequam Japhet in aſſignatam ſibi regionem veniret, donatus fuit à patre Noe petra, quam Turcæ Orientales appellant *Giude Taſch* & *Senk Jede*, inſculptum præferente magnum nomen Dei, & conferente in

(a) Vide Epiph. hæreſ. 40. Theodoret. quæſt. 25. in Exod. (b) Gen. 11. 10. Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio poſt diluvium. (c) Heſiod. Theogonia.
(d) Biblioth. Orient. pag. 470.

in poſſeſſorem ſuum virtutem deducendi ad arbitrium imbres. Lapidis hujus depoſitum longo temporis tractu ſervarunt Mogolii.

Undecim Japheto filios mares ſſignant Orientales, quorum hæc ſunt nomina, 1. *Gin*, vel *Sin*, vel *Tchin*, pater Sinenſium; 2. *Sèklab*, pater Illyricorum ſeu veterum Calybum; 3. *Manſchuge*, unde Gothi vel Scythæ, alio nomine sppellati Gog & Magog, vel *Jagiouge* & *Magiouge*; 4. *Gommari* vel *Gomer* in Moyſe notus, quem patrem aſſignamus Cymbris & Germanis; 5. *Turk*, pater gentium, quæ ſub generali Turcarum nomine cenſentur; 6. *Khalane*, quæ gentium Turcarum portio eſt & natio; 7. *Kozar*, unde Kozarienſes. Vide ſupra *Chozar* vel *Cozar*; 8. *Ros* vel *Rous*, ex quo Ruſſi vel Moſchi; 9. *Souſſan*; 10. *Gaz*; 11. *Tavage*, unde Turcomani. Porro undecim filias ſuas Japhet undecim iſtis filiis, illarum fratribus, elocavit, quò citius frequentandæ à ſingulis regiones incolis opplerentur. Reipſa quidem ſeptemtrionsles regiones omnium primæ frequentatæ cenſentur.)

JAPHET. Provincia hujus nominis occurrit *Judith.* 2 15. *A Cilicia uſque ad fines Japhet, qui ſunt ad Auſtrum.* Verùm cùm nulla hujus nominis regio ad meridiem Ciliciæ innoteſcat, ideò alii pro *Japhet* legunt, *Jèpheth*, ſivè, *Jepheti*, alii *Japha*, ſivè *Jaffa*, quæ eadem eſt ac *Joppe*. Porrò quid ſit Japhet ad meridiem Ciliciæ nos ignorare profitemur.

JAPHIA, ſivè *Japhe*, urbs Tribus Zabulon *Joſue* 19. 12. Vide Japha.

I. JAPHIA, Rex Lachis, occiſus à *Joſue* (a).

II. JAPHIA filius Davidis. 2. *Reg.* 5. 16.

JAR, ſivè *Jair*, menſis Hebræorum, Aprili reſpondens. Octavus erat anni civilis, & ſecundus anni ſacri. Diebus 29. conſtabat, quorum decimus luctu Hebræorum in memoriam obitus Summi Sacerdotis Heli, & duorum filiorum ipſius (b) Ophni, & Phinees, ſacer erat. Si qui menſe Niſan Paſcha non celebraſſent, impedimento aliquo prohibiti, ad hunc menſem transferebant (c). Die Jar decimaquinta Deus in caſtra Hebræorum in deſerto conturnices dedoxit, & decimaſexta mannæ demittendæ initium factum eſt. Decimaoctava Judæi meſſem frumenti auſpicabantur, triginta diebus poſt Paſcha. Vigeſimatertia ſolemnis eſt, in memoriam purificati Templi opera Judæ Machabæi, poſt Syros expulſos 1. *Mach.* 13. 51. Vigeſima obitus Prophetæ Samuelis recolitur.

I. JARA, filius Achas, ex genere Saulis. 1. *Par.* 9. 42.

II. JARA, filius Galaad. 1. *Par.* 5. 14.

JARAMOTH, urbs Tribus Iſſachar, quæ Levitis ex familia Gerſon ceſſit, & inter urbes refugii recenſebatur (d). Esdem eſt sc *Rameth*, ſive *Ramoth*.

JARAMOTH, ſivè *Jarmuth*, & *Jerimoth* urbs Juda, cujus Regem Joſue occidit *Joſae* 10. 5. S. Hieronymus urbem *Jarmath* 4. milliaribus sb Eleutheropoli prope Eſthaol collocat; ſed agens de urbe *Jermus*, dicit *Jarmucham*, quæ eadem videtur ae *Jarmuth*, & *Jerimoth*, 10. milliaribus ab Eleutheropoli, Hieroſolymam versùs, abeſſe; mendum proinde in uno ex iſtis locis ſubeſt.

JARDEN, Nomen Hebræum fluvii Jordanis.

JARE, quartus filius Jectan. *Gen.* 10. 26.

JARED, filius Malaleel, pater Henoch, quem 162. annis natus genuit. Obiit an. ætst. 962.; *Gen.* 5. 18. 19.

JAREPHEL, urbs Tribus Benjamin. *Joſ.* 18. 27.

I. JARIB, filius Simeonis. 1. *Par* 4. 24.

II. JARIB, ſivè *Jojarib*, Princeps primæ ſsmiliæ Sacerdotalis. 1. *Par.* 24. 4. Ez eo Mschabæi originem ducunt. 1. *Mach.* 2. 1.

JARIM. Mons *Jarim* terminus ſtstuitur ditionis Tribus Juda *Joſue* 15. 10. Porrò hoc nomen redditur ſylva, ſivè nemus; quare uſurpari poteſt ſivè de monte quocumque nemoroſo, ſivè de monte, in quo urbs Bala, alio nomine *Cariath-jarim* ſita eſt.

JARIMOTH. Vide *Jerimoth*, ſivè *Jaramuth*.

JASA, ſivè *Jaſſa*, urbs ultra Jordanem, in cujus vicis Rex Schon à Moyſe fuſus fugatuſque eſt (e). Tribui Ruben ceſſit *Joſue* 13. 18., ac deinde Levitis 1. Par. 6. 78. Eadem fortaſsè eſt ac Jeſſa, urbs ad meridiem, & juxta Ar Metropolim Moabitarum.

JASER, ſive *Jazer*, urbs ultra Jordanem, Tribus Gad, & Levitica *Joſue* 21. 36. *&* 13. 25. Sita erat ad radices montis Galaad, juxta torrentem Jazer, qui in Jordanem influit.

JASER, filius Caleb ex Azuba 1. *Par.* 2. 18.

JASI, Iſraelita, qui alienigenam fœminam duxerat, eamque poſt regreſſum è captivitate Babylonica dimiſit, 1. *Eſdr.* 10. 37.

JASIEL, filius Nephtali. *Gen.* 45. 24.

I. JASON, filius Eleazari, quem Judas Machabæus Romam miſit, fœdus cum Romanis confirmaturum (f).

II. JASON, Judæus Cyrenenſis, qui hiſtoriam perſecutionum Judaicarum ſub Antiocho Epiphane, & Eupatore 5. libris complexus eſt, eamque Anonymus quidam in epitomen redegit. Ambo Græca lingua opus elucubrarunt: ſed Jaſonis hiſtoria intercidit, Anonymi verò extat, quæ ſub nomine 2. Libri Machabæorum innoteſcit. Creditur Anonymus iſte aliquid hiſtoriæ Jaſonis addidiſſe ad calcem 2. libri Machabæorum. Utriuſque ætas ignoratur.

III. JASON, Summus Sacerdos Judæorum, frater Oniæ III. ambitionis immoderatæ vir, qui à Sacerdotali dignitate fratrem deturbare, ut ipſe aſcenderet, palam ſuſcepit; quare magno pretio illam ab Antiocho, Principe omnium ſui temporis ſceleſtiſſimo, atque Judæis infeſtiſſimo, emit. Hanc hiſtoriam aliter Author ſecundi Machabæorum, aliter Joſephus deſcribunt. Joſephus enim ità rem contigiſſe narrat Antiqu. l. 12. c. 4. Defuncto Onia III. Jaſon frater ipſius Summum Sacerdotium occupavit, excluſo Onia IV. filio Oniæ III. ad quem jure hæreditatis pertinebat; oblataque magna pecuniæ ſumma Antiocho Epiphani, in uſurpata dignitate confirmatus eſt. Cùm autem Jaſon Antiocho diſplicere cœpiſſet, ab ipſo à Sacerdotio remotus eſt, ac Menelaus ejus frater aſſumptus, qui majorem pecuniæ ſummam obtulerat. Ea ratione tres fratres ordine ſupremam dignitatem obtinuerunt, nempè Onias III. Jaſon, & Menelaus, cum interim Onias IV. ad quem jure pertinebat, abſtinere cogeretur: quare in Ægyptum coactus abſcedens, Templum Onion excitavit.

Author ſecundi Machabæorum 4. 8. ità rem narrat. Cùm Onias III. diutiùs dignitatem detineret, Jaſon ejus frater ulterioris moræ impatiens, vi pecuniæ ab Antiocho impetravit, ut Onia deturbato, ipſe dignitatem obtineret. Sacerdotio igitur potitus, quemdam Antiochiam miſit, nomine Menelaum, ex Tribu Benjamin, & fratrem Simonis Præfecti Templi. Menelaus negotium ſuum spud Antiochum ita egit, ut oblata majori pecuniæ ſumma, ipſe ſibi dignitatem emerit Jaſone expoliato. Hunc Jaſonem hominem fuiſſe irreligioſum, idem Author teſtatur; additque illum nihil non moviſſe, ut cultum Hieroſolymis sboleret, atque Sacerdotes ad Religionem Græcorum traduceret. Quidquid malorum ab Antiocho Epiphsne in Judæos illatum eſt, ex Jaſone, veluti fonte, originem duxit.

Cùm Menelaus rerum potiretur, Jaſon in Ammonitide delituit 2. *Mach.* 4. 26., donec Epiphane in Ægyptum ingreſſo, vulgatoque de obitu illius rumore, continuò manu 1000. peditum coacta, 2. *Mach.* 5. 6. *&c* Jeroſolymam procucurrit, ae vi obſiſtentibus civibus illsta, urbem ingreſſus eſt. Menelaus in ſubita re ad arcem confugit; reliqui verò cives à Jaſone, tam-

(a) Joſae 10. 3. (b) 1. Cor. 4. 17. 18. (c) Vide Num. 9. 10. 11.
(d) Joſue 21. 29. confer. Joſue 19. 20. (e) Num. 21. 23. Deut. 2. 32.
(f) 1. Mach. 8. 17. An. M. 3842. ante Chr. 158. ante Ær. 162.

tamquam in urbe capta inclementer habiti ſunt: verùm diſſipato rumore de obitu Regis, urbem relinquere, atque in Ammonitidem laceſſere coactus eſt. Tandem inſidias Aretæ Regis Arabum declinaturus, ea Ammonitide in Ægyptum contendit; quàm pariter regionem, parum tutam ratus, deſerens, Lacedæmonem petiit, urbem fœderatam, cujus incolæ Judæorum cognationem jactabant. In ea urbe diem clauſit, ac mortui corpus ne tumuli quidem honorem obtinuit, cùm nemo occurreret, qui miſero homini impendere dignaretur, quæ vel extraneis non denegantur. Sacerdotio potitus eſt anno M. 3830. uſque ad ſubſtitutum Menelaum, anno 3832.

IV. JASON, qui S. Paulum Theſſalonicæ hoſpitio recepit *Rom.* 16. 21. ortaque contra hoſpitem ſeditione, ut illum in tuto reciperet, vitæ aleam ſubivit. *Act.* 17. 7. Cognatione Paulum attigiſſe, ea Epiſtola ad Romanos apparet: *Jaſon, & Soſipater cognati mei*. Epiſcopatu Tharſenſi in Cilicia, & Apoſtoli titulo à Græcis donatur, ejuſque memoria die 28. ſivè 29. Aprilis ab illis recolitur.

JASPES, Græcè *jaſpis*, Hebraicè *jaſpe*, in S. Scriptura pro gemma haberi ſolet, quanquam apud noſtrates inter marmora potius, quàm inter gemmas recenſetur. Optimi viridem colorem exhibent; & ſi maculis parvulis aſpergantur, eò pretioſiores habentur. Nec minimi ſunt pretii, qui ad ſignatoriam ceram, ſivè purpuram accedunt. Sunt, qui exhibeant colorem carneum, rubrum, roſeum, radiatum, album; ſunt etiam multicolores. Alii natura pictas præſeferunt arbores, flores, & arva. Jaſpis omninò non pellucet, atque ad achatis ſimilitudinem accedit. Hujus generis lapides occurrunt in Perſide, India, Syria, Cappadocia, & alibi in Oriente, quin & in America, in ipſis Pyrenæis, & in Bohemia. Ferunt vim habere fluxum ſanguinis continendi, fœminas pariendi labore levandi, libidinem extinguendi, ac tandem amuletum eſſe. Quo loco *Exod.* 28. 18. in Vulgata legimus jaſpidem, Hebræus habet *ſaphir*, & ℣. 20. quo loco Vulgata beryllum, Hebræus legit jaſpidem, & ſeptuaginta reddunt, *onychem*, Joſephus, berillum, Jonathan, pantheram ex varietate colorum jaſpidis. Sed Hebræum *jaſpe* ſanè jaſpidem ſignificat, & Septuaginta in reddendis nominibus gemmarum occurrentium in Hebræo, ſibi ipſis non conſtant; quin & ipſos Hebræos veram ſignificationem plurium ex his gemmis ignoraſſe alibi animadvertimus; quare caſu alia, non certa regula, vertunt. Conſule Ludovicum de Dieu in cap. 28. *Exod.* qui eam rem liquidò diſcuſſit.

JASSA, urbs Ruben. Vide *Iaſa*.

JASSEN 2. *Reg.* 23. 32. ſivè *Aſſem Gezonites*. 1. *Par.* 11. 33. filios habuit viros quoſdam fortiſſimos, Davide regnante.

I. JASUB, ex Tribu Iſſachar, pater familiæ Jaſubitarum. *Num.* 26. 24.

II. JASUB, ſive *Sear-Jaſab*, filius Iſaiæ *Iſa.* 7. 3. *Sear Jaſub*, reddi poteſt, *reliquum redibit*. Hoc nomen filio impoſuit Propheta, ut prænunciaret, Judæos è captivitate Babylonica, in quam abducendi eſſent, iterum ad ſua regreſſuros.

JATHANAEL, filius Meſelemiæ ex janitoribus Templi 1. *Par.* 26. 2.

JAVAN, quartus filius Japhet; pater Jonum, ſivè omnium Græcorum, eorum ſcilicet, qui Græciam, & eorum qui Inſulas & Aſiam Minorem tenebant, qui propriè *Jones* appellantur; quamquam & hoc nomen apud Veteres Macedoniam, Atticam, Bœotiam, & Achajam complectitur. Incolas Deli, Jones appellat Homerus in hymno Apollinis. Univerſos Græcos Jones à Barbaris appellari tradit Scholiaſtes Ariſtophanis (a). Javan filios habuit Eliſa, Tharſis, Cethin, & Dodanim.

JAZER, ſive *Jezer*, urbs Tribus Gad. V. *Jaſer*.

JAZIEL, Sacerdos, qui Davidi bellanti utilem operam navavit 1. *Par.* 12. 3. & 15. 18. & 16. 6. Inter Sacerdotes, & Cantores Templi eminebat.

JAZIZ, Agarenus, qui Davidis oves curabat. 1. *Par.* 27. 31.

IBEX, capra ſylveſtris, perniciſſima, quæ ſcopulos etiam præruptos ſcandit (b). Bochartus ex Arabibus haſce feras ita deſcribit. Genus ſunt capræ ſylveſtris, ſaxa prærupta frequentantis. Proceris cornibus a natura donata, quibus uſque ad nates incurvatis, ex altis ſaxorum faſtigiis ſaltu illæſa evadit; ſiquidem reſupino dorſo ſuo illidens, vim ictus primò excipientibus cornibus, facilè eludit.

IBIS, avis immunda *Levit.* 11. 17. in Ægypto notiſſima, ciconiæ perquàm ſimilis, authore Strabone *l.* 17. niſi quòd illæ albeſcunt, iſtæ nigreſcunt. Apud Ægyptios Divinos honores obtinuit, quòd ſerpentes voret, à quibus tota regio infeſtabatur. Vox Hebræa *janeſchoph*, quam Vulgata reddidit *Ibis*, ſi ea *Neſcheph* derivetur, reddi poteſt, tenebræ; quare Junius, & Bochartus vertunt *noctuam*. Syriacus reddit cycnum, & Arabs, niſum, ſcilicet aquilam maritimam.

(IBIS, genus eſſe Ciconiarum ſat convenit inter omnes. Ibis alba Ciconia eſt re ipſa; pulla, quæ peculiari nomine eſt Ibis. peculiaris itidem eſt Ægypti avis, nunquam ejus fines prætervolat, nec ſi prætervolaret vitam alibi degeret, uti ferunt. A' longè proſpecta nihil offert niſi pullum; ſed propiùs inſpicienti colorem exhibet pavunculi, ſeu nemoroſi corvi, cujus plumæ mixtum exhibent viridem, & ſubcæruleum, cum purpureo quodam guſtu. In ventre & ad latera ſub alis alba eſt avia; roſtro grandi, firmo, rubroque, quo pariter colore nitent crura & pedes. Porrò roſtrum illud æquat circiter 8. digitos in longitudine; collum eminet pede vel 14. digitis; corpus & pectus latitudinem referunt velut dorſum Ocæ; cùm ſub alis caput occultat, cordis ſpeciem referre videtur.

Ibis alba nullibi deeſt in Ægypto; ſed pulla plerumque nonniſi Peluſio proxima loca tenet. Ibim tanta olim veneratione proſequebantur Ægyptii, ut vel unam ex illis avem caſu etiam interemiſſe capitale haberetur. Cambyſes Rex Perſidis, gentis ſuperſtitionem illam probè noſcens, ante exercitum ſuum conſtituendam curavit Ibim, cùm obſidionem Peluſii urgeret. Non audentes Ægyptii quidquam in avem tentare, intactos pariter reliquerunt hoſtes, qui tandem Urbem ſubegerunt perinde habitam veluti clavem Ægypti (c). Serpentes alatos vel Saraph non tantùm vorat Ibis, ſed cum ſatura cibum reſpuit cæteros enecat; vorat itidem ova ſerpentum, inventaque defert ad pullos, quibus cupediæ ſunt exquiſitiſſimæ. Ibim, ſi qua interierit, balſamo condiebant Ægyptii, funere etiam quodam curabant, ingentibuſque proſequebantur honoribus.

Illud autem ſingulare eſt avi, aquaticam licèt, degentemque potiſſimum in regione ad Nilum, nunquam tamen demergi in aqua, & natando rudem eſſe. Creditur ex Ibi acceptus primùm lotionum uſus, & non ex Ciconia magiſtra. Nidificat plerumque in palmis, ut felium inſultus evitet. Qui inter Veteres ſcripſerunt è roſtro illam concipere (d), & roſtro item ova ſua deponere (e), falli illos conſtat. Refert Aldovrandus avem eſſe rubris carnibus, qualibus piſcis, quem Salomonem vocant, & dulcibus guſtui, corio tegi duriſſimo, ac ſylveſtre plurimùm olere.

IBUM. Quæ inſtituebatur cæremonia, cùm frater viduam fratris ſui defuncti abſque liberis in uxorem ducebat, juxta datam à Moyſe Deut. 25. legem, Ibum à Rabbinis appellabatur. Vide infra V. *Leviratus*.)

ICAMIA, filius Sellum, & pater Eliſamæ, ex familia Caleb. 1. *Par.* 2. 41.

ICABOD, filius Phinees, & nepos Summi Sacerdotis Heli; quem mater audito triſti nuncio de captivitate

Ar-

(a) Acarnan. Act. 1. ſcen. 3. (b) Vid. 1. Reg. 24. 3. Job. 39. 1. Pſalm. 103. 18. Prov. 5. 12.
(c) Polyen. lib. 7. Stratagem. (d) Salmaſ. in Solin pag. 418. (e) Solin. cap. 34.

Arcæ Domini, dolore abrepta, ſubitò enixa eſt. *Icabod* reddi poteſt: *Ubi eſt gloria?* quod quidem nomen tempori conveniebat; ſiquidem gloria Iſraelis Arca Domini in hoſtium manus devenerat.

ICONIUM, hodie *Cogni*, urbs olim Metropolis Lycaoniæ in Aſia Minori, quò veniens S. Paulus *Act.* 13. 51. & 14. 1. &c. anno Chr. 45. multos Judæos, & Ethnicos baptiſmo initiavit. In primo ad hanc urbem adventu creditur ad fidem traduxiſſe S. Teclam, apud Veteres Patres celeberrimam. Verùm mota contra illum, & Barnabam ab Ethnicis perſecutione, inſtigantibus quibuſdam Judæis incredulis, ut ſeditioſorum furorem evitarent, in proximas urbes ſe receperunt. S. Paulus ſecundò ad hanc urbem venit anno Chr. 51. quid autem in ea egerit, prorsùs ignoratur.

IDIDA, filia Adaiæ, ex urbe Beſecath, mater Joſiæ Regis Juda. 4. *Reg.* 22. 1.

IDITHUN, ſivè *Idithum*, Levita, ex familia Merari, unus ex quatuor Præfectis Muſices in Templo Domini. 1. *Par.* 16. 38. 41. 42. & 25. 36. & 2. *Par.* 5. 12. &c. Idem eſt, ac Ethan. 1. *Par.* 15. 17. *Pſ.* 88. 1. Huic nonnulli Pſalmi tribuuntur, nimirum 88. inſcriptus, *Ethan Ezrahitæ*; 38. 61. 76. inſcripti nomini *Idithum*. Sunt, qui credant hos Pſalmos Davidem authorem habere, qui illos ad Idithum, ejuſque cantores canendos miſerit; hinc nomen Cantoris Pſalmo inſcriptum. Verùm nonnulli ex Pſalmis vel in captivitate, vel poſt illam ſcriptis mandati videntur; quare nec Davidi, nec Idithun, ſed alicui ex familia, ſivè ſchola hujus cantoris tribuendi videntur.

(IDOLOLATRIA. Impenſus Idolis & Pſeudo-Numinibus cultus ſuperſtitioſus. Generatim autem nomine illo deſignatur cultus quicunque impius, ſuperſtitioſus, ſacrilegus. De origine Idololatriæ non ſat convenit inter plures. Tres ejus fontes indicat Author Sapientiæ, 13. 13. 14. & 14. 15. & 15. 7. 8. primum patris de amiſſo acerbo fato cariſſimo filio dolorem; ſolaturus enim mœrorem ſuum ad divinos illum honores elevat. Secundus, inſculptorum quorundam operum elegantia. Tertius peritia figuli, qui ſcitum ſimulacrum manu ſua formatum conſecrat inter Numina. Qui hominem caſu formatum autumarunt, reputarunt illi pariter, religionem ſibi illum veluti per gradus formaſſe, primamque ejus excogitandæ cauſam aſſignant timorem: *Primus in Orbe Deos fecit timor*. Moleſtiis agitatus homo, Deos ſibi in mente fabricavit, ait Lucretius Rerum natur. l. 5.

Emunctæ naris viri habuerunt perſuaſum, omnium prima divinis honoribus paria habita fuiſſe à mortalibus Solem, Lunam, & Aſtra. Quo enim rutilabant fulgor, qua erant elegantia, quæ teſcrebant mortalibus commoda, tantum apud illos valuerunt, ut divinitate ea donarent & cultu. Maluerunt alii vetuſtiſſimam omnium idololatriam Angelorum cultum aſſignari oportere (a). Primò omnium impenſum eſt illis obſequium, utpote eximia natura præditis, & ingentia referentibus mortalibus commoda; dein gradu facto tranſitum eſt ad cultum, non quidem Deo parem, ſed ſecundarium. Tandem nulla facta ad Deum relatione conſecrati ſunt. Secundùm hæc venit in mentem perſuaſio, ſingulis Aſtris Angelos inſediſſe; quare communione cultus veneratione digni habiti ſunt Sol, Luna, & Stellæ.

Voſſius, qui totum argumentum ſedulus excuſſit, perſuaſum habet, aberrare cœpiſſe homines à genuino Dei cultu, cùm geminis invectis principiis, bono, ſcilicet & malo, utrique divinos honores impendere ſuccurrit. Cùm bona undique admixta malis ſpargi per Orbem animadverterent homines, nunquam animum addicere potuerunt ut crederent, Deo optimo authore mala illa proveniſſe. Duo inde Numina æqualis authoritatis, ſed diverſis atque contrariis indole & genio invecta ſunt. Ex primo bonum atque Mundus creatus eſt; è ſecundo mali authore, malum illud ſemen optimo ſuperinductum. Secundo poſt hæc gradu, in Numen conſecrati ſunt Spiritus, & maximè Dæmones. Degeneratum poſt hæc omnia ad Animas, Heroes, & clariſſimos quoſcumque Viros.

Si quis tamen genuinum Idololatriæ fontem inveſtigare voluerit, non aliunde quærat, quam in depravatione humani cordis, in ignoratione rerum, in faſtu, audacia, mala cupiditate, ac ſtudio in res ſenſiles, in licentia, brutalibuſque paſſionibus, in effræni proci alicujus amore; patris in filium ſuum præpoſtera dilectione; ſicut ſponſæ in maritum; in præpoſtero obſequio item ſubditorum in Principem, filiorum in patrem, gratoque pro acceptis beneficiis animo, in admiratione pro eximiis creaturarum ſeu virorum illuſtrium dotibus. Rationes iſtæ vel ſingulæ, vel plures ſimul junctæ, quam innatam gerunt homines de Numine ideam, eo pepulerunt, ut quos amabant, æſtimabant, colebant ad exceſſum Mortales, pares haberent cultu, obſequio, & veneratione ſuperſtitioſa. Si quis tempus cœptæ hujus ſuperſtitionis aſſignari ſibi quærat, audiet Rabbinos docentes, jam inde ante diluvium opera poſterorum Cain, inductum in mundum Creaturarum cultum ſceleſtum. Traditum id primò dicunt ab Enos; in quem ſenſum exponunt illud Genes. 4. 26. ita Hebræum reddentes: *Tunc cæptum eſt prophanari nomen Domini*, illo ſcilicet Idolis communicato; ſed eandem ſententiam aliter expoſuerunt Græci veteres Interpretes cum S. Hieronymo, Septuaginta; *Hic ſperavit invocare nomen Domini Dei*. Aquila: *Tunc cæptum eſt invocari nomen Domini*. Porro Idololatriam obtinuiſſe jam ante diluvium indubitata perſuaſione tenent Orientales; nec ſanè niſi probabiliſſimè crederetur in malorum illa eluvione, quam deſcribit Scriptura verbis illis: *Omnis caro corruperat viam ſuam*; non defuiſſe inter cætera cultus impios, ſicut nec abfuiſſe conſtat effrænis vitæ licentiam.

Joſephus Antiq. l. 1. cum Patribus pleriſque tenuiſſe videtur, poſt diluvium ita per orbem diffudiſſe ſeſe idololatriam, ut brevi ſuperiora obtineret; quocunque enim oculos vertamus ætate Abrahami, nihil utique cernemus in Mundo, niſi impium cultum & idololatriam. Abrahami progenitores, & ipſe pariter Abraham, vulgari hac lue correpti ſunt, uti Scriptura non obſcurè Joſue 24. 2. 14 *Trans fluvium habitaverunt Patres veſtri ab initio, Thare pater Abraham & Nachor, ſervieruntque Diis alienis. Nunc ergo auferte Deos, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia.*

Sarug avus Thare omnium primus invexit idololatriam poſt diluvium, ſi fides S. Epiphanio de Hæreſibus (b). Alii in Nemrod originem aſſignant, à quo traditum dicunt ſubjectis ſibi populis cultum ignis diu in Perſide obtinentis, nec hodie pariter nonnullis in locis aboliti. Addunt, negantem Abrahamum cultum impendere ſacro illi elemento, in ignem projectum illæſum tamen non ſine prodigio manſiſſe. Malunt alii, ſcelus illud repetendum ex Cham filio Noe (c); ſunt qui id criminis deputent pariter ejus filio Chanaan (d). Sed fateamur oportet, nullo hæc adſtrui ſatis certo & hiſtorico documento; ſumma quin etiam veri ſpecie affirmari poſſet, idololatriam ſenſim & per gradus obtinuiſſe, ut qui omnium primi gradum ſibi fecerunt ad deteſtabile illud crimen, longè abfuerint ab eo ſcelere eò uſque provehendo, quo deinde ſucceſſu temporis evaſit. Ambigendi eſt etiam nullus locus, originem retuliſſe vetuſtiſſimam; ſed certam ejus epocham, authorem vel authores aſſignare impoſſibile judicamus. Vix reputamus totam ſimul idololatriam ejuſdem regionis crimen fuiſſe; ſingulæ ſingulos Deos & religionem ſuis moribus aptam fabricarunt. Ex quo enim genuinus aquarum viventium fons, nempè Domi-

(a) Jo. Cleric. Index Philog. ad Hiſt. Philoſoph. Orient. v. Angelus & Aſtra.
(b) Vide Suid. in Sarug. (c) Caſſian. Collat. 8. cap. 21. (d) Lactan. l. 2. de falſa relig.

Digitized by Google

Dominus derelictus eſt *Jerem.* 2 13. 14., id ſibi quiſque uſurpavit ut ciſternas lutoſas effoderet. Inde monſtra hæc ſententiarum, cultuum, Numinum, quæ Mundum inundarunt. Abſtinendum hic cenſeo à diſcuſſione eorum, unde cœpta idololatria apud Græcos Romanoſque.

IDOLOLATRIA ISRAELITARUM. Peculiaria ſibi Numina procuderunt Hebræi; Gentium aliarum ſuperſtitiones adoptarunt quidem, ſed novarum inventores prorſus non credemus. Coluerunt in Ægypto Ægyptiorum Deos, per deſertum propoſita ſunt Numina Chananæorum, Ægyptiorum, Ammonitarum & Moabitarum; in Terra promiſſionis ad aras elevati Dii Phœnicum, Syrorum, cæterarumque adjacentium Nationum.

Idola patris ſui Labani facilè colebat Rachel, quippe quæ patrios Theraphim furto ſurripuit *Gen.* 41. 30.; Jacob aliquandiu poſt reditum ſuum è Meſopotamia, denunciavit familiaribus ſuis, ut Deos omnes externos, quos habebant apud ſe, projicerent, ſeque expiarent ac diſponerent ut ſimul omnes venirent Bethel oblaturi Domino ſacrificia *Gen.* 25. 2. 4. *&c.* Tradita igitur ab illis excepit aliena Numina, & inaures quas geſtabant ſuperſtitioſas, effoditque ſub Terebintho, juxta Sichem. Nec à ſuperſtitioſo illo cultu expers cenſenda eſt Liath *Gen.* 30. 11. quippe quæ è filiis ſuis unum appellavit de nomine Genii bonæ fortunæ præſidentis, *Gaad*.

Quoaduſque inter mortales verſatus eſt Jacob, nihil de cultu Domini decedere in familia ſua paſſus eſt; ſed poſt ejus obitum è filiis ipſius plures degenerarunt ad Numina Ægypti. *Auferte Deos, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia & in Ægypto*, denunciavit Joſue Iſraelitis *Joſue* 24. 14. In itinere illorum per deſertum, teſte Amos 5. 25. 26. ædiculas ſecum tulerunt Numinum, Tabernaculum Moloch, & idolorum imagines. Paria exprobrat populo S. Stephanus Act. 7. 42. Aureus vitulus, quem elevarunt in aras Hebræi ad radices Sinai, expreſſus erat ad imitationem Dei Apidis, cui in Ægypto ſeſe proſtituerant *Exodi* 24. 4. 5. Cùm Moyſes miſſus fuit à Deo educendo ex ea regione populo, edixit palam omnibus *Ezech.* 20. 6. 7. 8. 9.: *Unuſquiſque offenſionem oculorum ſuorum abjiciat, & in Idolis Ægypti nolite pollui.*

Rerum potientibus Judicibus degenerarunt ſæpè in infidelitatem, ultoremque ſenſerunt Deum, à quo in manus hoſtium traditi ſunt. Gedeon, poſt ſingularia illa à Deo recepto beneficia, fabricavit Ephod *Judic.* 8. 27. quod in offendiculum poſitum eſt Iſraeli ad cultum illicitum. Teraphim Michæ ignorat nemo, quorum in Iſraele cultus cum diſperſione populi deſiit. Tandem diſertè exprimit Scriptura Hebræos vertentes Domino terga, contuliſſe ſe ad Deos extraneos Baal, & Aſtaroth: *Fecerunt filii Iſrael malum in conſpectu Domini, & ſervierunt Baalim ..... & ſecuti ſunt Deos alienos, Deoſque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, & adoraverunt eos. Dimittentes Dominum, & ſervientes Baal, & Aſtaroth. Judic.* 12. 11. 12. *&c.*

Moderantibus populum Samuele, Saule & Davide purus ſincerusque Dei cultus in Palæſtina obtinuiſſe videtur. Abſona erant quidem multa & corrupta in moribus; ſed idololatrum nihil. Salomon, quis credat? omnium Regum populi Dei primus indigna in uxores exteras, quas duxit, indulgentia, erigenda curavit Templa impiia Numinibus ſacra, ipſumque ſe polluit oblato manibus ſuis thure turpibus illis Numinibus *Reg.* 11. 5. *&c.* Tum Phœnicum Numen Aſtarte, Ammonitarum Moloch, Moabitarum Chamos ſacra in Iſraele nomina. Jerobaam filius Nabath, apud quem ingens ditionis Salomunicæ portio devoluta eſt, aureis vitulis in Dan & Bethel conſecratis prævaricationem induxit in populum. Factum inde ut laxato regiæ authoritatis fræno rueret populus in vitia, ſuoque indulgeret genio, impenſo non aureis tantùm vitulis cultu, ſed & Numinibus omnibus Phœnicum, Syrorum, Ammonitarum, & Moabitarum.

Modica hæc ſummè obtinuerunt toto Regni Achab tempore. Pro viribus adnitens Jeſabel ut extingueret cultum Domini, Prophetas ejus expulit, atque afflixit perſecutione, quibus ſcilicet Prophetis velut aggere quodam plures adhuc è populo continebantur in officio. Provocatus Deus criminibus & idololatria decem Tribuum, permiſit illas tandem manibus Regum Aſſyriæ, & Chaldææ, à quibus extorres regione ſua facti in Tranſeuphratæam deducti ſunt.

Nec minor populi Juda corruptio. Ita enim ſcelera per eam regionem inundantia, idololatriam, abominationes, effrænem in turpia quæque licentiam, quæ maximè in editis quibuſque locis, nemoribuſque Deorum religione ſacris committebantur, depingunt Prophetæ, ut ingenti horrore tantam vitiorum corruptionem deteſtentur quicunque propheticas paginas habent ſub oculis: intelligunt illi quidem nihil alienum eſſe ab homine, qui ſe paſſionum ſuarum furori permittit. Adductus fuit in captivitatem Juda variis ſe invicem excipientibus caſibus, nec repetiit ad propria niſi poſt 70. abſentiæ annos. Reducto in patriam, nequaquam uti prius exprobratur idololatria. Studium ſuum pro cultu Domini nunquam non palam aſſeruit, ſi prævaricatores nonnullos excipias, juſſionibus Antiochi Epiphanis turpiter obſecundantes; reliquum populi purum ſe ab impio cultu ſervavit. 1. *Machab.* 1. 12. 13. 14. 15. 57. 58. *&c.* Videſis de origine Idololatriæ Opus Voſſii, & noſtram Diſſertationem de origine Idololatriæ, præfixam Libro Sapientiæ, ac Seldenum de Diis Syris.

IDOLA. Omnis generis, & materiæ Idola ſuppetebant Paganis, aurea, argentea, ænea, lapidea, lignea, fictilia. Conſecrata ſunt aſtra, ſpiritus, homines, animalia, flumina, plantæ, elementa. Ante rudem lapidem olim proſtratos ſpectare contigit. Quadratum ſibi lapidem in Numen propoſuiſſe Arabes, Maximo Tyrio aſſerente, ſcimus. Conſtat equidem ante Mahometum ſummo illis in honore fuiſſe lapidem quemdam nigrum, hodie pariter ſuſpenſum columnæ porticus Templi Meccæ, quem religioſo oſculo venerarunt Mahometani. Olim apud Iſraelitas plura colebantur Numina vel Idola, ignotæ nunc figuræ. Manet apud Mahometanos memoria *Sovaa*, Idoli, quod ætate Noemi Patriarchæ ante diluvium (a), cultum obtinuiſſe ferunt. Apud veteres Arabes in Altaribus propoſitum erat *Uza*, ac ſi diceretur *Deus fortis* vel potens. Deus Helagabalus, quid, niſi in conum formatus lapis, Solis emblema? Aras etiam occupabant ad cultum haſtæ, lanceæ (b), trabes, ignis, bruta, Sol, Luna, aſtra, terra, flores, plantæ, arbores, fontes; nec alia niſi id generis norant veteres Galli, & Germani.

Servatæ ad noſtram uſque ætatem Ægyptiorum Numinum reliquiæ documento ſunt, quid illos divinis honoribus par haberetur. Pleraque rudi Minerva expreſſa ſimulacra referebant bruta, vel ſymbola ex homine & bruto coaleſcentia. Hic caput felis muliebri trunco præfixum; illic caninus rictus, humana cætera; boves, accipitres, corvi, angues, inſecta viliſſima, olera pariter, religioſa omnia, &, ſi Deo placet, Numina.

Si Rabbinis ac Interpretum pleriſque fidem addimus, Idola, quorum in Scriptura mentio, abſurdiſſima erant monſtra. *Dagon* in piſce expreſſus; *Beelſebub* in muſca; vituli aurei & Jeroboami, & quem ſibi conſecrarunt in deſerto Hebræi, è fuſo metallo vitulina erant ſimulacra. Vide *Moloc*, *Chamos*, *Belphegor*, *Dagon*, *Excelſa loca*, ac *Samaritani*.

IDOLUM. Vox Græca *Eidolon* exprimit imaginem, ſivè figuram; quæ tantùm pravo ſenſu in S. Scriptura uſurpatur; nempe pro imagine Numinum Ethnicorum,

(a) D'Herbelot Bibliot. Orient. p. 827.　(b) Clem. Alex. in Protrept. pag. 29... 30. Euſeb. Præp. l. 1.

ſivè imago illa hominis, ſivè aſtra, ſivè bruta, picta, ſculpta, cælata, ſivè alia quacumque ratione expreſſa exhibeat. Omne Idolorum genus ad uſum religionis, & cultus interdictum eſt à Deo *Exod.* 23. 4. : *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra.* De ſingulis Numinibus, quorum meminit Scriptura, in ſuis articulis agemus.

IDUMÆA, Provincia Arabiæ, ex Edom, ſivè Eſau incola illius loci, nomen derivans. Porrò Eſau primo in montibus Seir ſedem fixit; deinde in regionem Horræorum, ad orientem, & meridiem Maris mortui migravit. Poſteri deindè ipſius Arabiam Petræam, totamque regionem ad meridiem Palæſtinæ, inter Mare mortuum, & Mediterraneum, latè habitarunt. Quin & tempore captivitatis Babylonicæ, & cùm Judæa raris frequentaretur habitatoribus, plagam Judææ meridionalem, Hebronem uſque, occuparunt. Quare cùm de Idumæa agitur, ætates diſtinguendæ ſunt. Ævo Moyſis, Joſue, ac Regum Juda illam definiebat ad orientem, & meridiem Mare mortuum, ac regionem Seir ſinum Elaniticum verſùs claudebat. Succeſſu temporis Idumæa in plagam meridionalem Juda porrigebatur. Metropolis Idumææ orientalis Bozra habebatur, Edrai verſùs ſita; meridionalis verò, Petra, ſivè Jectael. Haſce duas Idumæas, orientalem, & meridionalem Palæſtinæ, non nos primi diſtinximus: alii quoque ante nos, Strabo, Brocardus, Bonfretius, Adrichomius, Torniellius. Vide *Seir.*

IDUMÆI, populi ex Edon, ſivè Eſau filio Iſaac, & fratre Jacob natu majori. Reges ante Judæos habuerunt *Gen.* 36. 31.; primò tamen Ducibus, deindè Regibus ſervierunt: exterorum populorum dominationem nunquam anteà tolerarunt; niſi cùm David illos in ſuam ditionem redegit, patriſque Iſaaci oraculum impletum eſt quo futurum pronunciavit, ut Eſau Jacobo ſerviret. *Gen,* 27. 19. 30. Impoſitum à Judæis jugum ægrè Idumæi tolerarunt; quare labentibus annis Salomonis, Adad Idumæus, qui in Ægyptum ad infantia tranſlatus fuerat, in patriam regreſſus, regnum illius occupavit 3. *Reg.* 11. 22. Sed in Idumæa tantum orientali regnaſſe veriſimillimè apparet; Idumæi enim meridionales in fide perſtiterunt uſque ad regnum Joram filii Joſaphat, ſub quo primùm deſciverunt 2. *Par.* 21. Joram bellum fruſtrà illis intulit. Amaſiaa filius Joas Regis Juda, aliquibus incommodis illos affecit: Petram in ſuam ditionem redegit; 10000. homines occidit, totidemque præcipites egit è ſcopulo, ſuper quem urbs Petra erigebatur, 2. *Par.* 25. Sed hiſce victoriis parùm profecit.

Oaias Rex Juda, Idumæos ex urbe Ela ad Mare Rubrum expulit 4. *Reg.* 14.; & ille viciſſim à Razin Rege Syriæ expulſus eſt, Idumæorum regionem latè depopulatus creditur Aſſaradon Rex Syriæ. *Iſa.* 2. 11. 12. 12. & 24. 1. Illos eum aliis finitimis Judææ Holofernes jugo ſervitutia oppreſſit *Judith.* 3. 14. Nabucodonoſori Jeroſolymam obſidenti, Idumæi arma conjunxerunt, Regemque ad urbem funditus evertendam inſtigarunt (a). Mali conſilii authores debita pœna ſubſequuta eſt; ſiquidem Nabuchodonoſor poſt quinque annos ab urbis direptione, fortiſſimas nationes per circuitum Judææ, nec Idumæis exceptis, ſubegit (b). Judas Machabæus pluribus victoriis illos fregit (c): Joannes Hircanus tandem edomuit, ac lege victoris, illos circumciſionis, ac cæterorum legalium obſervantiæ ſubdidit (d). Inde uſque ad excidium Hieroſolymæ per Romanos Judæis paruerunt; quibus in ejuſdem urbis obſidione per Romanos ſuppetias tulerunt (e). Quamquam urbem ingreſſi, inſtante obſidione, exitum illius non expectantes, in Idumæam præda onuſti regreſſi ſunt.

(Idumæorum vetus Religio ignoratur. Olim ab exordio Dei veri manebant in obſequio, tradente Eſau, quam in domo patris ſui Iſaac ebiberat, Religionem. Job, quem virum ex Idumæa referimus, ſicut & ex ejus Amicis quidam, quorum relucent dogmata in Libro Job, Domino item adhærebant, depoſitum ſynceri cultus ſanctè cuſtodientes. Circumciſionem abjecerant, cùm à Joanne Hircano ſub jugum miſſi, eo ſe iterum ſacramento initiare, moreſque omnes religionis Judaicæ adoptare coacti ſunt (f). *Koſe*, Idumæorum Numen, legitur apud Joſephum, Antiq. l. 15. c. 11. è cujus Numinis veterum Sacerdotum genere originem referebat Coſtobares, vir clariſſima & vetuſtiſſima ejus gentis familia natus. Arabes Arabiæ Petrææ & Idumæos exhibita à Deo per Moyſem prodigia admiratos, virum illum conſecraſſe ſcibit S. Epiphanius hæreſ. 55. Porrò *Coſè* Hebraicè ſonat *Videns*, Propheta, quod planè Moyſi quadrat. Jodololatriam Idumæis nunquam exprobrat Scriptura; nec de illorum Idolis uſpiam. Prophani, cùm de Arabum Religione tractant, Idumæos media illorum tenentes, una ſimul confudiſſe, cenſendi ſunt.)

JE-ABARIM, ſcilicet *anguſtiæ Abarim*, ſivè *tranſeuntium*; locus, ubi Iſraelitæ poſt egreſſum ex Ægypto caſtrametati ſunt, in regione Moab ſitus *Num.* 21. 11. In eadem regione montes Abarim occurrunt. Jeremias loci cujuſdam *Hai*, ſivè Gai meminit (g) qui idem eſt ac *Je*, ſivè *Jai* in Moabitide.

JEBAHAR, filius Davidis, ex concubina. 2. *Reg.* 5. 15.

JEBLAAM, ſivè *Jibleam*, urbs mediæ Tribus Manaſſis, *Joſue* 17. 11. citra Jordanem. Eadem fortaſſe eſt, ac *Balaam* 1. *Par.* 6. 70. urbs Levitarum ex familia Caath. Situs *Jeblaam* ignoratur.

JEBNAEL, ſivè *Jebneel*, urbs in finibus Nephtali, *Joſue* 19. 33. Alia hujus nominis urbs ad Tribum Juda pertinebat, *Joſue* 15. 11.

JEBOC, torrens. Vide *Jaboc*, ſivè *Jabok*. *N.* 21. 24.

JEBSEM, filius Tholæ, nepos Iſſachar (h).

JEBUS (i), alio nomine *Jeruſalem*. Hanc urbem condidit Jebus, ſivè Jebuſæus filius Chanaam, & pater Jebuſæorum.

JEBUS, *Jebuſæus*, *Geneſ.* 10. 16. *Joſue* 15. 63. filius Chanaan, & pater Jebuſæorum in Palæſtina. Porrò Jebuſæi viri erant bellicoſi, qui Jeroſolymam, & viciniores montes tenebant; eamque urbem nonniſi à Davide pulſi reliquerunt. 2. *Reg.* 5. 6.

JECEMIA, filius Jechoniæ, ex genere Regum Juda. *Paral.* 3. 18.

JECHELIA, uxor Amaſiæ Regis Juda, & mater Azariæ. 4. *Reg.* 15. 2.

JECHONIAS, filius Joakim Regis Juda, nepos Joſiæ, qui patrium Regnum tribus tantummodò menſibus obtinuit, 4. *Reg.* 24. 8 & 2. *Par.* 36. 9. Natus creditur circa tempus primæ captivitatis Babylonicæ An. M. 3398. cum pater ipſius Joakim, ſeù Joachim, vel Eliacim Babylonem captivus tranſlatus eſt. Ea captivitate liberatus Joakim, & in Regnum regreſſus, anno tàndem 3405. & Regni undecimo, à Chaldæis occiſus eſt. Succeſſorem reliquit hunc, de quo agimus, *Jechoniam*, alio nomine *Joachim*, ſive *Coniam*, qui tamen decem annis Regnum una cum patre jam adminiſtraverat, uti ex collatis locis 4. *Reg.* 24. 8. ac 2. *Paral.* 36. 9. colligimus. Siquidem in quarto Regum legimus Jechoniam annum egiſſe decimumoctavum, dum regnare incepit, & in Paralipomenis octennia Regnum auſpicatus fuiſſe perhibetur. Octennis igitur adminiſtrationem Regni una cum patre ſuſcepit; duodeviginti annis natus ſolus regnavit.

Jechoniam veluti ſceleſtiſſimum Principem deſcribit Jeremias 22. 24. qui criminibus ſuis Dei vindicis iram meruerit: *Vivo ego dicit dominus, quia, ſi fuerit Jechonias filius*

(a) Pſal. 136. 7. Thren. 4. 21. 22. Abdias ℣. 11. Jerem. 22. 6. & 59. 7. Ezech. 25. 12.
(b) Abdias ℣. 1. Jerem. 59. 7. 10. 20. Joſeph. Ant. l. 1. c. 11. (c) 1. Mach. 10. 16. Joſeph. Art. 1. c. 11.
(d) Antiq. l. 13. c. 17. (e) de Bel. l. 4. c. 6. (f) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 17.
(g) Jerem. 40. 3. *Ulula Heſebon, quoniam vaſtata eſt Hai.* (h) 1. Par. 6. 2. Deut. 2. 37.
(i) Joſue 18. 28. Judic. 19. 10. & 1. Par. 11. 4.

filius Joakim Regis Juda annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. Et dabo te in manu quærentium animam tuam, in manu quorum tu formidas faciem, & in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & in manu Chaldæorum; & mittam te, & matrem tuam in terram alienam.... ibique moriemini.... Numquid vas fictile, aut contritum vir iſte Jechonias?.... Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini. Hæc dicit Dominus. Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur; nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David. Oraculo ſua fides; ſiquidem Jechonias conſiliis omnibus fruſtratus fuit, captivus Babylonem adductus, captivus obiit. Verùm non ſine præmiſſa criminum pœnitentia, uti creditur, qua Dei miſericordiam ante obitum promeruit. Legimus enim Evilmerodach ſucceſſorem Nabuchodonoſoris, illum è carcere liberatum in honore habuiſſe, ac principem inter cœteros Aulæ ſuæ proceres locum conceſſiſſe: 4. *Reg.* 25. 27. *Jer.* 52. 31.

Oraculum illud: *Scribe virum iſtum ſterilem*, non adeò ad literam accipiendum eſt, quaſi Jechonias filiis carere debuerit; ſiquidem, præter Salathielem, alios quamplures filios habuit, in Paralipomenis recenſitos, 1. *Par.* 3. 17. 18. & *Matth.* 1. 12. Sed vox Hebræa (a), quæ in Vulgata redditur *ſterilis*, uſurpari etiam poteſt de homine, qui filios amiſit, & hæredibus ac ſucceſſoribus caret. Jechonias igitur filius Regis, & Rex, filiis Regni ſucceſſoribus carere debuerat. Et quidem nec Salathiel, qui natus eſt, & obiit in captivitate, nec Zorobabel, qui è captivitate Babylonica regreſſus eſt, nec alii poſteri Jechoniæ, uſque ad Chriſtum Regno unquam potiti ſunt. Jeſus Chriſtus Regis ſpeciem inter homines non prætulit. Obitus ipſius certus annus ignoratur.

(Inſinuatur in 4. Regum 24. 8. 2. Paralipomenon 36. 9. aſſumptum fuiſſe à populo in Regem loco patris. Sed Joſephus Antiq. l. 10. c. 9. aſſerit agente Nabuchodonoſore ad ſummam illam dignitatem aſcendiſſe; nec diu poſt metuentem eundem Nabuchodonoſorem, ne novus ille Rex ultionem necis Joakim patris molitus, defectionem agitaret, extuliſſe ipſum pœnituit, miſitque ſtatim exercitum ſtringendæ Jeruſalem obſidione. Sed Jechonias, recti juſtique animi Princeps, cavens ne occaſione à ſe data ſiniſtri aliquid pateretur Urbs, miſit ſecuritatis obſides ad hoſtilis exercitus Imperatores, Matrem ſcilicet ſuam, & Propinquos, ſacramento priùs adſtrictis hoſtium Ducibus, nequid incommodi inferrent, ſive obſidibus, ſive Urbi. Sed à promiſſis ſtatim receſſum eſt; nondum enim vertente anno Nabuchodonoſor mandavit per epiſtolas Imperatoribus exercitus ſui, ut captivum Jechoniam cùm matre, amicis, junioribus è populo & quotquot erant in Urbe opificibus tranſmitterent Babylonem, quod ſtatim executioni mandatum eſt. Tranſlati igitur 10832. quorum numerum implebat Rex Jechonias, Notuſta ejus mater, & à conſiliis Regis viri graviſſimi; quos omnes Nabuchodonoſor retinuit captivos. Hæc Joſephus.

Paucis rem totam proſequitur Liber Regum, & in nonnullis diſcrepat à Joſepho. Jechonias, ait, malum coram Domino egit; & Rex Babylonis copias primùm ſuas miſit obſidendæ Hieroſolymæ, ducendas tradens belli Principibus ipſe ſe tandem contulit ad urgendum opus. Tunc Jechonias Urbe egrediens cum matre, Principibus, viris, domeſticis, Præfectis dedidit ſe Nabuchodonoſori; victor autem Rex theſauros Templi Regioſque diripuit, fregit vaſa aurea, munera Templo à Salomone data, omniaque tranſtulit Babylonem, ſimul etiam ſpoliavit Urbem optimis civibus, Ducibuſque, atque *fortibus exercitus* 10000. tum & peritiſſimis opificibus, viliſſimis tantùm calonibus relictis. Tranſtulit & Regem eum Regina parente, Regiis uxoribus, Eunuchis, Judicibus regionis, ac tandem 7000. *viros robuſtos* & 1000. *opifices*; peritos, & quidquid tandem aptum eſſet ad arma.

An numerus ille 10000. hominum, de quo antea, poſteriores hoſce 8000. complectatur, incertum. Non abs re credimus ſtudium illud Nabuchodonoſoris transferendi Babylonem omnem *artificem & cuſorem*, opificem ſcilicet ferri, auri, argenti, ligni &c., eò ſpectaſſe, ut auctam à ſe ornatamque Babylonem incolis redderet inſigniorem. Eundem pariter ſcopum habebant integrarum gentium migrationes, quas regionem ſuam vertere coactas ſive Babylone, ſive in Babylonia conſiſtere Princeps ille jubebat, quò ſcilicet gloriam florentiſſimæ regionis magis magiſque promoveret.)

JECMAAM, quartus filius Hebronis. 1. *Paral.* 23. 19.

JECMAAM, urbs Ephraim, quæ Levitis ex familia Caath ceſſit. 1. *Paral.* 6. 68.

JECMAAM, urbs Juda. 3. *Reg.* 4. 12.

JECNAM, ſive *Jeconam*, & *Jecnaam*, urbs Zabulon, Levitis ex familia Merari attributa. *Joſue* 21. 34. & 19. 11. Eadem eſt ac Jechanam Carmeli, *Joſue* 12. 22. Carmeli dicta eſt, quòd huic monti proxime accedat.

JECSAN, ſecundus filius Abrahami ex Cethura, *Gen.* 25. 2. Hunc credimus parti Arabiæ incolas dediſſe, eundemque ac illum, quem Arabes appellant *Kahtan*, & univerſæ nationis authorem agnoſcunt (b). Sedem habuit in Provinciis ad orientem Berſabee, ſcilicet partim in Arabia felici, partim in Deſerta, ut Moyſes ſignificat, *Gen.* 25. 6. *Abraham filiis concubinarum largitus eſt munera, & ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo.... ad plagam orientalem.* Jecſan filios habuit *Sabam*, & *Dadan*, qui eandem regionem incoluerunt.

JECTAN, primus filius Heber, cui ceſſit tota regio *de Meſſa uſque Sephar montem orientalem*, *Gen.* 10. 25. 26. 30. Regio *Meſſa* nobis eſſe videtur, in qua Maſius mons Meſopotamiæ erigitur; ac *Sephar* dictam intelligimus regionem Sepharvaim, 4. *Reg.* 17. 21. & 18. 34. & 19. 13. ſivè Sepharenorum, ſeu Sapirorum, aut Saraparorum; nam diverſa hæc nomina unum eundemque populum ſignificant, inter Colchos, & Medos verſantem (c). Omnia hæc loca ſita erant in Provinciis, quas Moyſes deſignare ſolet voce *Kedem*, ſive orientis. Neque in iis regionibus deſiderantur veſtigia nominum filiorum Jectan; quod multum noſtram conjecturam confirmat. Porro nomina filiorum Jectan hæc ſunt: Elmodad, Saleph, Aſarmoth, Jare, Aduram, Uzal, Decla, Ebal, Abimael, Saba, Ophir, Hevila, Jobab.

(Conſtanti perſuaſione tenent Arabes, eam, quam modò tenent, Regionem, olim ab exordio incoluiſſe Jectan vel Joctan, filium Heber, & fratrem Phaleg; qui poſt inductum ſermonum diſſidium, ſedes conſtituerit ſuas in hac Aſiæ Peninſula, nomen facilè ſortita ſuum ex Jarab, filio Jectan, vel ex ampliori quodam agro provinciæ Tahamæ, appellato Arabath. Veteres illi Arabes impermixti regionem hanc tenuerunt, quoadusque eò migravit & Iſmael ac cæteri ejus filii; illi enim cum veteribus incolis coaleſcentes, populum conſtituerunt appellatum *Mos-Arabes* vel *Moſtarabes*, i. e. Arabes mixti, ex Iſmaelitis ſcilicet poſteris Iſmaelis filii Abram, & Agar, ac veteribus Arabibus.

Iidem pariter Scriptores parenti Jectan filium vindicant *Joarab*, vernaculi Arabum ſermonis primum authorem, ex quo cæteris poſteris Jectan manſit nomen Arabes. Alter filius Jectan eſt *Ad*, pater Aditarum, quos ultionis divinæ gladius exterminavit. Ex eo etiam parente nati ſunt *Thamondus*, *Tafni*, *Giadis*, patres totidem vetuſtarum Tribuum Arabiæ. Quod autem faceſſit negotium, illud eſt, nimirum nomina ejuſmodi parentum veterum harum Tribuum alia eſſe prorſus, ac quæ relata ſervantur apud Moyſem. His tamen nequidquam obſtantibus D. Bochartus conſtituit in Arabia filios Jectan expreſſos in Scriptura, qui

(a) Jerem. 22. 30. Vide Hieron. in Jerem. 22. 30. Theoduret. alios ibid.

(b) Vide Bochart Phaleg. l. 1. c. 15.

(c) Herodot. l. 1. & l. 4.

illi conatus, judicio virorum plurium doctiſſimorum, pro voto ſucceſſit. In re enim adeò obſcura ſtat eſt, veri ſpeciem quædam habentia attuliſſe, eiſque grates referendæ plures, qui ſtudia ſua omnia eò conferunt, ut altis adeò tenebris obſita hiſtoriæ monumeota in lucem utcunque producant. Conſule in hoc argumentum D. Bochartum; & ſi cui alterius ſyſtematis conjecturæ arrideant, adeat noſtrum in Geneſim Commentarium.)

JECTEHEL, ſivè *Jecthel*, urbs Juda, *Joſue* 15. 39. Eadem fortaſſe eſt ac *Jecabſeel*, ejuſdem Tribus, 2. *Eſdr.* 11. 25. Quamquam veriſimilius hæc poſterior eſt Cabſeel, *Joſue* 15. 21. *&* 2. *Reg.* 23. 20.

JECTEHEL, ſaxum, quod Idumæis vi abſtulit Amaſias Rex Juda, atque ex ejus faſtigio 1000. ex hoſtibus prælio captis præcipites egit (a). Hanc petram Euſebius urbem Petram, Capitalem Arabiæ Petrææ fuiſſe autumat. Prælium contra Idumæos commiſſum eſt in valle Salinarum, quam nos inter Palmyram, & Bozram locamus (b). Deſertum Palmyræ uſque ad urbem Petram porrigit Plinius l. 5. c. 24. Amaſias victoriam ſuam uſque ad hanc urbem proſequi potuit; eamque fortaſſe nomine *Jectael*, ſcilicet *obedientia Deo*, donavit; ut oſtenderet merito exhibitæ à ſe erga Deum obedientiæ, partam de Idumæis victoriam ſeſe accepto referre.

JEDAIA, filius Hazemoph, ex familia ſacerdotali. 2. *Eſdr.* 3. 10.

JEDALA, urbs Zabulon *Joſue.* 19. 15. Alii eam appellant *Jetalam*; ſed Hebræus legit *Jadala*; Septuaginta *Nalal*, Syriacus *Aral.*

JEDDOA, filius Jonathan Summi Sacerdotis Judæorum (c), de quo egimus v. *Jaddus.*

JEDDU, filius Nebo, tempore Nehemiæ, qui ductam contra Legis præſcriptum uxorem dimiſit, 1. *Eſdr.* 10. 43.

JEDDUA, ex iis unus, qui fœdus cum Domino obſignavere ſub Eſdra, & Nehemia. 2. *Eſdr.* 10. 19.

JEDEL, Princeps ſecundæ Claſſis Sacerdotalis. 1. *Paral.* 24. 7.

JEDIHEL, vir inter fortiſſimos exercitus Davidis, qui à Saule ad Davidem defecit 1. *Par.* 11. 44. & 12. 20. eique in Siceleg verſanti ſe exhibuit; exinde verò ſemper in obſequiis permanſit. Patrem habuit Samri, & fratrem Joham, & ad Tribum Manaſſis ſpectabat.

JEDLAPH, filius Nachor, & nepos Abrahami *Gen.* 22. 22.

JEGEDELIAS, vir Dei, cuſtos unius ex gazophylaciis Templi. In hujus cellam Jeremias introduxit • Rechabitas, ut vinum illis exhiberet. *Jerem.* 35. 4.

JEHEZIEL, vir inter fortiſſimos, qui relicto Saule. Davidi adhæſerunt, 1. *Par.* 12. 4

JEHIAS, Levites, qui Arcam ferebat, cùm è Domo Obededom, juſſu Davidis Jeroſolymam transferretur. 1. *Par.* 15. 24.

I. JEHIEL, ex Tribu Ruben. 1. *Par.* 5. 7.

II. JEHIEL, Levites, qui Gabaone morabatur, 1. *Paral.* 10. 35.

JEHOVAH. Nomen Dei, ineffabile, myſteriis refertum, quod Deus nec veteribus Patriarchis ante Moyſem revelavit; *Apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo omnipotente* (Hebr. in Deo *Sadai*) *& Nomen meum Adonai non indicavi eis Exod.* 6. 3. Pro *Adonai* Hebræus legit *Jehovah*. *Sadai* vertitur, qui ſibi ipſi ſufficit. *Jehovah* verò, qui a ſeipſo ſubſiſtit, cæteriſque ut ſint largitur. Deus autem nomen Jehovah non indicavit veteribus Patriarchis, non quaſi vis illius creandi, atque à ſemetipſo ſubſiſtendi Patriarchis non innotuerit, ſed nomen hoc ſuum, quod ejus naturam, virtutemque ſignificat, latere illos voluit. Illius quidem uſus frequens eſt in Geneſi; ut: *Ipſe cœpit invocare nomen Jehovah Gen.* 4. 26. Abraham jurans ait: *Levo manus meas ad nomen Jehovah: Gen.* 14. 22. Deus ad Abraham dixit: *Ego ſum Deus Jehovah, qui eduxit te de Ur Chaldæorum. Gen.* 15. 7. Hoc tamen nomen in Geneſi à Moyſe, libri ſcriptore, idcirco poſitum eſt, quòd tunc temporis, quando liber ſcriptis mandabatur, vulgò à Judæis uſurpari ſoleret. Quare Moyſes potiùs ſuorum temporum, quàm Patriarcharum, de quibus ſcribebat, uſum ſectatus eſt.

Cæterùm, dum Jehovah dicimus, conſuetudinem receptam ſequimur; neque enim ſatis conſtat, qua ratione nomen ineffabile Domini exprimendum ſit, quod literis *Jod*, *He*, *Vau*, & *He* ſcribitur, & originem ducit ex verbo *haja*, fuit. Veteres non una ratione illud expreſſerunt. Sanchoniatoo apud Euſ. Præp. l. 10. c. 9. ſcribit. *Jevo*; Diodorus Siculus *Bibl. l.* 2. Macrobius *Saturn. l.* 1. *c.* 18. S. Clemens Alexandrinus *Strom. l.* 5. S. Hieronymus ſeu alius ſub ejus nomine in Pſ. 8. & Origenes l. 6. cootra Celſum pronunciant *Jao.* S. Epiphanius *hær.* 40. Theodoretus *q.* 15. *in Exod.* & Samaritani habent *Jabe*, ſivè *Jave*. Occurrit quoque apud Veteres *Jahoh*, *Javo*, *Jaov*, *Jaod*. Ludovicus Capellius ſtat pro *Javo*; Druſius pro *Jave*, Mercerus pro *Jehevah*. Hottingerus pro *Jehva*. Mauri Deum ſuum appellant *Juba*, quod aliqui uſurpatum pro *Jehovah* autumant. *Jovis*, ſivè *Jovis Pater*, nomen apud Latinos ex *Jehovah* fortaſſe originem traxit. Illud equidem conſtat, quatuor illas literas, quibus nos dicimus *Jehovah*, reddere etiam commodè poſſe *Javo*, *Jabo*, *Jevo*, *Jave*, *Jehvah &c.*; nec minus in aperto eſt, veteres Hebræos rectam hujus pronunciationem non ignoraſſe, cùm in precibus, ac lectionibus Librorum Sacrorum ſemper eſſet in uſu.

Factum eſt tandem, ut Judæi poſt captivitatem Babylonicam, intempeſtiva religione, ac ſuperſtitione ab eo nomine abſtinerent, ex quo paulatim recta illius pronunciatio ex hominum memoria obliterata eſt. Hoc qnidem, quod diximus, jam inde à tempore illorum Interpretum, qui ſub nomine Septuaginta innoteſcunt, invaluiſſe conjicimus; vertunt enim ſemper *Kyrios*, Dominus. Origenes (d), S. Hieronymus (e), & Euſebius (f) de Judæis ſuorum temporum teſtantur, in ſuis Exemplaribus nomen Jehovah veteribus Samaritanis characteribus ſcribere conſueviſſe, quamvis reliquum opus Chaldæis, ſivè Hebræis vulgaribus characteribus exaratum eſſet; quod quidem ſummæ eorum religioni erga Sanctum nomen deputandum eſt; illud enim latentibus, ignotiſque characteribus deſcriptum volebant, quò extraneis, Ethniciſque, quibus Lingua, & Scriptura Chaldæorum innoteſcebat, minus pateret. Verùm fruſtra illos feciſſe ex eo conſtat, qnod Ethnici ſæpè ſancto nomine abuſi ſunt; *illo* enim uſos fuiſſe pellendis ſpiritibus immundis ex hominum corporibus, & amuleto pro ægrotis, teſtatur Origenes l. 1. cont. Celſum. S. Clemens Alexandrinus l. 5. Strom. narrat, Ægyptios illos, quibus aditus in Templum Solis permittebatur, nomen *Joau* præſetuliſſe. Carmina quædam magica contra morbum articularem recitat Trallianus, in quibus nomen *Jas*, ſivè *Jaath* occurrit.

Narrat Philo, poſt punitionem Blaſphemi in deſerto novam hanc legem à Deo indictam fuiſſe (g): Quicumque Deo maledixerit, peccati reus habebitur: & quicumque nomen Domini pronunciaverit, morte punietur. Ita legunt Septuaginta & Theodoretus textum Levitici 25. 14 qui in Hebræa, & Vulgata redditur: *Homo, qui maledixerit Deo ſuo* (Hebr. *Elohim*) *portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Legem Moy-

(a) 4. Reg. 14. 7. & 2. Par. 25. 5. 6. &c. (b) Vide Relationem Palmyræ inſertam in Itineribus Cl. le Brun. pag. 343.
(c) 2. Eſdr. 12. 11. 12. (d) Fragment. Orig. in Palæogr. Græca, l. 2. c. 1.
(e) Hyeron. in lib. Reg. Præf. & in Ezech. 9. (f) Euſeb. in Chron. ad 47. 40.
(g) Philo in vita Moyſis l. 3.

Digitized by Google

Moyſis à ſe relatam Philo inſignia ſapientiæ elogio commendat; additque in prima ejus parte vetitum eſſe, ne ipſa Paganorum Numina blaſphementur; in ſecunda verò cautum eſſe, ne Dei Nomen fruſtra proferatur. Porrò, ait, reus eſt ultima expiatione digna Dei nomen paſſim ſine delectu, & ratione tanquam ad explementum ſermonis uſurpare. Neque minori religione abſtinendum eſſe à nominando ſanctiſſimo Nomine ſenſit Joſephus, *Antiq. l. 2. c. 5. n. 12.* ſcribit enim, Deum, cùm in rubo Moyſis appareret, nomen illi ſuum reſeraſſe, *quod quidem nemo hominum antea norat, & mihi referre nefas eſt.*

Poſt reductos è captivitate Judæos, ſemel tantùm die ſolemnis Expiationis nomen illud pronunciari conſueviſſe, & cum à Summo Sacerdote pronunciaretur coram aliquibus Diſcipulis ſelectis ſtrepitum excitari conſueviſſe, ne à cæteris exaudiretur, tradunt Judæi. Poſt everſionem Templi ſiluit prolatio Sanctiſſimi Nominis; hinc factum eſt, ut vera ratio illius exprimendi ignoretur. Judæi ubicumque nomen *Jehovah* occurrerit inter legendum, & orandum, dicunt *Adonai*, ſivè *Elohim*, quorum morem ſequutus S. Hieronymus pro *Jehovah*, *Exod. 6. 3.* ſubſtituit *Adonai: Et nomen meum Adonai non indicavit eis.* Recentiores Hebræi tradunt, nomen Jehovah in virga Moyſis inſcriptum, vim illam prodigia patrandi virgæ indidiſſe; quin etiam Jeſum Chriſtum ex eodem fonte virtutem miraculorum hauſiſſe; ſiquidem, dicunt, nomen illud ineffabile Templo ſubripuit, & inter carnem & cutem in femore celavit. Quantum ille valuit, tantum etiam nos polleremus, ſi perfectæ hujus nominis pronunciationis compotes eſſemus: ſed omnes ſecretum illud docere ad Meſſiam ſpectat. Hæc Judæi.

(Perſuaſum habent Judæi illum, qui nominis *Jehovah* ſeu tetragrammatis genuinam pronunciationem noverit (a), impetraturum omnia a Deo; ſe vero ideo fruſtra obtundere Deum precibus, quod genuinam illam pronunciationem ignorent. Qui e gentibus ſuis omnium poſtremus eam protulerit, aſſignant Simonem Juſtum Summum Sacerdotem; addentes poſt ejus obitum, multiplicato in immenſum prophanorum numero, ſacro illo nomine abutentium, ceſſatum fuiſſe ab ejus pronunciatione. Huic autem ſubſtitutum dicunt alterum nomen duodecim literis conſtans (b), quod Summus Sacerdos populo benedictionem impartiens pronunciabat. Tarphon, clari nominis Rabbinus, ipſiſſimus creditus ac Tryphon, quocum S. Juſtinus Martyr in ſuo Dialogo diſputationem inſtituit; Tarphon, inquam, refert ſe, cum olim ad Sacerdotem acceſſiſſet benedictionem ejus auribus ipſis excepturus, intellexiſſe non ultra voce exprimi duodecim illas literas, ſed ſatis habuiſſe Sacerdotes, ſi aliquid obmurmurarent, canentibus interim Levitis. Hujus autem ſilentii in cauſa fuiſſe dicit auctam prophanorum multitudinem, quorum auribus recitare ſacrum nomen vetabat metus, ne illo abuterentur. Dira precantur in Thalmude in illos, qui ab ea ſe pronunciatione non abſtinerent; nec vacuum cenſent à crimine qui vel iſta tentaret; tandem negatum id pariter & Angelis arbitrantur.

Cognitione aliqua magni hujus & ineffabilis nominis aſperſi Prophani videntur. In aureis carminibus Pythagoræ recitatur ſacramentum per eum, qui quatuor habet literas (c); legebaturque in fronte Templi Delphici, referente Euſebio ſcriptum: *Tu es.* Scripſerant pariter Ægyptii præ foribus Templi cujuſdam ejus Regionis: *Ego ſum.* Sua quædam erant Deorum nomina Paganorum Religioni, quæ pronunciare auderet nemo. Exemplum ejus affert Cicero *de Natur. Deorum lib. 3.* in eo, quem digerit, catalogo Numinum Paganorum. Si quis è nominibus illis quoddam pronunciare auſus fuiſſet, contremuiſſet ingenti horrore terra

.... an ille
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato,
Non concuſſa tremit?

Romuli nomen in Tabulis publicis ita deſcriptum erat, quemadmodum apud Judæos *Jehovah*, quatuor ſcilicet adnotatis conſonis, quæ in eo nomine adſcriptæ leguntur. Inductum id autem obſequio minùs quàm timore, ne Dii Urbium tutelares evocarentur (d).

Doctores Judæi Cabaliſtæ nomen Jehovah cavillis plurimis vexarunt. Notant e. g. in Geneſi Moyſem ante totum creationem Mundi, Deum non alio nomine appellaſſe, quam *Elohim*; ſed poſt abſolutum opus tranſire ſtatim in *Jehovah*; hoc autem ideò, quòd primitùs Deus res producturus per partes, imperfecti aliquid præferre videtur; ſed poſt ſupremam manum operi impoſitam reſumit nomen *Jehovah*, quod perfectionis eſt abſolutiſſimæ. Dictis hiſce ſuis fidem adſtruunt ex illo Deut. 32. 4. *Opera petræ perfecta ſunt*, ſeu potiùs opera Dei; petra eſt enim Deus *ſummè potens & perfectus.*

Singulæ auguſtiſſimi nominis literæ turgent myſteriis: *Jod* omnium prima exprimit *mentem & ideam Dei*, qui lumen eſt, hominum perſtringens oculos, ex his rebus eſt una, quæ hominum fugit obtutus, mens capere non valet. De hac litera Jobus 28. 21. *Abſcondita eſt ab oculis omnium viventium &c. He*, è quatuor literis poſtrema, detegit Numinis & Creatoris ſingularitatem. Ex eo fonte quatuor terreſtris Paradiſi amnes, i. e. Majeſtates Dei, quas Judæi appellant *Schekinah.*

Omnia in uno Dei nomine continentur, quique illud pronunciat, terrore concutit Cælum & terram, terrore pariter & Angelos. Summa pollet authoritate, ac potentia ſua mundum regit univerſum. Cætera nomina & elogia divinitatis in ejus nominis diſponuntur ſatellitium, tanquam milites & Principes manentes in obſequio ſupremi Imperatoris, cujus ad nutum pendent. Fons eſt gratiarum & benedictionum; canale, unde Dei largitates defluunt ad homines. Si quis myſteria omnia nominis hujuſce Dei noſſet, nulla ignoraret Juſtitiæ illius & Providentiæ arcana.

Uſurpant ſæpè Muſulmani (e) nomen *Hu* vel *Hou*, paria fermè exprimens ac *Jehovah*, nimirum: *Qui eſt.* Nomen autem illud adſcribunt fronti reſcriptorum, literarum patentium, & ſimilium, ingeminant illud ſæpè in precibus; nec deſunt viri inter religioſos religioſiſſimi tanto clamoris impetu & niſu exprimentes *Hou*, *Hou*, *Hou*, ut tandem deſtituti ſenſibus, atque obtuſi illas patiantur, quas extaſes vocant. Sed magnum Dei nomen, quod pronunciant frequenter & nunquam ſine ingenti fiduciæ ſpe, illud arbitrantur *Allah.* Communicuntur ejus nominis virtute Noemum fluctantem per aquas direxiſſe ad arbitrium Arcam. Japhetum cælatum illud cuſtodiſſe in gemma, & tanquam optimam hæreditatem reliquiſſe filiis, eodemque unico toſttumcoto deduxiſſe ad nutum imbres. Nec alio nomine valuit Jeſus Chriſtus cùm miracula patraret. Tandem apud Arabes, cæteroſque Mahometiſmum profitentes nomen *Allah* reſpondet *Elohim & Adonai* apud Hebræos, quin & alteri *Jehovah* ineffabili, & è Græca appellatione dicto *Tetragrammaton*, ſeu quatuor literarum, quod pleniùs divinam naturam exprimit.

I. JEHU filius Obed, pater Azariæ. 1. Par. 2. 38.)

II. JEHU, Propheta filius Hanani, quem Deus ad Baaſam Regem Iſraelis miſit, an. M. 3073. ſive 3074. ante Chr. 927 ſive 928. ante Ær. 931. ſive 932. ut hæc ſuo nomine renunciaret 3. *Reg.* 16. 1. *Pro eo quod exaltavi te de pulvere, & poſui te ducem ſuper populum meum Iſrael, tu autem ambulaſti in via Jeroboam, & peccare feciſti populum meum Iſrael, ut me irritares in peccatis*

(a) Vide Mediaſthi lim in Pſ. 12. Druſ. Tetragramma cap. 10. (b) Maimonid. More Neboch. pat. 1. cap. 62.
(c) Tetractys. Vide Seldenum de Diis Syr. Syntag. 2. c. 2.
(d) Plin. lib. 28. c. 2. ... conſtat ideo occultum (nomen) *in cujus Dei tutela Roma eſſet, ne qui hoſtium ſimili modo evocarent.*
(e) D'Herbelot. Biblioth. Orient. pag. 460. Hou, & pag. 326. Eſma.

eorum. Ecce ego demetam poſteriora Baaſa, & poſteriora domus ejus; & faciam domum tuam, ſicut domum Jeroboam filii Nabat. Qui mortuus fuerit de Baaſa in civitate, comedent eum canes, & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres Cœli. Prophetam liberiùs loquentem impatienter ferens Baaſa, in illum pœna mortis animadvertit, ut in Vulgata exprimitur, ſed Textus Hebræus hæc tantum habet: *Per manum Jehu .... verbum Domini fuit ſuper Baaſa, & ſuper domum ejus, & ſuper omne malum, quod fecit in oculis Domini, irritando eum opere manuum ſuarum, ut eſſet ſicut domus Jeroboam, & pro eo quod percuſſit eam.* Ex hoc textu non ſatis conſtat, Baaſam Prophetam occiderit, an Deus Baaſam.

Huic ſecundæ explicationi præferendæ conducit, quòd circà A. M. 3107. ſcilicet 30. annis circiter ab obitu Baaſæ, quidam Jehu filius Hanani commemoretur, qui Dei nomine ad Joſaphat Regem Juda iſta renunciavit 2. *Par.* 19. 2. 2. &c. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia conjungeris, & idcircò iram quidem Domini merebaris: ſed bona opera inventa ſunt in te.* Porrò ſi Baaſa Prophetam Jehu abſtuliſſet, quomodo idem Propheta Regem Joſaphat diu poſt alloqui potuiſſet? Sunt, qui duos Jehu filios Hanani diſtinguant; ego verò mallem priorem textum non de cæde Jehu, ſed de morte Baaſæ interpretari. Cæterùm de Jehu, nihil ultra occurrit. De Hanani Propheta diximus in ſuo articulo.

III. JEHU, filius Joſaphat (a), & nepos Namſi, dux copiarum Joram Regis Iſraelis, quem Deus vindicem ſuum contra domum Achab, & Regem Iſraelis deſtinavit. Cum igitur cœlitus commiſſum fuiſſet Eliſeo, ut Jehu in Regem conſecraret, 3. Reg. 19. 16. A. M. 3097. ante Ær. 907. ille (b), fortaſſe ne ſecretum proderetur, eam rem filio Prophetarum implendam commiſit. Quamquam nec ſtatim res exequutioni mandata eſt, ſiquidem nonniſi poſt 23. annos à Dominico præcepto, quo Jehu conſecrandus jubebatur, initiatus eſt (c). Propheta igitur imperata facturus, venit ad Jehu in obſidione arcis Ramoth Galaad verſantem, eumque cum aliis ducibus colloquentem nactus, ſeurſum accitum in ſecretum locum, ſubito oleo in vertice inunxit, atque his verbis alloquutus eſt: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Unxi te Regem ſuper populum Domini Iſrael, & percutiet domum Achab domini tui, & ulciſcar ſanguinem ſervorum meorum Prophetarum:.. de manu Jezabel. Perdamque omnem domum Achab... Et dabo domum Achab, ſicut domum Jeroboam filii Nabat, & ſicut domum Baaſa filii Ahiæ. Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrabel, nec erit, qui ſepeliat eam.*

His dictis, Propheta clauſo ſuper ſe oſtio, raptim egreſſus abiit, veritus ne agnoſceretur; Jehu verò ad duces regreſſus, ab illis iterum atque iterum rogatus, quid ab homine audiſſet, tandem rem totam prodidit, expoſuitque, eum virum Prophetam fuiſſe, juſſu Domini ad ſe conſecrandum miſſum. Illi, his auditis, continuò aſſurgentes, ac ex propriis ſingulorum palliis tumultuario opere throno inſtrato, concrepantibus buccinis, Jehu in Regem ſalutaruur. Interim Rex Joram in urbe Jezrahel detinebatur, curandis vulneribus, quæ in obſidione Ramoth acceperat: rei autem omnis ignarus erat, quippè cùm Jehu neminem paſſus eſſet ex urbe Ramoth exire. Quare cum Jehu, facta ſuorum manu, ad urbem Jezrahel properaret, Regem oppreſſurus; Joram renunciato ſibi à ſpeculatore, quòd militum manus ad urbem accederet, exploraturus quid eſſet, cum bellico curru Ducem miſit. Ille obviam factus Jehu, & quid vellet percontatus, nullum accepit reſponſum, quàm, ut exercitum ſequeretur. Eadem arte Jehu duos alios a Joram miſſos detinuit.

Tandem ipſe Joram curru ſvectus, unàque Ochozias Rex Juda, venit; atque Jehu in campo Naboth Jezrahelitæ offendens an pacificus veniret interrogavit. Cui Jehu: Quam tibi pacem optas, fornicationum, & ſuperſtitionum Jezabel matris tuæ funeſtis monumentis ubique extantibus? His auditis, Joram proditionem intelligens, una cum Ochozia in fugam ſe vertit. Verùm Jehu confeſtim emiſſa ex arcu ſagitta, fugientis Joram terga transfigens, in ipſo curru exanimavit (d). Defuncti corpus, Prophetæ Eliæ prædictioni implendæ, mandante Jehu, in campo Naboth Jezrahelitæ projectum eſt. Ochozias etiam, juſſu ejuſdem, lethali vulnere ſauciatus, cùm Mageddo veniſſet, ibi diem clauſit.

Inde Jehu in urbem Jezrahel ingreſsus, cum Jezabelem feneſtris Palatii aſſidentem, cædemque Regis ſibi exprobrantem audiſſet, actutum illam ex eadem feneſtra præcipitem agi juſſit. Sinè mora juſſionibus obtemperatum eſt, contractumque Reginæ corpus, pedibus equorum proculcatum, tandem juxta Eliæ prædictionem à canibus voratum eſt; adeo ut cum Jehu ſepulturæ illud mandandum præcepiſſet, nihil reliqui præter oſſa, inventum ſit. Inde Jehu Samaritas per nuncios monuit, ut inter 70. filios Achab, quos apud ſe habebant, unum ſeligerent, quem in ſede patris collocarent, 4. *Reg.* 1. 2. 3. Illi ſiniſtri aliquod veriti, reſponderunt, ſe non alterius, quam Jehu, imperata facturos. Nec vana polliciti ſunt; quippe jubenti Jehu, omnes illicò filios Regis detruncarunt, abſciſſaque capita ad illum tranſmiſere. Simili clade univerſa cognatio Achab, amici, Aulici, & Sacerdotes illius in urbe Jezrahel degentes involuti ſunt. His peractis, Samariam petiit, quo in itinere occurrens 40. cognatis Ochoziæ Regis Juda Jezrahelem euntibus, ut filios Regis, & Reginæ ſalutarent, comprehendi omnes, atque occidi juſſit. Paululum procedens, Jonadad filium Rechab obvium habuit, quem ſecum in currum aſſumens, Samariam duxit, ut ſui in Deum zeli teſtem illum haberet. Igitur urbem ingreſſus, continuò reliquos omnes è domo Achab delendos curavit. Deindè cœtu Samaritarum coacto, indixit velle ſe Numini Baal Divinos honores impendere: operæ proindè, ut omnes illius Dei Sacerdotes, Miniſtri, & Prophetæ ad ſolemnitatem, quam ipſe erat celebraturus, evocarentur. Cùm omnes it in Templum Baal conveniſſent, jubente Rege ſinguli veſtibus donati ſunt; poſtea nihil tale expectantes, immiſſis militibus, omnes ad unum trucidati ſunt. Cæde peracta, ſimulachrum Numinis everſum eſt, & igne conſumptum, deletumque Templum, cujus area purgamentis corporis excipiendis deſtinata eſt.

Ultionem, quam Jehu de univerſa familia Achab expetierat, Deus adeò probavit, ut Regnum illi, & poſteris ejus uſque ad nepotum filios ſe aſſerturum promiſerit. Verùm quantum in ea re laudis ſibi promeruit, tantum in Scriptura reprehenditur (e), quòd à cultu vituli aurei, quem Jeroboam filius Nabat conſecraverat, nec ſe, nec populum retraxiſſet. Ultionem minitatus eſt Deus per Oſeam illis verbis, *Oſee* 1. 4. 5. *Adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Jezrahel ſuper domum Jehu, & quieſcere faciam regnum domus Iſrael... Conteram arcum Iſrael in valle Jezrahel.* Quamvis enim Jehu ultionem Domini ſuper domum Achab proſequutus fuiſſet, in ea tamen re potiùs privatas ſimultates, ſivè quamdam ſævitiæ & ambitionis indolem ſequutus eſt. Quin & à juſtæ ultionis limitibus plurimùm exceſſerat. Quare Deus obedientiam præmio donavit; Idololatriam & animi ſævitiem punìit. Regnavit annis 28. filiumque ſuum Joachaz ſucceſſorem reliquit, 4. *Reg.* 10. 35. 36. Quatuor ex ejus poſteris Regnum Iſraelis obtinuere, videlicet Joachaz, Joas, Jeroboam II. & Zacharias. Hunc Principem bella cum Hazaele Rege Syriæ exercuerunt; quippe Syri fines Iſraeliticæ ditionis infeſtarunt, ac poſt cæſum Iſraelitarum exercitum, totam regionem transjordanicam, quam dimidia Tribus Manaſſis, at-

(a) 4. Reg. 9. 2. *Videbitis Jehu filium Joſaphat, filii Namſi.* (b) 4. Reg. 9. 2. 2. 3. &c. (c) A. M. 3120. ante Ær. 884.
(d) 4. Reg. 9. 25. A. M. 3120. ante Chr. 880. ante Ær. 884. (e) 4. Reg. 10. 29. 31. 32.

Google

atque Tribus Gad, & Ruben tenebant, excurrerunt, 4. *Reg.* 10. 33. 34. Tempus hujus expeditionis incertum eſt: fortaſſe tamen revocanda eſt ad initia Regni Jehu; Hazael enim certior factus, quod Jehu obſidionem Ramoth-Galaad deſeruiſſet, eam regionem invaſit, atque occupavit.

IV. JEHU, quartus filius Roboam, Regis Juda, & Abihail. 2. *Par.* 11. 19.

I. JEHUS, filius Eſau, & Oolibamæ. Gen. 36. 5.

II. JEHUS, filius Balan, ex Tribu Benjamin. 1. *Par.* 7. 10.

III. JEHUS, filius Eſec. 1. *Par.* 8. 39.

(JEJUNIA JUDÆORUM. Relatum eſt in Miſna Tract. Tanith. n. 8. p. 368. ex Sapientium doctrina dies feſtas exemptas eſſe à jejunio, idemque ſuum privilegium pervigilio, quin Doctorum quorumdam ſententia, diei alteri proximè ad Feſtum ſuccedenti communicare. Ad quem textum adnotant Maimonides, & Bartenora veterem Librum exhibentem Calendarium dierum feſtarum apud Iſraelitas, ætate ſua intercidiſſe; ceſſaſſe quin etiam morem eximendi à jejunio diem tum pervigilii, cùm alteram proximè ad feſta illa ſuccedentem, ſed & ab eodem excidiſſe privilegio feſtas illas dies, quæ obſervari deſiiſſent. In Græco Judith legimus, religioſam illam fœminam jejunia nulla non die continuaſſe, *præter antesabbata & ſabbata, & anteneomenias, & neomenias, & feſtivitates, & lætas ſolemnitates domus Iſrael.* Habes hic expreſſum eorum, quæ traduntur in Miſna, exemplum. Ita verò ſervatum eſt obſequii quadam in diem feſtam ſignificatione, ne ſcilicet ſolemnis diei lætitiam eſurialium ejuſmodi dierum luctus offuſcaret.

Mane dierum eſurialium (a) additæ precationibus confeſſiones ac triſtium, quorum ea die lugetur eventus, recordatio, volumen Legis expanditur, ex quo ſententia illa Exodi 32. 11. recitatur: *Moyſes orabat Dominum Deum ſuum dicens: Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum, quem eduxiſti de terra Ægypti &c.* Et poſt meridiem preces *Mincha* vel oblationis, ritu non diſſimili, recitantur, additis Iſaiæ 55. 6. illis: *Quærite Deum dum inveniri poteſt, invocate eum dum propè eſt &c.*

Ex Judæis quidam à die 17. *Thamuz* uſque ad 9. menſis *Ab*, trium ſcilicet hebdomadarum ſpatio à vino abſtinent & à carnibus. Ultrò ſibi jejunium indicunt, quòd nefaſtos dies illos experti ſunt Iſraelitæ. Dies nona *Ab*, menſis lunationi Julii & Auguſti reſpondentis, luctuoſa eſt memoria Templi incendio traditi à Nabuchodonoſore primùm, tum à Tito; quam ideircò Judæi eſurialem habent, ne potu quidem admiſſo; calceis detractis ſervant nudipedium ab hora ante occaſum Solis aduſque mane alterius diei. Cùm micare incipiunt in Cælo ſtellæ, veſpere pervigilii, poſt conſuetas preces in Synagoga abſolutas, terræ aſſident, leguntque Jeremiæ Lamentationes. Eidem inſiſtunt lectioni mane ſuccedenti, plures id generis cantilenas ſimul addentes, luctumque prorogantes tota ea die; omne etiam ſtudium Legis habent interdictum, præterquam lectionem Librorum Job, & Jeremiæ, & aliarum id generis lugubrium triſtiumque commentationum. Sabbatum jejunium illud ſubſequens appellatur *Nacamu*, i. e. ſolamen; quòd legi ſoleat illud Iſaiæ 40. 1. &c. *Conſolamini, popule meus, dicit Deus veſter; loquimini ad cor Jeruſalem & advocate eam*; ſolantur autem ſeſe ſpe futuræ reſtitutionis Jeruſalem, & Templi.

Præter generalia univerſæ genti indicta jejunia, alia ſunt etiam ſingularium regionum Judæis peculiaria; ita e. g. Germanis poſt Feſta Paſchatis, & Tabernaculorum triduum eſt eſuriale, i. e. duæ proximè ſuccedentium hebdomadarum feriæ ſecundæ, & inter duas illas media feria quinta. Hoc autem ideo, quòd præcedentia illis Feſta, cùm ad octo dies prorogata ſint, aliquid afferre potuerint offenſæ in Deum. Idcirco etiam ſtatum eſt jejunium poſtremæ anni diei, & apud nonnullos pervigilium ineuntis cujuſque menſis eo pariter ritu agitur.

Si quis pœnitudinis vel religionis ſingulari ſpiritu ultra generalia hæc jejunia, alia ſibi aſſumeret ſervanda, hæc ille ante ſolis obitum pronunciare ſolet: Mane proximè ſuccedentis diei mihi jejunium indico. Tum ab omni cibo potuque abſtinent à veſpere illo uſque ad veſperam alterius diei, addentes precem, qua Deum rogant, ut ſuum illud jejunium loco ſacrificii accipiat. Cubant ea die diutiùs, quàm pro conſueto (b), nullum capiti ſupponunt pulvinar, ſtratumque molle in rude pannum commutant.

Si cui per ſomnium funeſtum aliquid & mali ominis obſervetur (c), e. g. videatur ſibi videre Volumen Legis flammis abſumptum; videre etiam diem remiſſionis ad horam precis veſpertinæ, ſeu corruentes ædium ſuarum trabes, labentes dentes ſuos &c. ſi cui, inquam, per ſomnium hæc obverſantia moleſtiam cauſent, hanc diem ille habet eſurialem, nihil inter utramque veſperam capiens cibi vel potûs. Id autem neceſſarium ſibi reputant adeò, ut nullum in ea re privilegium obtineat dies, quam alioqui eſurialem habere nefas eſſet, ſive dies Sabbati, ſive alterius Feſti cujuſque.

Veſpere, quâ jejunium illud clauditur, qui iſta per quietem ſpectavit, tres amicos ſuos arcìſcit antequam capiat ſomnum, ac ſepties illis audientibus ingerit: *Felix fauſtumque ſit quod mihi irrepſit ſomnium*; Ad ſingula hæc repetunt amici: *Felix ſit fauſtumque, & Deus vertat in bonum.* Tum addunt quædam è Prophetis, ut fauſtum ſibi omen deducant pro auguranda ſibi remiſſione peccatorum, ingeruntque ſimul verba illa Eccleſiaſtis 9. 7. *Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.* Secundùm hæc ſolvitur jejunium.

Blandiuntur autem ſibi futurum, ut jejunii meritò obtineant fauſtam inſomnii ſui interpretationem; prava autem omnia removeantur: habent enim perſuaſum jejunium *perinde eſſe ad ſomnium, quod ignis ad ſtupam: incendit & adurit* (d). Si cui morbus fortè obrepſerit; ſi iter ſit plenum diſcriminis ineundum; ſi quis in carcerem detrudendus; ſtatim ad jejunium prò valetudine ſeu liberatione impetranda. Filius patrem ſuum diligens, recurrentem per annum diem obitus patris ſui habet eſurialem. Quin & Magi ipſi alienum à ſe non cenſent jejunium, evocandis mortuorum animabus, & ex inferno Dæmonibus; multò igitur fortiùs, loquuntur Sapientes, viros probos decet jejunium, deducendo in ſe Spiritui Dei.

Docent Rabbini irreligioſum eſſe jejunium menſis Martii; lætus eſt enim totus memoria ſolutæ Ægyptiacæ captivitatis, & exitus Iſraelitarum. Sunt tamen qui eſurialem agant diem obitus Mariæ ſororis Moyſis, quòd ea die deficiente aqua ad Cadesbarne, murmur Iſraelitarum in Deum ſublatum eſt. *Num* 20. 1. &c.

Ritus autem jejunii Judaici is eſt, ut cibum ſibi omnem potumque interdicant à veſpere pervigilii, aduſque occaſum ſolis diei ſuccedentis. Ex Judæis tamen quidam tenent; permitti cibum aduſque mane diei jejunio deſtinati, ſatis enim haberi ſi à ſummo mane uſque ad exortum primi ſideris à cibo abſtineatur. In Jejunio vetantur carnes, oleribus tantùm contenti ſunt, nec illis indiſcriminatim omnibus: vetitum & butyrum, ova permiſſa. Connubia ea die celebrantur nulla; calvitium inducere capiti, inſpet-

(a) Leo Moden. cærem. Jud. p. 3. c. 8.
(b) Buxtorf. Synag. Jud.
(c) Ibid. part. 1. cap. 4.
(d) Baſnag. Hiſt. Jud. tom. 5. l. 7. c. 18. a. 4.

inſpergere ſe pulvere, lotionibus fovere irreligioſum eſt; ſæpè cinere caput aſpergunt, nudiſque inceduut pedibus. Sed poſtrema hæc religio ſuadet, non jubet præceptum. Jejunia & abſtinentias perinde habent, ac ſupplementum quoddam priſci ſacrificii, ſummique apud Deum meriti & efficacitatis.

Muſulmani (a) Chriſtianorum imitatione jejunium prorogant integro menſe *Ramadam*, qui nonus eſt anni Arabici. Eſt autem lunaris menſis & mobilis per omnes anni tempeſtates diſcurrens, cùm intercalationum uſum nullum adhuc admiſerit. Fertur jejunium illud inſtitutum eſſe in memoriam Alcorani, quem ſibi miſſum ea die aſſerit Mahometus. Is autem jejunandi eſt ritus: à ſummo mane adusque exortas veſpertinas ſtellas ab omni cibo potuque, tum & à fumo herbæ, quam tabacchum vocant, excipiendo abſtinent. Poſt evolutam illam periodum cibo potuque ad ſatietatem ingurgitantur, nihil ſibi interdictum tota nocte autumantes, niſi quod arctiùs veritum ſit eo tempore, quàm alio quocumque, vinum: violati hujus præcepti eo tempore rei quidam, coacti ſunt liquatum plumbum abſorbere.

Nemo à jejunio exemptus, non fœmina, non miles, non iter habens, non opifex, non artem exercens aliquam, non mendicus, non locuples; quin & Sultanus ipſe eodem cum cæteris præcepto ligatur. Quibus jejunare Ramadan vetat morbus, poſt receptam valetudinem alio menſe omiſſum ſupplere injunctum eſt. Sitis potiſſimùm moleſtia affliguntur itinerantes & opifices, ſed ferenda ſunt omnia; vel ſi quis jejunium fregerit, totidem diebus alio tempore ſibi illud ſupplendum ſciat. Plerique totam diem agunt penitùs quieti, ſedulo evitantes quidquid vitalium ſpirituum erogationem promoveret.

Nemo ſatis miraretur extremam illam indulgentiam, quam ſibi permittunt in jejunio Chriſtiani, maximè in Eccleſia Latina; quod autem præ cæteris obſtupeſcendum eſt, Caſuiſtæ & Præſules, quos meliùs inſtructos ſpiritum Eccleſiæ probè noſſe, majori etiam ſtudio teneri pro ſanctitate & ſynceritate veteris diſciplinæ oporteret, docent voce pariter & ſcriptis nec potum vini nec liquorum The, Caffe, Cocolatæ officere jejunio, quòd, inquiunt, liquoribus humectemur, non nutriamur. Quaſi ſcilicet vinum e. g. quod ſpiritus eſt fructus ſucculentiſſimi ineptum ſit ad nutriendum; cùm tamen doceat Galenus vina quædam plus ſufficere nutrimenti, quàm ſuillas, inter alimenta omnia alimentum ſucculentiſſimum. Cocolatum, ſi illos audias, The, Caffè liquores maximè compoſiti, cæterique pariter liquores, qui ſpiritum vini habent admixtum ad humectandum valent, ad nutriendum non valent. Conſtat nihiloſeciùs vel ipſam aquam nutrire, refrigerare, delectare; quæque ſedit de jejunio apud Gentes omnes, Græcas, Barbaras idea, ea ſemper fuit, ut ſenſus affligerentur carnis, non fame tantùm ſed & ſiti. Judæi, Muſulmani, veteres Chriſtiani, & ipſi etiam Pagani, uti exemplo Ninivitarum conſtat, non aliis cenſebantur opinionibus.

Cæterùm nonniſi per errorem aſſereretur aquam & liquida inepta eſſe ad nutriendum: nonne ad ſtomachum tranſmiſſa immutantur in chilum? nonne in cor tranſmittuntur & in ſanguinem? Nunquid ſolidiſſima etiam alimenta, quò nutriendo & ſuſtentando homini valeant in liquida tranſeunt? Quæcunque enim capimus, cibi in chilum vertendi ſunt, in lympham, tum in ſanguinem, ut nobis alendis valeant. Fatemur equidem, qui ſola aqua potaretur, hominem, nullo admiſſo cibo, vitam diu non producturum; ſed qui acquam potant, vinum, & cætera in jejunio, ipſi quidem à cibo non abſtinent, & ſæpè etiam largiori, ſive ante ſive poſt potum. Quare iſtis potus eſt non alimenti tantùm ſuperadditi genus quoddam, ſed & opportunum diſſolvens, ut eorum, quæ antea guſtaverant, digeſtionem juvet. Quando etiam liquidis tantùm refrigeraremur atque delectamenti aliquid caperemus ex illis, deceret utique ab illis in jejunio abſtinere, veluti repugnantibus ſpiritui jejunii, damnatiſque exemplo Judæorum, Muſulmanorum, Paganorum, & multo fortiùs etiam veterum Chriſtianorum.

JEJUNIUM. Jejunii diſciplina ſemper, & apud omnes populos in luctu, & mœrore ſervari conſuevit; quem quidem morem naturam magiſtram homines docuiſſe fatendum eſt, utpotè quæ in luctu & cibos ſibi interdicit, & famis acriores ſtimulos hebetat. Jejunii tamen veri ac genuini exempla ante Moyſem nuſquam occurrunt, ſivè quòd Patriarcharum jejunia Moyſes ſcriptis mandare neglexerit, quod tamen vix credimus, cùm aliundè inſignium luctuum hiſtoriam exactè ſatis deſcribat, ut Abrahami, Saræ, Jacobi &c. ſivè quòd illorum conſultò meminiſſe ſuperfluum judicaverit. Ex Lege verò apparet, jejunia vel etiam ſpontè ſuſcepta, criminibus expiandis ab Iſraelitis paſſim uſurpari. Moyſes jubet, fœminam nuptam, quæ ſpontaneum jejunium vovit, viro non reclamante, ejuſmodi voti ream eſſe. *Num.* 30. 14. Nihil eſt quod dicamus de jejunio Moyſis, qui in monte Horeb 70. dies impaſtus exegit; hoc enim jejunii genus naturæ leges excedit.

Poſt Moyſem, jejunia apud Hebræos increbuerunt; quamquam ea, quæ in Calendario eorum notantur, Legi poſteriora habenda ſunt. Moyſes enim nullum indicit in Lege jejunium, niſi Solemnis expiationis, quod latè omnes, & ſub præcepto obligabat (b). Joſue & Seniores Iſraelis, poſt fuſos Iſraelitas ad oppidum Hai, à mane uſque ad veſperam coram Arca provoluti, jejuni perſtiterunt. *Joſ.* 7. 6. Eandem diſciplinam ſervarunt undecim Tribus, quæ bello contra Benjamin ſuſcepto, ab incolis Gabaæ pulſi, fractique fuerunt. *Jud.* 20. 26. Judæi, quibus Philiſthini graviores inſtabant, coram Domino in Maſpha *convocati*. 1. *Reg.* 7. 6. jejunium uſque ad veſperam produxerunt. David totum illud tempus, quo ſuſceptus ex Berſabee conjuge Uriæ filius ægrotavit, jejunus exegit 2. *Reg.* 12. 6. Prophetæ, Jeſus Chriſtus, & S. Joã Baptiſta plures jejunarunt. Neque jejunii diſciplina Ethnicis incognita fuit. Rex Ninive, Jonæ prædicatione territus, juſſit, non homines tantùm, ſed & beſtias abſque cibo & potu manere, omneſque, nec beſtiis exceptis, ſacco indutos miſericordiam à Domino, ſuo quoſque more, flagitare *Jon.* 3. 5. 6. In publicis calamitatibus non rarò jejunia ab Hebræis indicebantur, quæ vel infantes ipſi lactentes ſervare cogebantur, ut ex Joele 2. 16. intelligimus. Porrò eandem circa infantes lactentes diſciplinam in jejunio Ninivitarum ſervatam fuiſſe nonnulli ex Patribus ſcripſerunt (c). Paſtor apud Virgilium *Eclog.* 5. in obitu Cæſaris greges cibum renuiſſe dicit. In Canariis, & Peruanis regionibus, cùm ſolum maximè areſcit, oves, & capellas in caulis clauſas tandiù jejunium producere cogunt, quandiù fame balare compellantur. En quid Ethnicis populis natura duce circa jejunium inſpiratum ſit.

Ab occaſu Solis diei præcedentis, Judæi jejunium exordiebantur, nec niſi ad occaſum Solis (nempè ad primæ ſtellæ conſpectum) alterius diei, quidquam cibi potuſve capiebant (d). Die tamen Expiationis ſolemnis, jejunium ad 28. horas producebant. Tempus inceptæ obligationis circa jejunia in viris ab exacto anno 13. ætatis, in fœminis verò ab exacto 11. repetebatur; quamquam pueri poſt ſe-
pten-

(a) D'Herbelot. Bibl. Orient. pag. 708. Tournefort Itiner. l. 2. pag. 342. Lucas Itiner. Egypt. t. 1. &c. Gallica omnia.
(b) Levit. 23. 27. 29. *Affligetis animas veſtras in eo ... omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis.*
(c) Baſil. hom. 8. in Avaros, & orat. 4. de Triuit. Chryſoſt. tum. 2. hom. de Pœnit. Ambroſ. ſeù Maxim. ſerm. olim 40. inter Ambroſ.
(d) Vide Hieron. l. 2. adv. Jovinian.

Digitized by Google

ptennium, pro modulo ætatis, jejunia ſervabant. Jejunii tempore omnis balneorum, odoramentorum, atque unguentorum uſus interdicebatur; quin & ab uſu matrimonii abſtinebant, nudiſque pedibus incedebant. Orientalibus quippè omnibus non aliud jejunium videtur, quàm ab omni ſenſuum oblectamento, omnique ciborum, ac potuum genere abſtinentia. Samaritani die Expiationis ſolemnis ad jejunium integris 24. horis infantes ſtatim ab ablactatione, ſivè ut alii teſtantur, adhuc lactentes cogunt; Judæi verò pueros ante ſeptennium non obligant.

Stati jejunio dies præcipui apud Judæos ſunt, Menſe Tizri, primo anni civilis, & ſeptimo anni ſancti, dies 13. jejunio ob necem Godoliæ celebrantur (a), quod jejunium ſeptimi menſis appellatur *Zach.* 7. 5. Septima ejuſdem menſis, jejunium eſt pro aureo vitulo. 10. jejunium expiationis ſolemnis. *Levit.* 33.19.

Sexta die 2. menſis, dicti Marshevan, jejunium pro Sedeciæ Regis Juda obcæcatione, juſſu Nabuchodonoſoris.

Septima 3. Menſis, jejunium pro diſcerpto à Joachimo Rege Juda Libro prophetiæ Jeremiæ.

Octava quarti menſis, jejunium in odium translatæ ex Hebræo in Græcum S. Scripturæ, juſſu Ptolomæi Philadelphi. Nona ejuſdem, jejunium, cujus cauſam vel ipſi Rabbini ignorant. Decima ejuſdem, jejunium pro obſidione Jeroſolymæ per Nabuchodonoſorem.

Octava quinti menſis, jejunium pro Juſtis, qui ſub Joſue floruerunt. Vigeſima tertia ejuſdem, jejunium pro bello ab undecim Tribubus in Beniamin illato, ac violata uxore Levitæ.

Septima ſexti menſis, jejunium pro obitu Moyſis. Nona ejuſdem pro diſſidio inter Scholas Sammai, & Hillelis.

Prima ſeptimi menſis, & primi anni ſacri, jejunium pro abſumptis ſacro igne filiis Aaronis. Decima ejuſdem jejunium pro obitu Mariæ ſororis Moyſis. Vigeſima ſexta, jejunium in obitu Joſue.

Decima octavi menſis, jejunium pro obitu Summi Sacerdotis Heli, & Arcæ captivitate. Vigeſima octava, jejunium pro obitu Samuelis.

Vigeſima tertia noni menſis, jejunium pro oblatione decimarum Jeroſolymam deferendarum ab Jeroboamo Rege decem Tribuum interdicta 3. *Reg.* 12. 27. Vigeſima quinta ejuſdem, jejunium pro obitu Rabnorum Simeonis filii Gamalielis, Iſraelis filii Eliſei, & Ananiæ Vicarii Summi Sacerdotis. Vigeſima ſeptima, jejunium pro concremato, una cum Libro Legis, Hanina Rabbino.

Decima ſeptima x. menſis, jejunium pro confractis à Moyſe Tabulis Legis *Exod.* 32. 19. Eadem die Sacrificiorum abolitorum, & Idoli, juſſu Antiochi Eupatoris in Templum invecti, memoria renovatur.

Nona undecimi menſis, jejunium pro lata à Deo ſententia adverſus Iſraelitas murmurantes, neminem ſcilicet in Terram promiſſam ingreſſurum; & pro concremato hac die Templo priùs per Chaldæos, deindè diù poſt per Romanos. Hujus jejunii quinti menſis anni ſancti, meminit Zacharias *cap.* 7. 5. Decima octava ejuſdem, jejunium pro extinctione lampadis ſingulis noctibus in Sancto accenſæ tempore Achaz.

Decima ſeptima duodecimi menſis, jejunium pro nece exploratorum Terræ promiſſionis, in pœnam excitatæ ſiniſtris relationibus in populo ſeditionis. Vide Num. 14. 22. 23.

Præter hæc jejunia ſingulis indicta quamvis non ejuſdem obligationis ſingula, alia etiam ſpontè à religioſis viris ſervabantur. Duplex in hebdomada jejunium celebrabant Phariſæi, juxta illud: *Jejuno bis in Sabbatho Luc.* 18. 12. feria nempe ſecunda, & quinta (b); quinta ob conſcenſum ea die montem Sinai à Moyſe; ſecunda verò, ob deſcenſum ab eodem monte. Diſcipuli Sancti Joannis Baptiſtæ Jeſum interrogaverunt: *Matth.* 9. 14. *Quare nos, & Phariſæi jejunamus frequenter, Diſcipuli autem tui non jejunant?* Jeſus Chriſtus de Sancto Joanne quadam exaggeratione uſus, ait: *Matt.* 11. 18. 19. *Venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet.* Porrò quos cibos Joannes adhiberet, ſatis conſtat. De Phariſæis quibuſdam fertur, quatuor diebus per hebdomadam jejunium ſervaſſe. Ex Veteribus nonnulli crediderunt, Judæos ſingulis Sabbathis jejunaiſe. Scribit Juſtinus, *lib.* 36. *hiſtor.* Moyſem, & Iſraelitas ſeptem diebus per deſerta Arabiæ impaſtos vagatos ſuiſſe; ex quo ſeptimam diem, ſcilicet Sabbathum, jejunio conſecraſſe. Auguſtus (c) in ſuis ad Tiberium literis teſtatur, ſe hac eadem die, qua epiſtolam ſcribebat, jejunium tanta religione ſervaſſe, quanta nec Judæi die Sabbathi. Vel ipſos Judæorum Reges jejunium, & pedum nuditatem ſervaſſe, tradit Juvenalis *Sat.* 6.

Exercent ubi Feſta mero pede Sabbatha Reges. Huic Sabbathi jejunio graveolentium Judæorum odorem tribuit Martialis *lib.* 4. *Epig.* 4. Verùm hi omnes Judaicas res partim callebant; Judæi ſiquidem tantùm abſunt ab obſervando die Sabbathi jejunio, ut Sabbathi jejunium ex Rabbinorum doctrina inter vetita recenſeatur.

Quod ad Chriſtianorum jejunium attinet, ut Jeſu Chriſti abſtinentiam, qui ſolidis 40. diebus ſine cibo tranſegit, prætereamus (nihil enim jejunium illud ad homines), præſcripta a Lege jejunia obſervaſſe illum, & Diſcipulis obſervanda præcepiſſe, quo Legalia proſequebatur ſtudio, ne ambigimus quidem. Spontanea vero nulla vel ſibi, vel Diſcipulis injunxiſſe veriſimillimè credimus; ægrè enim jejunia cohæſiſſent cum eò vitæ genere laborioſo, indigenti, & erratico, quod ipſe poſtremis vitæ annis cum Diſcipulis agebat. Judæis tamen exprobrantibus, quod Diſcipulos haberet minus in jejuniis frequentandis religioſos, quam Joannis Baptiſtæ, & Phariſæorum *Luc.* 5. 33. 34. reſpondit iniquum eſſe amicos Sponſi ad jejunium adigere, quandiù cum Sponſo ſunt: *Venient*, ait, *dies, cùm ablatus fuerit ab illis Sponſus; tunc jejunabunt.* Neque his oraculis Apoſtolorum ac primorum Fidelium vita defecit, ærumnis, indigentiis, incommodis, & jejuniis referti ſſima: quod quidem in Apoſtolo Paulo, cujus geſta præ aliis memoriæ mandata ſunt, apertè ſatis intelligimus. Hæc enim ille de ſe prodit. 2. *Cor.* 6. 5. & 11. 27. *In fame, & ſiti, & jejuniis multis.* Hortatur autem Fideles, ut ſui imitatores ſint, *in laboribus, in vigiliis, in jejuniis.* Cùm agendum aliquid magni momenti, præcipiendumque eſſet ab Eccleſia, continuò jejunia, & orationes indicebantur. *Act.* 13. 2. 3. Jejunia ſtationum, nempè feriæ quartæ, & ſextæ (d), uti & Quadrageſimæ, maximè hebdomadæ Sanctæ, ab Apoſtolis præſcripta creduntur.

JEMAI, filius Tholæ, & nepos Iſſachar. (e)

JEMINI. Hoc nomen pro eodem uſurpatur, ac *Benjamin*. Hinc Gera pater Aod dicitur, *Judic.* 3. 15. filius Jemini, nempè ex Tribu Benjamin. Saul etiam erat filius viri Jemini, ſcil. ex Tribu Benjamin. 1. *Reg.* 9. 1. Neque regio Jemini aliam deſignabat, quam regionem Benjamin. 1. *Reg.* 9. 4. *Jemini* Hebraicè redditur *mea dextera*, quo eodem nomine Jacob filium ſuum appellavit; Rachel verò cum filium *Benoni*, nempè filium mei doloris, nuncupavit, *Gen.* 35. 18.

JEMLA, pater Michææ Prophetæ, 3. *Reg.* 22. 8.

JEMNA,

(a) Vide 4. Reg. 25. 25. Jerem. 41. 2.
(b) Conſtit. Clem. Epiph. Theoph. Buxtorf. Synag. c. 9. Grot. Druſ. in Luc. 18.
(c) Sveton. in Aug.
(d) Vide Tertull. Clem. Ignat. Epiph. Ambr. Aug. & alios apud Gro. in Luc. 18. 12. & Thomaſſin. de Jejunio.
(e) 1. Part. 7. 2.

Digitized by Google

JEMNA, ſivè *Jamna*, primus filius Aſer, author familiæ Jamnaitarum, *Gen.* 46. 17. *Num.* 26. 44.

JEPHLHA, urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 43.

JEPHLAT filius Heber, ex poſteris Aſer. 2. *Par.* 2. 38.

JEPHLETI, urbs in finibus Benjamin, & Ephraim. *Joſue* 16. 3.

JEPHONE, pater Caleb ex Tribu Juda, *n.* 13. 7.

JEPHONE filius Jephone vel Jetran, è Tribu Aſer, alter à Jephone patre Caleb è Tribu Juda 1. *Par.* 7. 38.

JEPHTA, urbs Zabulon. *Joſue* 19. 14.

JEPHTE, Judex Iſraelis, qui poſt Jair populum gubernandum ſuſcepit. Patrem habuit nomine Galaad, & matrem unam ex ipſius concubinis; ſivè oriundus erat ex urbe Maſpha, patre cognomento Galaad, & matre meretrice. *Judic.* 11. 1. *&c.* Cùm fratres Jephte ex legitimo conjugio nati illum è domo patris extorrem egiſſent, juris hæreditarii incapacem eſſe obtendentes, *Judic.* 11. 7. Jephte in regionem Tob ſe recepit, ubi collectitia, ac prædonum manu coacta, plurimum invaluit. Quare Iſraelitæ transjordanici, cùm ab Ammonitis premerentur, ejus opem imploràrunt. Jephte primò eorum in ſe inclementiam exprobravit, quòd injuſtis fratrum ſuorum conatibus, à quibus è domo patris expulſus fuerat, non reſtitiſſent; deindè etiam atque etiam rogantibus annuit, ea conditione, ut poſt bellum confectum in ſuum Ducem reciperent: quod ab illis ſacramento promiſſum eſt. Id accidit an. M. 2817. ante Chr. 1183. ante Ær. 1187.

Jephte in frequenti populi cœtu in Ducem electus, Ammonitas per legatos rogavit, cur regionem ſuam vaſtarent. Cui eorum Rex reſpondit, ſe ea repetere, quæ Iſraelitæ, ex Ægypto reduces, ſibi abſtulerant. His auditis, Jephte iterum per novos legatos admonuit, Iſraelitas nihil ex iis, quæ Ammonitarum eſſent, occupaſſe, ſed regionem Amorrhæorum tantummodò habere; eaque omnia, quæ trans Jordanem tenebant, jure belli ſibi vindicaſſe. Iniquum verò eſſe, Ammonitis fas eſſe ſibi retinere, quæ à Chamos Deo ipſorum ſe obtinuiſſe credebant; Iſraelitas vero ea tenere non poſſe, quæ à Domino Deo ſuo obtinuiſſent. Quid autem ipſi poſt tot ſæcula regionem alienam repeterent, cùm Sephor Rex Moabitarum, à quo illam Iſraelitæ bello abſtulerant, ablatam non repetiit; Quòd ſi his non acquieſcerent, ſe judicem invocare Deum, eumque arbitrum conſtituere illius diei inter Iſraelitas, & Ammonitas.

Cùm Rex Ammonitarum his rationibus non acquieviſſet, Jephte totam regionem Iſraelitarum tranſjordanicam percurrens, exercitum coegit, quem contra Ammonitas duxit. Ea occaſione voto ſe Domino obſtrinxit, poſt relatam de hoſtibus victoriam ſe in holocauſtum oblaturum illum, qui è domo ſua egreſſus, primus ſibi occurriſſet. Commiſſo prælio, victoria penes Jephte fuit, qui totam Ammonitarum regionem decurrit. Deindè victor domum regrediebatur, cùm ſubitò venienti unica filia lætabunda, atque inter muſica inſtrumenta exultans occurrit. Eo aſpectu pater inopinato graviſſimoque dolore correptus, veſtes diſcidit, deceptumque ſe, deceptamque filiam exclamans, votum ſuum filiæ expoſuit. Illa voti complementum nihil ſe morari reſpondit; tantùm petiit, ut in montibus cum puellis ſociis libera vagari duobus menſibus permitteretur, ut una cum illis virginitatem ſuam ploraret. Eo temporis ſpatio evoluto, voto patris implendo, virgo adhuc, & puella in holocauſtum immolandam ſe obtulit, ut plures Patres, & Interpretes conſentiunt (a).

Interea Ephraimitæ honorem relatæ victoriæ Jephte invidentes, trajecto tumultuoſe Jordane, *Judic.* 12. 1. virum convenere, querentes ſe in cogendis ad bellum copiis neglectos eſſe, quare domus ejus everſionem minitabantur. Factum Jephte excuſavit, teſtatus ſeſe illos acciviſſe, ſed cùm vocati non adfuiſſent, ipſum prælii diſcrimini ſe commiſiſſe. Cùm Ephraimitæ his nequaquam acquieſcerent, Jephte coacto ex Galaaditis exercitu, illos prælio fregit, fugavitque; deindè obſeſſo à victoribus Jordanis vado, quotquot flumen tranſgreſſuri accedebant, an ex Ephraimitis eſſent, interrogabantur: negantes, pronunciare cogebantur hanc vocem *ſcibboleth*, nempe ſpicam; ſi pro *ſcibboleth*, proferrent *Scibbolet*, abſque aſpiratione, eo indicio proditi continuò occidebantur. Occiſorum numerus ea die ad 42000. viros Ephraimitas aſcendit.

De Jephte nihil ulteriùs novimus, niſi quod ſexennio adminiſtraverit (b), & in Urbe Maſpha Galaaditidis ſepulturæ mandatus fuerit. Inter Sanctos Veteris Teſtamenti fidei merito inſignes à S. Paulo *Hebr.* 11. 32. recenſetur. Fabula Iphigeniæ, filiæ Agamemnonis, ex hac hiſtoria conficta videtur. Cùm Agamemnon ſacram Dianæ cervam imprudens occidiſset, Deæ ultione factum eſt, ut aliis atque aliis impedimentis objectis claſſis detineretur. Ea de re conſultus Calchas vates, hoſtiam ex Agamemnonis progenie à Dea expoſci reſpondit. Iphigenia deſtinata eſt, cujus tamen Diana miſerta, cervam ſubſtituit, ejus loco immolandam (c). Subinde Iphigenia Sacerdotio Dianæ Orthiæ in Taurica functa eſt, Deæque humanis victimis litabat.

(In voto Jephte aliquid ſeſe offert conſueto majus, & quanquam non obſcuris verbis illud deſcribat Scriptura, implexa tamen multa exhibentur Interpretibus.

Factus eſt Spiritus (verba ſunt Judic. 11. 29. &c.) *ſuper Jephte, & circumiens Galaad & Manaſſe*, colligendis utique copiis, formandoque exercitui ad Ammonitas retundendos, cogendoſque in ordinem, ne ultra incurſionibus ſuis Iſraelem infeſtarent, *Votum vovit Domino dicens: Si tradiderit filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino.*

Nihil hæſitans pollicetur, oblaturum ſe in holocauſtum, quicumque prior revertenti è victoria Ammonitarum occurriſſet. Animadvertas autem fidem illum ſuam obligaſſe addicendi Domino non primum quodcumque, primum animal &c. ſed *quicumque primus*, ſcilicet *primus homo*. Ad hæc non voto illud quidquid eſſet conſecraturum, oblaturum &c. ſe tantùm dixit; ſed rotundis verbis exprimit: *Eum holocauſtum offeram Domino.* Hæc genuina Textùs expoſitio, quam afferunt Patres, ut infrà conſtabit.

Clara licèt verba hujus Textus, adhuc tamen aliter ſibi exponenda ſuſcipiunt recentiores quidam Interpretes, Hebræum ita reddentes: *Quæcumque res prima fuerit egreſſa de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, erit Domino, & eam holocauſtum offeram illi.* Itaque voto obligat Jephte, inquiunt illi, quodcumque revertenti ſibi occurrerit, ſive hominem, ſive brutum, ſed non æquo utrumque ritu, hominem etenim conſecraturum ſe ſpondet Domino: *Erit Domino*; brutum verò ſacrificiis quidem aptum holocauſto devovet; immundum quodcumque e. g. canem, neci tradendum ſibi, vel pretio redimendum edicit (d). *Non facies ſimiliter Domino Deo tuo; omnes enim abominationes, quas averſatur Dominus, fecerunt Diis ſuis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.* *Deut.* 12. 32. Nonne

(a) Joſeph. Antiq. l. 5. c. 9. Ambroſ. l. 3. de Offic. c. 12. Hieron. l. 1. cont. Jovin. Auguſt. q. 49. in Judic. Chry. hom. 14. ad pop. Auth. quæſt. ad Orthodox, q. 99. Theodoret. q. 20. in Judic. Jonath. Chald. Ludov. Capell. Diſſert. ſingulari de voto Jephte. Serar. Tirin. Salian. Genebr. Cajet. Vide noſtram Diſſ. ad Judic.

(b) Judic. 12. 7. Obiit A. M. 2823. ante Chr. 1177. ante Ær. 1181.

(c) Ovid. Metam. l. 12.

(d) Vide Kimchi, Rabb. alios, Munſt. Vatab. Clar. Druſ. Grot. Lyr. Marian. &c.

ne voti hujus exequutioni reſtitiſſent viri in populo graviſſimi, & Sacerdotes? Quando etiam fateremur Jephte devoviſſe filiam ſuam; an ignorabat ille Legem modico argenti pretio devotum caput redimere permittentem. *Homo, qui votum fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam, ſub æſtimatione dabit pretium: Si fuerit maſculus à vigeſimo anno uſque ad ſexageſimum annum dabit quinquaginta ſiclos argenti ad menſuram Sanctuarii; ſi mulier triginta: à quinto autem anno uſque ad vigeſimum maſculus dabit viginti ſiclos, fœmina decem.* Hæc in ſpeciem validiora afferuntur pro evertenda communi perſuaſione de immolatione filiæ a patre voto promiſſa.

Hiſce autem commodè reponeretur; 1. Fruſtra ſenſum Textus aliò torqueri, apertè enim præfert: *Quicunque primus fuerit egreſſus, mihique occurrerit, erit Domino, & in holocauſtum Domino offeretur.* Sermo eſt hìc de homine, non de pecude; 2. Non ii quidem ſumus, ut ab omni liberare invidia conemur votum Jephte, ad literam traditum exequutioni. Ultrò damus voto ſe obſtrinxiſſe illum, ſed non ſecundùm ſcientiam; neque enim talibus delectatur Deus. Meliùs ille veniam impudentiæ ſuæ poſtulaſſet; meliùs ſibi conſulto ſummo Sacerdote, condignam errori impoſuiſſet multam. 3. Quod lex præſcribit, rebus Deo devotis redimendis, pretium, devotas anathemate non reſpicit, ſed quæ tantùm ſimplici voto nuncupatæ ſunt. Priora enim illa redimere vetitum eſt Levit. 28. 28. *Omne quod Domino conſecratur, ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager non vendetur, nec redimi poterit...... Omnis conſecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur.*

Patres, & doctiſſimi quique Commentariorum Scriptores, nihil hæſitantes, agnoverunt oblatam re ipſa in holocauſtum à Jephte filiam ſuam Domino. Tradit id Joſephus non obſcurè. Paraphraſtes Chaldæus: *Et non conſuluit* (Jephte) *Sacerdotem, ſi conſuluiſſet Sacerdotem redemiſſet eam.* Duram promiſſionem æquè ac ſævam voti execuutionem luget S. Ambroſius de Officiis lib. 3. cap. 12. S. Auguſtinus in Judic. quæſt. 49. *Fecit quod lege vetabatur, & nullo ſpeciali jubebatur imperio;* innuit igitur vir Sanctus votum illud ad literam executioni mandatum fuiſſe. Ideo permiſſam voti ejus exequutionem à Deo cenſet S. Hieronymus, contra Jovinianum lib. 1. *Ut qui improſperè voverat, errorem votorum in filiæ morte ſentiret.*

Notat S. Chryſoſtomus, hom. 14. ad populum, ſapientiſſimo divinæ Providentiæ conſilio diſpoſitum fuiſſe, ut pater reipſa necem inferret filiæ, quo ſcilicet impoſterum docerentur homines, ne temerè ſe hiſce promiſſis implicarent. Aptiſſimo exemplo hominibus propoſito nequid præceps & temerè voverent. Iidem planè oculis rem totam ſpectarunt S. Juſtinus Martyr ſeu Author Qq. ad Orthodox. q. 99. & Theodoretus in Judic. quæſt. 20. Aliis verò ſuccurrit non tantùm ſacrificium illud certum ponere, ſed approbare etiam & commendare. Author quæſtionum ad Orthodoxos ſub nomine S. Juſtini vulgatus, quæſt. 99. commendandam ſibi ducit patris in filiæ immolatione erga Deum pietatem, qua vir ille ab Apoſtolo in numero Juſtorum cenſeri mereretur. Gemina S. Hieronymus Epiſt. ad Julian. *Jephte obtulit filiam virginem, & idcirco in enumeratione Sanctorum ab Apoſtolo ponitur.* Et in Jerem. 7. *Non ſacrificium* (Jephte) *placet, ſed animus offerentis.* S. Ambroſius Offic. lib. 3. cap. 12. *Non poſſum accuſare virum, qui neceſſe habuit implere quod voverat; ſed tamen miſerabilis neceſſitas, quæ ſolvitur parricidio.* Quæ fides & religio virum impulit ad votum, hanc Deo authori deberi, ut eadem pariter inter Juſtos accenſeri meruerit ab Apoſtolo Hebr. 11. 32. 33. ultrò agnoſcit S. Thomas 2. 2. art. 2. ad 2. q. 88. ſed, ait, piam gratiæ motionem ille vitiavit, rapi ſe ingenio ſuo permittens in exequutionem rei, quam temere promiſerat. Videſis noſtram Diſſertationem de hoc argumento, & parem Ludovici Capellii, ac P. Alexandri, Scriptoreſque in noſtra Bibliotheca ſacra deductos.

JERAA Ægyptius, ſervus Seſan, cui herus filiam ſuam Olai conjugem tradidit. His parentibus natus eſt Ethei, 1. Par. 2. 34. 35.]

JERALA, urbs Zabulon (a), alio nomine in aliquibus Exemplaribus *Jedala*, quæ lectio, utpotè Hebræo conformis, præferenda videtur.

I. JERAMEEL, filius Cis. 1. *Part.* 24. 29.

II. JERAMEEL, primogenitus Heſron, e Tribu Juda. 1. *Par.* 2. 9. Fratres habuit Calubi, & Ram; filios verò Ram, Buna, Aram, Aſom, Achia, & Onam. 1. *Par.* 2. 25.

III. JERAMEEL, regio meridionalis Tribus Juda (b), quam poſteri Jerameelis filii Heſron poſſederunt. David ſubindè regiones Amalec, Geſſuri, & Gerſitarum excurrebat; ad Achis verò regreſſus, referebat ſe in regionem Jerameel irruiſſe.

JEREMIAS, filius Helciæ, ex genere Sacerdotali, natus in Anathoth vico Benjamin, *Jerem.* 1. 1. In ipſo matris utero Propheta deſtinatus eſt, *Jer.* 1. 5. Decimoquarto ætatis ſuæ anno (c) primò Deum ſe alloquentem audivit, ac præcipientem, ut ad Reges, Principes, & Sacerdotes ſua juſſa referret, quod ille munus, objecta ætatis, & linguæ imbecillitate nequicquam deprecatus eſt. Ex eo tempore uſque poſt everſionem Hieroſolymæ An. M. 3416. per Chaldæos, Prophetam egit. Duobus ab hinc annis (d) obiiſſe creditur in Ægypto.

Ab anno quarto Joakim Regis Juda prophetias ſuas primò ſcriptis mandare cœpit, cum antea viva tantum voce prædicaſſet. Vitam hujus Prophetæ brevi compendio hic ſubjiciemus, ſervato pro viribus temporum ordine. Cum Deus hunc virum ad miniſterium Prophetiæ primò evocaret, ſimul illi ea, quæ ſibi à Judæis inferenda erant mala, oſtendit; opem tamen ſuam pollicitus eſt, qua contra Reges, Principes, & populum Judæ muro æneo firmior redderetur, *Jerem.* 1. 18. *&c.* Deinde exhibito ſymbolo virgæ amygdalinæ floreſcentis, & ollæ ſuccenſæ igne è ſeptentrione exſufflato, *Jer.* 11. *&c.* imminentia Judææ mala per Chaldæos Prophetæ demonſtravit. Atque ad has Judæorum ærumnas prophetiæ omnes Jeremiæ collimant; ſiquidem totus eſt in deplorandis Judæorum criminibus, atque in exaggeranda ultione, quam Deus per manum Nabuchodonoſoris Regis Chaldæorum jamjam expetebat.

Sub ipſum Libri initium contra ſcelera Regni Juda invehitur (e), quæ quidem per ea tempora, primis nempe Joſiæ annis, ante correctos ab eo Rege populorum mores (f), quod anno 18. Regni factum eſt, ad ultimam nequitiam devenerant. Toto hoc temporis ſpatio Jeremias à Judæis plurima toleravit. Cognati ipſius (g), populareſque ex Anathoth, mortem minitati ſunt, niſi à vaticinando deſiſteret. Quibus ille viciſſim mortem gladio, & fame prædixit. Ea occaſione coram Deo queritur, quòd impii lætos dies agerent, juſti verò triſtes. Regionem eo tempore ultio Divina fame affligebat. Nec diu poſt Prophetæ vetitum eſt à Domino fœminam ducere, ac filios enutrire Hieroſolymis, domum tripudii & convivii, itemque domum luctus ad ſolatium lugentium, ingredi; quo quidem indicio mox populo pax, lætitia, & ſolatium ſubtrahenda portendebantur (h).

Regnante, ut credimus, Sellum filio Joſiæ (i), Jeremias in domum figuli juſſu Dei ſe conferens, *Jer.* 18. vas fictile obſervavit, quo in manu artificis confracto, ejuſdem opera ex eadem argilla alterum efformatum eſt. Porrò ad hujus ſimilitudinem Deum reprobaturum Judæos, ac alterum pro illis populum fidelem excitaturum Propheta prænunciavit. Eidem prophetiæ confirmandæ juſſus eſt alterum fictile vas in vallem filiorum Ennon delatum, coram Senioribus popu-

(a) Joſue 19. 15. (b) 1. Reg. 27. 10. & 30. 29. (c) Joſiæ 3. M. 3375. ante Ær. 629.
(d) An. M. 3418. ante Chr. 582. ante Ær. 586. (e) Jerem. c. 2. & ſeq. (f) 4. Reg. 23. 4. 3. &c.
(g) Jerem. c. 12. & ſeq. (h) Jerem. 16. & 17. (i) Joſias occiſus fuit A. M. 3594. ante Ær. 3610.

populi, & Sacerdotibus confringere. Idem ad Templum aſcendit, eadem verbo inculcans. Adhuc verba facientem Phaſſur Præfectus Templi ſuperveniens, in carcerem Templi adduxit, ubi uſque mane detentus eſt; ſed ille ipſi Phaſſur ipſius, filiorumque, & amicorum captivitatem prædixit.

Poſt Sellum Joakim rerum potitus(a), à Propheta admonitus eſt, ut Deo adhæreret, ſi in Domo ſua Reges, eoſque priſtina dignitate coſpicuos, relinquere mallet; *Jerem.* 22. futurum prædicens alioqui, ut Deus eum locum vaſtaret. Sed verba ſurdo Joakim, toto in avaritiam, ſævitiam, atque ſuperbis ædificiis conſtruendis effuſo, Jeremias exitum triſtem, atque cadaver ſepulchri honore privandum prædixit. Neque mitior fuit cum Jechonia fratre Joakim, cui captivitatem apud Chaldæos, & omne ipſius genus à Regno excludendum prænunciavit, *Jer.* 23. Ambos hos Reges acrioribus verbis reprehendit, paſtores diros appellans, qui pro eo quòd paſcant gregem, diſſipant, atque dilacerant.

Sub idem tempus, everſionem Templi, in ipſo Templo ſtans prophetavit, *Jerem.* 26. ex quo Pſeudo-Prophetas, & Sacerdotes commovit, ut illi manus injicerent, atque ſupplicio dignum declararent. Cùm Principes populi ad ſententiam in illum ferendam conveniſſent, Jeremias ſecurus teſtatus eſt, nihil ſe Deo non jubente dixiſſe: reſipiſcerent igitur; alioquin minarum eventum experturi. His verbis Principes animis remiſſi, abſolvendum, Michææ Prophetæ exemplo, qui ſub Ezechia eadem impunè prædixerat, pronunciarunt.

Ante quartum annum Joakim (b), contra vicinas Judæ (c) gentes oracula fudit; ſiquidem miniſterium ipſius, non ſecùs ac poſtea miniſterium Apoſtoli Pauli, etiam Gentes ſpectabat: *Prophetam in gentibus dedi te*. Hiſce igitur omnibus, nempè Ægyptiis, Philiſthæis, Tyriis, Phœnicibus, Idumæis, Moabitis, Ammonitis, populis Damaſci, Cèdar, & Aſor &c. calicem iræ Dei ſe præbiturum minitatus eſt, quod poſt everſionem Jeroſolymæ per Chaldæos impletum fuit.

Quarto anno Joakim M. 3398. ante Chr. 602. ante Ær. 606. Nabuchodonoſor juſſu patris ſui Nabopolaſſari expeditione in Judæam ſuſcepta, Jeroſolymam obſiditione cepit, Regem, pluriſque Judæorum, ac inter cæteros Danielem, captivos habuit, quos Babylonem adducere meditabatur; quin & omnes abduxit, excepto Rege, quem libertati reſtituit. Captivitatem Judæorum hoc eodem anno clarè Jeremias cap. 25. nunciavit, eamque 70. annorum periodo concludendam, qua evoluta, in Chaldæos, & Babylonios Deus viciſſim animadverſurus fuiſſet. Inde iterum ultionem Dei in proximos Judææ populos prænunciavit.

Eodem anno juſsus eſt à Deo prophetias omnes ſuas, initio facto ab anno 13. Joſiæ, ſcriptis redigere, *Jerem.* 36. Has, dictante Propheta, Baruch ejus Diſcipulus excepit, illaſque, juſſu Prophetæ in vinculis detenti, coram frequenti populo die ſolemnis Expiationis idem Baruch in Templo legit (d). His rebus ad Principes, & Magiſtratus per Micheam filium Gamariæ relatis, Baruch coram illis accitus, iterum prophetias ex codice recitavit. Interrogatus verò quommodò Jeremias ſcripta illa dictaſſet, reſpondit, ita dictaſſe, ut non primò cudere, ſed tamquam ex libro verba legere videretur. Imperarunt poſtea Magiſtratus, ut illicò ad Jeremiam ſe reciperet, & cum illo lateret; interim illi Librum, ac rem omnem ad Regem retulerunt. Coram illo tres circiter paginæ lectæ ſunt, ultra quas lectionem produci non toleravit, ſed abreptum Librum cultro diſcidit, & in focum projecit. Subinde Baruch, & Jeremiam comprehendi juſſit; ſed illos, Deo diſponente, nuſquam invenire licuit. Interim Jeremias iterum eaſdem prophetias Baruch ſcribenti, novis quamplurimis, dictare juſsus eſt.

Die quadam (e) Rechabitas Dei monitu in Templum duxit, quibus vinum exhibuit. Renuerunt illi, dicentes ſe Jonadab patris ſui inſtitutum ſectari, quo nec prorſus vino uti, nec ſedem habere in domibus & urbibus, ſed in tentoriis tantum permittebantur. Quod autem tunc temporis urbem incolerent, id metu Chaldæorum regionem infeſtantium factum eſſe. Ex quo hæc tempore obſidionis Hieroſolymitanæ, ſeptimo, & poſtremo anno Joakim contigiſſe intelligimus (f). Jeremias ea reſponſione audita, acriter Judæos arguit, qui Legi Dei colla ſubmittere recuſarent, cum Rechabitæ patrum traditionibus tantopere obſequerentur. Nec ita multò poſt, Joakim captus à Chaldæis, in cloacam projectus eſt. Huic ſucceſſit filius Jechonias, qui poſt exactos in Regno tres menſes, Babylonem captivus abductus fuit. Indè regnavit Sedecias ab anno M. 3405. uſque ad 3416. nempe uſque ad expugnatam Jeroſolymam per Chaldæos.

Reges Moab, Ammon, Idummææ, Tyri, & Sidonis legatos miſerant ad Sedeciam, Regnum tunc primò ineuntem, quibus ſingulis Jeremias jugum dedit, ad ſuos Reges deferendum, illoque etiam juſſu Dei renunciari juſſit, ut ultrò Nabuchodonoſori ſe ſubmitterent, inviti alioquin ejus jugum ſubituri, *Jerem.* 27. Idem & Sedeciæ à Propheta dictum eſt. Hoc jugum Jeremias cerviei ſuæ impoſuerat, atque vinculis ſeſe conſtrinxerat, ut imminentem Judæorum captivitatem oſtenderet; cum ſubitò Hananias Pſeudo-Propheta viro occurrens, & jugum & vincula abripiens confregit, addens ita à Deo confractum iri jugum Nabuchodonoſoris. Cum Jeremias dolens domum rediret, continuò œſtro Divino abreptus, Hananiam convenit, dixitque futurum, ut, pro jugo *ligneo*, quod confregerat, ferreo à Nabuchodonoſore populus premeretur; ipſi verò Hananiæ, in ementitæ prophetiæ pœnam, mortem intrà eundem annum prædixit; quod & poſt duos menſes impletum eſt.

Sedecia regnante, uti credimus, miſſus eſt à Domino in ſpeluncam juxtà Euphratem, ut ibi cingulum lineum abſconderet. *Jer.* 13. Poſt aliquod tempus ad locum regreſſus, id cingulum computruiſſe deprehendit; quod ſignum erat derelicti à Domino Iſraelis, quem ſibi antea veluti devinxerat. Anno quarto (g) ejuſdem Regis, Saraiæ fratri Baruch, qui Babylonem mittebatur, fortaſſe vaſa Templi à Nabuchodonoſore repetiturus, Jeremias prophetias ſuas in Babyloniam tradidit (h), ut eas Judæis captivis recitaret, deindè librum lapidi alligatum in Euphratem projiceret. Eoſdem Judæos per aliam Epiſtolam (quam tulit Gamarias, à Rege in Babyloniam miſſus) admonuit, ut in ea regione ſedem figerent, domos ædificarent, uxores ducerent, quippè qui nonniſi poſt ſeptuageſimum captivitatis annum a Domino liberandi fuiſsent. *Jer.* 19. 24. &c.

Interim Semejas quidam Babylone tunc verſans, datis literis ad Sophoniam; unum ex potentiſſimis Sacerdotum, conqueſtus eſt, quod hæc ſcribere ad Judæos captivos Jeremias permitteretur, neque propterea in carcere detineretur. Hanc Epiſtolam Sophonias cum Jeremia communicavit, qui novis literis Babylonem tranſmiſſis, obitum in terra captivitatis Semejæ prædixit, addens futurum, ut neque ipſe, neque ejus poſteri liberationem Iſraelis eſſent viſuri.

Decimo

(a) Sellum tribus menſibus regnavit, cui Joakim ſucceſſit eodem anno 3394. Prophetiæ Jeremiæ contra Joakim ad 3395. referri poſſunt.
(b) Quartus Joakim coincidit cum anno M. 3398.
(c) Jerem. 45. & 46. & 47. &c.
(d) Anno quinto Joakim.
(e) Jerem. 35.
(f) A. M. 3405. ante Chr. 595. ante Ær. 599.
(g) A. M. 3409. ante Chr. 591. ante Ær. 595.
(h) Jerem. 50. & 51. 1. 2. 59. &c.

Decimo Sedeciæ anno M. 3414. ante Ch. 586. ante Ær. 590. Nabuchodonoſore Jeroſolymam obſidente, cùm Jeremias urbis, & populi captivitatem prædicare non ceſſaret, in carcerem in atrio palatii detruſus eſt. Dum incluſus detinebatur, Hanameel ipſius conſobrinus, ipſum de agro quodam in ejus patria Anathoth, quem emere jure ad ipſum ſpectabat, admonuit. Ille acquievit, ſcriptiſque tabulis, atque enumerato pretio, emptionem celebravit: *Jer.* 32. & 33. *librum verò poſſeſſionis* Baruch conſervandum tradidit; ſiquidem, ait, tempus erit, cùm *poſſidebuntur domus, & agri, & vineæ in terra iſta*. Eadem obſidione perſeverante, cum annus Sabbaticus inciperet, Rex, cæterique incolæ Jeroſolymæ ſervos libertati reſtituerunt; præſentis enim periculi terror religioſiores in obſervanda Lege faciebat. Verum obſidione à Nabuchodonoſore intermiſſa, donec regem Ægypti, qui Judæis opem laturus videbatur, averteret, omnes priſtina mancipia ſibi reſumpſerunt, nequicquam iiſdem mancipiis, Lege, Deo reclamantibus. Eo ſcelere Propheta commotus, graviſſimis minis invectus eſt. Poſt ſolutam obſidionem, è carcere eductus, Sedeciæ ſuis apud Deum precibus ſeſe per nuncios commendanti, referendum juſſit, *Jer.* 37. Nabuchodonoſorem mox ad obſidionem reverſurum, captamque urbem in cinerem redacturum. Indè cum in Anathoth patriam ſuam regreſſum pararet, veluti transfuga detentus, in obſcurum carcerem, non ſine vitæ diſcrimine ob loci incommoditatem conjectus eſt. Poſt aliquid temporis à Sedecia requiſitus, an novi aliquid haberet, quod prænunciaret, Jeremias reſpondit, ipſum Chaldæorum jugum ſubiturum; oravit inſuper, ut è carcere, in qua detinebatur, educeretur. Permiſit Rex, juſſitque, quandiù in urbe panis ſupereſſet, ſingulis diebus panem illi ſuppeditari. Urbe iterum à Nabuchodonoſore obſeſſa, atque in dies obſidione ingraveſcente, Sedecias miſit, qui à Jeremia exquirerent, an boni aliquid prænunciandum haberet; *Jer.* 21. qui reſpondit, Regem & Principes certum exitum manere; è populo, qui Chaldæis ultrò ſe dederent, vitam redempturos; cæteros urbis ruinis opprimendos. Cùm urbis optimates de hac loquendi libertate apud Regem quererentur, permiſit Rex, ut pro libito in illum animadverterent. Quare abreptum Prophetam, in ciſternam non aqua, ſed luto plenam, funibus demiſerunt, ubi brevi vitam egiſſet, niſi Rex certior de ea re factus, ab Abimelech extrahendum præcepiſſet (a). Inde in veſtibulo carceris detentus eſt, donec urbs anno 11. Sedeciæ caperetur.

Urbe capta, Jeremias cum cæteris captivis uſque Ramath adductus eſt. Ibi cùm Nabuzardan Dux exercitus à Nabuchodonoſore in mandatis habuiſſet, ut (b) curam illius haberet, ejus arbitrio permiſit, utrum mallet Babylonem ſecum venire, an in Judæa cum reliquis populi permanere. Ille Judæam ſelegit, atque in Maſphath ad Godoliam ſe recepit, quò etiam plures Judæi in diverſa loca diſperſi convenere. Hic tranquillam, quietamque vitam duxerunt, donec Iſmael filius Nathaniæ, ductis decem ſicariis, Godoliam per fraudem occidit. Proditorem inſequutus Jonathan filius Caree, omnem prædam relinquere, atque ſe ad Ammonitas fuga recipere coegit.

Poſt hæc, Jonathan coactis quotquot poterat ex Judæis *Jer* 42. propè Bethleem, Jeremiam conſuluit, præſtandumne ſibi eſſet in Judæa eſſe, an in Ægyptum ire? Ille dilatione poſtulata, ad Dominum ſuper ea re conſulendum, tandem die decima reſpondit, euntibus in Ægyptum gladium, famem, & peſtem imminere; ſi verò in Judæa perſiſterent, Deum eſſe habituros conſervatorem, & protectorem. Hoc audito reſponſo, Duces populi murmur excitarunt, dictitantes, non Deum, ſed Baruch authorem hæc dicendi Prophetæ extitiſſe, ne in Ægyptum ſecederent. Quare iter in eam regionem ſtatuentes, Jeremiam & Baruch, ut ſecum irent, compulerunt. Ibi Propheta plurima contra Judæos, & Ægyptios prædixit, expeditionem in illos Nabuchodonoſoris, locumque ubi thronum ſuum erecturus eſſet, deſignavit; Regem Ægypti in Chaldæorum manus venturum, ut Sedecias, minitatus eſt. Hæc de Jeremia ex ejus ſcriptis collegimus.

Complures ex Antiquis (c) tradunt, hunc Prophetam lapidibus obrutum in Taphnis à Judæis, ejus minas, atque loquendi libertatem impatienter ferentibus, ac de ipſo dictum intelligunt illud Apoſtoli: *Heb.* 11. 37. *lapidati ſunt*. Ex Rabbinis aliqui credunt in Judæam rediiſſe, alii Babylonem diverti ſſe, ubi diem clauſerit. Nonnulli ex antiquis Patribus (d) autumarunt, illum adhuc ſuperſtitem permanere, ut Elias; quippe cum nihil de ejus deceſſu in Scriptura habeatur, atque Jeſus Chriſtus à Judæis creditus fuerit ſive Elias, ſive Jeremias *Matth.* 16. 14. Verùm Theologi vulgò & obiiſſe, & ſtata die reſurrecturum credunt.

Præter Librum Prophetiæ, ſuperſunt etiam ejuſdem Authoris Lamentationes, in quinque capita diſtributæ, quibus luctuoſis cantilenis ærumnas Hieroſolymæ, ejuſque per Chaldæos everſionem deflet. Sunt, qui illas compoſitas credant in obitu pii Regis Joſiæ (e); illud ſaltem conſtat, ea occaſione Lamentationes ſcripſiſſe, 2. *Par.* 35. 25. quamquam illæ interciderunt. De his Lamentationibus hæc in Paralipomenis occurrunt: *Univerſus Juda, & Jeruſalem luxerunt* (Joſiam), *Jeremias maximè; cujus omnes cantores, atque cantatrices, uſque in præſentem diem lamentationes ſuper Joſiam replicant*. Jeremiæ tribuunt Pſalmum 136. & Pſalmo 64. unà cum Ezechiele allaboraſſe creditur. Sunt qui ejuſdem Authoris dicant tertium & quartum Librum Regum (f); ſiquidem poſtremum caput Jeremiæ idem eſt, ac poſtremum quarti Regum. Sed hujus rei in cauſa eſt, quòd ex Libro Regum deſumptum eſt ultimum caput, ut eſſet veluti ſupplementum Libri Jeremiæ. In Libris Machabæorum laudantur Scripta quædam hujus Prophetæ (g), quæ an. M. 3880. ante Chr. 120. ante Ær. 124. adhuc extabant; jam tamen interciderunt. Prophetiæ Baruch, quòd prophetiis Jeremiæ præceptoris ipſius ſubjici conſuevisſent, ideò ſæpè ſub nomine Jeremiæ à patribus laudantur.

Poſt obitum, Judæ Machabæo una cum S. Pontifice Onia per viſum occurrit, eique gladium auro rutilantem obtulit, dicens: 2. *Mach.* 15. 13. *Accipe ſanctum gladium, munus à Deo, in quo dejicies adverſarios populi mei Iſrael*. Onias verò Jeremiam indicans, dixit: *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael; hic eſt, qui multum orat pro populo, & univerſa Sancta Civitate*.

Chronicon Alexandrinum *p.* 156. 157. de Jeremia tradit, cùm in Ægypto eſſet, Sacerdotibus Ægyptiis prædixiſſe, eorum Idola ſubvertenda, cùm Salvator Mundi naſceretur, atque in præſepi reclinaretur; quod in cauſa fuit, cur indè Ægyptii ſimulachro Virginis cum Infante in præſepio jacente Divinos honores exhiberent. Regi verò Ptolemæo hujus cultus cauſam ſciſcitanti, prophetiam Jeremiæ illos prodidiſſe. In eo Libro etiam proditum eſt, Alexandrum Magnum ad tumulum hujus Prophetæ inviſendum iviſſe, atque certiorem factum de iis, quæ de ipſo, ejuſque victoriis prædixerat, corpus Alexandriam transferri, atque in magnificentiſſimo

Qq   tumulo

(a) Jerem. 38. A.M. 3416. ante Chr. 584. ante Ær. 588. (b) Jerem. 39. 11. &c. & 40. 1... 6. & 41.
(c) Tert. adv. Gnoſt. c. 8. Hier. con. Jovin. l. 2. Epiph. de vita, & morte Proph. Doroth. in Synopſi & Hebræor. traditio.
(d) Victorin. in Apoc. 11. 3. & plures apud Hilar. in Matth can. 20.
(e) Hier. in Zach. 12. 11. Ita Chald. Interpp. Raban. Maldon. Bonav. Hugo, Thomas Figuier. Vat. Jun. Vide Joſeph. Antiq. l. 10. c. 6. (f) Procop. Iſidor. Kimchi, Toſtatus.
(g) 2. Mach. 2. 1. Invenitur in deſcriptionibus Jeremiæ Prophetæ.

Digitized by Google

tumulo recondendum curaſſe. Hoc ultimum occurrit etiam in Prato Spirituali c. 77. ubi etiam additur, memoriam hujus Prophetæ ſummo in honore eſſe in ea orbis Alexandriæ plaga, quæ Tetraphyla appellatur.

Eupolemus apud Euſebium *Præpar. l.* 9. *c.* 39. quædam de Ieremia tradit, ſed non majoris fidei, quam quæ ex Chronico Alexandrino ſupra recitavimus. Narrat enim, Ieremiæ exitium imminens Judæorum idololatrarum prædicenti, Regem Joachim ignem minitatum; ſed illi Prophetam prædixiſſe, eadem ligna, quibus ipſi rogum ſtruere meditabatur, uſui futura eſſe Judæis, coquendis cibis pro Babyloniis, atque foveis pro illis effodiendis, juxta Euphratem & Tigrim. Hanc prophetiam cùm noviſſet Nabuchodonoſor, inito fœdere cum Aſſibaae Rege Medorum, bellum Judæis intuliſſe, in quo, occupatis priùs Samaria, Galilæa, Scythopoli, & regione Galaad, tandem Hieroſolymam expugnaſſe, Joakim in ſervitutem redegiſſe, Templum diripuiſſe, exceptis Arca, & Tabulis Legis, quæ Jeremiæ conceſſit. In hac hiſtoria plura occurrunt ad libitum conficta; quæ tamen de Arca traduntur, ita in 2. Machabæorum c. 4. ſcripta ſunt. Jeremias ſacrum ignem ſecum deferens, illum in ciſterna recondidit; quam cùm Judæi poſt regreſſum è captivitate petiiſſent, nihil præter lutulentam aquam invenerunt; cùm tamen hæc ſuper Aram effunderetur, continuò ignem concepit. Tabernaculum verò, & Arcam Fœderis idem Propheta in Montem Nebo transferens, in caverna quadam occuluit, in qua adhuc celantur.

Vita hujus Prophetæ Judæorum perſequutionibus, quorum vitia liberiùs reprehendebat, jugiter expoſita fuit; qua in re characterem hujus Viri conſtituiſſe videtur Author Eccleſiaſtici 49. 9. *Male tractaverunt eum, qui à ventre matris ſuæ conſecratus eſt Propheta.* Stylum hujus Scriptoris humiliorem eſſe, quàm Iſaiæ, atque aliorum quorumdam Prophetarum obſervat S. Hieronymus (a), quòd ad humilitatem generis illius referendum cenſet; quippè qui natus eſſet in Anathoth, vico quodam ruſtico. Alii tamen Critici (b) grandis neſcio quid ſublimiſque in ſtylo ejus agnoſcunt, & Grotius, non immeritò, cenſet hunc virum in commuvendis pietate, & dolore excellere; quo in genere Lamentationes ipſius nihil deſiderandum relinquunt.

II. JEREMIAS, ex urbe Lobna, pater Amital uxoris Joſiæ Regis Juda, & matris Joachas, & Sedeciæ. 4. *Reg.* 24. 18.

III. JEREMIAS, vir fortiſſimus è Tribu Manaſſis, & Princeps ſuæ familiæ. 1. *Par.* 5. 24.

IV. JEREMIAS. Duo viri ejuſdem nominis erant in exercitu Davidis. 1. *Par.* 12. 4. 10. 13.

JEREMIEL, vir, cui Rex Joakim commiſit, ut Baruch & Jeremiam traderet in cuſtodiam, *Jer.* 36. 28. ſed Deo volente factum eſt, ut nunquam invenirentur.

JERIAS, vir, qui Jeremiam Prophetam egredientem ex urbe, ut iret in Anathoth, comprehendendum curavit, atque ad Sedeciam duxit, qui Optimatibus ſuis cuſtodiendum tradidit. Ab illis in ciſternam luto plenam demiſſus eſt, ubi certè interiiſſet, niſi ab Abdemelecho, Rege permittente, extractus fuiſſet, *Jer.* 37 13. &c.

JERIBAL, unus ex fortiſſimis exercitus Davidis. 1. *Par.* 11. 46.

JERICHO, urbs Tribus Benjamin, *Joſ.* 18. 21. ſeptem milliaribus circiter à Jeruſalem, & duabus leucis à Jordane. Hanc Moyſes appellat *Deut.* 34. 3. *urbem palmarum*, ſiquidem ejus planities palmis abundabat. Nec minùs quàm palmæ, frequentes erant arbores balſamo manantes, authore Joſepho *Antiq. l.* 4. *c.* 5. Vallem Jericho irrigabat torrens, quem ex amaro, & ſalſo, dulcem adeo effecit Propheta Eliſeus, ut ejus aquæ lætiorem, atque feliciorem loci faciem reddiderint. 4. *Reg.* 2. 19. Hanc in Chanaanitide primam urbem expugnavit Joſue (c), præmiſſiſque ab ipſo ad illam exploratores, Rahab, ejus urbis fœmina, apud ſe hoſpitio recepit, atque Regis conatus, qui eorum adventum ſubodoratus fuerat, irritos fecit. Vide reliqua v *Rahab.*

Paucis poſt trajectum Jordanem diebus, fortaſſe vel præcedenti, vel ipſa die Paſchatis primo celebrati in Chanaanitide, Deus Joſue mandavit (d), ut novo obſidionis genere hanc urbem tentaret. Juſſit igitur, ſemel ſingulis diebus tota hebdomada totum exercitum urbi circumduci. In fronte milites gradiebantur, fortaſſe tamen extra jactum telorum hoſtilium; poſt ipſos ſequebantur Sacerdotes, buccinis concrepantes, quibus jungebantur Levitæ Arcam deferentes, in qua Legis Tabulæ condebantur. Agmen claudebat reliquus populus, eodem ordine, qui in itinere per deſertum ſervabatur, ſingulisque ſilentium juſſu Domini indictum erat. Septima die ſepties exercitus circumductus eſt, & cùm jam ſeptimo circuirent, ſubitò concrepantibus buccinis, ſublatoque ab omnibus clamore mœnia urbis ſpontè conciderunt, ac ſinguli è ſuo quique loco in illam irruperunt. Septima hæc dies Sabbato reſpondebat, juxta Rabbinos; prima verò, Dominicæ.

Præceperat autem Dominus, ut tota urbs reductaque ea ex præda in anathema devoveretur, nullulque ex hominibus cujuſcunque ſtatus, ſexus, & ætatis ſuperſtes ſervaretur, una excepta Rahab, ejuſque familia. Omnia exequutioni mandata ſunt; urbs enim incendio concremata eſt, omneque aurum, argentum, & æs Domino conſecratum. Tunc Joſue diris illum devovit, qui impoſterum eam urbem reſtituere cogitaſſet, addens: *In primogenito ſuo fundamenta illius jaciat, & in noviſſimo liberorum ponat portas ejus.* Quæ ab illo dicta, in Hiele Bethlemita 575. abhinc annis impleta ſunt (e); qui illius urbis fundamenta jaciens, primogenito ſuo Abiram orbatus eſt, & cùm portas imponeret, Segab natu poſtremus extinctus eſt.

Ante Hielem tamen urbs quædam Jericho in eadem regione extabat; ſiquidem Judicum ætate, Egloni Regi Moab paruit in eadem regione *Urbs palmarum Judic.* 3. 13. quæ non alia à Jericho fuiſſe videtur. Legati Davidis ab Ammonitis probroſè habiti, tandiu Jerichunte ſubſtiterunt, 2. *Reg.* 10. 4. 5. donec barbæ eorum creſcerent. Attamen urbs Jericho ante Hielem, non ſuper ruinas veteris urbis, ſed in viciniis ejuſdem erecta fuerat (f). Quarum duarum urbium diſtinctionem Joſephus *de Bel. l.* 5. *c.* 4. ſatis indicaſſe videtur, dùm ſcribit, adhuc ſuo tempore fontem quemdam occurriſſe prope veterem Jerichuntem, à Joſue everſam, quo circumjacentia arva latè irrigabantur. Poſt reparatam ab Hiele veterem urbem, in ea ſedem habere nemo refugit. Quomodò Eliſeus aquam illius fontis potabilem reddiderit, v. *Eliſeus* deſcripſimus. Herodes in ea urbe domum magnificentiſſimè conſtruxit, in qua Summum Sacerdotem Ariſtobulum cognatum ſuum, aquis demergendum curavit; ac tandem ipſe diem clauſit extremum. Ibidem Chriſtus aliquibus miraculis claruit, atque in domum Zachæi, cujus fides valdè in Evangelio probatur, divertit.

Roſas Jericho Scriptura (g) atque Itinerantes commendant; quamquam non ita conſtat, an roſa Jericho Scripturæ, eadem ſit ac Itinerantium. Utut ſeſe res habet, roſam Jericho appellant plantam inſtar ſambuci, cujus flores pluribus parvis floribus faſciculo cohærentibus conſtantes, flores ejuſdem plantæ

(a) Præf. in l. 6. Comment. in Jerem. (b) Sanct. Prolegom. 2. in Jerem. Du Pin, Fraſſen.
(c) Joſue 2. 1. &c. (d) Joſue 6. 1. &c. A. M. 2553. ante Ch. 1447. ante Ær. 1451.
(e) 3. Reg. 16. 34. circa an. M. 3090. ante Ch. 910. ante Ær. 914. (f) Doubdan *Voyage de la Terre Sainte*, c. 37.
(g) Eccl. 24. 18. *Quaſi plantatio roſæ in Jericho.*

plantæ referunt. Primo rubet, deinde ſubalbeſcit. Campi Jericho hujus generis plantis abundant, neque in aliquibus Arabiæ regionibus ignotæ ſunt. Flos nunquam putreſcit; areſcens, inſtar floris ſambuci, ſe contrahit; in aqua poſt modicum expanditur; extractus verò iterum, poſt paululum contrahitur. Mira de ejus virtutibus prædicant, ſed nullo fundamento.

De Balſamo Jericho, vide *Balſamum*.

IERICON, ſive *Jercon*, aut potiùs *Jarkon*, urbs Dan. *Joſue* 19. 46. *Mejarcon*, ſive potius *Me-jarcon*, ſignificat *aquas Jarcon*. Loca erant in viciniis Ioppe. Vide *Arecon*.

IERIMOTH, urbs meridionalis Iuda. Vide *Jarmuth*.

IERIMOTH. Plures hujus nominis viri occurrunt, de quibus nihil præter nomina ſcimus (a).

IERIMUTH, idem ac *Jerimoth*. Nonnulli Viri nomine *Jerimuth* occurrunt. 1. *Par.* 12. 5. & 1. *Eſdr.* 10. 27.

IEROBAAL. Eo cognomine Gedeon appellatus eſt, poſt deſtructum lucum Baalis, & querentibus de ea re patet ipſius reſponsit, curam illius injuriæ ulciſcendæ ad Baal ſpectare. *Judic.* 6. 31. 32. Inde Sanchoniathon ſuum *Jerombaal* Sacerdotem Dei Iao derivavit. *Euſ. Præp. l.* 1. Vide Gedeon.

I. IEROBOAM, filius Nabat, & viduæ nomine Sarva, 3. *Reg.* 11. 26. cujus mentio frequens, nec ſatis honorifica in Scriptura; quippe qui author fuit ſchiſmatis, & Idololatriæ decem Tribuum. Natus eſt Saredæ in Tribu Ephraim. Ingenio erat audaci, & rerum gerendarum cupido; quem Salomon tributis è domo Ioſeph, nempe ex Ephraim & Manaſſe, exigendis præfecerat. Cùm forte Ieroſolyma digreſſus, ſolitarius rus iret (b), Prophetam Ahiam de Silo venientem, novo pallio amictum, obvium habuit, qui continuò diſciſſo in duodecim partes pallio, duas ſibi retinuit, reliquas ut ille ſumeret, invitavit. Hoc autem ſymbolum eſſe dixit Propheta dividendi à Deo Regni Salomonis, cujus Regni decem Tribus regendæ Ieroboamo concederentur; reliquum vero, quod ſupereſſet, poſteris ipſius Salomonis maneret, in gratiam Davidis, atque urbis Ieruſalem, quam Deus inter cæteras Urbes ſelegerat. Porro hanc pœnam, ait, exiget Deus de Salomone, qui Aſtarthem Deam Sidoniorum, Chamos Deum Moabitarum, & Moloch Deum Ammonitarum vero Deo prætulit; quamquam poſt ejus obitum tantùm Regnum primo ſcindendum eſt. Deinde Ieroboamum monuit, ut Dei Legem curaret, atque veſtigia Davidis relegeret, ſi regnum poſteritati ſuæ perpetuum aſſerere vellet; quod ſe præſtiturum Dominus pollicebatur.

His verbis animus Ieroboami, jam ſatis à Salomone averſus, ſollicitatus, novis moliendis, populiſque ad defectionem excitandis ſtudere cœpit. Quam rem Salomon ſuſpicatus, hominem comprehendi juſſit. Hanc ille injuriam evitaturus, in Ægypto uſque ad obitum ejuſdem Regis delituit. Roboam Regni ſucceſſor (c), juniorum conſilia ſequutus, populum ad eum ſalutandum in Regem congregatum, dure, ac minaciter habuit; quos omnium animos adeo exacerbavit, ut decem Tribus à reliquis divulſæ, imperium Domus Davidis, & Roboami detrectaverint. 3. *Reg.* 12. 1. Ea occaſione Ieroboam ex Ægypto in frequentem populi conventum accitus, Rex univerſi Iſraelis ſalutatus eſt, ſedemque Regni Sichem conſtituit, quam propterea munitionibus vallavit. Urbem etiam Phanuel trans Iordanem munivit, ut eo propugnaculo Tribus ejuſdem loci protegerentur.

Poſt hæc, Ieroboam, beneficiorum Domini immemor, Regnum ſibi aſſerere Religionis, & cultus Divini diſpendio molitus eſt. Cùm enim apud ſe cogitaret, nunquam ſibi firmam, certamque fore regnandi ſpem, quandiu populus (cujus ingenium inconſtans) ſacrificiis offerendis Jeroſolymam ire cogeretur, duos aureos vitulos, inſtar Apidis Numinis, quod in Ægypto viderat, cultui ſubditorum propoſuit. Eorum alterum in Dan, alterum in Berſabee, finibus imperii ſui, collocavit, addito inſuper mandato, ne quis unquàm Jeroſolymam ire auderet. In locis etiam excelſis Templa erexit, quibus Sacerdotes, non illos Aaronicos, vel Leviticos, attribuit.

Ad novi Altaris dedicationem, atque aureorum vitulorum conſecrationem, die 15. octavi menſis celebrandam, publicis Edictis univerſum Iſraelem accivit (d). Stata die coram frequenti populo, ipſe ad Aram acceſſit, ſuis manibus incenſum, & ſacrificia oblaturus; cùm ſubitò vir quidam Propheta, quem plures credunt Prophetam Addo, è Juda in Bethel à Deo miſſus, 3. *Reg.* 13. elata voce adverſus Altare inclamavit, futurum dicens, ut Deus tandem è Domo Davidis virum, Joſiam nomine, ſuſcitaret, qui omnes Sacerdotes excelſorum, modò incenſum adolentes, ſuper ipſum immolaret, atque eorum oſſa in illo concremaret. Huic Prophetiæ confirmandæ, En, ait, altare deſtruetur, cinereſque effundentur. Rex, qui ad Aram acceſſerat, his auditis, manum in dicentem extendit, quæ ſubitò exaruit. Interim Altare confractum eſt, cinereſque cum igne in terra diſperſi ſunt. Tunc Rex ſupplex Prophetam rogavit, ut ſibi à Deo manus ſuæ uſum impetraret. Propheta igitur rogante, manus Regis manè ſequentis diei reſtituta eſt; eoque beneficio accepto, Rex Virum Sanctum ad prandium in domum ſuam invitavit, pollicitus inſuper, ſe muneribus illum cumulaturum; quæ tamen omnia Propheta recuſavit, juſſus à Domino, nequid cibi potuſve in eo loco deguſtaret.

Hoc prodigio obſtinatus Jeroboami animus nequicquam tentatus, adhuc in priſtinis ſuperſtitionibus, & erroribus populum detinebat; quod crimen ultimum excidium in ejus familiam induxit. Poſt aliquid temporis (e), Jeroboam uxorem ſuam ad Ahiam Prophetam miſit, ſuper morbo Abiæ filii ſui conſulturam. Illa vulgari amictu, ne dignoſceretur, Prophetam adivit; cùm limen domus attigiſſet, continuò à Propheta, cujus oculi præ ſenectute caligaverant, nomine uxoris Jeroboami accita eſt; ſimulque antequam aliquid ſciſcitaretur, remiſſa eſt ad Jeroboamum, hoc dato reſponſo; nimiùm domum univerſam Regis illius in ſceleris ultionem everſam iri; mortuorum ex ejus familia cadavera, ſi in urbe jacuiſſent, à canibus, ſi in agris, à volucribus devoranda. Puerum vero, de quo conſultura veniebat, morte abſumendum, ejuſque funus ad univerſo Iſraele lugendum. Hiſce dictis ſua fides; quamquam omnia ad pertinaciam Regis frangendam fruſtra fuerunt. Poſt exactos 22. annos Regni (f), fato ceſſit, Nadab filio ſucceſſore relicto.

II. JEROBOAM II., Rex Iſraelis, filius Joas, qui annis 41. rerum potitus eſt ab an. M. 3179. ante Chr. 821. ante Ær. 825. uſque ad A. M. 3220. ant. Ch. 780. ante Ær. 784. 4. *Reg.* 14. 23. Jeroboami filii Nabat peſſimis veſtigiis inſiſtens, de Domino malè meritus eſt. Diuturnum Regnum, ac felix habuit; ſiquidem Iſraelis gloriam ſub prædeceſſoribus labantem in priſtinum reſtituit; regiones, & urbes à Regibus Syriæ uſurpatas recepit; ditionem ſuam in terras ultra Jordanem uſque ad mare Mortuum provexit. Hæc omnia Deus per Jonam Prophetam, filium Amathi, Regi prænunciaverat; quanquam nec ſcriptæ de ea re prophetiæ, nec exacta de geſtis hujus regis hiſtoria, in Annalibus regum Iſraelis relata, ad nos pervenere.

Sub eo Rege tres Prophetæ claruerunt, Oſee, Amos, & Jonas, ex quorum ſcriptis intelligimus,

(a) 1. Par. 7. 7. 18. & 8. 14. & 23. 13. & 24. 30. & 25. 4. 6.
(b) 3. Reg. 11. 29. Anno incerto, ſed labente Salomonis Regno.
(c) A. M. 3029. ante Ch. 971. ante Ær. 975. (d) A. M. 3030. antè Ch. 970. ante Ær. 974.
(e) 3. Reg. 14. Quo anno incertum. (f) A. M. 3050. ante Ch. 950. ante Ær. 954.

otium, mollitiem, luxum, injuſtitiam latè omnia inundaſſe (a); populos in Religione licentiùs aberraſſe; ſiquidem non tantum Dan, & Bethel, ubi vituli aurei colebantur, ſed & Maſpha, Galaad, Berſabee, Thabor, Carmelus, & Galgal, loca omnia, in quibus Deus Patriarchis apparuerat (b), ac tandem univerſi colles frequentabantur. Quanquam autem non omnia ea loca Numinum cultui addicta erant, nonnihil tamen contra Dei voluntatem adiri poterant; quin & in conventibus ſolemnibus, locisque ab hominum conſortiu remotis, honeſtas nimium periclitabatur. Eo tempore plures ex Lege cæremoniali articuli adhuc in Iſraele ſervabantur, uti primitiarum, & decimarum ſolutio; Feſtorum, & Sabbati obſervantia; ac Nazaræorum conſecratio (c).

Propheta Amos divinitùs deſtinatus eſt *Amos* 7. 10. malis contra domum Jeroboami prænunciandis: quare everſionem locorum editorum, ubi Numina colebantur, excidiumque domus Jeroboami prædixit. Hæc omnia Amaſias Sacerdos Bethel ad Regem detulit, *Amos* 7. 7. tanquam ab obtrectatore, atque ſeditioſo viro populis commovendis prolata: ſed quantam fidem delationi Jeroboam habuerit, ſilente Scriptura, incertum eſt; illud tamen conſtat, Amaſiam proſcripſiſſe Prophetam è ditione Iſraelis, nec niſi Rege annuente, uti veriſimillimè creditur. Hæc de Jeroboamo II. memoriæ prodita ſunt.

JERON, urbs Nephtali. *Joſue* 19. 38.

JERUEL. Rex Joſaphat in deſerto Jeruel Ammonitas, Moabitas, aliuſque fœderatos populos inſigni victoria fregit. 1. *Par.* 20. 16. Situm erat ad occidentem Maris Mortui, in plaga meridionali Juda, haud procul à *Sis*.

JERUSA, mater Joathan filii Oziæ Regis Juda. 4. *Reg.* 15. 33.

JERUSALEM, anteà Jebus (d), & Salem (e). Sunt, qui dicant *Solymam*, ſive *Jeroſolymam*; Hebræi verò pronunciant, *Jeruſchalaim*, ſive *Jeruſchelem*, quod reddi poteſt viſio, poſſeſſio, & hæreditas pacis. Hæc urbs Tribui Benjamin ceſſit, *Joſue* 18. 28. ejuſque Regem bello captum juxta Gabaonem, Joſue interfecit. *Joſ.* 10. 23. 40. & 12. 10. Eo bello confecto, cùm totam regionem redualiſſet, veriſimiliter hanc urbem intactam non dereliquit. Nunquam tamen Scriptura eam urbem à Joſue captam narrat; ex quo etiam colligere videmur, urbem Jeruſalem uſque ad Davidem Jebuſæis ſteriſſe; 2. Reg. 5. quin & filios Benjamin eandem urbem Jebuſæis dimiſiſſe, luculenter aſſerit. *Judic.* 1. 21.

Alia ſuppetunt teſtimonia, quæ hanc urbem ditioni Tribus Juda adſcribendam probant. *Jebuſæum autem habitatorem Jeruſalem non potuerunt filii Juda delere*, *Joſ.* 15. 63. & *Judic.* 1. 8. legimus, filios Juda captam Jeruſalem incendio abſumpſiſſe. David, qui ad Tribum Juda pertinebat, ſtatim inito Regno in Iſraelem univerſum, expeditionem contra eam urbem ſuſcepit, 2. Reg. 5. 6. 7. captamque Regni ſedem conſtituit. Tandem luculentè ſatis in ditione Juda Jeruſalem collocat, dum ait *Pſal.* 77. 67. Dominum non Ephraim ſelegiſſe, ſed Tribum Juda, & montem Sion. Variantibus hiſce textibus conciliandis, ſtatuenda videtur urbs Jeruſalem in finibus duarum Tribuum; quare modò huic, modò illi adſcribitur. Ad Benjamin vero jure veteris diviſionis magis ſpectabat, & ad Judam viciſſim magis pertinebat jure acquiſitionis, quod ex hoſtibus bis illam reduxerit, ſub Judicibus primum, deindè ſub Davide. Ex quo Deus eam urbem ſelegit in ſedem Templi, tanquam Metropolis univerſi Iſraelis habita eſt (f); quare nec ad Judam propriè, nec ad Benjamin ſpectabat.

Urbs Jeruſalem duobus collibus inſidebat, montiumque corona ambiebatur: *Montes in circuitu ejus*. *Pſ.* 124. 2. Solo erat petroſo, & ſterili, 60. ſtadiorum longitudinis, authore Strabone *l.* 16. Suburbana illius fontibus Gehon, & Siloe (g) irrigabantur; ac torrens Cedron, & aquæ Ethan, quas Pilatus per aquæductus in urbem induxit, mœnia alluebant (h). Vetus urbs, quam David ex Jebuſæis reduxit, anguſtis pomœriis claudebatur; quippè quæ montem ad meridiem Templi tantùm complectebatur. In monte Sion è regione oppoſito, & ad ſeptentrionem, David novam urbem conſtruxit, ſuo nomine appellatam, in qua Domus Regia, & in monte Moria, parte ejuſdem montis, Templum Domini erecta ſunt (i).

Inter duos hoſce montes vallis Mello jacebat, quæ olim veterem Jebus, & civitatem Davidis diſterminans, tandem curante Davide, & Salomone aggeſta humo completa, duas urbes conjunxit. 3. *Reg.* 9. 15. 24. & 11. 27. Poſt Regnum Manaſſis occurrit nova urbs, nomine *ſecunda*, quam idem Rex mœnibus cinxit. 2. *Par.* 24. 22. & 33. 14. & 4. *Reg.* 22. 14. Tertiò Machabæi quibuſdam adjectis, à ſeptentrione præcipuè, illam produxerunt; adeout alium tertium collem complecteretur (k). Quartum collem nomine Bezetam, ad ſeptentrionem Templi, ſecundùm torrentem Cedron, Agrippam addidiſſe, & mœnibus ambire cœpiſſe, Joſephus eſt author. Quare urbs Jeruſalem nunquam amplior fuit, quàm cùm à Romanis obſeſſa eſt; quippè quæ tunc temporis 33. ſtadiis circuibat, nempè paſſibus 4125. ſeu leuca, & fere dimidia, 3000. paſſibus leucæ aſſignatis. Quæ cum Joſepho *de Bel. l.* 6. *c.* 6. cohærent, dum ſcribit, murum, quem Titus urbi circumduxit, 39. ſtadiorum menſuram æquaſſe, ſcilicet 4875. paſſuum, ſive ultra leucam & dimidiam. Sunt qui illam urbem productiorem credant, cum Villalpando; ſunt qui negant cum Relando *Paleſt. c.* 2. *l.* 3. *p.* 836. 837.

Ædificia omnia publica & privata hujus urbis non deſcribemus, vel quòd vetera ferè prorſus nobis ignota ſunt, vel quòd ea, quæ apud Joſephum occurrunt, ad S. Scripturam non attinent, ac proinde à noſtro inſtituto ſunt aliena. De Templo in peculiari articulo agemus, ut & de Synagogis. Cætera, quæ deſcribenda ſupereſſent, è Tabula Topographica, quam exhibemus, diſcenda ſunt, in qua tamen aliqua occurrunt, uti Portæ Civitatis, &c. quæ certis locis ex conjectura tantùm aſſignantur. De Piſcina Probatica egimus v. *Bethſaida*.

Melchiſedech Rex hujus urbis fuiſſe vulgò creditur, quamquam ea ſententia difficultatibus non caret. S. Hieronymus *ad Evangelium* antumat, urbem *Salem* ſedem Regni Melchiſedechi, *Gen.* 14. 18. vicum eſſe juxta Scythopolim, ubi adhuc ruinæ domus illius Regis extabant, ampliſſimi olim ædificii monumenta. Author Chronici Paſchalis teſtatur, ſe vidiſſe vicum, in quo Melchiſedech olim morabatur. Relandus *Palæſt. l.* 3. *p.* 976. & 833. *Salem* Melchiſedechi contendit aliam eſſe à Jeruſalem. Nos veterem traditionem præferimus, utpote S. Scripturæ conſonam, quæ aliquandò Jeruſalem appellat *Salem*; & quæ nam fuerit alia Salem Regia Melchiſedechi, inter contrariæ ſententiæ aſſertores non ſatis convenit.

Hanc urbem habuerunt Jebuſæi uſque ad initium Regni Davidis; quanquam eo temporis ſpatio primò illam à Joſue facilè occupatam fuiſſe in ſuperioribus diximus. Deindè poſt obitum Joſue à filiis Juda occupata eſt (l); qui tamen ſive in poteſtatem redactam iterum amiſerunt, ſive nonniſi inferiorem urbem occuparunt, Jebuſæis arcem defendentibus.

Inter

(a) Amos 2. 6. &c. & 3. 9. 10. 14. & 6. 4. &c. & 8. 5.
(b) Vid. Oſe 5. 1. & 4. 15. & 6. 8. & 9. 15. & 12. 11. Amos 5. 5. & 7. 13. & 8. 14.
(c) Amos 2. 11. &c. & 4. 4. 5. & 5. 21. 23. & 8. 3. 5. 10. (d) Joſ. 18. 18. (e) Gen. 14. 18. Heb. 7. 1. Pſal. 75. 3. in Heb.
(f) Vide Joſeph. de Bello l. 4. c. 6. & l. 3. c. 5. (g) De his vide v. Siloe, & Gehon. (h) Joſeph. l. 2. de Bello c. 15.
(i) Vide Pſal. 47. 3. Iſai. 14. 13. & 2. Reg. 5. 7. 9. & 1. Par. 11. 5 & 3. Reg. 8. 1. & 2. Par. 5. 2. Ezech. 40. 2.
(k) Joſeph. de Bello l. 5. c. 6. (l) Judic. 1. 8. *Oppugnantes ergo filii Juda Jeruſalem, ceperunt eam, & percuſſerunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem.*



ᴍENTE

NAPOLI

Digitized by Google

[illegible] urbis illius expugnationes hæc prima eſt, quæ in S. Scriptura apertis verbis exprimatur. Secundò de Davide memoriæ proditum eſt, qui ſub initium Regni ſui (a) expeditionem contra illam ſuſcepit. Vim illius diutiùs non ſuſtinuerunt Jebuſæi; quamvis enim primo adeò munitionibus ejuſdem urbis ſiderent, ut ſe eam defenſuros jactitarent, adhibitis tantùm ad cuſtodiam claudis, & cæcis; tamen ſubeuntibus hoſtibus, urbs capta, atque Jebuſæi ſolum vertere coacti ſunt. Inde ſedem Regni ſui David Jeroſolymam conſtituit, atque in eo veluti theatro præclariſſima, & propemodum infinita facinora exhibita ſunt, quibus deſcribendis totam Sacram Hiſtoriam in medium adducere oporteret.

Jeroſolyma magnificè exornata, & aucta à Davide, adeò ſub Salomone inſignibus ædificiis crevit, ut urbium Orientalium magnificentiſſimæ eum primia haberetur. Regnante Roboamo, filio, & ſucceſſore Salomonis, à Seſac Rege Ægypti capta eſt (b); ſacerque, ac Regius theſaurus aſportatus.

Hazael Rex Syriæ, exercitu contra illam ducto, expugnationem parabat, niſi Joas Rex Juda miſſis ad ipſum Templi, & Regii ærarii theſauris, ab incepto removiſſet (c). Anno tamen inſequenti Hazael iterum contra Judæos movens, illos prælio fudit, quamplures ex Optimatibus captos occidit, ipſumque Joas ad extremas anguſtias redegit. Aliquanto poſt an. M. 3178. ante Ch. 822. ante Æt. 816. ipſe Joas, bello contra Amaſiam Regem Iſraelis temerè inito, victus in poteſtatem hoſtium venit; quâ occaſione Amaſias Jeroſolymam ingreſſus, theſauros Templi, & Domus Dei expilavit (d), urbiſque muros à porta Ephraim uſque ad portam Anguli ſpatio 400. cubitorum dejecit, deinde Samariam regreſſus eſt.

Nechaus Rex Ægypti, redux ab expeditione contra Carchamas ad Euphratem, Jeroſolymam ingreſſus (a), Regem Joachaz captum in Ægyptum duxit, qui in captivitate mortuus eſt. Non legimus quidem in S. Scriptura Nechaum urbem, ſive Templum diripuiſſe, ſed mulctam 100. talentorum argenti, & 10. auri regioni impoſuiſſe, cui ſolvendæ Joakim tributum viritim pendendum juxtà menſuram divitiarum indixit. Nechaum tamen vel provocaverat Joachaz, antequàm caperetur, vel ſaltem illi plurimùm reſtitit, quod ex hiſce verbis Ezechielis 19. 2. 3. colligi videmur: *Mater tua leæna inter leones ſuos cubavit; & eduxit unum de leunculis ſuis* (nimirum Joachaz) *& leo factus eſt, & didicit capere prædam, hominemque comedere. Et audierunt de eo gentes, & non abſque vulneribus ſuis ceperunt eum, & adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti.*

Quarto anno regni Joakim, Nabuchodonoſor Jeroſolymam obſedit (f), tunc temporis Ægyptiorum tributariam, captamque in poteſtatem Chaldæorum reduxit; regendam tamen Joakimo reliquit, quem priùs captivum Babylonem ducere, diſpoſuerat. In hunc modum conciliantur duo contraria Scripturæ loca, in quorum altero legimus, Joakim ductum fuiſſe Babylonem, in altero Jeroſolymæ regnaſſe. Exinde Regi Babylonis ſubjectum regnum tenuit, ut anteà Ægyptiis obnoxium habuerat; & poſt tres annos ab illo deſcivit. Nabuchodonoſor his auditis, cùm ipſe aliis negotiis detineretur, copias Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum, & Ammonitarum Judæam vaſtandæ immiſit an. M. 3400. ſive 3401. ante Chr. 599. ante Ær. 603. qui imperata complentes, 3023. ex Judæis captivos Babylonem tranſmiſerunt (g). Deinde poſt annos 4. Jeroſolymam vi ingreſſi, Regem occiderunt, atque defuncti cadaver feris vorandum dimiſerunt.

Poſt illum, Jechonias ejus filius Regnum 3. annis, & 10. diebus adminiſtravit, 4. *Reg.* 24. 2. deinde urbs obſidione à Chaldæis capta eſt, æraria expilata, atque Babylonem aſportata. Denique Nabuchodonoſor eam urbem quarto expugnavit.

(Belli hujus indicendi ea fuit occaſio. Sedecias, Regni ſui anno ſeptimo A. M. 3412., clam egit cum Ephræo ſeu Apries Rege Ægypti, ut Chaldæorum jugum excuteret *Ezech.* 17. 15. 18. ... 18.; & brevi poſt in apertam prorumpens defectionem, tributum Regi ſolvere recuſavit. Laſſatus Princeps ille inconſtantia Judæorum, exterminium gentis, Regni everſionem, ac tandem incolarum tranſlationem ultra Euphratem ſtatuit. Validum itaque exercitum comparans, movit in Jeruſalem, Judæamque ditionem ingreſſus eſt ineunte anno Mundi 3414. qui pariter erat & Sabbaticus *Jerem.* 34. 8. &c.; quo Rex & univerſus populus obſequuturi Legis Domini præceptis, jubentibus manumitti eo tempore captivos *Exodi* 21. 2. *Deut.* 15. 1., reipſa ſervos reſtituerunt libertati. At manomiſſio illa tandiù duravit, quandiu obſidionis Regis Babyloniæ inſtitit terror. Sed auxiliaras copias ducente Rege Ægypti, ſolutaque ea occaſione à Nabuchodonoſore obſidione, Judæi iterum, quos dimiſerant, ſervos reſumpſerunt, nihil vel datam fidem, vel Legis Domini authoritatem curantes. Graviter eo nomine Judæos verbis caſtigat Jeremias, extremaque omnia minitatur. Inter hæc Nabuchodonoſor commiſſo cum Rege Ægypti prælio ſuperiora obtinuit; tum iterum ad obſidionem Jeruſalem, in quam tandem perrupit) totamque evertit, non Templo, non cæteris ædificiis parcens; populos vero, & regem in captivitatem abduxit. Igitur ante captivitatem Babyloniæ novies Jeroſolyma capta eſt.

(* Inter clariſſimas ætatis vetuſtæ Urbes nulla clarior inſigniorque, quà ædificiorum magnificentia, quà obſidionum toleratarum frequentia præ Jeruſalem, Judæorum Metropoli, habetur. Omnium memorabiliſſima ea fuit obſidio, quâ Titus Romanarum copiarum Imperator ſub Veſpaſiano Principe Urbem ſtrinxit. Quidquid arte excogitari poterat formandis obſidionibus validius, quidquid admirabilius, nihil tunc à Romanis omiſſum eſt; nec aggreſſorum ſeu peritiæ militari, ſeu virtuti, ſeu conſtantiæ quidquam conceſſit militaris virtus & reſiſtendi ardor in obieſſis. Quæcunque verò mala prolixarum obſidionum ſunt appendices, ex his ſanè nulla miſera Urbs evitavit, juxta ſatum à Jeremia vaticinium cap. 9. Peſte, fame non minùs ſævitum eſt in Judæos, quàm hoſtium furore. Hoc tandem divinæ juſtitiæ ſupremum fuit judicium, de ſorte & exitio ſuperbæ hujus Metropolis lato, ulciſcendæ perfidiæ ingratiſſimoque Judæorum animo. Totam hanc hiſtoriam ſcitis adeò coloribus tantaque arte depingit Joſephus de bello Judaic. lib. 5. cap. 13. ut rerum bellicarum peritia exculti ſſimi quique viri illi concedere cogantur. Sed modò ad obſidionem Urbis per Nabuchodonoſorem, de qua nobis in præſenti.

Pro ſolemni ſibi more Sacer Hiſtoricus adeò negligit exactiores hujus obſidionis circumſtantias perſequi, ut vel maximè etiam neceſſarias omittat. Quicunque Lectores rebus bellicis non delectantur, æquo id tolerant animo, quibus verò ars illa eſt in deliciis; non ſine quodam animi ſenſu ſuſtinent, rerum egregiè geſtarum adeo præclara monumenta ſilentio & oblivioni tradita, ut nihil ex illis, niſi tenue quod-

(a) 2. Reg. 5. 6. A. M. 2956. ante Ch. 1044. ante Ær. 1048.
(b) 3. Reg. 14. 25. &c. A. M. 3033. ante Ch. 967. ante Ær. 971.
(c) 4. Reg. 12. 17. & 2. Par. 24. 14. 15. A. M. 3165. ante Chr. 835. ante Ær. 839.
(d) 4. Reg. 14. 13. & 2. Par. 25. 23.
(e) 4. Reg. 23. 30. & 2. Par. 36. 1. 2. 3. A. M. 3394. ante Ch. 606. ante Ær. 610.
(f) 4. Reg. 24. 1. &c. Daniel. 1. 1. Jerem. 5. 1. & 2. Paral. 36. A. M. 3398. ante Ch. 602. ante Ær. 606.
(g) Jerem. 52. 28. A. M. 3405. & undecimo Joakim.
* Animadverſiones in obſidionem Jeruſalem per Nabuchodonoſorem. 4. Reg. 25. Vide Præfationem interpretis &a.

dam vel ſudibus expreſſum lineis remaneat. Cùm tamen ſubinde referat Scriptura circumſtantias quaſdam, certaſque belli gerendi leges, quas viciſſim alias deſcribens expeditiones omittit, ſparſa hæc in unum conjuncta, ſatis præferunt lucis, detegendæ methodo Judæorum, quà in oppugnandis Urbibus, quà in defendendis.

Situs Urbis Jeruſalem, mœnium validitas, ac defenſorum virtus impervium hoſtibus reddebant Urbem, protogabantque in immenſum obſidionem. Quare cùm ad ejus mœnia ſucceſſiſſet Nabuchodonoſor, ne tentaret Urbem aggreſſionibus ſeſe continuit, ſatis habens cingere corona, totamque duplici vallo, altero ſcilicet coercendis eruptionibus, altero prohibendis externis auxiliis, ambire. Rex Ægypti opem laturus Judæis venit; venienti accurrit obvius cum armis Nabuchodonoſor (a), à quo prælio victi fugatique Ægyptii; ſtatimque inſtaurata obſidio. Quæ à Rege Babyloniæ geſta certiſſimè nobis perſuadent, ductum ab ipſo vallum adversùs eruptiones Urbis, quibus Rex Sedecias per ſe imperabat; ductum & vallum alterum adversùs externos hoſtes; quanquam enim Sacer Hiſtoricus refert in ſecundo verſiculo: *Clauſa eſt Civitas atque vallata uſque ad undecimum annum Regis Sedeciæ*; non ita tamen reputandum, quaſi unicum tantùm vallum Urbi opponeretur: Quæ ſunt in priori verſiculo duplex non unicum vallum inſinuant: *Circumdederunt eam & extruxerunt in circuitu ejus munitiones*.

Porro ex hiſtoria hujus obſidionis, ſicut & in aliarum à Scriptura deſcriptarum, intelligimus, utrumque illud vallum moribus receptum fuiſſe apud Aſiaticos, ſat diu antequam Græci & Romani quidquam de illo noſſent; quibus proinde rei inventæ honor abrogandus eſt. Abs re prorsùs futurum non arbitror, hic referre, quæ de hoc argumento diſputavi in meo Commentario ad Polybium tom. 2. pag. 449. 450. Methodus ambiendi Urbes foſſa & vallo contra obſeſſorum eruptiones, alteroque item in munimento versùs agrum, ut obſidentium exercitus melius contineatur intra duo valla; methodus, inquam, illa Aſiaticis erat familiaris ſat diu ante Græcos & Romanos, & facilè etiam pluribus ſeculis ante Moyſem. *Quando obſederis civitatem*, ait ſapiens ille Legiſlator Deut. 20. 19. 20. *multo tempore, & munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, non ſuccides arbores, de quibus veſci poteſt, nec ſecuribus per circuitum debes vaſtare regionem; quoniam lignum eſt, & non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum. Si qua autem ligna non ſunt pomifera ſed agreſtia, & in cæteros apta uſus, ſuccide, & inſtrue machinas, donec capias Civitatem, quæ contra te dimicat.*

Artea illæ & cautiones tunc valebant, cùm Urbes oppugnandæ erant validæ & incolis refertæ; ambiebantur enim vallo ſeu interiori, ſeu exteriori, ducta pariter foſſa ſudibus intus firmata, cui interdum additus agger, & aggeſta ſuper faſciculos minutorum lignorum terra. Foſſæ, muri, ex ſudibus munimenta, aggeres, quibus ambiebatur Urbs, omnia hæc Hebraica voce *Matzur*, ait D. Calmet Comment. in Deut. cap. 20. 19. deſignabantur; hæc autem omnia vix ſine arboribus pararentur. Quod autem in id generis operibus admirabile illud eſt, murorum ſimili per omnia artificio parata eſſe ac Græcorum & Romanorum munimenta, ſi turres excipias, quæ munimentorum ejuſmodi defenſioni inſtruebantur. Ex illis enim nihil animadverti in caſtris Hebræorum, ſicuti ne veſtigium quidem in expeditionibus aliarum gentium, quibuſcum res geſta ab Hebræis, ante obſidionem Hieroſolymæ per Nabuchodonoſorem.

Qui autem valla contra inſultus externorum hoſtium, tum, & aliud contra eruptiones obſeſſorum ducta inſinuant, Textus adeo multi occurrunt apud ſacros Authores, ut retuliſſe omnes ſupervacaneum reputemus. Quare illud Iſaiæ 29. 2. 3. recitaſſe ſat erit: *Circumvallabo Ariel, & circumdabo quaſi ſphæram in circuitu tuo, & jaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obſidionem tuam.* Id generis munimenta ita commemorat Propheta, quaſi rem planè ætate ſua tritam; & capite 37. 33. futurum ſpondet Regi Ezechiæ, ut Sennacherib obſidione Hieroſolymam non ſtringeret, nihilque adversùs illam moliretur; ac tandem ait: *Non mittet in circuitu ejus aggerem*. His omnibus luculentiſſimè præfertur nequaquam formandam eſſe à Rege Aſſyriæ Urbis obſidionem, nec ſtringendam vallo, ad coercendas eruptiones. Intimiùs etiam ſeſe inſinuat Propheta; diſtinguit enim vallum ambiens ab aggere; nec abs re autumaverim, aggeres illos non ſemper tumulos ſignificare ex aggeſta terra, dominantes mœniis vel earum fermè altitudinem æquantes, ſuper quos erigerentur ſive turres, ſeu machinæ ad jaciendum inſtructæ, ſeu conſtituerentur jaculatores, funditores, ac cætera id generis armaturæ. Iſta quidem perſuadetur D. Calmet; ſed falli virum credo; deſignari enim tantùm verbis illis cenſeo loricam quandam ad extremam oram foſſæ, quales noſtra ætate ducuntur, & quarum favore funditores & jaculatores ab injuriis defenſorum tuti, incommodo illos afficiebant. Valuiſſe hæc autem ſimul magis in arctum coercendis ſtringendiſque defenſoribus non uno Scripturæ Textu demonſtratur.

Vero propiùs eſt maximè, Nabuchodonoſorem, cùm primùm acceſſit ad Urbem, non ſtatim obſidionem plenam formaſſe; ſat habuit primò corona Urbem laxius cingere, quippe qui norat moviſſe Regem Ægypti cum exercitu, ſuppetias Hebræis laturum; opus enim alioqui fuiſſet, vallum externis auxiliis impediendis ductum munire defenſoribus, ne quid in Urbem ſubſidii penetraret; opus inſuper valido præſidio defendere munitiones, ne quid injuriæ paterentur ab eruptionibus obſeſſorum; plurimùm autem tot illis erogationibus deceſſiſſet virium Aſſyriis, nec obviam venientibus Ægyptiis procurrere auſi fuiſſent. Illi autem, nempè Ægyptii, viciſſim omnes adverſariis intercluſiſſent commeatus, armaque in illos intuliſſent; cùm interim obſeſſi Rege ipſo duce validis eruptionibus, novo hoſtes afficiſſent incommodo. Sed Nabuchodonoſor omnia hæc ſimul prævenimus, in occurſum venit Ægyptiorum, fractiſque illis atque fugatis ſecundo prælio, reſtituit ſe illico Urbi, ſtrinxitque obſidionem, tormentis omnibus muralibus admotis; ac tandiu perſeveravit, donec ſæviente intus fame, urgentibus exteriùs hoſtibus, *interrupta eſt Civitas, & omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ eſt inter duplicem murum ad hortum Regis. Porrò Chaldæi obſederant in circuitu Civitatem.* Per apertam igitur mœnium foſſione viam in Urbem perruperunt Chaldæi, expugnaruntque poſt obſidionem duplici anno & ſemis continuatam, Sedeciæ rerum potientis anno undecimo, nona die quarti menſis, feria tertia 27. Julii A. M. 3416.

Mirari utique ſuberit, cur in Urbis obſidione hac, obſidionalium machinarum generatim omnium meminerimus, tam nihil deſideratum id generis, non turres, non arietes, baliſtas, catapultas, cæteraque Græcis familiaria. Hæc ſanè omnia notant Aſiatici; nec ambigendi locus eſt à Rege Chaldææ omiſſa non fuiſſe in obſidione Jeruſalem, cùm de tormentis illis non obſcurè agat Ezechiel 4. 2. & 21. 22. ſe maximè dira illa in Tyrum vaticinatus cap. 26. *Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonoſor Regem Babylonis ab aquilone, Regem Regum, cum equis & curribus, & equitibus, & cœtu populoque magno. Circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro, & elevabit contra te clypeum. Et vineas & arietes temperabit in muros tuos.* Hebræus: *Machinas* ſani-

(a) Joſeph. Antiquit. lib. 10. cap. 10.

funiendis (baliſtas, catapultas). *Et turres tuas deſtruet in armatura ſua.* Nihil exactius deſideraretur. Non eſt igitur cur in dubium revocemus, invaluiſſe apud Chaldæos morem protegendi aciem vineis cæteriſque id generis, dum Urbes aggreſſionibus peterent; nec ſanè aliud excogitari poterat defenſionis genus ſimplicius commodiuſque, quo pariter uſos conſtat Romanos in poſtrema Urbis obſidione.

Improviſa aggreſſione territi videntur defenſores, neque enim prohibendo hoſti è ſuſfoſſis muris accurriſſe leguntur.

Narrat Joſephus, Antiq. l. 10. c. 11. Chaldæos mediæ noctis ſilentio in Urbem ſubiiſſe; Regem autem Sedeciam cum ſuis favore tenebrarum promptè ſe per anguſtias viarum proripuiſſe in deſertum; ſed monitos de fuga opportunè Chaldæos ſummo mane fugientes inſecutos, attigiſſe tandem in agro Jericho. Paria fermè Sacer Hiſtoricus: *Fugit Sedecias per viam, quæ ducit ad campeſtria ſolitudinis, & perſecutus eſt exercitus Chaldæorum Regem, comprehenditque eum in planitie Jericho, & omnes bellatores qui erant cum eo diſperſi ſunt, & reliquerunt eum.* Affirmant Rabbini per cæcas quaſdam ſub terra vias, è regiis ædibus deducentes in agrum Jericho, dilapſum Regem; quibus affirmantibus fides adhiberi poſſet, niſi pro ſuo ingenio commentis pluribus, veri nullam ſpeciem habentibus, ſuſpicionem in ſe doli crearent. Comminiſcuntur etenim Regem ſubducere ſe è diſcrimine per ſubterraneos illos ductus volentem, hoc indicio Deum manifeſtaſſe; reptans ſuper terram anguis viam in exteriori ſolo firmabat, quam inius ſub terram dimetiebatur Sedecias; ex quo factum, ut Chaldæi anguem illum inſequentes, inſperato ad exitum viæ ſubterraneæ Regem deprehenderent. Porro quod attinet ad ſubterraneos iſtos receſſus, hi omnino utique non excedunt; ſilet quidem de illis Scriptura & Joſephus; ſed Dio l. 66. à D. Calmet laudatus, agens de poſtrema Urbis Jeruſalem obſidione, affirmat cæcos fuiſſe quoſdam Judæis meatus, qui ſubter mœnia Urbis excurrentes longius in agrum deducerent.

Apprehenſum ergo Regem duxerant ad Regem Babylonis in Reblatha, qui locutus eſt cum eo in judicium. Inſinuat *hæc* Nabuchodonoſorem, protrahi diutius obſidionem intelligentem, receſſiſſe ſe ad propria, re commiſſa copiarum ſuarum Imperatoribus. Quare cum Hieroſolyma in hoſtium poteſtatem veniret, ſubſiſtebat ille Reblathæ, quæ ipſiſſima creditur Apamea Syriæ ad Orontem.)

Poſt regreſſum è captivitate, anno primo, quo Cyrus Babylone regnavit, Jeruſalem reſtitui, atque populis frequentari cœpit an. M. 3468. ante Ch. 532. ante Ær. 536. quamquam nonniſi poſt adventum Nehemiæ, mœnia, & portæ reſtitutæ ſunt A. M. 3550. ante Ær. 454. Alexander Magnus hanc urbem ingreſſus eſt, poſt Tyri expugnationem A. M. 3672. ante Chr. 328. ante Ær. 332.

Poſt Alexandri obitum (a), Jeruſalem Regibus Ægypti ceſſit; & Ptolemæus Lagi, militari illam ſtratagemate cœpit, atque ad 10000. ex Judæis captivos in Ægyptum traduxit, juxta Ariſtæam, & Joſephum (b). Eodem Joſepho authore (c), Ptolemæus Evergetes Rex Ægypti ad hanc ipſam urbem venit, ſacrificia in gratiarum actionem oblaturus. Tandem Ptolemæus Philopator poſt relatam de Antiocho Magno victoriam, ac Raphiam captam, Jeroſolymam venit, Templumque adiit, ut ſacrificia offerret; ſed à Sacerdotibus ab ingreſſu Sanctuarii prohibitus, adeò excanduit, ut univerſos Judæos, qui Ægyptum incolebant, perimere decreviſſet A. M. 3787. ante Chr. 213. ante Ær. 217. Hoc malum à Judæorum capitibus miraculo Deus avertit, de quo in tertio Libro Machabæorum.

Antiochus Magnus, poſt reductam è manibus Ægyptiorum Cœleſyriam, & Judæam, hanc urbem adivit, ubi à Judæis magnificentiſſimè exceptus eſt (d), commeatus exercitui, & elephantis ſuppeditati, ac tandem ſubſidiaria militia adjutus, reducendæ arci Jeroſolymæ, in qua Scopas validum præſidium reliquerat. Antiochus his beneficiis acceptis, augendæ urbis gloriæ nihil reliquum fecit, maximis privilegiis Judæos donavit, ingentemque pecuniæ ſummam ſacrificiis deſtinavit. Seleucus tamen filius, & ſucceſſor ejuſdem Antiochi, non eodem loco, ac pater, Judæos habuit; quare expilandis Templi theſauris (e) Heliodorum miſit, quamquam ille verberibus contectus ab Angelis in Templo ſibi viſis, vacuus redire coactus eſt.

Antiochus Epiphanes frater, & ſucceſſor Seleuci, Jeroſolymam venit (f), ſummiſque honoribus à Jaſone, qui Summum Sacerdotium uſurpaverat, facibus nitidum, & plauſibus populi, exceptus eſt. Tunc temporis quidem nihil grave contra urbem tentavit; ſed poſt annos tres, Mundi 3834. audiens Judæos ſparſum de ipſius obitu in Ægypto rumorem lætis auribus accepiſſe, graviter in illos excandeſcens 2. *Mach.* 5. & 1. *Mach.* 1. 21. ex Ægypto redux illam obſidione cœpit, totam diripuit; aurum, & vaſa Templi aſportavit, ac tandem 8000. Judæos trucidavit.

Poſt biennium, diripiendæ, atque incendendæ Urbi Apollonius (g) Princeps tributorum miſſus eſt, qui pacatè ingreſſus, ſubitò hoſtilem animum exerens, omnia cædibus, & igne complevit, domos complures evertit, prædam undique coegit, atque in edita Civitatis parte juxta Templum munitione excitata, validam præſidiariorum militum manum in illa collocavit. Exinde Jeruſalem à civibus deſerta, Gentibus permiſſa eſt, adeo ut ſequenti anno, Mundi 3837. ſacrificia in Templo intermitterentur, ſimulacrum Jovis Olympici ſuper Altare erigeretur, ac tandem in Domum Dei abominatio deſolationis induceretur 1. *Mach.* 1. 62. Is rerum ſtatus triennio permanſit (h), donec Judas Machabæus prælio victis Nicanore, Gorgia, & Lyſia, Jeroſolymam aſcenderet, Templum purgaret, ac ſacrificia reſtitueret 1. *Mach.* 4. 36.

Inſequenti anno (i) Eupator poſt initam cum Juda Machabæo pacem Jeroſolymam venit, Templumque non ſine muneribus honoravit. Verùm antequam ea urbe egrederetur, murum, Templum, arcemque interjacentem, qui Locum Sanctum adverſus Syros tuebatur, demolitus eſt 1. *Mach.* 6. & 2. *Mach.* 13. Hæc arx continendis in fide Regum Syriæ incolis Jeroſolymæ, 26. annis (k) ſubſtitit, donec Simon Machabæus captam everteret.

Antiochus Sidetes ulturus ea mala, quæ à Simone Machabæo pertulerat, Joannem Hircanum ſucceſſorem, & filium ipſius, bello afflixit. (Venit igitur in Judæam, & poſt vaſtatum latè agrum, coactum Hircanum reducere ſe Hieroſolymam preſſit obſidione. 4. *Machab.* 2. Sed ſtrenuos nactus defenſores, caſtra locavit inter duo ſtadia vel 250. paſſibus à Templo ad ſeptemtrionem urbis, inſtruendaſque curavit 230. turres militibus ingenti numero refertas, arcendis à mœnibus defenſoribus. Cùm interim ſuffodiendis mœnibus intenti eſſent aggreſſores, detectum eſt muros illos in imo fundo, quibus ſuſten-

(a) Obiit Alexander A. M. 3681. ante Chr. 319. ante Ær. 323.
(b) Antiq. l. 12. c. 1. 2. A. M 3684. ante Chr. 316. ante Ær. 320.
(c) Joſeph. l. 2. cont. Appion. A. M. 3758. ante Chr. 242. ante Ær. 246.
(d) Joſeph. Antiq. l. 12. 3. A. M. 3806. ante Chr. 194. ante Ær. 198.
(e) 2. Mach. 3. A. M. 3828. ante Chr. 172. ante Ær. 176.
(f) 2. Mach. 4. 21. 22. A. M. 3831. ante Chr. 169. ante Ær. 173.
(g) Mach. 1. 30. A. M. 3836. ante Chr. 164. ante Ær. 168.
(h) Uſque ad A. M. 3840. ante Chr. 160. ante Ær. 164. (i) A. M. 3841. ante Chr. 159. ante Ær. 163.
(k) Ab A. M. 3836. ad 3862.

ſuſtentaretur habere ligna, ſtatimque injecto fundamentis igne mœnium ſat grandis portio concidit. Accurrerunt promptè ſarciendis defenſores; arcendiſque hoſtibus, qui per patentem viam irrumpere tentabant. Simul ad hæc Hircanus validâ eruptione impetum faciens in hoſtes, coegit longiùs ab urbe ſeſe recipere, reduxque incendio tradidit omnes, quot extruxerat turres Antiochus.

* Obſidio illa Hieroſolymæ incidit in A. M. 3869. circiter. Qui illam deſcripſit Joſephus lib. 13. cap. 16. ſingularia quædam refert, fruſtra in quarto Machabæorum quærenda. „ Diviſit Antiochus exercitum ſuum in ſeptem agmina; quo totam obſideret Urbem. Defectu aquarum laboranti plurimùm largior decidens imber ſuccurrit. Duplici vallo ampliori laxiorique Urbem ambivit, Judæorum extra verſantium cum defenſoribus communionem omnem præcludens. Contra verò defenſores, crebris eruptionibus, nec ſine cæde, moleſtiam intulerunt in aggreſſores; quippè qui occaſionem erumpendi captabant, cum minus cautos invigilare hoſtes intelligerent, prompteque tum recipiebantur in Urbem. Addit inſuper Joſephus Hircanum intelligentem plures in urbe verſari homines ad arma ineptos; aptos tamen abſumendæ annonæ, emiſiſſe omnes, iis tantùm retentis, quos ætatis floſcentis vigor ad bellum idoneos reddebat; ſed, prohibente Antiocho ne in agrum penetrarent, errabundi vagabantur in ambitu mœnium Urbis, ubi enecti miserè peribant. Inter hæc incidit Tabernaculorum feſtum cum miſeratione erga cives ſuos tacti defenſores, patentibus urbis januis illos exceperunt &c. Dolemus equidem exactionem inſignium ejuſmodi obſidionum hiſtorias inviderì nobis à ſacris Authoribus.

In eam expeditionem veniens Sidetes ingentem traxit ſecum, quà copiarum, quà machinarum, quà rerum omnium, ad longam obſidionem neceſſariarum exercitum; è præcedenti enim rerum eventu de futuris ducebat argumentum. Urbs nimirum illa *quà validitate munitionum, quà proceritate mœnium, quà ſtrenuitate defenſorum fortiter ſemper aggreſſoribus reſtitit. Antiochus igitur caſtris ad ſeptentrionem Urbis locatis, 120. inſtruxit turres, in quibus conſtituit milites, amovendo è mœnibus defenſores. Inter hæc ſuffodiendis mœnium fundamentis laboravit.* Centum tantummodo turres memorat Joſephus, ſatis profectò, ne dicam pluſquam ſatis. Mirari ſubit, cur de arietibus nulla hic fiat mentio, ſed tantùm de ſubterraneis ductibus, quibus ad fundamenta mœnium tuti aggreſſores ſuccederent. Sed cui bono turres iſtæ per intervalla & in fronte? Id fortè ſuccurrit, quo ſimul peteretur Urbs ſecretis cuniculis apertaque aggreſſione, ne ſcilicet defenſores contrariis effoſſis cuniculis adverſariorum conatus omnes eluderent. Hæc tamen ſuccurriſſe Antiocho Sideti planè ambigo; minùs enim, profuſas in inſtruendis ejus generis turribus impenſas conſidero, quàm difficultatem, aptam ſtruendis illis materiam nanciſcendi in nuda, qualem illam fuiſſe oportet, regione. In deſolato enim aſſiduis & ferè continuis bellis agro, quis reperturum ſe cædua ligna confidat? Ad hæc, fruſtra eſt omne turrium ejuſmodi molimen, cùm per effoſſas ſub terram vias ad ſuffodienda mœnia Urbis ſuccedere viſum eſt; exigunt inſuper viæ ſubterraneæ trabium vim immenſam; vix enim niſi contignationibus ſuffultæ viæ illæ ſubſiſtèrent.

Urbis Jeruſalem mœnia valida erant & procera maximè, uti Author Libri Machabæorum non obſcurè; miramque illorum altitudinem Joſephus, exactiſſimè munimenta ipſa deſcribens, ſub oculis ponit. Jaculatores ſuper mobiles iſtas turres conſtituti, prohibuiſſent utique nequis aggreſſorum pateret ſuper mœnia; ſed cui bono tanta molimine iſta curarentur, cùm per ſubterraneas cæcaſque vias ad fundamenta ipſa mœnium Urbis ſuccederent aggreſſores? An forte id ſuccurrit, ne, cùm muri convellerentur, defenſores ad locum conferti aggreſſoribus impetum facientibus reſiſterent? Sed minora hæc ſunt, quàm ut tanto rerum ſibi procurarentur. Reputaverim ego quidem, nec arietes, nec alias id generis machinas tunc defuiſſe, nec id tantùm molitum fuiſſe Antiochum, ut inferiora mœnium, ſed ut etiam ſuperiora deſtrueret.

Magno operum ſuorum compendio intellexerunt adverſarii mœnia Urbis fundari ſuper defixos ſudes; quare inter ſudes illos terram egerentes, reponenteſque ejus loco combuſtibilem materiam, injecto igne, brevi latam ſubrutis mœnibus viam ſibi pararunt in Urbem. His ita compoſitis, Antiochus validâ aggreſſione tentavit Urbem, ſed validiùs reſiſtentibus defenſoribus, rejectus eſt. *Simul ad hæc Hircanus facta cum ſuis eruptione tantam adeò edidit ſtragem; ut Antiochum coëgerit recipere ſe longè ab Urbe.* Porrò eruptionem illam validam fuiſſe oportet & cruentam; quippe quâ removerentur hoſtes pellerenturque ſat longè ab Urbe, vel proprias munitiones, uti ne ambigentes credimus, deſerere coacti. Tum Hircanus in ulteriora excurrendum è re ſua eſſe non judicans, viam relegens ignem turribus adverſariorum injecit, recepitque ſe in Urbem.

Quantum ex contextu intelligimus, Antiochus continere ſe non potuit, quin & Judæorum ſtrenuum in reſiſtendo molimen admiraretur, æſtimaretque plurimùm ſingularem Hircani virtutem. Cùm enim Tabernaculorum Feſtum in eos dies incidiſſet, *inducias per Legatos petiit Hircanus, uſquequò evolutos ſolemnitatis dies.* (ideſt octo dies.) *Annuit Rex ſimul victimas & auri argentique munera ad Templum mittens; quæ grato animo excipi mandavit Sacerdotibus rerùm ſacrarum Princeps. Iſta munificentia & pietas, Hircani & ſuorum animos ſollicitavit, ut ipſi pacem ultrò peterent, quibus Rex facilè aſſenſus eſt, veniitque pacificus in Urbem.* Excipit illum lætus Hircanus cum Principibus exercitus ſui, feſtumque convivium inſtituit.

Rem hanc ita expedivit Antiochus, uti virum prudentem deceret, & majori quàm pro ſpe nominis ſui gloria. Magnanimitate Principis illectus Summus Sacerdos ultrò pacem, quamvis rebus Judæorum non ſat commodam, quæſivit; rerumque ſucceſſus ſat demonſtrat, multum id contuliſſe rebus eorum promovendis augendiſque.

Indè pacata omnia uſque ad Regnum Hircani, & Ariſtobuli filiorum Alexandri Regis Judæorum. Hircano natu majori Regnum delatum erat; ſed cùm hebetudine, atque animi ſegnitie Regno impar videretur, Ariſtobulus ejus frater bello contra illum moto (a), prælioque victum ad Jerichuntem, ac tandem in Templo captum, ſibi coronam cedere adegit (b); Aretas Rex Arabum, Hircanum reſtituturus, Jeroſolymam obſedit. Interim ambo fratres Pompeii opem, qui tunc in Orientem venerat, implorarunt. Ille Hircani patrocinio ſuſcepto, Jeroſolymam adortus (c), tandem expugnavit, eamque victor ingreſſus, Templum, ipſumque Sanctuarium, omnia tamen intacta relinquens, inviſit. Maximos ibi theſauros admiratus eſt, potiſſimum tamen religionem (d), quà Sacerdotes cæremonias operabantur, neque ab ipſis victorum gladiis abſterriti. Mane ſequentis diei Templum expiandum, atque ſacrificia offerenda juſſit.

Antigonus, filius Ariſtobuli, Parthorum exercitum contra

* Animadverſiones in obſidionem Jeruſalem per Antiochum Sidetem 4. *Mac.* 2.
(a) A. M. 3938. ante Chr. 62. ante Ær. 66.
(b) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 1. (c) A. M. 3940. ante Chr. 60. ante Ær. 64.
(d) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 8. & de Bell. l. 1. c. 5.

contra patruum ſuum Hircanum ducens, urbem obſedit (a). Herodes, & Phalaelus egreſſi, ut cum Pacoro Regis Parthorum filio de pace agerent, ab hoſtibus in vinculis detenti ſunt. Quare Herodes deſerta urbe, fuga ſeſe Romam recepit (b), ubi faventibus M. Antonio & Cæſare, Regis titulum à Senatu obtinuit. Redux deinde in Palæſtinam, ope Soſii, Romanæ militiæ in Syria Ducis, Antigonum, & Jeroſolymam obſedit. Poſt quinque menſes ab incepta obſidione, Antigonus ſe, & urbem in hoſtium poteſtatem remittens, Ducis Romani pedibus ſe ſupplicem provolvit, à quo ſuperbe exceptus, atque ad animi mollitiem, ſegnitiemque exprobrandam, *Antigona* appellatus eſt (c). Poſtquam Archelaus filius, & ſucceſſor Herodis Magni exilio damnatus eſt, Judæa, in Provinciam redacta, Proconſuli Syriæ ſubjecta eſt. Arcem Antoniam præſidium Romanorum militum jugiter tenuit, donec in poſtrema Judæorum defectione (d), Judæi impetu contra illam facto, externos milites abegerunt, eo facinore funeſtiſſimum bellum auſpicantes. Inſequenti anno, Chr. 70. (e), Titus obſidione urbem cinxit, ac tandem expugnatam evertit, atque in ſolitudinem redegit. Hæ ſunt urbis Jeruſalem inſigniores viciſſitudines a Moyſis tempore, uſque ad ejus everſionem per Romanos. Ulteriora de hoc argumento ſcribere, noſtri non eſt instituti, quippè qui limites Scripturæ, & eorum, quæ ad hiſtoriam Veteris, Novique Teſtamenti pertinent, non tranſcendimus.

(Pompejus Magnus expugnatæ Urbis Jeruſalem poſt trium menſium obſidionem mœnia dejecit (f). Sed poſt aliquot elapſos annos Julius Cæſar, rogante Hircano, ſollicitantibuſque, quæ ab illo exceperat in Ægypto, beneficiis, mœnia illa reparandi dedit facultatem. Decretum Romæ datum, Vix Hieroſolymam allatum eſt, Antigonus ſtrenuam in ea re operam impendendam curavit; factumque brevi ut recentes Urbis munitiones nihil concederent antiquis (g). Cùm autem creſceret in dies Urbs, Rex Agrippa novas illas acceſſiones novis mœnibus vallare aggreſſus eſt (h); ſed de re tota certior factus à Narſo Præfecto Syriæ Claudius Imperator, ut cœptum opus deſtitueretur, mandavit. Scribit Joſephus, Agrippam, niſi prohiberetur, proceros adeò validoſque muros erecturum fuiſſe, ut omnibus hominum conatibus reſiſterent. Notat Tacitus Hiſtor. lib 5. cap. 12. quo tempore Titus Urbem ſtrinxit obſidione, *duos colles immenſum editos claudebant muri per artem obliqui ac introrſum ſinuati, ut latera oppugnantium ad ictus pateſcerent*. Hæc vetuſtiſſima ratio eſt muniendi Urbes juxta Vitruvium lib 1. cap. 5. & Vegetium de re milit. lib 4. cap. 2.

Scribit Joſephus de bello lib. 7. cap. 18. Titum poſt captam Urbem injunxiſſe militibus, ut mœnia illa penitùs eraderent, ſolis relictis tribus turribus proceritate & ſtructura cæteras ſuperantibus, quas reſervare meditabatur tanquam monumentum Romanæ virtutis, Urbem adeò validam expugnare valentis. Turres illæ fuerunt Phaſaelus, Hippicus, & Mariamne. Ambientia pariter occidentale Urbis latus mœnia reliquit intacta, quo ceu vallo uterentur copiæ ad regionis cuſtodiam relictæ. Reliqua omnia Urbis æquata ſolo, ut quicunque nunquam antehàc in loco fuiſſent, vix crederent affirmantibus, ſtetiſſe ibi olim Urbem.

Scriptores Judæi affirmant ſuper Templi eraſi ſolum vomerem inductum fuiſſe à *Turno Rupho*, (ſeu potiùs *Terentio Rupho* quem Titum copiarum Præfectum reliquit) ne quis unquam deinceps permiſſum ſibi cenſeret locum ſacrum reſtituendi (i). Legibus quidem Romanis cautum eſt ne loca vomere ſuperinducto temerata, iterum reædificarentur injuſſu Senatus. Sed hæc contigiſſe creduntur poſt Judæorum ſub Adriano defectionem (k). Non ita pariter everſa tunc ſolo Jeruſalem creditur, ut aliquid non reſtaret incolarum, ſive dejecta Urbis rudera incolentium, ſive cum Romanorum cohortibus mixtorum, ſive juxta illas verſantium, ſive tandem qui novas ſibi caſas in proxima Urbi loca fabricaverint. Affirmat S. Epiphanius ædes illas, quò ſe Apoſtoli, recepto in Cœlis Filio Dei, reduxerunt, & ubi pariter illapſu S. Spiritus foti ſunt, ab excidio communi ſerservatas fuiſſe, unà cum ſeptem Synagogis in monte Sion, ab ædibus illis non remotis. Recitantur etiam nomina Epiſcoporum è Judæis, qui Hieroſolymitanam Eccleſiam rexerunt, non interrupta ſerie à Jeſu Chriſto adusque Adrianum; poſthac enim è Gentibus Epiſcopi aſſumpti ſunt.

Longiùs adhuc excurrens Euſebius, Demonſtr. lib. 6. aſſeverat, relictam fuiſſe à Tito mediam Urbem intactam, juxta latum a Zacharia oraculum cap. 14. 2. *Egredietur media pars Civitatis in captivitatem, & reliquum populi non auferretur ex Urbe*; Quare, ait Euſebius, nonniſi ſub Adriano Urbs tota ſolo æquata eſt. Tandem S. Hieronymus defendit Romanorum furorem ſub Tito nihil ſenſiſſe montem Moriah ubi Templum, & Montem Sion ubi Regum ædes (l). Hæc omnia non aliunde petita ſunt, quàm ex Joſepho, aſſerente relictum à Tito occidentale Urbis latus cum mœnibus ſuis; ex quo factum eſt, ut alii mediam Urbem relictam fuiſſe affirmandum ſibi ducerent. Ad hæc intactæ ſervatæ ſunt turres Phaſaeli, Hippici, & Mariamnes, quæ in ſuperiore Urbis parte conſtitutæ creduntur. Ad hæc non immeritò reputatum eſt, decimam illam legionem, in Urbe relictam, non ſolitariam manſiſſe, ſed inter reſervatas ſibi propriis uſibus ſedes, aliquas etiam permiſiſſe familiis nonnullis Judæorum, ut uſibus ſuis ſervirent.

Contendunt Rabbini, Deum perpetuis prodigiis Templo & Urbi Jeruſalem faviſſe; 1. Nulli fœminæ viriolus fœtus irrepſit ex ingrato ſive immolatarum carnium in Templo odore, vel ſi fortè ad exceſſum de carnibus illis ſeſe ingurgitaſſet. 2. Super Altare poſita caro nunquam corrumpebatur, vel pluribus diebus, antequam igni traderetur relicta, cogente nimia victimarum copia. 3. Nunquam irrepſit Summo Sacerdoti in pervigilio Expiationis ſolemnis pollutio. 4. Dilapſis imbribus nunquam perpetuus in Altari ignis extinctus eſt. 5. Ne fumus in columnam ſublatus Cœli ſuperiora teneret flante vento nunquam prohibitus eſt. 6. Nec panes propoſitionis, nec manna in Gomer aureo ſervata vitium paſſi ſunt unquam. 7. Ingens licèt hominum turba in atrio Templi contineretur, nunquam tamen plùs nimio contexta eſt & coarctata. 9. Nemo hominum ad quieſcendum parata in Templo conclavia nactus non eſt. 10. Ex quo à Salomone conſecrata eſt Urbs Jeruſalem, ut ſancta eſſe nunquam ceſſavit; quæ enim vices poſt ætatem illam ſucceſſerunt, minores habitæ ſunt, quàm ut ſanctitatem ejus prophanarent.

Affirmant inſuper communem Tribubus æquè omnibus Urbem illam fuiſſe, ut nullo peculiari jure ad unam præ aliis attineret; immunem fuiſſe à lege mandante expiationem immolatione vaccæ juvenculæ, ſi quod homicidium in finibus unius Tribus commiſſum eſſet. Nullæ in ea domus peculiari jure

(a) A. M. 3964. ante Chr. 36. ante Ær. 40. (b) Ant. l. 14. c. 24. & 25. & de Bello, l. 1. c. 11.
(c) Antiq. l. 14. c. ult. An. M. 3966. & 3967.
(d) A. M. 4069. Ch. 69. Ær. 66. (e) De bello l. 2. c. 31. 32. in Græco.
(f) Joſeph. Antiq. lib. 14. cap. 8 & de Bello lib. 1. cap. 5. L. Flor. lib. 3. cap. 5.
(g) Joſeph. Antiquit. lib. 14. cap. 17. (h) Antiquit. lib. 19. cap 7. pag. 677.
(i) Joſeph. de Bello lib. 7. cap. 20. pag. 972. (k) Hieron. in Zachar. cap. 8.
(l) Hieron. & Cyrill. in Zac. 14.

Digitized by Google

jure cedebant emptori. Nefas in illa hortos poſſidere ſeu vineas; ſi quod cadaver ex uno in alterum locum transferendum eſſet, denegatus per illam tranſitus, metu ne temeraretur. Duo fuiſſe tantum ibi ſepulcra, Davidis ſcilicet & Holdæ, veterum Prophetarum opera fabricata. Omnia hæc ex Rabbinorum fide, non ſemper à vitio immuni, damus.

Olim ab exordio & ſub Jebuſæis minimæ erant hujus Urbis res. Crevit deinde variis ac variis acceſſionibus. Porrò in dilatandis Urbis pomeriis hos ritus ſervatos docent Scriptores Judæi (a). Magnum Sanhedrin, Rex, & Propheta conſulebant *Urim & Thummim*. Cùm de ſenſu Oraculi inter omnes conveniſſet, Sanhedrini Patres duos Hymnos modulabantur in actionem gratiarum Domino. Secundùm hæc geminos fermentatos panes accipientes, ſimulque eodem temporis momento diſcurrentes per Urbem, inter feſtivas cymbalorum, lyræ & pſalterii harmonias, ad ſingulos angulos viarum, ad ſingula, quæ inter eundem offendebant, publica ædificia ſubſiſtens, intonabant illa Pſalmi 29. 2. *Exaltabo te, Domine, quoniam ſuſcepiſti me*. Cùm tandem ventum eſſet ad locum, ubi pomeria Urbis dilatanda erant, gradum ſiſtebant omnes, & è duobus, quos attulerant, panibus, altero deguſtato, alterum igni tradebant.

Ipſi pariter Orientales, non ſecus ac veteres Judæi Hieroſolymæ non invidebant elogium *Urbis Sanctæ*, ſicut etiam ex condito in ea Templo *Domum ſanctam* appellabant. Dicta eſt etiam *Ilia* corrupto nomine ex *Ælia*, quod reſtitutæ à ſe Urbi indidit Adrianus Imperator. Tenent primum ejus conditæ authorem fuiſſe Melchiſedech filium Sem, à quo pariter eò tranſlata dicunt lipſana Adam à Noemo in Arca ſervata. Conſtitutam tandem affirmant in medio terræ cultæ, juxta illud Pſalmi 73. 12. *Operatus et ſalutem in medio terræ*.

Mahumetus in ipſis Sectæ ſuæ crepundiis conſtituit Muſulmanis, ut inter orandum ora ferant Hieroſolymæ obverſa. Poſt ejus obitum è ſociis ejus plerique cenſebant, defuncti Præceptoris cadaver ſepulturæ mandandum fuiſſe intra ambitum ejus Urbis; habebantque perſuaſum lapidem illum, quem Jacob in Meſopotamiam tendens oleo inunxit, tranſlatum Hieroſolymam, conſtitutum fuiſſe in monte, ubi dein Templum Salomonis excitatum eſt. Poſt Templi hujus everſionem locum conſecrarunt Chriſtiani, condito ibi magnifici operis Templo. Ac tandem Turcis Urbe hac potitis, Omar, è Califis quidam, juxta eandem petram excitavit Moſcheam religioſis peregrinationibus, poſt Mecham & Medinam, maximè inſignem. Quo autem tempore peregrinationem ad Mecham vetarunt Carmatarum incurſiones ab ann. 317. uſque ad 339. Hægiræ, Muſulmani religioni ſuæ ſat faciebant Hieroſolymæ.

Cadhi Gemaleddin, filius Vuſtel, ſcribit in tranſitu Jeruſalem, cùm Ægyptum peteret, vidiſſe Sacerdotes Chriſtianos afferentes phialas vitreas, plenas vino ad *Sakra*, i.e. ad petram Jacob, juxta quam Muſulmani Templum excitaverant.)

Catalogum Regum Juda, & Principum, qui Jeroſolymis regnarunt, uſque ad Archelaum, ſicut & Summorum Sacerdotum, alibi exhibuimus. Quoad ad Epiſcopos Chriſtianos, primus, qui eam Eccleſiam adminiſtraverit, electus eſt (& fortè ſtatim ab Aſcenſione Domini) S. Jacobus Minor, cognomento frater Domini, de quo ſatis ſuo loco. Peremptus eſt (b) dolo Anani, filii illius Annæ, de quo in Evangelio. Huic ſuffectus eſt S. Simeon, & ipſe ex Domini cognatis, ac frater ejuſdem S. Jacobi, ſi fides ſit aliquibus Hiſtoricis. Martyrium conſummavit ſub Trajano, circa annum Ch. 107. de quo in ſuo articulo. Cæteri Epiſcopi ad noſtrum argumentum non pertinent.

JESAAR, alio nomine *Iſaar*, filius Caath, & pater Core, author familiæ Jeſaaritarum (c).

JESANA, urbs Tribus Ephraim 2. *Par*. 13. 19. eadem fortaſſe ac Senna *Num*. 34. 4. quæ urbs ſeptem milliaribus à Jericho ſeptentrionem verſus ab Euſebio, & S. Hieronymo ſtatuitur.

JESBA, filius Ezræ, & pater Eſthamo, è Tribu Juda. 1. *Par*. 4. 17.

JESBAAM, filius Hachmoni, in exercitu Davidico Præfectus ſuper triginta 1. *Par*. 11. 11. Locus ſecundi Libri Regum 23. 8. in quo de illo ſermo occurrit, his verbis expreſſus eſt: *Sedens in cathedra ſapientiſſimus inter tres, ipſe quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit uno impetu*. Unus fuit ex tribus, qui per medios hoſtes tranſgreſſi, aquam e ciſterna Bethleem ad Davidem detulerunt 1. *Par*. 11. 16. 17.

(Textus Hebraicus ſecundi Regum cap. 23. 8. ubi de Jesbaam, habet ad literam: *Sedens in ſede ſapiens, caput trium Adino de Heſni, qui levavit haſtam ſuam ſuper centum, quos occidit*. Sed Textus 1. Par. 11. 11. huic parallelus habet: *Jesbaam filius Hachmoni, caput triginta, levavit haſtam ſuam ſuper trecentos occiſos in una vice*. Inter duos hoſce Textus diſcrimen in eam nos perſuaſionem inducere poſſet, ſermonem utrioque eſſe de duobus diſcretis viris; quomodo enim alioquin conciliaretur: *Jesbaam filius Hachmoni, occidit trecentos; princeps eſt ſuper triginta*; & *Adino princeps ſuper tribus, & occidit octingentos?* Cùm tamen ſedulo examine omnia penſantur, totum utrinque diſcrimen derivatum videtur ex literulis nonnullis aliter in utroque Textu lectis. Ita ego emendandum Textum ſecundi Regum ducerem: *Jesbaam filius Hachmoni princeps inter triginta; ipſe levavit lignum haſtæ ſuæ ſuper trecentos, quos interfecit*. Septuaginta vertunt: *Jesbaal filius Achaman primus ipſorum triginta*. Editio Romana: *Jeboſtheus Chananæus primus trium &c.* Unde deductum ſit illud *Adino Aſonæus*, penitùs latet, ſupervacatque in Textu.)

JESBAAN DE CARCHIM, ſive Jesbaan, ex genere Core, ex fortiſſimis, qui Davidi in perſecutione Saulis adſtiterunt. 1. *Par*. 12. 6.

JESBACASSA, filius Heman, Levites, & Cantor, ad decimamſeptimam familiam inter 24. claſſes Levitarum pertinens. 1. *Par*. 25. 4. 24.

JESBIBENO B, ſive *Jesbi filius Ob*, e genere Gigantum, ſive Rephaim. Lanceæ hujus viri cuſpis, ſive lancea ipſa juxta Hebræum, 300. ſiclis appendebat, ſcilicet 150 unciis, ſeù duodecim libris duodecim unciarum cum dimidia. Hic Davidis capiti certamine jam laſſi lanceam infixurus, Abiſai filii Sarviæ gladio ſubitò tranſfoſſus eſt, 2. *Reg*. 21. 16 17. Regi e tanto periculo liberato exercitus dixit, nolle ſe impoſterum, ut Regiam perſona belli aleæ committeret.

JESBOAM, filius Zabdielis, qui 24000. viris præerat, aulæ Regis Davidis ſervitio deſtinatis toto menſe Niſan (d), Martio apud nos reſpondente. Sunt, qui credant, hunc virum eundem eſſe, ac Jesbaam, filium Hachmoni, de quo ſuprà egimus. *Hachmoni* enim idem eſt, ac *ſapiens*; quare unus, idemque vir appellari poterat Zabdiel & Hachmoni, hoc ſecundo nomine cognominis loco uſurpato.

JESBOC, quintus filius Abrahami ex Cethura. *Gen*. 25. 2.

JESCHA, ſive Iſcha, *Gen*. 11. 29. quam plures (e) confundendam credunt cum Sara filia Aran, Lothi ſorore, nepte & uxore Abrahami. Horum tamen opinio difficultate non caret; nunquam enim Sara nomine Jeſchæ appellata occurrit, & Abraham illam non neptem, ſed ſororem appellavit, *Gen*. 20. 12. *Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ*. Conveniunt Hebræi, Saram filiam eſſe Thare

(a) Thalmud. Halacah. Beich. Habberhira cap. 10. (b) An. Ch. 62.
(c) Num. 3. 19. 27. Confer. & Exo. 6. 18. 22. (d) 1. Par. 27. 2.
(e) Joſeph. Antiq. l. 1. c. 6. Aug. cont. Fauſt. l. 22. c. 35. Hieron. Tuſt. Genb. & alii paſſim.

Thare patris Abrahami ; & Saides Batricides Patriarcha Alexandrinus perhibet, Orientalium traditione conſtare, Thare primis nuptiis *Jonam* duxiſſe, ex qua Abraham genitus aſt; ſecundis verò *Tebevitam*, ea qua Sara.

JESCIAS, filius Idithum, Princeps octavæ familiæ inter 24. familias Leviticas, ſervitiis Templi deſtinatas. 1. *Par.* 23. 3.

IESER, filius Nephtali, author familiæ Jeſeritarum, *Gen.* 46. 24. *Num.* 26. 49.

IESESI, è Tribu Gad, filius Iaddo, & pater Michel. 1. *Par.* 5. 14.

IESIEL, à Tribu Nephtali. author familiæ Ieſielitarum. *Num.* 26. 48.

IESIMON, idem fortaſſe locus eſt, ac *Heſmona*, *Aſemona*, *Eſem*, *Eſemon* & *Eſemona*, urbs in deſerto Maon, in Tribu Simeonis, in intima parte meridionali Palæſtinæ, quin & in Arabia Petræa 1. *Reg.* 23. 24. Ioſephus Antiq. l. 6. c. 14. legit *deſertum Simeonis*, pro *deſertum Maon*, ubi ſita erat Ieſimon.

IESMACHIAS, vir erat fortaſsè Sacerdos, ſivè Levita, quem Ezechias primitiis, & oblationibus Templi præfecit. 2. *Par.* 31. 13.

IESMAIAS, filius Abdiæ, Princeps Tribus Zabulon, ſub Davide. 1. *Par.* 27. 19.

IESRAEL, ſive *Jezrael*, *Iizrael*, *Iizrahel*, *Eſdrael*, vel *Stradela*, urbs celebris in Campo Magno, media inter Legionem ad occidentem, & Scythopolim ad orientem (a), ditionis Iſſachar, *Joſue* 19. 18. Achabus domum, Naboth vineam in ea poſſidebat; ibique ultio Domini in Achabum completa eſt (b). Hieronymus in Oſee 1. tradit, hanc urbem quàm minimum à Maximianopoli diſtare, vallemque habere adjacentem ultra 2000. paſſuum longitudinis. Ioſephus urbem Iezrael appellat *Jezarem*; & Guillelmus Tyrius l. 22. cap. 26. teſtatur, ſuo tempore dictam fuiſſe parvam *Gerin*. Amœno fonte irrigatur, cujus aquæ juxta Scythopolim in Iordanem provolvuntur.

IESSE, idem ac Iſai, pater Davidis; quare Septuaginta virum illum, quem nos *Iſai*, pronunciant *Jeſſe*. Duo hæc nomina de uno, & eodem viro etiam in Vulgata uſurpantur. Vide *Iſai*.

I. IESSUI, tertius filius Aſer *Gen.* 46. 17. author familiæ Ieſſuitarum. *Num.* 26. 44.

II. IESSUI, filius Saulis. 1. *Reg.* 14. 49.

IESUA, ſecundus filius Aſer. *Gen.* 46. 17.

IESUE, urbs Iuda. 2. *Eſdra* 11. 26.

IESUS CHRISTUS, Filius Dei, verus Meſſias, Salvator Mundi, ante ſæcula à Patre genitus, Patri verò æqualis, & conſubſtantialis, ſi Divina natura, minor verò Patre, & Virgini Matri ſimilis in ſubſtantia, ſi natura ipſius humana ſpectetur. In illum prophetiæ omnes, & figuræ Veteris Teſtamenti, vota Patriarcharum collimabant, tamquam ſpem gentium, gloriam, felicitatem, & conſulationem Chriſtianorum. Ineffabile nomen *Jeſu*, quod Hebræi pronunciant *Jehoſuah*, ſivè *Joſuah*, ſignificat Salvatorem, cujus quidem nominis vim nemo meliùs implevit, quàm Jeſus Chriſtus, qui hominibus peccato & inferno obnoxiis, pretio ſanguinis ſui libertatem, & Cœleſtem felicitatem comparavit.

Iam inde à ſex menſibus Angelus Gabriel orituri in Mundo Ioannis Baptiſtæ, præcurſoris Meſſiæ, nuncium Zachariæ detulerat; cùm felicius nuncium allaturus, Nazareth urbem Galilææ, ad Mariam Virginem Ioſepho de Tribu Iuda deſponſam cœlitùs demiſſus eſt (c). Puellam igitur conveniens primò ſalutavit, plenam gratiæ, atque præ mulieribus benedictam appellans. Cùm autem ad hæc conturbatam videret, bono animo eſſe juſſit; ſiquidem jamjam in utero conceptura deberet filium, *Jeſum* nomine appellandum, qui Filius Altiſſimi dicendus eſſet, Regnumque Davidis patris ſui in æternum eſſet occupaturus. Maria rationem exquiſivit, qua iſta complerentur, ſiquidem virum non noverat. Cui Angelus futurum narravit, ut S. Spiritus opera obumbraretur, ex quo fieret, ut Filius ex ea natus, Dei filius appellaretur. Addidit inſuper, Eliſabetham cognatam ipſius, jam anum, matrem futuram infantis, cujus fœtum jam à ſex menſibus in utero geſtaret; ſiquidem, ait, *nihil impoſſibile eſt apud Deum*. Tunc Maria, *Ecce*, ait, *ancilla Domini: fiat mihi ſecundùm verbum tuum*.

Poſt novem circiter menſes (d), Cæſaris Auguſti Edicto ſingulis Iudæis præceptum eſt, ut ſinguli in urbe nativitatis ſuæ, ſivè originis, nomen ſuum profiterentur. Ea occaſione Joſeph, & Maria conjux ipſius, utpote ambo è Tribu Juda, & Davidis familia, Bethleem petiere. Interim impletis pariendi diebus, Maria in ea urbe Infantem peperit (e), quam in præſepe ſtabuli illius reclinavit, quò ſe à diverſorio excluſi ambo Conjuges receperant. Eadem nocte, qua Maria & Joſeph Bethleem venerunt, Chriſtus natus eſſe vulgò creditur; ſed Evangelii textus contrarium ſuadere videtur; ait enim: *Factum eſt, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret*.

Accidit interea, ut paſtores in viciniis Bethleem gregem paſcentes, nocturnas excubias agerent; cùm ſubitò Divino lumine circumfuſum Angelum obvium habuerunt, à quo ortum Chriſti & Salvatoris, locumque & indicia ad illum dignoſcendum edocti ſunt. Ad Angeli nuncium militiæ cœleſtis chorus in laudes Dei, novoſque hymnos effuſus eſt; paſtoreſque Bethleem adire, Infantemque requirere nil cunctati, eum in præſepio jacentem, Maria, & Joſepho aſſiſtentibus, juxta Angeli effatum, invenerunt.

Die octava, circumciſionis cæremonia in Puero impleta eſt, inditumque illi nomen (f), *Jeſus*, quod Mater ab Angelo didicerat. Poſt aliquot dies, Magi ex Oriente Ieroſolymam venerunt, *Matth.* 2. 1. natum Judæorum Regem requirentes, cujus ortum ſe ab aſtro quodam, in eorum regione viſo, didiciſſe dicebant. Ad rei novitatem tota civitas commota eſt, ac continuò per nuncium ad Herodem delata, qui Jerichunte verſabatur, ut morbo, quo poſtea decubuit, curaretur (g). Sacerdotes accitos Rex interrogavit, ubinam Chriſtus eſſet oriturus; audienſque in Bethleem naſciturum, indè ſyderis primò viſi tempus ſedulò requiſivit; ac tandem Magos, ut novum Regem adirent, dimiſit; rogavit tamen, ut de ejus inventione certiorem ſe facerent, quo novum Regem adoraturus veniret. Igitur Magos ex urbe egreſſos ſydus, quod in Oriente viderant, iterum illis apparens, in Bethleem duxit, locumque illis, ubi puer erat, defixo curſu deſignavit. Quare Magi ſpeluncam ingreſſi, inventum puerum adoravere, ac munera obtulerunt. Sequenti nocte ab Angelo admoniti de malo Herodis in Infantem animo, per aliam viam in regionem ſuam rediere.

Poſt quadraginta dies ab ortu Pueri, Maria impleto purgationis tempore, Jeruſolymam ad Templum adivit, *Luc.* 2. 22. primogeniti filii oblationem, atque præſcripta in Lege ſacrificia pro puerperis impletura. Cùm illuc veniſſet, adfuit illicò Divino Spiritu afflatus Sanctus Senex Simeon, exceptoque in ulnas Puero, lætum ſe obitus diem præſtolari exinde profeſſus eſt, quippè qui Salvatorem Iſraelis vivens vidiſſet: adfuit & Anna vidua ſanctiſſima, adventum Meſſiæ palam annuncians.

Sub hæc,

(a) Euſeb. in locis. (b) Vide 3. Reg. 21. 1. &c. 23. & 4. Reg. 9. 10. &c.
(c) Luc. 1. 26. An. M. 4000. ante ortum Chriſti menſibus 9. (d) Luc. 2. 1. &c.
(e) Jeſ. Chr. natus eſt 25. Dec. A. M. 4000. Periodi Jul. 4709. quatuor annis ante Æram vulgarem, ſive tribus annis ante Æram communem, ſi anni a prima die Januarii exordium ſtatuatur, ubi annus 4710. Periodi incipit.
(f) Luc. 2. 21. A. M. 4000. Chr. 1. ante Ær. 3. (g) Joſeph. Antiq. l. 17. c. 8. & de Bello l. 1. c. 12.

Sub hæc, Joſephum, & Mariam, regreſſum in Nazareth parantes, Angelus per ſomnum admonuit, ut in Ægyptum cum puero ſecederent, Herodis furorem, Infantem ad cædem perquirentis, declinaturi. *Matth.* 2. 13. 18. Herodes quidem illuſum ſe à Magis intelligens, qui regreſſum polliciti aliò diverterant, furoris æſtu abreptus, ſimulque timore amittendi Regni inſtigante, miſſis in Bethleem ſatellitibus, infantes omnes biennio minores trucidavit. Nec diù poſt, ipſe diem clauſit, Regni ſucceſſore Archelao filio relicto. Elapſis aliquot menſibus ab obitu Herodis, Angelus Domini iterum Joſephum allocutus, Puero nihil ultra timendum annuncians, regreſſum in Judæam perſuaſit. Igitur ambo Conjuges in Judæam iter inſtituerunt; ſed in itinere audientes, Regnum Judææ ad Archelaum tranſiiſſe; ſiniſtri aliquid ab illo in Puerum timentes, Nazareth, modicam Galilææ urbem, extra ditionem Archelai, diverterunt. Ibi Jeſus in obſequiis Parentum, atque artis Patris exercendæ, fabri lignarii nempè, ut vulgò creditur, uſque ad 33. ætatis annum, & 30. *Æræ* permanſit.

Duodennis adhuc, occaſione Feſti Paſchalis, Jeroſolymam ductus eſt à Parentibus (a); illis verò poſt Legis obligationem impletam regredientibus Nazareth, puer Jeroſolymæ manſit. Hujus abſentiam ambo Conjuges integra die non animadverterunt, credentes eum cognatis, amiciſve ſuiſſe regreſſurum; ſed veſpere illum fruſtra requirentes, alterâ die Jeroſolymam regreſſi, interrogantem, & audientem Doctores in Templo nacti ſunt. Huic illi ſollicitudinem de ejus amiſſione ſuam expoſuerunt, quibus Puer reſpondit, potuiſſe eos ſibi facile perſuadere, nuſquam ſe niſi in Templo Patris reperturos; ac ſi diceret fruſtrà ſe aſibi quærendum fuiſſe. Inde omnibus Nazareth regreſſis, Puer in obſequiis Parentum permanſit.

Joannes Baptiſta, filius Zachariæ, poſt actam in deſerto vitam uſque ad 32. ætatis annum; (b) ad ripam Jordanis egreſſus, baptiſmum pœnitentiæ, & adventum Meſſiæ prædicavit; veniſſe tandem annuncians, & in medio Iſraelis eſſe, quem tot retrò ſæcula expectarunt; illum verò ventilabro aream eſſe purgaturum, paleamque igne abſumpturum. *Matt.* 3. 1. 11. *Luc.* 3. 15. 16. Cum undique ad Joannem audiendum confluerent, Jeſus Chriſtus cum cæteris venit (c), ut baptiſmum reciperet; quem Joannes Divinitùs agnoſcens, prohibuit dicens, ſe potiùs ab eo eſſe baptizandum. Sed Ieſus in propoſito manens, dicenſque ſibi implendam eſſe omnem juſtitiam, baptiſmo abluendum ſe tradidit, *Matt.* 3. 23. *Luc.* 3. 21. *&c.* Cùm ex aqua egreſsus oraret, continuò diſrupto Cœlo Spiritus Sanctus columbæ ſpecie ſuper illum deſcendit, ſimulque audita eſt vox dicentis: *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.*

Inde Ieſus in deſertum adductus eſt à Spiritu, ut à Diabolo tentaretur; ubi poſt productum 40. diebus jejunium, tandem eſuriit. Tunc Diabolus obviam illi factus, hortatus eſt, ut lapides, quos exhibebat, in panes converteret. Ieſus illum rejecit, dicens, non pane tantùm, ſed omni eo, quod ex ore Dei egreditur, homines vivere (eo ſcilicet, quod illis in cibum exhibetur à Deo, ſivè eo, quod à Deo accepit virtutem nutriendi). Dæmon iterum in excelſum montem illum tranſtulit, ubi omnia Regna terræ digito indicans, omnia ſe Ieſu daturum dixit, ſi pronus ſe adoraret. Cujus Ieſus audaciam repreſſit, dicens, ſcriptum eſſe, ut Deus adoraretur. Tertio Diabolus illum ſtatuit ſuper loricam unius ex porticibus Templi, ſivè ſuper pinnas ejuſdem ædificii, ſuaſitque, ut ſe præcipitem ageret; ſcriptum enim eſse, Deum Angelos miſſurum, ut ruentem manibus exciperent, ne quid læderetur. Sed Ieſum reſpondentem, ſcriptum eſse: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, Diabolus tandem ad tempus dereliquit: tum Angeli venientes illi miniſtrarunt.

Aliquantò poſt, Ioanne Baptiſta Bethabaræ trans Iordanem baptiſmum miniſtrante, Ieſus è Galilæa redux, illac pertranſivit. Quem Ioannes intuitus, ad Diſcipulos ſuos converſus, En, ait, agnus Dei (victima ſalutaris) peccata Mundi expians. Tunc illi Ieſum ſecuti ad hoſpitium, totam diem cum illo egerunt. In veſperis Andreas, unus ex illis, ex hoſpitio egreſsus, Simoni fratri occurrens, cum illo ad Ieſum redivit, *Jo:* 1. 29. . . . . 44. Tunc Simoni Ieſus: *Tu es Simon filius Jona* (ſivè Ioanna): *tu vocaberis Cephas*, ſcilicet petra. Mane ſequentis diei Ieſus petiit Nazareth, itineris comites habens Andream, & Petrum, & Diſcipulum illum, qui primò cum duobus illis ad Ieſum venerat, quem alii Bartholomæum, alii Iacobum Zebedæi autumant. In itinere Ieſus Philippum obvium habens, ut ſe ſequeretur invitavit. Philippus illicò acquievit, atque Nathanaeli, cui fortè occurrit, ſe inveniſse Meſſiam in Ieſu Nazareno filio Ioſephi nunciavit. Reſpondit Nathanael, credere vix poſse à Nazareth boni aliquid eſse potuiſse; ut tamen ad Ieſum duceretur, conſenſit. Vix illum venientem Ieſus intuitus, En, ait, verus Iſraelita, in quo dolus non eſt. Cùm Nathanael agnitum ſe ab illo obſtupeſceret, Ieſus eum ſe vidiſse reſpondit, (forte orantem, atque adventum Meſſiæ præſtolantem) ſub ficu, antequam Philippum alloqueretur. Tunc Nathanael: *Rabbi*, ait, *tu es Filius Dei, tu es Rex Iſraël.* Ieſus ad hæc, majora eum viſurum dixit, cùm patentibus Cœlis Angeli ſuper Filium hominis (eo nomine utebatur in humilitatis, atque naturæ aſſumptæ argumentum) aſcenſuri eſsent, & deſcenſuri.

Bethabara digreſsus, Canam Galilææ venit, ubi ad nuptias unà cum Matre, ac Diſcipulis invitatus aquam in vinum tranſmutavit. *Jo:* 2. 1. . . . . 15. Inde Capharnaum ivit, paucique diebus ibi cum Matre & Diſcipulis commoratus, Ieroſolymam ad Feſtum Paſchatis contendit; *Jo:* 3. 12. . . . 23. Templum igitur ingreſsus, negotiatores omnes, nummularioſque, aves, & animalia ad ſacrificium vendentes, expulit; rogatoſque, qua authoritate hæc feciſset, Solvite, ait, Templum hoc, & infrà triduum illud reſtituam. Hoc tamen de morte, & reſurrectione ſua dicebat. Ea occaſione pluribus miraculis claruit, nec pauci in illum credebant, quorum tamen conſtantiæ ipſe non ſatis fidebat. Hoc primum eſt Paſcha, quod Ieſus ab incepta prædicatione celebraverit. Cum adhuc eſset Hieroſolymis, Nicodemus noctu ad illum venit, dixitque credere ſe, tot viſis ſignis, in ipſo Deum eſse, *Jo:* 3. 1. . . . . 21. Huic Ieſus baptiſmi, & regenerationis dogma explicavit, quæ veluti janua eſsent totius Religionis Chriſtianæ; deinde lumen ſe Mundi, & Dei Filium oſtendit. Nicodemus ægrè ſe myſteriis hiſce initiari paſsus eſt; ſed ejus deindè fidem, & religionem ſolidiorem fuiſse in ſubſequentibus videbimus.

Relicta deinde Ieroſolyma, nec tamen è Iudæa egreſsus, venit ad Iordanem, ubi baptiſmum in aqua & Spiritu Sancto, à Ioanne Baptiſta prænunciatum, & Nicodemo antea explicatum, conferre cœpit. Ad illum recipiendum undique populi confluebant, adeo ut Ioannis diſcipuli ægrè tantum populi ſtudium ferentes, cum Ioanne ea de re quererentur. Reſpondit ille, ſe Meſſiam non eſse, ſed Meſſiæ præcurſorem. Ieſum verò Sponſum eſse, ſe tantummodò Sponſi amicum, *Jo:* 3. 22. Hoc Sacramentum non quidem Ieſus, ſed ejus Diſcipuli miniſtrabant, Ieſu interim prædicationi intento.

Ioanne Baptiſta in carcere ab Herode Tetrarcha detento an. Ch. 34. *Ær.* 31. ut in ejus articulo dicemus, timuit Ieſus, ne Pilatus ſimile quid in eum auderet, Phariſæis inſtigantibus, atque de populorum ad ipſum concurſu invidiam creantibus. Igitur in Gali-

(a) Luc. 2. 42. . . 53. A. M. 4012. Chr. 12. *Ær.* 9. (b) An. M. 4031. Chr. 31. *Ær.* 28. (c) A. Chr. 33. *Ær.* 30.

Galilæam regreſſus eſt *Jo:4. 1. &c.* regionem extra ditionem Pilati, & in Tetrarchia Philippi ſubſtitit. In itinere ad urbem Sichar Samaritanorum divertit, ibique itineris labore laſſatus, puteo Jacob aſſedit, miſſis interim ad urbem Diſcipulis, qui cibos compararent. Inter hæc accidit, ut fœmina illius loci ad puteum aquatura veniret; cui Jeſus aquam ad potandum continuò petivit. Cùm autem illa obſtupeſceret, virum Judæum potum à Samaritana quæſiviſse; neque enim inter ſeſe duo populi conveniebant, niſi in extrema neceſſitate; Jeſus dixit, poſse ſe aquam vivam in vitam æternam ſalientem illi præbere. Addidit inſuper, veniſse jam tempus, quo Patrem quis adoraret in ſpiritu & veritate, non tantum Jeroſolymis, & in monte Garizim, ſed in omnibus latè Orbis regionibus. Cui Samaritana ſcire ſe dixit, Meſſiæ adventum imminere, qui dubia veritatis manifeſtatione depelleret. Tunc Jeſus apertiſſimè, *Ego ſum*, ait, (Meſſias) *qui loquor tecum*. Interim Diſcipuli ſupervenere, cibos Magiſtro afferentes; ſed ille Patris ſui voluntatem implendam ſibi pro cibo eſse reſpondit. Mulier ad urbem redux, omnia quæ cum Jeſu egerat, ordine narravit, Prophetam illum ex iis, quæ de ſuis occultiſſimis rebus ſibi revelaverat, prædicans. Quare Sichimitæ ad illum egreſſi, ut in urbem veniret, inſtabant: obtinuerunt autem, ut biduo apud ipſos maneret, multique ea occaſione in eum crediderunt, *Jo:* 4. 43.

Cum in Galilæam veniſset, Synagogas prædicationis gratia obibat, eaque occaſione, *Luc.* 4. 14..... 30. in Nazareth, patria ſua, locum Iſaiæ de ſe explicavit. *Iſa.* 61. 1. 2. Quantùm autem Nazaræi illius doctrinam admirabantur, tantùm generis humilitate contemptibilem habebant; quare Jeſus miraculorum beneficio illos privavit, incredulitatem exprobravit, nullumque Prophetam acceptum eſſe in patria ſua dixit. Eo dicto cives offenſi, in faſtigio montis, cui urbs impoſita eſt, illum ſtatuentes, præcipitem agere volebant. Verùm Jeſus inter confertos populos viam ſibi aperiens, nullo reſiſtente, Capharnaum petiit, ubi ſedem deinceps habuit; quamquam variis in diverſa loca excurſionibus, prædicationis, & ſanandorum infirmorum gratia, factum eſt, ut parvo tempore ibidem moraretur.

Inde iterum Canam veniens, Herodis Miniſtrum pro valetudine filii ſui in urbe Capharnaum ægrotantis rogantem, certa ſpe obtentæ ab ægroto ſanitatis remiſit. Regredienti occurrerunt domeſtici, ſanitatem filii nunciantes, quæ eodem momento acciderat, ac Jeſus prædixerat, *Jo:*4. 46. Poſt aliquot dies, Petrum, & Andream fratres in Mari Tiberiadis piſcantes nactus, ſecundò ad ſui ſequelam invitavit; deindè aliquanto longiùs excurrens, Jacobum, & Joannem filios Zebedæi, item piſcantes, accivit, *Matth.* 4. 18.

Cùm eſſet in Synagoga urbis Capharnaum die Sabbati, oblatum Dæmoniacum ſanavit, ingreſſuſque indè domum Simonis, ſocrum ipſius, magna febri correptam, item ſanavit, *Marc.* 1. 21.... 29. Hujus rei fama per urbem diffuſa, ægrotos omnes ad illum ſub veſperas adduxit, à quo ſoſpites remiſſi ſunt. Sub auroram ſequentis diei, in deſertum locum oraturus ſeceſſit; quo cum veniſſent Petrus, cæterique Diſcipuli, renunciantes requiri ipſum à turbis, ſtatim cum iiſdem Diſcipulis, urbes, vicoſque Galilææ, Regnum Dei nunciaturus, diſcurrit. Ex quibus factum eſt, ut ejus nominis fama per univerſam latè Syriam diffunderetur, & undique ad ipſum languentes deducerentur, *Matt.* 8. 23. *&c.*

Regreſſus demùm Capharnaum, cum turbis ingruentibus veluti opprimeretur, Petri naviculam conſcendens, indè adſtantibus in litore populis concionatus eſt. Poſtea reducere in altum naviculam, & retia laxare Petrum juſſit; quod adeò feliciter ceſſit, ut præ piſcium captorum multitudine retia diſrumperentur, *Luc.* 5. 12. *Matt.* 9. 2. Poſt hæc leproſo, aliiſque pluribus opem tulit, demiſſuſque ante pedes illius per tectum domus, in qua Jeſus verſabatur, paralyticus, cùm fores populo ingruente obſiderentur, ſanus remiſſus eſt. Sub hæc, ad lacum Geneſareth ſe conferens, Matthæum, alio nomine Levi, telonarium in Diſcipulum accivit. V. *Matthæus.*

(a) Cùm Jeroſolymam ad Feſtum Paſchatis aſcendiſſet, paralyticum a 38. annis juxta piſcinam Bethſaida jacentem, ſanum atque lectulo ſuo onuſtum domum remiſit; quod Judæis Jeſu mortem moliendi præbuit occaſionem; quippè qui tranſgrediendi Legem in geſtando lectulo die Sabbati, author fuiſset paralytico; inſuper illum reum blaſphemiæ accuſantes, quòd Patrem ſe Deum habere palam dixiſset, *Jo:* 5. 1.... 47. Ex urbe egreſsus, cùm arva ad meſsem flaveſcerent, Diſcipulis eſurientibus vellere ſpicas, atque excuſsum manibus frumentum manducare die Sabbati permiſit. Ea res contra Sabbati religionem Phariſæis viſa eſt, quibus proinde eum Jeſu conquerentibus, ille exemplum Davidis ingeſſit, qui, neceſſitate cogente, panes propoſitionis, paulò ante de menſa Domini ſubductos, comedit, 1. *Reg.* 21. 4. addiditque Sacerdotes in Templo ab operibus die Sabbati non abſtinere. Tandem ſe dominum eſse Sabbati, Legiſque palam adjecit, *Matt.* 12. 1.... 8. Inſequenti Sabbato areſcentem viri manum in Synagoga urbis Capharnaum reſtituit; qua in re nihil ſe contra Legem egiſse Phariſæis oſtendit. Illi adversùs Jeſum commoti, in necem ipſius cum Herodianis, quos credimus fuiſse ſectatores Judæ Gaulonitæ (b), conſpirarunt. Jeſus ſe proinde ſubducens, ad mare Tiberiadis ſe contulit, indeque naviculam conſcendens, transfretavit, relictis in averſo litore turbis, quibus veluti opprimebatur *Matt.* 12. 9. 10.... 21. Totam eam noctem in monte quodam, orationibus intentus, ſolitarius exegit; mane verò deſcendens, electos quoſdam ex Diſcipulis ſevocavit, iiſque munus, & nomen *Apoſtolorum* id eſt *Legatorum* contulit. Deindè in loco quodam prominenti, ad montis radices aſſidens, Apoſtolis, & turbis undique confluentibus, verba facere cœpit, totamque doctrinæ Evangelicæ ſummam uno ſermone complexus eſt, *Matt.* 5 *&* 6. *&* 7. In eo totam beatitudinis vim, in paupertate, doloribus, lachrymis, pœnitentia, ſtudio juſtitiæ, operum miſericordiæ exercitio, cordis puritate, amore pacis, perſecutionibus, earumque tolerantia, contemptu bonorum, honorum, & æſtimationis Mundi ſitam eſse oſtendit. Docet ſubinde, ſe non ad abolendam, ſed ad perficiendam, vindicandamque ab iniquis Phariſæorum interpretationibus Legem veniſse. Morum tamen puritatem ultrà Legis fines provehere ſe dixit; quippe qui plura in Lege tolerata prohiberet, uti divortium. Iniquarum actionum non opus tantùm, ſed & animum abſque opere interdicere. Adjecit & orandi formulam, *Pater noſter*, &c. quæ præceptorum moralium ſummam complexus eſt. Hypocriſim, vanitatem, avaritiam, cupiditatem parandi, ſive bona temporalia ſervandi, judicia temeraria damnavit. Orationem, charitatem, amorem inimicorum etiam atque etiam commendavit; generalemque regulam præſcripſit, quomodo nos erga proximum habere debeamus. Tandem ſermonem claudens oſtendit, nihil eſse, quod de fide nobis blandiamur, ſi opera neglexerimus; ab operibus enim cauſæ noſtræ exitus apud Judicem pendet. Abſoluto ſermone leproſum tactu mundavit; injunxit tamen, ut ſe Sacerdotibus exhiberet.

Regreſsus inde in Capharnaum, deprecantibus Judæorum optimatibus, domum cujuſdam Centurionis, viri Ethnici, adivit, domeſticum illius ſanaturus. Eunti occurrerunt Centurionis amici, ejus nomine renunciantes, ſe indignum eſse, qui tantum hoſpitem do-

(a) Secundum Paſcha Jeſu Chr. poſt ejus prædicationem. (b) Vide *Herodiani.*

mum ſuam venire compelleret; petere ſe tantùm, ut verbo prolato, domeſtico ægrotanti opem ferret. Confer Matt. 8. 5.... 13. cum S. Luc 7. 1.... 9. Procedenti verò Jeſu tandem ipſe Centurio obviam factus eſt, eademque rogavit, addens, confidere ſe, ut uno tantùm verbo ab eo prolato ægrotus ſanaretur. Tanta fides Jeſu admirationi fuit, cujus parem apud Judæos nunquam ſe viſiſſe dixit; quare languentem continuò ſanavit, *Matt.* 8. 5. 13. Deinde Jeſus Naim excurrens, filii cujuſdam viduæ elatum cadaver ad vitam revocavit *Luc.* 7. 10.... 50. Urbem ingreſsus, in domum Simonis Phariſæi, ad prandium invitatus, venit; cùm autem menſæ accumberet, mulier quædam illius urbis nota peccatrix, illuc ingreſsa, lachrymis pedes illius rigare, & capillis tergere cœpit. Phariſæo iniquum videbatur, quòd Jeſus talem fœminam non prohiberet; ſed ille tantam exhibuiſse amoris, doloriſque vim eam mulierem oſtendit, ut ſcelerum ſuorum veniam à Deo jam impetraſset. Quare remiſsa illi peccata ſua annuncians, dimiſit.

Poſt emenſam Galilæam, iterum venit Capharnaum, ibique ingruentibus turbis ita oppreſsus eſt, ut via cibos capere permitteretur. Quod ut ejus conſanguineis renunciatum eſt, ad illum reducendum venerunt, dicentes (a) *quoniam in furorem verſus eſſet*; ſive (b) *quod defeciſſet*, ſive quod *judicio excidiſſet*, ſive *quod extra domum factus eſſet* (quod de amentibus dici ſolet funibus alligandis in domo, ne huc illucque diſcurrant) ſive tandem *quòd in extaſim factus eſſet*, veluti homo enthuſiaſmo abreptus, & extra ſe tactus(c); haſce enim varias interpretationes Græci Textus obſcuritas induxit. Inter cæteros conſanguineos aderat & Mater Jeſu, *Marc.* 3. 21.... 31. quæ tamen de Filio æquiora certè ſentiebat, ac cæteri, qui in ipſum planè non credebant, *Jo.* 7 5. Cùm igitur Jeſu renunciatum eſſet, Matrem, cæteroſque cognatos ad ipſum acceſſendum veniſſe, ille Diſcipulos manu oſtendens, En, ait, Mater, & Fratres mei; quippe qui me, meumque Patrem audiunt. Eodem in loco Dæmoniacum loquela, & oculis captum ſanavit, *Matt.* 12. 22. Hiſce prodigiis invidentes Phariſæi, ſpargebant in vulgus, Beelzebub Principis Dæmoniorum ope illum invaleſcere, exigere proinde ſe prodigium, quod ſoli Divinæ virtuti adſcribi oporteret. Sed Jeſus nullum ſe aliud ſignum daturum ſignificavit, niſi ſignum Jonæ Prophetæ; ſcilicet ſignum glorioſæ Reſurrectionis ſuæ, quod omnium prodigiorum complementum eſt, & corona.

A prandio Jeſus litus Maris Tiberiadis petiit, ac ingruentibus de more turbis, ne opprimeretur, naviculam conſcendens plures parabolas pro concione narravit, *Matt.* 13. 1.... 26. *Luc.* 8. 18. uti, agrum ſerentis, lucernæ candelabro impoſitæ, lolii tritico ſuperſeminati, grani ſinapis, & fermenti. Cùm verò nudas parabolas abſque interpretationibus retuliſset, domum remeantem Diſcipuli exorarunt, ut ſenſum illarum ſibi aperiret. Acquievit Jeſus, novaſque ſubinde parabolas adjecit, veluti, theſauri abſconditi, margaritæ omnium bonorum pretio emptæ, ſagenæ ex omni genere piſcium congregantis. Hiſce vero parabolis explicatis, veſpere mare Tiberiadis transfretaturus, in naviculam aſcendit. Verum ſubeunte nocte, ſomno abreptus eſt; cùm ſubitò valida tempeſtas mare, & naviculam concuſſit, *Matt.* 8. 23. *Luc.* 8 23. *&c.* Tunc Diſcipuli illum à ſomno excitarunt, experrectuſque ventos & mare vocis imperio compeſcuit.

Igitur ad orientalem plagam illius maris ad oram Geraſitidis delatus, duos Dæmoniacos, quorum alteri Dæmonum legio inſidebat, obvios habuit. Cum ipſo Dæmones legionarii conqueſti ſunt, quod ante tempus ipſis torquendis veniſset. Dein rogare cœperunt, ne ab illo homine depulſi in abyſſum dejicerentur, ſed permitteret, ut ad porcorum gregem ibi paſcentem tranſmigrarent. Annuit Jeſus, & continuò Dæmoniacus importunis hoſpitibus liberatus eſt, ſimulque ſues veluti in furorem acti, omnes ad 2000. numero, in mare ſe ſe præcipites dederunt. Eo prodigio territi Geraſeni, ſibique nova damna metuentes, rogarunt, ut ex ea regione quantocyùs diſcederet. Mari igitur rurſum trajecto, Jairum Principem Synagogæ urbis Capharnaum in litore offendit, filiæ ſuæ unicæ, & duodennis ſanitatem efflagitantem.

Dum ejus domum petebat, fœmina ſanguinis profluvio laborans, retro accedens, fimbriam veſtimenti ipſius ſecreto tetigit, nec irrito ad ſanitatem opere. Procedentibus, domeſtici Principis occurrerunt, obitum adoleſcentulæ renunciantes; Jeſus tamen patre confirmato, domum ingreſſus, defunctam ad vitam revocavit, cibos illi apponendos præcepit, neve ejus miraculi fama in vulgus ſpargeretur, rogavit. *Matth.* 9. 18. 19. .. 26. *Luc.* 8. 49.... 56.

Cùm verò Nazareth verſùs iter haberet, duobus cæcis viſum efflagitantibus, conceſſit, quos deindè comites reliquo in itinere habuit, *Marc.* 6. 1. *&c.* *Matt.* 9. 27... 31. Sub idem tempus Dæmoniacum loquendi uſu privatum reſtituit. Ingreſſus in Synagogam urbis Nazareth, pro concione populum ità allocutus eſt, ut omnes obſtupeſcerent. Verùm popularibus ipſius invidis interrogationibus invicem ſciſcitantibus, Nonne hic eſt filius Fabri, cujus matrem, fratres, & ſorores novimus? Jeſus urbem, nunquam regreſſurus, dimiſit, Prophetas nullibi, quàm in patria ſua, minori in pretio haberi dicens *Matth.* 13. 54.... 58. Paulò poſt Diſcipulos in univerſas regiones miſit, Regnum Dei annunciaturos *Matt.* 9. 36. *&* 10. 1.... 17.... 42. Præcepit autem, ut bini irent, & bini, non commeatibus, non armis, non ſoleis, & veſtibus, niſi ſingularibus, inſtructi. Probiſſimorum ad domos diverterent, neque facilè quam ſemel elegiſſent, relinquerent, appoſitiſque cibis uterentur. Tandem patrandi miracula poteſtatem ſingulis elargitus eſt. Interim Jeſus regiones, prædicationis gratia, excurrit. Diſcipuli verò poſt impletam miſſionem ſuam, ad Jeſum reduces, geſtorum ſuorum rationem reddiderunt; de quorum exitu felici ille Deo gratias egit.

Interea turbis Jeſum jugiter obſidentibus, ille ſubinde, ſi requiem captare vellet, furtim ſe ſubducere cogebatur. Cum idcircò lacum Geneſareth, ſeu Mare Tiberiadis ſemel cum Diſcipulis transfretaſſet, atque ſeorſum in montem divertiſſet, turbæ locum ſubodoratæ, lacum circumagentes, ad eundem montem in deſertum Bethſaidæ pervenerunt. Quare Jeſus, ut deſcendit, oblatos infirmos ſanare, coactoſque populos docere inſtituit. Inclinante jam die, Apoſtoli Præceptorem admonuerunt, ut populum dimitteret, quo ſibi cibos opportunos in proximis vicis poſſent comparare. Quibus ille reſpondit, ipſimet gentis illius neceſſitatibus providerent. Illis impotentiam cauſantibus, Jeſus quid apud ſe haberent panis, interrogavit; audienſque quinque panes, duoſque piſces, juſſit, ut aſſidentibus turbis, ex iis dapibus ad ſatietatem ſingulis miniſtraretur. Erant autem numero ad 5000., non computatis fœminis, & infantibus; tantæque multitudini tam modicus commeatus non ſufficit tantùm, ſed ex reliquiis duodecim cophini impleti ſunt, *Matt.* 14. 15. .. 21. *Mar.* 6. 35.... 44. *Luc.* 9. 11. 17. *Jo.* 6. 8.... 13.

Populus eo beneficio accepto, Regem ſibi illum conſtituere decreverat; ſed nocte interim ſubeunte, Jeſus Diſcipulos hortatus eſt, ut iterum transfretarent; ipſe interea maximam noctis illius partem in monte orans exegit. Apoſtoli directo Bethſaidam curſu, adverſantibus tota nocte ventis, cùm nequidquam proficerent, iter vertere Tiberiadem, ſive Capharnaum verſùs, cœperunt. Inter hæc, hominem

mare

(a) Marc. 3. 20. 21. E'λεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη.
(b) Grot in Marc. 3. Caſaub. Exerc. in Baron. &c.
(c) Heinſ. Hamm. Ligtfoot. in Mar 3. Vide Commentarios.

mare pedibus obambnlantem, ipſoſque prætergredi conantem, videre ſibi viſi ſunt; quo ſpectro territi, ſubito exclamarunt. Sed Jeſus ſe eſſe oſtendens, timorem diſpulit. Continuò Perrns rogavit, ut ſe ſuper aquas ad ipſum venire juberet, atque Jeſu annuente, ſuper ſtratas aquas aliquamdiù ambulavit; dein impendentem fluvium pertimeſcens, animo & pede labare cœpit. Sed Jeſus manu occurrens, è præſentiſſimo periculo illum eripuit. Tunc à Diſcipulis exoratus Jeſus, naviculam ingreſſus eſt, quæ continuo ad litus appulit. *Matth.* 14. 13.... 34. *Jo.* 6. 16.... 21. *Marc.* 6. 47... 53.

Interim turbæ, ea perſuaſione, quod Jeſus dimiſſis Diſcipulis in deſerto Bethſaidæ perſtitiſſet, locum ſcrutabantur, ut inventum tandem Regem conſtituerent. Certiores tamen facti ab advenientibus Tiberiade, illum eodem divertiſſe, continuo in Capharnaum venerunt, quo interim Jeſus redierat. Coram ipſo facti, quomodo illuc veniſſet, interrogarunt. Jeſus vero reſpondit, ſe ab ipſis quæri, non prodigiorum, ſed ciborum, quibus paſti fuerant, cauſa. Hortatus eſt autem, ut panem incorruptibilem quærerent; eſſe autem ſe panem manna lapidiorem, Cœleſtemque, ſuamque carnem verum cibum, ſuum ſanguinem verum potum dixit. Hæc verba ultra captum populo viſa ſunt, multique ex Diſcipulis ea occaſione ab ipſo receſſerunt. Tunc Jeſus Apoſtolos interrogavit, nnm & ipſi abire vellent cum cæteris: ſed Petrus reſpondit, illum verba vitæ æternæ habere, eſſe autem verum Chriſtum Filium Dei vivi. *Jo.* 22. 25. 71.

(a) Feſto Paſchatis inſtante, Jeſus iter Jeroſolymam paravit; itineris tamen, atque geſtorum in ea urbe, nulla extat apud Evangeliſtas mentio. S. Joannes 4. 5. tantum meminit, miraculum panis multiplicati inſtante Paſchali Feſto contigiſse. Redux in Galilæam, querentes Phariſæos, quod ejus Diſcipuli manibus illotis menſæ accumberent, objurgavit; objecitque ſuperſtitioſam eorum in rebus vanis religionem, cum interim maxima Legis negligerent (b) Deinde ſecedens in regiones Tyri, & Sidonis, fœminam Chananæam obviam habuit, pro ſanitate filiæ ſuæ rogantem. Eam primo negligere viſus eſt; deinde etiam, atque etiam exoranti, atque Apoſtolis pro illa intercedentibus, reſpondit, ſe nonniſi ad reducendas oves errantes gregis Iſraelis veniſse, ac ſi diceret, nihil ad ſe de Ethnicis attinere. Inſtitit nihilo ſecius illa, quæ domum ingredienti ad pedes provoluta, iterum rogabat. Cùm reſpondiſset iniquum eſse, panem filiorum canibus porrigere; Equidem, & catelli de micis è menſa Domini decidentibus veſci permittuntur. Ea haec & admirationem, & miraculum à Jeſu extorſit. *Matth.* 15. 22.

Iter Sidonem verſus proſequutus, deinde ad fontes Jordanis declinaos, Decapolim, ultra Mare Tiberiadis, venit, ubi hominem ſurdum, & mutum ſanavit. Poſtea montem ſolitarius aſcendit, & poſt triduum deſcedens, languentes plurimos illuc delatos reſtituit. Eadem occaſione 4000. homines, præter fœminas, & infantes, ſeptem panibus, & paucis piſciculis pavit; ſeptemque ex reliquis cophini impleti ſunt, *Matth.* 15. 32.... 39. *Mar.* 8. 1. 10.

Inde fluviali itinere Magedan in regione Dalmanuthæ (c), ad fontes Jordanis venit, ubi à Phariſæis, & Saducæis rogatus, ut ſigna aliqua de Cœlo exhiberet, reſpondit, uti pari in re alias dixerat, ſe nullum aliud ſignum exhibiturum, quam ſignum Jonæ (ſuæ ſcil. Reſurrectionis). Quod ad ſignum de Cœlo attinet, reſpondit, eos facilè intelligere potuiſse, adeſse jam tempus venturi in Mundum Meſſiæ, ac ſe à Prophetis prænnnciatum, ſi quam diligentiam in prædicendis aeris viciſſitudinibus ex inſpectione Cœli adhibebant, eamdem in ſcrutandis Prophetis contuliſsent.

Suh hæc, per mare Tiberiadis navigio delatus, Bethſaidam venit, cæcumque illuminavit. Indè vero in partes Cæſareæ Philippi diſcurrens, *Matth.* 16. 13... 20.. *Mar.* 8. 27. 30. *Luc.* 9. 18. quæſivit à Diſcipulis, quemnam virum eſse filium hominis vulgo crederent? Narrantibus illis ab aliis Eliam, ab aliis Jeremiam, ſive unum ex priſcis Prophetis reputari (Judæi enim genus quoddam metempſychoſeos, ſive transmigrationis animarum de uno in aliud corpus admittunt, ita tamen, ut in uno corpore plures aliquando ſint (d) animæ,) rogavit Jeſus, quid ipſi de eadem re ſentirent. Tunc Petrus, Tu es, ait, Chriſtus filius Dei. Egregiam illius confeſſionem Jeſus laudavit, ſimulque fundamentum Eccleſiæ contra omnes adverſariorum conatus inconcuſsæ, ipſum futurum promiſit, cujus arbitrio Cœli fores clauderentur, recluderenturve. Præcepit deinde, ne cui dicerent, ſe Chriſtum eſse; mala etiam ſibi imminentia prædixit. Ad turbas autem converſus, Si quis ait, poſt me venire cupiat, ſibi renuncians, crucem ſuam humeris ſuis imponat, & me ſequatur. Qui vitam ſuam ſervare voluerit, illam deperdet, & ſi mei amore perdiderit, ſervabit. Sunt inter adſtantes, qui non prius vita cedent, quam viderint Regnum Dei cum omni gloria ſua veniens. Quod de Transfiguratione, poſt ſex dies futura, dictum arbitramur.

Tres igitur Apoſtolos, Petrum, Jacobum, & Joannem Zebedæi filium, & in altum montem (vulgo creditur mons Thabor) ſeorſum adduxit, ibique orationibus vacans, inſtante nocte, continuò inſueta gloria coruſcare, ac veſtes ipſius pluſquam niveo candore fulgere viſæ ſunt. Vividæ lucis ſplendore Apoſtoli è ſomno excitati, Transfigurationis illius oculati teſtes facti ſunt. Moyſes etiam, & Elias cum Jeſu colloquentes de ipſius paſſione apparuerunt. Tunc Petrus extra ſe factus, petiit à Jeſu, ſibi permitteret, ut tria è virentibus ramis tabernacula conſtrueret, quorum alterum ipſi Jeſu, reliqua vero Moyſi, & Eliæ aſſignarentur. Hæc ſiquidem dicebat Petrus, Scriptura teſtante, cum voluptatis impetu extra ſe raptus eſset. Interim Moyſes, & Elias ſubito evanuerunt, & vox de Cœlo audita eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.* Apoſtoli rei novitate territi, omnes in terram proſtrati ſunt; ſed Jeſu relevante ſurrexerunt, atque manè è monte deſcendentes, prohibiti ſunt à Jeſu, ne cui eam viſionem revelarent, niſi poſt reſurrectionem, *Matth.* 17. 1. 9. *Mar.* 9. 1... 8. *Luc.* 9. 28... 36.

Inde ad reliquos Diſcipnlos Jeſus reductus eſt, qui in frequenti populo cum Scribis diſputabant, eum Dæmoniacum, mutum, lunaticum, & epilepticum ſanare non potuiſsent. Ut Jeſum viderunt, univerſus populus ad illum converſus eſt, & parer Dæmoniaci pro filii ſanitate rogavit: nec fruſtra; ſiquidem continuo Dæmoninm expulit, & puerum reſtituit. Domum vero regreſsus Jeſus, cauſam Apoſtolis aperuit, cur ipſi contra Spiritum malum non valuiſsent; ſiquidem ait illos fidei fuiſse infirmioris, neque illud Dæmonum genus aliter quam precibus, & jejunio expelli potuiſse. *Matth.* 17. 19... 21. *Marc.* 9. 18. 29.

Interim Galilæam de more prædicans Jeſus diſcurrebat, atque inter eundum animos Apoſtolorum præparabat, ut æquioribus oculis paſſionem inde ſuam intuerentur. Sed illi nihil eorum intellectu aſsequuti, diſputabant inter ſe, quis eorum cæteris eminere videretur. Cùm perveniſsent Capharnaum, Jeſu, & Petro omnium primis incedentibus ab Exactoribus duarum drachmarum, ſive medii ſicli, qui à Judæis viritim ſingulis annis Templo ſolvendus erat, rogatus eſt Petrus, an Præceptor ipſius tributum pendere voluiſset. Jeſus, antequam Petrus quidquam de ea re loqueretur, oſtendit illi, ſe tributo

(a) Tertium Paſcha à Prædicatione Jeſu Chr. (b) Matth. 15. 19.... 15. 16. 20. & Marc. 7. 14. 15... 23.
(c) Vide *D lmanutha.* (d) Vide Iſaac. Lorienſ. de Revolut. anim. Menaſſe Ben-Iſrael de Reſur. mort. Zohar.

Digitized by Google

obnoxium non eſſe, cum Filius Dei eſſet; juſſit nihilominus piſcatum ire, captumque piſcem nummos pro ambobus pendendos exhibiturum prædixit. Dictis ſua fides; ſiquidem captus piſcis ſtaterem, ſeù ſiclum argenteum ſub lingua recondebat, qui Exactoribus perſolutus eſt. *Matt.* 17. 24. 27.

Sub hæc, cæteri Apoſtoli ſupervenientes, quæſtionis in via ab ipſis agitatæ ſolutionem quæſiverunt à Jeſu, quis nempe in Cœlis major cæteris futurus eſſet. Tunc Jeſus ſermonum, quos in via agitaverant, non ignarus reſpondit, illum cæteris præſtiturum, qui cæteris ſe ſubmiſſet; accitoque ad ſe puero, dixit, oportere illos puero illi ſimiles eſſe, ſi Regnum Cœlorum ingredi vellent, *Matt.* 18. 1.... 5. Adjecit inſuper, ne minimus quidem ex Fidelibus pareſſent contemnatur, quippè cui Angeli, Deo Patri jugiter adſiſtentes, miniſtrarent. Præſcripſit ſubinde correctionis fraternæ regulas, atque Petro per eam occaſionem interroganti, quoties fratri in ſe peccanti veniam dare oporteret, reſpondit non ſepties tantum, quod Petro viſum erat, ſed ſeptuagies ſepties. Narravit tandem parabolam ſervi, cui herus decem millium talentorum debitum condonaverat; nec tamen ipſe alteri conſervo, dilationem roganti ſuper debito centum denariorum, acquievit. Ea inhumanitate commotus herus, malum ſervum in carcerem truſit, donec totum debitum ſibi perſolviſſet. Tantumdem agèt Deus cum illis, qui fratribus in ſe peccantibus veniam non indulgebunt. *Matth.* 18. 10. 15....35.

Poſtremo jam vitæ ſuæ anno Jeſus iturus Jeroſolymam ad Feſtum Pentecoſtes Diſcipulos ſuos præmiſit, juſſos ea loca prædicantes obire, quò ipſe poſtea veniſſet. Euntibus autem eadem, quæ prius, mandata injunxit, eamdemque poteſtatem patrandorum miraculorum, atque ejiciendorum Dæmonum conceſſit. Præcedenti die nonnullos ex Apoſtolis miſerat Jeſus ad quemdam vicum Samaritanorum, ut ſibi hoſpitium præpararent, ſed ab oppidanis excluſi ſunt. Quare Jacobus, & Joannes filii Zebedæi petierunt à Jeſu, num vellet, ut ignem è Cœlo ſuper oppidum deducerent? Qua de re ab illo objurgati ſunt; veniſſe enim ſe dixit, non perdendis ſed ſalvandis hominibus, *Luc.* 9. 51.... 56. Hujus fortè ardentioris zeli cauſa duo fratres, *Boanerges*, ſivè filii tonitrui, appellati ſunt, *Marc.* 3. 17.

Procedens inde Jeroſolymam verſus, tandem Bethaniam pervenit, tribus leucæ quadrantibus à Jeruſalem diſſitam, ubi in domo Marthæ, & Mariæ hoſpitio receptus eſt. Martha parandæ, inſtruendæque menſæ Jeſu, & ſociis ſtudebat; Maria verò audiendis verbis illius intenta, nihil de domeſticis negotiis curabat: qua de re Marthæ cum Jeſu conqueſtæ reſpondit ille, Mariam optimam partem elegiſſe, nec unquam ab ea fore removendam, *Luc.* 9. 38. *&c.* Ut in montem Oliveti è regione Jeroſolymæ venit, requirentibus Diſcipulis, ut formulam orationis illos doceret, quemadmodum Joannes Baptiſta Diſcipulos ſuos edocuerat, orationem Dominicam in ſermone ſuper monte antea traditam, iterum in medium adduxit, eaque occaſione vim orationis, atque ipſius dotes explicavit, *Matt.* 6. 9. *&c.* Cùm Dæmoniacum mutum ſanaſſet, Phariſæis calumniantibus, quod Dæmonis ope uteretur in ejiciendis Dæmoniis, oſtendit fieri non poſſe, ut Satanas Satanam ex hominum corporibus depelleret, alioquin Regnum illius diviſum eſſet, & inſtabile. Inde acriter in illos invectus eſt, *Luc.* 11. 14. 28.... 36. acriuſque etiam eoſdem objurgavit, cùm à Phariſæo convivio quodam exceptus, invidiam illorum ſubiiſset, quod manibus illotis menſæ accubuiſſet, *Luc.* 11. 38 .. 54. *&* *Luc.* 12. Occaſione hujus Feſti plura docuit Diſcipulos, & populum, commodius apud Scriptores Concordiarum, & Harmoniarum Evangelii videnda. Vide *Luc.* 11. *&* 12. *&* 13.

Jeroſolyma nondum digreſſus, audivit à Phariſæis, Herodem de nece illi inferenda cogitare; juſſit verò vulpi illi renunciari, ſe hodie, cras, & tertia die ægrotos curare, atque trium dierum ſpatio curſum ſuum abſoluturum, *Luc.* 13. 31. 35. quo ænigmate ſignificavit, tempus vitæ ſuæ diutius producendum non eſſe; fore autem neminem, qui ab abſolvendo curſu ſuo ipſum eſſet impediturus. Circa idem tempus renunciatum eſt illi, Pilatum ſanguinem Galilæorum cum eorum ſacrificiis miſcuiſſe; reſpondit autem ſupereſſe in ea regione, qui occiſis viris, criminibus, & ſcelere præſtarent; eademque occaſione pœnitentiam adſtantibus commendavit; ſin nollent, excidium ſibi imminere intelligerent, *Luc.* 13. 1..... 9.

Regreſſus deindè Capharnaum, cum apud Phariſæum Sabbato pranderet, oblatum hydropicum ſanavit. Phariſæis verò de violata diei religione eo opere obmurmurantibus os obſtruit, quærens, liceret ne prolapſum in foveam aſinum Sabbato educere; Indè animadverſa convivantium ambitione, primos in convivio recubitus affectantium, plura ea de re diſſeruit, oſtenditque illis, qui convivio alios excipiunt, curandum eſſe, ut homines invitarent accepti beneficii memores, qui tamen æqua rependere non poſſent, ut Deus pro illis in reſurrectione Juſtorum mercedem referret, *Luc.* 14. 1. 14. Per Galilæam vero diſcurrens, populorum turbis comitantibus, prædicabat identidem, Diſcipulos ſuos tum ſibi, tum domeſticis ſuis, ſuiſque voluptatibus omnibus renunciare oportere, *Luc.* 14. 15. *&c.*

Regreſſus iterum Capharnaum, à Publicanorum, & peccatorum conviviis, ac conſuetudine non abſtinebat. Obloquentibus ea de re Phariſæis, parabolam narravit viri illius, qui relictis 99. ovibus in deſerto, centeſimam palantem, & errantem proſequutus eſt, inventamque humeris ſuis impoſuit, domumque reduxit, ubi cum amicis lætatus eſt. Porrò amorem ſuum erga peccatores reductos ea parabola mire depinxit. Adjecit etiam aliam ejuſdem argumenti parabolam de Filio prodigo, *Luc.* 14. 15.

Inſtante Feſto Tabernaculorum, quod eo anno Ær. 32. Chr. 35. die 15. Octobris celebrandum erat, iter Jeroſolymitanum per regionem transjordanicam ſuſcepit; conſuetiſque in itinere prædicationibus, potiſſimum de uſu bonorum temporalium, de divortio, de eleemoſyna, de ſcandalo, aliiſque ſimilibus, Diſcipulos, & populos inſtruens *Luc.* 16. *&* 17. Interim cognati ipſius, qui tamen minime in illum credebant, inſtabant, ut quantocyus Jeroſolymam veniret, quo Mundo innoteſceret, ut ipſi ajebant, & Diſcipulos ſuos, quos antea ibidem ſibi acquiſiverat, etiam atque etiam confirmaret. Sed Jeſus propoſitum ſuum illuc eundi nedum non prodidit, verum etiam dixit, tempus ſuum nondum adveniſse; quare, ſi vellent, ipſi per ſe ad urbem aſcenderent. Media tamen hebdomada ſolemni, continuo in Templo apparuit, populoſque docebat, iis obſtupentibus, qui illum nunquam literas didicíſse noverant. Quibus mirantibus dixit, doctrinam, quam tradebat, Patris Cœleſtis eſse, non ſuam. Ex his in varia ſtudia populus abierunt, aliis Meſſiam eſse affirmantibus, aliis negantibus; nec deerant, qui ad illum capiendum miniſtros miſiſsent, ſed fruſtra, hora ipſius non adhuc impleta, *Jo.* 7. 14. 15. *&c.*

Ultima Solemnitatis Tabernaculorum die, Jeſus in medio Templi clamans, dixit: *Si quis ſitis, veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* His verbis multò, quam prius, opinionum de ſe diſcrepantiam fovit: ſuſtinentibus hinc Phariſæis, & Sacerdotibus Chriſtum eſse non poſse, cum eſset Galilæus: inde verò turbis pondere miraculorum adactis, ut Chriſtum eſse profiterentur. Nocte ſubeunte, ſingulis ad ſua ſe recipientibus, Jeſus in montem Olivarum divertit, *Jo* 8. 1..... 11. ex quo manè ad Templum regreſſus, fœmina in adulterio deprehenſa à Phariſæis adducta, dolo malo ab illis requiſitus eſt, quid cum ea facto opus eſset. Siluit Jeſus, atque in terram inclinatus, velut ludricum opus agens, digito in pulvere

ſcri-

ſcripſitabat. Indè ad illos converſus, Qui ex vobis, ait, ſine peccato eſt, lapides in illam primus jaciat. Illi ne quid ulteriùs diceret, verentes, paulatim ſinguli ſe ſubduxerunt, relictamque fœminam Jeſus admonens, ne ultrà peccaret, abſolutam dimiſit, *Jo.* 8. 12. ... 21.

Hæc hiſtoria in aliquibus veteribus Exemplaribus Evangelii S. Joannis olim deſiderabatur (a). Cæteri Evangeliſtæ illam ſilent. Scribit Euſebius *hiſt. Eccl.* l. 3. c. 39. Papiam eandem hiſtoriam narraſſe, veluti ab Apoſtolis auditam, aliiſque plures, in Evangelio non relatas. Patres Græci vulgò illam non legerunt, neque Commentatores Græci in Catenâ in S. Joannem eam explicarunt. Maldonatus teſtatur, ſe nunquam vidiſſe Græcum Mſ. in quo id legeret, excepto Codice exhibente Leontii Commentaria in S. Joannem; quanquam Leontius ne verbo quidem eandem hiſtoriam in Commentariis explicat, & Textus Græcus ad eum locum obelis notatur, quibus extraneus eſſe, & dubius apertè deſignatur. Armeni è ſuis Bibliis deleverunt, nihilque ea de re præferunt & Verſio Gothica Ulphilæ, & Syriaca Pariſienſis, & Londinenſis. Euthymius ſub initium duodecimi ſæculi teſtatur Mſ. optimæ notæ vel nihil de illa vel obelis notatam habere.

Hiſce tamen omnibus opponimus Mſſ. Græca ferè omnia, quæ Theodorus Beza, Robertus Stephanus, & Millius conſuluere, & fermè omnia, exceptis paucisſimis, quæ hodie ſuperſunt, tum & omnia omninò Latina, in quibus eadem hiſtoria legitur. Mſſ. etiam Syriaca, Arabica, & Cophtica fortaſſe pro majori parte, illam exhibent. Tatianus, qui anno 160. Chr. florebat, & Ammonius, qui anno 220. ambo in ſuis Harmoniis Evangelicis eandem inſeruerunt, è quibus etiam Euſebius in ſuam Harmoniam derivavit. Author Conſtitutionum Apoſtolicarum l. 2. c. 24. S. Hieronymus l. 2. cont. Pelag. c. 6. S. Ambroſius (b), S. Auguſtinus (c), Synopſis Pſeudo-Athanaſii eam hiſtoriam veluti Canonicam agnoſcunt. Nec diſſentiunt ſanior Criticorum, etiam Proteſtantium(d) pars. Nobis verò ea de re amplius non eſt ambigendum, poſtquam Concilium Tridentinum Vulgatam Canonicam declaravit. Diſciplinam, quam Jeſus erga adulteram ſervavit, latè explicant Commentatores, & nos de illa aliquid *v. Adulterium*.

Manè ejuſdem diei, occaſione cujuſdam cæci à nativitate, quem in via offenderant, interrogatus à Diſcipulis Jeſus, ſuiſne, an parentum criminibus ille excæcatum deberet, reſpondit non crimina diſcernitibus morbo cauſam dediſſe, ſed ut operum Dei manifeſtationi ſerviret. Tunc luto ſalivà confecto cæci oculos linivit, juſſitque ad fontem Siloe lavatum ire; quo collyrio viſus homini reſtitutus eſt. Eo miraculo longè lateque evulgato, quod vir à pluribus noſceretur, Pharisæi manè ipſum acciverunt, interrogaruntque, qui viſum recepiſſet. Illo totam rem ordine exponente, Phariſæi pluribus contendebant, virum tanti miraculi authorem Prophetam non eſſe, cum Sabbathi religionem eo opere violaſſet. Acciti ſunt & parentes cæci, qui ſanitatem filio ſuo redditam teſtati, iram Phariſæorum nihil ulteriùs addiderunt. Tandem cæcus innocentiam Jeſû, eumque Prophetam eſſe prædicans, à Templo expulſus eſt. Poſtridiè Jeſus illum alloquutus interrogavit, an crederet ſe Filium Dei eſſe? Ipſe verò ad ejus pedes provolutus, adoravit, *Jo.* 9. 1. ... 41.

Deinde Jeſus in Galilæam rediens ibi modicè ſubſtitit, donec immineret Feſtum Dedicationis Templi innovati, & expiati per Judam Machabæum, 1. *Mach.* 4. 52. quod menſe Decembri celebrabatur (e). Tunc igitur Jeroſolymam repetens, Galilæam, & Samariam pertranſivit; & cum juxta quandam urbem veniſſet, decem leproſis occurrit, quibus opem rogantibus præcepit, ut euntes oſtenderent ſe Sacerdotibus. Cum irent, mundati ſunt; quare unus ex illis, Samaritanus genere, ad Jeſum regreſſus, gratias ea de re egit. Memorem viri animum laudavit Jeſus, cæterorum oblivionem deteſtatus *Luc.* 17. 11. ... 19. Templum tandem ingreſſus, requiſitus à Phariſæis quandonam Dei Regnum eſſet venturum, dixit, illud nullo gloriæ apparatu venturum, ut diſcerni difficilè poſſet. Cæterum Regnum Dei intrà ipſos eſſe. Eadem occaſione plura de vigilantia, de jugi oratione, de animi demiſſione, & elatione, in parabola Publicani & Phariſæi euntium in Templum ad orandum Apoſtolos docuit, *Luc.* 17. 20. ... 37. & 18. 1. &c.

Cùm in porticu Salomonis in Templo ambularet, hic frequenti Judæorum corona requiſitus, quandiu animos ſuſpenſos teneret, neque ſe Chriſtum eſſe palam diceret, reſpondit, ſe quidem dixiſſe, ſed ipſos non dicenti tantum, ſed & facienti non credere; credituros tamen, ſi ex ovibus gregis ſui fuiſſent. Tum addidit: Meus Pater, & ego unum ſumus. His auditis, Judæi lapides in illum jacere tentarunt. Sed ille, Et quonam potiſſimùm, ait, beneficio in vos collato talem gratiam rependitis? Quibus reſpondentibus non in beneficium ſe, ſed in blaſphemiam, arrogatamque ſibi Divinitatem eo ſupplicio animadvertere, oſtendit, iniquum eſſe, ſibi miſſo, & ſanctificato à Deo, de uſurpato nomine Dei invidiam creare, cùm homines, quibus Deus loquutus eſt, Dii nominentur in Pſalmo: *Ego dixi, Dii eſtis*. Indè Judæi conati ſunt manus in illum injicere, ſed fruſtra; ſiquidem ex eorum manibus evadens, venit trans Jordanem ad urbem Bethabaram, notam baptiſmo Joannis Baptiſtæ ibidem collato, ibique per menſem ſubſtitit. Illuc plures Judæi venerunt, atque miraculorum multitudine animadverſa, cùm Joannes nullum ſignum feciſſet, in eum crediderunt *Jo.* 10. 34. 42.

Interim an. M. 4036. Chr. 36. Ær. 33. ægritudine Lazari fratris Marthæ, & Mariæ per nuncium accepta, dixit morbum illum non ad mortem eſſe, ſed ut Dei opera vulgarentur. Subſtitit igitur aliis duobus diebus, quibus evolutis, ſignificavit Apoſtolis Lazarum obiiſſe, ſimulque iter Judæam verſus ſuſcepit, fruſtra in contrarium admonentibus Diſcipulis, metu ne quid gravius à Judæis pateretur. Bethaniam perveniens audivit Lazarum quatriduo jam in tumulo jacere; Marthæ tamen ſibi occurrenti promiſit fratrem, ut ad vitam revocaretur. Poſt paululum, Maria ſupervenit, cujus lachrymis Jeſus commotus, tumulus ſibi oſtenderetur, imperavit. Ut illuc venit, juſſit lapidem ab oſtio amoveri, tum Lazarum magna voce compellans, ad vitam revocavit. Hujus prodigii fama latè diffuſa Sacerdotum animos ad decernendam mortem Jeſu induxit; ſed ille in Ephrem ad Jordanem ſe recepit, *Jo.* 11. 45. ubi uſque ad 24. Martii, ſcilicet 4. Niſan ſubſtitit.

Poſt hæc, iter Jeroſolymitanum occaſione Feſti Paſchalis ſuſcepit, anteà tamen de iis omnibus, quæ ſibi eventura erant, Apoſtolos præmonuit, licèt illi nihil intelligerent. Appropinquante Jerichuntem Jeſû, cæcus quidem viſum efflagitavit, & meritò fidei ſtatim obtinuit. Ingreſſus Jeſus in urbem, Zachæum quendam Publicanum, qui in ſycomorum aſcenderat, ut in magno populorum concurſu commodè ip-

(a) Vide Hieron. l. 2. cont. Pelag. c. 6. In Evangelio ſecundum Joannem in multis & Græcis, & Latinis Codicibus non invenitur de adultera muliere. Vide & Selden. Uxor. Hebr. l. 3. c. 11. & varias Lection. Millii in Jo: 8.

(b) Ambroſ. l. 3. de Spir. S. c. 2. & l. 7. Ep. 58. & l. 9. Ep. 76.

(c) Aug. Tr. 33. in Jo: & l. 2. de adult. conjug. c. 6. & [illegible] de vera, & falſa pœnit. c. 17. & Ep. olim 54. nunc 153. & lib. de conſ. Evang. c. 10. &c.

(d) Calvin. Gomar. Selden. Uxor. Hebr. l. 3. c. 11. Mill. in Jo: 8.

(e) Eo anno die 25. Decembris, 22. Caſleu celebrabatur.

ſum videret, ad ejus domum ſibi divertere liceret, pollicitus eſt. Zachæus inexpectato honore captus; ſeſe ad fidem convertit, fraudeſque priſtinas, in pauperes bonorum largitione, compenſavit, *Luc.* 8. & 19. Deinum egreſſus, alterum cæcum, *Bar-timæum*, ſivè *filium Timæi*, dictum, ſanavit (a).

Paulò antè Paſcha Jeroſolymam pervenit; ſed malum Judæorum in ſe animum ſentiens, à Templo aliquandiù ſe abſtinuit. Sex diebus antè Feſtum, prandenti Bethaniæ in domo Simonis, qui leproſus dicebatur, Maria ſoror Lazari unguento nardi ſpicati pretioſiſſimi pedes inunxit, & capillis deterſit. Eam rem Diſcipuli, Judas potiſſimum, ægrè tulerunt; illis enim præſtare videbatur, ſi unguentum divenderetur, ac pretium in uſum pauperum diſtraheretur. Sed Jeſus Mariam defendens, dixit ea unctione illi unctioni præluſiſſe, qua corpus ſuum ſepulturæ mandatum, erat inungendum. Vide Jo. 12. 10. &c. & Matt. 26. 6.... 13. Marc. 14. 3.... 9.

Manè inſequentis diei feria ſecunda, trigeſimo Martii, & 10. Niſan, quinta ante Paſcha, Jeſus appropinquans Jeroſolymæ cum juxta Bethphage verſaretur, duos ex Diſcipulis miſit, ut ad ſe aſinam, & pullum illius adducerent; pullo enim aſinæ adequitans, urbem ingredi decrevit, ut Prophetiæ implerentur (b). Eo apparatu triumphantis more urbem ingreſſus eſt, interque turbarum plauſus clamantium, *Hoſanna filio David, benedictus Rex, qui venit in nomine Domini*, ad Templum ſe contulit. Ibi continuo faceſſere juſſit omnes negotiatores, ſivè qui columbas vendebant, ſivè qui nummulariam pro advenis exercebant. Dein cæcos, & claudos reſtituit. Querentibus verò Sacerdotibus, & Scribis, quòd populi clamores non prohibuiſſet, dixit futurum, ut ſi populi ſiluiſſent, lapides clamarent (c).

Subeunte nocte, Bethaniam ſe recepit; manè verò feria tertia, 31. Martii, & 11. Niſan, Jeroſolymam repetens, in itinere eſuriit, fructuſque in ficu quadam foliis virente quæſivit. Cùm ficos planta negaſſet, continuò à Jeſu anathemati devota, elanguit. Dein Jeſus in Templum rediit, regreſſoſque negotiatores iterum expulit. Interim Principes Sacerdotum injiciendi in illum manus occaſionem captantes, plebis tamen in ipſum ſtudia timebant. Veſpere iterum Bethaniam, manè verò feria quarta, 1. Aprilis, & 12. Niſan, iterum Jeroſolymam petiit. In via ficum præcedentis diei exaruiſſe conſpicatus, ea occaſione vim fidei, quæ vel montes loco movere Dei ope valeret, multis extulit. Eadem die cùm in Templo verſaretur, interrogatus à Principibus Sacerdotum, & Senatoribus, quâ authoritate pollens tam multa geſſiſſet, quæſivit ab eis viciſſim, quid ipſi de Joannis baptiſmo ſentirent; è Cœlo ne, an ab hominibus fuerit. Congruæ quæſtioni reſponſio non facilè occurrebat; reſpondentibus enim è Cœlo fuiſſe, Cur, dixiſſet Chriſtus, illum vos reſpuiſtis? Falſi verò ex hominibus fuiſſe, magnam apud populum, Joannem Prophetæ loco habentem, invidiam ſubiiſſent. Neſcire igitur ſe reſponderunt: quare Jeſus, neque ſe eorum interrogationi reſponſum daturum profeſſus eſt (d).

Converſus ſubinde ad Sacerdotes, Scribas, & Phariſæos, pluribus parabolis innuit, Deum illis rejectis ſuam ex Gentilibus Eccleſiam convocaturum. Huc enim ſpectat parabola filiorum familias, qui cùm à patre ad vineam colendam mitterentur, alter paratum ſe exhibens, promiſſo non ſtetit; alter primo renuit, mox reſipiſcens paruit; conductorum vineæ, qui famulos ab hero miſſos fructibus exigendis malè exceperunt, ac tandem heri filium ad eam rem venientem occiderunt: denique convivii illius, ad quem, cùm invitati deeſſent, extranei acciti ſunt, *Matth.* 21. 33.... 46. & 22. 1.... 22. *Luc.* 20. 9.... 26. *Marc.* 12. 1.... 12.

Supervenientes interim Herodiani, Sadducæi, & Phariſæi, captioſis quæſtionibus illum tentarunt. Herodianis quærentibus, liceretne tributum Cæſari pendere, ille ex Principis effigie, quam illius regionis nummi præſeferebant, oſtendit, Cæſari reddi oportere, quod Cæſaris eſſet; Deo verò quod Dei eſſet. Sadducæi quæſtionem moverunt, quid poſt reſurrectionem futurum eſſet de fœmina, quæ antea duobus ſucceſſivè fratribus nupſiſſet. Jeſus oſtendit nullum ſupereſſe poſt hanc vitam conjugium, ſed omnes veluti Angelos Dei futuros. His ſuccedentes Phariſæi, quæſierunt quodnam præcipuum Legis mandatum cenſeret; ac reſpondentem audierunt, Amorem Dei, cui proximè ſuccederet amor proximorum (e). Acriter deinde Jeſus contra Phariſæorum hypocriſim, inductoſque in Legis obſervantiam abuſus invectus eſt. *Matth.* 23. 1. &c. *Luc.* 20. 45. 46. *Marc.* 12. 38. .... 40.

Sub veſperas Templum ingreſſurus, miram ædificii illius ſtructuram, atque oblatorum munerum divitias, Diſcipulis indicantibus, innuitus, futurum dixit tempus, quo funditùs tanta moles deſtrueretur. Cùm inde ad montem Oliveti è regione Templi ventum eſſet, ſciſcitantibus Diſcipulis, quando prophetia illa de Templi everſione eſſet implenda, Jeſus de Jeroſolymæ obſidione, poſt 34. circiter annos futura, verba facere cœpit. Plura, quæ ea occaſione contingere debuiſſent, expoſuit, eorumque omnium homines, qui tunc in vivis agebant, teſtes futuros prædixit. Huic non pauca adjecit, quæ vulgò de ultimo Judicio explicari ſolent; quamquam ad literam nonniſi de obſidione Jeroſolymæ ſunt intelligenda *Matth.* 24. 1. &c. *Luc.* 21. 5.... 24. *Marc.* 13. 1. &c. Subinde ad parabolas excurrit, ut vigilantiam, & circumſpectionem commendaret. Huc ſpectat parabola ſervi, qui cæteris ſervis præfectus, domino abſente, ea authoritate in ſubjectos abuſus eſt; regreſſo autem Domino pœnas in carcerem luit; decem Virginum, & Patriſfamilias, qui pecuniis ſuis pro eorum ſolertia in ſervos diſtributis, in opus negotiationis, regreſſus demùm laborioſos & fideles ſervos præmio, inutiles verò & pigros pœna affecit. Ità, ſubdidit Jeſus, in Judicio continget. *Matth.* 25. 1...., 46.

Eadem die, feria 4. 12. Niſan, & 1. Aprilis Jeſus Diſcipulos alloquutus, dixit, poſt biduum Paſcha celebrandum eſſe, & filium hominis, adverſariorum manibus traditum, in Cruce immolandum. Tunc illius capiendi conſilium à Sacerdotibus certum ratumque factum eſt, & Judas Iſcariothes Jeſu proditionem pretio, 30. ſiclorum, ſivè 48. librarum, cum 12. ſolidis, & 6. denariis pactus eſt. *Matth.* 26. 1. &c. *Marc.* 14. 1. 2. *Luc.* 22. 1. 2. Feria 5., 2. Aprilis, Jeſus mane ab urbe ſe abſtinuit, vel ſaltem nihil geſſit, quod ex Evangelio innoteſcat, niſi hoc tantùm, quòd Petrum, & Joannem illo ire juſſit, ut cœnaculum, & neceſſaria pro Paſchate compararent. Veſpere ad præparatum ab illis locum, Paſchati mane ſequentis diei celebrando, ſe contulit; atque menſæ cum Diſcipulis accumbens, dixit proditionem ſibi ab uno ex ipſis parari. Judas continuò num de ſe loqueretur, quæſivit; cui Jeſus ſecretò tamen ab aliis Apoſtolis, annuit. *Matth.* 26. 17.... 25. *Marc.* 14. 12.... 21.

Cùm cœnaret, expreſſit Apoſtolis, quanto ſemper deſiderio hujus Paſchatis cum illis comedendi flagraſſet; inde Corporis, & Sanguinis ſui Sacramentum inſtituit, guſtandumque, ac bibendum Apoſtolis præbuit. Paulò poſt, Apoſtolis de alterius ſuper alterum prælatione diſceptantibus *Luc.* 22. 25. &c. ut exem-

(a) Confer. Matt. 20. 29.... 44. & Mar. 10. 46.... 52.
(b) Zach. 9. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & ſalvator; ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.* (c) Matt. 21. 1.... 15. Marc. 11. 1.... 11. Luc. 19. 29. 46. Jo. 12. 12.... 19.
(d) Matth. 21. 20.... 29. Marc. 11. 20.... 26.
(e) Matth. 22. 22.... 46. Luc. 20. 27.... 39. Marc. 12. 18.... 34.

Digitized by Google

exemplum humilitatis exhiberet, è menſa ſurgens ſingulorum pedes lavit, *Jo.* 13. 2. *&c.* verbiſque deinde hortatus eſt, ut ſui exemplo in eo cæteris præſtare contenderent, ut ſinguli ſingulis ſubmitterentur. Ad menſam vero rediens, conturbatus eſt, dixitque unum ex ipſorum numero proditionem ſuam moliri. Petrus innuit Joanni, qui inter diſcumbentes menſæ ordine poſt Jeſum ſuccedens, caput in Salvatoris ſinum reclinaverat, ut proditorem ab illo exquireret: Jeſus indicio frustuli panis, quod in paropſide intinctum, Judæ obtulit, quærenti proditorem manifeſtavit. Tunc Judas malo ſpiritu inſtigatus, è menſa ſurgens, receſſit: recedenti Jeſus dixit, cito rem expediret; quod ab aliis Apoſtolis ſic intellectum eſt, quaſi ſcilicet Judas, emendis iis, quæ ad ſolemnitatem neceſſaria fuiſſent, ſivè diſtribuendis eleemoſynis in pauperes (totius enim cœtus pecunias curabat) mitteretur. *Jo.* 13. 21... 32.

Reliquum cœnæ Jeſus inſtruendis Apoſtolis de mutuis humilitatis, dilectionis, & conſenſionis officiis, exegit. Fidendum illis docet tum Dei Providentiæ, tum dilectioni erga ipſos ſuæ, cujus ſpecimen habituri eſſent in Paraclito poſt diſceſſum ſuum illis mittendum. Petro deindè prædixit, ea eadem nocte ante galli cantum infidelem ſe Magiſtro præſtiturum. Inter hæc, cœna abſoluta, *Jo.* 13. 33. *&* 14. 1... 30. *Luc.* 22. 33... 38. *Matth.* 26. 30. ſurgens à menſa hymno de more in actionem gratiarum recitato, ex urbe una cum Diſcipulis egreſſus eſt; atque inter eundem pluribus de priſtina in ipſum fide ſervanda; de perſequutionibus ab illis tolerandis; de Spiritu ad ipſos mittendo; de ſua tandem paſſione, morte, ac reſurrectione; deque eorum fuga, fidei imbecillitate, ac Petri negatione diſſeruit. *Jo.* 15. *&* 16. *&* 17. Quibus omnibus cuncta illum noſſe, atque mortem ſponte ſubiiſſe intelligebatur.

Poſt trajectum torrentem Cedron, tandem ad hortum Geth-ſemani venere, quem locum, utpotè à Jeſu frequentatum, Judas optimè noverat. Ingreſſus Jeſus, Apoſtolis paulisper expectare juſſis, cum Petro, Jacobo, & Joanne ad orationem receſſit. Tunc mortali angore ſubitò correptus apparuit; quod tribus Apoſtolis ſignificans, juſſit eos orationi & vigiliis inſtare, ne in tentationem inciderent. Ipſe verò jactu lapidis ſegregatis, vultu in terram proſtrato, Patrem rogavit, ut ſi fieri poſſet, nec aliud ipſe juberet, calicem paſſionis à ſe averteret. Orantem Angelus de Cœlo miſſus conſolatus eſt; ſed ille lethali mœrore reſolutus, diutius orationem produxit, in tantum, ut ſanguineo ſudore totus, & terra circum maderet, *Matth.* 26. 36... 39. *Marc.* 14. 32... 36. *Jo.* 18. 1. 2. *Luc.* 22. 40. *&c.*

Cùm oraret, identidem ad Apoſtolos redibat, quos cùm ſemel atque iterum dormientes deprehendiſſet, tertiò tandem dixit, proditorem in limine eſſe, cui obviam ire oporteret. Continuò Judas in hortum ingreſſus eſt, cumque comitibus convenerat, ut quem ipſe oſcularetur, tenerent. Judas itaque Jeſu occurrens, oſculo ſalutavit, Jeſus infandum crimen lenibus verbis exprobravit, deindè militum turbæ appropinquans, quem quærerent, requiſivit. Reſpondentes illi, Jeſum Nazarenum, & Jeſu illum ſe eſſe manifeſtante, continuò ſubito horrore correpti, in terram ſupino vultu ceciderunt. Dein iterum interrogati, Jeſum ſe quærere iterum reſponderunt. Tunc Jeſus: *Si ergo*, ait, *me quæritis, ſinite hos abire.* Ea permiſſione accepta, manus in illum injicientes, vinculis alligarunt. Petrus injuriarum impatiens, ſtricto enſe, cæteriſque ictibus irruens, aurem ſervo Pontificis abſcidit; quod vulnus Jeſus contactu ſanavit, ipſique Petro gladium in vagina recondere imperavit; omnes enim, ait, qui gladio feriunt, gladio peribunt, *Matth.* 26. 47... 54. *Marc.* 14. 40... 47. *Luc.* 22. 47... 51. *Jo.* 18. 4.

Eo apparatu Jeſus ad Annam ſocerum Caiphæ ejus anni Pontificis, ductus eſt, cui de doctrina, & Diſcipulis interroganti, reſpondit idem Jeſus liberioribus verbis, ſuæ quidem doctrinæ Judæos omnes teſtes futuros, cum ipſe clam nihil docuiſſet. Cùm liberius hæc dicta ad Pontificem viderentur, ſervus Pontificis colapho illum cecidit; cui Jeſus, Oſtende, ait, quo majeſtatem Pontificis læſerim; ſin verò nihil læſi, quo jure cædor? Deindè ad Caipham, fortaſſe in eadem domo commorantem, remiſſus eſt. Milites interim, qui illum duxerant, excitato in atrio igne, frigus fallebant; quibus etiam ſeſe adjunxit Simon Petrus, ab alio Diſcipulo, in aula Pontificis noto, introductus: ambo ſiquidem Jeſum è longinquo comitabantur, rei exitum expectantes, *Jo.* 16. 15. *&c.* *Matth.* 26. 58.

Caiphas in cœtu Sacerdotum, & Doctorum Legis Jeſum excipiens, falſos contra illum teſtes audit; ſed omnes ineptas accuſationes afferre videbantur. Unius tamen præ cæteris alicujus ponderis viſa eſt; dixiſſe ſiquidem accuſabatur, ſe Templum tribus diebus everſurum, totidemque illud reſtituturum: quæ quidem calumnia nec Jeſu verbis ſatis reſpondebat, nec, ſi reſpondiſſet, ſufficere videbatur, ut hominem morte damnaret. Jeſus omnia contra ſe dicta ſilentio excipiebat; à Caipha verò adjuratus in nomine Domini, ut ſi Chriſtus eſſet, palam fateretur, reſpondit tandem, ſe quidem Chriſtum eſſe, quem dexteræ Patris aſſidentem in Judicio viſuri fuiſſent. His auditis, Caiphas, tanquàm ſi blaſphemiam audiiſſet; veſtes ſuas diſcindens, mortis reum eſſe una cum toto concilio pronunciavit, *Matth.* 26. 59... 66. *Marc.* 14. 54. 64. Dimiſſo in hunc modum cœtu, reliquum noctis illius inter militum ludibria, & ſannas Jeſus exegit.

Inter hæc, ancilla quædam Pontificis viſo Petro diſcipulum Jeſu fuiſſe palam aperuit; quod tamen ille negavit. Poſt modicum, ex atrio Petrus in veſtibulum divertit, & gallus continuo cantavit. Tunc iterum alia ancilla, idem ac prima de illo prodidit; & Petrus iterum interpoſito ſacramento negavit. Poſt horam, quidam ex præſentibus eandem de illo ſuſpicionem movens, ex dialecto Galilæum eſſe probavit; quin & cognatus quidam Malchi, vidiſſe ſe illum in horto aſſerebat. Cum Petrus jurejurando, ne viſu quidem ſe illum noſſe teſtaretur ſubito, gallus ſecundo cantavit, & Jeſus, qui non longè aberat, illum intuitus eſt. Tunc Petrus prænunciatæ ſibi à Magiſtro negationis ſuæ recordatus, ex atrio egreſſus, amaris lachrymis errorem ſuum deflevit, *Matth.* 26. 67... 75. *Marc.* 14. 18... 75. *Luc.* 22. 56... 63. *Jo.* 18. 25. 26.

Ad auroram diei, convocato concilio, Jeſum in medium adductum interrogarunt, num Chriſtum ſe eſſe fateretur. Cùm affirmaret, mortis reum eſſe pronunciarunt. Cùm vero ſanguinis jus eo tempore penes Romanos, Regni illius dominos, eſſet, atque Judæi de reis quidem cognoſcere permitterentur, ſed capitalis ſententiæ executio ad Procuratorem Provinciæ Pilatum ſpectaret, ad illum Jeſus deductus eſt. Deferebant autem illum 1. quod Rempublicam perturbaret; 2. quod Cæſari ſolvendum eſſe tributum negaret; 3. quod ſe Chriſtum, & Filium Dei eſſe jactitaret. Pilatus illum requiſivit, an Rex Judæorum eſſet, ſive Meſſias; cui Jeſus ſe quidem Regem profeſſus eſt, ſed Regnum ipſius de hoc Mundo non eſſe, *Matth.* 27. 1... 10. *Marc.* 15. 1. 2. *Luc.* 23. 2. 3. *Jo.* 18. 29... 38.

Pilatus poſt interrogationes, ad populum egreſſus (Judæi quippe in Prætorium non aſcenderant, veriti, ne legalem maculam contrahentes, à deguſtando Paſchate veſpere ejuſdem diei prohiberentur) nihil ſe morte dignum in homine comperiſſe profeſſus eſt. Inſtantibus verò illis, atque accuſationes geminantibus, Jeſu ne verbo quidem calumnias retundente, Pilatus, audito quòd reus ad ditionem Herodis Tetrarchæ Galilææ, tunc temporis Jeroſolymis verſantis, pertineret, totum negotium ad illum remiſit. Herodes, qui audita de miraculis Jeſu fama, illius videndi deſiderio jamdiu tenebatur, plura ex ipſo ſciſcitatus eſt; ſed Jeſu ad omnia ſilente, vehementer obſtupuit; deindè ſtola alba, pannoſaque indutum

in lu-

in ludibrium Regiæ dignitatis, quam ille jactabat, ad Pilatum remiſit; qua occaſione hoſtiles antea Herodis, & Pilati animi, reconciliati ſunt, *Luc.* 23. 8... 12.

Rurſus Pilatus, poſt exploratam novis quæſtionibus illius innocentiam, egreſſus ad populum profeſſus eſt, nihil ſe, nihil Herodem in eo homine morte dignum deprehendiſſe; ſe proinde emendatum illum dimiſſurum. Cùm populus ad hæc vehementius inſtaret, propoſuit, utrum die Paſchatis Feſto vellent ſibi de more criminoſus dimitteretur, ecquem ex duobus eligerent; Barabbam, an Jeſum. Barabbam illicò præferentibus, & Jeſum ad ſupplicium poſcentibus, Pilatus tandem ſeditionem timens, morem gerendum duxit; quare aquam poſcens, palam manus lavit, ejus mortis participem fieri nolle ſe dicens. Inde circa horam diei tertiam, ſive nonam matutinam, prolata mortis ſententia, Jeſus poteſtati militum Romanorum ad ſupplicium ducendus, permiſſus eſt. Illi continuò Regiæ hominis dignitati illudentes, pannoſa purpura indutum, ſpinea corona redimitum, & arundineo ſceptro manibus impoſito, Regem ſalutaturi accedentes, faciem interim conſpuebant, & caput arundine percutiebant, *Matt.* 27. 24... 29. *Marc.* 15. 15... 19. *Luc.* 23. 24. 25. *Jo.* 19. 1... 16.

Poſtea cruce humeris impoſita, ad Calvarium, collem haud procul ab urbe, deduxerunt. Sed cùm viribus deſtitutus crucis graviſſimæ oneri impar videretur, prætergrediens quidam, Simon nomine, à militibus coactus eſt, vel ut ipſe toti ponderi ſuccumberet, ſive ut pendentem poſt humeros Jeſu partem ſuſtineret. Ut ad Calvarium pervenere, oblatum ſibi vinum, myrrha, ſive felle conditum, vix deguſtatum Jeſus recuſavit; deinde cruci affixus eſt inter duos latrones hinc, atque inde medius; ibique pro crucifixoribus oravit. Hæc circa tertiam diei horam, ſcilicet tertiam ante meridiem, contigiſſe S. Marcus 15. 25. animadvertit: S. Joannes 19. 14. circa horam ſextam ſcilicet circa meridiem; fortaſſe hora erat vel circiter ante meridiem.

Mortis ſententiam cruci Jeſu inſcripſit Pilatus, his verbis: *Jeſus Nazarenus, Rex Judæorum*; neque Judæis petentibus acquievit, qui ita ſcribi volebant: *Jeſus, qui ſe Judæorum Regem jactitabat.* Veſtes militibus ceſſerunt, inter quos diviſæ ſunt, excepta tunica, quæ, utpote jugi contextu elaborata, pro more adhuc vigente apud Orientales, integra uni ex illis ſortitò obtigit. Acto demùm in crucem Jeſu, Principes, Sacerdotes, turbæ, quin & duo latrones è crucibus ſuis inſultabant illis verbis: *Si filius Dei es, ſalvum temetipſum?* Alter tamen ex iiſdem latronibus alterum ſuper his objurgavit, & Jeſum, quem innocentem profitebatur, exoravit, ut cùm primum in Regnum ſuum veniſſet, ſui non oblivisceretur. Jeſus pollicitus eſt eadem die ſecum illum in Paradiſum ducendum: *Matth.* 27. 39. 44. *Marc.* 15. 29... 32. *Luc.* 23. 35... 43. Deinde Jeſus ad Matrem converſus, ſub ipſa Cruce unà cum Maria Cleophæ, & Maria Magdalene, atque S. Joanne Evangeliſta ſtantem, En, ait Joannem indicans, filius tuus; & viciſſim Joanni Matrem indicans, En, dixit, mater tua. Inde Joannes Matris loco Mariam jugiter apud ſe habuit. *Jo.* 19. 25. 27.

Circa horam ſextam, nempè circa meridiem, Sol nigra caligine obductus eſt uſque ad nonam, ſive tribus horis poſt meridiem; diſſipatis deinde tenebris, exclamavit Jeſus: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Tunc ſpongia aceto repleta illius ori admota; quo deguſtato, exclamans, *Conſummatum eſt*, ſpiritum emiſit. *Matth.* 27. 45. 50. *Jo.* 19. 28. 30. *Marc.* 15. 33... 37. Continuò velum Templi à ſummo uſque deorſum diſciſſum, montes diffugit, monumenta patuere, conditaque quam plurium corpora ad vitam revocata, multis poſt reſurrectionem Jeſu Chriſti apparuerunt. *Matt.* 27. 51... 54. Rogantibus autem Pilatum Judæis, ne ſupplicii aſpectu Paſchalis ſolemnitatis ſequenti die celebrandæ religio violari pateretur, præceptum datum eſt, ut Jeſu, ſociorumque crura frangerentur, quò citius mori, atque cruces removeri potuiſſent. Ea res cum cæteris executioni mandata eſt, à Jeſu tamen, utpotè jam exanimato, abſtinuere; ſed tantum adacta in latus ipſius lancea, ingens vulnus inflixerunt, quod continuò ſanguine, & aqua manavit. *Jo.* 19. 31... 37.

Inclinante die, Joſeph ab Arimathia Diſcipulus Jeſu, & Senator ampliſſimus, obtenta à Pilato facultate, corpus Jeſu in tumulum in ſaxo excavatum, & in horto non longè à loco ſupplicii ſitum, invexit; tumulavit autem ante Solis occubitum, quòd poſt occaſum requies Sabbathi exordiebatur. Tumuli hujus oſtium ſaxum claudebat, quod ſigillo muniendum, & militibus ſervandum curarunt Sacerdotes; ne Diſcipuli Jeſu, furtim ejus corpus ſubducentes, reſurrexiſſe dictitarent. Sequenti die, legitima Sabbathi quies ſervata eſt; poſt occaſum vero Solis, quando emendi, vendendique copia erat, mulieres quædam religioſæ aromata emerunt, condiendo cadaveri; quod præ nimia ſepeliendi feſtinatione prætermiſſum erat. Mane igitur ſequentis diei, ex urbe egreſſæ, Calvarium petierunt, quo tempore jam Chriſtus è tumulo vivus exierat, & milites totius rei teſtes in urbem venerant. *Matt* 27. 62... 66. & 28. 1... 4. *Marc.* 16. 2. 4. *Luc.* 24. 1... 4. *Joan.* 20. 1. 2.

Cùm ad locum mulieres perveniſſent, duos coruſcantes Angelos obvios habuerunt, à quibus animo priùs confirmatæ, reſurrectionis Jeſu nuncium acceperunt, quod & ad alios Apoſtolos referre juſſæ ſunt. Continuò Maria Magdalene cæterarum prima ad Apoſtolos venit, corpus Chriſti, in locum incertum furto ſublatum eſſe narrans. His auditis, Petrus, & Joannes ſtatim ad ſepulchrum venerunt, quò Joannes citius perveniens, nonniſi poſt Petrum tamen in tumulum ingreſſus eſt, ibique linteamina, & ſudarium, quibus, defuncti corpus, & facies amiciebatur, ambo conſpexerunt. *Jo.* 20. 2... 8. Maria vero illuc regreſſa, ut interiora ſepulchri inſpectura, ſeſe inclinavit, ad extrema ejuſdem ſepulchri geminos Angelos vidit; à quibus quid ploraret, interrogata, Jeſum ſubreptum ſe plorare reſpondit. Continuò ex loco recedens, eundem Jeſum ſub agricolæ forma obvium habuit, qui dixit: *Si tu ſuſtuliſti eum, dicito, & ego eum tollam.* Tunc Jeſus illam nomine appellavit, ex quo Maria Præceptorem agnoſcens, ad pedes illius oſculatura ſtatim procubuit. Sed ille tangere prohibuit, dicens, ſe ad Patrem nondum aſcendiſſe; nunciare autem juſſit fratribus ſuis, ſe ad Patrem, Deumque jamjam aſcenſurum *Jo.* 20. 11. 17. *Marc.* 16. 9. 10. Maria, Jeroſolymam regreſſa, Diſcipulis omnia narravit, idipſum quoque & aliæ mulieres annunciarunt, quibus ſepulchro remeantibus, videndum ſe, atque adorandum Jeſus exhibuerat; omnes tamen ab Apoſtolis veluti viſiones venditantes æquè rejectæ ſunt: *Matt.* 28. 9. *Marc.* 16. 10. 11. *Luc.* 24. 9... 11. *Jo.* 20. 18.

Eadem die Dominica, 16. Niſan, ſecunda Paſchatis, duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus in Galilæam, itinere 60. ſtadiorum, ſive duarum leucarum circiter à Jeruſalem, Jeſus peregrini ſpecie viæ comes additus, quæſivit ab eis, quos invicem ſermones agitarent. Illi ſermonem habuiſſe reſponderunt de ſupplicio, quod ante tres dies de Jeſu ſumptum fuerat; ſe jam ejus reſurrectionem viſuros ſperaſſe, quam etiam mulieres quædam contigiſſe renunciabant; ſed tertiam jam diem ab ejus occubitu adeſſe addidere. Tunc Jeſus modeſtiam illorum, ſacris Scripturarum teſtimoniis redarguit, oſtendens Chriſtum aſpera quæque paſſum, ſua tandem gloria potiri oportuiſſe. Cùm ad Emmaus perveniſſent, & Ipſe ulterius proſecuturus videretur, cogentibus tamen Diſcipulis ibidem unà cum illis ſubſtitit. Interim menſæ omnibus accumbentibus, Jeſus pani benedicens, fregit, portionem diſtribuit; quo accepto, accumbentium oculi aperti ſunt, ut illum agnoſcerent; qui tamen illicò evanuit. Illi ſtatim Jeroſolymam regreſſi, eam rem Apoſtolis renunciarunt; à qui-

Digitized by Google

à quibus viciſſim apparitionem Petro factam audierunt, *Luc.* 24. 13.... 33. *Marci* 16. 12.

Adhuc Apoſtolis congregatis, Jeſus clauſis cœnaculi foribus apparuit; quo viſo territi primùm, mox ab eo confirmati ſunt, qui ſe non ſpiritum eſſe, ſed carnem, ex totius corporis aſpectu, quod oculis omnium exhibebat, oſtendit: quin & oblatam ſibi piſcis aſſi, & favi mellis portionem comedit. Dein oris inſufflatione Spiritum Sanctum, ac poteſtatem dimittendi, retinendique peccata ſingulis conceſſit. Thomas, ea occaſione, à cæteris aberat; quare dixit ſe non anteà crediturum, niſi ſuis manibus vulnera clavorum in manibus pedibuſque attrectaſſet. Jeſus poſt dies octo iterum in eodem loco apparuit, ac Thomæ ſeipſum manibus palpandum obtulit, ex quo ille reſurrectionis veritatem probavit. Jeſus verò, Quia vidiſti me, ait, credidiſti. Beati, qui non viderunt, & crediderunt. *Jo.* 20. 19.... 31. *Luc.* 24. 36.... 41.

Cùm Apoſtoli in Galilæam veniſſent, iterum ad mare Tiberiadis Jeſum viderunt. Porrò tunc temporis Petrus, Thomas, Nathanael, Jacobus, Joannes & alii duo Diſcipuli piſcationi vacabant; cum ſubito Jeſus in averſa ripa manè apparuit, quæſivitque, num piſcatu aliquid apprehendiſſent. Reſpondentibus illis, fruſtra ſe tota nocte laboraſſe, præcepit Jeſus, ut ad dexteram navigii rete laxarent: quod ab ipſis factum tantum piſcationis attulit, quantum retia ſinè ſciſſione non paterentur. Dilectus Diſcipulus tunc agnito Jeſu, Petro dixit; & ille veſte ſtatim præcinctus, pelago ſe commiſit, quò citiùs ad ripam pertingeret. Socii interim reducendis retibus allaborabant, quæ 150. magnis piſcibus plena, &, quod mirum eſt, integra recepta ſunt. Tunc Jeſus ex his piſcibus afferri aliquid juſſit: ſed cum attuliſſent, prunis impoſitum jam piſcem, atque panem invenerunt, quæ ſimul cum Jeſu omnes deguſtarunt, nemine interim ipſum interrogare audente quis eſſet, cùm Jeſum eſſe compertum haberent. *Jo.* 21. 1. 14.

Indè Jeſus ter Petrum interrogavit, num ab ipſo amaretur; eique ad ſingulas interrogationes affirmanti, toties etiam injunxit, oves ſuas paſceret. Dein genus mortis illius deſignans, dixit: Cùm junior eſſes, accingebas te, ut itinerantes ſolent, ac pro libito huc illucque ferebaris; cùm autem ſenueris, alius te cinget, & ad locum inviſum adducet. Sequere me. Paruit illicò Petrus, cùmque interim Diſcipulum vidiſſet, quem Jeſus diligebat, rogavit, quid de illo diſpoſuiſſet; & Jeſus: Si ego, ait, uſque ad meum adventum manere illum voluerim, quid ad te? Tu me ſequere. Hinc fama in Diſcipulos, atque in alios poſt ipſos, increbuit, Joannem immortalem futurum, quamvis Jeſus nihil ea de re dixiſſet. *Jo.* 21. 15. 24. *Vid. & noſtr. Diſſert. de obitu S. Jo. ad comment. in Jo.*

Congregatis Diſcipulis omnibus in montem Galilææ, Jeſus omnibus videndum, atque adorandum ſe obtulit; ea tamen occaſione nonnulli dubitaſſe viſi ſunt, non quidem de reſurrectionis, atque præſentiæ ipſius veritate, ſed tantùm verumne, an fictum corpus exhiberet? Omnibus autem Jeſus facultatem conceſſit, ut prædicationis, atque baptiſmi in nomine SS. Trinitatis gratiam longè latèque per Orbem diffunderent: nunquam autem ſe ab illis receſſurum pollicitus eſt *Matth.* 28. 16. De hac apparitione loquutus creditur S. Paulus 1. *Cor.* 15. 5., dum ſcribit Jeſum videndum ſe exhibuiſſe pluſquam quingentis ſimul fratribus, è quibus nonnulli uſque ad illud tempus (a) ſuperſtites erant.

Præcepit deindè diſcipulis, Jeroſolymam irent, Aſcenſionis ipſius in Cœlum teſtes futuri. Crebrò etiam iiſdem apparuit, modò infidelitatem eorum de paſſione & morte objurgans, modò Scripturarum teſtimonia in ſe impleta demonſtrans, modò cum illis cibum deguſtans. Scripturarum intelligentiam, patrandorum miraculorum, & prædicandi poteſtatem largitus eſt; baptiſmo & ſana doctrina homines initiarent, præcepit. Juſſit tandem Jeroſolymæ ſubſiſtere, donec Spiritum Sanctum acciperent (b).

Secundùm hæc, comitantibus Diſcipulis Jeroſolyma egreſſus, venit Bethaniam; ibique elatis in ſublime oculis, continuò nube obductus, ab intuentium oculis evaneſcens, in Cœlum elevatus eſt. Spectantibus interim Diſcipulis duo Angeli obviam facti ſunt, à quibus & moniti, Jeſum, quem mox in Cœlum ferri viderant, eo habitu certa die venturum. Poſt hæc, Diſcipuli è monte Olivarum Jeroſolymam regreſſi, in oratione unanimes perſeverarunt, unà cum Maria Matre, cæteriſque cognatis Jeſu, qui in illum credebant, donec die Pentecoſtes, Spiritu Sancto igneis linguis illapſo replerentur (c).

Huculque vitam Jeſu Chriſti ex Evangeliis collectam ordine Chronologico digeſſimus. Quæſtiones Criticas, & Theologicas de eodem argumento, omnes ad Commentatores remittimus. Dictionarium ſcribimus, non criticas rapſodias. Liber eſt apud Judæos, titulo *Toledoth Jeſu*, omnibus calumniis, & fabulis ab illis contra Jeſum ſparſis refertiſſimus; de quo alibi ſatis egimus (d). In alia Diſſertatione ibidem inſerta egimus de corporis Salvatoris elegantia; qua de re conſulenda etiam Diſſertatio P. Vavaſſorii, & altera Rigaltii. De Magorum adoratione, de inſtitutione Baptiſmi, de Paſchate ſupremo, de Reſurrectione, atque de iis, qui cum Jeſu reſurrexerunt, totidem Diſſertationibus egimus. De Cruce in ſuo articulo diſſeruimus. De annis vitæ Chriſti Chronologi conſulantur, uti & Binæus de iis, quæ in ortu, & obitu Chriſti contigerunt. Veſtes Hebræorum peculiari Diſſertatione explicavimus, & latè etiam Braunius in Libro de veſtibus Sacerdotum Hebræorum.

(Patrandorum miraculorum in Chriſto virtus emicat adeò, ut illam non Chriſtiani tantùm, ſed & Mahometani ultrò recognoverint, proverbii loco de perito aliquo artifice uſurpantes: *Spiraculum habet Meſſiæ*; quòd ſcilicet Jeſus Chriſtus mero oris ſui flamine, non mortuos tantùm revocavit ad vitam, ſed & vitam ipſam rebus inanimis largiebatur. Receptum habent, juxta ac legitur etiam in Pſeudo-Evangelio Infantiæ Salvatoris, illum, tenera adhuc ætate puerum, plaſticis ex argilla formatis avibus oris ſui flamine ut viverent contuliſſe. Addunt, jacuiſſe in cunis tribus tantùm horis (e); appellant interdum *Spiritum Patris*, quæ pariter phraſis in nonnullis Patrum Scriptis recurrit: Natum agnoſcunt ſine virili opera è Virgine Maria parente, fratremque illi addunt Okil vel Okail, ſed fratrem more Hebræorum, quibus conſobrini germani fratrum nomine cenſentur. Cenſent inſuper aſcendiſſe in Cœlum; everſurum imperium Antichriſti; modò verò virtutem ſuam in Cœlo exercere, ubi intermedium ſe gerit pro nobis, honoratiſſimumque tenet locum in quarto Cœlo, nempe juxta eorum ſyſtema, in Empireo. Evangelium, ſi illos audias, vitam confert animæ, cor innovat. Ita de re hac Vates quidam Mahometanus ad Chriſtum verba faciens: *Cor hominis oppreſſum mœrore ſolamen ſuum ex omnibus verbis tuis deducit; recipit anima vitam ſuam & vires, vel ſolo tuo nomine pronunciato. Si hominis ſpiritus in contemplationem myſteriorum divinorum erigi unquam poteſt, lumen omne in id ſuum tibi debet; tuo etiam munere vigorem illum ſpiritus obtinet.* Quis credat ſcribi hæc potuiſſe ab homine divinitatem Jeſu Chriſti non agnoſcente?

Ini-

(a) A. Chr. 57. (b) Marc. 16. 14.... 18. Luc. 24. 44.... 48. Act. 1. 3.... 7.
(c) Marc. 16. 19. Luc. 24. 49.... 53. Act. 1. 5.... 24. & 2. 1. &c.
(d) Vide Diſſert. noſtr. de Charact. Meſſiæ, Comment. in Jerem. præfixam.
(e) D'Herbelot Biblioth. Orient. pag. 409. Iſa Ben Miriam.

Digitized by Google

Iniquiores ſunt utique in Jeſum Hebræi, è quibus audaces nonnulli affirmarunt impudentiſſimè, animam Eſau in Jeſum Chriſtum migraſſe, natumque illum ex Panthere quodam & fœmina quadam calamiſtraria, cui Panther vitium intulerat (a). Porro Jeſus clam ſurripuit in Templo ineffabile nomen Dei, quod intra apertam de induſtria pellem ſuam occultans, facilè ſe etiam ea arte liberavit à diſcrimine geminorum leonum, magicis excantationibus paratorum, utrinque ad latus Sanctuarii invigilantium, rugitibuſque horriſonis terrentium quicunque locum ſanctum ingrederetur. Virtute autem ejus nominis primo defunctum revocavit ad vitam, tum & in Bethlehem, ubi natus eſt, mundavit leproſum. Favorem ſibi ex his aucupatus eſt in populo, inter cujus plauſus aſino adequitans more triumphantis ingreſſus eſt Hieroſolymam.

Interim Sacerdotes nominis & gloriæ ſuæ ſervandæ ſtudioſi, ſupplicem libellum obtulerunt Helenæ, penes quam & filium Monobazum vel Hircanum regia erat poteſtas, ut debitas de Jeſu pœnas exigeret. Vocatus in judicium Reginam ipſam in ſuas partes novis prodigiis traxit. Tunc Judas Sacerdos ſpopondit cæteris commiſſurum ſe, ut in Jeſum crearet invidiam, genuinam, ſicut ab illo factum conſtabat, addiſcendo pronuntiationem nominis Jehovah, dummodo totam commiſſi ea in re criminis culpam in ſeſe ipſi ſuſciperent. Eo igitur nomine armatus, Jeſum provocavit. Ambo nominis illius virtute ſublati ſunt in aera; Judas dejiciendo æmulo fruſtra diù laboravit; nec prius illi res pro voto ſucceſſit, quam cùm ſuper illum mingeret. Tum ruere ambo, quòd ambos atro illo infectos humore, ſacri nominis virtus deſtituiſſet.

Sed Jeſus prompte ſe Jordanis aquis lavans, priſtinæ virtuti reſtitutus eſt. Judas quamvis æmulo inferiorem ſe intelligeret, ab incœpto tamen deſiſtendum non ratus, ejus ſe comitem cum cæteris addidit, ejuſque geſta omnia Sacerdotibus detegebat. Cùm Jeſus ad Templum veniret captus eſt cum pluribus ex Diſcipulis, cæteris fuga ſeſe proripientibus in montes. Manibus hoſtium ita traditus Jeſus, devinctus eſt columnæ marmoreæ in urbe poſitæ, flagellis ſulcatus, coronatus ſpinis, ſitienſque aceto potatus. Dein Sanhedrini ſententia damnatus, confectus eſt lapidibus. Defunctum corpus ſuſpendere in patibulo volebant, ſed lignum conſtactum eſt, quod Jeſus genus mortis ſuæ antea prævidens, invocato nomine Jehovah, illud excantaverat.

Tum Judas, nullam non captans occaſionem invidiam in famam Jeſu creandi, avulſum ex horto ſuo ingentem clavum apto quodam in loco defixit, unde ſuſpenderetur cadaver. Tentatum poſt hæc ſepulturæ mandare miſerum in vulgari tumulo; at ſuſpicatus Judas, ne clam à Diſcipulis cadaver ſurriperetur, ſpargereturque dein in vulgus è mortuis ad vivos rediiſſe, in alveo rivi cujuſdam, cujus aliò diverterat aquas, condidit; tum permiſſæ aquæ priſtinum curſum reſumere, nequis uſpiam de loco ejus ſepulturæ cognoſceret. Sed fruſtra ille, brevi enim de reſurrectione Jeſu rumor increbuit. Fidem dictis adhibuit Regina Helena, declaravitque Jeſum eſſe Filium Dei; ſed & Reginæ errorem, & impoſturam Diſcipulorum Jeſu prolato ejus cadavere Judas detexit. Cadaver autem illud caudæ equi alligatum raptatum eſt uſque ad Reginæ ædes, quæ tandem deceptam ſe intellexit & agnovit.

Longe nihiloſecius lateque diffundebatur Religio per duodecim viros, in Provincias & Regna diſcurrentes, ubique propalantes ejus dogmata & prodigia. Ægre id accidit Sapientibus Judæorum; quare Simonem Kepham ablegarunt, ut contraria perſuaſione populos removeret ab errore. Didicit ille nomen Jehovah, venitque in Metropolim Nazaræorum, quos & perſuaſit miraculis potius quàm ſermone, veniſſe ſe à Jeſu Chriſto miſſum, fidemque illorum obligavit, imperata per omnia facturos. Vetuit ne mali quidquam inferrent Judæis, juſſit celebrare feſtum lapidibus confecti Jeſu Chriſti, & quartam ab obitu ejus diem loco Feſti Pentecoſtes. Præſto illi ſeſe futuros ad omnia ſpoponderunt, dummodo ſecum haberent Simonem; eique acquieſcenti condita eſt turris Peter, in qua clauſit ſe, reconditque ſpatio ſex annorum ſolo pane & aqua victitans; deceſſit tandem.

Venit poſthæc Romam Ælias, aſſeruitque Romanis deceptos fuiſſe ſe à Simone; neque enim Simon ſed ipſe, mandante Jeſu venerat. Præcepit igitur, ut circumciſionem admitterent, alioqui demerſione plectendos ſe ſcirent; pro Sabbato feſtam agerent primam hebdomadæ diem. Dum iſta mandaret, decidente ſubito ſupra caput ſuum lapide oppreſſus eſt. *Ita pereant omnes Dei adverſarii*. His verbis clanditur abſurda non minus, quàm impia Romanenſis fabula, Judæorum opera digeſta, inſcriptaque *Toledos Jeſu*, vel Generatio & Hiſtoria Jeſu, affectata quadam imitatione inſcriptionis Evangelii S. Matthæi, in cujus capite eſt: *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David*.

Altera etiam vulgata eſt Lucubratio ejuſdem tituli tradente D. Huldrico anno 1705. Evangelium ſequitur multo fidelius, ſed anacroniſmis & mendis vix ferendis ſcatet. Author, qui ſibi de nomine Jonathan coævi Jeſu Chriſto verſantiſque Hieroſolymæ, placet, natum Jeſum ſtatuit ſub Herode Magno, quod tam ille vere, quam falſo Judæi vulgo aſſerunt Jeſum Chriſtum editum A. M. 3671. quod ſane tempus cum regno Alexandri Jannæi congruit. Sed noſter hic viciſſim fallitur, cum ſub eodem Herode extinctum Jeſum perhibet. Scribit autem ille Herodem querelis in Pantherem, vulgo creditum patrem Jeſu, animatum contuliſſe ſe Bethlehem, omneſque late pueros gladio trucidandos dediſſe. Præceptorem Jeſu aſſignat Joſue filium Serachiæ, Akibæ auditorem; floruit autem Akiba ultra 100. annos poſt Ieſum. Scribit inſuper Herodem de rebus Chriſti conſuluiſſe Senatum Vormatienſem verſantem tunc in regione Cæſaræ ſeu Imperii. Herodes ejuſque filii bello affixerant Diſcipulos Jeſu, receptos Hai in deſertis Judææ. Porro illi Jeſum ejuſque imaginem ac Mariam parentem colebant, opemque adverſus Herodem filium poſtularunt à Rege Cæſaræ. Quam inſulſa, Deus bone!

Sola Operum ejuſmodi lectio, contemptum pro meritis inſinuat; huic nihilo ſecius lomentis Judæi odium ſuum in Chriſtianos detinent. Neque hæc ſatis, quo etenim ſeſe expediant ab argumentis in ſe ductis è tempore, quo Meſſias proditurus erat, breviarunt chronologiam veteris Teſtamenti, natumque Jeſum conſtituerunt A. M. 3671. i. e. 329. annis citius quàm reipſa prodierit. Corruperunt inſuper oraculorum quorumdam Textus, utpote quorum eſt magis aperta veritas; ſenſum vero aliorum, eò pariter ſpectantium, retorſerunt, cum maximè impleta oraculorum ejuſmodi vis apertiùs evidentiuſque pateret. Meſſiæ confundunt characteres; alii etenim defendunt, diu quidem antea illum veniſſe, latere autem homines; venturum expectant alii, diraque imprecantur in eos, qui adventus ipſius annos ſupputant. Contendunt tandem nonnulli ab articulis fidei alienum eſſe adventus Meſſiæ dogma. Qualem dolum, qualem pervicaciam!

Docent Patres (b) in ipſo ſtatim rei Chriſtianæ exordio Judæos per ſubmiſſos viros totius mundi animos paraſſe in Jeſum Chriſtum, ejuſque dogmata, Diſcipulos vero perinde traduxiſſe ac impoſtores, qui poſt ſublatum clam è tumulto Præceptoris cadaver, de reſurrectione ejus falſum rumorem ſparſiſſent in vulgus. Refert S. Matthæus 18. 12. 13. poſt reſurrectionem Jeſu Chriſti milites cuſtodiæ ſepulcri aſſignatos, quidquid acciderat omne expoſuiſſe Princip-

(a) Toledos Jeſu, ſeu Liber generationis Jeſu.

(b) Euſeb. in Iſai. 18. 1. Hieron. ibid. Oecum in Epiſt. ad Rom.

cipibus Sacerdotum, quorum auro corrupti palam cæteris enunciaſſe, cùm ſopore ipſi tenerentur, Diſcipulos clam Præceptoris corpus ſubripuiſſe.

Ahmed ben Caſſen Al Andacouſi Maurus Granatenſis, qui anno Jeſu Chriſti 1599. agebat in vivis, laudat M. S. Arabicum S. Cæcilii Granatenſis (a) detectum una cum 16. laminis plumbeis, characteribus Arabicis inſcriptis in ſpecu quodam ad eam urbem proximo. Idem pariter teſtis aſſeruit D. Petrus de Caſtro y Quinones ejuſdem urbis Archiepiſcopus, Laminæ illæ plumbeæ, Granatenſes appellatæ, translatæ dein Romam, poſt ſerium proliaumque complurium annorum examen, tandem apocrypharum nota confiſæ ſunt ſub Alexandro VII. Plures continent fabellas veriùs quàm hiſtorias, de infantia & educatione Jeſu Chriſti, de rebus à B. Virgine geſtis. Legas ibi inter cætera, Jeſum Chriſtum puerum adhuc, diſcentemque à Ludimagiſtro elementa Arabica, Doctorem ſuum interrogaſſe, de cujuſque elementi ſignificatione, & poſt auditam ab illo interpretationem grammaticulem, Præceptorem ipſum docuiſſe latentem in ſingulis myſticum ſenſum.

Quæ de vita, infantia & prædicatione Jeſu Chriſti procula ſunt Evangelia, legas v. *Evangelium*.

Multis in utramque partem ſcriptis Lucubrationibus diſputatum eſt de forma, venuſtate, ac ſtatura Jeſu Chriſti. Speciosiſſimum præ cæteris mortalibus illum duxerunt plures, alii ſecus. Juvat hic brevi compendio referre rationum momenta, quæ utrinque expenſa ſunt.

Qui pro elegantis Jeſu Chriſti ſpecie pugnant, fidem dicto ſuo adſtruunt ex illis 44. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis*. Ad hæc eximia humorum temperatura excellebat Jeſus; in ejus conceptu, ortu, & educatione nihil deſideratum eſt eorum, quæ conciliandæ venuſtati conferunt, defueruntque viciſſim omnia, quæ corpori obſunt ad decorem. In parentis phantaſia nihil abſonum; fœtu non gravabatur; nihil moleſtum inter enitendum experta eſt. Exceſſus cibi & immoderatus voluptatum uſus in ipſa nullus. Porro Jeſu Chriſti corpus opus fuiſſe abſolutiſſimum neceſſe fuit, utpotè conceptum è puriſſima & ſanctiſſima Virgine, operatione Spiritus Sancti.

Uniformi aſſenſu in eam opinionem deſcendunt Patres. Cenſuit S. Hieronymus (a), nitorem oris Jeſu Chriſti fulgentemque in ejus vultu gloriam majeſtatis ad ſui admirationem & amorem rapere corda valuiſſe; ejus pellectu faciles tracti ſunt Apoſtoli, fulgore majeſtatis hujus territi ſunt milites, qui ad capiendum illum venerant in Hortum Olivarum. Refert S. Joannes Damaſcenus Abgarum (c) Regem Edeſſæ virum miſiſſe peritum ad exprimendum coloribus imaginem Jeſu Chriſti, ſed ille ſplendore vultus ipſius ita perſtrictus eſt, ut ab incœpto deſiſtere cogeretur. Tum Jeſus voto Principis expleturus, telam picturæ paratam applicavit vultui, ſtatimque imaginem in illa ſuam impreſſit, quam & tranſmiſit ad Abgarum.

Autumat Nicephorus Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 40. ex pictis à S. Luca imaginibus Jeſu Chriſti, SS. Virginis & Apoſtolorum longè lateque hominum obtutibus permiſſis exprеſſas eſſe ad vivum eorum figuras. Conſtat utique receptam quandam in Eccleſia manſiſſe ſemper traditionem de aſpectu & ſtatura Jeſu Chriſti & Apoſtolorum. Ita ergo ille acceptam ex imaginibus, à S. Luca, ut ipſe quidem arbitratur, pictis, Jeſu Chriſtum, deſcribit. „ Porrò effigies Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſicut à Ve-
„ teribus accepimus, talis propemodum. Egregio is
„ vividoque vultu fuit. Corporis ſtatura ad ſpitha-
„ mas prorſus ſeptem, (id eſt ſeptem pedes ra. digi-
„ torum). Cæſariem habuit ſubflavam ac non admo-
„ dum denſam, leniter quodammodum ad criſpos
„ declinantem. Supercilia nigra, non perinde infle-
„ xa. Ex oculis ſubflaveſcentibus mirifica promine-
„ bat gratia. Acres ii erant, & naſus longior. Bar-
„ bæ capillus flavus nec admodum demiſſus. Capitis
„ porro capillos tulit prolixiores. Novacula enim in
„ caput ejus non aſcendit, neque manus aliqua ho-
„ minis, præterquam Matris in tenera dumtaxat æ-
„ tate ejus. Collum fuit ſenſim declive, ita ut non
„ arduo & extento nimium corporis ſtatu eſſet.
„ Porro frumenti referens colorem, non rotundam
„ aut acutam habuit faciem, ſed qualis Matri
„ ejus erat, paulum deorſum verſum vergentem,
„ ac modicè rubicundam, gravitatem, atque pru-
„ dentiam cum lenitate conjunctam, placabilita-
„ temque iracundiæ expertem præferentem. Perſi-
„ milis denique per omnia fuit immaculatæ ſuæ
„ Genitrici.

S. Bernardus ſerm. 1. in Feſto omnium SS. *Adhærebant ei affatu pariter & aſpectu illius delectati, cujus nimirum vox ſuavis & facies decora*. S. Joannes Chryſoſtomus in Pſal. 44. gemina tradit, gentes ſcilicet omnes veluti clavis affixas *haſiſſe Chriſto, nunquam ſe laſſantes ab admirando vultu & voce auſcultanda*. Simul autem exponens illud Iſaiæ 53. 2. *Non eſt ſpecies ei neque decor*, notat: *Non dicit de deformitate, abſit, ſed de ejus contemptione, quæcunque enim erant vilia & contemnenda pervaſit*. Plura recentiorum Authorum contraherentur, plures etiam cumularentur pro venuſta Servatoris forma conjecturæ, quas repetas ex Authoribus argumenti genus illud diſcutientibus.

Promenda modo quæ pro ineleganti corporis Jeſu Chriſti forma ducuntur in medium. Iis ergo Iſaias 52. 14. &c. & 53. 2. &c. *Inglorius inter viros aſpectus ejus, & forma ejus inter filios hominum . . . . Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti. Non eſt ſpecies ei neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem; & quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Et nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras &c.* Verba hæc de Meſſia exponenda docent uno aſſenſu Commentariorum Scriptores. Confirmat hæc omnia Apoſtolus Philipp. 2. *Semetipſum* (Jeſus Chriſtus) *exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. De elegantia ejus aſpectus nullibi teſtimonium latum eſt ab Evangeliſtis.

Vetuſtiſſimi quique Patres illiberalem aſpectu Jeſum perhibuerunt: *Homo indecorus & paſſibilis*, ait S. Irenæus lib. 3. cap. 19. nov. edit. Objicienti Celſo Chriſtianis, Jeſum Chriſtum hominem fuiſſe aſpectu temnendum, & è vulgo, atque indè inferenti alienum fuiſſe à Numinis majeſtate, reponit Origenes, ſcriptum reperiri Jeſum quidem ingrato futurum aſpectu, ſed non puſillo corpore, nec obſcuris natalibus. S. Clemens Alexandrinus, *Pedagog. lib. 3. cap. 1. Strom. lib. 1. & 3.* non ſemel fatetur, Jeſum Chriſtum corporis quidem forma inglorium fuiſſe, non anima; veniſſe in mundum venuſtate corporis, quæ oculos capit, deſtitutum, ne ſcilicet homines exteriori ejus adhærentes, ſpiritalia, quæ annunciabat, ſeu negligerent, ſeu minori guſtu & ſapore æſtimarent. Paria fermè legas in S. Cyrillo Alexandrino Glaphyr. in Exod. deſendente, quæ Jeſu Chriſto tribuitur in Pſalmo, venuſtatem, de animi nitore exponendam eſſe, optimaque ſpiritus habitudine; quæ ſane exterius minus glorioſo velamine tegebatur.

Nec obſcure magis in eam ſententiam Latini Patres. Tertullianus de Idololat. *Vultu & aſpectu inglorius*; & adverſus Judæos: *Ne aſpectu quidem honeſtus*. Iterum de Carne Chriſti: *An auſus eſſet aliquis*

(a) Bibliot. Orient. pag. 73. Ahmed. &c. 312. col. 2. (b) Hieron. in Matth. 9. & in Matth. ar. 52. 53. & Epiſt. ad Principiam. (c) De fide Orthod. lib. 4. cap. 17. Niceph. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 9.

quis ungue ſummo perſtringere corpus novum, ſputaminibus contaminare faciem non merentem: S. Auguſtinus in Pſal. 44. *Ut homo non habebat ſpeciem neque decorem, ſed ſpecioſus forma, ex eo quod eſt præ filiis hominum*. Veterum plerique, Euſebius, S. Baſilius, Theodoretus, S. Ambroſius, S. Iſidorus Peluſiota, Hieronymiaſtes in Pſalmos, illud Pſalmi 44. *Specioſus forma præ filiis hominum*, exponunt de gloria Jeſu Chriſti ſecundum quod Deus erat.

Ex his omnibus rectè inferas, primævæ antiquitatis Chriſtianos invenuſtati Jeſu Chriſti plus faviſſe, quam venuſtati. Quæ invaluit contraria opinio recentior eſt; utraque tamen citra fidei diſpendium tenebatur. Conſule Authores argumentum illud vexantes, D. Rigaltium, P. Vavaſſoriom, & Diſſertationem præfixam noſtro Commentario in Iſaiam. D. Abbas Boilæus Decanus Sacræ Ædis Pariſienſis ſcripta Diſſertatione defenderat Jeſum Chriſtum brevem fuiſse ſtatura. Ejus potiſſimum argumentum inde ducebatur, quod Zachæos illom viſurus aſcendit ſicomorum, quo ſcilicet Virum à turba diſtingueret: *Quia ſtatura puſillus erat;* Jeſus ſcilicet, non Zachæus; quanquam de Zachæo dicta illa vulgo accipiuntur.)

II. JESUS, ſive *Jaſue*, *filius Joſedech*, primus qoi poſt regreſsum è Babylonica captivitate, Summo Sacerdotio Judæorum, incertum tamen quot annorum ſpatio, fungeretur. Regreſsus Ieroſolymam, nihil antiquius babuit, quàm ut ſacrificia reſtitueret, claſses, & munera Sacerdotum, & Levitarum dirigeret. 1. *Eſdr.* 4. 3. Templum tandem, quantum rerum Judaicarum ſtatus patiebatur, reædificaret. De hoc Pontifice ſæpius Zacharias, & Aggæus; quorum alter ſuis ſuaſionibus illum, & Zorobabelem eſcitavit, poſt deceſsum Cyri, & Cambyſis, anno ſecundo Darii Hyſtaſpis, ut Templi ædificationem ſuſciperent (a). Ut autem illos Divino Spiritu actos vidit, futurum dixit, ut brevi Cœlum, terra, mare, & omnes nationes commoverentur, cunctiſque Deſideratus gentibus in Mundum veniret, nec non gloria Templi moa excitandi in immenſum augeretur. *Ag.* 2. 5.

Zacharias vero 3. 1. *&c.* vidiſse ſe perbibet Summum Sacerdotem Jeſum filium Joſedech, ſtantem coram Angelo Dei in Judicio, ad cujus dexteram Satanas ſtabat, acculationes inſtituturus. Dæmoni Angelus ultionem a Deo minitatus eſt; à Deo quidem, qui Ieroſolymam in habitaculum elegerat, & eum vitum veluti torrem ex igne ſubduxerat. Juſſit deinde ſordidas à Jeſu veſtes detrahi; addiditque ſe, veſtibus iniquitatis exutum illum pretioſis indoiſse. Tum & tiaram fulgentem capiti ejus imponens, pollicitus eſt, ſe ipſius cuſtodiendi curam Angelo commiſsurum, dum ipſe in viis Domini graderetur, & Domum Dei curaret. Tandem addidit: *Adducam ſervum meum Orientem*, quod de Meſſia, ſecundi Templi ætate venturo, dictum intelligendum eſt.

Eidem Prophetæ (b) duo olivarum arbores per viſum oſtenſæ ſunt, hinc atque inde ad latera candelabri, è quibus in lampades ejuſdem oleum ſtillabat. Porro arbores iſtæ, juxta Angeli interpretationem, Jeſum, & Zorobabelem denotabant, *qui ſunt duo filii olei* (ſcilicet duo uncti), *qui adſiſtunt Dominatori univerſæ terræ*. Juſsus eſt etiam à Domino Zacharias 6. 11., auro ab Optimatibus Judæorum oblato coronas capiti Jeſu imponendas conflare, illique adventum Viri, cui nomen *Oriens* (ſcilicet Meſſiæ) polliceri. Vir autem ille verum Domino Templum excitare, atque ſolio Jeſu aſſidere debuerat, quod de Eccleſia Chriſtiana dictum intelligendum eſt. Pro *Oriens* legi poteſt *Germen* (c), eoque nomine ſignificatus creditur à nonnullis (d) Zorobabel, germen è domo Davidis. Verùm adventus Zorobabelis, eodem tempore in vivis agentis, abs re prorſus ipſi Jeſu annunciandus fuiſſet; ambo enim è Babylonica captivitate ſimul redierant. Jeſus filius Sirach, Author Libri Eccleſiaſtici 49. 14. utroſque iſtos viros velut annulos in manu Dei, & excitati ſecundi Templi ad immortalem Dei gloriam authores, commendat. Succeſſorem habuit in Pontificatu Joacimum, qui regnante Xerxe ſacris præfuit (e).

III. JESUS, *filius Nave*, ſive *Nun*. Vide *Joſue*.

IV JESUS, *filius Sirach*, Author Libri Eccleſiaſtici 50. 20. *&* 51., &, juxta Genebrardum, ex genere Jeſu filii Joſedech Summi Sacerdotis. Juxta aliqua Græca Exemplaria, avum habuit Eleazarum, patrem Sirach Ieroſolymitæ; de his tamen, uti & de Sacerdotii dignitate, ipſi à nonnullis tributa, ne verbum quidem habet Author capp. 50. 29. & 51. uti & alibi paſſim, ubi de ſeipſo agit. Teſtatur ibidem, ſe diſcendæ ſapientiæ plurimum ſtuduiſſe, qua precibus apud Deum, qua ſuſceptis ea de cauſa ad exteros peregrinationibus (f), qua lectione, qua tandem crebra vitæ diſcrimina *Eccli.* 34. 13. & apud Reges invidentium calumnias ſubeundo *Eccli.* 51. 5. *&c.* Tradit etiam, ſe omnium ſuæ nationis noviſſimum ſententias morales ſcriptis conſignaſſe. *Eccli.* 33. 16. Jeſus, vero nepos hujus Jeſu, qui avi ſui Librum vertit, in ea, quam Operi præfixit, præfatione, teſtatur, avum ſuum magna ſapientiæ fama claruiſſe. De Sirach patre Jeſu nihil conſtat, uti & de nomine patris Jeſu, nepotis hujus Jeſu, omnia incerta.

De Libro Eccleſiaſtici, ſuo loco egimus, ubi & de Authore illius, de inſpiratione ejuſdem, ac tandem de Jeſu, qui Librum interpretatus eſt, diſſeruimus. Vide etiam Fabric. Bibl. Græc. t. 2. l. 3.

* (Nomen & Lucubratio Scriptoris hujus Arabes non latet (g). Tenent autem Avum ejus Viſirium geſſiſſe apud Salomonem, conjugemque illi adſciſcunt Fikiam probitate inſignem mulierem, cujus res geſtæ Arabicis literis mandatæ ſunt. Extat alterom Opus Arabicum inſcriptum: *Sententiæ & Sapientia Jeſu filii Sirach*.)

V. JESUS, alio nomine *Jaſon*, qoi pulſo Onia III. Summum Sacerdotium oſurpavit. Vide *Jaſon*.

VI. JESUS, *filius Phabis*, qui in dignitate Summi Sacerdotii Ananelo ſucceſſit, & Simonem filium Boethi præceſſit. Paulo poſt initam dignitatem, ab Herode amotos eſt an. M. 3981. ante Chr. 19. ante Ær. 23. neque de ejus geſtis aliud quidquam proditum eſt.

VII. JESUS, *filius Sia*, Summus Pontifex Judæorum, qui Eleazaro ſucceſſit, & Joazam Pontificem ſub Archelao præceſſit. Poſt acquiſitam, ut maximum, quatuor tantum annis dignitatem, exauthoratus eſt, anno 4009. Ejus ſiquidem prædeceſſor anno 4004. eandem dignitatem inivit.

VIII. JESUS, *filius Damnæi*, Summus Sacerdos Judæorum, eodem anno Chr. 63. ab Agrippa dignitate ornatus, & expoliatus. Hic Anano, ipſi vero Jeſus Gamalielis ſucceſſit.

IX. JESUS, *filius Gamalielis*, Summus Sacerdos Judæorum, ſucceſſor Jeſus Damnæi, & prædeceſſor Matthiæ filii Theophili. Cum duo Jeſus, nempe filius Damnæi, & filius Gamalielis, ambo de Pontificatu inter ſe contenderent, urbemque & Templum ſtudio partium diviſiſſent, Agrippa utrumque depoſuit, atque Sacerdotium Matthiæ contulit, Ann. Chr. 64.

JETEBA, urbs Tribus Juda, patria Meſſalemeth matris Ammonis Regis Juda. 4. *Reg.* 21. 19.

JETEBATA, locus inter Gadgad, & Hebronem, ubi Iſraelitæ in itinere per deſertum caſtrametati ſunt.

(a) Agg. 1. 1. &c. An. M. 3485. ante Chr. 515. ante Ær. 519. (b) Zach. 4. 2. &c.
(c) Hebr. *Germen eſt nomen ejus*. (d) Euſeb. Demonſt. l. 4. Theodoret. ad Zach. 3. & 6. Hier. & alii.
(e) Joſeph. Antiq. l. 11. cap. 5.
(f) Vide Eccl. 51. 18. & 34. 10. &c.
(g) Biblio. Orient. pag. 494. Joſchovah. Ben - Strakh.

fuit. Idem fortaſſe locus eſt, ac Sepulchra Concupiſcentiæ: ſiquidem Jonathan idem putat, Aierum Concupiſcentiæ.

JETHELA, urbs Dan. *Joſue* 19. 42.

I. JETHER, urbs Dan. *Joſue* 15. 48. quæ Levitis familiæ Caath ceſſit *Joſue* 21. 14. *Jether*, ſive *Jethira*, Euſebio authore, ſita eſt in regione Daroma, urbem Malatham verſus, 20. milliaribus ab Eleutheropoli. Eadem fortaſſe eſt, ac *Ether*, ſive *Athar*.

II. JETHER, filius Gedeonis, qui patri jubenti occidere Zebee, & Salmana, parere cunctatus eſt. *Judic.* 8. 20.

III. JETHER, ſive *Jethra*, conjux Abigail, ſororis Davidis, & pater Amaſæ 1. *Par.* 2. 17.

JETHETH, filius Eſau, ex vetuſtiſſimis Ducibus Idumæorum. *Gen.* 36. 40.

JETHMAH, ex fortiſſimis Davidici exercitûs 1. *Paral.* 11 46.

JETHARAM, filius Davidis, & Eglæ. 1. *Par.* 3. 3. Egla eadem creditur ab Hebræis, ac Michol filia Saulis. Vide *Egla*.

JETHRO, Sacerdos, ſive Princeps (a) Madian, ſocer Moyſis. Vulgo creditur, Sacerdotium veri Dei geſſiſſe, quippè qui ſtirpis ſuæ authorem Madian, filium Cethuræ & Abrahami agnoſcens, veram Religionem facilè profiteretur. Hinc Moyſes connubia cum ejus filia iniit; & illum in caſtra Iſraelis ſupervenientem, ad ſacrificia Domino offerenda invitare non detrectavit. *Exod.* 18. 11. 12. Sunt, qui credant, quatuor hæc nomina eidem viro fuiſſe, *Jethro*, *Raguel*, *Hobab*, & *Ceni*. Alii verò duo priora eidem tribuunt, *Hobab* autem nomen fuiſſe cenſent filii Jethro, & fratris Sephoræ uxoris Moyſis; *Ceni* tandem nomen eſſe commune omnibus poſteris Hobab, utpote qui regionem Cinæorum ad meridiem Terræ promiſſæ occuparent. Hobab certò neceſſitudinis gradu ad Moyſem ſpectabat. *Num.* 10. 29. qui gradus nomine Hebræo *choten* (b) exprimitur, quo eodem nomine, cognatio Moyſem inter & Jethro denotatur *Exod.* 18. 1. 27. quamvis *Num.* 10. 29. Hobab filius Raguelis appellatur. Quare non deſunt, qui credant, Raguelem patrem fuiſſe Jethro; & Jethro, Hobab. Sed *Exod.* 2. 18. 21. Raguel Moyſi Sephoram deſpondiſſe perhibetur. Hiſce difficultatibus enodandis, nominis *choten* certam firmamque ſignificationem aſſignare oporteret.

Neceſſitudinis cum familia Jethro ineundæ hanc Moyſes habuit occaſionem. Poſt occiſum Ægyptium, qui Hebræum hominem opprimebat, fuga ſe ex Ægypto ſubducere coactus, venit in Madianitidem, ad orientem Maris Rubri, inter ſinus Elaniticum, & Heroopolitem. Cùm ibi juxta puteum conſediſſet, filias Jethro adaquandis gregibus ab aliis Paſtoribus injuria prohibitas, ſtrenuè defendit, atque curandorum gregum poteſtatem fecit. Collatum in filias beneficium pater illarum repenſurus, Moyſem hoſpitio recepit, & filiæ Sephoræ conjugio donavit. *Exod.* 2. 15. &c. Filios ex eâ habuit Gerſam, & Eliezer. Poſt exactos in contubernio Jethro 40. annos (c), ab Angelo in rubo ardenti monitus, ut Iſraelitas jugo ſervitutis relevaret, Moyſes, permittente Jethro, de voluntate Dei certiore facto, unà cum uxore, & filiis regreſſus eſt. Verùm antequam Ægypti fines ingrederetur, Sephora in Madianitidem ad patrem reverti coacta eſt, nec niſi poſt annum ab egreſſu Hebræorum ex Ægypto, in caſtra ad Sinai, Jethro deducente, Moyſi reſtituta eſt (d).

Igitur Jethro de adventu ſuo Moyſem monuit, à quo extra caſtra, honoris gratiâ, procedente exceptus, poſt mutuas amoris ac venerationis ſignificationes, in tentorium deductus eſt. Ibi audita de rebus Iſraelitarum hiſtoria, primò Dominô benedixit, deinde holocauſta, & hoſtias pacificas obtulit; quibus peractis, una cum Moyſe, Aarone, & optimatibus populi, convivium coram Domino celebravit. Manè ſequentis diei Moyſi audiendis cauſis totius Iſraelis incumbenti, totaque die in ea re laboranti ſuaſit Jethro, ut adjutoribus ejuſdem operis electis viris aſſciſcens, ſeſe ab immani labore minora quæque cognoſcendi relevaret, arduiſque negotiis opportunè ſe reſervaret. Moyſes conſilium probans, viros optimos ſelegit; quos ſuper populum, alios ſuper mille, alios ſuper centum, alios ſuper quinquaginta, ac tandem alios ſupra decem conſtituit. Ad illos Judices vulgares cauſæ deferebantur, arduas verò Moyſes cognoſcebat.

Moturus verò ex Sinai Moyſes, ſocerum rogavit, ut cum populo maneret, dux itineris ad Paleſtinam futurus *Exod.* 18. 27. ſed ille regreſſum in patriam expoſtulans, pro ſe filium Hobab reliquiſſe creditur. Hobab Terram promiſſam cum populo ingreſſus, *Num.* 10. 29. partem in ejus diſtributione ſub ſolius cum cæteris obtinuit. De Jethro nihil ultra occurrit.

Multæ de Jethro apud Judæos fabulæ ſunt, quas curſim libabimus (e). Primò, huic viro ſex nomina tribuunt: Jethro, Jether, Raguel, Chobab, Ceni, Phitiel, & Cheber. Addunt illum inter Conſiliarios Pharaonis cooptatum, & animum Regis iniquis Bileami conſiliis in Hebræos efferatum, meliorum conſiliis emollientem, ex aula pulſum, in Madian ſe recepiſſe. Secum vero tranſtuliſſe dicunt virgam ſapphirinam, ſexta die à Mundi exordio creatam, & ab Adamo ad Noe, inde ad Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, Joſephum, ac tandem ad Pharaonem jugi ſucceſſione tranſmiſſam. Hanc igitur virgam in horto ſuo humo infixam nunquam poſtea refigere potuit, ſoluſque, qui hoc valeret, inventus eſt Moyſes, qui Dei nomine adhibito, rem nullo negotio confecit. Inde Moyſes & conjugium Sephoræ, & virgam in opus prodigioſum reduxit. Hunc Jethro Authorem credunt illius lectionis Pentateuchi, quam illi appellant *Jethro*. Mahometani vero *Soaib*, quod nomen, & in Saadia, & in Verſione Arabica Exodi occurrit.

(Damus hic ſpecimen curioſum quidem, ſed parum aſſertum rerum à Jethro geſtarum, ex Arabicis Authoribus ad nos tranſmiſſarum (f). Natus eſt ex Michaele filio Taſhir, & nepote Madian. Porro Madian natus eſt ex Iſraele filius juxta Authorem Libri *Lab Tarik*; neque enim Moyſes inter filios Iſmaël Madian conſtituit *Gen.* 25. 13. 14. Virgam illam, qua prodigiis adeo invaluit, mutuo à Jethro acceptam Moyſes poſſedit. Fuit autem Jethro prophetiæ dote auctus, ablegatuſque à Deo retrahendis gentibus ſuis Madianitis ab idololatria, & inſtruendis de Numinis ſingularitate. Convertendis autem illis ad fidem vel prodigia impendiſſe illum affirmat Mahometus Alcoran. c. *Araf.* addſeque ex ejus Commentatoribus quidam, aſcendere volenti Jethro ad ſumma montis precandi cauſa, montem illum inclinaſſe ſeſe, quo ſcandendi laborem minueret.

Commentariorum in Alcoranum Scriptor alter affirmat, Jethro operam navaſſe maximam in avocando Madianitas à furto, atque à geminis diverſis ponderibus & menſuris uſurpandis, majoribus quidem ad emendum, minoribus ad vendendum. Ingerebat

(a) Ita Ezech. Poeta apud Euſeb. lib. 9. cap. 4. Præp. Jonath, alii plures. Hebræum Cohen interdum redditur Princeps.

(b) Choten. *Gener*; *affinis*, *cognatus*. Septuaginta Πενθερὸς, *Socer*, vel Γαμβρὸς, *Gener*, Aquila, Sym. Theod. Νυμφίος, *Sponſus* S. Hier. *cognatus*.

(c) Ab An. M. 2473. uſque ad 2513. ante Chr. 1487. ante Ær. 1491.

(d) An. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490.

(e) Vide Tanchuma, & Mechilta, & Scrip. Sgamb. l. 1. Archiv. Vet. Teſt.

(f) Bibl. Or. pag. 790. Schoatb.

ſæpius : *Juſtis ſeu menſuris ſeu ſtateris utimini, ne quenquam de rebus ſibi debitis fraudetis*. Nec fraudibus hiſce tantùm commercii jura violabant Madianitæ ; ſed & itinerantibus vim inferebant, violabantque impunè per vias regias gradientes. Ipſo pariter Jethro minitati exilium, redire in viam, nempè iniquitatis apud ipſos regnantis, unà cum Diſcipulis omnibus jubebant.

Eis hominum ſceleribus provocatus Deus juſtæ ultionis ſuæ memorandum exemplum in illis conſtituere decrevit. Miſſus igitur à Numine venit Angelus Gabriel, qui voce tonanti & clamore horrifico terram concutiens, necem intulit omnibus, Jethro tantùm, cæteriſque Numinis ſingularitatem tenentibus exceptis. Poſtquam hæc acciderunt, contulit ſe Jethro ad Moyſem generum ſuum, quâ de re Exodi 18. 1. &c. Quæ dedit Jethro genero ſuo Moyſi, tàm opportuna in rem præſentem, monita agnomen Viro conciliarunt apud Muſulmanos : *Prædicator Prophetarum*.)

JETHSON, urbs Tribus Ruben, quæ Levitis ex familia Merari ceſſit. In Hebræo in Libris Joſue 21. 36. & Paralipomenon 6. 78. 79. pro *Jethſon* legitur *Cademoth*, neque nomen *Jethſon* in catalogo urbium Ruben uſpiam occurrit.

JETHUR, filius Iſmaelis, pater Ituræorum. *Gen.* 25. 15.

JETTAN. Hunc locum collocat Euſebius (a) in regione Daroma, 18. milliaribus ab Eleutheropoli.

JEZABEL, filia Ithobaalis Regis Sidoniorum, & uxor Achabi Regis Iſraelis 3. *Reg.* 16. 31. Hujus operâ publicus cultus Numinibus Baal, Aſtartes, & cæteris Phœnicum & Chananæorum, contra repetitam Dei prohibitionem, in Iſraelem invectus eſt, id agentibus impiis, ut quam abominationem Deus in Chananæis inultus ferre non potuit, eandem in populo ſuo regnantem videret. Horum verò cultui Jezabel adeò ſtudebat, ut 400. Prophetas nemorum Deæ Aſtartes ſua impenſa aleret ; nec irreligioſior Achabus, qui 450. Prophetas Baal 3. *Reg.* 18. 19. ſuorum Numinum tanquam miniſtros detinebat. Aliam etiam provinciam Jezabel ſuſcepiſſe videbatur, delendum ſcilicet Domini cultum in Iſraële, cujus rei gratia Prophetas quamplures occidit ; omneſque ſuſtuliſſet, niſi centum ex iis Abdias, unus ex miniſtris Achabi, celaſſet (b). Inter hæc, Elias prodiit, qui coram Achabo, & univerſo Iſraele in monte Carmelo ignem è Cœlo ſuper holocauſtum deduxit, & populum ad cædem 450. Prophetarum Baal, qui aderant, incitavit : accepto tamen ex Jezabele nuncio, manè ſibi mortem ab illa imminere, ſtatim fuga ſuæ ſaluti conſuluit, 3. *Reg.* 19. 1. *&c.*

Poſt exactum aliquod temporis (c), denegata Achabo à Naboth poteſtate vineam ipſius emendi, Jezabel datis Regio nomine literis ad optimates urbis Jezrael, ubi Naboth verſabatur, juſſit accuſatum à falſis teſtibus de blaſphemia in Deum & Regem, virum interfici. His executioni mandatis, vineæ poſſeſſionem, tanquam fiſco addictæ, Achabus adivit. Tunc Elias illum conveniens, ejus totiuſque domus excidium juſſu Domini minitatus eſt ; Jezabelem verò totius mali originem a canibus vorandam in agro Jezrael (in Hebræo, *in antemurali Jezrael*) pronunciavit, 3. *Reg.* 21. 23. *&* 4. *Reg.* 9. 10.

Prophetæ oracula in literam impleta ſunt, cùm Jehu filius Namſi auctor contra ſuum Regem motis (d) Jezraelem victor ingreſſus eſt. Jezabel enim pictis ſtibio oculis, ut magis nigreſcerent, & capite exornato pompam è feneſtra Regiæ domus, imminenti portæ urbis, ſpectabat. 14. *Reg.* 30. 31. 32. cùm Jehu venientem in curru intuita, exclamavit viro iſti pacem eſſe non poſſe, qui Zambri inſtar dominum ſuum occidiſſet. Ad hæc Jehu elatis oculis, quænam eſſet fœmina præſentes interrogavit, utque continuò præceps è feneſtra ageretur, Eunuchis imperavit. Quibus juſſa complentibus, miſeræ cadaver intra ſeptum antemuralis jacens, à canibus voratum eſt. Interim Jehu ad convivium ingreſſus, domeſticis ſuis præcepit, ut irent, atque fœminæ, quantumvis miſeræ, Reginæ tamen, cadaver ſepulturæ mandarent. Eunuchis illis, & cadaver requirentibus, nihil occurrit, quàm cranium, atque manuum, pedumque extremitates. Quod cum Jehu renunciaretur, Eliæ oraculum impletum eſſe dixit, quo & carnes Jezabelis canibus vorandas, eaſque veluti ſtercus in agro abjiciendas pronunciavit, adeout prætereuntes dicturi eſſent : *Haeccine eſt illa Jezabel?*

Hujus fœminæ nomen pro fœmina crudeli, & impia proverbio uſurpatur. Hinc S. Joannes in Apocalypſi 2. 20. Epiſcopum Thyatiræ in Aſia minori reprehendit, quòd permittat *mulierem Jezabel, quæ ſe dicit propheten, docere & ſeducere ſervos* (Jeſu Chriſti) *fornicari, & manducare de idolothytis*: Addit inſuper, Deum huic mulieri tempus ad reſipiſcendum fruſtra conceſſiſſe ; quare impoſiterùm multis illam, ejuſque ſectatores plagis eſſe affligendos ; demùm ejus filios, in exemplum ultionis, & Divinæ in impios animadverſionis, interficiendos. Porrò nomen Jezabel ibidem figuratè corruptos alicujus mulieris, in Eccleſia docentis, mores denotare, extra controverſiam eſt apud Commentatores in cap. 2. 20. Apocalypſis.

I. JEZER, filius Galaad, & pater familiæ Jezeritarum. *Num.* 26. 30.

II. JEZER, ſivè *Jazer*, aut *Jaſer*, urbs Tribus Gad *Joſue* 13. 25. Levitis ex familia Merari attributa. 1. *Par.* 6. 81. Joſue 21. 37.

I. JEZONIAS, filius Machati 4. *Reg.* 25. 23.

II. JEZONIAS, filius Jeremiæ Rechabitæ. *Jerem.* 35. 3.

III. JEZONIAS, filius Schaphan, Dux Iſraelitarum, quos Ezechiel Idolis cultum exhibentes divinitus aſpexit. *Ezech.* 8. 11.

IV. JEZONIAS, filius Azur, unus ex nebulonibus illis, qui Jeruſalem ollam, ſe verò carnes eſſe jactitabant. *Ezech.* 11. 13.

V. JEZONIAS, filius Oſaiæ. *Jerem.* 42. 1. Idem fortaſſe, ac Azarias filius Oſaiæ, *Jerem.* 43. 2. qui præcipuus author fuit Iſraelitis, ut ex Judæa in Ægyptum tranſmigrarent, invito Jeremia.

JEZRA, filius Moſollam, & pater Adielis. 1. *Par.* 9. 12.

I. JEZRAHEL, urbs Juda. *Joſue* 15. 56.

II. JEZRAHEL, urbs notiſſima Tribus Iſſachar, ſita in Campo Magno. Vidè *Jezrahel*.

III. JEZRAHEL, filius Etham è Tribu Juda. 1. *Par.* 4. 3.

IV. JEZRAHEL, filius Oſee Prophetæ, ex Gomer meretrice, quàm idem Propheta in uxorem duxerat. *Oſee.* 1. 4.

JEZRAIA, Præfectus Muſicorum Templi ſub Nehemia. 2. *Eſd.* 12. 41.

IGAL, è Tribu Iſſachar, ex ea Tribu ſelectus ad explorandam unà cum cæteris Terram promiſſionis. *Num.* 13. 8.

IGNATIUS, Diſcipulus Apoſtolorum, Epiſcopus Antiochiæ, & Martyr in perſequutione Trajani. Sunt, qui ſcripſerint, hunc Ignatium, alio nomine *Theophorum*, ſive *Theopherum*, puerum illum fuiſſe, quem Jeſus ad indicandum humilitatis exemplum *Matt.* 18. 2. *&c.* in ſinu excepit (e), ſed hæc fidei ſubleſtæ ſunt. Nec magis certæ ſunt Epiſtolæ

(a) Euſeb. de nom. Hebr.
(b) 3. Reg. 18. 13. An. M. 3096. ante Chr. 904. ante Ær. 908.
(c) 3. Reg. 21. 1. An. M. 3105. ante Ch. 895. ante Ær. 899.
(d) An. M. 3120. ante Chr. 880. ante Ær. 884.
(e) Quidam apud Anaſt. Bibl. & alii.

ſtolæ illæ, quæ circumferuntur, SS. Virginis ad S. Ignatium, & viciſſim. Nomen hujus viri in Novo Teſtamento nunquam occurrit, qui, teſte S. Chryſoſtomo tom. 2. orat. 42. nunquam Dominum vidit; Apoſtolorum tamen Petri, & Joannis Evangeliſtæ Diſcipulus fuiſſe creditur (a). Extant divino ſpiritu refertiſſimæ Epiſtolæ, quas ille, cùm ad martyrium Romam transferretur, ſcripſit. Hiſtoria illius martyrii notior eſt, quàm quæ præter noſtrum inſtitutum hìc referatur.

IGNIS, ſymbolum Divinitatis: *Deus tuus Ignis conſumens eſt*, *Deut.* 4. 24. Sæpè Deus in mediis flammis apparuit, ut in rubo, & monte Sinai, ſeque Prophetis ſuis Iſaiæ, Ezechieli, & D. Joanni flammis undique ſeptum exhibuit. Dei currus igne exæſtuans deſcribitur in Pſalmo 17. 9. 10. ipſe Deus, à cujus facie fluvius igneus, & rapidus dicitur egredi, *Dan.* 7. 10. in igne ſe iterum venturum dicit. Ira Dei, ejuſque flagella, bellum, fames, & cæteræ calamitates ignis nomine referuntur. Sæpè etiam pro fulmine, & tonitru ignis inducitur.

Angeli etiam, ut Domini Miniſtri, igni urenti aſſimilantur, *Pſalm* 103. 4. Dominus, vel pro ipſo Angelus, in columna ignis noctis tenebras irradiantis Iſraeli itineranti præivit, *Exod.* 13. 21. Sæpè etiam ignis è Cœlo delapſus, immolatas victimas, ut Deo acceptæ probarentur, abſumpſit; quo utique modo etiam Abelis ſacrificia à Deo comprobata opinamur, *Gen.* 4. 4. Abrahamo, cum Domino fœdus ineunti, *Gen.* 15. 17 Moyſi Tabernaculum, *Levit.* 9. 24. & Salomoni Templum dicanti 2. *Par.* 7. 1. Manue Sampſonis genitori, *Judic.* 13. 19. Eliæ in monte Carmelo, 3. *Reg.* 18. 38. denique poſt captivitatem Nehemiæ, 2. *Mach.* 1. 19. eadem contigiſſe compertum.

In holocauſtorum ara à Templi Sacerdotibus lignorum pabulo perpetuò ignis fovebatur, *Levit.* 6. 12. A Nabuchodonoſore Jeroſolyma capta in ſicco puteo perpetuum ignem Jeremias occuluit, 2. *Mach.* 1. 19. *&c.* cujus loco poſt captivitatem aquam eduxit, eaque Altari & victimis perfuſis, ignis ſtatim inde egreſſus omnia conſumpſit.

Præter ignem perpetuum plures in Templo extruebantur culinæ, *Ezech.* 46. 23. ubi cibi Sacerdotibus apponendi, & pacificorum victimæ coquerentur, quibus Domino oblatis in ipſis atriis populus veſcebatur. Ne tot ignibus eſca deficeret, in Feſtivitate, quæ Xilophoria (b) dicitur, grandes lignorum ſtrues in Templo congerebantur.

Veteres Chaldæi, & Perſæ, aliæque Orientis Regiones Divinos Igni cultus exhibuere. Abrahamum, quòd ignem colere noluerit, in ignem conjectum plures autumant. Quod ſanè ſuadere videtur Hieronymus in Vulgata, cum eumdem Patriarcham de Ur Chaldæorum à Domino eductum referens, de Chaldæorum igne ereptum dicit, *Eſdr.* 9. 7. Tres Danielis ſocios in fornacem Nabuchodonoſor projici juſſit, quod ſimulacro ab ipſo erecto cultum impendere reſpuerint. *Dan.* 3. 21. quos tamen Deus inde eduxit incolumes.

Chriſtus Dominus in Novo Teſtamento ignem æternum Diabolo, & ejus Angelis paratum, improbis intentat, *Matth.* 25. 41. Vidit Joannes, *Apoc.* 20. 10. ſtagnum ignis, in quem Beſtia unà cùm ſuis pſeudoprophetis projicienda erat. Divinam demum de improbis vindictam ignis inducit. Dei Filius, qui baptizare venerat *in Spiritu Sancto, & igni*, *Matth* 3. 11. in terras ignem ſe tuliſſe fatetur, quem prorsùs accendi vehementer exoptat, *Luc.* 12. 49. Quamobrem Spiritum Sanctum in Diſcipulos ſuos inſtar ignis effudit. *Act.* 2. 3.

(Infernus ignis in Veteri Teſtamento non obſcurè tenetur. Moyſes in Iſraelitas rebelles invehitur *Deut.* 32. 22. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima: devorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.* En infernum ignem, & iniquorum carcerem in imo terræ profundo collocatum. Iſaias diſertiùs 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Et 6. 6. 24. *Videbunt cadavera virorum, qui prævaricati ſunt in me, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Eccleſiaſticus quoque 7. 19. *Vindicta carnis impii ignis & vermis.* Videſis Jobum 20. 26. *Devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur.* Et 24. 19. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium.*

Jeſus Chriſtus in Evangelio *Matth.* 19. 24. eodem exemplo damnatorum ſupplicia exponit. Sæpiùs etiam ignem æternum Diabolo ſuiſque Angelis & reprobis paratum uſurpat *Matth.* 25. 41. Et S. Judas v. 7. *Sodoma & Gomorrha & finitimæ civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* Alia N. T. omittimus; omnes ignem æternum impiis deſtinatum luculentiſſimè in illo exprimi fatentur S. Joannes in Apocalypſi 20. 14. 15. vidit igneum quemdam lacum, in quem projecta Beſtia, & Pſeudo-Propheta ejus aſſertor; ubi etiam portio aſſignata infidelibus, impiis, & homicidis. Ignis tandem emblema eſt Divinæ in ſceleſtos ultionis.

Num verò iſta de elementari ſeu metaphorico quodam igne exponenda ſint, an potius de verme quodam re ipſa abrodente, ſeu de allegorica re alia; uno verbo an ignis infernus dolor ſit tantùm acutus, fervens, & vermis ipſa crimina conſcientia damnatos torquens, in utramque partem diſputant Patres & Doctores. Nihil reale concipiendum in flamma Inferni, ſicut nec in damnatorum verme docuit Origenes Hom. 13. in Exod. & de Princip. l. 2. c. 11. Paria ſentit S. Ambroſius in Lucam lib. 7. c. 14. *Nec corporalium aliquod ſtridor dentium, nec ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis eſt corporalis; ſed omnium ejuſmodi loco eſt mordentis conſcientiæ dolor.* S. Hieronymus in Iſai. 66. *Ignis, qui non extinguitur, à pleriſque conſcientia accipitur delictorum.* S. Gregorius Nicænus de Anim. & Reſur. hanc ſententiam apertè tuetur. S. Joannes Damaſcenus de Fide lib. 4 cap. ult. luculenter aſſerit, alium eſſe inferni ignem à materiali, & noſtro elementari, naturam autem ejus ignorare homines. Nec aliam tuentur vulgò opinionem Græci, qui in Concilio Florentino defenderunt, Purgatorii ignem alium eſſe à materiali & reali.

Sed in Eccleſia Latina probata magis communi ſuffragio ſententia tenet torreri damnatos flagranti maximè igne, abrodi pariter verme materiali & ſenſibili, qui nunquam morietur. Nec ſatis habuit S. Auguſtinus de Civit. lib. 21. capit. 10. & lib. de Fide & operib. cap. 15. ſententiam ſuam nudè ea de re proferre, ſed quod in mentem facilè ſuccurrit in contrarium argumentum præoccupat. Quomodo enim ſpiritalis natura ſua anima igne elementari tangetur, angetutque verme ſenſibili ac materiali? Reponit S. Auguſtinus; ut quid non eadem nos reputemus de animabus à corpore diſcretis, quod ſentimus in animabus junctis corpori? ſenſu enim intimo doloris tanguntur, cùm igne angitur corpus. Neque enim in mentem inducendum eſt fieri poſſe ut corpus algeat, doleat, animæ enim hæc omnia tribuenda: *Adhærebunt ergo Spiritus Dæmonum, imò Spiritus Dæmones, licèt incorporei, corporeis ignibus cruciandi, non ut ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum junctura inſpirentur & animalia fiant, ſed, ut dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.*

Infernum exhibet S. Cyprianus, de laude Martyrii,

(a) Greg. Magn. lib. 4. Epiſt. 37. Hieron. in Chron. Ignatii Acta.
(b) Joſeph. de Bello lib. 2. cap. 17. pag. 811.

tyrii, valut fumantem quandam fornacem, vivido quodam & urenti igne ſuccenſam. S. Chryſoſtomus hom. 44. & 55. in Matth. producit fluvios flammarum & fluctus igneos jactantes abſorbenteſque damnatos, nunquam tamen abſumentes. Duo agnoſcit realia ſupplicia in Inferno S. Hieronymus, algorem intimum, vorantemque ignem; & Hieronymiaſter Comment. in Job cap. 20. *Ignis gehennæ non materiis quibuſdam & pabulis vivit, ut ardeat, ſed per ſeipſum, ut creatus eſt vigens &c.* S. Gregorius Magnus expreſſiùs adhuc eandem ſententiam tuetur, Moral. lib. 15. cap. 29. *Gehenna ignis, cùm ſit corporeus, & in ſe miſſos reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur, ſed creatus ſemel durat inextinguibilis.* Idem inculcat Dialog. lib. 4. capit. 29. rationem agendi corporalis ignis in animam eandem fermè adducens ac S. Auguſtinus. In hanc ſententiam conceſſerunt Scholaſticorum pleríque, & ſola fermè obtinet in Eccleſia Latina.

Cæli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent, vaticinatur de extrema mundi die S. Petrus, Epiſtola ſecunda 3. 12. Ibi pariter verſ. 7. addit: *Cæli, qui nunc ſunt, & terra, igni ſunt reſervati in diem judicii*. S. Paulus 2. Theſſalonic. 1. 7. 8. affirmat venturum Jeſum *in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Dominum*. Et 1. Cor. 3. 13. *Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Adventum Domini in judicium deſcribens Pſalmiſta 96. 3. 4. 5. habet: *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ; vidit, & commota eſt terra. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini.*

Veritatis hujuſce tenuis quidam fulgor emicuit etiam Prophanis; ſive rem didicerint ex Hebræorum conſuetudine, ſive ex lectione Librorum Sanctorum, ſive tandem ex iis veritatibus una hæc fuerit, quarum depoſitum hominibus commiſſum ſanctèque ſervatum, ad poſteros devenerit: ſive tandem ratio ipſa & notio indita hominibus de elementis ac terræ ſtatu, facem illis prætulerit, ut venirent in cognitionem de abſumendo tandem flammis mundo. Tanquam ex veteri acceptum traditione notat Joſephus, Antiquit. lib. 1. cap. 3. jam inde ante diluvium filios Seth docente Abrahamo intellexiſſe, periturum Mundum aquis priùs, tum iterum igne; quare ut poſteris manerent, Aſtronomica inventa ſua deſcripſerunt in duplici columna, lapidea altera ut aquarum injuriis reſiſteret, alia verò lateritia, ne vim ignis ſentiret. Geminas iſtas ſtatuerunt in Syriade, ubi ſua adhuc ætate ſpectari lapideam Joſephus ipſe teſtatur.

De ſinceritate hujus traditionis nihil ego in præſenti; certò tamen conſtat diu ante Joſephum Philoſophis Græcis ſediſſe ſententiam de exitu mundi per ignem. In eam conceſſerat Heraclitus (a), addens futurum, ut abſumpto mundo flammis, iterum in medio ignis novus alter emergeret. Gemina probarunt deinde Stoici. Exprimit id diſertiſſimè Tullius, de Natur. Deorum lib. 2. *Ex quo eventurum, ut ad extremum omnis mundus igneſceret, cùm humore conſumpto, neque terra ali poſſet, neque remearet aer .... ita reliqui nihil præter ignem; à quo rurſum ac de eo renovatio mundi fieret.*

Veteris hujus traditionis meminit etiam Ovidius, Metam. 1.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur adfore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Hanc etiam revocat in mentem Cæſari Lucanus, Pharſal. lib. 7. demonſtrans fruſtra illum angi, quòd cæſa militum corpora in prælio Pharſalico igne non cremarit; futurum enim dicit, ut tandem una cum reliquo mundo ardeant.

Hos, Cæſar, populos, ſi nunc non uſſerit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti;
Communis mundo ſupereſt rogus, oſſibus aſtra
Miſturus.......

Videſis noſtram Diſſertationem de exitu Mundi.

Ignis perpetuus Perſis religioſus. Vide infra *Zoroaſtres*, & *Sabii*. Docebant Magi demiſſum ſibi cælitùs ignem, religiosè tanquam cæleſte munus ſervare. Nunquam itineri ſe dabant Reges Perſidis, niſi præcedente ſacri ignis favilla. Quo ritu id ageretur videſis apud Curtium. *Ignem cælitùs lapſum apud ſe ſempiternis ferculis cuſtodiri*, ait Ammianus lib. 23. *cujus portionem exiguam, ut fauſtam, præiſſe quondam Aſiaticis Regibus, dicunt.*

Hæc omnia derivata videntur ex Hebræis perpetuum ignem in Altari holocauſtorum foventibus; ignem, inquam, cælitus dilapſum in victimas illas primùm immolatas ab Aarone & filiis ſuper Aram Tabernaculi *Levit.* 9. 24. An lex, ſervari æternum in Altari ignem præcipiens, executioni mandata ſit in deſerto, cùm populus caſtra ſæpè mutare, longum producere iter cogeretur, incertum. Cenſet Maimonides tres ignes arſiſſe in Altari holocauſtorum; primum ſcilicet deſtinatum quotidiano holocauſto & victimis, quæ immolabantur; alterum exhibebant prunæ ad thymiama in Sancto ſuper Altare aureum deſtinatæ. Tertius tandem ignis ardebat ſemper implendæ Legi de fovendo perpetuo igne in Altare Domini. Rabbinorum nonnulli docent ad ignem illum Altaris fovendum nulla opus fuiſſe lignorum materia; quæ ſi imponeretur, factum id non neceſſitate, ſed cautione, ut miraculum celaretur.

Ignis. Supplicium ignis. Vide *Supplicia*.

IGNOMINIA. Detegere ignominiam *Levit.* 18. 15. 17. &c. probrum, nuda alicujus, ſynonima ſunt. Denunciat Iſaias 20. 4. futurum, ut Ægyptii in captivitatem nudi rapiantur, eorumque *ignominia* à nemine tegatur. Aureum vitulum in deſerto à Judæis conſecratum appellat Moyſes, Exodi 32. 25. *ignominiam ſordis*; i. e. Idolum ſordidum, & probroſum. Helluonem, qui ingurgitatum cibum turpiter evomere cogitur, ſuggillat Habacuc 2. 16. nota, *vomitus ignominiæ*. S. Paulo Rom. 1. 26. *paſſiones ignominiæ* ſunt vitia illa probroſa & brutalia carnalium hominum & Paganorum. *Stultorum exaltatio ignominia Proverb.* 3. 35. probro eſt illis, ſicut & iis, quorum opera exaltati ſunt. *Qui erudit deriſorem, ipſe injuriam* (ignominiam) *ſibi facit*, *Proverb.* 9. 7. operam perdit ſibique creat ignominiam. *Imple facies eorum ignominia Pſalm.* 82. 17. corrige illos Domine, & id effice, ut cadant in ignominiam. Syri erga captum à ſe Regem Joas, *ignominioſa exercuere judicia* 2. *Par.* 24. 24. indigne egerunt & turpiter, probra inferentes, Regia majeſtate planè indigna.)

IHELON, filius Eſau ex Oolibama, *Gen.* 36. 3.

IIM, urbs Juda. *Joſue* 15. 29.

ILAI, vir fortiſſimus in exercitu Davidis 1. *Par.* 11. 29.

ILLEL, pater Abdonis. *Judic.* 12. 13.

(ILLUSOR. Reſpondet vox illa Hebræo *Lez*, quod eſt illuſor, deriſor, homo cui joco eſt religio & ſancta quæcunque. *Proverb.* 3. 34. Author Vulgatæ ſæpiſſimè Hebræam hanc vocem reddit *peſtilentem Pſalm.* 1. 1. *Proverb.* 15. 12. & 19. 25. &c. hominem pernicioſum, cujus & verba & exempla nonniſi ſceleribus inſinuandis valent. Nos vernaculo ſermone genus hominum ejuſmodi appellamus *Libertins Libertini*, ſeu ingenia quæ vulgaribus teneri renuunt.

Legimus alicubi in Scriptura irridere Deum impios, qui miſericordiam ejus pelſundarunt. *Qui habitat in Cælis irridebit eos*. *Pſalmo* 2. 4.

Et

(a) Apud Simplic. Comment. in Ariſtot. lib. de Cælo lib. 1. cap. 9.

Et Pſal. 36. 13. *Dominus autem irridebit eum*. Sapientiæ 4. 18. *Illos autem Dominus irridebit*. Sunt hæ dicendi phraſes populares & figuratæ. Perindè illos habebit iratus Deus, ac pater, qui illuſtriæ filii immorigeri, & effrænis indignatus inſultat.)

ILLYRIUM. S. Paulus, *Rom.* 15. 19. totam regionem ab Jeruſalem uſque ad Illyrium prædicationibus ſeſe obiiſſe teſtatur. Porrò Illyrium Provincia eſt Europæ, quam antiquitus ambæ Pannoniæ à ſeptentrione; mare Adriaticum à meridie; Iſtria ab occidente; Mæſia ſuperior, & Macedonia ab oriente terminabant: quare S. Paulus excurriſſe oportuit Syriam, Phœniciam, Pamphiliam, Piſidiam, Lycaoniam, Phrygiam, Troadem, Aſiam, Cariam, Lyciam, Joniam, Lydiam, Inſulas Cypri, & Cretæ, Thraciam, Macedoniam, Theſſaliam, & Achajam.

IMAGO, ſivè rei alicujus repræſentatio. Deus creavit hominem *ad imaginem ſuam*, nempè ut vicem ſui gereret in terra, & Semi-Deus quidem eſſet in Mundo, ut ipſi cætera, ipſe verò Deo ſubderetur, *Eccl.* 17. Deus etiam ad ſuam imaginem hominem creavit, nempè ſapientem, immortalem, æquum, juſtum, providum, ſagacem &c. Tandem ſuam in illo imaginem impreſſit, nempè ſuam ſanctitatem, virtutem, ſapientiam; illum ex corpore, & anima rationali conſtituit; quod utrumque Verbum Divinum aſſumere debebat in tempore (a). Hanc imaginem Dei Adam peccando corrupit, à gratia, & immortalitate excidens: Jeſus Chriſtus per gratiam ſuam reformavit, ſeù veriùs nos ipſius adjutorio corruptam per peccatum imaginem reformamus: *Sicut portavimus imaginem terreni* (hominis) *portemus & imaginem Cœleſtis*. *Coloſſ.* 3. 9. 10. Vide & *Rom.* 8. 29.

Nullas rerum quarumcumque ſivè cœleſtium, ſivè terreſtrium imagines ſibi ad cultum effingere Judæi permittebantur, *Exod.* 20. 4. ad cultum, inquam, non ad ornatum, inſtructionem & repræſentationem. Hinc Moyſes, & Salomon Cherubim ſimulachra in Arca, & Tabernaculo poſuerunt: Salomon quoque leonum & boum imagines fuſiles in Templo collocavit. Eccleſia Chriſtiana relativum cultum imaginibus permittit, qui in Sanctos, quorum illæ figuram exhibent, refferatur. Cavendum tamen præcipit, ne quid imaginibus ipſis Divinitatis virtutiſve ineſſe credatur; neve ſpes in illis, atque ad ipſas preces dirigantur.

(Præter communem illam imaginis notionem qua oculis rei alicujus ſimilitudo exhibetur, puta hominis, bovis, aſtri &c. cujus generis ad cultum ſibi formare vetat Lex; alia etiam nominis hujus ſignificatio uſurpatur. *In imagine pertranſit homo Pſalm.* 38. 7. evaneſcit ceu ſpectrum quoddam. *Pſ.* 72. 20. *Imaginem ipſorum ad nihilum rediges*, umbram, figuram rediges in nihilum. Vita eſt enim hominis ceu fumus, umbra, & fucata quædam imago, evaneſcit, diſſipatur, diſſolvitur tanquam nubes. Job, ſeu potiùs ex amicis ejus Eliphaz, narrat in mediæ noctis horrore *ſtetiſſe imaginem* (ſpectrum) *coram oculis ejus, & vocem quaſi auræ lenis audiviſſe*. *Job.* 5. 16.

Imago, contrario etiam ſenſu, ut oppoſita umbratili vanæque larvæ accipitur, *Hebr.* 20. 1. *Umbram habens Lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*. Eſt *imago*, ipſa bonorum futurorum veritas, cujus Moyſes nonniſi umbra reputatur; exhibebat enim bona illa in ſpeciem tantùm, ceu umbratiles illæ larvæ per noctem, quæ præter tenuem quamdam rerum ſimilitudinem nihil habent ſolidi. Non ita Evangelium, vividam, ſolidam, firmam, ſtabilem & realem eorumdem bonorum figuram referens; Lex umbra erat; Evangelium veritas.

Ita pariter ab Apoſtolo Jeſus Chriſtus appellatur 2. *Cor.* 4. 4. *Imago patris*: *Evangelium gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei*. Et Coloſſ. 1. 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ*. Et Hebr. 1. 3. ipſum Jeſum eo donat elogio: *Splendor gloriæ, & figura* (imago) *ſubſtantiæ ejus* (Patris). Nec eſt utique reputandum exhiberi ab illo nudam quandam imaginem, vel radicem; imago eſt enim realis, & ejuſdem cum Patre, cujus refert ſimilitudinem, naturæ atque ſubſtantiæ; radius eſt à Patre emanans, lucis ipſius & ſubſtantiæ effluxus.

Monet Apoſtolus, 1. Cor. 15. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni* (hominis) *portemus & imaginem Cœleſtis*; quemadmodum ſcilicet imaginem ſuſtinuimus Adami prævaricatoris, crimen ejus imitati & pervicaciam; ita modò conemur animam effingere ad imaginem Jeſu Chriſti, humilitatem ſcilicet, obedientiam, mitis animi indolem imitatione exprimentes.

Imago, uſurpatur frequenter pro ſimulacro, figura, Idolo, ut in illo Deut. 4. 16. *Ne fortè faciatis vobis imaginem maſculi vel fœminæ*. Et 4. Reg. 11. 18. *Ingreſſus populus Templum Baal imagines contriverunt valde*. Et Author Sap. 14. 15. Idololatriæ cauſam aſſignat luctum patris, *qui citò ſibi rapti filii fecit imaginem*. S. Joannes Apoc. 13. 14. 15. perhibet permiſſam à Deo beſtiam ſeducere homines, injuncturam illis ut imaginem ſuam formarent; ſtatimque imaginem illam vitales hauſturam ſpiritus; qui verò cultum beſtiæ illi negabunt, omnes neci tradendos. Hæc beſtiæ imago ſpirans, & animata, divinis honoribus apud homines par, Idola ſunt Paganorum, quæ vitæ generi cuidam reſtituit Julianus Apoſtata, extinctum eorum cultum & abolitum per omne fermè latè Imperium iterum excitans, excitatumque promovens.

Imagines. Imaginum quodcumque genus exhibens homines, bruta, aſtra, ſive aliud quodcunque, ſi ad cultum ſuperſtitioſum deſtinarentur, ſive illæ cælatæ fuerint, ſive pictæ, formatæ ex ligno, lapide, argilla, ære, auro, argento, omnia æquè interdicta ſunt in lege Exodi 20. 3. 4. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in Cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra*. Optimi quique Interpretes animadvertunt generalem hanc legem ea limitatione adſtringi oportere, quæ additur eidem ſanctioni repetitæ Levit. 26. 1. *Ut adoretis ea*; nihil tale vobis parabitis ad cultum. Conſtat utique Moyſe jubente conſtitutos fuiſſe Seraphim ſuper Arcam; ſicut & ſimulacra *Seraphim* plura adjeciſſe Salomonem in ornamentum Sanctuarii, uti & baſim maris ænei exhibuiſſe ſimulacra taurorum æneorum. Tunc igitur cum omne aberat Idololatriæ diſcrimen, imagines ad ornamentum non vetuit Deus.

Hebræum *Pſel*, quod Vulgata, Exodi 20. 3. 4. reddidit *Sculptile*, vertunt Septuaginta *Idolum*, imaginem fucatam; Onkelos *zelum*, quod exprimit imaginem ſeu picturam. Quare voce hac deſignatum reputaretur ſculptarum imaginum quodcunque genus. Illud autem quod addit Vulgata: *Omnem ſimilitudinem*, exprimere cenſendum eſt imaginis quodcunque ſeu pictum coloribus, ſeu acu, ſeu textrino opere, ſeu cælatum.)

IMPOSITIO MANUUM, ſæpè in Veteri, Novoque Teſtamento, neque ad unam rem exprimendam, occurrit. I. ordinationem, & conſecrationem Sacerdotum, Sacrorumque Miniſtrorum (b) apud Judæos, & Chriſtianos ſignificat. II. Judicibus, & Magiſtratibus conſtituendis ea cæremonia ſervabatur, *Num.* 27. 18. 23. Vide, ſi placet, Selden. in Chron. Alex. p. 16. &c. Jacob impoſitis Ephraimo, & Manaſſi manibus, benedictionem elargitus eſt, *Gen.* 48. 14. Summus Sacerdos, cum ſolemnis benedictionis formulam recitaret, manus ad populum extendebat. *Lev.* 9. 22. Hoſtiæ, quam pro peccato offerebant in Tabernaculo Iſraelitæ, manus imponebant, peccata ſua interim confitentes, *Lev.* 1. 4. & 3. 2. *Exod.* 29. 19. Teſtes reo manus

(a) Tert. de reſurrect. carn. cap. 5.
(b) Act. 6. 5. & 13. 3. & 1. Timoth. 4. 14. & 5. 22. & 2. Timoth. 1. 6.

Digitized by Google

imponebant, *Dan.* 13. 34. veluti ſi luendæ ab eo pœnæ cauſam in illum tranſtunderent. Jeſus Chriſtus oblatis ſibi infantibus manus imponebat, ac benedictionem elargiebatur. *Marc.* 14. 6. Sacramentum Confirmationis eodem ritu collatum eſt, *Act.* 8. 17. & 19. 6. nec alio ritu Apoſtoli Spiritum Sanctum baptizatis conferebant. Iſraelitæ offerentes Domino Levitas, ejus miniſteriis conſecrandos, manus illis impoſuerunt, *Levit.* 8. 10. 12.

(IMPOSTORES. Homines qui Meſſiæ & Prophetarum induentes larvam, hypocriſi & ſeductione ſua latè populos corrumpebant, lupos exhibentes ſub mitis agni vellere. Adversùs impoſtores illos cautiones ſuas adhibet Moyſes, Deut. 13. 1. &c. *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium* (propheticum) *vidiſſe ſe dicat; & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis. Non audies verba Prophetæ illius aut ſomniatoris. Propheta autem ille, aut fictor ſomniorum interficietur, quia locutus eſt ut vos averteret à Domino Deo veſtro.* Et Deut. 18. 10. 11 20. 21. *Non inveniatur in te qui Ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator &c. omnia enim hæc abominatur Dominus.... Propheta autem, qui, arrogantia depravatus, voluerit loqui nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine Deorum alienorum, interficietur.*

Malè dein his legum ſanctionibus obſecundatum eſt. Nulla enim per Orbem natio tam multos è ſinu ſuo effudit Impoſtores præ Judæis. Gens iſta inconſtans moribus, ſuperſtitioſa, & ingenio volatili, quotidiano fermè aucupio fuit Impoſtoribus, iis maximè, qui de religione aliquid prætenderent. Pronum in Idololatriam ingenium, ſtudium rebus quibuſque novis captandis eo illos impulerunt, ut avidè arriperent abominationes omnes & iniquitates, quales inter finitimas gentes obtinere norant. Omnium famoſiſſimus æquè ac vetuſtiſſimus Impoſtorum, qui nominis ſibi famam aliquam compararint, reputandus eſt Jeroboam Nabath, qui excuſſo legitimi Principis ſui jugo, uſurpavit Imperium Iſraeliticum; ratus ille partum injuria Regnum tunc ſibi maximè aſſerendum, cùm ſicut Imperium, ita etiam veterem immutarent Religionem, ditionis ſuæ gentibus vitulos aureos extulit ad cultum.

Exinde Pſeudo-Prophetæ & Impoſtores per totam regionem inundarunt. Alebat Jezabel 450. Prophetas Baal 3 *Reg.* 18. 19 & 400. Prophetas Deæ Nemorum, i. e Aſtartes. Rex Achab, movens una cum Joſaphat Rege Juda in Ramoth Galaad 3. *Reg.* 22. 6. 7. 8. conſulendos priùs cenſuit de eventu expeditionis quadringentos Prophetas ſuos, quibus victoriam & proſpera omnia accepit. Unus Michæas, filius Jemla, fauſta ominantibus reſtitit in faciem, interitum Regi prædicens. Meminit Iſaias 9. 14. 15. *Prophetæ docentis mendacium.* Jeremias 2 *Prophetæ prophetaverunt in Baal, & Idola ſecuti ſunt*; additque mendacia à Vatibus illis annunciari; hæc autem plauſibus excipi à Sacerdotibus *Jerem.* 5. 31. & cap. 14. 14 queritur de Prophetis vaticinia ſub Dei nomine falsò obtrudentibus, quamvis a Deo non miſſis. Frequens eſt Vates iſte objurgationibus in Prophetas illos, qui *prophetant de corde ſuo.*

Acriùs etiam invehitur in illos Ezechiel 13. 2. 3. 4. *Vaticinare ad Prophetas Iſrael, qui prophetant, & dices prophetantibus de corde ſuo: Audite verbum Domini; hæc dicit Dominus Deus: Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident. Quaſi vulpes in deſertis Prophetæ tui Iſrael..... Erit manus mea ſuper Prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium.* Et cap. 22 28. *Prophetæ ejus liniebant abſque temperamento, videntes vana, & divinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus; cùm Dominus non ſit locutus.* Sermo eſt etiam Oſee 9. 7. 8. de ſtultis Prophetis, qui ſcandalo fuerunt & offendiculo omnibus, quotquot eos loquentes audierunt. Sermo pariter Michææ 3. 5. 11. de Prophetis illis ſeductoribus, avaris, helluonibus, vaticinia ſua pretio vendentibus, ſeducentibus populos, bellumque indicentibus illis, à quibus ingeſto cibo non ingurgitabantur. Nec æquior illis Sophonias 3. 4. *Prophetæ ejus veſani, viri infideles.* Zacharias 13 4. *In die illa confundentur Prophetæ, unuſquiſque ex viſione ſua cùm prophetaverit, nec operientur pallio ſacceo, ut mentiantur.*

Exhibuimus hic conſtantem ſeriem Impoſtorum & Pſeudo-Prophetarum in Juda & Iſraele adoſque poſt captivitatem Babylonicam. In Novo Teſtamento futurum prædixit Chriſtus *Matth.* 24. 24 ut ſurgerent Pſeudo-Prophetæ ſeducendis populis: *Surgent Pſeudo-Chriſti & Pſeudo Prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam Electi.* Oraculorum ejuſmodi fides diu non manſit in ſuſpenſo. Simon Magus venditabat ſe in Samaria tanquam magnam Dei virtutem, pauló poſt obitum Jeſu Chriſti *Act.* 8. 9. 10. Sermo eſt apud Joſephum Antiq. l. 20. c. 2. de Impoſtoribus ſanè multis ſubinde regionem corrumpentibus. Paruit in Judæa *Theudas* quidam vel *Theodas* ſub Cuſpio Fado ejus Provinciæ Præſide circa annum J. C. vel Æræ vulgaris 45. Prophetæ ſibi nomen vindicabat, ac vana ea ſpecie incautos plures Judæos decepit, ſuadens, ut bonis ſuis omnibus abjectis, ducem ſe ad Jordanem ſequerentur, tranſvadantem ſicco pede Jordanem, ut olim Joſue, ſpectaturi. Sed captus ipſe neci traditus eſt cum pluribus ejus ſectariis.

Theudas alter, de quo Gamaliel in Actis 5. 36. ſpectaculum ſuum præbuit aliquandiu ante obitum Servatoris. Addixerat ſibi ad 400. virorum; ſed eo occiſo cæteri diſſipati ſunt. Decennio poſt vir Ægyptius, religione Judæus (a), Prophetam ſimulans, venit Jeroſolymam, perſuaſitque populis, ut ſecum venirent ad montem Olivarum fruituri ſpectaculo ruentium ſponté mœnium Jeruſalem, ut ipſe per apertam eorum lapſu viam in Urbem ingrederetur. Impoſtor alter (b) ſecum traxit in deſertum confertam turbam, ſpe facta ut ab omnibus generatim malis liberarentur. Judas Galilæus, Author ſectæ Herodianorum, defendebat nefas eſſe Judæis, quibus Deus ipſe imperabat, ut aliis ſubderent ſeſe, nec niſi aperta & indigna prævaricatione committi poſſe, ut tributum ab illis Cæſari penderetur (c). Paterni dogmatis hæredes filii inſinuarunt Judæis gentilibus ſuis ſpiritum illum defectionis, qui tandem populum in Romanos armavit.

Poſt ejus belli exitum Jonathas quidam, textrinam exercens, (d), Cyrenaicam excurrebat ſeducendis præſtigiis ſuis atque in ſpeciem portentis Judæis; perſtringebat autem incautos illos in deſerto, quo ſectatores ſuos evocabat. Catullus, Libyam Pentapolitanam curans, illos diſſipavit, nactuſque eam occaſionem locupletiſſimos quoſque ejus ditionis Judæos expoliavit. Sed omnium, quotquot poſt everſionem Templi nomen ſuum inter Seductores commendarunt, princeps habendus Barcochebas, qui Judæos in Adrianum Imperatorem armavit, concitavitque viciſſim Romanorum in Judæam furorem, quo premente ita oppreſſi ſunt, ut nunquam deinceps relevarentur. Vide ſupra *Barcochebas*. Prætereundos hic cenſeo Pſeudo-Meſſias varia ſubinde ætate ſeſe approbantes Judæis, de quibus v. *Meſſias*.

Humilis ille rerum Judaicarum per omnes fermè mundi regiones ſtatus, ſicut & expectatio illa, qua tenentur, de Meſſia oppreſſam malis gentem relevaturo, aures illorum & corda pronas reddunt & faciles, quò factam ſibi ſpem ab Impoſtoribus avidè arripiant, allumantque, quos illi ingerunt, reſumendæ libertatis ſpiritus. Qua ætate Chriſtus venit in Mundum, totus in expectationem Meſſiæ & Liberatoris

Jon-

(a) Joſeph. l. 20. cap. 6. (b) De Bello lib. 2. cap. 12. J. C. 60. (c) Antiq. lib. 18. cap. 5.
(d) De bello l. 7. cap. 31.

longa ætate vota hominum detinentis, arreptus erat Oriens; factum inde ut ſæculum illud eſſet Impoſtoribus præ aliis omnibus feraciſſimum; paratos enim nanciſcebantur animos Gentis, facileſque aures ut inanes etiam ſpes ſibi factas perbiberent. Quicunque inter homines rerum cognitione præſtare ſibi rebantur, animum ea fiia ſuum obfirmabant rejiciendo Jeſu Chriſto, quippe quem confundebant cum cæteris omnibus Seductoribus credulis gentibus vana ea nominis oſtentatione imponentibus. *Seductor ille*, oggerebant *Matth.* 7. 73. *dixit adhuc vivens: Poſt tres dies reſurgam*. Apoſtoli etiam perinde à Judæis pervicacibus habebantur, ac ſeductores, ait Apoſtolus 2. Cor. 6. 8. *Ut ſeductores & veraces*.

Quod autem ægrè admodum induceremus in mentem, illud eſt, nimirum in ipſo Chriſtianæ Religionis ſinu, poſtquam veluti ſub ipſis oculis emicarunt inſignia illa numero & fulgore ſuo prodigia Jeſu Chriſti & Apoſtolorum, poſt tot perſecutiones, quas victrix ſuperavit Eccleſia, poſt tot ſcripta Hæreticorum & Infidelium calumniata, atque æternæ tradita oblivioni ab aperta rei veritate, quam Scriptores Catholici invictè aſſeruerunt; ex ipſo, inquam, Eccleſiæ ſinu eſſuſos tantæ dementiæ & audaciæ fuiſſe homines, qui verbis, & ſcriptis etiam aſſererent Moyſem, Jeſum Chriſtum, & Mahometum tres fuiſſe inſignes Impoſtores. Sermo eſt mihi de famoſo illo Libello, cujus titulus longè lateque diſſipatus eſt vulgi ſermonibus: *De tribus Impoſtoribus, Moſe, Chriſto, & Mahomete*. Hoc alii ſuppoſititium Opus, quod nunquam lucem ſolemque aſpexerit, tuentur; alii verò & ſubſiſtere re ipſa defendunt; nec defuere qui oculatos ſe ejus teſtes obtruderent.

Albericus Monachus Trium fontium ordinis Ciſtercienſis in Diœceſi Catalaunenſi circa medium decimi tertii ſæculi ſcripſit in ſuo Chronico ſub anno 1239. propoſitos fuiſſe 17. accuſationis articulos in Fridericum II. Imperatorem, inter quos unus reum agebat Principem de blaſphemia in Religionem Chriſtianam, cujus pariter meminit Pontifex in ſuis literis ad Archiepiſcopum Senonenſem. Evomiviſſe igitur ore blaſphemo accuſatur: *Tres fuerunt Baratores ſeu Guillatores in Mundo; Moyſes, Chriſtus, & Mahometes*. Porrò Albericus Friderico vixit coævus; ſcriptumque ab illo Chronicon communi æſtimatione maxime probatur.

Attamen ſi vera prodit Joannes Bajocenſis Dominicanus, Scriptor Hiſtoriæ Abbatiæ *Medii Monaſterii*, quique ſæculo 14. florebat, blaſphemiam iſtam omnium primus non protulit Fridericus. Hæc enim Hiſtoricus ille: Cedo mihi, quæ ex relatione virorum aſſertæ fidei didici, dum Pariſiis verſarer. Agebat ibi circa annum 1022. Doctor quidam Theologus faſtu ſcientiæ ſuæ tumens; qui cùm olim cathedram docendo aſcendiſſet, hæc palam omnibus prodidit: *Tres homines, videlicet Mahometus, Moyſes & Chriſtus totum ad ſe trahentes deceperunt mundum*. Simul hæc loquentem ultor Dei gladius percuſſit; ſcientia enim ſua omni actutum & loquela multatus eſt. Petrus de Vineis, à ſecretis & Cancellarius Imperatoris Friderici Epiſt. pag. 211. edit. Schardii, ultrò fatetur de prolata blaſphemia illa reum accuſari Imperatorem Dominum ſuum. Pontifex in data ad Principes omnes & Prælatos circulari Epiſtola (a), eo pariter de nomine reum agit Fridericum, probandamque dicit ſuo tempore & loco accuſationem. Eadem pariter, quæ de tribus Impoſtoribus vulgi ſermone ferebantur, refert Matthæus Pariſius, ſed ejus invidia oneratum ab adverſariis Fridericum non ſcribit. Author Vitæ Gregorii IX. coævus apud Rainald. A. 1239. n. 28. affirmat errorem illum hauſiſſe Imperatorem è commercio cum Græcis & Arabibus ſpondentibus illi ex aſtrorum inſpectione Imperium, quà late patet Univerſi; abblanditum fuiſſe ſibi Imperatorem illum, tanquam ſi Numen eſſet aliquod ſub hominis exuviis; quo loco autem tres illi Impoſtores veniſſent ſeducendo hominum generi, ſe ideo paruiſſe, ut quartam impoſturam, hominum ignoratione toleratam, i.e. authoritatem Papæ everteret.

Nec fluctus hoſce in ſe accuſationes neglexit Fridericus. Epiſtolam enim ea de re dedit ad Cardinales (b); amoliri à ſe nitens calumniam de tribus Impoſtoribus, profeſſionem Fidei addens ſatis exactam & catholicam de Jeſu Chriſti divinitate ejuſque Incarnationis myſterio, in qua pariter de Moyſe & Mahometo ita loquitur, uti decet Chriſtianum.

Habemus igitur hìc exemplum ſolemnis accuſationis in Imperatorem dictæ, & egregiè ab illo explosæ. At tunc quidem de verbis tantùm res fuit; ſed & proculus defenditur Liber reipſa inſcriptus: *De tribus Impoſtoribus &c.* quem alii ſcriptum tribuunt *Mureto*; alii *Bernardino Ochino*; alii *Petro Aretino*; alii *Poggio Florentino*; alii Poſtello docto viſionario ſæculi decimi ſexti; alii *Arnaldo Villanovano* (c); alii *Friderico I. Imperatori* cognomento *Barbaroſſa* (d); alii tandem *Friderico II.*

Florimundus Ræmundus Hiſt. hæreſ. lib. 2. cap. 16. Gallicè narrat ſuccurrere ſibi, puerum adhuc vidiſſe Exemplar hujus famoſiſſimi Operis in Collegio *de Presle* in manibus Rami. Meminit hujus P. Merſenna in ſuo Commentario ad Geneſim pag. 1810. D. Desbouges, Decanus Advocatorum in majori Conſilio Pariſienſi, affirmat in ſcripta manu ſua ſyngrapha, quam ego ipſe legi, didiciſſe ſe ex Amico quodam, viro docto, ſpectatum ab illo deteſtabilis Libri codicem in Bibliotheca quadam occulta potentiſſimi cujuſdam Germaniæ Principis, cujus tamen titulus alius erat à vulgato: *De tribus Impoſtoribus*. Addit, Amicum alterum ſuum, (nomen compendiaria trium illarum literarum nota A. A. L. deſignat) cujus ille & probitatem & ſtudium pro veritate notat, aſſerto ſibi affirmaſſe, incidiſſe ſe in Opus illud Genevæ in Officina quadam Libraria anno 1666. nec defuturum, quin ſoluto pretio emeret, niſi ab altero præventus eſſet. D. Alliot, dum viveret, primus Medicus Regiæ Altitudinis Lotharingiæ, traditum ſibi fuiſſe olim in manibus eundem Librum, mihi teſtatus eſt; conſulto autem abſtinuiſſe ab ejus lectione.

Chriſtianus Kortohlt in præfatione ad Librum ſuum inſcriptum: *De tribus Impoſtoribus*, impreſſum priùs Kiel anno 1680. dein Hamburgi anno 1700. teſtimonia quædam producit, aſſerentia viſum fuiſſe Opus, de quo modò. Quod autem Opus Kortholt eodem titulo inſcripſit, aliò planè ſpectat ac ad Moyſem, Jeſum & Mahometum; exagitat enim triadem illam Impoſtorum, *Eduardum Herbertum*, *Thomam Hobbem*, & *Benedictum Spinoſam*. Affirmat inſuper, ſcriptis ad ſe literis a D. Bælio datis 7. Idus Aprilis 1699. certiorem factum Librum hunc de tribus Impoſtoribus nequaquam reperiri in Bibliotheca Baldi Roterodami; credere ſe autem illos omnes, qui oculatos ejus ſe teſtes aſſerunt, ſeu doli mali ſeu incuriæ ſuſpicione laborare.

Scriptor alius (e) eodem titulo præfixit Opus in tres Authores Catholicos primi ordinis. Porrò Scriptor iſte eſt D. Morinus, ac Operis titulus: *Vincentii Panurgii Epiſtola de tribus Impoſtoribus ad Cl. vir. Joan. Baptiſtam Morinum D. M. atque Regium Matheſeos Profeſſorem, Pariſiis* 1654. Suggillat autem Impoſtorum nota D. Gaſſendum, Neureum, & Bernier. Gibertus Voetius in Diſputatione ſua de Atheiſmo narrat anno 1614.

vel

(a) Apud Rainald. ad An. 2139. n. 22. Epiſtola data eſt die 1. Julii ejus anni.
(b) Petrus de Vin. lib. 1. epiſt. 31.
(c) Vide Naudæum Apolog. inſignium Virorum de magia accuſatorum, pag. 267. 268. Gall.
(d) Grot. Append. Tract. de Antichriſt.
(e) Vide Antibaillet tom. 1. pag. 267. 268.

vel 1615. pulſum fuiſſe Haga Comitum, actumque in exilium *Nactegaelem* quendam, quòd impia aliqua pronunciaverat in tres Impoſtores. Creditur D. de la Monnoye Diſſertationem de hoc argumenro adornaſſe. Fertur etiam (a) aliud vulgatum eſſe Opus *de tribus Impoſtoribus*, qua cenſura inuruntur *Zabathai Tzevi*, *Mahomethus Bey*, (alio nomine *Joannes Cigala*) & *Padre Ottomano*.

IMPRECATIONES. Latinum *imprecor* in bonam interdum partem uſurpatur, ut ſit precari bona & fauſta alicui. Ita e. g. fratres Rebeccæ deducendam ab Eliezer ſororem ſuam ad ſponſum Iſaac tradentes, *imprecati ſunt proſpera ſorori Geneſ.* 24. 60. Et puer Joas in Regni throno conſtitutus à Jojada Summo Sacerdote, impoſitum capiti habuit diadema & Librum Legis manibus ejuſdem Sacerdotis, populo interim acclamante: *Imprecati ſunt ei atque dixerunt: Vivat Rex 2. Par.* 23. 11.

Vulgaris tamen Latina, ſicut & vernacula vocis hujus ſignificatio eſt diris aliquem devovere. Ita imprecationibus & maledictis oneratus hircus Azazel *Levit.* 16. 21. ducebatur ad deſertum, agendus ibi in præceps. Poſt captam everſamque Urbem Jericho: *Imprecatus eſt Joſue, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit & ædificaverit civitatem Jericho Joſue* 6. 25. 26. Jubet Moyſes, Num. 5. 18. &c. ſi quæ fortè mulier de violata conjugii fide in ſuſpitionem venerit, & apud Judicem eo nomine à viro accuſetur, hanc potari aquis zelotypiæ, ſuper quas Sacerdos imprecationes & maledicta pronunciaverit. Mandat inſuper Hebræis, ut cum primum limen Terræ promiſſionis attigerint *Deut.* 11. 28. 29., conſtituant ſe medios inter montes Hebal & Garizim, atque in vertice Hebal pronuncientur maledictiones & imprecationes in impios Legi Dei retractarios; proſpera verò omnia apprecentur in monte Garizim viris probis & ad nutum parentibus.

De imprecationibus & devotionibus quas olim Veteres in hoſtes ſuos obſeſſaſque Urbes precabantur, egimus v. *Balaam*, & *Anathema*.

Imprecationes ſuas ita ſæpè exprimebant Hebræi, ut contrariæ ſignificationis voces uſurparent. Pharao e. g. ita ad Moyſem & Aaronem locutus eſt *Exod.* 10. *Sic Dominus ſit vobiſcum, quomodo ego dimittam vos &c.* contraria autem intendebat omnia: Abſit ut ego vos dimittam. David in ſe ipſum dira apprecans, hæc rogat, 1. Reg. 25 22. *Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus, quæ ad eum pertinent uſque mane mingentem ad parietem.* Quibus verbis eò ſpectatum eſt: Deus toto diſtrictionis ſuæ rigore me puniat. Et 3. Reg. 21. 10. reus agitur Naboth: *Benedixit Deum & Regem*, i. e. iniqua in Deum & in Regem effutiit. Offerebat Job holocauſta Domino in expiationem filiorum ſuorum, reputans: *Ne fortè peccaverint filii, & benedixerint Deo in cordibus ſuis*; inſinuatum autem hiſce volebat, teneri ſe metu, ne quid in Deum obloquerentur. Satanas ad Dominum: *Job* 2. 5.: *Mitte manum tuam, & tange os ejus, & carnem* (nempe Jobi) *& tunc videbis quod in faciem benedicat tibi*; iniqua loquatur in te.)

IMPURUS: *Legalium Impuritatum* non una fuit ſpecies in Veteri Lege. Aliæ enim voluntariæ cenſebantur, uti contactus cadaveris, *Num.* 19. 11. 14. morticini, reptilis, alteriuſve impuri animalis, *Levit.* 11. 34. & 11. 24. 43. ſivè rerum ſacrarum ab impuris, ſivè à non Sacerdotibus; contactus inſuper hominis leproſi, gonorrhæa laborantis, ſivè hominis polluti ex tactu cadaveris; item contactus puerperæ, menſtruatæ, profluvio ſanguinis laborantis, *Levit.* 12. 2. & 15. 24. 27. Aliæ impuritates ab invitis etiam contrahebantur, uti ſi quis fortè in cubiculo fuiſſet, in quo aliquis ſubito occubuiſſet; vel ſi quis imprudens oſſa, ſepulchrum, vel quid ſimile impurum contigiſſet; vel ſi cui dormienti ſemen invito effluxiſſet, *Deut.* 22. 10. *Levit.* 15. 16. vel tandem ſi quis morbo aliquo impuro teneretur, uti lepra, gonorrhæa, &c. conjuges tandem, ſivè alii quicumque in matrimonii exercitio. *Levit.* 13. 14. & 15. 16. 18.

Cubilia, veſtes, utenſilia, fictilia, ex contactu rei impuræ impuritatem contrahebant, & aliis communicabant. De Animalibus impuris, vide *Animalia*. Pleræque Legales ſordes lotione tergebantur, nec veſperam præteribant. Homo immundus in aqua ſivè cum veſtibus, ſivè ipſe & veſtes ſeorſum, immergebantur. Aliæ ſeptem diebus perſeverare cenſebantur, ut impuritas ex cadaveris tactu contracta, *Num.* 5. 2. & 19. 11. 12. 20. Menſtruatarum mulierum ſordes idem cum menſtruis ſpatium habebant. Aliæ 50. vel 40. diebus, uti puerperarum; ſi enim puerum mulier peperiſſet, quadragenis, ſi puellam, 50. diebus in immunditia permanebat. Aliæ uſque ad ſanitatem durabant, ut leproſorum, & gonorrhæa laborantium. Quædam denique ſordes erant, quæ hominum, & urbium conſortio, ut lepra: aliæ à rerum ſacrarum contactu prohibebant, uti impuri animalis contactus voluntarius, & Matrimonii exercitium &c. (b). Aliæ maculæ à familiarium tantum conſortio uſque ad certum ſpatium removebant, uti puerperarum, ſivè menſtruatarum. Qui eas tetigiſſet, immundus cenſebatur uſque ad veſperum.

Harum ſordium, uti diximus, alias lotio, alias ſacrificia, alias lixivium quoddam ex cinere vaccæ ruſæ confectum, ſolemnis Expiationis die mactatæ, extergebant, *Num.* 19. 10. Leproſus ſanitati reſtitutus, duarum avium ſacrificium in Templo ipſe præſens offerebat, quarum altera occiſa, altera dimittebatur, *Levit.* 14. 1. Qui cadaveris contactu, ſivè funeria præſentia maculam contraxerat, ſub mortis pœna expiationis aquis erat tergendus. Qui menſtruorum tempore cum uxore commiſcebatur, mortis pœna ſe & uxorem implicabat, ſi res ad Judicem deferebatur, *Levit.* 20. 18. Puerpera poſt præſcriptum tempus ad Templum veniens, agnum, & turturem offerebat; pauperibus, par turturum, aut duo pulli columbarum offerendi præſcribebantur.

Hæ ſordes à Moyſe diligenter adeò expreſſæ alias graviores, quaſque deſignare magis volebat, peccata ſcilicet in Deum, vel in proximos, veluti per figuras exhibebant. Sancti, & Prophetæ Veteris Teſtamenti hæc optimè diſtinxere; ipſeque Chriſtus oſtendit, non corporeas ſordes, ſed quæ mentis puritati juſtitiæ, veritati, & charitati officiunt, Deo diſplicere.

INCENDIUM, ſeù *incenſio*, in Hebræo *Tabeera* (c). Eo nomine Hebræorum caſtra vocata, ad quæ ipſi, relicto Sina, ſe moverunt. Cauſa hujus nominis ex eo derivata eſt, quòd Deus oblocutionibus Iſraelitarum, carnes ſibi conquerentium non ſuppeditari, laceſſitus, igne in eos immiſſo, caſtrorum extrema concremavit, pleroſque eorum peremit.

(INCESTUS, illegitima conjunctio duorum neceſſariorum in gradu vetito à Legibus ſive Dei, ſive Eccleſiæ. Inceſtus autem deſignat potiùs crimen, quod in illicita commiſtione contrahitur, quàm commixtionem ipſam, quæ in certis nonnullis rerum eventibus à crimine penitus vacat. Olim enim ſub ipſo mundi exordio, & diu etiam poſt diluvium connubia inter fratres & ſorores, inter amitam & nepotem, inter conſobrinos germanos nulla interdicebantur lege. Nec alia conciliari poterant a filiis Adam & Evæ connubia; ſicut & fruſtra alia ſibi quæſiviſſent filii & filiæ Noe certo aliquo temporis ſpatio. Abraham & Iſaac ætate adhuc pariter connubia illa erant in medio poſita, & multo etiam ſeriùs permiſſa conſtat apud Perſas; feruntur enim nihil in ea re criminis ſive probri agnoſcere reliquiæ veterum Perſarum, quæ modò etiam ſuperſunt.

Inter Scriptores quidam tenent fratrum cum ſororibus

(a) Vide Baſnag. Hiſt. Jud. tom. 5. lib. 7. cap. 23. in fin. vel tom. 3. lib. 5. cap. 18. pag. 350. &c. edit. Pariſienſis.
(b) Vide Levit. 22. 4. (c) Num. 11. 3. Deut. 9. 22. *Taabera*.

Digitized by Google

vibus cæteriſque propinquis connubia permiſſa, vel ſaltem tolerata fuiſſe uſque ad tempus rogatæ per Moyſem Legis: vetita autem primò Hebræis à ſapientiſſimo Legiſlatore; quoad cæteras verò gentes poſthac etiam obtinuiſſe. Contrarium aliis probatur; ſed neutra hæc ſententia validis argumentis aſſeretur, deficientibus vetuſtæ adeo ætatis documentis hiſtoricis. Certò tamen conſtat, deteſtatum fuiſſe Dominum fœdere illa inceſta, & ne quid in ea re maculæ contraherent ſollicitè caviſſe populo ſuo *Levit.* 18. 24. 25.: *Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminata ſunt univerſa gentes, quas ego ejiciam ante conſpectum veſtrum; quibus polluta eſt terra, cujus ego ſcelera viſitabo, ut evomat habitatores ſuos.* Leges autem ſuas de inceſtis nefariiſque commixtionibus, hac præfatione rogat: *Juxta conſuetudinem terræ Ægypti, in qua habitaſtis, non facietis, & juxta morem regionis Chanaam, ad quam ego introducturus ſum vos, non agetis... Cuſtodite leges meas atque judicia &c.* Hiſce omnibus inſinuatur communi ſuffragio & authoritate probatas fuiſſe inceſtas nuptias, quà in Ægypto, quà in Palæſtine.

Vetantur autem in Lege connubia, 1. Inter filium & uxorem patris. 2. Inter fratres & ſorores, fratres ſcilicet ſive ex utroque parente ſive ex alterutro communi natos. 3. Inter avum vel avam cum nepote ſeu nepte. 4. Inter filiam uxoris patris, & filium ex eodem natum patre, quæ cum dictis ſupra ſecundo loco fermè cohærent. 5. Inter amitam ſeu materteram & nepotem; fas enim cenſent Judæi connubia jungere patruum inter & neptem. 6. Vetita connubia inter ſocerum & nurum. 7. Inter levirum & uxorem fratris. Generalibus hiſce legibus exceptio erat quædam, cùm ſcilicet vir aliquis orbatus filiis deceſſiſſet, lege jubebatur ſuperſtes ejus frater viduam uxorem defuncti ducere ſuſcitandis defuncto hæredibus. Vide Deut. 25. 5. Octavo, vetitum uni eidemque viro adſciſcere in conjugem matrem & filiam, ſeu filiam ex filio vel filia propriæ uxoris natam. 9. Vetitum ſororem uxoris adſciſcere, quod à Jacob præſtitum ſcimus duas ſorores Rachelem & Liam in torum vocante. Sunt tamen qui Hebræum ità reddant: Cùm mulierem aliquam duxeris non ſuperinduces ſecundam; defenduntque plures (a), vetari ea lege polygamiam, poſthac tantummodo toleratam.

Gradus illos omnes cognationis connubia vetantes quatuor hiſce verſiculis habes adſtrictos.

Nata, ſoror, neptis, matertera, fratris & uxor,
Et patrui conjux, mater, privigna, noverca.
Uxoriſque ſoror, privigni nata, nuruſque,
Atque ſoror patris conjungi lege vetantur.

Porrò conjugia iſta omnia ſub exterminii pœna vetat Moyſes *Levit.* 18. 29. *Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his quidpiam peribit de medio populi ſui*, i. e. interficietur. Quod autem exterminium hic poſitum ſit pro capitali ſupplicio illud demonſtrat nimirum alia omnia crimina, quæ capitale inferunt in Lege ſupplicium, omnia hic *exterminio* ſubmitti. Et in cap. 20. ex his legibus quædam recitantur, ubi & capitis ſupplicium in tranſgreſſores edicitur; e. g. *Si quis dormierit cum nuru ſua uterque moriatur Levit.* 20. 11. 29. Et ℣. 14. *Qui ſupra uxorem filiam duxerit matrem ejus, ſcelus operatus eſt, vivus ardebit cum eis.* Cultæ pleræque gentes inceſtas commixtiones perinde habuerunt ac crimina infanda; nec defuerunt quibus eſſent capitalia. Apud ſolos Barbaros permittebantur. S. Paulus agens de viro quodam Corinthio inceſti reo, hæc ſcribit 1. Cor. 5. 1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.*

Inceſtum Thamar cum Juda ſocero ſuo coitum ignorat nemo, nec factum illud in Scriptura damnatur; quin & probari quodammodò videtur. Judas, qui veluti adulteram ignis ſupplicio tradere fœminam decreverat, agnoſcit tandem: *Juſtior me eſt*; quod ſcilicet dolo malo nuptias ejus fœminæ cum filio ſuo Sela natu minimo diſtuliſſet *Geneſ.* 38. 24. 26. Porrò nuptias illas jubebat lex Leviratus, injungens fratri, ut relictam è defuncto fratre ſine liberis conjugem frater ſuperſtes ducat.

Inceſtum Loth cum geminis filiis nihil excuſare valeret, præterquam ipſius Loth ignorantia & nimis credula filiarum ipſius ſimplicitas, reputans, vel ſaltem reputare ſe oſtendens, poſt everſam Sodomam & Gomorrham neminem ſupereſſe hominum, cui jungerentur ad perpetuandum genus *Geneſ.* 19. 31. &c. Porrò quam adhibuerunt, cautio ut ad patrem accederent, noſſe illas illicitum ſe aliquid moliri demonſtrat; cum autem intelligerent abominatione retrahendum patrem, ne in crimen conſentiret, ſuccurrit tandem cogitationibus, ut inducta ebrietate è ſtatu mentis virum evocarent.

Cùm Ammon filius David inceſto violare Thamar ſororem ſuam adniteretur, fœmina illa Princeps ſollicitanti reſpondit 2. *Reg.* 13. 13.: Cave frater, ne quid ſimile attentes, quod probrum meo nomini inferret æternum penes Iſraelitas; tibi verò ſtulti Principis invidiam crearet: Quin potiùs *loquere ad Regem, & non negabit me tibi*. Certum igitur ponebat Thamar, connubium fratrem inter & ſororem permitti. Quidquid tamen ea de re ſentiret immaturæ ætatis puella, quidquid agitaret in mente, conſtat utique aperta Legis ſanctione connubia hæc inceſte vetari, uti ſupra demoſtratum eſt.

INCREDULUS, ille dicitur potiſſimùm, qui annunciatis ſibi veritatibus fidem negat, vel qui evidentium rationum momentis contrario niſu reſiſtit, vel qui ſatis expendere illa recuſet. Judæi, quibus Evangelium Jeſus Chriſtus annunciavit, adhuc tamen perſeverarunt increduli. Incredulitate etiam de nonnullis religionis noſtræ myſteriis tenentur impii plures Chriſtiani. Vitium eſt autem ejuſmodi cordis magis, quàm ſpiritus.

In Textu Latino Scripturæ interdùm eſt *incredibilis*, pro *incredulus*. Uxor Loth in ſtatuam ſalis tranſmutata ita deſcribitur Sap. 10. 7. *Incredibilis animæ ſtans figmentum ſalis.* Author Eccleſiaſtici 23. 33. de conjuge adultera: *In lege Altiſſimi incredibilis fuit.* Baruch 1, 19. *Eramus incredibiles ad Dominum Deum noſtrum.* Animadvertiſſe juvat tres haſce ſententias non ex Verſione S. Hieronymi, ſed ex veteri Vulgata retineri.

Agit S. Petrus in priori Epiſtola 3. 20. *de ſpiritibus incredulis*, ad quos Jeſus in inferna deſcendens prædicavit: *His, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens, prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant patientiam Dei in diebus Noe.* Spiritus illi increduli animæ ſunt hominum Noe coævorum, qui annunciatis à S. illo Patriarcha veritatibus fidem renuerunt. Porro animæ illæ certiores factæ ſunt de adventu Jeſu Chriſti, reſurrectione, & deſcenſu ad inferos; quæ tamen omnia augendæ illorum deſperationi atque tormento valuerunt; cùm enim mors in crimine & incredulitate illos oppreſſiſſet, ineptos ſeſe intellexerunt excipiendo fructui redemptionis Jeſu Chriſti, quem ille annunciaturus Juſtis, adventum ſuum opperientibus, venit.

Veteribus quibuſdam Patribus (b) ſuccurrit, inferna petentem Jeſum fidem annunciaſſe Paganis & Infidelibus, quo ſcilicet obfirmatos habentes in infidelitate illa animos, omni præciſa cauſationis anſa, damnaret; credidiſſe autem nonnullos, quos una ſecum rapuerit in Cælum. Verùm hæc ſententia modò deſerta eſt; tenet enim Eccleſia, quos in crimine & in pœnitudine mors oppreſſit, irrevocabili ſententiæ damnari. Vide Comment. in Textum illum S. Petri. Obiter etiam nos ea de re egimus v. *Spiritus*.)

INDIA. Indiæ alicubi Scriptura meminit; uti in Libro Eſther 1. 1. dicit: *In diebus Aſſueri, qui regnavit ab India uſque ad Æthiopiam*: Hebræus verò ab Had-

(a) Druſ. Jun. Hammond. Vallst. Judæi Karaitæ. (b) Clem. Alex. l. 6. Stromat. Epiphan. hæreſ. 46. Ambroſiaſt. in Epheſ. 4. Nazianz. orat. 42. ſub fin. Nicet. not. in eundem.

Digitized by Google

Haddo uſque ad Chus. Nomine *Haddo* omnes Interpretes Indiam, & nomine *Chus*, Æthiopiam ſeù regionem ab Ægypto Arabiam divellentem accipiunt. Darium Hyſtaſpis filium, quem nos eundem ac Aſſuerum reputamus, nonnullis veræ Indiæ Provinciis imperaſſe (a), eique Æthiopes vectigalia, ab Herodoto l. 3. c. 9. etiam ſignificata, perſolviſſe, exploratum eſt. Job hæc de India verba profert c. 28. 16. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus*. Hebræus verò legit: *Non conferetur cum Chetem Ophir*. At *Chetem* idem ac aurum ſonat. In 1. Machabæor. 6. 37. elephantium rectores Indi appellantur; plerumque enim veri Indi ad horum regimen aſſumebantur. Indus elephantis collo inſidens, ferrea, ac recurva virga in ejus aures adacta, qua ſibi videbatur, ipſum circumagebat. Præſtantiſſimi veterum authores Indi nomen elephantis Magiſtro qualibet ex gente orto, vulgò imponunt.

(Indorum regio nomen repetit ex *Indo*, inter principes tractus illius amnes. Clauditur ad occidentem Perſide, ad boream Magna Tartaria, ad orientem Sinarum Regione, ad meridiem mari Indo. Amnes in tota regione principes cenſentur Indus & Ganges. Feraciſſimum eſt ſolum oriza, milio, fructibus & aromatibus. Serico & goſſypio abundat regio, nec elephantes, cameli, ſimiæ, pſitacei rubro viridique picti deſunt. Dives eſt etiam auro, argento, adamantibus, carbunculis &c. ac tandem ſecundùm ejus latera probatiſſimæ margaritæ piſcatu apprehenduntur.

Indias in duas partes ſecant Orientales (b), quarum alteram appellant *Hend*, aliam *Send*. Eſt autem *Send* peculiare nomen fluminis *Indi*, ex quo derivata appellatio in omnem citeriorem regionem ad occidentem, & ulteriorem ad orientem amnis ſecundùm ejus tractum excurrentem, atque ad oſtia potiſſimùm. Regio *Hend* orientalis eſt *Send*, protenditurque maximè ſecundùm Gangem ad orientem & occidentem amnis, ab ejus fontibus adusque oſtia. Hujus latus occidentale tangit Sinus Perſicus, ad meridiem Oceanus Indicus, ad orientem vaſtæ illæ ſolitudines, quibus à regione Sinarum diſtinguitur; ad ſeptemtrionem regio Azach & Tartaria. Ambæ autem portiones illæ *Hend* & *Send* ſimul ſumptæ in tres adhuc partes diſtinguuntur. Appellatur prima *Giazarat*, quam nos *Ginzerate* vel *Decan*; eſt autem portio occidentalis. Succedit *Manibar*, quam nos *Manabar*; continuatur autem provinciæ Gilzerate ad orientem & meridiem. Tertia portio maximè orientalis eſt *Mabar* vel *Mebar*, quod Arabicum nomen ſonat vadum vel tranſitum; inde enim tranſitus ad Sinas. Tota jacet præter Sinum Bengalæ, præeminet autem cæteris Urbs *Cananor* vel *Cancanor*.

Olim apud Veteres Æthiopia Indiarum nomine cenſebatur, manetque hodie uſque apud Perſas appellatio *Indi nigri* pro Æthiope. In hiſtoriis Orientalium legimus Indos poſtulaſſe ſibi Epiſcopos à Simone Syro Patriarcha Jacobitarum Alexandriæ. Oceanus Æthiopicus Veterum ipſe eſt Oceanus Indicus Noſtratum.

INEBRIARE. Vide *Ebrius*, *ebrietas*.)

INFERNUS, Hebraicè *Scheol*. Hoc nomine Scriptura ſæpè ſepulchrum nominat, in quo defunctorum corpora requieſcunt. Mortis filii ſui Joſephi dolore confectum ſe *in inferna* abiturum Jacob ingemuit. *Gen.* 37. 35. Core, Dathan, & Abiron ſubito terræ hiatu viventes abſorpti ſunt in infernum, *Num.* 16. 30. ideſt viventes ſepulti. *Non derelinques animam meam in inferno*, ait Pſalmiſta, *Pſal.* 15. 10. nempe non ſines corpus meum putreſcere in ſepulchro.

Locus ille, in quem animæ à corpore ſejunctæ deveniunt, Infernus quoque appellatur. Regem Babylonis ſic Iſaias 14. 9. alloquitur: *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum adventus tui. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis*. Ferè eadem Ezechiel 31. 15. ad Regem Ægypti: *In die, qua Rex Aſſur deſcendit ad inferos, induxi luctum, operui eum abyſſo .... & conſolata ſunt omnia ligna voluptatis*. Eò in loco gigantes *gemunt ſub aquis*, juxta phraſim Jobi 26. 5. Ibi etiam Dives impius ſepultus eſt, *Luc.* 16. 22. Eò denique acti ſunt præcipites rebelles Angeli, & *Rudentibus inferni* devincti. 2. *Petr.* 2. 4.

Poſtremò Infernus eum locum deſignat, in quo Animæ Sanctorum, Chriſti adventum opperientes, detinebantur, & quo poſt Domini Reſurrectionem exiere, ut in Cœlos, æternam voluptatem percepturi, transferrentur. Huc quoque poſt obitum ſe contulit Anima Chriſti: *Deſcendit ad inferos*; ad quos inferos attinet illud: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem* (c); & illud: *Ero mors tua, ò mors, morſus tuus ero, inferne*. *Oſee* 13. 14.

Inferorum pœnæ, ut plurimùm, in Evangelio appellantur, *ignis inextinguibilis*; *frigus*, *& ſtridor dentium*; *tenebræ*; *vermis, qui non moritur*; *gehenna*, ſeù *gehenna ignis*; & *ignis æternus*. Juxta illud Job. 24. 19. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius*, improborum animas modò immenſo calore, modò frigore intolerabili torqueri, Rabbini opinantur. Quem Jobi locum Author Commentariorum in Job apud Hieronymum eodem modo interpretatur. Utraſque ſanè has pœnas liquidò Evangelium inducit, cùm modò ignis inextinguibilis, modò etiam frigoris, tenebrarum, & ſtridoris dentium meminerit, *Matth.* 22. 13.

(Qua olim tenerentur opinione Hebræi pariter & Pagani de ſtatu Animarum poſt obitum in medium adductum eſt, v. *Campi Eliſii*. Diſſidium eſt ſententiarum inter Doctos de origine vel primis Authoribus Inferni, Tartari, Camporum Eliſiorum cæterorumque, quæ leguntur in Patribus Græcis & Latinis de ſtatu animarum ſecretarum è corpore. Perſuaſum habuerant nonnulli (d), Judæis olim ſolas innotuiſſe pænas vel præmia temporalia, pro juſtorum pravorumque operum merito. Non alia quidem præter iſta in ſpeciem Lex pollicetur, terret Iſraelitas minis interitus, prematuræ mortis vel probroſæ, terret interminans ſupplicia capitalia, exterminium, anathema, familiæ deſtructionem, ſoli ſterilitatem, tranſmigrationem in terram alienam, cædem in bello, atque hoſtium perſecutionem, Cælum æneum & terram ferream &c. nullibi verò ſeu Infernæ pœnæ, ſeu mors æterna intimantur; eadem data proportione de præmiis. Allicit facta ſpe diuturnioris vitæ, familiæ florentis, optimæ meſſis, fœcundi gregis & pacis tranquillæ. Solatur largitione victoriæ de hoſtibus, divitiarum ubertatis, honorum cæterorumque, ſenſus & inſitum hominibus in ſe amorem foventibus; nullibi tamen ſermo de vita æterna, gloria Paradiſi, & alterius vitæ præmiis.

Perſuaſum habent viri doctiſſimi ex commercio cum Græcis didiciſſe Judæos inquirere diligenter in ea, quæ ab Homero aliiſque Vatibus ſcripta erant de Inferis, Tartaro, Campis Eliſiis, & tunc primò Doctores Judæorum abierunt in partes. Probabant alii Græcorum dogmata; vetera gentis præjudicia cæteris retinere viſum eſt. Ex eo diſſidio natæ Sectæ, Judæos poſtremis tandem ſæculis inter ſe dividentes, Phariſæi & Eſſeni accedebant maximè ad Græcos, Sadducæis potior erat conſenſus cum vetuſta Hebræorum traditione. Hæc Scriptores illi.

Aliis verò ſuccurrit Judæos, quæ de Inferno ſentirent, non è Græcia accepiſſe, ſed è Perſis vel Ægyptiis, quòd ſcilicet ſat conſtet opiniones illas apud Orientales & Ægyptios obtinuiſſe, quemadmodum & apud Græcos: perſuadetur autem illis Græcorum religionem derivari ex Orientalibus vel Ægyptiis, & priores illi cultum ſibi formaſſe ex accepta aliunde norma. Porò duarum ejuſmodi ſententiarum aſſertores in eo conveniunt, quòd utrique parti ea ſit perſuaſio, Judæos aliunde accepta Inferni

&

(a) Herod. l. 3. c. 94. (b) Biblioi. Orient. p. 447. Hend, & p. 804. Bed. (c) Pſal. 9. 4. Act. 2. 27.
(d) Luc. Brug. Vide Baſnag. Hiſt. Jud. tom. 4. lib. 6. cap. 31.

Digitized by Google

& Paradiſi dogmata tenuiſſe; ex illis verò in Chriſtianos derivati.

Verùm ſi quis propius Hebræorum volumina conſideret, intelliget ſtatim eandem illis inſediſſe ſententiam, eadem fermè locutos fuiſſe ac Græcos ante Homerum, Heſiodum, vetuſtiſſimoſque Græcorum Vates. De Inferni ſuppliciis, quibus cruciantur ſontes; diſertiſſimè tractarunt Job, Pſalmiſta, Salomon, Iſaias, Jeremias, Ezechiel. Ipſe pariter Moyſes, Deut. 32. 22. ſcriptum reliquit: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad Infernum noviſſimum, devorabitque terram cum germine ſuo, montium fundamenta comburet.* Et Deut. 30. 15. *Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum.* Conſtat utique viros probos non ſemper ſua manere præmia in hac vita, nec impios pro merito ſupplicia. Alterius ergo vitæ ſeu bona ſeu mala inſinuavit Moyſes. Profectò ſi nihil poſt obitum ſibi timebant ſperabantque Hebræi, cur poſtulat Balaam, Num. 23. 10. *Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia?*

Sed modò expreſſa magis proferenda teſtimonia. Sàt convenit Jobum parem fermè antiquitatem cum Moyſe referre; & quamvis diſſidium ſubortum ſit aliquod de Authore Libri, ejus nomine inſcripti, quem alii Jobum ipſum reputant, alii Moyſem, alii Salomonem, alii Iſaiam; illud utique cenſendum eſt, Operis Scriptorem, quicunque tandem is fuerit, ipſos Jobi ſenſus expreſſiſſet, i. e. opiniones illas ætate Jobi in regione & apud Idumæos vel Arabes receptas. Exprimit autem ille diſertiſſimè Inferni pœnas, proferens gigantes, viros illos nefarios veteris ætatis, qui naturæ ſancta omnia criminibus ſuis polluebant, & quorum abominationes aquarum diluvio eluit Deus: *Ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis.* Tum addit locum ſupplicii: *Nudus eſt infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditionis.* Et cap. 24. 19. 20. *Ad nimium calorem tranſeat* (impius) *ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius. Obliviſcatur ejus miſericordia, dulcedo illius vermes.*

Superant hæc omnia Poetarum ætatem, Poetarum, inquam, carminibus ſuis referentium de Gigantibus perduellibus in Jovem, quos Numen præcipites egit ſub aquis (a), montium ſuperſtructorum pondere preſſis.

Hic genus antiquum Terræ, Titania pubes,
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.

Videſis Homerum, Heſiodum (b), cæteroſque poſt illos.

Salomon, cujus eſt ætas Græcis omnibus Authoribus vetuſtior, paria fermè commemorat de Inferno, ubi & Gigantes collocat, ac Jobus. Pellicis mulier effrænis incautos juvenes ad voluptates; *& ignoravit quòd ibi ſint Gigantes, & in profundis inferni convivæ ejus* Prov. 9. 18. Prov. 2. 18. 20. *Inclinata eſt ad mortem domus ejus,* (fœminæ proſtitutæ) *& ad inferos* (vel ad Gigantes) *ſemitæ ipſius .... omnes qui ingrediuntur ad eas non revertentur.* Et cap. 5. 5. *Pedes ejus deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant.* Et c. 7. 27. *Viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.* Et cap. 15. 11. *Infernus & perditio coram Domino; quantò magis filiorum hominum?* Habes hic infernum, exitium, commorationem Gigantum in loco, veluti criminoſis & adulteris deſtinata ſuppliciorum ſede. Hæc utique expreſſa non ſunt ex Homero, vel Heſiodo, nec planè a Virgilio, ſicut neque alterum illud Salomonis Proverb. 21. 16. *Qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur.*

Si quis argumento aliquo evincere poſſet Pſalmos omnes Davide authore ſcriptos fuiſſe, demonſtraret ille utique authoritate divinorum ejuſmodi Canticorum falſa ab iis aſſeri, qui veteres Judæos diſtinctam ſatis ideam de Inferno habuiſſe nullam contendant. Quando tamen Author Pſalmi 87. omnino coævus captivitati Babylonicæ vixiſſet, conſtaret nihilo ſecius nihil tranſtuliſſe illum in ſuum ſuccum è Græcorum ſcriptis ad loca Inferna quod attinet. Ita ergo ille ad Deum *Pſal.* 87. 11. 13.: *Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt & confitebuntur tibi?* vel juxta Hebræum: *Et Rephaim exurgent & confitebuntur laudes tuas?* Nunquid ut te laudent, ſuſcitari expectas ex Inferis veteres Gigantes? Addit: *Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & juſtitia tua in terra oblivionis?* Etenim Infernus, perditio, oblivio ſynonima ſunt; ex quo factum ut ipſi pariter Pagani flumen lethæum vel oblivionis ſignans Inferna comminiſcantur, teneantque è fluminis hujuſce aqua potari mortuos, ut oblivionem hujus vitæ ebibant. *Virgil. Æneid. 6.*

.... Lethæi ad fluminis undam
Securos latices & longa oblivia potant.

Iſaias Propheta coævus fermè vixit Homero & Heſiodo; aliquanto infra ætatem priſcorum ejuſmodi Vatum florebat Ezechiel; utroſque tamen certò conſtare arbitror nihil ſive de illis noſſe, ſive de ſcriptis ab illis Lucubrationibus. Scribunt tamen de Inferis & ſtatu mortuorum in altera vita, & ita ſcribunt, ut non minus ſaltem ac Prophani illi diſertè, & paribus fermè loquendi phraſibus rem tractent. Legas apud Iſaiam 66. 24. damnatorum ignem, qui nunquam extinguitur, vermem devorantem, qui nunquam moritur, fœtorem intolerabilem: *Corpora virorum, qui prævaricati ſunt in me, vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, & erunt uſque ad ſatietatem viſionis univerſæ carnis;* Hebræus ad literam: *Erunt argumentum nauſeæ univerſæ carni.* Idem etiam Propheta 26. 14. 19. *Morientes non vivant, Gigantes non reſurgant, propterea viſitaſti, & contriviſti eos & perdidiſti omnem memoriam eorum.* Vide ſic redactos ad Inferna altæque traditos oblivioni. *Vivent mortui tui* (Iſraelitæ), *interfecti mei reſurgent; & laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, & terram Gigantum detrahes in ruinam;* ſeu potius juxta Hebræum: *Corruere facies terram Gigantum:* opprimes Gigantes adverſarios tuos, cadente ſuper eos terra, qua velut operculo claudentur in abyſſo. Confer Ezech. 31. 10. Jerem. 3. 5. Pſal. 63. 15. & quæ de portis Inferni, ac difficili ab illis exitu, tradunt Poetæ.

Idem pariter Iſaias de acto in præceps Rege Babyloniæ tractans, ita illum alloquitur cap. 14. 9. &c. *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum adventus tui, ſuſcitavit tibi Gigantes. Omnes Principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes Principes nationum. Univerſi reſpondebunt & dicent tibi: Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus es. Detracta eſt ad Inferos ſuperbia tua, concidit cadaver tuum; ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidiſti de Cœlo lucifer, qui manè oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes. Verumtamen ad Infernum detraheris, in profundum laci; qui te viderint ad te inclinabuntur, teque proſpicient. Nunquid iſte eſt vir, qui conturbavit terram?* Proſopopejam hic habes latè deductam perſimilemque iis, quæ apud Poetas vetereſque prophanos Scriptores Inferna loca Eliſioſque Campos depingunt.

Luculentior Iſaia Ezechiel 31. 15. 16. *In die, quando deſcendit* (Aſſur) *ad Inferos, induxi luctum, operui eum abyſſo,* (ne exitum tentent) *& prohibui flumina ejus, & retinui aquas multas* (ne irrigarent cedrum). *Contriſtatus eſt ſuper eum Libanus, & omnia ligna agri concuſſa ſunt. A ſonitu ruinæ ejus commovi gentes, cùm deducerem eum ad Infernum, cum his, qui deſcendebant lacum. Et conſolata ſunt in terra infima omnia ligna* (horti) *voluptatis, egregia atque præclara in Libano univerſa, quæ irrigabantur in aquis. Nam & ipſi cum eo deſcendent in Infernum ad interfectos gladio, & brachium uniuſcujuſque ſede-*

bit

(a) Virg. Æneid. 6. Confer Æneid. 3. de Encelado, & Æneid. 9. de Typhæo. &c. (b) Homer. Iliad. 8. Heſiod. Theogon.

bit ſub umbraculo ejus in medio nationum. Ecce deductus es cum lignis voluptatis; ad terram ultimam, in medio circumciſorum dormies cum eis, qui interfecti ſunt gladio; ipſe eſt Pharao & omnis multitudo ejus.

Sermonem dein convertens ad Regem Ægypti invitat, ut unà cum aliis deſcendat ad Inferos *Ezech. 32. 18. 19. Deſcende & dormi cum incircumciſis. In medio interfectorum gladio cadent: gladius datus eſt, attraxerunt eum, & omnes populos ejus. Loquentur ei potentiſſimi robuſtorum de medio Inferni, qui cum auxiliatoribus ejus deſcenderunt, & dormierunt incircumciſi, interfecti gladio. Ibi Aſſur & omnis multitudo ejus: in circuitu illius ſepulcra ejus: omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio. Ibi Ælam, ibi Moſoch & Thubal. Et non dormierunt cum fortibus cadentibuſque & incircumciſis, qui deſcenderunt ad Infernum cum armis ſuis, & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis.*

Spectare hic licet, quemadmodum & apud Poetas, inſignia profeſſionis ſuæ, & inſtrumenta rerum, quibus dum viverent ſeſe exercuerunt homines, retineri apud Inferos. Heroes accincti ſunt gladio in Inferno, quem capiti dormientes ſuppoſuerunt; apud Virgilium iiſdem inſtruuntur curribus, equis, armis, exercentque ſe in Eliſiis. *Æneid. 6. v. 657.*

Quæ gratia currûm
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.

Eſſeni, de quibus multa prædicat Joſephus de Bello lib. 2. cap. 12. pag. 787. 788. Antiquit. lib. 18. cap. 2. pag. 617., paria ferme ac Pagani de ſtatu ſegregatarum à corpore animarum ſentiebant. Immortalem rebantur animam, quæ vinculis exuta corporeis, recta ſtatim ovaſque erigebantur in Cœlum, veluti longa jam militia functa, ac vinculis, quibus in terra alligabatur, expedita. Juſtorum animas transferri dicebant ultra Oceanum in locum quietis & deliciarum, ubi nullæ temporum vices; impiorum viciſſim animæ durum ſuſtinent exilium in locis aëris inclementiis omnibus ſubjectis, ubi æternè cruciantur. Addit Joſephus reputare de paribus ideis ſerios Poetas Græcos ediſſe loca deliciarum gratas Heroibus & Semideis ſedes; ſuppliciorum verò ingratos impiorum carceres; detinentur enim in Infernis recluſi ſub duro Plutonis Imperio.

Infernum in imo centro terræ collocabant Judæi, quem locum, uti paulò ante demonſtratum eſt, abyſſum & perditionem appellabant; ſuperinductas illi relantur aquas & montes. Deſignabant etiam eundem locum frequentiſſimè nomine *Gehennon* vel *Gehinnom*, quod ſonat vallis Hennon vel filiorum Hennon; habebaturque tanquam ſentina Urbis Jeruſalem, ubi & immolari Deo Moloch pueri. Vide *Gehenna*. Paganis etiam ſuccurrit locus ſuppliciorum ad imum terræ fundum. Virgil. Æneid. 6. verſ. 570.

Tum Tartarus ipſe
Bis patet in præceps tantum, tenditque ſub umbras,
Quantus ad æthereum cœli ſuſpectus Olympum.

Portæ Inferi, de quibus Jeſus Chriſtus Matth. 16. 18. ipſæ ſunt Inferni poteſtates; pro more Orientalium, quibus portarum nomine deſignantur Principum ſedes. Tres Inferno portas aſſignant Judæi; prima ad deſertum patet, unde Core, Dathan & Abiron in Infernum introducti ſunt; altera ad Mare, legitur enim Jonas in mare projectus *de ventre inferi clamaſſe Jonas* 2. 3. Tertia tandem porta Hieroſolymæ aperta eſt, teſtibus Iſaia 31. 9. *Ignis eſt in Sion, & caminus ejus in Jeruſalem*. Frivola ſunt iſta quidem; ſed portarum Inferni Pythagoram, & Poetas meminiſſe conſtat. Virgilius Æneid. 6. verſ. 547.

Porta adverſa ingens, ſolidoque adamante columnæ,
Vis ut nulla virûm, non ipſi exſcindere ferro
Cœlicolæ valeant.

Septem apud Inferos pœnarum gradus conſtituunt Hebræi, quòd ſcilicet totidem variis nominibus in Scriptura appellatum locum illum animadvertunt; habentque perſuaſum magnum eſſe pœnarum ejuſmodi diſcrimen inter damnatos. Ipſis pariter Chriſtianis non una eſt torquendi ratio apud Inferos; ſed numerum pœnarum ut definiret nemini ſuccurrit. Infinitas non immeritò arbitraremur, quòd hominum merita prava gradibus propemodum infinitis varient. Quatuor Inferorum genera diſtinguunt ex Theologis quidam; eſt enim Infernus locus damnatorum, eſt Purgatorium, Limbus Infantium, & Patrum; omnia etenim hæc loca ſub communi interdum Inferorum nomine cenſentur, quamvis peculiare eſt loci, ubi damnati cruciantur.

Infernum pœnarum æternitatem utraque Scripturæ pagina exhibet; ignis damnatorum non extinguetur, nec morietur vermis. Sed Judæi ſpondent ſibi futurum ut inter ſuos nonnulli tandem liberentur (a). Docent illi Judæum nullo hæreſis infectum crimine, nec reum tranſgreſſi alicujus ex dogmatibus à Rabbinis indicatis, purgatorias pœnas ultra annum non ſubiturum; ut proinde æternis cruciatibus torqueantur ſoli Infideles & inſigniter ſceleſti. Scitum eſt inter omnes, Origenis ſententiam tenuiſſe, damnatorum ſupplicia ſtato tandem tempore abſolvenda eſſe. Menaſſe Ben-Iſrael de Reſur. lib. 2. cap. 8. pag. 182. tria hominum genera, quos æterna manent ſupplicia, recenſet. Atheos Deum eſſe negantes, cæteroſque ſtatas à Deo inficiatos Leges, ac tandem fidem nolentes addicere dogmati de Reſurrectione mortuorum. Porrò homines illi vitam licèt ad normam ſanctiſſimæ moralis exegerint, adhuc tamen æternis torquendos ſuppliciis pronunciat. Ex Rabbinis alii, (b), uti Maimonides, Abarbanel, & cum illis nonnulli defendunt, poſt evolutam annorum certam periodum animam in nihilum redigendam.

Quemadmodum autem Paradiſi felicitatem expreſſit Scriptura emblemate convivii, vel nuptiarum, & loci ubi regnat gaudium, voluptas, feſtum quoddam lumen; ita pariter in Novo Teſtamento Infernus locus eſt tenebricoſus, ubi dolor, triſtitia, furor, ægritudo, deſperatio, ſtridor dentium; qualis excluſus aliquis vel expulſus in obſcuræ noctis horrore vel brumæ rigentis algore, è convivio, quò ſe admitti ſperabat.

Tria Infernorum ſuppliciorum genera diſtinguunt Rabbini, algorem, æſtum, deſperantis animæ agitationes (c). Algorem æſtumque exprimit Job 24. 19. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium*. Auctore quarti Eſdræ damnatorum animæ igni ſimul & aquæ mediæ verſantur; lævum tenente aqua, dexterum latus igne, utriuſque tamen rigorem ſuum in miſerum exercentibus. Ignem illum, quo deſolata eſt Sodoma, ex Inferis deduxiſſe Deum tenent Rabbini, ſicut & ex Inferis derivatam aquam, terram in diluvio inundantem. Hæc etiam Paganis ſedit opinio, igneum amnem, i. e. Phlegetontem conſtituentibus in Inferno; ſicut & algentiſſimum alium rivum veluti glacie concretum, i. e. Acherontem; utriuſque autem tormenta tolerare Titanas ferunt. *Virgil. Æneid. 6.*

Aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Criminum conſcientia mœrorque de commiſſis ſceleribus, & deſperatio impiorum in Inferno exprimitur à Rabbinis ſub emblemate turbatæ animæ œconomiæ. Nec aliò ſpectavit Iſaias 66. 24. ſicut & Evangelium Marci 9. 43. 45. allegoricis illis: *Vermis eorum non moritur.*

E Judæis Chriſtianiſque adoptarunt Muſulmani (d) nomen *Gehennem* vel *Gehem* ad deſignandum Infernum. *Gehennem* Arabicè eſt puteus altiſſimus, & *Gehejm* homo luridus & deformis; *Ben-Gehennem* filius Inferni vel reprobus. Angelus Inferni Præſes appellatur ab illis *Thabek*.

Agnoſcunt ipſi pariter *ſeptem Inferni portas* (e), quemadmodum Judæi ſeptem pœnarum gradus, quæ pariter ſedes Commentatoribus pluribus tribuuntur; quippe qui primum graduum tenent aliorum ſupplicium *Gehennem*, deſtinatum Muſulmanis, qui aliquid promeruerint. Secundum gradum pene, *Ladha* nuncupant, ſentiunt Chriſtiani;

tertio

(a) Leo Mod. Cærem. Jud. p. 5. c. 10. (b) Moſes Maimon. porta retribution. Lent. reſurrect. Jud. pag. ult.
(c) Vide Bartolocci t. 4. p. 134. (d) D'Herbelot Biblioth. Orient. pag. 368. Gehennem. (e) Alcoran. cap. lapidis.

tertio *Hathama* ſubduntur Judæi*:* quarto *Sair* Sabii; quinto *Sacar* Magi vel *Guebres* ignis cultores; ſexto *Gehim* Pagani & Idololatræ; ſeptimo, qui gradus eſt in imo abyſſi fundo *Hawiath* dicto, addicuntur hypocritæ, fictam religionis perſonam ſibi inducentes, quanquam in corde impreſſam aliam retineant, plane ab ea diverſam, quàm profitentur exterius.

Alii aliter ſeptem ejuſmodi Inferni portas exponunt; e. g. deſignari illis credunt quidam ſeptem capitalia crimina; malunt alii ſeptem potiſſima membra corporis, quibus inſtrumenteis utuntur homines in offenſam Dei. In hanc mentem Vates quidam Perſa ſcripſit: Septem in corpore veſtro habetis Inferni portas, quibus anima totidem feras valet opponere; ferarum ejuſmodi clavis eſt liberum veſtrum arbitrium, quo datum eſt vobis ſeu claudere fores illas, ſeu recludere.

Præter ignem, qui ſenſuum eſt pœna, aliam etiam recognoſcunt Muſulmani, perinde ac nos, pœnam damni omnium acerbiſſimam; qua remota aliæ plane tolerarentur. Eſt autem remotio quædam à Deo, cujus privantur aſpectu, privanturque & viſione beatifica, quod ſummum eſt pœnarum in damnatis.

INFIRMITATES. Mors & corporis valetudines malæ ſunt criminis appendices, juxta illam, quam ſubjicit Scriptura, rerum ideam. Veteres Hebræi in ſtudio Phyſices parum verſati, minuſque morborum naturales cauſas inveſtigare, ſicut & conſulta quærere à medicis aſſueti, accepto omnes illos referebant pravis Spiritibus ultionis divinæ adminiſtris. Si quid vel parum morbi præferrent extraordinarii, ſi quæ cauſa morbi minus eſſet explorata, ſtatim ultrix Dei manus. Religioſior quiſque & ſapientior Dei opem implorabat, ut valetudini reſtitueretur: eoque nomine reprehenditur Aſa, 2. Par. 16. 12. *Nec in infirmitate ſua quæſivit Dominum; ſed magis in medicorum arte confiſus eſt*. Amici Job, ne ambigentes quidem, ſtatuunt omnia, quibus vir ſanctus tenebatur, incommoda in Deum refundi oportere. Lepra, morbus Judæis familiaris, à Deo nihilo ſecius inflicta cenſebatur; hujus autem incommodi ſeu naturam ſeu effectus omnes diſcernere, ſicut & affectos ſegregare à cæterorum conſortio, ac tandem depulſi ſeu invaleſcentis morbi judicium ferre ſacrum erat Sacerdotum munus; ſtatim ab obtenta valetudine ſacrificium, veluti crimini expiando, offerebatur. Maria, Giezi, & Rex Ozias ſubita lepræ plaga percuſſi ſunt, illa quidem, ut de obtrectatione pœnas daret; alter vero de avaritia; tertius tandem, quod animi præſumptione diſplicuiſſet; late ſæviens inter Iſraelitas peſtis, qua vanum Davidis conſilium puniretur, & non abſimilia exempla plurima gentis ea in re præjudicia alebant promovebantque.

Dæmon malus author morborum fere omnium in Evangelio imputatur. De muliere, quam morbi gravitas incurvam detinebat, habes Luc. 13. 16. *Hanc filiam Abrahæ, quam alligavit Sathanas, ecce, decem & octo annis, non oportuit ſolvi à vinculo iſto die ſabbati?* Eademque mulier veluti *ſpiritu infirmitatis* acta inducitur Luc. 13. 2. *Mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis*. Habes etiam in Evangelio Dæmonium mutum, itemque Dæmonium ægre loquentem, oris nempe vitium inducentem miſeris illis hominibus, quos agitabat. Ægris autem hiſce valetudini reſtituendis id primum adhibebant remedium Jeſus & Apoſtoli, ut Dæmonem è corporibus pellerent; ſtatimque ſalva omnia.

In aliis rerum eventibus Jeſus Chriſtus id primum ſervabat hominibus ad ſanitatem revocandis, ut peccata illorum remitteret. *Datur nobis intelligentia, propter peccata pleraſque evenire corporum debilitates; & idcirco forſan dimittuntur prius peccata, ut cauſis debilitatis ablatis, ſanitas reſtituatur*, ſcribit S. Hieronymus in Matth. 9. 14. Inceſti reum hominem Corinthium Sathanæ permittit Apoſtolus, 1. Cor. 5. 5. *ad interitum carnis*, quo ſcilicet à ſævo illo tortore diſcruciaretur morbis &c. Morbos etiam, quibus ipſe angebatur, malis Spiritibus imputat idem Apoſtolus, 2. Cor. 12. 7. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet*.

Angelus mortis gladio ſævit in primores natu Ægyptiorum; Angelus exterminator delevit exercitum Sennacherib; Angelus ultor gladium ſtrinxit in populum, lue immiſſa ad ultionem exigendam de crimine David; Saul tetro melancholiæ morbo correptus, à Dæmone arripi credebatur. Abimelech, Rex Geraræ, quod Saram uxorem Abrahami rapuerat intentatis de nece minis territus eſt (*). Her & Onan filii Juda ignotis morbis interitui traditi ſunt, quod probroſa & deteſtabilia admiſiſſent. Probroſo etiam morbo correpti fuerunt Philiſtæi, pœnas luentes, quod minus religioſe Arcam obſervarent. Vix ullus eſſet ſcribendi modus, ſi omnia congererentur exempla morborum à Deo inflictorum in pœnam criminum.

INGREDI ET EGREDI, Hebræorum ſtilo vitæ geſta omnia deſignat. Pſ. 120. 8. *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum*. Act. 1. 21. *Omni tempore, quo Jeſus intravit & exivit inter nos*. 2. Reg. 3. 25. *Sciret exitum tuum & introitum tuum*.

Ingredi in Eccleſiam Deut. 23. 5. &c. vel in cœtum Domini, eſt jure gentis donari inter Judæos; de gentis juribus omnibus & prærogativis communicare. *Ingredi ad mulierem*, eſt in deſtinata illi ædium conclavia admitti, quod viri tantum privilegium eſt Judic. 15. 1. Geneſ. 29. 21. & 30. 33. &c. *Ingredi ad illam*, perinde valet, ac viri jure erga uxorem ſuam uti.

INIQUITAS. Uſurpatur id non de crimine tantum, ſed & de criminis pœna ac expiatione. Uti cum Exod. 28. 38. dictum eſt: *Portabit Aaron iniquitates eorum*; Expiabit. Et Exod. 34. 7. *Dominus reddit iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam, & quartam progeniem*; exteriores furoris ſui ſignificationes exhibet interdum in ſceleſtiſſimorum patrum filios.

Portare iniquitatem ſuam Levit. 5. 1. & 17. 16. & 19. 8. &c. eſt pœnam de crimine ferre, ad expiandum ſcelus cogi. Hircus Azazel vel Emiſſarius *portabit omnes iniquitates populi in terram ſolitariam* Levit. 16. 22. In præcipitio conſtituetur, projicieturque deorſum, ut ſit victima expiationis univerſi populi. Abigail rogabat Davidem: *Aufer iniquitatem famulæ tuæ*; ne rogo, permittas, ut crimen Nabal viri mei in caput meum recidat 1. Reg. 25. 28.

Homo iniquitatis, filius iniquitatis, manus iniquitatis, via operarii iniquitatis, perinde valent ac perditus homo, filius vel homo peccati, opus iniquum &c. *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me* Pſal. 17. 5. Hebræus: *Torrentes Belial terruerunt me*; impii ſuperfuderunt ſe mihi veluti inundantes torrentis aquæ. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me* Pſalm. 48. 6. iniquitatum mearum ultio mihi è veſtigio inſiſtet, ſubitoque me convolvet. *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto* Pſal. 103. 20. Nunquid fieri poſſet, o Deus meus, ut conjurares cum *ſede iniquitatis*, cum Chaldæis, ſuperbis illis, & injuſtis tyrannis, qui *fingunt malum*, laborem, pœnam *authoritate ſua*; qui poteſtate ſua abutuntur, ut nos opprimant malis? *Judas poſſedit agrum de mercede iniquitatis*; Act. 1. 18. ſeu potius Principibus Sacerdotum ſuffecit ex quo emerent agrum, ſolutam ſibi proditionis mercedem reſtituens.

(INNOCENS, INNOCENTIA. Vocis hujus ſignificatio latet neminem. Vitæ innocentiam in eo potiſſimum conſtituebant Hebræi, ſi quis commiſſa in Legem elueret externis quibuſdam expiationibus; ex quo ſæpe jungunt illud *innocens* cum *manibus* Pſalm. 23. 4. *Innocens manibus & mundo corde*. *Manus veſtras ſervate innocentes* Gen. 37. 22. *Lavabo inter innocentes manus meas* Pſ. 25. 6. Adhuc etiam Pſ. 72. 13. *Ergo ſine cauſa juſtificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus*

(*) Gen. 20. 3. 4.

meas: Nulla alia agnoſcit peccata Joſephus, ac quæ externæ executionis opere conſummantur; cogitationes iniquas Deus, ſi illum audias, non punit.

Innocens, perinde valet interdum ac à pœna exemptus. *Nec quaſi innocenti tibi parcam*; ad literam Jerem 46. 28. *Nec faciam te innocentem*. Puniam te, ſed tanquam bonus pater filium. Et cap. 40. 12. ubi ad Idumæos ſermo: *Ecce quibus non erat judicium* (minus erant ſontes, quam) *ut biberent calicem, bibentes bibent; & tu quaſi innocens relinqueris? Non eris innocens, ſed bibens bibes*. Et Nahum 1. 3. *Dominus mundans non faciet innocentem*; Deus exercendæ ultioni paratus eſt, *Neminem faciet innocentem*, eximet neminem. Exodi 34. 7. *Nullus apud te per ſe innocens eſt*. Hebræus: *Neminem reddes innocentem*; nullum crimen remanebit inultum. Domine, Pſ. 17. 26. *cum viro innocente innocens eris*; cum juſto juſte agas, cum probo probe, neque enim eadem criminis ultione ſimul obvolvas juſtum & impium.

Job ab amicis ſuis accuſatus denunciat capite 27. 5. *Non recedam ab innocentia mea*; numquam fatebor criminum merito puniri me à Deo. De illo ſermonem habens Deus ad Satanam, habet, virum hunc ſanctum, tot licet urgentibus malis Job 2. 3. 9. *Adhuc retinere innocentiam*. Inſultanſque viro illi uxor, exprobrat: *Adhuc permanes in ſimplicitate tua?* Vel juxta Hebræum: In innocentia tua? adhuc inhæres priſtinis officiis; adhuc in Dei obſequio perſiſtis, uti ante hac cum nullis opprimereris malis?)

INNOCENTES, nomen, quo Eccleſia infantes nominat, quos Herodes *à bimatu & infra* in Bethleem, ejuſque finibus enecavit; ea in cæde novum Judæorum Regem, cujus ortum à Magis ex Oriente profectis acceperat, opprimere meditans. Vide *Herodes Magnus, Magi*. Herodes, quod nequiſſimo animo agitaverat recondens, Magis edixit, ut ſolerter novum Regem exquirerent, eoque comperto, ſibi nunciarent. At Magi ab Angelo per quietem admoniti, clam ex Judæa iter avertentes, per aliud in ſuas regiones remigrarunt *Matth.* 2. 16. 7. Herodes ſe dolo à Magis eluſum ſentiens (a), in Bethleem ejuſque agros ſatellitibus immiſſis, omnes trucidavit pueros *à bimatu & infra*, juxta tempus, quo Magis primo ſydus viſum didicerat. Græci in ſuo Menologio, ac Æthiopes in ſua Liturgia pueros in Bethleem ejuſque finibus cæſos, ad 4000. recenſent; quod fidem omnem exſuperat. At Innocentum cultus vetuſtiſſimus ſane in Eccleſia eſt, quos ipſa ſemper ut Martyrum flores coluit (b). Eorum reliquiæ pluribus in locis exhibentur. Eccleſia Latina ipſorum Feſtum die 28. Decembris; Græci die 29. celebrant.

Mirum, cur Joſephus hiſtoricus cædem hanc ſilentio preſſerit. Hoc in eam nos ſententiam adducit, infantes videlicet enecatos tot non eſſe, quot Græci, Æthiopes, Moſchi fuiſſe contendunt. Ea in re proditum eſt, Auguſtum dixiſſe, præſtare Herodis ſuem eſſe, quam filium. Auguſtus cum percepiſſet (c), ab Herode Judæorum Rege in ea infantium cæde in Syria edita, ipſius quoque filium deperditum, ait, Principis hujus ſuem eſſe, quam filium pluris reputandum. Veriſimile eſt Imperatorem comperta eodem tempore puerorum, & Antipatri nece, quem Herodes quinque diebus ante ſuum obitum peremerat, quam Macrobius memorat, eam ſententiam effatum. Inter puerorum, & Antipatri necem ſex tantum hebdomades intercedunt. Chriſti fuga in Ægyptum à nobis relata eſt in vita Jeſu Chriſti, & v. *Fuga in Ægyptum*. Quod vero S. Matthæus aſſerit, Innocentium cæde Jeremiæ vaticinium comprobatum *Jerem.* 32. 15. *Vox in Rama audita eſt*, vaticinium hoc arbitror decem Tribus in ſervitutem abſtractas primo innuere; ac S. Matthæum huic cædi aptaſſe. Vide *Rama*.

(INSIDIÆ, *inſidiari*. Peculiaris nominis hujus ſignificatio exprimit inſidias in aliquem moliri, cæcos parare laqueos, aggredi occulte. Significat etiam interdum imparatum hominem petere, à tergo illum aſſequi, occultare ſe in loco, ut inopinus alicui ſupervenias. Vide Judic. 9. 25. 32. 34. 35. Abimelech latuerat cum ſuis retro poſt collem Sichem, ita tamen ut tranſeuntibus eſſent graves, maleque exciperent, veneruntque triplici agmine in Urbem Sichem: *Tetendit inſidias juxta Sichimam in quatuor locis*. Hebræus ad literam: *Tetenderunt inſidias in Sichem in quatuor capitibus*. Et infra verſ. 43. *Quod cum nuntiatum eſſet Abimelecho, tulit exercitum ſuum, & diviſit in tres turmas, tendens inſidias in agris*. Ex his ſatis arbitror conſtare, *inſidias* hic aliter eſſe accipiendas, quam pro vulgari nominis ſignificatione. In priori Reg. 22. 8. 13. queritur Saul de Davide eo nomine: *Inſidiator uſque hodie permanens*. Porro nulla eſſet Regis querela, ſi verbum inſidiari communi ſignificatione uſurparetur; poterat ille tamen quamvis falſo de Davide queri, quaſi illum haberet occultum adverſarium. Et 2 Par. 20. 22. legimus converſas à Deo inſidias adverſariorum Iſrael in caput ipſorum; i. e. illorum conatus, mala conſilia, arma in ipſos convertiſſe; hoſtes enim illi, de quibus hic ſermo, non ſecreto, nec per dolum laqueos parabant Iſraelitis; ſed aperta vi in illos ferebantur.)

INSTRUMENTUM MUSICUM. V. *Muſica*.

INTELLECTUS, vox *intelligentiam* exprimens, quæ in plurium Pſalmorum titulis legitur; uti, *Pſal.* 31. 1. *Intellectus ipſi David; Intellectus filiis Core, Pſal.* 41. 1. ſeu *filiis Core ad Intellectum*; *Intellectus Aſaph; Intellectus Ethan, Intellectus Emath &c.* Hebræum *Muſchille David*, hunc Pſalmum, vel Canticum eſſe ſignificat, catecheticum, ac moralem; vel altos recondere ſenſus, & peculiare ſtudium, atque eximiam ingenii vim expoſtulare. Hebræi Pſalmos, quibus hic titulus appoſitus eſt, ex illis eſſe arbitrantur, quorum pronunciationem expoſitio ſubſequebatur.

(INTELLECTUS perinde valet interdum ac proſper rei eventus, & felicitas, quod in Hebræo vox *Schekal*, intellectum exprimens, eadem pariter & felicitatem & proſperum rei exitum deſignat. Pſ. 110. 10. *Initium ſapientiæ timor Domini; intellectus bonus* (proſpera omnia) *omnibus facientibus eum*. Pſ. 118. 169. *Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo, juxta eloquium tuum da mihi intellectum*; juxta factas à te promiſſiones da rebus meis exitum felicem. In Joſue 1. 7. 8. *Ut intelligas cuncta, quæ agis*; ut cœpta tua ſuccedant. Adhuc etiam: *Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam*.

INTERCALARE, *Intercalatio*. Deſignatur eo nomine mos Judæorum noſtræ ætatis, adjiciendi duodecim menſibus anni ſui lunaris unum alium in ſingulos duos vel tres recurrentes annos; i. e. intra periodum cycli decennalis, ſeptem anni tredecim menſibus conſtant, cæteri duodecim. Porro menſis iſte anno additus collocatur inter Februarium & Martium, ut ſupputetur *Adar primus* & *Adar ſecundus*, qui poſtremus menſis appellatur *Ve-Adar*, veluti ſi diceretur & *adhuc Adar*, vel *ſecundo Adar*.

Intercalationis hujuſce ex eo ratio petitur, quod Judæi annum ſuum ad Lunæ curſum accommodant; cum nos ſolarem retineamus. In annis noſtris ſolaribus intercalationem ſingulis quadrienniis addimus unius diei, menſi Februario; & quartus iſte annus *biſſexſtilis* appellatur, quod ſcilicet duo ſuccedentes dies deſignentur nota *ſexto Kalendas Martii*, dies ſcilicet 24. & 25. Februarii, cujus menſis biſſexſtilibus annis dies ſupputantur 29. non 28. uti pro more conſueto. Hanc exigunt intercalationem ſex illæ horæ

ſi.

(a) An. M. 4001. Chr. 1. ante Ær.
(b) Vide Iren. l. 3. c. 18. Orig in Pſal. 36. homil. 4. Aug. de lib. arbitr. l. 3. §. 68. Chryſoſt. in Matth. homil. 9. &c.
(c) Macrob. l. 2. c. 4. Saturnal.

Digitized by Google

11. minutis minus, quas erogat ſol curſui ſuo penitus abſolvendo ſupra 365. dies, quot communem ſolarem annum componunt.

Viciſſim autem intercalatio Judæorum ideo exigitur, quod menſes omnes lunares ſolaribus menſibus 12. horis circiter ſunt breviores, quæ plane horæ ſingulis trienniis reddunt 29. vel 30 dies. Vide infra v. *Menſis*.

INTERDICTUM, ANATHEMA. Vide *Anathema*, *Excommunicatio*, *Corbam*.

INTERROGARE. Novi Teſtamenti ſtilo Græcum *erotao*, *interrogare*, perinde valet interdum ac *petere*, aliquid *rogare*. E. g. Matth. 15.23. *Audientes Diſcipuli ejus rogabant eum* (Græcè interrogabant) *dicentes: Dimitte eam*; i. e. rogabant ut voti compotem faceret. Et Marci 7. 26. mulier Syrophæniſſa genere *rogabat eum* (Græcè *interrogabat*) *ut Dæmonium ejiceret de filia ejus*. Sæpe Græcum illud *erotao* reddit Author Vulgatæ *rogare* (a), quod contextus ſermonis ſenſum illum exigeret; conſtat tamen genuinam ejus ſignificationem ferre *interrogare*, quam Interpres alicubi conſervandam maluit, e. g. Lucæ 22. 68. *Si autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi, nec dimittetis*; ſi rogavero pro ejus libertate, voti me compotem non facietis. Et Joannis 16. 30. *Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi ut quis te interroget*; ut à te quiſpiam aliquid poſtulet.

INVENIRE, uſurpatur interdum pro aggredi, ſupervenire hoſtibus, eorum inſidias revelare; hunc ſenſum Criticorum nonnulli exprimunt ex illo Gen. 36. 24. *Iſte eſt Ana, qui invenit aquas calidas in ſolitudine*. Hebræus: *Invenit Emim*. Porro Emim valida quædam populorum natio cenſetur: *Emim populus magnus, & validus & tam excelſus, ut de Enacim ſtirpe quaſi gigantes crederentur*, ait Moyſes, Deut. 2. 10. 11. Incidit igitur Ana in manum quandam ejuſmodi populorum, ſupervenitque illis, aggreſſus eſt, fudit. Verbum *invenire* eodem ſenſu uſurpatur Judic. 1. 5. *Invenerunt Adonibezec in Bezec*, aggreſſi ſunt Adonibezec. Et 1. Reg. 31. 3. juxta Hebræum: *Viri ſagittarii invenerunt Saul*, impetum in illum fecerunt. Et 3. Reg. 13. 24. *Qui cum abiiſſet, invenit eum* (inſilut in eum) *leo in via, & occidit*.

INVENIRE, detegere, punire; veluti pater detegens crimen filiorum, vel Judex reos tenens in crimine: *Non invenietis in lingua mea iniquitatem*. Pſ. 10. 39. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur*. Punietur ſcilicet peccatoris iniquitas, nec peccator ipſe invenietur, exterminabitur, peribit. Vel addita interrogatione ita ſententia legeretur: *Quæretur peccatum illius, & non invenietur?* Quaſi ſcilicet blandiens, id fieri poſſe reputans intra ſe: *Dixit enim in corde ſuo*. Adhuc etiam Pſ. 20. 9. *Manus tua inveniat omnes inimicos tuos*; puniat. *Pericula inferni invenerunt me*; i. e. expoſitus ſum diſcrimini ſeu inferni, ſeu ſepulcri.

Invenire gratiam in oculis alicujus, phraſis eſt Sacræ Scripturæ familiaris, & noſtro pariter vernaculo ſermoni non ignota.

Tribulationes invenerunt nos. Similis eſt emphatica loquendi phraſis exprimens ſubitum quoddam malum, imparatis nobis incidens: *Adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis* Pſ. 45. Job. 31. 29. *Si exultavi, quod inveniſſet* (adverſarium meum) *malum*.

De homine aliquo ultore Dei gladio percuſſo, uſurpatur: *Non eſt inventus locus ejus*; Pſ. 36. 36. evanuit.

INVOCARE *nomen Domini*; in opem & adjutorium adigente neceſſitate illum appellare. *Enos cœpit invocare nomen Domini*. Gen. 4. 26. Reddunt alii Hebræum: *Tunc cœptum eſt prophanari nomen Domini*, quod Idolis communicatum ſit. Vide v. *Enos*.

Nomen tuum invocetur ſuper nos; clientes tui cenſeamur populi famuli tui. *Invocetur ſuper eos nomen meum*; Gen. 48. 16. in filiorum Iſrael jus tranſeant & appellationem. Agit Iſaias de certa illa ætate cum regione deſolata rari erunt in illa viri, quod expreſſurus proverbiali hac utitur phraſi: c. 4. 1. *Apprehendent ſeptem mulieres virum unum, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos*; habeas nos in uxores tuas, & auferas à nobis opprobrium cœlibatus. *Veniſtis & ſtetiſtis coram me in domo hac*, (in Templo) *in qua invocatum eſt nomen meum*; quæ ſcilicet domus nomine Templi Domini colitur & agnoſcitur. *Aperi Domine oculos tuos, & vide Civitatem, ſuper quam invocatum eſt nomen tuum*. Dan. 9. 18. Jeruſalem ſcilicet, quæ urbis Sanctæ, urbis Domini titulo gloriatur.

Invocare Deum, perinde valet interdum ac externis omnibus religioſis ſignificationibus cultum præſtare publicum Deo. *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini ſalvus erit*; Rom. 10. 13. quicunque ſcilicet credet, ſperabit, amabit, orabit, ſicut oportet, ſalutem conſequetur. Quod ab hominibus colatur honori aliquo ducit Deus, ac de præſtando à nobis cultu ſollicitudine aliqua tenetur, nunquam permittet ut aliud à ſe Numen invocetur. Pſal. 49. 15. *Invoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me*; fiduciam in me tuam & à malis ereptionem decori mihi & honori ducam.)

JOAB, Sarviæ ſororis Davidis filius, atque Abiſai, & Azaelis frater. Dux Davidis ætate omnium fortiſſimus, ac peritiſſimus; at immanitate, vindictæ ſtudio, ac ſuperbia nemini ſecundus. Præclara in Davidem beneficia contulit, ab eoque numquam deſcivit. Ejus exercitui ſumma cum poteſtate præerat, dum ille tantum Tribus Judæ Regnum obtinebat. Primum facinus, cujus meminit Scriptura (b), quo ſe inſignem reddidit, in Gabaonis prælio adverſus Abnerum Isboſethi Saulis filii fautorem edidit. Victoria Joabo ſtetit: Azael vero ejus frater ab Abnero ibi cæſus, uti narravimus v. *Azael*, & *Abner*. Ut hanc necem Joab ulciſceretur, Abnerum Hebronem profectum, ad fœdus cum Davide ineundum, ac totum Iſraelem ejus imperio ſubdendum, per inſidias interfecit, 2. *Reg.* 3. 27. 39. Hoc ſcelus David execratus eſt, pœnas vero ab Joabo expetere non eſt auſus; eo enim ejus potentia excreverat, ut pene ipſi eſſet formidanda.

Cum David in Regem ab omni Iſraele fuiſſet ſalutatus (c), Jeroſolymam obſedit, ac primo hujus urbis mœnia ſubeunti, & ex his Jebuſæos exturbanti, ſupremam ſuorum exercituum Præfecturam ſe collaturum pollicitus eſt. 1. *Par.* 11. 16. Joab omnium primus in mœnia evaſit, virtutiſque merito gradum, quem jamdudum obtinebat, retinuit. Præcipuam ipſe impendit operam in eo bello, quod David cum Syris, & Idumæis geſſit. Ammonitas ſubegit, & in Rabbat eorum Metropolis obſidione, fortem Uriam in vitæ diſcrimen à ſe adductum, neci obtulit, 2. *Reg.* 11. 12. Ipſe ab exilio Abſalomum revocavit, ſuis officiis in Davidis gratiam reſtituit, reditumque ei in Regiam, & ad priſtinos honores aperuit. At quo ſe Abſalomo in ejus infortunio amiciorem, eo infeſtiorem ſe in ejus perduellione præbuit. Acie inſtructa prope Mahanaim ipſum devicit, 2. *Reg.* 18. 1. & cum è quercu crinibus pendentem comperiſſet, 2. *Reg.* 18. 1. propria manu transfodit, quamvis Davidis mandata ipſum non laterent, quibus ſibi præſertim, ac toto exercitui injunctum fuerat, ut à cæde Abſalomi quam maxime abſtinerent. Cum Rex ob filii mortem nimio dolore angeretur, Joab eo impudentiæ devenit, ut eum alloquens in has querelas proruperit, 2. *Reg.* 19. 5 6. ipſum gravi pudore omnes ſervos ſuos ſuffudiſſe, qui ad ejus vitam, filiorum, ac uxorum tutandam, propriæ diſcrimen adiere; in nullo pretio

Tt 2 ſuos

(a) Vide Matth. 15. 23. & 16. 13. Marci 4. 10. Lucæ 4. 38. & 5. 3. & 7. 3. 36. & paſſim.
(b) 2. Reg. 2. 13. &c. Circa A. M. 2954. ante Chr. 1046. ante Ær. 1050.
(c) A. M. 2957. ante Chr. 1043. ante Ær. 1047.

ſuos duces, ac milites à ſe haberi oſtendiſſe; & ea tantum ſorte contentum fore, ſi ii, non Abſalom, in prælio occubuiſſent. Poſtremo ni ſe ſpectandum populo præberet, ac ſervos ſuos alloqui maturaret, per Deum obteſtatus eſt, ab omnibus ea nocte deſerendum, iiſque anguſtiis, quas nunquam ſenſerit, opprimendum.

Impudentiſſima hæc Joabi verba David gravate tulit, at indignationem, ut par erat, compeſcuit. Cum Siba Bochri filius perduellionem inſtrueret, pleriſque ex populo ei faventibus, Amaſæ (a), ut ipſum, coactis copiis ea Tribu Juda, inſectaretur, David imperavit. 2. *Reg.* 20. 3. &c. ſic à ſupremo Iſraeliticarum copiarum ductu, quem uſque adeo Joab obtinuerat, rejectus. Sed Amaſa nimis advenire cunctante, David Abiſai fratri Joabi, ut Sibam inſequeretur, edixit. Joab cum Cerethæis, ac Pheletæis Regii corporis cuſtodibus ipſum comitatus eſt. Amaſa non multum poſt temporis advenit; cumque ſe Abiſai, ac Joabo Gabaone adjunxiſſet, Joab ipſum exoſculari ſimulans, in ejus ventrem pugionem defixit. Ea morte occubuit Amaſa, cui ſumma Iſraeliticarum copiarum præfectura fuerat addicta. Joab feliciſſimo marte bellum in Sebam confecit, abſque eo quod prælii aleam iniret, copiaſque Regias in diſcrimen adduceret; Sebæ etenim caput è mœnibus Abilæ, quam obſidere paraverat, ad ejus pedes projectum eſt, 2. *Reg.* 20. 19. &c. Jeroſolymam regreſſo, David ad parem gratiam ejus meritis forte rependendam, ut ſuis exercitibus præeſſet, libenter annuit. 2. *Reg.* 20. 23.

Cùm David mala mente (b), ac illaudabili curioſitate impulſus, cenſum ſui populi inſtituere decreviſſet, eam curam Joabo demandavit. Hic, ut Regem à propoſito deterreret, omni ope adniſus eſt, at ipſi parere coactus, invitus, & partim tantum ejus mandata peregit, 1. *Par.* 21. 6. Ipſemet David ſuum lapſus eſt crimen, & acerbiſſimam illi pœnam Deus irrogavit.

Adonias Davidis filius, cum poſt Abſalomi interitum ſe majorem natu ex ſtirpe Regia cerneret, Regnum occupare moliebatur. 3. *Reg.* 1. 1. David grandævus erat, ac ſe parum Regni negotiis immiſcebat. Salomonem Regni hæredem à Davide deſtinatum minime ambigebatur; cum vero hic minor adhuc eſſet ætate, Adonias eorum, cum quibus fœdus inierat, præſidio, Iſraelis Regni uſurpandi, eo rejecto, maximam ſpem fovebat. Potiſſimam operam, ut in ſuam cauſam ſupremum Ducem Joabum, ac Summum Sacerdotem Abjatharum pertraheret, navavit; & convivio ſuæ factionis Principes ad Siloe fontem excipiens, ſe in Regem ab iiſqui aderant ſalutari curavit (c). Interim David de iis, quæ agebantur, opportunè certior factus, Salomonem à Summo Sacerdote Sadoc, & à Propheta Nathan diademate redimiri, ac in Regem inaugurari juſſit, ipſumque in ſuo throno ſedentem omnium oculis exhibuit. Quo comperto, Adonias in Templum, tamquam ad aſylum confugit; & Joab, cæterique ſeſe domum receperunt.

Hoc ultimum Joabi ſcelus magis magiſque Davidis iram in ipſum concitavit; ita ut brevi extremam ſibi adventare diem præcognoſcens (d), Salomoni in memoriam revocarit ea, quæ in ſe Joab Sarviæ filius geſſerat, duoſque ſupremos Iſraelitici exercitus duces, Abnerum ſcilicet filium Ner, & Amaſam filium Jether, ab eo per inſidias obtruncatos, eorumque ſanguinem pacis tempore, perinde ac ſi bellum graſſaretur, effuſum. Ipſi poſtremo edixit, ut cum eo pro ſua prudentia ſe gereret, neque ſineret ejus ſenectam cum pace ad interitum devenire. Paulo poſt Davidis obitum, cum Joab à Salomone Adoniam interfectum, quod Abiſag in uxorem ſibi popoſciſſet, ac Summum Sacerdotem Abjatharum in campeſtrem domum in Anathoth ablegatum reſciviſſet, ſibi præcavendum duxit. Itaque in Templum Domini confugiens, Altaris cornu, ut ſuam vitam tutaretur, arripuit. At Salomon aſyli privilegio ſe non poſſe ab ejus cæde deterreri putavit. Banajam igitur Jojadæ filium miſit, qui ei ut inde egrederetur imperavit; ſed cum Joab ex eo loco ſe numquam evaſurum, ibique potius interiturum reſpondiſſet, Salomon ut ad Altaris pedem mactaretur, præcepit. Sic periit Joab, a Banaja in ſuis ædibus in deſerto humatus, An. M. 2990. ante Chr. 1010. ante Ær. 1014.

I. JOACHAZ, Jehu Regis Iſraelis filius, patris ſucceſſor, 14. annis regnavit (e). Multis ſceleribus Divino conſpectui ſe ſe obtulit inquinatum (f), perdita Jeroboami filii Nabat veſtigia ſectatus. Quamobrem furor Domini in Iſraelem exarſit, ac toto eo tempore arbitrio Hazaelis Regis Syriæ, & Benadad Hazaelis filii reliquit. Joachaz tot ærumnis oppreſſus, ſupplex ante Dominum procubuit, & Dominus calamitatibus Iſraelis commotus, ſe paſſus exorari, ad eum Joas hujus Regis filium ut Servatorem miſit, qui afflictas Iſraelis res reſtituit, populumque è Syriæ Regum jugo ſubtraxit. Regi Joachaz ex omnibus ſuis copiis 50. tantum equites, decem currus, 10000. peditum ſupererant; Rex enim Syriæ ejus exercitum fuderat, ac diſperſerat, ut pulvis in area, dum frumentum ventilabro purgatur. Hoc tamen Iſraelitas à ſuis ſceleribus, ac ſuperſtitionibus haud valuit amovere. Joas ſucceſſor Regis Joachaz, patre felicior, at ab improbis ejus veſtigiis non deflexit.

II. JOACHAZ, alio nomine *Ochozias*, Judæ Rex. Vide *Ochozias*. Confer. 1. Par. 21. 17. & 22. 1.

III. JOACHAZ, aliter *Sellum*, *Jer.* 22. 2. Joſiæ Regis Judæ filius. Joſias à Nechao Ægypti Rege gravi vulnere ſauciatus, cum ex eo in Mageddo occubuiſſet (g), ejus loco Joachaz in Regem inauguratus eſt, licet ex Joſiæ filiis major natu non eſſet. Aptior enim ſuis fratribus viſus eſt, qui Regi Ægypti obſiſteret. Annos tres & viginti natus erat, cum ſceptro manum admovit (h) & menſes tantum circiter tres Jeroſolymæ regnavit. Nechaus à ſua in Carchamas expeditione regrediens, Judæ populum, ſe inconſulto, eum in Judæ throno collocaſſe gravatus, ipſum Reblatham in Syriam acceſſivit, ac Regno exſpoliatum, catenis vinctum in Ægyptum amandavit, ubi deceſſit, *Jer.* 22. 11. 12. Joakim, ſeu Eliacim ejus frater, ipſi in Regno ſubſtitutus. Ezech. 19. 2. 3. 4 innuit, Joachaz Nechao reſtitiſſe, & cum eo prælium commiſiſſe, in quo ejus copiæ cecidere. En ipſius verba: *Mater tua leæna inter leones cubavit, in medio leunculorum nutrivit catulos ſuos. Et eduxit unum de leunculis ſuis, & leo factus eſt, & didicit capere prædam, hominemque comedere. Et audierunt de eo Gentes, & non abſque vulneribus ſuis ceperunt eum, & adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti.* Hic leo ipſum Joachaz aperte deſignat. Rabbini ipſum coacto exercitu in Ægyptum, ut parentis Joſiæ cædem ulciſceretur, perrexiſſe arbitrantur.

(Arduum eſt aliud ſuperandum in chronologia hujus Principis. Habet enim Scriptura 4. Reg. 23. 31. & 2. Par. 26. 2. *Viginti trium annorum erat Joachaz cum regnare cœpiſſet, & tribus menſibus regnavit in Jeruſalem.* Frater ejus Joachim poſt illum ſucceſſit, ætatem agens *viginti quinque annorum* 4. Reg. 23. 36. Statuunt inde plerique elevatum ad thronum Joachaz favore populi præter ordinem naturalem ſucceſſionis, quanquam inter filios Joſiæ ætate non major. Quid autem

(a) Amaſa matrem habuit Sarviam, uti Joab, ſed alterum patrem. Acceptam a perduelli Abſalomo copiarum præfecturam, David illi confirmavit. Vide 2. Reg. 17. 25. 26.
(b) 2. Reg. 24. 1. &c. 1. Par. 21. 1. &c. A. M. 2987. ante Ch. 1013. ante Ær. 2017.
(c) 3. Reg. 1. 8. A. M. 2989. ante Chr. 1011. ante Ær. 1015. (d) A. M. 2990. ante Ch. 1010. ante Ær. 1014.
(e) Ab an. M. 3148. ante Chr. 852. ante Ær. 856. uſque ad 3165. ante Ch. 835. ante Ær. 839.
(f) 4. Reg. 13. 1. &c. (g) 4. Reg. 23. 30. &c. (h) An. M. 3395. ante Chr. 605. ante Ær. 607.

autem fratribus illum prætuliſſe, ignoratur; ſed ſi- ctum ex eo conſtat, quod de ætate Joachaz obſerva- tum eſt, de ætate, inquam, illa colláta cum ætate Joachim fratris, & ſucceſſoris in Regno.

Defendunt alii *Joachaz*, alio nomine *Sellum* ex Joſia natum fuiſſe ætate maximum inter fratres, illud autem conciliaturi quod habet Scriptura de Joachaz ad Regnum evecto, 23. ætatis annos agente & de Joachim ejus fratre poſt tres menſes in locum ejus ſubſtituto 25. annorum ætatem attingente, reputant Joachaz quidem poſt tres menſes ab obtento Regno Juda deductum fuiſſe Reblatam, ſed vacantem thronum Juda non agnoviſſe Sacrum Scriptorem, niſi poſt ejus obitum biennio vel triduo poſtquam fuiſſet à Regno amotus; cùm autem ille obiiſſet Joachim frater natu minor attingebat ætatem annorum 25. detento autem in vinculis Joachaz, Joachim ipſe Regnum habebat, gerebatque, non tanquam Princeps ſupremus; ſed illius nomine & jure.

Aliis viſum eſt conſtituere Interregnum novem menſium inter duos Reges Joachaz, & Joachim. Ponunt inſuper annos Joachaz plenos fuiſſe; Joachim vero vix inceptos; eaque tandem cautione ſeponunt ſibi duos annos, quos Scriptura tribuit Joachim ſupra Joachaz fratrem ſuum natu majorem. Ne vero laboremus excogitandis ſyſtematibus chronologicis, quorum fides ambigua, illud nobis reputandum ſuccurrit, Joachaz natu minorem fuiſſe præ Joachim, populum vero, ætatis privilegio neglecto, minorem natu inter filios majori in Regno prætuliſſe, ils ductum de cauſis, quas exprimere non ſibi cenſuit Scriptura.

IOACHIM, ſeu *Joakim*, ſive *Eliacim*, frater, ac ſucceſſor Joachaz, Regis Judæ, de quo ſupra, à Nechao Ægypti Rege ab expeditione adverſus Carchamas regreſſo, Rex conſtitutus (a); cui & idem nomen Eliacim in Joakim converſum, & centum talentorum argenteorum, ac decem aureorum ſtipendium impoſitum. Ad eam pecuniam comparandam, Joachim vectigalibus populum prægravare coactus eſt, ut à ſingulis ex pro ſua fortuna penderentur, indicens: Joakim 25. annos natus erat, cùm ſceptrum obtinuit, ac undecim annis Ieroſolymæ regnavit. Ejus mater, Phadajæ de Ruma filia, Zebida nuncupabatur. Multa in Deum ſcelera ipſe patravit, & Ieremias 22. 13. ei exprobravit magnificas ædes, pecunia nefarie extorta ab eo excitatas; ſubditos inique oppreſſos; ſervos mercede fraudatos; ejus cor, atque oculos ad avaritiam, ac inhumanitatem anhelantes; ſtudium denique, quo ad omnia flagitiorum genera ferebatur. En Ioakimi imago. Idem Propheta 26. 22. ab ipſo Prophetam Uriam ex Ægypto, quo aufugerat, vi retractum, gladio peremptum, ac turpiter humatum relictum memoriæ tradit. Quamobrem Deus ei vitam per ſummum dedecus ſe ademptuum comminatur, *Jerem.* 18. 19. Occumbet, ait Ieremias, & à mœrore, ac lachrymis omnes abſtinebunt: *ſepultura aſini ſepelietur putrefactus, & projectus extra portas Jeruſalem*. Ioakim cum quatuor circiter annos ſubjectus Ægypti Regi fuiſſet, in ditionem poſtea Nabuchodonoſoris Chaldæorum Regis redactus eſt. Hic Princeps iis, quæ Nechaus ad Euphratem occupaverit, vi receptis, in Phœniciam, ac Judæam perrexit, (b) Ieroſolymam ſubegit iiſdem conditionibus, atque oneribus, ad quæ ſub Ægypti Regis imperio tenebatur, impoſitis, 4. *Reg.* 24. 1. 2. Ioakim Ieroſolymis captus eſt, & Nabuchodonoſor eum catenis onuſtum, Babylonem traducere conſtituit: at ipſum libertate dona-

vit, ac in Judæa, graviſſimo tantum tributo impoſito, reliquit.

Hac etiam ratione Daniel, & Ieremias, cum Regibus & Paralipomenis conciliantur. Paralipomena 2. 36. 6. ut legit Hebræum, Nabuchodonoſorem catenis Ioakim devinxiſſe referunt, *ut Babylonem abduceret*; & Daniel 1. 1. Dominum in Nabuchodonoſoris poteſtatem Ioakimum tradidiſſe, & hunc Principem pleraque Domus Dei ſupellectilia, ac nonnullos captivos, inter quos ipſemet Daniel, ejuſque ſocii recenſebantur, Babylonem aſportaſſe commemorat, at Ioakimum illuc pariter fuiſſe traductum, ſilet. Regum, ac Paralipomenon Libri (c), Ioakim 11. *annis Jeroſolymis regnaſſe* teſtantur. Ieremias 46. 2. refert, quarto Ioakimi anno Nabuchodonoſorem Carchamas Nechao Ægypti Regi iterum abſtuliſſe; & c. 25. 1. primum Nabuchodonoſoris annum cum quarto Ioakimi convenire.

Omnes hi characteres Chronologici in hanc nos adducunt ſententiam, Nabuchodonoſorem ſcilicet, An. M. 3399. qui quartus eſt Ioakimi, in Judæam veniſſe, Ioakimum haud Babylonem abductum, ſed tantùm in ferrea vincula, ut illuc abſtraheretur, conjectum, in libertatem vero poſtea reſtitutum, ac Ieroſolymæ relictum; Ioakimum denique, antequam vectigalis fieret Nabuchodonoſoris, Nechao paruiſſe.

Hoc quarto Ioakimi anno, cum Ieremias vaticinia omnia, quæ illuc uſque profatus fuerat, Barucho dictaſſet, inſequenti anno Baruch (d) ad cœtum totius populi in Templum coacti ea perlegit. Hac de re Ioakim certior factus, cùm ad ſe Librum illum juſſiſſet deferri, in ejus ac omnium Optimatum præſentium conſpectu perlectus eſt. Rex in hyemali ſuarum ædium parte nono menſe qui cum noſtro Novembri congruit, morabatur, & ante ipſum candentibus prunis refertum ahenum exardebat. Ioakim tribus, vel quatuor paginis perlectis, librum Scribæ ſcalpello in partes diſcerpſit, reliquum totum in ignem, donec in cineres abiret, conjecit, obſecrationibus Elnathan, Dalajæ, & Gamariæ, qui tanto ſceleri reluctabantur, rejectis. Hujus Libri lectio neque Ioakimum, neque populum à ſua pravitate reduxit, & Rex nil pœnitentia ductus, Ieremiam, & Baruch comprehendi juſſit: at Dominus iiſdem ex omnium conſpectu ſubtractis, eorum perquiſitionem fruſtravit.

Tunc Dominus Ieremiæ ut ſua vaticinia iterum exararet, edixit, & ille has in Ioakimum terribiles minas præfatus eſt; neminem ex ejus ſtirpe Davidis thronum occupaturum; ejus cadaver ita projiciendum, ut die ad æſtum, noctu ad gelu pateret. Dominum in ipſum, in ejus progeniem, ac ſervos furorem ſuum concitaturum, omnibus ærumnis à ſe jam prænunciatis eum, Ieroſolymam, ac univerſum Judam oppreſſurum. Ioakim Ieremiæ prædictiones in ſemetipſo quantocyus expertus eſt. Tribus poſt annis Nabuchodonoſoris imperium detrectavit (e). Nabuchodonoſor gravioribus aliis negotiis diſtentus, non valens, ſeu dedignatus ſe in Judæam conferre, Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum, & Ammonitarum copias illuc immiſit, 4. *Reg.* 24. 2. &c. qui totam regionem depopulati, 3023. Judæos Babylonem abſtraxere, ſeptimo Ioakimi anno, *Jer.* 52. 28. M. 3401. & quatuor poſt annis ipſemet Ioakim captus, cæſus, ac ut prænunciaverat Ieremias, in cloacam abjectus eſt, *Jer.* 22. 18. & 35. 30. Ipſi Iechonias ejus filius ſucceſſit (f).

II. IOACHIM, S. Annæ conjux, ac SS. Mariæ Virginis parens, Ieſu Chriſti ob humanitatem avus. Eundem hunc eſse ac *Heli* à S. Luca 3. 23. relatum

T t 3 ar-

(a) 4. Reg. 23. 34. &c. A. M. 3395. ante Ch. 605. ante Ær. 609.
(b) A. M. 3399. ante Ch. 601. ante Ær. 605. anno Joakimi 4.
(c) [illegible]
(d) Jerem. 36. 1. 20. 21. A. M. 3370. ante Ch. 601. ante Ær. 605.
(e) 4. Reg. 24. 1. 2. A. M. 3401. ante Ch. 599. ante Ær. 603.
(f) A. M. 3405. ante Ch. 595. ante Ær. 599.

[illegible]: *Heli*, *Helcias*, *Eliacim*, *Joachim*, *Joakim* ſunt propriè ſynonyma. Nomen Joachim parentis SS. Virginis in Canonicis Novi Teſtamenti Scripturis haud legitur; at in Eccleſia Græca, & Latina adoptatum eſt: in Latina præſertim, poſtquam S. Annæ, ac S. Joachim Feſtum inſtitutum fuit; in Græca vero diuturnò ante tempore. S. Auguſtinus l. 23. contra Fauſt. c. 9. Fauſto Manichæo reſpondens, ait, nomen Joachim in apocryphis tantùm ſcriptis exaratum, nulla confirmari ratione. Verùm apud Græcos hoc nomen vetuſtiſſimum reperitur. Protevangelium S. Jacobi, quod Apoſtolorum ætate, vel ſaltem ſecundo ab Ebionitis conſcriptum fuit, plura de Joachimo, ac Anna commemorat. Apocryphum Nativitatis Mariæ Evangelium eadem narrat. Hoc opus à Seleuco, qui ſecundo ſæculo ſcribebat, literis fuiſſe demandatum, opinio eſt (a).

S. Petrus Alexandrinus can. 13. mortem Zachariæ, S. Joannis Baptiſtæ parentis, inter Templum, & Altare jugulati, ac S. Eliſabeth fugam narrat, è S. Jacobi Protevangelio deducta. S. Gregorius Nyſſenus Orat. in Nat. Dom. idem opus allegat, & alia retert adjuncta, Exempli gratia, Zachariam noluiſſe, ut Maria, Divino fœtu gravis, è virginum ordine removeretur. Addit præterea hujus SS. Virginis patrem Iſraelitam fuiſſe, ſpectatæ probitatis virum, cui ſterilis mulier connubiò juncta erat, quæ ſuæ ſterilitatis nota à mulierum fœcundarum prærogativis excluſa, Deum quam ſtudioſiſſimis precibus obteſtata eſt, ut ſuam benedictionem ſuo Matrimonio impertiretur; & ſimul ipſi dicandi partus, quem ederet, voti religione ſe adſtrinxit. Deus ei Mariam Virginem elargitus eſt, quæ in Templo inſtituta fuit, donec Joſepho tanquam ejus virginitatis cuſtodi nuptui traderetur. Hæc ille pluribus enarrat, & hæc ex Libro à nobis memoratò, qui ad noſtram uſque ætatem devenit, eduxiſſe in aperto eſt. Eadem fere in ſermone Euſtathii Antiocheni in Hexaemeronem; ac in S. Epiphanio *hæreſ.* 79. c. 5. reperiuntur, quod hujus traditionis vetuſtatem comprobat. Ex his fontibus S. Joannes Damaſcenus l. 4. de Fide Orthod. c. 15. Vincentius Bellovacenſis in Specul. l. 7. c. 64. ac Fulbertus Carnotenſis Serm. in Nat. B. M. V. quidquid de S. Virginis ortu diſſerunt, hauſere. In Oriente ad omnes adeo pervagata erat traditio, Joachimum videlicet patrem fuiſſe B. Virginis, ut eam vel in ſuo Alcorano Surat. 3. ipſemet Mahometus inſeruerit.

Hæc non ob id refero, ut authoritatem aliquam libris apocryphis, in quibus nomen Joachimi occurrit, attribuam; ſed ut hujus tantùm Traditionis in Eccleſia vetuſtatem exhibeam. Profectò Ebionitæ, Manichæi, ac Seleucus nullum ſibi commodum obventurum ducebant, ſi nos de Joachimi, ac Annæ nomine in errorem traherent. Aliunde hoc nomen receperant, ideoque in ſuis operibus exararunt, ut firmiori fide à Catholicis exciperentur. En quod de hac re peculiare traditur in S. Jacobi Protevangelio, quod vetuſtiſſimum monumentum eſt, in quo nomen Joachimi Mariæ patris reperitur. Joachim vir ſummæ in Iſraele authoritatis erat, ac omnibus Feſtis diebus ſacra in Templo magnificè obibat. Cum quadam die ſuam eſſet hoſtiam immolaturus, quidam, nomine Ruben, hoc ipſi minimè licere, quod poſteris in Iſraele careret, aperuit. Joachim gravi pudore ſuffuſus, in deſertum, ubi ingens pecorum grex ſibi erat, receſſit. Quadraginta diebus ibi moratus eſt, cibum corpori ſubtrahens, ac orationibus vacans. Uxor illius Anna famulæ conviciis affecta, in hortum ſe recepit, ubi ſuæ ſterilitatis vicem ubertim deflevit. Angelus ipſi Deum ejus preces admiſiſſe nunciavit, ac eodem momento alius Angelus idem retulit Joachimo.

Cum Joachim ſuam in domum remigraſſet, Anna concepit, ac filiam enixa eſt, quam Mariam appellarunt. Tribus poſt annis, in Templo eam parentes obtulerunt, ubi ad duodecim uſque annorum ætatem Angeli ope fuit enutrita. Tunc Joſepho, ut ejus virginitatem tutaretur, tradita. Ex eo tempore nil nobis de Joachimo, & Anna traditur; & Cedrenus refert S. Virginem duodecimo ætatis ſuæ anno parentes amiſiſſe (b). S. Joachimi, ac S. Annæ cultus pervetuſtus in Oriente eſt; at in Occidente recentior. S. Petri Damiani (c), ac S. Bernardi (d) ætate minime adhuc pervulgatus erat. Julius Papa S. Joachimi Feſtum die 20. Martii circa annum 1510. inſtituiſſe creditur. Martyrologium anno 1491. impreſſum, die 9. Decembris ejus Feſtum recenſet. Pius V. illud è Breviario Romano delevit; at Gregorius XV. anno 1620. die 20. Martii iterum inſeruit. Bollandus, Tillemontius, Bayle Dictionarium v. *Joachim*, inſpici poſſunt, quamvis in hoc ultimo authore volutando multa ſit cautio adhibenda, cùm peſſimi exempli res paſſim enarret.

III. JOACHIM, ſeu *Joacim*, Judæorum Pontifex, qui poſt captivitatem, genitori ſuo Joſue Joſedech filio ſucceſſit: florebat autem imperante Xerſe Perſarum Rege (e). De eo præterea nihil.

JOACHIN, qui & Jechonias. V. *Jechonias*.

JOADA, Zemmæ filius, Gerſonis Levitæ nepos, 1. *Par.* 6. 21.

JOAHE, Aſaph filius, quem Ezechias una cum Eliacimo & Sobna miſit, ut Rabſaci Regis Sennacheribi Duci reſponderet (f).

I. JOAKIM, qui & *Joachim*, ſeu *Joacim*, vel *Eliacim*, Rex Judæ. Vide *Joachim*.

II. JOAKIM, qui & *Eliacim*, Helciæ filius, ſub Regibus Manaſſe, & Joſia, Judæorum Pontifex, qui frequentius *Helcias* ſive *Eliacim*, aut *Eliachim* dicitur. *Judith.* 4. 5. 7. 11.

JOANNA, Chuſæ Herodis Œconomi uxor *Luc.* 8. 3. una ex mulieribus, quæ Dominum ſequutæ, propriis ei facultatibus providebant, quaſque vel malignis ſpiritibus, vel infirmitatibus à Chriſto depulſis, S. Lucas ad incolumitatem meminit reſtitutas. Hæc utique vel conjuge jam mortuo, vel ſaltem conſentiente, Jeſum comitabatur; invaluerat enim apud Judæos conſuetudo, qua viri concionandi muneri addicti pias aliquas fœminas eligerent, à quibus, quocumque pergerent, adjuvarentur. Quod utique abſque ullius offenſione contingebat (g). De hujus mulieris geſtis nil à nobis cognitum eſt.

I. JOANNES, Hebraice *Jochanan*, gratioſum, gratum, ſeu Dei gratiam, Deo gratum ſignificat. Viri plures eximii, quorum Scriptura meminit, Joannis, ſeu Jochanan nomine appellantur. Primus occurrit Mattathiæ pater, inter Machabæos celeberrimus, ex Sacerdotum familia, cujus Princeps Jojarib. 1. *Mach.* 2. 1.

II. JOANNES, cognomine *Gaddis*, Mattathiæ, de quo mox ſupra, filius, & Judæ, Jonathæ, & Simonis Machabæorum frater, quem militaria impedimenta ab amicis Nabuthæis ſibi commodata aſportantem filii Jambri per inſidias interfecerunt. 1. *Mach.* 9. 36.

III. JOANNES HIRCANUS, Simonis Machabæi filius. Vide *Hircanus*.

IV. JOANNES BAPTISTA, Jeſu Chriſti Præcurſor, Zachariæ, & Eliſabeth filius, ſex circiter ante Chriſtum menſes natus, an. M. 4000. De ejus ortu, munere, & nomine Zacharias pater edoctus eſt; *Luc.* 1. 16. &c. cum enim Sacerdotali ſuo mu-

(a) Vide tom. 5. nov. Edit. S. Hieron. p. 441.

(b) Vide Bolland. 20. Martii Tillemont. t. 1. not. 2. ſur la S. Vierge, & [illegible]. Diſſert. [illegible] Comment. in Luc. qua Matthæus, & Lucas de Chriſti genealogia conciliantur.

(c) Damian. homil. 46. (d) Bernard. ep. 174.

(e) Joſeph. Ant. l. 11. c. 5. initio.

(f) 4. Reg. 18. 18. An. M. 3291. Ante Ch. 709. ante Ær. 713. (g) Hieron. in Matth. 27. alii.

munere fungens, Domino in Templo adoleret, Gabriel Angelus ſe ei videndum exhibuit, eumque brevi Orbis totius oblectamento ab uxore filium, Joannem nomine, excepturum aperuit; qui ab ipſo Domino maximi habitus, vino, aliiſque inebriantibus potibus abſtinens, Sancto Spiritu vel à Matris utero cumulatus, & Eliæ virtutem & ſpiritum imitatus, quamplurimis ad pœnitentiam adductis, populum Domino perfectum paraturus adveniret. Cum verò Zacharias, quod ipſe, ejuſque uxor ſenio laborarent, fidem continuò non præſtitiſſet; increpavit eum Gabriel, eique uſque ad omnium quæ prædixerat, complementum linguæ uſum ademit. Muto itaque domum ſuam regreſſo, concepit Eliſabeth; quæ ſe gravidam erubeſcens, quinque menſibus occulebat: ſexto vero menſe ipſe Gabriel ad Mariam Virginem legatus, ut eam Meſſiæ Matrem ſtatim futuram præmoneret; ad veri argumentum, ſex jam menſibus uterum Eliſabeth gravem geſtare aſſerit. Quare protinus eam inviſura, in Judææ montes Virgo ſe contulit. Ut Zachariæ domum ingreſſa, ſalutem conſobrinæ dixerat, Spiritu Sancto confeſtim ditatus Eliſabethæ infans, in ejus utero exiliit. Illa verò ſtupore correpta, Mariæ benedicens: *Unde*, inquit, *hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me?*

Peperit tandem Eliſabeth; quare conſanguinei, atque propinqui, ingenti lætitia perfuſi, octavo à partu die convenere, ut infantem circumciderent, & patris nomine Zachariam appellarent. Quibus obſiſtente matre, ut vocaretur Joannes, minimeque illis acquieſcentibus, quod hujus nominis nemo in ejus familia recenſeretur; de ſua ſententia demum Zacharias poſtulatus, mentem ſuam calamo exhibuit, ſcribens: *Joannes eſt nomen ejus*; ſtatimque linguæ uſu reparato, pulcherrimo Cantico Deum commendavit; à quo ad puerum Joannem converſus: *Et tu Puer Propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus; ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum.* Creſcebat interea puer, & Spiritu roboratus, quoad in Iſraele evulgaretur, degebat in deſertis.

Ex quibuſdam Veterum monumentis apocryphis (a) ſcimus, Herode Jeſum & Joannem ad interitionem inſequente, ad montes una cum puero Eliſabetham confugiſſe, quorum plurimis ſuperatis, labore confectam ipſos obſecraſſe montes, ut ſe, ſuumque puerum occultarent, quibus illico patefactis, eorum viſceribus exceptam, ab Herodis cæde fuiſſe liberatam, Angelo interea cum ea commorante, & ſolis inſtar abditi antri tenebras illuſtrante. Ex Joanne Moſcho c. 1. ſpecum in loco, quem Sapſas vocant, mille circiter à Jordane paſſus, Joannes incoluit. In deſertis ab ipſa infantia, authoribus Chryſoſtomo *hom.* 10. & 11. *in Matth.* & Hieronymo *cont. Lucifer. c.* 3. vixit. Ex D. Paulino *carm.* 5: vero primis annis in domo paternis inſumptis, in eaque Moyſis Legem edoctus, ubi per ætatem ſibi conſtitit, profectus eſt in deſertum, in quo cibo & potu abſtinebat, ut inquit Jeſus, *Matth.* 11. 18. ea nempe moderatione, cameli pilis intexta veſte indutus, & corii cingulo præcinctis renibus, mel ſylveſtre, & locuſtas in cibum adhibebat, ut neque edens, neque bibens ſanè dici potuerit, *Matth.* 3. 4.

Triginta annis in deſerto tranſactis, Tiberii 15. *Luc.* 3. 1. & 3. 2. ſeu Æræ anno 28. Præcurſor Domini munus ſuum exorſus, Meſſiæ adventum populis nuncians, prope & ultra Jordanem pœnitentiam indicere, proximum Dei Regnum, & ſecurim arborum radicibus jam imminentem evulgare, omnes denique ad ſe convenientes, juxta cujuſque captum, & indigentiam edocere. Propria deinde peccata faſſentes in Jordane mergens, monebat, ipſis fore credendum in eum, qui poſt ſe veniens, in igne & ſpiritu baptizaret, eoſque peccatis omnibus liberaret. Hinc Joannis *Baptiſta*, ſeu *baptizans* vocari cæpit. Quoſdam tunc Diſcipulos lucratus (b), in vitæ auſteritatibus, & ad populum concionibus exercere ducuerat. Horum deinde nonnulli Jeſu Chriſto adhæſere.

Ea ſanctitatis laude fulgebat Joannes, ut Judæorum plurimi Meſſiam eſſe crediderint; quam tamen de ſe opinionem pro viribus repellebat, *Luc.* 3. 15. Jeſum nihilominus adhuc nondum viderat, quem tamen illum eſſe divinitus acceperat, ſuper quem delabentem è Cœlo, atque inſiſtentem Spiritum Sanctum intueretur. *Joan.* 1. 31. & 34. Cùm vero Jeſus ad Jordanem propriaſſet, ut cæterorum inſtar baptiſmate ablueretur, Joannes ipſum Divino lumine agnoſcens, ſe potius ab illo abluendum inclamavit: *Matth.* 3. 13. à Domino tamen, quod omnem juſtitiam implere vellet, coactus baptiſmate eum reſperſit, anno communis Æræ 30. cum Joannes annos natus eſſet circiter 34. Jeſus verò 33. Aliquanto poſt Judæi ad Joannem miſerunt, qui, an Meſſias eſſet, efflagitarent, *Jo.* 1. 19. .... 24. Quibus reſpondit, ſe neque Chriſtum, neque Eliam, neque Prophetam, ſed vocem tantùm eſſe clamantis in Deſerto: Parate viam Domini; eum vero, quem quærebant, inter ipſos medium verſari, neque tamen agnoſci. Quem die craſtina ad ſe venientem intuitus, coram omnibus clamavit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.

Herodem Antipam, quod fratris adhuc viventis uxorem peſſimo totius Orbis exemplo duxiſſet, increpavit Joannes, *Marc.* 6. 17. quare ab impio Rege efferato, in Macheruntis caſtro conjectus fuit in vincula, prope finem anni Æræ 31. (c). Qua de re hæc habet Joſephus: *Joannem, qui Baptiſta cognominatus eſt, Herodes necavit, virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum ſtudia, & in primis pietatis, ac juſtitiæ.... Quumque magnus concurſus ad eum fieret è plebe illius doctrinæ avida, Herodes veritus, ne tanta hominis authoritas defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex ejus conſilio, judicavit ſatius eſſe, priùs, quàm novi aliquid exoriretur, illum tollere, quàm rebus turbatis, ſeram pœnitentiam agere.*

Diu carcere detentum non deſeruere Diſcipuli, & ipſe Herodes, quod maximè à populo diligeretur, magni faciebat, pluraque etiam de ejus conſilio exequebatur, *Marc.* 6. 19. & *Matth.* 14. 5. Hinc veríta Herodias, ne aliquando ab Herode dimitteretur, occaſionem, qua ei mortem inferre poſſet, aucupabatur. Cùm itaque nativitatis ſuæ die recurrente, hilari convivio Herodes excepiſſet amicos, matris Herodiadis monitu filia Salome ex Philippo legitimo conjuge concepta, coram Rege, & convivis ea omnium voluptate ſaltavit, *Marc.* 6. 20. ut, quidquid poſtulaſſet, ſe ei conceſſurum Rex pollicitus fuerit. Quare illa de matris conſilio Joannis caput efflagitante, Joannem, dolens licèt, atque invitus, necari juſſit; cujus caput cum filia detuliſſet ad matrem, mater impia linguam ejus crinali acu dicitur perfodiſſe (d). Prope finem anni 31. Æræ, vel anni 32. initio, Joannem interfectum putamus: convivium vero, de quo in Evangelio, inſtructum fuiſſe in caſtro Macheruntis, ubi Joanni vinculis detento caput fuit abſciſſum, cujus Decollationis diem Feſtum utraque Græcorum, & Latinorum Eccleſia agit, 29. Auguſti.

De Magiſtri morte monito Jeſu, ut alio cadaver aſportarent, Diſcipuli convenere; *Matt.* 14. 12. quo vero in loco tumulaverint, non meminit Evangelium. Apoſtata tamen Juliano imperante, Divini Præcurſoris ſepulchro invento, ejus oſſa pleraque flam-

(a) Protevang. Jacob. n. 22. Vide & Petr. Alex. c. 13.
(b) Joan. 3. 27. &c. Luc. 11. 1. & 5. 3. (c) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 7.
(d) Hieron. in Rufin. l. 3. c. 11.

[illegible] fuerit [illegible]. Quod reliqui erat, ad Abbatem quemdam Ieroſolymitanum, Philippum nomine, a nonnullis Fidelibus delatum eſt (a). His deinde reliquiis ab eodem Philippo S. Athanaſius donatus, in quodam muro, donec aptiori loco conderentur, eas locavit; quas aliquandiu poſt Theodoſius in Templo, quod eodem in loco, ubi Serapidis Delubrum everterat, S. Joanni Baptiſtæ conſtruxerat, magnificè condidit, anno 395. ſive 396. (b). Primum tamen Samariæ tumulum [illegible] ſemper [illegible] venerationi habuit; cumdemque etiam Deus [illegible] exiluit prodigiis, quorum & S. Paulus teſtis fuit oculatus (c). Prætermittimus hic plures harum Reliquiarum, & [illegible] præter ius tranſlationes, quæ enim propriè ad [illegible] Dictionarii [illegible] [illegible] ad tem[illegible] longe [illegible] poſteriora [illegible] de Jo: Baptiſtæ baptiſmate, [illegible] Chriſtiano [illegible] egimus in Diſſertatione de Baptiſmo, quam Marci Evangelio præpoſuimus.

Rerum à Joanne Baptiſta geſtarum plures quidem ſervarunt nobis Orientales, quarum tamen auctoritas minor eſt iis [illegible] nihil [illegible] eſt in hiſtoria, niſi quod ex [illegible] Scripturis [illegible] fontibus deriv[illegible]. Legitur e. g. in Alcorano, capite, inſcripto de familia Amram, Zachariæ [illegible] in Æde [illegible] Mariæ, quam ille [illegible] cuſtodiæ habebat commiſſam, *Angelos Dei [illegible] miſiſſe Filium appellandum Jaḥiam; quod [illegible] confirmaretque verbum [illegible] [illegible] illum in Principem, & Pontificem [illegible] vitam exactur[illegible] maximos Prophetas [illegible] probatiſſimum [illegible] primum [illegible]*.

Tenent inſuper (d), cùm S. Joannes capite mulctatus eſſet juſſu Regis Judæorum, è trunco cadaveris dimanantem cruorem nunquam ceſſaſſe, quoadulque Deus ingenti immiſſa in populum Judæorum [illegible] tione ultionem non exegit de ſcelere graviſſimo. Porrò phraſis iſta, *ſanguinem [illegible] ſtagnantis*, non immeritò typica crederetur, exprimens [illegible] manentem, eoque ultionem efflagitantem uſque ad tempus deſolatæ per Romanos Hieroſolymæ.

Templum S. Joannis Baptiſtæ Damaſcenum celebre eſt religione, non Chriſtianorum tantum, ſed & Muſulmanorum, ac Sabinorum, vel *Me[illegible]*, quorum vulgò nomen eſt *Chriſtiani S. Joannis*. Templum illud primo factum fuit nomini Zachariæ patris Joannis; dein tranſiit in nomen S. Joannis Baptiſtæ, ex quo S. Præcurſoris hujus caput reperiri contigit Emeſæ regnante Theodoſio Juniore. Exactum ſequitur à Sabiis, quorum etiam opera [illegible] è [illegible] lo caput S. Joannis Baptiſtæ ſervatum [illegible] tradunique Caliſam Abd Imalech emere [illegible] illum à Chriſtiani [illegible]; negant [illegible] ſe recepturos 40000. denarios vel aureos, quos Princeps [illegible], quod [illegible] non potuit [illegible] ille uſurpavit. Modò tranſlatum eſt Templum in Moſcheam; & qui illo poſſeſſ[illegible] eſt Caliſa [illegible] [illegible] annorum è Syria pro[illegible] illi impendit.

Plures Evangelii ſententias [illegible] Mahometani, veluti è S. Joanne acceptas; quæ [illegible] ipſa è Jeſu Chriſto repetenda [illegible]. Scripſerunt [illegible] Dialogos inter Jeſum Chriſtum & S. Joannem Baptiſtam. Probant hæc omnia, quanta olim [illegible] religione gens illa in S. Joannem ferretur.

Chriſtiani S. Joannis. Egimus de his ſuo loco in hoc Supplemento.

Baptiſmus S. Joannis Baptiſtæ. Quædam de illo diximus in Dictionario v. *Baptiſmus*.

Porro de S. Joannis Baptiſmate [illegible] quæritur; 1. An inſita [illegible] virtute remittendi peccata; 2. An pœnitentia illa palam omnibus denunciata à viro ſancto, ſeparatim animi ad Baptiſmum ſuum diſpoſitio, meram [illegible] cordis de admiſſis [illegible], [illegible] vel minimo [illegible] dolori, neceſſariò [illegible] ſatisfactoria jungenda eſſet; 3. Tandem ſi criminum confeſſio illa, quam Baptiſmo S. Joannis præmitti [illegible] conſtat, mera eſſet tantum & contenta [illegible] contritio, an diſtinctè ſingula explicanda fuerint.

Ad primum illud quod attinet, inſita ſibi vi [illegible] [illegible] valuiſſe remittere peccata Baptiſmum illum [illegible], tam [illegible] eſt, quàm quod aliud. Ad [illegible] animos diſponebat, veniam ipſe non conferebat: *Agebatur Baptiſmus Pœnitentiæ, [illegible] remiſſionis, & ſanctificationis in Chriſto [illegible]*, ait Tertullianus de Baptiſmo. S. Auguſtinus contra Donatiſtas [illegible] *Joannes [illegible] Baptiſmo [illegible], quo percepto [illegible] Baptiſmo etiam Domini [illegible]*. Additque [illegible] idem Sanctus, Ench. [illegible] Fide, Spe, & Charitate, cap. 49. *Non enim [illegible] qui Joannis Baptiſmo baptizabantur, ſed [illegible] [illegible] illius miniſterio, qui dicebat: Parate viam Domino. Hunc unus in quo remiſſio peccatorum, [illegible]*. Et Origenes in Joann. cap. 8. *Regeneratio [illegible] Joannem, ſed apud Jeſum per Apoſtolos [illegible]*. [illegible] aliquis remiſſionem de criminibus ſuis impetrabat Baptiſmo S. Joannis, accep[illegible] in Meſſiam fidei, ſincero cordis dolori, [illegible] charitati. Quod enim ad remiſſionem [illegible], nihil valebat Baptiſmus S. Joannis ſupra [illegible] veteris Legis & [illegible] inter hunc, & illas diſcrimen, quod [illegible] velut digito [illegible] [illegible] Meſſiam, cùm poſtreme iſta à longe [illegible] [illegible] annunciarent [illegible].

Quam paſſim denunciabat S. Joannes, pœnitudinem [illegible] exigebat cordis ad Deum converſionem, [illegible] in novam vitam transformationem. *Facite*, [illegible] iſte Phariſæis Matth. 3. 8. *fructus dignos pœnitentiæ, & ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. . . Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis [illegible] arbor, quæ non facit fructum [illegible] excidetur, & in ignem mittetur. Ego [illegible] [illegible] in aqua in pœnitentiam, [illegible] [illegible] eſt [illegible] ventilabrum in manu [illegible] & permundabit [illegible], & congregabit [illegible] [illegible] aut in comburet [illegible]*. Non [illegible] ſatis [illegible] in [illegible] [illegible] exegit, [illegible]; opera [illegible] [illegible] ipſe [illegible] rigi[illegible] [illegible] exercuerat, [illegible] præbat [illegible] habitu, [illegible] [illegible] cilicii [illegible] veſtitum. Poſcentibus [illegible] populi quid [illegible] opus eſſet, reponebat *Luc. 3. 10. 11. &c.* Qui [illegible] tunicis [illegible] altera [illegible]. Et Publicanos [illegible] ne injuſtis [illegible] exactionibus moleſti [illegible] generibus. Militibus [illegible] [illegible] ſua contenti, [illegible] ab injuſtis [illegible] [illegible]. Hæc ille appellabat fructus dignos pœnitentiæ, ſinceram morum innovationem.

Exomologeſis [illegible] Baptiſmo S. Joannis præmiſſa [illegible] [illegible] indolem illarum, quæ [illegible] [illegible] ebant, quemadmodum & Baptiſmus [illegible] [illegible] ablutionum & Baptiſmatum in Lege [illegible], Exomologeſis autem [illegible] in Templo [illegible] cum manum ſuper [illegible] [illegible] [illegible], ſicut & quam agebat [illegible] [illegible] die [illegible] Expiationis, eodemque die [illegible] [illegible] exomologeſis, [illegible] omnia [illegible] crimina [illegible]. Non [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] admiſſa peccata [illegible] [illegible] in [illegible] [illegible]. [illegible] hanc ſententiam Maldonatus,

Jans-

(a) Theodor. hiſt. Eccl. l. 3. c. 3. [illegible]
(b) Rufin. hiſt. l. 2. c. [illegible] Theophan. [illegible]
(c) Hier. Epiſt. [illegible] (d) Biblioth. Orient. pag. 475.

Janſenius, Eſtius, ac maximè Grotius in Matt. 3.

Paribus etiam moribus latendi crimina ſua, quemadmodum ſolent & Catholici Romani, tenentur ætatis noſtræ Judæi (a).)

V. JOANNES EVANGELISTA, ex Bethſaida Galilææ, Zebedæi, & Salomes filius, qui piſcatione vitam tolerabat, quemque, priuſquam Chriſto adhæreſcer, Joannis fuiſſe Diſcipulum nonnulli arbitrantur (b): quorum tamen ſententia nullo probatur argumento. Jacobum Majorem, & Joannem fratres, Dominus *Boanerges*, ſeu tonitrui filios, ideirco fortè appellavit, quòd vivido animis ſpiritu, & fide quàm maxima pollerent. Joannes omnibus Apoſtolis junior creditur (c), qui cum Domino veluti Magiſtro adhæſit, anno Chriſti 30. annos quinque, vel ſex ſupra viginti via poterat attigiſſe. Non deſunt, qui nuptiarum Canæ ſponſum fuiſſe velint (d), quique integerrimæ Virginitatis florem nunquam læſiſſe opinentur (e). Quæ utique de virginitate ſententia validioribus Veterum argumentis fulcitur, quam quæ Canæ Sponſum fuiſſe tuetur.

Præcipuo eum Dominus proſequebatur amore, ſeque ipſe Joannes plerumque Diſcipulum, quem diligebat Jeſus, appellat. Cujus utique præcipui amoris argumenta ipſi præbuit Jeſus, cum eum ad ſuæ Transfigurationis voluptatem percipiendam elegit, cumque ſuper ſuum pectus in ultima Cœna recumbenti, ſui proditorem aperuit, *Joan* 13. 25. & 21. 20. Singulari fortè benevolentia, qua Jeſus in utroſque fratres Joannem & Jacobum fuerat, eorum mater vehementer freta, ipſum Dominum rogavit, ut eos in præcipuis Regni ſui ſedibus aſſumptos, alterum ſibi à dexteris, à ſiniſtris alterum, conſtitueret, *Matt.* 20. 21. *Marc.* 10. 38. Dominus verò ipſos fratres alloquutus, *Poteſtis*, inquit, *bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Quibus utique affirmantibus, *Calicem*, reſpondit, *quidem meum bibetis; ſedere autem ad dextram meam vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.*

In Oliveti horto ſui mœroris, & agonis teſtes, Petrum ſolummodò, Jacobum, & Joannem Chriſtus adhibuit, *Matt.* 26. 37. Porrò Joannes militibus Dominum capientibus, minimè aufugit; imò uſque ad Caiphæ domum Præceptorem ſuum comitatus, eoque ingreſſus & Petro paulo poſt aditum aperuiſſe putatur (f); quem deinde cùm ad crucem uſque ſe proſequutum Dominus reſpexiſſet, Matris ſuæ Mariæ filium, Matremque ſuam ejus Matrem conſtituis, *Jo.* 19. 26. Domino jam vitæ reſtituto, dum una cum aliis Diſcipulis in Mari Tiberiadis piſcationi Joannes incumbebat, primus omnium Jeſum in litore ſibi è regione conſtitutum agnovit, & Petro oſtendit, *Joan.* 21. 1. *&c.* Cùm vero ad oram appuliſſent, & unà cum Domino prandiſſent, Petrus, quid eſſet Joanni eventurum, Dominum interpellavit: quo reſpondente, Si eum volo ſic manere, quid ad te? tu me ſequere; Diſcipuli omnes Joannem mortis ſore immunem vulgaverunt; cui quidem ſententiæ non modo tunc Fideles, verùm etiam, poſtquàm ſuum Joannes Evangelium ſcripſerat, multoque etiam poſt, plurimi adhæſere; plurimi quoque eo ſunt progreſſi, ut eum revera minime obiiſſe tueantur. Quam utique de ſe opinionem, quæ validioribus Eccleſiæ monumentis adverſatur, ipſe Joannes à ſe omnino propellit (g).

Uſque ad Domitiani perſecutionem de Joanne pauca novimus. Paulo poſt quam Apoſtoli Spiritu è Cælis emiſſo fuerant undique perfuſi, Petrus & Ioannes Templum ingreſſi, cuidam claudo, qui pedum uſum nunquam ſciverat, ſanitatem contulerunt, *Act.* 3. 1. Quare ab invidis Judæis in carcerem conjecti, & altera die producti, de Jeſu nec verbum facere juſſi ſunt, *Act.* 5. 18. *&c.* cùm vero à concionandi munere minime deſtitiſſent, unà cum aliis Apoſtolis vinculis iterum addicti, inde Divinitus evaſere. Rurſus deinde captos, quod concionibus ad populum habendis non abſtinerent, increparunt Magiſtratus; quibus cum Deo magis, quam hominibus obedientiam eſſe præſtandam impavide reſpondiſſent, mortis ſupplicium in eos Synedrium jam prope enunciaverat; at Seniorum quidam, Gamaliel nomine, Apoſtolis inde egredi juſſis, ea ſapientia cæteros eſt alloquutus, ut eos flagris cæſos dimittere contenti fuerint.

Petrus, & Ioannes Samariam deinde profecti ſunt, ut ii, quos Philippus Diaconus baptiſmo abluerat, per ipſos Spiritu Sancto perfunderentur, *Act.* 8. 15. Adfuit Ioannes Concilio Jeroſolymitano, ubi Eccleſiæ columnæ nomen eſt conſequutus. *Galat.* 2. 9. Ad Parthos ſe contuliſſe creditur, ejuſque prior Epiſtola interdum *Epiſtola ad Parthos* (h) inſcripta profertur. Indi etiam apud ipſos concionandi munere functum eſſe tuentur. Nullum ſanè diſſidium eſt, quod in Aſiam profectus, de Evangelio apud populos diſſerit, diuque Epheſi, vel prope eam regionem, commoratus fuerit. Eo etiam Maria Virgo, & Maria Magdalena ab Ioanne deductæ; ibi quoque è vivis utraque demigravit. Quo anno ſe eo contulerit, incertum; paulo tamen ante Chriſti annum 66. S. Hieronymus *de viris illuſtr. c.* 9. omnes ab Ioanne Aſiæ Eccleſias erectas eſſe, eiſdemque ipſum præfuiſſe; Tertullianus vero *contra Marcion. l.* 4. *c.* 5. ibidem Epiſcopalem Ordinem conſtituiſſe aſſerit. Quod tamen ita ſtrictim accipi nolumus, ut & plures Aſiæ Eccleſias à Petro & Paulo conditas, & S. Timotheum, eam provinciam adhuc Ioanne incolente, Epheſi Eccleſiam adminiſtraſſe non fateamur.

Domitiano Imperii ſui anno 15. & Chriſti 95. Fideles inſectante, Ioannes Epheſo proſcriptus, & Romam ductus, ibique in ferventi oleo demerſus, evaſit incolumis (i). In Pathmo Maris Ægæi Inſula inde exulavis, ubi Apocalypſim, de qua ſuo loco egimus, conſcripſit. Anno deinde 96. menſe Septembri, Domitiano interfecto, & à Succeſſore Nerva omnibus exulibus reſtitutis, Ioannes Epheſum reverſus eſt, anno Chriſti 97. cùm tunc ipſe natus eſſet annos fere 90. Cùm autem ab Aſiæ Fidelibus & Epiſcopis enixe rogaretur, ut de iis, quæ de Domino Ieſu vel viderat, vel audierat, Evangelium conficeret (k), jejuniis primo, & precibus publicis indictis, rogantibus induſſit, ea præſertim referens, quæ adverſus quoſdam hæreticos, Chriſtum Deum eſſe negantes, ejus Divinitatem quàm maxime comprobarent.

Tres apud nos Ioannis Epiſtolæ: de duabus poſtremis quoddam aliquando, de prima vero, quæ interdum, ut prætulimus, ad Parthos inſcribitur, nullum unquam in Eccleſia diſſidium, cùm quælibet ipſius periodus Ioannis ſtylum aperte redoleat. Poſtremarum prima ad Matronam quamdam, nomine *Electam*, habetur; ni forte hoc nomen fuerit ſymbolice adhibitum, ad Eccleſiam alteri Eccleſiæ literas dantem contegendam; hanc enim Epiſtolam

(a) Buxtorf. Synag. Jud. cap. 20. (b) Chryſoſt. in Jo. hom. 17. & Epiph. hær. 51.

(c) Paulin. Ep. 386. Hier. Ep. 1. (d) Beda in Jo. Smaragd. Abb. S. Mich. in Feſto S. Joan. Præfationes vulgò præfixæ Evangel. & Apoc. Soto. Lyr. Carthuſ. D. Thom. &c.

(e) Ita PP. paſſim. Epiphan. hær. 58. Ambroſ. de Symb. c. 30. de Inſt. Virg. 72. Chryſoſt. de Virg. c. 82. Paulin. Ep. 43. Hieron. Auguſt. alii.

(f) Joan. 18. 15. Vid. Chryſoſt. hom. 82. in Matth. Hier ep. 16. Aug. hom. 113. in Jo.

(g) Vide noſt. Diſſert. de Obitu S. Jo. Evang. Martyrol. Florent. & Tillem. t. 1. Hiſt. Eccl. Not. 17. in S. Jo. Evang.

(h) Aug. qu. in Evang. l. 2. c. 39. Vide Eſtium, & noſtr. Comment. in eamdem Epiſt.

(i) Tertull. præſcript. c. 36. Hieron. in Jovinian. l. 1. c. 14.

(k) Euſeb. l. 6. c. 14. Hiſt. Eccleſ. Hieron. in Matth. &c.

ſtolam commendatitiam putamus, qua Fideles alicujus Eccleſiæ inſtructi, ad Eccleſiam alteram ſe conferrent, cùm aliquando ænigmatice ſcribere cogerentur, ne in perſequentes Infideles inciderent. Epiſtolarum ultima Cajum Ioannes alloquitur, quem primo commendatum, quod Fidelibus hoſpitio excipiendis vacaret, ne ab inceptis reſiliret, hortatus eſt; maxime enim ita iis conferret, qui ab Infidelium hoſpitio abhorrebant.

Ad extremum uſque ſenium dies ſuos Ioannes produxit; quare progredi impar, ad Fidelium conventus à ſuis Diſcipulis deferebatur; cumque voce etiam deficeret, ſæpe ſæpiùs populos admonebat: *Filioli diligite alterutrum* (a). Eiſdem vero ſermonis tædio affectis, *Præceptum*, inquit, *Domini eſt*, & *ſi ſolum fiat, ſufficit*. Feliciſſimo obitu tandem Epheſi (b) defecit, Trajani (c) an. 30. Chriſti vero 100. cùm juxta S. Epiphanium *hær.* 51. natus eſſet annos 94. Juxta alios longe ſenior obiit, ætatis ſuæ anno vel 98. vel 99. ſeu etiam 104. ſeu 106. ſive demum 120. Prope Epheſum tumulo exceptus eſt (d), ubi Patrum plurimi ejus ſepulchrum agnovere (e). Epheſinum Concilium eandem urbem idcirco commendat, quod S. Ioannis oſſibus ditaretur (f), & Cæleſtinus Pontifex Patres ibidem coactos monet, ut S. Ioannis apud ipſos tumulo quieſcentis doctrinis, & monitis adhærentes, ſibi conſulerent. D. Auguſtinus (g), poſt quem Gregorius Turonenſis, & S. Villebrordus, cujuſdam pulveris meminerunt, qui è S. Ioannis tumulo effluens, ea menſura, qua inde auſertur, extemplo in dies renaſcitur. Eorum, qui Ioannem minime obiiſſe tuentur, ſententiam paulo ante à nobis relatam, hic prætermittimus.

Præter Evangelium, Apocalypſim, & tres Epiſtolas ab Eccleſia probatas, quædam apocrypha Joanni tributa fuere, cujuſmodi ſunt: Itinerarium Joannis (h), Acta (i), quibus Encratitæ, Manichæi, & Priſcillianiſtæ utuntur; Liber de Virginis Morte, & Aſſumptione; Symbolum, quo à B. Virgine, & S. Joanne S. Gregorium Neocæſarienſem donatum volunt; cujus ſymboli meminit Concilium Oecumenicum V. (k). Acta autem, & hiſtoria, de quibus mox ſupra, prorſus apocrypha, nullaque digna fide cenſentur. Joannes plerumque Theologus idcircò vocatur, quòd altiſſimis fuerit revelationibus præditus, quòdque præſertim ſublime adeò initium Evangelio ſuo appoſuerit. Auream laminam in fronte Joannem geſtaſſe, ut Chriſti Sacerdotem, & Apoſtolum, refert Polycrates Epheſi Epiſcopus (l). Calice etiam præ manibus, ex quo ſerpens egreditur, à pictoribus exhibetur; quòd nempe, cùm Hæretici quidam venenum ei hauriendum obtuliſſent, crucis ſigno vaſe fracto, venenum ſerpentis imagine illicò aufugerit: cujus rei mentio apud Pſeudo-Prochorum, qui Joannis ſe Diſcipulum appellat.

VI. JOANNES MARCUS, S. Barnabæ Diſcipulus, & conſobrinus, filius verò cujuſdam Fidelis mulieris, Mariæ nomine, cui domus erat Jeroſolymis, in quam Fideles & Apoſtoli convenire conſueverant. Ad hanc ea nocte, qua ab Angelo carcere eductus eſt, properavit Petrus, & Joannem Marcum orantem invenit. *Act.* 12. 12. In ea etiam celeberrimam deinde Sion Eccleſiam conſtitutam eſſe ferunt. *Alexander apud Sur.* 11. *Junii*. Joannes Marcus, quem falſo quidam cum Marco Evangeliſta confundunt, SS. Paulo, & Barnabæ adhæſit, cùm Antiochiam rediere; *Act.* 12. 25. *Act.* 13. 13. eoſque etiam Pergen Pamphiliæ eſt comitatus: quibus diuturnius inde iter aggredientibus, ipſe regreſſus eſt Jeroſolymam, Æræ communis an. 45.

Quibuſdam poſt annis, nempe 51. cùm Paulus, & Barnabas, ut eas Eccleſias inviſerent, in Aſiam regredi inſtituiſſent, *Act.* 15. 36. itineris comitem Joannem Marcum, renuente Paulo, Barnabas ſumere conabatur; quare invicem recedentes, Paulus in Aſiam, Barnabas verò, & Joannes Marcus ad Cyprum Inſulam ſe contulerunt. Quid præterea Joannes Marcus egerit, uſque ad annum 63. quo ad Pauli in carcere detenti opem vehementer contulit, prorſus latet. Ejus optime meminit Paulus in Epiſtola ad Coloſſenſes 4. 10. *Salutat vos Marcus, conſobrinus Barnabæ..... ſi veneris ad vos, excipite illum*. Ejus etiam meminit in Epiſtola ad Philemonem *v.* 24. anno 62. quo Marcus Romæ ipſi famulabatur. Anno vero 65. in Aſia Timotheo laboranti adhærebat; Paulus enim ad Timotheum ſcribens 2. 4. 11. eum rogat, ut Joannem Marcum Romam idcirco reducat, quod Apoſtolico Miniſterio quàm maxime conferret.

Joannis Marci diem Feſtum utraque Latina & Græca Eccleſia agit 27. Septembris. Bibli in Phœnicia Epiſcopus fuiſſe dicitur. A Græcis qui & ſola illius umbra ægros in ſalutem reſtitutos ferunt, Apoſtolus appellatur. Qua morte, & quo anno obierit, incertum: Epheſi vero, ubi celeberrimum ejus ſepulchrum colebatur (m), veriſimiliùs obiiſſe arbitramur. Interdum Marcus tantùm dicitur, interdum tantùm Joannes. Quæ de eo incerti & apocryphi Authores referunt, prætermittimus.

VII. JOANNES GISCALÆ, filius cujuſdam, nomine Levi, Giſcalæ in Galilæa natus, qui ultimo contra Judæos Veſpaſiani bello, patriam primo contra Romanos propugnavit (n). Qua demum capta, Jeroſolymam profectus, pluribus flagitiis Templum, & urbem confecit. Simulans enim Anano & populo adverſus Zelotas, ſeu ſeditioſos, qui armis contra Romanos abſtinere reſpuebant, adhærere (o), omnia deinde Anani, & populi ad Reipublicæ incolumitatem conſilia, Zelotis renunciabat. Eorum tamen quos prodebat, animos ita ſibi devinxerat, ut eum ad res ſuas cum Zelotis, qui Templum occupaverant, componendas pacis ſequeſtrem conſtituerint. Ille vero non modo pacis authorem ſeſe non exhibebat, verùm etiam urgebat Zelotas, ut adverſus Ananum, ejuſque aſſeclas, in auxilium Idumæos advocarent; cujus conſilia iis audientibus, Idumæi Jeroſolymam, & Templum ingreſſi, Anano priùs, & aliis quibuſdam urbis Proceribus interfectis (p), prædam uberem aſportantes, Jeroſolymis diſceſſere.

Interea Zelotis in contraria viciſſim diſtractis, eorum plurimi Joanni Giſcalæ, plurimi vero Eleazaro Simonis filio adhæſerunt. Cùm autem Simon viribus minor ſibi videretur, Simonem Gioræ filium, latronum montana occupantium Ducem, & Principem, in ſui auxilium advocavit (q). Res ita ſe habebant, cùm Titus copiis ſuis Jeroſolymam circumſepſit, anno Chriſti 70. Interius Templum Eleazarus, Joannes Giſcalæ occupavit exterius, Simon vero Gioræ ſuperiori civitate, & inferioris etiam plurima parte potitus, eo anguſtiarum Joannem adegerat, ut infelix, hinc ab ipſo Simone, inde ab Eleazaro bellum duplex perferre cogeretur.

Hæ ta-

(a) Hieron. in Galat. 6. (b) Aug. Serm. 253. c. 4.
(c) Chronic. Euſeb. (d) Hieron. de Vir. illuſtr. c. 9.
(e) Dionyſ. Alex. apud Euſeb. l. 7. c. 25. Aug. hom. 124. in Jo. Chryſoſt. Hieron. alii.
(f) Concil. Epheſ. t. 3. Concil. p. 573. & 616.
(g) Aug. in Jo. hom. 124. Greg. Turon. de Glor. Martyr. c. 30.
(h) Athan. in Synopſ. (i) Epiphan. hæreſ. 47. Auguſt. de fide c. 4. & 38.
(k) Nyſſen. Vita Thaumat. p. 545. Vide Baron. ann. 233. §. 19.
(l) Apud Euſeb. l. 5. c. 24. Hieronym. de vir. illuſtr. c. 45.
(m) Euſeb. l. 3. c. 39. & l. 7. c. 25. Chryſoſt. orat. 67. p. 504. 6. (n) Joſeph. de Bello l. 4. c. 4.
(o) De Bello l. 4. c. 5. (p) De Bello l. 4. c. 6. 7. (q) De Bello l. 6. c. 5.

Hæ tamen factiones ſe invicem oppugnantes, ut cum Romanis confligerent, ad concordiam redibant; ubi verò dimicatio quieverat, ſeſe iterum mutuis cædibus abſumebant. Capta demum civitate, Joannes in cloacis, in quibus ſe abdiderat, inventus, & ad Titum adductus (a), carceri perpetuo addictus eſt. Supplicium utique impar homini tam flagitioſo, qui, ut ingemuit Joſephus *de Bello l.* 4. *c.* 5. tot tantiſque ſceleribus obnoxius, præcipua cauſa fuit, ut Jeroſolyma everteretur.

JOARIB, ſeù *Joiarib*, primæ ex 24. Sacerdotum familiis, quas David conſtituit, Princeps. 1. *Par.* 24. 7. Ab ejus familia Machabæi. 1. *Mach.* 2. 1.

I. JOAS, Gedeonis pater. *Judic.* 6. 2.

II. JOAS, Amalechi filius, qui jubente Achab, Michæam Phrophetam carceri addixit. 3. *Reg.* 22. 26.

III. JOAS, unus ex poſteris *Selæ* Judæ filii (b), Apud Vulgatam *Securus* appellatur.

IV. JOAS, Ochoziæ filius, Rex Juda. Ubi Ochoziam, & Principes ex Regia Domo Juda ab Jehu interfectos (c) Athalia audivit, ut ſibi Regnum in tuto collocaret (d), Regum progeniem omnino delere aggreſſa, filii ſui Ochoziæ, qui aliquandiu Jeroſolymis imperaverat, filios interfecit, præter infantulum Joas, quem Joſaba, ſeu Joſabeth Regis Joram filia, Ochoziæ ſoror, & uxor Pontificis Jojadæ, clam ſuſtulit, & in Templo una cum ejus nutrice ſex annis, inſcia prorſus Athalia, occuluit. Septimo verò anno (e), Jojada Centurionibus, & militibus Templi puerum Regem oſtendit, quorum ope plurimis Sacerdotibus, atque Levitis in Templum coactis, ea felicitate omnia compoſuit, ut Joas in Templo Rex fuerit conclamatus, antequam ſuboleret Reginæ; quæ à feſtivis populi vocibus ad Templum evocata, & ſtatim à Centurionibus, Pontifice jubente, inde educta, interfecta eſt.

Porrò Jojada Regi puero diademate impoſito, eidemque Lege tradita, ipſius nomine Deum inter, Regem & populum fœdus pepigit, ut impoſterum à Domino non deficerent, atque jurejurando omnes, ut Regi obſequerentur, obſtrinxit; eumque denique in aulam delatum, in patrum ſuorum ſolio collocavit. His ita geſtis, ad fanum Baal, quem Regina colebat, populus concurrens, Idolum contrivit, ejuſque Sacerdotem ante Aram interemit. Septennis Joas, cujus mater Sebia ex Beerſabee, Regnum aſſumpſit, quod deinde annis 40. Jeroſolymis geſſit (f). Domino autem acceptus æquiſſimè imperavit, donec Jojada vixit: Excelſa tamen non abſtulit, quibus adhuc populus adolebat.

Domino ſponte oblata cogi, ut in Templi reſtaurationem impenderentur, Jojada conſtituerat: quod remiſſiùs actum eſt, uſque ad vigeſimum Joas annum (g). Tunc enim ad eleemoſynas congerendas præ Templi foribus arca conſtituta, totius pecuniæ rationem Rex exquirebat, ut in Domus Domini reparatione omninò collocaretur. 4. *Reg.* 12. 6. &c. 2. *Par.* 24. 5. Cùm verò 130. annorum ſenio confectus Jojada obiiſſet (h), ſuis Joas adhæſit aſſentatoribus, qui, Templi cultu omiſſo, Idolis, & lucis, ſeù verius Aſtarte lucorum Deæ adoleverunt. Quare Dominus, quòd ſe dereliquiſſent, Idoliſque libaſſent, plurima Jeroſolymæ, & Judæ mala per Zachariam Pontificem Jojadæ filium minitatus eſt: Pontifex verò ab audientibus, Regis juſſu, lapidibus obrutus, Divinam in illos eo de facinore ultionem minitans interiit. Brevi poſt tempore, Hazael Syriæ Rex, obſidione capta Geth, contra Jeroſolymam movit; à cujus impetu, ut ſe ſuoſque Joas vindicaret, quidquid Ochozias pater, avuſque Joram, & ipſemet jam Templo dicaverat, quidquid etiam in regio theſauro congeſſerat, Hazaeli erogavit. Proximo tamen anno (i), Syrorum exercitus in Judæam reverſus, regiones populatus, Joas copiis deletis, Jeroſolymam invaſit, Judæque Principibus interfectis, opimam Syriæ Regi prædam Damaſcum tranſtulit. Mirandum tunc planè incidit, quòd Syri ſatis ſuperque viribus, & numero impares, Judæos longè majores profligaverint. Joas autem extremo pudore affectum, quod à promiſſis defeciſſet, increparunt (k), maximiſque calamitatibus obrutum reliquerunt: in quem ulteriùs ad malorum incrementum ſervi inſurgentes, Zachariæ ſanguinem ulturi, in lectulo ſuo interfectum, Jeroſolymæ quidem, minimè verò in Regum ſepulchrum intulerunt (l).

V. JOAS, Iſraelis Rex, patris Joachas ſucceſſor, quo tamen adhuc vivente Rex fuerat denunciatus an. M. 3163. Regnum verò ſolus gerere cœpit An. M. 3165. ante Ch. 835. ante Ær. 839. Iis etiam enumeratis, quibus regnaverat patris ſocius, annis 16. Samariæ imperavit. 4. *Reg.* 13. 10. &c. Et ipſe a Deo defecit, Jeroboami filii Nabat inſtar, qui Iſraelem ad peccata induxerat. Ejus geſta pleraque latent: certo tamen novimus, à Domino fuiſſe conſtitutum, ut Regnum Iſraelis, quod patre Joachaz imperante valdè defluxerat, reſtitueret. 4. *Reg.* 13. 5. Lethali morbo (m) Eliſeum ægrotantem Joas inviſit, flenſque Prophetam rogabat: 4. *Reg.* 13. 14. 15. &c. *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus*; ad quem deinde, ejuſdem juſſu, ſagittis & arcu delatis, apertaque cubiculi feneſtra, arcum Rex intendens, Propheta manibus ſuis ſuper Regis manus impoſitis ictum dirigente, jaculum emiſit, quod ſtatim Eliſeus ſalutis jaculum contra Syriam idcircò appellavit, quòd Syriam in Aphec prorſus eſſet everſurus. Cùm verò, jubente Propheta, iterum Joas bis, terque jaculis tellure percuſſa à novis ictibus abſtinuiſſet, excandeſcens Eliſeus, Si, inquit, quinquies, vel ſexies, aut ſepties tellurem confodiſſes, Syriam omninò deleſſes: de qua tribus tantùm vicibus victoriam nunc conſequeris. Mortuo deinde Eliſeo, Joas tribus prælii (n) Benadado, qui patri Hazaeli Syriæ Regi ſucceſſerat, profligato, eas urbes, quas Hazael genitori ſuo Joachaz eripuerat, aliaſque cæteras, quas Syriæ Reges occupaverant, recuperavit, Regnumque Iſraelis, ſatis ante divulſum, reſtituit. 4. *Reg.* 12. 25.

Poſt hæc, Joas diù pacato Regno imperavit: cùm verò longè poſt Amaſias Rex Juda de Idumæis inſignem victoriam retuliſſet, Regi Joas bellum indixit (o). Cui Joas per Legatos reſpondit: Carduus Libani miſit ad Cedrum, ut ejus filiam filio ſuo deſponderet; ſed à tranſeuntibus luci beſtiis carduus contritus eſt. Quòd Edom profligaveris, intumuiſti: quæſo tua ſorte contentus acquieſce; cur me in tui, tuique populi cædem provocas? Quo nihilominus minimè acquieſcente, Joas in caſtra egreſſus, hoſtibus deletis, Amaſiam cœpit, & Jeroſolymam ingreſſus, à porta Ephraim uſque ad portam anguli 400. cubitis urbis mœnia evertit, Templique, Regiſque theſauris direptis, Samariam victor reverſus eſt. Cui paulò poſt mortuo (p), Jeroboam ſecundus ſucceſſit. 4. *Reg.* 13. 13.

I. JOA-

(a) De Bello l. 7. c. 17. (b) Vide Par. 4. 22. in Hebr.
(c) 2. Par. 22. 8. 9. & 4. Reg. 11. 1. &c. (d) A. M. 3120. ante Ch. 880. ante Ær. 884.
(e) A. M. 3126. ante Ch. 874. ante Ær. 878. (f) 4 Reg. 12. 1. &c. A. M. 3126. uſque ad 3166.
(g) A. M. 3146. ante Chr. 854. ante Ær. 858. (h) Circa A. M. 3160. ante Ch. 840. ante Ær. 844.
(i) Vide 2. Par. 24. 23. &c. A. M. 3165. ante Chr. 835. ante Ær. 839.
(k) 2. Par. 24. 24. Vulgat. *in Joas quoque ignominioſa exercuere judicia*: Hebræum legit: *cum Joas fecerunt judicia.* Confer. 4. Reg. 25. 6.
(l) A. M. 3166. ante Ch. 834. ante Ær. 838. (m) A. M. 3165. ante Chr. 835. ante Ær. 839.
(n) A. M. 3168. ante Ch. 832. ante Ær. 836. (o) 4. Par. 24. 17. 18. A. M. 3178. ante Ch. 822. ante Ær. 826.
(p) A. M. 3179. ante Ch. 821. ante Ær. 825.

I. JOATHAN, ſeu *Joatham*, Gedeonis filius natu minor (a), qui ſeptuaginta fratrum ſuorum, quos Abimelech, nothus ejuſdem Gedeonia filius, interfecit, cædem evaſit. *Judic.* 9. 5. Hic cùm audiſſet à Sichimitis, quod eorum eſſet popularis, Abimelech ſibi Regem fuiſſe conſtitutum, è monte Garizim eoſdem Sichimitas extra urbem coactos, ut diadema Regi imponerent, ſic eſt alloquutus: Audite me viri Sichem, ſicut vos à Domino audiri avetis, Ut ſibi Regem conſtituerent, ad olivam primò, poſtea ad ficum, demum ad vitem arbores convenere: quibus omnibus abnuentibus, ad rubum devenerunt. Hic verò oblatum minimè rejiciens Regnum: Si ſerio, inquit, Regem me ſeligitis, una ſimul coactæ ſub mei umbra requieſcite: ſin me illuditis, è rubo ignis egreſſus, Libani cedros abſumat. Anne domum Gedeonis, qui vos è Madianitarum ſervitute liberaturus vitam ſuam in diſcrimen obtulit, ut par erat, excepiſſe videmini, dum 70. legitimis necatis filiis, Abimelechum ab ejus ancilla editum, Regem veſtrum denunciatis? Quæ ſi jure vos agitis, ille de vobis, vos de illo gaudium conſequamini: ſin præſtatis injurias, ab igne de Sichem egreſſo perdatur Abimelech. Hæc ubi enunciaverat, veritus, ne ab Abimelech interimeretur, in Bera confugit. Quid deinde contigerit, incertum: quæ tamen in Abimelech, & Sichimitas imprecatus fuerat, paulò poſt evenere. Vide *Abimelech*.

II. JOATHAN, ſeu *Joatham*, Regis Juda Oziæ, qui & Azarias dicitur, filius atque ſucceſſor. Patre lepra infecto, quod Sacerdotum munus in thure adolendo obire præſumpſerit, 2. *Par.* 26. 16. Joathan Regnum ſuſcepit (b); quo annis 25. geſto, Regis nomen aſſumpſit, ſoluſque imperavit (c). Teſte Scriptura, patris Oziæ inſtar, Domino adhæſit, non tamen delevit excelſa, quibus adhuc populus immolabat. 4. *Reg.* 15. 33. &c. Amplam Templi portam erexit; Jeroſolymæ in muro vici Ophel plura, in montibus, & Judæ ſaltibus turres & oppida conſtruxit. 2. *Par.* 27. 2. &c.

Ammonitas, quos Ozias pater ſibi ſubegerat, à ſe deficientes proſtravit, eiſque centum argenteorum talentorum, & 10000. tritici, totidemque hordei menſurarum vectigal impoſuit. Paulò antequam è vivis emigraret, Raſin, & Phacee, ille Syriæ, hic Rex Iſraelis, adverſus eum moverunt: 4. *Reg.* 15. 37. de quo bello certi nihil. Initio tamen regni Achaz, Joathan filii, & ſucceſſoris, regiones Judæ maximis calamitatibus laboraſſe videntur. *Iſai.* 1. 1. &c. Joathan obiit A. M. 3262. ante Ch. 738. ante Ær. 742.

JOAZAR, Judæorum Pontifex, qui anno Incarnationis Dominicæ, M. 4000. Matthiæ Theophili filio ſucceſſit. Ejus frater Eleazar poſt ipſum Pontificatum cepit, A. M. 4004. in qua dignitate iterum conſtitutus anno 4010. camdem geſſit uſque ad 4016. eique ſucceſſit Ananus filius Seth. *Joazar*, qui & *Azar*, Mariamnes Pontificis Simonis filiæ, & Herodis Magni uxoris frater, ab Archelao Roma reverſo, Pontificatu idcircò ſpoliatus eſt anno 4004 quod contra eum conjuratis adhæſerit. *Joſeph. Antiq.* l. 17. c. 15. A Romanis autem, ad quos acceſſerat, anno 4010. fuit reſtitutus. Cyrenius denique Syriæ Præſes in Judæam profectus an. 4016. Joazaro ejecto, Anano tradidit Pontificatum. *Joſeph. Antiq.* l. 18. c. 1.

I. JOB, ſeu *Jobab*, Iſſachar filius tertius. *Gen.* 46. 13.

II. JOB, ſeu *Jobab*, Zaræ filius, Eſau nepos. *Gen.* 36. 33. & 1. *Par.* 1. 44.

III. JOB, ſeu *Jobab*, filius Jectan. *Gen.* 10. 28. & 1. *Par.* 1. 23.

IV. JOB, ſeu *Jobab*, Rex Madon. *Joſ.* 11. 1.

V. JOB, ſeu *Jobab*, Geræ filius ex Tribu Benjamin. 1. *Par.* 8. 9.

VI. JOB, ſeu *Jobab*, filius Elphaalis, ex eadem Tribu. 1. *Par.* 8. 18.

VII. JOB, virtute, patientia, & pietate inſignis, qui terram Hus, ſeu Auſitidem in Orientali Idumæa in Bozræ finibus incolebat. Qua ortus ſit ætate, quave floruerit, valdè incertum, ingenſque diſſidium. Ad Græcorum, & Arabum Job Exemplarium calcem, nec non & in veteribus Vulgatis Latinis Bibliis, hæc, ut ajunt, è Syriaco deprompta leguntur: *Hic in terru quidem Auſitide redditur habitans in finibus Idumææ, & Arabia, & erat ei nomen Jobab. Cùm autem accepiſſet uxorem Arabiſſam, genuit filium, cui nomen Ennon. Erat autem ipſe ex patre quidem Zare de filiis Eſau filius, matris autem Boſzra: ita ut ipſe ſit quintus ab Abruham. Et hi ſunt Reges, qui regnaverunt in Edom, cujus regioni etiam ipſe dominatus eſt: primus Balac filius Beor & nomen civitatis ejus Dennaba; poſt Balac autem Jobab, qui vocatur Job; poſt hunc autem Aſom, qui erat Dux ex regione Themanitide; poſt hunc autem Adad filius Barad, qui excidit Madiam in campo Moab, & nomen civitatis ejus Getham: Amici autem, qui ad eum venerunt, Eliphaz de filiis Eſau Themanorum Rex, Baldad Tyrannus Sauchæorum, Sophar Rex Minæorum.*

Hæc omnium vetuſtiſſima eſt Jobi Genealogia, cui Ariſtæas, Philo, Polyhiſtor apud Euſ. l. 9. c. 25. Præp. adhærent, quamque probant & citant Græci, & Latini Patres, ſuæque Job verſioni inſerit Theodotion. Vide & Fridericum Spanhemium hiſt. Jobi, c. 4. Nil ſanè nobis conſtat, cur ſit repellenda, cùm à vetuſtis Patribus comprobetur, & ab Judæis ad nos deveniſſe videatur. Invenimus præterea Jobum Moyſis fuiſſe coævum.

ABRAHAM.

ISAAC.

Jacob.	Eſau.
Levi.	Rahuel.
Amram.	Zare.
Moyſes.	Jobab. 1. *Par.* 1. *verſ.* 35.... 44.

Job igitur virtute, & Religione eximius, *Job.* 1. 1. pecoribus etiam ditiſſimus, atque mancipiis, (quæ tunc apud Arabes præſertim & Idumæos præcipuæ ducebantur divitiæ) maribus ſeptem, fœminis verò tribus ex eadem probabiliter uxore exceptis, per Orientis Regiones, & omnes citra & ultra Jordanem populos inſignis fuit. Ejus filii per circulum viciſſim ſeſe convivio excipiebant; circulo autem peracto pius pater pro eorum ſingulis holocauſtum Deo immolabat, ut ſi quid forte deliquiſſent, ignoſceret. Porrò ab omni non modò operum, ſed etiam mentis nequitia longè adeò aberat, *Job.* 1. 3. & 31. 26. & 29. 7. ut ſe cum oculis ſuis conveniſſe, ne vel Virginem intueretur, *Job.* 1. 39. ſeque pauperum adjutorem, pupillorum patrem, propugnatorem viduarum, cæcorum ducem, fulcimen claudorum fuiſſe, idem ipſe fateatur. *Job.* 29. 13.

Inter filios Dei, ſeu Angelos, quadam die Satan coram Domino conſtitutus, ab eoque rogatus, an Jobi virtutem, ſuoſque mores animadvertiſſet *Job.* 1. 6 ita Jobum idcirco ſe gerere dixit, quòd in eum ipſe Dominus bona maxima contuliſſet; ab juſtitia ſanè, ſi quid ei calamitatis contingeret, receſſurum. Itaque à Deo permiſſus, ut de optimo viro experimentum caperet, modo tamen ejus non officeret incolumitati, in ejus agros impulit Sabæos, qui agricolis cæſis, boves diripuere; ignem è nubibus demiſit, qui oves, pecuarioſque conſumpſit; tres Chaldæorum turmas concitavit, qui camelos aſpor-

(a) A. M. 2768. ante Ch. 5232. ante Ær. 1236.
(b) A. M. 3221. ante Ch. 779. ante Ær. 783.
(c) Ab A. M. 3246. ante Ch. 754. ante Ær. 758. uſque ad 3262. ante Ch. 738. ante Ær. 742.

aſportarunt; ejus denique filiis, filiabuſque, primogeniti fratris convivio accumbentibus, furentem adeo ventum excitavit, ut domo concuſſa, atque everſa convivas omnes oppreſſerit. Quibus nunciis, alterum altero ſine intervallo inſequente, auditis, Job veſte diſciſſa, tonſoque capite, humi ſtratus, ſe nudum ab utero matris egreſſum, nudum illuc reverſurum ingemuit; Deoque, quod omnia ſibi tradidiſſet, omniaque etiam abſtuliſſet, benedixit.

Iterum Satan coram Domino conſtitutus, ab eoque interrogatus, *Job.* 2. 1. an Jobi, tot tantiſque calamitatibus confecti, patientiam obſtupuiſſet: Omnia, inquit, homo ultro dimittet, modo ſuæ conſulat ſaluti, qua ſi Job deſtituetur, ipſe quoque à Domino deficiet. Quare Deo indulgente, modo tamen vitæ parceret, iis ulceribus eum affecit, ut fimo ſibi ſubſtrato fluentem toto corpore ſaniem teſta detergere cogeretur. Ad quorum malorum incrementum, ejus quoque uxorem concitavit, ut conjugi de ſua ſimplicitate redarguto, ad Deum maledictis proſequendum ſuaderet: quam tamen Job inſipientis inſtar loquutam eſſe increpavit; quod ſicuti bona hilari animo à Deo acceperat, animo etiam libenti à Deo inflictæ calamitates eſſent perferendæ. In quibus omnibus vir optimus ne verbis quidem deliquit.

Interea Eliphaz Themanites, Baldad Suhites, & Sophar Naamathites ejus amici, ærumnis, quibus affiiciebatur, auditis, à propriis regionibus profecti, eum properarunt inviſuri. Eliu quoque Buſites quartus acceſſit, cujus mentio cap. 32. (a). Hi eum procul aſpectum minime agnoviſſent, acceſſerunt denique, editoque fletu, veſtibuſque diſciſſis, in aerem extulerunt pulverem, ut decidens ſibi ipſis caput obduceret, humique una ſecum proſtrati, quin ipſi quidquam effarentur, dies ſeptem, totidemque noctes conſumpſere. Jobum denique in fletus effuſum, *Job.* 3. 1. *&c.* vehementerque de ſuis ærumnis conqueſtum, tres amici mala, quibus Deus ſuos probat, ab iis, quibus in improbos animadvertit, minime ſecernentes, ejuſque queſtus ab impatientia editos arbitrantes, nequitiæ inſimularunt, ſuaſeruntque, ut pœnitentia ad Deum reverſus, Divinam humilis Juſtitiam agnoſceret, quæ de ejus flagitiis vindictam ſumptura, tot calamitatibus in eum animadverterat.

Job vero ſuæ innocentiæ conſcius, gravioribus, quam mereretur, ſe pœnis affectum aſſeruit, & juſtos vel tantum ad eorum conſtantiæ experimentum, vel etiam ad perfectionis incrementum, vel denique ob Dei judicia omnino homini impervia, à Domino quandoque plecti oſtendit. Ejus nihilominus amici in aliam prorſus ſententiam abibant. De his ea omnia, quæ Jobi Liber complectitur. Quod diſcrimen ſoluturus *Job.* 38. *&* 39. *&* 40. *&* 41. è turbine Dominus eos alloquens, pro Jobo decrevit, quin tamen quædam temere prolata comprobaret, quæ doloris vis, & diſputationis ardor veluti per vim ab eo eduxerant. Quare Job errorem faſſus, veniam poſtulavit *Job.* 42. Dominus vero Jobi amicis increpatis imperavit, ut ſacrificiis ab ipſo Jobo offerendis peccata ſua expiarent; Dæmoneque interdicto, ne ei amplius officeret, ingeminatis facultatibus, plurimaque prole adauctum, feliciſſimo tandem obitu è vivis demigrantem excepit. Ecce Jobi hiſtoriæ compendium.

Qua ætate Job vixerit, valde incertum. Si tamen Moyſis coævum putemus, ejuſque ærumnas annis aliquot ab Iſraelis ex Ægypto egreſſu ſtatuamus (ante enim nequeunt conſtitui, cum de hoc egreſſu ſermonem habuerit, *cap.* 26. *v.* 12.) floruit forſitan uſque ad Othonielem. Si, v. g. 7. annis ab exitu Ægypti M. 2520. ante Ch. 1480. ante Ær. 1484. ærumnis ulceribuſque affectus ſtatuatur, cum ulterius eodem met teſte, poſt bonorum omnium reparationem annis 140. vixerit, (b) credendus eſt è vivis deceſſiſſe anno 2660. duobus annis antequam obiret Othoniel. Septuaginta ante calamitates annis vixiſſe, iis vero interritè perlatis hujuſmodi annorum geminato numero à Deo cumulatum arbitramur; qui tamen 7. vel pluribus annis plagis percuſſum putant, his annorum, quos retulimus, computationem augent; ea enim de re certo nihil conſtat.

Diſcrimen etiam quoad ejus ſepulchrum, quorum celeberrimum ſtatuunt in Trachonitide ad fontes Jordanis, ubi plurima poſt ſæcula Pyramis adhuc erigitur, quam Jobi tumulum jactant (c). Alii Theman inter Svethe, & Naamath idcirco tumulatum volunt, quod eas regiones incoluiſſe arbitrentur. Chaldæus Paraphraſtes, quem Coc appellant, in Armenia commoratum refert, ubi Jobi ſepulchrum adhuc videri ab Itinerariis accepimus, quem tamen Jobum noviſſimum Mahometanorum Ducem fuiſſe putamus. Alter Chaldæus interpres Jobum Byzantii humatum tuetur, prope cujus mœnia tumulus exhibetur, Jobi quidem à quibuſdam creditus (d), vere tamen Arabis cujuſdam, nomine Job, in quadam Byzantii obſidione interfecti, & prope ejus mœnia tumulati anno *672.* Eadem in urbe ſexto ſæculo videre erat Monaſterium D. Jobo dicatum (e), in quo tamen ejus conditi oſſa nemo meminit. Euſebius atque Hieronymus *in locis hebr.* traditione certum putant Jobum eſſe commoratum in urbe *Aſtaroth Carnaim* in Batanea ultra Jordanem ſita, in qua ejus domus hucuſque conſpicitur. Cum vero Denabam in Auſitide, ſeu in Deſerta Arabia conſtitutam, Regni *Jobab*, quem eumdem ac Job credimus, Metropolim Scriptura appellet *Gen.* 36. 32. *&* 1. *Par.* 1. 43. 44. ipſum Denabæ vixiſſe, atque obiiſſe jure arbitramur.

Ferunt etiam, Jobi Reliquiæ à Rhotari Longobardorum Rege ſeptimo ſæculo Romam delatæ (f), ultimoque ſæculo à furibus inde aſportatæ quo loco ſint conditæ, incertum eſſe. Vetus Martyrologium Jobi meminit, à quo etiam Sanctus, Propheta & Martyr appellatur. Ejus cultus apud Græcos æque & Latinos vetus, atque vulgatus. Illi, quos Arabiæ, Ægypti, Æthiopiæ, Ruſſiæ, atque Moſchoviæ Chriſtiani ſequuti ſunt, ſextam: hi vero decimam Maii diem ejus ſolemnem inſtituunt. Hunc, præter Martyres Machabæos Fratres, veteris Teſtamenti Sanctorum primum agnoſcimus, cui Fidelis Occidentalis Eccleſia publicos cultus exhibuerit, & Patriarchas inter atque Prophetas neminem invenimus, cui plura Templa, atque Altaria, in Hiſpaniis præſertim, atque in Italia, Fideles erexerint, quem in lepram, elephantiaſim, ſcabiem, veneream luem, & mala cætera, quæ ad hæc revocantur, præcipuum Patronum advocant. Vide Baillet in Vit. SS. Vet. Teſt. die 10. Maii.

De Jobi morbo egimus in Diſſertatione, quam noſtris in Job Commentariis præpoſuimus, de qua etiam multo ante Pineda *in Job.* 2. 7. *&* 8. *t.* 1. *p.* 137. *& ſeq.* diſſeruit, eamque duobus vel tribus ſupra triginta morbis coaluiſſe detexit; Bartholinus tamen *de Morbis Biblic. c.* 7. XII. tantum malorum ſpecies enumerat. At S. Chryſoſtomus *Caten. in Job. p.* 51. mala omnia, quibus homo angi poteſt, quæque ipſe Dæmon totis viribus adhibitis infligere valuit, æquo animo Jobum pertuliſſe teſtatur. Si ea, quæ Job de ſe ipſo fatetur, attente perpendamus, ex circumſtantiis pleriſque ejuſdem morbum Lepræ ſymptomata fuiſſe colligimus: quam utique ſententiam plerique Patres, & Commentatores tuentur, eamque vel obſcure, vel aperte docent Chryſoſtomus, Apollinaris, Polychronus, Philippus Presbyter, Vener. Beda, Author Serm. *ad Fratres in Eremo*, D. Auguſtini nomine vulgatus, Pineda, Bartholinus, Bolducus, Vatablus, Cyprianus Ciſtercienſis, aliique plures.

Vu Qui

(a) Job 2. 2 *Eliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram.*
(b) Ita Hebræi PP. plerique. Vide Mercer. Pineda, Torniel. Cornel.
(c) Brocard. Adrichom. Tirin. Cotovic. alii.
(d) Ricaut. de ſuper. Othom. l. 1. p. 16 Elmacim. hiſt. Saracen. l. 1. c. 7.
(e) Du Cange Byzant. Chriſtian. l. 4 p. 104. n. 18.
(f) Vide Guall. Sanctuar. Pap. l. 4. c. 2.

Qui verò peſſimo morbo, ſeù venerea lue tactum ferunt, ad hanc propè ſententiam revocantur, cùm morbus is minimè abſit ab ipſa leprâ. Ad hoſce morbos propellendos, ejus opem Latina Eccleſia implorat, eique pleraque valetudinaria, & xenodochia, in quibus ea lue contabeſcentes excipiuntur, dicavit. Per quæ tamen optimi viri Sanctitati detrahere minimè velim; potuit enim eo morbo confici, quin intemperanter quidquam admiſerit, cùm & (a) Itinerantes teſtentur, facilè adeò in calidis regionibus contrahi, ut cum aliquo hac lue laborante tantùm familiariter quis agens, eodem ſæpè morbo inficiatur. Videatur hac de re Diſſertatio noſtra,

An Iob extiterit, quidam (b) in dubium revocant, ejuſque Librum hiſtoriam commentitiam appellant. Eum Spinoſa Paganum putavit. Quidam (c) Moyſe priorem, quidam verò coævum, quidam denique poſteriorem ſub Iudicibus vixiſſe tuentur. Neque deſunt qui ad Davidis & Salomonis ætatem (d), quique ad Babylonicæ captivitati proxima, vel ad ipſa captivitatis tempora Iobum protrahant. Rabbini demum nonnulli ſub Aſuero & Eſther imperantibus floruiſſe, & quidam, antequam Babylonem aſportaretur, Palæſtinæ Tiberiadis gymnaſio præfuiſſe opinantur (e). Iobi tamen exiſtentiam improbare non decet, quin mendacio obſtringamus Ezechielem 14. 14. Tobiam 2. 12. & 15. & D. Iacobum 5. 11. qui de eo, veluti de Sanctiſſimo viro, & patientiæ exemplari ſermonem habent, quin etiam omnibus Iudæorum, & Chriſtianorum Traditionibus, & Latinorum, Græcorumque Patrum authoritati adverſemur. Cùm verò Iudæorum Legem non profiteretur, neque propterea circumciſionis gladium fuerit perpeſſus, Iobum hoc cenſu Paganum fuiſſe ultrò fatemur, ſicuti & Melchiſedech, aliique Iuſti Pagani vocantur: quo nomine ſic accepto, deſpiciendi, atque execrandi nihil inducitur. Quamvis autem, qua vixerit, ætas adhuc lateat, ad Davidem nihilominus, & ad Salomonem, multoque minus ad Babylonicam captivitatem produci nequit, cum ejus, veluti Patriarchæ veteris, Tobias, & Ezechiel meminerint, cùmque & ipſe Iub. 26 12. & 15. 24. & 25. de Pharaone, & Maris Rubri tranſitu clare nimis ediſſerat. Contigiſſe tamen potuit, ut ejus Libri, ut apud nos nunc jacet, Author poſt Davidem, & Salomonem vixerit; verba enim ad Pſalmos, Ieremiam, & Proverbia aliquando referre videtur.

(Rerum à Iobo geſtarum plures narrant Orientales, quas fruſtrà repetas ex Scriptura. Hanc viri genealogiam retexunt (f): *Abraham*, *Iſaac*, *Eſau*, *Bazakh*, *Amoſch*, *Job*, vel ut ipſi ſcribunt *Ajub*. Eutychius Patriarcha Alexandrinus hac ducta progenitorum ſerie illum ab Eſau derivat, *Eſau*, *Raguel*, *Razakh*, *Amos*, *Job*. Sed ex Arabicis Hiſtoricis quidam virum arceſſunt ex Iſmaele (g), contenduntque primum eſſe è tribus Prophetis de progenie Iſmaelis: tres illi ſunt *Job*, *Jethro*, *Mahometus*. Scriptores illi conjugem viro adſciſcunt *Raſimam* è genere Loth, i. e Moabitidem vel Ammonitidem; tradunt inſuper Iobum graviſſimo morbo triennio laboraſſe juxta quoſdam, vel juxta alios ſeptennio.

Poſt annos illos evolutos, ætatem agens 80. annorum, & valetudinem recepit, & filium nomine *Baſch-Ben-Ajub*, vel *Baſch filius Job*. Ex Hiſtoricis alii filios ejuſmodi promovent ad quinque, quibus fultus vir Princeps movit in gentem quandam Arabum, Idumææ finitimam, appellatamque *Dhul-Khefel*. Nominis hujus inditi ratio erat, quod femoribus carerent, ut crura & femora referrent poſterioribus equi non diſſimilia; quemadmodum apud nos pinguntur Centauri. Iobus igitur filiis ſuis validus brutalem hanc gentem, negantemque recipere cultum ſingularis Numinis, quem ille prædicabat, delevit exterminavitque.

Dominus benedictionem ſuam Iob impertiit, cumulavitque virum bonis; quod ægris oculis ſuſpiciens Dæmon, ſtatuit ſe illico coram Deo, obtenditque coli illum à Iobo commodi ſui gratia; benignam ab eo manum retraheret, intellecturus ſtatim, ne vel unam quidem cultus ſignificationem tota die illum exhibiturum. Permiſit adverſario Deus virum bonis ſuis omnibus & liberis expoliare; manſit nihilominus vir pius in obſequio & ad nutum, uti priùs cùm res omnes florerent.

Ea viri conſtantia pravum Dæmonis animum exacuit magis, iterumque ſeſe offerens coram Domino, inſinuavit idcircò Iobum permanere in fide, quòd novas è liberali Numine ſperaret largitiones; tangeret nihilo ſeciùs viri corpus, intellecturus ſtatim, quàm citò vir jugum excuteret, atque in murmur adverſus ipſum erumperet. Id etiam indulſit Deus, ut ſcilicet pernicioſo cuidam morbo ſubmitteretur vir pius, ea tamen conditione, ut intacta manerent os, oculi, & aures. Actutum inſufflavit Dæmon in viri naribus peſtilentem quendam calorem, quo ſtatim infecta eſt ſanguinis maſſa, & corpus perpetuo ulcere contabuit, tanta morbi malignitate, ut fœtoris gravitas accedentes longiùs arceret.

Itaque coacti familiares miſerum aſportarunt longe ab Urbe, hiſce autem tantiſque afflictatus vir pius, nunquam tamen è priſtinæ mentis ſtatu dimotus eſt. Uxor Raſima maritum non dereliquit, neceſſaria quin etiam omnia ſuppeditans; ſed viciſſim & Dæmon parata illi omnia clam ſubripiebat, eòque tandem fœminam redegit, ut quid afferret levaminis haberet nihil. Ad hæc, per viſum mulieri apparuit ſenioris fœminæ ſpeciem ementitus, adpromiſitque omnia ſe illi, quæ neceſſaria eſſent viro ſuo, liberaliter daturum, dummodo viciſſim concederet duos comarum plexus è collo pendentes. Conditionem acceptavit Raſima, ſtatimque comarum plexus manibus ſenioris fœminæ remiſit.

Raptim Dæmon Iobum convenit, inſuſurravitque in aures, uxorem ejus crimine deprehenſam, cujus rei indicium exhibebat comarum plexus, obtendens turpi calvitio adulteram mulctatam fuiſſe. Intellexit ſtatim Iobus deſtitui illam coma, agitanſque in animo uxorem paràtos à Dæmone laqueos incurriſſe, jurato ſpopondit, ſiquidem valetudinem reciperet, exacturum ſe de admiſſo crimine terribilem ultionem. Rem ſibi accidiſſe pro voto blanditus eſt Dæmon, quippe qui virum ſanctum è conſtantiæ culmine aliquantò dimoverat; quare Angeli lucis aſſumens ſpeciem, veluti à Deo miſſus venit annunciaturus populis excidiſſe Iobum à favore Dei, nullam proinde verbis ejus adjiciendam eſſe poſthac fidem, nec permittendum, ut inter ipſos medius verſaretur, ne forte unius crimen in totam regionem Numinis iram provocaret.

Certior de his omnibus factus Iobus, verſus eſt in preces, tota cordis fiducia ita Deum rogans: *Domine premente ad latera dolore coarctor; ſed tu inter miſericordes miſericordia præſtas*. Hæc orans abſolverat, cùm Deus actutum dolores omnes è viro ſubmovit. Angelus Gabriel è Cælo advolitans, manu virum ſanctum excepit, erexitque è loco, in quo jacebat; terram pede contudit, ſtatimque puri laticis fons exiluit, cujus aquis lotus corpore potatuſque, ſtatim ab ulcere penitus convaluit, & reſtitutus eſt in priſtinum. Tum largiente Deo bona ſua omnia, tantoque augmento promota obtinuit, ut divitias eorum expreſſuri Arabes notent, aureum imbrem viro pluiſſe.)

IOBI LIBER. Plurima etiam de hoc Libro diſcrimina; Quidam enim ab eodem ipſo primum Syrorum, ſeu Arabum idiomate exaratum, poſtea verò à Moyſe, vel ab Iſraelitarum aliquo, Hebraicè verſum autu-

(a) Chard. Perſiæ iter t. 2. (b) Rabbini quidam in Talmud. tract. Baba Batra. Maimonid. Anabaptiſtæ. Salmaſius in famil. colloq. apud Spanhem. hiſt. Jobi. (c) Origen. l. 6. contra Cel. (d) Talmudiſtæ, & alii apud Maimon. More. Nebochim c. 22. (e) Talmud. tract. Baba Batra. (f) Bibliot. Orient. pag. 81. Ajub.
(g) Vide eundem pag. 466. col. 2.

autumant, quidam verò vel Salomoni, vel Iſaiæ, vel denique recentiori alicui eumdem tribuunt. Licet autem nihil, quo ejus Author clarè inducatur, liber iſte præſeferat, illum tamen, quicumque fuerit, Religione Judæum, & Jobo poſteriorem fuiſſe certò conſtat, cum ad Scripturam, cujus ſæpè etiam phraſibus utitur, quam maximè alluſerit, quare in ea ſatis ſuperque verſatus exhibetur. Plurimas, Jobi Librum inter & alios ſacros Authores, alluſiones, & phraſes ſibi viciſſim ſimiles & cohærentes coegimus, & cujuslibet de hujuſmodi Libri Authore ſententiæ vi ſua munita argumenta omnia eduximus.

Hujus Libri authographum Hebraico quidem, ſed pluribus Arabum, & Chaldæorum phraſibus, & periodis, quibus minimè Hebræi utuntur, referto idiomate conſcriptum fuit; quamobrem obſcurum nobis, & captu difficile contigit. Non ſoluta oratione, ſed carminibus inſtructum eſt, carminibus tamen non ſono & numero addictis, quorum in phraſium vi, in conceptuum ſublimitate, in animi motuum ſpiritu, in deſcriptionum proprietate, & in varietate dictionum præcipua laus ſiſtit, & decor. Sanè poeſim hac uberiorem, & elegantiis, varietatibus, atque ornamentis magis refertam apud Veteres invenire non erit. Operis author, quicunque fuerit, artem omnem planè adhibuit, ut eorum quiſque, quos colloquentes inducit, ſententiam ſuam optimè tueretur. Quamvis autem hiſtoria ejuſque circumſtantiæ à veritate minimè abſint, & colloquentium ſententiæ & argumenta integra fide referantur, dictionum tamen, & phraſium ſonus Poetæ, ſeu Authori tribuendus omnino videtur.

Ab utraque Latinorum, & Græcorum Eccleſia, ſicut & ante à Synagoga, Liber iſte canonicus, & fide credendos habetur. Pluribus in locis D. Paulus ejus meminiſſe, vel ſaltem ad eum aliquid referre videtur (a). D. Jacobus in ſua Epiſtola Jobi patientiam commendat, eamque iis, ad quos ſcribit, perſpectam agnoſcit (b). Aothorem Libri Jobi Theodorus Mopſueſtenus idcircò redarguit (c), quòd fabularum, & poeticorum eventuum prophanam ſcientiam oſtentaverit, quodque Jobum ea proferentem inducat, quæ optimi viri Sanctitati minimè reſpondent, & nequitiæ potius, quàm probitatis exemplum præſtant. Celeberrimus tamen, audaxque Criticus contra illum non pronunciaſſet, ſi pro Græca Verſione, quæ verè quibuſdam, quæ ad fabulam poeticoſque eventus referuntur, ſcatet, Originale iiſdem minimè infectum provolviſſet. Lutherum, & Anabaptiſtas quidam objurgant, quòd & Jobi Librum reiiciant, Sculterus vero, & Spanhemius Lutherum purgare conantur. De his omnibus, aliiſque pluribus ad Jobum, ejuſque librum ſpectantibus, P. Pineda, noſtra Commentaria, & Spanhemius in Jobi hiſtoria conſulantur.

JOCABED, Amrami uxor, Mariæ, Moyſis, & Aaronis mater. Diſſidium eſt de conſanguinitatis gradu, quo invicem Amram, & Jocabed vincirentur; quidam enim Hebræo textui (d), ubi Jocabed Levi filia appellatur, adhærentes veram Levi filiam, & Amrami amitam fuiſſe tuentur; quidam verò filiam unius ex fratribus Caath, ideoque Amrami dumtaxat conſobrinam conſtituunt. Chaldæus *Exod.* 6. 20. filiam ſororis Amrami, Septuaginta verò fratris ejuſdem Amrami filiam appellant. Hebræum *Doda*, quod ibidem legitur, non ſemper eundem conſanguinitatis gradum ſignificat; & ea verba *Levi filia* intelligi valent de vera Levi filia æquè ac de muliere ex Aaronis progenie. Inde fit, ut tum Scripturæ Textus, cùm interpretum inter ſe diſſidentium ſententia hac de re certi nihil inducant. Nihilominus ad veritatem propiùs acceſſerit, ut puto, qui tantùm Amrami conſobrinam Jocabed ſtatuat. 1. Si verè Levi filia fuiſſet, inter ejus & Amrami ætatem nimia interceſſiſſet diſparitas. 2. Conjugium amitam inter & nepotem à Lege interdicitur, &, quòd ante permiſſum fuerit, nullum argumentum. 3. juxta Hebræorum phraſim *Levi filia* optimè intelligi poteſt pro nepote.

(JOCTAN, filius Heber. Vide *Jactan*, & *Cathan*.)

I. JOEL, Samuelis Prophetæ filius, natu major. Cùm Samuel ſenuiſſet (e), filios ſuos Joelem & Abiam Iſraelitarum Judices denunciavit. Quo munere in Berſabee urbe ad meridianos Palæſtinæ fines impiè functis, Primates Iſraelis ad Samuelem confugere, ut ſibi Regem conſtitueret.

II. JOEL, Joſabiæ filius, ex Tribu Simeonis. 1. *Par.* 4. 35.

III. JOEL. Iſrahiæ filius, ex Tribu Iſſachar. 1. *Par.* 7. 3.

IV. JOEL, unus ex fortiſſimis exercitus Davidici. 1. *Paral.* 11. 37.

V. JOEL, Levita unius ex Levitarum familiis Princeps. 1. *Par.* 15. 7.

VI. JOEL, Phadiæ filius, ex Tribu Manaſſis. 1. *Par.* 27. 20.

VII. JOEL, Phatuelis filius, inter duodecim Minores Prophetas ſecundus, ut ajunt, ex Tribu Ruben (f), ex urbe *Bethoron*, ſeù melius *Betharan*. *Bethoron* enim ſita erat in Tribu Ephraim, citrà; *Betharan* verò ultrà Jordanem, in Tribu Ruben. In Regno Judæ vaticinatus eſt poſt decem Tribuum captivitatem, ut credimus, & Regni Iſraelis everſionem. Quo tamen tempore vaticinari inceperit, quoque etiam obierit, adhuc incertum. Maxima quidem caritate, & locuſtarum nube Judæam conficiendam portendit: cùm verò ex calamitates regionem illam ſæpiſſimè populatæ fuerint, ideòque earum ſingulæ peculiaribus tabulis regeſtæ non fuerint, nihil inde induci poteſt, ubi ejus Prophetiæ epocha conſtituatur.

S. Hieronymus, cui plurimi tam Veteres, quàm Recentiores ſubſcribunt, eo ducitur (g), ut, cùm alicujus Prophetæ ætas nequeat attingi, ad alium ſit confugiendum, qui eidem præceſſit, cujuſque epocha perſpecta habetur. Qua quidem via poſſumus interdum falli; quare nihil prohibet, quominùs per alteram incedamus, ſi optimis argumentis adducamur. Hebræi Manaſſe imperante Joelem vaticinatum ferunt; famem autem, quam idem portendit, eamdem eſſe putant ac eam, de qua Jeremias 8. 13. Quod ſi, ut videtur, ad veritatem accedat, poſt Manaſſem Joelem prophetaſſe dicendus eſt; eodem enim Jeremiæ loco propter prætерita Manaſſis flagitia Hebræos Dominus ſe diſperſurum minatur, quo Manaſſes è vivis jam demigraſſe oſtenditur. Quamobrem nos meliùs ſub Joſia Judæ Rege, eadem, qua Jeremias floruit, ætate Joelem ſtatuimus. Hoſtilis inſtar exercitus locuſtarum nimbum Judæam invaſurum minatur, quæ, brucis interea, & aëris ſiccitate regionem populantibus, maximam populis caritatem intulere. Deus verò flentis populi pietate motus, locuſtis per turbinem in mare detruſis, uberem ruſus invexit annonam. Deinde diem Domini, & ultionem de impiis in Jezraelis valle à Deo ſumendam portendit c. 2. 2. Agit propterea de *Juſtitiæ Doctore* à Deo terris donando 2. 23.; de Spiritu Sancto in homines effundendo 2. 28.; de æternitate, qua incolenda erit Jeruſalem 3. 20. de ſalute, quæ de Jeruſalem egredietur 2. 32., & quam conſequetur, qui Domini numen in auxilium ſibi advocaverit 2. 28. Hæc ad novam Chriſti Eccleſiam referuntur.

JOELA, Jeroham filius, qui Davidi fuga ſibi conſulenti adhæſit. 1. *Par.* 12. 7.

JOEZER, unus ex fortiſſimis exercitus Davidici. 1. *Par.* 12. 6.

I. JOHA, alter ex Davidis fortiſſimis. 1. *Par.* 11. 45.

(a) Rom. 2. 11. collatum cum Job. 24. 19. 1. Timoth. 6. 7. cum Job. 1. 21. & Hebr. 12. 5. cum Job. 5. 17.
(b) Jacob. 5. 11. *ſufferentiam B. Job audiviſtis*. (c) Vid. Synod. V. Oecum. collat. 4. art. 63. (d) Ita Hebræi, Teſtam. 12. Patriarch. Toſtat. Uſſer. alii Exod. 2. 1. & 6. 20. & Num. 26. 59. (e) 1. Reg. 8. 1. &c. An. M. 2908. ante Chr. 2092. ante Ær. 1096. (f) Ita Epiph. Doroth. Iſidor. Hebræi.
(g) Hieronym. Præfat. in omnes Prophetas. *In quibus autem tempus non præfertur in titulo, ſub illis eos Regibus prophetaſſe, ſub quibus & hi, qui ante eos habent titulos, prophetaverunt.*

Digitized by Google

II. JOHA, Joſuæ Regis à ſecretis. Huic Templi reſtauratio demandata 2. *Par.* 34. 8.

I. JOHANAN, Caree filius, qui, cùm agnoviſſet Iſmaelem Nathaniæ filium in Maſphat perrexiſſe, ut Godoliam à Nabuchodonoſore populo præfectum interficeret, 3. *Reg.* 25. 23. *Jerem.* 40. 15. ipſum Godoliam de periculo monuit, ſeque præſtò exhibuit, ut Iſmaelem priùs interimeret. Cui cùm minimè fidem præſtitiſſet Godolias, paulò poſt interemptus occubuit, A. M. 3417. ante Chr. 583. ante Ær. 587.

II. JOHANAN 1. *Par.* 3. 15. Joſiæ filius, qui abſque liberis obiiſſe videtur, cùm ejus ampliùs Scriptura non meminerit.

III. JOHANAN, Elioenai filius, unus ex Pronepotibus Davidis ex Zorobabele, 1. *Par.* 3. 24.

IV. JOHANAN, Judæorum Pontifex, Pontificis Azariæ filius, alteriuſque Azariæ pater. 1. *Par.* 6. 9. 10. Hic idem creditur cum Jojada, Zachariæ patre, ſub Joas Rege Juda. 2. *Par.* 10. 11. *&c.*

V. JOHANAN, ex fortiſſimis Davidis octavus 1. *Par.* 26. 3.

VI. JOHANAN, Joſaphat exercitus Ductor. 2. *Par.* 27. 15.

(JOHANAN, vel *Jonathan* ſeu *Joannes* Summus Judæorum Sacerdos filius *Jojada*, & pater *Jeddoa*. Vide 2. Eſd. 12. 10. &c. Vivebat florentibus Eſdra & Nehemia. Rem ab illo geſtam narrat Joſephus Antiq. l. 11. c. 7. quæ æternam nomini ejus invidiam creat. Inſinuaverat ſe animo Bagoſes Præſidis Syriæ & Phœniciæ ſub Rege Perſidis Joſuah vel Jeſus ejus frater, & viri favore tantùm valuit, ut amoto è plurium annorum Summo Sacerdotio Johanan fratre ſuo, dignitatem illam ſibi adſciſceret. Venit igitur Hieroſolymam Principatum aditurus, & exauctoraturus fratrem. Sed poſtremus iſte mandatis Bagoſes obſecuturum ſe recuſavit, & poſt multa utrimque jactata, res tandem venit ad injurias & arma, nec ceſſatum donec Johanan fratrem in interiori Templi atrio necaverit.

Facinus illud per ſe atrox atrocius adhuc reddebat loci ſancti religio, fraterna illa cæde temerata. Quare Bagoſes rem ut accepit, contulit ſe ſtatim Hieroſolymam de crimine intellecturus. Volebat ille Templum ingredi viſurus ipſum locum necis; ſed Paganum hominem & prophanum vetarunt Sacerdotes. Clamavit illico: Ut quid mihi iſta; num transfoſſi viri cadavere inquinatior ego? ſimulque furens perrupit in Templum fruſtra prohibentibus Sacerdotibus, & plenè diſcuſſa cauſa Templum ipſum damnavit multa, quam de ſacro Ærario ſolverent Sacerdotes. Imperata ſunt 50. drachmarum in ſingulos agnos ſacrificii quotidiani matutini & veſpertini, i. e. in duos agnos quotidie. Manſit tributum illud uſque ad obitum Regis Artaxerſia; factum enim tunc, ut mutatis Provinciæ vicibus ac Præſidibus ab exigendo ceſſaretur.

Summus Sacerdos Johanan vel Joannes poſt 32. Sacerdotii annos vitæ curſum abſolvit (a). Patri ſucceſſor datus eſt filius Jaddoa. Vide v. *Jonathas VII.*)

JOJADA ab Joſepho *Joadus* appellatus, poſt Azariam Pontificatum cepit, eique Zacharias filius ſucceſſit. In Paralipom. 6. 9. 10. *Johann*, & *Azarias* cum Jojada, & Zacharia confundi videntur. De Jojada jam fuſiùs egimus v. v. *Athalia* & *Joas*. Hic ope uxoris ſuæ Joſabeth infantulum Joas (b) Joram Regis Juda filium anno adhuc minorem ab Athaliæ, Regni cupiditate in Regiam propaginem ſævientis, cæde liberavit, & in Templo abditum (c) ſeptennio elapſo Regem vulgavit, interfectaque Athalia in Solio Davidis tutum conſtituit (d). Et in re maxima prudentia, miraque ſapientia præditum ſeſe exhibuit.

Eodem ſuadente junior Rex Baalis Templum evertit, ejuſque ſimulacrum contrivit, & donec Jojadæ monitis adhæſit, Regnum Religione, & re etiam civica adauctum, omniaque ſibi fauſtè contingere miratus eſt. Optimus Pontifex de reſtaurando Templo cogitaverat, & idcircò ex omnibus Judæ civitatibus pluribus coegerat pecunias (e). Quod tamen Levitarum incuria actum non eſt, niſi poſtquam annis viginti abſolutis, Rex, adhibita etiam Pontificis authoritate, juſſit omnia compleri. Poſt Jojadam patrem Pontificatum geſſit filius Zacharias, quem ipſe Joas patris beneficiorum immemor interfecit (f), dignus propterea, quem tanti facinoris fama probris omnibus cumulaverit. Vide *Joas*, & *Zacharias*. Quod ad Jojadam attinet, annos 130. natus, placido obitu exceſſit (g). Tumulatus verò fuit in Regum Jeroſolymitanorum ſepulchro, quòd tot in Regem, Regiamque domum beneficia contuliſſet.

JOJADA, ſeu *Judas* (h), Judæorum Pontifex, Eliaſib, ſeu Joaſib ſucceſſor, qui ſub Nehemia floruit, *circa an. M.* 3550. *ante Chr.* 450. *ante Ær.* 454. Huic *Jonathan*, ſeu *Joannes* ſucceſſit. Quo tempore Pontificatum ceperit, quove occubuerit, incertum.

JOJARIB. Vide *Joarib*, primæ ex 24. Sacerdotum familiis Principes.

JONA, columbam, *Bar-Jona Matt.* 16. 17. verò columbæ filium ſonat. Videtur tamen meliùs legi *Barjoanna*, ſeù *Johanna*, Joannis filius. D. Petri parens *Joanna*, ſeù contractiori nomine *Jona* appellatur.

I. JONADAB, vir prudentiæ fama eximius, Semmaæ filius, Davidis nepos, & Amnonis filii Davidis conſobrinus 2. *Reg.* 13. 3. & quàm maximè familiaris; a quo ægrotante cùm intellexiſſet (i) ſic idcircò languore confici, quod Thamar ſororem ſuam, patre quidem eodem, ſed altera matre, deperiret, eidem ſuaſit, ut ægritudinem ſimulans, ſtatim ac pater ipſum inviſurus adveniſſet, Thamar, quæ cibum manu ſua confectum ægrotanti afferret, ſibi indulgeri poſtularet. Quibus conſiliis improbè Amnon adhærens, Thamar defloravit; quare ab Abſalomo, Thamar fratre, interfectus eſt (k), cæteriſque Davidis filii dolore affecti.

II. JONADAB, Rechab Rechabitarum Principis filius. Vide *Rechabitæ*, & noſtram Diſſertationem, quam Jeremiæ præpoſuimus. Jehu Rege Iſraelis imperante, florebat Jonadab, quem veteri Rechabitarum auſteritati (l), quæ agrorum cultu, ac vino prohibitos, gregum tantummodò, & camporum fructibus veſci indulgebat, maximè contuliſſe arbitramur. Quam regionem præcipuè Jonadab incoluerit, ignoramus; legimus tamen Jehu Samariam progredienti, ut ſcelera domus Achab ulciſceretur, & Prophetas, Sacerdoteſque Baalis interficeret, obvium fuiſſe Jonadab filium Rechab. 4. *Reg.* 10. 15., quem ſibi Jehu ſincera fide devinctum agnoſcens, in currum ſuum aſſumpſit, & Samariam ingreſſus omnes, qui ſupererant ex domo Achabi, omneſque Templi Baalis miniſtros coram ipſo interfecit, ut Divini, quo ipſe flagrabat, zeli teſtis fieret (m). Nihil præterea de vita Jonadab, de cujus Diſcipulis vide *Rechabitæ*.

JONAS, Amathi filius, inter minores Prophetas quintus, Galilæus, ex urbe *Get-opher* 4. *Reg.* 14. 25. oriundus, quæ eadem creditur, ac Jotapata, à Joſepho hiſtorico adverſus Romanos obſidentes paulò ante Jeroſolymitanum excidium, diù defenſa. Getopher in ditione Zabulonis erat, ubi & regio *Opher*, ſivè *Epher*. Hanc S. Hieronymus 2000. paſſibus à Sephori Tiberiadem versùs, removet. Jonam Sareptanæ viduæ filium fuiſſe, vitæ ab Elia reſtitutum 3. *Reg.* 17. 17. Rabbini aliquot arbitrantur, idque aſſerunt, quòd vidua vivum filium excipiens, Prophetæ dixerit: *Nunc in iſto cognovi, quoniam ... verbum Domini in ore tuo verum eſt*. Filius *Amathi* dicitur, quod *Amath* Hebraicè veritatem ſonet; quodque Jonas ob vitam ab Elia reſtitutam, ipſius Eliæ filius quo-

(a) Antiq. l. 11. c. 7. (b) An. M. 3120. ante Ch. 880. ante Ær. 884. (c) 4. Reg. 11. & 12. 2. Par. 23. & 24.
(d) An. M. 3126. Ante Ær. 878. (e) 4. Reg. 12. 2. Par. 24. 5. &c. (f) 2. Par. 24. 2. An. M. 3164. ante Chr. 836. ante Ær. 840. (g) 2. Par. 24. 15. A. M 3170. ante Ch. 830. ante Ær. 834. (h) 2. Eſdr. 12. 10. (i) An. M. 2972. ante Chr. 1028. ante Ær. 1032. (k) An. M. 2974. ante Chr. 1026. ante Ær. 1030. (l) Jerem. 35. 6.
(m) An. M. 3120. ante Ær. 834.

quodammodo cenſeatur. Futilis ratio. Ea tamen opinio, quæ Jonam viduæ Sarepthanæ filium facit, plurimùm obtinet (a). Profectò Jonas ſub Joas, & Jeroboamo II. Iſraelis Regibus floruit. Qui ergo viduæ illius filius fuerit, cùm Eliæ raptus 60. annis ante Regnum Joas contigerit? Alii Jonæ Sunamitidem illam fœminam matrem dedere, cujus filium Eliſeus ad vitam revocavit. 4. *Reg.* 4. 16. *&c.* Attamen Sunam, & Geth-opher, cujus civem Jonam apertè Scriptura teſtatur, nimiùm diſtabant. Denique ſunt, qui Jonam eum Prophetam fuiſſe volunt, ab Eliſeo ad Jehu miſſum, ut eum in Regem conſecraret. 4. *Reg.* 9. 1. *&c.*: hoc tamen nihil incertius.

Author de vita & morte Prophetarum, S. Epiphanii, & Dorothei nomine perſonatus, & Chronicon Paſchale Jonam è regione Cariatham, prope Azotum Græcam urbem maritimam, accerſunt. Ibidem hic Propheta prædixiſſe narratur, *tum cùm gentes plurimas Hieroſolymis conſpexiſſent, ab occiduis nationibus funditus urbem eſſe delendam*, eamdemque urbem proriùs *evertendam, cùm lapis miſerè placare conſpicietur*. Occiduæ nationes, Romani ſunt; Lapis, Chriſtus, qui in Scriptura lapis angularis dicitur, qui Jeroſolymæ infortunia ante paſſionem flevit. Idem etiam Author teſtatur, Jonam prædicta Ninivitis à ſe mala non contigiſſe ægrè ferentem, in Sur, alienigenarum regione, ſivè meliùs Tyri, matre ſecum abducta, ſedem conſtituiſſe in agro Saar, ibique mortuum, & in ſpecu Cenezæi Judicis Iſraelis tumulatum; qui fortaſſe Judex Calem eſt, vel Othoniel. Certè Calebo Cenezæi cognomen ſæpè tribuitur (b); nunquam tamen Iſraelem judicaſſe legitur. Othoniel patrem habuit Cenez. *Joſue* 15. 17. *Judic.* 1. 13.

Hæc de Jona certò ſcimus. Ninivem pergere à Deo juſſus ut de impendenti Cœli ultione monitos ab eorum flagitiis populos deterreret *Jonas* 1. 1. *&c.* imperium negligens, Ciliciæ Tharſum fuga contendere conatus eſt. Vix tamen Joppe ſolverat, cum Dominus procellam concitavit, ut Dei ſui opem implorantes, onera levandæ navi nautæ projecerint. Interea in ima navi dormientem Jonam Gubernator excivit: qui & intempeſtivæ procellæ obnoxius ſortitò deprehenſus, & quis eſſet, quidve patraſſet flagitii poſtulatus, Hebræum ſe, Domini cultorem, & Prophetam, & ne ad Ninivitas conciones haberet, profugum faſſus eſt: quare ſe ipſum in mare detruderent, ut navis exitium averterent. E navi itaque exturbato, illicò oborta eſt tranquillitas. Divino factum eſt conſilio, ut piſcis immanis, quem cetum alii, alii lamiam, *canem carcharium*, ſeù canem marinum putant, Jonam fluctibus obrutum, hiante ore deglutiverit (c); eumque triduo detentum in litus tandem evomuerit. Ad calcem montis ſatis in mare protenſi, Berythum inter, & Tripolim (d), Jonam nonnulli expoſitum autumant: alii verò in ora Ponti-Euxini (e): veriſimiliùs alii in ora Ciliciæ 2. leucis ad Aquilonem Alexandriæ (f) alii ad Erythræum: alii in Sinu Perſico; alii denique in litore propè Niniven, quod utique nullibi conſtat.

Tum à Domino iterum juſſus (g), ingreſſus eſt Ninivem trium dierum itinere protenſam, nempè juxtà Diodorum Siculum, 25. leucarum ambitu circumductam (h). Deinde die integra per vicos conclamantem: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, audierunt Ninivitæ, & pœnitentia ducti, exemplum præbente ipſo Rege, quem Sardanapali patrem credimus, quemque Prophani Scriptores *Anacyndaraxum*, ſeù *Anabaxarem*, & Scriptura *Phul* appellant, ſacco induti, & cinere perſuſi à cibo omnes omninò ſe abſtinuerunt; ipſiſque animalibus veſci prohibitis, & ſacco opertis, eo fletu ingemuerunt, ut Dominus pietate motus dolentibus veniam indulſerit.

Quod ægrè ferens Jonas, cùm Domino conqueſtus eſt, ſe (i) jure ſemper veritum, ne ipſe bonitate ſua & clementia ductus, ab ultione abſtineret. Urbe deinde egreſſus, ut quæ urbi evenirent, inde proſpiceret, tugurium ſibi conſtruxit; quod ſtatim Dominus planta ſuperinduit, quæ Hebraicè *Kikajon* dicitur, & à quibuſdam *cucurbita*, ab aliis *hedera*, à pluribus deque *palma Chriſti* vertitur, ſeù *ricinus* (k). Prima diei poſteræ luce plantæ radix à Domino per vermem tacta, ſtatim exaruit: quare Jonas ab ardenti ſole minimè protectus, eo æſtu laboravit, ut vitam ſibi adimi iterum poſtularit. Mœrore itaque tabeſcentem tunc Dominus alloquutus; Anne, inquit, jure ſuccenſes, quòd exaruerit planta, cui nihil tuo labore contuleras, quæque altera nocte orta, altera interiit? Cur igitur me prohibes urbi Ninives ignoſcere, quæ 120000. incolarum numerat, *qui neſciunt quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam*; infantium ſcilicet, qui propriis flagitiis injuriam huculque Deo non intulerunt? Cum ut plurimùm quintam urbis partem pueri conſtituant, ab incolarum 600. millibus frequentatam Ninivem arbitramur.

Fortaſſe è Ninive Jonas regreſſus in Judæam. Jam ſupra ex S. Epiphanio Tyrum properaſſe, & in Campo Saraa obiiſſe retulimus. Orientales in Moſul, quam eamdem, ac Ninivem putant, ejus ſepulchrum oſtentantes, ibi mortuum, & tumulatum tuentur. Florente S. Hieronymo, in Geth Palæſtinæ Jonæ tumulus videbatur (l), quem adhuc Turcæ in Geth-opher in cujuſdam Meſchitæ ſubterraneo Sacello erectum exhibent (m). Ejuſdem Prophetæ corpus in S. Apollinaris Templo Venetiis quieſcere creditum eſt: cujus etiam coſtam Montis Caſſini Abbatia, aliaſque reliquias Regni Neapolitani Nuceria oſtentat. Sexto ſæculo videre erat apud Græcos Templum, ſeù Cœnobium, quod Jonæ dicaverant. Ejus diem Feſtum 21. die Græci, Ruſſi verò 22. Septembris ſolemnem habent. In Veterum Latinorum Martyrologiis nulla Jonæ mentio, quam tamen decimoquarto ſæculo die Januarii 27. inſtitutam; ad Septembris 21. Baronius revocavit. Vide Bolland. & Baillet.

Quo tempore Jonas Samariæ Regnum ab introitu Emath uſque ad mare mortuum 4. *Reg.* 14. 25. à Rege Iſraelis Jeroboamo II. reparandum fore, an ante, an poſt adventum in Ninivem, prædixerit, ignoramus. Chriſtus ſæpè Jonæ meminit: à Ninivitis Judicii die Judæos condemnandos aſſeruit, quòd illi Jona prædicante pœnitentiæ ſe dederint, hi verò ſeipſum longè Jona majorem minimè audierint. *Matth.* 12. 41. *Luc.* 11. 32. Phariſæis in ſuæ miſſionis argumentum ſignum ab eo poſtulantibus, Jonæ ſignum, ſuam nempè reſurrectionem, ſe oſtenſurum pollicetur (o).

(Legimus in Scriptura Jon 1. 5. virum hunc Prophetam proripuiſſe ſe è Judæa, conceſſa ad Joppe navi; *Ut fugeret in Tharſis à facie Domini*. Ipſe de ſe Jonas hæc ſcribit, quibus in ſpecie quidem inſinuat, ſe cum Tharſim evaſiſſet, futurum in loco, qui virtute Dei non attingeretur, nec unquam ibi ſeſe continentem, vel nolente Deo vel non valente, cogendum eſſe ut Ninivem regrederetur. Si hæc agitabat in mente Propheta, non utique ſecundùm ſcientiam ſapiebat. Sed præſtat illud: *Ut fugeret à facie Domini*, exponere, veluti ſignificaret Propheta reputaſſe ſe, cùm à Judæa longiùs recederet, nequaquam à Deo ultra cogendum, ut iret Ninivem; ſed potiùs ſuo loco alterum eò deſtinandum. Neque enim conſueverat Deus ſpiritu ſuo prophetico afflare homines extra Terram Sanctam. Utra tamen retineatur expoſitio, conſtat incongruum, & minus exactum aliquid verba illa præferre.

Jonæ hiſtoriam noſcunt quidem Mahometani, ſed ita noſcunt, ut plura etiam ignorent (o). Miſſum

(a) Vide Hieron. Præfat. in Jonam, Pſeudo-Epiph. & Doroth. de morte, & vita Proph. quæſt. ad Antioch. q. 65. inter Opera S. Athanaſ. (b) Num. 32. 12. Joſue 14. 6. 14. (c) De Piſcis hujus ſpecie vide noſt. Diſſert. præfixam 12. Proph. Minor.
(d) Hæc earum regionum traditio juxta P. Eugenium Roger. l. 1. c. 12. (e) Joſeph. Antiq. l. 9. c. 11.
(f) Tavernier. Itiner. Perſ. l. 2. 1. (g) Jonas 3. 1. (h) Diodor. Sicul. l. 2. Bibliot. (i) Jonas 4. 1.
(k) Vide *Kikajon*. (l) Hier. Prolog. in Jon. (m) Adrichom. Quareſm. Eugen. Roger.
(n) Matt. 12. 39. & 16. 4. Luc. 11. 29. &c. (o) Biblint. Orient. pag. 495. Joannes Ben. Matthæi.

dieunt a Deo ad urbem *Moſul* vel *Mouſſal* ad Tigrim. Porrò Moſul ibi conditam ferunt, ubi vel circa olim vetus Ninive. Incolis igitur denunciavit Propheta vel reſpicerent, vel expectarent certa, quam deſignabat, die imminens Urbis ſuæ excidium. Indicta ultioni dies illa venit atque evoluta eſt, nihil inferens vitis impiis grave, quippe qui excutiendum in caput ſuum flagellum pœnitudine averterant. Id intelligens Jonas exprobrationes Ninivitarum declinaturus, fugam ſtatuit, conſcenſaque navi commiſit ſe pelago. Sed latum ſecundo vento navigium ſubſtitit improvisò immotum, ut nec urgeri nec agi retrogradum viribus ullis valeret.

Ad eas redactis anguſtias nautæ, projiciendum in pelagum unum aliquem è navigantibus ſtatuerunt, rati futurum ut ea victima Dei in ſe furor compeſceretur, vel ſaltem cauſam quancunque prohibentem agi navigium removerent: jactæque ſortes ter Jonam tulerunt. Quare actus ille eſt in mare; ſed piſcis accurrens hominem abſorbuit, ſecumque demerſit in altiſſimas abyſſos. Verſus ſtatim miſer in preces Deum precatione illa rogavit, quam & recitat Alcoranus, & omnium ſanctiſſimam ac efficaciſſimam reputant Mahometani: *Nullus eſt, Domine, alius Deus præter te. Lauderis in ſæculo; ego peccantium augeo numerum; ſed tu, ſupra quàm dici poteſt, miſeratione præſtas.* Hunc Prophetam ideò appellarunt Mahometani *ſocium piſcis*, quòd ſpatio 40. dierum in imo piſcis ventre detentus fuerit. Reipſa tamen nonniſi tridio cæcum illum carcerem ſuſtinuit. Scribit Theodoretus Hill. Relig. c. 4. pag. 496. Jonam ſponte petere Niniven recuſantem, catenis vinctum eò miſſum fuiſſe à Deo.)

I. JONATHAN, Levita, filius Gerſon, Moyſis nepos, qui in domo Michæ cuidam Ephod inſerviens, aliiſque ſuperſtitioſis ſimulachris, quæ ſibi Micha conſtruxerat, in ſacello domeſtico locaverat, diù muneri ſuo vacavit. *Judic.* 17. 7. *&c.* & 18. 1. Aliquot poſt annis, à 600. Danitis ſedem ſibi in Sidoniorum regione aucupantibus (b), abductus, & ab ipſis Lais, quam Dan vocaverunt, occupata, idoliſque, quæ à Micha abſtulerant, in urbe erectis eorum Sacerdos eſt conſtitutus. Porrò eadem Michæ idola uſque ad captivitatem Tribus Dan, & donec Arca Dei conſtitit in Silo, in ea civitate manſere. A' Silo autem Dei Arca ultimo Heli Pontificis anno aſportata, capta eſt à Philiſthæis (c). Captivitas Dan, vel eamdem Tribum, poſt captam Domini Arcam, à Philiſthæis contritam, vel decem Tribus ab Aſſyriæ Regibus ultra Jordanem in ſervitutem abductas deſignat (d).

(JONATHAN-BEN-UZIEL, ſeu filius Uziel. Ejus nomine inſcribitur *Targum* ſeu Paraphraſis quinque Librorum Moyſis, ſicut & Targum aliud in Prophetas, i. e. Joſue, Judices, duos Libros Samuelis, totidemque Regum, Iſaiam, Jeremiam, Ezechielem & duodecim minores Prophetas, adeoque in omnes V. T. Libros exceptis Hagiographis, videlicet Job, Pſalmis, Proverbiis, Eccleſiaſte, Cantico Canticorum, Daniele, Paralipomenis, Eſdra, Nehemia, Eſther.

Inſignibus elogiis Virum efferunt Judæi (e). Coævum ſtatuunt Aggæo, Zachariæ, & Malachiæ, florentem proinde paulò poſt ſolutam captivitatem; tenentque ore Prophetarum illorum recepiſſe Legem oralem ſeu traditionem. Auditorem pariter omnium eximium vindicant Hillel clari nominis Rabbini, florenti, ut ipſi quidem tenent vel paulò ante vel circà ætatem Jeſu Chriſti, Herode Magno regnante. Verùm ſi conſuetudinem habuit cum Aggæo, Zacharia, & Malachia, ſimulque Hillel magiſtrum audivit vitam prorogaſſe oportuit ad 500. circiter annos, quod fidem ſuperat

Utcunque tamen res habeat ſeſe nunquam ceſſant Judæi à celebrando Jonathan filio Uziel. Moyſis æquo in gradu conſtituunt, referuntque laboranti illi inſcribenda Paraphraſi ſua Deum viſibili quadam ope adfuiſſe. Ne importunum quidquam à laudabili illo ſtudio virum avocaret Numen curabat; ſi muſca inſediſſet membranæ, ſi avis capiti ejus advolitaret, ſtatim dilapſus è Cœlo ignis moleſtiam tollebat, illæſo viro cæteriſque circa illum omnibus. Addunt, meditantem ſcribere Targum in Hagiographa, quemadmodum & in Legem ac Prophetas molitus fuerat; vetitum fuiſſe data è Cœlo voce, ferente Meſſiæ exitum in illis determinatum eſſe. Vox iſta, ficta cenſenda ſit necne, fictam quidem malumus, occaſionem præbuit nonnullis Chriſtianorum in rem ſuam transferendi, quam ſerebat, confeſſionem, defendentibus contra Judæos Meſſiæ obitum apertè vaticinatum fuiſſe Danielem, Prophetam, cujus lucubrationem Hebræi recenſent inter Hagiographa. Ex quo diſputationes illæ agitari cœptæ ſunt, recentiores Judæi Textum corrupere, metu ne rebus ſuis confeſſio illa officeret.

E' duplici Targum nomine Jonathan filii Uziel inſcripto, genuinum ejus Opus illud tantùm videtur, quod ſcribitur in priores & poſteriores Prophetas; *Priores Prophetas* appellant Judæi Joſue, Samuelem, & Reges; *poſteriores* Iſaiam, Jeremiam, Ezechielem, & duodecim minores Prophetas.

Targum vel Paraphraſis in omnes Libros ſatis accedit ad ſtilum Onkelos, qui omnium optimus reputatur, idem fermè regnat utrinque ſtili nitor, ſed quo loco Targum Onkelos verſio eſt exacta & literæ tenax, Jonathan paraphraſtica libertate utens, fuſior eſt aliquantò, addit quædam ſæpè, gloſſam modò, nunc hiſtoriam, quibus utique pretium Operis non augetur. Minus etiam accuratum eſt, minùs tandem ac reliqua literale Opus in poſteriores Prophetas. Hæc ſuccurrebant de genuino Targum hujus Paraphraſtæ.

Qui illi vindicatur labor in quinque Libros Moyſis, multum à priori illo diſcrepat, ſtili maximè diſcrimine, ut facilè intelliget quicunque ſedulò utrumque contulerit; differunt etiam methodo: poſterior hæc enim Paraphraſis multo inſertior eſt fabellis, gloſſis, prolixis interpretationibus, variiſque additamentis, quorum parcius eſt Targum in Prophetas Opus, omnium confeſſione, Jonathan genuinum. Ad hæc, plura ibi legentibus occurrunt, quæ Jonathan ætate recentiora ſunt, vel ſaltem tunc temporis alio deſignabantur nomine, quàm quo in Opere expreſſa ſunt; e. g. ſermo eſt ibi de ſex Ordinibus ſeu libris Miſnæ, diu poſt Jonathan ſcriptis; legas ibi pariter nomina Conſtantinopolis, & Langobardiæ, ipſa pariter Miſna recentiora (f).

Poſterioris hujus Targum genuinus Author ignotus eſt; latuit etiam diu Opus Judæis, nec antea de illo quidquam ſcitum eſt, quàm typis Venetis impreſſum paruerit ab hinc circiter 150. annis. Facilè credimus ideò tantùm Jonathan nomine inſcriptum fuiſſe, ut nomen & emptores Volumini compararentur. Vide v. *Targum*. Plura ex ineptis Operis illius additamentis ſuppreſſa ſunt in Polyglottis Antuerpienſibus. Vide P. Morinum Exercit. Bibl. lib. 11. exercit. 8. cap. 1. 2 3.

I. JONATHAS, ſeù *Jonathan*, Saulis filius, eximiæ indolis Princeps, & Davidi in proſperis æquè ac in adverſis devinctiſſimus; qui in bello, quo Saul Philiſthæos oppugnavit, impavidæ virtutis argumenta de ſe ſemper exhibuit. Cùm Philiſthæorum (g) innumeræ copiæ propè Machmas tentoria fixiſſent, Saul verò una cum 600. tantùm militibus 1. *Reg.* 13. 15. *&c.* ad Gabaam Benjamin caſtra locaſſet, 1. *Reg.* 14. 1. *&c.* Jonathas armigero ſuo ſecum ducto, patre, & cæteris inſciis, ad hoſtium caſtra perrexit; ad quæ per duorum ſcopulorum anguſtias ſibi aditum reſerare aggreſſus, armigerum monuit, non ultro ipſis eundum; ſi conſiſtere; ſi vero progredi ab hoſtibus juberentur, de victoria certis properandum.

Utriſ-

(a) Biblior. Orient. p. 495. Joannes Ben Mathæi. (b) Quo anno incertum. Certò ſub Judicibus, & ætate, qua Rex adhuc nullus in Iſraele. (c) An. M. 2888. ante Ch. 1112. ante Ær. 1116. (d) Vide noſtra Comment. in Judic. 18. 31. (e) Zachat in Juchaſim, Gedaliab in Schalſchelet Haccabala à Thalmud in Baba Bathra &c. (f) Targum in Exod. 26. 9. (g) A. M. 2911. ſeu 2912. ante Chr. 1088. ante Ær. 1092.

Digitized by Google

Utriſque igitur ad Philiſtæos accedentibus, veluti muribus de cavernis egreſſis illuſerunt excubiæ; propiores verò caſtrorum copiæ, Aſcendite, inclamabant, vobiſque quidnam oſtendemus. Quare impavidè ſuperatis rupibus, in quemcumque inciderent, interficientes, Philiſthæis omnibus perturbationem intulere. Quem hoſtium tumultum, qui magis magiſque fervebat, ubi Saul à ſuis cuſtodibus didicit, militibus recenſitis, Jonatham, ejuſque armigerum abeſſe comperit. Copias tamen Saul in hoſtes immiſit, eorumque plurimos alterum altero confodiente, mutuis vulneribus peremptos invenit; cæteros verò, qui fugæ ſe dederant, inſequens, milites ſuos hoc jurejurando obſtrinxit: *Maledictus vir, qui comederit panem uſque ad veſperam;* Jonathas tunc aberat; quare patris imperii neſcius, lucum melle redundantem ingreſſus, virgæ cacumine modicum melis ſumptum, primis labiis delibavit, & illicò à quodam monitus de patris imperio omnes à patre turbatos conqueſtus eſt; quòd enim robur non percepiſſet exercitus, ſi inimicos inſequens cibis inventis non abſtinuiſſet. Integra eo die parta victoria. Saul tamen vel noctu profugos hoſtes inſectari expetens, ne eorum aliquis cædem evaderet, Dominum conſuluit; quo minimè reſpondente, cùm ſortes dediſſet, eum deprehenſurus, qui cibum guſtans jusjurandum violaſſet, deprehendit Jonatham; ipſumque illicò à patre morte damnatum, populus periculo liberavit.

Aliquot poſt annis (a), Davidem Goliæ interfectorem ea benevolentia eſt proſequutus, ut in illum, eodem quo ſe ipſum, animo afficeret; 1. *Reg.* 18. cui etiam in amoris argumentum detractas ſibi veſtes, enſem, arcum & baltheum dono tradidit. Cùm verò David Saulis odium incurriſſet, mutuo amicitiæ vinculo Jonathas ei ſemper adhæſit; eodemque etiam monito, ut à ſtatuta per patrem cæde ſe ſubduceret 1. *Reg.* 19. 1. ita ſe apud patrem adhibuit, ut Saul mortem Davidi minimè illaturum jurejurando ſe obſtrinxerit. Patrem nihilominus de eo interimendo iterum cogitantem (b) ab improba cæde conatus eſt deterrere: cùm verò ſe operam perdere comperiſſet 1. *Reg.* 20. amicum intereà in agro latentem admonuit, & per ſagittarum ictus, de quibus mutuò convenerant, uterque alterum alloquutus iterum, adhibito etiam ſacramento, fœdus & ſocietatem pepigere. Quidquid pater in Davidem moliebatur, Jonatha ſe ei renunciaturum; David verò, Jonatham omnium intimum ſemper ſibi fore, ſeque ejus ſobolem humaniſſimè excepturum ſpopondit. Quibus actis, David receſſit; Jonathas verò rurſus ingreſſus eſt Gabaam, quin eorum ſermones, & ſtatuta fœdera quiſquam dignoſceret.

Proximo anno (c) Saule unà cum ſuis copiis Davidem in Deſerto Ziph abditum inquirente, Jonathas ſecretò amicum inviſens, animum ei addidit, ne inſequentem patrem vereretur; non enim fore ut ipſum Saul inveniret 1. *Reg.* 23. 16. ipſum Iſraelis Regem, ſeque ei ſecundum futurum, quod & patrem non latebat, aſſeruit: iterumque renovato fœdere, alter ab altero diceſſit: Cùm denique iterum Hebræi, & Philiſthini ad arma concurriſſent (d), Saul, & Jonathas in monte Gelboe caſtrametati ſunt; inde pulſo Iſraelis exercitu, & clade affecto, interfectus uterque interiit. Quibus David auditis, uberibus lachrymis ingemiſcens, luctificum Canticum cecinit, quo quàm devincto animo in amicum Jonatham fuerit, vehementer oſtendit. 2. *Reg.* 1. 18. Miphiboſet patri Jonathæ ſuperſtitem omnibus fortunæ muneribus David inſtruxit. Vide *Miphiboſeth*.

II. JONATHAS, Abjathari Pontificis filius, qui Adoniæ, ejuſque fautoribus, quos ille prope fontem Rogel convivio exceperat (e), Salomonem à Davide ſibi ſucceſſorem renunciatum, & à populis Regem ſalutatum detulit.

III. JONATHAS, Sage, & Arari filius 1. *Par.* 11. 34. unus ex fortiſſimis exercitus Davidis. Regum ſecundo. 23. 32. *Jonathas, & Semma de Arari* appellatur.

IV. JONATHAS, Sammææ filius, Davidis nepos, qui gigantem manibus & pedibus utriuſque ſex digitos numerantem interfecit. 1. *Par.* 20. 7.

V. JONATHAS, Oziæ filius, Davidici ærarii Præfectus. 7. *Paralip.* 27. 25.

VI. JONATHAS, Aſaelis filius, iis qui uxoribus alienigenis deſponderant, recenſendis ab Eſdra conſtitutus. 1. *Eſdr.* 10. 15.

VII. JONATHAS, Pontifex, Jojadæ filius, & Eliaſib nepos, cui *Jeddoa*, ſeu *Jaddus* ſucceſſit, Alexandro Magno imperante celeberrimus. Quouſque Pontificatum geſſerit, ignoramus. Joſephus *Antiq. lib.* 11. *c.* 7. quem Euſebius & Hieronymus ſequuti ſunt, pro Jonatha Joannem appellat, & ſub Artaxerſe floruiſſe aſſerens, refert præterea, huic fuiſſe fratrem, Jeſum nomine, cui Bagoſes à Perſis Judææ Præfectus, quòd ſibi amicus eſſet, Pontificatum ſe daturum eſt pollicitus. Hac fiducia Jeſus cum liberiùs cum fratre altercaretur in Templo, tantam bilem movit fratri, ut ab eo per iram interficeretur. Ea de cauſa Judæi, qua tunc fruebantur, libertatem amiſere; Bagoſes enim, Sacerdotibus graviùs increpatis, Templum ingreſſus eſt, & per ſeptennium ejus cædis pœnas ab Judæis exegit.

VIII. JONATHAS *Jerem.* 37. 14 Scriba & carcerum Jeroſolymæ ſub Sedecia Præfectus, qui Jeremiam carcere detentum uſque eò vexavit, ut Sedeciam, ad quem eodem Rege jubente fuerat adductus, enixè rogaverit, ne amplius eidem, ubi vita periclitabatur, carceri addiceretur.

IX. JONATHAS, cognomen *Apphus* 1. *Mach.* 2. 5. Mattathiæ filius, Judæ Machabæi frater, qui Juda ab hoſtibus interfecto, populi Princeps, ac belli Dux conſtitutus fuit 1. *Mach.* 9. 28. A Bacchide illicò ad internecionem quæſitus, ad lacum Aſphaltitem (f) primò confugit, deinde Jordanem trajecit. Cùm Bacchide poſtea, qui in eum irruerat, congreſſus, hoſtibus mille necatis, vix ipſo Bacchide non interfecto, ipſis coram hoſtibus tranſnatavit Jordanem, & Hieroſolymam conceſſit. Cùm autem ſeditioſi Bacchidem, qui in Syriam ſeceſſerat, iterum revocaſſent, quadam enim nocte de Jonatha interficiendo cogitaverant, dum molirentur inſidias, eorum quinquaginta Jonathas intercepit, quibus interfectis una cum Simeone fratre ſuo in arcem *Bethheſſen* (g) nempe *Beth-aglam* in deſerto Jerichuntis ſe recepit. Ibi verò à Bacchide circumſeptus, ejus vim primò, deinde ab arce egreſſus, Odare, & Phaſero percuſſis, hoſtium plurimos contrivit. Simon etiam in Bacchidem egreſſus, belli machinas incendit, & hoſtium copias delevit. Quare iis, qui eum advocaverant, Bacchides ſuccenſens, eorum pluribus interemptis, una cum reliquo exercitu Syriam regredi inſtituit, exceptiſque Jonathæ Legatis, & ſibi oblata cum eo pace compoſita revera in Syriam profectus, nunquam regreſſus eſt in Judæam.

Jonathas verò conſtitit in Machmas, indeque populos judicans, ab Iſraele improbos exturbavit. Hieroſolymæ domicilium idcircò ſibi non conſtituit, quòd arx à Demetrii Nicatoris Syriæ Regis præſidio occuparetur. Aliquot poſt annis M. 3851. & 3852.

Ale-

(a) An. M. 2942. ante Chr. 1058. Ante Ær. 1062.
(b) An. M. 2944. ante Chr. 1056. ante Ær. 1060.
(c) An. M. 2945. ante Chr. 1055. ante Ær. 1059.
(d) 1. Reg. 31. &c. An. M. 2949. ante Chr. 1051. ante Ær. 1055.
(e) 3. Reg. 1. 41 &c. An. M. 2989. ante Chr. 1011. ante Ær. 1015.
(f) An. M. 3843. ante Chr. 157. ante Ær. 161.
(g) 1. Mach. 9. 59. &c. An. M. 3846. ante Chr. 154. ante Ær. 158.

Alexander Bala & Demetrius Soter, qui de Regno Syriæ invicem dimicabant, fœdus uterque cum Jonatha pangere per ornatiſſimas epiſtolas flagitarunt, 1. *Mach.* 10. 1. *&c.* Ille verò contra Demetrium Alexandro adhæſit, & Pontificiis indumentis amictus, ſolemni ritu die Scenopegiæ aſſumpſit Pontificatum (a), quem per epiſtolas in eum Alexander contulerat; cuique Jonathas populo eniſè rogante acquieverat.

Biennio elapſo (b) Alexander Ægyptii Regis filia ſibi juncta, nuptiarum ſolemnia Ptolemaide celebravit, quò & vocatus Jonathas regali apparatu convenit; cumque eum adverſarii quidam apud Regem incuſarent, non modò inauditos illos dimiſit, ſed Jonatham purpura indutum ſibi aſſideret juſſit, cautumque voluit, ne à quoquam impoſterum de re minima arceſſeretur. Jonatha Jeroſolymam regreſſo, Nicator Demetrius Demetrii Soteris Syriæ Regis filius in Syriam biennio poſt profectus (c), Apollonium exercitus ſui Ducem Jamniam Palæſtinæ miſit. 1. *Mach.* 10. 67. *&c.* qui ei objiciens, quod montibus & rupibus tantum fidens minimè in plana deſcenderet, ad certamen provocavit. Quare Jonathas contumelia tactus, ſelectorum militum decem millibus aſſumptis, in plana ſe contulit, & circumſepſit Joppen; qua nullo negotio expugnata, copias impulit in Apollonium, eoque profligato, cæſiſque hoſtium 8000. prædis opimis quammaximè dives Jeroſolymam remeavit. Alexander verò Bala de rebus his feliciſſimè geſtis edoctus, victorem Jonatham honoribus plurimis cumulavit.

Aliquot poſt annis, Alexandro interfecto (d), Demetrius Nicator Syriæ Regnum aſſumpſit, 1. *Mach.* 11. Jonathas verò res Syriæ turbatas in rem ſuam convertens, Jeroſolymæ Arcem obſedit. Qua de re ab improbis quibuſdam Demetrius inſtructus, Jonatham compellavit, ut ea, quæ ſibi objiciebantur, repelleret. Itaque Ptolemaidem profectus, opimis muneribus ultrò delatis, Regis animum adeò ſibi conciliavit, ut à Demetrio non modò in ſua dignitate conſervatus, ſed plurimis etiam beneficiis adauctus, accuſatores ſuos pudore ſuffuderit. Cùm aliquanto poſt A. M. 3860. ante Chr. 140. ante Ær. 144. à Demetrio poſtulaſſet, ut, quo illam munierat, præſidio Jeroſolymæ Arcem liberaret, non modo hoc ei ſe conceſſurum, ſed in eum ampliſſimam etiam gloriam collaturum reſpondit, dummodò auxiliarias ſibi copias mitteret, quibus Antiochenos, qui à ſe defecerant, cohiberet, 1. *Mach.* 11. 41. Quare ſtatim ab Jonatha milites 3000. ſelecti ad Regem deſtinati, eum à populo ſuo in ipſa aula circumſeptum, periculo liberarunt, & Antiochenos eò adegerunt, ut Demetrio ſe dederint, & ad ejus clementiam ultrò confugerint.

Iis beneficiis, ut par erat, minimè reſpondit Demetrius, quin etiam Jonatham exoſus vehementer angebat, 1. *Mach.* 11. 53. *&c.* Quamobrem Antiocho juniori, quem Tryphon ad Syriæ ſolium evexerat, Jonathas adhæſit A. M. 3860. ante Chr. 140. ante Ær. 144. præliis plurimis Demetrii Duces contrivit, & cum Romanis, & Lacedæmonibus fœdere reſtaurato, 1. *Mach.* 12. 1. *&c.* Demetrii copiis in ſe ipſum irruentibus uſque in Syriam occurrit: quibus, quòd congredi metuerent, regreſſis in Zabadæos, ſeu Nabathæos acies ſuas impulit, iiſque deletis, prædas opulentas Jeroſolymam adduxit, cujus mœnia reſtaurare, & urbem inter & arcem adhuc à Syris munitam, ſublimem conſtruere murum aggreſſus eſt.

Tryphon interea de Antiocho Rege interimendo, ejuſque Regno occupando cogitans, primò Jonatham interficere moliebatur. Quare de induſtria Ptolemaidem adductum, occluſis illicò urbis januis, & viris mille, qui cum eo venerant, peremptis, in vincula conjecit. Profectus deinde adverſus Simonem, Jonathæ fratrem, quem pro Jonatha ſibi Principem, 1. *Mach.* 13. 1. *&c.* Judæi delegerant, optimè armis inſtructum, & ad congrediendum paratum invenit. Ea propter incerto bello minimè fidens, per Legatos Simonem monuit, idcircò Jonatham vinculis fuiſſe addictum, quòd Regio ære maximè obſtringeretur, quare geminos Jonathæ filios obſides mitteret, & centum argenti talenta ſibi numeraret, fratrem illicò redempturus. Novit ſane Simon per fraudem à Tryphone ea ſibi proponi; ne tamen arceſſeretur à populo, poſtulata perfecit. Tryphon verò omnia fidei jura evertens, prope *Baſcamam*, fortè Belceh, non procul à Bethſan, una cum patre filios peremit A. M. 3861. ante Chr. 139. ante Ær. 143. Peremptum diebus pluribus Iſrael ingemuit, ejuſque oſſa quæſita, & inventa Simon frater in urbe Modin tumulavit; quibus etiam & patri, & fratribus cæteris Mauſolæum erexit, quod lapidibus utrinque expolitis conſtructum, & ſeptem Pyramidibus, altera patri, matri altera, quatuor fratribus ſuis dicatis, ornatum, maximis etiam columnis, quibus arma, & ſculptas naves eminus à navigantibus proſpiciendas impoſuit, decoravit. Quod utique ſepulchrum, Euſebio & Hieronymo florentibus, adhuc conſpiciebatur.

(JONATHAS, filius Matthatiæ & frater Judæ Macchabæi, intelligens Bacchidem copiarum Demetrii Soteris Imperatorem validum exercitum ducere, ut Judæos die Sabbati aggrederetur (e) ipſi verò locum tenerent cujus fronti imminerent hoſtes, tergum clauderet Jordanis, dextrum levumque latus nemora & paludes, hortatus eſt ſuos ut cælitùs implorarent ſibi opem, conſtituitque ſub oculis, in qua verſabantur, neceſſitatem ſeu vincendi ſeu moriendi; omnis enim præcidebatur ad fugam via. Tum ventum eſt ad prælium, ac Bacchidem habens in conſpectum, manum extulit infligendo in hoſtem vulneri; ſed ictum alter evitavit, reflectens ſe retrò. Tandem Jonathas cum ſuis poſt cæſos ex hoſtibus 1000. metuentes ne ingruente multitudine opprimerentur, Jordanem natatu tranſgreſſi ſunt, aſpicientibus, nec prohibere audentibus hoſtibus, receperuntque ſe Hieroſolymam.

* Author primi Macchabæorum conciſus eſt adeò & abſtruſus in referendo hoc Jonathæ in Bacchidem prælio, ut via ea quæ ſcribit, aſſequamur; rei igitur explicandæ ſermo altiùs repetendus eſt. Jonathas, copiis Judaicis præfectus, poſt obitum Judæ fratris ſui Bacchidem habuit in ſe infeſtum, molientemque in ſui perniciem inſidias. Sed parva ejus conſilia intelligentes Jonathas & Simon fratres, cæterique earum partium receperunt ſe in deſertum Thecue. Eò ſtatim accurrit cum exercitu Bacchides, ac Sabbati captata die ex averſa Jordani ripa apparuit; ex quo intelligimus Jonatham alteram amnis plagam, aliam verò hoſtes tenuiſſe. Statim ad hæc Jonathas fratrem ſuum Joannem ablegavit ad Nabathæos amicos ſuos, rogans ut reciperent apud ſe ac ponerent in tuto impedimenta, quibus agmen gravius reddebatur. Sed filii Jambri, è Medaba erumpentes, manus injecerunt in Joannem, & facilè etiam occiderunt, res ejus omnes uſurpantes. Id ut reſciverunt Jonathas & Simon, ſimulque facti certiores filios Jambri ſolemni pompa ducere è Medaba novam nuptam, filiam viri principis Chanaanitidis; hæc, inquam, omnia intelligentes, ultionem effuſi ſanguinis fratris ſui meditantes, locum retrò poſt montem obſederunt, conſilio utique exigendæ de nece illa ultionis,

(a) Ann. 166. Græcorum, qui reſpondet A. M. 3852. ante Chr. 148. ante Ær. 152.
(b) An. M. 3854. ante Chr. 146. ante Ær. 150.
(c) An. M. 3856. ante Chr. 144. ante Ær. 148.
(d) An. M. 3858. ante Chr. 142. ante Ær. 146. (e) 1. Macchab. 9. 43. &c.
(*) Animadverſiones in prælium Jonathæ cum Bacchide. 1. Macchab. 9. 44. &c. Vide Præfationem &c.

Digitized by Google

nis, ſimulque ſibi repenſandi damna rei amiſſæ. Porro deſertum Thecue, quò ſe primùm receperant, occidentalem tenebat Jordanis plagam, & Medaba averſam fluminis ripam orientalem; quare Jonathas tranſvadaverat jam amnem quò poneret ſe in viam Medabæ; injuriæ de filiis Jambri ulciſcendæ; reputamus autem ab ea expeditione reduci Jonathæ occurriſſe Bacchidem, cujus habebat in fronte exercitum; cùm interim terga præcluderet Jordanis. Quod igitur in Authore ſacro negotium faceſſit, illud eſt nimirum omiſſam ab illo hanc circumſtantiam tranſvadati primùm Jordanis, qua poſita ſalva ſunt omnia.

Qua Jonathas ſuos animavit ad prælium, oratio eſt excellentiſſima, & emovendis affectibus, ſi quæ alia unquam, aptiſſima 1. *Machab.* 9. 44. 45. *Surgamus, & pugnemus contra inimicos noſtros; non eſt enim hodie ſicut heri & nudiuſtertius; ecce enim bellum ex adverſo; aqua verò Jordanis hinc & inde, & ripæ, & paludes, & ſaltus, & non eſt locus divertendi. Nunc ergo clamate in Cælum, ut liberemini de manu inimicorum veſtrorum.* Sola orationis hujus lectione ſentimus, quid valuerit in corde militum in eo rerum ſtatu verſantium. Magnifica ſunt omnia & pathetica; tandem nihil eſt ſupra in eo rerum genere.

Commiſſum eſt prælium; & extendit Jonathas manum ſuam percutere Bacchidem, & divertit ab eo retrò. Demonſtratur his verbis ambos illos armorum Imperatores ſtetiſſe in ipſa prælii fronte, ut alter cum altero manum conſereret. *Et diſſilüit Jonathas & qui cum eo erant in Jordanem, & tranſnataverunt ad eos Jordanem, & ceciderunt de parte Bacchidis die illa mille viri.* Intelligens Jonathas nequicquam valuiſſe ſe hoſtium cuneos disjicere, imparem ſe pariter tantæ hoſtium multitudini reſiſtendo, tentandum cenſuit tranſitum amnis in conſpectu hoſtium, ut minimum illum exercitum ſuum, ſiquidem fieri poſſet, ſalvaret.

Judæi hujus Viri facinus non ſatis admiraremur; prudentia uſus eſt, qua nihil ſupra; exercitu inſtruebatur debili, adhuc tamen expedit ſe gloriosè, quin etiam non ſine rerum ſuarum compendio, expedit, inquam, è præſentiſſimo diſcrimine. Contraria omnia de Bacchide reputaremus, copiarum numero hoſtes plurimum ſuperabat; quare excipere illos atque obvolvere undique pronum ipſi fuerat, ſiquidem alium elegiſſet certaminis locum, quàm inter duas paludes & nemora, ubi ſanè nonniſi æquè patenti in frontem acie pugnare commodum fuerat. Præpoſtero enim conſilio ſuccurrit exercitus Ductori, ut agmen inſtruat in plures lineas; unica, profunditate ſua valida, aptè inſtructa, atque opportunis juſſionibus ordinata, addita audacia militum numero licèt imbecilliorum, ſed animatorum ad prælium, quibus acuit animum ſeu vincendi, ſeu moriendi neceſſitas; unica, inquam, linea ſufficit victoriæ reportandæ: res eſt enim tantùm de perrumpenda prima hoſtium linea, cujus diſruptæ receſſus eſt impoſſibilis locorum anguſtia; præterquam enim fugientium impetus ſecundam lineam turbat & confundit, incommoda eſt etiam methodus Aſiaticorum pariter & Græcorum in phalangem certantium, nullis relictis inter manipulos intervallis, vel adeo anguſtis, ut penè cenſeretur impoſſibile eos, qui hoſtibus impetum facientibus diruptis ordinibus cederent, fugere è certamine potuiſſe, niſi ſimul confuſa ac turbata ſecunda linea. Nullibi etiam legimus Aſiaticos in geminas diſtributos phalanges certaſſe; & Græci, cum locorum anguſtia latiùs explicare agmen non permitteret, duplicabant vel triplicabant phalangem, unicum tantùm corpus formantes, è centum quadoque militum ordinibus confectum. Annibal (a) in tres phalanges ſuos diſtribuerat ad Zamam nova antehac methodo; quamvis autem pugnaret exercitu 50000. valido, adhuc tamen fuſus fugatuſque eſt à Scipione, cui erant ſub ſignis non ultra quàm 22000. pugnabatque in unicam lineam per columnas inſtructam: intelligebat enim ſtrenuus ille Dux ex eo tantùm pendere victoriam, ſi priorem hoſtium lineam perrupiſset: atque ita factum, ut magnus Annibal in Italia invictus, in Africa vinceretur.

Quò tandem ideam aliquam ſubjiciamus inſtructi Judæorum & adverſariorum agminis; mihi quidem ſuccurrit diſtribuere Judæos in geminas acies, totum occupantes ſpatium paludes inter & nemora. Bacchides verò digerere pedites ſuos non alia potuit ratione, quàm in duas lineas, & equites in alis conſtituere. Hanc mihi ideam ſubjicit & locorum ſitus, & ſtata Judæorum atque Aſiaticorum omnium methodus.)

X. JONATHAS, Abſalomi filius, qui à Simone Machabæo Joppem miſsus, omnibus inde ejectis, arcem illico eſt conſequutus (b).

XI. JONATHAS, Anani filius, poſt Joſephum cognomine Caipham, Judæorum Pontifex (c), cui ſucceſſit filius Theophilus, anno 4040. ad Pontificatum evectus, ab eoque abductus anno 4044. Quod ita contigit. Vitellius Syriæ Præfectus Pontificatum, quo primo Jonatham donaverat (d), in Theophilum tranſtulit (e). Theophilo deinde amoto, Simonem filium Boethi, cognomine Cantharam, Agrippa ſuffecit (f); quo etiam aliquanto poſt exturbato, Jonathæ iterum Pontificatum obtulit (g), quem ille humillimè reſpuens, quòd ei dignitati ſe imparem duceret, digniorem ſe, ut ajebat, fratrem nempe ſuum Matthiam, morum innocentia, & vitæ integritate eximium, Regi exhibuit. Cui Agrippa acquieſcens Matthiam Pontificem denunciavit, an ab Adv. Chr. 45. Ær. 43.

Jonathas autem cum Felicem ſuis precibus Judææ Præfectum de rebus Judaicis male geſtis liberius interpellaret, ejus animum à ſe ita amovit, ut Præſes improbus in eum ſævire decreverit (h). Quare Duram Jeroſolymitam Jonathæ fidiſſimum pecunia promiſsa induxit, ut ſicarios in ipſum immitteret. De ejus itaque induſtria nefarii quidam urbem ingreſſi, & pugionibus ſub veſtibus abditis, ejus famulatui immixti, ſenem miſerum peremerunt, quo tamen anno, incertum. Felix uſque ad annum Ær. 60 Judææ præfuit.

JONICUS, ſeu *Jonithus*, quem fabulæ Noe quartum filium effingunt. Hujus neque in Scriptura, neque apud Joſephum, aut alium Authorem fide dignum ulla mentio. Pſeudo-Methodius ejus primò meminit, ex quo Petrus Comeſtor, quidquid vel ipſe in ſua Scholaſtica Hiſtoria, vel cæteri poſt ipſum afferunt, exhauſit.

Is igitur Author, Methodii Epiſcopi Patarenſis, & Martyris nomine, hæc de Jonitho refert (i): *Anno 3109. natus eſt filius quartus Noe, & vocavit nomen ejus Jonithum. Anno vero 3300. Noe dedit donationes filio ſuo Jonitho, & dimiſit eum in terram Etham. Et poſt obitum Noe anno 3390. aſcenderunt filii Noe de terra orientali Etham, & ædificaverunt ſibi turrim in campo Sennaar, & ibi facta eſt diviſio linguarum; & ex hoc diſperſi ſunt homines ſuper faciem terræ. Jonithus autem filius Noe tenuit introitum in Etham uſque ad mare, quod vocatur Eliochora, ideſt Regio ſolis, & habitavit ibidem. Accepit à Deo donum Sapientiæ ad omnes artes, qui non ſolùm litterarum,*

(a) Polyb. Hiſt. 15. (b) 1. Mach. 13. 11. A. M. 3861. anta Ch. 139. ante Ær. 143.
(c) A. M. 4038. Chr. 38. (d) Joſeph Antiq. lib. 18. cap. 6.
(e) Idem lib. 18. cap. 7.
(f) Idem lib. 19. cap. 5. (g) Idem lib. 19. cap. 6.
(h) Antiq. lib. 20. cap. 6.
(i) In Libro, qui inſcribitur: *Revelationes de rebus quæ ab initio mundi contigerunt, quæque deinceps contingere debent*. Tom. 3. Biblioth. PP.

Digitized by Google

tum, & omnium artium, verùm etiam omnis aſtronomiæ primus fuit inventor. Ad hunc deſcendens Nemroth, accepit à Jonitho conſilium, in quibus influentiis aſtrorum incipiendum eſſet ei regnare ſuper terram. Cæteris Noë filiis cum Nemrodo dimicantibus, Jonithum inter & Nemrodum familiaris neceſſitudo. Porrò Jonithus ſui nominis urbe conſtructa, à filiis Japhet Regnum Cham evertendum fore, per Epiſtolam Nemrodum admonuit, Hunc ſanè Pſeudo-Methodium nulla dignum eſſe fide, neminem latet.

JONIA, Aſiæ Minoris pars, quæ ad Oram Ægæi maris protenſa, mare idem occidentale habet, meridionalem Cariam, Æolidem verò Septentrionalem. Duodecim olim præcipuas urbes, quarum decem Melita, Myus, Lebebus, Colophon, Priena, Theos, Clazomenæ, Epheſus, Phocæa, Smyrna, in continenti; geminæ verò Chios, & Samos, in ejuſdem nominis Inſulis, complectebatur. Ab *Javan* Japhet filio Jonios traſiſſe nomen minimè ambigimus, & Atticæ, alioſque Græciæ populos Jonios olim vocatos credimus Vide v. *Javan*.

JOPPE, Urbs maritima Palæſtinæ, unicus in Mediterraneo Judæorum Portus. Hanc mediæ ætatis, & noviſſimi Authores *Jaffam*, ſeu *Japham* vocant. Joppen vocatam putant Prophani ab Joppe Æoli filia (a), & Gephæi, qui eam condidit, uxore. D. Hieronymo florente (b) adhuc videbantur vinculorum veſtigia, quibus devincta Andromeda marinæ belluæ expoſita fuit. Fortè Andromedæ fabula inde orta eſt, quod Jonam, poſtquam à porto Joppe ſolverat, in mare projectum marina bellua deglutiverit. Vide *Jonas*. In patenti agro *Jamniam* inter ſibi meridionalem, & *Cæſaream Palæſtinæ* ſeptentrionalem, & *Ramam* ſeu *Ramulam* ſibi orientalem Joppe interjacet, cujus portus ſcopulis in eo prominentibus ſatis infeſtus (c). Tum in Veteri Teſtamento Hebraicè conſcripto, tum in Machabæorum Libris, & novo Teſtamento Joppes frequens eſt mentio. *Tabitha*, quam D. Petrus è mortuis excitavit, incolebat Joppem, *Act.* 9. 36. Joppe etiam tum morabatur Petrus, *Act.* 10. 5. cum linteum reptilibus plenum ei Deus exhibuit, quò Judæum inter & Græcum diſcrimen nullum ſibi habendum ſciret, quoties ad veritatem paratos inveniret.

I. JORAM, filius Thou Regis Emath in Syria, à patre ad Davidem miſſus, ut ei de victoria, quam de Adareaet Syriæ Rege retulerat, gratularetur. 2. *Reg.* 8. 10. (d).

II. JORAM, filius & ſucceſſor Joſaphat Regis Judæ, qui natus anno M. 3080. ad Regni ſocietatem à patre aſſumptus anno 3112. poſt patrem (e) mortuum anno 3116. ſolus imperium geſſit; obiit verò juxta Uſſerium anno 3119. nempe ante Chr. 881. ante Æram 885. Ab Athalia Achabi filia, quam duxerat, ad Idololatriam, aliaque flagitia adductus plurimis Regnum ſuum calamitatibus obruit. Cumque ſibi Regnum in tuto locaſſet, fratres ſuos, quibus, muneribus & penſitationibus plurimis donatis, Joſaphat pater in urbe Judæ domicilium conſtituerat, interfecit. Quare eam cædem Deo ulciſcente, Idumæi, qui à Davide uſque huc Regibus Judæ paruerant, ab Joramo defecere (f); qui ſtatim in eos irruens, equitum claſsem delevit: attamen vel ſuorum militum inertia, vel ſui ipſius inſcitia, ea victoria nil ſibi præſtitit; Idumæos enim tunc Hebræorum jugum excuſſiſse certò ſcimus.

Eo tempore & Lobna urbs Judæ ab Joramo diſceſſit, ad quem (g) Eliæ Prophetæ, a Domino octo ante annis ex hoc Mundo tranſlati, redditæ ſunt Epiſtolæ, quas ille, vel inde, ubi adhuc ſæculorum finem oppetiens moratur, vel antequam tolleretur, Jorami flagitia prævidens conſcripſerat. Ut ut eſt, eæ ſanè Epiſtolæ Regem impietatis & fratrum cædis accuſant, & filiis illius, uxoribus, & populo calamitates plurimas, eique præterea ægritudinem alvi; unde ingenti dolore viſcera omnia paulatim egrederentur, intentant, 2. *Par.* 21. 12. *&c.* Omnia evenere. Philiſthæi & Arabes Palæſtinæ meridionales in Judæam irrumpentes, regione & Domo Regia direptis, uxores, & Regis filios, Joachaz tantum natu minore ſuperſtite, abduxerunt. Joram verò alvi languore correptus, cum eo morbo biennio laboraſſet, tandem interiit, & nullis Regum honoribus ornatus, neque aromatibus conditus, præterea extra Regum ſepulchra tumulatus eſt (h). Huic *Ochozias*, aliter *Joachaz* ſucceſſit.

III. JORAM, filius, & ſucceſſor Achabi Regis Iſraelis, quem tamen præceſſit ejus frater natu major Ochozias, qui ſine liberis decedens, eidem Regnum legavit, A. M. 3108. ante Chr. 892. ante Ær. 896. Patre quidem & matre melior, à Domino tamen diſceſſit, 4. *Reg.* 3. 2. Abſtulit enim Baal ſimulachra, quæ pater erexerat, ſed Jeroboamo Nabat filio adhæſit, cultum nempe impium vitulis aureis exhibere non deſtitit. Cum Meſa Rex Moab, qui agnorum centum millia, totidemque cum ſuis velleribus arietes Regi Iſrael ſolvebat, ab eo deficiens tributum pendere detrectaſſet; Joram in illum arma convertit, & Joſaphat Regem Judæ, qui & Regem Edom ſibi vectigalem adduxit, belli comitem adhibuit. Quorum ſinguli una cum ſuis exercitibus per Idumææ deſertum profecti, aquis deficientibus ingens ſubiere periculum; quo ab Eliſeo liberatis, Joram aquarum ſubito defluentium prodigium mirari neglexit. Eum Propheta gravioribus verbis impietatis incuſavit, cujus ne vultum quidem, niſi Joſaphat Regis Judæ rationem habuiſſet, ſe reſpecturum aſſeruit. Eliſeus nihilominus in Joram, dum à Rege Syriæ oppugnaretur, maxima contulit (i), eique omnia Benadad conſilia aperiens, ejus omnes impetus infirmabat. Cùm verò Samariam Benadad obſideret (k), ea fame populus laboravit, ut quædam mater parvulum ſuum comederit. Quare Joram ſciſſis veſtibus, per quas cilicium, quo erat indutus, in omnium conſpectum prodiit; ſtatim miſit, qui Eliſeum interficerent, ac ſi vel earum calamitatum Propheta in cauſa fuiſſet, vel eas pro libito avertere ad ipſum ſpectaſſet. Eliſeus verò tunc domi commorans amicis imperavit, ut occluſo oſtio apparitores aditu prohiberent; feſtinus enim ipſe Rex properaſſet eam revocaturus ſententiam, quam inconſulto nimis protulerat.

Reverà ipſe Rex continuo ſuperveniens, graves coram Propheta querelas de urbis calamitatibus inſtituit, 4. *Reg.* 7. 1. Cui Eliſeus futurum aſſeruit, ut poſtera die, eadem hora ante fores Samariæ menſura farinæ, ac duplum hordei ſiclo ſeu ſtatere venderentur. (Stater, ſeu ſiclus, & triginta duobus obolis, & denariis ſex pecuniæ Gallicæ reſpondet). Cum ea res cuidam ex Ducibus, neque ſi è Cælo commeatibus plueret, credibilis videretur; Tu, ait Eliſeus, cernes non tamen frueris. Quatuor leproſi extra urbem degentes noctu ad Syrorum caſtra profecti, hoſtes panico terrore correptos abiiſse, & caſtra bonis omnibus referta deſeruiſſe invenerunt; per quos urbis excubiis, & per eas ea de re Rege admonito, Joram primò hanc ho-

ſtium

(a) Stephan. in Joppe.
(b) Hieron. in c. 1. Jonæ, & in Epitaphio Paulæ. Vid. Joſeph. de Bello l. 3. c. 15. p. 885.
(c) Joſeph. l. 3. de Bello c. 15. p. 855. (d) A. M. 2960. ante Ch. 2040. ante Ær. 1044.
(e) Vide 4. Reg 8. 16. & 2. Par. 21. 3. &c.
(f) A. M. 3115. ante Chr. 885. ante Ær. 889. Vide 4. Reg. 8. 20. &c. & 2. Par. 21. 8. &c.
(g) A. M. 3116. ante Chr. 884. ante Ær. 888. Raptus eſt Elias anno 3108.
(h) A. M. 3119. ante Chr. 881. ante Ær. 885.
(i) 4. Reg. 6. A. M. 3115. ante Chr. 885. ante Ær. 889.
(k) 4. Reg. 6. 7. A. M. 3119. ante Ær. 885.

ſtium induſtriam duxit, quòd nempe fugam ſimulaſſent, ut ſe ſuoſque urbe in caſtra egreſſos interficerent. Quare equitum quidam illuc exploratum miſſi, oculis audita comprobarunt.

Urbe itaque populo egreſſo, & hoſtium caſtris feſtinè direptis, frumentum, & hordeum in foribus Samariæ, juxta Eliſei vaticinium, vendebatur. Eum verò, cui res minimè credibilis viſa fuerat, ab Joram foribus urbis prælectum iiſdem in foribus conferriſſima turba contrivit. Non diù poſt (a), dum Rex à Giezi prodigiorum Eliſei hiſtoriam audiret, Sunamitis Prophetæ hoſpes, cujus ipſe filium è mortuis revocaverat, ad Regem confugiens 4. *Reg.* 8. 3. prædia, quæ, dum de Eliſei conſilio, toto famis ſeptennio alio commigraſſet, fiſcus ſibi adjudicaverat, ſibi reſtitui poſtulavit; quam Giezi eamdem eſſe, cui Eliſeus mortuum filium excitaverat, comprobante illicò Joram voti compotem fecit.

Eo tempore (b) Joram urbem Ramoth in Galaad aggreſſus debellavit; at eo in prælio vulnere graviter affectus, Jehu copiarum Duci arcis adhuc obſiſtentis expugnatione commiſſa, ut curaretur, reverſus eſt in Jezrael, 4. *Reg.* 8. 27. *&* 9. 1. 2. *Par.* 22. 4 Intereà Jehu à filio Prophetarum in Regem conſecratus, ab eoque verbis Domini juſſus, ut Joram, omnemque Achabi progeniem deleret, illicò ad urbem Jezrael properavit. Joram, renunciato ſibi à ſpeculatore, quod militum manus ad urbem accederet, exploraturus quid eſſet, cum bellico curru Ducem miſit. Ille obviam factus Jehu, & quid vellet percontatus, nullum accepit reſponſum, quam ut exercitum ſequeretur. Eadem arte Jehu & alium à Joram miſſum detinuit.

Tandem ipſe Joram curru vectus, unaque Ochozias Rex Juda, venit, atque Jehu in campo Naboth Jezraheliiæ offendens, an pacificus veniret, interrogavit. Cui Jehu. Quam tibi pacem optas, fornicationum, & ſuperſtitionum Jezabelis matris tuæ funeſtis monumentis ubique extantibus? His auditis, Joram proditionem intelligens, una cum Ochozia in fugam ſe vertit. Verum Jehu confeſtim emiſſa ex arcu ſagitta fugientis Joram terga transfigens, in ipſo curru exanimavit. Defuncti corpus Eliæ prædictioni, de Achab, ejuſque ſtirpis ſanguine in campo Naboth effundendo, ita cædem Naboth, ejusque filiorum Domino ulciſcentè, implendæ, eumdem in campum mandante Jehu projectum eſt. Ita interempto Ioram, Regni ſui anno 12. M. 3120. ante Chr. 880. ante Ær. 884. ſucceſſit Jehu. V. *Benadad*, *&* *Jehu*.

JORDANIS, Hebraicè *Jarden*, Græcè *Jordanes*, celeberrimus in Scriptura fluvius. Ex Hebræo *Jor*, rivus, & *Dan*, parvæ urbis propè hujus fluminis fontes nomine, alii derivant; alii ex duobus torrentibus *Jor*, & *Dan* natum volunt. Incertiſſimæ tamen etymologiæ: 1. enim falſum eſt, Iordanem ex duobus amnibus conflari, amnemque aliquem eſſe, qui *Dan* appelletur, licèt Tabulæ Geographicæ pleræque ſic ferant. Patens Iordanis origo, rivus eſt, è Libano prodiens, ad cujus ripam eſt parva urbs *Dan*; quatuor leucis ſupra Cæſaream Philippi, ubi propriè Iordanis exorditur. Alter Iordanis fons major, quamvis minus patens, lacus eſt *Phiala*, quatuor circiter leucis ad meridiem Cæſareæ Philippi. Lacus ex ſubterraneo itinere cum Jordane communicat, plurimaſque illi aquas propè Cæſaream ſuppeditat, ut jam flumen dici poſſit (c),

2. Nomen *Dan* recentior certe eſt, quam *Jordanis*. Scimus Danitarum Coloniam, *Judic.* 1. *&c.* urbe *Lais* occupata, ex ſuæ Tribus Capitis nomine, ipſam *Dan* nuncupaſſe. Hoc contigit defuncto Joſue, ſub Anarchia, quæ poſt Iſraelis procerum mortem, qui prodigiorum Domini teſtes fuerant, viguit. Ante id tempus, Iordanis ſatis innotuerat, neque alio unquam nomine appellatus legitur. Meliùs igitur nomen illud *Jarden* ex Hebræo *Jarud*, deſcendere, ob deſcenſum, rapidumque Iordanis curſum, derivabitur

Iordanis à fonte, quem nos apud Cæſaream Philippi ſumimus, 30. leucarum ſpatio fluit, donec in Mari Mortuo, ſeù lacu Aſphaltite diſperdatur. In itinere lacum Semechon, quinque, vel ſex leucis à fonte, conſtituit. Inde lacum Tiberiadis ingrediens, ipſum interſecat. Sub hordeaceæ meſſis tempus, ſive ſub Paſchatis Feſtum, extra alveum funditur. (d) Iordanis ripæ juncis, arundinibus, cannis, ſalicibus, aliiſque arboribus adeò induuntur, ut æſtate difficilè illius æquæ videri poſſint (e). Duo, ut ita dicam, alvei, duæque Iordanis ripæ ſunt. Primum occupat, dum conſuetis aquis fluit; alterum, cum intumeſcit.

Leones inter illius ſalicta, & arundineta deliteſcere dicuntur, indeque egredi, cum fluvius tumet. Huc Ieremias 49. 19. & 50. 44. alluſit, cum hoſtes Ieroſolymam invadentes, ſive Babylonem, *leonibus è ſuperbia*, ſive alluvione *Jordanis aſcendentibus*, comparat, qui hujus fluvii inundationibus expelluntur. Zacharias (f) Principes Juda Ieroſolyma abſentes, veluti leones ob ſuperbiam, ſivè rapidam Iordanis alluvionem rugientes, deſcribit. Iordanis latitudinem prope Iericuntem 60. circiter pedum ſe vidiſſe ſcribit Maundrellius; eaque celeritate ferri, ut vado trajici non potuiſſet.

Utrinque ingentem planitiem Jordanis habet a lacu Tiberiadis uſque ad Mare Mortuum protenſam (g); eamque Ioſephus in longum 1200. ſtadiis, in latum 120. ſtadiis producit. Addit hanc planitiem æſtate ariditiſſimàm eſſe, ipſiuſque aerem, ob nimium æſtum, valetudini officere. Solæ Jordanis ripæ humectantur, reliquum deſertum eſt (h). Prodigia in Iordane patrata narrat Scriptura; amne ſcilicet diviſo, ut liberum Hebræis, Duce Ioſue, iter præberet, *Joſ.* 3. 13. *&c.* cum Elias, & Eliſeus ſicco pede ipſum trajecere, 4. *Reg.* 2. 8. 14. cùm Eliſeus falcis ferrum in idem flumen delapſum, aquis innatare juſſit, 4. *Reg.* 6. 6. 7. cùm Chriſto in Jordane baptizato cœli aperti ſunt, & Spiritus Sanctus in ipſum deſcendit.

Parvus Jordanis idem eſt ac Iordanis fonti propior, neque alienis fontium, & torrentium in ipſum influentium aquis auctus (i). Lacus Semechon paludes uſque ad amœnam Daphnes planitiem extendi ſcribit Joſephus, cujus fontes parvum Iordanem nutriunt, ipſum ad magnum Jordanem ſub bovis, ſeu vituli aurei Templo deducunt. Pro Daphne legendum arbitror *Dan*, ipſamque *Dan* propiùs lacum Semechon, quam vulgò ſolet, collocandam.

IOSABA, ſeù *Joſabeth*, Ioram filia, Ochoziæ Regis Iuda ſoror, & Jojadæ Pontificis uxor, cujus induſtria Regum Iuda progenies prorſus idcircò deleta non fuit, quod ab Athaliæ in omnes domus Regiæ Principes ſævientis cæde Joas unius anni infantulum liberaverit (k). Vide *Joas*, *&* *Jojada*, & *Athalia*.

I. JOSAPHAT, Ahilud filius, primò Davidis, poſtea à ſecretis Salomonis, 2. *Reg.* 8. 16. *&* 3. *Reg.* 4. 3.

II. JOSAPHAT, Pharue filius, Præfectus Salomonis in Tribu Iſſachar, 3. *Reg.* 4. 17.

III. JO-

(a) A. M. 3120. ante Chr. 880. ante Ær. 884.
(b) An. M. 3120. ante Chr. 880. ante Ær. 884.
(c) Vide Joſeph. de Bello l. 1. c. 16. & l. 3. c. 18. (d) Joſ. 3. 15. Eccl. 24. 29.
(e) Pietro della Valle, Maundrel. (f) Zach. 11. 3. vide Hieron. in hunc locum.
(g) Vide Joſeph. l. 5. de Bello c. 41. (h) Joſeph. l. 3. de Bello c. 18.
(i) Vide Joſeph. antiq. l. 5. c. 2. & l. 8. c. 3. & Reland. Palæſt. t. 1. p. 2.
(k) 4. Reg. 11. 1. &c. An. M. 3126. ante Chr. 874. ante Ær. 878.

III. JOSAPHAT, Rex Juda, filius Aſæ, patris Regis Juda, & Azubæ Salai filiæ, qui annos natus 35. Regno aſſumpto, poſt annos 25. regnare deſiit (a). Contra Baſam Regem Iſraelis divitiis & armis majoc cum urbes Juda, cùm urbes Ephraim, quibus pater Regnum adauxerat, validis præſidiis munivit. Quòd nunquam ab eo defecerit, Deo ſemper acceptus, excelſa, & lucos, in quibus infanda agebantur, evertit. Tertio Regni ſui anno (b) per Miniſtros, Sacerdotes, & Levitas Legis Librum deferentes in omnes Judæ Regiones dimiſſos, populos ſuos erudiit: quare Deus illud etiam ei rependit, ut a finitimis omnibus timorem ſimul, & obſequium retulerit, & Philiſthæos, & Arabes, vectigales habuerit. Ad plurimarum urbium propugnaculum plurimas in Juda Turres erexit; undecies centena ſexaginta militum millia, demptis urbium præſidiis, ut plurimum ſub eo merebant. Quam profectò militiarum multitudinem, licèt à fide aliena videri queat, præſertim cum fortè non adhiberetur bello, ſed in ſtationibus tantùm detineretur, ab Joſaphat nihilominus ſub ſuis ſignis recenſeri potuiſſe perſpectum habemus.

Quod cum Achabo Rege Iſraelis fœdus iniverit, in Scripturis arguitur 3. *Reg.* 22. *&* 2. *Par.* 18. quem aliquantò poſt viſurus (c) Samariam veniens, & ab eo, ut cum ſuis adverſus Ramoth Galaad arma jungeret, perſuaſus, Prophetam aliquem Domini priùs conſuli voluit. Accitus igitur Michæas filius Jemla, Vidi, inquit, Iſraelem diſperſum in montibus, veluti ſine paſtoribus greges, & ait Dominus: Ducem non habent; ad ſuas quiſque domos regrediatur. Tunc Achab ad Joſaphat verſus, Nonne, inquit, dixi, nihil ab iſto niſi infauſta, prænuntiari? Michæa itaque ejus imperio in carcerem conjecto, Joſaphato unà ſecum contra Galaad proficiſcenti Achab dixit; ut conſuetis armis, & veſtibus indutus præliaretur, ſe verò ſub ementitis veſtibus latere velle: Rex enim Syriæ ſuis Ducibus præceperat, Iſraelis Regem ſolum peterent, & ſeu viventem, ſeu mortuum adducerent. Hi viſo Joſaphat cultu regio ornato, arbitrantes Iſraelis Regem eſſe, facto impetu ad illum concurrere, qui ſe opprimi conſpicatus exclamavit, & ex clamore cognitum Duces perſequi deſtitere. Contigit verò, ut miles, jacto in incertum telo, Achabum vulneraret, qui in curru ſuo perſeverans denique interiit.

Joſaphat Jeroſolymam reverſum, Propheta Jehu Hanani filius acriter increpavit, quòd auxiliarias copias Achabo detuliſſet 2. *Par.* 19. 1. Quem utique errorem, optimis undique conſtitutis Judicibus, & Levitis unà & Sacerdotibus juſſis, ut ſuis muneribus ne in minimis quidem deficerent, Joſaphat reparavit. Non diu poſt (d), Moabitis, Ammonitis, & Mæonitis, Arabiæ Petrææ populis, ei bellum inferentibus, jamque uſque Azazon-Thamar progreſſis, Joſaphat ad jejunia & preces confugiens, una cum populo Templum ingreſſus, rem Deo commiſit. Tum Jahaziel Zachariæ filius Divino Spiritu perfuſus, Domini verbis, maximam de hoſtibus victoriam Regem poſtera die relaturum, quin congrederetur, aſſeruit. Revera, cum dies craſtinus effulſiſſet, ſinguli hoſtes in ſe ipſos arma vertentes, mutuis concidere vulneribus; quare Joſaphato, ejuſque militiis pro acri certamine ingens præda contigit.

Non diù poſt (e), Joſaphat, & Ochozias Rex Iſraelis, fœdere viciſſim inito, in Portu Aſiongabe in Erythræo, ut Tharſum pergerent, claſſem inſtruxere. Quod Dominus improbans, 2. *Par.* 20. 35. per Eliezerem Dodau de Mereza filium Joſaphat monuit, idcircò ejus conſilia everſa, & naves omnes contritas eſſe, quòd ipſe cum impio Rege fœdus percuſſiſſet. Reliquo vitæ tempore Deo ſemper adhæſit; ſacra tamen in montibus loca non abſtulit, ejuſque populus non adhuc ad Deum ſe omninò converterat. Obiit vigeſimoquinto Regni ſui anno (f), & Jeroſolymæ in Regum ſepulchro conditus fuit. Patri Joram filius ſucceſſit (g).

JOSAPHAT. *Vallis Joſaphat. Congregabo omnes gentes in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis ibi*, inquit Joel 3. 2. & 12. Putat Abenezra hanc vallem eam eſſe, ubi Rex Joſaphat de Moabitis, Ammonitis, & Mæonitis maximam faciliimè victoriam retulit. 2. *Par.* 20. 1. *&c.* Ea vallis propè Mare mortuum, ultra deſertum Thecue ſita, poſt eam victoriam *vallis benedictionis* vocari cœpit, 2. *Par.* 20. 26. Hanc vallem, quam D. Cyrillus Alexandrinus in Joel. 3. loci nomine ſuppreſſo, non procul à Jeroſolyma locat, alii inter mœnia ejuſdem urbis & montem Olivetum ſtatuunt, aduntque à torrente Cedron interflui (h). Alii vero ab Hebræis vallis Joſaphat nomine neminem locorum vocatum tuentur; Joel autem eodem nomine cum vagè locum deſignaſſe, in quo Deus ante ſuum Tribunal omnes homines judicandos (i) adducet. *Joſaphat* Hebraicè *Judicium Dei* ſonat (k). *Vallem Joſaphat*, ſeù *Dei Judicii* ſymbolicè ab Joele exprimi, ſicut eodem capite *Vallem Conciſionis* enunciat, à veritate non procul abeſt, *Joel.* 3. 14. Hinc Judæorum & Chriſtianorum plurimi ultimum Dei Judicium in valle Joſaphat pronunciandum credidere.

JOSEDECH, Judæorum Pontifex, filius & ſucceſſor Saraiæ, 1. *Par.* 6. 14. *&c.* 1. *Eſdr.* 3. 2. quem Pontificatus munera aliquando geſſiſſe perſpicuum non eſt. Obiit Babylone. Ejus filius Joſue, ſeu Jeſus à captivitate regreſſus, eam Dignitatem poſt Templi reſtitutionem (l) exercuit (m).

I. JOSEPH, Jacobi & Rachelis filius, Benjamin frater, *Gen.* 30. 22. in Meſopotamia natus (n), quem Deus vel ab ineunte ætate revelationibus, & ſomniis propheticis decoravit. Patet etiam, quod cum ſenex ab uxore excepiſſet, polymita indutum veſte præ cæteris liberis dilexit. Quod fratribus ægrè ferentibus, inſcius ipſe Joſeph odii cauſam adauxit, vel quòd eos de infando crimine apud patrem detulerit, *Gen.* 37. 2. vel quod eorum ſermones improbos patri aperiens de ipſis fuerit obloquutus. Septuaginta verò, quibus Græci Patres adhærent, ipſos fratres, filios nempe Balæ & Zelphæ, Joſephum criminatos ferunt. Totius tamen odii incrementum inde fuit, quòd duodecim fratrum manipulos ante manipulum ſuum proſterni, Solem etiam, lunam, & duodecim ſydera ſibi cultum exhibere, per quietem ſe vidiſſe narraverit (o).

Quadam verò die fratres, qui ad paſcua in Sichem oves deduxerant, mandante patre Joſeph inviſurus adivit; ibi tamen non inventos, quodam monente, invenit in Dothaim. Quem procul aſpectum ſtatim interficere cogitarunt, patri poſtea à bellua diſcerptum renunciaturi. Cui quidem inhumanitati obſiſtente Ruben, adoleſcentulum veſte detracta in puteum ſiccum demiſere; quo paulò

poſt

(a) Joſaphat imperavit ab anno M. 3090. uſque ad ann. 3115. ante Chr. 885. ante Ær. 889. Vide 3. Reg. 15. 24. & 2. Par. 17. 1. &c.
(b) A. M. 3093. ante Chr. 907. ante Ær. 911. V. 2. Par. 17. 7. &c.
(c) A. M. 3107. ante Chr. 893. ante Ær. 897.
(d) 2. Par. 20. 1. &c. A. M. 3108. ante Chr. 892. ante Ær. 896.
(e) An. M. 3117. ante Chr. 893. ante Ær. 897. (f) A. M. 3115. ante Chr. 885. ante Ær. 889.
(g) 2. Par. 21. 1. &c. & 3. Reg. 22. 42. &c. (h) Beda de Locis. Brocard. Salian. Adrichom. alii.
(i) Vid. Hieron. in Joel. 3. Albert. Remig. Haim. Lyr. Vat. Tirin. &c. (k) Vid. Comm. in Joel. 3. 2.
(l) 1. Eſdr. 3. 2. & 8. 2. & 10. 18. &c (m) A. M. 3468. ante Chr. 532. ante Ær. 536.
(n) A. M. 2259. anno Chr. 1741. ante Ær. 1745.
(o) An. M. 2276. ante Ch. 1724. ante Ær. 1728.

Digitized by Google

poſt educto, & Iſmaelitis, & Madianitis Mercatoribus illac tranſeuntibus vendito, ejus tunicam hædi ſanguine perfuſam detulere ad Patrem, qui mœrore planè confectus, filium à bellua laniatum lacrymis ſolatii neſciis ingemuit.

In Ægyptum, quò aromata, & reſinam deferebant, mercatores illi profecti, Putiphari Eunucho Pharaonis, & militiarum Magiſtro, ſeù Regis excubiarum Præfecto, Joſephum vendidere; qui heri animum ita ſibi devinxit, ut eo tradente, domum, reſque omnes domeſticas curandas ſuſceperit, *Gen.* 39. 1. Heri verò uxor juvenem adeò perditè amavit, ut ad turpia ſæpè allexerit, & enixè obſiſtentem eò uſque die quadam adegerit, ut dimiſſo, quo detinebatur pallio, de manibus ejus vix proſilierit. Quare indignata mulier, detentata ſua pudicitia Joſephum apud Putipharem detulit, qui in vincula illico conjectum (a), refrigeſcente paulatim iracundiæ æſtu, vel quod ejus innocentiam perſpectam habuerit, vel quod ejus tactus fuerit calamitate, blandè accepit, eique, tantum libertate non donato, cæteros carcere detentos cuſtodiendos commiſit.

Hos inter Pincerna & Piſtor Pharaonis quondam Regi chari, tunc vero per iram carcere damnati (b), uterque Joſepho, quod ſibi per quietem oblatum fuerat, aperuere. Primus ſibi viſus erat, multum ab uva depromptum in phialam, ut conſueverat, Regi offerre; alteri verò ſeſe obtulerant aves, quæ in caput ſuum devolantes, panes & edulia Regi apparari ſolita, quæ deferebat in caniſtro, abſumpſere. Utique Joſeph, quæ ſomnia portendebant, ediſſerens, Piſtorem quidem triduo poſt cruci affigendum, ejuſque cadaver avibus dilaniandum; Pincernam verò ſuo muneri poſt triduum reſtituendum prænunciavit; quare cum ei fauſta eveniſſent, ut ſuæ libertati conſuleret, poſtulavit. Prædictiones comprobavit eventus; attamen Pincerna Joſephi oblitus, nihil cum Pharaone ad ſui Interpretis incolumitatem ſuppliciter egit.

Biennio poſt (c) per quietem pariter Pharao 7. boves pingues à 7. aliis macie conſumptis prorſus comedi *Gen.* 41. 1. *&c.* iterumque obdormiens 7. ſpicas graves, & pulchras ab aliis 7. languidis & deficientibus penitus abſumi, miratus eſt: quæ ſolvere neſciens dum angeretur, Joſephi meminit Pincerna, utque Piſtoris, ſuique ſomnium illicò enodaſſet, Regi enarravit. Quare protinus carcere Joſeph eductus, tonſo capite, & mutatis veſtibus oblatus eſt Regi, à quo cum ſomnia accepiſſet, ex templo reſpondit boves 7. & totidem ſpicas idem portendere, ſeptennio nempe ubertatis ſeptennium ſterilitatis ponè fore ſucceſſurum; quare ad eam calamitatem reparandam idoneum virum conſtitueret, cujus, ubertate florente, quintam meſſium partem congerere intereſset, quæ in Regis horreis condita ſeptennii caritatem averterent.

Cui conſilio Pharao adhærens, ipſum ei rei gerendæ Joſephum præfecit, domuſque Regiæ, & totius Ægypti adminiſtratione in eum collata, ſolo Rege minorem denunciavit. Qua poteſtate Joſephus adauctus, accepto etiam annulo Regis ſignatorio, veſte ex tenuiſſimo lino, ſeu goſſypio contexta indutus, monili denique aureo decoratus, in ſella curuli ſublimis prope Regis currum, per Ægyptum circumvectus eſt interim clamante præcone, ut omnes totius Ægypti Præfecto obſequerentur. Mandante deinde Rege (d), *Zaphnat-phaneah* vocari cepit, quod Ægyptiacè juxtà Hieronymum *Mundi Salvatorem* ſonat; alii vertunt: *qui abdita pandit.*

Sibi præterea Aſeneth Putipharis Helioplitani Sacerdotis filiam deſpondit; de quo Putiphare Patres inter & Interpretes diſcrimen, alii enim (e) ejus dominum, à quo fuerat conjectus in vincula, alii (f) alterum eſſe tuentur; & revera utriuſque nomen quibuſdam mutatis deſcribitur. Hac de re nil ſtatuere audet Auguſtinus *q.* 136. *in Geneſ.* cui & nos argumentis ad aliquid decernendum deſtituti, adhæremus. Ex uxore ante agrorum ſterilitatem duos liberos Joſeph excepit; de cujus uxoris Aſeneth nuptiis fuſior fabula in Speculo hiſtoriali Vincentii Bellovacenſis l. 2. c. 118. (g).

Maximis frumenti acervis ab Joſepho toto ubertatis ſeptennio in horreis congeſtis, octavo anno ingruit egeſtas, quæ non modò Ægyptum, ſed & alias Regiones, præſertim Chanaan, Jacob & filiorum domicilium, conficiebat. Omnes undique in Ægyptum convenientes, ut frumento ſibi proſpicerent, Pharao ad Joſephum, in quem unum rem totam contulerat, dimittebat. Inſtat cæterorum Jacob (h), uno Beniamin, ne quid ei calamitatis contingeret, detento, filios ſuos ad ſibi victum comparandum in Ægyptum dimiſit, quos Joſeph mutuò non cognitus utique agnoſcens, ſubaſpere excepit, exploratores vocavit, & Simeone, quod ſorte præ cæteris ſibi fuiſſet infeſtior, vinculis addicto, reliquis abeundi poteſtatem fecit, modò juniorem fratrem, cujus meminerant, ſe adducturos polliciti eſſent. Fratribus ita dimiſſis, in ſingulis eorum ſaccis frumenti pretium, quin rem perciperent, celari juſſit.

Caritas in dies invaleſcens fratres iterum compulit in Ægyptum, qui, patre quidem ægrè ferente, & Benjamin adduxere (i). Ut Joſeph Benjamin aſpexit, convivium inſtrui mandavit. Meridie verò muneribus patris nomine ſibi oblatis hilari animo acceptis, an pater valeret, & an juvenis comes fratribus junior eſſet, poſtulans, cùm lacrymis amplius abſtinere non poſſet, egreſſus eſt in cubiculum. Convivio denique exceptos ordine, quo apud patrem ſolebant, à ſe quidem ſeorſim, & ab Ægyptiis, quòd hi Hebræos prophanos & impuros ducentes cum ipſis minimè comederent, diſcumbere, & Benjamin partem quinquies majorem, omnibus mirantibus, apponi juſſit.

Die poſtera in ſingulis eorum ſaccis frumenti pretio iterum abdito, in ſacco præterea Benjamin ſcyphum, quo ipſe utebatur, celari voluit *Gen.* 44. 1. *&c.* Omnes denique comiter dimiſſos equitum agmen inſequutus eſt; qui fratribus primò duriùs acceptis, quòd beneficii immemores a Regionum Præfecto ſcyphum ſurripuiſſent, ſingulorum ſaccis recluſis apud Benjamin invenere. Quare regreſſis omnibus Judas ſeſe Joſepho pro Benjamin mancipium obtulit, ne pater illius amiſſi dolore confectus interiret. Lacrymas Joſeph ultra cohibere non poterat *Gen.* 45. 1. quare, Ægyptiis omnibus egredi juſſis, ubertim lacrymatus, ſe eſse Joſephum faſsus eſt, & an Pater adhuc viveret, poſtulavit. Illos verò timore concuſſos, minimè reſpondentes, bono animo eſse juſſit; Deus enim ſe ab eis vendi permiſerat, ut ſuo in Ægyptum adventu futuræ eorum calamitati proſpiceret. Quare protinus ad patrem properantes, in Ægyptum adducerent, regionem Geſsen dono accepturi, ubi incolatum ſibi & familiis, paſcua verò pecudibus conſtituerent, præſertim fame adhuc per quinquennium duratura; ſingulos tandem & Benjamin præcipuè complexus, comiter dimiſit.

Ubi verò ad patrem pervenere, de omnibus ille

(a) A. M. 2286. ante Ch. 1714. ante Ær. 1718.
(b) Gen. 40. 1. &c. A. M. 2287. ante Ch. 1713. ante Ær. 1717.
(c) An. M. 2289. ante Chr. 1711. ante Ær. 1715.
(d) Gen. 41. 45 Septuaginta ψονθομφανηχ Alius. *Cui futura revelata fuere.* Alius: *Cui Deus abdita pandit.* Syriac.: *Qui occulta dignoſcit.*
(e) Hebræi apud Hieron. quæſt. Hebr. in Gen. & apud Origen in Catena Mſ. Rupert. Toſtat. alii quidam.
(f) Chryſoſt. hom. 63. in Geneſ. alii plures. (g) Vid. & hiſt. Scholaſtic.
(h) Geneſ. 41. 1. &c. A. M. 2297. ante Chr. 1703. ante Ær. 1707.
(i) A. M. 2298. ante Ch. 1702. ante Ær. 1706. Gen. 43. 1, &c.

ſtatim monitus, veluti ab alto ſomno excitus exiliit, filium amplexurus, in Ægyptum illicò iter inſtituit, *Gen.* 46. 1. quem Joſephus jam propè adveniſſe ab Juda, qui præcucurrerat, accipiens, curru inſtructo protinus venienti occurrit, eaque voluptate pater filium, filius patrem amplexus eſt, ut præ nimia lætitia vix non obierint. Deinde ad Pharaonem progreſſus, de genitoris, & fratrum adventu *Gen.* 47. 1. deque eorum paſtoralibus ſtudiis admonuit; qui ſtatim Jacobo, & quibuſdam ex fratribus ad eum perductis, lætatus eiſdem Regionem Geſſen tribuit, & eorum quoſdam ſuorum pecorum magiſtros conſtitui juſſit.

Quotidie magis graſſante fame Joſeph omnem Ægyptiorum pecuniam, quam ſibi pro frumento numeraverant, in Regium Ærarium induxit; quare omnibus primò pecudes, deinde agros, mancipia denique pro frumento commutantibus, brevi in Regis jus omnia devenere. Omnia tamen Joſeph ſingulis ea lege reſtituit, ut quintam meſſis partem quotannis Regi impoſterum penderent, quod jus quintæ partis fructuum etiam penes Regis poſteros, & ſucceſſores permanſit, ſolis tantum Sacerdotum prædiis immunitate donatis.

Annis ſeptemdecim in Ægypto abſumptis (a), ſe morti proximum Jacob agnoſcens advocavit Joſephum *Gen.* 47. 29. qui, patre poſtulante, manu ſua femori ejus impoſita, eum in Regionem Chanaan delatum in Patrum ſuorum ſepulchrum ſe illaturum ſpopondit. Quare Jacob Deum adoravit, & ad lecti caput ſe convertit *Gen.* 47. 31. ſeu juxta Septuaginta: *& adoravit ſuper ſummitatem virgæ ejus* (b), ſeu denique juxtà quoſdam Recentiores: *ſe incurvavit ſuper caput lectuli*. Potuit ſanè Hebræum ita diverſimodè verti, cùm potuerit etiam diverſimodè legi. Non diu poſt utrumque liberum Manaſſem & Ephraim aſſumptos ad patrem gravi morbo laborantem Joſeph adduxit, quos ſtatim Jacob ſibi filios adoptans, inſtar Ruben & Simeonis inter cæteros fratres juſſit numerari; quibus deinde benedicturus, dexteram Ephraim natu minoris cepit, ſiniſtram verò capiti Manaſſis primogeniti impoſuit. Quod ægrè ferens Joſeph eum patris manus commutare conatetur; Deſine, inquit Jacob, Manaſſes enim futurus eſt magnus, Ephraim verò major. Agrum deinde propè Sichem, quem ſibi comparaverat *in gladio, & arcu*, ſupra cæteros fratres ei partem legavit. *Gen.* 48. 22. Forte hic agrum urbi Sichem conterminum, quem à Meſopotamia regreſſus ab Hemor filiis emerat, deſignavit. Cùm verò illum *de manu Amorrhæi in gladio & arcu ſuo* tuliſſe fateatur, meminit fortaſſe, quòd, poſtquam receſſerat ab urbe Sichem propter cædem, qua filii ſui in Sichimitas ſævierant, hæreditatem ſuam per vim Amorrhæis, qui eam occupaverant, expulſis, coactus ſit reparare. Vide Commentatores in Gen. 48. 22.

Omnibus præterea liberis ſuis advocatis, eorum ſingulis præcipua benedictione fauſta precatus, his Joſephum eſt proſequutus: *Gen.* 49. 22. *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens & decorus aſpectu; filiæ diſcurrerunt ſuper murum.* (Hebr: *filius fructifer, veluti ramus fructifer ad fontem aquæ, habens radices extenſas ſuper murum.*) *Sed exaſperaverunt eum, & jurgati ſunt, inviderumque illi habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Jacob. Inde Paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael. Deus Patris tui erit adjutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus Cœli deſuper, benedictionibus abyſſi jacentis deorſum, benedictionibus uberum, & vulvæ. Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret deſiderium collium æternorum.*

Morte demum Jacob adempto Joſeph in faciem ejus demiſſus, & lacrymatus uberrimè, pluries eſt oſculatus. Cujus deinde cadaver ab Ægyptiis Medicis, ſatis ea arte peritis, opobalſamo perfundi juſſit, qui huic muneri incumbentes, 30. diebus abſumptis, ut omnino caro exſiccaretur, diebus 40. in nitro condidere. Quo temporis intervallo omnis Ægyptus ademptum deflevit. Permittente dein Pharaone, Ægypti totius Optimatibus ſibi ſociis aſſumptis, in regionem Chanaan patrem humaturus Joſeph inceſſit; cui per dies 7. ad Arcam Athad luctu maximo parentatus, in duplici ſpelunca, ſeu in Antro Macphela, quòd Ephrone Hethæo vendente ſibi Abraham coemerat, tumulavit. Ubi verò in Ægyptum reverſus fuerat, veriti fratres, ne, patre adempto, injuriæ vindicem experirentur, patris nomine flagitarunt, ut flagitii immemor bona ſibi rependeret; quos lacrymis illicò obortis comiter alloquutus, bono animo eſſe juſſit, eò præſertim, quòd à veſtra nequitia, fauſta cuncta provenerint.

Decem ſupra ſæculum exactis annis, & uſque in tertiam generationem viſis nepotibus, gravi laborans valetudine, fratres interpellavit, ut ſua oſſa aſportaturos ſacramento ſponderent, ubi Deus ad terram parentibus promiſſam de Ægypto egreſſos adduceret. Morte denique ereptum (c), in loculo conditum, & una cum cæteris Iſraelitis ex Ægypto à Moyſe eductum, *Exod.* 13. 19. Tribus Iſrael, quæ cuſtodiendum aſſumpſerat, prope Sichem in agro, quem Jacob moriturus Joſepho legaverat, tumulavit. *Joſue* 24. 32. Plurima (d) Rabbini commentitia ferunt de Joſephi loculo, quem, ut ajunt, Ægyptii ſcientes Hebræos, ubi Joſephi oſſibus potirentur, ex Ægypto egreſſuros, ne ab ipſis ſurriperetur, in imo fluminis occuluere; Moyſes tamen iis invitis quantumlibet abditum adinvenit.

Hæc de Joſepho Eccleſiaſtici author 49. 16. *Nemo natus eſt in terra, qualis Joſeph, qui natus eſt homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, ſtabilimentum populi, & oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt.* Eo tunc proſpexit, quòd ejus oſſa ex Ægypto aſportata fuere, cum Deus, ad terram promiſſionis adducturus, iis regionibus, ut Joſephus ante obitum prænunciaverat, Hebræos eduxit.

In duodecim Patriarcharum Teſtamento plura de Joſepho & quidem æquè apocrypha, ut ejus vaticinium de Nativitate Virginis, quæ, ut ait, è Tribu Levi & Juda egreſſa Agnum Dei erit paritura. Joſeph præterea liberis ſuis Zelphæ oſſa tranſvehere, & in regione Chanaan prope Rachelis ſepulchrum tumulare juſſit. Ægyptios Joſepho ſub forma Apidis, Oſiridis, & Serapidis, Hermetis etiam, Thamus, & Adonidis, cultum exhibuiſſe plures Eruditi credidere (e). Cujuſdam operis, quod *Joſephi Oratio* inſcribitur, pluries Origenes (f), interdum etiam alterius meminit Trithemius, quod *Joſephi Speculum* appellatur (g). Utrumque Joſepho tribuitur. Ægyptios agris dirimendis, & ſibi propriis ab unoquoque colendis, ab Joſepho eruditos, etenim telluris communis, quod ſibi videbatur, olim quiſque colebat; ab eoque menſuras adinventas (quare quammaximos earum gentium plauſus ſibi comparaverat) apud Euſebium *l.* 9. *c.* 23. *Præparat.* refert Artapanus. Joſephi hiſtoriam Mahometus in Alcorano Sura 12. fuſiùs recenſet, eam tamen com-

(a) A. M. 2315. ante Ch. 1685. ante Ær. 1689. (b) 70. ibid. Ita & Paul. Hebr. 11. 21.
(c) A. M. 2269. ante Chr. 1731. ante Ær. 1735.
(d) Vid. Vit. Moyſ. Hebraicè, & Latinè conſcript. à Gaulmin.
(e) Vid. D. Paulin. Natal. 11. D. Felicis v. 100 Rufin. l. 2. c. 23. hiſt. Eccl. &c. Braun. l. 4. c. 13. Selecť. ſacr. Sgambat. Archiv. V. T. Fabricius in Apocryph. V. T. in Joſeph.
(f) Origen. Philocaliæ p. 79. Edit. Oxon. & in Joan. t. 5. p. 77.
(g) Vid. Naudè Apolog. des grands Hommes accuſez de Magie c. 15.

Digitized by Google

commentitiis plurimis interpolat, quem Orientales etiam ea in re plurimùm æmulantur (a).

(De connubio ejus cum filia Putipharis vide, quæ ſcripſimus v. *Aſeneth.* Vulgati ſunt apud Mahometanos ſcripti plures libri de amoribus Joſephi cum *Zoleikha* (b) filia Pharaonis Regis Ægypti, & uxore Putipharis. Nomine autem & exemplo tanti viri excitant ſeſe ad amorem ſtudiumque Dei, ut Joſeph & Zoleikha perinde ſit illis, ac nobis Sponſus & Sponſa in Cantico Canticorum; ſub externa enim mutui amoris inter duos conjuges allegoria in Dei amorem erigimur.

Hiſtoriam Joſeph aliter deſcribit Mahometus Alcorani cap. *de Joſeph.* Narrat igitur ille, Joſephum patri ſuo expoſuiſſe inſomnium de ſole, luna, & ſtellis obſequium ſibi præſtantibus. Monuit illum pater, ne inſomnium illud ſuum facilis revelaret fratribus; ſciret enim illos omnes in ipſum conſpiraturos. Diabolus, ait, adverſarius eſt hominum juratus; tu à Domino eligeris &c. Intelligentes fratres Joſephi potiorem eſſe illum, quàm ſe in corde patris, necem ejus ſtatuerunt. Eo conſilio quæſiverunt olim à patre, eccur non unà ſecum in agros mitteret Joſephum, oblectandi ſcilicet pueri & liberioris aeris reſpirandi gratia. Repoſuit pater metuere ſe, ne in ejus cuſtodiam ipſi eſſent ſegniores. Tum illi, an metuis commiſſum nobis puerum pervium futurum injuriæ luporum; nunquid non vires nobis ſunt defendendo? Secum igitur mane alterius diei deduxerunt, projeceruntque in puteum. Reduces in veſperis expoſuerunt, luctum ſimulantes, patri ſe, cum ſimul omnes certarent uter alteri prævaleret in curſu, puerum reliquiſſe ad ſarcinas; ſubito autem incurrente lupo à bellua voratum fuiſſe. Renuenti dictis præſtare fidem, induſium ſanguine fœdatum protulerunt. Quibus Jacob: Id veſtra fraude commiſſum eſt, vos de crimine Deo reſpondebitis; ipſe patronus eſt meus; omniaque tulit conſtanter, ne clamore quidem ſublato.

Accidit eadem die, ut plures ſimul viri iter habentes, cum offènderent in via puteum illum, aquam haurirent ad bibèndum. Demiſſæ ea de re ſituſe Joſeph arctiſſimè adhæſit manibus, atque ita extractum veſtibus induerunt, deductumque clam, commodo pretio ac numerata pecunia vendiderunt. Herus, qui ſervum ſibi illum emerat in Ægypto, curandum illum uxori commiſit, monens qua rebus ſuis utilem illum futurum, qua etiam habendum loco filiorum. Viginti jam annorum adultum Zoleikha, heri illius uxor, non caſto amore deperiit; quare clanſum ſemel in conclavi ſollicitavit ad crimen. Abſit, ait ille, ut herum meum prodam, meque tanto ſcelere maculem; ſimulque prorepturus ſe januam versùs convolavit. Fugientem retinuit hera, poſteriorem induſii partem arripiens, ac vi reſcindens. Retrò poſt januam ſupervenit vir, cui ſtatim illa: Quid tibi promereatur vir ſceleſtus, probrum inferre ædibus Domini ſui tentans, niſi carcerem & dura quæcumque? Non ego quidem, excepit Joſephus, heram ſollicitavi, cujus rei teſtem do hunc è cunis puerum. Statimque concepta voce puer: Si induſii reſciſſi pars eſt anterior, vera prodit mulier; ſi poſterior, Joſephi cauſa potior eſt, mentitur fœmina. Tum herus poſteriorem induſii partem reſciſſam intelligens & inſontem juvenem, & fontem viciſſim fœminam intellexit.

Rei hujus fama univerſam latè per Urbem diſſipata eſt, ac Matronarum inter colloquia jactabatur uxorem viri locupletis famulum ſuum ſollicitaſſe. Quod intelligens hera Joſeph, inſtructiſſimo convivio Matronas illas excepit, aſſidentibuſque menſæ ſiſti ſervum præcepit; ad ejus aſpectum hærere omnes admiratione viri ad miraculum venuſtiſſimi, atque extra ſe factæ, veluti à mente emotæ, digitos ſibi, ratæ dapes abſcindere, præcidebant; atque altera alteri: Non Hominem ſpectamus, ſed Angelum. Quibus Zoleikha: Paratam habeo criminis mei cauſationem, ſiquidem tanti leporis juvenem deperierim. Aliquanto poſt ad priſtina iterum ſollicitandi ſtudia; priſtinaque animi conſtantia fœminam alter repudiavit; tum illa in carcere juſſit virum conjici, ubi Pincernæ & Piſtoris Pharaonis inſomnia expoſuit.

Novennio carcerem ſuſtinuit Joſephus; tum Rex per quietem ſpectavit ſeptem vaccas, & ſeptem ſpicas, quod ſomnii arcanum Joſephus patefecit, non Pharaoni ipſe quidem, ſed Pincernæ Regis, cui antea inſomnium botri expreſſi in ſcypho Pharaonis interpretatus fuerat. Porrò vir ille è carcere jam ſolutus inſomnii Pharaonis interpretationem obtinuit à Joſepho, totamque ab eo acceptam Principi expandit. Tum juſſu Regis manumiſſus Joſephus, conſtitutuſque ſuper Regis Æraria.

Narrat poſt hæc Mahometus, quo rerum eventu fratres Joſephi venerunt in Ægyptum, ut de frumento ſibi providerent; tum & quo Joſephus detegeret ſe illis, ſimulque mandaret reverti ad patrem ſuum & induſium, quod manibus eorum remittebat, illi referre, projicereque in faciem, futurum ſpondens ut ſtatim viſum reciperet. Poſt hæc, ait, huc cum univerſa familia remeate. Mediam jam viam confecerant, cum Jacob abſtantibus ita locutus eſt: Odorem filii mei Joſeph ſentio: hæc dicentem ridebitis; ſed vera me prodere affirmo. Poſt aliquot evolutos dies, ex filiis unus veniens læta de Joſepho attulit nuncia, ſimulque cariſſimi filii induſium in vultum patris projiciens ei viſum reſtituit; lacrymarum fluxus mœrentis lumina extinxerat. Nec diu fuit, quin conferret ſe Jacob cum familia univerſa in Ægyptum. Patrem manu tenuit Joſephus, invitavitque ingredi poſito metu in Ægyptum, ac ſecum ut aſſideret rogavit; fratres verò ſuos coram ſe proſtratos habebat; Tum ad patrem converſus: Vides, pater, ait, ſomnii mei omen, quod Deus implevit? Ita inſignis ille impoſtor hiſtoriam Joſephi narravit, ſeu corrupit.

Ejus ſectarii ſcribunt, Joſephum 17. annorum Juvenem venundatum fuiſſe, Regno Ægypti potiente tunc *Rian* filio Valid, qui etiam Princeps appellatus eſt *Pharao*, nomine vernaculo Ægyptiorum ſermone exprimente, Monarcha, deſpoticus. Hunc Principem in cognitionem veri Dei deduxit inſtitutionibus ſuis Joſeph: ſed excepit illum in Regno impius *Kabous*, filius Maſſaab. Addunt pariter poſt adventum Jacob in Ægyptum uſque ad relatum è regione illa pedem ſub Moyſe, periodum annorum 430. evolutam fuiſſe; exeuntem verò Legiſlatorem illum una ſecum tuliſſe oſſa & feretrum Joſeph in Nili alveo reperta.

Ebn Batrik, alio nomine Eutychius Patriarcha Alexandrinus narrat, Joſephum 30. annorum ætate juvenem duxiſſe *Azimam* filiam Kahem ex Ain Schemes, i. e. Sacerdotis ſeu Divini Fontis ſolis; quo olim nomine appellabatur vetus Urbs *On*, Græcis *Heliopolis*. Addit, menſuram illam Nili, quæ Memphis ſpectatur, opus eſſe Joſephi; ſicut nec alterius canale Nili aquas ex Urbe Cairo efferens. Canale illud appellant Itinerantes noſtri *Calis*. Menſura autem Nili columna eſt in medio amnis ſuis diſtincta gradibus, dimetiens incrementum & decrementum aquarum unde potiſſima regionis ubertas. Si creſcant aquæ ad 18, gradus, vel 18. ulnas, annus eſt in Ægypto uberrimus; ſi intra 14. ſe contineant, rerum caritas eſt maxima.

Joſepho etiam conditori tribuunt Orientales puteos & horrea publica, de viri nomine hodie uſque appellata, quemadmodum & ejus agnoſcunt opus obeliſcos & pyramides: uno verbo quæcunque magnifica ſunt & vetuſti operis in Ægypto, hæc omnia ad Joſephum. Illo etiam tradente

 didiciſ-

(a) Vid. Not. Marracci in Alcoran. & Dictionar. D'Herbelot. v. Jouſuoph.
(b) Bibl. Orient. pag. 496. Jouſouf. Ben. Jacob.

didiciſſe volunt Ægyptios ſublimes quaſque ſcientias, Geometriam potiſſimùm, maximè neceſſariam ad agrorum dimenſionem & diſtributionem. Geſtatum ab illo credunt in humero punctum quoddam luminoſum, ſtellæ ſimile, quo veluti indelebili charactere conſtitueretur Propheta; eoque velut omine luturam dignitatem ſuam intelligeret.)

II. JOSEPHUS FILIUS TOBIÆ, ex ſorore Oniæ Summi Sacerdotis natus (a). Onias iſte, qui utramque dignitatem Judæorum, ſacram & civilem in ſe conciliaverat, immodica auri cupidine tenebatur; quare minus auguſtæ erat indolis, & prudentia etiam minori. Tributum 20. talentorum, quod veluti jus Regium exigebant quotannis Ægyptii Imperatores, exſolverantque jugi obſequio prædeceſſores illius, aliquot annis pendere recuſavit. Miſſus proinde à Rege Ægypti Athenion vir in Aula princeps venit Hieroſolymam, exacturus omnia, quæcumque ex dilata ſolutione præcedentium annorum ærario debebantur. Urgende exactioni minitatus eſt ille, niſi omnia ſolverent, depulſurum Judæos è regione ſua vi, ac diſtributurum inter milites vacuos illorum agros. Nihil hiſce emotus eſt animo Onias, quippe quem grandis ætas velut hebetaverat. Sed turbæ plurimæ Hieroſolymæ concitatæ ſunt.

Joſephus Oniæ ex ſorore nepos ruſticanis tunc in ædibus verſabatur, certiuſque factus de omnibus per literas à matre, reduxit ſe ſtatim Hieroſolymam, conveniensque Pontificem, demonſtravit quanto in diſcrimine res gentis ſuæ poſuiſſet: unum ſupereſſe reliquum, ſi quam primum poſſet in Ægyptum ſe conferens, rebus componendis daret operam apud cum Rege. Imparem ſe itineri ſuſcipiendo ſentiens Onias, rem totam commiſit, ad id ſeſe offerenti, Joſepho.

Facultate igitur à Pontifice impetrata, Joſephus indictæ populi concioni in exteriori Templi atrio palam expoſuit, quæ ab avunculo ſuo impetraſſet, propoſuitque illos, ſiquidem probare electionem Principis voluiſſent, cur animis requieſcerent, habere in promptu; neque enim timere ſe, quin res ſucceſſiſſet pro voto. Grates agere dicenti populus, ac rogare, ut proſequeretur in incœpto. Tum dimiſſa concione actutum ad Athenionem, virum in ædes ſuas deductum Regia munificentia excipit, ditiſſimè donatur, rogat inſuper, ut Regem faciat certiorem, actutum ſe collaturum ad Aulam, atque id præſtiturum, ut res pro voto componantur.

His viri officiis captus Athenion rediit Alexandriam, Regemque adeo pro Judæis occupavit, ut Princeps gratum ſibi fore diceret, ſi virum aſpiceret, recipiendoque humaniſſimè Judæo animum præparavit.

Ex quo Athenion receſſerat ad propria, Joſephus à viro negociatore Samariæ mutui lege accepit 20000. drachmas reddentes circiter 118000. libras noſtrates, ſingulis drachmis aureis in 5. lib. 13. ſolid. 6. denar. computatis. Valuit id in ſumptus apparando itineri Alexandrino.

Offendit inter eundum viros Principes Cœleſyriæ & Palæſtinæ eandem tenentes viam, adjecitque ſe illis in ſocium itineris. Meditabantur illi aſſumere in ſe Provinciarum ſuarum tributa. Cùm autem magnifico inſtructi apparatu iter haberent, quo caperent oculos Aulæ, humiliori ſatellitio Joſephum temnebant. Eorum ille dicteria tacitus auſcultabat; ſedulò apud ſe notans pariter quæcunque de proventibus regionum ſuarum quiſque conferret in medium, rebus ſuis cuncta convertens, ut ſcilicet tandem eorum diſpendio haberet, quo illis reliquo vitæ tempore inſultaret.

Alexandriam ut venerunt, divertiſſe Regem ad Urbem Memphim intellexerunt, ſtatimque eò direxit iter ſuum Joſephus, offenditque Principem remeantem in eodem curru cum Regina atque Athenione. Notam viri faciem ſtatim agnoſcens Athenion, indicavit Regi juvenem adeſſe nepotem ex ſorore Oniæ, de quo mira ipſe prædicaverat. Rex in currum ſuum aſcendere virum præcepit, expoſuitque quas habebat de Onia, ſolvere tributa recuſante, querelas. Joſephus avunculum pro viribus excuſavit, tantaque arte Regis ſibi animum cepit, ut eodem Principe jubente, & ſedem obtineret in Regiis ædibus Alexandriæ, & una cum eodem Rege diſcumberet.

Stata ergo die auctionum vectigalium, cum ad tributa Cœle-Syriæ & Phœniciæ ventum eſſet, Principes illi, qui cum Joſepho venerant, pro auctione Provinciarum Cœle-Syriæ, Phœniciæ, Judææ, Samariæ obtulerunt pecuniam 800. talentis non majorem. Joſephus, qui toto itinere dicta illorum omnia exceperat, atque apud ſe conferens intellexerat, auctionem illam duplo plus valere, gravioribus verbis reprehendit eorum in deferendis Regiis proventibus calliditatem, ac plus duplo ipſe obtulit, videlicet 1600. talenta, quam ſibi pecuniam auctionarii illi in res ſuas ad id uſque tranſtulerant, ſpoponditque totam illam ſummam in Regia æraria ſeſe illaturum. Lætus Ptolemæus de inſigni illo proventuum augmento, viciſſim autem hæſitans, num Joſephus ea, quæ promiſerat, eſſet ſolvendo, rogavit ecquam daret pro ſe cautionem. Tum ille ſtatim: Eam exhibebo, de qua tu ipſe non diffides; ſpondeo enim mihi futurum, ut tu Rex & Regina reſpondeatis pro me. Feſtivo viri dicto adblanditus eſt Rex, illique adjudicavit auctionem.

Statim ad hæc mutuatus eſt Alexandriæ 500. talenta, quibus avunculi ſui contractum cum Rege æs omne ſolvit; auctuſque titulo Exceptoris tributorum Regis in iis Provinciis, de quibus ſupra, ſimulque impetrato pro ſe duorum millium præſidio, quò tutius exigendis tributis operam daret, Alexandria ſtatim receſſit, ut novum munus initurus veniret. Cùm Aſcalonem Urbem procurationis ſuæ attigiſſet, inſtitit exigendis Regiis tributis; ſed inurbanè & inofficioſis verbis ab incolis repulſus eſt; negatumque vectigal. Ille actutum ſeditionis principes viginti apprehendi juſſit à militibus, & pro merito puniri, ex quorum bonis fiſco addictis 1000. talenta ad Regem tranſmiſit. Hoc exemplo tum & alio, quo Scythopolitanos reſiſtentes ad officium coegit, eo terrore affecit cæteros, ut nemine deinceps ſeſe opponente, facilè vectigalia omnia reciperet. Munus illud retinuit ſpatio 22. annorum, facilè ad id uſque cùm Provincias illas ſibi acquiſivit Antiochus Magnus Rex Syriæ, circa A. M. 3802. Quæ ſi vera ſint, initi muneris exordium componendum eſt cum an. 3780.

Cùm Rex Antiochus Magnus filiam ſuam Cleopatram nuptui tradidiſſet Ptolomæo Epiphani Regi Ægypti anno 3812. & dotis loco illi conceſſiſſet Cœle-Syriam, Phœniciam, Judæam, & Samariam, Joſephus facilè priſtino muneri reſtitutus eſt, retinuitque aliquot ſuccedentibus annis: cùm enim Regina Cleopatra filium peperiſſet circa annum 3817. & viri quique dignitate ampliſſimi è Cœlo-Syria & Phœnicia Alexandriam ſe contuliſſent, officii præſtandi gratia, Joſephus impar tanto itineri præ ætate, Hircanum filium ſuum ſubſtituit. Vide quæ de Hircano ſcripſimus in Dictionario v. *Hircanus*.)

III. JOSEPH, Jacob filius, Mathan nepos: *Matth.* 1. 15. B. Virginis Sponſus, & Jeſu Chriſti nutritius. Quidquid de ejus ætate & vita ejus circumfertur, præter ea, quæ in Evangelio recenſentur, apocryphis hiſtoriis innititur. Plures inter veteres credidere (b) Joſephum, antequam B. Virginem ſibi deſponderet, aliam duxiſſe uxorem, *Eſcham*, ſeu Mariam nomine, à qua Jacobum Minorem accepe-

(a) Antiquit. lib. 12. cap. 3. 4. Onias II. Sacrum munus iniit A. M. 3771. ante Chriſtum 229. Quo anno Joſephus exigere inceperit tributa, de quibus hic, ignoratur.

(b) Euſeb. l. 2. c. 1. hiſt. Eccl. Plures apud Hieron. in Helvid. c. 9. & in Matth. 12. Epiphan. hær. 28. c. 7. & hær. 78. c. 7. & hær. 78. c. 7. 8. Nicephor. l. 2. c. 3. Hilar. in Matth. 1. 1. Ambroſ. de inſtit. Virg. c. 6. Ambroſiaſt. in Galat. 1. 19.

acceperat, una cum cæteris, quos Fratres Jeſu Chriſti Scriptura appellat, quod utique omninò adverſatur Virginitati integerrimæ, cui D. Joſeph fuit perpetuò addictus, quamque contra Helvidium docet Hieronymus, cui nunc Latini omnes ſubſcribunt. Ad hæc qui ea D. Joſepho, & Maria, quæ B. Virginis ſoror putabatur, Jacobum Minorem natum tuentur, cum Maria Jacobi Mater Chriſto patiente adhuc viveret, vel Joſephum *Marc.* 15. 40. primam rejeciſſe, ut B. Virginem duceret, vel cum duabus ſororibus adhuc viventibus iniiſſe conjugium, à quo Lex abhorrebat, *Levit.* 18. 18. fateri cogentur (a).

Apocryphum de Virginis Nativitate Evangelium, cui D. Epiphanius, & alii plures adhærent, D. Joſephum, cùm Virgini nupſit, ſenio jam laborantem oſtendit. Jam tum octoginta annis majorem, & ſex filiorum ex prima uxore patrem D. Epiphanius *hær.* 51. *c.* 10. appellat. Non conſilio, ſed ſortitò, non ut tamquam uxorem adhiberet, ſed ut ejus Virginitatem tueretur, B. Virginem à quibuſdam creditur deſpondiſſe; ab aliis verò, quòd utpote affinis, & hæredi propinquior, teneretur (b). Idcircò virga florida præ manibus Joſeph pingitur, quòd ea virga, quam una cum cæteris ex domo Davidis, ad quos Virginis Nuptiæ pertinebant, Pontifici obtulit, flores illicò emiſerit, ita Deo ut plurimum oſtendente, quos ad Virginum ſibi præcipuè addictarum nuptias aſſumpſerit. Hæc tamen, quæ Hieronymus *in Matth.* t. 2. apocryphorum deliramenta appellat, prætereuntes, iis, quæ de S. Joſepho ab Evangelio accipimus, adhæreamus.

Ab Evangelio igitur Joſeph Juſti nomine donatur; *Matth.* 1. 19. qua quidem laude præ cæteris effertur; Juſtitia enim virtutes omnes complectitur. B. Virginem duxit, quòd & ipſam inſtar ſui de Virginitate perpetuò tuenda decreviſſe optimè ſciret. Poſt conjugium præſertim, ut plurimum morabatur in Nazareth; quidam enim Capharnaum, quidam verò Bethleem ejus patriam appellant. Qua occuparetur arte, diſputant; Artificem enim fuiſſe non ignoramus. *Matth.* 13. 35. Alii Lignarium, Ferrarium alii Fabrum Lapidarium putant. Juxta D. Juſtinum Martyrem *Dialog. cum Tryphon. p.* 316. jugis & aratris conficiendis; juxta D. Ambroſium, qui tamen ferrarii inſtrumentorum, quibus utebatur, eodem loco meminit, cædendis arboribus, & domibus extruendis incumbebat (c). Opus apocryphum & vetuſtiſſimum *de Infantia Jeſu*, ejus, dum patris fabri lignarii officinæ inſerviret, miraculorum recenſet. Chriſtianus quidam Libanio per jocum quid Chriſtus gereret poſcenti, Imperatori Juliano ferettum compegiſſe, reſpondit (d). Author imperfectus in D. Matthæum *hom.* 1. D. Thomas, & Recentiores plurimi Joſephum lignarium fabrum appellant.

Qui fabrum lignarium fuiſſe autumant, D. Hilarii *in Matth.* D. Petri Chryſologi *ſerm.* 48. Bedæ Venerabilis *in Marc. c.* 6. & Hebraici Evangelii D. Matthæi, à Tilio editi, authoritate ſententiam roborant, cui quidem neque Teophilus Antiochenus, neque D. Ambroſius adverſantur, cum folli & igne laboraſſe meminerint. Cardinalis Hugo *in Marc.* 6. Aurificem vocat, nihilominus, quòd Faber Lapidarius fuerit, non improbat.

Incarnationis Dominicæ Myſterii adhuc inſcius Joſeph, Mariam vel uxorem (e), vel ſibi deſponſam utero gravem intuitus, remque minimè intelligens; divortii chirographo ei tradito, de eadem ſecretò dimittenda, ne publicam infamiæ notam inureret, cogitabat. Quæ tamen meditanti Domini Angelus per quietem ſeſe offerens, ut à cogitatis abſtineret hortatus eſt. *Matth.* 1. 18. Quare Mariam hilaris ſibi aſſumeret, uterum enim Deo fœcundum gerens filium brevi enixura erat, quem Jeſum, ſeù Salvatorem ipſe idcircò appellaret, quod ei populorum peccata delenda forent. Joſeph itaque domum ſuam Mariam adduxit, eamque veluti ſponſam accepit.

Sex poſt menſibus (f) una cum ſponſa in Bethleem, ſuæ originis locum, progreſsus eſt, ut Auguſto Imperatori, qui omnes ſibi ſubditos recenſeri juſſerat, obſequeretur: *Luc.* 2. 1. quo in loco Maria filium ſuum Jeſum Chriſtum enixa, quadraginta à partu diebus exactis, una cùm Joſepho Jeroſolymam properavit, & ea uterque, quæ Lege tunc jubebantur, exegere. Cum verò in Bethleem regredi inſtituerent, Angelus iterum per quietem Joſepho oblatus, Infantem Dominum, quòd ab Herode ad internecionem quæreretur, in Ægyptum aſportari juſſit. *Matth.* 2. 13. Quamdiù autem ibi perſtiterit, incertum; brevi tamen regreſſum credimus, quòd Herodes prope Paſcha, paucis ab Infantium cæde menſibus, obierit.

Quo adempto, iterum de Angeli conſilio, Joſeph in Judæam reverſus, ubi Archelaum Herodi ſucceſſiſſe audivit, veritus, ne patris crudelitas demigraſſet in filium, neque Jeroſolymam, neque Bethleem, verùm Nazareth Galilææ, non Archelao, ſed Herodi Antipæ ſubjectam contendit, ubi fabrili opere ſibi conſulens, omnium virtutum laude exactam vitam abſolvit. Jeſum duodecim annos natum ad Paſchatis ſolemnia una cum Virgine Matre Jeroſolymam ductum, ſui & matris acerrimo dolore amiſit. *Luc.* 42. Quem tamen triduo poſt inventum Mater quare ſibi & patri quammaximo ipſum cruciatu indagantibus eam calamitatem attulerit, percunctata eſt. Cui Jeſus in iis muneribus, quæ ad patrem pertinent, ſeu ut alii vertunt, in Domo patris ſui ſe inquirendum fuiſſe reſpondit. *Luc.* 2. 49. Quæ tamen utriſque minimè percipientibus, regreſsus eſt Nazareth, eiſque obſequebatur.

Hæc Scriptura de Joſepho, quem ante Chriſti obitum interiiſse (g) perſpicuum videtur; nulla enim vel in Nuptiis Canæ, vel alibi poſt inceptam Chriſti prædicationem Joſephi mentio. Ad hæc, Chriſtus moriens D. Joanni Virginem matrem commendavit, quo utique, ejus vivente Conjuge, omnino abſtinuiſset. Joſephi ſepulchrum in valle Joſaphat ad Orientem Jeroſolymæ Itinerantes locant, qua de re nil apud Veteres. Ejus lipſana nullibi oſtenduntur, ſed quædam ſolummodo ad eum pertinentia, ut nuprialis annulus, quem Peruſiæ in Italia ſervari volunt. Licet vetuſtiſſima Martyrologia 19. Martii Joſephi meminerint, ſerò tamen ejus Feſtum cœpit inſtitui: quod forte apud Orientales celebrari ſolitum, Carmelitarum opera amplexa eſt Occidentalis Eccleſia. Præcipua etiam religio, qua D Joſepho addicta fuit D. Thereſia, ad ejus ſolemnia ultimo ſæculo quam maximè augenda, plurimùm contulit.

IV. JOSEPH, ſeù *Joſe* (h), Mariæ Cleophæ filius, D. Jacobi Minoris frater, & Jeſu proximè conſanguineus, utpote Mariæ B. Virginis Sororis, & Cleophæ Joſephi fratris filius (i), ſeù fortè filius ipſius Joſephi, juxta Veteres plurimos (k), qui, antequam B. Virginem duceret, Mariæ Cleophæ, ſeù *Eſcha* Joſephum nupſiſse tuentur. Joſephum Maria Cleophæ natum eundem fuiſse ac

(a) Vide Not. 3. Tillemont. in D. Jacobum Minur.
(b) Vid. Grot. ad Matth. 1. 16. Caſaubon ad Baron. 1. n. 37. alii ex Epiph. 78. c. 7.
(c) Ambruſ. in Luc. l. 3. n. 2. ex Theophil. Antioch. in Matth. 13.
(d) Apud Theodoret. hiſt. Eccl. l. 13. c. 18. Sozom. l. 6. c. 2. &c.
(e) Ambruſ. in Luc. l. 3. n. 2. Theophil. Antioch. in Matth. 13. 53.
(f) A. M. 4000. Anno Nativitatis J. C.
(g) Vid. Epiph. hæreſ. 78. c. 10. Ambruſ. in Luc. 23. & alios.
(h) Marc. 15. 40. Matth. 13. 53. & 27. 56.
(i) Hegeſipp. apud Euſeb. l. 3. c. 11. hiſt. Eccl.
(k) Vide ſupra II. Joſeph.

Joſephum Barſabam, cognomine *Juſtum*, una cum D. Matthia, ut alteruter proditori Judæ ſufficeretur, aſſumptum, nonnulli arbitrantur. *Act.* 1. 23. Quod tamen adhuc incertum. De Joſepho Domini fratre nil in Scriptura præcipuum. Ex iis Domini cognatis ſi fortè fuerat, qui cùm ei ſuaderent ut ad Tabernaculorum feſtum aſcenderet, in eum minimè credebant, quibuſdam ante Chriſti mortem menſibus plane reſipuiſſe videtur; Scriptura innuente, omnes Chriſti fratres ejus tandem Fidem amplexos eſſe, *Act.* 1. 13. & aſſerente Chryſoſtomo, virtutibus & fide celeberrimos evaſiſſe (a).

V. JOSEPH BARSABAS, cognomine *Juſtus*, ex primoribus, qui Chriſto adhæſerint, Diſcipulis, *Act.* 1. 21. inter 72. recenſitus (b), & à Petro una cum D. Matthia ſelectus, ut Judæ proditori, quod tamen ſortitò Matthiæ contigit, ſufficeretur; qui nihilominus Apoſtolicis muneribus ſemper addictus dies tandem abſumpſit, quem etiam hauſto veneno divinitùs è morte liberatum Papias apud Euſeb. l. 3. c. 39. hiſt. Eccl. recenſet. Uſuardi, & Adonis Martyrologia die Julii 20 ejus Feſtum ſtatuunt, & plurima ab Judæis perpeſſum glorioſa demùm morte interiiſſe commemorant.

VI. JOSEPH AB ARIMATHIA, ſeù *Ramatha* (c) Judæorum Senator, & occultus Chriſti Diſcipulus. *Joan.* 19. 38. Judæorum, & Synedrii præſertim flagitio de Chriſto interficiendo nunquam aſſenſus eſt. *Luc.* 23. 51. Cujus etiam mortui cadaver impavidè à Pilato conſequutus, *Marc.* 15. 43. *Joan.* 19. 38. in tumulum in ſaxo excavatum, & in horto non procul à loco ſupplicii ſitum, invexit, *Matth.* 27. 60. *Joan.* 19. 40. & tumuli oſtium ſaxo undequaque obſignante occluſit. Græca Eccleſia diem Julii 31. D. Joſepho ab Arimathia ſacram habet, cujus tamen nominis nulla in Veteribus Latinis Martyrologiis mentio, in Romano verò tantùm poſt annum 1585. Ejus cadaver, in Abbatiam Mediani Monaſterii, qua Carolus Magnus, beneficii titulo, cum donoverat, à Fortunato Gradi Epiſcopo aſportatum ferunt (d); ubi ad decimum uſque ſæculorum aſſervatum, eadem Abbatia, quam annis 70. detinuere, Canonicis tradita, ab exteris Monachis ſurreptum fuit. Prætermittimus hic, quæ de Joſepho ab Arimathia Pſeudoacta recenſent. Vid. *Bolland* 17. Martii.

VII. JOSEPH, Salomes Magni Herodis ſororis conjux, qui ab eodem Herode ad Marcum Antonium, ut de junioris Ariſtobuli Mariamnes fratris morte purgaretur, prodeunte, Judææ adminiſtratione decoratus, & ab eodem juſſus, ut ſi quid graviùs in ipſum Antonius ſtatuiſſet, ſtatim & Mariamnem, ne alter ea unquam potiretur, interficeret, rem eidem in conjugis amoris argumentum aperuit. Quare Mariamne Conjugis tyrannidem execrata, ab Antonio regreſſum graviſſimè accepit. Herodes verò Joſephi cum Mariamne turpem conſuetudinem, quòd ei tanti (e) momenti mandata credidiſſet, ſuſpicatus, continuò vel inauditum juſſit interimi.

VIII. JOSEPH CAIPHAS. Vide *Caiphas*.

IX. JOSEPH, filius Ellemi, qui ad unam diem, utpote cognatus, Matthiæ Pontifici ſubrogatus fuit, cùm (f) ille re ſacra peragenda per Legem (g) prohiberetur, quòd ante acta nocte ſibi per ſomnum cum uxore congredi viſus eſſet.

X JOSEPH, Canea filius, ab anno 4048. uſque ad 4050. Judæorum Pontifex.

XI. JOSEPH, cognomine *Cabei*, ſeu *Gaddis*, ab Agrippa Judæorum Pontificatu anno 3066. donatus, & ab ea dignitate eodem anno exturbatus.

XII. JOSEPH, Antipatri filius, & Herodis Magni frater interfectus in prælio, quo vel à fratre Herode prohibitus cum Aſmonæo Antigono congredi voluit.

XIII. JOSEPH, Gorionis filius, una cum Pontifice Anano in poſtremo contra Romanos bello muniendæ Jeroſolymæ deſtinatus anno J. C. circiter *67.* (h). Hic alius omninò eſt ab eo Joſepho, qui Judæorum hiſtoriam Hebraicè exaravit, quæ deinde Latino idiomate donata, pluries etiam excuſa eſt. Poſtremus hic Joſeph Gorionis filius fuiſſe Gallus, & ſæculo undecimo floruiſse creditur, qui etiam ſeipſum Hiſtoricum Joſephum, Matthiæ filium appellat, ſe tamen ſtatim prodit, cùm ſuam identidem inſcitiam exhibeat (i).

(Joſephus ben Gorion, ſeu *Joſephus filius Gorionis*. Scriptor iſte, cujus nec ætatem, nec ortum, nec vitæ profeſſionem certò ſcimus, ipſe ſibi vindicat titulum *Sacrificatoris*, *Principis populi ſui*, *qui unctionem pro bello receperit*, *tum etiam ſpiritum ſapientiæ*, *intelligentiæ*, *conſilii*, *roboris*, *ſcientiæ*, & *timoris Dei*. *Tandem virum eſſe ſe jactitat*, *qui pro populo Dei*, *pro Sanctuario*, & *pro gente ſua vitam dederit*. Hæc ille de ſe. Addit *ex militibus ſuis quendam ſibi acclamaſſe*. *Tu es vir Dei*; *benedictus ſit Dominus*, *qui creavit animam*, *quam geris qui te replevit ſapientia*. Cùm ab hoſtibus captus eſſet, alter alterum ſciſcitatur: *Eſt ne vir iſte*, *quem adeò Romani formidant? Quomodo captus eſt ille*, *qui unus terrorem injiciebat in noſtrum exercitum*, *cujus virtutis fama univerſum celebratur per Orbem!* Poſt captam Hieroſolymam Titus merito viri paria rependens, extulit illum ſupra cæteros Levitas & Sacerdotes Hebræorum.

Magnifica adeò & tanta affectatione congeſta elogia ideam ingerunt planè diverſam ab ea, quam ipſe de ſe ſubjicit Lectoribus. Sed Judæi, quorum inſita eſt menti in ſuos æſtimatio, nihil immodicum in laudibus hiſce viri deprehenderunt. R. Than, qui Joſephi hujus hiſtoriam vulgavit (k), affirmat, *omnia Scriptoris hujus verba juſtitiam præferre* & *veritatem*; *ut nihil ſit mendax in ſcriptis ejus omnibus*. *Nemo alius ad veteres Prophetas*, ait, *acceſſit propiùs*; *manus Domini requievit ſuper illum*, *dum Operi eſſet intentus*, *parumque abeſt quin ejus verba recipiantur*, *tanquam verba viri Dei*. Sebaſtianus Munſterus Lutetanus, eandem Hiſtoriam dedit, ſed plus dimidio mutilatam, ideò facilè, ut honori hujus Hiſtorici conſuleret, at poſteriores ejuſdem Operis editiones Lectoribus integrum relinquunt, ut de merito Lucubrationis ferant ſententiam. Damus hic Scripti ſpecimen aliquod.

Natum ſe dicit Joſephus 134. annis, poſtquam *Cæſareatus*, quem Græci *Imperioſa* appellant, inſtitutus fuit à Romanis; egiſſe verò ætatis annos 51. cùm *Julius Cæſar* venit in mundum. Affirmat, vidiſſe ſe *Julium Cæſarem primum Regum*, *quos Latini appellant Imperius*, *ſeu primum Cæſarem*, *qui reſtituit Cæſareatum tertio apud Romanos*. Addit vixiſſe ſe coævum *Jeſu filio Sirach Principi apud Judæos*. Quomodo hæc in unam chronologiam cohæreant? Vir unus idem-

(a) Chryſ. in Matth. hom. 5. hom. 20. in Joan. hom. 3. in Act.
(b) Vid. Euſ. l. 1. c. 12. Clem. Al. Beda. Epiph. de Chr. carn. c. 4.
(c) Euſebius ad v. Rumah eadem eſſe ac Arimathiam, & ad v. Armathem Sepha eamdem ac Arimathiam, de qua in Evangelio, eſſe aſſerit. D. Hier. in Epitaph. D. Paulæ, Arimathiam locat non procul à Dioſpoli; ſeu Lidda. Hæc igitur urbs Rama ſeu Ramula eſt Joppen inter & Jeruſalem.
(d) Richeri Senonenſ. Monachi Chronic. l. 2. c. 7. & 8. & Jo. de Bayon. Chronc. Mſ. Mediani Monaſterii. Qui Authores Fortunatum Jeroſolymæ Archiepiſcopum vocant; idem tamen unique eſt, ac Fortunatus Archiepiſcopus Gradi ſub Carolo Magno. Vid. le Cointe Annal. Franc. t. 6. p. 817.
(e) Joſeph. Ant. l. 15. c. 4. (f) Joſeph. Ant. l. 17. c. 8.
(g) Deut. 23. 10. Levit. 22. 4. (h) Joſeph. de Bell. l. 2. c. 25.
(i) Vid. Hiſt. Judæor. Baſnaget. 7. l. 10. c. 7. Edit. Pariſ. Et ultima Edit. Joſephi Ben Gorionis Gothiæ, & Lipſiæ excuſ. opera Friderici Breithaupt.
(k) Edit. Conſtantinopoli. anno 1490. 1510. & Venet. 1544.

Digitized by Google

idemque ſuppar eſt Jeſu filio Sirach, in ortu Julii Cæſaris agit 51. annorum ætatem, natumque ſe dicit 134. annis ab exordio Imperii apud Romanos.

Pater ejus Gorion captæ Hieroſolymæ ſupervixit, quippe qui expugnatam à Tito Urbem illam deſtituit. Opus igitur fuerat Gorion ad minus egiſſe tunc 240. ætatis annos. Joſephus iſte magno numero Scripta jam digeſſerat Julii Cæſaris ætate. Vulgavit, aic ille de ſe, rogante Senatu ſpiſſum volumen inſcriptum *Joſeph*. Complectebatur autem Chronicon vel Hiſtoriam Romanam, offerentem potiſſimum quæcunque acciderant omnia Rempublicam moderantibus Conſulibus. Nec contentus præterita retuliſſe, ad futura etiam mentis ſuæ aciem direxerat, certoque prædixerat oraculo, futuros inclytæ illius Urbis eventus, uſque ad ultimam ejus everſionem. Temperat ſe tamen ab adſciſcendo titulo Prophetæ; ſed refert *quæcunque didicerat à Sapientibus, qui agerant cum Prophetis & Paganis in ſuis conſeſſibus ſinceris maxime & fidelibus*. Commodum utique accidiſſet nobis ſi indicaret quos potiſſimum arbitratus fuiſſet Sapientes, quos ipſe vidit, & *adhæſerunt, dum viverent, Prophetis*. Interſtitium eſt maximum annorum inter veteres Prophetas Hebræos & Julium Cæſarem. De cætero pronum fuiſſet viro Urbis Romæ jam evolutas ſcribere, viro undecimo ſæculo non majori.

Opus illud excepit *Sapientia*, in quo ſermo nunniſi de Sapientibus & Doctoribus ætate Scriptorem præcedentibus. Porro duo hæc Opera errantis phantaſiæ ludibria potius credimus, quàm Lucubrationes in lucem ſolemque productas.

Tum Apologiam adornavit gentis & familiæ ſuæ adverſus Paganos. Jactitat ſe Opus non diſſimile ſcripſiſſe ac Joſephus Hiſtoricus Græcus in Appionem; cui ſane adornando nunquam eruditione non impar fuiſſet.

Dedit tandem notiſſimam hanc Hiſtoriam, de qua modo, Veteribus illaudatam, & circa duodecimum ſæculum primo cognitam (a). Porro illud quodcunque Opus perinde reputaretur ac Chronicon rerum ſub ſecundo Templo geſtarum; habendum ſe autem cenſet Author à poſteris velut inter hiſtoricos Principem. Elevat ille meritum ſuum vel ſupra Livium, cujus emendare errata in ſe ſuſcipit; profiteturque ſcribenti ſibi ad manus fuiſſe Authores alios plane multos, ex quibus in ſuum ſuccum plura tranſtulerit. Affirmat percurriſſe ſe Livium, Trogum Pompejum, Strabonem, Porphylium, (facile Porphyrium) Libros Cainan filii Enos, Medorum, Macedonum, & Perſarum; addit & epiſtolas Alexandri ad Ariſtotelem; ſuper hæc Græcorum Volumina & Fœderum Romanorum, Opus Kiiker vel Ciceronis teſtis oculati eorum, quæ Pompejus intulit gravia Sacerdotibus in expugnatione Jeruſalem. Agmen claudunt Calendarium à Julio Cæſare adornatum in uſum Græcorum & Nazaræorum, Chronicon Cæſarum Romanorum, & Collectio Juris Romani, quem Codicem Veſpaſianus exoſculatus eſt, qua die Imperii coronam accepit. Quanta, Deus bone, Impoſtoris deliramenta?

Tandem de ſcientia rerum Romanarum tanti viri en ſpecimen. In vivis agente ſe Julium Cæſarem Imperio potitum affirmat, quem Reipublicæ ſtatum tertio tunc viderant Romani. Tarquinius primus fuit inter Cæſares; Alexander Magnus victoriis ſuis vel Italiam emenſus eſt, ſubacta Roma, ubi & regnavit. *Imperius* filius Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti diu poſt inclytam Urbem ſuo adjecit imperio, ubi, & conſtituit *Cæſareatum*, vel Imperium. Is rerum ſtatus tandiu manſit, donec Antonius captus amore Cleopatræ, jura gentis violavit, ac populum concivit ad defectionem.

Romani, pulſo Antonio, ſacramenti ſe vinculo obſtrinxerunt eodem, quo ſub Tarquinio Cæſarum primo factum erat, ritu, nequid unquam Cæſarem deinceps paterentur. Interim Julius Cæſar donatus à Senatu imperio armorum Occidentalium, ſicut & Orientalibus præerat Pompeius, Julius, inquam, Cæſar prælio vicit Francos & Britones; nec majori ac quadriennii ſpatio Reges Occidentis omnes, ut imperata reciperent, coegit. Fortunæ proſperitate inflatus venit Romam, denunciavit Senatui velle ſe, ut in Cæſarem agnoſceretur. Reſtitit Senatus prolixa & moroſa oratione, quam ſuo Marte conficƭam recitat Joſepus Gorionides. Cæſar ad minas & vim; nec abſtinuit ab intentanda Patribus nece; prælio vicit Pompejum, atque ipſe primus tertiam Dynaſtiam Imperatorum conſtituit. Huc ſyſtema hiſtoricum populi Romani viri hujus longe doctiſſimi.

Quam recitat, Alexandri Magni hiſtoria, ſeries eſt conſertarum fabellarum, mendiſque ſcatet putidiſſimis, ut nulla ſit Romanenſis hiſtoria invita magis expreſſa Minerva. Jactitat ſe deduxiſſe, quæ narrat, è genealogia Principis digeſta à Magis Ægypti, anno poſt ejus obitum proxime ſuccedenti. Paucis ab hinc annis D. Gagnier vulgavit Latinum Opus inſcriptum: *Geſta Alexandri*, cum Latina verſione Gorionidis. Latinus Author in rebus geſtis Gorionidi per omnia convenit, affirmatque, non ſecus ac Judæus ille, hiſtoriam hanc ſuam expreſſiſſe è Commentariis Magorum Ægypti. Utra vero antiquitate præſtet definire arduum judicamus: Latinum ſcriptum minoribus infarcitur fabellis; vetuſtatem quidem non præfert; ſed & recentius videtur Hebraicum Opus. Sermo ibi frequens de Normannia, Armorica, Amboſia, Ligeri, Cainone, Gallia, Langobardia, Anglia, Pannonia, & Turcarum regione.

Meminit & Burgundorum, Bulgarorum, incolarum Cracoviæ, Croatorum vel Cravatorum, Florenorum auri &c. quibus argumentis recens procuſam fabellam quis non intelligat? Animadvertiſſe juvat Hiſtoriam Joſephi non legiſſe niſi ex verſione Rufini. Vix ambigitur Gallicam retuliſſe originem, nec alibi quam in Gallia ſcripſiſſe, ſed an in Turonia, Britannia minori vel Normannia incertum. Videſis Editiones hujus Scriptoris maxime Gothianam & Lipſienſem D. Friderici *Breithaupt*, & D. Baſnagem in hiſtor. Judaic. tom. 7. lib. 10. cap. 7.)

XIV. JOSEPH, Hiſtoricus, Judæus, cognomine Flavius, Mathiæ filius ex progenie Sacerdotum, anno 1. Caii imperantis (b), & à Chriſti adventu 37. Jeroſolymæ natus. Eo uſque adoleſcens profecerat, ut annos natum 14. ipſi Pontifices de pertinentibus ad Legem conſulerent (c). A decimo ſexto uſque ad annos 19. in ſolitudinem profectus, Bani Magiſtri ſeveriſſimam vitam ſibi propoſitam, prorſus conatus eſt imitari, tribuſque Judæorum præcipuis ſectis ſedulo diſcuſſis, demum Phariſaicam (d) amplexus, & anno ætatis ſuæ 19. & a Chriſti adventu 56. ſeu 57. Jeruſolymam reverſus, publicis rebus cœpit incumbere. Poſt annum vero ætatis 26. ut amicis quibuſdam conduceret, iter Romam aggreſſus, naufragio navi obruta, & quingentis ſupra viginti à mari exhauſtis, ipſe, & alii 80. per totam noctem natantes evaſere. Romam denique ingreſſus, Poppææ, quam ſibi Nero anno 62. connubio junxerat, precibus incolumitatem amicis eſt conſequutus. Tribus videtur nupſiſſe uxoribus; conjugem enim Jeroſolymis, ſibi fuiſſe Judæis teſtatus (e); aliam Cæſarienſem Veſpaſiano jubente aſſum-

(a) Salomon Jarchi Judæus Gallus in vivis agens circa annum 1140. omnium primus aperte hujus operis meminit. Poſt ipſum laudant Aben-Ezra, Abraham, Bendior, & David Kimchi ejus circiter ætatis Scriptores.
(b) Joſeph. de vita ſua & Antiq. l. 29. c. 9. (c) Idem de vita ſua.
(d) De vita p. 998. 999. (e) De Bell. l. 6. c. 11.

aſſumpſiſſe, eaque non diu poſt dimiſſa, Alexandriæ alteram duxiſſe fatetur (a).

Judaici belli contra Romanos initio (b) Galilææ Præfectus (c) memoranda plurima geſſit, quæ in Libris de Bello per ſe ipſum ſtudioſe recenſet. Ea vi Veſpaſiano Jotapatam Galilææ urbem obſidenti reſtitit, ut ſui admirationem Romanis ipſis attulerit; qua tandem oppugnata, ad ſpecum imperviam Joſephus confugit, ubi quadraginta viros latitantes offendit (d). Triduo poſt invento Veſpaſianus, modo ſe dederet, ſalutem obtulit, cujus fidem primo verens, tandem manus dedit: quare eum ſociorum impetum in ſe concitavit, ut vel per ſe, vel per ipſos ei moriendum conclamarent. Ille verò valida oratione vitam ſibi adimere omnibus cautum, idque non virtuti, ſed infirmitati tribuendum oſtendens, reluctantes nihilominus, eo tandem adduxit, ut mutuas cædes ſingulis ſortientibus, cui primo obtigiſſet manu ſequentis ſucceſſive occumberet. Actum eſt; jamque omnibus, ſe præter & alterum, ſortito enecatis, illi, ut viveret, nullo negotio perſuaſit.

Se igitur Veſpaſiano permittens (e), ab eo ad Neronem mittendus aſſervabatur: quod ubi eum non latuit, Veſpaſianum alloqui obteſtatum, omnibus, præter Titum, & duos amicos, ſummotis, in ſui conſpectum adductum Veſpaſianus audivit. Audivit autem ſibi poſt Neronem, & alios imperium prænunciari: cui vaticinio ut fides facile præſtaretur, Joſephus ſe ſuæ captivitatis Jotapenis prædixiſſe diem aſſeruit; quod quidem à captivis Judæis Veſpaſianus compertum habuit, qui deinde anno Chriſti 69. ad imperium evectus, vaticinium implevit. Aliquanto poſt cœtu Beryti coacto, & cunctis audientibus Joſephi virtute laudibus elata, honore æque ac libertate eum donaturus, ejus vincula non modo ſolvit, verum etiam contrivit, id enim his, qui injuria devincti fuerant, agi ſolitum (f).

Una cum Tito ad Jeroſolymæ obſidionem deinde profectus, pluries Judæis, ut Romanorum clementiæ ſe dederent, conatus eſt perſuadere; cui tamen illi injurias & probra rependentes, quadam die non procul à mœnibus eos alloquentem ita vibrato lapide vulnerarunt, ut exanimis pene conciderit (g), ſtatimque ab irruentibus Judæis abreptus eſſet, niſi Romanorum accurſu protectus evaſiſſet. Urbe demum capta, an. Ch. ſeu Ær. 70. Titus eo rogante Judæos plurimos libertate donavit, eique ſacros, quos popoſcerat, Libros indulſit, & bello tandem abſumpto, Romam regrediens anno 71. eumdem comitem adhibuit. Romam itaque Joſephus reverſus à Veſpaſiano Imperatore Civis Romanus eſt denunciatus, à quo etiam ædes ipſas, quas privatus incoluerat, ſibi incolendas accepit; quem denique penſitationibus, prædiis in Judæa, aliiſque amoris argumentis à patre donatum (h), plurimis Titus filius honoribus cumulavit. Ipſe vero grati animi ergo, quod Veſpaſiani Libertus eſſet, ejus familia nomine, *Flavius* nempe, voluit appellari.

Romæ immorans, patrio Idiomate, ſpecie nempe quadam Syriaci idiomatis de Judæorum bello hiſtoriam prætexuit (i), quæ ſtatim ad Arabes Adiabenos, Babylonienſes, Parthos, & Judæos ultra Euphratem vulgata eſt, & eandem, ut Romanis morem gereret, Græce tranſtulit. Quo tempore idioma Græcum didicerit, ignoramus; fatetur tamen ipſe nunquam ea verba perfecte protuliſſe, quod iis ab ineunte ætate non incubuiſſet; Judæi enim Linguarum ſcientiam negligunt (k). Ad ſuæ hiſtoriæ veritatem comprobandam, eos, qui eidem bello interfuerant, teſtes adhibet, quam, ubi abſolverat, Veſpaſiano, Tito, & Agrippæ Regi obtulit, qui eamdem laudibus plurimis extulerunt; cujus etiam exemplar ſuo ſigillo munitum, quod inde excidii Jeroſolymitani ſeries haurienda eſſet, in publica Bibliotheca Titus aſſervari juſſit (l). Nos hic Judæorum belli eventum, Chriſti jam prope morituri *Matth.* 24. *Luc.* 19.43. prædictionis complementum, & ejuſdem ab ipſis interfecti mulctam fuiſſe oſtendendo non immorabimur.

Poſtquam Judaicum bellum abſolverat, generalem de Hebræis hiſtoriam ab origine Mundi aggreſſus uſque ad Chriſti 66. & Neronis duodecimum, quo à Romanis defecerunt, annum produxit; cui operi ad preces Epaphroditi, celebris, ut credimus (m), Neronis Liberti, anno Chr. 95. à Domitiano interfecti, incumbens, annos natus 56. Domitiani imperantis 13. Ch. 93. prorsùs abſolvit. Licet vero ſacris Libris, ex quibus ea, quæ recenſet, exhauſit, nihil ſe additurum, ſe nihil dempturum profiteatur, plura tamen reticet, plura immutat, plura etiam occultat, quorum plurima Poſſevinus *Apparat. p. 967.* 968. recenſet; pluraque alia poſſent recenſeri. Antiquitatibus Judaicis ſuæ vitæ librum appoſuit, quem ea ætate vulgavit, qua plurimi eum mendacii potuiſſent accuſare, ſi à veritate aberraſset (n). Hic autem Liber, qui veluti Antiquitatum vigeſimi complementum ducitur, & de iis præſertim agit, quæ ipſe Galilææ Præſes geſſerat, eidem Epaphrodito, cui Antiquitates dicaverat, inſcribitur. Cum vero Epaphroditus anno Ch. 95. obierit, Joſephus ſui hiſtoriam anno 93. ſeu 94. confeciſſe dicendus eſt.

Ea, quæ de Judæorum antiquitate retulerat, quibuſdam in dubium revocantibus (o), novo operi, quod eidem Epaphrodito inſcriptum, *contra Appionem*, ſeu juxta Euſebium, & D. Hieronymum *de Judæorum Antiquitate* appellavit (p), Joſephus incubuit; ubi plura prophanorum Authorum loca allegat, quibus Hebræorum antiquitas, & in plurimis, quæ Judæorum hiſtoria recenſentur, enarrandis veterum & exterorum Scriptorum nulla diſcrepantia, oſtenditur. Ibi denique contra Appionem, aliоſque, qui Judæis detraxerant, eorumdem Apologiam inſtituit.

Sermo demum optime diſertus, *De rationis imperio* inſcriptus, & Joſephi nomine decoratus præfertur, qui in aliquibus Græcis Bibliis, quod agat de ſeptem fratrum Machabæorum Martyrio, de quibus brevius in ſecundo Canonico Machabæorum *c.* 7. *Quartus Machabæorum Liber* appellatur. Quem tamen nos difficile Joſepho tribuimus; 1. quod ab ejus ſtylo ſatis diſcrepet; 2. quod ipſe de eo, ſicut de cæteris ſuis operibus, nunquam meminerit; 3. quod plura ferat, quæ Scripturæ, & veraci Machabæorum hiſtoriæ adverſantur. *Vid. noſt. Præfat. in l. 4. Mach. p.* 420. 421.

De Jeſu Chriſto optime ſermonem inſtituit (q), eumque Chriſtum à Prophetis prænunciatum, & miraculis eximium vocat. Addit præterea interfectum, triduo poſt ad vitam reſtitutum, & pluribus adauctum fuiſſe Diſcipulis; denique Chriſtianorum genus, qui à Chriſto nomen acceperant, ad illum uſque diem non defeciſſe fatetur. Cujus loci veritatem Recentiores (r) nonnulli in incertum revocant; cum tamen Veteres eumdem allegaverint, eum-

(a) De vita ſua prope finem. p. 1030. (b) An. Ch. 66. (c) De vita p. 1000.
(d) De Bell. l. 3. c. 14. (e) De Bell. l. 3. c. 14. (f) De Bell. l. 5. c. 2.
(g) De Bell. l. 6. c. 15. (h) De vita ſua p. 1031. (i) Joſeph. de Bell. Prolog. p. 705.
(k) Ant. l. 20. c. 9. p. 703. (l) Joſeph. de vita p. 1026. Hieron. de viris illuſtr. c. 13.
(m) Pearſon. opera poſthum. p. 272. Diod. l. 67. p. 766. Tillemont. ruine des Juifs, art. 81.
(n) Antiq. l. 20. c. 9. p. 703. (o) Contr. App. l. 1. p. 1033.
(p) Euſeb. hiſt. Eccl. l. 3. c. 9. de Præparat. Evang. l. 8. c. 7. Hieron. de Viris illuſtr. c. 13.
(q) Antiq. l. 18. c. 4. (r) Blondel. de Sibil. l. 1. c. 7. p. 28. 29.

Digitized by Google

cumque in omnibus Joſephi exemplaribus inveniatur, non eſt, cur ipſum Joſepho detrahamus. Qua de re conſulantur *Franciſcus de Roye*. Huetius in ſua Demonſtratione Evangelica *propoſ.* 3 *art.* 11. & Tillemontius nota 40. *ſur la ruine des Juifs*; opuſculum denique, an. 1661. à Chriſtophoro Arnoldo editum, in quo 29. variorum operum loca, & 30. variorum Sapientum epiſtolas, in quibus hac de re eorum ſententia profertur, ſedulo coegit.

Optime etiam loquutus eſt Joſeph. *Antiq. l.* 18. *c.* 7. de D. Joanne Baptiſta, & de D. Jacobo Minore, Jeroſolymæ Epiſcopo *Ant. l.* 20. *c.* 8. cujus ipſe ſub fratris Chriſti nomine meminit. Legere quondam erat in ejus hiſtoria, ab Imperatore Claudio Judæos Roma fuiſſe expulſos (a), & hos Jeroſolymæ excidio ſe confectos eſſe idcirco putaſſe, quod D. Jacobo Minori necem intuliſſent (b). Mirum ſane, quod nullibi de Innocentium cæde meminerit; at alia plurima prætermiſit. Veterem, qua fruimur, Latinam Joſephi Verſionem à Rufino Aquilejæ Presbytero confectam credimus. Joſephi hiſtoriam Photius *Codice* 47. plurimi pendit, quem præterea Hieronymus *de Viris illuſtr. c.* 13. Græcorum T. Livium appellat. Euſebius denique *hiſt. Eccleſ. l.* 3. *c.* 9. quod optime ſcripſerit, ei ſimulacrum Romæ erectum oſtentat. Quo anno obierit, ignoramus. Quamvis autem nulla de Joſepho in ſacris Libris mentio fiat, attamen de eo fuſius agere, quod ſæpe in hoc Onomaſtico eum allegemus, & quod ab eodem plurima hauſerimus, operæ pretium duximus.

XV. JOSEPH, cognomine *cæcus*, Profeſſor, ut dicitur in Academia *Saræ*, circa an. 351. quem Judæi *Lampadem magnam*, ſeu *Saghi-Nabor* appellant (c). Donatus eſt etiam nomine *Cinai*, quod Traditiones omnes, quibus Moyſes in monte Sinai cumulatus fuerat, perfecte callere ſe jactaret. Chaldaicæ in Pſalmos, Jobum, Proverbia, Eccleſiaſtem, Canticorum Cantica, Ruth, & Eſther Paraphraſes adeo inter ſe & eloquutione, & methodo (d) diſcrepant, ut idem omnium author à nemine credatur; aliæ enim amplificatæ, atque effuſæ, veluti Cantica Canticorum, & Eccleſiaſtes; aliæ contractæ ſunt & Laconicæ, veluti cætera, quæ recenſuimus. Miſnæ, & Talmud in eis mentio, ſicuti etiam Turcarum, & Conſtantinopolis, quare, inquit (e) P. Morinus, multo recentiores habendæ ſunt, quam fiant à Judæis. Elias Levita (f) idiomatis Babylonienſis, Græci, Latini, & Perſici veſtigia in eis inveniri aſſerit; in quibus etiam nulla eloquutionis caſtigatio.

JOSIAS, filius Amonis Regis Juda, & Ididæ filiæ Hadajah de Beſecath. 4. *Reg.* 22. 1. Octo annos natus (g), Regno aſſumpto, per omnes juſtitiæ vias recto tramite incedens, Domino ſemper adhæſit; cui pergratum maxime præſtiturus, ætatis ſuæ vigeſimo, Regni vero duodecimo anno, excelſa, lucos, ſimulacra, & ſculptilia omnia Judæ, & Jeroſolymæ prorſus evertit (h): Pſeudo-Sacerdotum oſſa in altaribus Idolorum combuſſit, & Ephraim, Manaſſis, Simeonis, & Nephtali peragratis urbibus, omnibuſque Idololatriæ monumentis ubique deletis, regreſſus eſt Jeroſolymam.

Templi reſtaurationi (i) retroactis annis nimium neglectæ ſedulo incubuit. Cum vero Helcias Pontifex pecunias ab Iſraelitis oblatas, ut expenſis conſuleret, è Templi ærario educeret, *Librum Legis Domini per manum Moyſi* 2. *Par.* 34. 14. invenit, quem Legis Autographum ducimus (k), & vel in aliquo pariete, vel arcula, vel forte prope ipſam Arcam repertum credimus; illa enim tunc temporis extra Sanctuarium fuiſſe videtur, cum eamdem Joſias in eo locari, nec inde unquam aſportari juſſerit. 2. *Par.* 35. 3. Volumen illud in quiſquiliarum acervo, alibi vero in ſubterranea foſſa celatum, & pene deletum, inventum fuiſſe Chryſoſtomus *in* 1. *Cor.* 2 *hom.* 7. aſſerit (l), quod tamen Deuteronomium ſolummodo fuiſſe arbitratur, forte quod illud Moyſes juſſerit Arcæ apponi. *Deut.* 31. 26.

De invento volumine Joſias à Saphano Scriba admonitus, illud ſibi legi juſſit: 4. *Reg.* 22. 9. &c. & 2. *Par.* 30. 18. &c. quo audito veſtes ſibi ſcidit, & Pontificem & aulæ Optimates, Dominum ea de re conſulere juſſit; verendum enim, ajebat, ne propter neglectas à Majoribus Leges Moyſis, graves ſibi & populis imminerent calamitates. Illis itaque ad Holdam Propletidem, uxorem Sellum profectis, & quid agendum ſciſcitantibus, illa iis malis, quæ in eo volumine Res audiverat, Jeruſalem, quod exterorum Idolis adoleverit, conterendam fore; Regem vero, quod volumine audito ingemuerit, & veſtes diſciderit, in ſepulchrum patrum ſuorum pacifice inferendum, neque urbi calamitatibus obtutæ adfuturum, reſpondit.

Quo mulieris vaticinio ſibi renunciato, Joſias omnes Judæ & Jeroſolymæ Majores natu advocavit, unaque cum illis Templum ingreſſus, cunctis audientibus, inventum volumen legit, omneſque ad præcepta Domini ſervanda ſacramento adegit. Omnibus præterea, quæ adhuc in Juda ſupereſſent, Idololatriæ reliquiis prorſus eliminandis addictus, Aruſpices, & aſtrorum cultores, & effæminatorum proſtibula evertit; Sacerdotes, qui excelſis immolaverant, ab Altari prohibuit. Tophet, & Convallem Hennon, & cætera ſuperſtitione vitiata loca fœdavit, mortuorumque oſſibus referſit, & ſimulacra omnia contrivit. Altare ab Jeroboamo Nabath filio Bethel erectum delevit, & Pſeudoprophetarum, & vitulorum aureorum Sacerdotum oſſa è ſepulchris educta combuſſit: cumque incidiſſet in cineres Prophetæ illius, quem ad Jeroboamum increpandum Dominus miſerat, 3. *Reg.* 13. 31. quique ab altero Propheta deceptus, vires ſuas interdicta ſibi a Deo comeſtione refecerat, illos minime eduxit; in quorum etiam gratiam & illi alteri Prophetæ pepercit, qui apud eumdem tumulari voluerat. 4. *Reg.* 23. 17.

Suis deinde populis edixit, An. M. 3381. ante Chr. 619. ante Ær. 623. ut Paſcha ea ſolemnitate peragerent, qua in Legis volumine recenſetur. 3. *Reg.* 23. 21. &c. 2. *Par.* 35. 1. &c. Hoc ſane Paſchate, quod decimo octavo imperii ſui anno ab Joſia celebratum eſt, neque ſub Judicibus, neque cæteris Judæ & Iſraelis Regibus imperantibus, ullum Scriptura teſte ſolemnius peractum eſt, neque Regum ullus anteceſſerat, quem Joſias pietate, & juſtitia non præcelluerit.

Deo nihilominus adhuc Judæ ſuccenſente, Joſias cum Pharaone Nechao Ægypti Rege prope Mageddo ad montis Carmeli radices congreſſus, quod ei ad Carchemas ſecus Euphratem oppugnandas progredienti, per Judæam (m) iter intercludere conaretur, lethali telo confoſſus eſt; quo etiam vulnere Jeroſolymam reverſus, interiit. Optimum Regem Judæis luctu maximo proſequutis, Jeremias præſertim ingemiſcens Canticum lugubre conſcripſit. Joſia denique in Majorum ſuorum ſepulchrum illato, ejus filium Joachaz, alio nomine Sellum, Judæ populus ſibi Regem aſſumpſit.

Cedo hic Jeſu filii Sirach de Rege Joſia præconium. *Eccli.* 49. 1. *Memoria Joſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quaſi mel indulcabitur ejus memoria, & ut muſica in convivio vini. Ipſe eſt directus divinitus in pœnitentiam gentis, & tu-*

-lit

(a) Vid apud Grot. l. 7. c. 6. (b) Origen. in Matth. Græc. p. 223. c. d.
(c) Ganz. Tzemach. David. ad an. 113. (d) Huet. de Claris Interpretib. §. 6.
(e) Morin. exercit. Biblic. l. 2. exercit. 8. c. 2. (f) Elias Levita Præf. in Meturgamin.
(g) A. M. 3363. ante Ch. 637. ante Ær. 641. (h) A. M. 3374. ante Ch. 626. ante Ær. 630. 2. Par. 34. 2. &c.
(i) Circa an. 3380. ante Ch. 620. ante Ær. 624. (k) Joſeph. Ant. l. 10. c. 5. Grot. Jun. Piſc. Hebræi. Alii plures.
(l) Idem in Matth. 2. hom. 9. (m) 4. Reg. 23. 29. & 2. Par. 35. 20. A. M. 3394. ante Ch. 606. ante Ær. 610.

Digitized by Google

lit abominationes impietatis. Et gubernavit ad Dominum cor ipſius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Præter David, & Ezechiam, & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt.

Plures, Joſia imperante, Prophetæ, Jeremias nempe, Baruch, Joel, Sophonias, & Propheteſ Holda, in Juda floruere. Arbitrati ſunt plurimi (a), Lamentationibus, quibus nos hucuſque potimur, Joſiæ obitum Jeremiam ingemuiſſe, & eas illas eſſe, de quibus in Paralipomenon ſecundo 35. 24. fit mentio; quaſque eo tempore celeberrimas diu etiam poſt Muſici & Cantatrices omnes concinebant. Luctus, quo Judæi Joſiæ mortem proſequuti fuere, in legem veluti & in proverbium abiit; quare Zacharias 12. 11. gemitum in Meſſiæ morte effundendum memorans, ad luctum de Joſiæ morte eundem retulit: *Sicut planctus Adad-remmon in campo Mageddo*. Joſiam prope Mageddo juxta Adad-remmon lethali vulnere conſoſſum ſcimus; cui quatuor liberi fuere ſuperſtites, *Joachaz* nempe, qui & Sellum, *Eliachim*, ſeu Joakim, *Sedecias*, qui & Matthanias, & *Johanan*, qui forte junior interiit. Cæteros Reges vide ſuis locis.

(In hiſtoria Joſiæ ardua quædam occurrunt. 1. Satis non habuiſſe pium Regem ab Idololatriæ ſordibus repurgare Jeruſalem, atque omnem late ditione ſuam; ſed & ſtudia ſua promoviſſe etiam uſque ad Regnum Iſrael 4 Reg. 23. 15. ubi dejecerit Aram à Jeroboamo filio Nabath conſecraram, lucos ſucciderit, edita loca, ubi populus aureis vitulis ſacrificabat, ſummoverit, ac paria in ſubjectis omnibus Regno Samariæ locis præſtiterit. Ubique enim loca ſuperſtitioni & Idololatriæ conſecrata ſubvertit, Sacerdotes editorum collium trucidavit, defunctorum oſſa ſuper Aras incendit, reſtituitque ſe his demum peractis Hieroſolymam. Deſierat tunc quidem Regnum Iſrael, ultra Euphratem tranſlatis decem Tribubus (b); ſed frequentes adhuc erant in Regione incolæ, quā è reliquiis Iſraelitarum, quā è Chutæis, eo miſſis à Regibus Aſſyriæ. Conſtat inſuper Joſiam nulla regia authoritate in eam provinciam, Aſſyriæ Regibus ſubjectam, valuiſſe; quomodo ergo Regio jure hæc ibi diſpoſuit?

Hiſce itaque reponimus; 1. Joſiam ea in re minus politicas regulas ſecutum, quam ſuum in Deum ſtudium. 2. Non abs re credimus Principem hunc ſapientia præditum, nihilque agentem inconſultum, nihil etiam ea in re molitum fuiſſe niſi prius auditis viris in Regno ſuo ampliſſimis. 3. Ex hiſtoriæ Joſiæ contextu intelligimus, Principem hunc fœdere ſibi junctos habuiſſe Reges Chaldææ; cum in expeditione urbis Carchemitæ procedenti Nechao Regi Ægypti adverſarius reſtiterit. Propius igitur vero eſt, Joſiam poſſediſſe loca Samariæ, quemadmodum imperio habebat ſubjectam Judæam, impetrata à Regibus Chaldæis deſpotica authoritate in triſtes illas everſi Regni reliquias. Nihil quidem ea de re Scriptura; ſed nec contrarium inſinuat. 4. Tandem Chutæi & cæteræ gentes ab Aſſaradone in Regionem illam vocatæ non minori ſtudio tenebantur, uti credere par eſt, in promovenda religione Iſraelitarum decem Tribuum; viciſſim autem è Tribubus illis reliquiæ nec reſiſtendo Joſiæ pares erant, nec querelas ſuas urgere potuiſſent apud Reges Chaldææ, quippe qui in regione tolerabantur potius, quam obtenta ab illis facultate manebant.

Alterum, quod faceſſit negotium, ſpectat ad expeditionem Joſiæ in Nechao Regem Ægypti. Porro Nechao, incertum quā de cauſa, movit in Carchemiſam urbem ad Euphratem (c), facile ditionis Regum Babyloniæ vel Aſſyriæ, ut eſt in quarto Regum. Ut opponeret ſe tranſeunti Joſias copias ſuas duxit. Rex Ægypti per legatos quæſivit quid ipſi eſſet ſecum; rem habere ſe in aliam domum, in quam infeſta arma movere quantò citius juſſus eſſet à Deo; ceſſaret proinde adverſarium ſe præbere Deo potius, quam ſibi, metueretque alioqui graviorem in ſe Numinis ultionem. Acquieſcendum hiſ, quæ Dei nomine annunciabat Nechao, ſibi non cenſuit Joſias, quare commiſſo ad Maggedo prælio ſauciatus, gravi vulnere extinctus eſt. In his omnibus ita ſe explicat Scriptura velut reipſa Nechao immiſſus à Deo moviſſet in Carchemiſam.

Creditur Jeremias vel alius quiſpiam è Prophetis Domini (d), denunciaſſe ejus nomine Nechao, ut expeditionem illam ſuſciperet. In tertio Eſdræ 1. 28. legimus Joſiam noluiſſe tunc verba Prophetæ auſcultare. Sed quid movit Principem illum, ut adverſarius reſiſteret Principi Ægypti nihil ab ipſo exigenti? Non abs re autumaremus, Joſiam ſeu fœdere junctum fuiſſe, ſeu tributa pendiſſe Regibus Chaldææ, in quos jura Regum Aſſyriæ tranſierant; Aſſyriis enim ſervierat Manaſſes, nec alia conditione reſtitutus eſt in thronum, quam data fide manendi in obſequio. Id ſibi onus impoſitum norat Joſias; quare non commodum ſibi erat tantum, ſed & neceſſarium, iter habentibus per regionem ſuam Ægyptiis, urbi imperio Chaldæorum ſubjectæ illaturis arma, reſiſtere. Si non ſatis obſequi Dei juſſionibus viſus eſt, id utique in cauſa fuiſſe reputandum eſt, quod non ſatis agnoſceret, num Deo authore iſta gererentur, nec aſſerenti hoſti fidem habere tenebatur.)

JOSPHIAS, una cum aliis ſexaginta Babylone regreſſus eſt. *Vid.* 1. *Eſd.* 8. 10.

JOSUE, filius *Nun*, Græcis *Jeſus filius Nave*, ea Tribu Ephraim natus an. *M.* 2460. ante *Ch.* 1540. ante *Ær.* 1541. Moyſi ſervituti addictus, à Scriptura paſſim Moyſis famulus appellatur. *Exod.* 24. 13. & 33. 11. & *Deut.* 1. 38. &c. Primum illius nomen, *Oſee*; *Num.* 13. 9. 17. cui Moyſes Dei nomen addens, *Joſue* nuncupaſſe narratur. *Hoſeah* (e) Servatorem ſonat; *Jehoſua*, Dei ſalutem, ſive, ipſe ſalvabit. *Servi Moyſis* epithetum non injuria eſt ipſius Joſue, ſed gloria; cum præcipuum Moyſis amorem, & æſtimationem caperet, qua ipſe Moyſes inductus eſt, ut ipſum in ſuum Miniſtrum eligeret. Heroicis illis temporibus Heroibus viri & virtute & genere eximii ſerviebant. Hinc Homerus Patroclum Achillis ſervum, & Merionem Idomenæi famulum inducit; licet ambo in Græco exercitu Trojam obſidente inter cæteros eminerent. Eliſeus Eliæ ſervus erat, ipſique aquam manibus miniſtrabat: 4. *Reg.* 3. 11. quod profecto ſummæ illius authoritati non officit.

Primum virtutis ſpecimen Joſue tunc exhibuit; cum Dominicis juſſis parens, Amalecitas fudit (f). Quod facinus Dominus Moyſi ut ſcriptis mandaret, ipſumque Joſue Amalecitas penitus delendos ſe velle moneret, imperavit. Moyſi montem Sinai diebus 40. totidemque noctibus jejuno, ut Legem à Deo reciperet, incolenti, Joſue comes, non tamen, ut creditur, impaſtus, eodemve in loco, adhæſit: *Exod.* 24. 23. cumque ambo è monte deſcenderent, *Exod.* 32. 17. auditas populi circa vitulum aureum ludentis voces, Joſue præliantum eſſe credidit; Moy-

(a) Hieronym. in Zachar. 12. Chald. Interp. Raban. Maldonat. Thomas, Bonavent. Hugo. Vat. Jun. &c. Nos ea de re noſtram adverſam ſententiam retulimus in Præfatione in Lamentationes.

(b) Everſum eſt regnum Iſrael A. M. 3279. & Joſias Regnum inivit A. 3363. Repurgare ſacra non prius cœpit, quam circa annum 3381. ante Chriſtum 619.

(c) 4. Reg. 23. 29. 30. & 2. Par. 35. 20.

(d) Author Tradit. Hebr. in Paralip. & Grot. Alii.

(e) Quando Joſue id nomen obtinere cœperit, diſputatur. Alii profligatis Amalecitis, alii poſt exploratorum Chananitidis regreſſum volunt. Græci pro Oſee, legunt Auſem.

(f) Exod. 27. 9. 10. A. M. 2513. anta Ch. 1487. ante Ær. 1491.

Moyſes vero à Deo certior omnium factus, rem illico aperuit.

Joſue Tabernaculo cœtus cum aſſidue adſiſteret, *Exod.* 33. 11. quod fortaſſe illius curæ commiſſum eſſet, vel quod in eo, ſeu prope, domicilium ſtatuiſſet, duobus viris in caſtris vaticinantibus comperris, non à Moyſe manuum impoſitione initiatis, Moyſem monuit, eoſque ut prohiberet, hortatus eſt. *Num.* 11. 28. Moyſes tamen: Quid, inquit, pro me nimio ardore conſumeris? Utinam omnes vaticinarentur? Populo ad Cades-barne perveniente, Joſue, unaque duodecim aliis ad Chananitidem explorandam miſſis, *Num.* 13. 17. A. M. 2514. ante Ch. 1486. ante Ær. 1490. ut rediere, aliis expeditionis difficultatem exaggerantibus, Joſue, & Caleb facillime eam regionem, ſi Deus adfuiſſet, acquiri poſſe oſtenderunt. Quapropter Deus obloquentibus morte, & terræ promiſſæ privatione damnati, ſolis Joſue, & Calebo illius poſſeſſionem promiſit.

Morti proximus Moyſes (a), Dominum exoravit, ut ſibi ſucceſſorem in populi regimine conſtitueret; cui Dominus imperavit, ut Joſue manus imponeret, eique ſpiritus, & gloriæ ſuæ partem communicaret, ut populum ſibi obſequentem, ac dictis audientem haberet. Moyſe defuncto an. M. 2553. ante Chr. 1447. ante Ær. 1451. Iſraelitarum regimen cepit; Dei opem in omnibus ſibi præſto ſentiens. Exploratores igitur miſit, qui Jerichuntem conſiderarent; *Joſ.* 2. 1. &c. iiſque redeuntibus, urbiſque ſtatum, & incolarum terrorem nunciantibus, Iſraeliticum exercitum trans Jordanem duxit (b). Sacerdotes Arcam Fœderis deferentes, exercitum præcedebant; utque hi amnis aquam attigerunt, ſuperiores aquæ in montis formam conſtitere, inferioribus interim in mare mortuum iter proſequentibus, adeout amnis alveus duabus circiter leucis aridam tranſeuntibus viam reliquerit. Sacerdotes in medio Jordanis alveo, donec populus omnis tranſiiſſet, ſteterunt; lapideſque 12. è flumine ſelectos Joſue in Galgalis ſtatui, totidemque in medio Jordanis erigi juſſit, ut æternum prodigii monumentum extarent.

Paucis ab Jordanis tranſitu diebus, omnibus in deſerto natis, quique ob tot locorum mutationes eam Legem ſervare ab egreſſu ex Ægypto non potuerant, Circumciſionem indixit, *Joſ.* 5. 1. *&c.* Inde Paſcha Hebræi celebrarunt, A. M. 2553. die 14 Niſan. *Joſ.* 5. 10. &c. primaſque Chananitidis fruges, veluti primo poſſeſſorum jure comederunt, & numquam eo uſque deficiens manna ceſſavit. Joſue igitur Jerichuntis agrum ingreſſus, virum ſtricto enſe coram ſe ſtantem offendit. Cui ipſe occurrens, An, inquit, noſter es; an hoſtis? Ille, Ego, inquit, Princeps ſum exercitus Domini; tibique huc adjutor advenio. His auditis, Joſue humi in faciem ſtratus, calceos exuere juſſus eſt, cum locus, in quo erat, ſanctus eſſet.

Paulo poſt Jerichuntis obſidio ipſi à Domino indicta eſt, *Joſ.* 6. 1. &c. Sunt, qui merito credant, Jerichuntis obſidionem ſeptem diebus Paſchalibus contigiſſe. Primis ſex diebus ſingulis, Iſraeliticus exercitus, quem Sacerdotes cum Arca præcedebant, urbem ſilentes ſemel circumiere. Septima vero die ſepties urbis circuitu peracto, ut ſeptimo circuibant, Sacerdotibus ſacris tubis clangentibus, omnique populo clamorem ingentem tollente, urbis mœnia concidere; & quiſque per adverſum ſibi locum in urbem aſcendit. Omnia igne & ferro vaſtantes, neque hominibus ſive beſtiis parcentes, ſolam Rahab cum familia præteriere, quod ipſa exploratores ab Joſue miſſos celaverit. Vide *Rahab*. Tunc Joſue in eum mala precatus eſt, qui Jerichuntem reſtituiſſet: primogenito fundamenta jaciens orbaretur; & natorum ultimo, cum portas ſuſpenderet. Quæ pluribus poſt ſæculis, eventu comprobata ſunt (c).

Inde a Joſue tria hominum millia ad urbem Hai miſſa, cæſis 36. hominibus, pulſa ſunt: quo infortunio territis Iſraelitis, Joſue cum domino conqueſtus eſt: cui dominus id contigiſſe reſpondit, quod populus prolatum in Jerichuntem anathema violaſſet; nec umquam ipſum hoſtibus reſtiturum, donec crimen illud expiaretur, *Joſ.* 7. 1. Populo coacto, ſortibuſque ductis, Achan filius Charmi, reus inventus eſt; qui virgam auream, & coccineum pallium, & 200. argenteos ſiclos ſe rapuiſſe faſſus, lapidibus una cum ſuis omnibus obrutus eſt, cunctaque illius bona incendio abſumpta. Vide *Achan*. His expletis, Joſue urbem Hai facile ſubegit. Urbs direpta, & incenſa; oppidani interfecti, ipſeque Rex cruci affixus, in qua ad veſperam uſque permanſit.

Deus, trajecto Jordane, aram ſibi in monte Hebal erigi juſſerat, *Deut.* 27. 4. Hæc executurus Joſue, captis Jerichunte & Hai, populum ad montes Hebal, & Gariaim, duxit (d), ubi mala, & bona à Moyſe decreta proferri juſſit, Deoque altare ex aſperis lapidibus calce conjunctis erexit, in eoque Deuteronomium Legis Dominicæ exararetur, imperavit, Decalogum ſcilicet, qui Legis epitomen, bonaque, & mala, quæ Moyſes pronuncianda præceperat, *Deut.* 27. 5. continebat; ſive Deuteronomii compendium. Hebræa vox (e), quæ redditur *Deuteronomium*, Legem ſecundo ſcriptam, ſive Legem duplicem ſonat. Oblatis in eo altari holocauſtis, populus in Galgal, quo in loco aliquibus annis caſtrametatus eſt, rediit. Montem Hebal S. Hieronymus, & Euſebius in Jerichuntis planitie collocant: certo tamen urbi Sichem eſt proximus.

Circa idem tempus, Gabaonitæ è longinquis regionibus ſe adveniſſe, numeroque Chananæis anathemate devotis inferiores eſſe mentientes, *Joſ.* 9. 1. ducem Joſue, & Iſraelis Proceres ad ineundum ſecum fœdus induxere. Tribus vero poſt diebus, illos Chananæos eſſe, urbeſque Gabaonem, Caphiram, Beroth, & Cariath-jarim tenere comperientes, populus adverſus Principes obmurmuravit. Cum vero jurejurando impunitatem illis promiſiſſent, ipſos tantum lignis cædendis, deferendiſque aquis in populi uſum damnare viſum eſt. Gabaonitas cum Hebræis fœderatos Adonibeſech Jeruſalem Rex ægre ferens, cum quatuor Chananæis Regibus conjurans, *Joſue* 10. 1. Gabaonem obſedit. Monitus Joſue, tota nocte cum exercitu proficiſcens, ſub lucis initium ea vi quinque fœderatos Reges invaſit, ut ipſis fugatis, ingentem eorum exercitus numerum ceciderit. In fugientes adverſarios Dominus è Cœlo à deſcenſu Bethoron uſque Azecam, immani adeo lapidum grandine pluit, ut pleroſque interfecerit. Tunc Joſue ad Solem verſus: Siſte, inquit, Sol e regione Gabaonis; tuque Luna ad vallem Ajalon ne procedito. Dictis aſtra obtemperarunt, donec Hebræi ultionem ex hoſtibus completam exigerent. Peculiaribus Diſſertationibus de iſthac lapidum grandine, Soliſque, & Lunæ mora diſſeruimus, quas vide ante Commentaria in Joſue.

Quinque Regibus in ſpecum prope Macedam elapſis, Joſue illius os ingentibus lapidibus obſtrui juſſit, donec hoſtes penitus fuſi diſperderentur. Sub veſperum exercitu Macedam regreſſo, Joſue quinque Reges occidit, eorumque cadavera crucibus ſuſpendit, è quibus uſque ad veſperum pependere. Tum territis Chananæis inſiſtens, plures eorum urbes cepit. Macedam ſcilicet, Lebnam, Lachis, Heglonem, Hebronem, iiſque incenſis, earumque Regibus interfectis, quidquid reliquum animalium fuerat, concidit. Agrum ex Cades-barne uſque ad Gaam,

(a) Num. 27. 18. A. M. 2552. ante Chr. 1448. ante Ær. 1452.
(b) Joſ. 3. 1. &c. A. M. 2553. ante Chr. 1457. ante Ær. 1451.
(c) Vide 3 Reg. 16. 3. & *Hiel*.
(d) Joſue 7. 3. A. M. 2553. ante Ch. 1447. ante Ær. 1451. (e) Joſ. 8. 32.

zam, & à Gozem uſque ad Gabaonem, omnem ſcilicet meridionalem Palæſtinæ partem vaſtavit; indeque cum exercitu victor in Galgal rediit.

Sequenti anno (a) Rex Aſor trans Lacum Semechon imperans, in Galilæa, cum aliis Chananæis Regibus fœderatus, *Joſ.* 11. 1. ut ſaltem numero Iſraelitas opprimeret, ſuas auxiliareſque copias ad Aquas Merom ad meridiem montis Carmeli deduxit. Joſue in illos profectus, inopinanteſque aggrediens profligavit, fugientes uſque ad magnam Sidonem, Aquas Maſerephot, & Maſpham, orientem verſus, perſecutus. Quidquid Hebræis victoribus obvium fuerat, cæſum, equorumque poplites ſuccisi, & currus incenſi, uti Deus præceperat. Inde Joſue ad Aſor rediens, urbem captam igni tradidit, Regemque, atque oppidanos interfecit; eademque finitimis urbibus præſtitit. Hoc non diurnum, neque annuum opus fuit: aliquot annis opus erat, ut regio tota ſubigeretur, cum nulli Reges ſine vi atque armis ſeſe dedidiſſent.

Sexto igitur ab ingreſſus Iſraelitarum in Chanaanitidem anno domitarum regionum diviſio cœpta eſt (b). Caleb in montibus Juda & Hebrone partem ſuam poſcens, obtinuit. Vide *Caleb*. Inde ſortibus ductia ſua cuique Tribui regio deſignata eſt; Judæ primum, tum Ephraimo, & dimidiæ Tribui Manaſſis, quæ partem ſuam nondum obtinuerat; reſiqua enim pars hujus Tribus trans Jordanem ſubſtiterat.

Inde populus in Silo coactus (c), ut cæteris Tribubus partem ſuam diſpertiretur. Joſue menſores in regionem miſit, iiſque regreſſis, ductis ſortibus, Tribubus Benjamin, Simeonis, Zabulonis, Iſſachar, Aſer, Nephtali, & Dan loca deſignata fuere. Ipſi denique Joſue Thamnat-Saraa in montibus Ephraim obtigit. Sex deinde refugii urbes electæ, ut iis, qui caſu, & præter mentem homicidium patraſſent, aſylum præberent, *Joſ.* 20. & 21. aliæque urbes 46. in Sacerdotum, Levitarumque domicilium conſtitutæ. Tribus deinde Ruben, Gad, & media Manaſſia promiſſia expletis, poſtque latam fratribus opem in Chanaanitidis acquiſitione, trans Jordanem rediere, ubi à Moyſe locum obtinuerant. Ut vero ad Jordanis ripam pervenere, monumentum erexerunt, quod unam eamdemque gentem cum ciſfluvialibus ſe eſſe teſtaretur, *Joſ.* 22. De hoc monitus Joſue, veritusque, ne monumentum illud ara eſſet Idolis dicata, & Domini cultui contraria, Legatos miſit, qui earum Tribuum mentem ſcrutarentur. Eæ vero, quid eo monumento voluiſſent aperientes Legatos quietos dimiſere. Proximus jam morti Joſue (d), Iſraelis Tribus omnes in Sichem convocavit, Fœderiſque Arcam deferri juſſit. Hic enumeratis beneficiis, quæ Dominus Iſraelitis contulerat, ipſoſque Domino fidem ſervare hortatus, Domini voce eum populo fœdus inivit; idemque populus fidem Domino, & obedientiam jurejurando promiſit. Hæc Joſue, in Libro Legis Domini exaravit; neve illorum memoria periret, ingentem lapidem ſub quercu prope Sichem in monumentum erexit. His expletis, obiit annos natus 110. (e) Elogium viri hujus ſanctiſſimi Spiritus Sanctus his verbis: *Fortis in bello Jeſus Nave ſucceſſor Moyſi in prophetis, qui fuit magnus ſecundum nomen ſuum* (ſervatoris nomen quod obtinuerat perfecte explevit), *maximus in ſalutem electorum Dei, expugnare inſurgentes hoſtes, ut conſequeretur hæreditatem Iſrael. Quam gloriam adeptus eſt in tollendo manus ſuas, & jactando contra Civitates romphæas* (f)? *quis ante illum ſic reſtitit? nam hoſtes ipſe Dominus perduxit. Annon in iracundia ejus impeditus eſt ſol, & una dies facta eſt quaſi duo? Invocavit Altiſſimum potentem, in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus, & ſanctus Deus in ſaxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hoſtilem* (cum in Chanaanæos lapidibus pluit), *& in deſcenſu perdidit contrarios, ut cognoſcant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non eſt facile. Et ſecutus eſt Omnipotentem.*

Liber, qui Joſue nomen præfert, vel in omnibus Exemplaribus, ipſi vulgo tribuitur. Ultimo hujus capite verſ. 26. Joſue omnia hæc ſcripſiſſe dicitur. Hunc Jeſus filius Sirach Moyſi ſucceſſiſſe in prophetiæ miniſterio ſcribit. *Eccl.* 46. 1. Synagoga denique, & Eccleſia unanimes, hunc librum ipſi tribuunt, canonicumque cognoſcunt. Fatendum tamen voces quaſdam, locorumque nomina, & hiſtoriæ circumſtantias in eo legi, quæ ætati Joſue minime conveniunt, quæque in Librum eundem poſt Joſue interpolatum, & ab Amanuenſibus auctum, & correctum innuunt. Rari tamen in Scripturis ſunt libri, quibus idem non contigerit. Vide noſtram Præfationem in Joſue, & Scriptores Prolegomenon in ſacros Libros.

Samaritani Joſue librum legunt, ſummoque honore ſervant, ex quo argumenta ſua in Judæos diſſidio tuendo deducunt; plurimum tamen diſtat hic ab eo, quem Judæi, & Chriſtiani Canonicum tenent. In Capita 47. fabulis, & puerilibus narratiunculis plena, diſtribuitur. Ab electione Joſue in populi regimine veluti Moyſi ſucceſſoris, exorditur. Balaami hiſtoriam, ad Iſraelitas devovendos acceſſiti, deſcribit. Moyſis etiam bellum in Madianitas; illiuſque cauſam, Balaami & Moyſis obitum, luctumque, qui ob Moyſem ductus eſt. Fuſius Jordanis tranſitum, captumque Jerichuntis narrat, ingentemque prodigiorum copiam addit, quæ Canonicus Joſue Liber ſilet. Bellum Seubech filii Heman Perſarum Regis fabulis oppletum narrat. *Defuncto Joſue* ſucceſſorem Terſico quemdam ex Tribu Ephraim, adſcribit. Plura ad Judices, ad Reges Juda, Jaddum, Alexandrum Magnum, obſidionemque Jeroſolymitanam ſub Adriano comprehendit. De Nathanaele denique, filiiſque illius Babarraba, Akbaro, & Phinees diſſerens. Opus complet. Nunquam hic Liber excuſus eſt. Joſephus Scaliger, ad quem ſpectabat, Bibliothecæ Leidenſi teſtamento reliquit, in qua adhuc Samaritano charactere, Arabico tamen Idiomate legitur, ex Hebræo adornatus (g).

Judæi Joſue orationem quamdam adſcribunt, quam è Synagogis exeuntes, vel totam, vel partim recitant. En illius initium. *Noſtrum eſt laudare Dominum Univerſi, & Mundi Creatorem celebrare; qui nos terræ Nationibus ſimiles non fecit; qui nobis ditiorem, ampliorem que hæreditatem præparavit &c.* (h) Decem Canones eidem tribuunt, in terra Promiſſionis ſervandos (i). Primus minutum pecus in magnarum arborum lucis paſci ſinit, non vero magnum. Secundus Iſraelitis permittit, ut ligni fruſta, minutiora tamen, & humi inventa, nec ab ipſis ex arbore decerpta, in alieno fundo colligant. Ejuſdem fere farinæ ſunt cæteri. Numquam Joſue vel uxore, vel filiis impeditus legitur. Poſt illius obitum, Iſraelis proceres, Ariſtocratico more, populi regimen ſuſcepere: utrum vero inter ipſos primus aliquis, quiſve is fuerit, ignoratur. Othoniel tamen primas in regimine tenuiſſe creditur.

(Miſ-

(a) An. M. 2554. ante Ch. 1446. ant. Ær. 1450.
(b) Joſue 13. & 14. & 15. &. 16. & 17. A. M. 2559. ant. Ch. 1441. ant. Ær. 1445.
(c) Joſue 18. & 19. An. M. 2560. Chr. 1440. ante Ær. 1444.
(d) Joſue 23. & 23. A. M. 2570. ante Ch. 1430.
(e) A. M. 2570. ante Ch. 1430. ante Ær. 1434. (f) Joſue 8. 18. Leva Clypeum &c.
(g) Vid. Fabr. Apocryph. V. T. p. 876. 877. &c. (h) Vide Vangel. Tela ignea Sathanæ.
(i) Vide apud Selden. de Jure Nat. & Gent. lib. 6. c. 2.

(Miſſum hunc a Deo credunt Mahometani inferendis armis in Gigantes, tenentes Urbem & regionem *Ariba* vel Jericho (a); aggreſſus eſt igitur illos feria ſexta, ſubeunte veſpere; & cùm appropinquaret nox, vetaretque Sabbathi religio certamen, rogavit Dominum, ut diem, quantum ſudeodis hoſtibus opus eſſet, prorogaret. Roganti facilis acquievit Deus, & Sol in horizonte hora & ſemis diutiùs, quàm pro conſueto, perſeveravit. Movit id Turcas, ut diem illam excluſo Sabbatho feſtam haberent. Addunt inſuper, pulſos à Joſue Philiſtæos vel potiùs Chananæos ex avitis ſedibus effugium ſibi in Africa coactos quæſiviſſe.)

JOSUE, filius Joſedech, Judæorum Pontifex. Vide *Jeſus filius Joſedech*.

JOTA, Urbs Juda, *Joſ.* 15. 54. Eandem ac *Aſan* Bonfrerius opinatur *Joſ.* 19. 7. *&* 1. *Par.* 6. 59. Melius tamen eſt *Jeta*, *Joſ.* 21. 15. ſive *Jethnam*, *Joſ.* 15. 23. *Jethnam* ab Hebrone orientem versùs, 8. milliaribus Euſebius removet.

(JOTA, Elementi Græci litera eſt nomen ſuum referens *ex Jod* Hebræorum, vel *Judh* Syrorum. Jeſus Chriſtus Matth. 5. 18. aſſeruit, né Jota unum prætereundum in Lege quod ſuo caruerit implemento; i. e. omnium quotquot unquàm prædicta ſunt, vel typo deſignata in Moyſe cæteriſque Libris ſacris, omnia, inquam, fidem ſuam habitura ex eventu. Proverbio quodam obtinuiſſe videtur apud Judæos, quemadmodum & apud nos, cùm nihil penitùs deſignandum eſt, *ne Jota quidem*, eſt enim *Jota* minima inter elementares Græcorum literas, ſicut & *Jod* inter Hebraicas. *Jota unum aut unus apex*. Eſt apex pennæ ductus, vel extremum illud punctum certarum quarundam Hebraicarum literarum, quæ cæterarum menſuram excedunt, utì *Lamed* & *Schin &c.*)

JOTAPATA, Urbs Galilææ, ab Joſepho Hiſtorico, adversùs Veſpaſianum, Romani Exercitus ducem, deindè Imperatorem, propugnata. Hanc 40. ſtadiis a Gabara (b), ſeu *Gadara*, abfuiſſe teſtatur. Totius Galilææ arx erat fortiſſima, monti, inacceſſiſque undique rupibus inſidens; præterquam ad ſeptentrionem, qua ex parte adiri poterat (c). Capta eſt, & diruta anno *Æræ 67*. Credunt aliqui eandem eſſe ac *Gèth-epher*, Jonæ prophetæ Patriam: incertum tamen. Jotabes in Palæſtina Epiſcopus Concilio cuidam Jeroſolymitano anno 536. ſubſcripſiſſe legitur. Num Jotabe eadem ac Jotapata?

(Decreto jam bello in Judæos, Veſpaſianus ipſe per ſe illud geſturus ingreſſus eſt in Galilæam, terrori incutiendo Urbi Metropoli & univerſæ pariter Judææ, quia ſcilicet rebelles faciles ſe præberent ad pœnitudinem. Movit igitur in Jotapatam, æquari primùm jubens eo deducentem viam acceſſu arduam peditibus, & inacceſſibilem equitibus. Agmen ducebat validum circiter 60000. calonibus liſiſque magno numero additis, qui cùm diſcrimini diu jam aſſueviſſent, & bello ſe exercuiſſent, probatiſſimorum militum loco haberi poterant (d).

Conſilium Veſpaſiani intelligens Joſephus, defendendæ Urbis provinciam ſuſcepit A. M. 4070. die 21. Maji. Lætus id nuncii excepit Veſpaſianus, ratus Urbe illa devicta brevi ſe tota Galilæa potiturum; miſit proinde continuò Placidum & Hebutium belli Præfectorum par ſtrenuum, cum mille equitibus urgendæ corona Urbi, ut ſcilicet effugium omne præcluderetur Joſepho (e). Secutus eſt ipſe cum reliquo exercitu mane alterius diei, ac proxima item ſequenti luce aggreſſionem exorſus eſt; ſed præter ſpem fortiter reſiſtentes hoſtes nactus, obſidionem formare coactus eſt. Nec quieti ſe continebant Judæi, aſſiduis enim eruptionibus machinas vaſtabant, igne, opera evertebant, ut Veſpaſianus ipſe perinde ſe reputaret, ac ſuis ipſe in caſtris ab obſeſſis hoſtibus obſideretur.

Intelligens itaque conatus ſuos omnes fruſtrari ab Judæis, nihilque ſe in obſidione proficere, urgendam Urbem ad deditionem fame ſitique ſtatuit: notat enim aquarum penuria cives laborare (f). Præcidendam eam ſpem hoſtibus ratus Joſephus, è pinnis murorum ſuſpendi curavit veſtes plures multa aqua intriſas; cujus rei aſpectus admiratione primùm, tum & dolore affecit animos Romanorum; quippe quibus nunquam venire potuiſſet in mentem, aquarum penuria laborantes homines prodiga erogatione aquas perdere. Quare vi iterum tentandam Urbem cenſuerunt.

Veſpaſiano igitur jubente machinæ omnes in Urbem adactæ ſunt, arietibus ſuccuſſa mœnia (g); tum ductæ ad aggreſſionem copiæ, ſæpiùſque rem tentantibus Romanis, validè etiam aggreſſores retundentibus Judæis, tandem Veſpaſianus ſtatum Urbis intelligens à transfuga, certiorque ab eo factus opportunam innovandæ aggreſſioni horam futuram primo diluculo, cùm ſcilicet defenſores prolixa & obſtinata obſidione viribus deſtituti, tum & fracti laboribus alto omnes ſopore detinerentur; Veſpaſianus, inquam, Titum & Tribunum Sabinum cum ſelectis quibuſdam militibus ſubmiſit, opprimendis vigilibus; illos proximè ſecuti ſunt Cerealis & Placidus, qui in Urbem perruperunt diu antequam incolæ reciperentur è ſomno, & diſcrimen ſuum intelligerent; ſtatimque obvios nullo facto diſcrimine omnes trucidarunt. Capta eſt Urbs die prima Julii anno regnantis Neronis tertio decimo, poſt 47. obſidionis dies. Deſiderati ſunt ex Judæis ad 40000. captivi in hoſtium poteſtatem venerunt 1200. turba facilè mulierum & infantium. Joſephus in latenti quadam caverna cum quadraginta ſociis delituit; ſed tandem agniti maluerunt mutua ſe cæde perdere, quàm venire in hoſtium poteſtatem. Joſephus cum ſocio reliquus dedit ſe hoſtibus; & cùm Veſpaſianus ipſum tranſmittere ad Neronem ſtatuiſſet, ab eo conſilio, tum ipſo eodem Joſepho agente remotus eſt, cùm etiam in gratiam Titi, cujus in ſe favorem Joſephus occupaverat. Utriuſque autem Principis animum cepit Judæus iſte, quòd utrique prædixiſſet Imperium.

* Obſidio Jeruſalem celebre adeo hiſtoriæ monumentum, ut nihil ſit memorabilius in tota antiquitate, defenſoribus æquè & aggreſſoribus glorioſum; adhuc tamen, judicio virorum ſedulò res diſcutientium, obſidioni Jotapatæ plurimùm concedit. Quidquid eximium eſt artis, quidquid aggreſſioni mirâ prudentia, arte, & animi contentione inſtructæ validiùs apponeretur, quidquid hominum ingenium excogitare poteſt ſubtilius, ſolertius, audacius; (audacia tamen cum prudentia, ſine admixta temeritate conjuncta,) nihil in obſidione illa deſideratur. Joſephus inter clariſſimos & exactiſſimos antiquitatis Hiſtoricos bellum Judæorum in Romanos ſcripto Libro narrandum ſuſcipiens, mira diligentia deſcribit obſidionem hujus Urbis, cujus ipſe defenſioni præerat, ea ſtrenuitate animi, ea bellicæ artis peritia, eo ingenio, quo nihil majus in belli Duce experientia & ſcientia excultiſſimo, rem verſante in tota belli ſcientia difficillimam. Neque enim parum eſt operis, ut quis glorioſè ſeſe expediat à diſcrimine, cùm adverſarium habet ad latera ſtrenuum, manu & animo valentem, cujus in aggreſſionibus Urbium decus eſt potiſſimum. In hac enim bellicæ ſcientiæ parte excellebant maximè Romani; quod etiam augendæ gloriæ defenſionis Joſephi plurimùm confert.

Veſpaſianus à Nerone Imperatore electus eſt reducendis in fidem Judæis: venit ille primùm in Galilæam, exercitum ultra 60000. validum, recta ad obſidionem Jotapatæ ducit. Porrò Urbem hanc ita deſcribit Joſephus de bello lib. 3. cap. 12. *Eſt Jotapata propemodum omnis prærupta, ex aliis quidem partibus profundis vallibus adeo præceps, ut in eas deſpicere cu-*

(a) D'Herbelot Biblioth. Orient. pag. 494. Joſchona. (b) Joſeph. in Vita. (c) De bello lib 3. c. 5.
(d) Joſeph. de Bel. l. 3. c 5. (e) Ibid. cap. 2. (f) Ibid. cap. 13. (g) Ibid. cap. 15.
* *Animadverſiones in obſidionem Jotapatæ*. Joſeph. l. 3. c. 11. &c.

pientium aſpectus ante deficiat, quam ad imum perveniat. Ad ſeptemtrionem vero tantummodo adiri poteſt, ubi montis deſinentis ad latus declive exædificata eſt. Quod quidem ipſum muro complexus eſt Joſephus, cùm Civitatem muniret, ut ſummitas ei imminens ab hoſtibus occupari non poſſet. Undique autem montibus circumſepta, priuſquam in eam quis perveniret, omnino conſpici nequibat. Ad hunc quidem modum communita erat Jotapata.

Ex ea Urbis deſcriptione ſatis intelligimus plurimùm reſiſtendo valuiſſe. Si quis tamen & opera Romanorum conſideret, & quòuſque à defenſoribus repulſi fuerint, tum & validas iteratasque illorum aggreſſiones; nequaquam ille quidem continere ſe poterit, quin admiretur & in obſeſſis grandem animi virtutem, & in Duce admirabilem rerum diſponendarum ſolertiam: hæc enim omnia Lectoribus ſtatim ſuccurrunt. Urbs Jeruſalem multò erat validior, mœnium celſitudine & craſſitudine, cùm Titi obſidionem ſuſtinuit. Quod autem in rem præſentem maximè animadvertas, illud eſt, nimirum defenſores Jeroſolymæ plus multo numero prævaluiſſe aggreſſoribus; nihil autem ſimile in obſidione Jotapatæ. Animi virtus & audacia ad omnia parata in utraque hac obſidione par; ſed in defenſione Jotapatæ ſpectare licet cum ſcientia conjunctam miram in rebus inſtruendis ſolertiam, quæ fruſtrà quæras in obſidione Jeruſalem. In poſtrema hac Urbe licebat cernere, *virtutem indoctam* Vegetii, i. e. cum furore rabiem; in Jotapata verò habes ſub oculis poſitam vaſtam Ducis mentem, & intrepidam militum virtutem, oppoſitam Romanis inſtructiſſimis, atque exercitatiſſimo parentibus Duci; habes, inquam, ſub oculis milites, quorum ſummus erat bellicus ardor cum prudentia conjunctus, i. e. animi virtus ſingularis, quæ decoram vincendi cupiditatem in pectore excitabat, & quæ pariter apta erat, ſi adhortationibus Ducis ſui confirmaretur, ad oppetendam potiùs mortem, quàm ut quidquam cederet hoſti, dum de ſalute res eſſet.

Cùm Romanorum ingenium imperioſum eſſet & violentum, dum gerendum aliquid ſuſciperent, accidit non raró, ut arduis quibuſdam & temerariis implicarentur, eò deducti ex ea, qua tenebantur, probatis virtutiſque ſuæ opinione, ac viciſſim contemptu eorum, quibuſcum bellum gerebant, de Aſiaticis loquor, cum quibus minùs cautionis afferebant, quàm cum aliis omnibus, ſi Parthos excipias. Diſciplina inſtruebantur Romani illâ planè admirabili, Ducibus regebantur eximiis & expertiſſimis, maximè in obſidionibus formandis, cujus artis intima omnia pervaſerant; ut monſtri loco ducendum non ſit, ſi regulas interdum prudentiæ ſupergredi viderentur, quando res eſſet cum hoſtibus, quos ſibi noſſent inferiores. Moleſtum quidem erat illis bellum cum Judæis; eorum virtus, quam acuebat deſperatio, non temnenda videbatur; cùm tamen rem gererent, tunc Judæi Ducibus planè deſtituti, nec in certaminibus viderentur inſtructiores, quàm in tumultuaria rixa, perſuaſerunt ſibi Romani nunquam ſui diſſimiles hoſtes habituros; quarè præter expectationem accidit obſidio Jotapatæ.

Aggreſſione tentari Urbem juſſit Veſpaſianus; & cùm optimæ de ſe conceptæ ab Imperatore opinioni reſpondere optaret per omnia, celerrime abſolvere bellum, ex quo gravia timerentur plura, ſtuduit: metu ſcilicet, quòd ſi diutiùs protraheretur, finitimæ, circum gentes vel Judæorum ſe partibus dederent, vel ſaltem clam ſubmitterent illis auxilia; ſtatuit, renitente licet valida Urbis munitione, virtute & ingenio Ducis, numero incolarum & defenſorum, ſtatuit, inquam, ſcalis pervadere mœnia, uno impetu Urbem expugnaturus. Sed propugnatores nimis validos nactus eſt, qui aggreſſores ſtrenuè repulerunt. Quare decrevit *poſtridie Urbem acriter impugnare* (a). Ex ſubſequenti capite intelligimus tandiu dilatam oppugnationem Urbis, donec iteratæ plures aggreſſiones recidiſſent incaſſum. Nacti ſunt hic Romani miræ virtutis propugnatores; irriti conatus illorum omnes repulſi ſunt non ſine probro; & cùm probro illo magis afficerentur, quam timore, injuriam repulſuri mane iterum inſtarunt; ſed non ſecus ac priùs pedem referre coacti ſunt. Porrò major erat Romanorum ardor, quam ut hiſce ſe continerent; major propugnatorum virtus & inſtructior diſciplina, quàm ut tandem experimentum ſui majus non darent hoſtibus; quare nihil poſteriores iſti ceſſerunt; iteratas quinquies alteram poſt alteram aggreſſiones ſuſtinuerunt, atque ut tandem intelligerent hoſtes opus habere ſe potiùs fræno quàm calcaribus, validas addiderunt eruptiones, quo ſimul tempore propugnacula ſua defenderunt, & Romanorum faſtus depreſſus eſt, quippè qui viribus adeo validi, adhuc tamen nunquam non ceſſerunt impetum facientibus hoſtibus; intellexit itaque Veſpaſianus nihil evicturum ſe cum gentibus ſtrenuis adeo & paratis animo, nec priùs ad exitum perventurum, quàm formata militaribus omnibus ritibus obſidione.

Quanto rerum molimine quantiſque operibus obſidionem banc ſtruxerint Romani, quò tandem res ſibi proſperè ſuccederet, fidem ſuperat. Opus fuit enim ad mœnia ſuccedere excitatis ad ſingulos paſſus aggeribus, oppoſitiſque cratibus erigere propugnacula miræ altitudinis, ut mœnibus Urbis dominarentur. Porrò hoſtium hiſce operibus celſiorem alium murum oppoſuit ſtatim Joſephus, excitatis turribus & pinnis; ut intenti ad opera Judæi eſſent in tuto, fixit ingentes trabes ſuſpenſas tenentes recens mactatorum boum pelles, quibus ſagittarum ictus eluderentur, frangereturque impetus ſaxorum depulſorum è catapultis, & eo, quo madebant, humore ignis immiſſus extingueretur.

Viciſſim Romani oppugnabant Urbem tanto apparatu catapultarum & baliſtarum, ut nihil ſupra. *Veſpaſianus*, ait Judæus hiſtoricus lib. 3. cap. 7. *cùm miſſilium machinas circumpoſuiſſet, (organa autem omnia erant centum & ſexaginta) eos, qui ſuper murum aſtarent, juſſit impetere, ſimul etiam & catapultæ lanceas cum ſtridore jaciebant, & è baliſtis lapides talenti pondere mittebantur, ignisque & aſſidua magno numero ſagittæ. Quæ omnia non ſolùm murum, ſed etiam totum, quouſque pertingerent, ſpatium Judæis inacceſſum fecerunt. Quin & magna Arabum ſagittariorum manus, itemque jaculatores, & funditores omnes una cum machinis tela emittebant. Non tamen his Judæi prohibiti, ne deſuper propugnarent, quieſcebant. Nam agminibus prædonum magis ex more excurrentes tegmina operantium undique detrahebant, nudatoſque feriebant; & ubicunque illi loco cederent, aggerem diſjiciebant, vallorumque munimenta una cum cratibus incendebant.* Sat utique intelligimus egregiam, qua Urbem tuebantur propugnatores, defenſionem, & eruptiones frequentes in opera Romanorum impedimento fuiſſe, ne citiùs ſuccederet aries quatiendis dejiciendiſque mœnibus; ut monſtri loco ſit Joſephum ſervandi Urbem ſpem omnem perdidiſſe, antequam aries admoveretur mœnibus; cum Præfectis enim ſupremis de deditione conſultavit. An voluit tentare hiſce militum & incolarum animos? Norat utique, quanta animi obſtinatione defenſionem ſtatuiſſent. An defectu ſalis animis concidit? ſed major erat alia aquarum penuria, qua potus ad menſuram ſingulis diſtributus eſt. Sed conſilium illius ſubodoratus populus, *pueri & ſenes, itemque mulieres cum infantibus flentes ad pedes illius accidebant, eoſque complexi omnes tenebant, & cum ejulatu eum obſecrabant, ut apud eos maneret, ejuſdem fortunæ particeps. Non quòd illius ſaluti inviderent, ſed quod de ſua ſpem haberent; nihil enim mali, dum maneret Joſephus, ſe paſſuros eſſe exiſtimabant.* Strenuus exercitatuſque belli Imperator, qui ejuſmodi milites habet ſub ſignis, ille utique felicem ſe meritò reputabit; quod autem magis

gis

(a) Joſeph. l. 3. c. 11.

gis ſtupeamus, illud eſt nimirum, dicto illos ſteriſſe. Ignorare me quidem profiteor, an Joſephus, quas adduxit, rationibus ſatis perſuaderetur, egredientem ſe ex Urbe coacturum ſat validum exercitum, ut è Romanorum metu illos relevaret. Illud conſtat, neminem adductis ab illo rationibus acquieviſſe; nemo unus, vel pueri etiam & fœminæ, abſtinuit ab obſecrando viro, ut ſecum maneret; nec ſanè fœminarum ejuſmodi & puerorum opera minoris fuerunt in ea obſidione momenti, quam virorum. Quare Joſephus conſilio recedendi depoſito, defenſionem vel ad extremum uſque ſtatuit. Verba factis confirmavit; nam ſtatim (a): *Cum pugnaciſſimis egreſſus, & cuſtodes disjicere, & uſque ad Romanorum caſtra excurſiones facere: & nunc quidem pelles ſub quibus tenebantur diſtrahere, nunc verò ignem operibus injicere; ac die ſequenti ſimiliterque tertio, & per aliquot deinceps dies noctesque bellando non defatigari.* Ad tantam hoſtium conjunctam cum audacia virtutem Veſpaſianus hæſit attonitus: An res eſt nobis, reputabat apud ſe, cum deſperatis, quos evitare præſtet, quàm armis cogere? Verum deſperati illi plura in hoſtes commoda reportarunt; & cùm agitur de urgendis defenſoribus nihil eſt magis timendum, quam ſub expertiſſimo Duce, deſperatio.

Magnis opus eſt cautionibus adverſus gentes ita defenſionem ſuam parantes. Procedebant lentè Romani & proficiebant parùm; firmis propugnaculis opuserat defendendis arietibus; tandem ad oppugnationem applicati ſunt, additis ſagittariis & funditoribus plurimis pugnaotibus è turribus & aggeribus, & nunquam à jaciendis miſſilibus ceſſantibus. Strenuè impugnata ſunt mœnia, quibus ab impetu arietum defendendis opponebant Judæi palea infertos ſaccos, quos ad concuſſa arietibus loca funibus demittebant. *Id quod Romanis*, ait Scriptor Judæus, *multum moræ negotiique faceſſebat; quocunque hi machinam quidem converterent, illis, qui ſuper murum ſtabant, ſaccos eò traducentibus, & impreſſioni ſubjicientibus, ut retinendo nihil læderetur murus: donec Romani proceras adinvenerint contos, & eorum ſummitati falces ad ſaccos abſcindendos alligarent.* Quid autem feciſſent Romani, ſi loco funium retinendis ſaccis adhibitæ fuiſſent è duro ferro catenæ? ſed fortè id deerat obſeſſis.

Nihil eſt admirabilius in omnibus hiſce obſidionibus, quàm machinæ illæ tormentis ejaculandis, uti catapultæ, illæ potiſſimum, quæ tanto impetu lapides urgerent, nt de illis ſcribat Joſephus: *Vi ſcorpionum & catapultarum multi ſimul transfigebantur, atque ſaxorum è tormentis cum ſtridore emiſſorum impetus & murorum pinnas auferebat, & turrium angulos diffringebat. Nullus autem erat adeo denſus virorum ordo, qui non uſque ad extremam aciem ſaxi vi & magnitudine ſterneretur.* Nec monſtri id loco ducendum, machinarum ejuſmodi vi cognita. Expreſſiora adhuc ejus rei exempla ac majoris etiam molis pondera ultra mille Italicos paſſus excuſſa habes apud Scriptores ſanè multos, ac potiſſimùm apud Polybium (b), ad quem ego Lectorem remitto.

Ad arietis incuſſiònes & machinarum ſtrages animis concidebant propugnatores; ruinam jam minitabantur muri, cùm deſperatis ſuccurrit conſilium colligendi quantam vim poterant combuſtibilis materiæ, additoque frequenti bitumine, pice, ac ſulphure omnia incenderunt, ſimulque è tribus diſſitis mœnium intervallis ignem jecerunt in machinas & opera Romanorum, tot dierum molimine parata; arſeruntque omnia brevioris horæ ſpatio, incendium nemine reſtinguere valente. Simul ad hæc Joſephus ſuccedere omnia pro votis intelligens, eruptionem cum ſelectiſſimis tentavit, geſtantibus ſingulis manu ignem; atque ita proceſſum eſt in caſtra Romanorum, corrumpendis machinis, cratibus, cæteriſque operibus decimæ legionis, qua nihil in toto agmine peditum Romanorum erat bellicoſius:

Nec deſponderunt animis Romani, tot licet rebus fruſtrati reſtituerunt opera, armarunt ad ictûs novos arietes, tantaque iterum vi concuſſerunt mœnia, ut per dejectos tandem muros latam ſibi ad aggreſſionem aperirent viam. Non hic ego deſcribendis exactè ſingulis immorabor; operam enim occupavit Joſephus, cùm egregiè omnia, & quomodo virum bellicæ ſcientiæ peritum decet, proſequitur. Veſpaſianus igitur novis ſibi operibus inſtaurandam obſidionem intelligens: *Aggeres quidem altius tolli curat, turres verò tres ad quinquaginta unamquamque pedum altitudinem, ædificari præcepit, undique tectas; tum ut ſtabiliores eſſent ob pondus, tum ut igni difficulter cederent, ſuper aggeres eas collocavit, impoſitis in eas jaculatoribus & ſagittariis, itemque levioribus miſſilium machinis ac præterea funditorum validiſſimis.* Ita factum eſt, ut ex aggeribus iſtis ac turribus ſupra munitiones dominantibus propugnatores Judæi pellerentur ex aperta per disjectos muros via; viciſſim tamen illi impetu recurrentes in hoſtes aditum tentantes, egregiè, quamvis non ſine cruore, audaciam audacia retuderunt.

Ita cives Jotapatæ præter ſpem prorogatam 47. diebus obſidionem ſuſtinuerant, incredibili animi conſtantia toleraverant labores & incommoda quæcunque acciderant graviſſima; cùm transfugæ unius proditione invicta urbs cedere hoſtibus coacta eſt. Veſpaſianum transfuga fecit certiorem de raro propugnatorum, qui ſupererant, numero, expoſuitque capiendæ urbi expugnandæque nihil aliud præſtandum eſſe hoſtibus, quam ut *extremam circa vigiliam, quando requiem ex malis habere viderentur, & fatigatos maximè occupat ſomnus matutinus, dormientibus tunc cuſtodibus eadem hora urbem invaderet.* Hanc hoſtis relationem ſuſpicioſam quidem habet Veſpaſianus; ſed cùm citra diſpendium ea, quæ nimis verax monebat, ille præſtari poſſe intelligeret, detineri in cuſtodia hominem juſſit, tum ad aggreſſionem omnes diſpoſuit. Indicata igitur hora Titus cum Præfectis nonnullis addita ſelectiſſimorum manu, taciti ſeſe inſinuarunt, nactique alto ſopore demerſos omnes; primos vigiles trucidarunt, tum & paria inferentes in cuſtodes arcis, arce illa potiti ſunt. Succeſſit tunc reliquus exercitus in urbem, lateque ſævierunt in miſeros cives, quos ſomno demerſos occuparunt. Inſitam hominum in miſeros pietatem reſtinguebat penes victores memoria eorum, quæ ab illis dura toleraverant; quare inhumaniter à Romanis ſævitum eſt, & nemini ut viveret indultum.)

I. JOZABAD, filius Somer, ex iis unus, qui Joas Regem Juda interfecere (c).

II. JOZABAD, ex Tribu Manaſſis, ex fortiſſimis Davidici exercitus. 1. *Par.* 12. 20.

III. JOZABAD, filius Obededon, Levita & Tabernaculi janitor. 1. *Par.* 26 4

IV. JOZABAD, Princeps 180000. militum exercitus Joſaphat. 2. *Par.* 17. 18.

IRA, ex familia Jair, ſive filius Jair. Scripturæ Textus, 2. *Reg.* 20 26. hunc *Sacerdotem David* nuncupat. Si ſtricto ſenſu Sacerdotem intelligas, Iram ex celebri Jair Manaſſis poſtero exortum ne dicito, Alii Sacerdotem non fuiſſe arbitrantur. Chaldæus, & Rabbini hunc Davidis doctorem, Rabbinum, & à Conſiliis fuiſſe ſcribunt.

IRA, filius Acces, ex urbe Thecue, fortiſſimus in Davidis exercitu. 1. *Par.* 11. 28.

(IRA. Iraſci Dominum non ſemel quidem habet Scriptura, cujus verba non ita accipienda ſunt quaſi impotenti paſſionis illius impetu agarut Deus, ſed quia impios punit ea diſtrictione, qua pater filium, herus provocatos famulum.

Uſurpatur etiam nomen iræ pro pœna & animadverſione. Magiſtratus *vindex eſt ad iram*, ait Apoſtolus,

(a) De Bello l. 3. c. 14.
(b) Comment. in Polyb. tom. 2. & 3. in 4. Pariſ.
(c) 4. Reg. 11. 21. A. M. 3165. ante Chr. 835. ante Ær. 839.

Digitized by Google

las, Rom. 13 4. i. e. ad ultionem. *Nunquid Deus injuſtus*, ſcribit idem Rom. 3. 5. *qui infert iram?* i. e. pœnam. Num. 16. 46. *Jam egreſſa eſt ira a Domino & plaga deſævit.*

Jungitur ſæpe ira furori, tunc etiam cùm de Numine agitur, quo ſcilicet ultionis ipſius animadverſiones magis magiſque exaggerentur. *Quæ eſt hæc ira furoris, ejus immenſa?* Deut. 29. 24. Et 2. Par. 29. 10. *Avertet à nobis furorem iræ tuæ.* Iræ ſedem in naribus conſtituunt Hebræi: *Ne iraſcantur nares ſuæ*, ne inflammentur. Iraſcens, homo brevioris naſi appellatur, longioris eſt longaminis. Vide *Naſus*.

Dies iræ, dies eſt judicii Dei, qua ultio ejus exeretur, quam pariter Joannes Baptiſta diem *venturæ iræ* appellat: *Matt.* 3. 7. *Quis vos docuit fugere a ventura ira?* Apoſtolus 1. Theſſal. 1. 10. *Eripuit nos ab ira ventura.* Et Rom. 2. 5. *Theſaurizas tibi iram in die iræ.*

Eramus natura filii iræ. Epheſ. 2. 3.; & Rom. 9. 22. *Suſtinuit Deus vaſa iræ apta in interitum.*

Date locum iræ. Rom. 12. 19. Ne irrites impios in te jam ſatis animatos; ne illos excites tuo aſpectu; ſine, ut illorum furor refrigeſcat; ne impotentiæ illorum præpoſterè te permittas. Si quis in beſtiam furentem inciderit, proripit ſe è via, ab illa divertens; ita te geras cum hominibus in te animatis. Aliter; *Date locum iræ Dei*, expectate tempus, ne ſolliciti ſitis ultionis exigendæ; Deus ultiones veſtras urgebit.

Vaſa iræ Dei Jerem. 50. 25. inſtrumenta ſunt, quibus Deus homines punit, bellum, fames, ſterilitas, morbi &c. ſed bellum potiſſimum malorum omnium ſeminarium, plenitudo *calicis iræ Dei. Explere, conſummare iram*, eſt toto pondere iræ ſuæ aliquem aggravare.

Facta eſt terra in deſolatione à facie iræ columbæ Jerem. 25. 38.; & cap. 46. 16. *Revertamur ad terram nativitatis noſtræ à facie iræ columbæ*, i. e. Chaldæorum, quorum inſignia columbam habebant adpictam, imaginem Semiramidis in columbam transformatæ. Sed optimi Interpretes reddunt vocem *Jonah*, quæ interdum ſonat columba, prædonem, everſorem, hoſtem, qualem ſe præſtabat Judæis Nabuchodonoſor.)

IRAD, filius Enoch, Cain nepos. *Gen.* 4. 18.

IRIS, *arcus cœleſtis*. Inito cum Noe fœdere, Dominus, terram generali alluvione numquam impoſterum obruendam pollicitus, promiſſi pignus arcum in Cœlo conſtituit, *Gen.* 9. 13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram.* Profectò ante diluvium iris viſebatur; poſtea verò quæ naturale tantùm ſignum erat, Dei inſtitutione ſignum eſt ſupernaturale, certumque pignus, quo terra numquam diluvii aquis mergenda promittitur. Vox *Iris* ex Hebræo, ſive Chaldaico *Ir*, vigil, Angelus, legatus, provenit. Iris Deorum erat nuncia.

IRIS, Vocem Hebræam *Kiddah* Iridem Septuaginta verterunt, eamdemque S. Hieronymus *ſtacten* reddidit; *Ezech.* 27. 19. Ex Iride ſpiritus eximii odoris educitur.

ISAAC. Abrahami ex Sara filius. Iſaac *riſum* ſignificat; nomen illi à matre inditum, quòd audiens illa ab Angelo, ſe matrem futuram, licet ætate effœtam, clam riſit, *Gen.* 18. 10. &c. Nato Iſaaco, dixit Sara (a): Riſus, & lætitiæ argumentum fecit mihi Dominus: quicumque hoc noverit, mecum ridebit. Puerum ſuo lacte nutrivit, neque Iſmaelem, Abrahami ex Agar ancilla filium, communem cum ſuo hæreditatem habere tulit. Cùm igitur Iſmaelem cum Iſaaco, nimiùm fortaſſe importunè, ludentem vidiſſet, ex Abramo impetravit, ut Iſmael cum matre expelleretur (b). Iſaaco annos 25. nato (c), Dominus Abrahami virtutem probaturus, filium Iſaacum immolaret imperavit. Ducto igitur ſecum filio Abraham iter cum duobus ſervis iniit, ut ad locum ſibi à Domino indicandum pergeret. Tertia itineris die locum e longinquo proſpiciens, ſervos juſſit ſubſiſtere, dum ipſe, & filius illuc uſque properarent, ſacris ſolutis redituri. Lignis holocauſto abſumendo, Iſaaco impoſitis, ipſe ignem & gladium gerebat. Cùm ſimul incederent, Iſaac Patrem rogavit, ubi eſſet victima, cùm ignis, & gladius præſto eſſent. Cui Abraham, Deum his proviſurum reſpondit.

Ut igitur ad ſtatutum locum pervenere, montem ſcilicet, ut creditur (d), *Moria*, ubi poſtea Jeroſolymitanum Templum conditum eſt (Garizim credunt Samaritani, quem *More* ſive *Moreh* appellatum volunt. Profectò More prope Sichem erat (e).) Compoſitis itaque lignis Abraham filium pro victima immolandum colligavit; elataque manu jam prope erat ut filium jugularet. Angelo tamen conclamante ne filium cæderet, cùm ſatis ſuperque illius in Deum obſequium prompta adeo obedientia innotuiſſet, ille filium ſolvit, inventumque inter vepres cornibus hærentem arietem pro eo immolavit. Inde ſubdidit Angelus: Per memet ipſum juro, ait Dominus, quòd hoc feceris, te bonis cumulabo, tuoſque poſteros veluti Cœli ſtellas augebo; omneſque gentes in eo, qui ex te egredietur, bonis innumeris explebuntur.

Cùm Iſaac ad annum ætatis quadrageſimum (f) perveniſſet, Abraham illi uxorem quærere decrevit; cùmque Chananæam ipſi dare non ferret, Eliezerum domus ſuæ OEconomum in Meſopotamiam miſit, qui uxorem è domo Labani, uxoris ſuæ fratris, filio eligeret. Ductam igitur ab Eliezero Rebeccam, Iſaac in uxorem excepit, illamque in matris ſuæ, aliquibus ante annis (g) defunctæ, tentorium duxit. Cùm vero Rebecca non pareret (h), Iſaac preces pro ea fudit, utque ipſa conciperet à Domino impetravit. Rebecca igitur cùm geminos peperiſſet, Eſau, & Jacobum (i), Iſaac primogenitum Eſau, Rebecca Jacobum magis diligebant. Aliquot poſt annis cum fames graſſaretur (k), Iſaac in Gerara, Abimelechi Regnum, confugiens, Rebeccam ſororem ſuam eſſe vulgavit; ipſaque confeſtim ob ſummam venuſtatem rapta, ad Regem ducta eſt, ut illi in uxorem adhæreret. Abimelech verò Iſaacum videns cum Rebecca, non ut ſorore, ludentem, ipſam reſtituit. Interim Iſaac ditabatur; cumque illius greges quotidie augere Philiſtini Geraræ incolæ animadverterent, livore correpti, omnes ab Iſaaci ſervis effoſſos puteos opplevere. Ipſe Abimelech, ut ſecederet exoravit, cùm potentior eveniſſet.

In vallem igitur, & ad torrentem Geraræ ſecedens, novos puteos hauſit, noviſque altercationibus agitatus eſt: denique ad Berſabee redux, ibi domicilium fixit, *Gen.* 26. 23. Dominus illi viſus, priora illi promiſſa ipſum poſteroſque augendi renovavit. Ipſe Geraræ Rex Abimelech ad Iſaacum veniens, cum eo fœdus iniit (l). Seneſcentis Iſaaci (annos ſcilicet 137. nati) (m), oculis caligantibus, Iſaac primogenito ſuo Eſau ad ſe accito imperavit, ut armis inſtructus venatum pergeret, prædaque ad ſe allata, cibiſque ex ea præparatis ante ſui obitum, benedictionem obtineret. Cùm vero Eſau venatu detineretur, Jacob per fraudem patris benedictionem ſurripuit. Vide *Jacob*, & *Eſau*. Paulò poſt Eſau coram patre ſe ſiſtens, ſe à fratre deceptum ſenſit.

Diù poſt hæc Iſaac vixit. Jacobum in Meſopotamiam miſit, *Gen.* 28. 1. ut uxore è genere ſuo electa, Chananæas, uti Eſau fecerat, non duceret. Redux Jacob poſt annos 20. *Gen.* 31. an. M. 2265. ante-

(a) Gen. 21. 6. &c. A. M. 2108. ante Ch. 1892. ante Ær. 1896. (b) A. M. 2113. ante Ch. 1887. ante Ær. 1891. (c) Gen. 21. 1. &c. A M. 2133. ante Ch. 1867. ante Ær. 1871. (d) Ita Hebræi, & Chriſtiani antiq. & recentiores paſſim.
(e) Vid. Gen. 12. 6. & Deut. 11. 30. (f) A. M. 2148. ante Ch. 1852. ante Ær. 1856. (g) A. M. 2145.
(h) Gen. 25. 21. &c. (i) A. M. 2168. ante Ch. 1832. ante Ær. 1836. (k) Gen. 26. 1. &c. A. M. 2187. ante Ch. 1812. ante Ær. 1817.
(l) Circ A. M. 2240. ante Chr. 1760. ante Ær. 1764. (m) Gen. 23. 1. &c. A. M. 2245. ante Ch. 1755. Ær. 1759.

Digitized by Google

te Ch. 1733. ante Ær. 1737. Iſaacum ſuperſtitem invenit, qui & vitam ad 23 annos ulteriùs produxit, cum 188. annos natus obierit (a); eumque filii cum Abrahamo tumularunt. Præceptores Iſaaco in Dominica Lege tribuunt Hebræi Semum, & Heber, qui tum florebant; adduntque Abrahamum, cùm ad immolandum Iſaacum pergeret, Saræ dixiſſe ſe ad Semi gymnaſium filium deducere (b). Uti Abramo matutinas preces, ita Iſaaco meridianas, Jacobo veſpertinas adſcribunt (c).

ISAAR. Levita, filius Caath *Exodi 6.* 18.

IAARI, Princeps quartæ ea 24. familiis Leviticis, 1. *Par.* 24. 22.

ISAI, vel *Jeſſe*, filius Obed, Davidis (d), Eliabi, Sammæ, Aminadabi, Nathanaelis, Rahelis, & Aſum pater. Fratrum poſtremus David, omnium celeberrimus, & familiæ ſuæ caput effectus eſt.

ISAIAS, filius Amos, inter quatuor majores Prophetas primus, è regali genere (e), ſi verum eſt Amos ipſius patrem filium fuiſſe Regis Joas, & fratrem Amaſiæ Regis Juda, Iſaiam Manaſſi Regi Juda filiam ſuam nuptum dediſſe S. Hieronymus *in Iſa. l.* 3. *c.* 20. *ex Hebræis* quod difficilè creditur, cùm Manaſſes vix 60. annis poſtquam Iſaias vaticinari cœpit, regnaverit an. M. 3306. ante Chr. 694. ante Ær. 698 Exordium prophetici Iſaiæ muneris ſtatim poſt Oziæ mortem an. M. 3246. ante Ch. 754. ante Ær. 758. ipſiuſque Prophetæ obitum ſub Manaſſe ſtatuimus. Amos Iſaiæ patrem, propheriæ ſpiritu, non ſecùs ac filium, donatum credunt Judæi, regula apud ipſos vulgata, Prophetæ patrem Prophetam fuiſſe, dum Scriptura illius nomen commemorat. Incertiſſimam regulam! S. Auguſtinus autumavit, Prophetam Amos, cujus ſcripta ſuperſunt, Iſaiæ patrem fuiſſe; at præterquam quod Prophetæ Amos nomen diverſa ratione, ac patris Iſaiæ ſcribitur (f), duo hi Prophetæ coævi fuere, cùm uterque ſub Ozia floruerint. Damus profectò Amos vaticinari cœpiſſe anno Oziæ 23. M. 3215. & Iſaiam ex noſtra hypotheſi, poſt hujus Regis mortem vaticinia ſua inchoaſſe, anno 3246. adeoque 31. annis poſt Amos: quare nil iſtud officere, quin Amos Iſaiam genuerit, ſi aliis argumentis probaretur. Oſtendimus tamen v. *Amos*, hunc neque genere conſpicuum fuiſſe, neque ex Tribu Juda, quare Iſaiæ pater eſſe non potuit.

Iſaiæ uxor Prophetis dicitur, *Iſ.* 8. 5. ex quo Rabbini prophetiæ ſpiritu donatam fuiſſe deducunt. Faciliimè tamen Prophetarum uxores Prophetides, uti Sacerdotum uxores Sacerdotes, ea viri munere appellabantur. Duos Iſaiæ filios, *Sear-Jaſub*, Reliquum redibit; & *Chas-bas*, Feſtina prædari, Scriptura commemorat. Primus eos, qui Babylonem in captivitatem ducendi erant, poſt certum tempus redituros; alter Regna Iſraelis, & Juda brevi vaſtanda deſignabat. Iſaiæ vaticinia in tres partes diſtribui commodè poſſunt; quarum prima ſex priora Capita, de Regno Joatham agentia; ſecunda, ſex ſequentia, de Regno Achas; tertia reliquum de Ezechia, comprehendit. Vaticiniis ſuis Iſaias Babylonicam captivitatem, ab eadem reditum, Regnumque Meſſiæ præcipuè innuit. Hinc fit, ut Novi Teſtamenti Scriptores (g) ſæpiùs ex Iſaia, quàm ex aliis teſtimonia laudent, eumque Evangeliſtam potiùs, quàm Prophetam appellent (h).

Prioribus ſex Capitibus, continua oratione Judæ crimina verbis graviſſimis arguit, ipſique mala plurima minitatur. Sequentibus ſex Capitibus Jeroſolymitanam obſidionem per Phacee & Raſin deſcribit. Meſſiæ ortum, ſub Emmanuelis nomine, Regi Acas pollicetur, malaque Syriæ, & Iſraelis Regnis imminentia prædicit; Aſſyrium inſectatur, qui virgæ loco eſt, qua Dominus malos punit. Poſtremis capitibus 11. & 12. Regem juſtum, fortem, ſapientem, omniaque reſtituturum pollicetur, Regni Ezechiæ initio (i), in Babylonem, Philiſthinos, Moabitas, Damaſcum, Samariam, & Ægyptum vaticinia duriſſima pronunciavit *c.* 13. *ad* 19. Diù poſt, rurſum in Ægyptum, Babylonem, Cedar, Arabiam, Jeroſolymam, Tyrum, omnemque Judæam vaticinatus eſt *c.* 20. *ad* 24.

Sennacheribi in Ezechiam bellum, plurimam vaticiniorum Iſaiæ materiam præbuit *c.* 29. *ad* 36. Hanc obſidionem prædixit, ipſi adfuit, ipſius finem prænunciavit, authoribuſque malorum Judæ Dominicam ultionem minitatus eſt. Ezechiæ, omnique populo Judæ felix regnum, perfectamque libertatem promittit. Quod quidem regnum, & pax, quibus Judæa poſt Sennacheribi cladem frui debebat, talibus verbis deſcribitur, ut plenè, quàm in Chriſti in Eccleſiam regno, compleri non poſſit.

Capitibus 40. uſque ad 45. longa oratio texitur, qua Dei exiſtentia, Hebraicæ Religionis veritas, & Idololatriæ vanitas demonſtrantur. Sequentibus quatuor Capitibus regnum Cyri, populi liberatio, idolorum ruina, Babylonis excidium, & Judæorum regreſſus prænunciantur. A' Capite 49. uſque ad 56. 9. Iſaias ſub Meſſiæ perſona, è matris utero electum ſe dicit, ut Jacobi è captivitate reditum, & gentium converſionem annunciet. Meſſiæ inſuper perſecutiones, & labores deſcribit. Libri reliquum Meſſiæ adventum, gentium vocationem, Judæorum reprobationem, & Eccleſiæ ortum reſpicit. Hæc vaticiniorum Iſaiæ eſt epitome; & hæc de Iſaiæ vita novimus.

E' matris utero à Domino ſe vocatum profitetur *c.* 49. 1. 2. 3. Dominumque nominis ſui recordatum; ſe à Domino lingua, veluti ancipiti gladio, donatum; ſe ſub illius manu protectum; utque electam ſagittam in pharetta collocatum c. 50. 4. ſe à Deo lingua erudita inſtructum, quæ puſillamines conſolari valeret. Cùm in prophetiæ munus mitteretur, c. 6. 1. &c. Dominum vidiſſe ſublimi ſedi aſſidentem. Cherubim circumdatum, omnemque terram veluti ſuppedaneum pedibus conculcantem. Tunc Propheta clamavit: Væ mihi, quòd tacui: labra impura gero, populoque eadem impuritate affecto medius ſto; meiſque oculis exercituum Dominum proſpexi. Tum ex Seraphim Domino adſiſtentibus unum ad ſe acceſſiſſe deſcribit, candentem lapidem ex altari ſubductum forcipe tenentem, eoque Prophetæ os contigiſſe; quo contactu illius labra terſa, & crimina delecta fuiſſe declaravit. His expletis vox inſonuit: Quem mittam, quiſve pro nobis ibit? Cui Propheta ſe mittendum exhibuit; illique rurſum vox: I, & populo iſti dic: audite nec intelligite, videte nec noſcite. Populi hujus cor excæca, aures obſtrue, oculos claude, ne videat, vel audiat, cùmque audierit, valetudinem illi reddere cogar. Hæc Prophetam illis concionaturum, ipſos verò non audituros neque convertendos ſignificabant.

Cum prædicationis munere fungeretur, Judæorum innumeris contradictionibus vexabatur; de quibus cùm ſæpè quereretur c. 36. & 37. à Deo confirmatus eſt. Anno Ezechiæ 14. M. 3291. ante Chr. 709. ante Ær. 713. Sennacherib Aſſyriæ Rex, exercitu Judam invadens, Rabſacem pincernam ſuum ad Ezechiam miſit, qui eum ad deditionem ſolicitaret. Arroganti, & impia oratione Rabſaces diſſeruit; qua ad Ezechiam à miniſtris relata, ille veſtibus diſciſſis, Templum Domini adiit, eademque Iſaiæ nuncianda curavit. Iſaias tamen Domini verbis Regem confirmavit, cùm impia verba in ſe prolata ulturus, Dominus illi nuncium miſſurus eſſet, quo audito ille celerrimè ad ſua regrederetur, cruentaque morte occumberet.

(a) Gen. 25. 28. 29. A. M. 2288. ante Ch. 1712. ante Ær. 1716.
(b) Sgambat. Archiv. V. T. l. 2. (c) Vid. Fabric. Apocryph. V. T. p. 424.
(d) Ruth. 4. 17. 22. & 1. Par. 2. 13. Matth. 1. 5. (e) Ita. Hebræi, & alii poſt eos.
(f) *Hamoz.* Pater Iſaiæ. *Amos* Propheta *Amos.* (g) Aug. l. 18. de Civit. c. 29.
(h) Aug. ibid. Hieron. Ep. 117. Item. Præfat. in Iſa. Theodor. Præfat. in Iſaiam.
(i) Ezechias Regnum cœpit A. M. 3278 ante Ch. 722. ante Ær. 726.

Digitized by Google

Paulo poſt, Sennacherib Regem Tharſcam adverſus ſe moviſſe intelligens, ipſi occurrens rurſum Rabſacem Jeroſolymam miſit, qui eadem ac priùs ferè pronunciavit. Tum hæc Ezechiæ Iſaias juſſit renunciari c. 37. 21. 22 &c. Hæc dicit Dominus Iſraelis Deus in Sennacherib: Tibi illuſit, tibique inſultavit, filia Sion: caput poſt te minitans concuſſit, filia Jeruſalem. Cui illuſiſſe credis? quem impetiiſſe? in quem vocem oculoſque arrogantes erexiſſe? In ſanctum Iſraelis. Servis tuis Dominum contemſiſti, teque curribus tuis montium excelſa, Libanumque excurriſſe, illius cedros altiſſimas, abieteſque ſucciſiſſe; fontes exhauſiſſe, pulſiſque tuis fluvios exſiccaſſe arbitraris. An me omnia hæc diſpoſuiſſe, eaque ab æternitate ſtatuiſſe ignoras? te quò egredereris, ubi eſſes, tuamque in me inſaniam novi. Quare annulum naribus tuis, frænumque ori tuo inſeram, teque via, qua veniſti, reducam. Tu Ezechia, confirmare. Quæ ſponte provenient hoc anno, comede, annoque ſequenti pomis veſcere: tertio tamen, ſere & mete; tunc enim omninò à moleſtia liber quieſces: Rex ſiquidem Aſſyriorum (Domino pollicente) urbem non ingredietur, ipſamque telis non opugnabit, nec aggeres circa illam conſtruet; qua tamen venit, eadem via revertetur. Reverà Dominus Angeli gladio hominum 180. millia exercitus Sennacherib interfecit; ipſeque Rex Niniven confugere coactus, eſt, ubi à filiis trucidatus, interiit.

Eodem tempore Ezechias lethali morbo correptus, ægrotavit, *Iſ.* 38. 1. *&c. Vide &* 4. *Reg.* 20. A. M. 3291. ante Chr. 709. ante Ær. 713. quare Iſaias ipſum inviſens, domui ſuæ provideret, brevi moriturus, Domini verbis imperavit. Cùm verò Ezechias lachrymas preceſque ad Deum fudiſſet, Iſaias vix egreſſus ad Regem redire à Domino juſſus eſt, ut illi preces, lachrymaſque exauditas, vitam ad 15. annos producendam, ipſumque è Regis Aſſyrii ſervitute liberandum, urbemque ab illius inſultibus protegendam renunciaret. Signum inſuper illi ſe exhibiturum, quod promiſſorum pignus eſſet, regreſſum ſcilicet per 10. gradus umbræ in horologio Achaz. Tunc Iſaias Ezechiæ ulceri ficorum maſſam applicuit, eumque perfectæ adeò ſanitati reſtituit, ut poſt 3. dies ad Templum venerit.

Paulò poſt, initio Regni Aſaradonis, Sennacherib ſucceſſoris, Dominus Iſaiæ imperavit (a), ut tribus annis nudis pedibus, & corpore incederet; ut proximam Ægypti, & regionis Chus, in Arabia Petræa protenſæ, quæque vulgò Æthiopia vertitur, captivitatem deſignaret. Conſtans Hebræorum Chriſtianorumque traditio (b) fert, Iſaiam initio Regni Manaſſis Regis Judæ, ſerra diſſectum obiiſſe. Impius Rex mortis illius cauſam obtendiſſe dicitur, quòd Iſaias dixiſſet 6. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium*; quod Moyſi contrarium aſſerebat, *Exodi* 33. 20. *Non videbit me homo & vivet*, Illius corpus prope Jeroſolymam tumulatum fertur, ſub quercu fullonis, prope fontem Siloe, unde Paneadem, ad Jordanis fontes, inde Conſtantinopolim imperante Theodoſio juniore, an. Chr. 442. translatum. Diu prophetavit; & qui vaticiniorum illius initium anno 25. Oziæ ſtatuunt, annos prophetiæ 85. illi tribuunt. Nos verò cum illius miniſterii exordium initio Joatham, ponamus, majores quam 60. vaticiniis annos illi denegamus (c).

Prophetarum eloquentiſſimus ducitur Iſaias; ejuſque ſcripta pulcherimarum cognitionum compendium eſſe teſtatur S. Hieronymus *Præfat. in Iſ. Quid loquar de Phyſica, Ethica, & Theologia? Quidquid Sanctarum eſt Scripturarum; quicquid poteſt humana lingua proferre, & mortalium ſenſus accipere, iſto volumine continetur.* Iſaiam Demoſtheni comparat Grotius *in* 4 *Reg.* 19. 2. Hebraicæ Linguæ in Iſaia, ut in Demoſthene Aticæ puritas omnis elucet. Uterque ſtilo magnificus, & grandis, vehemens, figuris ornatus, maximè incitatus, cum indignas res, odioſas, difficiles exaggerat. Hoc ſupra Demoſthenem habet Iſaias, quòd illuſtri genere natus, ad Regiam Judæ familiam pertineret. Quæ de Meſſala Corvino Quintilianus, *Inſtit. l.* 10. *c.* 20. nos de Iſaia dicere poſſumus. *Nitidus, & candidus, & quodammodo præ ſe ferens in dicendo nobilitatem ſuam*, Gaſpar Sanctius, *Prolegom. in Iſ.* Iſaiam floridum ornatumque, gravemque ſimul, & vehementem adeò invenit, ut neminem illi vel Oratorem, Poetam, vel Hiſtoricum conferendum putet; eumdemque dicendum modum in omnibus dicendi generibus ſervare aſſerit, adeò ut omnes ſivè Græcos, ſivè Latinos longè ſuperaverit.

Præter ſcripta quæ ſuperſunt, Oziæ Acta in 2. Paralip. 26. 22. laudata, nunc deperdita conſcripſit. Alium Librum, inſcriptum, *Aſcenſio Iſaiæ*, citant Origenes *in Matt.* 23. *& Epiſt. ad Afric.* S. Epiphanius *hæreſ.* 40. *&* 67. Hieronymus *in Iſa.* 64. Quidam Judæi huic Prophetæ Proverbia, Eccleſiaſten, Cantica Canticorum, & Librum Jobi adſcribunt. Refert. S. Ambroſius (d), Iſaiæ in carcere detento Diabolum adſtitiſſe, hortantem, ut Divino Spiritu excitante ſe loquutum non fuiſſe mentiretur, pollicitus ſe è carcere ipſum educturum, hoſtiumque ſuorum mentes converſurum. Iſaiam tamen mortem mendacio prætuliſſe. Author Operis imperfecti in Matthæum *homil.* 1. narrat, Iſaia Ezechiam ſalutatum veniente, Regem filium ſuum Manaſſem ad ſe accitum, optimis monitis coram Propheta inſtituiſſe; cui tamen Iſaias ſubdiderit, omnia ea fore inania, cùm ipſe illius juſſu eſſet interficiendus: quibus auditis, Ezechiam filio ſuo necem inferre decreviſſe; prohibitum tamen ab Iſaia, dicente: *Irritos Deus conatus reddat.* Longum denique Ezechiam inter & Iſaiam, dialogum, cùm eum Regem ægrotantem Propheta ſalutatum veniſſet, Talmud deſcribit (e). Cùm verò hæc omnia ex apocryphis eruta ſint fontibus, nihili ducimus. Brevibus hiſce verbis Author Eccleſiaſtici 48. 25. elogium Iſaiæ texit (f). *Iſaias Propheta magnus, & fidelis in conſpectu Dei. In diebus ipſius retrò rediit Sol, & addidit Regi vitam. Spiritu magno vidit ultima* (temporum) & *conſolatus eſt lugentes in Sion. Uſque in ſempiternum oſtendit futura, & abſcondita, antequàm evenirent.*

(Chriſtiani Orientales referunt in ſuis hiſtoriis ſanctiſſimus hunc vatem dono prophetandi mulctatum fuiſſe ſpatio 28. annorum; quòd ſcilicet in faciem non reſtitit Regi Oziæ ingreſſum in Sanctuarium, ubi Altare thymiamatis poſitum erat, tentanti. Vitam produxiſſe ferunt ultra 120. annorum ætatem.)

ISBAB, 14. Sacerdotalis familiæ Templo inſervientis Princeps. 1. *Par.* 26. 25.

ISBOSETH, ſivè *Isbaal*, Saulis filius, & ſucceſſor. Verum illius nomen, *Isbaal*; cùm verò Hebræi alienos Deos proferre reformident, idcircò ne *Baal* proferant, pro eo, *Boſeth*, confuſio, ponunt. Ita pro *Miphibaal*, dicunt *Miphiboſeth*. Abner Saulis cognatus, & exercitus Ductor, à pleriſque Iſraelis Tribubus Isboſethum 40. annis natum in Regem ſalutandum curavit, cùm interim David Hebrone ſoli Tribui Judæ imperaret. Regni ſedem Isboſeth in Mahanaim, trans Jordanem, conſtituit, anniſque duobus pacificè imperavit, 2. *Reg.* 2. 8. His elapſis (g),

leve

(a) Iſ. 20. 1. &c. Sunt qui credant tres tantum dies eo habitu inceſſiſſe qui tres annos ſignificarent.
(b) Origen. in c. 23. Matth. & Epiſt. ad Jul. Afr. & Hom. in Iſ. Tertul. de patientia, c. 14. Juſtin. contra Tryph. Chryſoſt. ad Cyriac. Hieron. l. 15. in Iſ. Aug. l. 18. de Civit. c. 24. &c.
(c) Obiit Iſaias An. M. 3306. ante Chr. 694. ante Ær. 698.
(d) Ambroſ. in Pſal. 118. t. 1. Oper. p. 1124.
(e) Gemar, Berachor. c. 1.
(f) An. M. 2949. ante Ch. 1051. ante Ær. 1055.
(g) A. M. 2951. ante Ch. 1049. ante Ær. 1053.

Digitized by Google

leve inter utrumque Regem certamen contigit; ducibus pro Isboſeth, Abnero, pro Davide, Joabo, in quo Abneri partes fugatæ. Bellum inde inter Davidis & Saulis domum exarſit (a); proſper ſemper Davidi fortuna, ipſius Regno in dies creſcente, Saulis imminuto.

Reſpham concubinam, Aiæ filiam, habuerat Saul, Abner igitur apud Regem accuſatus, quòd vel ipſa abuſus fuerit, vel duxerit, à Rege redargutus eſt. Id ægerrimè ferens Abner, jurejurando promiſit facturum, ut omnis Iſrael ab Isboſetho ad Davidem deficeret. Miſſis igitur ad Davidem nunciis, Iſraelis omnis imperium ſe illi collaturum promiſit, dum David ſe inter amicos recenſeret. Accepta à Davide conditione, Abner Iſraelem ad defectionem ab Isboſetho ſollicitavit. Cùm tamen jam propè eſſet, ut promiſſa compleret, ab Joabo per inſidias interemptus eſt. V. *Abner*.

Abneri mortem audiens Isboſeth, unaque omnis Iſrael animis cecidit (b), cùm Abner ſolus eſſet, qui Saulis domum propugnaret; pauloque poſt Isboſeth in domo ſua à duobus copiarum ſuarum ducibus proditione ſublatus eſt. Hi Regias ædes ſub meridianum æſtum ingreſſi, Regemque in cubili dormientem nacti, duobus in inguine vulneribus ipſum interfecere; illiuſque caput abſciſſum, ſpe ingentis præmii, ad Davidem detulerunt. David tamen illos intuens, Vivit Dominus, ait, qui me maximis è periculis eduxit: Si virum, qui Saulem in Siceleg defunctum nunciavit, morte damnavi, quo magis innocentis Principis ab impiis in cubili domoque ſua interfecti ſanguinem ulciſcar? Eos igitur interfici juſſit, eorumque manus pedeſque abſciſſos ad Hebronia piſcinam ſuſpendi; caput verò Isboſethi in Abneri ſepulchro Hebrone ſepeliri. Ita Isboſeth, totiuſque domus Saulis imperium deſiit.

ISCARIOTH, Euſebius, & Hieronymus *in Iſ.* 28. 1. vicum *Iſcarioth*, unde Judas Proditor ortus creditur, in Ephraim Tribu locant. Alii verò *Carioth*, in Tribu Juda ei patriam fuiſſe volunt; alii denique ex Tribu Iſſachar ortum putant; quare & *Iſcharriotes* pro *Iſſachariotes* fuerit appellatus. Vide *Joſue* 15. 25.

(ISIS. Frequens eſt adeo de Numinibus Ægyptiis in Scriptura mentio, ut deeſſe noſtro muneri videremur, niſi pauca ſaltem libaremus de Iſide inter gentis illius Deos potiſſima. Iſis, juxta Theologiam Ægyptiorum, ipſiſſima erat Jo, quam Jupiter deperiit, quare Junonis odium incurrens tranſlata eſt in vaccam, ſed receptam in Ægyptum Jupiter ad priorem formam reſtituit. Junxit ſe connubiali lege cum Oſiride Rege ejus provinciæ, regnaruntque ambo tanta ſapientia & clementia, tantiſque beneficiis promeruerunt ſibi Ægyptum, ut à gratiſſimis illis gentibus inter Numina ambo conſecrarentur. Porrò docuiſſe illos ferunt artem ducendi ad colum ac texendi lanam, docuiſſe inſuper agriculturam, artem colligendi meſſes, ac panem conficiendi. Rogatæ tandem ab illa leges, ac politia conſtituta.

Aliis verò (c), Oſiris frater eſt ſimul & conjux Iſidis, quemadmodum ſororem & ſponſam ſuam Junonem ſibi Jupiter adſcivit. Quin & Euſebio Præparat. lib. 3. cap. 5. Oſiris eſt ſponſus, frater & filius Iſidis; filium Iſidis pariter vindicat Lactantius lib. 1. cap. 21. cum Minutio Felice. Ad patrem Iſidis quod attinet, qui in unam fœminam cum Io confundunt, patrem illi aſſignant Inachum Argi Regem. Alii natam volunt ex Neptuno patre, & matre Callirhoe; alii ex Argo & Iſmene; alii ex patre Mercurio vel Prometheo. Herodotus in Euterp. cap. 156. tradit, ab Ægyptiis Iſidem confundi cum Cerere, & parentem illam aſſignari Apollini ac Dianæ; Nutrix ſeu liberatrix Cereris Latona. Apollo vernacula Ægyptiorum lingua appellabatur *Orus*, Ceres verò Iſis, & Diana Bubaſtis.

Si quis omnia ſimul conferat, quæ à variis Scriptoribus tradita ſunt de Iſide & Oſiride, intelliget ad duo iſta Numina ſimul colligi omnia quæ per ſingulos Paganorum Deos diſtributa ſunt. Iſis eſt Paganis illis Ceres, Juno, Luna, Terra vel Natura, Minerva, Proſerpina, Thetis, Mater Deorum vel Cybeles, Venus, Diana, Bellona, Hecate, Rhamnuſia (d); uno verbo agnomine Myrionyme, i. e. Deæ mille nominum potitur. In veteri quodam marmore Capuano hoc ſibi vindicat elogium: *Te tibi, una quæ es omnia, Dea Iſis*; & in urbe Sais referente Plutarcho de Iſid. & Oſirid. in pavimento Templi Minervæ, quæ ipſiſſima eſt Iſis, hæc deſcripta legebantur: *Ego ſum univerſum, quod fuit, quod eſt, & quod eſt futurum, flammeumque meum nullus mortalium aperuit unquam*.

Iſis ita loquitur apud Apulejum Metamorph. l. 11.: *Ego ſum rerum natura parens, elementorum omnium domina, ſæculorum progenies initialis, ſumma Numinum, regina Manium, prima Cælitum Deorum Dearumque, facies uniformis, quæ Cæli luminoſa culmina, maris ſalubria flamina, inferum deplorata ſilentia, nutibus meis diſpenſo. Cujus numen unicum multiforme ſpecie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis. Inde primigenii Phryges Peſſinunticam nominant Deum matrem, hinc autochthones Attici Cecropejam Minervam, illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem, Cretes ſagittiferi Dictynam Dianam, Siculi trilingues Stygiam Proſerpinam, Eleuſini vetuſtam Deam Cererem, Junonem alii, alii Bellonam, alii Hecaten, Rhamnuſiam alii, & qui naſcentis dies ſolis incoantibus illuſtrantur radiis Æthiopes, Artique priſcaque doctrina pollentes Ægyptii cæremoniis me propriis percolentes appellant vero nomine Reginam Iſidem*.

Exhibebant Iſidem Ægyptii ſimulacro fœminæ, cui vaccinum, vel ſaltem vaccæ cornibus emicans (e), aut Lunæ cornua præferens caput; inter cornua illa Lunæ medius plerumque effingebatur globus, orbis emblema. Pictam etiam præferebat in capite avem, quæ Ibis creditur. Sæpè clavem tenet, crucem, flagrum. Religioſo cultu diſtinguebatur maximè in Ægypto, ſed potiſſimùm Bubaſti, Copti, Alexandriæ.

Veteres etiam Germani Iſidi proſternebantur; ſed alteri planè ac Iſidi Ægyptiorum. Illa enim Iſis credita eſt conjugem ſibi adſciviſſe Mannum filium Thuiſconis, quem generis ſui authorem habent Germani. Viri quidam docti (f) contenderunt ſub nomine *Mannus* & *Iſis* veteres illas gentes deſignaſſe Adamum & Evam. *Mannus* Germanicè ſonat homo, quemadmodum Adam Hebraicè; & *Iſis* idem eſt nomen ac *Iſcha* vel *Iſchet*, quod primus homo Evæ tribuit: *Hæc vocabitur virago Geneſ.* 2. 23. Hebræus; *Ipſa vocabitur Iſcha*. Idem pariter reputatum eſt de *Iſide*, & *Oſiride* Ægyptiorum.

Diſcutiendum eſt modo, num Iſraelitæ Iſidem, quocunque tandem appellarint nomine, unquam coluerint. Animadvertiſſe autem juvat, 1. carere Hebræos peculiari nomine ad Deam ſignificandam; 2. Cùm pingeretur ſæpè Iſis capite vel cornibus bovinis, propiùs verò judicaremus ipſiſſimum fuiſſe Numen ac illud Scripturæ: *Vitulus aureus*; veluti legunt Septuaginta: *Vacca aurea*. Factum ſanè multi de cultu aurei vituli habentes ſermonem, conſecratum dicunt ab Iſraelitis caput vituli. 3. Quemadmodum Judæi cultum impenderunt Soli, & Lunæ ſub variorum nominum ambagibus, uti *Gad*, *Meni*, *Baal*, *Aſtaroth*, Regis, & Reginæ, univerſæ militiæ Cœli; ita pariter reputaremus variis occultatos nominibus Iſidem & Oſiridem adoraſſe.)

I. ISMAEL, Abrahæ, & Agar filius. Cùm Sarai Abrahæ uxor ſterilem diù uterum geſſiſſet, *Gen.* 16.

1. Agar

(a) 2. Reg. 3. 1. &c. annis circiter quinque ab A. M. 2951. ad 2956.
(b) 2. Reg. 4. 1. &c. An. M. 2598. ante Chr. 1044. ante Ær. 1048.
(c) Plutarc. de Iſid. & Oſirid. (d) Apulei. lib. 11. Metamorph. (e) Herodot. in Euterp. cap. 41. Philoſt. vit. Apollon. lib. 1. pag. 24. (f) Voſſ. de Idololat. lib. 1. cap. 17. num. 38. lib. 2. cap. 24. 27. 36. 56. lib. 7. cap. 2. & 10. & lib. 138.

1. Agar ancillam ſuam conjugi ſuo connubio junxit; ut per illam ſaltem ſibi matrem dici contingeret (a). Quodam hoc adoptionis genere Rachelem deinde, & Liam uſas eſſe ſcimus, quæ conjugi ancillas ſuas, ut liberos ex iis perciperent, tradidere, *Gen.* 30. 3. & 9. Agar igitur, quòd concepiſset, dominam contemnentem Sarai ad conjugem detulit, à quo permiſſa, ut, quod ſatius duceret, in ancillam experiretur, eam acerbius adeò habuit ut Agar ſibi ſuga conſuluerit. Fugientem verò Domini Angelus in deſerto intercepit, quam domum regredi, dominæque ſe ſubmittere juſſam brevi filium enixuram admonuit, quem Iſmaelem, *Exauditionem* nempè *Dei*, idcircò vocaret, quòd Dominus ejus lachrymas exaudierit. Eum præterea natura ferum in ſe impetus impavidè repulſurum, & tentoriis è regione fratrum locatis; propinquas eis regiones conſequuturum prænunciavit. Dicto audiens fuit Agar, & domum reverſa filium peperit, quem Iſmaelem appellavit (b).

Quatuordecim poſt annis M. 3108. ante Ch. 1892. ante Ær. 1896. cùm Sarai, Deo favente, Iſaacum conjugi peperiſset (c), Iſmael, qui unicus Abrahæ ducebatur hæres, ſpe ſua prorsùs excidit. Quadam vero die mater cum filio ſuo 5. ſeù 6. annos nato Iſmaelem liberiùs, quam ipſa ferret, ludentem intuita, ſtatimque Abrahamum, ut ancillam unà cum filio expelleret, deprecata, detrectantem conjugem experta eſt; qui tamen divinitùs deinde monitus, ut uxori acquieſceret, filium & ancillam viatico donatos confeſtim dimiſit. Cùm verò uterque per Berſabee deſertum vagarentur, & aqua prorsùs deſtituti mater angeretur, filius jam propè deficeret, ne illa hunc morientem videret, quantum arcus emittit, ab eo procul abſceſſit. Verùm cœleſti voce excitata, ut filio, innumeri populi parenti futuro, potu conſuleret, puteum illicò vidit, ex quo aquam exhauriens, Iſmaelem ſibi deficientem revocavit, qui ultrà progreſsus in deſertum Pharan, ibi domicilio ſibi conſtituto intorquendis ſagittis maximus evaſit, & matre jubente, uxorem Ægyptiam duxit, à qua 12. liberos accepit, *Gen.* 25. 13. nempè 1. *Nabajoth*, 2. *Cedar*, 3. *Abdeel*, 4. *Mabſam*, 5. *Maſma*, 6. *Duma*, 7. *Maſſa*, 8. *Hadad*, ſeù *Hadar*, 9. *Thema*, 10. *Iethur*, 11. *Naphis*, 12. *Cedma*. Fœminam quoque genuit, quam *Meheleth*, ſeù *Baſemath* appellatam, *Gen.* 36. 3. Eſau conjugo ſibi adjunxit, *Gen.* 29. 9. De horum quolibet ſuis locis egimus.

Ex duodecim Iſmaelis liberis duodecim Tribus Arabum, quæ adhuc extant, egreſſæ fuere. Refert Hieronymus *qu. Hebr. in Gen.* ea, qua ſcribebat, ætate, Arabiæ Regiones variis Tribuum, à quibus incolebantur, nominibus ab Arabibus ſolitas appellari. Prophani Tribuum Arabum Principes *Phylarchas* vocant, quos *Scheich-Elkebir* Arabes ipſi appellant (d). Regiones ab *Hevila* ad fauces, quibus Tigris & Euphrates miſcentur, uſque *Sur* ad Iſthmum, qui Ægyptum ab Arabia disjungit, Iſmaelis poſteri incolebant; quos hiſtoriæ generico Arabes, & Iſmaelitas, præcipuo verò nomine Nabathæos, Cedarenos, Agarenos &c. appellant. Poſt ſæculum 7. penè omnes Mahomethi ſectam amplexos, Turcas & Monſulmanos vocamus. Iſmael coram omnibus ſuis fratribus juxta Vulgatam, *Gen.* 25. 18. interiit, quem tamen locum alii vertunt: *ad faciem omnium fratrum ſuorum habitavit*. Vide *Gen.* 16. 12. Quo anno obierit, ignoramus.

(Hunc virum in amore patris præcipuum, & magnificarum illarum promiſſionum, quibus ſe Deus obſtrinxit Abrahamo, ſcopum fuiſſe docent Mahometani (e). Tenent Abrahamum mactaturum Iſmaelem prohibitum fuiſſe Dei juſſu ab Angelo Gabriele, cujus opera ſubſtitutum agnum, quem pater filiuſque ſimul immolarunt Domino, quo poſtea in loco excitatum eſt Templum Mechæ. Porrò ædificium illud nonniſi poſt obitum Agar conſtructum, innotuit priùs nomine *Caabah* vel domus quadratæ, quod architecturæ formam illam præferret; tùm *Beith-allah* vel Domus Dei. Arabes, Abrahamo ſuppares, arietis illius cornua è ſuggrundiis Templi ſuſpenderunt, unde poſtea removit Mahometus, omnia ad Idololatriam offendicula populo tollenda arbitratus.

Porro Iſmael, poſt longiorem aliquam moram in Jatreb hodie Medina, recepit ſe in Iemen, ubi & ſedem adſcivit & conjugem. Præter duodecim Iſmaelis liberos in Geneſi expreſſos, unum alium addunt Arabes vocitantque *Thor*, vel *Thour*, à quo datum nomen ferunt monti Sion, noto illis etiam nomine *Thour* & *Thour-Sinai*; datum & Urbi ad radices hujus montis & ad ſitus Erythræi.

Arabiam tenebant veteres Arabes, antequam Iſmael eo tranſmigraret; nec niſi poſt diuturnas cum *Gierhamidibus* diſceptationes factum eſt tandem, ut veteres illi regionis incolæ cum æmulis convenirent ad Templum Mechæ. Quod attinet Veterum ejuſmodi populorum genus hodie in Arabia penitùs extinctum non eſt; ſubſiſtit enim adhuc inter Iſmaelitas admixtum confuſumque. Vide quæ ſcripſimus v. *Arabes*. Illud tamen potiſſimùm diſplicet in Hiſtoriis hiſce Mahometanorum, quòd ſcilicet nec ſinceritatem, nec præſcriptas Hiſtorias ſcribentibus regulas ſatis attendentes, ſuper inducta larva occultant, corrumpunt, deſtruunt hiſtorias veteris novique Teſtamenti, ut fidem adſtruant, ſubſtituantque deliria ſua & traditiones, quarum nulla in antiquitate veſtigia, nec ex alio deducta ſunt fonte, quam ex rudi indoctaque Mahometi perſuaſione. Porro vir ille recitantes Judæos & Chriſtianos hiſtorias ſacras auſcultans, ſuo more veſtitas retulit; quibus etiam ita corruptis ejus ſectatores nova corruptione fidem magis magiſque detraxerunt, novis inſarcientes fabellis, noviſque rerum circumſtantiis; & ſi quis illos ad veteres genuinaſque Scripturas provocet, ſuppoſititias ſtatim & corruptas clamitant.

Quatuor religionis Iſmaelitarum ſtatus diſtinguuntur; 1. Sub Iſmaele, & iis qui proximè illi ſucceſſerunt, religionem facilè eandem tenentibus ex Abrahamo & Iſmaele acceptam. 2. Priores illos alii exceperunt, qui admixtos inter ſe habentes veteres Arabes regionis incolas, eorum in ſe tranſtulerunt Idololatriam, corruperuntque ſinceri, à parentibus traditi, cultus veritatem, alienis pluribus cæremoniis adſcitis. 3. Arabes ſanè plures ineunte Chriſtiana Religione fidem amplexi ſunt; unde verò potiſſimùm Chriſtiani ad illos migraverint, incertum; noti ſunt tamen Martyres, Africani; ſcitumque anno 249. habitum fuiſſe ibi Concilium in Hæreticos corporis & animæ communem admittentes quà interitum, quà reſurrectionem. Quarto tandem Mahometus in eam parens regionem pluribus impoſuit, coegitque, quà viribus, quà callidis ſuaſionibus errores ſuos adoptare. De Religione veterum Arabum, quos ab Iſmaelitis, non diſtinguimus, ex quo in unum ambo populum coaluerunt, vide quæ retulimus. v. *Arabes*. Religio Mahometanorum aliena eſt à noſtro inſtituto; quippe quæ recens commentum eſt, de quo nihil in Scriptura.

Meminit Baruch. 3. 23. ſcientiæ & ſtudiorum filiorum Agar: *Filii quoque Agar, qui exquiſierunt ſapientiam, quæ de terra eſt*. Sapientiam illi affectabant; & hodie pariter Arabes gravitatem & ſeria maximè amant. Regina Saba venit ut in diſcrimen adduceret ſapientiam Salomonis, intelligere volens experimento, num vera de illo fama narraret. Agareni & Iſmaelitæ numerum augent gentium bello affligentium Iſraelitas ſub Rege Joſaphat *Pſal.* 82. 7., & dum popu-

(a) A. M. 2093. ante Ch. 1907. ante Ær. 1911. (b) A. M. 2094. ante Ch. 1906. ante Ær. 1910.
(c) Gen. 21. 1. An. M. 2113. ante Chr. 1887. ante Ær. 1891. (d) Vid. Thevenot. l. 2. c. 32. part. 1.
(e) D'Herbelot Bibliot. Orient. p. 501. Iſmaïl-ben-Ibrahim.

populum judicaret Gedeon *Judic.* 7. & 8. 24. Regnante facilè Saul Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe arma tulerunt in Agarenos ſuderuntque prælio 1. *Par.* 5. 10. 19. 20. Tenebant Agareni Arabiæ deſertæ tractum montibus Galaaditidis orientalem.

Alio etiam charactere diſtinguuntur in Scriptura Arabes, coma ſcilicet attonſa *Levit.* 19. 27. Vetat Moyſes, ne Arabum in ea re mores adoptent Hebræi, tondebant enim illi comas in honorem & ad exemplum Bacchi; *Neque in rotundum comam attondebitis.* Jeremias Dei verbis in attonſos coma populos ultionem minitatur *c.* 6. 25. & 26. 25. 23. *Viſitabo ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam*; deſignat autem eo nomine populos Edom, Ammon, & Moab, *Dedan*, *Thema*, & *Buz*, quæ omnes gentes ſunt in Arabia, & Thema filius erat Iſmaelis. Capitis comam præcidunt Turcæ unum tantum è capillis floccum in vertice relinquentes (a). An illud jam inde à Moyſe obtinuerit, incertum. Ritum præcidendi comam, de quo hic Moyſes, *Zizæ* appellant Septuaginta; eſt autem *Zizon* floccus capillaceus, qui in occipite, vel in ſummo vertice relinquitur, cum reliquum comæ attonditur. Vide vv. *Nabath*, *Cedar*, *Thema*, *Agar*.)

II. ISMAEL, Nathaniæ filius ex Regia progenie Judæ, qui Godoliam à Nabuchodonoſore poſt Jeroſolymæ everſionem, Judææ Præfectum per inſidias interfecit (b). Vide v. *Godolias*. Joannes verò, ſeu Johanan Caree filius interfectorem inſequutus propè piſcinam Hebron intercepit, inque eum impetu facto, fuga ſibi conſulere coegit; ille tandem actus in fugam ad Baalim Ammonitarum Regem perfugit. Vide Jerem. 41. 1. &c.

III. ISMAEL, Judæorum Pontifex, Phabi, ſeù Phabbe filius, alterius Iſmaelis, qui & Pontificatum geſſit, germanus. Hic Anano ſucceſſit, ea dignitate à Valerio Judææ Præſide ornatus anno 4027. Ær. 27. eaque anno proximo deſtitutus, Eleazarum Anani filium ſucceſſorem habuit.

IV. ISMAEL II. ſuperioris frater, Agrippæ beneficio Ananiæ filii Nebedæi ſucceſſor (c). Huic adhærentes Pontifices à Pontificatu avulſi, oblationes & decimas ſimplicibus Sacerdotibus ad eorum vitæ conſervationem addictas, cum ſibi uſurpare conarentur, eoſdem populi præſidio munitos ita in ſe concitarunt, ut ipſum Templum quadam belli imagine perverterint. Iſmael una cum Chelcia, & aliis decem Jeroſolymæ Optimatibus Romam adiit, ut à Nerone poteſtatem ſibi fieri cujuſdam erigendi parietis poſtularet, quem Feſtus Judææ Præſes, quod Romanos milites ab interioris Templi proſpectu, & Agrippæ palatium ab aperto aere prohiberet, prorsùs diruerat (d). Quibus proſpecturus Joſephus Hiſtoricus Romam profectus eſt (e); omneſque Poppææ beneficio voti compotes evaſere. Iſmaele tamen Jeroſolymam minime revertente, Agrippa in Joſephum Simonis filium, Cabei cognomine, ejus Pontificatum tranſtulit.

ISRAEL. Ita ab Angelo vocatus eſt Jacob, poſtquam tota nocte in Mahaniam ſeu Phanuel lucta cum eo decertaverit (f). Iſrael *Deo prævalentem*, ſeu *Dei Principem*, ſeu juxta veteres plurimos *hominem Deum videntem* ſonat.

Hoc nomine interdum Jacob, interdum omnis Iſraelis populus; omnis Jacobi progenies; interdum denique Iſraelis, ſeu decem Tribuum Regnum, prout à Regno Juda ſecernitur, deſignatur. *Reges Iſraelis*. Vid. infra v. *Reges*.

ISRAELITÆ, Iſraelis Poſteri. Primò vocati ſunt *Hebræi* ex Abrahamo, ex tranſeuphratæis regionibus profecto; deinde *Iſraelitæ*, ex Iſraele duodecim Patriarcharum parente; denique, & præcipuè poſt Babylonis captivitatem *Judæi*, quod tunc Tribus Juda omnibus Tribubus & vi, & numero major eſſet, & quod exteri, præter eam, cæteras via noſſent.

ISREELA, ex viginti quatuor Levitarum familiis ſeptima, 1. *Par.* 25. 14

ISSACHAR, quintus Jacobi & Liæ filius, quem mater, poſtquam mandragoras ſibi ab Juda delatas Racheli vendiderat, concepit, *Gen.* 30. 14. & peperit anno M. 2255. ante Chr. 1745. ante Ær. 1749. Quatuor ſibi filios ex conjugio accepit, *Gen.* 46. 13. Tholam nempe, Phuam, Jobabum, & Semronem. Ejus vitæ cætera ignoramus. Huic Jacob benedicens ait, *Gen.* 49. 14. *Iſſachar aſinus fortis, accubans inter terminos. Vidit requiem, quod eſſet bona, & terram quod optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſerviens.* Chaldæi è contrario vertunt. *Subjiciet provincias populorum, & erunt ei ſervientes, & tributarii.* Ex fertilioribus Chanaan regionibus Tribui Iſſachar portio contigit, quæ ſecùs Campum Magnum, ſeu vallem Jezrael ſita, dimidiam Manaſſis Tribum meridionalem, ſeptentrionalem Zabulon, mediterraneum occidentale, Jordanem denique, & Tiberiadis mare poſtremum orientale habebat. In duodecim Patriarcharum Teſtamento monita, quibus Iſſachar moriturus filios erudiit, recenſentur. At opus illud apocryphum, nullaque fide dignum.

ISTHEMO, urbs Tribus Juda (g), quæ & appellatur *Eſthama*, ſeu *Eſthemo*, & juxta Euſebium & Hieronymum in Eleutheropolis regione ſita eſt.

ISTOB, ſeu *Iſch-Tob*, ſeu *natu major*, vel *Princeps regionum Tubeniorum*, quas in ſeptentrionalibus montium Galaad ad Libanum finibus locant. In Regionem Tob, quæ Tabin dicitur 1. Machab. 5. 13. Jephte perfugit, *Judic.* 11. 3.

ISSUS, ſeu *Iſus*, Judæorum Pontifex, cui præivit Joram, Axioram verò ſucceſſit. Ejus mentio apud Joſephum Antiq. l. 10. c. 11. nulla apud Scripturam, niſi fortè idem ſit ac Azarias, de quo in 1. Paralipomenon 6. 9.

ITABURIUS, ſeu *Itaburim*; quo nomine ab Joſepho *l.* 4. c. 2. *de Bell.* vocatur Thabor.

ITALIA, ea mundi pars, cujus Metropolis Roma, D. Hieronymus Hebræum *Cethim*, ſeu *Citthim*, *Italiam* vertit, *Num.* 24. 24. & Ezech. 27. 6. Nos tamen in Geneſi *Cethim*, *Macedoniam* deſignare oſtendimus. Idem Hieronymus Hebræum *Thubal*, quod juxta alios Hiſpanias, ſeu Tibarenos juxta alios ſonat, *Italiam* interpretatur (h). In Bibliorum Originalibus Græcis Italia nil affert æquivoci.

ITHAI, filius Ribai de Gabath, unus ex fortiſſimis Davidis exercitus, 2. *Reg.* 23. 29.

ITHAMAR, quartus filius Aaron, quem nunquam Pontificatum geſſiſſe credimus. Ipſe una cum filiis ſimplex extitit Sacerdos, uſquedum per Heli Pontificem, & Iſraelis Judicem, ejus familia Pontificali dignitate decorata fuerit (i). Ex familia Ithamar ſucceſſerunt Pontifici Heli Achitob, Achia, Achimelech, & Abiathar, quem Salomon à Pontificatu dejecit (k). De geſtis Ithamar nil certò ſcimus.

ITHOBAL, Rex Tyri, quod utique nomen in Veteri Teſtamento non eſt invenire. Invenitur tamen *Ethbaal*, Jezabelis pater, & ſocer Achabi, quem Joſephus *Ithobal* appellat (l). Alibi etiam quemdam Aſtarthes Sacerdotem, Ithobal nomine, Regi Tyri Phellete interfecto, duobus ſupra triginta annis imperaſſe recenſet (m).

(ITHOBALUS Rex Tyri, quem minarum & invectivarum Prophetæ Ezechielis ſcopum fuiſſe perſuademur. Eo nomine vetuſtis Phœniciæ Hiſtoricis notus eſt Rex quidam Tyri, quo rerum potiente Urbem obſidione ſtrinxit Nabuchodonoſor.

(a) Hæc

(a) Herodot. lib. 3. cap. 8. & lib. 4. cap. 175. (b) A. M. 3417. ante Ch. 583. ante Ær. 587. Vid. 4. Reg. 25. 25. &c. (c) Joſeph. Antiq. l. 20. c. 6. A. M. 4066. Æræ 63. (d) Antiq. l. 20. c. 7. (e) Idem de Vita ſua. (f) Vid. Gen. 32. 1. &c. & 28 &c. & Oſee 12. 3. Vid. & v. Jacob. (g) Joſue 15. 50. (h) Iſai. 66. 19. (i) Ab A. M. 2848. uſque ad 2888. ante Ch. 1152. ante Ær. 1116. (k) A. M. 2989. ante Ch. 1011. ante Ær. 1015. Vid. 3. Reg. 2. 27.
(l) Joſeph. Antiq. l. 9. c. 6. Confer. 3. Reg. 16. 31. (m) Lib. 1. contr. Appion.

Digitized by Google

(a). Hæc igitur Propheta: „ Hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd elevatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris, Cùm ſis homo & non Deus, & dediſti cor tuum quaſi cor Dei. Ecce ſapientior es tu Daniele, omne ſecretum non eſt abſconditum à te. In ſapientia & prudentia tua feciſti tibi fortitudinem, & acquiſiviſti aurum, & argentum in theſauris tuis. In multitudine ſapientiæ tuæ & in negotiatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem, & elevatum eſt cor tuum in robore tuo. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd elevatum eſt cor tuum, quaſi cor Dei; idcirco ecce ego adducam ſuper te alienos, robuſtiſſimos Gentium; & nudabunt gladios ſuos ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum. Interficient & detrahent te, & morieris in interitu occiſorum in corde maris. Nunquid dicens loqueris: Deus ego ſum, coram interficientibus te; cum ſis homo & non Deus in manu occidentium te? Morte incircumciſorum morieris, in manu alienorum, quia ego locutus ſum, ait Dominus Deus.

Iterum Dominus ad Ezechielem: „ Fili hominis leva planctum ſuper Regem Tyri, & dices ei: Hæc dicit Dominus Deus: Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia & perfectus decore in deliciis Paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum: ſardius, topazius & jaſpis, chryſolithus & onyx & berillus, ſaphirus & carbunculus & ſmaragdus: aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, præparata ſunt. Tu Cherub extentus & protegens; & poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te: in multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti, & ejeci te de monte Dei, & perdidi te, ò Cherub, protegens de medio lapidum ignitorum. Et elevatum eſt cor tuum in decore tuo; in terram projeci te; ante faciem Regum dedi te, ut cernerent te, in multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ polluiſti ſanctificationem tuam; producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem ſuper terram in conſpectu omnium videntium te, omnes qui viderint te in Gentibus obſtupeſcent ſuper te, nihili factus es, & non eris in perpetuum.

Hunc eundem Principem ſpectatum credimus illis Habacuc 2. 12. 13. 14. *Væ qui ædificat civitatem in ſanguinibus, præparat urbem in iniquitate.* Divitiæ illæ, quibus abutimini, Urbs quam conſtruitis, *nunquid non hæc ſunt a Domino exercituum? Laborant enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient, quia replebitur terra, ut cognoſcant gloriam Domini, quaſi aquæ operientes mare.*)

ITHURÆA, ſeu *Ituræa*, Syriæ, ſeu Arabiæ, ultra Jordanem Provincia, Bataneæ orientalis, & Trachonitidi meridionalis. *Ituræa* mentio apud D. Lucam 3. 1. & apud Paralipomena *Ituræorum*, 1. *Par.* 5. 19. ſeu *Jethur* juxta Hebræos, Jethur verò patrem habuit Iſmaelem, *Gen.* 25. 15. & 1. *Par.* 1. 31. Arabia Petræa Ithuræam complectitur.

(Ariſtobulus Rex vel Princeps Judæorum, Hircani filius, in exordio Regni ſui infeſta arma tulit in Ithuræos (b). Quos pro majori parte ſub jugum miſſos, coegit ad Judaica ſacra tranſire, quemadmodum aliquot antehac annis Hircanus pater ipſius Idumæis id oneris impoſuerat. Porrò illorum arbitrio permiſit utrum mallent ſive Circumciſione & Judaiſmo initiari, ſeu veteres deſerentes ſedes novas ſibi quærere domos, eligerent. Maluerunt patriis conſiſtere in ſedibus, & facere imperata. Licet igitur Iſmaelis poſteri, exuerant tamen circumciſionis morem, vel facilè coegit Ariſtobulus abſcindi octavâ die, cùm antea non obſignarentur niſi duodecimo vel decimotertio ætatis anno. Philippus ex filiis Herodis, Tetrarchæ vel Principis titulo Ithuræam regebat, cùm Sanctus Joannes Baptiſta muneris ſui functiones exorſus eſt Lucæ 3. 1.)

JUBAL, Lamech, & Adæ filius, muſices ante diluvium inventor, *Gen.* 4. 21.

JUBILÆUM, Hebraicè *Jobel*. Quolibet quinquageſimo anno, ſeu ſeptem poſt annorum hebdomadas, ſeptem nempe poſt ſeptennia Jubilæum agebatur, *Levit.* 25. 8. *Sanctificabis annum quinquageſimum; ipſe eſt annus Jubilæus.* Qui utique Textus licet clarior luce videatur, plurimi nihilominus Commentatores quadrageſimo nono, & præcisè ultimo ſeptimæ annorum hebdomadæ anno Jubilæum agi ſolitum tuentur, quibus etiam favet illud Moyſis: *Numerabis tibi ſeptem hebdomades annorum, id eſt ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem*, *Levit.* 25. 8. Cui ſententiæ tuendæ eo nituntur potiſſimum, quod ſi Hebræi anno quinquageſimo, ſtatim poſt annum Sabbathicum, nempe annum quadrageſimum nonum, Jubilæum celebrare conſueviſſent, plura inde potuiſſent inconvenientia deſinere, caritatis, præſertim & famis, quietis anno ſtatim alterum inſequente.

Hebræum *Jobel*, juxta Rabbinos, arietis cornu, quo Jubilæum evulgabatur, deſignat; quomodo verò arietis cornu nulla cavitate perforſum potuiſſet in tubam adhiberi; Quare Jobel ænea fortè fuit buccina, quæ arietis cornu referebat. Alii *Jobel*, ab Hebræo Jubal deducunt, quod alias, ut ajunt, ſonitum reddere deſignabat. Nos verò ab *Hobil*, quod *reducere*, & *revocare* ſonat, proficiſci putamus, quod eo tempore cuncta ad priſtinum Dominum remigrarent.

Ingrediebatur porrò Jubilæum prima die Tizri, primo nempe anni civilis menſe, qui menſe Septembri circiter autumnale æquinoctium quotannis incidebat. Eo anno Judæi ferendis, & metendis agris abſtinebant, *Levit.* 25. 11. iis tantummodò cibis contenti, quos tellus ſponte, & arbores emiſiſſent. Sive eam vendidiſſent, ſive pigneraſſent, ſive alienaſſent, ſuam quiſque hæreditatem reparabant. Servi Hebræi, utcumque in ſervitutem incidiſſent, una cum uxoribus & liberis libertate donabantur, ii etiam, qui libertatis anno Sabbathico recuperandæ juri ſuo ceſſerant. Exteri verò ſervi Jubilæi beneficio minimè fruebantur. Cætera, quæ ad annum Jubilæi pertinent, legenda relinquimus *Levit.* 25.

Uſſerius primum Jubilæi annum poſt vulgatam Moyſis Legem, incidiſſe refert anno Julianæ Periodi 3318. M. 2609. ante Ch. 1391. ante Ær. 1395. Secundum verò ejuſdem Periodi 3367. M. 2658. ante Ch. 1342. ante Ær. 1346. Tertium denique an. 3417. M. 2707. ante Ch. 1293. ante Ær. 1297. Ita de cæteris. Videantur Tabulæ Chronologicæ, & 49. anni ab altero ad alterum Jubilæum ſupputentur.

Hunc Judæorum morem Eccleſia Catholica imitata, Jubilæum inſtituit, quo tamen peccata tantùm dimittit, & indulgentias ea poteſtate, quæ ligandi, & ſolvendi ſibi facta eſt à Chriſto, impertitur. Quod utique Jubilæum poſt Bonifacium VIII. A. Ch. 1300. agi cœpit; Jubilæi verò nomen tunc eſt auditum, cum Sixtus IV. anno 1471. ad Pontificatum aſſumptus, biennio poſt A. Ch. 1473. in Bulla, qua pleniſſima Fideles Indulgentia donavit, eamdem appellavit Jubilæum. Primo quolibet ſæculo Jubilæum recurrebat; Clemens vero VI. (c) quolibet anno quinquageſimo; Gregorius deinde XI. quolibet trigeſimo tertio; Paulus denique II. quolibet vigeſimo quinto, uti & nunc impræſentiarum, celebrari juſſit. Quo nihilominus Summi Pontifices minimè prohibentur, quominùs, vel cum ad Pontificatum aſſumun-

(a) Philoſtrat. apud Joſaph. Antiq. lib. 10. cap. 11. & contra Appion. lib. 1. pag. 1046.
(b) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 19. (c) An. Ch. 1342.

Digitized by Google

muntur, vel cùm res Eccleſiæ id poſtulant, Fidelibus Jubilæum indulgeant, quod potiùs Indulgentiam velut Jubilæum, quam verum Jubilæum fas eſt appellari. A pluribus hic de Jubilæo abſtinemus, cùm nonniſi indirectè, ad argumentum noſtrum pertineant; in Novo enim Teſtamento nulla de eo, niſi implicita mentio, cùm de ligandi & ſolvendi poteſtate Apoſtolis facta, & de quolibet peccatore ſeriò contrito Indulgentiis donando ſermò inſtituitur (a).

(Duæ ſunt de Jubilæo ſententiæ Interpretes diſtrahentes in partes. Quærunt enim, num ejus celebrandi annus in ſingulis quinquagenis annorum recurreret, ut quinquageſimus ipſe annus ſacer eſſet Jubilæo, quemadmodum inſinuat Moyſes Levitici 21. 10. juxta interpretationem Philonis, Joſephi, Euſebii, S. Hieronymi, S. Auguſtini, S. Gregorii Magni, S. Iſidori, & Judæorum omnium qua Thalmudiſtarum, qua Caraitarum, quos duces ſequuntur magno numero Scriptores Commentariorum. Hæc illi; aliis verò perſuadetur annum nonum & quadrageſimum Jubilæo ſacrum fuiſſe, uti Moyſes non obſcurus Levitici 25. 8. Juxta ac exponunt optimi plures Commentariorum Scriptores (b) & Chronologiſtæ. Quò igitur diſſidium iſtud ſententiarum concilietur, commodè reputarem, quinquageſimum annum poni loco noni & quadrageſimi, in gratiam numeri rotundi, quemadmodum octo dies in ſeptimanam reputamus, triginta dies in menſem, quinque annos in Olympiadem, licet, ſi rigorem attendamus, ſeptem diebus conficiatur hebdomada, uno & triginta menſes ſanè multi, & interdum etiam octo & viginti, vel novem & viginti, & olympiadem ſingula quadriennia referant. Ad hæc, cum Jubilæi annus iniret poſt evolutum nonum & quadrageſimum, & ineunte quinquageſimo, uterque annus ſeu nonus & quadrageſimus, ſeu quinquageſimus illi commodè aſſignaretur.

Quæſtionis punctum in eo poſitum eſt, an uterque iſte annus quietam relinqueret à cultu terram, vel ea tantùm religio nonum & quadrageſimum annum afficeret. Incommoda enim plura tuliſſet par ſuccedentium annorum religioſa quiete otioſorum, & menti Legiſlatoris quiete unius anni ſatisfieri poſſe conſtat. Sabbathicorum annorum ſeptimus præ cæteris præcedentibus major erat tantùm & ſolemnior, qua poſita cautione ardua omnia tolluntur, & ſententiarum diſcrepantia conciliatur.

Subjiciendi modò ritus quidam anni jubilæi. Inibat prima die menſis Tizri; ſed nonniſi decima ejuſdem menſis die manumittebantur ſervi, & veteribus Dominis remittebantur latifundia (c). Novem priores dies acti in gaudio & deliciis, quemadmodum fermè apud Romanos in Saturnalibus. Novendiale hoc perſeverante nihil operis injungebatur ſervis ab heris, ſed compotationibus & conviviis lætos agebant dies coronis capiti revinctis. Vix illuceſcebat Expiationis ſolemnis dies, quæ & decima eſt Tizri, cùm juſſu Sanhedrinorum Patrum inflabantur buccinæ; tùm libertas data mancipiis & ad veteres poſſeſſores redibant agri.

Hujus rogandæ legis ratio ſuppetebat, ne locupletes tenuioribus eſſent graves, redigerentque miſeros in perpetuam ſervitutem, ne poſſeſſiones illorum in ſe transferrent jure emptionis, oppignerationis, vel tandem uſurpationis; ne tandem æs alienum plus nimio gravaret opprimeretque pauperes, quare perpetua ſervitute gemerent oppreſſi cum uxoribus & filiis ſuis. Adhæc Moyſes ſervare pro viribus ſatagebat hominum libertatem, bonorum æqualitatem, & familiarum ordinem in regione. Tandem id habuit præ oculis, ut populus ſtuderet regioni ſuæ, poſſeſſionibus, hæreditati, tanquam ſibi à patribus ſuis traditæ & depoſiti loco committendæ filiis, ſecuris nunquam è domo ſua in alias hæc transferenda eſſe.

Paria fermè apud Lacedæmones conſtituerat Lycurgus, indicta æqualitate bonorum, vetanſque ſervitutem, ac prohibens pro viribus, ne plus nimio quis ſeu divitiis, ſeu potentia creſceret. In hanc mentem induait oſtraciſmum, quo exilio pellebantur è Republica cives nimiis divitiis ſeu potentia alios habentes inferiores. Veterum Romanorum malam auri famem & avaritiam coercere volens Stolon, rogavit legem, qua privatis quibuſque vetarentur poſſeſſiones 500. jugeribus terræ majores; at ſuborta ſtatim fraus legem illam ſapientiſſimè ſancitam in peſſimam vertit. Ipſe prior Stolon ſanctionem hanc ſuam violavit, damnatus ſententia cum filio, (quem ad hoc potiſſimum de induſtria emancipaverat), tanquam mille jugerum poſſeſſor.

Annum Sabbathicum prærogativis ſanè multis ſuperabat Jubilæi annus; ſicut viciſſim modica quædam erant anni Sabbathici decora ſupra Jubilæum (d). Anno enim Sabbathico extinguebatur æs alienum, quod Jubilæo manebat; ſed in Jubilæo viciſſim decreta ſervis manumiſſio & reſtitutæ veteribus Dominis poſſeſſiones. Ad hæc vix initus Jubilæi annus poſſeſſiones remittebat Dominis, cùm exeunte tantùm anno Sabbathico æs alienum remitteretur. Poſſeſſiones in alios ſeu emptione, ſeu gratuito translatæ redibant, nemine refragante, in priſtinum; quæ verò jure ſucceſſionis devolutæ erant, nullo jure reddebantur. Si in inſtrumento venditionis certus quidam annorum numerus expreſſus eſſet, tunc privilegio Jubilæi ceſſante, evolutio illa annorum expectanda erat. Sed illimitatæ emptiones Jubilæo cedebant (e). Ædes & quæcunque alia ædificia intra Urbes veteribus poſſeſſoribus privilegio anni Jubilæi non remittebantur.

Poſt captivitatem Babylonicam annorum Sabbathicorum religio manſit, abolito Jubilæo (f). Alexander Magnus exemptos declaravit Judæos à tributis ſingulis ſeptenis annis, quod à cultu terræ per annos illos vacarent (g). Ad Jubilæum autem quod ſpectat, cùm ejus inſtituendi unica fuerit ratio, ut bonorum per Joſue diſtributio maneret, atque impermixte diſtinguerentur Tribus ac familiæ; non erat utique cur adhuc obtineret, ut olim ante Tribuum diſperſionem. Quæ etenim Tribus ſoluta captivitate redierunt, ſedes ſibi, ubicunque ſors dabat, conſtituerunt; & frequentes numero familiæ, ac integræ fortè etiam Tribus in loco captivitatis ſuæ perſeverarunt.)

JUCADAM, Urbs ex Tribu Juda, *Joſ.* 15. 16.

JUD, ſeu *Judi*, Urbs ex Tribu Dan. *Joſ.* 19. 45.

JUDA, prout ab Iſrael, nempe à decem Tribuum Regno ſecernitur, Judæ, ſeu Poſterorum Davidis Regnum deſignat. Illud fuit huic tribui præcipuum, quod cæteris Tribubus à fide deficientibus, & aureis Vitulis adolentibus, veræ Religionis Dei depoſitum, pubblica Sacerdotum munera, & Legis cæremonias in Templo Jeroſolymitano incontaminata ſervaverit.

REGES JUDA. Vide Regum Juda Catalogum ad v. *Reges*.

JUDÆA, Aſiæ Provincia, quam olim *Regionem Chanaan*, ſeu *Palæſtinam*, deinde *Terram Promiſſionis*, *Terram Iſraelis* denique poſt captivitatem Babylonis, quod Tribus Judæ cæteras & vi, & numero præcelleret, quodque etiam Samaritani, Idumæi, Arabes, & Philiſthini cæterarum Tribuum omnes penè regiones occupaſſent, *Judæam* appellavere. Judæi è captivitate regreſſi, Jeroſolymam primùm, ejuſque vicinia conſequuti, omnem denique ſuam Regionem recuperarunt. Videantur ſuis locis *Chanaan*, & *Chananæi*, ubi de veteribus Judææ populis diſſeruimus. Ea in Regione exteri erant Philiſthini, quod ab Inſula *Caphtor*, ſeu *Creta* illuc eſſent profecti. Vid. *Ca-*

(a) Vid. Matth. 16. 19. & 2. Cor. 2. 10.
(b) Hugo Card. Mercat. Jul. Scalig. Roder. &c. Cunæus de Rep. Hebr. l. 2. cap. 6.
(c) Maimon Halaca Schemitta Vejobel. (d) Maimon. loc. cit. (e) Selden. de Succeſ. in bona l. 3. c. 24.
(f) Maimon Halaca Schemitta Vejobel. Cunæus de Rep. Hebr. l. 1. c. 6.
(g) Joſephus Antiqu. l. 11. cap. ult.

Caphtor. Phœnices, qui etiam poſt Hebræorum ingreſſum ſemper conſtitere, ad Chananæos veteres pertinebant.

Ad meridiem Philiſthini Phœnices verò ad Septentrionem omnem pene Mediterranei oram occupabant. Cæteras Judæi conſequuti fuerant Regiones, quæ Libanum, & Syriam ſeptentrionales, Meridionalem Judæam, & Petræam Arabiam, meridionales Galaad montes, orientalem Idumæam, Arabiam deſertam, Ammonitas, & Moabitas orientales, Mediterraneum denique, Philiſthinos, & Phœnices ſibi occidentalea habebant. Jordanis, qui è Libani radicibus oriens, & à ſeptentrione ad meridiem defluens, in mare mortuum tandem egeritur, duabus penè æqnis partibus eam Regionem interſecat.

Ante Hebræorum ingreſſum, à Chananæis Regibus, ſingulis in ſuis urbibus Monarchico more imperantibus Judæa regebatur; quam cum deinde conſequutus eſset Joſue, veluti Dei Legatus eidem præfuit. Poſt Joſue, Seniores imperavere 15. annis, quibus elapſis, Iſraelitas ſeptem, ſeu octo annis viventes ſub Anarchia quadam Judices primò, 17. ſupra ſæculum annis; deinde Reges à Saule uſque ad Captivitstem, annis 507. gubernandos ſuſcepere. Poſt Captivitatem, Perſarum Regibus, deinde Magno Alexandro, poſtea ejus Succeſsoribus, modò Syriæ, modò Ægypti Regibus Judæa paruit; à quibus tamen præcipua ratio Pontificibus, & ex Davidis Domo Principibus habebatur (a). Demùm Religione à Machabæis propugnata, & Judæorum rebus reſtitutis, 305. circiter annos, uſque ad Magnum Herodem, apud eoſdem imperium floruit (b). Præſidum Romanorum (c), Judicum (d), Regum (e), & Pontificum (f), qui Judæam geſſerunt, catalogum ſuis locis congeſſimus.

Quod attinet ad ubertatem ſoli Judaici, omnium opulentiſſimum, quod etiam lactis, & mellis flumina interfluunt, à Scriptura, (g), & eodem fermè modo ab Joſepho (h) exhibetur: ab Itinerantibus verò quorumdam præcipuè locorum opulentia quammaxima admiratione refertur. Alicubi profectò laxeum eſt, atque areſcens, nunc vero plerumque, quòd incolis, qui terram colant, deſtituatur, ſterilitate laborat. Plerumque etiam montoſum eſt; montes tamen ſatis humiles, atque pervii, olivetis, vineis, aliiſque arboribus referti undique videbantur. Ejus paſcua feraciſſima; fructus optimis majores; aquarum copia; pluviæ raræ; ros copioſus (i), quo pluvias ſupplente cuncta rigantur.

JUDÆI. Ita Iſraelitæ à Babylonis captivitate Palæſtinam regreſſi, nomine deducto ex Juda, quæ Tribus tunc cæteras vi, & numero præcellebat, appellati fuere. Poſt captivitatem, viribus in dies, & numero etiam ſemper adaucti, eo pervenerunt, ut Domini Nativitatis tempore, & quadraginta poſt annis, cùm Romanis bellum intulere, inter fortiorea Orientis populos recenſerentur. Omnem ferè Judæorum hiſtoriam nos hoc volumine congeſſimus, cum Virorum illuſtrium, qui ab Orbis exordio uſque ad Jeroſolymæ excidium, meminerimus. Chronologicus Hiſtoriæ Sacræ Catalogus, quem ad calcem 2. Tomi rejecimus, & Judææ Chartæ Geographicæ, ad Regionem, & cujuslibet Tribus portionem dimetiendam conſulantur. Præcipuas eorum Leges ad v. *Lex* nos referemus.

In peculiaribus de Judæorum Chronologia Diſſertationibus, de eorum politica, nummis, poeſi, ſuppliciis, connubiis, divortiis, domibus, aulæ Regiæ Præfectis, cum Spartiatis cognatione, ordine & Pontificum ſucceſſione, Sacris Libris, Textibus, Idiomate, Verſionibus, denique de eorum Mundi ſyſtemate, Gymnaſiis, & veſtibus ſatis jam diſſeruimus. Egimus etiam de variis eorum ſectis, de Melchiſedecho, Enoch, aliiſque Viris, qui ad genus & Religionem Judæorum referuntur. Harum Diſſertationum ſingulæ, vel in peculiari earum collectione, vel in noſtris Commentariis in Vetus, & Novum Teſtamentum, videndæ occurrunt. Fieri profectò non poſſet, ut de ſingulis fuſiùs hic ageremus. De plurimis tamen ſuis locis ſatis diximus.

Articuli Judæorum Fidei. Vide ſupra *Fides*.

Vide & Regum Judæorum Catalogum ad v. *Reges*; & Pontificum ad v. *Sacerdotes*.

(Poſt captivitatem Babylonicam, ex quo primum Hebræi peculiari nomine cœpti ſunt appellari Judæi, nihil antiquius habuit populus, quàm ut reſtitueret Templum Domini & Urbem Sanctam præſidibus Eſdra & Nehemia, uti ſat conſtat ex lectione voluminum de nomine utriuſque hujus Viri inſcriptorum. Poſt hac majori ſtudio ac religione ſegum ſuarum ſanctionibus paruerunt, officia majori fide ſervarunt, magiſque abhorruerunt quàm antea unquam ab idololatria. Iſraelitæ decem Tribuum è captivitate variis ſubinde temporibus reduces, in unum confuſæ cum Juda populum nomen ſibi Juda adoptarunt, politica quadam, uti facile perſuademur, cautione; cum latum à Cyro pro ſolvenda captivitate edictum Regno Juda ſubjectas gentes aperte præferret. Niſi forte malueris hujus adſciſcendi nominis in cauſa fuiſſe, quòd cùm Hebræi omnes poſt captivitatem in unum idemque Regnum coaluiſſent, nec ullum maneret adhuc ea in re diſcrimen inter Juda & Iſrael, maluerunt tranſire in appellationem Juda, utpote quæ potioris in gente partis, & in quo caput religionis reſideret, eſſet peculiaris. Summi enim Sacerdotis ſedes erat Hieroſolyma, ubi & Princeps totius regionis, qui ſemper è Tribu Juda aſſumebatur, & imperium habebat Præfecto à Regibus Perſidis miſſo ſecundarium.

Sub his Regibus quieta pace tranquillam habuerant Rempublicam, ſatiſque otii nacti ſunt, ut ſedes fundarent in regione ſua, repararent *Urbes*, ac derelictis diù agris cultum reſtituerunt. Eo temporis intervallo Judæis in Tranſeuphratæis ſubſiſtentibus diſcrimen incidit longè maximum (k), quò illos impulit Amani ambitio & Mardochæi auguſtior indoles, quàm ut demittere ſe ad indigna obſequia in virum hunc, regio favore ſuperbum, pateretur. Sed Eſther tantùm gratia valuit apud Regem Perſidis, ut lata in Judæos edicta contrariis reſcinderentur, & Mardochæus elevatus eſt ad ſummos illos honores, quos antea occupabat, quà in Regno, quà in Aula Amanus. Judæi ultionem de hoſtibus ſuis proſecuti ſunt, & quibus antea erant contemptui, in terrorem converſi ſunt.

Cùm Alexander Magnus expeditionem in Darium Codomanum, Regum Perſidis poſtremum, ſuſcepit, Judæi Darii juſtum gerentis ſuper illos imperium partes ſecuti ſunt, atque Alexandrum, auxilia poſcentem in obſidione, qua occupabatur, Tyri, recuſarunt. Ultionem ille de injuria ſtatuit, & poſt captam Urbem, infeſta arma tulit in Jeroſolymam. At ſummus Sacerdos ſatellitio ſacro ſtipatus, & univerſo comitante populo, in occurſum venientis proceſſit; quem Alexander & venerabundus excepit (l), & totam Judæorum gentem cumulavit beneficiis,

ac

(a) Hujus imperii genus perſtitit annis 369. à captivitatis regreſſu an. 3468. uſque ad Judam Machabæum an. 3847.

(b) Ab A. 3837. quo imperium aſſumpſit Judas Machabæus, uſque ad 4965. quo Herodes à Senatu Rex fuit denunciatus. (c) Vide v. Præſides.

(d) Vide v. Judices.

(e) Vid. v. Reges. (f) Vide v. Sacerdotes.

(g) Exod. 3. 8. Ezech. 20. 6. &c. Vide Num. 13. 28. Deuter. 8. 7. Iſai. 36. 17.

(h) Joſeph. Antiq. l. 15. c. 5. & de Bello l. 3. c. 2. 18. & 26. & Antiq. l. 8. c. 2. & Hecatæ. apud Joſeph. l. 2. contr. Appion.

(i) Vide M. Reland. Palæſtin. l. 1. c. 17. p. 380. & ſeq.

(k) A. M. 3495. ante Chriſtum 505. (l) A. M. 3672. ante J. C. 328.

& ſingulis ſeptenis annis exemit à tributis, quam conceſſam Judæis gratiam petentibus ſibi Samaritanis negavit.

Poſt obitum Alexandri Magni, varias Judæi vices experti ſunt; modò in ditionem Regis Ægypti, modò Syriæ tranſeuntes, prout Regum illorum potentia varias ſubibat viciſſitudines intra ampliores anguſtioreſque fines eorum imperium definientes.

Sub Ptolomæo Philopatore Rege Ægypti ſæva perſecutione in ejus ditione jactati ſunt (a); juſſu enim Regis illius pedibus elephantium conculcandi tradebantur, niſi Divinum prodigium è præſentiſſimo diſcrimine liberandis adfuiſſet.

Nato inter Sacerdotes illorum diſſidio, & empta à Jaſone ſoluto pretio ſacra dignitate ab Antiocho Epiphane (b), Princeps ille anſam arripuit perſequendi Judæos, cogendique, ut avita religione deſerta ad Græcas ſuperſtitiones tranſirent. Nullum tam ſævum tormentum labefactandæ eorum conſtantiæ vires in miſeros ſuas non exercuit; ſed nihil tamen validum flectendis animis Machabæorum, atque ingentis turbæ proborum Iſraelitarum ſeſe illis jungentium. Electa autem illa manus, & ad miraculum ſtrenua, labantem veram Religionem ſuſtentavit, proſtratamque erexit patriæ libertatem. Aſmonæi vel Machabæi poſt habitam aliquo temporis ſpatio ſacram dignitatem ſub imperio Regum Aſſyriæ, excuſſo tandem jugo deſpoticum Principatum & Sacerdotium in ſe conciliarunt. Porrò decus illud excuſſi jugi Syrorum Hircanus ſibi vindicavit (c); ſed Ariſtobulus ejus filius & ſucceſſor primus ſibi Regium titulum aſcivit (d). Manſit in ea Familia Regnum uſque ad tempus Herodis filii Antipatri Idumæi (e).

Ea tamen Regni ſeries aversâ quandoque vicibus interciſa fuit. Gabinius Syriæ Præfectus ditioni Judææ cum valido exercitu ſeſe ſuperinfundens; paulo poſtquam Pompejus abſceſſerat, redegit ſub imperio Alexandrum filium natu majorem Ariſtobuli, qui è manibus ſe Pompeii ſubduxerat; ſacræ dignitati reſtituit Hircanum, & politiam regionis fermè ex integro novam ſancivit. Namque Monarchicum Provinciæ ſtatum redegit ad Ariſtocraticum (f). Regium titulum abolevit, & quo loco Sanhedrin Magnum, & cætera Jeroſolymæ ac per regionem Tribunalia de cauſis cognoſcebant, totum illud jus redegit Gabinius ad quinque per Judæam diſpoſita Tribunalia peremptoria ſingula, & in ſua quæque regione deſpotica. Primum erexit Jeroſolymæ, alterum Jerichio, tertium Gadaræ, quartum Amathunte, poſtremum Sephori. Diſtribuit verò in totidem Provincias regionem, quarum ſingularum cauſæ in aſſignando ſibi Tribunali peremptoria ſententia agnoſcerentur.

Nonnullis poſt annis (g) Julius Cæſar ex Ægypto in Palæſtinam, Syriam petiturus, venerat, cui acceſſit ſupplex Antigonus filius Ariſtobuli Regis Judæorum poſtremi, rogavitque, ut avito Principatui redderetur, querelas ſimul admiſcens amaras in Hircanum & Antipatrum. Sed poſtremus iſte vir, cui in bello Ægyptiaco ſibi in multis faventi Cæſar debebat plurimum, egregiè adeò ſe & Hircanum purgavit, ut rejiceretur Antigonus, inviſus nota ſeditioſi hominis & turbulenti, ſanciretùrque decreto ejuſdem Cæſaris, ut Hircano aſſereretur dignitas ſacra æquè ac politica, & ſimul Antipater Judæam procuraret ſecundus ab Hircano. Quam conſtituit Gabinius, tunc ariſtocratia ceſſavit, idemque, qui priùs, politiæ ſtatus reſtitutus eſt.

Antigonus filius Ariſtobuli pellectis in ſuas partes grandique pecunia emptis Parthis, ut operam ſibi locarent in recipiendo avito Regno (h), rationem inivit diſſipandi vires Hircani, quas fulciebat Herodes cum fratribus. Tum Herode in Italiam recepto, Antigonus captum Hircanum auribus præcidit, quò ſpem omnem tolleret recipiendæ iterum ſacræ dignitatis; atque ita fœdè habitum tradidit Parthis, à quibus in regionem ſuam deductus eſt. Utraque ergo dignitas Judæorum conceſſit in Antigonum.

Sed Herodes Romam veniens (i), rerum Judææ ſtatum expoſuit Antonio; Antonius verò juncto ſimul cum Octaviano, cognomento dein Auguſto, conſilio, dedit operam, ut diadema Judææ ad Herodem deferretur, quod ille ad obitum uſque tenuit, tum & tranſtulit in filios. Obiter hæc attigimus; neque enim aliud intendimus, niſi ut generalem quandam ideam exhibeamus rerum & politiæ Judæorum poſt abſolutam captivitatem Babylonicam uſque ad Herodem.

Poſt obitum ejus Principis paterni Regni hæreditas in filios diſtributa eſt. Archelao ceſſit cum Judæa Samaria & Idumæa, Herodi Antipæ Galilæa, & Peræa; habuit Philippus Auranitidem & Trachonitidem cum Panæa & Batanæa. Archelaus decennio regnavit in Judæa, tum accuſatus apud Auguſtum à Judæis & Samaritanis, cùm purgare ſe nequiret, exilio ablegatus eſt Viennam in Gallia, ac Judæa redacta eſt in Provinciam. Manſit is rerum ſtatus uſque ad obitum Jeſus Chriſti.

Exinde uſque ad everſionem Jeroſolymæ Præfectis Romanis paruit Judæa. Hos ego Præfectos ducto catalogo exhibeo v. *Præfecti*. Poſt everſionem Jeruſalem in ditionem Præſidum Syriæ tranſiit. Sed Judæi adhuc diſtinctam à cæteris gentem exhibuerunt, manſeruntque in regione ſua Imperio Romanorum ſubjecti uſque ad regnum Adriani. Tunc deſciſcentes intulerunt in Romanos bellum, quod infelix ſibi adeò ceſſit, ut miſerè perirent multi, & tota gens penitus diſſiparetur. Vide v. *Barcochebas*.

Judæorum Religio vario aſpectu conſideratur pro variis gentis ſtatibus. Sub Patriarchis Religionis naturalis ductum ſequebantur, abhorrentes ab Idololatria & criminibus, quorum ſunt appendices atheiſmus, vel cultus Numinum ſuperſtitioſus. Initiabantur pariter circumciſione, quo veluti ſigillo muniebatur fœdus à Deo cum Abrahamo initum; parebant etiam legibus, quas ratio ipſa gratiæ & fidei lumine fulta detegit, exponitque iis, quorum rectum eſt cor, & ſeriò Deum, juſtitiam ejus ac veritatem quærunt, vitam dirigentes in expectationem Meſſiæ Deſiderati cunctis gentibus, à quo vota illorum omnia explenda, ac lux & benedictio diffundenda. Hæc religio Abrahami, Iſaaci, Jacob, Judæ, Joſeph, & Patriarcharum omnium, quorum opera ſincerus in familia Dei cultus ſervatus eſt, ac depoſitum veræ Religionis manſit intactum.

A' Moyſe certior fuit & minus confuſa Judæorum Religio. Jus & Religio naturalis meliori in luce collocata ſunt. Antehàc enim quiſque ſibi Deum colendum proponebat pro religioſi cordis ingenio, & prout quiſque aptiſſimum judicabat. A' Moyſe certa & exactiſſima Lex poſita eſt vel minimis quibuſque cæremoniis, diebus feſtis, precationibus, victimis decretis. Nec præterit ſedulus iſte Legiſlator vel ætatem, vel ſexum, ſeu velleris colorem certarum quarumdam victimarum; ſuus in numero, dotibus, & natura hoſtiarum modus, definitum, qua hora, à quo, qua de cauſa, & quibus occaſionibus darentur ſingula ſacrificia. Selecta Tribus, familia, corporis dotes, veſtis, ordo, claſſis, munera Sacerdotum & Levitarum. Deſignatæ menſuræ, metalla, ligna, lanæ, quæ in opus Tabernaculi vel Templi geſtatorii Domini impenderentur; deſignatæ pariter & dimenſiones, metalla, ac figura Altaris, ejuſque utenſilium. Uno verbo nihil eorum omiſſum eſt, quæ pertinerent ad cultum Domini, potiſſimum illud & primum, ſeu ut meliùs dicam, unicum intentum Religionis Judaicæ.

Juvaret in rem præſentem conferre varias luſtrationes, quæ homines comparabant, ut dignè accederent ad ſancta. Quæ immunda ab illis removerent, quo ritu expiarentur contractæ ſordes, evitarentur, præcaverentur. Quanta ſemper mentis præſentia intentos

Z a habe-

(a) A. M. 3787. ante Chr. 213.
(b) A. M. 3834. ante Chr. 166.
(c) A. M. 3874. ante Chr. 126.
(d) A. M. 3898. ante Chr. 102.
(e) A. M. 3964. ante Chr. 26.
(f) A. M. 3947. ante Chr. 53.
(g) A. M. 3957. ante Chr. 43.
(h) A. M. 3964. ante Chr. 36.
(i) A. M. 3964. ante Chr. 36.

habebat Judæos, ne quid ejuſmodi ſordis contraherent; ſordis, inquam, modò excludentis à civili conſortio, modo ab uſu rerum ſacrarum, modò à propriis ſedibus & caſtris. Vitia interdum quædam naturalia, certum morborum genus, atque accidentes incautis eventus luſtrationes exigebant. Si quis morticinum tetigiſſet, adſtitiſſet funeribus, manum extendiſſet ad impura, ſtatim maculam contrahebat eluendam luſtrationibus.

Non hic ego fuſiùs immorabor in percurrendis legibus moralibus, judicialibus, & cæremonialibus Judæorum; actum eſt enim de his ſatis in Dictionario Biblico v. *Leges*. Sed continere me non poſſum, quin ſub oculis ponam extremam illam legum diſtrictionem morti adjudicantem, e. g. Sabbathicæ religionis violatores, vel qui nuptias in gradibus vetitis ſibi conciliarent, reos adulterio, accedentes ad fœminam menſtruatam, criminibus contra naturam probrum ſibi inferentes, ſollicitantes ad Idololatriam fratres, conſultantes Divinos & Magos, blaſphema in Deum pronunciantes, accedentes ad ſancta non ſanctos. Si quis Laicus vel Levita Templi limen attigerit, i. e. vel Sanctum, vel Sanctuarium, qui vel tangere auſus fuerit, ſeu nudam aſpicere Arcam fœderis; hæc omnia crimina capitali ſupplicio puniebantur. Is veteris Legis ſpiritus erat, ſpiritus, inquam, timoris, ſervitutis, coactionis. Lex exhibebatur typo Agar, ait Apoſtolus, Galat. 4. 24. *in ſervitutem generans*. Ingenuos homines peperit Evangelium; Rom. 8. 15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum &c.*

Ex diuturna illa Hebræorum in Ægypto mora proclivia adeo in Idololatriam facta ſunt populi ingenia, ut nec miracula, quibus Moyſes vel ipſis eorum oculis veritatem ſubjecit, nec opportunæ illæ cautiones, quibus avertere animos à ſuperſtitione Moyſes ipſe conatus eſt, nec tandem rigor Legum, aut præſentis Numinis caſtris Iſraeliticis argumenta apertiſſima, ſat habuerunt virium, ut propenſionem illam animi nova propenſione corrigerent, vel ruentes in crimen retinerent. Amos Domini verbis ita illos affatur 5. 25. 26. *Numquid hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi in Deſerto quadraginta annis, domus Iſrael? Et portaſtis Tabernaculum Moloch veſtro & imaginem Idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis.* Scitum eſt, quàm faciles ſe præbuerint ad cultum aurei vituli; vix enim relato, ut ita dicam, ex alveo Erythræi pede, ubi oculati teſtes ſpectaverunt prodigium illud admiratione & terrore vicinarum gentium pectora opplens, ſtatim vertentes Deo terga coram vitulo proſtrati ſunt.

Leges itaque ſuas Moyſes rogavit in deſerto, ſed Legibus in deſerto obſecundatum non eſt. Cùm in aſſignatam Dei munere regionem veneritis, *non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie ſinguli, quod ſibi rectum videtur. Neque enim uſque in præſens tempus veniſtis ad requiem, & poſſeſſionem, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis.* *Deut.* 12. 8. Vel nati in Deſerto filii nullo circumciſionis ſacramento initiati ſunt *Joſue* 5. 4. *&c.* Non ideo tantùm, quòd recens abſciſſi infantes ferendis incommodis quà itineris quà emotorum frequenter caſtrorum impares eſſent futuri, ſed ideò pariter, quòd populus Iſraelitarum mixtus non eſſet adhuc cùm cæteris nationibus, minùſque proinde exigebat peculiari illa teſſera ad hoc potiſſimùm inſtituta, ut à cæteris populis diſtingueretur.

Dum bellis in Chananæos Joſue occuparetur, & antequam in certum deſignatumque locum Arca conſiſteret, ægrè admodum Leges Moſaicæ adamuſſim omnes impletæ ſunt. Ita ſub Joſue, ſub Judicibus, ſub Saule ſatis adhuc datum arbitrio Iſraelitarum circa plures Legis ſanctiones. Exactiùs illis obſecundatum eſt, ſub Davide, e. g. & ſub Salomone; cùm ſcilicet Hebræi quietam tenentes regionem, facilem paratumque habebant acceſſum ad locum Tabernaculo deſtinatum. Sacrificia antehac variè per regionem oblata ſunt; & religioſiſſimi quique nihil ſibi hac in re temperabant, dummodo ſacrificia Domino offerrentur contenti. Abuſus etiam quamplures tolerare cogebat neceſſitas, quòd reprimendis & authoritas deeſſet & facultas. *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed unuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* *Jud.* 17. 5. 6. & 18. 31. & 21. 24. Hinc Ephod Michæ *Judic.* 17. 4. in Urbe Lais elatum; hinc Ephod Gedeonis ab ipſo familiæ traditum; *Judic.* 18. 27. hinc effrænis illa filiorum Heli Summi Sacerdotis impietas 1. *Reg.* 2. 12. *&c.*; hinc tandem crimen Gabaonitarum & frequens in Idololatriam Iſraelitarum lapſus ſæpè in Libris Judicum recurrens. Vide Judic. 2. 1. 2. 3. & 2. 12. *Fecerunt filii Iſrael malum in conſpectu Domini, & ſervierunt Baalim, ac dimiſerunt Dominum patrum ſuorum.... & ſequuti ſunt Deos alienos, Deoſque populorum, qui habitabant in circuitu eorum.*

Saul & David, multum licèt authoritate valuerint, minori tamen pollebant, quàm ut tollerent vitia conſuetudine adeò valida & inolita. Adhuc enim clam & in occulto retinebantur ſuperſtitiones, quæ lucem publicam metuebant. Adhuc litatum eſt in editis locis; conſiliti Arioli & Magi. Salomon, quem Deus ædificando ſibi Templo elegerat, ipſe ſe poſuit offendiculum lapſus & ſcandali univerſo Iſraeli; neque enim alterius opera conſecratæ ſunt Phœnicibus Numinibus Aræ; non alterius Moabiticis & Ammoniticis (a); nec fœminis hæc ſuis colenda propoſuit tantùm, ſed & ipſe pariter veneratus eſt. Raro habuit ſucceſſores, qui parem animi imbecillitatem non prætulerint. Roboam, filius Nabat, Rex Iſrael aureos vitulos extulit ad cultum in Regno Iſrael, quorum altè inſedit cultus in corde Iſraelitarum, ut eradicari nunquam penitùs valuerit. Variis ſubinde temporibus revocatus eſt Juda ad ſaniora; ſed ſtudiis hiſce ſuſpenſum quidem vitium eſt, non amotum; neque ab ipſis radicibus evulſum.

Tollendo morbo præſens magis pharmacum attulit captivitas Babylonica. Hebræi, premente Dei manu oppreſſi, ac in ſe recepti, ex corde tandem renunciarunt Idolis. Nuſquam antea majori fide, conſtantia, & ſinceritate Legum Domini imperio ſubjectos ſe præbuerunt; & filii Iſrael poſtquam diutiùs perſeveraſſent *ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Teraphim; poſt hac reverſi ſunt, & quæſiverunt Dominum Deum ſuum & David Regem ſuum, & paverunt ad Dominum.* *Oſee.* 3. 4. Reſervavit ſibi Deus *Sophon.* 3. 12. *populum pauperem & egenum ſperantem in nomine Domini. Reliquiæ Iſrael non fecerunt iniquitatem, nec locuti ſunt mendacium; quoniam ipſi paſcebantur, & accubabant, & non erat, qui exterreret.* Quæ Judæos ventilavit Antiochi Epiphanis perſecutio, tritico a palea repurgando valuit; contulit & ad colluſtrandum zelum, conſtantiam, & animi firmitatem in Machabæis.

Sub idem tempus in Religione Judæorum videre contigit, quod ante hac nunquam; Sectas ſcilicet diſtrahentes homines in partes circa Legis dogmata planè ſumma; Phariſæorum, Saducæorum, Eſſeniorum tres erant in regione factiones, pari fermè exemplo ac apud Græcos Academici, Peripatetici, Stoici, & Epicuræi totidem diſtinctas Sectas conſtituerunt. Superiora obtinuerunt Phariſæi, qui & magnam ſui opinionem ingeſſerunt populo. Saducæorum numerus minor, ſed locupletibus viris potior. Eſſenii frugi præ omnibus & modeſtam agebant vitam in receſſu, nunquam ſe publicis rebus intermiſcentes. Vide, quæ de variis Sectis diſputavimus, cùm de ſingulis in ſuis claſſibus actum eſt.

In moribus ac dogmatibus Phariſæorum, quæ corrigeret, multa oſtendit Chriſtus. Pluribus reprehendit pernicioſas illorum de Lege expoſitiones; ex quo invidiam ſibi potentiſſimæ Sectæ adeo concivit, ut tan-

(a) 1. Reg. 11. 5. &c.

tandem urgeretur ad necem. Ejus ætate Legem norant & ſervabant omnes; ut non immeritò reputaremus, nunquam antehac ſpectatum tantum ſtudii ac religionis in exacta externaque ſanctionum Moſaicarum obedientia. Sed Legis ſpiritus, ſolidarum virtutum exercitium, animi demiſſio, motum ſimplicitas, amor paupertatis, afflictationum & tolerandorum malorum, Dei & proximi charitas, vel nomine ipſo fermè erant ignota. Servabant Legem Phariſæi ſola fermè oſtentationis ambitione, faſtu tumebant, invidia & mala auri cupiditate tenebantur; ſumma quæque præcepta pernicioſis detorta gloſſis vitiaverant. Is Religionis ſtatus, quem Jeſus Chriſtus & reformandum ſuſcepit, & reipſa in Evangelio reformavit.

Univerſa Judæorum gens, Sacerdotium, & Regnum oracula ſunt populi Chriſtiani, Sacerdotii, & Regni Jeſu Chriſti, juxta ac obſervat S. Auguſtinus de Civit. lib. 7. cap. 32. Illorum omnia, ait Apoſtolus 1. Cor. 10. 6. 10. *in figura contingebant illis*; eorum ſervitus in Ægypto, & obtenta prodigio libertas, transfretatio Erythræi, iter per deſertum, ingreſſus in Terram Promiſſionis, circumciſio, cæremoniæ, Sacerdotes, ſacrificia; præſignabant hæc omnia Jeſu Chriſti adventum, Chriſtianæ Religionis conſtitutionem, officia & prærogativas Chriſtianorum, eorum Sacerdotium & Sacramenta, ac Evangelii excellentiam.

Gens illa, quam Moyſes in unum cogi populum, & in una eademque regione totam contineri volebat, temporis deinde ſucceſſu, ſapienti Numinis conſilio, paſſim per Orbem diſperſa eſt, quò ſcilicet ante Meſſiæ adventum nota eſſet in mundo. Agnita vitæ ſingulari ratione, moribus, Religione, hiſtoria ac Legibus ejus Gentis intelligere homines voluit quinam eſſent Judæi, ac ſenſim hiſce diſponerentur animi recipiendo Evangelio atque excipiendo Meſſiæ, quem expectabant, & de quo mira prædicabant Judæi. His ita paratis, venit tandem Jeſus Chriſtus, quo potiſſimùm tempore Oriens univerſus arreptus erat in expectationem Redemptoris, Regis ſcilicet illius, à quo ſalus omnis, ſpes & felicitas gentium referenda eſſet.

Ejuſdem Providentiæ diſpoſitione factum eſt, ut poſt obitum Jeſu Chriſti Judæi iterum per univerſam orbis faciem diſſiparentur, apertas præferentes notas reprobationis ſuæ, ac luentes pœnas criminis à patribus ſuis commiſſi in Jeſum Chriſtum, quem Meſſiam licèt & liberatorem ſuum rejecerunt, ac levarunt in crucem. Cernere eſt hodie uſque miſeros odio omnibus & contemptui, proculcatos undique jactatoſque perſecutionibus; pervicaciter nihilo ſeciùs inhærentes cæremoniis, & traditionibus patrum ſuorum, licèt immane quantum remotos à Jeruſalem, deſtitutos Sacerdotibus ac Templo, carenteſque facultate è Legibus ſuis cæremonialibus pleraſque ſervandi. Arrecti ſunt adhuc in expectationem Meſſiæ, nunquam prodituri, niſi extrema Judicii die damnandis illis, atque removendo, quo oculi & corda eorum offuſcantur, velamini: *Uſque in hodiernum diem velamen poſitum eſt ſuper cor eorum; cùm autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.*

Servant illi quidem, deferunt, legunt, deterunt ſacros Veteris Inſtrumenti Libros, ſed intimum, quem continent, ſenſum non pervadunt; literam noſcunt, ignorant myſteria. Facem præferunt aliis, ipſi verò ambulant in obſcuro, ait S. Auguſtinus ſerm. ad Cathec. de Symb. p. 578. nov. edit. Addit idem in Pſal. 56. pag. 534. *Codicem portat Judæus, unde credat Chriſtianus, Librarii noſtri facti ſunt, quomodo ſolent ſervi poſt dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* Diſputationes inſtruentes nos cum Paganis, Infidelibus, Incredulis, teſtimonio à nobis lato non acquieſcentibus, illos revincimus prolatis Judæorum Libris, qui certè noſtri gratia eos ſervaſſe vel ſcripſiſſe non arguerentur. Nobis proinde *ſerviunt Judei, tanquam capſarii noſtri ſunt ſtudentibus nobis codices portant*. Idem in Pſ. 40. pag. 353.

JUDÆI. Judæorum diſperſio & captivitates: an redierint ad propria. Vide *Captivitates*, & *Transmigrationes*.

JUDÆUS ERRATICUS. Firma adeò perſuaſione teneo quæcunque de Judæo erratico per hominum ora diſſipata ſunt, ludentis eſſe phantaſiæ ſomnia, ut vel à ſermone de illo habendo me continuiſſem, niſi homines eſſe noſſem adeò ſimplices, qui talibus fabellis credulam mentem addicunt. Exemplum Enoch & Eliæ, qui adhuc poſt longam ætatem ſuperſtites in abdito quodam terræ loco verſari creduntur; Judæorum perſuaſio autumantium Eliam Prophetam latentem aſſiſtere cæremoniæ circumciſionis infantium ſuorum (a); Verba Jeſu Chriſti Joannis 21. 21. & de S. Joanne Evangeliſta: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere*; quæ ſanè verba Veteres quidam cum Recentioribus nonnullis ita acceperunt, quaſi Apoſtolo ſuo promiſerit diuturnam uſque ad extremam judicii diem vitam; hæc, inquam, omnia credulos adduxerunt, ut fabellam de Judæo erratico perhiberent.

Ad perſuaſionem ſuam fulciendam opem advocant Mahometanorum Scriptorum (b), perhibentium anno Ægiræ 16. militum quendam Præfectum, nomine Fadhila, qui 300. equitibus imperabat, cum manu ſibi commiſſa, exeunte die, perveniſſe ad fauces intra duos montes, indictaque elata voce prece veſpertina in hæc verba: *Deus eſt magnus*, vocem auribus inſonantem audiſſe, quæ invitanti accinens, precem illam ad finem uſque proſequuta eſt. Animadvertit ille, diſtincta omnia & exacta à voce illa reddi; quare ineſſe aliquid non inane ſuſpicatus interrogavit: O tu, qui loquenti mihi paria reponis, ſiquidem Angelus es, Dei virtutem ineſſe tibi aveo; ſi genus aliud Spirituum refers, faceſſas: ſi verò parem mihi hominis naturam præfers, ne te, quæſo, meis oculis invideas. Vix ad hæc ſubjecit ſe militis oculis vir quidam ſenex, calvus, ſcipioni innixus, quem ſpeciem Dervichi præferre diceres.

Poſt mutua utrinque ſalutationis officia; ecquiſnam homo eſſet, Fadhila ſenem interrogavit. Cui alter: Zerib nuncupor ego, Eliæ ex filio nepos. Tum adjecit: hic ego verſor, jubente Domino Jeſu, à quo in mundo relictus ſum, ut vitam prorogem quoadusque ille pareat iterum in terram. Adventum igitur Domini opperior, Domini, inquam, felicitatis omnigenæ fontis; hujus ego præcepto ſedem meam retro poſt hunc montem conſtitui. Quæſivit Fadhila, quo tandem Dominus Jeſus rediturus eſſet tempore; & ille: In exitu mundi ad judicium extremum deſcendet. Ecquibus indiciis, intulit alter, inſtantem eam diem intelligendus? Tunc Zerib prophetantia aſſertione: Cùm viri pariter & fœminæ miſcebunt ſe invicem, nullo facto ſexus diſcrimine; cùm annonæ ubertas nihil tamen de pretio demet; cùm effundetur ſanguis innocentium; cùm egeni poſcent ſtipem & ſurdas offendent aures; cùm reſtinguetur charitas, in cantilenas vertentur Scripturæ, Templa Deo ſacra Idolis erectis prophanabuntur; tunc in proximo eſſe ſcias extremam judicii diem. Vix hiſce abſolutis evanuit.

Sed modò ad *Judæum erraticum*, cujus hiſtoriam variè aliquantò narrant. Matthæus Pariſius ad an. 1229. refert, Præſulem quendam Armenum veniſſe per illa tempora in Angliam cum literis commendatitiis Pontificis, quibus Eccleſiæ Præſules rogabantur, ut Archiepiſcopo huic extero monſtrarentur ſacra regionis illius lypſana, & ſimul quanta religione in Anglicis illis Eccleſiis Deo ſerviretur. Pariſius, qui tunc agebat in vivis, affirmat interrogatum à pluribus non una occaſione Archiepiſcopum de Judæo erratico, qui tunc verſabatur in Oriente, variiſque illum de hoc argumento tentatum fuiſſe quæſtionibus, num viveret adhuc; ecquiſnam eſſet vir, quidnam de illo ipſe reputaret.

(a) Leo Modena part. 4. cap. 8.　(b) Herbelot. Biblior. Orient. pag. 931. Zerid.

Affirmabat ille, Judæum hunc verſari in Armenia, & ex ejus ſatellitio quidam addebat janitorem illum egiſſe apud Pilatum, appellatumque nomine Cataphiſum; qui cùm ſpectaret raptum Jeſum extra Prætorium, pugno tergum ejus percuſſit, quo promptiùs exiret; quem hominem ita affatum fuiſſe Jeſum: *Filius quidem hominis vadit, ſed tu reditum ejus expectabis*. Janitor ille fidem amplexus eſt, ac Baptiſmo ab Anania initiatus Joſephi nomen aſſumpſit. Vivebat adhuc, & cùm centum annorum ætatem attingebat, ægritudine tabeſcebat & languore; tum iterum repubeſcens redibat ad ætatem 30 annorum, quam agebat, cùm Jeſus Chriſtus in crucem ſublatus eſt.

Affirmabat familiaris ille Epiſcopi, Joſephum hunc notum fuiſſe virum hero ſuo, quem & convivam adhibitum ab illo norat paulò antequam peregrinationem ſuam iniret; virum autem illum reſpondere interrogantibus de rebus vetuſtis, ſevero ore & vultu ad gravitatem compoſito; e. g. cùm de reſurrectione mortuorum, qui in obitu Jeſu è tumulis ſurrexerunt, de hiſtoria Apoſtolorum, cæterorumque vetuſtatia inſignium virorum. Nunquam è corde expellit timorem, metuens ne Jeſus veniat ad judicium Mundi; hæc enim extrema vitæ illius periodus. Ad crimen percuſſi pugno Jeſu Chriſti horreſcit; veniam tamen ſperat, quòd imprudens peccaverit. (a)

Paruerunt ſubinde varii id generis Impoſtores, qui uſi, ſeu potiùs abuſi credulitate populorum, inanem erratici Judæi larvam ſibi impoſuerunt, impoſturæ adjumentum quærentes è peritia quadam veteris hiſtoriæ & linguarum Orientalium, quibus tantum apud ſimplices invaluerunt, ut ipſiſſimum ſe Judæum erraticum obtruderent. Paruit ex his quidam Hamburgi anno 1547. (b). Chriſtianus quidam affirmat oculatum ſe teſtem ſpectaſſe hominem illum concionem habentem in Templo quodam Urbis, ſpeciem præferentem quaſi 50. annorum ætatis; ſtatura hominis procera; paſſi & porrecti ad humeros capilli; gemitus frequens, quem è criminis admiſſi mærore expreſſum rebantur. Narrabat ille de ſe, quo tempore Jeſus Chriſtus mortem tolerabat, exercuiſſe Jeroſolymis reſtionem ad Urbis portam, unde Chriſtus educebatur ad Calvarium. Judæus erat religione, nomine Aſſuerus. Accidit, ut fatigatus Jeſus pauliſper quieturus ad officinam viri acceſſiſſet; ſed ille percuſſum repulit. Tum Jeſus: *Ego quidem hic requieſcam, tu verò tandiu curres, quandiu ego non veniam*. Curſum equidem ille ſtatim cepit Jeſum Chriſtum ſequens, & deinceps poſt hac perpetuò diſcurrit errabundus.

En alterum quem non multis ab hinc annis Anglia vidit. Servatur apud me data Londini epiſtola D. Mazarinæ ad D. Bullioniam, referens verſari in ea regione hominem, qui ſe 1700. annis ſeniorem jactitat. Affirmat ille à ſervitiis fuiſſe ſe Divani Jeroſolymitani, quo tempore Jeſus Chriſtus ſententia Pontii Pilati adjudicatus fuit morti; depuliſſe autem rudi ictu Chriſtum extra Prætorium increpitum: *Eas, exeas, hinc, cur tandiu moraris?* Reſpondentem autem audiviſſe Chriſtum: *Ego quidem vado, ſed tu ibis ſemper, quoadusque ego redeam*. Succurrebat ſibi vidiſſe Apoſtolos omnes, quorum & revocabat in mentem oris lineamenta, comas, & veſtes. Omnes mundi regiones peterravit, nunquam ceſſaturus ab errore uſque ad exitum ſæculorum. Solo ſe tactu depellere morbos jactitat, plures callet linguas, & exactè adeo recitat omnium ſæculorum geſta, ut quid ſibi de illo judicent auſcultantes hæreant in ſuſpenſum. Ambæ Univerſitates Doctores ſuos ad illum miſerunt, virum tentaturos; nec tamen datum eſt cuiquam, ut ſibi adverſantem in dicendo unquam deprehendat.

Vir quidam Patricius, inſigniter eruditus, Arabicè illorum allocutus eſt; cui & pari ſermone alter reſpondit, aſſeverans vix eſſe inter hiſtorias in mundo unicam, quæ vera referat. Interrogavit Patritius, quid ſentiret de Mahometo? Intulit ſtatim alter, noſſe ſe, & quidem intimè patrem ejus Ormus in Perſide; Mahometus verò, ait, acri erat vir ingenio, ſed errori, uti homines cæteri, obnoxius. In eo autem erravit potiſſimùm, quòd Jeſum Chriſtum crucis ſupplicio traditum negaverit; ipſe enim è cruce pendentem ſpectavi. Aſſeruit inſuper illi eidem Patritio, verſatum ſe Romæ, cùm Nero Urbem ſubjecit incendio; ſuis etiam oculis ſpectaſſe Saladinum reducem è victoriis Orientis: plura etiam narrabat ſingularia de Solimano Magnifico. Facie etiam novit Tamerlanum, Bajazetum, Eterlanum, ac de bellis Terræ Sanctæ fusè plurima refert. Paucis ab hinc diebus adfuturum ſe Londini aſſeverat, ubi curioſorum ſciſcitationibus ſatisfaciet. Hæc in literis, quas ſignificavi. Additur etiam ſimpliciora è vulgo populos plura viro huic affingere prodigia; ſed impoſtorem haberi à viris doctis. Quorum ſanè judicium tenendum eſt ea in re; ſicut nec aliter ſentiemus de cæteris poſthac, qui de ſe paria venditaverint.)

I. JUDAS, ſeu *Juda*, ſeu *Jehuda*, quartus Jacobi & Liæ filius, in Meſopotamia natus (c), qui Fratribus ſuis perſuaſit, ut Iſmaelitis mercatoribus Joſephum venderent, ne fraterno ipſi ſanguine fœdarentur (d); quique à Sue Hiram Chananæi filia, quam ſibi conjugio junxerat (e), tres liberos, Her nempe, Onanum, & Selam accepit. Her Primogenito mulierem, Thamar nomine, in uxorem pater tradidit; Deus verò, quòd Her improbus eſſet, ipſi mortem intulit; quare Judas viduam nurum Onano adjunxit, ut per eum liberos mortuus frater acciperet; quem quoque Deus, quòd turpi flagitio uxoris conceptionem averteret, morte intercepit. Veritus itaque Judas, ne eadem Selæ ultimo filio contingerent, ſi nurum ei nuptum traderet, verbis eam fallens rem diutiſſimè protrahebat, quare Thamar mentitis veſtibus meretricem ſe ſimulans, quà Judæ prætereundum erat, inſedit. Itaque ad eam illo accedente, ſtatim mater evaſit; gemellos enim concepit, quos deinde enixa, Phares, & Zaram appellavit, *Gen.* 38. 27. Vide v. v. *Thamar*, *Phares*, & *Zara*.

Judas veluti fratribus major ſemper eſt habitus, ejuſque Tribus numero & viribus fratrum Tribubus præcelluit; in quem etiam primogeniti jura, poſtquam Ruben Balæ Patris ſui uxoris ſe inceſtu polluerat, *Gen.* 35. 22. tranſlata videntur. Huic Jacob moriturus benedicens, *Gen.* 49. 8. *Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui. Catulus Leonis Juda: ad prædam, fili mi, aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*. Quibus dignitatem Regiam ab ejus familia non diſceſſuram, ab ea etiam Meſſiam egreſſurum pollicitus eſt. Addidit prætèrea: *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi, aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores*. Alii vertunt: *Rubor oculorum a vino, & candor dentium à lacte*. Quæ ejus Regionis ubertatem deſignant.

Judæ portio meridionalem Palæſtinæ regionem omnem exhauriebat; Tribus verò Simeonis, & Dan pluribus, quàm primò Judæ traditæ eſſent, urbibus affluebant. Judæ Tribus eo numero pollebat, ut ab Ægypto egrediens, ſeptuaginta quatuor millia, & ſexcentos homines bello idoneos enumerarit, *Num.* 1. 26. Regum dignitas à Tribu Benjamin, è qua Saul, & Isboſeth, ad Tribum Judæ, ex qua David, ejuſque Succeſſores uſque ad Babylonia captivitatem, tranſgreſſa eſt. Quamvis verò ea Tribus poſt

capti-

(a) Baſnag. Hiſt. Jud. to. 3. l. 5. c. 18. pag. 255. 256. Edit. Pariſ.
(b) Idem Ibid. ex Schude Compend. Hiſt. Jud. (c) Gen. 29. 35. A. M. 2249. ante Ch. 1751. ant. Ær. 1755.
(d) Gen. 37. 26. A. M. 2276. ante Ch. 1724. ante Ær. 1728.
(e) Gen. 38. 1. &c.

Digitized by Google

captivitatem ab imperio deſtiterit, cæteras tamen auhoritate præſtabat, Reges ſceptro donabat, Hebræos denique omnes, qui ab ea *Judæi* appellabantur, quodammodo in ſe unam congeſſerat. Duodecim Patriarcharum Teſtamentum Judæ de Meſſia vaticinium recenſet, quod utique poſt Domini nativitatem congeſtum agnoſcimus.

II. JUDAS MACHABÆUS, Matthatiæ filius, qui poſt patrem fidelibus populis 1. *Mach.* 2. 49. Antiocho Epiphane eos inſequente (a), præfuit. Suam antea virtutem, prudentiam, & Legis Divinæ zelum, in eos inſurgens, qui à Domino deficientes Idolis adolebant, jam perſpecta exhibuerat. Quare Matthatias eum ſibi ſucceſſorem denuncians, fratrum ſuorum Principem conſtituit; qui ſtatim cum Apollonio (b) Syriæ copiarum Duce, qui Palæſtinam oppugnabat, congreſſus, ipſo Duce interfecto, hoſtibuſque partim cæſis, partim fuſis, Apollonii enſem abſtulit, quem deinde plerumque in præliis adhibuit. Quibus auditis, Seron Syrorum Princeps ex Juda profligando ſibi famam pollicitus, ab Juda contra profligatus, ad ejus gloriam quam maximè contulit, 1. *Mach.* 3. 13.

Judæ virtute adeò perterritus eſt Antiochus, ut tres Duces eximios (c), Nicanorem, Gorgiam, & Ptolemæum Dorymeni filium in eum impulerit. Judas verò in Malpham coacto exercitu, precibus anteactis, Nicanorem, abſente Gorgia, aggreſſus, plurimis hoſtium cæſis, cæteros in fugam compulit. Gorgias porrò adveniens, & Nicanoris caſtra flammis conſumpta intuitus, quin congredi auderet, ultro receſſit. Anno proximo (d), Lyſiæ, Antiocho ultra Jordanem profecto, Regni Præſidi, una cum ſelectis peditibus 60000. & equitibus 5000. in Judam irruenti, ipſe Judas uſque Bethoron occurrit. 1. *Mach.* 4. 28. &c. & ſe, ſuiſque Deo commendatis, in hoſtes inſiliens, eorum 5000. interfectis, reliquos in fugam adegit: quare Lyſias Antiochiam illico regreſſus eſt, ut ad Hebræos conterendos, novos, ſelectoſque ſibi milites compararet.

Ita hoſtibus expeditus Judas, una cum exercitu Jeroſolymam venit (e), & Loca ſancta deſerta, prophanatum Altare, atris dumis referta, & paſtophoria diruta intuitus, quaſdam militum copias Sanctis emundandis incumbere juſſit; quaſdam verò arcem inter & Templum locavit, ut Syros arcem occupantes ab iis, qui Templo detergendo operam navabant, vexandis prohiberent. Veteris itaque prophanati altaris lapidibus ſepoſitis, alteroque ex lapidibus integris conſtructo, Sanctis, & Sanctuario inſtauratis, noviſque ſacris Vaſis confectis, die 25. noni Menſis, quem Caſleu vocant (f), ſuper Holocauſtorum Altare Domino ſacrificium diluculo obtulerunt, & publicas Templo ſacras cæremonias, à quibus triennio abſtinuerant, reſtituere. Alteram præterea ſolemni, hilarique apparatu, per dies octo Templi dedicationem egerunt 1. *Mach.* 4. 53. *&c.* Hujus tunc recurrebat ſolemnitatis memoria, cum Jeſus hyberna tempeſtate ad Templi Dedicationem Jeroſolymam ſe contuliſſe refertur, *Joan.* 10. 22.

Non diu poſt, & eodem fortè anno, geminos alios Syrorum Duces, Timotheum, & Bacchidem Judas contrivit, & optimas, quas de ipſis extorſerat, prædas Jeroſolymam deferri juſſit, 1. *Mach.* 8. 30. & 10. 24. Munita deinde Bethſura, quæ cujuſdam inſtar vallis ab Idumæa, 1. *Mach* 4. 61. Jeroſolymam protegebat, Idumæos (g), Acrabatanos, filios Beao, Ammonitas, & Timotheum, qui in Judeam irruerat, invaſit, & virtute eximium ubique ſe exibens, hoſtes omnes proſtravit, concidit, effudit. Iſraelitas, qui in Galaaditide degebant (h), Galaaditis exterminare conantibus, ad ſalutis perfugium omnes in arcem Dathenam convenere. Re Judas percepta, eorum auxilio præſto fuit, eoque etiam tempore Simonem fratrem in Galilæam miſit, ut Iſraelitis, quibus Tyrii, & Sidonii, aliique exteri populi ſupremum allaturos excidium intentaverant, adjumento minime deeſſet. Quare ter mille militibus Simoni traditis, ipſe octo millia aſſumpſit.

Utrimque fauſta evenere. Simon hoſtibus fuſis, eorum tria pene millia interfecit, & Galilææ Judæos ſibi comites aſſumptos, ut eorum ſaluti tutius conſuleret, in Judæam tranſtulit. Judas vero trajecto Jordane, captam Boſor incendit, & Dathemam aſſequutus eo ſane tempore, quo ad ejus oppugnationem hoſtes eruperant, ſolo aſpectu eos adeò perterruit, ut illico in fugam omnes adegerit. Profectus inde Maſpham, Heſebon, Maget, Boſor, eas urbes oppugnavit, & Timotheum, qui quaſdam fuſi exercitus copias coegerat, iterum aggreſſus, iterum contrivit, captamque Aſtaroth-Carnaim incendio delevit.

Coactos deinde Judæos omnes, qui ultra Jordanem degebant, in Judæam tranſtulit; cùm verò Ephron, qua aditus ipſi patebat, aditum intercluſiſſet, in eam irruit, captamque diripuit. Jeroſolymam denique feliciter reverſus, ſolemnia in Templo gratiarum actionis ſacrificia juſſit offerri. Bello præterea Idumæis illato, Hebronem oppugnavit, Philiſthæos aggreſſus, Azotum cepit; in totam denique Samariam excurrens, divitibus prædis opulentus in Judæam remigravit. Lyſias interea iterum in Judæos egreſſus (i), exercitu quammaximo inſtructus (k), ſex leucis vix procul ab Jeroſolyma, Bethſuram uſque pervenit. Cui ſtatim occurrens Judas, copiis ſuis inſtar equitis præeuntem aſpexit; ex quo exercitus omnis eam lætitiam, & virtutem exhauſit, ut in hoſtes impavide irruentes undecim millibus peditum, equitibuſque ſexcentis interfectis, cæteriſque in fugam actis, ipſum Lyſiam turpi ſibi fuga conſulere, & ſponte eis pacem offerre coegerint. Eupator, qui poſt Antiochum Epiphanem imperabat, juxta eorum Legem vitam inſtituere, & in Templo Jeroſolymæ cæremonias ſacras, ut libuiſſet, exercere Judæis indulſit.

His ita compoſitis, & Lyſia Antiochiam reverſo (l), Timotheus, Apollonius, Hieronymus, Demophon, & Nicanor, qui ab Judæa non receſſerant, Judæis graves ſeſe exhibentes, nil niſi de pace avertenda cogitabant. Joppitæ vero Judæos Joppen incolentes per comitatis ſpeciem in ſuas naves animi ergo aſſumptos, una cum uxoribus, & liberis in mare detruſos obruere. Quare Judas, ut crudele flagitium ulciſceretur, proditores illico invadens, eorum navibus igne conſumptis, portum etiam incendit; in quos fortaſſe mitius animadvertiſſet, niſi ei & Jamnitas de Judæis ab Jamniæ urbe penitus evellendis cogitaſſe tunc fuiſſet denunciatum; quos etiam improviſus ea propter adortus, & naves & portum flammis abſumpſit. Ultra Jordanem inde progreſſus, cum quinquies mille & quingentis Arabibus commiſſo prælio, hoſtes fudit, & ad pacem à ſe poſtulandam adegit. Chasbin præterea, ſeu Eſebon aggreſſus, urbem cepit, diripuit, eaque cæde hoſtes affecit, ut adjacens ſtagnum cæſorum cruore rubuerit. Hinc ad Tubianæos, Characam verſus progreſſus, cum quæſitum Timotheum non offendiſſet, regrediens in eumdem incidit; cum quo licet 120. millibus peditum, & 2500. equitibus inſtructo, congreſſus, quamvis ſex millia tantum militum ſibi præſidio eſſent, eam cladem hoſtibus intulit, ut eorum 30. millia

(a) An. M. 3838. ante Ch. 162. ante Ær. 166. (b) 1. Mach. 3. 1. &c. An. M. 3838.
(c) 1. Mach. 3. 38. &c. A. M. 3839. ante Ch. 161. ante Ær. 165.
(d) A. M. 3840. ante Ch. 160. ante Ær. 164. (e) A. M. 3840. Vid. 1. Mach. 4. 37. &c.
(f) Græcorum an. 148. nempe An. M. 3480. ante Chr. 160. ante Ær. 164.
(g) 1. Mach. 5. 3. &c. & 2. Mach. 10. 24. &c. (h) 1. Mach. 5. 8. &c. A. M. 3841. ante Ch. 159. ante Ær. 163.
(i) An. M. 3841. ante Ch. 159. ante Ær. 163. (k) 2. Mach. 11. 1. &c. (l) 2. Mach. 12. 1. &c. Eod. an. M. 3841.

interfecerit. Denique 25. millibus in Carnino', ſeu Carnaim, totidemque enecatis in Ephron, paulò ante Pentecoſten reverſus eſt Jeroſolymam.

Qua ſolemnitate peracta, prælium cum Gorgia commiſit, 2. *Mach.* 12. 32. cujus acie primo inclinante, Dominum adjutorem ſtatim appellans, hoſtes, ipſo Gorgia vix evadente, in fugam adegit. Collocto deinde in urbem Odollam exercitu, ibique Sabbatho peracto, poſtera die cum ſuis, ad Judæos in prælio interfectos tumulandos egreſſus, ſub cæſorum veſtibus quædam Idolorum donaria, quæ Jamniæ abſtulerant, invenit: quare idcircò eos corruiſſe compertum eſt, quòd ab iis prophania prædia non abſtinuiſſent. Judas porrò optimè Reſurrectionem proſpiciens, argenti drachmarum 12. millia Jeroſolymam miſit, ut ſacrificia, quæ defunctis adjumento eſſent, Domino offerrentur; nequicquam enim pro iis preces fieri duxiſſet, niſi vitæ reſtituendos ſperaſſet.

Tunc Antiochus Eupator ex centum millibus peditum (a), equitum verò 20. millibus, duobus denique & viginti elephantis exercitu inſtructos (b), Lyſiam ſibi comitem adhibens, Judæam invaſit, & Bethſuram obſedit. Judas verò ad fratrum auxilium feſtinus, primo impetu hoſtes ſexcentos effudit, & frater ejus Eleazar elephantorum maximum, ex quo Regem prælianteem putaverat, interfecit. Cùm tamen Judæorum agmen, hoſtibus longè minus, eorum impetum ferre non poſſet, Jeroſolymam ſe recepit; Eupator autem recedentes inſequutus, obſidione urbem ſepſit, & Templum præcipuè, ad quod validis munitum præſidiis ipſe Judas confugerat. Cum vero diutius protraheretur obſidio, Lyſias veritus, ne Philippus, abſente Antiocho præfectus, Antiochiam omnino uſurparet, pacis rebus cum Juda compoſitis, feſtinus in Syriam remigravit.

Demetrius Seleuci, Eupatoris Patrui, filius, & Syriæ legitimus hæres, Eupatore, & Lyſia interfectis, Regnum aſſumpſit (c), & Alcimum, quem Judæorum Pontificatu donarat, una cum Bacchide, & maximis copiis, ut Judæ impetus cohiberet, in Judæam dimiſit. 1. *Mach.* 7. 9. *&c.* 2. *Mach.* 14. Bacchides itaque Jeroſolymam ingreſſus, Alcimum Pontificem denunciavit. Judas autem, qui aliquanto receſſerat, Alcimi vim & flagitia non diu paſſus, agmine quodam inſtructo, eos, qui a ſe defecerant, interfecit; quare Alcimus ſe viribus infirmiorem expertus, Antiochiam illico rediit, & Judam de pluribus flagitiis apud Demetrium detulit: à quo è veſtigio Nicanor una cum exercitu in Judæam dimiſſus (d), antequam Jeroſolymam ingrederetur, per Legatos pacis capita Judæ obtulit; qui de populi, & Senatorum conſilio illis acquieſcens, urbe egreſſus cum Nicanore convenit. Inſidias nihilominus ſuſpicatus, militibus, qui ſibi præſidio eſſent, loca bello magis accommoda occupavit. Omnibus tamen fauſte compoſitis, Nicanoris animum ita ſibi Judas devinxit, ut in mutua alterius neceſſitudine uterque conquieſceret. Interea Nicanor in arce, Judas in urbe degebat, qui etiam ab amico de conjugio ineundo poſtulatus, libens indulſit.

Quorum familiaritate Alcimus percitus, 2. *Mach.* 14. 26. *&c.* rerum Regni neglectarum Nicanorem apud Demetrium inſimulavit: qui ira æſtuans, protinus ad Nicanorem datis literis, eique, quod neceſſitudinem cum Juda miſſet, increpato, amicum Antiochiam devinctum ſtatim mitteret, imperavit. Nicanor itaque parendi occaſionem aucupans, amici conſuetudinem ſatis remiſerat; quare Judas ab illo ſibi infauſta portendens, ſuorum agmine utcumque inſtructo, Jeroſolyma evaſit, & inſequentem Nicanorem ea vi repulit, ut hominum quinque millibus prope Caphar-Salama interfectis, cæteros Jeroſolymam reverti compulerit. Clade percitus & furore Nicanor, Templi everſionem, ni ſibi Judas traderetur, minitatus, & prope Bethoron Syrorum copiis adauctus, iterum prælium cum Juda commiſit; eaque clade primo impetu obrutus eſt, ut ipſe omnium primus interierit, cæteri vero aufugerint: qui tamen à regionis incolis intercepti, quin unus evaderet, conciſi occubuere. Capite & Nicanoris dextera præciſis, & è regione Jeroſolymæ ſuſpenſis, diem 13. Menſis Adar, in hujus victoriæ monumentum, Judæi quotannis ſolemnem indixere. Ante congreſſum Judas per ſpeciem ſibi divinitus oblatam, Oniam Pontificem pro Judæorum incolumitate rogantem, & Prophetam Jeremiam gladium aureum, quo Iſraelis hoſtes everteret, ſibi porrigentem aſpexit.

Ut necatum Nicanorem, ejuſque exercitum conciſum Demetrius accepit (e), Bacchidem iterum & Alcimum una cum Regis militiarum dextero cornu in Judæam dimiſit 1. *Mach.* 9. 2. *&c.* qui primo Jeroſolymam, Beræam inde, ſeu Beroth, ex Tribu Benjamin urbem, profecti, eum metum copiis Judæ, qui prope Lais, ſeu Bethel caſtra locaverat, injecere, ut, pleriſque fugientibus, octingenti tantummodo non defecerint. Hos nihilominus, qui primo à congreſſu abhorrebant ſuis infirmatis viribus nimium diffiſi, ad impavide pro fratribus dimicandum, ut anteactæ gloriæ non fuga detraherent, ſed virtute conferrent, Judas hortatus prælium commiſit; cumque dextrum inimicorum cornu, cui Bacchides præerat, armis præſtantius agnoviſſet, illud invaſit, effudit, fugavit, & uſque ad montem Azoti perſequutus eſt. Dum vero fugientes inſequebatur, à cornu hoſtium ſiniſtro, quod à tergo confluxerat, interceptus, eorum impetum diu tulit: utrimque plurimi ceciderunt, donec multitudine obrutus & ipſe Judas interiit.

Obſtupuit Iſrael, quomodo vir ille cecidiſſet, qui populis erat ſaluti, ejuſque interitum plenis lacrymis undique ingemuit. Simon vero & Jonathas fratris cadaver Modio uſque translatum, 1. *Mach.* 9. 19. in Paternum ſepulchrum intulere. Cætera Judæ prælia, & eximia facinora, quod volumen ſibi expoſcant, prætermittimus. Joſephus Ben-Gorion l. 3. c. 2. liberos, qui morte immatura occubuere, Judam ex conjugio ſuſcepiſſe aſſerit. Cujus rei nihil Scriptura. Imo cum eodem nuptiarum anno Judas obierit, cum abſque prole deceſſiſſe veritati magis conſonum arbitramur. Hic ſane vir fortiſſimus ad Meſſiæ veri Salvatoris Iſraelis ſimilitudinem propius acceſſit; cui propterea, veluti Chriſti figuræ, illud Iſaiæ 63. 1. referendum ducimus: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, quis eſt iſte Triumphator, qui venit de Boſra, tinctis veſtibus cruore? &c.*

III. JUDAS. Septem Fratrum Machabæorum, ſub Antiocho Epiphane vel Antiochiæ, vel Jeroſolymæ Martyrum, quartum hoc nomine appellant. Ejus tamen apud Authores celebrea nulla mentio.

IV. JUDAS de ISCHARIOTH, ſeu *Judas Proditor*, qui ab Jeſu Chriſto in Apoſtolum, & in eleemoſynarum, quibus ipſe, & cæteri Apoſtoli donabantur, Depoſitarium aſſumptus, adeò ſe ad prava deflexit, ut inimicis, à quibus erat interimendus, Dominum ſuum vendiderit. Cum Lazari ſoror Maria pretioſo thymiamate Domini pedes ſuffiviſſet, eam rem ægra tulit, & acerbiſſime improbavit Judas; ſtatimque ad Sacerdotes egreſſus, de prodendo Jeſu cum eis convenit, modo ſibi perſolverent 30. ſiclos nempe 48. libras, & obolos 12. ſi pro quolibet ſiclo 32. obolos, & 5. denarios ſupputemus. Antequam cœna ultima abſolveretur, iterum ad Sacerdotes egreſſus, ſe ea nocte ipſis Dominum traditurum promiſit.

Plurimas de Juda quæſtiones inſtituunt Authores. Pe-

(a) A. M. 3841. ante Ch. 159. ante Ær. 163.
(b) 1. Mach. 6. 28. &c. & 2. Mach. 17.
(c) An. M. 3842. ante Ch. 158. ante Ær. 161.
(d) An. M. 3843. ante Ch. 157. ante Ær. 161.
(e) A. M. 3843. ante Ch. 157. ante Ær. 161.

Petunt primo, unda Judas Iſchariothæ nomen derivaverit. Euſebius & Hieronymus ita vocatum volunt, quod in vico Iſcharioth Tribus Ephraim natus eſſet (a), alii, quod eſſet ex Tribu Iſſachar (b), & idcirco *Iſſachariotes*, nomine vero contractiori *Iſchariotes* diceretur; alii denique, quod à vico Carioth ea Tribu Juda nomen deduxerit. *Joſue* 15. 25. *Iſcharioth* Hebraice *hominem ex Carioth* ſonat.

Petunt ſecundo, an una cum cæteris Apoſtolis in ultima cœna Chriſti Domini corpore refectus fuerit? Euchariſtiæ inſtitutioni eum minime adfuiſſe, ſed poſtquam Jeſu eumdem proditorem ſuum futurum deſignaverat, illico è cœnaculo egreſſum fuiſſe plurimi, Author nempe Conſtitutionum Apoſtolicarum l. 5. c. 13. D. Hilarius *in Matth. c.* 31. Innocentius III. de Myſt. alt. l. 4. c. 11. Victor Antiochenus in Marc. 14. Rupertus Abbas *in Matth. l.* 10. *&* *in Joan. l.* 12. Theophylactus *in Matth.* 26. aliique opinantur. Veterum tamen, & Recentiorum plerique (c) utique Euchariſtiæ inſtitutioni interfuiſſe tuentur; quibus etiam favet D. Lucas 22. 21. qui à Domino Sacramentum peragente enunciata referens, hæc etiam ſtatim protuliſſe recenſet: *Ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa.* Quidam etiam panem à Domino in condimento intinctum, & Judæ oblatum (d), Euchariſtiam fuiſſe: quidam denique, dum Chriſtus eumdem panem intingebat, eidem conſecrationem (e) ademiſſe, cenſuerunt. Origenes in Joannem de Judæ communione tres ſententias enumerat, cujus prima Judam corpus Dominicum vere ſumpſiſſe; ſecunda à Dæmone fuiſſe prohibitum; tertia panem ſolummodo, minime vero Euchariſtiam comediſſe teſtatur. Cui tamen ſententiæ ipſe adhæreat, ſilentio præterit.

Petunt tertio, quo tempore pecuniam, quam à Sacerdotibus in proditionis pretium acceperat, iiſdem retulerit. Nonnulli (f) poſt Chriſti mortem, alii ante mortalem Pilati ſententiam, dum Sacerdotes & Scribæ ab eo eamdem extorquere conabantur; alii demum poſt Præſidis ſententiam id contigiſſe arbitrantur. Cum autem flagitium ſuum confitentem Sacerdotes gravius excepiſſent, projectis nummis, è Templo ad laqueum feſtinavit. Judæ pœnitentiam Patres nonnulli commendare videntur (g); cæteri tamen, quod de miſericordia Divina diffiderit, eamdem omnino improbant. Cum Dominum, ut aiunt Origenes, & Theophylactus in Matthæum, jam mortis damnatum Judas audiſset, ſeque veniæ hic obtinendæ omnino imparem cogitaſset, ad mortem properavit, ut morituro Domino moriens ipſe præiret, eumque, à quo veniam poſtularet, in altera vita opperiretur.

Petunt quarto, qua morte vere interierit. Laqueo obiiſse refert Matthæus; addit Lucas ſe egiſse præcipitem, mediumque diſruptum effudiſse viſcera (h). Cum primo ſe ſuſpendiſset, inquit Theophylactus, corporis pondere ramum, cui hæſerat, inclinante, & ope ei illata, aliquanto vitam protraxit, hydropiſi tamen correptus, non diu poſt crepuit, & interiit. Juxta Euthymium, ab arbore, qua pendebat, cujuſdam ope opportune divulſus, inter vivos, aliquandiu ſuperfuit; ſublimi deinde loco delapſus, ventre diſrupto viſcera effudit. Juxta Papiam, quem allegat Oecumenius in Acta, fracto, quo præfocabatur, laqueo, aliquanto ſuperfuit, medius denique crepuit. Neque deſunt, qui vita jam functum in cloacam projectum crepuiſse, & illa tunc emiſiſse opinentur. Judam dolore, & deſperatione ſua præfocatum corruiſse pronum, ſeu deſperatione adactum ſe egiſse præcipitem, & crepuiſse diſruptum, à Græco Matthæi 27. 5. Textu Recentiores plurimi deſignari tantummodo poſse tuentur (i). Quoad agrum, quem pecuniis ab Juda projectis Sacerdotes emerunt, videatur *Haceldama*.

Cujuſdam Pſeudo-Evangelii meminere Veteres (k), quod *Judæ Evangelium* inſcriptum, ut ſuis erroribus authoritatem facerent, confecere Cainitæ. Hi virtutem quamdam non modo Creatore ſuperiorem, ſed etiam adverſam agnoſcunt; cui, veluti primo principio, Cain, Core, Sodomitas, Proditorem Judam, quos hominum flagitioſiſſimos ducimus, contra Creatoris Mundi virtutem obſequutos eſse, ſolumque inter Apoſtolos Judam hujus myſterii conſcium fuiſse oſtentant; quem præterea Iſraeli ſalutem celerius allaturo ſibi feſtinationem injeciſſe teſtantur, ut Judæis Jeſum traderet, qui pluries pro mundi incolumitate ſe interimendum fore enunciaverat.

V. JUDAS, cognomine *Barſabas*, Jeroſolymis una cum Paulo, & Barnaba Antiochiam miſsus, ut ei Eccleſiæ, quæ de Legalium obſervantia Jeroſolymitanum Concilium decreverat, denunciaret (l). Joſephum, qui & *Barſabas* dicitur, quique una cum Matthia, ut Proditori Judæ ſufficeretur, propoſitus fuit, huic Judæ germanum fuiſse nonnulli arbitrantur. *Act.* 1. 23. Barſabam Prophetam & ex Fratrum primoribus D. Lucas fuiſse teſtatur; quem etiam inter ſeptuaginta Diſcipulos enumerandum putamus. Antiochiæ paulo commoratus, Jeroſolymam reverſus eſt. *Act.* 15. 32. Præterea de ejus vita, nativitate, & morte nil certo ſcimus.

VI. JUDAS, cognomento *Thadæus*, ſive *Lebdæus*, & *Zelotes*, qui & interdum *Frater Domini* idcirco appellatur (m), quod, ut credimus, Mariæ ſororis B. Virginis filius, & D. Jacobi Minoris Jeroſolymæ Epiſcopi, frater eſſet. Ex uxore, quam Nicephorus Mariam vocat, excepit liberos; Hegeſippus enim *apud Euſeb. l.* 3. *c.* 20. *hiſt. Eccl.* duorum Martyrum ejus nepotum meminit. Poſt Aſcenſionem, teſte Hieronymo *in Matth. c.* 10. *verſ.* 4. Edeſsam ad Regem Abagarum miſsus fuit. In ultima cœna, quare Dominus Jeſus Apoſtolis ſuis, non vero toti mundo manifeſtandus eſset, ab ipſo Jeſu exquiſivit. Ad Lybiæ populos Judam conciones habuiſse refert D. Paulinus *carm.* 26. cujus etiam ſententia ejus corpus inibi forte quieſcit. Juxta Græcos recentiores Edeſsa, omniſque Meſopotamia, juxta alios Judæa etiam, Samaria, Idumæa, Syria, & Armenia præſertim & Perſia eum Evangelii præconem audivere. Ejus tamen vitæ peculiaria prorſus perſpicua non habemus.

Ejus Canonica Epiſtola extat, quam ipſe nulli peculiari Eccleſiæ, ſed omnibus Fidelibus à Deo Patre dilectis & à Chriſto Domino vocatis inſcribit; ex cujus verſiculo decimoſeptimo, quo Petri, veluti ab iis, quos alloquitur, ſatis agniti, ſecundam allegat, & ex toto ejuſdem contextu, quo ad ejuſ-

(a) Euſeb. & Hier. in Iſai. 28. 1. Hier. in Matth. p. 29.
(b) Hier. de nominib. Hebr. in Matth.
(c) Orige. homi. 36. in Matth. Cyrill. Jeroſ[illegible] Catech. 13. Cyrill. Alex. in Joan. l. 9. c. 13. Chryſoſt. hom. 82. & 83. in Matth. Theodoret. ad 1. Cor. 11. 23. [illegible]onym. l. 2. contr. Jovinian. Abaelard. ſerm. in Paſſ. Dom. Magiſter ſentent. l. 4. diſt. 11. Alenſ. Thom. Suro. alii.
(d) Concil. Bracar. 3. c. 2. 2. Jul. Papa Ep. ad Epiſcopos per Ægyptum diſſ. 2. de cenſur. cap. 7. Burchard. decret. 5. 2. Ivo par. 2. cap. 12. Allat. diſt. de Libera Græ[illegible]
(e) Dionyſ. Barſalibas apud Euſeb. Renaudot. t. 4. Perpetuité de la foi, c. 5. p. 148.
(f) Auth. Qu. in Vet. & Nov. Teſt. Vat. &c.
(g) Origen. in Matth. tract. 35. & l. 2. cont. Cel. Hieron. in Matth. 27. Ambroſ. in Luc. l. 10. Cryſoſt. in Matth. ho. 86.
(h) Act. 1. 18. πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ.
(i) Vid. Eraſm. Heinſ. Grot. Hamm. Gronov. Diſſert. de caſu Judæ.
(k) Ire. l. 1. c. 35. Epiphan. hær. 38 n. 1. Theodoret. hæret. fabul. c 15.
(l) Act. 15. 22. An. Chr. 54. Ær. 51. (m) Vid. Matth. 13. 55.

ejuſdem Apoſtolorum Principis phraſim quammaximè accedit, omnibus Judæis, qui Chriſtianæ Fidei nomen dederant, in Orientis Provinciis, in Aſia minori, & oltrà Jordanem degentibus, Epiſtolam ſuam inſcripſiſſe videtur, quos porrò admonet, ut à Pſeudo-Doctoribus caveant, nempe à Gnoſticis, ut credimus, à Nicolaitis, & à Simonianis, qui ſanam doctrinam inficientes, Eccleſiam prorſus evertere conabantur.

Quo tempore eam ſcripſerit, ignoramus, ſanè poſt hæreticos, quorum meminimus. Apoſtolos velut diò ante peremptos memorat (a). Præterea, cùm ſecundam Petri, & ſecundam Pauli ad Timotheum alleget (b), poſt eorum mortem (c) eandem inſcriptam jure putamus. Imò qui etiam poſt Jeroſolymæ excidium exaratam duceret, utique non procul à veritate diſcederet.

An Canonica fuerit, veteres nonnulli hæſere (d). A Scriptoribus Eccleſiaſticis vix allegatam; ſimul tamen in pluribus Eccleſiis publicè perlectam teſtatur Euſebius *l.* 2. *c.* 23. Idcircò autem à pluimis improbatam ſcimus, quòd Judas in ea libri Enoch, ſeù ejus ſaltem prophetiæ meminerit; quòd etiam de vita Moyſis quoddam referat, cujus in Canonicis Veteris Teſtamentis Libris nulla mentio: quare à quodam apocrypho opere, quod *Moyſis aſſumptio* inſcribitur, depromptum credebatur. Inde factum eſt, ot Eccleſia diù hæſerit, an eam Epiſtolam inter Scripturæ Canones recenſeret, quam tot poſt ſæcula tandem recenſuit. Aliunde enim potiùs quàm à Libris apocryphis, quæ retulit, Judas fortè hauſerat, ſeu Spiritu Sancto præcipuè docente ex iis Libris vera à commentitiis ſecernere valuit. Videatur noſtra Diſſertatio in Librum Enoch, & in mortem Moyſis. Putavit Grotius *in epiſt. Judæ* eam Epiſtolam minimè Apoſtolo Judæ eſſe tribuendam, ſed alteri Judæ, decimoquinto Jeroſolymæ Epiſcopo, qui paulò ante Barchochebam Adriano imperante florebat: quare ea verba, *frater autem Jacobi*, quæ Epiſtolæ eidem præferuntur, ab Amanuenſibus addita autumavit, præſertim quòd ſe vocari Apoſtolum non prætermiſſet, quòdque etiam eam Eccleſiæ omnes ab initio excepiſſent, ſi ab Apoſtolo exaratam non ignoraſſent. Qui tamen Author ea verba, *Frater autem Jacobi*, addita fuiſſe nullibi probat. Præterea D. Petrus, D. Paulus, D. Joannes ſub omnium Epiſtolarum initium Apoſtolos ſe minimè appellant. Nil denique detrimenti ei inferendum, quòd de eadem Eccleſiæ quædam aliquandiù hæſerint, uti tot aliis Veteris & Novi Teſtamenti Libris nil officit, quòd eorum authoritas quondam in dubium incertumque veniſſet.

Pſeudo-Evangelium, D. Judæ nomine perſonatum, Gelaſius Pontifex improbavit. Duo Judæ nepotes, quos paulò ante meminimus ſub Domitiano decoratos martyrio, idcirco accuſati, & Romam adducti fuere, quòd Davidis poſteri, & Chriſti cognati eſſent. *Euſ. hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 19. 20. Qui Judam Apoſtolum Edeſſæ, & in Meſopotamia conciones habuiſſe ſcripſerunt, cum cum Thadæo, ex 70. Diſcipulis uno, ab Apoſtolo longè alio, confundere videntur: quem utique Thadæum à D. Thoma ad Abagarum miſſum fuiſſe pluribus in locis teſtatur Euſebius *l.* 1 *c.* 12 & *l.* 2. *c.* 1. *hiſt. Eccl.* Abdias, Fortunatus, Beda, & Latinorum Martyrologia Apoſtolum Judam martyrio peremptum, & in Perſia conditum ferunt. Græci verò nonnulli Berythi morte ſua defunctum ſcribunt; eorum tamen Menologia, quæ diem 19. Junii Judæ Apoſtolo ſacram habent, ſagittis confoſſum aſſerunt in *Ararat*, fortè in Armenia, in qua montem Ararat, ſeu Ariarathis urbem eſt invenire. Armeni præterea in ſua regione veteri traditione martyrio ademptum tuentur.

VII. JUDAS, ſeù *Jojada*, poſt Babylonis captivitatem Judæorum Pontifex. Patrem Eliaſibum, Jonatham verò filium habuit (e).

VIII. JUDAS, cujus mentio apud Machabæorum ſecundum *c.* 1. 10. idem fortè ac Judas Eſſenus: ſeù Judas Hircani filius, cognomento Ariſtobulus, de quo mox infra. De eo planè nihil, præter ejus nominis mentionem, ſub initium cujuſdam Epiſtolæ ab Jeroſolymitano Senatu ad Ariſtobulum Regis Ptolomæi Præceptorem miſſæ (f).

IX. JUDAS, cognomento *Eſſenus*, apud Joſephum, Prophetiæ dono inſignis (g), qui cum Antigonum Aſmonæum, Regis Ariſtobuli fratrem, victoria, quam de hoſtibus recens retulerat, vehementer adauctum, Jeroſolymam adventaſſe vidiſſet, vitæ ſe pœnitere apud ſuos Diſcipulos ingemuit, quandoquidem ejus vaticinii levitas coargueretur, incolumi Antigono, quem ea ipſe die propè Stratonis turrim, quæ 600. ſtadiis inde aberat, moriturum prædixerat. Ea tamen ſollicitudine ocius liberatus agnovit, Divinum Spiritum, qui per ejus verba loquutus fuerat, non utique Stratonis ad Mediterraneum Turrim, ubi deinde Palæſtinæ Cæſarea condita eſt, ſed aliam turrim deſignaſſe, quæ in ipſa Ariſtobuli aula erecta, eodem Stratonis nomine appellabatur; ubi de Fratris imperio Antigonus interfectus, implevit oraculum.

X. JUDAS, aliter *Ariſtobulus*, Joannis Hircani Primogenitus. Vide v. III. *Ariſtobulus*.

XI. JUDAS, Sariphæi filius, qui una cum Matthia filio Margalothi, diſcipulos ſuos concitavit, ut aquilam auream, quam Magnus Herodes præ Templi foribus locaverat, exturbarent (h).

XII. JUDAS *Gaulanites*, qui Judæos liberos eſſe, & ab eis neminem Dominum præter Deum, habendum oſtentans, Cyrenio Judææ deſcriptionem aggreſſo *Luc* 2. 1. impavidè obſtitit (i). Hinc factum eſt, ut Judæorum res quam maximè turbarentur; ejus tamen ſectatores adeò libertatis amore flagrabant, ut quælibet ſupplicia ferre mallent, quàm mortalem aliquem Dominum appellare. In Apoſtolorum Actis 5. 37. vocatur etiam *Judas Galilæus*, de quo hæc Gamaliel: *Poſt Theodam extitit Judas Galilæus diebus profeſſionis* (k), *& avertit populum poſt ſe, & ipſe periit, & omnes quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt*. Idcircò autem Gaulanites una & Galilæus appellatus eſt Judas, quòd Galilæus quidem eſſet, ſed ortus ex oppido Gamala in Gaulanitide; quæ regio cùm ad Herodem pertineret, Judæa à Romanis ſubacta Judæ Gaulanitæ Diſcipuli Herodiani ab Judæis cœperunt appellari; quo etiam nomine eorum meminit Evangelium. Vide ſupra v. *Herodiani*.

Quamvis autem Gamaliel Judam unà cum iis omnibus, qui ei adhæſerant, periiſſe aſſerat, Judam nihilominus diu poſt, imò etiam diu poſt ipſum Gamalielem extitiſſe certò ſcimus. Herodianorum ſecta vix diſcrepabat à Phariſæis; hoc tamen illis erat præcipuum, quod conſtantiſſimo libertatis amore flagrarent. Ab Herodianis ortum deduxere Sicarii, & Zelotæ, qui defectionis ſemina undique diſpergentes, extremum denique Jeroſolymæ, totique Judææ excidium intulere (l). Quo tempore, & qua morte Judas Gaulanites obierit, ignoramus.

XIII. JUDAS, Hoſpes D. Pauli *Act.* 9. 9. in civitate Damaſci, de quo præterea nihil.

(XIV. JUDAS cognomento *Sanctus*, Hebraicè *Haccados*, author Miſnæ, filius Simonis Julii, Judæorum doctor [illegible] inclytus. Tiberiadis in Galilæa Scholam rege[illegible] elatus eſt ad dignitatem Principis Sanhedrim [illegible] eadem Urbe conſiſtenti. Habetur & Princeps totius gentis; floruit ſub tribus Imperantibus, Judæorum rebus faventibus, ſcilicet Antonino Pio, M. Aurelio, & Commodo. Horum primus inivit imperium anno

(a) Judæ verſ. 17. confer cum 2. Petri 3. 31. (b) 2. Timoth 31. confer cum Jud. verſ. 18.
(c) Poſt an. Ch. 66. (d) Euſ. l. 3. c. 25. hiſt. Eccl. Hieron. de Vir. illuſtr. c. 4. Amphiloc. carm. ad Seleuc.
(e) Vid. 2. Eſd. 12. 10. (f) A. M. 3880. ante Ch. 120. ante Ær. 124. (g) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 19.
(h) Joſeph Antiq. l. 17. c. 8. (i) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 1. & 2. An Chr. 10. Ær. 7.
(k) Arab. *in diebus cenſus*: Arias: *in diebus deſcriptionis*. (l) Vid. Ant. l. 18. c. 1. & 2.

Digitized by Google

anno 138. alter obiit anno J. C. 194. quare hujus viri epocha determinari poteſt circa medium ſecundi Eccleſiæ ſæculi. Fertur in lucem editum fuiſſe, qua die Akiba oculos clauſit vitæ (a). Ita factum eſt, ut qui gentis Judaicæ ſol reputabatur, occideret, eodem ſimul tempore ſol alter emergeret. Quæ ſi vera ſunt, nati Judæ epocha conſtituenda eſt anno J. C. 135. vel 136. quo ſimul & capta eſt Bether, & Akiba interiit.

Porro Judas natus eſt Tzippuri loco in montibus Galilææ olim non infimo. Tenent nonnulli ibi pariter ab Authoribus quibuſdam authoritatem Pſeudo Egeſippi ſequentibus, ortam conſtitui Annam matrem SS. Virginis & Heruannam S. Eliſabethæ ſororem. Simeon Pater Judæ natum ſibi filium circumcidit octava die, Legis juſſioni potiùs, quàm edicto Adriani Imperatoris id vetanti, obſequens. Accuſatus eſt proinde ad Imperatorem, ſed antequam accitus veniret, tranſiens per locum, ubi infantem Antoninum mater tenebat in cunis, Principem infantem ſibi accepit, ejus loco filio ſuo ſubſtituto; tum & infantem obtulit Adriano, demonſtravitque calumniam in ſe ſtrui; neque enim ulla præferebat circumciſionis indicia, quem manibus geſtabat, infans. Ea ſpecie deceptus Adrianus Simeonem remiſit. Redux igitur Simeon puerum ſuum è cunis recepit, ac furtum reſtituit. Porro in hiſtoria hac nihil non abſonum eſt, nihil non aberrans à regulis; ſed tanti vendimus, quanti valet.

Ex occulta illa circumciſione cognomen *Sancti* adſcitum viro cenſent quidam; aliis ea innocentia & ſanctitate morum datum probatur. Nobis, quos de viro illo plura latent, judicium ea de re ſuſpenditur; & alienus hic eſt ab ea diſquiſitione locus. Ut aliqua de illo libentius, jubet tantùm ſcripta eodem authore Miſna. Ad id uſque per canalem Doctorum & Prophetarum derivatæ traditiones hominum memoriæ committebantur. Viva voce auditores ſuos docebant in ſchola Magiſtri; addebat quiſque de ſuo gloſſas, demebat pariter, adjiciebatque Textui ad arbitrium. Quare in immenſum creſcere jam, corrumpi ſenſim, per ora tot ſæculorum tractu deductæ. Viſum eſt igitur Sapientibus ſcripto illas redigere, idque operis impoſitum Judæ. Aliud quid etiam ad id ſuadebat, quas nimirum gens ſubierat, vices, ſub Adriano Doctorum ſuorum diſperſio, everſio Scholarum, amiſſio Codicum, ac tandem rerum ejuſdem gentis proſtratio. Qui enim unitas ſententiarum & depoſitum traditionum a gentibus longè latèque diſperſis & malis undique jactatis ſervaretur?

Hanc igitur provinciam in ſe Judas ſuſcepit, redigendi ſcilicet in unum corpus jus Civile & Canonicum Judæorum, ut ad unum veluti ſyſtema directum in ſingulis populi Scholis teneretur. Opus illud ſuum appellavit *Miſna* veluti ſi diceretur ſecunda Lex. Diſtribuit illud in ſex partes vel libros, quorum ſinguli plures complectebantur tractatus, 63., in totum, exacta planè methodo in tribus & ſexaginta hiſce capitibus ordinavit quæcunque ex vetuſtis accepta fontibus de traditione & lege norant per eam ætatem Hebræi. Vulgatum ſtatim Opus ſummo plauſu, & obſequio exceperunt Judæi. Studia in illud ſua verterunt Doctores, quorum etiam eximii quique tam in Judæa quam in Babylonia verſantes, ſcriptis commentariis illuſtrare illud aggreſſi ſunt. Ex his commentariis cum Textu Miſnæ junctis conſtant duo Thalmud, i. e. Jeroſolymitanum, & Babylonicum. Vide infra vv. *Miſna* & *Thalmud*. Obiit Judas Sanctus juxta Bartoloccium anno J. C. 194. juxta Baſnage anno 210. vel 215. Filium & ſucceſſorem in Principatu gentis ſuæ habuit Gamalielem Rabbinum.)

JUDICES, Hebraicè *Sophetim*. Qui ab Joſue uſque ad Saulem Iſraelitis præfuere, Judices appellantur. Carthaginenſes etiam, Tyriorum Colonia, quoſdam Magiſtratus, ſeù Præſides *Suffetes*, ſeù *Sophetim* vocabant (b), quorum authoritas, ſicuti & Hebræorum, ad Regiam proxime accedebat. *Archontes* Athenienſium, & Romanorum Dictatores aut vix aut nihil ab Hebræorum Judicibus diſcrepabant. Authore Grotio Galliæ, Germaniæ, & Britanniæ gubernatio, antequam à Romanis immutaretur, Hebræorum ſub Judicibus gubernationis ſimilitudinem referebat. Judicum Dignitas apud Hebræos hæreditario jure non contingebat ſucceſſoribus, ſed Deus, Iſraelis ſolus & verus Dominus, eos, utpote ſuos Legatos, aut Vicarios ſibi eligebat, eiſque authoritatem impertiebatur. Quamobrem de Hebræis deinde Regem, aliorum inſtar, ſibi poſtulantibus, cum Samuele Dominus conqueſtus eſt: *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*. 1. Reg. 8. 7. Quare etiam Gedeon, iiſdem ſibi, ſuæque impoſterum domui Regnum offerentibus, reſpondit; *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus*. *Judic.* 8. 23.

Judicum Dignitas ad mortem uſque manebat; verùm aliquando ſucceſſorum intermiſſa eſt continuatio. Interfuere enim interdum Anarchiæ, quibus intervallis Princeps nullus, nullus Judex Rempublicam gerebat; interfuere etiam ſervitutes, quibus Hebræi exteris parere coacti, nec Judice, nec ullo Præſide regebantur. Quamvis autem ut plurimum Deus per ſemetipſum, ſeù per apertum ſuæ voluntatis indicium Iſraelitarum Judices excitaret, nihilominus aliquando populus, quin præcipuam Dei revelationem opperiretur, quem avertendis calamitatibus opportuniorem duceret, Judicem ſeligebat. Sic e.g. Iſraelitæ ultra Jordanem Jephtem ſibi Judicem, ut bellum contrà Ammonitas gereret, aſſumpſerunt. Cùm verò calamitates, quæ ad Judicum perfugium Hebræos compellebant, regiones undique minimè afficerent, nec ſelecti Judices toti Iſraeli, ſed iis tantùm, quos periculis liberaſſent, imperabant. Sic e. g. neque Jephte citra, neque ultra Jordanem Barac judicabant.

Verbum *Judicare*, & nomen *Judex*, ad ſupremam dignitatem, ſeù Regnum deſignandum à Scriptura interdum uſurpantur. Sic Iſraelitæ ad Samuelem: *Conſtitue nobis Regem, ut judicet nos*. 1. *Reg.* 8. 5. Salomon virtutem ad optimè Iſraelem judicandum à Domino poſtulavit. 3. *Reg.* 3. 9. Joathan Azariæ Regis Judæ filius, pro patre lepræ infecto *judicabat populum terræ* 4. *Reg.* 5. 15. Abſalom denique Regnum avidè appetens, *Quis*, inquit, *quis me conſtituat Judicem ſuper terram?* 2. *Reg.* 15. 4. Quamobrem judicum authoritas Regum imperio non impar, res belli æquè ac pacis gerebat, lites monarchicè dirimebat, novas tamen leges condere, & populis nova onera imponere prohibebatur. Leges, & Religionem Judices tuebantur, & in crimina, idololatriam præſertim, animadvertebant. Cæterum ſine pompis, ſine cuſtodiis, ſine comitatu incedebant, vectigalibus ſaltem, quibus Dignitati non imparem famulatum alere poſſent, non donabantur; ſolis enim muneribus, quæ ſpontè offerebantur, contenti, nec certos redditus, nec ullas populi collationes congerebant. Judicum imperium ab obitu Joſue uſque ad initium Regni Saulis, tercentis & undequadtaginta annis permanſit. Judicum, & ſervitutum, in quas eo annorum intervallo incidere Judæi, Chronologicum Catalogum exhibemus.

CATALOGUS CHRONOLOGICUS JUDICUM.

An. M.

2570. Mors Joſue.

2585. Quindecim circiter annis Seniorum adminiſtratio.

2592. Anarchia per ſeptennium circiter uſque ad 2592. Hoc intervallo contigit Michæ hiſtoria, oppugnatio, qua nonnulli ex Tribu Dan Urbem Lais conſequuti fuere, & undecim Tribuum bellum adverſus Benjamin.

2591.

(a) Vide Ganz Chronic. (b) T. Liv. cad. 3. l. 7. Suffetes ſummus erat Pœnis Magiſtratus.

2591. *Prima ſervitus ſub Chuſan Raſathaim, Meſopotamiæ Rege* ab anno 2591. ad 2599.
2599. OTHONIEL, anno poſt pacem ab Joſue terræ allatam 40., Iſraelem liberavit.
2662. A liberatione per Othonielem ann. 2599. pax continuata 62. annis uſque ad 2662. quo incidit *ſecunda ſervitus ſub Eglone Moabitarum Rege*, cui Hebræi duodeviginti annis paruere.
2679. AOD, Iſraelem liberat.
Poſt quem judicavit Samgar, & à prima per Othonielem liberatione pax perſtitit octoginta annis
2699. *Tertia ſub Chananæis ſervitus* per annos viginti ab 2699. ad 2719.
2719. DEBORA, & BARAC Iſraelem liberarunt, A liberatione per Aod, uſque ad finem Deboræ & Barac 40. anni interfuere.
2752. *Quarta ſub Madianitis ſervitus* per ſeptennium à 2752. ad 2759.
2759. GEDEON, Iſraelitas libertati reſtituit. A liberatione per Deboram, & Barac, uſque ad prædictam Gedeonis, anni 40.
2768. ABIMELECH, filius ſpurius Gedeonis, quem Sichimitæ Regem ſalutarunt. Hic 70. fratribus interfectis, imperavit 3. annis
2771. à 2768. uſque ad 2771. Obiit in obſidione Thebes in Palæſtina.
2772. THOLA, tribus & viginti poſt Abimelech annis judicavit à 2772. ad 2795.
2795. IAIRUS, poſt Tholam præfuit annis viginti duobus à 2795. ad 2816.
2799. *Quinta ſub Philiſthæis ſervitus* per duodeviginti annos à 2799. ad 2817.
2817. Mors Jairi.
2817. JEPHTE, Iſraelitarum ultrà Jordanem Princeps eligitur. Ammonitas, à quibus Hebræi opprimebantur, evertit. Sex annis judicavit à 2817. ad 2823.
2823. Mors Jephte.
2830. ABESAN, ſeptem annis judicavit à 2823. ad 2830.
2840. AHIALON, poſt Abeſan imperavit à 2830. uſque ad 2840.
2848. ABDOM, 8. annis judicavit à 2840. ad 2848.
2848. *Sexta ſub Philiſthæis ſervitus*, per annos 40. a 2848. ad 2888.
2848. HELI PONTIFEX, ex progenie Ithamari toto ſervitutis ſub Philiſthæis intervallo, per annos 40. judicavit.
2849. Sampſonis nativitas.
2887. Mors Sampſonis, qui Iſraelem judicavit, quem adhuc Heli Pontifex judicabat.
2888. Mors Heli, cui ſucceſſit Samuel.
2909. Electio, & unctio Saulis primi Hebræorum Regis.

LIBER JUDICUM, quem Eccleſia Canonicum habet, à quibuſdam Phinees, ab aliis vero Eſdræ, aut Ezechiæ, ab aliis denique Samueli tribuitur, aut omnibus Judicibus, quorum quiſque Judicii ſui hiſtoriam fortè exaravit; nos verò ab uno tantùm Authore, qui poſt Judices vixerit, confectum ducimus; cui quidem ſententiæ perplurimum id favet, quod capite ſecundo, verſiculo 10. &c. totius Libri ſumma & idea exhibeatur. Qui Samueli eum tribuunt, eo ducuntur, 1. quòd ejus Author eo tempore, quo Jebuſæi Jeroſolymæ imperabant, propiereaque ante Davidem, vixerit *Judic.* 1. 21, 2. quod tunc Hebræorum Reſpublica geri videretur à Regibus, cum Author, florentibus judicibus, nullum Iſraeli Regem imperaſſe, pluries meminerit.

Cui quidem ſententiæ ſatis adverſatur, quod Judicum 18. 30. legitur: *Poſuerunt* (filii Dan) *Jonathan, & filios ejus Sacerdotes in Tribu Dan, uſque ad diem captivitatis ſuæ; manſitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit Domus Dei in Silo.* Tabernaculum, ſeu Domus Dei in Silo non extitit, niſi uſque ad Samuelis initium; tunc enim è Silo in caſtra educta, capta eſt à Philiſthæis, 1 *Reg.* 4. 4. indeque tranſlata eſt in Cariath-jarim 1. *Reg.* 6. 21. Quod verò ad captivitatem attinet, nulla ibi induci poſſe videtur præter eam, quæ ſub Teglathphalaſſare Aſſyriæ Rege pluribus poſt Samuelem ſæculis contigit. Quod utique Samuelem ejus Libri authorem omnino improbat, niſi fortè diù poſt hunc locum operi additum aſſeramus, cùm aliunde plura ſacris Libris inſerta fuiſſe compertum ſatis habeamus.

JUDICES CONSUETI, *in cauſis utriſque, civicis & ſacris.* Ad populi dirimenda diſcrimina Moyſes in quibuslibet civitatibus Judices, & Magiſtratus conſtituit; *Deut.* 16. 18. & 17. 8. Vide *Ezec.* 44. 24. & *Joſeph. Antiq. l.* 10. *c. ult.* in judiciis vero gravioribus locum, quem ſibi Dominus elegiſſet, adiri juſſerat, ut à Sacerdotibus ex Aaronis propagine, & ab Judice (ſeu populi Principe), quem Dominus tunc aſſumpſiſſet, re diſcuſſa, eorum ſententiæ quiſque acquieſcerent, illiſque mors inferretur, qui detrectaſſent. Cùm Joſaphat Rex Juda Regnum ſuum ad priorem formam revocaret, 2. *Par.* 19. 5. urbium cuilibet Judices præfecit; quibus non hominum, ſed Dei judicium gerentibus, juſtitiam quam maximè commendavit. Duo præterea Tribunalia, alterum Sacerdotum & Levitarum, quod ea, quæ ad Deum; alterum Principum familiarum ex Iſraele, quod ea, quæ ad Regem pertinent, dirimeret, Jeroſolymæ erexit. Hæc, prout a Sacris Libris decerpi poteſt, ante Babylonis captivitatem Hebræorum Politica.

Quam tamen Doctores Judæi ab hac valde aliam exhibent. Duorum & ſeptuaginta Judicum cœtum, quem à Græco *Synedrion* Sanhedrin appellant, Jeroſolymæ locant. Hunc præterea, poſtquam Moyſes ſeptuaginta duos Seniores, Domini ſpiritu perfuſos, in populis regendis ſui adjutores conſtituit, *Num.* 11. 16. apud Judæos ſemper extitiſſe tuentur. Nos verò, poſtquam Joſue Terram promiſſionis diviſerat, intermiſſum, & poſt Machabæos reſtitutum credimus. Extabat quidem, dum Chriſtus inter homines degebat, & fortè uſque ad Templi excidium, non eadem tamen præditus authoritate, permanſit; Archelao enim in exilium acto, Romani ad unicam Provinciam Judæam redigentes, vitam & mortem ſibi reſervatas voluere. Vide infra v. Sanhedrin.

Quod attinet ad Judices inferiores, juxta Rabbinos & Interpretes, qui Chriſti ætate fuerint, exhibemus. 1. Tres in qualibet urbe Judices in leviora crimina, furta nempe, & hujuſmodi, animadvertebant. 2. Tribunal alterum ex tribus & viginti Judicibus conſtitutum, mortis ut plurimum reos damnabat, non enim niſi cauſæ morte dignæ ad illud deferebantur. 3. Magnum Sanhedrin, Jeroſolymæ erectum, de præcipuis Religionis & Reipublicæ rebus, deque iis, quæ ad Regem & Pontificem pertinerent, pronunciabat. Dominum Jeſum poſtrema duo hæc judicia deſignaſſe arbitramur, cùm dixit: *Matth.* 5. 22. *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit Judicio*, nempe à tribus & viginti Judicibus damnari merebitur. *Qui autem dixerit fratri ſuo, Raca, reus erit Concilio*; nempe dignus erit, qui mulctetur à Sanhedrin. Videatur Diſſertatio noſtra ſuper Hebræorum Politica, quam Libro in Numeros præpoſuimus. Urbis Porta locus erat conſuetus, quò Judices convenirent (a). Sanhedrin tamen in aliquam Templi aulam cogebatur.

(De variis Judicibus Palæſtinæ, varia illorum in jure dicundo poteſtate, quædam hic damus ex Miſna & Commentatoribus ipſius deducta (b). Convenit inter Rabbinos in ſingulis Urbibus, ubi centum ſaltem homines, trium Judicum Tribunal erectum fuiſſe, in quo minores cauſæ agnoſcerentur, *de furto, amiſſione, ac reſtitutione rerum.* Jus illis Judicibus tantùm damnandi ad flagra. Conſulebantur etiam de intercalatione menſium, impoſitione manuum

(a) Ruth 4. 1. Vide infra v. Porta. (b) Miſna Tract. Sanhedrin., to. 4.

Digitized by Google

nuum inſtituebant Doctores; in Judices etiam erigebant hac verborum formula: *Tu Rabbi N. facultate auctus es judicandi & infligendi pœnas*. Privilegio autem illo non potiebantur, niſi ſaltem è tribus Judicibus unus initiatus eſſet, quò ſcilicet tria illa alios initiaret. Judices ſibi eligebant litigantes; quorum una pars ſuum conſtituebat, altera alterum; tum duo electi tertium, atque ita demum cauſa cognoſcebatur.

Porrò de Judæorum politia aliter planè Joſephus Antiquit. lib. 4. cap. ult. habet enim, Moſaicis ſanctionibus conſtitutos in ſingulis Urbibus ſeptem probatæ virtutis Judices, vel Senatum è ſeptem Judicibus, huic autem aſſignatos duos è Tribu Levi Miniſtros: ita juxta Scriptorem hunc ſingularium Urbium ſeptem erant Judices Laici, & duo è Levitis Miniſtri. Eſt autem cur potiorem Joſepho, quàm Rabbinis adjiciamus fidem, utpote vetuſtiori, ac meliùs de rebus gentis ſuæ præ Rabbinis inſtructo. Manentem adhuc & florentem Hebræorum Rempublicam ſpectavit Joſephus; Rabbini verò diù poſteriores ſunt everſione Templi, ac gentis diſperſione.

Alterum Tribunal componebant 23. Judices, de cauſis capitalibus cognoſcentes, ferenteſque mortis ſententiam in homines & bruta vulnerati hominis accuſata. Judicum iſte conſenſus nullibi, ſive in Moyſe, ſive in ſacris Authoribus occurrit. Nec de illo quidquam Joſephus: habet enim tantùm, cùm forte ſeptem illi Judices impares ſe de cauſis nonnullis cognoſcendis intellexerint, deferri cauſas illas ad Summum Sacerdotem in urbem Sanctam (a).

Nec abs re cenſemus ritum deſcribere, quo Tribunalis hujus Judices ordine quiſque ſuo aſſidebant, cùm enim ad ordinem ſeſſionum in magno Sanhedrin plurimùm id habeat affinitatis, valebit juſtæ de illo formandæ ideæ, explicandiſque Doctorum Judæorum opinionibus.

Aſſidebant 23. Judices in hemicyclum, mediumque tenebant Præſes, quem appellabant Principem Senatus, ad id dignitatis probitatis & ſapientiæ ſuæ merito evectus. Ejus dexteram ſecundus in ordine Pater Senatus, ſed dignitas illa Doctorum Thalmudiſtarum commentum eſt. Singuli deinceps Judices ſuo ordine ad dextram lævamque aſſidebant. Sunt, qui addunt tres viros a ſecretis, alterum colligendis ſuffragiis *abſolventium* reum, alium *damnantium*: tertius utraque excipiebat. Tres ordines Diſcipulorum in ſuis ſubſelliis aulæ inferiora occupabant, quiſque pro ſua ætate & merito. Viri quique ingenio præſtantiores è tota Judæa acciti & ex aliis Tribunalibus ad Jeroſolymitanum viginti trium Judicum evocabantur. Infimam primùm claſſem tenebant; tum per gradus ad Judicum dignitatem aſcendebant. Hæc amplificantes Rabbini nihil intendiſſe aliud videntur, quàm ut altam inderent politiæ & Magiſtratuum ſuorum opinionem; ſimul autem auctoritatem ſuam, præ Joſepho omnia hæc commenta exſufflante, obtrudunt.)

JUDICIUM, Hebraicè *Miſchphat*, Græcè verò *Kriſir*. Qua quidem voce plura apud Scripturam deſignantur. 1. judicandi poteſtatem ſonat: *Dei judicium eſt*. *Deut.* 1. 17. Judicium verò ad Judices, tamquam ad Dei vicarios pertinet. *Deus dedit filio poteſtatem judicium facere, quia filius hominis eſt*. Joan. 5. 27. *Judicium datum eſt illis*, *Apoc.* 20. 4. nempè *Apoſtolis*. 2. *Judicium* Prudentiam, Juſtitiam, cæteraſque optimi Judicis virtutes deſignat. *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis*. *Pſal.* 71. 2. *Honor Regis judicium diligit*. *Pſal.* 98. 4. *Juſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ*. 3. *Judicium* ſæpè Deum vindicem, ſeù Dei vindictam ſignificat. *In cunctis Diis Ægypti faciam judicia*. *Exod.* 12. 12. *Quando facies de perſequentibus me judicium?* *Pſal.* 98. 84. *Cùm feceris judicia tua in terra, juſtitiam diſcent habitatores orbis*. *Iſa.* 26. 9. 4. *Facere judicium & juſtitiam* omnium virtutum, juſtitiæ, æquitatis, veritatis, fidelitatis praxim denotat. *Scio, quòd (Abraham) præcepturus ſit filiis ſuis, ut faciant judicium, & juſtitiam*. *Gen.* 18. 19. *Feci judicium & juſtitiam*. *Pſal.* 98. 121. *Expectavi, ut faceret judicium, & ecce iniquitas, & juſtitiam, & ecce clamor*. *Iſa.* 5. 7. Clamor nempè iniquitatum. 5. *Judicium* ſæpè etiam pro Lege Dei, & præſertim pro Lege judiciali uſurpatur. *Hæc ſunt judicia, quæ propones eis*. *Exod.* 21. 21. *Narravit Moyſes populo omnia verba Domini, atque judicia*. *Exod.* 24. 3. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*, *Pſ.* 147. 20. nempe mandata ſua. 6. *Judicium* pro conſuetudine aſſumitur *Miſerere mei ſecundum judicium diligentium nomen tuum*, *Pſal.* 118. 132. nempè; miſerere mei, ut conſueviſti miſereri diligentibus te. Phraſis hæc *ſecundùm judicium*, juxta conſuetudinem ſæpiùs in Hebræo occurrit, quàm in Vulgata, ubi verò vertitur: *ut aſſolet, ut decet; pro more &c.* Levit. 5. 10. Hebr. *Faciet holocauſtum ſecundùm judicium*, ideſt juxtà morem, ſeù conſuetudinem. 7. *Judicium* pro Sapientia, & Prudentia adhibetur: *diſponet ſermones ſuos in judicio*, *Pſ.* 111. 5. ideſt in Sapientia. *Jurabis: Vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in juſtitia*, *Jer.* 4. 2. nempe in veritate, ut procul abeat mendacium; in judicio, ut juramento prudentia non deſit; in juſtitia, ut damnum proximo non inferatur. Optimè tamen ea voce *in Judicio* æquitas ſimul & juſtitia &c. poteſt hic deſignari. 8. Pontificis pectorale, *judicii pectorale*, *Exod.* 28. 15. &c. interdum etiam tantummodò *judicium* vocabatur. *Exod.* 28. 30. *Aaron geſtabit judicium filiorum Iſrael*, ideſt pectorale, quo in filios Iſraelis authoritas deſignatur. 9. Denique *Judicii* nomine Judicium poſtremum exhibetur. *Statutum eſt hominibus ſemel mori; poſt hoc autem judicium*. *Hebr.* 9. 27. Dominus per Joelem omnes gentes in Vallem Joſaphat ſe congeſturum enunciat, ut eas judicet, &, quod ſuum populum vexaverint, ulciſcatur. *Joel.* 3. 2. Vide *Joſaphat*, & *Vallis Joſaphat*. *Scito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium*. *Eccl.* 11. 9. *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. *Pſal.* 142. 2. *Judicium poſt mortem veniet, quando omnes reviviſcemus*. *Eſd* 14. 35. Vide D. Matth. 25. 31. &c. 1. ad Theſſalon. & Epiſt. Judæ de ultimo judicio, & de ſignis, quæ præibunt.

(JUDICIUM ZELI. Aſſeverant Hebræi in quibuſdam rerum eventibus, puta cùm Judæum aliquem offenderit quiſpiam Deo immolum ſeu violantem impunè Legem, ſeu blaſphema e omenrem in Deum, in Templum, in Legiſlatorem, vel pariter cum Paganus aliquis ſeducere tentat populum in crimen, in idololatriam; in violationem Legum Domini, tum fontem perimere privatis cuiſque jus eſſe; & nullo judiciali ritu dari cuique, ut zelum ſuum armans ſcandalum è medio populi ſummoveat. Petita ſunt hæc ab exemplo Phinees filii Eleazari, qui Iſraelitam ingredientem in tentorium fœminæ proſtitutæ è Madian arrepto pugione perſecutus, utrumque in crimine deprehenſum configit. *Num.* 25. 6. *&c.* In rem etiam adducunt Mathatiam patrem Machabæorum, qui zelo arreptus ſuo Iſraelitam paratum offerre Numinibus ſacrificia transfixit. *Machab.* 2. 23. 24.

Quæ è judicio iſto zeli provenirent incommoda, planè ſentimus. Incondita hominum manus, Iſraelita aliquis impotens furore, fanaticus quiſpiam jus ſibi datum perſuadebit enecandi hominem, quem Deo & Reipublicæ noxium reputat. Frequentiſſima ejus rei exempla ſuppeditat Hiſtoria. Præpoſterus iſte zelus lapidibus confecit S. Stephanum *Actuum* 7. 58.; violentas manus injecit Apoſtolum *Actuum* 21. 27. & 22. 22. 23.; ex eo nuncupatum eſt à quadraginta conjuratis votum abſtinendi à cibo & potu, quandiu Apoſtolum ipſum non ſuſtuliſſent *Actuum* 23. 12. Nec aliam mortis ſuæ cauſam habuit S. Jacobus Epiſcopus Jeroſolymitanus; tandem Jeſus Chriſtus mortem non evitaſſet in Templo, cùm blaſphemus à populo ageretur, niſi è medio eorum ſeſe recipiens, latebras quæſiviſſet *Joan.* 8 59.)

FONS JUDICII, *Gen.* 14. 7. idem eſt ac *fons Cades* ad Terræ promiſſionis meridiem. Cujus fontis aquæ vocantur etiam aquæ contradictionis, quòd obloquentes Iſraelitæ Moyſi inibi contradixerint. *Num.* 20. 13.

Fons

(a) Joſeph. loc. cit.

Digitized by Google

Fons verò judicii appellatur, quòd ibi Moyſi, qui à fiducia in Deum debita nonnihil defecerat, eum promiſſionis Terram minimè ingreſſurum iratus Dominus indixerit. Idcircò autem Rabbini (a) eum fontem judicii nomine donatum volunt, quòd ibi à proximis populis ad lites dirimendas jus diceretur.

JUDITH, ex Tribu Ruben, Merari filia, vidua Manaſſis, ob Bethuliam, quam Holophernes obſederat, liberatam celeberrima (b), quæ mortuo conjuge in ædė ſublimi ſacellum ſibi conſtruxerat, ubi cilicio induta, & quotidie, præter Sabbathum, & Hebræorum ſolemnitates, jejuniis addicta, una cum ſuis ancillis dignos laude dies agebat. *Judith.* 8. 4. Petrara quidem pulchritudine inſignis; & divitiis, famulis, prædiis, & armentis, quæ eidem conjux legaverat, opulenta, eam tamen virtutem & pietatem omnibus exhibebat, ut nemo unquam ei obtrectaverit.

Improbans Judith, quod Bethuliam quinque poſt diebus Holopherni ſe traditurum, niſi eo temporis intervallo ſuppetiæ ferrentur, Ozias ſpopondiſſet, Chabri, & Charmi, ſenioribus populi advocatis, quam improbe Clementiæ Divinæ fines præſcriberentur, oſtendit; quare pœnitentia tacti, Divinæ voluntati ſe omninò committerent, & Miſericordiam implorarent hortata, ſe eadem nocte unacum ſua pediſſequa ex urbe egreſſuram aperuit; quapropter Bethuliæ portas egredienti recluderent, neque de iis, quæ cogitabat, inquirerent, ſed rem Deo commendantes proſpera ſibi brevi eventura pollicerentur.

His illicò dimiſſis, ſacellum ſuum ingreſſa, *Judith.* 9. 1. cilicio induta, & cinere inſperſa, Deum rogavit, ut proſtratis hoſtibus Iſraelem periculo liberaret, ſibique formam, qua Holopherni pergrata accideret, & vim conferret atque conſtantiam, ut contemptum perimeret, poſtulavit. Cilicio deinde, & luctuoſis viduitatis veſtibus ſibi detractis, corpore abluto, atque odoribus delinito, crine compto, præſtanti mitra, ſuperbis veſtibus, aureis ſandaliis, annulis, inauribus, dextrariolis ad totius elegantiæ formam compoſitæ, ut omnium oculis ſpecioſior videretur, Deus ipſe venuſtatem adauxit. Una denique cum pediſſequa viatico inſtructam, ad urbis portas progreſſam, Ozias, & urbis ſeniores, quin rem ſciſcitarentur, fauſta tantùm ejus conſiliis deprecantes, dimiſere.

E monte deſcendens, in Aſſyrios exploratores ſtatim incidit, a quibus rogata, ſe Bethulia, quam brevi evertendam noverat, profugam ad Holophernem properare reſpondit, ut Hebræorum ſecretis ei patefactis, urbem totius exercitus incolumitate oppugnaret: ad quem ſtatim adducta, cæteris ſpecioſas adeò mulieres Hebræorum populo obtigiſſe ſtupentibus, Holophernem ſua venuſtate ita tetigit, ut ille amore ipſius captus, humi proſtratam illico erexerit, *Judith.* 11. 1. eique ſalutem pollicitus, de ejus ad ſe adventu humaniſſimè poſtularit.

Cùm verò illa dixiſſet, perditis jam deſperatiſque Judæorum rebus, ſibi fuga ſe conſuluiſſe, & futuræ nonnihil victoriæ collaturam, ad ejus confugiſſe perfugium, ille coram Nabuchodonoſore, imò toto orbe eam maximam evaſuram, ſeque ejus Deum ſibi etiam in Deum aſſumpturum, ſi fauſta eveniſſent, ſpopondit. Præterea in divitiarum tentorium, veluti in conclave comiter dimiſſæ *Judith.* 12. 1. de ſuis epulis juſſit apponi; ei tamen, ne exterorum cibis fœdaretur, delato veſcendi viatico, & noctu, ſeu ante diluculum, ut Deo ſupplicaret, è tentorio egrediendi facultatem enixè poſtulanti, facilis indulſit. Quamobrem, quin egredientem quiſquam, & redeuntem prohiberet, aut de ea mali quidquam ſuſpicaretur, triduum inibi abſumpſit.

Quarta jam declinante die, per Vagao Eunuchum ab Holopherne ad convivium, ut eam noctem una ſecum tranſigeret, vocata, ſplendidiſſimis ornata veſtibus menſæ accubuit, epulis tamen omnibus abſtinens, ea ſolummodò, quæ ancilla ei de more inſtruxerat, comedit. Holophernes verò ſolo ejus aſpectu eam voluptatem exhauſit, ut plus nimio potui indulgens, vino ſe obruerit. Ubi jam veſper advenit, *Judith.* 13. 1. ſingulis indè abeuntibus, Judith cum Holopherne ſomno, & ebrietate ſepulto, ſe ſolam intuita, ancillam ſuam, ut ſibi excubias ageret, tentorio eduxit, & Deum ſibi adjumento eſſet deprecata, ipſiuſmet Ducis ſtricto enſe ingeminato ictu dormientis cervicem præcidit; quam conopæo involutam in pera recondendam ancillæ ſuæ tradidit; ſtatimque veluti de more ad preces egrederentur, utraque ſe caſtris ſubduxere. Cùm verò ad Bethuliam jam propè acceſſiſſent, Juditham conclamantem, ut ſibi portæ panderentur, cuſtodes illicò exceperunt, quos illa, totamque urbem, quæ ad eam protinus confluxerat, alloquuta, quæ fauſtè peregiſſet, aperuit; accitoque Achiore, ei quoque, ſicut & cæteris præciſam Holophernis cervicem oſtendit. Seniores denique, & populum, ut Ducis perempti capite ſuper mœnia ſuſpenſo, *Judith.* 14. ſub ipſum diei ortum arma quiſque arriperent, & urbe egredientes in hoſtes impetum ſe facturos ſimularent, hortata, futurum prænunciavit, ut exploratoribus ad Holophernem illicò feſtinantibus, & truncum ipſius cadaver in ſanguine innatans invenientibus, exercitus omnis timore perculſus ſe fugæ committeret; quem ipſi impavidè tunc inſequentes omninò delerent.

Rem implevit eventus. Agnita Holophernis cæde, nil niſi de fuga Aſſyrii cogitavere. Hebræi fugientibus magno impetu inſtitere. Ozias Iſraelis urbes de iis, quæ Judith geſſerat, celerrimè monitas, undique in Aſſyrios concitavit. Quare Hebræi Aſſyriis plurimis fuſis, plurimiſque interfectis, & cæde, & præda exſaturati ſunt.

Joachim Pontifex Jeroſolyma profectus eſt Bethuliam, ut Judithæ de victoria gratularetur; quæ omnia, ut par erat, Deo referens canticum cecinit, *Judith.* 16. & arma, veſtes, gemmas, & quidquid Holophernis fuerat, quibus eam populus donaverat, una cum conopæo, quod ipſamet abſtulerat, Deo obtulit, æternumque ampliſſimi beneficii monumentum inſtituit. Diebus omnibus, quibus tantæ victoriæ gaudium actum eſt, Juditha, cujus nomen in regiones omnes per ſummum decus abierat, maximo omnium plauſu publicè inceſſit; quæ denique quinque ſupra ſæculum abſumptis annis, ancillaque ſua libertati reſtituta, vitam abſolvit, eamque propè virum Bethuliæ tumulatam diebus ſeptem populus ingemuere. Hujus triumphi memoriam, quæ juxtà Leonem Modena *par.* 3. *c.* 9. Sigonium *l.* 3. *c.* 17. *de Repub. Heb.* & alios plurimos (c) die 25. menſis Caſleu, qua etiam Dedicationis, ſeu Templi ab Juda Machabæo reſtituti Feſtum, recurrit, Hebræi quotanni habuere ſolemnem.

Quò potiſſimum tempore id bellum contigerit, diutiùs diſceptatum eſt; ſunt enim, qui ante captivitatem Babylonicam, ſub Manaſſe Rege Juda conſignent; ſunt, qui poſt captivitatem retrahant. Quare Authores videndi, qui ea de re fuſius agunt (d). Nos ante captivitatem contigiſſe credimus, & ſic hujus hiſtoriæ chronologiam exhibemus.

CHRONOLOGIA HISTORIÆ JUDITHÆ.

An. M.

3285. Nativitas Judithæ.

3306. Manaſſes Rex Juda regnare incipit.

3347. Bellum inter Nabuchodonoſorem, & Arphaxad, aliter Saoſduchin Aſſyriorum Regem, & Phraortem Regem Medorum.

3348. Expeditio Holophernis, Bethuliæ obſidio, Holophernis mors.

3361. Mors Manaſſis Regis Juda.

3363. Mors Amonis Regis Juda.

3390.

(a) Chald. Ita & Jarchi, & Grot.
(b) Vide S. v. Holophernes, & v. Bethulia.
(c) Grot. Cornel. à Lapide, Bellarm. Salian. Torniel.
(d) Vide Prolegom. Serarii in Judith. Bernard. de Montfaucon de Verit. hiſtor. Judith. & noſtr. Præfat. in Judith. &c.

3390. Mors Judithæ annos natæ 105.

Utrùm Liber Judithæ Canonicus, & authenticus ſit, acriter diſceptatur. Omnia enim & tempus, & perſonæ, &. alia hujus hiſtoriæ difficultatibus inſerciuntur: quarum præcipuas ſolvere eumdemque Librum inter Canonicos firmare conati ſumus (a). S. Hieronymi ætate ab Judæis legebatur; idemque à S. Clemente *ep.* 1. *ad Corinth.*, & à Conſtitutionum Apoſtolicarum Scriptore *l.* 8. *c.* 2. *can.* 85. *alias* 76. laudatur. Eumdem S. Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, S. Ambroſius, & Hieronymus (b) citant; quorum poſtremus (c) addit, hunc Librum à Nicæna Synodo inter Hagiographa enumeratum: non quòd ea Synodus peculiari Canone ipſum probaverit (nullus enim ea de re Canon vel ibi legitur, vel ab Hieronymo memoratur); ſed quòd ipſe Hieronymus eum Librum à Nicænis Patribus laudatum cenſuerit; vel ex jugi Patrum uſu, poſt Nicænam Synodum ipſo utentium, ab illa probatum deduxerit. S. Athanaſius, ſive Author Synopſis Athanaſio adſcriptæ, hujus, non ſecus ac cæterorum Sacrorum Voluminum, compendium recitat. S. Auguſtinus *lib.* 2. *de Doct. Chriſt. c.* 8. omniſque Africana Eccleſia (d) hunc in Canone recenſent. Innocentius I. Epiſtola ad Exuperium, & Gelaſius Papa in Concilio Romano Canonicum fatentur. His adde S. Fulgentium *ep.* 2. *ad Gallam*, duoſque Veteres Scriptores, quorum ſermones in Append. tom. 5. Oper. S. Auguſtini leguntur. Recentiores innumeros, & Judithæ faventes prætereo: unicum addo Concilium Tridentinum, quod Judithæ Librum divinitus inſpiratum affirmat. Satis ſuperque authoritatum eſt, quibus hunc Librum Canonicum ſtatuamus, etiamſi omnes in ipſum excitatas difficultates ſolvere non valeremus.

Ejus Libri Scriptor latet. D. Hieronymus *in Agg.* 1. 6. ab ipſa Juditha confectum forte putat, ſuam tamen ſententiam non ſatis explicat. Sunt qui levibus tantum conjecturis innixi, Pontificem Joachimum, ſeu Eliacimum; ſunt qui Judithæ hiſtoriam ad Cambyſis imperium poſt Babylonicam captivitatem protrahentes, ejus ætatis Pontificem Joſue Joſedechi filium, ejuſdem Libri authorem ſtatuant. Quiſquis ille fuerit, hiſtoriæ coævus ſanè non floruit, cum ſua adhuc ætate Achioris progeniem in Iſraele degentem, *Judith* 14: 6. & ejuſdem victoriæ memoriam ſolemniter adhuc tunc agi ſolitam referat. *Jud* 16. 31. Quæ quidem, Judithæ hiſtoriam diu poſt conſcriptam, ſatis ſuperque probant.

Cum floreret Origenes, eamdem hiſtoriam (e) Hebraice, ſeu forte potius Chaldaice exaratam Judæi legebant; Chaldaicum enim idioma ſæpe cum Hebraico confuſum ſcimus. D. Hieronymus *Præfat. in Judith.* ſua adhuc ætate ab Judæis eamdem Chaldaice lectam, & inter Hagiographa enumeratam, eodemque idiomate apud Byzantii Judæos ad hoc uſque tempus conſervatam Munſterus *Præfat. in Tobiam Hebr.* affirmat. Cujus tamen hiſtoriæ niſi uſque adhuc Chaldaice excuſum vidimus. Syriacam Verſionem, quæ nunc apud nos, à Græco quidem, ſed eo, quam quod modo legimus, caſtigatiori depromptam ſcimus. Hieronymus Juditham Latine à Chaldaico vertit, quæ Verſio adeo procul abeſt à Græca, ut ab eodem fonte utraque exhauſta minime videatur: qui utique Doctor Latina exemplaria, ſe adhuc inter vivos degente, immutata vehementer queritur, quamque jure id egerit, facile agnoſcemus, ſi earum Verſionum fragmenta, quæ ad nos pervenere, & ea, quæ de iiſdem Patres allegant, invicem conferamus. Videantur noſtra Præfatio in Juditham, & Notæ, quas Commentariis appoſuimus.

(Quod arduum eſt maxime in libro Judith, illud reputatur, nimirum ut certum conſtituatur tempus rei in Hiſtoria narratæ. Textus Græcus & Syriacus revocare illam videtur ad ætatem poſt ſolutam captivitatem Babylonicam. Textus Latinus Vulgatæ commodè exponitur de tempore ante captivitatem. Salebræ utrinque, utrum ex his definiatur tempus ardua offert multa. Nos hic pauca de utroque ſyſtemate vel opinione, quarum una conſignat Hiſtoriam Judith ante captivitatem; poſt illam ſolutam altera. Ambæ etiam opiniones iſtæ in varias diſtinguuntur, de quibus tamen, utpote longius nos adducentibus, nihil in præſenti.

Porro ſi quis ſibi præſumat, ut ſalebras omnes tollat, ac plane dictis in contrarium ſatisfaciat, ille plane ſponderet ſibi impoſſibilia, quamcumque tandem ſententiam vel ſyſtema defendendum ſibi proponat. Nec Hiſtoria Sacra, nec Prophana componunt cum ætate ſive Manaſſe, vel Sedeciæ, ſive ante, ſive poſt captivitatem, Regem quemquiam Ninive Nabuchodonoſorem nomine, qui anno Regni ſui duodecimo, vel decimoſeptimo Arphaxad quendam Medorum Regem devicerit. Plus etiam faceſſet negotii ejuſdem ætatis Summus Judæorum Sacerdos *Joakim* vel *Eliacim*.

Tandem ardua reſtabunt ſemper via ſuperanda in conciliatione Textus Græci & Syriaci cum Latino S. Hieronymi, atque etiam in elucidandis omnibus, ſive quæ ad Geographiam, ſive quæ ad alias Hiſtoriæ hujus circumſtantias pertinent. Nec magis forte accedet commodi, ſi unice Vulgatam retinens quis omnes abjecerit Verſiones, Græcam, Syriacam, & veterem Italicam.

Nec ſane unica eſt Hiſtoria ſalebris quamplurimis impervia, ſive in nominibus propriis, ſive in adſcriptionibus temporum, vel aliis id generis. Aſſuevimus jam in Hiſtoriarum Orientalium lectione ipſum eundem Principem variis deſignatum nominibus agnoſcere, variis, inquam, & diverſis apud Authores Sacros, apud Scriptores Græcos, & Hebræos, ſicut & Hiſtoricos Gentiles: convenit ea de re inter Doctos. Quare cur obſtupeſcamus nihil eſt, ſi quis *Nabuchodonoſori* Judith nomen vindicet vel Saouſduchin, vel Cambyſis, vel Xerſis; quemadmodum & *Arphaxad* transformatur in Phraortem, vel in alium quendam Medorum Regem notum, ſive in Hiſtoria Herodoti, ſive alterius Græci Scriptoris. Hæc proinde habemus tanquam explorata, cum ſola reſtabit de nomine quæſtio.

Majoris momenti aliud etiam explicandum eſt, antequam ad tractandam quæſtionem accedamus; quem nimirum è Textibus ſequamur; an nimirum Græcum, vel Latinum: Syriacum enim è Græco expreſſum ambigit nemo. Ingenue autem profiteor Græci lectione inſinuari Hiſtoriam Judith nonniſi poſt captivitatem, ſeu impletam, ſeu ſcriptam eſſe; ſed cum Latinus conſulitur, commode revocaretur ante captivitatem Babylonicam. Quæſtio eſt igitur, uter è duobus hiſce alteri præferatur. Græcum vetuſtiſſimum agnoſcimus, quem alii tribuunt Theodotioni florenti ſub Commodo, cujus Imperium initum eſt anno J. C. 180. ſed vetuſtiorem ex eo intelligimus, quod S. Clemens Romanus in ſua epiſtola ad Corinthios ſcripta ante id temporis 120. annis, ex eo laudet teſtimonia. Vetuſtiſſima eſt etiam Syriaca verſio expreſſa è Græco magis defæcato, quam qui noſtra ætate ſupereſt; in re tamen non diverſo.

Verſio Latina, Italica, ſeu vetus Vulgata è Græco pariter adornata eſt; ſed mendoſiſſimam fatemur. Vulgatam S. Hieronymi, quam Eccleſia canonicam recognovit, exhibuit Textus Chaldæus, quem S.

(a) Vide noſtr. Præfat. in Lib. Judith.
(b) Clem Alex. Strom. l. 4. Orig. hom. 19. in Jer. & t. 3. in Jo. Tertull. de Monogamia c. 17. Ambroſ. lib. 3. de Officiis, & Lib de Vid. Hier. Ep. ad Fur.
(c) Præfat. in Judith. Apud Hebræos liber Judith inter Hagiographa legitur ..... ſed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero Sacrarum Scripturarum legitur computaſſe, acquievi petitioni veſtræ.
(d) Conc. Carthag. 3. can. 47. (e) Origen. Ep. ad Aphricam.

Hieronymus genuinum Originale hujus Operis cenſuit. Precibus S. Paulæ & Euſtochii id ſibi operis aſſumpſit vir ſanctus; ſed diſſidiorum, & diſputationum uberem ſegetem nobis præbuit, cum in Præfatione ſua innoteſcere omnibus voluit, reddidiſſe ſe potius ſenſum, quam verba; ac vetuſtiſſimam Exemplarium varietatem amputaſſe. *Magis ſenſum è ſenſu, quàm ex verbo verbum transferens, multorum Codicum varietatem vitioſiſſimum amputavi. Sola ea, quæ intelligentia integra in verbis Chaldæis invenire potui, Latinis expreſſi.* Non utique ſuppetebat S. Doctori ingens copia Codicum Chaldæorum, nec exinde *vitioſiſſimam varietatem amputavit*; ſed Latinorum Exemplarium plura erant ad manus, nec in ſua illa Verſione aliud reliquit, quam quod in verbis Chaldæis *intelligentia integra* invenire potuit. Præ oculis igitur habebat veterem Latinam Verſionem, è qua demptis ſuperfluis, ea reliquit, quæ cum Chaldæo cohærerent; quod deerat, facile ſupplevit. Itaque verſio ejus recenſio potius veteris, quam nova quædam reputanda eſt; nec ſane deſunt voces plures è veteri illa ſervatæ, quæ originem ſapiunt Græcám, ut illud Judith 10. 3. *Unxit ſe myro optimo. Myron* Græce eſt unguentum. Et 9. 13. *Percuties eum labiis charitatis meæ*, pro labiis fallaciæ meæ: verbis ſcilicet ad fallendum compoſitis. Petitur id ex Græco ferente *agapes* charitates, mendoſe, pro *apates* fallaciæ.

Quemadmodum autem in verſionibus hiſce liberis hoc ſibi Interpres jus vindicat, ut non omnia, quæ in Originali, exprimat contentus reddere ſenſum & lucem affundere Authori ſuo; factum inde, ut liberius aliquando Interpres ille divagetur, aliquando ſe ipſe anguſtior contineat. Optandum utique fuiſſet, ut S. Hieronymus vel eandem ſibi præſtituiſſet in hac Verſione methodum, quam in aliis ſequutus eſt, adhærendo ſcilicet literæ Textûs; vel ſaltem indicaſſet, quouſque libertatem hanc ſuam longius promoviſſet, cum ſibi permiſit *magis ſenſum ex ſenſu, quam ex verbo verbum transferre*. Ecquis enim nobis aſſeruerit nihil ab illo, quod in Chaldæo legeretur, ſuppreſſum fuiſſe, ſive nihil relictum in Vulgata, quod cenſoriæ virga notandum fuiſſet? Cum enim Textus Chaldaicus, qui ſuppetebat S. Hieronymo, ad noſtras manus non pervenerit, impares ſumus certo ea de re ferendo judicio. Ad hæc autem quæ poterit eſſe certa fides hunc Textum ipſum eſſe originalem libri Judith? Profecto ſi Originalis iſte cenſendus eſſet, præjudicata utique ſententia traheremur in opinionem eorum, qui hiſtoriam hanc componunt cum tempore poſt captivitatem Babylonicam, antehac enim nullius Chaldaice ſcribendi uſus obtinebat apud Judæos.

Qui defendunt hiſtoriam Judith ætatem referre Manaſſis, nempe ante captivitatem Babylonicam, ſatis rem demonſtratam arbitrantur, ſi probent nihil eſſe in hiſtoria cum adſcriptione illa temporis repugnans. Poſito igitur Nabuchodonoſorem Judith exprimere Saouſduchin Ptolomæi, qui poſt Aſſaradonem Regem Aſſyriæ Aſſyriorum pariter & Chaldæorum rexit imperium; poſito inſuper Arphaxad ipſum eſſe Phraortem Herodotis ſicut & ambos illos Principes bello ſe invicem infeſtaſſe duodecimo anno Saoſduchin; ad hæc victo Arphaxad Saoſduchin vaſtum agitâſſe conſilium redigendi ad imperium ſuum omnes illas gentes, de quibus in libro Judith; hujus autem expeditionis Imperatorem elegiſſe Holofernem oneratum mandatis, ut eos, qui ſponte nollent, vi redigeret in fidem: poſitis, inquam, hiſce omnibus plana ſont cætera. Commode enim intelligeremus eo ſimul tempore Manaſſem parum antehac è captivitate, quam ſubire coactus eſt Babylone, ſolutum, moram egiſse Jeroſolymæ politicam gubernationem tantùm non negligentem, nec audentem aperte hoſtilia exercere in Chaldæos, quorum & furorem antea fuerat expertus; quare politicas omnes curas reliquiſse humeris Summi Sacerdotis Eliacim vel Ioachim impoſitas. In hoc rerum articulo Bethuliæ cives ſtatuerunt, Dei confiſi ope, libertatem & Religionem ſuam ſervare intactam, Urbis januas occludentes Holoferni. Intelligens Judith acciſas jam Urbis res eſse, conſilium perdendi Holofernem agitavit; nec ſane vana molita eſt, ut ex hiſtoria hujus libri intelligimus.

Nihil utique in his omnibus occurrit, ſive ab hiſtoriæ legibus, ſive à chronologia exorbitans. Bellum inter Nabuchodonoſorem, & Arphaxad componimus cum A. M. 3347. expeditionem Holofernis cum A. 3348. quo eodem anno ipſe obtruncatus eſt. Captus Manaſſe Babylonem raptus eſt anno 3329. Redit aliquot poſt annis, obiitque tandem anno 3361.

Quæ dicendi phraſes negotium faceſſont in Textu Græco Judith, ut illud Achior Judith. 5. 18. in Græco: *Templum Dei ipſorum factum eſt in pavimentum*; tum & alterum 5. 23. *Nunc revertentes ad Deum ſuum aſcenderunt è diſperſione, ubi diſperſi fuerunt illic, & tenuerunt Jeruſalem, ubi Sanctuarium eorum*; ac tandem 4. 2. *Recenter aſcenderant è captivitate, & nuper omnis populus collectus fuerat Judææ.* Hæ, inquam, dicendi phraſes commode exponerentur diſtincta gemina Iſraelitarum captivitate, ac privata quadam diſperſione ab alia generali diverſa. Sub Manaſſe prophanatum eſt Templum, & incolarum portio deducta eſt in captivitatem. Ab hac ceu temporaria diſperſione, in priſtina reſtitutus eſt cum ſuis Princeps; expiatum Templum non multum antehac. Hæc inſinuat Græcæ Verſionis Author; & hæc pariter majoris momenti ſuppetunt fulciendo ſyſtemati in noſtro Commentario firmato.

Quæ vero ſententia hiſtoriam Judith revocat poſt captivitatem Babylonicam ex authoritate potiſſimum Græcæ verſionis adſtruitur. Vetuſtiſſimum eſt quidem ſine controverſia Opus. Italica priſca verſio ſola ante S. Hieronymum olim regnans inter Latinos, & Syriaca è Græca illa expreſsæ ſunt. Originalis ſibi vindicare poteſt authoritatem, cum nulla parem vindicet ſeu vetuſtatem ſeu fidem; ambiguum eſt enim maxime, an Chaldæum S. Hieronymi Originale hujus Operis reputandum ſit. Facile enim majori præſtabat authoritate Hebræum Origeni indicatum, quod ad noſtras manus non pervenit.

Si quis originalem authoritatem adſtruxerit Textui Chaldaico, recta inde inferret, quemadmodum jam ſupra indicavi, Opus illud digeſtum fuiſſe poſt captivitatem, ex quo conjectura non levis ætatem illam pariter hiſtoriam referre. Ad hæc, nullus erat in tota ditione Rex, cujus ne verbùm quidem in univerſa hiſtoria. Omnia ad Summum Sacerdotem delata ſunt, quanquam de re agitur juris plane Regii, de bello ſcilicet gerendo, vel ſaltem de reſiſtendo potentiſſimo Imperatori, valenti Regnum omne Judæ abſorbere. Si quis reponat, Manaſſem, ſeu politico quodam temperamento, ſeu timore omnia diſſimulare maluiſſe, veluti imprudentem eorum, quæ gererentur, omnia permiſiſſe adminiſtranda Summo Sacerdoti; ille plane rem adſtruet ſupra fidem. Ad hæc, puerili quodam ludibrio Rex Chaldææ decipiendus ſuſciperetur, quaſi ſcilicet vel plane rudis ignoraret eſſe Regem in Juda, Regem, inquam, ſuo Imperio ſubjectum; vel perſuaderi potuiſſet omnia hæc geſta eo vel inſcio, vel non conſcio. Quis non reputaret futurum, ut ſi Bethuliæ res aliter quam quod eventus tulit, ceſſiſſent, Regem Babyloniæ non exacturum rationem omnium à Manaſſe, quod ſcilicet ille nunquam prodierit in ſcenam? Non ita ſane de rebus hujus momenti judicamus, nec parvo adeo molimine decipimur.

Ad hæc, Pontificem Eliacim quis nobis producat ſub Manaſſe? Catalogus Summorum Sacerdotum ſive digeſtus in Paralipomenis, ſive in Ioſepho, ſive tandem collectus è variis Scripturæ Textibus, ejus nominis Pontificem ætatiſque illius nullum profert. Paret *Helcias* ſub Ezechia; 4. Reg. 27.
Helcias alter ſub Ioſia; 4. Reg. 22. 9.

Joachim quo tempore Jeroſolyma Chaldæis hoſtibus ceſſit, Baruch 1. 7. ſed nominis Joachim vel Eliacim ſub Manaſſe ne veſtigium quidem. Accedit tamen nomen Helciæ ad Eliacim, nec de nomine non immutando religione aliqua tenentur Hebræi, quod ſibi tum maximè cenſent permiſſum, cùm vocis ſenſus parùm vel nihil variatur; cùm igitur eadem ferme ſit ſignificatio vocis Elcias, & Eliacim, plurimùm mihi quidem inculcandum id videretur, aſſerendumque, *Helciam* vel *Eliacim* ſub Manaſſe & Joſia rebus ſacris præeſſe potuiſſe.

Quod autem velut peremptorium videtur pro adjudicanda cauſa ſententiæ ætatem poſt ſolutam captivitatem Babylonicam præferenti, illud eſt, quod legitur in Græco cap. 4. 2. *Recenter aſcenderant è captivitate, & nuper omnis populus collectus fuerat Judaa; & vaſa & Altare, & domus ex pollutione fuerunt ſanctificata.* Paria narrat Achior copiarum Ammoniticarum Præfectus Judith 5. 23. Græc. 1. 18. *Exterminati ſunt praliis à multis nationibus, & plurimi eorum captivi abducti ſunt in terram non ſuam. Nuper autem reverſi ex diſperſione, qua diſperſi fuerant, adunati ſunt .... & iterum poſſident Jeruſalem, ubi ſunt ſancta eorum.* Adnotaſſe juvat poſtrema hæc verba è Vulgata deducta eſſe, ſed Græcus addit: *Et Templum Dei ipſorum factum eſt in pavimentum*, (vel pedibus conculcatum eſt) *& Civitates eorum capta ſunt ab adverſariis .... & habitarunt in montana, quoniam erat deſerta.* Fruſtra autem Textuum ejuſmodi ſenſus aliò detorqueretur, ſola enim lectio, & quæ primò ingeritur legentibus idea exhibet hiſtoriam rei poſt ſolutam captivitatem geſtæ; quæ Veterum omnium (a) & Recentiorum etiam complurium eſt (b) perſuaſio. Equidem ſi Græca tantùm authoritas ſententiam hanc præferri juberet, invidia illa facilè non careret, ſed & de Vulgatæ conſenſu fidem ipſa pariter adſtruit non indubiam; habet enim Vulgata: *Nuper reverſi, iterum poſſident Jeruſalem, ubi ſancta eorum.* Num ſatis prono ſenſu de captivitate, ferè dicam, diurna, ſub Manaſſe iſta exponerentur?

Defendunt inſuper Phraortem, quem ipſum credunt Arphaxad Judith, (c) vitam prorogaſſe ſat diu poſt Sahoſduchim, i. e. Nabuchodonoſorem Judith, quem jaculis confodiſſe Arphaxadum ipſa Judith hiſtoria refert. Obiit Sahoſduchim, juxta P. Petavium anno 4067. Periodi Julianæ; & Phraortes anno 4071. Quæ ſi vera ſint, reiiciendum eſt neceſſario præſtitutum antea à nobis ſyſtema, revocandaque hiſtoria Judith poſt Babylonicam captivitatem

Tandem ſententiæ huic firmandæ notant, Vulgatæ Textum perinde ac Græcum, præterre Judith 16. 28. 30. *Manſit* (Judith) *in domo viri ſui annos centum quinque .... In omni ſpatio vita ejus non fuit, qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem ejus annis multis.* Ponat quis ad arbitrium Judith annos egiſſe ætatis 50. cùm elegantis oris aſpectu capere oculos Holofernis tentavit; ponat inſuper ad alios 55. annos vitam prorogaſſe; quomodo demonſtraretur toto illo ſpatio 55. annorum, & *poſt mortem ejus etiam annis multis*, res Judæorum manſiſſe in tranquillo? conſtat enim ab A. M. 3347. quocum expeditio iſta Holofernis componitur, continuatam 60. annorum periodum nihil per annos ferme ſingulos tuliſſe niſi mala plurima, & malorum veluti connexam affligendis miſeris ſeriem.

Agnoſcendum eſt igitur, inquiunt illi, hiſtoriæ hujus ætatem revocari nequaquam poſſe niſi poſt captivitatem Babylonicam. Sed & inter ſententiæ hujus patronos diſſidium eſt. David Ganz hiſtoricus Judæus affirmat Vatem quendam, Scriptorem hiſtoriæ dedicationis Templi, rem hanc conſignare ſub Aſmonæis, alterum vero componendam maluiſſe cum Regno Cambyſis filii Cyri; ſed proſequitur Ganz, Sapientes ſæculi reputant, conſignandam hiſtoriam ad illud idem tempus, quo ſpectatum eſt miraculum dedicationis, i. e. miraculum multiplicati olei, ut deſinendo 8. diebus lampadarum lumini ſat fuerit. Vide ſupra *Feſtum Luminum.* Placet Euſebio hiſtoriam hanc referre ad Cambyſem, Syncello ad Xerſem, Severo Sulpicio ad Ochum, aliis ad Antiochum Epiphanem & Machabæorum ætatem.

Quæ poſterior ſententia multo faciliùs defenderetur, ſi quis admittat inſtitutum in memoriam rei geſtæ Feſtum, de quo in Vulgata quidem, ſed in Græco, Syriaco, & veteri Vulgata nihil tale legitur. Scriptores Commentariorum frequentes reputant Feſtum hoc Judith ipſum eſſe Feſtum innovati ignis ſacri atque reſtitutæ Templi dedicationis per Judam Machabæum. In hanc ſententiam concedunt cum Leone Modena Cærem. Jud. part. 3. cap. 9. Salianus, Bellarminus, Torniellus, A Lapide, Grotius &c.

Producitur in medium teſtimonium Philonis, probans Summum Sacerdotem Jeſum inſtituiſſe feſtum Judith ſub Dario Longimano. Cedo mihi Authoris verba: *Aſſuerus intra Babyloniam ſe continebat. Ad eum Jeſus Pontifex, quia Duces Syria contra Hebraos ſcripſerant, ſe contulit. Ergo quia eo anno Aſſuerus erat occupatus bello, non eſt auditus Jeſus. Victor, cum ſequente anno miſſum a ſe Holofernem à Judais truncatum audiſſet, edicto publico vetuit Templum erigi. Succeſſit Darius Longimanus. Anno ejus primo reverſus eſt Jeſus. Is anniverſariam liberationis* (Bethuliæ) *memoriam quotannis agendam inſtituit.* In eam pariter rem adducitur Calendarium Hebræum vulgatum à Sigonio de Republica Hebr. lib. 3. cap. 17. Feſtum Judith referens ad 25. Caſleu, quod recidit in feſtum dedicationis Templi, & ignis ſacri à Juda Machabæo innovati.

Sed huic Philonis nomine obtruſo teſtimonio reponitur, ſuſpectam eſſe Annii Viterbienſis, illud referentis, fidem, quippe cujus nomen inter famoſos operum Impoſtores famoſiſſimum eſt. Quare fruſtra refutandum ſuſciperetur. Calendarium Sigonii ſuſpicioſum eſt opus maxime Seldeno. Ad hæc, conſtat tempus celebrati Feſti dedicationis Templi ipſam fuiſſe diem 25. Caſleu, i. e. 25. menſis Lunaris, Novembri ferme reſpondentis; quare nihil habet affinitatis cum feſto Judith & libertatis Bethuliæ reſtitutæ, quæ ad feſta circiter menſis Septembris revocanda videntur. Tandem ſi Leo Modena & rituales quidam Judæorum Libri victoriæ Judith memoriam recolant, qua die Templi dedicationis feſtum celebratur; non inde tamen rectè inferas, eandem diem ſacram non fuiſſe Feſto liberatæ per Judith Bethuliæ. In memoriam res illa revocatur, tanquam affinitatis habens aliquid cum hiſtoria illa Judæ Machabæi. Cæteroqui autem Scriptores quidam Judæi tenent, Judith, de qua in hymnis ſcriptiſque illis precibus, ſororem fuiſſe Judæ Machabæi, quæ cùm à Nicanore Syrarum copiarum Principe deperiretur, largiori inebriatum vino hominem obtruncavit. Commenta hæc reputamus; ſed commenta tamen, quæ Judæis nonnullis perinde habentur ac veritate ſancta.

Si quis ergo defendendam maluerit veritatem feſti inſtituti in memoriam relatæ à Judith de Holoferne victoriæ, ſimulque conſtituat hiſtoriæ hujus ætatem ad tempus ante captivitatem Babylonicam, illi inique reputandum, Judæos longiſſima ætate ab eo celebrando ceſſaſſe, vel ſacram huic ab antiquo diem in aliam transtuliſſe; in aliam ſcilicet eandemque, qua ſimul memoria recoleretur dedicati Templi à Juda Machabæo.

(a) Euſeb. Chronic. Auguſt. ... lib. 18. cap. 16. Sulpic. Sever. lib. 2. Syncell.
(b) Six. Senen. Dionyſ. C... Natal. Alex. Eſtiuſ.
(c) Vide Baſnag. Antiqu... pag. 255. 256. cap. 19. art. 18. 19.

Mundi loco, nec immerito, reputatur manum illam hominum in modica Urbe Bethulia reclnſam, manum, inquam, illam hominum, quando etiam Judæi omnes tunc in Provincia verſantes eo accurriſſent, id commiſiſſe, ut Holoferni & univerſæ Aſſyriorum potentiæ reſiſtere auderet: ſed revocandum eſt in mentem decreviſſe Nabuchodonoſorem non tantùm redigere ad imperium gentes omnes Tranſeuphratæas; ſed & ſubjectos cogere, ut ſibi cultum & venerationem tanquam unico & ſingulari Numini impenderent: Judith 3. 11. *Præceperat illi Nabuchodonoſor Rex, ut omnes Deos terræ exterminaret, videlicet ut ipſe ſolus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubjugari*. Et cap. 5. 29. *Principes etiam exercitus Holofernis, poſtquam ſermonem Achior auſcultaſſent, mutuo ſe adhortabantur inferre contra Bethuliam arma. Ut ſciat omnis gens, quoniam Nabuchodonoſor Deus terræ eſt, & præter ipſum alius non eſt*. Sanctum id erat & ſolemne Regibus Perſidis, ut divinos ſibi honores à ſubjectis gentibus exigerent: *Perſæ non piè tantùm, ſed etiam prudenter Reges ſuos inter Deos coluere; majeſtatem enim imperii ſalutis eſſe tutelam*, ait Cleon apud Curtium lib. 6.

Non eſt igitur, cur miremur, ſi impio huic & ſtulto Regi ejus Ducis conſilio reſiſtendum ſibi propoſuerint Hebræi; neque enim abſque crimine, & inſigni in Religionem ſuam illata injuria, ut imperata facerent, acquieſcere potuiſſent; meritoque ſibi in tanta rerum anguſtia de ope à Deo præſtanda ſpondebant. Quando verò, ita diſponente Numine, ſuccubuiſſent, id utique in gloriam illorum, decus, & compendium ceſſiſſet.)

JULIA, mulier Romana, quam quidam Philologi, cujus Paulus in Epiſtola ad Romanos meminit, uxorem putant. *Orig. in Rom. 16. 15.* An *Julia* mulier, an vir fuerit, ſunt, qui ambigant. *Rom. 16. 15.*

JULIANUS. Marcus Antonius Julianus, Judææ Præſes anno Chr. 70. Vide v. *Marcus Antonius Julianus.*

JULIAS, aliter *Livias*; Joſephus enim Imperatricem *Liviam* Auguſti uxorem ut plurimum *Juliam* appellat. Binæ in Judæa urbes Juliades, quarum alteram, ab Herode Antipa ad Lacum Tiberiadis, propè Jordanis fauces conditam *Bethſaidam* vocant. Bethſaida tantum ab Evangelio dicitur, noſque in Gaulanitide (a) ultra Jordanem locatam credimus (b). Alteram verò ad mare Mortuum prope fauces Jordanis eodem in loco, quo olim *Betharan*, ſeu *Betharamphta* (c) ſita fuerat, extructam, Herodes, cognomento Philippus, à ſe deinde adauctam Juliadem appellavit.

JULIUS, Cohortis Auguſti Centurio, qui Paulum à Præſide Judææ Feſto, ut Romam ad Cæſarem, ad quem appellaverat, perduceret, ſibi commiſſum comiter accepit, & Alexandriæ, quo uterque pervenerant, in alteram navim Romam navigantem tranſtulit. Vid. *Act.* 27. 1. &c.

(JULIUS CÆSAR. Nomen Cæſar in communem tranſiit Romanorum Imperatorum appellationem, poſtquam Julius Cæſar Reipublicæ Romanæ ſtatum ex Ariſtocratico in Monarchicum tranſtulit. *Cæſarum* ſæpè meminit Scriptura, ſed raró peculiare ſingulorum nomen addit: *Licet ne tributum dare Cæſari?* regnabat tunc Tiberius. S. Paulus Act. 25. 11. 12. *Cæſarem appello; Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis*; ad Neronem ſcilicet. Et ad Philipp. 4. 22. *Salutant vos, qui de Cæſaris domo ſunt*; nempe de Neronis domo. Meminit S. Lucas 2. 1. *Cæſaris Auguſti*; *Tiberii Cæſaris* 3. 1. & *Claudii Cæſaris*. Act. 11. 28.

Julius Cæſar ſeu C. *Julius Cæſar* Romanorum Imperatorum primus, cujus ut res geſtas liberemus in hoc Opere nihil eſt, niſi quantum rebus Judaicis & hiſtoriæ Sacræ aliquid habet commune. Itaque non totam ejus hiſtoriam hic referemus, ſed ea tantùm, quæ cum rebus Judaicis connexa ſunt. Natus eſt ex Lucio Cæſare & Aurelia filia Cottæ anno V. C. 654. Mundi 3906. ante Jeſum Chriſtum 98. Sexto & decimo ætatis anno agenti obiit pater; vertente anno deſignatus fuit in Pontificem Jovis. Necem ejus ſtatuerat Sylla Dictator; nec aliter præſentiſſimum diſcrimen evitavit Cæſar, quàm celando ſeſe, atque corruptis viris ad ſe capiendum miſſis pecunia. Veniam tandem, deprecantibus amicis, impetravit à Sylla. Simul autem ille ceu oraculo prænunciavit futurum, ut juvenis ille Rempublicam perderet.

Poſt obita alterum poſt alterum munia Tribuni, Quæſtoris, Ædilis, Summi Pontificis, Prætoris ſeu Præfecti Hiſpaniæ, pervenit tandem ad Conſulatum anno V. C. 695. Mundi 3947 ante J. C. 57. & cum præfecturam Galliæ gereret, reduxit illam in Provinciam, poſtquam totam latè regionem ſubegiſſet ſpatio 9. vel 10. annorum, quandiu dignitatem retinuit. Inter hæc Julia ejus filia diem clauſit, qua ſimul extincta eſt inter Cæſarem & Pompejum generum ſuum ſponſum Juliæ amicitia; neque enim dominum patiebatur Cæſaris indoles, nec ſocium Pompejus: ex quo mutuæ utrinque ſimultates. Pompejus Romæ verſans poſtulata Cæſaris abſentis omnia interrumpebat; & Cæſar ea de re furens, rediit in Italiam cum victricibus copiis (d), tantoque adverſarios ſuos affecit terrore, ut poſt diſpoſitas Italiæ res fuga omnes ſaluti ſuæ conſuluerint.

Ariſtobulum Judææ Regem reſtitutum libertati (e) miſit ad propria, duabus adjutum legionibus, rebus ſuis qua in Provincia, qua in proxima Syria, Phœnicia, & Arabia defendendis. Sed Pompejani clam propinato veneno iter habentem illum peremerunt. Inter hæc Alexander filius Ariſtobuli copias legebat in Syria, quas patri ſuo, ejus enim opperiebatur adventum, jungeret. Sed Pompejus certior ea de re factus verſanti in Syria Scipioni necem ejus injunxit, quod ſtatim executioni mandatum eſt. Contulit ſe interea in Hiſpanias Cæſar, ubi exercitum Pompeii, quem tres ejus Duces regebant, fregit, diſſipavitque. Reſtituit ſe dein Romam, tum venit in Macedoniam, ubi Pharſalicam de Pompejo victoriam reportavit (f).

Fugienti hoſti gravis inſtitit Alexandriam uſque, ubi nuncio de ejus nece accepto, arma ſua vertit in Ptolomæum Regem Ægypti. Dum hæc gererentur, contigit, ut recluſus Cæſar cum ſuis intra mœnia Alexandriæ totam ſuſtinere cogeretur vim armorum Ægyptiorum. Quare expediendo ſe ab illis anguſtiis Mithridatem in Syriam & Ciliciam miſit ad auxilia comparanda. Antipater Herodis Magni pater, cujus erat curæ Hircanus Princeps & Summus Sacerdos commiſſus, Principi illi & aliis nonnullis è proxima Arabia author incentorque fuit, ut auxiliis Cæſarem juvarent (g). Nec ipſe ſegnis in Ægyptum venit cum 3000. quos adductis à Mitridate copiis junxit. Ambo illi Duces Peluſium tentarunt armis, redegeruntque in poteſtatem. Cujus rei decus omne regeſtum eſt in Antipatrum, qui primus per everſa mœnia ſucceſſit in Urbem. Tum iter ſuum proſecuti venerunt Alexandriam, ubi Antipater, qua fama nominis ſui, qua patentibus Hircani literis adeo valuit apud Judæos regionis Onion, ut darent viam tranſeuntibus, & ipſos ſe adderent Cæſarianis. Horum exemplum ſecuti ſunt Judæi Mempheos. Ptolomæus in Mithridatem & Antipatrum evulſum è reliquo exercitu agmen miſit, ut tranſitum Nili prohiberet; ſed Regis copiæ commiſſo prælio ceſſerunt. Accurrit poſt hæc Ptolomæus ipſe cum robore exercitus; in-

(a) Vide Plin. l. 5. c. 14. & 15. & Joſeph. l. 2. de Bello c. 8. & l. 3. c. 2.
(b) Vide v. Bethſaide.
(c) Vid. Joſeph. Ant. l. 18. c. 3. & l. 2. de Bel. Judaic.
(d) A. V. C. 705. M. 3957. ante J. C. 47.
(e) Antiquit. lib. 14. cap. 13. Dio. Caſſ. lib. 41.
(f) A. V. C. 706. M. 3958. ante C. 46.
(g) Antiqu. lib. 14. cap. 14. 15.

inſecutus eſt illum Cæſar, conſertiſque inter duas acies manibus, plena adeo victoria ceſſit Romanis, ut totam pariter Ægyptum illis vindicaret.

Opportunum adeò & ingens acceptum beneficium ab Antipatro nunquam à mente excidere ſibi Cæſar permiſit. Antequam Alexandria moveret, rata haberi voluit & firma jura omnia Hebræorum in Ægypto, quæ in erecta ad id columna una cum decreto hoc ſuo ſculpi mandavit (a). Iter habenti per Palæſtinam obviam factus eſt Antigonus filius Ariſtobuli Regis; qui accidens ad Principis pedes, necem patris & fratris ſui ingemuit potiùs, quam expoſuit: exhibebat ſub oculis veneno ſublatum patrem, obtruncatum alium Antiochiæ, non alterius criminis reos, quàm quod ejus partibus faviſſent; rogabat, ut in Regnum patris ipſe filius reſtitueretur. Tum vertit ſe ad querelas in Antipatrum & Hircanum, penes quos ſumma in Judæa poteſtas erat. Sed Antipater in Cæſaris adhuc comitatu verſans cauſam ſuam & Hircani egregiè adeò defendit, ut Cæſar occluſis ad accuſationes Antigoni auribus, mandarit Hircano, retineret apud ſe ſacram ſimul & politicam Judæorum dignitatem, receptamque transfunderet in poſteros; Antipater verò procuraret Judæam ab Hircano ſecundus. Decretum ea de re ſuum Græcè & Latinè ſcriptum inſculpi juſſit in tabulis æneis tranſmittendis Romam in Capitolio; ac tum collocari alia pariter Exemplaria mandavit in Templis Tyri, Sidonis, & Aſcalonis in Phœnicia.

Aliquot poſt annos (b) in quinto & poſtremo Conſulatu (c) Cæſar roganti Hircano, animumque Principis impellentibus, quæ ab ipſo retulerat in Ægypto & Syria, commodis, permiſit, ut dejecta olim à Pompejo Jeroſolymæ mœnia reſtituerentur. Decretum ea de re Romæ datum eſt, quo vix delato Jeroſolymam, ſtatim Antipater manum adiecit operi, ſtatimque pariter priſtinæ Urbis munitiones omnes reparatæ ſunt. Nec diù poſt Cæſar è vivis ſublatus eſt die 15. Martii A. M. 3960. ante J. C. 40. ante Æram 44.)

JULUS. Soudeæ Pontificis ſucceſſorem, poſt quem Jotham Pontificatum geſſit, Julum Joſephus *Antiq. l.* 10. *c.* 9. appellat; cùm verò nullibi Juli mentio in Scriptura, hujus Pontificis verum Hebræum nomen ignoramus.

JUNIA, ſeu juxtà quædam Exemplaria Julia. Hujus unà cum Andronico meminit Paulus *apud Rom.* 16. 7. *Salutate Andronicum, & Juniam, cognatos, & concaptivos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis.* Quibus poſtremis verbis, *qui ſunt nobiles in Apoſtolis*, Recentiores plurimi ducti, *Juniam* æquè ac Andronicum, virum dixere (d). D. tamen Chryſoſtomus, Theophylactus, aliique, Andronicum virum ſtatuunt, Juniam verò mulierem, & fortè ejuſdem Andronici uxorem. Græci & Latini eorum diem feſtam Maii decimam ſeptimam habent, eorumque veluti Conjugum meminere.

JUPITER. Poſt Magnum Alexandrum, ejuſque in Aſia ſucceſſores, ſolummodò Jovis nomen Judæi agnovere. Antiochus Epiphanes *Jovem Olympium* in Templo Jeroſolymitano, & in Templo montis Garizim *Jovem Hoſpitalem* erexit 2. *Mach.* 6. 2. D. Paulus & D. Barnabas in urbe Lycaoniæ, quam Lyſtras appellant, Dii crediti ſunt, quòd extemplo à nativitate claudum incolumitate donaverint. Paulus, Mercurius; Barnabas habitus eſt Jupiter, fortè quòd ille eloquens, quòd hic eſſet formoſus. *Act.* 14. 11. V. infra v. *Olympias. Iupiter Olympias.*

(Iupiter filius Saturni & Rheæ vel Opis, frater gemellus Junonis, quam & ſibi adſcivit in ſponſam. Natum puerum occultavit mater, nequid de illo ſubodoraretur Saturnus; ex pacto enim convento inter ipſum ac fratrem ejus Titanum mares omnes e Saturno naſcituri interitui deſtinabantur. Nutriendus infans Curetibus in ſpecu montis Idæ datus eſt, & è capella Amalthæa lac ſuxit. Temporis ſucceſſu patrem ſuum è Cælo depulit, & imperium Mundi cum fratribus partitus eſt. Ceſſit Jovi Cælum & Terra; Neptuno Mare & Aquæ; Plutoni Inferna. Sub fabellarum ejuſmodi ambagibus latere hiſtoriam Noemi ac trium filiorum ipſius, Cham, Sem, & Japheth, vulgò creditum eſt. Quo in ſyſtemate Saturnus refert Noemum, ante cujus oculos diluvii aquis ſubmerſi ſunt homines, & illos quodammodo Noemus ipſe abſorbuit, cùm illos recepit in Arcam ſibi & familiæ ſuæ reſervandæ conditam (e). Jupiter ipſe eſt Cham, Neptunus Japheth, Pluto Sem. Fuſiùs ea de re aliàs.

Jovem è throno deturbare, quemadmodum & antea Saturnum extruſerant, conati ſunt Titanes; Gigantes ſcilicet è Cælo Terraque nati. Quare indicto in Jovem bello, in Cælum evadere ſuperinductis altero alteri montibus tentarunt: ſed fruſtra omnia. Namque fulminibus ſuperba capita percuſſit Superum Rex ille, deturbatoſque ad imas detruſit aquarum occultas foveas, quas impoſitis ſupra montibus obſtruxit. Sub illo Titanum emblemate agnoſcas veteres Gigantes Babelicam ſubſtructionem aggredientes, quorum auſum temerarium repreſſit Deus, immiſſa idiomatum confuſione, atque unitate conſiliorum in diſcordiam verſa.

Nomina illa *Jupiter*, vel *Jovis-Pater*, non malè repetas ex *Jehovah*, addita Latina terminatione, ut ſit *Jovis* pro *Jova*. Porrò *Jovis* in recto, quemadmodum in obliquis legitur; e. g. in nummis eſt *Jovis Cuſtos*, *Jovis Propugnator*, *Jovis Stator* Additum eſt *Pater*, & pro eo quod ſcriberetur *Jovis Pater*, compendii gratia factum eſt *Jupiter*. Sicut autem *Jehovah* vel *Jova* genuinum eſt Dei nomen, incommunicabile, quis ſit ille natura exprimens, nempè non adicititio, ſed peculiari titulo & eximia inſitæ dotis prærogativa Deus, alius planè à Diis aliis, Angelis ſcilicet, Principibus, Judicibus, eo interdum appellatis vocabulo, quòd Dei nomine agerent, & communicatam ſibi ab illo authoritatem exercerent; ſicut, inquam, is fuit *Jehovah* Hebræis, ità pariter & Paganorum moribus receptum eſt, ut potiſſimum inter Deos Numen *Jovis* appellaretur, quo ſuprema ejus authoritas & imperium expreſſum eſt. Indè perſuaſio aſſerentium *Jovem* ipſiſſimum eſſe *Baal* Phœnicum, *Belum* Aſſyriorum & Babyloniorum, *Zeas* Græcorum, *Moloch* Ammonitarum, & *Maranam* Gazenſium. Tandem nomine Jovis expreſſam Naturam colebant Veteres.

Veteres Eccleſiæ Patres contra Paganos tuebantur Jovem purum putumque hominem fuiſſe in Creta natum. Quos Theologos appellamus, ait Cicero de Nat. Deor. l. 2. Joves diſtinguunt tres: primum & alterum natos ferunt in Arcadia: *Tertium Cretenſem Saturni filium, cujus in illa Inſula ſepulchrum oſtenditur.* Ejus Inſulæ Rex fertur: quin nec unum tantùm ſed & alterum ejuſdem nominis Principem ibidem conſtituunt; cùm ſanè omnia, quæ de Jove narrantur, duos meliùs, quam unum occupent. E. g. conſtat Jovem, quem Curetes puerum nutrierunt, alterum eſſe planè à Jove raptore Europæ filiæ Agenoris Regis Phœniciæ, viri pluribus ſæculis Jove recentioris. Varro, authore Tertulliano, ad trecentos Joves recenſebat. Quam facilè ſummam collegit ille è variis Jovis epithetis, ex variis, ubi colebatur, locis; conſtat enim cognominibus planè infinitis diſtinctum Numen fuiſſe. Aquila ſacra erat illi avis peculiariter, pingebatur autem ſtringens unguibus fulmen Jovis.

JURGATIO. Hominem, qui caſu tranſiens per viam miſcet ſe ignotorum querelis, illi comparat Salomon Prov. 26. 17. qui canem manibus apprehendere tentans morſui incautus ſeſe opponit. Prono id exemplo quotidie ſpectatur in ſimilibus rerum eventibus; qui enim rixantes ad pacem componere tentant,

(a) Antiq. lib. 4. cap. 17. contra Appion. lib. 2. (b) A. M. 3960. ante C. 44. (c) Antiq. lib. 14. cap. 17.
(d) Plerique ad Ep. in Rom. 16. 17. Menoch. Tir. Hamm. Vid. & Theoduret. in Rom. (e) Lactant. lib. 1. c. 13. de falſa Relig. *Nunc idcircò, quod ait vulgus, comediſſe filios ſuos eum, qui extulerit, ſepulturæque mandaverit.*

ſæpe furorem illorum acuunt, nec ſibi aliud pro merito operis obtinent, quàm iras utriuſque. Nec inde tamen inferas nunquam ponendam eſſe à nobis operam, ut rixantes conciliemus, ſed prudentia multa, diſcretione, & charitate eſt opus; metu, ne vulnus malè tractatum recrudeſcat.

JUSJURANDUM. Falſum *Levit.* 19. 12. & inde juramentum Deus prohibet; *Exod.* 20. 1. cum vero id neceſſitas poſtulet, neque per exterorum Deos, *Exod.* 23. 13. neque per res terreſtres, atque inanimes, neque per Cœlum, & ſydera, aut cujuslibet vitam, ſed tantùm per ſe, ſuumque Nomen *Deut.* 6. 13. *& Jerem.* 4. 2. jurare jubet. Chriſtus Dominus, qui non Legem perdere, ſed implere venerat, omnia juramenta interdicit, *Matth.* 5. 33. à quibus ea propter recentiores Eccleſiæ Fideles, Tertulliano, Euſebio, Chryſoſtomo, Baſilio, & Hieronymo &c. teſtibus, omninò abſtinebant. Fatemur tamen, neque Apoſtolos, neque Patres omnia prorsùs juramenta improbaſſe; quandoque enim contingit, ut eadem neceſſario adhibeantur: quòd utique vel quammaxima niſi neceſſitas urgeat, vel utilitas poſtulet, præſtandum non eſt. Nobis ita frugi vivendum, ut ipſa verba veluti juramenta habeantur, neque niſi juſtitia & veritate comite jurandum (a).

JUSTUS. Nomen hominis. *Joſeph*, cognomine *Barſabas*, qui unà cum D. Matthia, ut eorum alter proditori Judæ ſufficeretur, ſelectus fuerat *Act.* 1. 33. *Juſtus* appellabatur (b).

JUSTUS, Judæus, aliter *Jeſus*, & cognomento *Juſtus*, qui una cum Paulo Romæ degebat an. 62., quo & Paulus Epiſtolam ſcripſit ad Coloſſenſes 4. 20. qua Jeſu Juſti & Joannis Marci meminit, eoſque tunc ſolos ſui adjutores appellat.

JUSTUS. *Titus Juſtus*, Gentilis quidem, ſed timens Deum, *Act.* 18. 7. Pauli hoſpes in urbe Corinthi (c), quem D. Chryſoſtomus, *in Ep. ad Tit. hom.* 1. *p.* 619. & Grotius *in Ep. ad Tit.* eumdem putant ac *Titum*, ad quem D. Paulus Epiſtolam ſcripſit. Plurimi tamen oppoſito favent.

JUSTUM. *Juſtitia* appellativo ſenſu. *Juſtitia* ut plurimum probitatem, æquitatem, virtutem quæ cuique debita tribuit, ſæpè etiam virtutem, & pietatem, generatim ſignificat; denique virtutum omnium, quæ hominem probum conſtituunt, collectionem. (d) 2. *Juſtitia* interdum eam virtutem ſonat, quæ Miſericordiam avertens, injurias Deo illatas acriùs ulciſcitur. 3. Interdum etiam Clementiam deſignat, Miſericordiam, & veniam, quam Deus peccatoribus indulget, cujuſmodi ſæpè apud Iſaiam (e). Quandoque hominem mitem, clementem, facilem inducit (f). Sic de Joſepho D. Matthæus (g): *Joſeph cum eſſet Juſtus, nolens Mariam traducere: ignominia afficere, in jus trahere, &c.* 4. Quandoque Juſtitiæ nomine eleemoſyna venit. *Peccata tua eleemoſynis (Hebr. juſtitia) redime*, monuit Nabuchodonoſorem Daniel (h). 5. Ea deſignatur Juſtitia, qua nos Deus calamitatibus eripit, & noſtram de noſtris hoſtibus vindictam repetit. *Elongatum eſt judicium à nobis, & non apprehendet nos Juſtitia. Iſ.* 59. 9. Deum noſtri levamen, & hoſtium ultorem opperimur; calamitatibus tamen minimè liberamur. 6. *Facere judicium, & juſtitiam*, eſt omnia, quæ Deo & proximis debemus, implere; juſtitiam præcipuè & æquitatem omnibus exhibere deſignat. 7 *Aliquem juſtificare*, aliquem juſtum denunciare, & abſolvere ſæpè valet. Deus Judicem condemnat, qui juſtificat impium *Prov.* 17. 15. *Iſ.* 5. 23. *Juſtificare* ſonat etiam erudire, & juſtitiæ vias edocere. *Iſ.* 5. 53. 11. *Dan.* 12. 3. *Juſtificare* demum aſſumitur ad perhibendum, aliquem paucioribus, quam nos, eſſe vitiis obnoxium. Jeruſalem ſuis flagitiis Samariam, & Sodomam juſtificavit; *Ezech.* 16. 51. *&c.* nempe iis urbibus ſcelere & malitia præſtitit.

IXION, avis, quam Moyſes inter immundas enumerat *Deut.* 14. 13. Species eſt Vulturis albi, cujus viſus acutiſſimus. Hebræam vocem, quam hic *ixionem*, in Levitico 11. 14. *milvum* Hieronymus vertit. Hebræa autem vox eſt *raah*, ſeù *daah*. Amanuenſes reſch cum daleth confundentes, in Deuteronomio *raah*, & *daah* in Levitico tranſcripſere.

IZATES, Adiabenorum Rex, de quo ſæpè Joſephus, (i) quemque Oroſius (k) Chriſtianæ Fidei, Joſephus verò Judaiſmo nomen dediſſe refert. Monobazum patrem, Helenam Monobazi ſororem una & uxorem, matrem habuit. A patre præ cæteris dilectus, quod ei fratrum invidiam timeret, ad Abennerichum Regem Caraxſpaſini ad Tigrim in Sinus Perſici finibus, miſſus fuit; ubi per Judæum, Ananiam nomine, veri Dei cultum edoctus, & aliquantò poſt Provinciæ Armeniæ *Karon*, in qua Arcæ Noe reliquiæ aſſervantur, a patre præfectus, patre tandem mortuo, Adiabenam reverſus eſt, & à Monobazo fratre, qui de matris induſtria diadema abſenti ſervaverat, Regnum accepit.

Judaiſmum, quem maxime diligebat, quemve & mater, ab Judæo altero inſtructa, amplexa fuerat, publicè profiteri appetens, circumcidi petierat; de matris tamen, & Ananiæ conſilio, quod rem periculi plenam ducerent, aliquandiù abſtinuit. Cùm verò Moyſis librum quadam die evolvens, in alium Judæum incidiſſet, ab eo territus, quòd Legi injuriam inferret, ni imperata præſtaret, illicò circumciſione initiari voluit, & Ananiæ, matrique acciris ſe circumciſum aperuit. Ea res nil calamitatis Izati attulit, qui pacatis omnino rebus Regnum optimè geſſit. Fratres deinde, ejuſque etiam cognatos Judaiſmum amplexos ægrè tulerunt Regni Optimates; à quibus potentiſſimi hoſtes concitati bellum ipſi denunciarunt circa Ann. Ær. 50. quo tamen ſemper victor evaſit. Annos denique 55. natus, poſtquam annis 24. imperaverat, vitam abſolvit (l), & Monobazo filio (m) Regnum legavit. Ejus oſſa Jeroſolymam delata, unà cum matre in ſplendido ſepulchro, quod ipſa mater prope eam urbem extruxerat, condita fuere (n) Cùm Titus Jeroſolymam oppugnaret, Izatis filiis & fratribus ſibi ſupplicantibus vitam indulſit, An. Ch. 70. Vide Joſeph. de Bello l. 7. c. 13.

K

K Litera Hebræo Koph, & quandoque Caph reſpondet, cujus in Vernacula Lingua nullus, præterquam ad extraneas voces exprimendas, eſt uſus. Quæ ſub hac litera non invenies, quære ſub litera C.

KABALA, Traditio. Vide *Cabala*.

KADESH. Vide *Cades*.

KADUMIM. V. *Cadumim*, Torrens Cadumim.

KALENDÆ, prima menſis dies. Nullæ Græcis Kalendæ; ex quo proverbium: *Græcæ Kalendæ*: ignotum & incertum tempus. Hebræis prima menſis dies quibuſdam cæremoniis, quas v. *Neomenia* explicabimus, ſolemnis erat. Verſionum Bibliorum Scriptores indiſcriminatim vel *Kalendas*, vel *Neomeniam* ponunt, ut primam menſis diem

(a) Vide D. Auguſt. Ep. 157. n. 40. & Commentar. in Matth 5. 33. (b) Vide v. Joſeph. & Barſabas. (c) Circa Ann. 53.
(d) Vide Ezech 18. 5. &c. (e) Iſ. 41. 10. & 42. 6. & 45. 8. & 46. 2. & 61. 10. Vide & Pſ. 50. 16. & 142. 1. &c.
(f) Pſal. 50. 16. & 142. 1. Eccl. 7. 17. Rom. 3 25. &c.
(g) Matth. 1. 19. Vide Grot. Druſ. Hamm. Pricæ. Camerar. Cinactebul. Toynard. Martianay: Gatak. ad Matth. 1. 19. &c.
(h) Daniel. 4. 24. Vide Prov. 21. 26. & 11. 18. & paſſim.
(i) Ant. l. 20. c. 2. & l. 6. c. 36. de Bello.
(k) Oroſ. l. 7. c. 6. qui & Helenam Izatis Matrem Chriſti Fidem amplexam aſſerit. (l) Ad ſummum An. Ch. 61.
(m) Joſeph. Ant. l. 20. c. 2. prope finem aſſerit, Izatem Fratri Monobazo Regnum reliquiſſe.
(n) Vide v. Helena.

diem ſignificent. *Neomenia* Græcè idem eſt, ac *Kalendæ*.

KANNA, ſive *Canna*, Latinè *Calamus*, Hebræorum menſura, pedes decem, & tres pollices continens. Vide *Calamus*.

KARAITÆ, Judæorum ſecta, Textui, & literali Scripturæ ſenſui protsùs adhærentes, Rabbaniſtis contrarii, qui Veterum traditiones ſectantur. Vide *Caraitæ*.

(KARIATH-SEPHER. Vide *Cariath-Sepher*, Urbs Librorum, aliter appellata *Dabir* in plaga meridionali Tribus Juda.)

KASIB, ſive *Kasbi*, urbs Tribus Judæ. *Gen.* 38. 5. Vide *Caſib*.

(KASIDÆI. Vide Aſſidæi & 1. Machab. 7. 13. & Pſal. 78. 3.)

KEDAR. Pater Kedarenorum, in Arabia Deſerta. Vide *Cedar*.

(KEDEM. Vox eſt Hebræa interdum recurrens in Scriptura, reddita plerumque Oriens. Legimus e. g. Geneſis 11. t. 2. filios Noe unius ejuſdemque ſermonis vinculo junctos, *cum proficiſcerentur de Oriente, veniſſe in campum Sennahar*. Plura hic ambigua, namque campus Sennahar Occidentalis planè non eſt Armeniæ, ubi conſtitiſſe Arcam ſat ſcimus: nec Armenia Orientalis eſt Babyloniæ (ubi Sennahar); quin potiùs ad Boream ejus regionis ſitam fuiſſe ignorat nemo. Ut expediant ſeſe interpretes & Commentatores, varias Textus hujus expoſitiones procuderunt. Maluerunt nonnulli (a), nomine *Kedem* deſignari regionem, frequentatam deinde à *Kedma*, filio poſtremo natu Iſmaelis (b). Eſt alius *Kedem* poſitum pro *ab exordio*, quaſi ſcilicet inſinuarit Moyſes ea voce primos illos homines poſt diluvium moviſſe ſe è loco, ut per varias diffunderentur regiones. Aliis probatur, Moyſem locutum fuiſſe pro more Aſſyriorum, qui communi *Kedem* vel Orientis nomine deſignant Imperii ſui provincias omnes ultra Tigrim (c); ſicut & Occidentem vel *Arab* dicunt, quidquid ſitum eſt cis amnem. Druſius pro eo quod vertat *profecti ſunt de Oriente*, reddendum cenſuit *profecti ſunt, ut irent Orientem versùs*. Affert paris expoſitionis Textus alios, ut ſuam hanc probet: violentam eſſe tamen negabit nemo.

Intelligere nobis videmur ex pluribus collectis Veteris, quin & Novi etiam Teſtamenti Textibus, ſolemne fuiſſe ſacris Authoribus, ut nomine *Kedem* vel Orientis deſignarent Provincias omnes trans Euphratem & Tigrim, vel Meſopotamiam pariter, Armeniam, & Perſidem. Moyſes in Ægypto nutritus, qui pariter & in Arabia diu vixerat, ejus facilè regionis mores retinuit. Conſtat utique, Babyloniam, Chaldæam, Suſianam, Perſidem, & Meſopotamiæ portionem, ſicut & amnes Euphratem & Tigridem pro majori curſus ſui parte Orientales eſſe Palæſtinæ, Ægypti, & Arabiæ.

Conſtat etiam gentes, quæcunque venirent ex Armenia, Syria, Media & Meſopotamia ſuperiori, Palæſtinæ & Ægypti fines ingredi ab Oriente. Satis hæc Hebræis, ut ſcriberent gentes illas omnes ſibi fuiſſe Orientales. Demonſtramus inſuper eas regiones innotuiſſe Hebræis ſub Orientis nomine ex illo Num. 23. 7. ubi Balaam accitus dicitur à Balac Rege Moabab *de montibus Orientis*, i. e. de Pethor ad Euphratem. Legimus Iſaiæ 41. 2. Abrahamum veniſſe ex Oriente in Chanaanitidem: moviſſe autem è Meſopotamia & Chaldæa quis ignorat? Idem Propheta 46. 11. habet Cyrum ex Oriente infeſta arma laturum in Babyloniam. Ac tandem idem ipſe Propheta 9. 12. Syriam conſtituit Orientalem Judææ. Daniel 11. 44. narrat, Antiochum fauciatum fuiſſe animo ex accepto defectionis Provinciarum Orientis nuncio; i. e. Provinciarum trans Euphratem. Scribit S. Matthæus 2. 1. Magos adoratum veniſſe Jeſum Chriſtum è partibus Orientis.

Demonſtratum hiſce arbitror, quod mihi ſuſceperam probandum, Scripturæ nempe ſtylo poni ſæpè Orientem pro regionibus ad ſeptemtrionem Judææ & Ægypti, è quibus tamen Palæſtina non petitur niſi per viam Damaſci, quæ Urbs eſt ad Orientem ſeptemtrionalem hujus regionis.

KEDMA. Vide *Cedma* è filiis Iſmael.)

KEDRON. Torrens *Kedron*. Vide *Cedron*.

KEPHA, *Kaipha*, ſive *Keipha*, vel *Hepha*, urbs, ad radices Carmeli montis ſita, ad ſeptemtrionem, è Regione Ptolemaidis. *Sycaminon* etiam dicitur, urbs ſcilicet ficulnearum. Vide *Cepha*, vel *Sycaminon*.

KEREM. V. *Cherem*, Anathema, ſive Excommunicatio. Vox hæc non per k, ſed per *Ch.* ſcribenda eſt.

(KERMES. Vide *Vermiculus*.)

KESITA. Vox hæc in Geneſi (d), & in Job. 42. 11. legitur; & oves, ſive agni vertitur. Ita Jacob centum agnis campum emit, in quo tentoria fixit; & quiſque ex cognatis, & amicis Jobi poſt illius valetudinem, illi agnum ſive ovem dono dedit. Plerique tamen Rabbini, & recentiores Interpretes, *Keſitha* monetæ genus ſignificare arbitrantur; nam, inquiunt, ovis donum amicorum, & cognatorum liberalitate indignum, Jobique neceſſitati, ejuſque, & eorum generi minimè congruum videbatur. At eadem ne dici non poſſent, ſi *Keſitha* monetam, præſertim non aurcam, nec magni pretii (ſunt enim qui minimam dicant) ſignificare aſſeratur? (e) Bochartus, & Eugubinus credunt, Septuaginta pro *agnis* minas legere; Græcè *Hecaton mnon*, pro *Hecaton amnon*. Mina 60. ſiclis Hebraicis, ſcilicet 97. libris, ſolidis ſex, denariis decem reſpondebat. Cl. Le Pelletier Rothomagenſis credit, *Keſitha* monetam fuiſſe Perſicam, hinc ſagittario (*Keſitha*, ſive *Keſeth* Hebraicè arcum ſignificat), inde agno ſignatam; aurea inſuper ſub Darici nomine toto Oriente notiſſimam, quæque libras 12. ſolidos decem æquat. Eruditi aliquot valore *Keſita* non expreſſo, argenteum nummum ove ſignatum fuiſſe dicunt; ex quo Septuaginta, & Vulgata ovem reddidere. Nos auri, argentique burſam opinamur, quæ pecuniæ ſumma adhuc in Orientalium computis viget. Burſa apud Perſas 50. Tomanos continet, ſcilicet 2500. nummos, quorum ſinguli 18. ſolidis noſtratibus reſpondent. *Kiſta* Chaldaicè menſuram, vas ſonat; eamdemque Euſtathius menſuram eſſe Perlarum aſſerit. Jonathan, & Targum Jeroſolymitanum vocem *Keſitha*, margaritam vertunt. (f).

KIBERATH HARETZ, vox (g), quam S. Hieronymus in Geneſi vertit; *verno tempore*; in Regibus, *electo terræ tempore*; Septuaginta vocem Hebræam *Chaphrata* ſervant, & *Hippodromo* addont; innuentes fortaſſe, vocem *Kiberat-haretz* ſpatium ſignificare, quod equus in *Hippodromo* percurrebat, duo ſcilicet ſtadia, & 300. paſſus. Aquila vertit, *ſecus viam*; alii (h), jugerum terræ; alii, iter, quod à prandio ad cœnam confici poterat. Nos vocem *Kiberath* ex Hebræo *Karab*, ſive *Kabar*, labore, deducimus; & *Kiberath-haretz* terræ tractum, quem duo boves una die arant, ſignificare cenſemus. Tractus iſte 120. pedes in longum abſolvit; & jugerum bis hanc longitudinem exæquat. *Jugum vocabatur*, ait Plinius *l.* 18. *c.* 3. *quod uno jugo boum in die arari poſſet*.

(a) Capel. apud Bochart. Phaleg. l. 1. c. 7. (b) Gen. 25. 11.
(c) Bochart. loc. cit. (d) Gen. 33. 19. Idem reperitur apud Joſue 24. 32.
(e) David Kimchi keſitha per vocem explicat, quæ Geran Hebraicum, valoris unius oboli, ſive paulò pluris, quàm ſolidi, & 7. denariorum ſignificat. Apud Hebræos minor pecunia non erat, quam Geran, quæ vertitur Mehah in Chaldæo 1. Regnum 2. 37.
(f) Vide Noſt. Comm. in Gen. 33. 39. (g) Gen. 35. 16., & 48. 7. & 4. Reg. 5. 19.
(h) Chald. Syr. Vatabl.

poſſet. Actus, in quo boves agerentur cum aratro, uno impetu juſto. Hic erat CXX. pedum: duplicatuſque in longitudine jugerum faciebat (a). Vide & 1. *Reg.* 14. 14., ubi Jonathas ipſiuſque armiger 20. homines interfeciſſe dicuntur, *in media parte jugeris, quam par boum in die arare conſueverit.*

KIBEROTH-AVAH, ſive *Kiberoth-hattaavah*, *Num.* 11. 34. 35. Sepulchra Concupiſcentiæ, nomen ſtationis cujuſdam Iſraelitarum in deſerto, cùm hi carnes, manna faſtidientes petiere, iiſque immenſam adeò coturnicum copiam immiſit, ut pluribus diebus ſufficerent. Cum tamen coturnices nondum conſumpſiſſent, *Num.* 11. 33. 34. *Pſal.* 77. 30. Deus flagellum excutiens, tot eorum interfecit, ut inde locus diceretur, *Sepulchra Concupiſcentiæ.*

KIKAION, vox à S. Hieronymo, & Aquila per *hederam* verſa (b), & Septuaginta per *Cucurbitam.* Hederam Hebræo *Kikajon* minimè reſpondere fatetur S. Hieronymus; cum tamen nulla vox Latina illius ſenſum attingat, *hederam* ſcribere maluiſſe, quàm *Kikajon*, quod monſtrum aliquod in India, vel in Bœotiæ montibus natum aliquibus ſonare potuiſſent. Plantam hanc idem ita deſcribit: *Eſt autem genus virgulti vel arbuſculæ, lata habens folia in modum pampini, & umbram denſiſſimam, ſuo trunco ſe ſuſtinens; quæ in Palæſtina creberrimè naſcitur, & maximè in arenoſis locis: mirumque in modum ſi ſementem in terram jeceris, citò confotu conſurgit in arborem, & intra paucos dies, quam herbam videras, arbuſculam ſuſpicis.*

Interpretes recentiores (c) ferè omnes conveniunt, Hebræum *Kikajon palmam Chriſti*, ſive *Ricinum*, Ægyptiacè *Kiki*, & Græcè *Seli-cyprion*, ſonare, quæ planta lilio ſimilis folia habet lævia, expanſa, & nigris maculis reſperſa; truncum verò teretem, & lævem, floreſque diverſi coloris. Dioſcorides hujus genus quoddam refert, ad parvæ ficus altitudinem proveniens, foliis platano ſimilibus, majoribus tamen, levioribus, magiſque ad atrum inclinantibus; trunco demùm & ramis cavis, uti arundinis. Hanc fortaſſe innuit Jonas. Narrat S. Auguſtinus (d), cùm quidam Africæ Epiſcopus Hieronymianam Verſionem in populi cœtu legi juſſiſſet, adſtantes ægrè audiiſſe, cùm *hederam* pro *cucurbita*, uti legi conſueverat, intellexere: quare Judæos, qui in urbe erant, conſulere viſum eſt, qui dolone, an inſcitia cucurbitam legi debere declararunt: ipſeque Epiſcopus, ut populum ſedaret, ſuaque in communione retineret, Hieronymi Verſionem eo in loco vitioſam dicere coactus eſt.

KINNERETH, ſive *Cinnereth*, Tiberias. *Lacus Cinnereth.* Lacus Tiberiadis.

(KINNOR. Vide *Cinyra.*

KION. Exprobrat Amos 5. 25. 26. Iſraelitis cultum Idolorum in Deſerto; addens delatam ab illis *Baſim Deorum ſuorum*; in Hebræo *Kion imaginum veſtrarum.* Vide ſupra Chion, & v. *Remphan*, & v. *Samaritani.*)

KIPPUR, ſive *Chippur*, Feſtum expiationis ſolemnis. Vide *Expiatio.*

KIR-HARESET. Vide *Ar*, *Areopolis* Moabitarum Metropolis.

KIRIATH-ARBE, *Kiriath-ſepher*, *Kiriathiarim.* Vide *Cariath-arbe* &c.

KISON, ſive *Kiſſon.* Vide *Ciſon*, Torrens *Ciſon.*

KOSEBA, urbs Moabitarum (e).

L

LAABIM, ſivè *Lahabim Geneſ.* 10. 13. tertius Mezraim filius. Laabim Libyæ populus ex Africæ vetuſtiſſimis deſignare creditur: qui propè Ægyptum, ad Thebaidis occaſum, & ad Mediterraneum ſedes fixerant. *Lahabim* accenſum ſonat; *lahaba*, flammam: & Lybia maximo Solis æſtu torrebatur.

LAADA, filius Selæ, Mareſæ pater, ex Tribu Judæ. 1. *Par.* 4. 21.

LABAN, Bathuelis filius, Nachoris nepos, frater Rebeccæ, Rachelis, & Liæ pater. Jacob in Meſopotamiam veniens à patruo Labano humaniſſimè exceptus eſt (f). Elapſo poſt Jacobi adventum menſe, Laban nepoti optionem dedit, ut quam mercedem vellet, poſtularet; cùm fas non eſſet, ut ille, quamvis nepos, abſque mercede ſerviret. Cui Jacob ſeptennale ſervitium obtulit, dum Rachelis minoris filiæ nuptias Laban polliceretur (g). Uxorem igitur ſuam à Labano poſtulavit, cùm jam tempus debitum adveniſſet. Laban annuens, convivium nuptiale inſtruxit, Liamque pro Rachele veſpere Jacobo ſuppoſuit; ita Jacob nonniſi die ſequenti fraudem animadvertit. Hac tamen cognita, Jacob cum Labano conqueſtus eſt; cui ille, apud ſuos moris non eſſe reſpondit, ut minores filiæ ante majores nuptui traderentur. Rachelem tamen etiam ſe conſecuturum ſciret, ſi altero ſeptennio ſibi famularetur. Conditioni acquieſcens Jacob, poſt annos ſeptem cum Lia tranſactos, Rachelem duxit.

Cùm Jacob annis quatuordecim Labano ſerviſſet, diſceſſum in Chanaanitidem parabat. Laban verò ipſum impediens, ut ſua in ſervitute perſeveraret, exoravit, ſimulque quam ſibi vellet mercedem, exhibuit. Jacob maculoſos è grege fœtus, atroſque, qui ſcilicet infimi pretii lana veſtiuntur, popoſcit. Aſſentiens Laban, atra, maculoſaque ab albis ſejunxit, iſtaque filiis ſuis, illa Jacobo tradidit, verens ne dolo malo Jacob, maculoſas captas oveſque albis immiſcens, curaret, ut omnia maculoſa orirentur. Jacob tamen divinitùs per quietem didicit, qua ratione maculoſos fœtus compararet; ſi nempe ante coeuntium matrum oculos varii coloris virgas exponeret. Spe non fruſtratus Jacob, adeò divitiis & potentia crevit, ut Laban & filii ſummo in ipſum livore arderent.

Horum invidiam noſcens Jacob (h), diſcedendi conſilium, inſcio Labano, inivit; eaque cautione perfecit, ut vix tertia die ab ejus diſceſſu Laban reſciverit. Hic igitur Jacubum perſequens, ipſumque ad montem Galaad aſſequens, ſolas cum illo querelas fudit (venienti enim Dominus per quietem viſus imperaverat, ne quidquam gravius in Jacobum loqueretur:) cur ſcilicet filias, nepoteſque amplexandi, ipſumque abeuntem muſicis concentibus comitandi commodum ſibi non conceſſiſſet. Cùm verò de Diis ſuis, ſive *Teruphim* (i) raptis querelam inſtituit, graviſſimis verbis conceptum furorem oſtendit. Cui Jacob concitatè reſpondit, quem ex ſuis ejus furti reum inveniſſet, ſe etiam aſſentiente, interficeret. Idola quippè à Rachele ablata ignorabat. Laban igitur omnia Jacobi tentoria ſcrutatus, nihil invenit: Rachel enim idola ſub cameli ſtramento condens, omnem patris diligentiam fruſtravit. Vide *Rachel.*

Jacob deinde viciſſim cum Labano conquerens, præ-

(a) Confer Columel. l. 5. c. 1. Iſidor. Origin. l. 15. c. 15.
(b) Jonas 4. 6. Kikajon. 70. Κολοκύνθη Cucurbita. Aqu. Κιττὸς, Hedera. Vide Hieron. in Jon. 4.
(c) Kimchi, Boch. Mont. Jun. Piſc. Mercer. Grot. Buxtorf. Druſ. Urſin. Breman. alii.
(d) Aug. Ep. 71. & Ep. Hieron. inter Auguſtini 75. n. 22. (e) Vide 1. Par. 4. 21. in Hebr.
(f) Geneſ. 28. & 29. A. M. 2245. ante Chr. 1755. ante Ær. 1759.
(g) Sunt qui Rachelem duxiſſe negent ante expletos hoſce ſervitutis annos; ſunt qui aſſerant, eaque verba: *jam tempus completum eſt*; explicent, ac ſi dixiſſet; Ea ſum ætate, ut familiam, & uxorem comparare debeam; 77. enim annos numerabat.
(h) Gen. 31. 1. &c. Circa A. M. 2265. ante Chr. 1735. ante Ær. 1739. (i) Vide *Teraphim.*

Digitized by Google

præſentem ſibi illatam injuriam, mercedem decies mutatam, animique pravitatem, qua, niſi Deus ſibi adfuiſſet, inopem ſe ad patrem remiſiſſet, exprobravit. Cui Laban: Filias, nepoteſque meos habes: quid gravius in ipſos moliar? Quæ habes, tibi gratulor: Fœdus jam ineamus, erectoque monumento æternam amicitiam polliceamur. Igitur mutuum fœdus jurarunt, teſtemque fœderis ingentem lapidum acervum erexere; quem Laban patrio, Chaldæo nempe, ſermone *Jegar ſchahadduthah*, Acervum teſtimonii; Jacob vernaculo pariter, Hebræo ſcilicet, ſeù Phænicio, *Gal-baad*, Acervum teſtis, nuncuparunt *Geneſ.* 31. 47. Subdidit Laban: Dominus judex ſit noſtrum, ſi filias meas malè acceperis, aliaſve præter illas duxeris. Teſtis acervus iſte in utrum ex nobis, qui prava mente in alterutrius regionem veniens hunc tranſierit. Abrahami, Nachoris, eorumque Patrum Deum judicem invoco. Tum victimis immolatis, ciboque ac potu ſimul refecti, primo manè Laban ſupremum filiabus, nepotibuſque valere juſſis, in Haram rediit. Hæc de Labano ſcimus.

LABAN, ignotus trans Jordanem locus in planitie Moab. *Deut.* 1. 1.

LABANA, urbs Judæ *Joſue* 15. 42. eadem facilè ac *Lebana*, *Lobana*, *Lebna*, ſeù *Libna*, in meridionali Judæ regione. Euſebii ætate, eodem authore, locus quidam *Lebna*, in Eleutheropolis regione reperiebatur. Propè hanc Lebnam Judæos in deſerto caſtrametatos opinor. *Num* 33. 21.

LABANATH, locus in Tribu Aſer *Joſue* 19. 27. quem *Promontorium album* (a) inter Ecdippum, & Tyrum eſſe opinamur. Quod Vulgata *Sihor & Labanath*, id Hebræus *Sihor-Lebanath* legit; ex quo arguere licet, duas hasce dictiones eumdem locum ſignificare, & *Sihor* torrentis nomen eſſe, ac ſi diceretur: *Et torrens aquæ turbidæ, ſitus ad Promontorium album*.

(LABIUM uſurpatur interdum pro margine amnis, limbo vaſis vel menſæ: *Faciet illi labium aureum*. *Exodi* 25. 24. & 3. Reg. 7. 23. ubi ſermo de mari æneo: legas: *A labio ad labium*. Labium eſt etiam ſermo: *Unum labium omnibus*. Geneſ. 11. 6. *Incircumciſus labiis ego ſum*, Exod. 6. 12. expeditè loqui non valeo, balbutio. *Quæ protulerit de labiis ſuis*; Levit. 5. 4. Deut. 23. 23. de quibus fidem ſuam obligavit. Job *non peccavit in labiis ſuis*. Job 1. 22. & 2. 10. *Deus commutat labium veracium*; Job 12. 20. vera dicentibus facilè eloquium non ſemper concedit.

Fructum labiorum habes Iſaiæ 57. 19. *Creavi fructum labiorum, pacem*. Largitur Deus pacem promiſſionum ſuarum fructum; vel potiùs dat pacem, ex quo novum ejus laudum argumentum. *De fructibus oris viri replebitur venter ejus, & genimina labiorum ipſius ſatiabunt eum*; major minorque hominis laus ex eo pendet; ſi noverit linguam ſuam regere. Oſee 14. 3. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum*, ſacrificia laudum loco victimarum. Ezechiel 36. 3. *Aſcendiſtis ſuper labium linguæ & opprobrium populi*; ſcopus fuiſtis ſubſannationibus & ejaculatis verborum ſagittis ab adverſariis veſtris. *Stultus cæditur labiis*; Proverb. 8. 10. ſtultus iniqua proferens punietur; ſeu potiùs mulctæ ſubdetur ille, cui ſtulta ſunt labia, & nequit moderari linguam ſuam. *Divinatio in labiis Regis Proverb.* 16. 10. 15. Rex promit oracula; & paulò infrà: *Voluntas Regum labia juſta*; labia juſta amantur à Regibus. Dominus ad Ezechielem 3. 6. *Non ad populum profundi ſermonis* (labii) *tu mitteris*, ignotæ linguæ. *Labia deoſculabitur, qui recta verba reſpondet Proverb.* 24. 25. recta verba reſpondens, os loquentis veluti deoſculatur.

Solemne erat Hebræis tegere in luctu labia, ſeu inferiora vultus. Vide Ezech. 24. 17. & Mich. 3. 7.

LABOR. Uſurpatur interdum in Scriptura pro crimine, mendacio, & criminis pœna; v. g. Pſal. 7. 15. *Concepit dolorem* (laborem), *& peperit iniquitatem* (mendacium); hic labor ſynonymus eſt mendacii. Pſal. 10. 7. *Sub lingua ejus labor & dolor*, vel ut in Hebræo: *Labor & iniquitas*; nihil curat aliud, quàm ut malum inferat & noceat. Pſal. 54. 11. *Labor in medio ejus & injuſtitia*; crimen in medio Urbis. Pſal. 139. 10. *Labor labiorum ipſorum operiet eos*. Pœna criminis in illos recidet. Iſaiæ 59. 4. *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem*. Quæ dicendi phraſis veluti proverbio obtinuerat: gemina enim notavimus ſupra ex Pſal. 7. & recurrunt pariter Job 15. 15. Habacuc ad Deum 1. 3. *Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & laborem?* iniquitatem & crimina impiorum conſpirantium in me.

Malorum, laborum & pœnarum genus omne communi laboris nomine deſignatum eſt. *Noſti omnem laborem, qui apprehendit nos Num.* 20. 14. mala omnia, quæ pertulimus. Exodi 18. 8. *Narravit univerſum laborem, qui accidiſſet eis in itinere*, itineris incommoda omnia.

Labor eſt etiam laboris fructus. *Labores populorum poſſederunt*. Et alibi: *Diripiant alieni labores ejus*: & *Primitias laborum ſuorum*, i. e. laborum ſuorum mercedes.

Interdum etiam *labor* eſt illatum aliis malum. *Labor labiorum ipſorum operiet eos Pſal.* 139. 10. irrogatum aliis malum in ipſos recidet, vel opprimantur pœna impiorum verborum ſuorum & calumniarum. Eccleſiaſtes 10. 15. *Labor ſtultorum affliget eos*; ex eo punientur impii, quo alios affligunt. Pſalmiſta 93. 20. *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Nunquid thronus iniquitatis ſecreto tecum conſpirat, thronus, inquam, qui fingit malum (laborem) præceptis ſuis; in Hebræo enim pro *fingis* eſt fingit. *Thronus iniquitatis* ipſi ſunt impii, abutentes permiſſa ſibi a Deo potentia; fingunt illi laborem præcepto ſuo; opprimunt imbecilles authoritate ſua, affligunt, excruciant.)

LABOSARDAC, ſivè *Laboroſoardochus*, Babylonis Rex, pater Nerigliſſoris, ſi Beroſo credimus, menſibus novem imperavit. A ſuis interfectus, ſucceſſorem habit Nabonidum, juxta Beroſum; ſivè *Nabannidochum*, ut Abideno; ſeu *Labynithum*, ut Herodoto placet. Proſtremum hunc nonnulli cum *Balthaſare* Danielis confundunt. Nabuchodonoſoris poſterorum ſeries inextricabilibus ambagibus involuta eſt. Vide Chronologos, & Interpretes in Danielem, & vocem *Nigliſſar*.

LABRUM, ſeu *Lavacrum* Tabernaculi. Moyſe, ex mulierum ante Tabernaculi fores excubantium ſpeculis labrum æneum compegit. *Exod.* 38. 8. Olim apud Perſas à mulieribus, quæ diem ſomno indulgebant, ante Regis palatium noctes facibus undique clareſcentes in muſicis, in cantu vocum atque nervorum, Athenæo teſte, *l.* 12. *Dipnoſoph. c.* 2. abſumebantur. Ante Regum Orientalium veſtibula mulieres ad hæc uſque tempora excubantes accepimus (b). Hinc fortè factum credimus, ut Hebræorum mulieres ante ſuum Dominum & Regem, inſomnes noctes traducerent.

Ex qualibet metallorum ſpecie, ex argento nempe, ex cupro, ex ſtamno, ex ſtamni & cupri mixtura ſpecula olim confici conſueverant, quem adhuc morem Orientalium plerique tenent. Nullo itaque negotio ex iis Tabernaculi Labrum Moyſi conſtruere contigit; licèt enim eorum perplurima id opus expoſceret, attamen plura etiam ſuperfuiſſe non ambigimus, cum juxtà vim phraſis Hebraicæ, inſtar exercitùs mulieres illæ ad Tabernaculum confluerent.

LABRUSCA, fructus vitis ſylveſtris; Græcè autem dicitur *ampelos agria* (c). Virgilius Eclog. 5.

. . . . . Aſpice, ut antrum
Sylveſtris raris ſparſit labruſca racemis.

Labruſcæ fructus vocantur *œnanthes*, quod vini mucorem

(a) Plin. l. 5. c. 19. (b) Chardin, Voyage de Perſe l. 2. p. 289.
(c) Plin. l. 23.

Fons verò judicii appellatur, quòd ibi Moyſi, qui à fiducia in Deum debita nonnihil defecerat, cum promiſſionis Terram minimè ingreſſurum iratus Dominus indixerit. Ideircò autem Rabbini (a) eum fontem judicii nomine donatum volunt, quòd ibi à proximis populis ad lites dirimendas jus diceretur.

JUDITH, ex Tribu Ruben, Merari filia, vidua Manaſſis, ob Bethuliam, quam Holophernes obſederat, liberatam celeberrima (b), quæ mortuo conjuge in æde ſublimi ſacellum ſibi conſtruxerat, ubi cilicio induta, & quotidie, præter Sabbathum, & Hebræorum ſolemnitates, jejuniis addicta, una cum ſuis ancillis dignos laude dies agebat. *Judith.* 8.4. Ferrara quidem pulchritudine inſignis, & divitiis, famulis, prædiis, & armentis, quæ eidem conjux legaverat, opulenta, eam tamen virtutem & pietatem omnibus exhibebat, ut nemo unquam ei obtrectaverit.

Improbans Judith, quod Bethuliam quinque poſt diebus Holopherni ſe traditurum, niſi eo temporis intervallo ſuppetiæ ferrentur, Ozias ſpopondiſſet, Chabri, & Charmi, ſenioribus populi advocatis, quam improbe Clementiæ Divinæ fines præſcriberentur, oſtendit; quare pœnitentia tacti, Divinæ voluntati ſe omninò committerent, & Miſericordiam implorarent hortata, ſe eadem nocte una cum ſua pediſſequa ex urbe egreſſuram aperuit; quapropter Bethuliæ portas egredienti ecluderent, neque de iis, quæ cogitabat, inquirerent, ſed rem Deo commendantes proſpera ſibi brevi eventura pollicerentur.

His illicò dimiſſis, ſacellum ſuum ingreſſa, *Judith.* 9. t. cilicio induta, & cinere inſperſa, Deum rogavit, ut proſtratis hoſtibus Iſraelem periculo liberaret, ſibique formam, qua Holopherni pergrata accideret, & vim conferret atque conſtantiam, ut contemptum perimeret, poſtulavit. Cilicio deinde, & luctuoſis viduitatis veſtibus ſibi detractis, corpore abluto, atque odoribus delinito, crine compto, præſtanti mitra, ſuperbis veſtibus, aureis ſandaliis, annulis, inauribus, dextrariolis ad totius elegantiæ formam compoſitæ, ut omnium oculis ſpecioſior videretur, Deus ipſe venuſtatem adauxit. Una denique cum pediſſequa viatico inſtructam, ad urbis portas progreſſam, Onias, & urbis ſeniores, quin rem ſciſcitarentur, fauſta tantùm ejus conſiliis deprecantes, dimiſere.

E monte deſcendens, in Aſſyrios exploratores ſtatim incidit, a quibus rogata, ſe Bethulia, quam brevi evertendam noverat, profugam ad Holophernem properare reſpondit, ut Hebræorum ſecretis ei patefactis, urbem totius exercitus incolumitate oppugnaret: ad quem ſtatim adducta, cæteris ſpecioſas adeò mulieres Hebræorum populo obtigiſſe ſtupentibus, Holophernem ſua venuſtate ita tetigit, ut ille amore ipſius captus, humi proſtratam illicò erexerit, *Judith.* 11. t. eique ſalutem pollicitus, de ejus ad ſe adventu humaniſſimè poſtularit.

Cùm verò illa dixiſſet, perditis jam deſperatiſque Judæorum rebus, ſibi fuga ſe conſuluiſſe, & futuræ nonnihil victoriæ collaturam, ad ejus confugiſſe perfugium, ille coram Nabuchodonoſore, imò toto orbe eam maximam evaſuram, ſeque ejus Deum ſibi etiam in Deum aſſumpturum, ſi fauſta eveniſſent, ſpopondit. Præterea in divitiarum tentorium, veluti in conclave comiter dimiſſæ *Judith.* 12. t. de ſuis epulis juſſit apponi; ei tamen, ne exterorum cibis fœdaretur, delato veſcendi viatico, & noctu, ſeu ante diluculum, ut Deo ſupplicaret, è tentorio egrediendi facultatem enixè poſtulanti, facilis indulſit. Quamobrem, quin egredientem quiſquam, & redeuntem prohiberet, aut de ea mali quidquam ſuſpicaretur, triduum inibi abſumpſit.

Quarta jam declinante die, per Vagao Eunuchum ab Holopherne ad convivium, ut eam noctem una ſecum tranſigeret, vocata, ſplendidiſſimis ornata veſtibus menſæ accubuit, epulis tamen omnibus abſtinens, ea ſolummodò, quæ ancilla ei de more inſtruxerat, comedit. Holophernes verò ſolo ejus aſpectu eam voluptatem exhauſit, ut plus nimio potui indulgens, vino ſe obrueret. Ubi jam veſper advenit, *Judith.* 13. 1. ſingulis indè abeuntibus, Judith cum Holopherne ſomno, & ebrietate ſepulto, ſe ſolam intuita, ancillam ſuam, ut ſibi excubias ageret, tentorio eduxit, & Deum ſibi adjumento eſſet deprecata, ipſiuſmet Ducis ſtricto enſe ingeminato ictu dormientis cervicem præcidit; quam conopæo involutam in pera recondendam ancillæ ſuæ tradidit; ſtatimque veluti de more ad preces egrederentur, utraque ſe caſtris ſubduxere. Cùm verò ad Bethuliam jam propè acceſſiſſent, Juditham conclamantem, ut ſibi portæ panderentur, cuſtodes illicò exceperunt, quos illa, totamque urbem, quæ ad eam protinus confluxerat, alloquuta, quæ fauſtè peregiſſet, aperuit; accitoque Achiore, ei quoque, ſicut & cæteris præciſam Holophernis cervicem oſtendit. Seniores denique, & populum, ut Ducis perempti capite ſuper mœnia ſuſpenſo, *Judith.* 14. ſub ipſum diei ortum arma quiſque ariperent, & urbe egredientes in hoſtes impetum ſe facturos ſimularent, hortata, futurum prænunciavit, ut exploratoribus ad Holophernem illicò feſtinantibus, & truncum ipſius cadaver in ſanguine innatans invenientibus, exercitus omnis timore perterritus ſe fugæ committeret; quem ipſi impavidè tunc inſequentes omninò delerent.

Rem implevit eventus. Agnita Holophernis cæde, nil niſi de fuga Aſſyrii cogitavere. Hebræi fugientibus magno impetu inſtitere. Ozias Iſraelis urbes de iis, quæ Judith geſſerat, celerrimè monitas, undique in Aſſyrios concitavit. Quare Hebræi Aſſyriis plurimis fuſis, plurimiſque interfectis, & cæde, & præda exſaturati ſunt.

Joachim Pontifex Jeroſolyma profectus eſt Bethuliam, ut Judithæ de victoria gratularetur; quæ omnia, ut par erat, Deo referens canticum cecinit, *Judith.* 16. & arma, veſtes, gemmas, & quidquid Holophernis fuerat, quibus eam populus donaverat, una cum conopæo, quod ipſamet abſtulerat, Deo obtulit, æternumque ampliſſimi beneficii monumentum inſtituit. Diebus omnibus, quibus tantæ victoriæ gaudium actum eſt, Juditha, cujus nomen in regiones omnes per ſummum decus abierat, maximo omnium plauſu publicè inceſſit; quæ denique quinque ſupra ſæculum abſumptis annis, ancillaque ſua libertati reſtituta, vitam abſolvit; eamque propè virum Bethuliæ tumulatam diebus ſeptem populus ingemuere. Hujus triumphi memoriam, quæ juxtà Leonem Modena *par.* 3. *c.* 9. Sigonium *l.* 3. *c.* 17. *de Repub. Heb.* & alios plurimos (c) die 25. menſis Casleu, qua etiam Dedicationis, ſeu Templi ab Juda Machabæo reſtituti Feſtum, recurrit, Hebræi quotanni habuere ſolemnem.

Quo potiſſimum tempore id bellum contigerit, diutiùs diſceptatum eſt; ſunt enim, qui ante captivitatem Babylonicam, ſub Manaſſe Rege Juda conſignent; ſunt, qui poſt captivitatem retrahant. Quare Authores videndi, qui ea de re fuſius agunt (d). Nos ante captivitatem contigiſſe credimus, & ſic hujus hiſtoriæ chronologiam exhibemus.

CHRONOLOGIA HISTORIÆ JUDITHÆ.

An. M.

3285. Nativitas Judithæ.
3306. Manaſſes Rex Juda regnare incipit.
3347. Bellum inter Nabuchodonoſorem, & Arphaxad, aliter Saoſduchin Aſſyriorum Regem, & Phraortem Regem Medorum.
3348. Expeditio Holophernis, Bethuliæ obſidio, Holophernis mors.
3361. Mors Manaſſis Regis Juda.
3363. Mors Amonis Regis Juda.

3390.

(a) Chald. Ita & Jarchi, & Grot.
(b) Vide S. v. Holophernes, & v. Bethulia.
(c) Grot. Cornel. à Lapide, Bellarm. Salian. Torniel.
(d) Vide Prolegom. Serarii in Judith. Bernard. de Montfaucon de Verit. hiſtor. Judith. & noſtr. Præfat. in Judith. &c.

3390. Mors Judithæ annos natæ 105.

Utrùm Liber Judithæ Canonicus, & authenſicus ſit, acriter diſceptator. Omnia enim & tempus, & perſonæ, &. alia hujus hiſtoriæ difficultatibus inſerciuntur: quarum præcipuas ſolvere eumdemque Librum inter Canonicos firmare conati ſumus (a). S. Hieronymi ætate ab Judæis legebatur; idemque à S. Clemente *ep.* 1. *ad Corinth.*, & à Conſtitutionum Apoſtolicarum Scriptore *l.* 8. *c.* 2. *can.* 85. *alias* 76. laudatur. Eumdem S. Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, S. Ambroſius, & Hieronymus (b) citant; quorum poſtremus (c) addit, hùnc Librum à Nicæna Synodo inter Hagiographa enumeratum: non quòd ea Synodos peculiari Canone ipſum probaverit (nullus enim ea de re Canon vel ibi legitur, vel ab Hieronymo memoratur); ſed qoòd ipſe Hieronymus eum Librum à Nicænis Patribus laudatum cenſuerit; vel ex jugi Patrum uſu, poſt Nicænam Synodum ipſo utentium, ab illa probatum deduxerit. S. Athanaſius, ſive Author Synopſis Athanaſio adſcriptæ, hujus, non ſecus ac cæterorum Sacrorum Voluminum, compendium recitat. S. Auguſtinus *lib.* 2. *de Doct. Chriſt. c.* 8. omniſque Africana Eccleſia (d) hunc in Canone recenſent. Innocentius I. Epiſtola ad Exuperium, & Gelaſius Papa in Concilio Romano Canonicum fatentur. His adde S. Fulgentium *ep.* 2. *ad Gallam*, duoſque Veteres Scriptores, quorum ſermones in Append. tom. 5. Oper. S. Auguſtini leguntur. Recentiores innumeros, & Judithæ faventes prætereo: unicum addo Concilium Tridentinum, quod Judithæ Librum divinitus inſpiratum affirmat. Satis ſuperque authoritatum eſt, quibus hunc Librum Canonicum ſtatuamus, etiam ſi omnes in ipſum excitaras difficultates ſolvere non valeremus.

Ejus Libri Scriptor latet. D. Hieronymus *in Agg.* 1. 6. ab ipſa Juditha confectum forte putat, ſuam tamen ſententiam non ſatis explicat. Sunt qui levibus tantum conjecturis innixi, Pontificem Joachimum, ſeu Eliacimum; ſunt qui Judithæ hiſtoriam ad Cambyſis imperium poſt Babylonicam captivitatem protrahentes, ejus ætatis Pontificem Joſue Joſedechi filium, ejuſdem Libri authorem ſtatuant. Quiſquis ille fuerit, hiſtoriæ coævus ſanè non floruit, cum ſua adhuc ætate Achioris progeniem in Iſraele degentem, *Judith* 14: 6. & ejuſdem victoriæ memoriam ſolemniter adhuc tunc agi ſolitam referat. *Jud* 16. 31. Quæ quidem, Judithæ hiſtoriam diu poſt conſcriptam, ſatis ſuperque probant.

Cum floreret Origenes, eamdem hiſtoriam (e) Hebraice, ſeu forte potius Chaldaice exaratam Judæi legebant; Chaldaicum enim idioma ſæpe cum Hebraico confuſum ſcimus. D. Hieronymus *Præfat. in Judith.* ſua adhuc ætate ab Judæis eamdem Chaldaice lectam, & inter Hagiographa enumeratam, eodemque idiomate apud Byzantii Judæos ad hoc uſque tempus conſervatam Munſterus *Præfat. in Tobiam Hebr.* affirmat. Cujus tamen hiſtoriæ nil uſque adhuc Chaldaice excuſum vidimus. Syriacam Verſionem, quæ nunc apud nos, à Græco quidem, ſed eo, quam quod modo legimus, caſtigatiori depromptam ſcimus. Hieronymus Juditham Latine à Chaldaico vertit, quæ Verſio adeo procul abeſt à Græca, ut ab eodem fonte utraque exhauſta minime videatur: qui utique Doctor Latina exemplaria, ſe adhuc inter vivos degente, immutata vehementer queritur, quamque jure id egerit, facile agnoſcemus, ſi earum Verſionum fragmenta, quæ ad nos pervenere, & ea, quæ de iiſdem Patres allegant, invicem conferamus. Videantur noſtra Præfatio in Juditham, & Notæ, quas Commentariis appoſuimus.

(Quod arduum eſt maxime in libro Judith, illud reputatur, nimirum ut certum conſtituatur tempus rei in Hiſtoria narratæ. Textus Græcus & Syriacus revocare illam videtur ad ætatem poſt ſolutam captivitatem Babylonicam. Teatus Latinus Vulgatæ commodè exponitur de tempore ante captivitatem. Salebræ utrinque, utrum ex his definiatur tempus ardua offert multa. Nos hic pauca de utroque ſyſtemate vel opinione, quarum una conſignat Hiſtoriam Judith ante captivitatem; poſt illam ſolutam altera. Ambæ etiam òpiniones iſtæ in varias diſtinguuntur, de quibus tamen, utpote longius nos adducentibus, nihil in præſenti.

Porro ſi quis ſibi præſumat, ut ſalebras omnes tollat, ac plane dictis in contrarium ſatisfaciat, ille plane ſponderet ſibi impoſſibilia, quamcumque tandem ſententiam vel ſyſtema defendendum ſibi proponat. Nec Hiſtoria Sacra, nec Prophana componunt cum ætate ſive Manaſſe, vel Sedeciæ, ſive ante, ſive poſt captivitatem, Regem quemquiam Ninive Nabuchodonoſorem nomine, qui anno Regni ſui duodecimo, vel decimoſeptimo Arphaxad quendam Medorum Regem devicerit. Plus etiam faceſſet negotii ejuſdem ætatis Summus Judæorum Sacerdos *Joakim* vel *Eliacim*.

Tandem ardua reſtabunt ſemper via ſuperanda in conciliatione Textus Græci & Syriaci cum Latino S. Hieronymi, atque etiam in elucidandis omnibus, ſive quæ ad Geographiam, ſive quæ ad alias Hiſtoriæ hujus circumſtantias pertinent. Nec magis forte accedet commodi, ſi unice Vulgatam retinens quis omnes abjecerit Verſiones, Græcam, Syriacam, & veterem Italicam.

Nec ſane unica eſt Hiſtoria ſalebris quamplurimis impervia, ſive in nominibus propriis, ſive in adſcriptionibus temporum, vel aliis id generis. Aſſuevimus jam in Hiſtoriarum Orientalium lectione ipſum eundem Principem variis deſignatum nominibus agnoſcere, variis, inquam, & diverſis apud Authores Sacros, apud Scriptores Græcos, & Hebræos, ſicut & Hiſtoricos Gentiles: convenit ea de re inter Doctos. Quare cur obſtupeſcamus nihil eſt, ſi quis *Nabuchodonoſori* Judith nomen vindicet vel Saoulduchin, vel Cambyſis, vel Xerſis; quemadmodum & *Arphaxad* transformatur in Phraortem, vel in alium quendam Medorum Regem notum, ſive in Hiſtoria Herodoti, ſive alterius Græci Scriptoris. Hæc proinde habemus tanquam explorata, cum ſola reſtabit de nomine quæſtio.

Majoris momenti aliud etiam explicandum eſt, antequam ad tractandam quæſtionem accedamus; quem nimirum è Textibus ſequamur; an nimirum Græcum, vel Latinum: Syriacum enim è Græco expreſſum ambigit nemo. Ingenue autem profiteor Græci lectione inſinuari Hiſtoriam Judith nonniſi poſt captivitatem, ſeu impletam, ſeu ſcriptam eſſe; ſed cum Latinus conſulitur, commode revocaretur ante captivitatem Babylonicam. Quæſtio eſt igitur, uter è duobus hiſce alteri præferatur. Græcum vetuſtiſſimum agnoſcimus, quem alii tribuunt Theodotioni florenti ſub Commodo, cujus Imperium initum eſt anno J. C. 180. ſed vetuſtiorem ea eo intelligimus, quod S. Clemens Romanus in ſua epiſtola ad Corinthios ſcripta ante id temporis 120. annis, ex eo laudet teſtimonia. Vetuſtiſſima eſt etiam Syriaca verſio expreſſa è Græco magis defæcato, quam qui noſtra ætate ſupereſt; in re tamen non diverſo.

Verſio Latina, Italica, ſeu vetus Vulgata è Græco pariter adornata eſt; ſed mendoſiſſimam fatemur. Vulgatam S. Hierooymi, quam Eccleſia canonicam recognovit, exhibuit Textus Chaldæus, quem S.

(a) Vide noſtr. Præfat. in Lib. Judith.

(b) Clem Alex. Strom. l. 4. Orig. hom. 19. in Jer. & t. 8 in Jo. Tertull. de Monogomia c. 17. Ambroſ. lib. 3. de Officiis, & Lib de Vid. Hier. Ep. ad Fur.

(c) Præfat. in Judith. Apud Hebræos liber Judith inter Hagiographa legitur ..... ſed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero Sacrarum Scripturaram legitur computaſſe, acquievi petitioni veſtræ.

(d) Conc. Carthag. 3. can. 47. (e) Origen. Ep. ad Aphricam.

Hieronymus genuinum Originale hujus Operis cenſuit. Precibus S. Paulæ & Euſtochii id ſibi operis aſſumpſit vir ſanctus; ſed diſſidiorum, & diſputationum uberem ſegetem nobis præbuit, cum in Præfatione ſua innoteſcere omnibus voluit, reddidiſſe ſe potius ſenſum, quam verba; ac vetuſtiſſimam Exemplarium varietatem amputaſſe. *Magis ſenſum è ſenſu, quàm ex verbo verbum transferens, multorum Codicum varietatem vitioſiſſimam amputavi. Sola ea, quæ intelligentia integra in verbis Chaldæis invenire potui, Latinis expreſſi.* Non utique ſuppetebat S. Doctori ingens copia Codicum Chaldæorum, nec exinde *vitioſiſſimam varietatem amputavit*; ſed Latinorum Exemplarium plura erant ad manus, nec in ſua illa Verſione aliud reliquit, quam quod in verbis Chaldæis *intelligentia integra* invenire potuit. Præ oculis igitur habebat veterem Latinam Verſionem, è qua demptis ſuperfluis, ea reliquit, quæ cum Chaldæo cohærerent; quod deerat, facile ſupplevit. Itaque verſio ejus recenſio potius veteris, quam nova quædam reputanda eſt; nec ſane deſunt voces plures è veteri illa ſervatæ, quæ originem ſapiunt Græcám, ut illud Judith 10. 3. *Unxit ſe myro optimo. Myron* Græce eſt unguentum. Et 9. 13. *Percuties eum labiis charitatis meæ*, pro labiis fallaciæ meæ: verbis ſcilicet ad fallendum compoſitis. Petitur id ex Græco ferente *agapes* charitates, mendoſe, pro *apates* fallaciæ.

Quemadmodum autem in verſionibus hiſce liberis hoc ſibi Interpres jus vindicat, ut non omnia, quæ in Originali, exprimat contentus reddere ſenſum & lucem affundere Authori ſuo; factum inde, ut liberius aliquando Interpres ille divagetur, aliquando ſe ipſe anguſtior contineat. Optandum utique fuiſſet, ut S. Hieronymus vel eandem ſibi præſtruiſſet in hac Verſione methodum, quam in aliis ſequutus eſt, adhærendo ſcilicet literæ Textûs; vel ſaltem indicaſſet, quouſque libertatem hanc ſuam longius promoviſſet, cum ſibi permiſit *magis ſenſum ex ſenſu, quam ex verbo verbum transferre.* Ecquis enim nobis aſſeruerit nihil ab illo, quod in Chaldæo legeretur, ſuppreſſum fuiſſe, ſive nihil relictum in Vulgata, quod cenſoria virga notandum fuiſſet? Cum enim Textus Chaldaicus, qui ſuppetebat S. Hieronymo, ad noſtras manus non pervenerit, impares ſumus certo ea de re ferendo judicio. Ad hæc autem quæ poterit eſſe certa fides hunc Textum ipſum eſſe originalem libri Judith? Profecto ſi Originalis iſte cenſendus eſſet, præjudicata utique ſententia traheremur in opinionem eorum, qui hiſtoriam hanc componunt eum tempore poſt captivitatem Babylonicam, antehac enim nullius Chaldaice ſcribendi uſus obtinebat apud Judæos.

Qui defendunt hiſtoriam Judith ætatem referre Manaſſis, nempe ante captivitatem Babylonicam, ſatis rem demonſtratam arbitrantur, ſi probent nihil eſſe in hiſtoria cum adſcriptione illa temporis repugnans. Poſito igitur Nabuchodonoſorem Judith exprimere Saoſduchin Ptolomæi, qui poſt Aſſaradonem Regem Aſſyriæ Aſſyriorum pariter & Chaldæorum rexit imperium; poſito inſuper Arphaxad ipſum eſſe Phraortem Herodoti; ſicut & ambos illos Principes bello ſe invicem infeſtaſſe duodecimo anno Saoſduchin; ad hæc victo Arphaxad Saoſduchin vaſtum agitâſſe conſilium redigendi ad imperium ſuum omnes illas gentes, de quibus in libro Judith; hujus autem expeditionis Imperatorem elegiſſe Holofernem oneratum mandatis, ut eos, qui ſponte nollent, vi redigeret in fidem: poſitis, inquam, hiſce omnibus plana ſunt cætera. Commode enim intelligeremus eo ſimul tempore Manaſſem parum antehac è captivitate, quam ſubire coactus eſt Babylone, ſolutum, moram egiſſe Jeroſolymæ politicam gubernationem tantùm non negligentem, nec audentem aperte hoſtilia exercere in Chaldæos, quorum & furorem antea ſuerat expertus; quare politicas omnes curas reliquiſſe humeris Summi Sacerdotis Eliacim vel Joachim impoſitas. In hoc rerum articulo Bethuliæ cives ſtaterunt, Dei confiſi ope, libertatem & Religionem ſuam ſervare intactam, Urbis januas occludentes Holoferni. Intelligens Judith acciſas jam Urbis res eſſe, conſilium perdendi Holofernem agitavit; nec ſane vana molita eſt, ut ex hiſtoria hujus libri intelligimus.

Nihil utique in his omnibus occurrit, ſive ab hiſtoriæ legibus, ſive à chronologia exorbitans. Bellum inter Nabuchodonoſorem, & Arphaxad componimus cum A. M. 3347. expeditionem Holofernis cum A. 3348. quo eodem anno ipſe obtruncatus eſt. Captus Manaſſe Babylonem raptus eſt anno 3329. Rediit aliquot poſt annis, obiitque tandem anno 3365.

Quæ dicendi phraſes negotium faceſſunt in Textu Græco Judith, ut illud Achior Judith. 5. 18. in Græco: *Templum Dei ipſorum factum eſt in pavimentum*; tum & alterum 5. 23. *Nunc revertentes ad Deum ſuum aſcenderunt è diſperſione, ubi diſperſi fuerunt illic, & tenuerunt Jeruſalem, ubi Sanctuarium eorum*; ac tandem 4. 2. *Recenter aſcenderant è captivitate, & nuper omnis populus collectus fuerat Judææ.* Hæ, inquam, dicendi phraſes commode exponerentur diſtincta gemina Iſraelitarum captivitate, ac privata quadam diſperſione ab alia generali diverſa. Sub Manaſſe prophanatum eſt Templum, & incolarum portio deducta eſt in captivitatem. Ab hac ceu temporaria diſperſione, in priſtina reſtitutus eſt cum ſuis Princeps; expiatum Templum non multum antehac. Hæc inſinuat Græcæ Verſionis Author; & hæc pariter majoris momenti ſuppetunt fulciendo ſyſtemati in noſtro Commentario firmato.

Quæ vero ſententia hiſtoriam Judith revocat poſt captivitatem Babylonicam ex authoritate potiſſimum Græcæ verſionis adſtruitur. Vetuſtiſſimum eſt quidem ſine controverſia Opus. Italica priſca verſio ſola ante S. Hieronymum olim regnans inter Latinos, & Syriaca è Græca illa expreſſæ ſunt. Originalis ſibi vindicare poteſt authoritatem, cum nulla parem vindicet ſeu vetuſtatem ſeu fidem; ambiguum eſt enim maxime, an Chaldæum S. Hieronymi Originale hujus Operis reputandum ſit. Facile enim majori præſtabat authoritate Hebræum Origeni indicatum, quod ad noſtras manus non pervenit.

Si quis originalem authoritatem adſtruxerit Textui Chaldaico, recta inde inferret, quemadmodum jam ſupra indicavi, Opus illud digeſtum fuiſſe poſt captivitatem, ex quo conjectura non levis ætatem illam pariter hiſtoriam referre. Ad hæc, nullus erat in tota ditione Rex, cujus ne verbùm quidem in univerſa hiſtoria. Omnia ad Summum Sacerdotem delata ſunt, quanquam de re agitur juris plane Regii, de bello ſcilicet gerendo, vel ſaltem de reſiſtendo potentiſſimo Imperatori, valenti Regnum omne Juda abſorbere. Si quis reponat, Manaſſem, ſeu politico quodam temperamento, ſeu timore omnia diſſimulare maluiſſe, veluti imprudentem eorum, quæ gererentur; omnia permiſiſſe adminiſtranda Summo Sacerdoti; ille plane rem adſtruet ſupra fidem. Ad hæc, puerili quodam ludibrio Rex Chaldææ decipiendus ſuſciperetur, quaſi ſcilicet vel plane rudis ignoraret eſſe Regem in Juda, Regem, inquam, ſuo Imperio ſubjectum; vel perſuaderi potuiſſet omnia hæc geſta eo vel inſcio vel non conſcio. Quis non reputaret futurum, ut ſi Bethuliæ res aliter quam quod eventus tulit, ceſſiſſent, Regem Babyloniæ non exacturum rationem omnium à Manaſſe, quod ſcilicet ille nunquam prodiiſſet in ſcenam? Non ita ſane de rebus hujus momenti judicamus, nec parvo adeo molimine decipimur.

Ad hæc, Pontificem Eliacim quis nobis producat ſub Manaſſe? Catalogus Summorum Sacerdotum ſive digeſtus in Paralipomenis, ſive in Joſepho, ſive tandem collectus è variis Scripturæ Textibus, ejus nominis Pontificem ætatiſque illius nullum profert. Paret *Helcias* ſub Ezechia; 4. Reg. 18. 18. 26. 27. Helcias alter ſub Joſia; 4. Reg. 22. 4. & 2. Par. 34. 9. Joa-

Joarhim quo tempore Jeroſolyma Chaldæis hoſtibus ceſſit, Baruch 1.7. ſed nominis Joachim vel Eliacim ſub Manaſſe ne veſtigium quidem. Accedit tamen nomen Helciæ ad Eliacim, oec de nomine oon immutando religione aliqua tenentur Hebræi, quod ſibi tum maximè cenſent permiſſum, cùm vocis ſenſus parùm vel nihil variatur; cùm igitur eadem ferme ſit ſignificatio vocis Elias, & Eliacim, plurimùm mihi quidem inculcandum id videretur, aſſerendumque, *Helciam* vel *Eliacim* ſub Manaſſe & Joſia rebus ſacris præeſſe potuiſſe.

Quod autem velut peremptorium videtur pro adjudicanda cauſa ſententiæ ætatem poſt ſolutam captivitatem Babylonicam præferenti, illud eſt, quod legitur in Græco cap. 4. 2. *Recenter aſcenderant è captivitate, & nuper omnis populus collectus fuerat Judæa; & vaſa & Altare, & domus ex pollutione fuerunt ſanctificata*. Paria narrat Achior copiarum Ammoniticarum Præfectus Judith 5. 23. Græc. t. 18. *Exterminati ſunt prœliis à multis nationibus, & plurimi eorum captivi abducti ſunt in terram non ſuam. Nuper autem reverſi ex diſperſione, qua diſperſi fuerant, adunati ſunt .... & iterum poſſident Jeruſalem, ubi ſunt ſancta eorum.* Adnotaſſe juvat poſtrema hæc verba è Vulgata deducta eſſe, ſed Græcus addit: *Et Templum Dei ipſorum factum eſt in pavimentum*, (vel pedibus conculcatum eſt) *& Civitates eorum capta ſunt ab adverſariis .... & habitarunt in montana, quoniam erat deſerta*. Fruſtra autem Textuum ejuſmodi ſenſus aliò detorqueretur, ſola enim lectio, & quæ primò ingeritur legentibus idea exhibet hiſtoriam rei poſt ſolutam captivitatem geſtæ; quæ Veterum omnium (a) & Recentiorum etiam complurium eſt (b) perſuaſio. Equidem ſi Græca tantùm authoritas ſententiam hanc præferri juberet, invidia illa facilè non careret, ſed & de Vulgatæ conſenſu fidem ipſa pariter adſtruit non indubiam; habet enim Vulgata: *Nuper reverſi, iterum poſſident Jeruſalem, ubi ſancta eorum*. Num ſatis prono ſenſu de captivitate, ferè dicam, diurna, ſub Manaſſe iſta exponerentur?

Defendunt inſuper Phraortem, quem ipſum credunt Arphaxad Judith, (c) vitam prorogaſſe ſat. diu poſt Sahosduchim, i. e. Nabuchodonoſorem Judith, quem jaculis conſodiſſe Arphaxadum ipſa Judith hiſtoria refert. Obiit Sahoſduchim, juxta P. Petavium anno 4067. Periodi Julianæ; & Phraortes anno 4071. Quæ ſi vera ſint, reiiciendum eſt neceſſario præſtitutum antea à nobis ſyſtema, revocandaque hiſtoria Judith poſt Babylonicam captivitatem

Tandem ſententiæ huic firmandæ notant, Vulgatæ Textum perinde ac Græcum, præferre Judith 16.28.30. *Manſit* (Judith) *in domo viri ſui annos centum quinque .... In omni ſpatio vitæ ejus non fuit, qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem ejus annis multis.* Ponat quis ad arbitrium Judith annos egiſſe ætatis 50. cùm elegantis oris aſpectu capere oculos Holofernis tentavit; ponat inſuper ad alios 55. annos vitam prorogaſſe; quomodo demonſtraretur toto illo ſpatio 55. annorum, & *poſt mortem ejus etiam annis multis*, res Judæorum manſiſſe in tranquillo? conſtat enim ab A. M. 3347. quocum expeditio iſta Holofernis componitur, continuatam 60. annorum periodum nihil per annos ferme ſingulos tuliſſe niſi mala plurima, & malorum veluti connexam affligendis miſeris ſeriem.

Agnoſcendum eſt igitur, inquiunt illi, hiſtoriæ hujus ætatem revocari nequaquam poſſe niſi poſt captivitatem Babylonicam. Sed & inter ſententiæ hujus patronos diſſidium eſt. David Ganz hiſtoricus Judæus affirmat Vatem quendam, Scriptorem hiſtoriæ dedicationis Templi, rem hanc conſignare ſub Aſmonæis, alterum verò componendam maluiſſe cum Regno Cambyſis filii Cyri; ſed proſequitur Ganz, Sapientes ſæculi reputant, conſignandam hiſtoriam ad illud idem tempus, quo ſpectatum eſt miraculum dedicationis, i.e. miraculum multiplicati olei, ut detinendo 8. diebus lampadarum lumini ſat fuerit. Vide ſupra *Feſtum Luminum*. Placet Euſebio hiſtoriam hanc referre ad Cambyſem, Syncello ad Xerſem, Severo Sulpicio ad Ochum, aliis ad Antiochum Epiphanem & Machabæorum ætatem.

Quæ poſterior ſententia multo faciliùs defenderetur, ſi quis admittat inſtitutum in memoriam rei geſtæ Feſtum, de quo in Vulgata quidem, ſed in Græco, Syriaco, & veteri Vulgata nihil tale legitur. Scriptores Commentariorum frequentes reputant Feſtum hoc Judith ipſum eſſe Feſtum innovati ignis ſacri atque reſtitutæ Templi dedicationis per Judam Machabæum. In hanc ſententiam concedunt cum Leone Modena Cærem. Jud. part. 3. cap. 9. Salianus, Bellarminus, Torniellus, A Lapide, Grotius &c.

Producitur in medium teſtimonium Philonis, probans Summum Sacerdotem Jeſum inſtituiſſe feſtum Judith ſub Dario Longimano. Cedo mihi Authoris verba: *Aſſuerus intra Babyloniam ſe continebat. Ad eum Jeſus Pontifex, quia Duces Syriæ contra Hebræos ſcripſerant, ſe contulit. Ergo quia eo anno Aſſuerus erat occupatus bello, non eſt auditus Jeſus. Victor, cum ſequente anno miſſum a ſe Holofernem à Judæis truncatum audiſſet, edicto publico vetus Templum erigi. Succeſſit Darius Longimanus. Anno ejus primo reverſus eſt Jeſus. Is anniverſariam liberationis* (Bethuliæ) *memoriam quotannis agendam inſtituit*. In eam pariter rem adducitur Calendarium Hebræum vulgatum à Sigonio de Republica Hebr. lib. 3. cap. 17. Feſtum Judith referens ad 25. Caſleu, quod recidit in feſtum dedicationis Templi, & ignis ſacri à Juda Machabæo innovati.

Sed huic Philonis nomine obtruſo teſtimonio reponitur, ſuſpectam eſſe Annii Viterbienſis, illud referentis, fidem, quippe cujus nomen inter famoſos operum Impoſtores famoſiſſimum eſt. Quare fruſtra refutandum ſuſciperetur. Calendarium Sigonii ſuſpicioſum eſt opus maxime Seldeno. Ad hæc, conſtat tempus celebrati Feſti dedicationis Templi ipſam fuiſſe diem 25. Caſleu, i. e. 25. menſis Lunaris, Novembri ferme reſpondentis; quare nihil habet affinitatis cum feſto Judith & libertatis Bethuliæ reſtitutæ, quæ ad feſta circiter menſis Septembris revocanda videntur. Tandem ſi Leo Modena & rituales quidam Judæorum Libri victoriæ Judith memoriam recolant, qua die Templi dedicationis feſtum celebratur; non inde tamen recte inferas, eandem diem ſacram non fuiſſe Feſto liberatæ per Judith Bethuliæ. In memoriam res illa revocatur, tanquam affinitatis habens aliquid cum hiſtoria illa Judæ Machabæi. Cæteroqui autem Scriptores quidam Judæi tenent, Judith, de qua in hymnis ſcriptiſque illis precibus, ſororem fuiſſe Judæ Machabæi, quæ cùm à Nicanore Syrarum copiarum Principe deperiretur, largiori inebriatum vino hominem obtruncavit. Commenta hæc reputamus; ſed commenta tamen, quæ Judæis nonnullis perinde habentur ac veritate ſancta.

Si quis ergo defendendam maluerit veritatem feſti inſtituti in memoriam relatæ à Judith de Holoferne victoriæ, ſimulque conſtituat hiſtoriæ hujus ætatem ad tempus ante captivitatem Babylonicam, illi utique reputandum, Judæos longiſſima ætate ab eo celebrando ceſſaſſe, vel ſacram huic ab antiquo diem in aliam tranſtuliſſe; in aliam ſcilicet eandemque, qua ſimul memoria recoleretur dedicati Templi à Juda Machabæo.

(a) Euſeb. Chronic. Auguſt. de Civit. lib. 18. cap. 16. Sulpic. Sever. lib. 2. Syncell.
(b) Six. Senen. Dionyſ. Carthuſ. Lyran. Natal. Alex. Eſtiuſ.
(c) V. de Baſnag. Antiquit. Jud. tom. 1. pag. 255. 256. cap. 19. art. 18. 19.

Monitri loco, nec immeritò, reputatur manum illam hominum in modica Urbe Bethulia recluſam, manum, inquam, illam hominum, quando etiam Judæi omnes tunc in Provincia verſantes eo accurriſſent, id commiſiſſe, ut Holoferni & univerſæ Aſſyriorum potentiæ reſiſtere auderet: ſed revocandum eſt in mentem decreviſſe Nabuchodonoſorem non tantùm redigere ad imperium gentes omnes Tranſeuphrateas; ſed & ſubjectos cogere, ut ſibi cultum & venerationem tanquam unico & ſingulari Numini impenderent: Judith 3. 11. *Præceperat illi Nabuchodonoſor Rex, ut omnes Deos terræ exterminaret, videlicet ut ipſe ſolus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubjugari*. Et cap. 5. 29. *Principes etiam exercitus Holofernis, poſtquam ſermonem Achior auſcultaſſent, mutuo ſe adhortabantur inferre contra Bethuliam arma. Ut ſciat omnis gens, quoniam Nabuchodonoſor Deus terræ eſt, & præter ipſum alius non eſt*. Sanctum id erat & ſolemne Regibus Perſidis, ut divinos ſibi honores à ſubjectis gentibus exigerent: *Perſæ non piè tantùm, ſed etiam prudenter Reges ſuos inter Deos coluere; majeſtatem enim imperii ſalutis eſſe tutelam*, ait Cleon apud Curtium lib. 6.

Non eſt igitur, cur miremur, ſi impio huic & ſtulto Regii ejus Ducis conſilio reſiſtendum ſibi propoſuerint Hebræi; neque enim abſque crimine, & inſigni in Religionem ſuam illata injuria, ut imperata facerent, acquieſcere potuiſſent; meritoque ſibi in tanta rerum anguſtia de ope à Deo præſtanda ſpondebant. Quando verò, ita diſponente Numine, ſuccubuiſſent, id utique in gloriam illorum, decus, & compendium ceſſiſſet.)

JULIA, mulier Romana, quam quidam Philologi, cujus Paulus in Epiſtola ad Romanos meminit, uxorem putant. *Orig. in Rom.* 16. 15. An *Julia* mulier, an vir fuerit, ſunt, qui ambigant. *Rom.* 16. 15.

JULIANUS. Marcus Antonius Julianus; Judææ Præſes anno Chr. 70. Vide v. *Marcus Antonius Julianus*.

JULIAS, aliter *Livias*; Joſephus enim Imperatricem *Liviam* Auguſti uxorem ut plurimum *Juliam* appellat. Binæ in Judæa urbes Juliades, quarum alteram, ab Herode Antipa ad Lacum Tiberiadis, propè Jordanis fauces conditam *Bethſaidam* vocant. Bethſaida tantum ab Evangelio dicitur, noſque in Gaulanitide (a) ultra Jordanem locatam credimus (b). Alteram verò ad mare Mortuum prope fauces Jordanis eodem in loco, quo olim *Betharan*, ſeu *Betharamphta* (c) ſita fuerat, extructam, Herodes, cognomento Philippus, à ſe deinde adauctam Juliadem appellavit.

JULIUS, Cohortis Auguſti Centurio, qui Paulum à Præſide Judææ Feſto, ut Romam ad Cæſarem, ad quem appellaverat, perduceret, ſibi commiſſum comiter accepit, & Alexandriæ, quo uterque pervenerant, in alteram navim Romam navigantem tranſtulit. Vid. *Act.* 27. 1. &c.

(JULIUS CÆSAR. Nomen Cæſar in communem tranſiit Romanorum Imperatorum appellationem, poſtquam Julius Cæſar Reipublicæ Romanæ ſtatum ex Ariſtocratico in Monarchicum tranſtulit. *Cæſarum* ſæpè meminit Scriptura, ſed raro peculiare ſingulorum nomen addit: *Licet ne tributum dare Cæſari?* regnabat tunc Tiberius. S. Paulus Act. 25. 11. 12. *Cæſarem appello; Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis*; ad Neronem ſcilicet. Et ad Philipp. 4. 22. *Salutant vos, qui de Cæſaris domo ſunt*; nempe de Neronis domo. Meminit S. Lucas 2. 1. *Cæſaris Auguſti*; *Tiberii Cæſaris* 3. 1. & *Claudii Cæſaris*. Act. 11. 28.

Julius Cæſar ſeu *C. Julius Cæſar* Romanorum Imperatorum primus, cujus ut res geſtas libemus in hoc Opere nihil eſt, niſi quantum rebus Judaicis & hiſtoriæ Sacræ aliquid habet commune. Itaque non totam ejus hiſtoriam hic referemus, ſed ea tantùm, quæ cum rebus Judaicis connexa ſunt. Natus eſt ex Lucio Cæſare & Aurelia filia Cottæ anno V. C. 654. Mundi 3906. ante Jeſum Chriſtum 98. Sexto & decimo ætatis anno agenti obiit pater; vertente anno deſignatus fuit in Pontificem Jovis. Necem ejus ſtatuerat Sylla Dictator; nec aliter præſentiſſimum diſcrimen evitavit Cæſar, quàm celando ſeſe, atque corruptis viris ad ſe capiendum miſſis pecunia. Veniam tandem, deprecantibus amicis, impetravit à Sylla. Simul autem ille ceu oraculo prænunciavit futurum, ut juvenis ille Rempublicam perderet.

Poſt obita alterum poſt alterum munia Tribuni, Quæſtoria, Ædilis, Summi Pontificis, Prætoris ſeu Præfecti Hiſpaniæ, pervenit tandem ad Conſulatum anno V. C. 695. Mundi 3947 ante J. C. 57. & cum præfecturam Galliæ gereret, redegit illam in Provinciam, poſtquam totam latè regionem ſubegiſſet ſpatio 9. vel 10. annorum, quandiu dignitatem retinuit. Inter hæc Julia ejus filia diem clauſit, qua ſimul extincta eſt inter Cæſarem & Pompejum generum ſuum ſponſum Juliæ amicitia; neque enim dominum patiebatur Cæſaris indoles, nec ſocium Pompejus: ex quo mutuæ utrinque ſimultates. Pompejus Romæ verſans poſtulata Cæſaris abſentis omnia interrumpebat; & Cæſar ea de re furens, rediit in Italiam cum victricibus copiis (d), tantoque adverſarios ſuos affecit terrore, ut poſt diſpoſitas Italiæ res fuga omnes ſaluti ſuæ conſuluerint.

Ariſtobulum Judææ Regem reſtitutum libertati (e) miſit ad propria, duabus adjutum legionibus, rebus ſuis qua in Provincia, qua in proxima Syria, Phœnicia, & Arabia defendendis. Sed Pompejani clam propinato veneno iter habentem illum peremerunt. Inter hæc Alexander filius Ariſtobuli copias legebat in Syria, quas patri ſuo, ejus enim opperiebatur adventum, jungeret. Sed Pompejus certior ea de re factus verſanti in Syria Scipioni necem ejus injunxit, quod ſtatim executioni mandatum eſt. Contulit ſe interea in Hiſpanias Cæſar, ubi exercitum Pompeii, quem tres ejus Duces regebant, fregit, diſſipavitque. Reſtituit ſe dein Romam, tum venit in Macedoniam, ubi Pharſalicam de Pompejo victoriam reportavit (f).

Fugienti hoſti gravis inſtitit Alexandriam uſque, ubi nuncio de ejus nece accepto, arma ſua vertit in Ptolomæum Regem Ægypti. Dum hæc gererentur, contigit, ut recluſus Cæſar cum ſuis intra mœnia Alexandriæ totam ſuſtinere cogeretur vim armorum Ægyptiorum. Quare expediendo ſe ab illis anguſtiis Mithridatem in Syriam & Ciliciam miſit ad auxilia comparanda. Antipater Herodis Magni pater, cujus erat curæ Hircanus Princeps & Summus Sacerdos commiſſus, Principi illi & aliis nonnullis è proxima Arabia author incentorque fuit, ut auxiliis Cæſarem juvarent (g). Nec ipſe ſegnis in Ægyptum venit cum 3000. quos adductis à Mitridate copiis junxit. Ambo illi Duces Peluſium tentarunt armis, redegeruntque in poteſtatem. Cujus rei decus omne regeſtum eſt in Antipatrum, qui primus per everſa mœnia ſucceſſit in Urbem. Tum iter ſuum proſecuti venerunt Alexandriam, ubi Antipater, qua fama nominis ſui, qua patentibus Hircani literis adeo valuit apud Judæos regionis Onion, ut darent viam tranſeuntibus, & ipſos ſe adderent Cæſarianis. Horum exemplum ſecuti ſunt Judæi Mempheos. Ptolomæus in Mithridatem & Antipatrum evulſum è reliquo exercitu agmen miſit, ut tranſitum Nili prohiberet; ſed Regis copiæ commiſſo prælio ceſſerunt. Accurrit poſt hæc Ptolomæus ipſe cum robore exercitus; in-

(a) Vide Plin. l. 5. c. 14. & 15. & Joſeph. l. 2 de Bello c. 8. & l. 3. c. 2. (b) Vide v. Bethſaide.
(c) Vid. Joſeph. Ant. l. 18. c. 3. & l. 2. de Bel. Judaic. (d) A. V. C. 705. M. 3957. ante J. C. 47.
(e) Antiquit. lib. 14. cap 13. Dio. Caſſ. lib. 41.
(f) A. V. C. 706. M. 3958. ante C. 46. (g) Antiqu. lib. 14. cap. 14. 15.

Digitized by Google

inſecutus eſt illum Cæſar, conſertiſque inter duas acies manibus, plena adeo victoria ceſſit Romanis, ut totam pariter Ægyptum illis vindicaret.

Opportunum adeò & ingens acceptum beneficium ab Antipatro nunquam à mente excidere ſibi Cæſar permiſit. Antequam Alexandria moveret, rata haberi voluit & firma jura omnia Hebræorum in Ægypto, quæ in erecta ad id columna una cum decreto hoc ſuo ſculpi mandavit (a). Iter habenti per Palæſtinam obviam factus eſt Antigonus filius Ariſtobuli Regis; qui accidens ad Principis pedes, necem patris & fratris ſui ingemuit potiùs, quam expoſuit: exhibebat ſub oculis veneno ſublatum patrem, obtruncatum alium Antiochiæ, non alterius criminis reos, quàm quod ejus partibus faviſſent; rogabat, ut in Regnum patris ipſe filius reſtitueretur. Tum vertit ſe ad querelas in Antipatrum & Hircanum, penes quos ſumma in Judæa poteſtas erat. Sed Antipater in Cæſaris adhuc comitatu verſans cauſam ſuam & Hircani egregiè adeò defendit, ut Cæſar occluſis ad accuſationes Antigoni auribus, mandarit Hircano, retineret apud ſe ſacram ſimul & politicam Judæorum dignitatem, receptamque transfunderet in poſteros; Antipater verò procuraret Judæam ab Hircano ſecundus. Decretum ea de re ſuum Græcè & Latinè ſcriptum inſculpi juſſit in tabulis æneis tranſmittendis Romam in Capitolio; ac tum collocari alia pariter Exemplaria mandavit in Templis Tyri, Sidonis, & Aſcalonis in Phœnicia.

Aliquot poſt annos (b) in quinto & poſtremo Conſulatu (c) Cæſar roganti Hircano, animumque Principis impellentibus, quæ ab ipſo retulerat in Ægypto & Syria, commodis, permiſit, ut dejecta olim à Pompejo Jeroſolymæ mœnia reſtituerentur. Decretum ea de re Romæ datum eſt, quo vix delato Jeroſolymam, ſtatim Antipater manum adiecit operi, ſtatimque pariter priſtinæ Urbis munitiones omnes reparatæ ſunt. Nec diù poſt Cæſar è vivis ſublatus eſt die 15. Martii A. M. 3960. ante J. C. 40. ante Æram 44.)

JULUS. Soudeæ Pontificis ſucceſſorem, poſt quem Jotham Pontificatum geſſit, Julum Joſephus *Antiq. l.* 10. *c.* 9. appellat; cùm verò nullibi Juli mentio in Scriptura, hujus Pontificis verum Hebræum nomen ignoramus.

JUNIA, ſeu juxtà quædam Exemplaria Julia. Hujus unà cum Andronico meminit Paulus *apud Rom.* 16. 7. *Salutate Andronicum, & Juniam, cognatos, & concaptivos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis.* Quibus poſtremis verbis, *qui ſunt nobiles in Apoſtolis*, Recentiores plurimi ducti, *Juniam* æquè ac Andronicum, virum dixere (d). D. tamen Chryſoſtomus, Theophylactus, aliique, Andronicum virum ſtatuunt, Juniam verò mulierem, & fortè ejuſdem Andronici uxorem. Græci & Latini eorum diem feſtam Maii decimam ſeptimam habent, eorumque veluti Conjugum meminere.

JUPITER. Poſt Magnum Alexandrum, ejuſque in Aſia ſucceſſores, ſolummodò Jovis nomen Judæi agnovere. Antiochus Epiphanes *Jovem Olympium* in Templo Jeroſolymitano, & in Templo montis Garizim *Jovem Hoſpitalem* erexit 2. *Mach.* 6. 2. D. Paulus & D. Barnabas in urbe Lycaoniæ, quam Lyſtras appellant, Dii crediti ſunt, quòd extemplo à nativitate claudum incolumitate donaverint. Paulus, Mercurius; Barnabas habitus eſt Jupiter, fortè quòd ille eloquens, quòd hic eſſet formoſius. *Act.* 14. 11. V. infra v. *Olympius. Jupiter Olympius.*

(Jupiter filius Saturni & Rheæ vel Opis, frater gemellus Junonis, quam & ſibi adſcivit in ſponſam. Natum puerum occultavit mater, nequid de illo ſubodoraretur Saturnus; ex pacto enim convento inter ipſum ac fratrem ejus Titanum mares omnes e Saturno naſcituri interitui deſtinabantur. Nutriendus infans Curetibus in ſpecu montis Idæ datus eſt, & è capella Amalthæa lac ſuxit. Temporis ſucceſſu patrem ſuum è Cælo depulit, & imperium Mundi cum fratribus partitus eſt. Ceſſit Jovi Cælum & Terra; Neptuno Mare & Aquæ; Plutoni Inferna. Sub fabellarum ejuſmodi ambagibus latere hiſtoriam Noemi ac trium filiorum ipſius, Cham, Sem, & Japheth, vulgò creditum eſt. Quo in ſyſtemate Saturnus refert Noemum, ante cujus oculos diluvii aquis ſubmerſi ſunt homines, & illos quodammodo Noemus ipſe abſorbuit, cùm illos recepit in Arcam ſibi & familiæ ſuæ reſervandæ conditam (e). Jupiter ipſe eſt Cham, Neptunus Japheth, Pluto Sem. Fuſiùs ea de re aliàs.

Jovem è throno deturbare, quemadmodum & antea Saturnum extruſerant, conati ſunt Titanes; Gigantes ſcilicet è Cælo Terraque nati. Quare indicto in Jovem bello, in Cælum evadere ſuperinductis altero alteri montibus tentarunt: ſed fruſtra omnia. Namque fulminibus ſuperba capita percuſſit Superum Rex ille, deturbatoſque ad imas detruſit aquarum occultas foveas, quas impoſitis ſupra montibus obſtruſit. Sub illo Titanum emblemate agnoſcas veteres Gigantes Babelicam ſubſtructionem aggredientes, quorum auſum temerarium repreſſit Deus, immiſſa idiomatum confuſione, atque unitate conſiliorum in diſcordiam verſa.

Nomina illa *Jupiter*, vel *Jovis-Pater*, non malè repetas ex *Jehovah*, addita Latina terminatione, ut ſit *Jovis* pro *Jova*. Porrò *Jovis* in recto, quemadmodum in obliquis legitur; e. g. in nummis eſt *Jovis Cuſtos*, *Jovis Propugnator*, *Jovis Stator* Additum eſt *Pater*, & pro eo quod ſcriberetur *Jovis Pater*, compendii gratia factum eſt *Jupiter*. Sicut autem *Jehovah* vel *Jova* genuinum eſt Dei nomen, incommunicabile, quis ſit ille natura exprimens, nempè non adſcititio, ſed peculiari titulo & eximia inſitæ dotis prærogativa Deus, alius planè à Diis aliis, Angelis ſcilicet, Principibus, Judicibus, eo interdum appellatis vocabulo, quòd Dei nomine agerent, & communicatam ſibi ab illo authoritatem exercerent; ſicut, inquam, is fuit *Jehovah* Hebræis, ità pariter & Paganorum moribus receptum eſt, ut potiſſimum inter Deos Numen *Jovis* appellaretur, quo ſuprema ejus authoritas & imperium expreſſum eſt. Indè perſuaſio aſſerentium *Jovem* ipſiſſimum eſſe *Baal* Phœnicum, *Belum* Aſſyriorum & Babyloniorum, *Zeus* Græcorum, *Moloch* Ammonitarum, & *Maranam* Gazenſium. Tandem nomine Jovis expreſſam Naturam colebant Veteres.

Veteres Eccleſiæ Patres contra Paganos tuebantur Jovem purum putumque hominem fuiſſe in Creta natum. Quos Theologos appellamus, ait Cicero de Nat. Deor. l. 2. Joves diſtinguunt tres: primum & alterum natos ferunt in Arcadia: *Tertium Cretenſem Saturni filium, cujus in illa Inſula ſepulchrum oſtenditur.* Ejus Inſulæ Rex fertur: quin nec unum tantùm ſed & alterum ejuſdem nominis Principem ibidem conſtituunt; cùm ſanè omnia, quæ de Jove narrantur, duos meliùs, quam unum occupent. E. g. conſtat Jovem, quem Curetes puerum nutrierunt, alterum eſſe planè à Jove raptore Europæ filiæ Agenoris Regis Phœniciæ, viri pluribus ſæculis Jove recentioris. Varro, authore Tertulliano, ad trecentos Joves recenſebat. Quam facilè ſummam collegit ille è variis Jovis epithetis, ex variis, ubi colebatur, locis; conſtat enim cognominibus planè infinitis diſtinctum Numen fuiſſe. Aquila ſacra erat illi avis peculiariter, pingebatur autem ſtringens unguibus fulmen Jovis.

JURGATIO. Hominem, qui caſu tranſiens per viam miſcet ſe ignotorum querelis, illi comparat Salomon Prov. 26. 17. qui canem manibus apprehendere tentans morſui incautus ſeſe opponit. Pronò id exemplo quotidie ſpectatur in ſimilibus rerum eventibus; qui enim rixantes ad pacem componere tentant,

(a) Antiq. lib. 4. cap. 17. contra Appion. ib. 2. (b) A. M. 3960. ante C. 44. (c) Antiq. lib. 14. cap. 17.
(d) Pleriquc ad Ep. in Rom. 16. 17. Menoch. Tir. Hamm. Vid. & Theoduret. in Rom. (e) Lactant. lib. 1. c. 13. de falſa Relig. *Nunc idcircò, quod ait vulgus, comediſſe filios ſuos eum, qui extulerit, ſepulturaque mandaverit.*

Digitized by Google

ſæpe furorem illorum acuunt, nec ſibi aliud pro merito operis obtinent, quàm iras utriuſque. Nec inde tamen inſeras nunquam ponendam eſſe à nobis operam, ut ſævientes conciliemus, ſed prudentia multa, diſcretione, & charitate eſt opus; metu, ne vulnus malè tractatum recrudeſcat.

JUSJURANDUM. Falſum *Levit.* 19. 12. & inane juramentum Deus prohibet; *Exod.* 20. 7. cum vero id neceſſitas poſtulet, neque per exterorum Deos, *Exod.* 23. 13. neque per res terreſtres, atque inanimes, neque per Cœlum, & ſydera, aut cujuslibet vitam, ſed tantùm per ſe, ſuumque Nomen *Deut.* 6. 13. & *Jerem.* 4. 2. jurare jubet. Chriſtus Dominus, qui non Legem perdere, ſed implere venerat, omnia juramenta interdicit, *Matth.* 5. 33. à quibus ea propter recentiores Eccleſiæ Fideles, Tertulliano, Euſebio, Chryſoſtomo, Baſilio, & Hieronymo &c. teſtibus, omninò abſtinebant. Fatemur tamen, neque Apoſtolos, neque Patres omnia prorsùs juramenta improbaſſe; quandoque enim contingit, ut eadem neceſſario adhibeantur: quod utique vel quammaxima niſi neceſſitas urgeat, vel utilitas poſtulet, præſtandum non eſt. Nobis ita frugi vivendum, ut ipſa verba veluti juramenta habeantur, neque niſi juſtitia & veritate comite jurandum (a).

JUSTUS. Nomen hominis. *Joſeph*, cognomine *Barſabas*, qui unà cum D. Matthia, ut eorum alter proditori Judæ ſufficeretur, ſelectus fuerat *Act.* 1. 33. *Juſtus* appellabatur (b).

JUSTUS, Judæus, aliter *Jeſus*, & cognomento *Juſtus*, qui una cum Paulo Romæ degebat an. 62., quo & Paulus Epiſtolam ſcripſit ad Coloſſenſes 4. 20. qua Jeſu Juſti & Joannis Marci meminit, eoſque tunc ſolos ſui adjutores appellat.

JUSTUS. *Titus Juſtus*, Gentilis quidem, ſed timens Deum, *Act.* 18. 7. Pauli hoſpes in orbe Corinthi (c), quem D. Chryſoſtomus, *in Ep. ad Tit. hom.* 1. *p.* 619. & Grotius *in Ep. ad Tit.* eumdem putant ac *Titum*, ad quem D. Paulus Epiſtolam ſcripſit. Plurimi tamen oppoſito favent.

JUSTUM. *Juſtitia* appellativo ſenſu. *Juſtitia* ut plurimum probitatem, æquitatem, virtutem quæ cuique debita tribuit, ſæpè etiam virtutem, & pietatem, generatim ſignificat; denique virtutum omnium, quæ hominem probum conſtituunt, collectionem. (d) 2. *Juſtitia* interdum eam virtutem ſonat, quæ Miſericordiam avertens, injurias Deo illatas acriùs ulciſcitur. 3. Interdum etiam Clementiam deſignat, Miſericordiam, & veniam, quam Deus peccatoribus indulget, cujuſmodi ſæpè apud Iſaiam (e). Quandoque hominem mitem, clementem, facilem inducit (f). Sic de Joſepho D. Matthæus (g): *Joſeph cum eſſet Juſtus, noluit Mariam traducere: ignominia afficere, in jus trahere, &c.* 4. Quandoque Juſtitiæ nomine eleemoſyna venit. *Peccata tua eleemoſynis* (*Hebr. juſtitia*) *redime*, monuit Nabuchodonoſorem Daniel (h). 5. Ea deſignatur Juſtitia, qua nos Deus calamitatibus eripit, & noſtram de noſtris hoſtibus vindictam repetit. *Elongatum eſt judicium à nobis, & non apprehendet nos Juſtitia. Iſ.* 59. 9. Deum noſtri levamen, & hoſtium ultorem opperimur; calamitatibus tamen minimè liberamur. 6. *Facere judicium, & juſtitiam*, eſt omnia, quæ Deo & proximis debemus, implere; juſtitiam præcipuè & æquitatem omnibus exhibere deſignat. 7. *Aliquem juſtificare*, aliquem juſtum denunciare, & abſolvere ſæpè valet. Deus Judicem condemnat, qui juſtificat impium *Prov.* 17. 15. *Iſ.* 5. 23. *Juſtificare* ſonat etiam erudire, & juſtitiæ vias edocere. *Iſ.* 5. 53. 11. *Dan.* 12. 3. *Juſtificare* demum aſſumitur ad perhibendum, aliquem paucioribus, quam nos, eſſe vitiis obnoxium. Jeruſalem ſuis flagitiis Samariam, & Sodomam juſtificavit; *Ezech.* 16. 51. *&c.* nempe iis urbibus ſcelere & malitia præſtitit.

IXION, avis, quam Moyſes inter immundas enumerat *Deut.* 14. 13. Species eſt Vulturis albi, cujus viſus acutiſſimus. Hebræam vocem, quam hic *ixionem*, in Levitico 11. 14. *milvum* Hieronymus vertit. Hebræa autem vox eſt *raab*, ſeù *daab*. Amanuenſes reſch cum daleth confundentes, in Deuteronomio *raab*, & *daab* in Levitico tranſcripſere.

IZATES, Adiabenorum Rex, de quo ſæpè Joſephus, (i) quemque Oroſius (k) Chriſtianæ Fidei, Joſephus verò Judaiſmo nomen dediſſe refert. Monobazum patrem, Helenam Monobazi ſororem una & uxorem, matrem habuit. A patre præ cæteris dilectus, quod ei fratrum invidiam timeret, ad Abennerichum Regem Caraxſpaſini ad Tigrim in Sinus Perſici finibus, miſſus fuit; ubi per Judæum, Ananiam nomine, veri Dei cultum edoctus, & aliquantò poſt Provinciæ Armeniæ *Karon*, in qua Arcæ Noe reliquiæ aſſervantur, a patre præfectus, patre tandem mortuo, Adiabenam reverſus eſt, & à Monobazo fratre, qui de matris induſtria diadema abſenti ſervaverat, Regnum accepit.

Judaiſmum, quem maxime diligebat, quemve & mater, ab Judæo altero inſtructa, amplexa fuerat, publicè profiteri appetens, circumcidi petierat; de matris tamen, & Ananiæ conſilio, quod rem periculi plenam ducerent, aliquandiù abſtinuit. Cùm verò Moyſis librum quadam die evolvens, in alium Judæum incidiſſet, ab eo territus, quod Legi injuriam inferret, ni imperata præſtaret, illicò circumciſione initiari voluit, & Ananiæ, matrique acceſſitis ſe circumciſum aperuit. Ea res nil calamitatis Izati attulit, qui pacatis omnino rebus Regnum optimè geſſit. Fratres deinde, ejuſque etiam cognatos Judaiſmum amplexos ægrè tulerunt Regni Optimates; à quibus potentiſſimi hoſtes concitati bellum ipſi denunciarunt circa Ann. Ær. 50. quo tamen ſemper victor evaſit. Annos denique 55. natus, poſtquam annis 24. imperaverat, vitam abſolvit (l), & Monobazo filio (m) Regnum legavit. Ejus oſſa Jeroſolymam delata, unà cum matre in ſplendido ſepulchro, quod ipſa mater prope eam urbem eſtruxerat, condita fuere (n) Cùm Titus Jeroſolymam oppugnaret, Izatis filiis & fratribus ſibi ſupplicantibus vitam indulſit, An. Ch. 70. Vide Joſeph. de Bello l. 7. c. 13.

K

K Litera Hebræo Koph, & quandoque Caph reſpondet, cujus in Vernacula Lingua nullus, præterquam ad extraneas voces exprimendas, eſt uſus. Quæ ſub hac littera non invenies, quære ſub litera C.

KABALA, Traditio. Vide *Cabala*.

KADESH. Vide *Cades*.

KADUMIM. V. *Cadumim*, Torrens Cadumim.

KALENDÆ, prima menſis dies. Nullæ Græcis Kalendæ; ex quo proverbium: *Græcæ Kalendæ*: ignotum & incertum tempus. Hebræis prima menſis dies quibuſdam cæremoniis, quas v. *Neomenia* explicabimus, ſolemnis erat. Verſionum Bibliorum Scriptores indiſcriminatim vel *Kalendas*, vel *Neomeniam* ponunt, ut primam menſis

diem

(a) Vide D. Auguſt. Ep. 157. n. 40. & Commentar. in Matth 5. 33. (b) Vide v. Joſeph. & Barſabas. (c) Circa Ann. 53.
(d) Vide Ezech 18 5. &c. (e) Iſ. 41. 10. & 42. 6. & 45. 8. & 46. 1. & 61. 10. Vide & Pſ. 50. 16. & 142. 1. &c.
(f) Pſal. 50 16. & 142. 1. Eccl. 7. 17. Rom. 3. 25. &c.
(g) Matth. 1. 19. Vide Grot. Druſ. Hamm. Pricæ. Camerar. Cinactebul. Toynard. Martianay: Gatak. ad Matth. 1. 19. &c.
(h) Daniel. 4. 24. Vide Prov. 21. 26. & 11. 18. & paſſim.
(i) Ant. l. 20. c. 2. & l. 6. c. 36. de Bello.
(k) Oroſ. l. 7. c. 6. qui & Helenam Izatis Matrem Chriſti Fidem amplexam aſſerit. (l) Ad ſummum An. Ch. 61.
(m) Joſeph. Ant. l. 20. c. 2. prope finem aſſerit, Izatem Fratri Monobazo Regnum reliquiſſe.
(n) Vide v. Helena.

Google

diem ſignificent. *Neomenia* Græcè idem eſt, ac *Kalendæ*.

KANNA, ſive *Canna*, Latinè *Calamus*, Hebræoſum menſura, pedes decem, & tres pollices continens. Vide *Calamus*.

KARAITÆ, Judæorum ſecta, Textui, & literali Scripturæ ſenſui prorsùs adhærentes, Rabbaniſtis contrarii, qui Veterum traditiones ſectantur. Vide *Caraitæ*.

(KARIATH-SEPHER. Vide *Cariath-Sepher*, Urbs Librorum, aliter appellata *Dabir* in plaga meridionali Tribus Juda.)

KASIB, ſive *Kasbi*, urbs Tribus Judæ. *Gen.* 38. 5. Vide *Caſib*.

(KASIDÆI. Vide Aſſidæi & 1. Machab. 7. 13. & Pſal. 78. 3.)

KEDAR. Pater Kedarenorum, in Arabia Deſerta. Vide *Cedar*.

(KEDEM. Vox eſt Hebræa interdum recurrens in Scriptura, reddita plerumque Oriens. Legimus e. g. Geneſis 11. 1. 2. filios Noe unius ejuſdemque ſermonis vinculo junctos, *cum proficiſcerentur de Oriente, veniſſe in campum Sennahar*. Plura hic ambigua, namque campus Sennahar Occidentalis planè non eſt Armeniæ, ubi conſtitiſſe Arcam ſat ſcimus: nec Armenia Orientalis eſt Babyloniæ (ubi Sennahar); quin potiùs ad Boream ejus regionis ſitam fuiſſe ignorat nemo. Ut expediant ſeſe interpretes & Commentatores, varias Textus hujus expoſitiones procuderunt. Maluerunt nonnulli (a), nomine *Kedem* deſignari regionem, frequentatam deinde à *Kedma*, filio poſtremo natu Iſmaelis (b). Eſt aliis *Kedem* poſitum pro *ab exordio*, quaſi ſcilicet inſinuarit Moyſes ea voce primos illos homines poſt diluvium moviſſe ſe è loco, ut per varias diffunderentur regiones. Aliis probatur, Moyſem locutum fuiſſe pro more Aſſyriorum, qui communi *Kedem* vel Orientis nomine deſignant Imperii ſui provincias omnes ultra Tigrim (c); ſicut & Occidentem vel *Arab* dicunt, quidquid ſitum eſt cis amnem. Druſius pro eo quod vertat *profecti ſunt de Oriente*, reddendum cenſuit *profecti ſunt, ut irent Orientem versùs*. Affert paris expoſitionis Textus alios, ut ſuam hanc probet: violentam eſſe tamen negabit nemo.

Intelligere nobis videmur ex pluribus collectis Veteris, quin & Novi etiam Teſtamenti Textibus, ſolemne fuiſſe ſacris Authoribus, ut nomine *Kedem* vel Orientis deſignarent Provincias omnes trans Euphratem & Tigrim, vel Meſopotamiam pariter, Armeniám, & Perſidem. Moyſes in Ægypto nutritus, qui pariter & in Arabia diu vixerat, ejus facilè regionis mores retinuit. Conſtat utique, Babyloniam, Chaldæam, Suſianam, Perſidem, & Meſopotamiæ portionem, ſicut & amnes Euphratem & Tigridem pro majori curſus ſui parte Orientales eſſe Palæſtinæ, Ægypti, & Arabiæ.

Conſtat etiam gentes, quæcunque venirent ex Armenia, Syria, Media & Meſopotamia ſuperiori, Palæſtinæ & Ægypti fines ingredi ab Oriente. Satis hæc Hebræis, ut ſcriberent gentes illas omnes ſibi fuiſſe Orientales. Demonſtramus inſuper eas regiones innotuiſſe Hebræis ſub Orientis nomine ex illo Num. 23. 7. ubi Balaam accitus dicitur à Balac Rege Mohab *de montibus Orientis*, i. e. de Pethor ad Euphratem. Legimus Iſaiæ 41. 2. Abrahamum veniſſe ex Oriente in Chanaanitidem: moviſſe autem è Meſopotamia & Chaldæa quis ignorat? Idem Prophera 46. 11. habet Cyrum ex Oriente infeſta arma laturum in Babyloniam. Ac tandem idem ipſe Propheta 9. 12. Syriam conſtituit Orientalem Judææ. Daniel 11. 44. narrat, Antiochum ſauciatum fuiſſe animo ex accepto defectionis Provinciarum Orientis nuncio; i. e. Provinciarum trans Euphratem. Scribit S. Matthæus 2. 1. Magos adoratum veniſſe Jeſum Chriſtum è partibus Orientis.

Demonſtratum hiſce arbitror, quod mihi ſuſceperam probandum, Scripturæ nempe ſtylo poni ſæpè Orientem pro regionibus ad ſeptemtrionem Judææ & Ægypti, è quibus tamen Palæſtina non petitur niſi per viam Damaſci, quæ Urbs eſt ad Orientem ſeptemtrionalem hujus regionis.

KEDMA. Vide *Cedma* è filiis Iſmael.)

KEDRON. Torrens *Kedron*. Vide *Cedron*.

KEPHA, *Kaipha*, ſive *Keipha*, vel *Hepha*, urbs, ad radices Carmeli montis ſita, ad ſeptemtrionem, è Regione Ptolemaidis. *Sycaminon* etiam dicitur, urbs ſcilicet ficulnearum. Vide *Cepha*, vel *Sycaminon*.

KEREM. V. *Cherem*, Anathema, ſive Excommunicatio. Vox hæc non per k, ſed per *Ch.* ſcribenda eſt.

(KERMES. Vide *Vermiculus*.)

KESITA. Vox hæc in Geneſi (d), & in Job. 42. 11. legitur; & oves, ſive agni vertitur. Ita Jacob centum agnis campum emit, in quo tentoria fixit; & quiſque ex cognatis, & amicis Jobi poſt illius valetudinem, illi agnum ſive ovem dono dedit. Plerique tamen Rabbini, & recentiores Interpretes, *Keſitha* monetæ genus ſignificare arbitrantur; nam, inquiunt, ovis donum amicorum, & cognatorum liberalitate indignum, Jobique neceſſitati, ejuſque, & eorum generi minimè congruum videbatur. At eadem ne dici non poſſent, ſi *Keſitha* monetam, præſertim non auream, nec magni pretii (ſunt enim qui minimam dicant) ſignificare aſſeratur? (e) Bochartus, & Eugubinus credunt, Septuaginta pro *agnis* minas legere; Græcè *Hecaton mnon*, pro *Hecaton amnon*. Mina 60. ſiclis Hebraicis, ſcilicet 97. libris, ſolidis ſex, denariis decem reſpondebat. Cl. Le Pelletier Rothomagenſis credit, *Keſitha* monetam fuiſſe Perſicam, hinc ſagittario (*Keſitha*, ſive *Keſeth* Hebraicè arcum ſignificat), inde agno ſignatam; auream inſuper ſub Darici nomine toto Oriente notiſſimam, quæque libras 12. ſolidos decem æquat. Eruditi aliquot valore *Keſita* non expreſſo, argenteum nummum ove ſignatum fuiſſe dicunt; ex quo Septuaginta, & Vulgata ovem reddidere. Nos auri, argentique burſam opinamur, quæ pecuniæ ſumma adhuc in Orientalium computis viget. Burſa apud Perſas 50. Tomanos continet, ſcilicet 2500. nummos, quorum ſinguli 18. ſolidis noſtratibus reſpondent. *Kiſla* Chaldaicè menſuram, vas ſonat; eamdemque Euſtathius menſuram eſſe Perſarum aſſerit. Jonathan, & Targum Jeroſolymitanum vocem *Keſitha*, margaritam vertunt. (f).

KIBERATH HARETZ, vox (g), quam S. Hieronymus in Geneſi vertit; *verno tempore*; in Regibus, *electo terræ tempore*; Septuaginta vocem Hebræam *Chaphrata* ſervant, & *Hippodromo* addunt; innuentes forraſſe, vocem *Kiberat-haretz* ſpatium ſignificare, quod equus in *Hippodromo* percurrebat, duo ſcilicet ſtadia, & 300. paſſus. Aquila vertit, *ſecus viam*; alii (h), jugerum terræ; alii, iter, quod à prandio ad cœnam confici poterat. Nos vocem *Kiberath* ex Hebræo *Karab*, ſive *Kabar*, labore, deducimus; & *Kiberath-haretz* terræ tractum, quem duo boves una die arant, ſignificare cenſemus. Tractua iſte 120. pedes in longum abſolvit; & jugerum bia hanc longitudinem exæquat. *Jugum vocabatur*, ait Plinius *l.* 18. *c.* 3. *quod uno jugo boum in die arari poſſet*.

(a) Capel. apud Bochart. Phaleg. l. 1. c. 7. (b) Gen. 25. 11.
(c) Bochart. loc. cit. (d) Gen. 33. 19. Idem reperitur apud Joſue 24. 32.
(e) David Kimchi keſitha per vocem explicat, quæ Geran Hebraicum, valoris unius oboli, ſive paulò pluris, quàm ſolidi, & 7. denariorum ſignificat. Apud Hebræos minor pecunia non erat, quam Gerau, quæ vertitur Mehah in Chaldæo 1. Regnum 2. 37.
(f) Vide Noſt. Comm. in Gen. 33. 39. (g) Gen. 35. 16., & 48. 7. & 4. Reg. 5. 19.
(h) Chald. Syr. Vatabl.

Digitized by Google

poſſet. Actus, in quo boves agerentur cum aratro, uno impetu juſto. Hic erat CXX. pedum: duplicataſque in longitudine jugerum faciebat (a). Vide & 1. *Reg.* 14. 14., ubi Jonathas ipſiuſque armiger 20. homines interfeciſſe dicuntur, *in media parte jugeris, quam par boum in die arare conſueverit.*

KIBEROTH-AVAH, ſive *Kiberoth-hattaavah*, *Num.* 11. 34. 35. Sepulchra Concupiſcentiæ, nomen ſtationis cujuſdam Iſraelitarum in deſerto, cùm hi carnes, manna faſtidientes petiere, iiſque immenſam adeò coturnicum copiam immiſit, ut pluribus diebus ſufficerent. Cum tamen coturnices nondum conſumpſiſſent, *Num.* 11. 33. 34. *Pſal.* 77. 30. Deus flagellum excutiens, tot eorum interfecit, ut inde locus diceretur, *Sepulchra Concupiſcentiæ.*

KIKAION, vox à S. Hieronymo, & Aquila per *hederam* verſa (b), & Septuaginta per *Cucurbitam*. Hederam Hebræo *Kikajon* minimè reſpondere fatetur S. Hieronymus; cum tamen nulla vox Latina illius ſenſum attingat, *hederam* ſcribere maluiſſe, quàm *Kikajon*, quod monſtrum aliquod in India, vel in Bœotiæ montibus natum aliquibus ſonare potuiſſent. Plantam hanc idem ita deſcribit: *Eſt autem genus virgulti vel arbuſculæ, lata habens folia in modum pampini, & umbram denſiſſimam, ſuo trunco ſe ſuſtinens; quæ in Palæſtina creberrimè naſcitur, & maximè in arenoſis locis: mirumque in modum ſi ſementem in terram jeceris, citò confota conſurgit in arborem, & intra paucos dies, quam herbam videras, arbuſculam ſuſpicis.*

Interpretes recentiores (c) ferè omnes conveniunt, Hebræum *Kikajon palmam Chriſti*, ſive *Ricinum*, Ægyptiacè *Kiki*, & Græcè *Seli-cyprion*, ſonare, quæ planta lilio ſimilis folia habet lævia, expanſa, & nigris maculis reſperſa; truncum verò teretem, & lævem, floreſque diverſi coloris. Dioſcorides hujus genus quoddam refert, ad parvæ ficus altitudinem proveniens, foliis platano ſimilibus, majoribus tamen, lævioribus, magiſque ad atrum inclinantibus; trunco demùm & ramis cavis, uti arundinis. Hanc fortaſſe innuit Jonas. Narrat S. Auguſtinus (d), cùm quidam Africæ Epiſcopus Hieronymianam Verſionem in populi cœtu legi juſſiſſet, adſtantes ægrè audiiſſe, cùm *hederam* pro *cucurbita*, uti legi conſueverat, intellexere: quare Judæos, qui in urbe erant, conſulere viſum eſt, qui dolone, an inſcitia cucurbitam legi debere declararunt: ipſeque Epiſcopus, ut populum ſedaret, ſuaque in communione retineret, Hieronymi Verſionem eo in loco vitioſam dicere coactus eſt.

KINNERETH, ſive *Cinnereth*, Tiberias. *Lacus Cinnereth*. Lacus Tiberiadis.

(KINNOR. Vide *Cinyra*.

KION. Exprobrat Amos 5. 25. 26. Iſraelitis cultum Idolorum in Deſerto; addens delatam ab illis *Baſim Deorum ſuorum*; in Hebræo *Kion imaginum veſtrarum*. Vide ſupra Chion, & v. *Remphan*, & v. *Samaritani*.)

KIPPUR, ſive *Chippur*, Feſtum expiationis ſolemnis. Vide *Expiatio*.

KIR-HARESET. Vide *Ar*, *Areopolis* Moabitarum Metropolis.

KIRIATH-ARBE, *Kiriath-ſepher*, *Kiriathiarim*. Vide *Cariath-arbe* &c.

KISON, ſive *Kiſſon*. Vide *Ciſon*, Torrens *Ciſon*.

KOSEBA, urbs Moabitarum (e).

L A

L

LAABIM, ſivè *Lahabim Geneſ.* 10. 13. tertius Mezraim filius. Laabim Libyæ populus ex Africæ vetuſtiſſimis deſignare creditur: qui propè Ægyptum, ad Thebaidis occaſum, & ad Mediterraneum ſedes fixerant. *Lahabim* accenſum ſonat; *lahaba*, flammam: & Lybia maximo Solis æſtu torrebatur.

LAADA, filius Selæ, Mareſæ pater, ex Tribu Judæ. 1. *Par.* 4. 21.

LABAN, Bathuelis filius, Nachoris nepos, frater Rebeccæ, Rachelis, & Liæ pater. Jacob in Meſopotamiam veniens à patruo Labano humaniſſimè exceptus eſt (f). Elapſo poſt Jacobi adventum menſe, Laban nepoti optionem dedit, ut quam mercedem vellet, poſtularet; cùm fas non eſſet, ut ille, quamvis nepos, abſque mercede ſerviret. Cui Jacob ſeptennale ſervitium obtulit, dum Rachelis minoris filiæ nuptias Laban polliceretur (g). Uxorem igitur ſuam à Labano poſtulavit, cùm jam tempus debitum adveniſſet. Laban annuens, convivium nuptiale inſtruxit, Liamque pro Rachele veſpere Jacobo ſuppoſuit; ita Jacob nonniſi die ſequenti fraudem animadvertit. Hac tamen cognita, Jacob cum Labano conqueſtus eſt; cui ille, apud ſuos moris non eſſe reſpondit, ut minores filiæ ante majores nuptui traderentur. Rachelem tamen etiam ſe conſecuturum ſciret, ſi altero ſeptennio ſibi famularetur. Conditioni acquieſcens Jacob, poſt annos ſeptem cum Lia tranſactos, Rachelem duxit.

Cùm Jacob annis quatuordecim Labano ſerviſſet, diſceſſum in Chanaanitidem parabat. Laban verò ipſum impediens, ut ſua in ſervitute perſeveraret, exoravit, ſimulque quam ſibi vellet mercedem, exhibuit. Jacob maculoſos è grege fœtus, atroſque, qui ſcilicet infimi pretii lana veſtiuntur, popoſcit. Aſſentiens Laban, atra, maculoſaque ab albis ſejunxit, iſtaque filiis ſuis, illa Jacobo tradidit, verens ne dolo malo Jacob, maculoſas capras oveſque albis immiſcens, curaret, ut omnia maculoſa orirentur. Jacob tamen divinitùs per quietem didicit, qua ratione maculoſos fœtus compararet; ſi nempe ante coeuntium matrum oculos varii coloris virgas exponeret. Spe non fruſtratus Jacob, adeò divitiis & potentia crevit, ut Laban & filii ſummo in ipſum livore arderent.

Horum invidiam noſcens Jacob (h), diſcedendi conſilium, inſcio Labano, inivit; eaque cautione perfecit, ut vix tertia die ab ejus diſceſſu Laban reſciverit. Hic igitur Jacobum perſequens, ipſumque ad montem Galaad aſſequens, ſolas cum illo querelas fudit (venienti enim Dominus per quietem viſus imperaverat, ne quidquam gravius in Jacobum loqueretur:) cur ſcilicet filias, nepoteſque amplexandi, ipſumque abeuntem muſicis concentibus comitandi commodum ſibi non conceſſiſſet. Cùm verò de Diis ſuis, ſive *Teraphim* (i) raptis querelam inſtituit, graviſſimis verbis conceptum furorem oſtendit. Cui Jacob concitatè reſpondit, quem ex ſuis ejus furti reum inveniſſet, ſe etiam aſſentiente, interficeret. Idola quippè à Rachele ablata ignorabat. Laban igitur omnia Jacobi tentoria ſcrutatus, nihil invenit: Rachel enim idola ſub cameli ſtramento condens, omnem patris diligentiam fruſtravit. Vide *Rachel*.

Jacob deinde viciſſim cum Labano conquerens, præ-

(a) Confer Columel. l. 5. c. 1. Iſidor. Origin. l. 15. c. 15.
(b) Jonas 4. 6. Kikajon. 70. Κολοκύνθη Cucurbita. Aqu. Κισσὸς, Hedera. Vide Hieron. in Jon. 4.
(c) Kimchi, Boch. Mont. Jun. Piſc. Mercer. Grot. Buxtorf. Druſ. Urſin. Breman. alii.
(d) Aug. Ep. 71. & Ep. Hieron. inter Auguſtini 75. n. 22. (e) Vide 1. Par. 4. 21. in Hebr.
(f) Geneſ. 28. & 29. A. M. 2245. ante Chr. 1755. ante Ær. 1759.
(g) Sunt qui Rachelem duxiſſe negent ante expletos hoſce ſervitutis annos; ſunt qui aſſerant, eaque verba: *jam tempus completum eſt*; explicent, ac ſi dixiſſet; Ea ſum ætate, ut familiam, & uxorem comparare debeam, 77. enim annos numerabat.
(h) Gen. 31. 1. &c. Circa A. M. 2265. ante Chr. 1735. ante Ær. 1739. (i) Vide *Teraphim*.

Digitized by Google

præſentem ſibi illatam injuriam, mercedem decies mutatam, animique pravitatem, qua, niſi Deus ſibi adfuiſſet, inopem ſe ad patrem remiſiſſet, exprobravit. Cui Laban: Filias, nepoteſque meos habes: quid gravius in ipſos moliar? Quæ habes, tibi gratulor: Fœdus jam ineamus, erectoque monumento æternam amicitiam polliceamur. Igitur mutuum fœdus jurarunt, teſtemque fœderis ingentem lapidum acervum erexere; quem Laban patrio, Chaldæo nempe, ſermone *Jegar ſchahadduthah*, Acervum teſtimonii; Jacob vernaculo pariter, Hebræo ſcilicet, ſeu Phænicio, *Gal-haad*, Acervum teſtis, nuncuparunt *Geneſ.* 31. 47. Subdidit Laban: Dominus judex ſit noſtrum, ſi filias meas malè acceperis, aliaſve præter illas duxeris. Teſtis acervus iſte in utrum ex nobis, qui prava mente in alterutrius regionem veniens hunc tranſierit. Abrahami, Nachoris, eorumque Patrum Deum judicem invoco, Tum victimis immolatis, ciboque ac potu ſimul refecti, primo manè Laban ſupremum filiabus, nepotibuſque valere juſſis, in Haram rediit. Hæc de Labano ſcimus.

LABAN, ignotus trans Jordanem locus in planitie Moab. *Deut.* 1. 1.

LABANA, urbs Judæ *Joſue* 15. 42. eadem facilè ac *Lebana*, *Lobana*, *Lebaa*, ſeù *Libna*, in meridionali Judæ regione. Euſebii ætate, eodem authore, locus quidam *Lebna*, in Eleutheropolis regione reperiebatur. Propè hanc Lebnam Judæos in deſerto caſtrametatos opinor. *Num.* 33. 21.

LABANATH, locus in Tribu Aſer *Joſue* 19. 27. quem *Promontorium album* (a) inter Ecdippum, & Tyrum eſſe opinamur. Quod Vulgata *Sihor & Lebanath*, id Hebræus *Sihor-Lebanath* legit; ex quo arguere licet, duas haſce dictiones eumdem locum ſignificare, & *Sihor* torrentis nomen eſſe, ac ſi diceretur: *Et torrens aquæ turbida, ſitus ad Promontorium album.*

(LABIUM uſurpatur interdum pro margine amnis, limbo vaſis vel menſæ: *Faciet illi labium aureum*. *Exodi* 25. 24. & 3. Reg. 7. 23. ubi ſermo de mari æneo: legas: *A labio ad labium*. Labium eſt etiam ſermo: *Unum labium omnibus*. Geneſ. 11. 6. *Incircumciſus labiis ego ſum*, Exod 6. 12. expeditè loqui non valeo, balbutio. *Quæ protulerit de labiis ſuis*; Levit. 5. 4. Deut. 23. 23. de quibus fidem ſuam obligavit. Job *non peccavit in labiis ſuis*. Job 1. 22. & 2. 10. *Deus commutat labium veracium*; Job 12. 20. vera dicentibus facilè eloquium non ſemper concedit.

Fructum labiorum habes Iſaiæ 57. 19. *Creavi fructum labiorum, pacem*. Largitur Deus pacem promiſſionum ſuarum fructum; vel potiùs dat pacem, ex quo novum ejus laudum argumentum. *De fructibus oris viri replebitur venter ejus, & germina labiorum ipſius ſatiabunt eum*; major minorque hominis laus ex eo pendet; ſi noverit linguam ſuam regere. Oſee 14. 3. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum*, ſacrificia laudum loco victimarum. Ezechiel 36. 3. *Aſcendiſtis ſuper labium linguæ & opprobrium populi*; ſcopus fuiſtis ſubſannationibus & ejaculatis verborum ſagittis ab adverſariis veſtris. *Stultus cæditur labiis*; Proverb. 8. 10. ſtultus iniqua proferens punietur; ſeu potiùs mulctæ ſubdetur ille, cui ſtulta ſunt labia, & nequit moderari linguam ſuam. *Divinatio in labiis Regis Proverb.* 16. 10. 15. Rex promit oracula; & paulò infrà: *Voluntas Regum labia juſta*; labia juſta amantur à Regibus. Dominus ad Ezechielem 3. 6. *Non ad populum profundi ſermonis* (labii) *tu mitteris*, ignotæ linguæ. *Labia deoſculabitur, qui recta verba reſpondet Proverb.* 24. 25. recta verba reſpondens, os loquentis veluti deoſculatur.

Solemne erat Hebræis tegere in luctu labia, ſeu inferiora vultus. Vide Ezech. 24. 17. & Mich. 3. 7.

LABOR. Uſurpatur interdum in Scriptura pro crimine, mendacio, & criminis pœna; e. g. Pſal. 7. 15. *Concepit dolorem* (laborem), *& peperit iniquitatem* (mendacium); hic labor ſynonymus eſt mendacii. Pſal. 10. 7. *Sub lingua ejus labor & dolor*, vel ut in Hebræo: *Labor & iniquitas*; nihil curat aliud, quàm ut malum inferat & noceat. Pſal. 54. 11. *Labor in medio ejus & injuſtitia*; crimen in medio Urbis. Pſal. 139. 10. *Labor labiorum ipſorum operiet eos*. Pœna criminis in illos recidet. Iſaiæ 59. 4 *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem*. Quæ dicendi phraſis veluti proverbio obtinuerat: gemina enim notavimus ſupra ex Pſal. 7. & recurrunt pariter Job 15. 15. Habacuc ad Deum 1. 3. *Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & laborem?* iniquitatem & crimina impiorum conſpirantium in me.

Malorum, laborum & pœnarum genus omne communi laboris nomine deſignatum eſt. *Noſti omnem laborem, qui apprehendit nos Num.* 20. 14. mala omnia, quæ pertulimus. Exodi 18. 8. *Narravit univerſum laborem, qui accidiſſet eis in itinere*, itineris incommoda omnia.

Labor eſt etiam laboris fructus. *Labores populorum poſſederunt*. Et alibi: *Diripiant alieni labores ejus*: & *Primitias laborum ſuorum*, i. e. laborum ſuorum mercedes.

Interdum etiam *labor* eſt illatum aliis malum. *Labor labiorum ipſorum operiet eos Pſal.* 139. 10. irrogatum aliis malum in ipſos recidet, vel opprimantur pœna impiorum verborum ſuorum & calumniarum. Eccleſiaſtes 10. 15. *Labor ſtultorum affliget eos*; ex eo punientur impii, quo alios affligunt. Pſalmiſta 93. 20 *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Nunquid thronus iniquitatis ſecreto tecum conſpirat, thronus, inquam, qui fingit malum (laborem) præceptis ſuis; in Hebræo enim pro *fingis* eſt fingit. *Thronus iniquitatis* ipſi ſunt impii, abutentes permiſſa ſibi a Deo potentia; finguntilli laborem præcepto ſuo; opprimunt imbecilles authoritate ſua, affligunt, excruciant.)

LABOSARDAC, ſivè *Laboroſoardochus*, Babylonis Rex, pater Nerigliſſoris, ſi Beroſo credimus, menſibus novem imperavit. A ſuis interſectus, ſucceſſorem habit Nabonidum, juxta Beroſum; ſivè *Nabannidochum*, ut Abideno; ſeu *Labynithum*, ut Herodoto placet. Poſtremum hunc nonnulli cum *Balthaſare* Danielis confundunt. Nabuchodonoſoris poſterorum ſeries inextricabilibus ambagibus involuta eſt. Vide Chronologos, & Interpretes in Danielem, & vocem *Nigliſſor*.

LABRUM, ſeu *Lavacrum* Tabernaculi. Moyſe, ex mulierum ante Tabernaculi fores excubantium ſpeculis labrum æneum compegit. *Exod.* 38. 8. Olim apud Perſas à mulieribus, quæ diem ſomno indulgebant, ante Regis palatium noctes facibus undique clareſcentes in muſicis, in cantu vocum atque nervorum, Athenæo teſte, *l.* 12. *Dipnoſoph. c.* 2. abſumebantur. Ante Regum Orientalium veſtibula mulieres ad hæc uſque tempora excubantes accipimus (b). Hinc fortè factum credimus, ut Hebræorum mulieres ante ſuum Dominum & Regem, inſomnes noctes traducerent.

Ex qualibet metallorum ſpecie, ex argento nempe, ex cupro, ex ſtamno, ex ſtamni & cupri mixtura ſpecula olim confici conſueverant, quem adhuc morem Orientalium plerique tenent. Nullo itaque negotio ex iis Tabernaculi Labrum Moyſi conſtruere contigit; licèt enim eorum perplurima id opus expoſceret, attamen plura etiam ſuperfuiſſe non ambigimus, cum juxtà vim phraſis Hebraicæ, inſtar exercitùs mulieres illæ ad Tabernaculum confluerent.

LABRUSCA, fructus vitis ſylveſtris; Græcè autem dicitur *ampelos agria* (c). Virgilius Eclog. 5.

. . . . . *Aſpice, at antrum*
Sylveſtris raris ſparſit labruſca racemis.

Labruſcæ fructus vocantur *œnanthes*, quod vini mucorem

(a) Plin. l. 5. c. 19. (b) Chardin, Voyage de Perſe l. 2. p. 229.
(c) Plin. l. 23.

eorem ſonat; & nunquam matureſcunt, neque ab iis nonniſi omphax elicitur. Apud Iſaiam 5. 2. Dominus de populo ſuo idcircò conqueritur, quod inſtar vineæ electæ excultus, pro fructibus optimis, labruſcas eduxerit, Hebræor. olfactui & guſtui ingratiſſimos fructus, proximè accedentes ad uvam Sodomorum, de qus Moyſes *Deut.* 32. 32. *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrha. Uva eorum uva fellis, & botri amariſſimi. Fel Draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.*

Alicubi Scriptura meminit *vineæ Sores*, quam ſic appellat, vel quòd in valle Sorec (a) oriretur, vel quòd, ut ajunt Judæi, acinis careret. Uvam hanc albam ſeu flavam credimus (b).

(LABRUSCA. Vinea erat inculta, ſecùs viam, juxta aream. Fructus exhibebat minutiſſimos, botros nigros, cùm matureſcerent.)

LABYNITUS. Vide *Nabonides.*

(LAC. Regio, quam perluunt torrentes *lactis & mellis*, i. e. pingui fertilitate beata *Exodi* 3. 8. & 13. 5. & paſſim. Vetat Moyſes *Exodi* 23. & 19. 34. 16. *Deut.* 14. 21. ne coquatur hædus in lacte matris ſuæ, quod Hebræi ad literam explicantes, fas eſſe negant in eodem ſimul convivio carnem pariter & caſeum deguſtare. Vide, quæ contulimus v. *Carnes*. Sunt, qui legem hanc exponant metaphorico ſenſu, tamquam ſi morum ſævities lege illa vetaretur, quam pariter Lex alia prohibet Deut. 22. 6. cavens, ne mater in nido pullorum ſuorum apprehendatur.

Authores Veteris Teſtamenti ita de formatione hominis in ventre matris agunt, tanquam de concreto in hominem lacte. Vide Job 10. 10. 11. *Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti.* Sapientia 7. 1. 2. *In ventre matris figuratus ſum caro decem menſium tempore, coagulatus ſum in ſanguine.* Pſal. 118. 70. *Coagulatum eſt ſicut lac* (obduratum eſt cor impiorum) *cor eorum*. Verti poteſt Hebræum: *Obduratum eſt cor eorum ſicut adeps.*

Meſſiæ Regnum ita pingitur à Propheta Joel. 3. 18, tanquam ditiſſima ubertate beatum, ubi montes fluent lacte, & melle: *In illa die ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.* Iſaias 60. 16. *Suges las gentium, & mammilla Regum lactaberis.* Inſtitutos à ſe filios comparat Apoſtolus 1. *Cor.* 3. 2. *Hebr.* 5. 12. infantibus, qui cùm ſolidiori cibo ſint impares, aluntur lacte, Hortatur fideles S. Petrus 1. Ep. 2. 2. ut *lac rationabile*, doctrinæ ſcilicet Evangelicæ concupiſcant.

Lactare figurato ſenſu non raro uſurpatur de pernicioſis blanditiis ad ſeducendos impios. Proverb. 1. 10. *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores*, demulſerint ſcilicet blanditiis; Hebræus: *deceperint*. Ita pariter legit Textus Originalis, ubicumque S. Hieronymus ſubſtituit verbum *lactare*, pro ſeducere, fallere. In Cantico Canticorum 4. 11. *Mel & lac ſub lingua tua*, eſt dulcioribus blandiri verbis ceu malle & lacte.)

LACEDÆMON, ſeu *Sparta*, celebris Peloponneſi civitas. Lacedæmones ab Hebræis nonniſi poſt Machabæos cogniti, & commercio juncti. Lacedæmonum Rex Areus literas ad Oniam III. Pontificem dedit (c), quibus ſignificabat, ſe, cum audiſſet, Judæos & Lacedæmonas junctos eſſe cognatione, utpotè Abrahami poſteros, poſtulare, ut ſe de eorum rerum ſtatu admonerent. Onias Arei legatos humaniſſimè excipiens, Spartiatis reſcripſit, & duarum gentium cognationem libentiſſimè comprobavit. Diu poſt (d) Jonathas Machabæus Legatos Romam miſſos; ut fœdus innovarent, Sparta tranſire juſſit, ut iis civibus literas darent, quibus tota Arei Epiſtola recitabatur, addebaturque, Judæos ſatis ſuperque cognationem ſuam cum Spartiatis è Libris ſacris didiciſſe; rea verò Reipublicæ, licet in præſentia Lacedæmonum ope non egerent, fœdus tamen cum ipſis innovare, eoſque ſuæ Reipublicæ ſtatus certiores facere voluiſſe, miſſis Legatis: diu bellis, & perſecutionibus agitatos, nunc demum Dei ope quieſcere. Lacedæmonum reſponſio periit.

Diu antea, Iaſon Judæorum Pſeudo-Pontifex, & Oniæ III. frater, è patria elabi flagitiis ſuis coactus, ad Lacedæmonas confugit (e), aſylum apud ipſos ſe habiturum ſperans. Ut verò Lacedæmones fugæ cauſam intellexere, ipſum relinquentes, ipſum vel illius defuncti cadaver in ſepulchrum inferre abnuere. De Judæorum & Lacedæmonum cognatione fuſiùs egimus Diſſertatione peculiari antè Commentaria in Machabæos.

(Lacedæmonum urbs vetuſtiſſima antiquitate præſtat, & olim ab exordio *Lelegiam* appellatam ferunt, ex *Lelex* primo ejus Rege, quem coævum dicunt Cecropis & Erichtonii.. Tranſit deinde in *Lacedæmoniam* ex Lacedæmone filio Iovis & Semelis: tum & nomen *Spartæ* adoptavit ex Sparta Regina Lacedæmonis uxore.

Tres Regum Dynaſtiæ apud Lacedæmones diſtinguuntur. Inivit prima à Lelex, à quo Regnum inſtitutum eſt; perſeveravit ad Ziaamenem filium Oreſtis, tertium & decimum ac poſtremum prioris Dynaſtiæ Regem ab Heraclidis pulſum. Heraclidarum Dynaſtia in geminas familias diſtincta eſt, *Eurythenidarum* vel Agidarum unius & triginta Regum ſerie potiora obtinentium apud Lacedæmones, & *Proclidarum*, vel Europontidarum inclytæ 24. Regibus Familiæ. Lacedæmoniorum nomen ingentem ſibi à virtute laudem nunquam non promeruit. Politiam inſtituit Lycurgus, rogavitque leges. Conſtitutus ab illo Senatus 32. Patrum, è quibus unus Rex. Senatus infecta omnia, niſi accedente populi aſſenſu. Rogatæ à Lycurgo Leges plures ad Moſaicas accedunt; e. g. quæ decernit de æqualis agri portione in cives diſtribuenda, de obſequio in ſeniores, & Magiſtratus, de frugalitate, de ebrietate atque intemperantia horrori habenda. Liberos utriuſque ſexus duris belli exercitiis formabant, altumque imprimebant teneris in animis ad libertatem, & diſpoticum imperium amorem, loquendo erant parci, plura brevibus exprimentes, ut Laconicus ſtylus abierit in proverbium.

Egimus alibi de literis Arei Regis Lacedæmonum ad Oniam Summum Sacerdotem. Poſuimus autem cum Joſepho, Antiq. l. 12. c. 4. 5. & Uſſerio *Annal. V. T. ad A. P. J.* 4531. Summum hunc Sacerdotem ipſum fuiſſe Oniam III. qua tamen in re oppoſita ſunt quædam in præſenti non diſſimulanda. Sub Onia III. nullus legitur Rex Lacedæmonum nomine (f); qui enim in Hiſtoria coævus Oniæ III. memoratur, nec titulum præferebat, nec dignitatem Regis; cùm nec quicquam de illo tale prodant Authores. Duæ Regum familiæ apud Lacedæmones antea deſierant, quàm naſceretur Areus; atque Urbis illius ſumma poteſtas, poſtquam Tyrannis quibuſdam commiſſa fuiſſet, in alteram formam tranſierat. Ad hæc Jonathas Summus Sacerdos in ſuis ad Lacedæmones literis 1. *Machab.* 12. 10. agens de Epiſtola Arei notat diu ante hac datam fuiſſe; nunquam autem id viro excidiſſet, ſi Areus ſcripſiſſet ad Oniam III. ab obitu enim ejus Oniæ A. M. 3834. aduſque initum à Jonatha Imperium A. 3843. novem tantùm anni excurrerant.

Præſtat igitur, reputemus, Areum, vel Arium I. Re-

(a) Judic. 16. 4. (b) Vid. Hebr. Iſ. 19. 9. & Zach. 5. 8.

(c) 2. Mach. 12. 7. &c. An. M. 3821. ante Ch. 179. ante Ær. 183. Latinus Textus literas à Judæis ad Spartiatas prius miſſas refert: contrà Græcus prius à Spartiatis ad Judæos.

(d) Vid. 1. Mach. 12. 7. &c. & Joſeph. Antiq. l. 12. c. 5. Circà An. M. 3860. ante Chr. 140. ante Ær. 144.

(e) 2. Mach. 5. 7. Circa An. M. 3835. ante Chr. 165. ante Ær. 169.

(f) Scalig. Animadv. in Euſeb. Chron. pag. 139. & Canon. Iſagog. 3. pag. 340.

Regem Lacedæmonum literas dediſſe ſuas ad Oniam I. Summum Sacerdotem Judæorum. Cum utroque hoc Principe omnia cohærent, ætas, hiſtoria. Exordia Oniæ I. componimus cum A. M. 3682. & ejus obitum cum A. 3702.

Ad cognationem illam Lacedæmones inter & Judæos quod attinet, conjecturas aliquas in medium proferimus, quibus color aliquis veritati. Animadvertiſſe juvat; primò, juxta Græcum Textum à Lacedæmonibus priùs miſſas fuiſſe ad Judæos literas, ſignificantes legi in vetuſtis monumentis, affinitatis vinculo ex communi parente Abrahamo inneao utramque ſimul gentem adſtringi. Judæi, quorum erat inſidens menti alta de nobilitate ſua opinio, Lacedæmonum perſuaſionem gratiſſimè exceperunt. Quare ſtatim utrinque fides de affinitate illa non indubia. Extat quidem data ab Areo ad Oniam epiſtola; ſed Oniæ ad Areum altera intercidit. Ex hiſtoriæ tamen contextu intelligimus, gratum id accidiſſe Judæis, conciliatumque ſtatim ſincerum ac ſtabile cum affinitate fœdus.

Jaſon Summus Sacerdos coactus, qua è Judæa patria ſua, qua ex Arabia, ubi habebat perfugium, migrare, receſſit Lacedæmonem 2. *Machab.* 5. 9. Jonathas Summus Sacerdos, frater Judæ Machabæi, literas dedit ad Senatum & populum Lacedæmoniæ vetus innovaturus fœdus 2. *Machab.* 22. 6. utriuſque gentis affinitas tunc certa fide tenebatur. Fateamur tamen oportet, ſiquidem perſuaſio illa non peteretur, niſi è reliquis noſtra ætate Sacris Scriptis vel prophanis Authoribus, cur id tanta animi adhæſione teneretur, nihil fuiſſe. Facilè tamen tunc monumenta ſuppetebant nobis hodie ignota.

Utcunque res ſeſe habeat has proponunt conjecturas affinitati huic illuſtrandæ. Sunt qui tuentur (a), Ebal filium Jectan *Gen.* 10. 28. ipſum fuiſſe *Ebalum* patrem Tindari & avum Caſtoris, Pollucis & Helenæ; ſed repugnat huic ſententiæ chronologia; nec pariter hiſce probatur neceſſitudo Lacedæmones inter & Judæos ex communi patre Abrahamo: vetuſtior eſt enim Abrahamo Ebal 6. vel 7. generationibus.

Maluerunt alii (b), ſatos Lacedæmones ex una è geminis uxoribus Abrahami, *Agar* vel *Cethura*; ſed nimis hæc latè vagantur, nec doctiores nos faciunt, niſi conjectura quadam adducta, cujus ne minimum quidem afferunt documentum. Reputavit Grotius neceſſitudinem hanc inter utroſque populos inde repetendam, quod Lacedæmones authores haberent Dorios, Dorii Pelaſgos: cùm autem poſtremi hi populi repeterentur è finitimis Syriæ vel Arabiæ locis, factum, inde ut menti facilè incideret perſuaſio Judæorum & Lacedæmonum unam eandemque fuiſſe originem; ejuſmodi enim, quæ cordi blandiuntur, perſuaſiones & adoptantur facilè, & rigidum exactumque examen reſpuunt.

Eutychius Patriarcha Alexandrinus ab Eſau neceſſitudinem illam ducit; ratus adſcitas ab Eſau in conjuges non Chananæas tantùm fœminas, ſed & Græcas, unde fœtus Græcorum cum Judæis. Optandum eſſet utique conjugii illius Eſau cum Græcis uxoribus opinionem, vel ſaltem veri colorem habere aliquem.

Placet aliis in rem præſentem vocare *Cadmum*, virum Phœnicium, qui cùm in Græciam Arabibus nonnullis comitantibus veniſſet, anſam facilè præbuerit ſuſpicandi Lacedæmones originem retuliſſe ex Abrahamo; ideo ſcilicet quòd Cadmus moviſſet è regione culta à poſteris Abraham. Porrò Cadmo authori condita tribuebatur urbs Lacedæmonum, ac nominis Spartæ etymon inde ducunt; quòd Cadmus draconis dentes ſeverit, unde germinarunt homines. Addit Appollodorus lib 3. Bibliothecæ ex Pherecide Cadmum aſpectu virorum armis ſuis protectorum ſubnaſcentium è ſolo territum, lapides in illos projeciſſe; viros autem illos collectis lapidibus hiſce in mutuam ſe cædem armaſſe: quare confectis omnibus, quinque tantùm reſtarunt, quorum Princeps *Udæus*. Facilè autem erat pro *Udæo* uſurpare *Judæum*, ex quo Lacedæmonum ex Judæis origo aſſerta.

Refert Diodorus Siculus advenarum turbam ſuperfudiſſe ſeſe Ægypto, ex qua corrumpi cœptæ leges & mores; coactos tandem ab incolis vertere ſolum, & recipere ſe quocunque ſors daret. Pars venit in Græciam Danao & Cadmo ducibus: pars præeunte Moyſe potiti ſunt Judæa, regione tunc penitùs deſerta. En alterum conjecturæ fundamentum de communi Lacedæmonum & Judæorum origine.

Conditæ Spartæ honos tribuitur à nonnullis Spartoni viro Judæo, ſocio Bacchi in ejus expeditionibus ac itineribus. Vindicant alii Sparto filio Phoronei. Tuentur autem Spartonem hunc Bacchi comitem Judæum fuiſſe; quæ ſi idoneo probarentur argumento, nulla alia ducenda eſſet potior conjectura, pro adſtruenda Judæorum & Lacedæmonum neceſſitudine. Verùm notat Pauſanias Corint. pag. 58. virum hunc nec urbis ſuæ conditorem habere, nec noſſe quidquam de illo Lacedæmones.

Satos ea inſula Creta Judæos communis Veterum fuit perſuaſio. Obtinebat id maximè ætate Taciti, Hiſt. lib. 5 init. *Judæos Creta Inſula profugos noviſſima Libyæ inſediſſe &c.* Mons Ida parum diſcrepat ab *Juda*, *Idæi* à *Judæis*; amnis *Jarden*, eodem appellatur nomine ac *Jordanis* Palæſtinæ; leges Cretenſium à Minos datæ, Lacedæmonum à Lycurgo, Judæorum à Moyſe congruunt inter ſe: hæc autem omnia remotiſſimæ antiquitatis ſunt monumenta. Ex Cretenſibus in Palæſtinam miſſæ Coloniæ venerunt. Ex Cretenſibus Philiſtæi. Porro Lycurgus, Spartanorum Legiſlator, moram diu traxerat Cretæ, unde & leges deduxerat, quas traderet ſuis. Hinc facilè locus perſuaſioni de neceſſitudine Iudæorum ac Lacedæmonum. Vide Huet. Demonſt. Evang. propoſ. 4. cap. 4. art. 10.

Textum epiſtolæ Ionathæ ad Senatum Lacedæmonum aliter accepit Ioſephus Antiquit. lib. 12. cap. 5. ac legitur in Machabæis 1. 12. 9. Porrò ita in Sacra Scriptura: *Cum nullo horum* (fœderis nempe cùm Lacedæmonibus,) *indigeremus*, *habentes ſolatio ſanctos Libros*, *qui ſunt in manibus noſtris*. Ionathan ita loquentem inducit Ioſephus; quaſi ſcilicet Iudæi nullius alieni teſtimoniis indigerent, ut intelligerent Iudæos & Spartiatas fraterno inter ſe vinculo adſtringi; quippe quibus ſuppeterent è Sacris Libris certiſſima argumenta &c. Hanc Ioſephi expoſitionem ſequuntur ex Interpretibus plures; ſed ubi, rogo, in Scriptura Textus neceſſitudinem inter illas duas gentes evincentes? Id ſanè huc uſque quæſitum, nunquam demonſtratum eſt, niſi conſtituto, quod eſt incertiſſimum, Lacedæmones ſcilicet originem referre ex Idumæis vel Iſmaelitis.

Ex his omnibus reſultat, neceſſitudinem hanc inter duas gentes ambiguam eſſe maximè; nec facilè Iudæi & Spartiatæ admittendam voluerunt, niſi quòd blando ludibrio decipi facilè homines conſentiamus. Nec tamen nos cogit Scriptura, ut credamus, quæ vera rebantur Areus & Ionathas; ſi error is eſt, illis tamen, non aliis imponitur. Libri illi, quos divinitùs dictatos credimus, & fidei ſunt non indubiæ, referunt interdum errores & vana quædam hominum commenta, quæ tamen nec probant, nec authoritate ſua firmant.

LACERTA, qua una cum *ſtellione* veluti immundis animalibus Moyſes veſci Hebræos prohibet, *Levit.* 11. 30. Plurimæ lacertarum ſpecies: in Arabia quædam uſque ad cubitum, in India verò uſque ad pedes quatuor & viginti producuntur. Apud Americanos guſtui optimæ, quarum una quatuor homines caplet, comeduntur. In Arabia etiam, & Iudæa, quòd eas Moyſes interdixerit, aliquandò comedi ſolitæ videntur. Plurimum lacertarum Scriptu-

(a) Vide apud Scalig. Iſagog. l. 3. pag. 382.
(b) D. Thom. ſeu alius in Lib. Mach.

Digitized by Google

ptura meminit, quæ pluribus etiam phraſibus exhibentur: *Letaa*, *Chometh*, *Tinſchemeeh*, & *Schemamith*. Tres primæ voces in ſuperiori Levitici loco leguntur, quarum duas priores *ſtellionem* & *lacertam*, tertiam verò *talpam* vertunt, qua tamen Bochartus Chamæleontem deſignari tuetur. Quarta, ſeu poſtrema, quæ in *Proverb.* 30. 28. *ſtellio* vertitur. Bochartus idem, cui hac in re quammaximè deferimus, Vulgatæ, & Septuaginta, qui *ſimiam*, *hirudinem*, *araneam* reddunt, Verſionem defendit (a).

LACHIS, urbs meridionalis Tribus Iudæ. *Joſue* 10. 26. *&* 15. 39. Sua ætate Euſebius & S. Hieronymus vicum *Lachis*, ſeptem ab Eleutheropoli milliaribus, meridiem verſùs, fuiſſe teſtantur. Sennacherib irrito labore Lachis obſedit; ex eaque Ieroſolymam Rabſacem miſit (b).

(LACRYMÆ. Vide *Flere*.)

LACTUCÆ. Deus Hebræos Agnum Paſchalem *cum lactucis agreſtibus comedere* juſſiſſe dicitur. *Exod.* 12. 8. Hebræus tamen ſolùm habet, *cum amaris condimentis*, quæ guſtum ſollicitarent, veluti ſinapio &c.

LACUS. Tres ampli lacus in Iudæa erant: *Lacus Aſphaltidis*, *lacus Tiberiadis*, & *lacus Semechon*. *Lacus* etiam *Sirbonidis* in vicinia, Ægyptum verſùs, noſcitur. Singulos ſuis locis vide. Præter hoſce lacus, ſtagna etiam erant, quibus lacus nomen indebatur; uti lacus *Cendevia*, ex quo parvus amnis Beleus oritur, ad Ptolemaidis orientem; & lacus Cæſareæ Palæſtinæ; lacus *Phiala*, ad Libani radices; lacus *Jazer*, & lacus *Heſebon*, trans Iordanem. Lacus à Manaſſe intrà duos Ieroſolymæ muros conſtructi meminit Iſaias 22. 11.

LACUS, in Latino Scripturæ Textu, *laccos* in Græco, & *bor* in Hebræo, variam obtinent ſignificationem: pro lacu enim, ita paſſim Vulgata: ciſterna *Gen.* 37. 20. *&* 40. 15. *Levit.* 11. 36. & *ſæpiùs*; receptaculo, in quo vinum oleumque ſervantur *Marc.* 12. 1. *Apoc.* 14. 19. 20.; ſepulchro, ſive antris in ſaxo exciſis, in quibus cadavera condebantur *Pſal.* 27. 1. *&* 30. 4. *&* 88. 7. *&* 143. 7. *Prov.* 1. 12. *Iſ.* 14. 15. uſurpatur. Interdum locum deſignat, quo animæ poſt mortem recipiuntur, eumque, quem Scriptura infernum nuncupat *Iſ.* 38. 18. *Ezech.* 26. 20. *&* 31. 14. *&c.* *&* 32. 18 *&c.* *Jerem.* 5. 55. carcerem etiam, in quo ſervi detinentur *Gen.* 40. 14 15. *Exod.* 12. 29. *Iſ.* 24. 22. & leonum, aliarumque ferarum caveam ſignificat. *Dan.* 14. 38. 39. 41. *Vide & Dan.* 6. 7. 16. 17. *&c.*

(In Reg. 30. 30. ſermo eſt *Lacus Aſan*; facilè juxta Urbem Aſan erat lacus in ſorte Tribus Iuda. Vide Joſue 15. 42. Hebræus legit *Cor Aſan*, quo nomine deſignatur ipſa Urbs Aſan. Ceſſit primo Iudæ, tum ad Simonem tranſlata eſt. Ioſue 19. 7. S. Hieronymus legit: *Behor Aſan*, in lacum Aſar pro *Becor Aſan*.

Lacus Aſphar, de quo 1. Machab 9. 33. ipſe eſt lacus Aſphaltites, vel Mare mortuum. Vide *Aſphaltites*.

Lacus uſurpatur interdum pro ciſterna. *Attendite ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis*, Iſaias 51. 1. i. e. ad ciſternam, unde emerſiſtis, ad parentes, unde prodiiſtis. Cùm autem ſepulchra ſolerent in exciſis è petra cavernis, vel ſub terram parari; & in iis depoſita corpora ſua habuerunt diſtincta loculamenta; ideo factum non raro, ut lacus nomine ſepulchra deſignarentur; e. g. *Lacum effodit Pſal.* 7. 16. foveam, ſepulchrum; & *incidit in foveam, quam fecit.* Pſal. 27. 1. *Ad te Domine clamabo, Deus meus, ne ſileas à me*: reſponde mihi: *ne quando taceas ad me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum*, in ſepulchrum, in foveam.

Hebræum *Bor* eſt generatim fovea, ciſterna, lacus, ſepulchrum, excavatus aliquis & profundus locus, aptus continendis belluis uti leonibus, ſicut & mancipiis pro more hodie uſque in Africa & alibi recepto. Zach. 9. 11. *Emiſiſti vinctos tuos de lacu*; de carcere Ieremias carceris loco conjectus fuit in ſiccam quidem aquis, ſed lutoſam ciſternam *Jerem.* 38. 6. 7. 8. *Lacus noviſſimus* eſt penitiſſimus tumuli & carceris receſſus. *Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu noviſſimo*. *Jerem. Thren.* 3. 36. Agens Ezechiel 32. 23. de ſepulchris Regum Aſſyriæ habet: *Quorum ſepulchra data ſunt in noviſſimis laci*.

Cùm autem obtineret apud Palæſtinos, ut vinum & oleum in puteis vel ciſternis ſub terram effoſſis ita fermè conſervarentur, quemadmodum aquæ apud nos; invaluit inde, ut putei illi lacus appellarentur; ex quo etiam cùm de torculari ſermo eſt, uſurpatur phraſis, lacus effoſſi, ſeu putei ad vinum excipiendum: *Vineam paſtinavit homo, & circumdedit ſepem, & fodit lacum Marc.* 12. 1. S. Ioannes Apocal. 14. 19. 20. ſcribit miſſum à Domino Angelum ad ultionem expetendam de vinea ſua, quam racemis viduavit, congeſſitque racemos illos *in lacum iræ Dei*, ibique compreſſis conculcatiſque racemis illis expreſſit ſanguinem 600. ſtadiorum tractu inundantem. Vide v *Torcular*.)

LAHELA, regio tranſjordanica, quò Teglatphalaſſar Babylonis Rex Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Manaſſis tranſtulit (c). Veriſimillimè *Lahela* eadem eſt, ac *Hale* (d), eademque pariter ac *Hevila*, ſeu *Chola* (e), Colchidem, & Armeniam verſùs. Vide noſtram Diſſertationem de loco, quò decem Tribus tranſlatæ fuerunt.

LAHEM, pro Bethleem ſcribitur. 1. *Par.* 4. 22.

LAIS, ſivè *Leſem*, alio nomine *Paneas*, indè *Cæſarea Philippi*, deinum *Neronias* (f). Hanc nonnulli cum *Dan* injuria confundunt, cùm alia prorſùs eſſet *Dan* à *Leſem*, & *Paneade*; aberat enim à Paneade 4000. paſſibus, Tyrum verſùs (g). Vide *Paneas*.

LAIS, pater Phalti, ex urbe Gallim. 1. *Reg.* 25. 44.

(LAISA vel LESEN, locus juxta Berœam, ſeu potiùs Beroth Urbem Tribus Benjamin; notus in Scritura tantùm fama prælii Judæ Machabæi cum Bacchide & Alcimo Summo Sacerdote Judæorum 1. *Machab.* 9. 1. *&c.* Certior factus Demetrius Soterus de ſtrage exercitus ſui cum cæde Nicanoris, miſit iterum in Iudæam cum dextero exercitus ſui cornu, i. e. cùm ſelectiſſimis numero 22000. peditum & 2000. equitum Bacchidem & Alcimum. Illi ſtatim Hieroſolymam venerunt, rati occurſuros Iudæ; ſed certiores facti caſtra illum locaſſe ad Laiſan cum ſelectiſſimis 3000. eo ſtatim direxerunt iter, caſtraque metati ſunt ad Berœam non procul ab hoſtibus. Ad tantam hoſtium vim conſternati Iudæi, fuga plerique dilapſi ſunt, ut nonniſi 800. reſtarent.

Deſertum ſe à militibus in tanta præliandi neceſſitate intelligens Iudas, animis concidit, ideò maximè quòd auxilia conquirere tempus non ferret. Non tamen à confirmandis reliquis exercitus deſtitit, ad certamen omnes incitans. Sed illi, certamen ſuadenti repræſentarunt adeò parvam eſſe militum manum, ut potiùs quàm pugna, dilatio certaminis quærenda eſſet, quare opperiretur tempus, ut novarum copiarum acceſſione agmen firmaretur. Quibus Iuda: Abſit, ut hiſce ego conſiliis, turpi ſcilicet fuga è conſpectu hoſtium me ſubducendi, utar: ſi fatalis inſtat hora, mors eſt nobis ſtrenuè ſubeunda pro fratribus, nequid maculæ indigno aliquo geſto in noſtram gloriam inferamus. Exeuntes è caſtris ſuis hoſtes venerunt in conſpectum, habentes ad utrumque cornu equites. Præcedebant agmen funditores & ſagittarii; in primo pugnabant ordine ſelectiſſimi inter milites, & Bacchides dexteram tuebatur. Buccinam utriuſque agminis inſonuit clangor, reboantibus circùm montibus; cùm Iudas intelligens, fortiſſimum eſſe robur exercitus in dextera, ubi Bacchides pugna-

(a) Vid. Bochar. de anim. ſac. p. 1. l. 4. c. 4. 5. 6. 7. (b) 4. Reg. 18. 17. & 19. 8, & 2. par. 32. 9.
(c) 1. Par. 5. 26. & 4. Reg. 15. 29 (d) 2. Reg. 17. 6. & 18. 19. (e) Gen. 2. 11.
(f) Antiq. l. 20. c. 8. (g) Euſeb. & Hieron. in locis Hebr. in Dan, & in Betſame.

Google

pugnabat, eò facto impetu, diripuit ordines, verſi in fugam, proripienteſque ſe gravis inſecutus eſt uſque ad montem Azoti, ſed interim in lævo cornu pugnantes copiæ terga pugnantis Judæ obſederunt, atque inde grave & pertinax inſtauratum eſt prælium. Cùm tandem Judas hoſtium numero oppreſſus cecidit extinctus, & ejus milites omnes verſi ſunt in fugam.

* Facinus hoc Judæ Machabæi, cum brevi 800. manu prælium conſerere auſi cum exercitu 20000. peditum, & 2000. equitum, facinus hoc, inquam, ſuſpenſos detinet admiratione ignorantes, illuſtribus ejuſmodi exemplis utramque hiſtoriarum paginam repleri. Sed ab admiratione ſtatim nos recipimus, cùm advertimus mentem, expertiſſimum & ſtrenuum militum imperatorem, habentem exploratum quid ſibi promittat de virtute & audacia copiarum ſuarum, nunquam deſponderi animis, vel in ultimis rerum anguſtiis, cùm ſcilicet omni præcluſa ſpe cautæ ſeceſſionis, nihil reſtat ſuper, niſi vel victoria, vel mors.

Hanc ſibi triſtem neceſſitatem impoſitam intellexit Judas, copiarum ſuarum fuga ferè deſtitutus, excitandæ tunc reliquorum virtuti potentiſſimos illos adhibuit ſtimulos, nempe Religionis; nihil enim in extremis hiſce Duci ſuppetit validius. Rara erant Machabæorum ætate prodigia, & longiùs recedebant in dies; interea tamen debilis quidam miraculorum radius affulgebat adhuc, cùm non penitus à ſuis receſſiſſet Deus. Extremis malis oppreſſo populo, quamvis largitionibus ſuis indigno, compatiebatur. Virtus, pietas, & inclytæ illæ dotes Judæ Machabæi, quem virum D. Calmet Comment. in 1. Mach. 9. 18. Jeſu Chriſto comparat, tanquam oppoſitus agger furorem Domini in gentem ingratam & perduellem diu retinuerunt; ſed tandem vir ille ſummus in prælio iſto ſublatus eſt, & quicunque lateri ejus fidi hæſerant comites, omnes oppreſſit potiùs hoſtium multitudo, quam vicit.

Judas poſuerat caſtra in Laiſa, & tria millia viri electi cum eo. Cur Sacer Hiſtoricus addat *ſelectos*, quod perinde valere cenſetur ac *ſtrenuos, fortes*, hæreo ſuſpenſus; licèt enim par eſſet acies reſiſtendo ac vincendo hoſtes, plerique tamen fugere, quàm vincere maluerunt turpi ſeceſſione relinquentes diſcrimini ſtrenuum adeò Ducem & chariſſimum ſibi caput. *Et viderunt*, proſequitur Hiſtoricus, *multitudinem exercitus, quia multi ſunt, & timuerunt valdè, & multi ſubtraxerunt ſe de caſtris, & non remanſerunt ex eis niſi octingenti viri.* Profectò ſi imbecilli animo omnes, Duces, Milites, cum inſtat prælium, excludendi eſſent, rari admodum reſtarent. Sed brevis ille virorum cuneus è ſelectiſſimis valeret, præſtaretque magis, quam ſi acies inſtrueretur major è militibus indiſcriminatim omnibus quà debili animo, quà conſtantibus.

E' turpi illa ſuorum defectione labare ſe animo ſenſit Judas, & penè viribus concidit, nihilo tamen ſeciùs virtutem ſuam revocans ad officium, deſuadentes certamen milites ſuos veluti indignans repellit: *Abſit iſtam rem facere, ut fugiamus ab eis* (ab hoſtibus). *Si appropinquavit tempus noſtrum, moriamur in virtute propter fratres noſtros, non inferamus crimen gloriæ noſtræ.* Eò facilè ſe redegerat, ut majoris cenſeretur diſcriminis ſeceſſio, quàm prælium; manus enim conſerendo honori ſaltem & gloriæ ſuæ conſulebat. Multiplici etiam experimento noverat, conditam apud ſe habere Deum victoriam, nec pro militum numero, ſed pro voluntatis arbitrio illam elargiri.

Et movit exercitus de caſtris, & ſteterunt illis obviam, & diviſi ſunt equites in duas partes, & fundibularii & ſagittarii præibant exercitum, & primi certaminis omnes potentes. Bacchides autem erat in dextro cornu; & proximavit legio ex duabus partibus, & clamabant buccinis. Illud: *Et proximavit legio ex duabus partibus*, reddit D. Calmet: *Legiones proximabant ex utroque latere.* Minùs id exactum cenſeo, nam *legio* ſingulare nomen plures legiones in Scriptura exprimere negat recepta apud Aſiaticos methodus, alia planè à diſciplina Romanorum, pugnabant enim in phalangem & in unicam inſtructi lineam, non diviſi in cohortes. Quarè ita reddendum textum cenſerem: *Phalanx proximavit ex utroque latere vel cornu.* Commodè enim intelligimus utrumque Bacchidis cornu proceſſiſſe, mediis excipiendis Judæis. Nec ſanè aliter textus iſte exponeretur: quomodo enim *legiones ex utroque latere proceſſiſſent*, ſi Judas nonniſi militum manu pugnabat? Ita enim verbis illis acceptis, reputari poſſet, plures illum legiones ducere ad certamen.

Exclamaverunt autem & hi qui erant ex parte Judæ etiam ipſi; & commota eſt terra à voce exercituum. Si manum tantùm Judæ haberemus præ oculis, audacior videri poſſet hyperboles illud: *Et commiſſum eſt prælium à mane uſque ad veſperum.* Ægrè in animum induxerim, breve 800. agmen tandiu reſiſtere valuiſſe in certamine cum hoſte viribus in immenſum ſuperiori, à quo Judæi medii excipiebantur. Facilè tamen perſuadeor tantum militum Imperatorem cum ſelectiſſimis illis adeo valuiſſe, ut confertiſſimos hoſtium ordines perrumperent, dexterumque illorum cornu disjectum agerent in fugam; ſed vix intelligo qui fieri potuiſſet, ut expertiſſimus rei bellicæ Imperator fugientibus inſiſtendum ſibi aduſque montem Azoti duxerit, cùm interim intactum reſtaret exercitus robur, à quo facilè res labantes reſtituerentur, ſi grave inſtitiſſet à tergo victoribus, uti reipſa à Bacchide præſtitum eſt malo Judæorum. Vix, dicam iterum, intelligo, quomodo incauti hujus conſilii culpa onerandus fuerit Judas, tantus Dux, qui fortaſſe unus inter clariſſimos militum Imperatores nunquam arguitur vitii in exequutione conſiliorum, quæ ſemet inierat. Quarè concipiamus, oportet, ardore vincendi plus nimio incenſos milites illius eò excurriſſe, quo & Dux, ſed invitus venire coactus eſt: alioqui enim ſi poſt diſſipatum dexterum illud cornu, in latera hoſtium attonitorum ad fugam ſuorum feciſſet impetum, & egiſſet ad regulas prudenter, & certam ſibi paraſſet victoriam.

Et qui in ſiniſtro cornu erant, viderunt, quod contritum eſſet dextrum cornu, ait Sacer Hiſtoricus, *& ſecuti ſunt poſt Judam & eos qui cum ipſo erant à tergo.* Tunc Judæi infeſtos habere à tergo hoſtes intelligentes, dimiſſis fugientibus verſa in hoſtes facie certamen ex integro repararunt. Rei hujus circumſtantias nonnullas ab Authore relatas in aperto ponere arduum eſt maximè; plura ſunt enim intricata, è quibus nonniſi per conjecturas expediremur. Ita rem totam concipio: In hoſtium inſtructum ad pugnam agmen invectus Judas dextri cornu equitatum tanto contudit impetu, ut ille ictum non ſuſtinens referre pedem cogeretur; recedentibus malo ſuo longiùs quàm par erat, victor inſtitit; quare Bacchides cum reliquo exercitu victores illos inſecutus eſt, coegitque relictis fugientibus innovare certamen: has conjecturas maximè probandas cenſeo. Agminis Bacchidis diſtributionem & ordinem deſcribens Sacer Hiſtoricus de Judæis ſilet, quos tamen ego in duo agmina confertiſſima diſtribuerem, juxta receptam præliandi ab illis methodum.

Ingravatum eſt prælium, & ceciderunt vulnerati multi ex his & illis, & Judas cecidit, & cæteri fuge-

* Animadverſiones in prælium Laiſæ Judam Machabæum inter & Bacchidem, 1. Mach. 9. 1. 4.

fugerunt. Reliquum exercitus Bacchidis prælíantem tanquam leonem & obvios quoſcumque diſcerpentem Judam inſequens, à tergo illum aggreſſus eſt; quare medius inter duo agmina exceptus Judæus, virtutem ſuam ad prodigium exercuit, ſed tandem oppreſſus multitudine, vulneratus ſuper aggeſtam interfectorum a ſe ſtruem cecidit exanimis: atque ita Heros ille ſummus interiit. Habes apud doctiſſimum Commentariorum Scriptorem par tanto viro elogium. Habes etiam parallelum inſtitutum geſtorum hujus viri cum Jeſu Chriſto.)

I. LAMECH, Mathuſalæ filius, & pater Noe. Annos 182. natus Noe genuit *Gen.* 5. 25. 31. poſt cujus ortum annis 595. ſuperfuit: quare omnes Lamechi anni 777. fuere, cùm anno M. 874. natus, anno 1651. obierit.

II. LAMECH, ex Caini genere, Mathuſaelis filius, Jabelis, Jubalis, Thubalcaini, & Noemæ pater *Gen.* 4. 18. Polygamia, cujus ipſe inventor creditur, celebris eſt in Scriptura. Lamech *Adam*, & *Sellam* duxit; illam Jabelis, & Jubalis matrem; hanc Thubalcaini, & Noemæ. Lamech igitur quondam uxores allocutus; *Audite*, ait, *vocem meam uxores Lamech, auſcultate ſermonem meum; quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum, ſeptuplùm ultio dabitur de Cain; de Lamech verò ſeptuagies ſepties*. Inextricabile profectò ænigma ſunt hæc verba, quæ Interpretes totis viribus explicare nituntur. Hebræorum Traditio fert, Lamechum oculorum uſu amiſſo, Cainum in venatione ignotum ſibi, & pro bellua habitum occidiſſe, deinde filium ſuum Thubalcainum, qui cauſam homicidio præbuerat, cum patri, ut ſagittam emitteret in quemdam locum denſiſſimum, ubi ſtrepitus auditus fuerat, ſignificaſſet. Alia dicuntur nihilò meliora, vel certiora, quorum pleraque in Commentario recitavimus (a). Lamechi filios 77. numerat Joſephus *Ant. l.* 1. *c.* 2.; Scriptura tamen tres filios, & unicam filiam, de quorum ſingulis ſuo loco egimus. Author Libri, *Polygamia triumphatrix*, heroem ſuum Lamechum ſtatuit, ejuſque polygamiam à Scriptura commendante relatam contendit.

(LAMENTATIONES. Inſcribitur eo titulo carmen quoddam lugubre Jeremiæ in obitu pii Regis Joſiæ, quod deinceps obtinuit, ut à Cantoribus utriuſque ſexus in Iſraele frequentaretur 2. *Par.* 35. 25. Inſigne illud carmen intercidiſſe creditur, ſed reſtat ejuſdem Vatis alterum, quo luget everſionem Iſrael per Nabuchodonoſorem; hunc enim carum & ſingula quæque capita Lamentationum luculenter præferunt, & Operis præfatio vetuſtiſſima exprimit; nunquam enim non meminit Jeremias Jeroſolymæ & Templi tanquam everſorum ac deſolatorum. Author Eccleſiaſtici 49. 8. ſcribit poſt captam Jeroſolymam adverſarios *deſertas feciſſe vias ipſius*, quibus verbis præ oculis habuit Scriptor illud Threnorum 1. 4. *Viæ Sion lugent, eo quod non ſit qui veniat ad ſolemnitatem*. Duobus priorum Lamentationum capitibus totum fermè occupant Vatem mala obſidionis Jeruſalem: in tertio toleratas à ſe perſecutiones deplorat; quartum exhibet ſub oculis ruinam atque everſionem Urbis & Templi, tum & quæ Sedecias iniqua paſſus eſt. Ita verò de infeliciſſimo illo Rege Thren. 4. 20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus, Dominus captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus*. Recitat quintum caput precandi quandam formulam pro Judæis diſperſionis in captivitate detentis; deflectit tandem Vates in exitu capitis ad deteſtandum ſævam Idumæorum barbariem, quippe qui & malis Jeroſolymæ inſultarant, & plurimum ad ejus everſionem contulerant; cujus rei merito Dei in caput ſuum ultionem ut metuant, denunciat. Poſtremum hoc caput facilè ſcriptum eſt poſt cætera omnia, ita enim everſum ponit Templum, ut vulpium jam eſſet receptaculum, & populus in captivitatem jam adductus. Quatuor priora Lamentationum capita acroſticis vel *Abecedariis* carminibus digeſta ſunt, ut ſinguli verſus, vel ſaltem bini quique exordium ducant ab Hebræa litera juxta ordinem elementi. Primum & ſecundum caput exhibent 22. verſiculos juxta numerum literarum elementarium. In tertio tres alter poſt alterum ſibi ſuccedentes verſiculi eandem habent in capite literam; reddunt in totum 66. verſiculos. Quartum caput ſimilem retinet methodum ac duo priora: in 22. verſiculos diſtinguitur; in quinto nihil eſt acroſticum.

Peculiare quoddam occurrit in capitibus 2. 3. & 4. i.e. literam *Phe* præcedens *Ain*; cùm in cap. 1. & in omnibus Pſalmis acroſtichis *Ain* ſemper alteram præcedat. Vitiati hujus ordinis cauſa latet; Amanuenſes quidem interdum reparandum ſibi, quod vitioſum cenſebant, duxerunt; ſed contextus ſermonis nihil vitii irrepſiſſe in Codicem planè demonſtrat.

Ex *Echa*, quæ prima eſt Lucubrationis hujus vox, totum Opus à Judæis appellatur *Echa*; appellatur & *Chinnot*, i. e. Lamentationes; à Græcis Threnus, quod idem ſignificat. Stilo utitur Jeremias vivido, pathetico & amovendis affectibus apto; porro in triſtibus atque emovendis mollioribus affectibus valebat maximè Propheta. Nec ſanè argumentum erat aliud magis dignum lacrymis, ſicut & aliud nunquam deſcriptum eſt ſtylo magis pathetico, atque emovendo cordi apto.

Solemne erat Hebræis Lamentationes vel lugubria carmina pangere in obitu Magnorum Principum, & Heroum, quorum fuerat inſigne in armis nomen; ſicut, & carminibus lugebant publicas atque inſignes calamitates: collectas etiam in unum Operis corpus habuiſſe plures ex his Lamentationibus inſinuat 2. Par. 35. 26 *Ecce ſcriptam fertur in Lamentationibus*. Extant adhuc quæ ſcripſit David in obitu Abner & Jonathæ, ſicut & quæ Iſaias 14. 4. 5. *&c.* & 15. & 16., Jeremias 7. 29 & 9. 20. & 48. 32. atque Ezechiel 10. 1. & 28. 11. & 32. 2. poſt enunciatam deſolationem Ægypti, Tyri, Sidonis & Babylonis, dum caſum earum Urbium vel Provinciarum luxerunt. Mercede conductas fuiſſe Lamentatrices inſinuare videtur Jeremias 9. 17. *Vocate Lamentatrices, & veniant, & ad eas quæ ſapientes ſunt mittite, & properent, feſtinent, & aſſumant ſuper nos lamentum.*

LAMENTATRICES. Mercede conductæ Lamentatrices, & Lamentatores veterum Hebræorum funeribus aſſiſtebant. *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael*: ait Jeremias 9. 17. 18. *Contemplamini & vocate Lamentatrices, & veniant, & eas quæ ſapientes ſunt mittite, & properent, feſtinent, & aſſumant ſuper nos lamentum*. Amos 5. 16. *In omnibus plateis planctus, & in cunctis quæ foris ſunt dicetur: Væ væ; & vocabunt agricolas ad luctum, & ad planctum, eos qui ſciunt plangere*. Porro Lamentatrices & Lamentatores ejuſmodi Iſraelis cantilenas olim ejulabant, quas Jeremias 35. 25. ſcripſerat in obitu pii Regis Joſiæ, Docent Judæi Doctores (b) in funeribus matris familias mariti fuiſſe onus ducendi ad minus geminos inſtrumentis ludentes, præter Lamentatrices mercede conductas.

Quantum ex Evangelio Lucæ 7. 32. colligimus, ſi quis in funebrem aliquam pompam incidiſſet, jubebatur gemitibus & cantilenis ejulantium & gemitus & cantilenas ſuas addere: *Cantavimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis, lamentavimus, & non ploraſtis*. Salomon in Eccleſiaſte inſinuat cap 12. 5. pompam illam funebrem Lamentatores obiiſſe circum forum: *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes*. Et Zacharias celebrem quemdam luctum deſcribens integras familias ſuas ſeorſum & per choros ad obeundas lamentationes ſuas ex uno latere viros, ex altero fœminas, habet. Solemne eſt Prophetis, poſt enunciata in regionem aliquam vel gentem mala, ſcribere lugubre quoddam carmen, veluti canendum à La-

(a) Vide & Peter. in Gen. 4. & Cl. Bayle ad vocem *Lamech*.

(b) Thalmud tit. Cetubot cap. 4.

Digitized by Google

à Lamentatoribus & Lamentatricibus, qua die triſtis rei eventus impleret oraculum. Vide Jerem. 9. 10. 18. 20. Ezech. 26. 17. & 27. 2. & 32. 2. &c.)

LAMIA. *Lamia*, *Lemures*, *Larvæ*, & *Empuſæ* à Veteribus fœminæ quædam, ſeù Dæmones dicebantur, qui ſub mulierum forma pueros blanditiis trahentes, deinde vorabant. Nullibi præterquam in nutricum & fœminarum mente lamias extitiſſe credimus, non ſecùs ac nocturnæ ſtryges, quæ Sabbathi nocte per aera ferri dicuntur. S. tamen Hieronymus eam vocem bis in Vulgata ſcribere non formidavit. *Jerem. Thren.* 4. 3. *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos; filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto*. Hebræa tamen vox *thannim*, belluam marinam exprimit; ibique facillimè S. Hieronymus *lamiam*, canem marinum, ſive cetum exprimere contendit, quæ vivos fœtus cùm edant, ſuo lacte nutriunt. Hæc optimè congruunt comparationi ductæ a Jeremia ex lamia ad filiam populi ſui.

Secundò lamia in Iſaia 34. 14. ſcribitur. Propheta, juxta Vulgatam, regionem Edom, ſivè Idumæorum in ſolitudinem reducendam ſcribit, ibique *cubaturam lamiam, & requiem ſibi inventuram*. Hebræum habet *lilith*, quæ vox aliquibus (a) noctuam, ſivè quampiam aliam à noctuarum genere avem ſonat. Docent Rabbini (b), *Lilith* primam fuiſſe Adami uxorem, quæ cum viro jurgata, nomine Jehovah, quod nulli proferre licet, pronunciato, in aera ſublata eſt. Adam cum Deo uxoris raptum conqueſtus, tres Angelos obtinuit, qui Lilith reditum imperarent: ſecùs, centum ex filiis ſuis quotidiè morituros ſciret. Illa tamen reditum pertinaciter abnuens, filiorum morti potiùs acquievit. Angeli domum cùm ipſam ad reditum cogerent, ut ſe in aere ſinerent, exoravit, pollicita ſe nunquam eos parvulos læſuram, qui illorum nomina præſetuliſſent. Hinc Judæi, ut parvulos ſuos ab hujus impiæ mulieris inſidiis eximant, in memorata eorum collo appenia inſcribunt; Sexoi, Sanſenoi, Sammangeloph. Vide *Lilith*.

(Lamia Marinum eſt monſtrum ingenti corporatura vaſtum, ut ſpectari interdum contingerit Lamias 30000. librarum, quas vix traherent equorum bigæ. Nicææ & Maſſiliæ piſcatu apprehenſæ ſunt Lamiæ, quarum recondebantur in ventre integri homines & armati. Unam quandam ſpectaſſe ſe apud Santones affirmat Rondeletius, cujus ampliſſimum guttur facilè tranſmiſiſſet ad ſtomachum pinguem corpore hominem; addit inſuper ſi quis guttur illud ligno tranſverſo teneat apertum facilè meare poſſe ad interiora ſtomachi canes, ut reliquias ibi cibi vorent. Piſcis eſt præ aliis voraciſſimus, tranſmiſſumque cibum citiſſime decoquens. Dentibus armatur amplis, aſperis, acutis, triangularibus, dentatis ad modum ſerræ in ſex ordines diſtributis, quorum prior extra gulam prodit, ſecundi ordinis recti ſunt, tertii vergunt interiùs.

Lamia. Legimus in tabulis Lamiam elegantis formæ puellam amaſſe Jovem, ex quo concepti infantes. Iniquiſſimè id habuit Juno; quare perimendos curavit in ventre matris fœtus, ut nonniſi immaturos ederet. Ex quo tanto dolore mater affecta eſt, ut lacrymarum ubertate inſitam oris venuſtatem corrumperet, tum & in matres alias livore æmulationis efferata filios earum vorabat. Non immeritò reputaremus nomen Lamia derivari ex Hebræo *Laham*; quod eſt devorare, eandemque retinet ſignificationem vernaculo Arabum ſermone.

Mille fabellas venditant Arabes de Lamiis, vel Mednſis, quas Dæmones reputant vel pravos Genios ex eorum ordine, quos Deus mundo præfecit antequam gubernandum traderet *Eblis* Spiritui, qui tandem & ipſe in Deum perduellis & in inferna adactus fuit. Tenent Veteres Genios vel *Divos* vel *Gin* in mares diſtingui & fœmellas *Peris* (c). Sunt Peris elegantiſſima forma puellæ, à quibus noxia nulla; viciſſim autem Divi tetro ſunt aſpectu & animo pejori, belloque ſemper Peris affligunt. Quæ lurida ſunt maximè & fœculenta, ſunt Divis in deliciis, eiſdemque dapibus convivia inſtruunt; regionem incolunt *Ginniſtan*, ac ſi diceres regionem Geniorum, vel Lamiarum. Addunt Salomonem id tandem eviciſſe, ut ex his Lamiis unam vinceret, qua rebus quampluriṁis miris & extraordinariis opportunè eſt uſus.

LAMINA AUREA. Judæorum Pontifex auream in fronte laminam gerebat, inſcriptam, *Kodeſch-la-Jehovah*, Sanctum Domino, quæ ſerica tænia fronti alligabatur.

LAMNAZEACH. Vox Hebræa, in titulis Pſalmorum frequens, quam Vulgata, & Septuaginta vertunt, *In finem*; Aquila *Victoriam, danti*, ſeù *victori*. Theodotion, *In victoriam*, Chaldæus, *In laudem*; Symmachus, *Carmen victoriæ*. Plerique tamen Interpretes, poſt Rabbinos, reddunt, *Præfecto muſices*; neque nulla eſt in Pſalmis difficultas, quæ hoc dato non explicetur. Hebræum *Hazac*, ex quo *Lammazeach*, alicui præeſſe ſignificat: in Templo autem ſingulas familias & claſſes muſicorum ſub Præfecto fuiſſe ſcimus (d).

(Vocem hanc reddunt Vulgata & Septuaginta, *in finem*. Plures id exponunt de adventu Jeſu Chriſti in fine ſæculorum & impleto tempore præſtituto venturi in mundum. Malunt alii dictum accipere de vocatione Gentium & reprobatione Judæorum; alii de æternitate vel poſtremo Judicio; ſed moralia ſunt hæc & myſtica, non literalia. Exponunt alii *in finem*, pro ſemper, ut ſit: *Pſalmus nunquam è memoria fidelium delendus, nunquam non cantandus*.

Interpretes Græci, Aquila, Symmachus, & Theodotion reddunt Hebræum *Lamnaſeach*, victorem, ſeu *qui dat victoriam* vel *Canticum victoriæ*. Cùm tamen Textus Pſalmi eo titulo inſcripti conſulitur, nihil in illo minùs deprehenditur, quàm victoria. Quare verſio hæc myſtica haberi poteſt, literalis non poteſt. Qui dictum accipiunt de victoriis Jeſu Chriſti, illi ſibi quidem latiorem aperiunt campum; cùm Jeſus Chriſtus vicerit mundum, mortem, ac Dæmonem, paſſione ſua, perpeſſionibus, morte, quemadmodum & reſurrectione, aſcenſione, atque glorioſis, quæ exhibuit, myſteriis: ſed nobis quærendam proponimus expoſitionem literalem & grammaticalem.

Recentiorum Interpretum plerique, poſt Rabbinos, malunt *Lamnazeach* perinde eſſe ac Principem Muſices, vel Præfectum chori Muſicorum canentium in Templo. Conſtat utique verbum *Nazach*, unde *Lamnaſeach*, exprimere Præfectum aliquem opificibus vel cantatricibus; & nullus eſt Textus exhibens *Lamnazeach* eandem expoſitionem reſpuens. Hunc igitur vocis ſenſum genuinum cenſemus.

Ingenti numero Levitæ deſtinati erant in Templo Domini Dei laudibus cantandis. Singulis Cantorum familiis ſuus erat Princeps vel Præfectus. Longus eorum catalogus ducitur 1. Par. 6. 3. quem verba iſta claudunt: *Iſti ſunt, quos conſtituit David ſuper Cantores Domus Domini*. Primas inter illos tenebant *Aſaph*, *Heman*, *Ethan*, & *Idithun*. Cantorum claſſes inter ſe diſtinguebant non familiæ tantùm & locus in Templo diverſus, ſed & muſica, quibus ludebant, inſtrumenta. Præerat ſingulis hiſce choris ſuus *Mnaſeach*. Choenias e. g. tono & harmonia vocis maximè celebrabatur. *Choenias Princeps Levitarum prophetiæ præerat ad præcinendam melodiam* 1. *Par.* 15. 22. In referenda Arca Fœderis Jeroſolymam puellarum chori parebant Banajæ 1. *Par.* 15. 18. 20. *Pſ.* 9. In Pſalmorum inſcriptionibus quoſdam e. g. legas directos ad Principem octavæ claſſis *Pſal.* 11. 1.; ad tertiæ alios. Diriguntur alii Cantoribus ſeu ludentibus *Negmah Pſal.* 3. 1. 2. i. e. inſtrumento quodam muſico digitis pulſando.

Nec in ſacris tantùm cæremoniis ſuum habebant locum *Mnaſeach* vel Præfecti; munus enim ſuum gerebant etiam in Aula Principum habentes ad nutum choros Muſicorum, & Muſicarum. In cæremoniis

(a) Chald. alii quidam. (b) Vide Buxtorf. Synag. Jud. c. 2. et lib. Benſira.
(c) D'Herbelot Bibl. Orient. pag. 701. 702.
(d) Vid. 1. Par. 6. 31. & 2. Par. 29. 30. &c.

Digitized by Google

etiam lugubribus, ſicut etiam in publicis gaudiis feſtiſque, cùm nec Cantores deeſſent nec muſica inſtrumenta, eandem methodum cernere licet; neque enim deſunt ſicut in Muſicis, ita etiam in Lamentatricibus Præſides conſtituti, choros vel claſſes ducentes ac præcinentes Lamentationes. Cùm David ſacrum aliquod carmen digeſſiſſet, dirigebat illud plerumque ad Aſaph, ut ad Muſicas Leges dirigeret curaretque in templo cantari: id enim inſinuat Scriptura illis, 1. Par. 25. 2. *Sub manu Aſaph prophetantis juxta Regem*. Plures etiam legas Pſalmos inſcriptos nomini Aſaph Præfecti muſices. Nec ipſe ſibi David ducebat indignum, præeſſe interdum claſſibus Muſicorum, illos canentes regere; quod facile inſinuatum intelligas ex Pſalmis illis, ita inſcriptis: *David famulo Dei*. *Præfecto muſices*, Pſ. 10. & 35. vel *David Principi muſices*.)

LAMPAS. Lampadum ſæpè meminit Scriptura, quæque vetus illarum forma fuerit, diſquirere operæ pretium ducimus. 1. Veteres plerumque non cereis, vel ſebo quæ accenderent, ſed oleo utebantur. Lampas, ſeu candelabrum ſeptem ramis diſtinctum à Moyſe in Sancto collocatum, aliudque à Salomone in Jeroſolymitano Templo ſtatutum, parvæ lampades erant, quæ oleo repletæ cuique candelabri ramo imponebantur. Familiares lampades, vel candelabra, baſi cuidam, altæ ſatis, & ſuper pavimentum erectæ, ſuperponebantur. Gedeonis militum *Judic*. 7. 16. & Virginum fatuarum, prudentumque lampades *Matth*. 25. 1., alterius formæ erant. Faces quædam erant ſeù ferreæ, ſeù fictiles, lineis quibuſdam veteribus circumdatæ, quæ oleo identidem conſpergebantur. Bernerius (a) in India earum lampadum uſum adhuc vigere teſtatur, quas ferrum eſſe dicit ligneo manubrio compoſitum, cujus extremitas vetuſto lineo circumdatum eſt, quòd identidem à deferente madeſit oleo ex cupreo, vel ſtamneo vaſe educto, quòd vas oblongo collo præditum præ manibus fertur.

Veteres haſce lampades inter Romana monumenta reperiri teſtatur Galſonius, *de cruciatib. Mar. c.* 6. quas ità deſcribit. Erant vaſa vel terrea, vel ferrea, lata unius palmi longitudinis, vel aliquantulùm majoris, quæ deindeà ſummo ad arctiorem formam pauſuſum, præpoſteræ, perverſæque pyramidis inſtar contrahebantur, atque adſtringebantur. Poſtea verò vaſa hæc haſtulis quibuſdam quadratis, & ſimul colligatis ſepta, quæ ad vaſorum ſimilitudinem & ipſa à ſummo paulatim adſtringebantur igne flammam emittente repleri ſolebant. Apud Homerum *Odyſ*. Ψ 106. *&c.* ignis pingui & odoro ligno, altis baſibus in aulæ medio ſtatutis impoſito, accenditur. Hæc tamen non officiunt, quin olim cereis, facibus, lampadibuſque cera, ſivè alio quopiam inflammabili repletis uterentur. Ità Jaſon Judæorum Pontifex Antiochum Epiphaneum *cum facularum luminibus*, *& laudibus*, 2. *Mach*. 4. 22. Jeroſolymam ingredientem excepit.

(Præter notam vocis hujus ſignificationem, figurato etiam ſenſu habes illa expreſſam ſpem, hæredem, fiduciam, ductorem populi. Poſt evitatum illud à David diſcrimen, cùm ſcilicet Gigas Jesbibenob armis illum aggreſſus eſt, Principem rogarunt Iſraelitæ, ne ſecum veniret ultrà in bellum; *Ne extinguas*, dicebant, *lucernam in Iſrael*. 2. *Reg*. 21. 17. Noluit Deus ut jugum Roboami excuterent Tribus omnes ad unam: *Ut remaneat*, inquit, *lucerna David ſervo meo cunctis diebus coram me in Jeruſalem* 2. *Reg*. 21. 17.; i. e. ut Princeps, in domo cujus non ceſſet. Similem phraſim uſurpatam habes 3. Reg. 15. 4. & 4. Reg. 8. 19. & 2. Par. 21. 7. ubi *lucerna* perindè valet ac hæres. Job. 21. 17. *Quoties lucerna impiorum extinguetur?* Eodem ſenſu eſt lucerna Prov. 24. 20. Pſ. 131. 17. *Paravi lucernam Chriſto meo*.

Nuncupat ſe Dominus *lucernam* ſervorum ſuorum, i. e. ſpem, opem: *Lucerna mea Dominus* 2. *Reg*. 22. 29. Pſ. 17. 29. *Tu illuminas lucernam meam*, *Domine*. Et Job priſtinum rerum ſuarum florentem ſtatum commemorans, cap. 29. 3. habet: *Quando ſplendebat lucerna ejus ſuper caput meum*, *& ad lumen ejus ambulabam in tenebris*. Salomon Prov. 13. 9. *Lux juſtorum lætificat; lucerna autem impiorum extinguetur*. Et Prov. 20. 20. *Qui maledicit patri ſuo & matri*, *extinguatur lucerna ejus in mediis tenebris*, i. e. vel filiis viduetur, vel miſerè rebus omnibus deſtituatur.

Lampades etiam deſignant interdum fulgura, datumque de Cælo ignem: *Cunctus populus videbat voces & lampades*, *Exodi* 20. 18., i. e. reboantia tonitrua, & fulgura.

Venientem Holofernem excipiebant populi in lætitiæ & honoris ſignificationem, *cum coronis & lampadibus Judith*. 3. 10.; quo etiam honoris apparatu excipiebantur novi Sponſi, ut ex Parabola decem Virginum intelligimus *Matth* 25. 1. &c.

De Mandatis Dominis ſcriptum legimis Pſ. 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum:* & in Prov. 6. 23. *Mandatum lucerna eſt*. Vide *Lux*.

De S. Joanne Baptiſta apud S. Joannem 5. 35. legas: *Erat lucerna ardens & lucens:* & in Apocalypſi 21. 23. Jeſus Chriſtus lucerna eſt novæ Jeruſalem.

LAMUEL, vox in Salomonis Proverbiis 31. 1 2. 4. *Verba Lamuelis Regis*, ſonans eum qui Dei eſt, vel qui à Deo poſſidetur. Communior ſententia fert, Lamuelem eumdem eſſe Salomonem, idque nomen illi à matre inditum, ut illum Deo à ſe dicatum ſignificaret. Hinc Scriptura Salomonem, Jedidiah, Coheleth, Agur, Lamuelem, & filium Jake nuncupat. Septuaginta vertunt. *Verba mea à Deo Rege meo prolata ſunt*.

LANCEA, quæ Servatoris latus fodit. Vide *Longinus*.

(Scribit Tavernier Itiner. Perſic. l. 1. pag. 44. in Cœnobio quodam juxta Erivan ferrum lanceæ monſtrari, quod ipſum confodiſſe Chriſti in Cruce pendentis latus recepta apud Armenos traditio docet. Summa hinc erga lanceam quam, ad ſe delatam ferunt à S. Matthæo, religio.)

LAODICEA. Plures hujus nominis urbes; de Laodicea tamen Phrygiæ, ad amnem Lycum propè Coloſſas, ſolum Scriptura. Vetus hujuſce nomen, *Dioſpolis*, inde *Rhoas*. Denique ab Antiocho Stratonici filio reſtituta, *Laodicea*, ex *Laodice* illius uxore appellata eſt, Nunquam S. Paulus Laodiceam petiit, neque Laodicenſes Paulum unquam videre *Coloſſ*. 2. 1. Cùm tamen Apoſtolus ab Epaphra eorum Epiſcopo didiciſſet, Pſeudo-Doctores quoſdam dogmata quædam pernicioſa Coloſſi, & Laodiceæ diſſeminaſſe, ad Coloſſenſes ſcripſit, ut eos ab his erroribus præmuniret; quam epiſtolam Coloſſenſibus imperat, ut ad Laodicenſes mittant, & eam quæ Coloſſenſium eſt, ipſi legant. *Et cùm lecta fuerit apud vos Epiſtola hæc*, *facite ut & in Laodicenſium Eccleſia legatur*, *& eam*, *quæ Laodicenſium eſt*, *vos legatis*.

Poſtrema Pauli verba: *Et eam*, *quæ Laodicenſium eſt*, *vos legatis*, dubia ſunt. Vel enim Epiſtolam Pauli ad Laodicenſes, vel Laodicenſium ad Paulum ſignificare poteſt. In hoc diſſident Interpretes; alii enim (b) primo ſenſu intelligunt, alii ſecundo. Pauli ad Laodicenſem Epiſtolam adhuc legimus. Theodoretus *in Coloſſ*. 4. & S. Hieronymus (c) cujuſdam ad Laodicenſes Epiſtolæ meminere. Septimi Concilii Patres (d) Majoribus ſuis quamdam ejuſmodi Epiſtolam notam fuiſſe teſtantur: utrique tamen veluti falſam & ſuppoſititiam rejecere; recentioreſque Eruditi eadem notà vulgò inurunt eam, quæ ſub Pauli nomine in veteribus quibuſdam Bibliis in Germania, & Antuerpiæ impreſſis, & in veteribus Mſſ. legitur. Dubium etiam eſt, utrum hæc eadem ſit ac ea, de qua Veteres, cùm Græce non extet; quæ enim ab Huttero Græcè vulgata eſt, ex Latino Exemplari in Græcum verſa eſt. Epiſtolam ad Laodicenſes ab hæreticis interpolatam teſtatur Philaſtrius; & Ti-

(a) Bernier Lettre à M. de Merville, p. 34.
(b) Greg. Mag. l. 35. c. 15. Moral. *in* Job. Philaſtr. de hæreſ. c. 88. Haymo. Hervæus, &c.
(c) Hieron. in Catalog. Legunt quidam & ad Laodicenſes Epiſtolam, ſed ab omnibus exploditur.
(d) Septima Synod. Oecum. an. 787. ſive Nicæna II. act. 6.

Timothens Presbyter Conſtantinopolitanus (a) hoc Manichæis adſcribit. Quam tamen habemus, nil Manichæum olet. Hanc eamdem ſubjicimus.

Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, fratribus, qui ſunt Laodiceæ, gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto. Gratias ago Chriſto per omnem orationem meam, quod permanentes eſtis, & perſeverantes in operibus bonis, permiſſionem expectantes in die Judicii. Neque diſturbent vos quorumdam vaniloquia inſinulantium veritatem, ut vos avertant à veritate Evangelii, quod à me prædicatur. Et nunc faciet Deus, ut qui ſunt ex me, ad perfectum veritatis Evangelii ſint deſervientes, & benignitatem operum facientes, quæ ſunt ſalutis vitæ æternæ. Et nunc palam ſunt vincula mea, quæ patior in Chriſto, in quibus lætor & gaudeo. Et hoc mihi eſt ad ſalutem perpetuam, quod factum eſt orationibus veſtris, & adminiſtrante Spiritu Sancto, ſivè per vitam, ſivè per mortem. Eſt enim mihi vivere vita in Chriſto; & mori gaudium. Et ipſe in vobis faciet miſericordiam ſuam, ut eamdem dilectionem habeatis, & ſitis unanimes.

Ergo, dilectiſſimi, ut audiſtis præſentiam Domini, ità ſentite, & facite in timore, & erit vobis vita in æternum. Eſt enim Deus, qui operatur in vobis; & facite ſinè peccato quæcumque facitis, & quod eſt optimum. Dilectiſſimi, gaudete in Domino Jeſu Chriſto, & cavete omnes ſordes in omni lucro. Omnes petitiones veſtræ ſint palàm apud Deum. Eſtote firmi in ſenſu Chriſti, & quæ integra, vera & pudica ſunt, facite; & quæ audiſtis, & accepiſtis in corde retinete, & erit vobis pax. Salutant vos omnes Sancti. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen. Et hanc facite legi Coloſſenſibus, & eam, quæ eſt Coloſſenſium, vobis.

Si verò hæc ſuppoſititia eſt, ut convenit, quæ vera erit, quam S. Paulus Coloſſenſibus legi jubet? Marcion apud Tertull. l. 5. contra Marcion. c. 11. & 17. eamdem eſſe ac ad Epheſios contendit; & poſt hunc Grotius, Clericus, & Hammondus. Siquidem tuentur, S. Paulum duas Epiſtolas alteram ad Epheſios, ad Laodicenſes alteram, iiſdem verbis ſcriptas dediſſe; quæ in tota Aſia Minori circulares eſſent. Cùm verò Laodicea Coloſſis propior eſſet, quam Epheſus ideircò Coloſſenſes ad Laodicenſes potiùs miſiſſe, quàm ad Epheſios, ut illius participes fierent.

Alii plures (b) tum Veteres, cùm Recentiores, Laodicenſium ad Paulum epiſtolam fuiſſe docent, quam Apoſtolus à Coloſſenſibus legi voluerit, ut ab illa ſanctitatis exempla docerentur. Probabilis eſt ſententia, non tamen certa. Laodicenſium Epiſtolam Roma potiùs ad Coloſſenſes mittere Paulus debuiſſe videtur, quam ipſos ad Laodicenſes mittere, cùm incertum eſſe potuiſſet, utrum ii hanc Epiſtolam ſervaſſent.

Aſſerunt alii (c), S. Paulum ad Laodicenſes eodem tempore ac ad Coloſſenſes ſcripſiſſe; eamque ad Laodicenſes Epiſtolam interiiſſe. Paulum tamen ad Laodicenſes tunc non ſcripſiſſe ex eo apertè convincitur, quòd ipſe Coloſſenſibus imperat, ut Laodicenſibus ſalutem verbis ſuis dicant (d). Potiùs igitur S. Paulus de Laodicenſium ad ſe Epiſtola loquutus fuiſſe dicendus eſt, quæ nunc periit. Certi nihil in hoc eſſe fateor; at hæc melior eſt hypotheſis, ut locus hic illuſtretur.

LAPIDARE. Hoc ſupplicii genus frequentiſſimum erat apud Judæos; & Rabbini longum texunt catalogum, in quæ ea pœna animadvertebatur. Recenſentur in eo omnia ea delicta, quibus pœna mortis, nullo determinato ſupplicii genere, in lege decernebatur, uti inceſtus filii cum matre, matris cum filio, filii cum noverca, patris cum filia, filiæ cum patre, patris cum privigna, ac tandem viri fœminam deſponſam violantis, cui etiam pœnæ filia deſponſa ſubjicitur, ſi violatori conſenſerit: ad hæc Sodomia, & coitus cum beſtia, Idololatria, blaſphemiæ, magia, necromantia, violatio Sabbathi, oblatio infantium Moloch, inducentes alios ad Idololatriam, filius in patrem perduellis, & per Judices damnatus.

Cùm vir morte damnatus erat, authoribus Rabbinis, extra urbem ducebatur, præcedente apparitore, qui haſtam ferebat, appenſo linteo velo undique conſpicuam, ut eo aſpectu omnes, qui aliquid in rei defenſionem afferre voluiſſent, accederent, neque rem ulterius progredi paterentur. Si quis veniſſet, omnes ſiſtebant, & reo in carcerem reducto, cauſâ iterum diſcutiebatur. Si nemo acceſſiſſet, rectà ad ſupplicium adductum, etiam atque etiam rogabant, ut crimen ſuum fateretur; omnes enim, qui delictum fatentur, in futuro ſæculo partem habituri ſunt. Inde lapidibus appetebatur: nec tamen omnes eadem ratione, ut Rabbini teſtantur apud Selden. de Syned. l. 1. c. 5. & l. 2. c. 13. Interdùm enim lapides in illum projiciebantur initio à teſtibus facto. Interdum verò in præruptum ſaxum, ſaltem duorum hominum altitudine eminens, ductus, ex illo præceps ab uno ex teſtibus actum, ab altero magni lapidis jactu opprimebatur: ſi utrique ictui adhuc ſuperſtes fuiſſet, jactu lapidum occidebatur. Primum lapidationis genus ſæpè in Scriptura occurrit; ſecundum verò numquam; exemplum enim Jezabelis è feneſtra actæ, nihil ad eam rem confert. 4. *Reg.* 9. 33.

Quæ diximus de lapidatione extra urbem, nonniſi in Judiciis legitimo ordine conſtitutis intelligenda ſunt; ſiquidem non rarò ubicumque rei occurrebant, lapidibus à Judæis impetebantur; uti cum zelo Legis abrepti, blaſphemum, adulterum, Idololatram ſubitò lapidibus appetebant. Hinc Jeſus cum in Templo eſſet, fœminam adulteram coram ſe ductam, lapidibus obrui juſſit, ſi inter ejus accuſatores quis eſſet crimine vacuus *Joan.* 8. 7. Hinc etiam idem Jeſus parum abfuit, quin in eodem Templo lapidea ſubiret, utpote qui blaſphemiam protuliſſe arguebatur *Joan.* 8. 59. quod idem periculum etiam in ſuum caput adduxit illis verbis: *Ego & Pater unum ſumus*, *Joan.* 10. 31. Porrò in Judiciis illis, quæ *Judicia zeli* ab illis nuncupabantur, nullas judiciales cæremonias, ſed tantùm furoris ſui impetum obſervabant. Ferunt, poſt lapidationem corpus palo alligari junctis manibus conſueviſſe, quouſque ſol occideret: deinde in valle cadaverum, una cum eodem palo terræ mandatum. Hæc tamen nonniſi cum Blaſphemis, & Idololatris obſervata fuiſſe tradunt, non verò cum aliis; ſed etiàm de illis nulla extant apud Scripturam exempla.

LAPIDOTH, Deboræ Prophetidis vir *Judic.* 4. 4. Sunt, qui hoc nomen patriam ejuſdem Prophetidis ſignificare opinentur. Alii verò advertentes, *Lapidoth* lampades exprimere, Deboram elychniis candelabro Tabernaculi parandis occupatam putarunt.

LAPIS. De variis Lapidibus pretioſis, quorum mentio in Scriptura, ut nobis oblata eſt occaſio, egimus. Quidquid autem ea de re invenire eſt apud Commentatores, incertum idcircò eſt, quòd neque Judæi, neque ipſi Veteres Græci Interpretes Hebræarum vocum vim minimè attigiſſe videantur. De iiſdem ſtudiosè Ludovicus Dieu, Com. in Exod. c. 28. 17. & Braunius (e). Lapidum, quibus Pontificis Rationale diſtinguebatur Catalogum hic exhibemus (f). 1. Sardonyx. Hebr. *Odem*. In ea inſcriptum legebatur Ruben. 2. Topazius

(a) Timoth. libell. de his, qui ad Eccleſiam accedunt, apud Meurſ. Var. divin.
(b) Chryſoſt. Theodoret. Oecum. in Coloſſ. 4. Phot. Eſt. Menoch. Cornel. Baron. Tillemont. Beza, Vorſt. Ligtfoot. &c.
(c) Anſelm. ſeù Hervæus, D. Thomas, Cajet. in Coloſſ. 4. Bellarm. l. 4. c. 4. de verbo Dei.
(d) Coloſſ. 4. 14. *Salutate fratres, qui ſunt Laodiceæ.*
(e) De veſtitu Sacerdotum Hebræorum l. 2. cap. 8. 9. 10. &c. Vide etiam Franciſcum De la Rue de Gemmis.
(f) Exod. 28. 17. &c. Videantur ſuis locis.

rius. Hebr. *Pithera*. In eo nomen Simeon. 3. Smaragdus. Hebr. *Barecheth*. In eo Tribus Levi. 4. Carbunculus. Hebr. *Nophech*. In eo Tribus Juda. 5. Sapphyrus, Hebr. *Saphir*. In eo Tribus Dan. 6. Jaſpis Hebr. *Jahalom*. In eo Tribus Nephtali. 7. Ligurius. Hebr. *Leſchem*. In eo Tribus Gad. 8. Achates. Hebr. *Schebo*. In eo Tribus Aſer. 9. Amethyſtus. Hebr. *Achelamath*. In eo Tribus Iſſachar. 10. Chryſolitus. Hebr. *Tharſis*. In eo Tribus Zabulon. 11. Onyx. Hebr. *Schoham*. In eo nomen Joſeph. 12. Beryllus. Hebr. *Jaſpe*. In eo nomen Beniamin.

Pontificis uterque humerus lapide pretioſo ornabatur, quem Hebræum *Soham*, *Onychem* Vulgata, *Smaragdum* Septuaginta appellant. *Exod.* 28. 9. Hanc veram vocis Hebrææ *Soham* ſignificationem credimus.

D. Joannes in ſua Apocalypſi novam Jeruſalem Agni ſponſam nobis exhibet, cujus fundamenta lapides pretioſi duodecim: 1. Jaſpis; 2. Sapphyrus; 3. Calcedonius; 4. Smaragdus; 5. Sardonyx; 6. Sardius; 7. Chryſolitus, 8. Beryllus; 9. Topazius, 10. Chryſopraſos; 11. Hyacinthus; 12. Amethyſtus.

His addimus lapidem *Sis*, *Ses*, ſeu *Sais* (a), quæ vox ut plurimum marmor album & pretioſum vertitur. Vide v. *Parius Lapis*. Lapidem *Gazith*. 2. *Par*. 22. 2. ſimplex marmor ſeu diſſectum, ſeu expolitum credimus. Lapis *Phuc* (b) Hebraicè antimonium, ſeu ſtibium ſonat. Ea lapide *Phuc* pavimenta ſternebantur, ut ex Iſaia 54. 11. Lapis *ſtibium*, ſeu antimonium minerale eſt nigri coloris inſtar perpoliti ferri lucidis venis refertum, ferrum unà & lapidem participans.

Plurium quoque lapidum præcipuo aliquo eventu inſignium Scriptura meminit. *Lapis Deſerti*. Urbs *Petra*. Vide v. *Petra*. *Lapis diviſionis*, in quo Saul Davidem obſidens, de Philiſthæis, qui Regionem invaſerant, admonitus, ab obſidione receſſit. 1. *Reg*. 23. 28. *Lapis Etham*, ſpecus & domicilium Samſonis, cùm bello Philiſtæos laceſſeret. *Judic*. 15. 8. *Lapis Oreb*, ubi Gedeon Oreb Madianitarum Principem interfecit. *Judic*. 7. 25. *Lapis Odollam*, ſpecus & latibulum Davidis. 1. *Paral*. 11. 15. *Lapis Ezel*, ubi David Jonatham emiſſis jaculis ſibi reſpondentem oppertus eſt. 1. *Reg*. 20. 19. *Lapis adjutorii*, ubi Philiſthini Arcam Domini ceperunt. 1. *Reg*. 5. 1. *Lapis angularis*, qui ædificiorum angulos connectit, ſive in imo ædificio locetur, ſive in ſublimi. Chriſtus Dominus Lapis eſt angularis, qui à Judæis quidem contemptus *Pſal*. 117. 21., à Deo tamen in angularem Eccleſiæ lapidem (c) electus, eodem Fidei, Baptiſmatis, & Eccleſiæ nexu Synagogam & Gentiles copulavit. *Lapis Zohaleth* 3. *Reg*. 1. 9. quem, ajunt Rabbini, Juvenes, ut de ſuis quiſque viribus experimentum caperent, vel erigebant, vel jaciebant, vel in orbem volvebant; non enim de ejus lapidis uſu omnino conveniunt. *Vide & lapidem oneris Zach*. 12. 3. *Lapis Bohen*, cujus mentio in Joſue 15. 6. & 18. 18. Reges, Princeps, Deus ipſe aliquandò ab Hebræis *Lapides* appellantur. Joſeph in Ægypto *Lapis Iſrael* evaſit. *Gen*. 49. 24.

Vocantur quoque *Lapides* ſtateræ pondera. *Æqua ſint pondera Levit*. 19. 36. *Non habebis diverſa pondera, majus & minus Deut*. 25. 13. *Lapis Regius* 2. *Reg*. 14. 26. pondus regium. Vide & *lapidem doloſum*, pondus falſum *Proverb*. 16. 11. & 20. 10. & *Mich*. 6. 11.

Ingens grando *grandinis lapides* appellatur *Iſai*. 30. 30.

Ezechiel *lapidum elgabis* nomine fulminum lapides deſignare videtur. *Ezech*. 13. 11. &c. & 38. 22.

(LAPIS JACOB. Ipſe eſt lapis, quem capiti ſummiſit Jacob, quietem capturus in itinere Meſopotamiæ *Geneſ*. 26. 18, & quem pariter affuſo oleo veluti conſecravit, cùm deſtinaretur ab ipſo Jacob in Aram Domino poſt reditum ſuum excitandam. Redux eò ſe contulit ad votum exſolvendum, obtulitque ſacrificia, quæ ſpoponderat. *Geneſ*. 25. 14. Ex eo lapide à Jacob inuncto obtinuit apud Paganos mos conſecrandi oleo lapides, quos deſtinabant in cultum. Religioſo obſequio venerari conſueviſſe lapides illos Paganos tradit S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 7. Ipſe de ſe Arnobius contra Gent. lib. 1. fatetur: *Si quando conſpexeram rubricatum lapidem, & ex olivi unguine lubricatum, tanquam ineſſet vis præſens, adulabar, affabar*. Ejuſmodi lapides divino cultui unctione deſtinatos *Bethules* appellant veteres Phœnices (d). Ejus rei inventum Deo Cœlo vindicat Sanchoniaton, tradens lapides eſſe vivos & animatos, cujuſmodi diu manſiſſe cultum in ſubjectis Libano regionibus. Quoſdam juxta Eliopolim Syriæ notat Aſclepiades apud Photium Cod. 242. & in aera raptos alios, ciendique ſe vi inſtructos ſpectaſſe ſe affirmat Damaſcius. Oracula etiam accepto illis referebantur, quaſi Numinis cujuſdam vel Genii præſentia animarentur. Sunt è *Bethulis* iſtis conſecratæ quædam Saturno, quædam Soli, quædam Numinibus aliis. Docet Heſychius *Bethula* à Poetis vocari lapidem, quem Saturnus voravit loco Jovis filii ſui. Via ambigo nomen *Bethules*, vel *Bethula* derivari ex Bethel, ubi Jacob inunctum lapidem cultui Dei veri deſtinavit.

Perſuaſum habent Mahometani lapidem Jacob (e), delatum priùs in Templum Salomonis, ſervari adhuc in Moſchea ibi erecta, ubi creditur olim Templum Jeroſolymæ inſediſſe. Appellant hunc *Alſakra* vel lapidem unctionis. Cadi Gemaledin, filius Vaſſel, ſcribit pertranſeuntem ſe Jeroſolyma in Ægyptum iturum, ſpectaſſe Sacerdotes quoſdam Chriſtianos, qui plenas mero phialas vitreas afferebant ſuper *Sakra*, juxta quam Muſſulmani excitaverant Templum lapidis. Vinum illud à Chriſtianis Sacerdotibus ſuper lapidem delatum ad Miſſæ Sacrificium deſtinatum fuiſſe, nullus dubito.

LAPIS FULMINIS. Perſuaſum habemus lapidem *Gabiſch* vel *Algabiſch*, de quo Job. 28. 18. & Ezechiel 13. 11. lapidem eſſe fulminis. Norant Veteres *lapides ceraunios* vel fulminis, magnique æſtimabant. Inter lapides pretioſos accenſet Job lapides *Gabiſch*; & Ezechiel futurum minitatur, ut Dominus immittat in impios imbrem violentum, conteratque lapide *Gabiſch*. Ita vero de illis agit Plinius lib. 27. cap. 9. ut inſinuet atro vel rubro infici, forma verò accedere ad ſecurim. Anſelmus de Boot Hiſt. Lapid. & Gemmar. affirmat inter curioſorum cimelia monſtrari lapidem exhibentem aſciam ſeu vomerem, vel malleolum, vel cuneum. Silices noſtrates proximè referre affirmat, nec uniformes eſſe colore; plerumque foramen quoddam habent apertum, tanquam ſi variis belli vel agriculturæ uſibus antea valuiſſent.

Quæ ſimul omnia in eam nos perſuaſionem inducunt, lapides hoſce, quos dicunt fulminis, nihil eſſe aliud, quam lapides à Priſcis adhibitos in locum ferri vel æris, quà uſibus agriculturæ, quà belli ad inferendam vel propulſandam injuriam; licet enim ſpectari ex his lapidibus formatas aſcias, cultros, vomeres. Veteres olim Hebræi lapideis cultris ſe circumcidebant; nec aliis abſcindebant ſeſe Galli Sacerdotes Iſidis. Sagittas ſuas duriſſimo quodam lapide præfigebant veteres Æthiopes apud Herodotum l. 7. cap. 69. Aſcias lapideas ſub capite poſitas habebant cadavera quædam Barbarorum pluribus antehac ſæculis conditorum in vico juxta Ebroicam (f). Ex his quædam erant jucundiſſimo marmore elegantes. Non eſt igitur, cur monſtri loco ducamus, ſi lapides ejuſmodi tanti æſtimabant Veteres, ut gemmas contra emerent.

Hodie pariter mira quædam affigunt lapidibus hiſce, quos vocant fulmineos. Narrat Plinius l. 27. c. 9. ſedulò à Perſis conquiri genus quoddam fulmineorum lapidum rariſſimum, quo pluribus utebantur; addit autem

(a) 1. Par. 29. 2. & Eſth. 1. 6. (b) Vide 1. Par. 29. 2. & Iſai. 54. 11.
(c) Act. 4. 11. Iſai. 28. 16. & 1. Petr. 2. 6. Vide & Matth. 21. 42. Marc. 12. 10. Luc. 20. 17.
(d) Euſeb. Præpar. lib. 1. cap. 10. (e) D'Herbelot. Bibliot. Orient. pag. 269. 278.
(f) A. 1685. Vide Antiquit. explic. to. 5 pag. 195. Supplem. to. 4. pag. 29.

autem lapides hoſce uoà cum ſulmine cadere. Duo alia lapidum genera deſcribit Lotacus, quorum uui vindicat capiendi Urbes virtutem; alteri ſundendi claſſes. Familiares ſunt hodie lapides illi in Picardia, Germania, & regione *des Moriens*.

Sed genuini ſulminei lapides ab his omnibus planè diſcrepant. Feruutur autem concreſcere in uube è nitroſa quadam & ſulphurea materia, quæ cum agitatione nubium denſetur, ignéſcit tandem, tum disjectis nubibus vi ejaculatur. Fusè agit Plutarchus in Lyſandro de lapide quodam ſulmineo, qui olim in Thraciam cecidit. Lapidis hujus, tanquam è corpore Solis avulſi, lapſum antea prædixerat Anaxagoras Philoſophus (a). Spectatus eſt autem in aere ſuſpenſus ſpatio 75. dierum huc illucque impetu quodam agitatus, ex illo per intervalla ignea quædam lapidea fruſtula tanquam ſcintillæ ſuſtollebantur, quæ deinde tanquàm è Cœlo lapſæ ſtellæ pondere ſuo ruebant. Ruit tandem & lapis, frigidus, fumigatuſque; ſed mole tamen multò quam antea ſpectaretur lu aere extenuatus. De hoc Plinius l. 2. c. 58. *Qui lapis etiam nunc oſtenditur, magnitudine vehis, colore aduſto*.

Qui ſpectatur in Templo Parochiali Euriſhen in Halſatia è Cælo lapſus eſt anno 1492. colorem refert ſubnigrum, figura non penitus rotunda, aſpera ſuperficie, pondere æquans, uti ferunt, 300. libras circiter. Lapis, cujus meminit D. Gaſſendus (b), cecidit die 29. Novembris 1637. caput humanum æquans magnitudine, pondere verò 54. libras, ſubatro inficiebatur colore, & mirè ſolidus erat; ſervatur Aquis Sextiis in Provincia. De tribus magnis lapidibus è Cælo deturbatis in Thracia agit Comes Marcellinus in Chronico ad A. 452. Refert Cardanus de Variet. l. 14. c. 62. in Campania, nou longe ab Abdua, è Cælo ruiſſe ad duodecim lapides ferrugineos & ſulphureo odore graves, ac ſolidiſſimos.

Sunt, qui defendant lapides hoſce non in aere quidem formari, ſed ex alia quadam rupe avelli, ex ſulphure autem nitroque, quibus concreſcunt; fieri, ut flammas concipiant, quarum vi diutiùs aerem pererrant: abſumpta verò, quam fovent, materia combuſtibili, ruunt præcipites, habenturque vulgò pro fulmineis lapidibus. Refert Diodorus Siculus lib. 11. Perſas meditantes direptionem Templi Delphici repulſos fuiſſe fugatoſque tempeſtate, fulminibus, & nimbo lapidum, quos typhones & procella à ſcopulis avulſerunt. Affirmant itinerantes nimbis ejuſmodi frequentem Americam paria non raro ſpectare. Vero propius autumamus, quos lapides ſulmineos, & Iob ac Ezechiel *Gabiſch* appellant, nihil eſſe aliud, quàm avulſos è montibus lapides, vel lapidea quædam arma nomine lapidis fulminei ſat cognita.

Pluvia lapidum. Meminit Ioſue imbris lapidei cælitùs excuſſi in Chananæos. Ita verò ille cap. 10. 11. *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de Cælo uſque ad Aſeca, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filii Iſrael*. De hac lapidum pluvia quæſtio eſt anceps. Sunt, qui de grandine tantùm agi credant, majori tamen, quàm pro conſueto, excuſſa impetu; ſunt & qui tenendam literam Ioſue cenſeant, ut ſit ſermo de grandine lapidum. Cui poſteriori ſententiæ & apertus favere Textus videtur, & Hiſtoriæ exempla id contigiſſe confirmant. Nec enim ſemel tantùm Cælum pluit lapidibus; ſed & quando ounquam id contigiſſet, ſatis eſt ad intentum, agi de illo iu Scriptura tanquam de prodigio, ut mentis ambiguitates omnes tollantur. Iniquum eſt autem ſenſum typicum & metaphoricum prætendere, niſi cùm ea ſeſcit Scriptura, quæ vel pugnant inter ſe, vel ideis divinis averſantur, vel legibus naturæ poſitis, non in ſpeciem tantùm, ſed re ipſa opponuntur.

Semper ac de re illa geſta tractat Scriptura, uunquam non ideam prodigii ingerit. Quis autem vulgarem grandinem prodigium reputet? Optimi quique Commentariorum in Ioſue Scriptores, Maſius, Bonfrerius, Grotius literam de grandine lapidum præferunt. Minitatur Moyſes iu Deuteronomio 28. 24. excutiendum in populum ſuum imbrem pulveris & arenæ: *Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, & de Cælo deſcendat ſuper te cinis, donec conteraris*. Pluviam lapidum veluti malo omine infauſtam habebant Romani; nec raram ejuſmodi exemplorum memoriam in ſuis Annalibus conſervarunt. Sub Tullo Hoſtilio renunciatum Romæ pluiſſe lapidibus in monte Albæ, quod primò vix creditum. Miſſi, qui de prodigio quærerent, retulerunt illi, lapides ita cecidiſſe de Cœlo, tanquam excuſſam ventorum impetu grandinem (c). Eadem frequentiùs prodigium illud innovatum eſt (d). Aliquanto poſt prælium Cannenſe in monte Albæ per biduum lapidibus pluit. Anno 1538. in vico quodam Italiæ Tripergola, poſt plures terræ ſuccuſſiones, nimbus lapidum & pulveris è Cœlo ruens per biduum, aerem offuſcavit, tum ſpectatus mons ſubitò ſubcreſcens è medio alveo Lacus Lucrini (e).

Itaque ſi lapidum pluvia uihil habet non conſonum naturæ legibus, recta utique ratio poſtulat, ne literam hic deſeramus, præferentes allegoriam. Nec tamen ita reputandum eſt, quaſi nullum in re præſenti agnoſcamus prodigium, uti nullum re ipſa fuit in imbribus lapideis, de quibus Livius. Sed prodigium minùs quidem in re ipſa agnoſcendum eſt, quàm in circumſtantia temporis, qua potiſſimum grando lapidis ita excuſſa eſt in Chananæos, ut intactos Hebræos relinqueret. Videſis de hoc argumento Diſſertationem noſtram, præfixam Commentariis noſtris in Ioſue, & in eundem librum Commentatores.

LAPIS SCANDALI. Lapidem deſignat, quem in via offendimus, labendi periculum offerentem. *Erit in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali; duabus domibus Iſrael*, *Iſaia* 8. 14. S. Petrus & S. Paulus docuerunt. Ieſum Chriſtum lapidem eſſe offendiculi, in quem impingerent Iudæi, fidem illi ſuam adhibere renuentes *Rom.* 9. 33. & 1. *Petr.* 2. 8.

In Scriptura Deus nomen lapidis ſibi frequentiſſimè vindicat: *Dominus fortitudo mea* (Hebr. *petra mea*). *Dominus firmamentum meum, & refugium meum* (*petra mea*) *& liberator meus Pſalm.* 17. 1. 2.. Et 30. 4. *Suſceptor meus es;* (petra mea) *quare oblitus es mei?* Et 2. *Reg.* 22. 2.: *Eſto mihi fortitudo mea* (petra mea). Quod in Hebræo eſt *petra*, redditur ſæpè à Vulgata *refugium, fortitudo*.

Largiturum Deum Hebræis regionem, cujus lapides & ſaxa uberi ſtillarent vena mel & oleum, habet Moyſes Deut. 33. 13. *Ut ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo*. Agens Pſalmiſta, Pſal. 80. 17. de prodigio illo Moyſis, erutarum ſcilicet aquarum è petra, ſaturatos ab illo populos dicit expreſſo è petra melle: *Et de petra melle ſaturavit eos*. Porrò apes in Palæſtina mellificant non raro in foraminibus petrarum, quò ſpectatur hic à Scriptura. Nec aliud habebat præ oculis Iob deſcribens florentes res ſuas, cap. 29. 6. *E petra fundebat mihi rivos olei*. Montibus enim gaudent olivæ.

Finitimæ Palæſtinæ gentes ſedes olim habebant ſuas in antris, ſcopulis, caviſque in monte petris. Quæ gentes loca tenebant ad Sinum Perſicum, meliores non incolebant ædes; inde nomen *Troglodytæ*; quod Græcè ſonat verſantes iu ſpecubus montium. Effoſsas ſub terram ſpecus in deſertis juxta Thecuam pro caſis habebant plures teſte S. Hieronymo. Idumæos ſuggillat Ieremias 48. 16. illis verbis: *Arrogantia decepit te, qui habitas in cavernis petræ*. Vide & Abdiam v. 3. Cinæi plagam maris Nigri meridionalem tenentes deſignantur hiſce Numerorum 24. 21.

Si

(a) Diogen. Laert. in Anaxagor. (b) Gaſſend. l. 10. Diogen. Laert. de Meteor. Epicuri.
(c) Liv. lib. 1. Decad. 1. pag. 12. (d) Idem lib. 25. 30. 34. 35. & paſſim.
(e) D. Bernard. Montfaucon Diar. Italic. cap. 21.

Si in petra poſueris nidum tuum . . . . quamdiu poteris permanere? Perfugium in ſpecubus quærebant Moabitæ, juxta illud Ierem. 48. 28. *Relinquite Civitates, & habitate in petra habitatores Moab.*

Deus Iſaiæ 51. 1. ad Iudæos: *Attendite ad petram, unde exciſi eſtis:* i. e. ad originis veſtræ authores, Abrahamum cæteroſque Patriarchas. S. Joannes Baptiſta denunciabat Phariſæis *Matth.* 3. 9. *Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Valet enim Deus obfirmatis etiam in impietate mentibus meliora perſuadere, abalienatos animos ſibi conciliare. Creditur hæc dicens Præcurſor digito monſtraſſe lapides deſerti, & emblemate illo exprimere Infideles ac Gentiles.

Cultri lapidei in uſum circumciſionis Judaicæ nullo legis præcepto jubebantur. Quare eorum uſus vel ex recepto more petebatur, vel ab experientia magiſtra, docente ex inſtrumentis illis minus inferri noxæ, quàm è metallinis. Lapide etiam filium ſuum circumcidit Sephora; *Exod.* 4. 25. lapide Iſraelitas Joſue, *Joſue* 5. 2. cùm ſcilicet circumciſioni ſubjecit in Galgalis, quicunque in itinere per deſertum Sacramentum illud in ſe diſtuliſſent. *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael.* Quæ Scripturæ phraſis inſinuat cultros illos lapideos nullo adhuc familiari uſu obtinuiſſe. Secandis cadaveribus curandiſque balſamo lapideos cultros habebant paratos Ægyptii (a). Præacutis lapidibus abſcidiſſe ſe Sacerdotes Cybelis affirmat Plinius lib. 35. *Nec aliter*, addit, *citra perniciem*. Notat Catullus (b) Athym abſcidiſſe ſe lapide præacuto.

Lapideis etiam cultris incidebantur arbuſculæ balſamum ſtillantes (c). Calamos ad ſcribendum aptabant Veteres non cultro, ſed præacutis lapidibus. Geminos lapideos cultros ſpectaſſe ſe Lugduni affirmat Scaliger. De aſciis cæteriſque armorum generibus ex lapide egimus ſupra. Cultros, novaculas, & venæ incidendæ ſcalpellos ex lapide parant ſibi Africani in Regnis Marochi, & ex Americanis quidam (d). Circumciſione ſignant infantes lapide a ſilice noſtrate non abſimili Orientales Judæi (e); Occidentales verò utuntur novacula.

Cautum eſt à Moyſe Iudæis, Levit. 26. 1. *Nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra.* Reddi poteſt Hebræus: *Lapidem conſpicuum, qui à longe proſpicitur*, utpote vel in edito quodam loco, vel in regia via eminentem. De lapidibus hiſce per regias Ægypti vias conſpicuis hæc habet Strabo lib. 17. *Per totam ferè viam videre erat petram arduam, rotundam, politam, propemodum ſphæricam è nigro ac duro lapide, ex quo mortaria fiunt, majori ſaxo impoſitam, ac rurſus ſuper aliam* (veluti inferioris hujuſce epiſtilium) *nonnullæ per ſe jacebant. Earum maxima erat, non minore 12. pedum diametro, atque omnes majores, quàm hujus dimidium.* Erectos hoſce lapides cernere erat pariter in Libano eodem teſte. Suſpiciebantur autem ab Aſſyriis & Ægyptiis obſequio in cultum degenerante, ungebantur oleo, ut ex Apulejo intelligimus, oſculis & ſalutationibus habebantur pares. Hæc facilè Moyſes habebat præ oculis, legem illam condens Hebræis.

Salomon, Proverb. 26. 8. pronunciat: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit inſipienti honorem.* Mercurii ſtatuæ conſecrabantur in capitibus viarum: colligebantur autem ad pedes ſtatuarum ejuſmodi ſtrues lapidum ea ferme ſuperſtitione, qua in nonnullis hodie uſque regionibus ad calcem erectarum ſecundùm regias vias Crucium lapides à quibuſdam projiciuntur. Id autem intendebant, ut quot lapides ad pedes ſimulacri projecti, tot haberentur impenſæ Numini ſalutationes. Conſtat equidem in moribus apud Paganos fuiſſe poſitum, ut lapidum ſtruem aggerarent coram Mercurio Numinis colendi gratia (f); quem ſuperſtitionis ritum præ oculis habuiſſe Auctorem Vulgatæ in vertendo illo Proverbiorum Textu ne ambigimus quidem.

Sed Textus Originalis ita reddit: *Sicut qui mittit lapillum in cumulo lapidum*, (ad literam *fruſtulum lapidis*) *ſic dans ſtulto gloriam.* Lapillus iſte nec in ſtrue lapidum conſpicitur, nec ſtrues ex ipſo major creſcit; ita in ſtultum collata gloria nec illum auget, nec commodat aliis. Reddunt alii: *Ut ligans petram in purpura, ſic dans ſtulto gloriam.* Nihil ineptius, quàm ſi lapis purpureo alicui panno inſeratur; ita pariter honoribus ſtultum augere perinde eſt, ac honores perdere. Tandem reddi poteſt Hebræus: *Dans gloriam ſtulto, ſicut qui faſciculum* argenti probati *ad Lydiam lapidem fundæ committit.* Septuaginta: *Qui alligat lapidem in funda, ſic qui dat inſipienti gloriam:* uterque operam perdit; cui enim bono lapis fundæ alligatus?

Inter vetuſta Hebræorum monumenta vetuſtiſſima arbitramur, quæ erigebantur, lapidum ſtrues in teſtimonium ad perennandam rei alicujus non vulgaris memoriam. Ætate enim illa ſcriptis mandabatur nihil; ſed ſcripturæ omnis, pyramidis, nummorum, & Commentariorum loco ſupplebant id generis monumenta. Jacob & Labanus juncta ſimul opera ſtrue in monte Galaad excitata, ſervandam poſteris curarunt memoriam icti ſimul fœderis *Gen.* 31. 46. Aggeſtis ex alveo Jordanis lapidibus Joſue futura retro ſæcula admonuit de tranſvadato divinitùs amne *Joſue* 4. 5. 6. 7. Iſraelitæ transjordanici eo conſilio ſtruem lapidum congeſſerunt ad ripam amnis, ut unius gentis communione jungi ſimul populos trans & citra flumen omnes intelligerent. *Joſue* 22. 10.

Strues etiam lapidum aggeſtæ interdum ſuper tumulos hominum, quos invidia publica onerabat, cujuſmodi exempla ſuppetunt in Achan, *Joſue* 7. 26. & Abſalomo 2. *Reg.* 18. 17.

Sæpè etiam lapidibus obruti, qui ad lapides damnabantur. Vide Dictionarium Biblicum v. *Lapidare.*

Rudes lapides, utpote quos puriſſimos cenſebant, in uſus ſacros præ ferro expoliti aptiſſimi erant. Jubet Moyſes Aram Domino conſecrari è rudibus lapidibus *Exodi* 20. 25. *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus; ſi enim levaveris cultrum* (vel inſtrumentum aliud) *ſuper eo, polluetur.* Paria etiam de altari in monte Hebal ſibi erigendo mandat Deus, Deut. 27. 5. addens & oblini ejus parietes calce, & verbis fœderis inſcribi, quod a Joſue exequtioni mandatum legimus Joſue 8. 31. 32. Quid Ara Templi Jeruſalem poſt ſolutam captivitatem excitata 1. *Eſdr.* 5. 8. quid ſimilis operis altera à Juda Machabeo reſtituta poſt Antiochi Epiphanis ſacrilegium; 1. *Mach.* 4. 46. 47. nonne è rudi lapide ambo?

Moyſes, Deut. 8. 9. Palæſtinam deſcribens hæc habet inter cætera: *Cujus lapides ferrum ſunt;* inſinuans ſive è lapide parari ibi, qui è ferro alibi, cultros, aſcias, & cætera id generis; ſive duros ceu ferreos lapides in ſolo concreſcere; vel tandem fodinis ferreis abundare regionem.

COR LAPIDEUM, varie uſurpatur. Agens Job 41. 15. de Behemoth ſeu Elefante: *Cor ejus*, ait, *indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.* Quibus inſinuatur belluæ robur agendo & ferendo ardua par. Legimus 1. Reg. 25. 37. de Nabal: *Factus eſt quaſi lapis*; obriguit ſcilicet cum primùm diſcrimen, cui ſe incautus commiſerat, intellexit; ex quo cordis ſtupore motu privatus interiit. Ezechiel 11. 19. & 36. 26. ſummovendum à Domino denunciat cor populi ſui lapideum, ut carneum ſubſtituat, i. e. mitiores atque humaniores illis ſenſus Deus inſinuabit. Eadem fermè deſignat S. Joannes Baptiſta, docens ſat potem eſſe Deum, ut è lapidibus deſerti exſuſcitet filios Abraham, *Matth.* 3. 9.

Ignis vel è rigenti ſilice excuſſus, vel ex ignito lapide

(a) Herodot. lib. 2. cap. 2. (b) Carm. de Berecynth. & Athy. Devolvit acuto ſibi pondera ſilice.
(c) Joſeph. Antiq. lib. 14. c. 7. (d) Julian. l. 6. Epigram. apud Bonfrer. in Joſu. 5.
(e) D. Joan. de Palafox. cap. 52. (f) Scalig. de Emend. Temp. lib. 5.

Digitized by Google

lapide exceptus, puriſſimus in uſus Religionis habebatur. In dedicatione Altaris Tabernaculi, ſicut & Templi Jeruſalem demiſſo cælitùs igne Deus ignem Altaris incendit. Sed poſt expiatum à ſe Templum Judas Machabæus ignem vocavit in Altare de *ignitis lapidibus conceptum*; ex ignito nempe ſilice derivatum.

LAPIS eſt etiam interdum pro Idolo poſitus. Habacuc 2. 19. *Væ qui dicitis ligno: Expergiſcere; ſurge lapidi jacenti*. Iſai. 37. 1. de Aſſyriis. *Et dederunt Deos eorum* (Gentium) *igni; non enim erant Dii, ſed opera manuum hominum, lignum & lapis*. Et Jeremias 2. 27. *Dicentes ligno: Pater meus es tu: & Lapidi: Tu me genuiſti*.

Redigi in acervum lapidum, uſurpatur de Urbe vel domo everſa: *Ponam Samariam quaſi acervum lapidum in agro cùm plantatur vinea Mich*. 1. 6. Iſaias 17. 1. *Damaſcus deſinet eſſe Civitas, & erit ſicut acervus lapidum in ruina*. In hunc ſenſum Jeſus Chriſtus denunciat Jeroſolymæ futurum, ut non relinquatur in illa *lapis ſuper lapidem Matth*. 24. 2.

Meſſiæ Regnum comparat Daniel 2. 34. lapillo, qui è ſuperiori monte divulſus, cadens per devexa impingit in pedes Coloſſi, quem per ſomnium ſpectavit Nabuchodonoſor; tum in molem adeo vaſtam crevit, ut totam latè terram occuparet.

Author Eccleſiaſtici 22. 1. 2. notat: *Lapide luteo lapidatus eſt piger ... de ſtercore boum lapidatus eſt piger*; i. e. propter lapidum ſupplicium, notam etiam probri incurret; luto detorpabitur; veluti ſtercore fœdatus perinde reiicietur.

Regem Tyri comparat Ezechiel 28. 14. 16. Cherubim in Templo poſitis *in medio lapidum ignitorum* vel micantium. Auro nitebant Cherubim; marmore lapidibuſque pretioſis ac fulgentibus inſtratum erat Sanctuarium. Ita pariter & Rex Tyri regiis auguſtus veſtibus inſigniter undique refulgebat auro gemmiſque; ſimilique materia Ædes regiæ inſternebantur.)

LASA. Vide *Leſa*.

LASTHENES, Princeps Cretæ, qui ſua opera, & copiis Demetrium Nicatorem filium Demetrii Soteris Syriæ throno impoſuit, à quo viciſſim Syriæ adminiſtrationem, & ſummam poſt ipſum in eodem Regno authoritatem (a), patriſque nomen ac cognati Regis (b) obtinuit. Verùm Laſthenes conceſſa ſibi poteſtate abuſus (c), turbas Regi fecit, à quibus numquam liberatus eſt.

LATHURUS. Vide *Ptolomæus Lathurus*.

LATHUSIM, ſecundus filios Dadan *Gen*. 25. 3. filii Abraham ex Cethura. Hanc vocem alii reddunt: *Æris ferrique metalla cudentes* (d).

LATRIA, quo nomine in Eccleſia, & apud Theologos cultus Summo Deo impenſus innuitur: *Latria ſecundùm conſuetudinem, qua locuti ſunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut ſemper, aut tam frequenter, ut pene ſemper, dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum* (e). Verum in Textu Græco Scripturæ, ea vox non rarò munus Sacerdotum in Templo, cæremonias, atque totius Religionis Judaicæ ſummam ſignificat: *Obſervabitis cæremonias iſtas (Latrejan), & cùm dixerint vobis filii veſtri, quæ eſt iſta Religio?* (*Latreia* Hebr. *Abodah*). Scriptor primi Machabæorum (f) loquens de Idololatria ab Epiphane in Iſraelem invecta narrat plures conſenſiſſe in eum cultum, *Latriam*; Mattathiam verò filios ſuos monuiſſe his verbis: *Non eſt nobis utile relinquere Legem, & juſtitias Dei* (*Latrejan*). 1. *Mach*. 22. 2. In Novo Teſtamento Jeſus Chriſtus *Jo*. 16. 2. dixit Diſcipulis, eos, qui perſecutionem in illos indicent, cultum Deo (*Latrejan*) impendiſſe ſe credituros.

(LATRO. Levatus eſt in Crucem Dominus inter duos Latrones medius. *Luc*. 23. 39. *&c. Unus autem ex his blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos. Reſpondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem juſte, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Jeſum: Domine, memento mei cum veneris in Regnum tuum. Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiſo*. Nec plura de probo Latrone conſtant.

Evangeliſtæ reliqui, i. e. S. Matthæus 27. 44. & S. Marcus 15. 32. narrant Latrones Chriſto improperaſſe; quod alii explicant figura quadam locutionis, qua de uno aliquo ita agimus, velut de pluribus (g). Credunt alii (h) ambos quidem latrones inſultaſſe primùm Chriſto; ſed alteruter Jeſu Chriſti prodigiis & gratia ſaniora perſuaſus, fidei victas manus dedit, ſocioque in faciem reſtitit, quòd blaſphemo ore de Chriſto obloqueretur.

Pſeudo-Evangelium Infantiæ Salvatoris, vetuſtiſſimum quidem Opus, refert fugientem cum puero Jeſu Virginem, & S. Joſephum in Ægyptum incidiſſe in turmam Latronum reſolutam in ſomnum, duobus tantummodo vigilantibus, è quibus alter in necem Peregrinorum ſeſe accingebat, ſed à ſocio prohibitus eſt. Tunc puer Jeſus ore fatidico prænunciavit ambos illos Latrones agendos eſſe ſecum in crucem, alterum autem ea illis recipiendum in Paradiſum, depellendum alterum ad Inferos. Prior ille appellabatur *Titus*, alter *Damacus*. *Deman* & *Gertan* denominat Evangelium Nicodemi; *Vicimum* & *Juſtinum* Perſica quædam hiſtoria de geſtis Jeſu Chriſti; *Mathan* & *Jocan* author Florum vel Collectionum, Bedæ nomine inſcriptorum. Probum Latronem appellant Orientales Chriſtiani *Laas Jemin*, Latronem dexteræ. Illum equidem ad dexteram Jeſu conſtituit S. Hilarius in Matthæum, ſicut & improbum alterum ad ſiniſtram.

Patrum ſanè plures (i) Latronem hunc probum Martyris elogio parem habuerunt, quòd ſcilicet teſtimonium exhibuerit veritati, quo potiſſimùm tempore deſtituta ab omnibus videbatur. Sanguinis ſui baptiſmo initiatus eſt, & quam tulit ſpiritu fidei & charitatis, mors viro promeruit beatæ æternitatis gratiam, ſtatim ab obitu, qua de re fidem oppignoravit ſuam Jeſus Chriſtus illis: *Hodie mecum eris in Paradiſo*; ſive Paradiſum deſignaverit locum quietis, ubi Sanctorum animæ Meſſiæ adventum opperiebantur; ſive Paradiſum terreſtrem ſedem Enoch & Eliæ; ſive tandem Paradiſum locum beatis in altera vita deſtinatum; quod poſterius viſum eſt Patribus non raris (k).

Marcion, referente S. Epiphanio de hæreſ. Marcionit. expunxerat verba illa: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiſo*. Tradit etiam Origenes in Joan. Catholicos quoſdam paria in Exemplaribus ſuis tentaſſe non dolo quidem malo, ſed quòd repugnans aliquid in Evangelio ſuſpicarentur, quaſi ſcilicet vix cohæreret eadem ipſa die probum Latronem in Paradiſum cum Chriſto recipiendum, qua Servatoris corpus detineretur in tumulo, anima vero deſcenderet ad ſinum Abrahami eductura animas Patriarcharum. Heſychius Jeroſolymitanus notat, virgulam adſcribi à nonnullis poſt illud *hodie*, ut reddant ſententiam. *Dico tibi hodie; mecum eris in Paradiſo*. Sed fruſtra manus admoventur Textui S. Lucæ, qui intactus licèt commodum ſenſum refert.

Eccleſiæ Orientales, Græca pariter & Latina officii eſſe ſui cenſuerunt cultum publicum decernere in Sanctum tantis largitionibus à Deo donatum. Ejus

feſtum

(a) Vide 1. Mach. 10. 67. 68. Joſeph. l. 13. c. 8. Juſtin. l. 35. An. M. 3856. ante Ær. 144.
(b) 1. Mach. 11. 31. (c) Diodor. in Excerpt. Valeſ. (d) Hieron. qu. Hebr. in Gen.
(e) Aug. de Civit. l. 10. c. 1. nu. 1. (f) Cap. 1. 45. Conſenſerunt ſervituti ejus.
(g) Auguſt. lib. 3. cap. 15. de conſenſ. Evangeliſt. Ambroſ. in Luc. Hieron. in Matth.
(h) Origen. in Matth. Hom. 35. Chryſoſt. in Luc. Ambroſ. in Luc. Hieron. in Matth.
(i) Hilar. de Trinit. lib. 10. & in Pſal. 66. Hieron Ep. 13. Aug. de Anim. lib. 1. cap. 9.
(k) Auguſt. Epiſt. 187. nov. edit. nu. 5. 6. 7. Cyrill. Jeruſolym. Catech. 13. Chryſoſt. tom. 5. hom. 32. Emiſſ. hom. 23. &c.

Digitized by Google

feſtum conſignatur in Calendario Eccleſiarum Syriæ & Meſopotamiæ nona die poſt feriam ſextam doloſorum vel ſanctam (a), i.e. Sabbatho hebdomadæ Paſchalis. Anba Jacoub Epiſcopus Saturnetorum Orationem ſcribit in feſto Latronis probi, quam manuſcriptam ſervat Regia Bibliotheca.

In Eccleſia Græca Feſta dies aſſignatur 23. Martii, in Latina 25. ejuſdem menſis juxta veterem traditionem, quæ mortem Jeſu Chriſti cum ea die componit (b). Revocant alii ad 3. Aprilis vel 5. Maii. Ædiculæ in ejus honorem alicubi excitatæ ſunt, conſecratæ nomini S. *Dimas* vel *Diſmas*. Utriuſque Latronis crucem unà cum tertia Jeſu Chriſti reperit S. Helena; feruntque probi Latronis crucem illam miſſam Conſtantinopolim conditam fuiſſe in foro Conſtantiniano, tranſlatamque deinde Nicoſiam Cypri.

LATUS. Notat S. Joannes 19. 34. latus Jeſu Chriſti militis lancea apertum, ſanguine & aqua manaſſe. Miles ille vulgò appellatur Longinus, habeturque Sancti elogio non impar. Vide Dictionarium v. *Longinus*. Utrum è duobus lateribus miles ſuffoderit, nihil habet S. Joannes; ſed dexterum determinat verſio Arabica, Æthiopica, & Evangelium Infantiæ ex Arabico tranſlatum, cum Veteribus nonnullis ita Evangelium legentibus (c); ſed aliis ſiniſtrum malunt (d). Utrumque cenſuit Prudentius; *Per utrumque latus*.)

I. LAZARUS, ſive *Eleazarus*, qui unà cum ſororibus Maria, & Martha Bethaniam propè Jeroſolymam incolebat, cujuſque contubernio non rarò Jeſus Jeroſolymam veniens, utebatur. Accidit intereà, ut Jeſu trans Jordanem verſante cum Apoſtolis Lazarus morbo afficeretur *Joan.* 11. 1. *&c.* An. Ch. 36. *Ær.* 33.; cujus rei Jeſus certior ab ejus ſororibus factus, reſpondit eum morbum non ad mortem amico, ſed ad gloriam Dei, ejuſque filio futurum. Protracta igitur toto biduo in eodem loco mora, tandem ad Diſcipulos converſus, dixit, oportere ſe ad excitandum Lazarum dormientem, nempe ad revocandum illum ad vitam, proficiſci. Cùm veniſſet, quatriduo jam mortuum invenit; ſed Marthæ ſe expoſtulanti, cur adventum ſuum poſt obitum uſque fratris diſtuliſſet, non obiturum ſi antea veniſſet, ille ejus reſurrectionem non quidem tantùm die judicii, ſed mox futuram pollicitus eſt.

Sub hæc, nedum in pagum ingreſſo, occurrit & Maria, quam in lacrymas effuſam Jeſus intuitus, continuò in ſemetipſo turbatus ſpiritu infremuit. Deductus indè ad ſepulchrum, poſt ſolutas amico lacrymas, lapidem tumulum occludentem juſſit removeri: quo ſublato Jeſus actis Deo Patri gratiis, quod ſuis precibus induſiſſet, elata voce Lazarum appellavit. Mirum ſanè: Lazarus ad eas voces tumulo egreſſus eſt, velata facie, & manibus, pedibuſque inſtitis alligatus, quas ſtatim Jeſus ſubduci juſſit. Ejus prodigii fama per univerſam latè orbem vulgata, Sacerdotum in Jeſum invidia adeò recruduit, ut necem ipſius molirentur: quòd cùm Jeſum non lateret, in Ephrem ad ripam Jordanis ſe recepit, deſtinatam cœlitus mortis ſuæ horam opperiens.

Sex ante Paſcha diebus, Jeſus iterum Bethaniam veniens (c), & Lazari hoſpitio receptus, cùm menſæ accumberet, miniſtrante Martha, & Lazaro cum illo recumbente, Maria ejus pedes unguento perfudit. Cùm autem fama reſurrectionis Lazari in dies invaleſceret, plebiſque in Jeſum favorem conciliaret, eadem nece Lazarum, & Jeſum involvere à Judæis decretum eſt. De Jeſu quid actum ſit, ex Evangelio innoteſcit, nihil tamen in Sacra Hiſtoria de Lazaro legimus. Traditione vulgatum eſſe narrat S. Epiphanius *hæreſ.* 66. *c.* 39. Lazarum, cùm ad vitam revocaretur, ætatis annum 30. egiſſe, totidemque dehinc annis vitam produxiſſe, ex quo ejus obitus ad 63. *Ær.* conſignaretur. Cytæi in Cypro diem ſuum obiiſſe; ibique juxta mœnia urbis tumulum ipſius à Fidelibus cultum, atque in tota Inſula plures Eccleſias ejus nomini dicatas fuiſſe Græci teſtantur (f). Leo Sapiens Imperator, cùm Templum ejus honori Conſtantinopoli erexiſſet (g), circa annum 890. in Cyprum miſit, ubi in ſarcophago marmoreo ejus corpus inventum eſt, addita hac inſcriptione, nempe hunc virum fuiſſe Lazarum, Chriſto charum, & poſt quartum ab obitu diem, ab eodem ad vitam revocatum.

Alii verò narrant, à Judæis, poſt mortem Jeſu, Lazarum, Mariam, Martham, Joſephum ab Arimathia, alioſque nonnullos navi ſine malo, & remis impoſitos fuiſſe, & fluctibus Mediterranei ita permiſſos: verùm navim, Providentia deducente, Maſſiliam appuliſſe. Addunt inſuper Lazarum, poſt promulgatum in ea urbe Evangelium, atque Epiſcopi munere 30. annis functum, tandem Martyrio vitam abſolviſſe. Verùm hæc toti Antiquitati incognita, nulliſque veritatis characteribus probata, ab Eruditis rejiciuntur.

II. LAZARUS, quo nomine in Evangelio *Luc.* 16. 19. appellatus eſt mendicus ille, toto corpore ulceribus refertus, qui foribus divitis aſſidebat, micas è menſa ipſius decidentes in cibum petens; petenti tamen nemo aures præbebat. Porrò dives ille, luxu affluebat, purpura & lino induebatur, atque magnificas dapes adhibebat in menſa. Accidit, ut ambo, dives nimirum & pauperculus, obirent; alterius verò, nempe Lazari, anima una cum Angelis in ſinum Abrahæ recepta fuit; divitis, in Inferno. Cùm igitur tormentis dives affligeretur, & Lazarum in ſinu Abrahæ conſpexiſſet, elata voce Abrahamum rogavit, ut Lazarum ad ſe mitteret, vel aquæ gutta ardentem linguam ſuam refrigeraturum. Cui Abraham, revocato in memoriam priſtino luxu, atque Lazari indigentia, acquieſcere recuſavit.

Utrum hiſtoria ſit, an parabola, quam modò deſcripſimus, diſceptatur. S. Irenæus *l.* 4. *c.* 4., S. Ambroſius *in Luc. l.* 8. *n.* 13., S. Gregorius Magnus *hom.* 4. *in Evang.*, Tertullianus *de anim. c.* 7., Euthymius *in Luc.* Lucas Burgenſis, aliique nonnulli hiſtoriam credunt, quòd ex nomine Lazari, aliiſque pluribus circumſtantiis narrationi Evangelicæ adjectis, plus aliquid, quam parabola argui videatur. Verum S. Chryſoſtomus *hom. de divite & Laz.* S. Cyrillus Alexandrinus *Caten. Græc. PP.* Theophylactus *in Luc.* 16. atque ſanior novorum interpretum pars (h) parabolam credunt. Sunt tandem, qui neque meram parabolam, neque hiſtoriam exiſtiment, ſed veram hiſtoriam pluribus parabolicis circumſtantiis interpolatam (i). Olim vernacula Gallorum lingua pro Lazaro *Ladrum* pronunciabant; ex quo factum eſt, ut lepra affecti patrocinium ejuſdem implorarent, ac plura Noſocomia, Leproſis deſtinata, ejuſdem Sancti nomine dedicarentur.

(S. Lazarus Ladri nomine interdum deſignatur, ejuſque implorata eſt ops in lepræ morbum: ex quo leproſorum Noſocomia Ladreriæ appellata ſunt. Frequentes id generis ædes in Gallia dicatæ S. Lazaro, S. Marthæ, & S. Magdalenæ. Noſtris moribus, quemadmodum apud Hebræos olim obtinebat, ut à cæterorum conſortio arcerentur leproſi. Eorum cauſæ juris erant Tribunalis Eccleſiaſtici. Concilium Hugarioliense in Aremorica habitum anno 1290. vetat canone 5. ne leproſorum cauſæ, cùm de perſona agendum eſt, apud Judicem laicum cognoſcantur; cujus ſanctionis in cauſa erat facilè, quòd interdictum eſſet leproſis, ne cum cæteris vulgò commiſcerentur, metu ne contagioſus morbus glisce-

(a) Bibliot. Orient. pag. 512. Laas. (b) Baillet vit. SS. 25. Martii.
(c) Apud Crenium part. 2. Animad. pag. 165. (d) Luc. Brug. Franc. Coll. Alii.
(e) Jo. 11. 1. &c. A. Ær. 33. (f) Apud Launoi. de Magdal. (g) Zonar. l. 5. Menæ. 17. Octobr.
(h) Juſtin. ſeu alius. q. 60. ad Orthod. Maldon. & Grot. in Luc. Salmaſ. & Serar. apud Jacob. Capell.
(i) Vide Interpp. in Luc. 15. 19. 20. &c.

Digitized by Google

gliſceret in populum; vel ideo fortè hæc mandabantur, quòd ſub Eccleſiæ patrocinio excepti eſſent leproſi, è reliquo populo ſegregati ritu quodam deſcripto in Libris ritualibus.)

LEBAOTH; urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 32.

LEBBÆUS, alio nomine *Judas*, ſive *Thadæus* frater S. Jacobis minoris, filius Mariæ ſororis B. Virginis, & Cleophæ fratris S. Joſephi. Matrimonio copulatus eſt fœminæ, ſi Nicephoro *l.* 1. *c.* 33. credimus, cui Maria nomen; nec filiis caruit, cùm duorum martyrum ejus nepotum Hegeſippus, referente Euſebio *l.* 5. *c.* 20. meminerit. In ultima cœna Lebbæus quæſivit à Jeſu, cur ipſe Apoſtolis, non verò Mundo manifeſtari debuiſſet *Jo.* 14. 12. De Epiſtola nomine S. Judæ inſcripta, ac de fide, quam Moſchovitæ ab illo ſe recepiſſe jactitant, egimus v. *S. Judas.*

LEBNA, caſtrametatio Iſraelitarum in Deſerto, inter Remmon-Pharez, & Reſſam. *Num.* 33. 21. Caſtra tamen iſta poſita credimus in agro, ſive, ut ait Scriptura, in Deſerto urbis *Lebna*, ſive *Lebona*, ad meridiem Chananitidis. *Lebna* Tribui Judæ ceſſit *Joſ.* 15. 42. ac deinde Sacerdotibus, necnon inter refugii urbes enumerata (a)

LEBNI, filius Gerſonis. *Num.* 3. 18.

LEBONA Silo ſita eſſe notatur ad ſeptemtrionem Bethel, & ad meridiem *Lebona Judic.* 21. 29. Maundrellus (b) autumat, hanc urbem eandem eſſe, ac *Chan Leban* quatuor leucis à Sichem, meridiem versùs, & duabus à Bethel.

LECHA, filius Her, & nepos Judæ 1. *Par.* 4. 21.

LECHI, qua voce *Mandibula* notatur. Cum Samſon Philiſthæis infenſior eſſet *Jud.* 5. 3. 300. vulpes incenſas faces caudis alligatas trahentes in meſſes eorum immiſit; omneſque meſſes conflagrarunt: illos etiam non ſemel occurrentes fudit. Hinc Philiſthæi comparato exercitu, in ditionem Juda ingreſſi ſunt. Rogantibus Judæis quid cauſæ eſſet, cur bello peterentur, reſponderunt, velle ſe Samſone potiri, cui malum pro malo rependerent. Judæi manu 3000. virorum coacta, ad comprehendendum virum proceſſerunt; nec ille, pactus tamen vitam, & comprehendi, & alligari, quin & hoſtibus dedi recuſavit. Adductus igitur ad Philiſthæos Samſon, ingenti ab illis plauſu exceptus eſt; ſed interim inſiliente in eum Divino Spiritu, diſruptis, quibus alligabatur, funibus, arreptaque aſini mandibula, quæ fortè occurrit, in Philiſthæos tanto impetu irruit, ut 3000. virorum occiderit. De ea victoria Samſon ſibi plaudens, canticum illud occinuit: Aſini mandibula 3000. virorum occidit &c. Deinde inſtrumento cædis projecto, locum appellavit, *Ramath-Lechi*, nempe elationem mandibulæ. Verum cùm ſitis paulo poſt exardeſceret, Dominum precibus exoravit, ut qui ſibi tantum virium conceſſiſſet ad obtinendam de hoſtibus victoriam, ſiti tandem victum in eorum manus inermem incidere non pateretur. His vocibus Deus annuens, è molari ejuſdem mandibulæ dente venam aquæ aperuit, qua viri ſitis extingueretur. Huic fonti nomen *Lechi* manſit.

Aſpera, ac prærupta ſaxa aliquando apud Hebræos dentes appellantur 1. *Reg.* 14. 4. 5. *Job.* 39. 28.; quare Deus è ſaxo, cui nomen *dens molaris*, fortè in loco victoriæ Samſonis mandibulæ ope relatæ occurrens, venam aquæ eduxit; unde loco nomen *Lechi*, ſive *mandibula*. Cùm vero eodem loco, & ſaxum *dens molaris* dictum, & nomen mandibulæ conjungerentur, inde autumarunt plures (c), fontem illum non è ſaxo, ſed è dente mandibulæ aſini eductum, quod quidem monſtri loco eſſet. Veriſimiliùs nos, & minori prodigio hunc fontem è ſaxo deducimus; nec nos tantùm, ſed & Joſephus *Antiq. l.* 5. *c.* 10. & Paraphraſtes Jonatham, & Interpretes plurimi (d). Fons iſte diutiùs & fortè adhuc in Palæſtina ſubſiſtit; Glycæ enim, & Antonini Martyris (e) teſtimonio in ſuburbiis Eleutheropolis viſebatur.

LECUM, urbs Nephtali. *Joſue* 19. 33.

LEDAM, ſivè *Leedam*, filius Gerſonis 1. *Par.* 23. 7. 8. & 26. 21. & plurium filiorum pater.

LEGIO Romanorum decem cohortibus conſtabat; cohortes verò 50. manipulis, manipuli 15. viris; quare *Legio* 6000. virorum complectebatur. Jeſus Chriſtus Energumenum quemdam à legione Dæmonum liberavit *Marc.* 5. 9. idemque Chriſtus his verbis Petrum alloquutus eſt *Matth.* 26. 53.: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?*

LEGIO, urbs Palæſtinæ apud S. Hieronymum, & Euſebium celebris, ad radicem Carmeli, quindecim milliaribus à Nazareth, Occidentem versùs; idem facilè locus eſt, qui noſtra adhuc ætate *Legune* dicitur. Porrò ibidem campus erat, in quo, utpotè magni pro totâ regione momenti, Romani legionem detinebant, muniendo itineri Ptolemaide Cæſaream Palæſtinæ. Juxta Legionem plurima prælia commiſſa ſunt.

LEHEMAN, Hebræi, legunt *Lachma*, urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 14.

LENS, olerum genus, de quo ſæpè in S. Scriptura; pretio enim pulmenti ex lentibus Eſau jus primogeniti Jacob vendidit *Gen* 25. Lens Ægyptia magni olim æſtimata (f), in plures orbis regiones vehebatur. *Auguſt. in Pſal.* 46.

LENTICULA, vas fictile ad normam lentis, compreſſum nempè, & rotundum: *Tulit Samuel lenticulam olei* (g). Hebræus habet *phac*, Græcus *phacos*; *phake*, & *phakos* autem apud Græcos eſt lens. Vaſa quædam inſtar lentis, apud Latinos *lenticula* appellata occurrunt: *Lenti ſuam eſſe figuram, undè vario uſu translatum eſt in lenticulas nomen*, ait Plinius *l.* 18. *c.* 12.

LENTISCUS, ſeù *ſchinus*, Græcè *ſchinos* dictus, genus eſt arboris, foliis ſemper virentibus, cortice ſtillat. Uvæ genus producit; vaginas etiam quaſdam incurvas, inſtar leguminum, liquore quodam pellucenti plenas, è quo, ſucceſſu temporis concreſcente, inſecta quædam naſcuntur inſtar eorum, quæ è veſicis ſub terebinthis, & ulmis erumpunt. His plantis Inſulæ Chios, & Creta, quin & Ægyptus, atque India feraces ſunt.

Cùm Suſannam Seniores duo ad judicium detuliſſent criminis ream, alter eorum eam ſe vidiſſe ſub lentiſco, (*ſub ſchino*) cum juvene colloquentem teſtatus eſt. Daniel ejus teſtimonium falſi mox redarguturus, vocum affinitate ludens, dixit; *Angelus Domini ſchiſei ſe meſon* (h), *ſcindet te medium* (i). Porrò ex eo verborum luſu, qui Græco tantùm ſermone vim habet, primò Julius Africanus, & S. Hieronymus, dein noſtro ævo plures arguunt, Librum hunc nonniſi Græcè ſcriptum, ac Danieli falsò attributum. Verùm contingere facilè potuit, ut opera illius, qui opus ex Hebræo in Græcum tranſtulit, ſuppreſſo Hebraico nomine, quod in Originali extabat, *ſchenus*, ejus luſus gratia, ſubſtitueretur; vel fortè eumdem luſum Hebraica Originalis vocabula præſeferrent: quæ quidem vocabula certò definire, deficiente Hebraico textu, eandem promereretur temeritatis notam, quam qui ex defectu ejuſdem Exemplaris, nunquam illud extitiſſe cenſeret.

LENTULUS. Vide *Publius Lentulus.*

(LENTULUS. Recenſa ſæpiùs lucem aſpexit Epiſtola Lentuli, Judææ, ut inſcribitur, Proconſulis, ad Senatum Romanum, quam hic etiam recitandam cenſemus (k). „ Hoc tempore vir apparuit, & adhuc vivit, vir præditus potentia magna; nomen „ Jeſus Chriſtus: Homines eum Prophetam potentem dicunt; Diſcipuli ejus filium Dei vocant. „ Mortuos vivificat & ægros ab omnis generis ægritudinibus, & morbis ſanat. Vir eſt altæ ſtaturæ,

„ pro-

(a) Joſ. 21. 13. & 1. Paral. 6. 56. Vide *Lobna*. (b) Maundrel. Voyage d'Alep. à Jeruſalem.
(c) Vat. Druſ. Bonfrer. Grot. Boch. alii plerique. (d) Arias Mont. Druſ. Jun. Piſc. Amama, Caſtell. Cleric. Schmid.
(e) Glycas Anal. p. 2. & Antonin. Mart. in itiner. (f) Athenæ. Dipnoſoph. l. 4. c. 14. 15. (g) 1. Reg. 10. 1. Vide 4. Reg. 9. 1. 3. (h) Dan. 13. 55. Ὑπὸ σχῖνον... ἤδη γὰρ ἄγγελος τοῦ θεοῦ σχίσει σε μέσον. (i) In Dan. Præfat. & Com. in Dan. 13. (k) Vide Fabric. Apocryph. N. T. tom. 1. pag. 301. & tom. 2. pag. 486. 487.

„ proportionatæ, & conſpectus vultus ejus cum ſeve-
„ ritate & plenus efficacia, ut ſpectatores amare eum
„ poſſint, & rurſus timere. Pili capitis ejus vinei co-
„ loris uſque ad fundamentum aurium, ſine radiatio-
„ ne & erecti; & à fundamento aurium uſque ad hu-
„ meros contorti ac lucidi; & ab humeris deorſum
„ pendentes, bifido vertice diſpoſiti in morem Na-
„ zaræorum. Frons plana, & pura, facies ejus ſine
„ macula, quam rubor quidam temperatus ornat.
„ Aſpectus ejus ingenuus & gratus. Naſus & os ejus
„ nullo modo reprehenſibilia. Barba ejus multa, &
„ colore pilorum capitis, bifurcata, oculi ejus cæru-
„ lei & extremè lucidi. In reprehendendo & objur-
„ gando formidabilis, in docendo & exhortando blan-
„ dæ linguæ amabilis. Gratia miranda vultus cum
„ gravitate. Vel ſemel eum ridentem nemo vidit,
„ ſed flentem imò. Protracta ſtatura corporis, ma-
„ nus ejus rectæ & erectæ, brachia ejus delectabilia.
„ In loquendo ponderans & gravis, & parcus loque-
„ la. Pulcherrimus vultu inter homines natos.

Lucubrationem hanc non ita quidem retulimus, quaſi ſedulam Eruditorum meditationem exigat; ſed vulgatam ſæpiùs commodo Lectorum hic iterum exhibere operæ pretium viſum eſt.)

LEO, animal notiſſimum, quadrupedum Rex, de quo ſæpè in Scriptura. Ejus caput quadratum, rictus amplus, oculi lucentes, guttur ingens, collum longa juba villoſum, venter exilis, coxendices & crura craſſa, atque nervoſa, craſſa quoque, longa, & validiſſima cauda, pes uterque anterior quinque unguibus, quatuor verò instructus uterque poſterior, pilus denique ad rubrum proximè accedens. Hebræi ſeptem vocibus cuilibet ejus ætati accommodis Leonem exhibent. 1. *Gur*, ſeu *Gor* catulum ſonat: 2. *Chepir* leonem juniorem; 3. *Ari*, ſeù *Arie* leonem adultæ ætatis; 4. *Schalchal* leonem plenæ ætatis, 5. *Schahaz* leonem plenis viribus; 6. *Labi* leonem lenem; 7. *Laiſch* leonem ſenio confectum. Hæc tamen omnia in praxi interdum non diſtinguuntur.

(Inter bellUas ferocia & robore præſtat Leo. Frequentiſſimus erat in Palæſtina, nec raró ejus meminerunt Sacri Scriptores deductis è Leone exemplis ac ſimilitudinibus. Sunt qui unico oſſe ſtrui belluam hanc crediderint, quód corpore rigeat maximè; ſed oſſibus & vertebris reipſa compingitur, uti animantia cætera. Lingua eſt aſpera ac pluribus hirſuta cuſpidulis, è dura admodum materia, quà ferè & ungulæ; ad ungulas autem vel forma ipſa accedit. Porro cuſpidea illi duabus circiter lineis prominent. Ad leonem præ cæteris omnibus brutis feles accedunt maximè; ungulæ, dentes, oculi, lingua, utriuſque ſimilis. Urinam ejaculatur retrò, atque ita cum fœmella jungitur, quemadmodum & camelus & lepus. Arcta inſtruitur veſica, ac potu eſt parciſſimo. Diſtinguitur à mari fœmella, quod juba in collo careat. Vulgari errore tenetur leo timere gallum; cicuratur interdum. Nec meliora credas quæ feruntur de ſomno leonis apertis oculis. Sacrum eſt ſoli animal, exhibeturque à Prophanis trahens currum Cybelis.

Leo de Tribu Juda, de quo Apocalypſis 5. 5. ipſe eſt Jeſus Chriſtus è Tribu Juda & familia David, mortis, mundi, ac Dæmonis victor.

Leo qui aſcendit de ſuperbia (de editis) *Jordanis*, *Jerem.* 50. 44. exhibet Nabuchodonoſorem, tanquam Leonem irruentem in Judæam: *Contra fortitudinem robuſtam*. Porrò triumphator iſte ferocia ac robore ſuo exhibet leonem, leonem, inquam, aſcendentem de ſuperbia Jordanis; i. e. qui pellitur à regione circa Jordanem, ubi nidum ſuum habebat inter arbuſta ripas ejus amnis obſidentia, atque impetu fertur in patentes agros. Meminit non ſemel Scriptura *ſuperbiæ Jordanis* (a), qua phraſi exprimitur amnis ſubjecta latè arva aquis ſuis inundans. Norant Itinerantes amni huic duos ferè dicam alveos eſſe paratos, alterum ſcilicet in quo fluit; alterum, quem occupat, tumentibus è reſolutis nivibus Libani aquis. Tunc enim aquarum ſuperbia inflatur, alterumque implens alveum, ad utrumque ſuum latus decurrens, depellit latentes in ſicco leones, & cætera animantia, quæ ſolamen ſibi ab æſtivis caloribus inter arbuſta quærunt.

Samſon, unà cum parentibus ſuis, Tamnatam petens catulum leonis manu ſua arripuit atque diſcerpſit *Judic.* 14. Aliquandiu poſt rediens animadvertit mellificaſſe apes in faucibus arentis jam belluini cadaveris. Succurrit inde viro ænigma, quod adoleſcentulis nuptialibus propoſuit: *De comedente exibit cibus*, & *de forti egreſſa eſt dulcedo*.

Gloriatur David enecaſſe ſe manu ſua urſos & leones, ac Saulem ita affatur 1. Reg. 17. 34. 35. *Paſcebat ſervus patris ſui gregem*, & *veniebat leo vel urſus*, & *tollebat arietem de medio gregis*, & *perſequebar eos*, & *percutiebam*, *eruebamque de ore eorum*, & *ſuffocabam interficiebamque eos*. *Nam* & *leonem* & *urſum interfeci ego ſervus tuus*. Luſiſſe Regem hunc cum urſis & leonibus, tanquam cum agnis, habet Eccleſiaſticus 47. 3.

Duo leones Moab, de quibus 2. Reg. 23. 20. exprimunt facilè Urbem Ar Metropolim Moabitarum, deſignatam 1. Par. 11. 22. nomine duorum *Ariel Moab*; Ariel eſt enim Hebraicè *Leo Dei*.

Deſcribens Iſaias 11. 6. læta ſub Meſſia tempora, hæc inter cætera exhibet: *Habitabit lupus cum agno*, & *pardus cum hædo accubabit*, *vitulus*, & *leo*, & *ovis ſimul morabuntur*, & *puer parvulus minabit eos*. *Vitulus* & *urſus paſcentur*, & *leo quaſi bos comedet paleas*. Hyperbolica ſunt hæc veluti ſub oculis conſtituentia felicem illum Eccleſiæ ſtatum ſub Jeſu Chriſto.

Rugitus leonis horrore complet pectora. *Leo rugiet*, *quis non timebit?* *Amos* 3. 8. Proverb. 19. 12. & 20. 2. *Sicut fremitus leonis*, *ita* & *Regis ira*, *qui provocat eum*, *peccat in animam ſuam*; mortem in ſe provocat. Fureſcens leo tundit cauda latera, riget juba, & rugitu tonat horribili.

Melior eſt canis vivus leone mortuo, ait Eccli. 9. 4. Qua proverbiali formula exprimitur viros etiam potentiſſimos ac terribiles ita deprimi morte, ut temnantur.

Exhibet Pſalmus 21. 17. arduum quoddam & ambiguum in aſſignanda genuina Textus lectione. Septuaginta & Vulgata legunt: *Foderunt manus meas* & *pedes meos*. Textus autem Hebræus, qualis in Bibliis impreſſis & in Mſſ. pleriſque: *Sicut leo*, *foderunt manus meas* & *pedes meos*, quod nullum ſenſum reddit. Sed ut aliquem exprimant, ita verſiculos hujus Pſalmi interpungunt Rabbini ℣. 17. *Concilium malignantium obſedit me ſicut leo*, *manus meas*, & *pedes meos*, ℣. 18. *Dinumeraverunt omnia oſſa mea*. Kimchi & Abenezra docent leonem obſidere pedes & manus Judæorum in eo, in quo modò verſantur, ſtatu; medii enim ab hoſtibus excepti, nec defendere ſe, nec evadere fuga valent.

Fabellam hic aptat Kimchi. Leo, inquit, prædam venaturus ampliorem circulum in pulvere demiſſa cauda deſcribit, quæcunque animali intra circulum recludi contigerit, ita manent defixa, veluti, ſi retibus implicarentur; toto ſe convolvunt corpore, pedes habent ad ventrem reſtrictos, nec fugam molientia, nec parantia defenſionem: ita veluti ſponte oblatam prædam vorat leo. Hæc ſtatus noſtri imago eſt, addit ille, poſt extremam diſperſionem, deſcripto veluti circulo continemur, adverſariis noſtris præda; hinc ſcilicet incurrentibus in nos *Iſraelitis*, inde *Incircumciſis* timore vincimur, ut nec manibus uti valeamus ad defenſionem, nec pedibus ad fugam.

Sed fruſtra exprimendo ſenſum literalem è prava lectione torquemur. Septuaginta, Aquila, cæterique veteres Græci Interpretes legerunt in Hebræo, *caru*, *foderunt*. Origenes, S. Hieronymus, & S. Juſtinus, cæterique veteres Patres hujus lectionis veritatem agnoverunt, nec unquam in explicatione hujus Textus hæſerunt ambigui. Ipſi pariter Rabbini fatentur, in vetuſtis Mſs. ætate adhuc ſua legi, ſive in Textu, ſive ad extremam oram *caru*; quod etiam in nonnullis noſtra ætate reliquiis ſpectare licet. Ita verò redditus Textus & ſenſum reddit quàm

(a) Vide Jerem. 12. 5. & 49. 19. & 50. 44. Zach. 11. 3.

Digitized by Google

quàm optimum, & veritatem ſuam totius antiquitatis teſtimonio vindicat. Retinenda eſt igitur ea lectio, Judæorum alia rejecta, utpote quæ nec ſenſum aptum reddit, nec vetuſtatis præfert teſtimonium. Videſis noſtram Diſſertationem Commentario in Pſalmos præfixam.)

LEOPARDUS, ſeù *Pardus*, animal ferum, & homini, ut ajunt, quam maximè infenſum. Ejus pellis variis maculis diſtincta; oculi exigui, atque albi, amplæ fauces; dentes acuti; rotundæ aures; ingens cauda; uterque demum pes anterior quinque unguibus, quatuor verò inſtructus uterque poſterior. Leopardus autem dicitur, tum quòd Leonis & Pardi naturam participet, tum quòd es Leæna & Pardo, vel es Pardali & Leone genitus oriatur. Leopardi nomen nunquam, niſi quarto poſt ſæculo, apud Authores. A veteribus *Pardus* Latine legitur, Græcè verò *Pardalis*, ſeu *Panther*. In Vulgata *Pardus* ſemper, nunquam *Leopardus*.

Hebræum *nemer*, quod Leopardum ſonat, ad literam variis coloribus diſtinctum ſignificat. Leopardi macularum apud Jeremiam mentio: *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas. Jerem.* 13. 23. Sæpe Leopardum, & Leonem utpote æquæ feritatis animalia, Scriptura jungit. Habacuch 1. 8. Chaldæorum equos Leopardis dutius vivere teſtatur. Pardum montis, montis nempè feris referti, Libani, Sanir, Hermon &c. in Canticis. 4. 8. mentio. Duabus à Tripoli leucis ad ſeptentrionem, unica verò tantùm à Libano Pardorum montem Brocardus locat. Nos tamen Salomonem in Canticis ad hunc præcipue montem reſpexiſſe difficile credimus. *Vide Bochar. de animalib. ſacr. l.* 3. *c.* 7. *p.* 785. *&c.*

(S. Ignatius Epiſcopus Antiochenus in ſua ad Romanos Epiſtola uſurpat nomen *Leopardi*, unde nata Bocharti ſuſpicio, Lucubrationem hanc eſſe ſuppoſititiam, non ante quartum ſæculum proculam. Sed veritati illius teſtimonium dederunt Pearſonius & Voſſius, animadverſionem illorum rejicientes, qui nomen Leopardi ignotum fuiſſe ſuſpicantur ante Spartianum, *Leopardi* nomen exprimentem in Vita Getæ.

Apud Orientales hæc bellua interdum deſignatur nomine *Pars*; appellant Arabes *Beber*; Turcæ *Jos*; Chetæ *Jem*; veteres Græci *Jos*, quod Latini interdum reddiderunt *Lynx* vel *Lupus-Cervarius*. Gazas ſeu lepores venaturi Perſæ, Turcæ, & Indi leopardis utuntur (a). Omnium primum cicuraſſe belluam fertur Thamurath Rex primæ Dynaſtiæ Perſarum. Togiul-Ben-Arſalam Sultanus è familia Selgimidarum ad venationem aptas 400. è belluis hiſce aureis vinctas catenis, & purpura ſtratas, alebat.

Quantùm è Scriptura intelligimus, non rarum erat in Palæſtina animal. Occurrit ibi Urbs *Beth-Nemrah*, vel tantùm, *Nemrah*, vel *Nemrim Num.* 32. 3. 36. *Iſai.* 15. 6., ſedes leopardi, vel tantùm leopardus, aut leopardi. Deſcribens Iſaias 11. 6. felicem rerum ſub Meſſia ſtatum: *Pardus*, ait, *cum hædo accubabit, lupus cum agno*. Pardum in inſidiis latere juxta Urbes impiorum, ut egredientes omnes in prædam venetur, habet Jerem. 5. 6. Oſee 13. 17. Futurum prænunciat, ut Dominus tanquam leo & pardus inſidietur juxta viam Aſſyriorum, tranſeuntes omnes devoraturus.

LEPRA. Morbo iſto ſivè homines, ſivè ædes, ſivè veſtes corripiebantur, ut in Lege animadverſum eſt *Levit.* 13. Homines lepra affecti, primò tota pelle corrugabantur, nec raiò uſque ad cruſtas, & ſcabiem virus crudeſcebat; totam enim ſanguinis maſſam corrumpebat, adeò ut eo morbo affecti, prurituu diſcerperentur. Interdum ſimplex erat corrugatio, uti Hippocrate *Lib. de Affection.*, & plures PP. (b), agentes de Leproſo à Jeſu Chriſto mundato, teſtantur. Hoc morbi genus tanquam à Deo vindice immiſſum Judæi reſpiciebant, ac nullum naturale remedium pro illo Moyſes aſſignat; jubet enim eo affectos Sacerdotibus ſe ſiſtere, qui de ejus gravitate dijudicent. Si lepram invenerint, & contagioſam, ſtatim præceptum eſt, ut miſeros ægrotos ex hominum commercio ſegregent: ſacrificia verò, ac cæremoniæ quædam ad ſanitatem impetrandam in eadem Lege præſcribuntur: quibus tandem leproſi expiati, hominum ſocietati, & rerum ſacrarum participationi reſtituebantur.

Indicia ad diſcernendam lepram in Lege præſcripta nonniſi gradus quidam ſunt ejuſdem morbi, tumores, puſtulæ, maculæ albicantes, lucentes, & purpureæ lepram indicant; ſi albicantibus, rubentibuſque, nec non rutilantibus maculis caro aſpergatur, & pili in maculis ſubrubri, cutiſque inæqualis fuerint, ejuſdem lepræ indicium ſunt apertiſſimum. Qui de eo morbo egerunt, eadem ſigna ad lepram indicandam adducunt; verùm exorientem lepram, adoleſcentem, & inveteratam ſolerter diſtinguunt; prima curationem admittit, inveterata deploratæ eſt valetudinis. Quicumque eo morbo in Oriente afficiuntur, pedibus potiſſimum laborant, uti Itineraria teſtantur. Morbus eſt in Ægypto frequentiſſimus, authore Proſpero Alpino de Medic. Ægypt. l. 1. c. 3. Maundrellus vidiſſe ſe in Palæſtina leproſos teſtatur (c), qui pedibus intumeſcentibus inſtar elephantum, ſive equorum, cùm ſcabie afficiuntur. Cl. Turnefortius non rarò vidiſſe tradit leproſos, quos ſanitati facilè reſtitui potuiſſe cenſet, ſi prompto remedio ſuborienti morbo occurſum fuiſſet; addit inſuper lepram nihil aliud eſſe præter morbum Gallicum inveteratum.

Indicia veteraſcentis morbi hæc à medicis aſſignantur: vocem exaſperat, cui formandæ nares potiùs, quam os conferre videntur, canis inſtar poſt diuturnum latratum. Pulſus tenuis eſt, profundus, lentus, & confuſus; ſanguis corpuſculis quibuſdam albis, rutilantibus inſtar milii, inficitur; ſeroſitate verò fluit ſcabioſa, & naturali humido deſtituta, ut nec ſalem diſſolvat; quin adeò ſiccus eſt, ut aceto miſtus ebulliat; adeò verò cæcia quibuſdam filamentis coſtringitur, ut calcinatum plumbum illi facilè innatet. Quam leproſi illi amittunt, urina cruda, tenuis, cinerea, turbida eſt, & ſi in quiete relinquatur, farinam quamdam furfure admiſto in imo relinquit. Oris vultus unctuoſa quadam luce reſplendet, carbonis inſtar mox extinguendi: tumoribus quibuſdam duriſſimis, & ad radicem quibuſdam glandulis undique lepris aſper eſt: oculi rubeam quamdam flammam emittunt, atque inſtar felis emicant, prominentes tamen, neque à dextra ad ſiniſtram verſatiles; aures turgent, & rubeſcunt, ad baſim ulceribus, & glandulis cinctæ; naſus ſimus eſt, cùm cartilago ulceribus paulatim corrodatur; nares apertæ, quamvis meatus obducti, & exulcerati: lingua arida, nigreſcens, tumida, ulceroſa, contracta, ſulcis aſpera, glandulis diſſeminata; cutis tandem inæqualis, aſpera, & immortua, quæ ſi incidatur, vel pungatur, pro ſanguine ſaniem reddit.

De morbi hujus indole, & cauſis diutiùs diſceptatum eſt. Plures intraneæ cauſæ in ſanguine & humoribus latenti attribuunt, quæ nonniſi poſt turbatam interiorem armoniam prodit. Alii extraneam aſſignant; ego vero duo lepræ genera diſtinguenda cenſeo; cujus alteri interior, alteri exterior cauſa ex commercio cum leproſis. Sanguinis corruptio tamquam effectus, & ſimul fons hujus morbi haberi poteſt; cauſa quidem, cùm corruptus interiùs ſanguis, ſive nutritionis ſive alio quocumque vitio in externum prodit. Cùm verò contagione iſte morbus contrahitur, tunc virus ſanguini communicatus illum ſtatim inficit. Nihil enim facilius, quam lepram contactu, & commercio attrahere; hinc Moyſes tam ſedulo cavit, ne leproſorum contagione

(a) D'Herbelot. Biblioth. Orient. pag. 700. Pars: & pag. 495. 6.
(b) Levit. 12. 6. Confer. Deut. 14. 7.
(c) Gen. 29. 34. An. M. 2248. ante Chr. 5752. ante Ær. 1756.

morbus propagaretur; quare & mortuorum corpora lepra infecta ab aliis ſegregata tumulo mandabantur. 2. *Paral.* 26. 23

Lepram, ac cæteros hujus generis morbos vermibus quibuſdam cæcis intrà cutem, & carnem gliſcentibus tribuendam eſſe oſtendimus (a), quibus epidermim & cuticulam corrodentibus, omnia deinde, quæ in leproſis ſpectamus, conſequuntur. Morbum Gallicum ejuſdem generis eſſe, ac lepram, credimus; illum verò re quidem, licèt non nomine, à veteribus cognitum, quamquam illi non eidem cauſæ, ac nos, tribuerunt. Vide quæ diximus de Jobi morbo.

Lepra domorum. Iſraelitis, qui in Ægypto verſati fuerant, atque in Chananitide, quo tendebant, notiſſima eſſe debuit, ut ex Moyſis verbis intelligimus *Levit* 14. 34. *Si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cujus eſt domus, nuntians Sacerdoti ... ille intrabit, & cùm viderit in parietibus illius quaſi valliculas, pallore, ſive rubore deformes, & humiliores ſuperficie reliqua, egredietur oſtium domus, & ſtatim claudet illam ſeptem diebus. Reverſuſque die ſeptimo, ſi invenerit creviſſe lepram, jubebit erui lapides, in quibus lepra eſt, & projiciet eos extra civitatem in locum immundum; domum autem ipſam radi intrinſecùs per circuitum, & ſpargi pulverem raſuræ extra urbem in locum immundum, lapideſque alios reponi pro his, qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum: ſin autem introiens Sacerdos viderit lepram non creviſſe in domo, munda reputabitur: ſi verò rurſum creverit, lepra eſt perſeverans, & immunda domus, quam ſtatim deſtruent, & lapides ejus, ac ligna, atque univerſum pulverem projicient extra oppidum in locum immundum.*

Rabbini, aliique nonnulli (b) autumarunt, hanc ædium lepram non naturalem eſſe, ſed Dei vindictam contra Iſraelitas perduelles pœnam. Nos verò hujus rei cauſam in vermiculos quoſdam, lapides corrodentes, referimus (c): vermes, inquam, nigros, duarum linearum longitudine, latitudine verò trium quadrantum lineæ, cruſta ſubnigra obductos, lato capite, nigerrimis oculis, & rotundis mandibulis, quadruplici ordine in crucem diſpoſitis, & nunquam non motis, quas aperiunt, clauduntque inſtar circini quatuor crurum. Mortarium interdum corroditur hiſce vermiculis ſubnigris, & magnitudine tinearum, quæ in calce naſcuntur, quatuor utrinque pedibus oblongis inſtar earundem tinearum inſtructis.

Lepra veſtium, veluti res ejus quidem tempore notiſſima apud Moyſem deſcribitur *Levit.* 13. 49. Maculæ quædam ſubvirides, vel ſubnigræ, ſi fortè in laneo, vel lineo panno, ſivè in pellibus apparerent, continuò hæc ad Sacerdotem deferebantur, qui ſeptem dierum ſpatio reconditas poſteà proferebat, ſedulò obſervans, num maculæ illæ auctæ eſſent; ſi auctas inveniſſet, continuò integrum pannum igni tradebat; ſi verò nunquam increviſſe deprehenderet, poſt lotas eaſdem veſtes, ſedulò examinabat, num vitium illud evanuiſſet. Si nuſquam apparerent, puras declarabat; ſi verò adhuc perſeverarent, tamquam impuras igni adjudicabat. Si tandem veſtis illa colorem referebat panni aduſti, atque ad atrum accederet, fruſtum illud è panno avulſum, igne comburebatur, reliquo ſervato.

Neque aliam hujus phænomeni naturam, & cauſam credimus, quàm quæ pro explicanda lepra hominum, & ædium ſuperius adducta eſt. Conſtat enim, lanam malè expurgatam, & pannos diutiùs reconditos, nec non aulæa quædam in Arvenis intexta vermibus quibuſdam, tineiſque facilè corrumpi conſueviſſe. Hujus igitur genus lepræ veſtes contraxiſſe cenſemus, potiſſimùm in regionibus calidis, & quo tempore artes multum a perfectione noſtrorum temporum aberant.

LEPROSI. Homines lepra affecti, à cæterorum contubernio in arva, & loca infrequentia ſegregabantur *Levit.* 13. 45. 46.; ubi non rarò plurimi convenientes, ſocietatem quamdam inter ſe, atque commercium inibant. Hinc quatuor Leproſi extra Samariam ſimul verſabantur, quo tempore urbs Benadadi Regis Syriæ obſidionem ſuſtinebat 4. *Reg.* 7. 3. 8. & decem ſimul Leproſi Jeſum Chriſtum adivere, ſanitatem rogantes *Luc.* 17. 12. Neque ipſorum Regum, ſi quando eodem morbo afficerentur, æquior erat conditio, cùm è domo, ſocietate, atque Regni adminiſtratione pellerentur, ut Oziæ, ſive Azariæ Regi Judæ accidit 4. *Reg.* 15. 5. & 2. *Paral.* 26. 21.

Si quando verò accideret, ut Leproſus convaleſceret *Levit.* 14. 1. &c., ille ad januam urbis ſe ſiſtens, Sacerdotum inquiſitioni ſubjiciebatur. Si verò probaretur, Templum petebat, oblatiſque duabus avibus puris, factoque è ramis cedri & hyſſopi, lanea quadam vitta conſtricti, faſciculo, alteram ex avibus illi alligabat. Interim alterius avis occiſæ ſanguis in vas aqua plenum infundebat. His peractis, Sacerdos aſſumpto faſciculo, cui avis ſuperſtes adhærebat; utrumque aquæ ſanguine admiſtæ infundebat, atque exinde aſpergebat leproſum. Tandem ave ſuperſtite libera in auras dimiſſa, vir cæterorum ſocietati rerumque ſacrarum communioni reddebatur.

(Vide quæ de iis notavimus v. *Lazarus*. Frequentiſſimi erant olim in Europa leproſi, cui augendo promovendoque morbo plurimum contuliſſe credunt nonnulli cum Judæis commercium. Acceptum alii malunt è frequentibus excurſionibus in Palæſtinam, occaſione expeditionum Cruce ſignatorum. Appellati ſunt olim leproſi nomine Ladrorum, ac deſtinatæ illis plures ædes dicabantur ſancto Ladro vel Lazaro fratri Mariæ & Marthæ, vel S. Jobo; ejuſmodi Ladrerias ad 19000. aſcendiſſe per Europam teſtatur Matthæus Pariſius. Porrò quicunque lepræ morbo corriperentur, è cæterorum conſortio ſegregati, recipere ſe in deſtinatas haſce ædes, non ſine addito ſingulis peculiari ſigno, quo dignoſcerentur, juſſi ſunt. Geſtabant plerumque in humeris cados, vel crotalos, quo ſcilicet à cæteris agniti devitarentur.

Jam inde à duobus ſæculis vel morbus penitus in Europa ceſſavit, vel ſaltem in aliam tranſivit appellationem; & qui ante contumax remediis cenſebatur, modò, nec fruſtrà, curationi ſubjicitur. A lue venerea ſolo nomine differre Medicorum peritiſſimi arbitrantur, quod certiſſima tenuit perſuaſione D. Tournefortius in ſuo per Orientem itinere non ſemel leproſorum inſpector. E leproſis quidam morbo afficiuntur incurabili, quia inveterato, quo tota ſanguinis & humorum maſſa latè corrumpitur. Tenent plures id morbi genus pervaſiſſe Jobum, totaſque in illo vires ſuas explicaſſe; ex quo veluti fonte plures ſecundarii morbi corpuſculum S. Viti inundarunt.

Manethon Ægyptius (d), Lyſimachus, Mulon, Appio Grammaticus, Tacitus, Juſtinus ſerio affirmarunt Judæos ex Ægypto ideò pulſos fuiſſe, quòd lepra ſcaterent. Ex illis autem pro ſe quiſque peculiarem narrat hiſtoriam, pluribus de ſuo marte inſertam circumſtantiis; eò tamen omnes colliment, Hebræos ideò ſolum Ægypti vertiſſe, quòd lepræ morbo corriperentur. Hæc de illis Tacitus lib. 5. *Plurimi Authores conſentiunt orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Bocchorim adito Hammonis oraculo remedium petentem, purgare Regnum, & id genus hominum, ut inviſum Diis, alias in terras avehere juſſum. Sic conquiſitum collectumque vulgus, poſtquam vaſtis locis relictum ſit, cæteris per lacrymas torpentibus, Moſem unum exulum monuiſſe, ne quam Deorum hominumve operam expectarent, ab utriſque deſerti, ſed ſibimet ut Duci cœleſti crederent, primo cujus auxilio*

creden-

(a) Vide noſt. Diſſert. ante Comment. in Levit. (b) Vide Theodoret. q. 18. in Levit. (c) Journal des Sçavans de l'année 1668. (d) Appio apud Joſeph. l. 1. contra Appion. & lib. 2. init. & Tacit. lib. 5. Hiſtor. Juſtin. lib. 36.

Digitized by Google

credentes præſentes miſerias pepuliſſent. Aſſenſere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æquè atque inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cùm grex aſinorum agreſtium è paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Secutus Moſes, conjectura herbidi ſoli largas aquarum venas aperuit. Id levamen, & continuum ſex dierum iter emenſi, ſeptimo pulſis cultoribus obtinuere terras, in quibus Urbs, & Templum dicata ſunt.

Septimo die otium placuiſſe ferunt, quia is finem laborum tulerit. Effigiem animalis, quo monſtrante errorem ſitimque depulerant, penetrali ſacravere. Sue abſtinent memoria cladis, quòd ipſos ſcabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.

Hæc Tacitus, tot ſcribens mendacia ferè, quot verba. Sed minùs etiam præ illo ſyncera de Judæis ſcripſerunt cæteri omnes, quicunque gentis origines proſecuti ſunt. Quorum ut hic obiter ſaltem meminerimus, fecit lepra, qua tabuiſſe populus accuſatur. Verùm ſi ea ſcabies latè pervaſiſſet in populum, tanto illi in leproſos tenerentur horrore? Vide Joſephum contra Appionem.)

LEPUS, notiſſimum animal, à Moyſe, licet ruminans, inter immunda recenſitum (a), quòd unguem bipertitum non habeat. *Nam & ipſe ruminat, ſed ungulam non dividit.* Leporem non ruminare ſatis conſtat; contrarium tamen Moyſis ætate obtinuiſſe videtur. Qui enim Naturam inſpexere, omneſque Scriptores, præter Moyſem, leporem non ruminare conveniunt. Solus Ariſtoteles hiſt. Animal. l. 3. c. 21. ſcribit, leporem cum ruminantibus hoc habere commune, quòd coagulum quoddam in ejus ſtomacho inveniatur. Zacharias Papa in Epiſtola ad S. Bonifacium Moguntiæ Epiſcopum Chriſtianos hortatur, ut à leporis carne abſtineant. Cæterùm interpretes Hebræum *arnebeth* leporem ſignificare non diſputant.

(Lepus Animal cuniculi magnitudine, ſed corporatura aliquantò majori, fœcunditate cætera omnia ſuperans. Viſæ enim ſæpè fœmellæ novis graveſcere fœtibus, dum recens natos catulos adhuc lactant; ex catulis alii veſtiuntur vellere, alii nudi adhuc vel prima tecti lanugine pro vario ætatum diſcrimine prioribus illis ſuccreſcunt. E' leporibus etiam nonnulli mares ſimul & fœmellæ utroque ſexu valent; quod mihi teſtimonio virorum probatiſſimorum, experimento ſuo id aſſerentium, perſuadetur. Alpinos lepores albo candeſcere vellere, dum nivibus alpes obſidentur, vulgò relatum eſt; adduntque ſubnigro reſtitui, cùm ſolutis nivibus candorem montes deponunt; quod ſanè mihi vix perſuadetur. Quicunque albeſcunt, colorem hunc referunt è ſinu matris altè affecta prægnantium phantaſia è nivium candore; quemadmodum & cuniculi vario inficiuntur colore pro varia rerum ſpecie fœmellarum fœtarum oculis obverſante. Inter immunda ab Hebræis rejiciuntur, quòd facilè in ſcabiem maximè proni ſint lepores Palæſtini, quemadmodum & Vulpes. Medicorum nonnulli tenent leporis carnes arentes eſſe & melancholicas, jecoris & lienis impedire meatus, vitiare pulmones, prohibere ſomnum. Viciſſim autem à Romanis plurimi æſtimabantur. *Martial. lib.* 13. *Epigr.* 92.

Inter quadrupedes gloria prima lepus.)

LESA, ſivè *Laſa*, quam veluti terminum Chanaanitidis meridionalem Moyſes deſignavit *Geneſ.* 10. 19. Hanc urbem S. Hieronymus, & Chaldæus eamdem autumant cum Callirhoe ad ſeptemtrionem Maris mortui, cujus aquæ in eundem lacum influunt. Sed veriùs confundenda videtur cum urbe *Leſa*, Luſa, ſive Eluſa, æquo ferè intervallo Mare mortuum, & rubrum interjacens. Luſa Ptolomæo, Joſepho *Antiq. l.* 14. *c.* 2. & Stephano Geographo noſcitur.

LETECH, genus menſuræ apud Hebræos, dimidio chomer reſpondens; cujus amplitudo 149. pintas, ſemiſextarium, & octavam pintæ partem paulò excedebat. Apud Oſeam 3 2. tantùm occurrit *Letech hordeorum*; LXX. *nebel*; Vulgata *dimidiam cori*.

(LEVARE MANUS, ritus eſt obſtringentis ſeſe ſacramento. *Levo manum meam ad Dominum*, ait Abraham *Gen.* 14. 22., *quod non accipiam* (quidquam) *ex omnibus, quæ tua ſunt.* Exod. 6. 8. *Induxi in terram, ſuper quam levavi manum meam*, quam juratò promiſeram.

Levare manus in aliam, eſt aggredi, bellum inferre. *Benedictus Dominus Deus meus, qui concluſit homines, qui levaverant manus ſuas contra Dominum meum Regem* 2. *Reg.* 18. 28. Et 2. Reg. 20. 21. *Seba filius Bochri levavit manum ſuam contra Regem David*; deſcivit in Regem. Nec alia phraſi deſignat Scriptura defectionem Jeroboami filii Nabath. 3. *Reg.* 11. 26.

Levare faciem ſuam coram aliquo, perinde eſt ac ſi aliquem ſecurus quis conveniat. *Levare non potero faciem meam ad Joab fratrem tuum* 2. *Reg.* 2. 22. Eſdras lib. 1. cap. 9. 6. *Deus meus, confundor & erubeſco levare faciem meam ad te.* Vide etiam Job. 10. 15. & 11. 15.

Levare manus, oculos, animam, cor ſuum ad Dominum familiares ſunt Scripturæ phraſes, exprimentes pios animi ſenſus motuſque opem à Deo efflagitantis, ut ſibi in inſtanti aliqua neceſſitate aſſiſtat. *Levare oculos*, interdum eſt aſpicere, ut perinde valeat: Ego levavi oculos, ac ego aſpexi.

Levare animam ſuam ſuper aliquid, eſt avere aliquid. *In terram, ad quam ipſi levant animam ſuam, non revertentur.* Jerem. 22. 27. Recurrit id ſæpiùs in Pſalmis: *Ad te, Domine, levavi animam meam Pſſ.* 24. 1. & 85. 4. & 142. 8.; toto cordis deſiderio in te rapior.

Levare ſignum in regionem. Vide *Signum*.

Levare oculos ſuos ad Idola *Ezech.* 18. 6. 12. 15. & 23. 27. & 33. 25., eſt colere, invocare & ſpem omnem ſuam in illis ponere.

Levare contra aliquem calcaneum Joan. 13. 18., eſt ab aliquo deſciſcere, recedere.

Levare cornu, *Zachar.* 1. 2., eſt faſtu erigere ſeſe, & minitabundum aliquem ſeu percutere, ſeu tanquam inferiori inſultare.

Levare planctum Ezech. 28. 11., eſt lugubrem cantilenam inſtituere.

Levare orationem Iſaiæ 37. 4., eſt preces ad Deum pro populo dirigere.)

LEVI, tertius filius Jacobi ex Lia (b), in Meſopotamia natus. Cum Sichem filius Hemor Dinam filiam Jacobi, atque utroque parente Levi & Simeonis germanam violaſſet, ambo hi fratres, inductos dolo Sichimitas ad circumciſionem, tertia die quando vulnerum dolor maximè incrudnit, urbem ingreſſi, viros omnes (c) trucidarunt, Dina, ſimulque ingenti præda reducta. Facinus illud Jacob ægerrimè tulit, utpotè quòd odium Chananæorum in ſe concitatum iri metueret. Dein Levi una cum Jacobo in Ægyptum deſcendit (d) trium jam filiorum, Gerſonis, Caath, & Merari pater *Gen.* 46. 11. Cum Jacob ſibi mortem imminere cerneret, poſtremam benedictionem filiis conferens (e), Simeonem, & Levi his verbis compellavit. Vos ambo inito ſimul fœdere in necem & cædes conſpiraſtis; quorum proindè victoriis Deus me miſceri non ſinat. Diris inde eorum furorem devovens, ita denique peroravit: *Dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael.*

Neque eventus prædictionem fefellit; Tribus enim Levi nullam peculiarem partem in Chanaanitide obtinuit, ſed urbes incoluit à ſingulis Tribubus conceſſas; quamvis ſua parte caruiſſe magno fœnore Levitis repenſum ſit, utpotè quibus Deus Sacerdotium commiſit, ſummis privilegiis auctum, nedum

(a) Levit. 11. 6. Confer. Deut. 14. 7. (b) Gen. 29. 34. A. M. 2248. ante Chr. 1752. ante Ær. 1756.
(c) Gen. 34. 25. &c. circà A. M. 2272. ante Chr. 1728. ante Ær. 1732.
(d) An. M. 2298. ante Chr. 1702. ante Ær. 1706.
(e) Gen. 49. An. M. 2315. ante Chr. 1685. ante Ær. 1689.

ad eorum dignitatem præ ceteris extollendam, ſed etiam ad vitæ commoda præſtanda. Illis enim omnes ferme decimæ, primitiæ, & oblationes, quin & de ſingulis victimis portiones cedebant.

In Teſtamento duodecim Patriarcharum, veteri quidem Libro, ſed apocrypho, traditur, Levi uſque ad ſeptimum Cœlum raptum, futurorum arcana vidiſſe, illud potiſſimùm, quòd Sacerdotium poſteris ſuis deſtinatum eſſet, & Meſſias è ſua & Tribu Juda oriturum. Ea eſt quidem non unius inter Antiquos ſententia, Virginem nempè ad utraſque illas Tribus ſpectaſſe, utpote patrem ex Juda, matrem ex Levi babentem. Addit inſuper, Meſſiam à Levitis in crucem agendum; ſe verò cædendi Sichimitas Angelum Dei authorem habuiſſe: Angelico famulatu, dum in Bethel in viſionem raperetur, ſe indumentis Sacerdotalibus indutum; à quibus etiam Angelis de Meſſiæ Patris æterni adventu certiorem factum fuiſſe. Tandem inſtante morte, filiis ſuis malorum iliadem, quæ ob mala Meſſiæ ab ipſis inferenda, ipſos manebant in pænam ſcelerum, recitavit; velum etiam Templi ſcindendum, veluti eorum impietatem ante oculos denudandam. Narravit ſe cum annum ageret 28. fæminam quandam nomine Melcham duxiſſe; quo conjugio Gerſonem, Caath, Merari, & dum erat in Ægypto, filiam nomine Jocabed, genuiſſe. Gerſonem verò patrem fuiſſe Lobni, & Semei; Caath autem filios babuiſſe Amramum, Iſaarum, Hebronem, & Ozielem; Merari tandem Mooli, & Muſi genuiſſe. Amram filius Caath conjugio copulatus eſt cum Jocabed, patris ſui ſorore, nata eodem ac ipſe die, ex qua filios habuit Aaronem, Moyſem, & Mariam. Clauſit demum orationem ſuam Levi, crimen eorum in nece Meſſiæ, Templi everſionem, eorumque captivitatem prænuntians. Additum eſt inſuper in eodem Libro, Patriarcham iſtum 137. annis grandævum in Ægypto diem clauſiſſe; cujus corpus redeuntes in Chananitidem ejus filios in caverna Hebronis ſepulturæ mandaſſe.

LEVIATHAN; nomen frequens in Scriptura, quod PP. in ſenſu morali de ſerpente verſuto, & inimico, Dæmone nimirum, interpretantur. Deus quinta Creationis die, ſi Hebræis fides ſit, 4. *Eſd. 6.* 47. &c. duo monſtra produxit; alterius nomen, Henoch, alterius, Leviathan. Henoch in continenti poſitus, herbam 1000. montium in paſcua obtinuit; Leviathan verò in aqua creatus, ibidem relictus, quouſque die Judicii occiſus, lautum carnibus ſuis epulum Electis inſtruat. Etymon hujus nominis ex voce, piſcem ſive monſtrum marinum ſignificante, derivatur. *Leviath* junctus, ſive agglutinatus reddi poteſt; *thau* verò, cete; ac ſi diceretur cete ſquammis confertis inter ſe protectum. Porrò crocodilus immanis protenſique corporis bellua, ſquammis adeò confertis, validiſque armatur, ut ictus venatorum, atque piſcantium ſæpiùs eludat. Quare nos Leviathan de crocodilo dictum autumamus.

Venationem hujus monſtri, quæ cum crocodilo optimè congruit, deſcribit Job. 41.20. &c. Cap. verò 3. 8. ait ipſe; *Maledicant ei* (diei ortus mei) *qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan*. Quo in loco innui credimus Atlanticos, populoſque ſuperioris Ægypti, Solem diris devoventes, quòd ejus radiis torrentur (a), & crocodilum ultrò provocantes occidunt, epulum ſibi de illo paraturi (b). Rex Ægypti ſub nomine *magni Than*, ſive Draconis, aut piſcis, in Ezechiele 29. 3. deſignatur. Iſaias mortem minitatur *Leviathan ſerpenti vecto*, nempe Regi Babyloniæ; & *Leviathan ſerpenti tortuoſo*, ſcilicet Regi Ægyptiorum (c). Crocodilus tamquam Rex fluvialium piſcium habebatur; & Hebræi piſcibus omnibus genericum nomen *ſerpentis*, ſive *reptilis* tribuebant. Deus, juxtà phraſim Regii Prophetæ, *Leviathan* creavit, ut in aquis oblectaretur, *Pſal.* 73. 14. Eſt igitur aquarile monſtrum.

(Scitè monſtrum hoc depingit Jobus cap. 40. & 41. Operis ſui, nihilque exhibet, quod prono ſenſu non quadret cum Crocodilo. Exponunt alii Textum de Cete, *mulard*, cetaceæ magnitudinis piſce, Mediterraneum infeſtante. Alii generatim eo nomine deſignari credunt bellua qualque & Pelagi monſtra. Veteribus nonnullis allegoricè de Dæmone dictum explicare viſum eſt. Agi tamen de Crocodilo fusè demonſtrat Bochartus de Anim. Sacr. par. 1. lib. 1. cap. 7. & par. 2. lib. 5. cap. 16. 17. probatque ex Textu quodam Thalmud Tract. de Sabbato, ubi de *Chalbith* vel cane marino aſſeritur terrorem eſſe Leviathan. Tenent autem *Chalbith*, deſignare piſcem ichneumonem, qui in fauces crocodili inſinuans ſeſe atque ad interiora ventris penetrans abrodit ilia, egrediturque è foramine, quod ſibi voraci dente aperit in ventre.

Hæc igitur Jobus de Leviathan: *An extrahere poteris Leviathan hamo, & fune ligabis linguam ejus?* An fortè crocodilus piſcis eſt hamo capiendus, cui alligetur lingua, vel tranſverſo per ora ſeu per branchias filamine ſuſpendatur? Non id quidem periculoſum eſſe inſinuat Jobus, ſed impoſſibile, quod nonniſi temerarius tentaret. Refert Herodotus lib. 2. cap. 70. artem capiendi hamo Crocodili; ſed facilè id ætate Jobi nondum obtinuerat. Narrat ille projici à piſcatoribus portionem quandam carnis ſuillæ commiſſam ampliori & valido hamo; projici, inquam, in profluentem Nili. Interim piſcator in ripa amnis ſe continens grunitum exprimit è ſue lactante, quem tenet. Arrectus in vocem Crocodilus, recta petit ſuillam, quam vorat cum hamo; trahit ſtatim piſcator funem, projectoque luto oculos ceti pro reliquo corpore anguſtiſſimos impedit; tum belluam occidit.

Nunquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus? uti cum jumentis fieri ſolet, cum camelis ac bubulis, quos ita ſubactos ad arbitrium dirigas. An Crocodilus bellua eſt cicuranda cogendaque ad ſervitia? Morem hunc perforandi nares jumentorum exprimit etiam Iſaias 37. 29. *Ponam circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis*. Hebræus Jobi aliter etiam redderetur: *Nunquid pones juncum in naribus ejus, & ſpina perforabis maxillam ejus?* pro more piſciculorum, quos junco inſertos venum exponimus. *Concident eum amici, divident illam negociatores*; vel juxta alios: *Concident eum excantatores; divident illum ad vendendum Chananæi?* An excantabitur velut anguis, an magicis carminibus perimetur?

Pone ſuper eum manum tuam, memento te belli, nec ultra addas loqui, (vel juxta Hebræum: *Pone ſuper eum manum, nec memineris unquam belli.*) *Ecce ſpes ejus fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur*. Bellua eſt Crocodilus, quæ terrorem incutit, ut ſtrenuiſſimus quiſque miles coram illo ne parere quidem in conſpectum audeat. Fertur Artemidorus quidam caſu incidens in Crocodilum in arena dormientem, inopino adeò terrore fuiſſe correptum, ut memoria caderet & mente (d). Cnemon apud Heliodorum lib 1. ad Crocodili aſpectum, etſi obiter tantùm, & umbram potius tranſeuntis vidiſſet, exhorruit. Proſequitur Jobus: *Non quaſi crudelis ſuſcitabo eum*. Non enim id præſtaret niſi impudentiſſimus. Tentyres id tantum poſſunt, quibus is eſt animus, ut bellum inferant Crocodilis.

En modo exactiorem alteram hujus belluæ deſcriptionem: *Quis revelabit faciem indumenti ejus, & in medium oris ejus quis intrabit?* Quietem captans crocodilus per diem in arena ſtatus hiantes habet fauces, ſed quis vel dormienti propiùs accedet? *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia compactum ſquammis ſe prementibus*. Inter piſces omnium primas tenet Crocodilus, bel-

(a) Vide Strab. l. 17. Plin. l. 5. c. 8. Herodot. l. 4. c. 148.
(b) Pſal. 73. 14. Herodot. l. 2. c. 69. Plin. l. 8. c. 25. & l. 28. c. 3.
(c) Iſa. 27. 1. *Viſitabit Dominus ſuper Leviathan ſerpentem vectem, & ſuper Leviathan ſerpentem tortuoſum.*
(d) Cælius Aurelian. de Inſania apud Bochar.

Digitized by Google

bellua eſt enim interdum ad 25. in 30. pedes immanis. Corio tegitur duriſſimo in dorſo, ut vel ferro ſit impenetrabilis, mollior eſt in ventre, ubi tantùm patet ad vulnera.

Portas vultus ejus quis operiet? per gyrum dentium ejus formido. Capite eſt oblongo, vaſtoque faucium hiatu: Dentibus 36. ſolidiſſimis & acutiſſimis in anteriori mandibula, totidemque in inferiori armatur. Porro dentes illi inter ſe conſerti ſerram non malè referunt. Cùm fauces pandit in voraginem immanem facilè abſorberetur integer ſeu homo ſeu vacca. Os habet ad aures uſque diductum. Apud Indos hujus generis immanes adeo belluas ſpectari contigit, ut procerior ſtatura quiſque intra mandibulas rectus contineretur. Mandibulam tantùm anteriorem verſatilem habere fertur, cùm in cæteris animantibus id tantum ſpectetur in mandibula inferiori; hæc tamen novis experimentis non cohærent.

Sternutatio ejus ſplendor ignis, & oculi ejus ut palpebræ diluculi. De ore ejus lampades procedunt, ſicut tædæ ignis accenſæ. De naribus ejus procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ atque ferventis: Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur. Poeticam hanc deſcriptionem ſcintillantes belluæ oculos cùm ex aquis proſilit, impetumque, quo vel in prædam rapitur, vel captam devorat, veluti ſpectandos offerentem, mecum admirare Lector. *In collo ejus morabitur fortitudo.* Lacertæ non abſimilem formam referens Crocodilus, robore potiſſimùm præſtat in collo & in capite. Quæcunque attigerit loca, latè omnia vaſtat, agroſque depopulatur, nec id ſanè melius exprimeretur, quàm emphaticis illis: *Faciem ejus præcedit egeſtas.*

Membra carnium ejus cohærentia ſibi; mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur. Muſculus & nervus latè regnat in corpore, ut vulneri ſit impervium. *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.* Hebes hìc veluti ſub oculis poſitum belluæ robur impavidum, terroriſque ignarum. *Cùm apprehenderit eum gladius, ſubſiſtere non poterit haſta, neque thorax.* Sat convenit inter omnes Crocodilum experimento enſis, jaculorum, ſagittarum non cedere; ſola ventris pars inferior ferri ſentit injurias. *Reputabit quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir ſagittarius; in ſtipulam verſi ſunt lapides fundæ.*

Ferveſcere faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cùm unguenta bulliunt. Familiare eſt Orientalibus maris nomine deſignare pariter ingentes quoſcunque amnes & lacus. Crocodilis autem frequentabatur non Nilus tantùm, ſed & lacus pariter. Colebantur in Ægypto Crocodili lacus Mœris (a), quibus ingenti cura apparatæ dapes, ornabantur & diviti cultu, inauribus ſcilicet pretioſiſque ad pedes armillis. Cùm bellua fertur impetu, vel ejaculatur è faucibus aquam, ebullit turbinato motu amnis, vel lacus tanquam in ſuccenſo aheno oleum, muſco ſimilem odorem ſpirant omnia, quacunque bellua pertranſierit, cujus rei teſtes damus egregios plures Scriptores (b). Eo odore ſpirat non vivens tantùm, ſed & mortui carnes, quin & ova; ac ſi fortè vulnere aliquo confoſſus fuerit, è vulneribus extiſque gratum redolet.

Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt ut nullum timeret. Ceterorum animantium facilè princeps eſt Crocodilus. Præſtat tamen textum exponere de Ægyptiis, deſignatis ſæpè in Scriptura *Ezech.* 23. 11. *Pſ.* 88. 11. *Iſaiæ* 51. 9. *Job.* 26. 12. nomine *filiorum ſuperbiæ* vel *ſuperborum*. Crocodilum ſuſpiciebant illi ceu Numen & Regem: Divini in illum honores collati. Hebræorum familiari ſtilo Rex dicitur non rarò generis cujuſdam Deus peculiaris; conſecratos autem in Ægypto Crocodilos, pictumque pariter Crocodilum emblema referre Ægypti, tam certum eſt quàm quid aliud.

LEVIRATUS. Ex Larino *Levir*, frater mariti, formatur Leviratus, quo expreſſa non à Latinis tantùm, ſed & Scriptoribus Gallicè explicantibus leges moreſque Judaicos, Lex Moyſis, de qua in præſenti. Ita ergo ſancit Moyſes Deut. 25. 5. *Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus; & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſrael. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris ſui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, interpellabit majores natu, dicetque: Non vult frater viri mei ſuſcitare nomen fratris ſui in Iſrael, nec me in conjugem ſumere. Statimque accerſiri eum facient, & interrogabunt. Si reſponderit: Nolo eam uxorem accipere, accedet mulier ad eum coram Senioribus, & tollet calceamentum de pedibus ejus, ſpuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui, & vocabitur nomen illius in Iſrael, Domus diſcalceati.*

Porrò Lex iſta exceptione quadam reſtringit cautionem, qua vetita ſunt connubia inter fratres & ſorores tum & cum uxoris ſororibus ac viciſſim cum mariti fratribus. *Levit.* 18. 16 Id autem vel ante Moyſem receptum inter Hebræos & Chananæos videtur, cùm Judas alterum poſt alterum duos filios ſuos junxerit Thamar *Geneſ.* 38. 6. 7. 8. nempe Her natu inter filios majorem, & Onam natu ſecundum, fidemque ſuam obligavit poſtremum illi conjugem conciliaturum Selam, inter filios tertium.

Quæ verba Moyſes hic uſurpat: *Quando habitaverint fratres ſimul &c.* habuiſſe Legiſlatorem præ oculis inſinuant potiſſimùm fratres in avita ſimul domo, vel ſaltem in eodem loco commorantes; ſed conſuetudo legem extendit ad propinquos etiam gradu remotiori & verſantes in Judæa & intra Tribum fratrum ſuorum, ut bona, & hæreditates in eodem ſimul loco poſſiderent. Duo enim ſpectabat Lex; primùm & potiſſimùm ut ſervando nomini defuncti in Iſraele conſuleret per filios è vidua ejus uxore, & defuncti nomen præferentes, ſuſcitatos; poſtremum alterum, ut jus integrum ſervaretur hæreditatum in eadem familia & Tribu.

Exemplum Ruth, quæ Boos viri ſui propinquo nupſit, argumentum eſt moris apud Iſraelitas Judicum ætate obtinentis *Ruth.* 4. 1. 2. 3. Boos ille nec pater erat, nec inter propinquos ſanguine conjunctior Elimelech ſocero Ruth uxoris Mahalon; duxit ille tamen fœminam, quam ſibi adſciſcere in conjugem recuſavit vir inter propinquos conjunctiſſimus. Legi huic exceptiones & limitationes ſanè plures de ſuo addiderunt Rabbini apud Selden. de Succeſ. in bona cap. 14. & Uxor Hebr. lib. 1. cap. 4. Docent id oneris impoſitum fratribus tantùm ex utroque eodem parente natis; eximunt verò cæteros, quorum ſive alius eſt pater, ſive altera mater. Adhæc, lege tenetur tantùm inter fratres defuncti maximus natu; ſiquidem ille non adhuc ſibi thori ſociam, adſciviſſet; ſin verò priùs alteram duxiſſet, relictum illi arbitrium, ut fratris ſui viduam uxorem ſive duceret, ſive remitteret. Si frater defunctus filium vel filiam adoptivos, vel ſpurios reliquiſſet, ſi nepotem vel neptem, ſuperſtiti fratri nihil injunctum. Si defuncto ſuperſtites relictæ ſint plures uxores, unicam tantùm ducere frater lege jubetur (c); ſi plures remanſerint è fratribus maximus tantùm natu jus habet in bona defuncti, cui & cedit dos à fœmina in conjugio ſoluta.

Addunt, connubium illud viduæ ex fratre relictæ cum fratre viri prioris nullo ritu celebrari, quod ſcilicet mulier illa ſuperſtes è viro, qui orbatus liberis deceſſit, perinde habebatur ac vi Legis, non

(a) Herodot. lib. 2. cap. 19. Strabo l. 16.
(b) Damir, Alkazuin, Vincentius le Blanc, Petrus Martyr, Joannes de Laeth, Purcher, alii apud Bochartum de Anim. Sacr. part. 2. l. 5.
(c) Leo Modena Jud. part. 4. cap. 7.

ritu quodam conciliante, tranſiret in conjugem fratris ſuperſtitis. Mos tamen obtinuit, ut conjugium illud non ſine duplici teſte celebraretur; ac frater novam, quam adſciſcebat, conjugem argentea moneta donaret. Addita & nuptialis benedictio, tum & inſtrumenti tabulæ ad aſſerendam conjugis dotem. Sunt qui autumaverint abolitam hanc legem jam inde a captivitate Babylonica ceſſaſſe, ex quo ſcilicet diſcretæ Tribuum hæreditates in unam quandam maſſam coaluerunt (a). Judæi noſtrates (b) legis illius ſanctioni vel nihil unquam, vel raro deferunt; Germani maximè & Itali; malunt enim illi integrum permittere fœminis illis jus quemcunque placuerit conjugem adſciſcendi.

Hoc autem ritu id totum peragitur teſte Leone Modena. Rabbini tres cum geminis aliis teſtibus in pervigilio celebrandæ ſolemnitatis locum aptum ſeligunt. Manè alterius diei exeunte prece matutina populi turba comites ſeſe addunt Rabbinis & teſtibus, qui ſimul omnes cùm deſtinatum locum tenuerint, aſſidentes vocant defuncti ſuperſtitem conjugem, cum fratre itidem ejuſdem defuncti, qui ſibi petunt facultatem, ut à Lege eximantur. Qui primus ſedet inter Rabbinos, hominem de pluribus ſciſcitatur, hortaturque, ut viduam fœminam ducat in conjugem. Intelligens perſiſtere illum in propoſito, aliis pulſat quæſtionibus; tum juſſus vir ut ſoleam quandam Rabbinorum nullis non pedibus aptam inducat ſibi; cùm interim fœmina propiùs ad illum facta præeunte Rabbino Hebraicè iſta pronunciat: *Frater mariti mei renuit perennare fratris ſui in Iſraele poſteritatem, negans in torum ſuum vocare me, tanquam prioris viri mei frater.* Tum ille: *In conjugem hanc facere mihi non arridet.* Ad hæc fœmina ſoleam è viri pede detrahit, projicit in terram, expuit coram illo, & Hebraica iſta, docente Rabbino, pronunciat: *Ita fiat homini, qui renuit ædificare domum fratris ſui, & appellabitur in Iſraele domus diſcalceati.* Ter eadem repetit mulier, totidemque vicibus excipiunt adſtantes: *Diſcalceatus.* Continuo Rabbinus facultatem illi permittit, ut virum, quem maluerit, ſeligat; cujus rei, ſi & ſyngrapham petierit, ſtatim obtinet.

Hanc autem ſyngraphæ formulam recitat Gemarrha Jeroſolymitana, breviorem utique, quàm quæ apud Rabbinos legitur. *Coram nobis hic, illa NN. vidua relicta N. ſoleas detraxit N. filio N. quam adduxit coram nobis; ſoleaque dexteri pedis nudavit, & expuit nobis præſentibus, ut noſtris ipſis oculis expuentem in terram viderimus; tum effata eſt: Ita agetur cum illo, qui non reſtituit domum fratris ſui.*

Ex his omnibus planè intelligimus Rabbinos ad literam non intelligere Moſaicum illud: *Spuet in faciem illius*; ita enim accipiunt, quaſi: *Spuet coram eo in terram.* Sed Textus Legis priorem ſenſum fert apertiſſimè, & Joſephus ad literam intellexit, proſequens hiſtoriam Ruth. *Antiquit. lib.* 5. *cap.* 11. Porro conſpuere in alicujus faciem inſignis contemptus eſt argumentum. Num. 12. 14. Iſai. 1. 6. &c.

Quod legitur in Textu: *Primogenitum ex ea filium, nomine illius appellabit*, duplici ſenſu exponitur. 1. Defuncti nomen ſuſtinebit, ut ſi pater Abraham, & filius eodem appelletur nomine; 2. Nomine defuncti appellabitur, tanquam ejus filius reputatus nomen ejus & familiam perennabit. Hebræus ad literam: *Levabit ſe in nomen fratris ſui*; ſubcreſcet nempe tanquam germen è nomine patris ſui. Exemplum Ruth, quæ natum ſibi è Boos filium denominavit *Obed*, & non ex nomine prioris viri *Mahalon* (c), ſat probat integrum eſſe matri filio quodcunque maluerit nomen indere.

Notat Leo Modena *Cærem. Jud. part.* 4. *cap.* 7. accidere interdum, ut Judæi fœdo, quo tenentur, pecuniarum amore perſuaſi diu teneant in ſuſpenſo viduas illas fœminas, nihil determinantes, num conjugium cum illa elegerint, num juri ſuo renuntiaverint: quo tandem longa expectatione laſſatæ libertatem ſuam pretio redimant. Cujus rei gratia parentes quidam filias ſuas elocantes inter pacta conventa addunt, ſi forte acciderit, ut viro defuncto fratres ſupervixerint, viduam gratis manumittant. Cogunt alii maritum, cùm in morbum inciderit, judicio Medicorum periculoſum, uxorem repudiare, ne forte illo intereunte in jus ſuperſtitis fratris vidua concedat.

Conjugium illud cum uxore fratris *Ibum* appellant Judæi; ſicut & cæremoniam aſſerendæ fœminæ in libertatem, & calceos detrahendi, *Chalizam*.

LEVITÆ, quo nomine omnes quidem poſteri Levi cenſentur, potiſſimum tamen ii, qui vilioribus Templi miniſteriis deſtinati ſunt, ut à Sacerdotibus ex familia Aaronis, per Caath genus à Levi deducentibus, ampliſſimis Templi muneribus deſtinatis, diſtinguerentur. De Sacerdotibus vide *Aaron*, & *Sacerdotes*.

Omnes igitur poſteri Levi, una tantum excepta familia Aaronis, per Gerſon, Caath, & Merari deſcendentes, inter Levitas recenſebantur; & ipſa etiam Moyſis familia nonniſi inter ſimplices Levitas reputata erat. Hos autem viros Deus ſervitiis Tabernaculi, & Templi ſelegit, loco primogenitorum univerſi Iſraelis. *Num.* 3. 6.... 46. Eorum munus erat, præ foribus Tabernaculi diu noctuque adſiſtere; in itinere per deſertum vaſa, inſtrumenta, tabulas, vela, funes Tabernaculi vehere. In miniſteriis Templi, Sacerdotum imperio ſubdebantur, ligna, aquam & cætera ad Sacrificium neceſſaria illis miniſtrantes; muſica in Templo cæteriſque ſolemnitatibus canebant; Legi tandem operam navabant, adeò ut conſueti eſſent Regionum Judices; Sacerdotibus tamen uſquequaque ſubjecti.

Neceſſariis Levitis ſuffecturus Deus, omnes illis decimas non tritici tantum, & fructuum, ſed etiam pecorum univerſi Iſraelis aſſignavit; *Num.* 18. 21. è quibus tamen decimæ pro Sacerdotibus ſegregandæ erant. Porrò decimæ illæ Sacerdotibus ſolvendæ erant loco primitiarum, quæ juxta Legis præſcriptum, Domino offerebantur à Levitis, quippe qui nihil præter decimas poſſiderent.

Habitationi verò eorumdem 48. urbes una & agros, hortos, & paſcua illis adjacientia deſtinata ſunt; *Num.* 35. 1. ex illis tamen 13. ad Sacerdotes ſpectabant, *Joſue* 20. 7. & 21. 19. &c. atque inter haſce, ſex refugii urbes ſelectæ erant. Quandiu verò Levitæ Templi ſervitiis occupabantur, non aliunde, quàm ex oblationibus diurnis, aliiſque ad Templum ſpectantibus alebantur, ſicuti & eodem hoſpitio, & menſa uti Levitis fas erat, ſi quando extra tempus ſibi deſtinatum, ad miniſtrandum in Templo veniſſent. *Deut.* 18. 6. &c.

Sacris initiabantur facili, ac prompto ritu; 2. *Paral.* 29. 34. nec niſi eodem habitu ac cæteri Iſraelitæ utebantur, ne ſuctu quidem excepto. Illis igitur initiandis hæ cæremoniæ à Deo præſcriptæ ſunt: *Num.* 8. 5. Aqua expiationis luſtrabantur, toto corpore abradebantur, ac tandem lotis veſtibus præ foribus Tabernaculi ſtatuebantur. Hinc poſt adductos ad locum duos vitulos, impoſitaſque capitis eorum manus ab univerſo Iſraele, veluti ſi populus illos Domino offerret, deinde ab initiandis manus duobus bubus imponebantur, ſtatimque alter in holocauſtum, alter in victimam pro peccato cedebant. His peractis, Levitæ Summo Sacerdoti exhibebantur; qui ad quatuor Mundi partes illos convertens, aliquantulum è ſolo elevabat, jubens ſimul actiones quaſdam præſtare ad ſimilitudinem Sacerdotum, cùm oblationes quaſdam ad 4. Orbis plagas repræſentant.

(a) Fagius in Deut. 25. (b) Buxtorf. de Synag. Jud. cap. 30. Cunæus de Rep. Heb. lib. 1. cap. 7. Leo Modena Cærem. Jud. part. 4. cap. 7. (c) Ruth. 4. 17. Vide Aug. retract. lib. 2. cap. 12.



LEVITARUM VESTITUS

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI



Digitized by Google

Regnante in Judæa Agrippa (a) Levitæ petita obtentaque à Principe facultate, lineam tunicam inſtar Sacerdotum aſſumpſerunt; quod quidem & Sacerdotibus diſplicuiſſe, neque impunè unquam veteres regionis conſuetudines immutatas Joſephus animadvertit. Ille etiam hiſtoricus addit, Levitas, quorum erat tantùm munus pro foribus Templi adſiſtere, & cætera hujus generis præſtare minifteria, ſub Agrippa, eoque permittente, Muſicam in uſum Templi didiciſſe.

In ſtationibus per deſertum, Levitæ circa Tabernaculum diſpoſiti erant; Moyſes & Aaron, orientalem; Gerſon, occidentalem; Caath, meridionalem; Merari, ſeptentrionalem partem tenebant. *Num.* 3. 27. Olim ex Moyſis diſpoſitione, Levitæ *Num.* 8. 24. nonniſi ab anno ætatis 25. ſive ut alibi legimus, *Num.* 4. 3. ab anno 30. uſque ad 50. Templo miniſtrabant; ſed cùm labores in ferendis vaſis Tabernaculi jam diù ceſſaſſent, ideò tempus ſuſcipiendi miniſterii ab anno 20. ineundum David præcepit.

Singuli autem Levitæ alternis vicibus per hebdomadam Templi ſervitia præſtabant; quod etiam à Sacerdotibus obſervabatur: 2. *Par.* 23. 24. & 12. *Par.* 31. 17. & 1. *Eſdr.* 3. 8. quare veſperis Sabbathi miniſterium ſuſcipientes, Sabbatho alterius hebdomadæ munus illud finiebant. Si quando convivia religioſa in Templo inſtituebantur, inter convivas Levitas non invitare nefas erat. *Deut.* 12. 18. 19.


(Levitæ in varias diſtribuebantur claſſes, *Num.* 1. 53. videlicet Gerſonitarum, Caathitarum, Meraritarum, Aaronitarum vel Sacerdotum. Damus hic luſtrum indictum à Moyſe, Dei juſſu, poſt relatum ex Ægypto pedem de omnibus virilis ſexus, unius menſis ætati ſuperioribus. *Num.* 3. 15.

Gerſonitæ implebant numerum 7500. quorum erat onus in itinere per deſertum ferendi velamina Tabernaculi. Ibid. v. 26. Præerat omnibus Eliaſaph filius Lael.

Caathitæ numero virorum 8600. ferebant Arcam, & vaſa ſacra Tabernaculi ſub Eliſapha filio Oziel Principe.

Meraritæ, turba 6200. vehendo quidquid Tabernaculi impar eſſet ut plauſtris imponeretur, deſtinata; parebat Suriel filio Abihaiel.

Aaronitæ in opus ſacrificiorum & obſequii Sanctuarii ſelecti, ſtabant ſub ſignis Eleazari filii Aaronis. Ibid. v. 32. Videſis eorum genealogiam in arbore Genealogica hic expanſa.



LEVITICUS, tertius inter Libros Pentateuchi, nomen ſortitus à Legibus, & cæremoniis, Sacerdotes, Levitas, & ſacrificia ſpectantibus, quod potiſſimum eſt libri argumentum; quare apud Hebræos *Lex Sacerdotum* appellatur. *Vajicra* etiam apud Hebræos inſcribitur, nempe, *Et vocavit*, quæ primæ ſunt totius operis voces. Igitur ſeptem priora libri capita ritus pro holocauſtis, oblationibus panis, ſimilæ oleo conſperſæ, ſacrificiis pacificorum, ſive gratiarum actionis, victimis pro peccato, complectuntur; quæ hoſtiæ portiones igni, quæ verò Sacerdoti cederent, præſcribuntur. Inde cæremoniæ, & ſacrificia pro initiandis Sacerdotibus ſuccedunt: qua occaſione, hiſtoria Nadabi & Abiu igne conſumptorum, quod thus prophano igni impoſuiſſent, refertur. Lex denique de luctu, vinique uſu Sacerdotibus interdicto, quo tempore Deo miniſtrant. Inde ab 11. uſque ad 15. regulæ pro animantibus puris, impuriſque, pro diſtinctione lepræ hominum, ædium, & veſtium, ac tandem pro expiatione puerperæ.

(a) Joſeph. Antiq. l. 20. c. 8. circa ann. Chr. 62. & 6. ante everſionem Templi.
(b) Amram duxit amitam ſuam Jocabed. Exod. 2. 1.
(c) Oziel patruus erat Aaronis. Levit. 10. 4. & 6. 20.
(d) Qui ſeditionem concivit in Moyſem & Aaronem. N. 16. 1. 2.
(g) Poſteris Moyſis levitas agebant ſub Caathitis.
(h) Eleazar & Ithamar primas tenebant inter Sacerdotes Leviticos.
(i) Nadab & Abiu igne correpti ſunt. Lev. 10. 2.
(k) Phinees, qui Zambri & Coſbi transfodit. Num. 25. 7. 8.

peratum, & gonorrhæa laborantium ſtatuuntur. Hinc ſequuntur cæremoniæ pro ſolemni Expiatione: gradus cogitationis, quibus connubia interdicuntur. Fœdus etiam cum Chananæis, Idololatria, furtum, perjurium, calumniæ, odium, ſuperſtitiones, magiæ, divinationes, auguria, proſtitutiones, & adulteria cavenda denunciantur. Abſtinendum item præcipitur à fructibus arboris, quinque prioribus annis ab ejus inſitione. In meſſibus colligendis, aliquid in agris relinquendum pro indigentibus. Hoſtiarum vitia luculente recenſentur. Cap. 23. Feſta totius anni ſolemniſſima, Paſchatis nempe, Pentecoſtes, Tabernaculorum; Expiationis ſolemnis, Tubarum, ſive exordii anni Civilis occurrunt; ac veluti parergo, hiſtoria viri lapidibus occiſi in pœnam blaſphemiæ contra Deum enarratur. 24. 10. 11. Tandem poſt præſcriptos ritus anni Sabbathici, & Jubilæi 25. 3. &c. legeſque pro votis, & decimis obſervandis c. 27. Libro finis imponitur.

De authoritate hujus Libri, deque Moyſe authore, ambigit nemo. Hiſtoriam complectitur 8. dierum, quot pro initiando Aarone, ejuſque filiis impenſi ſunt (a). Leges, quæ ſacrificia non ſpectant, nullo indicio ad certum annum revocari poſſunt.

LEX, quo nomine in Scriptura ſæpe Lex Moyſis intelligitur, aliquando tamen de tota religione Judæorum, ut Evangelio, & Religioni Chriſtianæ oppoſita uſurpatur. De Lege Moyſis quidem, quippe quæ prima ſit omnium, & potiſſima; quamquam enim apud Ægyptios, Aſſyrios, alioſque populos ante Moyſem Legum quædam ſpecimina extabant; corpus tamen Legum integrum, abſolutumque Hebræis omnium primis datum eſt. Hinc Joſephus *contra App. l.* 2. animadvertit, Legiſlatores Græcorum præ Moyſe recentiſſimos eſſe; veteresque Græcos ipſam vocem *Nomos*, quæ Legem ſignificat, ignoraſſe, uti ex Homero omnium Græcorum, juxta aliquos, Scriptore vetuſtiſſimo, conſtat, cùm in eo nunquam inveniatur.

Filii Noe, juxta Rabbinos (b), Legibus quibuſdam, jus naturale conſtituentibus, ſubjecti fuerunt; à quibus etiam cæteræ per Orbem nationes non eximuntur. Maimonides autumat, ſex priores ex iſtis Legibus Adamo datas fuiſſe, quibus poſtea Deus ſeptimam Noe, & filiis ejus traditam addiderit. Præcepta autem illa, hæc ſunt: 1. Judicibus, & Magiſtratibus obtemperare: 2. à blaſphemia in Deum abſtinere: 3. Idololatriam, & ſuperſtitionem fugere: 4. inceſtum, Sodomiam, coitum cum beſtia, & ſcelera contra naturam horrere: 5. homicidium, atque omnem ſanguinis effuſionem vitare: 6. furtum, 7. carnes animalis viventis non deguſtare.

Duo Legum genera vulgo diſtinguuntur: naturalis ſcilicèt, & poſitivæ; naturalis ab ipſamet hominum natura in cordibus noſtris inſcripta eſt, cujus ſunt præcepta, cultus Dei ſummi, obſequium in parentes, atque Principes, neque alteri inferre, quod quis ſibi inferri renueret &c. Lex poſitiva non unius eſt generis; aliæ enim Morales ſunt, aliæ Civiles, & Politicæ, aliæ Cæremoniales. Morales ut plurimum, nonniſi Legis naturalis præcepta enucleant: Judiciales, Civiles, & Politicæ officia hominum inter ſe, ſive ordinem, & politiam continent; quarum proinde ſcopus eſt ſceleſtorum mores cohibere, imbecilles juvare, juri, & authoritati Principum certos limites præſcribere. Leges tandem Cæremoniales circa externorem Dei cultum, miniſtrorum, totiuſque populi, ſive erga Deum, ſive inter ſe officia, ad Deum relata, verſantur.

Legem veterem Deus per Moyſem in Monte Sinai primo Hebræis indixit, 50. annis ab egreſſu ex Ægypto, *Exod.* 19. 3. &c. A. M. 2513. ante Ch. 1487. ante Ær. 1491. Potiſſima hujus Legis præcepta in Decalogo continentur, quæ in lapideis tabulis exarata Deus Moyſi tradidit, *Exod.* 22. 2. Horum ſumma hæc: 1. Deos alienos coram Deo ne colito. 2. Idola Cœleſtium, terreſtrium, aquatiliumque ne cælato, ut ea venerere. Ego Deus tuus ſuum . . . 3. Dei nomen ne fruſtra proferto: qui id fecerit, dure à Domino multandum ſcito. 4. Sabbatho tu, filiuſque tuus, filia, ſervus, ancilla, hoſpes, quem exceperis, tuumque pecus feriaminor. 5. Parentes obſervato, ut diutina vita à Deo donere. 6. Ne occidito. 7. Adulterium vitato. 8. Furto abſtineto. 9. In proximum tuum nequid falſo teſtare. 10. Alterius domum, uxorem, ſervum, pecus, aliudve quid ne concupito. Hæc ſunt, quæ Judæi *decem verba*, Græci *deca logous* (ex quo nos *Decalogum*) appellant. Inter Eruditos nonnulli credidere, Moyſem, dum Leges condebat, Ægyptiorum Leges præ oculis habuiſſe, ſive ut eas imitaretur, ſive ut eorum moribus, & opinionibus ſeſe opponeret, ſive ut eo veluti fræno Hebræi cohiberentur, ne in Idololatrias, & ſuperſtitiones, quas in Ægypto obſervaverant, proruerent (c). Alii verò malunt, non Hebræos ab Ægyptiis, ſed Ægyptios ab Hebræis, ex parte ſaltem, Leges mutuatos fuiſſe. Quo in opinionum diſſidio, nos ultrò fatemur, non raró Hebræos ab Ægyptiis, & frequenter viciſſim Ægyptios ab Hebræis Leges derivaſſe, quamquam pro inſito quodam averſandi Hebræis genio, Ægyptii ſæpe ab Hebræorum moribus recedentes, in ritus plané diverſos abiere. Hinc non abs re credimus, ritus in Lege Moſaica præſcriptos, qui plane Ægyptiorum ſuperſtitionibus opponuntur, data opera inductos fuiſſe, ut Judæi averterentur ab Idololatria, & moribus Ægyptiorum, quibus plus nimio aſſueverant. Cùm enim Hebræorum populus in Ægypto veluti formaretur, atque Idololatriam in ea regione jam obtinuiſſet; veriſimiliùs credimus inde acceptam referri debere illam voluntatis propenſionem, qua Judæi in Idola ferebantur; cui Moyſes Legibus prompto remedio occurrendum duxerit. Quoad Leges Judiciales, ſive Cæremoniales, eas fortaſſe Moyſes retinuit, quæ utiliſſimæ cenſebantur; cæteras verò ſive ad normam recti reformavit, ſive novis, ac contrariis Legibus abolevit.

Lex Moyſis veluti præludium quoddam, & umbra rerum futurarum, *Hebr.* 10 1. multùm à ſcopo perficiendorum hominum aberat, juxta phraſim S. Pauli, *Hebr.* 7. 19. cui proinde complendæ, evellendis abuſibus ab ipſa toleratis, præſtandis iis, quæ ipſa pollicebatur, Jeſus Chriſtus operam egregie navavit. Hinc idem de ſe in Evangelio perhibet, veniſſe non ad deſtruendam Legem, ſed perficiendam, *Matth.* 5. 17. ejuſque rei gratia, illam explicat, moderatur, & cohibet, Rabbinorum potiſſimùm interpretationes abſonas, & Legi contrarias. S. Paulus jactis antea à Domino ejus rei fundamentis totum opus complevit; ſive ea, quæ Chriſtus innuerat, pleniùs, & luculentius explicavit: ſiquidem Apoſtolus Legem Moyſis abrogatam quodammodo ab Evangelio, atque poſt mortem Chriſti Legales cæremonias nullius eſſe uſus, atque neceſſitatis declaravit. Addidit inſuper, nos jugo Legis excuſſo, gratiæ libertati reſtitutos fuiſſe; ac pro famulis, quales ſub Veteri Teſtamento habebamur, in filios opera Jeſu Chriſti evaſiſſe; *Rom.* 6. 14. & 8. 21. *Galat.* 4. 31. & 5. 13. tandem non legis quidem, neque operum Legalium exercitio, ſed fidei, charitati fœderatæ, atque bonis operibus, nos juſtitiam aſſequi. *Rom.* 3. 20. *Galat.* 2. 16. Verùm ſi quando in Evangelio nos jugo Legis levati dicamur, nonniſi de Lege cæremoniali, & judiciali verba illa in-

(a) A. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490.
(b) Gemar. Babylon. ad iii. Sanhedrin. c. 7. Maimon. Halac. Melak. c. 9.
(c) Vide Spencer. de Leg. Hebr. ritual. l. 3. Diſſert. 1. &c. Marsham. can. Ægypt. Chronolog. Sæc. 9. Kircher. Propyl. cap. 2.

intelligenda ſunt; præceptis enim moralibus in Lege gratiæ non ſecùs ac in Lege veteri ſtringimur.

De ſingulis Legis Moſaicæ articulis ſuo loco egimus, uti v. Paſcha, Sabbathum, Blaſphemia, Adulterium, Sacrificia, Holocauſtum. Harum Legum ſummam ex noſtra Præfatione in Deuteronomium, hic tantùm tranſcribendam cenſuimus.

Deus Cœli, terræque Creator, *Gen.* 1. 1. ex univerſo hominum genere, Abrahamo, ejuſque familia ſelectis in ſuum populum, *Lev.* 19. 11. &c. *Deut.* 26. 16. 17. fœdus cum illis in monte Sinai inivit, Legemque tradidit, in qua ſe Deum unicum, *Exod.* 20. 7. ſolum proinde amandum, atque colendum declarat. *Deut.* 6. 5. & 10. 12. 20. Neque amorem utcumque, ſed cui nihil ſit reliquum, exigit; gloriæ vero ſuæ, atque juſtitiæ adeò ſtudioſus aſſertor eſt, ut quantùm in ſuos miſericors, atque præſtandis promiſſis fidelis, tantumdem in animadverſionibus ſeverus, parentes perduelles uſque ad tertiam, & quartam generationem puniat; & viciſſim pro patris fidelitate beneficia in mille generationes producit. *Exod.* 10. 5. & 34. 6. 7. *Deut.* 5. 9. 10. & 6. 15. Juramenta per rei alterius cujuſcumque nomen, niſi tantùm Divinum, emitti vetat. *Deut.* 6. 13. & 10. 20. Quare neque cultu ullo, neque ipſo nomine, *Exod.* 23. 13. Deos alienos invocare, nedum imagines ipſorum, ſive aliorum quorumcumque, etiam brutorum, & ſyderum efformare fas eſt. *Exod.* 20. 3. 4. & 23. 13. Blaſphemia in Deum morti obnoxia adjudicatur, *Lev.* 24. 11. neque mitior eſt ſententia in juramenta inania, mendacia, & calumnioſa, utpotè quibus crimen in veritatem, & ſanctitatem nominis Dei inferatur. *Exod.* 20. 7 *Deut.* 5. 11. Vota vel nulla fieri jubet, vel ſi fiant, ſtatim implenda, dilationem non inultam ſe paſſurum profeſſus. *Deut.* 23. 21. *Lev.* 27. *Num.* 30. Si quis temere de ſumma Dei authoritate, ſive periculum facere, ſive illam in dubium revocare auſus fuerit; *Deut.* 6. 16. nec non qui Magos, Ariolos, Pſeudoprophetas de rerum futurarum aventibus conſulant, ſive ſe ſuperſtitionibus immiſceant, illos reos criminis pronunciat, *Lev.* 19. 31. & 20. 6. 27. & 22. 18. *Deut.* 18. 10. Jubet igitur purum, ſincerum cultum exhiberi, nullam ſomniis fidem; *Deut.* 18. 13. *Lev.* 19. 26. nullum cum ritibus eorum, qui comam tondent, commercium; procul eſſe jubet inciſiones, & ſtigmata: *Lev.* 19. 27. Magi, Pythones, & Pſeudo-Prophetæ è populo exterminentur: *Lev.* 20. 27. *Deut.* 18. 10. &c. nihilque tandem feratur, quod ad idololatriam, ſive pravo exemplo, ſive ſollicitatione inducat; ipſaſque urbes ejus criminis reas vult devoveri (a). Cavendum inſuper edicitur à luctibus, juxta morem Ethnicorum; *Deut.* 14. 1. 2. ab oleo unctionis, & a thymiamate, cujus eſt uſus in Templo, mortis indicta pœna, abſtinendum. *Exod.* 30. 33. Manus tandem inſontes, atque impollutas ad Deum levent Iſraelitæ, uti filios, famulos, & Dei populum decet; *Exod.* 12. 31. in Legis meditatione diu noctuque verſentur, eamque ſive brachio, armillarum more, ſive ſupra frontem alligent; in ſuperliminaribus ædium inſcribant. *Deut.* 6. 7. &c. & 11. 20.

In deſerto Deus tabernaculum ſibi expandi, veluti Regi in caſtris cum populo ſuo verſanti, voluit; cujus papilionis opificio omnes donaria conferre, *Exod.* 23. 3. & 25. 5. ſolos vero Sacerdotes ejus obſequiis atque ſervitiis deſtinari; quibus unis ejus aditum permitti, *Num.* 18. 4. nec niſi eo tantùm in loco ſacrificia offeri præcepit. *Deut.* 12. 14. Quicquid autem hiſtoriarum immolaretur, ſive extra, ſive intra atrium Tabernaculi, ſtatim ante fores ejuſdem Tabernaculi ſiſti voluit, ejuſque ſanctionis tranſgreſſores, tanquam homicidas damnari. *Lev.* 17. 3. 4. Cùm verò Iſraelitæ ad terram ſibi promiſſam pervenerint, ait Deus, ter ſingulis annis urbem à Deo in ſedem ſui Templi ſelectam, petant, debitum Domino obſequium (b), munerum oblatione (nefas eſt enim Deo vacuum ſe ſiſtere) exhibiturі. Deum autem cultu longè à Chananæis diverſo, colant; neque enim ſive ſtatuas erigere, ſive aras paſſim excitare, ſive lucum, ne circa altare quidem Templi, conſecrare Iſraelitis fas eſt. *Deut.* 16. 21. 22. In ſignum autem obtentæ à Deo regionis, quam colunt, primitias, & decimas pro Sacris Miniſtria (c) ad Templum deferant, his additis ad Sacerdotem verbis: *Deut.* 26. 4. 5. *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreſſus ſum terram, pro qua juravit patribus noſtris, ut daret eam nobis.* Acceptiſque à Sacerdote oblationibus, ſtatim Iſraelita proſequatur: *Syrus perſequebatur patrem meum; qui deſcendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus eſt in pauciſſimo numero; crevitque in gentem magnam, ac robuſtam, & infinitæ multitudinis. Aſſlixeruntque nos Ægyptii, & perſequuti ſunt, imponentes onera graviſſima; & clamavimus ad Deum patrum noſtrorum, qui exaudivit nos, & reſpexit humilitatem noſtram, & laborem atque anguſtiam; & eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pavore, in ſignis atque portentis, & introduxit ad locum iſtum, & tradedit nobis terram lacte, & melle manantem. Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi.*

Præter has oblationes, quotannis ſemel religioſa in Templo convivia inſtruere jubebantur Iſraelitæ; à quibus Levita, pauper, vidua, & orphanus non abeſſent. *Deut.* 14. 23. &c. Suæ etiam preces his menſis erant, his verbis: *Deut.* 26. 13. &c. *Abſtuli quod ſanctificatum eſt de domo mea, & dedi illud Levitæ, & advenæ, & pupillo ac viduæ, ſicut juſſiſti mihi; nec præterivi mandata tua, nec ſum oblitus imperii tui. Non comedi ex eis in luctu meo, nec ſeparavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei . . . Reſpice de ſanctuario tuo, & de excelſo Cœlorum habitaculo, & benedic populo tuo Iſrael, & terræ, quam dediſti nobis, ſicut juraſti patribus noſtris, terræ lacte & melle mananti.* Hæc tamen convivia ſemel ſingulis triennis in ſua cuique regione præſtare fas erat.

Sacerdotes Domini ampliſſimis privilegiis atque muneribus decorabantur: illud in primis inſigne, quòd ſoli miniſtrarent Altari, adipem, & ſanguinem, & quidquid inſuper de victima adolendum eſſet, offerrent; unis inſuper aditus in Sanctum ad imponendum igni thymiama, accendendas lampades, ad innovandos ſingulis Sabbathis panes propoſitionis pateret. Suæ illis erant partes è victimis in ſacrificiis pacificis, & pro peccato, in oblationibus panis, necnon in libamentis, quorum parte in ignem conjecta, reliquum Sacerdoti cedebat. *Lev.* 2. 3. In victimis pacificis armum dexterum, & pectuſculum *Lev.* 7. 31. &c. Sacerdos ſibi reſervabat; adipem tradebat igni, ſanguine ad baſim Altaris effuſo, quod reliquum erat, offerenti permittebat. *Ibid.* 30. 31. In ſacrificiis pro peccato renes, cauda, & adeps illa comprehendens, reticulum jecoris, Domino; reliqua Sacerdoti erant. *Ibid.* 1. 2. 3. De holocauſtis, ignis omnia, vellus tantummodò Sacerdos habebat. Ex hoſtiis pacificis ſive in Templo, ſive in privatis ædibus cum tota familia deguſtare fas erat: poſt alteram verò diem à ſacrificio, ſi ea iis reliquum fuiſſet, igne ſtatim abſumendum. *Lev.* 7. 18. De victimis pro peccato extra Templum ſive deguſtare, ſive efferre quid Sacerdoti nefas; *Lev.* 6. 76. & 7. 6. *Num.* 18. 9. aliis verò à Sacerdotibus ne in Templo quidem aliquid ex iis delibare permiſſum; quoad decimas, primitias, primogenita, vota, & oblationes, familia Sacerdotalis non excipiebatur.

Lev.

(a) Exod. 22. 20. & 23. 24. 25. & 24. 16. Deut. 4. 16. 17. & 13. 6. 10. & 17. 3.
(b) Exod. 23. 14. & 24. 20. Deut. 15. & 12. 11. 12.
(c) Exod. 22. 29. 30. Deut. 31. 1. 2.

Lev. 10. 14. *Num.* 18. 13. &c. Sacerdos, qui ex ſanctificatis aliquid ipſe non purus in cibum caperet, ultimo ſupplicio damnabatur. *Lev.* 22. 2. &c. ex dapibus ſanctificatis operarii mercede conducti, & advenæ non participabant; quamquam mancipia Sacerdotis non excludebantur; filiæ itеm è Sacerdotali familia viduæ, ſive repudiatæ, amiſſum antea in illas jus recuperabant. Porrò dapes ſanctificatæ cenſebantur, ſive portiones ex victimis pacificis Sacerdotibus cedentes, ſive quæ ex oblationibus Templo factis in uſum eorumdem ſegregabantur; quoad decimas enim, & primitias, quæ veluti Miniſtrorum proventus habebantur, nihil exceptum; qui enim Levitæ, & Sacerdotes inexpiati ali potuiſſent?

Primogenita tam hominum, quàm pecudum, atque jumentorum univerſa Domino ſegreganda erant; *Exod.* 13. 1. &c. & 34. 19. niſi quòd aliqua ex illis redimendi facultas eſſet. Hominum enim quinque ſiclis redimebantur: *Num.* 18. 16. nec alia erat de primis animalium immundorum fœtibus ratio, uti aſini, & cameli. Siquidem pro aſino ovis, ſive quinque ſicli offerri poterant, *verſ.* 17. 18. alioquin ſtatim mactabatur. Animalia pura nullo pretio redimi, ſed omnino cædi oportebat: quorum tantùm adipe igni tradito, & ſanguine ad baſim Altaris effuſo, reliquum Sacerdotibus cedebat. *Lev.* 19. 23. &c. Quos recens planta fructus tribus prioribus annis emiſiſſet, impuros haberi oportebat: quarti anni, omnes Deo conſecrandi; à quinto verò anno eorum uſus permittebatur. *verſ.* 24. 25. 26.

Pro iis, quos ſibi Deus ex univerſis primogenitis Iſraelis reſervaverat, Tribum Levi ſubſtituit; *Num.* 3. 41. è quibus familiæ Aaronis Sacerdotio demandato, reliqui inferioribus Templi, & Sacerdotum miniſteriis deputati ſunt. Sacerdotum igitur miniſteria circà Altare, Sanctum, & Sanctuarium verſabantur; ignemque, ne extingueretur, in eodem Altari curabant: Levitarum, circa Templi fores, muſicam, ac victimas, quas excoriabant, nec non circa ligna ad altare afferenda.

In Sanctuarium aditus nulli, præter Summum Sacerdotem, ipſique die tantùm Expiationis Solemnis, permiſſus. *Levit.* 16. Ea dignitas tum criminibus puniendis, cùm Religioſis rebus curandis ſummam in unum authoritatem conferebat. *Deuteronom.* 17. 12. 13. Ad illam verò aſſumi oportebat virum, cujus pater virginem fœminam, & ejuſdem Tribus, atque generis duxiſſet. *Lev.* 21. 13. Ipſum verò ab omni corporis vitio purum eſſe oportebat. *Lev.* 21. 17. 18. Nec ſanè aliter decebat illum, per quem Deus oracula veritatis fundebat; ſiquidem Summus Sacerdos inſignibus ſuæ dignitatis indutus, per Urim, & Thummim, quæ in Rationali geſtabat, Dei nomine conſulentibus reſpondebat. 1. *Reg.* 23. 9. & 30. 7. Neque funera lugere, excepto tamen patris, neque vel locum ingredi, ubi cadaver jaceret, ne quid impuritatis contraheret, permittebatur. *Lev.* 21. 10. Hæc tamen Lex cum Pontifice arctiſſima, aliis inferioribus mitior erat, ſiquidem vulgò Sacerdotes parentum, filiorum, & fratrum funeribus, *Lev.* 10. 6. &c. 21. 2. &c. non tamen extraneorum, neque etiam Principis, adſiſtebant: Levitæ verò iis omnibus, quibus cæteris Iſraelitis, adeſſe fas erat. Quo temporis ſpatio Sacerdotes Templi ſervitiis occupabantur, ab uxoribus, & vino temperabant, ſtudiosè ab omnibus ſeſe obſervantes, ne quid unquam impuritatis contraherent. *Lev.* 10. 9. Eorum veſtis religioſa, qua in Templo tantùm Sacerdotes utebantur, tunica erat linea talaris, *Exod.* 28. 40. 41. ſemoralibus, cingulo, & capitis operimento itidem lineis adjectis; quæ ſanè veſtis Levitis etiam communis fuit. Comam minimè nutriebant, uti neque barbam in labio ſuperiori: pedibus erant nudis in Templo, ubi & cibum, & ſomnum capiebant. Vide dicta ad *Exod.* 40. 29. 30.

Pontifex ſplendidiori ſanè veſte utebatur. Femoralibus lineis, tenuitate, & opere ſpectandis: *Exod.* 28. tunicæ alia ſuperinducta, cærulei coloris, ſimplici opere, ac fortaſſe non manicata, cujus fimbriam tintinabula aurea, & malogranata variato opere contexta, alternè diſpoſita, ornabant. *Hanc* tunicam cingulus ſtringebat operis phrygii, & variati, cui nomen in S. Scriptura *Ephod*. Porrò Ephod duabus faſciis ſplendidiſſimis conſtabat, quæ utrinque per humeros in anteriora deſcendentes, corpori deinde circumductæ, ante ſtomachum vinciebantur, ſimulque fluentem tunicam continebant. Qua verò faſciæ illæ ex humeris in anteriora deſcendebant, binæ gemmæ inſertæ erant, ſex utrinque nominibus Tribuum Iſraelis inſculptæ; uti & quo loco ante pectus decuſſabantur, *Rationale* eminebat, nempe pannus ille quadratus 12. digitorum latitudine, 12. gemmas ſingulis nominibus Tribuum Iſraelis inſculptas præferens.

Sacerdotibus cautum erat, ne cum fœmina moribus inhoneſtis, ſive proſtituta, ſive tandem ab altero repudiata, connubia inirent; *Lev.* 21. 7. &c. ſi quæ verò filia Sacerdotis in crimine deprehenderetur, utpotè quæ patris famam violaſſet, continuò igne damnabatur. In thure offerendo, alienum ignem adhibere Sacerdotibus nefas, quod Nadab, & Abiu vel morte expiarunt. *Lev.* 10. 1. 2. In ſacrificiis ſale quidem ſemper, *Lev.* 2. 13. *Num.* 15. oleo, & fermento nunquam *Lev.* 2. 11. utebantur. Suis impenſis & opera panes propoſitionis conficiebant; quos ſingulis Sabbathis recentes menſæ aureæ in Sancto apponebant, *Lev.* 24. 5. &c. veteribus remotis, de quibus comedere ipſis tantùm fas erat. *Matth.* 12. 4. Inſuper holocauſtum perpetuum veſpertinum, & matutinum, cum libationibus Sacerdotes ſufficiebant. *Exod.* 29. 38. *Num.* 28. 3. 4. Vitia corporis, quæ à Sacerdotio, & vitia hoſtiarum, quæ à ſacrificiis arcebant, in Commentariis recenſentur. *Lev.* 21. 17. 18. & 22. 18. &c.

Levitarum, & Sacerdotum proventus non agri quidem, & arva, quorum illis nulla aſſignata ſunt, ſed decimæ, primitiæ, oblationes, & victimarum participatio ſatis uberes exhibebant. *Num.* 18. 20. 21. Ne verò ſedibus carerent, 48. urbes, atque ſuburbana in circuitu ſpatio 1000. cubitorum, pro domicilio aſſignata ſunt. *Num.* 35. 2. Domus illorum ruſticæ eodem jure, ac cæterorum Iſraelitarum agri, vendi quidem, ſed reſtituto pretio à Domino nunquam non redimi poterant; imò ne redemptæ quidem, anno Jubilæi ad priſtinum dominum redibant. *Lev.* 25. 32. Ex eiſdem urbibus, ſex in aſylum *Num.* 35. 6. *Joſ.* 20. 7. 8. iis, qui imprudentes hominem occidiſſent, deſtinatæ erant. E' toto numero 13. ad Sacerdotes ſpectabant; cæteræ ad Levitas *Joſue* 21. 19. &c. Semper ac farina aqua ſubigebatur ad panem conficiendum, è tota maſſa portio aliqua pro Levitis juſſu Dei ſegreganda erat: quam portionem majorem quadrageſima, minore ſexageſima parte Rabbini præſcripſerunt. Cum animal occidebatur, uterque humerus, ventriculus, & mandibulæ dono ad Levitas deferri ſolebant, *Deut.* 18. 3. 4. neque ſua portione, cùm greges tondebantur, ſive cùm præda ex hoſtibus referretur, etiamſi bello non adfuiſſent, fraudabantur. *Num.* 29. 30. Adeſſe tamen ſemper Sacerdotes conſueverunt, quorum munus erat, tubis clangere, *Num.* 10. 8 ſolemneſque illas formulas coram exercitu recitare. *Deut.* 20. 3. 4. *Audi Iſrael: vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis: non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra adverſarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* Si quando Arca Fœderis in caſtra reducenda erat, illius deferendæ atque cuſtodiendæ negotium Sacerdotibus committebatur, 1. *Reg.* 4. 4. & 14. 18. & 2. *Reg.* 15. 24. 25. Nec rarò etiam Summus Sacerdos cum ſacris ornamentis, Dominum de agendis conſulturus aderat.

Convivia nulla fermè ſive in templo, ſive in urbibus inſtituta, ad quæ Levitæ non accerſerentur; quod quidem Hebræis Deus vicies in S. Scriptura commendat:

Cave,

Cave ait, *ne relinquas Levitam, qui in urbibus veſtris commoratur; neque enim habet aliam partem, & poſſeſſionem inter vos. Deut.* 12. 18. 19. & alibi paſſim. Decimæ illis non ex fructibus tantùm, ſed etiam ex pecoribus, quodcumque numeranti decimum fortè occurriſſet, ſolvebantur; *Lev.* 28. 30. 31. 32. liberum tamen erat ſuam decimam oblato pretio, & quinta inſuper ejus parte, redimere.

Ex collectis apud Levitas primitiis & decimis, pro Sacerdotibus decimæ ſegregabantur. *Num.* 18. 16. Sacerdotes & Levitæ certa ætate, nempe annorum 25. ſive 30. miniſterium inibant, atque annum agentes 50. illud dimittebant. *Num.* 8. 24. & 4. 3. Sub Davide 20. annis nati admitti cœperunt. 1. *Paral.* 23. 24. & 2. *Paral.* 31. 17. & 1. *Eſdr.* 3. 8. In miniſtrando verò mutuo ſibi invicem Sacerdotes Sacerdotibus, & Levitæ Levitis ſuccedebant. Si Levita, relicta priori ſede, ad Templum veniſſet, ut ejus ſervitiis ſe toto tempore impenderet, illum recipi, & ex proventibus ejuſdem Templi ali oportebat. *Deut.* 18. 6.

Levitarum, & Sacerdotum munus, ſecundum à ſacrificiis, erat populi inſtitutio; quippè qui in cœtu ſolemni univerſæ gentis, die Expiationis, lectionem univerſæ Legis publicè obire tenebantur. *Deut.* 31. 10. 11. Cùm novus Rex inaugurabatur, ejuſdem Legis volumen ab illis recipiebat, ac deinde in ſuum tranſcribendum curabat. *Deut.* 7. 18. Si quid in judiciis arduum implexumque occurriſſet, res ad Sacerdotes deferebatur; eaque occaſione Summi Sacerdotis ſententiæ non acquieviſſe capitale erat. *Deut.* 17. 8. De lepra judicium, *Lev.* 13. 14. de expiatione homicidii, cujus auctor lateret, *Num.* 21. 5. de divortio, de aquis zelotypiæ, *Num.* 5. 14. 15. de votis Nazaræorum *Num.* 6. 20. 21. ad illos ſpectabat. Tandem ſolemnis populi benedictio, atque Divini nominis ſuper illum invocatio ab ipſis obtinebatur. *Num.* 6. 23. &c.

Sacrificia apud Hebræos non unius erant rationis. In holocauſto omnium perfectiſſimo tota victima, detracta pelle, atque extis, adolebatur. In ſacrificiis pacificis pro obtinendis referendiſve gratiis, ſeu tantum pro aſſerenda Dei ſuper omnia poteſtate inſtitutis, ſanguis tantùm & adeps Deo, armi & pectuſculum Sacerdoti, reliquum offerenti ſacrificium cedebat. In ſacrificiis pro peccato, nihil offerenti, ſed adipe exta continente, reticulo jecoris, & renibus igni traditis, reliquum Sacerdoti remanebat. Victimæ ut plurimùm tauri erant, vaccæ, vituli, arietes, oves, verveces, hirci, capræ, & hædi; aves nonniſi in Expiatione hominis lepra mundati, *Levit.* 14. 4. ejuſque, qui juramentum imprudens tranſgreſſus fuiſſet, *Lev.* 5. c. 7. non adhibebantur; eaque occaſione ex 2. avibus oblatis, altera immolata, altera libera in auras dimitti ſolebat. Verum peculiares de ſingulis ſacrificiis cæremonias recenſere operoſum eſſet nimis; quare prima Levitici capita conſulantur.

Feſta Iſraelitarum potiſſima, quibus ab anno 12. ætatis viri omnes adeſſe tenebantur, hæc ſunt: Paſcha, Pentecoſte, & Feſtum Tabernaculorum. Nomen *Paſchatis*, quod tranſitus redditur, ejus Feſti inſtitutionem deſignat; Angeli enim exterminatoris memoria recolitur, qui per Ægyptum tranſiens, [illegible] relictis Hebræis, omnes Ægyptiorum primogenit[illegible] occidit, ipſa nocte exitus Hebræorum ab [illegible] *Exod.* 12. 14. & 23. 15. *Num.* 28. 16. *Deut.* [illegible] Solemnitate manipulus hordei ſolemni ri[illegible] [illegible]lo offerebatur, veluti primitiæ hordea[illegible] [illegible] à Feſto colligendæ. *Lev.* 23. 10. [illegible]omada panis nonniſi azymus adhibe[illegible] 12. 19. 20. ipſoque ineuntis Feſti ve[illegible] [illegible]ulis familiis, ſive 10. aut 15. convivis [illegible] hædove anniculo aſſo *Ibid.* 8. &c. [illegible]aris epulum inſtituebatur. Illud quidem [illegible]tam convivium, quam ſpecialis ritus ſacrificium erat, ad agendas Deo gratias, & ad memoriam liberationis ab Ægypto excitandam: quam ſanguis tantùm ad baſim Altaris effundendus offerebatur. Cautum erat, ne hujus agni oſſa ad extrahendam medullam comminuerentur. Alia erant hujus Feſti ſacrificia, quæ hoc loco recenſere non vacat. Vide *Num.* 28. 19. &c. Porrò ſi quis Paſcha cum ſuis cæremoniis celebrare neglexiſſet, è populo exterminandus denunciatur: *Num.* 9. 13. *Exod.* 12. 19. pro iis tamen, qui ſive impuritatem aliquam legalem contraxiſſent, ſive in itinere eſſent, a die 14. primi menſis, ad 14. ſecundi menſis differri poterat; *Num.* 9. 6. nec tamen quid de præſcriptis cæremoniis quoad azyma, eorum gratia remittebatur.

Diebus 50. à Paſchate, Feſtum Pentecoſtes recurrebat, *Exod.* 23. 16. & 24. 22. oblatione duorum panum ex novo frumento, in ſignum meſſis ſtatim colligendæ, *Lev.* 23. 17. ſolemne. In eo memoria initi à Deo cum Iſraelitis fœderis, Lege in Sinai tradita, recolebatur. Sacrificia, à Paſchalibus Deo oblatis non diſcrepabant. Vide *Num.* 26. 26. 27. collatum cum 28. 19. 20.

Feſtum Tabernaculorum, in memoriam itineris 40. annorum per deſertum ſub pellibus, *Lev.* 23. 40... 43. tertium ſuccedebat; quo, labente anno civili celebrato, ſimul & gratiæ pro obtentis à Deo toto anno beneficiis, collectiſque meſſibus, & uvis, referebantur. *Exod.* 23. 16. Tota ea hebdomada populus ſub tentoriis ex arborum ramis contextis, degebat. Stata erant hujus Solemnitatis ſacrificia. *Lev.* 33. 27. *Num.* 29. 12. 13. &c.

Decima dies ſeptimi menſis anni ſancti, & prima anni civilis, Expiationi univerſæ gentis deſtinata, & jejunio ſacra, ſub pœna mortis indicto, & pœnitentiæ operibus, *Nu.* 29. 7. & tandem peculiaribus ſacrificiis, ac potiſſimùm duorum hircorum, *Lev.* 16. 6. 7. quorum alter liber dimittebatur, *Azazel* dictus, alter immolatus extra caſtra cremabatur. Eadem die Summus Sacerdos ſanguinem vituli, atque hirci immolati in Sanctuarium inferebat; alterum ad luſtrandum Sanctuarium; alterum ad populi expiationem. *Num.* 29. 16. Eadem die immolari conſueviſſe credimus vaccam rufam, cujus cineres pollutionem in funeribus contractam expiabant.

Menſium calendæ feſtæ ducebantur, quamvis nulla eſſet his diebus indicta ab operibus requies. Statis ſacrificiis, *Nu.* 28. 11. concrepantibus in exordio buccinis, colebantur. Prima dies 7. menſis anni civilis, & 7. anni ſacri, quòd anni introitus, præter alias cæremonias, tubis etiam denunciaretur, ſolemnitas tubarum dicta eſt. *Num.* 29. 1.

Feſtum Sabbathi, ab ipſo Deo poſt peractum opus creationis *Gen.* 2. 2. dedicatum, omnium S. Scripturæ vetuſtiſſimum eſt; quippè quod ejus obſervantiam Moyſes mox ab egreſſu ex Ægypto, antequàm ad Sinai veniret, indixit. *Exod.* 16. 23. 29. Ab operibus ſub pœna mortis *Exod.* 31. 15. *Num.* 15. 32. juſſu Dei vacandum erat; adeò ut neque ignem excitandi parandis cibis facultas daretur: *Exod.* 35. 3. vacandum verò erat & ipſis mancipiis, brutiſque: omnes enim ejus diei curas obſequiis & laudibus ſuis, Legiſque meditationi Deus volebat impenſas. *Exod.* 20. 6. Nec deerant, uti in reliquis Feſtis, peculiaria ſacrificia. *Num.* 28. 9.

Præter ſolemnitates per anni curſum recurrentes, intrà unius ad ſummam hebdomadæ fines concluſas, aliæ poſt certam annorum periodum, atque longiori temporis ſpatio continuatæ celebrabantur. Harum potiſſima annus erat Sabbathicus, quo Hebræi cultum agrorum negligere, & quidquid ſpontè produxiſſent, advenis, pauperibus, & orphanis, *Exod.* 23. 10. 11. *Lev.* 25. 1. quin & brutis ipſis permittere juſſi ſunt. Ad hæc, ſervi Hebræi manumittebantur, *Deut.* 15. 2. æris alieni remiſſio, *Exod.* 21. 2. Legiſque ſolemnis lectio fiebat, *Deut.* 31. 10. 11.

Quibus quidem juſſionibus Deus, licèt politiam non nihil negligere viſus ſit, ſtudioſè tamen æquandis bonis, & conditionibus apud Hebræos, ac infirmorum oppreſſionibus conſulere; quin & labentem

jam

Digitized by Google

ad eorum dignitatem præ cæteris extollendam, ſed etiam ad vitæ commoda præſtanda. Illis enim omnes ferme decimæ, primitiæ, & oblationes, quin & de ſingulis victimis portiones cedebant.

In Teſtamento duodecim Patriarcharum, veteri quidem Libro, ſed apocrypho, traditur, Levi uſque ad ſeptimum Cœlum raptum, futurorum arcana vidiſſe, illud potiſſimùm, quòd Sacerdotium poſteris ſuis deſtinatum eſſet, & Meſſias è ſua & Tribu Juda oriturum. Ea eſt quidem non ûnius inter Antiquos ſententia, Virginem nempè ad utraſque illas Tribus ſpectaſſe, utpote patrem ex Juda, matrem ex Levi habentem. Addit inſuper, Meſſiam à Levitis in crucem agendum; ſe verò cædendi Sichimitas Angelum Dei authorem habuiſſe: Angelico famulatu, dum in Bethel in viſionem raperetur, ſe indumentis Sacerdotalibus indutum; à quibus etiam Angelis de Meſſiæ Patris æterni adventu certiorem factum fuiſſe. Tandem inſtante morte, filiis ſuis malorum iliadem, quæ ob mala Meſſiæ ab ipſis inferenda, ipſos manebant in pænam ſcelerum, recitavit; velum etiam Templi ſcindendum, veluti eorum impietatem ante oculos denudandam. Narravit ſe cum annum ageret 28. fæminam quandam nomine Melcham duxiſſe; quo conjugio Gerſonem, Caath, Merari, & dum erat in Ægypto, filiam nomine Jocabed, genuiſſe. Gerſonem verò patrem fuiſſe Lobni, & Semei; Caath autem filios habuiſſe Amramum, Jiaarum, Hebronem, & Ozielem; Merari tandem Mooli, & Muſi genuiſſe. Amram filius Caath conjugio copulatus eſt cum Jocabed, patris ſui ſorore, nata eodem ac ipſe die, ex qua filios habuit Aaronem, Moyſem, & Mariam. Clauſit demum orationem ſuam Levi, crimen eorum in nece Meſſiæ, Templi everſionem, eorumque captivitatem prænuntians. Additum eſt inſuper in eodem Libro, Patriarcham iſtum 137. annis grandævum in Ægypto diem clauſiſſe; cujus corpus redeuntes in Chanaanitidem ejus filios in caverna Hebronis ſepulturæ mandaſſe.

LEVIATHAN; nomen frequens in Scriptura, quod PP. in ſenſu morali de ſerpente verſuto, & inimico, Dæmone nimirum, interpretantur. Deus quinta Creationis die, ſi Hebræis fides ſit, 4. *Eſd. 6.* 47. &c. duo monſtra produxit; alterius nomen, Henoch, alterius, Leviathan. Henoch in continenti poſitus, herbam 1000. montium in paſcua obtinuit; Leviathan verò in aqua creatus, ibidem relictus, quouſque die Judicii occiſus, lautum carnibus ſuis epulum Electis inſtruat. Etymon hujus nominis ex voce, piſcem ſive monſtrum marinum ſignificante, derivatur. *Leviath* junctus, ſive agglutinatus reddi poteſt; *than* verò, cete; ac ſi diceretur cete ſquammis conſertis inter ſe protectum. Porrò crocodilus immanis protenſique corporis bellua, ſquammis adeò conſertis, validiſque armatur, ut ictus venatorum, atque piſcantium ſæpiùs eludat. Quare nos Leviathan de crocodilo dictum autumamus.

Venationem hujus monſtri, quæ cum crocodilo optimè congruit, deſcribit Job. 41. 20. &c. Cap. verò 3. 8. ait ipſe; *Maledicant ei* (diei ortus mei) *qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan*. Quo in loco innui credimus Atlanticos, populoſque ſuperioris Ægypti, Solem diris devoventes, quòd ejus radiis torrentur (a), & crocodilum ultrò provocantes occidunt, epulum ſibi de illo paraturi (b). Rex Ægypti ſub nomine *magni Than*, ſive Draconis, aut piſcis, in Ezechiele 29. 3. deſignatur. Iſaias mortem minitatur *Leviathan ſerpenti vecto*, nempe Regi Babyloniæ; & *Leviathan ſerpenti tortuoſo*, ſcilicet Regi Ægyptiorum (c). Crocodilus tamquam Rex fluvialium piſcium habebatur; & Hebræi piſcibus omnibus genericum nomen *ſerpentis*, ſive *reptilis* tribuebant. Deus, juxtà phraſim Regii Prophetæ, *Leviathan* creavit, ut in aquis oblectetur, *Pſal.* 73. 14. Eſt igitur aquatile monſtrum.

(Scitè monſtrum hoc depingit Jobus cap. 40. & 41. Operis ſui, nihilque exhibet, quod prono ſenſu non quadret cum Crocodilo. Exponunt alii Textum de Cete, *mulard*, cetaceæ magnitudinis piſce, Mediterraneum infeſtante. Alii generatim eo nomine deſignari credunt belluas quaſque & Pelagi monſtra. Veteribus nonnullis allegoricè de Dæmone dictum explicare viſum eſt. Agi tamen de Crocodilo fuſè demonſtrat Bochartus de Anim. Sacr. par. 2. lib. 1. cap. 7. & par. 2. lib. 5. cap. 16. 17. probatque ex Textu quodam Thalmud Tract. de Sabbato, ubi de *Chalbith* vel cane marino aſſeritur terrorem eſſe Leviathan. Tenent autem *Chalbith*, deſignare piſcem ichneumonem, qui in fauces crocodili inſinuans ſeſe atque ad interiora ventris penetrans abrodit ilia, egrediturque è foramine, quod ſibi voraci dente aperit in ventre.

Hæc igitur Jobus de Leviathan: *An extrahere poteris Leviathan hamo, & fune ligabis linguam ejus?* An fortè crocodilus piſcis eſt hamo capiendus, cui alligetur lingua, vel tranſverſo per ora ſeu per branchias filamine ſuſpendatur? Non id quidem periculoſum eſſe inſinuat Jobus, ſed impoſſibile, quod nonniſi temerarius tentaret. Refert Herodotus lib. 2. cap. 70. artem capiendi hamo Crocodili; ſed facilè id ætate Jobi nondum obtinuerat. Narrat ille projici à piſcatoribus portionem quandam carnis ſuillæ commiſſam ampliori & valido hamo; projici, inquam, in profluentem Nili. Interim piſcator in ripa amnis ſe continens grunitum exprimit è ſue lactante, quem tenet. Arrectus in vocem Crocodilus, rectà petit ſuillam, quam vorat cum hamo; trahit ſtatim piſcator funem, projectoque luto oculos ceti pro reliquo corpore anguſtiſſimos impedit; tum belluam occidit.

Nunquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus? uti cum jumentis fieri ſolet, cum camelis ac bubulis, quos ita ſubactos ad arbitrium dirigas. An Crocodilus bellua eſt circuranda cogendaque ad ſervitia? Morem hunc perforandi nares jumentorum exprimit etiam Iſaias 37. 29. *Ponam circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis*. Hebræus Jobi aliter etiam redderetur: *Nunquid pones juncum in naribus ejus, & ſpina perforabis maxillam ejus?* pro more piſciculorum, quos junco inſertos venum exponimus. *Concident eum amici, divident illum negociatores*; vel juxta alios: *Concident eum excantatores; divident illum ad vendendum Chananæi?* An excantabitur velut anguis, an magicis carminibus perimetur?

Pone ſuper eum manum tuam, memento te belli, nec ultra addas loqui, (vel juxta Hebræum: *Pone ſuper eum manum, nec memineris unquam belli*.) *Ecce ſpes ejus fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur*. Bellua eſt Crocodilus, quæ terrorem incutit, ut ſtrenuiſſimus quiſque miles coram illo ne parere quidem in conſpectum audeat. Fertur Artemidorus quidam caſu incidens in Crocodilum in arena dormientem, inopino adeò terrore fuiſſe correptum, ut memoria caderet & mente (d). Cnemon apud Heliodorum lib 1. ad Crocodili aſpectum, etſi obiter tantùm, & umbram potius tranſeuntis vidiſſet, exhorruit. Proſequitur Jobus: *Non quaſi crudelis ſuſcitabo eum*. Non enim id præſtaret niſi impudentiſſimus. Tentyres id tantum poſſunt, quibus is eſt animus, ut bellum inferant Crocodilis.

En modo exactiorem alteram hujus belluæ deſcriptionem: *Quis revelabit faciem indumenti ejus, & in medium oris ejus quis intrabit?* Quietem captans crocodilus per diem in arena ſtratus hiantes habet fauces, ſed quis vel dormienti propiùs accedet? *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia compactum ſquammis ſe prementibus*. Inter piſces omnium primas tenet Crocodilus, bel-

(a) Vide Strab. l. 17. Plin. l. 5. c. 8. Herodot. l. 4. c. 148.
(b) Pſal. 73. 14. Herodot. l. 2. c. 69. Plin. l. 8. c. 25. & l. 28. c. 3.
(c) Iſa. 27. 1. *Viſitabit Dominus ſuper Leviathan ſerpentem vectem, & ſuper Leviathan ſerpentem tortuoſum*.
(d) Cælius Aurelian. de Inſania apud Bochar.

Digitized by Google

bellua eſt enim interdum ad 25. in 30. pedes immanis. Corio tegitur duriſſimo in dorſo, ut vel ferro ſit impenetrabilis, mollior eſt in ventre, ubi tantùm patet ad vulnera.

Portas vultus ejus quis operiet? per gyrum dentium ejus formido. Capite eſt oblongo, vaſtoque fancium hiatu: Dentibus 36. ſolidiſſimis & acutiſſimis in anteriori mandibula, totidemque in inferiori armatur. Porro dentes illi inter ſe conſerti ſerram non malè referunt. Cùm fauces pandit in voraginem immanem facilè abſorberetur integer ſeu homo ſeu vacca. Os habet ad aures uſque diductum. Apud Indos hujus generis immanes adeo belluas ſpectari contigit, ut procerior ſtatura quiſque intra mandibulas rectus contineretur. Mandibulam tantùm anteriorem verſatilem habere fertur, cùm in cæteris animantibus id tantum ſpectetur in mandibula inferiori; hæc tamen novis experimentis non cohærent.

Sternutatio ejus ſplendor ignis, & oculi ejus ut palpebræ diluculi. De ore ejus lampades procedunt, ſicut tædæ ignis accenſæ. De naribus ejus procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ atque ferventis: Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur. Poeticam hanc deſcriptionem ſcintillantes belluæ oculos cùm ex aquis proſilit, impetumque, quo vel in prædam rapitur, vel captam devorat, veluti ſpectandos offerentem, mecum admirare Lector. *In collo ejus morabitur fortitudo.* Lacertæ non abſimilem formam referens Crocodilus, robore potiſſimùm præſtat in collo & in capite. Quæcunque attigerit loca, latè omnia vaſtat, agroſque depopulatur, nec id ſanè melius exprimeretur, quàm emphaticis illis: *Faciem ejus præcedit egeſtas.*

Membra carnium ejus cohærentia ſibi; mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur. Muſculus & nervus latè regnat in corpore, ut vulneri ſit impervium. *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.* Hebes hìc veluti ſub oculis poſitum belluæ robur impavidum, terroriſque ignarum. *Cùm apprehenderit eum gladius, ſubſiſtere non poterit haſta, neque thorax.* Sat convenit inter omnes Crocodilum experimento enſis, jaculorum, ſagittarum non cedere; ſola ventris pars inferior ferri ſentit injurias. *Reputabit quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir ſagittarius; in ſtipulam verſi ſunt lapides fundæ.*

Fervеſcere faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cùm unguenta bulliunt. Familiare eſt Orientalibus maris nomine deſignare pariter ingentes quoſcunque amnes & lacus. Crocodilis autem frequentabatur non Nilus tantùm, ſed & lacus pariter. Colebantur in Ægypto Crocodili lacus Mœris (a), quibus ingenti cura apparatæ dapes, ornabantur & diviti cultu, inauribus ſcilicet pretioſiſque ad pedes armillis. Cùm bellua fertur impetu, vel ejaculatur è faucibus aquam, ebullit turbinato motu amnis, vel lacus tanquam in ſuccenſo aheno oleum, muſco ſimilem odorem ſpirant omnia, quacunque bellua pertranſierit, cujus rei teſtes damus egregios plures Scriptores (b). Eo odore ſpirat non vivens tantùm, ſed & mortui carnes, quin & ova; ac ſi fortè vulnere aliquo confoſſus fuerit, è vulneribus extiſque gratum redolet.

Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt ut nullum timeret. Ceterorum animantium facilè princeps eſt Crocodilus. Præſtat tamen textum exponere de Ægyptiis, deſignatis ſæpè in Scriptura *Ezech.* 23. 11. *Pſ.* 88. 11. *Iſaiæ* 51. 9. *Job.* 26. 12. nomine *filiorum ſuperbiæ* vel *ſuperborum*. Crocodilum ſuſpiciebant illi ceu Numen & Regem: Divini in illum honores collati. Hebræorum familiari ſtilo Rex dicitur non rarò gentis cujuſdam Deus peculiaris; conſecratos autem in Ægypto Crocodilos, pictumque pariter Crocodilum emblema referre Ægypti, tam certum eſt quàm quid aliud.

LEVIRATUS. Ex Latino *Levir*, frater mariti, formatur Leviratus, quo expreſſa non à Latinis tantùm, ſed & Scriptoribus Gallicè explicantibus leges moreſque Judaicos, Lex Moyſis, de qua in præſenti. Ita ergo ſancit Moyſes Deut. 25. 5. *Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus; & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſrael. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris ſui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, interpellabit majores natu, dicetque: Non vult frater viri mei ſuſcitare nomen fratris ſui in Iſrael, nec me in conjugem ſumere. Statimque accerſiri eum facient, & interrogabunt. Si reſponderit: Nolo eam uxorem accipere, accedet mulier ad eum coram Senioribus, & tollet calceamentum de pedibus ejus, ſpuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui, & vocabitur nomen illius in Iſrael, Domus diſcalceati.*

Porrò Lex iſta exceptione quadam reſtringit cautionem, qua vetita ſunt connubia inter fratres & ſorores tum & cum uxoris ſororibus ac viciſſim cum mariti fratribus. *Levit.* 18. 16 Id autem vel ante Moyſem receptum inter Hebræos & Chananæos videtur, cùm Judas alterum poſt alterum duos filios ſuos junxerit Thamar *Geneſ.* 38. 6. 7. 8. nempe Her natu inter filios majorem, & Onam natu ſecundum, fidemque ſuam obligavit poſtremum illi conjugem conciliaturum Selam, inter filios tertium.

Quæ verba Moyſes hic uſurpat: *Quando habitaverint fratres ſimul &c.* habuiſſe Legislatorem præ oculis inſinuant potiſſimùm fratres in avita ſimul domo, vel ſaltem in eodem loco commorantes; ſed conſuetudo legem extendit ad propinquos etiam gradu remotiori & verſantes in Judæa & intra Tribum fratrum ſuorum, ut bona, & hæreditates in eodem ſimul loco poſſiderent. Duo enim ſpectabat Lex; primùm & potiſſimùm ut ſervando nomini defuncti in Iſraele conſuleret per filios è vidua ejus uxore, & defuncti nomen præferentes, ſuſcitatos; poſtremum alterum, ut jus integrum ſervaretur hæreditatum in eadem familia & Tribu.

Exemplum Ruth, quæ Boos viri ſui propinquo nupſit, argumentum eſt moris apud Iſraelitas Judicum ætate obtinentis *Ruth.* 4. 1. 2. 3. Boos ille nec pater erat, nec inter propinquos ſanguine conjunctior Elimelech ſocero Ruth uxoris Mahalon; duxit ille tamen fœminam, quam ſibi adſciſcere in conjugem recuſavit vir inter propinquos conjunctiſſimus. Legi huic exceptiones & limitationes ſanè plures de ſuo addiderunt Rabbini apud Selden. de Succeſ. in bona cap. 14. & Uxor Hebr. lib. 1. cap. 4. Docent id oneris impoſitum fratribus tantùm ex utroque eodem parente natis; eximunt verò cæteros, quorum ſive alius eſt pater, ſive altera mater. Adhæc, lege tenetur tantùm inter fratres defuncti maximus natu; ſiquidem ille non adhuc ſibi thori ſociam, adſciviſſet; ſin verò priùs alteram duxiſſet, relictum illi arbitrium, ut fratris ſui viduam uxorem ſive duceret, ſive remitteret. Si frater defunctus filium vel filiam adoptivos, vel ſpurios reliquiſſet, ſi nepotem vel neptem, ſuperſtiti fratri nihil injunctum. Si defuncto ſuperſtites relictæ ſint plures uxores, unicam tantùm ducere frater lege jubetur (c); ſi plures remanſerint è fratribus maximus tantùm natu jus habet in bona defuncti, cui & cedit dos à fœmina in conjugio ſoluta.

Addunt, connubium illud viduæ ex fratre relictæ cum fratre viri prioris nullo ritu celebrari, quod ſcilicet mulier illa ſuperſtes è viro, qui orbatus liberis deceſſit, perinde habebatur ac vi Legis, non

(a) Herodot. lib. 2. cap. 19. Strabo l. 16.

(b) Damir, Alkazuin, Vincentius le Blanc, Petrus Martyr, Joannes de Laeth, Purcher, alii apud Bochartum de Anim. Sacr. part. 2. l. 5.

(c) Leo Modena Jud. part. 4. cap. 7.

Digitized by Google

ritu quodam conciliante, tranſiret in conjugem frattis ſuperſtitis. Mos tamen obtinuit, ut conjugium illud non ſine duplici teſte celebraretur; ac frater novam, quam adſciſcebat, conjugem argentea moneta donaret. Addita & nuptialis benedictio, tum & inſtrumenti tabulæ ad aſſerendam conjugis dotem. Sunt qui autumaverint abolitam hanc legem jam inde a captivitate Babylonica ceſſaſſe, ex quo ſcilicet diſeretæ Tribuum hæreditates in unam quandam maſſam coaluerunt (a). Judæi noſtrates (b) legis illius ſanctioni vel nihil unquam, vel raro deferunt; Germani maximè & Itali; malunt enim illi integrum permittere fœminis illis jus quemcunque placuerit conjugem adſciſcendi.

Hoc autem ritu id totum peragitur teſte Leone Modena. Rabbini tres cum geminis aliis teſtibus in pervigilio celebrandæ ſolemnitatis locum aptum ſeligunt. Manè alterius diei exeunte prece matutina populi turba comites ſeſe addunt Rabbinis & teſtibus, qui ſimul omnes cùm deſtinatum locum tenuerint, aſſidentes vocant defuncti ſuperſtitem conjugem, cum fratre itidem ejuſdem defuncti, qui ſibi petunt facultatem, ut à Lege eximantur. Qui primus ſedet inter Rabbinos, hominem de pluribus ſciſcitatur, hortaturque, ut viduam fœminam ducat in conjugem. Intelligens perſiſtere illum in propoſito, aliis pulsat quæſtionibus; tum juſſus vir ut ſoleam quandam Rabbinorum nullis non pedibus aptam inducat ſibi; cùm interim fœmina propiùs ad illum facta præeunte Rabbino Hebraicè iſta pronunciat: *Frater mariti mei renuit perennare fratris ſui in Iſraele poſteritatem, negans in torum ſuum vocare me, tanquam prioris viri mei frater.* Tum ille: *In conjugem hanc facere mihi non arridet.* Ad hæc fœmina ſoleam è viri pede detrahit, projicit in terram, exſpuit coram illo, & Hebraica iſta, docente Rabbino, pronunciat: *Ita fiat homini, qui renuit ædificare domum fratris ſui, & appellabitur in Iſraele domus diſcalceati.* Ter eadem repetit mulier, totidemque vicibus excipiunt adſtantes: *Diſcalceatus.* Continuo Rabbinus facultatem illi permittit, ut virum, quem maluerit, ſeligat; cujus rei, ſi & ſyngrapham petierit, ſtatim obtinet.

Hanc autem ſyngraphæ formulam recitat Gemarrha Jeroſolymitana, breviorem utique, quàm quæ apud Rabbinos legitur. *Coram nobis hic, illa NN. vidua relicta N. ſoleas detraxit N. filio N. quam adduxit coram nobis, ſoleaque dexteri pedis nudavit, & exſpuit nobis præſentibus, ut noſtris ipſis oculis expuentem in terram viderimus; tum effata eſt: Ita agetur cum illo, qui non reſtituit domum fratris ſui.*

Ex his omnibus planè intelligimus Rabbinos ad literam non intelligere Moſaicum illud: *Spuet in faciem illius;* ita enim accipiunt, quaſi: *Spuet coram eo in terram.* Sed Textus Legis priorem ſenſum fert apertiſſimè, & Joſephus ad literam intellexit, proſequens hiſtoriam Ruth. *Antiquit. lib. 5. cap.* 11. Porro conſpuere in alicujus faciem inſignis contemptus eſt argumentum. Num. 12. 14. Iſai. 1. 6. &c.

Quod legitur in Textu: *Primogenitum ex ea filium, nomine illius appellabit*, duplici ſenſu exponitur. 1. Defuncti nomen ſuſtinebit, ut ſi pater Abraham, & filius eodem appelletur nomine; 2. Nomine defuncti appellabitur, tanquam ejus filius reputatus nomen ejus & familiam perennabit. Hebræus ad literam: *Levabit ſe in nomen fratris ſui*; ſubcreſcet nempe tanquam germen è nomine patris ſui. Exemplum Ruth, quæ natum ſibi è Boos filium denominavit *Obed*, & non ex nomine prioris viri *Mahalon* (c), ſat probat integrum eſſe matri filio quodcunque maluerit nomen indere.

Notat Leo Modena *Cærem. Jud. part.* 4. *cap.* 7. accidere interdum, ut Judæi fœdo, quo tenentur, pecuniarum amore perſuaſi diu teneant in ſuſpenſo viduas illas fœminas, nihil determinantes, num conjugium cum illa elegerint, num juri ſuo renuntiaverint: quo tandem longa expectatione laſſatæ libertatem ſuam pretio rediment. Cujus rei gratia parentes quidam filias ſuas elocantes inter pacta conventa addunt, ſi forte acciderit, ut viro defuncto fratres ſupervixerint, viduam gratis manumittant. Cogunt alii maritum, cùm in morbum inciderit, judicio Medicorum periculoſum, uxorem repudiare, ne forte illo intereunte in jus ſuperſtitis fratris vidua concedat.

Conjugium illud cum uxore fratris *Ibum* appellant Judæi; ſicut & cæremoniam aſſerendæ fœminæ in libertatem, & calceos detrahendi, *Chalizam*.

LEVITÆ, quo nomine omnes quidem poſteri Levi cenſentur, potiſſimum tamen ii, qui vilioribus Templi miniſteriis deſtinati ſunt, ut à Sacerdotibus ex familia Aaronis, per Caath genus à Levi deducentibus, ampliſſimis Templi muneribus deſtinatis, diſtinguerentur. De Sacerdotibus vide *Aaron*, & *Sacerdotes*.

Omnes igitur poſteri Levi, una tantum excepta familia Aaronis, per Gerſon, Caath, & Merari deſcendentes, inter Levitas recenſebantur; & ipſa etiam Moyſis familia nonniſi inter ſimplices Levitas reputata erat. Hos autem viros Deus ſervitiis Tabernaculi, & Templi ſelegit, loco primogenitorum univerſi Iſraelis. *Num.* 3. 6.... 46. Eorum munus erat, præ foribus Tabernaculi diu noctuque adſiſtere; in itinere per deſertum vaſa, inſtrumenta, tabulas, vela, funes Tabernaculi vehere. In miniſteriis Templi, Sacerdotum imperio ſubdebantur, ligna, aquam & cætera ad Sacrificium neceſſaria illis miniſtrantes; muſica in Templo cæteriſque ſolemnitatibus canebant; Legi tandem operam navabant, adeò ut conſueti eſſent Regionum Judices; Sacerdotibus tamen uſquequaque ſubjecti.

Neceſſaria Levitis ſuffecturus Deus, omnes illis decimas non tritici tantum, & fructuum, ſed etiam pecorum univerſi Iſraelis aſſignavit; *Num.* 18. 21. è quibus tamen decimæ pro Sacerdotibus ſegregandæ erant. Porrò decimæ illæ Sacerdotibus ſolvendæ erant loco primitiarum, quæ juxta Legis præſcriptum, Domino offerebantur à Levitis, quippe qui nihil præter decimas poſſiderent.

Habitationi verò eorumdem 48. urbes una & agros, hortos, & paſcua illis adjacientia deſtinata ſunt; *Num.* 35. 1. ex illis tamen 13. ad Sacerdotes ſpectabant, *Joſue* 20. 7. & 21. 19. &c. atque inter haſce, ſex refugii urbes ſelectæ erant. Quandiu verò Levitæ Templi ſervitiis occupabantur, non aliunde, quàm ex oblationibus diurnis, aliiſque ad Templum ſpectantibus alebantur, ſicuti & eodem hoſpitio, & menſa uti Levitis fas erat, ſi quando extra tempus ſibi deſtinatum, ad miniſtrandum in Templo veniſſent. *Deut.* 18. 6. &c.

Sacris initiabantur facili, ac prompto ritu; 2. *Paral.* 29. 34. nec niſi eodem habitu ac cæteri Iſraelitæ utebantur, ne luctu quidem excepto. *Illis* igitur initiandis hæ cæremoniæ à Deo præſcriptæ ſunt: *Num.* 8. 5. Aqua expiationis luſtrabantur, toto corpore abradebantur, ac tandem lotis veſtibus præ foribus Tabernaculi ſtatuebantur. Hinc poſt adductos ad locum duos vitulos, impoſitaſque capiti eorum manus ab univerſo Iſraele, veluti ſi populus illos Domino offerret, deinde ab initiandis manus duobus bubus imponebantur, ſtatimque alter in holocauſtum, alter in victimam pro peccato cedebant. His peractis, Levitæ Summo Sacerdoti exhibebantur; qui ad quatuor Mundi partes illos convertens, aliquantulum è ſolo elevabat, jubens ſimul actiones quaſdam præſtare ad ſimilitudinem Sacerdotum, cùm oblationes quaſdam ad 4. Orbis plagas repræſentant.

Re-

(a) Fagius in Deut. 25. (b) Buxtorf. de Synag. Jud. cap. 30. Cunæus de Rep. Heb. lib. 1. cap. 7. Leo Modena Cærem. Jud. part. 4. cap. 7. (c) Ruth. 4. 17. Vide Aug. retract. lib. 2. cap. 12.



LEVITARUM VESTITUS

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI



Digitized by Google

Regnante in Judæa Agrippa (a) Levitæ petita obtentaque à Principe facultate, lineam tunicam inſtar Sacerdotum aſſumpſerunt; quod quidem & Sacerdotibus diſplicuiſſe, neque impunè unquam veteres regionis conſuetudines immutatas Joſephus animadvertit. Ille etiam hiſtoricus addit, Levitas, quorum erat tantùm munus pro foribus Templi adſiſtere, & cætera hujus generis præſtare miniſteria, ſub Agrippa, eoque permittente, Muſicam in uſum Templi didiciſſe.

In ſtationibus per deſertum, Levitæ circa Tabernaculum diſpoſiti erant; Moyſes & Aaron, orientalem; Gerſon, occidentalem; Caath, meridionalem; Merari, ſeptentrionalem partem tenebant. *Num.* 3. 17. Olim ex Moyſis diſpoſitione, Levitæ *Num.* 8. 24. nonniſi ab anno ætatis 25. ſive ut alibi legimus, *Num.* 4. 3. ab anno 30. uſque ad 50. Templo miniſtrabant; ſed cùm labores in ferendis vaſis Tabernaculi jam diù ceſſaſſent, ideò tempus ſuſcipiendi miniſterii ab anno 20. ineundum David præcepit.

Singuli autem Levitæ alternis vicibus per hebdomadam Templi ſervitia præſtabant; quod etiam à Sacerdotibus obſervabatur: 2. *Par.* 23. 24. & 12. *Par.* 31. 17. & 1. *Eſdr.* 3. 8. quare veſperis Sabbathi miniſterium ſuſcipientes, Sabbatho alterius hebdomadæ munus illud finiebant. Si quando convivia religioſa in Templo inſtituebantur, inter convivas Levitas non invitare nefas erat. *Deut.* 12. 18. 19.


(Levitæ in varias diſtribuebantur claſſes, *Num.* 1. 53. videlicet Gerſonitarum, Caathitarum, Meraritarum, Aaronitarum vel Sacerdotum. Damus hic luſtrum indictum à Moyſe, Dei juſſu, poſt relatum ex Ægypto pedem de omnibus virilis ſexus, unius menſis ætati ſuperioribus. *Num.* 3. 15.

Gerſonitæ implebant numerum 7500. quorum erat ònus in itinere per deſertum ferendi velamina Tabernaculi. Ibid. v. 26. Præerat omnibus Eliaſaph filios Lael.

Caathitæ numero virorum 8600. ferebant Arcam, & vaſa ſacra Tabernaculi ſub Eliſapha filio Oziel Principe.

Meraritæ, turba 6200. vehendo quidquid Tabernaculi impar eſſet ut plauſtris imponeretur, deſtinata; parebat Suriel filio Abihaiel.

Aaronitæ in opus ſacrificiorum & obſequii Sanctuarii ſelecti, ſtabant ſub ſignis Eleazari filii Aaronis. Ibid. v. 32. Videſis eorum genealogiam in arbore Genealogica hic expanſa.



LEVITICUS, tertius inter Libros Pantateuchi, nomen ſortitus à Legibus, & cæremoniis, Sacerdotes, Levitas, & ſacrificia ſpectantibus, quod potiſſimum eſt libri argumentum; quare apud Hebræos *Lex Sacerdotum* appellatur. *Vajicra* etiam apud Hebræos inſcribitur, nempe, *Et vocavit*, quæ primæ ſunt totius operis voces. Igitur ſeptem priora libri capita ritus pro holocauſtis, oblationibus panis, ſimilæ oleo conſperſæ, ſacrificiis pacificorum, ſive gratiarum actionis, victimis pro peccato, complectuntur; quæ hoſtiæ portiones igni, quæ verò Sacerdoti cederent, præſcribuntur. Inde cæremoniæ, & ſacrificia pro initiandis Sacerdotibus ſuccedunt: qua occaſione, hiſtoria Nadabi & Abiu igne conſumptorum, quod thus prophano igni impoſuiſſent, refertur. Lex denique de luctu, vinique uſu Sacerdotibus interdicto, quo tempore Deo miniſtrant. Inde ab 11. uſque ad 15. regulæ pro animantibus puris, impuriſque, pro diſtinctione lepræ hominum, ædium, & veſtium, ac tandem pro expiatione puerpera.

(a) Joſeph. Antiq. l. 20. c. 8. circa ann. Chr. 62. & 6. ante everſionem Templi.
(b) Amram duxit amitam ſuam Jocabed. Exod. 2. 1.
(c) Oziel patruus erat Aaronis. Levit. 10. 4. & 6. 20.
(d) Qui ſeditionem concivit in Moyſem & Aaronem. N. 15. 1. 2.
(g) Poſteris Moyſis levitas agebant ſub Caathitis.
(h) Eleazar & Ithamar primas tenebant inter Sacerdotes Leviticos.
(i) Nadab & Abiu igne correpti ſunt. Lev. 10. 2.
(k) Phinees, qui Zambri & Coſbi transfodit. Num. 25. 7. 8.

peratum, & gonorrhæa laborantium ſtatuuntur. Hinc ſequuntur cæremoniæ pro ſolemni Expiatione: gradus cogitationis, quibus connubia interdicuntur. Fœdus etiam cum Chananæis, Idololatria, furtum, perjurium, calumniæ, odium, ſuperſtitiones, magiæ, divinationes, auguria, proſtitutiones, & adulteria cavenda denunciantur. Abſtinendum item præcipitur à fructibus arboris, quinque prioribus annis ab ejus inſitione. In meſſibus colligendis, aliquid in agris relinquendum pro indigentibus. Hoſtiarum vitia luculente recenſentur. Cap. 23. Feſta totius anni ſolemniſſima, Paſchatis nempe, Pentecoſtes, Tabernaculorum; Expiationis ſolemnis, Tubarum, ſive exordii anni Civilis occurrunt; ac veluti parergo, hiſtoria viri lapidibus occiſi in pœnam blaſphemiæ contra Deum enarratur. 24. 10. 11. Tandem poſt præſcriptos ritus anni Sabbathici, & Jubilæi 25. 3. &c. legeſque pro votis, & decimis obſervandis c. 27. Libro finis imponitur.

De authoritate hujus Libri, deque Moyſe authore, ambigit nemo. Hiſtoriam complectitur 8. dierum, quot pro initiando Aarone, ejuſque filiis impenſi ſunt (a). Leges, quæ ſacrificia non ſpectant, nullo indicio ad certum annum revocari poſſunt.

LEX, quo nomine in Scriptura ſæpe Lex Moyſis intelligitur, aliquando tamen de tota religione Judæorum, ut Evangelio, & Religioni Chriſtianæ oppoſita uſurpatur. De Lege Moyſis quidem, quippe quæ prima ſit omnium, & potiſſima; quamquam enim apud Ægyptios, Aſſyrios, alioſque populos ante Moyſem Legum quædam ſpecimina extabant; corpus tamen Legum integrum, abſolutumque Hebræis omnium primis datum eſt. Hinc Joſephus *contra App. l.* 2. animadvertit, Legiſlatores Græcorum præ Moyſe recentiſſimos eſſe; vetereſque Græcos ipſam vocem *Nomos*, quæ Legem ſignificat, ignoraſſe, uti ex Homero omnium Græcorum, juxta aliquos, Scriptore vetuſtiſſimo, conſtat, cùm in eo nunquam inveniatur.

Filii Noe, juxta Rabbinos (b), Legibus quibuſdam, jus naturale conſtituentibus, ſubjecti fuerunt; à quibus etiam ceteræ per Orbem nationes non eximuntur. Maimonides autumat, ſex priores ex iſtis Legibus Adamo datas fuiſſe, quibus poſtea Deus ſeptimam Noe, & filiis ejus traditam addiderit. Præcepta autem illa, hæc ſunt: 1. Judicibus, & Magiſtratibus obtemperare: 2. à blaſphemia in Deum abſtinere: 3. Idololatriam, & ſuperſtitionem fugere: 4. inceſtum, Sodomiam, coitum cum beſtia, & ſcelera contra naturam horrere: 5. homicidium, atque omnem ſanguinis effuſionem vitare: 6. furtum, 7. carnes animalis viventis non deguſtare.

Duo Legum genera vulgo diſtinguuntur: naturalis ſcilicèt, & poſitivæ; naturalis ab ipſamet hominum natura in cordibus noſtris inſcripta eſt, cujus ſunt præcepta, cultus Dei ſummi, obſequium in parentes, atque Principes, neque alteri inferre, quod quis ſibi inferri renueret &c. Lex poſitiva non unius eſt generis; aliæ enim Morales ſunt, aliæ Civiles, & Politicæ, aliæ Cæremoniales. Morales ut plurimum, nonniſi Legis naturalis præcepta enucleant: Judiciales, Civiles, & Politicæ officia hominum inter ſe, ſive ordinem, & politiam continent; quarum proinde ſcopus eſt ſceleſtorum mores cohibere, imbecilles juvare, juri, & authoritati Principum certos limites præſcribere. Leges tandem Cæremoniales circa externorem Dei cultum, miniſtrorum, totiuſque populi, ſive erga Deum, ſive inter ſe officia, ad Deum relata, verſantur.

Legem veterem Deus per Moyſem in Monte Sinai primo Hebræis indixit, 50. annis ab egreſſu ex Ægypto, *Exod.* 19. 3. *&c.* A. M. 2513. ante Ch. 1487. ante Ær. 1491. Potiſſima hujus Legis præcepta in Decalogo continentur, quæ in lapideis tabulis exarata Deus Moyſi tradidit, *Exod.* 22. 2. Horum ſumma hæc: 1. Deos alienos coram Deo ne colito. 2. Idola Cœleſtium, terreſtrium, aquatiliumque ne cælato, ut ea venerere. Ego Deus tuus ſuum . . . 3. Dei nomen ne fruſtra proferto: qui id fecerit, dire à Domino multandum ſcito. 4. Sabbatho tu, filiuſque tuus, filia, ſervus, ancilla, hoſpes, quem exceperis, tuumque pecus feriaminor. 5. Parentes obſervato, ut diutina vita à Deo donere. 6. Ne occidito. 7. Adulterium vitato. 8. Furto abſtineto. 9. In proximum tuum nequid falſo teſtare. 10. Alterius domum, uxorem, ſervum, pecus, aliudve quid ne concupito. Hæc ſunt, quæ Judæi *decem verba*, Græci *deca logous* (ex quo nos *Decalogum*) appellant. Inter Eruditos nonnulli credidere, Moyſem, dum Leges condebat, Ægyptiorum Leges præ oculis habuiſſe, ſive ut eas imitaretur, ſive ut eorum moribus, & opinionibus ſeſe opponeret, ſive ut eo veluti fræno Hebræi cohiberentur, ne in Idololatrias, & ſuperſtitiones, quas in Ægypto obſervaverant, proruerent (c). Alii verò malunt, non Hebræos ab Ægyptiis, ſed Ægyptios ab Hebræis, ex parte ſaltem, Leges mutuatos fuiſſe. Quo in opinionum diſſidio, nos ultrò fatemur, non rarò Hebræos ab Ægyptiis, & frequenter viciſſim Ægyptios ab Hebræis Leges derivaſſe, quamquam pro inſito quodam averſandi Hebræis genio, Ægyptii ſæpe ab Hebræorum moribus recedentes, in ritus planè diverſos abiere. Hinc non abs re credimus, ritus in Lege Moſaica præſcriptos, qui plane Ægyptiorum ſuperſtitionibus opponuntur, data opera inductos fuiſſe, ut Judæi averterentur ab Idololatria, & moribus Ægyptiorum, quibus plus nimio aſſueverant. Cùm enim Hebræorum populus in Ægypto veluti formaretur, atque Idololatriam in ea regione jam obtinuiſſet; veriſimiliùs credimus inde acceptam referri debere illam voluntatis propenſionem, qua *Judæi in Idola* ferebantur; cui Moyſes Legibus prompto remedio occurrendum duxerit. Quoad Leges Judiciales, ſive Cæremoniales, eas fortaſſe Moyſes retinuit, quæ utiliſſimæ cenſebantur; cæteras verò ſive ad normam recti reformavit, ſive novis, ac contrariis Legibus abolevit.

Lex Moyſis veluti præludium quoddam, & umbra rerum futurarum, *Hebr.* 10 1. multùm à ſcopo perficiendorum hominum aberat, juxta phraſim S. Pauli, *Hebr.* 7. 19. cui proinde complendæ, evellendis abuſibus ab ipſa toleratis, præſtandis iis, quæ ipſa pollicebatur, Jeſus Chriſtus operam egregie navavit. Hinc idem de ſe in Evangelio perhibet, veniſſe non ad deſtruendam Legem, ſed perficiendam, *Matth.* 5. 17. ejuſque rei gratia, illam explicat, moderatur, & cohibet, Rabbinorum potiſſimùm interpretationes abſonas, & Legi contrarias. S. Paulus jactis antea à Domino ejus rei fundamentis totum opus complevit; ſive ea, quæ Chriſtus innuerat, pleniùs, & luculentius explicavit: ſiquidem Apoſtolus Legem Moyſis abrogatam quodammodo ab Evangelio, atque poſt mortem Chriſti Legales cæremonias nullius eſſe uſus, atque neceſſitatis declaravit. Addidit inſuper, nos jugo Legis excuſſo, gratiæ libertati reſtitutos fuiſſe; ac pro famulis, quales ſub Veteri Teſtamento habebamur, in filios opera Jeſu Chriſti evaſiſſe; *Rom.* 6. 14. & 8. 11. *Galat.* 4. 31. & 5. 13. tandem non legis quidem, neque operum Legalium exercitio, ſed fidei, charitati fœderatæ, atque bonis operibus, nos juſtitiam aſſequi. *Rom.* 3. 20. *Galat.* 2. 16. Verùm ſi quando in Evangelio nos jugo Legis levati dicamur, nonniſi de Lege cæremoniali, & judiciali verba illa in-

(a) A. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490.
(b) Gemar. Babylon. ad tit. Sanhedrin. c. 7. Maimon. Halac. Melak. c. 9.
(c) Vide Spencer. de Leg. Hebr. ritual. l. 3. Diſſert. 1. &c. Marsham. can. Ægypt. Chronolog. Sæc. 9. Kircher. Propyl. cap. 2.

intelligenda ſunt; præceptis enim moralibus in Lege gratiæ non ſecùs ac in Lege veteri ſtringimur.

De ſingulis Legis Moſaicæ articulis ſuo loco egimus, uti v. Paſcha, Sabbathum, Blaſphemia, Adulterium, Sacrificia, Holocauſtum. Harum Legum ſummam ex noſtra Præfatione in Deuteronomium, hic tantùm tranſcribendam cenſuimus.

Deus Cœli, terræque Creator, *Gen.* 1. 1. ex univerſo hominum genere, Abrahamo, ejuſque familiu ſeloctis in ſuum populum, *Lev.* 19. 21. &c. *Deut.* 26. 16. 17. fœdus cum illis in monte Sinai inivit, Legemque tradidit, in qua ſe Deum unicum, *Exod.* 20. 7. ſolum proinde amandum, atque colendum declarat. *Deut.* 6. 5. & 10. 12. 20. Neque amorem utcumque, ſed cui nihil ſit reliquum, exigit; gloriæ vero ſuæ, atque juſtitiæ adeò ſtudioſus aſſertor eſt, ut quantùm in ſuos miſericors, atque præſtandis promiſſis fidelis, tantumdem in animadverſionibus ſeverus, parentes perduelles uſque ad tertiam, & quartam generationem puniat; & viciſſim pro patris fidelitate beneficia in mille generationes producit. *Exod.* 10. 5. & 34. 6. 7. *Deut.* 5. 9. 10. & 6. 15. Juramenta per rei alterius cujuſcumque nomen, niſi tantùm Divinum, emitti vetat. *Deut.* 6. 13. & 10. 20. Quare neque cultu ullo, neque ipſo nomine, *Exod.* 23. 13. Deos alienos invocare, nedum imagines ipſorum, ſive aliorum quorumcumque, etiam brutorum, & ſyderum efformare fas eſt. *Exod.* 20. 3. 4. & 23. 13. Blaſphemia in Deum morti obnoxia adjudicatur, *Lev.* 24. 11. neque mitior eſt ſententia in juramenta inania, mendacia, & calumnioſa, utpotè quibus crimen in veritatem, & ſanctitatem nominis Dei interatur. *Exod.* 20. 7 *Deut.* 5. 11. Vota vel nulla fieri jubet, vel ſi fiant, ſtatim implenda, dilationem non inultam ſe paſſurum profeſſus. *Deut.* 23. 21. *Lev.* 27. *Num.* 30. Si quis temere de ſumma Dei authoritate, ſive periculum facere, ſive illam in dubium revocare auſus fuerit; *Deut.* 6. 16. nec non qui Magos, Ariolos, Pſeudoprophetas de rerum futurarum eventibus conſulant, ſive ſe ſuperſtitionibus immiſceant, illos reos criminis pronunciat, *Lev.* 19. 31. & 20. 6. 27. & 22. 18. *Deut.* 18. 10. Jubet igitur purum, ſincerum cultum exhiberi, nullam ſomniis fidem; *Deut.* 18. 13. *Lev.* 19. 26. nullum cum ritibus eorum, qui comam tondent, commercium; procul eſſe jubet inciſiones, & ſtigmata; *Lev.* 19. 27. Magi, Pythones, & Pſeudo-Prophetæ è populo exterminentur: *Lev.* 20. 27. *Deut.* 18. 10. &c. nihilque tandem feratur, quod ad idololatriam, ſive pravo exemplo, ſive ſollicitatione inducat; ipſaſque urbes ejus criminis reas vult devoveri (a). Cavendum inſuper edicitur à luctibus, juxta morem Ethnicorum; *Deut.* 14. 1. 2. ab oleo unctionis, & a thymiamate, cujus eſt uſus in Templo, mortis indicta pœna, abſtinendum. *Exod.* 30. 33. Manus tandem inſontes, atque impollutas ad Deum levent Iſraelitæ, uti filios, famulos, & Dei populum decet; *Exod.* 12. 31. in Legis meditatione diu noctuque verſentur, eamque ſive brachio, armillarum more, ſive ſupra frontem alligent; in ſuperliminaribus ædium inſcribant. *Deut.* 6. 7. &c. & 11. 20.

In deſerto Deus tabernaculum ſibi expandi, veluti Regi in caſtris cum populo ſuo verſanti, voluit; cujus papilionis opificio omnes donaria conferre, *Exod.* 23. 3. & 25. 5. ſolos vero Sacerdotes ejus obſequiis atque ſervitiis deſtinari; quibus unis ejus aditum permitti, *Num.* 18. 4. nec niſi eo tantùm in loco ſacrificia offerri præcepit. *Deut.* 12. 14. Quicquid autem hoſtiarum immolaretur, ſive extra, ſive intra atrium Tabernaculi, ſtatim ante fores ejuſdem Tabernaculi ſiſti voluit, ejuſque ſanctionis tranſgreſſores, tanquam homicidas damnari. *Lev.* 17. 3. 4. Cùm verò Iſraelitæ ad terram ſibi promiſſam pervenerint, ait Deus, ter ſingulis annis urbem à Deo in ſedem ſui Templi ſelectam, petant, debitum Domino obſequium (b), munerum oblatione (nefas eſt enim Deo vacuum ſe ſiſtere) exhibituri. Deum autem cultu longè à Chananæis diverſo, colant; neque enim ſive ſtatuas erigere, ſive aras paſſim excitare, ſive lucum, ne circa altare quidem Templi, conſecrare Iſraelitis fas eſt. *Deut.* 16. 21. 22. In ſignum autem obtentæ à Deo regionis, quam colunt, primitias, & decimas pro Sacris Miniſtris (c) ad Templum deferant, his additis ad Sacerdotem verbis: *Deut.* 26. 4. 5. *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreſſus ſum terram, pro qua juravit patribus noſtris, ut daret eam nobis.* Acceptiſque à Sacerdote oblationibus, ſtatim Iſraelita proſequatur: *Syrus perſequebatur patrem meum, qui deſcendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus eſt in pauciſſimo numero; crevitque in gentem magnam, ac robuſtam, & infinitæ multitudinis. Affixeruntque nos Ægyptii, & perſequuti ſunt, imponentes onera graviſſima; & clamavimus ad Deum patrum noſtrorum, qui exaudivit nos, & reſpexit humilitatem noſtram, & laborem atque anguſtiam; & eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pavore, in ſignis atque portentis, & introduxit ad locum iſtum, & tradidit nobis terram lacte, & melle manantem. Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi.*

Præter has oblationes, quotannis ſemel religioſa in Templo convivia inſtruere jubebantur Iſraelitæ, à quibus Levita, pauper, vidua, & orphanus non abeſſent. *Deut.* 14. 23. &c. Suæ etiam preces his menſis erant, his verbis: *Deut.* 26. 13. &c. *Abſtuli quod ſanctificatum eſt de domo mea, & dedi illud Levitæ, & advenæ, & pupillo ac viduæ, ſicut juſſiſti mihi; nec præterivi mandata tua, nec ſum oblitus imperii tui. Non comedi ex eis in luctu meo, nec ſeparavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei . . . Reſpice de ſanctuario tuo, & de excelſo Cœlorum habitaculo, & benedic populo tuo Iſrael, & terræ, quam dediſti nobis, ſicut juraſti patribus noſtris, terræ lacte & melle mananti.* Hæc tamen convivia ſemel ſingulis trienniis in ſua cuique regione præſtare fas erat.

Sacerdotes Domini ampliſſimis privilegiis atque muneribus decorabantur: illud in primis inſigne, quòd ſoli miniſtrarent Altari, adipem, & ſanguinem, & quidquid inſuper de victima adolendum eſſet, offerrent; unis inſuper aditus in Sanctum ad imponendum igni thymiama, accendendas lampades, ad innovandos ſingulis Sabbathis panes propoſitionis pateret. Suæ illis erant partes è victimis in ſacrificiis pacificis, & pro peccato, in oblationibus panis, necnon in libamentis, quorum parte in ignem conjecta, reliquum Sacerdoti cedebat. *Lev.* 2. 3. In victimis pacificis armum dexterum, & pectuſculum *Lev.* 7. 31. &c. Sacerdos ſibi reſervabat; adipem tradebat igni, ſanguine ad baſim Altaris effuſo, quod reliquum erat, offerenti permittebat. *Ibid.* 30. 31. In ſacrificiis pro peccato renes, cauda, & adeps illa comprehendens, reticulum jecoris, Domino; reliqua Sacerdoti erant. *Ibid.* 1. 2. 3. De holocauſtis, ignis omnia, vellus tantummodò Sacerdos habebat. Ex hoſtiis pacificis ſive in Templo, ſive in privatis ædibus cum tota familia deguſtare fas erat: poſt alteram verò diem à ſacrificio, ſi ex iis reliquum fuiſſet, igne ſtatim abſumendum. *Lev.* 7. 18. De victimis pro peccato extra Templum ſive deguſtare, ſive efferre quid Sacerdoti nefas; *Lev.* 6. 26. & 7. 6. *Num.* 18. 9. aliis verò à Sacerdotibus ne in Templo quidem aliquid ex iis delibare permiſſum: quoad decimas, primitias, primogenita, vota, & oblationes, familia Sacerdotalis non excipiebatur. *Lev.*

(a) Exod. 22. 20. & 23. 24. 25. & 24. 16. Deut. 4. 16. 17. & 13. 6. 10. & 17. 3.

(b) Exod. 23. 14. & 34. 20. Deut. 15. & 12. 11. 12.

(c) Exod. 22. 29. 30. Deut. 31. 1. 2.

Google

Lev. 10. 14. *Num.* 18. 13. &c. Sacerdos, qui ex ſanctificatis aliquid ipſe non purus in cibum caperet, ultimo ſupplicio damnabatur. *Lev.* 22. 2. &c. ex dapibus ſanctificatis operarii mercede conducti, & advenæ non participabant; quamquam mancipia Sacerdotis non excludebantur; filiæ item è Sacerdotali familia viduæ, ſive repudiatæ, amiſſum antea in illas jus recuperabant. Porrò dapes ſanctificatæ cenſebantur, ſive portiones ex victimis pacificis Sacerdotibus cedentes, ſive quæ ex oblationibus Templo factis in uſum eorumdem ſegregabantur; quoad decimas enim, & primitias, quæ veluti Miniſtrorum proventus habebantur, nihil exceptum; qui enim Levitæ, & Sacerdotes inexpiati ali potuiſſent?

Primogenita tam hominum, quàm pecudum, atque jumentorum univerſa Domino ſegreganda erant; *Exod.* 13. 1. &c. & 34. 19. niſi quòd aliqua ex illis redimendi facultas eſſet. Hominum enim quinque ſiclis redimebantur: *Num.* 18. 16. nec alia erat de primis animalium immundorum fœtibus ratio, uti aſini, & cameli. Siquidem pro aſino ovis, ſive quinque ſicli offerri poterant, *verſ.* 17. 18. alioquin ſtatim mactabatur. Animalia pura nullo pretio redimi, ſed omnino cædi oportebat: quorum tantùm adipe igni tradito, & ſanguine ad baſim Altaris effuſo, reliquum Sacerdotibus cedebat. *Lev.* 19. 23. &c. Quos recens planta fructus tribus prioribus annis emiſiſſet, impuros haberi oportebat: quarti anni, omnes Deo conſecrandi; à quinto verò anno eorum uſus permittebatur. *verſ.* 24. 25. 26.

Pro iis, quos ſibi Deus ex univerſis primogenitis Iſraelis reſervaverat, Tribum Levi ſubſtituit; *Num.* 3. 41. è quibus familiæ Aaronis Sacerdotio demandato, reliqui inferioribus Templi, & Sacerdotum miniſteriis deputati ſunt. Sacerdotum igitur miniſteria circà Altare, Sanctum, & Sanctuarium verſabantur; ignemque, ne extingueretur, in eodem Altari curabant: Levitarum, circa Templi fores, muſicam, ac victimas, quas excoriabant, nec non circa ligna ad altare afferenda.

In Sanctuarium aditus nulli, præter Summum Sacerdotem, ipſique die tantùm Expiationis Solemnis, permiſſus. *Levit.* 16. Ea dignitas tum criminibus puniendis, cùm Religionis rebus curandis ſummam in unum authoritatem conferebat. *Deuteronom.* 17. 12. 13. Ad illam verò aſſumi oportebat virum, cujus pater virginem fœminam, & ejuſdem Tribus, atque generis duxiſſet. *Lev.* 21. 13. Ipſum verò ab omni corporis vitio purum eſſe oportebat. *Lev.* 21. 17. 18. Nec ſanè aliter decebat illum, per quem Deus oracula veritatis fundebat; ſiquidem Summus Sacerdos inſignibus ſuæ dignitatis indutus, per Urim, & Thummim, quæ in Rationali geſtabat, Dei nomine conſulentibus reſpondebat. 1. *Reg.* 23. 9. & 30. 7. Neque funera lugere, excepto tamen patris, neque vel locum ingredi, ubi cadaver jaceret, ne quid impuritatis contraheret, permittebatur. *Lev.* 21. 10. Hæc tamen Lex cum Pontifice arctiſſima, aliis inferioribus mitior erat, ſiquidem vulgò Sacerdotes parentum, filiorum, & fratrum funeribus, *Lev.* 10. 6. &c. 21. 2. &c. non tamen extraneorum, neque etiam Principis, adſiſtebant: Levitæ verò iis omnibus, quibus cæteris Iſraelitis, adeſſe fas erat. Quo temporis ſpatio Sacerdotes Templi ſervitiis occupabantur, ab uxoribus, & vino temperabant, ſtudioſè ab omnibus ſeſe obſervantes, ne quid unquam impuritatis contraherent. *Lev.* 10. 9. Eorum veſtis religioſa, qua in Templo tantùm Sacerdotes utebantur, tunica erat linea talaris, *Exod.* 28. 40. 41. femoralibus, cingulo, & capitis operimento itidem lineis adjectis; quæ ſanè veſtis Levitis etiam communis fuit. Comam minimè nutriebant, uti neque barbam in labio ſuperiori: pedibus erant nudis in Templo, ubi & cibum, & ſomnum capiebant. Vide dicta ad *Exod.* 40. 29. 30.

Pontifex ſplendidiori ſanè veſte utebatur. Femoralibus lineis, tenuitate, & opere ſpectandis: *Exod.* 28. tunicæ alia ſuperinducta, cærulei coloris, ſimplici opere, ac fortaſſe non manicata, cujus fimbriam tintinabula aurea, & malogranata variato opere contexta, alternè diſpoſita, ornabant. Hanc tunicam cingulus ſtringebat operis phrygii, & variati, cui nomen in S. Scriptura *Ephod*. Porrò Ephod duabus faſciis ſplendidiſſimis conſtabat, quæ utrinque per humeros in anteriora deſcendentes, corpori deinde circumductæ, ante ſtomachum vinciebantur, ſimulque fluentem tunicam continebant. Qua verò faſciæ illæ ex humeris in anteriora deſcendebant, binæ gemmæ inſertæ erant, ſex utrinque nominibus Tribuum Iſraelis inſculptæ; uti & quo loco ante pectus decuſſabantur, *Rationale* eminebat, nempe pannus ille quadratus 12. digitorum latitudine, 12. gemmas ſingulis nominibus Tribuum Iſraelis inſculptas præſeferens.

Sacerdotibus cautum erat, ne cum fœmina moribus inhoneſtis, ſive proſtituta, ſive tandem ab altero repudiata, connubia inirent; *Lev.* 21. 7. &c. ſi quæ verò filia Sacerdotis in crimine deprehenderetur, utpotè quæ patris famam violaſſet, concinuò igne damnabatur. In thure offerendo, alienum ignem adhibere Sacerdotibus nefas, quod Nadab, & Abiu vel morte expiarunt. *Lev.* 10. 1. 2. In ſacrificiis ſale quidem ſemper, *Lev.* 2. 13. *Num.* 15. oleo, & fermento nunquam *Lev.* 2. 11. utebantur. Suis impenſis & opera panes propoſitionis conficiebant; quos ſingulis Sabbathis recentes menſæ aureæ in Sancto apponebant, *Lev.* 24. 5. &c. veteribus remotis, de quibus comedere ipſis tantùm fas erat. *Matth.* 12. 4. Inſuper holocauſtum perpetuum veſpertinum, & matutinum, cum libationibus Sacerdotes ſufficiebant. *Exod.* 29. 38. *Num.* 28. 3. 4. Vitia corporis, quæ à Sacerdotio, & vitia hoſtiarum, quæ à ſacrificiis arcebant, in Commentariis recenſentur. *Lev.* 21. 17. 18. & 22. 18. &c.

Levitarum, & Sacerdotum proventus non agri quidem, & arva, quorum illis nulla aſſignata ſunt, ſed decimæ, primitiæ, oblationes, & victimarum participatio ſatis uberes exhibebant. *Num.* 18. 20. 21. Ne verò ſedibus carerent, 48. urbes, atque ſuburbana in circuitu ſpatio 1000. cubitorum, pro domicilio aſſignata ſunt. *Num.* 35. 2. Domus illorum ruſticæ eodem jure, ac cæterorum Iſraelitarum agri, vendi quidem, ſed reſtituto pretio à Domino nunquam non redimi poterant; imò ne redemptæ quidem, anno Jubilæi ad priſtinum dominum redibant. *Lev.* 25. 32. Ex eiſdem urbibus, ſex in aſylum *Num.* 35. 6. *Joſ.* 20. 7. 8. iis, qui imprudentes hominem occidiſſent, deſtinatæ erant. E' toto numero 13. ad Sacerdotes ſpectabant; cæteræ ad Levitas *Joſue* 21. 19. &c. Semper ac farina aqua ſubigebatur ad panem conficiendum, è tota maſſa portio aliqua pro Levitis juſſu Dei ſegreganda erat: quam portionem majorem quadrageſima, minore ſexageſima parte Rabbini præſcripſerunt. Cum animal occidebatur, uterque humerus, ventriculus, & mandibulæ dono ad Levitas deferri ſolebant, *Deut.* 18. 3. 4. neque ſua portione, cùm greges tondebantur, ſive cùm præda ex hoſtibus referretur, etiamſi bello non adfuiſſent, fraudabantur. *Num.* 29. 30. Adeſſe tamen ſemper Sacerdotes conſueverunt, quorum munus erat, tubis clangere, *Num.* 10. 8 ſolemneſque illas formulas coram exercitu recitare. *Deut.* 20. 3. 4. *Audi Iſrael: vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis: non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra adverſarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* Si quando Arca Fœderis in caſtra reducenda erat, illius deferendæ atque cuſtodiendæ negotium Sacerdotibus committebatur, 1. *Reg.* 4. 4. & 14. 18. & 2. *Reg.* 15. 24. 25. Nec rarò etiam Summus Sacerdos cum ſacris ornamentis, Dominum de agendis conſulturus aderat.

Convivia nulla fermè ſive in templo, ſive in urbibus inſtituta, ad quæ Levitæ non accerſerentur; quod quidem Hebræis Deus vicies in S. Scriptura commendat: Cave,

Cave ait, *ne relinquas Levitam, qui in urbibus veſtris commoratur; neque enim habet aliam partem, & poſſeſſionem inter vos. Deut.* 12. 18. 19 & alibi paſſim. Decimæ illis non ex fructibus tantùm, ſed etiam ex pecoribus, quodcumque numeranti decimum ſortè occurriſſet, ſolvebantur; *Lev.* 28. 30. 31. 32. liberum tamen erat ſuam decimam oblato pretio, & quinta inſuper ejus parte, redimere.

Ex collectis apud Levitas primitiis & decimis, pro Sacerdotibus decimæ ſegregabantur. *Num.* 18. 16. Sacerdotes & Levitæ certa ætate, nempe annorum 25. ſive 30. miniſterium inibant, atque annum agentes 50. illud dimittebant. *Num.* 8. 24. & 4. 3. Sub Davide 20. annis nati admitti cæperunt. 1. *Paral.* 23. 24. & 2. *Paral.* 31. 17. & 1. *Eſdr.* 3. 8. In miniſtrando verò mutuo ſibi invicem Sacerdotes Sacerdotibus, & Levitæ Levitis ſuccedebant. Si Levita, relicta priori ſede, ad Templum veniſſet, ut ejus ſervitiis ſe toto tempore impenderet, illum recipi, & ex proventibus ejuſdem Templi ali oportebat. *Deut.* 18. 6.

Levitarum, & Sacerdotum munus, ſecundum à ſacrificiis, erat populi inſtitutio; quippè qui in cœtu ſolemni univerſæ gentis, die Expiationis, lectionem univerſæ Legis publicè obire tenebantur. *Deut.* 31. 10. 11. Cùm novus Rex inaugurabatur, ejuſdem Legis volumen ab illis recipiebat, ac deinde in ſuum tranſcribendum curabat. *Deut.* 7. 18. Si quid in judiciis arduum implexumque occurriſſet, res ad Sacerdotes deferebatur; eaque occaſione Summi Sacerdotis ſententiæ non acquieviſſe capitale erat. *Deut.* 17. 8. De lepra judicium, *Lev.* 13. 14. de expiatione homicidii, cujus author lateret, *Num.* 21. 5. de divortio, de aquis zelotypiæ, *Num.* 5. 14. 15. de votis Nazaræorum *Num.* 6. 20. 21. ad illos ſpectabat. Tandem ſolemnis populi benedictio, atque Divini nominis ſuper illum invocatio ab ipſis obtinebatur. *Num.* 6. 23. &c.

Sacrificia apud Hebræos non unius erant rationis. In holocauſto omnium perfectiſſimo tota victima, detracta pelle, atque extis, adolebatur. In ſacrificiis pacificis pro obtinendis referendiſve gratiis, ſeu tantum pro aſſerenda Dei ſuper omnia poteſtate inſtitutis, ſanguis tantùm & adeps Deo, armi & pectuſculum Sacerdoti, reliquum offerenti ſacrificium cedebat. In ſacrificiis pro peccato, nihil offerenti, ſed adipe exta continente, reticulo jecoris, & renibus igni traditis, reliquum Sacerdoti remanebat. Victimæ ut plurimùm tauri erant, vaccæ, vituli, arietes, oves, verveces, hirci, capræ, & hædi; aves nonniſi in Expiatione hominis lepra mundati, *Levit.* 14. 4. ejuſque, qui juramentum imprudens tranſgreſſus fuiſſet, *Lev.* 5. 6. 7. non adhibebantur; eaque occaſione ex 2. avibus oblatis, altera immolata, altera libera in auras dimitti ſolebat. Verùm peculiares de ſingulis ſacrificiis cæremonias recenſere operoſum eſſet nimis; quare prima Levitici capita conſulantur.

Feſta Iſraelitarum potiſſima, quibus ab anno 12. ætatis viri omnes adeſſe tenebantur, hæc ſunt: Paſcha, Pentecoſte, & Feſtum Tabernaculorum. Nomen *Paſchatis*, quod tranſitus redditur, ejus Feſti inſtitutionem deſignat; Angeli enim exterminatoris memoria recolitur, qui per Ægyptum tranſiens, relictis Hebræis, omnes Ægyptiorum primogenitos occidit, ipſa nocte exitus Hebræorum ab Ægypto. *Exod.* 12. 14. & 23. 15. *Num.* 28. 16. *Deut.* 10. In ea Solemnitate manipulus hordei ſolemni ritu in Templo offerebatur, veluti primitiæ hordeaceæ meſſis, ſtatim à Feſto colligendæ. *Lev.* 23. 10. Tota ea hebdomada panis nonniſi azymus adhibebatur; *Exod.* 12. 19. 20. ipſoque ineuntis Feſti veſpere, in ſingulis familiis, ſive 10. aut 15. convivis coactis, agno, hædove anniculo aſſo *Ibid.* 8. &c. cum herbis amaris epulum inſtituebatur. Illud quidem non tam convivium, quam ſpecialis ritus ſacrificium erat, ad agendas Deo gratias, & ad memoriam liberationis ab Ægypto excitandam: quam ſanguis tantùm ad baſim Altaris effundendus offerebatur. Cautum erat, ne hujus agni oſſa ad extrahendam medullam comminuerentur. Alia erant hujus Feſti ſacrificia, quæ hoc loco recenſere non vacat. Vide *Num.* 28. 19. &c. Porrò ſi quis Paſcha cum ſuis cæremoniis celebrare neglexiſſet, è populo exterminandus denunciatur: *Num.* 9. 13. *Exod.* 12. 19. pro iis tamen, qui ſive impuritatem aliquam legalem contraxiſſent, ſive in itinere eſſent, a die 14. primi menſis, ad 14. ſecundi menſis differri poterat; *Num.* 9. 6. nec tamen quid de præſcriptis cæremoniis quoad azyma, eorum gratia remittebatur.

Diebus 50. à Paſchate, Feſtum Pentecoſtes recurrebat, *Exod.* 23. 16. & 24. 22. oblatione duorum panum ex novo frumento, in ſignum meſſis ſtatim colligendæ, *Lev.* 23. 17. ſolemne. In eo memoria initi à Deo cum Iſraelitis fœderis, Lege in Sinai tradita, recolebatur. Sacrificia, à Paſchalibus Deo oblatis non diſcrepabant. Vide *Num.* 26. 26. 27. collatum cum 28. 19. 20.

Feſtum Tabernaculorum, in memoriam itineris 40. annorum per deſertum ſub pellibus, *Lev.* 23. 40... 43. tertium ſuccedebat; quo, labente anno civili celebrato, ſimul & gratiæ pro obtentis à Deo toto anno beneficiis, collectiſque meſſibus, & uvis, referebantur. *Exod.* 23. 16. Tota ea hebdomada populus ſub tentoriis ex arborum ramis contextis, degebat. Stata erant hujus Solemnitatis ſacrificia. *Lev.* 33. 27. *Num.* 29. 12. 13. &c.

Decima dies ſeptimi menſis anni ſancti, & prima anni civilis, Expiationi univerſæ gentis deſtinata, & jejunio ſacra, ſub pœna mortis indicto, & pœnitentiæ operibus, *Nu.* 29. 7. & tandem peculiaribus ſacrificiis, ac potiſſimùm duorum hircorum, *Lev.* 16. 6. 7. quorum alter liber dimittebatur, *Azazel* dictus, alter immolatus extra caſtra cremabatur. Eadem die Summus Sacerdos ſanguinem vituli, atque hirci immolati in Sanctuarium inferebat; alterum ad luſtrandum Sanctuarium; alterum ad populi expiationem. *Num.* 29. 16. Eadem die immolari conſueviſſe credimus vaccam rufam, cujus cineres pollutionem in funeribus contractam expiabant.

Menſium calendæ feſtæ ducebantur, quamvis nulla eſſet his diebus indicta ab operibus requies. Statis ſacrificiis, *Nu.* 28. 11. concrepantibus in exordio buccinis, colebantur. Prima dies 1. menſis anni civilis, & 7. anni ſacri, quòd anni introitus, præter alias cæremonias, tubis etiam denunciaretur, ſolemnitas tubarum dicta eſt. *Num.* 29. 1.

Feſtum Sabbathi, ab ipſo Deo poſt peractum opus creationis *Gen.* 2. 2. dedicatum, omnium S. Scripturæ vetuſtiſſimum eſt; quippè quòd ejus obſervantiam Moyſes mox ab egreſſu ex Ægypto, antequàm ad Sinai veniret, indixit. *Exod.* 16. 23. 29. Ab operibus ſub pœna mortis *Exod.* 31. 15. *Num.* 15. 32. juſſu Dei vacandum erat; adeò ut neque ignem excitandi parandis cibis facultas daretur: *Exod.* 35. 3. vacandum verò erat & ipſis mancipiis, brutiſque: omnes enim ejus diei curas obſequiis & laudibus ſuis, Legiſque meditationi Deus volebat impenſas. *Exod.* 20. 6. Nec deerant, uti in reliquis Feſtis, peculiaria ſacrificia. *Num.* 28. 9.

Præter ſolemnitates per anni curſum recurrentes, intrà unius ad ſummam hebdomadæ fines concluſas, aliæ poſt certam annorum periodum, atque longiori temporis ſpatio continuatæ celebrabantur. Harum potiſſima annus erat Sabbathicus, quo Hebræi cultum agrorum negligere, & quidquid ſponté produxiſſent, advenis, pauperibus, & orphanis, *Exod.* 23. 10. 11. *Lev.* 25. 1. quin & brutis ipſis permittere juſſi ſunt. Ad hæc, ſervi Hebræi manumittebantur, *Deut.* 15. 2. æris alieni remiſſio, *Exod.* 21. 2. Legiſque ſolemnis lectio fiebat, *Deut.* 31. 10. 11.

Quibus quidem juſſionibus Deus, licèt politiam non nihil negligere viſus ſit, ſtudioſè tamen æquandis bonis, & conditionibus apud Hebræos, ac infimorum oppreſſionibus conſulere; quin & labentem

jam

jam ex hominum mentibus creationis Mundi memoriam, ea ratione refricare, ſimulque luæ in populum authoritatis ſpecimen exhibere voluit. Eodem conſilio, ſingulis 50. ſive potiùs 49. annis, Jubilæum, *Levit.* 5. *&* 8. inſtituit, in quo non vacatio tantùm ab agrorum cultu, manumiſſio ſervorum, ærisque alieni remiſſio, ſed poſſeſſiones atque hæreditates ad veteres Dominos regrediebantur. Ejus anni ingreſſus circa menſem Septembris (quo etiam tempore claudebatur) ſolemnibus cæremoniis, ac tubarum clangore indicebatur. Hoc ſanè monumentum Deus extare voluit ſuæ in univerſam gentem ac regionem poteſtatis; quamvis, ne infirmos alioquin populi animos plus nimio tentaret, pro neglectis integri anni proventibus, ſexto, & quadrageſimo octavo quoque anno tantundem meſſis ſe largiturum pollicetur, ut ad triennium ſufficiat.

Quæ Moyſes Regibus, fortè ab Iſraelitis eligendis, præſcribit, *Deut.* 57. 14. 20. longè alia ſunt ab iis, quæ Samuel *jus Regis* appellat, 1. *Reg.* 8. 11. Porrò Rex, juxta Moyſem, è medio populi, non ex alienigenis, ità Deo præcipiente, & populi ſuffragio eligendus erat. Vetitum illi, ne equitum numerum augeat; neve populum illis emendis in Ægyptum regredi cogat; fœminarum gregem, quippè quibus cor facilè avertitur, ne innutriat; comparandis divitiis ne ſtudeat, caveatque, ne tumido in fratres ſit animo. Denique exemplar Legis apud ſe non in manibus tantùm, ſed & in corde retineat, eamque ſibi agendi normam præſcribat. Samuel verò jus Regis Iſraelitis explicans dixit, illum filios Iſraelis aurigas & præcurſores ſuis curribus, quin & ſuos equites facturum. Ad hæc alios Tribunitia, & Centurionis dignitate donaturum, alios ad metendos ſerendoſque ſuos agros, nec non ad arma curruſque ſuos fabricandos coacturum. Fullonis verò, & culinæ miniſteriis, conficiendiſque unguentis filias Iſraelis addicet. Servis ſuis ditandis, pinguiores Iſraelitarum poſſeſſiones in illos transferet. Nihil erit tandem, ſivè ex mancipiis, ſivè ex junioribus, ſivè tandem ea jumentis, in quos ipſe manus non injiciat violentas, eo jure, quo ſibi ea gregibus decimas, & populum univerſum in ſervitutem aſſeret.

Bellum, quod potiſſimum erat Regis munus, non æquo jure cum ſingulis hoſtibus agendum erat; alia enim ratione cum Chananæis, alia cùm cæteris curandum. Quibus bellum indicendum *Deut.* 20. 11. &c. renuentibus bellum denuntiabatur. Si oppugnanda urbs, atque longior immineret obſidio, contra quam propterea turres & aggeres, pro more illorum temporum, ſtruendi eſſent, cautum erat, ne ullæ arbores frugiferæ, ſive arva cæderentur. Si armorum vi tandem expugnaretur, contra viros quidem victorum itam exercere fas erat, fœminæ, pueri, bruta, & utenſilia in victorum poteſtatem, deinde toto exercitui diſtribuenda, venire debebant. In urbibus Chananæorum, omnia, quæ vitam haberent, una clade involvebantur. *Deut.* 20. 16. 17.

Si collatis ſignis certandum fuiſſet, ante prælium Sacerdos, Dei opem adfuturam pollicitus, milites ad certamen incitabat, *Deut.* 20. 2. & 25. 5. deinde Duces, ſuæ ſinguli turmæ, elata voce regreſſum indicebant iis, qui ſivè novam domum ædificaſſent, ſeu vineam novam plantaſſent, vel tandem novam nuptam duxiſſent; durum enim nimis futurum videbatur, ſi fortaſsè in bello decedentes, partas ſuis laboribus poſſeſſiones, ne tantillo quidem obtentas, ad alienos tranſmittere cogerentur. Poſt hæc, coram univerſo exercitu, *Deut.* 20. 8. formidoloſis omnibus, ut ſe à periculo ſubducerent, poteſtas concedebatur, ne ſuo exemplo in alios terrorem inducerent.

Relata ex hoſtibus ſpolia Imperator inter milites æquè dividebat, nullo facto diſcrimine inter eos, qui decertaſsent, eoſque, qui remanſiſsent ad ſarcinas. Vide Deut. 31. 27. & 1. *Reg.* 30. 24. Quin Moyſes relata ex Madianitis præda, populum univerſum in agro Madianitico tunc verſantem, & una cum cæteris militibus exercitum ex tota natione conſtituentem, caruiſse non tulit. Antequam ſpolia in caſtra reducerentur, prævia purificatione expiabantur hoc ritu: Metalla, & ſi quæ alia ignem paterentur, flamma, cætera verò aqua expiationis luſtrari oportebat. Fœminæ alterius, quàm Chananæorum generis, in poteſtatem victorum captivæ cedebant, *Deut.* 21. 10. è quibus ſiquam herus uxorem ducere voluiſſet, poſt abraſos ejus crines, amputatas ungues, detractas veſtes, cum quibus capta fuit, conceſsumque integri menſis luctum, pro amiſſione parentum deflenda, ſtatim ſibi copulabat. Si verò ſuccedente tempore, eam tandem uxorem faſtidiſset, illam manumittere cogebatur.

Sua etiam prædæ portio erat Dei, & Sacerdotum; ac in bello cum Madianitis ex ſingulis quingentis tam mancipiorum, quàm pecudum, quæ militibus ceſſiſſent, ſingula ſibi reſervari; ex præda verò, quæ reliquo populo contigiſset, quinquageſimam pro Levitis pendi Deus injunxit. Sua etiam erat in ſpoliis, ac ſelecta portio Ducis, uti de Davide, *Reg.* 30. 9. & Gedeone, *Judic.* 8. 24. conſtat; ac in bello contra Madianitas, Duces Iſraelitarum armillas, & annulos aureos ex hoſtibus acceptos, Deo exhibuerunt, fortaſse tanquam Ducem, & Imperatorem univerſæ expeditionis ea oblatione illum agnoſcentes. *Num.* 31. 49. 50.

Diſciplinæ militaris in caſtris Iſraelitarum non ſegniter ratio habebatur; & quem in diſponendis Tribubus circa Tabernaculum in caſtrametationibus per deſertum, quem etiam in profectionibus ordinem ſervaverint, conſtat *Num.* 2. Sordibus ablegandis, plura conſtituta erant, nempè ut fœminæ abeſsent; imò ſiquis imprudens inter dormiendum pollutionis aliquid contraxiſset, ille extra caſtra uſque ad veſperam ſe continebat; nec niſi aqua toto corpore & veſtibus lotus, *Deut.* 23. 10. regredi permittebatur. Singuli milites paxillum cingulo appenſum deferebant, ut ſcrobem excavarent, cùm è caſtris egrediebantur, ut naturæ neceſſitatibus ſuccurrerent. Poſt prælium, tota hebedomada milites, utpotè contactu cæſorum polluti, à caſtris abſtinebant *Num.* 30. 19. ante regreſsum verò totum corpus, & veſtes aqua eluebant, quod in bello contra Madianitas ſcimus, & in aliis obſervari conſuevitse non dubitamus. Verùm ſi ab univerſo exercitu prælium commiſsum fuiſset, tunc contracta ab omnibus legali impuritate, alter alterius conſortium vitare non tenebatur: quare omnes ſimul in caſtris verſari potuiſsent.

De Hebræorum politia, pauca novimus. Ea, quæ ad juſtitiam adminiſtrandam pertinent, ac de præcipuis illorum Tribunalibus, in Diſsertatione de hoc argumento egimus. Judicandi poteſtas ſumma penès Reges, & Summum Sacerdotem erat: hinc illud populi ad Samuelem: *Conſtitue nobis Regem, qui judicet nos*, 1. *Reg.* 8. 5. Summum Sacerdotem in arduis quibuſcumque ſupremum Judicem Moyſes conſtituit, *Deut.* 16. 10. *&c.* Præterea ſui erant Judices ſingulis urbibus, ſeu urbium portis, juxta phraſim S. Scripturæ, *Deut.* 16 18. (is enim erat Judiciorum locus,) eoſque ſumma veneratione obſervari Moyſes juſſit. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices*, *Exod* 22. 28. Porrò Principes, Judices, & Magiſtratus eodem ac Deus nomine *Elohim* nuncupabantur (a); illi ſiquidem veluti Dei adminiſtri, & aſseſsores habiti ſunt.

Cautum eſt, ne Judicia venalia fiant, puraſque Judices habeant à muneribus manus; quippè quia juſtitia muneribus facilè corrumpitur, *Exod.* 23. 8. turbam in deterius non ſequantur, *Exod.* 23. 2. &c. nec

Vulgi

(a) Pſ. 81. 1. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deus* (ſivè Deorum) *dijudicat.*

Vulgi ſententiæ æquitatis diſpendio accedant; ne præpoſtera in pauperes miſericordia, ſivè in divites obſequio, à Juſtitiæ tramite exorbitent; ne inſontem, ſive advenam fraudent; neve tandem cujuſcumque perſonam reſpiciant (a): pater pro crimine filii, & viciſſim filius pro ſcelere patris non puniatur *Deut.* 24. 16. In pœnis exigendis ſummum jus evitetur; quare neque poſt Solis occaſum reorum cadavera in ſupplicio appenſa relinquenda *Deut.* 21. 22. neque fuſte, ſivè ad virgas damnatis, ictus ultra 40. inferendi, *Deut.* 25. 2. 3. Si qui in crimine falſi teſtis deprehenduntur, ejuſdem criminis rei habendi, quod fratribus imputarunt (b); vitamque pro vita, oculum pro oculo, omni quoad illos clementiæ aditum præcluſo, pendere cogantur. Verùm reis ſupplicio damnandis non unius tantùm, ſed duorum triumve teſtimonium poſtulandum, *Deut.* 19. 16. 17.

Judicandi filios uſque ad Legis promulgatæ ævum, penes ſolos parentes jus erat; quod quidem Moyſes deinde in Judices ita tranſtulit, ut reos violati in parentes obſequii, ſivè verbo, *Levit.* 20. 9. ſive percuſſione, *Exod.* 21. 15. ſivè contumacia & protervia, *Deut.* 21. 18. 19. ſola eorundem parentum delatione accuſatos ultimo ſupplicio puniendos juſſerit: quamquam nihil contra parricidas, quaſi contra rem, quæ evenire nequeat, in Lege præſcriptum eſt. Cautum eſt parentibus, ne filios in cultum Moloch per ignem traducant, *Lev.* 18. 21. *&* 25. 5. *Deut.* 18. 10. filiis verò, ut parentibus per omnia obſequantur, *Exod.* 10. 12. Neceſſitate ad extrema cogente, filios in ſervitutem vendere patri permiſſum; qui tamen alterius filias emebant, non captivas, ſed uxores ſibi vel filiis ſuis comparare cenſebantur (c); ſecus, illas manumittere cogebantur. Parentes ſanè filias in matrimonium vendere conſueverunt, undè fœminam emere, & cum illa matrimonio copulari, pro eodem uſurpabantur.

Homicidii crimen capitale erat, *Exod.* 20. 13. *&* 11. 12. 13. Urbes aſyli tres citra, totidem ultra Jordanem iis, qui imprudentes hominem peremiſſent, confugium præſtabant. Qui ad aſylum ſe recepiſſet, cauſam ſuam coram Judicibus loci dicebat, *Num.* 35. 23. 24. *Deut.* 19. 1. *&c.* deinde propinquis occiſi poſtulantibus, ad locum cædis, datis cuſtodibus, remittebatur: ubi cauſa diſcuſſa, ſi crimen Judices deprehendiſſent, in poteſtatem partis adverſæ remittebatur; ſi verò cædes imprudenti contigiſſe probaretur, iterum ad urbem aſyli remittebatur, ubi ſe uſque ad obitum Summi Sacerdotis ita contineri debebat, ut extra urbem deprehenſus, impunè à propinquis occiſi interfici potuiſſet. Porrò Leges illæ non de Iſraelitis tantùm, ſed de advenis etiam latæ ſunt. Crimen homicidii, nulla conceſſa pœnæ remiſſione, morte puniebatur, vel à propinquis occiſi inferenda, ſi fortè in occiſorem offendiſſent; nec pecunia vitam redimere, neque illam aræ religione defendere, hujus criminis reus permittebatur, *Exod.* 20. 14.

Si duobus viris jurgantibus, alter ex illis vulnus alteri ita inflixiſſet, ut decumbere cogeretur, ac deinde ita à vulnere convaluiſſet, ut ſcipione fultus incedere potuiſset, tunc qui injuriam intulerat, impenſis in medicum, atque operibus alteri perſolutis, abſolvebatur, *Exod.* 21. 19. 20. Qui captivum ſuum occidiſſet crimine homicidii reus habebatur; ſi verò ita vulneraſſet, ut ad unum & alterum diem vitam produceret, impunis abibat herus; ipſe enim mancipium poſſidet, ejuſque diſpendio perit. Si duobus rixantibus, mulier fœta caſu tranſiens, fortè percuſſa, abortum patiatur, tunc fœmina ſuperſtite, reus mulctam arbitrio viri, & ſelectorum ad eam rem virorum, perſolvat: ſi obierit, vita pro vita, oculo pro oculo, dente pro dente crimen expiabit. Herus oculum, ſive dentem mancipio excutiens, illud manumittat, *Deut.* 35. 11. Si fœmina viro ſuo rixante accurrens, adverſarii pudenda manu contigit, manus abſciſſione multabitur, *Exod.* 21. 28. &c.

Bos, qui hominem cornibus transfoderit, lapidibus opprimetur, ejuſque carnibus abſtinendum *Exod.* 20. 14. *Levit.* 20. 10. *Deut.* 5. 18. *&* 22. 21. *&c.* Dominus verò, cui petulans bovis ingenium innotuerat, nec illud antea incluſit, vel morte damnabitur, vel requiſitam mulctam perſolvet. Mancipio illata à bove mors bovis ejuſdem lapidatione, & 30. ſiclorum pretio hero perſoluto, expiatur. Si bos bovem tranſfodiſset, occiſi carnes pretiumque ſuperſtitis (qui vendendus erat) inter utriuſque dominos æquè dividebatur: Domino tamen, cui ſui bovis petulantia innotuiſset, neque periculo eumdem claudens in bubili occurriſset, defunctum animal ſuperſtes alteri cedebat. Si putei defoſſi os non occluderetur, indeque bos, ſive aſinus in illum incidens periiſset, domini ejuſdem putei diſpendio peribant; ad quem tamen defunctum animal pertinebat.

Adulterii crimen tam in viris, quàm in fœminis capitale erat, *Levit.* 18. 6. 22. & 20. 11. 17. deſponſæ verò ſi quis vitium intuliſset extra urbem, procus tantummodò interibat; intrà urbem uterque; fœmina enim vim cauſari non poterat, quippè quæ clamando ſeſe ſubducere valuiſset.

Inceſtus, ſodomia, & à quibus natura abhorret, crimina, capitali pœna puniebantur, *Exod.* 22. 19. *Levit.* 18. 22. *&* 19. 29. *&* 20. 11. *Deut.* 23. 18. In proſtituentes pudicitiam tam viros, quàm fœminas graviſſima pena animadvertebatur, *Exod.* 22. 16. atque infame lucrum ad Templum inferre nefas, *Deut.* 22. 11. 18. Si quis fœminæ vitium intuliſset, illam ducere cogebatur, diſsentiente tamen puellæ patre, dos vitiatæ tantùm perſolvenda. Imò, & ad mulctam 50. ſiclorum patri puellæ perſolvendam, & ad nuptias procus adigebatur, ſi re ad Judicium delata, vis ab illo aliqua illata fuiſse probaretur, *Deut.* 22. 28. *cum Exod.* 22. 16. hoc verò conjugium per repudium ſolvere vetitum. Viris ad uxorem menſtruatam accedere nefas; quod quidem crimen ad judicium delatum capitale erat, *Exod.* 20. 17. *Deut.* 5. 20.

Legis quidem præcepta homini in officio continendo, quoad ea, quæ extrinſecùs patent, lata ſunt; non ita tamen, ut cordis deſideria negligat; alterius namque bona, & fœminas concupiſcere inhibitum eſt. Poſt repudium (quod quidem toleratur) ſi fœmina alteri nupſerit, iterum cum illa conjugium nectere prior vir prohibetur, *Deut.* 24. 1. Turpia illa, à quibus natura maximè abhorret, his fortaſse verbia per ænigma prohibentur, *Deut.* 22. 5. 9. 10. 11. *Levit.* 19. 19. 20 *Non indueris veſtimento, quod ex lana linoque contextum eſt, non ſeres vineam tuam altero ſemine; non arabis in bove ſimul & aſino; non induetur vir veſte virili*, ac viciſſim.

De furto nihil non vetitum, *Exod.* 20. 15. licèt non iiſdem omnia pœnis prohibita. Liberum hominem in mancipium furto vendere, capitale erat, *Exod.* 21. 16. *&* *Deut.* 24. 8. bos ſublatus quintuplo; ovis quadruplo reſtituenda, *Exod.* 22. 1. &c. furto tamen extante, duplo tantùm. Fur noctivagus, ſuffodiens parietes deprehenſus, impunè occiditur: diurnum verò interficere capitale eſt. Si fur bona non habet, vendatur, *Exod.* 22. 4. 5 Qui alieno agro, ſivè vineæ damnum intulerit, ſive ſua culpa meſses, ſivè manipuloa alterius igne corruperit, de ſuo agro, & vinea reſarciet. Depoſitum cuſtodis fraude ſublatum, ſi fraus in Judicio probetur, duplo reſtituendum; ſi dolus abſuerit, cuſtos abſolvitur. Si cui pecus alterius creditum eſt, ejuſque incuria, ſeù dolo perierit, ſivè furto ſublatum ſit, ipſius diſpendio peribit: ab hoſtibus ſublatum, ſivè ſi forte occubuiſset, re in Judicio ſacramento probata, cuſtos abſolvitur: ſi tandem à beſtiis voratum fuiſset, diſcerptæ pecudis reliquiis ad Dominum delatis, inſons idem cuſtos judicatur. Alia verò eſt ratio de commodato, & conducto; conductor enim, & commodatarius abſolvitur, ſi coram domino animal perierit, ſecùs, ad reſtitutionem adigitur.

Fœnus a ſuis exigere Iſraelitis nefas, cum externis

 tolera-

(a) Lev. 19. 15. Vide & Deut. 16. 18. &c. (b) Deut. 29. 18. 19. Vide & Levit. 19. 16.
(c) Vide Exod. 21. 7. &c.

Digitized by Google

toleratur, *Exod.* 22. 25. *Levit.* 25. 37. *Deut.* 24. 19. 20. Pignus ſi creditor à debitore exegerit, extra fores domus illius opperiatur quidquid ab altero producetur, *Deut.* 24. 6. 10. à molis tamen, quibus triticum teritur, & à veſtibus viduæ accipiendis abſtineat; veſtem autem, ſivè culcitram acceptam, ſaltem ante veſperam reſtituat, ut frater noctè dormiens foveatur, *Exod.* 22. 26. Mercenarius diurnis ante noctem pretium perſolvendum, *Deut.* 24. 14. 15. *Levit.* 19. 13. Divites mutuum dare pauperibus recuſantes, quod ex illis nihil ſperent lucelli, damnantur, *Deut.* 15. 4. 8. mutuam enim opem ſibi Iſraelitæ præſtare debent, ut nemo indigere cogatur. Alieni agri termini ne transferantur, *Deut.* 19. 14. In colligendis meſſibus, & uvis non ità ſeduli ſint meſſores, ut racemos & ſpicas pro indigentibus, qui ponè illos conſequuntur, nullas relinquant; & ſi fortè manipulus in agro per oblivionem relictus fuerit, deindè non requiratur. In conviviis religioſis, pauperum, viduarum, orfanorum, advenarum, ac Levitarum ratio potiſſimùm habenda; *Advenam non contriſtabis*, ait Moyſes, *Exod.* 22. 21. & 23. 9. *Levit.* 19. 33. 34. *Deut.* 10. 18. *advenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Ægypti..... ſcitis enim advenarum animas*. Neque in fratres tantùm & amicos, ſed in adverſarios quoque benevolo eſſe animo Deus jubet, omnem ultionis exigendæ curam ſibi reſervans, *Lev.* 19. 18. *Deut.* 32. 35. Hinc ſi adverſarii jumentum ſub ſarcinis fatiſcat, manus illi relevando apponenda; ſi pecus illius errabundum offendatur, ad caulas reducendum, *Exod.* 23. 4. 5. *Levit.* 19. 17. *Deut.* 22. 1. &c. Quæ tamen de Chananæis dicta non intelliguntur, ab Iſraelitis ultionis divinæ miniſtris, igne & aqua interdicendis, *Exod.* 22. 32. 33. & 34. 12. *Num* 30. 51. 52. *Deut.* 7. 2. 16. Racemos ſivè ſpicas fortè occurrentes colligere ad veſcendum fas eſt; ad aſportandum, nefas. *Deut.* 23. 24. 25.

Penès Iſraelitas mancipiorum duplex erat genus; ex Hebræis nempe, & advenis. Hebræi anno Sabbathico manumittebantur: cæteris æterna ſervitus. Vide *Exod.* 22. 1.... 6. *Levit.* 25. 39. &c. Hebræi verò, qui ſervitutem libertati prætuliſſent, Legis privilegio coram Magiſtratibus renunciabant, domum deinde ab hero reducti, cùm ad fores perveniſſent, ſubula auribus perforabantur. Una cum conjuge & filiis manumittendus, ſi captivitatem una cum illis ſubivit, ſi verò in captivitate conjugem ab hero accepit, ſolus ipſe manumittitur. Si vir Iſraelita, egeſtate cogente, libertatem ſuam externo vendiderit, à propinquis redimendos: ſi verò illi tenuis ſubſtantiæ ſint, quouſque Iſraelita redimere poſſit; vel ipſe tandem ſervus pretium pro ſe reſtituat. A quocumque tamen ſolvatur, integra pecunia hero reſtituenda, deductis tamen annis in ſervitute exactis, & ſupputato temporis ſpatio uſque ad annum Jubilæi; Iſraelitis enim ſimul, & extraneis vetitum, ultra Jubilæum captivos, necnon alienas hæreditates diutiùs retinere. Si mancipium ab hero durè habitum, in ditionem Iſraeliticam confugerit, quamcumque tandem urbem elegerit, tutò ibidem agere permittatur, *Deut.* 23. 15. 16. Filiam ſi quis à patre emerit, vel ipſe, vel filius ipſius in conjugem inferioris ordinis illam habebit; ſecus, eamdem anno Sabbathico libertati reſtituens, 30. ſiclis juxta Rabbinorum doctrinam donabit. Hanc verò filiam ſemel emptam, alius vendere nefas, neque eidem filiæ ultra annum Sabbathicum ſervitutem ſuam producere permiſſum eſt. Si emptor ſervam filio ſuo nuptum tradidiſſet, integrum illi erat eidem filio novam conjugem adjungere, rato ſemper, ac firmo prioris fœminæ jure. Uxori ſemel emptæ vir dominum, victum, veſtitum, & ſi quæ alia conjugem decent, præſtabit: in quibus ſi plus nimio parcior fuerit, fœminæ ſervitutem ſolvere, ne expectato quidem anno Sabbathico, licet.

Hominibus in homines bene afficiendis, humanitatis ſenſus ipſa vel in bruta per Legem inſinuatur. Hinc die Sabbathi quies non hominibus tantùm, ſed & jumentis indicta, *Exod.* 23. 12. Paſcua toto

anno Sabbathico omnibus pervia, *Levit.* 25. 7. ipſis, ut videtur, etiam belluis agreſtibus. Plura etiam in Lege præſcripta ſunt de non coquendo hædo in lacte matris ſuæ, *Exod.* 23. 0. 20. & 34. 26. *Deut.* 14. 21. de non capiendis in nido pullis, ſive ovis una cum matre, *Deut.* 22. 6. de non mutilandis brutis, *Levit.* 21. 24. de non alligando ore bovis triturantis, *Deut.* 25. 14. de non jungendis ſimul jumentis diverſi generis, *Lev.* 19. 19. *Deut.* 22. 10. Eodem humanitatis ſenſus inducunt Leges, quibus de ſurdo obloquutio interdicitur, ſive ne coram cæco offendiculum ponatur. *Lev.* 19. 14.

Omnibus indiſcriminatim animantibus Iſraelitis veſci, quin & omnibus æquè avibus, & piſcibus vetitum; erant quæ impura, erant etiam quæ pura apud illos habebantur. Ex quadrupedibus, quæ tantum ſaltem bifida ungue non eſſent, nec ruminarent, impura, *Levit.* 11. 2. &c. 22. 20. 25. *Deut.* 14. 4. Ex piſcibus, qui pinnulis, & ſquammis carerent, abjicienda; ex avibus quoque, & reptilibus plura hujus generis ſuppetunt. Porrò animantia illa, dum vivebant, contingere nulla Lege interdictum erat, mortua verò ſi quis attigiſſet, inquinabantur, nec niſi ad veſperam lotis priùs corpore, & veſtibus, contracta macula eluebatur. Nervo femoris cujuſcumque animantis etiam puri veſci minimè permiſſum, quod Jacobi femur Angelus contigerit, *Gen.* 32. 32. uti & à morticinis, ſive à bellua carnivora diſcerptis abſtinendum, *Exod.* 22. 31. *Lev.* 17. 15. Sanguis, & adeps eodem jure vetiti cenſebantur, *Gen.* 17. 31. &c.

Maſculorum circumciſio die octava à nativitate, Abrahamo olim præcepta, ad omnes Iſraelitas capitali pœna prorogata eſt, *Lev.* 17. 10. *Gen.* 10. 4. *Deut.* 12. 23. 24. *Levit.* 6. 25. Legales ſordes, quæ ab uſu rerum ſacrarum arcebant, ſivè quæ ab hominum commercio homines interdicebant, non unius erant rationis. Cadaver contigiſſe, ſive in eadem cum illo domo egiſſe, funeri interfuiſſe, virum per hebdomadam inquinabant, qui dein aqua expiationis ſub *capitali* pœna luſtrandus erat, *Num.* 5. 2. 22. 19. 11. &c. Lepra, gonorrhæa, menſtrua non morbum tantùm, ſed & legalem ſordem inducebant, quamdiù ægrotus non convaluiſſet, *Lev.* 13. 45. 46. & 15. 2. 19. poſt morbum verò ſacrificium pro expiandis iis criminibus, quæ imprudenti eo temporis ſpatio contigiſſent, inductum erat. Si quis inquinatum, ſive ab illo contactum attigiſſet, diurnam maculam contrahebat, *Ibid. verſ.* 4. 20. Puerpera, quæ maſculum edidiſſet, 40. diebus, quæ verò fœminam, quinquagenis impura habebatur: quo temporis ſpatio neque res ſacras contingere, neque ante Templi atrium ſe ſiſtere permittebatur, *Lev.* 12. 4 Eo vero elapſo, agno, ſive turture, ſive pullo columbarum, (quod pauperculorum ſacrificium erat, in ſacrificium oblato expiabatur.

Exteri, quibus circumciſionis nulla erat ratio, ab Iſraelitis impuri habiti ſunt, adeò ut rem inquinatam innuere volentes, *incircumciſum* dicerent; Chananæi, & Amalecitæ anathemati devoti, *Exod.* 17. 14. *Deut.* 25. 17. Eunuchi, nothi, atque proſtitutæ filii ab Eccleſia Dei uſque ad decimam generationem, *Deut.* 23. 1. 2. nempe à conſortio privilegiorum Iſraelis, excluſi ſunt. Idem de Ammonitis, & Moabitis in Lege cautum eſt, *Deut.* 23. 1. 6. cum quibus etiam populis fœdus, & amicitiam inire vetitum. Idumæi, & Ægyptii, illi quod Eſau Jacobi germanum in patrem habuiſſent; hi quod Iſraelitas tamdiù jure hoſpitii apud ſe habuiſſent, poſt tertiam generationem recipiebantur.

Dolo, & fraude in commerciis removendis, plura ſancita ſunt. Vendendo emendoque, exigendo, atque ſolvendo exacta menſura adhibeatur, *Levit.* 19. 15. *Deut.* 25. 13. 14. Senioribus obſequium præſtandum, neque coram illis aſſidendum *Levit.* 19. 32. Anſulæ ad quatuor angulos pallii ab Iſraelitis aſſuendæ, uti & veſtium extremitatibus fimbriæ, ut eorum aſpectu Legis memoria reficeretur, *Num.* 15. 38. *Deut.* 22. 12. Deficientibus tantummodò maſculis, fœminæ in jus hæreditatis vocentur, *Num.* 27. 5. 6. & 26.

26. 3. &c. quibus autem fœminis hæreditas obvenerit, virum ex aliena Tribu ducere prohibentur, ne Tribuum poſſeſſiones turbarentur, *Num.* 27. 8. &c. Defuncto ſinè liberis fratri, fratres ſuccedunt, eorumque defectu patrui; ſin minùs, ſanguine propinquiores.

Decedente ſinè liberis fratre, frater ſuperſtes relictam ex illo viduam ducebat, ut extincti memoriam in prole conſervaret, *Deut.* 25. 5. qui ſi conjugium renuiſſet, ad portas urbis à fœmina adductus, calceo exuebatur, atque in ore expuebatur, his verbis adjunctis: *Sic fiet, homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* Siniſtra de fide conjugis opinione à viro concepta, aquæ ad eam rem deſtinatæ judicio illam ſubdebat. *Num.* 6. 14. Deo Hebræorum protervitæ aliquid indulgente, quò majora mala vitarentur. Eadem etiam indulgentia permiſſum eſt, ut conjux uxorem abſque indiciis virginitatis deprehenſam, *Deut.* 22. 14. 15. judicio ſiſtat: ſi tamen accuſatio falſa probaretur, virgas ſivè fuſtes accuſator ſubibat, pretio inſuper 100. ſiclorum perſoluto. Viro duplici conjugio copulato, jus primogenituræ filio natu majori acquiſitum, in alterum ex prædilecta conjuge natum transferre, ſivè inviſæ conjugia natum eodem primogeniti jure privare interdictum, *Deut.* 22. 15. 16.

Tota Chanaanitidis regio pro numero Tribuum, ſingulorumque contribulium æquis portionibus dividenda erat, *Num.* 33. 13. & 34. 13. Ædium culmina muri lorica ambienda, quò in tectis ad modum ſolarii complanatis, inambulantibus periculum vitaretur. *Deut.* 22. 8.

Vota non unius erant generis apud Hebræos: ſivè enim ſe, vel alios devovebant, *Levit.* 27. 2. Quo voto adſtricti, pecunia redimebantur varia, illa quidem pro ſexus ætatiſque diſcrimine. Viris enim ab anno ætatis 20. uſque ad 60. mulcta 50. ſiclorum, fœminis 30. indicta. A quinto uſque ad 20. viri 20. ſiclos; fœminæ 10. pendebant. Pauperiores pro facultatum modulo, ad Sacerdotis arbitrium. Animal ſacrificio aptum, voto conſecratum, immolandum omnino, neque à volente redimi poterat: impurum verò ſi offerens redimere velit, pecuniam quæ Sacerdoti videbitur, & quintam inſuper partem adjiciat. Ædes priùs æſtimandæ, deinde Sacerdotis lucro vendendæ; quas ſi Dominus ſibi habere velit, ſupra pecuniam æſtimatam, quintam adjiciet. Ager voto conſecratus, a Sacerdote de more æſtimandus, ſupputatis redditibus, & ſpatio temporis uſque ad Jubilæum liberum deinde eſt offerenti illud ſibi emere, ſi pretio quintam addiderit; ſi verò alienn vendatur, neque in Jubilæo ad veterem poſſeſſorem regreditur; cùm enim ſanctus ſit ager & Sacerdotibus acquiſitus, Sacerdoti in Jubilæo reſtitnendus. Primogenita ad Dominum ſpectant, quorum proindè per votum conſecratio ſupervacanea eſſet.

Ea, quæ anathemati devovebantur, nulla conceſſa redimendi poteſtate, animalia quidem neci tradenda fuerant, ædes verò & poſſeſſiones Sacerdotibus acquirebantur, *Levit.* 27. 28. Decimæ ex frugibus & pecoribus, ſoluto pretio, & quinta inſuper parte, redimi poterant. Vota ſtatim & plena fide implenda ſunt, *Num.* 30. 3. Filia ſub patris diſciplina, ſi voto ſe obſtrinxit, & pater ſciens ſiluit, voti rea eſt; renuenre patre, voti religione nequaquam tenetur. Conjugio copulatæ votum, viro intrà diem diſſentiente, ſolvitur; ſi altera die vir propoſitum ſuum ſignificaverit, votum nihiloſeciùs firmum ratumque eſt. Repudiata, & vidua, voti, ſi quo ſe obſtrinxerit, rea eſt. Nazaræi, genus ſunt virorum, Deo devotum, abſtinentiam à vino meraciſque liquoribus profitentes, qnibus intonſa eſt coma, toto que Nazaræatus tempore ad funera non accedunt *Num.* 6. 1. Elapſo voti tempore, ante fores Templi à Sacerdote ſiſtebantur, ſtatimque agnus in holocauſtum, ovis pro peccato, aries in hoſtiam pacificam offerebatur. Victimis immolatis, Nazaræi coma abradebatur, igne altaris abſumenda; dein traditum ſibi à Sacerdote armum arietis, atque panis & laganæ oblatione Nazaræus iterum Sacerdoti reſtituebat, coram domino elevanda. His peractis vini uſus Nazaræo permittebatur. Si voti tempore fortè ante ipſum vir aliquis occubuiſſet, iterum cæremoniæ Nazaræatus ab exordio repetendæ erant, atque inſuper duo columbæ in expiationem offerendæ.

Cùm tota ante Chanaanitis Idololatriæ ſuperſtitione teneretur, quo tempore ab Hebræis occupata eſt, omnia fictæ religionis monumenta, quæ nuquam occurrerent, ſubverti, lucos, aras, petras, columnas, Deorum ſimulacra Deus juſſit, *Levit.* 16. 1. *Deut.* 13. 2. 4. Sibi verò primum aram ex glebis ad radices Sinai excitari voluit, *Exod.* 20. 24. 25. deinde alteram ex ligno, excavatam, æreiſque laminis ſuperindutam & in Tabernaculo collocandam, quæ cratem æneam ad medium cavi ſuſpenſam ſuſtinendo igni continebat, *Exod.* 27. 8. Porrò ad illam per gradus aſcendere vetitum, ne forte inter aſcendendum ea detegerentur in Sacerdotibus, quæ intuentium pudorem offenderent, *Exod* 20. 26. Judæis Terræ promiſſionis limites ingreſſis, juſſit Deus, alias ex Tribubus montem Garizim conſcendere, ibique Legem Dei ſervantibus benedictiones precari; alias verò montem Hebal tenentes, dira imprecari in Legis prævaricatores, *Deut.* 11 29. & 27. 13. Ara deinde ingens erigenda calce oblita, in qua Lex Dei inſcriberetur, Porrò hoc præceptum à Joſue impletum eſt, *Joſue* 8. 30. 31.

(LEX ORALIS vel traditio, quam tanſmiſſam ad ſe veluti per canalem à parentibus ſuis comminiſcuntur Hebræi. Habent autem perſuaſum Moyſem in vertice Sinai utramque ſimul Legem ſcriptam & oralem recepiſſe; priorem tamen illam mandaram fuiſſe literis, alteram nonniſi ore traditam, à Priſcis ad poſteros deveniſſe fideli ſemper ex patre in filium traditione. Factum inde ut æqua utrique Legi concilietur authoritas, tanquam ex uno eodemque Legiſlatore Deo rogatis. Quin & oralem ſcriptæ præferunt; quòd ſcilicet, ſi illos differentes audias, poſterior hæc obſcura identidem ſit, manca, & imperfecta, nunquam dirigendis hominibus valens, niſi à Lege orali ſuppleretur, ea corrigente, quæ in ſcripta deficiunt, ſalebraſque ejus omnes ſubmovente.

Itaque homines illi ſcriptam Legem non ſervant, niſi explicationibus, limitationibus & gloſſis oralis reformatam: Dogmate veluti ſanctum tenent, Dei fœdus illud in Sinai cum patribus ſuis initum minus verſari totnm in Legis ſcriptæ, quàm in oralis præceptis. Nec raro apud illos audias qui legis oralis ſanctiones ſcriptis preferant. Dictitant e. g. Scribarum verba ſuavitate Legem ſcriptam vincere. Legis eſſe ſententias graves quidem ſæpè, ſed & futiles etiam non raro; nihil autem niſi grave protuliſſe Doctores. Seniorum verba Prophetarum ſermones pondere ſuperare. Alicubi Textum ſacrum comparant aquæ, & Miſnam vel Thalmud, in quo traditiones referuntur, vino ſeu mulſo: Sal eſt lex ſcripta; ſed Miſna & Thalmud exquiſitiſſima quæque aromata. Legem perinde habeas ac corpus; traditiones reputes animam Religionis. Vitio illis vertit Jeſus Chriſtus, Marc. 7. 13. verbum Dei abjectum, ut traditiones ſuas aſſererent. Vide v. *Cabala*.

Legis interdum nomine univerſa utriuſque Teſtamenti Scriptura cenſetur. Mahometani, Mahometum ducem ſequuti (a), Judæos de corrupta Lege, quemadmodum & Chriſtianos de Evangelio depravato accuſant. Quo ducti conſilio has ſtruxerint calumnias facilè intelligas, ut ſcilicet genuinis Scripturis invidiam creantes, Judæis & Chriſtianis eripiant arma, quibus in Mahometiſmi perniciem de victoria ſecuri pugnarent. Nihil enim tota Mahometanorum Religio eſt, quam ſuperſtructum calumniæ huic nefa-

(a) D' Herbelot. Bibliot. Orient. pag. 853. & 854.

nefarii Impoſtoris ſyſtema. Cùm id ſemel ut crederent è ſectatoribus ſuis impetravit, Judæis & Chriſtianis depoſitum ſacrorum oraculorum ſolis inter homines ſervantibus, neceſſitatem imponit, ut productis documentis evincant poſſidere ſe exemplaria authoritate certa & incorrupta, qualia à Sacris Authoribus data conſtat. Ipſe interea vir callidus datum ſibi interim ſpatium temporis arbitratus eſt, ut quæcunque maluiſſet hæc obtruderet; ſacras utriuſque Teſtamenti hiſtorias corrupit, Patriarchas, Moyſem, Jeſum Chriſtum cohærentia ſyſtemati rebuſque ſuis loquentes induxit; nobiſque, impoſtorem clamitantibus, impoſturam regeſſit, quippe quos damnabat, tanquam ſacrorum Librorum corruptores, & ſinceræ Legis & Evangelii violati reos.

In quo autem potiſſimum Libros veteris Teſtamenti corruperunt Judæi? Additis, reponunt Mahometani, punctis vocalibus à Textu Originali alienis. Fatemur equidem vocalia illa puncta recentiſſimum eſſe inventum, hæc tamen non corrumpendo Textui addita conſtat, ſed vagæ quorundam verborum lectioni, & variis ſubjectæ ſenſibus determinandæ. Nec tamen hiſce detractum eſt quidquam juri ſingulorum, ut aliter quàm ferant puncta illa pronuncient, vel legant. Addunt inſuper, in Libris Moſaicis ne unum quidem ſupereſſe præceptum indicens Hebræis ſive preces, ſive jejunium, eleemoſynam, peregrinationem Jeroſolymitanam, quod apertam corruptionem præfert. Sed præſtat utique ut Mahometani ulteriori rei examini parcentes Mahometi illud prætendant: *Si fortè quiſpiam, quos habet Libros vobis obtulerit, judicium ſuſpendite, nec fidem illis adjiciendo, nec fidem negando; ſed tantùm illud oggerite. Nos credimus in Deum, in ejus Libros, & in viros ab eo miſſos.* Huic inhærentes dogmati Muſulmani vetitum ſibi arbitrantur, ſeu vernaculè reddere, ſeu laudare teſtimonium è Lege vel Evangelio.)

LIAH, filia natu major Labani, quam pater pro Rachele Jacobo imprudenti ſuppoſuit, ita ut fraudem Jacob nonniſi ſequenti die animadverterit (a). Re tandem comperta, Jacob de fraude cum Labano conqueſtus eſt; ſed ille morem regionis, juniores filias nonniſi poſt majores nuptum tradendi obtendens, factum excuſavit. Hinc Jacob pro obtinenda Rachele ad alterum ſeptennium ſervitutem ſuam fide obligare coactus eſt. Cùm autem vir in Rachelem potius, quàm Liam inclinare videretur, alteri fœcunditatem Deus tribuit, brevi ſeptem filiorum matrem efficiens, quorum hæc ſunt nomina: Ruben, Simeon, Levi, Juda, Iſſachar, Zabulon, & Dina; & præterea, Gad, & Aſer, quos à Zelpha Liæ ancilla ex Jacobo genitos, in filios adoptavit. Emortualis ejus fœminæ annus latet; obiiſſe tamen in Chananitide, eademque in ſpelunca, ubi & Sara, Abraham, & Iſaac, tumulatam conſtat.

LIBANUS, mons celeberrimus, Syriam & Palæſtinam diſterminans, figura ad ferrum equinum accedens, cujus caput tribus, ſive quatuor leucis ultra Mediterraneum ſupra Smyrnam (b); à ſeptentrione deinde ad meridiem circa Sidonem excurrens, retrogrado tandem excurſu à meridie ad ſeptentrionem, à Damaſco ad Laodiceam Scabioſam circuit. Horum montium pars occidentem ſpectans, Libanus nuncupatur; orientalem verò à meridie ad ſeptentrionem protenſam, Antilibanum Græci appellant. Utroſque vallis interjacet, ſatis protenſa, quam Cœle-Syriam, ſcilicet Syriam Cavam, & Joſue 11. 17. *planitiem Libani* appellat: noſtrâ verò ætate nomen loco inditum *Bekah*, Hebræis *Bekah*, nempè planities. De cedris hujus montis in ſuo articulo egimus. Nomen Libani ex Hebræo *Liban*, ſive *Laban*, quod album ſignificat, derivatum eſt; nivibus enim perpetuis candeſcit, de quibus Jeremias 18. 14. & Tacitus l. 5. *hiſt. c.* 5. *Præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum, fidumque nivibus.*

Templum Jeroſolymitanum quandoque *Libanus* appellatur; futuram enim ejus everſionem per Romanos prædicens Zacharias 11. ait: *Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.* Ezechiel verò ejuſdem Templi direptionem, everſionemque per Nabuchodonoſorem, eadem phraſi deſcribit 17. 3. *Aquila grandis magnarum alarum venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.*

Tandem *domus ſaltus Libani* dicta eſt Regia à Salomone Jeroſolymis conſtructa, quod ſorte nomen à celſitudine atque nitore operis, vel ſaltem à cedrorum columnarumque copia inditum eſt. Ædium illarum ſtructuræ ſimul, atque magnificentiæ nihil erat reliqui. Tota enim ædificii menſura 170. pedibus & 10. pollicibus in longum; 85. pedibus & 5. pollicibus in latum; 51. pedibus & 3. pollicum altitudine. Fabricæ interiora fulciebant quatuor columnarum ordines 45. numero, 15. in ſingulis ordinibus (quartus enim ex pilis conſtabat); ex quibus tres faſtigiatæ porticus ante penetralia reſultabant.

Ædibus & porticibus atrium jungebatur, 50. cubitis in longum, & 30. in latum, quod porticus ambiebant columnis inſtructæ. Huic alterum atrium amplius adhærebat, iiſdem ornamentis, & columnis cui ex conſtituto Salomonis Throno juri dicundo, atrium Throni nomen inditum eſt.

(Emetitur Libanus ambitu ſuo 100. circiter leucas, Meſopotamiam ſpectans Orientalem, Armeniam ſeptemtrionalem, Terram Promiſſionis meridionalem, & Mediterraneum ad Occidentem. E' Libano quatuor amnes defluunt, Jordanis, Rocham, Nahar-Roſſien, & Nahas Cadicha. Quatuor montium veluti ſtrata aliis ſuper alios creſcit. Primum ſtratum uberi pingueſcit ſolo, tritico maximè ferax & fructibus; ſuccedit alterum ſterile nonniſi ſpinis obſitum & petroſum. Surgit ſuper hæc tertium perpetuo vere beatum; nunquam ibi viriditate ſua exſpoliantur arbores, nunquam horti & pomeria fructibus, uno verbo amœnus eſt adeo & fertilis locus, ut non aliò quærere Paradiſum terreſtrem nonnullis ſuccurrerit. Quartum tandem vertice adeo ſublimi eminet, ut nunquam fermè liberetur à nivibus, quarum algor incollas repellit.)

TURRIS LIBANI. Salomon in Canticis 7. 4. Sponſæ ſuæ naſum aſſimilat *Turri Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Cujuſdam Turris è regione Damaſci in Libano ſitæ, cujus reliquiæ ſublimiſſimam quondam fuiſſe oſtendunt, Itinerantes meminere. Ejuſdem lapides, quorum adhuc ſuperſtites Benjamin Tudelenſis aliquos viderat, palmis viginti altitudinem duodecim verò latitudinem protrahebant. Gabriel Sionita cubitis ſupra quinquaginta latam, centum verò ſublimem eam Libani Turrim teſtatur, cujus quoque mentio apud Maundrellum, qui eminùs tantummodò eam proſpexerat.

LIBATIO. Hanc vocem Scriptura adhibet ad deſignandam liquoris, vini v. g. effuſionem, qua victimæ Domino oblatæ aſpergebantur (c). Pinta unica, ejuſque octava pars, quinque cubici pollices, & aliquanto amplius vini, pro libationibus menſuram implebant.

(Solemne erat Hebræis ut libationes inferrent ſuper victimam jam immolatam, vel ſuper hoſtiæ diſcerpta membra in Altare poſita ut flammis adolerentur. Vide Leviticum 6. 20. & 8. 25. 26. & 9. 4. 16. 12. 20. & 23. 13. Moyſes abſoluta immolatione victimarum pro conſecratione fratris ſui Aaron: *Adipem & caudam omnemque pinguedinem, quæ operit inteſtina reticulumque jecoris, & duos renes, cum adipibus ſuis, & armo dextro ſeparavit. Tollens autem de caniſtro azymorum, quod erat coram Domino, panem abſque fermento, & collyridam conſperſam oleo, laganumque, poſuit*

(a) Gen. 29. 23. A. M. 2245. ante Ch. 1755. ante Ær. 1756.
(b) Plin. l. 5. c. 20. Euſeb. & Hieron. in locis Hebr. in Antilibano.
(c) Vide Levit. 23. 13. Num. 15. 5.

Poſuit ſuper adipes, & armum dextrum, tradens ſimul omnia Aaron & filiis ejus. Qui poſtquam levaverunt ea coram Domino, rurſum ſuſcepta de manibus eorum, adolevit ſuper Altare holocauſti.

Libationes illas implebant panis, vinum, & ſal; panem referebant varii generis placentulæ, vel ſcilicet ad clibanum excoctæ, vel frixæ, vel in tortæ morem formatæ; aliæ ſubactæ oleo; aliæ tantùm linitæ; aliæ frixæ; interdum ſimila oleo affuſa, vel placentulæ oleo pariter irrigatæ. Harum pars tantùm ſacro igne cum victima abſumenda in Altari conſecrabatur, reliqua cedebant Sacerdoti, merces navatæ operæ; diſtribuebanturque ex æquo inter Sacerdotes actu in Templo miniſtrantes; neque enim aliò efferre, vel abſumere oblationes illas fas erat.

Norant pariter Græci Latinique libationes in ſacrificiis oblatas; ſed affundebantur illæ ſuper caput victimæ nondum immolatæ, uti teſtimoniis Authorum ſexcentis probatur. Æneidos 2. v. 130. 131. narrans Sinon quo ritu immolandus, de ſe in ſacrificium paratus fuit, exponit, traditum ſe manibus Sacrificuli expeditum jam ſtetiſſe ad immolationem; jam inducta vincula, jam vittæ vel coronæ paratæ, jam affundendæ libationes frugum, vel ſalſæ molæ.

Jamque dies infanda aderat, mihi ſacra parari,
Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.

Dido ad ſacrificandum jam parata vinum affundit inter cornua victimæ, Æneid. 4.

Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fudit.

Exhibet ſeſe Apoſtolus tanquam victima ad immolationem expedita, peractis jam ſuper ſe libationibus farinæ & vini de more: *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Timoth. 4. 6.*)

LIBER, Bacchus, qui Liber idcirco dicitur, quòd vino deditì liberi fiant. Hedera huic Idolo ſacra redimiti Judæi, ſolemniter Liberi feſta peragere ab Antiocho Epiphane cogebantur. *Cogebantur hederis coronati Libero circuire. 2. Mach. 6. 7.* Judæi, qui ſub Philopatore in Ægypto in Judaica Religione perſtabant, hederæ ſigno inurebantur, 2. *Mach. c. 2.*

(Bacchi licèt nullibi in Scriptura nomen occurrat, legitur tamen alia ejuſdem appellatio. Secundus Machabæorum 6. 7. *Cùm Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hederis coronati Libero circuire.* Et cap. 14. 33. *Iſtud Dei fanum in planitiem deducam, & Templum hoc Libero patri conſecrabo.* Recurrit tandem ejus mentio in tertio Machabæorum, ubi de Rege Ptolemæo Philopatore, qui Judæos ab avitis ſacris recedere detrectantes ſtigmate inuri juſſit, exhibente folium hederæ, ſacræ Baccho arboris.

Plures, ſeu Bacchos, ſeu Dionyſios agnoſcunt prophani Scriptores. Quinque recenſet Cicero de Nat. Deor. l. 3. quorum primus è Jove & Proſerpina ſatus; alter, qui Nyſam occidiſſe fertur, Nili filius; tertius natus ex Caprio in Aſia regnavit condiditque leges Sabazias; quartus è Jove & Luna; quintus è Niſo & Thione. Sextum addidiſſe potuit Bacchum Thebanum è Jove & Semele, omnium celebratiſſimum. Notus eſt etiam Bacchus Indicus ex Ammone & Amalthea; notus alter Aſſyrius. Sed præ his omnibus Bacchi ex Jove & Semele clarum nomen, cujus ortus hiſtoriam hanc narrant Poetæ. Fœta Baccho Semeles Jovem rogavit ad ſe eo veniret habitu, quo conveniebat Junonem, i. e. fulgure & tonitru terribilis. Facilis roganti Jupiter; ſed illa nimiam majeſtatem non ſuſtinuit; terrore enim & flammis correpta interiit. Tum Jupiter ab alvo extinctæ puerum extractum abdidit intra apertum in ſuo femore vulnus, ubi tandiu fotus eſt, quo adusque aptum tempus impleretur. Emiſſus tandem in dias auras, Mercurio à patre traditur, deductuſque ab illo Nyſam in Arabia, ut inter Muſas educaretur.

Vini Deus eſt Bacchus, cui & vineæ primùm implantatæ & exprimendi vini rationis primitùs hominibus indicatæ honor tributus. Variæ ejus narrantur tum proſperè confectæ expeditiones, cùm etiam excurſiones in Arabiam & Indias. Ejus Numini ſacra cum hedera vitis; ac tandem in ejus hiſtoria quædam ab Eruditis animadverſa eam adduxerunt perſuaſionem, plura, quæ Moyſis eſſent, ad Bacchum tranſlata fuiſſe. E. g. filius eſt Nili, elegantiſſimæ formæ, in arca clauſus undis commiſſus, tandem geminam refert parentem, atque è femore patris eductus prodit in lucem. Hæc de Baccho; nec malè Nilo Moyſes ſatus eſſe diceretur, ſicut & ejus amnis aquis viminea conditus in ciſta permiſſus eſt. Venuſtiſſimus ille aſpectu, parentes habuit potiſſimam quidem conjugem Amrami, alteram verò ſecundariam filiam Pharaonis. Vix deprehenſus Hebræi generis agnitus eſt, ac proinde natus è femore meritò haberetur, juxta illud Scripturæ *Gen. 46. 26. Exod. 1. 5.* & paſſim.; *Egreſſi ſunt de femore ejus*; tandem qua matre editus eſſet tunc ignorabatur.

Bacchum curarunt Nymphæ in Niſæis montibus Arabiæ; Moyſen filia Pharaonis, quæ & nutriendum tradidit in regione Geſſen inter Ægyptum & Phœniciam, quibus interjacent & Montes Nyſæi. Ille plura domuit, pluresetiam excurrit regiones. Bacchantes habebat in exercitu; penetravitque ad Indos uſque favore beneficæ ſibi lucis, cùm interim Indis tenebræ offunderentur. Hic verò turbam non virorum tantùm ſed & mulierum ductabat per Arabiam & circum Sinaim, quæ interdum regio Indiarum nomine deſignata eſt. Bacchantes in comitatu Bacchi cymbala pulſabant & tympana, quibus inſignibus agnoſcas fœminas Iſraeliticas poſt tranſvadationem maris Idumæi lætis choreis inſtrumentiſque ludentes. Ægyptios glomerantibus afflictos fuiſſe tenebris, quo ſimul tempore lucis tranquillo fruebantur Iſraelitæ in Geſſen ſat conſtat.

Fama eſt Bacchum ſicco veſtigio tranſvadaſſe Orontem & Hydaſpem thyrſo ſuo percuſſo; hederaceum ejus baculum in terram projectum reptaſſe; Baccantes ſocias ejus Numinis venam aquarum in ſilice thyrſo percuſſa aperuiſſe; ſicut & euntes illos veluti proſequutos vini lactiſque fluentes rivulos. Quadrant hæc adeò cum Moyſe, ut his coloribus vix Ducem illum Hebræum non agnoſcas in Baccho. Inſigniter paludatus exhibebatur Deus Liber, frontemque habebat adſtrictam vitta, ſæpè & cornutum erat Numen; ab oneribus cæteris declarabat immunes qui Muſicam profitebantur; Legiſlatoris titulo inſignitur; ac tandem aſinum ſuum auſcultavit alloquentem. Nova ſunt lineamenta ab Hiſtoria Sacra accepta. Radiatus facie Moyſes cornutus appellatur in Scriptura; Sacerdotes & Levitas Dei obſequiis cantandiſque ejus laudibus addictos pluribus auget privilegiis. Aſinæ Balaamo alloquium, & ornamentorum Aaronis gloria ad Moyſem non pertinent, niſi tanquam Legiſlatorem & Hiſtoricum. Fuſiùs hæc omnia habes deducta apud Voſſium, Bochartum, Huetium &c.

Bacchi cultus Judæis imputatus eſt à Paganis. Meminit ejus rumoris Tacitus (a); cujus ſuſpicionis inde ratio ducta quòd Hebræi Sacerdotes inſtrumentis Muſicis tibia, tympaniſque luderent, hedera coronarentur, & vitis aurea in Templo reperta eſſet; ex quo creata de cultu Bacchi invidia. Amat Deus ille compotationes & tripudia; vitæ genus ducebant Judæi viliſſimum ac ſordidiſſimum. *Quippe Liber feſtos lætoſque ritus inſtituit; Judæorum mos abſurdus ſordiduſque.* Quæ de Sacerdotum Judæorum hederaceis coronis ferebantur temerè prorsùs conficta erant. Vitis illa aurea munus erat Templo oblatum, ad Judæorum Religionem nihil

 confe-

(a) Hiſt. l. 5. *Sed quia Sacerdotes eorum tibia tympaniſque concinebant, hedera vinciebantur, vitiſque aurea Templo reperta. Liberum patrem coli, domitorem Orientis, quidam arbitrati ſunt.*

conterens. Porrò eodem mendacio cultus Bacchi imputabatur Judæis, quo & aſini religio illis pariter affiſta erat à Paganis.

Libera merum inſpirat; unde *Liberi* nomen. Conſilium agitans Epiphanes removendi à patria Religione Judæos dura illos perſequutione urgebat; & cùm Liberi ſacra celebrarentur, *cogebantur hedera coronati Libero circuire*. 2. *Macab*. 6.7. Græcus ad literam habet; *Cogebantur pompam ſequi Dionyſii* vel Bacchi, *habentes hederam*, vel in capite ſcilicet vel in manibus; i. e. vel hedera coronati, vel thyrſos, baculos hedera veſtitos, ferentes. Nicanor ex Ducibus Antiochi denunciavit Judæis, niſi dederent Judam Machabæum, everſurum ſe Templum, & alterum Baccho excitaturum 2, *Mach*. 14. 13.

Ptolemæus Philopator, Rex Ægypti, omnium, quotquot habebat per ditionem ſuam ſparſos, Judæorum negantium avitam Religionem deſerere, exterminio decreto, multavit illos priùs omnibus privilegiis & jure etiam Civitatis Alexandriæ, quo fruebantur 3. *Mach*. 2.; tum & juſſit ſtigmate folii hederacei veluti devotam Baccho gentem. Ipſe pariter Rex eodem ſacro hederacei folii cauterio, quo & Sacerdotes magnæ Deæ, ſeipſum initiaſſe fertur.)

LIBER, Græcè *Biblos*, Hebraicè *Sepher*. In plumbeis, & æneis laminis, in arborum corticibus, in lateribus, petris, & tabellis olim poſteris relinquenda cælabantur. Duas columnas, ex lapidibus alteram, alteram ex lateribus Joſephus *Antiq. l*. 1. *c*. 3. memorat, in quibus ſuas Aſtronomiæ cognitiones filii Seth exaraverant. Quarumdam columnarum quoque meminit Porphyrius *l*. 2. *de abſtinentia*, quæ in inſula Cretæ adhuc erectæ ſacrificiorum Corybantum cæremonias legentibus exhibebant. Heſiodi opera inſcripta primò fuere in plumbeis laminis, quæ apud Bœotios in Muſarum Delubro aſſervabantur. Domini mandata in lapidcis, Solonis verò Leges in ligneis tabellis inſculptæ fuere (a). Ligneæ, buxeæ, & eburneæ tabellæ à veteribus adhiberi ſolitæ. Ligneæ tantùm, ut faciliùs ſtylo inſcriberentur, cera ſuperindui ſæpè ſolebant.

Tabellis omiſſis, palmarum folia, & arborum tiliæ, fraxini, aceris, ulmi ſubtiliores cortices inſcribi cœpere. Hinc nomen *Liber*, quod intimum arborum corticem ſonat. Cùm verò Libros, quò ferrent commodiùs, complicarent, *volumen* appellavere. Hinc etiam appellata volumina *Papyri & Pergameni*, de quibus ſtatim.

Papyrus, arundinis genus in Nili ripis proveniens, cujus truncus ex plurimis foliis invicem adhærentibus conſtat, quæ acu interjecto divulſa, ſuper humentem tabulam, qua videbatur latitudine, extendebantur, tum tenuiſſimo glutino, ſeù turbida & calefacta Nili aqua liniebantur, altero deinde & altero foliorum ordine ſuperinſtrato, ſole ſiccabantur. Hæc Ægypti papyrus, cujus nomine noſtra Charta, Ægyptia longè alia, papyrus appellata.

Cum Pergami Reges imitatione Ægyptiorum, qui ampliſſimam Alexandriæ Bibliothecam congeſſerant, ſimillimam ſibi erigere molirentur, papyrum ex Ægypto educi Ægyptii vetuere. Quare illi animalium pellem adhibentes, à Pergamos, *Pergamenum*, vel quòd ex animalium membris detraheretur, *membranam* dixere. Ex his duplicis generis libros confecere: alios in voluminum formam, membranas plures ita conſuentes, ut ex continuatam veluti membranam conſtituerent; ſic verò altera tantùm parte conſcribebantur: alios ex membranis pluribus ſimul unitis, & ex utraque parte conſcriptis, ut in noſtris hodie libris conſueſcimus. Judæi in Synagogis ad hanc uſque diem volumina adhibent, eorumque Biblia in Solemnitatibus legi ſolita inſtar veterum voluminum exhibentur.

Apud Veteres quoque lintea ſcriptionibus addicere moris erat. Sua adhuc ætate Parthos in veſtibus ſcribere conſuetos Plinius *l*. 13. *c*. 11. teſtatur; Titus verò Livius *Decad*. 1, *l*. 4. & 10. cujuſdam *lintei Libri* meminit, qui Magiſtratuum nominibus, & Reipublicæ Romanæ hiſtoriis inſcriptus, in Deæ *Monetæ* Delubro aſſervabatur.

Chartæ, qua nos utimur, quæque ex centonibus lineis putridis, imminutis, & aqua ſolutis, tum in folia collectis, componitur, originem ignoramus. Nulla ejus apud Authores, niſi quingentis ab hinc annis mentio; & Petrus Venerabilis, apud quem (b) ſermo de Libris *ex raſuris veterum pannorum* confectis, ejus fortè primò meminit. Meminit quoque P. Bernardus de Montfaucon *Palæograph. Græca l*. 1. *c*. 2. *p*. 17. *charta bombycina*, quam 600. ante annis adhibitam tuetur. Ejus origo adhuc latet. Goſſipio ſanè conficitur; uſus verò decimo abhinc ſæculo frequentiſſimus.

LIBER BELLORUM DOMINI. Moyſes Iſraelitas Amorrhæi regionem ingreſſuros unà ſecum flumen Arnon trajicientes referens, hæc ex Libro bellorum Domini allegat *Num*. 21. 14. *Sicut fecit in Mari Rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati ſunt, ut requieſcerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum*. Quæ utique referri nequeunt, niſi ad flumen, ſeu torrentem Arnon, qui urbem Ar interluens, Moabitarum regionem definit. Præcipua quædam, quæ Hebræis Arnon trajicientibus evenere, bellorum Domini Liber recenſet, & addit, eum torrentem inſtar Rubri maris receſſiſſe; quod utique aliunde nunquam accepimus.

Quis autem *Liber* iſte *bellorum Domini* fuerit, diſſident. Putant quidam, Opus eſſe Moyſe vetuſtius, in quo bella, quæ Iſraelitæ in Ægypto, vel extrà Ægyptum, antequam iis regionibus ſub Moyſe egrederentur, geſſerant, ſummatim congeſta fuere. Revera allegari non aſſolet, quod non ſit allegante vetuſtius, tùm præſertim, cùm ad prodigium aliquod comprobandum inducitur. Hebræum de hujuſmodi Iſraelitarum tranſitu, ut in Bibliis impreſſis vertitur, ſatis confuſum eſt: *Unde dicitur in Libro bellorum Domini; ad Vabeb in Suphah; & ad torrentes Arnon; & impetus torrentium, qui tetendit ad habitationem Ar, incumbitque in limitem Moab*. Quis fuerit *Vabeb*, prorsùs latet. Hunc putat Boivinus Senior regionibus, quas Arnon alluit, imperaſſe, & ab Iſraelitis, antequàm Ægypto egrederentur, everſum. Alii Moabitarum Regem fuiſſe autumant, quem Sehon Amorrhæorum Princeps deleverit.

Grotius pro *Vabeb*, *Moab* legit, & reddit: *Sehon vicit Moab in Supha*. Ego verò *Zared* potiùs pro *Vabeb* legens, ita interpretarer: *Unde dicitur in Libro bellorum Domini*; Hebræi caſtrametati ſunt *à Zared in Supha, & ad Torrentes Arnon, qui tetendit ad habitationem Ar, incumbitque in limitem Moab*. Zared optimè noſcimus (c). Inde profecti ſunt in *Supha*, ut quoque innuitur *Deuter*. 1. 1., & fortè etiam *Num*.22.35. E Supha moverunt ad Torrentem Arnon, qui Ar Moabitarum Metropolim interluit. Hæc omnia optimè recenſentur ad ea fulcienda, quæ in ſuperiori verſiculo referunt; quæ ſi alias interpretemur, non eſt, cur Moyſes eadem hic allegaverit. *Vabeb* facilè in Hebræo legi poteſt *Zared*.

Putant alii (d), *Librum bellorum Domini* vel eſſe eundem cum Libro Numerorum, ubi locus iſte affertur, vel alium non eſſe à Libro vel Joſue, vel Judicum. Hi autem pro, *Dicitur in Libro bellorum Domini*, vertunt: *Dicitur in hiſtoriis bellorum Domini*. Alii etiam Pſalmos 135. & 136. quibus Domini bella referuntur, *bellorum Domini Librum* appellant. Toſtatus Librum bellorum Domini, & Librum *Juſtorum* (e) alterum ab altero non eſſe defendit. Cornelius à Lapide eum locum, eamque allegationem Moyſis Textui addita fuiſſe, Librum verò bellorum Domini, Iſrae-

(a) Plutarch. in Solon. Vide & Laert. in Solon. (b) Petr. Venerab. con. Judæos in Biblioth. Clun. p. 1070. Vide Mabil. de Re Diplom. (c) Vid. Num. 21. 12. (d) Rabbini quidam. (e) Joſue 10. 13.

Digitized by Google

Iſraelitarum ſub Moyſe, Joſoe, & Judicibus &c. bella retuliſſe, quare & Moyſe fuiſſe poſteriorem, conjectura comprehendit. Auguſtinus etiam *qu.* 52 *in Numer.* eumdem Librum colligit opus fortè fuiſſe Moabitarum, quo eorum bella, ea præcipuè, quæ cum Iſraelitis, Moab regionem ingreſſis geſſerant, referrentur. Moyſes denique vel ſua, vel manu aliena Librum forte ſcripſit, quo Domini bella complexus eſt. Eidem libro, quem Annales vocavere, ſub Judicibus, & ſub Regibus manus admota; ab his vero Annalibus Libri ſacri, quibus Veteris Teſtamenti hiſtoriæ referuntur. Utcumque hæc fuerint, ſanè bellorum Domini Liber nullibi nunc extat, qui an certæ fidei fuerit, eo ſaltem in loco, qui hic affertur, ambigi nequit. Videantur Commentatores in Numer. 21. 14.

LIBER JUSTORUM, cujus mentio in Joſue 10. 13. & in Regum ſecundo 1. 18. iiſdem ferè, ac Liber bellorum Domini, difficultatibus involvitur. Poſtquam Joſue Solem & Lunam divinitùs ſtetiſſe retulit, ſtatim addit: *Nonne ſcriptum eſt hoc in Libro Juſtorum: Stetit ſol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei?* De cujus Libri Authore maximum ſanè diſcrimen. Sunt, qui eundem cum Libro bellorum Domini Librum Juſtorum velint. Sunt, qui Geneſim, quæ Juſtorum, & Patriarcharum vitas complectitur, eſſe defendant (a). Sunt denique, qui omnes eo nomine Moyſis Libros comprehendi tueantur. Hebræorum Reipublicæ initio quoſdam Nationis annalibus, & præcipuis, quæ Iſraeli contingerent, inſcribendis addictos, ad veritatem propriùs accedere non ambigimus. Quæ rerum monumenta vel in Templo condita, vel in Tabernaculo, cum id expoſtularet occaſio, conſulebantur. Quare *Liber Bellorum Domini*, *Liber dierum*, ſeu Annalium, *Liber Juſtorum*, ſeu Juſti, idem utique liber fuit; quem tamen, juxta temporum varietatem, vario nomine appellarunt. Ante Reges enim Bellorum Domini, ſeu Juſtorum Liber, poſt Saulem verò Liber dierum Regum Iſraelis, ſeu Juda cœptus eſt appellari.

An idem Joſue in opere ſuo, an il, qui Joſue geſta ad Libri formam redegere, Juſtorum Librum allegaverint, ignoramus. Eum tamen locum poſtea in Joſue inſertum credimus, cum aliqua eidem addita eſſe facilè comperiamus. Cæterum Juſtorum Liber prorsùs deſideratur. Vide *Commentator. in Joſue* 10. 13.

LIBER DIERUM, Hebraicè *Diberei Jamim* (b). Annales, & Regnorum Iſraelis, & Juda Ephemerides, quæ partim ſanè excidere, ſæpiſſimè tamen allegantur in Paralipomenis, & Libris Regum, quos ex tis monumentis, quæ poſt captivitatem fortè adhuc extabant, plerumque Author exhauſit. Vide noſt. Præfat. in Paralip. & Reg. Prophetæ ut plurimum, & viri Deo afflati *Dierum Libros* exarabant.

LIBER VITÆ, ſeu *Liber viventium*, ſeù *Liber Domini*. His phraſibus ſæpiſſimè utitur Scriptura (c), quas nos inde hauſtas credimus, quod eorum qui ſibi inſerviunt, Provinciarum quæ ſibi parent, Miniſtrorum Militarium, interdum etiam & militum nominum Catalogum Principes retinere conſueſcant. Hinc, cùm Moyſes Deo ſupplicavit, malle ſe de Libro Domini deleri, quàm Iſraelis populum dimiſſum rejici, idem ferè petiit, quod & Paulus, cum *anathema eſſe*, *Rom.* 9. 3. ſeu à Sanctorum ſocietate disjungi, & à Domini Libro deleri optavit, ut populorum ſaluti conferret. Scribi itaque *in Libro vitæ*, inter præcipuos Dei famulos, & amicos enumerari ſignificat; ex eodem verò deleri, ab eorumdem numero evelli deſignat, eo ſanè modo, quo vel qui occidunt, vel qui in Principis odium incidunt, ab ejus famulatu adimuntur.

Sublimiori tamen ſenſu *Liber vitæ*, ſeu ad gloriam, ſeu ad fidem, ſeu ad gratiam prædeſtinatorum librum deſignat. Qui tantùm prædeſtinati ſunt ad fidem, ſeu ad gratiam, fieri poteſt, ut à fide ſeu gratia excidant, & à vitæ libro aboleantur; quod utique contingere nequit prædeſtinatis ad gloriam, qui ſi fortè per lethiferum nefas gratia deſtituantur, ad Dei amicitiam iterum per pœnitentiam revocantur.

LIBER JUDICII. Daniel 7. 10. de Judicio Dei diſſerens, Judices ſedentes, & Libros apertos exhibet; *Judicium ſedit, & Libri aperti ſunt*. Alludit Propheta ad Principum morem, cùm rationem à famulis exquirentes, accepti & expenſi tabulis productis, quidquid quiſque debeat, perpendunt. Alluſit fortaſſe etiam Perſarum ad conſuetudinem, à quibus, quæ ſingulis diebus evenirent, quidquid Regi præſtaretur, vel ab eo præmii nomine referretur, adnotabantur, uti in Aſſueri & Mardochæi hiſtoria exhibetur, *Eſth.* 6. 1. Itaque cùm Rex judicaturus aſſidet, Libris apertis, ab unoquoque rationem expoſcit: in eos, qui muneri ſuo defuerint, animadvertit, & à famulorum catalogo abolet: debitores ad ſolitudinem cogit, & eorum, qui ſibi præſtiterint, officia rependit. Eadem profectò Deo judicante, ſervata tamen rerum & Judicis proportione, contingere non ignoramus.

LIBER interdum Epiſtolam, monumentum, Edictum, Contractum deſignat; uno verbo, *Liber*, Hebraicè *Sepher*, latiùs patet quam *Liber* Latinè, aut Gallicè *Livre*. Epiſtolæ à Rabſace, Sennacherib nomine ad Ezechiam delatæ, Liber appellantur, *Iſai.* 37. 14. Jeremias 32. 10. contractum, quem de agri cujuſdam emptione inierat Librum vocavit. Aſſueri Edictum Judæorum beneficio, eodem Libri nomine donatur, *Eſth.* 9. 20 & 30. &c. Ab Judice ſuo ſeu adverſario in ſe Jobus ſententiam ſcribi peroptat *Job.* 31. 35. *Librum ſcribat ipſe, qui judicat* (Hebr. *homo litis meæ*), *ut in humero meo portem illum &c.* Chirographum, quo vir uxorem rejiciens eidem tradit, *Divortii*, ſeu *Repudii Liber* appellatur, *Deuter.* 24. 1. Videatur noſtra Diſſertatio de materia & forma Librorum veterum, quam Commentariis in Geneſim præpoſuimus.

LIBER SIGNATUS, de quo Iſaias 29. 11. & Liber ſignatus ſigillis ſeptem, de quo Apocalypſis 5. 1. ſunt Jeremiæ & D. Joannis Prophetiæ, in Libro, ſeu volumine Veterum more conſcriptæ, & obſignatæ, incognitæ nempè, ænigmaticæ, obſcuræ, myſteriis refertæ, & de remotis nimium ætatibus, rebuſque futuris agentes, quarum cognitio non niſi poſt rerum eventum, ſeu fracto ſigillo haberi poſſet. Epiſtolas & cætera obſignanda lino, ſeu filo involvebant, ſigillo ita firmabant, ut niſi filo, abrupto, aut fracto ſigillo legi nequirent.

LIBER VOLANS, de quo Zacharias, 5. 1. *volumen volans*. Vetus erat volumen ex pluribus membranis, ſeu pergamenis ſimul conſutis, congeſtum, quod cubitis viginti longitudinem, decem verò latitudinem protrahebat. Hoc utique per ſpeciem divinitus exhibitam ſeſe obtulit Zachariæ, re tamen nunquam extitit; (licèt enim longiſſima reperiri poſſent volumina, ejus tamen latitudinis confici non conſueverant); complectebatur autem maledicta, minas, calamitates, quibus Judæi conficiendi erant, ſuique nimia longitudine, & latitudine, flagitiorum, quibus erant obnoxii, & calamitatum, quibus mulctandi eſſent, immanitatem deſignabat.

(LIBER. *Liber generationis Adam Geneſ.* 5. 1. hiſtoria eſt vitæ primi illius hominum parentis; uti *Liber generationis Noe* vel *Jeſu Chriſti* familiari Hebræorum ſtilo eſt hiſtoria rerum ab illis geſtarum.

Liber cenſus 2. *Eſdr.* 7. 5. ſunt tabulæ nomina eorum referentes, qui è Babylonica captivitate redierant; ut enim jam inſinuatum eſt libri nomine apud Hebræos deſignatur Scripturæ quodcunque genus, literæ, ſanctiones, commentarii, tabulæ.

Ætatis

(a) Ita Rabbini quidam. (b) Verba dierum.
(c) Exod. 32. 32. Pſ. 68. 29. & 138. 16. Eccli. 24. 32. Philipp. 4. 3. Apoc. 3. 6.

Digitized by Google

Ætatis ſuæ teſtis Salomon habet Eccleſ. 12. 12. *Faciendi plures libros nullus eſt finis*; i. e. interminatum ſuſcipit opus quicunque ad ſcribendum ſe confert de re quacunque ſive Theologica, ſive naturali; ſed compendio omnia tenet quicumque timet Deum & ejus ſervat præcepta. Hiſce unico velut ictu præciditur ſeries infinita diſputationum, ſcriptiunculatum ac quæſtionum curioſarum æquè & arduarum: *Faciendi plures libros nullus eſt finis; finem loquendi omnes audiamus: Deum time, & mandata ejus obſerva; hoc eſt enim omnis homo.*

Quantus rerum terror irato Numine conſequeretur, deſcribens Iſaias 34. 4. habet. *Complicabuntur ſicut liber Cæli.* Spectatus hic à Propheta mos convolvendi libros veteres in volumina dum clauderentur. Qui longam olim implebat ſpatii menſuram liber, ſtatim in parvam molem redigebatur. Ita pariter & Cæli in ſe ipſos complicabuntur, & veluti ſubducentur oculis Dei, Numinis cùm furor ardeſcet. Loquendi phraſes iſtæ energicum quiddam habent & figuratum.

Legimus 1. Macchab. 3. 48. de Judæis perſecutione Antiochi Epiphanis afflictis: *Expanderunt libros Legis, de quibus ſcrutabantur gentes ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum.* Reputatum eſt à nonnullis expandiſſe Judæos coram Domino ſacros Libros, ex quibus Pagani fruſtra ſcrutati ſunt, quæ maximè valerent ad ſuperſtitiones ſuas fulciendas. Alii expanſos malunt ſacros Libros, in quibus gentes appingere tentarunt Idolorum imagines. Aliter: Expanderunt Hebræi ſacros Libròs, quos gentes excuſſerunt, indagaturæ num imaginis aliquid à Judæis unquam cultum fuiſſet. Puta ſi fortè ornamenti loco in capite librorum nanciſcerentur aliquid, quo monſtrante intelligerent ecquis potiſſimùm Deus à populo coleretur. Id enim anxios curioſoſque tenebat Paganos, ſuſpicantibus aliis impenſum à Judæis cultum aſino, vel viventi adhuc homini, vel alteri cuicumque, quod fateri erubeſcerent. Commodè etiam levi quadam tranſmutatione redderetur Græcus: *Expanderunt Libros Legis, quo tempore gentes ſcrutabantur ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum.*

Legitur in Pſal. 39. 11. *In capite Libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam.* Senſum hujus Textus, nequid verſemur in ambiguum ſatis determinat Apoſtolus Hebr. 10. 8. 9. accommodat enim Jeſu Chriſto hominem aſſumenti. Veteres quidam Patres (a) explicarunt illud: *In capite libri*, de Libro Geneſis in hæc verba ineunte: *In principio creavit Deus Cælum & terram*; i. e. Deus creavit Univerſi omnia per filium ſuum per Verbum, & per Sapientiam, quæ proinde rerum omnium fons & principium dicitur. Dictum alii (b) accipiunt de Evangelio S. Joannis verbis illis exordiente: *In principio erat Verbum.* Legit Hebræus: *In volumine libri ſcriptum eſt de me* i. e. intra libros ſanctos generatim; quem etiam ſenſum commodè reddere poteſt Græcus *Kephalis*, quod enim redditum eſt caput, exprimit etiam aptiſſimè volumen.

Liber Cæli. Veteribus nonnullis ea ſedit perſuaſio, Cælum perinde ac expanſam quandam membranam ea omnia ſcripta continere, quæ futuro tempore implenda eſſent. Quam ſententiam & innovarunt & provexerunt etiam multi Rabbini (c), & Scriptores quidam Chriſtiani comminiſcentes in fornice Cæli diſtingui adſcriptos characteres Hebræos, non arcanam doctis ſcripturam exhibentes, inſtruentesque de omnibus, quæ eſſent in rerum natura, viros peritos. Hæc verſans Picus Mirandulanus Aſtrol. l. 8. c. 5. docet quemadmodum Aſtrologorum oculis imagines quædam micant in Cælo, ex quibus ducunt rerum præſagia; ita pariter ſuas eſſe Doctoribus Judæis elementares in Cælo literas; defendit enim ab illis Hebraicas literas & elementa in Cælo velut in Libro exhiberi. Paria tuetur Agrippa de occulta Philoſophia l. 3. cap. 30. & Gaffarellus (d), congerit in hanc eorum ſententiam magno numero illuſtrium Rabbinorum teſtimonia Maimonidis, Nachman, Abeneſræ, Kimchi, Abravanelis. Inter Veteres docuit Origenes (e) futuros rerum eventus facilè in Cælo deſcriptos contineri, tanquam in volumine quodam Prophetico. Hinc, addit ille, Jacob filios ſuos monuit, ut futuros eventus ſuos ac poſterorum legerent in tabulis Cæli. Tandem concludit, in hoc volumine legere arduum eſt quidem hominibus, ſed Angelis pronom.)

LIBRI SACRI, ſeu *Canonici*, Libri ſunt in Bibliis noſtris impreſſi. Vide ſupra v. *Biblia*, & v. *Canon*. Ad cujuslibet etiam Libri titulum, & ad cujuslibet ſacri Authoris nomen, ipſius Libri critica, & judicium conſolantur.

LIBRI APOCRYPHI. V. ſupra v. *Apocrypha*.

(LIBERTAS, LIBER; tanquam ſervituti oppoſitus ſtatus exprimit hominem, cui integrum eſt agere pro arbitrio, abſque eo quod ab alterius nutu dependeat. De libertate illa ſæpiùs in Scriptura. De ingenuo hoc ſtatu ſibi maximè placebant Hebræi, nunquam ſe libertate privatos gloriantes, quo tempore J. C. agebat in vivis: *Nemini ſervivimus unquam. Joan.* 8. 33. Inania illi quidem jactabant; conſtat enim ſervitutis jugum ſubiiſſe non raro, inductum ab exteris Principibus ſub Judicibus primum, impoſitumque deinde iterum à Regibus Aſſyriæ, Chaldææ & Perſidis, ut Tacitus Hiſtoriar. l. 5. num. 8. verè de illis aſſuerit: *Dum Aſſyrios penes, Medoſque, & Perſas Oriens fuit, deſpectiſſima pars ſervientium fuere.*

Æquè tamen conſtat primum Moyſis intentum fuiſſe, ut Iſraelitæ nunquam ad abſolutam ſervitutem redigerentur. Vendere ſe quidem poterant vel redigi in ſervitutem apud fratres ſuos, integro tamen manente ſervi illis jure, ut vel collato à ſe vel ab aliis è propinquis pretio redimerentur, vel ſaltem ſervitutem exuerent anno ſabbatico, aut tandem anno Jubilæi, qui Hebræos omnes reſtituebat libertati, & hæreditates ad priſtinos Dominos remittebat. Hæc fortè ſpectarunt Hebræi, nemini ſerviſſe ſe gloriantes. Omnes æquè ingenui erant & liberi; neque enim melior familiæ conditio præ infimo Iſraelis calone, Saulem, Davidem, & Jeroboamum ſelegit ad Regnum. Quibus cæremoniis manumitterentur Hebræi narravimus v. *Annus Sabbaticus*, & v. *Jubilæum*. Vide etiam v. *Servus*.

LIBERTAS, eſt etiam ſtatus populi nulli alieno, ſed tantùm Legum ſuarum imperio ſubjecti. Quos diuturnis perſequutionibus afflixerunt Judæos tandem recrearunt Syriæ Reges: *Statuentes ei*, Pontificatum gerente Juda Macchabæo, *libertatem*, 1. *Macc.* 14. 24. permittentes ſcilicet ut ſuis ipſi Legibus viverent, omni adempto tributo atque ſervitute, qua priùs Syriæ adſtricti tenebantur: *Jeruſalem ſanctam eſſe ac liberam* 1. *Macc.* 15. 6.

Domus libera, eſt domus à convenis diſcreta. Rex Azarias, lepra percuſſus è conſortio hominum ſegregatus, & ad privatam redactus conditionem: *Habitavit in domo libera ſeorſùm* 4 *Reg.* 15. 5.

Redactum ſe dicit Pſalmiſta Pſ. 87. 6. ad eum ſtatum, ut hominum ope deſtitutus perindè ſit tanquam *inter mortuos liber*. Dictum id explicatur de Jeſu Chriſto, qui ad inferna ita deſcendit, ut ibi non detineretur coactus, ſed liberum haberet exitum, & alios educendi integram poteſtatem; vel etiam de ipſo eodem Chriſto ita in ſepulcrum illato, ut ipſe ſe ex eo expedire ad arbitrium poſſet, à mortuis reſurgendo. Reddi poteſt Hebræus: *Factus ſum ſicut mortuus illi liberi, ſicut mortui illi è contractis vulneribus, qui dormiunt in ſepulcro*; vel aliter: *Sicut homines illi libertatis*; libertatem ſuique imperium crepantes,

(a) Tertul. in Praxeam Ambroſ. Hieron. in Pſal. 39. Hilar. in Pſal. 2. (b) Chryſoſtomus &c.
(c) Vide Baſnage Hiſtor. Jud. to. 6. l. 9. c. 22. pag. 570. 571. 576. 577. (d) Curioſitates inauditæ cap. 13. pag. 279.
(e) Apud Euſ. Præpar. l. 6. c. 11. Vide & Teſtamentum duodecim Patriarcharum.

pantes, nihilo tamen ſeciùs confoſſi vulneribus clauduntur in ſepulcro.

Libertas Evangelii ſervituti Legis opponitur. De libertate à Jeſu Chriſto procurata fidelibus agit non ſemel Apoſtolus: *Non ſumus ancillæ filii ſed liberæ Galat.* 4. 31. Non enim ex Agar, quæ ſervit cum filiis, ideſt Judæis, genus ducimus; ſed nati ſumus filii Saræ liberæ, libertate fruimur filiorum Dei, quam nobis adoptionem contulit Chriſtus Jeſus. Hæc nos libertas relevavit à jugo cæremoniarum Legis, à luſtrationibus, à diſcrimine dapum, aliiſque pluribus, quibus Judæi onerantur. Vide Rom. 8. 21. & 1. Cor. 10. 29. & 2. Cor. 17. Galat. 2. & 4. & 5. Jacobi 1. 25. & 2. 12.

LIBERTAS juſtitiæ, oppoſita ſervituti peccati, ipſa eſt juſtificatio, quam nobis morte ſua promeruit Jeſus Chriſtus; aſſequimur per Baptiſmum, ſervamuſque bonorum & Chriſtianarum virtutum exercitio, amiſſamque perdimus cùm noſtro malo, jugum nobis Dæmonis & peccati inducimus; recipimus pœnitudine.

Libertas, liberum arbitrium, neceſſitati & coactioni oppoſita. Poſitum eſt homini in medium ſive bonum ſive malum elegerit, ſeligat. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui, adjecit mandata & præcepta; ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuam fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Eccli.* 15. 14. Diſcrepat autem plurimum, qua ſumus in malum, & qua bonum eligimus, libertas; noſtris enim viribus apti ſumus in malum, rapimurque in deterius, inclinante nos concupiſcentiæ pondere: cui contrario quidem niſu reſiſtere valemus, ſed ut re ipſa obſiſtamus, adjutorio gratiæ Jeſu Chriſti roboremur oportet. Ad bonum verò quod attinet, admittendo reſpuendoque expeditam habemus facultatem, ſed ut bonum illud præſtemus, quemadmodum oportet, confert ad æternam ſalutem obtinendam, peculiari quadam gratia, quà, integra arbitrii libertate, ſponté omnique remota neceſſitate atque coactione ducimur in meliora, è propoſitis duobus bonis, altero ſcilicet quod Deo arriſerit, altero quod concupiſcentiæ, poſterius hoc rejicientes, prius illud amplectimur.

Aliter, quàm Authores Chriſtiani, de libertate & libero arbitrio judicant Rabbini (a). Agnoſcunt illi quidem in homine, ſine qua nec homines cenſeremur, libertatem: amota enim illa nec homo inſtrueretur ratione, ſiquidem in bonum vel malum non cognitione & electione, ſed naturæ inſtinctu raperetur. Actum eſſet planè de pœnis ac præmiis, de minis atque promiſſis, tum de præceptis Legis, ſi nulla eſſet homini implendis illis facultas. Sed libertatem illi nullis adſtrictam limitibus expeditam ad omnia admittunt, certiſſima tenentes perſuaſione, ſi fortè quempiam audierint limites quoſdam libertati arbitrii ponentem, illum ſententiam ſuam cautione quadam diſſimulare.

Refutat Maimonides fatalem neceſſitatem Aſtrologorum, ſed omnia defert ad temperaturam variam humorum. Quemadmodum, ait ille, Deus creavit hominem ſtatura rectum, manibus pedibuſque inſtructum; ita etiam & donavit voluntate, ut ſe moveat, agatque ad arbitrium; temperamenti autem clementia vel inclementia efficitur, ut ardua quædam vel prona reddantur. Addit, timorem Dei nequaquam in manu Cæli repoſitum eſſe; unicè enim pendet ab homine, ut legem & præcepta impleat, vel ſecùs. Hanc etiam rerum claſſem tenet Dei timor, non à voluntate Dei, ſed ab hominum arbitrio pendens.

Menaſſe Ben-Iſrael (b), alter clari nominis Rabbinus, deſcendit, præveniens illud gratiæ auxilium, à Rabbinis nonnullis agnitum, dogma eſſe planè abhorrens à traditione. Si enim gratia voluntatem prævenit, extinguitur libertas auxiliorum Dei duplex genus agnoſcit; alterum ſcilicet quo diſponuntur aptæ rerum circumſtantiæ, ut quis præſtitutum jam optimum conſilium impleat; alterum verò quo homo, qui rectam inivit viam, juvetur, in itinere incœpto perſeveraturus. Addit inſuper Providentiæ auxilio juvari oportet neceſſariò homines ad honeſta quæcunque præſtanda; ſicut enim homo tentans ſarcinam levare in humeros, ſocium vocat, ut manum conferat; ita pariter juſtus priora quidem ponit in Legem implendam tentamina, Deus autem velut extremam juvantis manum admovet, ne in executione cœpti jam operis deficiat.

Si homo imbecillis eſſet adeo & miſer, ut ſine gratia nihil poſſet in bonum, in Deum utique authorem refunderetur peccatum & corruptio; reipſa tamen licèt externo auxilio deſtitutus plenè ſuperare corruptionem hanc ſuam nequeat, ineundo tamen certamini atque ad prima victoriæ auſpicia per ſe valet; plenum triumphum non reportat niſi accurrente per ſe ad pugnam Numine. Ah hæc, ſi nulli unquam hominum negat Deus auxilia communia nec vacua, ut quid non omnes ſalvantur. Et ſi peculiaria tantùm paucis concedit, quomodò acceptoria perſonarum notam evitaverit? Quomodo ruentes alios in interitum negligit, alios retinet ne corruant? Nonnè proniora reputaremus, autumantes, Deum, perinde ac homines ſolent, juvare illos, quos noverit recta ſtatuiſſe conſilia, atque toto virium ſuarum niſu in præclarum aliquod facinus cieri? Vide infra v. *Peccatum originale*. Ex his planè intelligimus Judæos vel gratiam penitus ignorare, vel pingui adhuc minerva de ejus effectibus inſtrui.)

LIBERTINUS, Libertus, *Synagoga Libertinorum*. Vide *Synagoga*.

LIBRA, Ponderis genus. Unciis duodecim Romana, Gallica verò libra ſexdecim conſtat. Hebræi in Veteri ſaltem Teſtamento, & ante Græcorum in oriente imperium, librarum pondere uſi non conſuevere; nomenque *Libra* in Novo tantùm Teſtamento compertum habemus, *Joan.* 12. 3. & 19. 39. Apud Hebræos veteres pondera communia *ſiclis*, *talentis* verò majora penſabantur. Siclus autem ſemiunciam, ſeu 4. drachmas Romanas; talentum verò ter mille ſiclos, ſeu uncias Romanas 1500. pendebat. Siclos itaque 32. libra Pariſienſis abſorbet; Talentum verò Hebræum libris 92. & unciis ſex Pariſienſibus reſpondebat.

LIBYA, Ægypti provincia, quam, à poſteris *Lababim*, Mezraim filio, frequentatam credimus. *Geneſ.* 10. 13. Ab Alexandria uſque ad Cyrenem, & fortè longius protendebatur; veteres enim regionis *Lababim*, ſeù *Lubim* fines ignoramus. *Nahum* 3. 9. Eodem nomine frequenter Africa omnis appellatur; nullibi tamen, ut credimus, in Scriptura.

(LIGARE ET SOLVERE. Uſurpatur non ſemel in Scriptura pro damnare & abſolvere: *Dabo tibi Claves Regni Cælorum & quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis. Matth.* 16. 19.

Ligare & ſolvere, familiari Judæorum phraſi uſurpatur etiam pro permittere, vel prohibere (c), vel etiam juridica ſententia declarare quid vetet Lex, quidve permittat. Ita in inſtitutione Doctorum ſuorum, manibus promovendorum remittebant claves, ſimul hæc pronunciantes: Recipias poteſtatem ligandi & ſolvendi.

Non veni Legem ſolvere ſed adimplere, ait Jeſus Chriſtus, Matth. 5. 17. i. e. non veni deſtruendæ Legi, ſed perficiendæ. Chriſtiana enim Religio contulit Moſaicæ, quod illi deerat ad perfectionem, genuinum ejus ſpiritum deterſit, occultum pandit ſenſum, imple-

(a) Vide Baſnag. Hiſt. Judæor. tom. 4. lib. 6. cap. 14.
(b) De Fragilit. Hum. ſ. 14. p. 1. 6.
(c) Ligtfoot. hor. Thalmud. in Matt. 16. Maimon. tract. Sanhedrin.

Proverb. 6. 21. *Liga ea* (præcepta mea) *in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo*. Et cap. 7. 3. *Liga eam*, (Legem) *in digitis tuis, ſcribe illam in tabulis cordis tui*. Iſai. 8. 16. *Liga teſtimonium, ſigna legem*; quæ Prophetæ verba alium planè, quam ſuperiora, ſenſum præferunt. Obſigna inſtrumentum, alliga filo vel vitta, ſigillo munias.

Scriptum eſt de Daniele: *Spiritus amplior .... & interpretatio ſomniorum, & oſtenſio ſecretorum, & ſolutio ligatorum inventa ſunt in eo*. *Dan*. 5. 12. 10. Et inferiùs: *Quòd poſſis obſcura interpretari, & ligata diſſolvere*; hic ſanè ligata diſſolvere eſt explicare occulta.

LIGNUM. Uſurpatur non rarò pro arbore. Lignum ſcientiæ, lignum vitæ pro arbore ſcientiæ, & vitæ. Legitur etiam Deut. 21. 23. *Maledictus à Deo, qui pendet in ligno*, vel è ſupplicio; & Deut. 4. 28. *Servietis ligno & lapidi, quæ non vident*; i. e. ligneis & lapideis Idolis.

Mentio eſt frequens in Scriptura de lucis in quibus indigniſſima plura ſub obtentu religionis Numinum. *Immolabant victimas, & adolebant incenſum in excelſis, & in collibus, & ſub omni ligno frondoſo*. 4 *Reg*. 16. 4. *Jerem*. 2. 20. *Iſai* 57. 5.

Deſerti aquas correxit ad potum Moyſes infuſo ligno *Alva Exod*. 15. 25. Vide *Alva*.

Adverſariorum in paſſione Jeſu Chriſti furorem ita exprimit Jerem. 11. 19 *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur ampliùs*. Cujus ſententiæ plures ſunt ſenſus. Hebræus ad literam: *Corrumpamus ligno panem ejus, ſuppeamus ligna venenata, radices quaſdam noxias cibis ejus admixtas, ut inducto clam veneno pereatur*. Ludovicus de Dieu reddit: *Rumamus lignum ſuper carnem ejus*, quæ enim Hebræa vox panem exprimit, de carne interdum uſurpatur. Glaſſius: *Corrumpamus lignum in pane ejus*, vel corrumpamus panem ejus in ſuo ligno, i. e. venenum infundamus, dum farina ejus ad panem ſubigitur.)

LIGURIUS, Hebraicè *leſchem* (b), prima tertii Ordinis in Pontificia rationali gemma. Theophraſtus & Plinius Ligurium veluti gemmam carbunculo proximam, ejuſque ardorem igni ſimillimum exhibent. D. Epiphanius, & D. Hieronymus hyacinthi genus Ligurium putant, quem alii eundem tuentur ac *Lyncurium*, qui ex lyncis urina, ut ajunt (c), in calculi duritiem verſa coaleſcit. Quod utique, teſte eodem Plinio, qui rem perhibet, commentitium eſt.

LILITH, prima, ajunt Rabbini (d), Adami uxor, quæ à virò profuga, neque ab Angelis à Domino ad eam miſſis adduci potuit, ut ad conjugem rediret. Putant porrò infantes recens natos ab ea vorari; quare Judæi ſtatim ac parvulus naſcitur, hæc terra ſignant: *Adam & Eva adſint, procul Lilith*. Trium quoque Angelorum, qui Lilith perſequuti ſunt, nomina ſcribunt, videlicet: *Sennoi, Sanſennoi, Samangeloph*, quod Lilith iis locis, in quibus ea nomina legiſſet, nil calamitatis ſe illaturam promiſerit (e). Lilith Iſaias 34. 14. meminit quam Hieronymus *Lamiam*, Septuaginta verò *Onocentaurum* vertunt. Per eam vocem nos avem nocturnam, & portendentem ſiniſtra, bubonem, noctuam, veſpertilionem deſignari putamus. *Lilith* Hebraicè ... alia flava, alia citrina. His Judææ agri quamplurime affluunt *Conſiderate lilia agri*, ait Jeſus in Evangelio, *Matth*. 6. 28. *&c. quomodò creſcunt; non laborant, neque nent: dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis. Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit; quanto magis vos modicæ fidei?* Lilia, poſtquam aruerint, abrumpi, & ad ignem adhiberi ſolita hinc innoteſcit.

(R. P. Souciet Jeſuita Diſſert. in poſticam nummor. quorumdam Herodis, evincere conatur lilium, de quo Scriptura ſub nomine *Suſan*, ipſiſſimum eſſe florem notum Gallia appellatione *Couronne Imperiale*, cujus nempe flores in coronam diſpoſiti foliorum habent emicantem faſciculum. Nec alia ſunt lilia Perſica, lilia regalia, vel *lilium Baſileum* Græcorum. Ex Cantico Canticorum inſinuatum eſt quidem lilia, de quibus Salomon, rubra fuiſſe, è quibus ſtillaret liquor. *Labia ejus lilia diſtillantia myrrham*. *Cant*. 5. 13. Sunt è coronis hiſce quæ flores gerunt flavos, ſunt quæ rubros, quorum poſterius genus eſt communius. Nititur flos ille calamo digiti craſſitudine, rotundo atque purpureo ſaturo tincto, trium pedum circiter altitudinis. Florum ejuſmodi figura ferè non diſcrepat à lilio albo, niſi uno colore. Nunquam non pendet inferiùs, nunquam non in coronam diſpoſiti, & ad extremam calami oram emicat ſuper foliorum faſciculus. Duplici florum ordine ejuſmodi plantarum quædam ornantur, vel floribus conduplicatis. Non tamen æquo ſemper numero vel ordine. Interdum majori veſtiuntur pompa, interdum minori. Singulorum foliorum floris imum fundum tenet aqueus quidam humor, ſpecie veluti albentiſſimæ margaritæ ſenſim diſtillantis nitidiſſimæ lymphæ guttas. Eo fortè ſpectatum eſt in Cantico à Sponſa: *Labia ejus lilia diſtillantia myrrham*.

Fœmininum cultum augebat ornamentum quoddam, incertum tamen quid, cui nomen *lilium*: *Aſſumpſit dextraniola, & lilia, & inaures*. *Judit*. 10. 3. E' collo pendens eſſe aliquod ſuſpicatus Grotius. Facilè etiam illud *lilia* Textus Amanuenſium mendo poſitum eſt, pro *pſilia*, armillas, quam illi vocem non aſſecuti fortè correxerunt *lilia*. Conſtat utique Græcum legiſſe *Pſelia*, nec aliter Syriacum.)

LIMBUS. Hac voce Theologi eum locum deſignant, in quo animæ Sanctorum, Chriſti adventum opperientes detinebantur, & quo poſt Domini Reſurrectionem eaſque, ut in Cœlos æternam voluptatem percepturi, transferrentur. *Limbi* nomen nullibi neque in Scriptura, neque apud veteres Patres, tantum verò nomen *inferiorum*, ut etiam in Symbolo: *deſcendit ad inferos*. Mali & boni ad inferos deſcendunt, magnum tamen chaos, magna abyſſus intercedit utroſque, Chriſtus ad inferos ſeu limbum profectus, Sanctorum & Patriarcharum animas tantummodò eduxit (f). Ad locum in quo olim Patriarcharum, & Infantium ſine baptiſmate decedentium Animæ nunc detinentur, deſignandum, quis primò hanc vocem, *Limbus*, adhibuerit, ignoramus. Apud Sententiarum Magiſtrum *Limbus* non repetitur; quo tamen verbo ejus Commentatores utuntur. (g) Veluti appendix & inferni extremum *Limbus* accipitur.

V g LIN-

(a) Vide *Triturare*. (b) Exod. 28. 19. *Leſchem Ligurius*. 70. Hieronym. Epiph. Joſeph.
(c) Aelian. de animal. l. 4. c. 17. Plin. l. 8. c. 38. & l. 37. c. 3. (d) Ben Sira p. 23. Elias in Thisbi &c.
(e) Vide a. *Lamia*. (f) Vide ſup. v. *Infernus*. Et Suicer. in ſuo Dictionario Patrum Græcorum. v. *Ades* t. 1. p. 92. 93. 94. & Martini in Lexico. Philologic. v. *Limbus*. Et M. Du Cange in Dictionar. de mediæ & infimæ Latinit. v. *Limbus*. Et Scholaſtic. in 4. Magiſtr. ſentent. diſtinct. 4. & 45.
(g) Vide Durand. in 3. Sent. diſt. 22. q. 4. & D. Thom. in 3. diſt. 22. q. 2. a. 1. & in 4. diſt. 21. q. 1. a. 1. & alibi ſæpius. D. Bonav. in 4. diſt. 45. a. 1. quæſt. 1. Reſponſ. ad argument.

Digitized by Google

LINGUA. Triplici ſenſu Lingua accipi ſolet. 1. pro loquelæ organo. 2. pro vernaculo cujuslibet regionis idiomate. 3. pro bonis, impiisve ſermonibus. Ita lingua doloſa, lingua mendax, lingua fallax dicitur. De lingua, ut idioma ſignificat, plura diſputant. 1. Utrùm primæva lingua Deum authorem habeat, Adamo infuſa; an ipſum Adamum. 2. Adhuc ne iſta perſeveret. 3. Quæ ſit.

Prophani (a), quos Libri Sancti, & Creationis hiſtoria latebant, credidere, mortales in variis terræ plagis, & ex humo, non ſecus ac cætera animalia, caſu productos, vocibus, & cognitionibus caruiſſe: inde primùm neceſſitate, poſtea utilitate ductos, ſonos quoſdam, & voces excogitaſſe, quibus invicem ſenſa communicarent; hinc ortam linguarum diverſitatem, cùm eæ ſeorſum inventæ fuerint nullo vel vinculo, vel commercio earum inventoribus invicem lœderatis.

Quæ tamen de hominis origine novimus, omnem auferunt dubitandi rationem, cùm hominem à Deo perfectum, ſermone præditum, doceant. Ita primus ille homo vix creatus, Deo reſpondet, uxorem alloquitur, animalia propriis nominibus donat. Idem idioma ab illius poſteris uſque ad diluvium, & à diluvio uſque ad Babelis confuſionem ſervatum eſt. Vide *Babel*.

Qui ea confuſio contigerit, acriter diſceptatur. Utrùm ſcilicet mortalibus proprii idiomatis oblivionem Deus inducens, novas cuique linguas inſpiraverit: an eorum mentibus caliginem quamdam offundens, varias prioris linguæ dialectos cuique induxerit, ex quo contigerit, ut primævus ſermo, in quibuſdam familiis incorruptus, aliis illicò extraneus fieret; uti & prioris linguæ dialecti, ab illius puritatem ſervantibus, barbaræ, & incognitæ haberentur: an denique diſſidium inter homines Deo permittente, illi invicem recedentes linguæ mutationem invexerint, longa locorum diſtantia, & commercii defectu enutritam. Singulis hiſce ſententiis ſui favent patroni, uti ex innumeris ea de re impreſſis Libris apparet (b).

Quæ à Deo primo homini lingua indita eſt, eam prorſus periiſſe, nullaque illius veſtigia ſupereſſe volunt quidam Eruditi. Alii quaſdam illius lacinias in Hebraica, cæteriſque Orientalibus adhuc ſervari contendunt: nullum tamen eſſe monumentum, in quo pura legatur, nullamque gentem poſt Babelis confuſionem eam ſibi vernaculam conſervaſſe. Alii Hebraicam eam eſſe tuentur, alii Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, aliaſve, uti Armenam, Perſicam, Sinicam, Teutonicam &c. Nulla denique gens eſt, quæ primævæ linguæ honorem ſuæ non tribuat.

Communior opinio fert, primævam linguam in familiis quibuſdam turris ædificatæ, vel ſaltem ſuperbiæ & perduellionis communis crimine vacuis perſeveraſſe. Hæc verò ſors Hebero, patri Phaleg, & Abrahami avo tribuitur, quæ deinde apud illius poſteros duraverit. Hæc tamen ſententia plures patitur difficultates, quas vide ad vocem *Heber*. Copia tamen vocum, quibus etymologiæ nominum priſcorum hominum, regionum, fluviorum, Numinum, rerum nempè mutationi minimè ſubjectarum, facilè deducuntur, hanc illi laudem aſſerere videtur; licèt enim plures etymologias Arabica, Syriaca, Chaldæa, & aliquot aliæ ſuppeditent, non tamen adeò frequentes, naturaleſque, ut Hebraica. Sæpè etiam in commodioribus deficiunt. Chaldæa denique, Syriaca, & Arabica veluti filiæ, & propagines Hebraici idiomatis habentur: quæque pro iis argumenta proferentur, nihil Hebraicæ officient, quin potiùs ejus cauſam firmabunt.

(An homini peculiaris ſit quidam datus à natura ſermo, quomodo & docente natura cantare datum eſt avibus, ſtridere animantibus cæteris; nullus non canis latrat, nullus non equus hinnit, ululat lupus, rudit aſinus, nullo alio quàm naturæ inſtinctu, ita etiam crocitant corvorum ſinguli, raucum edunt ſonum columbæ, & avium quodcunque genus pro ſuo quælibet more; ſtrident enim aliæ, canunt aliæ dulce. Ita pariter & homini ſuum ineſſe naturalem ſermonem par eſt ut reputemus; ſermonem, inquam, nullis non hominibus notum, quo facilè ante diluvium omnes utebantur. Ita enim natura comparatum videmus, ut dolentes ex æquo, gemant omnes; cùm ſtringuntur gaudio, lætos exprimant clamores; cùm ira incenduntur, altum mitentur & clament. Inſita hæc à natura omnibus, communia ſingulis; cur igitur non unus ineſſet omnibus ſermo, cur non omnes conſerentur in unam & eandem linguam, i. e. Adamicam conventuri, niſi inſitas à natura ideas ſive notiones mutaret vel ſuffocaret varia pro vario locorum ſitu educatio & habitudo, jam inde à teneris unguiculis inſtituta?

In ea, qua tenebantur Veteres, ignoratione ſinceræ de mundo creato hiſtoriæ, hanc ſibi formarunt in mente ideam, ſub felici illo Saturni regno, non homines tantùm, ſed & bruta quæcunque animantia terreſtria, aerea & aquatica, communis linguæ ſocietate conjuncta fuiſſe (c). Addebant, homines, quanta tenerentur, felicitatem non planè intelligentes, per ablegatos ſuos Saturnum rogaſſe, ut ſibi immortalitatem largiretur, iniquum eſſe demonſtrantes, ut qua prærogativa donatus eſſet anguis, qui novam ſibi quotannis induceret juventam, exuta cùm veteribus exuviis ſenectute, eadem homines non fruerentur. Offenſus hiſce Saturnus, non ſolùm poſtulatis acquieſcere recuſavit, ſed & ingratos punivit, multans communi illa linguæ ſocietate, qua ſimul jungebantur. Confuſionem injecit in hominum ſermones, ex quo ad mutuam ſeparationem coacti ſunt.

Reputarunt alii (d) caſu vel natura factum eſſe, ut variis in locis ederentur homines & animantia diverſi generis: quæ autem vitam illis dederunt, hæc etiam indidiſſe certos variatoſque ſonos pro variis exprimendis paſſionibus, gaudii, doloris, admirationis, deſiderii. Tum verò utilitate vel neceſſitate inductos mortales, ut certas quaſdam procuderent voces & phraſes, ad deſignandas res extra ſe poſitas, quarum indigebant: nonniſi autem per ſummam dementiam reputari poſſe credebant ab uno aliquo ſeu principe ſeu magiſtro indita fuiſſe rebus omnibus nomina, atque inſinuatum certum ſermonis genus mortalibus. Lucretius lib. 5. v. 1040.

Putare aliquem tunc nomina diſtribuiſſe
Rebus, & inde homines didiciſſe vocabula prima,
Deſipere eſt......

Natura eſt, quæ confuſos ſonos dedit; ad certos redigere verborum articulos coegit neceſſitas.

Ac varios linguæ ſonitus natura ſubegit
Mittere, & utilitas expreſſit nomina rerum.

Affirmat Vitruvius, Architect. lib. 2. cap. 1. primos illos mortales belluino ritu terræ ſpeluncas coluiſſe, ut ſermonis nullo indigerent uſu, quo alii aliis intimos animi conceptus exprimerent; iteratis ſignis & malè conceptis vocibus id præſtabant; quam autem aſſuetudinem formarunt, ut eandem rem ſimili ſemper exprimerent ſono, id effeciſſe, ut certum quoddam ſermonis ac idiomatis ſyſtema digereretur.

Pſammethicus Rex Ægypti (e), perſuaſus terram ſpon-

(a) Diodor. Sicul. l. 2. Biblioth. Lucret. l. 5. v. 1027. &c. Vitruv. l. 1. de architect. c. 1. Horat. Satyr. l. 1. Serm. 3. v. 99. Cicero lib. 1. de Inventione.

(b) Vide Proleg. Valton. Du Pin, Fraſſen, Thomaſſin Method. Stud. & Literas Theolog. Holland. & reſponſiones, &c. vide & noſtr. diſſert. de hac re in noſtr. Collect. Diſſert. & Præfat. Edit. Pariſ.

(c) Plato in Polit. Philo. de Confuſ. ling. pag. 320.

(d) Horat. Satyr. lib. 1. Satyr. 3. v. 99. 100. Diodor. Sicul. lib. 1.

(e) Herod. lib. 2. cap. 2.

Digitized by Google

nam mortalium primi in mundo nati fuiſſent. Ratus autem tunc aſſequuturum ſe quod quærebat, ſiquidem venire poſſet in cognitionem linguæ cæterarum in mundo vetuſtiſſimæ, ſegregavit in eam rem geminos recens natos infantes, quos & educari longè ab hominum conſortio, ut nullius auſcultarent ſermones, præcepit. Reputabat enim futurum, ut qua lingua pueri illi uterentur, eadem, utpote naturali & primitiva hominis, facilè ſe intellecturum, ecquinam inter mortales jure vetuſtatis cæteris præſtarent, quam ille dotem adjudicabat populo, quorum ſermoni naturalis ille puerorum ſermo accederet. Cùm igitur eam ætatem attigerunt pueri, ut ſermonem exprimere valerent, animadvertit Paſtor, qui ſibi illos habebat commiſſos, cùm in conſpectum puerorum veniret, nunquam non clamari ab illis *Beccos*. Rem totam ſtatim expoſuit Principi, qui & expertus eadem probavit, tum ſucceſſum eſt ad indagandum eccujuſnam gentis ſermo *Beccos* teneret; nec diu fuit, ut intelligeret Pſammetichus apud Phrygas *Beccos* eſſe panem. Hinc Phrygibus vetuſtatis ſupra cæteras mundi gentes aſſertus honor.

Hæc philoſophatus Princeps in multis peccabat. Quis enim certò illum docuiſſet, Phryges, quando etiam vetuſtate viciſſent cæteros, integram conſervaſſe primam illam, quam receperunt, linguam? Ad hæc, omnes ne per orbem gentes ille conſultaverat, ut intelligeret, num ſoli inter mortales Phryges voce *Beccos* certum aliquid exprimerent? Caſu tandem fieri potuiſſet, ut formaretur in pueris vox illa *Beccos*, quomodo in vernaculo ſingularum gentium ſermone plures aliæ voces caſum habent authorem & magiſtrum. Non ſine veri ſpecie reputaremus geminos illos pueros à Paſtore inter oves educatos, ſonum ovium expreſſiſſe, ut quod illæ balatu, iſti voce ederent *Bec*, nam illud *os* terminatio eſt Græca, quo ſermone Herodotus hiſtoriam ſuam digeſſit.

Si datus a natura eſſet hominibus ſermo, æquè ab omnibus ille uſurparetur, vel ſaltem in eum maximè inclinarent homines, ſumma diſponerentur habitudine, nec obſcura remanerent in variis populorum per orbem ſermonibus prioris illius veſtigia. Infantes derelicti, expoſiti, ſurdi, ſermonem illum noſſent. Hoc autem falſi arguitur ab experientia. Si quis infantem ea cautione ſervet, ut loquentem audiat neminem, ille certè fruſtra ab eo puero ſermonem expectaret, ſive notum, ſive incognitum. Melabedin Echebas Rex Indoſtan, vel Magnus Mogolius (a), remotum ab hominum conſortio puerum educandum curavit, nec à puero illo ſermo expreſſus eſt ullus. Anno 1660. (b) inventi apud Polonos gemini novennes pueri cum urſis gregatim errantes; ex quibus alter captus, ut ad vernaculum ſermonem formaretur, fruſtra laboratum eſt. Conſtat utique puerum illum loquendi inſtrumentis omnibus inſtructum Medicorum teſtimonio, naturalis ſermonis, ſiquis eſſet, facultate non deſtituendum.

Statuamus igitur oportet, nullum eſſe homini datum à natura ſermonem; inſitos quidem gerimus certos quoſdam ſonos, motuſque, quibus indiciis latentes in corde paſſiones exprimimus, gaudii, voluptatis, doloris, deſiderii; ſed ad ſermones articulatos quod attinet, variis exprimendis mentis noſtræ conceptibus, nihil tale reputandum eſt. Quod autem argumentum formatur ex cæterorum animantium ingenio, quorum commune eſt à natura datum ſermonis imitamentum, id peccat in multis. Certi ſunt quidam animantibus ſoni & clamores a natura dati, exprimendo gaudio, dolori, vel quo in rem aliquam feruntur inſtinctui; ita pariter & homini non defuit natura, ſuppeditans gaudii argumentum, ridendi facultatem, & doloris indicium lacrymas; ſed alia ſunt

inter homines viris doctiſſimis nota. Sed experimento rem tentet quicunque maluerit, aſſumat ille garrulam avem recentem è nido, & cantilenæ avitæ nondum inſtructam, illa certè quamcunque audierit cantilenam alterius generis avium facilis addiſcet; imitabitur aves, vel ipſa pariter inſtrumenta, quæ rudes ejus aures pulſaverint, & ſi fieri potuiſſet, ut nullus illam attingeret rerum ſonus, nihil utique avicula illa efferet, niſi vagum, incertum, & caſu expreſſum ſonum.

Quæ ſi quis attendat, intelliget profectò, nec hominibus, nec brutis ullum datum eſſe à natura ſermonem; intelliget inſuper ſyſtema illud, ſerens homines & bruta caſu hinc inde per orbem ſata fuiſſe; & prout quiſque varias nactus erat ſedes, varium ſibi formaſſe ad arbitrium ſermonem, ut neceſſitas, utilitas, vel caſus poſcebat; ſyſtema, inquam, illud nullo idoneo argumento probari. Quem enim appellamus, caſus impar eſt, ut vivens aliquod corpus ſuis inſtructum organis producat, ne dicam animal mente & ratione præditum. Ut iners materia cieatur, cauſam quandam motricem à materia planè diverſam inducere oportet, & quò ad certas regulas dirigatur motus ille, nec mente, nec intelligentia deſtitutum primum hunc motorem conſtituere neceſſe eſt. Licèt autem homini facultas excogitandi voces, & certum idiomatis ſyſtema formandi, de quo conveniat inter plures; non inde tamen rectè inferas, primos illos mortales hanc tenuiſſe viam, ſive ut communem linguam ſtatuerent, ſive ut ſingulæ nationes peculiarem. Ex eo enim quod fieri poteſt, ad factum ipſum intervallum eſt planè maximum.

Exhibet nobis Moyſes Adamum & Evam tanquam primos mortalium parentes, & omnium per orbem gentium communem fontem & originem. Exhibet tanquam mente & ratione inſtructos, eloquio ſapientes, imponenteſque rebus nomina ſub ipſo productionis ſuæ articulo. Legiſlatoris hujus de productione mundi ſyſtema, unum eſt inter omnia, quod rationi congruit. Totam inducere Dei virtutem neceſſe eſt, non ſolùm ut è nihilo res educantur, ſed etiam ut aptæ ſingulis formæ, vitæ, & rationes tradantur. Semel autem admiſſo Deo tanquam rerum Creatore, quod non ſimul agnoſcatur tanquam primus Author inſpirati primo hominum parenti ſermonis, nihil eſt. Qua ratione id præſtiterit Numen, nihil habet Scriptura; docèt illa tamen, Adamum mutuos miſcuiſſe ſermones cum uxore ſua, impoſuiſſe rebus nomina, quo tempore ſat utique ſpatii nactus non fuerat, ut novum idiomatis ſyſtema ipſe per ſe formaret.

Sed quiſnam prior ille à Deo inditus ſermo? Plura in ea re ambigua. Id decoris in Hebraicam linguam à pleriſque collatum eſt; vindicant alii Syriacæ, Chaldææ, Æthiopicæ, Armenicæ: nullus fermè Orientalium ſermo ſuis deſtituitur aſſertoribus, Goropius Becanus Orgin. Antuerp. lib. 5. pag. 539. ſeriò certat pro lingua Belgica, unde etymologias quaſdam planè ſpecioſas deduxit nominum Adami, Evæ, Abelis, Caini, & Mathuſalemi. Derivat enim Adam ex *Haat-Dam*, i. e. qui odit ſtrues; *Eva* ex *Eu-vatte* vas ſæculi. Abel *Haat-Belg*, qui odio habet bellum; *Cain* ex *Quaat-ende*, malus finis; *Mathuſalem* ex *Machtu Salig*, ſervate vos (ſupple ab aquis diluvii). Eruditorum alii defendunt primævam illam hominum linguam penitùs extinctam eſſe, ut nullo ingenio inter ſuperſtites hodie linguas indagaretur. Malunt alii perſeverare adhuc in lingua Hebræa, cæteriſque è matrice hac deductis, ſed corruptam adeò ac fœdè dilaceratam, ut raræ tantum ejus veluti reliquiæ ſerutantibus ſeſe offerant agnoſcendas.

Si quæ affirmantibus Sabiis fides addicenda eſſet, diſputationes ſtatim omnes ceſſarent (c); monſtrant enim

(a) Purchas l. 1. cap. 8. apud Valton. proleg. 1. n. 3.
(b) Vide Moreri art. Urſus.
(c) D. Herbelot. Bibliot. Orient. pag. 726.

enim illi Librum, quem ſcriptum Adamo tribuunt; cujus planè ſingulares ſunt literarum apices, ſed lingua fermè à Chaldæa non diſcrepat. Quæ ſi vera ſtatuerentur, non eſſet eo honore fraudandus Operis hujuſce ſermo, agnoſcendumque, Chaldaicum maximè omnium ad Adamicam linguam accedere. Sed nemini non conſtat, quaota ſit Sabiorum, de quibus nos ſuo loco, affirmantium authoritas.

Origenes *contra Celſ. lib. 3. pag.* 115., S. Gregorius Nyſſenus Orat. Eunom. & Theodoretus quæſt. 61. in Geneſ. tenent inter cætera præſtita à Deo populo ſibi charo, Iſraelitico nempè, beneficia, cum pedem referret ex Ægypto, indidiſſe divinitus menti illorum Hebraicum ſermonem. Cui adſtruendæ opinioni afferunt illud Pſalmi 80. 5. *Cum exiret de terra Ægypti, linguam, quam non noverat, audivit*. Sed multò quàm illi verò propiùs autumaremus, ſententia illa id tantùm ſignificari, Iſraelitas ſcilicet ex Ægypto digredientes audiviſſe in monte Sinai vocem Dei, quæ nunquam antea auribus illorum inſonuerat.

Si vernaculus Hebræorum ſermo ipſiſſimus eſt à Deo inditus Adamo, ſtatuendum ex hoc Pſalmorum Textu ambos illos Patres, quos jam laudavimus, cæteroſque in eam concedentes traditionem habuiſſe perſuaſum, tempore ſolutæ Ægyptiacæ ſervituris altam adeo oblivionem tenuiſſe Hebræos de avito illo ſermone, ut redigendo illi in mentem divino miraculo opus fuiſſet. Sed fruſtra huic ſententiæ diſcutiendæ laboraremus, cujus ſanè fides eſt nulla. Nulla pariter ex illa ſat idonea deducerentur argumenta, probandæ ſive antiquitati, ſive conſervationi, ſive abolitioni linguæ primævæ.

Potior Criticorum pars favet linguæ Hebraicæ, quam cæteris omnibus præferunt. Admirabilis illa eloquii ſimplicitas, conciſa brevitas, energia, copia, quam exhibet, vetuſtiſſimis omnibus Orientalibus linguis, quæ agnoſcere illam in parentem videntur, affinitas, etymologia nominum primorum illorum mortalium, quæ prona ſeſe in eo ſermone offert; nomina animantium à ſignificatione in lingua Hebraica non vacua, & exprimentia ſingulorum naturam & indolem, quæ alioqui inanes fermè ſunt voces in cæteris aliarum gentium linguis; hæc, inquam, omnia præjudicatam ferunt ſententiam pro aſſerendo jure principatus & vetuſtatis linguæ huic ſupra cæteras. Cui etiam illud accedit decoris, ut vetuſtiſſimis & ſanctiſſimis omnium, quotquot paruerunt in mundo, Libris ſerviat.

Nihilo tamen ſeciùs doctiſſimis pluribus Criticis perſuaſum fuit (a), Hebraicam linguam, vel qualis hodie ſupereſt in Bibliis, vel quæ tempore Moyſis erat familiaris, non meram, putam, & intactam primævam illam referre; plura enim notant in Bibliis, quorum nulla eſt in Hebræo origo. Ultro illi quidem admittunt, in Hebræo majora, quàm in aliis quibuſdam linguis ſupereſſe Adamicæ illius veſtigia; ſed dari ſibi viciſſim contendunt ſuas fuiſſe primævo huic ſermoni vices, ut tractu illo ſæculorum, qui ab Adamo adusque Moyſem interceſſit, plures ejus radices interierint, & ex alienis linguis plures in illum irrepſerint. Fateamur utique oportet, ſi plus aliquid innoteſceret de genuino Hebræorum ſermone, ſi quàm latè extenderetur, & quanta eſſet fœcunditate Moyſis ætate noſſent Eruditi, multò certiori de hac re judicio ferendo pares nos futuros.

Theodoretus (b), & Maronitæ Adamicæ linguæ honorem vindicant Syriacæ vel Chaldaicæ. Fidem opinioni ſuæ adſtruunt, quòd à geminis hiſce linguis alienæ non habeantur etymologiæ & radices nominum Adami, Evæ, Abelis &c. Addunt Adamum Chaldaicè locutum, quem ſermonem habuiſſe veriſſimilè ... culum, antequam Hebraico in regione Chanaan obtinente aſſueſceret. Sed hiſce reponimus, ad etymologias quod attinet par ſibi jus cum Chaldaica Hebræam linguam vindicare; æmulam verò hanc ſuperat ſimplicitate & energia, ut potiùs matris locum tenere videatur, quàm filiæ linguæ Chaldaicæ. Tandem duo hæc idiomata affinia ſunt adeò inter ſe, ut nonniſi probabiliſſimè arbitraremur Abrahamum utrumque habuiſſe expeditum; ſed Hebraicum tanquam vetuſtius & ſimplicitate præſtans à Patriarcha illo poſteriſque prælatum fuiſſe.

In cæteris opinionibus refutandis immorandum hic non cenſeo. Orientalium idiomatum pleraque ex Hebraico derivata ſunt. Noe facilè eodem utebatur ſermone quo Adam; quo verò Noe hoc & poſteri ejus omnes uſque ad linguarum diſſidium Babelicum. *Erat autem tunc terra labii unius*, ait Scriptura Gen. 11. 1. 2. & *ſermonum eorundem*.

Nunc verò de ratione inductæ confuſionis illius quæſtio. 1. Tenent nonnulli verba illa Moſaica explicari de conſenſu hominum in unam & eandem ſententiam atque conſilium, ut ſimul omnes operam conferrent ſuam turri ædificandæ, qua nomen ſibi celebre apud poſteros commendarent. Maluerunt alii Deum ſumma illa, qua præſtat, virtute diſpoſitas in hominum mente & phantaſia rerum ideas in alium ſtatim ordinem ita tranſmutaſſe, ut quæ priùs vernaculum ſermonem ſuggerebant, illæ ſtatim alterum linguæ ſufficerent, vel ſaltem ex ſubita illa prioris idiomatis oblivione factum eſt, ut cogente neceſſitate alterum procuderent idioma.

Rem maximè ſimplicem & naturalem in narratione Moyſis expreſſam autumat S. Gregorius Nyſſenus Orat. 2. contra Eunomium; hominibus nempe per univerſam terræ faciem diſſipatis accidiſſe, ut quilibet ad arbitrium in vernaculo accepto à parentibus ſermone addendum ſibi aliquid ſuſciperet, quibus deinde additamentis tractu temporis magis magiſque invaleſcentibus factum eſt, ut in varios abiretur ſermones planè diſſitos & diſcrepantes. In hanc ſententiam parum admodum reformatam abierunt D. Simonius Hiſt. Critic. V. T. lib. 1. cap. 14. 15. & D. Clericus (c); ſed Criticorum parti ſanè maximæ ideo non arridet, quod planè exterminat totum miraculum à Moyſe deſcriptum in hiſtoria Babelicæ confuſionis. Sola lectione Textus ſtatim prodigium ſentitur: *Deſcendit Dominus, ut videret turrim, quam ædificabant filii Adam, & dixit: Ecce unus eſt populus, & unum labium omnibus, cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus, donec eas opere compleant: Venite igitur deſcendamus & confundamus linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui*. Atque *diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras, & ceſſaverunt ædificare Civitatem*.

Nova hic quæſtio reparatur de numero linguarum è confuſione illa Babelica reſultantium. Veterum pleriſque (d) ea ſedet perſuaſio tot numero linguas formatas fuiſſe, quot eſſent capita molientium ædificium; cùm autem 70. principes familiarum operam in eam rem contuliſſent ſuam, in totidem etiam linguas abitum eſt. Sed unde expreſſus ducitur numerus iſte familiarum? Promunt ſtatim illud Deuteronomii 33. 8. *Quando dividebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael*. Filii autem Iſrael in Ægyptum cum Jacob deſcendentes ad 70. recenſiti Geneſ. 46. 27 *Omnes animæ Domus Jacob, quæ ingreſſa in Ægyptum, fuere ſeptuaginta*.

Numerum ſeptuaginta linguarum exprimunt alii ex recenſitis à Moyſe poſteris Noemi *Geneſ.* 10. Japheto filii aſſignantur 14. Cham 30. Sem. 26. omnes ſimul 70. Sunt qui 72. ſupputent, quòd duo alia capita

(a) Grot. ad Gen. 11. & Not. in Lib. de verit. Relig. Chriſt. num. 16. Huet. Demonſtr. Propoſ. 4. c. 3. Cluver. German. Antiq. l. 1. pag. 74. Georg. Hor. Not. 10 Sulp. Sever. l. 1. Henric. Kippeng de lingua primæva.

(b) Theodoret. q. 60. 61. in Geneſ. Georg. Amira Præfat. in Grammat. Syr. Myriceus Præfat. in Grammat. Chaldaic.

(c) In Geneſ. 11. & Epiſt. 19. Opiniones quorumdam Theolog. Holland. Gallicè.

(d) Lactan. Epiphan. Euſeb. Clemen. Alex. Auguſ. Philaſt. Arnob. Beda, alii paſſim. Vide Natal. Alexan. Hiſtor. V. T. tom. 1.

ddunt Septuaginta ; nimirum *Eliſam* in genealogia aphet, & *Cainan* inter poſteros Cham. Euphorus pùd S. Clementem Alexandrinum Strom. lib. 1. idioatum numerum ad 75. prorogat. Ad 120. S. Paciaus Barcinonenſis Epiſt. contra Novatianos.

Modò verò ut iotactum remittamus examen de numero linguarum, id tantùm diſcutientes, quanti int ponderis argumenta, quæ numerum 70. idiomaum fulciunt, illud nobis affirmandum ſuſcipimus, ihil minus ſolidum afferri unquam ac textum Deuteronomii & Geneſis in eam ſignificationem, quam llis affingunt. Septuaginta pro eo quod legant: *uxta numerum filiorum Iſrael*, habent: *Juxta nuerum filiorum Dei*. Unde ſuſpicio nonnullis deſinari hic ſeptuaginta per orbem gentes, quibus todem Angeli tutelares præſint. Nomina *Cainan* & *Eliſa* addita à Septuaginta nihil faceſſunt negocii Hebræi lautoribus, nulla enim ducuntur illi religione, ut rejecto 72. linguarum numero 70. retineant. Quibus perſuaſum eſt Arphaxad, Tale & Heber alienos uiſſe, ſicut à communi turris ædificandæ conſilio, ta etiam à pœna diviſionis linguarum ab eo crimine nducta, numerum 70. reformant ad 67. ſed & coradendum etiam plurimum ſuadent Jectan filios Heer & nati es eo tredecim filii; quos non immeritò ditos autumaremus poſt tempus conſtructæ turris Babelicæ.

Sunt qui numerent in Scriptura 20. diſſitas linuas, quas etiam fortaſſe plures credamus, quàm uæ re ipſa è confuſione Babelica reſultarint. Proantur nonnullis tres tantùm matrices linguæ pro tribus matricibus Familiis, Sem, Cham & Japhet. Numerus 70. linguarum immodicus reputatur, nec Dei conſiliis neceſſarius; ſed & trium minor eſt, uàm ut neceſſitatem abeundi in diverſa imponeret omnibus; ſed decem vel duodecim linguæ omnibus ilce ſufficeient.

Conſtat inſuper vernaculum Sinarum idioma nulla cum cæteris aliis affinitate conjungi. Teutonicus el Germanus cæterorum omnium ſeptemtrionis fons ſt & origo. Tandem & Cimbricus matris eſt etiam ingua vernacula olim in Galliis & Anglia, quemdmodum & Sclavorum lingua in Illyrico aliiſque egionibus obtinens. Sed omnes iſtæ ignotæ ſunt in Scriptura. Refert S. Lucas Act. 2. 4. &c. S. Spiritus ormam ignearum linguarum referentis illapſu Apoſtolos die ſolemni Pentecoſtes ſubito Magiſterio inſtructos omnium linguarum genera habuiſſe expedita, ut quæcumque exteræ gentes ea omnibus mundi partibus Jeroſolymæ per id temporis verſarentur, ſiſterentes illos vernaculo ſingularum ſermone auſcultantes, detinerentur admiratione. Alter alterum admirantes compellabat: *Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt; & quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Judæam & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenem, & advenæ Romani, Judæi quoque & Proſelyti, Cretes & Arabes*. Lycaonicæ linguæ meminit idem S. Lucas Act. 14. 10. *Turbæ levaverant vocem ſuam Lycaonicè dicentes: Dii ſimiles hominibus deſcendunt ad nos*. Sed ex his idiomatibus pleraque vel recentiora ſunt, vel è matricibus & originalibus Dialecti.

Apud Danielem 3. 4. &c. ſubjectæ Imperio Nabuchodonoſoris gentes per linguas, Tribus, & Nationes diſtribuuntur. Quæ etiam diſtribuendi gentes ſub imperio Meſſiæ ratio ſervatur Apoc. 5. 9. &c.: *Redemiſti nos ex omni Tribu & lingua & populo & natione*. Narrans Moyſes diviſionem Orbis in filios Chami, Semi & Japhet, refert aſſignatas ſingulis regiones ſecundùm *linguam ſuam & familiam ſuam, in Nationibus ſuis*.

COMMANDUCARE *linguam* furentis eſt, deſperantis & tabeſcentis. Homines beſtiæ cultores *Commanducaverunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemaverunt Deum Cæli præ doloribus & vulneribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis*. *Apoc.* 16. 10.

Lingua maris, *lingua terræ*, perinde eſt ſtilo Scripturæ ac extrema ora, qua Mare mortuum in arctum cogitur; e. g. *Joſue* 15. 2. 5. & 18. 19. *Initium ejus, à ſummitate maris ſalſiſſimi, & à lingua ejus, quæ reſpicit meridiem*. Eſt etiam ſæpè peninſula, ſivè terræ prominens aliquid excurrenſque intra mare.

Lingua eucharis Eccl. 6. 5. eſt favens, oppoſita malæ linguæ, nempe maledicæ. Prior illa conciliat amicitias, ſtringit ſocietatem & charitatem inter homines; illam abrumpit lingua maledica, diſſenſionis & ſimultatis injiciens igniculos.

Flagellum linguæ. Sunt impia verba, maledica, calumnias in alium ſtruentia, aliis inſultantia, atque injurias inferentia. Eccli. 26. 9. *In muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans*. In familiis Hebræorum obtinente polygamia, zelotypia inter fœminas ſemen erat, unde maleficia plura in verbis. Idem Eccli. 28. 1. *Flagelli plaga livorem facit; plaga autem linguæ comminuit oſſa*. Job. 5. 11. *A flagello linguæ abſconderis*; malorum verborum jaculis non eris expoſitus.

Donum linguarum, quod Deus Apoſtolis & Diſcipulis in unum coactis cœtum Jeroſolymæ die Pentecoſtes largitus eſt *Act.* 2. 3. *&c.* ad alios etiam ex Fidelibus tranſivit, uti conſtat ex Epiſtolis S. Pauli, certas ponentis regulas, ut citra vitium uterentur Fideles eo privilegio in cœtibus religioſis 1. *Cor.* 12. 10. 1. & 14. 2. *&c.* Perſeveravit id pariter in Eccleſia ſat diu, quoaduſque ſcilicet neceſſarium Deus arbitratus eſt, quà convertendis ad fidem Paganis, quà Fidelibus confirmandis. Nondum in Eccleſia ætate ſua ceſſaſſe teſtis eſt S. Irenæus lib. 5. cap. 6.

Docent Rabbini (a), in Judices Sanhedrinos electos fuiſſe, qui plures callerent linguas. Ad ſeptuaginta inſtructos reputant nonnulli, rati nihil eſſe linguarum in toto Orbe niſi ſeptuaginta. Minus enim decuiſſet inclytum hoc Tribunal indigere Interpretibus. Unicuique integrum erat ſiſtere ſe judicibus illis, ſive ut alium accuſaret, ſive ut ab impactis accuſationibus ſeſe purgaret, ac certum tenere poterat futurum, ut idiomatis ſui peritos Judices nanciſceretur. Hæc de ſuis jactant Doctores Judæi; ſed teſtante Joſepho ſcimus, parvi admodum curare Judæos externarum linguarum ſtudium, perinde enim ſcientiæ genus illud habebant, ac commune quoddam mancipiis æquè & ingenuis hominibus; nemo enim labore vel contentione mentis in id ſtudii non adniteretur.

Unica apud illos æſtimatio erat pro ſtudio Legis, & Sacrarum literarum; ut ſi quis tantùm in illis valuiſſet, quò & alios poſſet inſtruere, illum haberent ſummum virum; ſed decus illud rari obtinebant.

Adducitur in medium hiſtoria quædam Judæi filii Duma, qui cùm Præceptores ſuos de ſtudio externarum linguarum conſuluiſſet, ita reſpondentes illos audivit; oportere ſcilicet verſari mente Legem Dei die ac nocte; quare, ſi quam horarum nec ad diem neque ad noctem attinentem nanciſceretur, hanc ſtudio Legis negaret, traduceretque ad Græcum. Narrant inſuper (b), Jeroſolyma à Rege quodam Aſmonæorum obſidione vallata, demiſſam fuiſſe in caniſtro pecuniam emendis agnis ad ſacrificium quotidianum, eidemque caniſtro impoſitos agnos receptos fuiſſe in Urbem. Sed vir quidam Græcum callens, docuit aggreſſores nunquam illos Urbe potituros, quoaduſque ſacrificium non ceſſaret; quare loco victimæ ſubmiſſus in caniſtro porcus; exinde factum eſt, ut diras imprecarentur iis, qui Græcæ linguæ ſtuderent.

Lingua Angelorum. Perhibet de ſe Apoſtolus, quando

(a) Vide Baſnag. Antiquit. Judaic. tom. 2. pag. 111. cap. 3.
(b) Miſna in Sota cap. 9.

quando etiam linguis Angelorum & hominum loqueretur, fruſtra ſe facturum, ſi deſtitutus eſſet charitate. 1. *Cor.* 13. 1. Vernaculum quendam fuiſſe Angelis ſermonem tenuerunt Veteres quidam (a), quòd ſcilicet in Scriptura colloquentes inter ſe & cum Deo inducuntur. Maluerunt alii, Hebræorum ſermone uti illos in colloquiis familiaribus, tanquàm omnium maximè conciſo atque ad exprimendum aptiſſimo (b). Sochanan Rabbinorum quidam jactitabat noſſe ſe Angelorum & Dæmonum linguam, quòd hos cogeret exorciſmis, illos conjuraret (c).

Sed opiniones haſce nemo hodie non reprobat. Nullo ſenſibili & peculiari ſermone uti Angelos jam convenit inter omnes. Siqua ad Deum loquantur, ſiquid invicem prodant, id totum præſtatur operatione quadam ſpiritus, & voluntatis, qua inter ſe reconditas cogitationes communicant. *Animarum verba*, ait S. Gregorius Magnus lib. 2. Moral. cap. 5. *ipſa ſunt deſideria*.

Cùm de ſe Apoſtolus perhibuit, fruſtra ſibi omnia ceſſura ſine charitate, quamvis eloquio hominum & Angelorum præſtaret, hyperbole quadam eſt uſus illi perſimili, qua nos familiari ſermone uſurpare ſolemus divinam pulchritudinem, vocem Angelicam. Æſtiment alii, quantum reipſa meretur linguarum donum, ait Apoſtolus; ſed ad miraculum licèt eloquio pollens homo, quo Angelos planè inſtructos credere par eſſet, quid valeret donum illud ad ſalutem, ſi charitas deeſſet?)

S. LINUS, de quo D. Paulus 2. *ad Timoth.* 4. 21. *Salutant te Linus, & Claudia, & Fratres omnes*; juxta quoſdam, Claudiæ, cujus Paulus ibidem meminit, filius; quem ſtatim poſt D. Petrum Pontificatu donatum Romanam geſſiſſe Eccleſiam Irenæus, Euſebius, Optatus, Epiphanius, Auguſtinus, Hieronymus, Theodoretus teſtantur. Duodecim autem annis Romæ ſedit; diu tamen ante Petri mortem Romæ Epiſcopum à D. Paulo initiatum fuiſſe ex Apoſtolicarum Conſtitutionum Libro 7. c. 46. accipimus. Addit Rufinus Recognit. pr. pag. 398. D. Linum, & D. Anacletum, viventibus adhuc Apoſtolis Petro & Paulo, Roma tamen abſentibus, Romanam geſſiſſe Eccleſiam; Petrum verò paulò ante mortem D. Clementem, ut ſibi in Pontificatu ſuccederet, ſelegiſſe; quo tamen munere per animi ſui modeſtiam uſque ad D. Lini, & D. Cleti mortem D. Clementem abſtinuiſſe Epiphanius hæreſ. 27. tuetur. Hinc fit, ut certa D. Lini hiſtoria deſticuſmur. D. Lino Pontifice everſa eſt Jeruſalem (d). Græci 5. Novembris, Latini verò 23. Septembris ejus diem feſtum agunt. Vide Cl. Tillemontium.

LINUM, Hebraicè *bad*, notiſſima planta, cujus cortice ad tenuiſſima fila redacto optimæ telæ intexuntur.

Reperitur & alterum lini genus, quod Scriptura *ſcheſch* appellat, noſque Goſſypium arbitramur. Vide *Goſſypium*.

Lini nomine venit & *Byſſus*, quam tamen à lino, & goſſypio longè aliam ſcimus. Sericì genus eſt è concha rubra, quam Rondeletius *Pinnam magnam* appellat, proveniens. Vide *Byſſus*.

Lini denique planta, æquè ut linum, quo veſtes texebantur, *phiſta*, *Exod.* 9. 31. Hebraicè appellabatur.

LITERÆ. Hebræorum Literæ duæ & viginti, quarum nomina, figuram & poteſtatem exhibemus.

1.	א	Aleph.	A.
2.	ב	Beth.	B.
3.	ג	Gimel.	Gh.
4.	ד	Daleth.	Dh.
5.	ה	He.	H.
6.	ו	Vau.	V.
7.	ז	Sain.	S.
8.	ח	Cheth.	Ch.
9.	ט	Theth.	T.
10.	י	Jod.	I.
11.	כ	Caph.	C.
12.	ל	Lamed.	L.
13.	מ	Mem.	M.
14.	נ	Nun.	N.
15.	ס	Samech.	S.
16.	ע	Hain.	Ha.
17.	פ	Pe. Ph. ſeù	P.
18.	צ	Tzade.	Tz.
19.	ק	Kopb.	K.
20.	ר	Reſch.	Rh.
21.	ש	Schin, ſeù Sin.	Sch, Sc.
22.	ת	Thau.	T.

Quis primò literas invenerit, ignoramus. Alii ab Adamo; alii à Noe; ab Abrahamo alii, alii denique à Moyſe inventas putant. Literæ, quibus nunc ſcribunt Hebræi, longè aliæ ſunt ab iis, quibus Moyſes, ejuſque uſque ad Babylonis captivitatem poſteri uſi fuere. Veteres Hebraicæ literæ eædem ſunt, ut credimus, cum Phæniciis, quæ in quibuſdam nummis adhuc videntur, quarumque uſus ad hunc uſque diem apud Samaritanos. Hebraicæ verò literæ, quæ in noſtris Bibliis modò leguntur, propriè ſunt Chaldæorum characteres, quibus pro veteribus, quos in captivitate dedidicerant, poſt Babylonis captivitatem uti cœpere. Cujus ſententiæ argumenta, ſicut & veterum Hebræorum characterum figuras, videnda relinquimus in Hexaplorum editione noviſſima, & in noſtra Diſſertatione Commentariis in Eſdram præpoſita, qua utrum Eſdras veteres Literas immutaverit, perpendimus.

Hebræi vocalibus carere plerumque dicuntur; quamobrem his vocalia, quibus interdum utuntur, puncta ſufficiunt. Vocalibus tamen Hebræos, æquè ut cæteros populos, inſtructos certo ſcimus, quamvis illas in omnibus ſcriptionibus non exhibeant, earumque ſonum, valorem, aliquando immutent; quod & cæteris idiomatibus evenit *Aleph*, *Vau*, *Jod*, & *Hain*, vocales ſunt; *He* verò tantum aſpiratio. Vocalia puncta poſt noni ſæculi dimidium, ſeù propè decimi initium à Maſſorethis inventa ſunt præſertim à Rabbinis Aſer, & Nephtali, qui ea ætate florebant. Hæc autem puncta decem enumerantur, quibus, juxta eorum valorem diverſum, & mutationes, quinque vocales ſupplentur (e).

Quædam habent Hebræi *acroſtica* Opera, quorum initium per literas juxta Alphabeti ordinem diſpoſitas exhibetur. Eadem porrò dici poſſent *alphabetica*, ac ſi ea mente ſcripta ſint, ut alphabeticum Literarum ordinem pueri inde exhaurirent. Horum operum maximum Pſalmus 118. qui duas & viginti acroſticorum carminum octavas ita complectitur, ut octo prioribus initium præſtet *Aleph*, octo ſequentibus *Beth*, ſic de cæteris, Pſalmi 24. & 33. verſiculis 22. per 22. Alphabeti literaa incipientibus conſtant. Pſalmi 110. 111. verſiculorum priorem partem altera litera, ſecundam verò altera exordiuntur. Hinc *Beatus vir, qui timet Dominum! in mandatis ejus volet nimis*: altera verſiculi pars initium ſumit ab *Aleph*, altera verò à *Beth*. Jeremiæ Lamentationes acroſticis verſiculis conſtant æquè ut Proverbiorum caput 31. quo ab octavo uſque ad finem acroſtici verſiculi protſahuntur.

(a) Theodor. Mopſueſt. apud Philopon. de Mundi opific. cap. 12.
(b) Quid. apud Scipion. Sgambat. Archiv. V. T. lib. 1. art. 4.
(c) Vide Ligfoot. in 1. Cor. 13. 1. (d) Ann. Chr. 70.
(e) Vide Exercitat. P. Morin. & Prolegom. Valton. & hac de re alia plurima.

(Inventarum literarum, & Scripturæ primus Author ignoratur. Porro artem hanc eſſe admirandam & planè divinam negaverit nemo, qua verba veluti pinguntur, & ſermo habetur ad oculos tanquam ad aures, variiſque veſtitæ figurarum indumentis literæ coloratas exhibent & inſtructas corpore mentis ſpiritales cogitationes (a). Perſuaſum habuerunt nonnulli, nunquam non illas obtinuiſſe in mundo; quo enim largitore Deo homo uſus eſt obtinendæ rationi & loquendi facultati; ita eo tradente didicit artem exprimendi intimos animi conceptus ſcriptura. Nota ſunt quæ tradit Joſephus, Antiquit. lib. 1. cap. 2. de columnis erectis ante diluvium opera filiorum Seth, inſcripta tenentibus nova eorum inventa, & contemplationes aſtronomicas. Scripti Adamo, & Enoch Libri tribuuntur; quæ ſanè probant opinionem de ſcientia ſcribendi viris illis non ignota. Manet hodie uſque Liber, quem Sabii Adamo tribuunt, cujus character planè inſolitus eſſe fertur. Ad Librum Enoch quod attinet, ſola reſtant fragmenta è verſione Græca, ſeu potiùs ex ipſo Originali, neque enim aliter quàm Græcè ſcriptum illum ab Impoſtore creditur.

Revocant alii ſeriùs uſum cœptæ Scripturæ. Repetunt quidam ex Abrahamo, alii è Moyſe, è Phœnicibus, è Saturno, ex Ægyptiis. Æquiùs alii cenſent, pluribus rei inventæ honorem tribuendum eſſe, agnoſcuntque citius apud Occidentales, cœpiſſe literas. Inventas à ſe alii aliis tradiderunt; alii tantùm perfecerunt; ab exordio rarus erat, & imperfectus uſus literarum: primo enim rudibus figuris, & minùs expeditæ deducebantur literæ; ſucceſſu temporis expolita ars, uſus facilior, & communior.

Docet Crinitus inventas Hebraicas literas à Moyſe; Syriacas & Chaldaicas Abrahamum tradidiſſe; peculiares ſibi literas à ſe inventas Phœnices communicaſſe Græcis, à quibus in Italiam translatas; Nicoſtratus Latinas invenit; Iſis Ægyptiacas; Ulfilas Gothicas.

Sed temerè hæc ab Anthore ſcripta fuiſſe non immeritò ſuſpicaremur, conſtat enim, Hebraicas, & Phœnicias literas olim ab exordio vel nihil vel parum inter ſe diſcrepaſſe. Græcæ, & Latinæ non recens utique inventum reputandæ ſunt; Græcæ expreſſæ ſunt è Phœnicibus, è Græcis Latinæ; ex alterutris literæ, quibus Ulfilas eſt uſus.

Ad ſcripturam Ægyptiam quod attinet, affirmant ab exordio ſola retuliſſe hieroglyphica, vel figuras animantium, & rerum ſive lapidi inſculptas, ſive ligno appictas, quibus rerum majoris momenti memoriam perennabant Ægyptii. Hoc fortè ſcribendi genus, omnia quotquot in mundo, vetuſtate ſuperat; ſervanturque noſtra adhuc ætate monumenta in obeliſcis, & marmoribus ex Ægypto tranſvectis. Rei inventæ honorem tribuit Marshamus ſecundo Regi Mempheos (b), non diverſo planè à Thautho, quem Græci Mercurium I. appellant. Quæ verò prior iſte hieroglyphicis literis tradiderat, Thauthus alter vulgaribus characteribus expreſſit. Hæc autem omnia primam referunt antiquitatem; ſiquidem Menes primus Rex Mempheos cum Chamo filio Noe confundatur.

Honorem inventarum literarum Phœnicibus tribuit Lucanus lib. 3. quo tempore Ægyptii nec de papyro, nec de hieroglyphicis quidquam adhuc noverant.

Phœnices primi, fama ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: & ſaxis tantùm volucreſque feræque.
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

Itaque Phœnicum imitatione obtinuit facilè ut literæ apud Ægyptios invaleſcerent. Nullo id quidem ſatis aſſerto teſtimonio probaretur, Ægyptios ſcilicet artem hanc debuiſſe finitimis ſuis Phœnicibus, vel Chananæis; ſed duo tamen certò nobis affirmanda; 1. Veteres utriuſque gentis characteres plurimùm inter ſe affinitatis retuliſſe (c), 2. Moyſem *in omni ſapientia Ægyptiorum inſtructum*, qui & juveniles annos ſuos egit in Ægypto, Libros Legeſque ſuas tradidiſſe literis Phœnicicis. Veteres Ægyptiorum literæ hodie penitùs latent, quanquam Ægyptiaca plurima monumenta adhuc ſuperſunt. Defecerunt illi penitus à veteri Scriptura ſub Græcorum Imperio, & quem hodie tenent character Cophticus vel Ægyptius è Græco expreſſus eſt.

Ad Phœnices quod attinet, literas ſuas ſecum in omnes colonias devexerunt. Cadmus retulit in Græciam; acceptas Græci perfecerunt, additis etiam nonnullis, tum communicarunt Latinis; ac tandem poſt victorias Alexandri Magni Ægyptum & Syriam univerſam moribus hiſce ſuis ſubdiderunt. Quare veteres illæ Phœniciæ literæ antiquitate ſua venerabiles adeò & cæterarum matrices hodie penitùs intercidiſſent, niſi manus admoviſſent adjutrices Samaritani, quorum ſedulitate ſervatus Pentateuchus Moſaicus, vetuſtis Chananæis vel Hebraicis literis expreſſus, ex quo lux affuſa nummis, rariſque Phœnicibus, quæ ſuperſunt, monumentis.

Quæ de vetuſtis characteribus Pentateuchi Samaritani attigimus, non omnibus æquè eruditis probata ſunt. Poſtellus, Buxtorfius filius, & Doctores nonnulli Thalmudici defendunt, characterem Hebraicum quadratum, hodie apud Judæos obtinentem, ipſum pariter & Moſaicum cenſendum eſſe. Majori numero alii, velut Origenes, Euſebius Cæſarienſis, S. Hieronymus, Beda, Genebrardus, Bellarminus, Rabbinorum plures cum eruditiſſimis Criticis noſtratibus defendunt deſeruiſſe Judæos vetus ſcribendi genus jam inde poſt captivitatem Babylonicam, ut Chaldaicas literas ſubſtituerent, quas hodie uſque retinent; cùm interim Samaritani aſſererent Pentateucho ſuo veterem Scripturam Hebraicam vel Phœniciam. Tandem Eruditorum aliis, ut R. Azariæ, Abdiæ, Bartenoræ, Poſtello, Buxtorfio, Conringhio, P. Sgambato viſum eſt diſtinguere duo veterum Hebræorum characterum genera, commune nempe & ſacrum; commune dicunt quod à Samaritanis retentum eſt; ſacrum quod Judæi. Sed hæc ludibria ſunt potiùs phantaſiæ, quàm certis argumentis aſſertæ veritates.

Literis ſuis utuntur Judæi non ad ſcribendum tantùm, ſed ad ſupputandum, pro Græcorum more, apud quos elementares literæ ſuum habent numerum in ſupputationibus arithmeticis. Sed his moribus inhæſiſſe etiam veteres Hebræos, ut apud illos literæ eſſent & numeri planè non diſtincti, vix credo. Nullum ejus rei indicium in Scriptura; integrum ſcribunt, non delineant numerum ſacri Scriptores. Nec me utique fugit, ſuccurriſſe viris quibuſdam Doctis, ut aſcriptiones temporum corrigerent vel annos ſupplerent, ponentes ſcilicet literas pro numeris valuiſſe in Textu Scripturæ; ſed illia utique priùs fuerat demonſtrandum, eadem obtinuiſſe apud veteres Hebræos, quæ apud recentiores hodie.

Notat S. Joannes Apoc. 13. 17. &c. characterem beſtiæ & numericum compendium nominis ipſius, quod ſummam conficit *666*. Compendioſæ hujus notæ clavem quærendam alii cenſent in lingua Hebraica, omnemque poſuerunt operam, ut myſterium reſerarent. Sed verò propius autumaremus S. Joannem Græcè ſcribentem Græcarum literarum æſtimationem numericam prætuliſſe, qua nomen beſtiæ deſignaret, vel fortè innuere ſatagens Imperatorem quendam Romanum Eccleſiam perſequentem, illud intendebat, ut numerus 666. indagaretur in literis numericis, quibus vel nomen Principis, vel indoles ejuſdem ſcriberetur.

In literis elementaribus Hebræorum ſubtiliſſimas planè

(a) Breboeuf. Pharſal de Lucain. De peindre la parole, & de parler aux yeux, Et par les traits divers de figures tracées Donner de la couleur & du corps aux penſées. (b) Marsham. Can. Ægypt. ſæcul. 1. ex Syncell.
(c) Vide Plutar. libel. de Dæmon. Socrat. Kircher. Voſſ. &c.

planè doctrinas expreſſerunt Doctores Cabaliſtici. Cæteri etiam Rabbini quanquam alioqui ſolidiora præ Cabaliſtis amantes, myſteria tamen inveſtigarunt in literis nonnullis Textus Hebraici, quarum aliæ inverſæ, aliæ ſuſpenſæ, aliæ clauſæ; myſteria omnia, ſi Doctores illos audias, nec obiter prætereunda. Verùm ſive hæc caſui, ſive induſtriæ debentur, non immeritò tamen affirmaretur, literas ſeorſum à verbo, cui ſerviunt, acceptas, & ſenſu & myſterio vacuas eſſe penitus. Si cui fortè viſum ſit arcanum aliquod exprimere in combinatione literarum ejuſmodi, ſive in figura, moralia inde doceat, quin & myſteria, illi utique per me licet, dummodo hæc tanquam meditamenta ſua, non ad adſtruendam veritatem argumenta exhibeat. Valent hæc omnia ad ſummum ædificationi ſimplicium, vel alendis mentibus perſuaſis jam de veritatibus, quæ fortè è conjugatione literarum ejuſmodi reſultabunt. Docet equidem J. C. Matthæi 5. 18. *Jota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant*. Sed proverbiali illa formula nihil aliud exprimitur, quàm quod implenda ſunt omnia in Lege ſcripta. In eandem ſententiam ſcripſit S. Hieronymus: *Quæ minima putantur in Lege Domini, plena ſunt ſacramentis*. Ad commenta Cabaliſtarum quod attinet, eis ago referendis, vel refutandis, bonas horas non perdam; neque enim id operæ pretium arbitramur. Videſis D. Baſnage Hiſt. Jud. to. 6. l. 9. c. 8. & c. 20. 21. & 23.

Veteribus nonnullis memoratur Liber Cæli (a): *Legi in tabulis Cæli*, ſicut & literæ in Cælo exaratæ, quarum lectione viris peritis innoteſcerent futurorum & ineffabilium myſteriorum arcana. Picus Mirandulanus, qui ſedulam operam impenderat ſtudiis Cabaliſticis (b), notat, quemadmodum Aſtrologi certas diſtinguunt in Cælo imagines, unde ducunt auguria; ita pariter Judæis Doctoribus elementares eſſe in Cælo literas, nec alterius quidem à vernaculis Hebræorum figuræ. Paria docet Agrippa de occulta Philoſoph. lib. 3. cap. 30. additque eorum teſtimonio Gaffarellus authoritatem plurimum Rabbinorum clari nominis, Maimonidis, Nachmani, Abenezræ, Kimchi, Abravanelis.

Plus aliquid addit Poſtellus, experimentum ſuum afferens: *Si dixero me vidiſſe in Cælo, in ipſis lingua ſancta characteribus ab Eſdra primum publice expoſitis ea omnia, quæ in rerum natura conſtituta, ut vidi, non explicitè, ſed implicitè, vix ullus mihi crediderit: tamen teſtis Deus & ejus Chriſtus, quia non mentior*. Nec ſanè dubitaverim hominem eo præjudicio occupatum, cujus jam phantaſia vehementer affecta eſſet, non legiſſe in Cælo & in aſtris quæcumque ferebat voluntas, & quos ſibi priùs in mente formaverat characteres. Abſurdæ huic ſententiæ adſtruendæ abutuntur Doctores illi verbis hiſce Scripturæ Pſal. 18. v. 5. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum... In omnem terram exivit ſonus eorum*. Sed fruſtra inania hæc diutiùs nos remorarentur. (c)

Litera oppoſita ſpiritui, quæ verborum phraſis recurrit in Epiſtolis Pauli *Rom.* 2. 27. 29. & 7. 6. & 2. *Cor.* 3. 6. 7. & ſtylo Eccleſiaſtico eſt familiariſſima: *Deus idoneos nos fecit miniſtros Novi Teſtamenti non litera, ſed ſpiritu; litera enim occidit, ſpiritus autem vivificat*. i. e. Lex Judaica ad literam impleta impar eſt reſtituendæ ad vitam animæ, atque juſtitiæ largiendæ coram Deo iis, qui ſervili quadam affectatione inhærent literalibus præceptis Legis. Quò ad juſtitiam enitamur, jungendus eſt hiſce omnibus ſpiritus, charitas, fides, ſpes, vel literalibus hiſce obſequiis in Legem impenſis ſufficiendæ ſunt ſpirituales quædam operationes plurimùm & excellentia ſua & perfectione hiſce omnibus præſtantiores; e. g. cruentis ſacrificiis amotis dandus eſt locus ſacrificio cordis contriti & humiliati, refrænandæ ſunt paſſiones, vitium & peccatum extinguendum.)

LITHOSTROTOS, vox Græca, locus lapidibus ſubſtratus. Vide *Gabbatha*.

LITURGIA. Græca vox ab Eccleſia conſecrata, ut Sanctum Altaris Sacrificium Corporis & Sanguinis J. C. exprimat: quem tamen ſenſum in Novo Teſtamento interdum non ſervat. SS. enim Lucas, & Paulus eodem vocabulo ſervitutem Sacerdotum Veteris Teſtamenti deſignant. *Luc.* 1. 23. *Hebr.* 9. 2. uti Zachariæ Patris Joannis Baptiſtæ, & Sacerdotale Melchiſedechi Miniſterium. Suum alteriùs D. Paulus officium in Fidelibus verbo Dei inſtruendis, & eorum beneficio eleemoſynis comparandis, Liturgiam appellavit 2. *Cor.* 9. 12. *Philipp.* 2. 25. In Veteri demum Teſtamento Sacerdotum, & Levitarum in Templo miniſterium, eodem Liturgiæ nomine deſignatur 1. *Par.* 26. 30. *Num.* 4. 21. & paſſim. Reſpondet autem Hebræo *aboda*, quod *ſervitutem*, *officium*, *miniſterium* ſonat.

LIVIAS, urbs ultrà Jordanem, olim *Betharamphta* (d), quàm Magnus Herodes ex Livia Auguſti uxore *Liviam*, ſeù *Libiam* appellavit.

LOAMIN, tertius Dodani filius, & Abrahami, & Cethuræ nepos, & fortè pater *Omanorum*, (e), quorum regio à Petra Arabiæ Petrææ Metropoli uſque ad Characem ſecus Euphratem ſitam protendebatur.

LOBNA, Urbs ex Tribu Juda *Joſue* 15. 42.; in parte ejuſdem Tribus meridionali, quam Sacerdotibus traditam refugii urbem conſtituere 1. *Par.* 6. 55. Euſebius & Hieronymus in Eleutheropolis regione eamdem locant. Alia non eſt à *Libna*, ſeù *Lebna*, propè quam Iſraelitarum per deſertum itinerantium ſtatio fuit. *Num.* 32. 20.

(LOCMANUS. Nullus eſſet *Locmano*, cujus ne nomen legitur in Scriptura in noſtro hoc Dictionario locus; ſed cùm Orientalium Scriptorum quidam (f) virum conſtituant Jobo ſive ex ſorore nepotem, ſive amitæ filium, adeoque & conſobrinum germanum veteris hujus Patriarchæ; aliis verò placeat filium tribuere Beor filio Nachor & nepoti ex fratre Thare, adeoque & abnepotem Abrahami; non ingratum accidet Lectoribus, ſi quid de illo in præſenti libemus.

Collatis ſimul omnibus, quæ de inſigni hoc ſapienti Viro narrant Orientales, intelligere nobis videmur, diutiſſimam illi ætatem vindicari; vel ſaltem duos vel tres viros agnomine diſtinguendos eſſe. Componunt enim plures *Locmanum Sapientem* cum ætate Davidis & Salomonis. Promovent alii uſque ad ætatem Jonæ; ſunt qui coævum faciant Æſopo, quin & confundant cum inſigni hoc fabularum Scriptore.

Munſulmanorum Scriptorum plerique Locmanum repetunt è ſervili conditione, ſutoris nempe, vel fabri lignarii, vel paſtoris; Æthiopem verò genere; venditum autem in ditione Iſraelitica, rerum potientibus Davide & Salomone tenent. Cùm pomeridianas horas ſemel dormiendo falleret, convenerunt illum Angeli, ſalutaruntque comiter; nec tamen aſpectum ſuum revelarunt. Locmanus neminem reſpiciens nullum reſpondit ſalutationi officium. Renunciarunt Angeli decreviſſe Numen Regem illum conſtituere, vices ipſi ſuas committere in terra. Tum ille ſtatim repoſuit, ſiquidem à Deo huic muneri deſtinaretur, ſperare ſe, ut tanto muneri pares dotes ab ipſo reciperet; optare tamen, ſi fortè res arbitrio ſuo permitteretur, rogareque, ut priſtinæ conditioni relictus immunis præſervaretur à crimine, quo non impetrato beneficio mundi dignitates omnes futuras ſibi oneri.

Gratus hæc excepit Deus, ſtatimque virum donavit ſapientia, quanta mundo univerſo inſtruendo valeret, uberi ſententiarum, axiomatum, ac parabolarum copia, quas ad 10000. ſupputant.

(a) Teſtament. 12. Patriarch.   (b) In Aſtrolog. lib. 5. cap. 5. pag. 443.
(c) Vide Baſnag. Hiſt. Jud. tom. 6. lib. 9. cap. 21.
(d) Euſeb. in locis in Betharamphta. Hieronym. in Bathara.
(e) Plin. l. 6. c. 28.   (f) D. Herbeloth. Biblioth. Orient. pag. 516.

Semel Deus virum interrogavit quomodo manè ſurrexiſſet è lecto; repoſuit: *Ego exſurrexi è medio pulveris mei*. Quæ Davidi renunciata altam de modeſtia viri opinionem in illo formarunt.

Aſſidentem olim in corona auditorum Judæus quidam vir ampliſſimus interrogavit, num idem eſſet ſervus, qui paulò antehac greges certi illius, quem indicabat, hominis curaret: Ego ſum, ait ſtatim Locmanus. Quomodo ergo tam brevi temporis ſpatio ad hunc ſapientiæ & virtutis gradum perveniſti? Curſum hunc confeci, ait Locmanus, tribus adjumentis; vera ſemper loquens; fidem ſervans inviolatam; & nunquam me alienis immiſcens.

Publicam aſpexit lucem Opus inſcriptum *Giovaher Altaſſir*, exhibens compendio ſcriptas res geſtas inſigniores atque eximias Locmani ſententias; & Scriptor Tarich Montekeb affirmat, ſua adhuc ætate manſiſſe viri ſepulcrum in Judæa juxta urbem Remla vel Rama ad Occidentem Jeruſalem; natum addit illum Abyſſinum vel Nubienſem, & profeſſione Judæum unum fuiſſe ex 70. Prophetis à Judæis fame enecatis qui una ſimul die perierunt; vixiſſe annis 300. & alterum eſſe virum à Locmano coævo Heber Patriarchæ. Hactenus ille.

Sapientia Locmani in proverbium abiit apud Orientales; nec a verò abludit ipſiſſimum eſſe virum cum Æſopo, eo tempore florente, quo Crœſus Rex Lydiæ victus eſt à Cyro, & coævo Soloni Legislatori Athenienſium. Nomen Æſopus Græcè ſonat interdum Æthiops. Æſopi & Locmani conditio ſervilis; ſcriptor uterque fabularum & apologorum, nec rara in Opere Locmani occurrunt, quæ pariter & in Æſopo legas; plura etiam feruntur de Locmano, quæ & de Æſopo. E. g. utriuſque eſt effatum: inter cætera hominis membra linguam optimam eſſe, item & peſſimam; ſicut & accuſatus à ſociis Locmanus de fructu quodam deguſtato, ut ſe à crimine purgaret, vomitum provocavit, quo indicio intelligerent vacuum habere ſe à furto ſtomachum; ad idem autem experimentum coactis ſociis reum furti prodidit.

LOCUSTA. Plurimis nominibus locuſtas Hebrei deſignant, apud quos earum plurima genera, quæ nos penitùs ignoramus. Locuſtarum plaga, quæ omnem prorſùs regionem diripuere, Deus Ægyptum confecit *Exod.* 10. 4. *&c. Pſal.* 77. 46. *&* 104. 34. Itinerantes noviſſimi æque ut Hiſtorici veteres, Africam, & Aſiæ loca plurima ea locuſtarum copia affluere ferunt; ut interdum nubis inſtar regiones invadentes, quid quid eis ſe offerat, populentur; interdum quoque præ multitudine ſolem ipſum obumbrent: interdum denique populos eaſdem in aere ſuſpicientes, terrore corripiant, vetitos, ne in proprias regiones nimbus edax irrumpat (a). Joel ſterilitatem referens, qua locuſtarum copia Judæam affecerat, earum, veluti hoſtium exercitus meminit, qui omnem prorſus regionem everterint *Joel.* 16. *&c.* 2. 3. *&c.* Cùm ventorum vi in mare ſedactæ iterum in litus acervatim revomuntur, teſte Iſaia, vel foveis ingentibus humantur, vel flammis traduntur, ne aerem putore inficiant: quandoque enim contigit, ut ſæviſſimas contagiones intulerint (b).

Volatilia omnia quatuor pedibus gradientia inter immunda Moyſes recenſet *Levit.* 11. 22.; ea tamen demit, quæ longioribus cruribus retrò prædita, non humi repunt, ſed ſaliunt; inter quæ ſtatim quatuor locuſtarum genera enumerat, Hebraicè *arbe*, *ſalah*, *chargol*, *&* *bachagab*, quæ *bruchus*, *attacus*, *ophiomacus*, & *locuſta* ab Hieronymo redduntur. Vide Boch. de Animal. Sacr. p. 2. l. 4. c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Poſt locuſtas à Moyſe permiſſas, in Palæſtina, ejuſque vicinia comedi ſolitas ambigi nequit; quare ea vox *acrides*, qua S. Joannis nutrimen memorans Matthæus 3. 4. utitur, locuſtas optimè valuit deſignare. Africam, Syriam, Perſiam, & omnem propè Aſiam locuſtis veſci Veteres aſſeruere. Sunt etiam populi, qui *Acridofagi*, ſeù locuſtarum comeſtores idcircò vocantur, quòd hæ præcipuam eorum eſcam inſtituant. Recentiores plurimi (c) in hanc uſque diem locuſtarum uſum apud Africanos, & Orientales communem teſtantur. Clenardus in Epiſtola, quam anno 1541. in urbe Fez ſcripſerat, plauſtra locuſtis, quas populus in nutrimen ſibi pretio comparat, onuſta in eam civitatem invahi ſe vidiſſe fatetur. Kirſtenius in notis in Matthæum, à ſuo Arabe Præceptore, qui locuſtas ſecùs Jordanem pluries viderat, ſe didiciſſe aſſerit, eadem illas, qua noſtræ, forma conſtare, noſtris tamen eſſe aliquantò craſſiores: eas porrò, alis & cruribus, demptis, collo ſuſpendi; utque corrumpi incipiunt, comedi, & in deliciis haberi. Religioſus demùm Ægyptum peragrans, quatuor menſibus locuſtas ſibi pabulum præſtitiſſe aſſeverat (d).

(Quæ de coturnicibus à Deo miſſis in eſcas populi in deſerto exponunt cum Vulgata *Exod.* 16. 1. *Num.* 10. 11. ſummo aſſenſu Interpretes, hæc de Locuſtis accipienda contendit D. Ludolfus. Opinionem hanc ſuam pluribus adſtruit, quæ nos attigimus v. *Coturnices*.)

LOD, aliter *Lydda*, ſeù *Dioſpolis* (e). Elphaal filios habuit Heber, Miſaam, & Samad, urbes Ono, & Lod, earumque filias ædificavit.

LODABAR. Quo in loco ea urbs conſtiterit, ignoramus; fortè ultra Jordanem. Miphiboſeth Jonathæ filius, tum, cùm à Davide accitus eſt Jeroſolymam, degebat in Lodabar 2. *Reg.* 9. 4. *Lodabar* collata cum *Lodicis*, nempè *Dioſpolis* fortè *Lod ultra* deſignat.

LOG, *quarta pars cabi*, nempè ſemiſextarius, pintæ pars octava, pollex cubicus, & aliquanto amplius In 4. Reg. 6. 25. *quarta pars cabi* dicitur; at in Levitico 14. 10. &c. *Log* frequenter menſuram olei à Leproſis poſt valetudinem, Templo offerendam ſignificat.

LOGION, vox, qua Græci Pontificis *Rationale* appellant, Hebræis *Choſchen*. Vide *Rationale*.

LOIS, S. Timothei avia, cujus fidem D. Paulus commendat 2. *Timoth.* 1. 5.

LOLIUM, *zizanium*, planta oblongis foliis, & piloſis, quæ difficilè à tritico, cæteriſque frugibus, inter quas naſcitur, differt. Hujus calamus ſubtilior eſt, quàm tritici; è cujus extremitate ſpica egreditur, longa, praviſque ſiliquis inæqualiter cincta, quarum ſingulæ tria quatuorve grana continent; coacervata, & cortice duriſſimo operta. Panis multo lolio admiſtus, valetudini officit; ebrietatem, ſtomachi gravedinem, ſudores, & morbos capitis gignit. Maturitati proxima, facilè à tritico diſtinguitur. Hinc Chriſtus lolii, & tritici parabolam narrans, meſſoribus imperatum ait, ut meſſis tempus præſtolarentur, quò lolium in faſciculus collectum, igni comburendum traderetur *Matth.* 6. 26. *&c.* Lolium in Eccleſia cum tritico, mali cum bonis, reprobi cum electis uſque ad Judicii diem miſcebuntur. Paſtores interdum hæreticos, & ſchiſmaticos, & pravi exempli peccatores anathemate evellunt; quod veluti Divini Judicii præludium habendum eſt.

(Lolium ſpica prominet pede longa, & planè ſingulari, nam plures dividitur in partes alterno ordine diſpoſitas, quarum ſingulæ ſeu ſpicam ſeu concretionem granulorum exhibent. Sunt autem grana illa tritico minutiora, parùm farinacea, & minuta. Foliis quidem plurimùm à frumento diſcrepat, quorum tunc potiſſimùm ſentitur diſcrimen, cùm adulta jam ariſta flores eſt emiſſura. Nomen Gallicum *yvraye*, inde deductum fertur, quòd ex admixto plurimo lolio ſeu panem ſeu cervifiam deguſtantes ebrietate corripiuntur. Ex Botaniſtis quidam tenent corruptum ſeu triticum ſeu hordeum in lolium degenerare, ex quo

(a) Plin. l. 11. c. 29. Hier. in Joel. Alii plures. (b) Aug. l. 4. de Civit. c. 31.
(c) Diodor. Agatharcides Plin. l. 7. c. 30 Strabo l. 16. &c.
(d) Vide Commentar. in Matth. c. 3. 4. & Boch. de Animal. Sacr. p. 2. l. 4.
(e) Vide Lydda & 1. Par. 8. 12.

ex quo factum, ut certa quædam loca & anni lolio abundent, quamquam optimum triticum ſolum eſcepetit. Viciſſim autem affirmant reparari in frumentum lolium, cùm optimæ terræ commiſſum eſt. Utrumque mihi experti teſtes affirmarunt.)

LONGINUS, militis nomen, qui lancea Chriſti latus effodit *Jo.* 19. 34. Plura de Longino: certi nihil. Bollandiſtæ in Actis Sanctorum die 15. Martii ferunt, Longinum, cui una cum aliis militibus crucifixorum cuſtodia deſtinata fuerat, viſis, quæ Chriſto moriente evenere, miraculis, Chriſti fidei nomen dediſſe; à Pilato deinde Domini ſepulchro cuſtodiendo addictum, à Pontificibus oblatam, ut Jeſu cadaver à Diſcipulis ſublatum teſtaretur, pecuniam rejeciſſe; quare Præſidis iram ita in ſe concitaſſe, ut propè fuerit, ut ab eo perderetur; Chriſto denique omninò adhæſurum, inſcio Pilato, militia ſe abdicaſſe, & una cum duobus militibus, qui ſui imitatione Fidem amplexi fuerunt, in Cappadociam ſeceſſiſſe: qua in provincia cùm de Catholica Religione ad populos palam diceret, Judæi Pilatum impulerunt, ut ad Imperatorem epiſtolas haberet, quibus hujus deſertoris mulctam expoſceret; Romam præterea, ut voti compotes fierent, pecunias miſere. A Tiberio itaque Longino, ejuſque ſociis morte damnatis, Pilatus in Cappadociam miſit, qui eorum præciſa capita ad ſe deportarent.

Acta alia à Metaphraſte exhauſta, vel ſuperioribus magis incerta, Sutius perhibet. Alia etiam, quæ ab oculato teſte exarata putabat Allatius *de Simeon.* p. 101. allegat: quæ tamen, ut Bollandus perlegit, ne tranſcribi quidem digna judicavit. Aſſerit Chryſoſtomus *in Matth. hom.* 89. ſua ætate Centurionem, de quo in Evangelio *Matth.* 27. 54. quique Chriſto moriente clamaverat: *Verè Filius Dei erat iſte*, à plurimis creditum Chriſtianæ Fidei ita adhæſiſſe, ut martyrium, cujus etiam extare acta aſſerebant, impavidè pertulerit: hunc tamen eum eſſe, qui Chriſti latus effodit, multoque minus *Longinum* appellari, meminit nemo. Græci S. Longinum Martyrio decoratum Andrale, ſeù Sandtale propè Tyanas in Cappadocia putant, ejuſque Feſtum agunt 16. Octobris; Latini verò militem arbitrantur alium à Centurione, qui Chriſti latus effodit, ejuſque feſtum habent 15. Martii (a).

LOTH, filius Aran, Abrahami nepos, qui patrem de Ur primò, deinde ex Haran egredientem comitatus (b), Ægyptum peragravit, & una cum eo, a quo benevolentia ſingulari diligebatur, in Chanaanitidem regreſſus eſt. Cùm verò utriuſque paſtores, plurimis & opulentis eorum gerendis gregibus addicti, rixas viciſſim committerent *Gen.* 13. 6. *&c.* ut jurgii occaſionem adimerent, Abrahamo nepoti indulgente, ut ſibi quam vellet pro domicilio regionem ſeligeret, ſe deinde in oppoſitam migraturo, alter ab altero diſceſſit; & Loth Sodomam, cujus vicinia opima, & feraciſſima, ſibi incolendam deſtinavit an. M. 2084. ante Ch. 1916. ante Ær. 1920.

Octo circiter poſt annis (c), Rex Codorlahomor una cum ſuis fœderatis Sodomam, eique finitimas urbes aggreſſus, fugatis populis, Sodomaque direpta, plurimos, quos inter Loth Abrahami nepotem, in captivitatem eduxit. Abraham verò nepotis captivitate accepta *Gen.* 14. 12. *&c.* 318. ex famulis ſuis robuſtos, & armis inſtructos, illicò elegit, & fœderatos Reges inſequutus, ad Jordanis fontes intercepit, cæcidit, fugavit, & prædis recuperatis, nepotem Loth, cæteroſque captivos libertati reſtituit.

Aliquot poſt annis (d), Sodomæ, & quatuor finitimarum urbium flagitiis plus nimio creſcentibus, tres Angelos Deus miſit, qui in improbos animadverterent, urbeſque delerent *Gen.* 18. 20. *&c. &* 19. 1. *&c.* Angelos itaque ante ſuum tabernaculum tranſeuntes Abraham excepit hoſpitio; quos cœpto itineri inſiſtentes comitatus, ut è regione Sodomæ conſtitere, eam urbem ſtatim evertendam ab iiſdem accepit: quare de nepote ſollicitus, an Juſti una cum improbis conterendi eſſent, utrùm ne excidio abſtinerent, ſi viginti ſaltem aut decem Juſtos in ea urbe inveniſſent, rogavit; eique Angelis ita eventurum reſpondentibus, domum ſuam reverſus eſt, ſibi utique ſpondens, in ampliſſima urbe decem ſaltem innoxios inveniendos fore; inter quos & nepotem ſuum Loth certò enumerandum non ambigebat.

Inclinante die duos Angelos (tertius enim, quòd fortè Iſaaci tantùm nativitatem nunciaturus veniſſet, jam evanuerat) Sodomam ingredientes, Loth, qui præ urbis foribus tunc ſedebat, pronus rogavit, ut domum ſuam diverterent: quos eam noctem in urbis platea tranſacturos hoſpitium detrectantes, demum coegit, & convivio excepit. Necdum cubitum ierant, cum urbis incolæ Lothi domum circumſidentes, eos juvenes, quibus abuterentur, ad ſe produci urgebant; Lothus verò, ut eos à tanto ſcelere deterreret, geminas ſuas virgines filias ſe potiùs educturum ſpoſpondit: qui tamen minimè acquieſcentes, imò & Lotho vim intentantes, jam prope fuerant, ut domus fores effringerent, niſi Angeli eorum oculos iis illicò tenebris obduxiſſent, ut lumine prorſus deſtituti, januam minimè invenerint.

Monitus deinde Loth, ut ſibi cognatione devinctos ea urbe flagitiis cumulata, & idcircò mox evertenda educeret, generos, quibus filias ſuas deſponderat, ut proximo urbis excidio ſe adimerent, rogavit; quem illi veluti levia, & inepta loquentem minimi habuere. Ut illuxit, cum Loth diſceſſum adhuc cunctaretur, Angeli & Lothum, & uxorem, & filias manu apprehenſas domo, & urbe eduxerunt, monueruntque, ut quin oculos poſt terga deflecterent, ſibi fuga proſpicerent, ne iiſdem, quibus cæteri, calamitatibus obruerentur. Lotho denique, ut ſibi in Segor, alteram ſanè ex quinque urbibus evertendis, perfugere liceret, poſtulanti indulſere. Lothi verò uxor, quòd poſt terga reſpexerit, iiſdem, quæ Sodomam conſumpſere, flammis correpta, in ſalis ſimulacrum converſa interiit.

Sodomæ, finitimarumque urbium incendio territus, & diutius in Segor degere Lothus veritus, in proximi montis ſpecum una cum ſuis filiabus ſe contulit. Hæ homines omnes interiiſſe, orbemque, niſi per ſe ipſas novis incolis donaretur, defecturum ſibi ſuadentes, Patrem inebriarunt; natuque major, quin rem ille perciperet, ex eodem filium concepit, qui *Moab* appellatus, Moabitarum pater extitit. Altera verò filia ex Patre iterum inebriato, nocte ſequenti, concepit *Ammonem*, ex quo deinde Ammonitæ. De Lotho, uxore, & filiabus quid ea in re dijudicandum, apud Commentatores videndum relinquimus (e). D. Petrus juſtum Lothum, Dei beneficio, à Sodomitarum vexationibus vindicatum teſtatus 2. *Petr.* 2. 7.

(Suſpicati ſunt nonnulli *Beelphegor* Numen Moabitarum ipſiſſimum fuiſſe generis illorum authorem Loth. Sonat *Beelphegor* Deus detectus & abſque pudore; quod congruit in hiſtoria Loth à filiabus cogniti.

Hiſtoriam hujus Patriarchæ pluribus inferſerunt Munſulmanni (f) Miſſum narrant à Deo ad Sodomitas & reliquas quatuor Urbes, annunciaturum Dei ſingularis dogma, amoturumque illos ab infando eo crimine, quod primis illis authoribus invectum, eorum pariter nomine apud nos diſtinguitur. Quod autem nos *Sodomiam*, Arabes appellant *Louth* vel *Laouth*.

Muneri huic ſuo inſtitit Loth ſpatio viginti annorum. Summa animi contentione aberrantes revocare

(a) Vide Boll. 15. Mart. & Tillemont. Hiſt. Eccleſ. tom. 1. not. 38. in J. C. p. 477. 478.
(b) Gen. 11. 31. An. M. 2082. & 2083. ante Ær. 1952. & 1921. (c) A. M. 2095. ante Chr. 1908. ante Ær. 1912.
(d) An. M. 5107. ante Chr. 1893. ante Ær. 1897. (e) Commentar. in Geneſ. c. 19.
(f) Vide not. in Nov. edit. S. Ambroſ. tom. 2. lib. 3. de Sacram. cap. 1. pag. 362.

Digitized by Google

conatus eſt ad cultum veri Dei, conatus horrorem ingerere in crimen illud infandum, quo vel naturam ipſam violaverant; ſub oculis ponens ipſos omnium mortalium primos abominationem illam admiſiſſe, naturæ legibus pellundatis. Sed fruſtra ille; quare Deus perdere nefarios ſtatuit. Miſſus ad id Angelus Gabriel cum duobus ſociis venit; qui ſimul tres per locum, ubi Aabrahamus verſabatur, tranſeuntes, conſilia Dei viro ſancto aperuerunt. Removendis à propoſito diu adniſus eſt Abraham, obtendens homines ad minùs 100. juſtitiam colentes in quinque illis Urbibus verſaturos; Deum autem æquiorem eſſe quam ut ſuſtineat innocentem cum ſonte eadem obvolvere ultione. Juſtorum hunc numerum dein veluti per gradus extenuavit, ut extorqueret tandem ab Angelo fidem, parciturum nempe illum ab exterminio Urbium, ſi unum tantùm juſtum exhibere poſſent. Tum Abraham: ſed Loth ibi cum familia verſatur; ſalvum hunc è diſcrimine ſubducemus, repoſuerunt Angeli; parcas jam à prorogando hac de re ſermone, irrevocabili enim ſententia exterminium illarum Urbium decretum eſt.

Urbem jamjam tenentes Angeli, nacti ſunt Lothum agris colendis intentum; ſalutavit ille viros; & cùm intelligeret decreviſſe noctem in Urbe agere, doluit intimè, metuens nequid injuriæ irrogaretur juvenibus aſpectu & tractu blandis. Nec continere ſe potuit, quin illis denunciaret non ſatis ab ipſis agnoſci, ecqui eſſent Sodomitarum mores; mortalium nempe omnium corruptiſſimi. Hæc vir ſunctus quater inculcavit, ne ultra diceret, veritus pudore. In propoſito tamen illi permanentes, unà cum Loth in Urbem ingreſſi ſunt. Vix ædes ſubierant, cùm Sodomitæ obſederunt fores. Loth ſtatim ad illos, offerens filias ſuas, quibus abuterentur, ea tamen conditione ut parcerent hoſpitibus. Sed illi, noſcere virum dixerunt, nihil ſe habere rei cum filiabus ejus, nec ignorare quid potiſſimùm vellent. Tum Loth: Imparem me quidem ſentio, ut vobis reſiſtam; ſed Dei opem imploro, qui & me defendet, & ab injuriis veſtris hoſpites meos ponet in tuto.

Angeli virum Sanctum confirmarunt, conditionem ſuam prodentes, denuntiaruntque miſſos ſe ad impios illos exterminandos. Simul ad hæc manibus tantùm per vultum ſuum traductis, cæcitate impios percuſſerunt. Diſſipati ſunt ſtatim; ſublatuſque clamor, viros illos magicis artibus pollere. Juſſerunt Angeli continuò Lothum cum filiabus vertere ſolum. Sed ejus uxor inceſtu à Sodomitis corrupta, ſubſiſtere maluit, & eadem cum illis pœna obvolvi.

Angelus Gabriel ſubter Urbium fundamenta tranſcurrens, integrà in aera elevavit ad tantam altitudinem, ut incolæ Cœli, qui terræ erant propinquiores, auribus auſcultarent cantum pullorum Sodomæ & latratum canum; tum humeris ſubductis proprio illa pondere ruere ſuper terram permiſit, quo caſu incolas ſimul omnes ruinæ oppreſſerunt: ita diſponente Numine, ut non abſimilem crimini pœnam luerent. Poſt Urbium dejectionem Deus immiſit in ſontes imbrem lapidum ignitorum in caminis Inferni, quorum ſinguli exaratum ferebant nomen impiorum; ea procella ſimul & ardore extincti ſunt quicunque extra ambitum Urbium verſarentur; narrant inſuper ex iis quemdam caſu in Templo Mechæ, Abrahami opera conſtructo, tunc ſubſtitiſſe, ubi ſpatio 40. dierum velut in aſylo tutus manſit; ſed vix è ſacro limine pedem extulit, correptus eodem ſupplicio ac gentiles cæteri extinctus eſt.)

UXOR LOTH, quam Rabbini *Hedith* appellant (a); *Hedith* autem cùm *teſtem* ſonet, deſignare videntur, eam mulierem eſſe teſtem, ſeù monimentum Divinæ vindictæ, quam ab iis, qui ſuis minis fidem non præſtiterant, Deus exegit. De hac Scriptura *Exod.* 19. 26. *Quæ reſpiciens retrò, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* *Retrò reſpicere*, *differre*, *morari*, *conſiſtere* interdum ſonat; quare Angelos Lotho, ejuſque familiæ, nè remiſſiùs gradientes ab igne interciperentur, celeritatem commendaſſe opinamur. De Lothi uxoris in ſalis ſimulacrum metamorphoſi plurimi diſcrepant. Alii enim eam ab igne interceptam, flammiſque & fumo præfocatam, inſtar ſalis lapidei, rigidam & immotam ibidem conſtitiſſe, à Scripturæ phraſi deſignari opinantur; alii in ejus ſepulchro columnam, ſeù ſalis monumentum erectum ferunt; alii vero flammis eliſam poſteris documentum *ſalis*, ſeù incredulitatis, & imprudentiæ ſuæ monumentum evaſiſſe; alii denique ignis & ſulphuris odore præfocatam corruiſſe exanimem, ſtatimque ejus cadaver duritiem induiſſe, & inſtar mumiarum & Ægyptiorum cadaverum, quæ opobalſamo & ſale condiuntur, ſiccum, & rigidum evaſiſſe tuentur, ac ſi *ſalis ſtatua* ſicco cadaveri ſale & opobalſamo condito æquiparetur.

Plerique tamen, quibus penè omnes ſubſcribunt, eam extemplò in ſaxum converſam, & in lapidei ſalis, qui non modo pluviis non liquefiat, verùm etiam cujuslibet duriſſimi lapidis duritiem æmuletur, immutatam illicò fuiſſe teſtantur. Itinerantium plurimi, qui Palæſtinam peragrarunt, uxorem Lothi, ſeù lapidem, in quem converſa fuerat, ſe vidiſſe aſſeverant; quorum tamen authoritas ſatis infirmatur, quòd de loco, in quo eam locant, minimè cohæreant; quidam enim ad Orientem, quidam ad Occidentem, ad meridiem alii, alii ad Septentrionem maris mortui, nonnulli in ipſius medio, aliqui in Segor, alii denique ab hac urbe remotiſſimam ſtatuunt. Veteres aliqui, cujuſmodi ſunt Irenæus *lib.* 4. *c.* 51. Author Poematis in Sodomam, quod Tertulliano tribuunt, mulieris formam ſua adhuc ætate ſervantem, & continuato prodigio, licèt in dies pars quædam ab ea detrahatur, minimè tamen imminutam exhibent; remque addunt ſanè incredibilem, quòd nempè infirmitatibus propriis & muliebri ſexui conſuetis adhuc laboret (b). Chriſtus Diſcipulis ſuis, ut uxoris Loth fugientes meminerint, neque ejus lentitudinem imitentur, in Evangelio *Luc.* 27. 33. commendat.

LOTHAM, Seir Horræi filius *Gen.* 36. 20.

LOTIO, purificatio, ablutio. Vide *Baptiſmus*.

LOTIO PEDUM. Orientales itinerantibus, quod ut plurimum cruribus nudis, & pedibus ſolo ſandalio inſtructis incederent, pedes tergere conſuevere. Hinc Abraham tribus Angelis voluit pedes abſtergi *Gen.* 18. 4. Pedes quoque Eliezer ejuſque ſociis, ut Labani domum ſunt ingreſſi *Gen.* 32. & Joſephi fratribus, ut in Ægyptum pervenere *Gen.* 43. 24. ablutos ſcimus. Hujuſmodi lotio à famulis, ſeu mancipiis ut plurimùm præſtari ſolebat. Abigail Davidi, qui eam in Sponſam popoſcerat, ſe honori ſibi adſcripturam reſpondit, ſi ad Regis famulorum abſtergendos pedes adhiberetur 1. *Reg.* 25. 41 Dominus Jeſus, ut Apoſtolis ſuis perfectæ humilitatis exhiberet exemplum, eorum pedes abſterſit *Joan.* 13. 3. D. Paulus hoſpitalitatem commendans, ut viduas & Diaconiſſas Eccleſiæ, quæ Sanctorum pedes non laverint, uſſumi prohibet: *Si ſanctorum pedes lavit* 1. *Timoth.* 5. 10. Sibi pedes abſtergere, terreſtribus, & carnalibus affectibus mundari moraliter ſonat.

(Poſt celebratam ſupremam cum Apoſtolis ſuis cœnam, Jeſus exemplum animi planè demiſſi relicturus illis ſingulorum pedes lavandos ſuſcepit: *Joan.* 13. 5. 6. *Cœpit lavare pedes Diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum: Et dicit ei Petrus: Domine tu mihi lavas pedes? Reſpondit Jeſus & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis modo: ſcies autem poſtea: Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum: Reſpondit ei Jeſus: Si non lavero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus. Non tantùm pedes meos, ſed & manus & caput.*

Minæ

(a) Pirke R. Eliezer c. 21. (b) Vide noſtr. Commentar. in Gen. 19. 26. & Diſſert. Cleric. in uxorem Loth & Diſſert. Henrici Bauman. Hermanni Hard. & Chriſtoph. Auguſt. Bauman. in eandem, & Interp. in Gen. 19. 26.

Digitized by Google

Minæ illæ Jeſu Chriſti ad Petrum: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, in eam perſuaſionem adduxerunt Veteres, ut lotioni pedum par eſſet, ac Baptiſmo vis. Ætatis ſuæ teſtis S. Ambroſius affirmat pedes lavari conſueviſſe initiatis Baptiſmo, vix è lavacro egredientibus. Videtur autem perſuaſus, ut quemadmodum actu commiſſa crimina Baptiſmo eluuntur, ita pariter & lotione pedum ſeu ablui peccatum originis, ſeu imminui ardorem concupiſcentiæ. *Ideo planta abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur; noſtra enim propria per Baptiſmum relaxantur.* Paria docet in Pſalm. 48. ℣. 6. n. 8. *Alia eſt iniquitas noſtra, alia calcanei noſtri ..... unde Dominus Diſcipulis pedes lavit, ut lavaret venena ſerpentis*; ſed addit lotione pedum potiùs mundari concupiſcentiam, vel ut ille explicat, lubricitatem in peccatum, quàm peccatum ipſum: *Unde reor iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quàm reatum aliquem noſtri eſſe delicti.* Paria ex alio opere S. Ambroſii in Iſaiam, quod intercidit, laudat S. Auguſtinus l. 4. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 11.

Uſus lavandi pedes recens initiatis Baptiſmo non ita peculiaris erat Eccleſiæ Mediolanenſi (a), quin ſimul etiam obtineret alicubi per Italiam, in Galliis, in Hiſpania, in Africa. Nec defuerunt inter Veteres, qui & nomine ſacramenti lotionem illam donaverint, aſſerentes inſuper illi gratiam venialium criminum remittendorum. S. Bernardus Serm. in Cœna Domin. 1. &c. Arnoldus Abbas Bonevallenſis Serm. de ablut. ped. in hanc ſententiam conceſſerunt. Author impreſſus in appendice quinti tomi Operum S. Auguſtini Serm. 145. n. 1. vim pariter illi vindicat & mortalium eluendorum efficaciam. Nec ambigit S. Auguſtinus ſerm. 9. nov. edit. cap. 11. ritum hunc fide & humilitate exhibitum venialibus eluendis valere. S. Gerardus Epiſcopus Tullenſis (b) nulla non die certum pauperum numerum abluebat pedibus. *Credens, ut eſt vera fides, criminum ſordes abluere, uti multoties ſanctum audiebat Præſulem certiſſimè prædicare.* Obiit vir iſte Sanctus anno 994. cujus vitam literis mandavit Widrico Abbas S. Apri, Semper ferè coævus.

Lotionis pedum feſtam diem celebrant Syri feria quinta hebdomadæ majoris. Sacrum *Nipterum* vel lotio ea pariter die præſtatur à Græcis; ſicut & Eccleſiæ Latinæ eadem die lotioni pedum ſacra eſt cæremonia, quæ ad ipſos per ſe Epiſcopos, Abbates & Principes non uno in loco pertinet. Concilium Elibertanum can. 48. abuſionem & præpoſteram in eo ritu fiduciam quorundam intelligens, abolendum in Hiſpaniis cenſuit.)

LOTIO MANUUM. Hebræos ſibi manus ſæpiſſimè abſtergere ſolitos ex Marco 7. 3. accipimus; *Niſi crebro laverint manus, non manducant.* Ex Græco deſignari poteſt à cubito uſque ad extremos digitos ſibi manus abluere conſueviſſe. Tergendis Eliæ manibus aquam Eliſeus miniſtrabat 4. *Reg.* 3. 11. Pilatus contra Chriſtum Dominum mortis ſententiam ioique pronuncians, ad innocentiam ſuam comprobandam manuum lotionem adhibuit. *Math.* 27. 24.

Pueros recens natos abluendi mos inoleverat: *Quando nata es, aqua non es lota in ſalutem.* Ezech 16. 4. Mortuorum quoque corpora tergebantur; hinc lota eſt Tabitha *Act.* 9. 37. Veſtes ipſas tergere conſueverat, cum ſe quis ab aliqua turpitudine ablueret, vel ad quid præſtandum, quod præcipuam ſanctitatem expoſceret, pararetur. Lotiones externæ interiorem, quam ab accedentibus ad Sancta Deus repetebat, puritatem deſignabant.

Butyro pedes tergere Job. 29. 6. *vino veſtes abluere Gen.* 49. 11, *pedes in ſanguine peccatoris abſtergere Pſal.* 57. 11., veluti Hyperboles butyri & vini ubertatem, & vindictam, quam de peccatore Juſtus repetit, deſignant.

LUCAS, natione Syrus, Patria Antiochenus, arte medicus; quem veteres nonnulli *Lucam Lucium*, ſeu *Lucanum* appellarunt (c). Qui eumdem eum Lucio, cujus mentio in Epiſtola ad Romanos 16. 21. putant, etiam Pauli cognatum neceſſe eum ſtatuant. *Lucius & Jaſon ..... Cognati mei.* An Ethnicus natione fuerit, an Judæus, diſputant. Qui inter duos & ſeptuaginta Domini Diſcipulos cenſent, quod exteros Chriſtus non elegerit, origine Judæum arbitrantur. Sentit Epiphanius *hæreſ.* 51. & alii quidam Lucam fuiſſe ex iis, qui à Chriſto receſſerunt, ubi audiere dicentem: *Qui non manducat meam carnem, nec bibit meum ſanguinem, non eſt me dignus*; iterum tamen, Pauli concionibus Antiochiæ auditis, fidem amplexum perhibet. Gregorius Magnus *l.* 1. *Moral. c.* 1. aliique apud Theophylactum, Cleophæ ſocium, cum utrique in Emmaus proficiſcenti ſe ſe comitem Jeſus obtulit, arbitrantur. In additis Hieronymo de viris illuſtribus, Lucas perpetuò virgo nec uxorem duxiſſe, neque liberos genuiſſe dicitur.

Paulum utique prædicantem comitatus eſt 2. *Timoth.* 4. 11. *Philemon.* ℣. 23 *&c. Coloſſ.* 4. 14. quo tamen tempore ei ſe comitem adjunxerit, ignoramus. Qui à Paulo Antiochiæ ad Fidem revocatum putant, eidem perpetuo deinceps adhæſiſſe tuentur. Alii Troade ſe Paulo comitem dediſſe cenſent, quod & ipſe Lucas comprobaſſe videtur, cùm ſcripſit *Act.* 16. 8. *&c. Statim quæſivimus à Troade proficiſci in Macedoniam*; quo ex loco de ſe, veluti de Pauli comite, verba facere inſtituit. Lucas picturæ etiam vacaſſe creditur; alicubi enim B. Virginis effigies vel ab eodem expreſſæ, vel ab ejuſdem exemplaribus depromptæ videndæ exhibentur. Veteres tamen hujus Lucæ artis nullibi meminere, cumque omnium primus Nicephorus pictorem teſtatur. Ea de Virgine & Chriſti infantia nobis exhibuit, ut & egregiam hanc Virginem noviſſe, ſibique cum ea neceſſitudinem fuiſſe, ſatis oſtendat. Vide Grot. ad Luc. 2. 51.

Epiphanio authore *hær.* 51. in Dalmatiam, Galliam, Italiam, & Macedoniam, Evangelium intulit; teſte verò Metaphraſte, in Ægypto, Lybia, & Thebaide prædicationi incubuit. Pluribus, ut ajunt, annis Paulo ſuperſtitem vitam traduxit; & ſenio tandem confectus, annos 80. ſeu 84. natus, in Achaja interiit (d). Refert Nicephorus *l.* 2. *c.* 43. Bœotiæ Thebis obiiſſe; ubi in hanc uſque diem ſepulchrum, quod D. Lucæ appellant, exhibetur. D. Hippolytus *in Mſ. Bodlei apud Mill. Præfat. in Luc.* in Elea in Peloponneſo Cruci affixum; Dorothæus in Synopſi, ſepultum Epheſi; Beda, Uſuardus, Ado, & Romanum Martyrologium in Bithynia defunctum ferunt. Qua morte obierit, incertum. Quidam Martyrio (e) interemptum; Græci recentiores olivæ affixum perhibent. Elias vero Cretenſis *in orat.* 3. *Gregor. Nazianz.* cui recentiorum plerique adhærent, violenta morte minimè ademptum pro certo habent.

Præter Evangelium, & Apoſtolorum Acta, alia quædam, veluti Verſio, ſeu ipſa, quoad phraſim, ad Hebræos Epiſtola, eidem tribuuntur. D. Clemens Alexandrinus *apud Euſeb. l.* 6. *hiſt. Eccleſ. & Hieronym. de vir. illuſtr.* Jaſonis & Papiſci Diſputationem, qua nunc caremus, ab eo confectam putat. Docent nonnulli (f), ipſum S. Lucæ Evangelium verè tribuendum eſſe D. Paulo, quo dictante illud Lucas conſcripſerit; & cum Evangelii ſui meminit (*Rom.* 2. 16. & 16. 25. & 2. *Theſſal.* 2. 13. Vide Euſeb. *l.* 3. *c.* 4. & *l.* 6. *c.* 25. *hiſt. Eccleſ. ex Origene*) Lucæ Evangelium à D. Paulo allegari. Irenæus vero *l.* 3. *c.* 1. Lucam ea tantùm literis mandaſſe, quæ à Paulo prædicante audiverat, & Nazian-

(a) Vide not. in Nov. edit S. Ambroſ tom. 2. lib. 3. de Sacram. cap. 1. pag. 362.
(b) Vit. S. Gerar. Tullen. Epiſ. cap. 41. pag. 142 Hiſt. Lotar. t. 1.
(c) Coloſſ. 4. 14. Vid. Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 4.
(d) Hieron. de Viris illuſtr. Gaudent. Brixienſ. hom. 17.
(e) Nazianz. orat. 3. Paulin. Ep. 12. Gaudent. ſerm. 17.
(f) Tertull. l. 4. contr. Marcion. c. 5. & Athanaſ. in Synopſi.

Nazianzenus Gregorius D. Pauli ope Evangelium conſcripſiſſe teſtantur. Planè D. Paulus ut plurimum Lucæ Evangelium allegat (a); Lucas vero ſibi ea in re Paulum contuliſſe nullibi meminit. Theophilo cuidam nobis prorsùs ignoto ſuum Lucas Evangelium, & Acta inſcribit, quem veterum plerique appellativo ſenſu hominem Dei amantem putavere. Marcionitæ ſolum Lucæ Evangelium excepere; quod tamen Tertulliano contr. Marcion. l. 5. & Epiphanio hær. 42. teſtibus, pluribus in locis corrupere.

De Actis Apoſtolorum alibi egimus v. *Acta*. S. Lucæ ſtylus cæteris Evangeliſis quidem purior, qui pluribus tamen Judæorum Helleniſtarum, pluribus etiam ad Syriacum, & de Grotii ſententia ad Latinum quoque Idioma accedentibus phraſibus ſcatet. Vide Tillemont. & noſtr. Præfat. in Evangel. Luc. & Act. Apoſtol.

LUCIFER, modò ſydus matutinum, modo Chriſtum mundi lumen, modò etiam Dæmonem, qui ſæpè Lucifer appellatur à Patribus, deſignat. Sophar Jobo reſpondit *Job.* 11. 17. *Si iniquitatem.... abſtulerit à te.... cùm te conſumptum putaveris, orieris ut Lucifer.* Deus Jobum alloquens: *Numquid*, ait, *producis Luciferum in tempore ſuo? Job.* 38. 32. Æternus Pater de Verbo ait, *Pſal.* 109. 3. *Ex utero ante luciferum genui te.* D. Petrus ſic Fideles alloquitur, 2. *Petr.* 1. 19. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Prophetiæ lumen luci inter caliginem clarenti, lumen verò Evangelii & Fidei, auroræ & Lucifero aſſimilat. Iſaias Luciferi è Cœlo delapſi meminit, cum dixit *c.* 14. 12. *Quomodò cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Veteres PP. (b) & plurimi interpretes recentiores eumdem Iſaiæ locum ita explicant. Alii tamen Regem Babylonis à gloriæ ſuæ faſtigio in inferorum abyſſum detruſum ibi deſignari tuentur (c); quod utique nil prohibet, quominus de rebellis Angeli lapſu allegoricè interpretemur.

(S. Petrus in ſecunda Epiſtola 1. 19. monebat Fideles: *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis intendentes, ſicut lucernæ lucenti in caliginoſo loco; donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Sidus hoc matutinum, & ſol iſte planè oppoſitus oraculis Prophetarum, quibus tanquam ſol auroræ ſuccedit, emblema eſt non obſcurum Evangelii & doctrinæ Jeſu Chriſti. Tres creſcentis lucis gradus diſtinguit S. Petrus; 1. Oracula Prophetarum caliginoſa in nocte micantia, qui ſtatus ſunt Judæorum; 2. Sidus matutinum auroræ præſagium, typus eorum, qui ſeriò quærunt Jeſum Chriſtum in Libris V. T. 3. Sol, quo fidem jam profeſſi deſignantur. Græcum reddunt: *Donec dies elucescat, & ſol exoriatur cordibus veſtris.* Tenent illi *Phoſphorum* vel *Luciferum* exprimere interdum Solem.

Luciferum appellant Arabes nomine *Eblis* (d) ſeu diminutivo, ſeu corruptione nominis *Diabolos* expreſſo; nuncupant etiam *Azazel*, quo deſignatus eſt olim hircus ille emiſſarius, cùm criminibus & maledictis populi Judaici oneratus pellebatur in deſertum. Narrant Angelos juſſos à Deo proſternere ſe coram Adamo recens creato, illicò paruiſſe, excepto Ebli, qui pervicaciùs recuſavit, obtendens ſe cæteroſque ſocios, utpote coaleſcentes ex elemento ignis puriori & nobiliori, quàm terreum, quo coagmentatus eſt Adam, minus decere, inferiori ſeſe eo ſupplicis habitu proſternere. Tunc Deus: *Exeas hinc gratia mea perpetuo mulctatus, & maledictis perpetuis laceſſitus uſque ad diem Judicii.* Dilationem rogavit Eblis aduſque futuram generalem reſurrectionem; ſed impetravit tantùm uſque ad primum buccinæ clangorem, quo interitus corripiet homines, exſuſcitandos verò ad ſecundum buccinarum ſonum poſt 40. annos. Interibit igitur Eblis, ſi Mahometanos audias; ſed & reſurget poſt hæc cum hominibus ad ignem adigendus. Futiles haſce Orientalium traditiones eo tantum conſilio hic referendas duxi, ut melius ſentiretur tota eorum Theologia vitiatam referre Chriſtianam Religionem, cujus omnes veritates corruperunt.)

I. LUCIUS CYRENENSIS, de quo in Actis (e), unus ex Eccleſiæ Antiochenſis Prophetis, cui unà cum aliis Domino miniſtranti Spiritus Sanctus dixit: *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos*; quibus illi cum manus precibus & jejuniis præhabitis impoſuiſſent, dimiſere. Lucius inter duos & ſeptuaginta Domini Diſcipulos recenſetur; quem Uſuardus & Ado primum Cyrenarum Apoſtolum ab Apoſtolis initiatum volunt. Latini ſextam Maji ejus diem feſtam habent.

II. LUCIUS; de quo in Epiſtola ad Romanos 16. 20. D. Pauli cognatus, juxta aliquos non alius à Lucio Cyrenenſi, de quo mox ſupra; jure tamen ab eodem à pleriſque ſecernitur. De ejus vita & morte nil ſcimus, niſi forte idem fuerit cum D. Luca, quod utique à veritate abſonum non arbitramur.

LUCTA Jacob cum Angelo ſibi per viſum apparente ad Phanuel. Legimus Geneſ. 32. 24. Jacob tranſmiſſo a familia torrente Jaboc *manſiſſe ſolum: Et ecce vir luctabatur cum eo uſque manè. Qui cùm videret, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me, jam enim aſcendit aurora. Reſpondit: Non dimittam te niſi benedixeris mihi.* Continuò Angelus benedictionem impertiit, ac nomen commutavit viri appellans Iſraelem; Jacob verò loco indidit appellationem Phanuel, ac ſi diceretur Dei apparitio. Qui cum Jacob colluctavit, hominem licet appellet Moyſes, Angelum tamen fuiſſe exprimit Oſee 12. 3. non obſcurè: *In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & invaluit ad Angelum.* Veterum Patrum ſanè plures (f) autumarunt ipſum Dei filium in Trinitate ſecundum ſpectandum ſe viro ſancto exhibuiſſe. Ex libro quodam apocrypho ſcribit Origenes Tom. 5. in Joan. & Hom. 11. in Num. Angelum Iſrael, Angelorum principem, deſcendiſſe in corpus Jacob; Urielem verò, inter Angelos octavum, obtrudentem ſe ceu Jacob perſonam referentem certamine victum fuiſſe ab Iſraele. Veteres quidam teſte Procopio (g) reputarunt hominem hunc cum Jacob colluctantem ipſum fuiſſe Dæmonem, Eſau perſonam ſimulantem. Rabbinorum quibuſdam probatur Angelum Eſau, ſeu potiùs Angelum tutelarem regionis Eſau certamen inſtituiſſe cum Jacob, ut dimittere ſe virum cogeret à jure primoris natu, quod ab Eſau uſurpaverat. Vide in hunc textum Commentarios. Ad nervum femoris tactu Angeli emarceſcentis quod attinet, vulgò creditum tetigiſſe Angelum femur, quo loco magnum os committitur cum *acetabulo* vel *oſſe ſacro*; tetigit proinde quo loco femur carne magis abundat, magiſque denſatur, luxavitque nervos, ex quo gradiendi vitium in Jacob. Sunt, qui vitium illud brevi evanuiſſe cenſeant; ſunt, qui perſeveraſſe credant quouſque pervenit Sichem; alii ad obitum uſque.

Quod ſequitur: *Quam ob cauſam non comedunt nervum filii Iſrael, qui emarcuit in femore Jacob, uſque in præſentem diem*: vide diſcuſſum v. *Nervus* in Dictionario Biblico.

An reipſa Jacob cum Angelo colluctatus ſit, vel per viſum omnia, & phantaſtica contigerint; quæſtio. Theodoretus in Deut., quæſt. 1 92. & Maimonides in More Neboch. part. 2. cap. 42. arbitrati ſunt

intus

(a) Confer. 1. Cor. 11. 23. &c. cum S. Luc. 22. 18. &c. 1. Cor. 16. 5. cum S. Luc. 24. 34.

(b) Origen. l. 1. Periarchon. c. 4. & l. 4. c. 2. Euſeb. in Pſal. 81. Athanaſ. Gregor. Magn. pluribus locis. Tertull. l. 5. contr. Marcion. c. 11. & 17. Ambroſ. in Pſal. 118. & alii.

(c) Vide Hieronym. Baſil. Cyrill. in Iſai. 14. Auguſt. l. 3. de doctrin. Chriſt. c. 3. D. Thom. Haymo. *Dionyſ.* Sanct. Corocl. Vat. Grot. Sa. &c. (d) Biblior. Orient. pag. 307. Eblis. (e) Act. 13. 1. Ann. Chr. 44.

(f) Juſtin. in Dialog. Clem. Alexan. Pædag. lib. 1. Tertull. contr. Praxeam Hilar. de Trinit. l. 5. c. 15. Athanaſ. Orat. 3. contra Arrianos.

(g) Procop. in Geneſ. 32. Vide & Hieron. in Epheſ. cap. Orig. de Princip. lib. 3.

intus in mente Prophetæ omnia hæc geſta fuiſſe. Occupata Patriarchæ hujus mente diſcrimine, quod imminere ſibi intelligebat, obviam occurſuro Eſau fratri ſuo, cæleſti hac viſione recreatus eſt. Dormienti Deus per quietem exhibuit ſpeciem hominis cum ipſo colluctantis, qui, cùm ſuperiora obtinere non poſſet, denunciavit illi non ultra Jacob, ſed Iſraelem appellandum eſſe, i. e. Principem Dei: *Si enim*, ait, *contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis?* i. e. contra Eſau fratrem tuum. Quo autem certo intelligeret argumento nihil vanum exhibuiſſe ſomnium, ſpeciem exhibuit Angelus veluti ſi hominem tangeret; experrectuſque è ſomno, reipſa ſe claudum ſenſit, quod fortè vividiùs correptæ phantaſiæ deputandum eſt.

Hæc omnia ſuccurrunt fulciendæ ſententiæ, quæ per viſum omnia hæc acta cenſet. Sed communis & melioribus probata ſententia nihil phantaſticum in re geſta agnoſcit. Nec enim aliter inſinuare videtur Textus Moſaicus, & ſolidius aliud, quàm ſomnium demonſtrat inductum illud in Jacob vitium, luctæ hujus velut appendix.)

LUCTUS. In amicorum, & cognatorum interitu luctus & doloris ſpecimen omne Hebræi exhibebant; flentes enim ſcindebant veſtes, tundebant pectus, humi proſtrati cibo abſtinebant, nudis pedibus gradientes quandoque vel ſibi evellebant capillos & barbam, vel tantùm amputabant, ſinumque ſibi vel incidebant, vel lancinabant, *Levit.* 19. 28. & 21. 5. *Jer.* 16. 6. Luctus dies ut plurimum ſeptem; quos tamen interdum vel contrahebant, vel etiam prout ſeu res, ſeu tempora expoſcerent, protrahebant. *Luctus mortui ſeptem dies*, dixit Jeſus filius Sirac, *Eccli.* 22. 7. alibi verò inquit: *Fac luctum ſecundùm meritum ejus* (amici) *uno die, vel duobus propter detractionem* . . *& conſolare* . . . *à triſtitia enim feſtinat mors*; *Eccli.* 38. 16. *&c.* Varios doloris ſeu luctus gradus Rabbini afferebant. Prioribus tribus diebus, lachrymis, omneſque dolori habenas laxare quiſque permittebatur. Proximis diebus ſeptem ſibi à dolore aliquantùm temperandum; Si verò luctus ad menſem protraheretur, longè moderatior dolor erat exhibendus. Saulem 1. *Reg.* 31. 13., Juditham *Judith.* 16. 29 & Magnum Herodem (a) diebus ſeptem; Moyſem verò & Aaronem per menſem ingemuere. *Num.* 20. 3. *Deuter.* 34. 8. Luctus triginta dies ſapient ad charos deplorandos de Joſephi ſententia ſufficiunt. (b)

Omnibus luctus diebus proximiores defuncti cognati, pater, mater, conjux, frater, ſoror, filius humi proſtrati, neque ut veſcerentur, erigebantur, eorum verò pabulum immundum reputabatur, ut & lugentes ipſi, ſaltem ante Templum à Romanis everſum, contaminati habebantur. *Sacrificia eorum*, inquit Oſee 9. 4. *quaſi panis lugentium: omnes, qui comedunt eum, contaminabuntur*. Eo quoque tempore, vultu obducto, *Ezech.* 24. 17. à ſuis operibus & conſuetis precibus, & à Legis ipſius volumine legendo, à membris calefaciendis, à componendo lecto, à capite ſeu nudando, ſeu radendo, ab unguibus abſcindendis, à quoquam ſalutando, à balneis denique ſe omninò abſtinebant. Nemo eos, niſi primò ab iiſdem interrogentur, alloquitur. Inviſentes ad ſolatium ut plurimùm admittunt, à quibus etiam quædam eis comedenda afferuntur, juxta illud Proverbiorum 31. 6. *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo; bibant & obliviſcantur egeſtatis ſuæ* (afflictionis ſuæ,) *& doloris ſui non recordentur ampliùs*.

Proximiores defuncti Cognati (c) ab juſtis ſolvendis domum regreſſi, humi ſternuntur, ſibique calceis detractis, pane, vino, & obduratis ovis donantur. Cognati, qui funeribus interfuerant, alicubi convivio excipiebantur. Refert Joſephus, *l.* 2. *c.* 1. *de Bello* Archelaum in patre lugendo diebus ſeptem abſumptis, ſolemnes epulas populo exhibuiſſe, & ab eo Hebræorum more plurimos ſplendido ſumptui impares ad inopiam fuiſſe redactos. A Veteribus panis, & cibaria mortuorum ſepulchris inferri ſolita, *Tob.* 4. 18. *Eccli.* 30. 18. *Baruch.* 6. 26. *&c.* ut iis pauperes ſibi conſulerent, & ad defuncti ſolatium Deo preces offerrent. Vide noſtram Diſſertationem de funeribus Hebræorum Commentariis in Num. præpoſitam.

(Olim in luctibus publicis Hebræi tecta domorum ſuarum ſub dio expoſita loca aſcendebant, caſum ſuum deploraturi. *In omnibus Urbibus Moab*, ait Iſaias 15. 3. *accincti ſunt ſacco; ſuper tecta ejus & in plateis ejus omnis ululatus deſcendit in fletum*. Et cap. 22. n. 1. *Quidnam tibi eſt, quia aſcendiſti & tu omnis in tecta? clamoris plena, Urbs frequens, Civitas exultans*.

Conducebantur lamentatrices, & inſtrumentorum luſores, quà in funeribus Hebræorum; quà etiam Romanorum; ſed morem hunc non priùs in Oriente ſpectare licet, quàm poſt ſubactam provinciam Romanorum Imperio. Mores illi ſuos cum armis invexerunt. Maturæ ætatis homines deferebantur ad tumulum inter clangores buccinarum, ait Servius; ineuntis verò ætatis cæteri ſtrepentibus tibiis. In S. Matthæo 9. 23. ſpectare licet cantores tibiarum accitos ad funera puellæ duodennis. Tibia ludentium certus erat numerus in funeribus Regum apud Romanos; ultra decem etenim conducere nefas. Definiunt Rabbini, maritum apud Hebræos coactum ad minus duos adhibere in funere uxoris (d), quibus accedebant, & gemini lamentatores cum lamentatrice. Si Matrona aliqua virum duxiſſet imparis conditionis, pompa funebris dirigenda erat à viro juxta fœminæ illius conditionem; Rabbinorum eſt enim axioma: fœmina cum viro ſuo aſcendit, ſed cum illo ne mortua quidem deſcendit (e).

Quicunque caſu incidiſſent in pompam aliquam funebrem, vel in manum lugentium, adjungere ſe illis tenebantur, & plorantium lacrymas ſuis lacrymis augere (f). Eò ſpectatum eſt ab Apoſtolo Rom. 12. 15. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*; & Jeſus Chriſtus in Evangelio *Luca* 7. 32. *Matth.* 11. 17.; *Ego ſimiles dicam homines generationis hujus? Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus ad invicem, & dicentibus: Cantavimus vobis tibiis & non ſaltaſtis, lamentavimus & non ploraſtis*. Jeſum Chriſtum deductum ad ſupplicium proſequebantur fœminæ Jeruſalem inſigniter lamentantes, *Luca* 23. 27. Filia Jephte immolationi a patre devota per montes peregravit cum puellis ſociis mortem ſuam lamentatura, quòd ſcilicet innupta decederet *Judic.* 11. 38. Qui deinde mos inolevit in regione, ut puellæ montes diſcurrerent plorantes cælibatum filiæ Jephte. In Palæſtina & in Syria certæ ſunt fœminis dies, quibus in cœmeterio propinquas ſuas lugeant.

Veſtes luctus apud Hebræos nec lege nec moribus deſtinatæ ſunt; id tantummodò ex Scriptura conſtat, in certis quibuſdam rerum circumſtantiis diſcindi conſueviſſe veſtes, quibus etiam moribus hodie pariter ab illis inſiſtitur, quanquam nonniſi modicam veſtium portionem, ritu potiùs quàm ſignificatione doloris, abſcindunt. In luctibus etiam ſacco vel cilicio induti apparent, i. e. veſtibus pannoſis, & malè compactis, atratis, vel ſubnigris (g). Hodie, ne ſibi ludibria provocent, de ſingularitate, moribus regionis in luctibus ſeſe conformant.)

LUD,

(a) Joſeph. Antiq. l. 17. c. 10. (b) Joſeph. Antiq. l. 4. c. 8. (c) Leo Modena part. 5. c. 8.
(d) Miſna tit. Cheruboth. (e) Gemar. Babyl. edit. tit. Chemboth.
(f) Joſeph. contra Appion. lib. 2. pag. 1075.
(g) 2. Reg. 3. 31. & 3. Reg. 20. 31. 32. & 21. 17. & 4. Reg. 19. 1. 2. & 2. Eſdr. 9. 1. Eſther. 4. 1. 2. 3. Job. 16. 16. Pſal. 29. 12. Iſa. 15. 3. & 20. 3. & 22. 12. & 27. 1. 2. & 58. 5. Baruch. 4. 20. Dan. 9. 3. Joel. 1. 8. 13. Amos 8. 10. Joan. 3. 5. 6. 8. Apocal. 11. 3.

LUD, quartus filius Sem ; *Geneſ.* 10. 22. à quo, juxta Veterum & Recentiorum pleroſque, Lydia Aſiæ minoris Provincia populis frequentata. Arias Montanus populos *Ludim* ad Euphratis & Tigrim confluentem, Clericus verò inter fluvios Chaboram, & Saocaram, ſeu Maſcam locat.

(LUDI, *Ludere*. Quæcumque oblectamenta ſpiritui à curis remittendo excogitata ſunt; choreæ, exercitationes ludicræ, & cætera id generis; communi ludorum nomine à Judæis deſignantur. Idem Hebræum verbum *Zachak*, ludere, exprimit etiam ridere, oblectamentum capere; illudere, inſultare. Sara, ludentem Iſmaelem cum Iſaac filio ſuo deprehendens, commota eſt animo; ludebat enim ſeu inſultando, ſive deridendo, ſive etiam cædendo; quo pariter ſenſu ductum eſt 2. Reg. 2. 14 *Surgant pueri, & ludant coram nobis*; i. e. juvenes & milites coram nobis ineant imagine ludi certamen. Sed eventus demonſtrat nihil fuiſſe in hac re ludicrum, nec enim ſeſe omnes exterminarunt.

Ludum alterum ſuppeditat Exodus, cùm ſcilicet coram elato vitulo aureo: *Sedit populus manducare & bibere, ſurrexerunt ludere Exodi* 32. 6. Samſon manibus Philiſtæorum proditus à Dalila, luminibus ab illis captus eſt, adactus in carcerem, & aliquanto poſt: *Præceperunt ut vocarent Samſon, & ante eos luderet, qui adductus de carcere ludebat coram eis*, i. e. ludibriis & ſannis expoſitus, ludum ſui exhibebat, & oblectamentum otioſis *Judic.* 16. 25.

Davidi & Sauli triumphantium more poſt reportatam de Goliath occiſo victoriam redeuntibus in occurſum egreſſæ ſunt mulieres *cantantes choreaſque ducentes .... in tympanis lætitiæ, & ſyſtris; & præcinebant ludentes &c.* 1. *Reg.* 18. 6. 7. David in pompa ſolemnis tranſlationis Arcæ è domo Obededom ad ædes regias, gaudii ſui exhibebat ſignificationes, choreas feſtas totis exultando viribus ducens: *David autem & omnis Iſrael ludebant coram Domino* 2. *Reg.* 6. 5. 22. Exprobranti autem Michol non ſatis graviter ea in re egiſſe Principem, regeſſit: *Et ludam & vilior fiam*.

Sara filia Raguelis cor ſuum ante Dominum effundens, proteſtabatur: *Nunquam cum ludentibus miſcui me*. Jeremias 15. 17. *Non ſedi cum concilio ludentium*, i. e. fallentium oblectamentis tempus. Idem etiam Propheta filiam Sion alloquutus futurum tandem dixit 31. 4.: *Adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium*. Salomon Prov. 8. 30. 31 de Sapientia ſcripſit: *Ludens coram eo* (Domino) *omni tempore, ludens in orbe terrarum*. Baruch. 3. 17. ludi nomine deſignare videtur aucupium: *Ubi ſunt Principes Gentium, qui dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram; qui in avibus Cæli ludunt?*

Certum ludi genus nullum in Scriptura offendi, non alearum, non theatrale, non curſitantium equorum vel quadrigarum, non pugnantium hominum ſeu belluarum. Salomon, qui ſe totum oblectamentis addixiſſe fatetur, nihil de ludis hîce notat; exhibet ille tantùm ſuperbas ædes, hortos, vireta, vineas, aquarum conchas ſeu piſcinas, convivia, auri gemmarumque theſauros, Muſicos utriuſque ſexus &c. Otium altæ tranquillæque pacis deſcribens Scriptura, nihil ſive de ludis, ſive de ſpectaculis memorans, benè cultum ſolum laudat & pingue, ubi aſſidet contentus quiſque, ſub vite ſua ſecurus deguſtans laborum ſuorum fructus; ſenes in foro ſedent de rebus publicis deliberaturi; juvenes verò induunt veſtimenta gloriæ ſuæ & baltheum. Iſraelitæ genus erant hominum laborioſum & bellicoſum, quorum oblectamenta uoicè definiebant agreſtes voluptates, & læta illa, quæ Domino celebrabant, Feſta, cum peregrinationibus religioſis, atque conviviis in Templo inſtitutis.

Neque hæc ego niſi de ſæculis vetuſtis Reipublicæ, cùm ſcilicet vigebat obedientia Legis; ex quo enim exorbitari cœptum eſt, vitia omnia externarum Nationum inundarunt; cum illis ſpectacula & ludi quique impii, turpes, infames. Poſt Regnum Græcorum, ſeu poſt obitum Alexandri Magni, Judææ rerum potientibus Regibus Syriæ, ludorum & exercitationum Græcorum ſapor quidem deguſtari cœptus eſt ab Hebræis. Nova tunc ſurrexerunt Hieroſolymis gymnaſia; in plateis Græcæ omnes exercitationes inſtitutæ, lucta, curſitationes, diſci &c. 1. *Mach.* 5. 56. & 2. *Mach.* 4. 12. 14. 15. Cùm Romani Græcos excepiſſent, Herodes theatra & amphitheatra in Urbibus Paleſtinæ excitavit, ad ſpectacula & ludos. Videſis Joſephum, & Diſſertationem D. Vagenſeilii de Ludis Hebræorum.)

LUDIM, Miſraim filius. *Geneſ.* 10. 13. *Ludim* poſteros jamdiu non ſuperſtites, & in Æthiopiæ bellis protsùs abſumptos Joſephus tuetur. Jeroſolymitanus Paraphraſtes *Ludim* Mereotidis Ægypti regionis incolas vertit; Bochartus verò *Mæroes*, ſeu *Mareotidis* regionem legendam aſſerit. Paraphraſtes Jonathas populos ex regione *Neut*, ſeu *Neo-ut*, in Ægypto; Arabs verò vertit populos *Tenneſe*, propè Peluſium. Ezechiel populos Ludim, cum *Chus*, & *Phut*, alibi etiam cum *Phut*, & *Pharas*, fortè *Pathros* jungit. Hi ſane in Ægypto degebant, quo tamen in loco inventu ſatis difficile eſt.

LUDO, *ludere*, ut plurimum *oblectari* ſignificat; interdum tamen pro pugnare, illudere, contemnere, & ad flagitia, & idololatriam deflectere uſurpatur. Legimus v. g. *Iſmaelem cum Iſaac luſiſſe Gen.* 21. 9.; Iſmaelem autem Iſaaco illuſiſſe, eumque inſolentiùs excepiſſe putamus. Legimus etiam Joab dixiſſe Abnero 2. *Reg.* 2. 14. *Surgant pueri, & ludant coram nobis*, nempè una congrediantur, nobiſque ſingularis certaminis afferant voluptatem. Legimus denique Hebræos, poſtquam aureo vitulo in deſerto cultum exhibuerant, ſediſſe, ut biberent, & comederent, deinde *Exod.* 32. 6. *ſurrexiſſe, ut luderent*, nempe ut in flagitiis turpibus volutarentur. Putiphari uxor dixit Joſephum à conjuge ſibi adductum, ut *luderet ſecum*, nempe ut ſibi pudicitiam eriperet *Gen.* 39. 14. &c.

LUITH, pagus, ex Moabitarum regione *Iſa.* 15. 5. & *Jerem.* 48. 5. Euſebius & Hieronymus *Luith* inter Ar, & Segor, ad maria mortui orientem locant.

LUMEN, videre lumen cœli. *Lumen cœli non video*, cæcitate laborans Tobias 5. 12. ingemuit.

Lumen, felicitatem ſæpè, ut nox calamitatem, deſignat. *In viis tuis ſplendebit lumen Job.* 22. 28. tuis cœptis Deus favebit. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Pſal.* 4. 7. Deus beneficiis ſuis vos cumulabit.

Chriſtus Diſcipulis ſuis quod in tenebris dixerat, in Orbem univerſum in *lumine* evulgandum fore prænunciavit. *Matth.* 10. 2. *Luc.* 12. 3.

Lumen viventium, ad literam, proſperam vitam, felicitatibus cumulatam ſonat *Pſal.* 55. 13. & 138. 12. & 148. 3. & *Job.* 33. 30.; moraliter verò æternæ vitæ beatitudinem deſignat, ut mortis tenebræ malorum calamitates ſignificant.

Deus *Pater luminum*, *Jacob.* 1. 17., nempè omnium gratiarum fons appellatur: Chriſtus verò citatur: *Lux mundi*, *Joan.* 8. 12., *Lux vera quæ illuminat omnem hominem*, *Joan.* 1. 9., *lumen juſtitiæ*, *lumen vitæ*. Apoſtoli lux mundi vocantur, *Matth.* 5. 14. Juſtorum vita lucis nomine decoratur, *Prov.* 4. 18. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens*.

LUNA. Quarta Mundi die Solem & Lunam, ut diei & nocti præeſſent, & tempora, tempeſtateſque diſtinguerent, Dominus condidit *Gen.* 1. 15. Diei Sol præeſt, Luna nocti, ille anni, hæc menſis curſum dirigit. Sol veluti cœli exercitus Rex, Luna verò, veluti Regina habetur. Judæi divinum cultum Lunæ, quam *Meni*, & Cœli Reginam vocabant, ſæpè exhibuere. In quadriviis, apud fores, in domorum faſtigiis altaria eidem erigebant, eique etiam liba, atque vaſa liquoribus redundantia offerebant. Vide noſtr. Commentar. in Iſa. *Qui ponitis fortunæ menſam*, inquit

Iſaias

Digitized by Google

Iſaias 65. 11. *Hebr. Qui ponitis meni menſam*. Jeremias verò 7. 18. *Filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cæli*. Judæos ſub *Aſtartis* ſeu *Aſtaroth*, aut *Aſeroth* nomine, Lunam coluiſſe à veritate abſonum non arbitramur. Vide etiam *Jerem.* 44. 18.

(Aſtrum hoc creavit Deus, ut præeſſet nocti, ait Scriptura *Geneſ.* 1. 14. 15. 16. *Pſal.* 135. 9. ſicut & Soli dirigendam diem commiſit. Ità factum eſt, ut aſtro huic utrique Regis & Reginæ Cæli nomen conciliaretur. De luna perinde agit Moyſes ceu de luminoſo quodam corpore Soli fermè pari. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus ut præeſſet diei, & luminare minus ut præeſſet nocti*. Reipſa tamen conſtat, Lunam Soli comparatam molem corporis referre planè exiguam. Terræ quinquageſimam ſecundam portionem circiter æquare, ad Solem verò referri tanquam 22568. ad unum definiunt Aſtrologi; ſed Authores Sacri phraſes uſurpant interdum populares & minùs exactas. Appellant *Luminare magnum*, quod noſtris ſenſibus magnum quoddam offert, & ingens eſt equidem ad nos relatum; *minus* verò ſi cum aliis corporibus conferatur, quorum certam menſuram definire impares ſunt vulgares juxta fidem ſenſuum judicantes.

Notant etiam Sacri Scriptores deſtinari Lunam ad diſtinguenda tempora, dies feſtos, & cœtibus indicendis peculiares: *Sint in ſigna & tempora, dies & annos*. *Gen.* 1. 14. Pſalmiſta Pſal. 103. 19. *Fecit lunam in tempora*. Eccleſiaſticus 43. 6. 7. 8. *Luna in omnibus in tempore ſuo, oſtenſio temporum & ſignum ævi. A luna ſignum diei feſti, luminare quod minuitur in conſummatione*. Menſium & annorum ſupputandi ratio variavit apud Hebræos. Solarem annum ſervaſſe Moyſem, & diu etiam poſt illum Hebræos credimus; ſed poſt reductam è captivitate Babylonica gentem lunares anni ſuperiora obtinuerunt, quod inſinuat Author Eccleſiaſtici in Textu adducto. Æquè tamen verum eſt, ſive lunaris, ſive ſolaris annus teneatur, Lunam exprimere vices temporum, ſicut & diſtribuiſſe homines annum in duodecim menſes, quod duodecies implet orbem ſuum luna intra unius anni curſum.

An eclypſium lunarium cauſam norint Hebræi, ignorare me fateor; ſed ita rem tractant, perinde ac prodigio deputarent, rati Dei iraſcentis atque potentis argumentum hoc eſſe certiſſimum. Agentes Prophetæ de Imperiorum everſione, nunquam non inducunt obſitum tenebris Solem, & Lunam recepta in ſe luce negantem lumen, ſtellaſque de Cælo cadentes. Ita Iſaias 13. 10. de ruina Babylonis: *Ecce dies Domini venit crudelis indignatione plenus.... Obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo*. Et cap. 24. 23. *Erubeſcet Luna, & confundetur Sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion*. Ezechiel de excidio Regis Babylonis cap. 32. 7 *Operiam Cælum, nigreſcere faciam ſtellas ejus, Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum*. Joel. 2. 10. & 3. 15. *Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*. Familiaria hæc ſunt in Scriptura, nec uſſibi ſatis expreſſa de eclypſi mentio facta eſt, quantum ſciu. Nec ſane Hebræi Solem circa terram torqueri negantes, phyſicam quandam rationem aſſignare poterant eclypſium lunarium, vel ſolarium.

Orientales generatim, & peculiariter Hebræi Lunam magis, quàm Solem reſpectabant. Cultus Lunæ præ Sole magis latè patebat magiſque celebratur. Monet Iſraelitas Legiſlator *Deut.* 4. 19. & 17. 3. caveant, ne Solem, & Lunam, ſtellas & militiam Cæli aſpicientes, ad ſuperſtitioſum cultum ſe permittant; ſunt enim tantùm creaturæ ſervitiis omnium ſublunarium gentium deſtinatæ. De cultu pariter Solis & Lunæ ſermo eſt Jobi 31. 26. *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè; & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam in ore meo*, ad cultus ſignificationem. Conſecraverant Hebræi Lunam ſub nomiue *Meni*, *Aſtarte*, Deæ nemorum, Reginæ Cæli &c., Syri ſub appellatione *Aſtarte*, *Uraniæ*, vel *Celeſtis*: Arabes ſub *Alilat*: Ægyptii ſub *Iſidis*; erat Græcis *Diana*, *Venus*, *Juno*, *Hecate*, *Bellona*, *Minerva*.

Macrobius Satur. l. 3. cap. 8. & Julius Firmicus, tradunt homines muliebriter velatos, & mulieres viriliter Lunæ ſacrificia operatos fuiſſe; quem veſtium perſonatum ludum inhibuiſſe Moyſem cenſet Maimonides, More Neboch. part. 3. cap. 38. Dei non Deæ nomine proponebant ſibi Lunam ad cultum populi Syriæ, Meſopotamiæ, & Armeniæ. *Ana-Meleth*, Rex mitis, appellabant Sepharavaitæ; Strabo, ſicut etiam Iſaias 65. 11. *Men*. Viriliter paludata eſt in picturis, quas etiam viriles & veſtes & arma præfert in Nummis, in quibus & gallum habet ad pedes, & Phrygium vel Armenicum capitis integumentum. Affirmat Spartianus in Caracalla perſuaſione tenesi à civibus Charræ in Meſopotamia, eos omnes, qui muliebrem eſſe Luuæ ſexum rebantur, nunquam non ſubmittendos mulierum ſuarum imperio. Addit inſuper à Græcis & Ægyptiis nomen Deæ interdum Lunæ tribui; ſed in myſteriis nunquam non Deum appellari. Deæ exprimendæ nulla occurrit peculiaris vox in Scripturâ; & *Aſtarte*, Lunæ nomen, maſculina eſt vox, quemadmodum & *Baal*, qua Sol deſignatur.

Non uno ſacrificiorum genere Lunæ Numini litabatur. In triviis tectiſque domorum placentas, & id generis oblationes offerebant quidam apud Iſaiam 65. 11. & Jeremiam 7. 18. quo pariter ritu cultam *Hecatem* vel *Triviam*, quæ ipſa eſt Luna, à Græcis conſtat. Alibi verò humanis victimis delectabatur. Narrat Strabo l. 11. in regionibus ad Araxem Lunæ cultum obtinuiſſe peculiarem, ubi & Templum pariter inſigne Numini erectum erat. In obſequium ejus plura ibi addicta mancipia, quorum unum in ſingulis annis immolabatur in ſacrificium, lautè priùs toto anno paſtum. Paribus cultam Deam Syram, nempè Deam Cæleſtem vel Lunam, habes apud Lucianum, exhibentem parentes, qui recluſos in ſaccis filios è ſuperiori veſtibulo Templi agunt præcipites in furorem, miſerèque ejulantibus illis parentes interim dolorem ſolabantur ſuum, ingerentes non filios ſe, ſed boves enecaſſe.

Influxibus Lunæ plura referunt accepta Judæi, e. g. agit Moyſes Deut. 33. 14. *De pomis fructuum Solis & lunæ*. Duo hæc aſtra tanquam principia productionis fructuum in terra reputata ſunt. Sufficit Luna humorem & ſuccum; quod abundat, exſiccat Sol & diſſipat. Plin. l. 2. c. 101. *Lunæ fœmineum ac molle ſidus, atque nocturnum, ſolvere humorem & trahere, non auferre*. Commentariorum Scriptoribus quibuſdam *fructus ſolis* ſunt, qui ſemel in anno provehuntur, uti frumentum, uvæ &c. fructus Lunæ exhibet terra variis per annum menſibus uti cucumeres, ficus &c.)

LUNATICUS, *Matth.* 4. 29. Hoc nomine ægri appellantur, qui præcipuè in lunationibus morbis laborant, Epileptici, morbo comitiali affecti, furioſi, mæroris magnitudine laborantes, vexati demum à Dæmone; ingenti enim mæſtitia detentos verè à Dæmone vexatos ſæpè creditos ſcimus. Evangelii lunaticum planè energumenum putat Hieronymus *in Matth.* 4. 24., quem populus falsò lunaticum credidit, quòd in lunationibus majori furore actum videret; Dæmon enim iis præſertim temporibus miſerum angebat, ut eum morbum ſimplices in Lunam referrent, & inde Creatorem blaſphemandi occaſionem aſſumerent. Sunt qui epilepticos à lunaticis vix eſſe abſimiles tueantur. Epileptici non eodem modo ſuo morbo laborant: quidam enim ſæpè, quidam rariùs, quidam etiam quotidie corruunt; Lunatici verò non niſi Luna deficiente vexantur. *Vide Interp. in Matth.* 4. 24. *& Authores, qui fusè agunt de morbis, quorum mentio in Scriptura*.

LUNULA, parva, ſeu *creſcens* luna. Ejus mentio apud Iſaiam 3. 18., ubi filiarum Jeruſalem ornamenta enumerat; & apud Librum Judicum 8. 21.; juxtà

He-

Hebræum, ubi Madianitarum à Gedeone everſorum camelos lunulis aureis collo ſuſpenſis, decoratos recenſet. Quod ad filiarum Jeruſalem lunulas attinet, alii in frontibus, in auribus alii, quidam in calceis, quidam denique inſtar fibularum, aut monilium ab iiſdem adhibitas ferunt. Qua de re certi nihil. Nos tamen vel torqui alligatas, vel è fronte pendulas, geſtari ſolitas arbitramur.

(LUNULÆ. Filiabus Sion minas interminans Iſaias 3. 18. *Auferet Dominus*, ait, *ornamentum calceamentorum & lunulas*. Proximè ſupra talum ad malleum pedis ſcutulum quoddam gerebant Patricii apud Romanos, quod cornua lunæ referens lunam appellabant: *Patricia clauſit veſtigia luna*. Sunt qui locum ornamento aſſignent inferioris tibiæ partem anteriorem, quæ ſingularis eſt opinio, aliter enim exhibent veteres imagines. Bradas frater Herodis Attici lunulam præferebat ſupra talum ad malleum pedis. Ex ebore parabantur, & ad Lunæ formam corniculatæ (a). Hebræa vox, quam S. Hieronymus reddidit *lunulas*, reipſa quidem *lunam* exprimit; nec forte aliud ſignificat apud Septuaginta *meniſcos*. Eadem pariter voce utitur Scriptura Judic. 8. 21. 26. ad exprimendas bullas è collo camelorum Madianiticorum ornamenti loco appenſas; exhibebant illæ aureas lunulas.

LUPUS, animal ſylveſtre notiſſimum, Hebraicè *Seeb*, Græcè *Lycos*. Novem de Lupo commemoranda Scriptura recenſet: 1. eum rapinis veſci; 2. ferocem eſſe, crudelem, & ſanguinarium; 3. edacem eſſe, atque helluonem; 4 ad rapinas noctu egredi; 5. oculis acutiſſimis præſtare; 6. ovibus eſſe infenſiſſimum; 7. Benjamin Lupum eſſe rapacem *Gen.* 49. 27.; 8. Pſeudo Doctores eſſe Lupos ovium pelle protectos; 9. denique lupos rapaces eſſe, hoſtes & pſeudo paſtores Eccleſiæ. Prophetæ de lupis veſpertinis ſæpiſſimè meminere. Jeremias v. g. 5. 6. *Lupus ad veſperam vaſtabit eos* (improbos.) Habacuc. 1. 8.: *Ipſi ſunt velociores lupis veſpertinis*. Sophonias 3. 3. *Judices ejus lupi veſperæ*. Animadvertit Hieronymus, in veſperis lupos eſſe ferociores, quòd tum fame agantur. Septuaginta pro *lupis veſpertinis* reddunt *lupos Arabiæ*, quòd Hebræum *Arab veſperas* ſimul & *Arabiam* ſonet. Lupi quidem in Arabia frequentes; niſi tamen iis eſt præcipui, quare huic Verſioni adhærendum cenſeamus.

Quod attinet ad illud Geneſis: *Benjamin lupus rapax*, Chaldæi Interpretes referendum putant ad Holocauſtorum altare in Tribu Benjamin, Jeroſolymæ erectum, in quo manè & veſpere holocauſta Domino adolebantur. Referunt alii ad Benjamitas, qui virgines, choros ducentes, in Silo rapuere *Judic.* 21. 21. Sunt denique, qui Mardochæum, aut D. Paulum, omnes ex Tribu Benjamin, velint deſignari. Cui de D. Paulo ſententiæ poſtremæ Chriſtiani Interpretes frequentiſſimè adhærent (b). Vide Bochart. de Animal. ſacr. part. 1. l. 3. c. 11.

(Lupus bellua ferox, ſylveſtris, gregi infeſta, carnivora, vorax, callida, acutiſſimi olfactus, quadrato rictu, & ſetis nigricantibus. Vorax ideò effici reputatur, quòd inteſtinum fert ampliſſimum & breve, brevi digerendis alimentis aptum; ſed hæc populari tantùm errore vera ſunt; reipſa enim illis inſtruitur, vulgaribus cæterorum animantium non minoribus, veluti canis, eſt enim ſylveſtris canis genus. Plura ſunt luporum genera: lupus moloſſus cadaveribus tantùm ſe paſcens; *lupus leporarius*, præda tantummodo venatitia, quam ſumma capit celeritate, victitans; *lupus cervarius*, quem alii cum lynce, alii cum fele ſylveſtri confundunt. Ex Europa in novam Hiſpaniam tranſlati canes degenerarunt in lupos.

Læta ſub Meſſiæ Regno tempora deſcribens Iſaias 11. 6. & 65. 25. *Lupus*, ait, *& agnus paſcentur ſimul, lupus cum agno accubabit, & puer parvulus minabit eos:* Jeſus Chriſtus in Evangelio mittere ſe Apoſtolos ſuos dicit, *ſicut oves in medio luporum* *Matt.* 10. 16. & *Luc.* 10. 3. Reipſa quidem Judæi & Pagani lupina feritate debacchati ſunt in Fideles. Oppreſſerunt illos perſecutionibus, exterminarunt violenta nece Apoſtolos omnes & Diſcipulos Jeſu Chriſti. Sed tandem factum eſt, ut veluti lupi in agnos tranſirent. S. Paulus, inter perſecutores Eccleſiæ facilè primus, ſucceſſu dein temporis zelo in fidem ſuo præ omnibus excelluit.)

LUSSA. Vide *Luza*.

LUSTRATIO. De ſacris cæremoniis agentes Authores hanc vocem conſecrarunt ad aſperſionem, ſuffitionem, cæteroſque pios ritus locis, ſeù perſonis contaminatis abſtergendis adhibitos deſignandos. Sic Moyſem Deus juſſit, Levitas de mediis filiis Iſraelis aſſumptos, luſtrationis aqua detergere *Num.* 8. 6. *Aſpergantur aqua luſtrationis*. Alibi *Num.* 19. 20. capitis pœna mandavit, ut qui vel quòd cadaver tetigerit, vel quòd funeribus adfuerit, labem contraxerit, luſtrationis aquis conceptam maculam abſtergeret. Hæ autem luſtrationis aquæ genus erat lixiviæ, quam tantillo vaccæ rufæ, quam ſolemnis expiationis die mactaverant, cinere immixtam conficiebant. Hac deinde ſeu res, ſeu perſonæ, quæ alicujus occaſione cadaveris ſordem conceperant, abſtergebantur. Ea poteſt & dici luſtratio, quam vel Leproſis poſt reparatam valetudinem *Levit.* 14. 1. *&c.*, vel mulieribus poſt partum in Templo ſe conſtituentibus expiandis adhibebant *Levit.* 12. 6.

Luſtrare ſæpè dicitur, cùm ſermo eſt de conſecrationibus, quibus Parentes Idolo Moloch parvulos ſuos dicantes, vel eos ſuper flammas, vel medios inter duos ignes ducebant, vel, quod verius à pleriſque cenſetur, flammis omninò abſumebant. Quam impietatem tametſi Deus expreſsè interdixerit (c), Iſraelitæ nihilominus ad opus ſæpè redigebant (d).

LUTER, Templi Salomonis lavacrum. Vas erat à quatuor Cherubim ſuffultum, quorum ſinguli baſibus nitebantur, quæ rotis æneis & humerulis inſtructæ ad illud huc & illuc, ut opus expoſceret, transferendum conferebant. Hujus ſtructura duplex; conſtabat enim labro, ſeu lavacro, in quod ex altero quadrato vaſe ſibi imminente aquæ per epiſtomia egredientes decidebant. Opus omne undequaque æneum; quadratum vas, leonum, boum, & Cherubim capitibus, hieroglyphicis nempè animalibus diſtinctum; Bathos autem 40. ſeù modios quatuor, pintas 41. & pollices cubicos 40. menſuræ Pariſienſis continebat. Ex his decem confecta, quorum quinque ad Templi dexteram, quinque verò ad ſiniſtram inter Holocauſtorum Altare, & gradus, per quos ad Templi veſtibulum patebat aditus, conſtituta. Vide 3. Reg. 7. 27. &c. & noſtr. Comm. in hunc locum.

(LUX. Narrat Moyſes Geneſ. 1. 2. &c. poſt creatam à Domino Cæli terræque materiam, & poſtquam ſuper chaos latè ſeſe diffudiſſent tenebræ, intimaſſe Deum: *Fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona, & diviſit lucem à tenebris*. Hæc prima diei opera. Sed quænam lux primæ hujus diei, alia planè à ſole, nonniſi quarta creationis die producto? Rabbinorum nonnulli defendunt lucem hanc ipſam exprimere ſolem; quæ verò ℣. 7. hujus capitis de creatione ſolis lunæ & ſtellarum quarta die ſcripta ſunt, hæc veluti per epilogum præcedentium narrari. Malunt alii creatum à Deo prima illa die corpus quoddam lucidum, alteri perſimile, quo Iſraelitæ in deſerto per noctem colluſtrabantur. Opus eſt equidem tale aliquid hic admittere, ſi quis velit ſucceſſi-

(a) Antiquit. explic. tom. 3. pag. 58.
(b) Tertull. l. 5. contra Marcion. Ambroſ. de benedictio. Patriarch. c. 12. Hieron. in Iſ. l. 4. & in Oſee l. 2. Auguſt. &c.
(c) Deut. 18. 10. *Nec inveniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem.*
(d) Vide Moloch. & noſtr. Diſſ. de hoc Ammonitarum Idolo.

Digitized by Google

ceſſivam creationem defendere, eundemque retinere ordinem, quem Moyſes in rerum creatione ſtatuit.)

LUZA, ſic à veteribus Bethel vocabatur. *Gen.* 28. 19.

LUZA, urbs Arabiæ Petrææ, quam quidam è Bethel condidit *Judic.* 1. 24. Hic Ephraimitis Bethel obſidentibus occultum in eam aditum oſtendit, per quem illi urbem ingreſſi, eademque potiti, eumdem hominem, ejuſque cognatos omnes vita & libertate donatos, dimiſere. Ille itaque in terram Hethæorum progreſſus, *Luzam* extruxit, quam alio etiam nomine *Laſam*, ſeù *Laſam*, ſeù *Luſſam* appellant.

LYCAONIA, Aſiæ Minoris Provincia, & Cappadociæ pars, quæ Galatiam ſeptentrionalem, meridionalem Piſidiam, Cappadociam orientalem, & Phrygiam occidentalem habet. D. Paulus Iconii, & Lyſtris in Lycaonia prædicavit *Act.* 14. 1. *&c. A. Ch.* 48. *Ær.* 45.

(*Lingua Lycaonia.* S. Paulus fidem annuncians Lyſtris Urbe Lycaoniæ in Aſia minori ſolo imperii nutu conſolidavit claudum ex utero matris, qui nullum adhuc greſſum poſuerat. *Tum Lyſtrenſes levaverunt vocem ſuam Lycaonicè dicentes: Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium, eo quòd eſſet dux verbi.* Act. 14. 6. &c. Quinam iſte Lycaonicus ſermo? Græcum corruptum malunt plerique; conſtat enim latè per Aſiam minorem obtinuiſſe Græcum vernaculum ſermonem; accidit autem ſæpiſſimè, ut in Provinciis a politia remotioribus linguæ corrumpantur, recedantque ab eo nitore, qui in Urbibus cultiſſimis.

Paulus Erneſtus Jablonski erudita Diſſertatione in linguam Lycaonicam evincere conatur, ipſiſſimum eſſe ſermonem Lycaonicum cum Cappadoce; utrumque verò Græcum referre plurima Syriaci admixtione vitiatum. Hanc ſententiam ſequitur Grotius, & veri ſpeciem præfert plurimam, eo quòd Lycaonia vicina ſit Cappadociæ & Syriæ regio; & ſi tantùm de diſcrimine dialecti ratio fuiſſet, nunquam utique ſuccurriſſet S. Lucæ, ut notaret populum exclamaſſe Lycaonicè; nec enim dialectus linguam variat.)

LYCIA, Aſiæ Minoris Provincia, quæ Aſiæ propriè dictæ Provinciam ſeptentrionalem, Mediterraneum meridionale, orientalem Pamphiliam; Cariam denique occidentalem habet. D. Paulus Romam ad Neronem pergens, Lyſtris in Lycia appulit *Act.* 27. 5. An. Ch. ſeù *Ær.* 70.

LYDDA, ſeù *Dioſpolis*, ſic Græcè, & Latinè, Hebraicè verò *Lud*, ſeù *Lod*, ſecùs viam, quæ Jeroſolyma Philippi Cæſaream ducit. Quatuor, ſeù quinque leucis ab urbe Joppes, quam habet occidentalem, diſſita eſt. Ad tribum Ephraim pertinebat; at poſt Babylonis captivitatem à Benjamitis frequentatam credimus *Eſdr.* 11. 35. Una eſt ex Toparchiis à Samaria divulſis, ut Judæis donarentur. 1. *Mach.* 11. 34. *Joſeph. Ant. l.* 14. *c.* 8. Cùm D. Petrus perveniſſet *Lyddam*, paralyticum, Æneam nomine, incolumitati reſtituit *Act.* 4. 33.

(Tradunt Judæi, poſt Jeroſolymæ everſionem conſtitutas fuiſſe varias, variiſque in locis Palæſtinæ Academias, & maximè Lyddæ, ubi Akiba clariſſimus Rabbinus temporis certo ſpatio ſacras literas profeſſus eſt. Succeſſit illi Gamaliel, à quo & recipere ſe coactus eſt Japhnem. Poſt illos cathedram habuit Talphon vel Tryphon, inclytus alter Rabbinus à nonnullis confuſus cum Tryphone Judæo, quem in ſuo Dialogo diſſerentem inducit S. Juſtinus.)

LYDIA, mulier Thyatirena, purpuræ negotiatrix, non Judæa origine, ſed proſelyta, quam in urbe Macedoniæ Philippis degentem D. Paulus concionibus ſuis ad Fidem adduxit, ac una cum ejuſdem familia baptiſmate abluit *Act.* 16. 14. *&c.*; cujus etiam domum Paulus deinde, ut illa enixe flagitaverat, in hoſpitio habuit. Inter mulieres ſanctas recenſetur, ejuſque meminit Martyrologium Romanum die 3. Auguſti. Ejus fortè Patria *Lydia* fuerat, quare & ipſa *Lydia* vocaretur.

LYDIA, Aſiæ Minoris Provincia, à filiis *Lud*, ex Patre Sem, frequentata *Gen.* 10. 22. De his *Lydiæ* populis vix in Scriptura. Eorum mentio in Machabæis 8. 8., & apud Iſaiam 66. 19. qui tamen Ægypti fortè Lydiam deſignat.

LYDIA, Ægypti Provincia, à *Ludim*, Mizraim filio *Gen.* 10. 13. populis aucta, de qua ſæpiſſimè ſacri Authores. Vida Jer. 46. 9. Ezech. 27. 10. & 30. 5. At ubi verè ſita fuerit, vel quouſque fines ſuos protenderet, ignoramus. Vide *Ludim*.

LYNCURIUS gemma, quæ ex Lyncis urina, ut ajunt, in calculi duritiem verſa coaleſcit. Vide *Ligurius*.

LYRA, muſices inſtrumentum, de quo ſæpè Scriptura 2. *Reg.* 6. 5. *&* 3. *Reg.* 10. 12. *&* 1. *Par.* 15. 16. *&* 16. 5. *& Iſ.* 5. 12. *& Amos* 5. 23. *Lyra* Latinè, & Græcè dicitur, Hebraicè verò Kinnor, quæ vox ſæpè *cythara* redditur. Hoc igitur inſtrumentum muſicum à veteribus cælaturis, nummis, & picturis diverſimodè habemus; modò enim quatuor, aut tribus, modo quinque, vel ſex, aut ſeptem fidibus ab inferioribus ad ſuperiora ſemper tenſis, & baſi, ſeu ventre cavo reſonantibus exhibetur. Ut plurimum in Apollinis manibus collocatur. Hanc à Mercurio adinventam ferunt, nos tamen vel ante diluvium adhiberi ſolitam à Scriptura certò ſcimus *Gen.* 4. 21. Vide noſt. Diſſ. de muſic. inſtr. Tomo 2. in Pſ. præpoſitam.

LYSANIAS, ſeu Lyſias Abylenæ Tetrarcha *Luc.* 3. 1. filius forte, vel nepos alterius Lyſaniæ (a) à M. Antonio, qui ejus Regni parte Cleopatram donavit (b), interfecti. Lyſanias igitur hujus, ſeù filius, ſeu nepos, cum D. Joannes Baptiſta prædicare cæpit, Abylene imperabat; Lucas enim inter Principes Judæam, ſeù ejus viciniam regentes, eumdem recenſet. At vel ſe celeberrimum minimè reddidit, vel minimæ Regioni imperavit, cùm ejus apud Hiſtoricos nullibi mentio. Abylena parva erat Provincia Libanum inter & Antilibanum ſita, cujus Metropolis *Abila*. Vide *Abila*.

LYSIAS, Regis Antiochi Epiphanis amicus, & cognatus, qui ab eodem Antiocho ad pecunias congerendas ultrà Euphratem profecto (c), Syriæ Regno interea præpoſitus, & bellum Judæis inferre, eoſque penitus delere juſſus, Ptolomæum Dorymenis filium, Nicanorem, & Gorgiam plurimis copiis inſtructos in Judæam miſit: quibus ab Juda Machabæo vel cæſis, vel fuſis, anno proximo ipſemet fortiori exercitu adauctus, cum Juda congreſſurus in Judæam venit (d); clade tamen ab Judæis affectus, illicò reverſus eſt Antiochiam. Eodem anno Antiochus ultrà Euphratem ex vivis migravit, ſibique familiari Philippo Regni Præfecturam & infantis filii ſui tutelam legavit 1. *Mach.* 4. 14. *&c.* Lyſias nihilominus Regni regimine minimè dimiſſo, per ſuos Duces adversùs Judæos præliari non deſtitit; imò & ipſe iterum 10 Judæam reverſus, cùm Bethſuram uſque veniſſet (e), ab Judæis contritus, in fugam una cum ſuis copiis adactus eſt: quare ad Machabæum mittens, ingenti Judæorum gloria pacem compoſuit.

Hac autem brevi diſſoluta, Judas ut Judæorum hoſtes plurimos cohiberet, & Syrorum Ducum impetum repelleret, ad arma iterum rediit. Lyſias quoque anno eodem jam inclinante, una cum juniori Rege Eupatore ſelectum, ingentemque exercitum in Judæam traduxit 2. *Mach.* 13. 1. *&c. &* 1. *Mach.* 6. 28., Bethſuram obſedit, & Jeroſolymam uſque progreſſus, copiis ſuis urbem circumſepſit, & Templum, in quo ſe Judas muniverat, iis anguſtiis ſtrinxit, ut ſeptimo præ-

(a) Diodor. l. 4. 9. p. 44. (b) Joſeph. Ant. l. 15. c. 4.
(c) 1. Mach. 3. 32. &c. A. M. 3839. ante Chr. 161. ante Ær. 165.
(d) 1. Mach. 4. 28. &c. A. M. 3840. ante Chr. 160. ante Ær. 164.
(e) A. M. 3841. ante Chr. 159. ante Ær. 163. Vide 2. Mach. 11. 1. &c.

[illegible]. 2. *Mach.* 6. 63. *Joſeph. Ant.* l. 12. c. 15.

Demetrius Seleuci Syriæ Regis filius, ad quem Regnum jure devenerat, anno proximo (a) Roma, ubi poſt patris mortem obſes extiterat, in Syriam regreſſus, Tripoli Phœniciæ urbe quibuſdam copiis coactis Antiochiam contendit, urbem cepit, & juniorem Eupatorem, & Lyſiam in ſui poteſtatem redactos interfecit (b). Hoc fatum Lyſiam manſit, poſtquam quinquennio circiter Syriam geſſerat.

I. LYSIMACHUS, Ptolomæi filius, patria Jeroſolymitanus, qui ex Hebræo Librum Eſther in Græcum tranſtulit. Ejus Verſio a Doſitheo, qui ſe Sacerdotem ex progenie Levi ferebat, & a Ptolomæo ejus filio, Jeroſolyma Alexandriam, anno Ptolomæi, cognomento Philometoris, imperantis quarto, delata eſt (c). De Lyſimacho præterea ignoramus.

[illegible] tandem interiit. Licèt autem Pontifex verè nunquam fuit, tamen quòd Menelai munus geſſerit, inter Pontifices numeratur.

III. LYSIMACHUS. Alexander Lyſimachus, Alexandriæ Alabarcha. Vide XIV. *Alexander*.

LYSTRÆ, Lycaoniæ urbs, S. Timothei patria, quæ, cùm D. Paulum, & D. Barnabam prædicantes audiſſet (d) & claudum à matris utero incolumitati eorùm beneficio vidiſſet reſtitutum *Act.* 14. 6. &c. utrumque Deum, Paulum nempe Mercurium, Barnabam verò Jovem credidit, eiſdemque prope omninò fuit ut adoleret, niſi eam rem ipſi Apoſtoli pro viribus avertiſſent. Cum verò continuo Judæi quidam Iconii, & Antiochiæ Piſidiæ venissent, populum in ipſos concitarunt, qui Paulum, & Barnabam lapidibus impetentes, ipſos extra urbem veluti mortuos pertraxere.

(a) An. M. 3842. ante Chr. 158. ante Ær. 162.
(b) 1. Mach. 7. 1. &c. 2. Mach. 14. 1. &c. Juſt. l. 34. c. 4. Polyb. Legat. 114.
(c) Eſth. 9. An. M. 3827. ante Chr. 173. ante Ær. 177.
(d) An. Chr. 45. juxtà Ær.

NAPOLI

Finis Tomi primi Dictionarii Hiſtorici, Critici, Chronologici, Geographici, Literalis Sacræ Scripturæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

Digitized by Google